

BENEDICTI IVSTINIANI GENVENSIS È SOCIETATE IESV, IN OMNES CANONICAS Epiſtolas Explanationes,

PRODEVNT NVNC PRIMVM QVATVOR INDICIBVS ILLVSTRATÆ;
primo locorum ſacræ Scripturæ: altero vocum Græcarum; tum locorum moralium ad vſum Concionatorum; demum rerum ac verborum magis inſignium.


IHS
BENEDICTI
IVSTINIANI
Genuensis
SOCIETATIS IESV
in omnes
CATHOLICAS
EPISTOLAS
Explanationes
Ant. Pomeranci delin.
Io. Frider. Greuter. sc.
LVGDVNI. ANNO. CIↃ.DCXXI.
Sumptibus Iacobi Cardon et Petri Cauellat.





ODOARDO FARNESIO
PRINCIPI ILLVSTRISSIMO,
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,
APOSTOLICIQVE PATRIMONII
MERITISSIMO LEGATO,

BENEDICTVS IVSTINIANVS SOCIETATIS IESV, æternam felicitatem.

ET publico totius Societatis noſtræ, & meo priuatim nomine plurimũ me tibi debere & agnoſco, & libens fateor, ODOARDE PRINCEPS ILLVSTRISSIME. Nam ſi prima Religionis noſtræ incunabula ſpecto, altorem, educatorémque, vel Parentem potiùs Paulum III. immortalis memoriæ Pontificem video, vnde Farneſia Gens incredibilem ſplendorem, atque eximium ornamentum accepit ad omnem poſteritatem tranſmiſſura. Quippe quæ iam inde ab eo tempore Regiis, atque Imperatoriis affinitatibus inclyta, & opibus aucta maiorum ſtemmata clariori veluti luce perfundens mirificè nobilitauit. Inde enim gemina Ducum ſoboles Octauius, atque Horatius, inde Alexander, & Rainutius duo Purpuratorum Patrum eximia lumina, inde alter Alexander bellicis artibus, & dominandi peritia ſua ætate clariſſimus, inde poſtremò alter Rainutius Frater tuus ſingularis humanitatis, & prudentiæ Princeps prodière, quibus tu, ODOARDE, ætate quidem poſtremus, ſed nihilo virtute inferior acceſſiſti, vt auitam nobilitatem, maiorúmque omnium decora in ipſo ætatis flore repræſentares. Iſtam igitur Ducum, ac Purpuratorum Patrum Sereniſſimam Familiam Societas noſtra tamquam procreatricem, educatricémque veneratur, quando illam primùm Paulus III. Pontificia auctoritate ſacris Religioſorum ordinibus aggregauit, atque ampliſſimis priuilegiis auxit, ornauítque. Octauius Parmæ, Placentiæque commodas ei ſedes, ac domicilia attribuit. Alexander Cardinalis, & Montiſregalis in Sicilia Epiſcopus in ea Vrbe Collegium inſtituit, & Romæ magnificentiſſimum templum à fundamentis extruxit. Dux Alexander Pater tuus Belgij moderator, Regiíque exercitus

Imperator Sodalium nostrorum castrensem Coloniam multos annos munificentissimè aluit, constitutóque perpetuo censu castrense propemodum Collegium in omnem posteritatem stabiliuit. Tu denique, ODOARDE, maiorum liberalitatem, atque munificentiam, & in Ordinem nostrum beneuolentiam æmulatus, domesticas ædes nostris, qui Romæ viuunt, nihilo minori magnificentia, quàm olim Templum Alexander magnus Patruus tuus excitasti. Quid necesse est commemorare innumerabilia penè beneuolentiæ documenta, quæ quotidie Parmæ, Placentiæque à Rainutio Fratre tuo, & hîc Romæ à te in nostram Societatem extant? Ipsa profectò per se in bono lumine posita omnium ad se oculos trahunt, vt mihi quidem difficillimum videatur statuere, plúsne vobis honoris ac laudis, an nobis, atque Ordini vniuerso afferat dignitatis. Quod si Pauli III. Pontificis Maximi auspicio, beneficióque prima Religionis nostræ semina iacta sunt, Alexandri Cardinalis, Octauiíque Ducis patrocinio nonnullam segetem protulit: alterius deinde Alexandri, Ducis Rainutij, & tua, ODOARDE PRINCEPS, liberalitate, atque magnificentia ad hanc maturitatem perducta nonnullos in Ecclesia fructus edit, æquum profectò est, vt quanta quanta est, Farnesiano veluti Sole aucta, propagata, & toto fermè terrarum Orbe diffusa, quidquid habet, aut valet secundùm Deum Farnesianæ Genti acceptum referat. Gloriatur itaque in Domino, atque exultat, quod tanto patrocinio gloriosis initiis condita, fœlicibus deinde progressibus aucta ad hanc venerit non dicam amplitudinem, sed nonnullam certè firmitatem, vt inter præclara Serenissimæ Familiæ decora, & ornamenta domi, forísque parta, hoc etiam tamquam eximium pietatis argumentum veluti corollarium numerari queat. Agnoscit enim Orbis terræ vniuersus (quod omnis Posteritas iure optimo admirabitur) in summa ista fortuna egregias Principum virtutes siue ad militarem gloriam, siue ad imperandum, siue denique ad Romanam Purpuram illustrandam mirificè factas, quibus addenda est singularis in Religiosos homines pietas, ac liberalitas hoc profectò illustrior, quo & per se ipsa, & Religiosorum hominum opera redundat in plures. Si quid enim Societas nostra aut potest, aut præstat, aut denique conatur, siue ad Dei cultum propagandum, siue ad Ecclesiæ dignitatem tuendam, augendámque, siue ad iuuentutem bonis literis, & Christiana pietate imbuendam, siue ad Gentiles ad Christi castra traducendos, siue ad hæreticos refellendos, siue postremò ad omne genus hominum fidei, morúmque præceptis informandum, quidquid illud tandem sit (quod perexiguum esse non imus inficias) à Farnesiano veluti bonorum omnium vberrimo fonte promanat. Quod si tua, CARDINALIS AMPLISSIME, Fratrísque tui Rainutij Serenissimi Principis priuata in me beneficia commemorare vellem, longè profectò difficiliùs exitum, quàm initium reperirem. Ego enim, qui meam tenuitatem, humilitatémque probè norim, mirari satis non possum summorum Principum humanitatem, qui me tanta facilitate, comitatéque inter eos, quos priuata beneuolentia complectuntur, admittere non dedignentur, & omnibus pietatis, atque caritatis officiis in dies ornare non desistant. Sunt ista, fateor, Regia planè decora, vltrò omnibus benefacere, humiles, atque abiectos erigere, quos possis ad maiora prouehere,

here, nemini denique fontes claudere beneficentiæ. Sed in hoc ipso genere si quis emineat, aut excellat, eum diuinitatis aliquo modo participem, diuinarúmque virtutum imitatorem, ac penè dixerim, Deum inter mortales iudico. Ista est tua, Fratrísque tui propria laus, quam ego sæpiùs expertus libenter prædicarem, si rei præstantiam, ac maiestatem Epistolæ breuitas, & orationis meæ tenuitas pro dignitate complecti posset, vel hoc ipsum laudationis genus modestiæ vestræ legibus circumseptum in amplissimarum vestrarum laudum Oceano non fluctuaret. Nullius est enim tanta vis ingenij, tantáque dicendi copia, quæ dum virtutum vestrarum multitudinem, atque præstantiam intuetur, non diffidat, minimam eorum partem vel assequi se posse cogitando, vel explicare dicendo, aut si fortè aliquid magnificentius extollat, nec rei magnitudinem attingat, nec facilè apud eos, qui ex suo ingenio alios fingunt, inueniat fidem. Ego verò, ODOARDE PRINCEPS ILLVSTRISSIME, vt de te potissimùm loquar, æquo animo feram, multorum voce, ac scriptione Regium genus à maternis auis Lusitaniæ Regibus potentissimis ductum, Imperatorias affinitates, & Austriaci sanguinis cognationes, vno verbo, maiorum tuorum claritudinem celebrari. Quæ si negem amplissima esse, certè mentiar, sed citra omnem controuersiam, multo gloriosius censendum est, quod Regias, atque Imperatorias virtutes ab ipsis propemodum incunabulis complexus, in ipso ætatis flexu in hac Vrbe Roma, omnium, vt quidam dixit, gnara, & nihil reticente, Purpuram tibi delatam, Regiísque sanguinis decus ita ornasti, vt non tam Purpura tibi, quàm tu Purpuræ lucem, ac splendorem attulisse videaris. In adolescente, ac penè dicam puero, admirata est Vrbs vniuersa senilem prudentiam, singularem integritatem, incredibilem vitæ, morúmque moderationem, & innocentiam cum eximia pietate, ac religione coniunctam, vt quod ætati deesse videbatur, singularia animi tui bona abundè compensarent. O te felicem, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, qui in Vrbis, atque adeò in Orbis terræ Theatro ita vitæ cursum & instituisti, & ad istam ætatem virilem perduxisti; vt nullus te vel falsus rumor, vel obtrectatorum calumnia labe aliqua, aut labis suspicione asperserit, aut virtutum tuarum gloriam, laudémque vel leuiter infuscarit. Hæret, mihi crede, in animo meo non leuiter impressa, sed altiùs infixa ista tua ingens gloria, quæ accedente præsertim eximia tuæ in me caritatis, ac beneuolentiæ testificatione, me tibi tam arctè obstringit, vt quidquid sum, aut valeo, quod sentio perexiguum, ac propè nullum esse, id totum me tibi debere non inficier. Quamobrem cùm ante aliquot annos has meas in Epistolas Canonicas lucubtationes tuo amplissimo nomini destinassem, & coràm non semel pollicitus essem, seriùs omninò quàm putaram, obligatam meam fidem libero, & quantulumcumque ingenij mei, nec enim doctrinæ audeo dicere, fœtum tuo patrocinio tutum, ac splendore illustratum in lucem edo, ratus quidquid illi eruditionis, ac scientiæ desit, ODOARDI Cardinalis Farnesij fulgore ab omni posse reprehensione vindicari. Nec enim dubito, quæ tua est humanitas, te muneris tenuitatem æqui boníque consulturum, & qua beneuolentia nostrum Ordinem vniuersum, & me priua-

tim proſequeris, eadem hoc meum ſiue obſequium, ſiue obſequendi conatum bonam in partem accepturum, qui quod Regium eſt, tuíque generis proprium, ſpectare ſoles non tam quid, quàm quo animo quidque fiat. Vale igitur, PRINCEPS AMPLISSIME, diúque Eccleſiæ vniuerſæ, noſtróque Ordini fœliciſſimè viue. Deus autem immortalis votis, quæ pro te, Fratréque tuo Sereniſſimo Duce quotidie ſuſcipimus, pro ſua ſingulari benignitate noſtrum Ordinem vniuerſum aliquando damnet.





MVTIVS

MVTIVS VITELLESCVS, SOCIETATIS IESV Præpositus Generalis.



VM Explanationes P. Benedicti Iustiniani, Societatis nostræ Theologi, in omnes Catholicas Epistolas, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 10. Iunij, 1620.

MVTIVS VITELLESCVS.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV in Prouincia Lugdunensi.



GO Bartholomæus Iacquinotius Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, librum qui inscribitur, *Benedicti Iustiniani Genuensis è Societate* IESV, *in omnes Canonicas Epistolas Explanationes*, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT Lugdunensibus Bibliopolis, vt ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuēdere possint. Datum Lugduni die 22. Nouemb. 1620.

B. IACQVINOTIVS.

Approbatio Theologorum.



OS infrà scripti S. Theologiæ Doctores fidem facimus, vidisse, & perlegisse librum, cui inscriptio, *Benedicti Iustiniani Genuensis è Societate* IESV, *in omnes Canonicas Epistolas Explanationes*, omniaque in illo iuxta orthodoxam Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni 5. Nouemb. 1619.

FR. ROBERTVS BERTHELOT Episc. Damasci.

DEVILLE.

R. D. D. de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.



HOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, in suprema Dombarum Parlamenti Curia Consiliarius, Galliarum Primatiæ Officialis, & in Archiepiscopatu Lugdunensi Vicarius Generalis, librum inscriptum, *Benedicti Iustiniani Genuensis è Societatis* IESV, *in omnes Canonicas Epistolas Explanationes*, & à Theologis recognitum, typis mandari permittimus. Lugduni 30. Decemb. 1620.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa

Summa Priuilegij à Christianissimo Rege concessi.


VDOVICI XIII. Galliæ, & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Benedicti Iustiniani Genuensis è Societate IESV, in omnes Canonicas Epistolas Explanationes*, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenses, aut illos, quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contrà delinquentes expressis. Datum Parisiis die 7. Ianuarij 1620.

De mandato Regis,

Signatum,

BRVLART.

INDEX



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

In Epist. B. Iacobi Apostoli.

VETVS TESTAMENTVM.

Genesis.

Leuiticus.

I. Regum.

Iob.

Psalmi.

Prouerbia.

Ecclesiastes.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Isaias.

Ieremias.

Ezechiel.

Oseas.

Malachias.

NOVVM

NOVVM TESTAMENTVM.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Acta Apostolorum.

Epist. ad Romanos.

I. Ad Corinth.

II. Ad Corinth.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

I. Ad Timoth.

Ad Hebræos.

I. Ioannis.

Apocalypsis.

In Epist. B. Petri Apostoli.

VETVS TESTAMENTVM.

Genesis.

Exodus.

Deuteronomium.

Iudith.

I. Regum.

III. Regum.

Tobias.

Iob.

Psalmi.

Prouerbia.

Ecclesiastes.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Isaias.

Ieremias.

Threni.

Ezechiel.

Oseas.

Abacuc.

Zacharias.

NOVVM TESTAMENTVM.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Acta Apostolorum.

Epist. ad Rom.

Ad Corinthios I.

Ad Corinthios II.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Thessalonicenses I.

Ad Timotheum I.

Ad Timotheum II.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Epist. Iudæ.

Apocalypsis.

In Epist. I. B. Ioann. Apostoli.

VETVS TESTAMENTVM.

Genesis.

Exodus.

Leuitic.

Numer.

Iob.

Psalmi.

Prouerb.

NOVVM

INDEX
GRÆCARVM DICTIONVM,
QVÆ SPARSIM IN HIS SEPTEM CATHOLICARVM,
siue Canonicarum Epistolarum Explanationibus aut leguntur tantùm, aut etiam explicantur.

IN EPISTOLA B. IACOBI APOSTOLI.

ἰδοὺ

IN EPISTOLIS B.Petri Apostoli.

B

Γ

Δ

E

Z

H

Θ

I

K

κατηρτίσει,

IN EPISTOLA I. B.Ioannis Apostoli.

IN EPISTOLA II. B. Ioannis Apostoli.

IN EPISTOLA III. B. Ioannis Apostoli.

IN EPISTOLA B. Iudæ Apostoli.



IN SEPTEM CATHOLICAS, SIVE CANONICAS EPISTOLAS,



PRÆFATIO.

I. PLVRA olim epistolarum fuisse genera Ecclesiastico vsu recepta, neminem latere arbitror, qui aliquando legerit, vel fando audierit, formatas, encyclicas, tractorias, seu tractatorias epistolas, de quibus nos alibi [a] pauca quædam adnotauimus. Vniuersim porrò de Apostolicis epistolis, quantùm satis esse videbatur, suo [b] loco disseruimus. Iam verò septem Catholicarum epistolarum explanationem (quod Deus bene vertat) aggredimur. Quas quidem Hieronymus nunc Catholicas, nunc Canonicas appellat; Origenes [c], & Athanasius [d] perpetuò Catholicas: Theodoretus, & Oecumenius circulares; quo etiam nomine, vtitur Epiphanius [e].

a epist. 1. ad Cor. c. 3.
b tom. 1. explanat. in Paul. disp. 2. c. 2.
c apud Euseb. lib. 6. c. 25.
d in synopsi.
e Hær. 19.

II. Et quidem meritò vtrumque nomen sortitæ sunt; sed Catholicæ quidem cur nominentur, multiplex affertur ratio. Oecumenius enim eas Catholicas, hoc est, vniuersales, idcirco dictas putat, quòd ad omnes omnino gentes, ac nationes pertineant; cùm tamen, vt suo loco ostendam, quædam ad peculiares gentes, nonnullę etiam ad priuatas personas scribantur: secunda enim Ioannis epistola ad Electam primariam fœminam, tertia verò ad Caium virum insignem scribitur, vt nihil dicam Iacobi, & Petri epistolas ad Hebræorum nationem potissimùm missas censeri.

III. Quòd si dogmata, & morum præcepta spectanda quis putet, ea profectò ad cunctos fideles referuntur. Sed cur Paulinæ Epistolæ non appellentur Catholicæ, licèt Catholica dogmata, & communissima præcepta contineant, idonea ratio afferri nulla potest. Neque eorum satis probanda videtur sententia, qui Catholicarum epistolarum appellationem propterea maximè probant, quòd sanam, & Catholicam doctrinam proponant; quid enim causæ esset, vt modò dixi, cur Paulinæ epistolæ non eodem nomine censerentur? At sunt Catholicorum auctorum epistolæ; omnino verè. Apostoli enim suo quodam iure vniuersæ Ecclesiæ præerant. Sed cur non eadem appellatio Paulinis epistolis tribuatur, cùm Paulus, vt ipsemet [f] testatur, nihilò fuerit magnis Apostolis inferior?

f 2. ad Cor. 11. 5.

IV. Non me fugit, existimasse nonnullos Catholicas ob eam potissimùm rationem dici, quòd Catholicam doctrinam septenario numero complectantur, qui numerus vniuersitatem quandam significat. Sed, ni fallor, id videtur longè petitum, & mystica interpretandi ratione subnixum, quæ nimia plerumque licentia non sine aliquo periculo vsurpari solet. Quam ob causam quæ de septenario numero à multis hoc loco afferuntur, ne attingenda quidem videntur.

V. Sed olim sanè plurimæ aliorum circumferebantur epistolæ Barnabæ, Ignatij, Polycarpi, Dionysij Areopagitæ, Clementis Romani, à quibus vt hæ Apostolicæ distinguerentur, quæ in vniuersa Ecclesia auctoritatem obtinuerant, iure optimo Catholicæ vocatæ sunt, quas videlicet omnis Ecclesia miro consensu complecti-

tur, præcipuóque in honore habet: vt enim ostendam paulò pòst, septem epistolæ Apostolicæ iam inde ab initio Ecclesiæ auctoritate in sacrarum Scripturarum canonem redactæ sunt, tanquam à Spiritu sancto primario earum auctore dictatæ.

VI. Quæ causa fuit, vt etiam canonicæ nuncupari consueuerint [a], quòd solæ ex tam multis epistolis veterum, & Apostolicorum scriptorum, sacrorum librorum canone contineantur, vel quia canones, & rectè viuendi leges, morúmque præcepta absque vllo errore tradant. Adde quod quæ epistolæ, eadem de re, eadémque forma scriptæ essent olim, formales [b] dicebantur, vel canonicæ [c].

VII. Sunt autem numero septem [d], quæ, vt ait Hieronymus ad Eustochium, alio ordine apud Græcos olim, quàm apud Latinos collocabantur. Certè Gregorius [e] Nazianzenus hoc fermè ordine recenset.

Catholicas septem, inter quas est prima Iacobi,
Et geminæ Petri subeunt, tres deinde Ioannis,
Septima post istas succedit epistola Iudæ.

VIII. Nec dubium est, semper illas fuisse ab Ecclesia receptas, quamuis non nemo id temerè in dubium reuocarit. Canon [f] enim Apostolicus post epistolas Pauli subdit, Petri duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna. Et in eamdem sententiam Concilium Laodicense [g]. Canonicæ epistolæ septem, Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna. Easdem recenset Amphilochius ad Seleucum. Didymus verò eas suis explanationibus illustrauit. His consentiunt Athanasius [h], Cyrillus [i] Hierosolymitanus, Damascenus [k], Hieronymus [l], Augustinus [m].

IX. Quòd verò attinet ad ordinem, satis constat in libris Canonicis collocandis nullam fuisse dignitatis personarum habitam rationem. Nam inter Euangelistas postremum locum occupat Ioannes, qui, vt nihil dicam de Matthæo, certè Marco, & Luca dignitate, & gradu Apostolico præstantior erat. Sed quia omnium postremus Euangelicam historiam conscripsit, vltimum locum citra vllam iniuriam occupauit. Idem in harum epistolarum ordine collocando obseruatum fuisse crediderim: Omnium enim primus scripsisse videtur Iacobus, deinde Petrus, tum Ioannes, ad extremum Iudas, nisi fortasse hic vltimo loco ponitur, quòd omnium breuissimè scripserit, ídque etiam spectari potuit, ne Ioannis Epistolæ distraherentur, sed vno, eodémque loco positæ suo sibi ordine succederent.

X. Quòd si harum epistolarum argumentum quæratur, id breuiter affirmari potest, alteram Christianæ vitæ partem, quæ ad mores, & studiosas actiones refertur, vberiùs explicari. Nam cùm Paulus fidei magnitudinem, præstantiam, ac dignitatem luculenter suis epistolis commendasset, Christíque gratiam, eiúsque vim, atque efficacitatem mirum in modum extulisset, ne quis eo sibi dumtaxat nomine plus æquo blandiretur, satísque esse ad salutem putaret diuina mysteria, præcipuéque Christi liberatoris aduentum fide complecti, eiúsque gratiam otiosè præstolari, Apostoli gliscenti tunc errori occurrendum rati præter fidem bonarum actionum studium, ac sedulitatem ad beatam vitam assequendam necessariam esse apertissimè docuerunt.

XI. Itaque plurima morum præcepta copiosè tradunt, Christianorum animos (quæ tunc erat temporum conditio) ad rerum aduersarum tolerantiam, ad pietatis & caritatis officia vehementiùs inflammant, & rectè, atque honestè viuentibus tùm demùm immortalem, beatámque vitam pollicentur, si ad extremum vsque vitæ spiritum perseuerent. Quocirca meritò mysticæ, ac succinctæ dicuntur, verborum quidem ambitu breues, sed sententiarum multitudine, & grauitate copiosæ, in quibus multorum hebetantur ingenia, dum aliter quædam accipiunt, quàm à Spiritu sancto pronunciata sunt. Quoniam verò Iacobi epistola primo loco sese offert, eius argumentum paucis expediam, vt illico paraphrasim, & explanationem ggrediar.

ARGV

a Isidorus l. 2. de partibus diuinæ legis cap. 6.
b Sueto. in Domitiano cap. 3.
c Cassiodorus l. 2. var. epist 23.
d conc Laodicenſ, Carthag. Trid. Innoc. ep. 3. ad Exuperiū. Gelasius in Conc. Rom. Orig. Hom. 7. in Iosue. Epiph. hær. 76. Damasc. lib. 4. c. 18.
e In carm. de script.
f Can. 84.
g cap. 14.
h In Synop. & ep. horta.
i Catech. 5.
k lib. 4 c. 18.
l sæpe.
m lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ IACOBI.

AVGVSTINVS existimauit hanc Iacobi epistolam eo potissimùm tempore scriptam esse, quo impia quædam hæresis exorta est, quæ solam fidem absque operibus ad salutem satis esse docebat. Itaque tota hæc epistola Iacobi ad mores, & Christianæ vitæ officia refertur: de patientia, atque animi magnitudine, de precandi studio, de animi candore, de beneficentia, atque liberalitate, de mutua caritate, ac beneuolentia, atque id genus aliis multa differit. Homines præterea docet non Dei, aut naturæ vitio, sed sponte sua fieri malos, Deum immortalem bonorum omnium nostrorum auctorem esse, ad quem in periculis, ac necessitatibus confugiendum sit; nihil temerè loquendum, iram temperandam, neminem ex bonis externis, sed virtutibus, solidísque animi bonis æstimandum esse, effrenatæ, atque impotentis linguæ mala, atque incommoda recenset. Quid inter mundanam, & veram, Christianámque sapientiam intersit; pacem colendam, & prauas animi cupiditates frænandas, & comprimendas docet. Mundo nihil esse commune cum Christo. Vanam, fallacémque esse mortalis vitæ fœlicitatem; impiorum, & flagitiosorũ pœnas à Deo Iudice reposcendas; piorum verò preces plurimùm apud Deum valere; ægros sacra vnctione, ac sacerdotum precibus subleuandos: Errantes denique in rectam viam reuocandos, vt hac maximè ratione diuinam nobis gratiã conciliemus. Quæ omnia singillatim suis locis explicanda erunt.

Argumentum Capitis I.

IPSO *statim epistolæ initio fideliũ animos aduersus ingruentia mala, & pericula firmat, precandi studium commendat, eiúsque rationem explicat; suo denique quemque vitio labi, ac peccare affirmat, bona omnia à Deo Opt. Max. speranda, atque optãda docet; diuini verbi auditionẽ laudat, modò quæ quis audierit, ad actionẽ, & praxim reuocet, veræ denique religionis partes, atque officia breuiter perstringit.*

CAPVT I.

1 IACOBVS, *Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.*

2 *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.*

3 *Scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.*

4 *Patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.*

PARAPHRASIS.

IACOBVS, Alphæi filius, qui minor, & iustus, ac Domini frater dicitur, eiusdem Apostolus, Deique, ac Domini nostri Iesu Christi seruus, plurimam salutem, quæ ad animum potissimùm referatur, iis Iudæis dicit, qui in variis mundi partibus, veluti à patria extorres, peregrinantur. ¶ Fratres mihi in Christo carissimi, sic primùm habetote amplissimam veri solidíque gaudij materiam obiici vobis à Deo, cùm suo diuino consilio, ac prouidentia patitur vos ærumnis premi, calamitatibus diuexari, rebus denique aduersis multiplici ratione cruciari. ¶ Persuasum enim vobis sit oportet, hanc esse veluti fidei vestræ explorationem, quæ tanquam aurum igne & perpurgatur, & qualis tandem sit dignoscitur: & si quidem firma, synceráque fuerit, quæ neque fluctuet, neque honestarum, laudabiliúmque actionum fructu destituatur, constantiam, ac patientiam perficiat, ac suis omnibus numeris, ac partibus absoluat. ¶ Patientia enim tum demum laudanda, maximéque probanda est, vobísque, quoad eius fieri poterit, complectenda, quæ perstet, ac perseueret vsque ad victoriam, ac palmam consequendam, vt hac ratione vos omni

ex parte perfecti, integrique reddamini, quibus nihil penitus desit eorum, quæ ad Christianam perfectionem, veræque virtutis apicem pertinent.

5 *Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

¶ Quod si quis vestrûm cœlesti diuinàque sapientia, quæ ad tolerantiam, ac patientiam animum informat, aut Christiana perfectione indiget, is certò sciat, nullis se posse humanis viribus tantum, ac tam magnum bonum adipisci: quocirca me auctore ad Deum supplex accedat, ab eóque assiduis illam precibus contendat, qui pro sua immensa munificentia, ac liberalitate cunctis mortalibus bona sua impertit, nulla adhibita exprobratione, qualis plerumque in iis cernitur, qui vel inuiti, vel malignè certè largiuntur, itaque certò vobis polliceri possum voti compotes vos aliquando futuros.

6 *Postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.*

¶ Necesse est autem magna tum fide, tum confidentia hæc à Deo tam diuina, ac spiritualia bona postulare, omni penitus mentis disceptatione, animíque hæsitatione repudiata: nam qui dùm preces fundit, animi pendet, hæret, atque hæsitat, meritò marinis fluctibus similis esse perhibetur, qui nunquam quiescunt, seu leui aura mulceantur, seu impetu, agitationéque ventorũ huc illuc violenter impellantur.

7 *Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*

¶ Sibi igitur persuadeat quisquis eiusmodi fuerit, irritas, atque inanes fore eius preces, nihilque omnino suis illum à Deo votis impetraturum, qui de diuina munificentia, & liberalitate aliter sentiat, quàm illam immensam maiestatem, ac bonitatem deceat.

8 *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.*

¶ Quod si quispiam vel nimia quadam calliditate diuina consilia perscrutari velit, & cuncta in dubium reuocare, vel de diuina benignitate diffisus ancipiti cogitatione in plures partes distrahatur, & à se ipse diffideat, ac veluti gemina voluntate præditus eadem velit, repudiétque, eum, mihi credite, necesse est veluti in salo perpetuis fluctibus agitari, nullàmque æquabilitatis, aut constantiæ vel minimam particulam retinere.

9 *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.*

¶ Illud autem, quod optimum est, in præsentia suadeo, vt si quis inter fideles infimæ sortis, atque abiectæ conditionis videatur, ne animo despondeat, sed de se ipse demissè, atque humiliter sentiat, sibique gloriosum ducat Christi humilitatem, ac paupertatem, imitari, certus se ad summa quæque ab eo aliquando prouehendum, qui dixit, eum, Qui se exaltat, humiliandum, & qui se humiliat, exaltandum.

10 *Diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit.*

¶ Contrà verò diues, atque opibus potens meminerit, suam sibi rerum copiam, atque affluentiam non timidos, atque elatos spiritus addere debere, sed si suo iusto pondere expendatur, ad se deiiciendum, deprimendúmque plurimùm habere momenti, cùm quidquid splendoris, aut ornamenti diuitiarum fulgor afferre videatur, simillimum sit flosculis matutinis, quibus prata ad punctum temporis mira varietate, ac pulchritudine distinguuntur, & vbi sol incaluerit subitò euanescunt.

11 *Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit, ita & diues in itineribus suis marcescet.*

¶ Sic enim habetote fratres, quemadmodum solis æstu, atque ardore arescit herba, & omnis eius flos penitus languescit, adeò vt pristinæ pulchritudinis, ac venustatis

vix vllum vestigium appareat, ita quidquid agat, aut moliatur diues, nisi se, suáque omnia in Deum referat, siue voluptatibus indulgeat, siue honores ac dignitates auidiùs consectetur, omnia ipsius studia, conatúsque penitus perire, atque in nihilū recidere.

12 *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

¶ Illum porrò fœlicem, ac verè beatum certa spe, atque expectatione dixerim, qui magno, constantique animo, quæcumque accidunt aduersa diuino præsidio fultus tolerat: siquidem cùm fuerit diuino Iudicio, sententiáque approbatus, immortalem, ac sempiternam gloriæ, vitæque beatæ coronam assequetur, quam Deus immortalis, qui nec fallere, nec falli potest, iis pollicetur, qui diuina caritate præditi strenuè aduersùs vitia pugnant, & Christianam pietatem religiosè colunt.

13 *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.*

¶ Nemo verò cùm se ad scelus incitari, prouocaríque animaduertit, Deum accuset quasi ab eo ad flagitium impellatur, tantùm enim abest, vt Deus Opt. Max. cuiquam sit scelerum auctor, vt ab iis potiùs, salua libertate, reuocet: & quanquam non rarò humano propemodum more tentare dicitur, vt iustorum constantiam non tam exploret, quàm illustret, ac perficiat; neminem tamen tentat, vt ad peccatum pertrahat, qui scelerum vltor est, non perpetrator.

14 *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*

¶ Quilibet igitur insitæ, atque innatæ cupiditatis vi, quasi quibusdam stimulis ad malum sollicitatur, atque vrgetur, quæ cum recta ratione continenter pugnat, eiusdémque, vt ita dicam, lenociniis à recto virtutis tramite reuocatur, & ad complectendas corporis voluptates allicitur.

15 *Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

¶ Deinde verò ea praua animi affectio vbi rationis, ac voluntatis complexu arctiùs animo adhæserit, quasi fœtu iam concepto parturit, paritque peccatum. Quod si perfecto, absolutóque liberi arbitrij consensu probetur, aut re ipsa perficiatur, interitum procreat sempiternum.

16 *Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.*

¶ Quamobrem nolite, fratres mei mihi carissimi, vano errore decipi, vt existimetis vel Deum auctorem esse malorum, vel boni aliquid aliunde, quàm ex illo perenni fonte, vel potiùs bonorum omnium Oceano, promanare.

17 *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

¶ Sic autem habetote, quamlibet largitionem boni, omniáque siue quæ ad naturam, siue quæ ad gratiam pertinent, perfecta, atque expetenda munera à diuina liberalitate, ac munificentia proficisci, atque adeò vni Deo accepta esse referenda, quem constat luminum omnium esse parentem, ac procreatorem, nullàque funditus mutatione, aut vicissitudine Solis instar, vmbram, & locum mutare, & nunc quidem bona mortalibus impertiri, nunc quasi mutato consilio ad malum impellere, atque vrgere, cùm sit semper sui similis, atque omnis mutationis penitus expers.

18 *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.*

¶ Spontè siquidem, ac planè liberali diuinæ suæ vocationis, cœlestisque gratiæ vi, atque impulsu, eodémque valido, & efficaci nos quasi denuo baptismo genitos sibi filios adoptauit, & tanquam electorum primitias ante omnem æternitatem delegit, quos ipso statim nascentis Ecclesiæ exordio suorum fidelium numero aggregaret, suisque cœlestibus muneribus

locupletaret. ¶ Quapropter, fratres mihi in Christo imprimis cari, tametsi non dubito vos ea, quæ à me hactenus dicta sunt, optimè callere, probéque intelligere, verissimè esse pronunciata, pro mei tamen muneris ratione moneo, vt hæc, atque eiusdem generis alia libenter, atque auidè audiatis. Nec quisquam vestrûm vel ea disputando in disceptationem vocet, vel se temerè ad docendum, loquendúmve in Ecclesia obtrudat, sed id tum demum faciat, cùm res, aut locus postulat. Et si fortè dissensio aliqua exoriatur, non patiatur se iracundiæ impetu abripi, neque subitò excandescat. ¶ Siquidem ira, quæ hominum mentes occupat, nihil ferè cum iustitia, & sanctitate commune habet; neque si scelera vlciscatur, intra iustitiæ, & æquitatis fines sese potest cohibere, quin potiùs in sæuitiam plerumque, & immanitatem erumpit. ¶ Eam ob causam omni prorsus improba, sordidáve cupiditate, & vitiositatis redundantia abiecta, excipite Christianæ vitæ præcepta, quæ vobis Apostolorum opera proposita sunt, & Christi diuinam œconomiam, atque admirabilem humanæ naturæ cum diuina hypostasi coniunctionem fide complectimini, hinc enim mihi credite veram, ac sempiternam salutem consequemini. ¶ Estote igitur diuinæ legis non auditores tantùm, quasi ea in vna contemplatione posita nihil præterea requirat, sed date operam, vt quæ aute percepistis, aut legistis ipsi, animo etiam comprehensa ad praxim, atque actionem sedulò reuocetis, ne alioqui aliquando vos falsis ratiociniis, aut mentientibus argumentationibus decipiatis. ¶ Nam si quis sola diuinæ legis cognitione contentus in ea penitus conquiescat, nec vlteriùs progrediatur, is ei persimilis censendus est, qui ita natiuum vultum suum in speculo contemplatur, vt nihil præter illum ipsum conspectum ampliùs postulet. ¶ Qui siue ob eius intuitus exiguam vim, siue ob suam in contemplando vecordiam, ac negligentiam, vbi speculum amouerit, omnem penitus eius aspectus recordationem obliuione conterit. ¶ Iam verò qui sedulò perfectam legem Christianæ libertatis, hoc est, legem Euangelicam introspexerit, & in eius meditatione, ita versatus erit, vt quæ cognouerit, non illicò obliuioni tradat, vt accidere ei dictum est qui vultum suum in speculo contemplatur, sed eam ad praxim, atque vsum reuocauerit, hic profectò eam ob causam meritò beatus appellari potest. ¶ Illud autem scitote si quis inter vos vel suo, vel alieno iudicio religiosus putatur, linguæ autem intemperantiam, aut impotentiam frænare negligit, eius prorsùs inanem, atque infrugiferam religionem esse. ¶ Quippe religio pura, & integra, atque ab omni macula penitus libera, non humano tantùm, sed etiam diuino iudicio censetur illa, quæ orphanis, ac viduis, quoad eius fieri potest, opitulatur, eorúmque indigentiam subleuat; quæque hominem omnis prorsus labis expertem, & à mundi contagio liberum conseruat.

19 *Scitis, fratres dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.*

20 *Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur.*

21 *Propter quod abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.*

22 *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm: fallentes vosmetipsos.*

23 *Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo.*

24 *Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.*

25 *Qui autem perspexerit in legẽ perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit.*

26 *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.*

27 *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*

IN CAPVT PRIMVM EXPLANATIO.



1. *Iacobus Dei,& Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione salutem.*]



I. INITIVM est epistolæ olim vsurpatum, vt is, qui scribit, itémque ille, ad quem scribit, in fronte appareat. Sed quis quæso est hic Iacobus? Isidorus [a] Zebedæi filium, ac Ioannis fratrem putat; quod auidè arripuerunt Grammatici [b] quidam, qui sacras literas, quasi Liuium, aut Tacitum suo tantùm Marte explicandas susceperūt. Miror potiùs graues alioqui Theologos [c] leuissima coniectura ductos, fidenter negasse hunc fuisse Apostolum, qui nomen Apostoli non ausus est vsurpare, ac propterea huic epistolæ canonicam auctoritatem abnegant.

a lib. de vita & mor. Sanctor. cap 73.
b Erasmus.
c Caietan.

II. Itaque his magistris, ne tres quidem Ioannis epistolæ, Apostoli Ioannis, ac dilecti discipuli censendæ erunt; cùm ne ille quidem se Apostolum nominet: eadémque ratione epistola ad Hebræos, Paulum Apostolum non habebit auctorem; cùm neque Pauli, neque Apostoli nomen in ea legatur. Sed, vt auctor est Hieronymus, citra omnem dubitationem huius epistolæ scriptor est Iacobus Alphæi, cuius meminit Paulus, cùm ad Galatas [d] scribit; qui & frater Domini dictus est; non ex Iosepho Deiparæ Virginis viro, atque alia vxore, vt nonnulli [e] voluerunt, sed ex Maria Alphæi Virginis, vt arbitror, consobrina.

d cap 1. 19. & c. 2. 12.
e Leontius, Cyrillus, Euthymius.

III. Quamobrem consueto Scripturæ more, quia Christi consanguineus erat, eius frater passim appellatur. Qua ratione Iacob [f] filios, & vxores fratres nominat. *Pone*, inquit, *hic coram fratribus meis*, cùm tamen verè nullos ibi fratres haberet. Quo verò consanguinitatis gradu Christo connexus esset, ex iis, quæ de Christi, ac Virginis genealogia à multis disputantur, facilè quiuis intelligat.

f Genes. 31. 37.

IV. Subdit, *Dei, ac Domini nostri Iesu Christi seruus.*] Græcè δοῦλος, vt humilem, atque abiectam seruitutem indicet. At cur non Apostolus? Equidem non satis probo, quod video placere nonnullis, scripsisse Iacobum hanc epistolam non tanquam Apostolum, sed quasi Hierosolymitanum Episcopum ad eos, qui ex Iudæorum gente Christo nomina dederant, ne Petri dignitati quidquam detraheret, qui Hebræorum Apostolus, vt significat Paulus [g] propriè vocabatur.

g ad Gal. 2. 8.

V. Hæc verò sententia ab aliis reiicitur, sed nescio quàm aptè. Si enim, inquiunt, non tanquam Apostolus, sed tanquam Episcopus scripsisset, non haberet hæc epistola canonicam auctoritatem; quasi verò Apostolorum tantummodo scripta in sacrorum librorum canonem relata sint. At Marcus, & Lucas Apostoli non fuerunt, canonica tamen Euangelia & Ecclesiæ auctoritate probata posteris reliquerunt. Sed fuit eius modestiæ, quod amplissimum honoris titulum reticuerit, quam deinde viri Apostolici, ac præcipuè Romani Pontifices imitati sunt,

A qui se Dei seruos, & seruos seruorum Dei appellare consueuerunt.

Peculiare autem fuit Petro, & Paulo Apostoli nomen, ac titulum suis epistolis adscribere: illi quidem, quia Apostolorum erat princeps, huic verò, quia ipsius apostolatus à nonnullis in inuidiam vocabatur, quasi ille tanto gradu videretur indignus. Itaque coactus est apud Corinthios [a] pro eo strenuè decertare. Seruum porrò se vocat Iacobus Dei iure creationis, & conseruationis, cuius respectu verè dixit Dauid [b], omnia Deo seruire, quia nihil est in rebus creatis, quod diuinæ voluntati, atque imperio non penitus subiiciatur. VI.

a ep. 2. cap. 11. 5.
b Psal. 118. 91.

Quin etiam, vt Theologi docent in scholis, omnia, creata suopte ingenio ea facultate, quam obe-
B dientialem appellant, etiam supra ipsorum naturam ad ea omnia euehi, atque attolli possunt, quæ Deo libuerint. Itaque apud Danielem [c] Babylonica fornax vehementiùs inflammata, cohibita vrendi vi quasi leuis aura tres pueros Hebræos refrigerauit. VII.

c cap 3. 50.

Quamobrem rectè ait Dauid [d]: *Dixit*, (videlicet Deus) *& stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius.* Et alibi [e]: *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Sed priuato quodam nomine Deo immortali seruiunt Angeli, atque homines rationis compotes, qui eum religiosè colunt, eiúsque legibus, ac præceptis obtemperant; peculiari tamen quodam iure Dei serui appellantur, qui diuino se cultui ac obsequio priuata quadam ra-
C tione mancipant, & qui proximorum salutem, vel vi muneris sibi impositi, vel caritatis impulsu sedulò procurant: quo in genere potissimùm collocantur Episcopi, qui splendidam quandam seruitutem nacti, vt scribit Gregorius [f] Nazianzenus, Ecclesiæ curam, & administrationem suscipiunt, ad quos pertinent illa [g]: *Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* VIII.

d Psal. 106. 25.
e Psal. 148. 7.
f Apolog. 1.
g Lucæ 19. 17.

Neque hîc consistit Iacobus, sed iure redemptionis seruum se vocat, *Domini nostri Iesu Christi*, qui vt erat nostræ particeps mortalitatis, eripuit nos de potestate tenebrarum, & à peccati, ac dæmonis seruitute erutos sibi, suóque obsequio addixit. Verùm hæc seruitus longissimè abest à probro, libera enim
D est, nihílque habet sordidum; atque violentum, propiórque est amicitiæ, quàm seruituti, vt meritò dixerit Christus [h]: *Iam non dicam vos seruos, amicos, sed quia seruus nescit, quid faciat dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audiui a Patre meo nota feci vobis.* IX.

h Io. 15. 15.

Quocirca rectè Basilius [i] in hac Christi seruitute gloriandum magis ait, quàm in opibus, aut diuitiis, ac Principum familiaritate. Ita olim castissimæ, sanctissimæque Virgines exprobrantibus sibi abiectam, & despectam Christianorum seruitutem sapienter responderunt, Christi seruitutem quouis imperio digniorem esse. Eleganter enim scripsit Didymus; *Sicut* X.

i Psal 61.

A *mortales gloriam hominum appetentes in suis conscriptionibus dignitates, quas putantur, habere proponunt, ita sancti virum epistolis, quas scribūt ad Ecclesias, principaliter proferunt se seruos esse Domini nostri Iesu Christi, æstimantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere.*

XI. Fuit porrò hic Iacobus eximia quadam sanctitate præditus, vt non immeritò Iusti cognomen adeptus sit; de quo multa Hieronymus [a], Chrysostomus [b], & Beda [c]. Clemens autem [d] Alexandrinus hunc in modum de Iacobo scribit. *Petrum, Iacobum, & Ioannem post Seruatoris ad cælos ascensum, cum essent a Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria, & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum designasse.* Idemque [e] de Iacobo Iusto hæc commemorat: *Iacobo*, inquit, *Iusto,* B *Ioanni, & Petro Dominus post ascensionem suam singularem quandam impertiit cognitionem, quam illi reliquis Apostolis tradiderunt, reliqui autem Apostoli septuaginta discipulis, ex quibus vnus erat Barnabas. Duos item Iacobos fuisse fertur, vnum cognomento iustum, qui de templi fastigio deiectus, fullonisque vecte casus occubuit, alterum, qui capite abscisso migrauit è vita.* Addit Eusebius: *Illius autem qui iusti cognomen inuenit, Paulus [f] etiam in epistolis suis facit mentionem; alium Apostolum non vidi, præter Iacobum fratrem Domini.*

a lib de Vir. illustr.
b Hom. 47. in Acta.
c Act. 1.
d lib. 6. Hyp. apud Euseb. lib. 2. hist. cap. 1.
e lib. 7. apud eund. Euseb. eod. loco.
f ad Gal. 1. 19.

XII. Egesippus [g] verò: *Iacobus*, inquit, *frater Domini, qui à Seruatoris temporibus ad nostram vsque ætatem Iustus (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerat Ecclesiæ administrationem vna cum ceteris Apostolis suscepit. Hic ab vtero Matris suæ sanctus fuit, vinum, & siceram non bibit; animalium* C *carnibus se abstinuit; nouacula caput eius nunquam rasum fuit, neque corpus oleo perunctum, aut balneis lotum. Huic vni licebat in Sancta Sanctorum ingredi, vestibus enim vtebatur non laneis, sed lineis dumtaxat; in templum solus intrare solitus est, atque ibi genibus humi positis pro populi peccatis veniam postulare, cuius genua quòd iam assiduè, tum ad Deum augustè, sanctéque adorandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam procumbebat, cameli instar tuberculis contractis obduruerunt, qui propter singularem iustitiæ præstantiam, Iusti, & Obliæ, (quod Latinè Populi præsidium dici potest, & iustitia) nomen, sicuti Prophetæ de eo memorant, inuenit.*

g lib. 1. suæ histor. apud Euseb. lib. 2. Eccles. histor. c. 22.

XIII. Mox autem explicans eius martyrij rationem subdit: *Quibusdam igitur ex septem sectarum fautoribus in populo sparsarum, & à me in historia antè declaratarum* D *ab eo sciscitantibus, quodnam esset ostium Iesu, respondit, Iesum esse Seruatorem. Ex quorum numero nonnulli crediderunt, quòd Iesus esset Christus. Secta autem supra scripta, neque carnis resurrectionem fore, neque illum venturum, quicumque sit, pro his, quæ rectè, aut secus gesserit in vita, mercedem redditurus, omnino crediderunt. Verùm quotquot crediderunt Iacobi prædicatione, & hortatu crediderunt. Ergo cum plerique etiam ex principibus viris fidem essent amplexati, nonnulli ex Scribis, Pharisæis, & reliquis Iudæis tumultuari, atque adeò vociferari cœperunt, quòd vniuersus ferè populus Iesum existimabat verum esse Christum, qui etiam ad Iacobum profectò sic compellare.*

XIV. *Te obnixè oramus, vt quoniam populus fide in Iesum, perinde, ac si verè esset Christus collata in grauem errorem* E *delapsus est, eum ab hac opinione auoces, atque vt omnes etiam, qui hodie ad festum diem Paschatis celebrandum conuenerunt, de Iesu rectè veréque erudias, te etiam, atque etiam obtestamur. Tibi enim omnes fidem adhibemus, nec nos solum, sed tota etiam multitudo perhibet testimonium, quòd iustus sis, quódque personam non respicias. Persuadeas igitur populo de Iesu, ne erret. Etenim & vniuersus populus, & nos omnes tibi credimus. Idcirco statue te ipsum super pinnam templi, vt de superiore loco cunctis conspicuus sis, atque adeo tua verba à tota multitudine facile, & sine impedimento audiantur.*

A *Propter festum namque Paschatis, non solum omnes Iudæorum tribus, sed multi etiam ex gentibus conuenerant. Proinde Scribæ, & Pharisæi, quos suprà posuimus, Iacobo supra pinnam templi collocato cœperunt exclamare, ac dicere. O Iuste, cui omnes meritò debemus fidem adiungere, quoniam populus Iesum crucifixum imitando aberrauit, tu idcirco nobis commonstra, quod sit ostium Iesu crucifixi.* XV.

Qui clara voce sic respondit. Quid me interrogatis de Iesu filio hominis? Ipse sedet in cælo à dextris magnæ virtutis, & potentiæ Dei, & in nubibus cæli venturus est. Atque cùm multi plenè essent persuasi, & ob Iacobi testimonium Deum laudibus in cælum ferrent, dicerentque; O sanna filio Dauid. Scribæ, & Pharisæi de integro cœperunt protinùs inter se ita colloqui: Malè certè, & infeliciter B *cecidit, vt istud testimonium nostra opera Iesu tribueretur.* XVI.

At conscensis gradibus illum deiiciamus præcipitem, vt homines inde perterrefacti nullam fidem eius doctrinæ adhibeant. Deinde clamare, ac dicere. O, O, iustus etiam errauit, in quo eloquia sacra apud Isaiam scripta planè expleta fuère; tollamus è medio Iustum, quoniam nobis molestia est, & incommodo. Quocirca fructus operum suorum comedent. Tandem ergo ascendentes, iustum præcipitem dederunt, dixerúntque ipsi inter se, Iacobum Iustum obruere oportere lapidibus. Et quoniam deiectus in præceps non statim mortem obiit, sed vultu sursum sublato, genibúsque flexis, dixit: Obsecro Domine Deus Pater, da illis veniam, nesciunt enim quid faciunt, cœperunt saxa in eum conijcere. XVII.

C *Cumque lapidibus illum obterere pergerent, vnus de Sacerdotibus ex filiis Recab filij Recabim, qui sunt Ieremiæ testimonio commendati, voce emissa consentiùs dixit: Quid agitis? Iustus pro vobis Deum precatur. Attamen vnus ab illis, qui fullo erat, arrepto vecte, quo vestes solebant premere, in caput Iusti impegit; ita vitam beato, & fœlici martyrij cruciatu affectus, afflictúsque amisit, inque loco quodam prope templum, vbi columnella eius nomine inscripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum est. Iste Iacobus tum Iudæis, tum Græcis verus, & incorruptus testis fuit, Iesum verè fuisse Christum.* XVIII.

Subdit deinde Eusebius: *Iacobus igitur vir in primis admirabilis, & omnium sermonibus propter illustre iustitiæ decus magnopere celebratus fuit, vsque adeò vt qui inter Iudæos haberentur prudentes, hanc esse causam putarent,* D *cur tam citò post eius martyrium obsidione Hierusalem vndique cingeretur, quam profectò obsidionem nulla alia de re illis obtigisse creditur, quàm quod tam audax facinus, & scelus inexpiabile contra illum consciuissent, quod Iosephi [a] testimonio confirmat.* XIX.

a lib. 20. antiq. 8.

Quæ omnia tam copiosè Egesippi, atque Eusebij verbis descripsi, vt appareat, quæ fuerit olim Iacobi fama sanctitatis, quamquam, vt verum fatear, quod etiam alibi monui, non pauca sunt in Egesippi narratione, de quibus cogor non leuiter dubitare. Nam primùm quidem valdè mihi mirum videri solet, cùm hic Iacobus annos triginta Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfuisset, & pro sui muneris ratione Christianam fidem promulgasset, potuisse Scribas, & Pharisæos ignorare, esse illum Iesu Christi cultorem, Chri- E stianæque religionis, ac fidei acerrimum propugnatorem. XX.

Deinde non satis intelligo, cur dixerit Egesippus fuisse Iacobum ab vtero Matris sanctum, nisi fortasse significet iam inde à puero pietatis, ac religionis fuisse studiosissimum. Nam quòd ait abstinuisse illum à carnibus, nec siceram, aut vinum gustasse, vix in Apostolo, & Christi sectatore videri potest credibile. Audierat enim Christum præcipientem [b], vt libere vescerentur iis omnibus, quæ sibi apponerentur. Et profectò vnà cum Christo, cæterìsque Apostolis XXI.

b Lucæ 10. 8.

stolis agnum Paschalem comedit, & vinum etiam gustauit, vt ex Lucæ narratione colligi facilè potest. Atque haud scio an singularis illa abstinentia in cœtu Apostolico, cæteris quibuslibet liberè vescentibus, vel probata fuisset, vel à Christo Domino tolerata.

XXII. Denique illud non mihi facilè persuadere possum, quod ait Egesippus, vni Iacobo licuisse ingredi Sancta Sanctorum: cùm enim id legis auctoritate summo duntaxat Pontifici, idque singulis annis semel tantùm liceret, quis credat id homini priuato permissuros Iudæos, qui pro Mosaicis ritibus, tanquam pro aris, & focis decertabant? Sed vt vt sit, vir fuit Iacobus eximiæ cuiusdam sanctitatis, vt non immeritò Iusti nomen acceperit. Hic igitur hanc epistolam ad Iudæos scribit, sic enim ait.

XXIII. *Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione salutem.*] Hactenus descriptus est Epistolæ scriptor, nunc indicantur ij ad quos scribitur. *Duodecim*, inquit, *tribubus*; Ad Hebræos enim missa est epistola, quibus potissimum Iacobus tanquam Episcopus præerat. Cùm enim ab Apostolis Hierosolymitanus Episcopus inauguratus esset, iure suo peculiare Iudæorum patrocinium suscepit, & quos coràm non poterat, hac sua epistola præceptis, ac salutaribus consiliis informat, officiique monet, atque ad omnem pietatem excitat, & inflammat. *Quæ sunt*, inquit, *in dispersione*.

XXIV. At quam quæso dispersionem intelligit? Plures enim in sacris literis leguntur; quippe olim Assyrij multos in seruitutem adduxerant, vt legitur initio libri Tobiæ; deinde à Rege Nabuchodonosor plurimi Babylonem traducti non pauca seruitutis incommoda experti sunt; postea ab aliis pluribus Regibus huc illuc fuisse adductos ex libris Esdræ cognosci potest. Verùm hæc omnia Christi aduentum præcurrerunt, quò fortassè spectans Dauid alicubi dixit [a]: *Dispersiones Israelis congregabit.* Et Machabæi [b]: *Congrega*, inquiunt, *Domine dispersionem nostram.* Et Abdias [c]. *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananæorum vsque ad Sareptam, & transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates Austri.* Et de Christo scribit Ioannes [d]. *Vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.*

a Psal. 146. 2.
b lib. 2. c. 1. 27.
c cap. vnico 20.
d cap. 11. 52.

XXV. Sed nullam credo ex his dispersionibus Iacobus hoc loco significat. Iam post Christi in cælum ascensum in Actis Apostolicis [e] post Stephani cædem, legimus fuisse omnes, qui erant Hierosolymis, Apostolis exceptis, per regiones Iudææ, & Samariæ dispersos. Et sunt, qui putent de hac dispersione agere in præsentia Iacobum, quæ est Bedæ, & recentiorum quorundam sententia. Nec enim de ea dispersione loqui potest, quæ post Vrbis excidium Vespasiano, ac Tito imperatoribus contigit, quæ recentior est, quàm vt eam Iacobus videre potuerit, qui imperante Nerone paulo ante Petrum, martyrio clarus occubuit.

e cap. 8. 1.

XXVI. Ego hanc epistolam ad Iudæos scriptam esse non dubito, cùm hîc apertè duodecim tribus nominentur, & Hieronymus [f] ad Paulinum asserat Petrum, Iacobum, Ioannem, & Iudam ad Iudæos scripsisse. Quod autem asseritur à quibusdam de dispersione facta post obitum Stephani, non facilè admiserim, multò enim mihi verosimilius videtur, non ignorasse Iacobum, quod ex Actis Apostolicis facilè colligitur, plurimos Iudæorum, qui in variis regionibus viuebant, Christiana sacra, fidémque suscepisse, ac propterea ad se potissimùm Hebræorum Episcopum illorú salutem, atque eruditionem pertinere; eos per literas non solùm cõsolatur, sed etiam instituit, optimisque præceptis informat: egregiique Pastoris munere fungitur. Sic sanctus Cyprianus cùm ab impiis quæreretur ad necem, absens per epistolas fideles erudiebat; & persimili ratione Ignatius dum Romam pergeret, vt martyrium subiret, non paucas epistolas scripsit.

f epist. to. mo 3.

XXVII. His igitur Iudæis salutem primum precatur Apostolus; Græcè Χαίρειν, quæ erat olim salutandi ratio consueta. Sic Angelus Beatissimam Virginem Deiparam salutauit Χαῖρε: salutem autem, vt opinor, optat, non qualem Gentiles, qui nihil nisi mortale, & caducum cogitant, sed quam expetunt ij, qui cœlestia meditantur, & auidè concupiscunt. Falluntur autem nobiles quidam Theologi [a], qui hanc salutationem profanam putant, quia nihil quod Christum, aut Deum spectet, nihil quod gratiam, aut pacem sonet, continere videatur. Nam cùm se Apostolus Dei, & Christi seruum nominat, non obscurè significat, se eam salutem precari, quam Christus Iesus attulit mortalibus, quam olim Iudæi magnoperè optabant; ita in libris Machabæorum [b] Iudæi, qui Hierosolymam incolebant, fratres qui erant in Ægypto hac ratione salutant. Et Dauid hanc salutem optat [c]. *Dic, inquit, animæ meæ, salus tua ego sum.* Post Christi autem aduentum præsens veluti salus offertur, atque ita Apostoli in Synodo congregati [d] Antiochenis, ac Syris salutem dicunt.

a Caietan.
b lib. 1. c. 1.
c Psal 34. 3.
d Act 15 23.

XXVIII. Nec dubitandum videtur, tam Apostolos loco indicato, quàm in præsentia Iacobum animæ potissimùm salutem optasse, quam Christus Dominus suo ad nos aduentu attulit, & augustissimo IESV nomine indicauit, vt non immeritò Ecclesia non modò illum Saluatorem, sed salutem appellet, *Mundi* ait [e], *salus aduenerit.* Et in Actis [f] Apostolicis scriptum est: *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Non iuerim tamen inficias, varias à viris Ecclesiasticis, ac multiplices salutationis formas vsurpari consueuisse, vt ex epistolis Pauli, Ignatij, Dionysij, Cypriani, & aliorum apertissimè constat. Hactenus epistolæ inscriptio, & salutatio.

e In hymno de natiu.
f cap 4. 12.

2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.*]

Absque verborum lenociniis, nullo orationis apparatu epistolã à cohortatione exorditur, & ante omnia ad patientiam, & aduersa fortiter toleranda hortatur: fratres autem suos appellat, quos filios vocare meritò poterat: Dei namque respectu, qui omnes ex nihilo condidit, ipso iure naturæ omnes mortales fratres sunt. Quin etiam ea, quæ vita, sensuque carent, Deum conditorem, ac parentem agnoscunt. Sic enim ait Iob [g]: *Quis est pluuiæ pater?* De hominibus verò dixit Moses [h]: *Nunne ipse est pater tuus, qui fecit, & creauit te?* Huc etiam spectasse visus est Christus, cùm apud Matthæum precandi veluti formam præscribens docuit [i] Patrem, qui in cœlis est, appellare, & sæpe alias Deum hominum Patrem nominat. Respectu verò Abrahæ Iudaicæ gentis parentis, ac propagatoris, omnes Hebræi fratres quodam modo dici poterant; atque idcirco Iudæi apud Ioannem [k] gloriantur se patrem habere Abraham; & ibidem Christus [l]; *Abraham, ait, pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Vt interim omittam initio nascentis Ecclesiæ fideles omnes ob fraternam caritatem, qua se se mutuò complectebantur, fratres vulgò dici consueuisse, quomodo frequentissimè loquitur Paulus.

g cap. 38 28.
h Deut 32 6.
i cap. 6. 9.
k cap. 8 33.
l vers. 56.

Docet autem hoc loco Iacobus suo exemplo, quanta animi moderatione vtendum sit iis, qui cæteris in Ecclesia præsunt: ad eos enim pertinere potest quod alicubi scribit Sapiens [m]; *Rectorem te posuerunt,*

m Eccl. 32. 1.

fuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi vnus ex ipsis. Quod etiam spectasse visus est Petrus, cùm dixit [a]: *Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quanquam alioqui, quidquid nonnulli contrà mentiantur, Ecclesiastici Præsules amplissimum, dignissimúmque principatum gerunt. De quo Gregorius [b] Nazianzenus hunc in modum scribit: *An me liberè loquentem æquo animo feretis, nam vos quoque* (Præfectum alloquitur) *imperio meo, ac throno lex Christi subijcit, imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius, nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere: sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, vtpote sacri mei gregis ouis sacra, magniq́; Pastoris alumna.*

[a 1. Pet. 5. 3.] [b orat. 17.]

III. Sed hic ipse principatus plurimùm distat à regio, & humano principatu, quod non obscurè significauit Christus, cùm dixit [c]: *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in illos, non sic erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Itaque Iacobus huius Dominici præcepti non immemor, quamuis Episcopus esset, se tamen gerit tanquam fratrem, & initio epistolæ se seruum appellauerat, quia reuerà principatus Ecclesiasticus, splendida quædam, & laboriosa seruitus est, ei persimilis, quam describit Iacobus his verbis [d]. *Die noctúque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Quod si animaduerterent, qui tam auidè Ecclesiasticas dignitates expetunt, mentem credo, consiliumque mutarent.

[c Matth. 10. 25.] [d Genes. 31. 40.]

IV. Ait igitur: *Omne gaudium existimate fratres.* Summæ, & eximiæ lætitiæ, exultationisque materiam putatote, cùm rebus aduersis vndique vos premi, atque vrgeri contigerit, tantùm abest, vt inde vos deceat perturbari, atque aliqua indignatione animi commoueri. Sic Paulus [e] de se ipso scribit: *Superabundo gaudio in tribulationibus meis.* Et Apostoli [f]: *Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et Petrus [g]: *Si quid patimini propter iustitiam beati.*

[e 2. Cor. 7. 4.] [f Act. 5. 41.] [g epist. 1. 3. 14.]

V. Gaudendum igitur ait, cùm variis quis vexationibus, atque incommodis premitur. Hoc enim est quòd ait: *Cùm in varias tentationes incideritis.* Græcè dixit περιπέσητε, vt enim mox ait, *quæ nobis aduersa contingunt, vim habent explorandi patientiam, animique magnitudinem, & constantiam.* Neque verò Iacobus solùm ait, res aduersas gaudij materiam præbere, sed addit, *Omne gaudium existimate*, quasi dicat perfecti, absolutique gaudij materiam putate vobis obiectam, cùm vos plurimis grauissimisque malis vexari contigerit. Sic Christus apud Matthæum [h]: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et hîc ipse Iacobus paulò pòst: *Beatus*, inquit, *qui suffert tentationẽ, quoniã cùm probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quã repromisit Deus diligẽtibus se.*

[h cap. 5. 10.]

VI. Erunt igitur res aduersæ expetendæ, vt hoc tam ingenti gaudio perfruamur, atque adeò nefas erit, se periculis subducere, aut fuga suæ saluti consulere. Ita olim malè sensit Tertullianus [i] Montani errore corruptus. At contrà Athanasius [k] multis docet licere viris iustis sese in latebras abdere, donec diuina voluntas planiùs sese prodat, & patiendi, moriendíve necessitatem imponat. Sic olim Petrus, vt se Romanæ Ecclesiæ seruaret fidelium precibus exoratus, vrbe excessit, at vbi diuinitùs admonitus est, illicò sese Tyranno spontè obtulit.

[i lib. de fug. in persec.] [k Apolog. de fuga sua.]

VII. Et Augustinus [l] post Athanasium exemplo Christi probat fas esse fidelibus interdùm fugere. *Sed quia*, inquit, *in omni re, quam gessit*, [Christus] *vt homo hominibus in se credituris præbebat exemplum, quia vnusquisque seruus Dei non peccat, si secesserit in alium locum,*

[l Tract. 25. in Ioan.]

A *videns furorem fortè persequentium se, aut quærentium in malum animam suam. Videretur autem sibi seruus Dei peccare, si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset; fecit hoc ille Magister bonus, vt doceret, non quod timeret.* Et alibi [a] allato exemplo Apostoli Pauli: *Faciant*, inquit, *ergo serui Christi ministri verbi, & Sacramenti eius, quod præcepit, siue permisit. Fugiant omninò de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis suis, quos, aliter viuere non posse nouerunt.* Ita enim explicat verba [b] Christi: *Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*

[a epist. 180.] [b Matth. 10. 23.]

VIII. At Christus [c] ita orandum docuit: *Ne nos inducas in tentationem.* Græcè, εἰσενέγκῃς, qua igitur ratione
B in tentatione gaudendum docet Iacobus, si tentatio fugienda est? Quòd si verum dicit Iacobus, & in tentatione plenum, & perfectum gaudium est; monet verò Christus [d] orandum esse, vt gaudium nostrum sit plenum, necesse profectò erit tentationes optare, vt optauit Dauid [e], qui alicubi dixit: *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.*

[c Matth. 6. 13.] [d Ioann. 16. 24.] [e Psal. 2]

IX. Quid ergo docet Christus, cùm monet orandum esse Patrem, ne nos in tentationem inducat? An petẽdum monet, vt suo nos patrocinio tueatur, ne cùm tentamur, tentationi succumbamus? Ita sanè Augustinus [f]. *Aliud est*, ait, *induci in tentationem, aliud tentari: nam sine tentatione probatus esse nullus potest siue sibi ipsi, siue alij. Non ergò hic oratur, vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem, tanquam si quispiam, cui neces-*
C *se sit igne examinari, non oret, vt non igne contingatur, sed vt non exuratur: quanquam enim non per se Deus in tentationem nos inducit, induci tamen*, ait Augustinus, *patitur eum, quem suo auxilio deserit, ordine occultissimo, ac meritis: causis etiam sæpe manifestis dignum iudicat ille, quem deserat, & in tentationem induci sinat.* Quamuis enim Deus neminem sufficienti auxilio destituat, quo tentationem superare queat, interdùm tamen peculiare quoddam auxilium subtrahit, vt non obscurè significat Gregorius [g]: *Non inducit*, inquit, *Dominus in tentationem, quos semper à tentatione subtiles misericorditer protegit, sed tamen in tentationem, quasi etiam inducere est à tentationis nos illecebra non munire, & tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cùm tentationes vltrà quàm possumus, non permittit.*

[f lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 14. & epist. 121. c. 11. Idem docet Cassia. coll. 9. c. 23. Cyrillus catech. 5. mystagogica.] [g lib. 5. Mor. c. 3. ad illa verba. Animũ illius forma.]

X. D Non me fugit, existimasse nonnullos [h] verba Christi significare petendum esse à Deo, vt nos à tentationibus liberet, nec patiatur nos vllo pacto tentari, sed Augustini sententia præferenda videtur, nisi quòd inducere in tentationem simpliciter idem videtur esse, quod tentationem permittere, vt idem Augustinus [i] alibi docet, ait enim Dauid: *Induxisti nos in laqueum*, cùm tamen non consensisset tentationi, meliùs igitur dicat quis tentationem deprecandam, cui tentatus succumbat. Nam alioqui rectè Sapiens [k]: *Qui non est*, inquit, *tentatus, quid scit?* Rectè verò ait Iacobus gaudendum esse, cùm in varias tentationes inciderimus, quasi significet, non esse tentationes quærendas, aut expetendas, cùm præsertim periculum est succumbendi, ait enim
E Sapiens [l]: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Ac proinde Hieronymus [m]: *Impossibile*, inquit, *est, humanam animam non tentari; vnde & in oratione Dominica dicitur: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non possimus, non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes.* Et cùm Christus [n] ait: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, subiicit Hieronymus: *Non ait Dominus, Vigilate, & orate, ne tentemini, sed ne intretis in tentationem, hoc est, ne tentatio vos superet, & vincat, & vos intra casses teneat.*

[h Auct. imperf. in illũ loc Matth. Euthy. ibid. & alij. Tertull. lib. de orat. Cyprian. de orat. Dom. Greg. Nyss. orat. 5. de oratione Dominica.] [i in Psal. 65.] [k Eccles. c. 34. 11.] [l Eccles. 3. 27.] [m in Matt. 26.] [n Matth. 26. 41.]

Sic

XI. Sic olim Ioseph [a] à petulanti fœmina tentatus est. Sic Susanna à scelestis Iudicibus [b]. Sic denique Iob [c] à dæmone. Sed quia nemo illorum superatus est, non dicuntur in tentationem inducti. Contrà verò primi Parentes nostri, Cain, & Iudas, aliique non pauci in tentationem inducti dicuntur, quia tentationi miserè succubuerunt. Gaudendum igitur ait Iacobus, cùm quis in tentationem incidit, sed strenuè reluctatur; cùm rebus aduersis premitur, sed patientiam, & constantiam retinet. Petendum est à Deo, ne nos patiatur vltra vires tentari, vel ne omnino nos tentari permittat si periculum sit ne succumbamus, cùm tamen tentamur, lætandum est, & tentatio fortiter, & cum gaudio toleranda, tametsi amanda non est; nam, vt rectè scribit Augustinus [d], *Eas Deus iubet non amare, sed tolerare; nemo enim, quod tolerat, amat, etiam si tolerare amat, quamuis enim gaudeat se tolerare, tamen mauult non esse, quod toleret.*

a Gen. c. 39. 7.
b Daniel. c. 13. 20.
c cap. 1. & c. 2.
d lib. 10. cõfess. c. 28.

XII. Verùm cur tantopere in rebus aduersis lætandum docet Apostolus? Primùm quidem quia statuere quisque debet, quidquid mali nobis accidat, ad diuinam voluntatem referendum esse. Vt enim Gentilis Poëta [e] dixit: *Quidquid patimur venit ex alto.* Et exemplo Iobi perspicuè cognoscimus absque Dei nutu ne dæmonem quidem acerrimum humani generis hostem, quidquam mali aduersùs nos moliri posse. Nihil verò piis, ac iustis optabilius esse potest, quam vt diuina voluntas in ipsis perficiatur, qui quotidiè illud ex animo iterant, *fiat* [f] *voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.*

e Seneca.
f Mat. c. 6. 10.

XIII. Quò spectans Iobus [g], in omnium bonorum, ac filiorum iactura dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.* Non dixit, Dominus dedit, diabolus abstulit quod verè dicere poterat: agnouit enim citra Dei nutum, nihil aduersùm nos dæmonem posse. Deinde reputare quisque debet hoc esse eximium, ac singulare Dei beneficium, de quo alicubi Paulus [h]: *Vobis non solùm datum est, vt in eum credatis, sed etiam vt pro eo patiamini.* Et Christus ipse hoc pro mercede pollicetur [i] iis, qui cuncta pro ipsius nomine reliquerunt. *Nemo est*, inquit, *qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc, domos, fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.*

g Iob. c. 1. 21.
h ad Philip. c. 1. 29.
i Marc. 10. 30.

XIV. Accedit quòd hac ratione reddimur Christo similes, qui, vt ait Apostolus [k], *Per passionem est consummatus.* Quò spectans idem Apostolus ad Romanos [l] ait: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Et rursus [m]: *Si tamen compatimur, vt conglorificemur.* Ad hæc pollicetur Deus futurum se in rebus aduersis adiutorem, sic Dauid [n]: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Alibi [o]: *Quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Rursus [p]: *Dic animæ meæ, salus tua ego sum.* Ipseque Deus Paulo dixit [q]: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Quin etiam erudimur, & informamur à Deo: quocirca dixit Ieremias [r]: *Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus.*

k ad Heb. 2. 10.
l cap. 6. 5.
m ad Rom. 8. 17.
n Ps. 90. 15.
o Psal. 15. 8.
p Psal. 34. 3.
q 2. Cor. 12. 9.
r cap. 31. 18.

XV. Denique apparet, Deum eos magnifacere, quos rebus duris exercet: quamobrem verè omnino, ac sapienter scripsit Seneca [s]: *Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet.* Et aliquantò post: *Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut luctu afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco deiiciant: nemo eorum, qui exeunt, dicit, malè de me Imperator meruit, sed benè iudicauit. Idem dicant quicumque iubentur pati, timidis, ignauisque flebilia, digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati.*

s Quare bonis viris eueniant mala, cùm sit prouidentia.

XVI. Esse autem tentationes valde vtiles colligit ex hoc loco Ambrosius [a]: *Quamuis, ait, profecisse quis plurimùm videatur, grandésque profectus fuerit consequutus, eum tamen tentationes non deserunt: tantum enim iam profecerat Paulus Apostolus, vt & vsque ad tertium cœlum raptus fuerit, audieritque arcana ineffabilia, nihilominùs prodigiosis adhuc tentationibus vrgeri se sentiebat, vnde querebatur. Datus est mihi stimulus carnis angelus Satanæ, qui me colaphizat. Tentationes tamen huiusmodi laudabiles esse Iacobus Apostolus testatur dicens: Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, hæ namque velut custodia quadam, homini adhibentur: sicut enim caro quamuis præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrumpitur, ita & anima quantumuis perfecta, nisi assiduis saliatur tentationibus, relaxatur.*

a lib. 42. mansion. mansl. 18.

3. *Scientes quòd probatio fidei vestræ patientiã operatur.*]

I. Ætiologia est superioris sententiæ: cur enim pro magno, & perfecto gaudio existimare debetis, cùm vobis luctandum est cum rebus aduersis? quia vobis, inquit, persuasum sit oportet, rerum aduersarum tolerantiâ, qua fides constantiáque vestra exploratur, patientiam quodam modo perfici, atque absolui. *Probatio*, inquit, *vestræ fidei*; Græcè *δοκίμιον*, quam vocem alibi [b] dixi actiuè accipi; res enim aduersæ fidem explorant, & qualis ea sit, indicant. Ita Sapiens [c]: *Vasa figuli probat fornax, & homines Iustos tentatio tribulationis.* Quæ enim vasa, dum igne coquuntur, perdurant, nec confringuntur, bene à figulo temperata dignoscuntur; contrà verò, quæ vim ignis non ferunt, sed dissiliunt, minùs rectè ficta apparent. Ita etiam quæ aduersa contingunt in vita explorant, ac declarant, quales homines sint: si enim persistunt ac perseuerant, de eorum constantia, ac fortitudine, perfectáque iustitia non licet dubitare, secus si deficiant, & animo frangantur.

b ad Rom. cap. 5.
c Eccl. 27. 6.

II. Eiusmodi erant illi, de quibus dixit [d] Christus Dominus: *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Eodem spectat Salomon [e] cùm ait: *Tanquam aurum in fornace probauit Electos Dominus.* Et Sapiens [f]: *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Isaias [g] verò: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Et Zacharias [h]: *Ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* Denique [i] Petrus: *Vt probatio fidei vestræ multò pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.* Quamobrem Angelus Tobiam seniorem his verbis affatur [k]: *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* In eandem verò sententiam scribit Seneca [l]: *Ignis*, inquit, *aurum probat, miseria fortes viros.* Et paulò antè: *Opus est ad notitiam sui, experimento, quid quisque posset, nisi tentando non didicit.*

d Luc. 8. 14.
e Sap. 3.
f Eccl. 2. 5.
g cap. 48. 10.
h cap. 13. 9.
i ep. 1. c. 1. 7.
k Tob. 12. 13.
l Quare bon. vir. mal. accid. cùm sit prouid.

III. Quærit verò alicubi Chrysostomus, cur Deus illos, quos maximè probat, & apertissimis signis sibi carissimos esse declarat, plerumque tamen omni acerbitatum genere agitari vexaríque patiatur, & incredibili quadam doctrinæ magnitudine, dicendíque facultate plures eius rei causas affert, quas hîc breuiter perstringere operæ pretium duxi. Id enim primùm eò refertur, ne rerum admirabilium effectores tumore animi, atque elatione corrupti supra humanam sese conditionem efferant, sed

submittant

submittat animos memores imbecillitatis suæ, quod A
Dauidis, ac Pauli testimonio firmari potest; quorum
a Psal. 118. 71. ille ait [a]: *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam*
b 2. ad Cor. 12. 7. *iustificationes tuas.* hic verò [b]: *Ne magnitudo*, inquit,
reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis
meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.

IV. Adde quòd ita fit, ne homines magni, ac præstan-
tes, pluris à cæteris mortalibus fiant, quàm humani-
tatis ratio patiatur. Id Paulus ac Barnabas suo exem-
plo docuerunt, qui vix impetrare potuerunt, ne à
Lystrensibus pro Diis colerentur. Quinetiam hac
ratione diuina magis omnipotentia elucet, dùm, vt
c Psal. 7. 20. ait Dauid [c], *multæ sunt tribulationes Iustorum, sed de*
his omnibus liberat eos Dominus. Quamobrem Paulo
vehementer rebus aduersis presso, diuinitùs respon-
d 2. Corint. 12. 9. sum est [d]: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infir-* B
mitate perficitur. Vt interim omittam Deum immor-
talem suorum fidelium laudi, ac gloriæ maximè con-
sulere; nam si illis omnia prosperè succederent, si
opibus, ac diuitiis affluerent, nunquam ægrotarent,
nunquam dolerent, nullo afficerentur incommodo,
sed colerentur, ac suspicerentur à cæteris; vulgus for-
tassè imperitorum suspicari posset, non illos sponte
sua pietatem colere, sed illa secunda fortuna veluti
authoratos, & tanquam mercede allectos, atque in-
uitatos. Nunc verò cùm non rerum omnium ino-
pia, non probra, aut contumeliæ, non corporis cru-
ciatus, non tyrannorum sæuitia, non carnificum cru-
delitas, non improbissimorum dæmonum immani-
tas à Dei cultu, veráque pietate eos abducere pos- C
sunt, liquidò constat ab iis virtutem, ac Deum bono-
rum omnium auctorem propter se ipsum amari.

V. Sic olim dæmon Iobum calumniabatur, & perpe-
tuus humani generis hostis improbè mentiebatur,
non illum gratuitò Deum colere, sed ob ingentes
diuitias, caducorúmque bonorum abundantiam,
quibus illum Deus supra cæteros æquales suos locu-
pletauerat. Sed quid Deus, qui suorum patrocinium
nunquam deserit? Tu verò, inquit, eius domos igne
cœlitus misso penitus exure, messes inflamma, greges
perime, liberos opprime, quin etiam corpus eius ar-
bitratu tuo vexa, lacera, dilania, morbos cumula, nul-
lus restet nouis vlceribus locus, iaceat in sterquilinio,
qui somnum pridem capiebat in purpura, ne sit qui-
dem quo se abstergeat, sed testa saniem ex vlceribus, D
totóque córpore manantem abradat, vt meridiana
luce clariùs appareat, illum Dei gratuitum, non mer-
cenarium esse cultorem; ita vir sanctissimus eadē ani-
mi æquitate tulit aduersa, qua & prospera exceperat.

VI. Neque verò illud in postremis habendum est,
quod hinc elucescit, non omnia morte concludi, sed
aliam superesse vitam, in qua omnia ex æquo pen-
sanda sint, atque idcirco suum iustis præmium tri-
buatur, contráque ab improbis, ac sceleratis iustum
supplicium exigatur. Nam si ne inter mortales qui-
dem quisquam adeò iniustus reperiatur, qui si quos
videat sua causa laborare, & grauia incommoda per-
peti, absque præmio abire patiatur, quantò id minùs
de immortali Deo, qui summa iustitia est, suspican-
dum erit? E

VII. Cùm itaque multos videamus alioqui iustos &
innocentes tam multis ærumnis, & calamitatibus
premi, vt vix vnquam quiescere, aut respirare queant,
sed perpetua quadam malorum serie ad extremum
vsque vitæ spiritum continenter vrgeri, nisi Deum
(quod nefas est cogitare) iniustitiæ accusemus, sta-
tuendum necessariò nobis est, post hanc vitam sua
esse hominum generi præmia pro suis cuique actio-
e 1. Cor. 15. 19. nibus constituta: nam rectè Apostolus [e]: *Si in hac*
vita tantùm, ait, *sperantes essemus, miserabiliores essemus*
omnibus hominibus.

A Præterea verò non mediocriter nostri recreantur, VIII.
atque eriguntur animi, si quando aduersi quidpiam
perferre compellimur, dum enim iustos, ac pios ni-
hilo meliori conditione vitam traducere animaduer-
timus, cùm ad patientiam informamur, tùm planè
intelligimus non esse nós propterea Deo inuisos, qui
ipsi inprimis caros, aut iisdem, aut etiam grauioribus
malis affici videamus, ita fit, vt si quando ad præstan-
tissimorum virorum imitationem incitamur, nullus
tergiuersationi locus reliquus esse possit, cùm non il-
los nobilioris naturæ, & ab huius vitæ incommodis
remotioris, sed maioris constantiæ, animíque magni-
tudinis fuisse intelligamus.

Huc accedit, quod interim discimus, quibusnam IX.
rebus vera fœlicitas metienda sit: neque enim mul-
B ta possidentem rectè beatum dixeris, nec miserum,
qui exulat à patria, qui in vinculis detinetur, qui in
rota, in equuleo, in cruce, in igne torquetur, sed is
potiùs censendus est fœlix, qui egestatem æquo ani-
mo fert, quique acerbissimos cruciatus pro fide,
pro religione, pro Deo, forti, & constanti animo
tolerat.

Nihilo verò minùs iustorum constantia illustra- X.
tur, quæ in arduis sui periculum facit, & si qua fortè
leuis macula pro naturæ imbecillitate adhæserat, hoc
veluti purgamento expiatur, & postremò ad maiora,
& ampliora præmia diuina munificentia, ac liberali-
tate digna iure optimo destinatur; Quod non obscu-
rè Iacobus indicat, cùm subdit:

C *Patientiam operatur.*] Græcè κατεργάζεται, an ipsam XI.
patientiæ virtutem malorum tolerantia perficit, at-
que absoluit? Sanè ita senserunt etiam ethnici, qui
malorum assiduitate facilè omnia mala contemni
docuerunt. Rectè namque alicubi Seneca [a]. *Ma-* a Quare bon. vir. mal. accid. cùm sit prouid.
gnum, inquit, *exemplum, nisi mala fortuna non inuenit;*
marcet sine aduersario virtus; tunc apparet quanta sit,
quantum valeat, polleátque, cum quid possit patientia
ostendit. Languent per inertiam saginata, nec labore
tantùm, sed mole, & ipso sui onere deficiunt; non fert vl-
lum ictum illæsa fœlicitas, at vbi assidua fuit cum incom-
modis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo ce-
dit, sed etiamsi ceciderit, de genu pugnat.

An patientiæ vberrimum fructum parit, eíque am- XII.
plissimam merendi materiam largitur? Ita visus est
D alicubi indicare Christus [b]. *In patientia*, inquit, *vestra* b Luc. 21. 19
possidebitis animas vestras. Et alibi [c]: *fructum afferunt* c Luc. 8. 15.
in patientia. Est enim Græcè eadem vox, quæ hoc
loco ὑπομονὴ, quæ significat sustinentiam & perseue-
rantiam. Neque aliter accipio quod scribit Aposto-
lus [d]: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum tribu-* d 2. Cor. 4. 17.
lationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ
pondus operatur in nobis.

Qua verò ratione hæc Iacobi sententia cum ver- XIII.
bis Pauli cohæreat, qui ait [e]: *Tribulatio patientiam* a ad Rom. 5. 3.
operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem,
spes autem non confundit, dixi eo loco. Certè vt mo-
net Didymus, quamuis verba nonnihil discrepare
videantur, sententia est prorsus eadem. Vterque
enim Apostolus pro patientia Græcè dixit ὑπομονὴν,
E quasi dicat sustinentiam, & longam diuini solatij
expectationem.

4. *Patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfe-*
cti, & integri in nullo deficientes.]

Pro eo, quod Interpres dixit, *Habet*. Græcè legi- I.
tur ἐχέτω, id est, *habeat*, vt sit hæc Apostolica adhor-
tatio, qua moneat in rerum aduersarum tolerantia
forti, constantique animo persistendum, ac perseue-
randum esse, non enim qui cœpit, *sed qui perseue-* f Matth. 24. 13.
rauerit vsque in finem, hic saluus erit. Neque aliter ac-
cipiendum censeo, quod ait noster Interpres, *Opus*
perfectum

perfectum habet. perinde enim est, ac si dicat, habere debet, hoc est, perseuerantiam postulat, vt sit omni ex
a lib. de patient. b li. de bon. patien. parte perfecta, quod luculenter ostendunt Tertullianus [a], & Cyprianus [b], qui de laudibus patientiæ multa scripserunt.

II. c lib. de patien. cap. 15. Inter cætera autem hæc habet Tertullianus [c]: *Adeò satis idoneus patientiæ sequester Deus; si iniuriam depòsueris penes eum, vltor est, si damnum, restitutor est, si dolorem, medicus est, si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem? Nec immeritò, omnia enim placita eius tuetur, omnibus mandatis eius interuenit, fidem vnit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesim adsignat, carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum domino, dominum Deo commendat; fœminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est. Agè iam, si & effigiem, habitúmque eius comprehendamus, vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugositate contracta, remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infœlicitate deiectis: os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis, & innoxiis, motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet in throno Spiritus eius mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis apertus, & simplex, quem tertiò vidit Elias.* Et multa deinceps, quæ penè omnia expressit Cyprianus.

III. d In Psychom. Tertulliano consentiunt ea, quæ scribit Prudentius [d].

Omnibus vna comes virtutibus associatur,
Auxiliúmque suum fortis patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init; virtute sine ista
Virtus nam vidua est, quam non patientia format.

Quin etiam eodem propè modo eam describit. Ait enim:

Ecce modesta graui stabat patientia vultu
Per medias immota acies, variósque tumultus;
Vulneráque, & rigidis vitalia peruia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.

IV. e lib. 2. epist. 62. Eiusdem verò patientiæ vim describit Isidorus [e] Pelusiota, qui enumeratis incommodis, *At*, inquit, *qui patientiam adhibet ab his omnibus rebus exemptus est.* Et post nonnulla: *Qui vlciscenda iniuria studet, infinitam inimicitiam reddit, qui autem patientia vtitur, eam quàm ocyssimè opprimit, & extinguit, vnde importunum etiam, ac sæuum hominem mitigat, atque ad amicitiam allicit.* Necesse igitur est, vt patientia opus perfectum habeat; hoc est, nullis difficultatibus frangatur.
f Prou. 16. 32. Quamobrem verè dixit Salomon [f]: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* Id autem planiùs explicans Iacobus, subdit:

V. *Vt sitis perfecti, & integri in nulla deficientes:* quod
g cap. 24. 19. aliter expressit Christus, cùm apud Lucam [g] dixit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Possidere autem animas, mea quidem sententia, nihil est aliud, quàm possessionem adipisci beatæ vitæ, quod tùm potissimùm accidit, cùm quis patitur propter iusti-
h cap. 5. 10. tiam, vt Christus ipse apud Matthæum [h] docuit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Itémque: *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in*
i ep. 1 4. 15. *cælis.* Et in eandem sententiam Petrus [i]: *Nemo autem vestrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut*

A *alienorum appetitor, si autem vt Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.*

Quod autem ait Iacobus, *vt sitis perfecti*, Græcè est, τέλειοι, ea videlicet perfectione, quæ pro naturæ imbecillitate haberi potest in hac vita. Quanquã enim vix quisquam est ab omni prorsus labe purus, nihil tamen prohibet, quominùs quis huius vitæ quantulamcunque perfectionem assequatur. Atque ita Paulus sæpe fideles hortatur, vt sint perfecti, hoc est, vt, quoad eius fieri potest, ad vitæ perfectionem contendant. Videri posset respexisse Apostolus propriam Græcæ vocis significationem, quæ cùm absolutè ponitur, ad virilem ætatem refertur, quasi doceat hoc esse patientiæ opus perfectum, vt reddat homines quasi virili ætate vigentes qui ex ephebis excesserunt, VI.
B & fortasse in vocibus allusio quædam est, vt perfectum opus sit, reddere homines perfectos, atque ita particula, *Vt*, non simplicem consequutionem, sed rationem finis indicabit. *Habeat*, inquit, *patientia opus perfectum vt vos perfecti sitis.* Addit, *& integri*, Græcè, ὁλόκληροι, quasi dicat, *omnibus partibus constantes, omnibus numeris absoluti.*

Is enim, ὁλόκληρος, dicitur, qui iis omnibus cõstat, VII.
quæ sibi iure debentur. Sic Paulus [a] integrum optat a 1. ad Thes. vlt. 23.
spiritum, & animum, & corpus sine querela, Græcè ὁλόκληρον σῶμα. subdit verò Iacobus, *In nullo deficientes.* explicans quid sit ὁλόκληροι, id est, integri, & perfecti, vt nihil ampliùs desiderari queat. Verè enim scripsit alicubi [b] Seneca perfectum id esse, *quod secundùm* b ep. 124.
vniuersam naturam perfectum est. In nullo, autem ait Ia-
C cobus, *deficientes*, Græcè ἐν μηδενὶ λειπόμενοι, hoc est, nulla ex parte diminuti, vt nihil vobis desit, perfectum enim, atque integrum id dicitur, cui nihil deest.

Ita apparet participium Latinum, *deficientes*, passiuè VIII.
accipiendum esse, vt idẽ valeat, quod *diminuti*; quanquam si quis actiuè malit accipere non magnoperè aspernabor, modò eos perfectos intelligat, & integros, & omni labe prorsus puros, non qui nusquam offendant, aut labantur, & leuiter errent, sed qui nunquam à caritate excidant, quique inchoatum iustitiæ cursum nunquam deserant.

5. *Si quis autẽ vestrûm indiget sapiẽtia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

Dixerat complectendam patientiam, cuius vi per- I.
D ficiendi essent, omnibúsque suis partibus, ac numeris complendi, vt nihil in iis desiderari queat; rectè nunc subdit: *Si quis vestrûm*, nondum eò peruenit, vt perfectus, atque integer cẽseri debeat, sed sibi aliquid deesse animaduerrit, id est, sapientiam, quæ animum ad omnia perferenda cõponit, ei ad Deum bonorũ omnium fontem confugiendũ est, assiduisque precibus eius immensa bonitas fatiganda, vt eam sibi largiatur.

Porrò quod noster Interpres dixit, *Si quis indiget sapientia.* Græcè legitur, λείπεται σοφίας, id est, *sapientia destituitur*, quæ potissimùm docet aduersa omnia fortiter, constãtique animo toleranda, in quo Stoici lineas videlicet transiliunt, qui ne in sapientem quidem cadere posse contumeliã putant. Aptè verò hæc superioribus respõdent, dixerat enim ἐν μηδενὶ λειπόμενοι, II.
E nũc subdit εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, hoc est, *si quis deesse sibi intelligit sapientiã*, qua, vt ait Beda, *non potest intelligere vtilitatem tentationum, quæ fidelibus probandi causa eueniunt, postulet à Deo tribui sibi sensum, quo dignoscere valeat, quanta pietate pater castigat filios, quos æterna hæreditate dignos efficere curat.* Idem verò Beda: *Tanta*, inquit, *est vtilitas tribulationum, quam si quis ignorat, nondum illuminatur per Spiritum sanctum. Petatur igitur, vt per Spiritum sanctum aperiatur sensus tuus, vt cognoscas, qua pietate pater corrigit filios, quos recipit.*

Possis etiam vniuersim sapientiæ nomine diuina- III.

sum, humanarúmque rerum scientiã accipere, quatenus est ad salutem assequendam necessaria, quasi dicat: Quòd si nondum quisquam eam diuinarum rerum scientiam adeptus est, quæ ad salutem necessaria videtur, is diuinam beneficentiam, ac liberalitatem imploret, vt enim scribit Irenæus [a]: *Deum scire nemo potest, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo non cognosci Deum: hoc ipsum autem cognosci eum, voluntatem esse Patris; cognoscunt enim eum, quibuscumque reuelauerit filius, & ad hoc filius reuelauit Patrẽ, vt per eum omnibus manifestetur, & eos, qui credunt ei iusti, in incorruptelam, & in æternum refrigerium recipiat.* Augustinus [b] verò: *Sed fortè*, inquit, *continentia Dei donum est sapientiã verò sibi ipso homo præstat, qua illud donũ non suum, nec Dei esse cognoscat. Imò Deus sapiẽtes facit cæcos, & testimonium Dei fidele sapientiam præstat paruulis.* Et mox subijcit hæc Iacobi verba. Et quidem si nomine sapientiæ voluerim intelligatur omnis supranaturalis cognitio, certũ est, eam humani ingenij viribus nõ posse comparari.

IV. In ea tamen re fuerunt olim Philosophi diuinæ beneficentiæ maximè ingrati, qui omnẽ supranaturalem, ac diuinitùs traditam scienoã penitus pernegabant, siue quia, vt ipsi falsò opinabantur, nihil est omnino, quod humanæ mentis, atque intelligentiæ vim effugiat, siue quia suprema illa causa, quam dicimus Deum, nihil sine interiectis causis agere potest, quos multis olim veteres Patres [c] confutarunt.

V. Iam verò diuinam quandam sapientiam reperiri posse, quæ diuinitùs supra humanas vires tradatur, hæc clarius ostendi potest, ipsorũ enim Philosophorum confessione liquet, quamquam vt plurimùm omnis nostra cognitio ortũ habet à sensu, tamen esse aliam quamdam scientiæ rationem occultam, quaio Deo, vel Dæmone auctore comparari non negabant. Omnes enim legislatores leges suas ad Deum aliquẽ auctorem referebant, vt numinis interposita auctoritate imperita multitudo faciliùs in officio contineretur. Quod egregiè adnotauit Clemens [d] Alexandrinus. *Minoëm*, inquit, *referunt ad Iouis antrum veniẽtem nouem annorum spatio leges à Ioue accepisse, & Lycurgum assiduè Delphos euntem ad Apollinem leges à Deo didicisse. Et Plato, & Ephorus, & Camaleo Heracleotes in opere de ebrietate, & Aristoteles de Republica, Locrorum, Zaleucum, Locrum leges à Minerua accepisse litterarum monimentis mandarunt. Quæ autem Græcorum leges, vt maximè fide digna videantur pro viribus efferentes ad deos referunt, ad Mosaica prophetæ similitudinem sunt ingrati, vt qui fateantur veritatem, & exemplar archetypum eorum quæ à se narrantur.*

VI. Idem insinuat Eusebius [e], Greg. [f] verò Nyssenus, vel, vt alij malunt, Nemesius, *Plurima*, inquit, *gentium deos faciant legum latores, vt Cretes Iouem, Lacedæmones verò Apollinem.* Itaque miratur Augustinus [g], cur Romani non etiam ab aliquo numine leges, sed à Græcis acceperint, quamquam, vt affirmat Plutarchus [h], Ægeriæ nymphæ congressum Numa Pompilius mentitus est. Huc spectant oracula, ac deorum responsa, quibus omnis antiquitas mirè delusa, futura se à diis cognoscere gloriabatur, quamquam oraculorum quidem Plutarcho [i] alia videtur ratio, quod etiam alijs Philosophis probatur.

VII. Certè Porphyrius, teste Augustino [k], libros scripsit περὶ τῶν λογίων φιλοσοφίας, hoc est, de Philosophia responsorum à diis, in quibus ponit oracula Apollinis, & cæterorum deorum, quæ meritò tamquam inania ab Augustino deridentur. Denique Augustinus [l] ipse ex Platonis, Plotini, reliquorúmque Platonicorum sententia ostendit, egere nos ad beatitudinem assequendam participatione quadam diuini numinis, vt interim omittam, quæ de genio suo sæpe Socrates apud Platonem commemorat, de

a lib. 4. c. 14.
b li. de sanct. virginit. cap. 42.
c Iustinian. Mar. in Par. ad gẽt. Clemens Alex. l. 2. & 6. Stromat Orig. l. 4. con. Cels. Euseb. ꝑ præpar. c. 2. 3. Basil. hom. 1. in Exam. Greg Naz. orat. 2. de Theol. Chrys. hom. de fid. & lege nat. & hom. 32. in Ioan. Theod. li. 1. de cur. Græc. affect. Lact. l. 3. c. 6. Arn. lib. 2. aduer. gent. Hilar. l. 2. de Trin. in princip. Ambr. lib. 1. offic. c. 29. li. 10. epist. 84. Hierony. ad Gal. 5. & ad Ephes. 3. August. ep. 49. q. 2. epist. 57. ep. 89. q. 3. ep. 95. li. 83. qq. q. 67. lib. 13. de Trinit. c. 7. 9. & 20. li. de vtil. cred. per totũ lib. de fide rer. inuisibil. c. 2. & 2 lib. 50. hom. hom. 32. Prosp. l. 1. de vocat. gent. c. pen. l. 2. c. 1. Bern. ep. 190.
d 5. Stromat non procul à fine.
e Præf. lib. 5. demon. Euang.
f lib. 7. de Phil. c. 1.
g lib. 4. de Ciuit. c. 16.
h In Numa.
i opusc. de orac. defec.
k lib. 10. de ciuit. c. 23.
l lib. 8 de Trin. c. 1. & lib. 10. cap. 1. & 2.

A quo multa Xenophon, & alij Platonici, & nostra etiam ætate plurimi scripserunt.

VIII. Lumine item naturali constat non omnia posse humano ingenio penitùs comprehendi, nam sæpe queritur Aristoteles, qui à multis sapientiæ meta, & apex ingeniorum vocari solet, in rebus difficillimis humani ingenij aciem cæcutire, & alicubi [a] ait conjecturis, & probabilibus rationibus in rebus difficillimis acquiescendum esse alibi [b], melius esse de diuinis pauca, quamuis obscurè, quàm multa de alijs, & perspicuè cognoscere. Democritus, & Leucippus sensuum nostrorum hebetudinem, &, vt ita dicam, fallacitatem accusabant, ac propterea omnẽ scientiam de medio tollebant. Heraclitus quod omnia perpetuo motu agitari, nihil vsquam consistere, mutari subinde B cuncta cerneret, certam rerum scientiam haberi posse pernegabat. Assensum cohibebant Academici, & à scientiæ veritate longissimè se abesse fatebantur. Arcesilas, vt auctor est Lactantius [c], philosophiam in eo sitam esse putabat, vt sciret quis, se nihil scire. Quo nomine, vt scribit Iustinus, Socrates Græcorum sapientissimus, etiam Oraculi testimonio habitus est.

IX. Denique Plato referente Arnobio [d], quis sit animorum status, ac sedes post hanc vitam, & id genus alia sexcenta vix posse ab vllo mortalium cognosci, affirmauit; vt nihil dicam de Hippocrate, qui ne vni quidem medicorum scientiæ comparandæ humanæ vitæ siue imbecillitatem, siue breuitatem satis esse existimauit. Accedit quòd omnis humana scientia ortum habet à sensu, infinitis autem propè modis, vt C eleganter docuit M Tullius [e], sensus nostri falluntur, vt inde certa ac stabilis scientia vix oriri queat. Et si Aristoteli credimus necesse est mentem, atque intelligentiam eas imagines cõtemplari, quæ Græci phantasmata appellant; eæ verò imagines lædi, & corrumpi possunt, quòd scientiæ certitudini, ac firmitati maximè repugnat. Fatendum igitur est, quod hîc ait Iacobus, sapientiam petendam esse à Deo.

X. Verùm vt arbitror, sapientiæ nomen hoc loco vsurpat Apostolus eo fermè modo quo Scriptura sapientiam appellat iustitiã, hoc est, omnium virtutum cõplexionem, & morum disciplinam. Quo modo loquitur Salomon [f]: *Ad sciendã sapientiã, & disciplinam, ad intelligẽda verba prudentiæ, & suscipiendã eruditionem doctrinæ, iustitiam, iudicium, & æquitatẽ, vt detur paruulis* D *astutia, adolescẽti scientia, & intellectus.* Neque enim Salomon de ea tantùm sapientia loquitur, quæ rerũ cognitione contenta in ea, qualis, aut quanta sit penitus cõquiescit, sed de ea omnino agit, quæ ad mores componendos refertur, qua qui carent, stulti, atque insipientes nominantur.

XI. Atque hanc quidem tam singularem, atque eximiam sapiẽtiam nulla potest Philosophorum schola docere, nulla humana industria cõparare, sed necessariò ab immortali Deo expetenda est, sine cuius ope, atque auxilio nihil potest humana imbecillitas præstare, quod valeat ad iustitiam, & vitam immortalem consequendam. Eam ob rem dixit olim Salomon [g]: *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc* E *donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum.*

XII. Itaque rectè ait Iacobus, *postulet à Deo*: ex hoc enim loco non malè quidam Pelagianorum arrogantiam confutari posse autumãt, qui humani arbitrij viribus tantum tribuebant, vt nihil non assequi posset, quod ad salutem adipiscẽdam valeat. nam alioqui quid orare necesse est, si cuncta in nostra sint posita potestate? Prorsus enim, vt ait Augustinus [h], *non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos non illum credimus facere, quod oramus.* Et alio quodam [i] loco: *Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à se ipsa sibi dari putat non veras,*

a In proœm. Meteor.
b lib. 1. de part. c. 5.
c lib. 3. c. 6.
d l. 2. aduer. gent.
e In academ. quæst.
f Prou. 1. in princ.
g Sap. 8. 21.
h ep. 107.
i lib. de don. perseu. c. 23.

veras, sed perfunctorias orationes habet, quod absit à nobis. A Neque tamen orationi tantùm tribuendum est, vt omnis conatus noster penitus cesset, & omnis lágueseat industria, vt alibi idem Augustinus luculenter docet. Quocirca rectè Ieremias [a]: *Leuemus corda nostra cũ manibus ad Dominũ in cælos.* Neque enim, vt alibi [b] docuit solùm orãtis habitũ expressit, sed indicare voluit coniungendũ esse cum precibus conatũ nostrum.

a Thren. 3. 41.
b 1. ad Tim. 2.

XIII. *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Quatuor affert causas, quibus facilè quis adduci potest ad petendam à Deo sapientiam. Et prima quidem indicatur, cum ait, *qui dat*, est quippe Deus summè liberalis, cùm sit supra modum bonus, ipsaque adeò summa, & perfecta bonitas. Boni autem, vt ait Dionysius [c], proprium est, se ipsum diffundere, atque aliis impertiri, qua fortasse ratione diuina illa natura, vt B idem Dionysius ait, cum igne, ac luce comparatur; quemadmodum enim ignis calorem, lux verò splendorem effundit, ita etiam Deus suæ veluti bonitatis particulas ad mortales transmittit, vt non immeritò ad illum transferatur, quod de luminũ Principe Sole dixit olim Dauid [d]: *Non est, qui se abscõdat a calore eius.*

c De diuin. nom. c. 4.
d ps. 18. 7.

XIV. Quantopere autem cupiat Deus sua cœlestia bona mortalibus impertiri, firmo argumento probat Christus [e]: *Omnis enim*, inquit, *qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Aut, quis est ex vobis homo; quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergò vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Quamobrem verè omnino, C ac sapienter dixit Moses [f]: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Adesse enim obsecrationibus nostris dicitur Deus, cum eas exaudit, & supplicantium votis annuit, id re ipsa compertum est cùm Elias [g] in monte vna cum Baalis Sacerdotibus de vero Dei cultu, verâque religione decertaret: illi namque, vt ignem à Baale impetrarent, inuocabant nomen Baal, *de mane vsque ad meridiem dicentes, Baal exaudi nos.*

e Math. 7. 8. & Luc. 11. 9.
f Deut. 4. 7.
g 3. Reg. 18. 26.

XV. Verùm quoniam inane prorsus erat Baalis numen, *non erat vox, neque qui responderet.* quin etiam, *clamabant voce magna, & incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis donec perfunderentur sanguine.* Sed frustra fauces, & latera fatigabant; frustra sæuum in D morem proprium sanguinem fundebant, cùm nihil potuerint impetrare. At contrà Elias vix prænunciauit pauca quædã verba; *Exaudi me Domine, exaudi me,* & illicò, *cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustũ.* Aderat quippe oranti Deus, quemadmodũ apud Isaiam [h] pollicetur. *Tunc*, inquit, *vocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adsum.* Aliquid verò ampliùs de Deo prædicat Dauid, qui Deũ desideriis, & cupiditatibus etiãnum tacitis, & in animo inclusis facilem se præbere affirmat [i]. *Desiderium*, inquit, *pauperũ exaudiuit Dominus, & præparationem cordis audiuit auris tua.* Ipsas enim abditas atque occultas mentiũ cogitationes introspicit, nec iustos patitur votis, atque expectatione frustrari, id olim exẽplo suo docuit Moses [k].

h cap. 58. 9
i psal. 10. 16.
k Exod. 14.

XVI. Cùm enim Hebræorum populus ab insequenti E Pharaonis exercitu extrema quæque metueret, & aduersùs Mosen vehementiùs iratus temeritatem illi, ac nimiã audaciã exprobraret, ille, vt erat omnium mortalium mitissimus, blanda oratione populũ consolatus, ne verbum quidem protulit, quo in tanto periculo diuinam opẽ imploraret, & tamen vocem diuinitùs missam audiuit, qua Deus illius clamorem audisse testatus est. *Quid*, inquit, *clamas ad me?* Sæpe enim, vt ait Augustinus [l], orantium animus, *tacet strepitu, & clamat affectu.* Sed quid opus est multis? Ho-

l lib. 10. confess. cap. 2.

A minum voluntatibus sese Deus præbet obsequentem. Sic Dauid [a]: *Voluntatem timentium se faciet.* Id autem quàm verè dictum sit, vnius Iosue exemplum apertissimè probat: cùm enim ille [b] temporis angustiis insignẽ sibi victoriam eripi animaduerteret, non humi stratus Deum exorauit, sed quasi pro imperio: *Sol*, dixit, *contra Gabaon ne mouearis, & Luna cõtra vallem Aialon; steteruntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gẽs de inimicis suis.* Et ad rei magnitudinẽ declarandã ait Scriptura: *Stetit itaq. Sol in medio cæli, & non festinauit occũbere spatio vnius diei, nõ fuit antea, nec postea tã longa dies obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël.*

a ps. 144. 19.
b Iosu. 10. 13.

XVII. Itaque verè possumus affirmare, proniorem esse Deum ad beneficia largienda, quàm sint homines ad ea petenda. Ob id enim hortatur mortales, vt pe- B tant, vt apud Dauidem [c]: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et Christus Dominus: *Petite, ait, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Et apud Ioannem [d]: *In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Prouocat enim omnes, vt ad se veniant, vt omnes cupiditates extinguant, & cœlestibus bonis repleantur. Quàm sit autem hoc verũ, experta erat illa, quæ in Canticis Canticorum [e] ait, *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum.* Interdum enim orantis animus tanta voluptate perfunditur, vt nimio quodam gaudio exultare, ac tripudiare compellatur, adeò vt sola præteritæ oblectationis recordatio mentem reficiat, & recreet, & mortalium C bonorum omnium contemptum pariat.

c ps. 49. 15.
d cap. 7. 37.
e cap. 1. 4.

XVIII. Et quoniam non est hæc spiritalis voluptas languida, & otiosa, alibi [f] eadem affirmat se diuino poculo potatam ordinem caritatis concepisse. *Introduxit me*, inquit, *in cellam vinariam, ordinauit in me caritatem.* Est autem caritas diuinorum bonorum præstantissimum, si præsertim suo recto ordine percipiatur. Quin etiam orandi modum præscribit, & ad orandum mira quadam suauitate impellit, vt enim ait Apostolus [g]: *Quid oremus, sicut oportet, nos nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: hoc est, vt ait Augustinus [h], *postulare facit, & ipsum orandi inspirat affectum, & effectum.*

f Cant. 2. 4.
g ad Rom. 8. 26.
h epist. 105.

XIX. Altera causa, quæ ad orandum inuitat, indicatur hac voce, *omnibus*: ne quis enim suspicetur Deum qui- D busdam tantùm sapientiam tribuere, aut cœlestia sua beneficia paucis largiri, ait Apostolus, *qui dat omnibus.* Verè namque Christus ad se omnes vocat; & Paulus [i], *Qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Et in Actis Apostolicis dixit Petrus [k]: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Christus verò apud Matthæum [l]: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Et Salomon [m]: *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinẽ cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Denique Paulus [n] post Ioelem [o] Prophetam: *Omnis quicumque inuocauerit nomen* E *Domini, saluus erit.*

i 1. Tim. 2. 4.
k c. 10. 34.
l cap. 5. 45.
m Sap. 6. 8.
n ad Rom. 10. 3.
o cap. 2. 32.

XX. Neque verò petentibus solùm, sed iis etiam, qui de eo nihil cogitant, vltrò ipse bona sua largitur. Ita Paulus [p] Isaiæ verba proferens: *Inuentus*, inquit, *sum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Et, quod magis mirandum est, fugientes ad se reuocat, & reluctantes ad se pertrahit. Ita idem Apostolus eiusdẽ Prophetæ testimonio vsus [q]: *Ad Israel autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicẽtem.* Et Christus [r]: *Ierusalem, Ierusalem*, inquit, *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui*

p ad Rom. 10. 20.
q Ibid. 21.
r Math. 23. 37. Luc. 13. 34.

ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quem- A
admodum gallina congregat pullos suos sub alas,& noluisti.
XXI. Huc pertinet, quod de Saülo persecutore scribit
a lib. 2. ad Simplic. qu. 2. in fin. Augustinus [a]. *Quid volebat*, inquit, *Saulus, nisi vt inua-*
deret, & traheret, vinciret, & necaret Christianos? quàm
rabida voluntas? quàm furiosa? quàm cæca? qui tamen
vna desuper voce prostratus, occurrente vtique tali viso,
quo mens illa, & voluntas, refracta sæuitia, retorqueretur,
& corrigeretur ad fidem repentè ex Euangelij mirabili per-
secutore, mirabilior prædicator effectus est. Hoc ipsum
b cap. 2. 5. elegáter describit Oseas [b], introducit enim Synago-
gam ita loquentem: *Vadam post amatores meos, qui*
dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum
meum, oleum meum, & potum meum. At quid Deus?
Propter hoc, ecce ego, inquit, *sepiam viam tuam spinis,*
& sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. Ita B
fiet quod mox subditur: *Et sequetur amatores suos, &*
non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet, & di-
cet, vadam, & reuertar ad virum meum priorem quia bene
mihi erat tunc magis, quàm nunc.
XXII. Quoniam igitur neminem Deus reiicit, rectè ait
c Matth. 11. 28. Apostolus, *Dat omnibus*; nam & ipse Christus [c], cùm
dixisset: *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem*
quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: ne
quis fortè suspicaretur, paucis id esse concedendum,
statim subdit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & one-*
d psal. 35. 8. *rati estis, & ego reficiam vos.* Denique Dauid [d]: *Homi-*
nes, & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multi-
plicasti misericordiam tuam Deus, filij autem hominum in
tegmine alarum tuarum sperabunt. C
XXIII. Iam tertia causa in eo verbo apparet, quod mox
subditur, *affluenter*; significat enim Deum liberaliter
diuina sua bona largiri, non parcè, aut malignè, quod
plerique mortalium facere consueuerunt. Tanta est
autem diuina liberalitas, ac munificentia, vt meritò
dicat Ecclesia eam, *merita supplicum excedere, & vota.*
Vt enim ait Augustinus, etiamsi Deus non semper
exaudiat ad voluntatem, semper tamen exaudit ad
salutem: quam ob causam petit Ecclesia; *vt petenti-*
bus desiderata concedas, fac nos ea, quæ tibi placita sunt,
e cap. 29. 11. *postulare.* Certè apud Ieremiam [e] daturum se polli-
cetur plusquàm audeant homines postulare. *Ego*
enim scio, inquit, *cogitationes, quas ego cogito super vos,*
cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem, &
patientiam, & inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me, & D
ego exaudiam vos. Quanta autem sit diuinæ liberalita-
f cap. 66. 11. tis affluentia, describit Isaias [f] his verbis: *Vt sugatis*
& repleamini ab vbere consolationis eius, vt mulgeatis, &
delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius; quia hæc dicit
Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pa-
cis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium,
quam sugetis, ad vbera portabimini, & super genua blan-
dientur vobis.
XXIV. Et in eandem sententiam apud Ieremiam [g]: *Et*
g cap. 30. 10. *reuertetur Iacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non*
erit, quem formides, quoniam ego tecum sum, ait Dominus.
h psal. 80. 11. Denique Dauid [h] Deum ita loquentem inducit:
Dilata os tuum, & implebo illud: quasi dicat, explica, at-
que expande sinus, vt magnitudinem bonorum ex-
cipias, quæ tibi liberaliter daturus sum; vel certè, pe- E
te quantum voles, cumulatissimè explebo omnem
tuam cupiditatem. Zachæus videre Christum cupie-
bat, nihil præterea audebat optare, Christus se illi
hospitem exhibet, & sempiternæ salutis auctorem.
Cananæa filiæ sanitatem postulabat, & Christus ait:
O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Denique
latro, *Memento*, inquit, *mei, cùm veneris in regnum tuum*:
& Christus illicò, *hodiè*, ait, *mecum eris in paradiso.* Sed
quid opus est multis? cùm sit Deus immensus, ac
nullis finibus circumscriptus, necesse est, quicquid
de illo affirmatur, æquè esse infinitum, atque ita infi-
nita erit Dei liberalitas, meritóque dixit Iacobus,
Deum omnibus dare affluenter.
Postrema causa, quæ maximè ad diuinam muni- XXV.
ficentiam, ac liberalitatem commendandam valet,
continetur his verbis. *Et non improperat*, hoc est, non
exprobrat, quasi aliquid æquale, vel maius exigat,
quod sordidum est, & illiberale, & beneficium quo-
dam modo cauponantis. Quocirca rectè M. Tul-
lius [a]. *Odiosum sanè*, ait, *genus hominum officia expro-* a In Læl. si-
brantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non ne de amic.
commemorare, qui contulit. Et apud Terentium [b] qui- b in Andr.
dam: *Hæc*, inquit, *commemoratio, quasi exprobratio est* ac. 1. sc. 1.
immemoris beneficij. Et Seneca [c] cùm dixisset largito- c li. 7. de be-
rem beneficij decere obliuionem, subdit: *Cùm dica-* nef. cap. 21.
mus meminisse non debere, hoc volumus significare; præd-
care non debet, nec insultare, nec grauis esse; quidam enim be-
neficium, quod dederunt, omnibus circulis narrant, hoc so-
brij loquuntur, hoc ebrij non continent, hoc ignotis ingerunt,
hoc amicis committunt. Vt hæc nimia, & exprobratrix me-
moria subsideret, obliuisci eū, qui dedit, iussimus, & plus im-
perādo, quàm præstari poterat, silentium suasimus. Alibi [d] d li. 2. de be-
verò: *Hæc enim beneficij inter duos lex est, alter statim* nef. cap. 10.
obliuisci debet dati, alter accepti nunquam. Lacerat ani-
mum, & premit frequens meritorum commemoratio. Et
mox [e]: *Admonitio tædium facit, exprobratio odium.* e cap. 11.
Hanc autem exprobrationē acutè perstringit Sa- XXVI.
piens [f]: *Datus*, inquit, *insipientis non erit vtilis tibi; oculi* f Eccles. 20. 14.
enim eius septemplices sunt, exigua dabit, & multa impro-
perabit, quod est proprium auari. Atque inter homi-
nes quidē sæpe multi splendidè pollicentur, sed parcè
dant, sicolim Labanus [g] hilariter excepit Iacobum, & g Gen. 29. 15.
mercedē vltrò pollicitus est. *Num quia*, inquit, *frater*
meus es, gratis seruies mihi? Dic quid mercedis accipies. At
postea Iacobus ipse conqueritur [h] sibi decies ab hoc h Gen. 31. 41
tā magnifico promissore mercedē fuisse immutatam.
Vt igitur Iacobus persuadeat sapientiam à Deo pe- XXVII.
tendam esse, negat Deum improperare, hoc est, acce-
pta beneficia exprobrare. At nonnunquam videtur
Deus collata beneficia non sine aliqua exprobratio-
ne obijcere. Nathan enim Propheta Dauidē Regem
Dei nomine ita aliquando affatus [i] est: *Ego te vnxi in* i 2. Reg. cap. 12. 7.
Regem super Israël, & ego erui te de manu Saül, & dedi
tibi domum domini tui, & vxores domini tui in sinu tuo, de-
dique tibi domum Israel, & Iuda, & si parua sunt ista, adij- k cap. 2. 8.
ciam tibi multò maiora. Ipse verò Deus apud Oseā [k] lo-
quitur: *Et hæc*, inquit, *nesciuit, quia ego dedi ei frumētum,*
& vinum, & oleum, & argentū multiplicaui ei, & aurum,
& ipsi fecerunt Baal. Christus verò apud Matthæum [l] l cap. 21. 43.
cùm proposita vineæ parabola multa cōmemorasset
Dei beneficia Iudæorū genti, ac nationi collata, con-
cludit: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei,*
& dabitur genti facienti fructus eius. Et post nonnulla [m]: m c. 23. 37.
Hierusalē, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas
eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos,
quemadmodū gallina congregat pullos suos sub alas, & no-
luisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.
Verùm hæc nō eò spectant, vt beneficia exprobret, XXVIII.
sed vt ingrati animi vitiū reprehendat, ostendátq; suo
quēque vitio, & culpa perire, cùm ipse alioqui incre-
dibili quadā prouidētia omnibus cōsulat, nec quem-
quam deserat, quin priùs ipse deseratur, nec denique
sit ipse vllo modo vltor, antequam sit homo pecca-
tor. Id verò dū facit, tacitè ad resipiscētiam, & pœni-
tētiā adducit, idq; nouū est ac singulare beneficiū, ne
cogatur suæ diuinæ iustitiæ auctoritate in scelere per-
seuerātes, sēpiternis apud inferos supplicijs mactare.
Fructum denique precationis certò pollicetur. *Et* XXIX.
dabitur, inquit, *ei*, quasi dicat. Non frustra, aut inaniter
sapientiam à Deo petet, sed eā proculdubio impetra-
bit. Id exemplo suo cōfirmare potest Salomon, qui de
se ipso hæc alicubi [n] scribit: *Propter hoc optaui, & datus* n Sap. 7. 7.
est

est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ. Extat autem eius oratio in libris Regum [a] in hæc verba: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum, quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Nec sanè surdis auribus eas Deus preces excepit; illicò enim subdit Scriptura: *Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem, & dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in Regibus cunctis retrodiebus.*

a 3. Reg. 3. 9.

XXX. Quæ ideirco libuit ad verbum commemorare, quod hanc Iacobi sententiam non modò confirmēt, sed magnopere etiam illustrent, doceántque quanta sit Dei Immortalis liberalitas, qui non modò ea concedit, quæ nominatim petuntur, sed etiam illa, quæ ipse Deus cōmoda atque vtilia orantibus futura esse cognoscit. Illud etiā præterea indicāt, quod hoc loco certò pollicetur Iacobus fore, vt qui sapientiā petit, quæ est in primis necessaria, eam sit proculdubio impetraturus. Sed meritò sciscitari posset quispiā, si tam magna est diuina liberalitas, atque munificētia, vt ea interdum largiatur, quæ non petuntur, cur voluit ea peti, quæ ipse ad salutem necessaria esse non ignorat? Non malè enim dixit quidam, Carò emi, quod precibus emitur. Nec dubium est gratiora esse beneficia, quæ petentium vota præcurrunt, vt qui ea largitur, non tam necessitati consuluisse, quàm pudori pepercisse videatur; & quidem, si quod Christus [b] affirmat non ignorat, quæ sint nobis ad salutē consequendam necessaria, cur nostras preces expectat, cùm præsertim omniū se parētem, & quidē pientissimū esse testetur?

b Lucæ 12. 30.

XXXI. Hanc porrò dubitationem proposuit alicubi Basilius [c], ea verò multos meo iudicio explicatus habet: nam primùm quidem, vt Basilius ipse, & Clemens [d] Alexandrinus affirmant, sæpe Deus vota, precésque nostras anteuertit, multáque ne rogatus quidē, aut appellatus concedit: nam quòd sumus, quòd viuimus, quòd spiritū ducimus, diuinum beneficium est, quod nullis precibus impetrare potuimus. Quis verò impetrare potuit, vt Christianis parētibus nasceretur, & in ipsa infantia Christiana sacra perciperet? Accedit quòd plerumque Deus multò plura concedit, quàm quis votis, ac precibus expetat; quòd asserit Hieronymus [e], & Ezechię exēplo cōfirmat, ille quippe diuturniorē vitam petierat, Deus autem quindecim annos ipsius vitæ adiecit, & præterea victoriā aduersùs hostes pollicetur, de qua ille ne cogitabat quidem.

c de constit. monast. c. 2.
d lib. 7. Stromat.
e Isa. 38.

XXXII. Quin etiam hoc ipso quòd Deus nostras preces exigit, magnum ipsius beneficium, & amoris argumentum censendum est: vult enim exerceri à nobis eximias quasdam præclarissimarum virtutum actiones, est enim oratio religionis actio quædā præcipua, cui adiungitur patientia, & expectatio, &, quod caput est, etiam fides, & spes, quæ sunt theologicæ, ac supranaturales virtutes, atque ita, vt rectè obseruauit Ambrosius [f], ipsa oratio Dei beneficiū est, neque vnquā frustra, aut absque fructu preces ad Deum fundimus. Tametsi enim non semper impetramus ea, quæ petimus, ipsa tamē petendi actio suo merito nō caret, & si præterea impetret, geminum beneficiū percipit.

f epist. 84. ad Demet.

XXXIII. Addit verò Hieronymus [g], idcirco Deum preces nostras expectare, vt cum aliqua meriti ratione, & maiori quadam nostra honorificentia sua nobis beneficia impertiat. Chrysostomus [h] autem precandi studium idcirco exigi à Deo affirmat, vt ea potissimùm ratione nostrum in se amorem [i], & caritatem magis, ac magis inflammet, sibique arctiori vinculo nos adstringat, idque parentum exemplo illustrat, qui filiorum postulata frequenter expectant, vt inde paternæ beneuolentiæ, & caritati maior quædam fiat accessio. Addit Basilius [a] ita fieri, vt priuatam inopiam, & indigentiam, & diuinam beneficentiam planiùs cognoscamus, pluriśque diuina beneficia faciamus: quod enim precibus impetratur, diligentiùs, atque accuratiùs conseruatur.

g Ieremiæ 2.
h hom. 30. in Genes.
i Bened. Iustinian. in Epist. Canon.
a de const. monast. c. 2.

XXIV. Et, vt aliquando concludam, vult nos Deus, vt obseruauit Chrysostomus [b], sibi fieri familiares, cùm, vt ait Gregorius [c] Nyssenus, oratio sit familiare quoddam cum Deo colloquium, & consuetudo, ex qua plurima in nos diuina munera redundāt, mens enim, atque intelligentia diuina quadam luce perfunditur; ob id enim dixit Dauid [d]: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Voluntas verò cœlestem quendam diuini amoris ardorem concipit, vt non immeritò dixerit Dauid [e]: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Et apud Lucam [f] discipuli: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?*

b hom. 23. in Matth.
c de orat.
d Psal. 33.
e Psal. 38. 4.
f cap. 24.

XXXV. Animus denique incredibili voluptate perfunditur; quòd experta erat illa, quæ in Canticis [g] loquitur: *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Quamobrem cùm hoc ipsum orandi studium tam multis, tōque eximiis bonis refertum sit, rectè colligit Clemens [h] Alexandrinus, optabilius esse preces fundere, etiamsi nihil impetretur, quàm sine precibus à Deo plurima consequi; vt minimè mirandum sit, cur diuinam sapientiam à Deo petendam esse dicat Iacobus, spe præsertim proposita, eam facilè impetrandi; Mox verò orationis modum, ac formam breuiter indicat.

g cap. 1. 4.
h lib. 7. Strom.

6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento mouetur, & circumfertur.*]

I. An veram, atque integram fidem, hoc est, assensum eorum, quæ diuinitùs reuelata sunt, postulat? ita sanè accipienda esse Apostoli verba, indicat vox Græca *διακρινόμενος*, quam noster Interpres Latinè reddidit, *hæsitans*, hoc est diiudicans, vt quæ fide credenda proponuntur, neget, ad humanæ rationis libellam expendenda, & curiosiùs inuestiganda, aut, quod longè deterius est, disputationibus in dubium reuocanda. Et videri posset explanatio non solùm vera, sed valdè etiam rei propositæ accommodata. Nam qui de iis, quæ ad fidem spectant, aliquo modo ambigit, vix orare poterit vt oportet. *Quomodo enim*, ait Paulus [i], *inuocabunt, in quem non crediderunt?* Et Christus apud Matthæum [k]: *Omnia*, inquit, *quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis:* omnis enim oratio potissimùm referenda est ad salutem sempiternam assequēdam, initium autem salutis est fides, sine qua, vt ait Apostolus [l], *impossibile est placere Deo.*

i ad Rom. 10. 14.
k cap. 21. 22.
l ad Hebr. 11. 6.

II. Dixit autem Christus [m]: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Et Augustinus [n]: *Si fides deficit, oratio perit: vnde & Apostolus, cum ad orandum exhortaretur, ait. Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit; vt ostenderet fidem esse fontem orationis, nec posse ire riuum, vbi caput aquæ siccaretur, adiunxit: Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Ergo vt oremus credamus, & vt ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.*

m Matth. 6. 33.
n Ser. 36. de ver. Dom.

III. Sed si hæc explanatio retinēda sit, quid potissimùm ea fides spectet inuestigandum videtur. Certum enim est, quòd allata Apostoli verba liquidò probāt, certa fide credendum esse posse Deum tribuere, quæ quis

orando petit. An autem necessaria sit fides, qua qui orat, certò credat, se impetraturum, quod petit, non satis liquet. Certè Christus apud Matthæū [a] hanc fidē videtur exigere. *Amen*, inquit, *dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis.* Græcè *διακριθῆτε*, *non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle, & iacta te in mare, fiet, & omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et apud Marcum [b] multò apertiùs: *Habetote*, inquit, *fidem Dei; amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia, quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Et apud Lucam [c]: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori Moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis.* Quod iisdem propemodum verbis dixerat Matthæus [d].

a cap. 21. 21. & deinceps.
b cap. 11. 22.
c cap. 17. 6.
d cap. 17. 19.

IV. Nec videtur dubitandum de vera fide, hoc est, certa persuasione ea loca intelligenda esse, vt Marci verba luce clariùs indicant; quod tamen vadè difficile videtur, cùm sæpe iusti vera fide prædití multa petant, quæ tamen non impetrant. Absurdum autem videtur eos certò sibi polliceri debere, minimèque fide dubia credere euenturum, quod potest non euenire, & re vera interdum non accidit. Sic olim Paulus ter Dominum rogauit, vt à tentatione eriperetur, sed frustra: gratiam enim ad vincendam tentationem assecutus est, tentationem euadere non potuit. Constat autem plurimos ex fide orasse, & tamen veluti sub conditione ea postulasse non sine aliqua formidine, quæ impetrare maximè cupiebāt. Sic Dauid [e] non sine dubitatione filij vitam à Deo petiuit. *Quis scit*, inquit, *si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans?* Neque aliter Niniuitæ [f] à Deo veniam postularunt: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Accedit quòd diuina fides non per se spectat (quicquid aliter somniēt hæretici) has peculiares promissiones, quæ vt plurimùm à conditione pendent, neque citra conditionem ad diuinam fidem pertinere possunt.

e 2. Reg. 12. 22.
f Ionæ 3. 9.

V. Quamobrem qui diuinam pollicitationem perspectam habent, & cognitam, qua Deus immortalis ritè orantibus orationis fructum pollicetur, eam diuina fide vtcumque spectent necesse est, & absque vlla dubitatione credant, Deum esse veracem, ac fidelem, qui neque mentiri, neque se ipsum negare potest: quia tamen permulti sunt rudes, & imperiti, qui hanc diuinam promissionem non ita apertè norunt, satis est eos dum orant certò credere, & Deum posse præstare quæ petunt, & benignum, ac liberalem esse, & ad beneficentiam procliuem, atque adeò concessurum quod ipsis fuerit vtile, ac salutare. Itaque Christus apud Matthæum [g] cæcis quibusdam videndi facultatem petentibus, *Creditis*, inquit, *quia hoc possum facere vobis?* cúmque illi se credere affirmassent, illico eorum oculos tetigit dicens: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.*

g cap. 9. 28.

VI. Itaque Apostolus cùm ait: *Postulet in fide nihil hæsitans*, non vult fideles cùm preces fundunt, certò sibi persuadere, quod hæretici cōtendunt, gratiā, & iustitiā se à Deo cōsecuturos, aut nihil dubitare de omnipotentia, ac liberalitate diuina, quod est propriū infidelis: Sed disceptandū negat de diuina omnipotētia, & munificentia, quamuis ex parte sua possit quilibet dubitare, vel ne malè petat, vel ne diuino munere se aliquo pacto reddat indignum, cùm oratio nonnisi certis conditionibus vim habeat impetrandi.

VII. Quanquam autem hæc omnia vtcumque verè dicuntur, existimo tamen hoc loco, aliísque similibus fidei nomen accipi pro fiducia, seu confidentia; ac proinde rectè noster Interpres transtulit, *nihil hæsitans*, id enim, vt viri docti affirmant, Græca vox significat: nam qui hæsitant, secum ipsi disputant sententiis alternantibus. Itaque quod in Actis Apostolicis [a] de Petro legitur: *Surge itaque & descende, & vade cum eis nihil dubitans*; Græcè est, *μηδὲν διακρινόμενος*. Sic etiam alibi Scriptura loquitur. Postulat autem hoc loco Apostolus confidentiam, hoc est, spem minimè hæsitantem; hęsitatio enim, vt in rebus agendis actionem, sic in re proposita orandi studium vel retardat, vel omnino impedit. Sic Christus apud Matthæum [b]: *Confide*, inquit, *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et post multa [c]: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Et Paulus [d]: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Et Deus ipse apud Dauidem [e] hanc confidentiam exigit. *Quoniam*, inquit, *in me sperauit, liberabo eum.* Et Daniel [f]: *Non est confusio confidentibus in te.* Et alibi [g]: *Saluat sperantes in se.*

a cap. 10. 20.
b cap. 9. 2.
c eodem c. 22.
d ad Hebr. 4. 16.
e Psal. 90. 14.
f cap. 3. 40.
g cap. 13. 60.

Hanc porrò confidentiam commendat Apostolus [h] in Abrahamo, *qui contra spem in spem credidit, vt fieret Pater multarum gentium.* Et mox: *Non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere.* Denique Ioannes [i]: *Et hæc est fiducia, quā habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius audit nos.* VIII.

h ad Rom. 4. 18.
i epist. 1. ca. 5. 14.

Quamobrem si fidei nomine veram fidem intelligas, excludit Apostolus hæsitationem mentis, & intelligentiæ disceptationē, quæ fidei repugnet. Si malis fiduciam accipere, reiicit hæsitationem voluntatis, quæ de euentu desperat, & spei aduersatur. Spectari autem potest in re proposita fides, non vt est simplex, & sola assensio eorum, quæ diuinitùs tradita sunt, sed vt est veluti agendi principium, quo ea omnia, quæ diuinitùs reuelata creduntur, obiiciuntur voluntati, vnde maior, aut minor confidentia existit in voluntate. IX.

Quocirca verè scripsit Cassianus [k]: *Cùm orantes nos nulla interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione deiecerit, sed obtinuisse nos in ipsa orationis effusione, quod poscimus, senserimus, non ambigamus preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse. Tantum enim quis exaudiri, atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se à Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Irretractabilis namque est Saluatoris illa sententia* [l]. *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Hæc autem fiducia, quæ vt ibidem subdit Cassianus [m], *de conscientiæ puritate creditur emanare*: quanquam præcipuè diuina beneficentia, & liberalitate nititur, non tamen penitus propria merita excludit, quæ tamen Dei munera magna cum animi demissione agnosci possunt, vt alibi ostendo; subdit: X.

k collat. 9. c. 31.
l Mar. 11. 24.
m cap. 32.

Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.] Illustri similitudine hæsitantis animum describit, vnáque docet, cur hæsitatio à nostris precibus reiicienda sit. Similis est, inquit, hæsitantis animus *fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* Nam quemadmodum marini fluctus huc illuc pro ventorum varietate leui aura impelluntur, ita plerumque humanus animus varias in partes, vt fuerint perturbationes, flectitur. Acutè autem alicubi dixit Seneca [n]. *Tranquillum mare dici, cùm leuiter commouetur, nec in vnam partem inclinatur.* Itaque subdit. *Si legeris, cùm placidum ventis flaret mare, scito illud non stare, sed succuti leuiter, & dici tranquillum, quia nec huc, nec illo impetum capiat.* Et mox: *Fluctus est maris agitatio, quia tranquillum quoque agitatur.* XI.

n lib. 5. natur. quæst. in princ.

Persimilem similitudinem, alium tamen in finem XII.

secut us

a cap. 57. 20. secutus ac est Isaias [a]: dixit enim, *impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest*. habet enim perpetuam quandam inter se pugnantium cogitationum, & appetitionum luctam, & conscientiam, vt ille dixit, continenter animum lancinantem. Siue igitur hæsitet quis in fide, siue de diuina liberalitate, aut pollicitatione diffidat, verè dicitur similis fluctui maris, cùm necesse sit illum anc[i]piti cogitatione distrahi, & modò in hanc, modò in illam partem impelli. Quocirca rectè Oecumenius: *Aufer igitur*, inquit, *à te ipso omnem animi duplicitatem, neque omnino cùm aliquid à Deo petis, animo vacilles, dicendo apud te ipsum: Quomodo possum à Deo quidpiam petere, & accipere, qui toties in ipsum peccauerim? Ne hoc cogites, sed ex toto corde conuertere ad Dominum, & pete ab ipso sine hæsitatione, & cognosces multitudinem misericordia eius, quòd nequaquam te deserat; sed petitionem animæ tuæ complebit. Non est enim Deus sicut homines, qui mutuarum iniuriarum meminerunt; sed ipse obliuiscitur iniuria, & miseretur creaturæ suæ.*

XIII. Quam ob causam ne quis suorum scelerum multitudine, ac grauitate perterritus precandi studium deserat, verè scripsit Ioannes [b]: *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia*: quasi dicat, diuina misericordia nostram improbitatem longè superat. Et in eandem sententiam Beda: *Qui conscientia, ait, peccati pressus dubitat de præmiis cœlestibus, superueniente vento tentationum facile deserit fidei statum, & secundùm tentantis voluntatem distrahitur ad terrorem, & fit à Deo alienus.* Eiusmodi erat olim animus Cain, cuius sunt illa verba [c]: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Tanta nimirùm erat læsæ conscientiæ vis.

b epist. 1. c. 3. 20.

c Genes. 4. 13.

XIV. Postulat igitur hoc loco Iacobus fidei constantiam, de qua Damascenus [d]: *Christianus, ait, fide censetur, quare qui cum fide accedit, multa lucratur, qui autem hæsitat maris fluctibus similis, qui vento iactatur, & circumflatur, nihil accipiet.* Neque aliter de illo existimandum est, qui propterea hæsitat, quòd de diuina prouidentia, ac liberalitate diffidat. Vterque enim, *similis est fluctui maris, qui à vento mouetur.* In illa enim hæsitatione leuissima quaque aura in quamlibet partem flectitur. Quamobrem rectè monet Paulus [e], cùm ait: *Optimum est gratia stabilire cor*: ne videlicet fluctuet, & vt alibi idem Apostolus ait, *Circumferatur omni vento doctrinæ.*

d orat. 1. de Imagin.

e ad Hebr. 13. 9.

7. *Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*]

I. Pro eo, quod Interpres dixit, *ergò*, quæ est illationis nota, Græcè scripsit Apostolus γὰρ, quæ vim habet reddendi rationem, quasi Apostolus dicat, postulet in fide, nihil hæsitans, ne similis sit fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur; si enim eiusmodi sit, certò illi polliceri possum nihil eum à Deo impetraturum. Sed vtrouis modo legas, eadem sententia constat. Fortasse Interpres Græcè legit, δὲ, non, γὰρ. Aut certè, quia paulo antè dixerat Apostolus, qui enim hæsitat, Græcè διακρινόμενος, ad vitandum fastidium, & eiusdem particulæ repetitionem, cùm sensui nihil periret, *ergò*, maluit dicere, quàm *enim*.

II. Quod autem ad sententiam ipsam attinet, cum paulo ante Iacobus petenti à Deo sapientiam absque vlla exceptione pollicitus esset, precationis suæ fructum, cùmque mox subiecisset orationis modum, & hæsitationem, & diffidentiam exclusisset, addit nunc animi firmitatem, & constantiam adeò esse necessariam, vt ea sublata nihil oranti sperandum videatur. Et profectò negari non potest orationem magnam

A habere vim impetrandi, sed quasdam tamen conditiones flagitat, quæ si desint, suo fructu carebit. Quæ sint autem orationis conditiones fusiùs hac ipsa [a] epistola explicabimus. Nunc tantùm dico eum, qui hæsitat indignum esse, qui exaudiatur, dum enim fluctuat, & quasi in incertum fertur, animum habet à Deo alienum, atque idcirco eius oratio Deo nequaquam probari potest. a cap. 4. 3.

III. Ita apud Isaiam queritur [b] Deus: *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* Spectat autem Deus animum potiùs, quàm orantis verba. Quocirca de impio Antiocho scriptum est in libris Machabæorum [c]: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Sic etiam Deus ipse apud Isaiam [d] quorundam preces, & vota detestatur: *Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quin etiam nonnulli vsque adeò sunt Deo exosi, vt eorum orationes scelere inquinatæ censeantur. Ita Dauid [e]: *Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.* Quod tum potissimùm accidit, cùm ab alio, quàm à vero Deo, hoc est, à dæmone, atque Idolis petitur, siue cùm ea postulantur, quæ per se turpia, & mala sunt, & cum recta ratione ex aduerso pugnant, siue cùm iniquo consilio, peruersóque proposito aliquid quæritur, siue cùm suis meritis arroganter quis nititur, siue denique cùm Christus sequester, ac mediator negligitur.

b cap. 29. 13.

B

c lib. 1. c. 9. 13.

d cap. 1. 15.

e Psal. 108. 7.

IV. *Qui autem hæsitat.* Fieri quidem potest, vt citra C culpam ita quis oret, vt eius oratio non sit prorsus scelesta, & impia, sed fructu tamen omnino careat, quod aliàs frequenter accidere Scriptura docet. Ait enim alicubi Salomon [f]: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Et alibi [g]: *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Ob eam enim causam dixit Christus [h]: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Eandémque ob causam scripsit Paulus [i]: *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* Quanquam enim, vt eo loco dixi, manuum extensio, aut eleuatio orantis habitum exprimit, dum tamen Apostolus puras eleuari manus præcipit, & iram, ac disceptationem excludit, D morum profectò innocentiam, vitæque integritatem exigit, quæ plurimùm valent ad impetrandum.

f Prou. 21. 13.

g Prou. 28. 9.

h Matth. 7. 21.

i 1. ad Tim. 2. 8.

V. Non ait autem Apostolus eum, qui hæsitat, non impetraturum, ne diuinæ liberalitati modum, aut quasi legem præscribere videatur; sed cùm petenti à Deo sapientiam certam impetrandi spem iniecisset, ita hæsitantem animum excipit, vt tamen diuinæ benignitatis fontes non penitus obstruat. *Non æstimet*, inquit, *homo ille, quòd accipiat aliquid à Deo*: non sibi persuadeat diuinam pollicitationem ad se pertinere, aut suas preces vi sua quidquam posse impetrare: quamuis enim vltrò Deus immortalis etiam indignis, ac renitentibus non pauca largiatur, vt suprà probatum est, non sunt tamen illa precationis effecta, sed diuinæ bonitatis, & misericordiæ munera. Sic apud Ioan- E nem [k]: Regulo non planè credenti filij salutem concessit, non quasi eius preces id possent vllo pacto impetrare, sed vt illum vnà cum vniuersa familia ad perfectam fidem tam insigni beneficio traduceret, quod ita accidisse docet Euangelista, cùm ait, viso miraculo, *Et credidit ipse & domus eius tota.*

k cap. 4. 46.

VI. Contrà verò accidit in Centurione [l], cuius fidei magnitudinem propemodum admiratus Christus Dominus dixit: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Apud Marcum [m] autem Ioannes Apostolus ita Christum Dominum alloquitur: *Vidimus quendam in nomine tuo*

l Matth. 8. 10.

m cap. 9. 38.

eiicientem Dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Respondit autem Christus: *Nolite prohibere eum.* Indicans se diuina quadam liberalitate etiam indignis multa impertiri, ac proinde futurum est, vt in iudicio multi dicant: *Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus tamen responsurus est Christus. *Nunquam noui vos, discedite à me operarij iniquitatis.* Quanquam autem hæc vera sunt, rectè tamen monet Iacobus, eum qui hæsitat, non videri suo vitio dignum, cui petenti quidquam Deus concedat, ita significat hæsitantis preces impetrandi facultate carere.

VII. An etiam existimandum est hæsitantis preces omni prorsùs merito destitui? Sanè id non obscurè Apostoli verba significant: *Non æstimet,* inquit, *homo ille, quod accipiat aliquid à Deo;* quasi vniuersim neget earum precum vllum posse extare fructum, adeóque non modò non impetrare, sed ne gratiam quidem promereri. Atqui ea est orationis vis, ac potestas, vt præter impetrandi vim, quo potissimùm refertur, si suis conditionibus prædita sit, plurimùm mereri possit. Neque enim dubitandum est, quicquid hæretici mussitent, iustorũ actiones, quãdiu inter mortales viuũt, iusto præmio, ac mercede dignas esse, idque potissimùm orationi tribuendũ videtur, quæ est præstãtissima functio religionis, hoc est eximiæ virtutis moralis.

VIII. Cùm igitur dicat Apostolus hæsitantem nihil à Deo accipere, planè videtur indicare, non modò illum nihil impetrare, sed ne mereri quidem; quod facilè admiserit qui meriti naturam cognitam, ac perspectam habet. Vt enim quæuis actio merendi vim habeat, integra, atque absoluta virtutis honestate prędita sit oportet. Ea verò vt Philosophi, Theologique affirmant, non à materia solùm, sed ab aliis quàmplurimis adiunctis necessariò pendet, quorũ si vel vnum desideretur, actio vitiatur. Atque ita miro consensu receptum est, bonum ex integra, atque perfecta causa existere; malum verò contingere, si vel minimum vitium intercipiatur. Itaque si quis orãs in fide hæsitet, & de iis, quæ necessariò credenda sunt, secum ipse disceptet, aut de diuina bonitate, liberalitatéve diffidat, eius vtique oratio necessaria conditione caret, adeóque religionis honestate destituitur, sine qua merendi vis admitti nulla potest. Qui igitur hæsitat, suo vtique vitio impetrãd, merẽdique potestate spoliatur, atque idcirco rectè ait Iacobus eũ nihil à Deo accepturum.

IX. Hoc idem visus est olim non obscurè significare Malachias [s], cùm ait: *Offertis super altare meum panem pollutum* mox verò explicans, cur panis dicatur pollutus: *Si offeratis,* inquit, *cæcum ad immolandum, nónne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nónne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Et nunc deprecamini vultum Dei, vt misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiet facies vestras, dicit Dominus exercituum* Et post nonnulla. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Accusat enim eo loco Propheta Sacerdotes, qui cùm diuinum numen placare se velle profiterentur, victimas tam parum Deo dignas offerebant: eadémque ratione perstringit Propheta eos, qui preces Deo fundunt labe aliqua inquinatas; quo in genere collocantur ij, qui hæsitantes, ac dubitantes orant: cùm enim oratio mystica quædam oblatio, & sacrificium censeatur, perinde est ac si cæcum, claudum, languidum, ac debile Domino offerat, quod, vt ait Propheta, *malum est;* atque idcirco Deo placere non potest, qui merito apud eundem Prophetam subdit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra.* Ita significat eiusmodi preces, ac sacrificia, & impetrãdi vi, & omni prorsus merito carere. Ibidem enim subdit: *Ecce de labore & exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum.* significans eos frustra laborare, nullúmque respondere labori fructum.

[s] cap. 1. 7.

X. Quod planiùs explicans Aggæus [a]: *Seminastis,* inquit, *multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum* Quinque enim similitudinibus, ac metaphoris vniuersim docet actiones, quæ suis conditionibus, ac proprietatibus destituuntur, omni fructu carere, quod de hæsitantis oratione nominatim asserit hoc loco Iacobus. Re namque vera, qui hæsitando orat, perinde facit, ac si amplam sementem faciat, & perexiguã segetẽ colligat. Eadémque ratione persimilis est ei, qui cùm se multo cibo ingurgitet, famem tamen explere non potest; aut qui licèt ingentia pocula exhauserit, sitim tamen non extinguit; aut etiam qui multa veste circundatus, calorem non concipit; aut denique ei, qui collectas fruges in perforatum sacculum conijcit, quorum omnium labor prorsus est inutilis, atque omni compendio caret.

[a] cap. 2. 6.

XI. Fateor alias plerasque conditiones ad honestatem orationis requiri, de quibus Viri [b] docti, ac pij præclarè scripserunt. Sed quoniam Iacobus de confidentia tantùm loquitur, quæ hæsitationi repugnat, de ea tantùm hæc pauca diximus. Neque enim mirandum est, hanc animi hæsitationẽ ita labefactare orationem, vt eam omni fructu spoliet, quandoquidem illa diuinæ liberalitati non leuem infert iniuriam, de qua minùs rectè sentit, quàm sentiendum esse doceat Salomõ [c]. *Sentite de Domino,* inquit, *in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum; peruersæ enim cogitationes separant à Deo.* Ac propterea rectè monet Sapiens [d]: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.*

[b] Bonau. in stim. diu. amo. cap. 4.
[c] Sap. 1. in initio.
[d] Eccles. 18. 23.

XII. Inter cætera autem, quæ ad orationem rectè comparant animum, est humilis spes, & confidentia, quæ diuina liberalitate, ac pollicitatione potissimùm nititur. Omnino autem cogitandum est, quis sit is, cum quo res agenda est, ita olim Abraham [e]. *Loquar,* inquit, *ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis* hoc est, vilissimus, atque abiectissimus Deum summum, atque infinitum alloquar: verè enim oratio, vt Gregorius [f] Nyssenus affirmat: *Conuersatio est sermocinatióque cum Deo, visum effugientium, contemplatio, eorum quæ concupiscuntur certa fides, eiusdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progressus, & incrementum, malorum subuersio, peccatorum emendatio, præsentium fructus.*

[e] Genes. 18. 27.
[f] De orat. Dom.

XIII. Itaque ad tam eximiam, tamque præstantem actionem comparandus est animus, nec temerè alloquendus est Deus. Sic enim alicubi ait Salomon [g]: *Ne temerè quid loquaris, nec cor tuũ sit velox ad proferendũ sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram, ideo sint pauci sermones tui.* Et Sapiens [h]: *Noli esse verbosus in multitudine presbyterorũ, & nõ iteres verbũ in oratione tua.* Neque enim prohibet Sapiens, ne sæpius eadẽ à Deo petamus, sed idẽ prorsus significat, quod apud Matthæũ Christus, cùm dixit: *Orantes autem nolite multum loqui.* Græcè, μὴ βαττολογήσητε, quod est inaniter verba fundere, quasi in iis tota orationis vis posita sit, vt quasi de diuina liberalitate minùs rectè sentias.

[g] Eccles. 5 in princ.
[h] Eccles. 7. 15.
[i] cap. 6. 7.

XIV. Quanquam etiam acutè Gregorius [k] de hoc loco scribit in hæc verba: *Hoc,* inquit, *dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare; ac si apertè dicat, cùm malè gesta defleueris, nequaquam rursus facias, quod in precibus iterum plangas.* Et alibi [l]: *Rursum scriptum est; ne iteres verbum in oratione tua: verbum namque in oratione iterare, est, post fletum committere, quod rursum necesse sit flere.* Ita non malè paratur animus

[k] lib. 10. mor. c. 17.
[l] 3 p. Past. c. 21.

aotmus ad orationem, cùm quis ita sua præterita facinora deflet, vt in posterum statuat ea quàm diligentissimè cauere. Illud etiam ad orationis præparationem pertinet, vt ea accuratissimè expendantur, quæ à Deo petenda sunt, vt videlicet sint Deo digna: nam alioqui, qui ea petit, quæ à Deo concedenda non sunt, illum tentare videtur, qui cùm eum placare, sibique conciliare debeat, in se magis irritet, ac prouocet, vel de diuina bonitate, ac potentia quasi periculum facere non sine magna temeritate conetur. Quam ob rem rectè hoc loco Iacobus hæsitantis orationem inutilem, atque infrugiferam fore affirmat: his enim fermè omnibus vitiis ea oratio inquinatur, ac proinde indignissima est, quæ exaudiatur à Deo.

8. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.*] B

I. Græcè dixit Apostolus [Greek: δίψυχος], quod rectè Latinè dixit Interpres, *Vir duplex animo.* Ambigi autem potest, an hæc Apostoli sententia superioribus adnectenda sit, an verò ab iis diuulsa nouam quandam præceptionem inchoet. Sunt qui duplici corde hæsitantem in oratione interpretentur, quòd genua in preces flectat, & mordente conscientia de impetratione diffidat, quíque ex parte adhærere videatur Deo, cùm re vera prauis cupiditatibus nondum remiserit nuntium. [a cap. 6.24.] Ita Christus apud Matthæum [a] hoc hominum genus perstrinxisse videtur, cùm dixit: *Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet: non potestis Deo seruire, & mammonæ.* hic autem dicitur ab Apostolo, *Inconstans in omnibus viis suis;* C quia nunc diuina, & cœlestia bona, nunc mortalia, & caduca sectatur, &, vt ait [b Eccl. 2.14.] Sapiens [b], *Ingreditur duabus viis. Væ,* inquit, *duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Sic [c 3. Reg. 18. 21.] olim Elias [c] Iudæorum inconstantiam accusans: *Vsquequò,* inquit, *claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum. si autem Baal, sequimini illum.* Ait autem Apostolus hunc esse in omnibus suis viis inconstantem, quia cùm confidentiæ firmitate careat, precandi studium facilè deseret, atque ita carebit perseuerantia, quæ plurimùm valet ad impetrandum, ita quod ait, *In omnibus viis suis,* omnes preces, aut omnes etiam actiones significat.

II. Videri posset Apostolus nouam quandam præcipiendi rationem instituere, vt vir duplex animo sit vafer, & versipellis, ac minimè candidus, quod D vitium latissimè patet. Cùm enim docuisset Iacobus, quid à Deo, quáque ratione petendum sit, alia Christianæ vitæ præcepta aggreditur, de quibus multa deinceps. Orditur autẽ à cordis simplicitate, qua Sa- [d Sap. 1. in princ.] lomon [d] dixerat, Deum esse quærendum. *Et in simplicitate,* inquit, *cordis quærite illum:* vt hanc autem simplicitatem persuadeat, vitij, quod ei ex aduerso respondet fœditatem, & periculum proponit. *Inconstans,* inquit, *est in omnibus viis suis.* Id autem potissimùm cernitur in hæreticis, quos notari hoc loco in- [e ep. de Nic. Syn.] dicat Athanasius [e]. De Eusebianis enim hæreticis huncin modum scribit. *Duces suæ hæresis habere volunt homines, nimirùm tales, quales D. Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus viis suis appellat; nunquam vnam, eandémque sententiam, sed alias aliam fo-* E *uentes, dictáque sua nunc laude, nunc vituperio prosequuntur, vt quod iam probarunt, è vestigio damnent.* [f lib. 3. c. 5.] Et Irenæus [f]: *Cùm sint,* inquit, *duo, vel tres, quemadmodum de eisdem, non eadem dicunt, sed & nominibus, & rebus contraria respondent.*

III. Acutè verò Tertulbanus [f] [f lib. de præscript. c. 42.] *Mentior,* ait, *si non etiam à regulis suis varient inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum* A *de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit.* Et paulò antè dixerat: *Vnde extranei, & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos, aut protulit, aut recepit? Illic igitur Scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ.* Iustinus [a] autem: [a quæst. 4. ad Orthod.] *Nunc cùm damnent,* ait, *hæretici alij alios ob opinionum dissensiones, perspicuum est omnes eorum hæreses occasionem habuisse ex ambitione, & mutua inuidia hæresiarcharum, propter quam causam lupi graues ab Apostolo* [b] [b Actor. 20. 29.] *nominati sunt. Immò fidem nostram, dùm sibi aduersantur, affirmant.* Quod eleganter docuit Hilarius [c]. [c lib. 7. de Trin.] *Inconsona,* inquit, *perfidorum sententia in vnum recta fidei modulum conueniunt, trophæúmque nostra victoria eorum cassa certamina gignunt.* B *Sabellij enim perfidia Arij damnat errorem: rursus Ariani dogmatis error Sabellij impietatem excludit.*

IV. Piget recentiorum hæreticorum pugnas in præsentia recensere: certè in omnibus mira cernitur leuitas, & inconstantia. Ita videtur Apostolus non multùm recedere ab iis, quæ proximè docuerat: quemadmodum enim, qui hæsitat, nunc hoc, nunc illud sequitur; non aliter qui duplici corde sunt, alia, atque alia, vt fuerint affecti, probant, & laudant. Accedit, quòd duplici corde dicuntur etiam timidi: nam vbi Sapiens [d] [d Eccl. 2.14.] ait: *Væ duplici corde,* Græcè legitur, [Greek], hoc est, timidis: quomodo etiam legit Cyrillus [e] [e lib. 1. de ador. in spir.] Alexandrinus, quòd timidi huc, illuc fluctuent, & cogitationibus variis nunc in hanc, nunc in illam partem distrahantur, atque C ita facilè hæsitant, & de diuina ope non rarò dubitant.

V. Cæterùm duplici corde censendi sunt adulatores, ac parasiti, qui quasi polypi tot colores, ac mores induunt, quot eligunt, quibus blandiantur: quorum mores, & callidam adulandi rationem describunt Plutarchus [f], & Seneca [g]. [f opusc. de am. ab adul. dignosc.] Ad eos certè pertinent illa Dauidis [h]: [g lib. 6. de benef. à cap. 30. 31. & deinceps, & li. 4. nat. quæst. in proœm.] *Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt.* Sic enim sunt assentatorum ingenia, inania verba fundunt, falsis plerumque laudibus demulcent, longè denique aliter loquuntur, quàm reuerà sentiant, & idcirco labra eorum dicuntur *dolosa in corde, & corde,* vt eos indicet esse, vt hîc lo- [h Psal. 11. 2.] quitur Apostolus, *duplices animo.*

VI. Huc etiam pertinere potest, quòd scribit Isaias [i]: [i cap. 3. 12.] *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, &* D *viam gressuum tuorum dissipant:* quod exemplo Xerxis multis ostendit Seneca [k], [k lib. 6. de benef. c. 30. & 31.] qui inani adulantium laudatione delusus serò tandem agnouit vnum tantùm Demaratum vera prædixisse. Necesse autem est adulatores, *In omnibus viis suis,* vt loquitur Apostolus, leues esse, & inconstantes. Itaque vt sese totos Principum ingeniis accommodent, & in eorum sese gratiam, atque amicitiam insinuent, eadem sæpe & laudare, & vituperare coguntur.

VII. Denique haud scio vtrùm, quod hoc loco ait Apostolus, *Vir duplex animo,* ad [Greek], vel [Greek], hoc est, versutiam, & dissimulationem pertineat, vt de iis loquatur, qui dolos, ac fraudes animo versant, quales sunt fœdifragi, mendaces, ac periuri, quasi simplicitatem, animíque candorem E commendare velit: vt enim loquitur Salomon [l]: [l Prou. 3. 32.] *Abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Illusorem enim fraudulentum, ac dolosum appellat, eúmque ait exosum esse Deo, qui contrà, simplicium consuetudine, ac familiaritate oblectatur. Simplices autem, vt Hebræi codices indicant, rectos vocat. *Et cum rectis,* inquit, *secretum eius:* quasi cum iis secreta sua consilia communicet.

Quod

VIII. Quod etiam significare visus est David [a]: *firmamentum est Dominus timentibus eum*: Hebræi codices habent. Secretum Domini timentibus eum: humano enim more de Deo Scriptura plerúque loquitur. Quemadmodum autem homines iis, quos oderunt, & abominantur, non audent sua communicare consilia, contrà verò amicis, ac familiaribus nihil patiuntur esse occultum; ita Deus simplicibus, ac rectis, quorum familiaritate oblectatur, secreta sua committit. Ita olim Deus cùm Abrahamo valde familiariter vteretur. *Num celare*, inquit [b]; *potero Abraham, quæ gesturus sum*? quasi dicat, non possum consilij mei arcana Abrahamum celare. Et Christus apud Ioannem [c]: *Vos*, inquit, *amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis: iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

a Psalm. 24. 14.
b Genes. 18. 17.
c cap. 15. 13

IX. Quamobrem rectè Gregorius [d]: *Cum simplicibus*, inquit, *sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obscurat.* Nescio autem vtrùm eodem referat Augustinus [e] quod ait Salomon [f]: *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Sic autem Hebræa habent: *Hominis sunt dispositiones cordis, & à Domino est responsio linguæ*, quo loco cùm abuterentur Pelagiani, hunc in modum illum explicat Augustinus. Vt cùm Salomon ait, *hominis est præparare cor*, significet id, quod diuina ope adiutus homo efficere potest. Cùm verò subdit: *A Domino responsio linguæ*, indicet id, quod solus Deus efficit. *Ideo*, inquit, *scriptum est, hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ; quia homo præparat cor, non tamen sine adiutorio gratiæ Dei, qui tangit cor: homo præparat cor; in responsione autem linguæ, id est, in eo, quod præparato cordi lingua diuina respondet, nihil operis habet homo, sed totum est à Domino Deo; nam sicut dictū est, hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ, ita etiam dictum est: Aperi os tuum, & adimplebo illud.*

d 3. part. adm. 12.
e lib. 2. con. epp. Pelag. cap 8.
f Pro. 16. 1.

X. Non disputo vtrùm hæc Augustini interpretatio legitimum Salomonis sensum attingat. Sat enim nūc habeo existimasse Augustinum diuinam linguam non nisi præparato cordi respondere; nunc autē cor præparari dicitur, cùm diuinæ gratiæ beneficio impuræ omnes cogitationes abiiciuntur, vt mens sese totam diuinarum rerum contemplationi affigat.

9. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.*]

I. Videri posset hæc sententia quasi ex aduerso cum superiori pugnare, idque particula aduersatiua, *autem*, non obscurè indicat, quasi dicat Apostolus, Vir duplex animo ob suam leuitatem, & inconstantiam nihil habet vnde gloriari queat. At verò humilis habet cur glorietur, cùm diuinitùs ad maxima quæque prouehatur. Sed, vt verū fatear, quia vox Græca ταπεινὸς, non videtur aptè opponi voci δίψυχος, huic explicationi mens mea acquiescere planè non potest; existimarim potiùs superiorem sententiam, & hanc, quam nunc explicamus, vnà cum subsequenti singillatim per se positas esse ab Apostolo, quasi sacra quædam effata. Vir, inquit, duplex animo in rebus omnibus est inconstans, humilis verò, quia diuinitùs ad altiora attollitur, habet vnde glorietur. mox subdit:

II. *Diues autem in humilitate sua*, scilicet glorietur, *quoniam sicut flos fœni transibit.* Videtur autem Apostolus id in præsentia spectare, quod initio capitis dixerat: *Omne gaudium existimate, fratres cùm in varias tentationes incideritis.* Nunc addit in ipsa etiam humilitate, atque abiectione gloriandum esse; ait autem: *glorietur frater humilis*; vt intelligas de fideli: omnes enim fideles olim fratres appellabantur, vtque ait Clemens [f] Alexandrinus, & nos initio capitis

f lib. 5. Stro.

A admonuimus, iure creationis fratres omnes sumus. *Fratres*, inquit, *nos omnes esse vt pote vnius Dei, & vnius Magistri alicubi Plato dicere videtur hoc modo. Qui in ciuitate estis, omnino fratres estis*: arctiori autem iure fratres omnes appellantur fideles, de qua re ita Tertullianus [a]: *Quod fratres nos vocamus, non alias infamant, quàm quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres autē vestri sumus iure naturæ matris vnius. fratres dicuntur, & habentur, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerunt sanctitatis.* Hoc videtur significasse Christus, cùm apud Matthæum [b] dixit: *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.*

a In apolog. cap. 39.
b cap. 23. 8.

B III. Vt vel hinc appareat quantopere à Christiana simplicitate eorum absit ambitio, qui eximios quosdam honoris titulos immoderatè appetunt, eorúmque respectu amicitias dissuunt, & consanguinitatis, atque affinitatis iura nonnunquam violant, vt ne salutatione quidem dignos censeant, qui non se dominos, & quidem illustrissimos, aut excellentissimos appellent. Tametsi enim non nego iure ciuili certos cuique magistratui, ac personarum dignitati titulos esse attributos, nimiam tamen quorundam arrogantiam probare nemo potest, qui se supra cæteros vltra modum efferunt, & fraternæ caritatis iura penitus negligunt, aut potiùs contemnunt. At meminerint oportet, quod de se ipso fatetur Salomon [c]; *Sum quidem*, inquit, *& ego mortalis homo similis omnibus, &* C *ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conueniente: & ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans; in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis: nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.*

c Sap. 7. in princ.

IV. Quid igitur est, cur se quisquam cæteris præferat? cur alios præ se nihili ducat? An quorundam inopiam, aut abiectam, & vilem conditionem contemnendam esse putabimus? At multò aliter Iacobus: *Glorietur autem*, inquit, *frater humilis*, Græcè, ταπεινὸς, *in exaltatione sua*: Non semel enim in Euangelio dixit Christus [d]: *Qui se exaltauerit, humiliabitur, & qui se* D *humiliauerit, exaltabitur.* Quam ob causam dixit Apostolus [e]: *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.*

d Matt. 23. 12. Luc. 14. 11. & 18. 14.
e 1. ad Cor. 1. 26.

V. Meritò autem Beatissima Virgo [f] cecinit, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: Esurientes repleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Vbi eadem Græca verba leguntur, quæ hoc loco habet Apostolus ὕψωσε, inquit ταπεινοὺς, hîc verò Iacobus, καυχάσθω δὲ ὁ ἀδελφὸς ἐν τῷ ὕψει. abiecti enim atque humiles eriguntur à E Deo. Ita enim loquitur David [g]: *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Cumque Deus olim iussisset [h] Samuelem, vt filium Isai Bethleemitæ regem inungeret; omnésque filij eius coram Samuele stetissent, quæsiuit ille numquis præterea superesset; pater autem reliquum esse Dauidem respōdit, qui oues pascebat. Hîc Chrysostomus [i] ita patrem loquentem inducit, *habeo vnum paruulum, & contemptibilem, qui pascit oues, tu autem Regem requiris*; tum subdit Chrysostomus: *O Pater paruulum, & pastorem Dauid dicis? homo despicit, sed Deus coronat.*

f Luc. 1. 52.
g Ps. 112. 7.
h 1. Reg. 16. 17.
i Homil. 2. in Psal. 50.

Ipse

VI. Ipse verò David [a] de se ipso ita loquitur: *Et elegit David seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium; de post fætantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.* Cuius tam singularis beneficij memor, cùm ei Micol [b] vxor exprobraret actionem, quam regia Maiestate minùs dignam ipsa existimabat, respondit: *Ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populũ Domini in Israel, & ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Gloriandum itaque docet Apostolus humili, atque abiecto, quòd gloriam, & exaltationem sibi certò polliceri possit. Ait enim apud Isaiam [c] Deus: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Quo loco septuaginta habent: *Et super quem respiciam nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?*

a Psalm. 77. 70.
b 2. Reg. 6. 21.
c cap. 66. 2.

VII. Sed quod ait Apostolus, *Frater humilis*, Græcè ταπεινός, non planè liquet ad animúmne an verò ad externam conditionem fratris humilitas referenda sit. Græca enim vox, cùm ad animum refertur, interdum in vitio, nonnunquam in laude ponitur, & in laude quidem vsurpatur à Christo, cùm apud Matthæum [d] dicit: *Discite à me, quia mitis sũ, & humilis corde.* Græcè, ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, vt ostendat se ita fuisse animo humili, ac demisso, vt ne guttula quidem in eo superbiæ, aut ferocitatis inesset. Aliàs ad vitium pertinet, vt cùm Aristoteles [e] quosdam ait esse supra modum humiles, & abiectos; nonnunquam verò ταπεινοὶ dicuntur illi, quos vel vilis, & abiecta conditio, vel aduersa fortuna humiles reddit. Certum autem videtur non agere in præsentia Apostolum de eo, qui sit vitiosè humilis, hoc est, animo deiecto, & vltra modum demisso: neque enim huic gloriandi faceret potestatem, neque exaltationem polliceretur. Propiùs verò crediderim de vili, atque abiecta hominum conditione loqui, cui tamen demissi animi sensus non desit, cùm nihil sibi prorsus illi coram Deo tribuant, & sint verè pauperes spiritu, quos vt paulò antè dixi, Beatissima Virgo ait fuisse à Deo exaltatos, quibus opponit, *superbos mente cordis sui.* Et hîc Iacobus humili opponit diuitem.

d cap. 11. 29.
e lib. 4. pol. c. 11.

VIII. Hanc credo humilitatem suam agnoscit eadem Virgo Deipara, cùm [f] ait: *Respexit humilitatem ancillæ suæ:* se enim conditione vilem agnoscit, sed ita tamen, vt cum animi laudabili demissione coniuncta esset: nam alioqui execrabilis Deo est, qui in vili, & abiecta conditione tumidos, atque elatos habet spiritus; rectè enim dixit Sapiens [g]: *Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum; pauperem superbum, diuitem mendacem, senem fatuum, & insensatum.* Igitur Apostolus humili gloriandum esse dicit, qui abiecta sua conditione contentus, nihil sibi coram Deo arrogat, nihil sibi tribuit, sed totus à Deo pendet, eiúsque voluntati sese penitus subiicit. Gloriandum autem esse ait in exaltatione sua, quam videlicet meritò à Deo expectare potest.

f Luc. 1. 48.
g Eccl. 25. 3.

IX. At enim Paulus [h] Apostolus in Deo tantùm gloriandum esse docet. *Qui gloriatur,* inquit, *in Domino glorietur.* Et paulò antè dixerat: *Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Et Augustinus [i] cùm sæpe inculcat hanc Pauli sententiam, tum mirificè laudat illud Cypriani [k]: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* Apud Isaiam [l] verò ita loquitur Deus: *Gloriam meam alteri non dabo.* Quamobrem Bernardus [m]: *Tibi Domine,* inquit, *sibi gloria tua maneat illibata. mecum benè agitur, si pacem habuero:* alludit enim vir sanctus ad Angelicum illud [n] elogium: *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

h 1. ad Cor. 1. 31.
i lib. 1. ad Simpl. q. 2.
k libr. 3. ad Quir. c. 4.
l cap. 42. 8.
m Serm. 13. Cant.
n Luc. 2. 14.

X. Sed non aliter gloriandum præcipit Iacobus. *Glorietur, ait, in exaltatione sua,* non qua se ipse extollit, aut supra cæteros effert, quod cum humilitate ex aduerso pugnat, sed quam Deus humilibus pollicetur [a], *qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hæc enim est humilium exaltatio, cùm cœlesti gratia replentur, diuinísque muneribus locupletantur, & ad cœlestia denique bona euehuntur. Ea verò exaltatio ipsorum dicitur, tùm quia ab ipsis percipitur, tùm quia ipsorum meritis diuinæ gratiæ ope comparatis iure debetur, cum alioqui sit diuinæ beneficentiæ singulare munus.

a Iacob. 4. 6.

XI. Ita in Apocalypsi [b] ait Ioannes: *Cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes, Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Dum enim coronas suas ad pedes sedentis in throno abiiciunt, reipsa fatentur, quod ore prædicant, omnem honorem, & gloriam rerum à se gestarum ad vnum Deum bonorum omnium auctorem pertinere, vt enim sæpe ait Beatus Augustinus, cùm Deus merita nostra coronat, munera, & beneficia sua coronat. Cum itaque humili in sua exaltatione gloriandum docet Apostolus, nihil de diuina gloria detrahendum insinuat, sed hoc potiùs suadet, vt in diuina munificentia, & liberalitate glorietur.

b cap. 4. 9.

10. *Diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit.*]

I. Omnino ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, subaudiendum videtur verbum, *glorietur*, vt hæc sententia superiori ex aduerso obiiciatur. Humili dixerat, in exaltatione gloriandum, diuiti nunc gloriandum monet in humilitate, Græcè ταπεινώσει, vt ex altera parte respondeat ei, quod dixerat ἐν τῷ ὕψει. Sed quomodo diuiti gloriandum sit in humilitate, non satis constat: sunt tamen qui opinentur, hæc duo Apostoli præcepta, aut monita eò referri, vt animi duplicitatem, de qua paulò antè locutus erat, penitus excludat. Solent enim ferè homines, aut rebus aduersis deiecti, aut secundis elati in varias, ac multiplices cogitationes distrahi, atque adeò duplices animo fieri. Vtrosque igitur monet Apostolus, vt constantiam, atque æquabilitatem animi retineant. Pauperem quidem, & abiectũ exaltationis spe proposita; diuitem verò, & opulentum obiecta diuitiarum fallacia, quæ floris instar euanescit. Ita enim fore existimauit Apostolus, vt neque ille animo despondeat, & nimia quadam solicitudine alienas cogitationes suscipiat, & velut in plures partes distrahatur; hic verò supra humanam conditionem elatus plus sibi arroget, quàm modestiæ leges patiantur.

II. Sed non video quanam ratione aut humiles rebus aduersis, aut diuites secunda fortuna duplices animo reddantur, eo præsertim modo, quo Apostolus animo duplicem perstringit; duplex enim animo, vt suprà diximus, vel is dicitur qui hæsitat, nec satis diuinæ liberalitati fidit; vel qui modò hoc, modò illud sequitur, cuiusmodi sunt hæretici, aut assentatores, aut vafri, aut versipelles, atque ita non apparet, quam vim habeant ad hanc prauam animi affectionem pariendam, vel aduersa, vel prospera, quæ accidunt in vita. Hieronymus certè, quem Beda, & alij sequuntur, has duas sententias non sine ironia accipiendas putat. Sic autem scribit [c]: *Quod autem dicit filiã Edom lætari, & gaudere eo quod perueniat ad eam calix Domini, per ironiam legendum est, vt illud in epistola Iacobi Apostoli. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua, subauditur à superiore, glorietur:*

c libr. 3. in Thre. in fin.

A *uetur: quod non tamen ad gloriam, sed ad humilitatem eius, & damnationem pertinet.*

III. Sed vt verum fatear, Commentarij in Lamentationes Ieremiæ, quamuis multorum suffragio Hieronymo tribuantur, omnino tamen auctoris cuiusdam multò recentioris videntur, habentúrque inter opera Rabani, & quasdam sententias continent, à beato Gregorio desumptas; atque ita quidquid sit de Beda, non est ea Hieronymi sententia. Vt autem de Ieremiæ verbis nihil in præsentia dicam, non video quorsum hoc loco ironia admittenda videatur. Nam de humili quidem satis, vt arbitror, ostensum est, verissimè illi in exaltatione sua gloriandum esse. Cur autem Apostolus è vestigio de diuite ironicè loquatur, nulla potest idonea afferri ratio.

B

IV. Crediderim igitur Apostolum duas pronunciare sententias altera sibi ex parte respondentes: vt enim humili, atque abiecto respondet diues, ita exaltationi humilitas: vtraque autem sententia eodem refertur, vt tam humilis, quàm diues spes omnes suas in vno Deo sitas, & locatas habeat, atque idcirco, vt dixerat humili gloriandum in exaltatione sua, ita diuiti suadet, ne in diuitiis, aut opibus gloriādum putet, sed potiùs humili, ac demisso animo sit, cùm certò sciat diuitias breui esse interituras, & quasi matutinum florem puncto temporis euanescere. Sic enim mihi persuadeo, idem hoc loco monere Apostolum, quod ad Timotheum scribit Paulus [a]: *Diuitibus*, inquit, *huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat omnia nobis abundè ad fruendum*; quasi dicat Iacobus; humilis quidem habet, vnde glorietur, quia à Deo expectat exaltationem, diues autem si gloriari libeat, glorietur sanè in despectu, contemptúque diuitiarum, quo fiat, vt abiecti, atque humilis animi à plerisque habeatur.

[a] 1. ad Tim. 6.17.

C

V. Sic enim ferè plurimi mortalium censent, eos, qui diuitiis affluunt, si modestiam colant, longè absint à fastu, & arrogantia, abiecti esse animi, & tam ampla fortuna indignos: atque hanc opinionem, ταπείνωσιν, Apostolus nominat, cùm tamen coram Deo nihil sit laudabilius, quàm si diuites modestiam, animíque demissionem retineant. Ita olim dixit Dauid [b]: *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere; diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Tria enim præcepta tradit Dauid: duo priora pertinent ad eos, qui locupletari cupiunt, quos reuocat ab iniquitate, & rapinis: tertium eos attingit, qui iam diuitias possident, prohibet autem ne illis cor apponant, hoc est, ne pluris eas faciant, quàm æquum est.

[b] Psal. 61.11.

D

VI. Quid autem de diuitiis sentiendū sit, etiam Gentiles Philosophi luculenter docuerunt. Et quidem alicubi Seneca [c]: *Magnam, inquit, pecuniam habet; hominem illum iudicas, arca est; quis ærario, quis plenis loculis inuidet? Et ijse, quem dominum pecuniæ æstimas, pecuniæ loculus est: multum habet, vtrùm auarus, an prodigus est? si auarus non habet, si prodigus non habebit. Istū, quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat. Multi illum comitantur; mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ: prædam sequitur ista turba, non hominem.* Alibi [d]: *Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est.* Rursus [e]: *Contempsit diuitias, non quia superuacua, sed quia pusilla sunt.* Et mox: *Turpe est beatam vitam in auro, & argento reponere.* Itémque [f]: *Hoc est, inquit, mi Lucili, egregium, hoc securum ac liberum nihil petere, & tota fortunæ comitia transire.* Et post nonnulla: *Quam animus res est solicitum nihil petere, nulli supplicare, nihil mihi tecum fortuna, non facio mei tibi copiam.* Mox: *Non est, vt æstimant homines, auida felicitas, sed pusilla, itaque neminem satiat. Tu illa credis excelsa quia longè ab illis iaces, ei vero, qui ad illa peruenit, humilia sunt: mentior, nisi adhuc quæris ascendere. Illud, quod tu summum putas, gradus est. Omnes autem male habet ignorantia veri, tùm quam ad bona feruntur decepti rumoribus: deinde mala esse, aut inania, aut minora, quam sperauerint, adepti, ac multa passi vident, maiórque pars miratur ex interuallo fallentia, & vulgò bona pro malis sunt.* Alia propemodum infinita ex hoc vno auctore describenda essent; si cuncta velim in præsentia recensere; nec pauciora ex Plutarcho [a] colligere fas esset.

[c] De rem. fortuit.

[d] Ep. 63.

[e] Ep. 111.

[f] Ep. 119.

[a] de cupid. diuit.

VII. Sed omnium optimè in præsentia Iacobus: *Quoniam*, inquit, *sicut flos fœni transibit.* At quid? an ipse diues? Sanè ita existimandum videtur. Neque enim aliud quidquam excogitari potest, quod huic verbo respondeat. Simile quiddam dixit Dauid [b]: *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat.* Et alibi [c]: *Vidi impium exaltatum, & superelevatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Vniuersim autem exclamat Isaias [d]: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo.* Et iisdem propemodum verbis Sapiens [e]: *Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi.* Idem omnino repetit Petrus [f] alludens ad Isaiæ locum. Quod autem de totius naturæ imbecillitate vniuersim pronunciat Scriptura, id priuatim de diuite asserit hoc loco Iacobus; quis enim putaret arduum, ac difficile esse in omnium rerum copia, & affluentia modestiam, atque animi demissionem retinere, ostendit eas breui esse deserendas. Vt enim ait Dauid [g]: *Diues cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.*

[b] Psal. 89 &

[c] Psa. 36.35.

[d] cap 40.6.

[e] Eccl. 14.18.

[f] Epi. 1. c. 1. 24.

[g] Psa. 48.18.

VIII. Cùm igitur hominis vita, atque huius lucis vsura breuissima sit, facilè quiuis intelliget, non posse diuitias magnos, atque claros spiritus afferre. Huius porrò vitæ breuitatem hæc floris similitudo aptè admodum explicat: quod aliis etiam metaphoris Scriptura sacra declarare solet. Nam [h] Iob quidem ait: *Hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram.* Post [i] multa: *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Et Dauid [k]: *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt.* Alibi Iob [l] folio, quod vento rapitur, hominem comparat. *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris?* Denique ne cuncta curiosè persequar, eleganter dixit Isaias [m]: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Ecce insulæ, quasi puluis exiguus.* Paucis verò interiectis: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.*

[h] cap. 8 9.

[i] cap. 14. 1.

[k] Ps. 143. 3.

[l] cap. 13. 25.

[m] c. 40. 15.

E

IX. Nil igitur mirum, si hoc loco diues, & diuitiarum gloria flori dicitur similis. Verùm Apostolus non florem simpliciter, sed fœni, aut herbæ florem nominat, quomodo locutus erat Isaias, vt appareat rem esse leuissimam, cùm flos herbæ quàm citissimè euanescat, & non malè dixit Interpres: *Flos fœni*, vt florem euanescentem indicet, & florem, vt loquitur Isaias [n], decidentem. In hac igitur humiliatione sua diuiti gloriandum esse docet Iacobus: qui enim diuitiis perinde vtitur, ac flore euanescente, non iis vltra modum afficitur, neque plus æquo adhærescit, sed animi moderationem, ac demissionem retinet, nec à diuitiis possidetur, sed illis potiùs vtitur pro rerum opportunitate.

[n] cap. 28. 1.

11. *Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit; ita & diues in itineribus suis marcescet.*

Floris

I. Floris similitudinem vberiùs explicat, & rei propositæ accommodat: quemadmodum, inquit, exorto Sole illius ardore herba quidem arefit, atque in stipulam vertitur, eius autem flos euanescit, omnique prorsus pulchritudine spoliatur, non aliter diues quidquid agat, aut moliatur, omnium iacturam faciet, nisi intelligat hæc omnia caduca, & mortalia bona, si ad vnius Dei cultum, & honorem non referantur, nauci esse facienda, vel potiùs tanquam noxia, & perniciosa fugienda. Ad hunc locum
a li.1. exam. cap.7. respexisse videtur Ambrosius [a], cùm ait: *In germinum specie, & in virentis herba munere imago est vita humana, & natura nostra speculum elucet: viret enim gloria hominis in carne tanquam flos fœni, & qua putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, prematura vt flos, caduca quasi fœnum: hodiè videas adolescentem validum pubescentis ætatis virtute, florentem gratia, specie suaui, colore, crastina die tibi facie, & ore mutatus occurrit. Qui pridie tibi lautissimus decore forma, gratia visus est, alio die miserandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut delicia eneruant, aut luxuria decolorant.*

II. Mitto alia peuè sexcenta, quæ ad hanc metaphoram illustrandam ex Poëtis afferri possent, ne sacra profanis temerè admiscere videar. Quod autem hoc loco ait Apostolus æstu solis fœnum arescere, & florem interire, quotidiano experimento deprehenditur, neque vlla indiget confirmatione; illud non facilè explicari potest, quod in huius similitudinis apodosi continetur. *Ita*, inquit, *& diues in itineribus suis marcescet.*

III. Nec dubium est diuitis vias eius actiones significare, quibus quodammodo efflorescere cupit: non satis autem probo, quod quidam monent
b Hor. ep. 1. mercatorum itinera indicari, de quibus [b] ille dixit:

Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Hîc enim Poëta non tam de diuite; & opulento loquitur, quàm de eo, qui diuitias appetit, & magna auiditate conquirit. Iacobus autem diuitem ait, hoc est, eum, qui iam diuitias possidet, in itineribus suis marcescere. Et quidem diuitis itinera, studia, & actiones interpretor, quibus diues vel ad honores comparandos diuitiis vtitur, vel sese voluptatibus constringendum præbet, siue enim hoc, siue illo modo diuitiis abutatur, non aliter ac flos marcescit, & corrumpitur: Nam de deliciis quidem, & de voluptatibus verè scripsit Salo-
c Eccles. 2. 4 mon [c]: *Magnificaui opera mea, & ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conseui ea cunctis generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium; possedi seruos, & ancillas, multámque familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem; coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias regum, ac prouinciarum, feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum: scyphos, & vrceos in ministerio ad vina fundenda. & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem; sapientia quoque perseuerauit mecum, & omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non denegaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram; & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo.*

IV. Sed quid in omnibus expertus sit, quóque illa vniuersa euasissent, mox explicans subdit: *Cùmque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Quid quæso hoc aliud est, quàm omnia quasi florem euanescere, marcescere, & corrumpi? Nam si diues honores, ac dignitates ambitiosiùs quærat, nihilo fœliciorem exitum consequetur. Ad eos enim vtcumque pertinent illa, quæ scribit Oseas [a]: *Quia ventum seminabant, & turbinem metent: culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam, quod & si fecerit, alieni comedent eam.* Quippè illi, qui honores, ac dignitates ambiunt, rectè ventum seminare dicuntur, vel, vt legunt Septuaginta, ἀνεμόφθορα, id est, vento corrupta semina, & quæ medulla carent, quia frustra laborant, & magno suo damno inaniter sudant; & vt loquitur Dauid [b], *Inania meditantur*, montes aureos cogitant, & sibi somnia fingunt, nihilo autem plus colligunt, quàm si ventum seminassent, siquidem vt ait Apostolus [c] *quæ seminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* a cap. 8. 7. b psal. 2. 1. c ad Gal. 6. 8

V. Quoniam igitur diuites vt plurimùm inania seminant, idcirco subditur: *culmus stans non est in eo.* Est enim culmus frumenti calamus à radice vsque ad spicam, qui ideirco non stare dicitur, quia nullo robore, nullóque succo præditus nullas continet spicas, vt non immeritò subdat, *germen non faciet farinam.* Interprete enim Hieronymo, non eò perueniet, vt moli possit, & farinam facere; quod si fortè nonnihil farinæ inde extiterit, ea vescentur alieni, quæ omnia vno verbo expressit Iacobus, cùm dixit: *Diues in itineribus suis marcescet.* Idémque multis exemplis docet Seneca [d]: *Multi inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia sæculis, & per aliquot ætates tuta prosternant, qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem eductos arietibus, ac machinis quassant; multi sunt, qui ante se agant agmina, & tergis hostium graues instent, & ad mare magnum perfusi cæde gentium veniant, sed hi quoque, vt vincerent hostem, cupiditate victi sunt. Nemo illis venientibus restitit, sed nec ipsi ambitioni, crudelitatique restiterant. Tunc cùm agere visi sunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena deuastandi, & ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui à Græciæ primùm cladibus, in qua eruditus est, incipit, qui quod cuique optimum est eripuit? Lacedæmona seruire iubet: Athenas tacere. Non contentus tot ciuitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco proiicit, & toto orbe arma circumfert: nec subsistit vnquam laxa crudelitas immanium ferarum modo, quæ plusquàm exigit fames, mordent. Iam in vnum regnum multa regna coniecit. Iam Græci, Persæq; eundem timent, iam etiam à Dario libera nationes iugum accipiunt, ire tamen vult vltra Oceanum, Solémque indignatur ab Herculis, Liberique vestigiis victoriam flectere, ipsi naturæ vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare, non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse. Nec Cneo quidem Pompeio externa inire bella, aut domestica virtus, aut ratio suadebat, sed insanus amore magnitudinis falsæ modò in Hispaniam, & Sertoriana arma, modò ad cogendos piratas, & maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur causæ ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam; quid in Septentrionem; quid in Mithridatem, & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi, cùm sibi vni parum magnus videretur. Quid Caium Cæsarem* d epist. 94.

in sua fata parnet, ac publica immisit? Gloria, & ambitio, & nullus supra cæteros eminendi modus. Vnum ante se ferre non potuit, cùm Respubl. supra se duos ferret. Quid tu Caium Marium semel consulem (vnum enim consulatum accepit, & cæteros rapuit) cùm Teutonicos, Cimbrósque concideret, cùm Iugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetisse virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Illi cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta conuoluunt, sed ipsi antè voluuntur; & ob hoc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui frenum est. Ideoque cùm multis fuerunt malo, pestiferam illam vim, qua plerisque nocuerant, ipsi quoque sentiunt.

VI. Hæc tam fusè ex Scriptore eruditissimo, elegantissimóque descripsi; vt appareat verissimè dictum esse à Propheta eos, qui ventum seminant, turbinem metere; & quod hoc loco scribit Iacobus, diuitem in itineribus suis marcescere. Quò etiam spe-
a cap. 12. in princ. ctat illud eiusdem ^a Oseæ: *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum, tota die mendacium, & vastitatem multiplicat.* Rebus quippe inanibus, & quæ animum explere non possunt, sese diuites ambitiosè oblectant, & vento vrente miseri absumuntur. Denique mendacium, & vastitatem multiplicant,
b Eccles. 1. 2. quia, vt ait Salomon ^b *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

VII. Hæc, vt arbitror, itinera aliquo pacto indica-
c cap. 6. 18. bat Iob ^c: *Inuoluta*, inquit, *sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt. Considerate semitas Thema, itinera Saba, & expectate paulisper. Confusi sunt quia speraui.* Videtur enim Iob præsertim ex interpretatione Septuaginta, diuitum negotiationes, ac varia mercimonia perstringere. Quamuis enim, inquit, Themanitæ, & Sabæi, cæterique mercatores lucra, & compendia studiosissimè sectentur, *Inuoluta* tamen *sunt semitæ gres-*
d 1. ad Timoth. 6. 9. *suum eorum*. quia, vt ait Apostolus ^d, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueos diaboli.* Ac propterea in vacuum laborare dicuntur, & perire, & puncto temporis confundontur, cùm planè intelligant se non modò frustra laborasse, sed sibi tanto labore perniciem, atque interitum comparasse. Id porrò, sed serò tamen faten-
e Sap. 5. 6. tur impij, qui apud Salomonem ^e huoc in modum loquuntur: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?*

VIII. Deinceps verò pluribus metaphoris ostendunt sua omnia studia inania fuisse, & conatus prorsus irritos. *Transierunt*, inquiunt, *omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus; aut tanquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum; & scindens per vim itineris aërem commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris illius; aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aër continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius; sic & nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.*

IX. Vt autem magis appareat omnes hominum la-
A bores, si aliò, quàm in vnum Deum referantur, frustra suscipi, ac tolerari, illicò subdit Salomon: *Quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Hæc igitur, atque id genus alia penè sexcenta, quæ in hanc sententiam afferri possent, apertè ostendunt verissimè dictum esse à Iacobo diuitem instar floris subitò arescere, *& in itineribus suis marcescere.* Et si fortè interdum splendescere videatur, eius tamen gloriam puncto temporis interire. Dixit enim ali-
cubi Dauid ^a: *Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* a Psal. 36. 2.
Gloriandum igitur est diuiti in hac sua humilita-
B te, ne se extollat, & magnificè circumspiciat; quæcunque enim extra nos sunt, nihil ad veram magnitudinem conferunt, nihilo plus quàm pumilio in summa aliqua arce positus, inde staturam suam augeat.

Cæterùm quod attinet ad verba, vbi Interpres X.
dixit: *Decor vultus eius.* Græcè scripsit Apostolus καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου. Quo loco tam vox Græca, quàm Latina propriè pertinet ad homines; Et Gel-
lius ^b quidem: *Sicut quidam*, inquit, *faciem esse hominis putant os tantum, oculos, & genas, quod Græci πρόσωπον, dicunt.* Pollux autem quicquid fronti subest πρόσωπον vocat. Sed aliquando ea vox rebus etiam inanimis tribuitur: Nam apud Xenophontem pha- b lib. 13. c. 18
langis frons πρόσωπον, appellatur. Sic nauium proræ
C μέτωπα, & πρόσωπα dicuntur, quòd sint veluti illarum facies. Quin etiam cuiusque rei initium πρόσωπον vocari solet. Denique externa species, seu larua πρόσωπον Græcè dicitur, vt non malè Apostolus, nec prorsùs ineptè in oratione præsertim metaphorica ea voce vsus videatur Eam verò rectè Latinè expressit Interpres, cùm dixit: *Vultus eius*, quasi dicat facies, seu aspectus eius. Quanquam enim de flore loquitur, metaphoricè tamen splendorem illum, & ornatum intelligit, qui ex diuitiis oritur, eúmque florem appellauit.

Porrò quod Interpres ait, *in itineribus*, Græcè est XI.
ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ, hoc est, in viis: paulò antè dixerat ἐν ταῖς ὁδοῖς. Vias autem, seu itinera humanæ vitæ actiones vocat, quomodo sæpe loquitur Scri-
D ptura. Non assentior autem Grammaticis ^c quibus- c Erasmus.
dam, qui commodiore sensu legendum putant, πορίαις, vt sit, in abundantia sua. Non enim significat Apostolus, diuites in abundantia marcescere, sed in diuitiarum vsu, nisi ea adhibeatur moderatio, quam hoc loco exigit. Accedit quòd emendatiores codices habent magno consensu ταῖς πορείαις, vt significet diuitiis functiones omnes, nisi ad animi demissionem, ac modestiam referantur, non modo inanes, atque irritas esse, sed sæpe etiam perniciosas, vt ex iis quæ modò diximus facilè intelligi potest.

12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

E Non puto magnoperè laborandum esse, vt singu- I.
la singulis nectantur, & vna quædam orationis series contineatur; multa enim præcepta tradit Apostolus à se inuicem diuulsa, quæ ad varias virtutes pertineant. Nam initio dixerat in rebus aduersis, ac tentationibus gaudendum esse, quod inde patientia perficiatur; mox ad orationem confugiendum esse docuit, vt impetrentur à Deo, quæ ad bene, beatéque
viuendum necessaria sunt. Hinc hæsitationem & animi VI.
duplicitatem damnarat proximè, quibus rebus tam

abiectæ

A abiectæ conditionis hominibus, quàm diuitibus gloriandum sit insinuauerat; nunc redit ad tentationes, eásque ostendit forti, & constanti animo perferendas esse, magnitudine, ac præstantia præmij proposita, déqite earum vi, atque vtilitate vberius disserit.

II. *Beatus*, inquit, *vir, qui suffert tentationem*; ærumnas credo, molestias, & calamitates, & quidquid denique aduersi accidere potest in vita. Sic enim accepit Athanasius [a]. *Memores*, inquit, *quomodo Ariani sese primùm aduersùs Beatum Martyrem Petrum, deinde contra magnum Achillam, postremò contra Beatum Alexandrum gesserunt, modo persequendi nos, occidendique occasiones solertiùs aucupantur. id enim sitiunt, nec quiescere possunt (tanta est auiditas sanguinis nostri effundendi.) Verùm eius rei mihi nulla cura.* B *Scio enim & præmium his, qui sustinent, retribuendum esse à Saluatore; & quòd vos ubi sustinueritis, habebitis gloriam. quæ dicere licebit, fidem seruauimus. Recipietis autem coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Apertissimè autem respexisse videtur ad hunc Iacobi locum.

a or. 1. cont. Arianos.

III. Viri porrò nomen, tametsi à virore, aut vigore deductum, virilem sexum potissimùm significat; frequenter tamen vtrumque sexum complectitur; nec dubium est hoc loco viri nomine etiam fœminas comprehendi, quomodo visus est loqui etiam Ethnicus Poëta [b]:

b Hor. lib. 3. od. 3.

Iustum, & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

IV. Nec enim dubitandum est persimili virtute, atque constantia plurimas etiam fœminas fuisse præditas, vt innumerabiles Virgines suo exemplo docuerunt. Sufferre autem tentationem, Græcè ὑπομένειν is dicitur, qui eam forti, ac patienti animo tolerat, quique non solùm non succumbit, sed fortior, vegetiórque euadit; qualem idem Poëta [c] describens ait.

c li. 4. od. 4.

Duris vt ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animúmque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem creuit in Herculem.
Monstrúmve submisere Colchi
Maius, Echioniæve Thebæ.
Merses profundo, pulchrior euenit.
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, gerétque
Prælia coniugibus loquenda.

V. Est autem hæc Apostoli sententia verbis Christi consentanea, qui apud Matthæum dixit [d]: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Neque aliter Petrus [e]: E *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Et alibi [f]: *Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.* Denique [g]: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Eodem etiam spectare videtur, quod ait Iob [h]: *Beatus homo, qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt.*

d cap. 5. 10.
e ep. 2. cap. 2. 19.
f cap. 3. 14.
g cap. 4. 14.
h cap. 5. 17.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

VI. Tentationem porrò amplissimè accipit, vt complectatur, siue quæ putantur externa mala, & vitæ incommoda, siue internos animi cruciatus, siue prauarum cupiditatum stimulos, & voluptatum illecebras, siue malorum dæmonum oppugnationes. Nam qui hæc, aut priuatim singula, aut etiam, si res ferat, omnia simul ita perfert, vt nihil penitus lædatur, verè dici potest beatus, ea beatitudine, quæ in hac mortali vita haberi potest. Ita dixit Dauid [a]: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.*

a ps. 1. 1.

VII. His enim fermè modis tentatio absque læsione sustinetur, non enim abit in consilio impiorum, qui Tyrannis Idolorum cultum suadentibus, & qui conquisitissimis suppliciorum generibus ad impietatem impellunt, strenuè, ac fortiter reluctatur, & millies mori mauult, quàm tam immani sacrilegio inquinari. In via peccatorum non steterunt illi, qui prauas cupiditates, & impotentes libidinum motus longa inedia, & spontanea corporis vexatione ita compresserunt, vt nusquam offenderint, nedum lapsi sint. Postremò ij in cathedra pestilentiæ non sederunt, qui neque dæmonum astu, neque calamitatum, atque ærumnarum vi, neque diuitiarum, aut honorum fulgore à recto virtutis tramite reuocari potuerunt, sed potiùs, vt Propheta subdit: *In lege Domini voluntas eorum, & in lege eius* meditantur *die, ac nocte.* Hi nimirum sunt, *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum* C *dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.* Contrà quàm paulò antè dixerat Iacobus accidere diuitibus, si diuitiis insolentiùs abuterentur: Illi enim quasi flos fœni subitò euanescunt, & vt multùm laborent, ac nitantur, omnium iacturam faciunt; hi verò amplissimum constantiæ, & patientiæ fructum consequuntur. Quamobrem subdit Iacobus:

VIII. *Quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Dixerat initio capitis; *Probatio fidei vestræ patientiam operatur.* actiuè, vt diximus, probationem accipiens, res enim aduersæ patientiam explorant: hîc probatum passiuè ponit, eúmque D intelligit, qui tentatione, quasi aurum igne, virtutem, & constantiam suam declarauit. *Hic*, inquit, *accipiet coronam vitæ.* Eodem modo loquitur Sapiens [b]: *Quoniam*, inquit, *in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Et Salomon [c] iustos ait eodem modo fuisse à Deo exploratos, dignósque repertos, quos ille cœlestibus, ac diuinis honoribus prosequeretur. *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Et paulò antè dixerat: *Inuenit illos dignos se.* Et mox subiicit: *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.*

b Eccles. 2. 5
c Sap. 3. 6.

IX. E Contrà verò Ieremias [d] quosdam ait fuisse exploratos à Deo, & tanquam argentum reprobum fuisse reiectos. *Probatorem*, ait, *dedi te populo meo robustum, & scies, & probabis viam eorum. Omnes isti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter æs, & ferrum; vniuersi corrupti sunt, defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator, malitiæ enim eorum non sunt consumptæ; argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Cæterùm

d cap. 6. 27.

ille omnino verè cenſendus eſt beatus, qui rebus aduerſis non frangitur, ſed forti, & conſtanti animo omnia perferens innocentiam, & ſanctitatem retinet. Sic olim Iob diuino præconio celebratur [a]. [a cap. 1.8.] *Numquid*, ait Dominus, *conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouiſti me aduersùs eum, vt affligerem eum fruſtra.* Illum ait adhuc retinere innocentiam, hoc eſt, poſt omnium bonorum iacturam, poſt filiorum, ac filiarum ſtragem retinet innocentiam, qui nihil omnino peccauit, *Nec ſtultum quid contra Deum locutus eſt.*

X. Quod verò dicit Deus ſe illum fruſtra afflixiſſe, dæmonis reſpectu ita loquitur, qui virum ſanctiſſimum in deſperationem agere, & ad impietatem [B] impellere tanta malorum mole cupiebat. At non fruſtra paſſus eſt Deus tam multis modis virum ſanctiſſimum cruciari, qui ob ſingularem viri patientiam, conſtantiam, atque animi magnitudinem *benedixit* [b] [b Iob 42.12.] *nouiſſimis Iob magis, quàm principio eius*, qui plenis, quod aiunt, manibus non modò caduca, & mortalia bona, ſed cœleſtia, atque diuina in illum effudit. Ita hoc loco Iacobus ei, qui probatus fuerit, coronam pollicetur; quomodo etiam olim faſſus eſt Tobias [c] [c cap. 3.21.]: *Hoc autem*, ait, *pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita eius, ſi in probatione fuerit, coronabitur, ſi autem in tribulatione fuerit, liberabit, & ſi in correptione fuerit ad miſericordiam tuam venire licebit.* [C] *Non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem, & fletum, exultationem infundis.*

XI. *Accipies coronam vitæ.*] Præmium patientiæ deſcribit, quod quidem nonniſi ſtrenuè certantibus redditur. Sic enim loquitur Apoſtolus [d] [d 2. ad Tim. 2.5.]: *Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitimè certauerit.* Legitimum autem Chriſtianorum certamen eſt agere, & pati fortia, & in iis vſque ad extremum vitæ ſpiritum perſeuerare. Atque ita de ſe ipſo idem Apoſtolus [e] [e 2. ad Tim. 4.7.] ſcribit: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum eius.* [D] Non ſolùm autem coronam ſperat, quia bonum certamen certauit, hoc eſt, ſtrenuè, ac fortiter pugnauit, ſed quia curſum conſummauit, hoc eſt, perſeuerauit, & peruenit ad metam. Iam enim Apoſtolus breui ſe moriturum ſperabat, atque ita ſe curſum conſummaſſe affirmat, quaſi iam ad calcem, & metam peruenerit. Sic Angelus in Apocalypſi [f] [f cap. 2.10.] Smyrnæ Epiſcopum monet: *Nihil horum timeas, quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem; eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Præmium videlicet immortalitatis, ac beatæ vitæ, coronam vitæ appellat. Et meritò corona dicitur; quia certantibus datur, eſt enim, vt ait Iob [g] [g cap. 7.1.], *Militia vita hominis ſuper terram*: atque [E] ita Apoſtolus [h] [h 1. ad Tim. 6.12.] Timotheum monet: *Certa bonum certamen fidei.* Et alibi [i] [i ad Hebr. 12.1.] omnes fideles ad certamen prouocat: *Deponentes*, ait, *omne pondus, & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum.*

XII. Hoc verò præcipuè certamen rebus aduerſis perferendis initur, quo nomine [k] [k ad Hebr. 10.32.] Hebræos laudat Apoſtolus: *Rememoramini autem*, ait, *priſtinos dies,* [A] *in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti.* Et Salomon de viro iuſto ita alicubi [a] [a Sap. 10.12.] ſcribit: *Cuſtodiuit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret.* Aliàs dicitur brauium: ita enim ſcribit Paulus [b] [b 1. Cor. 9.24.]: *Neſcitis quod ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.*

XIII. Verùm quoniam tanta eſt cœleſtium bonorum magnitudo, támque à ſenſibus noſtris remota, vt nequeat vno verbo, vnáve ſimilitudine, aut metaphora ſignificari: propterea Scriptura diuina ab his caducis, ac mortalibus bonis ſimilitudine ducta [B] beatam illam vitam omni bonorum genere cumulatiſſimè refertam pluribus modis deſcribit. Et quoniam ea voluptas, quæ ſenſibus percipitur, notiſſima nobis eſt, dici plerumque ſolet conuiuium, cœna, & quidem iucundiſſimis epulis referta. Ita Chriſtus [c] [c Luc. 12.37]: *Beati*, inquit, *ſerui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes; amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Et in Apocalypſi [d] [d cap. 2.7.]: *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Et paulò pòſt [e] [e ver. 17.]: *Vincenti dabo manna abſconditum.*

XIV. Iſaias [f] [f cap. 25.6.] verò illuſtri, & magnifica oratione eandem cibi metaphoram ſecutus, cœleſtis patriæ delicias deſcribit. *Et faciet*, inquit, *Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium,* [C] *conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Quibus omnibus oſtendit fore illas beatorum delicias conquiſitiſſimas, & vt appareat loqui illum de gloria immortalitatis, mox ſubdit: *Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam, quam orditus eſt ſuper omnes nationes; præcipitabit mortem in ſempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra.*

XV. Nec malè omnino apud Lucam [g] [g cap. 14.15] dixit quidam: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Alia ſexcenta eiuſdem generis afferri poſſent, ſed illa apud Iſaiam [h] [h cap. 65.13] omnia fermè voluptatum genera [D] complectuntur. *Propter hoc*, inquit, *dicit Dominus Deus: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis; ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis; ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.* Iam verò quoniam honores, ac dignitates plurimi fieri ſolent à mortalibus, immenſus quidam honor promittitur beatis. Nam Iſaias Hieruſalem beatam his verbis alloquitur [i] [i cap. 62.3.]: *Et eris*, inquit, *corona gloriæ in manu Domini, & diadema ſpeciei in manu Dei tui.* Et in Apocalypſi [k] [k cap. 5.10.] ſeniores, qui erant ante conſpectum Dei inter cætera canebant: *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Huc ſpectat, quòd beati dicuntur ſedere in [E] throno Dei. Ita in Apocalypſi legimus. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Denique hanc ipſam ob cauſam vocatur corona.

XVI. Multiplici autem nomine hæc corona vocatur; hîc enim, & alibi non ſemel dicitur *Corona vitæ*, ſiue quia affert vitam immortalem, ſiue quia eſt præmium anteactæ vitæ laudabilis, ſiue denique quia non niſi in beatorum vita tribuetur. Aliàs dicitur corona immarceſcibilis, ita enim loquitur Petrus:

[a epist. 1. c. 5. 4.] Petrus [a]: *Percipietis*, inquit, *immarcescibilem coronam gloriæ*: quia videlicet gloria illa beatorum, nullam mutationem admittet, neque vlla poterit ratione deficere. Nonnunquam misericordiæ corona appellatur, ita enim dixit Dauid [b]: [b Psal. 102. 4.] *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Et quidem meritò: nam Apostolus [c] [c ad Rom. 6. 23.] cùm dixisset: *Stipendia peccati mors*, illico subdit: *Gratia autem Dei vita æterna.*

XVII. Quanquam enim vita æterna est vera bonarum actionum merces, eadem tamen, vt non semel docuit Augustinus [d], [d Ench. c. 17. ep. 105. lib. de grat. & lib. arb. c. 7. & 8. & in ps. 102. lib. de corr. & grat. c. 13.] meritò appellatur gratia, quòd omnia merita nostra sint diuinæ liberalitatis beneficia, & diuina potissimùm gratia nitantur. Quocirca Concilium Arausicanum [e] [e cap. 18.] ait iustorum actiones merendi vim habere, sed gratiam primùm dari, vnde oritur meritũ. Et Prosper [f] [f lib. 2. de voc. gen. c. 2.]: *Datur vnicuique*, ait, *sine merito vnde tendas ad meritum, & datur ante vllum laborem vnde quisque mercedem accipiat secundùm suum laborem*; neque enim circumscripta gratia vllæ humanæ actiones cum beata vita proportionẽ habent.

XVIII. Quamobrem Theologi in scholis gloriam beatorum gratiam consummatam appellare consueuerunt. Eadem porrò dicitur corona iustitiæ. vt eam nominat Apostolus, quia, quidquid hæretici contrà nitantur, debetur ex iustitia actionibus iustorum, vt enim ait Augustinus [g] [g Ser. 14. de ver. Apost. c. 2.]: *Non potest opere inspecto negare mercedem, qui opus inspicit.* Et, vt ait Nazianzenus [h] [h Or. 2. in Iul.], *Corona debentur iis, qui certamine congrediuntur, non qui sedent veluti spectatores.* Atque ita Christus apud Matthæum [i] [i cap. 25. 31.] Iudicem describit ferentem sententiam adiecta causa, cur alij quidem igni sempiterno adiudicentur, alij verò in regni possessionem vocẽtur, quòd illi actiones studiosas neglexerint: hi contrà quàm accuratissimè eas exercuerint.

XIX. *Quam repromisit Deus diligentibus se.*] An tantùm diligentibus? An non potiùs laborantibus, & certantibus? Certè denarius diurnus de quo Christus apud Matthæum [k] [k cap. 20. 9.], non nisi laborantibus promittitur. Is autem denarius hanc ipsam coronam significat, *quam repromisit Deus diligentibus se.* An cætera sine Dei amore, & caritate nihil prosunt? Certè ita loquitur Paulus [l] [l 1. ad Cor. 13. 3.]: *Et si distribuero*, inquit, *in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* An qui Deum diligunt, miro quodam studio, & contentione laborant? Sanè hoc significauit Gregorius [m] [m Hom. 30. in Euang.], cùm dixit: *Operatur magna amor, si est, si autem operari renuit, amor non est.*

XX. Quemadmodum enim ignis vim caloris cohibere non potest, quin vrat, & absumat, quicquid sibi obiicitur, ita amor, & caritas cessare non potest, sed vim suam exerit, & quæcunque aspera, dura, ac difficilia vidẽtur, facilia, leuia, & propè nulla facit amor. Sic olim Iacob Labani seruitus quamuis difficilis, atque aspera, præ amoris magnitudine suauis propemodum videbatur. [n Genes. 29. 20.] *Seruiuit ergo*, inquit [n], *Iacob pro Rachele septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Itaque verè diligentibus promissa est corona; vt enim ait Christus [o] [o Io. 14. 15.] *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Et paulò pòst [p] [p ver. 23.]: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Quo loco Gregorius [q] [q Hom. 30. in Euang.]: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Meritò autem diligentibus promissa est corona, quia illa omnes propemodum virtutes complectitur, vt ait Apostolus [r] [r 1. ad Cor. 13. 4.]. *Caritas patiens est, benigna est: caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Quocirca meritò docent Theologi in

A scholis caritatẽ esse veluti formam extrinsecam omnium virtutum, quæ illas quodam modo ad statum quẽdam supranaturalem attollit, & supranaturalem quandam vim, &, vt ita dicam, vitam largitur.

XXI. Quò fortasse spectans Ioannes [a] [a epist. 1. c. 3. 14.] dixit eum, qui non diligit, manere in morte, quia tenerà, qui caritate destituitur, caret vita gratiæ, omnésque eius actiones mortuæ à Theologis nuncupantur. Ita semper beata vita diligentibus promittitur. Sic enim interpretatur Isaiam [b] [b cap. 64. 4.] Paulus Apostolus, cum ad Corinthios scribit [c] [c epist. 1. c. 2. 9.]: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* Sic enim explicat quod ait Isaias, *quæ præparasti expectantibus te.* Vt expectare Deum dicantur illi, qui eum ardenter amant, eiúsque diuino B conspectu frui concupiscunt. Hanc ob causam exclamauit aliquando Augustinus [d] [d lib. 10. cõfess. c. 29.]: *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, caritas Deus meus accẽde me.* Hunc quippe ignem se in terram attulisse apud Lucam [e] [e cap. 12. 49.] dixit Christus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Cæterùm quod interpres dixit, *Repromisit*, Græcè est ἐπηγγείλατο, hoc est, promisit: suo autem more interpres, vt aliàs ferè semper, trãsferre maluit *repromisit*, fortasse vt significaret promissionem non esse absolutam, sed præcurrentem conditionẽ postulare, hoc est certamen, & victoriam.

13. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.*

C Aut ego fallor, aut aliter accipit hoc loco Apostolus tentationem, quàm initio capitis, & proximè superiori sententia: cùm enim dixit, *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Et rursus: *Beatus vir, qui suffert tentationem*, omnia aduersa quæcunque accidere possunt in vita intelligit, quæ ad exercendam explorandámque cuiusque virtutem, & constantiam diuino potissimùm consilio referuntur. Hic verò, interprete præsertim Augustino, tentationẽ intelligit, quæ ex parte tentantis ad peccatum incitat, ac propterea rectè ait Iacobus: *Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur.* Græcè est, μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω, ὅτι ἀπὸ τοῦ θεοῦ πειράζομαι, quæ ad verbum ita Latinè reddas, *Nemo dicat, quoniam à Deo tẽtor*: quomodo legit Hieronymus [f] [f lib. 1. con. Iou.], quo loco ostẽdit, & baptizatos tentari posse, & sponte sua corruere. Eodémque D modo Latini quidã codices olim habebãt; sed, vt apparet, eadẽ semper est sententia: significat enim Apostolus, non posse quenquam, dum se ad malum vrgeri animaduertit, Deũ accusare, quasi tẽtationis auctorẽ.

II. Itaque Beda hactenus ait egisse Apostolum de tentationibus externis, nunc verò de illis loqui, quas interiùs vel dæmonis impulsu, vel naturæ imbecillitate toleramus. Additque eorum errorem ab Apostolo confutari, qui prauas cogitationes æquè ac bonas diuinitùs immitti opinabantur.

III. Ego verò non ita angustè Apostoli verba accipio, quasi tantùm de internis tentationibus loquatur. Nam & plerunque dæmon Dei permissu vel ipse per se, vel aliorum opera externas adhibet tentationes, E vt ad peccatum alliciat. Ita Christum externis dumtaxat tentationibus oppugnauit, cùm illum internis appetere nequaquam posset. Vniuersim igitur, vt affirmat Augustinus [g] [g Ser. 11. de ver. Dom.], tentationem intelligit quæ & suapte natura, & tentantis proposito ad flagitium impellit. Itaque verissimè monet Apostolus, eum quis persimili tentatione vrgeri, ac premi se animaduertit, non posse iure Deũ accusare tanquã eius tentationis auctorẽ, cùm etiam apud Gentiles Philosophos receptissimũ sit Deo auctore neminẽ fieri malũ, idq; non minùs elegãter quàm eruditè ostẽdũt Bas. [h] [h Ho. quòd Deus nõ est auct. mal.] & Chrys. [i] [i Ho. quòd nemo læditur, nisi a se ipso.]

IV. Ex quo apparet, quàm abominanda sit quorundam superiorum hæreticorum impietas, qui omnia mortalium scelera ad Deum tanquam veram eorum causam referenda putant. Ac ne iis quidem Catholicis Theologis hac quidé in parte assentiendũ puto, qui ita prauitatem, ac malitiã peccati humanæ voluntati tribuunt, vt eas tamen actiones, &, vt ita dicam, physicas entitates, quæ malitiæ substernuntur, à Deo præfiniti contendant, sic prorsus, vt ea præfinitione sublata, nulla sint flagitia subsecutura, ea verò posita ex hypothesi, & necessitate, vt aiunt, consequẽtiæ, necesse sit scelera, & peccata perpetrari. Vt enim multùm sudent, & laborent, in eos sese laqueos induent, ex quibus expediri difficillimum sit. Nam si cuipiam actioni sit per se suàque natura adnexa malitia, itaque illi intimè hæreat, vt ab ea diuelli, ac separari nulla ratione queat. Viderint homines acuti, ne si Deus sit efficax causa actionis, eundem faciant malitiæ, & peccati auctorem. Verùm quoniam hæc res vberiorem, subtiliorémque disputationem postulat, tantùm in præsentia dico, si negat Apostolus Deum tentationem immittere, quæ ad peccatum incitet, cui pro sua libertate diuinæ gratiæ præsidio adiutus quilibet reluctari potest, longè profectò minùs admitteret humanas voluntates iis actionibus antecedenter à Deo affigi, quæ necessariò cũ peccati malitia connexæ sunt:
[a Ser. 11. de ver. Dom.] vt enim docet Augustinus[a], remouet Apostolus à Deo omné tentationem, qua quisque peccato implicatur.

V. *Deus enim intentator malorum est.*] Quasi dicat, nemini malum suadet, neminem ad peccatum prouocat, vt quod egregiè obseruauit Augustinus[b], necesse sit tentationem non vno tantùm modo accipere. *Alia enim significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est, Deus neminem tentat; & alia, de qua dictum est. Tentat*[c] *vos Dominus Deus vester, vt sciat, si diligatis eum; illa seductionis est, hæc probationis.* Dicitur itaque Deus intentator malorum, quia neminem seducit. Atqui hoc ipsum videtur sacris litteris repugnare, ait enim Ieremias[d]. *Seduxisti me Domine, & seductus sum.* Et apud Ezechielem[e]. *Et propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Et in libris Regum[f] Spiritus mendax dixit. *Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & præualebis, egredere, & fac ita.* Eodem spectant illa quæ dixit Dauid g. *Dimittite eum, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid.* Et paulo post, *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.*

[b lib. 2. de cons. Euang. cap. 30.]
[c Deut. 13.]
[d cap. 20. 7.]
[e cap. 14. 9.]
[f lib. 3. c. 22. 22.]
[g 2. Reg. 16. 10.]

VI. Alia permulta in eandem sententiam affert Augustinus[h], qui præterea addit, *agere Deum in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino iniustè aliquid velle non nouit.* Et post nonnulla: *His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis quantùm existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto.* Quæ si vera sunt, qua quæso ratione dicitur ab Apostolo, *Deus intẽtator malorum?* An, quod video placere nonnullis[i], Græca vox ἀπείραστος, passiuè accipienda est, significatque Deũ nullis omnino malis tẽtari posse, vt sensus sit Deum nullis malis obnoxium degere, ipsum verò neminem tentare; & Græci codices non videntur eam interpretationem respicere: particula enim, δὲ, aliquid videtur indicare discriminis à superiori sententia.

[h lib. 5. con. Iul. c. 3. lib. de grat. & lib. arb. c. 21.]
[i Erasmus.]

VII. Quòd si Deus intentator diceretur malorum, quia neminem prouocat ad malum, frustra addi videretur, *Ipse autem neminem tentat.* Quod idem est, ac si dicat,

A Deum non excitare quẽquam ad malum. Nam aliquis Deum frequenter tentare, & paulò antè indicaui, & non ita multò pòst planiùs docebo. Sed nihil dubito eam vocem actiuè accipiendam esse, vt Deus dicatur intentator malorum, quo modo dæmon dicitur tẽtator, vel is, qui tentat. Nam apud Matthæum dicitur[a], *Tentator.* Et Paulus[b]: *Ne fortè tentet vos is, qui tentat.* Dicitur autem intentator malorum, sed non planè liquet, quidnam significet gignendi casus, siue Græcè, κακῶν, siue Latinè, *malorum.*

[a cap. 4. 3.]
[b 1. ad The. 3. 5.]

VIII. Nec enim defuerunt, qui de improbis, ac sceleratis hominibus acciperent, neminem quippe eorum à Deo tentari; ita enim alicubi[c] significat Clemens Romanus, dum ait: *Vbi igitur conuicium propter mendacium fit; beatus eris: ait enim Scriptura, Vir reprobus*
B *non tentatur a Deo, cùm tamen viros pios, ac sanctos Deus ipse tentarit, vt Abrahamum, Iobum, Dauidem, Tobiam, aliósque persimiles.* Verùm hanc explanationem ægrè Græca Apostoli verba admittunt: gignendi enim casus κακῶν absolutè, & absque articulo positus non facilè ad personas referri potest, vel enim additus fuisset articulus τῶν κακῶν, vel πονηρῶν, potiùs quàm κακῶν dixisset. Licèt enim vox κακὸς etiam personis aptari queat, si quidpiam præcedat, aut sequatur, quod eum sensum necessariò postulet, hoc tamen loco nihil est, quod nos cogat ad personas transferre.

[c lib. 2. cõst. Apost. c. 8.]

IX. Addo quòd, vt alibi monui, eiusmodi casus neutro genere accipiuntur, & res malas significant, vt cùm Paulus[d] ad Romanos dixit inuẽtores malorum,
C Græcè κακῶν. Et ad Corinthios[e], *Non simus cõcupiscentes malorum*, vbi Græcè est eadem vox κακῶν. Et Salomon[f]: *Malorũ amatores digni sunt morte.* Græcè ἐρασταὶ κακῶν. Denique vniuersim videtur Apostolus docere nemini Deum esse auctorem peccati, cùm illud à praua cuiusque cupiditate ortum habeat. Et ob eam causam absolutè ait: *Ipse autem neminem tentat*, hoc est, neque bonum, neque malum.

[d cap. 1. 30.]
[e 1. Cor. 10. 6.]
[f Sap. 15. 6.]

X. Cur igitur vniuersim dicatur malorum intentator, si multos seducit, ac decipit, & vt ait Augustinus, etiam ad malum impellit? His profectò, atque id genus aliis abutuntur hæretici, vt imperitis persuadeãt Deum hominum voluntates suo arbitratu flectere, ac mouere, & æquè ad malum, atque ad bonum incitare.

XI. D Non me quidem clam est plerosque, auctore præsertim Damasceno, cuncta quæ allata sunt de sola Dei permissione accipere, vt cùm dicitur Deus decipere, aut seducere, aut denique mali aliquid præcipere, permittere tantùm, vt secundarum causarum efficiẽtiam non prohibere intelligatur. Quæ explicatio, vt aliquando necessariò admittenda videatur, non potest tamen vbique admitti, vt eodem loco probat Augustinus, qui alibi[g] ait. *Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur, quod manus eius, & consilium prædestinauit fieri.* Et paulo post confirmat quod alias dixerat, cùm Deus vult fieri, quod nonnisi volentibus hominibus oportet fieri, *inclinari eorum corda, vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo,*
E *& ineffabili operatur & velle.* Rursus[h] testimonio Pauli[i] probat Deum non sola permissione, sed etiam vi suæ potentiæ hominum voluntates, quo voluerit, impellere: cùm enim Iulianus ad Dei permissionẽ confugisset, diuinæque patientiæ, non potẽtiæ hominum flagitia tribuenda diceret, excipit Augustinus, *quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus & patientiam, & potentiã, vbi ait. Sic autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.*

[g lib. de præd. Sanct. c. 20.]
[h lib. 5. con. Iul. c. 3.]
[i ad Rom. 9.]

XII. Verùm prætermissis iis, quæ longiorem postulant disputatio

disputationem, sic omninò sentiendum existimo verè dictum esse ab Apostolo Deum esse intentatorem malorum. Quod enim attinet ad verba Ieremiæ, non est magnoperè laborandum, cùm ea non ad malũ, aut peccatum vllo pacto referantur. Seductum enim se dicit Ieremias, quia cùm Dei iussu multa vaticinatus esset, quæ cùm nondum re ipsa euenissent, ludibrio Prophetam apud populum exposuerant, ac propterea

a Ier. 20. 7. subdit [a]: *Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me, quia iam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito, & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die.* De verbis autem Eze-

b cap. 14. 9. chielis [b] maior videri potest difficultas, nisi quod decipi dicitur Propheta, vel cùm Deus cæleste lumen subducit, vel cùm eũ vlciscitur propter flagitia, quod mox indicare videtur propheta cùm subdit: *Et extendam manum meam super illum, & delebo eum de medio populi mei Israël, & portabunt iniquitatem suam iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit.*

XIII. Quod verò legitur in libris Regum [c] nihilo plus

c lib. 3. c. 22. 22. probat, quàm Deum interdum ampliorem dæmoni facere potestatem, vt suis artibus, ac dolis nonnullos oppugnet, quos quanquam Deus videt suo vitio ruituros in malum, intelligit tamen posse illos reluctari,

d 2. Reg. 16. 10. & fortiter obsistere. Quæ verò dixit Dauid [d], ipso Augustino interprete, non de vero præcepto accipienda sunt, sed de diuinæ volũtatis efficacitate, quæ, vt loquitur Augustinus, *humanis voluntatibus dominatur.* Quid autem ea vis, atque efficacitas in hominum voluntatibus efficiat, dum dicitur impellere, flectere, mouere, & quocumque voluerit, siue ad bonum,

e lib. de prædest. Sanct. c. 16. siue ad malum inclinare, ipse Augustinus [e] explicat. *Est ergo*, ait, *in malorum potestate peccare, vt autem peccando hoc, vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas, vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Itaque cùm ait Augustinus inclinare Deum hominum voluntates siue ad bonum, siue ad malum, vel loquitur de malo pœnæ, vel de aliqua indifferenti actione, quæ cùm bene, ac malè exerceri queat, non sine culpa, agentis vitio exercenda est; quod alibi copiosiùs ostensum est.

XIV. Rectè itaque subiicit Apostolus: *Ipse autem neminem tentat*; quasi dicat, tantùm abest, vt quenquam Deus ad malum impellat, vt potiùs multis, ac miris modis à scelere reuocet, neque vllo modo tentando ad peccatum incitet. Quod enim Iacobus Græcè dixit, ἀπείραςός ἐςι κακῶν. Et Latinè Interpres, *intentator malorum est.* sic accipio, vt intentator idem valeat, quod dissuasor malorum, & vt sic dixerim reuocator, ac propterea rectè subdit: *Ipse autem neminem tentat*; est enim Græcè particula, δὲ, perinde quasi dicat, reuocat Deus à malis, non autem ad ea impellit. Nec dubium est, quod sæpe iam monui, eam è Deo tentationem amoueri, quæ refertur ad malum: nam alioqui frequentissimè Scriptura docet, interdum Deum nonnullos tentare, vt eorum siue fidem, siue constantiam, & animi robur exploret. Ita dicitur tentasse

f Gen. 22. 2. Abrahamum, cùm iussit [f] eum filium vnigenitum sacrificare. Eadémque ratione tentauit Iobum, Tobiam, & alios.

XV. Neque verò id eò pertinet, vt Deus quasi ignarus iustorum constantiam, & animi magnitudinem cognoscat, sed vt eam magis, magísque illustret, & aliis conspicuam, & admirabilem reddat. Itaque cùm in

g cap. 22. 12. libro Geneseos [g] dixit Deus: *Nunc cognoui quod times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.*

h in Catena. i Psal. 1. k Quæst. 58. in Gen. l lib. 28. mor. c. 7. Vel significat quod ait Diodorus [h], omnibus notum feci; vel vt Hilarius [i], Nosse dignatus sum; vel, vt malunt Augustinus [k], & Gregorius [l], Nosse te feci, vel quod magis reor ἀνθρωποπαθῶς vtitur, & more hominum loquitur, qui cuius rei periculum fecerunt, eam se perfectè nouisse arbitrantur. Nam & sæpe aliàs hominum consuetudini sese Deus accommodat: nam & hoc ipsum, quod dicitur tentare ad eandem ἀνθρωποπάθειαν spectare potest, quasi dicatur explorare, aut periculum facere; Quod apertissimè

a cap. 18. 21. apparet, cùm in libro Geneseos [a] dixit: *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* More enim hominum dicta sunt, quasi dicat, propiùs accedã, & experimentum capiam, vt planè cognoscam, vera ne sint, quæ ad me perlata sunt. Sic accipienda sunt pleraque alia, quæ in sacris literis leguntur.

XVI. b lib. de orat. cap. 8. Quamobrem acutè Tertullianus [b]: *Cæterum absit*, inquit, *vt Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deiicere sit consentiens: diaboli est & infirmitas, & malitia. Nam & Abraham non tentandæ fidei gratia sacrificare de filio iusserat, sed probandæ, vt per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora Deo cariora habenda.* Et in eandem

c Ser. 9 de diuer. c. 9. sententiam Augustinus [c]: *Audite, inquit, Iacobus dicit. Nemo cùm tentatur, dicat quod à Deo tentatur: tentationem istam malam dixit, qua quisque decipitur, & diabolo subiugatur; Ipsam tentationem dixit. Est enim alia ten-*

d Deut. 13. 3. *tatio, quæ appellatur probatio: de ipsa tentatione scriptum [d] est. Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat, si diligatis eum. Quid est, vt sciat? Vt scire vos faciat; nam ipse nouit. In illa tẽtatione, qua quisque decipitur, & seducitur, neminem tentat Deus, sed planè iudicio suo alto, & occulto quosdam deserit. Cùm illo deseruerit, inuenit, quid faciat tentator, non enim inuenit aduersus se luctatorem, sed continuò illi se exhibet possessorem, si deserat Deus.*

14. *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*]

I. Non negat Dæmonem frequentissimè tentare, sed proximam peccati causam explicat, quæ in sola humani arbitrij libertate posita est. Mirum autem, cur dixerit Apostolus, vnumquemque à propria concupiscentia tentari, cùm certum sit, oriri interdum peccatum ex ignorantia, nonnunquam etiam ex malitia; sed, vt arbitror, attigit Apostolus propriam peccati causam. Ignoratio siquidem quasi ex accidenti causa, vel occasio potiùs peccati dicitur, cùm alioqui interdum etiam excuset, aut extenuet culpam; malitia verò exigit mentem in malo confirmatam, quod tum maximè fit, cùm mens & ratio nimia quadam animi perturbatione obruitur, vt verè affirmare possimus, peccata omnia à praua cupiditate ortum ducere.

II. Quocirca verè dixit Apostolus: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua.* Tentatio autem, vt ex Au-

e Hom. 16. Euang. gustino docet Beda, & alicubi affirmat Gregorius [e], tribus modis perficitur, suggestione, delectatione, & consensu: & siquidem suggestioni negetur assensus, tentatio victoriæ materiam præbet; sin autem nonnulla oblectatio irrepat, leuis, non tamen mortifera, culpa contrahitur: quòd si delectatio eò vsque progrediatur, vt spontaneum, ac liberum consensum eliciat, tum verò lethalis culpa admittitur. Rectè verò dixit Apostolus, vnumquemque à concupiscentia tentari: neque enim vim affert, aut liberam voluntatem vlla necessitate pertrahit ad peccatum. Verè

f lib. de grat. & lib. arb. namque dixit Bernardus [f]: *Quod scriptum est, vnusquisque tentatur à propria concupiscentia abstractus.* Et illud: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Et illud Apostoli: *Inuenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, putari possunt, cogere voluntatem, & præripere libertatem. At verò quantislibet quis intus forísve tentationibus vrgeatur, libera profectò semper, quantum ad*

arbitrium spectat, voluntas erit, liberè quippe de suo nihilominus consensu iudicabit. A

III. Gregorius [a] autem eodem modo explicandus videtur, cùm ait: *Et nos cùm tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, vnde certamina toleramus:* significat enim idcirco nos intus in animo à tentatione affici, quia ob primi Parentis lapsum morbis, atque ægritudinibus animi vel inuiti subiacemus. Quocirca subdit Christum qui sine peccato in vtero Virginis cõceptus est, nullam in semetipso rixam aut appetitionũ luctam experiri potuisse. *Tentari ergo,* ait, *per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit, atque ideò omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit.* Nos contrà interdum quidem extrinsecùs, sed vt plurimùm etiam intus in animo tentatione pulsamur. Sic enim ait Cyrillus [b] Alexandrinus: *Voluptas quadam ante omne peccatum præcurrit, & feruens cupiditas ad delicta solet illicere, quæ ante peccati actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens facilè hac via veniendum nobis esse quo gliscimus; quod Discipulus Christi verum ostendit dicens, Vnusquisque à sua cupiditate distractus, atque seductus tentatur.*

a loco indic. c. 30.

b lib. 4. in Io. c. 25.

IV. *Abstractus, & illectus,* Græcè, ἐξελκόμενος, καὶ δελεαζόμενος, vt significet vim prauæ cupiditatis, quæ primùm quidem mentem abstrahit, atque auocat ab honestis cogitationibus, quæ possent illius impetum retardare. Deinde dulcedine quadam demulcet animum, & suauiter oblectat, ita sensim ad peccatum allicit, quod egregiè explicat alicubi Seneca [c]: *Nihil,* inquit, *interest, quam magnus sit affectus, quantuscumque est parere nescit, consilium non accipit. Quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domesticum, & mite (natura enim illorum est surda suadenti) sic non sequuntur, non audiunt affectus, quantulicumque sint, facilius est enim initia illorum prohibere, quam impetum regere.* Fateor quidem illum plus æquo humanis affectibus tribuere, quos negat parere rationi. Sed in eo certè laudandus est, quod facilius ait eorum initia prohiberi, quàm impetum cohiberi posse. Re namque vera, vt ille ait, eorum initia prohibenda sunt, nam si animum occuparint, præcipitem agunt. Itaque rectè ille [d] dixit:

c epist. 86.

d Ouid.

Principiis obsta, sero medicina paratur
Cùm mala per longas conualuère moras.

V. Cæterùm rectè ait Plutarchus [e]: *Quæ animi pars affectionibus obnoxia est, quanquam propria caret ratione, aliqui tamen, vt eam audiret, ad ipsámque se conuerteret, cederet, & informaretur, natura facultatem concessit, nisi in totum perdita, profligatáque existat.* Cui affine est, quod scribit Aristoteles [f], quasdam esse animi nostri partes ratione quidem carentes, sed quæ tamen aptæ sint parere rationi. Itaque tentat concupiscentia, mentem abstrahit ab iis, quæ ipsius vim retundere, & labefactare possunt. Id vbi impetrauit blandè sese insinuans ad voluptatem allicit, si quidem ex aduerso cum ratione pugnat: docet enim ratio impuras voluptates abiciendas esse, & vni Deo omnibus animi viribus, ac facultatibus adhærendum; contrà verò cupiditas primùm quidem à Deo, & diuinis rebus abducit, tum ad ea, quæ sub sensum cadunt, quæ animum deprauant, & corrumpunt, falsa quadam dulcedine prouocat. Ita verè dicitur hominem tentare, hoc est, ad malum impellere. Nec dubium est, ita plerumque hominum mentes voluptatis illecebris capi, atque irretiri, vt quod Apostolus ad Romanos scripsit, iure deserantur à Deo, & in reprobum sensum tradantur, vt enim scribit Augustinus [g]: *Quando leguntur in literis veritatis à*

e lib. de virt. mor.

f lib. 1. Ethic. c. vlt.

g lib. de gra. & lib. arb. c. 21. in fine.

A *Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iuste ista paterentur.*

VI. Quamobrem hæc Apostoli sententia superiorem confirmat, qua dixerat Deum esse intentatorem malorum, & neminem tentare, cùm appareat, quemlibet suorum scelerum sibi esse architectum, vt meritò dixerit Sapiens [a]: *Non dicas; ille me implanauit, non enim necessarij sunt ei homines impij.* Et paucis interiectis: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua: Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere: apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabi-* B *tur illi.* Denique vt ostendat spontè homines peccare, nec posse Deum in culpæ societatem vocari. *Nemini,* inquit, *mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Græcè ἄνεσιν, id est, licentiam, aut laxamentum, quin potiùs, vt ait [b] Iob: *Dedit Deus locum pœnitentiæ,* (hoc est, longioris vitæ spatium) *& ipse abutitur eo in superbiam.* Quod aliis verbis expressit Apostolus [c]: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.*

a Eccles. 15. 12.

b cap. 14. 23.

c ad Rom. 2. 4.

VII. Itaque docet Apostolus non extrinsecus peccata affingi, sed ortum ducere ab interna animi cupiditate. Quocirca rectè dixit Augustinus [d], pugnandum esse cum cupiditatibus, quæ remanent post baptis- C mum. *Quid tibi,* inquit, *facturus est tentator extrinsecus? te vince, & mundus est deuictus. Quid tibi facturus est tentator extraneus, siue diabolus, siue minister diaboli? Quicunque homo proponit lucrum, vt seducat; auaritiam in te non inueniat; quid facit propositor lucri? Si autem auaritia in te inuenta fuerit, viso lucro inardescis, & visa esca caperis laqueo. Si autem non in te inuenta fuerit auaritia, remansit frustra extenta muscipula. Proponit tibi tentator pulcherrimam fœminam, adsit intus castitas, victa est foris iniquitas. Vt ergo non te capiat proposita pulchritudine mulieris aliena, cum tua libidine intus pugna. Non sentis hostem tuum, sed sentis concupiscentiam tuam, diabolum non vides, sed quid te delectet, vides. Vince intus quod tu sentis, pugna, quia qui te regenerauit, iudex est, proposuit luctam, parat coronam.*

e Ser. 9. de diuer. c. 9.

D VIII. Vnusquisque igitur rectè dicitur à concupiscentia sua tentari abstractus, & illectus, hoc est, victus, & superatus. Cupiditas enim, vt ait Cyrillus [f] Alexandrinus, *est veluti improbitatis semen; hac de causa,* inquit, *iussit Deus illam corporis particulam, in qua, & per quam voluptatis fontes scaturiunt, ferro circuncidi, vt hoc ænigmate perdiscamus nullo nos pacto mundos vnquam futuros, nisi diuini verbi aciem, quasi acutum spiritus bipennem retinentes, omnem turpem ex animo cupiditatem eiciamus, nec quæ voluptas expetit carnis, quamuis iucundissima videantur, sed sola, quæ Deo placent, faciamus.* Hanc porrò veram ait esse circuncisionem, quam exigit Ieremias [g], cùm ait: *Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda, & habi-* E *tatores Hierusalem, ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit, qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum.* Quanti autem hæc spiritalis circuncisio facienda sit, exemplo Abrahæ confirmat Cyrillus: *Ille enim cùm nonaginta nouem esset annorum, hoc est, antequam centesimum annum attingeret, quod est perfectionis symbolum, iussus est à Deo circuncidi, qua re,* inquit, *apertè ostenditur quòd via quadam ad perfectionem circuncisio sit, nec posse quenquam vllo perfici pacto, nisi obumbratum*

f lib. 4. in Io. c. 51.

g cap. 4. 4.

purifica

purificationem circuncisione possideat. Perfectionis enim signum denarius in se reuolutus numerus est: Ante perfectionem ergo circuncisio datur, quæ nos ad perfectionem facilè deducit. A

15. *Deinde concupiscentia cùm conceperit parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*]

I. Concupiscentiam veram dixerat esse tentationis causam; nunc addit esse veram, & proximam peccati, ac mortis parentem, vt magis confirmet, quod paulò antè dixerat Deum neminem tentare, hoc est, ad malum impellere; vtitur autem eleganti quadam metaphora ducta ab animalium partu; prius enim B fœtus concipitur, deinde vbi maturus fuerit, editur in lucem. Rectè autem hoc loco obseruandum est, tres cupiditatis motus ab Apostolo distingui. Primum quidem minimè liberum, ac spontaneum citra liberi arbitrij consensum, quo mês, & voluntas quodam modo pulsatur, & ad peccatum incitatur. De quo modo dixerat. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* quod est veluti peccati semen, vt obseruauit Cyrillus Alexandrinus. Alterum non prorsus liberum, & absolutum, sed non sine aliqua voluntatis oblectatione, quæ similis est conceptui.

II. Quemadmodum enim fœtus tum dicitur conci- C pi, cùm vterus maternus perceptum semen amplectitur, & fouet; ita concupiscentia concipere dicitur, cùm ita afficit voluntatem, vt ei nonnihil allubescat, & titillatione sua leuiter oblectet, qui motus quamuis non omni culpa vacet, nondum tamen lethale crimen est. Id verò exprimit Iacobus, cùm ait: *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Nam simpliciter ex eo conceptu existit peccatum. Tertium, ac postremum indicat, cùm ait: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortem.* Consummari autem dicitur peccatum non modò cùm re ipsa perpetratur extrinsecùs, sed cùm ei intus in animo liberè præbetur assensus.

III. Quam ob causam apud [a] Matthæum dixit Chri- D
a cap.5.29. stus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Cùm igitur concupiscentia titillat animum, veluti semen fundit; cùm in voluntate nonnullum sui amorem, & oblectationem parit, concipit, & quasi parturit peccatum; si consensum extorqueat, maturum iam partum edit, & generat mortem, hoc est, mortiferum, & lethale crimen.

IV. Itaque rectè Augustinus [b]: *Vel mortem,* inquit, *time,*
b lib.5.hom. homil. 42. cap.2. *si peccatum non times; noli consentire concupiscentiæ tuæ; non est vnde concipiat, nisi de te. Consensisti, quia concupiuisti in corde tuo. Surrexit concupiscentia, nega te illi, noli eam sequi. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum vero cùm consummatum fuerit, generat mortem. Ergo ne abstraharis à concupiscentia tua, nega te illi, noli eam sequi, illicita est, lasciua est, turpis est, alienat te à Deo; noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum, quia si consenseris, id est, si amplexatus fueris, concipis; cùm concupiscentia conceperit, parit peccatum. Nondum times? peccatum generat mortem. Vel mortem time; si peccatum non times, time quò perducit peccatum; dulce est peccatum, sed amara est mors.* E

V. Persimilem metaphoram vsurpauit Apostolus
c cap.7. in princ. Paulus in epistola ad Romanos [c], cùm peccatum virò, animæ nostræ facultates fœminæ comparauit, ex quorum coniugio scelera, atque flagitia, hoc est, mortiferæ proles procreantur, vt eo loco copiosiùs docuimus. Quod verò in præsentia ait Iacobus, elegan-
d Pro.7.6. ti quadam oratione describit Salomon [d] miro quodam artificio explicans, quanam ratione adolescentes præsertim voluptatum illecebris deliniti, scelerum sordibus inquinentur. *De fenestra enim,* inquit, *domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos considero vecordem iuuenem, qui transit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus illius gradiitur in obscuro, aduesperascente die in noctis tenebris, & caligine. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.*

Atque hactenus quidem descripsit Salomon primùm eos, qui ad voluptates procliues sunt, & facilè blanditiis, ac lenocinijs capiuntur, hoc est, adolescentes desides præsertim, & otiosos. Mox in persona meretricis graphicè prauam cupiditatem suis penè coloribus pingit. Quid verò deinceps sequatur hunc in modum declarat: *Apprehensúmque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur dicens. Victimas pro salute voui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi, intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Aegypto; aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinamomo. Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. Non est enim vir in domo sua; abiit via longissima; sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam.* Quibus verbis omnes fermè modos breuiter attingit, quibus prauæ cupiditates mentem corrumpunt, ac deprauant. VI.

Primùm enim incredibili quadam suauitate animum demulcent, subitóque titillant, quod significat, dum ait: *Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur.* Tum si fieri potest, nonnullam honestatis speciem prætexunt, quòd consentaneæ sint eiusmodi appetitiones humanæ naturæ, quòd non frustra insitæ sint à Deo, quod viri etiam sapientes iis interdum indulserint, quod significat Salomon, dum victimas, & vota à meretrice commemorari narrat. Vbi verò pudorem, & verecundiam, aut abegerint, aut absterserint; voluptatis dulcedine, suauitatéque proposita voluntatem ad sese rapiunt. Id significatur, cùm Salomon meretricem dicentem inducit: *Intexui funibus lectulum meum,* &c. Et rursus: *Veni, inebriemur vberibus.* Denique amotis periculis securitatem pollicentur, idque iis verbis exprimitur: *Non est enim vir in domo sua,* & quæ sequuntur; ne videlicet metuat adolescens adulterium perpetrare. VII.

Ita fit vt concupiscentia concipiat, & pariat: subiicit enim Salomon: *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius, velut si auis festinet ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur;* hoc nimirùm est quod ait Iacobus: *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Neque absimili paradigmate idem fermè alibi docet Salomon. Quamuis enim alij aliter Salomonis verba interpretentur, omnium tamen optimè videntur ij sentire, qui per mulierem stultã, & clamosam, non modò prauam, & hæreticam doctrinam, sed impuram voluptatem significari autumant, eodémque spectare putant, quò superiora. VIII.

Porrò Salomon [a] cùm descripsisset luculentam IX.
Sapientiæ orationem ad se cunctos mortales inuitantis, subdit ex aduerso stultæ mulieris, hoc est, ne- a Prou.9.13.
fariæ cupiditatis verba. *Mulier,* inquit, *stulta, & clamosa, plenáque illecebris, & nihil omninò sciens sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes per viam, & pergentes in itinere suo. Qui est paruulus declinet ad me, & vecordi locuta est. Aquæ furtiuæ dulciores, & panis absconditus suauior. Et ignorauit, quòd ibi sint gigantes, & in profundis inferni*

continuæ

a li. 33 Mor. c. 26
b Tract. 97. in Ioan.
c Caiet. & plerique Hebræorum & Ian'en.

conuiuæ eius. Licuerit sanè Gregorio [a] hæc ad hæreticorum doctrinam transferre, quod & ante illum fecerat Augustinus [b]. Verè tamen Salomon, vt viri [c] docti obseruarunt, de impura cupiditate ad literam loquitur.

X. Verè enim voluptas insanæ, ac fatuæ mulieri similis dicitur, quæ plena illecebris incautos decipit, & ad interitum ducit sempiternum. quæ est mors, quam parit peccatum. Nec enim dubitandum est loqui Iacobum de morte secunda, seu de morte animæ, quia lethale crimen animam spoliat vita gratiæ, & nisi pœnitentia deleatur, affert etiam mortem sempiternam. Vt enim olim primorum parentum peccatum, moriēdi necessitatem attulit, ita etiam quodlibet peccatum animæ mortem affert, & vitali actione hominem spoliat, ac propterea quicquid interim agit, hactenus mortuum dicitur, quod nullam habeat vim merendi.

XI. Quocirca rectè dixit Beda: *Si suggestioni non consentimus, tentatio nobis ad victoriam prouenit; si suggestio illicit, delectando offendimus. sed nondum mortem incurrimus. At si delectationem concepti facinoris in corde sequitur partus prauæ actionis, iam nobis mortis reis victor mors is abscedit.* Quod tamen, vt paulò antè monui, non perinde accipiendum est, quasi sola externa actio lethalem culpam contineat, cùm solo animi consensu peccatum admitti possit, cui mors respondeat.

XII. Ex his itaque rectè probauit Apostolus non esse extra nos propriam, ac veram peccati causam quærendam. Neque enim Deus esse potest flagitiorum auctor, cùm potiùs, & legis auctoritate, & gratiæ præsidio ab iis reuocet. Dæmon verò quamuis sæpe malum suadeat, non potest tamen parendi necessitatem afferre, qui, vt ait Augustinus, non vincit nisi volentem. Hortari quippe potest, prouocare, allicere, impellere, at ab inuito consensum extorquere nullo modo. Quamobrem, vt alibi rectè monet Augustinus, extrinseca peccati causa quærenda nulla est: si qua enim fingi, aut excogitari queat, siquidem illa vim afferat, & necessitatem imponat, cui nequeat quis refragari, peccatum metiendum non est, vbi libertas abest, sin autem ita mouet, vt liceat dissentire, non ei præbeatur assensus, & nullum peccatum erit.

16. *Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi.*]

I. Bifariam hæc breuissima Apostoli sententia accipi potest; vel vt referatur ad superiora, sitque eorum, quæ dixerat, veluti extrema clausula, quasi dicat, quoniam Deus neminem prouocat ad malum, sed sponte sua quilibet voluptatis dulcedine captus, cupiditatibus laxat habenas, & sceleribus, ac flagitiis inquinatur, non est quòd quisquam inani errore delusus, vt suæ improbitati excusationem prætexat, in Deum, vel externam aliam causam culpam transferat. Vel certè eadem sententia præparatio quædam est ad ea, quæ mox dicenda sunt, percipienda, vt sensus sit, Nemo vestrûm mente aberret, aut aliter sibi persuadeat, quàm ego dicturus sum; sed mihi verissima dicenti credite Deum esse bonorum omnium fontem, ac liberalissimum largitorem.

II. Nihil igitur à Deo metuendum est mali, quin potiùs bona omnia ab illo speranda, atque expectanda sunt; quòd si quis de alterutro dubitet, eum necesse est pernicioso errore labi: siue enim Deum malorum, ac scelerum auctorem putet; impius, siue bona omnia ab eo proficisci neget, mortalium ingratissimus censendus erit. Rectè autem ait, *Nolite errare.* Græcè μὴ πλανᾶσθε, hoc est, ne patiamini vos seduci, aut in errorem impelli, à recta deoique veritatis via auocari. Et fortasse respexit Apostolus ad ea, quæ proximè de praua cupiditate dixerat, quæ dum ad voluptatem attrahit, atque allicit, menti tenebras offundit, vt nihil propius sit, quàm vt quis turpiter labatur, & erret. Nam vt omittam quod auctore Aristotele in scholis acutè docent Theologi, in omni peccato practicum vt minimùm errorem inuolui, cùm spectatis omnibus id eligatur, quod rectæ rationi repugnat. Omnis animi morbus nisi statim initio vis eius, atque impetus retundatur, mentis aciem hebetat, & falsas quasdam notiones parit, ex quibus necesse est, multos ac maximos errores existere.

III. a Psal. 35. in princ. b Psal. 13. in princ.

Quamobrem rectè dixit Dauid [a], impium eò venisse dementiæ, vt Deum esse pernegaret. *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso. Non est timor Dei ante oculos eius.* Et [b] alibi apertiùs: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Vt autem faciliùs persuadeat Apostolus vel quæ dixit, vel quæ dicturus est, fratres suos dilectissimos appellat. *Nolite*, inquit, *errare, fratres mei dilectissimi.* Nihil autem est, quod maiorem vim habeat ad fidem conciliandam, quàm si te ab eo diligi credas, qui tibi aliquid persuadeat. Interim quid maximè Principem, ac Pastorem doceat, breuiter indicat: necesse est enim eum, qui Ecclesiæ præest, incredibili quadam caritate populum sibi subiectū complecti, & veluti paterno amore prosequi.

IV. c ad Rom. 9. 3. d Ioa. 10. 11.

Ita enim fiet, vt cunctorum salutem quàm diligentissimè procuret, quod & Apostolus Paulus frequentissimè suis in epistolis docet; tum verò præcipuè, cùm [c] affirmat optasse se pro fratribus anathema fieri à Christo. Idque esse proprium veri Pastoris apud Ioannem docuit Christus [d]. *Bonus*, inquit, *pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Hanc autem caritatem, qua fideles Iacobus prosequebatur, bifariam ostendit; primùm quia fratres suos appellat, vt non solùm, quod suprà monui, modestiam declaret suam, sed fraternam caritatem, ac beneuolentiam præseferat. Deinde fratres appellat dilectissimos, hoc est, in primis caros. Græcè est ἀγαπητοί, quasi dicat, Dilecti. Solet tamen Interpres semper ferè superlatiuo vti ad amoris magnitudinem magis declarandam.

17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*]

I. Olim ipso statim Ecclesiæ nascentis initio duo grauissimi exorti sunt errores; alter Simone Mago auctore Deum affirmabat omnium scelerum, atque malorum esse impulsorem; alter verò eodem etiam magistro plura rerum initia constituebat, & alia quidem à bono, alia verò à malo principio condita esse tradebat. Priorem errorem hactenus cōfutauit Apostolus, posteriorem refellere nunc aggreditur. Ne patiamini, inquit, vos falsis opinionibus imbui, sed pro certo habetote, quicquid vspiam boni, vel sub aspectum cadat, vel alio sensu percipiatur, vel mente denique comprehendatur, ab immensa Dei bonitate, ac munificentia profectum esse. Atque ita vt monet Cyrillus [e] Alexandrinus, obiter probat, quod suprà dixerat, sapientiam à Deo petendam esse. *Quoniam*, inquit, *diuini ingenij est Deum cognoscere, ad id nemo peruenturus est, qui à Deo Patre cognitionem non acceperit, nec id iniuria. Si enim omne datum optimum desursum est, quomodo cognitio Christi dextera Patris munus non erit? Aut quomodo veritatis perceptio summa gratiarum omnium non erit?* Ait autem Apostolus: *Omne datum optimum.* Græcè est, πᾶσα δόσις, hoc est, donatio, seu largitio bona; deinde addit: *Et omne donum perfectum;* Græcè, πᾶν δώρημα τέ[illegible].

e li. 4. in Io. cap. 25.

II. Quomodo autem hæc duo distinguenda sint, non nonplanè liquet. Sunt qui velint datum pertinere ad naturam, donum verò ad gratiam. Sunt qui nullum agnoscant discrimen, sed vtrumque referri putent ad ea, quæ supra naturam diuinitùs tribuuntur. Ea enim

esse

esse data optima, & dona perfecta, quòd in hac vita incredibiliter ornent, ac perficiant animam, & ad immortalem, sempiternàmque gloriam capessendam præparent. Ego facilè crediderim hanc posteriorem sententiam instituto Apostolico maximè congruere, cùm præsertim confestim subdat, *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Quæ de vocatione ad fidem, & iustificatione videntur accipienda.

III. Si tamen Græca verba diligentiùs expendantur, priori loco videtur Iacobus ipsam largitionem, vt actio quædam est, intelligere, posteriori verò munus ipsum, quod largitione tribuitur, vt sit sensus. Nolite errare, corporearum voluptatum largitio neque bona, neque honesta est; omnis enim donatio, quæ bona, & honesta sit, ab vno Deo manat. Fieri autem potest, vt quod tribuitur bonum sit, ipsa verò largitio turpis, atque inhonesta. Pecunia enim, quæ datur lenonibus, & meretricibus, bona est, & humanis vsibus accommodata, ipsa verò largitio improba, & nefaria. Cùm verò Deus aliquid largitur, siue intra naturæ fines, siue supra naturam, ipsa largitio optima est, & ad optimum finem refertur; quidquid autem ea largitione tribuitur, est in suo genere præstantissimum.

IV. Et quidem si de rebus, quæ natura constant, loquendum sit. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* & homini tanquam rerum omnium domino subiecta sunt. sicait a Leo Pontifex. *Sol, Luna, & sydera sint commoda vtentibus, sint speciosa cernentibus.* Quod de cæteris rebus creatis æquè potest affirmari, sunt enim omnia mira quadam bonitate prædita; eorum verò largitio etiam optima censenda est, cùm illud vnum spectasse videatur Deus, vt cuncta creata homini deseruirent, suáque tùm pulchritudine, tùm vtilitate eum ad Conditoris laudem, atque amorem prouocarent. Quocirca dixit Dauid b: *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minùs ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.*

a Serm.2. de nat.

b Psal. 8.5.

V. Quò autem hæc tanta, támque singularis liberalitas referretur, egregiè docuit Salomon c: *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ex his namque rebus creatis ad Conditorem mens erat erigenda, quod etiam apertissimè docuit Paulus, cùm ad Romanos d scripsit: *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Siue igitur spectentur naturæ bona, siue ipsa bonorum largitio, verè dicit Iacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum à Deo manare.*

c Sap. 13.5.

d cap. 1. 20.

VI. Quocirca tacitè perstringit (quod etiam ad Romanos fecit Paulus) eorum impietatem, qui rebus creatis diuinum cultum adhibuerunt; vt enim Leo Pontifex scribit e: *Vltra omnem modum distant à sempiterno temporalia, ab incorporeo corporea, à Dominatore subiecta, quia & si mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent deitatem.* Vitio tamen plurimorum mortalium factum est, vt quæ per se bona sunt, & diuina munificentia humanæ vitæ opportunitatibus destinata, magnā præberent impietatis materiam. Ait autem Apostolus hæc omnia bona desursum esse, vt significet, quicquid in hoc amplissimo Orbis terræ theatro cernitur, non temerè, aut casu extitisse, sed effectricem habere causam, eámque cœlestem, atque diuinam: Atque ita plurimorum delirantium potiùs, quàm philosophantium somnia vnico verbo refellit. Addit autem: *Descendens à Patre luminum*, vt quæ sit hæc rerum omnium causa, breui quadam periphrasi insinuet.

e Serm.2. de Nat.

VII. Sic etiam dixit Baptista apud Ioannem a: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* Et mater b Machabæorum: *Nescio, ait, qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique hominum inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam.* Vocat autem Iacobus Deum Patrem luminum, Patrem quidē Hebræorū more, qui Patrem appellare solent cuiusque rei auctorē. Ita in libro Geneseos c Iabel dicitur: *Pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.* Iubal autem eius frater, *pater canentium cythara, & organo.* Iure autem ambigas Patrisne nomen ad primam Trinitatis personam referat; an verò ad Trinitatem. Nam si de prima persona loquatur, verissimè illa Pater luminum appellari potest, cùm sit fons, & origo diuinarum personarum, quippe qui vi suæ fœcunditatis filium generat, qui à Ioanne d *lux vera* dicitur, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et in Symbolo Niceno, *lumen de lumine.* Idémque vnà cum Filio Spiritum sanctum spirat, qui meritò ab Ecclesia, *lumen cordium*, appellatur.

a cap. 3.27.

b lib. 2. Macha. c 7. 22.

c cap. 4. 20.

d cap. 1. 9.

VIII. Harum igitur diuinarum personarum respectu, meritò prima persona luminum Pater nuncupari potest. Quod si Patrem luminum retulit Iacobus ad res creatas, eadem persona prima, cui, vt Theologi loquuntur, priuato quodam iure adscribitur omnipotētia, quæque persimili ratione, in Symbolo Apostolico dicitur Creator, luminum Pater, meritò nuncupatur, quin etiam tota Trinitas omnia in lucem proferens luminum pater dici potest. Mentes enim illæ ab omni materiæ concretione segregatæ, & lumina quædam sunt, & in libro Iob filij Dei nominantur.

IX. Quam ob causam Gregorius e Naziāzenus: *Deum summum, & inaccessibile lumen*, appellat, *quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest naturam omnem ratione præditam illuminans, hoc intelligibilibus, quod sol insensibilibus, eò se magis contemplandum nobis præbens, quo accuratiùs animos purgauerimus, eò rursus magis amandum, quò magis contemplati fuerimus, eò denique magis cognoscendum, quò magis amauerimus, sese ipse speculans, & comprehendens, ac perexiguè ad externa diffundens. Lumen porrò hoc dico, quod in Patre, & Filio, & Spiritu sancto consideratur, quorum opulentia naturæ identitas est, atque vna, eadémque splendoris prosultatio. Secundum lumen est Angelus, primi illius luminis velut riuulus quidam, aut participatio per propensionem ad illud, ac ministeriam illuminationem habens, de quo statuere nequeo, vtrùm pro classis sua, ordinisque ratione splendor ei impertiatur, an potiùs pro diuinæ illuminationis modo hanc, vel illam sedem accipiat. Tertium lumen homo est, quod externis etiam perspicuum, & manifestum est, eūc enim, id est, lumen, hominem vocant propter rationis nobis insitæ vim, & facultatem: quo etiam rursus nomine ij inter nos appellantur, qui Deo similiores sunt, propiùsque ad Deum accedunt.* Et multa deinceps de luminum multitudine, ac varietate disserit.

e Orat. 40.

X. Quòd si Trinitatem Patrem luminum vocat Iacobus, omninò res creatas significauit nomine luminum, quòd omnia, quæ à Deo creata sunt, sua veluti luce, ac splendore Conditorem indicent, vt paulò antè significaui, nisi quis malit vocari Deum parentem luminum, eorum respectu, quæ supra naturam humano generi contulit: fides enim diuinum quoddam lumen est, quo mens supra naturam euecta, illa quodam modo eminùs intuetur, ac cernit, quæ aliquoi naturæ viribus attingi nequaquā poterant. In eodem genere

genere collocari potest lumen propheticum; cæteráque A
que Spiritus sancti charismata, quibus humana intel-
ligentia ad res cœlestes, ac diuinas contemplandas,
percipiendas, aliísque tradendas mirum in modum
illustratur. Nimirum hæc omnia sunt data optima, &
dona perfecta, quæ desursum sunt, & à Patre lumi-
num descendunt. Etenim solus Deus, gratiam, & glo-
riam largitur, idemque diuinæ gratiæ beneficio men-
tem cœlesti luce perfundit, & voluntatem diuino
amore inflammat.

XI. At cur res creatas luminum appellatione comple-
ctitur? An luminum metaphora placuit, vt significa-
ret Dei beneficio errorum, atque ignorationis tene-
bras depelli, cùm paulò antè fideles monuisset, ne B
paterentur se vano errore decipi? An quia à Deo pe-
tendam esse dixerat sapientiam, quæ menti miram
quandam lucem afferat, vnde eximia quædam con-
fidentia existat, quam initio dixerat precanti esse ne-
cessariam? An indicare voluit tam humili, & abiecto,
quàm diuiti, atque opulento, de quibus paulo ante
disseruerat, cælestem quandam, ac diuinam lucem ex-
petendam videri, vt ille quidem in exaltatione sua,
hic autem in humiliatione sua gloriari queat? Quasi
dicat, bonorum omnium auctor, ac largitor est Deus.
Is vobis assiduis votis, ac precibus implorandus est,
vt quoniam est Pater luminum, diuini sui luminis
partem tribuere ne grauetur. C

XII. Itaque sæpè Dauid diuinam hanc lucem postulat,
atque adeo Deum ipsum suam illustrationem appel-
a Ioan. 8.12. lat; Christus [a] verò. *Ego*, inquit, *sum lux mundi, qui se-
quitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*
Lumen autem vitæ diuinum gloriæ lumen vocat; de
b Ps. 35.10. quo Dauid [b]. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo vi-
debimus lumen.* Possis etiam tria quædam præcipua
lumina intelligere. Primum enim lumen mens, atque
intelligentia creata dici potest, quæ hanc rerum om-
nium vniuersitatem contemplatur, & naturæ cogni-
tionem, scientiámque complectitur. Alterū lumen est
planè supra naturam, quò diuinitùs mens illustrata
fide, & supranaturali quadam cognitione iis, quæ
sunt diuinitùs reuelata citra omnem dubitationem D
assensum præbet. Postremum est lumen gloriæ, quo
beatæ mentes singulari Dei munere perfusæ ad per-
spicuam, atque apertam diuinæ naturæ contempla-
tionem, ac beatum intuitum attolluntur, horum vi-
delicet omnium luminum Deus est auctor; & pri-
mùm quidem naturæ finibus clauditur; duo verò po-
steriora ad rerum supernaturalium ordinem perti-
nent, & naturam rationis compotem ad diuinam
quandam conditionem euehunt, & diuinæ naturæ
quodam modo participem reddunt.

XIII. Nec dubium est, hæc diuina lumina in dies capere
c Io. 12.35. posse incrementa; nam alicubi Christus [c] Apostolos
monet, quasi modico adhuc lumine præditos, *Adhuc
modicum in vobis lumen est; ambulate dum lucem habetis,
vt non tenebræ vos comprehendant.* Lumen quippe illud E
d Orat. 40. intelligit, de quo loquitur Greg. Nazianzenus dū ait[d]:
*lumen esse quoddam, quo princeps animi nostri pars illustra-
tur, ac nostri secundum Deum gressus reguntur.* De quo
e cap. 5.14. etiā loquitur Christus apud Matthæum [e], cùm disci-
pulos suos his verbis affatur: *Vos estis lux mundi.* Cu-
piebat enim, quod idem Gregorius monet, effici
discipulos, *velut luminaria in mundo verbum vitæ susti-
nentes, hoc est, vitalem aliis hominibus vim, & facultatem.*

XIV. Denique rectè dicitur Deus Pater luminum, vt
f Orat. 43. idem Gregorius [f] interpretatur, cùm Deus immor-
talis mundum conderet, à luminis procreatione opi-
ficium suum auspicari voluit. Dixit enim Deus: *fiat
lux, & facta est lux.*

XV. *Apud quem*, inquit, *non est transmutatio nec vicissi-
tudinis obumbratio.* Quibus verbis significat, Deū esse
ab omni penitus mutatione alienum, vt tacitam du-
bitationē amoueat. Suspicari enim quis posset Deum
quasi mutationi obnoxium, aut mala suadere, aut non
semper bona largiri. Atqui, inquit Iacobus, omnis est
mutationis expers. Et in eandem sententiā dixit Da-
uid [a]. *Mutabis eas, & mutabuntur, tu autem idem ipse es,* a Ps. 101.28.
& anni tui nō deficient. Et Malachias [b] ita Deū loquen- b cap. 3.6.
tem inducit. *Ego enim Dominus, & non mutor*, quod vs-
que adeò verum est, vt etiam Philosophi vnius ratio-
nis ductu fateri coacti sint, nullam in Deum cadere
posse mutationem. Quocirca Gregorius [c] Nazianze- c Orat. 43.
nus Deum vocat, *lumen inaccessibile, ac successioni minimè
obnoxium nec principium habens, nec finem habiturum, nec
in dimensionē cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splen-
dore micās, atque eiusmodi, vt paucis imò ne paucis quidem
perspicua sit ipsius magnitudo.* Addit Iacobus: *nec vicissi-
tudinis obumbratio*; persistēs in luminis metaphora: lu-
men enim corporeum interdum vmbra opaci corpo-
ris obiectu infuscatur, nonnunquam etiam nocte, ac
tenebris extinguitur; nihil horum diuino lumini ac-
cidere potest, quia in illo, *tenebræ non sunt vllæ.* Rectè
verò ex hoc loco colligit Augustinus aduersùs Pela-
gianos, nullum esse gratiæ beneficium, quod huma-
næ naturæ meritis tribuendum sit, cùm ante gratiam
nullum meritum admitti queat.

Itaque ait [d]: *Et bona opera nostra, & pias orationes, &* XVI.
rectam fidem nullo modo in nobis esse potuisse, nisi hæc acce- d epist. 46.
*perimus ab illo, de quo dicit Apostolus Iacobus, Omne da-
tum optimum, & omne donum perfectum desursum est,
descendens a Patre luminum. Nec quisquam dicat meritis
operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis
fidei sua sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse,
quod illi heretici dicunt; Gratiam Dei secundum merita
nostra dari, quod omnino falsissimum est, non quia nullum
est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum.
Alioquin quomodo iudicabit Deus mundum; sed misericor-
dia, & gratia Dei conuertit hominem, de qua Psalmus di-
cit: Deus meus, misericordia eius præueniet me, vt iustifi-
cetur impius, hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere
meritū bonū, quod Deus coronabit, cùm iudicabitur mūdus.*

Et ob eam causam alibi cùm docuisset virginitatem XVII.
esse præstantissimū Dei munus, concludit [e]: *Quapro-* e li. de sanct.
pter hæc prima sit inuēda humilitatis cogitatio, ne à se sibi Virg. c. 41.
*putet esse Dei Virgo, quod talis est, ac non potiùs hoc donum
optimum desuper descendere à Patre luminum apud quem
non est transmutatio, nec momenti obumbratio.* Quò etiam
spectasse visus est Apostolus Paulus, cùm ad Corin-
thios [f] scribit: *Vnusquisque proprium donum habet à* f ep. 1. c. 7. v.
Deo, alius sic, alius autem sic.

Argutè autem Augustinus [g] addit, inter dona opti- XVIII.
ma, ac perfecta quæ desursum descendunt, numeran- g loc. cit.
dam esse peccatorum condonationem, nec dubitat
etiam illa diuino beneficio aliquo pacto dimitti, quæ
diuinæ gratiæ beneficio vitantur. *Sed cautius*, inquit, *&
veriùs cogitabis omnia peccata sic habenda tanquam di-
mittantur, à quibus Deus custodit, ne committantur. Testes
sunt voces piarum deprecationum in Scripturis sanctis, qui-
bus ostenditur ea ipsa, quæ præcipiuntur a Deo, non fieri nisi
dante, atque adiuuante, qui præcipit: mendaciter enim pe-
timus, si ea non adiuuante eius gratia facere possemus.* Ea-
dem ratione Cyrillus [h]: *Quemadmodum ramis arborum* h lib. 10. in
à radice qualitas, nutrimētumque præbetur, sic spiritualium Ioan. c. 13.
*virtutum fructuum ab eo nobis cōcedi; omne namque bonum
non à nobis, sed diuinitùs datum habemus. Deo autem nihil
datur, ipse enim origo omnium est, ideo radix, & quasi vitis
est Christus, nos autem palmites.* Et in eandem sen-
tentiam Fulgentius [i]: *A Deo emanat totius bonæ vo-* i ep. 4.
*luntatis non tantum principium, sed & perfectio; neque
enim Iacobi Apostoli prædicatio potest aliqua argumenta-
tione cassari, dicens: Omne datum optimum, &c. nec quis-
quam hominum siue ad cogitandum, siue ad operandum*

quodcunque

quodcunque bonum potest esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito diuinæ opitulationis adiutus. Deus est enim, qui operatur in suis & velle, & perficere.

XIX. Cæterùm quod ait Apostolus nō esse apud Deum transmutationem, luculenter ab Augustino [a] explicatur: *Incommutabilis*, inquit, *est Deus non tantùm Pater, sed & Filius, & Spiritus sanctus. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ipsum Verbum Deus incommutabilis est, sicut Deus, apud quem est Deus. Nihil in illa persona cogites detrimenti, vel commutationis. Deus enim Pater luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio. Si ergo incommutabilis est, inquis, quid est illa species, in qua, vt voluit, cui voluit, apparuit, deambulando, sonando, vel se etiam carnalibus oculis exhibendo.*

a ser. 122. de diuers. ca. 15.

XX. Dixerat autem paulò antè Deum varias quodammodo formas, se species induisse, respondet autem, *apparere Deum specie, latere natura; non tamen in quamlibet speciem naturam suam conuertere, apparuit sicut congruum indicabat, latuit sicut erat.* Auctor [b] verò de Ecclesiasticis dogmatibus solum Deum prorsus immutabilem esse affirmat. *Cognoscimus*, ait, *nihil natura esse immutabile nisi solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, qui mutari non potest à bono.* Et in eandem sententiam Gregorius [c]: *Natura*, inquit, *Angelica etsi contemplationis auctoris inhærendo in statu suo immutabilis permanet, eo tamen ipso quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet.* Eleganter verò Boëtius [d]:

b c. 58. apud Aug. tom. 3.

c lib. 5. Mor. cap. 27.

d De consol. Phil. li. 3. met 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum, cœlique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.

XXI. Quod autem Latinè dixit Interpres, *Vicissitudinis obumbratio*, Græcè scripsit Apostolus ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, quasi dicat, conuersionis obumbratio: vt videatur Apostolus alludere ad Solis vicissitudines, & conuersiones, qui à tropico, ad tropicum nunc accedens, nunc recedens varias efficit vmbras, vt similem mutationem, aut obumbrationem à Deo amoueat. Hieronymus [e] Latinè dixit, *conuersionis vmbraculum.* Augustinus autem Græcè legisse videtur non τροπῆς, sed ῥοπῆς, quæ vox momentum significat, atque ita semper Latinè dixit: *Momenti obumbratio*, vt sit sensus, ne ad momentum quidem diuinum lumē vmbram vllam pati posse. Ita rectè Beda colligit, non esse metuendum, ne Deus nunc quidem bona largiatur, aliàs autem ad malum prouocet; id autem vt confirmet Apostolus, aptè subdit:

e lib. 2. in Iouin.

18. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.*]

I. Confirmat quod modo dixerat Deum esse bonorum omnium auctorem, eorum præcipuè, quæ ad gratiam, & iustificationem, immortalem denique, ac beatam vitam referuntur. Quod enim inquit nos ad fidem adducti, baptismo lustrati, & filiorum adoptionem adepti sumus, eximium, ac singulare diuinæ liberalitatis beneficium est, quo id assecuti sumus, vt omnium primi eius mortis fructum capesseremus, & quasi noua quadam creatione nouum gratiæ statum nancisceremur; ait autem. *Voluntariè enim genuit nos.* Græcè βουληθεὶς. Hieronymus [f], *Volens*, ait, *genuit nos verbo veritatis, vt simus primitiæ creaturarum.* Certè vox Græca valdè propensam voluntatem significat, quasi dicat Apostolus, nulla Deus necessitate adductus, non externo impulsu coactus, sed sponte sua destinata quadam voluntate nos ad fidem vocauit.

f li. 1. in Iouin.

II. Rectè autem cùm nos genitos verbo veritatis asereret, id factum dixit libera Dei voluntate. Primùm quidem, vt hanc nostram generationem ab æterna Filij generatione distingueret, illa siquidem ex naturæ fœcunditate, necessitatéque manat, & quanquam non est penitus à voluntate aliena, eius tamen libertatem anteuertit, secúmque trahit naturalem voluntatis approbationem. Deinde vt magnitudinem beneficij declaret, qui cum antecedenti voluntate velit *omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: efficaci tamen voluntate eos potissimùm elegerit, quibus fidem, & gratiam largiretur. *Genuit*, autem dixit, *verbo veritatis*, phrasi, vt arbitror, Hebræa, pro verbo veraci, Euangelica videlicet prædicatione, & doctrina, quæ est verissima.

III. Et siquidem cum lege Mosis, ac veteri Testamento conferatur, veritas absolutè dici potest. Quicquid enim in veteri Testamento, aut Prophetarum oraculis promittebatur, aut vmbris, & typis inuoluebatur, re ipsa in lege Euangelica exhibetur. Quam ob causam dixit Ioannes [a]: *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* qui ab eodem meritò dicitur, *plenus gratiæ, & veritatis.* Gignendi verò verbum aptè hoc loco vsurpatur: agit enim Apostolus de Baptismo, hoc est, noua quadam generatione, de qua loquitur Petrus [b]: *Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite.* Et Paulus [c] cùm de baptismo loquitur, vitæ nouitatem exigit. *Ita & nos*, inquit, *in nouitate vitæ ambulemus.* Et alibi [d]. *Renouamini*, ait, *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Hanc porrò nouam generationem describit Ioannes [e], cùm ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

a cap. 1. 16.

b ep. 1. c. 2. 2.

c ad Rom. 6. 4.

d ad Ephes. 4. 23.

e cap. 1. 12.

IV. Hæc porrò noua generatio vnum habet parentem Deum, qui *verbo*, vt ait Apostolus, *veritatis*, tanquam semine liberos procreat, dum in eorum animus fidem, & gratiam infundit. Vt enim ad Romanos scribit Apostolus [f], *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Et quidem Dei verbum meritò Christus semini comparauit [g]: *Exiit*, inquit, *qui seminat, seminare semen suum.* Et post nonnulla explicans parabolam propositam. *Semen*, inquit, *est verbum Dei.* Quò etiam videtur spectasse Isaias [h]: *Et quomodo*, ait, *descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit verbum meum, quòd egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

f cap. 10. 17.

g Matth. 13. 3

h cap. 55. 10.

V. Nam reuerà, vt rectè ait Augustinus, *Volenti Deo saluare nullum humanum resistit arbitrium.* Et gratia, qua Deus homines iustificat, ita libero arbitrio mira quadam prouidentia aptatur, vt, quod idem Augustinus affirmat, *a nullo duro corde respuatur, ideo quippe datur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Itaque Paulus [i] hanc diuinam beneuolentiam propriam esse prædestinatorum declarat: nam *quos præsciuit*, ait, *& prædestinauit, conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit.*

i ad Rom. 8. 29.

VI. Vt autem appareat hoc esse gratuitum, ac liberale beneficium, ait Iacobus, *Voluntariè genuit nos*, hoc est, vltrò ante omnem meritorum prænotionem,

quæ ante fidem, & gratiam nulla esse poterant. Quod egregiè exemplo duorum fratrum geminorum confirmat Paulus [a]: *Cum enim*, inquit, *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hunc itaque priuatum amorem erga prædestinatos indicat Iacobus, cùm ait: *Voluntariè genuit nos.* Innuens peculiarem quandam beneuolentiam erga fideles, quos alloquebatur, quibus sese etiam annumerat, & bene ominando de omnibus, quasi prædestinatis loquitur: ita enim multò pòst faciendum esse præcepit Augustinus [b], dum peruersam quorundam prædicandi rationem reprehenderet. Et quidem cùm alloquatur Iacobus eos, qui re ipsa fidem complexi erant, & Christo nomina dederant, non quamlibet voluntatem, sed consequentem, atque efficacem intelligit. Ita enim probat quod paulò antè dixerat, bona omnia diuinæ boni tati, ac munificentiæ accepta esse referenda. Vos enim ipsi experti estis, ait, quàm sit Deus immortalis, liberalis, ac magnificus, qui vos sua vocatione efficaci absque vllis meritis vestris, ad veram fidem, ac religionem perduxit. Atque hac ratione tacitè eos monet gratæ, ac memoris voluntatis, quam Deo bonorum omnium largitori debeant.

a ad Rom. 9. 12.
b li. de don. perseu. c. 22.

VII. Vocationem autem efficacem dixi, quia, vt auctor est Augustinus [c], necesse est duas vocationes distinguere, alteram congruam, & efficacem, alteram verò incongruam, & inefficacem. Illa semper cum effectu coniungitur, hæc vitio liberi arbitrij irrita, atque inanis redditur: vtramque explicat Augustinus [d]: *Et quoniam*, inquit, *nec velle quisquam potest, nisi admonitus, atque vocatus, siue intrinsecus, vbi nullus hominum videt, siue extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur, vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam vt venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur, propterea etsi quisquam sibi tribuit, quòd venit vocatus, non sibi potest tribuere, quòd vocatus est; qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij, vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cùm vocatus venire neglexerit.* Ita apparet, aliam esse vocationem, quam nonnulli respuunt, aliam, quæ sortitur effectum, de quibus alibi idem Augustinus multa scribit. In præsentia autem dum fideles Iacobus ait verbo veritatis genitos esse, de vocatione efficaci omnino loquitur.

c lib. de præ dest. Sanct. c. 16.
d lib. 83. qq. q. 68.

VIII. Dum autem ait Apostolus, *Genuit nos verbo veritatis*, diuinæ gratiæ vim, atque efficacitatem declarat. Quanquam enim hæc noua generatio, qua filij Dei efficiuntur, absque liberi arbitrij consensu intelligi nequit, ipsúmque adeò liberum arbitrium, vt Concilij Tridentini Patres [e] definiunt, nonnihil agit, quippè cum vocationem admittat, & inspirationem recipiat; nihil tamen horum efficeret, nisi præcurrenti gratia, eadémque congrua, & efficaci, & excitaretur, & cooperanti adiuuaretur; hoc enim apertè significauit Christus, cùm apud Ioannem [f] dixit: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis; Ego sum vitis, vos palmites. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Vnde rectè colligit Augustinus irritum, atque inanem esse omnem liberi arbitrij conatum, nisi diuinæ gratiæ adminiculo iuuetur. Et ob eandem causam dixit Apostolus [a] Deum in nobis incipere, & perficere bonum opus. *Qui cœpit*, inquit, *in vobis opus bonum, ipse & perficiet.*

e Sess. 6. c. 5.
f cap. 15. 4.
a ad Philip. 1. 6.

IX. Genuit ergo nos Deus Pater verbo veritatis. Porrò verbi nomine externam verbi promulgationem vnà cum gratia congrua coniunctam, vt suprà indicaui, intelligere possumus, inde enim fides concipitur, quæ est filiorum Dei prima virtus. Potest etiam ipsum æternum Dei verbum significari. Quidquid enim ad salutem hominum pertinet, vnius Christi Domini intuitu, & ob ipsius infinita merita mortalibus tribuitur. Quamobrem verè in Actis Apostolicis [b] scriptum est, non esse *aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Vt non immeritò dicatur Christus ab Isaia [c], *Pater futuri sæculi.* Et omnino acutè dixit Augustinus [d] persimilem fuisse Christum primo parenti; quemadmodum enim de eius consopiti latere diuino opificio efficta est Eua omnium viuentium mater, ita è latere Christi in cruce iam vita functi orta est Ecclesia fidelium, & iustorum omnium mater. Verè autem dicitur Christus, *Verbum veritatis*, hoc est, verum, atque vnicum Patris verbum, quo facta sunt omnia; Et *sine quo factum est nihil, quod factum est.*

b act. 4. 12.
c cap. 9. 6.
d lib. 12. contra Faustum cap. 8.

X. Addit: *Vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Rectè hoc ad Apostolos, & Apostolicorum temporum fideles refertur, qui priminas quodam modo Spiritus hauserunt, quod spectat ad beneficij magnitudinem declarandam. Quòd enim verbo veritatis geniti sint commune habent cum cæteris fidelibus, quòd verò id initio nascentis Ecclesiæ nacti sint, peculiare fuit eorum priuilegium. Cæterùm quod ait Interpres, *Initium aliquod creaturæ*, Græcè scripsit Apostolus *ἀπαρχήν*, hoc est, *primitias*, quasi spectarit Iacobus legis Mosaicæ præceptum de primitiis Deo offerendis, significétque primos illos fideles fuisse quasi primitias Deo consecratas. Itaque Hieronymus, vt paulò antè dixi, primitiarum nomen retinuit, & Græca scholia interpretantur *τὴν ἀπαρχὴν τοὺς πρώτους καὶ τιμιωτάτους*, hoc est, *primos, ac præstantissimos*, quasi dicat præcipuo honore dignos, quos fortasse indicauit Ieremias [e], cùm dixit: *Sanctus Israël Domino primitiæ frugum eius.* Et Paulus [f]: *Nos ipsi* inquit, *primitias spiritus habentes.* Et ad Hebræos [g], Ecclesiam vocat, *primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

e cap. 2. 3.
f ad Rom. 8. 23.
g cap. 12. 23.

XI. Nec dubitandum est illo exorientis Ecclesiæ exordio fuisse fideles & magnitudine gratiæ, & multitudine charismatum vberrim refertos, vt minimè mirandum sit, tam multa extitisse olim fortissimorum Martyrum, atque integerrimarum Virginum millia, quæ suo veluti sanguine profuso quasi cœlesti imbre Ecclesiæ agrum fœcundarent. Non dixit autem simpliciter Iacobus primitias, sed addit, *creaturæ eius*; Græcè *τῶν αὐτοῦ κτισμάτων*, *suarum creaturarum.* Quanquam enim quicquid hoc amplissimo cœli ambitu comprehenditur, vnius Dei Creatoris opus est, atque idcirco creaturæ nomine censetur, præcipuè tamen priuato quodam iure fideles, & iusti Dei creaturæ nuncupantur. Itaque Paulus [h]: *In Christo*, inquit, *Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura*: quo nomine eos intelligit, qui fidem, & gratiam Christi perceperunt. Et alibi [i]: *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.*

h ad Gal. 6. 15.
i ad Ephes. 2. 10.

XII. Denique [k] suadet induendum nouum hominem, qui

k ad Ephes. 4. 24.

A *qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Meritò autem iustificatio similis esse dicitur creationi. Quemadmodum enim creatioré totam ex nihilo procreat, totáque diuina efficacitate nititur; ita iustificatio nihil in homine reperit, qood gratiam, aut iustitiam mereatur; sed tam expiatio peccati, quàm gratiæ infusio à diuina beneficentia, ac liberalitate promanat. Quam ob causam sæpe docet Apostolus Paulus nos gratis esse iustificatos. Et fortasse hoc ipsum tacitè indicauit Iacobus, cùm dixit: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis:* quasi dicat spontanea, atque omnino gratuita, & liberali voluntate. Quæ cùm ita sint, rectè probauit Iacobus, non esse Deum malorum auctorem, sed omnium, præcipuè verò cœlestium, ac supranaturalium bonorum munificentissimum largitorem. B

19. *Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.*]

I. Pro eo, quod Interpres dixit, scitis, Græcè legimus ὥστε, qnod idem valet qnòd, *quapropter*, vt sit sensus: Quaptopter, frattes mei dilectissimi, *sit omnis homo velox ad audiendum.* Neque enim Græcè habetur particula aduersatiua, quæ respondeat Latinæ voci, *autem.* Vero autem simillimum est aliter in Græcis codicibus legisse interpretem. Existimo sanè priora illa verba, *Scitis, fratres mei dilectissimi*, esse veluti superioris disputaoonis clausulam, quæ nonnullam etiam habeat cum sequentibus connexionem. Itaque sensus erit: Non dubito vos frattes carissimos scire, quæ hactenus à me dicta sunt, planè esse verissima: quanquam autem hoc mihi persuadeo, moneo tamen vos, vt hilari promptóque animo persimilem orationem quilibet vestrûm audiat, nec temerè quidquam pronunciet, aut impotenti ira corripi, atque agitari se patiatur. Ita fit, vt hoc Apostolicum præceptum, quamuis amplissimum sit, & ad omnem sermonem, qui sit cum honestate coniunctus, aut morum præcepta contineat, referri queat, nonnullum tamen respectum habeat ad superiora, quæ libenter audienda monet, nullóque modo verbosa, & iracunda oratione oppugnanda. C

II. Sit igitur, ait, *omnis homo velox ad audiendum.* Sapientes enim scripsit Salomon [a]: *Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est, & pretiosi spiritus vir eruditus; stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua, intelligens.* Nec malè Plutarchus [b]: *Magnæ sapientiæ, inquit, est tempestiuum silentium, & omni certè sermone præstantius. Quod enim silentio retentum est, effertur perfacilè; quod autem edideris, nullo modo reuocari potest. Scio innumerabiles ob linguæ intemperantiam in maximas incidisse calamitates.* Alibi [c] verò: *Qui equos probè educant, versatiles quidem eos efficiunt, & parentes freno; at qui instituunt pueros, docent eos idoneos se præstare auditores. Multa videlicet audire, & pauca loqui. Sic Spintharus Epaminondam laudibus vehens; Quanquam plura, inquit, sciret, & pauciora loquerentur; vtrumque tamen æquè illi facere, ac in promptu erat; hinc naturam tradunt cuilibet geminas præbuisse aures, & linguam vnicam, quod plura expediat hominem audire, quam loqui.* Mitto illud Pythagoricum silentium ad percipiendam sapientiam non inutiliter institutum. D

a Pro.17.27.
b de liber. educan.
c de off. audit.

III. Prudenter autem monet Iacobus, vt simus ad audiendum veloces, vt enim ait Salomon [d], *Audiens sapiens, sapientior erit.* Et Sapiens [e]: *Fili a iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam. quasi is, qui arat & seminat; accede ad eam, & sustine bonos fructus illius.* Hoc autem in-

d Prou.1.5.
e Eccles.6.18

A ter sapientem, & stultum ait Salomon [a] interesse, quòd *sapiens corde præcepta suscipit, stultus cæditur labiis.* Rectè verò Iacobus ex aduerso subiicit: *Tardus ad loquendum.* Verè enim ille dixit: *Sæpe me locutum fuisse pœnituit, tacuisse nunquam.* Et Apollodorus [b]: *Optimos homines dicebat in dicendo breuissimos esse.* Potest autem hoc Apostolicum præceptum, non solùm, vt dixi, ad ea referri, quæ proximè dicta sunt, sed etiam ad superiora, quæ de sapientia à Deo petenda docuerat. Quasi dicat sapientiam quidem à Deo potissimùm petendam esse, sed eam nihilo minori studio, ac diligentia comparandam, quod, vt docet Plutarchus, rectè audiendo fit; vt enim Philosophi tradunt, auditus meritò sensus disciplinæ vocatur.

a Prou.10.8
b Apud Stobæ. serm.34.

B IV. Huc autem pertinet, quod obseruauit nonnemo [c], autem docenti primùm accommodandam, serò autem docendi munus suscipiendum, quia stultum est id aliis tradere, quod priùs non didiceris. Et rectè quidam [d] dixit, pessimum discendi genus esse, docendo discere. Qui ergo sapientiam diligit, eam primùm à Deo postulet, deinde veritatis magistros sedulò inquirat, & attentè, & diligenter audiat. Argutum quippe Laconicum est adagium. *Rota admota manu fortunam esse implorandam* [e]. quo significatur frustra diuinam opem experi, nisi addas industriam, & manum admoueas. Et mihi quidem verosimillimum videtur respexisse Iacobum ad veterem Christianorum consuetudinem, de qua plura scribit Apostolus Paulus [f].

c Hugo Victor. de Instit. monast. c.8.
d Quintil.
e apud Plutarc. in Lacon.
f 1. ad Cor. cap.14.

C V. Cùm enim in Ecclesia vna essent, prophetare, aut sacras literas interpretari, aut mutuis sese cohortationibus ad pietatem inflammare consueuerant; ne igitur seditio, aut perturbatio existeret, monet Paulus, vt Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent; quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. In hoc ergo cœtu præcipit Iacobus quemlibet fidelem velocem esse debere ad audiendum, tardum autem ad loquendum, vt humilitatem Christianam suadeat, ne quis sapientior cæteris videri velit. Quanquam autem Iacobus audiendi velocitatem tantummodo nominat, existimandum tamen omnino est, certas quasdam audiendi leges retinendas esse, quas luculenter explicat Plutarchus [g], qui ad extremum concludit, *rectè viuendi tyrocinium esse, bene audire.* D

g de off. aud.

VI. Neque verò crediderim hoc Apostolicum præceptum simpliciter, atque absolutè accipiendum esse, quasi quidlibet temerè, ac sine delectu audiendum sit, cùm, vt monet Plutarchus [h] præstaret interdum ἀμφωτίδας, aures munire, ne quædam excipi possent; quod olim sapienter Vlyssis exemplo docuit Homerus, qui illum ad Syrenum cantus aures occlusisse scribit; & eam ob causam dixit alicubi Sapiens [i]: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire.* Sic etiam Plutarchus [k] cautè Poëtas audiendos monet, ne eorum suauitate delinitus animus facilè corrumpatur.

h vbi supra.
i Eccles.28. 28.
k de aud. Poët.

VII. Et alibi [l] prudenter monet, non esse ea in re puellas imitandas, *quæ ad serta concinnanda fragrantissimos quosque flores deligunt; opus sanè iucundum, ac volupe quis nesciat? Cæterùm nullius frugis, ac ne diuini num quidem; sed apum, inquit, te moneat exemplum, quæ plerumque in prata volant violis, rosis, & hyacintho conferta, atque illis tamen neglectis ad thymum accedunt florem asperrimum, & amarissimum, illique insidunt, flauum mel conficientes. Inde vbi acceperint, quæ ipsis fuerint commoda, auolantes ad domestica negotia reuertuntur. Ad hunc sanè modum auditorem castum, & studiosum decent delicata, & florida ornamenta verborum, rerúmque plausibilem quandam vanitatem* E

l de off. aud.

A *aliud quàm præterum herbam, unde nil mellis conficiatur, putare, missáque facere, atque sua ipsius attentione in mentem sermonis, & dicentis affectum irrepere, unde ad se trahat, quod bonum sit, ac conducibile. Proinde meminisse, quòd non in theatrum, neque ad cantationem, sed ad scholas venerit, vt ex sermone vitam emendet.*

VIII. Hoc autem auditori maximè spectandum esse mox pereleganti similitudine declarat. *Quis enim,* ait, *ferat te in tonstrina surgentem mox assistere speculo, & contactu capitis cæsariem contueri, num probè sit tonsus, & à scholis, vbi sermonem audieris, non protinus te ipsum contemplari, & ex animo tuo discere, quid miseria, implacabilitatis, aut immodestiæ deposueris, quamóve factus sis tranquillior, atque iucundior, quando non tam verè, quàm eleganter dixit Ariston, neque balnei vllam esse vtilitatem, neque orationis, vnde non prodeas purior.* B Quocirca nulla ratione probandi sunt ij, qui ita de rebus diuinis, déque vita rectè instituenda disserentes audiunt, vt nihil inde præter aurium oblectationem, & dicentis admirationem hauriant, quos, vt arbitror, Ezechielis verba perstringunt, apud quem ita loquitur Deus [a]: *Filij populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, & in ostiis domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes, Venite, & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino. Et veniunt ad te quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos, & auaritiam suam sequitur cor* C *eorum: Et es eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.*

a Ezech. 33. 30.

IX. Itaque Christus apud Lucam [b] cùm dixisset: *Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei,* continuò addit, *& custodiunt illud,* hoc est, mente, atque animo complectuntur, & ex illius præscripto vitam, moresque componunt. Neque verò cùm ait Iacobus: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum,* eorum sententiæ fauet, qui, vt scribit Plutarchus [c], *opinantur in concione totum negotium dicentis humeris incumbere, auditoris nihil; premeditatum enim, ac præparatum accedere dignum putant Oratorem; auditores ipsos nihil aiunt necesse esse; sed irruere licet improuidos in illa, quæ ratione constant, præter vllam rationem, & assidere inertes, veluti conuiuas in symposio, vbi laborantibus aliis nihil* D *ipsi aliud agant, quàm vt voluptate fruantur.* Necesse enim est, vt animo rectè composito ad audiendum accedant, vt vel discant quæ ignorant, vel ad ea certè capessenda inflammentur, quæ antea languidiùs sectabantur.

b cap. 12. 28.

c lib. de aff. aud.

X. Quin etiam oportet eos ita esse constitutos, vt, quod idem Plutarchus monet, *salubria monita, quæ ad virtutem incitant, etiamsi ceu pharmacum aliquod acria videantur, ac mordacia nullo pacto auersentur; neque enim illi ferendi sunt; qui acriori verbo tacto, illicò oculis in gyrum rotatis toti sudant, æstúque animi flagrant protinus pudefacti, & ira atque furore inflammari. Longè verò illud intolerabilius est, atque ingenij penitus perditi, ac deplorati, si quis ad scommata rideat, &* E *dum non pudet, nihil commoueatur. Id enim accidit nimia peccandi assiduitate, & inueterata scelerum consuetudine, quemadmodum in callo carne obducta etiam plaga inflicta vibicem pariunt. Et quemadmodum si quis à medico sectus mox aufugiat, nec se obligari patiatur, dolorem quidem sentit, curationis autem vtilitatem nullam percipit; non aliter qui vulnerant, ac mordaci sermoni morum prauitatem sanandam non exhibet, discedit ille quidem accepto morsu, ac dolore, sed nullum in virtute progressum facit.*

XI. Falluntur enim illi, qui communia morum præcepta tradenti magnopere applaudunt, dictisque illius mirè capiuntur, quòd si priuata quædam vitia tempestiuè, & liberè carpat; id verò insectantur, & non supernacaneum modò, sed alienum, minimeque ferendum putant, quasi diuini verbi præcones haud aliter in templis, quàm tragœdos in theatris audiendos censeant. Hi profectò, vt velociter, & auidè audiant, Apostolico tamen præcepto nequaquam obtemperant. Si quidem Iacobus, vt paulò antè significauerat, Dei verbum putat esse quasi semen, quod vt fructum aliquem afferat, terræ visceribus includi, cœlesti imbre irrigari, & Solis calore foueri necesse est. Neque aliter Dei verbum, vt ait Christus, in corde bono, & optimo recondendum est; *vt fructum afferat in patientia.* Quòd spectasse visus est Salomon [a], cùm dixit: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* hoc est, noli eam obliuioni tradere, aut ab eius præceptis, institutisque recedere, tum eius fructum promittens addit, *Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*

a Prou. 1. 8.

XII. *Tardus autem ad loquendum.*] Rectè omnino. Nimia enim loquendi facilitas, & licentia, ingentem malorum segetem parit. Videndum enim etiam, atque etiam est, quid loquendum, quidve tacendum sit; proindéque ait Salomon [b]: *Fili mi, custodi sermones meos:* nam etiam illa, quæ diuinitùs accepta sunt, non sunt temerè effundenda. Quædam verò nullò vnquam tempore promenda sunt, verissiméque à Salomone [c] dictum est: *In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Neque verò quæ quis loquendo peccat, leuia, aut facilè contemnenda videri debent. Idem enim Salomon [d] alicubi scribit: *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.*

b Prou. 7. in princip.

c Prou. 10. 19

d Prou. 12. 13

XIII. Quàm sit autem periculosum impetu quodam ferri ad loquendum, aliquantò pòst idem Salomon [e] docet. *Labium,* inquit, *veritatis firmum erit in perpetuum, qui autem testis est repentinus concinnat linguam mendacij.* Nihil enim faciliùs excidit mendacio ei, qui temerè effundit quicquid in buccam venit. Vt interim omittam sexcenta alia pericula, quibus obnoxij degunt ij, qui linguæ impotentia omnia euomunt, quod illustri quadam similitudine docuit Salomon [f]: *Sicut vrbs,* inquit, *patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Quis autem non videat vrbem absque murorum ambitu hostium incursibus patere, atque adeò in ingenti periculo perpetuò versari? hoc ipsum accidere homini garrulo, & loquaci significat Salomon.

e vers. 19.

f Prou. 25. 28

XIV. Quàm autem id verè dictum sit multis ostendit Plutarchus [g]. Porrò de loquendi opportunitate egregiè dixit Salomon [h]: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Vt enim aurum argento impositum mirè intuentes oblectat, ita oratio loco, & tempori accommodata vehementer placet, & prodesse solet. Aristoteles autem Philosophorum sapientissimus dicere solebat, qui silere non nouit, eum nec loqui admodum scire, quærentique euidam, quid in vita difficillimum esset, respondisse fertur, tacenda silere. Archidami [i] verò argutè dictum circumfertur, eum, qui dicendi nouit artem, etiam silendi nosse opportunitatem. Sic periti bellatoris esse, non minùs scire fugiendi artem, quàm pugnandi; nec minùs falsum illud Democriti censendum est, qui cùm animaduertisset nescio quem multa imperitè disputantem; Hic, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, sed omnino tacendi imperitus.

g opusc. de garrul.

h Prou. 25. 11

i apud Plut. in Lacon.

XV. Eodem pertinere potest, quòd apud Plutarchum [k] ait

k In Lace

ait Demarachus, stultum ne silere quidem posse, cumque multi inepte putent præclarum, si nunquam sileant, ipse contrà affirmabat id esse certissimum fatuitatis argumentum. vt contrà silentium, vbi loquendi tempus non est, prudentiæ signum. Denique ne longior sim, cùm rebus omnibus suum certum tempus tribuendum esse doceat Salomon [a], inter cætera ait: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Eam ob causam rectè hoc loco Iacobus cunctis fidelibus præcipit, vt veloces quidem sint ad audiendum, tardi autem ad loquendum, à quo præcepto Apostolico alienissimi sunt huius nostri æui hæretici, apud quos cæmentarij, cerdones, lanij, aliæque mortalium sordes, & quisquiliæ, tanquam Euangelici, si Deo placet, Ministri, Scripturas interpretantur, sacra eloquia crepant, diuina mysteria, & Religionis arcana etiam mulierculis tradere se posse profitentur; idque temerè, & sine delectu, cùm tamen Apostolus [b] dicit: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Itémque [c]: *Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatus est à Deo tanquam Aaron.* Sed illi tam sunt ab Apostolico spiritu alieni, quàm qui ex aduerso cum illo pugnant. *Suum* [d] *quippe spiritum sequuntur, & nihil vident.*

[a] Eccles. 3. 7.
[b] ad Rom. 10. 15.
[c] ad Heb. 5. 4.
[d] Ezech. 13. 3.

XVI. *Et tardus ad irã.* Vix potest hæc particula cum superioribus cohærere, nisi de fideliũ consuetudine loquatur Apostolus, quam paulò antè indicaui, in qua fieri interdum poterat, vt quis vel nimia loquacitate, vel libera oratione alios perstringeret, vel alia quapiam ratione ad iracũdiam prouocaret, ob id monet Apostolus, vt non subitò ira inflammentur: vt enim scribit beatus Gregorius [e]: *Per iram gratia vitæ socialis amittitur, concordia rumpitur, lux veritatis amittitur, Spiritus sancti splendor excluditur, ira stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur amici.* Quàm verò fœda, ac turpia sint immoderatæ iræ effecta, eleganter describit Seneca [f]. *Vt furentium, inquit, certa indicia sunt, audax, & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra, & vehementiùs acta suspiria, ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitúsque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnásque iræ minas agens, fœda visu, & horrenda facies deprauantium se, ac intumescentium.*

[e] lib. 5. Mor. c. 30.
[f] lib. 2. de Ira.

XVII. Rectè verò monet Apostolus tardè irascendum: nam, vt idem Seneca [g] scribit, *remedium est iræ mora.* Quanquam autem falsò plerique opinantur iram ad magnitudinem animi conferre, id tamen egregiè refellit Seneca [h]: *Non est, inquit, illa magnitudo, tumor est, nec corporibus copia vitiosi humoris morbus est, sed pestilens abundantia; omnes quos vecors ira animo supra cogitationes extollit humanas, altum quiddam, & sublime spirare se credunt, cæterùm nihil solidi subest, sed in ruinam prona sunt, quæ sine fundamentis creuêre. Non habet ira, cui insistat, non ex firmo, mansuróque oritur, sed ventosa, & inanis est, tantùmque abest à magnitudine animi quantum à fortitudine audacia, à fiducia insolentia, ab austeritate tristitia, à seueritate crudelitas.* Nec minùs eleganter iræ effecta describit Basilius [i]: *Effrenes, inquit, linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, & alia eiusmodi quæcunque quis enumerare poterit, iræ sunt, ac furoris fructus. Ob iram enses acuuntur, mors hominis ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes, ac liberi naturæ obliuiscuntur.* Et multa deinceps in eandem sententiam, quæ ad hoc Apostolicum præceptum illustrandum magnoperè pertinent.

[g] lib. 2. de ira. c. 28.
[h] lib. 1. de ira. c. 16.
[i] Hom. de ira.

XVIII. Quòd si quis sciscitetur, quomodo ira cohibenda sit, Senecæ [a] præcepta huc pertinent: *Proderit, inquit, morbum suum nosse, & vires eius antequam spatientur, opprimere. Videamus quid sit, quod nos maximè concitet, alium verborum, alium rerum contumeliæ mouent, hic vult nobilitati suæ, hic formæ suæ parci; ille elegantissimus haberi cupit, ille doctissimus; hic superbiæ impatiens est, hic contumaciæ; ille seruos non putat dignos, quibus irascatur, hic contrà domi sæuus est, foris mitis; ille rogari inuidiam iudicat, hic non rogari contumeliam, non omnes ab eadẽ parte feriuntur.* Post nõnulla verò addit: *Nõ expedit omnia videre, omnia audire, multæ nos iniuriæ transeant, ex quibus plerasque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum est, qui malignos sermones, etiamsi in secretò habiti sint, eruit, se ipse inquietat. Quædam interpretatio eò perducit, vt videantur iniuriæ. Itaque alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda; circumscribenda multis modis ira est, pleraque in lusum, iocúmque vertantur.*

[a] lib. 3. de ira, c. 10.

XIX. Illa verò Christiana pietate dignissima sunt, quæ à Basilio [b] commemorantur: *Itaque, inquit, iram ab initio, vt mali originem compescamus, ac ex animo nostro totis viribus exstirpemus: sic enim plurima mala velut radice quadam, & principio hac animi perturbatione existente facilè excidere poterimus. Ille maledixit; tu benedicas, verberauit, & tu patere; expuit, nihilque te existimauit, tu cogita quemadmodum ex terra es, & in terram reuerteris.* Et post nonnulla: *Quamobrem si mihi credis, probra, contumeliásque minimè curabis, obscurum te, & ingloriũ vocauit, nulliúsque æstimationis? Terram te, ac cinerem esse dicas.* Alibi [c] verò ad diuinam prouidentiam confugiendum docet, Deúmque tanquam præsentem contemplandum, qui omnia intuetur, & cunctas humanas actiones diligẽter expendit, vt vel suppliciũ, vel præmium, & coronam reponat. Iam verò Iacobus non simpliciter videtur iram prohibere, sed subitam iram, atque excandescentiam reprehendit, ac damnat: vt enim Basilius [d] docet, *Ira quando oportet, & vt oportet ex ratione dispensata fortitudinem, patientiámque, ac constantiam parit; præter verò rectam rationem tractata furor, & insania efficitur; idcircò nos Psalmus admonet: Irascimini, & nolite peccare. Ipse namque Dominus in Euangelio, illum, qui temerè fratri iratus fuerit, reum iudicij facit; illum verò, qui tanquam pharmaco ad ea, quæ oportet, ira vtitur, minimè condemnat.*

[b] Hom. de ira.
[c] in Reg. breu. interr. 29.
[d] Hom. de ira.

XX. Et Cassianus [e] sapienter de ira in hunc modum disserit: *Cohibere ergo nos oportet omnes iracundiæ motus, & discretione gubernatrice moderari, ne in illud, quod à Salomone damnatur, præcipiti furore rapiamur: Totam* [f] *iram suam profert stultus, sapiens autem dispensat per partes, id est, stultus quidem ad vltionem suæ iræ perturbatione succenditur, sapiens autem paulatim eam maturitate consilij ac moderationis extenuat, & expellit.* Tale est & illud quod ab Apostolo [g] dicitur: *Non vosmet ipsos vindicantes carissimi, sed date locum iræ, id est, nequaquam ad vindictam iracundia cogente, tendatis, sed date locum iræ, hoc est, non sint corda vestra sic impatientiæ, ac pusillanimitatis angustiis coarctata, vt violentam commotionis procellam, cùm irruerit, sustinere non possint; sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersus iracundiæ fluctus in illis extensis sinibus caritatis* [h], *quæ omnia suffert, omnia sustinet; & ita mens vestra amplitudine longanimitatis, ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus, in quibus receptus quodammodo, atque diffusus teterrimus*

[e] Collat. 16. c. 27.
[f] Pro. 29. secundum LXX.
[g] ad Rom. 12.
[h] 1. Cor. 13. 7.

iracundiæ fumus protinus euanescat; vel certè ita intelligendum est. Damus locum iræ, quoties commotioni alterius humili, atque tranquilla mente succumbimus, & quodam modo dignos nos qualibet iniuria profitentes impatientiæ sæuientis obsequimur. Cæterùm hi, qui ita sensum Apostolicæ perfectionis inclinant, vt locum iræ illos dare existiment, qui ab irascente discedunt, videntur mihi dissensionum fomitem non abscindere, sed nutrire; nisi enim iracundia proximi humili statim satisfactione vincatur, prouocat eam fugiens potiùs, quàm declinat. Illud quoque huic simile est, quod Salomon [a] *ait: Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu insipientium requiescit. Et* [b]*. Noli procurrere in rixam citò, ne pœniteat te in nouissimo. Neque enim ita festinationem rixæ, vel iracundiæ culpat, vt earumdem approbet tarditatem. Similiter & illud* [c] *suscipiendum est. Stultus eadem ipsa hora pronunciat iram suam, occultat autem ignominiam suam astutus. Non enim ignominiosam iracundiæ passionem ita à sapientibus occultari debere decernit, vt iracundiæ velocitatem culpans, non prohibeat tarditatem, quam vtique si per necessitatem humanæ infirmitatis erumperit, ideo censuit occultandam, vt dum ob præsens sapienter obtegitur, in perpetuum deleatur. Hæc enim natura est iræ, vt dilata languescat, & pereat. prolata verò magis magisque conflagret. Dilatanda ergo, atque amplianda sunt pectora, ne angustiis pusillanimitatis arctata iracundiæ turbulentis æstibus oppleantur.*

a Eccles. 7. apud L x x.

b Prou. 25. apud eosd. L x x

c Prou. 12. ex L x x.

XXI. Neque verò hæc Abbatis Iosephi apud Cassianum disputatio cum hac Iacobi sententia pugnat. Siquidem Iosephus iræ tarditatem, id est, moram, ac diuturnitatem, & vltionis meditationem damnat; Iacobus autem humanæ imbecillitati indulgens, iræ tarditatem non tam laudat, aut præcipit, quàm tolerat, ac permittit, vt subitum iracundiæ impetum à fidelium animis remoueat. Itaque rectè subdit:

20. *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.*]

I. Omnisne prorsus ira? Siquidem & Deus ipse irasci dicitur, & viri iusti non sine laude interdum irascuntur. Rectè autem alicubi Cassianus [d] scribit: *Qualibet ex causa iracundiæ motus efferuens excæcat oculos cordis, & aciemini visus exitialem validioris morbi ingerens trabem, solem iustitiæ intueri non sinit. Nihil interest vtrùm aurea lamina, plumbeave, seu cuiuslibet metalli oculorum obtutibus imponatur, differentiam cæcitatis non facit pretiositas metallorum. Habemus sanè iræ ministerium satis commodè nobis insertum; ad quod solùm eam recipere vtile nobis est, ac salubre, cùm contra lasciuientes cordis nostri motus indignantes infremimus, & ea, quæ agere confundimur coram hominibus, sine proloqui, in latebras ascendisse nostri pectoris indignamur. Angelorum scilicet, ac Dei ipsius præsentiam vbique & omnia penetrantem, oculumque eius tota formidine tremiscentes, quem nequaquam possunt conscientiæ nostræ latere secreta.*

d lib. 8 c. 6.

II. Verùm quoniam nimis angustos terminos iræ circumscripserat, mox addit [e]: *Vel certè cum contra hanc ipsam iram cur nobis aduersùs fratres irrepserit, commouemur, & irati ferales instigationes eius extrudimus, nec in abditis pectoris nostri noxias eam latebras habere permisimus.* Ampliora adhuc spatia iræ largitur Basilius [f], qui Mosis, ac Phinees iram, ac zelum aduersùs improbos, itémque Samuelis, atque Eliæ iracundiam commendat. *Elias*, inquit, *verè Zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis Sacerdotes, & quadringentos viros sacrorum nemorum comedentes de mensa Iezabel iusta, sapientiq́; indignatione in totius Israël vtilitatem, vt morte mulctarentur, effecit.* Non igitur de hac ira Apostoli verba accipienda sunt; hæc enim ira diuinæ iustitiæ est inprimis consentanea, & ad eiusdem iustitiam retinendam non modò vtilis, sed plerumque etiam necessaria. Addo etiam

e cap. 7.

f Hom. de ira, sub finem.

A iram interdum tanquam fortitudinis administram multa præclara efficere, quæ loco indicato à Basilio commemorantur; sed etiam atque etiam videndum est, ne modum excedat, & menti tenebras offundat, & in sæuitiam, & crudelitatem vergat.

III. Rectè enim scripsit alicubi Seneca [a]: *Non magis quisquam eodem tempore, & iratus potest esse, & vir bonus, quam æger, & sanus.* Idem [b] verò innumerabilia propemodùm mala ex ira profecta commemorat. *Ira*, inquit, *patri luctum, marito diuortium attulit, magistratui odium, candidato repulsam. Peior est etiam quàm luxuria. quoniam illa sua voluptate fruitur hæc alieno dolore vincit malignitatem, & inuidiam. Nihil est simultatibus grauius, has ira conciliat. Nihil est bello funestius, in hoc potentium ira prorumpit. Præterea ira, vt seponamus quæ mox secutura sunt damna, insidias, perpetuam in certaminibus mutuis sollicitudinem, dat pœnas dum exigit, naturam hominis vitiat. illa in amorem hortatur, hæc in odium. illa prodesse iubet. hæc nocere.* B Verè itaque dicit Apostolus iram viri Dei iustitiam non operari. Dixit autem Græcè, κατεργάζεται, hoc est, non perficit, aut absoluit, cùm enim ira tam multa secum vitia pertrahat, non potest cum iustitia, hoc est, integra, atque absoluta probitate vllo pacto consistere.

a lib. 2. de ira c. 12.

b lib. 3 de ira, c. 5.

IV. Quòd si iustitiæ nomine singularis illa, atque indiuidua virtus intelligatur, quæ inter cardinales virtutes primas tenet, quæ ius suum cuique tribuit, ea planè cum ira consistere nequaquam potest. Quis enim coram irato iudice ius suum repetat? Quis verò C ira percitus modum sibi publicæ vindictæ præscribat? Multa Barbarorum, Græcorúmque Regum exempla commemorat Seneca [c] sæuitiæ, atque immanitatis plena. tum subdit: *Vtinam ista sæuitia inter peregrina mansisset exempla, nec inter Romanos mores cum aliis aduentitiis vitiis etiam suppliciorum, irarúmque in barbariem transisset. Caio Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure, & vino Romanus populus supplicabat, Lucius Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit, & quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paulatim, & per singulos artus lacerauit. Dignus erat Marius qui illa pateretur. Sylla qui iuberet, Catilina qui faceret, sed indigna Romano populo, qui in corpus suum pariter & hostium & vindicum gladios reciperet.* Cùmque multa de Caij Cæsaris immanitate narrasset. *Non* D *enim*, subdit, *Caij sæuitiam, sed iræ malum propositum est scribere, quæ non tantùm viritim furit, sed gentes totas lancinat, sed vrbes, sed flumina exuta ab omni sensu doloris conuerberat. Sicut Rex Persarum totius populi nares recidit in Syria, pepercisse illum indicas, quòd non tota capita recidit? Nouo genere pœnæ delectatus est.*

c lib. 3. de ira, à c. 11. vsque ad 15.

V. Deinceps verò immanitatē, ac sæuitiam Cambysis, itémque Cyri cómemorat quæ cum iustitia ex aduerso pugnat. Quamobrem cùm hac Iacobi sentētia consentit illud Pauli Apostoli consilium, quo monet Colossenses [d], vt iram, atque indignationem deponant; siquidem, vt scribit Cassianus [e]: *Hac in nostris cordibus insidente, & oculum mentis noxiis tenebris obcæcante, nec iudicium rectæ discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilij possidere, nec* E *vitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed ne spiritualis quidem, ac veri luminis capaces, poterimus existere, quia turbatus est*, inquit [f], *præ ira oculus meus; nec sapientiæ participes effici, tametsi sapientes omnium pronunciatione videamur, quia ira* [g] *in sinu insipientium requiescit, sed nec vitam quidem immortalitatis consequi poterimus, quamuis prudentes videamur definitione hominum iudicari; quia* [h] *ira perdit etiam prudentes. Nec iustitiæ moderamina perspicaci discretione valebimus obtinere, licet perfecti, sanctiq; cunctorum opinationibus æstimemur, quia ira viri iustitiam Dei non operatur.*

d cap. 3.

e lib. 8. c. 1.

f Psal. 30. 10.

g Eccles. 7. 10.

h Prou. 15. ex L x x.

Iustitiam

VI. Iustitiam porrò Dei nominat Iacobus, vt veram,
solidámque iustitiam significet, de qua Christus in
a Matth. 5. 20. Euangelio [a]: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm*
Scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cæ-
lorum. Siquidem Pharisæorum iustitia præter exter-
nam speciem, & simulatam laruam vix quidquam
habebat. Christiana verò iustitia intus in animo
insidet, idque potissimùm sequitur, quod per se
iustum, atque æquum est, etiamsi aliter hominibus
videatur. Nec enim populari trutina virtutem æsti-
mat, neque ea sectatur, quæ vulgò probantur, & in
admiratione sunt, sed quæ rectæ rationi, & diuinæ
legi consentiunt. Quamobrem rectè dixit alicubi
b Psal. 44. 24. David [b]: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fim-*
briis aureis circumamicta varietate. Quemadmodum
enim color, ac decor vultus corporis valetudinem
indicat, qui ab interno humorum temperamento
nascitur, non qui stibio, cerussa, aut purpurisso,
aliisque id genus muliebribus artificiis existit; ita
vera virtus est illa, quæ primùm in animo radices agit,
tum externas actiones, quasi frondes, & folia pro-
fert. Ita primùm David gloriam in animo collocat,
tum addit fimbrias aureas, & varietatem externarum
actionum, quæ ex animo proficiscuntur, quæ natu-
ram, &, vt ita dicam, succi plenam virtutis speciem,
ac pulchritudinem præseferunt. Huc accedit quòd
diuina iustitia nihil magis exigit, quàm mutuam
beneuolentiam, & caritatem, ira verò penè ex ad-
uerso cum caritate pugnat.

VII. Quocirca verè dixit Christus [c]: *Qui irascitur fratri*
c Matth. 5. 22. *suo, reus erit iudicio.* Et mox [d]: *Si ergo offers munus*
d ver. 23. *tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus*
habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante
altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ve-
e Ephes. 4. 26. *niens offeres munus tuum.* Et Paulus [e], *Sol*, inquit, *non*
occidat super iracundiam vestram. Quem locum ita
f lib. 8. c. 8. & 9. interpretatur Cassianus [f]: *Noxium est*, inquit, *super*
iracundiam nostram occidere solem iustitiæ, & irati confe-
stim locum diabolo damus in corde nostro, qui peccatori-
bus, & pseudoprophetis, illisque, qui irascuntur, occidere
g Amos 8. 9. *dicitur medio die, dicente Propheta* [g]: *Occidet eis sol in*
meridie.

VIII. Vel certè, vt idem Cassianus docet, solis nomine
mentem, ac rationem intelligit; *quæ pro eo quòd omnes*
cordis cogitationes, discretionésque perlustret, sol meritò
nuncupatur; prohibetq; ne lux rationis iræ vitio extin-
guatur, ne eadem occidente perturbationum tenebræ cum
auctore suo diabolo vniuersum nostri cordis occupēt sensum,
& tenebris iræ possessi velut in nocte cæca quid nos agere
oporteat ignoremus. Quin etiam in lege veteri, quæ
nonnullum iræ laxamentum permittere videbatur,
eam tamen à diuinæ legis præscripto alienam esse
non obscurè significatur. In Leuitico enim præcipit
Dominus, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Ira au-
tem si diutius in animo retineatur, odium efficitur.
Et ibidem. *Non eris memor iniuriæ ciuium tuorum:*
quasi significet iræ, atque indignationis materiam
amouendam esse ex animo.

IX. Denique Salomon [h]: *Itinera eorum, qui memoriam*
h Prou. 12. ex LXX. *retinent malefacti, in mortē.* Ita colligit Cassianus [i]: *Ne-*
i lib. 8. c. 4 *quitiam non in opere tantùm, sed etiam in arcanis cogita-*
tionibus resecari, cùm de corde odium & iniuria non so-
lùm retributio, sed etiam ipsa memoria radicitus iubeatur
auelli. Iram sanè Græcè Iacobus appellat ὀργὴν: vt
k Coll. 5. c. 11. enim docet Cassianus [k], *iræ genera sunt tria; vnum*
quod exardescit intrinsecus, quod Græcè, θυμὸς dicitur;
aliud quod in verbum, effectúmque prorumpit, quod, ὀργὴ
l ad Colos. 3. 8. *nuncupatur*, de quo in præsentia Iacobus; & Paulus [l]:
Nunc autem deponite, inquit, *& vos omnia, iram, &*
indignationem. Tertium, quod non vt illa feruet ad horam
digeritur, sed per dies, & tempora reseruatur, quæ μῆνις
dicitur, quæ omnia æquali, vt ait Cassianus, *sunt à nobis*
horrore damnanda.

Cæterùm Iacobus de secundo genere loquitur: X.
nam prima illa animi cōmotio liberi arbitrij motum
plerumque anteuertit, subitóque animum necopi-
nantem occupat, quæ si cohibeatur ne vlteriùs erum-
pat, citra culpam est, & non rarò insignis victoriæ
materiam præbet. Secundum verò genus meritò à
Iacobo reprehenditur, quia non potest cum iustitia
consistere. Tertium etiam à Salomone [a] damnatur, a Eccles. 7. 10.
ait enim: *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu*
stulti requiescit: videtur enim de illa ira loqui, quæ
residet, ac perseuerat in animo. Neque verò iram
viri nominat Iacobus, quasi fœminis iræ licentiam
permittat, aut earum iram cum iustitia probè cohæ-
rere posse existimet, cùm potiùs dicat Sapiens [b]: b Eccles. 25. 22.
Non est caput nequius super caput colubri, & nō est ira super
iram mulieris. Et post [c] nónulla: *Mulieris ira, & irreue-* c ver. 29.
rentia, & confusio magna. Itaque, vt paulò antè monui,
viri nomine vtrumque sexum complexus est.

21. *Propter quod abiicientes omnem immunditiam, &*
abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum
verbum, quod potest saluare animas vestras.]

Fomitem, atque incentiua iræ resecat; animus I.
enim prauè affectus, & impura aliqua cupiditate in-
flammatus facilè iram concipit. Itaque Apostolus
immunditiam, & abundātiam malitiæ remouet, hoc
est omnem prauam cupiditatem. Nam, vt scribit Se-
neca [d], *Vbi animum simul & corpus voluptates corrupêre,* d lib. 1. de ira, c. 25.
nihil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia molles
patimur: cúmque leuia multa recēsuisset, quæ bilem,
atque iram cient, his verbis concludit: *Nulla itaque*
res magis iracundiam alit, quàm luxuria. Et [e] alibi: *Ve-* e lib. 3. de ira, c. 10.
tus dictum est, à lasso rixam quæri, æquè autem & ab esu-
riente, & à sitiente, & ab omni homine, quem aliqua res
vrit. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad
suspicionem tactus condolescunt, ita animus affectus mini-
mis offenditur, adeo vt quosdam salutatio, epistola, oratio,
& interrogatio ad litem euocent.

Et sanè inde potissimùm oritur ira, quòd cupidi- II.
tatibus obsistitur, honori nihil putat quis præferen-
dum. Huic non modò leue conuicium, aut contu-
melia iram ciet, sed si aliter appelletur, quàm se ap-
pellandum censet; si absque præfatione honoris sa-
lutetur, aut etiam si cæteris salutatis prætereatur, non
in iram modò, sed in furorem vertitur. Nam quis
quæso recensere queat rixas, contentiones, cædes,
quas impura libido, & olim protulit, & in dies edit?
Itaque rectè ait Apostolus: *Omnem immunditiam, &*
abundantiam malitiæ abiiciendam esse. Pro immun-
ditia autem Græcè dixit ῥυπαρίαν, quam vocem re-
ctè noster Interpres, *immunditiam*, transtulit, sed
alia mente, vt arbitror, quàm cùm alibi apud Paulum
ἀκαθαρσίαν, immunditiam interpretatus est: ἀκαθαρσία
enim, & immūditia apud Paulum ad impuras, ac ne-
farias voluptates refertur, vt suo loco docui. ῥυπαρία
verò hoc loco latiùs videtur patere, quasi eas om-
nes cupiditates complectatur, quæ cùm immoderatæ
sint, cum recta ratione pugnant: Etenim ῥυπαρία
propriè sordes, spurcitiam, situm, squalorem, illu-
uiem, & pedorem significat: vt Iacobus suadeat ex
animo abiiciendū quidquid turpe, ac sordidum est,
præsertim auaritiam, & rerum caducarum cupidita-
tem, quæ iræ materiam, ac fomitem suppeditat.

Addit: *& abundantiam malitiæ*, Græcè περισσείαν III.
κακίας, vt quicquid vitiosum est, quodque à recta ra-
tione recedit, remouendum doceat. Ita enim alicubi
loquitur M. Tullius [f]: *Huius virtutis contraria est vi-* f 4. Tuscul.
tiositas: sic enim malo, quàm malitiam appellare eam,
quam Græci κακίαν appellant: nam malitia certi cuiusdam

a lib. 3 de F.a. — *vitij nomen est, vitiositas omnium.* Et alibi [a]: *Quas* A *enim Græci κακίας appellant, vitia malo, quàm malitias nominare.* Et aliquantò pòst, *si sim κακίαν malitiam dixissem, ad aliud nos vnum certum vitium consuetudo Latina traduceret, hoc omni virtuti vitium contrario nomine opponitur.* Quomodo etiam loquitur Aristoteles [b], qui κακίαν opponit τῇ ἀρετῇ, id est, vitium virtuti. Verùm quoniam non simpliciter dixit Iacobus κακίαν, sed περισσείαν κακίας, hoc est, vitij, seu vitiositatis redundantiam. Suspicor κακίαν idem hoc loco valere, quod apud Matthæum [c], cùm Christus ait: *Sufficit diei malitia sua.* Græcè ἡ κακία αὐτῆς, quo loco nescio quàm aptè quidam Latinè dixerit: *Afflictio sua*, cùm sermo sit de tempore, & die.

b lib. 7. Ethic.

c cap. 6. 34.

IV. Malim igitur vnicuique diei suum malum, interpretari, vt sua cuique diei ærumna satis sit, vt sit B sensus: satis mali, aut incommodi vnicuique diei sua sollicitudo afferet, vt ei non opus sit nouam de sequentibus sollicitudinem afferre. Ita eum locum explicat Chrysostomus [d], Euthymius [e], Theophylactus, Tertullianus [f], Augustinus [g]. Hieronymus κάκωσιν positam putat pro κακίαν, vt sit vexatio, infestatio, incommodatio. Sed cùm de sollicitudine agatur, id vitium videtur à Christo reprehendi. Et fortasse Iacobus idem voluit indicare dum nominat περισσείαν κακίας, quasi dicat nimiam sollicitudinem rerum humanarum: inde etiam plerumque existit ira, & indignatio. Quin etiam addo, quoniam κακία, apud probatos auctores Thucydidē, Demosthenē, Synesium, ignauiam, & timiditatem significat, aut etiam probrum, seu dedecus, quod ex ignauia oritur, non videri C ab re, si quis περισσείαν κακίας, nimiam ignauiam interpretetur, qui enim ignauus est, ac timidus, probro incredibiliter afficitur, atque ita facilè ad iram concitatur, iuréque optimo huius vitiositatis redundantiam remouendam præcipit Iacobus, ne iræ succumbamus.

d Hom. 23. in Matth.
e In eum locum.
f lib. 2. con. Marcion.
g lib. 2. de ser. Dom. in monte.

V. *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Rectè priùs Apostolus vitia expellenda monet; deinde ea præcipit, quæ sunt in animum inducenda, quæque ad salutem valent. Videtúrque ad agricolarum consuetudinem respexisse; vt enim illi antequam semen iaciant, solum præparant, ac subigunt vepres, & vrticas, & id genus alia remouent. Ita Iacobus vitia primùm expellenda ex animo præcipit, tum addit, *in mansuetudine insitum verbum* accipiendum esse. D Pro mansuetudine autem Græcè dixit πραΰτητι, quæ vox lenitatem ac mãsuetudinem sonat, aptéque omnino iræ perturbationi opponitur.

VI. Ita monet Apostolus mansuetudinem esse retinendam, vt non facilè animo commoueamur, sed potiùs illatas iniurias non æquo modò, sed forti etiam animo toleremus, quod quàm præclarum sit, docet Seneca [h]: *Quomodo*, ait, *quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cadi, vel deteri potest, sed incurrentia vltrò retundit, quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa rigorem suum habitúmque conseruant; quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi vlla sæuitiæ vestigia tot verberati procellis ostentant; ita* E *sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, vt tam tutus sit ab iniuria, quàm illa, quæ retuli.* Multa deinceps addit ex disciplina Stoicorum, ostendens ne peruenire quidem iniurias ad sapientem.

h lib. 2. de Clem. c. 3. & 4.

VII. Nos virum iustum, ac perfectum non quasi truncum, aut stipitem sensu priuamus, sed illi tamen hanc, quam Iacobus laudat, mansuetudinem asserimus, qua cuncta infractus excipit, æquóque animo, & minimè perturbato tolérat vniuersa. Ita verò animus constitutus excipiat necesse est, vt Iacobus ait, insitum verbum. Quomodo olim etiam præcepit Sapiens [a]: *Esto mansuetus ad audiendum verbum, vt intelligas, & cum sapientia proferas responsum verum.* Necesse enim est morum disciplinam tranquillo, & pacato animo parari, tum vt rectè percipiatur, tum etiam vt pro rerum opportunitate ad vsum reuocetur. Nam alioqui, vt scribit Apostolus Paulus [b], *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.*

a Eccles. 5. 13.

b 1. Corinth. 2. 14.

Is porrò animalis homo censendus est, qui sensu potiùs, quàm ratione ducitur, qui iræ impetu rapitur, aut prauis cupiditatibus obtemperat. Rectè autem mansuetudinem iræ opponit Iacobus: est enim mansuetudo animi quædam tranquillitas, & quies, quæ nullo iræ æstu commouetur; de qua scribit Sapiens [c] in hunc modum: *Fili, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum*; quasi animæ salutem in vna mansuetudine positam putet. Certè Apostolus inter cætera Timotheum [d] monet, vt mansuetudinem sectetur. Ad Galatas [e] verò, eam inter fructus Spiritus sancti recensset. Et Dauid [f] mansuetis pollicetur hæreditatem, & pacem. *Mansueti autem*, inquit, *hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Et Salomon [g] gratiam promittit: *Ipse*, ait, *deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.* Et mansuetos hortatur Sophonias [h], vt Dominum quærant: *Quærite Dominum*, ait, *omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati.* Denique [i] Isaias mansuetis diuinum patrocinium his verbis denunciat: *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* VIII.

c Eccles. 10. 31.
d epist. 1. c. 6. 11.
e cap. 5. 23.
f Psal. 36. 11.
g Prou. 3. 34.
h cap. 2. 3.
i cap. 11. 4.

C *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Græcè, τὸν ἔμφυτον λόγον. At quod? Oecumenius vim mentis, ac rationis intelligit, quæ mortalibus indita quid agendum, fugiendúmve sit duce natura præscribit. Sed quanquam non nego magnam esse vim rationis, multaque vt legis naturalis honestè, ac laudabiliter effici vtcumque posse; nescio tamen qua ratione Iacobus hortari possit fideles, vt eam rationem in mansuetudine suscipiant, quam si homines sunt, vi creationis acceperunt. Monendi potius erant, vt ea rectè vterentur, eíque honesta præcipienti obtemperarent. Addo quòd omninò falsum est vim solius rationis afferre posse salutem, & tamen verbum illud suscipiendum docet Apostolus. *Quod potest*, inquit, *saluare animas vestras.* Pelagianorum autem error est D olim ab Ecclesia damnatus asserentium naturæ viribus gratiam parari posse, atque adeo beatam vitam possideri. IX.

Et si subtiliter Apostoli verba enucleanda sint, non satis aptè mentem, atque intelligentiam ἔμφυτον λόγον, hoc est, *insitum verbum* appellaret. Videtur enim Apostolus ab agricolis metaphoram sumpsisse, potissimúmque spectasse plantarum inoculationem, qua surculus alienæ plantæ alteri inseritur. Ita fit, vt quod insitum dicitur, alienum sit ab eo, cui inseritur; quis autem dicat mentem, ac rationem ab homine esse alienam, eíque veluti extrinsecùs insitam, cum sit nobilissima eius animæ pars, qua sapit, & intelligit, & cæteris animantibus præstat? An insitum verbum E legem Euangelicam intelligit, quæ lex est caritatis; & in animo potissimùm infunditur, & quodammodo inseritur? An quod penè idem est, fidem Christianam significat, quæ Apostolorum opera proponitur, atque explicatur, diuinitus autem in animos hominum infunditur? X.

Audè vtrumque excipiunt hæretici, sed perperam interpretantur; nam & verbi Dei prædicationi plus æquo tribuunt, & fidei tantùm iustitiam, ac salutem acceptam referendam esse putant, quod ne somniauit quidē Apostolus. Verè tamen doctrinã, & XI.

fidem

fidem Euangelicam insitum verbum appellat, quia
vtrumque hominum opera quodammodo inseritur
in hominum animis, quod significauit Apostolus
a epist. 1. c. 3. cùm ad Corinthios [a] scripsit: *Ego plantaui, Apollo*
rigauit; Deus autem incrementum dedit; sed neque qui
b 1. Cor. 3. 9. *plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum*
dat Deus. Et alibi [b] fideles appellat Dei agriculturam.
Dei, inquit, *agricultura estis, Dei ædificatio estis*. Hoc
igitur insitum verbum cum mansuetudine excipien-
dum docet, quod potest animæ salutem afferre, quia
sola Christiana religio ad beatitudinem assequen-
dam valet, quidquid Turcæ, aut etiam hæretici non-
nulli non minùs impiè, quàm imperitè contendant,
quemlibet in sua secta saluum esse posse, cùm tamen
c Ioan. 10. 9. Christus apud Ioannem dicat [c]: *Ego sum ostium; per*
me si quis introierit, saluabitur, ingredietur, & egredietur,
& pascua inueniet. Itémque: *Qui non intrat per ostium,*
sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.

XII. Possis etiam ἔμφυτον λόγον, *insitum verbum*, inter-
pretari Christum, qui quodammodo in humana na-
tura, vt ait Concilium Viennense, verbum insitum
appellari potest, quia natura humana diuinæ hypo-
stasi quodammodo insita est. Ita suadet Iacobus, vt
in mansuetudine verbum insitum excipiant, quasi
moneat Christi mansuetudinem imitandam esse, qui,
d cap. 53. 7. vt ait Isaias [d], *Tanquam agnus mansuetus coram tonden-*
e Epist. 1. c. 2. 23. *te se obmutuit, & non aperuit os suum*. Et, vt ait Petrus [e],
Cum malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur non
comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè. Et
f 2. ad Cor. 10. in princ. Paulus [f]: *Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansue-*
tudinem, & modestiam Christi.

XIII. Quod autem spectat ad metaphoram ab agricul-
tura desumptam, de Christo mysticè eadem meta-
g cap. 14. 7. phora loquitur Iob [g], *Lignum habet spem, si præcisum*
fuerit rursum virescit, & rami eius pullulant, si senuerit
in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus
illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi
h lib. 12. mor. c. 4. *cùm primùm plantatum est*. Vt enim scribit Gregorius [h].
Per lignum incarnata Dei sapientia figuratur, sicut de ea
i Pro. 3. 18. *scriptum* [i] *est. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam.*
k Luc. 23. 31. *Et sicut ipsa ait* [k]. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido*
quid fiet? Et post nonnulla explicans quid sit: *faciet*
comam quasi cum primùm plantatum est. Quod fortasse,
inquit, *etiam de Domino ipso, scilicet bonorum omnium*
capite valet intelligi iuxta hoc vtique quod prædiximus,
quia de semetipso ait. Si in viridi ligno hæc faciunt, in
arido quid fiet? Se enim lignum viride, & nos lignum ari-
dum dixit, quia ipse in se vim diuinitatis habuit, nos verò,
qui puri homines sumus, lignum aridum appellamur. Ha-
bet ergo lignum spem, si præcisum fuerit, quia rursum vi-
rescit. Quoniam etsi occidi per passionem potuit, per resur-
rectionis gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit. Huius
rami pullulant, quia ex resurrectione illius multiplicati
longè latéque fideles creuerunt: huius radix in terra quasi
senuit, quia eius prædicatio Iudæorum perfidia despecta
fuit, & in puluere truncus emortuus est, quia in corde per-
sequentium, quod perfidia sua vento leuabatur, contemptí-
bilis, & despectus est habitus, quia carne potuit occidi, sed
ad odorem aquæ germinauit, quia per virtutem Dei extin-
l Act. 2. 24. *cta caro illius ad vitam rediit iuxta quod scriptum* [l] *est,*
quem Deus suscitauit à mortuis. Quia enim Deus Trini-
tas est, extinctam carnem vnigeniti Filij sancta Trinitas,
id est Pater, & idem Filius, & Spiritus sanctus resuscitauit,
& fecit comam, quasi cùm primùm plantatum est; quia
illa Apostolorum debilitas, quæ in morte illius expauit, &
negauit, negando aruit, per resurrectionis eius gloriam rur-
sus ad fidem viruit.

XIV. Hanc eandem metaphoram secutus est Isaias [m]:
m cap. 4. 2. *In die illa erit*, inquit, *germen Domini in magnificentia,*
n cap. 23. 5. *& fructus terræ sublimis*. Et Ieremias [n]: *Ecce dies ve-*
niunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum:

A Et vt appareat hæc ad Christum pertinere, subdit:
Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iusti-
tiã in terra: in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habi-
tabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum,
Dominus iustus noster. Quæ est Christi Domini aperta
periphrasis. Denique Ezechiel [a]: *Et suscitabo eis germen* a cap. 34. 29.
nominatum: id est Christum nouum hominem, quod
hoc loco ab Apostolo insitum verbum appellauit.
Quod potest saluare, inquit, *animas vestras*; quia vnius
Christi merito salutem consequuntur omnes, qui sal-
ui fiunt.

Inseritur autem in animo primùm quidem bene- XV.
ficio fidei, deinde opera caritatis, quia vt ait Ioan-
nes [b], *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. b ep. 1. c. 4. 16.
Denique Paulus [c] ait: *si complantati facti sumus simili-* c ad Rom. 6. 5.
B *tudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*. quasi ve-
lit nos tanquam surculos Christo veluti trunco inse-
ri, vt inde succum, & vitam hauriamus, quò fortasse
etiam spectat, quod in præsentia ait Iacobus: *suscipite*
insitum verbum.

22. *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm:*
fallentes vosmetipsos.]

Quoniam modò dixerat insitum verbum susci- I.
piendum, ne quis fortè auditu tantùm, aut sola fi-
de excipiendum crederet, quod imperitè æquè, at-
que impiè hæretici vociferantur: hæc meritò subdit,
quæ aduersùs priscos, & superioris sæculi hæreticos
apertissimè pugnant. Exigit enim præter fidem obe-
dientiam, & diuinorum præceptorum obseruantiam.
C Quocirca rectè Augustinus [d], *Scopus*, ait, *Christianæ* d ser. de blasph. in Spir. san.
religionis est, vt quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere
impleamus. Beati [e] *enim qui audiũt verbum Dei, & custo-* e Luc. 11. 28.
diunt illud. Sic & Paulus [f] *ait. Non auditores legis iusti* f ad Rom. 2. 13.
sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Et in
Apocalypsi Ioannes [g] *cùm dixisset: Beatus qui legit, &* g cap. 1. 3.
qui audit verba Prophetiæ huius, protinus adiunxit, & ser-
uat ea, quæ in illa scripta sunt.

Nam, vt egregiè docuit Aristoteles, quemadmo- II.
dum ij, qui diligenter Medicos audiunt, si nihil eo-
rum faciant, quæ illi præceperũt, nullam inde siue ad
recuperandam, siue ad tuendam corporis valetudi-
nem percipiunt vtilitatem; ita ij, qui morum præce-
pta discunt, neque iis obtemperant, nullum perci-
piunt animi bonum, quod apertè docuit Christus
apud Matthæũ [h]: *Omnis arbor bona, bonos fructus facit:* h cap. 7. 17.
mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor
D *bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus*
facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exci-
detur, & in ignem mittetur. Et mox: *Non omnis, qui di-*
cit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed
qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intra-
bit in regnum cælorum. Et apud Lucam [i]: *Ille autem ser-* i cap. 12. 47.
uus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit,
& non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.
Idémque aliquantò pòst [k]: *Scienti igitur bonum face-* k cap. 14. 17.
re, & non facienti peccatum est illi. Hoc nomine, vt ar-
bitror, acriter à Christo castigantur Pharisæi apud
Lucam [l] his omnino verbis: *Væ vobis legis peritis, quia* l cap. 11. 52.
tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introi-
bant prohibuistis.

Rectè autem scientiæ clauem nominat: quemad- III.
E modum enim clauis occlusa aperit, ita scientia quæ
alioqui occulta sunt, in lucem profert, introire autem
dicuntur illi, qui mente percepta, & cognitione com-
prehensa referunt ad praxim. Pharisæi igitur nec legi
obtemperabant ipsi, & alios ab obseruatione præce-
ptorum reuocabant, ac propterea tulisse dicuntur
clauem scientiæ. Tametsi enim doctrina Euangelica
plurima complectitur, quæ sola contemplatione con-
tenta non referũtur aliò, ipsa tamen per se, diuináque
institutione

institutione ad caritatem refertur, quæ, vt ait Apostolus [a], finis est præcepti. *De corde puro conscientia bona, & fide non ficta.*

a 1. ad Tim. 1. 5.

IV. Ita colligit Augustinus [b], caritatem esse finem omnium præceptorum, & ad illa omnia referri. Et alibi [c]: *Omnium igitur, ait, quæ prædicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, vt intelligatur legis, & omnium diuinarum Scripturarum plenitudo, & finis esse dilectio rei, qua fruendum est, & rei, quæ nobiscum ea re frui potest, quia vt se quisque diligat, præcepto non est opus. Hoc ergo vt nosceremus, atque possemus, facta est tota pro salute nostra per diuinam prouidentiam dispensatio temporalis, qua debemus vti non quasi mansoria quadam dilectione, atque delectatione, sed trāsitoria potius tanquā via, tanquā vehiculorum, vel aliorū quorūlibet instrumentorū.* Et paulò pòst [d], quod ad institutū maximè pertinet: *Quisquis igitur, ait, Scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam caritatem Dei, & proximi nondum intellexit.* Quibus verbis significat quod hoc loco ait Iacobus, rerum diuinarum cognitionem ad caritatem, hoc est, legis obseruationem referendam esse, quia, vt ait Apostolus [e], *Plenitudo legis est dilectio.*

b Enchir. c. 31. c lib. 1. de doct. Christ. c. 35. d cap. 36. e ad Rom. 13. 10.

V. Quamobrem Gregorius [f] explicans Prophetæ verba, *Fili hominis, omnes sermones meos, quos loquor ad te, sume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade, ingredere ad transmigrationem filiorum populi mei. Vigilanter, inquit, intuendum est, quod voce Domini ad Prophetam dicitur, vt priùs sermones eius audiat, & postmodum loquatur. Audimus enim verba Dei, si facimus, & tunc ea proximis rectè loquimur, cùm priùs ipsi fecerimus.* Idque illaro exemplo ex Euangelio Marci [g] confirmat, cùm enim Christus Dominus surdum, ac mutum curauit, *Misit*, inquit Euangelista, *digitos suos in auriculas, & expuens tetigit linguam eius*, &c. subdit autem Gregorius: *Digitos ergo in auriculas mittere est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire.* Atque hoc est, quod hoc loco præcepit Iacobus, dum suadet, vt fideles sint, *factores verbi, non auditores tantùm.* Quò etiam refero Christi verba apud Matthæum [h]: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Exigit enim non externum tantùm auditum, sed animum obsequentem.

f Homil. 10. in Ezech. g cap. 7. 35. h cap. 11. 15.

VI. Eam ob rem meritò apud Ezechielem [i] queritur Dominus, quòd populus audiret quidem Prophetæ verba, nihil tamen eorum ageret, quæ audiebat *Audiunt*, inquit, *verba tua, & non faciunt ea.* Et apud Dauidem [k] laudat Gentilium obedientiam, & Iudæorum proteruiam accusat. *Populus*, ait, *quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Quasi dicat, statim ac cognouit, quid agendum esset, re ipsa obtemperauit, ac præstitit. at contrà: *filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, claudicauerunt à semitis suis.* Filios enim vocat eos, quibus mysteria diuina, & supranaturalia arcana patefecerat, quales olim erant Iudæi, nunc autem sunt omnes fideles: alienos tamen nominat, quia vita, & moribus non se tanto Parente dignos ostendunt.

i cap. 33. 32. k Psal. 17. 45.

VII. Mentitos autem illos ait, quia, vt alicubi scripsit Gregorius iis, quæ fide perceperunt, vita & moribus contradicunt. Et vt ait Apostolus [l]: *Qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis qui abominaris idola, sacrilegium facis, qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis, Deum inhonoras.* Eosdē ait inueteratos esse, quia abiecta nouitate spiritus ea complectūtur, quæ Apostolus [m] ait ad veteris hominis actiones pertinere. Ad extremum claudicasse affirmat in semitis suis; siue quia Iudæi nunc Deum, nunc idola colebant; quomodo illos acriter increpat Elias [n]: *Vsquequò claudicatis in duas partes? si Dominus Deus est, sequimini eum, sin autem Baal, sequimini illum.* siue quia fide, ac professione se Dei cultores iudicant, vita, & moribus alia omnia profitentur. De quibus loquitur Apostolus [a]: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Atque hos meritò dicit hoc loco Apostolus, *fallentes se ipsos.* Re namque vera sibi quodam modo imponunt, dum se putant Dei cultores, cùm nihil præter rerum diuinarum scientiam habeant. Verissimè namque scripsit Ioannes Apostolus [b]: *Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.*

l Ad Rom. 2. 21. m ad Colos. 3. 9. n 3. Reg. c. 18. 21. a ad Tit. 1. 16. b ep. 1. c. 2. 3.

VIII. Rectè autem Iacobus Græcè dixit, παραλογιζόμενοι ἑαυτοὺς, fallentes vosmetipsos. Verbum enim Græcum παραλογίζομαι, Latinè est, subdola supputatione fallo, falsis ratiociniis decipio, vel etiam, falsa argumentatione vtens tenebras offundo, aut decipio, vt sit metaphora non tantùm à calculatoribus, sed etiam à sophistis ducta: vtrorumque enim sunt παραλογίσματα; atque ita interdum idem est, quod fallere, more eorum, qui falsis supputationibus vtuntur: aliàs quasi qui falsis ratioonibus, argumentisque decipiunt. Vtroque autem modo verè dixit Iacobus eos, qui audiunt, & non faciunt, seipsos fallere. Nam & falsa supputatione mereri se putant beatam vitam, qua sunt prorsus indigni, omninòque falsò colligunt solam rerum diuinarum scientiam gratiam, & gloriam largiri, cùm tamen beata vita proprio labore comparanda sit. Nam & ab initio Deus, cùm hominem condidisset [c], *Tulit eum, & posuit in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Significans non illi otiandum, sed sedulò, ac diligenter laborandum esse, vt immortalem, beatámque vitam assequatur.

c Genes. 2. 15.

IX. Quocirca dixit Iob [d]. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Vnde colligit Chrysostomus non aliter homini laborandum esse, ac volucri volandum, vt victum sibi comparet. Et quemadmodum auis volandi facilitate nusquam fermè consistit, ita etiam homini nunquam cessandum, nunquam otio, delitiæve indulgendum. Et quemadmodum aui propositus est tanquam finis huius mortalis vitæ subsidia quærere, ita homini spectanda est potissimùm immortalis, atque beata vita, ad quam assequendam omnes eius labores, conatúsque referendi sunt. Nec dubium est ad eam comparandam præceptorum obseruationem esse in primis necessariam: Sic enim apud Matthæum [e], cùm ea de re interrogaretur Christus, apertè respondit: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

d cap. 5. 7. e Matth. 19. 17.

23. *Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo.*

I. Perreleganti similitudine illustrat quod modò dixerat. Diuinam enim legem similem ait esse speculo; eum verò, qui legem quidem tenet, eius tamen obseruationem negligit, cum eo confert, qui se inaniter in speculo contemplatur. Et quidem doctrinam Euangelicam, Deique legem speculo esse persimilem docet Augustinus [f]. *Mandata Dei*, inquit, *siue cùm leguntur, siue cùm memoria recoluntur, tanquam speculum sunt secundùm Apostolum Iacobum dicentem: Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Talem se Dauid vult esse, vt inspiciat tanquam in speculum mandata Dei, & non confundatur, quia non auditor eorum tantùm vult esse, sed factor: propterea optat dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Dei.* Eandem similitudinē secutus est Bernardus [g]: *Euangelium*, ait, *speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit. Talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit, vt nec ibi timore trepidet,*

f Contion. 4. in Ps. 118. g serm. 1. in Euang. de de quinq. pan.

ubi

vbi non est timor, nec latetur, cùm malè fuerit. Sed quid dicat Scriptura? Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Nos autem fratres consideremus nosmet ipsos in ea, quam audiuimus, sacri Euangelij lectione, vt proficiamus ex ea, & corrigamus, si qua in nobis deprehendimus corrigenda. A

II. Elegantissimè verò Gregorius [a]: *Scriptura sacra*, inquit, *mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa videatur: ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus, ibi sentimus quantum proficimus, ibi à profectu quàm longè distamus. Narrat autem gesta Sanctorum, & ad imitationem corda prouocat infirmorum, dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat, fitque verbis illius, vt eò mens minus inter certamina trepidet, quò ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnunquam verò non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit, vt & in victoria fortium quid imitando arripere, & rursum videamus in lapsibus quid debeamus timere. Ecce enim Iob describitur tentatione auctus, sed Dauid tentatione prostratus, vt & maiorum virtus spem nostram foueat, & maiorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat, quatenus dum illa gaudentes subleuant, ista metuentes premant, & audientis animus illinc spei fiducia, hinc humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat, quia formidine premitur, nec pressus timore desperet, quia ad spei fiduciam virtutis exemplo roboratur.*

a lib. 2. Mor. cap. 1.

B

C

III. Meritò ergo qui legem audit eique obtemperare contemnit, similis dicitur ei, qui se in speculo contemplatur, nec tamen, vt mox dicet, vllum inde compendium, aut vtilitatem percipit. Ait autem: *si quis auditor est verbi, & non factor*, vt respondeat superioribus, cùm dixit: *Estote factores verbi, non auditores tantùm.* Est autem apta similitudo: vsus enim speculi eò refertur, vt possit quis ea cernere, quæ alioqui in vultu suo intueri non posset, vt si qua fœda sunt elui, atque abstergi queant. Haud aliter Scriptura sacra, seu diuina lex, vt paulo antè ex Gregorio docui, quid honestum, quid turpe sit; quid item agendum, fugiendúmve videatur, idcirco indicat, vt alia complectamur, alia repudiemus. Ita confirmat Apostolus quod modò dixerat, diuinæ legi obtemperandum esse. Et fortasse quod de diuina sapientia scripsit Salomon [b], id suo quodam modo diuinæ legi tribui potest. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Si quidem diuina lex meritò luci comparatur, vt sæpissimè affirmat Dauid, & procul dubio participatio quædam est sempiternæ lucis, hoc est, Dei Optimi Maximi, & speculum planè sine macula, in quo cernitur imago illius immensæ maiestatis, ac bonitatis. D

b Sap. 7. 26.

IV. Hæc verò contemplatio inanis prorsus est, & supervacanea, nisi nos ad Dei amorem inflammet, vnde continuò diuinæ legis obseruantia oritur, vt Christus apud Ioannem [c] dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Rectè autem diuinæ legis contemplatio cum speculo confertur; quemadmodum enim, quæ in speculo cernuntur, non in se ipsis, sed in aliena, & ficta quodammodo imagine nostris obtutibus obijciuntur, ita in sacris literis, & diuina lege rudi quadam, & inchoata cognitione fas est Deum contemplari, vt meritò dixerit Apostolus [d]: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Ait autem Iacobus: *Comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo.* Græcè ἀνδρὶ κατανοοῦντι τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως, quasi dicat, *vultum, quem in suo ortu accepit*, hoc est, *vultum corporeum, quem alioqui sine speculo intueri non poterat.* E

c cap. 14. 23.

d 1. Cor. 13. 12.

V. Dixit autem simpliciter *consideranti*, indicans nihil illum inde præter intuitum, & aspectum collegisse, cùm tamen inde vultus næuos, aut maculas eluere, atque abstergere deberet. Quod, vt arbitror, indicatur labro illo æneo, de quo hunc in modũ scribit Moses [a]: *Fecit*, inquit, *& labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio Tabernaculi.* Quid enim quæso labro cum speculis? nimirum specula quid abluendum sit, indicant; eáque meritò in labro apponuntur, vbi manuum, pedúmque, sordes abluẽdæ sunt, vt intelligamus in diuinæ legis speculo nostras actiones inspiciendas esse, vt & corrigantur, & ad eius præscriptum instituantur, & informentur.

a Exod. 38. 8.

24. *Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.*]

I. Explicat propositam similitudinem, eiúsque vim apertiùs declarat. Nam qui ex intuitu speculi nihil præter aspectum, & contẽplationem sui vultus quærit, exiguum, vel penitùs nullum fructum percipit: amoto enim speculo eius intuitus memoria illicò euanescit, siue quia non diligenter obseruauit, quæ obseruanda erant, vt corrigerentur, atque emendarentur; siue quia reflexa illa cognitio, quæ percipitur in speculo, leuiter afficit sensum, atque adeò non ita firmiter inhæret; siue denique contemplantis ignauiam, & vecordiam notat, qui ita se ipsum in speculo cõtemplatur, vt non intelligat, vel certè non animaduertat, quò vis illa speculi referatur: vt enim alicubi egregius Poëta docet, in speculo ita se iuuenes, viri, fœminæve intueri debent, vt intelligant illum ætatis florem aliquando mutandum: sic autem [b] scribit.

b Hor. lib. 4. Car. od. 10.

Insperata tuæ cùm veniet pluma superbiæ,
Et quæ nunc humeris inuolitant, deciderint comæ,
Nunc & qui color est puniceæ flore prior rosæ
Mutatus ligurinum in faciem verterit hispidam
Dices. Heu (quoties te speculo videris alterum)
Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

II. Atque haud scio, an huc spectarit B. Cyprianus, cuius hæc sunt verba: *Quid postremò speculo consulitur, nisi quia ne ipsa sit timetur?* Alludit enim, ni fallor, ad Tertulliani [c] verba: *Si iam & speculo tantùm mentiri liceret.* Nec enim mentitur speculum, cùm aut sordes vultus aut senectutis rugas indicat. Qui igitur se in speculo ideirco tantùm contẽplantur, vt suæ sint pulchritudinis admiratores, ij nihil inde percipiunt vtilitatis, quibus omnino similes sunt ij, qui sola diuinæ legis cognitione contenti, eius obseruationem aut negligunt, aut contemnunt.

c lib. de hab. mul. cap. 1.

25. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in suo facto erit.*]

III. Opponit legis auditori eum, qui re ipsa legi obtemperat, ait autem, *qui perspexerit in legem perfectam libertatis.* Græcè παρακύψας, hoc est, qui introspexerit. & vultu demisso, atque in rem ipsam oculis intentis penitus inspexerit, vt opponat consideranti vultum in speculo, qui nihil præter simplicem illum intuitum quærit. Lex autem diuina introspicienda est, penitúsque cognoscenda, vt eius vis, atque efficacitas planè cõprehendatur. Quam ob causam, vt est apud Matthæũ [d], regnum cœlorum grano sinapis simile esse dicitur: vt enim ait Hieronymus, *Regnum cœlorum prædicatio Euangelij est, & notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Iudæos. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Tametsi enim eam similitudinem assumpsit Christus ad humilitatem Christianæ doctrinæ significandam, nihilo tamẽ secius vt monet

d cap. 13. 31.

Augustinus,

a ser. 31. & 33. de Sanct. Augustinus [a], tacitè etiam indicauit eius vim, atque efficacitatem, quæ ardore, atque acrimonia sinapis vt cunque insinuatur.

II. Quemadmodum autem vis illa viuida, & mordax, quæ est in sinapi, nisi eo contuso, probéque contrito non percipitur; non aliter diuinæ legis ardor nun facilè cognoscitur, nisi assidua, ac diligenti meditatione aliquo pacto conteratur. Quamobrem de viro iusto
b Psal. 1. 2. scribit Dauid [b]: *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.* Quæ sit autem eius meditationis vis, ac potestas alibi [c] explicans ait: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*
c Psal. 38. 9. Denique de se ipso sæpe testatur [d] se diuinam le-
d Psal. 118. 24. 77. 92. 97. 99. 143. 174. gem meditari. Eodem refero quod scribit Salomon [e] *Frequens meditatio carnis afflictio est.* Qui namque sedulò diuinam legem meditatur, is profectò facilè
e Eccles. 12. 12. prauas cupiditates comprimet, & impotentes libidinum impetus superabit. Intelliget enim præmia & supplicia non iis tantùm proposita esse, qui nihil præter cognitionē quærunt: sed præmia quidem eos manere, qui legi obtemperant; supplicia verò iis esse intentata, qui præcepta aut neglexerint, aut violarint.

III. Itaque rectè dixit Leo Pontifex [f], quemlibet suas
f serm. 11. de Quadrag. actiones ad legis diuinæ formam exigere facilè posse. *Quis*, inquit, *fidelium nesciat, quibus virtutibus studere, & quibus vitiis debeat repugnare? Quis conscientia sua aut tam gratiosus, aut tam imperitus est arbiter, qui ignoret, quid à se auferri, aut quid sibi se oporteat augeri? Nemo quippe ita rationis est alienus, qui aut conuersationis suæ non intelligat qualitatem, aut cordis sui secreta non nouerit. Non ergo per omnia sibi placeat, nec se secundum carnis oblectamenta diiudicet, sed omnem consuetudinem suam in diuinorum præceptorum lance constituat, vbi cum alia interdicantur, ne fiant, alia iubeantur, vt fiant, iusto se trutinabit examine, qui vita suæ mores ex vtriusque ponderis comparatione pensauerit. Artifex enim misericordia Dei splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret.*

IV. Legem portò vocat Iacobus legem perfectam libertatis. Græcè εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, quasi dicat legem illam perfectam, quæ est libertatis; legem enim intelligit Euangelicam, vt opponitur legi Mosis: lex enim illa vetus, vt ait Apostolus [g], lex
g ad Gal. 4. 24. erat seruitutis, Euangelica autem lex dicitur liber-
h ad Heb. 7. 19. tatis. De illa idem Apostolus [h] ait nihil adduxisse ad perfectum, hæc autem dicitur lex perfecta. Quan-
i ad Galat. 3. 24. quam enim nonnulli codices Latini olim habebant:
k ad Gal. 4. 2. *Perspexerit in lege perfecta libertatis*, emendatiores tamen habent *legem perfectam*, Græcis exemplaribus
l ad Gal. 4. 4. probantibus, in quibus legitur [illegible] τέλειον.

V. Dicitur autem *perfecta lex*, tum quia lex Mosis
m cap. 5. 17. tanquam rudis, & inchoata ab Apostolo Paulo [i] di-
n aduer. Iud. citur, pædagogus, qui, vt idem Apostolus [k] affirmat,
o In eund. loc. Matth. pueris præficitur: Euangelium autem lex dicitur per-
p lib. 4. c. 27. 67. fecta, quia viris iam maturis imposita est. Vt enim ait Apostolus [l]: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus*
q serm. con omn. hæres. *Filium suum factum ex muliere.* Christus autem ipse di-
r lib. de ado. in spir. cit apud Matthæum [m]: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Quasi dicat, perficere, atque absoluere.
s lib. de patien. Bene enim interpretando perfecit, vt Gregorius Nyssenus, Euthymius [o], & Theophylactus [o] affir-
t Can. 4. in Matth. mant. Perfecit etiam, quia quæ lex illa pollicebatur,
u Quæst. 64. in nou. Test. lex noua quodam modo repræsentat, quæ est senten-tia Irenæi [p], Athanasij [q], Cyrilli [r] Alexandrini, Ter-
x Hom. 16. in Matth. tulliani [s], Hilarij [t], & Augustini [u]. Addo quòd, vt
y lib. 17. con. Faust. c. 5. & lib. 19. c. 7. Chrysostomus [x], & Augustinus [y] docent, lex noua gratiam, & caritatem largitur, quam lex illa vetus tri-
z cap. 1. 17. buere vi sua nō poterat: vt enim ait Ioānes [z]: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesū Christū facta est.*

VI. Denique ne longum faciam, perfecta lex dicitur quia quæ olim vmbris, atque figuris inuoluebantur, palàm, atque apertè in Euangelio proponuntur. Quáobrem lex illa in tabulis lapideis inscripta erat, hæc autem, vt ait Paulus, in tabulis cordis carnalibus inscribenda est, quò spectans prophetico spiritu di-
xit Dauid [a]: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non* a Psal. 118. 11.
peccem tibi. Itaque legē perfectam, legē Euangelicā appellat, quia verè perficit credētes, quod lex illa vetus præstare nequaquā poterat. Si enim, vt ait Apostolus
Paulus [b], *data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege es-* b ad Galat. 3. 21.
set iustitia, sed conclusit Scriptura omnia sub peccato.

VII. Quam ob causam qui Christiana sacra olim percipiebant perfici dicebantur, & Christiani priuato quodam iure appellabantur perfecti, qua ratione di-
xit Apostolus [c]: *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sen-* c ad Philip. 3. 15.
tiamus. Et alibi [d] Epaphram commendat, quia solicitus erat in orationibus, vt Colossenses *perfecti, & ple-* d ad Colos. 4. 12.
ni starent in omni voluntate Dei. Antistites verò, & Sacerdotes qui sacris initiabant, Græcè τελεσταί, hoc est, perfectores vocabantur, & vt cuncta paucis
complectar, hanc ob causam non modò Paulus [e] ad e ad Heb. 6. 1.
perfectionem hortatur, sed etiam Christus apud
Matthæum [f] ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pa-* f cap. 5. 48.
ter vester cælestis perfectus est. Quanquam non ignoro quandam esse peculiarem perfectionem, quæ, vt
egregiè docet Cassianus [g], non omnibus, sed eam g Coll. 1. c. 2.
tantùm cupientibus proponenda est. Itaque legem Euangelicam aptè Iacobus legem perfectam nominat, quia re verà hominem omni ex parte perficit, siue illum in se ipso spectes, siue ad Deum, aut ad proximos referas.

VIII. Non solùm autem Iacobus legem Euangelicam legem perfectam appellat, sed addit legem esse *libertatis.* Sed quam libertatem intelligat, non satis liquet. Olim enim quidam, & superioris sæculi hæretici fermè omnes Christianam libertatem perperam interpretabantur, ipso enim nascentis Ecclesiæ initio liberos esse Christianos existimabant vsque eò, vt neque subiecti Principibus, nec serui dominis obtemperare compellerentur. Quam impiam sententiam sæpè refellit Apostolus, dum seruos dominis; popu-
lares autem principibus parere docet. Hæretici verò, h In ep. ad
qui Luthero [h] Magistro nihil sapere didicerunt, Chri- Gal. c. 2. & in
stianæ legis libertatem in eo positam esse putant, vt arg. eiusd.
iusti nulli penitùs legi subsint, ita vt quicquid agant, ep. & in lib.
sit planè indifferens. de liber. Christ.

IX. Quocirca Christum liberatorem, ac Redempto-
rem agnoscunt, legislatorem non item. At Conci- i sess. 6. can.
lium [i] Tridentinum apertissimè docet hanc esse 19. 20. 21.
profanam libertatem, ac penitùs abominandam: iustos enim non legi diuinæ modò, sed etiam humanæ tum Ecclesiasticæ, tum ciuili subiectos esse, sacræ literæ apertissimè testantur, quæ Christum legislatorem
esse affirmant: Nam in Deuteronomio [k] de Christo k cap. 18. 15.
hunc in modum loquitur Moses: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Hunc autem Prophetam esse Christum Dominum, indicat Philippus apud
Ioannem [l]: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophe-* l cap. 1. 45.
ta, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Testan-
tur Petrus [m], & Stephanus [n]. Copiosè docet Paulus m Act. 3. 22.
in epistola ad Hebræos [o]; Et olim Isaias [p] ita de illo n Act. 7. 37.
vaticinatus est: *Dominus enim Iudex noster Dominus le-* o cap. 2. c. 3.
gifer noster, Dominus Rex noster ipse saluabit nos. c. 5. c. 12.

X. Eundem verò Christum Dominū Regem esse, cui p cap. 33. 22.
obtemperandum sit, omnis Scriptura docet: *Ego*, ait
Dauid [q] in persona Christi, *constitutus sum Rex ab eo* q Psal. 2. 6.
super Sion montem sanctū eius prædicans præceptum eius.
Et Michæas [r]: *Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in* r cap. 5. 2.
millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator

tor in Israël. Quæ verba apud Matthæum [a] hunc in modum habentur: *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Et Angelus apud Lucam [b]: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et in Apocalypsi dicitur [*]: *Princeps regum terræ:* Et alibi [c]: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Quis autem dicat Regi parendum non esse, aut non posse Regem legem condere?

a cap. 2. 6. b cap. 1. 32. * cap. 1. 5. c cap. 19. 16.

XI. Addo, quòd apertissimè ex sacris literis constat, Christum Dominum nouam condidisse legem. Nam Isaias [d]. *De Sion exibit*, inquit, *lex, & verbum Domini de Ierusalem*; quod totidem verbis repetit Micheas [e]. Hæc autem verba de lege Euangelica accipienda esse docet Augustinus [f], idémque multò apertiùs non vno loco confirmat Isaias [g]: cùm enim de Christo perspicuè loqueretur: *Legem*, inquit, *eius insulæ expectabunt.* Et alibi [h]: *Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite, quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet.* Quæ pertinere ad Christum ex antecedentibus, & subsequentibus luce clariùs constat. Christus autem ipse apud Matthæum [i] omnes inuitat ad tollendum iugum suum, quo nomine legem intelligi indicant Apostoli [k], qui legem Mosis iugum appellant.

d cap. 2. 3. e cap. 4. 2. f lib. 18. de Ciuit. ca. 50. g cap. 42. 4. h cap. 51. 4. i cap. 11. 29. k Act. 15. 10.

XII. Eodémque nomine legem veterem significauit Paulus [l]: *State*, inquit, *& nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Idémque [m] apertè legem Christi nominat. *Iis*, ait, *qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et ad Galatas [n]: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Extant autem in Euangelio non pauca præcepta; nam de Baptismo apud Ioannem [o]: *Nisi quis*, ait Christus, *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire regnum Dei.* Et de Eucharistia apud eundem [p]: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Paulus [q] autem Domini præceptum commemorans ait: *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere.*

l ad Gal. 5. 1. m 1. ad Cor. 9. 21. n cap. 6. 2. o cap. 3. 5. p ca. p. 6. 54. q 1. ad Cor. 7. 10. r cap. 5. ca. 6. & 7. s cap. 19. 18.

XIII. Neque verò existimare quisquam debet fideles absolutos, ac liberos esse ab iis præceptis, quæ pertinent ad mores, etiamsi in lege Mosis contineantur. Id enim indicat non obscurè Christus, cùm de lege, eiúsque interpretatione fusè apud Matthæum [r] disserit. Itémque apud eundem Matthæum [s], Marcum [t], & Lucam [u], legem Decalogi confirmat. Quin etiam alicubi [x] præceptum dilectionis maximè commendat, quod & facit etiam apud Ioannem [y], vbi suum, ac nouum mandatum appellat. Cuius etiam præcepti meminerunt Apostoli [z]. Huc accedit quòd lex Mosis, qua ratione moris præcepta continebat, in Euangelio retenta est, vt docet Christus apud Matthæum, [a] multísque ostendit Apostolos [b].

t cap. 10. 17. u cap. 18. 15. x Mat. 22. 18. y ca. 13. & 13. z Pa. ad Roman. c. 13. 8. Pe. ep. 1. c. 1. & 4. sæpe. Itémque Ioan. in suis epp. passim. a cap. 5. b ad Rom. c. 3. c. 7. ca. 8. & ad Ephes. 6.

XIV. Quò pertinent ea testimonia, quæ vim debiti, & obligationis continent, vt apud Lucam [c]: *Quod debuimus facere, fecimus.* Et Paulus [d]: *Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.* Et Ioannes [e]: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Rursus [f]: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Denique [g]: *Nos debemus alterutrum diligere.* Frustra autem omnium Iudex Christus esset constitutus, vt vbique [h] Scriptura docet, nisi cuiusque actiones diligenter expendendæ essent, vt vel præmio afficerentur, vel addicerentur supplicio, vt constat ex iis, quæ de extremo iudicio scribit Matthæus [i], & Paulus [k] confirmat.

c cap. 17. 10. d ad Rom. 8. 12. e ep. 1. c. 2. 6. f cap. 3. 16. g cap. 4. 11. h Mat. 25. 31. Act. c. 10. 42. & 17. 31. ad Rom. ca. 2. 6. & 14. 10. 1. Pet. 4. 5. i cap. 25. 32. k ad Cor. 2. c. 5. 10.

XV. Quam ob causam veteres Patres [l] ex vtroque Testamento plurima morum præcepta collegerunt; & quidam apertissimè docent latam fuisse à Christo Domino legem. Nam Clemens [a] Romanus: *Cognoscite*, inquit, *Deum per Christum vniuscuiusque eius dispensationem à principio institutam, quòd dedit nobis legem simplicem ad auxilium naturalis legis puram, salutarem, sanctam, in qua & proprium nomen reposuit, perfectam, absolutam, decem præcepta continentem, reprehensione carentem, conuertentem animas.*

l Clem. Alex. l. 3. pæd. c. 12. Cypr. li. 3. ad Quir. Augu. in spec. 3. a l. 6. Const. c. 19.

XVI. Alludit autem, vt arbitror, ad illa Dauidis [b] verba: *Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis, &c.* Augustinus [c] autem. *In illis*, ait, *præceptis excepta Sabbathi obseruatione dicatur mihi quid non sit obseruandum Christiano.* Aliquanto post. *Quid horum quisquam dixerit non debere seruare Christianum?* Alibi [d] verò: *Iudæo dicenti mihi, cur tenes vetus Testamentum, cuius præcepta non seruas? Respondeo: seruari à Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ. Præcepta autem vitæ significandæ tunc rectè obseruata, cùm pronunciabantur, quæ nunc reuelata sunt.*

b psal. 18. 8. c lib. de Spir. & lit. cap. 14. d lib. 10. cont. Faust. c. 2.

XVII. Alio [e] item loco, cùm de morum præceptis ageret: *Illa*, inquit, *omnia nobis magis præcipiuntur, & obseruanda sunt.* Illa [f] verò sunt apertissima. *Discernimus duo Testamenta vetus, & nouum, non sunt eadem sacramenta, non eadem promissa, eadem tamen pleraque præcepta. Nam non occides, non mœchaberis, non furaberis, honora patrem, & matrem, non falsum testimonium dixeris, non concupisces rem proximi tui; Et nobis dictum est, & quisquis ea non obseruauerit, deuiat, nec omnino dignus est, qui accipere mereatur montem sanctum Dei.* Et post nonnulla: *Discussa ergo præcepta, aut eadem omnia inueniuntur, aut vix aliqua in Euangelio, quæ non dicta sint à Prophetis præcepta eadem, sacramenta non eadem.* Et in eandem sententiam Leo Pontifex [g]: *Ex ipsa*, ait, *Ecclesiastica deuotione demonstratur, quod Dominus Iesus Christus non venit legem soluere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Saluatoris nostri nunciabatur aduentus, & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis. Ea, quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseuerant, vt quæ vtrique Testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata.*

e Tract. 3. in Ioan. f in psal. 73. g Serm. 6. de ieiu. 10. mens.

XVIII. Et alio [h] quodam loco: *Sicut nemo est credentium, cui dona neganda sint gratiæ, ita nemo est, qui non sit Christianæ debitor disciplinæ, quia etsi remota sit mystica legis asperitas, voluntaria tamen obseruantiæ creuit vtilitas.* Voluntariam porrò obseruantiam asperæ, & seruili opponit, quæ erat legis veteris propria. Itaque subdit: *In præceptis moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta, vt perfectiora, & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia Saluatorem.*

h Serm. 2. de Pass. Dom.

XIX. Quæ si vera sunt, vt profectò maximè sunt, nullo modo admittenda est Caluiniana [i], non Christiana libertas, quæ primùm in eo collocatur, vt in fiducia iustificationis quærenda, nulla legis, aut operum ratio habenda sit. Deinde vt actiones bonæ non ad legis regulam exigendæ sint, cum quales quales censeantur, in nostris rationibus à Deo ponendæ sint. Denique vt rerum omnium externarum vsus pro indifferenti habeatur, nec quisquam vlla religione tangatur, siue eas vsurpet, siue negligat. Quis enim non videat amplissimam hinc existere scelerum materiam, nihilque omninò fore ad salutem consequendam simpliciter necessarium?

i lib. 3. Inst. c. 19 §. 2. 4. 7

XX. Alia verò ex parte Libertinorum hæresis adstrui-

vitæ agendæ. Hoc autem dicit respondens Iudæo A quærenti, cur Christiani retineant vetus Testamentum, cuius præcepta non seruant.

XXVIII. Et Leo [a] Pontifex. *Non onerosum videatur, aut arduum quod & præceptum exigit legis, & deuotio temperat voluntatis. Quæ cum in vnum gratia Dei auxiliante conueniunt, non litera occidit, sed spiritus viuificat. Vbi autem spiritus Dei, ibi libertas, quia legem non timore exequitur, sed amore; obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur, quod iubetur. Cum ergò vos, dilectissimi ad quædam, quæ etiam in veteri Testamento instituta sunt, cohortamur, non Iudaicæ vos obseruantiæ iugo subdimus, nec consuetudinem vobis populi carnalis indicimus. Excellit super illorum omnia continentia Christiana, & si quid nobis, atque illis commune est in* B *temporibus, non concordat in moribus.* Et alibi [b]. *Euangelicis sanctionibus dilectissimi, multum auctoritatis præbet doctrina legalis. Cùm quædam de mandato veteri ad nouam obseruantiam transferuntur; & ex ipsa Ecclesiastica deuotione demonstratur, quod Dominus Iesus Christus non venit legem soluere, sed adimplere.* Denique [c] cùm dixisset figurarum, & promissionum sacramenta fuisse mutata, subdit: *In præceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta.* Eodem modo loquitur Bernardus [d].

a Serm. 4. de ieiu. 7. men.
b Serm. 6. de Ieiunio 10. men.
c Ser. 14. de Pass. Do. c. 5.
d In para. ser. ser. 28.

XXIX. Neque verò eorum mihi satis probari potest sententia, qui legis naturalis auctoritatem per se, ac præcisè negant, vim habere præcepti, sed eam vim illi ex lege Mosis accessisse. Nam cùm certum sit, C legem illam Mosis, vt Decalogo continebatur, vnius fuisse populi Iudaici, neque ad alias gentes, ac nationes vllo pacto pertinuisse; nemo tamen nisi amens, aut impius inficiari poterit furta, cædes, aliáque nefaria flagitia etiam apud Gentiles immania fuisse peccata, non ob aliam causam, nisi quia contra legis naturalis præcepta perpetrabantur.

XXX. Quo fit, vt lex illa Mosis legis naturalis explanatio quædam fuerit, quæ respectu quidem Mosis, qui tantùm erat diuinæ voluntatis interpres, atque internuncius, nihilo maiorem habebat auctoritatem, quàm lex ipsa diuina, & naturalis; respectu verò Dei legislatoris non inetim inficias legi naturali omnium mentibus inditæ nouam quandam positiuæ legis vi accessisse auctoritatem; atque adeò D Decalogi legem, præter legis naturalis declarationem, vim continere legis diuinæ positiuæ, quæ tunc quidem Mosis opera ad vnum Iudaicum populum referebatur. Cæterùm, circumscripto præcepto de cultu Sabbathi, vt certum illum diem priuatim notat, dubitari potest an eiusdem legis positiuæ auctoritas in lege Euangelica perseueret. Et quidem haud ambigam, quæ videtur omnium sententia certa fide complectenda, manere eius legis auctoritatem, vt legis naturalis declarationem continet.

XXXI. Vltrò etiam concesserim nullam retinere auctoritatem respectu Mosis, siue quia, vt paulo antè dixi, solum fuit Moses Dei minister, & eius voluntatis interpres; siue quia Mosis auctoritas qualis, aut E quanta esset intra Iudaicæ Reipublicæ fines claudebatur. Tota igitur controuersia est, an vis diuinæ legis positiuæ olim à Mose promulgatæ, nunc in lege Euangelica perseueret. Et mihi quidem, quicquid aliqui [e] contra sentiant, longè probabilius videtur eam perseuerare, & Christi auctoritate roboratam, & confirmatam fuisse.

e V. S. Tho. de Ma. q. 2. part. n. 3. in fin. Tolet. ad Rom. 3. ad n. 15. Salm. 2. ad Rom. 7. disp. 6. Valés tom. 2 disp. 2 q. 7 punc. 7. Barrad. tom. 2. lib. 2. c. 2 1 Suar. li. 9 de leg. c. 12. n. 42

XXXII. Probari autem potest primò testimonio Dauidis, nam alicubi [f] Christum Dominum ita loquentem facit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion* A *montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Hinc enim apparet, Christum prædicasse Dei legem; lex autem Dei præcipuè intelligitur, quæ Decalogo continetur. Quinetiam Christus ipse apud Matthæum [a]: *Nolite, inquit, putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas; non veni soluere, sed adimplere.* Quæ fateor de vniuersa lege accipi, quam Christus aliter, atque aliter adimpleuit. Nam ceremonialia quidem præcepta impleuisse dicitur, quia quod illis promittebatur, re ipsa præstitit, iudicialia verò, quia eorum acerbitatem, ac seueritatem temperarit; moralia denique, quia illa vberiùs, ac planiùs explicuit; itaque paulò pòst plurima Decalogi præcepta non quidem noua, sed perspicua, atque aperta interpretatione illustrat. Alibi [b] verò B quærenti quid facto opus esset ad vitam immortalem assequendam, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

f Psal. 2. 6.
a cap. 5. 17.
b Matth. 19. 17.

XXXIII. Rursus sciscitanti quænam essent mandata; Decalogi præcepta recenset, vt indicet illa ad beatam vitam consequendam necessariò esse obseruanda. Quòd si quis contendat probasse Christum legem Decalogi, non tanquam legem positiuam, sed tanquam declarationem legis naturalis, fateor non posse facilè ex his locis refelli. Sed cur hoc potiùs, quàm illo modo, Christi verba interpretentur nullam vel probabilem rationem afferent. Certè Paulus [c] vniuersim scripsit: *Legem ergo destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus.* Iacobus [d] autem agens de præcepto illo diligendi proximum: C *Si tamen, inquit, legem perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, benè facitis; si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.* Vbi procul dubio legem illam intelligit, quam Moses Dei auctoritate promulgauit, de qua etiam subdit. *Quicumque totam legem impleuerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus:* idque mox indicatis decalogi præceptis, clarius explicat, ait autem: *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides.*

c ad Rom. 3. 31.
d cap. 2. 8.

XXXIV. Ita videtur indicare decalogi præcepta diuinitùs olim tradita vim suam obtinere; quod etiam significare videtur Paulus [e] Apostolus. *Non adulterabis, inquit, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod* D *est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et alibi [f]. *Honora, inquit, patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.* Indicat enim præceptum illud, eiusque promissionem adhuc vigere, vt viri docti obseruarunt, qui non solùm id exigi putant auctoritate legis naturalis, sed etiam legis diuinæ, quæ habetur in Exodo [g].

e ad Rom. 13. 9.
f ad Ephes. 6. 2.
g cap. 20. n.

XXXV. Neque tamen illud admiserim, quod video placere nonnullis, decalogi legem, vt erat diuinitùs quasi lex positiua Hebræo populo imposita, attulisse etiam gentibus parendi necessitatem. Tametsi enim, vt erat lex naturalis, omnes æquè obligabat; vt tamen erat lex positiua ad vnum Dei populum spectabat. Hæc enim, vt indicat Moses data est illi populo educto ex Ægypto, vt nullo modo ad Gentiles E pertineret, siue diuina fide imbuti essent, siue secus, quia illi tantùm populo lex erat promulgata; necessaria est autem promulgatio, vt lex habeat obligandi auctoritatem. Et, nisi ego fallor, hoc videtur apertè indicare Apostolus, cùm ad Romanos [h] scribit: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt eiusmodi, legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

h cap. 2. 14.

XXXVI. Et in eandem sententiam paulo [a] antè dixerat. *Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Indicat enim fuisse Gentiles absque lege positiua, atque adeò non peccasse contra legem à Deo promulgatam: non idem tamen de Christianis sentiendum est, quibus auctoritate Christi, & Apostolorum eadem illa lex promulgata, & explicata est; atque adeò non dubito ad nos etiam pertinere, quod scribit Apostolus: *Quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Hæc autem præcipuè de lege Decalogi accipienda sunt. Fatebor enim nonnulla fuisse præcepta extra Decalogum, quæ aliqua ratione referrentur ad mores, quæ tamen essent illius populi ita propria, vt ad nos eadem saltem ratione non pertineant. Quo in genere est [b] accessus ad mulierem menstruatam; quod quidem præceptum, vt habebat annexam pœnam mortis, inter præcepta iudicialia recensetur, vt verò refertur ad prolis damnum vitandum spectat ad mores, vt apertissimè significat Ezechiel [c], apud quem eiusmodi congressus non aliter atque adulterium prohibetur. *Qui ad menstruatam*, inquit, *non accesserit, & vxorem proximi sui non violauerit.* Idque eo loco monet Hieronymus, qui præterea subdit: *Præcipitur ergo viris, vt in suis quoque vxoribus certa concubitus norint tempora. Caueat ergo & vxor, ne fortè victa desiderio coëundi illiciat virum, & maritus ne vim faciat vxori, putans omni tempore subiectam sibi esse debere coniugij voluptatem.*

a vers. 12.
b Leu. 20. 18.
c cap. 18. 6.

XXXVII. Atque ita videtur esse præceptum morale, quod culpam lethalem inferat, cùm tamen in lege Euangelica vel nullum, vel leue, ac veniale peccatum sit. Hoc enim, & id genus alia, si quæ sunt, vltrò concesserim, non obtinere vim suam in lege Euangelica, quia neque à Christo, neque ab Apostolis fuerint Christiano populo proposita, cùm præsertim ratione pœnæ adnexæ tanquam iudicialia fuerint antiquata. Fateor tamen Clementem [d] Romanum, Gregorium [e] Pontificem, Augustinum [f], & alios indicasse hoc præceptum adhuc perseuerare, eiúsque violatores lethalis culpæ reos fieri, quod tamen alijs doctissimis Theologis, quibus magis assentior, videtur aliquantò durius. Neque iuerim tamen inficias posse nonnunquam nonnullam culpam in eo congressu inesse, vix tamen lethalem, vt egregiè probatur à multis [g]. Itaque vt aliquando concludam, lex Euangelica, lex dicitur libertatis, quia metu supplicij non viget, sed beneficio caritatis spontè, ac liberè obseruatur.

d ep. ad Iust. & Iulia. aliósque discip. & lib. 9 recognit.
e respon. 10. ad Aug. habetur ca. sin. d. 5.
f l. 3. de peccat. mer. cap 12. & qu. 64. in Leu.
g Apud Sances lib. 9. de matr. dis. 1

XXXVIII. Postulat autem Iacobus, vt fideles non modò introspiciant legem perfectam libertatis, sed in ea permaneant; ac proptereà addit; *Et permanserit in ea*, contra id, quod pauld antè dixerat de inspectore speculi, qui statim obliuiscatur, qualis fuerit: vult enim fideles diuinam legem tanquam speculum inspicere, & in ea contemplatione permanere, hoc est, sedulò, diligentérque obseruare, quid agendum, fugiendúmve sit, vt ad eam veluti formam vitam, morésque componant: hoc enim est quod subdit: *Non auditor obliuiosus factus, sed factor operis.* Quò spectat & illud Ioannis [h]: *Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est, & in hoc scimus quoniam in ipso sumus, qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Nam, vt Paulus [i] Apostolus ait: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Et post nonnulla [k]: *Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nónne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Et iudicabit id, quod ex natura est, præputium legem consummans te, qui per literam, & circumcisionem præuaricator legis es.*

h ep. 1. c. 2. 5.
i ad Rom. 2. 13.
k vers. 26.

XXXIX. *Hic*, inquit Iacobus, *beatus in facto suo erit.* Non in nuda, ac simplici cognitione, contemplationéque legis, sed in facto suo, quia, vt suprà diximus, huc omnis legis cognitio refertur, vt obedientia, & præceptorum obseruatio consequatur. *Beatus*, igitur, *in facto suo erit*, hoc est, iustitiam, & gratiam assequetur, atque adeò in dies iustior, ac sanctior euadet, & iam spe quodam modo beatus erit. Sic olim dixit Dauid [a]: *Beati qui scrutantur testimonia eius.* Et mox subdit quod ad actionem pertinet: *In toto corde exquirunt eum.* Et rursus: *In [b] corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Denique [c]: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis:* quia videlicet diuina lex docet qua gradiendum sit, vt immortalis, atque beata vita comparetur, propterea subdit [d]: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustificationis tuæ.*

a psl. 118. 2.
b vers. 11.
c vers. 105.
d vers. 106.

26. *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.*

I. Non facilè apparet, quomodo hæc superioribus adnectantur; videtur tamen hæc sententia superiori non ineptè subiici: cùm enim monuisset, Dei legem non audiendam solùm, sed ad praxim, atque vsum reuocandam, ne quis putet, modò legis præcepta, quæ actionem postulant, re ipsa obseruet, licere sibi quidquid in buccam venerit, temere effundere; linguæ moderationem inprimis necessariam esse docet, cùm vt ait Sapiens [e], *In multiloquio non deest peccatum.* Et vt ait Apostolus [f] Gentilis poëtæ auctoritate, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Ita vult Iacobus fideles omni ex parte instructos, ac munitos esse ne vulneri pateat locus. *Si quis ergo*, ait, *se putat religiosum esse*, Græcè εἴ τις δοκεῖ θρησκὸς εἶναι ἐν ὑμῖν. *Si quis videtur inter vos religiosus esse.*

e Prou. 10. 19
f 1. Cor. 15. 33

II. An religiosum propriè accipit, vt fermè nunc religiosi appellantur ij, qui posthabitis omnibus, quæ appetuntur in vita, sæculo nuntium remittunt, & arctiorem quandam viuendi disciplinam complectuntur? Ita sanè existimauit non nemo, vt Apostolus doceat, nihil illis prodesse seueriorem viuendi rationem, nisi linguam coërceant; neque sanè inficiandum videtur, primo illo Apostolico sæculo fuisse nonnullos, qui Christianæ vitæ perfectionem sectantes, Euangelica consilia omni ex parte complecterentur. Nam, vt omittam quod de Hierosolymitana Ecclesia scribit Lucas [g]; Hieronymus [h] alicubi affirmat, Alexandriæ sub Marco nonnullos vitam propemodum monasticam instituisse, de quorum institutis, vitæque ratione Philonem Hebræum librum scripsisse commemorat.

g Act. 4. 32.
h de script. Ecc. in Marco.

III. Sed vt vt sit, malim religiosum simpliciter, atque absolutè accipi, vt verum Dei cultorem significet, quasi dicat Apostolus, ad religionem, verúmque Dei cultum potissimùm pertinet diuinæ legis obseruatio: Quòd si quis inter vos religiosus videatur, is me auctore intelligat, nisi linguæ impotentiam frænet, eius religionem inanem esse censendam. Dixit autem Interpres: *Si quis putat religiosum esse*, nihil prorsus mutata sententia: vox enim Græca δοκεῖ, id est, *videtur*, referri potest ad alios, quibus interdum aliquis religiosus apparet. Potest item ad se ipsum referri, vt sit sensus, si quis sibi religiosus videtur; atque hunc posteriorem sensum sequutus est Interpres, ac propterea dixit: *Si quis putat se religiosum esse.* Vtro autem modo interpretere, veritas sententiæ constat.

IV. Pro eo autem, quod Interpres dixit, *religiosum*, Græcè est θρησκὸς, quæ vox ἀπὸ τοῦ θρησκεύειν, dicitur, quæ, vt ait Augustinus [i], apud Græcos Dei

i lib. 10. de Ciuit. c. 1.

cultum;

cultum & venerationem significat; idque apertè docet Suidas; *Threscia enim*, inquit, *latria, idemque cultus, & Dei obsequium, & deorum veneratio. Narrant enim Orpheum Thracem primum arte quadam mysteria Græcorum tradidisse, & cultum deorum threschiam nominasse, quòd Thracum esset id inuentum.* Subdit tamen Augustinus. *Latina loquendi consuetudine non solum imperitorum, verùm etiam doctissimorum, & cognationibus humanis, atque affinitatibus, & quibusque necessitudinibus religionem exhiberi.*

V. Verùm vt obseruauit D. Thomas [a], amplè nimis religionis nomen vsurpasse videtur Augustinus, & eum secutus Ionas [b] Aurelianensis. At M. [c] Tullius, quem alibi probat Augustinus [d]: *Religio*, inquit, *est quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, cerimoniámque affert.* Vnde autem religio dicta sit, nimis fortassè religiosè quæritur à multis. Longissimè verò ab scopo recessisse videtur apud Aulum [e] Gellium Masurius Sabinus nescio quis, *qui religionem à verbo relinquo deductam putat; quia religiosum illud esse dicitur, quod propter sanctitatem aliquam remotum est, ac separatum à communi vsu.*

a 2.2. q. 81. art. 1. ad 2.
b lib. 2. de cultu imag.
c lib. 2. de Inuen.
d lib. 83. qq. q. 32.
e lib. 4. noct. Attic. c. 9.

VI. Augustinus [f] autem secutus, vt arbitror, M. Tullium [g], ab eligendo religionem dictam censet. Sic enim ait: *Ipse enim fons nostræ beatitudinis* (de Deo loquitur) *ipse omnis appetitionis est finis, hunc eligentes, vel potiùs religentes, amiseramus enim negligentes, hunc ergo religentes, vt & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus*, &c. Dixerat autem M. Tullius. *Hi dicti sunt religiosi à religendo, & ab eligendo, eligentes, & diligendo diligentes, intelligendo intelligentes.* Neque aliter sensit Isidorus [h]. Aliàs autem M. Tullius [i]; itémque Isidorus [k] à relegendo deducunt. *Quia omnia*, inquit Tullius, *quæ ad cultum Dei pertinerent, retractarent, & relegerent, hi dicti sunt religiosi à relegendo*, quasi religionem putarint esse Dei cognitionem, quomodo dixit olim Trismegistus, *Religio notitia est Dei*; quem penè ad verbum secutus est Saluianus [l].

f lib. 10. de ciuit. c. 4.
g lib. 2. de nat. Deorū.
h lib. 10. orig.
i lib. 2. de nat. Deor.
k vbi suprà.
l lib. 2. ad Eccl. Cath. non long. à fin.

VII. Lactantius [m] verò mauult religionem à religando dictam. *Hac*, inquit, *conditione gignimur, vt generanti nos Deo iusta, & debita obsequia præbeamus: Hunc solùm nouerimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus, vnde ipsa religio nomen accepit, non, vt Cicero interpretatus est, à relegendo.* Hanc autem Lactantij sententiam probant Hieronymus [n], Augustinus [o], Bernardus [p], & alij [q]. Non tamen omnes eodem modo hanc sententiam explicant: Lactantius enim religione nos Deo alligari existimat; eodémque modo religionem accipit Bernardus. *Corporalibus*, inquit, *religamur sacramentis, ne à Deo recedamus, vnde etiam à religando religio dicitur.* Hieronymus [r] verò, *religionem*, ait, *quasi in vnum homines colligare gregem, ac propterea iustorum, seu electorum fasciculum appellari, quia vna Domini religione constrictus est, vnde & ipsa religio à religando, & in fascem Domini vinciendo nomen accepit.* Augustinus certè licèt ad Lactantij sententiam propiùs accedat, ab eo tamen nonnihil discrepat: siquidem ille religionem à naturali vinculo ductam putat, quo Deo immortali iure creationis obstringimur. Augustinus autem ab alio quopiam peculiari vinculo cultus, & obseruantiæ, quo Deo obligamur, quam sententiam magis probant D. Thomas [s], & alij [t]. Puerile autem est hæc subtiliùs perscrutari.

m lib. 4. c. 28.
n Amos c. 9.
o lib. de ver. relig. c. vlt. & lib. 1. retract. c. 13.
p lib. de nat. & dignit. diu. amor. c. 35.
q Abulen. Exod. 12. q. 49.
r Amos 9.
s Opusc. 19. con. impug. reli. c.
t Exod. 12. q. 49.

VIII. *Non refrenans linguam suam.* Vt enim scribit Salomon [u]: *Sicut vrbs patens absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Prudenter enim monet vnicuique sedulò laborandum esse, ne veluti vrbs absque mœnibus dæmonum insidiis pateat, vt significet linguæ moderationem esse veluti arcem, ac propugnaculum, quo mens cuiusque ab omnibus periculis defendatur. Rectè autem Iacobus vsus est metaphora ducta à fræno, indicans tanquam ab indomito equo non leue imminere periculum, nisi prudenti silentio tanquam fræno cohibeatur, cum præsertim hac ipsa epistola [a] de linguæ impotentia multa dicturus sit. Frænanda est autem lingua, vt non modo ea sileat, quæ per se mala, & flagitiosa sunt, cuiusmodi sunt blasphemiæ, periuria, mendacia, & id genus alia, sed etiam ne aliena, inepta, stulta, & otiosa loquatur.

u Prou. 25. 28.

a cap. 3.

IX. Itaque Paulus obscœnitatem, stultiloquium, & scurrilitatem alicubi [b] damnat. *Aut turpitudo*, inquit, *aut stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Nam qui omnia effundit, nec potest quicquam reticere, persimilis est ei, qui patitur fluxum seminis, de quo in Leuitico [c]: *Vir, de quo egreditur semen coitus, lauabit aqua omne corpus suum, & immundus erit vsque ad vesperum.* Frænanda item lingua est ab obtrectatione, murmuratonéque, de qua sapienter scripsit Salomon [d]: *Tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit, os autem, quod mentitur, occidit animam.* Addit Iacobus: *Sed seducens cor suum*, Græcè ἀπατῶν καρδίαν αὐτοῦ, quasi dicat, *aberrare sinens cor*; quod ille potissimùm facit, qui nulla sermonis moderatione vtitur, & temerè loquitur nulla rerum, temporum, aut personarum habita ratione

b ad Ephes. 5. 4.
c cap. 15. 16.
d Sap. 1. 10.

X. Rectè autem dixit, eum seducere, seu aberrare facere cor suum, quia procul dubio, qui absque discrimine loquuntur quicquid libet, sæpe in magnas, atque inextricabiles difficultates incidunt, Qua de re extat apud Senecam [e] illustre exemplum: *Cum enim in paruulo quodam castello Græci obsiderentur, & fiducia loci contemnentes hostem, multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent. Gaudeo, inquit, & aliquid boni spero: in castris meis silentium habeo. Cùm hos dicaces fames domuisset, & captis sicut mos est, vt eos, qui militiæ vtiles erant, in cohortes describeret, cæteros præconi subiiceret, id quoque se negauit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam.* Ita videas linguæ petulantiam miseros illos in seruitutem coniecisse. Eodem pertinent, multa quæ sapienter scribit Plutarchus [f], vbi inter cætera ait, innumerabiles ob linguæ intemperantiam, in maximas incidisse calamitates, de qua re plura infrà dicenda erunt.

e lib. 3. de Ira cap. 22.
f lib. de lib. educ

XI. *Huius*, inquit, *vana est religio.* Non sanè exiguum hoc malum est, atque incommodum, vt quis bonorum omnium iacturam faciat. Vana autem religio dicitur, Græcè μάταιος, quasi dicat *inutilis*, & *infrugifera* aut etiam *frustranea*, vt significet cætera omnia fore inania, ac nullius prorsus vtilitatis si linguæ moderatio desit; atque ita indicat, quàm magnum ab intemperantia linguæ periculum immineat. Quod ipsum olim indicauit Sapiens [g], cùm dixit. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Quo loco non simpliciter custodiam optat, sed signaculum certum, ac si dicat solidum, ac firmum sigillum, quod non facilè refringi, aut resignari queat. Augustinus [h] autem, cùm Græcè legisset πανοῦργον. *Quis dabit*, inquit, *in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum, ne fortè cadam ab eo, & lingua mea perdat me*: significat enim Sapiens tum fore oris, ac linguæ signaculum certum ac firmum, si callidum atque astutum fuerit, hoc est, ab eximia prudentia profectum, quæ loco, tempori, ac personis vel silentium, vel orationem accommodet.

g Eccles. 22. 33.
h lib. de gra. & lib. arb. cap. 16.

Quod autem simpliciter, atque absolutè dari sibi

a Psa.140.3. postulat Sapiens, id apertè à Deo flagitat Dauid [a]; A *Pone, ait, Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Vt autem appareat, quàm magnum sit ab effrænata lingua metuendum malum, vt egregiè obseruauit Augustinus [b], (b Loc. cit.) meritò diuinæ gratiæ opem, auxiliúmque implorat. *Certum est enim nos mandata seruare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est nos velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui* [c]; (c Prou.8. ex LXX.) *præparatur voluntas à Domino; de quo dictum* [d] *est: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet, de quo dictum* [e] *est: Deus est, qui operatur in vobis & velle.* (d Psa.36.23. e ad Philip. 2.13.) B *Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Qui dicit* [f], (f Ezech.36.27.) *faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis: cùm dicit, faciam vt faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis, & dabo cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis? Ille facit, vt faciamus, cui dicit homo, Pone Domine custodiam ori meo, hoc est enim facere, fac vt ponam custodiam ori meo, quòd beneficium Dei iam fuerat consequutus, qui dixit* [g], (g Psal. 38.2.) *Posui ori meo custodiam.*

XIII. Quæ ita copiosè ex Augustino recensui, vt quod ille vniuersim de omnibus diuinis præceptis affirmat, rectè ab eodem huic Apostolico loco aptari posse intelligamus. C Necesse est enim ori, ac linguæ firmam apponere custodiam, idque nos conatu liberi nostri arbitrij efficere quidem debemus, sed præcurrentis gratiæ auxilio excitati, & adiuuantis ope adiuti: Quocirca ad Deum confugiendum est, vt sua nos diuina gratia præcurrat, & sequatur: sapienter enim dixit Salomon [h], (h Prou.16.1.) *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Quocirca Esther sanctissima fœmina ita Deũ [i] (i Est.14.13.) precatur: *Da mihi fiduciam Domine Rex Deorum, & vniuersæ potestatis, tribue sermonem compositum in ore meo.*

XIV. Rectè verò dixit Iacobus inanem, atque infrugiferam esse eius religionem, qui linguæ suæ modum, ac frænum imponere non potest: vt enim docet Sapiens [k] (k Eccles.5.2.); *In multis sermonibus inuenietur stultitia.* Idémque paulò pòst D cum somniis, & vanitatibus innumeros sermones coniungit. *Vbi*, inquit, *multa sunt somnia, plurima sunt vanitates, & sermones innumeri.* Proinde hortatur, ne temerè quid loquamur. *Ne temerè*, inquit, *quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Et profectò incredibile dictu est, quantopere facilitas loquendi internæ animi pietati officiat: quod enim alicubi ait Iob [l], (l cap 30.14.) aptè in hunc locum cadit: *Quasi rupto muro, & aperta ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt, redactus sum in nihilum, abstulisti quasi ventus desiderium meum, & velut nubes pertransiit salus mea.*

XV. Quemadmodum enim rupto muro, atque aperta ianua liberè in vrbem, aut arcem irruunt hostes, & omnia deprædantur; ita cùm omittitur oris, ac linguæ custodia, & animi quasi ianua libero sermone E aperitur, nullo propemodum negotio vitia sese in animum insinuant, & arcem, vt ita dicam, rationis occupant; ita fit, vt animum ad extremam quandam calamitatem reuocent. Quidquid enim antea in illo erat honestũ, ac laude dignum, in nihilum redigitur, & quasi ventorũ impetu piæ affectiones abripiuntur. Salus denique quasi nubes vento raptata euanescit. Atque hoc est, quod ait Iacobus, *Huius vana est religio*; hoc est, inutilis, atque infrugifera. Quod cùm olim viri sanctissimi, Christianæque perfectionis studiosissimi probè intelligerent, taciturnitatem, ac silentium mirum in modum, & colebãt ipsi, & iis, qui religiosæ vitæ tyrocinium ponerent, quàm accuratissimè retinendum censebant.

XVI. Huc enim, vt arbitror, pertinere potest, quod scribit Isaias [a] (a cap.30.15.): *Hæc dicit Dominus Deus Sanctus Israël, si reuertimini, & quiescatis, salui eritis in silentio, & in spe erit fortitudo vestra.* Itémque illud [b] (b Isa.32.17.): *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum, & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Quemadmodum enim linguæ impotẽtia omnia penè spiritalia bona perdit, ita silentium securitatem, & hanc requiem opulentam secum affert.

XVII. Quod vtrumque ostendit Salomõ [c] (c Prou.13.3.) dum ait: *Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Quæ sint autem hæc mala, idem Salomon [d] (d cap.18.6.) alibi significat: *Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat, os stulti contritio eius, & labia ipsius ruina animæ eius.* Et Dauid [e] (e Psalm.13.3.) hoc ipsum luculenter his verbis ostendit: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est; veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Et miramur vanam eorum esse religionẽ, qui linguæ laxant habenas? Certè Salomon [f] (f Eccles. 10.12.), vt sapientis verba gratiæ comparat, ita *labia*, inquit, *insipientis præcipitabunt eum; initium verborum eius stultitia, & nouissimum* C *oris illius error pessimus, stultus verba multiplicat.*

27. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*]

I. Quoniam modò dixerat inanem esse eorum religionem, qui linguæ impotentia abripi se sinerent, quasi ex occasione paucis indicat, quæ sit vera, vtilis, ac salutaris religio, cùm præsertim factorem operis beatum dixisset; hic autem enumerat ea, quæ potissimùm ad religionem pertinent: obseruandum est autem inprimis religionis nomen non vsurpari in præsentia ab Apostolo more Theologico, qui religionem definiunt virtutem, quæ propriè versatur circa cultum Dei, sed religionem accipit pro lauda- D bili, honesto, atque in primis Deo grato vitæ instituto, quasi dicat, ad Christianam professionem eas potissimùm actiones pertinere, quæ hîc breuiter, strictimque attinguntur: nam pupillis, atque viduis opem ferre ad caritatem atque misericordiam, & aliquo pacto etiam liberalitatem spectat, quamuis fortasse in iis etiam nonnullam religio vim atque efficacitatem exerceat, aut exercere certè possit. Quod verò ait, *immaculatum se custodire ab hoc sæculo*, ad plures omnino virtutes referendum est, vt paulò pòst fusiùs ostendemus.

II. Ait igitur Iacobus, *religio munda*, Græcè θρησκεία. Videtur autem Chrysostomus [g] (g Homil. in Psalm.95.) aliud quiddam Græcè legisse, forte θυσία: interpretatur enim sacrificium mundum, & immaculatum, vbi plurima E recenset legis nouæ mystica sacrificia: nam præter Eucharistiæ sacrificium, verum, ac propitiatorium numerat martyrium, precandi studium, sacrificium iubilationis, iustitiæ, eleemosynæ, laudis, compunctionis, humilitatis, prædicationis, fructificationis; de primo sacrificio loquitur Paulus [h] (h ad Ephes. 5.2.): *Christus dilexit nos, tradiditque se ipsum pro nobis Deo sacrificium, & oblationem in odorem suauitatis.* De martyrio explicat illud Pauli [i] (i ad Rom. 12.1.): *Obsecro vos, fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem.* De sacrificio precum ait Dauid [k] (k Psa.140.2.): *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in*

conspectu

conspectu tuo, eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. de laude idem: *Immola*[a] *Deo sacrificium laudis.* de iustitia idem Dauid[b]. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta.* de eleemosyna explicat hunc Iacobi locum. *Sacrificium*, ait, *mundum, & immaculatum, visitare pauperes, & orphanos in afflictione ipsorum*: de iubilo loquitur Dauid[c]: *Beatus vir, qui scit iubilationem.* Et[d], *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius sacrificium laudis, & iubilationis.* de compunctione[e]: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: de sacrificio Euangelij Paulus[f]: *Administrantes Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata Spiritu sancto.* de[g] fructificatione; *Accepi quæ à vobis missa sunt per Epaphroditum, sacrificium acceptabile in odorem suauitatis.*

a Psal. 49. 14.
b Psalm. 50. 21.
c Psal. 88. 16.
d Psal. 26. 6.
e Psal. 50. 19.
f ad Rom. 15. 16.
g ad Philip. 4. 18.

III. Et quidem eleemosynam quoddam esse sacrificij genus; de quo hoc loco agit Iacobus, docet apertè Apostolus Paulus[h]: *Beneficentiæ*, ait, *& communicationis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sed vox Græca, qua vtitur Iacobus, religionem sonat: addit, *& immaculata*: quasi dicat, omnis labis penitus expers, quam nemo iure reprehendat, aut damnet; idque ait, *apud Deum, atque homines*: quasi dicat, hanc esse religionem non fucatā, non simulatā, non fictā, quæ externa tantùm specie, & quasi mētito splendore hominum oculos perstringat, sed veram, solidam, atque omni ex parte perfectam, quæ ipsi Deo, qui intimos animi recessus perspicuè intuetur, quique nullius astu, ac fraude decipi potest, magnopere probetur.

h ad Hebr. 13. 16.

IV. Religionem autem non peculiarem virtutem intelligit, ad quam non propriè pertinent actiones, de quibus in præsentia agit Iacobus, sed professionem significat Christianam, & piam, de qua paulò antè dixerat: *Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, huius vana est religio*; non negarim tamen quod alicubi docet diuus Thomas[i], posse interdùm eas actiones à religione imperari, sed non arbitror id ab Apostolo spectari; hæ namque actiones vt à suis propriis virtutibus, hoc est, à caritate, & misericordia manant, ad mundam, & immaculatam religionem pertinent, hoc est, ad professionem Christianam, verámque sanctitatem; quomodo vir[k] sanctus hunc locum apertè interpretatur.

i 2. 2. qu. 81. art. 2. ad 2.
k Abb. Isa. orat. 21. de Pen. tom. 2. bibl. sanct.

V. Quòd si quis malit religionis nomine, quod paulò antè indicaui, religiosum vitæ institutum ab Apostolo significari, non aspernabor: quæ enim superiùs dicta sunt de lingua frænanda, & cohibenda, ad eum vitæ statum magnopere pertinent, & quæ in præsentia commemorantur, suo etiam modo ei aptari, atque accommodari possunt: Sed si ingenuè dicendum sit quod sentio, quódque instituto Apostolico maximè congruit, religionem mundam, atque immaculatam vocat Apostolus sanctam, & Christianis virtutibus ornatam Christianæ vitæ professionem.

VI. Mundam porrò, atque immaculatam religionem appellat, *visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Quibus verbis amplecti videtur duas illas iustitiæ partes, quas indicat Dauid[l]: *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.* Et alibi[m]: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* Quod enim ait Dauid, *declina, & diuerte à malo*, explicat Iacobus, cùm ait, *immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* quasi dicat, nullo scelere inquinari, nullàque labe fœdari; quod autem addit Propheta: *& fac bonum*, his verbis complectitur Iaco-

l Psal. 36. 27.
m Psalm. 33. 13.

A bus; *visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum*; indicans dilectione proximi legem perfici, vt ad Romanos scribit[a] Apostolus: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit; nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum, sicut te ipsum: dilectio proximi malum non operatur; plenitudo ergo legis est dilectio.*

a cap. 13. 8.

VII. Idem non obscurè insinuasse videtur Christus Dominus, qui apud Matthæum[b] electis beatam vitam pollicetur; quod misericordiæ, ac pietatis actiones erga pauperes, atque indigentes exercuerint; contrà verò improbos sempiternis supplicijs
B addicit, quòd easdem actiones neglexerint: alibi[c] verò affirmat quod olim dictum fuerat ab Osea[d] Propheta: *Misericordiam volo, & non sacrificium*; hoc est, vt Hebræi loqui solent, misericordiam malo, quàm sacrificium. Quanquam enim non desunt, qui Prophetæ, & Christi verba perinde accipiant, quasi significent Deum non victimis, & holocaustis, sed mortalium pœnitentia, & salute oblectari, vt suam Deus misericordiam non humanam intelligat, quæ est sententia Chrysostomi[e], & Euthymij[f], Hilarij[g], & Hieronymi[h]: malo tamen misericordiæ nomine humanam liberalitatem, & beneficentiam intelligere, permotus auctoritate præsertim Augustini[i], cui adstipulantur Theophylactus[k], & Chaldæus paraphrastes: hic enim ait, *Namque in his,*
C *qui exercent misericordiam, voluntas coram me est magis, quàm in sacrificio.*

b cap. [illegible]
c Matth. 9. 13. & Matth. 12.
d cap. 6. 6.
e Hom. 31. in Matth. & hom. 36. ad pop.
f Matth. 9.
g can. 9. in Matth.
h Ose. 6.
i lib. 2. de ciu. c. 5. & li. 20. cōt. Faust. cap. 14.
k Ose 6.

VIII. Quamuis enim sacrificia, & holocausta functiones sint religionis, quæ est inter morales virtutes præstantissima, proximi tamen amor à caritate proficiscitur, qua proximus diligitur tanquam aliquid Dei; caritas autem inter virtutes Theologicas obtinet principatum: ita enim scribit Apostolus[l], *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* Accedit, quòd caritas est veluti omnium virtutum extrinseca forma, quæ illas perficit, & absoluit, & eas ad sublimiorem, diuinioremque statum euehit, & attollit; pertinere autem proximi dilectionem ad caritatem, qua Deum diligimus, apertè docet Ioannes[m]. *Si quis dixerit; quo-*
D *niam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Mox subdit. *Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

l 1. ad Cor. 13. 13.
m ep. 1 ca. 4. 20.

IX. Est autem caritas, vt supra dixi actuosa, & efficax, atque ideircò misericordiam, & beneficentiam parit, quam ob causam dixit Ioannes[n] Apostolus: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Et hic noster[o] infra. *Si autem frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis. Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?*

n epist. 1. ca. 3. 17.
o cap. 2. 15.

E X. Vtitur verò Apostolus visitandi verbo: *visitare*, inquit, *pupillos, & viduas in tribulatione.* Græcè ἐπισκέπτεσθαι, quasi dicat, *prospicere, & eorum indigentiis consulere*: inde enim Episcopi nomen deductum est, qui olim apud Gentiles erant veluti inspectores, ne quid Resp. detrimenti caperet; & in iure[p] ciuili Episcopi dicuntur, qui præsunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis quotidianum victum suggerunt, vt loquitur Arcadius. Ita videtur Iacobus indicare, Christianæ pietatis, ac religionis

p l. fin. ff. de mun. & hon.

A proprium esse, indigentium calamitates diligenter inuestigare, easque, quoad eius fieri possit, subleuare, vt vel hinc appareat, quantò id magis ab iis exigendum sit, qui Episcopi nomine, & munere in Ecclesia gloriantur, cùm præsertim Ecclesiastica bona, quibus fruuntur, in iure canonico appellentur, vt re vera sunt, patrimonia pauperum, vt quod alij caritatis, ac misericordiæ intuitu faciunt, ipsi quodammodo iustitiæ lege agere compellantur; vt non immeritò Hieronymus [a], & Bernardus [b], quicquid præter victum, & vestitum ab iis vsurpatur, ad furtum, aut sacrilegium referant.

a ep. ad Hedib. q. 1. b epist. 42.

XI. Visitandi igitur verbum non simplicem inspectionem significat, sed liberalem, aut munificam: pupillos autem, ac viduas priuatim nominat Apostolus, non quòd tam angustis finibus Christianam B misericordiam, ac liberalitatem circumscribat, sed quòd hæc duo personarum genera ærumnis, & calamitatibus potissimùm sint obnoxia. Pupilli enim parentibus destituti, & viduæ, cùm viris careant, multa solent incommoda pati. Quam ob causam profitetur Deus, se pupillorum, ac viduarum peculiarem curam, ac patrocinium suscipere; Itaque Dauid Deum vocat patrem orphanorum, & iudicem viduarum. Et Sapiens [c] præcipuè pupillos, & viduas commendat: *In iudicando*, inquit, *esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater.* Et sæpe Iudæos increpat, quòd pupillorum, viduarúmque causas negligerent.

c Eccl. 4. 10.

XII. C Itaque Apostolus à specie, vt aiunt, genus vniuersum indicare voluit: omnium enim indigentium inopia subleuanda est, omniúmque necessitatibus prospiciendum, cùm Christiana caritas Deum imitetur, qui, vt ait Christus apud Matthæum [d], *Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Hoc, opinor, significare voluit Salomon [e]; his verbis. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* Transeuntes enim aquas mortales intelligit, de quibus in libris Regum [f] scriptum est: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur*; atque ita omnibus benefaciendum monet spe præmij proposita, de quo alibi idem dixerat [g]: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet*, &c. Significat enim eum, qui D pauperi benefacit Deo quodam modo mutuo dare, qui suo tempore dignam reddet compensationem, quod alicubi egregiè explicat Basilius [h]. *Cùm*, inquit, *pauperi dare voles propter Dominum, idem & donum est, & mutuum, donum quidem, quia non speras receptionem, mutuum verò propter Domini magnificentiam, qui pro ipso persoluit, qui paucis per pauperem acceptis, magna pro ipsis reddet: qui enim pauperis miseretur, Deo ad vsuram dat.*

d cap. 5. 45. e Eccl. 11. 1. f 2. Reg. 14. 14. g Prou. 19. 17. h Cōc. 2. in Psalm. 14.

XIII. Vt autem religio sit munda, & immaculata, necesse est multa in beneficentia, & liberalitate seruare: vt enim scribit Ambrosius [i]. *Non satis est bene velle, sed etiam benefacere, nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur.* Et post nonnulla. *Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, vt primùm opereris circa domesticos fidei: grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat. Si in causam ceciderit, aut captiuitatis suorum, aut calumniæ, & non adiuues; si sit in carcere, & pœnis, & supplicijs propter debitum aliquod iustus excrucietur; nam & si omnibus debetur misericordia, tamen iusto amplius, si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret; si tempore periculi, quo rapitur ad mortem plus apud te pecunia tua valeat, quàm* A *vita morituri, non est leue peccatum.* Rursus post non pauca. *Consideranda est etiam in largiendo ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam, ac verecundia, quæ ingenuos prodit natales, vt senibus plus largiaris, qui sibi labore iam non queunt victum quærere; similiter & debilitas corporis, & hæc iuuanda promptius, tum si quis ex diuitiis cecidit in egestatem, & maximè si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit.*

i lib. 1. de offic. cap. 30.

XIV. Quin etiam ipsa largitio sua eget moderatione, vt idem Ambrosius [a] alibi eleganter docet. *Pulchrum*, inquit, *etiam liberalitas est, in ipsa quoque pauperis datio mensuram tenere, vt abundes pluribus non conciliandi fauoris gratia vltra modum fluere: quidquid ex affectu puro, & sincero promitur, hoc est decorum, non superfluas* B *ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias.* Et post multa [b]. *Compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum, quam possumus; melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quam prætendere inclementiam, vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus.*

a lib. 2. de off. cap. 21. b cap. 28.

XV. Atque hæc quidem est altera mundæ, atque immaculatæ religionis pars, quam esse in primis necessariam, alicubi scribit Gregorius [c]. *Fratrem*, inquit, *nostrum Marinianum Episcopum verbis, quibus vales, excita, quia obdormisse eum suspicor.* Et post pauca: *Dic ergo ei, vt cum loco mutet & mentem; non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere, vt* C *remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare, sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat, quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.*

c lib. 5. regest. epist. 29

XVI. Ita videas verissimè à nobis paulò antè dictum esse, hanc religionis partem ad Episcopos maximè pertinere, quod apertissimè docuit Gelasius [d]. *Licet*, inquit, *omnibus de nobis sperantibus non debeamus, in quantum possumus nos negare, plus tamen viduarum, & orphanorum causas impensius ducimus exequendas, quas tueri à nobis, vel ab omnibus diuina manifestat assertio.* Et alio loco [e]. *Defensionis propria desolatis auxilio, & qui suis actibus adesse pro ætate infirmitatis non possunt, exoratum Pontificem decet subuenire, quia pupillis tuitionem etiam diuinitas iussit impendi.*

d ep. ad Hie. & Pet. Epp. e epist. ad Anast. Episc.

XVII. D Vt autem sit hæc religio prorsus innocens, ac labis expers ad inopiam tantam, aut egestatem subleuandam referendam esse monet Iacobus, cùm pupillos, ac viduas ita commendat, vt iis in tribulatione opitulandum moneat, quasi doceat, vnius duntaxat necessitatis habendam esse rationem, ne si cum his consuetudo aliò trahi queat, praua aliqua suspicione numen, atque existimatio in inuidiam vocetur. Neque verò propterea decet, si res, aut persona operam nostram desideret, ibi trepidare, vbi non est timor: nam, vt ait Hieronymus [f], *qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ, quamuis spiritalis sit, non adimplebit legem Christi.*

f ad Gal. 6. ad ill. ver. Alter alterius onera portate.

XVIII. Reliqua est altera religionis pars, quæ his verbis continetur: *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* E Græcè est, ἀπὸ τοῦ κόσμου, id est, ab hoc mundo: vt enim ait Ioannes [g], *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Hæc autem sunt, quæ animum maximè fœdant, atque inquinant; hoc enim apud Matthæum significauit Christus [h], cum dixit. *Quæ autem procedunt de ore de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt, quæ coinquinant hominem.*

g ep. 1. c. 2. 16. h cap. 15. 18.

Et

Et malæ quidem cogitationes, & homicidia ad singula illa tria capita reuocari possunt, atque adeò amplissimam quandam vitiositatem continent. Adulteria, & fornicationes ad carnis concupiscentiam referuntur: furta, & falsa testimonia ferè spectant ad concupiscentiam oculorum, & nonnihil etiam ad superbiam vitæ, ad quam potissimùm spectant blasphemiæ: qui igitur hos veluti tres scopulos absque offensione euadit, hic procul dubio expers omnis maculæ erit.

XIX. *Immaculatum* autem dixit Apostolus, non quòd possit quisquam etiam leuissimas maculas vitare, sed quòd eas vitare quisque debeat, quæ gratia, & caritate animam spoliant, à quibus tanquam à venenato

a Eccl.21.2. serpente cauendum esse monet Sapiens[a], *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Et addit: *Et si accesseris ad illa, suscipient te dentes leonis, dentes eius interficientes animas hominum, quasi rhomphæa, bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas.* Quibus verbis, tribus metaphoris quantopere peccatum abominandum sit docet. Et prima quidem, vt dixi, desumitur à venenato serpēte, quia vicunque ei peccatum simile est: quemadmodum enim serpens ita mordet, vt virus suum diffundat, ac perimat, ita peccatum, cùm admittitur, morsu ferit, & veneno suo necat, quod Sapiens insinuat, cùm dicit, *Si accesseris ad illa, suscipient te*, Græcè *δεξεται*, id est, mordebunt te, à verbo *δάκω*, quod est, mordeo. Neque his contentus Sapiens, alteram similitudinem ducit à leone, cuius ferocitas, atque immanitas meritò metuenda est; & quemadmodum in serpentis similitudine peccati virulentiam, ita in hac, quæ à leone petitur, eiusdem vim, ac ferocitatem declarat. Denique confert cum gladio ancipiti, quòd animam, & corpus ad interitum perducat sempiternum.

XX. Addit autem, *plaga eius non est sanitas*; quia reuera, nisi diuina gratia cœlitùs mentem immutet, non habet liberum arbitrium, quo se possit ab impietate reuocare; qui verò igitur, atque ex animo pietatem colit, omnes peccandi occasiones resecat, &, vt ait Iacobus, se ab hoc sæculo immaculatum custodit, quò,

b cap.6.8. ni fallor, Michææ[b] verba referuntur. *Indicabo*, inquit, *tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Primùm quidem ait indicaturum se quid sit bonum, & quid Dominus requirat, & principiò monet Deum requirere iudicium; facere autem iudicium, idem planè est, quod iudicare; exigit igitur, vt peccator tanquam iudex sedeat, & in se ipsum sententiam ferat, vt hac ratione diuinæ sententiæ seueritatem effugiat: ita enim scri-

c 1.Cor.11.31. bit Apostolus[c]: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.*

XXI. Quale autem hoc iudicium futurum sit, explicat

d Ser. 136 de temp. Augustinus[d] his verbis: *Quomodo iudicium in te ipso? Vt displiceat tibi quod eras, & possis esse, quod non eras: iudicium inquam de te ipso in te ipso fiat, acceptioni personæ tuæ, vt non parcas peccatis tuis; nec ideo tibi placeant, quia tu facis; nec te laudes in bonis tuis, & Deum accuses in malis tuis; hoc enim est peruersum iudicium, & ideo nec iudicium.* Quin etiam iudicium facit, qui legibus ob-

e Prou.21.15 temperat, & officio satisfacit; ita Salomon[e]: *Gaudium iusto est facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem.* Sic in libro Geneseos[f]: *Scio enim, quòd præ-*

f cap.18.19. *cepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam.*

XXII. Iam verò vbi quis fecit iudicium, diligat necesse est misericordiam, quod secundo loco monet Propheta. Est autem misericordia non præstanda solùm, atque exercenda, sed etiam diligenda, quod signifi-

g cp.2.c.9.7. cauit Paulus, cùm ad Corinthios[g] scripsit: *Vnus-*

A *quisque prout destinauit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Amplissimum autem misericordiæ fructum pollicetur

a Psal.40.1. David[a]: *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius; Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Denique postremo loco addit Michæas, *& sollicitum ambulare cum Deo tuo*, vt significet cuique laborandum esse, vt Deo adhæreat, eique omni se ex parte probet.

XXIII. Hæc autem sollicitudo eò maximè spectat, vt nihil menti humanæ admittat, quod Deo displiceat,

B quod Iacobus hoc loco significat, cùm ait: *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Significat enim dandam esse operam, ne quid adhæreat eorum, quæ

b ep.1.c.2.15. mundo probantur; quod aliis verbis dixit Ioannes[b]: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.*

XXIV. Cæterùm non me fugit, hæreticos more suo hoc Iacobi testimonio aduersus nonnullos religiosorum ordines abuti, quasi verè religiosi non sint, quòd pupillos, ac viduas non visitent, neque eorum necessitatibus consulant: sed malignè primùm, deinde etiam impiè faciunt; malignè quidem, quia, vt suprà dictum est, aliter Apostolus religionis nomen accipit, quàm vt ad religiosorum ordines transferri queat; & vt concedamus de religiosis ordinibus lo-

C qui Iacobum, visitare pupillos, & viduas in tribulatione, significat, vt diximus, eorum necessitatibus consulere, quod quidem plurimi religiosorum ordines faciunt, si non largitione pecuniæ, aut corporeæ eleemosynæ, precibus certè, ac sacrificiis, diuini verbi prædicatione, administratione sacramentorum, opportunis denique consiliis, & adhortationibus; nec desunt religiosorum familiæ, quæ liberaliter indigentium inopiam subleuent, & se ipsa præstent, quod hi noui Euāgelij buccinatores inficiantur.

XXV. Impiè porrò faciunt, cùm beneficentiam, ac liberalitatem, Christianam denique misericordiam angustis finibus circumscribunt, quasi nihil præter corpoream stipem ad mundam, atque immaculatam religionem pertineat; præterquam quòd non ignorant, aut dissimulant beneficentiam, ac liberalitatem in iis

D non desiderari, qui cùm rebus omnibus nuntium remiserint, nihil sibi retinuerunt, quod aliis largiantur. Accedit quòd non pauci Apostolico planè instituto cuncta reliquerunt, & Christum secuti sunt, & simul omnia magnificentissimè vel Deo, vel pauperibus vnica actione largiti sunt, quod longè præstantius est, quàm si retinuissent, quæ quotidie pupillis, ac viduis, cæterisque indigentibus tribuerent, hi nimirum ingentia illa præmia iure debentur, quæ olim Christus pollicitus est Apostolis, cùm dixit[c]: *Vos qui* c Matth.19. *reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, &* Marci 10. *vitam æternam possidebitis.* Lucæ 18.

XXVI. Denique ad hos maximè pertinet, quòd in præsen-

E tia ait Iacobus, *immaculatum se custodire ab hoc sæculo*: vt enim nihil eorum ipsis adhæreat, quæ expetuntur in mundo, religiosis sese votis Deo obstringunt, & abdicatis impuris voluptatibus castitatem, & continentiam colunt, repudiatis diuitiis paupertatem amplectuntur, omni denique honoris ambitu, & dominandi cupiditate posthabitis aliorum sese voluntati, imperióque subiiciunt; itaque verè cum Dauide[d] d Ps.72.28. dicere possunt: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*; ab illo quippe toti pendent, omnes in illo spes suas sitas, & locatas habent, illum denique perfecta caritate complectuntur, quæ pro cuiusque instituti ratione ad proximos etiam redundat.

SECVNDI

Secundi Capitis Argumentum.

PERSISTIT Apostolus in præceptis morum, & pura, atque integra religionis officiis explicandis, maximéque personarum respectum, acceptionémque detestatur, atque obiter diuitum mores perstringit, & pauperum conditionem extollit; legis integram, omnibúsque numeris absolutam obseruationem exigit, fidem cum honestis, ac laudabilibus actionibus coniungendam docet, idque aliquot exemplis confirmat, cùm ad iustificationem opera sint necessaria, sine quibus fides sit prorsus exanimis, & veluti mortuum cadauer.

CAPVT II.

1 *FRATRES mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.*

2 *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu.*

3 *Et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum.*

4 *Nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?*

5 *Audite, fratres mei dilectissimi, nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

6 *Vos autem exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?*

7 *Nónne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super vos?*

8 *Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas; Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, bene facitis.*

PARAPHRASIS.

NOLITE quæso, fratres mihi admodum cari, cum personarum acceptione, quæ iustitiæ distributiuæ magnopere aduersatur, fidem Domini nostri Iesu Christi immortali gloria circundati magno vestro damno coniungere. ¶ Siquidem si in cœtum, consessúmque fidelium ingrediatur vir quispiam diues, annulum gestans aureum, & splendida veste indutus; atque altera ex parte accedat quispiam pauper tenui amictu, sordidóque pallio circundatus. ¶ Vos verò suspiciatis, atque admiremini diuitem illum nitida, & prædiuite veste fulgentem, cúmque insigni loco considere iubeatis, quasi principem locum inter omnes teneat, pauperem verò vel stare præcipiatis, vel infra subpedaneum abiectum, despectúmque sedere. ¶ An non prætermissa æquitate, iustitiæque ratione, vestris duntaxat inanibus cogitationibus delusi, de personarum meritis sententiam fertis, tanquam iniqui iudices, qui nihil præter priuatum iudicium, & falsam rerum æstimationem, atque opinionem sequantur? ¶ Audite verò, fratres mihi ex animo cari, an ignorare potestis Deum immortalem æquissimo, occultissimóque consilio eos elegisse, qui mortalibus, caducisque diuitiis destituerentur, vt eos supranaturali fide, cæterisque cœlestibus, ac diuinis bonis locupletaret, eiúsque regni hæreditatem eis destinaret, quod vltrò iis pollicitus est, qui se perfecta caritate complecterentur? ¶ At vos ignominia, ac dedecore vestra ista iniqua sententia pauperes affecistis, qui vnius paupertatis intuitu non sine contumelia eos despicitis; quòd si libeat de re ipsa non ex falsa opinione, sed ex vero iudicare, nónne intelligitis, quàm sint diuitum mores à Christiana caritate alieni? Nunquid non illi sua vos nimia potentia opprimunt, & miserandum in modum diuexant, & quo iure, quáve iniuria ad iudicum tribunalia pertrahunt? ¶ Nónne ipsi vobis obtrectant vósque adeò indignos putant, qui Christiano nomine censeamini? Nónne ita sese vobiscum gerunt, vt iustam præbeant aduersariis occasionem Christiani nominis detestandi? Ita intelligere potestis ipsi, quàm sit à recta ratione alienum, vt eos solo diuitiarum respectu pauperibus præferatis. ¶ Quod si legem illam planè regiam colitis, quam Scriptura tantopere commendat, præcipuéque docet proximum tanquam

nos ipsos diligendum esse, idque re ipsa recto modo, atque ordine præstatis, næ vos recte laudabiliterque Christianæ professioni respondetis, atque officio omni ex parte satisfacitis.

9 *Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, quasi transgressores.*

¶ Sin autem personarum rationem vobis habendam putatis, vt ingenuè fatear, quod res est, magno vos scelere inquinatis, & ipsius legis auctoritate amplissimi, præstantissimique præcepti violatores deprehendimini.

10 *Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

¶ Iam verò si quis legis studiosus, eam sibi vniuersim colendam, ac retinendam putat, ita tamen vt nonnihil, quod ad officium spectet, negligere, aut prætetire non vereatur, is perinde à recto tramite deflectit, officium deserit, fructu iustitiæ, & beata vita caret, ac si legem vniuersam violasset, non quidem quasi omnibus sceleribus, atque flagitiis inquinetur, aut quòd omnia peccata paria sint, sed quòd vel vnum flagitium illum Deo legislatori obnoxium, & sempiterni supplicij reum constituat.

11 *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & Non occides: quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

¶ Nam si legis, aut legislatoris rationem vllam haberet, nullum sibi diuinum præceptum violandum censeret, cùm æquè omnia diuina sint auctoritate sancita: nam qui adulteria, cæteràsque impuras voluptates prohibuit, idem à cęde, humaníque sanguinis effusione reuocat; quòd si adulterium quidem vites, humana verò cæde polluaris, quis non videat te diuinæ legis violatorem esse?

12 *Sic loquimini, & sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari.*

¶ Itaque sermones, & actiones vestras ita instituite, atque cōponite, vt perpetuò recordemini vos aliquando in extremo mūdi die auctoritate legis Euangelicæ iudicandos esse; quæ cùm vos singulari Dei beneficio à misera seruitute peccati in filiorum libertatem vindicauit, vt pluribus vos maioribúsque gratiæ præsidiis fouet, ac vegetat, ita acerbiora supplicia exiget, si quid in vobis deprehensum fuerit ab eius præceptis alienum.

13 *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam, superexaltat autem misericordia iudicium.*

¶ Sic enim habetote absque vlla spe misericordiæ illum esse inferorum suppliciis in omnem æternitatem mactandum, qui nulla, dum viueret in proximos miseratione commotus, pietatis, misericordiæque officia neglexerit, misericordia autem siue qua Deus electos suos ad se perducit, siue qua mortales proximorum inopiam subleuant, diuini iudicij æquitatem extollit, eiúsque seueritatem se vitasse meritò gloriatur.

14 *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?*

¶ Quid enim quæso, fratres mei, vtilitatis afferre potest, si quis veram se fidem inclusam animo retinere glorietur, desidem tamen, atque otiosam quæque nullas honestas, ac laudabiles actiones proferat? Nunquid existimandum est elumbi, ac languidæ fidei eam inesse vim, vt quempiam possit ad salutem perducere sempiternam? Nullo modo.

15 *Si autem frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano.*

¶ Sic enim existimare debetis hanc otiosam fidem omnis prorsus vtilitatis expertem esse: quemadmodum enim si quis frater, aut si qua soror rerum inopia pressi vestimentis, aut quotidiano victu indigeant, ac diuitum opem implorent, eorúmque beneficentiam, ac liberalitatem expetant.

16 *Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpo*

¶ Ex diuitibus autem quispiam blande illos vtcunque alloquatur, iubeatque bonis auibus abire, & aliunde quibus frigus, aut famem depellant

lant, sedulò conquirere, neget autem ea, quæ fouendo, nutriendóque corpori necessaria sunt, quæ inde vtilitas vel ad pauperum corpora, vel ad diuitum animos perueniet? ¶ Non aliter de fide existimandum est; vt enim verba illa diuitum omni prorsus fructu, atque vtilitate carent; sic planè fides operibus destituta tanquam in semetipsa mortua, nullum parit emolumentum. ¶ Atqui dicat fortasse quispiam: Tu fidem habere te gloriaris; ego contrà bonas me atque honestas actiones habere profiteor; ostende igitur mihi ex operibus quam tantopere commendas fidem, ego contrà facilè tibi ex operibus fidem meam probauero, tu verò, vt arbitror fidem tuam absque operibus indicare mihi nunquam poteris. ¶ Nam quid quæso est, quod tantopere glorieris te verè credere, vnum esse Deum, si ita credis ex animo, haud equidem reprehendo, sed potiùs magnoperè laudo; sed illud addo, nihilominùs idem dæmones credere, & perhorrescere, vt non magna laus sit, si parem cum dæmonibus fidem habere te profiteare. ¶ Placétne tibi quisquis hæc inaniter iactas, ex me cognoscere, quàm sit isthæc tua gloriatio futilis, ac vana, cùm fides bonis operibus destituta planè sit exanguis, ac mortua? ¶ Reuoca quæso in mentem parentem nostrum Abrahamum; an non ille fidei suæ, qua pridem iustificatus erat, tanquam iustitiæ perceptę incrementum, bonarum actionum studium adiecit, qui filium suum Isaac aræ impositum, quantùm in ipso fuit, incredibili quadam animi magnitudine, & parendi voluntate sacrificare non dubitauit. ¶ An non intelligis iam pristinam eius fidem viuifica quadam vi honestas, ac laudabiles actiones peperisse, earúmque veluti partu, & procreatione mirificè fuisse ornatam, atque omnibus suis partibus ac numeris absolutam? ¶ Ita factum est, vt quæ diuinitus de illo in sacris literis scripta erant, apertissimo documento comprobarentur, verissiméque omnes cognoscerent Abrahamum pollicenti Deo fidem habuisse, eiúsque fidei beneficio veram adeptum esse iustitiam, præcipuúmque inter Dei amicos locum esse assecutum. ¶ Quæ cùm ita sint, planè perspicitis, opinor, ad iustitiam adipiscendam solitariam fidem nequaquam satis esse, sed opera præterea necessariò flagitari, quibus posita diuina vocatione ad gratiam, & caritatem capessendam præparetur animus, & ea deinceps noua semper accessione augeatur, & maiora in dies capiat incrementa. ¶ Quin etiam haud absimili ratione Rahab meretrix & iustitiam primùm adepta est, & eam deinceps locupletauit, & auxit: vbi enim nuncios hospitio excepit, eorum, vt par est, credere oratione erudita, & diuinarum rerum cognitione imbuta, non solùm fidem animo concepit, sed cum ea bonarum actionum studium sedulò coniunxit, quæ exploratorum saluti, atque incolumitati consulens, tutissimum illis euadendi periculum aditum patefecit, & clàm illos à se dimisit, sua, suorumque omnium salute impetrata.

¶ Quæ

corpori, quid proderit?

17 *Sic & fides, si non habeat opera, mortua*
est in semetipsa.

18 *Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego*
opera habeo: Ostende mihi fidem tuam
sine operibus, & ego ostendam tibi ex
operibus fidem meam.

19 *Tu credis, quoniam vnus est Deus, bene fa-*
cis, & dæmones credunt, & contremis-
cunt.

20 *Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam*
fides sine operibus mortua est?

21 *Abraham pater noster nónne ex operibus*
iustificatus est, offerens Isaac filium suum
super altare?

22 *Vides quoniam fides cooperabatur operibus*
illius, & ex operibus fides consummata
est?

23 *Et suppleta est Scriptura dicens, Credidit*
Abraham Deo, & reputatum est illi ad
iustitiam, & amicus Dei appellatus est.

24 *Videtis quoniam ex operibus iustificatur*
homo, & non ex fide tantùm.

25 *Similiter & Rahab meretrix nónne ex*
operibus iustificata est suscipiens nun-
cios, & alia via eijciens?

26 *Sicut*

26 *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.*

¶ Quæ cùm ita sint, quod sæpe iam dixi, in hoc extremo capite iterum mihi necessariò inculcandum censeo, fidem bonis operibus vacuam non otiosam modò, ac prorsus inanem, sed omnino mortuam esse, non aliter, atque humanum corpus cadauer est exangue, ac mortuum, nisi anima informetur, cuius vi, atque efficacitate cùm careat, vitales actiones nullas potest exercere.

IN CAPVT SECVNDVM

EXPLANATIO.

1. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.*]

I. On sine causa iterat hoc loco Apostolus fratris appellationem: pertinet enim ad beneuolentiam captandam, & eorum animos conciliandos, qui epistolam vel lecturi, vel audituri erant, vt quæ præcepta traditurus est, benigniùs, atque hilariùs excipiantur, & libentiùs animo comprehensa arctiùs retineantur, & ad praxim reuocentur. Ex quo apparet, Apostolos (quod Petrus [a] docuit) imperiosum, atque arrogans præcipiendi genus studiosissimè vitasse. *Nolite*, inquit, *in personarum acceptione habere fidem.* Græcè numero multitudinis dixit *προσωποληψίαις*, quasi eius frequentem vsum damnet, nullâque ratione personarum acceptionem probandam censeat. Quid autem sit, *In personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi*, non planè liquet.

a ep. 1. c. 5. 3.

II. An monet Apostolus, ne qui ex Iudæorum natione Christi Domini fidem perceperant, hoc tam singulare beneficium personarum intuitu sibi à Deo concessum esse arbitrarentur? Id omninò verè diceretur, quia Deo, vt ostendam paulo post, nulla personarum acceptio tribui potest, sed non id agit in præsentia Iacobus, vt personarum acceptionem à diuina benignitate, ac liberalitate quàm maximè alienam esse doceat, sed potius ab eo vitio, quod distributiuæ iustitiæ aduersatur, vt ea quæ sequuntur, apertissimè probant, nititur fideles reuocare. Sunt igitur qui velint hoc suo præcepto Iacobum monere, non esse quemquam solius personæ respectu ad fidem, & Christianam religionem admittendum, vt si nobilitatis, aut diuitiarum intuitu nobiles tantùm, ac diuites ignobilibus, ac pauperibus exclusis Christianis Sacris imbuantur, quod profectò absque ingenti piaculo fieri nequaquam posset, cum Christus Dominus apud Matthæum [b], nemine penitùs excluso, omnes ad se vocet. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et alibi [c] ita Apostolos alloquitur. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos.* Et apud Marcum [d] præcepit Euangelium omni creaturæ promulgari.

b cap. 11. v. 28.
c cap. vlt. 19.
d cap. vlt. 15

III. Sed cum deinceps personarum acceptionem inter ipsos fideles reprehendat, malim vniuersim Apostoli verba accipere, quasi dicat; Nolite in fide, ac religione Christiana, quam complexi estis, personarum acceptionem admittere, vel solius personæ, aut eorum, quæ ad rem, causamque nihil pertinent, respectu ab officio, aut æquitate recedere. *Nolite*, autem ait, *in personarum acceptione habere fidem*; vt significet

A integritatem, atque perfectionem fidei cum personarum acceptione non bene cohærere: fides enim, & Christiana religio docet, æquitatem, ac iustitiam vbique, atque omnibus in rebus seruandam esse, personarum autem acceptio cum distributiua iustitia ex aduerso pugnat, nec potest absque flagitio vsurpari: Ita vniuersim dicere potuisset, fidem, ac religionem à Christo Domino traditam omnia prorsus vitia, atque peccata excludere; potissimùm autem agit de personarum acceptione, de qua deinceps plura dicturus est, siue quia Iudæorum natio ad eam quodammodo procliuis erat, vt quæ generis splendore, & progenitorum nobilitate, sanctitatéque plurimum gloriaretur; siue quia suspicari forsitan quispiam po-

B tuisset, nihil in ea hærere vitij, aut culpæ.

Addit porrò, *fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ*; vbi Græcè legimus, *τῆς δόξης*, quam vocem perperam, & prorsus extra rem interpretati sunt ij [a], qui Latinè transtulerunt, *fidem Domini nostri Iesu Christi ex opinione.* Nam quorsum id quæso? qua verò ratione *τῆς δόξης*, ex opinione interpretere? aut quò tandem id referendum putes? Non nego Græcam vocem *δόξης* opinionem, ac sententiam aliàs significare, hoc loco planè nego; tum quia si opinionem significari contendas, neque cum fide, neque cum Christo rectè cohæreat: nam si dicas fidem ex opinione Christi, malè omnino, atque impiè & sentias, & loquaris, cùm tam distet fides ab opinione, quàm quod certum

IV.

a Erasmus.

C est, differt à probabili, & quod aliter esse non potest, ab eo dissidet, quod inter vtramque partem fluctuat. Si ex opinione Christi Domini dicas, quis intelligat, vel quis potiùs hanc loquendi formam ferat.

Sed fortasse ita Apostoli verba accipiunt, vt significet Apostolus, non esse ex opinione, vulgi videlicet, aut imperitorum, Christi fidem cum personarum acceptione coniungendam; quod si negem verè dici, prorsus mentiar, si ad rem esse admiserim, nihil planè videam. Et quidem vtrùm *τῆς δόξης*, ex opinione Latinè reddi queat, Grammatici viderint, mihi quidem certè probari neutiquam potest; Meliùs igitur omnino dixit vulgarus Interpres, & *τῆς δόξης*, Latinè reddidit, *gloriæ*, in qua tamen voce hy-

V.

D pallagen inesse suspicor, & siue referas ad fidem, gloriosam fidem intelliges, Hebraismo, neque ineleganti, & ab Apostolis frequenter vsurpato, siue malis cum Christo coniungere, eundem celebrem, & gloriosum, seu tempiternæ gloriæ Dominum interpretabere.

Sed quid quæso est *προσωποληψία*, idest, personarum acceptio? si de nomine quæstio sit,

VI.

alibi [a] dixi eam esse veluti respectum personæ, siue alieni vultus intuitum, cùm possis personæ, & faciei, seu vultus acceptionem dicere, vt non ita multò pòst planiùs constabit, si de re ipsa, ibidem docui vitium esse, quod distributiuæ iustitiæ aduersatur, quódque in sacris literis frequenter reprehenditur. Moses enim ita alicubi [b] ait; *Quod iustum est, iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Et alibi [c]: *Non accipies personam, nec munera.* Rursus [d]: *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis, non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis; iustè iudica proximo tuo.* Salomon [e] autem, *Accipere*, inquit, *personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij*; idémque alio [f] loco iterans: *Cognoscere*, inquit, *personam in iudicio, non est bonum.* Denique Sapiens [g]: *Ne accipias personam, vt delinquas.*

a ad Rom. 2. b Deut. 1. 16 c Deut. 16. 19 d Leu. 19. 15 e Prou. 18. 5. f Prou. 24. 23 g Eccles. 42. 1.

A

VII. Hoc verò loco Apostolus eiusmodi vitium tanquam graue, & mortiferum crimen detestari videtur; versatur siquidem in bonis communibus, quæ, vt tradit Aristoteles [h], vt iustitiæ distributiuæ singulis pro cuiusque dignitate, ac merito proportione geometrica impertienda sunt. Quod si in ea distributione aliqua personæ conditio spectetur, quæ ad rem ipsam, ac necessariam proportionem non pertineat, atque ob id minùs dignus digniori præferatur, personarum acceptio admittitur. Quamobrem cùm Deus immortalis nihil cuiquam debeat, antequam suam illi diuinam gratiam largiatur, neque ipsius diuina bona vllo iure mortalibus debeantur, nulla in eo personarum acceptio reperiri potest. Primùm quidem, quia bona sua liberaliter impertit iis, qui, vt modò dixi, nullo iure possint ea sibi vendicare, quasi sibi debeantur. Deinde quamuis Deus non æqualiter diuina sua bona distribuat, nullam tamen personæ dignitatem spectat, quæ in ipsa existat, aut à natura, vel moralibus actionibus oriatur, atque ita minùs dignum non præfert digniori, cùm nemo ex se supranaturalibus bonis vllo pacto dignus censeri queat. Postremò, quia cùm Deus homines ad supranaturalem quendam statum extulit, neminem voluit suæ illius liberalitatis, ac munificentiæ penitus esse expertem, sed pro cuiusque conditione auxilia sufficientia eximia quadam prouidentia præparauit.

h lib. 5 Ethic. c. 3.

B C D

VIII. Quocirca verè dixit Petrus [i]: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Quo loco non obscurè indicat etiam in iis, quæ gratuitò, ac liberaliter conceduntur à Deo, nonnullam videri posse personarum acceptionem, si suæ Deus beneficentiæ fontes solis Iudæis patere voluisset; neglectis, aut potiùs exclusis Gentilibus, qui iustitiam, & sanctitatem vtcunque colerent, non quòd illi (vt parum cautè dixerunt nonnulli) suis illis honestis, & ea suo genere laudabilibus actionibus se dignos fide, supranaturali lumine, & diuina gratia præstarent, sed quod propterea iis diuinis, ac supranaturalibus bonis non viderentur saltem positiuè indigni; sed vt minimùm remotè, &, si ita loquendum sit, indirectè maiorem quandam cum iis haberent proportionem, quàm nonnulli improbi, ac scelerati Iudæi. Nam alioqui visus esset Deus pluris facere planè extrinsecam conditionem, hoc est, generis originem, quàm iustitiam, & sanctitatem, quod ad personarum acceptionē propriè pertinet. Fateor tamē ne tum quidem eam personarū acceptionem futurā fuisse contra iustitiam, cùm Gentiles ad fidem, & gratiam, cæteráque supranaturalia bona ius nullum funditus haberent.

i Act. 10. 35.

E

IX. Persimili autem ratione dixit Paulus [a], non esse apud Deum acceptionem personarum, cùm ille vnicuique, siue Iudæo, siue Græco, pro eorum meritis vel præmium, vel supplicium rependat. Quibus verbis insinuare videtur, si alios improbè viuentes supplicio afficeret, aliis pœnam condonaret, nonnullam fore personarum acceptionem, quæ tamen ipsa cum iustitia nulla ratione pugnaret, quia etiam inter mortales iure suo supremus Princeps noxios quos vult, plectit, alios, si libeat, supplicio eximit, vt minimè mirandum sit, id ipsum citra vllam iniustitiam fieri posse à Deo.

a ad Rom. 2. 11.

X. Qua potissimùm ratione contra Pelagianos vsus est Augustinus [b], vt ostendat, acceptionem personarum in Deum cadere nequaquam posse: *Qua acceptio*, inquit, *personarum ibi rectè dicitur, vbi ille, qui iudicat, relinquens causæ meritum, de qua iudicat, alteri contra alterum suffragatur, quia inuenit aliquid in persona, quod honore, vel misericordia sit dignum. Sin autem quispiam duos habeat debitores, & alteri velit dimittere debitum, alterum exigere, cui vult donat, sed neminem fraudat, nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. Alioquin eis, qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri, vbi vineæ Dominus operariis, qui vna hora illic opus fecerunt, tantum dedit, quantum illis, qui pertulerunt pondus diei, & æstus, æquales faciens in mercede, quorum tam magna distantia fuerat in labore. Sed quid respondit de hac velut acceptione personarum aduersum patremfamilias murmurantibus? Amice*, inquit, *non facio tibi iniuriam, nónne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade; volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Nempe hic tota iustitia est; hoc volo; tibi, inquit, reddidi, huic donaui; neque vt huic donarem, tibi aliquid abstuli, aut quod debebam, vel minui, vel negaui; an non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sicut ergo hic nulla est acceptio personarum, quia sic alius gratis honoratur, vt alius debito non fraudetur, sic etiam cum secundùm propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur; vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt eo, quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* Et multa deinceps in eandem sententiam subiicit, vt Deum à personarum acceptione liberet.

b lib. 2. con. 2. epp. Pelag. c. 7.

XI. Porrò personarum acceptio cum distributiua iustitia pugnans, suapte natura graue scelus, & lethale crimen est, & in iudiciis, in Sacerdotiis, & dignitatibus Ecclesiasticis, in politicis Magistratibus, in laboribus, atque oneribus distribuendis, denique in exhibendo honore versatur. Et in iudiciis quidem, quamuis contra commutatiuam iustitiam vt plurimùm peccetur, cùm iniustè damnatur innocens, aut nocens absoluitur, quia tamen iudices, ac Magistratus publici muneris ratione, quo funguntur, æquè omnibus ciuibus ius dicere coguntur, quod est commune bonum, quod omnibus ciuibus debetur. Si quis personarum intuitu, vel ius dicat, vel dicere recuset, personas accipere dicitur, & contra iustitiam distributiuam grauiter peccat, idque, vt paulò antè docui, frequenter in Sacris literis damnatur. Et præter ea, quæ ex Mose, & Salomone protuli, huc refero quod ait David [c]: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?*

c Psal. 81. 2.

XII. Hoc enim est spectare personam, vel, vt Septuaginta interpretari solent, admirari, ac suspicere ad euertendam iustitiam; ita plerunque fit, vt vna, eadémque actione iudices cōtra vtramque iustitiā com-

mutati

mutatiuam, & distributiuam peccent; contra illam quidem, si innocentem damnent intuitu potentioris personæ, illique damnum afferant, quod deinde præstare cogantur; contra hanc verò, quia eodem personæ respectu ius innocenti subtrahunt, quod illi iure debetur. Iam verò in Sacerdotiis, atque Ecclesiasticis dignitatibus personarum acceptio in primis vitanda est, idque non solùm iure naturæ, sed etiam iuris canonici auctoritate. Itaque Origenes[a]: *Requiritur ergo in ordinando Sacerdote etiam populi præsentia, vt sciant omnes, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.* Et Leo Pontifex[b]: *Ex presbyteris, & diaconis eiusdem Ecclesiæ optimum ad Episcopatum promouendum docet.* Certè Chrysostomus[c] verè omnino scripsit: *Equidem non opinor aliunde tam multas in Ecclesia turbas nasci, quàm ex Episcoporum, & Antistitum electionibus casu potius, ac temerè, quàm diligenter, & accuratè factis: nam caput valentissimum esse oportet.*

a Hom. 6 in Leu.
b ep. 84. ca. 6.
c lib. 3. de Sacerd. par. ant. med.

XIII. Itaque in sacris literis[d] commendatur electio Saülis, qui cæteros corporis proceritate superabat, & quo melior non erat in Israël; qua de re luculenter disserit Gregorius[e]; in iure autem[f] canonico inter cætera legimus: *non ex affectu carnali, sed discreto iudicio Ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensandum*; nouissimè autem in Concilio Tridentino hæc propemodùm aurea verba leguntur[g]: *Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcunque ius quacunque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, &c. alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Quod ipsum alia etiam Concilia[h] antea definierant; vt omittam alia, quæ à Theologis in eandem sententiam doctè, copiosèque traduntur. Quamobrem meritò Hieronymus[i] suæ ætatis miseram conditionem deplorat his verbis: *At nunc cernimus plurimos hanc rem* (de Ecclesiastica electione loquitur) *beneficium facere, vt non quærant eos, qui possint plus Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, quorum sunt obsequiis deliniti.*

d lib. 1. Reg. c. 10.
e lib. 4. in 1. Reg. c. 4. & 5.
f cap. vnic. vt eccl. benef. sine dimin. confer.
g sess. 24. c. 1. de Refor.
h Conc. Aruern. c. 2. Tolet. IV. c. 18.
i ad Tit. 1.

XIV. In eodem genere acceptionis personarum reponenda est multitudo Sacerdotiorum, beneficiorúmque, quæ vni tantùm, cæteris neglectis, tribuuntur, quæ præsertim statum, & conditionem personæ, ac dignitatis longè superant: quorsum enim in vnum quempiam vltra decem Sacerdotia congerantur, si vno, vel altero, aut ad summum tertio & honestè viuere, & dignitatem absque dedecore tueri potest? Quid verò necesse est, cognationis, aut affinitatis respectu omnes Ecclesię opes in vnum congerere, cùm in eodem ordine plerique extrema penè inopia, ac necessitate laborent? Neque verò id solùm sacris canonibus, præsertim vetustioribus, repugnat, sed meo quidem iudicio nihil est, quod magis distributiuæ iustitiæ aduersetur: sequitur enim illa, vt Aristoteles[k] docet, geometricam proportionem, quæ quatuor terminis constat, vt videlicet habita personarum ratione, tantum cuique tribuas, quantum cuiusque merita postulant, eadémque sit præmij ad præmium comparatio, quæ est inter meritum, & meritum. At quale monstrum est, in eadem Republica, eodémque Senatu, paria esse Senatorum merita, & præmia infinito propè interuallo distantia?

k lib. 5. Ethic. c. 3.

XV. Quid, quòd plerumque nullius propè meriti adolescens ne eximiæ quidem indolis aut expectationis, plurimis, iisdémque locupletissimis Sacerdotiis augetur, quorum sumptibus, si non ad impuras voluptates, ad venationes certè, ad ludos, ad spectacula, ad inanem denique pompam, & fastum abutatur, cùm viri, alioqui doctrina, morum integritate, cæterisque animi bonis præstantes vix tenuissimo censu vitam possint cum dignitate tueri? Hîc ego non humanitatis relaxationem admitto, quippe hoc immane acceptionis personarum vitium contra ius naturæ, & distributiuam iustitiam pugnat, eóque nihil est in repub. detestabilius, atque hoc magnopere reprehendo, ac damno.

XVI. Quid enim quæso de hominis cuiuspiam vita sentiendum sit, si ventriculus, cuius proprium munus est cibum concoquere, & ad cuncta corporis membra iusta quadam proportione alimentum impertiri, omnia, cæteris neglectis, in vnum membrum congerat? necesse profectò est, soluto membrorum, ac partium temperamento breuissimo temporis spatio ruere ad interitum. Idem multò magis de Ecclesiastica administratione sentiendum est, si personarum respectus, humana denique iura conuellat, & quæ multis impertienda essent, vnius tantùm vel arrogantiæ, vel cupiditati, ac luxui seruiant. Quod minori quidem fortasse damno, sed persimili tamen scelere in ciuili republica accidit, si in tradendis honoribus, ac Magistratibus acceptioni personarum pateat locus, neque optimis, ac præstantissimis ciuibus concedantur: neque aliter de oneribus, ac vectigalibus distribuendis sentiendum existimo: certa enim proportione imponenda sunt habita ratione pauperum, & indigentium, ne plus subeant oneris, quàm diuites. Denique hoc ipsum in exhibendo honore seruandum reor, ne minùs dignus præferatur digniori, quod mox Apostolus Iacobus explicans subdit:

a. *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem, & pauper in sordido habitu.*]

I. Pertinet hoc ad superioris sententiæ explicationem, illustrationémque. Vt enim alicubi monet Aristoteles, morum præcepta si summis tãtùm generibus, contineantur, perexigua vi prædita sunt, quocirca vt prosint, ad singula, atque indiuidua porrigantur necesse est. Vitandam igitur docuerat Apostolus personarum acceptionem, eius vitij singularem quandam formã nominatim indicat, quæ in exhibendo honore versatur. Cæterùm Augustinus[a] hanc & sequentes Apostoli sentẽtias de honoribus, ac dignitatibus Ecclesiasticis explicat. *Nec sanè*, inquit, *quantum arbitror, putandum est leue esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi, si illam distantiam sedendi, ac standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, atque sanctiore? Si autem de quotidianis consessibus loquitur, quis non ibi peccat, si tamen peccat, nisi cùm apud se ipsum intus iudicat, vt ei tantò melior, quantò ditior ille esse videatur: hoc enim videtur significasse, cùm dicit: Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices iniquarum cogitationum?*

a ep. 29. ad Hier.

II. Quapropter nõ solùm putat Augustinus hęc Apostoli verba de Ecclesiasticis dignitatibus accipiẽda esse, sed præterea indicare videtur, nõ posse de honore exhibendo explicari, cùm videatur Apostolus personarum acceptionem tanquam ingens aliquod crimen damnare, quod in Ecclesiasticis dignitatibus tribuendis omnium consensione facilè admittitur, in humano autem honore non ita apertè cernitur, nisi aliunde vitiari contingat. Sunt qui existiment Apostoli verba, quæ de diuite, & paupere in consessum admittendo hoc loco leguntur, bifariam intelligenda esse. Primùm quidẽ, vt significẽt, ad acceptionẽ personarũ

pertinere, si diues pauperi præferatur, cùm vterque ad Christianam fidem, & religionem cupit accedere; deinde ad idem vitium omnino spectare, si diues potiùs, quàm pauper diuitiarum respectu in fide, Christianæque vitæ præceptis erudiendus potiùs admittitur, quàm pauper, quod vtrumque vitiosum esse non dubitant, cùm diuitiarum tantùm respectus habetur. Nam si diues Ecclesiæ plus vtilitatis, atque adiumenti, ornamentive allaturus putetur, nec priori, nec posteriori modo personarum acceptio admittitur, nec iustitia distributiua violatur.

III. Itaque non dubitant, cùm Apostolus ait: *si introierit in conuentum vestrum*: Græcè εἰς τὴν συναγωγὴν, Christianorum cœtum intelligere, de quo loquitur Paulus [a], cùm ait: *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare.* Et post multa [b]: *Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quod insanitis?* Eodem, vt arbitror, pertinent quæ scribit Lucas [c]: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Et post nonnulla [d]: *Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo.* Ad quam Hebræorum consuetudinem respexisse videtur Apostolus [e], cùm scripsit: *Non deserentes collectionem nostram:* quam enim hoc loco Iacobus συναγωγὴν vocat, Paulus ἐπισυναγωγὴν nominat, fidelium collectioné vterque Apostolus intelligit, de qua loquitur Clemens [f] Romanus. *Conuenito*, inquit, *in Ecclesiam singulis diebus manè, & vespere ad canendos Psalmos, & precationes in templo faciendas, potissimùm autem die Sabbathi, & die Dominico, qui est dies resurrectionis.*

a 1. ad Cor. 11.20.
b cap. 14. 23.
c Act. 2. 42.
d ver. 46.
e ad Hebr. 10. 25.
f lib. 2. Cõst. Apost. c. 59.

IV. De quibus fidelium congressibus plura [g] alibi diximus ex veterum Patrum traditione collecta; in iis autem idem Clemens paulò antè dixerat personarum acceptionem vitandam esse. *Vt in recipiendis*, inquit, *videlicet presbyteris, aut diaconis, aut Episcopis peregrinis nulla in Ecclesia appareat acceptio personarum.* Itaque non dubito de his fidelium cœtibus loqui Iacobum, à quibus alienam cupit esse acceptionem personarum, quacunque tandem illa ratione admittatur; singulare tamen exemplum affert, quod minoris quidem fortasse momenti videatur, ex eo tamen intelligi vult Apostolus, quid in aliis rebus grauioribus sentiendum sit, atque ita quod Augustinus ait de Ecclesiasticis honoribus, non tam dicitur ab Apostolo, quàm ex ipsius verbis apertè colligitur: quod idem dixerim de Clementis Romani præcepto, quo personarum acceptionem ad peregrinos excipiendos verè atque aptè transfert: nam genus quidem omnes sibi subiectas formas complectitur, & quæ generi tribuuntur, in omnes formas æquè cadunt, &, vt breuiter dicam, licet à minori argumentari: nam si in re leui nefas est, personarum tantùm respectu alterum alteri præferre, quid in re graui sentiendum existimabimus?

g 1. ad Cor. 11. 18.

V. Ait igitur Iacobus: *Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida.* Græcè ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. Quid autem hoc loco significet annulus aureus, & vestis ambigitur à multis. Et sunt qui velint annulum aureum fibulam fuisse auream, qua vestis adstringeretur, quam honoris ergo viri illustres gestare solerent, nam Iosephus [h] auctor est, Ionatham pontificem à rege Antiocho, *aurea vasa, & pocula, vestémque purpuream, & fibulam auream accepisse:* nam eo ornamento non fœminas tantùm, sed etiam viros vsos fuisse ex Liuio [i], & aliis constat. Quæ sanè sententia, si Latinæ interpretationis verba spectes, videri potest probabilis. Græca tamen Apostoli verba apertè refragantur: apparet enim, quod ait Interpres, A *annulum habens*, non posse coniungi cum veste, quasi sensus sit, diuitem in cãdida veste annulum gestare. Est enim Græcè χρυσοδακτύλιος, quæ vox Græca compositione, hominem significat, qui aureum annulum in digito gestat, quomodo χρυσοστέφανος, aurea redimitum corona, vt omnino non de aurea fibula, quæ vesti aptatur, sed de aureo annulo Iacobi verba accipienda sint.

h lib. 13. antiq. c. 9.
i lib. 7. dec. 4

VI. Quanquam enim Clemens [a] Alexandrinus negat annulum viris permittendum esse in articulo ferendum, quem mulieribus tantùm concedit, sed solum in extremum manus digitum inserendum. Plinius [b] tamen hac de re hunc in modum scribit: *Singulis primò digitis gerere mos fuerat, qui sunt minimis proximi, sic in Numæ, & Serui Tullii statuis videmus; postea pollici proximo induere etiam deorum simulachris, deinde iuuit, &* B *minimo dare. Galliæ, Britanniæq; in medio dicuntur vsi; hic nunc solus excipitur, cæteri omnes onerantur, atque etiam priuatim articuli minoribus aliis sunt qui tres vni minimo congerant, alii verò, & huic vnum tantùm, quo signanda signantur.* Atque hunc potissimùm morem probasse videtur Clemens, dum extremo digito annulum viris permittit. *Ita enim*, inquit, *erit manus maximè expedita ad operandum in iis, in quibus ea egemus, neque facilè excidet sigillum, quod maiore articuli ligamento custoditur.* Olim apud Romanos, vt auctor est Dio [c], soli Senatores, & equites annulis vtebantur, Augustus tamen, vt idem Dio [d] scribit, Antonio Musæ libertino medico, quòd eius opera à morbo conualuisset, aurei annuli ius dedit, quod deinde C sub Tyberio vetitum fuisse Plinius [e] testatur, id postea ab Imperatoribus Galba, & Vitellio rescissum est. Sic Tacitus [f], & Suetonius [g].

a lib. 3. Pædag. c. 11.
b lib. 33. c. 1.
c lib. 48.
d lib. 53.
e lib. 2. ep. 33.
f lib. 17. & 18.
g in Galba, c. 14.

VII. Solent autem annuli, quasi nobilitatis insignia ambitiosiùs gestari, præsertim à diuitibus; significat igitur hac descriptione Apostolus virum quempiam nobilem, & opulentum, cui mox ex aduerso respondeat pauper, addit: *In veste candida*, Græcè λαμπρᾷ, quasi dicat, *splendida*, &, vt mox interpretatur, *præclara*: albus enim color plus videtur splendoris, ac lucis habere, quàm cæteri, atque ita, cùm apud Lucam [h] legimus Christum ab Herode alba veste fuisse illusum, Græcè legitur, λαμπρᾷ, eadémque vox Græcè est in Apo D calypsi [i], *& vestimentis*, inquit, *albis induaris.* Albæ quippe vestes lætitiæ causa vsurpari consueuerant, quocirca qui Magistratus ambiebant, candidati in campum sine toga descendebant, vbi comitia haberi solebant: quin etiam Romani in Cereris mysteriis toga candida ludos spectare consueuerant, & matronæ in alba veste sacrum facere; ita Valerius [k] Maximus, quò spectans [l] Poëta:

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa quibus niuea velata corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

h cap. 23.
i cap. 3. 18.
k lib. 2. c. 1.
l Ouid. lib. 10. metam.

VIII. Certè apud Spartanos, vt auctor est Plutarchus [m], mulieres affinitate proximæ in veste candida regis funus celebrabant. Apud Græcos, vt quidam [n] affirmant, fœminæ, virique in candida veste cum E coronis amplissimi viri exequias prosequebantur, & veluti in publico luctu complorabant, quod Syracusanos fecisse testatur Plutarchus [o], qui candido amictu velati, & fronde coronati Timoleonem extulêre, eodémque auctore [p] Sicionii Aratum in veste alba, & coronis sepulchro intulêre. Denique Argiui, asserente Plutarcho [q], in luctu albas vestes aqua ablutas induunt, candidóque amictu funus comitantur.

m in Problem. c. 25.
n Alex. ab Alex. lib. 3. Genial. c. 7.
o in vita Timoleon.
p in vita Arati.
q in Problem. c. 25. in fine.

IX. Cæterùm albus color propter splendorem, & lucem lætitiæ magis conuenit; quocirca olim veteres

albis

albis calculis ad absoluendum, nigris ad condemnandum vtebantur, qua de re Poëta [a]:

a Ouid. lib. 5. Meta.

Mos erat antiquis niueis, atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa;
Tunc quoque sic lata est sententia tristis, & omnis
Calculus immitem demittitur ater in vrnam.

Iisdémque dies, albis quidem lætos, nigris autem infelices, notare consueuerant. Ita ille [b]:

b Pers. sat. 2.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Quem morem à Thracibus fuisse desumptum, auctor est Plinius [c]; sed, ni fallor, candidam, & splendidam vestem intelligit Apostolus vestem ornatam, ac prædiuitem, cuiusmodi viri primarij, atque opulenti gestare solent.

c lib. 7. c. 4.

X. *Introierit autem pauper in sordido habitu.*] Hunc diuiti opponit, & sordidum habitum annulo, & splendidæ vesti ex aduerso obiicit, vt ostendat, quod mox docebit, non esse ex his rebus externis de personis iudicandum: plerumque enim, vt est in veteri prouerbio, sub tenui palliolo latet sapientia, & olim Gregorius Neocæsariensis virum sapientem, ac probum carbonariam exercentem, dignissimum censuit, qui ad Episcopatum, & Ecclesiæ gubernacula promoueretur: contrà verò non omnes qui purpuram, & aurum induunt, moribus præditi sunt tanto vestium splendore dignis. Alicubi enim verè, atque acutè scripsit Seneca [d]: *Non esse probandam vestem ex arcula prolatam, nec ponderibus, aut tormentis splendere cogentibus pressam, sed domesticam, & vilem.* Et alibi [e]: *Vulgum autem tam chlamydatos, quàm coronam voco: non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt, aspicio, oculis de homine non credo: habeo melius, certiúsque lumen, quo à falsis vera diiudicem, animi bonum animus inueniat, hic si vnquam illi respirare, & recedere in se vacauerit, ô quàm sibi ipse verum tortus à se fatebitur.*

d lib. de tranquill. anim. cap. 1.

e lib. de vita beat. c. 2.

XI. Qui secus faxit, externúmque trunci vel speciem, vel ornatum spectat, is non modò frequenter fallitur, sed, vt ait Oecumenius, non leui macula aspergitur, qui se ipsum probro, & proximum dedecore afficiat. Rectè verò in hanc sententiam scribit Cyrillus Alexandrinus [f]: *Cum nos hominem à Deo cognitum, & virtutibus rutilantem in solam carnem respicientes ex arrogantia plerumque parui facimus, quomodo Regi omnium contrarij non erimus? Quomodo acerbas pœnas non dabimus sublimia quantum in nobis est deprimentes, & lucem tenebras, & dulce amarum nominantes? Consideranda est igitur in Sanctis gloria sua: considerandi enim sunt non carne, sed intrinseca gloria. Verùm plurimi nostrûm humilem in hoc mundo virum, etiamsi virtutibus excellat, in solam tamen caducam diuitiarum gloriam iniquis oculis respicientes non rectè iudicant, quos Christi discipulus non iniuria reprehendit, dicens, Si introierit in conuentu vestro vir, &c. Sed à rebus etiam ipsis cognoscere possumus, quàm amentes, atque insani sint, qui exteriori habitu, non intrinsecus bonis hominem admirantur.*

F lib. 4. in Ioan. c. 4.

XII. Ad hunc enim Iacobi locum, quem ad verbum describit, respiciens, multa deinceps addit: *Diuitiarum enim, inquit, omnis splendor aduentitiam, atque caducam hominibus gloriam affert, virtutis autem, & interioris hominis fulgor proprias, ac naturales adducit diuitias, quæ non simul cum ista carne cadere solent, sed animo insunt, & illa cum ipso euolant, quò creator omnium constituit; multæ namque sunt mansiones apud Patrem. Non ergo diuitiis claros, nec terrestri gloria quasi flosculos rutilantes, sed eos, quos splendore operum ad illæ interminabilem gloriam currere cognoscimus, in quibus interior pulchritudo omni virtutis numero lucet, honorare debemus.* Hactenus autem proposuit Apostolus pri-

A mam sententiæ partem, mox verò subiicit alteram, in qua virium acceptionis personarum continetur. Sic enim addit:

3. *Et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum.*]

I. His verbis exprimit Apostolus in quo positum sit vitium acceptionis personarum, quoniam verò si simplicem verborum sensum libeat intueri, vel nullum, vel leue admodum peccatum appareat, diuitem præferre pauperi in hominum consessu, cùm, vt ait Aristoteles, in exhibendo honore nonnulla diuitiarum habenda ratio videatur, existimauit Augustinus, vt suprà docui, hanc sedendi, & standi distantiam ad honores Ecclesiasticos referendam esse: in iis enim impertiendis planè constat non externam personarum speciem, sed animi virtutem, prudentiam, ac probitatem spectandam esse.

II. Quanquam autem hæc Augustini sententia verissima est, vereor tamen ne nimis angustè Apostoli sententiam definiat; nec mihi facilè persuadere possum agere hoc loco Apostolum de Ecclesiasticis honoribus largiendis; cùm, vt suprà dixi, de Christianorum congressibus loquatur, qui ad audiendum verbum Dei, ad preces fundendas, Psalmos, atque hymnos cantandos, Eucharistiam denique percipiendam, certis diebus in Ecclesia haberi consueuerant, in quibus non semper, & fortasse etiam nunquam Episcopi eligebantur, Apostolico præsertim tempore, cùm pauci admodum Episcopos initiare possent. Nec temerè plebi, aut fidelium multitudini id vnquam permissum est, vt suo arbitratu Episcopos eligeret, tametsi aliquando populi consensus, & approbatio postulabatur. Cùm igitur hoc loco fideles omnes in dispersione positos alloquatur Apostolus, non eis, opinor, præscribit rationem eligendi Episcopos, quorum electio, vt ad Timotheum, & Titum scribit Paulus, ad Ecclesiæ Ministros pertinet, & eam ob causam vtrumque discipulum monet Paulus, quas in Episcopo conditiones iure requirant.

III. Sic igitur mihi persuadeo, voluisse Apostolum vniuersim fideles à personarum acceptione reuocare, vnáque docere animi virtutem, probitatem, sanctitatémque in exhibendo honore spectandam esse: voluit enim Apostolus, vt paulò pòst apertè docet, mutuam caritatem suadere, vt quidquid proximo exhibetur, à caritate proficiscatur, & ea quodammodo informetur. Caritas autem respicit proximum, tanquam aliquid Dei, atque ideirco quò quis ad Deum magis accedit, eò est maiori honore dignus; ita fit, vt rerum externarum, quæ ad corpus spectant, non sit habenda ratio, cùm præsertim illæ à probitate, & sanctitate seiunguntur, vt mox idem Apostolus indicat; quocirca meritò reprehendit eos qui externo vestium ornatu, & splendore commoti, eo solo nomine maiori prosequuntur honore diuites, quàm pauperes: hoc enim est, quod ait, *& intendiitis in eum*, Græcè ἐπιβλέψητε, hoc est, *respexeritis*, quasi venerabundi in eum, qui indutus est veste præclara.

IV. Possis etiam interpretari, *intendatis*, hoc est, suspiciatis, & admiremini, quod vulgus hominum solet, cùm tamen vestium luxus, vt leuissimè dicam, mera sit leuitas. *Et dixeritis*, inquit, *ei, Tu sede hic bene*: Græcè καλῶς, id est, *pulchrè*, quasi non modò locus honorificentior ei deferatur, sed etiam, quod

plerumque fit, peristromatis, tapetibus, ac puluillis ornetur, vt pulchrè, seu bene sedere sit, eminentiorem, ornatiorémque locum occupare.

V. *Pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum.* Quemadmodum diuiti aut veste pretiosa ornato, externarum rerum intuitu defertur honor, ita pauper eodem respectu nihili fit, & contemnitur, atque ita vel ei in connentu standum est, vel infra subpedaneum considendum: est enim Græcè ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. Vtrumque autem ad contemptum, aut neglectum pertinet; cùm tamen plerunque contingat, diuites esse honore indignissimos, contrà verò paupercs egregia virtute præditos, quæ illos maximis quibusque honoribus, dignissimos reddat. Si igitur contrà accidat, tanquam monstrum detestatur Salomon [a]. *Est malum,* inquit, *quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis; positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum, vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos:* Stulto enim diuites opponit, hoc est, virtutibus, animique bonis affluentes, seruis, id est, iis, qui veluti voluptatis mancipia, ganeæ, genióque indulgent, obiicit principes, hoc est, illos, qui prauis cupiditatibus iniecto fræno sibi ipsi imperant.

a Eccles. 10. 5.

VI. Alibi [b] verò, *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo, Iustum, & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit:* re namque vera siue per errorem, siue per acceptionem personarum non raro contingit, vt improbi ad summos honores, ac dignitates prouehantur; contrà verò viri boni, ac sapientes depressi, abiectique iaceant, & tamen omnia in ordinem à Deo redigenda sunt, & iusti quidem præmium, impij verò supplicium nanciscentur. Neque verò hæc propterea disputo, quasi nulla vel nobilitatis, vel diuitiarum habenda ratio sit. Neque id, vt arbitror, reprehendit, aut damnat in præsentia Apostolus: nam si cætera paria sint, tantùm abest, vt nobilitas, aut diuitiæ obsint, vt nonnullam honoris accessionem meritò postulent. Neque aliter existimandum est de aliis externis conditionibus, si cum pari, aut etiam maiori virtute coniungantur. Itaque Apostolus eam personarum acceptionem à fidelium animis remouendam censet, quæ externam tantùm speciem intuetur, & humano veluti splendore perstricta virtutis pulchritudinem aut non cernit, aut præterit, ac proinde concludit.

b Eccles. c. 3. 16.

4. *Nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?*]

I. Hæc est superiorum omnium clausula: cùm enim ostendisset, in quo posita sit acceptio personarum, nunc docet, quam sit illa à recta ratione aliena, ait autem Latinus interpres, *iudicatis apud vosmetipsos,* Græcè, διεκρίθητε, quam vocem alij passiuè reddunt; diiudicati estis in vobis ipsis; quod non modò insulsum, sed etiam iis repugnans videtur, quæ mox subiiciuntur: *Et facti estis iudices cogitationum iniquarum.* Nam qui iudicatus est, reus potiùs, quàm iudex videtur. Meliùs igitur Græcam vocem mediam Latinè transtulit vulgatus interpres; *iudicatis apud vosmetipsos,* quasi dicat, temerè apud vos ipsos iudicatis, nec rectam rationem sequimini, sed inanes vestras cogitationes, & animi tumorem, atque elationem, quæ, vt ait B. Gregorius [c], *in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed diuitias honore prosequitur.*

c Hom. 28. in Euang.

II. Ita colligit eos, qui externarum rerum respectu A diuites, & opulentos honore afficiunt, stultè iudicare, ac propterea subdit: *Et facti estis iudices cogitationum iniquarum;* quasi dicat, malè de hominibus iudicatis, qui nihil spectatis in iis, nisi ea, quæ vos suspicitis, & admiramini; malè autem apud vos iudicatis, si hæc externa bona honore digna censetis, cùm honor virtutem non aliter, ac corpus vmbra consequatur, eam ob causam malas, aut iniquas cogitationes vocat, quæ personarum acceptionem pariunt; rectè namque scripsit Plutarchus [a]: *Si magistratus eorum vtatur opera, quorum studia, atque rationes diuersa, & dissentanea sint, nihilo differre ab eo, qui opificem agens, imperitè, & temerè perpendiculis, ac normis vtatur, non quibus opus dirigat, & pulchrè absoluat, sed quibus omnino destruat, atque deprauet.* B Idque rei præsenti commode aptari potest: qui enim plus diuitiis externisque bonis, quàm virtuti tribuunt, improbos illos artifices imitantur, qui, vt ait Plutarchus, opus destruunt, atque deprauant: sequuntur enim animi sui sensa, &, vt ait Apostolus, cogitationes iniquas, quibus perperam externa specie contenti de hominibus iudicant.

a in Politic.

III. Quamobrem arguè, sed modestè tamen respondisse fertur Cato [b], Censori Catulo sibi amicitia, atque familiaritate coniuncto roganti, vt reum quendam dimitteret; turpe esse eos, qui iuuentutis benè instituendæ auctores esse debent, à lictoribus, & ministris irrideri; significans opinor, non amicorum intuitu, aut cuiusquam precibus, sed legum C auctoritate iudicandum esse. Et sapienter Antigonus [c] cùm ignauus nescio quis, ac mollis adolescens strenuo belli duce parente ortus, eo nomine cæteris anteferri cuperet, sapienter respondit: *Apud me, ò adolescens, virorum, non parentum virtutibus præmia sunt.* Exuendæ igitur sunt falsæ, atque inanes opiniones, omnésque prauæ animi affectiones deponendæ, quibus plerumque quasi tenebris mens offusa ea minimè cernit quæ verè honore, & gloria digna sunt.

b Plutarch. in Polit.

c Plut. lib. de vit. verecund.

IV. Ita plerumque fit, quod sapienter obseruauit Plutarchus [d], vt virtutis vocabula vitiis tribuantur, quod, vt ait Thucydides, in seditionibus, ac bellis accidere frequenter solet: siquidem audacia temeraria, fortitudo contentiosa, cunctatio pronida, timiditas de D cora iudicatur. Contrà verò modestiæ nomine prætexitur ignauia, & diligens in omni re prudentia segnities appellatur: ita non raro videas luxum liberalitatis veluti colore fucatum, timiditatem cautelæ, temeritatem celeritatis nomine tanquam velo obductam; rursum sordes frugalitatis nomine palliatas, fœdis item amoribus implicitus, comis, atque elegans; iracundus, & præferoci ingenio, magnanimus; vilis, abiectique animi, humanus appellatur; eleganter autem Plato amantium adulationem perstringens, *illos,* ait, *eorum, quos amant vitia virtutis appellatione honestare: nam qui simi sunt naribus, amabiles, qui naso adunco, regales, qui nigro colore, viriles, qui candidi, deorum filios vocant.*

d De adulat. ab am. dignoscen.

V. Has, credo, Iacobus iniquas cogitationes appel- E lat, quòd ab animi perturbatione, prauóque affectu ortæ, ceu fonte vitiato omnia vitæ officia deprauent; ita fit quod alicubi scribit Plutarchus [e], *vt homunum vulgus, quoniam ira turbas cies, eam agilitatem censeat, & quod minax est, & truculentum ad fiduciam, quod intractabile ad fortitudinem reuocet: nec desunt, qui crudelitatem ad magna quadam gerenda dexteritatem interpretentur, & implacabilitatem putent esse constantiam; denique morositatem, difficultatémque, odium vitiorum nuncupent.*

e lib. de cohib. iracun.

5. Audie

5. *Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

I. Mirè cum superioribus hæc Iacobi verba cohærent: cùm enim dixisset eos, qui diuitem solo diuitiarum respectu pauperi anteferrent, factos esse iudices cogitationum iniquarum, nunc euidenti ratione id confirmat: proposito enim exemplo Dei, qui cùm falli nullo modo queat, pauperes elegit, quos ad cœleste regnum, & immortalem illam gloriam proueheret, euidenter probat pessimè illos iudicare, qui contra faciant, ac diuites pauperibus præferant. Atque ita apparet, diuitias non esse per se honore dignas, nec contrà paupertatem, & inopiam suapte natura despiciendam. *Audite ergo*, inquit, *fratres mei dilectissimi*: hac enim blanda præfatione conciliandi erant fidelium animi, vt bonam in partem acciperent ea, quæ contra vulgi sententiam aduersùs diuites, & diuitias pro pauperibus, & paupertate dicturus erat.

II. More autem suo interpres, quod Græcè scriptum est, ἀδελφοί μου ἀγαπητοί, Latinè dixit: *fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo?* ita loquitur Apostolus [a] Paulus: *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Re namque vera Christus ad se pauperes vocauit: ita enim olim scriptum fuerat ab Isaia [b]: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me Dominus, ad annunciandum mansuetis misit me.* Quæ C verba Christus Dominus de se ipso interpretatur, & pro mansuetis pauperes substituit [c]. *Euangelizare enim*, inquit, *pauperibus misit me.* Et apud Matthæum [d] ad eundem Isaiæ locum respiciens, *pauperes*, ait, *euangelizantur*. Certè negare non possumus Christum magnopere paupertate fuisse oblectatum, qui in extrema penè inopia natus ita vitam instituit, vt verè aliquando dixerit [e]: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

a 1. ad Cor. 1.26.
b cap. 61.1.
c Luc. 4.18.
d cap. 11.5.
e Matth. 8. 20.

III. Elegit ergo, ait Iacobus, *pauperes in hoc mundo*, hoc est, eos, qui caducis diuitiis carent; suo autem exemplo docuit, non esse hæc caduca, & mortalia bona ad beatam vitam assequendam necessaria; ac ne vtilia quidem [f]: *abstrahunt enim à recto diuitiæ*, D *honores, potentia, & cætera, quæ opinione hominum cara sunt, pretio suo vilia: neque enim scimus æstimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est: siquidem ista nihil habent magnificum, quod hominum mentes ad se trahat, præter hoc vnum, quod mirari illa mortales consueuerunt. Nec quia concupiscenda sint, laudantur, sed potius quia laudata sunt, appetuntur. Cæterum diuitiæ inflant animos, superbiam, & arrogantiam pariunt, inuidiam contrahunt, eo vsque mentem alienant, vt fama pecuniæ plerosque etiam nocitura delectet. Ipsa autem natura* [g], *quæ aurum, & argentum pedibus nostris subiecit, calcandumque, ac premendum dedit, quicquid est, propter quod calcamur, ac premimur, satis insinuauit, quid de iis sentiendum nobis sit, quàmque falsus oculos nostros decipiat fulgor, nihil enim est istis quamdiu mersa, & inuoluta cœno suo iacent fœdius, nihil obscurius, nihil dum fiunt, & à fæce sua separantur informius; quod si ipsos opifices intueare, quorum manibus sterile terræ genus, & informe perpurgatur, videbis quanta fuligine oblinantur, cum tamen multo magis animos, quàm corpora inquinent, & in auri possessore plus sordium, quàm in artifice hæreat.* Meritò ergò pauperes elegisse dicitur Deus, illos in- A quam pauperes, qui diuitias aut non appetunt, si carent, aut non amant, si possident, aut illas spontè contempserunt: rectè enim ac verè scripsit alicubi Seneca, neminem illo digniorem esse Deo, qui opes contempserit.

f Senec.
g Senec. ep. 95.

IV. *Elegit* autem, ait, *pauperes in hoc mundo*, Græcè, τοῦ κόσμου τούτου, id est, *huius mundi*, qui videlicet in hac vita pauperes erant: addit, *diuites in fide*, hoc est, *elegit*. An quia cùm essent rerum caducarum inopes, fide autem diuites illos elegit? Caue putes; Hoc enim aliquando senserunt Massilienses, ne dissentiente quidem Augustino, qui quod alicubi [a] minùs cautè scripserat hunc in modum recognoscit [b], atque emendat. *Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse daturus est,* B *sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam æternam vitam consequeretur.*

a de quibusd. propos. ep. ad Rom.
b lib. 1. retract. c. 23 & lib. de prædest. San. c. 3.

V. Hoc olim scripserat Augustinus, dum adhuc esset presbyter, postquam autem renunciatus est Episcopus, subdit: *Nondum diligentiùs quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus* [c]. *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Quæ vtique non est gratia, si eam vlla merita præcedunt, ne iam quod datur non secundùm gratiam, sed secundùm debitum reddatur potiùs meritis, quàm donetur; proinde quod continuò dixi: dicit enim idem Apostolus* [d]: *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus: nusquam autem dictum est,* C *Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subiunxi: Quod ergo credimus, nostrum est, quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum, profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per Spiritum fidei, & caritatis: neque enim sola caritas, sed sicut scriptum* [e] *est, caritas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. Et quod paulò pòst dixi: Nostrum est enim credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris, verum est quidem, sed eadem regula, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat volun-* D *tatem, & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis; ac per hoc, quod etiam postea dixi, quia neque velle possumus, nisi vocemur, & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat; ac deinde subiunxi: Manifestum est ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse, quod bene operamur, omnino verissimum est, sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundùm propositum Dei: non enim omnium, qui vocantur, talis est, sed tantùm electorum. Itaque quod paulò pòst dixi: sicut enim in his, quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operentur, sic in his, quos damnat infidelitas, & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam* E *pœnam etiam malè operentur, verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putaui quærendum esse, nec dixi.*

c ad Rom. 11.5.
d 1. ad Cor. 12.6.
e ad Ephes. 6.23.

VI. Et alio [f] loco: *Cuius enim miseretur, inquam, facit eum bene operari, & quem obdurat, relinquit eum, vt malè operetur, sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti iniquitati: quod quidem verum est, sed adhuc quærendum erat, vtrùm & meritum fidei misericordia Dei præueniat, id est, vtrùm ista misericordia ideo tantum-*

f lib. de prædest. Sanc. c. 3.

modo fiat in homine, quia fidelis est, an etiam facta fuerit, vt fidelis esset: legimus enim dicentē[a] *Apostolo Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem, non aut, quia fidelis eram; fideli ergo datur quidem, sed data est etiam, vt esset fidelis. Rectissimè itaque: alio loco in eodem libro dixi: Quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei, & vocamur, vt credamus, & credentibus præstatur, vt bene operemur, non est gentibus ista inuidenda misericordia, quamuis minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit vocatione tractauerim.*

[a 1 ad Tim. 1.13.]

VII. Quæ omnia ita copiosè recensui, vt appareat, hanc pauperum electionem, de qua hoc loco Iacobus Apostolus loquitur, nullam habuisse in pauperibus præcurrentem causam, cur ad fidem vocati sint, sed pauperes diuinitùs fuisse vnius Dei liberalitate, ac munificentia electos, & vocatos ad fidem. Quod igitur ait Iacobus Deum elegisse *pauperes diuites in fide*; perinde est ac si dicat, diuina electione, & vocatione sua Deus pauperes fide locupletauit, vt elegisse dicatur diuites in fide, eligendo illos diuites fecisse, quomodo loquitur Paulus Apostolus[b]: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in caritate*: vt enim egregiè obseruauit Augustinus[c], non elegit nos Deus, quia eramus sancti, & immaculati, sed ideo elegit nos, eligendóque effecit, vt essemus sancti, & immaculati. Laborat quidem Augustinus[d], vt nonnullam electionis causam in electis inueniat, sed post longam disputationem fatetur, nullam se posse in homine diuinæ electionis causam inuenire præter vnam gratuitam, ac liberalem Dei munificentiam, quæ, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

[b ad Ephes. c.1.4.]
[c lib. de prædest. Sanctorum cap. 17. & 18. vbi agit etiam de his Apostoli verbis.]
[d lib. 1. ad Simpl. q. 2.]

VIII. Addit Apostolus. *Et hæredes regni*; non alia ratione pauperes elegit ad fidem, quàm ad cœlestis regni hæreditatem. Quicquid enim nonnulli argutentur, efficax electio, & vocatio ad fidem, & gratiam præcurrentem inuoluit electionem, eandémque efficacem ad beatæ vitæ, ac sempiternæ gloriæ possessionem, necesse vt sit, vtramque electionem omnem meritorum prænotionem anteuertere. Siquidem electio ad gloriam rationem habet finis, ad quem electio ad fidem, & gratiam tanquam ad extremum suapte natura refertur. Tritum est autem & non Philosophorum modò, sed etiam imperitorum omnium consensu receptum, appetitionem finis antiquiorem esse appetitione eorum, quæ referuntur ad finem; quippe priorem illam veram, ac propriam esse posterioris causam: propterea enim æger medicamentum expetit, quia morbum expellere cupit, ac pristinam valetudinem recuperare.

IX. Haud igitur absimili ratione Deus ideo pauperes elegit ad fidem, quia illos ad regni cælestis hæreditatem destinauit. Vtrumque autem non ipsorum merito, sed sua tantùm liberalitate præstitit; quocirca vt eligendo diuites fecit in fide, ita etiam eligendo constituit hæredes regni. Non me tamen fugit, hanc nostram sententiam, quam Augustinus, D. Thomas, aliique non pauci acerrimè defendunt, à nonnullis, præsertim recentioribus summa vi, conatúque oppugnari, sed plumbeis, vt alibi docui, mucronibus: suo enim loco ostendi & arbitrij libertatem, & meritorum efficacitatem, & cætera omnia, quæ fide Catholica credenda sunt, admissa scientia, qua Deus quæcunque sub certa conditione futura sunt, perspicuè cognoscit, probè consistere, & mirum in modum cohærere.

X. Quamobrem quod in præsentia ait Iacobus pauperes fuisse electos hæredes regni, Christi testimonio, atque auctoritate firmari potest, qui apud Matthæum[a] dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et planiùs apud Lucam[b]: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Et alibi pauperibus[c] tribuere videtur eius regni dominium: ait enim, cùm ad pauperum indigentiam subleuandam hortaretur. *Et ego vobis dico. facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Addit Iacobus: *Quod repromisit Deus diligentibus se.*

[a cap. 5. 3.]
[b cap. 6. 20.]
[c Luc. 16. 9.]

XI. Regnum proculdubio cœleste intelligit, quod iis promissum est, qui Deum diligunt, vt appareat, non satis esse ad salutem, & beatam vitam consequendam solam fidem, præsertim eam, quam inaniter hæretici iactitant, de qua plura paulò pòst dicenda erunt. Interim satis habeo cœlestis regni pollicitationem potissimùm referri ad caritatem, qua tendimus in Deum, &, vt ait Ioannes[d], in Deo manemus, & Deus in nobis. Eam ob causam Angelus in Apocalypsi[e] Ephesinum Episcopum reprehendit, quòd primam caritatem reliquisset. *Habeo*, inquit, *aduersum te, quòd caritatem tuam primam reliquisti: Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac.* Significans caritatem non esse languidam, & otiosam, sed viuam potiùs, vegetam, & actuosam; ac propterea cùm dicitur regnum caritati promissum esse, perinde est, ac si dicat, legis obseruatoribus esse propositum; ita enim dixit Christus[f]. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et alibi[g] vniuersam legem ad duo caritatis præcepta reuocauit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc est maximum, & primum mandatum: secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum; in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.*

[d hac epist. c. 4. 16.]
[e cap 2. 4.]
[f Matth. 19. 17.]
[g Matth. 22. 37.]

XII. Ex his apparet quid de diuitiis, & paupertate viro Christiano sentiendum sit; neque enim illæ per se expetendæ sunt, neque paupertas tanquam summum malum fugienda est. Itaque Salomon hunc in modum Deum precatur[h]: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè saturatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, & peiurem nomen Dei mei.*

[h Prou. 30. 9.]

XIII. Eleganter verò Seneca[i] diuitiarum respectu plurimùm ait inter sapientem, ac stultum interesse. *Diuitiæ apud sapientem virum in seruitute sunt, apud stultum in imperio. Sapiens diuitiis nihil permittit, vobis diuitiæ omnia: Vos tanquam aliquis vobis æternam diuitiarum possessionem promiserit, iis assuescitis, illis & cohæretis. Sapiens tunc maximè paupertatem meditatur, cùm in medias diuitias constitit. Nunquam Imperator ita paci credit, vt non se præparet bello, quod etiamsi non geritur, indictum est; vos domus formosa tanquam nec ardere, nec ruere possit insolentes, vos opes tanquam periculum omne transcenderint, maioréSque sint, quàm quibus consumendis satis virium habeat fortuna, obstupefaciunt. Otiosi diuitiis luditis, nec prouidetis illarum periculum, sicut barbari plerumque inclusi, & ignari machinarum segnes laborem obsidentium spectant, nec quò illa pertineant, quæ ex longinquo struunt, intelligunt. Idem vobis euenit, marcetis in vestris rebus, nec cogitatis,*

[i lib. de vita beata c. 26.]

cogitatis, quot casus vndique immineant; iam iamque pretiosa spolia laturi. Sapiens quisquis abstulerit diuitias, omnia illi sua relinquet. viuit enim præsentibus lætus, futuris securus.

XIII. Et non ita multò antea dixerat, non habere diuitias eundem apud omnes locum; *Mihi*, inquit, *diuitiæ si effluxerint, nihil auferent nisi semet ipsas; tu stupebis, & videberis tibi sine te relictus, si illæ à te recesserint. Apud me diuitiæ aliquem locum habebunt, apud te summum: postremò diuitiæ meæ sunt, tu diuitiarum es.*

a psal. 75. 6.

Quò fortasse respexit Dauid, cùm dixit [a]: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Quanquam, vt verum fatear, Hebræa aliud significant, cùm videatur Dauid de viris fortibus, & bellicosis loqui, sed idem de diuitibus rectè dixeris. B Coguntur enim omnes diuitias vel inuiti deserere, &, quod deterius est, nullum ex iis fructum, aut vtilitatem percipiunt.

XIV. Contrà verò paupertas æquo, fortique animo tolerata non apud Deum solùm amplissimum præmium, sed etiam apud homines ingentem gloriam consequitur. Sapienter enim dixit idem Seneca [b]; *Cui cum paupertate bene conuenit, diues est.* Idémque alibi [c] ait, *in paupertate nihil mali esse. quisquis modò nondum peruenerit in insaniam omnia subuertentis auaritiæ, ac luxuriæ intelliget. Quantulum est enim, quod in tutelam hominis necessarium sit, & cui deesse hoc potest vllam modo virtutem habenti? corporis exigua desideria sunt, frigus summouere vult, alimentis famem, ac sitim extinguere, quicquid extra concupiscitur vitiis, non vsibus laboratur, non est necesse omne perscrutari profundum,* C *nec strage animalium ventrem onerare, nec conchilia vltimi maris ex ignoto litore eruere. Dij istos, Deæq; perdant, quorum luxuria tam inuidiosi imperij fines transcendit, vltra phasim capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat, nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetimus, aues petere; vndique conuehunt omnia nota fastidienti gula, quod dissolutus diuitiis stomachus vix admittat, ab vltimo portatur Oceano, vomunt, vt edant, edunt, vt vomant epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Ista si quis despicit, quid illi paupertas nocet? si quis concupiscit, illi paupertas etiam prodest. Contrà verò diuitiæ, nisi quis iis dominetur, atque imperet, omnium penè vitiorum, ac scelerum materiam præbent: Equus enim saginatus neque frenum patitur, & sessorem excutit.*

b epist. 2.

c lib. de consol. ad Albin.

XV. Quò spectans fortasse Moses de Israëlitico populo ita cecinit [d]: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum.* Neque aliter accipio quod scribit Ezechiel [e]: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manum pauperi non porrigebat.* Itaque Deus ipse diuinæ legis auctor huic periculo occurrens in hæc verba populum [f] monet: *Præcipio tibi, ne postquam comederis, & satiatus fueris, & domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerísque armenta, & ouium greges, argenti, & auri, cunctarúmque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui.* Plura infrà vnà cum Apostolo dicenda erunt.

d Deut. 32. 15

e cap. 16. 49.

f Deut. 8. 11.

6. *Vos autem exhonorastis pauperem; nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?*

I. Persistit Apostolus in eodem argumento, additque orationi nonnihil vehementiæ, & acrimoniæ, vulgíque mores perstringit, quod plerique mortalium pauperes contemnant, diuites suspiciant, ac venerentur, ita diuitum mores, eorúmque arrogantiam, & impietatem ob oculos ponit, vt ostendat in exhibendo honore nullam diuitiarum habendam A esse rationem. *Vos autem*, inquit, *exhonorastis pauperem.* mutatio numeri sententiarum peperit varietatem: nec enim defuerunt, qui pauperis nomine Christum intelligant, qui, vt paulò antè diximus, paupertatem complexus est; &, vt ait Paulus, *cum esset diues, pro nobis egenus factus est.* Et de illo scribit Zacharias [a]: *Ecce Rex tuus & ipse pauper.* Huic ergo non leuem inferunt iniuriam, qui diuites solo diuitiarum intuitu pauperibus præferunt. Neque sanè abnuerim veram, & argutam esse sententiam, sed non hæc, vt arbitror, Apostolo mens fuit, qui, quantùm conicere possum, superiora explicat, cùm dixit: *Pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum:* vtrumque enim ignominiosum videri potest, si in fidelium consessu iubeatur pauper aut B stare, aut infra sub pedaneum sedere. Vos igitur, ait Iacobus, dum ita malè pauperem excipitis. ingenti illum dedecore, atque ignominia afficitis, quod, vt paulò pòst docebit, cum fraterna caritate ex aduerso pugnat, cùm præsertim si ipsa per se paupertas inspiciatur, nihil habeat despiciendum, aut contemnendum.

a cap. 9. 9.

II. Quin potiùs, vt apud Laërtium dixit Socrates, si pauper suis cupiditatibus imperet, Deo simillimus videatur, cùm ipse paucissimis, Deus verò nulla re prorsus indigeat. Et acutè Democritus ei, qui nonnulla desideret, pauca multa videri dixit; cupiditate enim compressa paupertatem diuitiis æquari. Aristides autem sibi paupertatem exprobranti respondit: Mihi quidem nihil affert mali paupertas; tibi C verò diuitiæ non paucas perturbationes. Sapienter verò Diogenes ampla Alexandri promissa eludens dixit; Vter nostrûm pluribus eget? Ego, qui vltra peram, & pallium nihil desidero an tu qui non contentus patrio regno, tot periculis temet obiicis, vt latiùs impetes, adeò vt vix totus orbis tuæ cupiditati satis futurus videatur?

III. Denique ne cuncta recenseam, Apollonius dicere consueuerat, paupertatem suapte natura nequaquam turpem esse, dedecus autem maximum, flagitiúmque indignissimum esse, si turpi de causa ad inopiam quis, & egestatem redigatur. Itaque meritò Apostolus eos reprehendit, qui solo paupertatis nomine, dedecore, atque ignominia pauperem afficiunt: *honesta enim res est*, ait Seneca [b], *læta paupertas, illa* D *verò non est paupertas, si læta est.* Vidit hoc aliquando Alexander, qui Diogenem percunctatus, num re quapiam indigeret, cùm audisset illum respondentem nihil aliud velle, quàm vt paulisper obumbrare Solem desineret, magnitudinem animi admiratus ad amicos conuersus dixit: Si Alexander non essem, Diogenes vtique esse vellem; intellexit nimirum in animi moderatione summam esse positam fœlicitatem. Magnum igitur piaculum est, pauperem vnius paupertatis respectu contemnere, & tanquam pannosum, ac sordidum parum honestè accipere, cùm reuerà hoc nomine honore potiùs dignissimus videatur, vt tamen sunt hominum ingenia, & mores, infœlicissimi sunt pauperes, qui, vt ait [c] Saluianus, quasi inter concertantes procellas in medio mari po- E siti, nunc istorum scilicet, nunc illorum fluctibus obruuntur. Et multa deinceps in eandem sententiam.

b epist. 2.

c lib. 4. de gubern.

IV. Cæterùm pauper Euangelicus, qui Christianæ perfectionis studio Christi Domini consilium complexus omnia contempsit, & caduca bona abiecit, vt cœlestia consequatur, eximio quodam honore dignus est, quippe Deo est quàm simillimus: sic enim de Christiana paupertate scripsit Saluianus Episcopus [d]: *De illis enim*, ait, *qui expediti aut omnibus, aut penè omnibus sarcinis Saluatoris viam sequuntur. &*

d lib. 2. ad Eccl. Cath.

Domi

A *Dominum Iesum Christum non sanctitate tantùm, sed etiam paupertate imitantur, nihil est, quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta* [a] *dixit: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: hos enim ego omnes non aliter quàm imitatores Christi honoro, non aliter quàm Christi imagines colo, non aliter quàm membra Christi suscipio.* Et alibi [*] cùm pauperes Saluatoris nummularios appellasset, *primum*, subdit, *ac saluberrimum religionis officium esse, vt Christianus diues, dum in hac vita est, diuitias mundi huius pro Dei nomine, atque honore consumat. Hi videlicet sunt, qui regno cælesti vim inferunt, & diuina eius bona rapiunt.* Rectè namque dixit Chrysostomus [b]. *Quid significat, vim patitur regnum cælorum? Vi opus est multa, angusta est via, robusta anima opus est, & generosa. Raptores praeoccupare admittuntur, disperge quæ habes in manibus.* B *quousque enim præsentia seruas, illa rapere non poteris.* Hæc ille, & quidem rectè, plenis enim manibus nemo aliud quidquam rapere potest.

a psal. 138. 17.
* li. 3. ad Eccl. Cath.
b Hom. 53 in Ioan.

V. Itaque eadem mente dixit Augustinus [c]. *Dimitte terrena, & accipies cælestia.* Eleganter verò Prosper [d] Aquitanicus, pauperem Euangelicum Dei possessorem appellat. *Ergo*, inquit, *qui vult Deum possidere, renunciet mundo, vt sit illi Deus beata possessio.* Dixerat autem paulo antè, *proinde quem possidendi delectat ambitio, Deum, qui possidet omnia, quæ creauit, expedita mente possideat, & in eo habebit quæcumque habere sanctè desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, sit ipse primitus Dei possessio, & efficietur ei Deus possessio, & portio. Et quid potest eo esse felicius,* C *cui efficitur summus conditor census, & hereditas eius dignatur esse ipsa diuinitas, si modo eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo, & de illo ingiter viuat, & nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum, quæ fecit, valet æquari non dignatur cum his, quæ condidit possideri. Denique quid vltra quærit, cui omnia suus conditor fit, aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Hunc possidebat, & ab illo possidebatur ille, qui dicebat* [e] *in spiritu. Portio mea Domine dixi custodire legem tuam.* Et [f], *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. Sed & ipse cum dicit* [g]. *Filiis Leui non dabitis partem inter fratres suos, ego Dominus portio eorum; satis ostendit, quòd hi, qui terrenæ hæreditatis contempserint portionem, Deum spiritualiter mereantur possidere, cuius dicatis muneribus, omnia,* D *quæ præclara habentur in hoc mundo, fastidiunt, & ipsum possidere, vel ab ipso possideri, eo solo perfrui, atque ei adhærere inseparabiliter concupiscunt.*

c Serm. 233. de temp.
d li. 2. de vita cõtempl. cap. 16.
e psal. 118. 53.
f psal. 15. 5.
g Num. 18. 20.

VI. Quamobrem hanc Euangelicam paupertatem mirificè extollebat S. Franciscus, qui propterea illam altissimam appellare consueuerat, quòd hominem ad sublimia, atque cœlestia attollat. Et Augustinus [h]: *Iste mundus*, inquit, *aut videt nos aut videtur à nobis, melius est vt calces mundum, & calcato eo, gradum tibi facias, per quem in sublime conscendas.* Et Gregorius [i]: *Volant*, ait, *qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt.* Et alibi [k] de se ipso: *Nihil in hoc mundo appetens, nihil pertimescens. Videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita vt in me penè impletum crederem, quod pollicente Domino ex Isaia* [l] *didi-* E *cissem: Sustollam te super altitudinem terræ; super enim altitudinem terræ sustollitur, qui & ipsa, quæ alta, & gloriosa præsentis videntur sæculi per mentis despectum calcat.* Quin etiam Bernardus [m] hæc omnia deserenda docet, vt in cœlo placidè possit animus conquiescere. *Est enim, vt ait Augustinus* [n], *paupertas regni cælestis pretium*; & interim, vt obseruat Bernardus, centuplum accipit, quod promisit Christus; *impletur siquidem Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore, & longè plusquam centuplum est visitatio Spiritus paracleti, & præsentia Christi.*

h Serm. 55. de temp.
i Hom. 18. in Ezech.
k lib. Reg. ep. 5.
l cap. 58. 14.
m Declam. ad illa ver. Ecce nos reliquimus omnia
n Serm. 28. de ver. Ap.

VII. A Quæ cùm ita sint, facilè apparet, quàm graue scelus sit, quod hoc loco reprehendit Iacobus, dum ait: *Et vos inhonorastis pauperem*, cùm potiùs, vt Gregorius [a] monet, magno honore digni sint pauperes, & non inuitandi solùm, sed quodam modo trahendi, cogendique sint, vt Christianæ liberalitatis fructum aliquem percipiant. Itaque Chrysostomus de Abrahami liberalitate hæc scribit [b]: *Pro foribus sedens Abraham introducebat prætereuntes omnes, & quemadmodum piscator iacto in mare reti piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum, & margaritas, itidem & hic reti captans homines piscatus est tandem & Angelos, quódque mireris etiam insciens.* Abrahami autem pietatem imitabatur Paula Romana, de qua hæc scribit Hieronymus [c]. *Paula*, inquit, *clinicos curio-* B *sissimè tota vrbe perquirens damnum putabat, si quisquam debilis, & esuriens cibis sustentaretur alienis.*

a Hom. 23. in Euang.
b Conc. 2. de Lazaro.
c ep. 27.

VIII. Et præterea eius largiendi prudentiam his verbis laudat: *Solent pleraque matronarum buccinatoribus suis dona conferre, & in paucos largitate profusa manum à cæteris retrahere, quo illa omnino carebat vitio: ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat non ad luxuriam, sed ad necessitatem, nemo ab ea pauperum vacuus reuersus est, quod obtinebat non diuitiarum magnitudine, sed prudentia dispensandi.* Et aliquantò pòst: *Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra, & sæculo transituri sunt, sed in viuis lapidibus, qui voluuntur super terram, de quibus in Apocalypsi* [d] *Ioannis ciuitas magni regis extruitur, quos in* C *sapphyrum, & smaragdum, & iaspidem, & cæteras gemmas esse vertendos Scriptura commemorat.*

d cap. 21. 18.

IX. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos?*] Quoniam dixerat ad personarum acceptionem pertinere, si propter diuitias pauperibus opulenti præferrentur: ostendit nunc multa esse in diuitibus, quæ illos odio potiùs, quàm honore dignos reddant: diuitum enim mores describens, vitia quædam indicat, quæ partim sunt contra proximos partim etiam contra Deum; orditur autem ab iis, quæ sunt contra proximos. *Diuites*, inquit, *per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia:* primum illud apertè est contra iustitiam, hoc verò posterius interdum quidem iustitiæ, vt plurimùm autem caritati repugnat: nec dubium est diuitias elatos spiritus tribue- D re, & aliorum contemptum parere; quamobrem Aristoteles diuitibus potissimùm arrogantiam, & tenuiorum contemptum tribuit, sic enim diuites sibi persuadent, quòd plurimum possint, nihil non sibi licere; nam alioqui si diuitiarum vis, & natura spectetur, vilia, & abiecta videbuntur omnia, quæ vulgò bona putantur, & magna.

X. *Circa pecuniam*, ait Seneca [e], *plurimum vociferationis est, hæc fora defatigat, patres, liberósque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus, quàm legionibus tradit, hæc est sanguine nostro delibuta, propter hanc vxorum, maritorumque noctes strepunt litibus, & tribunalia magistratuum premit turba, reges sæuiunt, rapiunt, & ciuitates longo sæculorum labore constructas euertunt, vt aurum, argentúmque in cinere vrbium scrutentur. Si to-* E *tam mihi ex omnibus metallis pecuniam proferas, si in medium proiicias, quicquid thesauri tegunt, omnem istam congeriem dignam non putem, quæ frontem viri boni contrahat, quanto risu prosequenda sunt, quæ nobis lacrymas educunt? Crede mihi, leuia sunt, propter quæ non leuiter excandescimus, qualia quæ pueros in rixam, & iurgium concitant: nihil ex his, quæ tam tristes agimus serium est, nihil magnum. Inde, inquam, vobis ira, & insania est, quòd exigua, magna existimatis; iter angustum rixas transeuntium concitat, diffusa, & latè patens via ne populos quidem collidit; ista, quæ appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum nisi alteri erepta transferri, eadem*

e lib. 3. de ira à cap. 31.

asse

affectantibus pugnam, & iurgia excitant.

XI. Hanc ob causam diuites opprimunt pauperes, & opibus, ac potentia ad eorum damnum, ac perniciem abutuntur; qua de re multa scribit Saluianus [a], quæ ad hunc locum magnopere pertinent. *Illud*, inquit, *indignius, ac pœnalius, quòd omnia non omnes sustineant, imò quòd pauperculos homines tributa diuitum premant, & infirmiores ferant sarcinas fortium, nec alia causa est, quod sustinere non possunt, nisi quia maior est miserorum sarcina, quàm facultas, res diuersissimas, dissimillimásque patiuntur, inuidiam, & egestatem: inuidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias quod defendunt, abundare arbitreris, si respicias quod habent, egere reperies: quis existimare rem huius iniquitatis potest? solutionem sustinent diuitum, & indigentiam mendicorum; plus multò est, quod dicturus sum, indictiones tributarias ipsi interdum diuites faciunt, pro quibus pauperes soluunt.* Et aliquantò pòst: *Veniunt plerunque noui nuncij nouarum epistolarum à summis sublimitatibus missi, qui commendantur illustribus paucis ad exitia plurimorum; decernuntur his noua munera decernuntur noua indictiones, decernunt potentes, quòd soluant pauperes, decernit gratia diuitum, quod perdit turba miserorum.*

a lib. 4. de prouid.

XII. Et alia multa deinceps subdit, quibus hæc diuitum tyrannis exprimitur: quod enim dixit interpres, *diuites per potentiam opprimunt vos*: Græcè scripsit Apostolus καταδυναστεύουσιν ὑμῶν, hoc est, *tyrannidem exercent in vos*; quò pertinent illa apud Dauidem [b]: *Qui deuorant plebem meam sicut escam panis*: plerique enim diuitum fœnore pauperes exhauriunt, aut rigido, seueróque imperio premunt, vt olim Ægyptij miserè Iudæos vexabant; & Sapiens hoc ipsum mira quadam eloquentia describit [c]: *Venatio Leonis, onager in eremo, sic & pascua diuitum sunt pauperes.* Et, *Sicut abominatio est superbo humilitas, sic & execratio diuitis pauper; diues commotus confirmatur ab amicis suis, humilis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis; diuiti decepto multi recuperatores; locutus est superba, & iustificauerunt illum, humilis deceptus est, insuper & arguitur, locutus est sensatè, & non est datus ei locus.*

b psal. 13.4. & psal. 52.5.

c Eccles. 13. 23.

XIII. Vt enim alicubi rectè dixit Plutarchus [d], *potestas coniuncta cum malis moribus molestiam adiungit cupiditatibus: siquidem malitia ex potestate celerem nacta cursum, quamlibet prauam cupiditatem vehementiùs incitat, atque inflammat; parat iram, inuidiam, auaritiam, odium; nec fieri potest, vt improbitas lateat in potestate: vt enim eos, qui comitiali morbo obnoxij sunt, si vehementiori frigore corripiantur, continuò vertigo capitis, atque vacillatio morbum arguens occupat; non aliter indoctos, & ineruditos, addo etiam improbos, simulatque fortuna paululùm extulerit, opibus, gloriáque, & potentia subuectos in edito loco collocauit, protinus eorum morbi erumpunt, & vt in vasis inanibus integráne sint, ac vitiosa, non facilè dignoscas, vbi verò aliquid infuderis, tum apparet, qua parte perstillent; sic animi putres ferenda potentia impares iracundia, fastu, insolentia, prauis denique cupiditatibus vndique effluunt.*

d li. de doct. Princip.

XIV. *Et ipsi trahunt vos ad iudicia.*] vel contra ius, fásque, vel certè repugnante caritate; vtrumque autem effetatos diuitum mores ostendit. Hanc autem peruersam iudiciorum rationem luculenter describit Salomon [e]: *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersa terra Rex imperat seruienti.* Et quidem rectè monet Salomon, non esse mirandum si innocentes calumnias, & oppressionem potentiorum perferre coguntur: Sæpe enim etiam viri sanctitate insignes nonnihil commouentur, dum hanc rerum perturbationem cernunt: nam Ieremias [a], *Iustus quidem, ait, tu es Domine, si disputem tecum, verumtamen iusta loquar ad te; quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui praeuaricantur, & inique agunt; plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum.*

e Eccles. 5. 7.

a cap. 12. 1.

XV. Et in eandem sententiam Iob [b], *Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitijs?* Multis deinde improborum fœlicitatem describit. Optimè verò Abacuch [c]: *Quare*, inquit, *ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & iniustitiam contra me? Et factum est iudicium, & contradictio potentior.* Et post nonnulla [d]: *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris, quare respicis super inique agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?* Hæc tamen, quæ pauperes perpetiâ diuitibus coguntur, apertè indicant, nec pauperes propter inopiam, & egestatem despiciendos, nec diuites propter opes, & potentiam suspiciendos, aut colendos esse, sed vtrisque laborandum esse, vt animum sapientia, & virtutibus ornent, & illi quidem sua fœlicitate modestè, ac temperatè vtantur; hi verò ad omnia aduersa fortiter toleranda animum firment. Hactenus autem Iacobus diuitum vitia indicauit, quibus proximos præsertim tenuiores premere, & vexare solent; mox verò alia attingit, quæ sunt contra Deum: sic enim subiicit,

b cap. 21. 7.

c cap. 1. 3.

d vers. 13.

7. *Nónne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super vos?*]

I. Videri posset Apostolus loqui de diuitibus à fide alienis, qui procuidubio Christianum nomen execrabantur, cùm non facilè suspicandum videatur, initio nascentis Ecclesiæ fuisse diuites Christianos, qui de Christi nomine obloquerentur, aut illud probris, & contumeliis violarent. Itaque Beda hæc Apostoli verba ad Gentiles, & Iudæos, qui Christi nomen insectabantur, referenda putat. Sed non video quorsum Apostolus Gentilium, ac Iudæorum vitia commemoret, dum à fidelium cœtu acceptionem personarum remouere studet, cùm præsertim si quid fortè diuites olim, vel Gentili superstitione decepti, vel Iudaica perfidia obcæcati, Christianum nomen insectabantur, vbi deinde depulsis tenebris veritatis lumen aspexerunt, augustissimum Christi nomen mira pietate, ac religione coluerunt, id quod in Paulo Apostolo apertissimè cernitur, qui cùm in Christianos incredibili quodam furore raperetur, de cœlo tactus, ita repentè mutatus est, vt de illo verè dixerit Christus [e]: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël.*

e Act. 9. 13.

II. Crediderim igitur hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt ab Apostolo, pertinere ad Christianos, quorum nonnulli ditiores, qui inter cæteros eminere videbantur, in cœtu fidelium honorificentiùs excipiebantur, tametsi fortasse moribus, ac vita eo essent honore indigni, quòd tenuiores vexarent, aut certè contemnerent, & præ se nihili ducerent, calumnias innocentibus intentarent, eósque ad tribunalia raperent, quæ fermè omnia Paulus ad Corinthios [f] scribens, in eorum Ecclesia reprehendit. Cæterùm quod nunc ait Iacobus, diuites blasphemare nomen, quod inuocatum est super fideles, perinde accipio, vt alibi loquitur Paulus [g], *Nomen enim*, inquit, *Dei per vos blasphematur inter gentes*: quasi significet Iacobus, diuitum mores materiam, & occasionem præbere blasphemandi, vt hac ratione ipsi quodammodo blasphemare censeantur, qua ratione dixit Isaias [h]: *Dominatores eius inique agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur*: nisi fortè quis malit, quod probabilitate non caret, indicari ab

f epist. 1. ca. 6. in princ.

g ad Rom. 2. 24.

h cap. 52. 5.

Apostolo quosdam, qui à fide defecissent, & Dei nomen impiè blasphemarent, quod de Hymenæo, & Alexandro scribit Paolus ad Timotheum [a], qui oeglecta fide, & bona cõscientia circa fidem naufragauerant, *quos*, inquit, Paulus *tradidit Satanæ, vt discant non blasphemare.*

[a] 1. ep. 1. c. 1. 20

III. Porrò si vocis proprietatem quæras, βλασφημεῖν, vox Græca est, propriéque significat probra, & conuicia in aliquem iactare, maledictis, & contumeliis incessere, famam denique, & existimationem alicuius lædere calumniando, vel obtrectando, atque ita ferè à prophanis scriptoribus vsurpatur; interdum etiam τὸ βλάσφημον, quod ab eodem verbo ducitur, idem valet, quod infaustum, seu male ominosum, & βλασφημία, idem quod δυσφημία, & hac ratione M. Tullius βλάσφημα, hoc est, infausta alicubi [b] dixit. *Bella*, inquit, *est huius quinquennij licentia, quanquam quid de quinquennio loquor? contrahi mihi negotium videtur, sed βλάσφημα mittamus.*

[b] li. 15. ep. ad Attic. ep. quę incipit, *Annuum vero.*

Et Gregorius Nazianzenus [c] βλάσφημον pro malo omine posuit; in sacris autem literis βλασφημεῖν idem videtur valere, quod impiè loqui, siue de Deo, rebúsque diuinis, siue de viris sanctis, qui iam æuo perfruuntur sempiterno. Sic apud Matthæum [d], blasphemia in Spiritum, seu Spiritus blasphemiæ dicitur verbum impiè contra Spiritum sanctum prolatum; quò pertinere videbatur Iudæorum blasphemia, qui apud Lucam [e] Christum mentiebantur in Beelzebub dæmonum principe cacodæmones effugare. Hac eadem ratione blasphemare dicebatur Christus, cùm sibi ea arrogaret, quæ vnius Dei propria esse constaret.

[c] Apolog. 1.
[d] cap. 12. 32.
[e] cap. 11. 15.

IV. Non satis autem liquet vtro modo blasphemandi verbum hoc loco vsurpetur. Et quidem videtur Iacobus pauperes potissimùm alloqui, quos ait à diuitibus tyrannicè opprimi, ad tribunalia per calumniam rapi, probris denique, & contumeliis affici, quasi Christiano nomine indigni videantur, vt hoc sit blasphemare nomen, quod inuocatum est super eos Christiano nomine, & professione illos indignos appellare, & hoc ipso contumeliis, ac maledictis proscindere, quòd huic nomini parum vita, & moribus respondeant. Atque hac ratione spectabit hoc etiam ad vitia, quæ sunt contra proximos, non aliter atque ea, quæ paulò antè commemorata sunt.

V. Referri autem potest blasphemandi verbum ad vitia, & peccata, quæ religioni aduersantur; si diuites, de quibus agit Apostolus, eò impietatis progressos esse opinemur, vt Dei nomen execrarentur, diuinámque prouidentiam accusarent, quasi pauperes tanto, támque insigni bono indignos, ad fidem, Christianámque religionem adduxerit, vt blasphemare nomen, quod inuocatum est super pauperes, sit contumeliosa, & impia verba proferre in Deum, & Christum, qui eos Christiano nomine dignos censuerint; vtrumque eodem recidit, nisi quòd hoc posterius magnam diuitum improbitatem indicat, quæ tamen leniri vtcunque potest, si, quod paulò antè monui, Christiani diuites non tam blasphement ipsi, quàm suis actionibus infidelibus, atque impiis blasphemandi, atque obtrectandi materiam præbeant. Certè hæc interpretatio propiùs accedit ad eam blasphemiæ rationem, quam Theologi probant in scholis, vt sit contumeliosum, & impium verbum contra Deum prolatum, de quo alicubi Hieronymus [f]: *Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum; omne quippe peccatum comparatione blasphemiæ leuius est.*

[f] Isa. 18.

VI. Quanquam, vt arbitror, amplissimè blasphemiæ nomen accipit, vt cùm hæresi, aut etiam odio Dei coniungitur: nam alioqui si per se blasphemia spectetur, leuius peccatum est, quàm infidelitas, aut odium Dei. Pugnat enim blasphemia non tam cum fidei confessione, vt existimauit nonnemo [a], quàm cum religione, quæ cultum, ac venerationem Deo exhibet, blasphemia autem, vt docet Athanasius [b], contra ipsam diuinitatem impiè agit. Et Augustinus [c]; *Est autem*, inquit, *blasphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis, itaque iam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere, quia de hominibus dubitari potest. Deus autem sine controuersia bonus est.* Et Hugo [d] Victorinus blasphemiam esse dicit cum quadam probrosa irreligiositate, & diminutione honoris diuini vituperium, atque conuicium. Hoc ergo vitio laborare diuites asserit Iacobus, vt ostendat ad personarum acceptionem maximè spectare, si huiusmodi homines solo diuitiarum intuitu in Ecclesiastico cœtu præcipuo honore afficiantur.

[a] D. Thom. 2. 2. quęst. 13. art. 1.
[b] de blasphe. in Spirit.
[c] lib. 2. de morib. Manich. ca. 11.
[d] li. de fruct. car. & Spir. cap. 6.

VII. Blasphemare autem dicuntur *nomen, quod inuocatum est*, inquit Iacobus, *super vos*; nomen videlicet Christi, quod tunc quidem Iudæis, ac Gentilibus maximè exosum erat, contrà verò fideles, ac pij eo nomine mirum in modum gloriabantur; atque vt omittam innumerabiles Martyres, placet in præsentia adscribere, quæ de Polycarpo fortissimo Christi athleta memorat Eusebius [e]. *Polycarpus*, inquit, *martyr ab Herode proconsule adhortatus, vt iuraret fortunam Cæsaris, & conuicia diceret in Christum, respondit: Octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam; qua igitur conscientia maledicerem, & blasphemarem regem meum, qui salutem mihi dedit?* Et quidem, vt alibi [f] dixi, suauissimum Iesu nomen tanto est honore dignum, vt meritò dixerit Apostolus, in eo omne genu flecti; *cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

[e] lib. 4. hist. cap. 15.
[f] ep. ad Philip.

VIII. De eo verò scribit alicubi Bernardus [g]: *Mel in ore, in aure melos, in corde iubilus*: de illo namque explicat verba illa [h]; *Oleum effusum nomen tuum; oleum siquidem fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Non aliter nomen Iesu lucet prædicatum, pascit recogitatum, inuocatum lenit, & vngit.* Mox verò subdit: *Vnde putas in toto orbe tanta, & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Iesu? Nónne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen dicat meritò Paulus* [i]; *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et post nonnulla: *Nec tantùm lux est nomen Iesu, sed est & cibus; an non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honestos, castas fouet affectiones?* Et paucis interiectis: *Sed est & medicina. Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor Iesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum huius nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum.* Et multa deinceps, quæ huius præstantissimi nominis dignitatem, ac præstantiam indicant; vt si diuitum blasphemiæ contra hoc nomen pugnent, nihil vs fingi possit improbius.

[g] In Cant. Serm. 15.
[h] Cant. 1. 2.
[i] Ad Ephes. 5. 8.

IX. Sed quanquam hæc ita in præsentia disputat Iacobus, verè tamen scripsit Ambrosius [k]: *Neque omnis sancta paupertas, aut diuitiæ criminosæ, sed vt luxuria infamat diuitias, ita paupertatem commendat sanctitas.* Et alibi [l]: *Scias non omnes diuites auaros, nec in facultatibus crimen hærere, sed in iis, qui vti nesciunt facultatibus: nam diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis.* Quocirca eos in præsentia meritò reprehendit, ac damnat Iacobus, qui diuitias per se honore dignas censent, cùm honor vnius tantum virtutis præmium esse dicatur; vulgi, ac imperitorum vox illa est [m]:

[k] in Luc. ca. 16.
[l] cap. 19.

O ciues, ciues! quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos. ——

[m] Hor. lib. 1. ep. 1.

Itémque

Scilicet uxorem, cum dote, fidémque, & amicos
Et genus, & formam regina pecunia donat.

X. Quò etiam spectat illud, quod apud Plutarchum [a] ait Sophocles: *Deformem corpore, atque obscurum fama modò accedant opes, mox sapientem lingua, formosúmque videri.* Neque alia mente dixit [b] Sapiens: *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubem perducent; pauper locutus est, & dicunt quis est hic? & si offenderit, subuertent illum.* Eodémque spectare visus est Salomon [c], qui quàm sit paupertas apud imperitos despicienda, similitudine quadam luce clariùs ostendit: cùm enim à potentissimo Rege vrbs quædam obsideretur: *Inuentus est*, inquit, *in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* Et paulò pòst: *Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?*

a lib. de aud. Poët.
b Eccles. 13. 28.
c Eccles. 9. 15

XI. Quamobrem sapienter illud, atque ex Philosophiæ præceptis dixit Sophocles [d], *suum etiam egenti honorem deberi, & si sapiat pauper, nulli inferiorem esse: neque diuitiæ tanquam mala aspernanda sunt, si cum virtute coniungantur, nec probanda paupertas est, si moribus improbis sit prædita.* Ita dixit Sapiens [e]: *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij.*

d Apud Plutar. l. de aud. Poët.
e Eccles. 13. 30.

8. *Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis.*]

I. Hinc apparet, quorsum referenda sint illa, quæ paulò antè de personarum acceptione disseruit: propositum est enim Apostolo, vt suprà monuimus, fidelibus persuadere, vt ordinem caritatis absque vllo terrenorum bonorum respectu, quàm diligentissimè retineant. Itaque ait, *Si legem regalem perficitis*; Græcè, εἰ μέντοι νόμον τελεῖτε βασιλικόν. Nec dubium est, vt mox ipse explicat, de præcepto mutuæ caritatis eum loqui, quod meritò regium præceptum appellat, vt mirum sit venisse cuipiam in mentem loqui Iacobum de regia quapiam lege, quæ magistratibus certum honorem decerneret, qualis fuit lex Assueri, quæ in libro Esther [f] commemoratur, & voce præconis promulgabatur in hanc sententiam: *Hoc honore condignus est quemcunque Rex voluerit honorare*: nam præterquam quòd non de Magistratibus, sed de omnibus fidelibus agit Apostolus, honor, qui Magistratibus debetur, non tam pertinet ad iustitiam distributiuam, quàm ad obseruantiam, quæ Magistratibus, ac Principibus honorem exhibet.

f cap. 6. 11.

II. Quocirca quæ de personarum acceptione dixit Apostolus; nihil cum obseruantia commune habent. Addo quòd Iacobus ipse mox explicat, quam legem regalem appellet, dum subdit: *Secundum Scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hanc enim legem regalem vocat, & quidem meritò: nam & apud Matthæum [g] Christus Dominus cùm proposuisset primum, & maximum legis mandatum, quo Deum supra omnia diligimus, subiicit: *Secundum autem simile est huic; Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*; indicans, vt arbitror, ex hoc capite omnia secundæ tabulæ præcepta manare, quod apertiùs significauit Paulus, cùm ad Romanos [h] scripsit: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit: nam: Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum: dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.*

g cap. 22. 39.
h cap. 13. 8.

A Addo quòd Christus Dominus peculiari quadam ratione hoc præceptum proprium, ac suum appellauit [a], *Hoc est*, inquit, *præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et aliquantò [b] pòst: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Et Paulus [c], *De caritate autem fraternitatis*, inquit, *non necesse habemus scribere vobis; ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuicem.* Et alibi [d]: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Ioannes [e] autem Apostolus *Carissimi*, inquit, *diligamus nos inuicem, quia caritas ex Deo est.* Denique [f] hoc appellatur præceptum nouum. *Mandatum*, ait Christus, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* III.

a Ioan. 15. 12.
b vers. 17.
c 1. ad Thessal. 4. 9.
d
e ep. 1. c. 4. 7.
f Ioan. 13. 34.

Tametsi enim, vt hoc loco indicat Iacobus, & IV.
B paulò pòst copiosiùs ostendam, vetus est, & perantiquum præceptum vnà propemodum cum natura haustum, & in singulorum mentibus inditum, ac penè insculptum, non immeritò tamen à Christo nouum appellatur; quæ sit autem nouitatis ratio, aliter, atque aliter explicatur. Equidem iis assentiri neutiquam possum, qui nouum idcirco præceptum interpretantur, quòd non vt olim amici tantùm, sed etiam inimici diligendi præcipiantur, vt enim non ita multò pòst probaturus sum, etiam in Pentateucho amor inimicorum præcipitur, nec vllum inimicorum odium probari potuit. Non me fugit existimasse nonnullos huius præcepti nouitatem in eo positam esse, vt peculia-
C ri quadam ratione proximos diligamus, quæ iis verbis contineatur, quæ mox subiicit Christus, cùm ait, *vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: vsque eò autem nos Christus dilexit, vt pro nobis animam suam posuerit, hoc est, mortem pro nobis oppetierit, quasi pro nostrorum proximorum salute, si res postulet, moriendum nobis sit; atque hac ratione Christi in omne genus hominum caritatem interpretatus est Ioannes Apostolus, cùm scripsit [g]: *In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

g ep. 1. c. 3. 16

Quæ sanè interpretatio vim præcepti diuini mirificè explicat, nouitatis rationem ne attingit quidem. Nam quemadmodum in lege noua non sem- V.
D per pro fratribus moriendum est, sed cùm caritatis ordo id postulat, vt infrà docebo, ita etiam auctoritate diuini, ac naturalis præcepti etiam ante aduentum Christi, quilibet cogebatur, eodem caritatis ordine proximos diligere, & pro rerum opportunitate, & personarum conditione interdum *pro illis occumbere.* Tametsi enim Christus apud Matthæum [h] longè aliam proposuit legis explanationem, quàm Pharisæi probarent, veram tamen, ac propriam vim præcepti explicuit, nihil verò præcepit, quod naturæ lege non contineretur, atque ita inter Theologos receptum est in Scholis in lege Euangelica, si excipias præcepta fidei, & Sacramentorum, nullum contineri præceptum, quod ad legem naturalem non pertineat; cur igitur man-
E datum nouum appellatur?

h cap. 5. & cap. 6.

An quia vim habet innouandi, atque instaurandi hominem? An quia veteris hominis vetustati repugnat, & ad nouum hominem propriè pertinet? Sanè hoc visus est indicare Christus, cùm aliquando [i] dixit: *In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem*: perinde quasi significet sui, hoc est, noui hominis imaginem, quam induendam Apostolus Paulus persuadet, in eo positam esse, vt fraterna caritate proximos complectamur. Itaque rectè Apostolus hanc regalem legem nominat, quòd mirificè sit à Christo VI.

i Ioan. 13. 35.

rege nostro commendatur, eique nos quàm simillimos reddat, qui *diligit omnia quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit.*

VII. Addit, *secundùm Scripturas*; quæ verba tam ad superiora, quàm ad ea, quæ sequuntur, referri possunt, si malis; cum superioribus coniungere, sensus erit; Si regiæ Christi Domini legi obtemperatis, quomodo Scriptura sacra ei parendum docet, bene facitis; docet autem Scriptura, proximum tanquam se ipsum diligendum esse. Quòd si magis placeat cum sequentibus connectere, perinde erit, ac si Apostolus dicat: Si vos Christi legi obsequentes præbetis, idque re ipsa præstatis, quod Scriptura docet, cùm ait, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, bene facitis.

VIII. Vtrumque autem verè dicitur, & vtrouis modo explices, Apostoli sententia constat, qui vtrumque verè potuit indicare. Meritò autem Scripturas numero multitudinis posuit; quia hæc lex de diligendo proximo, sæpiùs in sacris literis iteratur:
a cap.19.18. nam in Leuitico [a] ait Dominus: *Diliges amicum*
b cap.5.43. *tuum sicut te ipsum.* Et apud Matthæum [b]: *Audistis, quia dictum est; diliges proximum tuum.* Et
c cap.22.39. apud [c] eundem dicitur mandatum secundum, &
d cap.12.31. simile primo. Idémque repetitur apud Marcum [d]; denique, vt dixi, Paulus in eo vim omnem legis
e cap.5.14. collocat, additque ad Galatas [e]: *Omnis enim lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

IX. Et profectò huius præcepti obseruatio cum personarum acceptione magnopere pugnat: caritas C enim, vt supra dixi, proximum respicit tanquam aliquid, quod ad Deum pertineat, cùm, vt in Scholis Theologi docent, ad eandem caritatis virtutem pertineat, diligere Deum propter se ipsum, & proximum propter Deum. Quapropter diuina potissimùm bona in proximo spectat, atque idcirco externorum bonorum, quæ præcipuè respicit acceptio personarum, nullam prorsus habet rationem: hæc igitur est lex regalis, quam Apostolus in præsentia commendat, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

X. Verùm quid nomine proximi significetur, non planè liquet: Sunt qui amicos tantùm significari autument, quomodo Hebræam vocem in Leuitico transtulit vulgatus Interpres, dixit enim: *Dili-* D *ges amicum tuum sicut te ipsum.* Eodémque modo, vt arbitror, præceptum accipiebant Pharisæi, vt
f cap.5.43. intelligitur ex verbis Christi apud Matthæum [f], cùm dixit: *Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

XI. Cùm enim ab amore proximi excludant inimicos, satis significant, beneuolentiam, & caritatem amicis tantummodo deberi. Quod auidè dein-
g Guido Carmelita refert Alphonso à Castro lib. 8. aduers. hæres. verb. Inimicus. ceps arripuisse Græcos, viri docti [g] tradiderunt, qui odium inimicorum vsque eò probabant, vt non minùs imperitè, quàm impiè affirmarent, licere iis damnum inferre, & contrà eos mentiri, ac peierare; cæterùm hæc omnia cum naturæ præ- E cepto pugnant, & Scripturæ verbis apertissimè aduersantur. In Leuitico enim multa Deus præcepit, quæ hanc peruersam interpretationem ex-
h cap.19.17. cludunt [h]. *Non oderis*, inquit, *fratrem tuum in cor-*
i lib. contr. Eluid. *de tuo*; vt autem scribit Hieronymus [i], omnes natura fratres sumus, & vt docet Christus omnes eundem parentem habemus Deum. *Patrem*, in-
k Matt.23.9 quit [k], *nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Et paulò antè dixerat: *Omnes autem vos fratres estis.*

XII. Et, quod magis mirandum est, Seneca [l] omnes
l epist.96. nos, quasi vnius corporis membra esse affirmat.

A *Ecce, inquit, altera quæstio; quomodo hominibus sit vtendum, quid agimus? quæ damus præcepta? vt parcatur sanguini humano. Quantulum est ei, non nocere, cui debeas prodesse? magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Præcipiemus, vt naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum diuidat? Quando omnia, quæ præstanda sunt, ac vitanda dicam, cùm possim breuiter hanc illi formulam humani officij tradere? Omne hoc, quod vides, quo diuina, & humana conclusa sunt, vnum est; membra sumus corporis magni; natura nos cognatos edidit cum ex iisdem, & in eadem gigneret; hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit, illa æquum, iustùmque composuit; ex illius constitutione miserius est nocere, quam lædi, ex* B *illius imperio paratæ sunt iuuantis manus. Iste versus & in pectore, & ore sit.*

Homo sum; humani nihil à me alienum puto. Cohæmus in commune nati sumus. societas nostra lapidum fornici simillima est, quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur.

XIII. Non pauca in eandem sententiam scribit Plutarchus [a]. Nec satis probare possum, quod non-
a In polit. & in probl. & lib. de vtil. cap. ab inim. & in lib. de cohib. iræ.
nulli [b] excogitarunt, qui duo inimicorum genera distinguunt. Alios enim esse inimicos legales, qui religionis respectu inimici sunt; alios contrà ciuiles, qui ob priuatas iniurias inimicitias exercent, & hos quidem diligendos in veteri lege fuisse
b Caietan. Deut 7 & 8. & alij recētiores.
non negant, illos verò non odio habendos modò, sed exterminandos, cùm in Deuteronomio [c] C scriptum sit: *Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Exi-
c cap. 23.6.
stimant tamen odium illud fuisse imperfectum, cùm ne legales quidem inimicos absque causa lædere fas esset.

XIV. Sed hæc quamuis subtilis, & arguta distinctio videri possit, nullo tamen idoneo fundamento nititur: nam primùm non omnes legales inimici lædendi, aut exterminandi erant: quæ enim ex Deuteronomio afferuntur, de Ammonitis, & Moabitis tantùm accipienda sunt: mox enim subiicit Moses, *Non abomineris Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius:* ambo tamen ij populi à Iudæorum religione alieni erant. Deinde etiam gentes, ac nationes illæ, D quæ Dei iussu debellandæ, atque exterminandæ erant, iusto quidem Dei iudicio Iudæorum opera, sed citra odium plectendæ erant, eo planè modo, quo Iudex capitis sententiam profert, & carnifex sontes extremo afficit supplicio, nullo tamen priuato odio, aut maleuolentia.

XV. Accedit, quòd ibidem Deus [d] subiicit: *Non*
d Leuit.19.18
quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Ita proculdubio iniurias persequi vetat, qui earum obliuionem imperat, postremò ipsa verba legis non amicos solùm, sed etiam inimicos comprehendunt: vox enim Hebræa רֵעַ *reach*, vel רֵעֶה *rehe*, quæ videtur quamcunque societatem, & coniunctionem significare, id omnino postulat; ita in E Genesi [e], vbi nos legimus: *Dixitque alter ad pro-*
e cap.11.3.
ximum suum; eadem est Hebræa vox. Et alibi [f],
f Gen.15.10.
vbi agitur de sacrificio Abrahæ. *Diuisit*, inquit Moses, *ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit*; eadem Hebræa vox repetitur, vt significetur partium societas, & coniunctio, quæ sibi ex altera parte respondebant. Denique Septuaginta Græcè transtulerunt πλησίον, id est, *proximum*, non autem *amicum*.

XVI. Et profectò Hebræa vox latissimè patet: eum enim significat, qui aliqua ratione coniunctus est, siue cognatione, siue sodalitate, siue consueto-

dine, ac vicinitate; quod ex parabola Samaritani apud Lucam [a] vtcunque intelligitur, & quoties in lege veteri proximi nomen legitur, planè constat etiam inimicos comprehendi: nam in Exodo [b] loquitur Dominus in hanc sententiam: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui; nec desiderabis vxorem eius non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum nec omnia, quæ illius sunt.* Num quisquam ita desipiet vt excludi putet inimicos, perinde quasi (quod Græci somniant) contra inimicos mentiri liceat, aut eorum vxores violare, vel bona diripere?

a cap. 10. 30. b cap. 20. 16.

XVII. Neque aliter proximi nomen accipit Dauid [c]: *Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.* Et paulò pòst [d]: *Qui iurat proximo suo, & non decipit.* Eodémque modo loquitur Sapiens [e]: *Omne animal diligit sibi simile, sic & omnis homo proximum sibi.* Denique legisperitus apud Lucam, non amicum, sed proximum sicut se ipsum diligendum dixit, cúmque rectè loquutum Christus ipse affirmat. Accedit quòd præceptum illud, quod apud Matthæum [g] probantibus legisperitis dicitur proximum primo, continétque proximi dilectionem, vno excepto Hilario [h], qui illud de Christo diligendo tanquam nobis humanæ naturæ respectu proximo interpretatur, ab aliis [i] omnibus de omnium mortalium amore explicatur.

c ps. 14. 13. d vers 5. e Eccl. 13. 19. f cap. 10. 27. g cap. 22. 39. h Can. 23. in Matth. i Iust. Dial. cum Tryph. Irenæus li. 4. c. 25. Orig. in para. Sam. Luc. 10. Basil. in ps. 14. Ambrosi. ad Galat. 6. Augustl. lib. 1. de doct. Christ. c. 28 & 30. & in psal. 118. côc. 8 Prosp. lib. 3. de vita contép. c. 15. Ansel. Matt. 22. & cæteri.

Denique Paulus [k] cùm omnia secundæ tabulæ præcepta ad hoc vnum præceptum reuocat, de proximi dilectione, eodem planè modo proximum accipere videtur, ne adulteria, furta, cædes, & falsa testimonia, quæ per se mala sunt, & contra legem probari dicamus, si aduersùs inimicos exerceantur.

XVIII. Fateor quidem, quod rectè monet Augustinus [l], secernendam esse inimici culpam à natura, & illam quidem odio, hanc verò amore, & caritate dignissimam esse. Itaque odium apertè in lege prohibetur: sic enim in Leuitico [m] ait Dominus: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo:* & vltionem, & vindictam detestatur Salomon [n], cùm ait: *Ne dicas, reddam malum, expecta Dominum, & liberabit te.* Et alibi [o]: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.*

k ad Rom. 13. 9. l lib. 14. de Ciuit. ca. 16. & Ser. 168. de temp. m cap. 19. 17 n Pro. 20. 22. o Pro. 25. 21.

XIX. Ad quem locum respiciens Apostolus, eadem verba repetit, aliáque non pauca in eandem sententiam addit; quamobrem rectè dixit Origenes [p], quòd attinet ad amorem inimicorum, legi veteri cum noua probè conuenire, quod etiam insinuant Irenæus [q], Ambrosius [r], Hieronymus [s], Augustinus [t], Beda [u]; In noua autem lege dixit Ioannes [x]: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Et rursus [y]: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.*

p Dial. 1. côtr. Marcio. q lib. 4. c. 25. r ad Rom. 12 s lib. 1. cont. Pelagia post med. t lib. 3. de doct. Christ. c. 16. u Prou. 25. ad illa verba, Carbones s. gas, &c. x ep. 1. c. 3. 15 y ep. 1. c. 4. 20.

XX. At Christus apud Matthæum [z] indicare videtur, olim fuisse odium inimici permissum. *Audistis*, inquit, *quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*; quò spectans Hilarius [a], legem ait odij licentiam dedisse, quod etiam significat alicubi Gregorius [b]. Sanè multos hoc argumentum diu torsit, qui propterea in varias abiere sententias: nam Augustinus [c] existimauit permitti, vel præcipi odium inimicorum, qua ratione mali sunt, atque improbi, eorundem verò amorem à Christo imperari, qua homines sunt eiusdem nobiscum naturæ, diuinorúmque bonorum participes; à qua sententia non discrepat Hilarius [d]: ait enim malorum odium esse religiosum, præcipi namque nobis, vt nostros quidem inimicos diligamus, Dei

z Mat. 5. 43. a Can. 4. in Matth. b lib. 5. in 1. Reg. c. 11. c lib 19 con. Faust. c. 14. d In ps. 118. l. Samech. in princip. & in psal 138. in fine.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

A verò hostes odio prosequamur.

XXI. Quòd si rem ipsam putes nihil hac sententia verius dici, aut excogitari potest, sed, ni fallor, ad rem non facit. Nemo enim vnquam somniauit, inimicorum vitia, aut peccata amore digna esse, quæ ne in amicis quidem probanda, aut amanda sunt, vt egregiè probat Hilarius ex verbis Christi, qui apud Lucam [a] dixit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* hæc autem omnia si nos à Deo reuocent, plusquam Vatiniano odio digna sunt. Iam verò idem Augustinus [b] odium inimici in lege præcipi non negat, sed inimicum intelligit dæmonem,

a cap. 14. 26. b Serm. 62. & c. 168. de temp.

B præcipi verò à Christo amorem inimicorum, id est, hominum; quæ tamen explicatio siue Augustini sit, siue alterius (neque enim id satis constat) Christi verbis vix potest aptari: particula enim aduersatiua, *autem*, qua vtitur Christus, cùm ait: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, apertissimè significat eum inimicum diligendum esse, qui, vt paulò antè dixerat, ex quorundam sententia odio prosequendus censebatur.

XXII. Mitto illos, qui legales inimicos à politicis, ac ciuilibus distinguunt, quorum sententiam paulò antè reiecimus: neque enim verbis Christi aptari vllo modo potest, cùm ille nulla ratione præcipiat legales inimicos, qua ratione à veri Dei lege abhorrent, diligendos esse. Quamobrem quod ait Christus dictum esse. *Odio habebis inimicum*, non ad legis

C præcepta, sed ad subdolam, & falsam Iudæorum interpretationem referendum est, ac proptereа fortasse non additur, eo loco, quod non semel iteratum est suprà, *dictum est antiquis*; ne quis existimaret odium inimici lege præcipi, aut ad antiquam interpretationem, traditionémve spectare, quasi significet id in exedris, & Synagogis Pharisæorum palàm tradi consueuisse.

XXIII. At non rarò malorum execrationes in sacris literis legimus: sic enim loquitur Dauid [c], *Effunde frameam, & conclude aduersùs eos qui persequuntur me.* Et mox: *Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam; auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala. fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans*

c ps. 34.

XXIV. D *eos: fiant via illorum tenebræ, & lubricum. &c. Angelus Domini persequens eos.* Et Paulus ad Galatas scribit, *Vtinam, & abscindantur qui vos conturbant.* Quæ sanè malorum imprecationes, odij & maleuolentiæ sunt effecta: quis enim malum ei optet, quem diligit?

Verùm hæc, atque his similia testimonia plures, & quidem admodùm probabiles explanationes admittunt: est enim plurimorum, grauissimorúmque virorum [d] sententia hæc, cùm aliis id genus, quæ passim in Scripturis leguntur, non tam inter execrationes, maledictionúmque imprecationes, quàm inter prædictiones recenseri. Addunt alij [e] optari malum, non vt est contra personam, sed vt iustum supplicium complectitur. Quin etiam

d Ansel. ep. a. Iustin. qu. 126. ad gētes. Euthym. ps. 34. 68. & 108. Hiero. in ps. 34. & Thren. 3. August. de Serm. Dom. in monte c. 45. & in psal. 58 & 78. Gregor. 34. mor. c. 7. e Orig. li 8. in epist. ad Rom. Euthy. ps. 103 Hier. Ezech. 13 & Dan. 9. Gelas. de anat. vinc. f Ser. 8. in ps. Qui habitat g 2. 2. qu. 31. ar. 2. q. 76. ar. 1 in 3 d. 30. vbi Sco. Gabr. Carthus. & alij. h Ser. 15. de iust. & in. q. 12. art. 1.

E Bernardus [f], D. Thomas [g], & [h] alij addunt fas esse malum alicui imprecari ex honesto aliquo fine; id enim cùm ad bonum præsertim spirituale referatur, non propriè, ac verè est malum optare, sed potius desiderare, & quodam modo parare bonum, pertinétque non ad odium, sed potius ad amorem, modò tacitè, & expressè conditio inuoluatur, vt aliа ratione bonum, quod quærimus, haberi nequeat, vel illis certè imprecationibus sperandum videatur.

XXV. Addo etiam mihi semper verissimum visum esse,

odium

odium ita esse per se, suáque natura malum, vt nulla ratione honestari queat, sed cum iure naturæ ex aduerso pugnet. Quod etiam sapientissimi Philosophi agnouisse videntur: nam Plato [a] inter cætera ait probi, iustique viri proprium esse, nulla ratione amico, vel inimico malefacere. Alibi [b] probat nefas esse inimicum lædere, aut ei quidquam mali optare. Idem sensit Diogenes apud Valerium Maximum: hanc enim optimam aiebat esse vltionem innoxiè viuere, nullámque iustæ reprehensionis materiam præbere.

a In Cratylo lib. 10 de leg. & lib. 1. de rep.
b In Critone.

XXVI. Nec defuerunt etiam inter Gentiles, qui non solùm æquo, sed forti, atque hilari animo illatas iniurias tulerint, quos recensent Plutarchus [c], Seneca [d], & Basilius [e]. Orthodoxi verò Patres non dubitarunt affirmare, maleuolentiam, atque odium naturæ B lege prohiberi; quod præter cæteros asserunt Origenes [f], Tertullianus [g], Cyprianus [h], Hieronymus [i]: pendet enim hoc præceptum ab illo principio, quo præcipitur, vt quod quisque pati nolit, in alterum nequaquam moliatur. Quis autem velit cuiquam exosus esse? Quis cupiat sibi insidias strui, venenum, aut necem parari? Quis autem non videat, quanta rerum perturbatio, atque confusio consecutura sit, si cuilibet priuatim liceat iniurias propria auctoritate vlcisci? Quorsum enim in Republica Principes, aut Magistratus constituantur? Illi verò publica auctoritate non odio, aut maleuolentia scelera, atque flagitia plectunt, vt egregiè alicubi docet C Clemēs Alexandrinus [k], quo fit, vt quoniam odium, atque vlciscendi libido inter ea recensentur, quæ sunt per se, suáque natura mala, nulla ratione honestari queant, atque adeò longissimè etiam à Deo absint, qui, vt idem Clemens Alexandrinus [l], & Cyrillus Hierosolymitanus monent, ne dæmonem quidem odit, quoniam nihil fingi potest detestabilius.

c de vtil. ca ab inim.
d De ira.
e Ora. con. irateen.
f Dial. 1. in Marcio.
g De patien.
h De bono patien.
i Matt. 5.
k lib. 1 pædag. c. 8. ferè medio.
l loc. cit.

XXVII. Itaque verissimum est, quod tum Clemens [m] Alexandrinus, tum Origenes [n] affirmant, viros sanctissimos in veteri Testamento inimicos dilexisse. Iacob enim dilexit Esau, Ioseph vndecim fratres, qui se in seruitutem distraxerant, Moses Mariam, Dauid Saulem. Hæc porrò inimicorum dilectio, vt illi nomine proximi comprehenduntur, ex vi præcepti simpliciter est ad salutem necessaria. D Hoc enim apertè indicat Christus, cùm apud Matthæum [o] dixit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* & quæ deinceps sequuntur. Ita enim locum illum omnes fermè Patres interpretantur. Idem verò Christus [p] dilectionem proximi ad secundum legis præceptum ait pertinere. Ioannes [q] autem [r]: *Qui non diligit*, inquit, *manet in morte, omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Idem ex iure [s] Canonico apertissimè constat. Denique est communissima Theologorum omnium sententia, de qua luculenter disserit Augustinus [t] non vno loco.

m 1 Strom.
n Dial. 1. in Marcio.
o cap. 5. 44.
p Matth. 22. 39.
q ep. 1. cap. 3. 14
r dist. 90. cap. obiari. [illegible] ca. placuit cap. prælato.
s tract. 5. in 1. Can. Ioan.
t l. 1. de doctr. Christ. & li. 1. de Serm. Domin. in mon. c. 41. & 42.

XXVIII. Meritò ergo Iacobus hoc præceptum appellat *legem regalem*, qua iubemur proximum diligere tanquam nos ipsos. E Regalis autem lex meritò appellatur, tum propter eas, quas suprà attuli rationes, tum quia non solum pertinet ad legem veterem, sed etiam potissimùm spectat ad legem Euangelicam, quæ, vt sæpe iam diximus, maximè refertur ad caritatem. Iubet autem hoc præceptum, vt proximos diligamus tanquam nos: quamuis enim Cyrillus existimarit veteri dilectionis præcepto nouum quendam à Christo additum fuisse modum, vt eos plusquam nos diligeremus, omniáque fraternæ caritati posthabere ne grauaremur, quandoquidem Christus nos dilexit plusquam se, qui pro nostra salute mortem oppete-A rit: certum tamen est nihilo plus exigi à nobis quàm vt proximum diligamus tanquam nos ipsos; quod apertè docet Augustinus [a], idque colligit ex ipsis verbis præcepti, vt omittam quæ de ordine caritatis acutè disserit Origenes [b].

a lib. de mēda. c. 6.
b Hom. 1. in Canc.

Hæc autem Regalis lex caritatem in proximos ita XXIX. complectitur, vt non solùm caduca, & mortalia bona, sed potissimùm spiritualia, & cœlestia spectet, & ad beatam denique, & immortalem vitam referatur; &, quod caput est, amor proximi ex caritate oriatur, nullo habito respectu, vt docet Chrysostomus ad priuata commoda, atque vtilitates. Si hanc igitur legem, ait Iacobus, seruatis, hoc est, si proximos eo, quo amandi sunt modo, ordinéque diligitis, benefacitis, hoc est, officio satisfacitis, honestè, ac B laudabiliter viuitis, re denique ipsa vestram fidem, ac religionem ostenditis; ita fiet, vt æquè pauperes, ac diuites eadem caritate complectamini, atque adeò apud vos nullus acceptioni personarū pateat locus.

Ita significat quæ paulò antè dixerat de honore XXX. diuitum, & pauperum contemptu, non modò esse contra iustitiam distributiuam, sed etiam pugnare cum caritate, quæ certo quodam ordine cunctos complectitur, &, si quod sit in amore discrimen constituendum, id non à diuitiis, aut nobilitate, cæterísque externis bonis, sed ex cuiusque merito petendum est: vt enim quisque magis accedit ad summum bonum, magis est amore dignus; externa verò bona, quia non tribuunt veram bonitatem, quæ à sola vir-C tute oritur, non sunt digna, quæ maiori caritate diligantur, siue maior caritas spectanda sit in ipso nisu, conatúque voluntatis, siue in eorum bonorum magnitudine, ac præstantia, quæ proximis appetuntur. Bene igitur illi faciunt, qui hanc legem regalem quàm accuratissimè retinent, & obseruant: vt enim suprà Pauli testimonio docuimus, cætera omnia, quæ ad proximos referuntur, hoc vno præcepto ritè obseruato, facilè præstantur.

9. *Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, quasi transgressores.*

Planè affirmat Apostolus, quod nos etiam suprà L. docuimus, acceptionem personarum graue peccatum esse; particula verò aduersatiua *autem*. Græcè, D δὲ, indicare videtur acceptionem personarum iis aduersari, quæ paulò antè dixerat, eos videlicet benefacere, qui proximum diligunt, sicut se ipsos, quasi significet personarum acceptionem cum proximi caritate pugnare, cùm tamen apud Theologos extra controuersiam sit, personarum acceptionem iustitiæ distributiuæ ex aduerso respondere. Cæterùm quemadmodum reliquæ omnes virtutes subesse possunt imperio caritatis, ita accidere plerumque potest, vt cùm quis contra proximum peccat, eius vitij turpitudo oriatur ex violatione fraternæ caritatis. Qua ratione furtum, homicidium, adulterium, falsum testimonium ex eo oriri possunt, quòd quis contra caritatem proximum odio prosequatur, vel eum certè minùs amet, quàm ratio caritatis postu-E let; ita hoc loco Apostolus acceptionem personarum opponere videtur caritati, quæ debetur proximis, non vt excludat iustitiam distributiuam, cui propriè aduersatur, sed vt caput, & veluti fontem indicet, vnde vitium illud promanet: quemadmodum enim, qui proximum tanquam se ipsum diligit, ea omnia præstat, quæ iustitiæ, & æquitatis ratio postulat; ita contrà qui proximo aliquid eorum subtrahit, quæ in aliquo iure debentur, satis indicat se à fraterna caritate alienum esse, atque adeò proximum nequaquam sicut se ipsum diligere.

Qui

II. Qui igitur personas accipit, rectè dicitur peccatum perpetrare, quod ex suo quidem genere ad iniustitiam pertinet; aliquo tamen pacto vel est, vel esse potest contra caritatem, quod de furto, & homicidio, cæterisque id genus aliis affirmari potest: verè igitur ait Apostolus, *si autem personas accipitis, peccatum operamini*; Græcè, ἁμαρτίαν ἐργάζεσθε. Atqui peccatum nihil esse dicitur, ita enim explicat Augustinus illud Ioannis [a], *Sine ipso factum est nihil*, hoc est, peccatum. Et fermè Theologi in Scholis peccatum nihil aliud esse docent, quàm eius rectitudinis carentiam, quæ humanis actionibus inesse debet. Ita fit, vt nemo propriè dici possit efficere, aut operari, hoc est, ἐργάζεσθαι, peccatum; ἔργον enim Græcè aliquid est, quod vel vi naturæ, vel hominum arte seu opificio efficitur.

a cap. 1. 3.

III. Quòd si quis cum recentioribus quibusdam peccatum nonnihil positiuum, vt aiunt, esse autumet, ne tum quidem ἔργον appellari posse videtur: vix enim quidquam fingi potest, quod ad peccati malitiam pertineat præter quandam relationem, seu, vt loquuntur, rationis, seu, vt alij malunt, in genere moris. Neutra autem relatio per se efficitur, sed rem quampiam aliam, veluti vmbra corpus, suapte natura consequitur. Verùm, vt arbitror, ab his scholasticis subtilitatibus longissimè abfuit Apostolus, qui tãtùm indicare voluit eos, qui diuitiarum respectu diuites pauperibus præferunt, actionem exercere fœdam, ac vitiosam, qua ratione peccatum ab Augustino [b] definitur, *dictum, factum, concupitum contra legem æternam*. [C] Hæc autem libuit adnotare, vt indicarem, quod alibi etiã monui, eorum minimè laudandam esse industriam, qui Scholasticas argutiolas ex sacris literis, aut priscorum Theologorum scriptis conantur eruere: Sæpe enim eos falli necesse est, si quæ simpliciter scripta sunt, ad subtilem disserendi normam reuocare contendant.

b lib. 22. cõ. Faust. c. 27.

IV. Peccant igitur, vt suprà explicui, qui personas accipiunt siue in iudicio siue in sacerdotiis aut ecclesiasticis, aut politicis dignitatibus, & ea spectant, quæ ad rem minimè pertinent, si præsertim id fiat cum alterius iniuria. Quoniam verò vsus est Apostolus exemplo diuitis, & pauperis, quorum ille solo diuitiarum respectu honorificentiùs quàm hic excipitur, necessariò fatendum est, externo exhibendo honore aliud quiddam præter diuitias spectandum [D] esse; ac propterea Paulus ad Romanos [c] scribit, *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem*, sentiens non temerè cuiuis honorem esse deferendum. Certum enim est, honorem deberi primùm virtuti, ac sapientiæ, deinde auctoritati, ac potentiæ, quia Principes, ac Magistratus Dei quandam similitudinem præferunt in terris, postea senectuti, quæ cum virtute, ac prudentia coniuncta creditur.

c cap. 13. 7.

V. Itaque diuitiæ si per se, ac solitariæ spectentur, nullo sunt honore dignæ, vt tamen sunt veluti instrumenta virtutis, aliquo pacto honorem etiam apud Sapientes consequuntur; habetur tamen ratio non tam ipsarum diuitiarum, quàm vsus ipsarum, qui [E] vel laudem, vel vituperationem consequitur. Quoniam verò vsu ferè receptum est, vt diuites honorificentiùs excipiantur ab omnibus, seclusa ab animo falsa opinione, quæ diuitias magnifaciendas, & honore dignas censet, vt Augustinus [d] affirmat, nisi alterius iniuria intercedat in ea iam recepta, magnóque omnium consensu confirmata consuetudine, vix, aut ne vix quidem peccatum inerit, secus si quis apud se statuat diuitias vel præferendas, vel æquandas esse virtuti, atque hanc vnam ob causam diuites

d epist. 29.

Bened. Iustinian. in 1. epist. Canon.

[A] ampliori honore, quàm pauperes prosequatur: tunc enim verissimum est, quod hic ait Apostolus, *si personas accipitis, peccatum operamini*.

Redargüti, ait, *à lege, quasi transgressores*. Græcè, ἐλεγχόμενοι, hoc est, *argumentatione conuicti*, vt sensus sit apertè ex lege colligi acceptionem personarum meritò esse damnandam, perinde quasi respexerit Apostolus ad id, quod ait Christus apud Ioannem [a]: *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis*: Lex enim, quæ aliquid prohibet, sui violatores accusat, & sceleris arguit. At quam quæso legem intelligit? An veterem illam, quæ non semel acceptionem personarum reprehendit, ac damnat? In Leuitico [b] enim, vt suprà indicaui, scriptum est, *non consideres personam* [B] *pauperis, nec honores vultum potentis*. Et in Deuteronomio [c], *Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, & magnum, nec accipietis cuiusquam personam*. Et alibi [d]. *Non accipies personam, nec munera*. VI.

a cap. 5. 45.
b cap. 19. 15.
c cap. 1. 17.
d cap. 16. 19.

Tametsi enim, vt suprà [e], docui, lex illa vt à Mose proposita erat etiam in iis, quæ spectant ad mores, ad vnam tantùm Iudæorum gentem pertinebat, qua tamen ratione continet præcepta iuris naturalis vim suam, atque auctoritatem retinet, & ad legem Euangelicam suo modo pertinet. An ipsam legem Euangelicam indicat, quæ scripta in cordibus quid rectum, quidve prauum sit, quid sequendum, quidve fugiendum mira quadam ratione docet? Ita enim de ea loquitur Ieremias: [f]: *Ecce*, inquit, *dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, &* [C] *domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus: Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vltrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens; Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus*. VII.

e cap. 1. vers. 25.
f cap. 31. 31.

Pertinere autem hæc ad Euangelicam legem testis est locupletissimus Paulus Apostolus, qui in epistola ad Hebræos [g] non pauca in hanc sententiam scribit, ad quem locum nos plura diximus. Hæc autem [D] lex Euangelica naturæ legem hominum mentibus inditam mirum in modum illustrat, & ad eam complectendam cœlesti quadam vi voluntatem excitat, atque inflammat, ea verò tacitè eos arguit, qui contra iis, fasque personas accipiunt. An legis nomine illam ipsam legem indicat, quam paulò antè nominauit, & regalem esse dixit, quæ proximorum caritatem præcipit? Etenim vt paulò antè insinuaui, cùm ea lex proximos certo quodam ordine Dei potissimùm respectu diligendos præcipiat, sceleris arguit eos, qui personas accipiunt, atque adeo caritatis ordinem perturbant, atque inuertunt. VIII.

g cap. 8. 8. & cap. 10. 16.

Lex igitur quocunque tandem modo accipiatur, reprehendit, ac damnat eos tanquam legis violatores, qui personarum, non causarum rationem habent. [E] Itaque vox illa, *quasi*, non imminuentis est, sed affirmantis, ac si dicat, qui personas accipiunt, legis auctoritate meritò reprehenduntur, quia verè sunt legis violatores, quod nihil est aliud, quàm graui piaculo obstringi. Fateor tamen huius peccati magnitudinem, & grauitatem à magnitudine rerum, aut etiam à prauo agentis animo, atque proposito spectandam esse, vt in rebus leuioribus, ac subitis quibusdam functionibus leuiorem contrahi culpam haud abnuerim. IX.

10. *Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*]

I. Locus est admodum celebris, in quo multorum fatigantur ingenia, vt alicubi testatur Augustinus [a]: primo autem intuitu videntur hæc verba vitiorum connexionem probare, vt quod de virtutibus affirmari solet, qui vnam perfectè possideat, nullam desideret, idem de vitiis, & peccatis sentiendum sit, vt qui vno scelere obstringitur, omnibus sit flagitiis coopertus, quod inprimis absurdũ, atque à recta ratione omnino alienum videtur. Sunt igitur qui existiment vsurpare Apostolum hoc loco Hebraismum consuetum, vt vnum hoc loco positum sit pro primo, quomodo legimus in libro Geneseos [b], *factum est vespere, & mane dies vnus*, id est, primus. Ita putant eum, qui contra primum legis præceptum peccet, reliquam omnem legem violare, quod vtrùm verum sit, docti viderint: tametsi enim non defuerunt, qui vero Deo ignorato extra culpam fieri nihil posse arbitrantur, idque interdum significare creditur Augustinus, ea tamen sentẽtia plurium Theologorum suffragio explosa est: quamuis enim Gentilium actiones si ad idola tanquam ad vltimum finem referantur, aut à praua cupiditate ortæ turpe aliquid aut inhonestum quærant, à flagitio excusari non possint, non est tamen necesse vtrumque, vel alterutrum omnibus infidelium functionibus inesse.

a ep. 29. ad Hier.
b cap. 1. 5.

II. Quin potiùs verosimillimum est plurimos honesti, atque officij habuisse rationem, atque adeò si non perfectam virtutem, quæ ad iustitiam, beatámque vitam assequendam valeret, nonnullam tamen virtutis speciem, &, vt ita dicam, rudimentum, atque inchoationem assequerentur. Quod si quis contendat eos, qui idola colunt, atque adeò contra primum legis præceptum grauissimè peccant, suas omnes actiones ad idolum referre (quod nemo facilè probauerit) ne tum quidem admisenm omnem ab iis legem violari. Quis enim adeo desipiat, vt cunctos infideles quotquot vnquam fuerunt, sunt, & erunt furti, adulterij, periurij, homicidij reos esse credat? At multos legimus ab his, atque id genus aliis flagitiis tam fuisse alienos, quàm qui maximè ab his abhorreot Christiani. Itaque quod de primo legis præcepto ab his affirmatur, nihilo plus admittendum videtur, quàm quod de cæteris legis præceptis sentiendum sit.

III. Propiùs à vero abesse videntur ij, qui primum legis præceptum ex Christi sententia interpretantur illud, quo Deus supra omnia diligendus præcipitur, quod apud Matthæum dicitur primum, ac maximum mandarum: nam reuerà quicquid agas, aut moliaris, nisi caritate in Deum præditus sis, frustra niteris, &, vt ad Corinthios scribit Apostolus, si caritatem excludas, neque fides, neque misericordia, neque martyrium, &, vt paucis cuncta complectar, nullæ quamuis præstantissimæ, nobilissimæque virtutes quidquam prodesse queunt, atque idcirco si spectes eam, quam Theologi damni pœnam appellant, quæ est beatæ visionis priuatio, ei perinde obnoxius degit, qui vel vnum legis præceptum violarit, ac si contempsisset vniuersa. Et sanè magnis viris hæc sententia placuit, Augustino [c], Bedæ, & Oecumenio [d]: nec videtur à Iacobi instituto prorsus aliena.

c ep. 29. ad Hieron.
d In hunc loc.

IV. Siquidem paulò antè caritatis legem proposuerat, quæ proximum respicit, quæ sine caritate in Deum cuius intuitu diligendus est proximus, intelligi neutiquam potest. Sed vt admittam hanc sententiam, si per se spectetur, ad veritatem esse valdè propensam, non mihi tamen persuadere possum eam huic loco congruere: vt enim probet Apostolus, eum, qui totam legem obseruat, offendat autem in vno, omnium reum constitui, subdit: *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & Non occides, quod si non mœchaberis, occides autem factus es transgressor legis.*

V. Quantum igitur assequi cogitando possum, hæc Apostoli sententia superioribus hunc in modum connectenda est, vt videatur Iacobus occupatione quadam fidelium excusationem præuertere: illi enim excipere posse videbantur se nihil agere contra legem, cùm diuitibus eximium quemdam, ac singularem honorem deferunt, cùm pauperi nihil propterea detrahant, contrà Apostolus: Imò verò, inquit, graui vos piaculo inquinatis: tametsi enim aduersùs pauperes nihil peccatis, in eo tamen culpa non vacatis, quòd solo diuitiarum respectu, quibus nullus debetur honor, opulentos tanto honore dignos existimatis, cúmque hoc nomine Dei præceptum violetis, negare non potestis vos esse diuinæ legis contemptores, atque adeò à gratia, & caritate excidere, non aliter ac si legem vniuersam negligeretis, nam qui vnum legis præceptum violat, nullam ex aliorum obseruatione vtilitatem capit, cum Deum legislatorem, qui singula præcepta promulgauit, pro nihil habeat.

VI. Simile quiddam insinuare visus est Salomon, cùm alicubi scripsit [a]. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Quò etiam spectasse visus est auctor [b] libri de vera, & falsa pœnitentia, qui Augustino inscribitur *Deflere etiam*, inquit, *quoniam in vno offendens factus est omnium per ingratitudinem reus; ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus Deum omninò non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior, ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit.* Mox verò addit aliam quamdam non ineptam explicationem. *Etiam alio modo offendens in vno reus est omnium, quia omnis virtus patitur detrimentum ab vno vitio: nam si quis cadit in auaritiam, largitatem destruit, & etiam castitatem minorauit: amore enim pecuniæ vel violaret castitatem, vel saltem minùs amaret.*

a Eccles. 9. 18.
b cap. 14. inter opera Aug. tom. 4.

VII. Eodem etiam refero, quod ait Beda, eum qui in vno offendit, vniuersam legem violare, quia legis auctorem negligit, & caritatem violat, quæ est causa, & mater totius legis, quæ est Augustini [c] sententia. *In præceptis enim, ait, caritatis tota lex pendet. qui autem contra caritatem facit, meritò omnium reus est nemo autem peccat, nisi contra caritatem faciat, quia nec Deum diligit, cuius legem negligit, nec proximum in quem delinquit. Quia ergò superiùs ostenderat eos in caritate peccare, quòd dicunt pauperi Tu sta illic, competenter subdit, qui in vno, idest, caritate offendit, quæ est radix omnium præceptorum, ab omnibus præceptis, quæ sunt quasi filij caritatis, accusatur. Reconciliato autem illo vno, in quo offenderat, cætera reconciliantur.*

c epist. 19.

VIII. Sed quod de caritate dicitur, quamuis verissimum sit, non videtur tamen, vt suprà dixi, huic loco congruere. Attingit hunc locum Gregorius [d]: explicans enim verba illa Iob, *Iustitia indutus sum & vestiui me sicut vestimento. Vestimento* inquit, *vtique cùm vestimur, ex omni parte circundamur, ille ergo iustitia sicut vestimento vestitur, qui se vndique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. nam qui in aliis actionibus iustus est, in aliis iniustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudauit, nec iam bona sunt opera, quæ subortis aliis prauis operibus inquinantur*, idque allato Salomonis testimonio, quod suprà indicaui, atque his Iacobi verbis confirmat, vt significare videatur, Iacobi mentem fuisse suadere integram, atque absolutam legis obseruationem, vt iustitiæ fructum consequatur.

d lib. 19. Mor. c. 12. aliàs 16.

Cete

IX. Certè Græca vox ἔνοχος obnoxium, vinctum, atque obstrictum, reum denique significat, vt non immeritò dubitauerit Augustinus, verum ex hoc loco rectè colligatur (quod erat Stoicorum dogma, omnia

a epist. 29.

peccata esse paria.) *Cur ergo*, inquit [a], *non dicuntur paria peccata nescio, nisi fortè quia magis facit contra caritatem, & magis offendit Ecclesiam, qui grauiùs, & minùs qui leuiùs peccat*: quasi concedat peccata ex suo genere omnia esse æqualia, solo peccantis affectu augeri, aut minui. Cùm verò ea de re cum Pela-

b Dial. 1. cõ. Pelag.

giano dissereret Hieronymus [b], ita hunc locum explicat. *Obsecro te, ait, nonne Apostolus Iacobus scribit, qui in vno offenderit, eum esse omnium reum? ipse locus se interpretatur: non enim dixit, qui diuitem pauperi in honore prætulerit, reus est adulterij, vel homicidij: in hoc enim delirant Stoici paria contendentes esse peccata; sed ita, qui dixit, non mœchaberis, dixit &, non occides; quòd si non occidis, mœcharis autem, factus es transgressor legis. Leuia cum leuibus, & grauia cum grauibus comparantur, nec ferula dignum vitium gladio vindicandum est, nec gladio dignum scelus ferula coërcendum.*

X. Itaque vt paucis colligam, propositum est Iacobo docere vitam Christiano homini ita instituendam, vt vniuersam legem sibi religiosè colendam esse intelligat. Quòd si alicubi fortè offendat, aut labatur, eum vniuersæ legi obnoxium degere, non quòd omnia eius præcepta violarit, sed *quòd legis auctorem*, vt ait Beda, *contempserit, eóque præmio meritò careat, quod legis cultoribus propositum est*. Idque, vt modò ex Hieronymo docui, confirmant quæ mox subiiciuntur, quibus docet Apostolus, præceptorum omnium vnum, atque eundem esse auctorem Deum; quo fit, vt qui vnum præceptum contemnit, eius auctori Deo obnoxius degat.

XI. Quocirca rectè Iacobus fidelium exceptionem refellit, quam suprà indicaui: Neque enim satis est citra iniuriam pauperes excipere, si plus æquo diuitiis tribuatur. Neque verò, vt bene obseruauit Hieronymus, hæc Iacobi sententia Stoicis vllo modo fauet, & quæ mox subiiciuntur, satis indicant longè aliud spectasse Apostolum, qui ad legislatoris auctoritatem, dignitatémque respexisse videtur. Vt igitur à personarum acceptione reuocet, hanc generalem sententiam profert, vt significet, vno dumtaxat flagitio quempiam reum constitui, neque ei cætera bona suffragari posse, vt laborandum cuiuis doceat, ne vsquam offendat, aut leue, vel nullum existimet esse peccatum, quod cum sit contra legem, nonnullas habet studiosas actiones annexas.

XII. Quo errore decepti sunt ij, qui Christi verba apud Lucam perperam interpretantur; atque ei qui eleemosynas largiatur nullum obesse crimen æquè

c Luc. 11. 41.

impiè, ac falsò opinantur. Fateor dixisse Christum [c]. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Rectè tamen aduersus eius-

d in Ench. c. 75.

modi homines scripsit Augustinus [d]; *Qui sceleratissimè viuunt, neque curant talem vitam, morésque corrigere, & inter ipsa facinora, & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi in eo blandiuntur, quoniam Dominus dixit: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

XIII. Et quidem certissimum est noluisse Christum significare eam esse eleemosynæ vim, vt omnium scelerum fœditatem exhauriat, aut sola per se ea penitùs delere queat; sed quamquam non vna est verborum Christi explanatio, ea tamen apud Theologos magno consensu recepta videtur, quæ tantum eleemosynæ tribuit, vt ad scelerum expiationem, diuinamque gratiam percipiendam animum præ-

A pareat; quod quamquam verissimum esse non nego, propiùs tamen ad Christi mentem eos accessisse crediderim, qui ea verba perinde accipiunt, vt ad inanem Pharisæorum superstitionem refellendam pertineant; paulo enim antè dixerat Dominus. *Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate. Stulti nónne qui fecit quod de foris est, etiam id, quod intus est, fecit?* Tum subdit. *Verumtamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Quasi dicat. Quid opus est externas istas rerum ablutiones tam diligenter frequentare, quæ animum nulla ratione attingunt, aut à vitiis expiare possunt? Eleemosyna, mihi credite, omnium istarum ablutionum instar erit, & ad animum perpurgandum B maiorem vim habebit, quàm quæuis externa ablutio, hoc si feceritis, nihil erit opus tã curiosè calices, cæteráque vasa abluere. Cæterùm quam vim habeant honestæ, ac laudabiles actiones, quæ cum graui peccato coniunguntur, Theologi docent in scholis, neque ad hunc locum magnopere pertinet. XIV.

11. *Qui enim dixit, Nõ mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*]

Rectè ad superiorem sententiam illustrandam, vt paulò antè monui, addita esse putat Hieronymus [a]. Sunt autem, vt arbitror, exempli gratia allata, vt ostendat Iacobus, vno duntaxat flagitio legislatorem, ac legem non rarò violari. Itaque ait eundem esse C omnium præceptorum auctorem, attingit autem Decalogi præcepta tanquam diuina auctoritate à Mose promulgata. Idem, inquit, Deus diuina sua lege adulterium, atque homicidium prohibet, atque ita non dicitur is legi obtemperare, qui alteri præcepto paret, alterum negligit; sed potiùs legis violator, & contemptor meritò appellari potest: omnia enim præcepta vnum veluti corpus constituunt, quemadmodum autem vno membro amputato, truncum, ac mutilum remanet corpus, ita vno legis præcepto contempto, lex dicitur violata. Et, vt Paulus ad Galatas [b] scribit, eum, qui circumcisionem admittat, debitorem constitui vniuersæ legis obseruandæ; non aliter qui Christianam religionem professus est, omnibus legis præceptis cogitur obtem- D perare: vt enim alicubi scribit Dionysius [c] Areopagita, bonum integram, atque suis omnibus numeris absolutam causam postulat, cùm malum contrà vel ex vnico, & singulari vitio existat, ita omnium præceptorum obseruatio bonitatem, ac sanctitatem Christianam constituit, eandémque vnicum peccatum vitiat, & corrumpit.

I.

a Dial. 1. cõ. Pelag.

b cap. 5. 3.

c cap. 4. de diuin. nom.

II. Verè namque apud Ioannem [d] dixit Christus: *Qui facit peccatum, seruus est peccati. seruus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum.* Significans nimirum eos, qui peccato obstringuntur, à Dei se seruitute subducere, & suis voluptatibus, hoc est, iniquissimis dominis miserandum in modum seruire, atque adeò à beata, & sempiterna vita meritò excludi, quam iure optimo assequuntur, at- E que in omnem æternitatem possident ij, qui tanquam obsequentissimi filij Dei præceptis obtemperant. Itaque colligit Apostolus, ita pauperum conditioni consulendum esse, vt diuitibus nihilo plus tribuatur, quàm causa postulet, neque verò temerè Apostolus hoc tantopere exaggerat, atque amplificat: incredibile enim dictu est, quantùm diuitiarum fulgor mortalium animos perstringat, cùm plurimùm diuites non in ciuili modò repub. sed etiam in Ecclesiastico ordine posse videantur; quam ob causam hoc Apostolico præcepto permoti prisc

d cap. 8. 34.

A Ecclesiæ Patres contra diuitum mores, & potentiam scripserunt, &, quod magis mirandum est, etiam Gentiles philosophi diuitias indignissimas censuerunt, quibus sapientis animus corrumperetur.

III. Itaque Plutarchus [a] Scipionem laudat, quòd in ampla domo, & secunda fortuna exiguum patrimonium moriens reliquerit. Seneca [b] verò sapienter scripsit: *Mihi crede is beatior est, cui fortuna superuacua est, quàm is, cui parata est; omnia ista bona, quæ nos speciosâ, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliáque complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum inuidia conspiciuntur, eósque ipsos, quos exornant, premunt, plus minantur, quàm prosunt, lubrica, & incerta sunt, nunquam bene tenentur: nam vt nihil de tem-* B *pore futuro timeatur, ipsa tamen magnæ fœlicitatis tutela sollicita est.* Atque id genus alia penè sexcenta apertissimè docent, non esse diuitias per se honore dignas, nisi quatenus sunt instrumenta virtutis.

a In apophtheg. Rom.
b lib. de consol. c. 28.

12. *Sic loquimini, & sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari.*]

I. Superiorem disputationem ita concludit, vt fideles moneat, quomodo & loqui, & agere debeant, ne legis seueritate iustè plectantur; vestram itaque ait orationem, & vitam legi libertatis subiicite, probè intelligentes eius vos auctoritate aliquando iu- C dicandos: nam quod ait interpres, *incipientes iudicari*, Græcè est μέλλοντες κρίνεσθαι, hoc est, tanquam iudicandi; vt enim scribit Paulus [c], *Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Rectè autem proponit extremi iudicij memoriam, quia ea plurimùm valet ad cohibenda peccata: vt enim scribit Clemens Romanus [d]: *Cogitatio futuri iudicij lucis suæ radios emittit, & prauas cupiditates suo splendore obruit, non aliter ac sol stellas omnes sua luce obscurat.* Et Basilius [e] *Timorem*, ait, *futuri iudicij esse huius nostræ vitæ pædagogum.* Docet enim neglectis voluptatibus rationi obtemperare, quæ si omnia rectè iudicet, ac definiat, nihil Deo iudicandum relinquit: nam, vt scribit Apostolus [f], *si nos ipsos iudi-* D *caremus: non vtique iudicaremur*; & alibi idem Basilius [g] iudicij memoriam, frænum ait esse, quo nostrarum perturbationum impetus coërcetur, idque Dauidis [h] testimonio confirmat. *In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

c ad Rom. 2. 12.
d lib. 9. recognit.
e in Isai. c. 1.
f 1. ad Cor. 11. 31.
g orat. in mart. Iulit. & in ps. 33. & orat. 23. mor. quæ est de fut. iudic.
h Psal. 31. 9.

II. Quam ob causam rectè dixit Chrysostomus [i], præ oculis semper habendum iudicium, ne hoc veluti fræno abiecto ruamus in præceps: hoc enim facillimum esse indicat Dauid [k]: *Auferuntur*, inquit, *iudicia tua a facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur.* Et paulò antè dixerat; *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Contrà verò Cæsarius [l] iudicij memoriam saluberrimam esse affirmat; Climacus [m] autem: *Sicut*, in- E quit, *qui esurit, non potest non recordari panis, ita qui saluari cupit, non potest non recordari iudicij.* Quocirca Hieronymus [n] quamuis eximia præditus sanctitate extremæ tubæ clangorem, quo mortui ad iudicium euocandi sunt, sibi perpetuò intus in animo personare affirmabat. Denique Theophilus [o] Alexandrinus, *iudicij recordationem nullum*, ait, *peccato locum relinquere.* Origenes [p] autem animalia munda, quæ vngulas findunt, interpretatur eos, qui diuinum iudicium metuentes, honesta

i Hom. 38. in Io.
k Psal. 9. secund. Hebræos 10. 15.
l Ser. 25.
m Gradu 20. de discret.
n ......
o lib. 3. Pasch.
p Hom. 7 in Leuit.

A quidem, & laudabilia eligunt, contraria verò repudiant, quod necessariò faciendum esse intelligitur ex iis, quæ dixit [a] olim Deus. *Nónne si bene egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit?* Quo loco Septuaginta: *Si rectè*, inquiunt, *obtuleris, non rectè autem diuiseris, cessa, peccasti.*

a Genes. 4. 7.

III. Hac enim veluti iudicij lance omnia expendenda sunt, & ea probanda, quæ in extremo iudicio supremo Iudici grata futura sint, atque hoc, ni fallor, significat Ieremias [b], cùm ait: *Propter hoc dicit Dominus, si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis; & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Monet igitur Apostolus ita loquendum, itáque omnes vitæ ratio- B nes componendas esse, vt intelligamus omnium, quæ gesserimus in vita, in extremo iudicio reddendam esse rationem, erit autem iudicium illud æquissimum, vt enim ait Dauid [c], cùm Deus tempus acceperit, iustitias iudicabit, hoc est, iustissimè iudicium exercebit; nihil enim erit, quod iudicis sententiam lateat, nihil quod iustum supplicium effugiat, ait quippe Basilius [d]; *vt nudo corpore apparent maculæ, quæ veste tegebantur, ita deposita veluti corporis veste, omnia nuda atque aperta erunt.*

b cap. 15. 19.
c Psal. 74. 3.
d lib. de ver. virgin.

IV. Quamobrem rectè monet Sapiens [e]: *Ante iudicium, para iustitiam tibi.* Quò aliquo pacto spectant illa, quæ Christus Dominus apud Matthæum [f] dixit: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es* C *in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.* Quamuis enim Christus ea metaphora doceat, redeundum in gratiam cum aduersariis, antequam quis diuino iudicio sistatur; non est tamen reiiciendum quod in eum locum scribit Augustinus [g], aduersarium nostrum esse diuinum præceptum, quod nostris cupiditatibus aduersatur; Eas igitur diuinæ legi subiicere necesse est, eásque reddere obsequentes, alioqui enim iudici trademur, & mox ministris in inferorum carcerem coniiciendi. Et in eam sententiam Origenes [h]. *Fac*, inquit, *quod in causa graui coram iudice mortali faceres, quæreres enim aduocatum, & de causa tua vehementer esses sollicitus:* idem multo magis fa- D ciendum est iis, qui salutem optant sempiternam. Acutè namque dixit Macharius [i], non esse sollicitos rusticos, quomodo Regi respondeant, maximè autem sollicitos esse aulicos; ita peccatores nihil fermè de diuino iudicio cogitare, contrà verò prudentes, ac iustos nunquam extremi iudicij memoriam deponere.

e Eccles. 18. 19.
f cap. 5. 25.
g ......
h Hom. 5 in Leu.
i Hom. 15.

V. Sic olim [k] Iob, *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* At de impiis ait Dauid [l]: *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* Qui enim in diuitiis, atque opibus confidunt, & quasi equitantes tumidi, atque elati obambulant, ab increpatione tua dormitauerunt, nihil videlicet cogitantes, quàm seuerè iudicandi sint, & ob per- E petrata facinora puniendi. Audiendus igitur Dauid [m], qui à sceleribus, atque flagitiis cunctos mortales pereleganti oratione reuocat. *Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem, quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus iudex est:* quasi dicat; nullum patebit effugium, vt te in omnem partem verses, adeundus erit omnino supremus Iudex, qui scelera, atque flagitia sempiterno cruciatu vlciscetur.

k cap. 9. 28.
l Psal. 75. 7.
m Psal. 74. 5.

Et

VI. Et Gregorius [a] Pontifex sapienter fideles his verbis monet (a hom. 1. in Euang.): *Iuam ergo diem, fratres carissimi, tota intentione cogitate. vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite; aduentum namque æterni iudicis tantò securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem eius timendo præuenitis.*

VII. Sic igitur *loquimini*, ait Apostolus, *& sic facite*; vt non actiones modò, sed etiam orationem, & verba legi diuinæ accommodanda, ac subiicienda doceat; idque extremi iudicij metu proposito, qua suadendi ratione vsus est etiam Christus [b] (b Io. 12. 48.): *Qui spernit*, inquit, *me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Quod ipsum indicat hoc loco Iacobus subdens, *vt per legem libertatis incipientes iudicari.* libertatis enim legem, vt suprà dixi, legem vocat Euangelicam, ob eas, quas attuli, rationes; fideles autem eius legis auctoritate maximè iudicandi sunt.

VIII. Quod enim attinet ad fidem omnia eius mysteria apertè, atque perspicuè tradita. Ipsa verò legis præcepta vberiori explicatione à Christo Domino proposita sunt, & diuinæ iustitiæ seueritas ita est ob oculos posita, vt ne otiosum quidem verbulum impunitum fore constet. Apud Matthæum [c] (c Mat. 12. 36.) enim dixit Christus. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Quod quidem non perinde accipiendum est, quasi verba tantùm iustificandi, aut condemnandi vim habeant, sed quòd etiam verba, quæ facilè excidunt, & citò euolant, iustificatura sint, aut condemnatura eos, qui bene, malevè locuti fuerint. Et quidem si Theophylacto credimus, cùm dixit Christus, *ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*; allusisse videtur ad verba [d] (d cap. 15. 5.) Iob. *Docuit enim*, ait, *iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium, condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua respondebunt tibi.*

IX. Quocirca rectè Iacobus ait. *Sic loquimini*, vt in extremo iudicio verba expendenda, atque adamussim excutienda intelligatis; addit. *Et sic facite*, idem enim de omnibus actionibus sentiendum est, ait namque Paulus [e] (e ad Rom. 14. 12.). *Vnusquisque nostrûm pro se rationem reddet Deo.* Et Athanasius [f] (f in Symb.): *Ad cuius*, inquit, *aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.* Quoniam autem, vt docuit Christus apud Matthæum [g] (g cap. 25. 31.), misericordiæ opera præcipuè examinanda sunt, verosimillimum videtur eò spectasse Iacobum, vt indicant ea, quæ mox subiiciet, & tacitè significare pauperibus benefaciendum esse, eorúmque præcipuam habendam esse rationem, quòd beneficentia, quæ in illos exercetur, in ipsum Christum Dominum redundet. *Quod enim*, ait Christus, *fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et apertiùs: *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c.

IX. Neque verò lex Euangelica, quam Iacobus legem libertatis nominat, vllam admittit excusationem: ait enim Christus [h] (h Mat. 11. 30.): *Iugum meum suaue est, & onus leue.* Et Ioannes [i] (i ep. 1. c. 5. 3.): *Mandata eius grauia non sunt.* Adest quippe diuina gratia, quæ omnia reddit facilia: hoc enim pollicitus erat olim Deus [k] (k Oseę 11. 4.): *In funiculis Adam traham eos, & in vinculis caritatis, & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Et eodem spectans Isaias [l] (l cap. 10. 27.): *Et erit*, inquit, *in die illa auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Quod enim Propheta ait de iugo Assyriorum, quod absque militari tumultu, & bellico apparatu excutiendum erat, beatus Gregorius [m] (m hom. 26. Euang.) mystico, & spiritali sensu ad diabolicum iugum transfert, quo miserè olim genus hominum premebatur, & Christi beneficio in lege noua à nostris ceruicibus depulsum est, vt meritò Iacobus legem libertatis appellet.

13. *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam, superexaltat autem misericordia iudicium.*]

I. Rectè hæc superioribus adiiciuntur: cùm enim extremi iudicij seueritatem indicasset, nunc docet, qua ratione eius seueritas ad lenitatem, & misericordiam reuocari queat, id autem à contrario sensu ostendit: iudicium enim ait illi acre, ac seuerum imminere, qui misericordiam in proximos neglexerit exercere, indicans misericordiæ actiones ad mitigandum, flectendúmque Iudicem miram vim habere: huc autem spectat, quod ait Christus [a] (a Matt. 7. 2.): *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Indicat enim ea iis, quæ quis in proximos exercuerit, in extremo iudicio sententiam esse ferendam, quod apertissimè idem Christus apud eundem Euangelistam [b] (b cap. 25. 31.) docuit, dum futuri iudicij rationem explicat.

II. Quamobrem rectè Beda: *Sine misericordia iudicabitur ille, qui cùm facere posset, non fecit misericordiam antequam iudicaretur. Quod cum de omnibus misericordibus rectè sentiatur, constat, quia quo maiorem quisque à Domino misericordiam consecutus est, eo iniustiùs indigenti proximo misericordiam negauit, eòque dignas impietatis suæ pœnas luet, vnde Dominus* [c] (c Luc. 6. 38.)*: Date, & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis.* Et in eandem sententiam Augustinus [d] (d in Ps. 143.) *Parua*, inquit, *putatis opera misericordiæ?* attendite istam sententiam de sancta Scriptura depromptam: Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: *sine misericordia iudicabitur, qui misericordiam non fecit antequam iudicaretur.*

III. Idem verò [e] (e Conc. 2. in Ps. 32.) alibi colligit, in illo extremo iudicio suum fore misericordiæ locum, ita autem scribit: *Dicitur in quadam epistola Apostolica, Iudicium sine misericordia*, &c. Et alibi [f] (f Matt. 5. 7.): *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Ergo in illo iudicio erit & misericordia, sed non sine iudicio: si enim non in quemlibet, sed in eum erit misericordia, qui prærogauit misericordiam, & ipsa misericordia iusta erit, quia confusa non erit.* At enim Christus apud Matthæum propositam parabolam de seruo iniquo, qui post acceptum à Domino singulare beneficium leuissima de causa conseruum miserè vrgebat, ac diuexabat, & ob eam causam à seuerissimo Domino tortoribus traditus est, quoadusque redderet vniuersum debitum, his verbis concludit [g] (g Mat. 18. 35.): *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Et tamen magno consensu apud Theologos receptum est, Deum quidem vltra condignum præmia largiri, sed citra condignum irrogare supplicia. Denique Dauid [h] (h Psal 144. 9.) Dei misericordiam latissimè diffusam esse prædicat, omnibúsque diuinis actionibus immixtam esse confirmat. *Misericordia*, inquit, *eius super omnia opera eius.*

III. Ita fit, vt etiam qui dum viuunt, misericordiam non exercent, sperare tamen possint in iudicio diuinam misericordiam; quod videtur cum Apostoli sententia pugnare, qui eos à misericordia excludit, qui dum viuerent, à misericordia fuerint alieni; sed fateor Deum plectere impios citra condignum, quia quamuis scelerum supplicium sempiternum sit, atque atrocissimum, non assequitur tamen eam pœnæ acerbitatem, quæ illis iure debetur, qui immensam, atque infinitam Dei maiestatem nefariè, atque impiè violarint, atque adeò mihi semper persuasum fuit, Deum improbis, & eorum singulis flagitiis leniores statuisse cruciatus, quàm eorum improbitas mereretur:

contrà

contrà verò vltra condignum diuina misericordia præmia iustis largitur, quia, vt ait Paulus [a], *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* [a Rom. 8. 18.]

V. Cur igitur ait Iacobus absque misericordia illos esse iudicandos, qui non fecerint misericordiam? Nimirum misericordiam intelligit, quæ à miseria, & calamitate eruat, qualis est illa, quam consequentur ij, qui misericordiam coluerint, & proximorum inopiam, atque indigentiam subleuarint: neque enim eam spetare poterunt à Deo, qui erga proximos seueros se, & crudeles exhibuerint, quò spectat parabolæ clausula, quam paulò antè indicaui: frustra enim misericordiam implorabunt impij in iudicio, qui nunquam ipsi misericordiam exercuerint; Rectè siquidem scripsit Sapiens [b]: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius?* Quasi dicat, nullum inueniet misericordiæ locum; quamobrem Dauid [c] misericordiam, & iudicium Deo cantat. *Misericordiam*, inquit, *& iudicium cantabo tibi Domine*, nam vt ait Augustinus, misericordia ad electos, iudicium ad reprobos pertinet. [b Ecclesi. 28. in princ.] [c Psal. 100. 1.]

VI. *Superexaltat*, ait, *misericordia iudicium*. Græcè κατακαυχᾶται, quam vocem alij interpretantur, *gloriatur*, quasi misericordia aduersus iudicium glorietur. Sed vt ingenuè fatear, lubricus videtur locus, & explanationum multitudine valdè implicitus; Augustinus [d] enim ita hunc locum explicat: *Superexaltat autem misericordia iudicium, idest, superponitur misericordia iudicio, in quo inuentum fuerit opus misericordiæ, & si habueris aliquid fortè in iudicio, quo puniatur, tanquam vnda misericordiæ peccati ignis extinguitur.* Beda verò, *Sicut in iudicio*, ait, *dolebit qui non fecit misericordiam, ita qui fecit remuneratus exultabit, atque gaudebit.* Alij denique: *Superexaltat*, inquiunt, *misericordia iudicium, quia plures per misericordiam colliguntur, scilicet qui misericordiam præstiterunt*; atque hi quidem omnes de misericordia, & iudicio respectu Dei loquuntur. [d in Ps. 143.]

VII. Non desunt, qui de humana misericordia, & iudicio loqui Iacobum arbitrentur, vt significet in rebus dubiis propendendum potiùs in misericordiam, quàm in iustitiæ seueritatem; ita ferunt olim apud Hebræos fuisse receptum, vt si maior pars iudicum reum damnandum censeret, non illicò proferretur sententia, sed extraheretur iudicium, quasi non liqueret; quòd si eadem maior pars reum absolueret, confestim ille liber dimitteretur. Ego verò non dubito de misericordia, & iudicio diuino loqui Apostolum.

VIII. Et, siquidem vulgatam interpretationem sequamur, misericordia iudicium superexaltare dicitur, quia iudicij seueritatem vincit, ac superat. Primùm quidem, quia diuina misericordia sæpè indignos complectitur, & ad gratiam, & iustitiam perducit; deinde quia plurimis absque meritis proprijs, vt infantibus, qui post baptismum moriuntur, beatam, immortalemque vitam largitur, cùm iusto suo iudicio Deus non nisi sontes sempiternis supplicijs addicat; postea quia diuina misericordia ita elucet in iustis, atque electis, vt mirum in modum diuini iudicij æquitatem declaret, meritoque cum Dauide [a] dicendum sit: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* [a Psal. 118. 137.]

IX. Sin autem Græcum vocem κατακαυχᾶται interpretari libeat, *gloriatur*, sensus erit, diuinam misericordiam aduersùs iudicium quodammodo gloriari, quod vi sua multorum peccata deleuerit, quæ alioqui diuino iudicio obnoxia erant; quod si cui placeat misericordiam quidem humanam interpretari, haud equidem magnopere repugnarim: illa enim cùm diuini iudicij seueritatem effugiat, iudicium dicitur exaltare, hoc est, summam eius æquitatem, ac iustitiam illustrare, eadémque aduersùs diuinum iudicium gloriari quodammodo potest, quòd suis actionibus diuinam sibi gratiam Dei potissimùm patrocinio fulta comparauerit, & secura diuino sese iudicio sistere possit.

Quæ cùm ita sint, facilè apparet, quid de propositis sententiis existimandum videatur. X.
Augustini enim sententia cum nostra explanatione mirè congruit; nam qui in hac mortali vita misericordiæ functiones exercuerint, iudicij seueritatem non aliter retundent, atque aqua extinguit ignem; neque aliter de Bedæ sententia opinandum censeo, quæ vel eadem est cum Augustini interpretatione, vel ab ea non admodum discrepat; Verè namque qui misericordiam exercuerit, in extremo illo iudicio gaudebit, & exultabit, cùm impiorum supplicia misericordiæ actionibus se redemisse intelliget.

De eorum verò explicatione, qui plures aiunt misericordia colligi, cogor vehementer dubitare. XI.

Porrò quod ait Iacobus, *Superexaltat autem misericordia iudicium*, si de diuina misericordia accipiatur, nullo modo significat misericordiam iustitia maiorem esse; cum omnia diuina attributa æquè sint infinita, idémque omnino cum diuina natura, vt copiosè probant Theologi in scholis; dici tamen potest superexaltare iudicium, quia ad plura sese fundit, latiúsque patet quam iudicium, & per vniuersa fermè vagatur, quæ à Deo condita sunt, vt alicubi Dauid [a] eleganter probat. *Qui fecit*, inquit, *cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia eius*, & quæ deinceps fusè enumerantur. XII. [a Psal. 135. 5.]

Quòd si misericordia vnà cum iudicio, diuináque iustitia conferatur, respectu Angelorum, atque hominum, vt ad supranaturalia bona, & beatam, atque immortalem vitam referuntur, non satis liquet, an amplior sit misericordiæ efficientia, quàm iustitiæ, iudiciique seueritas, hoc est, pluréſne sint, qui salutem sempiternam consequantur, an verò qui sempiternis supplicijs iusto Dei iudicio adiudicentur. XIII.

Ac de Angelis quidem longè plures in gratia perseuerasse, & sempiternam illam gloriam adeptos esse, quàm cum Lucifero perierint, cum Theologorum principe [b] magno consensu Theologica schola affirmat: de hominibus autem si vniuersim de cunctis mortalibus loquendum sit, qui ab ipso mundi exordio fuerunt, sunt, & ad mundi vsque occasum futuri sunt, haud ambigam longè maiorem esse reproborum numerum, quàm electorum, atque adeò hoc nomine diuini iudicij seueritatem multò latiùs, quàm misericordiam patere; id primùm apertè significatur ab Esdra [c]: *Hoc sæculum*, inquit, *fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos.* Et planiùs aliquantò pòst [d]: *Multi quidem creati sunt, sed pauci saluantur*, idque illustratur exemplo [e]. *Sicut terra*, inquit, *dat multam materiam, ex qua fiant fictilia, paucam verò, ex qua fiat aurum, & argentum.* XIV. [b D. Thom. 1. p. q. 63. ar. 9. ad 2.] [c lib. 4. c. 8. 2.] [d vers. 3.] [e vers. 2.]

Tametsi enim duo posteriores libri Esdræ canonica auctoritate destituuntur, non sunt tamen penitus contemnendi, cùm præsertim laudentur aliquando ab [f] Ambrosio. Idem apertè docuit Christus, qui à discipulis interrogatus, vtrum pauci salutem consequerentur, respondit [g]: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui intrant per eam.* Ita factum est, vt in sacris literis electi paucorum nomine significentur. XV. [f lib. 1. in Luc. & lib. de bon. mort. c. 10. & 11.] [g Mat. 7. 14.]

Sic

a Psal. 16. 14. b Ecclesi. 7. 31.

Sic Dauid [a] *Domine, a paucis de terra diuide eos.* Et Sapiens [b] *De negligentia tua purga te cum paucis.* Quamquam hoc postremum testimonium aliò videtur spectare, sed apertissimè veluti inductione quadam confirmari potest: siquidem ante aduentum Christi innumerabiles penè gentes, ac nationes impio Idolorum cultu inquinatæ miserè perierunt, & ex illis paucissimi Deum omnium conditorem agnouerunt, solúsque Hebræorum populus veram fidem retinebat, sine qua, vt ait Apostolus [c], *impossibile est placere Deo.*

c ad Heb. 11. 6.

XVI. Adde quòd ex iis, qui veram fidem, & religionem colebant, non pauci miserè perierunt, ac pereunt, vt non immeritò colligat Diuus Thomas [d], pauciores esse prædestinatos, quàm reprobos, idque ex ipsius humanæ naturæ conditione confirmat, quę cum prauis cupiditatibus continenter luctari cogitur, & primi parentis vitio ad malum non propendet solum, sed etiam vehementer vrgetur. Accedit, quòd bona supranaturalia longissimo interuallo humanæ naturæ imbecillitatem superant, vt nisi singulare diuinæ gratiæ præsidium adsit, & frequenter offendendum sit, & plurimis pereundum, si præsertim addas callida dæmonum ingenia, qui nos conquisitissimis machinis oppugnant, vt nos ad interitum pertrahant sempiternum.

d 1. p. q. 23. ar. 7. & 1. 2. q. 71. ar. 2. ad 3.

XVII. Iam verò si de numero Christianorum, hoc est, eorum, qui quoquo modo Christo Domino nomina dederunt, quæstio instituatur, non defuerunt, qui [e] existimarent plures ex his fore saluos, cui sententiæ fauere videtur conuiuarum parabola apud Matthæum [f], inter quos vnus tantùm deprehensus est, quem paterfamilias nuptiali veste nudatum ex illo conuiuio expulit in tenebras exteriores. Fauere etiam vtcunque videtur parabola decem Virginum apud eundem Matthæum [g]: tot enim virgines prudentes admittuntur ad nuptias, quot fatuæ reiiciuntur. Addunt Sacramentorum vim, atque efficacitatem, qua plurimi fidelium vel in extremo vitæ cum Deo in gratiam redeunt, atque adeò supplicia effugiunt sempiterna.

e Syluest. in rosa aur. Dom. Septuag. in fin. f cap. 22. 11. g cap. 25. 10.

XVIII. Quam sententiam hactenus nonnulli probant, vt hæreticos, & schismaticos excipiendos putent, quos omnino perituros non dubitant; itaque aiunt plurimos eorum, qui Catholicam, & Apostolicam fidem retinent, ope Sacramentorum, gratia, & iustitia præditos extremum diem claudere, ac propterea salutem adipisci sempiternam. Ego si animum refero ad illa, quæ in sacris literis, & apud veteres Patres leguntur, in eam adducor sententiam, vt ex iis, qui rectam fidem colunt, multò maximam partem perire cēseam: nam primùm cùm quidā apud Lucam [h] quæreret à Christo, paucine essent, qui salutem assequerentur, Christus Dominus respondet: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt; cum autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes Domine aperi nobis; & respondens dicet vobis, Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere, Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti, & dicet vobis, Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis.*

h cap. 13. 23.

XIX. Quæ procul dubio de populo Iudaico potissimùm intelliguntur, qui veram fidem, ac religionem retinebat, veríque Dei cultum profitebatur, & tamē Christus ait plurimos ex illis perituros. Deinde cùm non semel dicat Christus [i], multos esse vocatos, paucos verò electos, vocatos profectò intelligit ad fidem, ac religionem, qui tamen electi non sunt. Atque hoc fermè modo veteres Patres ea Christi verba interpretantur, addi possunt & [k] illa: *Nolite,* inquit, *timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum:* pusillum enim gregem ex aduerso obiici amplior numero damnandorum, auctor est Beda [a].

i Mat. c. 20. 16. & c. 22. 14. k Luc. 12. 32. a in illū loc.

XX. Denique Ecclesia comparatur areæ; in qua grana cum paleis triticum reperitur, longè autem maior est palearum quantitas, quæ respondet reprobis, quàm tritici, quo significantur electi. Atque hac ratione eam parabolam explicat Augustinus [b], cùm enim attulisset locum Apocalypsis [c], vbi multitudo magna describitur, quam numerare nemo poterat ex omni gente, & tribu, & lingua habentium stolas albas, palmasque ferentium, qui pressuras propter fidem Christi sustinuerant, quærit quomodo cùm tam multi sint, dicat tamen Christus, paucos saluos fieri, & respondet: *Ipsi boni, veríq; Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.*

b lib. 3. con. Cresco. c. 66. c cap. 7. 9.

XXI. Idem aliquantò fusiùs alibi iterat, ad eandem tritici, paleæque parabolam alludens. Fateor tamen hæc, quæ scribit Augustinus facilè posse de vniuerso hominum genere accipi, vt area non Ecclesiam, sed vniuersum orbem terrarum significet. Refellit enim Cresconij sententiam, qui ex Donatistarum exiguo numero, veram Ecclesiam apud suos, non apud Catholicos esse colligebat, quorum erat amplissima multitudo, itaque ait electos tanquam grana in cœleste horreum reponēda si cum iis, qui pereunt, conferantur, paucos esse, quod vt apparet omnium hominum respectu verissimè affirmatur.

XXII. Neque aliter accipio quod ait Chrysostomus [d], *Multo sunt plures gehennam ingredientes, sed maius est regnum cælorum.* Et [e] alibi. *Non incuria paucos fore saluos quondam dicebat.* Sed illa apertiora sunt, quæ scribit Gregorius [f]. *Ad fidem*, inquit, *plures veniunt, sed ad cælestia regna pauci perducuntur.* Loquitur enim procul dubio de fidelibus. Recentiores tamen ad illum Matthæi [g] locum, vbi Christus ait. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, fidenter aiunt, plures ex fidelibus damnari, quod alicubi insinuare videtur D. Thomas [h]; ad eam tamen parabolam de decem Virginibus dixit [i] nonnemo, numerum electorum pereuntium numero æqualem esse.

d Hom. 46. ad popul. e Hom. 65. in Mat. f Hom. 19. in Euang. g capite 16. & cap. 22. 14. h p. 1. q. 62. ar. 7 ad 3. i Caietan.

XXIII. Nihilo tamen secius licet alias crediderim plurimos fidelium fore saluos ob vim, atque efficacitatem Sacramentorum, quæ potest ratione negari, cogor tamen in præsentia propositam sententiam magis probare; animaduerto enim plurimos fidelium omnibus sese propemodum sceleribus constringendos præbere, non paucos incredibili quadam socordia, atque desidia ad Sacramenta accedere, verendum vt sit, ne maxima ex parte eorum fructu, atque vtilitate careāt. Addo innumerabiles propemodum esse, qui vix vllam de sua salute cogitationem suscipiant, vt eos omittam, qui errante conscientia delusi, sibi quodammodo imponunt, & vt ait Iob [k], quasi aquam iniquitatem bibunt.

k cap. 15. 16.

XXIV. Huc accedit quod ij, qui religiosam, & sanctiorem vitam profitentur, adeo ab institutis suis recesserunt, vt nihilo minori licentia immania quædam flagitia perpetrent, quàm si ad omnem impietatem eruditi, atque informati essent. Video præterea priscos Patres in hanc magis propendere sententiam, quòd multa in sacris literis legantur, quæ illam incredibiliter confirment: nam ex illa innumerabili Iudæorum multitudine, qui ex Ægypto profecti Palæstinam petebant, duo tantùm, Iosue, & Caleb, illam sunt ingressi. Itaque rectè Paulus [l]: *Sed non in pluribus*, ait, *eorum beneplacitum est eis*; quasi dicat, plurimi à Palæstinæ possessione, quæ cœlestem patriam, quasi typo quodam indicabat, meritò sunt exclusi.

l 1. ad Cor. 10. 5.

XXV. Quocirca interdum electi reliquiarum nomine signifi

significantur, vt apud Michæam [a]. *In vnum conducam*, inquit, *reliquias Israel*. Aliàs indicantur nomine fasciculi, vt Hieronymus [b] ibi interpretatur. *Qui ædificat*, inquit, *in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit*. Quanquam autem plurimi fidelium in extremo vitæ Sacramenta percipiunt, iis tamen Augustinus securitatem non pollicetur, cùm de permultis iure quis ambigat, num etiam Sacramentorum fructum assequantur, cùm non tam sponte, ac liberè vitiis, ac sceleribus nuntium remittant, quàm ab inuitis eorum materia, & opportunitas subtrahatur.

a cap. 2. 12. b Amos 9. 6.

XXVI. Quòd si misericordia, & iudicium ad omnes tam Angelos, quàm homines referantur, non nisi temerè statui potest, pluresne electi, quàm reprobi censendi sint; an verò maior sit numerus reproborum. Igitur non propterea dicitur misericordia superexaltare iudicium, quòd plures diuinam misericordiam consequantur, quàm iudicij seueritatem subeant. Quòd si quis sciscitetur cur Deus, cui, vt ait Ecclesia, *proprium est misereri semper, & parcere*, tam paucos elegerit, quibus diuinæ suæ misericordiæ, ac beneficentiæ fontes patere velit, sæpe huic quæstioni respondit Augustinus [c], id factum, vt appareat, quid vniuersæ naturæ deberetur, & vt diuinæ gratiæ necessitas, atque efficacitas planiùs cognoscatur, cùm tamen interim neminem impellat ad malum, neque humanam libertatem vlla ratione violet.

c ep. 106. & 157. in Enchir. c. 99. li. 14. de ciuit. Dei c. 16. lib. de corrept. & grat. c. 7. 9. & 10. Conc. 2. in Ps. 68.

XXVII. Quòd si misericordiam humanam intelligas, ea meritò superexaltat iudicium, quia, vt ait Dauid [d], ille *beatus est, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*: malam enim diem profectò intelligit extremi iudicij diem, cuius seueritatem misericordia, & beneficentia nullo pacto formidat. Et in eandem sententiam scribit Salomon [e]: *Qui despicit proximum suum, peccat, qui autem miseretur pauperis, beatus erit; qui credit in Domino, misericordiam diligit, errant, qui operantur malum, misericordia, & veritas præparant bona.*

d Psal. 40. in princ. e Prou. 14. 21.

XXVIII. Atque hac ratione Apostolus fideles ad beneficentiam, & liberalitatem hortatur, & fortasse alludit ad id, quod apud Matthæum dixit Christus, cùm impios in extremo iudicio propterea damnandos affirmauit, quòd à pietate, & misericordia abhorruerint, contrà verò iustos ad cœtum beatorum euehendos, quòd miseris, atque indigentibus benefecerint; atque ita misericordia superexaltat iudicium, cùm apertè doceat, hos quidem meritò immortali præmio, illos verò supplicio affici sempiterno. Eadémque aliqua ratione gloriatur, sibi diuini iudicij auctoritate præmium adiudicari, illúdque experitur verè dictum esse ab Isaia [f]: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*. Contrà verò, *væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.*

f cap. 3. 10.

XXIX. Possis etiam addere, idcirco misericordiam aduersùs iudicium exultare, quòd cùm eius iudicij seueritas sit per se supra modum formidabilis, qui tamen misericordiam exercuerint, mirum in modum in eo iudicio exultabunt, certi se diuinam misericordiam consecuturos: vt enim ait Sapiens [g], *Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem.*

g Eccles. 18. 12.

14 *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?*]

I. Aptè omnino hæc superioribus subiiciuntur: vt enim persuadeat misericordiam, & beneficentiam, de qua modò locutus est, meritò addit, *fidem*, si bonis, ac laudabilibus actionibus destituatur, ad salutem prodesse nihil posse; atque ita vna, eadémque opera gliscentem errorem confutat eorum, qui Christianam libertatem perperam interpretantes, suísque eam sceleribus quasi velo prætexentes sola fide inaniter gloriabantur, tanquam ea sola salutem afferre posset. Hæc autem Apostoli sententia quoniam ex aduerso pugnat etiam cum hæreticorum superioris sæculi errore, qui priscos hæreticos imitantes solam fidem in cœlum tollunt, opera non deprimunt modò, sed quasi impia flagitia execrantur; illi huic epistolæ omnem auctoritatem abrogare conantur, & à sacro canone tanquam stramineam, & Apostolica grauitate indignam ablegant. Sed quoniam hunc errorem alibi confutauimus, nihil in præsentia addendum censeo.

II. Certè Apostolus Iacobus mirè consentit cum iis, quæ de fide scripsit Paulus [a]. *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Hic autem quærit Apostolus, quem fructum consecutura sit fides, si honestis, & præcipuè misericordiæ actionibus careat. *Quid proderit*, inquit, *fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* *Excutiendum est*, inquit Augustinus [b], *à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint, bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam subobscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc quidam eum arbitrati sunt dicere.*

a 1. ad Cor. 13. 2. b lib. de fide, & oper. c. 14. 15.

III. Et aliquantò pòst: *Cùm dicit Apostolus arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, vt percepta, ac professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint: sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse; sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, sed eam salubrem definiuit, quæ per dilectionem operatur. Aliam ita nihil prodesse ad salutem asseuerat, vt dicat si habeam omnem fidem, caritatem autem non habeam, nihil sum.*

IV. Itaque Iacobus non omnem fidei vtilitatem abnegat, etiam si bonis sit operibus spoliata, sed ait illam ad salutem assequendam vim nullam habere, alioqui, vt alibi docui [c], negandum non est, fidem supranaturalem mirificam quandam humanæ scientiæ lucem afferre, respectu verò salutis consequendæ tantùm abest, vt prosit, vt plurimùm etiam obsit: nam, vt idem Iacobus scribit [d], *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Et procul dubio qui post baptismum, fideíque professionem peccant, grauiori supplicio plectentur, vt significat Paulus in epistola ad Hebræos [e]. Idque non obscurè indicauit Christus, cùm apud Matthæum [f] dixit: *Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis.* Et paulò pòst [g]: *Terra Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.* Loquitur autem de vrbe Capharnaum, quæ multa Christi miracula viderat, eúmque sæpiùs docentem audierat.

c 1. ad Cor. 1. ver. 28. n. 2. d cap. 4. vers. vlt. e cap. 6. 5. & c. 10. 26. f cap. 11. 22. g ver. 24.

V. Cæterùm non posse solam fidem afferre salutem, omnes, vt iam dixi, Catholicæ epistolæ apertissimè docent, quas Apostoli ad eum errorem confutandum ediderunt, qui ipso Apostolorum tempore exortus erat, quo nonnulli persuadere nitebantur, solam fidem satis esse ad salutem, vt non vno loco affirmat Augustinus [h]. Eius autem erroris primum auctorem fuisse Simonem Magum asserunt Irenæus [i], & Theodoretus [k]. Eidem postea errori

h lib. de vnic. baptism. cōt. Petil. c. 10. i lib. 1. c. 20. k de hæret. fabul.

adhæsisse

a lib. de hæres. c. 54.

adhæsisse Eunomium testatur Augustinus [a]: sic enim de [illegible]llo scribit: *Fertur vsque adeo fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio, & perseuerantia peccatorum, si huius [illegible]a ab illo docebatur, fides particeps esset.* Simon aut[illegible]m vt ait Theodoretus, iubebat suos legis min[illegible]s non pertimescere, sed tanquam liberos fac[illegible] quæ ve[illegible]lent: non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos esse salutem consequuturos.

VI. Nec me fugit argutula hæreticorum principis [b] verborum Iacobi interpretatio, qui illum loqui autumat noo de vera fide, sed de vmbra quadam fidei, hoc est, de inani quadam cognitione articulorum fidei. Dixisse enim illum, *Quid proderit si quis fidem habere se dicat*: quasi significet, inanem se fidei iactantiam damnare: nam si de vera fide loqueretur, dicturus erat, quid proderit si quis fidem habeat. Deinde satis indicare Iacobum, agere se non de fide beneuolentiæ, quæ sola iustificat, sed de fide essentiæ diuinæ: ait enim, *tu credis, quia vnus est Deus.* Ad hæc, fidem ait sine operibus comparari cum fide dæmonum, quos constat vera, & iustificante fide carere. Denique fidem absque operibus mortuam esse dicit, quod autem mortuum est, verè non est: sed homini & impudenti, & impio omnis veterum Patrum antiquitas aduersatur.

b Caluinus lib. 3. instit. cap. 2. & c. 17.

VII. Nam vt incipiam à Chrysostomo [c], de hoc Apostoli loco ita alicubi scribit, *Fulgeat enim lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, & vt vita consonet fidei dogmatis, & dogmata prædicent vitam: fides enim sine operibus mortua est, & opera sine fide mortua sunt: nam tametsi sanam teneamus doctrinam, vitam autem negligamus, nihil nobis proderunt doctrina.* Et multa deinceps, quæ procul dubio indicant veram fidem intellexisse Chrysostomum, eámque sine operibus inutilem esse affirmare. Et alibi [d] de vera fide ita loquitur: *Ita enim fides efficax est, si habeat opera: nam fides sine operibus mortua est.*

c Hom. 2. Gen.

d hom. 2. in ep. ad Philem.

VIII. Neque aliter Gregorius [e] Nazianzenus: *Vt enim,* ait, *actio si à fide deseratur laudem non meretur (quandoquidem multi gloriæ studio, atque etiam à natura ita informati virtutem colunt) ita fides sine operibus mortua est.* Et mox: *Ex operibus ergo fidem, terræq́; vestræ fœcunditatem ostendite, vt perspicuum fiat, an frustra sementem fecerimus.* & quæ deinceps sequuntur. Cyrillus [f] verò: *Quod autem,* inquit, *fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit scribens: Tu credis quia vnus Deus est, dæmones etiam credunt, & horrescunt; si ergo fides sola sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Quare oportet ad fidem opera caritatis accedere.*

e orat. 27.

f lib. 10. in Io. c. 18.

IX. Et Hieronymus [g]: *Si ergo omne mandatum recapitulatur in eo, quod dictum est, Diliges proximum tuum tanquam te, fides autem per caritatem operata valet plurimum; manifestum est operationem fidei per caritatem plenitudinem mandatorum omnium continere. Quomodo autem iuxta Apostolum Iacobum fides absque operibus mortua est, sic absque fide quamuis bona opera sint mortua computantur.* Denique Augustinus [h]: *Recta itaque,* inquit, *fides est, per quam Christus est fundamentum quamuis cum damno, quoniam illa, quæ superædificata sunt, exurentur, tamen poterit eos, quandoque ab illius ignis perpetuitate saluare.*

g ad Galat. 5. versus fin.

h lib. 21. de ciuit. c. 26.

X. Ita argumeorahantor quidam qui perperam Pauli locum in epistola priori ad Corinthios interpretabantur, quasi sola fides, quæ Christum tanquam A fundamentum retinet, posset à sempiternis inferorum cruciatibus liberare. Subiicit Augustinus: *Respondeat eis breuiter Apostolus Iacobus; Si quis dicat se fidem habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides saluare eum?* Alio verò loco [a]: *Vnde,* inquit, *& Apostolus Iacobus cum quosdam redargueret, qui sufficere dicebant homini solam fidem, nec ei caritatis opera coniungebant, eos ex ista dæmonum comparatione conuincit, ne ideo se ad Deum pertinere existimarent, quod verum de Deo crederent, etiamsi bona opera adiungere fidei non curarent. Tu credis,* inquit, *quoniam vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt.* Certè hi omnes sanctissimi, doctissimique Patres non dubitarunt loqui Iacobum de vera fide, non, vt iste vult, de B vmbra, aut imagine fidei.

a li. de vnic. bap. c. 10.

Quin etiam addo ex ipso Apostolo idem penè euidenter firmari posse: primùm enim fidem simpliciter appellat, receptum est autem communi Dialecticorum consensu ambiguum nomen simpliciter, atque absolutè positum, præcipuam, ac primariam suam significationem retinere; est autem vera, & propria significatio huius nominis fidei in sacris præsertim literis vsurpata, vt non ficta, & adumbrata fides, sed vera, ac propria fides intelligenda sit. Deinde non negabit, opinor, hæreticus, Abrahæ fidem, quam Paulus Apostolus tantopere extullit, veram fuisse fidem, & tamen Iacobus hoc ipso capite fidem Abrahæ ait operibus fuisse coniunctam, & ab iis perfectam, atque absolutam, tantùm abest, vt eam C vmbram fidei, aut inanem articulorum notionem existimarit. XI.

Accedit quòd vmbra, & imago fidei ad iustificationem, ipsis etiam consentientibus hæreticis, vim nullam habet, at fides, de qua loquitur Iacobus, tametsi sola sine operibus iustitiam afferre non potest, nonnullam tamen iustificandi vim habet. Ita enim subdit Apostolus: *Videtis quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* Porrò exempla, quibus suam sententiam Iacobus confirmat, hoc ipsum apertissimè indicant. Primùm enim fidem sine operibus nihil prodesse ostendit, quemadmodum pauperibus nullam affert vtilitatem cognitio, quam habent diuites eorum paupertatis, atque inopiæ, si verbis tantummodo illos consolentur, non autem re ipsa subleuent, eorúmque indigentiæ consulant; vt enim D cognitio illa quamuis verissima, prorsus tamen est inutilis; non aliter fides, quamuis vera sit, seclusa ab operibus prodesse non potest ad assequendam salutem. XII.

Deiode fidem sine operibus similem esse ait corpori sine spiritu, quod quanquam est exanime, verumtamen corpus est, sic prorsus fides ab operibus auulsa, vera quidem fides erit, sed exanguis, ac mortua. Sed vt ad ea, quæ ab hæretico obiiciuntur eo, quo proposita sunt ordine, respondeam, fateor Apostolum inanem eorum iactantiam retundere, qui hæreticorum fraude decepti fidem sese habere gloriabantur, honestas, ac laudabiles actiones penitus negligebant, quasi ea tantummodo aditum ad cœlestem patriam reseraret; sed illi quidem non imaginem, E aut vmbram fidei, sed veram fidem prædicabant. Atque idcirco Apostolus: *Quid proderit,* inquit, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Quasi dicat, quid proderit inanis illa fidei iactatio; si opera desint, quæ fidem perficiunt, & absoluunt? XIII.

Cùm autem mox addit: *Numquid poterit fides saluare eum?* perspicuè indicat fuisse in illis veram fidem, sed quia bonis actionibus destituebatur, nullam habuisse vim, atque efficacitatem. Ridiculum verò XIV.

est quod hic homo subiicit, agere Apostolum de A fide essentiæ, non autem beneuolentiæ: nam hæretici quidem fidem beneuolentiæ ad salutem necessariam esse contendunt, qua videlicet quiuis certò sibi persuadet se merito Christi omni prorsus scelere expiatum esse, atque adeò iustum, & Deo carum, sed hanc fidem Catholica Ecclesia non agnoscit, fidem essentiæ & probat, & constantissimè retinet. Quocirca Apostolus, qui non Lutheranam, aut Caluinianam impietatem, sed Catholicam fidem tradebat, de vera, & Catholica fide loquitur, non de hæreticorum figmento.

XV. De fide verò dæmonum perperàm philosophatur: nam si fidei materiam spectes, dæmonum fides vera fides est; qualis est etiam eorum fides, qui in Ecclesia Dei scelestam, ac vitiosam vitam traducunt, B veraque autem quamuis vera sit, omni prorsus fructu, atque vtilitate caret. Adeò verò dæmonum fides visa est Augustino vera fides, vt eam alicubi [a] cum fide Petri componat, ait enim: *Qui dicit destruendum esse baptismum Christi, quando hæretici illo baptizant, consequens est, vt dicat, negandum esse etiam ipsum Christum, quando eum dæmones confitentur. Hinc laudatus est Petrus quando dixit: Tu es Christus filius Dei viui; expulsi dæmones hoc ipsum dicentes. Scimus qui sis filius Dei. ergo illa confessio Petro fructuosa, Dæmonibus perniciosa, in vtrisque tamen non falsa, sed vera, non neganda, sed cognoscenda, non detestanda, sed approbanda est.*

a lib. de vnic. bap. c. 10.

XVI. Eat nunc iste & neget dæmonum fidem esse veram fidem. Quomodo autem dæmonum fides à pec- C catorum fide differat, dicam suo loco non ita multò pòst. Iam verò cùm Apostolus dicit fidē absque operibus mortuam esse, non eam cum homine mortuo componit, qui cum hominis forma careat, verè dici homo non potest, sed etiam comparat cum corpore animi experte, quod verè corpus est, sed exanime, quódque nullam exercere possit actionē, quomodo fides mortua dicitur, quia vitalem actionem nullam habet. Quamobrem rectè dicit Apostolus fidem absque operibus non prodesse, nulloque modo posse afferre salutem.

XVII. Itaque verè possumus affirmare, quicquid hæretici contra nitantur, necessitate, vt loquuntur, præcepti honestas, ac laudabiles actiones ad salutem esse penitus necessarias; id primùm sacræ literæ apertissimè D docent, atque vt omittam quæ in veteri Testamento sæpe leguntur, ne excipiant hæretici legem illam fuisse seruitutis, legem verò Euangelicam esse libertatis, atque adeò excludere operum necessitatem, ex nouo Testamento argumenta sumam; & primùm quidem Christus apud Matthæum [b] electos ac prædestinatos ita alloquitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, & quæ sequuntur: quo loco apparet, cœleste illud regnum non esse fidei, sed bonarum actionum præmium, ac mercedem.

b cap. 25. 34.

XVIII. Neque huius argumenti vim elidunt hæretici, cùm bona opera dicunt esse effecta, & veluti fructus fidei, atque eo nomine à Christo Domino laudari: nam si negent fidem à bonis operibus seiungi, ac separari E posse, apertissimè mentiuntur, vt aliquantò pòst planiùs ostendam; sin autem putent bona opera oriri potissimùm à fide, vt præsertim ad finem supranaturalem referuntur, non magnopere repugnarim; illud tamen contendo, non id agere Christum apud Matthæum, qui bona opera iustorum non aliter, ait, comparare regnum, quàm eorum neglectum impios sempiternis cruciatibus addicere; atque adeò opera seu bona, seu mala, veram esse causam salutis, vel interitus. Addo eiusdem Christi verba apud Ioannem [a]: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Christus enim non scientiæ, aut rerum notioni, quæ fidei beneficio comparatur, sed actioni, & executioni beatam vitam pollicetur.

a cap. 13. 17.

XIX. Iam verò Paulus [b]: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quo loco tam mortem, quàm vitam malis, bonisque actionibus respondere affirmat, & vitam quidem, quod hæreticos malè habet, non quibusuis operibus, sed iis potissimùm pollicetur, quæ ad prauas cupiditates comprimendas referuntur. Et paulò pòst [c]: *Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Mox verò explicans quæ sint ad assequendam hæreditatem necessaria, subdit: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur: existimo enim, quòd non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; vbi tanquam necessaria conditio requiritur tolerantia, additurque quicquid tolerandum sit in hac vita, nequaquam ex æquo respondere magnitudini præmij, quod legitimè certantibus propositum est.

b ad Rom. 8. 13.

c vers. 17.

XX. Idem verò Apostolus eadem epistola ad Romanos [d]: *Corde enim, ait, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quippe fidei confessionem præter ipsam fidem, ad salutem necessariam docet Paulus, & quanquam hæretici, quòd se vehementer hoc testimonio premi, vigeríque animaduerterent, pro sua ingenuitate verbis illis *ad salutem*, sublatis, eorum loco substituerunt, *de salute* Apostolus tamen fidem, & C fidei confessionem apertissimè exigit, vt quis salutem consequatur. *Quia*, inquit, *si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Ad Corinthios [e] autem: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

d cap. 10. 10.

e ep. 2. c. 4. 17.

XXI. Ita videas patientiam, & rerum aduersarum tolerantiam operari, atque adeò consequi æternum gloriæ pondus, in eadem autem epistola aliquantò [f] pòst: *Quæ enim, ait, secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; indicans oriri ex tristitia pœnitentiam, hanc verò salutem afferre; quid verò illa [g] quantam vim habent? *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Iam de muliere hunc in mo- D dum ad Timotheum [h] scribit: *Saluabitur autem*, inquit, *per filiorum generationem si permanserit in fide.* Nihilne præterea addendum putas? At vide quàm multa; *& dilectione*, ait, *& sanctificatione cum sobrietate.* Denique ne longum faciam, ad Hebræos [i]: *Patientia enim*, inquit, *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Quæ sanè omnia hanc Iacobi sententiam mirificè confirmant, ostenduntque fidem solitariam nullam vim habere ad gratiam, & salutem comparandam.

f cap. 7. 10.

g ad Philip. 2. 12.

h ep. 1. c. 2. 15.

i cap. 10. 36.

XXII. Hoc ipsum præcipua Ecclesiæ lumina meridiana luce clarius docuerunt. Nam Clemens Alexandrinus [k]. *Gratia*, inquit, *saluamur, sed non absque bonis operibus.* Et mox: *Quando audiuimus, fides tua te saluum fecit, non accipimus absolutè, eos saluos futuros, qui* E *quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta.* Quibus sanè verbis planè intelligimus, bonorum operum necessitatem; quod ipsum aliis verbis docet Gregorius Nazianzenus [l]: *Operare*, inquit, *bonum super hoc doctrinarum fundamento, quoniam sic fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera sine fide.*

k lib. 5. Stromat.

l Oration. in San. lauacr. sub fin.

XXIII. His addo verba Chrysostomi [m], qui ad illum locum Ioannis. *Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam. Numquid ergo*, inquit, *satis est*

m Hom. 30. in Ioan.

ad vitam

ad vitam æternam in Filium credere? Minimè. non enim omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Et peccatum in Spiritum Sanctum vel solum est satis vt hominem in gehennam retrudat. Et quid de Patre loquor? Nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas; cùm ergo dicit: Ipsa est ergo vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari, opus namque nobis est, & vitæ & morum puritate pollere. Et licèt hoc in loco dicit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam, non tamen dicimus satis esse solam fidem ad salutem.

XXIV. Eodem spectant quæ scribit Cyrillus [a] Alexandrinus: *Quod autem, ait, fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit scribens, Tu credis quia vnus est Deus*, &c. quæ paulò antè produxi. Iam inter Latinos Hilarius ita alicubi [b] scribit: *Salus gentium omnis in fide est, & in præceptis Domini vita vniuersorum.* Ambrosius autem, vel quicunque est autem Commentariorum in Paulum, quæ ipsius [c] nomen præferunt, explicans verba illa, *festinemus ingredi in illam requiem; Festinemus*, ait, *quoniam non sufficit fides, sed debet addi & vita fidei condigna; opus est quippe omni volenti cælum possidere, fidem operibus bonis ornare.*

a lib. 10. in Ioan. c. 18.
b in Matth. c. 7.
c ad Hebr. 4.

XXV. Et in eandem sententiam Hieronymus [d] ad illa Isaiæ verba; *murus, & antemurale ponetur in ea; Murus*, inquit, *bonorum operum, & antemurale fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* Alibi [e] verò ipsa propemodum Lutheri verba exprimit. *Perdulces*, inquit, *sermones decipiunt infelices; cùm enim viderint aliquos delinquentes, aiunt: Nihil aliud quærit Deus, nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis:* vt tantò antè impias Lutheri voces [f] quasi diuinasse videatur, quibus ille ait: *Nos cum Deo nunquam aliter agere possumus, quàm fide; opera ille nihil curat.*

d Isa. 26.
e Ose. 4.
f lib. de cap. Babyl. c. de Eucharist.

Videsint igitur quàm bene noua ipsorum commenta cum priscis Ecclesiæ Patribus consentiant. Iam verò Augustinus præter ea, quæ suprà indicaui, quodam loco ita scribit [g]: *Homines non intelligentes, quod ait Apostolus, arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus, putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona opera non habeat, quod absit vt sentiret vas electionis.*

g lib. de gra. & liber. arb. c. 7.

XXVI. Et alibi [h]: *Si se*, inquit, *infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, & in hanc cogitationem se inclinauerit, vt dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantùm credentibus quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita parata est in finem, vt nemo pereat fidelium iniquorum, id est, nemo pereat eorum, qui sibi dicunt. Quicquid vis faciam, quibuslibet facinoribus, & flagitiis inquiner, quantumlibet peccem, liberat me Deus misericordia sua, quia credidi in eum. Qui ergo dicit, neminem perire talium, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum, & Deus ille iustus, cui cantatur misericordia, & iudicium, non sola misericordia, sed & iudicio inuenit hominem malè de se præsumentem, & ad interitum suum misericordia Dei abutentem, & necesse est, vt damnetur.*

h Præf. in Psal. 31.

XXVII. Ita videas horum hæreticorum amentiam, & graphicè describi, & apertissimè damnari. Gregorius [i] item Pontifex explicans verba illa Christi, *Amice, quomodo huc intrasti? Amicum*, inquit, *vocat, & reprobat, ac si apertiùs dicat; Amice, & non amice; Amice per fidem, non amice per operationem.* Addo Prosperi Aquitanici [k] verba: *Potens*, inquit, *in terra erit semen eius, semen futuræ messis esse opera misericordiæ. Apostolus testis est, dicens, Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim proprio metemus, quid autem potentius hoc semine, cuius impendio comparatur regnum cælorum, & vita æterna?* Rursus [a]: *Verbum fidei prædicandum est, vt audiens credat, credens intelligat, intelligens bonum opus perseueranter exerceat, quoniam eum, qui potest vti libera voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec fides sola sine operibus iustificat.*

i Hom. 38. in Euang.
k in Psalm. 111.
a lib. 1. de vit. contempl. c. 5.

XXVIII. Sic etiam [b] Fulgentius: *Vita*, inquit, *bona non veraciter dicitur, quæ peruersæ credulitatis vitio deprauatur, neque sufficit ad salutem fides rectè credentis, si conuersatio moribus, atque operibus turpatur obscœnis.* Denique Primasius monet [c] verba illa, *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est Idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei*, dicta esse aduersùs eos, qui solam fidem satis esse putant ad salutem.

b lib. 2. de remiss. pec. c. 1.
c ad Ephes. 5.

XXIX. Cùm igitur satis constet, fidem à bonis operibus seiungi, ac separari posse, verissimè omnino dixit hoc loco Apostolus non posse solam fidem parere salutem: Nam alioqui, si sola fides per se suapte vi salutem tribueret, planè consequens esset, scelestissimos mortalium, modò fidem constanter retineant, beatam vitam consecuturos, & tamen Paulus sexcentis propemodùm locis, impios, ac sceleratos non modò à beatorum cœtu excludit, sed sempiternis inferorum cruciatibus adiudicat. Alicubi [d] enim ait: *Tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum, Iudæi primùm, & Græci, gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco.* Alibi [e]: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

d ad Rom. 2. 9.
e 1. ad Cor. 6. 9.

XXX. Rursus alibi [f]: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, & quæ deinceps sequuntur; tum subdit: *Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Denique [g] ne cuncta recenseam: *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est Idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi.* Et tamen qui his sceleribus inquinantur, veram fidem retinere possunt, & à salute nihilominùs excluduntur. Neque enim audiendi sunt hæretici, cùm aiunt, veram non esse fidem, si bonorum operum societate destituatur, esse enim illa veræ fidei signa, & effecta, quæ eam perpetuò comitantur: nam apud Ioannem [h] legimus: *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum* (vera profectò fide) *sed propter Pharisæos non confitebantur, vt e Synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.*

f ad Gal. 5. 19.
g ad Ephes. 5. 5.
h cap. 12. 42.

XXXI. Nam quod aduersarij dicunt, non habuisse principes illos veram fidem, sed rudem quandam, & inchoatam Christi notionem, admitti posset, si diuinitùs id se cognouisse probarent. Nam nobis quidem ea non Scripturæ explanatio, sed apertissima deprauatio videtur, cùm eodem credendi verbo sexcentis locis vera fides describatur, nec vllam possint afferre rationem, vel tenuem coniecturam, cur aliter idem verbum hoc loco explicandum videatur. Siquidem illo ipso capite ait Euangelista [i]: *Cogitauerunt principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.* Rursus [k]: *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ impleretur, Domine quis credidit auditui nostro?*

i vers. 10.
k vers. 37.

XXXII. Quem Isaiæ locum protulit Paulus [a], cùm de fide A iustificante dissereret. Et post [b] multa: *Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, non maneat in tenebris.* Cùm igitur his omnibus locis credendi verbum de vera fide accipiatur, cur aliter explicandum erit, cùm principes in Christum credidisse dicuntur? Certè Augustinus veram in principibus fidem agnouit, sic enim [c] ait: *Videte quemadmodum notauerit Euangelista, & improbauerit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit, qui in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent.*

a ad Rom. 10.16.
b vbi sup. vers. 40.
c Tract. 53. in Io.

XXXIII. Certè vera fides erat, quæ proficiendo humanæ gloriæ amorem poterat superare: eadem enim fides incipiens proficere, ac perfici dicitur. Idem verò alibi [d]. *Quidam*, inquit, *crediderunt prædestinati in* B *vitam æternam, quidam verò non crediderunt: eorum autem, qui crediderunt, alij vsque adeò confitebantur, vt palmarum ramis acceptis venienti occurrerent in eadem laudis confessione lætantes; alij verò ex principibus confiteri non audebant, ut de Synagoga non eijcerentur.* Non negabunt, opinor, veram eorum fuisse fidem, qui etiam palàm confitebantur; eandem autem fidem tribuit Augustinus principibus, qui confiteri non audebant. Denique, vt cætera omittam, hic Iacobi locus eos apertissimè refellit.

d Tract. 54. in Io.

15. *Si autem frater, & soror nudi sint, & indigent victu quotidiano:*

16. *Dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?*

17. *Sic & fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.*]

I. Quod dixerat Iacobus fidem absque operibus nihil prodesse ad salutem, duplici exemplo confirmat, quorum alterum paulò pòst subijcit ductum à corpore exanimi, cui similem esse ait fidem, si operibus careat; alterum verò propositis verbis explicat. Perinde enim ait facere eum, qui fidem retinet, opera negligit, ac si esurienti, sitientique bene precetur, nihil autem tribuat, quo ipsius indigentia subleuetur: vt enim verba illa mollia indigenti nihil prosunt, ita fides auulsa ab operibus nul- D lam affert vtilitatem. Est autem hoc exemplum cùm rei, de qua agitur valdè accommodatum, tum iis, quæ suprà dixerat de personarum acceptione, admodum consentaneum: cùm enim dixisset, non esse cum fide Christi acceptionem personarum coniungendam, neque solo diuitiarum respectu diuites pauperibus anteferendos, hîc tacitè insinuat, quid Christiana fides pauperibus largiendum doceat. Ait enim:

II. *Si autem frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano:* pauperum enim indigentia subleuanda est, & pauperibus, vt ait Apostolus, alimenta, & quibus tegantur, tribuenda sunt. Sic enim olim in Deuteronomio præcepit Dominus [e]: *Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.* Et aliquantò [f] pòst: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ; idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum versatur in terra.*

e cap. 15. 7.
f vers. 11.

III. Huius porrò diuini præcepti vim, eiúsque fructum, atque vtilitatem eleganter explicat Tobias [g]: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini; quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: præmium enim bonum tibi thesaurizas, in die necessitatis; quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et apud eundem Tobiam [a] Angelus: *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.*

g cap. 4. 7.
a cap. 12. 8.

IV. B Alia penè sexcenta in eandem sententiam leguntur in sacris literis, præsertim apud Salomonem [b], & in Ecclesiastico [c], & in vaticiniis Prophetarum [d]. In nouo autem Testamento nihil frequentius inculcatur, magísque extollitur. Quòd si libeat ea paulò diligentiùs perscrutari, quæ hac de re Ecclesiæ Patres memoriæ tradiderunt, tam multa reperiemus, vt si omnia exscribenda essent, in immensum volumen excresceret; sed pauca de multis delibabo, vt appareat, quàm verè insinuauerit Iacobus egentibus benefaciendum, & pietatis, ac misericordiæ opera vnà cum fide sedulò coniungenda.

b Prou. 13. 8. cap. 14. 21. c. 15. 27. c. 25. 21. c. 28. 27.
c cap. 3. 33. c. 12. 1. c. 17. 18.
d Isa. 58. 7. Dan. 4. 24.

V. Acutè autem scripsit alicubi Clemens [e] Alexandrinus: *Reuera Dei est imago homo benefaciens, quæ* C *in re ipse etiam beneficio afficitur, sicut gubernator simul seruat, & seruatur.* Alibi [f] verò eos solatur, qui cùm benefaciendi habeant voluntatem, destituuntur tamen facultate. *Misericordes esse vult*, ait, *non solùm qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possunt, quibus adest, vt spontè, & libera voluntate operentur: nonnunquam enim volumus vel dando pecuniam, vel corpoream dando operam, facere misericordiam, vtpote egenti opem ferre, vel ægrotanti inseruire, vel ei adesse, qui est in aliqua calamitate, nec possumus, vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem (nam ea quoque morbus est naturalis) exequi institutum, ea, quæ cupimus, & ad quæ interno animi motu ferimur, non potentes efficere; eundem autem honorem consequentur ij, qui voluerunt cum iis, qui potue-* D *runt, quorum est voluntas æqualis, etsi alij superent facultatibus.*

e lib. 2. Strom.
f 4. Strom.

VI. Ex quibus facilè colligas, quomodo accipienda sint quæ hoc loco scribit Iacobus, si indigentibus victu quotidiano dicat aliquis; *Ite in pace, calefacimini, & saturamini, nec dederis eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Proculdubio enim negat quidquam pauperi prodesse verba, quæ eius indigentiæ nulla ratione consulunt, nec dubito eum notare diuites, qui cùm possint benefacere, negligunt tamen pietatis opera, neque indigentiam pauperum subleuant: nam alioqui si quis facultate destitutus benefaciendi habeat voluntatem, non ille quidem pauperi prodest, misericordiæ tamen fructu, atque vtilitate non caret. Quòd si præter voluntatem ad- E sit etiam diuitiarum copia, *iustum est*, ait Gregorius [g] Neocæsariensis, *egenti panem, & ea, quæ ad vitam tuendam necessaria sunt, impartiri: quamuis enim id statim perdidisse videaris, vt si panem in aquam coniecisses, tamen progressu temporis nequaquam infrugifera tibi apparebit beneficentia.*

g in Metaphr. Eccles. c. 11.

VII. Cyrillus autem Hierosolymitanus [h] docet diuitias, atque opes, si pauperibus erogentur, regni cœlestis aditum reserare. Basilius [i] verò *Habes, si vis*, inquit, *apothecas, ventres pauperum, thesauriza tibi thesaurum in cœlo,*

h Catech. 8.
i Hom. ad diuit. ditesc.

in cœlo, quæ illic reconduntur, nunquam depascuntur tinea, nulla depopulatur caries, aut erodit, nulli expilant prædones. Egregiè verò Gregorius [a] Nazianzenus: *Neque enim ullus omnino cultus Deo perinde gratus est, ut misericordia, quandoquidem nec aliud quidquam est, quod Deo magis conueniat, vtpote quem misericordia, & veritas præcedant, & cui misericordia ante iudicium offerenda sit, nec ulli alij rei potiùs quàm benignitati, benignitas à Deo rependitur, qui iustè remetitur, atque in pondere, & mensura misericordiam ponit.*

a Orat. 16. quæ est de pauper. amo.

VIII. Egregiè verò Chrysostomus [b]: *Hic erudiamur, vt magna in dandis eleemosynis largitate vtamur, quo datis paruis adipiscamur magna: quomodo enim paria sunt dic obsecro, dare parum argenti, & obtinere peccatorum remissionem? pascere esurientem, & in die illa horribili fiduciam assequi, & audire verba nulli regno conferenda, esuriui, & dedisti mihi, quod comederem. Num qui tibi tantam rerum dedit vbertatem, non potuit & illius inopiam leuare, & solari? Hac de causa reliquit illum inopia vexari, vt & ipse patientia multam mercedis acquireret, & tu per eleemosynam tibi fiduciæ materiam illuc præmitteres.*

b Hom. 34. in Genes.

Et post nonnulla. *Itaque dum cogitas, quòd propter te, & propter tuam vtilitatem ille cum inopia conflictans fame perit, ne absque misericordia transeas, sed esto fidelis eorum, quæ tibi à Domino concessa sunt, bonorum dispensator, vt adiutus illius penuria, tibi supernam concilies gratiam; & glorifica Dominum Deum tuum, quòd propter te, & salutem tuam permittat illum in paupertate versari, vt tibi via pateat, per quam peccata possis abluere.* Rursus: *Nullum enim omnino aliud bonum sic poterit restinguere peccatorum nostrorum incendium, vt eleemosyna largitas; ista & peccatorum nostrorum abolitionem operatur, & magnam nobis fiduciam conciliat, & præparat, vt ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat.*

IX. Et alibi [c]: *Ars omnium artium quæstuosissima est eleemosyna si enim artis est proprium ad aliquam vtilitatem peruenire; eleemosyna verò nihil est vtilius, clarum est profectò, quòd & ars, & omnium est artium optima: Non enim nobis conficit calceamenta, neque vestimenta contexit, nec has luteas domos ædificat, verùm & æternam ministrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in vtraque vita claros exhibet, & mansiones ædificat in cælis, & æterna parat illa tabernacula. Hæc lampades nostras non sinit extingui, nec sordidis indutos vestibus in nuptiis videri, sed lauat, & niue mundiores reddit.*

c Hom. 33. ad pop. Antioch.

X. Iam verò Tertullianus [d] de prisca Christianorum consuetudine, deque pietate in pauperes hæc alicubi scribit: *Etiamsi quod arcæ genus est, non de ordinaria summa quasi redempta religionis congregatur; modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Multa item ea de re eleganter scribit Cyprianus [e].

d in Apolog. c.39.

e de op. & eleem.

XI. Ambrosius [f] autem. *Tu*, inquit, *nummum largiris, ille vitam accipit, tu pecuniam das, ille substantiam suam æstimat, cum denarius census illius est. Adhæc plus ille tibi confert cùm sit debitor salutis, si nudum vestias, te ipsum induis iustitia, si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris, ista gratia; corporalia seminas, & recipis spiritualia. Miraris iudicium Domini de sancto Iob? Mirare virtutem eius, qui poterat dicere. Oculus eram cæcorum, & pes claudorum,*

f lib. 1. off. c.11.

A *ego eram infirmorum pater, velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum, foris non habitabat peregrinus, ostium meum omni venienti patebat. Beatus planè de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exiuit: neque enim quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi, atque inopis ærumnam; in die iudicij habebit salutem à Domino, quem habebit sua debitorem misericordia.* Longum esset recensere, quæ eadem de re pluribus locis scribunt Hieronymus, Augustinus, Prosper, Leo, & alij, quæ commodiore fortasse loco recensebuntur.

Rectè itaque ait Iacobus, nudis, & quotidiano victu indigentibus nihil prodesse, si quis illis dicat. *Ite in pace, calefacimini, & saturamini, nec dederit eis, quæ necessaria sunt corpori.* Neque enim solùm signi- XII.
B ficat, eos nihil prodesse indigentibus, sed præterea ostendit, nullam inde diuites percipere vtilitatem, cùm potiùs interdum graui se piaculo obstringant, quòd eleemosynæ præceptum violent. Pertinet autem, vt suprà diximus, ad caritatis præceptum, vt quis proximum diligat, sicut se ipsum, vt autem scribit B. Ioannes [a], *Non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*, diligendus est.

a ep. 1. c. 3. 18.

XIII. Quòd si quis eleemosynæ præceptum, de quo agimus, ad Decalogum reuocare velit, video non planè inter Theologos conuenire: Sunt enim, qui [b] pertinere putent ad præceptum, quo furtum prohibetur: nec enim desunt ex sanctis Patribus, qui ea, quæ statui supersunt, nisi pauperibus tribuantur, ad furtum, & rapinam spectare autument. Sed, vt
C arbitror, sententia est minùs probabilis & quæ à sanctis Patribus dicuntur, ad amplificandam, atque exaggerandam eleemosynæ necessitatem pertinent, & ad auaritiam diuitum detestandam, alioqui furtum non modò est contra caritatem, sed ex aduerso cum iustitia pugnat; quam tamen virtutem nullo modo lædit, qui indigentibus, cùm commodè possit consulere, necessaria denegat.

b Alber. in 4. d. 15. ar. 16.

XIV. Meliùs multò existimauit D. Thomas [c], qui eleemosynæ præceptum subiicit præcepto de honore parentibus exhibendo, quod visus est non obscurè insinuare Apostolus Paulus, cùm ad Timotheum [d] scribens pietatis opera his verbis commendat: *Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futura:* videtur enim alludere ad quartum præ-
D ceptum, quod, vt ipse alibi [e] dixerat, *primum est in promissione, Honora*, inquit, *patrem, & matrem, vt sis longæuus super terram.*

c 2. 2. q. 32. ar. 5 ad 4.

d ep. 1. c. 4. 8.

e Exodi 20. 12.

XV. Quanquam non nego, vt eo loco docui, aliter posse Pauli verba explicari, hæc tamen explanatio non est penitus aspernanda. Nam cùm eleemosynæ præceptum affirmatiuum sit, non potest ad aliud affirmatiuum præceptum reuocari, quàm ad id, quo parentes colendi præcipiuntur, cùm cætera omnia secundæ tabulæ præcepta sint negatiua. Parentum autem nomine eos intelligi, qui aliquo nobis iure coniuncti sunt, constans est omnium Theologorum sententia, qui parentes idcirco nominatim exprimi affirmant, quòd inter proximos primum locum obtinent; quorum respectu pietas, ac misericordia
E nonnullam habet iustitiæ rationem, quam potissimum virtutem decalogi præcepta spectare videntur.

XVI. Quæ sit autem huius præcepti vis, & quatenus porrigatur, accuratè, ac subtiliter disputatur in scholis, hîc rem paucis expediam: nam primùm inter Theologos conuenit ea, quæ personæ, ac statui supersunt, si proximi extrema necessitate laborent, egentibus esse largienda; illud verò in quæstionem vocatur à multis, an ea quæ supersunt retineri, ac conseruari absque flagitio possint, an

a 2.2.q. 66. ar.7.& q.87. ar.1. ad 4.& q.118.a.4.ad 2.& quodl. 6 ar.12.
b Alber.Ricar.Palud.& alij in 4.d. 15.
c In 4.d.15. q.2.ar. 1. questiune 4.

A verò pauperibus tribuenda sint, & quidem vtraque pars suos habet auctores. Diuus tamen Thomas [a], quem plurimi [b] sequuntur, negat ea, quæ superflua sunt, absque peccato retineri, & conseruari posse; quin etiam alicubi [c] affirmat, hanc esse communem Theologorum sententiam, quam sanè sacræ literæ ac veteres Patres non obscurè significant.

XVII. Etenim Christus Dominus apud Matthæum [d]. *Nemo potest*, inquit, *duobus dominis seruire, non potestis Deo seruire, & mammona*. Mammonæ autem seruire, vt in eum locum explicant Chrysostomus, & Hieronymus, nihil est aliud, quàm superuacaneas diuitias congregare, & cupidè, atque auarè recondere; & quidem ille proculdubio diuitiis seruit, qui otiosas pecunias, vestes, vasa, & id genus alia ita recondit, vt iis quodammodo parcere videatur, qui verò B diuitias liberaliter largitur iis quodam modo videtur imperare.

d cap.6.24

XVIII. Sed illa apud Lucam [e] apertissima sunt, quæ ait Ioannes: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat*; pertinet autem hoc non ad consilium, sed ad præceptum; cùm enim Ioannes paulò antè dixisset: *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Quærentibus mox Iudæis: *Quid ergo faciemus*? respondit: *Qui habet duas tunicas*, &c.

e cap.3.11.

XIX. Vnica autem tunica, vt rectè explicat Hieronymus [f], *est vestimentum vnicuique necessarium, quocirca si tres, quatuor, pluresue sint vestes necessaria, vnica censenda est tunica. Quid*, inquit, *si Scythia frigora sint, & Alpinæ niues, quæ non duabus, aut tribus tunicis, sed vix* C *pecudum pellibus repelluntur? quidquid ergo corpori nostro sufficere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc vna appellanda est tunica, & quidquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc vnius diei victus appellatur, vnde præceptum est, Non cogitetis de crastino, hoc est, de futuro tempore*.

f ep.ad Edib. q.1.

XX. Eodem spectant quæ apud eundem Lucam dixit Dominus: cùm enim diuitis cuiusdam auarum consilium proposuisset, qui multa bona collegerat, & auarè retinebat, subdit [g] dictum illi fuisse à Deo: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti, cuius erunt*? Et concludit: *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues*. Hunc enim locum explicans Augustinus [h], ait diuitem illum non D ob aliud fuisse damnatum, nisi quia superuacanea bona retinebat. Verba enim illa: *Repetunt animam tuam*, continere putat extremæ damnationis indicium. Eodemque modo accipit quod subditur: *Sic est omnis, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues*.

g Luc.12.20.
h lib.50.ho. hom.7.

XXI. Nihil enim aliud significare putat, quàm eadem ratione perituros omnes, qui augendis opibus student, cùm par esset, eos veras sibi meritorum diuitias apud Deum comparare. Eodem pertinere puto diuitis epulonis historiam [i]: ita enim veteres Patres illam appellant, non parabolam. Ille enim diues, qui purpura, & bysso induebatur, quotidiéque splendidè epulabatur, vt loco indicato obseruat Augustinus, non ob aliam causam periit, nisi quòd superua- E caneas opes ad inanem pompam, & ostentationem, & luxum, non ad alendos pauperes adhiberet. Denique apud eundem Lucam [k] ait Christus: *Quod superest, date eleemosynam*. Tametsi enim Græca vox, τὰ ἐνόντα, significat ea, quæ adsunt, rectè tamen interpres Domini sententiam expressit, cùm Latinè dixit, *Quod superest*, quasi dicat, *quod superuacaneum est*, in præsens.

i Luc.16.19.
k cap.11.41.

XXII. Iam verò multò id apertiùs veteres Patres affirmant, Basilius [l] enim: *At tu*, inquit, *nonne spoliator es*, A *qui quæ dispensanda accepisti propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conseruas, discalceati calceum, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres*. Et in eandem sententiam Chrysostomus [a]: *Nunquid*, ait, *graue quidpiam, & onerosum a nobis requirit? Necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ nequidquam, & inutiliter reposita sunt, hæc vult bene distribui, vt hinc occasione sumpta nos coronet*.

l Orat in ill. Destruã horrea mea, prope fin.
a Hom. 34. ad pop.

XXIII. Et aliquantò pòst de superuacaneis differens: *Tuarum*, inquit, *rerum es, ô homo, dispensator non minùs, quàm qui Ecclesiæ bona dispensat*. Et post nonnulla: *Non ad hoc accepisti, vt in delicias absumeres, sed vt in eleemosynam erogares. Nunquid enim tua possides? res* B *pauperum tibi sunt credita siue ex laboribus iustis, siue ex hæreditate paterna possideas*.

XXIV. Venio nunc ad Latinos, Ambrosius [b] enim in hunc modum scribit. *Sed ais, quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruem? O impudens dictum! Propria dicis? Quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti*? Paucis autem interiectis. *Non minus est criminis habenti tollere, quàm cum possis, & abundes indigentibus denegare*. Hieronymus [c] autem ait. *Apostolus habentes inquit victum & vestitum, his contenti simus. Si plus habes quàm tibi ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noueris*. Illud præterea ex Hieronymo [d] affertur. *Aliena rapere conuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur*.

b Ser. 81.
c epist. ad Edib.q.1.
d Grat.d.42. §. hospitale.

XXV. C Augustinus [e] porrò explicans Dauidis verba. *Confortauit seras portarum tuarum. Superflua*, inquit, *diuitis, necessaria sunt pauperi, aliena retinet, qui ista tenet*. Et alibi [f]. *Defert*, ait, *tibi Deus honorem, & quasi dicit tibi prior de communi tolle quod sufficit, necessitatibus domus tuæ, quod reliquum est, da Christo*. Rursus [g]: *Tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria sunt*. Nec aliter accipio, quæ scribit Leo [h] Pontifex: *Etiam terrena*, inquit, *& corporea facultates ex Dei largitate proueniunt, vt meritò rationem earum quæsiturus sit, qui non magis possidenda, quàm dispensanda commisit*. Et alibi [i], *Plenum, ait, pietatis, atque iustitiæ est, vt de iis, quæ nobis cœlestis Pater misericorditer contulit, nos quoque alios adiuuemus. Sunt enim plurimi, qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam ha-* D *bent in oleis portionem; quorum inopiæ de ea, quam Dominus dedit, copia consulendum est, vt & ipsi nobiscum Deo pro terræ fœcunditate benedicant, & gaudeant possidentibus fuisse donata, quæ etiam pauperibus, ac peregrinis fuerunt facta communia. Fœlix est illud horreum, & omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium, & debilium saturatur esuries, de quo releuatur peregrini necessitas, de quo desiderium fouetur infirmi. Quos ideo sub diuersis molestiis iustitia Dei laborare permisit, vt & miseros pro patientia, & misericordes pro beneuolentia coronaret*.

e in Psal. 147.
f Hom. 8. lib.50. hom.
g Tract.50. in Ioan.
h Serm.5.de collect.
i Serm 5. de ieiun.x.mēs.

XXVI. Illa verò diuitibus etiam, atque etiam expendenda sunt, quæ scribit Gregorius [k]: *Admonendi sunt, ait, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, vt sciant sollicitè, quòd ea, de qua sumpti sunt, cunctis* E *hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert, & idcirco in cassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant*. Ita videas communem esse veterum Patrum sententiam, ea quæ superuacanea possidentur, pauperibus esse largienda, nec posse absque graui, & lethali culpa retineri.

k 3.p.Pastor. adm.22.

XXVII. Non negarim tamen habendam esse rationem non personæ tantùm, sed etiam status, & conditionis, cui multa prudentis, boniique viri arbitrio necessaria videri possunt, quæ alioqui personæ superuacanea

uacanea essent. Porrò necessitas siue personæ, siue condicionis pro locorum, ac temporum ratione aliter, atque aliter definienda est, vt ex iis, quæ suprà ex Hieronymo attulimus, intelligi facilè potest; ita fit, vt superuacanea non sint censenda illa, quæ licèt præsenti necessitati non occurrant, possunt tamen, vt res sunt humanæ, postmodùm necessariò exigi.

XXVIII. Quin etiam qui numerosæ familiæ, & filiabus præsertim locandis consulunt, atque adeò extrema necessitate exclusa, nonnulla reponunt, nullo pacto censendi sunt contra ius fásque superuacanea possidere. Illud etiam addiderim, nisi ingentes in Repub. necessitates existant, quibus occurrendum sit, modò communes pauperum necessitates pro cuiusque conditione non negligantur, licere cuiuis altius se attollere, & ad ampliorem statum aspirare, in eumque finem quædam sibi seponere, ac retinere. Cæterum cupiditati modus imponendus est, ne dum maiora appetuntur, quàm quæ cuiusque vires assequi possint, frustra, atque inaniter opes coaceruentur.

XXIX. Neque verò huic nostræ sententiæ vllo pacto aduersatur, quod alicubi scribit Apostolus [a], *Consilium*, inquit, *in hoc do*, loquebatur autem de eleemosyna, quam ex iis, quæ supersunt, faciendam esse suadebat: subdit [b] enim, *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* Seclusa igitur vi præcepti consilio Apostolico tantùm existimauit Paulus superuacanea pauperibus largienda esse. Sed, vt suo loco monui, pro eo quod interpres Latinè dixit: *Consilium in hoc do*, Græcè scripsit Paulus γνώμην.

a 2. ad Cor. 8.10.
b vers. 14.

XXX. Est autem apud Græcos γνώμη, non qualecunque consilium, quod probabili ratione nitatur, sed quod à certa, miniméque dubia sententia profectum sit. Quomodo dixerat Apostolus, cùm de Virginibus ageret [c], *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, vbi eodem modo Græcè dixit, γνώμην δίδωμι, vt significaret consilium esse certum, minimeque dubia sententia nixum. Fateor igitur non imponere Apostolum Corinthiis præcepti necessitatem largiendi pauperibus, qui Hierosolymis erant (de eorum enim inopia subleuanda agebatur) quia præceptum largiendi eleemosynam non ita latè patet, vt cogat quempiam etiam remotissimis pauperibus consulere. Quocirca, quia eo præcepto non cogebantur Corinthij Hierosolymitanos pauperes subleuare, rectè Apostolus consilium se dare dicit, non præcipere.

c 1. ad Cor. 7.25.

XXXI. Sunt qui addant, non agere Paulum de superfluis, sed de abundantia, & copia, quòd Corinthij opulenti essent, ac diuites, sed Græca vox περίσσευμα non quamlibet copiam, & abundantiam, sed excessum, redundantiam, reliquias, & nonnunquam excrementum significat, vt omnino videatur Apostolus superuacanea à Corinthiis exigere; iure optimo tamen suadet, non præcipit, quia, vt dixi, eleemosynæ præcepto satisfacere poterant Corinthij, si ciuium suorum inopiæ, atque indigentiæ consulerent: quamuis enim diuites superuacanea citra culpam, vt dictum est, retinere non possint; nemo tamen cogitur cuiuis petenti ea largiri etiamsi pauper sit, & indigeat: sed, vt egregiè docet D. Thomas [d], liberè potest vni potiùs, quàm alteri bona sua impertiri, modò id bona fide, vt prudentia, & caritas suaserit, nullo autem prauo consilio, fiat.

d Quodl. 6. art. 12. ad 1. & 2.

XXXII. Videant igitur, qui aliter sentiunt, quàm firmis rationibus vtantur. Certè, vt ad Iacobum redeam, non modò ille indicat, pauperes nullam percipere vtilitatem ex diuitum verbis, si suæ indigentiæ re

A ipsa non opitulentur; sed illud etiam nnn obscurè insinuat fore etiam diuites omnis spiritalis fructus expertes, ait enim: *Quid proderit?* Græcè, τί τὸ ὄφελος; quasi dicat, Quæ ex verbis tantùm existet vtilitas? Nam cùm eleemosynæ geminus sit fructus, alter corporeus, quem pauperes percipiunt, alter spiritalis, qui ad diuites beneficos spectat; speciosa illa verba, quibus indigentes inanes, ac vacui repelluntur, vtroque fructu omnino spoliantur; ac propterea omnis vtilitatis dicuntur expertia, ita quod ait Apostolus: *Quid proderit?* Non minùs ad diuites, quàm ad pauperes referri potest. Quin etiam si ad diuites pertineant, possunt illi nonnunquam obesse non parùm, si pauperum egestati, cùm maximè debeant, negligant prospicere.

B Sic, inquit, *& fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Redditio est, atque accommodatio similitudinis: dixerat enim suprà fidem non prodesse, nec posse afferre salutem, si honestis, atque laudabilibus actionibus destituatur; Id probare cœperat similitudine ducta à diuitibus, qui pauperes, & indigentes verbis solantur, ope non subleuant. Quemadmodum enim, inquit, diuitum verba, quibus quotidiano victu egentes vacuos dimittunt, nullam neque pauperibus vtilitatem, nullúmque diuitibus compendium afferant, non aliter fides, quæ bonis operibus caret, quasi exanguis, ac mortua nullum potest emolumentum afferre. Ait autem: *fides si non habeat opera*, dicitur enim fides habere opera, quæ cum legis, ac diuinorum præceptorum obseruatio- XXXIII.

C ne coniungitur: ea autem operibus caret, quæ otiosa est, & languida, qualem hæretici prædicant, quæ meritò dicitur *mortua in semetipsa*, hoc est, carere vitali principio, vnde actiones honestæ, ac laudabiles manare solent.

Sic enim ferè rectè loquentium vsu receptum est, XXXIV.
vt ea, quæ actiones sibi congruentes exercent, seu propriè, seu metaphoricè viuere dicantur; herbæ enim, ac plantæ, quæ opportuno tempore virescunt, frondes, flores, ac fructus proferunt, vita præditæ dicuntur, & quidem propriè, cùm vegetante anima constent. Aqua verò, quæ à fonte manans, continenter fluit, ac labitur, metaphoricè viua nuncupatur, vt à stagnantibus aquis distinguatur. Hanc metaphoram probauit Christus, cùm apud Ioan-

D nem [a] dixit: *Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* De qua mox subdit [b]. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Rursus alibi [c]. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

a cap. 4. 10.
b vers. 14.
c Ioan 7 38.

Non aliter Iacobus fidem viuam, actuosam, & XXXV.
bonarum actionum effectricem appellat; contrà verò mortuam in semetipsa, quæ operibus destituitur, vt non ita multò pòst planiùs explicabit. Quamobrem rectè dixit alicubi Augustinus [d], Iacobum vehementer iis infensum esse, qui cupiunt fidem sine operibus valere ad salutem.

d de Fid. & oper. c. 13.

18. *Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam*
E *tibi ex operibus fidem meam.*]

Sic planè Latini codices fermè omnes, præsertim L.
Romana editio. Græci tamen paulò aliter, nec tamen omnes eodem modo habent; omnes quidem addunt duo pronomina: nam priori loco habent ἐκ τῶν ἔργων σου, id est, *operibus tuis*; posteriori πίστιν μου, id est, *fidem meam*. Nonnulli verò idem habent, quod Latini codices, *sine operibus*, χωρὶς τῶν ἔργων. Alij ἐκ τῶν ἔργων, hoc est, *operibus*. Sed vtcunque Græcè legamus, retinenda est vulgari interpretis sententia,

quæ tamen ipsa neque facilem, neque expeditum habet explicatum.

II. Sunt qui velint, ironicam quandam orationem cuipiam affingi, qui fidem, quam Apostolus mortuam in semetipsa appellarat, hunc in modum derideat. *Tu fidem habes*, quia certò credis ea, quæ diuinitus reuelata, & ab Ecclesia proposita sunt; si eam putas satis esse ad salutem, aueo scire, cùm bonis actionibus sit destituta; quonam argumento mihi persuadere queas, te huiusmodi diuina fide præditum esse: nam ego quidem, qui fidei animo conceptæ honestas, ac laudabiles actiones adiunxi, facilè tibi ex his operibus vitam, atque efficacitatem meæ fidei probauerim.

III. Quæ si vera sit explanatio, vim habebit hoc argumentum tantummodo apud homines, qui nihil cernunt, præter ea, quæ sub sensum cadunt: nam Deus immortalis, qui intimos animi nostri recessus peruadit, ac penetrat, suáque diuina scientia etiam abditos, & occultos mentis nostræ motus penitus comprehendit, vniuscuiusque fidem qualis, aut quanta sit, perspicuè intuetur. Videri autem posset Apostolus respexisse ad Salomonis verba [a] apud Septuaginta. *Planam*, inquit, *fidem annunciat iustus*. Græcè autem ἐνδεικνυμένην πίστιν ἀναγγέλλει δικαιοσύνην, quasi dicat, *fidem, quæ demonstrari queat*, hoc est, euidenter probari, annunciat iustus. Quo tamen loco Symmachus paulò aliter transtulit, ait enim ἐκφαίνων πίστιν ἀναγγέλλει δικαιοσύνην, hoc est, *qui patefacit fidem* (id est, rem veram, & certam) annunciat iustitiam.

a Prou. 12. 18.

IV. Quanquam Hebræi codices aliud quiddam indicare videntur: sic enim Latinè reddas, *Qui veritatem loquitur, indicat iustitiam*, cui ex aduerso respondet, quod vulgatus habet interpres, *Qui autem mentitur, testis est fraudulentus*; nec Græci codices magnopere discrepant. Sed, vt verum fatear, non satis intelligo, quorsum hæc irrisio pertineat, aut quam vim habeat confirmandi superiora, cùm dixerat fidem sine operibus nihil prodesse, sed esse mortuam; nam quod quidam dicunt addere Apostolum ad superiora, tacitam quandam adhortationem ad honestas, atque laudabiles actiones exercendas, perinde quasi dicat, honestè, ac laudabiliter viuendum esse, non solùm quia fides sine operibus mortua est, atque adeò prorsus infrugifera; sed etiam quia hac ratione vitari potest probrum, cui obnoxij degunt illi, qui cùm fidem absque operibus habere se iactitent, nullo eam certo indicio prodere possunt, vt leuissimè dicam, frigidum est, & Apostolica grauitate prorsus indignum.

V. Nam qui dixerat fidem bonis operibus vacuam inutilem esse ad salutem consequendã, & planè mortuam, cur quæso adderet eam probris, & si ita placet, etiam quorundam sannis, atque irrisionibus obnoxiam esse? Neque vllo modo iis assentior, qui, quod maximè contendunt hæretici, docere volunt Apostolum fidem ab operibus auulsam veram non esse fidem, atque adeò non posse vllo argumento probari, vt cùm Iacobus ait: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus*, perinde valeat, ac si dicat, nunquam poteris fidem absque operibus ostendere, cùm ea nequaquam sit vera fides. Sed, vt suprà dixi, alia omnia significauit Apostolus, qui mortuam illam quidem esse affirmat, veram tamen fidem non negat.

VI. Quid igitur his verbis significat Apostolus? Nimirum cum docuisset fidem absque operibus inanem esse, ac mortuam, in eodem argumento persistens, hac veluti occupatione rem eandem cõfirmat, atque illustrat. Atqui, inquit, verè quis dicat: Tu fidem te habere prædicas, eaque gloriaris, & quodam modo triumphas; ego contrà præter fidem habeo opera, quæ fidem perficiunt, atque ornant, tu interim mortuam fidem ex operibus; (Ita enim habent Græci codices ἐκ τῶν ἔργων) ostendere nequaquam potes, cùm sit planè inanis, infrugifera, & mortua; ita nihil habes vnde gloriari queas. Ego verò tibi facilè ex operibus meam fidem probauero, re namque vera quæ actiones à fide manant, eius vim, atque efficacitatem apertissimè docent: nam qui diuinæ legi omni ex parte obtemperant, qui omnia pro Christi amore contemnunt, qui cum prauis cupiditatibus strenuè luctantur, & impotẽtes perturbationum impetus frangunt, illatas iniurias non æquo tantùm, sed hilari animo perferunt, honores, ac dignitates non modò non ambiunt, sed ingenti quadam animi magnitudine despiciunt; ij profectò fidei suæ magnitudinem declarant, perspicuéque demonstrant, meliora se, ac diuiniora bona sperare, quæ sola Christiana fides pollicetur, ac præstat.

VII. His omnino argumentis Iustinus olim martyr, aliíque non pauci diuinitùs permoti Christo nomina dederunt, rati Christianam religionem, quæ heroicas, ac penè diuinas actiones exerceret, verissimam rerum diuinarum notionem continere, atque adeò quæ fides credenda proponeret, in dubium reuocari nequaquam posse. Quamobrem miro consensu veteres Patres hoc præsertim Iacobi testimonio probant, & fidem honestis actionibus vim quandam largiri, & easdem actiones fidem quodammodo perficere, atque ornare. Ita factum est, vt fides, quæ bonis actionibus caret, quia mortua est, nec salutem parere potest, vix fidei nomine digna censeatur.

VIII. Quamobrem Gregorius [a] Magnus ad illa Christi [b] verba, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; hunc in modum scribit: *Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero. verum dicit si fidem operibus tenet, vera etenim fides est* (hoc est, viua, frugifera, & salutaris) *quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim, quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit* [c]*: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Ioannes* [d] *ait: Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Quod cùm ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere: tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. In die quippe baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus, atque omnibus pompis abrenunciare promisimus. Itaque vnusquisque vestrûm ad considerationem suam mentis oculos reducat, & si seruat post baptismum, quod ante baptismum spopondit, certus iam, quia fidelis est, gaudeat.*

a Hom. 29. in Euang.
b Mar. vlt. 16.
c ad Tim. 1. 16.
d epist. 1. c. 2. 4.

IX. Apparet enim, spectasse Gregorium rationem fidei, quæ in virtute morum, quam fidelitatem appellant, maximè cernitur, & in supranaturali fide, quasi secundariò reperitur: vt enim fides mentis assensum significat, nititur auctoritate diuina, quæ nec fallere, nec falli potest; vt verò fidei assensus multa complectitur, quæ ad actionem necessariò referenda sunt, agendi quandam necessitatem imponit. Quòd si solius assensus ratio habenda sit, vera fides censenda est illa, quæ diuinitùs reuelatis assensum præbet, etiamsi seiuncta sit ab actionibus, quæ sunt fidei consentaneæ; de qua verè dixit Augustinus [e]: *fides quidem potest sola esse, sed non prodesse.*

e lib. 15. de Trinit.

X. Sin autem spectetur fides, vt spectat ea, quæ agenda sunt, mendax vtcunque appellari potest, si ea negligat agere, quæ agenda credit, & profitetur. Quod etiam significauit Paulus, cùm ad Galatas [f] scripsit: *Nam in Christo Iesu, neque circuncisio*

f cap 5. 6.

aliquid

aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per caritatem operatur. Actuosam enim, & vivam fidem intelligit, quæ dicitur per caritatem operari, non tanquam per effectum, aut instrumentum, sed tanquam per causam, & formam extrinsecam, à qua fides vitam mutuatur. Rectè namque alicubi scripsit Bernardus[a]: *Sicut corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur, & sentit, vita vero fidei caritas est, quia per illam operatur.*

a Ser. 2. de resur.

XI. Piè autem explicandus est Didymus, qui, *notandum*, inquit, *quia cum fides mortua sit præter opera, ita neque fides est: nam neque homo mortuus, homo est.* Loquitur enim eodem modo de fide, quo locutus est Gregorius, qua ratione fides spectat ea, quæ agenda præcipiuntur: cùm enim aliud præcipiat, quàm re ipsa peragatur, mendax utcunque, & fallax videri potest: ita enim ferè loqui consuevimus, ut homines moribus agrestibus, ac feris præditos negemus esse homines, sed belluas potiùs appellandos censeamus. Ita etiam Episcopos, & Ecclesiæ Præsules, qui munus suum negligunt, oves deserunt, aut etiam deglubunt, veros Pastores, aut Episcopos esse rectè negamus, tametsi sacris initiati sacramenti characterem retineant. Eodémque omnino modo qui aliter vivunt, quàm Christiana, & Catholica fides postulet, tanquam minùs veri Christiani à priscis Theologis reprehenduntur.

19. *Tu credis quoniam unus est Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt.*]

I. Adhuc hæret in eodem argumento, ut ostendat fidem sine operibus mortuam esse, atque adeò nullam posse parere spem salutis. Sumit autem argumentum à dæmonum fide, quæ proculdubio si rerum notionem spectes, eadem complectitur, quæ de divinitate in ipsa creatione divinitus revelata percepernnt, & ob eam causam Iacobus fidem, quæ unum Deum credit, potissimùm nominat. *Tu credis*, inquit, *quoniam unus est Deus, bene facis*; ut autem ostendat, non esse id satis ad beatam vitam assequendam, subdit, *Et dæmones credunt, & contremiscunt*; ut significet nihilo plus illi eam fidem prodesse, aut aliquando profuturam, nisi cum honestis actionibus coniungatur, quàm dæmonibus, qui sempiternis suppliciis apud inferos cruciantur. Existit autem hoc loco duplex quæstio, prima an verè dæmones habeant fidem eiusdem naturæ cum fide mortua; altera, an ea fides censeda sit supranaturalis, ac divinum beneficium.

II. Et quod attinet quidem ad priorem quæstionem, sic mihi semper persuasum fuit, seclusa divina providentia, quæ, ut ait Augustinus, liberè potuit mentibus dæmonum tenebras offundere, ut plurima mysteria eos laterent, si suæ naturæ communique providentiæ relinquantur, potuisse illos naturæ suæ viribus multa de rebus divinis cognoscere. Nec enim dubitandum est, quæ humani ingenij imbecillitate ex rerum creatarum aspectu, contemplationeque olim philosophi vel assequuti sunt, vel assequi certè potuerunt, longè faciliùs, multóque certiùs ac perspicaciùs dæmonum intelligentia potuisse comprehendi. Quin etiam addo, non ignorasse dæmones cuncta ex nihilo fuisse procreata, cùm probè intelligerent, nullam præcessisse causam, quæ præsertim Dei æternitatem æquaret; unde ipsi unà cum corporearum rerum universitate effingi potuerint.

III. Mitto, certo illos experimento cognoscere animorum nostrorum immortalitatem, quos vident extinctis corporibus superstites esse, & plurimos unà secum sempiternis cruciatibus torqueri. Huc accedit

A quòd vi mentis, atque intelligentiæ cognoscere possunt dæmones, nisi aliunde prohibeantur, quamplurima, quæ vel corporea voce, vel corporatis imaginibus, vel simulachris olim divinitùs revelata sunt Prophetis, & mox ab ipsis populo sunt promulgata. Intelligebant enim ea, quæ Prophetæ proferebant in vulgus, eiusmodi esse, quæ à nullo mortalium humanis duntaxat viribus cognosci, ac percipi possent; ita cùm sint natura callidi, & versipelles, facilè coniiciebant ea omnia à supranaturali quapiam causa pendere; cùmque ea à malo revocarent homines, & ad virtutis studium vehementiùs inflammarent, rectè colligebant Deo auctore ad ea prædicanda Prophetas incitari.

IV. Quinetiam decursu temporis cùm animadverte-

B rent antiqua vaticinia paulatim ad exitum perduci, cogebantur credere eas futurorum præsensiones, prædictionesque cœlestes planè, ac divinas esse. Quamobrem si Iudæi, ut apud Ioannem[a] testatur Christus, ex divinis Scripturis Christum Dominum humani generis liberatorem agnoscere poterant, multò id magis, nisi aliud prohiberet, de dæmonibus affirmandum videtur. Ex miraculis porrò Christi multa poterant vel necessariò, vel magna certè cum probabilitate colligere: hoc enim meritò Iudæis Christus exprobrat apud Ioannem[b], cùm ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Idque non obscurè significavit D. Thomas[c], quicquid secus nonnulli[d] opinentur.

a cap. 5. 39.

b cap. 15. 24.

c 3 p. q. 47. ar. 5.

d Caietan.

V.

C Tametsi enim fortasse non perspicuè, aut evidenter cognoscebant Christi miracula à Deo fieri, & ad fidei mysteria confirmanda referri, ut apud[e] Matthæum refertur curatio paralytici ad Christi divinitatem, & potestatem remittendi peccata stabiliendam, utrumque tamen non sine maxima probabilitate sibi poterant persuadere. His addi possunt admirabilia quædam, quæ in ortu Christi contigerunt, quæ suapte natura latere dæmones nequaquam poterant; partus quippe virgineus, nisi divinitus tenebris eorum mens offusa esset, facilè cognosci póterat. Addo Angelorum cantum, Pastorum venerationem, stellæ in Oriente exortum, Magorum adventum, & id genus alia penè sexcenta, quæ cùm sua magnitudine, cùm perspicuitate adeò eorum intelligentiam afficiebant, ut magnum quiddam nouum, ac su-

e cap. 9. 6.

D pra naturam suspicarentur.

VI. Eiusmodi porrò cognitio neque divina fides appellanda erat, neque ad fidem supranaturalem, atque infusam ullo modo spectabat. Neque enim (quod divinæ fidei proprium est) prima veritate revelante, sed signorum evidentia, & coniecturis nitebatur, atque idcirco quandam scientiæ speciem præferebat, quam in Scholis à posteriori appellant; vel certè fides erat studio, ac labore comparata ei persimilis, quæ ope habitus Theologici parari potest; ac propterea dæmonum fides dicitur coacta, de qua meritò hoc loco Iacobus: *Dæmones*, inquit, *credunt, & contremiscunt*: quanquam fortasse Apostolus cùm nominatim de unius Dei cognitione loquatur, quam

E constat dæmones naturaliter habere, non tam de assensu fidei, quam de quolibet certo, minimeque dubio assensu explicandus est, quasi significet, eum, qui fide credat Deum esse unum, si nihil præterea habeat, nihilo plus posse ea divinarum rerum notione gloriari, quàm dæmones, qui eadem scientia iam inde ab initio præditi sunt.

VII. Quòd si libeat, eam dæmonum scientiam fidei utcunque nomine honestare, non pertinaciùs repugnarim; quin ultrò admiserim, humanæ fidei eam esse persimilem, licèt enim sit aliquo pacto coacta, habet

habet tamen nonnihil voluntarij saltem mixti, vt loquuntur Philosophi. Quemadmodum enim qui metu tempestatis iacturam faciunt, non ita cogi dicuntur, quin sponte, ac liberè iactum faciant, quem possent omnino non facere; ita etiam dæmones magna quidem argumentorum vi, & multitudine vrgebantur, vt tamen simpliciter possent non præbere assensum; sed vt contra rationem faceret, qui fluctibus hauriri mallet, quàm mercium iactura incolumis euadere, sic prorsus contra rationem fecissent dæmones nisi argumentorum magnitudine compulsi assensum præbuissent; quocirca rectè dicuntur rationum momentis ad credendum coacti.

VIII. Hac planè ratione existimandum est, impium Lutherum Eucharistiæ veritatem credidisse, compulsum videlicet apertissimis Scripturæ testimoniis, quæ neque inuertere, neque corrumpere, aut perperàm interpretari poterat, cùm tamen, vt ipsemet scribit, eam inficiari maximè cuperet, vt Papatui, quod inprimis optabat, incommodaret. Quocirca D.Thomas vbique dæmonum fidem quodammodo coactam vocat, quia licèt firmis rationibus niteretur, non tamen penitus erat expers libertatis.

IX. Altera porrò quæstio de fide infusa maiorem, magisque impeditam difficultatem inuoluit; nec enim defuerunt [a] qui existimarent dæmones, ac damnatos in iis omnibus habere assensum fidei contrarium, quæ necessariis argumentis non compelluntur admittere; de qua sententia tantùm habeo dicere, nullo certo, aut probabili fundamento niti, atque adeò absque temeritate probari non posse. Certè ratione status non repugnare fidem iis, qui vita functi sunt, non pauci [b] Theologi affirmant, quicquid alij [c] contrà disputent: nam si de fidei habitu loquamur, nulla potest excogitari causa, cur ratione status interire necessariò debeat, nisi quis temerè affirmet, subtrahere Deum suum diuinum concursum, sine quo habitus nequit conseruari, quod tamen nullo potest verisimili argumento probari.

a Paluda. in 3.d.23.q.4.
b Magi. in 3.d.23. Durán. in 3.d. 29.q.9.
c Gloss. ad Rom. 1. Caiet. 2.2.q.5. art. 2. §. Ad primum dubium.

X. Et Augustinus [d] quidem, quem sequitur D.Thomas [e], magis ait esse posse in damnatis fidem informem, quam spem. Quod profectò non alia potest ratione intelligi, quàm quòd spes, cùm sit futurorum expectatio, ei statui repugnet, in quo nihil præterea expectandum est, fides verò non item. Quocirca nullo pacto censeri debet absurdum, si quis admittat in damnatis, ac dæmonibus infusam, ac supranaturalem fidem. Nec enim desunt [f] Theologi, qui dæmonum, ac damnatorum fidem Dei donum appellent, quasi significent virtutem esse infusam. Quin etiam Augustinus [g] non vno loco ait peccatorum fidem, dæmonum esse fidem, cùm citra vllam dubitationem fatendum sit, peccatorum fidem infusam, ac supranaturalem esse. Neque aliter sensisse videtur D.Thomas, qui alicubi [h] scribit non habitare Christum in nobis per fidem informem, quia alioqui habitaret etiam in dæmonibus. Nam quòd nonnulli dicunt, hæc omnia probare, tantùm fidem informem non posse afferre iustitiam, eadem, qua asseritur, facilitate, refellitur, cùm ea omnia apertam, ac simplicem explicationem admittant, quæ nihil inuoluat absurdi.

d Enchir. c. 8.
e 2.2. q. 18. ar. 3. ad 2.
f Mag. in 3 d. 23. Alex Alens. 3. p. q. 64. m. 4. & 9.
g lib 15 de Trin. c. 18. lib. de fid. & op ca 16 & tract 6. in Ioan.
h 1 ad. Cor. 3. lec 3.

XI. Non me tamen fugit aduersùs hanc sententiam obijci vulgatissimum Dionysij [i] effatum, quo pronunciat, naturalia in Angelis cadentibus mansisse integra, perisse verò gratuita; quorum de numero cùm esset supranaturalis fides, ea quoque perisse videtur. Sed nego, virum sanctissimum, doctissimúmque affirmare, Angelos, qui lapsi sunt, bonorum omnium gratuitorum iacturam fecisse: tantùm enim contendit, non esse dæmones suapte natura malos, neque peccato ipsorum naturam fuisse intimè in suis naturalibus facultatibus vitiatam, aut corruptam, sed eorum malitiam, ac prauitatem positam esse in vacuitate diuinorum bonorum, hoc est, habitus, & actionis. Vnde tametsi nonnulli colligunt carere dæmones habitibus, ac actionibus supranaturalibus, nescio tamen, vtrùm id necessariò colligatur: nam de quouis peccatore affirmare possumus, carere illum diuinis, & gratuitis bonis, non quia omni prorsus supranaturali habitu spolietur, sed quia iis omnibus caret, quæ illum possunt Deo conciliare, carúmque, & gratum reddere, siue habitus spectes, siue actiones. Quamuis igitur fides per se, ac solitaria non possit iustificare, est tamen quodammodo iustificationis initium, cùm sine illa nemo vnquam iustitiam sit assecutus, aut assequi vlla ratione queat.

i cap. 4. de diu. nom. p. 4. vltra med.

Quam ob causam D.Thomas [a] non est ausus inficiari dæmonum fidem esse donum Dei, sed solùm negat esse donum gratiæ, quia reuerà non facit illos Deo gratos, quod ipsum de fide peccatorum meritò possumus affirmare; quam tamen idem D. Thomas Dei donum esse [b] concedit; nec tamen admitteret esse donum gratiæ gratum facientis. At inquiunt, superuacaneum fore habitum fidei, cùm nequeant dæmones, aut damnati fidei functiones exercere, quasi verò absurdum sit, vt paulò antè docuimus, admittere in dæmonibus actionem aliquam fidei, qua multa supranaturalia rerum testificatione compulsi credant, quod hoc ipso loco indicat Iacobus, dum ait: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* XII.

a 2.2. q.5. ar. 2. ad 2.
b 2.2.q.6.

Adde quòd ne videtur quidem absurdum manere habitum otiosum, si ratione status non necessariò perit, neque vlla vel probabilis affertur ratio, cur eiusmodi habitus à Deo extinguendus sit, cùm eo præsertim diuina iustitia sæuiùs dæmones plectere, ac torquere possit, vt dum magis diuina bona cognoscunt, quibus meritò carent, acriùs, atque acerbiùs torqueantur. At enim fides supranaturalis, atque infusa cum pia voluntatis affectione coniongitur. Quis autem in dæmonibus, aut damnatis piam voluntatis affectionem admittat, qui Deum scelerum vindicem, atque vltorem capitali, atque immortali odio prosequuntur? Sed fateor neque esse, neque admitti posse in dæmonibus, aut damnatis piam affectionem; qua ratione à bona voluntate proficiscitur. XIII.

Non admiscetur autem eam necessariò cum fide coniungi, cùm peccatores retenta fide voluntatis bonitate careant. Pia verò affectio voluntatis hactenus ad fidem pertinet, quia voluntas non ad ea, quæ credenda sunt, afficitur, cùm peccatores sempiterna supplicia manere impios credant, quæ tamen nullo modo diligunt, quæ potiùs nulla esse mallent. Verùm pia affectio ad ipsam credendi actionem voluntatem inclinat, atque hac ratione æquè potest esse in dæmonibus atque damnatis, ac in peccatore admittitur. XIV.

Rectè itaque etiam de hac fide dicit hoc loco Iacobus: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* An proinde meritò dicit Augustinus [c]. *Iacobus quoque vehementer infestus est eis, qui cupiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonibus comparet, & dæmones, inquit, credunt, & contremiscunt. Quid verius, breuius, vehementius dici potuit, cum & in Euangelio legamus, hoc dixisse dæmonia, cùm Christum filium Dei confiterentur, quod in Petri confessione laudatum est:* & concludit: *Quousque igitur falluntur, qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?* XV.

c lib. de fid. & oper. ca 5.

Ex hoc autem loco hunc in modum argumentatur Beda: *Et dæmones,* inquit, *credunt, & contremiscunt. Scriptum est; Exibant dæmonia ab hominibus clamantia,* XVI.

& dicentia; quia tu es Filius Dei. Sed & legio, qua hominem obsidebat, timens clamabat: Quid mihi, & tibi, Fili Dei summi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Qui ergo Deum non credunt, vel credunt non timent, dæmonibus tardiores, & proteruiores sunt. Cæterùm quod ait interpres, *contremiscunt*, Græcè scripsit Apostolus φρίσσουσι, quasi dicat, *exhorrescunt*, quia videlicet eius iudicij seueritatem, & potentiæ magnitudinem se ipsa experiuntur.

20. *Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?*]

I. Redit ad id, quod non semel dixerat, fidem absque operibus mortuam esse; idque, vt ait Beda, vehementiùs inculcat, & mox illustri etiam exemplo Abrahæ, & Raab meretricis confirmat; mirum autem in modum hæc verba Lutheri sectatores perstringunt, perinde quasi nominatim ad eos referantur: vocat enim huiusmodi homines inanes. *O homo*, inquit, *inanis*. Græcè, κενὲ, quod bonis operibus vacui sint, & inania figmenta sectentur, & omnia clamoribus, atque importunis vocibus compleant. Eam ob causam, quòd se Iacobi verbis apertè refelli animaduertant, hanc epistolam stramineam appellant, cùm verè ipsi tanquam belluæ non Dei verbo, sed stramine pascantur, eodémque stramine miseros discipulos alant. Apparet autem quod etiam in Apostolo Paulo licet obseruare, consueuisse Dei verbi præcones ad Scripturæ testimonia, & rationis firmamenta, addere etiam exempla, quæ plurimùm valent ad persuadendum.

II. Ita olim Mathathias [a] cùm filios hortaretur ad auitam religionem constanter retinendam, & pro ea strenuè pugnandum his verbis illos affatur: *Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Tum enumeratis exemplis Abrahæ, Iosephi, Phinees, Iesus Naue, Calebi, Dauidis, Eliæ, Ananiæ, Azariæ, Mizaëlis, & denique Danielis, subdit; *& ita cogitate per generationem & generationem quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur.* Neque verò ad permouendos animos tantummodo adhibentur exempla, sed etiam ad illustranda fidei dogmata, vim non exiguam habent.

a lib. 1. Machab. 2. 50.

III. Ita Paulus [b] de diuina electione differens exemplis vtitur Isaaci, & Iacobi, atque Esau, vt ostendat prænotionem meritorum non fuisse causam electionis, cùm antequam boni, aut mali quidquam agerent, Iacobum quidem dilexerit Deus, Esau autem odio habuerit. Idem in præsentia facit Iacobus; qui vt ostendat solam fidem, non posse iustitiam parere, id Abrahæ, ac Raab meretricis exemplis luculenter confirmat. *Vis* autem, inquit, *scire*, Græcè, γνῶναι, hoc est, cognoscere, intelligere, ac percipere, ne quis arguteiur, & scientiæ nomen ab iis, quæ ad fidem spectant, alienum esse contendat, idcirco Apostolus amplissimæ significationis verbum vsurpauit Cognoscimus enim, hoc est, notione comprehendimus, non solùm quæ certa, & necessaria ratione conclusa ad veram, ac propriam scientiam spectant; sed etiam quæ ex probabilibus ducta principiis ad opinionem referuntur, & quæ denique siue humana, siue diuina fide comprehenduntur?

b ad Rom. 9.

IV. Vult ergo Iacobus exemplis ostendere fidem absque operibus mortuam esse; sed de probationis vi meritò quis ambigat; exempla enim, quæ afferuntur, id tantùm probare videntur, quod hæretici non negant, fidem bonorum operum fructus parere. Sed, vt paulò pòst ostendam, Abrahæ præsertim exemplum

A aliquid ampliùs indicat: non solùm enim probat, quod aliàs docui [a], iustificatum fuisse Abrahamum ex fide, quæ cum pœnitentia, Deique amore coniungeretur, sed etiã ostendit, fidem iustificantẽ suapte natura actuosam, atque efficacem esse. Itaque ait:

a ad Rom. 4 ver. 3. n. 7.

21. *Abraham pater noster nónne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?*]

Negari non potest, vt loco indicato monui, videri posse hunc Iacobi locum cum Pauli verbis in epistola ad Romanos [b] ex aduerso pugnare; Paulus enim iustificationem Abrahæ tribuit fidei, videtúrque insinuare tum primùm fuisse Abrahamum iustificatum, cùm Deo filium promittenti fidem habuit: tunc enim de illo scriptum est: *Credidit Abraham* I.

b cap. 4. 5.

B *Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quæ est aperta Anselmi [c] sententia, & insinuatur ab Augustino [d], cùm ait: *Ergo ex fide iustificatus est Abraham, & si opera non præcesserunt, tamen secuta sunt.* Verùm, vt suo loco docui, multò antè credendum est, fuisse Abrahamum iustificatum: nam & vocanti Deo absque vlla mora obtemperauit, Deo sacrificium obtulit, & cum eo non semel familiariter locutus describitur [e]. Accedit quòd idem Apostolus Paulus [f] inter præcipuas Abrahæ laudes commemorat, quòd fidei beneficio, vt Deo præcipienti pareret, ad ignotã penitus regionẽ profectus sit; quod profectò multò antè cõtigit, quàm diuinam filij pollicitationem acciperet.

c ad Rom. 4.
d Præfat. in Psal. 31.
e Genes. 12. 13. 14.
f ad Heb. 11. 8.

Itaque fuisse Abrahamum multò antea iustificatum asserunt Origenes [g], Chrysostomus [h], Ambro- II.

C sius [i], Augustinus [k]. Verba autem [l] illa, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*, si Hebræi codices spectentur, id videntur tantummodò significare, actionem illam credendi iustam fuisse, & præmio, ac mercede dignam. Ex quo apparet iam tum Abrahamum fuisse iustum, qui mereri potuerit. Existimandum igitur est, Paulum exemplo Abrahæ indicare voluisse, non tum primùm Abrahamum absque operibus fuisse iustificatum, sed id tantùm ostendere non posse impium ex operibus sine fide iustificari: excludit enim Apostolus iustificationem, quæ sit operum merces, non gratiæ beneficium.

g lib. 4 in ep. ad Rom.
h Hom. 35. & 37. in Gen.
i lib. 1. de Abra. c. 2.
k lib. 6. de ciuit. c. 16.
l Genes. 15. 6.

Tametsi igitur loquitur Paulus de prima iustificatione, qua quis ex impio fit iustus, & hac ratione Abrahæ iustificationem fidei tribuendam censet, ar- III.

D gumentatur tamen ex verbis allatis, indicans illa non ad eam duntaxat actionem referri, de qua ibi loquitur Moses, sed potissimùm ad primam Abrahæ iustificationem, quæ proculdubio fidei accepta erat referenda: fidei autem actuosæ, atque efficaci, hoc est, quæ bonas, ac laudabiles actiones pariat, non autem ex illis oriatur, quæ ante fidem Deo non placent, nec vim vllam habent merendi gratiam, & iustificationem, vnde rectè colligit, neminem ex operibus iustificari, quæ fidem anteuertant.

Iam verò Iacobus, vt eodem loco ad Romanos docui, mirè cum Paulo consentit: exemplo namque Abrahæ probat iustificationem à fide actuosa, atque efficaci pendere, quasi dicat, non fidem solitariam, sed coniunctam cum bonis operibus iustitiam tri- IV.

E buere. Quanquam autem oblatio Abrahæ, qua Deo immortali filium sacrificare paratus erat, ad secundam Abrahæ iustificationem, hoc est, iustitiæ incrementum refertur; Exemplum tamen Raab meretricis, quod paulò pòst afferet, de prima iustificatione omnino accipiendum videtur. Vtrumque autem exemplum aptissimè ab Apostolo adhibetur, ad probandum quod sibi propositum erat ostendere, fidem iustificantem cum operibus coniugi, eam verò, quæ ab operibus seiungatur, planè exanguem, ac mortuam esse.

Nam

Nam Abraham quidem, qui, vt ait scriptura, fide A iustificatus erat, vt eius fidei egregias actiones exercuit. Raab verò meretrix, & infidelis, ne primam quidem iustitiam absque actuosa, & efficaci fide adepta est. Ait igitur Iacobus. *Abraham pater noster*, hoc enim nomine maximè gloriabantur Iudæi, qui

a cap. 8. 33. b vers. 39.

apud Ioannem [a] dicebant, *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam.* Et paulò [b] pòst. *Pater noster Abraham est. Nonne*, ait Iacobus, *ex operibus iustificatus est offerens Isaac filium suum super altare?* An tùm primùm iustificatus est, cùm filium suum obtulit? Caue putes; nam vt paulo ante dixi, multo ante diuinam gratiam, atque amicitiam adeptus erat. Sed cum pridem iustus esset, tunc maiorem iustitiæ accessionem percepit, planèque ostendit fidem, qua olim iustificatus est, viuam, atque efficacem fuisse, B non otiosam, & mortuam, quam in præsentia execratur Apostolus.

VI. At enim apertè negat Paulus [c], fuisse Abrahamum ex operibus iustificatum. *Si enim*, inquit, *Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* An Paulus legis opera excludit, quæ metu supplicij peraguntur? Certè ita visi sunt opinari Chrysostomus [d], & Ambrosius [e]; sed, vt alibi [f] docui, nulla id ratione probandū videtur, cum Abraham nō annis modò, sed multis sæculis legem Mosis præcesserit. An externas dumtaxat actiones reijcit Paulus, si à mētis proposito, consilióque segregētur? at ne eas quidē actiones viri sapientes probarint, cùm vera virtus, & laude digna ex animo potissimùm, rectáque actione oriatur, externæ verò actiones, si nihil C præterea habeant, vmbræ sint, & inania virtutis simulachra.

c ad Rom. 4. 2.
d Hom. 32. in Acta.
e ad Rom. 4.
f ad Rom. 4. 2. num. 2.

VII. Itaque nisi mea me fallit opinio, negat Paulus Abrahamum iis actionibus apud Deum laudem, & gloriam assecutum esse, quæ naturæ dumtaxat viribus perficiuntur. Nam si Abraham seclusa fide actiones tantùm exercuisset, quales in plerisque philosophis laudantur, nonnullam quidem apud homines laudem, apud Deum vero nullam penitùs assequi potuisset. Iacobus autem eas Abrahæ actiones probat, quæ fidem consequuntur, & gratiæ beneficio perficiuntur; hæ enim sunt, quæ tùm ad primam, tùm ad secundam iustificationem plurimùm valent.

g Eccles. 18. 22.

Sic enim alicubi [g] scribit Sapiens. *Non impediaris orare semper, & verearis vsque ad mortem iustificari, quo-* D *niam merces Dei manet in æternum.*

VIII. Quæ verba, quidquid argutentur hæretici, non ad primam, sed ad secundam iustificationem pertinent, ostendúntque, assiduis precibus laborandum esse, vt maiorem quotidiè gratiam, & iustitiam impetremus.

h cap. 14. 23.

Christus autem apud Ioannem [h], *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* At nemo Deum diligit, quin priùs à Deo diligatur, nec quisquam, qui iustus non sit, totam Dei legem seruare potest: seruanti verò legem Dei pollicetur Christus nouam Patris dilectionem, hoc est, iustitiæ, & caritatis incrementum. E

IX. Certè Paulus [i], vt obseruauit Augustinus lib. 83. qq. q. 76 honestas, ac laudabiles actiones requirit,

i ad Rom. 6. 19.

cùm ait: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, sic exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Alloquitur autem Apostolus eos, qui iam iusti erant, & ad sanctificationem hortatur, hoc est, iustitiam, & sanctitatem augendam, de qua alibi [k] dixerat: *Has ergo habentes promissiones carissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Et alibi [l]: *Qui autem admini-*

k 2 ad Cor. 7. 1.
l 2 ad Cor. 9. 10.

A *strat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem.*

X. Hortatur autem Apostolus ad eleemosynas, & idcirco paulò antè attulerat verba Dauidis [a], *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Denique in Apocalypsi [b]: *Beati dicuntur mortui, qui in Domino moriuntur*; & mox affertur ratio. *Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Et alibi [c]. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* Ita videas honesta actiones ad in- B stitiam amplificandam valere [?]ique præmium, [?] mercedem proponi.

a psal. 111. 9.
b cap. 14. 13.
c cap. vlt. 12.

XI. Ita apparet, quod in præsentia docet Iacobus, non probari à Deo otiosam, & mortuam fidem, sed viuam, atque efficacem, vt minimè ferenda sit hæreticorum proiecta audacia, qui omnium iustorum opera, peccata esse contendunt: eorum enim primarius quidam pseudomagister ex verbis Dauidis probare contendit, ne vllum esse quidem temporis momentum, in quo non egeant iusti remissione peccatorum: ait enim Dauid [d]: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Vnde colligit, cùm semper sit peccati remissio necessaria, semper iustos peccare.

d psal. 32. 1.

XII. Sed fateor me istam argumentandi rationem non C satis percipere, cum præsertim videam eumdem Dauidem multo aliter de iustorum vita & sentire, & loqui, quod profectò facere nulla ratione posset, si omnis iustorum vita peccatorum sordibus inquinaretur. Alicubi autem ait. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.* Quæ iusti viri encomia tam sunt à scelere, & flagitio aliena, quàm ipsi à recta, & catholica fide. Quibus addo & [e] illa. *Psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me; perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ; non proponebam ante oculos meos rem iniustam; facientes præuaricationem odiui. Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognosce-* D *bam; ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.*

e psal. 100. 2.

XIII. His autem penè sexcenta similia leguntur in sacris litteris, vt omninò necesse sit Dauidis verba, quæ ab hæretico Sophista obijciuntur, non de tota iustorum vita, sed de prima ipsorum iustificatione accipere; tunc enim iniquitates remittuntur, & teguntur peccata, cùm gratia, & caritas cœlitùs ipsorum mentibus infunditur. At, inquiunt, idem Dauid [f] affirmat neminem esse iustum. *Et non intres*, inquit, *in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Sed si Augustino credimus, id vnum significat Dauid, neminem posse suis dumtaxat viribus iustificari, sed omnem iustitiam diuinæ gratiæ E beneficio à Deo expectandam esse. *Illi*, inquit, *cum eo intrare volunt in iudicium, qui Dei iustitiam ignorantes, suam volunt constituere*; quasi Dauid nihil aliud petat, nisi vt Deus ex iis homines iudicare nolit, quæ ipsi habent ex sese, cum præsertim paulo ante dixisset. *In veritate tua exaudi me in tua iustitia*; quasi dicat, non meam meis viribus partam, sed tuam spectato iustitiam, quam mihi singulari tuo munere largitus es.

f psal. 142. 2.
g lib. de perfect. iust.
h In epi. ad Ctesiph.
i In ps. 142. qui est poenitent.

XIV. Addo quòd idem Augustinus [g], Hieronymus [h], & Gregorius [i] docent loqui prophetam de venialibus, & leuioribus culpis, à quibus nemo est prorsus immunis. Denique Hilarius [k], Hieronymus [l]

k psal. 142.

Arnobius,

Arnobius [**], Euthymius [*], & Bernardus [a] admittunt, quamuis homo iustus sit, & ab omni labe purus, & integer, si cum diuina iustitia conferatur, quodam modo sordescere; quod aliis verbis significauit Iob [b], cùm dixit. *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur?* Et alibi [c]: *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* Rursus alibi [d]: *Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo.* Quem locum explicans Augustinus [e]: *In comparatione*, ait, *iustitiæ Dei si nec sancti in cælis angeli iusti esse dicantur, non mihi videtur importuna sententia, non quia vt hoc essent, à iustitia lapsi sunt sed quia facti sunt; & Deus non sunt, tantumque spiritalis luminis habere non possunt, quantum habet ille, à quo facti sunt: ibi enim summa iustitia, vbi summa sapientia, & hoc Deus est, de quo dictum est, Soli sapienti Deo.*

** ibid. a Serm. 5. de ver. Isa. b cap. 4. 17. c cap. 25. 4. d cap. 9. 2. e lib. 1. ad Oros. con. Priscillianistas, & Origenist. cap. 10.

XV. Et paulò pòst: *Cuius participatione iusti sunt, eius comparatione nec iusti sunt.* Addunt hæretici Salomonis [f] verba: *Non est enim*, ait, *homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quasi verò doceat Salomon, iustum dum bene agit peccare, cùm verà tantùm affirmet, neminem esse adeò iustum, qui non aliquando labatur, & erret, vt alibi idē Salomon [g] affirmat. *Septies enim cadet iustus, & resurget.* Itaque ea verba explicat Hieronymus [h] nō vno loco.

f Eccles. 7. 21 g Prou. 24. 16. h Eccles. 7. Dial. 1. adu. Pelag. & ep. ad Ctesiph.

XVI. Isaiæ porrò testimonium palmare argumentum continet [*], in quo hæretici planè triumphant. *Facti*, inquit, *sumus vt immundus nos omnes, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ, & cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Sed quanquam hoc semper iactare solent, ausim tamen affirmare aduersùs Catholicam sententiam plumbeum esse mucronem; nam primùm non loquitur Isaias de iustis hominibus, sed de improbis, ac sceleratis, quorum sunt illæ voces, quæ paulò antè apud eundem Prophetam leguntur: *Ecce tu iratus es, & peccauimus.* Idcirco enim iratus erat Deus, quia peccauerant, & ob id tradendi erant Babyloniis; vel, vt ait Cyrillus, quia Deus indignatus suæ diuinæ gratiæ subsidium subtraxerat, in immania flagitia illi inciderant.

* lib. 64. 6.

XVII. Huc accedit quod paulò pòst subdit Isaias: *Non est, qui inuocet nomen tuum, non est, qui consurgat, & teneat te.* Quod de iustis affirmari non potest, qui assiduè in preces effusi, diuinam opem implorant. Denique eodem ipso capite iustorum opera laudantur. *Occurristi*, inquit, *lætanti, & facienti iustitiam, & in viis tuis recordabuntur tui.* Neque obsistit quòd Isaiæ verba vniuersim ad omnes pertinere videantur. Nam, vt obseruauit Augustinus [i], non rarò Scriptura de multis loquitur, perinde ac si omnes penitus comprehendat. Ita in libro Geneseos ait Moses [k]: *Omnis quippe caro corruperat viam suam:* & tamen ibidem paulò antè excipit Noë, sic enim ait: *Noë vir iustus, atque perfectus fuit, in generationibus suis cum Deo ambulauit.*

i lib. de vnit. Eccles. ca. 12 k cap. 6. 12.

XVIII. E Paulus [l] ait, Corinthios diuites adeò fuisse, vt nihil illis deesset in vlla gratia; & paulò antè [m] sanctificatos vocat in Christo Iesu; & tamen non ita multò [n] pòst. *Et ego fratres non potui*, inquit, *vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.* Quòd si quis contendat Isaiæ verba ad omnes omnino mortales pertinere, ne tunc quidem aduersùs Catholicam veritatem pugnant. Neque enim vniuersim ad omnia tempora pertinent, sed ad illud dumtaxat, quo suorum scelera Deus immortalis vlcisci parat, quod tunc facturus erat contra Hierusalem, de qua mox [o] subdit, *Ciuitas sanctuarii tui facta est* [illegible] *deserta, Sion deserta facta est, Hierusalem desolata est; domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.*

l 1. ad Cor. 1. 5. m vers. 2. n cap. 3. in principio. o vers. 10.

XIX. Denique loquitur Isaias de iis Iudæorum actionibus, quas tanquam iustas Iudæi maximè probabant, qualia erant sacrificia, oblationes, neomeniæ, & id genus aliæ functiones, quæ Iudæorum vitio pluribus modis inquinabātur, ac proinde ait Isaias, eas omnes iustitias similes esse panno menstruatæ. Denique nescio qua arte Dialectica ex petitionibus orationis Dominicæ, cùm dicimus: *Sanctificetur nomen tuum; fiat voluntas tua; dimitte nobis debita nostra;* colligant, nos in omni prorsus actione peccare. Nec enim, aiunt, petimus quod habemus, sed quod nō habemus; petimus igitur, vt Dei nomē sanctificetur, quia illud perpetuò in nobis polluitur; oramus vt Dei voluntas fiat, quoniam semper ei reluctamur; denique cupimus dimitti nobis debita, quibus continenter obstringimur. Verùm se ipsi suo gladio perimunt: hæc enim Deus idcirco petenda monuit, vt ea impetremus, qui dixit, *Petite, & accipietis.* Ita consequens est, vt aliquando iusti hæc sint impetraturi, alioqui frustra peterent, & inaniter Christus ea petenda docuisset. Quis autem admittat, neminem petere posse, vt Dei voluntas fiat, nisi qui ei refragatur, cùm Christus in postrema sua prece apertè dixerit. *Fiat voluntas tua?* An potuit Christi voluntas diuinæ voluntati repugnare?

XX. Petimus igitur nō tantùm ea, quibus caremus, sed vt ea conseruentur, quæ nobis adsunt. Atque ita Cyprianus [a], & Augustinus [b] prima illa petitione perseuerantiam peti autumant in sanctificatione, baptismo percepta; altera verò petitione, qua petimus, *Fiat voluntas tua*, iidem postulari affirmant infidelium conuersionem; cùm denique dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, venialium culparum condonationem cupimus.

a de oratio. Dom. b lib. de bono perseuer. cap. 2.

XXI. Neque verò aduersùs hanc Catholicam sententiam ex priscis Patribus quidquam afferre possunt hæretici, quod non facilè refellatur. Scripsit quidem Cyprianus [c] nonnulla, quæ humanæ naturæ imbecillitatem declarant, & perpetuas veluti pugnas, quibus cum vitiis, & humani generis hoste continenter certandum est; operum verò iustitiam, quam ipse alibi [d] vehementer probat, nullo modo damnat. Ita autem scribit: *Obsessa mens hominis, & vndique Zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit, si auaritia prostrata est, exurgit libido.*

c Serm. de mortalit. d Serm. de ope. & eleemos.

XXII. Quæ, vt apparet, miseram humanæ vitæ conditionem declarant, aduersùs operum iustitiam nihil omnino faciunt; quod ipsum de Hieronymi [e] sententia affirmarim, qui aduersùs Pelagianos disputans, *Tunc ergo*, ait, *iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.* Quæ verba si ad primam iustificationem referuntur, cùm verissima sunt, tum operum iustitiam ne attingunt quidem. Re namque vera diuinæ misericordiæ beneficio ad gratiam, & iustitiam vocamur, nec vocationem suam quisquam, vt sexcentis locis docet Augustinus, vllis suis meritis tribuere potest; & tum demum quisque iustificatur, cùm peccatum suum agnoscit, & ex animo detestatur.

e Dial. 1. cō. Pelag.

XXIII. Quòd si quis malit loqui Hieronymum de secunda iustificatione, & iustitiæ incremento, ne isto quidem modo operum iustitiam excludit: fatentur enim libenter iusti, se frequenter leuioribus culpis inquinari, & si quid honestè, atque laudabiliter agant, id diuinæ beneficentiæ, ac liberalitati acceptum esse referendum. Iam verò non me fugit plura ex Augustino afferri testimonia,

quæ tamen Catholicam ſententiam ne quatiant quidem, tantùm abeſt, vt euertant. Alicubi [a] enim ſcribit: *Pleniſſima caritas, quæ iam non poſſit augeri, quamdiu hic homo viuit, eſt in nemine; quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud, quod minus eſt, quàm debet, ex vitio eſt; ex quo vitio non eſt, qui faciat bonum, & non peccet.* Quibus conſentanea ſunt, quæ alibi [b] ait: *Peccatum eſt, cùm vel non eſt caritas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quàm debet.*

a epiſt. 29. ad Hieron.
b li. de perf. iuſt. reſp. 15.

XXIV. Verùm ampla quadam ſignificatione vitij, & peccati nomen vſurpat Auguſtinus, vt labem, ſeu næuum, & denique naturæ imperfectionem ſignificet, qua iuſtæ cupiditates cum recta ratione luctantur, quo fit, vt frequenter etiam iuſti leuiter offendant, atque idcirco caritatem non modò non augeant, ſed interdum etiam refrigereut. Alioqui apertè negat Auguſtinus [c] concupiſcentiam naturæ inditam culpam eſſe, neque illius dumtaxat reſpectu peccatorum veniam iuſtos deprecari. Alibi [d] verò apertiſſimè docet, nullam eſſe culpam, quòd huius vitæ caritas non tanta ſit, quanta futura eſt in beata vita. At alio quidem [e] loco. *Væ*, ait, *etiam laudabili vitæ hominum, ſi, remota miſericordia, diſcutias eam.*

c lib. de perfect. iuſt.
d lib. de Spir. & lit. ca. vlt.
e lib. 9. conf. cap. 13.

XXV. Quaſi verò, quod hærenci contendunt, aſſerat Auguſtinus, honeſtas iuſtorum actiones eſſe peccata, cùm ibi apertè Deo gratias agat pro matris ſuæ laudabilibus operibus; ait autem etiam laudabili vitæ neceſſariam eſſe miſericordiam, quòd etiam iuſtis quædam interdum excidant, quæ diuina miſericordia benignè ſunt condonanda; itaque ſubdit: *Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei; ſepoſitis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor*, &c.

XXVI. Itaque id vnum ſignificat honeſtam iuſtorum vitam, nonnulla labe infuſcari. Quò etiam pertinent illa, quæ aduersùs Pelagianos [f] ſcribit: *Ex quo*, inquit, *factum eſt, virtutem, quæ nunc eſt in homine iuſto, perfectam hactenus nominari, vt ad eius perfectionem pertineat, etiam ipſius imperfectionis, & in veritate cognitio, & in humilitate confeſſio.* Tantùm enim docet huius vitæ iuſtitiam, ſi cum beatorum iuſtitia conferatur, imperfectam eſſe, nec omnis prorſus labis expertem; atque adeò ad eam pertinere imperfectionis cognitionem, & confeſſionem.

f lib. 3 cont. duas epiſt. Pelag. cap. 7.

XXVII. Eam verò iuſtitiam tantùm abeſt, vt peccatum eſſe cenſeat, vt veriſſimam iuſtitiam non ita multò pòſt eſſe contendat. *Iuſtitia*, inquit, *ſecundùm quam iuſtus ex fide viuit, quoniam per ſpiritum gratiæ homini ex Deo eſt, vera iuſtitia eſt. Quæ licèt non immeritò in aliquibus iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicatur; parua tamen eſt ad illam magnam, quam capit, æqualitas Angelorum, quam qui nondum habebat, & propter illam, quæ inerat, perfectum, & propter iſtam, quæ adhuc deerat, imperfectum ſe eſſe, dicebat. Sed planè minor iſta iuſtitia facit meritum, maior illa, fit præmium, vnde qui iſtam non ſequitur, illam non aſſequitur.*

XXVIII. Ex beato item Gregorio plura afferunt teſtimonia, quæ tamen aduersùs Catholicam doctrinam nihilo magis pugnant, quàm ſuperiora. Vir igitur ſanctus ita alicubi [g] ſcribit: *Sanctus vir quia omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium conſpicit, ſi ab interno arbitro diſtrictè iudicetur, rectè ſubiungit; ſi voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille.* Meritum autem noſtrum appellat id, quod quiſque remota gratia ſuis viribus habet; vt enim aduersùs Iulianum docuit Auguſtinus [h], honeſtæ actiones, quæ nonnunquam in infidelibus cernuntur, ſi diligenter, atque accuratè expendantur, praua aliqua cupiditate inficiuntur, atque adeò ad vitia potiùs, quàm ad virtutes accedunt.

g lib. 9. Mor. cap. 1.
h contra Iulian. lib. 4.

XXIX. Adde quòd apertè Gregorius de eo merito loquitur, quod quis ſibi ſuperbè arrogat, vt contra Deum aliquo pacto glorietur. Itaque paulò antè dixit: *Homo Deo non compoſitus iuſtitiam percipit, compoſitus amittit quiſquis ſe auctori bonorum comparat, bono ſe, quod acceperat, priuat. Qui enim accepta bona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat.* Tum ſubiicit ea, quæ paulò antè attulimus. Mox autem addit: *Cum Deo autem contendere eſt, non ei tribuere, ſed ſibi gloriam ſuæ virtutis arrogare. Sed ſanctus vir conſpiciat, quia & qui ſumma iam dona percepit, ſi de acceptis extollitur, cuncta quæ acceperat, amittit, & dicat, ſi voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille.*

XXX. Ita apparet, merita iuſtorum ſuperbiæ vitio non inquinari ſolùm, ſed etiam corrumpi. Poſt multa verò ſcribit Gregorius [a] ad illa Iobi verba, *Si repentè interroget quis reſpondebit ei? Repentè Deus interrogat, cùm nos ad diſtrictionem ſui examinis inopinatos vocat. ſed interrogationi illius homo reſpondere non ſufficit, quia ſi remota tunc pietate diſcutitur, in illo examine etiam iuſtorum vita ſuccumbit.* Sed nihil præterea Gregorij verba ſignificant, quàm quod paulò antè ex Auguſtino docui, iuſtorum vitam non ab omni prorſus labe immunem eſſe, atque idcirco non vacare periculo, ſi quis repentè, atque ex improuiſo diuino iudicio ſiſtatur: iuſtorum enim vita, in eo iudicio hactenus ſuccumbere dicitur, quòd leuiores noxæ nondum expiatæ nonnullo ſupplicio plectendæ ſint.

a lib. 9. c. 15.

XXXI. Rurſus poſt multa [b] ad illa verba. *Si habuero quidpiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor. Omnis*, ait, *humana iuſtitia iniuſtitia eſſe conuincitur, ſi diſtrictè iudicetur. Prece ergo poſt iuſtitiam indiget, vt quæ ſuccumbere diſcuſſa poterat, ex ſola Iudicis pietate conualeſcat.* Verùm nihilo plus probat, quàm humanam iuſtitiam iniuſtitiam fieri, niſi Deo auctori tribuatur; vel certè propter annexas leuiores culpas à ſeuero, & iuſto iudice metuendum, atque ob id aſſiduis precibus diuinam miſericordiam implorandam eſſe: Hortatur enim B. Gregorius ad animi demiſſionem, & Chriſtianam humilitatem, additque: *Preci itaque innitendum eſt, cùm recta agimus, vt omne quod iuſtè viuimus, humilitate condiamus.*

b cap. 14.

XXXII. Rurſus [c] ad illa verba, *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti*, ait, *Ac ſi humili confeſſione diceretur, quæ apertè egerim video, ſed quæ in his latenter pertulerim, ignoro.* Quibus vir ſanctus indicat in bonis, ac laudabilibus actionibus diligenter cauendam eſſe culpam, quod paulò antè apertiùs ſignificauerat, cùm ait: *Ipſa bona noſtra, quia inſidiantis culpæ euadere gladium nequeunt, niſi ſollicito quotidie timore muniantur, per ſanctum virum nunc rectè dicitur. Verebar omnia opera mea.*

c cap. 16.

XXXIII. Quod verò alibi [d] ait, cùm veram munditiam iuſtis negare videtur, ad diuinam munditiam reſpexit. Ita autem ſcribit: *Notandum quòd vir ſanctus non ait, fulſerint mundiſſimæ manus meæ, ſed velut mundiſſimæ manus meæ, quia quouſque pœna corruptionis adſtringimur, quamlibet rectis operibus inſudemus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, ſed imitamur.* Idem enim planè ſignificat, quod alibi [e] dixerat: *Humana iuſtitia diuinæ iuſtitiæ comparata iniuſtitia eſt, quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, ſed ſolis radio oppoſita tenebratur.*

d cap. 18.
e lib. 5. Mor. cap. 26.

Alio

[a li. vic. Mor. cap. 1.] Alio loco [a]: *Omnia humana, quæ iusta, & pulchra sunt, Dei …itiæ, & pulchritudini comparata, nec iusta, nec pulchra sunt.* Illa [b] verò nonnullum inijcere scrupulum possunt, quæ alicubi scribit [b li. vic. Mor. cap. vic.]: *Si autem de his dimnitus districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt.*

XXXIV. Sed ne hoc quidem loco asserit Gregorius, bona opera nostra esse impura, hoc est, mala, & vitiosa, sed non esse planè pura, quia nonnihil irrepit, quo aliquo pacto vitientur; aliquanto enim post ait: *Fatendum est igitur, quòd rectam intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur.* Ait autem nullum esse reliquum salutis locum, quia licèt veniales culpæ sempiternis supplicijs non sint puniendæ, quamdiu tamen expiantur ab æterna, & immortali vita, iustos excludunt, eæ tamen diuina misericordia iustis, qui in caritate moriuntur, vt Augustinus [c] ait, condonabuntur. [c lib. de corrept. & gra. cap. 13.] *Misericordia,* inquit, *illa iusto Dei iudicio dabitur iustis, quoniam bonis suis operibus meruerunt, vt non sine misericordia iudicarentur. Nam beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, ait Dominus* [d]. *Et iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam, inquit Iacobus* [e]. [d Matt. 5. 7.] [e hoc c. 2. 13.]

XXXV. Postremò Bernardi verbis [f] nos oppugnant. [f Serm. 5. de verb. Isa.] *Nostra si qua est, inquit, humilis iustitia recta forsan, sed non pura, nisi fortè meliores nos esse credimus quam patres nostros, qui non minùs veraciter, quàm humiliter dicebant: Omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura iustitia, vbi non potest adhuc culpa deesse.* Sed nihil cum veritate pugnant. Tres enim iustitias distinguit; vnam, quam dicit esse rectam, sed non puram, nec firmam; alteram rectam, & puram, sed non firmam; tertiam rectam, puram, & firmam; hanc postremam tribuit Angelis; secundam primis parentibus antequàm peccarent; primam nobis. Recta est enim iustitia nostra, si peccato non consentimus, vt possumus non consentire; non tamen pura, quia omnes in Adamo peccauimus, & in multis frequenter offendimus; nec firma, quia nemo est, qui ab illa excidere non possit.

XXXVI. Rectè itaque ait Iacobus, Abrahamum patrem nostrum ex operibus fuisse iustificatum, nominatim verò primit oblationem filij Isaac, quæ si per se spectetur, seclusu præcepto diuino, ad maximam videtur impietatem pertinere: humana enim sacrificia, dæmone potissimùm auctore, exiguntur. Ita olim in Deuteronomio [g]: [g cap. 12. 31.] *Non facies similiter Domino Deo tuo: omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt dijs suis offerentes filios, & filias, & comburentes igni.* Et post multa [h]: [h cap. 18. 10.] *Caue, ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem.* Et Dauid [i]: [i psl. 105. 37.] *Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Ieremias [k] autem: [k cap. 7. 31.] *Et ædificauerunt excelsa Topheth, quæ est in valle filij Ennom, vt incenderent filios suos, & filias suas igni, quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo.* Quia tamen hoc præcepit Abrahæ Deus, eximium fuit obedientiæ, & sanctitatis exemplum, ac propterea mirum in modum in sacris literis commendatur.

XXXVII. Et Ambrosius [l] quidem probatum ait, ac tentatum Abraham. [l lib. 1. de Abra. c. 8.] *Et sanctum, inquit, Abraham probauit antè, & sic tentauit; ne si antè tentaret, quam probasset, grauaret. Probauit eum; cum exiret de Charra iussus, & obedientem reperit; probauit, cùm fidei titulo fretus liberauit nepotem, cùm de præda nihil attigit; cùm promisit seni filium, & cùm esset centum annorum, quamuis Sara genitalia consideraret emortua, tamen credidit, nec fide hæsitauit, qui posset hæsitare ratione sterilitatis, aut senectutis; probauit eum hospitij sedulitate. Probatum igitur quasi fortiorem tentandum putauit maioribus, & quibusdam imperiis durioribus. Et hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem compositis, & fictis. Non enim volebat Deus immolari a patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui arietem pro filio immolandum obtulit, sed tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, si paternæ pietatis contemplatione vim deuotionis inflecteret.* Et multa deinceps in eandem sententiam.

XXXVIII. Porrò Augustinus [a], historiam immolationis Isaac mystico, & allegorico sensu de Christi sacrificio interpretatur; quod etiam [b] alij non ineleganter fecerunt. [a Serm. 71. & 72. de temp.] [b Alcuin. in quæ. in Gen. interro. 201. & deinceps.] Denique Iosephus [c]. [c li. 1. antiq. c. 14. aliàs 22.] *Volens,* inquit, *pietatis eius periculum facere, Deus apparuit ei, enumeratisque omnibus beneficiis in eum collatis, vt victoriam illi de hostibus concessèrit, vtque præsenti fælicitate suo fauore frueretur, filium Isaacum poposcit, vt sacrificium, & victimam sibi offerret. Iubebat autem, vt in montem Moriam subductum holocaustum faceret: sic enim pietatem eius illustriorem fore, si vel filij salutem voluntati diuinæ posthaberet. Abrahamus verò nefas ducens vlla in re Deo morem non gerere, quin potiùs per omnia parendum ei, per quem omnes viuerent, celans vxorem tam Dei mandatum, quàm suam de pueri cæde sententiam, ac ne famulorum quidem villi rem indicans, ne fortè aliquis sibi obstaculo esset, assumpto Isaaco cum duobus seruis, impositisque in asinum, rebus ad sacrificium necessariis, proficiscebatur ad montem.*

XXXIX. Addit verò, fuisse tunc Isaacum annorum quinque supra viginti, montem verò fuisse montem Moria, in quo postea templum extructum est. Et quod attinet quidem ad Isaaci ætatem, nihil habeo dicere; de monte verò Moria aliter Diodorus, Hieronymus, & Augustinus censuerunt. Ita enim alicubi scribit Augustinus [d]. [d Serm. 71. de temp.] *Hieronymus presbyter scripsit ab antiquis, & senioribus Iudæis se certissimè cognouisse, quòd ibi immolatus sit Isaac, vbi postea Christus crucifixus est. Denique ab eo loco, vnde B. Abraham iussus est proficisci, tertio die ad locum, vbi Christus crucifixus est, peruenitur. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco, vbi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Caluariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus, & dignum erat, vt vbi acciderat humana superbia ibi se inclinaret diuina misericordia, & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.*

XXXX. Sed quod de monte Moria Iosephus affirmat, respondere videtur Hebrææ voci מריה *Moriach*, quam noster interpres, *terram visionis* interpretatus est. Fuit autem is mons in plures colles diuisus; partem Orientalem vrbis mœnia clauserunt, & in ea Salomon templum extruxit vbi fuerat area Ornam [e] Iebusæi; [e 2 Para. 3.] alia quædam pars extra vrbem mansit, vbi est mons Caluariæ, vt asserit Diodorus Tharsensis; In ea verò oblatum fuisse Isaacum, & Christum Dominum

cruci affixum, verosimilius censeo, vt Isaaci oblatio sacrificium Christi potiùs, quàm antiqua illa holocausta indicaret. A

22. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est?*]

I. Ex allato exemplo colligit Iacobus, quod sibi propositum erat ostendere, fidem non esse otiosam, si viua sit, sed actuosam, & magna quadam efficacitate præditam. *Vides*, inquit, *quoniam fides cooperabatur operibus illius*. Græcè ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις, quod alij vertunt, *adiumento fuerit actionibus ipsius*. Neque enim fides proprium, ac proximum erat earum actionum principium, quæ proculdubio ab aliis virtutibus, hoc est, obedientia, religione, & caritate, profluebant, sed B hactenus tamen fides illis adiumento fuit, quia sine illa actiones, quamuis ex se laudabiles Deo placere nequaquam poterant: vt enim scribit Paulus [a]: *Sine fide impossibile est placere Deo*. Atque idcirco sublata fide actiones illæ & laude, & merito apud Deum penitus caruissent. Nec dubium est beneficio fidei excitari plerumque mortales ad honestas actiones exercendas. Et in hac ipsa oblatione Abrahæ vim quandam mirificam fidei agnoscit Paulus [b]. *Fide*, inquit, *obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans, quia & a mortuis suscitare potens est Deus, vnde eum & in parabolam accepit*. C

a ad Hebr. 11. 6.

b ad Hebr. 11. 17.

II. De quibus verbis plura suo loco diximus. Re namque vera ingens fuit Abrahæ fides, qui ei filio necem moliri non timuit, quem numerosæ posteritatis parentem, ac progenitorem fore pollicenti Deo antea crediderat. Quocirca rectè Beda: *Hæc*, inquit, *oblatio est opus, & testimonium fidei, & iustitia. Paulus in Abraham fidei constantiam; Iacobus laudat operum magnificentiam, quia vtroque fuit perfectus Abraham, & de vtroque in exemplum proponitur*. Dicitur autem fides illius operibus cooperata, quia cùm illum obruerit, in quo promissionem acceperat, magna vis fidei, & efficacitas apparet. Quia etiamsi filium sacrificasset, non dubitauit eum rursus ad viuos reuocari posse, & sobolem propagare. D

III. Subdit Iacobus: *Et ex operibus fides consummata est*. An quia habitus animi actionibus firmantur, & augentur? Sic prorsus existimauit nonnemo; sed, vt arbitror, parùm scitè. Vt enim admittam frequentatione actionum augeri habitus, & confirmari, id tamen de propriis, & consentaneis actionibus sentiendum est, quæ ab ipsis habitibus tanquam à proprio, & naturali principio fluunt. Functiones autem, quibus ait Iacobus, Abrahæ fidem fuisse consummatam, non proximè à fide, sed ab aliis virtutibus, vt supra indicaui, proximè manabant, &, vt in scholis loquuntur, eliciebantur. An perfecta, & absoluta Abrahæ fides ex iis actionibus dignoscitur? An fidei iustificatio, inde incrementum, & accessionem accepit? Certè vtrumque mihi verè videor posse affirmare. E

IV. Rectè namque scripsit Ephrem [c] Syrus. *Cùm de fide disputas, considera vtrum habeas opera fidei congruentia. Nam si dicendi tantùm, & audiendi studiosus es, illud in te iacietur. Fides sine operibus mortua est; profectò enim mortui sunt omnes, qui Deum se nosse profitentur, factis autem negant, cum sint, vt ait Apostolus, abominati, & increduli, & ad omne opus bonum reprobi*. Prima verò iustificatio Abrahæ maiora procul dubio in dies incrementa cepit, eiúsque viri integri-

c lib. de vit. spir § 88.

tas clarior, illustriórque euasit, adeo vt Deus ipse dixerit [a]. *Nunc cognoui, quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*. Siue id more hominum dictum sit, siue, quod ait Diodorus [b], *omnibus patefeci*, aut quod mauult Hilarius [c], *nosse dignatus sum*; aut denique, vt Augustinus [d], & Gregorius [e] monent, *nosse te feci*.

a Gen. 22. 16.
b in catena
c psal. 1.
d quæst. 58. in Gen.
e li. 28. Moral. cap. 7.

V. Hanc porrò Abrahæ fidem, & obedientiæ feruorem imitatus est Mutius quidam Abbas, cuius meminit Cassianus [f]; cùm enim præciperet ei, qui monasterio præerat, vt filium vnicum, quem olim in matrimonio susceperat, iactaret in flumen. *Tunc ille velut à Domino hoc sibi præceptum esset, confestim celeri cursu rapiens filium vlnis propriis vsque ad oram fluminis iactaturus aduexit. Quod profectò feruore fidei, & obedientiæ eius fuisset opere consummatum, nisi procuratis fuissent de industria fratres, qui sollicitè ripam fluminis obsiderent, proiectúmque iam quodammodo de fluminis alueo filium rapuissent, & consummationem præcepti obsequio Patris, ac deuotione completam ab effectu operis, atque ab ipso fine reuocassent, cuius fides, ac deuotio in tantum Deo fuit accepta, vt diuino statim testimonio comprobata sit. Reuelatum namque est continuò seniori, hac eum obedientia Abrahæ Patriarchæ opus impleuisse*. Quamobrem rectè alicubi scribit Philo [g]. *Optimum esse Deo credere, non incertis cogitationibus, consecuturísque fallacibus; Abraham ille Deo credidit, & iustus reputatus est. Moyses item præest populo cum testimonio, quod sit fidelis in tota domo*.

f lib. 4. de instit. renun. c. 27. & 28.

g l. 2. de leg. alleg.

VI. Et alibi [h]. *Credidit*, inquit, *Abraham Deo, ad laudem eius, qui credidit. Dicat fortasse aliquis, hoccine laude dignum iudicas? Quis Deo loquenti, pollicentique fidem non adhiberet, etiamsi esset impius, & omnium mortalium iniustissimus? Huic respondebimus. Caue, caue, ô præclare vir, ne temerè aut illum sapientem fraudes suis laudibus; aut indignus perfectissimam virtutem fidem tribuas, aut nostram super hac re incuses sententiam. Nam si penitus scrutari, non solùm in superficie, volueris, comperies, quàm difficile sit credere soli Deo absque vllo testimonio propter cognationem, quam habemus cum rebus mortalibus, quæ nobis persuadent, vt credamus, fidamúsque gloriæ principatui, amicis, sanitati, roborique corporis, & ceteris plurimis. Has persuasiones eluere, & diffidere creaturæ per se infidissimæ, ac soli Deo fidere, qui solus verè fidus est, res est animi magni, cælestísque, non inescati vllis rebus nostratibus*.

h li. quis rer. diu. sit hæres.

VII. Et in eandem sententiam alibi [i]. *Quisquis*, inquit, *Deo credit ex animo, in nulla re creata, corruptibilíque collocat fiduciam, ne in his quidem, quibus sibi maximè placet*. Denique [k] *Quin*, inquit, *& in sacris literis extat huius viri elogium* (de Abrahamo loquitur) *testatum redditum Mosi oraculo, quo dicitur, quòd Deo credidit, id, vt dictu est breuissimum, ita factu maximum*. Et nonnullis interiectis. *Solum igitur certum, firmumque bonum est fides, quæ Deo creditur, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsorium calamitatum, fœlicitatum conciliatiuum, superstitionis abnegatio, pietatis assertio, prosperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus, fultus vniuersorum auctore, qui potest omnia, vult tantùm optima*.

i li. de præm. & pœn.

k lib. de Abrahamo.

VIII. Hanc igitur Abrahæ fidem consummatam ait Iacobus, cùm Abraham filium suum Isaac sacrificare non dubitauit. Ita confirmat quod paulò antè dixerat, solitariam fidem à fide dæmonum non differre? Quamobrem Augustinus [l] de hac Abrahæ fide hunc in modum scribit: *Quod credidit Deo intus in corde, in sola fide est; quod autem immolandum duxit filium, quòd intrepidus dextram armauit, quòd iam feriret, nisi voce terreretur, magna fides est vtique, & magnum opus, & ipsum opus*

l Serm. 72. de temp. c. 8.

laudauit

laudauit Deum, vt diceret: Quoniam exaudisti vocem meam. Et alibi [a]: *Tanta est fides fides mea, vt credam, quod ille, qui mihi eum de matris sterilis vtero dignatus est dare, possit etiam eum mortuum suscitare.* Pergit autem Apostolus. A

a Ser.72. de temp.

23. Et suppleta est Scriptura dicens. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est.]

I. Quod ait interpres, *suppleta*, Græcè est ἐπληρώθη, hoc est, *impleta, & perfecta est*, & vera quodam modo comprobata. Duo autem videtur Apostolus indicare in sacris literis de Abrahamo contineri; alterum, fuisse illum ex fide iustificatum, quod apertè legitur in libro Geneseos [b], cùm Moses ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* B Quæ sententia non semel iteratur à Paulo [c]. Alterum, fuisse illum Dei amicum appellatum; quod non ita apertè in sacris literis legitur, sed Philo [d] quidem colligit ex eo, quòd Deus dixerat [e]: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Ita enim ille loquitur. *Quidquid est sapientia præditum, amicum Dei, non seruum est. Id quod ipse fatetur de Abraham. Num celabo ego amicum meum Abraham, quod facturus sim?* Sed quanquam negari non potest fuisse illud amicitiæ, & familiaritatis argumentum, cùm amicorum proprium sit, communicare consilia.

b cap.15.6.
c ad Rom. 4.3. & ad Gal. 3.6.
d lib. de verbis Resipuit Noe.
e Gen.18.17.

II. Quam ob causam dixit Christus apud Ioannem [f]: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*; tamen ibi apertè non dicitur Abraham Dei amicus; alibi tamen in sacris literis non semel Dei amicus appellatur. Sic enim loquitur Isaias [g]: *Et tu Israël serue meus Iacob, quem elegi, semen Abrahæ amici mei.* Et in libris Paralipomenon ita loquitur Iosaphat [h]. *Nónne tu Deus noster interfecisti omnes habitatores terræ huius coram populo tuo Israel, & dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternum?* Et in libro Iudith [i] ita loquitur sanctissima fœmina. *Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.*

f cap.15.15.
g cap.41.8.
h lib.2.c.20.7.
i cap.8.22.

III. Accedit quòd hoc ipso, quòd iustus appellatur, Dei amicus censetur. Iustus enim cùm caritate præditus sit, veram, ac propriam cum Deo amicitiam D init, siquidem caritas omnes veræ amicitiæ conditiones habet: amicitia enim primùm postulat, vt amicus propter se ipsum diligatur, quod proprium est caritatis; nam Deus quidem iustos diligit propter ipsos, quibus immortalia, ac sempiterna bona pollicetur, & iusti item Deum propter se ipsum diligunt, & propter ipsius summam bonitatem. Deinde amicitia mutuum, ac reciprocum amicorum amorem, ac beneuolentiam postulat, quod maximè cernitur in caritate.

IV. Ita enim apud Salomonem [k] diuina Sapientia loquitur. *Ego diligentes me diligo.* Et paulo [l] post, *In viis iustitiæ ambulo in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Hic præterea mutuus amor vtrique amicorum perspectus sit E oportet, ac notus, & Deus quidem iustorum in se amorem perspicuè intuetur, ac cernit; iusti verò diuinam in se beneuolentiam, & caritatem ex innumerabilibus eius beneficiis apertissimè deprehendunt. Ad perfectam verò amicitiam bonorum communicatio pertinet, vnde illud prouerbij loco circumfertur, *amicorum omnia esse communia.* At Deus diuina sua bona iustis voluit esse communia, vt meritò dixerit Petrus [m] Apostolus: *Per quem maxima, &* A *pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.*

k Prou.8.17.
l eccl.21.
m ep.2.c.1.4.

Præterea amicorum maximè familiaris consuetudo, & conuictus commendari solet, quod in iustorum cum Deo amicitia nequaquam desideratur: ad iustos enim maximè pertinent illa, quæ scribit Paulus [a] Apostolus: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Postulat verò amicitia, quæ cum virtute coniuncta esse debet, vt amici honesti gratia sese mutuò diligant; quod ita proprium est caritatis, vt aliter vim, ac nomen caritatis retinere non queat. Ea est autem veræ amicitiæ ratio, vt inter paucos consistat, atque ita iustorum amicitia vnum Deum spectat, & proximos vt referuntur ad Deum. V.

a ad Philip. 3.20.

B Denique amicorum amor constans sit oportet, qualis profectò est diuinus amor, quo nos diligit. Ita enim per Ieremiam [b] loquitur: *In caritate perpetua dilexi te*: & iustorum in Deum beneuolentia diuinæ gratiæ præsidio firmata, nullis potest rebus aduersis concuti, vt meritò dixerit Paulus [c]: *Quis ergo nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et aliquantò pòst: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* VI.

b cap.31.3.
c ad Rom. 8.35.

C Quin etiam si amicitiæ effecta spectentur, de quibus multa Augustinus [d], planè constabit verè omnino iustos Dei amicos nuncupari, parit enim amicitia amici desiderium, si absens sit, vt eius præsentia, & consuetudine fruatur. Ob hanc causam voluit Deus inter mortales viuere, factusque est, vt ait Isaias [e], *Emmanuel, id est nobiscum Deus.* Et Baruch [f]. *Post hæc*, inquit, *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Et illa [g], quæ animæ iustæ typum gerebat, trahi se cupiebat à Deo. *Trahe*, inquit, *me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* VII.

d lib. de amic. c.4 & 17.
e cap.7.14.
f cap.3.38.
g Cant.1.3.

Fateor tamen non esse hanc iustorum cum Deo amicitiam, qualis esse solet inter æquales, D cum Deus immortalis infinito interuallo sit cunctis rebus creatis superior: erit igitur amicitia, qualis esse potest inter superiorem, & inferiorem, vt inter patrem, & filium, & principem, ac subiectum. Quoniam verò est amicitia supranaturalis, omnes fermè creatæ amicitiæ formas complectitur, quam ob causam in sacris literis pluribus nominibus describitur: nam ab Apostolo [h] dicitur societas: *fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri.* Aliàs ciuium, & domesticorum coniunctioni comparatur: ait enim idem Apostolus [i]: *Ergo iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Nonnunquam iusti dicuntur [k] filij Dei, *Quotquot autem receperunt* E *eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et alibi [l]: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Interdum comparatur nuptiis; ita enim loquitur Oseas [m]: *Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Et Paulus [n]: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* VIII.

h 1. ad Cor. 1.9.
i ad Ephes. 2.19.
k Ioan c.1.12.
l 1. Ioan. 3.1.
m cap.2.19.
n 2. ad Cor. 11.2.

Et id genus alia permulta. Afferri possent quæ hæc IX.

diuinæ amicitiæ præstantiam, ac dignitatem maximè illustrant. Magna igitur Abrahæ dignitas commemoratur à Iacobo, cùm ait illum & iustificatum fuisse, & Dei amicum declaratum; idque beneficio fidei, non tamen otiosæ, aut mortuæ. Nam, vt alicubi monet Augustinus[a], non pugnat hoc loco Iacobus cum Paulo, qui hominem iustificari dicit sine operibus: Paulus enim loquitur de operibus, quæ fidem præcurrunt, Iacobus autem de iis, quæ fidem comitantur, & subsequuntur, ac proinde subiicit:

a lib. 83. qq. q. 76.

24. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.*]

I. Consecutio ex superioribus deducta. Dixerat enim Abrahamum in oblatione sua fidem & confirmasse, & perfecisse, & ob eam causam & iustificatum, & Dei amicum appellatum: Inde colligit ex operibus hominem iustificari, non tantùm ex fide. Nam si de prima iustificatione loquamur, vt Concilium Tridentinum docet[b], disponuntur ad iustitiam homines; *dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.*

b Sess. 6. c. 6.

II. Atque hæc quidem de fide iustificante dicuntur; præterea verò excitatur in animo timor, *dum peccatores se esse intelligentes à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illùmque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersùs peccatum per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata.* Ex quibus apparet, præter fidem ad iustificationem requiri timorem, spem, seu confidentiam, amorem Dei, odium peccati, ac detestationem eius, denique propositum inchoandæ nouæ vitæ, & diuinis præceptis obtemperandi.

III. Atque ita non dubito, verissimè dictum esse à Iacobo etiam in prima iustificatione, non ex sola fide, sed ex operibus hominem iustificari, si nomine operum etiam actiones internæ comprehendantur. Nam de fide quidem ait Apostolus[c]: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.* De timore autem dixit Sapiens[d]: *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* De confidentia verò ait Christus[e]: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* De pœnitentia verò Petrus[f]: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

c ad Heb. 11. 6.
d Eccles. 1. 27.
e Matth. 9. 2.
f Act. 2. 38.

IV. Denique de proposito seruandi legem dixit apud Matthæum Christus[g]: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Cæterùm si de externis actionibus loquamur, rectè ait alicubi[h] Augustinus, *iustificari hominem per fidem sine operibus legis*; Quomodo autem id fiat, explicat in hunc modum: *Credidit aliquis, percepit fidei sacramenta in lecto, & mortuus est, defuit illi operandi tempus. Quid dicimus? Quia non est iustificatus? Planè dicimus iustificatum credentem in eum, qui iustificat impium. Ergo iste iustificatus est, & operatus non est, impletur sententia Apostoli dicentis: Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Latro, qui cum Domino crucifixus est, corde credidit ad iustitiam, ore confessus est ad salutem. Nam fides, quæ per dilectionem operatur, etsi non sit, vbi quis exterius operetur, in corde tamen illa feruens seruatur.*

g cap. 28. 19.
h Ser. 72. de temp. c. 8.

V. Confestim verò explicat, cur Paulus dixerit iustificari hominem *per fidem sine operibus. Nam vtique erant quidam in lege, qui de operibus legis gloriabantur, quæ fortasse non dilectione, sed timore faciebant, & volebant se iustos videri, & præponi gentibus, quæ opus legis non fecerant. Apostolus autem prædicans fidem gentibus, cùm eos, qui accedebant ad Dominum, videret iustificatos ex fide, vt iam qui crediderant, bene operarentur, non quia bene operati sunt, credere mererentur, exclamauit securus, & ait, quia potest iustificari homo ex fide sine operibus legis, vt illi magis non fuerint iusti, qui quod faciebant, timore faciebant; cùm fides per dilectionem operetur in corde, etiamsi foris non exit in opere.*

VI. Quòd si de secunda iustificatione loquamur, vt ex superioribus constat, ea necessariò externas postulat actiones, & diuinæ legis integram, ac perfectam obseruationem, quia alioqui, vt suprà dixit Apostolus, *qui in vno offendit, factus est omnium reus.* Vt enim Augustinus[a], & Beda, & Oecomenius[b] explicant, id propterea accidit, quod & nos suprà docuimus, quia omnia præcepta ad vnum caritatis præceptum reuocantur, quo fit, vt qui vnum præceptum violat, caritatem violet, atque adeò totam legem infringat. Nam, vt auctor imperfecti scribit[c]: *Qui vnam tantùm corporis partem inermem habet, inde potest vulnus accipere, & perire, etiamsi cætera membra armis tegantur; ita perire potest is, qui vnum præceptum contemnit, quamuis cæteris obtemperet.*

a ep. 29. ad Hieron.
b In eum loc.
c Hom. 35. in Matth. inter oper. Chrysost. to. 2.

VII. Quamobrem rectè colligit Iacobus, si facultas adsit ad iustificationem tum retinendam, tum augendam, opera esse necessaria; solam autem fidem non posse afferre salutem. Hoc enim, vt non semel iam monui, propositum eius ostendere aduersus eos, qui sola, elumbi, & otiosa fide gloriabantur. Postulat itaque fidem, quæ per dilectionem operatur, quam Apostolus[d], allatis priscorum patrum exemplis, miris laudibus extollit. Ostendit enim, quòd in singulis præclarè gesserit, & ad finem concludit. *Per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij*: & quæ deinceps sequuntur humana fide maiora, & ad extremum addit. *Et hi omnes testimonio fidei probati*; vt significet quod hoc loco ait Iacobus, honestis, ac præclaris actionibus fidem perfici, atque absolui; atque ideircò rectè dixit Bernardus[e]. *Sicut corporis vitam ex motu dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, vita verò fidei est caritas, quia per illam operatur sicut in Apostolo legis. Vnde & refrigescente caritate fides moritur, sicut corpus anima recedente.*

d epist. ad Heb. c. 11.
e Ser. 4. de resur. Dom.

25. *Similiter & Raab meretrix nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia via eiiciens?*]

I. An propterea Raab meretrix gratiam, & iustitiam adepta est, quòd nuncios exceperit hospitio, eósque alia via saluos, atque incolumes dimiserit? haud equidem opinor: quidquid enim in ea actione honestum, & laude dignum fuit, nisi fides antecesserit, nullam ad capessendam iustitiam proportionem habet, cum *sine fide*, vt scribit Apostolus[f], *impossibile sit placere Deo.* Cœlitùs igitur mens eius diuina luce perfusa fidem concepit, atque adeò pietatis officia erga nuncios exercere cœpit, vt fuerit eius fides non otiosa, & languida, sed viua, & actuosa,

f ad Heb. 11.

& actuosa, atque ideo, quod paulò antè de A Abrahamo dixerat, idem hoc exemplo confirmat, fidem iustitiæ antea honestis actionibus perfici, atque absolui.

II. Ambigi autem potest, fueritne Raab antea fidelis, & pia, quàm pietatis officijs nuncios protegeret. Nam quoniam, vt alibi dixi, consueuerat ea mulier hospitio peregrinos excipere, verisimile est, eam pro sui muneris ratione admisisse nuncios, tanquam hospites, & peregrinos; ab iis verò multa audiuisse, quæ Deus immortalis in Ægypto, in mari rubro, in solitudine admirabilia, ac supra naturam effecerat, atque ita paulatim veram concepisse fidem, & mox fidei beneficio de nunciorum salute cogitasse, & non sine suo periculo eorum saluti consuluisse.

B

III. Itaque non satis probo, quod video tamen viris doctis placere, hanc mulierem pietatis officijs fidem, & iustificationem impetrasse. Quanquam enim non nego eleemosynam, quæ diuino impulsu fit, nonnullam esse saltem remotam præparationem ad gratiam, & iustificationem; vix tamen credo Raab nuncios excepisse pietatis, aut misericordiæ intuitu, sed mercedem, vt ab alijs hospitibus expectabat; mox tamen ab hospitibus erudita diuinitùs reuelatis assensum præbuit, & iustitiam, & sanctitatem consecuta, beneficentiæ, ac misericordiæ operam dedit. Quòd igitur nuncios exceperit hospitio, opus fuit mulieris infidelis, atque adhuc peccatricis; quòd autem eorum saluti consuluerit, C fidei, ac iustitiæ fructus fuit, quo veram se fidem percepisse declarauit, & acceptam iustitiam auxit.

IV. Quemadmodum igitur paulò antè de Abrahæ iustificatione locutus erat, ita etiam de huius mulieris iustitia differit, & eadem prorsus ratione, quod indicat particula illa *similiter*, quasi significet eadem ratione fuisse Raab iustificatam, qua olim Abraham, qui diuino præconio iustus prædicatur. Quemadmodum enim Abraham viuam fidem suam actionibus declarauit, ita etiam Raab pietatis officijs testata est, se efficacem, & actuosam fidem animo concepisse. Idem mihi persuadeo accidisse Zachæo,

a cap.19. 4. de quo scribit Lucas [a]; ille enim humana, vt apparet, Christum videndi cupiditate permotus, sycomorum ascendit; mox à Christo prouocatus illum conuiuio excepit, cuius deinde oratione, tactúque D impulsu penitus mutatus fidem admisit, & iustificationem percepit, ac propterea subitò dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*; ac propterea meritò audiuit à Christo, *hodie huic domui salus facta est.*

V. Quam enim iustitiam acceperat, liberalitate sua partim perfecit, partim etiam auxit. An idem de Cornelio Centurione, de quo Lucas in Actis Apo-

b cap.10. stolicis [b], sentiendum sit, non facilè dixerim: nam antequam Petrum accerseret, audiuit ab Angelo: *Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in cõspectu Dei.*

c lib. de prædest. san. c. 7. Itaque Augustinus [c], *Solet*, inquit, *dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius accepta sunt eleemosynæ, E & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum, nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat?*

VI. Quibus sanè verbis indicare videtur, nonnullam Cornelium diuinam habuisse fidem, antequam erudiretur, & baptizaretur à Petro. Quod mihi quidem non solùm verisimile, sed planè necessarium videtur. Nam, si, vt paulò antè Apostoli testimonio diximus, absque fide Deo placere nemo potest, fateor me intelligere non posse, quanam ratione verè potuerit Angelus affirmare, Cornelij eleemosynas, & orationes Deo fuisse gratas. Itaque crediderim habuisse Cornelium veram vnius Dei fidem, atque adeò vi illius potuisse iustificari. Sed quoniam iam tùm lex Christi vigebat, quæ apud Ioannem [a] dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*, iussus est Petrum ad se vocare, vt ea ab illo cognosceret, quæ ante baptismi perceptionem ex Christi institutione traduntur, vt explicitè crederet, quæ in sua illa pristina fide implicitè inuoluebantur.

a cap.3.5.

VII. Itaque eodem loco subijcit Augustinus: *Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Non me B tamen fugit de Cornelij iustificatione multa in scholis vltrò citróque à Theologis disputari, qui de fide iustificante non eodem modo loquuntur. Sed quoniam ad institutum non magnopere pertinent, omittenda censui, tantùm in præsentia indicare volui, quod maximè contendit Iacobus Apostolus, fidem iustificantem viuam, atque actuosam esse.

VIII. *Raab*, inquit, *meretrix*; alibi disserui, num verè Raab fuerit meretrix, cum vox Hebræa זנה & hospitam, & meretricem significare possit; sed valde videtur probabile, Raab vtrumque fuisse, sed fidei beneficio vtrumque esse desijsse, & ereptam à Hiericontina vastatione Israelitico populo C fuisse aggregatam, illustri etiam matrimonio nobilitatam, vt iam tum indicaret Deus, etiam gentibus aditum patere ad salutem, & fore aliquando, quod luculenter ad Romanos docuit Apostolus, vt oleaster in domesticam oleam insereretur. Illud etiam non obscurè significauit, quod multò post

b cap.21.31. apud Matthæum [b] dixit Christus, *Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum cœlorum*; ac propterea Christus Dominus alias dixit: *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Rursus: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.*

IX. Verùm quoniam nemini Deus ad salutem aditum occlusit, priùs quidem sanctissimi viri Abrahæ fidem, ac iustificationem commemorauit, qui tamen & ipse olim paganico errore seductus idola D coluerat, vt alias copiosius ostendi; deinde etiam Raab meretricis conuersionem commemorat, quæ non modò à vera religione erat aliena, sed fœda etiam libidine inquinata. Vtroque autem exemplo rectè colligit, solam fidem non posse afferre salutem, sed studiosas, ac laudabiles actiones fidei adiungendas.

X. Illud autem retinendum est, quod monet Augustinus [c], *quidquid ante fidem, aut post illam bene, ac laudabiliter agitur, Deo bonorum omnium auctori tribuendum esse.* Et ipsam quidem in primis fidem, vt alicubi [d] eleganter docet Cassianus. *In tantum autem vniuersa, ait, quæ ad salutem pertinent Apostoli sibimet à Domino largita senserunt, vt ipsam quoque fidem præstari sibi à Domino postularent, dicentes: Do- E mine, auge nobis fidem; plenitudinem eius non libero arbitrio præsumentes, sed Dei sibi credentes munere conferendam. Denique docet nos idem Auctor salutis humanæ, quàm ipsa fides nostra lubrica sit, & infirma, & nequaquam sibi sufficiens, nisi fuerit auxilio Domini roborata dicens ad Petrum: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret tanquam triticum, sed ego rogaui Patrem meum, vt non deficiat fides tua. Quod alius in semetipso sentiens fieri, & quodammodo fidem suam infidelitatis fluctibus ad perniciosi naufragij videns*

c lib. de prædest. San. c. 7.

d Col. 3 c. 16.

I 4 scopulos

scopulos perurgeri, ad eundem Dominum auxilium fidei suæ postulans dicit: Domine adiuua infidelitatem meam. In tantum itaque senserunt Euangelici, & Apostolici viri, vniuersa, quæ bona sunt, auxilio Domini consummari, & ne ipsam quidem fidem suam confessi sunt, illæsam se posse suis viribus, vel arbitrij libertate seruare, vt hanc vel adiuuari in se, vel donari sibi à Domino postularent. Quæ si in Petro ne deficeret Domini egebat auxilio, quis erit tam præsumptor, & cæcus, qui se ad huius custodiam quotidiano Domini credat adiutorio non egere? Præsertim cùm ipse Dominus in Euangelio hoc ipsum euidenter expresserit dicens: Sicut palmes non potest fructum facere à semetipso, nisi in vite manserit, ita & vos, nisi in me manseritis; & iterum: quia sine me nihil potestis facere. Quàm sit igitur ineptum, ac sacrilegum, quidquam de bonis actibus nostræ industriæ, & non Dei gratiæ, vel adiutorio deputare, manifestè probatur, Dominica protestante sententia, sine sua cooperatione, vel inspiratione spiritales fructus exhibere neminem posse. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum. Zacharias quoque, quia si quid bonum ipsius est, & si quid optimum ab ipso; & ideo constanter B. Apostolus. Quid, inquit, habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

XI. Quæ tam copiosè ad verbum recensui non modò, vt appareat, fidem Raab, de qua hoc loco agit Apostolus, nullis ipsius meritis, sed diuinæ tantùm liberalitati, ac munificentiæ acceptam esse referendam; verùm etiam, vt obiter indicarem, quid de gratiæ necessitate, deque liberi arbitrij viribus, vt ad gratiam, & salutem referuntur, senserit Cassianus, qui tamen in multis meritò Castigatur à Prospero; & vulgò Massiliensium, ac Semipelagianorum princeps censetur, à quorum tamen errore hæc, quæ recensuimus, longissimè abesse nemo non videt.

26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.*]

I. Quod non semel toto hoc capite docuerat, fidem absque operibus inanem, ac mortuam esse, nunc in calce allata similitudine confirmat. Sumpta est autem similitudo à corpore animali, quod sine spiritu mortuum est. Quoniam autem Græcè legitur nomen πνεύματος, sunt, qui [a] existiment, ea voce significari flatum, seu spiritum, quem animalia respirando ducunt. Quemadmodum enim nisi respiret animal, mortuum est, ita fides nisi bonas, ac laudabiles actiones proferat, censenda est mortua. Id propterea, credo, viri docti asseruerunt, ne hæreticis concederent Apostolum loqui de vmbra, seu imagine fidei, vt quemadmodum animal, si careat anima, verè non est, nec dici potest animal. Ita fides informis vera fides nec esse, nec dici poterit, cùm res quælibet à sua forma, naturam atque appellationem sortiatur.

[a] Caiet.

II. Sed nihil erat cur tantopere formidarent: neque enim Apostolus ab animante similitudinem sumit, sed à corpore, quod quamuis formam corporis, hoc est, illam membrorum, ac partium conformationem, ac nexum retineat, si tamen careat anima, mortuum est, & dicitur; non aliter fides ab operibus auulsa, tametsi retineat eam formam, quæ intimè pertinet ad fidem, eamque in suo genere constituit, rectè tamen informis ac mortua nuncupatur, quia spiritu, & vita caritatis destituitur. Caritas enim, vt acutè Theologi probant in scholis, est virtutum omnium extrinseca forma, vim merendi singulis tribuens. Ac propterea quæcunque sunt absque caritate, meritò à Theologis mortua nuncupantur. Itaque crediderim nomine spiritus animam ab Apostolo significari, vt similitudo ducta sit non ab homine, aut animali, sed à corpore, quod, vt dixi, si careat anima, corporis quidem appellationem, ac naturam retinet; est tamen penitus expers vitæ, vt persimili ratione & sentiendum, & loquendum sit de fide, quæ sine operibus vera quidem, ac propria fides est, sed quodammodo exanguis, & mortua, quod paulò antè Didymi Alexandrini, Ephrem Syri, & denique Bernardi testimonio probauimus.

III. Nec mihi quisquam in præsentia philosophicas argutiolas obiiciat, & nouam quandam corpori mortuo cadaueris formam aduenire contendat. Atque adeò non propriè corpus, sed cadauer nuncupandum esse; neque enim tanta subtilitate Apostoli similitudo eget, qui non philosophorum more, sed vulgi consuetudine loqui maluit, & mortuum corpus quacunque tandem forma constet corporis nomine significauit, quo ne à philosophica quidem, aut mathematica loquendi ratione omnino recessit: quod enim trina dimensione continetur, mathematicis corpus dicitur, & si solida materia constet, etiam apud Philosophos inter vera corpora recensetur.

Tertij

Tertij Capitis Argumentum.

Alia morum præcepta tradit, præcipuéque in eos inuehitur, qui docendi munus ambitiosè quærerent, & eam ob causam de linguæ impotentia copiosè disserit, & humana, diuinaq; sapientiæ discrimina subtiliter, accuratéque declarat.

CAPVT III.

1 *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis.*

2 *In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: potest etiam fræno circumducere totum corpus.*

3 *Si autem equis fræna in ora mittimus, ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.*

4 *Ecce & naues cùm magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.*

5 *Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam syluam incendit.*

6 *Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna.*

7 *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana.*

8 *Linguam autem nullus hominum, domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero.*

PARAPHRASIS.

Nolite quæso, fratres, plures inter vos ad sedem, ac dignitatem ecclesiastici magisterij promouere, nec quisquam eam sedem ambitiosiùs appetat. Sic enim vobis persuasum esse percupio seueriùs in eos à supremo iudice inquirendum esse, qui aliis instituendis, erudiendisque præfuerint. ¶ Certè in multis sæpe omnes offendimus; nemóque est tam eximia virtute, constantiáque prædiţus, quin citra peculiare Dei priuilegium aliquando labatur, & erret. Linguæ verò lapsus adeò procliuis est, ac facilis, vt si quis ab eo sit penitus immunis, necessariò fatendum videatur, eum esse omni ex parte perfectum, qui veluti fræno moderari queat reliqua corporis membra, omnésque suas humanas actiones. ¶ Nam equos quidem tanta videlicet corporis magnitudine, ac ferocitate formidabiles, iniecto in eorum ora lupato, mites, & obsequentes reddimus, & quocunque volumus mira facilitate circumagimus. ¶ Et persimili ratione ingenti magnitudine naues maris fluctibus, ac ventorum impetu, & procellis agitatæ perexiguo gubernaculo pro nauarchi auctoritate, atque imperio quocunque libuerit impelluntur. ¶ Non aliter lingua exile quamuis membrum, & molle, ac quantitate minimum, maxima tamen iactat, & ingentes nonnunquam turbas excitat, & quasi quædam perexigua ignis scintilla maximam quandam materiam subitò incendit, atque inflammat. ¶ Sic enim habetote linguam ignem quempiam esse, omniúmque penè scelerum arcem, ac veluti seminatium. Cuncta enim peccata linguæ opera aut perficiuntur, aut persuadentur, aut defenduntur, aut denique excusantur. Itaque illa inter corporis nostri membra ita recensetur, vt cæteras omnes corporis partes, & humanas actiones quodammodò inquinet, atque ad malum prouocet, ac veluti furiis agitata, & gehennæ incendio ardens mortalitatis nostræ cursum, & humanæ propaginis seriem vehementer inflammet. ¶ Ita factum est, vt quamuis omnia immanium ferarum, volucrum, serpentium, cetorúmque genera domari, & penè dicam mansuefieri queant, atque ad mansuetudinem, ac lenitatem non ratò humano studio, atque industria traducta sint. ¶ Linguam tamen, quod mirum, ac penè incredibile videatur, tanquam indomabile malum, lethiferóque veneno plenum domare, aut fræno cohibere nemo

mo mortalium possit. ¶ Illa quippe Dei immortalis, omniúmque parentis laudes celebramus, diuinæque eius maiestatis gloriam prædicamus; & rursus eadem homines, qui ad Dei imaginem, ac similitudinem conditi sunt probris, ac maledictis proscindimus, quæ profectò sunt eiusmodi, vt inter sese ex aduerso pugnare videantur. ¶ Quocirca quod minimè probandum est, ex vno, eodémque ore Dei laus, & hominum execratio prodit, eadémque lingua æquè mala, ac bona effundit; cupio autem fratres hoc à vobis virium longissimè abesse, cùm vitæ Christianæ professionem, atque institutum id minimè deceat. ¶ Nam si humanis, atque à rerum natura ductis exemplis agendum sit, quis vnquam vel fando audiuit ex vna, atque eadem fontis scaturigine dulcem, atque amaram aquam profluere? ¶ An existimare quisquam potest, fratres mihi carissimi, ex arbore ficu oleas progigni posse, aut à vite ficus procreari? Quod si rerum id natura non patitur, cùm quælibet planta suapte vi consentaneos sibi fructus edat, sic prorsus sentiendum est, nullum fontem salsam, ac dulcem aquam edere vnquam posse, vt vel hinc appareat, cum ipsa propemodum natura pugnare, & ex vna, eadémque lingua benedictio, & maledictio oriatur. ¶ Estne quispiam inter vos scientia, & Christiana disciplina instructus? haud equidem abnuerim. Quisquis verò ille sit, non tam magisterij gradum, aut locum appetat, quàm det operam, vt moribus, & familiari consuetudine rectæ, atque honestæ eius actiones sapientiæ mansuetudinem indicent, vt exemplo potiùs, quàm lingua Christianæ vitæ præcepta tradere videatur. ¶ Quòd si contrà liuore, & iniqua æmulatione, atque indignatione commouemini, contentionísque ardorem inclusum animo fouetis, nolite scientiam vestram gloriosiùs prædicare, atque extollere: nihil enim hoc aliud est, quàm aduersùs veritatem cognitam re ipsa pugnare, & non voce, sed actione mentiri. ¶ Neque verò istiusmodi sapientia cœlestis, aut diuina cēsenda est, quæ ab auctore Deo piis mentibus instillatur, sed potiùs terrena, hoc est, quæ mortalia, & caduca spectet; animalis, quæ corporis commodo omnia metiatur; denique dæmoniaca, quæ dæmone magistro inuenta sit, & dæmonis arrogantiam, ac superbiam imitetur. ¶ Vbi enim æmulatio, contentióque dominatur, ibi necesse est, leuitatem, & inconstantiam, aliáque propemodum innumerabilia mala existere, quæ ab istâ falsi nominis scientia, & olim profecta sunt, & quotidie promanant. ¶ Iam verò cœlestis, ac diuina sapientia, quam Deus fidelibus, ac iustis impertit, primùm quidem casta, atque integra est, atque omnis labis penitus expers; deinde eiusmodi, vt mutuam pacem merè concilier, ad modestiam, ac mansuetudinem composita, & quæ facilè tractari queat, quippe rectæ rationi consentiens incredibilem vim habet ad persuadendum, nec sola rerum cognitione, contemplationéque contenta

9 *In ipsa benedicimus Deum, & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.*

10 *Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.*

11 *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?*

12 *Nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.*

13 *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.*

14 *Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersùs veritatem.*

15 *Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.*

16 *Vbi enim zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.*

17 *Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.*

18 *Fru*

18 *Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.*

tenta ad actionem ita refertur, vt misericordiæ operibus, & laudabilium actionum fructibus abundet, nec temerè quidquam iudicet, maximéque ab hypocrisi, ac simulatione abhorreat. ¶ Sic autem vobis persuasum esse cupio, fratres, quidquid in hac mortali vita à iustis agitur, rectè sementi comparari, cui in illo beatorum cœtu, quasi seges, ac fructus præmium illud respondeat, quod propositum est iustis; necesse est autem, dum hîc semen spargimus, pacem, & mutuam concordiam studiosè colere, ac retinere, cùm merces pacis cultoribus proposita sit.

IN CAPVT TERTIVM EXPLANATIO.

1. *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis.*]

I. ERSTRINGIT, opinor, Iacobus Iudæorum quorundam ambitiosum docendi studium: vt enim monet Beda, *multi fuere temporibus Apostolorum, qui descendentes de Iudæa Antiochiam non bene eruditi in lege fidei docebant credentes ex gentibus, debere circuncidi, & alios errores inducebant, de quibus in Actis Apostolicis loquitur Lucas* [a]. Et ni fallor, eodem spectant, quæ Paulus scribit ad Timotheum [b]. *A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Et ad Titum [c]: *Sunt enim multi etiā inobediētes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Monet itaque Iacobus, ne multi in Ecclesia admittantur magistri: dixit enim Græcè μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε. Tum vt vitetur confusio, & perturbatio in Ecclesia, quàm sedulò vitandam docet Paulus [d], cùm ait: *Siue lingua quis loquitur, secundùm duos, aut multum, tres, & per partes, & vnus interpretetur,* &c. tum etiam vt occurratur periculo: nam, vt ait Augustinus [e], *Magistri tunc plures fieri dicuntur, cùm diuersa, & inter se aduersa sentiunt; cùm verò id ipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius veri magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem non cùm illi multa dicunt, sed cùm adhuc sua, sic quippe incidunt ex multiloquio in falsiloquium.* Idque, vt obseruat Iustinus [f], præcipuè cernitur inter hæreticos. *Tantum, inquit, abest, vt hæretici verbis omnibus veritatem inquisierint, vt etiam per illos, qui eam inuenerunt, ipsis demonstratam suscipere neque potuerint, neque sustinuerint. At siquidem vera hæc esset defensio, oporteret & ipsos alios aliis inuicem ignoscere lapsis tanquam qui virium imbecillitate non maligna mentis destinatione hæreses, & sectas instituerent sibi ipsis, & veritati repugnantes. Nunc autem pro eo, quod alij alios de aliena sententia condemnant, manifestò constat gloria captandæ, aut hæresiarcharum, sectarúmque principum aduersus alios propugnandorum studium hæreses omnes vt instituantur, causam habere. Quamobrem hæresum duces ab Apostolo lupi graues nominati sunt.*

a cap. 15.
b ep. 1. c. 1. 6.
c cap. 1. 10.
d 1. ad Cor. 14. 27.
e in prol. lib. 1. retract.
f quæst. 4. ad Orthod.

II. Luculenter autem hanc hæreticorum pugnam, & doctorum multitudinem describit Tertullianus [g]. *Conuersatio, ait, hæreticorum, quàm futilis, quàm terrena,*

g lib. de præscrip. hæret.

A *quàm humana est? sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina fidei suæ congruens. Inprimis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Etiam ethnicis si superuenerint sanctum canibus, & porcis margaritas licèt non veras iactabunt, simplicitatem volunt esse post rationem disciplinæ, cuius penes nos curam, lenocinium vocant. Pacem quoque passim cum omnibus miscent, omnes scientiam pollicentur, antè sunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere? Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt; nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic promereri est, & laicis sacerdotalia munera* B *iniungant. Verbi administratio illis non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.*

Hoc credo, quod in præsentia ait Apostolus, significauerat olim Christus, cùm apud Matthæum dixit [a]: *Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester.* Et aliquantò [b] pòst: *Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Quanquam potissimùm superioris loci ambitum prohibere videtur Christus, cùm mox subdat: *Qui maior est vestrûm, erit minister vester, qui autem se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Sed, vt arbitror, non inde longè abit Iacobus: mox enim periculum proponit, quod iis imminet, qui magisterium quærunt. *Scientes*, inquit, *quoniam maius iudicium sumitis.* Nam C vt scribit Origenes [c], *Ea est principum populi conditio, vt non solùm pro suis arguantur delictis, sed & pro populi peccato cogantur reddere rationem, ne ipsorum sit culpa, quòd populus deliquit, ne fortè non docuerint, ac monuerint, neque solliciti fuerint arguere præuaricatores.* Tum addit: *Hæc si cogitarent homines, nunquam ambirent principatum, sufficit mihi pro meis propriis argui delictis, & pro memetipso rationem reddere.* III.

a cap. 23. 8.
b ver. 10.
c hom. 2. in Num.

Id olim præclaro exemplo docuit Deus [d]: cùm enim populus cum Moabitidis sese graui scelere contaminasset, iussit Deus tolli cunctus principes populi, & suspendi contra solem in patibulis, *vt auertatur*, inquit, *furor meus ab Israël.* Fateor hoc loco Origenem lineas transilire, qui etiam Angelis tutelaribus, quos Principum nomine significari autumat, supplicium imminere contendat. Sed in eo certè non fallitur, quòd eos, qui cæteris præsunt, seuerius pu- IV.

d Num. 25. in prin.

niendos

niendos censet; Verè namque scriptum est à Salomone [a]: *Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt fiet.*

a Sap. 6.6.

V. Quocirca alicubi scripsit Gregorius Naziãzenus [b]: *At verò homini*, inquit, *cùm difficile sit scire parere, tum multò difficilius esse videtur scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit, cuius quò maius est fastigium, maiórque dignitas, eò etiam maius periculum est, prudenti vtique homini, & cordato, quippe cui primum illud curandum erit, vt argenti, atque auri instar omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus, & rebus nusquam adulterinum, aut subaratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materiæ, flammáque acriori digna in se ipso gestet: nam alioqui tantò grauius malum fuerit, quantò pluribus imperarit, siquidem maior est ea improbitas, quæ ad multos serpit, quàm quæ in vno defixa hæret.* In quem locum plura scribit in eandem sententiam Elias Cretensis.

b Apol. 1.

VI. Eandem ob causam, vt scribit Hieronymus [c], dixit Sapiēs [d]: *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrũpere iniquitates.* Pertinet autē, vt idem Hieronymus affirmat, hoc potissimùm ad Ecclesiarum antistites, ac præsules, qui cùm, vt ille ait, *gregem Domini pascere debeant, & saluti illius prouidere, pro sua festinant luxuria*; quos procul dubio perstringit Ezechiel [e], cùm ait: *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos*: & quæ deinceps toto illo capite sequuntur, quæ vtinam non tam verè in nostri sæculi mores conuenirent: quidquid enim eo loco dicitur, *propriè*, ait Hieronymus, *ad supercilium Episcoporum pertinet, eorum videlicet, qui operibus dedecorant nominis dignitatem, & pro humilitate assumunt superbiam, vt honorem se putent consecutos, non onus; & quoscunque in Ecclesia viderint præpotentes, & Dei habere sermonem, opprimere nituntur.* Et paulò pòst: *Sed & Ecclesiastici viri, qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magistrámque habent præsumptionem suam, simili errore retinentur, qui cùm populo persuaserint vera esse, quæ fingunt, & in theatralem modum plausus concitauerint, & clamores, immemores fiunt imperitiæ suæ, & adducto supercilio, libratísque sermonibus, atque trutinatis, magistrorum sibi assumunt auctoritatem.*

c In Ezech. c. 34.
d Ecclesiastic. 7. 6.
e cap. 34. 2.

VII. Neque aliter sentit Augustinus [f]: totum enim illum Ezechielis locū ad Episcopos, & Præsules transfert. *Hæc*, inquit, *prima causa est, quare arguantur pastores isti, quia se ipsos pascunt, non oues. Qui sunt, qui seipsos pascunt? De quibus dicit Apostolus, omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Nos enim, quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum constituit, habemus duo quædam; vnum, quòd Christiani sumus; alterum, quòd præpositi sumus. Illud, quòd Christiani sumus, propter nos est; quod autem præpositi sumus, propter vos est. In eo, quòd Christiani sumus, attenditur vtilitas nostra; in eo, quod præpositi, non nisi vestra. Sunt autem multi Christiani, & non præpositi, qui perueniunt ad Deum faciliore fortasse itinere, & tantò fortè expeditiùs ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Nos autem excepto, quòd Christiani sumus, vnde rationem reddemus Deo de vita nostra; sumus etiam præpositi, vnde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra.* Nonnullis autem interiectis. *Cùm ergo*, inquit, *præpositi ad hoc sint, vt his, qui subiecti sunt, consulant, non in eo, quòd præsunt, omnino vtilitatem suam attendant, sed eorum, quibus ministrant. Quisquis ita præpositus est, vt in eo, quòd præpositus sit, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oues.* Denique *hos pastores*, ait, *apud Ezechielem à Domino acriter reprehendi.*

f lib. de Pastor. c. 1. 2. & 3.

VIII. Itaque rectè dicit hoc loco Iacobus: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei*, vt ambitum coërceat, & mox rationem reddens subdit: *Scientes quoniam maius iudicium sumitis.* Quo loco Græcè legimus in prima persona, ληψόμεθα, hoc est, *sumpturi sumus*: se enim pastoribus, ac magistris annumerat, cùm Ecclesiæ Hierosolymitanæ præesset. Quò spectans Augustinus [a]: *Veniet enim*, inquit, *dies, quo cuncta adducentur in iudicium; & ille dies, si sæculo longè est, vniuscuiusque hominis vita sua vltimus propè est; tamen vtrumque Deus latere voluit, & quando veniat finis sæculi, & quando sit in vnoquoque homine huius vitæ finis. Vis non timere diem occultum? Quando venerit, inueniat te paratum.* Hanc ob causam rectè monet Sapiens [b]: *Noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris*: quo enim quis sublimiori loco positus est, hoc illi, si labatur, maior imminet ruina.

a lib. de Pastorib. c. 2.
b Ecclesi. 7. 4.

IX. Non committam, vt hoc loco quisquam Augustini egregiam orationem desideret. Is enim de Ecclesiastico magisterio hunc in modum alicubi [c] disserit: *Quanquam propter commoditatem depromendæ vocis, altiore loco stare videamur, tamen in ipso altiori loco vos iudicatis, & nos iudicamur, doctores dicimur, sed in multis doctorem quærimus, nec volumus vos haberi magistros. Periculosum est enim, & prohibitum Domino ipso dicente: Ne velitis dici magistri, vnus est magister vester.*

c ser. 5. 2. de diuer. c. 1.

X. Et aliquantò pòst [d]: *Et quia doctoris Apostolus susceperat necessitate personam, videte, quid dicat: Cum timore, & tremore multo fui apud vos. Tutius est ergo, vt & nos, qui loquimur, & vos, qui auditis, sub vno magistro condiscipulos nos esse nouerimus; omnino tutius est, & hoc expedit, vt nos non tanquam magistros, sed tanquam condiscipulos vestros audiatis.* Adeò videlicet vir sanctissimus ab illorum inani studio aberat, qui honorum titulos, & gloriosas magisterij appellationes ambitiosiùs appetunt, docendi tamen, concionandique laborem ineptissimis plerunque, atque imperitissimis permittunt.

d cap. 2.

XI. Et si qui fortè (qui pauci sunt) rectè, & catholicè docent, quod ore proferunt, vitæ exemplo corrumpunt, & inquinant: quos Ezechielis [e] verba castigant. *Insuper*, inquit, *& reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris, & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oues meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant.*

e cap. 34. 18.

XII. Solet enim populus non tam pastoris voces audire, quàm vitam, ac mores obseruare, quod tamen Christus [f] Dominus meritò damnat, cùm dicit, *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Nam, vt ait Augustinus [g]. *Cum non facitis quæ faciunt mali Pastores, non vos ipsi pascunt, cùm facitis autem, quæ dicunt, ego (ait Dominus) vos pasco, mea enim dicunt, & non faciunt.* Et aliquantò pòst: *Qui prædicas non furandum, furaris, dicit Apostolus* [h] *ad eos, qui bona dicunt, & mala faciunt; tu audi prædicantem; ne fureris: noli imitari furantem. Si furantem imitari volueris, ipse te pascet facto suo, tibi venenum subministrat, non cibum.*

f Matt. 23. 3.
g li. de Past. c. 10.
h ad Rom. 2. 21.

XIII. Et paulò pòst, cùm attulisset sententiam Christi [i]: *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* ita argutantem quempiam inducit: *Domine voluisti me, quia fieri non potest de spinis legere vuam; & rursus dixisti mihi de quibusdam, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Nempe, mala facientes vtique spinæ sunt; Quomodo vis de spinis me colligere vuam verbi tui? Respondebitur: Non est illa vua spinarum, sed aliquando increscens sarmentum implicat se in sepem, & pendet vua inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris, & aliud non habes, vide sumas cautè manum mitte, ne lacereris à spinis, id est, ne facta imiteris malorum, & lege vuam inter spinas pendentem, sed de vite nascentem. Ad te perueniat botri alimentum, spinis seruatur ignis tormentum.*

i Matt. 7. 16.

XIV. Quibus consentanea sunt, quæ [k] alibi scribit:

k Tract. 46. in Io.

Botrus

Botrum carpe. spinam caue: doctrina vera per malos, palmes in sepe: botrum inter spinas cautè lege, ne, dum quæris fructum, laceres manum, & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Neque absimilia sunt, quæ a hom. 43. in Matt. scribit auctor imperfecti [a]: *Nunquid*, ait, *propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur? Non sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite.* Rursus: *Apes*, ait, *flores colligunt, herbas relinquunt, sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationem relinquite.*

A

XV. Quod ipsum eleganter more suo explicat Gregorius [b] ad illa Iobi verba [c], *Cuius messem famelicus comedit*, *Habet enim*, inquit, *stultus messem, quando iniquus quisque donum rectæ intelligentiæ accipit, Scripturæ sacræ sententiis docetur, bona loquitur, sed tamen nullo modo hoc, quod dicit, operatur, verba Dei profert, nec tamen diligit, laudando exaggerat, viuendo calcat. Quia ergo stultus iste rectè, & intelligit, & dicit, sed tamen hæc operando non amat messem habendo ieiunat, quam nimirum famelicus comedit, quia is, qui ad Deum sanctis desideriis anhelat, discit, quod audit, agit, quod didicerit, & dum doctoris praui recta prædicatione reficitur, quid aliud, quàm stultis fruges saturatur? An non famelicos suos veritas, vt stulti messem comederent, admonebat, cùm per desideria sancta flagrantibus de Pharisæis præcepit dicens: Quæ dicunt facite, iuxta opera verò eorum nolite facere. Ac si apertè diceret: Verbi messem loquendo excolunt, sed hanc malè viuendo minimè contingunt. Vestram ergo famem messis ista reficiat, quia v[...]bis hanc per fatuitatis suæ fastidium seruant.* Quam similitudinem alia quadam ratione secutus est Augustinus [d]: docet enim improbos concionatores seminare triticum, quia verbum Dei seminant, sibi verò spinas metere, quia vitiis sese contaminant. Itaque accommodat verba illa Ieremiæ [e]: *Seminauerunt triticum, & spinas messuerunt, hæreditatem acceperunt, & non eis proderit, confundemini à fructibus vestris propter iram furoris Domini.*

b li. 6. in Iob. cap. 5.
c cap. 5. 5.
B
C
d li. 2. de ser. Dom. in mon. c. 14.
e cap. 12. 13.

XVI. Rectè itaque ait Iacobus, magistros maius iudicium sumere, quia si aliter viuant, quàm viuendum, & sciunt, & docent, non potest eorum vitium, & peccatum vlla ratione excusari, videntur enim quodammodo ex certa malitia peccare, quod est maximum, atque extremum malum. Quocirca meritò apud Dauidem [f] loquitur Deus: *Peccatori autem dixit Deus; quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersum fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

f Ps. 49. 16.
D

XVII. Hoc nimirum est maius iudicium, grauiùs, ac seueriùs puniri. Multis enim modis mali magistri peccare solent, non modò quia suo exemplo aliis peccandi occasionem præbent, sed quia inani scientia, quæ, vt ait Apostolus [g], inflat, supra humanum fastigium elati nihil non sibi deberi arbitrantur, humanas laudes auidissimè expetunt, honores ambiunt, cæteros præ se contemnunt, ac nihili faciunt; denique se vnos mirantur, atque suspiciunt. Hinc tam multæ hæreses Catholicam Ecclesiam acriter oppugnarunt; hinc inter Catholicos non leues dissensiones, & schismata, dum quam quisque sententiam animo complexus est, mordicùs tuetur, aliena inuidiosiùs, & arrogantiùs refellit, ita quibus armis Christiana fides, atque religio aduersùs hostes propugnanda erat, ipsi inter se Christiani magistri digladiantur, & mutuis sese vulneribus ingenti Ecclesiæ malo, & bonorum scandalo conficiunt.

g 1. ad Cor. 8. 1.
E

XVIII. At multo aliter olim Apostoli, viríque Apostolici Ecclesiasticum magisterium exercuerunt, qui cum Paulo [a] Apostolo verè dicere poterant, *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et dũ gregem sibi commissum vitæ exemplo informabant, & diuinis præceptis imbuebant, id summopere cauebant, ne qua vel leuissima labe ipsorum aut vita, aut oratio inquinaretur; quod de seipso testatur Augustinus [b], qui inter cætera se cum inani gloria, quæ plerumque in eorum animos, qui ad populum verba faciunt, irrepere solet, strennè pugnasse commemorat. *Non enim*, inquit, *huius hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia etsi cuipiam facile est laude carere, dum denegatur, difficile est ea non delectari, cùm offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, vt si non meritò laudemur, corrigamus eos, quos possumus, ne arbitrentur, aut in nobis esse quod non est, aut nostrum esse, quod Dei, aut ea laudent, quæ quamuis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem meritò laudamur propter Deum, gratulemur eis, quibus placet verum bonum, non tamen nobis, quia placemus hominibus, sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt, & non tribuitur nobis, sed Deo, cuius dona sunt omnia, quæ verè meritóque laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidie, vel potius ille, cuius salutaria præcepta sunt, quæcunque siue in diuinis lectionibus inueniuntur, siue quæ intrinsecus animo suggeruntur; & tamen vehementer cum aduersario dimicans sæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum.* Qui igitur hæc leuiora tam diligenter, támque accuratè cauebant, quàm putamus à grauioribus flagitiis fuisse alienos? Quamobrem illi ita magistri munere functi sunt, vt eos non maius iudicium, sed nobilius, ac præstantius præmium in illo Beatorum cœtu maneret.

a 1. ad Cor. 11. 1.
b epist. 64.

2. *In multis enim offendimus omnes. Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir; potest enim fræno circumducere totum corpus.*]

I. Quoniam dixerat docendi munus nequaquam esse ambiendum proposito periculo grauioris supplicij, ne id temerè dixisse videatur, subdit omnes quidem facilè labi posse, sed nihil faciliùs, quàm lingua, & oratione peccare. *In multis*, inquit, *offendimus omnes.* Quasi dicat omnes diuino iudicio sistendos esse, omnibus ante actæ vitæ reddendam esse rationem. Existunt autem hoc loco duo inter se pugnantes, penitúsque contrarij errores; alter eorum, qui omnia iustorum opera peccata esse dicebant; alter eorum, qui ne minimam quidem labem in iustos, & perfectos viros cadere posse arbitrabantur; vtrumque errorem paucissimis verbis confutat Apostolus; priorem quidem dum ait: *In multis offendimus omnes*; multa enim peccata esse non negat, non tamen quicquid agimus, peccatum esse contendit, atque idcircò non dixit Apostolus, in omnibus, sed in multis, quippe superiori capite bona opera à peccatis distinxerat. *Si legem*, inquit, *perficitis regalem secundùm scripturas. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, benè facitis; si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.*

II. Itaque in sacris literis multi laudantur tanquam iusti, nam de Iob scriptum [c] legimus. *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, nec stultum aliquid contra Deum locutus est.* Et de eodem Iob loquitur [d] Deus. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex, & rectus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Dauid autem

c cap. 1. 22.
d cap. 2. 3.

in psalmis non raro suam iustitiam, & innocentiam A
a Psal. 16. 3. prædicat [a]. *Exaudi*, inquit, *iustitiam meam; de vultu tuo iudicium meum prodeat; oculi tui videant æquitatem, probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti,*
b Psal. 7. 9. *& non est inuenta in me iniquitas.* Alibi [b]. *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.*

III. Rursus [c]. *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam*
c Psal. 17. 21. *meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.*
d Psal. 25. 1. Eodem spectant illa [d]. *Iudica me Domine, quoniam ego*
e Psal. 118. 121. *in innocentia mea ingressus sum.* Denique [e]. *Feci iudicium, & iustitiam, non calumnientur me superbi.* Quæ sunt amplissima, & maximè perspicua verba, atque adeo nulla possunt peruersa interpretatione in peregrinos B sensus detorqueri.

IV. Eadem verò scriptura sacra bona opera à pecca-
f cap. 1. 16. tis distinguit. Isaias [f] enim. *Quiescite*, inquit, *agere per-*
g Psal. 4. 5. *uersè, discite benefacere.* Et Dauid [g]. *Irascimini, & nolite*
h 1. ad Cor. 15. 34. *peccare.* Paulus verò [h]. *Euigilate iusti, & nolite peccare.*
i ep. 2. c. 1. 10 Et Petrus [i]. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; Hæc enim facientes, non*
k 1. ad Cor. 3. 12. *peccabitis aliquando.* Et rursus Paulus [k]. *Aurum, argentum, & lapides pretiosi*, hoc est, opera bona nominat, quibus ex aduerso tanquam mala opponit, *ligna, fœnum, stipulam.* Denique frequenter commemoran-
l Matt. 6. 22. tur opera bona. *Si oculus tuus* (ait Christus [l]) *fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Penè idem ha-
m cap. 11. 34. betur apud Lucam [m]. Et alibi [n]. *Sic luceat lux vestra*
n Matt. 5. 16. *coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Et id C genus alia sexcenta passim leguntur, quæ alibi commemoraui.

V. Veteres autem Patres hanc Catholicam senten-
o de Apolo. Dauid. c. 6. tiam apertissimè probant. Ambrosius [o] enim, *Etenim*, inquit, *quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cauendum est, ne plura peccata sint, quàm opera virtutum.*
p Dial. 3. con. Pelag. Hieronymus [p] autem ostendit iustum, si cautus sit, posse ad tempus vitare peccata: Augustinus [q] autem
q lib. de spir. & lit. c. vlt. quamuis affirmet iustitiam nostram longè minorem esse iustitia beatorum, apertè tamen docet ad eam pertinere, vt non peccet, nec prauis cupiditatibus obtemperet. *Dici potest*, inquit, *quædam iustitia minor huic vitæ competens, qua iustus ex fide viuit, quamuis peregrinus à Domino, & ideo per fidem ambulans, & nondum per speciem, non absurdè dicitur, etiam ad istam pertinere, ne peccet. Neque enim si nondum esse potest tanta* D *dilectio Dei, quanta illi cognitioni plena, perfectaque debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi caritatem, aliud, nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamuis longè minus amet Deum, quàm eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum, sicut etiam in his, quæ adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari,*
r lib. de bono coniug. c. 6. *quamuis non possit in fulgentissima luce defigi.* Et alibi [r]. *Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentia verò satianda, sed tamen cum coniuge propter fidem thori venialem habet culpam. adulterium verò,*
s cap. 7. *siue fornicatio lethalem habet culpam.* Et infra [s]. *Continentia meriti est amplioris, reddere debitum coniugi nullius est criminis; exigere vltra generandi necessitatem,* E *culpa venialis; fornicari vel mœchari puniendi criminis.*

VI. Idem colligitur ex iis, quæ aduersus Iulianum
t lib. 4. in Iulian. c. 3. disputat [t], cùm probat infidelium actiones, quæ vt plurimùm recto proposito destituuntur esse peccata. Frustra enim omninò laborasset, si omnia etiam fide-
u lib. 2. mor. c. 8. lium opera peccata essent. Addo Gregorij [u] testimonium. *Si in sermonibus*, inquit, *suis dicimus Iob deliquisse* (quod sentire nefas est) *Deum dicimus in sua*
x lib. 9. mor. c. 26. *propositione victoriam perdidisse.* Et alibi [x]. *Ipsa bona nostra insidiantis culpæ euadere gladium nequeunt, nisi*

sollicitè quotidie timore muniantur. Denique [a]. *Bonarum*, a ep. ad Aug. sc. p. 10.
inquit, *mentium est; ibi etiam aliquo modo culpam agnoscere, vbi culpa non est.*

Porrò Bernardus [b] idem apertissimè docet. *Bo-* VII.
nus, ait, *obedientiæ gradus est, si iuxta magistri nostri* b lib. de præcep. & dispens.
sententiam propter metum gehennæ, seu propter professionem sanctam, quam professus est quispiam, obedierit. Melior tamen cùm ex Dei amore obeditur; illa quippe obedientia necessitatis est, ista caritatis. Et infra de inobedientia. *Hæc*, ait, *generalis regula sit vniuersorum, quæ per se, aut propter se nec bona, nec mala sunt, aut propria cuiusque professione, aut diuina institutione fixa non sunt, vt non iussa quidem licitè vtrumlibet vel admittantur, vel omittantur, iussa* B *verò sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur, vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est.*

Alterum verò errorem olim excitauit Iouinianus, VIII.
& secuti sunt Pelagiani, qui asserebant posse quempiam, si velit, ita iustitiam retinere, vt nusquam labatur, nusquam offendat, aut erret, vt ex Hieronymo [c] c lib. 2. con. Iouin. & Dial. 3. con. Pelag.
facilè colligitur. Quamobrem in præsentia ait Iacobus. *In multis offendimus omnes.* Offensionis enim nomine leuiorem culpam intelligit, de qua etiam loquitur Ioannes [d]. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus,* d ep. 1. c. 1. 8.
ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Obseruant autem Hieronymus [e], & Augustinus [f] se quoque Ia- e lib. 2. con. Iouin.
cobum inter eos numerasse, qui in multis offendunt: f ep. 29. ad Hieronym.
C quod etiam loco indicato significat Ioannes, vt appareat ne sanctissimos quidem viros diu posse absque aliqua leuiori noxa vitam traducere. *Hoc*, inquit, *Hieronymus, & nos dicimus posse hominem non peccare, si velit pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea quandiu intentus est animus, quandiu chorda nullo vitio laxatur in cithara.*

Monet autem hoc loco Didymus, tametsi verba IX.
Apostoli ea præcipuè spectant, quæ in sermone peccantur, non tamen de orationis vitio eum loqui. *Quando*, inquit, *de his, quæ agenda sunt, & sapienda aliquos doces, si habueris veritatem sensus de huiusmodi rebus, tunc inoffensibile habes verbum; non enim putandum est de peccato prolationis sermonis, quæ solœcismos, & barbarismos quidam vocant hæc fuisse dicta.* Augustinus [g] autē. g ser. 122. de diuer.
Quis, inquit, *non contremiscat, cùm Apostolus dicat omnes?*

Gennadius [h] porrò hanc Apostoli sententiā vsque X.
adeo veram esse contendit, vt qui secus sentiat, ana- h lib. de Eccles. dogm. c. 55. 56.
D themate dignum censeat. *Quod ait S. Ioannes. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, &c. quis sic accipiendum putauerit, vt propter humilitatem dictum sit, non propter veritatem, anathema sit. Quicumque dixerit in oratione Dominica dicere sanctos. Dimitte nobis debita nostra, pro aliis potius, quàm se ipsis, anathema sit. Sanctus enim, & iustus erat Apostolus Iacobus, cùm dixit. In multis offendimus omnes: nam quare additum est, omnes; nisi vt ista sententia conueniret cum psalmo, vbi legitur. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens? Vnde etiam S. Daniel in oratione pluraliter dicit, Peccauimus, iniquitatē fecimus.*

Et in eandem sententiam scripsit alicubi Augusti- XI.
nus [i]. *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua pro-* i lib. de nat. & grat. c. 36.
pter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; vnde enim scimus, quòd ei plus E *gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta si omnes illos sanctos, & sanctas cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, vtrum hoc, quod iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nónne vna voce clamassent. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est? An illud humilius responderent fortasse,*

quàm

quàm verum? sed huic iam placet, & rectè places, laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis, itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset; si autem hoc mentirentur nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.

XII. Et sanè praua illa affectio, quæ etiam in renatis iusto Dei iudicio perseuerat, ita aduersus rationem plerumque sæuit, & tam multas in nobis cupiditates excitat, vt difficillimum sit non interdum offendere, ac leuiter labi. Itaque de cibi intemperantia ita alicubi scribit Augustinus [a]. *Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est.* Et post nonnulla [b] de odorum illecebra. *Et nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna spes, vna fiducia, vna firma promissio misericordia tua.*

a lib. 10. de confess. c. 31. in fine.
b cap. 32.

XIII. Rursus [c]. De aurium voluptate. *Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res, quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Porrò de iis, quæ oculis obiiciuntur, ita aliquanto post loquitur [d]. *Desisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tu euellas de laqueo pedes meos.* Alia deinde permulta vir sanctissimus recenset, quibus mens, & ratio incredibiliter oppugnatur, vt difficillimum sit, non aliquam vel leuissimam plagam accipere.

c cap. 33.
d cap. 34.

XIV. Subdit autem Iacobus. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Aptè omninò hæc superioribus adduntur; dixerat enim magistris maius imminere supplicium. Id nunc hac ratione confirmat, quòd vix quisquam culpa vacet; qui verò loquendo non interdum labatur, eum esse virum omni ex parte perfectum. *Quis autem*, ait Augustinus [e], *audeat dicere se esse perfectum? Qui ergò stat, & audit, in verbo non offendit, qui autem loquitur, etsi quod difficile est, non offendit, patitur tamen, & timet ne offendat. Oportet ergo vos esse non solum loquentium auditores, sed & timentium miseratores, vt in eo, quod verum dicimus, quoniam omne verum à veritate est, non nos, sed ipsum laudetis. Vbi autem sicut homines offendimus, eundem ipsum pro nobis oretis.*

e ser. 122. de diuer.

XV. Certè incredibile dictu est, quàm sit facilis linguæ lapsus vt meritò exclamet Sapiens [f]. *Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua?* Atque ideircò non malè quidam linguam à ligando dictam putant, quòd à natura pluribus vinculis sit alligata, & dentibus, ac labiis, quasi quibusdam cancellis circumsepta, ne facilè, ac temerè in verba prorumpat. Quocirca rectè scripsit B. Gregorius [g]. *Quis inueniri potest, qui quamlibet perfectus sit, de otioso tamen sermone non peccet? Iacobo attestante, qui ait; Linguam nullus hominum domare potest; cuius culpam redarguens per semetipsam veritas ait. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem, &c.*

f Eccles. 19. 17.
g libr. 22. mor. c. 2.

XVI. Neque verò existimandum est Christianam perfectionem, quæ in caritate consistit, in eo esse positam, vt quis verbo non offendat, sed cùm quiuis facilè lingua peccet, viri perfecti minus cæteris labuntur, quanquam & ipsi interdum etiam leuiter errent. Vt enim ait Salomon [h], vix vnũ de mille reperias planè innocentẽ, & ob eam causam religiosi, qui perfectioni comparandę operam dant, mirum in modum silentiũ colũt, vt de antiquis monachis scribit Cassianus [i].

h Eccles. 7. 29.
i li. 2. de inst. renun. c. 10.

A Mitto Pythagoricum silentiũ, quo ad Philosophiam percipiendam Pythagoræ discipuli informabantur.

XVII. Certè qui propiùs ad perfectionem accedunt, id maximè student, ne quid sibi per imprudentiam excidat: nam, vt ait Bernardus [a], *Si de omni verbo otioso reddituri sunt rationem, quanto districtius de verbo mendaci, mordaci, iniurioso, elato, lasciuo, adulatorio, aut detractorio iudicabuntur? Nemo vestrum, fratres, parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis, volat quidem irreuocabile verbum. Leuis quidem res est sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat. Leuiter transit, sed grauiter vrit. Leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit. profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur. facile volat, atque ideo facilè violat caritatem.* B Rectè autem dixit quidam linguá positá esse in lubrico, atque idcirco facilè labi.

a serm. de tripl. custod.

XVIII. *Potest etiam*, inquit, *fræno circumducere totum corpus.* Græcè, δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα; quasi dicat, qui verbo non offendit, moderari potest totum etiam corpus. An de cæteris corporis membris, ac partibus loquitur? Id omninò verè diceretur, nam qui linguæ frænum iniicit, & eam à lapsu retinet, is profectò cætera membra, quæ longè difficiliùs mouentur, in officio continebit, & rectę rationi subiiciet. An totum corpus, hoc est, actionum omnium humanarum congeriem indicat? certè id quoque verissimè affirmatur Nam qui orationem ita moderatur, vt nusquam offendat, cæteras actiones suas sapiẽter absque C vllo lapsu ad exitum perducet: siquidem alię humanę vitæ functiones consilio, ac prudentia certum aliquem in finem referuntur; lingua verò subito quodam impetu verba fundit, & non rarò ipsas primas mentis cogitationes præuertit, atque idcirco multa vel ira perciti, vel alia quapiam animi perturbatione commoti effundimus, quæ postmodum etiamsi maximè cupiamus, reuocare neutiquam possumus.

XIX. Quamobrem meritò Augustinus M. Tullium reprehendit, quòd aliquando affirmauit, nullum à sapiente nescio quo emissum fuisse verbum, quod postea reuocare vellet. Hoc enim ait Augustinus eorum esse proprium, qui diuini numinis afflatu aut loquuntur, aut scribunt Hi enim nusquam labi, aut offendere possunt, cùm, vt ait Christus [b], non ipsi loquantur, sed Spiritus Patris eorum, qui in illis loquitur. D Cæteri verò omnes, vt sapientissimi, prudentissimique sint, & errare possunt, & non rarò offendunt. Atque ita de Ioanne Baptista canit Ecclesia ab ineunte ætate secessisse illũ in solitudinẽ, *nolens saltem maculare vitam famine posset.* Quod autẽ ait Interpres circunducere, Græcè est χαλιναγωγῆσαι, hoc est frænũ impone re, aut fræno moderari, quomodo dixerat [c], *Nõ refrænas* linguã suã, vbi Græcè scriptum est μὴ χαλιναγωγῶν.

b Mat. 10. 20.
c cap 1. 26.

XX. Aptè autem fræni similitudine vtitur Iacobus: membra enim, & animi nostri facultates, quę olim penitus vi iustitiæ originalis cohibebantur, ne rationis imperium anteuerterent, post illius iustitiæ iacturã fræno egent, hoc est, prudenti moderatione, ne rationẽ abripiant, atque à recto virtutis tramite abducãt; qua de re plura infrà dicturus est Apostolus. Interim verò in- E dicat vix quenquã esse, qui non aliquando labatur, & erret; vnde hæretici malè colligunt, Dei legem planè esse eiusmodi, vt ne à iustis quidẽ obseruari queat. Ita enim quidam dixit [d]: *Atque nobis impossibilia sunt omnia præcepta, atque illud vnum non concupisces*, cùm tamen Apostolus tantùm significet difficillimum esse, ne dicam impossibile, carere quempiam in hac vita citra peculiare Dei priuilegium omni prorsus labe. De leuioribus autem procul dubio culpis loquitur, quæ multis modis obrepunt, sed tamen, vt ait Concilium Tridentinum [e], *Licèt in hac mortali vita quantumuis sancti, & iusti, in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant,*

d Luther. lib. de liber. Christ.
e sess. 6. c. 11.

non propterea definunt esse iusti: nam iustorum illa vox est, & humilis, & vera, Dimitte nobis debita nostra.

XXI. Cæterùm idem Concilium multis probat Dei legem possibilem esse, imò etiam facilem, & suauem. Apud Matthæũ [a] enim ait Christus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Et Ioannes [b]: *Et mandata,* inquit, *eius grauia non sunt.* Quò spectans Dauid [c]: *Viam,* ait, *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Et Ezechiel [d]: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.* Denique Paulus [e]: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Hi enim omnes significant diuinæ gratiæ ope omnia fieri facillima, atque idcirco Christus Dominus apud Ioannem [f] dixit: *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Et Paulus [g]: *Qui diligit proximum,* ait, *legem impleuit.* Et alibi [h]: *Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum;* hoc enim præcepto Dei nobis amicitiam conciliamus, vt ipsemet Christus [i] fatetur. *In hoc,* inquit, *cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et [k] alibi: *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Suprà autem præcipit in hæc verba [l]; *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.*

a Mat. 11. 30. b ep. 1. c. 5. 3. c Ps. 118. 32. d cap. 36. 27. e ad Phil. 4. 13. f cap. 14. 23. g ad Ro. 13. 8. h ad Gal. 5. 14. i Ioa. 13. 35. k Ioan. 15. 14. l vers. 12.

XXII. Indicat autem Scriptura, quamuis caritas huius vitæ maiorẽ semper capere possit in dies accessionem; posse tamen in nonnullis esse aliquo pacto perfectam, ita vt Deum diligat ex toto corde. Nam in libro Geneseos [m] legimus, Noe virum fuisse iustum, atque perfectum, & Deus ipse ita Abrahamum alloquitur [n]. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Et Christus apud Matthæum ait [o]: *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Et [p] alibi: *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Paulus quosdam indicat esse perfectos, cùm ait [q]: *Quicunque perfecti sumus, hoc sapiamus.* Ioannes [r] verò: *Qui seruat,* inquit, *verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est.* Qua porrò id ratione fiat, docet Moses [s]: *Circumcidet,* inquit, *Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum in toto corde tuo, & in tota anima tua.*

m cap. 6. 9. n Gen. 17. 1. o Matt. 5. 48. p Mat. 19. 21. q ad Phil. 3. 15. r ep. 1. c. 4. 17. s Deut. 30. 6.

XXIII. Ita videmus multos in sacris literis Dei præcepta seruasse: nam de Dauide legimus in libris Regum [t]: *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Et post nonnulla [u]: *Eo quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ excepto sermone Vriæ.* Et in Actis Apostolicis [x]: *Inueni,* inquit, *Dauid filium Iesse virum secundum cor meũ, qui omnes voluntates meas faciet.* Et de Iosia [y] scriptum est: *Similis non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum omni corde suo, in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua.* De Asa [z] verò, & populo: *In tota virtute sua quæsierunt Dominum, & inuenerunt.* Apertissima verò sunt, quæ de Iosue [a] commemorantur. *Sicut præceperat Dominus Mosi seruo suo, ita præcepit Moses Iosue, & ille vniuersa compleuit, non præteriit de vniuersis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Mosi.*

t lib. 3. c. 14. 8. u cap. 15. 5. x cap. 13. 22. y lib. 4. Reg. c. 23. 25. z lib. 2. Paralip. c. 15. 15. a lib. Ios. c. 11. 15.

XXIV. Mitto cæteros viros sanctissimos, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Mosem, Samuelem, Eliam, Eliseum, Isaiam, Ieremiam, cæterósque Prophetas, de quibus eadem verè affirmari possent. In nouo autem Testamento de Zacharia, & vxore scribit Lucas [b]: *Erant iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* & id genus alia sexcenta licet in sacris literis adnotare, quæ non modò probant, posse Dei legem obseruari, sed re vera quàm plurimos eam ita seruare, vt mirificè Deo placeant, cùm præsertim significet Scriptura posse homines aliquid etiam ampliùs facere, quàm [A] Deus præcipiat: nam apud Matthæum, cùm dixisset Christus [a]: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;* rursus affirmanti se omnia ab adolescentia seruasse, subiicit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes;* quod non præcipitur quidem absolutè tanquam necessarium ad beatam vitam assequendam, sed proponitur tamen tanquam eiusmodi, quod fieri possit.

b cap. 1. 6. a cap. 19. 21.

Atque ita colligit Chrysostomus [b], vt ostendam paulò pòst multos etiam diuina præcepta superare. Et Augustinus [c]: *Non grande,* inquit, *onus impositum est virginibus, maior amor imposuit maius onus, tanquam dicerent: Quid iubes? Ne adulteræ simus? hoc præcipis? amando te plus facimus, quàm præcipis.* Accedit quòd, vt [B] sexcentis locis docet Augustinus, nemo in eo peccat, quod vitare non potest. Quòd si lex diuina seruari non potest, qua quæso ratione eius violatio vitio vertitur? Quis verò eum legitimum principem, ac non potius sæuissimum tyrannum censeat, qui id præcipiat, quod fieri nulla ratione queat? Adde quòd, vt ait Apostolus [d], *Christus passus est, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Idemque Christus [e] in oratione Dominica petendum docuit: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra.* Quo loco, vt interpretantur Cyprianus [f], & Augustinus [g], docuit diuinam opem implorandam esse ad legis præcepta obseruanda.

XXV. b hom. 8. de pœnit. c ser. 18. de ver. Apost. d ad Ro. 8. 4. e Mat. 6. 10. f de orat. Dom. g lib. 3. ad Bonifac. c. 7.

XXVI. Sed quid opus est multis? Concilia, & veteres Patres hoc tanquam dogma Catholicum perpetuò docuerunt, [C] posse iustos legem diuinam obseruare: siquidem Patres in concilio Arausicano [h] a. *Hoc etiam,* inquiunt, *secundum fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Origenes [i] autem eos ait imbecillitatem fœminarum imitari, qui Dei præcepta impossibilia esse contendunt. Et Basilius [k]. *Impium esse,* ait, *dicere impossibilia esse Spiritus præcepta.* Et Chrysostomus [l]. *Nequaquam,* ait, *Dominum accuses; haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant præcepta.* Et Cyrillus Alexandrinus [m] ostendit præceptum non concupiscendi, quod putatur omnium difficillimum, ope diuinæ gratiæ seruari posse.

h Can. vlt. i hom. 9. in Ios prope finem. k orat. in illud. Attende tibi, nõ procul ab initio. l hom. 8. de pœnit. circa med. Simil. hom. 39. in Mat. hom. 2. ad Philip. hom. 19. ad Hebr. m lib. 3 con. Iulian. ferè medio.

XXVII. Iam verò Hilarius [n] explicans verba illa. *Latum mandatum tuum nimis. Latum,* inquit, *mandatum Dei est,* [D] *& in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficile sit, si voluntas adsit præcepto Domini obtemperare.* Apertè verò scribit Hieronymus [o]. *Deus possibilia mandauit, hoc nulli dubium est.* Et [p] alibi. *Multi præcepta Dei sua imbecillitate metientes putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt; & sciendum Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit Dauid,* &c. Egregium verò testimonium est Augustini [q], quo vtitur Cõcilium Tridentinum [r]. *Non igitur,* inquit, *Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possis.*

n in Ps. 118. o lib. 3. adu. Pelag. p Matt. 5. q lib. de nat. & grat. c. 43. r sess. 6. c. 11.

XXVIII. Non me tamen fugit, quid hæretici [s] ad Augustini testimonium respondeant, aiunt enim fuisse [E] illum à Pelagianis vexatum hac permolesta quæstione, esséntne Dei præcepta possibilia, an secus, ad vitandam autem inuidiam Augustinum quæstioni respondisse, vt diuina præcepta, absque præiudicio tamen veritatis, vtcunque possibilia esse affirmaret: nã alicubi [t] ait: *Non vocari in quæstionem, possitne homo omnia peccata vitare, sed id quæri, quando, & cuius ope vitare possit: vitare enim posse in alia vita, idq; vi gratiæ, non naturæ facultate.* Quod perinde est, ac si dixisset, legẽ possibilem esse in alia tantùm vita. Alibi [u] verò docet, gratiam dedisse homini studium præcepta seruandi, eamdémque ignoscere, si quid minus fiat. Ita autem interpretantur Augustinum, quasi significaris

s Chemnitius. t lib. de perfect. iust. c. 16. u lib. 3. con. duas ep. Pelag. c. 7.

hæc

hactenus præcepta diuinæ legis possibilia dici, non quòd omnino perfici, atque obseruari queant, sed quòd, si quid peccetur, facilè condonetur.

XXIX. Sed homines nimirùm mali non animaduertunt duas ab Augustino inter se diuersas agitari quæstiones. Alteram, vtrùm lex diuina obseruari queat; alteram, an possit quis in tota vita omnia peccata vitare; & priori quidem quæstioni semper affirmando, posteriori verò negando respondet. Et quidem quæ afferuntur ab hæreticis ad posteriorem quæstionem pertinent: perpetuò enim docet Augustinus, non posse quenquam absque peculiari priuilegio gratiæ vitare omnia peccata venialia, sed id reseruari vitæ beatorum, quæ erit omnis labis penitus expers.

XXX. Quod verò ait, gratiam suppeditare studium seruandi legem, eandemque ignoscere, si quid peccetur, non significat legem esse impossibilem, sed vim, atque efficacitatem gratiæ declarat, quæ seruandæ legis studium fidelium mentibus imprimit, & quæ minus rectè à iustis fiunt, facilè condonat. Docuisse autem Augustinum legem esse possibilem, & ope diuinæ gratiæ seruari posse, indicant multa, quæ passim

a lib. de nat. & grat. c. 69. apud illum leguntur. Alicubi [a] enim ait. *Eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia fiunt caritati, cui vni Christi sarcina le-*

b lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 3. *uis est.* Et alibi [b]. *Non præciperet Deus aliquid, quod esset humanæ impossibile voluntati.* Et post multa [c].

c cap. 6. *Dubitare non possunt nec Deum aliquid impossibile hominum præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum, quo fiat, quod iubet, impossibile aliquid esse.* Rursus alio

d lib. de gra. & lib. arb. c. 16. loco [d]. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non iuberet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri. Quis hoc nescit?* Denique [e]. *Non imperaret*

e in Psal. 5. *hoc Deus, vt faceremus, si hoc impossibile iudicaret.*

XXXI. At enim hæc videntur inter se vtcunque pugnare, Dei legem obseruari posse, & neminem tamen iustum posse in hac vita absque Dei peculiari auxilio omni culpa vacare, quod hoc ipso loco docet Iacobus, dum ait: *In multis offendimus omnes.* Neminem enim excipit; & absque vlla exceptione multa ait esse peccata, quibus etiam iusti obstringuntur. Et quidem olim Iouinianus, & Pelagius, qui, vt ex Hiero-

f lib. con. Iouin. & Dial. 2 con. Pelag. g De hæres. c. 88. & epist. 106. nymo [f], & Augustino [g] constat, omnia peccata grauia, & lethalia esse censebant; alterum necessariò admittere cogebantur, vel Dei legem esse impossibilem, vel posse omnia peccata vitari. Prætermissis autem, quæ hac de re æque stultè, atque turpiter hæretici superioris sæculi comminiscuntur, communi Catholicorum consensu receptum est, quædam esse peccata grauia, quæ merito lethalia nuncupantur, quædam verò leuia, quæ quia facilè condonantur, vulgò venialia dicuntur.

XXXII. Cùm igitur in sacris literis legimus [h]: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Itemque [i]:

h Ecclesiast. 7. 21. i Prouer. 24. 16. *Septies enim cadet iustus, & resurget.* Et apud sanctos Patres, neminem in hac vita viuere posse absque peccato, de venialibus procul dubio culpis intelligendum est. Qua verò ratione venialia peccata, quæ tam facilè admittuntur, non pugnent contra legem, atque adeò probent legem esse impossibilem, non facilè explicari potest. Nam qui dicunt venialia peccata à mortalibus distingui, quia mortalia ad sempiternum supplicium referuntur, venialia verò non item, rem veram dicunt, sed peccatorum vim, ac naturam non explicant. Necesse est enim suapte natura peccata distingui, quæ alia, atque alia pœna plectuntur.

XXXIII. Neque aliter de iis sentiendum est, qui hæc peccata non alia ratione seiungunt, nisi quòd mortalia habitu diuinæ gratiæ spolient, qui cum venialibus consistit: hoc enim ex ipsius peccati natura oritur, in qua necesse est distinctionem inuestigare. Neque enim audiendi sunt ij [a], qui peccatum mortale putant esse contra præceptum, veniale verò contra consilium, meritóque ab aliis [b] castigantur. Nam reuerà, vt consilium nullam affert parendi necessitatem, ita neglectus nullam parit culpam. Quis enim dicat matrimonium esse peccatum, cùm tamen apertè pugnet cum consilio virginitatis?

a Scot. in 2. d. 21. q. 1. Gabr. d. 21. b Duran. in 2 d. 42. q. 6. Adri. quo. lib. 7. a. 3. dub. p. Caie. 1. 2. q. 72. a. 5. Cast. lib. 1. de le. pœn. c. 5. Andr. Veg. lib. 14. in conc. Trid. c. 11. Nau. in ma. præl. 7. n. 16.

XXXIV. Neque verò iis [c] possum facilè assentiri, qui peccatum veniale negant esse contra præceptum, vt hac ratione tueantur Dei præcepta esse possibilia, & iustos tamen non omni penitus veniali culpa vacare: docuit enim Apostolus [d], vbi non est lex, nec præuaricationem quidem esse posse. Videmus autem officiosum mendacium, quod procul dubio leue peccatum est, à Deo apertè prohiberi. Ita enim in Leuitico præcepit [e]: *Non mentiemini nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Et Sapiens [f]: *Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.*

c Infinuat D. Tho. tum in 2. d. 22. tum 1. 2. q. 72. a. 5. d ad Rom. 4. 15. e cap. 19. 11. f Eccl. 7. 14.

XXXV. Quamobrem fatendum videtur, venialem culpam non esse quidem per se, ac directè contra legem, sed tantùm ex obliquo, & aliqua ex parte, quia videlicet minora præcepta, & ea quidem leuiter violat, quod videtur insinuasse Christus apud Matthæum [g]: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Quanquam verisimilius est, loqui Christum de præceptis, quæ mortiferam culpam continent. Cæterùm fatendum est, venialia peccata aliqua ex parte esse contra aliqua præcepta, cùm verè sint contra Deum, quidquid aliqui [h] secus sentiant. Nam reuerà veniale peccatum quidpiam est contra rectæ rationis ordinem, Deoque bonorum auctori displicet tanquam aliquid exosum.

g cap. 5. 19.

h Bonauent. quem confutat Veg.

XXXVI. Verùm, vt ait D. Thomas, non penitus receditur ab vltimo fine, ac ne à virtutis quidem fine proprio, siquidem in qualibet virtute spectari potest finis, itemque illa quæ ad finem referuntur. Et finis quidem vel ab ipsis rebus obiectis affertur, vel à synderesi, vel etiam nonnunquam à prudentia præscribitur. Is autem interdum ad retinendam rectam rationem, atque adeò caritatem, est simpliciter necessarius, aliàs verò non item. Iam verò ea, quæ ad finem assequendum valent, à prudentia proponuntur; eáque aliquando sunt huiusmodi, vt ad virtutis finem vel assequendum, vel retinendum siue ex natura rei, siue ex morum præceptis, siue denique ex supernaturali imperio sint penitus necessaria.

XXXVII. Aliquando verò adeò necessaria non sunt, vt sine illis & virtus perfecta sit, & suum finem assequatur: vt si fingamus temperantiæ finem esse, ita prauas appetitiones cohibere, vt recta ratio, neque prudentiæ, neque caritati repugnet; ad eum verò finem ab iis cupiditatibus necessariò abstinendum esse, quæ mentem à recto virtutis tramite reuocent, non tamen eas necessariò cohibendas, quæ vtcunque sensum oblectant, cum deseritur id, sine quo finis virtutis, nec comparari, nec retineri potest, peccatum lethale admittitur; cùm verò id negligitur, quod non necessariò ad finem virtutis postulatur, venialis culpa erit.

XXXVIII. Quòd si quæpiam virtus sit, quæ neque cum prudentia, neque cum caritate necessariò coniungatur, siue contra eius finem, siue contra ea, quæ spectant ad finem, peccetur, vix vnquam lethalis culpa admittitur. Ita apparet, diuinam legem possibilem esse, quam omnes iusti gratiæ præsidio adiuti ideo possint obseruare; quia possunt retinere

caritatem quæ vniuersam legem complectitur. Iam verò non posse iustos in omni vita cuncta venialia peccata vitare, paulò ante ostensum est, planúsque probabitur ad illa Ioannis verba [a]: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quamobrem argumentatur hoc loco Iacobus à minori. Nam si quis potest linguam moderari, quod est difficillimum, & minùs credibile, profectò in aliis omnibus actionibus omni ex parte, & quidem facilè officio satisfaciet.

a ep. 1. c. 18.

3. *Si autem equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.*]

I. Duplici similitudine probat Iacobus quod modò dixerat, eum, qui linguæ frænum, ac modum imponat, facilè posse vniuersum corpus circumagere; altera ducitur ab iis, quæ natura constant, & vita prædita sunt; altera verò ab arte nauigandi. Prior igitur similitudo sumpta est ab iis, quæ in animantibus cernuntur: nam equi alioqui feroces, atque indomiti iniecto in os fræno, quò libuerit, nullo ferinè negotio aguntur. Ita subaudiendum est, in humanis actionibus fiet, si quis linguã veluti fræno moderari queat. Porrò altera similitudo à nauigãdi arte petita sequenti versu explicatur. Vtraque verò similitudo rei propositæ admodum videtur accommodata: nam & vtraque vsus est alicubi Plutarchus [b]: *Sanè*, inquit, *& mores dictio, vel mores per dictionem, sicut per frænum equus, & per clauum gubernator, quod nullum sit virtutis æquè humanum, aut familiare instrumentum, vt oratio.*

b De audien. poët.

II. Alibi [c] verò quænam sit frænandæ linguæ adhibenda moderatio, his verbis declarat. *Ad hæc,* inquit, *linguæ continentiam, quæ pars est non exigua virtutis, haud queas auscultantem, aut obsecundantem rationi tenere, nisi commemoratione, meditatione, studio perniciosissimas animi ægritudines, in quibus est ira, confeceris; namque vnius excidens vox, item illud; Fugerunt dicta repagula demum. Et quòd verba quadam euolent, vltrò maximè animis inexercitatis, quasi labentibus, & profluentibus*, & quæ sequuntur.

c De vtil. capiẽ. ab inim.

III. Egregiè verò in eandem sententiam scribit Gregorius [d]: *Tria sunt hominum genera, quæ gradatim ducta à se qualitatibus dissident: sicut namque alij, qui & ad loquendum praua concipiunt, & à locutione sua nulla silentij grauitate refrænantur; & sunt alij, qui cùm praua concipiunt magno se silentij vigore restringunt. & sunt nonnulli, qui virtutum vsu roborati vsque ad eam celsitudinem prouehuntur, vt ad loquendum ne in corde quidem peruersa concipiant, quæ silendo compescant.* Et aliquantò pòst: *Boni enim viri fræno consilij retinent præcipitationem verbi, & cautè considerant, ne relaxantes linguæ lasciuiam, audiorum conscientiam incauta locutione transfigãt, vnde benè per Salomonem dicitur, qui dimittit aquam caput est iurgiorum; Aqua quippe dimittitur, cùm lingua fluxu effrænatur; sed dimissor aquæ caput iurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. Igitur sicut praui in sensu leues sunt, ita in locutione præcipites, & reticere pertractando negligunt, quæ loquantur, sed quod leuis conscientia concipit, leuior protinus lingua prodit.*

d lib. 5. mor. c. 11. aliàs 12.

IV. Itaque Iacobus linguæ non aliter atque equis frænum iniiciendum monet; quò spectans, vt arbitror, Seneca [e]: *Ecce*, inquit, *vt doleas, vt postea consideratius loquaris, quod dicere solemus, linguarium dabo.* Quamuis enim vir [f] doctus linguarium, thecam, & quasi repositorium interpretetur, in quo lingua recondatur, ne temerè promittat; malim tamen ferreum, seu ligneum instrumentum intelligere, quo labra adstringuntur, ne vocem emittere possint. Nam ob hanc causam dixisse videtur, vt doleas: necesse est enim, dum labra eo instrumento adstringuntur, dolorem sentire. Et profectò rerum diuinarum meditatio veluti frænum linguæ, vt alicubi obseruat Philo [a], censeri debet.

e lib. 4. de benef. c. 36.

f Adria. Turnebus lib. 12. aduer. c. 9.

a lib. quis rerũ diuin. sit hær. statim in princ.

V. Quamobrem & Moses fatetur se parum vocalem, & lingua tardum, ex quo cœpit habere cum Deo colloquia. *Quod testimonium Propheta* subdit Philo, *verum est: tunc enim verisimile est, vocis instrumentum fieri tardius, rationem autem iam articulatam fieri liberiore impetu sententiarum magis, quàm verborum ornamenta consectantem expedita quadam, & sublimi eloquentia.*

VI. Post nonnulla verò pulcherrimum ait esse præceptum: *Tace, & audi: nam inscitia res est mala, temeraríaq́; cuius primum remedium est auditoris silentium, secundum, attentio ad ea, quæ auditu digna sunt. Caue autem putes aliquid nihili docere hæc verba: Tace, & audi, maius quiddam est, quod monent: non solùm enim linguæ silentium postulant, & auditum aurium, sed vtrunque ab anima exigunt. Nam multi aures, non mentem afferunt in auditorium, ipsi foris interim vagantur, & multa de multis apud se ipsos agitant ad cognatos, alienósve, aut etiam ad ipsos pertinentia, quæ præstaret ad tempus missa facere; quæ omnia dum cogitationi obstrepunt, fieri non potest, vt exaudiatur qui loquitur: nam eius vox non ad homines fertur, sed ad inanimatas statuas, quæ aures habent, cùm auditu careant. Quod si mens quieta ab omnibus externis, internisque motibus dignetur attentam se præbere, & iuxta Mosis præceptum auscultare per silentium, poterit audire quæ dicuntur, alias verò non poterit.* Idem verò alibi [b]: *Nec quis,* inquit, *linguam, & os, & instrumenta vocis sortitus es, statim effare vel secretissima, prodest enim nonnunquam silentium. Mea certè sententia, qui didicerunt loqui, etiam silere didicerunt, cùm vtrumque eiusdem facultatis sit. At qui narrant, quæ non decet, non eloquentiam ostentant, sed silendi impotentiam. Ideo studemus vnumquodque os, de quibus diximus, obligare non rumpendis temperantiæ vinculis.*

b lib de eo, quod deterius potiori insidiari soleat.

VII. Quamobrem aptè Iacobus equorum similitudine probat linguæ licentiam frænandam esse. Quod autem ait Interpres: *Si autem*, Græcè simpliciter scripsit Apostolus ἰδοὺ, quomodo etiam paulò pòst, cùm de nauigiorum clauo agit; quo loco interpres Latinè reddidit: *Ecce*; vt mirum sit, cur hoc loco dicere maluerit: *si*, suspensa enim redditur oratio, & inabsoluta, vt necessariò subaudiendum sit, quod paulò antè diximus, vt sensus sit, linguæ impotentiam non aliter coërcendam, quàm fræno regantur equi. *Equis*, inquit, *frena in ora mittimus ad consentiendum nobis.* Græcè, πρὸς τὸ πείθεσθαι, hoc est, *vt obediant nobis.* Quanquam enim obedientia propriè ad homines spectat, qui ratione præditi sunt, non sine metaphora tamen etiam ad bestiás transfertur, præsertim eas, quæ cicures fieri, atque edomari solẽt, quæ fræno, atque educatoribus parere dicuntur, vt videatur Apostolus argumentari à minori, perinde quasi dicat, si fræno equorum impetus cohiberi, & coërceri potest, cur non possit linguæ licentia silentij velun habenis retineri?

VIII. Quod argumentum hoc ipso capite non ita multò pòst vberiùs tractat. *Omnis enim*, inquit, *natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana, linguam autem nullus domare potest.* In quo autem posita sit equorum obedientia, his verbis explicat: *Et omne corpus illorum circumferimus.* Tametsi enim frænum perexiguum est, si molem spectes, equi verò corpus ingens, & mole sua longè maius, circumagitur tamen mira facilitate, & incredibili quadam celeritate incitatur ad cursum.

IX. Nam hoc planè modo argumentatur paulò pòst Apostolus, cùm de nauium clauo disserit: hæc autem

omnis

omnis Apostoli oratio eò refertur, vt ostendat, cauendam esse garrulitatem, & nimiam loquacitatem, vt fusiùs aliquantò pòst docebit. Hoc ipsum indicare visus est Salomon [a], cùm dixit: *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit*; vt enim ait Philo [b]: *Silere ij debent, qui nihil audiun dignum afferunt, loqui verò, qui præ amore sapientiæ confidunt in Domino, nec solùm loqui placidè, sed etiam proclamare, quod plerunque fit, etiamsi nulla externa vox emittatur nam hoc modo dixit olim Deus ad Mosen: Quid clamas ad me?*

a Prou. 1. 5.
b lib. quis rer. diu. sit hæres.

X. Verùm, vt ibidem ait Philo, *Sunt admiranda virtutes, vel fiducia, vel sermonis libertas aduersùs præstantiores, quando res eam postulat, vt illa comica sententia vera potius, quàm ludicra videatur. Si seruus semper consuescat silentio, fiet nequam dediscens loqui liberè. Sed quando solet hac libertate vti seruus contra dominum? Nónne quando nullius malèperi sibi est conscius, certus nihil sibi dictum factúmve, nisi in vtilitatem sui domini? Quando igitur decet Dei quoque famulum libertate linguæ vti contra suum, rerúmque omnium Principem, atque Dominum, nisi quando à peccatis purus, & caritatis erga dominum sibi conscius, magis gaudet se esse Dei famulum, quàm si absque contentione adeptus esset imperium terræ, marisque in omnes homines?*

XI. Post nonnulla verò plura affert exempla, quibus ostendat fiduciam, ac loquendi libertatem, qua vsus est Moses, cùm Deum alloqueretur, non esse reprehendendam, & concludit; *libertatem loquendi cognatam esse amicitiæ, alioqui*, inquit, *cum quo loquemur liberè, si cum amico non licet? Rectè igitur in sacris literis Moses amicus Dei celebratur, vt quoties audaciùs loquitur, amicitiæ potiùs id tribuatur, quam arrogantiæ: nam arrogantis est temeritas, amici verò fiducia.*

4. *Et ecce naues cùm magna sint, & à ventis validis mineantur, circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.*]

I. Altera est similitudo ducta ab arte nauigandi, quam, vt paulò pòst dicam, exemplo piscium aiunt fuisse inuentam, qui cauda veluti clauo circumuoluuntur. Fertur autem, vt auctor est Clemens [c] Alexandrinus, *Athlas Lybs primus nauim extruxisse, ac mare nauigasse*; quanquam id inuentum Gregorius Nazianzenus [d] tribuit Atheniensibus. Nonnus [e] tamen eum interpretatur, quasi de arte belli naualis agat: nam inuentores nauium Phœnices fuisse putat, triremium autem Semiramim. Certè Plinius [f], *primum*, ait, *Danaum ex Ægypto in Græciam naue aduectum esse, cùm antea ratibus nauigaretur inuentis in mari Rubro inter insulas à Rege Erythra*; additque existimasse nonnullos, *Mysos, & Troianos primos in Hellesponto excogitasse, cùm transirent aduersùs Thracas. Auctore verò Philostephano Iasonem primum longâ naue nauigasse scribit.* Alij alios inuentores nominant.

c lib. 1. Stro.
d orat. 3.
e In collect. ad or. 4. Gre. n. 64.
f lib. 7. c. 56.

II. Sed vtcunque se res habeat, cùm in arte nauigandi multa inspici queant, spectauit Iacobus simpliciter clauum, seu gubernaculum, quod linguæ persimilem esse docet; de re autem tota sic alicubi Seneca [g]: *Hominis sapientis inuenta esse nauigia, quibus amnes, quibúsque maria transimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, & additis à tergo gubernaculis, quæ huc, atque illuc cursum nauigij torquent, & exemplum à piscibus tractum est, qui cauda reguntur, & leui eius in vtrumque momento velocitatem suam flectunt.*

g epist. 90.

III. Hinc igitur ducit argumentum Iacobus. Nam quemadmodum naues, quamuis mole maximæ sint, exiguo tamen gubernaculo hinc illuc impelluntur, ita omnes humanæ actiones quamuis eximiæ, magníque ponderis sint, à lingua vel excitantur, vel reprimuntur. A *Ecce*, inquit, *naues quoque*. Non in equis solùm, inquit, parendi facilitas cernitur, cùm fræno circumaguntur, sed hoc ipsum in nauibus licet obseruare, quæ tametsi plerunque mira quadam magnitudine constant, perexiguo tamen clauo, & gubernaculo pro nauarchi voluntate impelluntur. Addit ad rei magnitudinem augendam, *& à ventis validis mineantur*.

IV. Quoniam enim clauo regi, ac flecti possint, non solùm ipsarum moles, ac magnitudo facit, sed ventorum vis obesse plurimùm solet, quæ interdum nauigium rapit, eóque perducit, quò nauarchus minimè vellet. Eam tamen vim naucleri diligentia, atque industria superat, qui ita clauum moderatur, vt quò maximè cupit, nauem perducat. *Vbi*, inquit Iacobus, B *impetus dirigentis voluerit*. Frequenter enim negligit Interpres Grammaticorum leges: nam cùm de motu ad locum agatur, dicendum fuerat, quocunque impetus dirigentis voluerit. Est autem Græcè ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τοῦ εὐθύνοντος βούληται. Extant apud prophanos scriptores plurima exempla, quibus hic locus illustrari queat, sed quid opus est in re notissima, otio, atque diligentia abuti? Subdit itaque Iacobus:

5. *Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit.*]

I. Similitudini allatæ rem propositam accommodat: nam quemadmodum clauus si cum toto nauigio conferatur, exigua quædam pars est, quæ tamen C nauis cursum moderatur, ac regit, non aliter lingua minimum quoddam humani corporis membrum est, & magna exaltat. Græcè μεγαλαυχεῖ hoc est magnificè se iactat, inaniter gloriatur, aut magna quædam prædicat. Beda Latinè legit, *Exultat*, quod est proprium eorum, qui sibi nimium placent, seque magnificè circumspiciunt; & sua supra modum extollunt. Videtur autem tacitè indicare Iacobus, quemadmodum secunda nauigatio potissimùm pendet à gubernaculo, quod si desit, vel vim suam non exerceat, certissimum imminet naufragij periculum, si præsertim ventorum impetu nauis agitetur: Ita quod ait Salomon [a] mortem, ac vitam in manibus linguæ positam esse. Mox verò subdit

a Prou. 18. 21.

II. *Ecce quantus ignis, quàm magnam syluam incendit.* D Tertiam adhibet similitudinem à rebus inanimis depromptam. Ecce, inquit, quantus ignis. Græcè, ἰδοὺ ὀλίγον πῦρ, hoc est, *exiguus ignis ingentem syluam incendit*. Pro sylua autem Græcè legimus ὕλην, id est, *materiam*, sed sensus est prorsus idem. Ignis porrò natura efficax inprimis est, & actuosa, & quidquid attingit seu citò seu serò inflammat, atque absumit, vt fusè probat Seneca [b], *quædam etiam ex interuallo incendit, vt sarmenta sulphure illita, quæ è longinquo ignem concipiunt: fertur enim quodammodo ad congruentem sibi materiam, eámque auidè amplectitur.*

b lib. 3. nat. quæst. per multa capita.

III. Vnica certè ignis scintilla, si à bene concocta, paratáque materia excipiatur, magnum illicò excitat incendium, quale cernitur in tormentario puluere, qui subitò inflammatus quicquid obiectum fuerit, E absumit, & dissita quodammodo adurit, aut fuligine colorat; vt nihil dicam de fulmine, cuius vi syluæ, & vrbes integræ interdum conflagrarunt, vt meritò apud Plutarchum [c] dixerit quidam:

c lib. de garrul.

Modica ex enim face Idæum tu incenderis
Montem.

Id etiam vitio linguæ non rarò contigisse pluribus docet Plutarchus [d], vt non immeritò lingua igni persimilis esse dicatur: quod enim in rebus, quæ natura constant, efficit ignis, idem in humanis actionibus præstat lingua, vt ex iis, quæ paulò pòst

d lib. de edu. lib & lib. de garrul.

subiiciam, apertè deprehenditur. Subdit autem A Iacobus:

6. Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna.]

I. Verè omnino lingua ignis dicitur; vt enim ignis omnia vorat, & absumit, ita lingua ingentia in Ecclesia incendia concitauit. Arij lingua scintilla quædam fuit, qua penè tota Orientalis Ecclesia conflagrauit, & Occidentalis maxima ex parte ambusta est. Superiori sæculo Lutherus, & Caluinus, quasi geminæ faces ardentes, omnes penè Septemtrionis regiones inflammarunt, quos olim veluti vaticinans Paulus in epistola ad Romanos [a] descripsisse videtur, cùm B dixit: *Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Incredibile enim dictu est, quanto verborum apparatu, & orationis artificio sua falsa dogmata inuoluant, vt incautos, ac simplices decipiant. Et quemadmodum ignis veluti serpendo quicquid obiectum fuerit, adurit, ita lingua dum blandè sese in aures insinuat, venenum instillat.

a cap. 16. 18.

II. Non his autem contentus Iacobus addit, *vniuersitas iniquitatis*, Græcè, κόσμος τῆς ἀδικίας. An ornatum improbitatis intelligit? Ita profectò sensisse videntur nonnulli: lingua enim aut negat, aut excusat, atque extenuat, aut etiam defendit omnia scelera, atque flagitia. An cumulum, & congeriem, seu aceruum omnium peccatorum hac ratione descripsit? C Ita videtur accepisse vulgatus interpres, qui *vniuersitatem iniquitatis* transtulit, qua ratione dicere solemus malorum Iliadem, vel malorum Oceanum, cùm ingentem quandam malorum multitudinem volumus indicare. Ita innumerabilia propemodum linguæ flagitia recensentur à Gregorio Nazianzeno [b]: huc enim pertinent murmurationes, susurrationes, detractiones, mendacia, periuria, calumniæ, & id genus alia penè sexcenta.

b In carm. de silen.

III. Quamobrem rectè Basilius [c]; *peccatum*, inquit, *quod per linguam admittitur, omnium ferè propensissimum, sed & idem multiforme. Iratus es? mox lingua occurrit. Concupiscentia teneris? habes & hîc linguam ante omnia quasi lenam, & conciliatricem, quæ cooperetur peccato, quæ per simulationem proximis imponat. Est tibi lingua quoque vice scuti ad iniquitatem, cùm non ex corde loquitur,* D *sed ea promit, quæ ad fraudem, & imposturam fiunt. Denique quid opus est commemorare, quæ per linguam peccentur? vita nostra referta est lingua delictis, turpiloquio, vrbanitate, stultiloquio, & quæ non conueniunt, detractione, otioso sermone, periurio, falsis testimoniis. Hæc mala omnia, & adhuc illis plura sunt linguæ opera. Qui verò aduersus Dei gloriam os aperiunt, & iniquitatem in excelsum loquuntur, alióne aliquo, quàm linguæ organo impietatem suam perficiunt?*

c Hom. in Psal. 33.

IV. Et alibi [d] multa tradit præcepta, quæ ad linguæ impotentiam cohibendam magnopere pertinent. *Omnem*, inquit, *blasphemiam longè fac à te, nec superflui sermones procedant de ore tuo, quia & pro otiosis verbis in die iudicij reddituri sumus rationem.* E *Nec ad maledicendum quempiam assuescas linguam tuam, quæ ad benedicendum, & ad laudandum Dominum creata est. De quibus ignoras rebus in conuentu noli proferre sermonem, sed opportuna verba procedant à te, cum opportunum tempus inueneris, vt audientibus cunctis gratiam præbeant. Ab omni vaniloquio tempera linguam tuam, nequando qui audiant, horrescentes obturent aures suas, & sit tibi confusio coram omnibus.* Et plura deinceps. Rectè autem Beda linguam ait vniuersitatem iniquitatis appellari, quia omnia flagitia linguæ operâ aut concinnantur, vt latrocinia, & stupra, aut perpetrantur, vt periuria, & falsa testimonia, aut defenduntur, & excusantur.

d Admon. ad fil. spir. non longè à fin.

V. Huc refero Dauidis [a] verba: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die iniustitiam cogitauit lingua tua; sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem: dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.* Sicut enim nouacula acuta non modò pilos abradit, sed interdum carnem vulnerat; ita lingua plurimùm obest, etiamsi interdum tacitè vulneret. Itaque Gregorius Nazianzenus [b] linguam telum esse ait promptum, atque expeditum: ait enim

a Psal. 51. 1.

b Car. 9.

Linguam acuunt telum, quo non est promptius vllum
Rebus in humanis.

VI. Rectè autem *vniuersitas iniquitatum* appellatur, quia innumerabilia propemodum flagitia linguæ opera perpetrantur, assentationes, blasphemiæ, calumniæ, detractiones, excusationes peccatorum, fraudes, inanis gloriatio, hæreses, iniuriæ, lamentationes iniquæ, mendacia, nugæ, periuria, querimoniæ, rixæ, susurrationes, taciturnitas veri, vituperationes, & id genus alia penè sexcenta. Quamobrem verè omnino scripsit Gregorius Nazianzenus [c]:

c in Carm. de silent.

At certè lingua nihil exitialius vsquam est. Et post nonnulla:

Hæc æquè incautos, & cautos fugit amicos,
Atque hostes prauos vulnerat, atque bonos.
Vicinos, procul & positos, ac denique nil non;
C *Qui domat hanc, Sophiæ culmina prima tenet.*
Hac Veneris addictus nectit fœdissima multa,
Risum alius risu dignus vt ipse ferat.
Vibratus vibrans simulachrum nobile turpans
Numinis auribus hæc plurima secta vomit.
Sæpe etiam sexcenta leuis maledicta profundit,
Quæ veluti spumam proiicit ira grauis.
Aut rursum se io blandissimis pectore fatur,
Atque aliud labris, mente aliud que gerit.
Blanditiis plenas voces, mendacia, fraudes
Dicere quis linguæ cuncta venena queat?
Illa domos domibus committit, & vrbibus vrbes,
Protinus id nullo cùmque labore facit.
Committit populum regi, dominumque subactis,
Vt stipulam incendit mox leuis igniculus.
D *Illa ratis socios, fratres, natosque, patresque,*
Illa viros armat, participesque thori.
Illa malum insontem reddit, insontemque nocentem.
Rursus id inuertit; quis rogo ferre potest?
Lingua quidem parua est, at viribus omnia vincit:
O vtinam illa malis protinus occideret.

VII. Hæc atque his similia apertè docent verissimè dictum esse à Iacobo, *Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Nam & quidam olim dixit:

Quid melius lingua? lingua quid peius eadem?

Sic olim Anacharsis interrogatus, quid esset in homine pessimum, quid item optimum, respondisse fertur, linguam, sentiens idem membrum plurimum afferre vtilitatis, si rectæ rationi obtemperet, nihil autem perniciosius excogitari posse, si cæco impetu E feratur.

VIII. Subdit Iacobus: *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus.* An corpus ipsum, & corporis membra? vix puto. Nisi enim lingua cum rationis imperio coniungatur, nullum membrum corporis ad scelus, & flagitium impellit, cum verò liberò mentis imperio mouetur, non ipsi, sed menti, ac voluntati adscribendum est quidquid inde seu mali, seu boni exsistit. An propterea totum corpus maculare dicitur, quod animi vitia proferat in lucem, atque adeò totũ quodãmodo corpus dehonestet? An, quod suprà diximus,

diximus, totam actionum humanarũ congeriem, ac A veluti corpus intelligit. Sanè id à lingua propterea fœdari dicitur, quòd linguæ lapsus hominem contemptui, ac penè ludibrio obiiciat, & Deo inprimis contemptibilem reddat, atque exosum. Certè qualis, aut quantus quisque sit, oratio docet: rectè enim ad illum adolescentem olim nescio quis dixisse fertur: *Loquere, vt te videam.* Sensit nimirum vir sapiens mores, atque animi affectiones verbis, atque oratione exprimi: rarò enim vbi lingua procax, ac petulans est, honesti mores reperiuntur. Et sapienter dictum est à quodam, imago animi sermo est, qualis est vir, talis oratio.

IX. Nec facilè iis habenda est fides, qui linguæ procacitatem honestæ vitæ nihil obesse contendunt. *Et inflammat* inquit, *rotam natiuitatis nostræ.* Græcè, B φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως. *Cursum*, inquit Beda, *humanæ vitæ contaminat, quo ad mortem vsque veluti currente rota agimur.* Vitio enim primi parentis illo felici statu deiecti huc illuc vaga mente raptamur, vt vbi periculum, vbi salus sit, penitus ignoremus. Inflammatur autem hæc rota linguæ, vt ita dicam, igne, cùm vitium naturæ perturbationis ineptis, ac noxiis sermonibus irritatur. Meritò autem humana vita rotæ similis esse perhibetur, quòd non aliter ac rota perpetuò circumuoluatur, & quemadmodum rota exigua sui parte terram attingit, ita hominum vita vix res caducas, & mortales leuiter degustat.

X. Denique humanæ vitæ velox, & incitatus cursus rotæ similitudine describitur: celerrimè enim præterit, & frequenter qui vix è carceribus excessit, iam C metam attingit. Hæc autem rota natiuitatis appellatur: nam ab ipso ortu ad obitum properamus. Certè Syriacus interpres, pro rota natiuitatis, *seriem genealogiarum* transtulit, quasi significet omnem generationum seriem linguæ veluti incendio inflammari, siue quia vitia per manus quodam modo ad posteros transmittuntur, siue etiam scripto posteritati commendantur.

XI. Vt autem appareat nihil supra humanam fidem dictum esse, ab Apostolo subditur: *Inflammata à gehenna*; vt indicet ad linguæ improbitatem externam etiam, vt interpretatur Beda, dæmonis versutiam accedere. Quemadmodum enim gehennæ incendio dæmon perpetuò cruciatur, ita inuidiæ sti- D mulis agitatus, omnia quidem corporis membra, sed præcipuè linguam ad flagitium excitat. Est porrò gehenna nomen in sacris literis frequenter vsurpatum: nam apud Matthæum [a] quidam, *reus gehennæ* a cap. 5. 22. *ignis* dicitur, & aliàs sæpe ignis, & iudicium gehennæ nominatur; qua ratione dicendi tanquam periphrasi describitur infernus.

XII. Certè, vt ait Hieronymus [b], gehennæ nomen in b Matth. 10. libris veteris Testamenti non legitur, sed primùm à Christo Domino, ad significandum supplicium inferorum fuit vsurpatum. Vox Hebræa significat vallem Ennom, cuius meminit Iosue [c], itémque Iere- c cap. 15. 8. & cap. 18. 16. miasd [d]. Erat autem, vt ait Hieronymus, vallis pro- d cap. 7. 31. & alibi. pe Hierusalem, quæ irrigua erat, plenáque deliciis: Mos autem fuit idolorum cultoribus, amœnis in lo- E cis idolis sacrificare, vt alicubi docet Hieronymus [e]. e Ierem. 7. *Gentilitatis*, inquit, *error omnes prouincias occuparat, vt ad capita fontium, lucósque amœnissimos victimas immolarent, & omnis praua superstitionis religio seruaretur.*

XIII. Hanc Gentilium morem secutos fuisse Iudæos, idem Hieronymus [f] affirmat. *Idolum, ait, Baal fuisse* f Matth. 10. *iuxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis plena deliciis erat, lucísque in ea Idolo consecratis. In tantam autem dementiam populus Israel venerat, vt deserta templi vicinia ibi hostias immolarent, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiósque suos dæmoniis incenderent, vel initiarent, & appellabatur locus ille Gehennon, id est, vallis filij Ennon.* Qua de re ita scribit alicubi Ieremias [a]: a cap. 7. 31. *Et ædificauerunt excelsa Topheth, quæ est in valle filij Ennon, vt incenderent filios suos, & filias suas igni.* Ne verò infantium, qui viui, spirantésque inaudita, & penè incredibili sæuitia exurebantur, eiulatus audiretur, totus interim locus tympanis perstrepebat; inde [b] locum Topheth appellatum autumant ab He- b Abulen. 4. Reg. 16. q. 3. Lyran. ibid. & alij. bræa voce Toph, quod apud illos tympanum significat.

Ab illo ergo incendio, quo pueri comburebantur XIV. tartarus gehennæ, & Topheth nomina sortitus est, cùm præsertim eo in loco exercitus Sennacherib ab Angelo trucidatus, & combustus fuerit. Certè Hieronymus [c] hoc videtur non obscurè indicare, cùm c Ierem. 7. ait: *Tradunt Hebræi ex hoc loco, id est, gehinnon, vel valle filij Ennom appellatam gehennam; quod scilicet omnis populus Iudæorum ibi perierit offendens Deum, in quo loco etiam filios suos in igne Idolis consecrarint, siue holocaustum obtulerint.* Alibi [d] verò ad combustionem exer- d Isa. 29. citus Assyriorum alludere videtur. *Sicut*, inquit, *tradunt Hebræi, illæsis vestibus, Assyriorum corpora occulto cremata sunt ardore, quod videtur indicare Isaias* [e]. *Et* e cap. 10. 16. *subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis, & erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna.* Et alibi [f]: *Præparata est enim ab heri Topheth,* f cap. 30. 33. *a Rege præparata profunda, & dilatata nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

Quæ siue ad vallem Ennom, & Assyriorum in- XV. cendium, siue ad ipsum Tartarum referantur, planè indicant gehennam propter incendium tartarum significare, eundémque appellari Topheth, non à tympanis, vt Hebræi volunt, sed potiùs à latitudine, vt indicat Hieronymus [g], quòd inferorum sedes am- g Ierem. 7. plissima sit, vt infinitam propemodum damnatorum multitudinem capere queat. Adde quòd locus Topheth, & vallis Ennom ob eandem causam, & impura sacrificia, vt ait Ieremias [h], locus erat sordidus, & h cap. 7. & cap. 19. immundus, vt hac etiam ratione gehennæ, ac Topheth nomina tartaro mirè conueniant.

Huc spectant, quæ de Behemoth scribit Iob [i], XVI. *halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius* i cap. 41. 12. *egreditur.* Est enim Behemoth, dæmonis typus, cuius, vt ait Paulus [k], *ignea tela sunt*, quæ non solùm fe- k ad Ephes. 6. 16. riunt, sed etiam inflammant: illi enim conueniunt, quæ scribit Salomon [l] de viro impio. *Vir impius fo-* l Prou. 16. 27. *dit malum, & in labiis eius ignis ardescit*; cuius ministri sunt hæretici, de quibus metaphoricè scribit Ioannes [m]. *Et vidi*, inquit, *equos in visione, & qui sedebant* m Apocal. 9. 17. *super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.*

7. *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana.*]

Mirum in modum amplificat Iacobus linguæ im- I. potentiam, eiusque edomandæ difficultatem. Sumpto autem argumento à ferarum immanitate, quæ studio, atque hominum industria domari, & cicures reddi possunt, colligit, neminem vnquam linguam potuisse domare. Nominat autem feras, volucres, serpentes, & marinos pisces, quæ omnium animantium genera, & domari posse, & hominum opera domita fuisse affirmat. *Omnis*, inquit, *natura bestiarum*; Græcè, θηρίων, hoc est, *ferarum*; Loquitur autem Apostolus non de eo dominio, quod olim

primo

a Gen.1.28. primo parenti à Deo tributum est, cùm dixit [a]: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Violato siquidē Dei Optimi Maximi præcepto, cuncti mortales eo dominio spoliari sunt, & ab iis metuere cœperunt, quibus si in innocentia perstitissent, liberè imperaturi erant.

II. Neque verò de ea supranaturali, diuináque potestate loquitur, qua singulari quodam Dei beneficio immanes plerúque feræ cohibitæ sunt, ne viros sanctissimos, atque integerrimas fœminas vllo modo læderēt. Sic olim leones fame propemodū enecti, Danielem ne attingere quidem ausi sunt, neque serpentes beatissimam Theclam lethali suo veneno peremerunt; & vipera Paulo Apostolo nullum attulit detrimentum. Loquitur itaque Iacobus de humana solertia, atque industria, qua leones, tygres, elephantes, rhinocerotes, vrsi, pantheræ, atque id genus alia animantia ad lenitatem, atque mansuetudinem
b Iuuenal. perducta sunt: nam, vt ait quidam [b],

Longa dies homini docuit parere leones.

c lib.8.c.2. Et Plinius [c] *Romæ*, inquit, *elephantes iuncti primùm subière currum Pompei magni Africano triumpho, quod priùs India victa, triumphante Libero patre, memoratur.* Quin etiam fabulantur Poëtæ, tygres olim Liberi patris traxisse currum, vt ille ait:

Liber agens Nisæ summo de vertice tygres.

III. Nam elephantes quidem, vt auctor est Plinius [d]:
d loc.citat. *Germanici Cæsaris munere gladiatorio quosdam inconditos saltantium modo, edidisse motus accepimus.* Quin etiam eodem auctore, *vulgare erat per auras arma iacere non auferentibus ventis, atque inter se gladiatorios congressus edere, aut lasciuientes pyrrhichicè colludere; postea & per funes incessère, lecticis etiam ferentes quaterni singulos puerperas imitantes, plenísque hominum tricliniis accubitum iêre per lectos ita libratis vestigiis, ne quis potantium attingeretur.*

IV. Mitto alia quæ de eorum industria Plinius, & Ælianus memoriæ prodiderunt. Rhinocerotas imperante Domitiano Romam aduectos, séque moderatoribus morigeros, & obsequentes præstitisse constat. Quocirca Martialis alicubi dixit:

Sollicitant pauidi cùm Rhinocerota magistri,
Et dum se tarda colligit ira fera.

Ammianus porrò Marcellinus auctor est, Tygridem mansuefactam ab India Anastasio Principi missam. Alia id genus sexcenta apud Plinium, & Ælianum passim leguntur.

V. Iam de volucribus nihil attinet multa dicere: constat enim, aucupio, & venatione non auiculas modò, sed grandiores etiam alites, vt aquilas, accipitres quotidie capi, vt non immeritò dixerit alicubi
e cap.3.16. Baruch [e]: *Vbi sunt principes gentium, qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus cœli ludunt?* Videtur enim Propheta eos potissimùm indicare, qui auium pugnis oblectantur, quique accipitres præliantes spectare solent. Mitto psitacos, & persimiles volucres, qui humanam vocem exprimere
f lib.10.c.42 quotidiè discunt, de quibus multa Plinius [f]: *Super omnia*, inquit, *humanas voces reddunt psitaci quidem etiam sermocinantes. India hanc auem mittit, sitacen vocat viridem toto corpore, torque tantum miniato, in ceruice distinctam; imperatores salutat, & quæ accipit, verba pronunciat*; mox verò subdit: *Minor nobilitas, quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas certo generi picarum est: adamant verba, quæ loquantur, nec discunt tantùm, sed diligunt, meditantésque intra semet, cura, atque cogitatione intentionem non occultant. Constat emori victas difficultate verbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli, quærentes, mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum.*

A Et eleganter quidam [a]: VI. a Papin. in Sylu.

——Plangat Phœbeius ales,
Auditásque memor penitus dimittere voces
Sturnus, & Aonio versa certamine pica,
Quique refert iungens iterata vocabula perdix,
Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili.

Nam, vt ait Plinius [b], *habebant Cæsares iuuenes sturnum, item luscinias, Græco, atque Latino sermone dociles, præterea meditantes in diem, & assiduè noua loquentes, longiora etiam contextu. Quin etiam*, inquit, *Agrippina coniux Claudij Cæsaris turdum habuit* (quod nunquam antea) *imitantem sermones hominum.* b lib.10.c.42

Perdicem porrò sermonem hominum discere VII. affirmant Plutarchus [c], & Athenæus. De serpen- c in Sympos. tibus: ita enim Latinè vertit Interpres, quod Græcè
B dixit Iacobus ἑρπετῶν, longè id videtur mirabilius: & tamen Plinius [d], *Thoantem*, ait, *in Arcadia à Dra-* d lib.8.c.17. *cone seruatum: nutrierat enim eum puer dilectum admodum, paréntsque serpentis naturam, & magnitudinem metuens in solitudines tulerat, in quibus circumuento latronum insidiis, agnitóque voce subuenit.* Idemque alibi [e]: e lib.10.c.74 *De aspide*, inquit, *miraculum Philarcho reddatur: is enim auctor est, cùm ad mensam cuiusdam veniens in Ægypto aleretur, assiduè enixam catulos, quorum ab vno filium hospitis interemptum, illam reuersam ad consuetudinem cibi intellexisse culpam, & necem intulisse catulo, nec postea in tectum id reuersam.*

Cæterùm quod ait Interpres, *& cæterorum*, Græcè VIII. legitur, ἐναλίων, hoc est, *marinorum*, seu *cetorum*, vt videatur Iacobus indicare etiam pisces domari posse:
C nam, vt omittam piscatu quotidie pisces humanis vsibus comparari. De delfinis humana propè fide maiora commemorantur à Plinio [f]. Nam de ceto, f lib.9.c.8. quod iodicare videtur Iacobus, verisimile est, etiam humana industria domari posse; quò fortasse spectat quod alicubi scribit Iob [g]: *Maledicant ei, qui ma-* g cap.3.8. *ledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan*: nam de ceto plurimi locum illum ioterpretantur. Et alibi [h]: h cap.40.20 *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Certè Strabo [i] de Ichtiophagis hæc scri- i lib.15. bit: *Ichtiophagorum regio secus mare est, & magna ex parte arboribus caret, raritas in ea palmarum, acanthi, miricæ, aquarum, & domesticæ cibi maxima est, vescuntur piscibus tum ipsi, tum eorum pecora, & aquas pluuiales, ac fossiles petunt, pecorum carnes piscibus præbent, domicilia*
D *ex ossibus cetorum, & ostreorum conchis magna ex parte faciunt: nam trabium, & fulcrorum vsum costæ præstant, portas maxilla, è vertebris fiunt mortaria, in quibus pisces subiguntur, ad solem assantur, postea ex his panem conficiunt frumenti paululum admiscentes.* Quò fortasse spe- k Psal 73.14 ctauit Dauid [k]: *Tu confregisti capita draconis* (Leuiathan) *dedisti eum escam populis Æthiopum.*

Certè Plinius [l] ex cetis, alijsque piscibus pingue IX. quiddam extrahi scribit, quo negotiatores camelos l lib 31.c.2. perungant. Ex quibus apparet, etiam cetos, hoc est, maximos pisces, hominum industria domari, vt rectè dixerit Galenus [m], hominem ratione præditum, m de vsu partium. & manibus instructum, etsi viribus, ac robore à plurimis bestiis superatur, immanes tamen feras arte, atque industria domare. Porrò vulgatus ioterpres,
E qui Latinè dixit, *& cæterorum*, Græcè legisse videtur non ἐναλίων, vt habent Græci codices, qui nunc circumferuntur, sed ἄλλων, vt significet omnia animantium genera, hominum industria, & domari, & aliquando domita fuisse.

Dixit autem, *domita sunt à natura humana*; vt in- X. dicet quorundam hominum studio fuisse perdomita: neque enim quiuis id præstitit, aut præstare potest. Nescio autem vtrùm tacitè hac bestiarum enumeratione indicare voluerit Iacobus, linguæ vitia eius esse naturæ, vt homines bestiis simillimos reddāt:

vt

vt enim obseruauit nonnemo, prauorum lingua bestiis ferocitate, volucribus leuitate, serpentibus violentia præcellit. Sunt enim ferarum simillimi, *qui exacuerunt vt gladium linguas suas*; volucribus penè pares, qui *posuerunt in cælum os suum, & quorum os locutum est vanitatem*. Serpentes denique imitantur illi, de quibus scriptum est [a]: *Venenum aspidum sub labiis eorum.*

a ps. 13.3. & 139.4.

8. *Linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum plena veneno mortifero.*]

I. Non possum Oecumenio assentiri, qui hæc verba, *Linguam autem nullus hominum domare potest*, adhibita interrogatione, seu dubitatione proferenda censet, quasi dicat. Qui feras, atque immanes bestias domatis, linguam domare non potestis? Quasi id factu facilius significet: video enim hanc explicationem ab Augustino [b] confutari. *Non mihi*, inquit, *videtur ita intelligendum, vt exponere voluerit quasi per exprobrationem dictum tanquam diceretur: ergone linguam nullus hominum domare potest? tanquam obiurgans, & docens, Domare feras potestis, linguam non potestis? Quasi facilius sit linguam domare, quàm feras. Non puto quod iste sit sensus hoc loco: si enim hoc sentiri vellet de facilitate domandæ linguæ, cætera sequerentur in bestiarum comparatione; nunc verò sequitur, Inquietum malum, plena veneno mortifero, vtique nocentiore, quàm bestiarum, atque serpentium. nam illud carnem interficit, hoc verò animam* [c]; *os enim quod mentitur, occidit animam. Non ergo quasi id esset facilius, quàm mansuefactio bestiarum, sanctus Iacobus illam sententiam pronunciauit, aut ea voce voluit pronunciari, sed potius ostendens quantum sit in homine linguæ malum, vt à nullo homine domari possit, cùm ab hominibus domentur & bestiæ.*

b lib. de nat. & grat. c. 15.

c Sap. 1. 11.

II. Quoniam autem hunc locum corruperat Pelagius, & adhibita interrogationis nota proferendum esse censuerat, ne videatur Augustinus, qui contrarium sentit, linguæ licentiam quodammodo præbere, subdit: *Neque hoc ideo dixit, vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, sed vt ad domandam linguam diuinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait, linguam nullus domare potest, sed nullus hominum, vt cùm domatur, Dei misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poscat auxilium, & oret lingua, vt dometur lingua, domante illo, qui dixit ad suos: Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Itaque præcepto facere commonemur, quòd conantes, & nostris viribus non valentes adiutorium diuinum precemur.*

III. Hoc ipsum alibi [d] copiosiùs docet. *Ergo*, ait, *intelligamus, carissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram: si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es; linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem, ab ipsis bestiis, quas domamus; equus non se domat, camelus non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat, sic & homo non se domat. Sed vt domentur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo; ergo Deus quæratur vtdometur homo.* Et aliquantò pòst: *Dubitare debemus, quia mansuetos nos faciet Dominus, si nos domandos ei præbeamus? Domuisti leonem, quem non fecisti, non domat te, qui fecit te?*

d Serm. 4. de verb. Dom. cap. 2.

V. Itaque Iacobus domandæ linguæ difficultatem exaggerat, & amplificat, quod longè difficiliùs ea frænari, & in officio contineri queat, quàm immanes feræ mansuefieri; non tamen si diuinum auxilium imploretur, desperandum penitus est. Interdum enim ab omni prorsus lapsu cohiberi potest; nam de Iobo viro sanctissimo scriptum legimus [e]: *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est*, qui tamen alibi [a] de seipso dicit: *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum, manum meam ponam super os meum; vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem, & alterum, quibus vltra non addam.* Videtur enim nonnullam in verbis suis culpam agnoscere, vt ibidem Gregorius, & alij obseruarunt, vt appareat, etiam in viris sanctissimis nonnullam hærere culpam.

e lib. 2. 2.

a cap. 39. 34.

Meritò ergò addit, *Inquietum malum, plena veneno mortifero.* Hæc porrò verba, vt obseruauit Augustinus, planè ostendunt, voluisse Iacobum significare, quàm difficile, atque arduum sit frænare linguam. *Inquietum*, inquit, *malum*. Græcè ἀκατάσχετον κακὸν; quasi dicat, *malum, quod coërceri non potest*: vt enim dixit quidam, *volat irreuocabile verbum*. Addit, *plena veneno mortifero*: nam de quibusdam ait Dauid [b]: *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Et Salomon [c]: *Abscondunt odium labia mendacia.* V.

b ps. 13. 3. & 139. 4.

c Prou. 11. 18

Nam si viris [d] doctis credendum est, animalia, quæ veneno nocent, venenum in vesica sub lingua inclusum habent, quæ cùm mordent, rumpitur, & morsu venenum effundunt; quò fortasse spectant illa Iobi [e]. *Cùm enim dulce fuerit in ore eius, malum abscondet illud sub lingua sua:* Dulcia quippe sunt, vt quidam ait, impio blasphemiæ, cæteraque oris flagitia. Et Gregorius [f]: *Est*, inquit, *ei suaue iniquitas in mente, os quidem cordis cogitatio est, de qua scriptum est; labia dolosa in corde, & corde locuti sunt mala.* Propterea enim malum dicitur sub lingua abscondere, quia, vt idem Gregorius ait, non apertè mala, quæ cogitat, ostendit, sed sub lingua premit tanquam venenum, quod tacitè, atque occultè aspergat. Quod, vt rectè monet Clemens [g] Alexandrinus, meretricis persona apud Salomonem significat; *quæ verba sua dulcia facit, præparata ad decipiendas animas, procacis vultu blandiens.* Denique, vt ait Theodoretus [h], *Fraudes necdit, mala struit, insidias in pauperes pro vita, & delicijs habet.* VI.

d Mercurial. de ven.

e cap. 20. 12.

f ad ill. loc. Iob.

g lib. 1. Stro.

h lib. 2. Stro.

Quamobrem rectè dixit Salomon [i]: *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima ventris. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labra tumentia, vel* (vt Hebræa sonant) *ardentia cum pessimo corde sociata, labiis suis intelligitur inimicus, cùm in corde tractauerit dolos; quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.* Et pòst pauca: *Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.* VII.

i Prou. 26. 22.

Meritò igitur ait Iacobus linguam plenam esse veneno mortifero; detractione enim, & contumelia, vt nihil dicam de mendaciis, & calumniis, innumerabilia propemodum iurgia parit; atque adeo verè dixit Sapiens [k]: *Lingua tertia*, hoc est, vt ego interpretor, trisulca, *multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit; lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis; qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat. Flagelli plaga liuorem facit; plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundia illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius, vinculum æreum est, mors illius, mors nequissima, & vtilis potius infernus, quàm illa.* Quæ sanè omnia iam copiosè recensui, quòd hunc Iacobi locum mirificè illustrent: Lethale enim linguæ venenum mortis exitium affert, & in hominum vita innumerabilia propemodum mala parit. Quod apud Sapien- VIII.

k Eccli. 28. 16.

tem pluribus locis luculenter exprimitur.

9. *In ipsa benedicimus Deum, & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.*]

I. Ostendit Iacobus linguæ vitia contra naturam quodammodo pugnare. Rerum enim natura postulat, vt contrariorum contrariæ sint causæ, atque principia, cùm tamen vna, atque eadem lingua Deum benedicamus, & Patrem; contrà verò hominibus, qui ad similitudinem Dei facti sunt, malè precemur. *In ipsa*, inquit, *benedicimus Deum, & Patrem*; hoc est, Deum, qui verè est omnium parens, vt de tota Trinitate accipias, cuius laudes, & præconia continent Psalmi, Hymni, & spiritalia Cantica, quæ quotidiana psalmodia & publicè & priuatim in Ecclesia vsurpantur. Contrà verò hominibus, qui ad Dei similitudinem conditi sunt, eadem lingua obtrectat, detrahit, & calumnias struit. Vt autem appareat, hæc inter se pugnare, addit homines esse ad Dei similitudinem creatos: si enim Deum laudamus, eius similitudinem vituperare non debemus.

II. Dixit autem homines esse ad similitudinem Dei, cùm tamen in libro Geneseos [a] dicatur homo conditus *ad imaginem & similitudinem Dei.* Et à Salomone [b], *ad imaginem similitudinis suæ.* Sed quanquàm non desunt, qui imaginem à similitudine distinguãt, vt illa ad naturam, hæc ad mores referatur, in sacris literis tamen imago nihil videtur diuersum à similitudine significare: promiscuè enim eæ voces vsurpantur, & interdum ambæ adhibentur, interdum verò altera tantùm. Nam dicitur Adam [c] filium genuisse *ad imaginem, & similitudinem suam*, quo loco perspicuè constat, similitudinem ad mores nequaquam pertinere posse; & quod de homine dixerat Moses, conditum illum fuisse ad imaginem, & similitudinem Dei, alibi [d] omisso imaginis vocabulo, *ad similitudinem*, inquit, *Dei fecit illum*; rursus nomen imaginis tacito similitudinis nomine expressit [e]. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Et Paulus [f]: *Induentes*, inquit, *nouum* [hominem] *eum, qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius, qui creauit illum.*

a cap. 1. 26.
b Sap. 2. 23.
c Gen. 5. 3.
d Gen. 5. 1.
e Gen. 9. 6.
f ad Colos. 3. 10.

III. Ita videas idem valere imaginem, quod similitudinem, & rectè hoc loco Iacobum hominem ad Dei similitudinem factum appellare. Sed cùm in homine duplex Dei similitudo spectari queat, altera naturalis, atque intimè ei indita, qua dignitate quadam cæteris animantibus præstans, mente, atque intelligentia, liberóque arbitrio pollet, mentésque illas corpore solutas, ac liberas proximè attingit; altera verò supranaturalis, atque extrinseca gratiæ, & iustificationis beneficio, quæ & amitti, & recuperari potest; non satis liquet, vtram similitudinem hoc loco Iacobus intelligat. Videri posset respexisse insitam, ac naturalem similitudinem, quæ humanam naturam intimè comitatur, neque ab ea diuelli, aut separari potest.

IV. Hac enim ratione tanquam inter se pugnantia ab Apostolo ponuntur, Deo quidem benedicere, hominibus autem obtrectare, cùm sit homo aliquid Dei, hoc est, imago, & similitudo illius. Nam cultus, qui Regi debetur, proportione quadam regiæ imagini tribuitur atque adeò regiæ imaginis violator, in Regẽ ipsum grauiter peccare censendus est. Quòd si quis malit supranaturalem similitudinem accipere, haud equidem magnopere repugnarim. Hæc enim, vt ait Petrus, *diuinæ nos efficit consortes naturæ*, vt qui iustis obtrectet, in Deum ipsum videatur maledicta conijcere. Sed quoniam simpliciter Iacobus eorum impietatem notat, qui hominibus malè precantur, aut eos maledictis incessunt, longè verosimilius est, loqui illum de naturali similitudine, quæ intimè inhæret in homine, quæ, vt dixi, neque aboleri, neque extingui salua, atque integra natura vlla ratione potest. Quocirca non eos damnat Iacobus, qui hominum vitia, & peccata detestantur, sed qui odij, ac maleuolentiæ stimulis incitati, hominis naturæ infensi sunt, eique malum optant, & imprecantur; ob eam causam absurdum esse ait, eiusdem linguæ instrumento quempiam Deum laudare, & eius viuam imaginem execrari.

V. Accedit, quòd ea est amicitiæ lex, vt qui amicum verè, atque ex animo diligit, id etiam diligat, quod aliquo pacto ad amicum pertinet. Hoc igitur est venenum mortiferum, quo plenam esse linguam, paulò antè dixerat, quòd specie quadam, dum Deum laudat, honesta, atque laude digna videri possit, cùm tamen dum homines probris, & contumelijs afficit, occultè venenum aspergat. Quocirca Dauid [a], *Prohibe*, inquit, *linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Quem in locum ait Basilius: *Quæ tibi instrumenta sunt data administrando sermoni, fac vacare à praua operatione. Est autem dolus, maleficium occultum proximo oblatum sub prætextu, & simulatione rei melioris.*

a Psal. 33. 14.

VI. Videas enim plerosque Psalmis, atque Hymnis decantandis, aut priuatim percurrendis valdè sollicitos, qui tamen nimia quadam libertate proximorum famæ, atque existimationi vbique detrahant; maritorum, atque virginum pudicitiæ, atque honestati non parcant, præsulum, atque antistitum vitam, morésque traducant, qui proculdubio, cùm Dei imaginem violent, ipsi Deo placere nequaquam possunt. Quos, vt arbitror, alicubi acutè perstringit Seneca [b]. *Bene*, inquit, *nesciunt loqui, faciunt, non quod mercor, sed quod solent: quibusdam enim canibus sic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.*

b lib. de remed. fortuit.

VII. Alibi [c] verò obtrectatoris voces describit, & castigat: sic enim illum loquentem facit. *Quare hic philosophus laxius habitat? quare hic lautius cœnat?* Tum excipit: *Papulas obseruatis alienas obsiti plurimis vlceribus, hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum næuos, aut verrucas derideat, quem vera scabies depascitur.* Et paulò pòst: *Non eo loco res humanæ sunt, etiamsi statum vestrum parum nostis, & vobis tantum otij supersit, vt in probra meliorum agitare linguam vacet. Hæc vos non intelligitis, & alienum fortuna vestra vultum geritis, sicut plurimi, quibus in circo, aut in theatro desidentibus iam funesta domus est, nec annunciatum malum.*

c lib. de vit. beat. c. 27.

10. *Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio; non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.*]

I. Colligit ex superioribus tanquam absurdum ex eodem ore benedictionem, & execrationem prodire. Quod non alia ratione censeri potest absurdum, nisi quia conuicium, seu contumelia in hominem iacta in Deum quodammodo redundat, quandoquidem homo, vt dixit Iacobus, viua est imago, ac similitudo Dei; propterea rectè subiicit Apostolus: *Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri*; siue quia alij exemplo nostro ad hoc ipsum malum excitantur, siue quia indignissimum videtur, vt capiti quis bene precetur, cùm tamen cætera membra execretur: vt enim ait Beda, *obtrectationis amaritudine dulcedo benedictionis absumitur: si quis enim aquam amaram dulci admisceat, omnis dulcedo in amaritudinem conuertitur.* Et, vt ait Paulus [d], *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; quam ob causam rectè dixit Sapiens [e]: *Non est speciosa laus in ore peccatoris, quoniam à Deo profecta est sapientia. Sapientia enim Dei astabit laus, & in ore*

d 1. ad Cor. 5. 6.
e Eccles. 15. 9

ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi. Qui-
a Mal. 2. 7. b Prou. 17. 7. bus consentiunt, quæ alicubi scribit Dauid [a]: *Re-
ctos decet collaudatio.* Et Salomon [b] *Non decent stul-
c cap. 26. 7. tum verba composita.* Et rursus [c]: *Indecens est in ore
stultorum parabola.*

II. Rectè autem dixit Iacobus: *Non oportet hæc fieri:*
quia enim naturæ repugnant, nullo pacto proban-
da, aut admittenda sunt, cùm ea, quæ sunt naturæ
consentanea, necessariò complectenda, ac studiosè
d Æsopus. & Plutarch. de vitil. cap. ab inimicis. retinéda videantur. Nec malè omnino fabulantur [d],
qui Satyrum admiratum ferunt, cùm quendam vi-
disset, eodem oris flatu, & manus sibi calefacere, &
cibos refrigerare: significare enim viri sapientes vo-
luerunt, non esse eorum consuetudinem, & familia-
ritatem probandam, qui eadem lingua æquè mala,
ac bona proferrent: fateor tamen fas esse ei, qui Dei
laudes ritè, & rectè celebrat, improborum scelera, &
vitia insectari, sed qui flagitiis infensus est, Dei ima-
ginem, ac similitudinem nihil lædit, atque idcirco
probra, & conuicia, quæ malorum mores exagitant,
cum Dei laude, & benedictione non pugnant, alio-
qui assentatio, quæ æquè mala, ac bona laudat, cùm
est per se execranda, tum verò cum Dei benedictio-
ne nequaquam cohæret.

III. Neque verò in præsentia Apostolus eiusmodi vi-
tiorum reprehensionem damnat, sed eam, quæ ex li-
uore, atque inuidia, aut odio proficiscitur, atque id-
circo cum graui piaculo coniungitur; iusta verò re-
prehensio cùm laude digna est, tum plerunque ne-
cessaria. Et quod magis mirandum est, cum vera
Dei laude ita connexa est, vt ab ea, quasi naturaliter
e ps. 100. 1. promanet. Sic olim Dauid [e]: *Misericordiam*, inquit,
*& iudicium cantabo tibi Domine, psallam, & intelligam
in via immaculata, quando venies ad me; perambulabam
in innocentia cordis mei in medio domus mea.* Hæc spe-
ctant ad Dei laudem, quã, vt hoc loco ait Iacobus,
benedicebat Dauid Deum, & Patrem.

IV. Mox verò subiicit, quæ pertinent ad iustam im-
piorum reprehensionem, *Facientes præuaricationes odi-
ui; non adhæsit mihi cor prauum; declinantem à me ma-
lignum non cognoscebam; detrahentem secretò proximo
suo, hunc persequebar; superbo oculo, & insatiabili corde,
cum hoc non edebam. Non habitabit in medio domus mea,
qui facit superbiam, qui loquitur iniqua non direxit in
conspectu oculorum meorum. In matutino interficiebam
omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini
f Sapient. 11. 25. omnes operantes iniquitatem.* Sic etiam Deus [f], qui di-
ligit omnia, quæ sunt, nihilque odit eorum, quæ fe-
cit, impium tamen, atque impietatem odio prosequi-
tur, & execratur.

V. Pertinet autem ad omnes quidem aliorum, quoad
eius fieri possit, vitia, atque peccata ex caritate
corripere. Potissimùm tamen eorum munus est, qui
cæteris præsunt, siue illi ciuiles principes sint, siue
ecclesiastici præsules, siue denique familiarum pa-
tres; vtcunque autem vitia vel corripiantur, vel iu-
sto supplicio afficiantur, abesse semper debet conui-
cium, & contumelia, quæ spectant ad maledicen-
tiam, quam hoc loco Apostolus reprehendit, cui
g 1 Cor. 6. 10. consentit Paulus Apostolus [g], qui negat, maledicos
regnum Dei possessuros. Quo loco Chrysostomus,
maledicentiam leue peccatum esse negat, quando-
h cap. 5. 22. quidem Christus apud Matthæum [h] ait, *Qui dixe-
rit*, inquit, *fratri suo Racha, reus erit consilio; qui autem
dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

VI. Et profectò obtrectatores, & calumniatores, qui
aliorum vitam, morésque quo iure, quáve iniuria
carpunt, & infamiæ labe aspergunt, haud leuiter
peccare censendi sunt. Nam qui execrationes, & ma-
ledicta in alios iaciunt, quique ex animo proximis
malè precantur, merito hoc loco à Iacobo, quasi

A contra naturã peccent, reprehenduntur, etiamsi alio-
qui diuinas laudes celebrent: siquidem absurdissi-
mum videtur, vt ex eodem ore benedictio, & male-
dictio prodeat. Græcè, ἐξέρχεται εὐλογία καὶ κατάρα.
Hæc, inquit Apostolus, nõ bene cohærent: nã, quem-
admodum Ioannes Euangelista [a] scribit, hoc nos ha- a ep. 1. c. 4. 21
bere *mãdatum à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fra-
trem suum.* Eadem ratione affirmare possumus, non sa-
tis esse Deum laudare, nisi etiã de proximis bene sen-
tiamus & loquamur. Quod Apostolus in præsẽtia du-
plici exemplo naturali confirmat. Ita enim subiicit:

11. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem,
& amaram aquam?*]

Exemplum, vt apparet ab aquæ fontibus ductum I.
B est, in quibus liquet sui semper similem aquam pro-
fluere: nam alioqui si secus sit, aquæ dulcedo con-
traria amaritudine obruta pereat necesse est. Græcè
quidem Apostolus aquam non nominat, sed simpli-
citer dixit, non posse ex eodem foramine manare
τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρὸν, hoc est, *dulce, & amarum*: Sed
cùm de fonte loquatur, rectè interpres dulcem, at-
que amaram aquam interpretatus est. Loquitur au-
tem Iacobus de rerum natura integra, & non vitiata:
nam alioqui multa à naturæ indagatoribus [b] aqua- b Arist. sect. 28 probl. 19.
rum miracula recensentur. Quædam enim inter se a. 1. 27. Vitru. lib. 8. cap. 3.
superimeant alias: *In Dodone verò*, ait Plinius, *Iouis* Plin. lib. 2. c. 103.
*fons cùm sit gelidus, & incensas faces extinguat, si extin-
cta admoueantur, accendit.* Sed hæc, atque his simi-
lia cùm rara sunt, tum suas habent, quamuis no-
C bis ignotas, naturales causas. At rerum natura po-
stulat, vt idem fons vnius tantùm generis aquam
emittat. Tritum enim est apud Philosophos, vnam
atque eandem causam prorsus immutatam eadem
semper effecta parere.

Cùm igitur vnius fontis vna semper, atque eadem II.
causa sit, eadem semper manabit aqua. Ita colligit
Apostolus, à Christiana lingua, tanquam ab vno,
eodémque fonte vnius formæ, ac naturæ orationem
fundendam esse. Rectè autem monet quidam, hanc
Iacobi sententiam non ita religiosè accipiendam
esse, quin, vt paulò antè docui, interdum liceat, at-
que adeò necesse sit in vitia, & peccata inuehi, &
verbis interdum acerbis, & oratione acri, ac vehe-
menti aliorum scelera castigare: ea enim reprehen-
D sio nullo modo ad maledicentiam pertinet: Nam &
Christus sæpe Pharisæos [c] hypocritas, & sepulchra c Mat. 23. 27
dealbata appellat, & discipulos [d] qui Emaüntem d Luc. 24. 25
petebant, *stultos, ac tardos ad credendum* vocat. Et Pau-
lus Elimam Magum his verbis affatur [e]: *O plene om-* e Act. 13. 10
*ni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis
iustitiæ.*

Nam & Christus [f] ipse Iudæos dixerat ex patre III.
diabolo natos. Et Ioannes Baptista Pharisæos, ac Sa- f Ioan. 8. 44.
ducæos progenies viperarum nominat [g]: Denique g Mat. 3. 7.
eodem modo Christus [h], *Serpentes*, ait, *& genimina* h Mat. 23. 33
viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Sed hæc
omnia non obtrectandi; aut maledicendi studio, sed
iusto, maximéque laudabili ardore animi proferun-
tur ad vitia perpurganda: nam alioqui nimia indul-
E gentia plurimùm obesse solet.

Hanc ob causam iustam reprehensionem incur- IV.
rit Heli [i], qui cùm nosset, *indignè agere filios suos, non* i 1. Reg. 3. 13
corripuerit eos. Hoc eodem nomine reprehenduntur
ab Ezechiele [k] Propheta, pastores Israëlis, *quia quod* k cap. 34. 4.
*infirmum fuit, non consolidarunt, & quod ægrotum, non
sanarunt, quod confractum, non alligarunt, quod abie-
ctum, non reduxerunt, & quod perierat, non quæsie-
runt.* Eadémque ratione Isaias [l] speculatores eius l cap. 56. 10.
ait, *cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti, non va-
lentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes*

somnia. Eodem pertinent, quæ mox subiicit Iacobus: ait enim: A

12. *Nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.*]

I. Alterum ex plantis exemplum sumit, ex quo superiùs allatum confirmat, & illustrat, & vtroque propositam sententiam apertissimè probat. *Nunquid*, ait, potest *ficus vuas facere, aut vitis ficus?* Græcè, μὴ δύναται συκῆ ἐλαίας ποιῆσαι, ἢ ἄμπελος σῦκα, hoc est, *Nunquid ficus oleas gignere potest, aut vitis ficus?* Quo modo reddidit Syriacus interpres, vt videatur aliter legisse vulgatus: Sed vt vt sit, eadem sententia constat, eadémque est cum Christi sententia apud Matthæum[a]: *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* vt significet fructum plantæ naturæ respondere, neque posse arborem alterius generis fructus parere. Ita colligit, sic neque fontem posse dulcem, & salsam aquam effundere: sic enim Græci codices habent, οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, hoc est, *nullus fons salsam, ac dulcem aquam emittere potest*. Quem sensum secutus est vulgatus interpres, *Sic*, inquit, *neque salsa dulcem potest facere aquam*. Neque aliter accipit Syriacus: ait enim, *Sic neque aquæ salsæ possunt effici dulces*. B

a cap. 7, 16.

II. Vtraque interpretatio rei propositæ aptari vtcunque potest. Nam si sequamur Græcã lectioné, exemplum deductum à plantis, alterum à fonte petitum confirmat, & illustrat. Cùm enim dixisset Apostolus, non posse ex eodem fonte dulcem, & salsam aquam profluere, id probat, quia quemadmodum plantæ sui duntaxat generis fructus edunt, ita fons vnius tantùm formæ aquam, seu dulcem, seu salsam effundit: Sin autem Latinam interpretationem sequamur, idem paulò aliter conficietur. Mirum dixerat esse, quòd ex eadem lingua benedictio, maledictióque prodiret, idque allato fontis exemplo, vnde seu dulcis, seu amara duntaxat aqua promanat, vtcunque illustrauerat; mox altero exemplo à plantis ducto probat, non decere, vt à lingua, qua Deum benedicimus, hominum maledictio, seu execratio prodeat, quemadmodum arbor sui tantummodo generis fructum profert, nec ficus vlla ratione oleas procreat, neque aqua, quæ dulcis à fonte manat, salsa, aut amara effici potest. Videtur enim Iacobus ponere tanquam certum linguam suapte natura institutam esse, vt Deum laudet, eíque benedicat, atque adeò maledictionem, & execrationem ei magnopere repugnare. C D

III. Ita alicubi scribit Augustinus[b]: *Magnus es Domine, & laudabilis valdè; magna virtus tua, & sapientia tua non est numerus. Et laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ, & homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, & testimonium, quia superbis resistis; & tamen laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ. Tu enim excitas, vt laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et alibi[c]: *Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Quis similis tibi?*

b lib. 1. confess. cap. 1.

c lib. 9. c. 1.

IV. Ex ore igitur, ex quo prodit diuinæ laudis sacrificium, negat Iacobus, fas esse, profluere maledicta, atque blasphemias. Iam verò quoniam ex superiori disputatione facilè deprehendi potest, non nisi singulari sapientia, atque consilio linguam posse coërceri; ad veram, solidámque sapientiam deinceps hortatur, & maledicentiæ veluti fontem obstruens, indignationem, & contentionis studium à fidelium animis, & humana consuetudine quàm diligentissimè remouenda docet. Sic autem scribit: E

13. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.*]

Hæc omnino ad ea, quæ initio capitis dixerat, referenda sunt; ibi enim monuerat, ne plures magistrorum locum, & munus appeterent. At propterea de linguæ petulantia, & procacitate pluribus disseruit. Iam ne videatur doctores, ac magistros à fidelium cœtu penitus ablegare, de eorum munere, & ratione docendi nonnulla subiicit; ait igitur: *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos?* Græcè τίς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων; quasi dicat, *si quis sapientia, aut scientia praditus est*, insinuans, docendi munus proprium esse sapientis, & rerum scientia, & doctrina instructi. Nam & alicubi dixit Aristoteles, *signum scientiæ est, posse docere*. Ait igitur Apostolus, tametsi magistrorum multitudinem non probo, si quis tamen reperiatur inter vos, diuinarum, humanarúmque rerum scientia præstans, is docendi munere, mea quidem sententia, tum ritè fungetur, si non verbis solùm, sed vita, & moribus ita alios ad honestè, laudabilitérque viuendum excitabit, vt appareat, eum sapientiam diuinitùs haustam cum mansuetudine, atque animi placabilitate coniunxisse: sic enim accipio, quod ait Iacobus, *ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ*. I.

Porrò vt confirmet, non esse plures magistros asciscendos, singulari numero dixit: *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos*. Tacitè indicans, non multos esse vera sapientia præditos. Et quidem si Stoicis esset habenda fides, qui sapientem nescio quem adeò ab humanitate alienum fingunt, vt nulla penitus animi perturbatione tangatur, planè constat, nullum prorsus inter mortales reperiri, qui non aliquid humani aliquando experiatur. Certè Seneca[a] ita alicubi sapientem describit: *Animus intuens vera penitus fugiendorum, ac petendorum non ex opinione, sed ex natura pretia rebus imponens, toti se inferens mundo, & in omnes eius actus contemplationem suam mittens, cogitationibus, actionibúsque intentus, ex æquo magnus, ac vehemens asperis, blandísque pariter inuictus, neutri se fortunæ submittens supra omnia, quæ contingunt, accidúntque eminens, pulcherrimus cum decore, cum viribus sanus, ac siccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant.* II.

a epist. 67.

Quis autẽ non videat hæc admodum rarò in vnum quempiã conuenire, vt meritò illud vsurpari queat? III.

Rara auis in terris, nigroque simillima cygno.

Hunc autem, aut ei certè non admodum absimilem sapientem monet Iacobus, vt sapientiam suam bene viuendo potiùs, quàm luculenta oratione aliis ostendat. Nam qui verbis sapientiam venditat, popularem plausum appetit, & dum se magnificè circunspicit, & insolentius iactat, contentiones, & iurgia excitat, liuore, atque inuidia cruciatur, vnde plurima mala existant, necesse est. Itaque ait Iacobus, *ostendat ex bona conuersatione operationem suam*. Græcè dixit, δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ. Quasi dicat, *demonstret, aut palàm faciat ex bona conuersatione opera sua*. Græcè enim, vt apparet, numerus est multitudinis, ita significat studiosis potiùs actiones, quàm verba à doctore, ac magistro exigi.

Quamobrem Paulus Apostolus Titum[b] monet, *vt in omnibus se ipsum præbeat exemplum bonorum operum*; Et Timotheum, ne patiatur adolescentiam suam contemni, sed exemplum sit *fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate*. Et de Christo scribit Lucas[c], *cœpisse Iesum facere, & docere*; qui de se ipso apud Ioannem[d] ait, *Exemplum enim dedi vobis*, IV.

b cap. 2. 7.

c Act. 1. 1.

d cap. 13. 15.

vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Vt A autem significet se non qualemcunque sapientiam, sed Christianam, & religiosam in magistro desiderare, subdit: *In mansuetudine sapientiæ*; hoc est, Hebraismo consueto, in pacifica, & mansueta sapientia, de qua plura paulò pòst dicturus est.

V. Certè Seneca de vera Philosophia hæc scripsit [a]: a epist. 16. *Non est philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum, non in verbis, sed in rebus est. Nec in hoc adhibetur, vt cum aliqua oblectatione consumatur dies, vt dematur otio nausea. Animum format, & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda, & omittenda demonstrat; sed ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum, sine hac nemo securus est.* Et alibi [b] hortatur, b epist. 20. *vt philosophiam in præcordia ima quisquam demittat, & experimentum* B *sui profectus capiat, non oratione, nec scripto, sed animi firmitate, & cupiditatum diminutione, & verba rebus probet. Aliud*, inquit, *propositum est declamantibus, & assensionem corona captantibus. Aliud his, qui iuuenum, & otiosorum aures disputatione varia, ac volubili detinent, facere docet philosophia non dicere, & hoc exigit, vt ad legem suam quisque viuat, nec ab oratione vita dissentiat, vt ipsa inter se vita vnius sine omnium actionum dissensione coloris sit.* c epist. 91. Denique [c]: *Ad beatum statum philosophia tendit; illo ducit, illo vias aperit; quæ sint mala, quæ videantur, ostendit; vanitatem exuit, mentibus dat magnitudinem solidam, inflatam verò, & ex inani speciosam reprimit, nec ignorari sinit inter magna quid intersit, & tumida.* C

VI. Melius autē Lactantius [d]: *Omnis*, ait, *sapientia ho-* d lib. 3. c. vlt. *minis in hoc vno posita est, vt Deum cognoscat, & colat, hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Quanta itaque voce possum testificor, proclamo, denuncio. Hoc est illud, quod Philosophi omnes in tota sua vita quæsierunt, nec vnquam tamen inuestigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia religionem aut prauam tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt.* Et post nonnulla: *Qui vult sapiens, ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ norit, humana contemnat, diuina suscipiat, vt summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci.* e lib. 2. de ord. c. 8. Neque aliter sensit Augustinus [e]: *Disciplina*, inquit, *est lex Dei, quæ in sapientes animas transfunditur, vt tantò se melius viuere sciant, quantò perfectiùs eum contemplantur intelligendo, & diligentiùs viuendo custodiunt.* D

VII. Rectè igitur Iacobus colligit, non esse magisterij locum auidiùs appetendum: nam qui sapientia, & rerum scientia cæteris se præstare existimat, priùs discat necesse est, honestè, ac laudabiliter viuere, vt aliis non oratione modò, sed vita, & moribus prodesse queat, si præsertim cum sapientia mansuetudinem coniungat, ne cæteros præ se contemnendos putet. Quantopere autem animi modestia, & mansuetudo necessaria sit, ducto à contrariis argumento postmodum probat.

14. *Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem.*] E

I. Mansuetudini æmulationem amaram, & contentionem obijcit. Rectè autem *amaram æmulationem*, seu *zelum* nominat; nam interdum in sacris literis æmulatio quædam laudabilis est. Paulus enim ad Corinthios [f] ait: *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Et alibi [g]: *Æmulamini autem charismata meliora.* Rursus [h]: *Æmulamini spiritualia.* Itémque [i]: *Æmulamini prophetare.* Quin etiam Deus sæpe dicitur [k] æmulator. Interdum verò malam in partem accipitur, quia videlicet cum indignatione, ac liuore coniungitur. Ita Paulus ad Galatas [a]: *Æmulantur vos non bene.* Et ad Romanos [b]: *Non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione.* Hoc autem loco citra omnem dubitationem malam in partem accipienda est æmulatio, ob id enim zelum amarum nominat Apostolus, & coniungit cum contentionibus.

f 1. ad Cor. 11. 2. g 1. ad Cor. 12. 31. h cap. 14. 1. i vers. 39. k Exod. 34. 14. Deu. 4. 24. Deut. 5. 9. Deut. 6. 15. Iosue 24. 19. Nahum 1. 2. a cap. 4. 17. b cap. 13. 13.

II. *Si zelum*, inquit, *amarum habetis, & contentiones in cordibus vestris.* Quomodo etiam loquitur Paulus cùm ad Corinthios [c] scribit. c ep. 1. c. 3. 3. *Cum enim sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Mirum autem quòd hoc loco ait Iacobus contentiones in cordibus retineri. Contentio enim Græcè ἐριθεῖαι externam videtur actionem postulare, vt minimum in verbis, & oratione positam. B Quamobrem videtur Iacobus etiam voluntatem contendendi animo inclusam damnare quæ potissimùm ex zelo, atque indignatione oritur, vt multo magis verborum pugnas, & mutuas altercationes à fidelium cœtu remouendas moneat. Prohibet enim ipsum contentionis initium, & primariam causam, hoc est, zelum amarum, & altercandi studium, atque ob id Græcè singulari numero ἐριθείαν posuit.

III. Subdit: *Nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem.* Quibus verbis negat Iacobus, gloriandum esse propter zelum amarum, & contentionis studium. Non rarò enim contingit, vt per speciem pietatis aduersùs proximos quispiā vehementiùs commoueatur, & rei similitudine deceptus se honesto, & laudabili zelo incitari glorietur, cùm reuera, aut C liuore contabescat, aut maleuolentia, & odio inflammetur, & sibi quodammodo renuente plerunque conscientia mentiatur. Hoc igitur maximè reprehendit, ac damnat, quod iracundis, & natura præferuidis non rarò accidere solet.

IV. Extat, nisi ego fallor, eius rei exemplum in Iona propheta, de quo scriptum legimus [d]. d Ioan. 4. in princ. *Et afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est, & orauit ad Dominum; & dixit; Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tarsis; scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Iræ porrò, atque indignationis causa alia nulla erat, nisi quòd vidisset, contra quàm ipse vaticinatus erat, Deum immortalem Niniuitarum pœnitentia placatum, quasi re- D uocata sententia eis pepercisse.

V. Quam ob causam a Deo castigatur his verbis: *Putásne bene irasceris tu?* Et paulò pòst, cùm rursus idem Ionas siccata hedera vehementiùs commoueretur, iisdem verbis increpatur: *Putásne bene irasceris tu super hederam?* Adeò verò ille suo consilio ducebatur, suámque illam indignationem probabat, vt fidenter responderit, *Bene irascor ego vsque ad mortem.* Ita plerunque etiam viri boni, & cordati dum sibi plus æquo placent, atque indulgent, quod est apud Comicum [e]: e Teren. in Adelph.

Nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant.

E Ac propterea si quid aliter fiat, quàm ipsi faciendum censeant, vltra modum indignantur, & cùm indignationem cohibere non possunt, impetu quodā verborum, etiam cum aliorum offensione, eā temere effundunt; &, vt ait in præsentia Iacobus, aduersùs veritatem mentiuntur, siue quia sibi quodam modo imponunt, dum suæ indignationi iustum zelum prætexunt, siue dum ita quodammodo excæcati, vt suam sententiam pertinaciùs tueantur, etiam contra agnitam veritatem pugnant; quòd, vt in Scholis tradunt Theologi, ad peccatum in Spiritum sanctum pertinere creditur. Ita Iacobus grauissimum scelus detestatur, & interim docet, eam esse falsam, atque

inanem sapientiam, quæ zelum amarum, & contentionem aut pariat aut tueatur. A

VI. Addit Beda hoc Iacobi præceptum, ne fideles sint aduersùs veritatem mendaces, amplissimè patere, quasi prohibeat Apostolus, ne fideles Deo mentiantur, cui in baptismo polliciti sunt, se diaboli pompis nuncium remittere, quod ij nequaquam præstant, qui bona sua insolentiùs iactant, & gloriosius prædicant; magis, vt arbitror, ad Iacobi mentem dixisset, Deo illos mentiri, qui cùm diuinæ legis se cultores profiteantur, aduersùs proximos tamen, quos tanquam se ipsos diligere debent, ira, atque indignatione temerè commouentur, & nihilo tamen sciùs, quasi aliquid laudabiliter gesserint, sibi nimiùm placent. Quamobrem rectè colliget

15. *Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.*] B

I. Dixerat paulò antè, *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos?* Iam inter veram, & falsam sapientiam quid intersit, docere incipit; & amarum quidem zelum, contentionésque ad falsam, atque inanem quandam sapientiam spectare affirmat, quam primùm negat sapientiam esse, quæ desursum descendat. Addunt nonnulli codices, *A Patre luminum*; quæ tamen verba nec in codicibus Græcis, nec apud Bedam, nec in emendatioribus Latinis leguntur. Mirum tamen, quòd sapientiam aliquam neget Iacobus esse à Deo, cùm Sapiens [a] vniuersim pronunciet, *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum.* Sed nimirum loquitur Sapiens vniuersim quidem, sed de vera sapientia tamen, quæ Deo, & hominibus aliquo pacto potest esse communis, qua videlicet Deus immortalis diuina sua notione cuncta comprehendit, sapientérque vniuersa disponit, & gubernat, quáque homo de Deo bonorum omnium auctore, rebúsque creatis rectè sentit, sapientérque vitæ suæ rationes instituit, vt finem, ad quem conditus est, aliquando consequatur. C

a Eccles. 1. 1.

II. At verò Iacobus peruersam, & falsam sapientiam negat esse à Deo, qui nullius mali auctor esse potest, quique, cùm sit prima, & summa veritas, longissimè abest à mendacio. Quem autem hæc sapientia habeat auctorem, mox docebit, cùm eius sapientiæ naturam, & conditionem declarabit. Subdit autem, *Sed terrena, animalis, diabolica.* Terrenam sapientiam vocat, vt opponat sapientiæ, quæ de sursum est, de qua olim dixerat Iob [b]: *Sapientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ; nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur, non est mecum.* Et post nonnulla [c]: *Vnde ergo sapientia venit? Et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet.* Et mox: *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.* D

b cap. 28. 12.

c vers. 20.

III. Planè autem ostendit veram sapientiam non nisi à Deo expectandam esse: nam de humana etiam Philosophia, & sapientia, studio, ac labore parta, dixit olim M. Tullius: *Optimum, ac præstantissimum esse munus Deorum.* Et in eandem sententiam scripsit alicubi Plutarchus [d]: *Cætera bona humana esse, ac pusilla & prorsus indigna, quæ tantis insectemur studiis; Pulchra quidem, medius fidius, est nobilitas, sed maiorum illud nostrorum bonum extitit. Pretiosa quidem diuitiæ, verùm ea est fortunæ possessio, cùm eas & habentibus, vt vsu euenit, auferat, & minimè sperantibus afferat. Gloria venusta quidem res est, sed inconstans, minimèque stabilis; forma præcipuum quoddam, & pro qua vendicanda magnopere decertetur, at* E

d de li. educ.

caduca paruo durans tempore. Pretiosa quoque sanitas, verùm permutationi prorsus obnoxia. Concupita sanè vires, & in partem beatitudinis collocanda, sed facilè aut ægritudine, aut senectute contabescunt. Si quis omnino corporis robore glorietur, sententia falli se discat. humana siquidem vis præ cæteris pars quota extat animantibus? Elephantos, inquam, tauros, ac leones? Nostris autem in rebus sola, & immortalis, & diuina est eruditio. A

Ita in libris Regum commendatur Salomon [a], quòd sapientiam à Deo postulauit, dicitúrque Deus dedisse illi *cor sapiens, & intelligens.* Quin etiam Deus ipse implesse dicitur [b] Beseleel, *Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri potest.* Idem verò Plutarchus [c]: *Qui sapiunt*, inquit, *ii bona omnia sunt à Diis immortalibus petenda, maximè autem cognitionem deorum pro capite humanæ naturæ consectantes, ab ipsis petimus nobis eam concedi, quia neque maius homo accipere, neque dignius dare munus homini Deus potest veritate. Reliqua quippe non sibi propria, & peculiaria Deus homini largitur: neque enim argentum, & aurum Deo beatitatem, nec tonitru, & fulmen vim parat, sed scientia, & prudentia.* Ex nostris autem Methodius *pietatem*, ait, *atque religionem vocatam esse sapientiam rem planè diuinam ab vno Deo precariò concessam hominibus. Quocirca principio idem Deus partim visis, partim Angelorum consuetudine, atque congressu, partim diuinorum vatum opera ad pietatem homines erudiuit.* IV. B

a lib. 3. c. 3.

b Exod. 3. 3.

c lib. de Iside, & Osiride in princ.

C At pseudosapientia, de qua hoc loco loquitur Iacobus, *terrena est, animalis, diabolica.* Terrena quippe sapientia est illa, quæ opes, honores, cæteráque caduca, & mortalia bona auidè concupiscit, & incredibili studio, atque inaudita diligentia conquirit. Et in eodem genere ius regnandi, & quam vulgo rationem status appellant, colloco. Quippe solas humanas rationes spectat posthabitis diuinis, quæ verè solidæ sunt, ac stabiles, quæque ad extremum finem, cuius gratia conditi sumus, solæ perducunt. Hæc nimirum terrena sapientia honestatem, sanctitatem, religionem, pietatem denique in Deum funditus negligit, & contemnit, propriáque vtilitate, & commodo omnia metitur, illúdque re ipsa vsurpat, *Si libet, licet.* Iterúmque, *Vnde D habeas, nemo rescіat, sed oportet habere.* V.

Hæc mendacia, periuria, rapinas, cædes, atque id genus alia flagitia modò sibi commoda, atque vtilia, vel ad punctum temporis videantur, nihili ducit. Hæc bona omnia huius mortalitatis finibus circumscribit, de futura vita ne cogitat quidem, ac fortassè etiam nullam esse credit, cum vnà cum corpore animum quoque interire non minus stultè, quam impiè arbitretur. Et ob eam causam subdit Iacobus illam esse animalem, Græcè ψυχική. qua voce Tertullianus, vbi ad Montanum defecisset, Catholicos describere consueuerat, quasi vitæ tuendæ, conseruandæque plus æquo deditos, ac gulæ, genióque indulgentes. Nam reuerà hæc sapientia fouendo, nutriendo, ornandóque corpori tota dedita E est. De qua rectè Bernardus [d]: *Sapientia carnis*, inquit, *voluptuosa est, non pudica, tumultuosa, non pacifica.* Sic Paulus [e] animalis ait homo ψυχικὸς δ᾽ ἄνθρωπος, *non percipit ea, quæ sunt spiritus.* VI.

d Serm. de nat. Dom.

e 1. ad Cor. 2. 14.

Et Christus apud Ioannem [f]: *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Et apud Matthæum [g]: *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autẽ perdiderit animam suam propter me inueniet eam.* Quocirca paulò antè [h] Petrũ, qui se a morte reuocabat, his verbis castigat: *Vade post me Satanas, scandalum* VII.

f cap. 12. 25.

g cap. 16. 25.

h vers. 23.

es mihi,

es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Et in eandem sententiam dixit Paulus [a]: *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita, & pax, quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest; qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Non ita antem multò antea dixerat [b]: *Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt*, vt videatur hanc animalem sapientiam indicare.

a ad Rom. 8.6.
b ver. 5.

VIII. Addit verò Iacobus, hanc esse sapientiam diabolicam, siue quia diabolum habet auctorem, siue quia diaboli mores, & actiones imitatur. Certè Tertullianus [c] existimauit muliebria ornamenta, & artes quasdam occultas, dæmonum fuisse inuenta. *Nam & illi*, inquit, *qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur, illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de cælo ruerunt, vt hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes plerasque non bene reuelatas sæculo magis imperito prodidissent (si quidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgauerant, & omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationem designauerant) propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt. Lumina capillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia arctantur, & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur. Hæc qualia sint, iam ex Doctorum suorum qualitate, & conditione pronunciari potest, quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatores, nihil ad timorem Dei desertores spiritus, aut monstrare potuerunt, aut præstare. Si doctrina discenda sunt, mali magistri malè docuerint necesse est.*

c De habit. muliebr. c. 2.

B

C

IX. Mitto magicas artes, quas mali dæmones mortalibus tradiderunt; de quibus rectè Minutius [d]: *Magi*, inquit, *non tantùm sciunt dæmonas, sed etiam quicquid miraculi edunt, per dæmonas faciunt illis aspirantibus, & infundentibus præstigias edunt, vel quæ sunt, non videri.* Et Augustinus [e]: *Omnes*, ait, *artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis, & dolosa amicitia constituta.* Quod ipsum ante illum dixerant Lactantius [f], & Cyprianus [g]. Ac ne Gentiles quidem abnuunt, nisi quod Dæmonas Deos vocant, & imperitè cogi posse autumant. Sic enim scribit Lucanus [h].

d in Octauio.
e lib. 2. de doctr. Christ. c. 23.
f lib. 2. diu. inst. c. 16.
g lib. de dupl. mart.
h lib. 6. paulo post med.

D

Quis labor hic superis cantus, herbasque sequendi
Spernendique timor? cuius commercia pacti
Obstrictos habuere deos? Parere necesse est
An iuuat? Ignota tantùm pietate merentur
An tacitis valuere minis? Hoc iuris in omnes
Est illis superos. An habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum, qui mundum cogere quicquid
Cogitur ipse potest?

X. Certè Irenæus [i] testatur, hæreticos, præsertim Carpocratianos, *artes magicas operari, & incantationes, philtra quoque, & charitesia, & paredros, oniropompos, & reliquas malignationes, dicentes se potestatem habere ad dominandum iam principibus, & fabricatoribus mundi huius.* Quod ipsum paucis mutatis scribit Eusebius [k]. Epiphanius [l] autem hos ait *à Satana subornatos, ac productos in opprobrium, ac scandalum Ecclesiæ Dei.* Quod etiam multò antea Iustinus Martyr insinuauerat.

i lib. 1. c. 24.
k lib 4. historiarum c. 7.
l Hær. 27.

E

XI. Quòd si diabolicam hanc sapientiam appellauit Iacobus, quòd mores, & flagitia dæmonis imitari, atque exprimere doceat, planè nihil potest aptius, aut verius excogitari. Vt enim olim dæmon nimio fastu, atque animi tumore elatus contra Deum quodammodo pugnauit, ita suos discipulos, & sectato-

A res aduersùs Deum, verámque religionem, ac fidem armat, atque instruit; quod in hæreticis, & religionis desertoribus apertissimè cernitur, quorum alij diuinitatem oppugnarunt, vt Arius, Macedonius, Eunomius; alij incarnationis mysterio bellum indixerunt, vt Nestorius, Eutyches, aliæque quamplurimæ pestes. Eucharistiæ sacramentum aliter quàm Ecclesia Catholica Berengarius suis sectatoribus proponebat; alij denique alia Christiana dogmata mendaciis inquinare conati sunt. Superioris verò sæculi hæretici omnes penè antiquorum hæreticorum errores instaurarunt, & ad veterem impietatem maximum corollarium addiderunt.

XII. Magnam siquidem Scripturæ sacræ partem non minùs impudenter, quàm impiè de medio tollunt; B præcipua Ecclesiæ lumina, quorum scriptis falsa sua dogmata apertè conuelli animaduertunt, nefariè contemnunt, vt scelestissimum nebulonem [a] non puduerit, Origenem quasi anathemate damnatum exterminare, Chrysostomum nullo loco habere, & nimiæ loquacitatis arguere, Basilium ne pili quidem facere, Cyprianum tanquam infirmum Theologum abiicere, Hieronymum non modò è Doctorum albo delere, sed hæresis insimulare, &, si Deo placet, Philippi Melanchthonis apologiam omnibus Ecclesiæ Doctoribus anteferre. Quin etiam eò impudentiæ prouectus est, vt veteres omnes Patres miserè periisse affirmet, si ita senserunt, vt ipsorum scripta testantur, nisi ante supremum vitæ diem resipuerint. Nam quid de illius [b] vesania, & fanatico spiritu dicam, qui C scribere ausus est, se veteres Patres siue Sanctos, siue non Sanctos, nihil mirari, quòd Monachico spiritu excæcati essent per traditiones humanas, & doctrinas dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium? Et rursus, non esse Patribus credendum, quia ex vno ore calidum, & frigidum efflant? Nimirum hi hanc diabolicam sapientiam & didicerant ipsi, & aliis tradebant. De qua meritò subiicit Iacobus:

a Luther. apud auct. libri qui inscribitur; colloquia mensalia Mart. Lutheri.
b Pomeran. in Ionam.

16. *Vbi enim Zelus, & contentio, ibi constantia, & omne opus prauum.*]

I. Paucis videtur Iacobus impiorum, & præcipuè hæreticorum mores describere: quisquis enim terrena, animali, & diabolica sapientia præditus est, facilè indignatur, & rixas, ac contentiones excitat, quales D quotidie inter hæreticos exoriuntur, qui non minùs inter sese, quàm cum Ecclesia Catholica pugnant, vt meritò illi cum iis conferri possint, qui olim turrim Babylonicam extruere conati sunt; ita fit, quod hoc loco monet Iacobus, vt leuitate, & inconstantia laborent. Neque enim hæretici sui similes sunt, vt alibi [c] copiosiùs docui: nam quæ modò dogmata confingunt, mox euertunt. & dum secum hostilem in modum pugnant, Christianæ doctrinæ veritatem mirabiliter confirmant. Fateor quidem initio nascentis Ecclesiæ diaboli opera extitisse nonnullos, vt Simonem Magum, & Cherintum, aliósque persimiles, qui Apostolorũ doctrinam aut infringere, aut labefactare conarentur. Sed quis negat, multas extitisse in Ecclesia Catholica, sectas, atque hæreses.

c 1. Cor. 1. 18.

E Sed hoc interest Catholicos inter, atque hæreticos, quòd Catholici certam habẽt regulam, & amussim, ad quam doctrinæ veritas exigenda est, hoc est, Ecclesiæ, præcipuéque Apostolicæ sedis auctoritatem, cùm hæretici suo quisque arbitratu sibi dogmata cõfingant, & inter sese penè ex aduerso pugnent, & Andabatarum more digladientur. Falsò autem vociferantur hæretici, tot esse in Ecclesia Catholica schismata, quot monachorũ cœnobia, quot Scholasticorum exedras, dum alij Benedicti, Dominici, Francisci sectatores se esse, ac discipulos profitentur. Nonnulli

Thomæ, quidam Scoti placita, & sententias complectuntur. Nam quotquot sunt Religiosorum familiæ, non, vt isti volunt, schismaticorum conuenticula sunt, sed plures eiusdem Christianæ disciplinæ veluti classes: omnes enim eandem Catholicam fidem sub vno præside, ac pastore, Romano videlicet Pontifice profitentur.

II. Et quanquam alij aliud vitæ institutum, aliásque viuendi leges sequuntur, omnes tamen eodem tendunt, eandémque Christianæ vitæ perfectionem, quæ posita est in caritate persequuntur. Neque verò quod isti impudenter obiiciunt, & religiosæ vitæ ratio à priscorum monachorum instituto vlla in re dissidet, quæ Christianæ, & Catholicæ fidei vllo pactó aduersetur, tametsi alia temporum ratio nonnullam postulat in rebus humanis mutationem. Ita olim in Religiosorum ordinibus non ita multi sacris erant initiati, qui sacramenta ministrarent; sed negari tamen non potest etiam priscos illos monachos priuata, ac sua habuisse altaria, & sacrorum ministros.

IV. Nam Epiphanius [a] scribit, se in sancti Hieronymi monasterio Paulinum initiasse, qui presbyter sacramenta conficeret, & monachis imperriret. Et Cassianus [b] testatur, in solitudine Scytiæ, atque Ægypti fuisse presbyteros, qui sacramenta monachis ministrarent. Augustinus [c] verò affirmat tum Romæ, tum Mediolani fuisse monasteria, quibus presbyteri præerant, qui cæteris sacra impertirent. Denique Damascenus [d], Barlaam fuisse presbyterum, & in sua ecclesia sacrificasse commemorat.

a in epist. ad Ioan. Ierosl.
b Col. 18. c. 15.
c lib. 1. de mor. Eccles. c. 31. & 33.
d In vit. Bar. & Iosa.

V. Et vt demus alias fuisse olim religiosorum consuetudines, legésque, quis nisi impudens, & planè hæreticus inficietur, posse Ecclesiam leges condere, antiquas abrogare, nouas statuere, & veteres consuetudines pro rerum, temporum, & personarum conditione mutare? Id vnum retinendum perpetuò est, vt nihil fiat, quod cum iure naturæ, ac diuino pugnet. Cætera rebus, ac temporibus prudenter aptanda sunt.

VI. Iam verò quod de Religiosorum nominibus tantopere exaggeratur, vltrò damus proprium esse schismaticorum, atque hæreticorum à suis auctoribus nomina, atque appellationes sortiri, quod æuo illo Apostolico primùm cœpisse indicat Paulus, cùm Corinthios [e] reprehendit, quòd alij Apollo, alij Pauli se discipulos profiterentur. Itaque Iustinus [f] huiusmodi homines ait cognominibus distingui. *Sunt*, inquit, *distincti cognominibus, denominati à quibusdam, vt quisque fuit auctor alicuius nouæ doctrinæ; ex his alij vocantur Marcionitæ, alij Valentiniani, alij Basilidiani, alij Saturniani, alij alio vocabulo, quisque à primo inuentore sui dogmatis.*

e 1. ad Cor. 3. 4.
f in Dial. cũ Tryph.

VII. Et Irenæus [g] de Simonianis: *Habent quoque*, inquit, *& vocabulum à principe impiissimæ sententiæ Simone, dicti Simoniani, [h] à quibus falsi nominis scientia accepit initia.* Et in eandem sententiam Lactantius [h]: *Illi*, inquit, *dæmoniacis fraudibus irretiti, diuinum nomen, & cultum per imprudentiam perdiderunt: cùm enim Phryges, & Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcitæ, aut Anthropiani, seu quilibet alij nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso humana, & externa vocabula induerunt.* Eodem pertinent, quæ scribunt Athanasius [i], Chrysostomus [k], & Hieronymus [l]. Itaque Tertullianus [m], *Quid hæreticis*, inquit, *& Christianis? Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt.* Quomodo etiam loquitur Cyprianus [n].

g lib. 1. c. 20.
h lib. 4. c. 30.
i Orat. 2. cõ. Arian.
k Hom. 33. in act. apost. circa fin.
l Contra Luciferianos non procul à fine.
m lib. de præscrip. c. 7. & 28.
n lib. de vnit. Eccles.

VIII. Sed multò aliter monachorum appellationes accipiendæ sunt. Illi enim non ita se Benedicti, Dominici, & Francisci discipulos, & sectatores profitentur, quasi ab iis fidem, & religionis capita perceperint, aut nouũ Euangelium didicerint, quod hæretici faciunt, qui suis auctoribus fidem, & religionem, &, si Deo placet, nouum Euangelium, acceptum referunt. Itaque rectè dixit Hieronymus [a]: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtputà Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

a Cõtra Luciferian. in fine.

IX. Nostri verò religiosi Christum fidei auctorem, & consummatorem agnoscũt, & Christi Vicario penitus subiiciuntur, Romanæ denique Ecclesiæ, quam omnium Ecclesiarum magistram profitẽtur, in rebus omnibus obtemperant, priuatos tamen quosdam sibi duces imitãdos proponunt, eorúmque præcepta, atque instituta Euangelicæ doctrinæ inprimis consentanea, Romanæque Ecclesiæ auctoritate firmata studiosè complectuntur, quod non modò Apostolicæ doctrinæ non repugnat, sed ei mirificè congruit.

X. Paulus enim, qui Corinthios reprehendit [b], quòd priuatos sibi magistros asciscerent, Philippenses [c] hortatur, vt se imitentur: *Imitatores*, ait, *mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Et Thessalonicenses [d] commendat his verbis: *Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti, ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia.* Si ergo fideles tutò poterant Paulum imitari, eiusque se discipulos, ac sectatores profiteri, cur non liceat Benedictum, Dominicum, Franciscum; eiusdemque generis alios sanctissimos viros imitari, eorúmque vitæ institutum, morúmque disciplinam complecti, & ab iis, non excluso Christo, nomen, atque appellationem ducere?

b 1. Cor. 3. 4.
c cap. 3. 17.
d ep. 1. c. 1. 6.

XI. Iam verò quod de Theologorum familiis, eorúmque interdum inter se pugnantibus sententiis obiicitur, facilè refellitur: vt enim aduersùs Iulianum scribit Augustinus, aliud est de fidei dogmatibus, præcipuísque religionis capitibus dissidere, quod absque fidei iactura non licet, aliud de quibusdam subtilitatibus, salua fidei integritate, aliter, atque aliter opinari. Hæretici Catholicæ religionis capita oppugnant; ea verò Catholici Theologi, cuiuscunque disciplinæ sint religiosissimè retinent, proque iis, tanquam pro aris, ac focis, aduersùs hæreticos strenuè decertant. At verò hæretici non modò à Catholicis in præcipuis fidei dogmatibus, sed ipsi etiam inter sese magnopere dissentiunt, atque idcirco rectè in illos cadit, quod in præsentia ait Iacobus, *Vbi enim zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum:* nam, vt ait Beda, *meritò contentiosa, & superba sapientia esse terrena, & diabolica memoratur, quia dum terrenam gloriam anima quærit, dum expers animæ spiritalis remanens, sola ea, quæ sibi naturaliter post reatum primæ præuaricationis sunt insita, cogitat, siue à maligno delusa spiritu ad agenda se illa, quæ sunt vesana, & noxia conuertit.*

XII. Siquidem non inconstantiam solùm, sed malos etiam mores diabolicæ doctrinæ tribuit Iacobus. Renamque vera longo experimento compertum est, verissimè dictum esse à Paulo [e], hæreticos (nam de his loquitur Apostolus) *homines esse se ipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, blasphemos, parentibus non obedientes, ingratos, scelestos, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proteruos, tumidos, & voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

e 2. ad Tim. 3. 2.

XIII. Quanquam enim illi veræ virtutis laudem aucupantur, diu tamen sub ouina pelle lupus latere nõn potest. Describit hanc hæreticorum fraudem Origenes [f]: *Cum enim*, inquit, *ex dogmatibus falsis volentes assumere desensionem dixerimus, scriptum est in Propheta;*

f Hom. 7. in Ezech.

te latet

tollatur Moyses, loquitur Apostolus, quid aliud facimus, quàm accipientes panes veritatis, proponimus eos simulachris, quæ ipsi finximus? Marcion fecit idolum, & proposuit ei panes Scripturarum. Valentinus, Basilides, cæterique hæretici fecerunt similiter.

XIV. Dixerat autem paulò antè: *Vide mihi aliquem Marcionistam, siue discipulum Valentini, aut certè cuiuslibet hæresis defensorem, & considera, quomodo Idola sua, id est, figmenta, quæ ipse composuit, mansuetudine, & castitate vestiat, vt in aures audientium faciliùs ex vna bonitate ornatus sermo subrepat. Et cùm hoc feceris, intellige eum assumpsisse vestem variam morum, & conuersationis optimæ, & idolis subiecisse, quæ ipse construxit. Ac iuxta mei quidem animi sensum multò nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina sua habet authoritatis eo, qui doctrinam conuersatione maculat. Qui enim vitæ pessimæ est, non facilè homines ad falsum dogma sollicitat, nec potest per vmbram sanctitatis audientium decipere simplicitatem; qui verò sermone peruersus est, & disciplinis salutis contrarius, mores autem compositos, & ornatos habet, nihil facit aliud, nisi accipit indumenta varia instituta boni, & conuersationis quietæ, & circundat ea idolis suis, vt magis decipiat audientes. Idcirco sollicitè caueamus hæreticos, qui conuersationis optimæ sunt, quorum fortè vitam non tam Deus, quam diabolus instruxit. Nam quomodo quasdam illecebras escarum aucupes proponunt, vt faciliùs aues capiant per oblectamentum gulæ, sic, vt audaciùs dicam, est quædam castitas diaboli, id est, decipula animæ humanæ, vt per istiusmodi castitatem, & mansuetudinem, & iustitiam possit faciliùs capere, & falsis sermonibus irretire.*

XV.
a Aduers. lit. Petil. c. 18.
b lib. 5. de morib. Eccles. c. 1.
c In tripart.
d lib. 7. c. 10.
e lib. 5. c. 14.
f lib. 9. c. 16. & 45.
g Hæres. 61.
h lib. 3. Strom.
i Hæres. 25.
k lib. 3. hist. c. 29.
l Hæres. 56.
m 2. ad Tim. 3.

Testatur autem Augustinus [a] hoc esse diaboli proprium ita decipere, vt sibi vendicet nomen sanctitatis. Sic olim multos à Manichæis fuisse delusos affirmat idem Augustinus [b]. Eandèmque fuisse Arij consuetudinem docet Cassiodorus [c]. De simulatis moribus Agelij Nouatianorum Episcopi scribit Socrates [d]. De Eustachio Sozomenus [e]; de Apostolicis hæreticis Nicephorus [f], & Epiphanius [g]; de Nicolao diacono Clemens Alexandrinos [h], Epiphanius [i], Eusebius [k]; de Bardessane Epiphanius [l]. Certè Paulus [m] hæreticos ait speciem tantùm, hoc est, laruam pietatis habere. Augustinus [n] autem sub hæresi cætera vitia latere affirmat, quod etiam obseruauit Chrysostomus [o]. Præcipuè autem hæreticorum superbiam cum Chrysostomo notauit Cyprianus [p], & Hieronymus [q].

XVI.
n lib. 4. de baptis. con. Donat. c. 10.
o Hom. 19. in Matth.
p lib. 1. ep. 3. & lib. 4. ep. 9.
q in Abdiā, ad illa verba. Superbia cordis extulit te habitantem in scissuris petræ.
r Con. profanas hæresum nouitates, c. 25.

Huc pertinent, quæ scribit Vincentius Lyrinensis [r]: *Reuera*, inquit, *cùm quæque nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum; tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alij illicò prorsus auolant, alij verò tantummodo excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt saucij, seminecci, semiuiui, quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere sinat. Heu miseranda conditio, quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur. Nunc etenim quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reuersi tanquam contrariis fluctibus relliduntur, nunc temeraria præsumptione ea, quæ incerta videntur, approbant, nunc irrationali metu etiam quæ certa sunt, expauescunt, incerti quò eant, quò redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubij, & malè penduli cordis afflictio, diuina erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum Catholicæ fidei portum diuersis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè necantur, procellis, vt excussa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè nouitatis ventis expanderant, sēséque intra fidissimam stationem placidæ, ac bonæ matris reducant, & sentant, atque amaros illos, turbulentósque errorum fluctus primitùs euomant, vt possint deinceps viuæ, & salientis aquæ fluenta potare; dediscant bene, quod didicerunt non bene, & ex toto Ecclesiæ dogmate, quod intellectu capi potest, capiant, quod non potest, credant.*

XVII.
a cap. 11.

Alibi verò hæreticorum nequitiam duplici odio dignam censet [a]; *Vel eo, quod hæreseos venenum propinare aliis non pertimescunt, vel eo etiam, quod sancti cuiusque viri memoriam, tanquam sopitos iam cineres profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, redeuiua opinione diffamant, sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe, non modo operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enunciauit.*

XVIII.
b ep. 68. & 79.
c ep. ad Ctesiphon.

Eodem pertinent quæ de hæreticorum moribus scribit Cyprianus [b]. Eleganter verò Hieronymus [c] hæreticorum improbitatem describens, *Eos*, ait, *iuxta Ezechielem linire parietem absque temperamento, & superueniente veritatis pluuia dissipari. Simon*, ait, *Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius, vt orbem deciperet, sororem Principis antè decepit. Donatus per Africam, vt infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium mulier virum cæcum, cæca duxit in foueam, successorémque sui Priscillianum habuit Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago Episcopum, cui iuncta Galla non gente, sed nomine germanam huc, illúcque currentem alterius, & viciniæ hæreseos reliquit hæredem.*

XIX.
d lib. de pastor. c. 8.
e lib. 9. moral. c. 13. al. 17.
f.
g Hær. 42.
h Hær. 57.
i Hær. 73. 75. & 76.
k ep. ad Fabian.
l lib. 7. c. 13.
m lib. 4. c. 7. & lib. 6. c. 6.
n lib. 4. c. 22.
o lib. 4. c. 20.
p lib. 4. c. 20. & 30.

Denique ne longum faciam, Augustinus [d] hæreticos bestiis comparat. *Tales enim*, inquit, *sunt omnes, qui gaudent de erroribus alienis, bestiæ sunt pasta morsibus dispersarum* (scilicet ouium) *bestiæ à montibus, & collibus, tumor terrenus, & superbia sæculi.* Re namque vera, vt scribit Gregorius [e], hæreticorum locus ipsa superbia est. *Quia nisi prius in corde intumescerent, ad praua assertionis certamina non conuenirent. Ita namque malorum locus est superbia, sicut est è contra humilitas locus bonorum.* Meritò ergo ait Iacobus, cum doctrinæ inconstantia omne opus prauum coniungi. Quod de Valentino docet Irenæus [f], de Marcione Epiphanius [g], idémque de Nouato [h], déque Aetio [i], & Arianis. De Nonatiano Cornelius [k], Eusebius [l], Nicephorus [m]. De Tebute Eusebius [n], de Sabatio Socrates [o], & Nicephorus [p].

17. *Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.*]

I. Sapientiæ terrenæ, animali, ac diabolicæ, cœlestem, ac diuinam sapientiam opponit, quam ait sapientiam esse desursum, hoc est, quæ cœlitùs traditur, siue proximè à Deo aut bonorum Angelorum opera, siue etiam humano studio diuinæ gratiæ præsidio adiuto. Eam verò sapientiam duplici ratione laudat, primùm quidem, quòd multis sit referta bonis, deinde quòd iis malis careat, quæ terrenæ, animali, ac diabolicæ sapientiæ insunt. Porrò bona quæ cœlesti, diuinæque sapientiæ tribuuntur, vel ad monasticas virtutes pertinent, quæ potissimùm habentem in se ipso perficiunt, atque absoluunt, vel ad politicas, quæ proximos conspiciunt. In priori genere collocatur pudicitia,

& castitas. Quamobrem dicitur hæc sapientia primùm pudica, Græcè ..., hoc est, *pura, & integra, atque omnis libidinis penitus expers.* Incredibile enim dictu est, quàm opere pudicitia, & continentia diuinæ sit sapientiæ cognata, quippe hæc sapientia integram, atque incorruptam parit virginitatem, de qua multa Cyprianus [a], vocat autem illam, *Florem ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis, lætam indolem laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imaginem respondentem ad sanctimoniam Domini, illustriorem portionem gregis Christi.* Non pauciora de ea scribit Tertullianus [b].

a De hab. virg.
b De velan. virg.

II. Quamquam autem etiam apud gentiles virginitas in pretio fuit, nihil tamen illa cum Christiana virginitate commune habet, quæ vt ait Apostolus [c], *carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis* crucifigit. Et vt ait Cyprianus [d], *in carne gloriatur, tunc planè quando in nominis confessione cruciatur, quando fortior fœmina viris torquentibus inuenitur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel bestias patitur, vt coronetur. Illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora.*

c ad Gal. 5. 24.
d De hab. virg.

III. Eadem verò sapientia adeo impuram voluptatem execratur, vt cum nuptiæ concedantur, ne in illis quidem perquirendæ voluptati vllum relinquat locum. Itaque Hieronymus [e], *Liberorum*, ait, *in matrimonio opera concessa sunt; voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in vxore damnatæ sunt.* Et alibi [f]. *Adulter est in suam vxorem amator ardentior.* Et Augustinus [g]. *Coniugalis*, inquit, *concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ tamen cum coniuge venialem.* Rursus verò alio [h] quodam loco cum explicaret verba Pauli [i]. *Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* ait. *Quod non sic accipiendum est tanquam prohibuerit Apostolus coniugalem, hoc est licitum, honestùmque concubitum; sed vt iste concubitus, qui nihil morbidæ libidinis haberet adiunctum, si non præcedente peccato in eo perijsset, libertatis arbitrium, quod nunc habet adiunctum, non sit voluntatis, sed necessitatis*, quæ totidem verbis aduersus [k] Iulianum repetit, & explicat.

e ad Ephes. 5.
f lib. 1. con. Iouin.
g lib. de bon. coniug. c. 6.
h lib. 1. de nup. & concup. c. 8.
i 1. ad Thess. 4. 4.
k lib. 5. c. 9.

IV. Eodem spectant, quæ scribit Gregorius [l]. *Oportet itaque legitima carnis copula, vt causa prolis sit, non voluptatis, & carnis commixtio; creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum.* Et aliquantò pòst: *Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione, quod defleant.* Neque aliter Anselmus [m] (si tamen is est auctor commentariorum in Paulum, qui eius nomine circunferuntur) *Tunc enim*, inquit, *solùm coniuges sine culpa sunt in admixtione, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur.* Itaque communi Theologorum sententia receptum est, si intra legitimi coniugij fines voluptas quæratur, leuem, vt minimum, culpam admitti, ex quo apparet, quàm verè dictum sit à Iacobo, cœlestem, ac diuinam sapientiam esse pudicam.

l Resp. 10. ad Interrog. Aug.
m 1. ad Cor. 7.

V. Et quidem addi potest, hanc ipsam sapientiam ab omni prorsus labe integram, ac puram esse, quæ veram sanctitatem suadeat, & ad finem supranaturalem mortales promoueat. Qua de re Paulus [n], *Finis*, inquit, *præcepti est caritas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Eam ob causam scelera, atque flagitia adeò detestatur, vt ne leuissimum quidem mendacium, aut otiosum verbum admittat, quod in alijs sectis longè aliter sentiendum est. Nam Gentiles quidem, vt alia omittam, Deorum multitudinem admittebant, aliaque plurima absurda, atque obscœna vitia probabant, vt Arnobius [o], & Augustinus [p] copiosè docent.

n 1. ad Tim. 1. 5.
o Aduer. gent. præsertim quatuor postremis libris.
p lib. 7. de ciuitate.

A De Mahometanis autem piget dicere, cùm ipsorum Alcoranum sexcentis sit ineptijs, &, quod deterius est, fœdissimis, grauissimisque flagitijs, atque sceleribus refertum. Quod ipsum sentiendum est de perfidis Iudæis, vt ea eorum Talmud meridiana luce clarius [a] apparet.

a Viden. Xystus Senensis lib. 2. 3. Bibliot.

VI. De hæreticis longum esset cuncta percurrere, attingam tamen pauca quædam, quæ adeò absurda sunt, vt vix cuiquam mortalium in mentem venire potuisse videantur. Gnostici, vt auctor est Epiphanius [b], scortationem frequentandam esse docebant, quod ipsum per se palmare flagitium censendum est. Sed illud longè fœdius, quod addunt, vitandum esse quacunque ratione fieri possit conceptum, si fortè sequatur, vi extrahēdum, ac vorandum esse. Carpocrationi, vt idem Epiphanius [c] testatur, B cuique aiebant dandam esse operam, vt ante mortem omnibus sese flagitiis contaminet, alioqui denuò toties ad vitam reuocandum, quoad omnibus sese sceleribus, & criminibus inquinet. Montanistæ verò, auctore Augustino [d], Eucharistiæ sacrificium, quo nihil habet Ecclesia augustius, ex sanguine infantis annui conficiebant. Manichæi, vt idem asserit Augustinus [e], vsque eò desipiebant, vt æquale peccatum esse arbitrarentur, folium ex arbore decerpere, & parentem necare; & ne quid eorum impietati deesset, diuinæ naturæ partes captiuas teneri, atque in omnem æternitatem damnandas esse asserebant; Donatistæ ex Augustino [f], & Theodoreto [g] ex altis mõtibus sese præcipites dabant, vt martyrij palmam assequerentur. C De superioris verò, ac nostri sæculi hæreticis præstat silere, quàm eorum impuras, ac nefarias sententias, cùmque ipsa recta ratione ex aduerso pugnantes pluribus recensere. Itaque apparet, sapientiam, quæ Deum habet auctorem, non modò esse castam, & pudicam, sed omni penitus labe carentem.

b Hæres. 26.
c Hær. 27.
d de hæres. c. 26.
e de hæres. c. 46.
f epist. 50.
g lib. 4. de hæret. fab.

VII. Deinde inquit, *Pacifica*, quod spectat ad proximos: præcipuè enim docet caritatem erga proximos retinendam vsque eò, vt alicubi dixerit Paulus [h], qui diligit proximum, legem omni ex parte seruasse; qui autem caritatem retinet, facilè pacem conseruabit. Ita scribit Paulus [i]: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et mox subdit: *Non vosmetipsos defendentes carissimi. sed date locum iræ.* Quæ verba ita alicubi explicat Cassianus [k]: *Non vosmetipsos*, D ait, *vindicantes carissimi, sed date locum iræ, id est, nequaquam ad vindictam iracundia cogente tendatis, sed date locum iræ, hoc est, non sint corda vestra sic impatientiæ, ac pusillanimitatis angustiis coarctata, vt violentam commotionis procellam, cùm irruerit, sustinere non possint, sed dilatemini in cordibus vestris suscipientes aduersus iracundiæ fluctus, in illis extentis sinibus caritatis, quæ omnia suffert, omnia sustinet. Et ita mens vestra amplitudine longanimitatis, ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recursus, in quibus receptus quodammodo, atque diffusus teterrimus iracundiæ fumus protinus euanescat. Vel certè ita intelligendum est; damus locum iræ, quoties commotioni alterius humili, atque tranquilla mente succumbimus, & quodammodo dignos nos qualibet iniuria profitentes impatientiæ sæuienti obsequimur.*

h ad Rom. 13. 8.
i ad Rom. 12. 18.
k Col. 16. c. 27.

VIII. E Plura in eam sententiam ad illum Pauli locum attulimus. Ad hunc porrò Iacobi sensum referri possunt innumerabilia propemodũ præcepta, quæ apud Salomonem leguntur, quibus ad pacem, & concordiam retinendam cohibenda, ac frænanda ira præcipitur. Quàm autem pax facienda sit, Paulus [l] Apostolus grauissimis verbis docuit. *Pacem*, inquit, *sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.*

l ad Heb. 12. 14.

Se

IX. A Sic semper cùm fideles salutat, pacem cum gratia coniungit, &, quod magis mirandum est, regnum Dei iustitia, & pace, & gaudio in Spiritu sancto definit [a]. *Non est enim, ait, regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Huc accedit quòd Christus apud Marcum [b]: *Habete*, inquit, *in vobis sal, & pacem habete inter vos.* quasi salem sapientiæ retinendum doceat, & eius quidem sapientiæ, quæ pacifica sit. Et apud Ioannem [c]: *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Tametsi enim non desunt, qui pacem internam, hoc est, animi tranquillitatem, intelligant, quæ etiam huius diuinæ sapientiæ beneficio comparatur, plurimi tamen pacem cum proximis accipiunt, quam Christus fidelibus præcipuè commendat. B

a ad Rom. 14. 17.
b cap. 9. ver. vlt.
c cap. 14. 27.

X. Quam ob causam Paulus ad Philippenses scripsit [d]: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Est igitur hæc diuina sapientia pacifica, quia non solùm patientiam, & iniuriarum tolerantiam suadet, sed præcipuè humilitatem docet, quæ ad pacem retinendam plurimùm valet. Christus autem cùm ad suam legem complectendam [e] hortaretur: *Tollite*, inquit, *iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Hanc porrò pacem, atque hunc diuinæ sapientiæ fructum olim vaticinatus est Isaias [f]. *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos; vitulus, & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas.* C Et alibi [g]: *Lupus, & agnus pascentur simul, leo, & bos comedent paleas, & serpenti puluis panis eius, non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.*

d cap. 4. 7.
e Mat. 11. 29.
f cap. 11. 6.
g cap. 65. 25.

XI. Hunc autem esse diuinæ sapientiæ fructum indicat, cùm [h] ait: *Quia repleta est terra scientia Domini sicut aquæ maris operientes.* Certè enim quidquid Iudæi somnient, quæ de immanibus feris, ac domesticis bestiis dicuntur, ad alios, atque alios hominum mores omnino pertinent, significatque Propheta feros, atque agrestes homines diuinæ sapientiæ beneficio ad lenitatem, ac mansuetudinem traducendos, vt vnà cum cæteris mira animorum consensione, & morum suauitate pacificè, ac tranquillè viuant. D Quod enim alicubi monet Apostolus [i], id ipsum omnes sentient, neque alta sapient, sed humilibus consentient.

h cap. 11. 9.
i ad Ro. 12. 16.

XII. Quin etiam id præstabunt, quod alibi [k] à Philippensibus exigit, cùm ait: *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem caritatem habentes, vnanimes, id ipsum sapientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.* Hac enim ratione pax facilè conseruatur, cùm omnis dissensio, & rixa inde oriatur, quòd priuata sua commoda quisque sectatur, quódque se, ac sua plus æquo diligit, & inter cæteros eminere, atque excellere cupit.

k cap. 2. 2.

XIII. Nec pugnat quod alicubi ait Christus [l]: *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium; Ueni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Loquitur enim Christus de impiorum pace, quam improbi perperàm pacem vocant, cùm reuerà malorum concordia, & conspiratio impia quędam consensio sit, quam Christus diuino verbi gladio discindit. Nam si pater filium ad impietatem impellat, aut mater filiam ad scelus pertrahat, nulla est sanguinis, aut propinquitatis habenda ratio; sed, vt alicubi scribit Hieronymus [m], calcandi, & contemnendi sunt parentes potiùs, quàm officium deserendum.

l Mat. 10. 34.
m epist. 1. ad Heliodorū.

XIV. A Quocirca protinus subiicit Christus: *Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Verè igitur ait Christus se cœlitùs gladium in mundum intulisse, hoc est, diuinum verbum, de quo Paulus alicubi dixit [a]: *Et gladium*, inquit, *spiritus, quod est verbum Dei.* Et alibi [b]. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.*

a ad Ephes. 6. 17.
b ad Heb. 4. 12.

XV. Modesta, Græcè, ἐπιεικής, quæ videlicet externas etiam actiones componat, ac moderetur, non quidem, B quod hæretici faciunt, aut hypocritæ, fictè, ac simulatè, sed verè, atque ex animo, & Deo quidem intimum animi propositum, & consilium offerunt, externis autem actionibus cauent, ne proximos vllo modo offendant, aut prauo exemplo aliquo pacto perturbent. Quam ob causam Christus Dominus, qui nihil magis, quàm hypocrisim reprehendit, in hæc verba tamen præcipit [c]. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et Paulus [d] Philippenses monet, vt sint, *sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehēsione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos*, inquit, *luceatis sicut luminaria in mundo.* Laudatur [e] verò Christi Domini præcursor, quòd esset C *Lucerna ardens, & lucens*; quod, vt ait Bernardus [f], *ardere tantùm sit parum, lucere verò tantùm vanum.* Illud quidem parum est, quia proximorum est habenda ratio, usque hactenus consulendum, vt nihil in externis actionibus nostris iure possint reprehendere, aut damnare.

c Mat. 5. 16.
d cap. 2. 15.
e Ioan. 5. 35.
f ser. de S. Io. Bap.

XVI. Quam ob causam apud Matthæum dixit Christus [g]: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris; væ mundo à scandalis, necesse est, vt veniant scandala; verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Et Paulus [h]: *Hoc*, inquit, *iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Quod non modò prauis actionibus contingit, sed plerunque etiam honestis, ac laudabilibus, si aliter, quàm oportet, nullo habito personarum re- D spectu, fiant: Est enim scandalum, offendiculum obiicere, quo alter impingat, & cadat. Itaque Hieronymus [i]: *Quia*, inquit, *crebrò teritur in ecclesiasticis Scripturis scandalum, breuiter dicamus quid significet πρόσκομμα, & σκάνδαλον. nos offendiculum, vel ruinam, & impactionem pedis possumus dicere. Quando ergo legimus, Quicunque de minimis istis scandalizauerit quempiam, hoc intelligimus, qui dicto, factóve occasionem ruinæ cuiquam dederit.*

g cap. 18. 6.
h Rom. 14. 13.
i Matt. 5.

XVII. Ob eam causam rectè alicubi scripsit Gregorius [k]: *In quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus.* Vt enim ait Paulus [l]: *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis.* Et subiicit, vt ostendat propter aliorum scandalum plerunque etiam ab in- E differentibus abstinendum esse: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Idcirco in eum locum scribit Chrysostomus: *Est enim quouis vulnere grauius scandalizare, seu offensionem afferre.*

k li. 9 ep 39. & alibi.
l 1. Cor. 8. 12.

XVIII. Quo loco fusè admodum de vitando scandalo disserit, pertinet autem id ad modestiam, quam diuina sapientia omnibus in rebus retinendam docet, quippe quæ, vt ait Bernardus [m], *Non quærat quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, vt non suam quisque faciat voluntatem, sed consideret quæ sit voluntas Dei.* Porrò Græca vox, ἐπιεικής, vt alicubi monet Theodoretus [n], modestiam significat, qua quis ferre potest ea, quæ in

m ser. 1. de nat. Dom.
n 1 Tim. 3.

ipsum

a 1.Tim.3.5. ipsum admissa sunt. Certè Paulus a Græcam vocem ἐπιεικῆ, videtur opponere voci πλήκτῃ, hoc est, modestum percussori. Censetur autem ea vox æquum bonum significare, vt doceat hoc loco Iacobus, diuinam sapientiam modestam esse, quippe quæ doceat omnia, quæ accidunt in vita, æqui, bonique consulenda, & externas corporis actiones ita temperet, vt neque difficilis, neque inhumanus quisquam videatur. Denique modestia ad alios omnino refertur.

XIX. *Suadibilis*, Græcè εὐπειθὴς, hoc est, *tractabilis*, cui facilè veritas persuadeatur, contra quam faciant hæretici, qui aspidem imitantur: de qua Dauid b: *Furor* b Psal. 57.5. *illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surda, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Possis etiam passiuè interpretari, vt *tractabilis* dicatur sapientia, &, vt ait Interpres, *suadibilis*, quòd sit adeò rationi consentanea, vt facilè cuiuis prudenti, & cordato persuaderi queat. Quæ enim diuina sapientia continet, quæ naturæ humanæ imbecillitatem longè superant, vt sunt Trinitatis mysterium, Christi incarnatio, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, & si quæ sunt alia eiusmodi, à calumniis Philosophorum ita perspicuè defenduntur, vt appareat cum recta ratione nequaquam pugnare, sed potiùs excelsum quiddam de diuina maiestate indicare. Ipsa enim recta ratio docet Deum, ac diuina quippe à nostris sensibus remotissima, magna cum difficultate percipi, & cognosci posse.

XX. Quocirca Aristoteles c ait, vel minimam rerum diuinarum notionem cuiuis humanæ scientiæ anteferendam esse. Et Solon apud Clementem Alexandrinum d Deum vocat γνώμης ἀφανὲς μέτρον, id est, *mensuram cognitionis*, quæ difficilè comprehendatur. Quod etiam Agrigentini poëtæ testimonio confirmat; cúmque attulisset illud Ioannis e, *Deum nemo vidit vnquam*, subdit, *propterea Deum à nonnullis vocari profundum, quòd eum vix quisquam assequatur.* Et plura in eandem sententiam scribit. Post multa autem Epicuri auctoritate probat Deum ab vllo mortalium capi nequaquam posse; pau'ò antè verò protulerat Platonis sententiam, cuius meminit etiam Gregorius Nazianzenus f, qua dixit, *Deum inuenire difficile esse, vbi verò inueneris, aliis explicare planè nefas.*
c li. 1. de par. anim. c. 1.
d li. 5. Strom.
e cap. 1. 18.
f orat. 2. de Theol.

XXI. Plura in hanc sententiam scribit Iustinus g, qui penè eadem habet cum Clemente: Et tamen apud Philosophos, multa de Deo, rebusque diuinis cùm absurda, tum rationi maximè repugnantia leguntur. Itaque Iustinus Platonis de Deo sententias perstringit, qui tamen, si Clementi h Alexandrino credimus, multa videtur à Mose mutuatus. Aristoteles autem, qui Philosophorum habitus est sapientissimus, grauissimorum i virorum sententia, diuinam prouidentiam ad ea, quæ sunt infra lunam, negauit pertinere. Qui verò eum maximè excusant, singularia à diuina prouidentia eum exemisse non dubitant k. Præterea alicubi l apertè negat, Deum curam gerere fortunorum. Alibi m Deum tanquam motorem cœlesti orbi affigit, eíque reliquas mentes penè æquat; quæ sunt omnia prorsus Deo indigna; vt interim omittam alia Philosophorum somnia.
g orat. paren. & in lib. de Monarch.
h li. 5. Strom.
i Cle. A. ca. 5. Stro. Iust. de err. Arist. Tatian. or. con. gen. Greg. Naz. or. 1. de Theol. Ep. p. in Compend. doct. non proc. alt. inn. Ambrosi. lib. 1. off. c. 13.
k Them in paraph. duo dec. metaph. Aue. ibid. Aler. lib. de fato, & li. 2. nat. quæst.

XXII. Diuina porrò sapientia, quam fides Catholica profitetur, nihil falsi, aut absurdi proponit, vt luculenter contra Philosophos, & hæreticos ostenderunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Iustinus, Quadratus, Athenagoras, Aristides, Milciades, Egesippus, Melito, Cyprianus, Irenæus, Apollinaris, Lucianus, Martytes, Methodius, alter Apollinaris Laodicenus, Iacobus Nisibensis Episcopus, Lactantius, Arnobius, Minutius, Felix, Hermias, Sozomenus, Philoponus,
l lib. de bon. fortun.
m li. 12. Metaph.

A Eusebius, Theodoretus, Augustinus, Paulus Orosius, Saluianus, & alij.

Iam verò in iis, quæ ad mores, & vitam pertinent, non modò nihil continet, quod naturæ, & rectæ rationi aduersetur, sed est penitus ab omni vitio, & labe aliena, vt meritò dixerit Dauid a: *Lex Domini immaculata*. Et Augustinus b: *Nihil ibi, inquit, turpe, ac flagitiosum spectandum imitandúmque proponitur, vbi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.* Cùm tamen Philosophorum familiæ, & Gentilium sectæ grauissima, & turpissima scelera, vt ex Theodoreto c colligi potest, vel permitterent, vel etiam probarent. Lycurgi leges impunitatem adulteriis concedebant. Persæ incesta coniugia admittebant. Apud Massagetas moribundi à suis vorabantur. Tybarenorum senes ex altis turribus deiiciebantur. Hyrcani mortuá corpora canibus obiiciebant; Scythæ viuos cum mortuis sepeliebant. Plato d præposteram libidinem ita commendat, vix vt à Socratico Xenophonte, & aliis defendi, aut excusari queat. Alibi e vxores voluit esse communes. Aristoteles autem fas esse putat, partum abigere, & liberis necem parare. XXIII.
a Psal. 18.
b lib. de ciu. c. 28.
c li. 9. de cu. ran. Græc. affect.
d li. 3. de leg.
e lib. de rep.

B

Alia sexcenta commemorari possent, à quibus longissimè abest cœlitus accepta sapientia, quæ meritò à Iacobo dicitur εὐπειθὴς, hoc est, quæ facilè persuaderi possit, cùm sit rectæ rationi mirè consentanea. Quod non solùm de vniuersa Christi doctrina accipiendum est, sed etiam multò magis de ea sapientia verissimè affirmatur, quam plerunque piis mentibus Deus immortalis instillat. Vt enim scribit f Salomon: *Est in illa spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes Spiritus intelligibilis, mundus, subtilis: omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia, attingit autem vbique propter suam munditiam.* Quem locum eleganter explicat Ambrosius g. Tametsi autem de increata sapientia, hoc est, Deo immortali, vel etiam de sapientia genita, id est, Verbo æterno, verissimè affirmantur, suo tamen modo etiam sapientiæ creatæ, ac diuinitùs traditæ aptari queunt; præcipuéque ei sapientiæ, quæ inter Spiritus sancti dona primum occupat locum. De qua alibi plura dicenda erunt. XXIV.
C
f Sap. 7. 22.
g li. de incar. Dom. mysteri. in fin.

D

Plena misericordia, & fructibus bonis. Neque enim hæc diuina sapientia sola rerum cognitione, contemplationéque contenta est, sed actionem quoque complectitur, quippe cùm ad caritatem maximè referatur, quæ est veluti fons, atque origo bonarum, & laudabilium actionum. Quam ob causam Christus Dominus apud Ioannem h: *Qui habet, inquit, mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Et post pauca i: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et mox: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Post multa verò k: *Manete in dilectione mea, si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Vniuersa autem Christi lex, vt Christus l ipse, & Paulus m Apostolus apertè docuerunt, caritatis præceptis concluditur. Ad caritatem autem potissimum spectant beneficentiæ, & misericordiæ opera, ita prorsus, vt Ioannes n Apostolus affirmarit, eum esse à Dei caritate alienum, qui misericordiæ opera neglexerit. *Qui habuerit, inquit, substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Ac propterea rectè subdit. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* XXV.
h cap. 14. 21.
i vers. 23.
k cap. 15. 10
l Mat. 22. 40.
m Ro. 13. 10.
n ep. 1. c. 3. 17
E

Rectè itaque ait Iacobus sapientiam plenam esse XXVI.
mi cri

misericordia, nihil enim magis in sacris literis com- A
a cap. 1. mendatur, vt supra [a] ostensum est. Fructus autem bo-
nos cæteras omnes virtutes appellat Iacobus, cón-
que potissimùm fructus indicat, quos recenset Apo-
b Gal. 5.22. stolus [b]. *Fructus autem spiritus*, inquit, *est caritas, gau-
dium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,
mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* De qui-
bus eo loco plura diximus. Hanc vtique sapientiam
* cap. 3.20. negat Baruch * Propheta iis fuisse cócessam, qui suis
confisi viribus, eam in rebus creatis consequi se pos-
se sperarunt. *Viam*, inquit, *disciplinæ ignorarunt, ne-
que intellexerunt semitas eius.* Et paulo post, *Viam au-
tem sapientiæ nescierunt, atque commemoratæ sunt semitas
eius.*

XXVII. Rursus. *Neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea* B
*perierunt, & quoniam non habuerunt sapientiam, interie-
runt propter suam insipientiam.* Postmodum verò so-
lum Deum huius diuinæ sapientiæ auctorem facit.
Hic est, inquit, *Deus noster, & non æstimabitur alius ad-
uersus eum; hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tra-
didit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. post hæc in
terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Hanc
sapientiam profitetur Moses se diuinitùs accepisse, &
c Deut. 4. 5. Hebræorum genti tradidisse [c]. *Scitis*, inquit, *quod do-
cuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit mihi
Dominus Deus meus. Sic facietis ea in terra, quam possef-
suri estis, & obseruabitis, & implebitis opere. Hæc est enim
vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt au-
dientes vniuersa præcepta hæc dicant. En populus sapiens,
& intelligens, gens magna.*

XXVIII. *Non iudicans, sine simulatione.* Græcè, ἀδιάκριτος ἀ-
νυπόκριτος, quasi dicat, *absque diiudicatione, & simula-
tione*; mirum, cur dicat Iacobus hanc sapientiam non
d ep. 1. c. 2. 15. iudicare, cùm Paulus [d] ad Corinthios scribat: *Spiri-
tualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Sed
nimirum, vt ad illum locum monui, significat Paulus
spirituali vim quandam diuinitùs concessam esse,
qua suo iusto pondere omnia metiatur, bonáque à
malis probè distinguat, humanarum denique ratio-
num vim prudenter expendat; vt nulla inani rerum
specie, aut fuco decipi queat. Additque Chrysosto-
mus iudicandi verbum eo loco perinde valere, acsi
dixisset Apostolus spiritualem omnia arguere; in præ-
sentia autem Iacobus negat diuinam scientiam te-
e cap. 7. 1. merè iudicare; nam & Christus apud Matthæum [e].
Nolite, inquit, *iudicare, vt non iudicemini; in quo enim iu-* D
*dicio iudicaueritis, iudicabimini; & in qua mensura mensi
fueritis, remetietur vobis.* Primùm enim monet non es-
f Can. 5. se temerè iudicandum, præsertim, vt interpretatur
Consentit Ambr. lib. de parad. c. 5. Hilarius [f], *de iudiciis, ac promissis Dei.* Deinde, vt ma-
nult [g] auctor imperfecti, seueritatem iudicij damnat,
g Hom. 17. qua in proximos sententiam ferimus.

XXIX. Euthymius, & Theophylactus iudicare idem vale-
h Basil. in reg. br. 164 re putant, quod condemnare; plurium tamen [h] sen-
Chrys. hom. tentia docet iudicium prohiberi, & curiositatem in
24. Anast. q. alienos mores inquirendi. Et quidem quod eo loco
83. Aug. li. 2. prohibet Christus, id in præsentia à diuina sapientia
de ser. Dom. alienum docet Iacobus, quod multo magis facit ca-
in mon. & ser. 202. de temp. Hier. pite sequenti. Et Paulus [i]. *Tu*, inquit, *quis es, qui iudicas* E
alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit. Qui ergo
Beda, Ruper. hac diuina sapientia præditus est, nihil temerè aduer-
in ill. loc. sus fratrem iudicat; multa enim sunt, quæ cùm huma-
i Rom. 14. 4. nam scientiam, & cognitionem effugiant, diuino iu-
k 1. Cor. 4. 5. dicio reseruantur, de quibus scribit Paulus [k]. *Nolite
ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui &
illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia
cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

XXX. Nihil ergo diuina sapientia temerè iudicandum
docet, ac propterea dicitur, *non iudicans*, quod pro-
fectò de iis accipiendum est, quæ non sunt apertè, &

A perspicuè mala, de quibus Paulus [a]: *Quorundam*, in- a 1. Tim. 5. 24.
quit, *peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium.* Sed
in iis, quæ dubia sunt, non vltrà iudicandum docet,
quàm quo nos indicia, & coniecturæ ducunt; quæ
verò bene, ac malè interpretari possumus, nefas esse
malè iudicare; quippe cùm caritas, quam cælestis
hæc sapientia colendam, ac retinendam docet, non
cogitet malum, vt alicubi scribit Paulus [b]. Qui [c] hoc b 1. Cor. 13. 5.
iudicium alibi reprehenderis ait: *Tu autem quid iudi-* c Ro. 14. 10.
cas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Et
aliquantò [d] pòst: *Non ergo amplius inuicem iudice-* d vers. 13.
mus.

Id verò iudicium de externis quidem actionibus XXXI.
prohibetur, quæ bonam in partem accipi possunt,
B sed multò minùs de proximi animo, & consilio iudi-
candum est. Quamobrem dixit Augustinus, *facta,
quæ dubium est, quo animo fiant, meliorem in partem acci-
pienda esse.* Illud verò addiderim, quò maximè Chri-
sti oratio pertinere videtur, nemini quidem licere, de
proximis temerè iudicare, sed iis minimè, qui iisdem,
aut fortè etiam maioribus criminibus tenentur ob-
stricti: hos enim, qui curiosè de aliorum leuioribus
culpis iudicant, perstringit Christus [e], cùm ait: *Quid* e Mat. 7. 3.
*autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo
tuo non vides? aut quomodo dicis fratri tuo, Sine eiiciam fe-
stucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita,
eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere
festucam de oculo fratris tui.* Et Paulus [f] in eandem f Rom. 2. 1.
sententiam; *propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis,*
C *qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, te ipsum condem-
nas, eadem enim agis, quæ iudicas.* Quam ob causam di-
xit hoc loco Iacobus, cælestem hanc sapientiam, non
solùm alienam esse à iudicio, sed etiam à simulatio-
ne, atque hypocrisi. Ait enim:

Sine simulatione. Tantùm enim abest, vt hæc sapien- XXXII.
tia simulationem, aut hypocrisim admittat, vt ab ea
quàm maximè abhorreat. Verè namque scripsit Sa-
lomon [g]: *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum,* g Sap. 1. 5.
& auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu: his
enim verbis probat Salomon, quod paulò antè [h] di- h vers. 4.
xerat: *In maleuolam animam non introibit sapientia, ne-
que habitabit in corpore subdito peccatis.* Vt fictionis no-
mine significare videatur peccatum, quod verè fi-
ctionis, hypocrisis, doli, ac mendacij appellationem
sortitur; dum enim quis peccato obstringitur bonum
D aliquod appetit, & in illo implicitè, atque inuolutè
Deum quærit, à quo tamen explicitè recedit; atque
ita aliquo pacto mentitur in rebus creatis finem vl-
timum collocans, vbi reuerà esse nullo modo potest,
& fortasse Apostolus hanc hypocrisim, ac simulatio-
nem hoc loco à cælesti, ac diuina sapientia alienam
esse docet. Est enim hæc sapientia propria Sancto-
rum, de qua Salomon [i]. *Hæc profugum iræ fratris iu-* i Sap. 10. 10
*stum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei,
& dedit illi scientiam Sanctorum.*

Eandem paulò pòst fatetur se sine fictione didicis- XXXIII.
se, & sine inuidia communicare, & honestatem illius
non abscondere. Denique dum eius præstantiam, ac
E dignitatem laudat, *neminem enim*, inquit, *diligit Deus,
nisi eum, qui cum sapientia inhabitat: Est enim hæc specio-
sior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci com-
parata inuenitur prior: illi enim succedit nox, sapientiam
autem non vincit malitia.* Libet autem hoc loco aurea
quædam Gregorij [k] verba adscribere, quibus ille, vt k libr. 10.
solet, elegantissimè vtramque sapientiam suis veluti Mor. cap. 16.
coloribus exprimit. aliàs 2 ;.

Huius, inquit, *mundi sapientia est cor machinationibus* XXXIV.
*tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere,
quæ vera sunt, fallacia demonstrare. Hæc nimirum pruden-
tia vsu à iuuenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur; hanc*

qui

qui sciunt ceteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt subiecti, & timidi hanc in aliis mirantur, quia ab eis haec eadem duplicitas iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis peruersitas vrbanitas vocatur. Hac sibi obsequentibus praecipit honorum culmina quaerere, adepta temporalis gloria vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cùm vires suppetunt nullis resistentibus cedere, cùm virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare. At contrà sapientia iustorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere, nullam iniuriae vltionem quaerere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed haec iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur: B omne enim, quod innocenter agitur, ab eis proculdubio stultum putatur, & quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientiae fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo, quàm mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas iniuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quaerere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti maxillam alteram praebere?

18. *Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.*]

I. Concludit totum hoc caput, & paucis ostendit, quid tanquam finis Christiano spectandum sit, quáque ad eum ratione peruenire queat, idémque aliquatò obscuriùs significat, quod olim dixerat Isaias [a]: C
a cap. 5. 10. *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* Et Paulus [b]: *Quae seminauerit homo, haec & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.*
b ad Gal. 6. 8.
Itaque vita aeterna, & immortalitatis gloria fructus est iustitiae, quem tanquam finem spectare debemus; idque diuina sapientia potissimùm docet, quae à iactantia, & ostentatione plurimùm abest, nec proximorum famam, noménque traducit, non iurgia, & contentiones miscet, sed omnes Christianas virtutes mirabiliter amplectitur. Neque enim, vt ait Bernardus [c], *in suo sensu abundat, sed alieno potiùs consilio, iudicióque acquiescit.*
c serm. 1. de nat. Dom.

II. Huic autem diuinae sapientiae, quae cum iustitia, & sanctitate coniuncta est, diuinae naturae contemplatio, & perfectissima quaedam sapientia, tanquam merA ces, ac praemium iure debetur. Hunc planè iustitiae fructum, tanquam ex semente ex pace colligimus, ac propterea ait Iacobus, *Fructus iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.* Nam, vt ait Origenes [a], Deo grata, atque accepta esse opera nostra nequaquam possunt, nisi in pace peragantur; quod adeò verum est, vt ne sacrificium quidem eius Deo placere possit, qui cum fratre non redit in gratiam: ait enim apud Matthaeum [b] Christus Dominus, *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*
a hom. 13. in Leuit.
b cap. 5. 23.

III. Quo loco rectè Cassianus [c]: *Quia plerunque, ait, seu laesos fratres, & contristatos contemnimus, vel certè non vitio nostro dicentes eos offensos despicimus, animarum medicus, & occultorum conscius occasiones iracundiae volens radicitùs à cordibus nostris euellere, non solùm si laesi fuerimus, iubet nos remittere, & reconciliari fratribus nostris, nullámque aduersùs eos iniuriae, seu laesionis memoriam retinere, sed etiam si illos aduersùs nos seu iustè, seu iniustè habere aliquid nouerimus, similiter praecipit, vt munus nostrum relinquentes, id est, compescentes orationes nostras ad eorum priùs satisfactionem tendere festinemus, & ita fratris curatione praemissa orationum nostrarum munera illibata deferre. Non enim ita nostris obsequiis communis omnium Dominus delectatur, vt quod in vno acquiris, perdas in altero dominante tristitia. In cuiuslibet namque dispendio vnum patitur detrimentum, qui eodem modo omnium famulorum suorum salutem desiderat, & expectat. Et idcirco aequè habente aliquid aduersum nos fratre, inefficax erit oratio nostra, ac si nos aduersùm eum tumenti spiritu indignationis amaritudinem reseruemus.*
c lib. 8. de instit. renunc. c. 13.
Et alibi [d]: *In tantum igitur non vult nos Dominus noster alterius despectui habere tristitiam, vt si aliquid aduersùm nos frater habuerit, nec munera nostra suscipiat, id est, nec orationem sibi à nobis permittat offerri, donec de animo eius tristitiam iustè iniustéve conceptam celeri satisfactione tollamus. Neque enim ait, si habet veram querelam aduersùm te frater tuus, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliare ei; sed si recordatus fueris, inquit, quia frater tuus aliquid habet aduersùm te, id est, si leue aliquid, ac vile sit, quo fratris in te fuerit excitata commotio, & hoc memoriam tuam subita recordatione pulsauerit, scias te offerre precum tuarum spiritalia munera non debere, nisi priùs qualibet ex causa ortam tristitiam de corde fratris benigna satisfactione depuleris.*
d Col. 16. c. 16.
Itaque hoc est, quod ait Iacobus, *Fructus iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.*

Quarti

Quarti Capitis Argumentum.

CVM multa superiori capite de terrena, animali, & diabolica sapientia disseruerit, docuerítque inde contentiones, obtrectationésque existere, quòd illa indignationem, atque iniquam æmulationem foueat, id nunc vberiùs, vehementiúsque pertractans prauas cupiditates malorum omnium fontem, atque originem esse docet, & dum illas acriùs perstringit, prauos nonnullorum mores seuerè castigat, & ad Christianas virtutes, præcipuéque ad humilitatem, & modestiam hortatur, inanem interim rerum humanarum sollicitudinem damnans.

CAPVT IV.

1 *VNDE bella, & lites in vobis? Nónne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.*

2 *Concupiscitis, & non habetis, occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci, litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulatis.*

3 *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.*

4 *Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.*

5 *An putatis, quia inaniter Scriptura dicat: Ad inuidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis?*

6 *Maiorem autem dat gratiam, propter quod dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

7 *Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.*

8 *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo.*

PARAPHRASIS.

VNDENAM, obsecro, bella, contentiones, ac lites inter vos existunt? An non potissimùm ex voluptatum illecebris, & prauis cupiditatibus vestris, quæ in sensibus, & facultatibus animi vehementiùs excitantur, & aduersùs rectam rationem veluti agmine facto, importunè præliantur? ¶ Ita sanè fit, vt miris cupiditatibus æstuetis, nec ea tamen assequamini, quæ cõcupiscitis; inuidiæ, & zelotypiæ stimulis agitamini, & nonnunquam etiam odio inflammamini, nullo tamen euentu, ac planè frustrà; lites denique ac pugnas irrito conatu suscipitis. &, vt ego quidem interpretor, propterea adipisci non potestis, quæ tantopere cupitis, quia à Deo bonorum largitore non petitis. ¶ Quòd si fortasse preces ad eum interdum funditis, nullum inde propterea fructum percipitis, quòd malo animi proposito quædam ab illo flagitetis, vt voluptatibus indulgeatis, & peruersis cupiditatibus vestris obsequamini. ¶ Date verò mihi hanc veniam, vt asperiori vos oratione compellem. Adulteri, inquam, & adulteræ an ignoratis huius sęculi nequam amicitiam adeò à Deo esse alienam, vt nihil propius sit, quàm vt inimicitias cum Deo gerere videatur? Sic igitur habetote eum, qui malit cum sæculo amicitiam inire, continuò illi cum Deo inimicitiam subeundam esse? ¶ An putatis falsò, aut frustra sacrarum literarum auctoritate proditum esse diuinum Numen, quo in Sacramento baptismatis imbuti estis, ita sese cum mortalibus gerere, vt improbos quidem, & sæculi amatores, quibusdam quasi inuidiæ stimulis exagitet? ¶ Certè iustis longè abundantiorem gratiam largitur. Quamobrem sapienter à Salomone scriptum est, Deum superbis reluctari, humilibus autem, ac modestis gratiam impertiri. ¶ Itaque auctor vobis sum, vt vosmet Deo dicto obsequentes penitus subiiciatis, contra verò diabolo mala suadenti obluctemini: ita enim fiet, vt victus, aut prostratus aufugiat. ¶ Vos verò quoad eius fieri potest, ad Deũ propè accedite, eique ex animo adhærescite, siquidem ille vicissim propior vobis fiet, vos verò, qui sceleribus, atque flagitiis implicati tenemini, vitiorum sordes penitus abluite, & qui duplices estis animo, puram, ac sinceram mentem induite.

¶ Omnino verò, quem par est, dolorem animo concipite, in luctum, & ploratum soluimini, risus vester in lacrymas conuertatur, & gaudio mœror, tristitiáque succedat. ¶ Deiicite vos, & coram Deo modestiam, atque humilitatem complectimini, vt sua ille vos munificentia ad immensum honorem, & gloriam extollat. ¶ Iam verò cum proximis ita planè versemini, vt nullus obtrectationi pateat locus: sic enim vobis persuasum esse percupio, eum, qui fratris mores carpit, & quasi iudex contra illum temerè fert sententiam, diuinam quodammodo legem accusare, &, si Deo placet, etiam damnare, quòd si legem damnas, non legis cultorem, sed iudicem te præbes. ¶ Et tamen vnus est verè supremus legislator, & iudex, qui sua diuina sapientia, potentiáque & salutem afferre potest, & ad sempiternum supplicium damnare. ¶ Tu verò quem tandem te esse putas, qui alienas actiones in iudicium voces, & tuo suffragio damnes? Age nunc, quid de vobis dicam, qui ita vobiscum ipsi rationes subducitis, vt dicatis: Hodie, aut cras in hanc, vel illam vrbem commigrabimus, ibique integrum annum non sine compendio morabimur, frugiferam quippe mercaturam exercebimus, atque adeò ingẽs faciemus lucrum? ¶ Qui tamen prorsus ignoratis, quid crastina dies allatura sit, & nũ superstites ipsi esse possitis. Quid enim quæso, est mortalis hæc, atque imbecilla vita, quam ducitis? Equidem si verum fateri velim, nihil mihi aliud videtur esse, quàm tenuis quidam halitus, & exiguus vapor, qui vix puncto temporis perseuerat, & illicò euanescit, ac diffluit. ¶ Et tamen longas vobis & diuturnas spes proponitis vestris duntaxat viribus nixi, perinde quasi nulla diuina ope ac præsidio egeatis, aut imminens mors neutiquam vobis metuenda sit, quos æquum esset, omnibus vestris consiliis diuinam voluntatem præponere, & mortis recordatione temperare, vt quicquid agendum, moliendúmve sit, hac veluti præfatione inchoetur; si Domino libuerit, aut superstites erimus, hoc, aut illud perficiemus. ¶ Nũc autem contra alia omnia fiunt. Sic enim animo constituti, comparatique estis, vt vestris omnia viribus tribuenda putetis; ita fit vt arroganter vos, vestráque iactetis, & in hac iactatione, atque inani prędicatione, supra quàm dici, credíve potest, exulteris, atque, vt ita dicam, triumphetis. Et tamen istæc tam leuis, atque inanis exultatio, cùm per se improba est, & nefaria, tum à malo fonte promanat. ¶ Esto igitur hæc vna huiusce capitis clausula, quæ magisterium ecclesiasticum ambientes potissimùm perstringit. Eum, qui recta nouerit, probéque perspexerit, quid agendum, fugiendúmve sit, aliter tamen, quàm faciendum intelligit, vitæ suæ rationes composuerit, nec reipsa effecerit, quæ facienda esse non ignorat; grauissimo piaculo inquinari, & nisi resipiscat, sempiternis suppliciis adiudicandum fore.

9 *Miseri estote, & lugete, & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*

10 *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.*

11 *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex.*

12 *Vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare.*

13 *Tu autem quis es qui iudicas proximum? Ecce nunc qui dicitis; hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.*

14 *Qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

15 *Pro eo, vt dicatis: Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

16 *Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis maligna est.*

17 *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*

IN CAPVT QVARTVM EXPLANATIO.

1. *Vnde bella, & lites in vobis? Nónne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*]

L CRE, ac vehemens orationis initium, vt suspicari liceat, respexisse Apostolum ad quorundam Hebræorum mores, quos videtur indicare Lucas in Actis Apostolicis [a], cùm ait occasione legalium cerемoniarum, non modicam fuisse aduersùs Paulum, & Barnabam seditionem excitatam. Et quoniam liuorem, atque amarulentiam superiori capite non leuiter pupugerat, nunc vniuersim prauas cupiditates accusat, *Vnde lites*, contentiones, & bella existunt. Animus enim prauè affectus, siue mortalia, & caduca bona ardentiùs appetens, siue inter cæteros excellere ambitiosè cupiens, facilè non verborum modò rixas, & contentiones, sed etiam pugnas, & bella concitat. Meritò itaque Iacobus quærit vnde bella, & lites inter fideles exoriantur. Certè enim qui animi perturbationes sedatas habet, qui nihil cupit, neminem odit, nulla denique praua cupiditate concutitur, is nec facilè irascitur, nec quemquam lædit, nec ab alio læsus temerè ad arma confugit.

a cap. 15. in init.

II. Itaque rectè alicubi Seneca [b] scripsit: *Quæ nos dementia exagitat, & in mutuum compellit exitium? Vela ventis damus bella parituri, & periclitamur periculi causa. Incertam fortunam experimur, vim tempestatum nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulturæ. Non erat tanti, si ad pacem per ista veheremur. Nunc autem cùm euaserimus tot scopulos latentes, & insidias vadosi maris cum effugerimus, procellosos desuper montes, per quos præceps innauigantes ventus impingit, cum inuolutos nubilo dies, & nimbis, ac tonitruis horrendas noctes, cum turbinibus diuulsa nauigia, quis erit huius laboris, ac metus fructus? quis nos fessos tot malis portus excipiet? Bellum scilicet, & obuius in littore hostis, & trucidandæ gentes, tractura magna ex parte victorem, & antiquarum vrbium flammæ? Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus scribimus directuros aciem in mediis fluctibus? Quid maria inquietamus? parum videlicet ad mortes nostras terra latè patet. Nimis delicatè fortuna nos tractat, nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem, non depopulatur nos casus incurrens, emetiri cuique annos suos ex commodo licet, & ad senectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata cessantia. Miseri quid quæritis? Mortem, quæ vbique superest? petet illa vos in lectulo, sed vbique innocentes petat; occupabit vos in vestra domo, sed occupet nullum molientes malum. Hoc verò quid aliud quis dixerit, quàm insaniam, circumferre pericula, & ruere in ignotos, iratum sine iniuria occurrentia deuastantem, ac ferarum more occidere quem non oderis?*

b lib. 5. nat. quæst. c. 18.

III. Alia deinde plurima addit, quibus ostendit, quàm sint bella detestanda, quámque abhorreant ab humanitate, cùm ne immanes quidem feræ, non *nisi ex fame aut prouocatæ vnguem, aut dentem arment.* Nam lites quidem, & forenses contentiones, quibus fora, & tribunalia perstrepunt, quàm sint à Christiana disciplina alienæ, docuit Paulus Apostolus, cùm ad Corinthios [c] scripsit: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.*

c ep. 1. c. 6. 7.

A Quo loco Ambrosius [a], & alicubi Augustinus [b] fideles à forensibus contentionibus magnopere reuocant, putántque Pauli sententiam esse verbis Christi consentaneam, qui apud Matthæum [c]: *Ergo*, inquit, *dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram, & ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo, & alia duo.*

a ad Cor. 6. b in Enchir. cap 78. c cap. 5. 39.

IV. Quæ, vt alibi [d] diximus, quatenus vindictam, & vltionem prohibent, vim præcepti continent, alioqui non ita accipienda sunt, vt verba significāt, cùm plerumque sui defensio iusta sit, & interdum etiam necessaria. At vniuersim Iacobus bella, & lites damnare videtur. Quod suspicari quis posset, pertinere ad Manichæorum errorem, non ita pridem à Nouatoribus quibusdam ab inferis reuocatum, qui asserunt nefas esse Christianis vllo pacto bellum gerere. Quem errorem fusè confutat Augustinus [e]; & ex disputatione Ioannis apud Lucam, planè liquet, artem bellicam nulla ratione damnandam esse: cùm enim eum milites interrogarent [f]: *Quid faciemus & nos?* Respondit. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.*

d 1 ad Cor. 6. 7. n. 3. e lib. 22. in con. Faust. c. 74. & deinceps. f cap 3. 14.

V. Quod profectò non dicturus erat Ioannes, si nefas existimasset stipendia facere: nam alioqui eos ab arte militari omnino reuocasset; & Christus ipse Centurionem illum, cuius apud Matthæum [g] tantopere
B laudauit fidem, ab armis abstinere iussisset. Itémque Petrus in Actis Apostolicis [h] Cornelium alterū Centurionem ab eo vitæ genere reuocasset, si nullo pacto Christiano homini liceret arma tractare. Multò autem ineptiùs delirauit fanaticus [i] hæreticorum princeps, qui negat fas esse Christianis Turcas armis appetere. Certè Augustinus [k], *Non quæritur*, inquit, *pax, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas.*

g cap. 8. 10. h cap. 10. i Luther. k ep. ad Bonif. Com.

VI. Illud autem potissimùm quærendum est, vt belli suscipiendi iusta sit causa: neque enim probanda est ea causa, quam Sallustius [l] vetustissimam esse affirmat. *Vna*, inquit, *& ea vetus causa bellandi, pro-*
C *funda libido imperij, & diuitiarum.* Quò spectans Tibullus [m] dixit:

Diuitis hoc vitium est auri.

& Ouidius [n]:

Aurum ferro nocentius.

Et apud Tacitum [o] Cerealis: *Aurum, & opes præcipuæ bellorum caussæ.* Et alius quidam apud eundem [p]: *Id in summa fortuna æquius, quod validius, & sua retinere priuatæ domus, de alienis certare regiam laudem esse.* At multò aliter Christiana fides, ac religio, rectáque ratio docet. Verè namque scripsit Augustinus [q]: *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nomi-*
D *nandum est?*

l in coniur. Catil. m lib. 1 eleg. 10. n lib. 1. Metam. o lib. 4. hist. p lib 15. Annal. q lib. 4. de Ciuit.

VII. Ita olim Alexandrum orbis terræ prædonem meritò vocatum esse accepimus, qui effrænata tantùm imperandi libidine quietos populos, & à notitia sui quoque sepositos scrutatus est, & bello vexauit. Et profectò non barbarum modò, sed ferinum est,

nulla accepta iniuria cædes, & vastationes inferre. In sacris porrò literis, iusta plurima bella recensentur, quæ Deo imperante suscepta sunt. Qua de re ita alicubi Augustinus [a]: *Hoc genus belli sine dubitatione iustum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & qui nouit quod cuique fieri debeat, in quo exercitus non tam auctor belli, quàm minister iudicandus est.* Et alibi [b]: *Mandati huius non potest iniustum esse iudicium: mandatum enim Dei est, de quo non iudicandum, sed ei obtemperandum fuit. Ille enim nouit, quàm iustè mandauit, ad seruum autem pertinet obedienter facere, quod mandauit.*

a quæst. 10. in lib. Ios.
b quæst. 6. in Exod.

VIII. Huc videntur pertinere bella, quæ in sacris literis dicuntur Domini; alicubi [c] enim nominatur *Liber bellorum Domini*. Et Dauid [d] prælia dicitur: *Bella Domini*. Accedunt plurima Patrum testimonia, Ambrosij [e], Augustini [f], Bernardi [g], & aliorum. Quod verò ad iustam belli causam spectat, multi [h] multa scripsêre. Et quidem iustam belli causam nonnulli putant esse promouendæ, atque amplificandæ religionis studium, atque ita licere putant idolorum cultores bello lacessere, vt ab ea impietate reuocentur, si modò priùs moniti obtemperare recusent. Id colligunt ex Deuteronomio [i] præcipit enim Deus in hæc verba: *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite, disperdite nomina eorum de locis illis.*

c Num. 21. 14.
d 1. Reg. 18. 17.
e 1. off. 40 & ser. 5.
f lib. 3. de ciuit. c. 10. lib. 4. c. 15. li. 19. c. 7. ep. 4. 50. 205
g ad milit. temp. c. 12 3. & lib. 2. de consid. ad Eug.
h Gab. in 4. d. 159. 4. Alfons. à Cast. lib 2 de iust. her. pun. c. 14 Sepulueda, & alij
i cap. 12. 2.

Quod multò magis sentiendum existimant, licere aduersùs eos arma capere, qui à vero Dei cultu recesserint. In eodem enim Deuteronomio ita loquitur Dominus:

IX. *Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoratis, quære sollicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia, quæ in illa sunt vsque ad pecora*, &c. Quam ob causam vniuersa multitudo populi Iudaici bellum suscepit aduersùs Rubenitas, quos putabant à veri Dei cultu defecisse.

X. Verùm si agatur de prohibendo idolorum cultu, & traducendis infidelibus ad fidem, certum est, nullam esse in Ecclesia potestatem cogendi infideles non subiectos ad Christianam fidem suscipiendam, quæ est communis Theologorum [k] sententia. Et quidem Christus eùm [l] Apostolos ad prædicandum misit, tantùm abest, vt eos armis instruxerit, quibus mortales ad fidem compellerent, vt potiùs dixerit mittere se illos tanquam agnos, seu oues inter lupos. Atque ita veteres Patres vocandos docuerunt omnes ad fidem, nullo autem modo compellendos. Itaque Tertullianus [m]: *Videte enim*, inquit, *ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere, quem nolim. Nemo se ab inuito coli vellet, ne homo quidem, atque adeò & Ægyptiis permissa est tam vana superstitionis potestas, auibus, & bestiis consecrandis, & capite damnandis, qui aliquem huiusmodi Deum occiderit.*

k Scholast. in 4. d. 4. vbi Duran. q. 6. Palud. q. 4. Ricar. a. 6. a. 3. q. 1. D. Th. 2. 2. q. 10. a. 4 Syluest. verb. Baptism q. 6 Anton. 2. p tit. 12. c. 3. §. 1. Abulen. in 1. Reg. q. 181 Alfon. à Cast. lib. 2. de iust. her. pun. c. 14. Vict. relec. de Ind. p. 1 n. 39. Sot. in 4. d 9. q. 1. a. 10.
l Mat. 10. 16. & Luc. 10. 3
m in Apolo. c. 24

XI. Et aliquantò pòst [n]: *Quoniam autem facilè iniquum videtur liberos homines inuitos vrgeri ad sacrificandum: nam & aliàs diuinæ rei facienda libens animus indicitur. Certè ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur, ad honorem deorum, quos vltrò sui causa placare deberet.* Et alibi [o]: *Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat non vi.* Eodemque modo loquuntur cæteri Patres Chrysostomus [p], Ambrosius [q], Hieronymus [a], Augustinus [b], Gregorius [c], idque auctoritate Ecclesiastica, & canonica sanctione [d] firmatum est. Et profectò si hæc gerendi belli iusta censenda sit causa, iure aliquo diuino, vel humano constet necesse est, & humano quidem qui potest? cùm ius illud humanum diuina, ac supranaturalia non attingat? Diuinum verò, ac supranaturale ius alia omnia præcipit, cùm fidem, ac religionem proponendam, ac suadendam doceat, non vi, aut armis extorquendam.

n cap. 28.
o ad Scapul. c. 2.
p hom. 34. in Mat.
q Luc. 10.
a Matt. 10.
b lib. 2. cont. lit. Petil. c. 83 & ser. 6. de ver. Dom.
c lib 1. regest. ep. 34 & lib. 2. ep. 92. & li. 11. ep. 15.
d cap. Maiores. §. item quæritur. de bap. & eius effect. & cap. sicut Iudæi. de Iud. & Sarac.

XII. Addo, quòd principes fideles in infideles qui sibi nullo iure subiiciuntur, nullam exercere possunt potestatem, tantùm abest, vt religionis intuitu eos possint bello, & armis oppugnare. Ac ne summus quidem Pontifex, ad quem maximè propagandæ, tuendæque religionis cura pertinet, hanc sibi potestatem vsurpat, qui illud Apostoli [e] probè nouit nihil ad se spectare *de his, qui foris sunt iudicare*. Denique certum est fidem, ac religionem liberam esse oportere, vt bene docuit Bernardus [f]. Et Rex Theodoricus apud Cassiodorum [g], *Religionem*, inquit, *imperare non possumus, quia nemo cogitur, vt credat inuitus.* Idémque scripsit ad Iustinianum Theodahadus Rex apud eundem Cassiodorum [h]. *Nam cùm diuinitas patiatur multas religiones esse, nos vnam non audemus imponere; retinemus enim legisse voluntariè, sacrificandum esse Domino, non cuiusquam cogentis imperio. Quod quis aliter facere tentauerit, euidenter cœlestibus iussionibus obuiauerit.* Et Iosephus [i]: *Suo quemque arbitratu*, ait, *non alieno impulsu Deum colere oportere.*

e 1. Cor. 5. 12.
f ser 66 Cant.
g lib. 2. var. ep. 27.
h lib. 10. var. ep 26.
i de vita sua.

XIII. Ea verò, quæ ex Deuteronomio priori loco afferuntur, id vnum probant, quod inficiari nemo potest, iure suo Deum immortalem posse quemlibet præsertim impium, & Idolorum cultorem bonis spoliare, & ad id præstandum alios ad iustum bellum prouocare: vt enim suprà dixi, iusta censenda sunt ea bella, quæ Deo imperante geruntur. Quæ verò posteriori loco obiiciuntur, vnà cum iis, quæ ex libro Iosue petuntur, id perspicuè docent, quòd repugnantibus hæreticis Catholica Ecclesia affirmat fas esse Catholicis Principibus, hæreticos, & religionis desertores armis vlcisci, & per vim ad Catholicorum castra reuocare.

XIV. At enim apud Lucam [k], in ea parabola de inuitatis ad nuptias, præcipit paterfamilias, vt qui in vicis, & plateis erant, compellantur intrare; quod de vocatione infidelium explicant auctor [l] imperfecti, & Gregorius [m]. Cæterùm sunt, qui parabolã tres in partes distribuant; & primam quidem, qua plurimi humaniter inuitantur, ad Iudæos; alteram, qua claudi & cæci vocantur, ad Gentiles; tertiam, qua nonnulli compellendi dicuntur, ad hæreticos referant, quos esse vi coërcendos, & ad fidem reuocandos docet Augustinus [n]. Sunt etiam, qui ad fidem compellendos doceant, non vi, & armis, sed miraculorum efficacitate, & Euangelicæ doctrinæ promulgatione, quę est Chrysostomi, & Theophylacti sententia. At infideles miserè pereunt, cur ergò non liceat iis pereuntibus opitulari, etiam adhibita vi, si fas est, quempiam sibi necẽ afferentẽ per vim à scelere prohibere?

k cap. 14 23.
l hom. 41. in Matt.
m hom. 36. in Euang.
n ep. 48.

XV. Sed longè alia ratio est, cur sibi manus afferenti, etiam per vim opitulari liceat, cùm hic perturbatione aliqua animi, non sine aliquo implicito errore, contra legalem iustitiam peccet. Infidelis autem tametsi sempiternum sibi interitum parat, citra tamen vllius iniuriam peccat, & suo iure vtitur, nec vis illata illi potest salutem afferre, quàm nisi spontè, ac liberè fidei præbeat assensum, frustra sperat; assensum autem vis extrinsecùs allata, exprimere, aut extorquere nequaquam potest. Sed aliquando infideles

fideles iure debent fidem, & religionem complecti,
nec possunt eam citra graue piaculum repudiare,
cur ergo tunc vi, & armis cogi non possint, vt offi-
cio satisfaciant? Nimirum nemo alterum ad ea, quæ
officij ratio postulat, iure compellere potest, nisi
qui imperandi auctoritatem habeat, quam fideles
principes in infideles, qui sibi nullo iure subii-
ciuntur, habere nequaquam possunt. Ita fit, vt
ne indirectè quidem possint eos ad religionem com-
pellere.

XVI. Nefas igitur erit, nisi alia iusta belli causa in-
tercedat aduersùs infideles piraticam exercere, præ-
das agere, & eorum liberos in seruitutem adducere
etiam per speciem baptismi ministrandi. Itaque ve-
rendum est, ne qui infideles obtentu religionis ar-
mis oppugnant, suis prauis cupiditatibus velum
prætexant, re autem vera, vt hoc loco ait Iacobus,
suis cupiditatibus obsequantur. *Quæ militant in
membris*. Sic enim se res habet, & experimento com-
pertum est, ita plerunque etiam sapientum animos,
animi morbis, atque ægritudinibus adeò vexari, vt
vix vlla veritatis scintilla eis affulgeat, sed cæco er-
rore delusi id tanquam iustum, atque honestum se-
quantur, quod ex aduerso cum æquitate, & recta
ratione pugnat.

XVII. Quamuis igitur vt plurimum verissimum sit, bella,
& lites ex prauis cupiditatibus oriri, certissimum ta-
men est, iustè interdum bellum suscipi posse, quæ
est Theologorum omnium constans sententia, quam
a Quæst. 10. in Ios. præcipuè probat Augustinus [a]. Et quidem si quis
sese, suaque iustè, ac necessariò armis defendat, ac
tueatur, iustum profectò bellum gerit, vt enim ait
b Orat. pro Milon. M. Tullius [b]: *Omnis est honesta ratio expediendæ sa-
lutis, hoc ratio doctis, necessitas barbaris, mos genti-
bus, feris natura ipsa præscripsit, & hæc non scripta, sed
c lib. 2. de inuen. nata lex*. Idemque alibi [c]: *Defensio non opinione no-
bis, sed innata quadam vi iure naturæ persuasa est, &
constituta*.

XVIII. Qua de re fusè non modò Theologi, sed vtriusque
etiam iuris periti disserunt. Certè defensio ple-
runque necessaria est, nonnunquam valdè vtilis, &
honesta; tunc autem cauendum est quod Ioannes
Baptista apud Matthæum monuit, ne fines iustitiæ,
& æquitatis excedantur. Nam alioqui quidquid est
contra ius, non à recta ratione, sed à praua cupi-
ditate imperatur; atque hoc est, quod in præsentia
reprehendit, ac damnat Iacobus, dum bella, & li-
tes ex prauis cupiditatibus oriri affirmat. Quomo-
do etiam loqui videtur Paulus, dum delictum ait
esse, quòd inter fideles concertationum iudicia ne-
cessariò adhibenda sint. Pro eo autem, quod inter-
pres dixit, *Ex concupiscentiis vestris*, Græcè scriptum
est *ἐκ τῶν ἡδονῶν ὑμῶν*, hoc est, *ex voluptatibus vestris*,
quas videlicet, impotentis cupiditatis aculeo, velu-
ti œstro perciti, auidiùs experitis, aut quibus deli-
niti, & quodammodo capti, atque irretiti, nihil re-
ctum, aut honestum cernitis, sed impetu quodam
abrepti iurgia, & rixas sectamini. Græci porrò co-
dices pro eo, quod Latinus interpres dixit, *Nonne
hinc*, habent, *οὐκ ἐντεῦθεν*, hoc est, *non inde*, vt
mihi quidem videatur Iacobus ad postrema supe-
rioris capitis verba respexisse: dixerat enim, *Fru-
ctus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus
pacem*.

XIX. Mox subdit: *Vnde ergo bella, & lites in vobis*? Ex-
cipit, certè non inde, hoc est, à semente pacis, cui
bella, & lites magnopere aduersantur, sed potiùs,
ex concupiscentiis vestris, &c. Et profectò ambitio,
auaritia, & ira sæpe ad arma prouocant; ita de Pom-
peio, & Cæsare circumfertur; illum quidem pa-
rem, hunc verò superiorem ferre non potuisse; eam

A ob causam ciuile bellum exortum est, & illius qui-
dem interitu, huius autem imperio, & oppressa resp.
est, & extincta libertas. Auaritia verò sæpe rapinas, &
cædes suadet. Denique iracundia, & *furor arma*, vt
ille dixit, *ministrat*.

XX. Itaque rectè Plutarchus [a], exiguis plerumque ex
rebus magna existere incendia affirmat. *Enim verò*, a in Polit.
inquit, *non semper incendia de sacris, publicisque adi-
bus initium sumunt, sed sæpenumero è domuncula lucer-
na parumper neglecta ingens erumpit flamma, vel ignis
sensim conceptus palea deinde, & fomentis refocillatus
mirum in modum ardere incipit, & primis quibusque
correptis longiùs serpere, & maximam stragem dare.
Ita seditiones in ciuitatibus non magnæ semper conten-
tiones, nec de publicis rebus dissidia incendere, conci-
B tareque solent, verùm plerunque priuatis creata offensio-
nibus, in publicam pestem certando progressa sunt, studiis,
& contentionibus mutuis aucta*.

XXI. Idem verò aliquantò pòst, quomodo contentio-
nes, seditionesque componendæ sint, his verbis
docet: *Ad huiusmodi verò seditiones componendas,
nulla mihi videri potest potior ratio, quàm si inducas
animum in tuis priuatis disceptationibus mansuetum te
ipsum, & exorabilem exhibere, atque in primis persi-
stere causis, nulla per contentionem concitanda ira gra-
tia adiecta materia, nullis irritatis affectibus, quibus
negotium magis exasperetur, & atque acerbius fiat. Si-
mili ratione in foro, & ciuilibus controuersiis fas erit
nudis, explicatisque rationibus causam simpliciter age-
re, non confictis ad libidinem criminibus, congestis ma-
C ledictis, vndique iurgiis, atque minis admixtis, tan-
quam veneno tela inficere, eáque praeunta in aduersa-
rium per insidias actitare. Quo fit vt causæ suapte na-
tura leues, atque priuatæ ad publica crimina, deplora-
támque luem, & contentione, & studio trahantur.
Qui verò se talem in causis propriis exhibere potest, is
profectò facilè persuadere aliis poterit, vt se volentes,
libentésque dicto eius audientes exhibeant, quando ma-
ximè publica ipsa contentiones, & controuersia, si pri-
uatas offensiones subducas, ac demas, leuiores effici
solent*.

XXII. *Quæ militant in membris vestris*. Rectè. Prius
enim in cuiusque animo singulare velut certamen
excitatur, quàm vel ad verborum concertationem
lingua soluatur, vel ad pugnam, aut prælium mem-
D bra moueantur. Quam pugnam Paulus Apostolus
in epistola ad Romanos describens ait [b]. *Video au-* b cap. 7. 23.
*tem aliam legem in membris meis repugnantem legi men-
tis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mem-
bris meis*. Monuerat autem aliquanto [c] antea qua- c cap. 6. 12.
nam ratione hæc domestica pugna, aut prohibenda,
aut dirimenda sit. *Non ergo*, ait, *regnet peccatum
in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis
eius, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniqui-
tatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mor-
tuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo*.
Ita fiet, vt vel nulla in nobis lucta exoriatur, vel
subitò certè componatur, neque vllam æternam
litem, seu concertationem parias. Dicuntur au-
tem prauæ cupiditates militare in membris, tum
E quia plurimæ, maximéque vehementes, & acres
corporis membra inflammant, & quodammodo ad
pugnam instruunt, tum quia, vt loquitur Paulus,
certamen illud priuatum oritur à lege membrorum,
seu lege peccati.

XXIII. De qua apud Cassianum [d] ita loquitur Abbas
Theonas. *Verè, inquit, lex peccati est quam inimica con-* d Col. 23. c. 11.
*ueri præuaricatio sua induxit auctores per illum morem,
in quem lata est æquissimi Iudicis illa sententia: Male-
dicta terra in operibus tuis, spinas, & tribulos germi-
nabit tibi, & in sudore vultus tui edes panem tuum*.

Hæc inquam, est lex membris omnium inserta mortalium, quæ repugnat legi mentis nostræ, eámque à diuino arcet intuitu, & quæ maledicta terra in operibus nostris post agnitionem boni, & mali cogitationum spinas carpit, ac tribulos germinare, quarum aculeis naturalia virtutum semina præfocantur, ne illum panem nostrum, qui de cælo descendit, quique confortat cor hominis, edere absque vultus nostri sudore possimus. Hæc autem lex fons, & origo est cupiditatum, vocatúrque à Theologis fomes, qui dominari, aut militare dicitur in membris, hoc est, in sensibus, ac facultatibus animæ, quæ cùm ratione careant, aptæ sunt tamen parere rationi. Falluntur enim Stoici, quos frequenter sequitur Seneca [a], qui nihil interesse putant, *quam magnus sit affectus*: aiunt enim, *quantuscunque sit parere nescire, consilium non accipere: quemadmodum enim*, inquiunt, *nullum animal rationi obtemperat, non ferum, non domesticum, & mite (natura enim illorum est surda suadenti) sic non sequuntur, non audiunt affectus quantulicunque sint.*

a epist.86.

XXIV. At meliùs Peripatetici [b], quos hac quidem in parte magnopere probat Ecclesia Catholica, qui humanos affectus rationis imperio cohiberi, & coërceri posse existimant. Nam si secus sit, non illi in membris militare, sed imperare, aut tyrannidem exercere dicerentur. Militare autem dicuntur, hoc est, aduersùs rationem pugnare. quæ si illis nimiùm indulgeat, turpiter succumbit, sin strenuè obsistat, omnes cupiditates sub iugum mittit. In præsentia verò Iacobus bella, & lites à prauis cupiditatibus oriri affirmat, indicans eas contra rationem violentiùs insurgere eamque veluti de sede, ac regno suo deiectam in præceps abripere.

b Rectè Plutar. lib. de virt. mor.

2. *Concupiscitis & non habetis, occiditis & Zelatis, & non potestis adipisci, litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulatis.*]

I. Non facilè dixerim verùm hæc Apostolus ideirco commemoret, quòd hæc vitia tam tum inter fideles grassarentur, an verò hæc ita vniuersim proponat, vt rei indignitatem ostendat, & prauarum cupiditatum vim, ac naturam declaret, hoc tamen posterius mihi ad veritatem propensius videtur. Vult autem ostendere humanas cupiditates plerunque esse inanes, hoc est, id assequi non posse quod auidiùs appetunt, siue quia reuerà non facilè quis assequitur quod cupit, siue quia adeò interdum vastæ sunt cupiditates, vt expleri nulla ratione queant.

II. Quocirca qui voluptates consectantur, semper habent, quod expetant, nunquam explentur. & si quam aliquando degustent, subitò euolat: est enim, vt ait Seneca [c], *Voluptas fragilis, & breuis fastidio obiecta, quo auidiùs hausta est citiùs in contrarium recidens, cuius subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat, in qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis dijs proximi deceat: res humilis membrorum turpium, ac vilium ministerio veniens, exitu fœda.* Rectè autem dixit Iacobus, *Concupiscitis, & non habetis*; nam, vt acutè idem Seneca [d] monet, *Voluptas tum cùm maximè delectat, extinguitur, nec multum loci habet, itaque citò implet, & tædio est; & post primum impetum marcet; nec id vnquam certum est, cuius in motu natura est; ita non potest quidem vlla eius esse substantia, quod venit transitquè celerrimè in ipso vsu sui periturum: eò enim peruenit, vbi desinit, & dum incipit spectat ad finem. Quàm multi verò ambitu discruciantur, & dum fastigia dignitatum auidissime concupiscunt, se ipsi in serè excedunt, & frustra non rarò laborant, & si eo perueniant, quò contendunt, planè intelligunt se inani specie delusos, vmbram, & simulacrum, & quidem falsæ felicitatis, non veram felicitatem adeptos esse, vt eos omittam* [a], *quos, cùm in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas relinquit; itémque illos, quos cùm in consummatione dignitatis per mille indignitates irrepsissent, misera subit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri.*

c lib 6. de benef.c.2.

d lib. de vit. beat. c.6.& 8.

a Senec.lib. de breuit. c. 19.

III. Id proprio exemplo confirmat Salomon [b]. *Dixi ego*, inquit, *in corde meo. Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis, & vidi, quòd hoc quoque esset vanitas.* Cúmque non ita multò pòst omnes suas delicias, & voluptatum illecebras commemorasset, subdit: *Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Quò spectans Paulus [c]: *Quem ergo*, inquit, *fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quasi dicat, nullum. Et hoc est, quod hoc loco ait Iacobus: *Concupiscitis, & non habetis*: nam auaro quidem, qui congestis diuitiis parcit, etiam quod in arca reconditur, non aliter deest, ac si longissimè abesset. Quamobrem rectè Salomon [d]: *Considerans*, inquit, *reperi & aliam vanitatem sub sole, vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.*

b Eccles.2.1.

c ad Rom. 6.21.

d Eccl.4.7.

IV. *Occiditis, & zelatis.* Vniuersim de cupiditatum genere dixerat. *Concupiscitis, & non habetis.* Iam iræ impotentiam perstringens, vnde bella, & lites oriuntur. *Occiditis*, inquit, *& zelatis, & non potestis adipisci*. pro eo, quod Latinus interpres dixit, *Occiditis*; Græci codices, qui nunc circunferuntur, habent φθονεῖτε, hoc est, *inuidetis*, quod rectè coniungitur cum sequenti verbo ζηλοῦτε, id est, *æmulamini*, aut *Zelatis*. Credibile autem est interpretem Latinum Græcè legisse φονεῦτε, quod est, *occiditis.*

V. Certè si fidelium vitia reprehendat, verosimilius est, liuorem, atque æmulationem, inuidentiam denique damnare, quàm cædes, aut homicidia obijcere, quæ non ita facilè eo quidem tempore inter fideles admittenda videntur. Inuideris igitur, ait Apostolus, & æmulatione vehementiùs commoueminis; inde autem præter animi cruciatum boni nihil percipitis. *Est enim inuidia vehemens, & importunum malum, quæ aliorum comparatione animum torquet, & cruciat. Hoc, inquit, mihi præstitit, sed illi plus, & illi maturius, alieno malo contabescit, proximorum bona supra veritatem extollit, illúdque vsurpat, quod ait Poëta.*

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Ita nunquam felix est, quem semper felicior torquet, & dum inuidia aliena respicit, suis nunquam contenta est.

VI. Meritò igitur scripsit Plutarchus [e]: *Inuidia*, inquit, *indeterminata est perinde atque ægritudo oculorum, quæ ad omnem splendorem turbatur.* Et alibi [f], *Eò*, inquit, *amentia ventum est, vt ex aliorum magis vita nostra pendeat, quàm ex sese ipsa; naturáque nostra in degenerem quandam, inuidámque affectionem deprauata non tam propriis lætari solet, quàm alienis bonis angi.* Et rectè apud Laërtium Antisthenea dicere solitus erat, non aliter ac ferrum absumitur rubigine, ita inuidos suo ipsorum vitio contabescere. Præclarè autem fabulantur Poëtæ, qui asserunt inuidiam apud inferos serpentibus vesci, & hydris recreari, vt ostendant inuidos venenum deglutire, atque euomere, aliena enim felicitas inuidis aconitum est, nec lætari vlla ex parte possunt, nisi suo veneno alios inficiant. At certè nihil turpius esse potest, nihilque

e lib.de od. & inuid.

f lib.de tranq. anim.

nihilque magis contra humanitatem, quàm alieno malo lætari, & alieno bono torqueri, quod vtrumque facit inuidus.

VII. Hic porrò morbus, vt apud Cassianum [a] docet quidam, *difficilior ad medelam, quàm cætera vitia, perducitur: nam eum, quem semel venenis sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio: ipsa namque est lues, de qua figuraliter dicitur per Prophetam* [b]: *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Idque probat exemplo dæmonis, qui inuidiæ veneno primus periit, & peremit, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum alicuius curationis admisit. *Ita & hi, qui ipsi lem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem sancti incantatoris excludunt, de quibus alibi sapientissimus ille* [c] *competenter expressit. Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori. Isti enim sunt taciti morsus, quibus solis sapientium medicina non subuenit: nam vsque adeò incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, inflatur obsequiis, muneribus irritetur, quia, vt idem Salomon* [d] *ait Nihil sustinet zelus, quantò enim amplius, aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profeceris, tanto ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur, qui nonnisi ruinam, aut mortem eius, cui inuidet concupiscit.*

a Collat. 18 c. 17.
b Ierem. 8.
c Ecclesiast. 10. apud LXX.
d Prou. 27. apud LXX.

VIII. Et allato vndecim fratrum exemplo, qui Iosepho inuidebant, subdit: *Cunctis ergo vitiis perniciosiorem, atque ad purgandum difficiliorem esse constat inuidiam, quæ ipsis remediis, quibus reliqua extinguuntur, accenditur: nam verbi gratia, qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur; qui de illata indignatur iniuria, humili satisfactione placatur. Quid illi facies, qui hoc ipso magis, quod te humiliorem, ac benigniorem senit, offenditur, quem non ad iracundiam cupiditas, quæ præmio delenitur, non iniuria læsio, aut amor vltionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis, sed successus tantùm alienæ fœlicitatis irritat?*

IX. Et post pauca: *Cætera enim venena serpentum, id est, carnalia peccata, vel vitia, quibus vt citò inuoluitur, ita facilè expurgatur humana fragilitas, habent aliqua vulnerum suorum in carne vestigia, quibus quamuis terrenum corpus perniciosissimè contumescat, tamen si theriaca remedium, aut illam salutarium verborum medelam aliquis peritissimus carminum diuinorum incantator admouerit, ad perpetuam animæ mortem pernicies virulenta non perueniet, inuidia autem quasi à regulo serpente virus effusum, vitam ipsam religionis, ac fidei, prius quàm vulnus in corpore sentiatur, excludit.* Et multa deinceps aduersùs inuidiam, & æmulationem scribit, ex quibus apparet verissimè hoc loco Iacobum dicere æmulos, atque inuidos non posse quæ cupiunt adipisci. Qui enim alienæ fœlicitati inuidet, neque illam sibi comparat, nec remouet ab illo, qui ea perfruitur. *Occiditis*, inquit, *seu inuidetis, & zelatis, & non potestis adipisci.*

X. *Litigatis, & belligeratis*, μάχεσθε καὶ πολεμεῖτε, nam & suprà bella, & pugnas nominauerat. *Vide*, inquit, *bella, & lites in vobis.* πόλεμοι καὶ μάχαι ἐν ὑμῖν, vt verborum contentiones, & pugnas, seu prælia intelligat, confirmétque quod modò dixerat, bella, & lites ex praua cupiditate manare, quæ tamen cum Christiana pace, & caritate magnopere pugnent, vt Pauli Apostoli testimonio, atque auctoritate paulò antè docuimus: siquidem ex cupiditate lites, ac bella oriuntur; qui enim cupit cæteris præferri, vel terrenis, caducisque bonis affluere, odit, inuidet, malum, & interdum cædes molitur. Rectè autem monet in præsentia Beda, concupiscentiæ nomine, regni, diuitiarum, honorum, ac dignitatum appetitionem indicari. Horum enim causa frequenter lites, & bella inter malos existunt, quæ tamen omnia iusto plerunque

A Dei iudicio irrita sunt, atque inania, nullumque prorsus compendium, aut emolumentum pariunt.

Quamobrem subdit Iacobus: *Et non haberis propter quod non postulatis*; hoc est, propterea quòd non postulatis: est enim Græcè διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς, vt significet, frustra lites, & prælia vsurpari, cùm ad ea, quæ nobis necessaria sunt impetranda, non ad arma, & contentiones, sed ad diuinam opem implorandam, confugiendum sit. Deus enim immortalis, vt hîc idem Apostolus initio dixerat, *Dat omnibus affluenter, & non improperat.* Ita docet Apostolus etiam mortalia, & caduca bona ab immortali Deo esse flagitanda, neque omnino à priuata cuiusque industria, & labore pendere. Tametsi enim nouit Deus, quid cuique necessarium sit, quid quemque deceat, &
B absque versura, cuncta possit, adeóque liberaliter largiri velit; vt tamen alibi docui, preces nostras expectat, eásque magnopere expetit, vt appareat, & humanæ industriæ, atque conatus imbecillitas, & suæ diuinæ munificentiæ, & liberalitatis magnitudo. Atqui dicat fortasse quispiam, se Deum sæpius rogasse, nec tamen potuisse quidquam impetrare, Iacobus tacitæ cogitationi occurrens, hæc subiicit: XI.

3. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.*]

Causam affert cur interdum fidelium preces inanes reddantur, nec à Deo bonorum omnium largitore quidquam impetrent. Quia, inquit, non rectè funduntur. *Petitis*, ait, *& non accipitis*, hoc est, non impetratis, *eò quòd malè petitis.* Quanquam autem plura esse possunt in humanis precibus vitia, in præsentia tamen Iacobus eas tantùm preces improbat, quæ à prauis cupiditatibus oriuntur; quas apud Senecam [a] Athenodorus nescio quis perstringere aliquo pacto videtur. *Tunc scito*, inquit, *esse te omnibus cupiditatibus solutum, vt nihil Deum roges, nisi quòd rogare possis palàm: sic viue cum hominibus tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo tanquam homines audiant.* I.

a epist. 10.

II. Itaque primùm videndum est, quid à Deo petas, deinde quo consilio, seu proposito; qua de re ita apud Cassianum [b] Abbas Isaac. *Videtis*, inquit, *qualis nobis ab ipso, qui per illam exorandus est, iudice, orationis sit modulus, & forma proposita; in qua nulla diuitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus, ac fortitudinis postulatio, nulla corporea sanitatis, seu temporalis vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult à se, nihil vile, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ eius, ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriam, quisquis sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid, & caducum ab eo maluerit postulare, & offensam potiùs, quàm propitiationem iudicis sui vilitate orationis incurret.*

b Coll. 9. c. 23.

III. Neque verò hæc eò spectant, vt hæc corporea bona, quæ siue necessaria, siue commoda, & opportuna sint, non rectè à Deo postulari significet, sed hoc, opinor, vir sanctus indicare voluit, quod hîc
E paucis explicat Iacobus, ne ad impuras, & nefarias voluptates referantur. Neque enim, vt ait Augustinus, eius preces probandæ sunt, qui inimici sui mortem à Deo flagitat; qui opem ad explendas libidines, ad aliena rapienda, denique ad scelus perpetrandum expetit. Hi enim omnes, vt hîc ait Iacobus, petunt, vt in concupiscentiis suis insumant, hoc est, vt sese voluptatibus expleant; pro eo enim, quod interpres dixit, *In concupiscentiis vestris*, Græcè scripsit Apostolus, ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν, hoc est, *voluptatibus vestris*: Et quidem rectè Apostolus vo-

luptates damnat:nam alioqui Christus Dominus panem quotidianum,hoc est,ea quæ ad tuendam vitam necessaria sunt, petenda esse docuit.

IV. Et Salomon ita Deum precatus [a] est: *Mendicitatem,& diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Idemque à Domino laudatur [b]. *Quia non petisti*, inquit, *tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium. Ecce feci tibi iuxta sermones tuos.* Itaque Augustinus [c], Gregorius [d], aliíque Theologi, magno consensu docent, mortalia, & caduca bona hactenus esse expetenda, vt ad beatam vitam aliquo pacto referantur, alioqui simpliciter neque petenda, neque speranda esse.

a Prou. 30. 8.

b 3. Reg. 3. 11.

c epist. 121. d lib. 15. mor. c. 10. 11. & hom. 27. in Euang.

V. Certè Apostolus [e]. *Quid oremus*, inquit, *sicut oportet, nos nescimus*: sæpe enim specie recti fallimur: sed rectè Augustinus: *sufficientiam terrenorum bonorum non propter se ipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis expeti*, ac postulari posse concedit. Quæ tamen omnia ad beatam vitam referenda sunt. Gregorius verò id planiùs explicans. *Cùm Deus*, inquit, *in oratione non queritur, citiùs in oratione animus lassatur, quia cùm illa quisque postulat, quæ fortasse iuxta occultum iudicium Deus tribuere recusat; ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare, quod amatur, sed se magis Dominus quàm ea, quæ condidit, vult amari, æterna potiùs, quàm terrena postulari, sicut scriptum est. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Qui enim non ait dabuntur, sed adiicientur, profectò indicat aliud esse, quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in vsu verò temporalitas esse debet, & illud datur, & hoc nimirum ex abundanti superadditur. Et tamen sæpe homines dum bona temporalia postulant, æterna verò præmia non requirunt, petunt quod adiicitur, & illud non desiderant, vbi adiiciatur, nec lucrum suæ petitionis deputant, si hîc sint temporaliter pauperes, & illic beatitudine diuites in æternum viuant, sed solùs, vt dictum est, visibilibus intenti labore postulationis renuunt inuisibilia mercari.*

e ad Rom. 8. 26.

VI. Et alibi explicans verba Christi, *Si quid petieritis in nomine meo. Pensate*, inquit, *quæso petitiones vestras, videte si in nomine Iesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis: in domo enim Iesu Iesum non quæritis, si in æternitatis templo importuni pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit vxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum; Et quidem cùm hæc desunt, ab omnipotenti Deo petenda sunt, sed meminisse continuò debemus, quod ex mandato eiusdem nostri Redemptoris accepimus. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Et hæc itaque à Iesu petere, non est errare, si tamen non nimiè petantur; sed adhuc, quod est grauius, alius postulat mortem inimici, eúmque, quem gladio non potest persequi, persequitur oratione; & viuit adhuc, qui maledicitur, & tamen is, qui maledicit, iam de morte illius reus tenetur. Iubet autē Deus, vt diligatur inimicus, & tamen rogatur Deus, vt occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra conditorem pugnat, vnde & sub Iudæ specie dicitur, fiat oratio eius in peccatum; oratio autem in peccatum, est illa petere, quæ prohibet ipse, qui petitur.*

VII. Neque verò diuina bonitas, aut liberalitas accusanda est, cùm malè petentibus ea, quæ petunt, non concedit, cùm alicubi scribat Augustinus nonnulla Deum placatum negare, quæ alioqui conce-

A dat iratus. Et alibi [a]: *Malè ergo*, ait, *vsurus eo, quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus*; idque illustri exemplo confirmat: mox etiam subdit, *An non videmus Israelitas malo suo impetrasse, quod culpabili concupiscentia petierunt? Concupiscebant enim carnibus vesci, quibus pluebatur manna de cælo. Fastidiebant quippe quod habebant, & quod non habebant impudenter petebant, quasi non melius peterent, non vt cibus, qui deerat, indecenti desiderio præstaretur, sed vt ille qui aderat, sanato fastidio sumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potius Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala.*

a Tract. 73. in Io.

VIII. B Rectè itaque ait Iacobus eorum preces à Deo non audiri, qui ea petunt, quibus ad voluptates perfruendas abutantur: Christus enim apud Ioannem [b]: *Quodcunque*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Et mox. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Et post multa [c]: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, vsque modò non petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Quid autem sit, in nomine Christi petere, explicat Augustinus [d]. *Quapropter*, inquit, *quando volumus, vt faciat, quodcunque petimus, non vtcunque, sed in nomine eius, hoc est, in nomine Saluatoris petamus; non ergo contra nostram salutem petamus, quod si fecerit, non Saluator facit, quod est nomen eius, fidelibus eius.* C *Est quippe impiis & damnator, qui dignatur fidelibus esse saluator.*

b cap. 14. 13.

c cap. 16. 23.

d Tract. 73. in Io.

IX. Et aliquandò pòst: *Si autem qui in eum credit aliquid per ignorantiam contra suam salutem petit, non in nomine Saluatoris petit, quia Saluator eius non erit, si quod eius salutem impedit, fecerit. Vnde tunc expedit potiùs, vt non faciendo propter quod inuocatur faciat, quod vocatur. Propterea non solùm Saluator, sed etiam magister bonus, vt faciat quodcunque petierimus in ipsa oratione, quam nobis dedit, docuit, quid petamus, vt etiam sic intelligamus, non petere nos in nomine magistri, quod petimus præter regulam ipsius magistri. Sic sæpe multi nonnulla à Deo petunt, quæ licèt bona sint, quia tamen meliora, atque vtiliora daturus est Deus, non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem.* Sic D Paulus [e] ter Dominum rogauit, vt ab eo recederet tentatio, nec tamen potuit impetrare, sed diuinæ gratiæ præsentiam assecutus est, cuius præsidio fretus, tentationem & patienter pertulit, & strenuè superauit. *Petamus ergo* (vt ait Augustinus) *quando bene petimus, vt non faciat, quod non bene petimus.*

e 2. ad Cor. 12. 8.

4 *Adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.*]

I. Græci codices non modò adulteros, sed etiam adulteras nominant: sic enim habent, μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, *adulteri, & adulteræ.* Videtur autem Iacobus verba Christi quodammodo imitari, qui E apud Matthæum [f] dixit: *Generatio mala, & adultera signum quærit.* Adulteros autem, & adulteras viros, ac fœminas intelligit, rebus humanis, & caducis studentes, relicto Deo, cui fideles tanquam sponso adhærere maximè debent. Dixit enim de fidelibus Paulus [g]: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Qui igitur honores, diuitias, & voluptates pluris faciunt, quàm recta ratio postulet, aut etiam diuinæ legi præferunt, meritò vocantur adulteri, quasi neglecto legitimo coniugio, impuras, ac nefarias

f cap. 12. 39. & c. 16. 4.

g 2. ad Cor. 11. 2.

nefarias voluptates sequantur, quanquam fortasse
ad filios adulterinos respexit, vt adulteros filios alie-
nos, id est, degeneres, & adulterinos vocet: Sic enim
a cap. 12. 8. loquitur Paulus, cùm ad Hebræos ait [a]: *Quòd si ex-
tra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo
adulteri, non filij estis.

II. Quanquam eo loco Græcè dixit Apostolus, *νόθοι*,
hoc est, *adulterini*, seu *spurij*. Et verisimile est, hoc
sensu Christum generationem malam, & adulteram
appellasse, quòd a parentum suorum moribus Pha-
risæorum, ac Sadducæorum natio degeneraret. Si
hoc loco Iacobus adulteros vocat eos, qui diuinæ
vocationi non respondent, neque Christiano nomi-
ni congruentes, & consentaneos mores comple-
b ad Tit. 1. 16 ctuntur, id rectè iis aptatur, quod ait Paulus [b]: *Con-*
fitentur se nosse Deum, factis autem negant. Nam qui in
baptismo pompis, ac voluptatibus nuntium remise-
runt, & vtraque tamen repetunt, & studiosè sectan-
tur, Deo quodam modo mentiuntur, vt de quibus-
c psal. 17. 46. dam dixit olim Dauid [c]: *Filij alieni mentiti sunt mihi,*
filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.
Sed quæ sequuntur priorem magis sententiam indi-
care videntur, vt adulteros appellet, alieni thori vio-
latores: qui enim Christum tanquam sponsum dili-
gere, & colere debent, si impuris voluptatibus in-
dulgeant, iisque vltra modum oblectentur, spiritali
profectò sese adulterio polluunt, & contaminant.

III. Hanc sanè metaphoram frequentissimè probat
Spiritus sanctus, qui in prophetis Hebræos sæpe re-
prehendit, quod veri Dei cultu relicto, ad idola de-
d cap. 3. 1. fecissent. Sic enim Ieremias [d] Synagogam alloqui-
tur: *Vulgo dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & re-*
cedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur
ad eam vltra? Nunquid non polluta, & contaminata erit
mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus mul-
tis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego susci-
e cap. 2. 2. *piam te.* Eodem spectant Dei verba apud Oseam [e]:
Iudicate matrem vestram, iudicate, quoniam ipsa non vxor
mea, & ego non vir eius, auferat fornicationes suas à facie
sua, & adulteria sua de medio vberum suorum. Quin
etiam totum eius Prophetæ vaticinium hac videtur
metaphora niti; tertio enim quoque verbo Synago-
gæ fornicationes, & adulteria obiicit. Eadémque
ratione idololatria, qua quis à vero Deo recedens,
idola colit, fornicatio, & adulterium appellari solet.

IV. Sed meritò sciscitari quis potest, quanam ratione
potuerit citra culpam Iacobus tam insigni contume-
f cap. 5. 22. lia fideles afficere. Nam si Christus [f] apud Mat-
thæum concilium minatur ei, qui fratri suo dixerit,
raca, gehennam verò ignis ei, qui dixerit, *fatue*; quid
sentiendum est de eo, qui tam turpe scelus, quale est
adulterium, proximo obiicit? An aliud est contu-
melia, aliud obiurgatio? Ita sanè asserit D. Tho-
g 2. 2. qu. 72. art. 2. mas [g], quem cæteri Theologi magnopere probant:
contumelia enim non modo conuicium, sed prauam
continet, & iniquam voluntatem proximum deho-
nestandi; quod proculdubio lethale crimen, graué-
que piaculum censendum est. Obiurgatio verò ver-
bum quidem continet acerbius, & quod alioqui ad
conuicium, & contumeliam spectaret, sed quia ta-
men à corrigendi studio, honestáque voluntate pro-
ficiscitur, nisi aliquo pacto modum excedat, culpa
vacat, atque hac ratione Christus Dominus apud
h cap. vlt. 25. Lucam [h] discipulos stultos, & tardos corde ad cre-
i cap. 3. ad Gal. 1. dendum vocauit; & Paulus [i] Galatas insensatos ap-
k Act. 13. 3. pellauit, idémque [k] Ananiam Sacerdotem hypocri-
sis insimulauit, cùm eum parietem dealbatum no-
V. minauit.

l li. 2. de Ser. Dom in mõ cap. 30 non procul à fi. Rectè tamen monet Augustinus [l], rarò admo-
dum, & nonnisi magna vrgente necessitate asperio-
res obiurgationes adhibendas esse, *in quibus*, ait, *non*

A *nobis, sed vt Domino seruiatur, instemus.* Quamobrem
rectè Christus supplicium minatur iis, qui conuicia,
& contumelias in alios ad eos dehonestandos ia-
ctant: nam alioqui, vt alicubi monet Aristoteles [a], a li. 4 Ethic. cap. 8.
ad comitatem, quam Græci *εὐτραπελίαν* vocant, per-
tinet, aptè, & cum aliqua venustate citra iniuriam ta-
men ad alios oblectandos conuicium obiectare. Id
enim spectare solet ad sales, & facetias, quibus ali-
quando cum laude inter amicos iocari licet. Quæ
cùm ita sint, potuit Iacobus non modò citra cul-
pam, sed magna etiam cum laude fideles obiurgare,
& asperiori verbo increpare. Nam sapienter alicubi X.
monet Seneca [b]: *Corrigendus est, qui peccat, & admoni-* b li. 1. de ira, cap. 14.
tione, & vi, & molliter, & asperè, meliórque tam sibi,
quàm aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira.

B Qualis autem debeat esse admonitio, seu casti- VI.
gatio, his verbis docet [c]: *Quid ergo? Non aliquando* c li. 1. de ira, cap. 6.
castigatio necessaria est? quidni? Sed hæc sincera cum ra-
tione: non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Quemad-
modum enim hastilia detorta, vt corrigamus, adurimus,
& adactis cuneis, non vt frangamus, sed vt explicemus,
elidimus, sic ingenia vitio praua dolore corporis, animique
corrigimus. Nempe medicus primò in leuibus vitiis ten-
tat non multùm ex quotidiana consuetudine inflectere, &
cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac va-
letudinem tantùm mutata vitæ dispositione firmare, proxi-
mum est, vt modus proficiat; si modus, & ordo non profi-
cit, subducit aliqua, & circuncidit, si ne adhuc quidem
respondet, interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat,
si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrísque (si
C *adhærentia nocent, & morbum diffundunt) manus affert,*
nec vlla dura videtur curatio, cuius est salutaris effectus.
Ita legum præsidem, ciuitatísque rectorem decet, quamdiu
potest, verbis, & his mollibus, ingenia curare, vt facienda
suadeat, cupiditatémque honesti, & æqui conciliet animis,
faciátque vitiorum odium pretium virtutis. Transeat dein-
de ad tristiorem curationem, qua moneat adhuc, & expro- d In Polit. & lib. de auisc. ab adul. dignosc. & lib. de libe. educ. & lib. de co-
bret nouissimè ad pœnas, & has adhuc leues, & reuocabiles hib. iracun.
decurrat, vltima supplicia vltimis sceleribus ponat, vt ne-
mo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. Por-
rò ea de re vtilia quædam præcepta tradit Plu-
tarchus [d].

Nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? VII.
Sunt qui legant, *inimicitia est Dei*, sed, vt apparet, ni-
D hil de sententia perit. Simile quiddam dixit Paulus
ad Romanos [e]: *Nam prudentia carnis*, inquit, *mors* e cap. 8. 6.
est, prudentia autem spiritus, vita, & pax, quoniam sa-
pientia carnis inimica est Deo. Vbi est eadem vox Græ-
ca, *ἔχθρα*, quæ inimicitiam significat. An Iacobus
mundi amicitiam intelligit qua mundus suos diligit?
Certè Christus Dominus apud Ioannẽ [f] non obscu- f cap. 15. 18.
rè indicat, mundum improbos amare, iustos, ac pios
odio prosequi. *Si mundus vos odit, scitote, quia me prio-*
rem odio habuit; si de mundo fuissetis, mundus, quod
suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis, sed
ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus. Et
post multa [g]: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis,* g cap. 16. 20.
& flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem con-
E *tristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Et profectò negari non potest, mundum ea maxi- VIII.
mè probare, ac diligere, quæ ex aduerso pugnant
cum Deo, qua ratione Paulus [h] dæmones rectores h ad Ephes. 6. 12.
mundi appellauit, & Christus [i] diabolum mundi i Ioan. 12. 31
principem nominauit. Mundi enim nomine eum
procuIdubio indicauit, de quo ait Ioannes [k], *Et mun-* k cap. 1. 10.
dus eum non cognouit. Sic enim explicat Augustinus,
vt alibi copiosiùs docui. Ita mundus vitiosos, & sce-
lestos amat, promouet, colit. Contrà verò iustos, ac
pios execratur. Ita in libro Sapientiæ [l] loquuntur l cap. 2. 12.
impij. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis*
est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat
nobis

nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ A *nostræ.* Et multa deinceps. An eam amicitiam Deo inimicam esse affirmat Iacobus, qua diligitur mundus, & ea, quæ in mundo sunt? Vt enim ait Ioannes [a], nec mundus, neque ea, quæ in mundo sunt, amore digna videntur. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo; quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.*

a ep. 1. c. 2. 15

IX. Huic autem posteriori explicationi maximè fauent, quæ mox subiiciuntur. *Quicunque ergo*, inquit, *voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.* Quo loco rectè Didymus: *Qui peccando amat mundum, inimicus Dei esse monstratur, sicut è diuerso, qui* B *non peccando amicitias apud Deum pietate confirmat, continuò mundi aduersarius inuenitur. Vnde sicuti impossibile est seruire Deo, & mammonæ, ita amicum Dei esse simul & mundi.* Et profectò nisi mea me fallit opinio, hoc significauit Christus, cùm apud Matthæum [b] dixit: *Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Re namque vera ea est animi humani ratio, vt duo præsertim contraria amare nequaquam possit.

b cap. 6. 24.

X. Quod quanquam obscurè indicauit Isaias [c], cùm dixit: *Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat; pallium breue est, vtrumque operire non potest.* Quod vt rectè ait Chrysostomus [d], de dominis contrariis C accipiendum est, & ob eam causam, vt monet Origenes, iussit Dominus, vt populus ex Ægypto educeretur. *Non vult*, inquit, *Moses, vt populus in Ægypto positus seruiat Domino, sed vt exeat in desertum, & ibi seruiat Domino, hoc est, quod ostendit, quia donec quis in tenebris sæcularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino: non enim potest duobus dominis seruire, non potest domino seruire, & mammonæ. Exeundum igitur nobis est de Ægypto, relinquendus est mundus, si volumus Domino seruire, relinquendus inquam animo.*

c cap. 28. 20.

d Hom. 3. in Exod.

XI. Ita videmus in libris Regum [e]; non potuisse arcam Dei vnà cum idolo Dagon consistere, sed idolum truncum ante arcam concidisse, quia necesse est in humano pectore mundi tanquam idoli amorem D concidere, si diuinus amor retinendus est. Ait enim Christus [f]: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus; & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Quin etiam apud Lucam [g] propinquorum omnium, atque adeò sui ipsius odium requirit. *Si quis*, inquit, *venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quicumque ergo*, ait Iacobus, *voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.*

e lib. 1. c. 5.

f Mat. 10. 37.

g cap. 14. 26

XII. Vbi enim quis aliquo sese graui scelere obstringit, Deo quodam modo nuntium remittit, cùm, vt asserunt Theologi in quolibet lethali crimine hactenus Dei odium inuoluatur; quòd in eo inest auersio à Deo ea ipsa ratione, qua qui peccat, vt se maximè E diligere videatur, re tamen vera se ipsum odit. Ita enim dixit Dauid [h]: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*; cùm tamen quicquid scelerum ab improbis perpetratur, ab amore sui tanquam à fonte oriatur, verè namque ac sapienter dixit Augustinus [i]: *Fecerunt itaque ciuitates duas amores duo, ciuitatem Hierusalem amor Dei, vsque ad contemptum sui; ciuitatem Babylonem amor sui, vsque ad contemptum Dei.* Hoc igitur argumento maximè nititur Iacobus persuadere neque mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, esse diligenda.

h psal. 10. 6.

i lib. 14. ciu. cap. 28.

A Ita enim dixerat Christus missurum se Spiritum veritatis, *quem mundus non potest accipere.* In quem locum Augustinus [a]: *Sic autem, ait, mundum dixit, non posse accipere Spiritum sanctum, sicut etiam dictum est; prudentia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest, velut si dicamus, iniustitia iustitia esse non potest. Mundum quippe, ait, hoc loco mundi significans dilectores, quæ dilectio non est à Patre; & ideo dilectioni huius mundi, de qua satagimus, vt minuatur, & consumatur in nobis, contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* XIII.

a Tract. 74. in Ioan.

Nec tamen desunt plurima alia argumenta, quæ apertissimè doceant, hæc omnia, quæ turba miratur, & suspicit, non modo non esse amanda, sed despi- B cienda potius, atque ex animo contemnenda. Afferam nonnulla ex Seneca, idque eò libentiùs, vt pudeat Christianos ea tantopere mirari, atque auidè concupiscere, quæ Philosophus à vera fide, ac religione alienus nihili facienda monet. *Relinque* [b], ait, *ista iam dudum, ad quæ discurritur; relinque diuitias aut periculum possidentium, aut onus; relinque corporis, atque animi voluptates, molliunt, & eneruant; relinque ambitum, tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum; tam solicita est, ne quem ante se videat, quàm ne alium post se; laborat inuidia & quidem duplici; vides autem quàm miser sit, si is, cui inuidetur, & inuidet. Confragosa in fastigium dignitatis via est.* XIV.

b epist. 21.

Et alibi [c]: *Malitiam, & ærumnosi animi veternum* C *perspiciemus, quamuis multus circa diuitiarum radiantium splendor impediat, & intuentem hinc honorum, illinc magnarum potestatum falsa lux verberet; tunc intelligere nobis licebit, quàm contemnenda miremur; similimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est; parentibus quippe, nec minùs fratribus præferunt paruo ære empta monilia. Quid ergo inter nos, & illos interest, vt Ariston ait, nisi quod nos circa tabulas, & statuas insanimus carius inepti? Illos reperti in litore calculi leues, & aliquid habentes varietatis delectant, nos ingentium maculæ columnarum, quæ siue ex Ægyptiis arenis, siue ex Africæ solitudinibus aduecta porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos, cùm sciamus, quale sit, quod absconditur, oculis nostris imponimus, & cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quàm* D *mendacio gaudemus? Scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare, nec tantùm parietibus, aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.* XV.

c ep. 115.

Totus mihi hic auctor describendus esset, si cuncta velim percurrere, quæ in hanc sententiam non minùs ornatè, quàm copiosè differit. Sed vt redeam ad Iacobum, illud est inprimis Christiano viro metuendum, ne dum caduca, & mortalia bona aut appetit, aut ardentiùs amat, Dei inimicitiam incurrat. Scripsit [d] enim Paulus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Inde exsistit inimicitia cum Deo, qua nihil cogitari potest hominum generi pernicio- E sius. Quàm magnum autem id malum sit, planè intelliget, qui quantum bonum sit cum Deo amicitia iungi vtcunque cognouerit. Hæc enim, vt ait Augustinus [e], *comparatur purgatissimis moribus, & illo fine præcepti, de quo Apostolus ait, finis præcepti est caritas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* XVI.

d 1. ad Tim. 6. 9.

e li. de Gen. con. Manic. cap. 2.

Quò etiam spectant illa apud Basilium [f], cùm enim de caritate in Deum loqueretur, eam docet perfectam esse oportere. *Quantum enim, ait, dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est, vt ei adimas, quod totum est, eòque pauci ex omnibus amici Dei appellati sunt, quemadmodum scriptum est Mosem fuisse amicum.* XVII.

f in ps. 44.

Et

Et vt Ioannes: Amicus enim sponsi, inquit, stans gaudio gaudet, hoc est, qui stabilem, atque immobilem in Christum caritatem retinet; hic dignus est ipsius amicitia; ideirco discipulis iam perfectis Dominus ait, non iam dico vos seruos, sed amicos. Respexit quippe Basilius ad Christi verba apud Ioannem[a], *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* In quem locum Augustinus[b]: *Magna, inquit, dignatio, cùm seruus bonus esse non possit, nisi præcepta domini sui fecerit, hinc amicos suos voluit intelligi, vnde serui boni possunt probari. Sed, vt dixi, ista dignatio est, vt dominus, quos nouit seruos suos, dignetur dicere amicos suos.*

a cap. 15.15.
b Tract. 85. in Ioan.

XVIII. Deinceps autem ostendit, eosdem esse seruos timore casto, & filiali, & amicos caritatis ardore; *& quia caritas timorem seruilem excludit, non serui, sed amici appellantur iusti.* Neque aliter Cyrillus[c]. *Quid autem, inquit, maius, quid clarius, quàm Christi amicum & esse & appellari? Excedit hæc certè dignitas naturæ humanæ terminos. omnia enim seruiunt creatori, vt ait Psalmista[d], nec quidquam est, quod iugo seruitutis eius non subiiciatur. Quod cum ita sit ad supernaturalem gloriam seruantes mandata sua Dominus redigit, non seruos, sed amicos appellans, & vt amicos in omnibus tractans. Magna, & splendida ista præmia sunt.* Et multa deinceps. Denique Dauid[e]: *Mihi autem*, inquit, *nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

c lib. 10. in Ioan. cap. 23.
d psal. 118.
e psal. 138. 17

XIX. Hoc porrò honore non modò carent, qui cum Deo inimicitiam contrahunt, sed innumerabilibus propemodum malis obnoxij degunt, tametsi nonnunquam caducis, & mortalibus bonis affluere videntur. Ita enim dixit alicubi[f] Dauid: *Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Et aliquantò[g] pòst: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Quo loco Gregorius[h] gloriam iniqui describi autumat, quæ illicò euanescit. Et alibi[i] ad illa verba Iob: *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent. Iniquorum*, inquit, *gloria cùm plerunque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus esse longa, & quasi stabilis æstimatur. Sed cum repentinus hanc finis intercipit, breuem proculdubio fuisse redarguit, quoniam determinans innotescit, quia quod præterire potuit, modicum fuit.*

f psal. 36. 20
g vers. 35.
h li. 15. Mor. c. 27. aliàs 35
i lib. 17. c. 5.

XX. Paucis autem interiectis subdit: *Hanc breuitatem gloriæ temporalis aspiciens iterum dicit: Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Hinc iterum ait. pusillum adhuc, & non erit peccator. Hinc Iacobus dicit: Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens. Hinc Propheta breuitatem gloriæ carnalis pensans denunciat dicens: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, sicut flos fœni. Iniquorum quippe potentia fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria dum nitet, cadit, dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repentè in nubilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit, sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturnò roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosa aquarum bulla inchoantibus pluuiis excitatæ, ab intimis certatim prodeunt, sed eò celeriùs dirupta depereunt, quò inflata citiùs extenduntur: cùmque excreuerint, vt appareant, crescendo peragunt, ne subsistant.*

XXI. Quamobrem in libris Regum[k] dixit Dominus: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quo loco Ambrosius[a] secutus Septuaginta, ita legit: *Contemptor meus honore priuabitur.* tum subdit: *Licet nobis ex his verbis aliquid æstimare: Deus enim operatur quod bonum est, non quod malum. Ergo doceant te verba diuina, quia operatur gloriam, pœnam relinquit. Honorificantes me, inquit, honorificabo. Honorem bonorum operationis suæ esse declarans. Et contemptores, inquit, mei, non dixit, honore priuabo, sed honore priuabuntur, non suæ operationi deputans eorum iniuriam, sed quid futurum esset, ostendens.*

k lib. 1. Reg. c. 2. 30.
a lib. de Parad. c. 15.

XXII. Eadémque ratione loquitur hoc loco Iacobus: *Qui voluerit*, ait, *amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur*; non Deo auctore, sed suo ipsius vitio, qui ea sectetur, quæ sensum demulcent, atque oblectant, & improbis cupiditatibus obtemperet; neque enim Deus cuiusquam flagitij existimandus est auctor, qui, vt ait Petrus[b], *Non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*; quod apud Ezechielem[c] Dominus ipse testatur his verbis: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua.* Et Sapiens[d]: *Non dicas, ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij.*

b ep. 2. c. 3. 9.
c cap. 33. 11.
d Eccles. 15. 12.

XXIII. Necesse igitur est ad amicitiam cum Deo reconciliandam, & retinendam mundum, & ea, quæ in mundo sunt, prorsùs contemnere. Quod eleganter Iustinus Martyr[e] his verbis docuit: *Præterea autem mundum omnem non nostrum, sed supra fidem etiam alienum esse ducemus; & proinde neque amicitias terrenas quærimus, nec quæ ab insipientibus beatitudinis nomine laudantur opes, in vrbis magnitudine, aut necessariorum copiis, quæ ne expetendæ quidem sunt: non enim ex hoc sumus sæculo excepti, si cognati esse, & affines mundi istius velimus.* Multò autem copiosiùs Basilius[f]: *Cum Dominus*, inquit, *noster Iesus Christus post multa, eáque multis ex rebus gestis firmissimè à se tradita documenta ad omnes loquatur, & dicat: Si quis venit ad me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et item Sic igitur quicunque ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: Nos præceptum hoc ad plura arbitramur pertinere, quorum necessaria alienatio sit. Nam & diabolo in primis renunciamus, itemque affectionibus carnis, qui abdicauimus occulta dedecoris, consanguinitatibusque, ac familiaritatibus, quæ cum hominibus nobis sunt, similiterque consuetudini etiam vitæ, quæ perfectioni Euangelij salutis aduersatur. Et quod his omnibus magis necessarium est, quilibet sibimet ipsi renunciat, qui exuit veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum desideria erroris; postremò affectionibus cunctis mundanis, quæ pietatis propositum valeant impedire, nuncium remittit.*

e De vita Christ.
f Reg. fus. explic. resp. 8. & 9.

XXIV. Et multa deinceps in eamdem sententiam subiicit, quæ apertè ostendunt, cuncta, quæ in mundo sunt, quæque ab imperitis habentur in pretio, despicienda, & contemnenda esse: quod ipsum docet Gregorius Nazianzenus[g], qui fratrem Cæsarium grauissimis verbis obiurgat, quòd honorum amore delinitus, se in Iuliani Cæsaris Christianæ fidei desertoris familiam contulerat, publicique ærarij procurationem susceperat. Huc spectat quod alicubi scribit Tertullianus. *In hoc mundo nihil nostra interest, nisi vt quàm primùm ex eo excedamus.* Egregiè verò Cyprianus[h]. *Sciant, inquit, Christiani bona illa esse, quæ sunt spiritualia, diuina, cœlestia quæ nos ad Dominum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant. Cæterùm quæcunque terrena sunt in sæculo accepta, & hîc cum sæculo remansura, tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur, cuius pompis, & deliciis iam tunc renunciauimus, cùm meliore transgressu ad Dominum venimus. Hinc Ioannes: Nolite, ait[i], diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* Rursus alibi[k]: *Eius*

g ep. ad Cæsar. 51.
h de hab. Virg.
i ep. 1. c. 2. 15
k Serm. de mortal.

Eius est in mundo diu velle manere, quē mundus oblectat, quem sæculum blandiens, atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cùm mūdus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te redemit, & diligit? Mundus ecce nutat, & labitur, & ruinam sui iam non senectute rerum, sed fine testatur, & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quòd exiu maturiore subtractus, ruinis, & naufragiis, & plagis imminentibus exnaris? Considerandum est, & identidem cogitandum renunciasse nos mundo, & tanquam hospites, & peregrinos hic interim degere. Alia penè sexcenta afferri possent ad hunc Iacobi locum illustrandum, quæ tamen libens in præsentia omitto, quòd plura ad epistolam Ioannis, vbi hac de re iterum agendum erit, mihi necessariò repetenda sint.

5. *An putatis, quia inaniter Scriptura dicat, Ad inuidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis?*]

I. Locus est admodum obscurus, & explanatorum partim silentio, partim alienis explicationibus suprà quàm credi potest, impeditus. Nam & de verborum sensu ambigitur, nec satis liquet, ex quo Scripturæ loco hæc verba, quæ à Iacobo commemorantur, deprompta sint. Itaque nonnulli spiritum ad inuidiam concupiscere nihil aliud putant esse, quàm sensum, & cogitationem humanam ad malum ferri, atque adeò alienis bonis inuidere, atque inde tristitiam, angorémque concipere, quod pertinet ad amicitiam huius mundi, quasi alludat Iacobus ad id, quod in libro Geneseos [a] scriptum est: *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ita spiritum humanum accipiunt, cùm tamen quod mox subiungit Apostolus, *Maiorem autem dat gratiam*, de diuino Spiritu accipiendum esse non negent: verùm id cum Iacobi verbis nequaquam cohæret. Particula enim aduersatiua, *autem*, vtramque sententiæ partem de eodem spiritu explicandam esse significat.

a cap. 6.5. & cap. 8.21.

II. Quorsum autem pertineat prouocatio ad inuidiam, quæ oritur à praua cupiditate in hominum animis penitus insita, nec satis intelligo, nec quemquam arbitror id commodè explicare posse. Ad amicitiam enim huius mundi non liuor tantùm, atque inuidia, sed omnes prauæ affectiones, & cupiditates referuntur, quæ ab amore sui, suorúmque commodorum suapte natura manant. Quocirca humanus spiritus non ad inuidiam modò, sed etiam ad auaritiam, ad odium, ad contentiones, & id genus alia prouocat. An de cœlesti, ac diuino Spiritu loquitur Apostolus? Omninò sic plurimi arbitrantur, ex quibus tamen nonnulli hanc sententiam adhibita interrogatione proferēdam censent, vt negationem contineat. Quasi dicat. An putatis Spiritum, qui habitat in vobis ad inuidiam, & contentiones prouocare? Vt subaudiatur, id nequaquam affirmandum videri. Ita significari putant diuinum Spiritum alia omnia suadere; inuidia enim, æmulatio, & contentionis studium ad amicitiam huius mundi pertinent. Atque ita hanc Iacobi sententiam aliis verbis à Salomone exprimi autumant, cùm dicit [b]. *Benignus est spiritus sapientiæ*; vt Iacobus non ipsa Scripturæ verba, sed sententiam dumtaxat expresserit.

b Sap. 1.16.

III. Ego posteriorem hanc sententiam hactenus probo, vt nihil dubitem loqui Apostolum de cœlesti, ac diuino Spiritu, qui beneficio fidei in cunctis fidelibus inest, in iustis autem etiam cœlestis gratiæ munere: Sic enim ad Romanos scribit Apostolus [c]: *Quod si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Et alibi [d]: *Nescitis quia templū Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Sic Lucia virgo castissima verissimè olim, prudentissiméque pronūciauit, castè, ac piè viuētes esse Spiritus sancti templum. Sed quid significent verba illa, *Ad inuidiam prouocat Spiritus*, & ex quo Scripturæ loco deprompta sint, nondum liquet. Fateor quidem interrogationem à Iacobo adhiberi, sed ea interrogatio totam afficit sententiam: quærit enim credendúmne sit frustra Scripturam affirmare Spiritum ad inuidiam prouocare, quasi nihil dubitet, id Scripturam apertè docere, sciscitetur autem num id frustra, vel inaniter scriptum videatur.

c ad Rom. 8. 11.

d ad Cor. 3.16.

IV. Itaque alij, qui non dubitant affirmare Iacobum id verè in sacris literis scriptum esse, Scripturæ verba citra vllam interrogationem simpliciter de diuino Spiritu verè affirmari non negant; sed ἀνθρωποπάθειαν agnoscunt, qua plerunque humanæ affectiones non sine tropo, ac figura Deo immortali tribuuntur, qui & interdum irasci, indignari, & odio prosequi dicitur, quæ tam sunt à diuina natura aliena, quàm ille abest à mortalitate. Ita dicitur Zelotes, quia non patitur quemquam sibi amicitia iungi, qui mundi amore implicitus teneatur. Cùm enim Iacobus dixisset eum, qui velit amicus esse sæculi huius, illicò fore Dei inimicum; id nunc hac ratione confirmari existimant, quia diuinus Spiritus quasi Zelotypus riualem, aut competitorem non patitur: hoc enim esse, quod ait Iacobus, *Ad inuidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis.* Quasi dicat, Spiritus, qui habitat in vobis, iusta quadam æmulatione commouetur, nec quemquam potest tanquam amicum diligere, qui mundi amicitiam adhuc colat.

V. Sed vt verum fatear Græca vox φθόνος, quæ Latinè *inuidiam* significat, non mihi satis commodè ad æmulationem, aut zelotypiam significandam transferri videtur: vt enim paulò antè dixi, æmulatio tam in bonam, quàm in malam partem vsurpatur, inuidia nonnisi in malam, vt igitur diuinus Spiritus aliquo pacto zelotypia, aut æmulatione commoueri dicatur, nescio vtrùm eadem ratione affirmare possimus, eum etiam inuidiæ stimulis agitari. Inuidia enim, vt alibi [a] docui, aliena fœlicitate torquetur, quo maximè à zelo differt, quo sæpe quis meliora nititur æmulari. Inuidia autem, vt alicubi [b] scribit Seneca, *vehemens & importunum malum est, quæ nos inquietat, dum comparat.* Quod, vt apparet, in Deum ne metaphoricè quidem cadere vlla ratione potest. Quid est igitur, quod Scriptura ait, *ad inuidiam concupiscit Spiritus*? Nimirum, nisi mea me fallit opinio, spectauit Iacobus ad id, quod in Deuteronomio [c] scriptum est: *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis, & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Quomodo etiam locutus est Dauid: *In iram*, inquit [d], *concitauerunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.*

a ad Gal. 5.21

b li. 2. de benef. c. 27.

c cap. 33. 21.

d ps. 77. 58.

VI. Ita videtur Iacobus Scripturæ sensum, non verba expressisse, significat autem Deum ad inuidiam concupiscere, hoc est, ita affici erga veros sui cultores, atque amicos, vt mundi amatores meritò illis inuidere queant, quod videtur significare Isaias [e]: *Propter hoc*, inquit, *hæc dicit Deus. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis; ecce serui mei bibent, & vos sitietis; ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini; ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione Spiritus vlulabitis.* Hac enim ratione maximè confirmat, quod paulò antè dixerat, eum, qui mundi amicitiam colat, Dei esse inimicum. Siquidem cùm amicis suis Deus benefacit, mundi autem amicos deserit, eos ad inuidiam prouocat, atque hac ratione eos etiam in hac mortali vita vlciscitur. Non me fugit, quid hoc loco scribat

e cap. 65. 13.

Bedi,

A Beda, qui eorum sententiam laudat, qui adhibita interrogatione Scripturæ testimonio probari putant diuinum Spiritum ad mutuam inuidentiam, & contentionem neminem excitare, vt hæc sententia ei
a psal. 48. 8. persimilis videatur, quæ est apud Dauidem [a]: *Frater non redimit, redimet homo?* Quasi dicat, nequaquam. Sed, vt paulò antè monui, non video, quomodo hæc sententia cum superioribus cohæreat, cùm tamen Apostolus eos videatur increpare, quos paulò antè adulteros appellauerat, vt eos ab huius mundi amicitia reuocet.

VII. Nec video, quorsum dicat Apostolus, Spiritum sanctum, qui habitat in fidelibus, non concupiscere ad inuidiam, hoc est, neminem prouocare ad inuidendum; potius enim dicendum fuerat, quia amicitia huius mundi inimica est Deo, cœlestem Spiritum B ab ea reuocare & cum Deo amicitiam conciliare. Itaque ait Iacobus eum, qui mundum diligat, Dei esse inimicum, atque adeò cœlestibus, ac diuinis bonis spoliari, quibus Dei amici liberaliter affluunt, vt quæ est humanæ naturæ conditio, ad inuidiam prouocari videantur.

6. *Maiorem autem dat gratiam, propter quod dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*]

I. Vel hinc apparet, vt paulò antè indicaui, superiora de diuino Spiritu accipienda esse, ille quidem mundi amatores ad inuidiam prouocat, suis autem amicis vberiorem gratiam impertit, & hoc ipso inuidiæ quodammodo stimulos improbis adiicit. Quam- C uis enim iusti, diuinæque legis cultores ab improbis despiciantur potiùs, & contemnantur, vt miseratione magis, quàm inuidia digni censeri possint; plerunque tamen Deus diuina sua bona adeò liberaliter in iustos effundit, vt inter mortales eminere, atque excellere videantur, ac propterea improbi iure optimo illis inuideant; hoc igitur indicant hæc verba, *Maiorem autem dat gratiam*. Sed vnde hæc verba desumpta sint, meritò quæritur. Sunt qui putent peti
b cap. 3. 34. ex Prouerbiis Salomonis [b], quo loco ille ait: *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.* Vtrumque enim indicare videtur Salomon, & illusores, hoc est, improbos inuidiæ stimulis agitari, & Dei amicos diuinam gratiam consequi.

II. Mihi verosimilius videtur, nullum certum locum D ab Apostolo indicari, sed id tantùm affirmari, quod vniuersa Scriptura docet, diuinæ beneficentiæ fontes iustis, ac piis maximè patere, quod ex loco Isaiæ paulò antè allato facilè deprehenditur, & ob eam caussam statim subdit Iacobus: *Propter quod dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quæ sunt ipsa Salomonis verba, quæ paulò antè allata sunt ex translatione Hieronymi, Iacobus autem quemadmo-
c ep. 1. c. 5. 5. dum & Petrus [c], sequutus est LXX. qui ita reddiderunt, vt hîc legitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Nam reuera superbi illusores sunt, seu irrisores, contrà verò, humiles mites sunt, ac mansueti. Ita significat Iacobus mundi amatores superbos, atque arrogantes esse, ac propterea Deo exosos, quibus ille quodammodo aduersatur.

III. E Atque hos quidem videtur describere Dauid [d]:
d ps. 72. 4. *Non est*, inquit, *respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*; Et quæ deinceps sequuntur, quibus graphicè eorum improbitas describitur. Sed quorsum ea fœlicitatis veluti vmbra euadat, paulò pòst
e vers. 18. explicat Dauid [e]: *Deiecisti eos, dum alleuarentur, quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam, velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Et post nonnulla [a]: *Quia ecce, qui elongant se à te* a vers. 27.
peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Hac itaque ratione Deus superbis resistit. Quod exemplo Pharaonis, & Nabuchodonosor facilè quiuis intelligat: vterque enim superbiæ, atque arrogantiæ suæ pœnas grauissimas dedit, humilibus autem verè Deus gratiam impertit; scripsit enim Dauid [b]: *Quis sicut* b ps. 112. 5.
Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra? Et alibi [c]: *Quoniam excelsus* c ps. 137. 6.
Dominus, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit.

Quippe de summis montibus ad ima vallium de- IV.
fluunt aquæ, non aliter cœlestis gratia superbos, & arrogantes, quasi montes excelsos deserit, & à modestis, atque humilibus, qui vallibus similes sunt, copiosè excipitur. Ita Virgo Deipara Deum ait non tam Virginitatem, quàm humilitatem suam respexisse, vt meritò dixerit Bernardus, illam Deo humilitate placuisse, eandémque virginitate concepisse. *Humilitate*, inquit, *complacuit, virginitate concepit.* Augustinus [d] d Serm. 213.
autem; *Quanta sit*, inquit, *vera humilitatis virtus, fa-* de temp.
cilè ex verbis Domini agnoscitur, qui vt superbiam Pharisæorum damnaret, dixit: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Humilitatis quippe passibus ad cœli culmina conscenditur, quia Deus excelsus non superbia, sed humilitate attingitur. De hoc dictum est; Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Vnde & in Psalmis dicitur excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit. Discamus ergo humilitatem, per qua Deo propinquare poterimus, sicut ipse in Euangelio dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiē animabus vestris. Per superbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cœlo, per humilitatem Dei, fragilitas humana natura ascendit in cœlum.

Alibi [e] verò cùm doceret, quanam ratione cum V.
Christo ascendendum sit in cœlum. *Ascendentes au-* e Serm. 2. de
tem, inquit, *non extollamur, nec de nostris, quasi de propriis* Ascens.
meritis præsumamus. Sursum autē corda habere debemus, sed ad Dominū: sursum enim cor, non ad Dominū, superbia vocatur, sursum autem cor ad Dominum, refugiū vocatur. Videte, fratres, miraculum magnum, altus est Deus; erigis te, & fugit à te; humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? Quia excelsus est, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit. Humilia de proximo respicit, vt attollat, & alta, id est, superba, de longè cognoscit, vt deprimat. At contrà superbis dicitur Deus resistere, quòd cùm omnes improbos iusto supplicio plectat, superbos acriùs cruciat, & torquet.

Dicitur autem resistere, vt Chrysostomus [f] obser- VI.
uat, *non quòd instructa acie, aut pugna Deo sit opus ad-* f Hom. 3. de
uersùs superbum. Quid enim esse potest superbo infirmius? ver. Isa.
Nam vt qui orbatus est oculis, omnium oppositus est iniuriæ, ita & superbus, qui non videt Dominum. Nam superbia, vt inquit Scriptura, est non nosse Dominum, etiam ab hominibus facilè superatur, posteaquam excidit ab illius luce. Quod si etiam validus, ac potens esset superbus, nihil opus esset Deo exercitu aduersùs illum; quandoquidem & voluntas illi sufficiebat ad inuertenda omnia, multò magis sufficeret ad tollendos illos. Cur igitur resistit? quò vehementi odium declaret erga superbum. Quærit autem
Cassianus [g], cur Deus præcipuè dicatur superbis re- g lib. 12. de
sistere, & respondet: *Cætera vitia vel in vnumquem-* instit. renū-
que delinquentium tantummodo retorqueri, vel in suos tiat. c. 7.
participes, id est, in alios homines admitti; superbiam verò propriè ad Deum pertingere, & idcirco eum specialiter habere contrarium.

Itaque Iacobus à mundi amicitia Scripturæ au- VII.
ctoritate, ac testimonio reuocat; rerum enim caducarum amatores magnos, atque elatos concipiunt spiritus, ac propterea inimici Dei consti-

tuuntur, ciúsque in se iram, atque indignationem A merito prouocant, & spiritualibus bonis, quibus beata vita comparatur, iustè spoliantur. Contrà verò, qui caducis, ac mortalibus bonis neglectis spes omnes suas in vno Deo fitas, & locatas habent, cùm sese deprimunt, ac deiiciunt, ipsi tum cœlestibus, diuinísque bonis mirum in modum locupletantur. Quæ si vera sunt, vt sacrarum literarum testimonio verissima esse constat, perinde est, ac si dicat Iacobus, videte vtrùm malitis, an mundo adhærere, & cum Deo superbè pugnare, an verò mundo nuncium remittere, & diuina gratia in hac mortali vita compleri, & ad beatam denique immortalitatem perduci. Sic

a Exo.23.32. olim [a] Deus Iudæos monet, vt cùm Palestinæ possessionem adepti fuerint, earum gentium, ac nationum mores ne imitentur. *Non inibis*, inquit, *cum eis fœdus*, B *nec cum diis eorum; Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum, quod tibi certò erit in scandalum.* Sic etiam Moses, cùm ingens in populo seditio orta esset, & Dei nutu, atque imperio superbis, atque arrogantibus supplicium minaretur, innocentes ab eorum societate seiungi præce-

b Num. 16. 26. pit [b]. *Recedite*, inquit, *à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.*

VIII. Tametsi enim quamdiu inter mortales viuimus, improbi nonnunquam bonis caducis, ac mortalibus affluunt, & ob id ab imperita multitudine beati prædicantur, habent tamen intus in animo, quibus cruciëntur, effrænatas cupiditates, quæ nunquam expleri, aut satiari possunt. Diuitiæ affluunt? ingens cura- C rum, ac sollicitudinum turba eas comitatur, inflant animos, superbiam, & arrogantiam pariunt, metu plerunque, ac formidine animum contrahunt; honorum titulis, & gloria, imperióque fulges? at multi Reges miserè perierunt; verè enim scripsit alicubi

c In orat. cõsol. Plutarchus [c]: *Nullus est vir, qui vsquequaque fœlicitate fruatur: nam vt in plantis nonnunquam maxima est fertilitas, interdum sterilitas, & in animantibus, quandoque numerosa proles, quandoque nulla; & in mari tempestates, ac tranquillitates, ita & in vita multi, ac varij casus in aduersas circumagunt homines fortunas.* Et aliquantò pòst: *Rota enim circumacta nonnunquam altera pars supernè extat, nonnunquam altera. Inconsiderata namque est fortuna, vt inquit Theophrastus, & ad ea, quæ elaborauerit, auferenda vehemens, nullúmque habens ad perturbandam* D *existimatam fœlicitatem constitutum tempus.*

IX. Itaque imprudentis viri est, in re nequaquam stabili, ac firma constantiam quærere. Quamobrē Da-

d psal.72.28. uid [d], cùm dixisset impios iusto Dei iudicio malè perire. *Mihi autem*, subdit, *adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Quasi dicat, diligant alij, vt voluerint caduca, & mortalia bona, opes, & gloriam, & quicquid inter mortales in pretio est, auidè appetant, & concupiscant, mihi sanè nihil optabilius, magísque expetendum videtur, quàm vni Deo toto pectore adhærere, eique me totum penitus tradere, ab eius denique vnius nutu, imperióque pendere. Ac propterea subdit Iacobus: E

7. *Subditi ergo estote Deo; resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.*]

I. Reprehensioni adhortationem subiicit, agricolas imitatus, qui vbi vepres, aut spinas amouerint, & agrum bene subegerint, tum demū sementem faciunt. Ait itaque, *Subditi ergo estote Deo.* Græcè, ὑποτάγητε, vt

e psal.61.2. videatur idem dixisse, quod olim Dauid [e]: *Nónne Deo subiecta erit anima mea?* neque enim ille solùm significat, se Deo subiici velle, hoc est, eius diuinis præceptis obtemperare, sed sese totum Deo, eiúsque prouidentiæ permittere, in eóque spes omnes suas collo- A care; ac propterea subdit: *Ab ipso enim salutare meum.* Quasi dicat, ab ipso dūtaxat vno salus, atq; adeò mea omnia bona pendent. Quocirca nōnulli ex Hebræis vertunt: *Expectabit anima mea Dominum.* Alij: *Ad Dominū anima mea silebit*; quasi significet Dauid, quæcunque sibi diuinitùs obtigerint, æquo se animo laturū, quippe qui se, suáque omnia Deo velit esse subiecta. Ita hoc loco Iacobus hanc à fidelibus Christianam mentem exigit, vt sese totos Deo tradant, atque adeò omni ex parte mūdo nunciū remittant. Ita non solùm suadet humilitatē, de qua paulò antè dixerat, Deum humilibus gratiam largiri, sed propterea ab humanarum rerum cupiditate, & amore reuocat.

Ac proinde subdit: *Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Hic enim malorum omnium suasor omni nos II. B conatu oppugnat, & ad amorem rerum caducarum excitat, eadémque opera à Deo nos auocat. Ait autem diabolo resistendum: vt enim ait Augustinus [a], *Sua-* a li. 50. Hom. Hom. 12. *dere diabolus, & sollicitare potest, cogere omnino non potest; & ideo cùm per Dei adiutorium in potestate tua sit, vtrum consentias diabolo, quare non magis Deo, quàm ipsi obtemperare deliberas?* Et post nonnulla: *Est enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à sinistris seducens Satanas, homo in medio constitutus cor, quod inclinatur ad diabolum, quare non potius erigitur ad Deum?* Quamobrem aptè hoc loco monet Iacobus: *Resistite*, inquit, *diabolo, & fugiet à vobis.* Rectè autem monet Bernardus [b], b Ser. 85. in Cant. tres esse omnino, qui iustos grauiter oppugnent; *diabolum, qui liuore malitiæ; mundum, qui vento vanitatis; ipsum denique hominem, qui se suo imbecillitatis pondere* C *impellit.* Tum subdit. *Impellit diabolus, sed non euertit: siquidem tuum illi negaueris assensum; denique habes, resistite diabolo; & fugiet à vobis. Iste est, qui stantes in paradiso impulit inuidus, & euertit, sed consentientes, non resistentes. Iste est, qui se ipsum de cœlo superbus nullo impellente præcipitauit, vt scias multò magis hominem suo ipsius casui imminere, quem propria substantiæ pondus grauat.*

Porrò resistendum diabolo est, quòd ille nos miris modis aggrediatur, vt copiosè docet Cassianus [c]. III. c Col.7. ferè per totam, & col.8. Adeò autem eius vis, & potestas formidanda est, vt meritò apud Cassianum dixerit Serenus [d], nullo mo- d Col.7. c.20 do etiam viros sanctissimos eius sæuitiæ pares esse posse, *Si non certamini nostro clementissimus arbiter, atque agonotheta præsidens Christus & exæquaret collu-* D *ctantium vires, & immoderates eorum repelleret, ac refrænaret incursus, faceretque cum tentatione & exitum, vt sustinere possimus.* Ad hanc porrò pugnam, & ad hoc certamen instituit Paulus Ephesios, cùm ait [e]: *Induite vos armaturam Dei, vt possi-* e cap.6.11. *tis stare aduersùs insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates; aduersùs mundi rectores, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Tum subiicit, quibus armis pugnandum sit, dæmon verò malitiæ suæ, atque improbitatis stimulis agitatus, nihil non molitur mali, vt quemadmodum Deus bonorum omnium est auctor, ita hic malorum omnium impulsor E meritò censeatur.

Accedit ingens illius superbia, qua olim etiam ad- IV. uersùs Deum sese supra modum extulit, & incredibile aduersùs illum odium concepit, quem cùm lædere nulla ratione in se ipso possit, ab eius cultu, atque amore mortales nititur auocare, denique incredibili liuore, atque inuidia aduersùs genus humanum commouetur, atque ingenti conatu nititur homines ab ea felicitate abducere, à qua ille suo vitio excidit. Itaque vt scribit Petrus [f], *tanquam leo rugiens, circuit* f ep.1 c.5.8. *quærens quem deuoret.* Et interdum quidem menti tenebras offundit, immutando plerúsque sensiles rerum imagines, & phātasmata, eaque permiscendo, vt mens

quæ

quæ iis imaginibus magnopere commouetur, aut erret, aut decipiatur, aut admodum certè perturbetur, vt verè omninò dixerit [a] Ioannes. *Diabolum misisse in cor Iudæ, vt Christum Dominum traderet.* Externos aliquando seductores adhibet, vt accidisse legimus Acabo [b], qui à Pseudoprophetis deceptus malè periit; nonnúquam præstigiis, & rerũ admirabilium inuamẽtis in fraudem, atque errorem impellit. Quo pertinent Christi verba apud Matthæũ [c]. *Multi pseudoprophetæ surgent, & seducẽt multos.* Itemque illa Pauli [d]. *Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt.*

[a cap. 13. 2.] [b 3. Reg. 22.] [c cap. 24. 11.] [d 2. ad Thes. 2. 9.]

V. Quocirca qui ei obtẽperant, cæci meritò nuncupantur, quod olim in Sampsone tamquã in typo expressum est, qui à Philistæis in seruitutem adductus, oculis captus est. Vt plurimùm autẽ rerũ externarum obiectu, ac voluptatum illecebris allicit hominũ voluntates, & voluptatum titillatione demulcet. Omninò autem, vt scribit Basilius [e], *nostris ipsorum desideriis oculorũ vice nos oppugnat.* Et aliquantò post. *Quemadmodũ,* inquit, *peruersi quidam, & subdoli homines, quorum studium est, & propositum, ex aliorum bonis ditescere, eam tamen potentiã non habent, vt aperta violentia vtantur, vias insidiosè obsidere solent, & si locum aliquem circa illas, aut conuallibus profundis interceptum, aut dumorum densitate obscurum viderint, in illum sese abdunt, & huiusmodi velamento viatorum circumquaque conspectum, ne præuideantur amoliti, ex inopino illos adoriuntur, ne quisquam eorum laqueos periculosos videre prius queat, quàm in illos incidat; ita & Satan infensus nobis, & antiquus hostis mundanarum oblectationum vmbris sese insinuans, quæ periculosè circa vitæ huius viam latronem occulere solent, & latibula præbere insidiatori, inde improuisos nobis perditionis laqueos substernit.*

[e Hom. 23. quòd nõ sit adhæren. reb. sæcular.]

VI. Et post nonnulla cùm delicias, & voluptates, opes, atque honores nominasset. *Sub his namque, ait, omnibus ita iucundis latebras suas habet communis noster hostis, expectans nunc per obiectorum spectacula illecti relicta regia via, ad ipsius aliquando insidias ipsi vltrò declinemus. Et plurimum sanè timendum est, ne quo pacto illis incautè adcurrentes, & oblectationem illam, quam vsurpantibus afferunt, nihil habere periculi putantes, primo statim gustu dolosè abditum hamum voremus, atque illo postea nolimus, velimus, ligari ad terribiles latronis latebras, mortem scilicet per huiusmodi illecebras imprudenter trahamur.*

VII. Et sanè si de voluptatis vi, & potestate loquendum sit, vt eleganter monet Ambrosius [f], ea ita à dæmone homini proponitur, verendum vt sit, ne eius illecebris mens humana capiatur: *Oculos enim delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat, multa mentitur, falsa adiungit, vera subducit, spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam.*

[f li. 1. de Abel & Cain cap. 5.]

VIII. Quamobrem, vt ait Iacobus, diabolo resistendum est, &, vt alicubi scribit Seneca [g], *Nobis quoque militandum est, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ sunt inprimis voluptates, quæ, vt vides, sæua quoque ad se ingenia rapuerunt. Si quis sibi proposuerit, quantum operis aggressus sit, sciet nihil delicatè, nihil molliter esse faciendum.* Et in eandem sententiam scribit Basilius [h]: *Oportet,* inquit, *animi oculos perpetuò vigiles circumquaque deducere, & quicquid iucundum apparet, mox suspectum habere, & prætercurrere, nec aliquam illi cogitationem applicare.* Eodem spectant, quæ scribit Plutarchus [i]: *Non aliter,* inquit, *atque Cirrais datum est à superis oraculum,*

Noctè, diéque non desint prælia posthac.

ad eum planè modum nostris perpetuam tibi cum vitiis conuinerepugnam, cuius nulla sit per diem, nulla etiam per noctem relaxatio: vix enim vnquam cessant excubiæ, aut desint voluptates, quæ te infestent, & caduceatorum more in aciem prouocent.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

[g ep. 52.] [h Hom. 23. sup. citat.] [i lib. de prof mor.]

IX. Huc etiam spectant, quæ eleganter scribit Gregorius [a], dum dæmones Philistæis comparat, è quorum manibus, qui liberari cupiunt, præparare corda sua Domino debent, & illi soli seruire. Alibi [b] verò: *Si,* ait, *tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, hac eadem, qua nutritur, mora roboratur, & existens foris in operibus vinci vix præualet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem captiuam tenet.* Hoc igitur modo diabolo celeriter resistendum est: ita enim fiet, vt, quod ait Iacobus, fugiat à nobis. Resistendum est autem illi, vt Sanctus Antonius docebat, quem beatus Athanasius [c] testatur suos discipulos frequenter his verbis monere consueuisse. *Mihi credite, fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum, cuius vnico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit.*

[a lib. 5. cap. 0. in 1. Reg. c. 7] [b li. 21. Mor. cap. 7.] [c in vita B. Antonij.]

X. Nec dubium est, vt monet Cassianus [d], *Quemadmodum dæmones sæpe multos eludunt, sic etiam ipsos non rarò eludi, & victos non absque pudore, & dedecore discedere. Cùm enim cunctis expensis conatibus deceptionem nostram non potuerint obtinere, super casso labore suo necesse est vt confundantur, & erubescant [e], qui quærunt animas nostras, vt auferant eas; induantur [f] confusione, & pudore, qui cogitant nobis mala. Ieremias [g] quoque. Confundantur,* inquit, *illi, & non confundar ego; paueant illi, & non paueam ego; induc super eos iram furoris tui, & duplici contritione contere eos. Nulli etenim dubium est, cùm à nobis fuerint superati, contritione eos duplici conterendos. Primùm quod hominibus expetentibus sanctitatem illi eam possidentes amiserint, causáque extiterint perditionis humanæ. Deinde quod spirituales substantiæ fuerint à carnalibus, terrenisque deuictæ.* Itaque verè omnino ait Iacobus: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

[d Col. 7. c. 21] [e ps. 39. 15.] [f ps. 39. 4 16.] [g cap. 17. 18.]

XI. An ita fugam arripiet dæmon, vt nunquã deinceps prælium redintegret? Non opinor, quod vel vnico Christi exemplo probari potest: Semel enim, atque iterum superatus dæmon, tertiò eundem aggressus est, vt nihil dicam ea Lucæ narratione facilè deprehendi Christum Dominũ in deserto sæpius à dæmone fuisse oppugnatũ. Idémque omnino in patientissimo Iobo cernimus, quẽ tametsi primo prælio lædere nihil potuit, acriùs tamen secundo impugnauit: mille enim nocendi artibus instructus nullum non mouet lapidem, vt iustos ad scelus pertrahat.

XII. Quamobrem verè, ac sapienter de illo scribit Gregorius [h]: *Hostis itaque callidus contra cœlestem militem diuersa percussionum vulnera exquirens, modò ex pharetra per insidias eum sagitta vulnerat, modò ante eius faciẽ hastam vibrat, quia videlicet vitia, & alia sub virtutum specie contegit, & alia, vt sunt aperta, eius oculis opponit: Vbi enim infirmitati Dei militem conspicit, illic fraudis velamina non requirit; vbi autem sibi resistere fortem considerat, illic contra vires proculdubio dolos parat. Nam cùm infirmum quempiam in carnis illecebra videt, apertè corporis speciem, quæ concupisci valeat, eius obtutibus obiicit. Si autem fortasse validum contra auaritiam cernit, importunè eius cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit, vt dum mens ad prouisionis curam quasi piè flectitur, seducta furtim in rerum ambitu iniquè rapiatur.* Et post pauca: *Dolosus namque aduersarius simul ferire nititur, & apertè saniens, & insidiis latens, vt dum de occulto sagitta metuitur, minus ante faciem hasta teneatur, vel dum ante faciem hasta resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur. Sæpe enim tentationem proponit de libidine, & subitò fraudulentiùs cessans, elationem suggerit de seruata castitate. Et sunt nonnulli, qui dum mulier-*

[h li. 12. Mor. c. 30 alias 17]

ex castitatis arce in elationis foueam cecidisse conspiciunt, vita sua custodiam negligentes in immunditia libidinis demerguntur. Sunt verò è diuerso nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt.

XIII. Semper igitur diabolo resistendum est, siue occultè insidietur, siue apertè adoriatur. Resistendum est autem diuino potissimùm implorato præsidio, sine quo facilè quiuis succumbat. De diabolo siquidem explicat Gregorius [a] verba Prophetæ Amos. *Leo rugiet, quis non timebit?* Aderit autem, vt paulò antè dixit Iacobus, humilibus diuina gratia, &, vt ait Salomon [b], *Dominus erit in latere iustorum, & custodiet pedem eorum, ne capiantur.* Eodémque spectans Dauid [c]: *Angelis suis* (inquit) *mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum; super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Et aliquantò antea: *Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Videtur enim omnia fermè tentationum genera complecti. *Non timebis,* inquit, *à timore nocturno*, hoc est, interprete Augustino [d], à leni, & occulta tentatione; *à sagitta volante in die*; id est, leui quidem tentatione, sed manifesta; *à negotio perambulante in tenebris*; graui scilicet, atque occulta, *à dæmonio* denique *meridiano*, oppugnatione nimirum graui & manifesta. Bernardus [e] verò timorem nocturnum interpretatur tentationem, qua plerumque dæmon ad animi deiectionem, & veluti desperationem impellit; sagittam volantem, inanis gloriæ stimulos. Negotium ambulans in tenebris, ambitum, seu auaritiam; dæmonicum denique meridianum, quodcumque malum, quod per speciem boni decipere queat.

a li.32.Mor. cap.8.alias 9

b Prou.cap. 3.26.

c ps.90.11.

d In ill.loc.

e Serm.6.in ps.90.

XIV. Porrò Chrysostomus [f] significari docet, neque in rebus aduersis, quæ noctis, ac tenebrarum nomine significantur, neque in secundis, quæ diei nomine indicantur, quidquam esse formidandum. Denique vtcunque accipias, diuinæ gratiæ patrocinio fretus, securus aduersùs hostem humani generis pugnabis, quod his verbis monet Iacobus, dum ait: *Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Qui enim sese Deo penitus subiecit, eum habet propitium suæ causæ patronum, ac belli ducem, meritóque vsurpare potest, quod ait Dauid [g]: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum; misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, protector meus, & in ipso speraui, qui subdit populum meum sub me.*

f In ill.ps.

g ps.143.1.

8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo.*]

I. Paucissimis verbis tria complectitur præcepta; quorum primum ad omnes vniuersim pertinet: *Appropinquate,* ait, *Deo & appropinquabit vobis*: alterum ad peccatores refertur, *Emundate manus peccatores*: postremum duplices potissimùm animo spectat. *Purificate,* inquit, *corda duplices animo.* Vniuersim igitur docet accedendum esse ad Deum. Quod etiam olim monuerat Dauid [h]: *Accedite,* inquit, *ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Sed mirum cur dicat Apostolus, *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* An existimandum est, salutis nostræ initium à libero arbitrio sumendum esse: an Deus nostros conatus expectat, vt illos deinde ipse promoueat? ita olim senserunt Massilienses, quos Semipelagianos, aut Pelagianorum reliquias Theologi appellant, quibus non semel visus est fauere Cassianus: nam alicubi [i] ait, *Ita pronunciamus laborantibus tantùm, ac desudantibus misericordiam Dei, gratiámque conferri, &, vt verbis Apostoli loquar, volentibus, & currentibus impartiri.* Et paulò pòst: *Dicimus enim secundùm Saluatoris sententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inueniri. Sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus, dederit, vel aperuerit quod pulsamus, vel illud, quod quærimus, fecerit inueniri. Præsto est namque, occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda.*

h ps.33.6.

i li.12.de instit. renũc.c. 14.

II. Significat enim præstolari, quasi Deum liberi arbitrij actionem, vt ea velut occasione permotus suam nobis gratiam largiatur. Idem etiam alibi [a] insinuat. Sed quid de Cassiano sentiendum sit, alibi dixi; Semipelagianorum autem sententia tanquam hæretica, & veritati Catholicæ maximè aduersa, olim non semel ab Ecclesia reiecta, atque explosa est. Sæpissime autem docet Augustinus, bona omnia, quæ ad salutem aliquo pacto referuntur, diuinæ gratiæ beneficio inchoari, perfici, atque absolui, atque adeò excitantem, & præcurrentem gratiam, bonum omnem liberi arbitrij conatum antecedere, nec quenquam ad Deum accedere, quin priùs ab eo excitatus, & adiutus sit, quam ob causam apud Ioannem [b] dixit Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quid ergo est, quod ait Iacobus, *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis?* Nimirum excitanti gratiæ respondendum docet, & in rebus agendis diuinam opem implorandam monet. Hac enim ratione verissima censenda sunt omnia, quæ paulò antè Cassianus ex sacris literis attulit.

a Col 13.c.7. 9.11.12 & 13.

b cap.6.44.

III. Neque aliter accipio, quæ apud plerosque tum Græcos, tum Latinos Patres passim leguntur. Nam Clemens Alexandrinus: *Eum autem,* inquit [c], *qui Deum colit, vt eius maiestatem decet colere, consequitur Dei amor, & in Deum pietas.* Et paulò pòst: *Is autem fuerit solus Dei amicus, qui conuenienter Dei maiestati Deum colit.* Et Origenes [d]: *Nam hi, qui secundùm propositum bonum, & bonam voluntatem, quam circa Dei cultum gerunt, vocantur, ipsi sunt, qui secundum propositum vocati dicuntur, & isti sunt, qui vocati, iustificati sunt: bono enim eorum proposito deerat sola vocatio.* Et aliquantò pòst: *Quod si secundùm propositum ad Deum referatur, hoc est, vt secundum Dei propositum, qui sciens in eis religiosam mentem, & salutis inesse desiderium vocati dicantur, non videbitur his, quæ exposuimus, etiam hoc esse contrarium.* Vocationem enim non primam illam intelligo, quæ omnem humanam actionem præuertit, sed eam, quæ liberi arbitrij conatum comitatur, & consequitur. Sic etiam loquitur Chrysostomus [e]: *Venit,* inquit, *ad vnumquemque gratia Dei, sed apud eos, qui dignè explent ea, quæ in ipsis sunt, permanet, ab iis verò, qui minùs dignè agunt, citò discedit, ad eos autem, qui nec initium faciunt conuertendi ad Dominum, omnino non venit: rectas enim mentes diligit, & sine fuco propositum. Quod etiam in Paulo perspiciens licèt adhuc alio itinere videretur incedere, tamen quia proposito recto, & zelo Dei hoc agebat, dicit de eo Dominus, quia vas electionis est mihi iste.* Et alio quodam loco [f]: *Dignum profectò,* ait, *mirari Eunuchum illum Candacis Reginæ; non viderat Iesum Christum, non viderat signum, vltra viderat, quis status Hierosolymis, & credidit Philippo. Vnde igitur talis factus est? Sollicita erat anima illius, attendit Scripturis, vacauit lectionibus.*

c 7.Strom.in princ.

d li.7.in ep. ad Rom. ad ill. ver. Qui secundũ propositum.

e Homil. de cõuers. Pauli, & li.1.de cõpun.cor.

f Hom.19 in Act.Apost.

IV. Eodem videntur spectare, quæ aduersùs Iulianum scribit Cyrillus [g], cùm de diuina prouidentia erga Iudæos, & gentes disserit. Inter Latinos autem in hanc sententiam loquitur Ambrosius [h]: *Nemo enim,* inquit, *pigrescat, & excusationem prætendat,*

g lib.3.cont. Iulian.

h lib. 2. de Abrah.c.10.

q.u

quo seruus credat, quia scriptum est. Non volentis, neque currentis esse. consideres enim, quid additum sit, sed miserentis, inquit, Dei. Talem te ergo prabe bonis studiis, & prompta fide, vt Deus tui misereatur, & vocet te, sicut Ecclesia vocauit. Et Hilarius [a]: *Oras igitur,* inquit, *vt Deus tribuat. Est ergo à nobis cùm oramus exordium, vt munus ab eo sit, dehinc quia de exordio nostro munus est eius, ex nostro rursum est, vt exquiratur, & obtineatur, & maneat.*

a in Psalm. 118. ad illa verba. Inclinaui cor meum in testimonia tua.

V. Et quod magis mirãdum est, aduersùs Pelagianos disputans Hieronymus [b]: *Scio, ait, baptismum praterita donare peccata non futuram seruare iustitiam, qua labore, & industria ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur, vt nostrum sit rogare, illius tribuere, quod rogatur, nostrum incipere, illius perficere, nostrum offerre, quod possumus, illius implere, quod non possumus.* Denique Augustinus [c]: *Ex eadem,* inquit, *massa, id est, peccatorum, & vasa misericordia protulit, quibus subueniret, cùm eum deprecarentur filij Israël, & vasa ira, quorum supplicio illos erudiret, id est, Pharaonem, & populum eius, quia quamuis essent vtrique peccatores, & propterea ad vnam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant, qui vni Deo ingemuerant, vt eis subueniret, & aliter illi, quorum instictu oneribus ingemuerant.*

b Dial. 3. c. 6. Pelag.

c lib. 83. qq. q. 68.

B

VI. Et aliquantò pòst: *Sed hac voluntas Dei iniusta esse non potest. venit enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores cùm propter generale peccatum vnam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diuersitas. Pracedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis non dum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione, & item pracedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione.* Ne quis autem existimaret, ex se ipso effici quemquam iustificatione dignum, aliquantò pòst ita loquitur Augustinus. *Quia etiam si leuioribus quisque peccatis, aut certè quamuis grauioribus, & multis, tamen magno gemitu, & dolore pœnitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei qui eius precibus, doloribúsq; subuenit.* Indicat enim eundem Deũ qui rogantibus, & pœnitentibus misericordiam largitur, id etiam tribuere, quo digni misericordia reddantur.

C

VII. Itaque hac prorsus ratione dixit Iacobus: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*; quasi dicat, Nolite diuinæ vocationis beneficium negligere, sed ei liberum vestrum consensum præbete. & Deum veluti viæ ducem sequimini, & certò vobis eius diuinam gratiam, ac beneuolentiam polliceri possum. Nam eadẽ ratione dixerat paulò antè: *Subditi estote Deo, & resistite diabolo.* Quanquam enim, vt Patres Concilij Tridentini [d] loquuntur, iustificationis exordium, *In adultis à Dei per Christum Iesum praueniente gratia sumendum est, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratia liberè assentiendo, & cooperando disponantur, tangente tamen Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, homo ipse neque nihil agit inspirationem illam recipiens, quam & abiicere potest.* Quocirca post multa [e]: *Si quis,* inquit, *dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac preparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque se passiuè habere, anathema sit.*

D

d Sess. 6. c. 5.

e Can. 4.

E

VIII. Hunc porrò liberum consensum, atque conatum exigit Apostolus, eodémque referuntur omnes adhortationes, consilia, reprehensionésque, quæ in sacris literis passim leguntur; nec aliò spectat, quod non semel inculcat Apostolus Paulus [f], *Ne quis desit gratia Dei, & ne quis in vacuum Dei gratiam recipiat.* Pollicetur autem Iacobus vberẽ laboris nostri fructum. *Appropinquate,* inquit, *Deo, & appropinquabit vobis*

f Hebræor. 12. & 2. Corinth. 6. 1.

Bened. Iustinian in Epist. Canon.

A Non enim motum corporeũ requirit, in quo necesse est eum, qui ad alterũ accedit, ei, ad quem accedit, vtcũque coniungi, quod in motu spiritali animæ, locus non rarò accidit: fieri enim potest, vt quis alterũ diligat, à quo minimè redametur. Cùm igitur nõ corporeo gressu, sed animi motu ad Deũ accedendum sit, pollicetur Iacobus ei, qui Deũ diligat, eique caritate adhæreat, Deũ amore, ac beneuolentia responsurum. Ita enim apud Salomonem loquitur [a]: *Ego diligentes me diligo. & qui manè vigilant ad me, inuenient me.* Et David [b]: *Custodit Dominus,* inquit, *omnes diligentes se.*

a Prou. 8. 17.

b Psal. 44. 20.

IX. Diuina quippe beneuolẽtia, & caritas omnem nostram in eum caritatẽ præcurrit, eadémque subsequitur. Ita enim loquitur David [c]: *Misericordia eius preueniet me.* Et alibi [d]: *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vita mea.* Et ob eam causam rectè dixit Bernardus [e], neminem posse rectè Deum quærere, nisi priùs fuerit à Deo quæsitus. Ita enim orat David [f]: *Erraui sicut ouis, qua periit, quære seruum tuum Domine. Postulat enim se à Deo conquiri, vt qui dedit velle, det & perficere pro bona voluntate.* Porrò in Apocalypsi loquitur Dominus [g]: *Ego sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Quod enim ait, *ego sto ad ostium, & pulso*, præcurrentem gratiam indicat, cum subdit: *si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam*; nostrum exigit consensum, de quo in præsentia Iacobus ait: *Appropinquate Deo.* Denique cùm addit, *Intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum,* id significat, quod & hoc loco Iacobus, *& appropinquabit vobis.*

c Psal. 58. 11.

d Psal. 22. 6.

e Ser. 84. in Cant.

f Psal. 118. in fin.

g cap. 3. 20.

X. Itaque non ita omnia, à diuina beneficentia, & liberalitate expectãda sunt, quasi nobis otiosis, & nihil agentibus diuina beneficia concedenda sint. Rectè enim scribit Leo Pontifex [h]: *Quamuis enim ædificiũ nostrum sine opere sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio prasuerit conditoris; tamen quia rationabiles lapides sumus, & viua materies, sic nos auctoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratia igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat. At si quid sibi impossibile, aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iubentem recurrat, qui ideo dat praceptum, vt excitet desiderium, & prastet auxilium, dicente Propheta* [i]: *Iacta in Deum cogitatum tuum, & ipse te enutriet.* Plura in eandem sententiam scribit Augustinus, quæ quoniam alio loco copiosè à nobis recensentur, non sunt in præsentia iteranda.

h Ser. 5. de Quadrag.

i Psal. 54. 23.

XI. *Emundate manus peccatores.*] Hoc est secundum præceptum, quo monet Iacobus peccatores, vt manus abluant, hoc est, prauas actiones pœnitentiæ lacrymis eluant: ita enim loquitur etiam David [k]: *Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine.* Alloquitur autem peccatores, hoc est, vt ego interpretor, omnes omnino mortales: vt enim paulò antè diximus, Iacobo potissimùm auctore, *In multis offendimus omnes.* Et nimiùm quantùm verè dixit alicubi [l] Leo Pontifex: *An fortè quisquam ita insolenter superbit, ita se illæsum, ita immaculatum esse prasumit, vt nullius iam renouationis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasio, & nimia vanitate veterascit, quicunque inter tentationes huius vita ab omni se vulnere credit immunem, plena omnia periculis, plena sunt laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebra, blandiuntur lucra, damna deterrent, amara sunt obloquentium lingua, nec semper veracia sunt ora laudantium, inde sauit odium, hinc decipit mendax officium, vt facilius sit vitare discordem, quàm declinare fallacem.*

k Psal. 25. 6.

l Serm. 7. de Quadrag. c. 1.

XII. Et alibi [m]: *Quis enim in huius vita constitutus incerto, aut immunis à tentatione, aut liber inuenitur à culpis?*

m Ser. 11. de Quadrag.

A *Quis est, qui nihil virtutis sibi adduci, aut qui nihil vitij sibi optet auferri? cum & aduersa noceant, & secunda corrumpant, nec minoris sit periculi carere desideratis, quàm abundare concessis? Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis, illa eleuant ad superbiam, hæc incitant ad querelam; tentat sanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore, nec interest vtrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis, cum par morbus sit, vel sub vana delectatione languere, vel sub anxia sollicitudine laborare.* Quamobrem sapiéter monet Iacobus, dum ait: *Emundate manus peccatores.* Loquitur enim de actionibus externis, quæ frequéter in sacris literis manuum nomine significantur. Ita dixit Dauid [a]. *Innocens manibus:* hoc est, omni labe purus, & integer. Et alibi [b]. *Manus suas lauabit in sanguine peccatoris,* quasi dicat, actiones omnes suas ad virtutis normam componet.

a Psal. 23. 4.
b Psal. 57. 11.
B

XIII. Hoc enim potissimùm exigit Deus, vt quicunque suam amicitiam expetit, quoad eius fieri possit, ab omni sit vitio alienus: alioqui enim scelera, atque flagitia, vt ait Isaias [c], nos à diuina beneuolentia, & caritate reddunt alienos. *Iniquitates,* inquit, *vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate, labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur.* Quamobrem rectè Beda: *Hoc est,* inquit, *veraciter nos appropinquare Domino, operis videlicet munditiam, & cordis simplicitatem habere.* Verè enim dixit Dauid [d]: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo; hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo; hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.*

c cap. 59. 2.
C
d Psal. 23. 3.

XIV. Quocirca non modò Iacobus suadet, vt accedamus ad Deum, sed qua id ratione agendum sit, docet. *Emundate,* inquit, *manus peccatores:* neque enim satis est, quod hæretici mentiuntur, à peccatis cessare, sed perpetrata facinora eluenda sunt, veráque pœnitentia expianda. Ita Dauid [e]: *Lauabo,* inquit, *per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quamobrem loquitur Isaias diuino repletus numine in hæc verba: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium.* Et aliquantò pòst: *Si fuerint,* inquit, *peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.*

e Psal. 6. 7.
D

XV. *Et purificate corda duplices animo.* Hoc est tertium Apostolicum præceptum inprimis necessarium: neque enim Deus externas duntaxat actiones requirit, sed internum potissimùm animi propositum. Itaque duplices animo alloquitur, eos videlicet, qui sibi falsò persuadent Deo, & mammonæ placere se posse, aut eos, qui externa virtutis larua contenti, veram, quæ in animo residet, solidamque virtutem aut negligunt, aut contemnunt. Quos alicubi Leo Pontifex [f] eleganter perstringit: *Nonne dignum est, vt anima Christiana, quæ verum, viuúmque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suæ celebratura sacramentum, omni circumspectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret. Nam quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? Omnia igitur, quæ animi puritatem, & speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulo, & quadam elimatione radenda sunt.*

E
f Ser. 3. de quadrag.

A Omnino autem cordis pura inprimis affectio retinenda est, quam veluti Christianæ vitæ scopum Cassianus [a] definit. *Finis quidem,* inquit, *nostræ professionis, vt diximus, regnum Dei, seu regnum cælorum est, destinatio verò id est, σκοπὸς, puritas cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam peruenire.* Et aliquantò [b] pòst: *Ita igitur & nostri propositi finis quidem secundum Apostolum, vita æterna est, ita eodem* [c] *pronunciante: Habentes,* inquit, *fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam. σκοπὸς verò est puritas cordis, quam sanctificationem non immeritò nuncupauit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi, ac si dixisset aliis verbis: Habentes quidem σκοπὸν vestrum in cordis puritate, finem verò vitam æternam. De qua destinatione alibi docens nos idem beatus Apostolus ipsum nomen, id est, σκοπὸν, significanter exprimens, ita intulit* [d]. *Quæ posteriora sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ antè sunt, extendens me ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Domini, quod euidentiùs in Græco ponitur, κατὰ σκοπὸν διώκω, id est, secundum destinationem persequor, tanquam si dixisset: Hac destinatione, qua illa, quæ posteriora sunt, obliuioni transmitto, id est, anterioris hominis vitia ad finem brauij cælestis peruenire contendo.* Tum concludit his verbis: *Quicquid ergo nos ad hunc σκοπὸν, id est, puritatem cordis, potest dirigere, tota virtute sectandum est, quicquid autem ab hac retrahit, vt perniciosum, ac noxium perauitandum.* XVI.

a Col. 1. c. 2. & 4.
b cap. 5.
c ad Rom. 6. 22.
B
d ad Philip. 3. 13.

Et profectò Paulus Apostolus [e] hoc idem significasse videtur, dum dixit: *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Alloquitur autem Iacobus potissimùm duplices corde, qui dum sibi cauti, ac prudentes videntur, Christiana simplicitate destituuntur, quam tamen Christus Dominus cum vera prudentia coniungendam [f] docet. *Estote,* inquit, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Falsam verò prudentiam, quam duplices animo præseferunt, damnat Apostolus Paulus [g], cùm ad Romanos scribit: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Prohibet itaque in præsentia Iacobus animi duplicitatem, quæ in iis maximè damnatur, qui, quod paulò antè reprehenderat, huius mundi amicitiam cum Dei amicitia coniungere nituntur, quos olim egregia quadam metaphora indicare visus est Dominus, cùm in Deuteronomio [h] dixit: *Non arabis in boue simul & asino, non indueris vestimento quod ex lana, linóque contextum est.* Quem locum explicans Gregorius [i] ait, *malignorum naturam describi. Vel certè,* inquit, *ideo maligni appellantur hypocritæ, quia benignitatem erga proximos ostendunt, & dolos suæ iniquitatis operiunt. Per omne namque, quod vel faciunt, vel loquuntur, simplicitatem exteriùs exhibent, sed subtilitate interiùs duplicitatis callent; puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie puritatis occultant, quos contra bene per Moysen dicitur, Non indues vestem ex lana, linóque contextam. Per lanam, quippe simplicitas, per linum verò subtilitas designatur, & nimirum vestis, quæ ex lana, linóque conficitur, linum interiùs celat, lanam in superficie demonstrat; vestem ergo ex lana, linóque contextam induit, qui locutione, vel actione qua vtitur, intus subtilitatem malitiæ operit, & simplicitatem foris innocentiæ ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanæ grossitudine linum latet.* XVII.

e 1. ad Tim. 1. 5.
C
f Matth. 10. 15.
g cap. 12. 16.
h cap. 22. 10.
D
i lib. 8. Mor. c. 31. aliàs 39.
E

Possis etiam hoc ita accipere, vt cum superiori coniungatur, quasi Apostolus vitæ integritatem, morúmque innocentiam simplicitatem appellet, atque ob id dicat: *Emundate manus peccatores, & purificate corda vestra duplices animo.* Siquidem Gregorius Nyssenus [k]. *Simplicem,* inquit, *& vnius modi voco eam, quæ in solo bono animaduertitur, & nullius mali communione permixta est.* Quò spectans M. Tullius [l]: *Animum,* XVIII.

k De anima, & resur.
l de senect.

ait, omni admixtione corporis liberatus, purus, & integer
a cap. 5. 8. *esse cupit.* Vt hoc idem sit, quod apud Matthæum[a] Christus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ita non tria, sed duo tantùm erunt Apostoli præcepta, vt ad Deum accedendum, & morum sanctitatem complectendam moneat, qua potissimùm ratione Deum nobis conciliamus.

9. *Miseri estote, & lugete, & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*]

I. Hæc, ni fallor, superioris sæculi hæreticos iugulant, qui veram pœnitentiam nouam vitam definiunt, doloremq́ue, luctum, & lacrymas ab ea penitus reiiciunt. At Iacobus, qui veram pœnitentiam proposuerat, qua peccatores in gratiam cum Deo redeunt, his verbis explicat, quibusnam actionibus potissimùm constet. *Miseri*, inquit, *estote*, Græcè ταλαιπωρήσατε, hoc est, *affligimini*, quasi dicat, intimum doloris sensum animo concipite, quod rursus capite sequenti ipso statim initio, aliísque verbis significat.

II. Et sanè eos, qui præterita peccata ex animo detestantur, mœrore, ac tristitia affici necesse est, quod contra rationem egerint, Dei legem violauerint, & iustam Dei indignationem in se prouocarint. Ex mœrore autem, & tristitia, seu dolore existit luctus, proinde ait Iacobus: *Et lugete*: addit, *& plorate*. Græcè, πενθήσατε καὶ κλαύσατε, quo loco Beda, *Nolite*, inquit, *amare locupletari, & gaudere in hoc sæculo, sed memores scelerum, quæ fecistis, hoc potiùs procurare, vt per breues vitæ huius miserias, paupertatem, ac lamentationem transitoriam ad sempiterna gaudia cœlestis regni pertingatis.* Significat enim vniuersim hanc mortalem vitam luctu, ac lacrymis dignam esse, verè namque alicubi
b in Psal. 85. scripsit Augustinus[b]: *Fratres, qui vobis dicunt, fœlices estis, seducunt vos; populus meus qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt, & turbant semitas pedum vestrorum.* Sic & de epistola Iacobi Apostoli. *Miseri estote*, inquit, *& lugete, risus vester in luctum conuertatur; videtis quæ audistis, quando nobis hæc dicerentur in regione securitatis? Vtique regio ista scandalorum est, & tentationum, & omnium malorũ, vt gemamus hic, & mereamur gaudere ibi; hic tribulare, & consolari ibi, & dicere, quoniam exemisti oculos meos à lacrymis, pedes meos à ruina; quoniam placebo Domino in regione viuorum, ista regio mortuorum est, transit regio mortuorum, venit regio viuorum, in regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium; hic falsi felices, veri infelices, quia falsa felicitas, vera miseria est.*

III.
c cap. 5. 4.
d Psal. 85.
Quamobrem Christus Dominus apud Matthæum[c] dixit: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, & tamen, vt ait Augustinus[d], *Nihil tam coniunctum miseriæ, quàm luctus, nihil tam remotum, & contrarium miseriæ, quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? Intelligite, inquam, quod dico, Beatos dico lugentes. Quare Beati? In spe. Quare lugentes? In re. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua. Et quia agnoscunt se in ista miseria, & gemunt, beati sunt. Quod ergo faciunt iusti, dum vitam beatam expectant, faciunt peccatores, qui se aliquãdo à Deo recessisse cognoscunt, & rursus eius beneuolentiam, & amicitiam experiũt.*
e Psal. 41. 4. Sic olim plorabat Dauid, cùm diceret[e]: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur*
f Psal. 6. 7. *mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Et alibi[f]: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meũ, lacrymis meis stratũ meũ rigabo.* Hũc igitur mœroré exigit Iacobus, idque pluribus verbis expressit, vt rei magnitudiné, ac necessitaté declaret, atque idcirco rectè subdit:

IV.
g Luc. 6. 25.
Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Videtur autem ad Christi verba[g] alludere: *Væ vobis, quia ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* Nam qui huius vitæ bonis ad voluptatem abutuntur, quicquid peccauerint, vel pœnitentiæ luctu abluant necesse est, vel sempiterno apud inferos gemitu, & cruciatu compensent. Eos igitur qui nimiùm voluptatibus indulserãt, his verbis ad saniorem menté reuocat
a ad Rom. 6. 19. Paulus[a]. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Et Baruch
b cap. 4. 28. aliquid ampliùs[b] exigens: *Sicut enim*, ait, *fuit sensus vester, vt erraretis à Deo decies tantùm, iterum conuertentes requiretis eum.* Persimili igitur ratione ait Iacobus: *Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.* Re namque vera, vt monet Gregorius Nyssenus[c], siue propter præterita peccata, siue propter
c lib. de beatitud. *Beati qui lugent.* aliorum flagitia, siue propter huius nostræ mortalitatis miseram conditionem, siue denique propter veræ, solidæque fœlicitatis absentiam, meritò nobis lugendum, ac plorandum est.

V.
d lib. 9 Mor. c. 37. aliàs 44.
Et quod spectat quidem ad propria flagitia misera, ac deploranda, est eius conditio, qui, vt ait Beatus Gregorius[d], *Iniquitatis suæ vinculis ita constringitur, vt pondus quidem peccatorum toleret, sed tamen quia tolerat, ignoret, & terrenæ occupationis pondere, aut prauæ consuetudinis laqueis irretitus flere nequaquam potest.* Contrà verò felicissimus ille cẽsendus est, qui verè cum Propheta dicere potest: *Dolor meus contra me est semper, quoniam iniquitatem meam ego pronunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* Tunc enim, vt ait Gregorius, *ad plorandum nos Dominus inuitat, cùm & mala nobis, quæ fecimus, demonstrat, atque ad hæc eadem flenda, quæ cognoscimus, adiunctæ culpæ oculis obiicit, & pia manu gratiæ vincula cordis soluit, vt ad vocationem pœnitentiæ mens nostra se erigat, & carnis soluta compedibus, in auctorem suum libera gressum amoris tendat.*

VI.
e 2. ad Cor. 7. 10.
f Hom. 5. de pœnit.
Hæc autem est salutaris illa tristitia, quæ vt ait Paulus[e], *secundùm Deum est, & pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Nam, vt scribit Chrysostomus[f], *rogum peccatorũ extinguimus, non tam aquis multis, sed paucis cum lacrymis; multus enim peccati ignis, & medica lacryma illum extinguit.*
g Hom. 6. in Matth. Alibi[g]. *Sicut ex aqua, & Spiritu, sic rursus ex lacrymis, & confessione purgamur.* Et Augusti-
h Psal. 94. nus[h]: *Ades fortè*, inquit, *conscientia delicti, lacrymis extingue flammas peccati.* Egregiè verò Ephrem Syrus[i],
i Ser. 1. de pœnit. quasi ad hũc Iacobi locũ alludat: *Accede*, ait, *ad Deum, & pro optimo medicamẽto offer: sic enim vult cœlestis medi-*
k Ser. de cõpunc. *cus vnumquemque suis sanari lacrymis.* Et alio loco[k], *O lacrymarũ virtutem, quæ medicinalis officina es peccatorum, per te peccatores efficiuntur beati. Vnde & Dominus beatos tales prædicat dicens: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis, in futurum scilicet. Non quidem dixit beatos illos, qui deflent mortuum, aut damnum domus, aut quid aliud sæculi huius, sed beati, inquit, qui lugẽt de peccatis suis.* Huc videlicet pertinere potest quod scriptum est in libris Re-
l lib. 1. c. 30. non long. à princ. gum: Cùm enim Dauid[l] vnà cum militibus suis vidisset oppidum Siceleg igne succensum, ac mulieres, & infantes in seruitutem adductos, *planxerunt* inquit, *donec deficerent in eis lacrymæ.* Quod profectò facere æquum est eos, qui animaduertunt animam suam in miseram dæmonis seruitutem fuisse traductam.

VII.
m cap. 2. 18. Thren.
n Colla. 9. c. 28.
Ita olim Hieremias[m]: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Fluunt quidem, vt apud Cassianum[n] monet Isaac Abbas interdum lacrymæ ex metu gehennæ, & terribilis illius iudicij recordatione, cuius
o Psal. 142. 2. terrore Propheta perculsus orat ad Deum[o]: *Non intres*, inquiens, *in iudicio cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et Bernardus[p]: *Pa-*
p Ser. 16. in Can. *ueo*, inquit, *gehennam, contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escã, horreo vermem rodentẽ, & ignem torrentẽ, fumũ, & vaporem, & sulphur, & spiritũ procellarũ, horreo tenebras exteriores.*

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacry- A
marum, vt præ nimiâ fletibus fletum, & stridorem dentium?
VIII. Verùm ipsa potiùs culpa, quàm pœna deflẽda est.
a Psal. 37. Quamobrem Augustinus a eos meritò reprehendit,
qui mala deflent, quibus interdum premuntur, peõ-
cata non item; *Flagella*, inquit, *sua dolent homines, quare*
c lib. 1. confess. c. 13. *flagellantur, non dolent*. Et alibi b se ipsum accusat, quòd
inaniter lacrymas funderet: *Cogebar*, ait, *Æneæ nescio*
cuius errores oblitus errorum meorum, & plorare Didonem
mortuam, quia se occidit ob amorem, cùm interea me ipsum
in his à te morientem Deus meus, vita mea, siccis oculis fer-
rem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserãte
se ipsum, & flẽte Didonis mortẽ, quæ fiebat amãdo Æneã,
non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te?
IX. Nam reuera qui propter sua peccata dolore ac tri-
stitia non afficitur, eius proculdubio salus desperata B
c lib. de beatitud. Beati qui lugent, &c. est. Rectè enim scripsit Gregorius c Nyssenus: *Quem-*
admodũ in corporis morbis, quibus aliqua pars corporis ex
violenta quadã læsione tabida facta fuerit, indolentia argu-
mento est, mortuam esse tabidã, & languida illam partem,
sed si arte quadã medica vitalis denuò sensus corpori resti-
tutus sit, tam is, qui laborat, quàm qui curationem admini-
strant, dolente iam parte gaudent, quippe certissimo argu-
mento vtentes ad sanitatem conuertisse se morbum, eò quòd
membrũ sentire iam cœperit ea, quæ faciãt dolorem; ita non-
nulli postquã amisso sensu doloris, vt inquit Apostolus, tra-
diderunt se vitæ peccatrici, cùm quod ad vitam cum virtute
degendam attinet, reuera mortui quidã tabefacti sint, nul-
lum eorum, quæ fiunt, sensum habent: Sed si quis sermo
medicus, veluti quibusdã calidis, perurentibusq́; medicamẽ-
tis (futuri, inquam, iudicij horrendis, & acerbis minis) eos C
perstrinxerit, & terrore eorum, quæ in expectatione sunt, cor
penitus exacerbauerit, terrorem gehennæ, ignem, qui non ex-
tinguitur, vermem non emorientem, stridorem dentium, per-
petuumq́; fletum, & tenebras exteriores, & talia vniuersa,
veluti calida quadam & acria medicamenta voluptatis
affectibus torpenti inhærendo, refouendoq́; eo vsq; redege-
rit eum, vt sentiat, in qua vita versetur, beatum eum effe-
cerit sensu doloris animo eius iniecto.
X. Hoc credo spectabat Salomõ d, cùm alicubi dixit.
d Eccles. 7. 3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domũ conuiuij;*
in illa enim finis cunctorũ admonetur homo, & viuens cogi-
tat quid futurum sit. Quem locum expendens Chryso-
e Hom. 15. ad Pop. Antioch. stomus e. *Quid est*, inquit, *quod ait Salomõ. Vbi luctus, &*
lacryma, & gemitus melius est accedere, quàm vbi chorea,
& cymbala, & risus, & deliciæ, & crapula, & ebrietas? D
Quæ de causâ quæso? Quoniam illic quidem modestia, hinc
f Hom. de Luc. *verò demẽtia nascitur*. Ephrem f verò Syrus. *Luctus*, in-
quit, *animã lacrymis tergit, mundamq́; reddit, voluptates*
g in tract. de vit. spir. *excindit, & virtutes perficit*. Et alibi g: *Qui luctum secta-*
tur, non facilè peccabit, & qui cordis compunctione tangi-
tur, non cogitat mala. Nam ex compunctione oritur fletus,
in fletu autem à peccatis declinamus.
XI. Aliorum porrò flagitia non exiguam etiã præbent
h Col. 9. c. 28. flendi materiam: vt enim ait apud Cassianum h Isaac:
Est etiam aliud lacrymarum genus, quod non pro sua con-
scientia, sed pro aliena duritia, peccatisq́; generatur, quo Sa-
i lib. 1. Reg. 15. 35. *muel* i *Saulem, quo illam quoque ciuitatem Hierusalem,*
k Luc. 19. 41. *vel in Euãgelio* k *Dominus, vel Ieremias* l *flens ita describi-*
l cap. 9. 1. *tur ita dicens. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis*
fontem lacrymarũ, & plorabo in die, & in nocte interfectos E
filiæ populi mei? vel certè quales illæ sunt lacrymæ, de quibus
m Psal. 101. 10. *in Psalmo* m *canitur. Quia cinerem sicut panem manduca-*
bam, & poculũ meum cum fletu miscebam. Quas certum est
non illo affectu promi, quo in sexto Psalmo ex persona pœni-
tentis emergunt, sed pro anxietatibus vitæ, atque angustiis,
& ærumnis, quibus iusti in hoc mundo positi deprimuntur.
XII. Est enim, vt ex superioribus liquet, hæc etiam iusta
causa plorandi, cùm verè hæc vita mortalis lacryma-
n Psal. 83. rũ vallis appelletur. Sic etiam Theodoretus n: *Præsens*,
inquit, *vita lacrymarum vallis est in qua Adam in sudore*

A *vultus sui pane vescitur*. Et Dauid a: *Beatus*, inquit, *vir* a Psal. 83. 6.
cuius est auxilium abs te, ascẽsiones in corde suo disposuit in
valle lacrymarum, in loco quem posuit. Itaque Gregorius
Nyssenus b hanc iustissimã causam lacrymarum & lu- b de Beatitud. Beati qui lugent, &c.
ctus multis probat, & huic luctui solatiũ, & gaudium
sempiternum respondere affirmat. *Et eam ob causam in*
mysticis obseruationibus Paschæ panem quidẽ fermenti ex-
pertem, intyba verò agrestia adhibita fuisse affirmat, vt per
eiusmodi ænigmata, atq; inuolucra disceremus, quòd illo my-
stico festo aliter frui non liceat, nisi sæculi huius intyba ama-
ra simplici, & à fermento vacua vita sponte nostra immi-
sceãtur. Propterea magnus quoque Dauid tametsi summum
humanæ fœlicitatis fastigium (de regno nimirum loquor)
circum se cerneret, largiter tamen de intybus suã vitã ama-
ris aduxit, suspirans in eiulatu, ac deplorans prorogationem
B *inquilinatus in carne, deficiénsque præ cupiditate, ac desi-*
derio rerum maiorum. Hei mihi, inquit c, *quoniam inqui-* c Psal. 119.
linatus meus prolongatus est.
Ob eam causam dixit Salomon d: *Risum reputaui* XIII.
errorem, & gaudio dixi, cur frustra deciperis? Quo loco d Eccles. 2. 2.
Hieronymus ex Hebræo ita legendũ cẽset: *Risui dixi*
amentiã, & iucũditati, Quid hoc facis? Pro amentia verò
Septuaginta, vt ait Hieronymus, trãstulerũt, περιφορὰν,
quam nos, *circumlationem*, possumus dicere. *Quomodo*
igitur ij, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, instabiles
sunt, & in diuersa fluctuãt, sic qui illo ritu cachinnant, quem
Dominus in Euangelio fletu dixit mutandum, errore sæcu-
li raptantur, & turbine, non intelligentes ruinã peccatorum
suorum, neque præterita vitia plangentes, sed putantes bre-
uia bona esse perpetua, & in his exultantes, quæ magis di-
C *gna sunt planctu*, &c. Symmachus pro eo, quod Inter-
pres noster dixit, *errorem*, transtulit θόρυβον, id est, *tu-*
multum. Olympiodorus autem *circumuagationem* in-
terpretatur, vt sensus sit: Risui, vel lætitiæ dixi, cir-
cumuagare à me longiùs, & absiste. Quamobrem re-
ctè Chrysostomus e obseruat, Christum Dominum e Hom. 6. in Matth.
non rarò fleuisse, risisse verò nunquam. Et Salomon f: f Eccles. 7. 5.
Cor, ait, *sapientum, vbi tristitia est, & cor stultorum, vbi læ-*
titia. Et Sapiens g: *Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir* g Eccles. 21. 23.
autẽ sapiens vix tacitè ridebit. Et Seneca h: *Larga*, inquit,
vbique flendi est, & assidua materia. Lacrymæ nobis deerũt h In consol. ad Polyb.
antequam causa dolendi. Quamobrem Heraclitus phi-
losophus perpetuo fletu vitam traduxisse fertur.
Quin etiam iusti, qui beatam illam atque immor- XIV.
talem vitam auidè expetunt, quandiu vident ea se
D fœlicitate carere, suauissimo quodam fletu in lacry-
mas effunduntur: vt enim Gregorius i Nyssenus scri- i De Beatitud. Beati qui lugent, &c.
bit: *Luctus est tristis animi habitus, & effectus, qui existit*
propter priuationem rei alicuius, quæ placet, & accepta sit.
Placet autem iis bonorum illa omnium affluentia, &
eius absentiam iusti deplorant. Ita olim cecinit Da-
uid k: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtu-* k Psal. 83. in princ.
tum? Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.
Et alibi l: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, &* l Psal. 136. in princ.
fleuimus, cùm recordaremur tui Sion. In salicibus in me-
dio eius suspendimus organa nostra; & quæ deinceps
sequuntur, quæ indicant, vt ibi monet Augustinus,
flendum quidem nobis esse, sed recordando Sion.
Multi autem flent, sed fletu Babylonico, quia & gaudent
gaudio Babylonico. Gaudent enim lucris, & flent damnis,
E *& vtrumque de Babylone est*. At Dauid organa, id est,
instrumenta lætitiæ suspendisse in salicibus dicitur,
quia, quod mox subdit, in terra aliena Sionis cantica
vsurpare non poterat.
Quamobrem rectè alicubi m Augustinus alludens XV.
ad historiam, quæ est in libro Iosue n, cùm Caleb filiæ m lib. medit. c. 36. si tamẽ is est auctor.
suæ Axæ superius, atque inferius irriguũ dedisse fertur. n cap. 15.
Da mihi, inquit, *Domine irriguum superius, & irriguum*
inferius, vt sint mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte; præ-
sta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomẽ tuum, vt
quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te
confero

confero, quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces, & sacrificium offero, toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiose, & dulciter fleam: ita vt efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Rogo te, bone Iesu, per omnes miserationes tuas, quibus nobis perditis mirabiliter subuenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat, & appetit anima mea, quia sine dono nō possum habere eam, sed per Spiritum sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit. Rectè autem vir sanctus irriguum superius, atque inferius postulat: vt enim ex superioribus intelligi potest, propter propria, vel aliena flagitia, atque huius vitæ calamitates flendum nobis est, quod spectat ad irriguum inferius; lacrymæ verò, quas beatæ, immortalisque vitę desiderium, atque expectatio exprimit, ad irriguum superius referuntur.

XVI. Quapropter verè, ac sapienter alicubi scribit Gregorius [a]: *Duo sunt compunctionis genera, vnum, quod æternas pœnas metuit, aliud, quod de cælestibus præmiis suspirat. Quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. Ante enim semetipsam in lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recordatur, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At verò cùm longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam iam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur, & qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissimè incipit, quia differtur à regno.* Eodem pertinet Isaaci Abbatis apud Cassianū [b] disputatio, cùm enim de fletu, & lacrymis, quibus peccata abluuntur, disseruisset. *Aliter,* inquit, *ille fletus emanat, qui de contemplatione æternorum bonorum, & desiderio illius futuræ claritatis exoritur, pro qua etiam vberiores lacrymarum fontes de intolerantia gaudij, & alacritatis immensitate prorumpunt, dum sitit anima nostra ad Deum fontem viuum, dicens: Quando veniam, & apparebo ante conspectum Dei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte cum eiulatu quotidie, & lamentatione proclamant. Heu mihi, quoniam incolatus meus prolongatus est, & multùm incola fuit anima mea.*

a li. 6. regel. ep. 23. simil. lib. 3. dial. c. 34.

b colla. 9. c. 28.

A

B

C

XVII. Nil itaque mirum, si Iacobus hoc loco ad fletum, & lacrymas hortatur, monétque vt risus in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Siquidem lacrymæ, vt ait Chrysostomus [c], *ipsum etiam gehennæ incendium norunt extinguere.* Præclarè autem vir sanctissimus alicubi scripsit [d]: *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal Iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis. Non est, qui te ad Deum accedere vetet. si sola intres vacua, non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum.* Eleganter autem alicubi ait Chrysostomus [e]: *Quid dic, oro, Danidis illius oculis formosius perpetuo lacrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?* Et sanè quod egregiè obseruauit Augustinus [f], dulces sunt nonnullæ lacrymæ, *Dulciores enim, ait, sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum.*

c hom. 1. de Lazaro.

d Lauren. Iust. in lib. vitæ c. 9.

e hom 30. in Gen.

f Psal. 127.

D

XVIII. Cæterùm qui hanc lacrymarum dulcedinem cupit experiri, externis voluptatibus, atque delicijs nuncium remittat, necesse est: vt enim ait Gregorius [g] Pontifex, *non potest experiri quæ sit interna lætitia, nisi qui perfectè contemnere exteriorem curat.* Quò pertinet illud Salomonis [h]: *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus. Extraneus est,* loquit Gregorius, *qui adhuc de bonis exterioribus intentionem delectationis habet.* Alibi [i] verò. *In eius gaudio,* inquit, *extraneus non miscetur, quia iis, quæ nunc ab hoc mœrore cordis foras se per desideria sæculi eijcit, seclusus tunc ab illa interna eius solemnitate remanebit.* Denique alio loco [k]: *Humana, ait, etenim mens animæ suæ amaritudinem scit, cum æterna patriæ desiderijs accensa peregrinationis suæ pœnam flendo cognoscit, sed in eius gaudio extraneus non miscebitur, quia qui nunc à mœrore compunctionis alienus est, tunc particeps ad lætitiam consolationis non est.* Quò pertinere putat quod apud Ioannem [a] Christus Dominus ait: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium.* Et rursus: *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

g lib. 2. in 1. Reg. c. 1. prope fin.

h Prou. 14. 10.

i lib. 5. Mor. c. 2. aliàs 3.

k lib. 6. Mor. c. 8. aliàs 10.

E

A

a cap. 16. 20.

XIX. Cùm igitur Iacobus ait risum in luctum, & gaudium in mœrorem commutandum, risum & gaudium huius mundi intelligit. Et ad hunc fœlicem fletum, ac beatas lacrymas hortatur, quæ cùm per se iucundæ, maximéque expetendæ sunt, tum pariunt fructum amplissimum, & penè incredibilem afferunt animi lætitiam, atque exultationem. Ita enim ait David [b]: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Quò spectans sanctissima quondā [c] fœmina: *Post tempestatem,* inquit, *tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis.* Quamobrem Chrysostomus [d]; *Sicut,* inquit, *post vehementes imbres mundior aër, ac purior efficitur, ita etiam lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorū tenebris offusa caligo dissoluitur.* Euthymius verò: *Habet* [e], inquit, *luctus repensum sibi gaudiū: quemadmodum enim postquam vehemens pluuia descendera, serenitas stabilior esse solet, ita quoque deductis lacrymis trāquillitas, & gaudium animi succedit.* Ita David [f], *Secundum,* inquit, *multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

B

b Psal. 125. 5.

c Tob. 3. 22.

d hom. 6. in Matt.

e Matt. 5.

C

f Psal. 93. 19.

XX. Quod plerunque iusti etiam in hac mortali vita experiuntur, sed in illo beatorum cœtu citra omnem dubitationem assequentur: Sic enim scribit in Apocalypsi Ioannes [g]. *Non esurient, neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Idemque olim dixerat Isaias [h]. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra, quia Dominus locutus est.*

g cap. 7. 16. simil. c. 21. 4.

h cap. 25. 8.

10. *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.*]

D

I. Videtur omoino Iacobus ad Christi Domini verba respexisse, qui non semel in Euangelio dixit [i], *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur,* quod suo exemplo ipsum liberatorem nostrum coofirmasse, testis est locupletissimus Apostolus Paulus: sic enim de illo scribit [k]: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Vt enim Christi humilitas maxima, ac penè incredibilis fuit, ita eius humanitatis gloria cuncta, quæ infra Deum sunt, longè superat.

i Luc. 14. 11. & cap. 18. 14.

k ad Philip. 2. 8.

E

II. Quamobrē Augustinus de Christo loquens: *Humilitas,* inquit, *claritatis est meritū, claritas humilitatis est præmium.* Et Leo Pontifex [m] hanc Christi humilitatem fidelibus maximè imitandam proponit: *Vnde,* inquit, *tota dilectissimi Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, sed in vera, & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Iesus Christus ab vtero matris vsque ad supplicium crucis pro omni fortitudine & elegit, & docuit. Nam cum discipuli eius intra se, vt ait Euangelista* [n], *disquirerent, quis eorum maior esset in regno cælorum,*

l Tract. 104. in Io.

m ser. 7. de epipha.

n Mar. 18. 1. Luc. 9. 46.

cælo um, vocauit paruulum, & statuit eum in medio eorũ, & dixit. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliauerit se, sicut puer iste, hic maior erit in regno cælorum. Amat Christus infantiam quam primùm & animo suscepit, & corpore; amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam; amat Christus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum. A

III. Hoc igitur est, quod ait Iacobus: *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Sic olim dixit[a] Iob: *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur.* Et Salomon[b] in eadẽ sententiam: *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Quamobrem rectè dixit Gregorius[c], *locum malorum superbiam esse, contra verò bonorum locum humilitatem.* Quo loco verba Salomonis[d] explicat. *Si spiritus*, inquit, *potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, ac si apertè dicat, si tentatoris spiritum contra te in aliquo præualere consideras, humilitatem pœnitentiæ ne derelinquas.* Nec mirum est, hanc præcipuè virtutem ab Apostolo commendari, cùm, vt idẽ Gregorius[e] affirmat, ea cæteris virtutibus antecellat: cùm enim verba illa explicaret, *si lotus fuero, quasi aquis niuis. Aquæ*, inquit, *niuis sunt lamenta humilitatis, quæ profectò humilitas, quia ante districti Iudicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni meriti colorem candet.* B

a Iob 22. 29.
b Prou. 29. 23.
c li. 3. mor. c. 13. aliàs 17.
d Eccles. 10. 4.
e lib. 9. mor. c. 19. aliàs 28

IV. Nec immeritò cùm Iacobus ad luctum, & lacrymas prouocasset, humilitatem sectandam proponit. *Sunt namque*, vt ibidem subiicit Gregorius, *nonnulli, qui lamenta habent, sed humilitatem non habent, qui afflicti plangunt, sed tamen in ipsis fletibus vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem conditoris erriguntur; hi nimirum aquas habent, sed niuis aquas non habent, & mundi esse nequeunt, quia humilitatis fletibus minimè lauantur. Aquis autem niuis à culpa se lauerat, qui confidenter dicebat*[f]: *Cor contritum, & humiliatum Deus non spernis: qui enim lamentis affliguntur, sed murmurando rebelles sunt, mentem quidem conterunt, sed humiliari contemnunt.* C

f Psal. 50. 19.

V. Porrò Iacobus humilitati exaltationem, & gloriam pollicetur, quod etiam non obscurè significauerat Salomon[g]: *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur.* Hæc autem exaltatio, & gloria salutem parit sempiternam, quod significauit Iob verbis paulò antè allatis[h]. Quæ explicans Gregorius[i], *Quantum*, ait, *per membrorum ministerium deprehendi potest, prima superbiæ ostensio esse in oculis solet: hinc enim scriptum*[k] *est. Et oculos superborum humiliabis; hinc de ipso superbientium capite dicitur. Omne sublime videt*[l]: *hinc de illa, quæ ei per infidelitatem adhæsit, scriptum*[m] *est. Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in altum surrectæ. Oculos ergo inclinare, est nullum respiciendo despicere, sed se minorem, atq; imparem cunctis, quos aspicit, æstimare. Saluabitur itaque qui oculos inclinat, quia qui falsum superbiæ verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit.* D

g Prou. 18. 12.
h cap. 22. 29.
i li. 16. Mor. c. 10. aliàs 11.
k Psa. 17. 28.
l Iob 41. 25.
m Prou. 30. 13.

VI. Quoniam autem superbia, atque tumore humani generis hostis, & periit ipse, & nos miserè perdidit, eò, vnde lapsi sumus, sola nos humilitas reuocat. Ait autem Iacobus: *Humiliamini in conspectu Dei*; est enim, vt ait Sapiens[n], *qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.* Ita sæpe hypocritæ sese fictè, ac simulatè deiiciunt, sese vltrò peccatores appellant ipsi, qui tamen reuera nimiùm quantùm sibi placent, nec facilè vel leuissimam contumeliam æquo animo ferunt. Ante Deum igitur retinenda est humilitas, vt verè quis nihil sibi arroget boni, sua, si quæ sunt, mala, & agnoscat, & expiare contendat. Hæc enim humilitas, E

n Eccles. 19. 23.

A vt verè dixit Cassianus[a], *est omnium magistra virtutum, ipsa est cœlestis ædificij firmissimum fundamentum; ipsa est donum proprium, atque magnificum Saluatoris. Is etenim vniuersa miracula, quæ Christus operatus est, sine periculo elationis exercet, qui mitem Dominum non sublimitate signorum, sed patientiæ, atque humilitatis virtute sectatur.*

a Col. 15. c. 7

VII. Quæ sit autem hæc vera humilitas, quáque ratione à falsa distinguatur, idem Cassianus illustri quodam exemplo declarat[b]. *Humilitatis*, inquit, *patientiæq; virtutem vero sectamini cordis affectu, non eam, sicut quidam falsa humiliatione verborum, nec affectata, neque superflua in quibusdam officiis corporis inclinatione fingentes. Quod humilitatis figmentum Abbas Serapion quodam* B *tempore eleganter irrisit. Cùm enim quidam ad eum summam sui abiectionem habitu, ac verbis præferens aduenisset, cùmque senex secundùm morem, vt orationem colligeret, hortaretur, ille nequaquam annuens deprecãs tantis se subiiciens asserebat flagitiis inuolutum, vt ne vsum quidem huius cõmunis aëris carpere mereretur. Psiathij quoque ipsius refugiens sessionem, humi potiùs insidebat. Cùm verò etiam ad ablutionem pedum multò minùs præbuisset assensum, tum Abbas Serapion refectione transacta collationis consuetudine prouocante, monere eum benignè, ac leuiter cœpit, ne otiosus, ac vagus præsertim iuuenis tam robustus instabili leuitate per vniuersa discurreret, sed vt in cella residens secundùm regulam seniorum, suo potiùs opere, quàm aliena mallet munificentia sustentari. Quod cùm Pauli exemplo confirmasset, ad hæc ille tanta est tristitia, & dolore suppletus, vt amaritudinem corde conceptam ne vultu quidem* C *dissimulare potuerit. Cui senex: Hactenus, inquit, ô fili, cunctis te facinorum ponderibus onerabas, non metuens ne confessione tam atrocium criminum notam existimationis incurreres; quid quæso nunc est, quòd ad simplicem admonitiunculam nostram, quæ tamen in se non modò nullum opprobrium, sed etiam ædificationis habuit, ac dilectionis affectum, tanta te video indignatione permotum, vt eam ne vultu quidem occulere, aut frontis serenitate dissimulare potueris? An fortasse illam, dum te humiliabas, expectabas à nostro ore sententiam*[c]. *Iustus accusator sui est in primordio sermonis?*

b Col. 18. c. 11.
c Prou. 18. ex 70.

VIII. Tum ille sapientissimus senex veram, perfectámque humilitatem, quæ mirificè Deo placeat, his verbis describit. *Proinde vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis, atque verborum, sed de intima mentis humiliatione descendit; Quæ tunc demum eui-* D *dentissimis patientiæ suæ fulgebit indiciis, cùm quis non ipse de se crimina ab aliis non credenda iactauerit, sed ab aliis sibimet arroganter ingesta contempserit, & irrogatas iniurias mansueta cordis æquanimitate tolerarit.*

IX. Hæc sanè vera, perfectáque humilitas Deo mirificè placet, suósque cultores eximio quodam honore afficit; proindéque Virgo Deipara quasi nullius sibi meriti conscia esset, humilitatem ancillæ suæ respexisse Deum palàm profitetur. Quò fortassè, vt ait Bernardus[d], referenda est vox illa Sponsæ. *Nardus mea dedit odorem suum. Non mea*, inquit Bernardus, *sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla* E *erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum, id est, solitum, solito placet Deo humilitas, solito planè, atque ex consuetudine excelsus Dominus humilia respicit.* Exigit autem Apostolus spontaneam humilitatem; *humiliamini*, inquit, *in conspectu Domini*, quasi dicat, vos ipsos humiles, abiectósque reddite. *Humilitas enim*, vt ait Bernardus[e], *iustificat vos*, tũ subdit: *Humilitas dixi, non humiliatio. Quanti humiliantur, & humiles non sunt? Alij cum rancore humiliantur, alij patienter, & alij libenter; primi rei sunt, sequentes innoxij, vltimi iusti; quanquam & innocentia portio iustitiæ est, sed consummatio eius apud humilem. Qui autem dicere potest. Bonum mihi, quia humiliasti me, is verè humilis est.* Rectè

d Ser. 42. in Cant.

verò

verò ad humilitatem hortator Iacobus proposito exaltationis præmio. *Et exaltabit*, inquit, *vos*. Quasi dicat, nolite metuere, istæc humilitas, atque deiectio, quam vobis persuadeo, præmio, mihi credite, non carebit, ad magnam vos celsitudinem promouebit. Sic olim secum ipse ratiocinabatur Dauid [a]: *Vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo*. Quod enim ait Dauid, *in oculis meis*, non pugnat cum Iacobo, qui humilitatem in conspectu Domini commendat; Dauid enim veram animi demissionem, atque humilitatem probat, vt fictam, ac simulatam, excludat, quæ aliorum tantùm oculis obiicitur, atque hanc vnam intueri dicitur Deus, qui mortalium corda, & renes scrutatur, atque abditos animi nostri recessus intuetur. Qui verè igitur humilis est, sese vnius Dei respectu deiicit, suáque vitia spectans, planè se nihil esse agnoscit, nihil sibi arrogat, sed quicquid est, aut valet, vni Deo acceptum refert. Itaque humilitas sedem habet in corde, & Deo potissimùm patet, qui apud Isaiam [b] testatur se ad humilem potissimùm respicere: vbi enim noster interpres dixit: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Septuaginta transtulerunt: *Super quem respiciam, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Sic integerrima Virgo Deipara Deum ait suam respexisse humilitatem, vnde factum est, vt eam omnes gentes, ac nationes beatam prædicent.

a lib. 2. Reg. 6. 22.

b cap. 66. 2.

A B C

XI. Quanti autem Deus immortalis hanc eximiam virtutem faciat, Christus Dominus indicauit, qui cùm omnium virtutum optimus esset magister, hanc tamen vnam peculiari quadam ratione suis sectatoribus persuasit, cùm apud Matthæum dixit [c]. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. & inuenietis requiem animabus vestris*. Quamobrem dixit Leo Pontifex [d] sectandam esse humilitatem, *quam Dei Filius discipulos suos docere, dignatus est*. Et Augustinus [e] eadem Christi verba expendens, *Discite*, inquit, *à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum, & humilis corde. Magnus esse vis? à minimo incipe; cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis*.

c cap. 11. 29.

d ser. 2. de Epiph.

e ser. 10. de ver. Dom.

D

11. *Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem, si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex.*]

I. Iacto humilitatis fundamento quasi sapiens architectus reliquarum virtutum ædificium extruit. Inprimis autem mutuam caritatem retinendam, ac studiosè conseruandam docet. Quam ob causam fideles monet, vt à maledicendi, obtrectandique studio quàm diligentissimè sese cohibeant: nihil enim est, quod mutuæ beneuolentiæ, & caritati magis repugnet, quod mira quadam verborum elegantia explicat Bernardus [f]: *Omnis*, inquit, *qui detrahit, primùm quidem seipsum prodit vacuum caritate, deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? ferit ergo caritatem in omnibus, qui se audiunt lingua maledica, & quantum in se est, necat funditus, & extinguit. Non solùm autem, sed & in absentibus vniuersis, ad quos volans verbum fortè per eos, qui præsentes sunt, peruenire contigerit. Video quàm facilè, & in breui ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo tabe malitiæ huius inficere possit? Propterea dicit de talibus propheticus Spiritus [g]. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Vbique tam veloces, quàm velociter currit sermo. Vnus est qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert, & tamen illud vnum verbum vno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle liuoris amarum per linguæ instrumentum spargere nisi amara non potest dicente Domino: Ex abundantia cordis os loquitur.*

f ser. 24. in Cant.

g Psal. 13. 3.

E A

II. Iacto autem, (vt dixi) humilitatis fundamento, facilè poterit hoc Apostolicum præceptum persuaderi: superbia enim liuorem, atque inuidiam, cæterorúmque contemptum parit, inde maledicentia, atque detractio existit; quæ, vt idem Bernardus affirmat, non vno modo proximorum famam lædit. *Et sunt*, inquit Bernardus [a], *species pestis huius, dum alij quidem nudè, atque irreuerenter, vt in buccam venerit, virus euomunt detractionis. Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicq; quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quam malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum.* Et alius: *Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico, re vera ita est. Et addit grande damnum; nam aliàs quidem in pluribus valet. Cæterùm in hac parte, vt verum fateamur, excusari minimè potest.*

a ser. 24. in Cant.

B C

III. Quamobrem hoc vitium alienum est ab iis, qui veram animi demissionem, atque humilitatem sectantur: humilis enim cæteros sibi omnes, vt alicubi docet Paulus, superiores arbitratur, aliorum virtutes admiratur, & suspicit, vitia, si quæ insunt, vel non agnoscit, vel excusat, contrà verò superbi, & arrogantes, qui præ se cæteros contemnunt, torquentur, vt idem Bernardus [b] ait. *Torquentur in bonis, seniorum suorum malis pascuntur, videas ambulare seorsum, conuenire sibi, & sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrum, vna vni coniungitur, nec spiraculum incedit; in eis tanta est libido detrahendi audiendive detrahentem, ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam, conciliant inter inimicissimas amicitias, & pari consentanea malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes, & Pilatus, de quibus narrat Euangelium, quia facti sunt amici in illa die, hoc est, in die Dominicæ Passionis. Conuenientibus sic in vnum, non est Dominicam cœnam manducare, sed magis propinare, & bibere calicem dæmoniorum, dum importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt. Sic quippe iuxta Prophetam* [c]: *Intrat mors per fenestras nostras, cùm prurientes auribus, & oribus lethale poculum detractionis inuicem nobis ministrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo* [d] *Detractores Deo odibiles.*

b ibidem.

D

c Ier. 9. 21.

d ad Rom. 1. 30.

E

IV. Nec immeritò Iacobus, qui hac ipsa epistola non pauca de cohibenda lingua dixerat, detractionem in præsentia detestatur: plurimi enim hoc morbo laborant, nihilque ferè in hominum consuetudine, & familiari congressu frequentiùs vsurpatur, adeò vt ne pij quidem, ac religiosi viri ab eo sint penitus immunes. Certè Dauid adeò ab hoc vitio abhorrebat, vt qui eo laborarent, sibi maximè insectandos putaret [e]. *Detrahentem*, inquit, *secretò proximo suo, hunc persequebar*. Et veteres quidem Philosophi alienum ab humanitate putarunt absentium mores, vitámque probris, aut maledictis incessere, quod apud Laërtium [f] Thales Milesius magnopere reprehendit.

e Psal. 100. 5.

f lib. 1 cap. 1.

Meritò

V. Meritò autem Iacobus à detractione reuocat, cùm A fit vitium non modò per se malum, sed etiam sæuum, ferum, atque immane, quò Hieronymus pertinere putat illud Iob [a]: *Quare persequimini me sicut Deus, & de carnibus meis saturamini?* Itémque illud Dauidis [b]: *Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.* Theodoretus interpretatur, *ferarum more persequi.* Hieronymus, *rabido dente dilacerare.* Augustinus, *insultare, & maledico dente consumere.* Siquidem, vt rectè monet Nicetas [c], *Probrosi sermones ad depascendos artus satis per se ipsi valent.* Et Gregorius [d], *Qui aliena,* inquit, *vita detractione pascuntur, alienis proculdubio carnibus saturantur.* Quò spectans Paulus Apostolus [e]: *Quòd si, ait, inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab* B *inuicem consumamini.* Nam mordere quidem ad iram refertur, deuorare autem ad feritatem, atque immanitatem. *Qui autem lædunt, & insidiantur,* vt ait Chrysostomus, *velut alios consumpturi veniunt.* Sic Dauid Doeg illum detractorem, ac delatorem his verbis alloquitur [f]: *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.*

a cap. 19. 22.
b Psal. 26. 2.
c Iob 19.
d lib. 14. Mor. c. 14.
e ad Gal. 5.
f Psal. 51. 6.

VI. Quo loco Hieronymus vertit, *omnia verba ad deuorandum.* Chaldæus paraphrastes, *verba voracitatis*; vt præcipitare idem sit, quod absorbere, & deglutire, omninoque consumere. Atque haud scio, an in detractores cadant illa apud Iob [g]: *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.* Meritò enim venenatis bestiis, aspidi præsertim, ac viperæ, detractoris lingua dicitur esse persimilis. Nam, vt Plinius [h], & Isidorus [i] affirmant, nullum animal tanta celeritate lin- C guam mouet, vt serpens, adeò vt triplicem linguam habere videatur, cùm vna sit; vipera geminam linguam iactat simul, & caudam contorquet.

g cap. 20. 16.
h lib. 11. c. 37.
i lib. 12. origin. c. 4.

VII. Quamobrem Chrysostomus [k]: *Quæ enim, inquit, vtilitas, cùm auibus quidem, & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus, & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit. Propterea & Paulus terruit dicens: Si autem vos inuicem mordetis, & comeditis, videte ne inuicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionem infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis, & te ipsum, & illum, & alios plures: etenim audientem peiorem fecisti proximo calumniant: sine enim peccator sit, segnior fit, peccati communicatorem nactus; siue iustus sit, in arrogantiam tollitur, & inflatur ex alterius peccato, magna de ipse sentire persuasus. Insuper communem Ecclesiæ statum* D *læsisti; non enim omnes audientes peccatorem solùm accusant, sed opprobria Christianorum genti infliguntur, nec audiunt infideles dicentes, quòd ille lene sit, & dissolutus, sed pro eo, qui peccauit, Christianos omnes calumniis insectantur. Ad hæc Dei gloriam blasphemari fecisti: sicut enim nobis laudabiliter viuentibus Dei nomen glorificatur, sic peccantibus blasphematur, & contumelia afficitur. Quartum malum, audientem confudisti, & sic impudentiorem reddidisti inimicum, & hostem reddens. Quintum te ipsum pœnæ, & castigationi reum fecisti, negotia ad te nihil attinentia texens.* Et plura deinceps in eandem sententiam.

k hom. 3. ad Pop. Antiochenum.

VIII. Quibus consentanea sunt, quæ scribit Bernardus [l]: *Quod, inquit, in se est lingua maledica, & illius* E *peruertens conscientiam, & istius vulnerans caritatem se cum pariter vtrumque perimit. Nunquid non vipera est lingua ista? ferocissima planè nimirum, quæ tam lethaliter tres inficiat flatu vno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris.* Deinceps verò eam lanceæ, quâ Christi latus transfixum est, & spinis, quibus eiusdem caput coronatum est, comparat, nec dubitat etiam deteriorem, & perniciosiorem appellare.

l ser. de tripl. custo. ling. man. & cor.

Adeò verò detestanda est detractoris improbitas, IX. vt ne is quidem, qui detractori aures præbet, immunis à culpa censendus sit. Quamobrem Chrysostomus ad illa Dauidis verba [a]: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Discamus, ait, pulchram hanc doctrinam, nempe vt non modò nemini detrahamus, sed ne detractioni quidem aures præbeamus. Graue enim malum est detractio, turbulentus dæmon, nec vnquam pacatum hominem reddens. Quodnam enim mali genus est, quod non à detractione oriatur? Ex ea odia pullulant, ex ea iurgia constantur, ex ea dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ hinc procreantur, quæ innumeris malis causam præbent.* Idque multis eleganter confirmat, & concludit his verbis: *Propellamus etiam à nobis eos, qui detrahendi studio tenentur, ne alienis malis assentientes nobis ipsis exitium accersamus. Nec libenter detractores audiamus, ne diabolicis cogitationibus impleamur.*

a Psal. 100. 5.

Et alibi [b]: *Non solùm autem, inquit, maledicentes, sed* X. *& aliis detrahi audientes admonere aures obstruere, & Prophetam imitari dicentem [c]: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Dic proximo, habes aliquem, quem laudes, & commendes? aures aperio, vt vnguenta suscipiam, si verò mali velis dicere, verbis ingressum obturo: non enim stercus, & cœnum accipere sustineo, quod mihi lucrum, si didicero, quòd ille improbus? Maximum igitur nocumentum ex hoc, & extrema iactura: loquere ad ipsum, curemus nostra, quomodo peccatorum rationes demus, & curiositatem hanc, & operosam indagationem circa vitam nostram exhibeamus.* Et post multa. *Si quis te prætereunte stercus commoueat, hoc facientem non conuicio, & contumelia afficias? Hoc fac & erga detractores. Non enim sic commotum stercus illum fœtorem suscipientem cartilaginem percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura audientium animos prodita contristare, & perturbare solent.* Et ob eam causam dixit Sapiens [d]: *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Significat enim detractores, atque maledicos asperè increpandos, & aculeata oratione perstringendos. Quod aliis verbis significauit Salomon, cùm dixit [e]: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.*

b ad Pop. Antioch. hom. 3.
c Psal. 100. 5.
d Eccles. 28. 28.
e Eccles. 7. 4.

Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, de- XI. *trahit legi, & iudicat legem.*] Hæc ad detractionis vitium detestandum maximè pertinent. Quomodo autem accipienda sint, vel quam tandem vim habeant, non satis liquet. Quod enim ait enim, qui detrahit, fratrem iudicare, vt plurimum verissimum est: qui enim detrahit, tacitè se proximo præfert, atque adeo temerè iudicat, & proximum condemnat, quod non solùm cum caritate, sed etiá cum iustitia pugnat. Sed quomodo legem iudicet, non ita facilè intelligi potest. Certè iudicium temerarium reprehendit Apostolus, cùm ait [f]: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Et alibi [g]: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?*

f 1. ad Cor. 4. 5.
g ad Rom. 14. 4.

Et sanè nil temerè iudicandum est, cùm præser- XII. tim de internis animi affectionibus, vel de occultis, vel de iis, quæ cùm indifferentia sint, bonam æquè, ac malam in partem accipi possunt, vt Basilius [h], & Augustinus [i] significant: Christus autem apud Lucam ait [k]: *Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* Quibus verbis, vt monet Basilius, *in iudicio faciendo iubet delectum adhiberi. In iis enim, quæ in cuiusque libertate posita sunt, negat temerè iudicandum.* Quod etiam eo loco obseruat Ambrosius. Iam qui detrahit proculdubio contra proximum sententiam fert, & quasi Iudex aliorum actiones exquirit. Sed quam quæso legem iudicat? an quæ detractionem vetat, quæque iudicium temerarium prohibet? An iudicare legem dicitur, quòd

h Reg. breu. interrog. 164.
i li. 2. de ser. Do. in mon. c. 18. 19. 20.
k cap. 6. 37.

quòd ea in proximo carpat, & calumnietur, quæ sunt & legi consentanea, & per se laudabilia, atque honesta. Certè hoc postremum interdum quidem, non tamen semper neque necessariò cum detractione coniungitur. Duo verò priora vtcunque in detractione inuoluuntur.

XIII. Crediderim autem non respexisse Apostolum singulare aliquod præceptum, sed vniuersim diuinam legem significare, quæ, vt aliàs dixi, caritate potissimùm continetur; & obtrectatores quidem reipsa caritatis legem iudicant, & quodammodo damnant, ac propterea subiicit Iacobus: *Si autem iudicas legem, non factor es legis, sed iudex.* Videtur autem Iacobus eos potissimùm notare, qui ita de proximis obloquuntur, vt ea etiam malam in partem accipiant, quæ honestè fieri potuerunt, vt enim scribit Augustinus [a], *Christus Dominus eorum iudicia damnat de iis rebus, quæ possunt bono animo, & simplici, & magnanimo fieri, quamuis etiam possint non bono.* Quod ait non solum verba Christi, sed etiam Pauli Apostoli pertinere. tum subdit: *Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono, & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus. Horum autem veniet tempus, vt iudicentur, cùm Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis.*

a li. 2. de ser. Domin. in mon. c. 18.

XIV. Mox verò explicans, in quibus temerarium iudicium non sit. *Alio*, inquit, *loco dicit idem Apostolus* [b]. *Quorundam autem hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quædam autem & subsequuntur. Manifesta ea dicit, de quibus clarum est, quo animo fiant, hæc præcedunt ad iudicium, id est quia si fuerit ita, subsequutum iudicium non est temerarium. Subsequuntur autem illa, quæ occulta sunt, quia nec ipsa latebunt tempore suo.* Paucis autem interiectis subdit. *De manifestis ergo iudicemus, de occultis verò Deo iudicium relinquamus, quia & ipsa abscondi non possunt, siue mala siue bona, cum tempus aduenerit, quo manifestentur. Duo sunt autem, in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cum incertum est, quo animo factum fuerit quidque. vel cum incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet.*

b 1. ad Tim. 5. 24.

XV Et post multa. *De temerario*, inquit, *& iniquo iudicio Dominus monet, vult enim vt simplici corde & in vnum Deum intenti faciamus quæcunque facimus; & multa incertum est, quo animo fiant, de quibus iudicare temerarium est. Maximè autem hi temerè iudicant de incertis, & facile reprehendunt, qui magis amant vituperare, & damnare quàm emendare, atque corrigere, quod vitium vel superbiæ est, vel inuidentiæ.* Quàm sit autem à Christiana pietate alienum, docet alicubi Cassianus [c]. *Oportet ergo vnumquemque semetipsum iudicare tantummodo, & circumspectè, cautèque custodire in omnibus, non aliorum conuersationem, vitámque discutere.* Allatis autem Apostoli, & Christi Domini verbis subiicit. *Etiam ob hoc iudicare de aliis periculosum est, quod ignorantes vel necessitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimur, aut rectè coram Deo, aut venialiter agunt, inuenimur eos temere iudicasse, ac per hoc admittimus non leue peccatum, secus quàm oportet de fratribus nostris aliquid sentientes.*

c lib. 5 de instit. renun. c. 30.

XVI. Et in eandem sententiam Bernardus [d]: *Caue alienæ conuersationis esse curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiam si perperam actum quid deprehendis, nec sic iudices proximum, magis autem excusa; excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum. Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?* Denique Hieronymus [e]. *Nulli vnquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis; magisque vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere, ac semper Scripturæ memor* [a] *esto dicentis. Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuncient, raróque inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant aliena, tantáque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Et post nonnulla: *Est sanè hoc vitium, quod vel inprimis extingui debeat, & ab eis, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi; nihil enim tam inquietat animum; nihil est, quod ita mobilem mentem, ac leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur, hoc est, quod sæpe de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissecat.*

d ser. 40. in Cant.

e ep. ad Celant.

a Prou. 20.

XVII. Et alibi [b]. *Caue quoque ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes.* Et aliquanto post. *Parce à detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scito quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tua conscientia iudicaris, & in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere, cum detractoribus, ait Salomon* [c], *ne misceearis, quoniam repente veniet perditio eorum.* Denique [d]. *Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres, accusamus sæpe quod facimus, & contra nosmetipsos diserti in nostra vitia inuehimur muti de eloquentibus iudicantes.* Qui igitur aliorum famæ temerè detrahunt, iudicare dicuntur legem, ac propterea iudices, non factores legis, declarantur. Quod spectat ad perditam quandam, & profligatam impudentiam, atque arrogantiam. Neque enim publica iudicia, siue ciuilia, siue Ecclesiastica reprehendit, aut damnat Apostolus: vtraque enim legitima potestate nituntur, & si ritè, rectéque exerceantur, ad eximiam, ac singularem iustitiæ virtutem, quæ ius suum cuique tribuit, referenda sunt.

b ep. ad Nepotian.

c Prou. 24. 21.

d epist. ad Rust.

12. *Vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare.*]

I. Quoniam temerarium iudicium obiter damnauerat, breuiter ostendit, vnius Dei proprium esse de humanis actionibus iudicare. *Vnus* inquit, *legislator est, & iudex*, quasi dicat, qui legem iudicas Deo legislatori geminam infers iniuriam, & quòd eius diuinã legem quodammodo carpas, & quòd illius iudicandi munus tibi impudenter arroges. Siue autem Deum intelligas, siue Christum Dominum, verè dicit Apostolus, *Vnus est enim legislator, & iudex.* Lex enim siue naturæ, siue positiua, Deum habet auctorem, eiusdémque legis auctoritate extremo mundi die iudicium à Christo exercendum est. Christus verè ipse & legislator, & iudex dicitur, quia legem Euangelicam promulgauit, & iudicandi munus à Patre accepit [e]: *Qui dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Priuati igitur citra Christi iniuriam in alienam vitam morésque inquirere, aut etiam sententiam ferre nequaquam possunt. Secus autem de principibus, ac magistratibus sentiendum est, qui pro diuturnis accepta potestate legum, aut canonum auctoritate iudicia exercent.

e Ioan. 5. 27

II. Qua tamen in re illud est in primis obseruandũ, vt iudex omni perturbatione animi careat, præsertim sæuitia, & feritate, ne veluti immanis quædã fera sãguine gaudere, ac vulneribus videatur, atque abiecta humanitate in syluestrẽ animũ transiisse. Addit autẽ Iacobus. *Qui potest perdere, & liberare.* Est enim Deus vitæ

omnium Dominus, cuius nutu & cōdita sunt omnia, & in nihilum redigi possunt, ac propterea iure suo potest de cunctis mortalibus, eorūmque actionibus iudicare. Videtur autem Iacobus tacitè indicare aliorum mores, quales tandem sint, æquo animo ferendos, nec maledictis, aut cōtumeliis proscindendos, cùm Deus, qui cuncta perspicuè nouit, facileque mala omnia & prohibere, & vlcisci potest, patienter tamen mala nostra dissimulet. Si ille ergo, qui legem tulit, quique omnes perdere, & saluos facere potest, tantisper sententiam differt, nec quemquam in hac mortali vita simpliciter, atque absolutè damnat, quis mortaliū audeat proximū temerè damnare? Vt enim explicat Oecumenius, iudicare hoc loco idē videtur valere, quod damnare, vt sæpè alias in sacris literis.

III. Atque ita rectè subiicit Iacobus. *Tu quis es, qui iudicas proximum?* Quomodo etiam loquitur Paulus [a]. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Vterque enim Apostolus significat eos, qui temerè iudicant, in alienum quodammodo patrimonium inuolare, & quod vnius Dei propriū est temerè sibi arrogare. Quam ob causam ait, vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare, quasi dicat absoluere, & condemnare. Ideò rectè Paulus [b]: *Mihi autem*, ait, *pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico.* Et paolò post: *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Significat enim vnius tātummodo Dei sententiā formidādā esse, humana vero iudicia facilè contēnenda.

a ad Rom. 14. 4.
b 1. ad Cor. 4. 3.

IV. Cæterùm quod ait Iacobus, *vnus est legislator, & iudex*, non perinde accipiendum est, quasi principibus, ac magistratibus siue politicis, siue Ecclesiasticis, condendi leges auctoritatem adimat. Fuit quidem olim, auctore Hieronymo [c], excitatus error à Iuda quodam Galilæo, qui inter cætera impiè docebat, nemine præter vnum Deum, Dominum agnoscēdum, & vni tantùm Deo, eiusque præceptis, ac legibus obtemperandum esse. Videturque hic error ad Apostolorum vsque tempora ita quorundam animos occupasse, vt ob eam causam, quod Chrysostomus, & Hieronymus obseruarunt, tum Paulus, tum cæteri Apostoli crebrò monuerint principibus, ac magistratibus obtēperandum esse. Cùm enim eius erroris sectatores, vt scribit Anastasius Nicænus [d], Galilæi vocarentur, eodēmque nomine Apostoli passim censerentur, id maximè cauebant, ne principum auctoritati, eorùmque legibus obsistere viderentur. At superiori sæculo ausi sunt impudentissimi quidam religionis desertores negare legem vllā siue ab hominibus, siue ab Angelis Christianis hominibus imponi posse, & quicquid aliter fiat, ad tyrannidem pertinere. Liberos quippe esse filios, Christus apud Matthæū [e] pronunciauit. Et apud Lucā [f]: *Reges, ait, gentiū dominantur eorum, vos autem nō sic.* Deniq; Paulus [g]: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominū.*

c ad Tit. 3.
d quæst. 67. in Script.
e cap. 20. 25.
f cap. 22. 25.
g 1. ad Cor. 7. 23.

V. At multo aliter sentiendum docuit Christus, qui apud Matthæum [h] interrogatus, num liceret Cæsari censum persoluere, vniuersis respondit. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Ex quo loco Iustinus [i] colligit præceptū soluendi tributa, quod Christus [k] ipse suo exēplo videtur cōfirmasse, qui pro se, & Petro cēsum persoluit. Obseruat autē Irenæus [l], & Ambrosius [m], inde admoneri Christianos, obtemperandū esse principibus, ac magistratibus, quod postmodū apertissimè docuit Paulus [n]. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et aliquāto [o] post: *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiā propter conscientiam.* Et ad Ti [p]. *Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse.* & Petrus [q]. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.* Hoc idem postea veteres Patres docuerunt [r], Iustinus enim. *A vobis autem*, inquit, *hoc etiam com... demus, vt eos qui non congruenter tuæ* (id

h cap. 22. 21.
i Apol. 2.
k Mat. 17. 26
l lib. 5. c. 24.
m lib. 4. in Luc. c. penul.
n ad Rom. 13. in princ.
o vers. 5.
p ad Tit. 3. 1.
q ep. 1. c. 2. 13.
r Apolog. 2.

A *est Christi) decretis & præceptis viuunt, tantumq; Christiani dicuntur, supplicio coerceatis.*

VI. Neque aliter scribit Tertullianus [a], docet enim quatenus Imperatori obtemperandū sit. In eandem sententiā scribit Basilius [b], itemque Augustinus [c], qui alibi [d] Catholicā sententiā his verbis explicat: *Ciuitas cælestis, vel potius pars eius, dū apud terrena ciuitatē, velut captiua vita sua peregrinatione agit, legibus terrenæ ciuitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali vitæ accōmodata sunt, obtēperare nō dubitat.* Et aliquātò pōst: *Hæc ergo cælestis ciuitas dū peregrinatur in terra ex omnibus gentibus ciues euocat, atq; in omnibus linguis peregrinā colligit societatē, non curans quicquid in moribus, legibus, institutisq; diuersum est, quibus pax terrena vel conquiritur,*
B *vel tenetur: nihil eorū rescindens, vel destruens, imò etiā seruans, ac sequens, quod licet diuersum sit in diuersis nationibus, ad vnū tamen eundemq; finē terrenæ pacis intēditur, si religionē qua vnus summus, & verus Deus colendus docetur, non impedit. Vtitur ergo etiā cælestis ciuitas in hac sua peregrinatione pace terrena, & de rebus ad mortalē hominū naturā pertinentibus humanarum voluntatum compositionem, quantum salua pietate, ac religione conceditur, tuetur, atque appetit.* Denique Gregorius [e] Nazianzenus: *Submittamus, inquit, nosmet Deo, sū aliis sui sis, aut imperium in terra gerunt; Deo quidem omnibus de causis; alij autem aliis propter caritatis fœdus, principibus denique propter ordinem, publicæq; disciplinæ rationem.*

a in Apolog.
b in constit. c. 23.
c in Ps. 118. ad ill. vers. Principes persecuti sūt me gratis.
d lib. 19. de ciuit. c. 17.
e orat. 17.

VII. Porrò cùm Christus apud Mathæū filios liberos esse dixit, de seipso potissimùm loquebatur, certissi-
C mūmque est, non posse ea verba ad omnes Christi fideles transferri. Vtrùm autem aliquo pacto ad clericos, & Ecclesiasticos pertineant, nunc non disputo. Cùm verò negat reges, aut principes gentium discipulis imitandos esse, vt Chrysostomus, Ambrosius, & Hieronymus explicant, ambitum, dominandique cupiditatem damnat & publicæ potestatis abusum in re optimo reprehēdit. Paulus sanè, vt ipsius verba apertissimè docent, de spiritali seruitute loquitur, ac proinde, *pretio, ait, empti estis, nolite fieri serui hominum*, nō humanam seruitutē detestans, sed eam, qua quis vitiis, & sceleribus mancipatur, vel eam, qua se quis humanis superstitionibus subiicit; & præcipuè loquitur contra illos, qui Gentilium mores, & consuetudines repetebant; quos alicubi Tertullianus grauissimis verbis perstringit: illi enim serui hominum dicuntur, qui vt
D hominibus placeant, contra Deum peccant.

VIII. Cùm igitur Iacobus ait: *Vnus est legislator, & iudex*, indicat vnum esse supremum legislatorem, ac iudicem Deum, à quo omnis manat potestas, vt ad Romanos scribit Paulus [f]. *Non est*, inquit, *potestas nisi à Deo.* Et apud Salomonem [g] ita loquitur diuina sapientia: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Horum igitur iudicium non reprehenditur à Iacobo, sed priuatum tantummodo iudicium, de quo subdit: *Tu quis es, qui iudicas alterum?* quasi dicat: Cùm priuatus sis, nullaque publica auctoritate præditus, quam tibi ob causam iudicandi munus temerè vindicas?

f cap. 13. 1.
g Prou. 8. 15.

E 13. *Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.*]

I. Omnino Iacobus fideles ad Christianæ vitæ apicem nititur promouere, atque idcirco cùm iudicium temerarium, & obtrectandi studium, tanquā à Christianis moribus alienū reiecisset, nūc eorū leuitatem, temeritatémque perstringit, qui lōgissimè futura prospicientes terrena bona auidissimè concupiscūt, lucra sectantur, diuitias congerunt, nec quidquam de imminente morte cogitant. Ita videtur Iacobus nimium

securum

A rerum humanarum sollicitudinem damnare, quam Christus Dominus apud Matthæū[a] his verbis magnoperè reprehendit. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, nec corpori vestro, quid induamini: nonne anima plus est, quam esca, & corpus plusquam vestimentum? respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Et multa deinceps, tum concludit. *Nolite ergò solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes inquirunt: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus* B *enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.*

a cap. 6. 25.

II. Quo loco multis rationibus nititur probare Christus Dominus nimiam caducarum rerum sollicitudinem abiiciendam esse; re namque vera ea sollicitudo, vt sapienter dixit quidam[b], *Præsentia amat, temporalia cumulat, spiritualia negligit, & cum tota se spargit in imis, nihil potest amare de summis; cùm tamen idcirco Deus hominem erexerit ad cælum, vt terrenis bonis neglectis, cælestia meditetur.* Quamobrem rectè ait Philo[c]: *Cæterorum animalium ora deorsum flexit, quapropter ad terram prona sunt, hominem contrà erexit, vt cælum spectet, cùm sit non terrestris planta, sed cælestis, sicut à priscis accepimus.* C Et alibi[d]: *Solum enim, ait, in terris cælestem plantam fecit hominem, cæterarum in terra defixis capita: omnes enim humi caput habent, soli homini sublime dedit, vt alimenta cælestia incorruptibilia quærat, non terrena ista corruptioni obnoxia.* Augustinus[e] sanè expendens verba illa Ietro: *Nunc audi me, & consilium dabo tibi, & erit Deus tecum. Mihi videtur*, ait, *significari nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodammodo euacuari, quo sit tantò plenior, quantò in superna, atque æterna liberius extenditur.*

b Laurent. Iustin. lib. de discip. monast. c. 4.
c li. de plantat. Noe.
d lib. quod deterius potiori insidiatur.
e quæst. 42. in Exod.

III. Et in eandem sententiam Chrysostomus[f]. *Non est*, inquit, *possibile, vt qui præsentibus est mancipatus, ineffabilium bonorum desiderium accipiat vnquam: sicut enim pluma quadam oculos opplentes, ita præsentium cupiditas intellectum obscurat, & non permittit videre, quid oporteat* D *facere.* Egregiè verò Clemens Alexandrinus[g]: *Si de veste, ait, & deliciis, rebúsque supervacaneis tanquam non necessariam omnino curam tollit Dominus, quid censendum est eum dicere de nimio ornatus studio, de tinctura lanarum, varietate colorum, superflua cura gemmarum, auri elaboratione, capillis artificiosis, & intortis crinibus?* Hoc igitur Domini consilium sequutus Iacobus hanc rerum caducarum sollicitudinem exterminandam docet, & Christi fideles ab hac veluti abiecta seruitute ad libertatem vocat. *Aurum*, inquit Gregorius[h] Nazianzenus, *occultus tyrannus, per quem multa sursum deorsúmque velut in talorum ludo iactantur.*

f hom. 35. in Genes.
g lib. 2. pædag. c. 11.
h orat. 24.

IV. Ambrosius[i] autem ita diuites alloquitur: *Seruitis diuites, ac miseram quidem seruitutem, qui seruitis errori, cupiditati, auaritiæ, quæ expleri non potest. Captiua est opulentia, paupertas libera.* Et post nonnulla[k] de diuitibus ait, *desideriorum suorum æstu voluuntur, & quodam* E *salo fluctuant.* Neque aliter sensit Chrysostomus[l], *qui de diuite ita loquitur. Mare fluctibus non ita intumescit, vt talem animam à cogitationibus, & affectionibus insistari videmus.* Aliam quandam metaphoram sequutus est Gregorius[m]: *Israëliticus, inquit, populus custodiam sabbati accepit in munere, Ægyptus muscarum multitudine percussa est. Populus namque qui Deum sequitur, accipit sabbatum, id est requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Ægyptus verò, quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens, & inquietum animal est, in qua quid aliud quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur?*

i lib. de Nabut. c. 12.
k cap. 14.
l hom. 59. in Gen.
m li. 28 Moral. c. 25.

Postea verò allatis Salomonis[a] verbis: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*, subdit: *Cogitationes superfluæ, quæ assiduè in animo carnalia cogitante, & nascuntur & deficiunt, eam suauitatem, qua vnusquisque intrinsecùs per Spiritum vnctus est, perdunt, quoniam integritate eius perfrui non permittunt.* Eodem spectasse videtur Seneca[b]: *Maior sum*, inquit, *& ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis.*

a Eccles. 10.
b ep. 66.

V. Meritò ergo ait Iacobus: *Ecce nunc qui dicitis hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & mercabimur, & lucrum faciemus.* Neque enim simpliciter, vt monet Oecumenius, liberam agendi, negotiandique potestatem tollit, sed primùm quidem, vt dictum est, nimiam sollicitudinem damnat, deinde tacitè indicat spes omnes nostras in vno potissimùm Deo collocandas esse, humanam siquidem industriam, & conatum non tanti esse, vt diuino patrocinio exclusu, hanc mortalem, & caducam vitam tueri, aut conseruare queat. Itaque rectè Oecumenius: *Non libertatem nostram tollit, sed ostendit non totum hoc nostrum esse, sed supernæ gratiæ quoque esse opus: licet enim nobis, & certare, & currere, & mercari, & omnia, quæ ad vitam spectant, operari, ita tamen, vt non nostris laboribus ea, sed Dei benignitati adscribamus.* Quæ idcirco libenter adscripsi, vt ostendam veteres Patres, gratiæ nomine etiam naturalem Dei concursum non rarò significare. Nam cum Oecumenius dicat supernam gratiam ad humanas etiam actiones esse necessariam, quibus humana vita conseruatur; quis dicat, supranaturalem gratiam Christi beneficio, ac merito humano generi concessam indicari?

VI. At frustra videtur Iacobus eiusmodi quorundam consilium reprehendere: mercaturam enim exercere, & moderatum, ac iustū lucrum quærere, cùm non sit per se malum, neque necessariò cum scelere, aut flagitio coniunctū, non videtur cum Christiana disciplina pugnare: neque enim omnis sollicitudo reiiciēda est, sed quæ modum excedat, quęque mentem perturbet, & à Deo auocet. An spectauit Iacobus id, quod alicubi[c] Paulus affirmat, eos, qui diuites fieri volunt, *incidere in tentationem, & in laqueum diaboli, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem?* Certè hoc cum Christi Domini sententia, de qua paulò antè plura diximus, mirè congruit, à qua non videtur Iacobus abhorrere, cùm præsertim paulò pòst subiiciat: *Exultatis in superbiis vestris, omnis exultatio talis maligna est.* An nimiam confidentiam quorundam notat, qui suo labori, atque industrię nimium tribuūt, perinde quasi sibi soli sufficiant? An eos perstringit, qui imprudenter sibi vitæ longitudinem pollicentur? Sanè hoc indicant verba illa: *Et faciemus ibi quidem annum*; itémque illa, *Qui ignoratis, quid erit in crastino, quæ est enim vita vestra? vapor est enim ad modicum parens.*

c 1. ad Tim. 6. 9.

VII. Mihi hæc omnia videtur Apostolus tacitè perstringere, cùm æquè omnia cum Christiana pietate ex aduerso pugnare videantur. Nam de nimia sollicitudine rerum caducarum diximus paulò antè; nimiā porrò confidentiam, suarúmque virium iactantiā à Christiana pietate, veráque humilitate alienam esse, tam certum est, vt probatione non egeat. Certè Hieremias hoc apertè indicare visus est, cùm[d] dixit: *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Loquitur enim de aduentu Nabuchodonosor regis, qui ad euertendā vrbem Hierusalem venturus erat. Et Salomon[e]: *Ne glorieris, inquit, in crastinū, ignorans quid superuentura pariat dies.* Et, quod magis mirandum est, Seneca[f] ostēdit caduca, & humana diuina ope & parari, & conseruari. *Propè, inquit, est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorúmque nostrorum obseruator,*

d cap. 10. 23.
e Prou. 27. 1.
f ep. 41.

bened. Instinian. in Epist. Canon.

O a & custos,

& custos, hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exurgere? Ille dat consilia magnifica, & recta.

VIII. Et post nonnulla: *Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quicquid timemus, optamúsque ridentem cælestis potentia agitat, non potest res tanta sine adminiculo numinis stare.* Alibi [a]: *Quicquid in rebus humanis vel ad vsum, & necessitatem, vel ad voluptatem, & luxuriam possident homines, diuina beneficia esse commemorat.* Tum subdit: *Unde tibi istum, quem trahis, spiritum? Vnde istam, per quam actus vita tua disponis, atque ordinas lucem? Vnde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? Vnde ista palatum tuum saporibus exquisitis vltra satietatem lacessentia? Vnde hæc irritamenta iam lapsa voluptatis? Vnde ista quies, in qua putrescis, ac marces? Nónne si gratus es, dices:*

a li. 4. de benef. à c. 5. & deinceps.

——Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus,
Ille meos errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

IX. Tum addit etiam illa, quæ arte constant, non minùs quàm quæ à natura accepimus, diuinæ munificentiæ, ac liberalitatis beneficia esse. *Insita sunt,* inquit, *nobis omnium ætatũ, omniúmque artium semina, magistérque ex occulto Deus producit ingenia.* Alibi [b]. *Deos, ait, ad maiora iuuros iuuare. Adijce, ait, quod destinato iuuant, adeóq; obligati sumus, qui non in beneficium ignorantium incidimus, sed hæc, quæ accepimus accepturos sciuerũt. Et quamquam maius illis propositum sit, maiorq; actus sui fructus, quàm seruare mortalia, tamen in nostras quoque vtilitates à principio rerum præmissa res est, & is ordo mundo datus, vt appareat curam nostri non inter vltima habitam.* Et mox: *Dij non possunt videri nescisse, quod effecturi essent, cùm omnibus alimenta protinus, & alia prouiderint, nec eos per negligentiam genuére, quibus tam multa genuerant.* Itaque Iacobus eos meritò reprehẽdit, qui quasi omnia habeãt in manibus, nihil de Deo cogitãt, sibiq; persuadent, suis se posse viribus omnia cõsequi.

b li. 9. de benef. c. 23.

X. Addo illos etiam iure optimo castigari, qui longam sibi vitam, quasi cum Deo pacti sint, certò pollicentur. Hos enim his verbis perstringit: *Ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum.* Et paulò pòst subdit: *Qui ignoratis quid erit in crastino, quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens.* Indicat D autem eos, qui sibi longam vitam pollicentur, temerè, ac stultè facere, tum quia humana vita breuis est, tum etiam quia multis est calamitatibus obnoxia. Itaque alicubi ait [c] Iob: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt. & non viderunt bonum, pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* Alibi [d]: *Dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur. & consumpti sunt absque vlla spe.* Et Dauid [e]: *Mensurabiles posuisti dies meos;* vbi vox Hebræa significat palmares. Itaque Hieronymus vertit, *breues*, quasi dicat, breuissima mensura comprehensos. Et Symmachus: *Palmum,* inquit, *posuisti dies meos.*

c cap. 9. 10.
d cap. 7. 6.
e Psal. 38. 6.

XI. Palmi autem nomine Eusebius, ac Didymus non dodrantem, sed palestem intelligunt, hoc est, quatuor digitorum mensuram, vt ex Budæo [f], & Isidoro [g] intelligi potest. Hanc credo, vitæ breuitatem Ionæ hedera significabat [h], quæ *sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt.* Simile quiddam indicare videtur Dauid [i]: *Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Mane sicut herba transeat, manè floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat.* Aliquantò autem pòst [k]: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Quo loco Hebræi codices tantùm habent, *anni nostri sicut meditatio, vel,* vt ait Hieronymus, *quasi sermo loquentis.* Septuaginta verò, vt idem Hieronymus [l] obseruat, pro sermone loquentis, *meditationem araneæ* transtulerunt: quemadmodum enim sermo loquentis subitò prætervolat, non aliter opus araneæ euanescit. Et quidem Græca vox ἀράχνη, non animal, sed telam potiùs significat, vt araneæ telæ humana vita similis dicatur, eiúsque breuitas, & imbecillitas significetur. Stultè itaque faciunt illi, qui longum vitæ spatium sibi metiuntur.

f lib. de asse.
g lib. 2. de differen. cap. 58
h cap. 4. 6.
i Psal. 89. 5.
k vers. 10.
l ad Cyprian.

Verè enim dixit [a] quidam, quanquam impio, nefarióque proposito. XII.

a li. 1. Carm. od. 11.

——spatio breui
Spem longam reseces, dum loquimur fugerit inuida
Ætas. Carpe diem, quàm minimùm credula postero.

Concinũt & Salomonis [b] verba, quæ paulò ante protuli *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariet dies.* Rectè ergo Iacobus eos reprehendit, qui hodiernum, vel crastinum sibi diem integrũ promittunt, multóque magis eos, qui annuam commorationem, & negotiationem sperant, cùm tam ne punctum quidem temporis certò quisquam sperare queat. Persimilem quandam reprehensionem legimus apud Lucam [c]: *Hominis,* inquit, *cuiusdam diuitis vberes fructus ager tulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos. & dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea; & dicam animæ meæ. Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem præparasti, cuius erunt?* Stultum sanè meritò illum vocat; primùm quod multos annos sibi certò polliceretur; deinde quia de futura, atque immortali vita nihil cogitabat; postea quia pauperum, atque indigentium inopiam sibi subleuandam ne cogitabat quidem; ad hæc, quod opibus, ac bonis sibi diuinitùs concessis ad delicias, ac voluptates abuteretur; denique quia male sibi consuluit, neque de morte, quæ semper imminet, vllam suscepit cogitationem.

b Prou. 27. 1.
c cap. 12. 16

Itaque Ambrosius [d]. *Rectè, ait, stultitia arguitur, qui in manducando, & bibendo locauit spem suam.* Verè autem scripsit alicubi Seneca [e]. *O quanta dementia est spes longas inchoantium. Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demùm lassam, & plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt, nihil sibi quisquam de futuro debet promittere; id quoque quod tenetur per manus exit, & ipsam, quam premimus, horam, casus incidit. voluitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum. Quid autem ad me, an naturæ certum sit, quod mihi incertum est? Ad latus mors est, quæ, quoniam nunquam cogitatur, nisi aliena, subinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius, quàm dum miramur, hæsura.* XIII.

d lib. de Naboth. c. 8.
e ep. 101.

Et alibi [f]: *Maximum viuendi impedimentum est expectatio, quæ pendet ex crastino, perdis hodiernum, quod in manu fortunæ positũ est, disponis, quod in tua dimittis. Quò spectas? Quò te extendis? Omnia, quæ ventura sunt, in incerto iacent, protinus viue. Clamat ecce maximus Vates, & velut diuino ore instinctus salutare carmen canit,* XIV.

f li. de breu. vit. à cap. 6.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit.——

Quid cunctaris, inquit, *quid cessas? Nisi occupas fugiet, cùm occupaueris tamen fugiet.* Et post pauca: *Quid securus, & in tanta temporum fuga lentus menses tibi, & annos, & longam seriem, vtcunque auiditati tuæ visum est, exporrigis?* Rursus [g]: *Nihil de hodierna die promittitur. nè minis magnam aduocationem dedi, nihil de hac hora festinandum est. Instat à tergo mors, iam desinet se iste comitatus, iam contubernia ista sublato clamore soluentur.*

g lib. de cõsol. ad Marc. c. 10.

Mercabimur, inquit, *& lucrum faciemus.* quasi nun & possit subsequi iactura; nimiã itaque confidentiam, & inanem spem reprehendit Iacobus. Quamuis enim XV.

optima

optima optanda sint, prudentis tamen est, cogitare difficillima, ferre deinde quæcunque erunt: vt enim
a lib. de trã. anim. scribit Plutarchus [a]: *Tam est varia, multiplex, reciprocabilis mundi huius harmonia, quàm lyra est, aut arcus, nec in humanis quidquam est, quod purum, syncerum, simplexque sit. Verùm vt musica sonis acutis, & grauibus constat, & Grammatica literis vocalibus, & mutis. Ac musicus, grammaticúsque est, non qui horum alterutris, illorúmque offenditur, sed qui vtrisque vti, miscerèque accommodatissime nouit. Haud aliter sapienter is demum instituisse vitam videtur, qui diuersissimos rerum euentus, mutuóque sibi aduersarios miscere scire didicerit, secundos cum aduersis compensando.* Et multa deinceps subiicit, quæ satis ostendunt, sapientum animos ita componendos, vt nunquam vulgaria illa, quæ stultorum ore teruntur, vsurpare cogantur. Nunquam existimassem; in magna spe eram; hoc aliquando futurum persuadere mihi non poteram.

XVI. Denique ostendit hoc inter sapientes, & stultos interesse, quòd illi meliora in votis habeant, deteriora in expectatione, vtrorumque autem temperamento prudenter vtantur neutram in partem nimij. Hi verò præsentia quoque transmittant, & futura nimia cupiditate expectant, & semper fœliciora sibi parum caurè polliceantur. Quo sanè morbo laborare videbantur illi, quos hoc loco Iacobus reprehendit: ex eorũ enim numero videbantur esse, quos acriter perstringit Sa-
b Sap.15.12. lomon [b], dum ait: *Sed & æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.* Et tamen etiam qui ludunt, aut mercaturam exercent, vt sperare aliquando lucrum, ita etiam metuere iacturam semper debent. Vt enim incerto marte milites pugnant, sic etiam humanæ vitæ commercia interdum fœlicem, nonnunquam etiam parum secundum
c De tranq. anim. exitum sortiuntur. Nam, vt rectè ait Plutarchus [c], *Vt seorsum bona, & mala ponantur humana vitæ ratio non patitur, sed temperamentum quoddam ex vtrisque conflari necesse est, si rectè de iis statuere volumus. Itaque neque eorum alteris ingemiscendum, aut tanquam iniquo oneri succumbendum est; sed deterrimi cuiusque euentus vis, atque impetus meliorum rerum recordatione retundendus est, omnisque commodis incommoda veluti inuolucro quodam velanda sunt, totúsque vitæ cursus ex prosperis, aduersisq́; concretus, & coagmentatus in similitudinem concentus harmonica ratione temperandus est.*

14. *Qui ignoratis, quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est enim ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*]

I. Vel hinc apparet, quorsum superior sententia referatur; ostendit enim eos, qui ita, vt modo dixit, ratiocinarentur, pluribus nominibus imprudenter, ac stultè agere; primum quidem, quòd fausta, & fœlicia omnia sibi certò pollicerentur, cùm tamen futurus euentus prorsus esset incertus. Deinde quòd in summa vitæ breuitate, atque incertitudine longum sibi temporis spatium certò præstituerent, denique quòd suis duntaxat viribus, diuino præsidio neglecto, niti viderentur. Itaque ait: *Qui ignoratis quid erit in crastino*: namque vera futurorum prænotio, eorum præsertim, quæ à caussis liberis, aut contingentibus oriun-
d cap.45.11. tur, vni Deo reseruatur. Itaque rectè dixit Isaias [d]: *Hæc dicit Dominus sanctus Israël, plasties eius ventura in-*
e cap.41.23. *terrogate me.* Et alibi [e]: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos.* Significat enim vni Deo futura tanquam præsentia perspecta esse, ac cognita, & tamen nihil est, quod auidiùs expetant homines, quàm futurorum prænotionem.

II. Hanc Astrologi non minùs stultè, quàm imperitè

A pollicentur; ita innumerabiles existunt genethliaci, quos rectè quidam [a] dixit sæpe Romæ probatos, eosdemque tanquam mendaces, & impostores reiectos a Cornel. Tacit.
fuisse. Eandem nefario, atque impio conatu sectantur Magi, qui ad occulta, & ventura inuestiganda cacodæmonum opera vtuntur: sed illi quidem præter probabiles coniecturas eorum, quæ à naturalibus caussis non necessariò proficiscuntur, & pauca quædam, quæ ad orbium cœlestium, syderumque motus necessarios pertinent, nihil habent affirmare, quod certò in rebus humanis euenturũ sit. Hi autẽ cùm sæpe à mendaciorum parente decipiuntur, nim verò præter ea, quæ causas naturales, ac necessarias habent, certi nihil percipere possunt. Itaque verissimum est, quod hoc loco ait Iacobus, quid cras futurum sit, certò sciri
B nequaquã posse, si præsertim de iis loquamur, quæ caussas contingentes, & liberas habẽt, cùm illa neque in se ipsis, neque in eorum caussis ab vllo mortaliũ, ac ne à dæmone quidẽ certa possint ratione cõprehẽdi.

Quæ ratio olim M. Tullium permouit, vt ipsi III.
etiam Deo hanc futurorum scientiam denegaret, ne vel falli, aut errare Deum, aut humanas voluntates necessariò, ac non liberè agere cogeretur admittere, sed nimirũ ille, vt egregiè alicubi dixit Augustinus [b], b lib.5. de ciuit. c.9.
Vt nos faceres liberos, fecis sacrilegos. Quamobrem rectè dixit Iob [c]: *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora, qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius.* Et Dauid [d]: c cap.24.1. d Psal.30.16.
Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. Vel, vt Hieronymus, & alij vertunt, *tempora mea.* Significat enim, interprete Theodoreto, rerum vicissitudines, diui-
C tias, & paupertatem, seruitutem, & dominatum, pacem, & bellum, adde, si placet, lucrum, & iacturam. Quò etiam pertinere possunt illa, quæ abiens in cœlum Christus dixit [e]: *Non est vestrum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* e Act. 1.6.
Græcè enim pro momentis legimus καιρούς, id est, *articulos, & rei cuiusque bene gerendæ opportunitates.*

Non ergo scite poterant hi, quos alloquitur Iaco- IV.
bus, diei crastinæ cõditionem, non solùm, quod attinet ad ea, quæ ad cœli, atque aëris vim, ac potestatem spectant, sed etiã quod ad humanæ vitæ actiones pertinet. Nam superiora quidẽ vtcunque conicere humana potest industria, hæc verò non itẽ. Itaque Christus Dominus apud Matthæũ [f] dixit: *Facto vespere, dicitis serenũ erit; rubicundum est enim cœlũ, & mane, hodie,* f cap 16.2.
D *tempestas: rutilat enim triste cœlũ. Faciem ergo cœli diiudicare nostis, signa autem temporũ non potestis scire.* Vtrunque enim significat, & quæ caussas naturales habent, cognosci vtcunque posse antequam sint, quæ verò nonnisi liberam caussam habent, non item.

Subdit. *Qualis est vita vestra? Vapor est ad modicum* V.
parens, & deinceps exterminabitur. Superiora consilij incertitudinem declarant, hæc verò rem eandem mirum in modum amplificant, & exaggerant: & præterea inanẽ, atque inutilem sollicitudinẽ dãnant, quæ humana lucra conquirit. *Quid enim*, inquit Oecumenius, *in tẽporariis rebus, quæ simulatq; extitere, euanescũt, labor vester totus versatur?* Idẽ significauit Dauid, cùm ait: *In imagine pertransit homo, sed & frustra cõturbatur.* g Psal.38.7.
Significat enim laborare homines in rebus, quæ re ve-
E ra non sunt, sed hactenus tantùm subsistere videntur, quòd inanẽ quandam speciẽ, & imaginẽ præferunt.

Aptè autem vapori humanam vitam similem esse VI.
dicit, est enim vapor tenuis quædam substantia, quæ vi, & calore solis ex hac infima mundi parte eruitur, & ob suam tenuitatem facilè euanescit. Sic etiam dixit olim Salomon [h]. *Quia*, inquit, *ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum, qua extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis* h Sap.2.2.

aër, & transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggrauata. Et aliquantò pòst: *Vmbra enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri, quoniam consignata est, & nemo reuertitur.*

VII. Tametsi enim totam illam orationem videtur Salomon impiis tribuere, quæ tamen de breuitate, & imbecillitate vitæ nostræ dicuntur, omnino verissima sunt. Sacræ enim literæ, aliis atque aliis metaphoris idē ostendūt. Sic enim loquitur Iob[a]: *Contra foliū, quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris?* Sic Dauid[b]: *Recordatus est, quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, sic efflorebit, quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum.* Et Sapiens[c]: *Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi;* Et iisdem propemodum verbis Isaias[d]: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Et hic ipse Iacobus[e]: *Quoniam sicut flos fœni transibit.* Rursus idem Iob[f]: *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Multa etiam in eandem sententiam Gentiles scripserunt. Pindarus enim vmbræ somnium humanam vitam vocauit, & eum imitatus Horatius ait[g]:

Puluis, & vmbra sumus.

a cap. 13. 25.
b Psal. 102. 15.
c Eccles. 14. 18.
d cap. 40. 6
e cap. 1. 10.
f cap. 14. 2.
g lib 4 Car. od. 7.

VIII. Et Seneca[h]: *Fluit tempus,* inquit, *& auidissimos sui deserit, nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit, in puncto fugientis temporis pendeo.* Et alibi[i]: *Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum inuictum est, tam necesse est perire, quàm perdere.* Rursus[k]: *Quæcumque videmus, ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ esse propriè putat; fluunt enim, & assidua diminutione, atque adiectione sunt; nemo nostrûm idem est in senectute, qui fuit iuuenis, nemo est mane, qui fuit pridie; corpora nostra rapiuntur fluminum more; quicquid vides, currit cum tempore; nihil ex iis, quæ videmus, manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus in idem flumen bis non descendimus: manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est; hoc in amne manifestius est, quàm in homine. sed nos quoque non minus velox cursus prætereuehit.* Et Plutarchus[l] ex Homeri sententia: *Cuiusmodi est,* inquit, *foliorum genus, huiusmodi & hominum. Foliorum alia quidem ventus decutit, alia pullulans fert sylua, verno autem nascuntur tempore: sic virorum genus hoc quidem nascitur, hoc verò desinit.*

h lib. 6 nat. quæst. c. 32.
i ep. 99.
k ep. 59.
l in Orat. consol.

IX. *Vapor est ad modicum parens.* Græcè, ἀτμὶς γάρ ἐστιν ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη. Duplici enim ex capite vitæ breuitatem, & imbecillitatem declarat; primùm quidem ex materia, cui eam similem dicit. Vapor enim, vt dictum est, minima quædam, ac nullius propè momenti substantia est, vt indicet nihil esse mortali vita imbecillius. Deinde ex eo, quod ipsum vaporem non tam ait existere, quàm apparere; perinde quasi indicare velit, quicquid est in hominum vita, speciem quandam, & inanem imaginem rerum præseferre, vt meritò dixerit quidam: *O quantum est in rebus inane.* Bona enim siue vtilia, siue iucunda, quæ incredibili quadam vi rapiunt ad sese mortalium animos, nihil habent solidi, nihil eminentis, & dum appetuntur, desiderio, & expectatione sui cruciant, cùm verò possidentur, neque animum explent, & non vno timore, ac sollicitudine torquent.

X. Quamobrem sapienter scripsit Gregorius[m] Nazianzenus: *Ne tota quidem hominum vita longa est, si cum diuina, & sempiterna natura comparetur, ne dum hæc vita reliqua, huiusque, vt ita dicam, humana solutio, vitæque temporariæ finis extremus.* Mox cùm Cæsarij

m Orat. in fun. Cæs.

A mortem commemorasset: *Nónne,* inquit, *ad eandem sedem concitato cursu tendimus? Nónne idem puluis propediem erimus? Talis vita nostra est, fratres, qui fluxam, & caducam vitam agimus, tale terra ludibrium, vt cùm non fuimus, nascamur, cùm nati sumus, rursum dissoluamur. Insomnium sumus stabile, spectrum, quod teneri non potest, auis pertransiensis volatus, nauis in mare vestigium non habens, puluis, vapor, ros matutinus, flos tempore nascens, atque marcescens. Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, sic efflorebit.* Et, quod magis mirandum est, dixit alicubi Seneca[a]: *Nihil firmi habet qui in incerta propensus est, tantum illi deest, quantum cupit; quem inuenies, cui modum imperij satietas fecerit, qui non vitam in aliqua vlterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est, quicquid cupiditati contigit, penitus hauritur,* B *& conditur, nec interest, quantum in id, quod inexplebile est, congeras.* Et Octauius Augustus Romanorum Imperator, cum imminere sibi mortem animaduerteret, vitam hanc fabulæ simillimam esse significasse dicitur[b].

a lib. 7. de benef. c. 2.
b Sueton. in August.

XI. Atque haud scio, an eodem spectet Senecæ[c] sententia. *Hanc,* inquit, *imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excutere, quorum alia inter diripiētium manus scissa sunt, alia infida societate diuisa, alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant prensa, ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt, quædam quia nimis captabantur, amissa, & dum auidè rapiuntur, expulsa sunt. Nulli verò, etiam cui rapina fœliciter cessit, gaudium rapti durauit in posterum.* Ita rectè Iacobus. *Ad modicum,* inquit, C *parens, & deinceps exterminabitur.* Quò spectans Iob[d]. *Quid est,* inquit, *homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quasi dicat, cum sit homo res prorsus nihili, cur eum tanti facis, vt tuo amore, ac beneuolentia dignum censeas?

c epist. 73.
d cap. 7. 17.

XII. Eodem spectant, quæ idem Iob[e] ait dum dies suos cursori comparat, quòd ocyssimè transeāt, additque, *& veluti naues poma portantes, & sicut aquila volans ad escam.* Meritò ergo ait Iacobus puncto duntaxat temporis vaporis instar humanam vitam sese in conspectum dare, mox verò exterminari, aut euanescere. Ita vetusto prouerbio circumfertur. *Homo bulla.* Siquidem humana vita bullis simillima est, quæ subitò in aqua existūt, & confestim dilabuntur. Quocirca Aristoteles[f] philosophorum sapientissimus, interrogatus D quidnam esset homo, respondisse fertur, nihil esse aliud nisi, *imbecillitatis exemplum, & temporis spolium, fortunæ lusum, inconstantiæ imaginem, inuidiæ, & calamitatis trutinam, reliquum pituitam, & bilem.*

e cap. 9. 25.
f apud Stobæum ser. 96.

XIII. Quò pertinent etiam, quæ eleganter scribit Seneca[g]. *Quid est* inquit, *homo? Quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile iactatu, nō tempestate, vt dissiperis, est opus. Quid est homo? Imbecillimum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, cum bene lacertos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima, ex infirmis, fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æstus, & laboris impatiens; ipso rursus situ, & otio iturum in tabem, & semper alimenta metuens sua, quorum modo inopia laborat, modò copia rumpitur, anxiæ, sollicitæque* E *tutelæ precarij spiritus, & malè inhærentis.* Et post pauca: *Quocunque se mouet, infirmitatis suæ statim conscium non omne cælum ferens, aquarum nouitatibus, flatuque non familiaris auræ, & tenuissimis causis, atque offensionibus morbidum, putre, cassum à fletu, vitam auspicatum.* Rursus post[h] multa: *Omnia humana breuia, & caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia; terram hanc cum populis, vrbibusque, & fluminibus, & ambitu maris puncti loco ponimus ad vniuersa referentes. Minorem partem habet ætas nostra, quàm punctum, si tempori comparetur omni, cuius maior est mensura, quàm mundi, vtpote*

g De consol. ad Marc. c. 11.
h cap. 20.

cum

cum ille semper huius spatium toties remetiatur. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcunque fuerit incrementum, non multum aberit a nihilo? Hæc, atque his similia penè sexcenta apertè docent, verissimè dictum esse à Iacobo, humanam vitam breuissimum esse vaporem, qui facilè euanescat.

15 *Pro eo, vt dicatis: si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.]*

I. Hinc apparet quorsum Iacobus superiora protulerit: indicat enim duplex fuisse eorum, quos arguit, peccatum; Primum quòd plus æquo suis ipsi viribus tribuerent; alterum, quòd de imminente morte ne cogitarent quidem. Cùm tamen viri iusti, & prudentes omnibus in rebus diuinam potissimum opem
B implorent, eâque se maximè niti glorientur. Itaque
a ad Rom. 1.10. Paulus [a] suis in precibus se à Deo contendere ait: *Si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in*
b ep. 1. c. 4. 19. *voluntate Dei*, ad vrbem veniendi. Et ad Corinthios [b], *Veniam autem*, ait, *ad vos citò, si Dominus voluerit.* Post
c cap. 16. 7. multa [c] verò: *Nolo enim vos modò in transitu videre: spero enim me aliquantulùm temporis manere apud vos, si Do-*
d cap 6. 3. *minus permiserit.* Et ad Hebræos [d]: *Et hoc*, inquit, *faciemus, siquidem permiserit Deus.* In Actis autem Aposto-
e cap. 16. 6. licis legimus, Paulum [e], & eius comites à Spiritu sancto prohibitos, *loqui verbum Dei in Asia.* Idemque cùm venissent in Misiam, *tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.*

II. Itaque apparet, in humanis actionibus semper
C Deo immortali primas tribuendas esse; quod etiam Gentiles philosophi apertè docuerunt: humana enim
f lib. 4. de benef. c. 5. 6. 7. inuenta Dei munera esse scribit Seneca [f]. *Neque enim*, inquit, *nostra ista, quæ inuenimus, dixeris non magis, quàm quòd crescimus, quàm quòd ad constitutum tempus sua corpori officia respondent: nunc puerilium dentium lapsus, nunc ad surgentem iam ætatem, & in robustiorem gradum transeuntem pubertas, & vltimus ille dens fugientis vitæ terminum ponit.* Est verò frequenter de imminente morte cogitandum, ne nimis longas futurarum rerum expectationes nobis proponentes, subitò in medio cursu deficiamus. Sic sanè exem-
g ep. 2. c. 1. 14. plo suo docuerunt Apostoli. Nam Petrus [g] quidem: *Certus*, inquit, *quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quòd & Dominus noster Iesus Christus signifi-*
h 2. ad Tim. 4. 6. *cauit mihi.* Et Paulus [h]: *Ego enim*, inquit, *iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Quin etiam ipsa
D nostræ vitæ ratio mortem nobis continenter ante ocu-
i epist. 24. los ponit. *Quotidie enim*, vt ait Seneca [i], *morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm crescimus, vita decrescit; infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam vsque ad hesternum, quicquid transiit temporis, periit, hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid antè defluxit, sic vltima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus.*

III. Necesse itaque est, quoniam mors incerta est,
k epist. 26. semper illam præ oculis habere, vt alibi [k] idem Se-
E neca scribit: *Incertum*, inquit, *est, quo loco te mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta.* Quamobrem minùs mirandum est, hoc Iacobum à fidelibus exigere, vt mortis recordatione inanes spes comprimant: sic enim tanquam migraturi hanc vitam incolendam suscepimus. Certúmque est, aliquando nos hoc contubernio carituros, vt stultissimum sit rei necessariæ, & semper imminentis cogitationem
l Luc. 12. 37. abiicere; & ob eam causam Christus [l] Dominus beatos seruos illos appellat, *quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Cúmque mox dixisset aduentus

A Domini horam incertam esse, colligit: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Et alibi [a]: *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus* a Matth. 24. 42.
vester venturus sit. Et paulò pòst: *Veniet*, inquit, *Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium.*

Huc igitur Iacobi consilium præcipuè refertur, IV.
vt mortis meditatio longas expectationes resecet: qui enim se breui moriturum credit, de iis, quæ post longum tempus futura sunt, non est valdè sollicitus. Idémque suas omnes actiones ita instituit, ac moderatur, vt nihil illi metuendum sit, si supremus illum dies subitò occupet. At fortasse nihil erat necesse hæc ab Apostolo tam sedulò commendari: siquidem hæ duæ conditiones, quas hoc loco indicat Iacobus, *Si Dominus voluerit, &, si vixerimus*, ita suapte natura semper insunt, vt quod apud Iurisperitos receptissimum est, frustra adiiciendæ videantur. Quis enim est vsque adeò demens, aut etiam impius, qui inuito Deo se quidquam aut aggressurum, aut perfecturum speret? Nam nemo dubitat morte omnem humanæ vitæ actum claudi, vbi enim ad mortalitatis finem ventum est, discedit ambitio, nullus est auaritiæ locus; omnis denique humana cupiditas conticescit. Cur igitur Apostolus tam seriò exigit, vt hæ conditiones exprimantur? An nimiam hominum socordiam, seu stupiditatem notat, qui quasi nullum numen agnoscant, omnia à se ipsis sperant, suæque siue prudentiæ, siue virtuti cuncta arrogant? An aliorum contumaciam castigat, qui tantùm sibi tribuunt, perinde quasi Deum habeant obnoxium, sibique necessariò obsequentem?

Certè alterum, vel vtrumque spectare visus est V.
Iacobus, quòd ea, quæ mox subiiciuntur, non obscurè significant. *Nunc verò*, ait, *gloriamini in arrogantiis vestris.* Sapienter autem alicubi scribit Plu-
tarchus [b]: *Iis, qui ex philosophia studio fructum aliquem percipere contendunt, protinus deponendum esse, quicquid vanum est, & arrogans.* Quemadmodum enim è vasis, quæ liquorem aliquem excipiunt, inanis aër expellitur; non aliter qui in sapientiæ studio veris implentur bonis, fastum, & elationem animi cauent, & ad modestiam sese componunt, minoremque de se opinionem concipiunt. Ita fit, vt Deum sibi concilient, eiusque sibi patrocinium asciscant: nam vt agricolis periucundum est, si spicas ad terram inclinatas, ac nutantes cernant: contrà verò dolent, si ob leuitatem rectà sursum tendant, quòd inanes esse credantur: Non aliter Deus immortalis eos sua beneuolentia complectitur, suoque patrocinio fouet, quos animo demisso, atque humili præditos videt: contrà verò, elatos, atque erectos tanquam bonorum omnium penitùs inanes odit, & execratur. Iam verò qui in longum tempus curas, & sollicitudines extendunt, tametsi ignorare non possunt se aliquando morituros, imprudentiæ tamen, ac temeritatis meritò arguuntur, quòd vel de vitæ exitu parum, aut nihil cogitent, vel perinde vitæ suæ rationes instituant, quasi suo arbitratu mortem arcere, aut aduocare possint.

b lib. de profect. mor.

Nam profectò, vt rectè ait Seneca [c]: *Nihil aut* VI. c epist. 101.
impudentius, aut stultius fingi potest, quàm si putre corpus fortiti æterna tamen proponamus, & inquantùm potest, ætas humana protendi, tantùm spe occupemus. Quotidie, inquit, *propiùs ab vltimo stamus, & illo, vnde nobis cadendum, hora nos omnis impellit. Vide in quanta cæcitate mens nostra sit, hoc, quod futurum dico, nunc maximè fit, & pars eius magna iam facta est: nam quod viximus tempus, eo loco est, quo erat antequàm*

viximus. Erramus autem, qui vltimum timemus diem, A cum tantundem in mortem singuli contulerant. Non ille gradus lassitudinem facit, in quo deficimus, sed ille profitetur; ad mortem dies extremus peruenit, accedit omnis, carpit nos illa, non corripit; ideo magnus animus conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, vt in hac statione, qua positus est, honestè se, atque industriè gerat. Cæterum nihil horum, quæ circa ipsum sunt, suum iudicat, sed vt commodatis vtitur peregrinus, & properans. Eodem, ni fallor, hæc Iacobi sententia refertur, vt videlicet fideles in suis omnibus actionibus vnum spectent Deum, eiusque diuino præsidio potissimùm nitantur, & mortis meditatione humanis cupiditatibus frænum quodammodo iniiciant.

VII. Nihil enim est tam fallax, quàm humana vita, nihil tam insidiosum, vt idem Seneca alicubi[a] scriptum B reliquit, cuius illa etiam præclarè dicta leguntur[b]. *In hoc omnes errore versamur, vt non putemus ad mortem, nisi senes, inclinatósque iam vergere, cum illo infantia statim, & iuuentus, omnísque ætas ferat.* Tametsi igitur quæ hoc loco commemorat Iacobus, conditiones necessariæ sunt, quæ quàmuis non exprimantur, semper tamen tacitè intelliguntur inesse, nihilo tamen secius meritò ingeruntur ab Apostolo aduersùs quorundam arrogantiam, qui ita cuncta aggrediebantur, perinde quasi nulla diuina ope indigerent, aut mortem non nisi post longa tempora metuerent, quod ea, quæ subiiciuntur, apertiùs indicant, sic enim ait:

a lib. de Cōsol. ad Mart. c. 22.
b eod. lib. c. 20.

16. *Nunc autem exultatis in superbiis vestris: omnis* C *exultatio talis, maligna est.*]

I. Rectè hoc loco monet Oecumenius, hæc cum superioribus connectenda esse, *qui dicitis hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in crastino pro eo, vt dicatis, si Dominus voluerit*, vt, quæ de breuitate vitæ interiecta sunt, parenthesi includenda sint, & quod nunc ait, *exultatis in superbiis vestris*; ad ea verba referatur, quibus nonnulli, quasi nihil de morte solliciti sint, in longissimum tempus spes, atque expectationes suas extendunt. Itaque hos ait exultare in superbiis, Græcè, ἀλαζονείαις, vt arrogantiam potiùs, & inanem expectationem significet: ἀλαζονεία enim rerum inanium appe- D titiu dicitur, quasi significet Iacobus eos, qui ita ratiocinantur, inaniter, & non sine errore de rebus futuris deliberare. Possis etiam iactationem, ostentationem, & venditationem quandam interpretari. Sunt enim qui ἀλαζονείαν homini tribuant, qui plura polliceatur, quàm præstare possit, vel qui de se magnificentiùs loquatur, suásque laudes vltrò prædicet, nam & hi, quos Apostolus notat, arrogantiùs iactare sese videbantur, ac propterea paulò antè Christianam humilitatem, atque animi demissionem his verbis commendauerat, *humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos*. Fortè etiam opes, ac diuitias suas iactabant, & lucris auidiùs incubabant, vnde arrogantia, & iactantia, vt plurimùm oriri solet, atque adeo aliorum contemptus, & obtrectatio, quæ vitia paulò antè tanquam E à Christiana pietate aliena reprehenderat.

II. Quamobrem subdit Iacobus: *Omnis exultatio talis maligna est*, Græcè πονηρά, hoc est, *mala, improba*, Christiano homine quàm maximè indigna, vt appareat, quod ait Oecumenius, iactationem, & gloriationem, quæ oritur ex superbia, & per se malam, ac detestandam esse, & ex corrupto, & deprauato fonte manare, vt qui in baptismo Christo nomina dederint, ab eo vitio maximè alienos esse oporteat, cùm pompis, & malo dæmoni nuncium remiserint.

A Quò pertinet quod de Socrate scribit Ælianus[a], cùm enim videret Alcibiadem ob diuitias clarum incedere, & ob agrorum multitudinem nimium sibi arrogare, tabulam illi ostendit, quæ terræ ambitum complectebatur, rogauitque, vt Atticam ibi requireret, quam cùm ille indicasset, suos fundos iussit ostendere, cumque illi respondisset, nusquam ibi pictos esse; eorum ergo, inquit Socrates, possessione gloriaris, quæ in nulla terræ parte visuntur? Ita hominis stultitiam perstrinxit, qui rerum caducarum, ac nullius propemodum pretij possessione gloriaretur. Malam itaque, ait Iacobus, eiusmodi gloriationem esse, qualis est illa, quam reprehēdit Salomon[b]: *Qui relinquunt*, inquit, *iter rectū, & ambulant per vias tenebrosas, qui lætantur, cum malefecerint, & exultāt in rebus pessimis,* B *quorum viæ peruersa sunt, & infames gressus eorum.* Et alibi[c]: *Stultorum exultatio ignominia.* Eodem, ni fallor, spectabat Oseas[d]: *Noli lætari Israel, noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo; dilexisti mercedem super omnes areas tritici; area, & torcular non pascet eos, & vinum mentietur eis.* Docet enim vanas esse hominum spes, & fallaces cogitationes, quæ caduca, & humana duntaxat spectant.

a lib. 3. de Var. hist.
b Prou. 2. 13.
c Prou. 3. 35.
d cap. 9. 1.

Quò referuntur etiam illa, quæ scribit Abacuch[e]: III.
Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis, e cap. 3. 17.
mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Quoniam autem hæc omnia si non semper, vt plurimùm tamen spes humanas fallunt, nullo modo in iis gloriandum est. Itaque sapienter subdit idem C Propheta: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo:* vt ostendat in vno tantùm Deo gloriandum, atque exultandum esse

17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*]

Videtur Iacobus verba Christi spectasse, cùm I.
apud Lucam[f] dixit: *Ille autem seruus, qui cognouit vo-* f cap. 12. 47.
luntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Quamobrem rectè Beda eos ait ab Apostolo reprehēdi, qui boni, honestique scientiam, & rectam fidem adepti, aliorum magistri fieri cupiebant, cùm tamen vita, ac moribus, ab ea, quam mente comprehenderant, notione maximè abhorrerent, quippe qui aliorum vitam, mo- D resque improbè carperēt, & sese supra cæteros efferrent, diuinæ denique prouidentiæ, & suæ mortalitatis obliti interitura bona auidiùs expeterent. Illos igitur huius capitis extrema clausula magnoperè perterret, dum eorū facinus ignoratione excusari nō posse insinuat. Licèt enim, vt in Scholis docent Theologi, non omnis ignorantia culpa vacet, illud tamen certissimum est, eos grauissimo piaculo obstringi, qui scientes prudentesque Dei legem violant.

Ita dixit Petrus[g]: *Melius erat illis, non cognoscere* II.
viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab g epi. 2. c. 2. 21.
eo, quod illis traditum est, sancto mandato: contigit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Egregiè verò hæc Iacobi verba alicubi explicat Bernardus[h]: *Reliqui*, ait, h Serm. 36. Cant.
E *omnes audiant. Scienti bonum, & non facienti peccatum est ei. Ac si per similitudinem dicat. Sumenti cibum, & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit; ita & multa scientia indigesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne caritatis non fuerit. & sic per quosdā artus animæ, mores scilicet, atq; actus transfusa, atq; digesta, quatenus ipsa de bonis, quæ nouerit, vita attestante, & moribus bona efficiatur; nónne illa sciētia reputabitur in peccatū, tāquam cibus cōuersus in prauos, noxiosq; humores? Nonne inflationes,*

& torsio

& torsiones in conscientia sustinebit, qui huiusmodi est. sciens videlicet bonum, & non faciens? Annon responsum mortis, & damnationis testes in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo, quem dixit Deus; Quia seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis? Et vide, ne fortè in persona talis animæ Propheta plangeret dicens [a]. *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo.*

a Ierem. 4.19

III. Videtur autem Iacobus, vt obseruauit Oecumenius, eos potissimùm perstringere, qui magisterium Ecclesiasticum ambiunt, quos monet, vt quæ rectè, ac verè cognitione comprehenderint, vita, ac moribus repræsentare conentur. nam in eandem sententiam scribit Paulus [b]: *Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis, qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.* Turpe enim est ea docere, atque aliis præscribere, quæ quis negligat, aut contemnat. Quamobrem Christus apud Matthæum [c] dixit. *Qui ergò soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Quo loco obseruat Oecumenius Christum Dominum significasse minimum in regno cælorum fore eum, qui inaniter ea docet, ac prædicat, in quibus ipse non laborauit. Contra verò eum vocari magnum, qui quod re ipsa præstiterit, etiam aliis agendum proponat. Imitatur enim omnium magistrum Christum Dominum, quem scribit Lucas [d] cœpisse *facere ac docere.*

b ad Rom. 2. 19.
c cap. 5. 19.
d Act. 1. 1.

IV. Eodem verò pertinere putat Oecumenius, quod Paulus ad Corinthios [e] scribit. *Qui gloriatur, in Domino glorietur, hoc est, Domini exemplum sequutus, qui cum prius fecisset, postea docuit.* Quin etiam addit, cùm Dauid [f] dixit. *In Domino laudabitur anima mea, non aliud indicare, quàm se, quòd in Domini mandatis ambulet, laudatum iri.* Hanc, opinor, ob causam Christus Apostolos, quos mundi magistros constituerat, non solùm lucem, sed terræ salem appellauit. Lucem quidem, quòd ad docendum missi sint, sal verò, quòd virtutum exemplo hominum actiones condire quodammodo debeant; ac propterea *si sal*, inquit [g], *euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Egregiè verò obseruatum est à Chrysostomo, non temerè Christum prius dixisse, Qui fecerit, & postea, docuerit, *quoniam oportet doctorem prius facere, postea docere.*

e ep. 1. cap. 1.
f psal. 33.
g Matt. 5. 13.

V. Eum verò, qui docet quidem, nec tamen ea facit, quæ alios docet, Basilius pictoribus, histrionibus, vmbris denique similem esse affirmat. *Qui verbo tenus*, ait [h], *sunt philosophati, nec vita sermonem sunt comitati, vmbris comparandi, & simile aliquid pictoribus præseferentes existunt, qui hominis pulchritudinem imitantes effingunt talem, qualis ille verè reperitur. Quoniam magnificè quidem virtutem laudare, & longos de hac re sermones facere, priuatim verò voluptatem sectari, similem ego dixerim histrionibus, qui in scœna fabulas agunt, & vt reges, ac principes sæpenumero ingrediuntur, qui nec reges, nec principes existunt.* Neque ab hac metaphora abhorruit Gregorius [i] Pontifex. *Dum monstrare*, ait, *qualis esse debeat pastor, inuigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor.*

h De vtil. capien. ex lib. gentil.
i 4. par. past. cap. vlt.

VI. Illud sanè arguté apud Plutarchum [k] à sapiente nescio quo dictum videtur, nullum esse laborem eo magis contemptibilem, qui sordes relinquat in vnguibus. Significabat enim, vt opinor, inutilem esse

k li. de prof. mor.

A docendi laborem, nisi omnes vitæ actiones, quas vnguium nomine significare voluit, omni penitus sorde purgentur. Quamobrem, vt obseruauit Gregorius [a] aspectus animalium apud Ezechielem propterea fuisse dicitur, *quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Sunt*, inquit, *plerique sanctorum ita simplices, & occulti, seséque in locis minoribus sub magno silentio contegentes; quid isti, nisi carbones sunt? qui etsi per feruorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent, neque in aliorum cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omninò sciunt refugiunt. Hi autem, qui & exempla virtutum prærogant, & lumen boni operis per vitam, & verbum errantibus demonstrant, verè lampades appellantur. Carbones ardent quidem, sed eius loci, in quo iacuerint, tenebras* B *non expellunt. Lampades, quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant.*

a Hom. 5. in Ezech.

VII. Sed verendum ne nimis verè conqueratur alicubi Bernardus. *Quem mihi*, ait [b], *ostendas vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flammantem.* Certè Christus quam lucem exigat à suis his verbis docuit [c]. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Geminam quippe lucem exigit à doctoribus, atque magistris, doctrinæ, atque exempli. Quamobrem rectè Fulgentius. *Fulgeant*, inquit, *bona opera, & quidem plusquam verba.* Nam cùm Christus apud Lucam dixisset. *Sint lumbi vestri præcincti*; mox addi- C dit; *& lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quasi indicare voluerit manibus, hoc est, honestis, atque laudabilibus actionibus fulgendum esse. Itaque sapienter ad Nepotianum scribit Hieronymus [d]. *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat. Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam & latro potest, Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.* Et in eandem sententiam Gregorius [e]. *Lex*, inquit, *est prædicatoribus posita, vt impleant, quod loquendo suadere festinant: Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur; illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc, quod sonuerit, opere conseruat.*

b Præfa. vit. S. Malachiæ.
c Mat 15. 16.
d epist. 2.
e In cap. 18. Iob sub fin.

VIII. Eodem spectant, quæ Theodorici Regis nomine D scribit Cassiodorus [f]. *Est enim quoddam speculum morum agentis oratio, nec maius potest esse mentis testimonium, quàm qualitas inspecta verborum:* Et alibi [g]. *Age ne tua tibi obiiciatur oratio, quia pondus est pudoris grauissimi propria voce conuinci.* Rursus [h]. *Non enim potest auctoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo, dum iniquum sit bona præcipere, & talia non fecisse.* Monet itaque Dauid [i] Sacerdotes, quos Ecclesiæ Magistros esse oportet, vt *induant iustitiam.* Quo loco sic planè scribit Gregorius [k]. *Vestimenta Sacerdotis quid aliud, quàm recta opera debemus accipere propheta attestante, qui ait. Sacerdotes tui induant iustitiam?* Tum alludens ad Pontificis Aaronici vestem, ex qua suspensa aurea tintinnabula pendebant, subdit. *Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitæ viam* E *cum linguæ sonitu ipsa quoque bona opera clament Sacerdotis.* Mox addit ad Sacerdotes pertinere verba illa ex Canticis [l]. *Columnas eius fecit argenteas, quia*, inquit, *Ecclesiæ prædicatores dedit, qui vt eam exemplis sustentarent, magna iustitiæ rectitudine roborauit, & vt prædicationibus erudirent, nitore eloquij, quasi splendore argenti decorauit.*

f lib. 5. var. ep. 22.
g epist. 21.
h lib. 11. ep 8
i ps. 131. 9.
k 2. par. past. cap 4.
l cap. 3. 10.

IX. Optimus ergo magister erat Apostolus Paulus, qui dicere poterat [m]. *Obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Quo loco monet Chrysostomus Apostolorum vitam fuisse veluti

m ad Philip. 3 17.

fidelium

Fidelium typum. *Exemplar*, inquit, *erant Apostoli imaginem quandam primarij exemplaris seruantes. Cogitate quàm exacta vita illis fuerit, vt archetypum, & exemplum, viuasque leges aliis exhiberent. Quod enim littera referebant, illud re ipsa omnibus conspicuum faciebant.* Et mox addit. *Ea demum est optima doctrina, ita discipulos inducit, ac persuaderi poterit. Si enim doctor verbis quidem doceat, operibus verò contraria fecerit, non dum doctor erit; Nam istud & discipulo facilè prastitu fuerit, nempe verbis philosophari. Sed opus est admonitione, & inductione, qua fit ex operibus, ista quippe & doctorem venerabilem facit, & discipulum obsequentem.* Auctor verò sermonis de eo, qui incidit in latrones [a]. *Sit*, inquit, *doctoris Ecclesia doctrina duplex, vt verbis facta consonent, actus doctrina respondeant; in nullis sit minor, qui cunctis est potior.*

a apud Chrysost. tom. 2. in fine.

X. Et si libeat allegorias sectari, meminerint præsules, atque Ecclesiæ doctores ad vsum tabernaculi adhibitam fuisse byssum, sed retortam, hoc est, duplicatam, & coccum bis tinctum, vt intelligant non satis esse doctrinam, nisi eum laudabili, & honesta vita coniungatur, cùm certum sit eorum mores omnibus fore conspicuos, & siquidem ab oratione, & præceptis discrepent, vim omnem sermoni adimere, plusque obesse actiones, quæ oculis subiiciuntur, quàm verba auribus excepta. Nec potest, vt ait Christus, *abscondi ciuitas supra montem posita*; nec qui Ecclesiæ præsunt, latere vlla ratione possunt. Et quod de Imperatore scribit Seneca [b], ad omnes Ecclesiæ Principes pertinet. *Tibi*, inquit, *non magis, quàm Soli latere contingit, multa contra te lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt.*

b li. de Clement. cap. 8.

XI. Et apud Cassiodorum [c] Theodoricus. *Non patitur claritas illa* (loquitur de præfecto Vrbis) *committere quòd possit mobilis turba nescire, locatus in medio ad se cunctorum trahit aspectum, & totius vita iudicium promulgat fama populorum.* Et alibi [d]. *Latere non potest quod intra cancellos egeris, tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas, & quamuis studiosè claudas, necesse est, vt te cunctis aperias; nam si foris steteris meis consularis obtutibus, si intus ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus. Vide quo te antiquitas voluerit collocari, vndique conspicerıs, qui in illa claritate versaris.* Nec prætereunda sunt, quæ alicubi scribit Plutarchus [a]. *Vitam ait, sibi quisque, & mores excolere debet, quo prorsus omni nota, vituperationéque careat, quando præsertim eorum, qui respublica prasunt, non modo singula verba, & res tantùm publicitus gesta animaduerti, notarique solent, sed vertus quoque, ioci simul, & seria, quaque domus, ipsa familia, vxor, cubile curiosius inquiruntur.* Et eleganter Claudianus [b].

c lib. 3. epist. ad Argol.

d li. 11. ep. 6.

a In politic.

b In paneg. 4. cōsul. Honor.

Hoc te praterea crebro sermone monebo
Vt te totius medio telluris in Orbe
Viuere cognoscas; cunctis tua gentibus esse
Facta palam, ne posse dari regalibus vnquam
Secretum vitiis; nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, &c.

XII. Hæc igitur omnia eò spectant, vt verissimè à Iacobo dictum esse intelligamus, grauius peccare magistros, nisi mores scientiæ, ac doctrinæ accommodent, cui consentit Satyricus:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto, qui peccat, maior habetur.

Sunt autem, & doctrina, & dignitate cæteris maiores, qui Ecclesiastico magistratu funguntur, ac propterea sedulò illis laborandum est, quod alibi etiam monui, ne quod voce docent, vitæ exemplo corrumpant, illudque etiam, atque etiam cogitandum quod alicubi ait Dauid [e]. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Vt enim Chrysostomus, & Augustinus monent, significat Dauid scientiam, atque doctrinam tum demum prodesse, si ei vita, moresque respondeant, alioqui *scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*, & quidem grauissimum tum per se ipsum, tum etiam quòd plurimum aliis exemplo noceat. Quemadmodum enim corruptus aër, dum spiritum ducimus, interiora tabefacit, ita maiorum exempla, si vitiosa sint, plurimos inficiunt.

e psal. 110. 10.

Quinti

Quinti Capitis Argumentum.

DIVITVM mores, ac præsertim sæuitiam in pauperes reprehendit, eorumdem luxum perstringit diuini iudicij seueritate proposita; ad patientiam, & rerum aduersarum tolerantiam sanctorum virorum allatis exemplis hortatur, aliaque non pauca morum præcepta tradit, sacramentorum, quæ ad pœnitentiam, ac scelerum expiationem referuntur, vsum commendat, precandi studium laudat, denique proximorum salutem procurandam monet.

CAPVT V.

1 *AGITE nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis, quæ aduenient vobis.*

2 *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt.*

3 *Aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.*

4 *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

5 *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis.*

6 *Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis.*

7 *Patientes igitur estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum.*

8 *Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit.*

9 *Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam assistit.*

PARAPHRASIS.

AGITE nunc locupletes, & qui caducis, mortalibúsque diuitiis affluitis, nolite putare vos esse omnium mortalium beatissimos, sed plorate potius, & miserandum in modum vlulatus edite, certi magnas vobis calamitates atque ærumnas imminere. ¶ Diuitiæ, siquidem vestræ tabefactæ sunt, & situ quodammodo, carieque absumptæ, & domestica supellex vestísque pretiosa blattis, tineísque corrosa. ¶ Aurum, atque argentum vestrum rubigine vitiatum est, eorum porrò ærugo auaritiam vestram testabitur, vosque adeo instar ignis animo exedet, sensimque absumet, & quod longè deterius est, dum diuitias in arcam congessistis, diuinæ, vt ita dicam, seueritatis, iustæque iræ thesaurum in extremis diebus comparastis. ¶ Merces quippe eorum, qui regiones vestras messuerunt, quæ fraude, ac dolo retenta est à vobis, aut immutata, apud Deum quodammodo vociferatur, qui miserorum voces, atque clamores non benignè solùm excepit, sed ea vi, qua omnia potest, vindicem se fore, atque vltorem pollicetur. ¶ Vos verò diuitiis, ac voluptatibus affluentes libidinibus vos constringendos præbuistis, & veluti in solemni conuiuio conquisitissimas epulas, & ingenti sumptu comparatas frequenter vsurpatis, quasi gulæ, ac ventri splendidè litandum vobis censeatis. ¶ Præterea verò iustis, atque innocentibus necem, atque interitum parastis, cum illi ne verbo quidem sese aduersus impietatem vestram tueri auderent. ¶ Cæterùm fratres nolite quæso hac inani felicitatis specie commoueri, sed constantes potius estote, fortíque animo excipite quæcumque toleranda erunt aduersa. Neque enim longè abest Domini aduentus, quem par est vos ingenti quadam animi confidentia expectare, agricolarum exemplo confirmati, qui pretiosum terræ fructum hilari, fidentique animo expectant, dum tempestiuo, ac serotino imbre irrigari, atque fœcundari terram animaduertunt. ¶ Eorum igitur constantiam, atque animi magnitudinem imitamini, vósque adeo confirmate ipsi, quoniam, vt dixi, Domini aduentus non procul abest. ¶ Nolite verò alius aduersus alium vel indignatione, vel inuidentia commoueri, ne vos supremo iudici reddatis obnoxios, qui propediem aderit, & penè dixerim

ante ianuam aſſiſtit. ¶ Porrò patientiæ, ac fortitudinis plurima ſuppetent exempla, ſi animum cogitationemque veſtram referatis ad priſcos vates, qui diuino afflati numine futura multo ante prædixerunt. ¶ Nos verò nec immeritò felices, ac beatos prædicamus eos, qui forti, atque hilari animo tolerarunt aduerſa, & patientiam quidem Iobi non audiſtis modò, ſed oculis penè dixerim perſpexiſtis, quem illa exitum tandem habuerit, itaque cognoſcere potuiſtis ipſi, quàm ſit Dominus ad commiſerandum propenſus, qui percutit, & manus eius ſanant, & poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lachrymationem, & fletum exultationem infundit, quod ipſum ſuo exemplo Chriſtus Dominus apertiſſimè docuit, qui cum ſeſe ad crucis vſque ſupplicium deieciſſet, meritò ad immortalitatem, & eximiam quamdam gloriam, ac nominis celebritatem euectus eſt. ¶ Porrò ante omnia vos monitos velim, fratres, ne iuſiurandum paſſim vſurpetis, etiam ſi cœlum, terram, aut quicquid aliud in rebus creatis eminet, aut carum habetur ad Sacramenti religionem adhibendum ſit, ſed aſſueſcite rem quamlibet ſimpliciter, ac præcisè vel affirmare, vel negare, ne ſimulationis ſuſpicionem, aut ſpeciem præbeatis, quaſi fallere, ac decipere conſueueritis, niſi dicta iureiurando firmetis. ¶ Vt autem cætera breuiter, ſtrictimque percurram, ſi quis veſtrum de me quærat, quid ſibi cùm rebus aduerſis premitur, angoreque animi cruciatur, agendum ſit; breuiter reſponderim ad preces illi confugiendum eſſe, contraque, ſi æquo, hilarique animo ſit, pſallendum illi, Deique laudes hilariter celebrandas cenſuerim. ¶ Si quis autem morbo, aut corporis ægritudine corripiatur, is, me quidem auctore, Eccleſiæ Presbyteros aduocet, qui pro illo ad Deum preces fundant, ſacróque oleo in Dei nomine inungant. ¶ Ita enim fiet, vt eorum oratio vera fide informata ægro ſalutem afferat, diuinaque ſua poteſtate Deus immortalis eum erigat, ac ſubleuet, & ſi peccatis obſtrictus teneatur, liberaliter ſoluat. ¶ Itaque alius alij ſcelera ſua, atque flagitia humili confeſſione aperire ne vereatur, & ad Sacerdotum pedes ſeſe abiiciat, vt eorum auctoritate expiari, & aſſiduis ad Deum precibus ſalutem conſequatur. Sic enim habetote iuſtorum preces, & quidem efficaces magnam apud Deum immortalem vim habere. ¶ Recordari enim poteſtis ipſi, quid olim Elias hac noſtra mortalitate, imbecillitatéque naturæ circundatus ſuis precibus effecerit; imbres enim annos tres, ac menſes omninò ſex ita cohibuit, vt ne gutta quidem aquæ in terram decideret. ¶ Et rurſus cum denuò preces funderet, vbertimos imbres impetrauit, quibus tellus irrigata magnam fructuum copiam peperit. ¶ Hoc denique ad extremum, fratres mei, addam, quod valde cupio mentibus veſtris inhærere. Si quis enim veſtrum, aut à fidei veritate receſſerit, aut à recto virtutis tramite deflexerit, eumque alius quiſpiam vel ad Eccleſiæ caſtra

10 *Exemplum accipite fratres exitus mali laboris, & patientiæ prophetas, qui loquuti ſunt in nomine Domini.*

11 *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.*

12 *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt, non, non, vt non ſub iudicio decidatis.*

13 *Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Aequo animo eſt? pſallat.*

14 *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini.*

15 *Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei.*

16 *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini, multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.*

17 *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.*

18 *Et rurſum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.*

19 *Fratres mei ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum.*

20 *Scire*

20 *Scire debet quoniam, qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

castra reuocauerit, vel ad virtutis viam reduxerit, ingenti omnino dignum præmio videri. ¶ Sic enim illi persuasum esse debet, eum, qui peccatis, ac sceleribus implicitum ab errore reuocatum ad meliora, & salubriora consilia traduxerit, pereuntis animum ab ipso penè interitu, ac sempiternæ mortis, vt ita dicam, faucibus eruere, & multitudinem scelerum siue eius, qui corripitur, siue etiam eorum, quibus ipse obnoxius degit, operire.

IN CAPVT QVINTVM
EXPLANATIO.

1. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis.*]

I. QVONIAM superiori capite diuitum studia, & immensam opum cupiditatem, non leuiter perstrinxerat, ostendit nunc, quorsum congestæ diuitiæ euasuræ sint, vnàque docet, quicquid tam auidè fuerat conquisitum, & vndique corrasum, neque animum explere posse, & facilè interiturum. Quamobrem ad lachrymas, & luctum hortatur, vt significet aurum, & argentum, & quicquid in pretio est inter mortales, non modo verum, ac solidum gaudium non afferre, sed ingentem potius tristitiæ, B mœrorisque materiam præbere. *Agite*, itaque ait, *nunc diuites plorate vlulantes.* Græcè dixit Apostolus ἄγε νῦν, quæ est particula excitantis, quasi hoc ex superioribus necessariò colligatur; quoniam verò diuites numero multitudinis alloquitur, rectè Latinè interpres dixit. Agite nunc. Ita docet etiam nunc opulentos, ac diuites, qui multorum opinione fœlices, ac beati prædicantur, miseros esse, & infœlices. Nam & Christus apud Lucam [a] dixit. *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram.* Et Amos [b] olim dixerat. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domum Israel.* Certè Seneca de diuite hunc in mo- C dum scribit [c]. *Magnam, inquit, pecuniam habet, hominem illum iudicas? arca est. Quis ærario, quis plenis loculis inuidet? Et iste, quem dominum pecuniæ æstimas, pecuniæ loculus est. Multum habet, vtrum auarus, an prodigus est? Si auarus non habet, si prodigus, non habebit. Istum, quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat; multi illum comitantur; mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ; prædam sequitur ista turba, non hominem.*

a cap. 6. 24.
b cap. 6. 1.
c lib. de remed. fortuit.

II. Plura alibi scribit, apertissiméque docet, quicquid opinione hominum carum est, pretio suo vile esse, quod nos quoque alio loco ostendimus. Quamobrem meritò Iacobus lugendum, atque vlulandum diuitibus monet; nam si diuitiæ malis, atque iniquis D artibus partæ sint, nihil diuitibus cogitari potest infœlicius, vt alicubi copiosè probat Chrysostomus [d], diuino enim iudicio, & quidem seuerissimo obnoxij degunt, vt grauissimis verbis testatur Isaias [e]. *Dominus enim, ait, ad iudicandum veniet cum senibus populi sui, & principibus eius. Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra.* Nam quid de fœneratoribus dicam? Sapienter sanè M. Tullius [f]. *Ex Catone, inquit, censorio cum quispiam percontaretur, quid in re domestica maximè expediret, respondit. Bene pascere,* A *bene vestire, bene agrum colere. Et ille, qui quæsierat quid fœnerari? Cato, quid hominem, inquit, occidere?* Non minus igitur fœneratorem peccare censuit, quàm homicidam. Hoc, credo, spectauit, qui dixit, diuitem vel impium esse, vel impij hæredem.

d In epist. 1. ad Tim. c. 6.
e cap. 3. 14.
f li. 2. de offic.

Et Paulus [a] vniuersim dixit, malorum omnium radicem esse φιλαργυρίαν, hoc est, diuitiarum cupiditatem. III. Inde enim, vt ibi mouet Chrysostomus, innumerabilia mala oriuntur. Quod si diuitiæ iustè, atque honestè comparatæ sint, in earum vsu multifariam peccari potest, si quis illis ad luxum, ad pompam, ad voluptatem, ad aliorum denique perniciem abutatur. Aristoteles [b] certè diuitum mores describens, B eos vt plurimùm ait conuiciatores esse, & qui facilè alios probro, & contumelia afficiant, arrogantes, ac superbos, quasi bona omnia possideant, cum nihil non possit diuitiis comparari. Addit molles, ac delicatos, ac voluptatibus deditos esse. Hos autem, quos vulgus felices, ac beatos prædicat, Iacobus miseros, atque infelices appellat, ideoque illos ad luctum hortatur. *Plorate*, inquit, *vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis.* Siquidem verè, ac sapienter scripsit alicubi Seneca [c]. *Mihi crede, inquit, is beatior est, cui fortuna superuacua est, quàm is, cui parata. Omnia ista bona, quæ nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quæ generis huma-* C *mani cæca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum inuidia conspiciuntur, eosque ipsos, quos exornant, premunt, plus minantur, quàm prosunt. Lubrica, & incerta sunt, nunquam bene tenentur, nam, vt nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnæ felicitatis tutela solicita est.* Ingentem porrò fletum, ac luctum, vel potius vlulatum quasi in ingenti malo exigit Iacobus.

a 1. ad Tim. 6.
b li. 2. Rhet. ad Teodectem
c lib. de consol. cap. 28.

IV. Venturas autem ærumnas, & calamitates minatur, *in miseriis*, inquit, *vestris*, quæ aduenient vobis, quamquam & ipsa diuitiarum possessio multis est incommodis obsessa. Chrysostomus [d] enim. *Si animum, ait, auari nuda cogitatione prospexeris, inuenies sicut vestem mille tineis corrosam; sic vtique à curis perforatum, à* D *peccatis putrefactum, & habendi solicitudine tabescentem.* Alibi [e] verò, cum Iobi prædiuitis virtutes descripsisset. *Non tales, subdit, sunt ætate nostra diuites, sed captiuis omnibus deteriùs affecti, & sicut crudeli tyranno tributa pendentes, non quiescunt à miseria seruitutis, quasi enim arcem quamdam, ita eorum mentem amor auri insedit, vnde per dies singulos præcepta eis plena iniquitatis imponit. nec est omnino aliquis, qui non obediat imperanti.* Post nonnulla verò, cum impia, nefariaque præcepta huius tyranni recensuisset, subiicit. *Quod supplicio certè omni etiam maius est, satisque*

d Hom. 48. in Matth.
e Hom. 22. in Matth.

identidem etiam ante pœnam perire captiuamus. Quibus enim captiuos non infeliciores etiam peccando similes? qui cum Dominum habeant Deum, ab illo Rege optimo, recedentes, tyranno se hunc saeuissimo dederunt; & hoc cum nobis etiam in praesenti illa res noceat? Nam & damna ex ea re ineffabilia contingunt, & lites frequentes, & calumniae, atque certamina, & assidui labores, & caecitas mentis, quodque est grauius, etiam bonorum coelestium per hæc infertur amissio, quæ solo certe possumus Dei seruitio promereri.

V. Hanc ob causam Christus Dominus [a] verbum Dei dixit solicitudine sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocari, & sine fructu effici. Quo loco monet Chrysostomus [b] nihil esse in diuitiis præter deceptionem. *Nomina enim sola sunt illis de rebus posita, nam cum voluptas, & gloria, tum ornatus, & pompa, horumque similia phantasmata quædam sunt nullam rem veram continentia.* Dicuntur autem diuitiæ quasi spinæ Dei verbum suffocare, quia, vt monet Gregorius [c], *importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant, & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant.* Eædemque fallaces dicuntur, eodem Gregorio interprete, *quia nobiscum diu permanere non possunt, fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt.* Apud Lucam [d] verò cum diuitiis coniungit Christus solicitudines, ac voluptates; nam vt obseruat idem Gregorius, *& per curam mentem opprimunt, & per affluentiam resoluunt. Re enim contraria possessores suos, & afflictos, & lubricos faciunt. Sed quia voluptas conuenire non potest cum afflictione, alio quidem tempore per custodiæ suæ solicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emolliunt.*

a Matt.13.22

b Hom.45. in Matth.

c Hom. 15. Euang.

d cap.8.14.

VI. Videtur autem Iacobus, vt bene obseruauit Oecumenius futuras calamitates minari, eò, quòd diuites opes recondant, & indigentium inopiam, atque egestatē contēnant. Etenim is dumtaxat diuitiarum vsus solidum, & constantem fructum parit, quo inopum indigentia subleuatur, quod visus est significare Christus Dominus, cùm apud Matthæum [e] dixit. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur, thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Quod planius apud Lucam [f] explicans ait. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Hunc porrò thesaurizandi modum Tobias [g] senior iuniori Tobiæ filio suo commendauit. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini; quomodo potueris, ita esto misericors si multum tibi fuerit, abundanter tribue. si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude, præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

e cap.6.19.

f cap.12.33.

g Tob.c.4.7

VII. Angelus verò vtrumque Tobiam [h] his verbis alloquitur. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna à morte liberat. & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Neque aliter accipienda sunt, quæ ad Timotheum scribit Paulus [i]. *Diuitibus huius sæculi, ait, præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehen-*

h cap.12.8.

i ep.1. 6. 17

A *dant veram vitam.* Certè quæcumque in hac vita comparantur facilè absumuntur; ait enim Dauid [a]. *Dum dum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* a Psal.48.18

Et in eamdem sententiam dixit Chrysostomus [b], *Eiusmodi est præsens felicitas & diuitiarum natura, vt non commigrent vbi hinc fueris abeundum.* Et alibi [c]. *Bona nostra, & diuitias nos ipsi ad ciuitatem nostram transmittamus, quibus solis fruemur; aliis minimè, illa in asylum, & locum tutissimum recondemus, vnde nihil ea possit auferre, non mors, non testamenta, non hæreditatum successiones, non calumnia, non insidiæ.* Et in eamdem sententiam Augustinus [d]. *Migrando vos, sunt facultates nostræ ad locum veræ vitæ. vt hoc ibi inueniamus, quod hic damus.* Et alibi [e], quibus vectoribus transmittendæ B sint in cœlum caducæ, mortalesque diuitiæ, his verbis docet. *Quid sunt, inquit, pauperes, nisi laturarii nostri, sed est baiuli? Das laturario tuo, ad cælum portat, quod das.* Petrus verò [f] Chrysologus. *Præmittamus,* inquit, *thesauros nostros in cælum, sunt vectores pauperes, qui possunt sinu suo, quæ nostra sunt ad superna portare. Nemo de fraude dubitet baiulorum, tuta est transmissio, per quam nostra ad Deum Deo fideiussore portantur.*

VIII.

b Hom.13. in Gen.

c Hom. 15. in Ioan.

d Serm.5. de ver. Dom.

e Serm. 50. de temp.

f Serm.7.

Eleganter verò more suo Chrysostomus [g]. *Transferamus, inquit, in cælum nostras diuitias; non nobis camelis opus est, nullis iumentis, nullis curribus, nullo alio vehendi instrumento. tantùm pauperibus indigemus, claudis, cæcis, infirmis. Hi res, & pecunias in cælum perferent, & earum Dominos ad æternorum bonorum hæreditatem perducere poterunt.* Rursus [h]. *In thesauro indeprædabili* C *reponimus quæcumque per pauperum manus præmittimus, eorum enim manus in cœlestia promptuaria sibi data reponunt.* Hoc autem significauit Christus cùm apud Matthæum [i] cuidam adolescenti dixit. *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo.*

IX.

g Hom. 15. in Ioan.

h Hom. 48. in Gen.

i cap.19.21

Cùm igitur, dum hac vita mortali perfruimur, in aliena quodammodo regione viuamus, ad sempiternam autem patriam in omnem æternitatem victuri tendamus, quæ porrò amentia est, hic thesauros recondere, quos amittere aliquando necesse est, illos negligere, quorum possessio futura est sempiterna? Sapienter omninò Chrysologus [k]. *O homo, inquit, si hic permansurus es, quæ tua sunt, hic repone. si illic iturus es, hic quæ tua sunt, cur derelinquis? qui derelinquenda* D *seruat, alienorum custos est, non suorum.* Neque verendum est, ne eorum, quæ pauperibus tribuuntur, iactura fiat, nec enim, vt ait Augustinus [l], *perdes quod dedisti, sed sequeris, quò misisti. Non fine thesauro remanebis, sed quod habes in terra sollicitus, habebis in cælo securus.* Et Chrysologus [m]. *Christus te ditare voluit, non nudare, manere tibi tua voluit, non perire iussit te transferre, non perdere.* Et alibi [n]. *Ne seruando, inquit, perdas, collige prorogando, dando pauperi, das tibi.* Et Oecumenius alludens ad verba Salomonis [o]. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, hoc est, in eam quæ [illegible] tur [illegible] consumptio, & de [illegible] omnis enim [illegible] pro[illegible], licet [illegible] non tamen [illegible], sed dissolutione illa recreationē nobis [illegible], si fortè ad [illegible] in flammis cruciati refrigerandi [illegible] aqua indigeamus.*

X.

k Serm.22.

l Serm. 50. de temp.

m Serm.22.

n Serm.43.

o Eccl.11. in princ.

E Lugendum itaque, atque vlulandum docet Iacobus, *In miseriis, inquit, vestris, quæ aduenient vobis,* quasi moneat, vt obseruat Beda, *[illegible] fletibus, atque ele[illegible] [illegible]ynis [illegible] rorum supplicia redimant, diuites enim, qui pietatis, atque misericordiæ opera neglexerint, non modo visibilis,* vt ait Beda, *gehennæ [illegible] cabit. sed etiam memoria inanium diuitiarum [illegible] quibus [illegible] culpas redimere potuerunt, & ante iudicium [illegible] eorum, & post resurrectionem etiam carnes exurent, cum [illegible] irasci cœperint, quare culpas eleemosynis non redimerunt, vnde dicitur diuiti. Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.*

XI.

Et te vera, vt scribit auctor * sermonum ad fratres in heremo. [* Serm. 62. inter oper. Aug. tom. 10.] *Cupidus, atque auarus similis inferno dicitur; quippè infernus quo plus deuorat, eo magis cupit, & desiderat, non aliter auarus expleri, aut satiari non potest, crescit vana potentia, crescit & pœna, potentes potiora tormenta patiuntur. Quanto maior honor datur, tanto maius periculum comparatur. Isti tales sunt elati, superbi, vanitate pleni, luxuriosi, gulosi, & hominibus magis placentes, quàm Deo. Hi sunt se ipsos amantes, gulæ seruientes magis, quàm spiritualibus intendentes, corpus ornantes, & animam fœdantes, foris ornati, intus cabefacti, colligentes amicitias sæculares, perdentes æternales.*

XII. Et sanè hic luctus, vt superius dixi, meritò laudatur, qui dum in hac vita suscipitur, à sempiterno illo gemitu ac fletu liberat, de quo ait Salomon [a]. [a Prou. 14. 13] *Extrema gaudij luctus occupat.* Quocirca verè, ac sapienter scripsit alicubi Leo Pontifex [b]. [b * De gradu ascens. ad beatitud. cap. 3.] *Luctus hic dilectissimi, cui consolatio æterna promittitur, non est cum mundi huius affectione communis, nec beatum quemquam faciunt ista lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio est sanctorum gemituum, alia beatarum causa lachrymarum; religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium, nec de hoc dolet, quod diuina iustitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur, vbi magis plangendus est faciens maligna, quàm patiens, quia iniustum malitia sua demergit ad pœnam, iustum autem tolerantia ducit ad gloriam.* Itaque rectè monet Iacobus imminentes miserias, & calamitates luctu, ac lachrymis redimendas.

XIII. Quò spectans auctor illorum sermonum, quem paulo ante laudaui. *Cogitate,* inquit, *fratres carissimi, vbi sunt reges, vbi potentes, vbi amici, vbi parentes. Ecce quomodo de tanta potentia, vel leuia tanta prouenit miseria, & angustia; de tantis diuitiis tot inopia, de tantis satietatibus tanta fames, de tam leui delectatione tam longa infirmitas, de tam breui luce, tam longa tenebra, de tam parua suauitate odoris, vel luxuria, tanti dolores, ac fœtores damnationis perpetuæ, & de vestimentorum abundantia æterna nuditas.* Subdit Apostolus.

2. *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt.*]

I. Hæc est vera, & legitima causa luctus, non quia diuitiæ perierint, sed quòd per auaritiam, & immanitatem diù retentæ absque vllo fructu, & vtilitate dilapsæ sint. Ait igitur. *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt.* naturales enim diuitias intelligit, cuiusmodi sunt triticum, oleum, & vinum, & quæ sunt eiusdem generis. Dum enim hæc naturalia bona in longum tempus conseruantur, vt pluris vendi queant, iusto plerumque Dei iudicio fit, vt corrumpantur, & pereant. Quamobrem rectè scripsit Salomon [c]. [c Prou. 11. 26] *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis; Benedictio autem super caput vendentium;* pauperes enim, & multitudo populi malè iis imprecantur, qui fruges, cæteraque ad vitam tolerandam necessaria recondunt, vt cariùs vendant; pauperum verò execrationes nonnumquam Deus exaudit; ac propterea Sapiens [d] ait: [d Eccles. 4. 2] *Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua.* Et mox [e]. [e vers. 5.] *Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram, & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere; maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Significat enim eiusmodi auaros, & impios non hominibus modo, sed ipsi etiam Deo esse exosos. Ita plerumque fit, vt quæ ad maiora lucra recondita fuerant, putrescant, ac pereant. Simile quiddam apud Oseam [a] minatur Dominus. [a cap. 2. 8.] *Et hæc,* inquit, *nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum, multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Quasi dicat diuitiis, quibus eos locupletaui, ad impium idolorum cultum abusi sunt, quos auari imitantur, cum, auctore Apostolo [b], auaritia nihil aliud sit, quàm idolorum seruitus. [b ad Ephes. 5. 5.]

II. Quamobrem subiicit apud Oseam Dominus. *Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* Quò etiam spectant, quæ scribit Ezechiel [c]. [c cap. 7. 20.] *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulacrorum fecerunt ex eo; propter hoc dedi illud eis in immunditiam, & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impiis terræ in prædam, & contaminabunt illud.* Quo loco Hieronymus. *Quæ ego dederam,* inquit, *in ornamentum possidentium, atque diuitiat; illi verterunt in superbiam, vt de quibus poterant per eleemosynam & bona opera suam animam liberare, ex illis haberent materiam arrogantiæ.* Ac propterea rectè subdit Ezechiel. *Propter hoc dedi eis illud in immunditiam, & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impiis terræ in prædam, & contaminabunt illud.* Hoc autem loco diuitiæ vestræ, ait Iacobus, putrefactæ sunt. Græcè, σέσηπε, quasi dicat, carie ob nimiam vetustatem labefactæ. Quo loco Marcus [d] Eremita. [d De pœnit. tom. 5. bibliot. Sanct.] *Perinde* inquit, *ac si diceret. sunt inutiles aliis non communicata.* Subdit Iacobus. *Et vestimenta à tineis comesta sunt.* Græcè καὶ τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα, quod eodem spectat, vestimenta enim diu asseruata id vitij contrahunt. Ita Horatius [e]. [e li. 2. Saty. 3.]

——————*cui stragula vestis*
Mattarum, ac tinearum epulæ putrescat in arca.

III. Plinius autem de re tota in hunc [f] modum scribit. [f lib. 11. c. 35.] *Idem puluis in lanis, & veste tineas creat, præcipuè si araneus vnà includatur, sitit enim, & omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat.* Quocirca Sapiens [g]. [g Eccles. 41. 13.] *De vestimentis enim,* ait, *procedit tinea.* Iob [h] verò humanam mortalitatem vestimento à tinea corroso comparat. [h cap. 13. 28.] Quemadmodum enim ex ipsa veste oritur tinea, quæ illam paulatim absumit, non aliter curæ, ac sollicitudines huius vitæ, quas prauæ in nobis cupiditates pariunt, ipsaque corporis nostri compositio per se dissolubilis, atque humorum pugna vitam nostram exedunt, & absumunt. Simile quiddam illustri quadam metaphora significare visus est Sophar cum [i] Iobo disserens [i Iob 20. 15.] *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Vt enim explicat Chrysostomus, diuitias deuorare, nihil aliud est, quàm recondere, & in tuto collocare; quamuis enim, ait, adeo tutam diuitiarum possessionem adeptus sit, vt eas in ventrem fermè abdidisse videatur, breui tamen illas ipsas dolens amittet, hoc enim est euomere. Quò etiam spectasse videtur Gregorius Nazianzenus [k], cùm dixit, [k Orat. 9.] *ne aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus, neque cum aliorum lachrymis misceamus, à quibus tanquam à rubigine, & tinea consumentur, aut, vt Scriptura verbis vtar, euomentur.*

IV. Porrò Oecumenius hanc Iacobi sententiam putat esse suspensam, ac pendulam, & à consequentibus hunc in modum pendere. *Diuitiæ,* inquit, *vestræ, quas sicut ignem thesaurizastis, comedent carnes vestras: putredo autem diuitiarum, & corrosio indumentorum à tineis, & ærugo auri, & argenti, contra vos testificabuntur, & auaritiam vestram arguent, quòd*

Bened. Iustiman. in Epist. Canon. P a nemini

A *nemini ea distribuere volueritis. Idcirco, inquit, in extremis diebus, aduentus scilicet Domini diuitias vestras sicut ignem in perniciem vestram reconditas, & thesaurizatas reperietis.* Et quidem rectè, hoc enim indicant, quæ mox subiicientur, vt perstringat diuitum auaritiam, qui malunt diuitias suas perperam reconditas vetustate absumi, & malè perire, quàm indigentibus benefacere, quos acutè notat alicubi Plutarchus [a]. *Sicut viperas*, inquit, *cantharides, & phalangia magis vituperamus, & odimus, quàm leones, & vrsos, quod illæ bestiæ homines interficiunt, neque interfectorum vllus iis est vsus. Ita maiori digni sunt odio, qui propter inliberalitatem, & sordes mali sunt, quàm qui propter intemperantiam; auferunt enim aliis ea illi, quibus vtendi nullam habent facultatem.* Contrà verò omni laude digna vox

a De diuit. cupid.

B illa videtur, quam apud Senecam [b] vsurpasse dicitur M. Antonius. *Hoc habeo quodcumque dedi.* Quò pertinent illa, quæ apud Xenophontem [c] fecisse, ac dixisse Cyrus scribitur, vt Crœsum doceret, optimè pecunias apud amicos deponi, nec vllos tutiores, ac fideliores esse thesauros.

b li.6. de benef. cap. 3.

c li. 8. de Cyro.

V. Quin etiam de Alexandro Magno simile quiddam memoratur. Alphonsus autem Siciliæ Rex interrogatus aliquando, quid sibi seruaret, qui tã multis, tam multa donaret. *Ea*, inquit, *ipsa, quæ dono, cætera enim in meorum numero non habeo.* Extat & elegans in primis in eandem sententiam Martialis Epigrãma.

Callidus effracta nummos fur auferet arca
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor vsuram pariter, sortemque negabit,
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica,
Mercibus extructas obruet vnda rates.
Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
Quas dederis solas semper habebis opes.

VI. Neque aliter decipio, quæ acutè disserit Seneca [d]. *Hæ sunt, ait, diuitiæ certæ in quacumque sortis humanæ leuitate vno loco permansuræ, quæ quo maiores fuerint, minorem habebunt inuidiam. Quid tamquam tuo parcis? Procurator es, omnia ista, quæ vos tumidos, & supra humana elatos obliuisci cogunt vestræ fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis armati, quæ ex alieno sanguine rapta vestro defenditis, propter quæ classes, cruentaturas maria deducitis, propter quæ quassatis vrbes ignari, quantum telorum in aduersos fortuna comparet, propter quæ ruptis*

d li. 6. de benef. cap. 3.

D *toties affinitatis, amicitiæ, collegij fœderibus inter contendentes duos terrarum orbis elisus est, non sunt vestra, in deposito causa sunt, iam iamque ad alium dominum spectantia, aut hostis illa, aut hostilis animi successor inuadet. Quæris quomodo illa tua facias? dono dando. Consule ergo rebus tuis, & certam tibi earum, atque inexpugnabilem possessionem para, honestiores illas non solùm, sed tutiores facturus. Illud, quod suspicis quo te diuitem, ac potentem putas, quamdiu possides; sub nomine sordido iacet. Domus est, seruus est, nummi sunt, cum donasti, beneficium est.* Quominus mirandum est, si doctissimi, sapientissimique Christianæ doctrinæ magistri tam acriter contra diuites auaros inuehantur, pergit autem Iacobus.

3. *Aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit. & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.*]

I. Habent quæcumque creata sunt, vitia quædam, quibus læduntur, atque interdum etiam perimantur; æs verò potissimùm rubigine exeditur. Ita Philo [e]. *Ferrum, inquit, æneas, aliasque eiusdem naturæ compertum habemus sua ipsas sponte exolescere, cum videlicet rubigo gliscens eas absumit, instar morbi serpentis.* Vox au-

e De mund. opific.

tem Græca *ἐωτίωτα* quâ hoc loco vtitur Iacobus æris rubiginem, hoc est, æruginem significat, quamquam alias medicamenti genus est, de quo Dioscorides [a], & Plinius [b]. Pertinent autem hæc ad diuitias arte quæsitas, de quibus Ouidius [c].

a lib. 5. cap. 91. & 92.

b lib. 34. cap. 11. & 12.

c li. 1. meta.

Posterius res inuenta est, aurumque repertum
Quod facilè, & validus, & pulchrius dempsit honorem.

Aurum ergo, atque argentum nimia vetustate rubiginem quãdam contrahunt, vt indicet Apostolus, ea metalla absque vllo vsu fuisse conseruata, ac propterea addit. *Et ærugo eorum in testimonium vobis erit*; hoc est, vestram auaritiam, atque inhumanitatem testabitur, quia vestro magno malo ea conseruastis, quæ ingenti cum emolumento pauperibus eroganda erant.

II. Addit. *Et manducabit carnes vestras, sicut ignis*; ipsa enim auaritia ingens, ac periculosus morbus est, de quo eleganter Plutarchus [d], Aristippum enim solitum dicere ait. *Si quis multum ederit, multumque biberit, nec vnquam expleatur, adit medicos, percontatur, quid sit morbi, quæ sit affectio, qua ratione queat leuari. At si quis habens quinque lectos requirat decem, ac decem possidens mensas, alteras totidem coemat, cumque multum adsit agrorum, multum pecuniæ, non tamen expleatur, verùm in alias hinniens vigilet, nullisque omnino rebus satiari possit, an nõ hic existimabit sibi opus esse, à quo curetur, quique ostendat, quibus ex causis morbus is sit ortus?* Et multa deinceps in eamdem sententiam. Sapienter verò Basilius [e]. *Aurum*, inquit, *maximopere, vt animæ tuæ blandissimum insidiatorem, vt parentem peccati, vt denique diaboli administrum modis omnibus fugito.* Alibi [f] verò diuitum auari-

d De cupid. diuit.

e ep. ad Chilon. discip.

C tiã luculenta oratione perstringit. *Quemadmodũ enim*, inquit, *per insaniã mente moti res probe non vident, sed pro morbi sui ratione quæuis imaginantur; sic anima tua ab auaritia possessa cuncta aurum, cuncta argentum respicit, libentius vides aurum, quàm solem. Quæcumque vides in aurum verti cupis, dasque operam, quoad possis, & liceat. Quid enim rerũ non moliris, mouesque vtinus auri gratia? frumentũ tibi in aurum vertitur, vinum in aurum concrescit, lana ipsa trasceunt in aurũ. Omnis mercatura, studium omne tuum, ac solertia conciliat tibi suggeritque aurum.* Et deinceps multa contra auarorũ crudelitatem differit.

f Hom. 6. ad dites sect. auaros. Simil. habet hom. 15. de auar.

III. Addit autem. *Dixeris; cui facio iniuriam, si mea retineo, conseruoque? Quæ illa dic mihi tua? Vnde accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vitam inuexisti? Perinde enim facis, ac si quis in theatro locum spectandi mox, vt anteuerterit aliis arripere, cæteros ab ingressu arceat, suo vnius vsui id adiudicans, quod ad omnium communem vsum proponitur; tales & diuites existunt, communia namque cum priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nam si tantùm quisque vsurparet, quantum ad propria necessitatis solatium faceret, superfluumque egenti tribueret, nemo profectò esset diues, nemo item pauper.* Rectè verò Iacobus diuitias contra rationem congestas, & conseruatas igni comparat. *Manducabit*, inquit, *carnes vestras sicut ignis*, quasi alludat ad id, quod scriptum est in Micheæ [g] vaticiniis. *Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.*

g cap. 6. 10.

IV. Quò pertinent illa, quæ eleganter disputat Basi-

E lius [h]. *Auaritia namque malum, ait, stare nescit, aut quiescere, sed ignis naturæ simile; ignis enim postquam incendium attigit, omnẽ properat absumere materiam, nec prius desistere poterit, quàm materia defecerit; auarum autem quid retinere poterit? Igne vehementior est, omnia continuando finibus suis occupat; ea, quæ sunt vicini, sibi aufert, mox vbi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt ad se rapit. Non ea, quæ retrò sunt attendit, sed quæ hic desunt, quæ ante se prospicit à vicinis possessa desiderat.* Et Magnus Gregorius [i]. *Auaritia*, inquit, *desideratis rebus non extinguitur, sed augetur; nam more ignis, cum ligna, quæ consumat, acceperit, accrescit, & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari.*

h Hom. 21. in aliquot Script. loc. & Hom. 15. de auar.

i lib. 15. mor. c. 12. alias 10

Quanquam

V. Quanquam, vt verum fatear, igni propterea similis dicitur auaritia, tum à Michea, tum etiam à Iacobo, quòd in hac vita curis, ac sollicitudinibus animum exurat, & in alia vita sempiterno incendio cruciatura sit; vt hinc appareat, quàm turpe, quamque graue malum censeri debeat auaritia. Nam Clemens Alexandrinus [a]. *In summa, inquit, diuitiæ, quæ non rectè administrantur, sunt arx vitij, & sceleris, in quibus multi caecutientes regnum cælorum nunquam ingredi poterunt. In rebus quidem mundanis ægrotantes, superbè autem, & arroganter viuentes propter delitias.* Et aliquanto post. *Nunc autem arx vitij inuenta est pecuniæ cupiditas, quam dicit Apostolus esse radicem omnium malorum, quam quidam appetentes à fide aberrauerunt, & se ipsos confixerunt doloribus multis.* Videtur autem mihi allusisse ad Bionis [b] sententiam, qui auaritiam dicebat esse omnis improbitatis metropolim. Et Phocylides eam esse aiebat omnis malitiæ matrem. Neque aliud significare visus est Gregorius Nazianzenus, qui aurum dixit esse occultum tyrannum. Quippe auri, argentique cupiditas vbi animum occupauit, tyrannidem exercet, verè enim dixit elegantissimus Poëta [c].

Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora?

a lib. 2. pædag. c. 3.
b Apud Stobæum ser. 10.
c Virgilius.

VI. Addit Iacobus, *Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus*; cui affine est, quod ad Romanos [d] scribit Apostolus. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei*: Quamquam Græci codices, qui nunc habentur in manibus, simpliciter habent ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. Thesaurizastis in nouissimis diebus. Magnum siquidem malorum thesaurum congerit sibi auarus, atque idcirco Dei iram meritò in se concitat. Nec malè thesauri nomine vtitur, nam etiam profani scriptores, vt alibi [e] monui, thesauri nomine malorum copiam significant. Sic Plautus [f], *Tu quidem*, inquit, *thesaurum huc apportasti mali*. Et alibi [g] dixit. *Thesaurum stupri*. Certè Christus apud Matthæum [h] bonum, ac malum thesaurum nominat, *Bonus*, inquit, *homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala*. Quem locum ita alicubi explicat Basilius [i]. *Sanè quidem prudentia omnis, quæ est in Christo virtutis ad gloriam Dei, thesaurus bonus est; contraque prudentia malitiæ rerum, quæ interdicta sunt à Domino, thesaurus est malus, ex quibus, vt Dominus ait, in suo vtrumque factis, dictisue; vel mala proferuntur; vel bona.* Auarus igitur malum sibi congregat thesaurum, hoc est, iram, atque indignationem Dei.

d cap. 2. 5.
e ad Rom. 2.
f in Mercat.
g in Amphi.
h cap. 12. 35.
i Reg. breu. r. 239.

VII. Certè thesauri apud Latinos, vt auctor est Gellius [k], olim fauissæ dicebantur: quod in iis non rude æs, argentúmve, sed flata, signataque pecunia conderetur, quamquam alias quæcunque loca ad res quaslibet recondendas apta, thesauri appellãtur. Sic apud Hieremiam [l] dixerunt quidam. *Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, & ordei, & olei, & mellis*; quasi dicat loca, in quibus eiusmodi bona recondita sint. Eademque ratione dixit Iob [m]. *Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti?* Et Dauid [n]. *Qui producit ventos de thesauris suis*; siue aerem, siue vapores, vnde excitantur niues, grandines, & venti, siue, quod magis reor, diuinam voluntatem, atque omnipotentiam vterque significet. Thesaurizare autē in sacris præsertim [o] literis, idem videtur esse, quod recondere, & in aliquo abdito, & tutò loco reponere. Videtur autem quis, dum peccat, suaque scelera pœnitentia expiare, aut negligit, aut contemnit, ingentem sibi reponere suppliciorũ magnitudinem, seu diuinæ iustitiæ seueritatem, quam interdum diuina scriptura iram, indignationem, & furorem appellat. Quemadmodũ enim M. Tullius [p] memoriam rerum omnium thesaurum nominauit, ita diuinam

k lib. 2. c. 10.
l cap. 41. 8.
m cap 38. 22.
n Psal. 134. 7.
o Isa. 39. 6. lib. 4. Reg. c. 20. 17. Amos 3. 10.
p lib. 1. de orat.

A mentem, ac prouidentiam præmiorum, ac suppliciorum thesaurum appellare possimus, vt qui honestè, atque laudabiliter viuunt, in illo sibi thesauro cœlestia præmia, cõtra verò scelerati sempiterna supplicia recondant. Siquidẽ diuina iustitia, quò diutius mortalium, præcipuéque auarorum impietatem, ac sæuitiam perfert, eò post mortem grauiori supplicio vlciscitur. Rectè autem dicuntur impij thesaurizare sibi in nouissimis diebus, suis enim actionibus ipsi sibi interitum parant; quomodo apud Oseam [a] loquitur Dominus; *Perditio tua Israel tantummodo in me auxilium tuum.*

a cap. 13. 9.

4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*]

B I. Præcipua diuitum vitia perstringit, & quod vniuersim dixerat, singularibus veluti exemplis confirmaturus ad auaritiam, hoc est, iniquam pecuniarum, reliquorumque bonorum coaceruationem, & custodiam accedit etiam iniustitia, quia laborantium merces aut denegatur, aut interuertitur, aut dolo, ac fraude minuitur; ea autem dicitur ante Deum clamare, sic enim scriptum est in Deuteronomio [b]. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Enumerantur autem à theologis grauia quædam peccata, quæ peculiari quadam ratione clamare dicuntur coram Deo; hominum cædes, humanique sanguinis effusio, de qua scriptum est in Genesi [c]. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Præpostera, ac nefaria libido, de qua in eodẽ libro loquitur Dominus [d]. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me; opere compleuerint, an non est ita, vt sciã.* Et rursus [e]. *Delebimus enim locũ istum eò, quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Iniqua innocentium oppressio, de qua in Exodo [f]. *Post multum verò temporis mortuus est rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Denique negata, vel fraudata merces, vt ex Deuteronomio ostendimus, & hoc loco asserit Iacobus.

b cap. 24. 14.
c cap. 4. 10.
d cap. 18. 20.
e cap 19. 13.
f cap. 2. 23.

D II. Omninò autem inopes, atque egentes aduersus diuitum sæuitiam clamare dicuntur. Sic enim in Deuteronomio [g] scriptum est. *Caue, ne forte subrepat tibi impia cogitatio, vt dicas in corde tuo, appropinquat septimus annus remissionis, & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* Pereleganti autem prosopopœia vox, & clamor ipsis flagitiis, ac sceleribus tribuitur. Ita loquitur Oseas [h]. *Et respondebit arrogantia Israël in facie eius.* Quod autem hoc loco ait Iacobus, metaphoricè indicare visus est Iob [i] his planè verbis. *Si aduersum me terra clamat, & cum ipsa sulci eius deflent*; quasi terra agricolarum labore, fatigatione, ac sudore subacta, & bene culta aduersus domini auaritiam clamet, qui operarum mercedem vel subtrahat, vel in longum extrahat, eademque ratione sulci defleant multo veluti arantium sudore, ac lacrymis irrigati; quod et, quæ mox subijciuntur, apertè confirmant. *Si fructus eius*, inquit, *comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi*. Cum enim mercenarij coram Deo vociferantur, & clamant, ipsa quodammodo multa voces edere dicitur. Ita quippe loquitur apud Isaiam [k] Deus, cùm enim eorum auaritiam indicasset, qui domum ad domum coniungunt, & agrum agro copulant. *In auribus meis*, inquit, *sunt hæc dicit Dominus exercituum.* Sic apud

g cap. 15. 9.
h cap. 5. 5.
i cap. 31. 38.
k cap. 5. 9.

a cap.1.2. b cap.59.12. Ionam [a] Niniuitarum malitia ascendisse dicitur coram Deo. Et apud Isaiam [b], multiplicatæ dicuntur iniquitates coram Deo, & peccata mortalium in respondere, & fortaßse propterea dicitur à Salomone [c], c Sap.1.10. *Auris zeli audit omnia.* Ita enim dicitur, clamorem, & vociferationem scelerum audire, vt paratus sit sempiternis cruciatibus ea vlcisci.

III. Hac itaque ratione Iacobus diuitum sæuitiam, atque immanitatem exaggerat, quòd eo Deum immortalem magnoperè commoueri, & ad iracundiā, atque indignationem excitari affirmet. Præcipuè autem eorum mercedem cómemorat, qui regiones messuerūt, siue quòd illi magnò labore fatigētur, & ob nimium æstum de vita plerumque periclitentur, siue quia his potissimum naturalibus diuitiis Iudæi abundabant.

IV. *Et clamor,* inquit, *eorum in aures Domini sabaoth introiuit;* & quidem meritò; hoc enim diuitum scelus d Ecclesiast. 34.27. cum hominis cæde comparatur [d]. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Ac proinde alibi [e] ait Sapiens. e Eccles.7.22. *Ne lædas seruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.* Et meritò, præceperat enim Deus in hæc verba [f]. f Leuit.19.13. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane.* Et Tobias [g] senior. g cap.4.15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat.*

V. Eleganter autem Scriptura solet rebus inanimis sensum, ac vocem tribuere. Quam ob causam sæpè creata omnia ad Dei laudem prouocantur; non temerè autem dixit Iacobus clamorem in aures Domini sabaoth introisse; vt enim non semel docuit Hieronymus [h]; h epist. 36. ad Marcel. de nom. Dei & epist.142. ad Damas. vox Hebræa, sabaoth, Deum omnipotentem, vel Deum virtutum, siue exercituum, ac militiarum significat. Quasi indicet Apostolus auaros misericordiæ, & pietatis expertes Deum vltorem effugere nequaquā posse, qui suis velut exercitibus, atque agminibus eos, quocumque fugerint, sit oppressurus. Peruenisse autem dicitur clamor in aures Domini, quia nō frustra calamitosorum gemitus, & querelas audit; propterea enim dixit Dauid [i]. i Psal. 9.13. *Nō est oblitus clamorem pauperum.* Et alibi de se ipso [k]. k Psal.17.7. *In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui; & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.* Atque hac ratione diuites auaros magnoperè terret, & ad beneficentiam, & liberalitatem excitat, atque inflammat, dum proposito periculo auaritiæ fœditatem exaggerat.

5. *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis.*]

I. Hactenus auaritiam, nunc luxum perstringit, hoc est, vitium superiori contrarium, nihilo tamen minus reprehensione dignum, cum vtrumque cum caritate, quæ proximo debetur, ex aduerso pugnet, æquè enim & qui diuitiis parcunt, & qui iis ad delicias, voluptates, luxum denique, & pompam abutuntur, indigentium inopiam neglig͂ūt. Ait igitur. *Epulati estis* Græcè ἐτρυφήσατε, quasi dicat, in deliciis vixistis, quo nihil potest perniciosius excogitari. Rectè enim apud M. Tullium [l] l in Cat. siue de Senec. Archytas Tarentinus, *nullam pestem in mundo capitaliorem esse,* dicebat, *quam corporis voluptatem. Hinc enim patriæ proditiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nascuntur; nullum denique scelus, nullum magnum facinus est, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat. Stupra verò, & adulteria, & omne flagitium nullis aliis illecebris excitantur, nisi voluptate.* Clemens [m] m lib. 2. Strom. autem Alexandrinus. *Quid est enim,* inquit, *aliud deliciæ, quàm libidinosa ligurritio, & supernacanea redundantia eorum, qui sunt dissoluti ad suauem sensum delectationis?* Eleganter verò Gregorius Nazianzenus aduersus delicias hæc scribit [n]. n Orat. 58. simil. orat 16. vbi luxū diuitum describit. *Nec thoros alios fingamus ventris delicias sternentes, nec fragrantia vina, quorum leuissima ingentis sumptus vnguenta in pretio habeamus, nec terra, & mare pretiosum nobis stercus dono offerant (hoc enim honore delicias afficere soleo) nec aliis aliunt intemperantia superare contendamus.*

II. Multa autem contra corporis delicias scribit Hieronymus [a]; a epist. in Iouin. inter cætera Cratis Thebani factū commemorat, qui profectò in mari non paruo auri pondere, *Abite,* inquit, *pessum malæ cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Tum subiicit: *quòd si quis existimat, & abundantia obrutus, potionumque se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, & versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit. Cum enim procul ab his remoti sæpè capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere, quorū copiam non habemus, quanto magis si circumdati rebus voluptatū esse nos liberos arbitremur?* Paulo autem post. *Vetus quoque sententia est; difficile est, immò impossibile, deliciis, & voluptatibus affluentes non ea cogitare, quæ gerimus, frustraque quidam simulant, salua fide, & pudicitia, & integritate mētis se abuti voluptatibus, cum contra naturam sit copiis voluptatum sine voluptate perfrui, & Apostolus hoc ipsum canens docet* [b]. b 1. ad Tim. 5.6. *Quæ autem in deliciis est vidua, viuens mortua est.*

III. Et in eandem sententiam Basilius [c], c Hom. de parad. cum paradisum ad Edem positum fuisse scribat, addit, *Edem delicias significat.* Mox verò, quas delicias intelligat, hunc in modum explicat. *Num vocat delicias eas, quæ per os ingrediuntur, & ventri tradita sunt, & quarum finis secessus est? An eas, quæ pereunt, delicias tradidit? An hæc est gratia illa à Deo nobis data saturitas ventris, & corporis lautitia, & animi diffusio voluptatem efficiens? Aut hoc vel dicere quidem pium est? Corpus enim abundè saginatum, & anima illi immersa, & ad peccandum procliuis facta, compendium quoddam est ad lasciuiam, & protaciutem, ac simul omnia ea quæ vetita sunt. Intelligentis igitur de deliciis Deo dignis,* & quæ sequuntur. Meritò itaque Iacobus hoc vitio vertit, quòd diuites in deliciis vixerint super terram, vt videlicet significet terrenis voluptatibus eos fuisse irretitos.

IV. Addit, *Et in luxuriis enutristis corda vestra,* Græcè legimus, καὶ ἐσπαταλήσατε· ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν. Quasi dicat, in deliciis, ac voluptatibus terrenis vitam traduxistis, & lasciuistis, & enutristis corda vestra, vt significet eos delicatos esse, ac lautis epulis victitasse. Syriacus ita vertit. *In deliciis vixistis super terram, & saniatas egistis, ac nutriuistis corpora vestra tanquam ad diem mactationis.* Certè videtur indicare Iacobus abusos fuisse diuites opibus, ac diuitiis ad corporis voluptates, ad luxum, & pompam; quo nihil fingi potest detestabilius, vt ex iis cognosci facilè potest, quæ fusè commemorat Athenæus [d]. d lib. 12. per totum. Acutè sanè Isidorus [e] e lib. 2. ep. 240. Pelusiota. *Si luxus,* inquit, *non sexcentos molestos, atque ad curandum difficiles, imò planè incurabiles morbos pareret, quominus luxus appelleretur, non recuso. Si autem & podagras, & capitis dolores, & vomitus, & apoplexias, & paralyses, aliosque huiusmodi morbos accersit, a quibus ipse quoque obtunditur, & obscuratur, vel, vt rectius loquar, potius deletur, piget certè luxum eum appellare, qui tot, ac tantorum malorum parens, atque altor est.* Et plura deinceps.

V. Alibi [f] f lib. 3. ep. 84. verò explicans cur Moses lege vetuerit, ne linum lanæ attexeretur. *Existimo itaque,* ait, *Mosen, vt eos, quibus præerat, ad philosophiam induceret, & quia ipsos necessario duntaxat curare cupiebat, mollitiem omnem eliminasse per id nimirum, quod linum, & lanam contexi vetabat, variegandarum rerum studium depellentem; per id autem, quod lineis vestibus purpuram attexi prohibebat, luxum ac profusionem, nimiamque ornādi corporis studium; per id denique quod vestimentorum, & lapidum lepram inhibebat, illud interdicentem, ne quis plura, quàm opus esset quæreret, ac reconderet.* Plura etiā alibi [g] g lib. 2 epist. 192. & epist. 210. in eandem sententiam scribit. Sed quid opus est multis? Deus

ipse

a cap. 5. 11. ipse apud Isaiam [a] luxum, & corporis voluptates acriter reprehendit. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandũ vsq; ad vesperã, vt vino æstuetis. cithara, & lyra, & tympanum, & tibia in conuiuiis vestris.*

VI. Quo loco Basilius elegantissima oratione conuiuiorum luxum describit. *Quum potius, inquit, sua adornant cõuiuia tapetibus versicoloribus, & certatis floribus conserti lintei, superuacaneum item studium, & inanem prorsus diligentiam ostentat in parandis poculis, aut sunt vasa refrigerando vino accommoda, vasa cornuta, phiala, pastorale vas, & crateres, nomina, & figuras excogitãtes parandæ ebrietatis, ita vt vasculorum differentia sensim inducat ebrietatem; ipsa poculorum subalterna permutatio, ac diuersitas idoneam ad bibendum eis inducit exercitationem. Deinde sibi inuicem propinantes ad subeundum certamen bibendi se comparant, quam redundantem excessum isti ad posteros transmiserunt ad suam ignominiam, tam victi, quam victores, ad vnum omnes temulenti redduntur. Sunt autem qui & præsint istis conuiuiis, sunt & principes pincernarum, sunt item præfecti tricliniis, & instruendis conuiuiis, & ordo quidem in re sic inordinata, vt confusanea deprehenditur, & in re prorsus incondita habetur, ac desolito.*

VII. Geminum igitur vitium diuitibus obiicit Iacobus, auaritiam, & pauperum contemptum, & præterea luxum, & deliciarum, ac voluptatum amorem. Vtrumque malum in diuite epulone apud Lucam [b] describitur. (b cap. 16. 19.) *Homo quidam, inquit, erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Quæ, vt apparet, ad luxum, & voluptates pertinent; quæ sequuntur sæuitiam in pauperem declarant. *Et erat, inquit, quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus; & cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.*

VIII. Ex qua historia (sic enim veteres Patres existimant) colligit Basilius [c] (c in Reg. fus. disp. p. interrog. 16.) necessariam esse continentiam, ne idem nobis contingat audire, quod illi misero respondit Abraham. *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua.* Eodem pertinet acris illa, & vehemens Amos [d] (d cap. 6. in princ.) prophetæ reprehensio. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domum Israël.* Et paucis interiectis. *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii, sicut Dauid, putauerunt se habere vasa cantici, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Hæc enim omnia, vt apparet, & nimium diuitum luxum, & in pauperes sæuitiam perstringunt. Ferè enim videas eos, qui deliciis dediti sunt, & voluptatibus profusè indulgent, in alios ferè esse crudeles, & nullo commiserationis sensu commoueri; quos, opinor, notat Salomon [e] (e Prou. 12. 10.), cùm ait. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.*

IX. *In die occisionis.* Non satis liquet verum hæc verba ad superiora referenda sint; an verò cum iis, quæ consequuntur, coniungantur. Si ad superiora pertineant, vt ea videtur accepisse Syriacus, diem mactationis significat, hoc est, diem solemnem victimæ; apud Hebræos enim eo die, quo victimæ mactabantur, hilariùs epulari consueuerant. Ita Iacob [f] (f Genes. 31. 54.) inito cum Labano fœdere, immolatisque victimis in monte, vocauit fratres suos, vt ederent panem. Et in libris Regum [g] (g cap. 1. 4.) Elcana cum immolasset victimas Phenennæ vxori, filiis, ac filiabus partes dedisse dicitur. Et Dominus [h] (h 1. Reg. 16. 3.) ipse cum iussisset vitulum de armento immolari, Samuëli præcepit, vt Isai ad victimam, hoc est, conuiuium inuitaret. Deniqu[e] Ionatas [a] (a 1. Reg. 20. 6.). *Rogauit, inquit, me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam, quia victimæ solemnes ibi sunt, vniuersis contribulibus suis.* Quasi dicat, epulum, & solemne conuiuium. Et quoniam Græca vox [illegible] eadem significat, sunt qui interpretentur diuites corpora sua saginasse ad occisionem, & lanienam, quæ erit apud inferos. Quod significasse videtur Iob [b] (b cap. 20. 26.) cùm dixit. *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur, & affligetur relictus in tabernaculo suo;* erit enim impiorum mortalis quædam vita, aut mors vitalis. Ignis quippe ille, vt ait Augustinus [c] (c Serm. 2. de vigil. pentec. cap. 18.), propterea inextinguibilis dicitur, non solùm quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos, quos susceperit, extinguet, aut perimet.

X. Et Chrysostomus [d] (d epist. 5. ad Theodor. lapsum.). *Cum audis, inquit, ignem, ne arbitreris esse similem hunc igni; accensus enim deferuescit, & mutatur; ille autem semel in flammam exurgens ardet perpetuò, nunquam intermoritur. Hic quidem non contingit vehementia pœnarum, & earum diuturnitas, altera enim cum altera pugnat propter conditionem corruptibilis corporis; immortalitate autem succedente soluitur hæc pugna, & magna potentia nos in infinitum vtraque mala possidebunt.* Et fortasse hanc ob causam paulò antè dixit Iacobus, *manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Vox autem [illegible] quæ hoc loco vtitur Iacobus visceratonem significare potest, quasi significet fore, vt diuites non sempiterno solùm, sed immani etiã cruciatu, in omnẽ æternitatẽ torqueantur, eo planè modo, quo apud inferos cruciari quẽpiam finxit Poëta [e] (e Virg. 6. Æneid.).

——Rostro immanis vultur adunco
Immortale iecur tondens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

XI. Nec satis scio verum alludat Apostolus ad epulum, & popularem cœnam, quæ splendida admodum erat. Fuisse enim apud Gentiles solemnes, ac publicas epulas auctor est Suetonius [f] (f in Tiber. c. 34.), quas cum Nero, eodem Suetonio auctore, ad sportulas reuocasset, rursus, vt idem met [g] (g in Nero. c. 16.) affirmat, Domitianus restituit. Erant autem, vt ait Dio [h], aut communes omnium ciuium, aut propriæ, & priuatæ singulorum. In primo genere collocantur, vt ait Lampridius [k] (h in Domit. c. 7. i lib. 51. k in Alex. Seu.), Kalendæ Ianuariæ, hilaria matris Deûm, ludi Apollinares, Iouis epulum, & Saturnalia. In posteriori numerantur dies sponsaliorum, repotiorum, nataliciorum, charistiorum, & id genus aliæ celebritates, vt colligitur ex Suetonio [l] (l in August. c. 53.). Sic Horatius [m] (m lib. 2. Satyr. 2.)

Ille repotia, natales, aliósue dierum
Festos albatus celebret.

Et Iuuenalis [n] (n Satyr. 11.).

Sicca sacra suis rara tendentia crate
Moris erat quondam festis seruare diebus
Et natalitium cognatis ponere tergum
Accedente noua, si quam dabat hostia carnem.

Et Ausonius [o] (o epist. ad Paulin.).

Sed festos quia sæpe dies partim ipse meorum
Excolui, inque vicem conuiuia vocatus adiui.
Natalis si fortè fuit solemnis amico
Coniugioq; dapes, aut sacra repotia patrum
Audiui, memini que bono laudare frequenter.

XII. Sic Plautus [p] (p in 3. aulul. Act. 3. scen.), Suetonius [q] (q in Calig. c. 16.), & Apuleius [r] (r lib. 4. de Asino aureo.) nuptiales cœnas nominant. De Charistiis meminere Ouidius [s] (s lib. 2. Fast.), & Valerius [t] (t lib. 2. c.) Maximus; quàm fuerint autem splendida conuiuia docet Suetonius [u] (u in Vitell. c. 13.). *Famosissima, inquit, fuit cœna ei data a fratre, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem auium appositæ traduntur.* Vt, si hoc spectasse dicamus Apostolum appareat, quàm verè dixerit. *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis,* seu iugulationis. De funebri cœna non pauca

scribit Marcus Tullius [a], quibus consentiunt, quæ sunt apud Dionem [b], & Iulium Capitolinum [c]; eò refero Horatij [d] verba.

Heredes Staberi summam incidere sepulchro,
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria; atque epulum, arbitrio Arrî.

Feralem porrò cœnã, quam Apuleius [e] nominat, eandem cum silicernio fuisse putant, quod conuiuium senibus duntaxat; & ad sepulchrum, roguìnve parabatur, vt Nonnius, ac Festus tradiderunt. Quò spectare videtur Catullus, cum de Rufa canit.

Vxor Menemi sæpè quam in sepulchretis,
Vidistis ipso rapere è rogo cœnam.

XIII. Sed natalitia festiua conuiuia erant, & apud Athenienses quidẽ, vt Isæus, & Demostenes affirmãt, infantibus decimo ab ortu die nomen imponere & conuiuium parare consueuerant. Plutarchus [f] autem auctor est Romæ maribus quidem nono, fœminis autem octauo die imponi consueuisse; & quidem, vt ait Suetonius [g] certo die lustrico, eodemque die ad epulum propinquos vocari solitos docet Capitolinus [h], quin & quotannis natalem diem solẽni epulo celebrari consueuisse multis veterum [i] testimoniis firmari potest. Quin etiam imperatores actum triumphum epulum dabant [k]. Et vt magis luxus appareat ad delicias addita sunt vnguenta, caput enim, & pectus malobathro Syrio, nardo, rosa, aliove odorato succo caput, & pectus perfundebantur, vt Tibullus [l], Lucanus [m], Homerus [n], Lucretius [o], Seneca [p], Plutarchus [q], Athenæus [r], & Clemens [s] Alexandrinus docent. Quin etiam in triumphantium cœnis additum fuisse minium indicat Plinius [t]. Nec prætereunda est cœna imperatoria, seu augustalis pro inito imperio, vel magistratu, de qua Iulius [u] Capitolinus, & Spartianus [x]; idem fecisse consules auctores sunt Plinius [y], & Vopiscus [z]; de cæteris magistratibus asserit M. Tullius [aa]. De prætoribus nominatim id affirmant Seneca [bb], & Dio [cc]. In ludis autem, ac muneribus publicis habita fuisse conuiuia plurimi [dd] testantur. In prouinciis item, cum ad illas magistratus accederent, epulas fuisse solemnes testantur Cicero [ee], Plutarchus [ff], & Paulus [gg] Iurisconsultus: erat & celebris cœna dialis, de qua Liuius [hh], Seneca [ii], Valerius [kk] maximus, Gellius [ll], Lampridius [mm], Dio [nn], Plutarchus [oo], Apuleius [pp].

XIV. Itaque si spectauit Apostolus hæc splendida conuiuia, verè dixit, in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis; more autem scripturæ sacræ corda nominat; nam hoc eodem modo loquitur Dauid [qq]. *Edent pauperes, & saturabuntur, & viuent corda eorum in sæculum sæculi.* Et alibi [rr]. *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, vt exhilares faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Et in actis apostolicis hæc scribit Lucas [ss]. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.*

XV. Quod si cum sequentibus coniungenda sint verba illa, *in die occisionis*, sensus erit. *In die occisionis addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis.* Quem sensum probant nonnulli, qui subaudiendum putant more Hebræorum similitudinis notam, quasi dicat, sicut in die occisionis addixistis, & occidistis iustum, vt diuitum sæuitiam, & crudelitatem indicet, de qua supra [tt] nonnulla dixerat. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia.* Quæ sententia ita vniuersim accepta, probari vtcumque posset, nisi distinctionis ratio, quam fermè omnes interpretes probant, ei videretur refragari; omninò enim verba illa. *In die occisionis*, ad superiora referenda videntur, si præsertim, vt habent vulgati codices Græci, similitudinis nota legatur. *Enutristis*, inquit, *corda vestra* ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν, hoc est, vt in die cædis, aut occisionis, quasi dicat, in die splendidi, sumptuosique conuiuij, in quo magna animalium cædes, & iugulatio fieri solet.

XVI. Meritò autem hic epularum luxus à Iacobo reprehenditur. Sic enim Paulus alicubi [a] scripserat. *Non est enim regnum Dei esca, & potus.* Et alibi [b]: *Sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus, & ebrietatibus.* Et Isaias [c] Sacerdotes, & Prophetas accusat his planè verbis. *Verùm hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt; Sacerdos, & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate; nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium; omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque ita, vt non esset vltra locus.* Et Oseas [d]. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Denique Christus ipse apud Lucam [e]. *Attendite autem*, ait, *vobis; ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.*

XVII. Quæ omnia eò libentius protuli, vt significarem Hebræorum more posuisse Iacobum nomen cordis; vt enim paulò antè dixi, ea vox apud Hebræos vniuersim intimas corporis partes significat; ita enim loquitur Dauid [f]: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Et alibi [g]. *Gladius eorum intret in corda ipsorum*; & cuiusque rei partes intimæ, cordis nomine significantur. Ita apud Matthæum dixit Christus. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Neque aliter accipiendum est, quod ait Dauid [h]. *Transferentur montes in cor maris.* Perinde igitur est, ac si dixisset Iacobus, genio, & gulæ indulsistis.

6. *Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis.*]

I. Qui diem occisionis cum hac sententia coniungunt, non eodem modo Apostoli verba accipiunt. Sunt, qui referant ad Christum, quasi Iudæis Christi necem exprobret Iacobus, & diem occisionis, aut iugulationis, pro die paschatis ponat, quòd in eo multa agnorum millia iugularentur; vel quòd in eo agnus mysticus, hoc est, Christus Dominus fuerit occisus. Sed aut ego fallor, aut hæc sententia prorsus censenda est aliena. Quorsum enim id nunc agat Apostolus? Aut quomodo id cum superioribus nectatur? Vt nihil dicam Christi necem Pontificum, & Sacerdotum vitio potius, qui Hierosolymam incolebant, quàm Iudæorum multitudini, qui per prouincias vagabantur, adscribendam esse. Et tamen Apostolus ita hos Iudæos alloquitur, perinde quasi illi Christum neci addixerint. *Addixistis*, inquit, *& occidistis.* Græcè κατεδικάσατε ἐφονεύσατε quasi dicat, condemnastis.

II. Non defuerunt, qui, vt existimo, minus ad rem de nece Ioannis Baptistæ Iacobum loqui arbitrentur, cum tamen illum non Iudæi, quibus mirè placebat, sed Herodes Rex impius obtruncauerit. Itaque existimo vniuersim Iacobum loqui de diuitum sæuitia, & impietate, vt exaggeret, & amplificet quod superius [i] dixerat. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?* Hoc enim modo innocentes plerumque, ac iustos neci addicunt, quomodo dixit Iob [k]. Diuites per vim, ac fraudem pauperibus insidiari. *Agrum*, inquit, *non suum demetunt, & vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant; nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* Persimilem enim sæuitiam hoc

a Orat. in Vatin. b lib. 37. c cap. 16. d lib. 2. sat. 3. e lib. 4. Flor. f in Proble. Rom. g in Nerone c. 7 h in Clod. Albin. i M. Tull. 2. Phil. Plaut. in Pseud. a. 5. sce. 2. Senec. lib. 1. de ira. c. 33. Plut. in Brut. in Anton. & in Cat. k Val. Max. lib. 2. cap. 3. Plin. l. 9. nat. hist. c. 55. & lib. 14 c. 6. & 15. Dio lib. 43. & 55. Suet. in Iul. cap. 38 & in Tiber. c. 29. Plut. in Lucul. Zonar. to. 2. annal. l lib. 3 eleg. 6. in fin. m lib. 10. n lib. od. 8. o lib. 4. p lib. 2. de ira c. 33. q lib. 3. sympos. q. 1. r lib. 15. c. 14. vsque ad 19. s lib. 2. ped. c. 8. t lib 33. c. 7. u in Pertin. x in Seuero. y lib. 14. c. 15. z in Aurelia. aa 4. Tuscul. bb lib. 5. controu. cc l. 54. & 55. dd Dio lib. 37. & 53 Suet. in Calig. ca. 18. in Dom. c. 4 in Claud. c. 34. Sidon. lib. 3. ep. vlt. Xiphil. in Claud. ex Dion. lib. 58. ee lib. 5. in Ver. & 5. ad Att. ff in Vita Cicer. gg l. in ciuitat. 122. ff. de leg. 1. hh lib. 7. Dec. 3. ii ep. 96. & 512. kk lib. 2. c. 1. ll lib. 12. c. 8. mm in Alex. Seuer. nn l. 4 & 51. oo in Tacit. pp l. de mũd. qq Psal. 21. & 27. rr Psl. 103. 15. ss cap. 14. 17. tt cap. 2. 6.

a ad Rom. 14. 17. b ad Rom. 13. 13. c cap. 28. 7. d cap. 4. 11. e cap. 21. 34. f Psal. 21. 5. g Psal. 44. 6. h Psal. 45. 3. i cap. 2. 6. k cap. 24. 6.

hoc loco perstringit Iacobus eo etiam detestabiliorem, quod iugulum, & vitam petat.

III. Huic autem nostræ sententiæ obesse videtur græca loquendi ratio, quæ non modo numero singulari vtitur, sed addit etiam articulum, vt videatur insignem aliquem virum indicare, cum præsertim addat, *& non restitit vobis*; vt idem omninò indicare videatur, quod ait Petrus [a]. *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè.* Sed sæpè alias Scriptura sacra numero vnitatis vniuersitatem significat, Isaias [b] enim ait, *Iustus perit, & non est, qui recogitet in corde suo.* Et mox idem explicans. *Et viri*, inquit, *misericordiæ colliguntur, quia non est, qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus est iustus.* Quo loco procul dubio propheta de omnibus iustis loquitur, vt antecedentia, & subsequentia indicant. Septuaginta tamen Græcum articulum addiderunt. Quamobrem Cyrillus Alexandrinus verba illa prophetæ non tantùm explicat de Christo, vt existimauit Hieronymus, sed etiam de Apostolis, cæterísque iustis, quos Iudæi malè habuerunt, videtúrque Isaias idem mox significare, cùm subdit. *Viri misericordiæ colliguntur.*

a 1. ep. 1. cap. 2. 23.
b cap. 57. 1.

IV. Eadem igitur ratione numero singulari potuit Iacobus genus vniuersum significare. Quamobrem hęc omnis oratio contra diuites, eorumque superbiam, & arrogantiam fertur, eamque hoc ipso nomine acrius pungit, quòd eos diuites vexent, ac perimant, qui sese tueri nequaquam possunt, neque eorum impetum, ac vim repellere. *Et non restitit*, inquit, *vobis*. Græcè *οὐκ ἀντιτάσσεται*, hoc est, *resistit*, siue quia mauult iniqua pati, quàm obluctari, siue quia omninò non potest contra pugnare. Ita olim Iezabel [c] iustum, atque innocentem Nabothum oppressit, & lapidibus obrutum interfecit; sic plurimi fideles non à gentilibus solùm, sed etiam à Iudæis extrema quæque passi sunt.

c 3. Reg. 21.

7. *Patientes igitur estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum.*]

I. Rectè hæc subiciuntur, cum enim diuitum mores, eorúmque sæuitiam, atque impietatem descripsisset, verendum erat, ne pauperes, qui rerum caducarum inopia laborant, & diuitum potentiæ obnoxij viuũt, animo conciderent, & desperationem propemodum spectarent, eos meritò solatur, & ad patientiam, animique constantiam hortatur, vt forti, atque inuicto animo aduersa omnia perferant. Ait igitur, patientes estote, Græcè *μακροθυμήσατε*, hoc est longanimes, vt non despondeant animo, sed ab immortali Deo solatium expectent. Est autem longanimitas præsertim in rebus arduis, atque angustis cum patientia necessariò coniuncta. Quocirca aptè Oecumenius. *Cum Iudæorum*, inquit, *principum luxum, & duritiam, & asperitatem contra pauperes reprehenderit, ad fideles redit atque inquit. Ne cum hæc videatis, fratres, scandalum patiamini, neque consternemini animo, & desperetis, quasi vel nulla ipsis impendeat vindicta, vel si impendeat, nimium tardet; non tardat enim sed propè adest.*

II. Eodem modo loquitur Beda; & reuera, quæ deinceps vsque ad finem capitis subsequuntur; ad fidelium institutionem pertinent. Commendat autem inprimis patientiam, & longanimitatem, vt enim scripsit Paulus [d]. *Patientia necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportemus promissionem.* Verè autem alicubi scripsit Cassianus [e], in aduersis patientiam adhibendam esse. *Ergo*, inquit, *patientiam tuam non debes de aliorum sperare virtute, ad est, vt tunc eã tantummodo possideas, cum a nemine fueris irritatus, quod ne possis non eueniret, tua non subiacet potestati, sed potius de humilitate tua, & longanimitate, quæ in tuo pendet arbitrio.* Quomodo autem ea comparanda sit, idem Cassianus [a] alibi docet. *Patientia vera*, inquit, *atque tranquillitas absque profunda cordis humilitate nec acquiritur, nec tenetur.* Multa quoque de patientia scribit Tertullianus [b], quam potissimùm ex rerum caducarum contemptu oriri docet.

d ad Hebr. 10. 36.
e lib. 4. de instit. renunc. c. 42.
a Col. 18. c. 13.
b lib. de patien. præsertim c. 7.

III. Egregiè verò Cyprianus [c]. *Non inuenio*, inquit, *fratres dilectissimi inter cæteras cœlestis disciplinæ vias, quibus ad consequenda diuinitus præmia spes, ac fides nostra secta dirigitur, quod magis sit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quam vt qui præceptis dominicis obsequio timoris, ac deuotionis innitimur, patientiam maximè tota obseruatione tueamur.* Et aliquanto post de patientiæ dignitate hæc scribit. *Est enim nobis cum Deo virtus illa communis; inde patientia incipit, inde claritas eius, & dignitas caput sumit; origo, & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit; diligenda res homini, quæ Deo cara est, bonum, quod amat, maiestas diuina commendat. Si Dominus nobis, & Pater, & Deus est, sectemur patientiam Domini pariter, & Patris, quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres.* Et post multa. *Latè patet patientiæ virtus, & vbertas eius, & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur, nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quæ nos Deo & commendat, & seruat, ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit; tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in Virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis, & maritatis indiuiduam caritatem, facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias, & contumelias mites, docet delinquentibus citò ignoscere, si ipse delinquas diu, & multum rogare, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones; & martyria consummat.*

c lib. de bon. patien. in initio.

IV. Et multa deinceps, quæ vir sanctus mira quadam elegantia ad verbum ferè ex Tertulliano expressit. Quocirca verè dixit Sapiens [d]. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Et Basilius [e]: *Fili*, inquit; *patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, vt velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, vt in futuro possis accipere ab æterno Domino æternam retributionem. Patientia grandis est medela animæ, impatientia autem est pernicies cordis: Per patientiam enim expectatur futurorum bonorum spes, & quod non videtur, quasi quod videtur, comprehenditur.*

d Ecclesi. 2. 16.
e in adm. ad fil. spir.

V. Addit. *Vsque ad aduentum Domini*; quasi dicat, non fore patientiam sempiternam, sed huius vitæ terminis, atque angustissimis spatiis concludi. Oecumenius porrò aduentu Domini significari putat, vrbis Hierusalem euersionem, idque probat ex eo, quòd Ioannes [f] de se ipso dixit. *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Contendit enim Ioannem vsque ad euersam Hierusalem, & paulo etiam plus vixisse; idémque Malachiæ testimonio confirmat, qui ait. *Ecce Dominus venit, & quis diem ingressus eius sustinebit?* Denique idem Chrysostomi testimonio confirmat, qui aduentum Domini alicubi pro Hierosolymitano excidio accipi contendit; ita enim explicat verba illa, quæ sunt in Cantico trium puerorum [g]. *Ita fiat coram te sacrificium nostrum hodie, & ad perficiendum post te. Quid enim sibi vult post te, nisi posteaquam furor tuus accesserit, accessit autem eo tempore, quo Hierosolyma Nabuchodonosor est depopulatus.* Hæc ex Chrysostomo Oecumenius.

f cap. 21. 22.
g Dan. 3. 40.

Verùm

A Verùm ego nihil dubito, aduentu Domini, hoc loco significari vel diem cuiusque vitæ extremum, vel supremam mundi clausulam, cum omnium mortalium actiones in iudicium adducentur, & sua cuique merces, vel supplicium reddetur. Quomodo accipienda sunt, quæ scribit Petrus [a]. *Expectantes, & properantes in aduentum diei Domini.* Non tamen pertinacius negarim aduentum Domini nonnunquam eo modo intelligi posse, quo Oecumenius, & Chrysostomus indicant; de hoc verò Iacobi loco nulla ratione admiserim. Quæ enim causa fingi potest, cur hoc Apostolicum præceptum tam angustè circumscribatur? An putandum est, quæ hac epistola scribit Iacobus, ad eos tantùm pertinuisse, qui tunc temporis inter mortales viuebant? An existimandum est post Hierosolymitanum excidium patientiam non fore necessariam? Quid quòd tamdiu insinuat Apostolus patientiam retinendam esse, quoad eius fructus subsequatur.

a ep 2. c. 3. 12

VII. Huc enim agricolarum exemplum refero, de quo mox; patientiæ autem fructum inchoat quidem dies vitæ vltimus, perfectè verò extremum iudicium afferet, cum iustorum rediuiua corpora immortalitatem induent. Et si dicendum sit, quod sentio, ne ea quidem loca, quæ ab Oecumenio afferuntur, aliò, quàm ad mundi finem referenda videntur; nam de Malachiæ verbis res planè videtur aperta, loquitur enim ibi de proprio aduentu Christi, siue secundo, vt nonnulli volunt, siue primo, vt alij longè probabilius existimant. Loquitur enim de Angelo præcursore, C quem fuisse Ioannem baptistam Christus Dominus apud Matthæum [b] apertè testatur; de verbis autem Christi apud Ioannem, nonnulla est inter explanatores cõtrouersia. Cum Oecumenio enim Dorotheus [c], & Theophylactus [d] minus tamen probabiliter sentiunt; alij secundum Christi aduentum intelligunt, non tamen sine hyperbole, quasi significet Christus Ioannem diutissimè victurum; eaque loquendi forma vtatur, qua vulgò vti solemus, cum quidpiam serò futurum indicantes, non fore dicimus, nisi vsque ad vltimum iudicij diem, quæ est Leontij, & Theodori Mopsuesteni sententia. Alij denique secundum aduentum absque vlla hyperbole, atque figura notari putant, quod asserunt Eusebius Emissenus [e], Augustinus [f], Rupertus [g], & alij.

b cap. 11.
c Synop.
d Ioan. 21.
e ho. de Io. Euang.
f ser. 145. de temp.
g Ioan. 21.

VIII D Nec tamen propterea necessariò fatendum est Ioannem adhuc esse superstitem, & vnà cum Elia, & Enocho in paradiso terrestri Antichristi tempora præstolari, vt laboranti Ecclesiæ vnà cum illis sua auctoritate, & doctrina opem ferat, quod Theophylactus [h], Aretas [i], Hippolytus [k] Martyr, Damascenus [l], Simeon [m] Metaphrastes, & [n] alij existimarunt. Nam Hieronymus [o]. *Confectus*, inquit, *senio Ioannes sexagesimo octaue post passionem Domini anno mortuus est.* Et Polycrates apud Eusebiũ [p]. *Ioannes*, ait, *qui supra pectus Domini recubuit, Ephesi obdormiuit.* Tertullianus [q]. *Obijt & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes.* & Augustinus [r]. *Sic eum*, inquit, *volo manere, sine vulnere, sine cruciatu dormiat, & expectet me*, & E paulo post. *Nolo vt ipse patiatur, tu patere.* Idem sentiunt alij; & quod magis ad rem facit, Ioannes ipse apertè significat Christi verba suam mortem non excludere, vt non immeritò argumentetur Euthymius, eos errare, qui Ioannem mortuum negant, cum eos Ioannes ipse errare illos luculenter doceat, qui hoc suspicantur.

h Ioan. 21.
i Apoc. 10.
k orat. de consum. sæc. tom. 5. bibliot. SS.
l orat. de transfig.
m in vita Io.
n Trapezũt. in libell. de illis verb. si sic eum volo manere. Caterin. Gen. 2.
o li. de scrip. Eccles.
p li. 3. histor. c. 31.
q lib. de anima c. 5.
r serm. 149. de temp. c. 4. idẽ in tract. 124 in Ioan.

IX. Accedit quòd in Concilio Ephesino [s] Ioannis reliquiæ nominantur, & ibidem [t] Cælestinus in epistola ad Synodum Ephesinam. *Ioannis*, inquit, *reliquias præsentes honorate.* Idem intelligi potest ex VII. Synodo [u], & Chrysostomo [x], Beda [y], & alijs. Non me latet existimasse nonnullos [a] illum quidem diem clausisse extremum, sed mox rediuiuum in cælum fuisse translatum; sed hoc ad propositi loci explanationem nihil pertinet. Mortuum igitur fuisse Ioannem longè videtur probabilius, non tamen propterea aduentum Christi interpretari cogimur Hierosolymitanum excidium, vt enim ex Augustini sententia diximus, cui consentiunt Eusebius Emissenus, & Rupertus, significat Christus Ioannem illæsum, non crucifixum, alióve violentæ mortis genere concisum, aut dilaceratum permansurum vsque ad extremum vitæ diem, qui Domini aduentus dicitur, quasi dicat Dominus, volo eum viuum, atque incolumem ad extremam vsque senectutem perseuerare, donec illum iu- B beam mortalitatem exuere, & ad beatam, ac sempiternam vitam euolare. Itaque cùm Iacobus ait. *Patientes estote vsque ad aduentum Domini*, huius nostræ mortalis vitæ spatium describit.

s tom. 4. c. 6.
t tom 2. c. 14.
u Act. 5.
x ho. 26. ad Hebræos.
y hom. de S. Ioan.

a Niceph. li. 2. hist. c. 35. & lib. 2. c 42. Isidor. in lib. etymol. D. Tho. in 4. d. 43. a. 3. q. 1. ad 1. & in Io. c. 21. Alber. Mag. in Io. Petr. Dam. ser. 2. de S. Ioan.

Obseruat autem Oecumenius ex veterum Patrum sententia, μακροθυμίαν, quam hoc loco Iacobus commendat, tum demum intelligi, cùm inter nos ipsos iram, ac furorem cohibemus, atque comprimimus, quam tolerantiam, seu longanimitatem Latinè interpretamur, ὑπομονὴν verò, quam patientiam seu sustinentiam dixeris, ad alios, atque extraneos referri, tolerare enim atque in longum iram extrahere erga eos quispiam dicitur, quos vlcisci vtcunque potest; pati verò, ac sustinere quos nequit vindicare, ac propterea colligunt patientiam, hoc est ὑπομονὴν, nonquam Deo tribui, cuius tamen μακροθυμία, hoc est, longanimitas & tolerantia miris laudibus celebratur, patientiam verò hoc est, ὑπομονὴν, propriè ad homines pertinere, quod vtrum verum sit, adhuc ambigo; quamuis enim fortassè, si Græcarum vocum vis apud præsertim prophanos scriptores spectetur, Oecumenij obseruatio vt plurimum probanda videatur, in nouo Testamento ὑπομονὴ, non simpliciter patientiam significat, qua illata mala toleramus, sed etiam patientem expectationem, cùm spe præmij duramus in malis, nosque rebus melioribus seruamus, atque idcirco interdum Latinè redditur, perseuerantia. Quomodo dixit Paulus [b]. *Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis*, Græcè καθ' ὑπομονὴν, perseuerãtiam enim boni operis necessariò intelligit; planius alibi [c]. *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam ex-* D *pectamus.* Græcè, δι' ὑπομονῆς. X.

b ad Rom. c. 2. 7.
c ad Rom. 8. 25.

Iam verò cùm de Deo loquimur, facilius admiserim μακροθυμίαν, non autem ὑπομονὴν vsurpari, semper enim dicitur Deus μακρόθυμος, hoc est, longanimis, & in multa lenitate, & longanimitate hominum scelera, atque flagitia perferre; hic autem Iacobus μακροθυμίαν commendat, hoc est, longanimitatem, quæ tamen cum patientia frequenter, vt diximus, & malorum tolerantia coniungitur, auctore enim Hieronymo [d] μακροθυμία longanimitatem sonat, & animi lenitatem, qua quis quamuis grauia, & diuturna mala, forti, & constanti animo perfert. Est enim moderatio quædam, qua quis non facilè animo commouetur, aut ad iracundiã, & indignationem incitatur. Aptè E autem Apostolus hac voce vtitur, cùm Domini aduentum expectandum doceat, iis præsertim, qui à diuitibus, vt supra dixi, opprimuntur, & calumniis appetuntur. XI.

d ad Galat. 5.

Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, exemplo à rebus humanis ducto longanimitatem nititur persuadere. Nescio vtrum verum sit, quod auctore Clemente scripsit non nemo, hunc Iacobum, & fratrem eius Iudam, seu Thadæum olim fuisse agricolas, atque idcirco vtrumque ab agricultura exempla petere. Certè agricolarum exemplum aptissimum est ad longanimitatem persuadendam. Verè enim dixit XII.

qui

quedam, *Spes est agricolae*; dum enim iacto semine segetum maturitatem expectat, multa illi dimenda sunt, multum laborandum, sudandumque, & optima quidem optat, multa tamen illi difficilia cogitanda sunt, ferenda autem quęcumque eueniunt, dum tamen sementem facit, diuinae prouidentiae sese totum, suaque omnia committat necesse est, à qua futura messis pendet. Et profectò haec nostra vita rectè sementi

a Ps. 125. 5. comparatur, ita enim alicubi scripsit Dauid [a]. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent; euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

XIII. Et Salomon [b], *Mane semina semen tuum, & vesperè ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur hoc, aut illud, & si vtrumque simul, melius erit.* Eandem metaphoram sequuntur Prophetae, ita enim loquitur Hieremias [c]. *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas; circumcidimini Domino, & auferte praeputia cordium vestrorum.* Et Oseas [d]. *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiae, & innouate vobis nouale.* Eadem porrò metaphora incredibiliter oblectatus est Paulus Apostolus [e]. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?* Et paulo [f] post. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Et alibi cùm de resurrectione dissereit, multa de semente congerit. Illa verò ad rem praesentem illustrandam maximè pertinent [g]. *Qui parcè seminat parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Nec ita multo [h] post. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum praestabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiae vestrae.*

b Eccles. 11. 6
c cap. 3. 3.
d cap. 10. 12.
e 1. ad Cor. 9. 7.
f vers. 11.
g 2. ad Cor. 9. 6.
h vers. 10.

XIV. Quò pertinent etiam [i]. *Quae enim seminauerit homo, haec & metet; quoniam qui seminat in carne sua, de carne, & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Perinde igitur accipienda sunt haec Iacobi verba, quasi dicat. Sic vobis persuasum esse cupio fratres, vos interim, dum hac vitali aura fruimini, agricolis esse persimiles, & nunc quidem sementem facere, atque adeo vobis sudandum, ac laborandum esse; expectandam verò post mortem patientiae, & longanimitatis messem. *Agricola*, inquit, *expectat pretiosum fructum terrae*, hoc est, exiguo iacto semine vberem messem expectat; ita & vos patientiae, ac tolerantiae vestrae amplissimam mercedem sperare debetis. Videtur autem Iacobus hoc exemplo potissimùm longanimitatem persuadere, vsque ad Domini aduentum; nam & agricola ad certum vsque, ac praefinitum tempus messem praestolatur, *donec accipiat temporaneum, & serotinum.*

i ad Gal. 6. 8.

XV. Ex Graecis codicibus apertè constat loqui Iacobum de pluuia, sic enim ait [illegible], donec accipiat pluuiam tempestiuam, & serotinam, sic enim Scriptura loqui solet. In Deuteronomio ait Moses [k]. *Dabit pluuiam terrae vestrae temporaneam, & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum, foenumque, ex agris ad pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis, & saturemini.* Et Hieremias [l]. *Et non dixerunt*, inquit, *in corde suo; metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinam in tempore suo plenitudinem annuae messis custodientem nobis.* Oseas [m] etiam. *Imbrem temporaneum, & serotinum terrae* nominat. Ioel autem [n], *pro temporaneo matutinum, ac serotinum imbrem* distinguit. Imber porrò temporaneus, seu matutinus iactis in terram seminibus ad faciendam sementem refertur, serotinus verò ad maturandas fruges.

k cap. 11. 14
l cap. 5. 24.
m cap. 6. 4.
n cap. 2. 23.

XVI. Videtur autem omnino Scriptura Palaestinae caelum spectare, in ea enim regione Octobri mense temporanea, seu matutina pluuia decidit, serotina verò Aprili mense, vel Maio; caeteris autem anni temporibus nullae fermè pluuię visuntur. Sic enim scribit Hieronymus [a]. *Nunquam in fine mensis Iunij, siue mense Iulio in his prouinciis, maximeque in Iudaea pluuias vidimus.* Quocirca vt in libris Regum [b] scriptum legimus, pro ingenti signo, atque portento diebus aestatis circa messem pluuia decidit. Inde autem commendatur Palestina, quòd opportuno tempore caelum plueret. *Terra*, inquit Moses [c], *ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua exisisti, vbi iacto semine in hortorum morem aquae ducuntur irriguae; sed montuosa est, & campestris de caelo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.* Et quod attinet quidem ad Aegypti terram, de ea ita Seneca [d]. *Nemo aratorum in Aegypto aspicit caelum.* Et Plinius [e]. *Aegyptus*, inquit, *alendis, augendisque seminibus ita gloriatur, vt nihil imbribus caeloque deberet.* Quò spectans Tibullus dixit:

a Amos 4.
b lib. 1. ca. 2.
c Deut. 11. 10
d lib. 4. nat. qq. c. 2.
e in Paneg.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

Et Claudianus;

Aegyptus sine nube ferax imbresque serenos
Sola tenet secura poli, non indiga venti
Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat.

XVII. Patienter igitur expectat agricola opportuno tempore pluuias, nec interim otiatur, aut cessat, sed ea omnia diligenter praestat, quae futurae messi vel necessaria, vel opportuna censentur. Porrò Beda mysticos sensus sequutus verba Latini interpretis non ad pluuiam, sed ad fructum refert, significatque geminum fidelibus, si patienter sustineant, fructum promitti, hoc est temporaneum, animae videlicet vitam post mortem; & serotinum, id est, corporis immortalitatem; vel temporaneum in actionibus iustitiae, serotinum in laborum mercede, & compensatione. Quò spectasse ait Paulum, cùm ad Romanos [f] scripsit. *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam aeternam.* Itaque rectè colligit Iacobus.

f cap. 6. 22.

8. *Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit.*

I. Si agricola, inquit, ingenti quadam animi magnitudine pluuiam opportunam expectat, tametsi non rarò spe sua frustretur, multo profectò magis magna animi tolerantia praestolandus est vobis Christi Domini aduentus, qui certò non ita multo post aderit. *Patientes igitur*, ait, *estote & vos*, repetit autem eandem Graecam vocem [illegible]. Nam & eodem modo de agricola loquutus erat. Dixerat enim [illegible]. Videtur autem argumentari Iacobus à minori. Nam si agricola pluuiam, aut fructum incertum tanta animi magnitudine expectat, quantò magis aequum est vos Christi Domini aduentum operiri; cùm praesertim certissimè venturus sit, & iam propemodum immineat; ita procul dubio aliam tamen in finem argumentatur Paulus [g]. *Quoniam*, inquit, *debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.* Eademque ratione frequentissimè fidelium spem erigit, & confirmat: sic in praesentia Iacobus. *Et confirmate*, ait, *corda vestra*, quasi dicat, nolite in aduersis deficere, aut animo despondere, amplissima vos manet apud Deum merces, idque in aduentu Domini; hic enim omninò vel cuiusque mortem, vel extremum iudicij diem intelligit. Tunc enim, vt scribit Paulus [h], *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

g 1. ad Cor. 9. 10.
h 1. Cor. 4. 5.

Quod

II. Quod procul dubio priuatim in cuiusque obitu singulis continget; vniuersim autem omnibus in die iudicij, cum, vt idem Apostolus ait, *reddet Deus vnicuique secundum opera eius*. Nam & Christus ipse apud Matthæum dixit [a]: *filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius*. Aduentum autem Domini ait appropinquasse, ita enim ferè olim, vt alibi docui, veteres patres affirmare consueuerant. Hæc enim dicitur hora nouissima, & vltima mundi ætas. Nec dubium est, extremum iudicij diem propius abesse, quàm olim ante Christum natum. Quocirca verè dicere potuit Iacobus, *aduentus Domini appropinquauit*. Et quidem si de cuiusque obitu sermo sit, quo quis ætate prouectior est, eo minus abest ab exitu; quotidiè enim, vt ait Gregorius, ad mortem festinamus.

a cap. 16. 27.

III. Exigit igitur Iacobus eam morum, vitæque integritatem, vt non modo mors non sit fidelibus metuenda, sed tanquam laborum meta optanda; quam beata vita, & immortalis gloria consequutura sit, quod Apostolus Paulus exemplo suo docuit, cùm ad Timotheum [b] scripsit. *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius*. Quamobrem aptè, congruentérque subiicit.

b 2. ad Tim. 4. 6.

9. *Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt non iudicemini, ecce iudex ante ianuam assistit.*]

I. Quoniam cum longanimitate vt plurimum (quod paulo ante monui) rerum aduersarum tolerãtia coniungitur, meritò Iacobus monet eos, qui à diuitibus calumnias patiuntur, aut alia quapiam ratione vexantur, ne ingemiscant, hoc est, ne acerbius querantur quasi grauiora perferre, ac tolerare cogantur, quàm humana imbecillitas pati queat. Ita Beda. *Nolite*, inquit, *ingemiscere, quasi vos maiora meritis aduersa patiamini*. Hoc enim, vt Tertullianus [c] monet ex aduerso cum patientia pugnat. Addit autem Iacobus, in alterutrum, Græcè κατ᾽ ἀλλήλων quasi dicat, alius aduersus alium; vt enim alias monui, qui aduersa impatienti, atque iniquo animo ferunt, inuidiæ plerumque stimulis agitantur, & aduersariorum rebus secundis nonnihil commoti, diuinam prouidentiam accusant, quia videlicet, vt obseruat Beda, plures vident sceleribus coopertos non modo nihil aduersi sustinere, sed omnibus propemodum in rebus, secunda vti fortuna. Etenim hinc potissimum, vt docet Tertullianus [d], ortum ducit impatientia. *Natales*, inquit, *impatientiæ in ipso diabolo, iam tunc, cùm Dominum Deum vniuersa opera, quæ fecisset imagini suæ, id est, homini subiecisse, impatienter tulit; nec enim doluisset, si sustinuisset, nec inuidisset homini, si non doluisset, adeo decepit eum, quia inuiderat, inuiderat autem, quia doluerat, doluerat, quia patienter vtique non tulerat*.

c lib. de patien.

d lib. de pat. c. 5.

II. Sic ferè solent non leuiter indignari, qui cùm malis premantur, improborum felicitatem iniquius ferunt, & nonnunquam Deum tacitè accusant, quos eleganter multis refellit Seneca [e]. *Paternum*, inquit, *Deus habet aduersus bonos viros animum, & illos fortiter amat, & operibus, doloribúsque, ac damnis exagitat, vt verum colligant robur. Contra verò periculosissimam ait esse felicitatem, mouet enim cerebrum, mentémque in vanas imagines euocat, multũ inter falsum, ac verum mediæ caliginis fundit*. Tum subdit; *Quidni satius sit perpetuam infelicitatem, quæ aduocat ad virtutem, sustinere quàm infinitis, at immodicis bonis rumpi?* Plutarchus [f] autem. *Quemadmodum*, ait, *imperitus medici consilium, cur ægrotum non pridem, sed postea inciderit, sine heri, non hodie lauerit, coniicere haud potest; ita & de Deo firmum quid, certúmque asserere non est hominis officium, præter hoc solum, quod ipse tempus optimè nouit, quo malitia medicinam adhiberi conueniat, ac tanquam pharmacum vnicuique præbeat supplicium, quamuis non in ægritudine, mensuráque æqualis, sit tempore vno eadémue omnibus pariter medeatur delictis*.

e lib. de prouid.

f lib. de sera num. vindic.

III. Et post multa de Deo ita loquitur, vt ostendat non impietatis solùm, sed imperitiæ argumentum esse, si quis Deum accuset, quòd improbis interdum benefaciat, contra verò iustos rebus aduersis premat, & diuino iudicio acquiescendum esse docet, cum neque causas, ob quas aliquando improbos tolerare, aliquando verò adhuc deliberantes præuenire satius existimet, mente, & cogitatione comprehendere nequeamus. Huc igitur Iacobi consilium spectat. *Nolite*, ait, *ingemiscere in alterutrum*; quasi dicat. Nolite diuitum felicitati inuidere, aut miseram conditionem vestram acerbius flere, vt non iudicemini. Græcè ἵνα μὴ κατακριθῆτε, hoc est, ne condemnemini.

IV. Neque enim dubitandum est iis grauissimum imminere supplicium, qui occulta Dei iudicia, aut inuestigare se posse confidunt, aut, quod longè deterius est, reprehendere, ac damnare non verentur. Sapienter enim dixit olim Cato [a], in rebus diuinis multum esse caliginis, quòd Pompeio præter ius ægenò fuissent omnia prospera; causam reip. tuenti nihil succederet. Et Dauid [b]. *Iustitia tua*, inquit, *sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa*. Significans nimirum abdita, atque occulta neque inuestiganda, neque vllo modo accusanda esse. Tametsi enim sæpe bonis malè, improbis verò bene est, vtrisque tamen pro meritis præmium, & supplicium in supremo iudicio rependendum est. Quamobrem subdit Iacobus. *Ecce iudex ante ianuam assistit*, quasi dicat, in hac mortali vita non exercet Deus iudicium, nec scelera vlciscitur pro eorum magnitudine, & grauitate, post mortem tamen, præcipuéque in supremo mundi die summo iure bona, malaque expendit. Ita enim apud Dauidem [c] loquitur Deus. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*; hoc est, summa cum iustitia iudicium exercebo. Itaque impij sempiterno supplicio cruciabuntur, contra verò iusti æuo fruentur sempiterno.

a Plutarc. in Cat.

b Psal. 35. 7.

c Psal. 74. 3.

V. Quanquam autem, vt modo dixi, diuinorum iudiciorum ratio abdita est, atque occulta, neque cuiquam inuestiganda est, non tamen quisquam potest existimare hãc rerum perturbationem temerè à Deo permitti, cum & verè, & sapienter, vt aliàs docui, à priscis patribus multæ sint excogitatæ rationes, cur iusti rebus aduersis exerceantur, & impij, atque scelesti prospera, & felicia omnia consequantur. Ait autem Iacobus iudicem ad ianuam assistere; an quia propè iam iudicium immineat? Ita sanè, vt paulo ante monui, loqui solebant veteres Patres: an quia Iudex pro foribus spectet omnia, & singula diligenter expendat, nec quidquam eorum, quæ in terris fiunt, eum latere possit? Hoc mihi quidem longè videtur probabilius, vt iustos soletur Iacobus, & idcircò moneat eorum calamitates nequaquam Deum latere, sed iis parare immortale illud præmium, de quo Paulus [d]. *Quod momentaneum*, inquit, *est, & leue tribulationis nostra in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis non contemplantibus ea, quæ videntur, sed ea, quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna*.

d 2. ad Cor. 4. 17.

VI. Idem verò iudex impiorum scelera intuetur, & quanquam in præsentia dissimulat, supplicij tamen tarditatem grauitate compensabit. Ita enim loquitur ipse Dominus apud Isaiam [e]. *Dominus sicut fortis egredietur, & sicut vir præliator suscitabit zelum, vociferabitur,*

e cap. 42. 13.

clama-

& clamabit, super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul. Quo loco Hieronymus. *Est*, inquit, *sensus, diu vos delinquentes sæpè portaui, sed quia antea tacueram, nequaquam vltra reticebo, & quomodo pariens in lucem profundit infantem, & apertum facit esse, quod prius clausum in visceribus tenebatur, sic ego dolorem meum, & dissimulationem, quam semper habui super sceleribus vestris, nunc profero, & dissipabo vestra consilia.* Itaque quod idem Hieronymus monet, nunc quidem, vt ait Salo-
a Eccles.3.7. mon [a], *tempus est tacendi*: erit aliquando loquendi tempus, iustamque sententiam proferendi.

VII. Eodem ni fallor, spectant Dauidis [b] verba. *Peccatori*
b Psal.49.16. & deinceps. *autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum. Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum; si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti, & tacui, existimasti iniquè, quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Hęc porrò iudicij recordatio est veluti medicamentum aduersus animum scelerum morbos, & iustos quidem in officio continet; improbos à flagitio reuocat. Rectè enim alicubi scri-
c lib. de sera num. vindic. bit Plutarchus [c]. *Quemadmodum Hiena fel, ficaq; coagulum, ac feræ aliæ quamplurimæ aliquid salubre, ægritudinibusq; humanis vtile in se continent, ita quibusdam, qui fræno, animaduersionique indigere videntur, Deus amaritudinem quandam tyranni inexorabilem, vel sæuam principis cuiusdam asperitatem immittit. nec prius ab afflictione, ac perturbatione desistit, quàm ægritudinem omnem expulerit, penitusque morbum purgauerit.* Quamobrem impij, dum iustos premunt, & vexant, meritò comparantur virgæ, qua interdum pater filium cædit, sed eam tamen postmodum in ignem coniicit: non aliter Deus impiorum improbitate iustorum animos perpurgat, sed illam deinceps sempiterno incendio apud inferos cruciat.

10. *Exemplum accipite fratres laboris, & patientiæ Prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini.*]

I. Prophetarum allato exemplo, fideles magis, ac magis confirmat, & ad malorum tolerantiam inflammat: In iis enim, quæ ad mores pertinent, plus ad persuadendum virium habent exempla, quàm rationum
d ep. 11. momenta. Quamobrem sapienter monuit Seneca [d]. *Bonum aliquem eligendum virum, ac semper ante oculos habendum, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia*
e ep. 103. *tanquam illo vidente faciamus.* Et alibi [e]. *Cogita*, inquit, *quantum nobis exempla bona prosint, scies magnorum virorum non minus memoriam, quàm præsentiam esse vtilem.*
f lib. 1. de tranq. vit. c. 3 Denique [f] virtutum exempla cum iis rebus confert, quæ longè, latéque odorem fundunt, nec solùm oblectant, sed etiam prosunt. *Vt salutaria*, inquit, *quæ citra gustum, tactúmque odore proficiunt, ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo, & latens fundit, siue expatiatur, & vtitur suo iure, siue precarios habeat accessus, cogitúrque vela contrahere, siue otiosa, mutaque est, & angustè circumscripta, siue adaperta in quocunque habitu est, prodest. Quid? Tu parum vtile putas exemplum bene quiescentis?*

II. Huc pertinet insignis illa morum mutatio, quam
g in Græcis apophtegm. in Themistocle cōmemorat Plutarchus [g], cum enim adolescens compotationibus, ac mulierum amore teneretur implicitus, postquam Milciades Imperator apud Marathonem barbaros deuicit, nihil visus est præter decorum agere. Interrogatus autem, quæ tam subitæ, ac repentinæ mutationis causa esset, Milciadis, respondit, trophæum non patitur me dormire,

A neque cessare. *Gloria studium*, inquit Plutarchus, *excussit amorem voluptatum clauum vt aiunt clauo.* Ita Paulus [a] Philippenses ad sui imitationem hortatur. *Imi-* a cap.3.17.
tatores, inquit, *mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Græca exemplaria, sicut habetis, inquiunt, formam nos τύπον ἡμᾶς quasi significet, se vita, ac moribus virtutum exemplar præbuisse. Eodémque modo accipio, quod Petrus [b] Apostolus Episcopis præcipit. *Neque* b ep.1 cap.5.3.
vt dominantes, inquit, *in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Græcè ἀλλὰ τύποι γινόμενοι quasi dicat, exemplaria gregis vestri. Nec dubitandum est eodem spectasse Christum Dominum, cum apud Matthæum [c] c cap.5.16.
B dixit. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Hoc enim, vt ait Ambrosius [d], pertinet ad per- d Luc. 3.
fectam iustitiam, *vt quod alterum facere velis, prior ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo.*

Ita olim [e] Abimelech arrepta securi præcidit arbo- III.
ris ramum, impositúmque ferens humero dixit ad so- e Iud.c.9.48
cios, *quod me videtis facere, citò facite.* Eodem modo loquitur auctor [f] imperfecti. *Factis enim*, inquit, *prius-* f hom. 4. in Matth.
quam verbis præcepta implenda, id enim optimi magistri munus est, vt enim scribit Bernardus [g]. *Validior est ope-* g ser 59. Cāt.
ris, quàm oris vox; fac, vt loqueris, & non solum me facilius emendas sed te quoque non leui liberas probro. Non iam
C *pertimebis ad te, si quis dicat, quod est apud Matthæum* [h], h cap.23.4.
alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere: sed neque illud verearis oportet, quod est apud Paulum [i], i ad Rom.2.
Tu qui alios doces, te ipsum non doces? Et in eamdem sententiam Chrysologus [k]. *Magister verus*, inquit, k ser. 167.
quod verbo asserit, demonstrat exemplo, magisterium stat de scientia, sed magisterij auctoritas constat è vita. docenda faciens obedientem perficit auditorem. Quam ob causam rectè Chrysostomus præsulem citharæ similem dicit operum, verborumque consonantia præclarum. *Hic* inquit, *velut musicus optimus auream citharam modulatus, sonorum consonantia vniuersum excitat theatrum. Hinc*, addit, *non sonitum, sed consonantia verborum, consonantia operum plurimam nobis affert vtilitatem.*

Quæ cum ita sint sanctorum prophetarum exem- IV.
pla spectanda monet Iacobus. Nam vt scribit Beatus
D Gregorius [l], *cognitioni hominum diuina dispensatio quos* l Præfa. mor. cap.6.
iustos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras cælum misit. Et alibi [m]. *Narrat*, inquit, *scriptura gesta* m lib. mor. 2. c.1.
sanctorum, & ad imitationem corda prouocat infirmorum, dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra cōfirmat. Neque aliter Bernardus [n]. *Semper*, inquit, *fuit operæpretium sanctorū scribere* n in præfa. vit. S. Malach.
illustres vitas, vt sint in speculum, & exemplū, ac quoddam velut condimentum vitæ hominū super terrā. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem viuunt, multosq; ex iis, qui viuentes mortui sunt, ad veram prouocant, & reuocant vitam. Prophetas igitur patientiæ documenta dedisse Paulus apertè docet [o]. *Alij verò*, inquit, *ludi-* o ad Heb.11.36.
bria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui
E *sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Exemplum igitur ait accipite laboris, & patientiæ, Græcè κακοπαθείας hoc est vexationis, & afflictionis; multa enim illi non modo forti, & constanti, sed hilari animo pertulerunt, quod deinde in noui Testamenti martyribus luculentius cernitur.

Certè Dauid [p], *pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini* V.
mors sanctorum eius. Pretiosa porrò mors, ait Cypria- p Ps.115.15.
nus [q], *quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ* q ep. 12.
accepit coronam de cōsummatione virtutis. κακοπαθεία igitur laborē, vexationē, afflictionémque significat, eorū

præsertim, qui effuso sanguine mortalitatem exoerũt, qoales fuerunt Abel, Isaias, Hieremias, Zacharias, de quibus in Euangelio Christus Dominus. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, &c. vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Baracchiæ, quem occidistis inter templum, & altare.* Addit, & patientiæ, Græcè μακροθυμίας quam potissimùm suadere nitebatur. Denique Prophetas eos nominat, *qui loquuti sunt,* inquit, *in nomine Domini.* Veros videlicet Prophetas intelligens, qui diuino spiritu afflati quę cęteris agenda proponebant, reipsa, & moribus exprimebant. Et quidem meritò hos potissimũ spectandos proponit, hos enim etiam Sapiens imitandos docet [a]. *Laudemus,* inquit, *viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.* Paulo autem post, cum eorum doctrinam prudentiámque laudasset, subdit [b], *homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes.* Et Paulus [c]. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.*

a Eccle 44. 1
b vers. 6.
c ad Heb. 13. 7.

11. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt, sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator.*]

I. Quid attinet, inquit, miris eos laudibus celebrare, atque in cœlum tollere, qui fortiter, ac strenuè tolerarunt aduersa, si eos pigeat imitari? Certè non frustra eorum constantia, atque animi magnitudo in sacris literis commemoratur. Nam vt ait Clemens Alexandrinos [d] in vtramque partem plorimùm valẽt exempla, & vt scribit B. Gregorius [e], *ad spiritum immouandum valdè exempla patrum, & sacri eloquij præcepta nos adiuuare; si enim, ait, sanctorum opera inspicimus, & diuinis iussionibus aurem præbemus, alia nos contemplata, alia audita succedunt, & cor nostrũ torpore non constringitur, dum imitatione prouocatur.* Quò pertinere putat pręceptum illud, quo in Leuitico [f] præcipitur, ignẽ in altari semper ardere, & quotidianis lignis Sacerdotis opera quotidie foueri. *Sacerdos ergo,* inqoit, *in altari ignem nutriẽs quotidie ligna subiciat,* id est, *fidelis quisque ne in eo caritatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium, quàm sacra Scriptura testimonia congerere non desistat; nam quasi quadã fomẽta igni dare est in excitatione caritatis, vel exempla patrum, vel præcepta dominica ministrare; quia etenim interna nouitas nostra ipsa quotidie huius vitæ conuersatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est, vt dum per visum se nostra vetustatis extenuat, per Patrum testimonia, & exempla renouescat.*

d libr. 3. pedag. c. 8.
e li. 23. mor. c. 7.
f cap. 6.

II. Et post nonnulla. *Ignis enim iste in altari Domini, id est, in corde nostro citius extinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrũ, & dominicis testimonijs reparetur.* Et multa deinceps. Et alibi [g] allatis Dauidis [h] verbis. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Qui enim,* inqoit, *orientẽ solem contemplari nõn valet, irradiatos montes aspicit, & quia sol ortus sit, deprehendit. Ex æternis ergo montibus nos Deus illuminat, quia per admiratam vitam patrũ præcedentium radijs nos suæ claritatis illustrat.* Postmodum verò ex veteri, ac nouo Testamento omniũ penè virtutum exempla profert. Rursus [i] explicans verba illa Iob. *Vel quis tetendit super eam lineam; super hanc enim, ait, terram linea tenditur, quando electa vniuscuiusque anima ad sumendam viuendi regulam patrum præcedentium exempla monstrantur, vt ex illorum vita consideret, quid in suis actibus seruet.* Denique alibi [k]. *In scriptura, ait, inuenimus prædicamenta operis, & exempla virtutis, ibi iubetur quid agere etiam corporaliter debemus, ibi hoc, quod ad operandum præcipitur in sanctorum virorum, ac fortium actione monstratur.* Et post pauca. *Cum illa præcedentes iustos fortiter egisse cognoscimus, & ipsi ad fortitudinem bona operationis accingimur, sanctorum exemplorum flamma animus legentis incenditur, videt quia fortia ab eis facta sunt, & valde indignatur sibi, quia talia non imitatur.*

g li. 29. mor. c. 6. aliàs 5.
h Psal. 75. 5.
i li. 28. mor. c. 31. aliàs 6.
k ho. 15. in Ezech.

III. Eodem pertinent quæ loculenter scribit Chrysostomus [a], se enim ait non nudis rationibus in medium allatis, sed etiam exemplis propositis ad virtutis studium auditores inflammare. Mox verò singulatũ virtutum exempla proponenda docet; & ne cuncta, quę ad hunc locum pertinent, curiosiùs persequar, adnciam tantùm elegantissima Gregorij verba, qui vt solet, ad morum disciplinam referens; quod olim Sacerdoti præceptum erat, *Vt patriarcharum nomina in pectore gestaret, adscriptos,* inquit, *patres semper in pectore ferre; est antiquorũ vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur; cum sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit ne extra ordinis limitem operis pedem teneat.* Sæpe enim, vt est hominum natura blanda conciliatrix, & quasi lena, sibi plurimi persuadẽt quædã humanis esse viribus maiora, nec posse in hac imbecillitate, mortalitatéque naturæ præstari, sed ex suo ingenio, atque ægritudine cæteros fingunt, qoos eleganter alicubi [c] perstringit Gregorius Nazianzenus, sic enim cecinit.

a orat. 6. non lõgè à princ. tom. 5.
b 2 par. pas. c. 2.
c in præcep. ad Virg.

Hi fieri non posse putant, vt carne simules
Fulgeat, expendunt proprijs qui sordibus omnes.
Ast ægri est oculi migrantia cernere cœli
Sydera. sic tellus quamuis immota quiescat,
Voluitur ipsa tamen cæca vertigine capitis.

IV. Quamobrem cùm mira quædam aliorum dicta, factáve leguntur, sapienter monet Plotarchus [d], *non esse eis abrogandã, aut infirmandã fidẽ, sed cum admiratione, æmulatione, afflatu quasi numinis aliquo periculũ faciẽdũ, & specimen capiendũ in minoribus ad maiora sui ipsius non meditanda fuga, neque curã abijciendã animi sui neque vagandũ.* Prudenter enim illud est à Cassiano [e] obseruatũ, exempla imitationis, ac vitæ perfectæ à paucis, imò ab vno, vel duobus, nõ à pluribus desumẽda esse.

d de anim. tranq.
e li. 4. de instit. renunc. c. 40.

V. Loqoitur autem Iacobus præcipuè de patientiæ exemplis. *Ecce,* inquit, *beatificamus eos, qui sustinuerunt.* Græcè μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας beatos ducimus, aut prædicamus eos, qui sustinent, aut tolerant aduersa, de quibus loquitur Paulus [f] his omninò verbis. *Ideóque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Et mox spectandum maximè docet exemplum Christi, atque ait. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Beatificamus autem dixit, hoc est felices, ac beatos ducimus, & oratione prædicamus, siue qoia eos iam beata vita, æuóque sempiterno perfrui non dubitamus, siue quia eorum actiones, præcipuéque constantiam, animi magnitudinem, denique patientiam, eximias quasdam virtutes, & immortalitate, ac beatitate dignas censemus.

f ad Hebr. 12. in princ.

VI. Nam etiam Stoici sapientem, ac virtute præditũ solùm beatum prædicabant; de quo Seneca [g]: *Si vis vtique,* inquit, *verborum ambiguitates diducere, hoc nos doce, beatum eũ non esse, quem vulgus appellat, ad quẽ pecunia magna confluxit, sed illud cui bonum omne in animo est erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se commutatum vellet, qui hominem ea sola parte existimat, qua homo est, qui natura magistra vtitur, ad illius leges componitur, sic viuit, quemadmodum illa præscripsit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit, certus iudicij, inconcussus, intrepidus,*

g ep. 45. similia ep. 93. vbi fusissimè de bonorum felicitate disserit.

metu

quem aliena vis mouet, nulla perturbat. quem fortuna cum in eum quod habuit, telum nocentissimum vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat, & hoc rarò. Ita Christus apud Matthæum [a], beatos esse eos dixit, qui multa aduersa tolerant. *Beati, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.*

a cap. 5. 10.

VII. Quam quidem sententiam, vt obseruauit Chrysostomus [b], propterea extremo loco protulit Christus, quòd oporteat eum, qui aduersa toleraturus sit, iis omnibus virtutibus esse ornatum, quæ antea enumeratæ sunt, & patientiam voluit in ea, veluti aureæ catenæ extremum esse anulum, quam ob causam Paulus [c] gloriari se dicit in tribulationibus, Apostoli in Actis Apostolicis [d], *ibant gaudentes à conspectu concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et Petrus [e]. *Communicantes Christi passionibus gaudete.* Et Christus ipse [f]. *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis; sic enim persequuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos.* Quamobrem de Beato Andrea scribit Bernardus [g]. *Non modo patienter, sed & libenter, verum & ardenter ad tormenta, sicut ad ornamenta, ad pœnas sicut ad delicias beatus Andreas properabat.* Et de Agatha Virgine canit Ecclesia. *Agatha lætissimè, & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata agonem suum Domino precibus commendabat.*

b hom. 15 in Matt.
c ad Ro. 5. 3.
d cap. 5. 41.
e cp 1. 4. 13
f Mat. 5. 11.
g ser. de tripl gen. bon.

VIII. Mors porrò ipsa, quæ malorum omnium extremum putatur, cum sit, vt ait Augustinus [h], *pœna nascentis, si pro iustitia pietateque pendatur, fit gloria renascentis.* Piget in præsentia gentilium exempla proferre, qui acerbissimos cruciatus fortiter pertulerunt, quos eleganter attingit Tertullianus [i], qui bene longam orationem ita concludit. *Tanti vitreum? quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?*

h lib. 13. de ciuit. c. 6.
i lib. ad Martyr. c. 3. & deinceps.

IX. *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.* Egregiè; cum enim de patientia agat, Iobi patientiam cõmemorat, tanquã eximiũ, ac præclarũ eius virtutis exemplum, quippe qui inde patientissimi cognomen adeptus sit. Passus est enim bonorum omnium, & filiorum iacturam acerbissimis corporis cruciatibus, doloribusque affectus, vlceribus plenus saniē toto corpore manabat. Et præterea vxor importuna, & amici pro eo, vt illũ solarentur, acerbius molesta oratione pungebant. Denique liber Iob plenus est calamitatibus, quibus vir ille sanctissimus miris modis animo, & corpore cruciabatur. Ita in libro Tobiæ [k] exemplum patientiæ proponitur. *Vt posteris*, inquit, *daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.*

k cap. 2. 12.

X. Ita fit, vt minimè ferenda sit eorum sententia, qui Iobi historiam non veram rei prætéritæ narrationem, sed parabolã, & veluti paradigma fuisse putant, quem fuisse Hebræorũ errorem viri [l] docti affirmãt, qui negãt hac de re vlla ratione dubitãdũ esse, cũ sacræ literæ tanquã verã historiã eã proponant, nec dubitandũ sit Iobũ verè inter mortales vixisse, & mira sanctitatis ac præcipuè patientiæ documenta dedisse. Ita enim loquitur Ezechiel [m]. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Idéque paulo [n] post repetit, vt quemadmodũ nemo dubitat Noe, & Danielẽ verè homines fuisse, ita de Iobo idem planè existimandũ sit. Accedit quòd in libro Tobiæ, vt paulo ante dixi, Tobias patiẽtiæ exẽplum fuisse dicitur, non aliter ac Iob, vt quod de Tobia affirmamus, verè illum aliquando vixisse, idem de Iobo inficiari nefas videatur. Hoc enim modo argumẽtatur Chrysostomus [o], vt probet verum fuisse Lazarũ. *Vbi dicitur*, inquit, *Abraham, & Propheta, & Lazarus, & Moses, si verus est Abrahã, verus est Lazarus, neq;*

l D. Tho. in Ioh. Lyran. ibid. c. 2. et. ibid. Sixtus Senen lib. 8 hær 10. Bel larm. lib. 1 de Ver. Dei. c. 5.
m cap. 14. 14
n vers. 20.
o ho. de diuit. tom. 2.

A *enim vmbræ corpori, & mẽdacium potest cõgruere veritati.*

XI. Sic etiam Iacobus in præsentia Iobi historiam tanquam rem verè gestam cõmemorat; cũ præsertim, vt sapienter obseruatur à Chrysostomo [a] in parabolis propria virorũ nomina non exprimiantur. Quo modo etiã loquitur Tertullianus [b]. *Si nomina* inquit, *ab illis sunt rerum, vt nihil eorũ in parabola comprimi possit, nec eã in parabolis comprimantur, atque ita corporalia defendentur, vt corporalibus destinata, id est, nõ spiritualia, quia non figurata.* In Iobi autem narratione non modo ipsius nomen exprimitur, dicitúrque vir nomine Iob, vt Origenes, & Chrysostomus obseruant, sed ipsæ etiam amicorum, atque vrbium propriæ appellationes indicantur. Neque mirum videri debet Iosephum He- B bræorum historicum Iobum ne nominasse quidem; homo enim Iudæus rerum suarum gloriosus prædicator alienum ab instituto suo existimauit alienę gentis res gestas attingere, vt nihil dicam alia multa in eo desiderari, quæ ad sacras historias pertinent.

a ho. de diuit.
b li. de resur. car. c. 33.

XII. Certè Origenes auctor est Iobi historiam primùm apud Syros, deinde apud Ægyptios, postmodũ ad vniuersas penè gẽtes Syriacè, Hebraicè, Græcè, omnibus deniq; linguis fuisse vulgatã. Non inficior tamẽ, quæ de Angelorũ Cõcilio, cui etiã interfuit Satã, ipso statim primo capite Iobi recensentur, visa fuisse nonnullis [c] figurã necessario inuoluere, hoc est, prosopopœiã, aut potius, mimesim, hoc est, veratũ personarũ, ac verborũ imitationẽ; quæ si admittatur sententia, nõ C propterea omnis Iobi narratio tropis, ac figuris inuoluenda erit. Neque enim si cuiuspiã narrationis particula metaphoricè accipienda est, aut impropriè, eadem figura, & metaphora vbique retinenda erit.

c Origen. Gregor. Saluian. Philip. presbyt. D. Tho. Caiet. aliiq; recent.

XIII. Addo, quòd plerique volunt, eam fuisse visionem quandam imaginum, quæ cogitationi, & phantasiæ obijcerentur, ei persimilem, quæ in libris [d] Regum describitur, quam se Micheas vidisse testatur, quæ est sententia Polychronij, qui persimilem visionem affert Zachariæ [e] indicatam. Denique non video, cur non potuerint Angeli, non quidem corporeo motu, aut corporea colloquutione in vnum veluti senatum conuenire, & suis illis angelicis linguis colloqui, quas alicubi commemorat Paulus. Certum enim est, posse Angelos certo cuipiam loco, sese præsentes sistere; neque id Dæmoni, Deo præsertim permittẽte, denegandũ est. Certè Athanasius, aut quicũque est auctor D earum quæstionũ, quæ ipsius nomen præferunt, Antiocho nescio cui dicatæ, hac de re hunc in modum scribit [f]. *Cum ex cælo diabolus prolapsus sit, quomodo scriptum est in libro Iob, quod ingressi sint Angeli Dei, vt starent in conspectu Domini, & diabolus in medio eorum.*

d lib. 3. c. 22.
e cap. 3. Zac.
f quæst. 8.

XIV. Mox autem respondens ait. *Non dicit scriptura, quod in cælis diabolus venerit in mediũ Angelorum. Manifestũ igitur est, quod in terra. Etenim vbicũque sunt Angeli, adstat Deus, verùm sciendũ est, quod per sanctum aliquem Angelum diabolo Deus est loquutus, quemadmodum etiam Reges per hominem aliquem intermedium suum alloquuntur aduersarium.* Veram autem Dæmonis præsentiam agnouisse videtur Gregorius Nazianzenus, qui de eo alicubi in hunc modum scribit. *O impudentiam eius,* E *qui talia audeat, iam inde à principio in paradisum ille contra figmentum irrepserat, nunc quoque inter Angelos medius consistit, vt Iobum ad supplicium deposcat.*

XV. Neq; aliter sensisse videtur Cæsarius [g], cũ enim quæreret, quomodo venerint Angeli Dei, & in medio eorũ diabolus Iobũ sibi vexãdũ deposcẽs. *Nõ quod*, inquit, *possit in cælos ascẽdere, quis inde præcipitatus est ob furorẽ suũ diabolus, aut cũ Angelis ad Deũ accedere, aut vlla ex parte supracælorũ circũferentiã venire, hoc ita perscriptũ est, sed quia diuina natura quãtitatis, & magnitudinis expers, & incõprehẽsibilis vbiq; præsẽs sit, & omnia impleat. Nã Deus noster in cælo est, & in terra, & in omnibus abyssis, &c.*

g Dial. 1. Eodem modo loquitur Anast. N c. o. q. 31. in scriptur.

XVI. Olympiodorus autem. *Angelos ait, cum diabolo disceptando sermocinari, ex iis, quæ apud Zachariam leguntur, perspicuum fieri potest, sic enim Angelus diabolo. Imperet tibi Dominus, &c. Tum ex epistolis Catholicis, cum Michael contenderet de Mosis corpore cum diabolo &c. Itaque existimare possumus Angelum quempiam diuina mandata exhaurientem cum diabolo colloquutum esse, neque enim suo sermone dignatur Deus diabolum.* Verùm quoque dæmonis præsentiam agnouisse videtur Lactantius, qui in hunc modum alicubi [a] scribit. *De se ille mentitus est, qui cum sit è numero dæmonum Angelis se Dei aggregauit.* Denique Augustinus [b], cum quæreret cur Satan cum Angelis venisse dicatur, ita ferè respondet. *Nunquid quia nisi per illos audire non poterat?*

a lib. 2. c. 10.
b in adnot. in Iob.

XVII. *Sufferentiam* ergo ait, *Iob audistis*, quam ex Scriptura sacra cognoscere potuerunt; addit. *Et finem Domini vidistis*; quod quidem non eodem modo accipitur ab omnibus. Sunt enim, qui ad eundem Iobum referant, perinde quasi Iacobus dicat, Audistis patientiam Iobi, indeque cognoscere potuistis, quoniam consilio Deus immortalis eum tam multis malis, tamque diris cruciatibus affici passus sit, nimirum hunc in finem eum diabolo vexandum, atque exagitandum permisit, vt illius constantia, atque animi magnitudo illustrior appareret, quo deinde pluribus, atque amplioribus beneficiis diuinitus afficeretur, vt Domini finis nihil aliud sit, nisi ea felicitas, quæ extremam Iobi calamitatem consequuta est, cui quidem explanationi mirum in modum fauent, quæ mox subiiciuntur. *Quoniam misericors*, inquit, *Dominus est, & miserator.*

XVIII. • Vidistis, inquit, quàm amplè diuinæ misericordiæ fontes Iobo patuerint; verè namque dixit olim Sara iunioris Tobiæ [c] vxor. *Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillũ facis, & post lacrymationem, & fletum exultationem infundis.* Et in libro Iob verè dixit Eliphaz [d] Temanites. *Ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt.* Verùm hãc interpretationem non semel reprehẽdit Augustinus, existimátque omninò Iacobi verba ad Christi anastasim esse referenda, quasi dicat Iacobus, sufferentiã Iob audistis, ex lectione videlicet, auditionéve sacrarum literarum; finẽ verò Domini vidistis, quia Christum Dominum cruci affixum, & rediuiuum ad superos remeasse, vestris propemodum oculis vidistis ipsi.

c cap. 3. c. 22.
d cap. 5. 18.

XIX. Ita autem alicubi [e] scribit. *Et ideo quòd ait Scriptura diuina exhortando ad patientiã, & spem futurorum, non mercedem præsentium. Patientia Iob audistis, & finem Domini vidistis. Quare patientiam Iob, & finẽ ipsius Domini vidistis? Fauces aperires ad dupla, diceres. Deo gratias; sustinea, duplũ recipia, sicut Iob. patientia Iob. finẽ Domini. Patientiã Iob nouimus, & finẽ Domini nouimus. Quem finem Domini? Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti? Verba sunt Domini pendẽtis in ligno, quasi reliquit illũ ad præsentẽ felicitatẽ, sed non eũ reliquit ad æternã immortalitatem, ibi est finis Domini. Tenent Iudæi, insultant Iudæi, ligant Iudæi, spinis coronant, sputis dehonestant, flagellant, opprobriis obruunt, ligno suspendunt, lancea fodiunt, postremo sepeliunt, quasi relictus est. Sed quibus illis insultantibus. Ideo ergo habeto patientiam, vt resurgas, & non moriaris, id est, nunquam moriaris sicut Christus.*

e lib. 2. de symb. ad catechum. c. 3. to. 9.

XX. Itaque existimauit Augustinus, ita Iacobum hortari ad patientiam, vt nihil tamen mortale, aut caducum spectari velit, ac propterea negat finem Domini de Iobi patientia accipiendum esse, qui eorum omnium, quibus fuerat spoliatus, diuina munificentia, ac liberalitate dupla consequutus est. Et idcircò eadem de re ad Honoratum in hunc modum scribit [f]. *Sustinentiam*, inquit, *Iob audistis, & finem Domini vidistis, ne ideo patienter sustinerent temporalia mala, vt sibi hæc restituerentur, quod recepisse legimus Iob.* Et aliquanto post. *Vt ergo non tamen remunerationem sperarent, quando mala temporalia paterentur, non ait sustinentiam, & finem Iob audistis, sed ait sustinentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Tanquam diceret, mala temporalia sicut Iob sustinete, sed pro hac sustinentia non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potius, quæ in Domino præcesserunt.*

f ep. 120. c. 10

XXI. Nec abnuerim hanc Augustini sententiam ipsius ingenio dignam, & admodum probabilem videri, cum de Iobi patientia dicat Iacobus, *sufferentiam Iob audistis.* Nec enim eam, quæ tot ante sæcula præcesserat, videre potuerant Iudæi, ad quos Iacobus hanc epistolam scripsit; quia tamen non pauci ex iis Christum Dominum præsentem intueri potuerant, rectè dixit. *Finem Domini vidistis.* Cæterum tametsi Augustini auctoritas semper apud me plurimùm valuit, nonnulla tamen sunt, quæ huic ipsius explanationi non mediocriter videntur repugnare; Quod enim sequitur; *quoniam misericors Dominus est, & miserator.* non ita propriè Christi anastasi, eiusque diuinæ gloriæ aptari potest, quandoquidem illa Christo Domino non tam ex liberalitate, ac misericordia concessa est quàm summo iustitiæ iure tributa.

XXII. Hoc enim ipse significare visus est, cùm apud Lucam dixit [a]. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et post nonnulla [b]. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia.* Idque apertius indicauit Paulus Apostolus, qui gloriam resurgentis, & nominis claritudinem, & celebritatem; humilitatis Christi præmium fuisse scribit [c]. *Humiliauit*, inquit, *semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Verè namque non semel dixerat Christus. *Qui se exaltat humiliabitur, qui se humiliat exaltabitur.* Contra verò si de Iobi patientia accipias, quicquid ille post exploratam patientiam diuinitùs adeptus est, eximiæ, planéque diuinæ beneficentiæ, ac misericordiæ beneficium fuit. Adde, quòd non ita Christi exemplum cum superioribus cohæret, dixerat enim. *Exemplum accipite fratres laboris, & patientiæ Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini.* Itemque. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.*

a cap. 24. 26.
b vers. 46.
c ad Philip. 2. 8.

XXIII. Quod si cui siue Augustini auctoritas potior, siue eius explanatio aptior, congruentiórque videatur, equidem nolim pugnantius reluctari. Potuit enim Iacobus post Prophetas, & virum sanctissimum Iobum etiam Domini patientiã imitandã proponere, vberrimo præsertim eius fructu proposito, qui non huius mortalitatis terminis clauditur, sed in omnem æternitatem perseuerat. Sic enim fecit etiam Petrus, qui alicubi [d] dixit. *Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Et alibi [e]. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

d ep. 1. c. 4. in princ.
e ep. ead. 2. 21.

XXIV. Neq; obsistit, quòd Christi gloria, quę illi ex iustitia debebatur, misericordię, ac munificentię tribuatur; vt enim immortalis, ac beata vita, quæ est iustorũ merces, ac præmiũ, gratiæ beneficiũ vocatur, quòd omnia merita nostra à gratia ortũ ducant, non aliter Christi gloria, quãuis humanæ ipsius naturæ ex iustitia reddenda esset, vis tamen omnis merendi inde manabat, quòd eius humana natura increata gratia prædita esset, & incredibili quodam diuinæ liberalitatis munere hypostasi Verbi coniuncta esset. Quò fortassè spectauit Iacobus, qui Græcè dixit πολύσπλαγχνός ἐστιν ὁ κύριος. Quoniam inquit valdè misericors est Dominus; ipsa enim incarnatio Christi magna quædã, planéque admirabilis misericordia fuit, de qua Dauid [f]. *Miserere mei*, inquit, *Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationũ tuarũ.*

f Psal. 50. 1.

XXV. Et Paulus [g]. *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti,*

g ad Tit. 3. 5.

A *sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum.* Potuit igitur Iacobus Domini finem diuinæ misericordiæ, ac liberalitati adscribere. Nam & Dauid diuinæ misericordiæ tribuit quicquid Deus in rebus humanis diuina iustitia seu potentia

a Psal.135.4. efficit [a]. *Qui facit*, inquit, *mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia eius.* Siue igitur finem Domini ad Iobum, siue ad Christum Dominum referas, rectè subijcit Iacobus. *Quoniam misericors Dominus est, & miserator.* Misericors autem dicitur Deus quasi facultate, & habitu, miserator autem, quia re ipsa misericordiam exercet.

12. *Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis.*]

B

I. Alia nunc horum præcepta tradit Apostolus, præcipuè autem de iureiurando agit; videtur autem allu-

b cap 5.34. dere ad Christi præceptum, qui apud Matthæum [b] hunc in modum loquitur. *Ego autem dico vobis non iurare omnino neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius, neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni Regis, neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.* Vt videatur Iacobus eadem propemodum Christi verba expressisse. Neque verò existimandum est, quòd imperi-

c Anabaptistæ. tè docuerunt nonnulli [c], iusiurandum esse per se, ac suapte natura malum, cum sanctissimorum virorum exempla perspicuè doceant, posse interdum laudabiliter iusiurandum vsurpari; nam in veteri quidem te-

d Genes.42.15. stamento Ioseph [d], *per salutem Pharaonis* iurat. Dauid

e 3.Reg.1.29. iurauit, & ait [e]. *Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quia sicut iuraui tibi per Dominum Deum Israel dicens. Salomon filius tuus regnabit post me, &c.*

II. Quin etiā Eliseus iurauit [f] se à Naaman Syroni-

f 4.Reg.5.16. hil accepturum. In nouo autem Testamento Paulus Apostolus sæpè iurasse legitur: nam ad Romanos [g].

g cap.1.9. *Testis enim mihi est Deus.* Et ad Corinthios [h]. *Testem*

h ep.2.c.1.23. *Deum inuoco in animam meam.* Ad Philippenses [i] ve-

i cap.1.8. rò. *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes*

k epist.89.9. & 14. ser. 3. de ver. Apost. *vos in visceribus Iesu Christi.* Et Augustinus [k] illa etiam

D

putat ad iurandi formam pertinere, quæ scribit ad

l 1.Cor.15.31. Corinthios [l]. *Quotidiè morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.* In epi-

m cap.6.16. stola autem ad Hebræos [m]. *Omnis*, inquit, *controuersiæ finis ad confirmationem est iuramentum.* Quin etiam

n cap.10.6. Angelus in Apocalypsi [n] iurauit, *per viuentem in sæcu-*

o Psal.109.4. *la sæculorum.* Et Deus ipse iurasse dicitur [o]. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Et apud Lucam [p] Zacha-

p cap.1.73. rias ait. *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem*

q cap.22.16. *nostrum daturum se nobis.* Et in libro Geneseos [q] per

r cap 6.13. semetipsum iurauit Deus Abrahæ, vt etiam ad Hebræos [r] obseruauit Apostolus. Cur ergo Christus ait, *non iurare omnino*, & Iacobus *Ante omnia autem fratres mei nolite iurare?* An excipi necesse est necessitatem, vel ingentem etiam vtilitatem?

III. Certè Augustinus iurisiurandi frequentiam à Christo Domino prohiberi existimat. Ita enim alicubi

f ep.89.q.5. scribit [f]. *Non est peccatum verum iurare, sed grauissimum peccatum est falsum iurare, quo citius cadit, qui consueuit*

t ep.154. *iurare.* Et alibi [t]. *Noluit*, inquit, *iurare omnino, propterea mihi dictum videtur, non quia verum iurare peccatum est, sed quia peierare immane peccatum est, à quo nos longè*

u lib. 1. de ser. Dom. in monte. *esse voluit, qui omnino, ne iuremus admonuit.* Rursus [u]. *Ita ergo præcepisse Dominum intelligitur, ne iuretur, ne quisquam sicut bonum appetat iusiurandum, & assidui-*

tate iurandi ad periurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrænet se quantum potest, vt non ea vtatur, nisi necessitas cogat, videlicet cum videt pigros esse homines ad credendum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmetur. Denique alibi [a]. *Non*

a Serm. 28. alias 30. de ver. Apost. Vide Innocen. 3. c. & si Christ. de iureiur. & D. Thom. 2.2.q.89.a.5.

vobis dicimus, nos non iurare, si enim hoc dicimus, mentimur, quantum ad me pertinet, iuro, sed quantum mihi videtur magna necessitate compulsus, cum videro, non mihi credi, nisi faciam, & ei, qui mihi non credit, non expedire, quòd non credit. Sic etiam simpliciter in decalogo præcipitur; Non occides, cum tamen principibus, ac magistratibus citra vllam dubitationem liceat sceleltos, ac facinorosos, reipublicæ præsertim noxios de medio tollere.

IV. Ac iusiurandum quidem si ritè vsurpetur, ad religionem pertinet, vt enim scribit Hieronymus [b]. b Matth.5.

Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat. Quocirca apud Hieremiam [c]. ait Dominus. c cap.4.2.

Et iurabis, viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia, & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. Verùm quoniam tarò accidit, vt ritè iusiurandum adhibeatur, cum lingua in vdo posita facilè in periurium labi possit, optimè ait Christus, non esse omnino iurandum. Et Iacobus, *Ante omnia aut, fratres mei nolite iurare.* Eamdem enim ob causam dixit Sapiens [d]. *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Et quod magis d Eccles.23.9.

C

mirandum est, Isocrates [e] sapienter negauit adhiben- e apud Stobæu ser.25.

dum esse iusiurandum, nisi necessitas cogat, vel sua nostra, vel amicorum salus in discrimen vocetur.

Et Plutarchus [f], cùm quæreret, cur iubeantur pue- f In Probl.

ri, per Herculem iurare non in tecto, sed sub dio, id ait, propterea fieri, ne temerè pueri deierare assuescant. Sic enim Phauorinus aiebat, de industria enim moram illam induci, vt deliberandi spatium præbeat. Quamobrem D. Thomas sequutus Augustini [g] sententiam, negat iuramentum inter ea g 2.2.q.89.a.5.

recenseri, quæ per se sunt appetenda, sed inter ea, quæ sunt huic imbecillitati naturæ necessaria.

V. Quæstione interpretor, quod scribit Hieronymus [h], iusiurandum hactenus fuisse permissum, h Hier.4.& in Matth.

vt Deo, & nō dæmonibus adhiberetur. Neque enim existimandum est, censuisse Hieronymum iuramentum esse per se malum, sed ideo, permissum esse dixit, quod non esset, vt dictum est, propter periurij periculum temere vsurpandum; quod apertissimè docuit Augustinus [i]. *Non est*, inquit, *contra præceptum* i in epist. ad Gal c.1.

iurare, quæ à malo est non iurantis, sed incredulitatis eius cui iurare cogitur. Nam hinc intelligitur ita Dominum prohibuisse à iurando, vt quantum in ipso est, quisque non iuret, quod multi faciunt in ore habentes iurationem tanquam magnum aut suaue aliquid. Et Isidorus [k]. k lib.2. sentent. c.1.

Non est contra Dei præceptum iurare, sed dum iurando vsum facimus, periurij crimen incurrimus.

VI. Addit Iacobus, *neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum.* Sic etiam dixerat Christus. *Neque per cœlum*, inquit; *quia thronus Dei est, neque per terram, &c.* Quo loco obseruat

E

Hieronymus non prohibuisse Christum, ne iuremus per Deum, quasi Iudæorum superstitionem reprehenderet, *qui per Angelos, & vrbem Hierusalem, & templum, & elementa iurantes creaturas, resque carnales venerabantur honore, & obsequio Dei.* Eodemque modo locum illum explicat Hilarius. *Superstitionem enim, ait, contumacia veteris condemnat. His enim elementorum nominibus Iudæis erat religio iurare, & cæli, & terræ, Hierusalem, & capitis sui, quibus in contumeliam Dei sacramento venerationem deferebant.*

VII. Melius, vt arbitror, Augustinus [l], falsam Iudæorum opinio l lib 1.de ser. Dom. in mō.

A opinionem damnari ait, qui iuramenta per res creatas vi, atque auctoritate carere opinabantur. *Quaeri potest*, inquit, *cum diceretur non iurare omninò; cur additum sit, neque per cælum, neque per terram, &c.* Illicò autem respondens subdit. *Credo propterea, quia non putabant Iudæi se teneri iureiurando, si per ista iurassent. Et quoniam audierant, reddes autem Domino iusiurandum tuum, non se putabant Domino debere iusiurandum, si per cælum, aut terram, aut per Hierosolymam, aut per caput suum iurarent.* Fateor tamen non planè constare, vtrum vniuersim iuramenta omnia per res creatas adhibita censerent Iudæi, auctoritate carere. Certè apud Matthæum [a] reprehenduntur, quòd dicerent, *Quicumque iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debet; & quicumque iurauerit in altari, nihil est, quicumque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet.* B Crediderim Christum Dominum simpliciter iuramentum prohibere, exprimere autem iuramentum per res creatas, quod minus est, vt inde intelligatur, multo magis prohiberi iuramentum per Deum, quod est longè maius.

a cap. 23. 16.

VIII. Et Iacobus quidem amplissimè omne iuramentum complexus est, cùm dixit. *Neque aliud quodcumque iuramentum.* Cur autem neque per cælum, neque per terram iurandum sit, rationem affert Christus, *quia cælum* inquit, *thronus Dei est, terra autem scabellum pedum eius*; cum potius inde colligatur rectè per eas res creatas iurari, cum in iis diuina maiestas eluceat; crediderim igitur voluisse Christum tacitè eorum sententiam refellere, qui hæc iuramenta nihili facerent, C aut leuiora ducerent, quàm vt cuiquam religioni esse deberent; ostendit enim hæc iuramenta ad Deum quodammodo referri, atque adeo temerè neutiquam esse vsurpanda, vt si minora reprehenduntur, quæ maiora, & grauiora sunt prorsus reiici intelligenda sint. Ita fit, vt nulla ratione probanda sit explanatio, quam auctor imperfecti excogitauit; sic enim ille ait: *nolite iurare per creaturas, quia creatura non est Deus, non per cælum, quia non est Deus, sed thronus Dei, non per terram, quia non est Deus, sed scabellum pedum Dei, non per Hierosolymam, quia non est Deus, sed ciuitas Dei.*

IX. Non est inquam, hæc sententia probanda, prohibet enim Christus omnem iurandi formam, siue per Deum, siue per res creatas, D quas ad iuramentum adhiberi nefas est, nisi vt habent nonnullum respectum ad Deum, quòd in illis diuina eius maiestas, & amplitudo aliquo pacto eluceat; quod significare visus est Christus, cùm cœlum appellat Dei thronum, terram scabellum pedum eius, Hierosolymam magni regis ciuitatem. Quò etiam spectat id, quod sequitur. *Neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum*; quasi dicat, quia caput tuum, non est tuum, sed Dei. Si igitur per res creatas iurare non licet, quia sunt aliquid Dei, quanto minus per Deum ipsum iurare fas erit? Itaque rectè Iacobus omne prorsus iuramentum interdicit. Subdit autem.

X. *Sit autem sermo vester, est, est, non, non.* Hæc sunt ipsa Christi verba apud Matthæum. *Sit*, inquit, E *sermo vester est, est, non, non, quod autem his abundantius est, a malo est.* Sensus est, simplicem affirmationem, aut negationem nulla sacramenti religione adiecta adhibendam esse, ita indicat, male iusiurandum apponi, hoc enim est, quod sequitur. *Quod his abundantius est, à malo est.* Græcè ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν Chrysostomus [b], Euthymius [c], Theophylactus [c] malum interpretantur diabolum, non quòd omnia iuramenta diabolo auctore suscipiantur, sed quia auctore diabolo nostri parentes vna cum tota posteritate acti

b In Psal. 5.
c Matt. 5.

A sunt in culpam, vnde iurandi necessitas orta est, nisi quis dicat, quod existimauit non [a] nemo, hæc verba à Christo Domino adiecta esse aduersus impia, & nefaria iuramenta, quæ procul dubio Dæmonem habent auctorem.

a Abulens.

XI. Propius à vero abest quod scribit Augustinus [b]. *Quod autem*, inquit, *amplius est, a malo est, id est, si iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades; qua infirmitas vtique malum est, vnde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus, libera nos a malo. Itaque non dixit, quod autem amplius est, malum est, tu enim malum non facis, qui bene vteris iuratione, qua etsi non bona, tamen necessaria est, vt alteri persuadeas, quod vtiliter persuades, sed à malo est illius, cuius infirmitate iurare cogeris.* Et in eamdem sen- B tentiam Innocentius [c]. *A malo quidem* inquit, *non tam culpa, quàm pœna, nec exhibentium, sed exigentium iuramentum. Nam incredulitas eiusmodi magis est pœna, quàm culpa; vnde non dixit malum, sed dixit a malo.* Possis etiam interpretari iuramentum à malo esse, quia à mendacio quodammodo ortum habet; quia enim mentiri solent homines ad dictorum confirmationem iusiurandum adhibetur, diuinoque testimonio pacta, dictave firmantur; quamuis enim per res creatas iuretur, semper tamen diuina auctoritas adhibetur, vt apud Matthæum [d] insinuat Christus. *Quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso, & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.*

b lib. 1. de ser. Do. in mon. c. 5.
c cap. & si Christus de iureiur.
d Matth. 23. 21.

XII. C Eodem igitur hæc Apostoli sententia spectat, quò illa Christi oratio, vt videlicet fideles à iurandi facilitate, & consuetudine auocentur, vt enim scribit Sapiens [e] *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga* Et paulo ante dixerat. *Sicut enim seruus interrogatus assiduè à liuore non minuitur, sic omnis iurans, & nominans in toto à peccato non purgabitur.* Vt enim ait Augustinus [f] *Verendum est ne ad iurandi facilitatem veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in periurium decidatur.* Præsertim cum in Exodo [g] peierantibus diuinum supplicium intentetur. *Non assumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*: Quò refert Chrysostomus [h] verba Zachariæ [i] ex interpretatione D septuaginta. *Dixit ad me Dominus, quid tu vides? Et dixi; video falcem volantem longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem; & ingredietur domum iurantis nomine meo, & dissoluet in medio, & suffodiet lapides, & ligna.* Tùm subdit Chrysostomus *Falcem in collum delapsam, & pro funiculo factam nemo fugere potest, cum autem & alæ sint, quæ alterius salutis spes?* Accedit quòd, vt ait Basilius, *turpe est, & omninò stultum sese, vt fide indignum accusare, & ad iuramenti securitatem confugere.*

e Eccles. 23. 12.
f lib. con. mendaci.
g cap. 20.
h Hom. 15. ad popul. Antioch. Vide etiam hom. 19. & 27.
i cap. 5.

XIII. Quam ob causam Chromatius [k] ait, idcirco Dominum non solùm peierare, sed omninò iurare prohibuisse, ne tunc tantùm verum dicere videamur, cùm iuramus. Et Clemens Alexandrinus [l] viri iusti proprium esse ait, non à periurio solùm, sed etiam à iura- E mento alienum esse. *Vbi nam*, inquit, *ergò est amplius opus iureiurando ei, qui ita viuit; vt qui peruenerit ad summum veritatis?* Et [m] alibi à viro Christiano penitùs abiiciendum esse docet iusiurandum, illudque de beato Gregorio Nazianzeno memoriæ proditum esse accepimus, eum legem sibi indixisse numquam iurandi, quamdiu in hac mortali vita viueret, quam ad extremum vsque diem seruauit. Iosephus [n] autem Essenos, qui apud Iudæos religiosissimi habebantur, à iuramento non aliter, ac periurio abhorruisse scribit, quòd eum mendacij damnatum dicerent,

k Matth. 5. conc. 2.
l lib. 7. strom.
m lib. 3. pedag. cap. 11.
n lib. 2. de bell. Iudaic. cap. 7.

cui

a in proble. Rom. nu. 43.

cui sine Deo non creditur. Et Plutarchus [a] Flamini diali iurare fuisse nefas scribit, quòd ei in re exigua fidem non habere absurdum sit, cui summa ac diuina credita sint; vt minus mirandum sit in Concilio Carthaginensi [b] sancitum esse clericum per creaturas iurantem acerrimè obiurgandum, si perstiterit in vitio, excommunicandum. Itaque Christus, & eum imitatus Iacobus, vult tantam esse Christianorum, siue affirmando, siue negando veritatem, vt nihil præterea exigendum sit.

b Conc. 4. c. 61. & 62.

XIV. Nam si de Essenis ait Iosephus, *omne, quod dicunt, iuramento fortius habent*. Quid de Christianis existimandum censebimus? *Quid vniciuque nostrum*, ait Chromatius, *iurare necesse est, quorum verba ita vera semper, ita debent esse fidelissima, vt pro iuramento habeantur?* Et Clemens Alexandrinus [c]. *Iusiurandum*, inquit, *est confessio definitiua cum diuina assumptione: qui est autem semel fidelis, quemadmodum se ipsum infidelem præbuerit, vt etiam opus habeat iureiurando, & non ita vitam gesserit, vt ea sit firmum, ac definitum iusiurandum, & fidem confessionis ostenderit in vita constanti stabilique, & sermone.* Eodem spectant, quæ scribit Augustinus [d]. *Christianus*, ait, *verum loquatur, neque iurationibus crebris, sed morum probitate commendet veritatem.* Quomodo autem praua iurandi consuetudo vincenda, & corrigenda sit, egregiè docet Chrysostomus [e].

c 7. Strom.

d lib. 2. de ser. Dom. in mon.

e Hom. 17. ad pop. Antiochen.

XV. *Vt non sub iudicio decidatis.* Græcè, ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε. Quo loco alij aliter Iacobi verba accipiunt. Sunt qui pro iudicio hypocrisim, aut simulationem accipiant, quasi dicat Apostolus. Vestrum etiam, sit etiam; vestrum verò non, sit non, hoc est, verè loquimini, vt non incidatis in simulationem, & hypocrisim; qui enim falsò, aut simulatè aliquid affirmat, aut negat, aliud animo gerit, aliud ore profert, quod pertinet ad hypocrisim, atque, vt verum fatear, hæc interpretatio Græcis verbis optimè respondet: quod enim ait Iacobus ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε, rectè Latine sonat, *ne in simulationem, aut hypocrisim incidatis.* Cæterùm Oecumenius Græcus auctor, qui existimat in lege Euangelica, iusiurandum nequaquam esse vsurpandum, quamuis olim Iudæis non aliter, ac sacrificia fuerit permissum; veram putat hoc loco de re certa, ac stabili affirmationem, aut negationem præcipi. Græcam verò vocem ὑπόκρισιν pro κατάκρισιν, hoc est, *condemnatione*, seu *iudicio*, cui obnoxij degunt, qui temerè iurant, & iurandi consuetudine in periurium delabuntur.

XVI. Quomodo etiam Iacobi verba accepit Syriacus, & vulgatus interpres. Addit tamen Oecumenius, posse ὑπόκρισιν verè pro simulatione accipi, vt is dicatur in simulationem incidere, qui rem incertam, ac dubiam iureiurando adhibito vel affirmat, vel negat; cùm enim deierans verè loqui credatur, mox rei euidentia mentitus deprehenditur. Sed omninò retinenda est vulgati interpretis sententia, quam, vt dixi, sequutus est etiam Syriacus: vel enim ille Græcè legit, κατάκρισιν, vel certè cum Oecumenio, ὑπόκρισιν, pro κατακρίσει accepit. Minatur autem iudicium iis, qui temerè iusiurandum vsurpant, siue quia peierandi periculum subeunt, siue quia difficile est, in tanta iurandi facilitate ea ritè obseruare, quæ religiosum iusiurandum postulat: vt enim apud Ieremiam [f] præcipit Dominus, *Iurandum est in veritate, & in iudicio, & in iustitia.*

f cap. 4. 2.

XVII. Quo loco Hieronymus: *Animaduertendum*, inquit, *quod iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam.* Et Diuus Thomas [g]. *Ad bonum*, ait, *vsum iuramenti duo requiruntur; primò quidem quòd aliquis, non leuiter, sed ex necessaria causa,*

g 2. 2. q. 89. a. 3.

A *& discretè iuret; & quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis ex parte iurantis, secundum quantum ad id, quod per iuramentum confirmatur, vt scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum est; & iustitia, per quam confirmat, quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum, veritate iuramentum mendax, iustitia iuramentum iniquum, siue illicitum.* Si igitur his conditionibus iuramentum careat, iudicio est obnoxium.

XVIII. Quocirca rectè alicubi scripsit Aristoteles [a], *iuramentum summo esse honore dignum.* Et eam ob causam Augustinus [b]. *Falsa*, inquit, *iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa, nulla iuratio secura.* Quò spectans B Basilius [c], Cliniæ ex secta Pythagorea philosophi factum magnopere laudat, qui cum facilè iureiurando trium talentorum mulctam vitare posset, iniuriam pati maluit, quàm iurare, idque cum non esset falsò iuraturus; vt minimè mirandum sit, tam accuratè Iacobum, & ante illum Christum Dominum iusiurandum prohibuisse, vt enim ait Ambrosius [d]; *Voluit Deus, te non iurare, ne peieres.* Et in eandem sententiam Augustinus [e]. *Homo, qui per consuetudinem iurandi potest in periurium labi, bene prohibetur iurare: tanto etiam longius erit à periurio, quantò erit longè à iurando.* Et alibi [f]. *Dominus, qui prohibuit iurare, supra ripam te noluit ambulare, ne pes tuus in angusto labatur, & cadas.* Itaque rectè dixit D. Thomas [g], *iuramentum* C *non aliter ac medicamentum non nisi cogente necessitate vsurpandum.*

a 1. Metaph. c. 3.

b Ser. 28. de ver. Apost.

c Hom. de leg. lib. gent.

d in Psalm. 118. lit. nun.

e in Psal. 109.

f Ser. de decol. Ioan.

g Opusc. 7.

XIX. Philo autem Iudæus [h] acriter in eos inuehitur, qui Dei nomina ad fidem sibi conciliandam temerè congerunt. *In tantum*, inquit, *valet quorundam impietas, vt vel religiosissima, nec sine horrore audienda Dei nomina congerant aceruatim per summam impudentiam, quasi euicturi sint crebris deierationibus, vt sibi credatur, fatui, qui non intelligant consuetudinem crebrò iurandi argumentum esse perfidiæ, non fidei duntaxat prudentiorum iudicio.* Alibi [i] verò: *Vtilissimum*, ait, *fuerit, & rationali naturæ conuenientissimum omnino abstinere à iureiurando, & sic veritati assuescere, vt simplex sermo vim iuramenti habeat.* Quid autem iuranti spectandum sit, paucissimis verbis docet: *Iura-* D *tus*, inquit, *debet omnes rei circumstantias diligenter perspicere, quanta sit, quàm vera, quàm bene à se percepta.* Et Ambrosius [k]. *Nemo bene iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Lux tibi præeat; si iurare disponis, id est, cognitio veritatis præcedat, vt vinculum sacramenti tibi non possit nocere. Vbi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior.*

h lib. 1. de spec. leg.

i lib. de decal.

k in Psal 118. oct. 14.

XX. Quanta autem veneratione Dei nomen assumendum sit, multis docet Chrysostomus [l]. *Quomodo enim, ait, non est absurdum seruum quidem non audere dominũ nominatim, & sine honoris præfatione appellare. Angelorum verò Dominum temerè, & contemptim vbique iactare? Vis discere, quomodo ipsum appellant superiores potestates, cum quanto honore, quanta admiratione? Videbam Dominum*, ait Isaias [m], *sedentem in throno alto,* E *& eleuato, & Seraphim stabant circa ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Vidisti cum quanto timore quãto horrore nominãt cum glorificantes, & laudãtes. Et alibi [n]: Nescitis quid sit Deus, & qualis debeat ore vocari. Quod si de quopiam probo quidem viro loquamur, dicimus, os tuum ablue, & ita commemorã. Nunc verò nomen super omne nomen venerandum in omni terra, admirabile, quod audientes dæmones horrent, temerè circumferimus. Nõnnè dum Deus nominatur, oportet horrere?* Denique, ne lõgũ faciã, Theodoretus [o]:

l Hom. 7. ad pop.

m cap. 6. 1.

n Hom. 16. ad popul.

o Quæst. 41 in Exod.

Quid sibi vult, inquit, *Non assumes nomen Dei tui in vanum? Quidam prohiberi dicunt, ne quis res vanas, hoc est, idola, nomine Dei vocet, alij, ne quis iurando mentiatur. Ego autem puto diuinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronunciet sine aliqua ratione, veluti docendi, aut orandi, aut alia quadam necessitate. Solent enim nonnulli etiam ludentes, & ridentes, vt venerit in linguam reuerendum nomen Dei proferre, hoc arbitror, diuina lege prohiberi: Si enim permulti consueuerunt pretiosiorem vestem diebus festis reseruare, multo iustius est diuinum nomen precibus, atque docendi officio consecrare.*

XXI. Itaque meritò ait Iacobus simplici affirmatione, negationéve, secluso iuramento, vtendum esse. Nam, vt ait Philo [a], *Quicquid vir bonus asseuerat, perinde ac iurato credi debet, cùm verbum eius firmum sit, ac rigidum, nullo mendacio flexibile, veritate, in qua fundatur, subnixum.* Et Chrysostomus [b]. *Hoc,* inquit, *interdum à nonnullis audiui, nisi iurauero, non credis; tu et horum causa, qui facilè iuras, quoniam si id non faceres, sed omnibus constaret, quòd non iures, mihi crede dicenti, quòd tu, qui mille deuorant iuramenta, maiorem ipse fidem solo nutu inuenires.* Et alibi [c]: *quod non iuramentum fide dignum, sed vita testimonium, & conuersationis integritas, & mens bona, sæpe multi iurantes difrupti sunt, & non persuaserunt. Alij verò annuentes tantum multò iuratis fide digniores apparuerunt.*

a lib. 2. de special. leg.

b Hom 26. ad pop.

c Hom. 7. ad pop.

13. *Tristatur aliquis vestrùm? oret. Æquo animo est? psallat.*]

I. Nouum tradit Apostolus præceptum, quod vtcunque ad informandam, atque instituendam linguam pertinet. Non liquet autem, vnum ne tantùm præceptum, an verò duo hæc Apostoli sententia complectatur. Beda enim vnicum duntaxat videtur agnoscere: ita enim legit, *Tristatur aliquis vestrùm? oret æquo animo, & psallat.* Vt significet tristitia, ac mœrore correpto orandum, æquóque animo psallendum esse. Sed meliùs Oecumenius, quem Latina interpretatio sequitur, duo præcepta agnoscit, quod & fecit Syriacus. Græci enim codices sic planè habent: *κακοπαθεῖ τὶς ἐν ὑμῖν προσευχέσθω. εὐθυμεῖ τὶς ψαλλέτω*, hoc est, *vexatur, aut affligitur quispiam inter vos? precandi studio sese dedat; æquo animo est quispiam? is verò psallat.* Itaque in angore, tristitiáque animi orandum præcipit, in animi verò lætitia psallendum. Quare Oecumenius. *Afflictationi, ait, oratio adiungitur, vt lenior ei, qui tentatur, tentationum exitus efficiatur. Deinde verò vbi per orationem sopita fuerint ea, quæ nobis molestiam afferebant, & in propriam tranquillitatem, & sedationem anima redierit, psallendum est, vt bona ei multiplicentur, & in spirituali exultatione lætetur.*

II. Quod igitur ait Iacobus, *Tristatur*, Græcè est, *κακοπαθεῖ*, quod non tam ad internam animi ægritudinem, angorémque, quàm ad externas vexationes, ac molestias refertur, vt suadeat Apostolus, in rebus aduersis ad preces confugiendum esse, & ad opem diuinam implorandam. Solent enim res aduersæ tristitiam, ac mœrorem quendam parere in animo, qui sacris precibus, aut leniendus, aut superandus est. Ita Christus Dominus cùm mortem iam sibi imminere animaduerteret, de se ipso apertè pronunciauit [d]. *Tristis est anima mea vsque ad mortem,* continuò autem sese in preces effudit. Et mox Discipulos monet, vt vigilent, atque orent, ne intrent in tentationem.

d Matth. 26. 38.

III. Vt enim rectè ait Origenes [e], contra Amalechitas non tantùm vis armorum, quantùm Mosis valuit oratio. *Vt enim eleuasset Moyses manus ad Deum, vincebatur Amalech; remissa verò, & deiecta vinci faciebant Israël. Audierat Balac Rex Moab, quia populus hic orationibus vincit, & pugnat aduersus hostes ore, non gladio, & ob hoc sine dubio apud semetipsum cogitauit dicens, quoniam quidem orationibus populi huius, & precibus nulla possunt arma conferri, ideo etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda sunt arma verborum, & orationes tales, quæ superare possent orationes istorum.* Et alibi [a]: *Populus*, inquit, *Dei non tam manu, & armis, quàm voce, & lingua pugnabat, id est, orationem fundens ad Deum prosternebat inimicos. Ita ergo, & tu, si vis vincere inimicos, eleua actus tuos, clama ad Deum, vt dicit Apostolus, orationi instantes, & vigilantes in ea: hæc enim est Christiani pugna, qua superat inimicum.*

e Hom. 13. in Num.

a Hom. 11. in Exod.

A

B

IV. Et quidem dæmonis oppugnationes precum assiduitate superari, docet Athanasius [b], cùm enim fraudes, & callida dæmonis consilia, quibus iustos oppugnat, paucis indicasset, subdit: *Sed nihil vobis,* inquit, *in hoc terroris incutiant: fidelium enim orationibus, atque ieiuniis ad Dominum statim corruunt; pertimescit Satanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia*, &c. Quin etiam aduersùs mortales, atque externos hostes plurimum habere virium intelligi potest ex narratione Eusebij [c]: sic enim scribit, *Antoninus fratrem M. Aurelium Cæsarem fama est contra Germanos, & Sarmatas aciem instruentem, cùm exercitus illius ingenti siti opprimeretur, omnino non habuisse, quid ageret, vnde milites in ea legione, quæ Melitina appellabatur (quæ sanè ab illo tempore ad hanc nostram ætatem magnopere propter fidem commendata est) in ipsa acie contra hostes instructa genibus humi positis (vt nobis, cùm oramus, in more est) se ad preces Deo adhibendas totos conuertisse dicuntur. At dum hostes eiusmodi spectaculum magnopere mirabantur, aliud quoddam multò admirabilius statim insequutum fertur, fulmen enim hostes in fugam vertisse, eósque interemisse, & imbrem in exercitum eorum, qui diuini numinis opem implorauerunt, de cælo affatim ruentem eum vniuersum, qui parum aberat, quin præ siti intolerabili iam iam extingueretur, refecisse, recreasséque*; Simile quiddam Magnus [d] Constantinus commemorat. *Pugnas*, inquit, *viderunt Gentiles, bellum conspicati sunt, prouidentia Dei victoriam populo suo largiente: animaduerterunt etiam Deum precationum nostrarum virtute nobis opem tulisse. Est enim iusta precatio, res planè inexpugnabilis, ac nemo sanctè religióque precatur, qui non id, quod est in optatis, assequatur, nec mundus aliquando repulsam fert, nisi solùm cùm vacillet fidei constantia.*

b in vita S. Anton.

c lib. 5. Histor. c. 5.

C

d in Orat. ad san. c. 26.

D

V. Et vt aliquid de Latinis dicam, Isidorus [e], *hoc est,* inquit, *remedium eius, qui vitiorum tentamentis exæstuat, & quoties quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem subdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit; tamen perseueranter intendere oportet animum nostrum orando, & pulsando, quousque importunas desideriorum carnalium suggestiones, quæ nostris obstrepunt sensibus, fortissima intentione superemus, ac tamdiu insistere, quousque persistendo vincamus.* Hoc igitur est, quod ait Iacobus, cum quis molestia afficitur, ad orationem confugiendum esse. Sic olim faciebat Dauid [f]. *Pro eo,* inquit, *vt me diligerẽt, detrahebant mihi, ego autem orabam.*

e lib. 3. de sum. bon. c. 7.

E

f Psal. 108. 4.

VI. *Æquo animo est? psallat.* Hoc est alterũ præceptum, vt in rebus secundis, & in animi tranquillitate hymnis, psalmis, & spiritalibus canticis animi hilaritatem testemur. Vt enim ait apud Oecumenium Basilius, *hymnorum consolationes hilarem, & alacrem animi statum nobis conciliant, vt inanem lætitiam excludant, quæ vt plurimum ad voluptatem animum titillat, & non raro à recto virtutis*

tramite

tramite auocat. Sapientem enim scribit Seneca [a]. *Gaudium exultatio, exultationem tumor, & nimia æstimatio sui sequitur; dabimus aliquod laxamentum, in desidiam vero, otiumque non resoluemus, & procul à contactu deliciarum retinebimus.* Hanc etiam ob causam de se ipso ita alicubi scribit Paulus [b]. *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* Et alibi hortatur Ephesios [c] his planè verbis. *Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Denique ad Colossenses [d], *docentes, & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.*

a li.2.de ira. cap.18. — b 1. ad Cor. 14.15. — c cap.5.19. — d cap.3.16.

VII. Vt explodendi prorsus sint superioris sæculi hæretici, qui hymnos, & ecclesiasticos cantus ab Ecclesia exterminandos censuerunt. Constat enim antiquissima consuetudine iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse psalmos, hymnos, & spiritalia cantica à fidelibus vsurpata. Ita enim ad Corinthios scribit Paulus [e]. *Cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, &c.* Et locis modò indicatis hymnos, & spiritalia cantica nominat. Certè Dionysius Areopagita [f], non semel psalmos, & cantici modulationem nominat.

e 1.ad Cor. 14.26. — f de eccles. Hier. ca. 3.4. & ep. ad Demoph.

VIII. Meminit psalmorum, hymnorumque, & carminum Iustinus [g] Martyr. Eusebius verò Cæsariensis [h] psalmorum cantum, diuinorúmque hymnorum traditione in Ecclesia retentum scribit. Athanasius [i] porrò duas affert causas, cur cantus in Ecclesia frequentetur; altera est, vt pro viribus ad Dei amorem fidelium animi excitentur; altera, vt quemadmodum in harmoniam voces consentiunt, ita in vnum fidelium animi conspirent. Addit Basilius [k] suauitate vocum animos demulceri, vt diuinorum oraculorum vim, atque efficacitatem auidiùs excipiant. Cyrillus verò Hierosolymitanus [l] Psalmorum cantus ad Angelorum imitationem refert, qui perpetuas Deo laudes canunt.

g De vita Christ. & q. 107. — h li. 10. hist. c. 3. 9. — i De Interpret. Psalm. — k Præfat. in Psal. — l Catech. 13.

IX. Commendatur autem Gregorius Neocæsariensis à Gregorio [m] Nysseno, quòd integram noctem orationibus, & hymnis decantandis insumpserit. Nazianzenus [n] porrò: *Hymnos*, inquit, *pro tympanis assumamus, psalmodiam pro fœdis modulationibus, & cantibus plausum grati animi indicent, & canoram manuum actionem pro theatricis plausibus.* De hymnis matutinis ita Epiphanius [o]. *Hymni matutini in ipsa sancta Ecclesia perpetuo fiunt, & orationes matutinæ, simúlque Psalmi ad lucernam decantati.* Sic etiam Chrysostomus [p]. Tertullianus [q] verò fidelium cantus commemorat, de quibus multa Hilarius [r], Ambrosius [s], Hieronymus [t], cæterique penè omnes Patres præclarè scripserunt.

m In orat. de S. Greg. Taumatur. c. 8. — n Orat. 4. & in Iamb. nu. 18. plura de cantu. — o In comp. doctr. — p Hom. 59. ad pop. — q In Apol. c. 2. & 39. — r Ps. 118. lit. heth. — s lib. 2. de Virgin. lib. 4. in Exam. c. 8 & cap. 15. in Luc. — t epist. 27. ad Eustoch.

Æquo igitur animo psallendum monet Iacobus, animi verò sedationem interpretatur Oecumenius, sanctitatem, de qua non dubitat accipienda Dauidis verba, qui alicubi ait [u]: *Psallite Domino Sancti eius.* Nam qui temerè, & vanè psallit, prolixas nugas contexit.

X. Certè Iacobus Græcè dicit εὐθυμεῖ, quod videtur opponi superiori verbo κακοπαθεῖ, atque idcirco explodenda est vox ἀθυμεῖ, quæ in aliquibus codicibus legitur: significat enim ægrum animum, atque idcirco idem planè innueret, quod priori loco dixerat: nihil enim est aliud æger animus, quàm tristitia, angoréque affectus.

u ps. 29. 5.

XI. At non magnoperè differre videtur psalmodia ab oratione, ac proinde ne videtur quidem absurdum, vt hac posteriori sententia idem significet, quod superiori, & psallendum, hoc est, orandum præcipiat ei, qui animo est ægro, quemadmodum & orandum dixerat ei, qui affligitur, & mœrore afficitur: Sic enim loqui solent Hebræi; qui duplici ratione dicendi, A idem plerunque dicunt. Sic Dauid [a]. *Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.* Nihil enim aliud est, exaltari in terra, quàm inter gêtes exaltari. Sed oratio Græcè προσευχή, latius multò patet, quàm psalmus: oratio enim tam voce, quàm sola mente, & cogitatione constat; psalmus verò, hymnus, & canticum, modulationem quandam, & harmoniam necessariò postulant.

a ps. 45. 11.

XII. Ei igitur, qui animi morbo, atque ægritudine laborat, precandi studium aptè proponitur, vt implorata Dei ope, atque impetrata, ingruentia mala forti, & constanti animo perferre queat. Ei verò, qui tranquillo, sedatóque animo fruitur, cùm sit ad hilaritatem valdè propensus, psallendum monet, ne externis, & alienis voluptatibus capiatur; Nam alioqui non facilè ægris animis canticum quisquam persuadeat, quin potiùs, vt ait Sapiens [b], *Musica in luctu importuna narratio.* Et Tobias [c] cæcitate laborans. *Quale*, inquit, *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Significans ea, quæ ad gaudium, & lætitiam spectant, non ei conuenire, qui rebus aduersis prematur. Psalmus autem ad gaudium, ac lætitiam proculdubio pertinet; quocirca cùm post victoriam fœmina sanctissima epinicion caneret [d]; *Incipite*, ait, *Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum nouum, exaltate, & inuocate nomen eius.* Et Dauid [e]: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; cantabo, & psalmum dicam.*

b Eccles. 22. 6. — c cap. 5. 12. — d Iudith 16. 2. — e ps. 56. 8.

XIII. Paratum enim dicit cor suum, hoc est, summa æquitate præditum, firmo, ac fidenti animo, ac proinde ad diuinas laudes celebrandas apto, atque idoneè cóparato. Itaque vult Iacobus, fideles in vtramque fortunam animi æquabilitatem retinere, quam quidam præclaram esse dixit in omni vita, de qua alicubi [f] Seneca. *Tranquillus animus vbi ad perfectum venit, nec ablatum sibi quidquam sentit, nec adiectum, sed eodem habitu est, quocunque res cadunt, cui siue aggerantur vulgaria bona, supra res suas eminet, siue aliquid ex istis, siue omnia casus excussit, minor non fit.* Et Plutarchus [g] animi constantiam in rebus aduersis retinendam docet. Id quoniam permultis perdifficile videtur, in aduersis quidem diuinum auxilium precibus implorandum, in secundis verò diuinas laudes celebrandas monet Iacobus; non quòd in malis non sit Deus laudandus, aut in rebus, quæ ex animi sententia eueniunt, precandi studium negligendum sit, sed quòd cùm quis aduersa fortuna vtitur, diuina potissimùm ope indigeat, eámque assiduis precibus implorare debeat: Vbi verò secunda aura afflauerit, Deo immortali sit habenda gratia, eiúsque liberalitas, ac munificentia dignis præconiis extollenda.

f epist. 36. — g lib. de tranquil. anim.

14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.*]

I. Animi ægritudinem precibus, ac psalmis curandam docuit, iam de corporis morbis agit, quibus etiam spiritale medicamentum adhibendum monet. Quod igitur ait Interpres, *infirmatur quis in vobis*, Græcè scriptum est, ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, hoc est, *ægro, aut imbecillo corpore est. accersat presbyteros Ecclesiæ.* Locus est admodum celebris, vnde extremæ, vt loquuntur, vnctionis sacramentum Ecclesia Catholica colligit, vt minimè audiendi sint ij, quamuis alioqui & docti, & Catholici, qui hæc negant de extrema, & sacramentali vnctione accipienda esse, sed de ægrotorum vnctione, quam apud Marcum [h] discipuli vsurpare consueuerant. *Eijciebant*, ait Euangelista, *dæmonia multa, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant.*

h cap. 6. 13.

II. Cæterùm vnctionem illam, de qua agit Marcus

Euange

Euangelista, mysticam vocat Victor Antiochenus, A eandémque putat cum hac, de qua loquitur Iacobus. Quam sententiam probare videntur Theophylactus, & Euthymius; neque aliter inter Latinos sentiunt Beda, Aymo, & alij [a] quidam. Sed reuera, vt rectè obseruarunt Patres Concilij Tridentini [b], vnctio illa, de qua loquitur Marcus, longè diuersa erat à Sacramentali vnctione, quanquam fortasse hoc Sacramentum vtcunque indicabat. *Vnctio*, inquiunt, *infirmorum verè, ac propriè Sacramentum noui Testamenti à Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.* Mox verò propositis Iacobi verbis subdunt. *Quibus verbis vt ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius salutaris Sacramenti.* B

a Dionysius Carthus. Alphons. à Castro.
b Sess. 14. c. 1.

III. Ita enim locum veteres olim Patres intellexerunt. Nam Origenes [c]: *Est adhuc*, inquit, *septima licèt dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator lacrymis stratum suum, & non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam secundùm eum* [d], *qui ait: Dixi, pronunciabo aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei, in quo impletur & illud: Si quis infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ*, &c. Videtur enim insinuare quod deinde apertè Patres Concilij Tridentini [e] docuerunt, *extremæ vnctionis Sacramentum esse pœnitentiæ, & totius vitæ consummatiuum.*

c Hom. 2. in Leui.
d psal. 31. 5.
e Sess. 14. de Sacra. extre. vnctio.

IV. Sic etiam loquitur Chrysostomus [f]: *Parentes*, inquit, *nos in præsentem, Sacerdotes in vitam æternam generant, atque illi certè ne corporalem quidem interitum à liberis amoliri possunt, neque ingruentem morbum propulsare, cùm hi laborantem, ac morti iamiam propinquam animam identidem seruarint; aliis remissiorem pœnam infligentes, alios prorsus labi non permittentes, non doctrina solùm atque commonitione; sed etiam precum præsidio. Neque enim solùm cùm nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accersat presbyteros Ecclesiæ*, &c. C Eodem modo loquitur Cyrillus Alexandrinus [g].

f li. 3 de Sacer. c. 6.
g lib. 6. de ador. in spir.

V. Nicolaus porrò Cabasilas [h], *peccatorum quoque*, ait, *remissio pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum, & vltimum olei sacramentum. Similiter perficit Sacerdotum oratio, quod etiam corporalis morbi medelam, & peccatorum remissionem dat iis, quibus peragitur, vt habet Apostolica traditio. Infirmatur quis in vobis*, &c. D Denique Hieremias [i] Constantinopolitanus. *Sacrum verò oleum*, inquit, *& hoc nobis est traditum, & ipsum est diuinum Sacramentum, diuinæ nobis misericordiæ typum repræsentans, quòd in redemptionem, & sanctificationem illis, qui à peccatis conuertuntur, conferri solet, & ex multis infirmitatibus nos subleuat, eósque, qui illo dignè vtuntur sanctificat.*

h de Liturg. cap. 29.
i Resp. 1. c. 7.

VI. Multò autem apertiùs Augustinus [k]: *Nec prætermittendum est illud*, ait, *Apostoli Iacobi præceptum, Infirmatur quis in vobis*, &c. tum subiicit, *ergo sic roges deus, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus, imò per Apostolum suum Dominus, ipsa videlicet olei sacrati delibatio intelligitur Spiritus sancti typica vnctio.* E Et alibi [l]: *Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non diuini, non sortilegi, non caragi, neque per fontes, aut arbores, aut bitiua phylacteria exerceantur, sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide, & deuotione accipiat, oleúmque benedictum fideliter ab Ecclesia petat; vnde corpus suum vngatur, & secundùm Apostolum oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, non solùm corporis, sed & animæ sanitatem accipiet.* Idem non obscurè insinuat Innocentius [m]. Sic Beda [n], Petrus Damianus [a]: allatis enim Iacobi verbis, *Solemnis*, inquit, *vnctio liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum diminuitur, immittitur timor Domini. Videsne qualiter Sacerdotalis manus infirmantis corpus alleuiet, & illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget vnctione?* Vnde & Sancti Patres hanc vnctionem, sacramentum esse sanxerunt.

k li. 2. de visit. infir. c. 4.
l Tract. de recti. cathol. conuers. Simil. Ser. 215. de temp. & in Spec. in præf.
m epist. ad Decent. c. 8.
n Luc. 5.
a Serm. 1 de dic. Eccles.

VII. Plura in eandem sententiam afferri possent ex Bernardo [b], Anselmo [c], & aliis [d]. Rectè autem Concilij Tridentini Patres [e] docent, ex his verbis collegisse Ecclesiam, materiam huius Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, vt apertè asserunt Innocentius [f], & Beda [g], sic etiam Patres Concilij [h] Cabilonensis. Quanquam inter Theologos disputatur in Scholis, num ea Episcopi benedictio pertineat ad B necessitatem Sacramenti, an verò ita præcipiatur, vt sine illa tamen Sacramenti ratio, eiusque vis, & potestas integra, atque illæsa perseueret. Certè vetustiores, ac præstantiores Theologi Episcopi benedictionem putant ad Sacramenti naturam constituendam penitus esse necessariam. Ex hoc ipso loco colligi aiunt Patres Tridentini huius Sacramenti formam precandi quandam rationem continere, quam sequitur Romana Ecclesia, tametsi Ecclesia Ambrosiana ab ea nonnihil recedit. Certè Iacobus presbyteris non vnctionem modò, sed orationem præcipit. *Orent*, inquit, *super eo vngentes eum oleo.*

b In vita S. Malach.
c In Elucid.
d Petr. Cluniacen. lib. 6. epist. 1. Inn. 3. c. cum venisset de sac. vnct.
e Sess. 14. c. 1. de extrem. vnct.
f ep. 1. ad Decen. c. 8.
g Marc. 6. & in hunc loc.
h Conc. 2. c. 48.

VIII. Neque verò existimandum est, hanc vnctionem, de qua hoc loco Iacobus, solùm pertinere ad corpus, vt impiè mentiuntur hæretici [i], quasi nihil aliud voluerit indicare Iacobus, C quàm quod olim apud Marcum vsurpabant Apostoli, vt pertineat ad gratiam gratis datam, quæ morbos curabat: Græca enim verba ad corpus tantùm pertinere putantur, ait enim ἐγερεῖ, quasi dicat, *Eriget*, quod refertur ad corpus, & paulò pòst ὅπως ἰαθῆτε, hoc est, *vt sani sitis.* Cæterùm oleum nonnullam habere vim morbi depellendi, haud grauarè concesserim, quanquam quis credat omnibus corporeis ægritudinibus prodesse?

i Vvicleph. Lutherus, Melãcthon, Caluinus.

IX. Illud verò nulla ratione admiserim, Prophetas, atque Apostolos ad morbos curandos adhibuisse ea, quæ suapte natura vim haberent contra morbos; tametsi enim dixit nonnemo [k], in æneo serpente natiuam nescio quàm vim fuisse aduersùs venena serpentum, D & in ligno in aquas Mara iniecto facultatem pellendi aquarum amaritudinem, neutrum, tamen, non dicam certa, sed ne probabili quidem, aut verisimili ratione firmari potest. Quis verò credat Iordanis aquam naturali vi præditam fuisse ad lepram depellendam? Quid ficus vlceri Ezechiæ admotæ? Certè si Hieronymo [l] credimus, si morbo regio laborabat Ezechias, vt Aquila, Symmachus, Theodotióque significant, contraria putantur ei morbo, vel sumpta in cibo, vel apposita corpori quæcunque sunt dulcia. Nam quid existimandum est de luto, quo Christus Dominus oculorum lumen cæco nato restituit? An verò credendum est, Pauli sudaria, ac semicinctia naturali aliqua potestate ægros E curasse? Adde quòd si de miraculis ageret Iacobus, non tam presbyteros, hoc est, Sacerdotes, quàm Prophetas, & viros sanctos accersendos moneret.

k Valesius de Sacr. philosoph.
l Isa. 38.

X. Quin etiam non est verisimile, Iacobum hortari fideles, vt passim miracula quærant, quæ, vt ait Paulus [m], ad infideles potiùs traducendos ad fidem, quàm fideles confirmandos referuntur. Nec facilè quisquam prudens admiserit, si miracula pollicetur Iacobus, olei vsum præscripturum. Huc accedit, quòd si illa promissio quæ his verbis continetur, *oratio fidei saluabit infirmum*, ad corporis valetudinem recuperandam certò referebatur, vel nemo fidelium Apostolorum æuo obiisset, vel certè miraculum

m 1. ad Cor. 14.

contra

contra pollicitationis auctoritatem, non fuisset subsequutum, prorsus vt sit necesse eam pollicitationem nonnisi adhibita conditione intelligendam esse, si videlicet id ad animæ salutem aliqua ratione pertineat.

XI. Neque existimandum est hanc Iacobi epistolam ad Apostolica illa tempora tantummodò pertinere, sed ad nos etiam spectare, & ad hæc & posteriora tempora referri, cùm tamen gratia illa gratis data ad mira efficienda magna ex parte cessarit. Iam verò quod de Græcis vocibus affertur, nihil iuuat hæreticorum causam; neque enim verba sunt eiusmodi, vt semper, ac necessariò referantur ad corpus. Græcum enim verbum ἐγερεῖ, quod significat *excitare*, *erigere*, *expergefacere*, non rarò, & quidem eleganti metaphora ad animum transfertur, idémque valet, quod mœrorem, tristitiam, negligentiam, soporem, desidiam, torporémque animi depellere.

XII. Ita Paulus [a]: *Hora est iam nos de somno surgere.* Græcè, ἐγερθῆναι, & ad Ephesios [b], *Surge qui dormis*, ἔγειραι, Et Ioannes apud Lucam [c]: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, ἐγεῖραι τέκνα. Petrus [d]: *Excito sinceram vestram mentem*, διεγείρω. Et Apud Iacobum igitur hoc loco Græca vox ἐγερεῖ significat, *à languore, aut torpore liberabit*. Neque hoc alienum videtur, cùm prophani scriptores eodem verbo ad pugnam, seu bellum excitandum vtantur: Sic enim Thucydides loquitur. Et Herodianus ἐγείρειν ὀργὴν, hoc est, *iram excitare*, aut *accendere*, dixit. Denique Christus apud Ioannem [e] cùm de corpore suo, quasi de templo loqueretur, *in tribus*, inquit, *diebus excitabo illud.* Græcè, ἐγερῶ αὐτόν. Qua etiam ratione dicendi vsus est Herodianus, qui pro eo quod nos dicimus, *excitare*, vel *statuere trophæum*, ille frequenter ait ἐγείρειν τρόπαιον. Iam verò quod spectat ad verbum ἰαθῆτε, quo paulò pòst vtitur Iacobus, cùm ait: *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Græcè, ὅπως ἰαθῆτε, eadem metaphora frequenter transfertur ad animum. Nam Dauid [f]: *Qui sanat contritos corde*; Græcè, ὁ ἰώμενος. Et apud Matthæum [g], *ne forte conuertantur, & sanem eos*: Græcè, ἰάσωμαι. Et ne quis putet de corporis sanitate agi, pro eo, quod Matthæus dixit: *Et sanem eos*, Marcus ait: *Et dimittantur eis peccata.* Denique Petrus [h]: *Cuius liuore*, ait, *sanati estis*, ἰάθητε. Quo loco certissimum est de animæ salute loqui Apostolum.

a ad Rom. 13.11.
b cap.5.14.
c cap.3.8.
d ep.2.c.3.1.
e cap.3.19.
f ps.146.3.
g cap.13.15.
h 1.Pet.2.24.

XIII. At vrgent vnctionem, quæ à fidelibus vsurpatur, & pro Sacramento in Ecclesia retinetur, longè aliam videri ab ea vnctione, de qua hoc loco loquitur Apostolus: quod mirum est viros Catholicos non affirmare solùm, sed pugnacissimè defendere. Sic enim disputant, Iacobum vniuersim quoslibet ægros, etiam eos, qui facilè possunt conualescere, vngendos præcipere, cùm tamen extrema vnctio vix tandem ad semineces adhibeatur; illum numero multitudinis presbyteros vocandos monere, cùm extremam vnctionem vnus duntaxat Sacerdos administret; illum simpliciter oleum postulare, nos verò oleum solemni benedictione sacratum necessariò flagitare; illum sanandi vim orationi fidei tribuere, nos vnctioni, ita enim ait Sacerdos: *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi, &c.* illum præcipuè loqui de corporis valetudine, cùm tamen Sacramentum primariò ad peccatorum condonationem referatur; postremò Sacramentum vnctionis extremæ, vt Chronologi [i] tradiderunt, fuisse ab Innocentio institutum, atque adeò diuersam esse vnctionem ab ea, de qua agit Iacobus, eandémque ob causam nō posse esse Sacramentum, quod nulla humana auctoritate institui potest.

i Sigibert. in Chron.

XIV. Sed quicquid illi contendunt, frustra laborant. Nam

A si Iacobus omnes omninò ægros inungi præcipit; mirum, cur isti nebulones nullum penitus vngant. Rectè autem intellexisse Ecclesiam non omnes penitùs ægros, sed grauiter tantummodò laborantes inungendos esse, non obscurè indicat Græca vox ἀσθενεῖ, quæ ad eos maximè pertinet, qui morbo oppressi decumbunt; itémque ex altera illa voce κάμνοντα: etenim κάμνειν, significat deficere, ac mori, quocirca mortui dicuntur κεκμηκότες. Neque verò Iacobus subitò presbyteros accersendos diceret, cùm non sit verosimile, voluisse illum ad supernaturalia remedia nos confugere, nisi cùm humana deficiunt, quod tum accidit, cùm æger grauiter, ac periculosè laborat. Iam quod Iacobus presbyteros nominet, non, vt illi arbitrantur ad ætatem, sed ad Sacerdotalem dignitatem respexit.

B Quod verò spectat ad numerum multitudinis, etiamsi Græci ad ægros inungendos plures Sacerdotes aduocane, non tamen id Apostoli verba necessariò indicant. Ita enim dixit Iacobus, à Sacerdotibus ægros inungendos, quomodo nos passim dicere consueuimus, peccata Sacerdotibus necessariò confitenda; cùm tamen nemo ita desipiat, vt pluribus Sacerdotibus peccata confitenda esse affirmet. Sic etiam vulgò omnes aiunt in ægritudine medicos esse accersendos, cùm tamen non necessariò plures medici aduocandi sint. Fatetur quidem nominasse Iacobum tantummodo oleum, neutrò tamen Ecclesia ex Apostolica traditione intellexit sacram Episcopi benedictionem adhibendam esse, quam proculdubio Iacobi verba non excludunt, eadémque traditione

XV.

C quarundam partium vnctiones retinentur.

XVI. Orationem porrò fidei nominat Iacobus, hoc est, fidelium preces, & ipsam vnctionis formam; quæ, vt paulò antè dixi, rationem quandam precationis habet; quanquam autem corporis valetudinem pollicetur Iacobus, apertissimè tamen meminit condonationis peccatorum. Cæterùm Innocentius [a] extremam vnctionem Sacramentum esse affirmat, non tamen ait à se institutum, vt appareat apertissimè illos [b] mentiri, qui huius Sacramenti institutionem tribuunt Felici IV. qui centum ampliùs annis pòst Innocentium vixit, cùm apertè in Concilio [c] Tridentino definitum sit, hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum, & ab Apostolo Iacobo promul-

D gatum, quo eorum [d] refellitur sententia, qui à Iacobo institutum fuisse autumant.

a epist. 1. ad Decent. c. 8.
b Kemnitius.
c Sess. 14. c. 1. & can. 1.
d Hug. Vict. l. 2. de sac. 2. p. 15. c. 2. Altissiodor. l. 4. Sum. Alex. Alensis. Bonauent. in 4 d. 23 art. 1 q. 1.

XVII. Tametsi enim naturæ Sacramentorum non repugnat, vt proximè auctoritate Christi potuerint ab Apostolis institui, id tamen ne in hoc quidem Sacramento admittendum videtur. Nam vt de Iacobo potissimùm loquar, ex hoc ipso loco, quo maximè hoc Sacramentum instituisse creditur, nulla ratione indicat se Sacramentum instituere, cùm potiùs agat de vnctione tanquam de re certa, & nota, & pridem recepta, atque vsurpata, quam nemo dubitare posset diuina fuisse auctoritate sancitam, cùm certam haberet diuinæ gratiæ pollicitationem. Addo, quòd non videtur verosimile auctoritatem instituendi Sacramentum, quod ad vniuersam spectaret Ecclesiam,

E vni Iacobo fuisse concessam, cui suprema totius Ecclesiæ administratio commissa non erat: ponus enim Petro id tribuendum erat, cui cæteri Apostoli aliquo pacto subiiciebantur.

XVIII. Maneat igitur, hanc vnctionem, de qua hoc loco Iacobus, esse sacrosanctam, & inter sacramenta recensendam. Itaque iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ oleum infirmorum vsurpari cœpit. Nam Canones [e] Nicæni, qui ex Arabico translati sunt, apertè nominarunt oleum infirmorum, vt distinguitur à chrismate, & oleo catechumenorum. Addi possunt poste

e Can. 69.

posteriora Concilia, Cabilonense[a] enim secundum traditionem Patrum cum Iacobi sententia conuenire affirmat, Vuormatiense[b] innouat decretum Innocentij, Meldense[c] iubet feria quinta maioris hebdomadæ Parochos ab Episcopo accipere ampullam olei ad vngendos infirmos ex Apostolica traditione. Addi possunt Aquisgranense[d] II. Moguntinum[e] sub Rabano, Florentinum[f], & Tridentinum[g].

XIX. Valet autem plurimùm hoc Sacramentum contra impugnationes dæmonum, qui in extremo vitæ vehementer vrgent, vt affirmant Gregorius[h], Eusebius[i] Emissenus, & Ioannes[k] Climacus. Non me præterit hæreticos olim, vt de Valentinianis testatur Irenæus, vnctiones nescio quas vsurpasse, sed ea vnctio plurimùm ab hac nostra vnctione differebat: illi siquidem mortuos vngebant, nos contra moribundos, vt etiam explicat Epiphanius[l]. Quanquam ne id quidem in hæreticis reprehenditur, cùm olim Hebræi[m] mortuos vngere consueuerint, sed quòd ad salutem quandam parandam eam vnctionem valere existimarent. Simile quiddam vsurpasse Gentiles, indicat illud Virgilij[n]:

Corpúsque lauant frigentis, & vngunt.

Et Apuleius[o] vltimum lauacrum nominat.

XX. Dionysius autem Areopagita[p] testis est, olim fidelium corpora vngi consueuisse, vt significaretur, eos aliquando resurrecturos. Sed hæc omnia longè absunt à ratione Sacramenti, quam obtinet hæc Apostolica vnctio, quæ tametsi à Iacobo in præsentia commendatur, non habet tamen necessitatem, quam Theologi vocant, medij. De necessitate autem præcepti non conuenit inter Theologos: sunt enim qui[q] vim præcepti admittant, sunt qui negent[r], si citra contemptum hoc Sacramentum negligatur, vllum admitti piaculum. Quamobrem non crediderim, hoc Sacramentum simpliciter necessitate præcepti imperari, atque ita vbi præsertim alia Sacramenta vel adhibita sunt, vel adhiberi facilè possunt citra contemptum, absque culpa omitti posse videtur. Nam si alia Sacramenta adhiberi non possint, vix citra culpam omittitur, cùm nemo in tanto periculo tutò possit suæ contritioni confidere, sed contrà potiùs quiuis niti, conarique debeat quantùm potest, ne sine Dei gratia, & caritate diem claudat extremum.

XXI. Itaque rectè ait Iacobus; *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ*, hoc est, Sacerdotes, vt Concilium Tridentinum interpretatur, siue presbyteros, siue Episcopos. Nam, vt argumentatur Innocentius, de Episcopo ambigendum non est, iure illum vsurpare quod presbytero licet: sunt enim Episcopi summi Sacerdotes, & Sacerdotum parentes.

XXII. Addit, *Et orent super eum*, hoc est, pro eo preces fundant, quod spectare potest ad Sacramenti formam, de qua dictum est suprà, vel etiam ad preces, quæ in administratione Sacramenti adhiberi solent; quod subditur, *vngentes eum oleo in nomine Domini*, ex interpretatione Bedæ ad olei benedictionem, & consecrationem pertinet. *Nunc*, inquit, *Ecclesiæ consuetudo tenet, vt infirmi oleo consecrato vngantur a presbyteris, & oratione comitante sanentur; hoc tamen oleum nonnisi ab Episcopis licet confici: nam quod ait, oleo in nomine Domini, significat oleum consecratum in nomine Domini; vel certè quia etiam cùm vngunt infirmum, nomen Domini super eum inuocare debent.* Et alibi[s] cùm hæc Iacobi verba protulisset: *Vnde*, inquit, *patet ab ipsis Apostolis hunc sanctum Ecclesiæ morem esse traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato.* Et Innocentius[t] oleum ait à Pontifice confici.

XXIII. Recenset autem Clemens[u] Romanus formam benedictionis aquæ, & olei ad morbos sanandos. *Domine, inquit, Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, miserator, & amator hominum, qui dedisti aquam ad bibendum, & abluendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ, ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam, & oleum ex nomine eius, qui obtulit, vel quæ obtulit, & tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi insidias per Christum spem nostram, cum quo tibi gloria, honor, & cultus, ac sancto Spiritui in secula. Amen.*

XXIV. Quanquam, vt verum fatear, ea olei, & aquæ benedictio, aliò videtur pertinere: suspicor enim loqui Clementem de oleo, quo olim viri sancti non pauci ad morbos curandos vti consueuerant. Etenim Tertullianus[a] scribit Proculum, qui Torpacion cognominabatur, Seuerum Imperatorem oleo curasse, quod etiam factitasse Hilarionem, auctor est Hieronymus[b], quanquam ille per se ipsum oleum benedicebat; quod ipsum de beati Antonij discipulis scribit Rufinus[c]. De Beato Martino Seuerus Sulpitius[d], qui mutam, & paralyticam oleo benedicto ab eo curatas scribit. Similia de duobus Machariis memorat Palladius[e].

XXV. Multa item in eodem genere commemorat Theodoretus[f]. Nonnulla etiam de S. Hospitio narrat Gregorius[g] Turonicus. Verùm neque oleum illud erat Pontificali benedictione sacratum, neque vnctiones ad Sacramenti religionem spectabant, pertinebántque ad gratiam, quam appellant sanitatis, &, vt arbitror, vnctionem illam, cuius meminit Marcus, viri sancti imitabantur, cùm præsertim, vt scribit Theophylactus[h], *oleum ad labores vtile sit, lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, significétque misericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, ac gaudium, hilaritatémque spiritalem accipimus.*

15. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, remittentur ei.]

I. Sacramenti effectum describit; & primùm quidem efficiendi vim orationi tribuit, siue formam Sacramenti intelligat, siue preces, quæ in Sacramenti administratione adhibentur, siue denique sacram benedictionem, qua oleum à Pontifice benedicitur. Nam reuerà ipsum per se Sacramenti elementum, seclusa forma, quæ precationem quandam obtinet, Sacramentali efficientia destitueretur; eam autem meritò vocat Iacobus orationem fidei, quia de Sacramentali verbo vniuersim affirmat Augustinus[i], habere vim, non quia dicitur, sed quia creditur. Oratio ergo saluabit infirmum, Græcè, σώσει τὸν κάμνοντα, quod, vt arbitror, generatim dicitur, vt tam ad animam, quàm ad corpus referri queat; quod mox explicans de corpore quidem ait; *Et alleuabit eum Dominus*. De anima verò, *Et si in peccatis sit, remittentur ei.*

II. Porrò quod ait, *Alleuabit eum Dominus*, Græcè est, ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος. Refertúrque, vt dictum est, ad corpus: aiunt enim plerique[k], prodesse hoc Sacramentum ad corporis valetudinem recuperandam, si tamen id ad animæ salutem conferat. Fauet Augustinus[l], qui mortalia, & caduca bona hac semper conditione adhibita expetenda, atque expectanda docet. Idémque insinuant Concilium Florentinum[m], & Tridentinum[n].

III. Non defuerunt tamen, qui[o] hanc sententiam multis oppugnarent, tum quod plurimi conualescant, qui si tunc obirent, salutem sempiternam assequerentur, valetudine autem recuperata, plurimis sceleribus inquinantur, tum etiam quia non pauci

suscepto

a cap. 48. b cap. 72. c Apud Burcard. l. 4. c. 75. d cap. 8. e cap. 26. f In Decret. vnion. g Sess. 14. c. 1. de extr. vnct. h Hom. 39. in Euang. & lib. 24 Mor. c. 17 & 18. i Hom. 1. ad Monac. k Gradu septimo. l Hær. 36. m Gen. vlt. & Matt. 26. 12. Ioan. 19. 40. n 6. Æneid. o li. 9. de asino aureo. p cap. 6. de Eccles. Hier. par. 3. q Videtur sentent. Magistri in 4. d. 23. Bonau. ibid. Petr. à Soto lec. 2. de extr. vnct. r D. Thom. in 4. d. 23. q. 1. ar. 1. q. 2. 3. ad 1. Palud. ibid. q. 1. art. 3. con. 1. 3. Sot. ibid q. 1. ar. 1. in solut. argum. Syluest. ver. extrema vnctio, dub. 9. Roard. Taper. art. 12. Nauar. c. 22. num. 16. s Marc. 6. t epist. 1. ad Decen. c. 8. u lib. 8. cõst. cap. 29.

a li. 1. ad Scapul. c. 4. b In vit. Hilario. c lib. 2. hist. cap. 4. d In vit. S. Martin. e In hist. S. Patr. c. 13. & 20. & 45. f In hist. Sanctor. c. 8. 13. & 26. g lib. 6. c. 9. h Marci 6. i Tract. 80. in Ioan. k Hug. Vict. li. 2. de Sacr. p. 15. c. 2. Magist. D. Tho. Bona Ricar. & alij in 4. d. 23. l epist. 121. c. 12. & l. 2. de Ser. Do. in mont. c. 12 & 24. m In Decret. vnion. n Sess. 14. c. 2. de extr. vnct. o Sot. in 4. d. 23. q. 1. art. 2.

A susceptò Sacramēto moriuntur, quorum exigua sunt merita, qui si superstites essent, magnum diuinæ gratiæ caperent incrementum. Accedit, quòd alioqui penè semper non sine miraculo, post vnctionem ægri conualescerent, cùm tamen valetudo corporis nunquam per se sit ad animæ salutem necessaria, atque idcirco vi Sacramenti ne videatur quidem expetenda.

IV. Putant igitur corporis sanitatem semper certò vi Sacramenti tribui, nisi grauitas, & magnitudo morbi obsistat, eo prorsus modo, quo vi sacramenti confirmationis tribuitur fortitudo, & constantia ad profitendam fidem, cùm tamen nihil prohibeat, quominùs quis adeò sit natura timidus, & meticulosus, vt coram tyranno fidem profiteri reformidet. Sunt B tamen alij, qui corporis valetudinem, hoc est, vim, & robur vi huius Sacramenti tum demum tribui affirment, cùm ad vincendas dæmonis tentationes ægritudinis, ac morbi vis affert impedimentū: quicunque enim hoc Sacramentum suscipit, ita erigitur, & roboratur à Deo, vt in illo temporis articulo, & extremo discrimine strenuè ac fortiter cum dæmone luctari queat. Itaque explicant Iacobum cùm ait: *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus*, atque hac ratione explicant communem Patrum, & Conciliorum sententiam, quæ asserit corporis valetudinem concedi, si sit ad salutem necessaria. Etenim hoc Sacramentum ægrum subleuat, torporem decutit, vires denique confirmat, ne imbecillitate corporis dæmoni succumbat.

C V. Quæ mihi sententia magnopere probatur, tum quia huius Sacramenti naturæ maximè congruit, quod præcipuè refertur ad mortis periculum euadendum, ac dæmonis tentationes superandas, quibus moribundi maximè oppugnantur, tum etiam quia commodè defendit Patrum, & Conciliorum sententiam. Ita fit, vt quæ aduersùs eam obijciuntur, facilè corruant: nulla enim habenda est ratio eius valetudinis, qua quis mortis periculum euadit; illam enim facilè concesserim, non pertinere ad Sacramenti effectum: vt enim semel dicam, hæc extrema vnctio ægris adhibetur, quasi Christi athletis, vt cum dæmone congredi tutò possint, ne ob scelerum multitudinem, aut grauitatem in desperationem agantur, néve ob nimiam confidentiam, necessariam salutis curam negligant, vt ibi incommoda faciliùs tolerent, D insidiantem denique calcaneo, hoc est, vitæ extremo strenuè repellant. Nam re verâ hæc omnia Græca vox ἐγερεῖ significare potest.

VI. Nec tamen penitus communem sententiam reiecerim, quæ asserit valetudinem corporis tum demum concedi, cùm est ad salutem necessaria, quod videtur Concilia, præsertim Tridentinum, magis indicare, quanquam non facilè potest definiri, vtrùm corporis valetudo vi Sacramenti, an naturalis cuiuspiam causæ facultate tribuatur. Illud tamen affirmari vniuersim potest, vi Sacramenti non conferri, nisi cùm est ad animæ salutem vel necessaria, vel salutem vtilis; neque ea, quibus hæc sententia oppugnatur, hanc nostram explicationem vllo pacto E lædunt.

VII. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hoc præcipuè efficit extremæ vnctionis Sacramentum: sic enim mito consensu asserunt Theologi, qui eiusmodi Sacramentum institutum asserunt ad peccatorum reliquias abolendas. Sed de peccatorum reliquiis, quid omnino sint, quâque ratione tollantur, non eadem est omnium sententia. Sunt qui [a] leuiores culpas, & quæ dicuntur venialia peccata, interpretentur. Cùm enim apertè Iacobus dicat, *si in peccatis sit, remittentur ei*; consequi necessariò putant, hoc

a Bonauent. Scot. Duran. Riccar. Maior. Almain. & alij in 4 d. 23.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

Sacramentum ad expianda peccata fuisse institutum. Et quidem rectè: cùm enim leuiora peccata hanc nostram mortalitatem perpetuò comitentur, rectè in extremo vitæ hoc Sacramentum adhiberi autumant, quo moribundi mens ad peccatorum detestationem excitetur, & perfectam venialium culparum condonationem assequatur; cùmque tria sint peccatorum genera, originale, lethale, & veniale, totidem esse Sacramenta diuinitùs instituta. Baptismum quidem ad originariam labem delendam, pœnitentiam ad lethalia crimina expianda, extremam denique vnctionem ad leuiores noxas abolendas.

VIII. Has autem leuiores culpas, vt gratiam, & extratem non excludunt, ita non necessariò ad sui expiationem gratiæ infusionem flagitare. Atque hac quidem ratione non videri necessarium Sacramentum, quod, vt ait D. Thomas [a], ad gratiam conferendam instituitur. Itaque non fuisse propterea hoc Sacramentum institutum, cùm possint venialia peccata, vel vi Sacramentalium, vel pœnitentiæ efficacitate deleri. Et si propterea hoc Sacramentum diuinitùs esset institutum, non morituris tantùm, sed etiam cæteris integris, ac valentibus conferendum esset. Cæterùm quoniam in illo extremæ vitæ periculo leuiores culpæ mentem quodammodo hebetant, & vim illam, qua aduersùs dæmonem pugnandum est, magna ex parte retundunt, animúmque retardant, ne liberè in cœlum euolet. Hoc Sacramentum aptè putant institutum, vt eiusmodi peccata expiet, gratiámque largiatur, qua vis morbi, & faciliùs toleretur, & maiori nisu, conatúque impetus dæmonum repellatur.

a 3. p. q. 65. art. 1.

IX. Alij [b] porrò putant peccatorum reliquias propensionem quandam, & facilitatem esse ad malum, & difficultatem quandam honestè, laudabilitérque viuendi, quæ creditur D. Thomæ sententia, cui procul dubio magnopere fauet Concilium Tridentinum [c]. *Res*, inquit, *porro, & effectus huius Sacramenti illis verbis, explicatur: Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia Spiritus sancti, cuius vnctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Distinguit enim reliquias peccatorum à peccatis, & sanè peccatorum reliquiæ bifariam accipi possunt.

b Alber. Sylvest. Victor. Sot.

c Sess. 14. c. 2. de extrem. vnct.

X. Nam peccata, quæ ex alijs Sacramentis reliqua sunt, siue grauia illa sint, siue leuia, peccatorum reliquiæ dici possunt; propriè verò peccatorum reliquiæ vocantur torpor quidam, mœror, & sollicitudo, quæ ortum habent à peccato, maximéque moribundos vexare solent. Ita fit, vt partim aptè peccatorum reliquias interpretentur illi, qui putant esse propensionem ad malum, cùm ea propensio ad habitum quodammodo pertineat, nec proprium sit Sacramentorum expellere habitus. Quamobrem primarius huius Sacramenti effectus est vis, ac robur, quo æger confirmatur contra desperationem, contra dæmonis insidias, denique contra morbi incommoda.

XI. Quod videtur significare non modò Concilium Tridēt. loco indicato, sed etiā Dionysius Areopagita [d], qui insinuat vnctionem illā et videri pertinuisse, qua olim vngebātur athletæ: secundariò verò qua ratione Sacramentum est, vim habet expiandi peccata, quod

d lib. de Eccles. Hierar. c. 4. 7.

R quantum

quamuis omnibus Sacramentis videatur esse commune, peculiari tamen ratione hoc Sacramentum institutum est ad abolenda peccata, quatenus cœlestis patriæ ingressum retardare possunt. Quocirca est veluti pœnitentiæ perfectio, idque in ipsius Sacramenti forma vtcunque exprimitur, & apertissimè his verbis docet Iacobus, *& si in peccatis sit, remittentur ei.*

16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.*]

I. Si Latini Interpretis verba spectentur, videri posset Iacobus hanc sententiam ex superiori disputatione colligere; quod qua ratione fieri possit, non satis apparet. Neque enim quæ de extrema vnctione dicta sunt, ad peccatorum confessionem aliqua ratione pertinent. In Græcis autem codicibus nulla est particula, quæ vim habeat inferendi: simpliciter enim ait Iacobus ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, hoc est, *confitemini inuicem alius alij peccata*, vt quidquid hæretici contrà nitantur, videatur Apostolus de Sacramentali peccatorum confessione agere: Sic enim hunc locum accipiunt Origenes [a], Chrysostomus [b], Augustinus [c], Beda [d], Bernardus [e], & Hugo [f] Victorinus.

a Hom. 2. in Leuit. b lib. 3. de Sacerd. c Hom. 12. li. 50. hom. d In hūc locum. e In lib. medit. cap. 9. f lib. 2. de Sacr. p. 14. cap. 1.

II. Quanquam enim ait Iacobus, *Confitemini alterutrum*, non propterea tamen passim cuiuis peccata confessione explicanda esse significat, sed homines hominibus peccata confiteri præcipit; quomodo Petrus alicubi [g] ait: *hospitales inuicem sine murmuratione vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*; cùm tamen nemo prudens intelligat omnes absque vllo discrimine ab omnibus hospitio esse excipiendos: nam & vulgò ita loqui solemus, vt ciues sese mutuò docere, instituere, aut etiam mederi dicamus, quæ tamen munera non cuiuis passim præstanda sunt, sed medicorum proprium est ægros curare, doctorum verò imperitos docere. Itaque Iacobus iis monet confitenda esse peccata, qui potestatem habent, hoc est, iis, quibus à Domino dictum est, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

g ep. 1. c. 4. 9.

III. Quamobrem Augustinus [h]: *In omnibus*, inquit, *Scripturis diuinis, fratres dilectissimi, vtiliter, ac salubriter admonemur, vt peccata nostra debeamus iugiter, & humiliter non solùm Deo, sed etiam Sanctis, & Deum timentibus confiteri. Sic enim per Iacobum Apostolum nos admonet Spiritus sanctus; confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Et Psalmista [i]: *Confitemini Domino quoniam bonus.* Et iterum [k]: *Dixi pronunciabo aduersùm me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Quomodo enim nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent: non enim ideo vult Deus, vt confiteamur peccata nostra, quod ea ipse scire non possit, sed quia diabolus hoc desiderat, vt inueniat, quod nobis ante tribunal iudicis æterni obiiciat, ideo vult vt magis defendere, quàm accusare peccata nostra velimus; è contrario autem Deus noster, quia pius est, & misericors, vult, vt eà confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro: si enim confitemur, ille parcit, si nos agnoscimus, ille ignoscit.*

h lib. 50. Homil. Hom. 12. i ps. 117. 1. 19. k ps. 31. 5.

IV. Origenes [l] autem apertè ait Sacerdoti confitenda peccata. *Est adhuc*, inquit, *& septima licèt dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrimæ suæ panis die, ac nocte, & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* Et alio loco [m]: *Vide ergo*, inquit, *quid edocet nos Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus: Fortassis enim sicut ij qui habent intus inclusam escam indigestum, aut humores vel phlegmata stomacho grauiter, & molestè immanentia, si vomuerint, releuantur; ita etiam hi, qui peccauerunt, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati: Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi nouerit disciplinam.* Et multa deinceps, quæ apertè ostendunt, non temerè cuiuis confitenda esse peccata. Alibi [a] denique reuelanda ait esse peccata, non solùm Deo, sed & his, qui mederi possunt nostris vulneribus, atque peccatis.

l Hom. 2. in Leu. m Hom. 2. in ps. 37. a Hom. 17. in Luc.

V. Athanasius [b] autem: *Si nondum*, inquit, *soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Iesu, adsunt enim, qui te soluant pro potestate ea, quam a Saluatore acceperunt; quæcunque enim ligaueritis, inquit, in terra, erunt ligata & in cœlis, & quæ solueritis in terra, erunt soluta & in cœlis, & si quibus remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Basilius [c] iis ait aperienda peccata, quibus id negotij datum sit. Idémque alibi [d] fusiùs explicat. Sic etiam loquitur Chrysostomus [e].

b Serm. in illud Euang. Profectū in pagum, &c. c Reg. Fusiùs disput. resp. 26. d Reg. breu. resp. 229. & 288. e Hom. 30. in Gen.

VI. Huc, ni fallor, pertinent quæ scribit Tertullianus [f], dum inter cætera, quæ pœnitentes vsurpare solerent, illud etiam addit, consueuisse illos presbyteris aduolui. Et quod alibi ait ineptè existimasse Gentiles, à pœnitentibus Sacerdotum vestilia adorari, quòd videlicet ad eorum genua, dum peccata confiterentur, accidere consueuerint. Eodem planè modo cæteri omnes Patres loquuntur, qui ministrum pœnitentiæ Sacerdotem esse agnoscunt, cui ligandi, soluendique, remittendi denique, ac retinendi peccata potestas concessa est. Itaque non aliter accipienda sunt Iacobi verba, quàm de Sacramentali confessione, quam secretam, & auricularem vocant.

f lib. de pœnit. c. 9.

VII. Addit & nouum præceptum. *Orate*, inquit, *pro inuicem, vt saluemini.* Rectè Ambrosius [g]: *Si pro te roges, tantummodo pro te rogabis, & si pro se tantum singuli orent, minor peccatoris, quàm intercedentis est gratia. Nunc autem quia singuli orant pro omnibus, etiam omnes orent pro singulis. Ergo vt concludamus, si pro te roges tantum, vt diximus, pro te rogabis, si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt.* Sic Paulus pro fidelibus rogat, eorúmque precibus sese tantus Apostolus apud Deum promoueri magnopere cupit. Quin etiam Innocentius [h]: *Gaudere*, inquit, *in Domino vestram germanitatem amantissimi cupimus, & pro nobis paria apud Deum vota rependere precamur, quia, vt bene nostis, communibus, & alternis plus agimus orationibus, quàm singularibus, aut priuatis.*

g lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. h In epist. ad Aug. quæ est 97 inter ep. Aug.

VIII. Quæ causa fuit, vt iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ in Liturgia sacrorum dypticorum vsus institutus sit; erant autem dyptica tabulæ duplicatæ, in quarum altera viuentium, in altera mortuorum nomina descripta erant, pro quibus Deo preces fundebantur, quod etiam nunc constanter retinetur. Orandum autem ait Iacobus pro inuicem, vt saluemini, Græcè ὅπως ἰαθῆτε, quasi dicat, *vt sani efficiamini.* Rectè autem Latinus Interpres animæ sanitatem intellexit, hoc est, salutē sempiternam: Ea enim simpliciter, atque absolutè precibus à Deo petenda sunt, quæ sunt ad animæ salutem necessaria, cætera

nonnisi

[a] psal. 26. 4. A nonnisi adhibita conditione. Sic Dauid [a]: *Vnam inquit, petij a Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ vt videam voluptatem Domini, et visitem templum eius.* Etenim Augustinus qui quid alij aliter sentiant, de cœlesti patria explicat. *Hæc est*, inquit, *illa vna, quo debet amari vt habitemus in domo Domini per omnes dies vitæ nostræ.* Et paulò pòst: *Quid ibi agis, quæso te, quid [illegible], quod desideras? audi quid vt contempler delectationem Domini. Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitæ meæ*; huc igitur omnium preces referendæ sunt.

IX. Non desunt tamen, qui referant hoc Iacobi præceptum ad Sacerdotes, qui pœnitentium peccata audiunt, quasi non solùm consilio, & auctoritate [illegible] etiam fusis ad Deum precibus pœnitentibus opitulari debeant. Quod quanquam verissimum esse non inficior, non facilè tamen admiserim, eam fuisse Iacobi mentem, qui, vt ex ijs liquet, quæ consequuntur, amplissimè de precandi studio, déque piarum precum vi, & potestate copiosè disserit. Addo, quòd si de pœnitentiæ ministris ageret, non [illegible] in precibus, quàm ipsi Sacramento vim tribueret afferendi salutem, ipsum quippe confessionis Sacramentum, ex opere, vt aiunt Theologi, operato ex [illegible] cit contritum, peccata expiat, gratiam denique, & caritatem impertit; preces verò nonnisi opere operantis, hoc est, pro ipsarum precum vi, & precantis [illegible] tione; addo etiam aptitudinem eius pro quo preces funduntur, vim habere impetrandi.

C

X. [illegible] præcipit Apostolus, vt fideles sese mutuò precibus apud Deum iuuent, & ad pietatis studia promoueant. Qualis autem debeat esse oratio, alibi

[b] Cass. col. 9. cap. 35. Cassiani testim[illegible] atque [b] auctoritate docuimus. Certè hoc dicitur verum, & mysticum sacrificium, sacrificium iustitiæ, sacrificium laudis, hæ veræ, ac pingues hostiæ, ista sunt holocaustomata medullata, quæ contritis, & humiliatis cordibus offeruntur,

[c] ps. 140. 2. quæ[illegible] [illegible], vt verè illud [c] vsurpare possimus. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quanta autem sit orationis vis mox explicans Iacobus ait.

XI. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Græcè est vox [illegible] ἐνεργουμένη: est enim [illegible], propter precatio pro malo euadendo; quod au-

D tem Interpres dixit, *assidua*, Græcè est ἐνεργουμένη, quæ vox significat actuosam, & efficacem. Efficax

[d] Col. 8. c. 33 autem oratio, vt apud Cassianum [d] docet Isaac Abbas, multas habet causas: vt enim ille ait: *Habes in duorum consensione fructum exauditionis Domi-*

[e] Mat. 18. 19 *nicæ [illegible] signatum, secundum illud [e]: Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint [illegible] à Patre meo, qui in cœlis est. Habes aliam*

[f] Matt. 17. 19 *in [illegible] plenitudine, quæ grano sinapis comparatur [f]. Si enim inquit, habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Habes in assiduitate orationum, quam propter [illegible] defessam petitionis perseuerantiam, importu-*

[g] Luc. 11. 8. *nitatem crime Dominicus nominauit [g]: Amen enim dico vobis, quia si non propter amicitiam, vel propter importunitatem eius surget, [illegible] dabit ei, quantum opus ha-*

[h] Ecclesi. 29 15. *buerit. Habes in Eleemosynarum fructu [h], Conclude*, inquit, *eleemosynam in corde pauperis, & ipsa orabit pro te in tempore tribulationis. Habes in emendatione vitæ,*

[i] Isaiæ 58. 6. *& operibus misericordiæ secundum illud [i]: Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Et post pauca: *quoniam infructuosa seruitij sterilitas castigatur. Tunc, inquit, inuocabis, & Dominus exaudiet te, clamabis, & dicet, adsum.* Nonnunquam sanè exaudiri etiam tri-

[k] psal. 119. 1. *bulationum nimietas facit secundum illud [k]: Ad Domi-*

Bened. Iustinian. in Epist. [illegible].

A *num cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Et iterum [a]: *Ne affixeris aduenam, quia si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* [a] Exod. 22. 27.

XII. Et multa deinceps addit, quibus precationis vim, atque efficacitatē declarat. Iam verò Moses suo exemplo docuit, quantum apud Deum iusti deprecatio valeat; iratum siquidem Deum, & extrema quæque populo minitātem suis precibus quodāmodo cohibuit. Et si ita loqui fas est, iam iā fulgura vibrantem adeò cōpescuit, vt Deus ipse [b] dixerit. *Dimitte me, vt irascatur furor meus cōtra eos.* Itaq; veniā peccantibus impetrauit. Quamobrē rectè Leo [c] Pontifex. *Oratione*, inquit, *propitiatio Dei quæritur.* Et alibi [d]. *Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque ieiuniis, & velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio* [b] Exod. 32. 10. [c] Serm. 1. de ieiu. 10. mēs. [d] Serm. 5 de ieiu. 10. mēs.

B *eleuata suffragiis.* Addit autem Apostolus multum valere deprecationem iusti; nam vt ait Sapiens [e], *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et Isaias [f]. *Cum extenderitis*, inquit, *manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* Et Dauid [g] de impio ait. *Et oratio eius fiat in peccatum.* [e] Eccle. 15. 10 [f] cap. 1. 15. [g] ps. 108. 7.

XIII. Quam ob causam Paulus [h]. *Volo ergo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* Et Christus [i] ipse. *Si ergo*, ait, *offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Adeo voluit Christus orātis animum ab omni animi perturbatione esse alienum. Denique ad- [h] 1. ad Tim. 2. 8. [i] Mat. 5. 23.

C dit Iacobus orationē assiduam magnam habere vim: Interpres enim Græcam vocem ἐνεργουμένη, hoc est, *efficacem* perinde accepit, quasi orationis efficacitas ab eius frequentia, & assiduitate pendeat: hoc enim nō obscurè significauit Christus, cùm [k] dixit: *Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget & dabit illi quotquot habet necessarios.* Addā Basilij [l] egregiam sententiam: *Magni etenim*, ait, *ponderis eorum auxilium est, qui possunt precibus flectere Deum, & supplicationes mutuæ, cum in hac vita salutares sunt, tum cum ex hac vita decedimus, copiosum nobis viaticum ad vitam futuram suppeditabunt.* [k] Luc. 11. 8. [l] Orat. 2. quæ est deprecat.

17. *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione*

D *orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.*]

I. Exemplū propositam sententiam confirmat. *Ne trepidaret*, inquit Beda, *nostra fragilitas, reputans se non posse facere similia tanto Propheta, qui curru igneo rapi meruit ad cælos, consulte de eius oratione loquuturus ab humilitate inchoauit. Similis nobis passibilis Elias carne infirmus à vidua pascitur, mente infirmus, vnius mulierculæ minis exterritus fugit per deserta.* Porrò Elias in sacris literis, quasi repentè, ac subitò [m] nominatur; origo autem eius ne indicatur quidem, tantum dicitur Thesbytes. Epiphanius [n] autem: *Elias*, inquit, *Propheta ex Thesbis erat è continente Arabum de tribu Aaron Leuita, morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ædes Sacerdotibus consecratæ.* Mox addit, in eius ortu mirum [m] 3 Reg. 17. 1. [n] De proph. vit.

E quiddam accidisse: *Quem*, inquit, *cum enixa esset parens eius, eiusmodi Sobac patri visio apparuit. Viri niueum quemdam præseferentes habitum pusionem salutabant, matrisque vberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant. Profectus est itaque genitor in Ierusalem, visaque ad Sacerdotes retulit; respondit autem illi chrematismus (hoc est oraculum, siue responsum). caue manifestum facias, erit quippe lumen filij [illegible] domicilium, sermóque eius demonstratio, atque sententia breuis, & iudicabit Israel cum in igne, tum rumphæa. Hic est ille Elias, qui ter ignem è cælo deduxit,*

quippe imbrem sua lingua gestans, mortuos item suscitauit, & in cælum denique nimbo, seu turbine ignis assumptus est.

II. Et fortasse hoc significauit Sapiens [a], qui de illo hæc planè scripsit. *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula ardebat.* Vir tamen tam eximius, ac singularis dicitur à Iacobo, similis nobis passibilis. Et tamen, vt ait Beda, *vna tantùm oratione orando tam longo tempore continuit cælos, terris imbres auertit, fructus mortalibus negauit.* Gregorius [b] autem. *Hinc Elias, ait, vt sicut homo parum aliquid quasi de diuina animaduersione sentiret, qui verbo cælos aperuit, ante indignationem mulieris territus per desertum fugit, & pro semet ipso infirmatur in formidine, qui furorem Dei placat aliis per interuentionem.*

a Eccli. 48. 1

b lib. 9. Mor. c. 9. al. 23. 12.

III. Et alibi [c]: *Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, cum Iezabel postmodum quamuis Reginam, tamen muliérculam fugit. Perpende quippe hunc mira virtute virum, ignem de cælo trahere, & secundo quinquagenarios cum suis omnibus petitione subita concremare; verbo cælos à pluuiis claudere, verbo cælos ad pluuias aperire, suscitantem mortuos, ventura quoque prædicentem. & ecce viursus animo occurrit, quo pauore ante vnam muliérculam fugerit. Considera virum timore percussum de manu Dei mortem petere, nec accipere; de manu mulieris, mortem fugiendo vitare: quærebat enim mortem, dum fugeret dicens: Sufficit mihi, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm patres mei. Vnde ergo sic potens, vt tot illas virtutes faciat? Vnde sic infirmus, vt ita feminam pertimescat, nisi quia æque appenduntur mensura, vt ipsi sancti Dei homines & multum valeant per potentiam Dei, & rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam? In illis virtutibus Elias, quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat, agnoscebat, illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. in illis virtutibus ostendebat, quid acceperit, in istis infirmitatibus hoc, quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus seruabatur.* Rectè ergo ait Iacobus, *Elias homo erat similis nobis passibilis*, Græcè ὁμοιοπαθὴς quasi dicat iisdem, aut similibus affectionibus obnoxius.

c li. 19. Mor. cap. 5.

IV. *Et oratione, inquit, orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* Ita autem legimus in historia Regum [d]. *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab. Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto; si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Quibus consentiunt ea, quæ scribit [e] Sapiens: *Verbo Domini continuit cælum, & deiecit de cælo ignem ter.* Eleganter autem rem totam describit Chrysostomus [f]: *Cùm que Elias, ait, Propheta sanctissimus populum præuaricantem inspiceret, eùmque Baal, & lucos despecto Domino coli à sacrilegis, perujderet, eùmque creatore neglecto figmentis sese, timoréùsque omnis populus addixisset, zelo Dei commotus Iudæam terram siccitatis sententia, & pluuiarum sterilitate damnauit. Tunc subito anhelat terra, siccatur cælum, sitiunt amnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aer feruet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies torrescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi ieiunant, squallet terra, herbas, quas produxit, interimit, iram Dei vniuersa creatura sentatur.*

d li. 3. cap. 1.

e Eccles. 48. 3

f Serm. de Elia to. 2. qui incipit Cum gesta pecca[ta] recensemus.

V. Ait itaque Iacobus *oratione orauit*, quasi dicat efficacem apud Deum precem fudit, & quod petiit facilè impetrauit. Ita factum est, vt quod ait Chrysostomus [g]: *Eliæ lingua fuerit velut cæli clauis: factus est enim velut arbiter, cuius nutu & cohiberentur, & defluerent imbres.* Porrò rectè Theodoretus [h] nimiæ illos audaciæ reprehendit, qui nimiæ audaciæ Eliam arguunt. *Erat enim, inquit, Propheta, & summus Prophetarum, & diuino zelo inflammatus, & hoc dixit diuino operante Spiritu, vnde etiam finem accepit.* Et profectò Eliæ oratio mira quadam confidentia nitebatur, &, vt ait Tertullianus [a], *ieiunio, atque abstinentia roborata vim habuit impetrandi.*

g Hom. 56. in va[ri]os Matth. loc.

h quæ. 49. in 3. lib. Reg.

a lib. adu. psych. c. 6.

VI. Et in eandem sententiam Ambrosius [b]: *Eliæ ieiunio ore vox emissa cælum clausit sacrilego populo Iudæorum; digna pœna, qua intemperantiam dignè coërcet, vt cælum impiis clauderetur, qui terrena polluerant.* Et sanè hoc Deus populo olim comminatus [c] erat: *Sin autem, ait, nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ, dabóque vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam, consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* Potuisset Iacobus aliorum veterum Patrum exempla proferre non pauca: nam & Mosis, & Iosue, & Tobiæ, & Dauidis preces multa à Deo impetrarunt, vnico autem Eliæ exemplo perspicuè ostendit, quanta sit sacrarum precum efficacitas, in vtramque partem siue mala imprecanda sint, siue bona impetranda. Quocirca mox subdit:

b li. de Elia. cap. 2.

c Leuit. cap. 26. 18.

18. *Et rursum orauit, & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.*]

I. Erat quippe, vt ait Chrysostomus [d], *Elias medius inter Deum, & populum, stabat, inquam, inter sacrilegos sanctus, inter peccatores iustus, inter profanos deuotus, aduocationem populo cunctis præstiturus, obiurgat populum, exorat Deum, iram Domini auertit, & errantem populum à Dei cultura, ad Dei latriam reuocauit; coniungit Dominum populo, & Deo populum. Fit per Eliam vna concordia inter Deum & hominem, inter populum, & genitorem, & vt vniuersi dicerent. Verè Dominus Deus ipse est Deus, clauis cæli fit sermo Eliæ sanctissimi: iubet enim, & clauditur, orat postmodum, & aperitur. Claudit inquam, cælum, & aperit, ligat, & soluit, reserat quod conclusit, vt Sanctorum meritum monstraretur non solùm in terris posse, quod volunt, sed & in cælestibus posse impetrare quodcunque petierit.* Quò etiam pertinent, quæ longa oratione de Elia disserit Augustinus [e]: ostendit enim fuisse Eliam liberatoris nostri typum, & concludit. *Elias orauit, vt pluuia in terram veniret, & Christus vt in cordibus humanis gratia diuina descenderet.* Et aliquantò pòst: *Sicut ergo orante Elia post tres annos, & sex menses pluuia de cælo descendit, ita & in aduentu Saluatoris tribus annis, & sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluuia verbi Dei totum mundum fæliciter irrigauit; & sicut tunc in aduentu Eliæ omnes Sacerdotes idolorum interfecti sunt, & deleti, ita in aduentu veri Eliæ, id est Domini nostri Iesu Christi, obseruatio sacrilega paganorum destructa est.*

d Ser. de Elia paulò antè indicato.

e Ser. 201. de temp.

II. Vt igitur Eliæ oratio efficax fuit ad prohibendam pluuiam, ita etiam vim habuit ad eam impetrandam, atque ita rectè probat Apostolus iustorum preces esse efficaces, & eximia quadam, ac diuina vi præditas. Aptè verò monet in præsentia Oecumenius iusti orationem *tunc verè efficacem esse, cùm ille etiam pro quo fit, spirituali aliqua [operatione], & humiliatione orantis opitulatur. Nā si [quis pro] nobis Deū deprecetur, & nos luxui, & delitiis deditis dissolutè vitam traducamus, nos intentionem orationis eius, qui pro nobis laborat, resoluimus, & in nobis id contingit, quod Beatus Petrus ait [f]: Sus lota in volutabro cœni; & vnus ædificans, & vnus destruens, nihil aliud prodest, quàm labores afferri.* Ita in libris Regum [g] dicit ad Samuelem Dominus. *Vsquequo tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israël.* Et ad Ieremiam [h]: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem,*

f ep. 2. c. 2. 22.

g li. 1. c. 16. 1.

h cap. 7. 16.

tionem ; & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. A
Confestim autem quasi rationem reddens subdit:
Nonne vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in
plateis Hierusalem ; filij colligunt ligna, & patres succen-
dunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant
placentas Reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad ira-
cundiam prouocent. Re namque vera mortalium scele-
ribus Deus iustè prouocatus, etiam iustorum homi-
num preces irritas patitur esse, atque inanes. Verè
a Thren. 3. 44. enim alicubi scripsit idem Hieremias [a]: *Opposuisti*
nubem tibi, ne transeat oratio. Quanquam ipsi oratori
suæ constat orationis fructus: ita de se ipso loquitur
b Psal. 34. 13. Dauid [b]: *Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar*
cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio
mea in sinu meo conuertetur.

IV. Porrò Deus immortalis miseratione commotus B
populum Israëliticum post diuturnam calamitatem
cùm recreare vellet, Eliæ mentem excitauit, qui post
c 3. Reg. 18. 42. stragem editam Sacerdotum Baal, *ascendit* [c] *in ver-*
ticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suã inter
genua sua, & ita tacitus Deum exorauit. Et non ita mul-
tò post: *Ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus,*
& facta est pluuia grãdis. Hoc autem est, quod ait Iaco-
bus, *cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.*
d Psal. 84. 13. Sic etiam loquitur Dauid [d]: *Etenim Dominus dabit*
benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Et
e cap. 55. 10. Isaias [e] diuinæ benignitatis vim eleganter explicat.
Et quomodo descendit imber ; & nix de cœlo, & illuc vltrà
non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, &
germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem co-
f cap. 5. 10. *medenti.* Et Iob [f]: *Qui dat pluuiam super faciem terræ, &* C
g cap. 36. 27. *irrigat aquis vniuersa.* Et alibi [g]: *Qui aufert stillas*
pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum, vt appa-
reat bona etiam corporea ritè posse suis adhibitis con-
ditionibus & sperari, & flagitari à Deo.

V. Viri quippe sancti magna grati animi significatio-
ne hæc etiam, quæ natura constant, tanquam Dei
singularia beneficia agnoscunt, quæ sint omnibus
mortalibus communia. Quod quanquam non sine
h lib. 4. de benef. c. 28. errore etiam Gentiles agnouerunt; ita enim alicubi [h]
scribit Seneca: *Dij quoque,* inquit, *multa ingratis tri-*
buunt, sed illa bonis parauerant ; contingunt autem etiam
malis, quia separari non possunt. Satius est autem prodesse
etiam malis propter bonos, quàm bonis deesse propter malos.
Ita quæ refers diem, solem, hyemis æstatisque cursus, & me-
dia veris, autumnique tempora, imbres, & fontium haustus, D
ventorum status flatus pro vniuersis inuenerunt, excerpere
singulos non potuerunt. Et paucis interiectis: *Nec enim*
poterat fieri, vt ventus bonis viris secundus esset, contrarius
malis, nec poterat lex casuris imbribus dici, ne malorum
improborùmque rura defluerent.

VI. Quod enim Gentiles necessitati tribuunt, id nos
diuinæ liberalitati, ac beneficentiæ adscribimus, quæ
pro sua libera voluntate hæc bona naturalia, quibus
i Sap. 18. 1. vult, impertit. Itaque verè dixit Salomon [i] Ægyptiis
cæca tenebrarum nocte inuolutis, sanctis, hoc est,
Iudæis maximam affulsisse lucem. Quod apertè scri-
k Exod. 10. 22. psit Moyses [k]: *Factæ,* inquit, *sunt tenebræ horribiles in*
vniuersa terra Ægypti, tribus diebus nemo vidit fratrem
suum, nec mouit se de loco, in quo erat, vbicunque autem
habitabant filij Israel, lux erat. Ita apparet hæc non E
necessariò æquè bonis, ac malis euenire.

VII. Quamobrem quod hoc loco scribit Iacobus, co-
hibuisse Eliam suis precibus imbrem, & rursus impe-
trasse, illud quidem diuinæ iustitiæ seueritatem, hoc
singularem beneficentiam indicat; vtrumque oratio-
nis vim, atque efficacitatem declarat. Ea porrò oratio
vim habet impetrandi, vt hic ipse Iacobus initio epi-
l cap. 1. 6. stolæ dixerat [l], quæ nulla hæsitatione deiicitur, quod
m Coll. 9. c. 31. egregiè explicans Cassianus [m] ait. *Cum orantes nos nul-*
la interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ

quadam desperatione deiecerit, sed obtinuisse nos in ipsa ora-
tionis effusione, quod poscimus, senserimus, non ambigamus
preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse. Tantum enim
quis exaudiri, atque obtinere merebitur, quantũ vel inspi-
ci se à Deo, vel Deũ crediderit posse præstare. Irretractabilis
namque est Saluatoris [a] *illa sententia: Quæcunque orantes* a Marci 11. 24.
petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.

Impetrata igitur Eliæ precibus pluuia, *terra,* loquit VIII.
Iacobus, *dedit fructum suum.* Nam si opportuna irriga-
tione pluuiæ destituatur, necesse est eam sterilitate,
atque infœcunditate laborare, quod significauit Da-
uid, cùm dicit [b]: *Anima nostra sicut terra sine aqua* b Psal. 142. 6.
tibi: Significat enim ita nos diuinæ gratiæ præsidio
indigere, vt terram cœlesti imbre ad fructum profe-
rendum.

19. *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, &*
conuerterit quis eum:
20. *Scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem*
ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, &
operiet multitudinem peccatorum]

Rectè cùm de orationis efficacitate dixisset, hæc I.
subiicit, quæ ad impiorum conuersionem pertinent,
quasi respiciat, quod paulò antè dixerat, *Orate pro*
inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti
assidua. Ibi enim docet ritè pro aliorum salute oranti
sperandam esse eorum, pro quibus orat, salutem ; hic
verò cùm id ipsum confirmat, tum etiam indicat,
quid vtilitatis in eos redundet, qui pro aliorum con-
uersione preces fundunt. Sic Dauid [c], vt paulo ante c Psal. 34. 13.
dixi. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio,*
humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in
sinu meo conuertetur. Sæpe autem iis etiam plurimùm
prodest, pro quibus Deus exoratur.

Quocirca existimauit Augustinus Stephani pro- II.
tomartyris preces, qui pro persecutoribus exorauit,
Pauli conuersionem impetrasse. *Nisi enim,* inquit,
Stephanus orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Atque
ita, vt ait Oecumenius, fideles monet, vt vnusquis-
que pro aliorum salute sit sollicitus. Principio autem
blãdè fideles appellat, *fratres mei,* inquit, addere solet
Paulus, fratres carissimi ; deinde, *Si quis,* inquit, *ex vo-*
bis errauerit à veritate. Non quidem solùm à veritate
fidei, quod pertinet ad hæresim, aut apostasiam, sed
etiam à recto virtutis tramite, quam morum verita-
tem appellant. De priori veritate loquitur Paulus,
cùm ait [d]. *Mali homines, & seductores proficient in peius* d 2. ad Tim. 3. 13.
errantes, & in errorem mittentes. Et alibi [e]. *Eo quod ca-* e 2. ad Thes. 2. 10.
ritatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet
illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.

Cæterùm veritas morum ad vitæ integritatem, III.
& actionum honestatem refertur : qua ratione, vt
alibi docui, vera fides dicitur, quæ iis, quæ credit,
moribus non contradicit. Quocirca errare à veritate
dicitur is, qui Dei præcepta negligit, & vitiis, atque
sceleribus inquinatur. Sic sæpe Dauid veritatem pro
legis obseruantia vsurpat, alicubi enim ait [f]. *Vias tuas* f Psal. 24. 4.
Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me ; Diri-
ge me in veritate tua, & doce me. Et alibi [g]. *Diligite Do-* g Psal. 30. 24.
minum omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Do-
minus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Et h Psal. 118. 86.
alio [h] loco. *Omnia mandata tua veritas.* Et post non-
nulla [i]. *Lex tua veritas.* i ver. 142.

Quicumque igitur ab altera, vel etiam vtraque IV.
veritate recedit, si non alia ratione, saltem assiduis
precibus reuocandus est in viam, vt appareat, quod
rectè obseruauit Beda, quæ paulo ante dicit Iacobus,
Orate pro inuicem, vt saluemini, non tam de corporis,
quàm de animæ salute accipienda esse. Quamquam
hoc apostolicum præceptum latius patere potest, &
ad fraternam correctionem, quam vocant, referri, vt

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

 docendo,

docendo, monendo, hortando, suadendóque, &c, quod caput est, præclaro vitæ exéplo proximi ad salubriora consilia traducantur. Ostendit autem huius siue studij, siue sollicitudinis vberem esse fructum. *Saluabit*, inquit, *animam eius à morte*, animæ videlicet mortem intelligit, qua perierat is, qui graui aliquo piaculo obstrictus erat: hoc enim modo loquitur etiam Christus apud Matthæum [a]: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

a cap. 18. 15.

V. Quo loco obseruat Augustinus periisse fratrem, qui dum corripitur, ad vitam quodammodo reuocatur. Docet autem Chrysostomus [b], habendam esse curam salutis proximi: *Nautæ*, inquit, *licèt nauis secundo vento feratur, cum tamen vident alios vel à longè naufragium facere, non ad propriam spectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem; sed sistunt nauem, detrahunt vela, eiciunt ancoram, proferunt funes, proiiciunt tabulas, vt ille, qui à fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat. Imitare & tu nautas, cùm videris nauigantium aliquem natare in fluctibus, & iam submergi, relictis negotiis tuis statim illius prouide saluti.* Gregorius [c] autem Nazianzenus: *Proximi*, ait, *lapsum ne rideas, verùm tu quàm potes tutissimè transi, atque interim humi iacenti manum porrige.* Est autem hoc beneficium longè maius, quàm quod ad corporis indigentiam subleuandam refertur, siquidem rectè ait Gregorius [d]: *Fortasse aliquis panem, vt indigenti eleemosynam porrigat, non habet, sed maius est quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus enim est, verbi pabulo victuram in perpetuū mentem reficere, quàm vētrem moritura carnis terreno pane satiare.*

b Hom. de habenda cura salutis proximi; & de nomine Abraham to. 1.

c Orat. 43.

d Hom. 6. in Euang.

VI. Et in eandem sententiam scripsit Chrysostomus [e]: *Vt anima corpore melior est, ita iis, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditat, maioribus præmiis digni sunt ij, qui admonendo, & continuè docendo in viam rectam supinos, & desides inducunt, monstrando eis virtutum diuinarum fragrantiam, vitiorúmque malolentiam.*

e Hom. 3. in Gen.

VII. Et alibi [f]: *Nullus, ait, rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quam ob rem etiam si diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is, qui conuertit animam.* Quapropter meritò exclamat Bernardus [g]: *Cadit asina, & est, qui subleuat eam, perit anima, & nemo est, qui reputet.* Acutè autem dixit alicubi Salomon [h]: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* Hoc autem omne studium ad salutem animæ referendum est, atque adeò prudenter agendum, & medicorum industria, qui ferrum prudenter obuelant, vt vulnus non expectatum leuius feratur. Qua de re multa prudenter scribit Gregorius [i], & nos alibi plura.

f Hom. 3. in 1. ad Cor.

g lib. 4. de consid. in fine.

h Prou. 25. 12.

i 3. p. past. c. 18.

VIII. *Et operiet multitudinem peccatorum.* An eius peccata operiet, qui ab errore reuocatur? Sanè plerunque id accidere posse haud iuerim inficias. Nam si de infide errantibus sermo sit, quis dubitat eum, qui fidei iacturam fecerit, in omnium scelerum cœno volutari. Si igitur ab hæresi quispiam reuocētur, iure optimo Apostolus ait peccatorum multitudinem operiri, hoc est, expiari, condonari, ac penitus aboleri. Ita enim loquitur etiam Dauid [k]: *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et verisimile videtur spectasse Iacobum impuros hæreticorum mores, qui eo tempore Apostolicam doctrinam oppugnabant, quos potissimùm, vt suo loco dicemus, Petrus, & Iudas Apostoli suis epistolis perstringunt.

k Psal. 31. c.

IX. Quòd si loquitur Iacobus de cuiusque flagitiosi hominis conuersione, fieri etiam potest, vt multitudo peccatorū operiatur, siue quæ ab ipso perpetrata iam sunt, siue quæ in posterū patrāda forent, siue denique quæ ipsius exemplo alij admissuri essent. An is, qui aliū ad meliorem frugem traducit, suorum scelerum

A multitudinem operit? Equidem vix ausim hoc affirmare, si præsertim de lethalibus criminibus sermo sit. Nam de leuioribus culpis miro consensu affirmant Theologi. Illud autem non grauatè admiserim, eiusmodi studium, ac sollicitudinem diuino excitantis gratiæ auxilio, ardenti animo susceptam, tanti esse apud Deum, vt efficacem gratiam impetrare queat, qua ad peccata detestanda prouocetur, & perfectam iustificationem assequendam.

X. Quod non obscurè significare visus est B. Gregorius, qui alicubi [a] scribit. *Benedictio etiam pericli super eam venit, cùm peccatoris interitum præuenit, & cùm sanctis exhortationibus à culpā fouea reducit; vnde scriptū est. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* B *Si enim magna mercedis est à morte eripere carnē quandoque morituram; quanti est meriti à morte animam liberare in cœlesti patria sine fine victuram.* Potest igitur Deus excitare quempiam etiamnūm peccato implicitum, & caritatis ardore incendere, vt de alterius salute sit sollicitus, & ad iustitiam traducat, atque tam laudabili actione impetret à Deo perfectam contritionem, atque adeò dum aliis consulit, suam ipse salutem assequatur.

a lib. 19. mo. c. 12. alias 16.

XI. Neque verò mirum cuiquam videri debet, cur Apostolus conuersationem peccatoris, & scelerum expiationem, quæ diuinæ tantùm gratiæ beneficio peragitur, humano studio, ac diligentiæ tribuat. Ita enim loquitur: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitu-* C *dinem peccatorū.* Ita significat humana industria quempiam conuerti, itemque posse quēpiam alterius animam saluare, & operire multitudinē peccatorū cùm tamen dicat Paulus [b]: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Sed nimirum, vt alibi docui, voluit Deus in hominum iustificatione interdum homines, tanquam ministros, & adiutores adhibere. Sic enim dixit Paulus [c]: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi.* Et alibi [d]: *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos tanquam Dei ministros.* Denique [e]: *Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis.*

b ad Rom. 9. 16.

c 1. ad Cor. 4. 1.

d 2. ad Cor. 6. 4.

e 1. ad Cor. 3. 4.

XII. Omnino autem vis effectrix iustificationis nostræ à gratia pendet. Quamobrem mox subiicit Paulus. *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed* D *qui incrementum dat Deus.*

XIII. Et rursus subdit: *Dei enim sumus adiutores*; perinde quasi primas Deo tribuendas doceat, nec tamen suam etiam laudem ministris, & adiutoribus neget. Verè namque scriptum est à Gregorio [f]: *Sed inter hæc, inquit, sciendum est, quòd plerunque etiam Deum, qui videlicet imbecillis non est, humiliter agentes adiuuamus. Vnde & per Paulum dicitur; adiutores Dei sumus. Nam cùm ei, quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis voce concurrimus, hoc, quod ille per Spiritum sanctum agit intrinsecùs, nos exteriùs ministerio vocis adiuuamus, & tunc solùm nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, cùm in corde Deus fuerit, qui adiuuetur, vnde & aliàs dicit: Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus; planta-* E *re quippe, & rigare, adiuuare est, quod vtrumque vacuum erit ministerium, si in corde Deus non dat incrementum.* Possunt igitur Iacobi verba vtroque modo accipi, vt studium conuersionis proximi, cùm ipsi proximo, qui conuertitur, tum etiam ipsi conuertenti vtile sit, ac salutare, vt minimum ad leuia, & venialia peccata abolenda, cùm functio quædam sit eximiæ cuiusdam caritatis, quæ, vt ait Petrus, *operit multitudinem peccatorum.* Nec de Epistola Iacobi plura dicenda sunt.

f lib. 27. mo. c. 10. alias 11.

IN



IN PRIOREM B. PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS CANONICAM EPISTOLAM

PRAELVDIA.

PETRVS Apoſtolorum princeps, in Galilææ, Betzaidæ vico humi- I.
libus, ac tenuibus parentibus ortus, olim piſcatu victum ſibi, ac fa-
miliæ comparabat. Vbi verò Chriſto Domino adhæſit, pontifica-
tum ab eo adeptus, Eccleſiam adminiſtrādam ſuſcepit, & poſt Do-
mini in cœlum aſcenſum, promulgando Euangelio, plurimiſque
mortalium ad fidem traducēdis, vt ex Actis Apoſtolicis cognoſci poteſt, ſtrenuam
nauauit operam. Et ne voce tantùm, ſed etiam ſcripto pluribus prodeſſet, multa a lib 3. hiſtor. c. 3.
ſcripſiſſe fertur, inter cætera Euſebius [a], Hieronymus [b], Sophronius [c], & Nicepho- b de Script. Eccleſ. in Petro.
rus [d], hos Petri libros recenſent. Prædicationem, Euangelium, Acta, Apocalypſim, c. . . .
ſeu Reuelationem, & Iudicium. Tametſi autem Hieronymus, neminem ait, ex pri- d lib 2. hiſtor. c. 46.
ſcis ſcriptoribus hos Petri libros laudare; aut ex iis teſtimonium proferre; Nonnulla e lib. 6. Stro. non longè à principio.
tamen lego ex Petri Prædicatione petita apud Clementem Alexandrinum [e].

Cognoſcite ergo, ait, vnum eſſe Deum, qui fecit omniū principiū, & finis habet poteſtatem; & II.
qui non cadit ſub aſpectū, qui omnia videt, qui cùm capi non poſsit omnia capit, nullius indigēs,
cuius indigēt omnia, & per quē ſunt omnia, qui comprehēdi non poteſt, æternus, ab interitu alie-
nus, non factus, qui omnia fecit verbo virtutis ſuæ, Scripturæ inquam, cognoſcentis, hoc eſt filij.
Hunc Deum colite, non vt Græci, vtpote quod eundem, quem nos, colunt Deum, qui ſunt viri
probi apud Græcos, ſed non perfecta, & abſoluta cognitione, vt qui à Filio datam nō didicerint
traditionē: quoniam dum feruntur ignorantia, & Deū neſciunt, vt nos perfecta cognitione, cum
poteſtate, quā dedit eis, ad vſum formaſſent ligna, & lapides, æs, & ferrū, & aurū, & argentum
ex ipſorum materia, & vſu, & quæ ſubſtantiæ ſerua ſunt, excitaſſent, ea colunt. Et quæ eis Deus
dedit in cibum, volucres aēris, & maris natatilia, & terræ ſerpētes, & feras, cum agri pecoribus
quadrupedibus, muſtellaſque, & mures, feles, & canes, & ſimias, & proprios hominibus cibos
ſacrificant, & mortua mortuis offerentes, tāquam diis in Deum ſunt ingrati, per hæc ipſum eſſe
negantes. Neque colite, vt Iudæi: etenim illi ſoli ſe Deū noſſe putantes, neſciūt ſe adorare angelos,
& archangelos, mēſem, & lunam, & niſi luna apparuerit, non agūt Sabbatum, quod dicitur pri-
mum, neque agūt neomeniā, neque azyma, neque feſtum, neque magnū diem. Quare vos quoque
ſanctè, & iuſtè, quæ vobis tradimus dicentes, ſeruate, nouè Deum per Chriſtum colentes. Inue-
nimus enim in Scripturis, ſicut dicit Dominus, Ego facio vobis Teſtamentum nouum, non vt
feci patribus veſtris in monte Choreb: nouum dedit nobis teſtamentum: quæ enim ſunt Iudæo-
rum, & Græcorum: ſunt vetera, nos autem qui nouè ipſum tertio genere colimus, ſumus
Chriſtiani.

Eadem penè in compendium redacta, paucis perſtringit Origenes [f]: *Inquiren-* III. f Tomo 13. in Ioan.
dum tamen, ait, ſitnè eius libri auctor Petrus, an Petri nomen falsò præferat, an denique errores
admixtos habeat. Certè mihi tota hæc oratio ab Apoſtolica grauitate videtur alie-

na, vt & illa, quam idem Clemens paucis interiectis, Paulo Apostolo adscribit; *Libros quoque*, inquit, *Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura, & Hystaspen sumite, & legite, & inuenietis Dei Filium multò clarius, & apertius esse scriptum; & quemadmodum aduersùm Christum multi Reges instruunt aciem; qui eum habent odio, & eos, qui nomen eius gestant, & eius fideles, & eius tolerantiam, & aduentum.*

IV. Iudicij Petri mentionem facit Ruffinus [a]. *In nouo verò Testamento*, inquit, *libellus, qui dicitur Pastoris, siue Hermetis, & Iudicium secundùm Petrum, omnia quidem Patres legi in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* De Petri verò Euangelio nihil attinet in præsentia dicere: siquidem Eusebius [b] testatur, Petrum ex nimia quadam reuerentia, ne dignum quidem se scriptione Euangelij existimasse; sed ipsius dictata à Marco ipsius discipulo in commentarium fuisse redacta. Serapion autẽ Antiochenus Episcopus Petri Euangeliũ elucubrasse dicitur [c], vt quæ in eo falsa deprehenderet, penitus refelleret, ne inde errores fideles haurirent. *Nos enim*, ait, *fratres, & Petri, & aliorum Apostolorum doctrinam recipimus; sicut & Christi, sed libros quosdam eorum nominibus falsò inscriptos, vtpote eius rei satis experti omnino repudiamus, idque pro certo cognoscentes, nos eiusmodi non aliquando ab illis accepisse. Ego enim, cùm essem apud vos, putabam certè omnes rectæ fidei penitus addictos fuisse; librum idcirco, qui Petri Euangelium inscribebatur, mihi ab illis oblatum; cùm minimè perlegissem, equidem dicebam; Quod si quia hoc Euangelium inter vos non legatur, animo, & voluntate dissideatis, legatur quidem. Verùm cùm iam intelligam illos occasione ex iis, quæ ipse tum dicebam, arrepta in erroris cuiusdam latebras irrepsisse, ad vos denuò venire maturabo.* Et paulò pòst. *Poteramus*, inquit; *facilè animaduertere nonnullas illius Euangelij sententias, cum vero, rectóque Seruatoris verbo consentientes esse; alias autem ab eo diuersas, discrepantésque.*

V. Ipse porrò Eusebius [d] de Petri pseudographis libris hunc in modum scribit: *Quæ autem Acta illius inscribuntur, atque Euangelium, quod secundùm Petrum appellatur, libellum præterea de eius prædicatione, opúsque illius quod Apocalypsis vocatur, non omninò in Scripturis Catholicis numerata, approbatáve cognouimus, quandoquidem nullus scriptor Ecclesiasticus vel ex veteribus, vel ex his, qui nostra memoria viguerunt, testimoniis ex illis libris depromptis, aliquando vsus est.* Eadem scribit Hieronymus [e]. Sed quod negant vllum fuisse ex his libris prolatũ testimonium, non videtur omnino verum, vt Clementis Alexandrini, & Origenis verba paulò antè allata apertissimè docent. Quin etiam idem Origenes [f] ex Actis Petri verba quædam profert. Verùm Nicephorus [g] non dubitauit Petri prædicationem, eiusdem Euangelium, Acta, & Apocalypsim tanquam adulterina scripta repudiare. Certè Origenes [h] alium quendam librum Petri nomen præferentem nominat, qui Petri doctrina inscriberetur. *Si quis, ait, velit nobis proferre ex illo libello, qui Petri doctrina appellatur, quod Saluator videtur ad discipulos dicere, non sum dæmonium incorporeum; Respondendum est ei, quòd liber ille inter Ecclesiasticos non habetur, & ostendendum, quia neque Petri est ipsa Scriptura, neque alterius cuiusquam, qui Spiritu Dei fuerit inspiratus.* Petri porrò itinerarium nomine Clementis editum Gelasius [i] inter apocrypha refert.

VI. Cæterùm his prætermissis, quæ, vt diximus, partim dubiæ, partim suspectæ sunt fidei: hæc prima Petri Epistola citra vllam controuersiam, tanquam legitima, & canonica, Petri epistola admittitur. Ita enim scribit Eusebius [k]: *Vna verò Petri Epistola, quæ prior illius esse dicitur, omnium consensu est approbata, hanc quasi extra omnem controuersiam positam veteres presbyteri in suis ipsorum scriptis citarunt.* Et paulò pòst: *Ac de his, quæ dicuntur scripta Petri, ex quibus vnam solam epistolam germanam noui, eámque summo presbyterorum consensu approbatam, ista sint isto tempore à nobis exposita.* Rursus [l]: *Porrò quibus in prouinciis Petrus Christi Euangelium his, qui erant ex circumcisione enunciarit,*

a in Exposit. symboli.
b lib. 3. Demonstrat. Euang. cap. 7. versus fin.
c Euseb. lib. 6. hist. c. 10.
d lib. 3. hist. c. 3.
e De script. Eccles. in Petro.
f tomo 20. in Ioan.
g lib. 2. hist. c. 46.
h lib. 1. Periarch.
i Cap. sancta Romana. d. 15.
k lib. 3. hist. c. 3.
l cap 4.

enunciauit, nouiúmque Testamenti sermonem tradiderit: ex suis ipsius verbis petitis, ex epistola illa, quàm illius verè esse, omniúmque approbatione confirmatam fuisse diximus, quam denique Hebræorum stirpe oriundis qui dispersè, & vagè Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam incoluerunt scripsit, satis euidenter, & apertè constat.

Quocirca verè omnino Petri Apostoli nomen hæc Epistola præfert, qui pro sui VII.
muneris ratione Iudæos, qui in variis regionibus dispersi, Christiana sacra suscepe-
rát, partim cósolatur, partim in fide, ac suscepta religione confirmat. Ná præter Eu-
sebium, quem modò laudaui, Athanasius [a], Hieronymus [b], Oecumenius [c]; & Beda [e]
constanter affirmant scriptam fuisse hanc Epistolá ad Iudæos, qui cum vagi, ac pro-
fugi in variis Asiæ prouinciis degerét, Christianis sacris initiati erant: quomodo Ia-
cobus ad duodecim tribus in dispersione positas, suam misit Epistolam. Verùm ego
id non perinde accipio, quasi Petrus quæcunque hac epistola scripsit, ad Iudæos
tantùm voluerit pertinere: illa [d] namque quæ Oseæ [e] vaticinio confirmantur, ad
gentes omnino spectant, *qui aliquando*, inquit, *non populus, nunc autem populus Dei; qui
non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti*. Et Paulus [f]: Oseæ verba
de vocatione gentium explicat. Et Beatus Hieronymus [g], cùm hæc ipsa Petri verba
producturus esset, *Petrus*, inquit, *quid de vocatione gentium sentiat, contemplemur.*

a in Synopsi.
b de Script. Eccles. in Petro.
c in Comment. huius epist.
d cap. 2. 10.
e cap. 2.
f ad Rom. 9.
g lib. 1. contra Iouinian.

Iudæos igitur potissimùm nominat Petrus, siue, vt se præcipuè Iudæorú Apósto- VIII.
lum doceat, siue quod magis reor, vt significet Ecclesias illas, quas potissimùm hac
sua Epistola instituendas, atque erudiendas susceperat, maxima ex parte ex Iudæis
cóstare; quibus Petrus Euangelij lucé prætulerat, cùm alioqui in iis nó pauci etiam
Gentiles numeraréntur. Itaque Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, & Cassiodorus
hanc Epistolam ad Ponticos scriptam fuisse affirmant. Fateor viros doctos existi-
masse Oseæ vaticinium, quod Petrus vsurpat, potuisse ab eo non ad gentes, sed ad
Iudæos referri, qui post Christi in cœlum ascensum, cùm Christi fide destituéren-
tur, à Deo alieni erant, neque vllo pacto ad Dei populum pertinebant.

Sed quanquá non dubito vnú, atque eundé Scripturę locú æquè posse ad Iudęos, IX.
atque Gentiles pertinere, si vtrique eodé scelere, atque impietate implicentur; non
possum tamé mihi persuadere, Petrú Apostolú, cui Christus Dominus vniuersæ Ec-
clesiæ gubernacula tradiderat, ouésque suas, hoc est, fideles omnes, Dei verbo pa-
scendos commiserat, præteritis Gentilibus, solos sibi Iudæos diuinis præceptis im-
buendos suscepisse. Neque verò iis prorsus assentior, qui Gentiles quidem ab Apo-
stolo erudiri non negant, sed qui tamen proselyti Iudæorum religionem complexi
essent, tum quia illi paucissimi erant, tum quia proculdubio plurimi Gentilium iis
in regionibus proximè, nullàque Iudæorum religione infecta, Christo nomina
dederant, quos, vt dixi, Petrus Apostolus minimè neglecturus erat.

Argumentum porrò Epistolæ, meo quidem iudicio, egregiè ab Athanasio ex- X.
plicatur, quem magna ex parte sequitur Oecumenius: commendat enim Christi
Domini nostri in omne genus hominum singularem charitatem, & beneuolen-
tiam, & eximij beneficij magnitudinem, cum nostra causa humanam sibi naturam
adiunxerit, mortem obierit, & redierit ad superos, & Christianam denique doctri-
nam cunctis mortalibus proponendam Apostolis tradiderit. Hanc autem Christi
doctrinam & veram religionem continere, & cum veterum Prophetarum vatici-
niis, atque oraculis mirum in modum congruere, atque adeò solam salutem affer-
re posse sempiternam. Licèt autem omnium penè Gentilium conspiratione oppu-
gnetur, constantissimè tamen ab omnibus retinendam esse, etiamsi acerbissima
quæque à tyrannorum immanitate perferenda sint.

Itaque grauissima oratione omnes ad patientiam, & constantiam hortatur, XI.
Christi Domini exemplo proposito, qui probris, & contumeliis, sæuissimis deni-
que suppliciis affectus, incredibilis cuiusdam lenitatis, mansuetudinis, ac tolerantiæ
illustrissi

illustrissima documenta præbuit. Quamobrem ad fidelium mores instituendos conuersus, plurima præcepta tradit, docérque quid subiecti Magistratibus etiam ethnicis, quid serui Dominis, quamuis adhuc infidelibus iure debeant; quæ sint viri in vxorem, vxoris erga virum officia, quæ doctorum, & pastorum partes, & id genus alia non pauca, vt appareat non exiguam ex hac Epistola tum doctrinam, & eruditionem, tum vitæ morúmque institutionem percipi posse. Atque adeò huius Epistolæ vtilitatem latissimè parere, atque ad omnium fermè Christianorum genera pertinere.

Tribuitur autem hæc Epistola in quinque capita, quorum singula argumenta suis locis proponentur.

Primi Capitis Argumentum.

PRÆTERMISSA *inscriptione, salutationéque Apostolica exorditur Apostolus à Dei laude, diuinorúmque beneficiorum commendatione, docétque quid humano generi suo ad nos aduentu Christus attulerit. Deinde in fide, & Christiana religione perseuerandum docet, idq; pluribus argumentis confirmat.*

CAPVT I.

1 PETRVS *Apostolus Iesu Christi, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.*

2 *Secundùm præscientiam Dei Patris in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi: Gratia vobis, & pax multiplicetur.*

3 *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam, regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.*

4 *In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis in vobis,*

5 *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.*

6 *In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus:*

7 *Vt probatio vestra fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi,*

8 *Quem*

PARAPHRASIS.

PETRVS Iesu Christi Domini nostri Apostolus, iis, qui peregrinantur, & tanquam extorres in regionibus Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ vitam degunt. ¶ Cum tamen diuino consilio æternáque prouidentia Dei Patris electi, & Spiritus sancti vi sanctitatis participes facti sint, vt cœlesti vocationi obtemperent, & pretioso denique Iesu Christi sanguine irrorentur: gratiæ & pacis diuinæ vberem copiam atque affluentiam precatur. ¶ Sempiternis porrò laudibus celebrandus est Deus immortalis, ac Domini nostri Iesu Christi Pater, qui immensæ suæ misericordiæ impulsu, reuocato ad superos Iesu Christo, nos quodammodo denuò genitos in spem viuam erexit, ¶ Hæreditatis consequendæ, hæreditatis inquam, immortalis, atque ab interitu prorsus alienæ, omnis penitus labis expertis, perpetuóque virorem suum, ac pulchritudinem retinentis, quam Deus ante omnem æternitatem vobis præparauit, atque immutabili consilio conseruat. ¶ Vobis inquam, qui cœlesti, diuináque ope in percepta fide, ac religione firmi constantésque retinemini, vt sempiternam salutem assequamini, quæ in extremo mundi occasu palàm cunctis mortalibus patefiet. ¶ Tunc autem vos miro quodam gaudio, lætitiáque perfusi incredibiliter exultabitis, hoc ipso nomine, quod breuissimo temporis articulo quo mortalis vita circunscribitur, si fortè contingat variis tentationibus, rebúsque aduersis premi, vexaríque forti, constantíque animo omnia pertuleritis. ¶ Rari id, quod res est periculis, aliísque incommodis, fidei constantiæque vestræ periculum fieri, vt illa longè auro pretiosior, quod igne exploratur ad

le u

Iesu Christi, qui tunc se cunctis mortalibus spectandum præbebit, eximiam laudem, gloriam atque honorem deprehendatur. ¶ Quem quidem Christum Dominum tametsi oculis non spectastis, amore tamen, & caritate complectimini, & ne nunc quidem eum cernentes, eius tamen fidem animo concepistis, hac spe erecti, confore atque fore aliquando, vt ineffabili quodam gaudio gloria, atque immortalitate donati, in beata vita exultetis. ¶ Adepti nimirum conceptæ fidei vestræ finem, hoc est, vestrarum animarum salutem sempiternam. ¶ De qua quidem salute diuini olim vates cœlesti afflati numine, incredibili studio, ac sollicitudine multa inuestigarunt, subtilitérque exquisierunt, qui istud vestrum diuinum beneficium tanto antea animo præceperunt, & suis scriptis posteritati consignarunt. ¶ Perscrutantes videlicet certum, ac præfinitum tempus, eiúsque omnes conditiones, quas cœlestis Christi Spiritus diuinitùs illis indicabat, prædicens illis acerbos Christi Domini cruciatus, & quam deinceps, quámque ingentem gloriam consequuturus esset. ¶ Neque verò eorum caussa illa omnia ab immortali Deo patefacta sunt, sed ad vos cuncta pertinebant, atque eminus indicabant illa, quæ nunc proposita sunt vobis ab iis, qui Spiritu sancto cœlitùs accepto Euangelium vobis promulgarunt, quæ profectò sunt eiusmodi, vt etiam beatæ illæ mentes ea vehementer cuperent intueri. ¶ Quamobrem expediti, ac prompti, & quodammodo accincti animi vires exerite, & prauis omnibus cupiditatibus veluti fræno cohibitis, spem vestram ad ea bona erigite, quæ vobis proponuntur percipienda, tunc cùm Christus immortali gloria circundatus, secundò ad nos veniet. ¶ Date verò operam, vt tanquã filij obsequentes, à prauis cupiditatibus alieni, quibus olim ignorantiæ tenebris obcæcati, nefariè indulgebatis. ¶ Eum, qui vos vocauit, tanquam sanctitatis auctorem imitantes, ipsi quoque in omni vita sanctimoniam colatis. ¶ Scriptum est enim, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. ¶ Quòd si verè, atque ex animo Patrem appellatis eum, qui absque vllo personarum respectu iudicium exercet, & vniuscuiusque bonarum malarúmve actionum rationem habet, æquum profectò est, vt breuissimo huius vitæ curriculo, in quo tanquam aduenæ atque incolæ versamini, Dei timore concepto ad omnem pietatem mores, vitámque vestram componatis. ¶ Reputantes vos non auro, argentóve, aliόve caduco, & mortali pretio redemptos esse ab illa pristina seruitute, qua paternis traditionibus obstricti obnoxij degebatis; ¶ Sed pretioso Christi sanguine, tanquam agni immaculati, & ab omni sorde puri, atque integri. ¶ Quem ante omnem æternitatem præfinitum ac prædestinatum fuisse credimus, cùm tamen hac extrema mundi ætate vestrâ ipsorum causa prodierit in lucem. ¶ Qui singulari ipsius beneficio fidem complexi estis, & Deo nomina dedistis, qui illum ab inferis

8 *Quem cùm non videritis diligitis, in quem*
nunc quoque non veuientes creditis: credentes
autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.

9 *Reportantes fidei vestræ salutem animarum.*

10 *De qua salute exquisierunt, atque scrutati*
sunt Prophetæ, qui de futuro in vobis gratia
prophetauerunt.

11 *Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret*
in eis Spiritus Christi: prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones,
& posteriores glorias.

12 *Quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis,*
vobis autem ministrabant ea, quæ nunc
nunciata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt
vobis Spiritu sancto misso de
cœlo, in quem desiderãt Angeli prospicere.

13 *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ,*
sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur
vobis gratiam, in reuelationem Iesu
Christi.

14 *Quasi filij obedientiæ non configurati prioribus*
ignorantiæ vestræ desiderijs,

15 *Sed secundum eum qui vocauit vos, sanctũ,*
& ipsi in omni cõuersatione sancti sitis.

16 *Quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam*
ego sanctus sum.

17 *Et si Patrem inuocatis eum qui sine acceptione*
personarum iudicat secundùm
vniuscuiusque opus, in timore incolatus
vestri tempore conuersomini.

18 *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel*
argento redempti estis de vana vestra
conuersatione paternæ traditionis:

19 *Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati*
Christi, & incontaminati.

20 *Præcogniti quidem ante mundi constitutionem,*
manifestati autem nouissimis temporibus
propter vos.

21 *Qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit*
eum à mortuis, & dedit ei gloriam,
vt

vt fides vestra, & spes esset in Deo.

22 *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore simplici ex corde inuicem diligite attentiùs.*

23 *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.*

24 *Quia omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.*

25 *Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.*

inferis reuocauit, eique immortalem gloriam largitus est, vt fides spésque vestra vno potissimùm Deo niteretur. ¶ Itaque animos vestros quàm diligentissimè perpurgate, & veritatem, quam iam animo complexi estis, constanter retinete, dictóque audientes estote: synceram, atque ab omni simulatione alienam proximorum caritatem, & beneuolẽtiam sectamini, atque ex animo vos mutuò diligite impensiùs. ¶ Sedulò enim cogitandum vobis est, vos non ex mortali, aut perituro semine genitos esse, sed immortali, & nunquam interituro, hoc est, diuino verbo, & promulgatione Euangelij, cuius vis, atque efficacitas in omnem æternitatem perseuerat. ¶ Verè namque scriptum est ab Isaia Propheta. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. ¶ Atqui verbum Domini in omne æuum persistit: verbum inquam, quod Euangelica doctrina continetur, quæ ingenti vestro bono, atquè eximio, & singulari Dei munere ad vestras aures, animósque perlata est.

IN CAPVT PRIMVM
EXPLANATIO.

1\. *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.*] A

I. 
HÆc est epistolæ inscriptio, quæ scribentis nomen, & eos ad quos scripta est, more consueto indicat. Auctor igitur Epistolæ dicitur Petrus. Syriacus interpres tria huius scriptoris nomina exprimit. *Epistola*, inquit, *Petri, Simeonis, Cephæ*. Constat enim auctorem olim in circuncisione, quo tempore Hebræi nomina imponere consueuerant, Simeonem, contractè verò Simonem fuisse appellatum. Quo nomine sæpè in Scripturis vocatur; apud
a cap. 1. 41. Ioannem [a], *Tu es Simon filius Iona.* Et alibi [b], *Simon*
b Ioan. 21. 15. *Ioannis, diligis me plus his?* Cùm vero à fratre Andrea ad Christum Dominũ adductus esset, illum Christus proprio quidem nomine compellauit, sed addidit, B *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Itaque
c cap. 4. 18. non rarò Simon Petrus dicitur: nam apud Matthæũ [c] legimus, vidisse Christum, *duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.* Et apud eun-
d cap. 10. 2. dem [d] in Apostolorum catalogo primo loco recensetur *Simon, qui dicitur Petrus.*

II. Denique [e] cùm interrogaret Christus discipulos
e Mat. 16. 16 suos, quem se esse existimarent, *respondens Simon Pe-*
f Marc. 3. 16. *trus dixit, Tu es Christus filius Dei viui.* Sic aliàs sæpe [f];
Luc. 6. 4. Luc. 9. 20. & apud Ioannem [g]: Nonnunquam simpliciter dici-
g cap. 1. 6. 11 tur Cephas. Apud Paulum [h]. *Ego verò Cephæ.* Post
16. 18 20 21. multa [i], *siue Apollo, siue Cephas.* Rursus [k]; *fratres Do-*
h 1. ad Cor. 1. 12. *mini, & Cephas.* Denique [l]. *Visus est Cephæ.* Et ad Ga-
i cap. 3. 21. latas [m]. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes.* Et aliquantò
k cap. 9. 5. pòst [n]. *Dixi Cephæ coram omnibus.* Est autem Cephas C
l cap. 15. 5. nomen Chaldaicum seu Syriacum, significátque pe-
m cap. 2. 9. tram, vt docet Hieronymus [o]. Et vbicunque in Græ-
n vers. 14. cis codicibus legitur, פטרס *sela*, id est, petra; Syriacus
o ad Gal. 2. habet *Cephas*, quin etiã Hebraicè, כפא *Cepha saxum*, seu *rupem* significat. Nam apud Ieremiam [a], vbi legi- a cap. 4. 29.
mus. *Ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes.* Hebraicè legitur עלו בכפים *bacepim allu.* Cùm igitur Christus Dominus Simoni dixit, *Tu vocaberis Cephas*, petræ illi nomen seu cognomen indidit.

III. Nam cùm olim Deus nouam quandam quasi remp. institueret, & peculiarem sibi populum deligeret, qui veram Dei fidem, ac religionem complexus, legitimo cultu, ac veneratione numen prosequeretur; Abram quem fidelium parentem, ac fidelis sobolis progenitorem constituerat; mutato nomine Abraham appellauit. Non aliter Christus Dominus, cum reiecto Iudaico populo, gentium Ecclesiam inchoaret, Simonem, quem sibi Vicarium destinauerat noui nominis adiectione Petrum, hoc est, petram appellauit, quæ sibi tanquam angulari lapidi adiecta nouæ B Ecclesiæ fundamenta poneret, quam *portæ inferi*, hoc est, tyrannorum immanitas, philosophorum versutia, hæreticorum perfidia, scelerũ magnitudo, & grauitas, non modò non euerteret, sed ne concuteret quidem, aut vllo modo quassaret, sed inde potiùs existeret turris illa [b] Dauidica, *quæ ædificata est cum propugna-* b Cant. cap. 4. 4.
culis: vnde mille clypei pendent, & omnis armatura fortium. Rectè autem petræ nomen Christi Vicario tribuitur: vt enim Ioseph in libro Geneseos [c]: *Pastor &* c cap. 49. 14.
lapis Israel, nuncupatur, quia, vt interpretatur Sapiens [d], *princeps fuit fratrum, firmamentum gentis, rector* d Ecclesiast. 49. 17.
fratrum, & stabilimentum populi, sic prorsus Petrus Apostolorum princeps fuit, pastor, ac firmamentum totius populi Christiani, rector fratrum, hoc est, omnium Episcoporum Pater, ac Magister, stabilimen- C tum denique populi, ad quem pertinet certissima illa Christi promissio, quæ his verbis continetur [e]; *Ego* e Luc. 22. 32.
rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

IV. Nec malè prætermisso Simonis nomine se Petrum

in præ

in præſentia vocat: cùm enim fideles in fide, & ſuſcepta religione confirmet, indicare voluit, ſtatim initio hoc maximè ad ſui muneris rationem pertinere, vt tanquam firma, ac ſtabilis petra alios roboret, ac ſtabiliat; idque omnino præſter quod mutatio nominis iure ſuo quodammodo exigere videbatur: hoc enim haud obſcurè ſignificauit Chriſtus, cùm apud Matthæum dixit [a]: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* vt enim ſcribit Auguſtinus [b]; *Pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molémque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus* [c] *nuncupatur. Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis.* Nam, vt rectè monet Tertullianus [d], *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cælorum cõſequutum, & ſoluendi, & alligandi in cælis, & in terris poteſtatem.* Præclarè autem Hilarius [e] Petrum his verbis alloquitur: *O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignáque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret.* Neque aliter Ambroſius [f]: *Petra dicitur; eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molémque contineat.*

a cap. 16. 18
b ſer. de cathedr. Petri, quę totidem verbis legũtur apud Ambroſium, ſer. 47.
c 1. ad Cor. 10.
d lib. de præſcrip. c. 22.
e Can. 16. in Matth.
f ſer. 47.

V. Et alibi [g]: *Ergo Petrus petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia.* In hymno verò, quem ſæpe vſurpat Eccleſia, *Petra,* ait, *Eccleſiæ canendo culpam diluit.* Quem locum obſeruauit alicubi [h] Auguſtinus, qui alibi [i] ita de Petro loquitur: *Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet, ac fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum.* Illud verò ad Petri laudem maximè pertinet, quod Maximus [k] Taurinenſis & acutè obſeruauit, & eleganter explicuit. *Hic eſt,* inquit, *Petrus cui Chriſtus Dominus communionem ſui nominis libenter indulſit. Vt enim ſicut Paulus Apoſtolus edocuit, Petra erat Chriſtus, ita per Chriſtum Petrus factus eſt petra, dicente ei Domino, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Nam ſicut in deſerto iuſſu Dominico ſitienti populo aqua fluxit è petra, ita vniuerſo mundo perfidiæ ariditate laſſato, de ore Petri fons ſalutifero confeſſionis emerſit.* Et Petrus [l] Chryſologus de Apoſtolorum principe hæc ſcribit; *Petrus eſt cuſtos fidei, petra Eccleſiæ, ianitórque cælorum.* Sed ne cuncta percurram; Leo Pontifex [m]. *Manet ergo,* ait, *diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum ianitor conſtituitur, dum ligandorum, ſoluendorúmque arbiter, manſura etiam in cælis iudiciorum ſuorum definitione præficitur: qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus.*

g ſerm. 68.
h lib. 1. retract. ca. 21.
i ſerm. 9. de feſt. SS. Petri & Pauli.
k ſerm. 1. de nat. Petri, & Pauli.
l ſer. 167.
m ſer. de anniuerſ. ſuæ aſſumpt.

VI. Et alibi [n] hanc Chriſto orationem tribuit, *Sicut meus pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, & quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* Ruſſus alio loco [o] Petri confeſſionem extollens, *tantúmque,* ait, *in hac fidei ſublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate donatus ſacram inuiolabilis petræ acceperet firmitatem, ſuper quam fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus præualeret.* Denique [p] obſeruat voluiſſe Chriſtum Dominum nominis ſui dignitatem Petro impertiri. *Hunc enim,* inquit (hoc eſt Petrum) *in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum id, quod ipſe erat, voluit nominari dicendo, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; vt æternæ ædificatio templi mirabili muneris gratia Dei in Petri ſoliditate conſiſteret.* Et in eandem ſententiam Proſper [a]. *Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam Petram, quæ ab illa principali petra communionem, & virtutis ſumpſit & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur?* Et vt aliquando finem imponam, Gregorius Pontifex [b]. *Quis enim,* ait, *neſciat ſanctam Eccleſiam, in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam; quia firmitatem mentis traxit in nomine vt Petrus à petra vocaretur?*

n ſerm. 3. de eod. argum.
o ſer. de trãſfig. Dom. c. 1
p ep. 89. c. 1.
a li. 2. de vocat. gẽt c. 28.
b li. 6 regeſt. ep. 37.

VII. Nec diſſentiunt Græci Patres: Origenes enim [c]. *Vide,* ait, *magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimo, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino.* Et Epiphanius [d]: *Dominus,* inquit, *conſtituit Petrum primum Apoſtolorum Petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt.* Et Chryſoſtomus [e]: *Petrum cùm dico, petram nomino.* Et alibi [f]: *Vide,* ait, *quid Chriſtus dicat Petro, columnæ inquam illi, & baſi, ac propterea Petro appellato, quia ſolida fide præditus erat.* Cyrillus porrò Alexandrinus [g], cùm de mutatione nominis Petri ageret, *vocabulo ipſo,* inquit, *commodè ſignificans, quòd in eo tanquam in petra lapidéque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Euagrius [h] autem; *Beatiſſimus,* ait, *& omni laude celebrandus Apoſtolus Petrus, qui eſt petra, & baſis catholicæ, & orthodoxæ fidei fundamentum.* Germanus Conſtantinopolitanus [i]. *Vertex enim ornatus, & corona duodecim lapillorum, Apoſtoli ſunt, petra verò ſanctiſſimus Apoſtolus primus hierarcharum Chriſti.* Sic Theophanes Cerameus [k]: *Tu,* inquit, *Petrus es, petra fies fidei, verbi, & Eccleſiæ firmato fundamentum, ac ſpiritualis ædificationis primus aditus: ſuper hanc enim confeſſionem fundamentum Eccleſia ſtabit; tali namque petra, & rupe collocata reliqua dogmata firmè, ac tutè ædificabimur.* Poſtremò Theophylactus [l] ad illa Chriſti verba: *Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Confirma,* ait, *cæteros: hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & firmamentum.* Quamobrem Apoſtolus, qui hac ſua Epiſtola Chriſti præcepti memor fideles in fide, & religione confirmat, Petri, ſeu petræ, hoc eſt, ſoliditatis, firmitatis, & conſtantiæ nomen vſurpat.

c hom. 5. in Exod.
d in Ancorato.
e hom. 9 de pœnit.
f in Pſal. 50.
g lib. 2. in Ioan c. 12.
h lib. 2. c. 4.
i In theoria rer. Eccleſ.
k ſer. de SS. Apoſtol.
l Luc. 22.

VIII. Ad maiorem autem orationis ſuæ auctoritatem, muneris ſui, ac dignitatis nomen addit, *Apoſtolus,* inquit, *Ieſu Chriſti,* vt indicet, quod alicubi docet Paulus, ſe pro Chriſto legatione fungi, & eius nomine, atque auctoritate, vitæ morúmque præcepta tradere. Sic apud Clementem [m] hic ipſe Petrus loquitur. *Nos enim Apoſtoli illius, qui nos miſit, verba exponere miſſi ſumus, & affirmare ſententias: proprium verò dicere aliquid non habemus in mandatis, ſed verborum illius, vt dixi, aperire veritatem.* Quippe Apoſtolis dixit [n] olim Dominus: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et apud Lucam [o]: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Quamobrem huc, vt arbitror, ſpectans Tertullianus [p]. *Nobis verò,* inquit, *nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinã fideliter nationibus aſſignauerunt.*

m lib. 2. Recognit.
n Mat. 10. 19
o cap. 10. 16
p lib. de præſcript.

IX. Qua ratione hęretici multa Apoſtolorũ nomine in lucẽ ediderũt, vt alibi copioſiùs docuimus. Cũ enim ipſi ſua ſomnia, & mera figmenta aliter perſuadere ſe non poſſe certò ſciant, ſpecioſa Apoſtolorũ nomina

A falsò obtrudunt, vt dictis auctoritatem asserant, & ea faciliùs, atque audiùs ab imperitis excipiantur. Vocat autem Petrus se Apostolum, non vt iure poterat, Apostolorum principem, aut vniuersæ Ecclesiæ pastorem, Christi in terris Vicarium, Pontificem maximum, regni cœlestis clauigerum: hi namque honorum tituli, & speciosæ appellationes, vt meritò Petro Apostolo debebantur, & amplissimam eius dignitatem explicare poterant, ita longè aberant ab eius modestia, atque animi demissione, quę Christianam pietatem, præcipuèque Ecclesiæ ministros maximè decet. Rectè autem scripsit Sapiens [a], *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* (a Eccles. 3.20)

B Sic olim Abraham [b], quamuis pater credentium esset, & Dei amicus, & familiaris, quibus nominibus plurimùm gloriari, atque extolli poterat, se tamē puluerē, ac cinerē & agnoscit, & prędicat; *Loquar,* inquit, *ad Dominū meum, cum sim puluis, & cinis.* (b Gen. 18.27.) Et Dauid Rex Israël se plurimùm in illa regni amplitudine, & maiestate deiciens dixit [c]: *Vilior fiam plusquā factus sum, & ero humilis in oculis meis.* (c 2. Reg. 6. 22.) Denique sanctissima Virgo Deipara [d] cùm Dei mater, & Spiritus sācti spōsa salutaretur ab Angelo, se humilem vocat ancillā, *Ecce,* ait, *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* (d Luc. 1.38.) Hanc Apostolicam animi demissionem, ac modestiā imitati sanctissimi Pontifices, Romanique Præsules, ac Petri successores se humiles Dei seruos, ac seruorum Dei seruos profitebantur, quæ religiosa appellatio ad hæc vsque tempora retinetur.

C

X. Porrò Petrus non simpliciter, ac præcisè se Apostolum vocat, sed addit, *Iesu Christi*, vt ab eo se missum significet, à quo salus speranda est, quique humanæ vindex est, atque assertor libertatis, qui non ita pridem pro hominum genere proprio sanguine in cruce moriēs Deo Patri litauit, cuius fidem ij, ad quos scribit, nuper complexi erant. Æquum verò fuit hoc liberatoris nostri nomen ipso statim Epistolæ initio apud eos præsertim commendari, qui ex Iudæorum natione Christo nomina dederant. Interim verò Petrus veteres Prophetas imitatur, qui se ad vaticinandum à Deo excitatos, vt plurimùm profiteri consueuerāt, atque hac ratione sese à pseudoapostolis, pseudoprophetis, atque hæreticis distinguit: illi enim omnes nullius imperio vel auctoritate missi, tanquam insipientes, & stulti *sequuntur spiritum suum, & nihil vident,* D quos Christus [e] ipse fures, ac latrones appellat, quia non per ostium, sed aliunde ascendunt, vt furentur, rapiāt, & perdant. (e Ioan. 10.1.) Alibi [f] verò, *Attendite,* ait, *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* (f Matt. 7.15.) Hos opinor apud Ieremiam Deus ipse immortalis, his verbis accusat [g]: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar illis, & ipsi prophetabant.* (g cap. 23. 21.) Dixerat autem pauló antè [h], *Et in Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij.* (h vers. 14.) Quemadmodum enim adulteri alienas vxores violant, & adulterinam prolem procreant, ita hæretici sacras literas, diuinúmque verbum corrumpunt, & opinionum, ac figmentorum monstra pro E Catholicis dogmatibus cudunt.

XI. Quamobrem Petrus eorum animos, ad quos hanc Epistolam scribit, hoc pacto sibi mirè conciliat, atque ad ea excipienda, quæ scripturus est, sedulò comparat quasi Christi nomine, atque auctoritate omnia dicturus, atque ideirco non Poëtarum fabulas, non Philosophorum argutias, atque sophismata, non hæreticorum commenta, sed diuini numinis dictata, & Christi Domini monita, atque consilia expectent. Denique eximium in se Dei beneficium prędicat, qui cùm olim piscationi operam daret, ad apostolicæ dignitatis culmen euectus est: & cum aliquando per summam ti-

A miditatem à fidei confessione defecisset, supremam tamen Ecclesiæ administrationem, amplissimamque potestatem adeptus est. Tametsi enim de illo verè scripsit Paulus [a], *Qui operatus est Petro in apostolatum circuncisionis,* (a ad Gal. 2. 8.) quod præcipua quadam ratione Iudæorum saluti procurandæ præpositus esset, vniuersæ tamen Ecclesiæ tanquam Christi vicarius præerat; Romanúmque pontificatum in arce Romani imperij fundauit, & suo quodammodo sanguine consecrauit: suæ tamen peculiaris prouinciæ, ac muneris memor ad Iudęos potissimum erudiendos, confirmandósque hanc Epistolam scribit. Quocirca vbi more solito nomen suum expressisset, eos indicat ad quos Epistola mittitur: subdit enim,

XII. B *Electis aduenis.* An electos vocat æterna electione, prædestinatione̜que? Sic plane existimant nonnulli: neque enim dubitāt Apostolos suam, aliorúmque non paucorum prædestinationem agnouisse diuinitus: huc enim pertinere putant, quod ait Christus apud Lucam [b]: *Nomina vestra scripta sunt in cœlis.* (b cap. 10. 20.) Et apud Ioannem [c]. *Vos mundi estis sed non omnes.* (c cap. 13. 11.) Rursus [d]. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* (d Ioan. 14.16) Et non ita multo antea dixerat [e]. *Vado parare vobis locum. & si abiero, & praparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* (e vers. 2.) Denique [f]. C *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* (f Io. 20. 17.) Ex his enim aliisque similibus locis colligi posse putant, suam Apostolis prædestinationem fuisse patefactam. Addunt Paulum Apostolum [g] Clementis, aliorúmque adiutorum suorum prædestinationem cognouisse, *quorum nomina,* ait esse, *in libro vitæ.* (g ad Phil. 4. 3.) Quin etiam non pauca esse diuinæ prædestinationis signa, quæ iubeant bene sperare siue de nobis, siue de aliis. Inter hæc autem numerant veram fidem, spem, caritatem, studium bonorum operum, sedulam diuini verbi attentionem, frequentem, ac dignum Sacramentorum vsum, atque id genus alia non pauca quæ à Basilio, atque aliis commemorantur.

XIII. Sed vt verum fatęar, nō mihi fit verisimile, voluisse Petrum affirmare eos omnes, ad quos scribebat, fuisse à Deo ad immortalē, ac sempiternam vitā prædestinatos, D cum in tanta multitudine potuerint nōn pauci vel à fide, vel à caritate deficere, & in interitum ruere sempiternum. Atque vt admittam, quod valdè probabile esse non inficior, suæ prędestinationis Apostolos fuisse certos, quod nescio vtrùm allata testimonia idoneè probent. Et vt illud etiam addam, nonnullorum æternam electionem fuisse illis perspectam, atque exploratam: non propterea concesserim certò Petrū affirmasse fuisse omnes gentes, ad quas hæc Epistola missa est, à perditionis massa, vt loquitur Augustinus, segregatas, & ad beatorū vitā destinatas. Crediderim igitur electos appellari tū Iudæos, tū etiā Gētiles, qui singulari Dei beneficio fidei lucē aspexerant, & Christiana sacra perceperāt. E Vt enim alicubi docet Augustinus [h], ij propriè dicuntur eligi, qui ex aliis, & præ aliis seligūtur, siue ad munus aliquod exercendū, siue ad locū, aut dignitatē aliquā assequendā. (h lib. 1. ad Simpl. q. 2.) Quamobrē prædestinati maximè propriè dicūtur electi, vsq. eò, vt cùm præcisè in sacris literis nominantur electi, nisi aliud ratio suadeat, prædestinati significentur. Ita accipio quod apud Matthæum dixit Christus [i]: *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* (i cap. 24. 24.) Aliàs autem dixit idem Christus, *Multi sunt vocati, pauci electi.*

XIV. Interdum tamen, qui ad fidem, & religionem vocati sunt, electi nuncupantur: qua ratione dixit Paulus [k]: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt esse* (k ad Ephes. 1.4.)

A *vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate*, quin etiam Apoſtoli ad munus Apoſtolicum dicuntur electi, apud Ioannem [a], *Ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt*. Non dubito igitur loqui Petrum de electione ad fidem, de qua loquebatur Paulus, cùm ad Theſſalonicenſes [b] ſcripſit: *Scientes fratres dilecti à Deo electionem veſtram, quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa*. Et rurſus [c]: *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione Spiritus, & in fide veritatis*. Et Petrus ipſe in poſteriori ſua Epiſtola [d], non aliter electionem accipit: B *Quapropter*, ait, *fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Quin etiam ea, quæ mox ſequuntur, hoc non obſcurè indicant: *Electis*, inquit, *ſecundùm præſcientiam Dei Patris in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti*.

a cap 6. 12.
b ep. 1. c. 1. 4.
c ep. 2. cap. 2. 12.
d cap. 1. 10.

XV. Hæc enim omnia vocationem deſcribunt, qua tùm Iudæi, tum Gentiles ad fidem, ac religionem Chriſtianam traducti ſunt: cui ſi quis ex æquo reſpondeat, & in ſuſcepta vitæ ratione perſeueret, vitam immortalem conſequetur: vt enim apud Matthæum [e] ait Chriſtus, mandata ei ſeruanda ſunt, qui vitam cupiat aſſequi immortalem. Et apud Ioannem [f]. *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala* C *egerunt, in reſurrectionem iudicij*. Et Paulus [g]: *Vnuſquiſque autem*, ait, *propriam mercedem accipiet ſecùndum ſuum laborem*. Quò ſpectans B. Auguſtinus [h], *Declina*, inquit, *è malo, & fac bonum, accinge lumbos tuos, & accende lucernam, & cùm hoc feceris, ſecurus expecta vitam, & dies bonos, & tunc bona fronte dices Domino, Feci, quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti*. Et rurſum [i]: *Promiſſorum ſuorum nobis Deus chirographum fecit non debendo, ſed promittendo debitorem ſe fecit. Non poſſumus ergo dicere ei. Redde, quod accepiſti, ſed planè dicimus: Redde, quod promiſiſti*.

e —
f cap. 5. 29.
g 1. ad Cor. 3. 8.
h ſer. 39. de verb. Dom.
i ſer. 31. de verb. Dom.

XVI. *Aduenis diſperſionis*, Græcè, παρεπιδήμοις διασπορᾶς. Sed qui nam ſint aduenæ diſperſionis, non ſatis liquet. Græca vox peregrinum, & aduenam, & qui aliunde aduenerit, propriè ſignificat. Et ſi vocis D proprietatem ſpectes, vt rectè monet Oecumenius, παρεπίδημος, is dicitur, qui obiter, & præter propoſitum, & non dedita opera aduenit. Sed quos hoc nomine deſcribat Apoſtolus, ambigitur à multis. Sunt [k], qui proſelytos interpretentur, quòd à Gentilium errore ad veri Dei fidem, & Iudæorum nationem acceſſerint; ſed, vt ait Oecumenius, neque id Græcæ vocis proprietas patitur, neque vt ſuprà docuimus, proſelytos tantùm inſtituendos ſuſcepit Apoſtolus. Non me tamen fugit, vulgatum interpretem in Actis [l] Apoſtolicis, vbi Lucas Græcè ſcripſit, καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα, Latinè dixiſſe, *Nicolaum aduenam Antiochenum*. Quod ideirco factum arbitror, non quòd proſelytus propriè aduenam ſignificet, ſed quòd, vt aduena dicitur is, qui ex aliena regione aduenit, ita metaphoricè proſelytus, E quia non erat ex gente Iudæorum, ſed aliunde aſcitus, aduena vocari poteſt: ſed propriè aduena alienigenam, & peregrinum ſignificat, quos Petrus hac ipſa Epiſtolæ [m], παροίκους καὶ παρεπιδήμους, hoc eſt, *aduenas, & peregrinos* appellat. Eodémque modo Paulus [n]: *Non eſtis*, inquit, *hoſpites, & aduenæ*, Græcè, οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι.

k Beda.
l cap. 6. 5.
m cap. 2. 11.
n ad Eph. 2. 19.

XVII. Apertè autem Lucas [o] aduenas à proſelytis diſtinguit. Aduenæ, inquit, Romani. Græcè, οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι: Et mox ſubdit, *Iudæi quoque, & proſelyti*. Sunt, qui aduenas, ſeu peregrinos myſticè accipiant, vt omnes iuſti comprehendantur, qui ſe quaſi hoſpites, ac peregrinos in hac mortali vita agnoſcunt. Qua ratio-

o Act. 2. 10.

A ne dixit Dauid [a]: *Aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei*. Quò ſpectaſſe viſus eſt Paulus, cùm ad Hebræos ſcripſit [b]: *Iuxta fidē defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram*. Et paulò antè dixerat, Abrahamum *vna cum Iſaac, & Iacob coheredibus repromiſſionis eiuſdem habitaſſe in caſulis: expectabat enim*, ait, *fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus*. Et alibi vniuerſim: *Non habemus*, inquit, *hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus*.

a Pſ. 38. 13.
b cap 11. 13.

Quòd ſi negem meritò cunctos mortales peregrinos, atque aduenas poſſe nuncupari, cùm hic tantiſ- XVIII.
B per detineantur, quoad confecto breui huius vitæ curriculo ad cœleſtem patriam perueniant, planè nihil videam. Siquidem verè omnino, ac ſapienter ſcripſit beatus Cyprianus [c]: *Patriam noſtram, paradiſum computamus, magnus nos illic carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum copioſa turba deſiderat; iam de ſua incolumitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Quid igitur non properamus, vt patriam noſtram videre, & parentes ſalutare poſſimus? Ad hos properemus, vt cum his citò eſſe, vt citò ad Chriſtum venire contingat, optemus*. Et in eandem ſententiam Auguſtinus [d]: *Omnis homo aduena eſt naſcendo, quoniam compellitur migrare* C *moriendo*. Et alio loco [e]: *Vnuſquiſque hic, & in domo ſua hoſpes eſt; ſi non eſt hoſpes, non inde tranſeat; ſi tranſiturus eſt, velit, nolit, hoſpes eſt: nam dimittit illam filiis ſuis, hoſpes hoſpitibus: ceſſit tibi locum pater tuus, ceſſurus es locum filiis tuis, nec manſurus manes, nec manſurus relinquis*.

c ſerm. de mortal.
d quæſt. 92. in Leuit.
e ſerm 32. de verb. Dom.

Quamobrem Paulus [f]: *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*. Et in libris Paralipomenon [g], loquitur Dauid in hæc planè verba: *Peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ, ſicut omnes patres noſtri; dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora*. Quod verò Paulus ad Epheſios [h] ſcribit: *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei*; ad ſpem immortalis, ſempiternǽque vitæ refertur, quæ cœleſtem quandam nobis vitam largitur. Idem enim Paulus ad Romanos ait: *Habe-* D *mus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*. Et poſt multa [i]: *Spe enim ſalui facti ſumus*. Et paulò antè dixerat [k]: *Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater: ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*. XIX.

f 2 ad Cor. 5. 6.
g lib. 1. cap. 29. 15.
h cap 2. 19.
i cap. 8. 24.
k verſ. 15.

Hanc porrò ſpem confirmat Chriſtus Dominus, qui tanquam caput noſtrum, vt ad Epheſios ſcribit Paulus [l], *Conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus*; atque idcircò, vt idem Paulus ait [m], *noſtra conuerſatio in cœlis eſt*. Quocirca egregiè ſcripſit Auguſtinus [n]: *Hæc tota mihi eſt ſpes, omniſq; fiducia, eſt in ipſo Ieſu Chriſto vniuſcuiuſq; noſtrum portio, caro, & ſanguis. Vbi ergo portio* E *mea regnat, ibi me regnare credo; vbi caro mea glorificatur, ibi me glorioſum eſſe recognoſco; vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio*. XX.

l cap 2. 6.
m ad Phil. 3. 20.
n lib. medit. cap. 15. tamen liber eſt Auguſtini, de quo docti dubitant.

Verùm licèt hæc omnia veriſſimè dicantur, non poſſum tamen adduci, vt credā, hęc in pręſentia à Petro Apoſtolo indicari: nō enim quenquā priuatim, ac propriè ſalutaret, neq; eos, ad quos ſcribit, nominatim deſcriberet, cùm æquè omnibus fidelibus, aut etiam cunctis mortalibus ea conueniant, quæ hactenus cōmemorauimus. Itaq; aduenas vocat potiſſimùm Iudęos, qui in iis regionibus, quas mox nominabit, quaſi exules, atque extorres vagabātur, quos, vt dixi, præcipuè alloquitur, quòd illæ Eccleſiæ maxima ex parte XXI.

ex illo hominum genere constarent. Ait autem, *Electis aduenis dispersionis*, hoc est, qui vagantur, & in istis regionibus procul à patria peregrinantur: solent enim eiusmodi nomina, quæ dicuntur abstracta, præsertim apud Hebræos pro concretis vsurpari: Sic Paulus [a], *electionem* pro *electis*, [b] *vocationem*, pro *vocatis*, [c] *circumcisionem*, pro *circumcisis*, accipit. Et Ieremias, & Ezechiel *transmigrationem* nominant pro iis, qui transmigrare coacti sunt.

a ad Ro. 11.
b 1 ad Cor. 1.
c ad Gal. 2.

XXII. Atque hac ratione in libris Machabæorum [d] Iudæi in hunc modum precantur: *Congrega dispersionem nostram*, hoc est, *dispersos*. Et apud Ioannem [e] de Christo ita loquuntur Iudæi: *Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Ac si dicant: Num profecturus est ad gentes in variis mundi partibus dispersas? Videtur igitur dispersionis aduenas salutare, id est, aduenas, & peregrinos variis in regionibus degentes, quamlibet tandem ob causam relicta patria alienas regiones incolerent. Vt enim in superiori Iacobi epistola dixi, Iudæi quamplurimi in exteris regionibus versabantur, vt ex narratione Lucæ [f] facilè deprehenditur. Ad diem enim Pentecostes conuenisse ait in vrbem Ierusalem Parthos, & Medos, & Ælamitas, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenas Romanos, Iudæos quoque, & proselytos, Cretas, & Arabas. Nec dubium est, Romæ plures fuisse Iudæos, quos, vt idem Lucas [g] affirmat, Claudius vrbe excedere iussit.

d lib. 2. cap. 1. 27.
e cap. 7. 35.
f Act. 2. 9.
g Act. 18. 2.

XXIII. Valde autem credibile est, has omnes regiones, quas Petrus hoc loco nominat, ab eo fuisse peragratas, & in iis Ecclesias institutas, quas per epistolam confirmat, & ad perseuerantiam hortatur. Primo autem loco nominat Pontum; *Dispersionis*, inquit, *Ponti*, quæ regio, vt cæteræ, quæ subsequuntur, Asiæ minoris prouinciæ sunt ad Orientem sitæ. Pontus autem, vt auctor est Strabo, ab Occidente Haly flumine, ab Oriente Cholcide, à Meridie, minori Armenia, à Septentrione, Ponto euxino clauditur, vnde prouinciæ inditum est nomen; celebriores vrbes in ea sunt Chalcedon, Nicomedia, Prusa, Andropolis, Diospolis, Heraclæa, Flauiopolis. Olim in ea regione imperauit Mithridates. Ex Ponto fuisse dicitur Marcion hæresiarcha, itémque Aquila veteris Testamenti interpres, quem Epiphanius [h] Græcum fuisse scribit, & Christo nomen dedisse: sed cùm astrologicis artibus, & genethliacorum figmentis plus æquo tribueret, nec ab ea mente reuocari posset, ecclesiastica auctoritate sacris prohibitus, eam contumeliam indignè ferens, iterum sacra Biblia Græcè interpretatus est, &, vt ait Epiphanius, multa vitiauit, & corrupit, vt mirandum sit, cur eius interpretatio magnis à Hieronymo laudibus celebretur. Nam ad Damasum [i]. *Aquila*, inquit, *qui non contentiosius, vt quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur ad verbum*. Et ad Marcellam [k]. *Aquila verborum Hebræorum diligentissimus explicator est*. Alibi [l] autem. *Aquila verò secunda editio, quam Hebræi τὴν ἀκρίβειαν, nominant, transtulit, hoc est exactam, ac diligentem*. Denique [m] explicans illa verba, quæ sunt in Cantico Abacuc, *Egressus es in salutem cum Christo tuo; Theodotio*, inquit, *verè quasi pauper, & Ebionita, sed & Symmachus eiusdem dogmatis pauperem sensum sequuti Iudaicè transtulerunt, egressus es in salutem populi tui, &c. Rem incredibilem dicturus sum, sed tamen veram: isti semichristiani Iudaicè transtulerunt, & Iudæus Aquila interpretatus est, vt Christianus*. Sed multa in eius interpretatione vitiata esse, atque corrupta, cum Epiphanio viri docti obseruarunt.

h lib. de mens. & ponder.
i ep. 125. q. 2.
k ep. 138. in initio.
l in Ezech. c. 3.
m in Abac. 3.

XXIV. Secundo loco exprimitur *Galatia*, quæ, vt alibi dixi [a], & ipsa est minoris Asiæ Regio ab Oriente Cappadociam spectat, ab Occidente Bithyniam, à Meridie Pamphyliam, à Septentrione mare Euxinum, & Gallogræcia aliquando dicta est, & incolæ Gallogræci: cùm enim aliquando Bithyniæ rex Gallos, & Græcos milites conscripsisset, partem regni Galli pro mercede adepti sunt, & Gallogræci appellati. Proximè sequitur *Cappadocia*, quæ à sinistris vtramque Armeniam habet, à dextris verò Phrygiam, & Galatiam; ad Tauri iuga, & ad solis ortum attollitur, ab Armenia maiore, Euphrate fluuio diuiditur. Eam Appianus minoris Armeniæ partem, Ptolemæus verò minorem Armeniam nominat: in ea quondam floruerunt clarissima Ecclesiæ Catholicæ lumina, Basilius magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, & Taumaturgus. Asia verò, quæ hoc loco nominatur, non illa maior est, sed minor, aut minoris potiùs pars quædam, quæ totum illum terrarum, insularúmque tractum complectitur, qui est circa Ephesum, videlicet Troadem, Phrygiam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Ioniam, Meoniam, denique septem illas vrbes, de quibus agit Ioannes in Apocalypsi.

a in epist. ad Galat. in argum.

XXV. Postremò *Bithynia* Asiæ quoque minoris prouincia est, quæ ab Occidente Constantinopolim, & Europam respicit, à Septentrione partem maris Euxini, ab Oriente Phrygiam, à Meridie Troadem & Misiam. In ea præcipuè fuerunt vrbes Nicæa primo Oecumenico concilio clarissima, & Lybissa Annibalis sepulchro nobilis.

XXVI. In his omnibus autem regionibus, vt paulò antè diximus, Petrus Apostolus Euangelium promulgauerat, vt aduersùs Iouinianum scribit Hieronymus [b], & eleganter more suo Leo Pontifex his verbis testatur [c]: *Iam populos qui ex circuncisione crediderant, erudieras, iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaueras, iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras*. Sed magnopere dolendum est, florentissimas illas regiones, & sanctissimas Ecclesias Apostolica auctoritate fundatas, multorúmque Martyrum sanguine irrigatas, à vera fide, ac religione seiunctas immani Turcarum imperio subiacere, & Euangelicis præceptis penitus contemptis, suauique Christi iugo abiecto, impurissimis Alcorani fæcibus inquinari, & sæuissimæ tyrannidi subiacere.

b lib. 2. in Iouinian.
c serm. 1. de Nat. Apost.

XXVII. At Petrus sui memor muneris, quo agnos, & oues Christi, diuini verbi pabulo pascendos sibi esse non ignorabat, quos voce coràm instruerat, diuinísque præceptis imbuerat, ab ipsa, vt arbitror, vrbe Roma, hac Epistola, quam Syluano perferendam dederat, in suscepta religione confirmat, & ad meliora prouocat, & inflammat. Certè Didymus ita hanc Epistolam ad has priuatim gentes missam fuisse scribit, vt tamen ad omnes vbique gentium, qui Christi fidem complexi essent, pertinere non dubitet: quam ob caussam inter Epistolas Catholicas, seu Canonicas merito recensetur. Illud autem in præsentia monuerim, paulo aliter has regiones enumerare Oecumenium: sic enim ille habet, *Ex dispersione Galatiæ, Ponti*. additque propterea Ponti nomen exprimi, vt Galatia ab altera, quæ est apud Gallos distinguatur, vt verisimile sit, Græcos codices olim variasse. Certè Syriacus cum vulgata interpretatione consentit.

2. *Secundùm præscientiam Dei Patris in sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi, gratia vobis, & pax multiplicetur.*]

Occu

I. Oecumenius hæc verba pertinere putat ad explicandam vim, ac naturam Apostolatus Petri, quasi dicat, *Petrus Apostolus, ex præcognitione Dei, id est, missus, vt ostendat se nihilo esse inferiorem, nisi tempore, Prophetis, qui etiam ipsi fuerunt missi, Nam missos fuisse etiam Prophetas, Isaias testatur, vbi ait* [a]*: Vt euangelizarem pauperibus, misit me. Quamuis autem tempore posterior sit, quantùm tamen ad Dei præcognitionem spectat, posterior non est. sed in hoc æqualem se esse Hieremiæ ostendit, qui antequam formaretur in vtero* [b]*, & cognitus est, & sanctificatus, & Propheta ad gentes destinatus est. Quoniam verò Prophetæ vnà cum aliis Christi quoque aduentum prænunciarunt (ob hoc enim missi fuerant) hoc Petrus missionis suæ, & Apostolatus necessitatem adiungit, atque ait. In sanctificatione Spiritus se missum esse in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi. Quibus verbis* B *declarat modum Apostolatus sui hunc esse, vt segreget gentes: hoc enim sanctificatio significat, vt ibi* [c]*, Et eritis mihi populus peculiaris sanctificatus, id est, segregatus ab aliis gentibus. Modus igitur Apostolatus eius est, vt per spiritualia dona gentes segreget cruci, & passioni Christi obedientes, aspersas non cinere vitulæ, vt à Gentili communicatione, & immunditia expurgentur, sed sanguine ex passione Christi. Simul etiam sanguinis mentione martyrium eorum, qui in Christum credunt, præsignat: qui enim obedienter magistri vestigia sequitur, prorsus ipse etiam, si opus fuerit, non abstinebit, quin proprium sanguinem pro eo effundat, qui suum pro totius mundi salute effudit.*

a cap. 61. 1.
b Ierem. 1. 5.
c Exod. 19. 5.

II. Paucis autem interiectis. *Melius tamen est, ait, vt euidentioris declarationis caussa transumptis, ac transmutatis dicendi formis, atque iis, quæ desunt, adiunctis ordinatè,* C *totam hanc sententiam exponamus. Petrus Apostolus Iesu Christi ex præcognitione Dei Patris missus Apostolus ad segregandos ipsi in Spiritu, & obedientes reddendos eos, qui aspersionem sanguinis Iesu Christi expiatricem admiserunt, vobis electis peregrinis ex dispersione Galatiæ, Ponti, Cappadotiæ, Asiæ, & Bithyniæ gratia, & pax multiplicetur.* Hæc tam copiosè exscribere placuit, vt appareat, Oecumenij explanationem non penitus probabilitate carere, nonnihil tamen extortam, & violentam videri: verborum enim ordinem absque vlla necessitate immutat, & quæ aptè cum proximè præcedentibus connectuntur, ad superiora transfert, atque adeò Petri orationem obscuram, & perturbatam reddit.

III. Fateor quidem, quæ de Petri Apostolatu dicit, verissimè affirmari: nam ante omnem æternitatem ad D Apostolicam dignitatem diuino consilio destinatus est Petrus, idque in eum finem, vt plurimas gentes Christo aggregaret, & Christi sanguine delibutas, & omni scelere expiatas veræ sanctitatis participes faceret; sed vtrùm id hoc loco significet Petrus, meritò quæritur.

IV. Equidem malim hanc sententiam cum iis coniungere, quæ proximè dicta sunt, vt ad electos referantur, eorúmque electionis vim, ac rationem explicent; quasi dicat, *Electis*, inquam, *iuxta præscientiam Dei Patris*. Pro præscientia verò Græcè dixit Apostolus, *πρόγνωσιν*, quam vulgatus interpres, ad *prænotionem*, alij, ad *prædefinitionem*, referendam putant. Mihi vtrúque verissimè ab Apostolo affirmari videtur: ele- E ctos enim ait Petrus, hos aduenas, & peregrinos *κατὰ πρόγνωσιν*, hoc est, *secundùm præscientiam*. Electionem enim, vt minimùm præcurrit scientię, quam Theologi in scholis, simplicis intelligentiæ appellant, qua Deus immortalis, qui sese, suamque diuinam omnipotentiam omni ex parte comprehendit, probè nouit, quid efficere ipse possit, quidque quibusque positis humana voluntas effectura sit, tum verò ea præfinit, ac statuit, quæ ex omnibus sibi maximè probantur.

A V. Non me fugit, Chrysostomum, aliosque non paucos, vt alibi recensui, existimasse diuinam electionem scientia visionis, qua Deus cuiusque merita, aut aptitudinem certè intueatur, posteriorem esse: sed alia omnia cum Augustino alibi docui, siue de diuina prędestinatione, siue de electione ad Apostolicũ, aut aliũ persimilẽ gradum loquamur: Verè namque Christus Dominus dixit [a]: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructũ afferatis, & fructus vester maneat.* Ita fit, vt omnia diuinæ beneuolentiæ accepta referenda sint: nam, vt ait August. munera sua præsciuit, quæ electis suis largiturus erat, vt hæc præscientia non anteuertat electionem, sed eam potiùs subsequatur.

a Ioan. 15. 16

VI. Cùm igitur ait Petrus, *secundùm præscientiam* electos, scientiam illam indicat, qua omnes euentus sub B conditione futuros, & liberas præsertim humanæ voluntatis actiones, vt diuinæ suæ gratiæ efficacitati subsunt, ante omnem æternitatem probè cognoscit. Neque verò sum nescius ea de re non sine ingenti animorũ contentione inter Theologos certari, adeóque nonnullos existimare ante diuinæ voluntatis decretum, nullam eorum, quæ posita aliqua conditione futura sunt, certam notionem, ac scientiam Deo tribuendam esse Sed quoniam hanc sententiam alibi copiosiùs refello, nihil in præsentia addendum censui. Tantùm d co huius senteotiæ auctoribus etiam, atque etiam videndum esse, ne cum recta ratione, Christianaque Theologia pugnare videantur, & sacras literas peruersa interpretatione in alienos, ac peregrinos sensus detorquere.

C VII. Quod verò attinet ad hæc Petri verba, malo præscientiæ nomine ipsam Dei præfinitionem, ac prædestinationem interpretari. Ita enim aliàs verba Pauli explicuimus, cùm ad Romanos scribit [b], *Quos præsciuit, & prædestinauit*, hoc est, eos prædestinauit ad gratiam, quos scientia approbationis elegit ad gloriam. Et rursus [c] alibi, *non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, hoc est, interprete Augustino [d], quam singulari amore, ac beneuolentia complexus est. Neque enim nouum, atque inusitatum est in sacris literis, præfinitionem, ac diuinæ voluntatis decretum, scientiæ ac prænotionis nomine indicari: sic enim accipio quod ait Dauid [e]: *Nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit*, quasi dicat, viam iustorum maximè probat, cùm iter impiorum sempiternis suppli- D ciis addicat, hoc est, iustorum mores amat, impiorum verò actiones meritò damnat: Sic etiam alibi [f]: *Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit; non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt.* Persimili enim ratione malorum interitum ex aduerso obiicit iustorum fœlicitati.

b cap. 8. 29.
c ad Roma. 11. 2.
d de dono perseu. c. 18.
e Psal. 1. 6.
f Psal. 36. 18.

VIII. Nec dubito eadem ratione accipienda esse Dei verba apud Ieremiam [g]: *Priusquam*, inquit, *te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Hæc enim omnia eximiam Dei caritatem, ac beneuoleotiam indicant, qua Deus immortalis ante omnem æternitatem Ieremiam complexus est. Christi verò verba apud Matthæum [h], nullam præterea explanationem admittunt: de quibusdam enim im- E piis ait: *Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos.* Neque enim eorum scelera ignorare potuit Deus, quem nihil omnino latet eorum, quæ in abditis hominum cogitationibus inclusa detinentur, cum sæpe in sacris literis dicatur intueri cor, & corda hominum, ac renes scrutari. Eodemque modo explicanda sunt verba illa [i], quibus virgines fatuæ à nuptiis excluduntur. *At ille*, inquit, *respondens*, ait, *Amen dico vobis, nescio vos.* Et apud Lucam [k] iisdem propemodum verbis omnes improbi reiiciuntur: *Nescio*, inquit, *vos vnde sitis.* Ait igitur Petrus, aduenas electos

g cap. 1. 5.
h cap. 7. 23
i Matth. 25. 12.
k cap. 13. 25.

fuisse, *secundum præscientiam Dei Patris*, hoc est, ex gratuita, & liberali præfinitione, ac prædestinatione diuina; qua ratione hoc eodem capite aliquantò pòst [a] Christum Dominum ait præcognitum fuisse ante mundi constitutionem, manifestatum autem nouissimis temporibus, quasi dicat ab æternitate prædestinatum.

a vers. 20.

IX. Vehementer igitur illis assentior, qui his verbis electionis effectricem caussam describi autumant: diuina enim beneuolentia, & caritas vnica est electionis caussa, cùm nihil in nobis spectet Deus, sed vnius duntaxat bonitatis suæ rationem habeat, in qua cur hunc eligat, illum non eligat, abditas, & occultas, & nemini mortalium penitus notas caussas intuetur. Quocirca rectè Augustinus alicubi scripsit [b], *cur hunc trahat, illum non trahat desine velle iudicare, si non vis errare*. Hæc enim, de qua loquitur Augustinus attractio certus est, ac minimè fallax diuinæ electionis effectus: vt enim ait Paulus [c], *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit*. Describit enim ea omnia, quæ diuinam electionem consequuntur, quæ tractionis nomine complectitur Augustinus. Docet itaque Petrus eos, ad quos scribit, idcirco Christiana sacra suscepisse, non quia id suis meritis consequuti sint, sed quia æterna Dei prædestinatione hoc ei tam singulare munus præfinitum est, vt hac ratione memorè ab illis, & gratam exigat volũtatem, & tam singulari Dei beneficio probè cognito intelligant nihil esse tam arduum, ac difficile, quod tam liberali, ac munifico benefactori non debeatur.

b Tract. 26. in Ioan.

c ad Rom. 8. 30.

X. *In sanctificationem Spiritus*. Electionis finem describi, haud equidem ambigam: Videntur enim hæc Petri verba maximè consentanea iis, quæ scribit Paulus [d], *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in caritate*. Sanctificationem autem Spiritus appellat, hoc est, sanctificationem, quæ vi Spiritus sancti perficitur. Tribuitur enim Spiritui sancto institiatio, & sanctificatio, quòd dicitur habitare in iustis, & in iis quasi in suo regno dominari, & adiuuare eorum infirmitatem, eòsque agere, & mouere. Ita tacitè monet Petrus eos esse, vt ait Paulus, Spiritus sancti templa [e], *Membra*, inquit, *vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est*. Et alibi [f]: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. Et mox: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. Ait autem Petrus Græcè, ἐν ἁγιασμῷ, quod nonnulli Latinè transtulerunt, *Per sanctificationem*, quasi Hebræorum more ea ratione dicendi exprimere voluerit, vt ita dicam, instrumẽtum; quo æternam suam electionem Deus Pater declarauit. Inde enim apparet vos esse electos, quia vobis sanctitatem impertiuit: meliùs autem, ni fallor, electionis finem, aut, vt Philosophi loquũtur, obiectũ significat, vt intelligant, quod paulò antè dixi, electos eos fuisse, vt assequantur sanctitatẽ: huc enim æterna Dei electio, & vocatio ad Euangelicam fidem referuntur.

d ad Ephes. 1. 4.

e 1. ad Cor. 6. 19.

f 1. ad Cor. 3. 16.

XI. Quocirca rectè Paulus [g]: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*. Et ad Titum [h]: *Apparuit, inquit, gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo*. Et post nonnulla [i]: *Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ*. Eam ob caussam apud Lucam cecinit Zacharias [k]: *Seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris*. Ac propterea, ni

g 1. ad Thes. 4. 3.

h cap. 2. 11.

i cap. 3. 4.

k Lucæ primo 75.

A fallor, omnes olim fideles sancti appellabantur, quod hanc de qua loquitur, sanctitatem profiterentur, & plurimi vita, & moribus præseferrent.

XII. Eam verò reipsa baptismus tribuebat: nam vt ait Augustinus [a]; *Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma, & originalia, & propria, dicta, facta, cogitata, incognita, omnia dimittuntur, vniuntur hominem, quis fecit hominem, donat delicta, qui non quæri merita, præuenit gratia etiam ipsam infantiam, vt sint liberi per Christum liberati, qui in Adam diabolo tenebantur ante captiui*. Quod ad Corinthios [b] egregiè explicat Paulus, cum enim pleraque vitia recensuisset, *& hæc*, inquit, *quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*. Optandum verò esset, vt singuli perceptam vi baptismi sanctitatem, atque innocentiam integram, & illæsam conseruarent: sed quoniam (quæ est humanæ imbecillitatis misera conditio,) vel pauci, vel omnino nulli eam retinent innocentiam, pœnitentiæ sacramẽtum percipiendum est, quod persimilem habet iustitiæ, & sanctitatis conferendæ potestatem.

a lib. 1. de Symbol. ad catechum. cap. 10.

b ep. 1. c. 6. 11.

B

XIII. *Quid interest*, ait Ambrosius [c], *vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius* (de peccatorum expiatione loquitur) *sibi datum sacerdotes vindicent? Vnum in vtroque ministerium est: sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia, quid in pœnitentia? nonne Dei nomen operatur? Certè vtrobique gratia Spiritus sancti conceditur, quam expetebat Dauid, cùm diceret* [d]: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me*. Et Augustinus Christum ita loquentem inducit [e]: *Veni mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, releuator labentium: Veni humilium doctor, superborum destructor, veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis iudex*. Hæc igitur est sanctificatio Spiritus, ad quam fideles electi sunt.

c lib. 1. de pœnit. c. 7.

d Ps. 50. 12.

C

e lib. medit. c. 9.

XIV. *In obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi*. Suor, qui hæc verba vnà connectenda censeant, & ad caussam, quam meritoriam vocant, referenda esse, vt sit sensus: merito obedientiæ Christi, atque effusionis pretiosissimi sanguinis ipsius fuisse aduenas electos, & ad iustitiam, & sanctitatem vocatos. Christi quippe obedientiam à Paulo Apostolo [f] primi parentis inobedientiæ opponi. *Sicut enim*, ait, *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi*. Et ad Philippenses [g], Christi obedientiam, idem Apostolus mirificè commendat: *Humiliauit*, inquit, *semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*. Obedientiæ porrò Christi pretiosissimi sanguinis effusionem externum putant esse testimonium, quæ sanguinis effusio ad nostram iustificationem tota refertur: Ita enim in Apocalypsi scribit Ioannes [h]: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Et Paulus [i]: *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum*. Et ad Ephesios [k]: *Gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius*. Denique vbique [l] Paulus iustificationem nostram sanguinis Christi effusioni tribuit.

f ad Rom. 5. 19.

D

g cap. 2. 8.

h cap. 1. 5.

i ad Rom. 5. 9.

k cap. 1. 6.

l ad Ephes. 1. 13. ad Colos. 1. 14. & 20. ad Hebr. 9. 13. & 14.

E

XV. Verùm Oecumenius tam obedientiam, quàm effusionem sanguinis cum superioribus coniungit, vt electionis finem magis explicent, quasi dicat Petrus, fideles fuisse electos, vt Spiritus sancti opera sancti sint, & Deo legislatori obtemperent, & fructum aspersionis sanguinis Christi percipiant. Vtramque explanationem recentiores quidam complectuntur: Ego posteriorem simpliciter probo: tametsi enim Græcè dixit Petrus, primum quidem ἐν ἁγιασμῷ, deinde verò, εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος, tamen

hæc

hæc tria finem, seu obiectum electionis explicant: propterea enim fideles electi sunt, vt iustitia, & sanctitate percepta diuinæ legi obtemperent, & fructum effusionis sanguinis Christi, hoc est, perseuerantiam, & beatam, ac immortalem vitam consequantur: hoc enim ad Romanos indicare visus est Paolus [a], cùm vocationem, iustificationem, & glorificationem, tanquam prædestinationis effecta recenset. Omnia autem tanquam ad extremum ad beatorum vitam referuntur, ad quam Christus Dominus suo nobis sanguine adyta reserauit; id quod idem Apostolus Paulus elegantissimè declarat [b]: *Christus autem*, ait, *assistens pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta.* Ad hunc igitur sanguinis Christi fructum percipiendum ait Petrus fuisse fideles electos, & interim Hebræos ab antiqua sacrificiorum ratione, & pecudum sanguinis effusione reuocat; cùm quicquid olim in eo genere lex Mosaica præciperet, effusionem sanguinis Christi, quæ humano generi salutem attulit, eminùs indicaret.

a ad Rom. 8. 30.
b ad Hebr. 9. 11.

XVI. Interim autem Trinitatis mysterium hoc epistolæ initio subindicat Petrus: meminit enim Patris, cui tribuit electionem, Spiritus sancti, cui sanctificationem accómodat; denique Filij, cuius singulare beneficium commemorat, quo suo sanguine vniuerso hominum generi salutem attulit, ac libertatem. Ita indicat, quod magno consensu Theologi docent in scholis, quicquid in rebus creatis, siue intra naturę fines, siue supra naturam efficitur, tribus diuinis personis æquè esse commone, cùm sint omnes eiusdem naturæ ac potestatis ex æquo participes. Fuit autem hoc mysterium initio nascentis Ecclesiæ diligentissimè cunctis fidelibus proponendum, quod eo tanquam solido fundamento vniuersa fides nitatur.

XVII. Neque verò temerè Petrus Filij personam ab humanæ naturæ conditione indicat: Vna enim eadémque opera, & Christo eandem cum Patre, & Spiritu sancto diuinitatem asserit, & eius beneficij magnitodinè grauissimis verbis extollit, vt fideles intelligant nihil esse tam arduum, ac difficile, quod ob Christi amorem non sit æquo, ac forti animo tolerandum. Quamobrem egregiè Augustinus in eius beneficij contemplatione versabatur ipse, suóque exemplo id cunctis fidelibus sedulò faciendum monet [c]. Denique Petrus salutationem concludit his verbis: *Gratia vobis, & pax multiplicetur.* Quam salutandi rationem maximè Apostolicam esse, alibi non semel docui.

c lib. medit. c. 6. & 39.

XVIII. Meritò autem priori loco gratiam nominat, quia sine gratia, ad veram, ac solidam pacem peruenire nemo potest; & quicquid supra naturam optandum, sperandúmque est, gratiæ beneficio impetratur. Gratiam meritò subsequitur pax; neque sine gratia pax vera consistit: non enim est pax impiis, quia gratia destituuntur. Optat autem Petrus gratiam, & pacem multiplicari, hoc est, augeri, ac perfici. Atque ita suo exemplo docet, quid nobis, quid item proximis expetendum videatur. Gratia enim ante omnia imploranda est, quæ cuncta nostra merita antecuertit, quæque merendi vim, atque adeò merita ipsa largitur, & veram pacem conciliat. Videtur autem ad hunc locum respexisse Iudas, qui eodem Græco verbo πληθυνθείη, salutationem concludit. Quo loco vulgatus interpres Latinè dixit, *Adimpleatur.* hîc eodem omnino sensu transtulit, *Multiplicetur.* Hæc enim vera bona sunt, quæ simpliciter atque absolutè à Deo peti possunt, cùm ad animum spectent, eúmque mirabiliter ornent, ac perficiant atque hactenus quidem salutario.

3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secúdum misericordiã suã magnã regenerauit nos in spẽ viuã, per resurrectionẽ Iesu Christi ex mortuis.*

I. Magnificum est Epistolę exordium, eique persimile, quo vsus est in Epistola ad Ephesios Paulus Apostolus [a]: *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Est autem genus quoddã gratiarum actionis, quo magnopere oblectatur Apostolus: ea enim gratiarũ actione plenæ sunt Epistolæ Pauli: & Petrus in præsentia Deum benedicit, hoc est, eius beneficentiã, ac liberalitatem in omne genus hominum laudibus celebrat: quo veluti sacrificij genere, Deus Opt. Max. mirũ in modum oblectatur. Sic enim ait apud Dauidem [b]: *Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos*, &c. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et alibi [c]: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Denique [d]: *Tibi sacrificabo hostiam laudis.*

a cap. 1. 3.
b Psal. 49. 9.
c eod. Psal. 23.
d Psal. 115. 17.

II. Quamobrem rectè Philo Iudæus hoc sacrificium laudis, & gratiarum actionis Deo gratissimum esse affirmat [e]. *Non gaudet*, inquit, *Deus centenis boum victimis, cùm sit cunctarum rerũ Dominus, nec vllius indigeat, at vult pias mentes, & viros sanctitatis meditatores, a quibus propana pultésque vilissimas, vt gratissima munera libenter accipit; immò etiam si nil afferant, ipsos complectitur absolutos in omni virtutum genere pro victimis optimis, adducentes hymnos in Seruatorem suum, ac benefactorem partim vocales, partim absque ore linguáque conceptos in animo, & sic quoque penetrantes ad Deum, quantumuis non sentiantur humanis auribus.* Et plura deinceps comparans sacrificium laudis altari thymiamatis, quod altari holocaustorum multò erat augustius. Sexcentis autem locis hortatur Propheta ad diuinas laudes celebrandas, & gratiarum actionem inprimis commendat [f]. *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et mox: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomẽ eius in idipsum.* Rursus [g]: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.*

e lib de vict. offeren. non procul ab initio.
f Psal. 33. in princ.
g Psal. 102. 1.

III. Et meritò iusti Dei laudes frequentant: cùm enim sint ciues Sanctorum, & domestici Dei, beatas illas mentes, & cœlestis patriæ incolas imitantur, qui in omnem æternitatem diuinas laudes celebrant. Seraphim enim apud Isaiam [h], & quatuor animalia apud Ioannem in Apocalypsi [i] clamare dicuntur; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus.* Et apud eundem Ioannem [k]: *Viginti quatuor seniores procidentes ante sedentem in throno, adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes, Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Et id genus alia passim in Apocalypsi leguntur. Quocirca olim in veteri Testamento plurima leguntur virorum ac fœminarum Cantica diuinis laudibus referta. Quin etiam nonnulli omnia creata ad Deum laudandum miris modis prouocant. Ita Dauid [l]: *Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen*; & multa deinceps in eandem sententiam. Canticum verò trium puerorum apud Danielem [m] à beatis mentibus ordi tur, & cuncta creata, etiam minutissima quæque ad Dei laudes celebrandas prouocat. Quo magis abominandi, ac detestandi sunt perditissimi nõnulli mortaliũ, qui ore scelesto, atque impuro, in Deũ probra, & maledicta conicere nõ verentur. Quãtò laudabilius Polycarpus martyr Procõsuli suadẽti, vt iuraret fortunã Cæsaris, & in Christũ conuitia iactaret, respõdisse fertur [n]: *Octoginta, & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquã. Qua igitur cõscientia maledicerẽ, & blasphemarem*

h cap. 6. 3.
i cap. 4. 8.
k Ibid. 10.
l Psal. 148. 3.
m cap. 3.
n Euseb. lib. 4. hist. c. 15.

Regem meum, qui salutem mihi dedit? Nec minori laude A digni sunt innumerabiles Martyres, qui acerbissima quæque supplicia perferre maluerunt, quàm Christi nomen, vel solo verbo violare.

IV. Cur autem Deo benedicat, eique gratias agat, rationem continuo affert, dum ait, *Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam.* Diuina beneficia postulant gratiarum actionis, & laudis sacrificium. Recenset autem in præsentia Petrus primarium beneficium, quo vi baptismi denuò quodammodo geniti, & renouati sumus. Ita enim loquitur Paulus [a]; *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* Alibi verò frequenter nouum hominem, & nouam creaturam nominat [b]. Induimus enim, vt B idem Paulus [c] ait, imaginem cœlestis hominis, id est, Christi, & spem concipimus innouandi etiam corpora, quæ *vt in Adam moriuntur, ita in Christo* [d] *viuificabuntur, qui reformabit* [e] *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Huius autem tam singularis beneficij vnica cōmemoratur caussa diuina misericordia, quæ omnia merita nostra anteuertit.

a ad Tit.3.5.
b ad Gala.6.15. ad Ephes.4.24. ad Coloss.3.10.
c 1. ad Cor.15.49
d 1. ad Cor.15.22.
e ad Philip.3.21.

V. Cur enim nos potiùs, quàm tam multos alios ad fidem, & veram religionem vocarit, & baptismo lustrarit, vt sexcentis locis docet Augustinus, si diuinam misericordiam, & beneuolētiam excipias, caussa nulla afferri potest. Hoc apud Matthæum [f] significauit Christus Dominus, cùm Deum Patrem his verbis alloquitur: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* C Et Paulus egregius, vt loquitur Augustinus, gratiæ prædicator, vbique salutem nostram diuinæ gratiæ acceptam referendam docet. Petrus autem eam misericordiæ magnitudini tribuit, *Secundùm*, inquit, *misericordiam suam magnam.* Nam si spectetur beneficij dignitas, & excellentia, nihil maius concipi potest: proprio namque Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ac propterea Christus apud Ioannem [g], *Sic enim*, ait, *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

f cap.11.25.
g cap.3.16.

VI. Quin etiam si spectentur ij, quibus hoc beneficium tribuitur, mirum in modum misericordiæ magnitudo amplificatur, & extollitur, quod non modò indignos recreat, sed etiam sempiternis supplicijs pro- D pter ipsorum flagitia meritò cruciandos: vniuersum enim genus hominum primi parentis vitio originaria labe infectum Deo erat exosum, & in omnia scelera, atque flagitia diuinæ gratiæ præsidio destitutum, & dæmonis arte delusum in dies magis ruebat. Hanc olim misericordiæ magnitudinem enixè post lapsum flagitabat Dauid, cùm diceret [h]: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Eandem verò magnificētissimis verbis describit Paulus [i], qui gratiæ diuitias appellat: *In quo*, inquit, *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius.* Et aliquantò pòst [k]: *Deus autem, qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suā, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui pec-* E *catis, conuiuificauit nos in Christo (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Vt autem merita nostra excludat, mox subdit: *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.*

h Psal.50.1.
i ad Ephes.1.7.
k cap.2.4.

VII. Non potuit, meo iudicio, diuinam misericordiam & beneficentiam magis exaggerare: primùm enim ait, Deum esse in misericordia diuitem, quasi dicat infinita misericordia præditum, quia cùm sit Deus per se infinitus, necesse est ea omnia, quę nos in Deo concipimus, & nostris cogitationibus distinguimus, & quodammodo numeramus, idem planè esse cum Deo, eandemque contrahere infinitatem. Addit nimiam esse caritatem Dei, qua dilexit nos: magna enim caritas est, si quis diligentem se diligat, eique in amore paria referat: at longè maior, si alienum beneuolentia quispiam prosequatur, cùm tamē ab eo ne cognoscatur quidem, maxima verò caritas censenda est illa, quæ inimico benefacit.

VIII. Omnem penè modum Christi caritas excedit, qui, cùm inimici essemus, & plurimis scelerum maculis B cooperti, impuro dæmoni seruitutē seruiremus, pro ea, qua nos caritate complectebatur, sanguinem, vitamque, profudit, & flagitiis omnibus expiatos, cœlestium, ac suorum diuiniorum bonorum voluit esse participes, & regni sui immortalis, ac sempiterni socios. Præterea abundātes diuitias gratiæ nominat. Innumerabilia propemodum bona complectens, quæ ab vno Christo tanquam vberrimo fonte in omnes homines redundarūt. Ad hæc merita nostra excludit, dum ait, *Et hoc nō ex vobis, & nō ex operibus.* Vnde munificētia, & liberalitas magnopere augetur. Postremò ipsas etiam studiosas, & laudabiles actiones inter Dei munera recenset, vt quicquid sumus, possumus, agimus, auctori Deo tribuendum sit, vt qui gloriatur, non nisi in Domino glorietur.

IX. C Hæc porrò misericordia Dei æquè magna est, vt Deus ipse, vt nō immeritò dixerit Bernardus [a], *nō arctari numero, non claudi fine, nullas omnino habere metas.* Nam ante omnē æternitatē diuina prædestinatione emicuit, vt non immeritò dixerit Dauid [b]: *Quoniā in æternū misericordia eius.* Et Angelis quidē bonis gratiā, & perseuerantiā iam inde ab eorū procreatione concessit, & plurimis mortaliū innumerabilia in dies beneficia largitur, vt iure optimo alicubi scripserit Augustinus [c]: *Totū quicquid sum, Domine de misericordia tua est. Vt enim essem, quid feci? Vt essem, qui te inuocarem quid egi? Quia ergo nemo te in misericordia largior, à quo accepi vt essem, ab illo accepi, vt bonus essem. Deus meus misericordia mea.* Singularis planè misericordia peccātē tolerat, vt resipiscat, expectat, vel potiùs excitat, & mira qua- D dam suauitate, atque efficacitate ad pœnitentiam adducit, nullūque est tam immane facinus, tamque execrabile scelus, quod nequeat diuina misericordia aboleri. Quamobrem nō minùs piè, quàm scitè dixit Bernardus [d]: *Maior est aut Cain* [e], *iniquitas mea, quàm vt veniā merear. Absit, absit, maior est Dei pietas, quàm quæuis iniquitas. Reuera benignus, & misericors est, suauis, & mitis est, copiosa misericordia, præstabilis super malitia, multus ad ignoscendum. Miserationes eius super omnia opera eius. Rectè non pater iudiciorū, vel vltionū dicitur, sed pater misericordiarū, quòd miserendi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi, vel vlciscendi ex nostro.* Plura in eandem sententiam scribit Augustinus [f].

a Serm. 11. in Cantic.
b Ps.135.1.
c Conc.2. in Ps.58.
d Serm. 36. in Can.
e Gen.4.13.
f lib. de contri. cor. c.5. & lib. medit. c.39.

X. Neque verò his finibus cōtenta diuina misericordia ad ima etiā inferorū loca peruadit, & priscos, è limbo E Patrū, quondā eripuit, plurimos è purgatorio in dies ad cœlestē beatitudinē euocat, & ipsos etiā sempiternis supplicijs addictos citra cōdignum plectit, & cruciat; beatos deniq; vltra condignū cœlestibus suis bonis explet, vt meritò dixerit Dauid [g], *Misericordia eius vsq; ad cœlos, & misericordia Domini plena est terra.* Huc accedit, quòd hæc diuina misericordia nulla vnquā sui effusione, nulla cōmunicatione vel exhauriri, vel minui vlla ex parte; nulla denique hominū improbitate superari, aut retūdi potest. Quamobrē rectè August. [h] *O bone Iesu, etsi ego admisi, vnde me damnare potes, tu non amisisti*

g Psal. 32. 5
h lib. medit. c.39.

amisisti unde saluare soles. Si castitatem meam mihi ade- A
mi, non misericordiam tuam peremi. Conscientia mea me-
retur damnationem, & pœnitentia non sufficit ad satisfa-
ctionem: sed certum est, quod misericordia tua superat
omnem offensionem.

XI. Quid igitur hæc magna misericordia præstitit no-
bis? *regenerauit*, inquit, *nos in spem viuam.* Cum enim,
vt ait Beda, *humana natura labes cunctos ad interitum*
procrearet, diuina nos misericordia recreauit ad vitam,
quam vt ait Petrus, spei viuentis beneficio, nunc certo ex-
pectamus, eam suo tempore, nisi per nos steterit, re ipsa per-
cepturi. Quocirca Apostolus spem viuam nominat,
quasi dicat non inanem, aut fallacem, sed solidam, ac
a ad Rom. 5.5. stabili fundamento nixam, quæ, vt ait Paulus [a], *non*
confundit, sed certum exitum consequitur. Cur au-
tem spem viuam appellet, si quis fortè sciscitetur, B
equidem existimarim, idem omnino spectasse Pe-
b ca.2.20.26 trum, quod in sua canonica Iacobum [b]; qui cum di-
cat fidem absque operibus mortuam esse, eam indi-
cat fidem esse viuentem, quæ cum caritate, & hone-
stis actionibus coniungitur: Nam aliter Petrus spem
viuam appellauit eam, quæ caritatem habet anne-
c cap.8.24. xam, de qua Paulus ad Romanos [c], *Spe enim salui fa-*
cti sumus: nam alioqui si à caritate seiungatur, inanis
est, & vitiosa confidentia, si temere sibi beatam vi-
tam, quæ debetur iustis, sine gratia, & caritate pol-
liceatur.

XII. Meritò autem spem viuam appellat Petrus: cùm
enim denuo geniti simus, filiorum adoptionem asse-
quimur, iureque optimo ad hæreditatem vocamur.
Ambigunt autem hoc loco nonnulli, habitúmne, vel C
actionem spei indicare velit, an verò id, quod spera-
mus: hoc enim posteriori modo loquitur Paulus,
d cap.2.5. cùm ad Titum scribit [d]: *Expectantes beatam spem, &*
aduentum gloriæ magni Dei. Sed, ni fallor, spei habi-
tum, & actionem intelligit: nam de hæreditate, quam
speramus, mox plura dicet: vocat enim illam *hæredi-*
tatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarces-
cibilem. certè enim in baptismo, qui ritè eo Sacra-
mento lustrantur, fidem, spem, & caritatem, cæterá-
que supernaturalia bona percipiunt, quæ hominis
iustificationem comitantur: quemadmodum autem
fides mentem, atque intelligentiam Deo subiicit, &
caritas diuinum in nobis amorem excitat, & inflam-
mat; ita spes cœlestium, diuinorúmque bonorum
appetitionem perficit, atque absoluit. D

XIII. Sapienter enim scripsit alicubi Philo [e]: *Quid enim*
e lib. quòd deterius potiori insidiatur. *homini magis potest esse proprium, quàm spes, & expectatio*
possessionis bonorum accipiendorum a solo munificentissimo
Deo? Quod genus solum, si vera fateri volumus, propriè
hominum est, tanquam hi qui non sperant in Deum, extra
f In lib. de Abrahamo. *naturam rationalem censeantur.* Idem verò alibi [f]: *San-*
ctus autem, ait, & laudabilis est, qui bene sperat, sicut è di-
uerso prophanus, & vituperabilis, qui non sperat. Dixe-
rat autem paulò antè: *Quemadmodum Homerus insi-*
gni quadam ratione dicitur Poëta, ita hominem bene spe-
rantem hominis nomine maximè dignum esse, quippe se-
cretum ab ignobili vulgo, & ea appellatione indigno. Iam
Petrus non quamlibet spem, sed spem viuam fideli-
bus tribuit, quam possis etiam certam, ac minimè
dubiam interpretari, vt significet eos, qui extra Ca- E
tholicam fidem vitam degunt, sperare quidem vitam
beatam, sed inani, & fallaci spe: Verè namque dixit
g cap.3.3. Christus apud Ioannem [g]: *Nisi quis renatus fuerit de-*
h vers.5. *nuò, non potest videre regnum Dei.* Et mox [h]: *Nisi quis*
renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introi-
i ad Ephes. 2.3. *re in regnum Dei.* Omnes quippe, vt ait Paulus [i],
natura nascimur filij iræ, & originaria labe inquinari,
& eam ob caussam sempiternæ morti obnoxij. quam-
obrem cunctis hæc noua regeneratio necessaria est,
vnde hæc spes viua existit. Baptismus enim, vt in

Scholis docent Theologi, Christi potissimùm aucto-
ritate nixi, cœli ianuam patefacit, & sempiterna bona
perseuerantibus certissimè pollicetur.

Addit, *Per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis*: ta- XIV.
metsi enim Christi meritum in acerbissimis cruciati-
bus, sæuissimáque eius morte continetur, nonnihil
tamen resurrectioni tribuitur, quod illa omnem
quodammodo Christi doctrinam obsignarit, & spem
nostram confirmarit: nam alioqui, vt ait Dauid [a]: a ps.29.10.
Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptio-
nem? Et in eandem sententiam Paulus [b]: *Si Christus* b 1. ad Cor.
non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est 15.14.
& fides vestra. Et aliquantò pòst [c]: *Quòd si Christus non* c vers.17.
resurrexit, vana est fides vestra: adhuc enim estis in pec-
catis vestris. Alibi [d] verò traditum ait Christum *pro-* d ad Rom.4
pter delicta nostra, & resurrexisse propter iustificationem 25.
nostram. Nam Christi mors nostrorum quodammo-
do scelerum extinctionem significat. Quo modo lo-
quitur Paulus [e]: *Quicunque baptizati sumus in Christo* e ad Rom.
Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim su- 6.3.
mus cum illo per baptismum in mortem. Eius verò re-
surrectio nostram iustificationem insinuat: Subdit
autem eodem loco Paulus, vt *quomodo Christus surre-*
xit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate
vitæ ambulemus: si enim complantati facti sumus simili-
tudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Siqui-
dem Christi resurrectio viuum quoddam exemplar
fuit nostræ resurrectionis, vt quod egregiè obserua-
uit Paulus [f], *Sicut per hominem mors; & per hominem* f 1. ad Cor.
resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriun- 15.21.
tur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Itaque Christi resurrectio mirum in modum spem XV.
nostram roborat, & confirmat, qui persimilem resur-
rectionis gloriam expectamus, cùm ad Philippenses
scribat Paulus [g]: *Nostra autem conuersatio in cœlis est,* g cap.3.20.
vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum
Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ
configuratum corpori claritatis suæ. Hanc spem conce-
perat animo sanctissimus, ac patientissimus Iob, qui
ita alicubi loquitur [h]: *Scio enim, quod redemptor meus* h cap.19.25.
viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rur-
sum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum
meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspectu-
ri sunt, & non alius, reposita est hæc spes mea in sinu meo.
Eodémque modo spem suam prædicat Dauid [i]: i ps.4.10.
D *Quoniam, ait, tu Domine singulariter in spe constituisti*
me. Et alibi [k]: *In te Domine speraui, non confundar in* k ps.30.1.
æternum.

Quocirca verè dixit Bernardus [l]: *Nos in spe viue-* XVI.
re, & in expectatione immortalium bonorum. qui alibi [m]: l Serm. 7. in Ps. 90.
Propter te, ait, Domine, omnia detrimentum feci, & vt m Serm. 9. in eund. psal.
stercora arbitror, quoniam tu es Domine spes mea. Si mihi
præmia promittuntur, per te certè obtinenda sperabo, si in-
surgant aduersum me prælia, si sæuiat mundus, si fremat
malignus, si caro ipsa aduersus spiritum concupiscat, ego
in te sperabo. Prætendat alter meritum, sustinere se ia-
ctet pondus diei, & æstus, ieiunare bis in Sabbato dicat,
non se esse sicut cæteros hominum glorietur, mihi adhærere
Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Vt quid si
hæc sapimus, vt quid cunctamur, abiicere spes miseras, in-
E *utiles, seductorias, & huic tam solidæ, tam perfectæ, tam*
beatæ spei tota deuotione animi, toto feruore spiritus in-
hærere?

4. *In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam,*
& immarcescibilem, conseruatam in cœlis in vobis.]

Quid potissimùm sperandum nobis sit, quíque sit I.
primarius spei nostræ finis, his non multis verbis ele-
gantissimè explicat: Vt enim ait Oecumenius, *spe-*
randa nobis est hæreditas incorruptibilis, & immaculata.
Appositè

Appositè autem hæreditatem nominat, cùm paulò antè dixerit, fuisse nos denuò genitos, & ad filiorum adoptionem vocatos. Rectè autem argumentatur Paulus [a], *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et alibi [b]: *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum. vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Scitè verò, atque argutè Augustinus [c], *Deum,* ait, *fore iustorum hæreditatem, & contra iustos hæreditatem Dei. Vnam,* ait, *cum sanctis Angelis ciuitatem habebimus, à Domino possidebimur, hæreditas eius erimus. & ipse hæreditas nostra erit, quoniam et modo dicimus* [d], *Dominus pars hæreditatis meæ: & de nobis dictum est* [e], *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Porrò hæreditas nostra Deus est, quæ, vt ait Augustinus [f], *Non minuitur copia possessorum; non fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus, cùm in creata hæreditate longè aliud eueniat.*

a ad Rom. 8. 17.
b ad Titum 3. 5.
c Serm. 19. de temp.
d ps. 15.
e ps. 2. 8.
f In ps. 149.

II. Quin etiam humana hæreditas nonnisi mortuo patre adiri potest à filiis, nos autem, vt idem Augustinus ait [g], *Sic sumus hæredes Dei, vt Deus ipse sit hæreditas nostra.* quamobrem alibi [h]: *Vide,* inquit, *ne perdas cæleste patrimonium, ne amittas Christum cohæredem, quia victurus es in æternum cum eo, qui te fecit hæredem. non enim talis te fecit hæredem, cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum viuas.* Hanc sanè hæreditatem alij quidem solo adoptionis iure assequentur, cuiusmodi sunt infantes, qui baptismo expiati, C subitò euolant in cœlum, quibus vnius Christi merita suffragantur: alij verò ad ius adoptionis propria merita addunt, & immortalem illam hæreditatem sic prorsus adeunt, vt eam sibi quasi laborum suorum præmium, ac mercedem flagitent.

g Serm. 13. de verb. Apost.
h 3 a ps. 136.

III. Quo fit, vt illa ipsa hæreditas corona iustitiæ à Paulo Apostolo [i] nuncupetur, *In reliquo,* inquit, *reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius.* Ne quis fortè specioso hæreditatis nomine deceptus, torpenti sibi, atque otioso cœlestem beatitudinem deberi, stultè, atque impiè credat, cùm apertè Christus Dominus apud Matthæum dixerit [k], *Si vis ad vitam ingredi,* D *serua mandata;* & studio, ac labore nostro immortalis illa beatorum vita comparanda sit. Verè enim scripsit Apostulus Paulus [l]: *Non coronatur, nisi qui legitimè certauerit.* Hanc itaque hæreditatem spes viua, de qua hoc loco Petrus, certissimè expectat, persuadétque omnia quamuis dura, & aspera forti constantique animo toleranda, cùm, vt ait Apostolus Paulus [m], *Non sint condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et alibi [n]: *Id enim, quod in præsenti est, momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æter-* E *na sunt.*

i 2 ad Tim. 4. 8
k cap. 19. 17.
l 2 ad Tim. 2. 5.
m ad Rom. 8. 18.
n 2. ad Cor. 4. 17.

IV. Hanc cœlestem hæreditatem miris laudibus extollit, & primùm quidem vocat eam incorruptibilem, Græcè ἄφθαρτον; quam vocem alij *immortalem* interpretantur; cùm tamen aliquid ampliùs significet, hoc est, nulli vicissitudini, aut permutationi obnoxiam, cùm semper sit eadem, & sui similis, immutabilis, ac sempiterna. De illa namque scribit Isaias [o], *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.* Et planiùs Ioannes [p]: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor* A *erit vltrà, quia prima abierunt.* Nihil igitur in ea hæreditate metuendum erit eorum, quæ in hac mortalitate mala, & incommoda vel inuiti cogimur experiri.

o cap. 25. 8.
p In Apoc. 7. 17 & 21. 4.

V. Quamobrem aptè Didymus indicare ait hoc loco diuinam, & puram hæreditatem, in omnem æternitatem permansuram; vnde colligit, friuola quædam, & inania à quibusdam temere effundi, qui terrenam nescio quam mille annorum beatitudinem somniant. Pertinet enim ad veram beatitatem, vt sit perpetua, & sempiterna, vt meritò dixerit quidam [a]:

Quid me fœlicem toties iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

a Boët. lib. 1. de consolat. Philos. met. 1.

Neque verò vllam admittit vicissitudinem, aut mu- B tationem, cùm postulet statum quendam omnium bonorum aggregatione perfectum. Accedit, quòd cùm ea vita nec tempori subsit, nec motui, & à contrariis remotissima sit, nihil habet vnde intereat, aut corrumpi queat: vt enim alicubi scribit Philo [b], *Vita, quæ apud Deum est, non descendit ad nos, nec venit in istas necessitates corporis.*

b li. quis rer. diu. hær. sit.

VI. Et eleganter Augustinus [c] Poëtarum more de illa beata vita hunc in modum scripsit:

c In meditationibus si modò illius est opusc.

Nam quis promat summæ pacis quanta sit lætitia?
Vbi viuis margaritis, surgunt ædificia.
Auro celso micant tecta, radiant triclinia,
Solis gemmis pretiosis, hæc structura nectitur.
Auro mundo tanquam vitro vrbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.
Hyems horrens, æstas torrens illic nunquam sæuiunt.
Flos perpetuus rosarum, ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata, riui mellis influunt.
Pigmentorum spirat odor, liquor & aromatum.
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.
Non alternat Luna vices, Sol, vel cursus syderum.
Agnus est fœlicis vrbis lumen inocciduum.
Nox, & tempus desunt ei, diem fert continuum.
Nam & sancti, quique velut Sol præclarus rutilant:
Post triumphum coronati mutuò coniubilant,
Et prostrati pugnas hostis iam securi numerant:
Omni labe defæcati: carnis bella nesciunt.
Caro facta spiritalis, & mens vnum sentiunt.
Pace multa perfruentes scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti repetunt originem,
Et præsentem veritatis contemplantur speciem.
Hinc vitalem viui fontis hauriunt dulcedinem.

Et plura deinceps, quæ illius vitæ fœlicitatem mirificè describunt.

VII. *Et incontaminatam.* Græcè, ἀμίαντον, tam puram videlicet, & sanctam, beatam illam vitam, & cœlestem hæreditatem affirmat esse; vt ne leuissimam quidem labem admittat. De illa namque dixit olim Isaias [d]: *Non adiiciet vltrà, vt pertranseat per te incircumcisus, & immundus.* Et Ioannes in Apocalypsi [e]: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* Eam ob causam percontatur E Dauid [f]: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* & respondet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* Eodémque modo alibi [g], cùm quæsisset *quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* illicò subdit: *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.*

d cap. 52. 1.
e cap. 21. 27.
f ps. 14. 1.
g ps. 23. 3.

VIII. In sacris verò literis frequentissimè prouocat nos Deus ad sanctitatem, & vitæ, morúmque integritatem. Et alicubi [h]: *Sancti estote, quia ego sanctus sum, ne polluatis animas vestras.* Quò spectasse videtur Petrus, cùm hoc ipso capite non ita multò post ait, *sed*

h Leu. 11. 44. Similis Leu. 19. 2. Leuit. 20. 7.

secundum

secundum eum, qui vocauit vos, sanctum, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Quapropter frequenter innocentes, atque immaculati, beati prædicantur, quod ad hanc beatam vitam assequendam sint maximè apti, vt non immeritò existimarit Beda, fideles etiam dum vitam inter mortales ducunt, Dei hæreditatem appellari, & quidem incorruptibilem, *ne vllo lethali crimine corrumpantur, incontaminatam, ne mediocribus culpis inquinentur; immarcescibilem, ne leuissimis, & quotidianis culpis marcescant; denique conseruatam in cœlis, quia hac sanctitate præditi beatorum cœtui citra vllam dubitationem, si perseuerauerint vsque in finem, aggregabuntur.*

IX. Sed veriùs hæc de illa beata, & cœlesti hæreditate accipienda sunt; cuius perceptio, vt ait Didymos, apud eos est incontaminata, qui caduca, & mortalia bona despiciunt, vt diuina illa bona fœliciter assequantur. Addit, *immarcescibilem*. Græcè, ἀμάραντον: videtur enim à floribus similitudinem sumpsisse, qui quamuis speciosi, breuissimo tamen spatio marcescunt, & decidunt, aut etiam à fructibus, qui & ipsi non post multum tempus putrescunt: hoc autem vitium alienum ait esse ab hac hæreditate, quam iusti expectant: nullo enim situ, aut carie putredinem contrahet, suam perpetuò speciem, pulchritudinem, &, vt ita dicam, viorem retinebit.

X. Cœlestes quippe deliciæ hoc potissimùm, vt ait Beda, à terrenis, & corporeis voluptatibus differunt, quòd illæ longo vsu in beatorum mentibus nunquam vilescunt, nunquam odiosam satietatem, aut fastidium pariunt. Luxus verò, & oblectationes corporis diuturna consuetudine vires corporis frangunt, atque eneruant, mentem hebetant, & plerunque etiam nauseam afferunt. Beatus autem Gregorius [a], *Hoc*, inquit, *distare inter delicias corporis, & cordis solet, quòd corporales deliciæ, cum non habentur, graue desiderium in se accendunt, cum habentur, in fastidium vertuntur. At contrà spirituales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt, cum habentur, in desiderio.* Nam de diuina sapientia, quæ est omnium cœlestium deliciarum fons, & origo, scriptum est in Ecclesiastico, *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* tantùm abest, vt tædium, aut fastidium pariat.

a Hom. 36. in Euang.

XI. Itaque aptè, atque omnino verè dixit Petrus beatam illam vitam esse immarcescibilem: id enim necessariò ex eo sequitur, quòd est incorruptibilis, & incontaminata. Quod enim corrumpi non potest, & interitus principio caret, neque extrema mala perpeti potest, neque flaccescere, neque putrescere vllo modo poterit. Cùm igitur suapte natura beatorum illa hæreditas sit incorruptibilis, neque externis malis contaminari queat; consequens est, vt sit immarcescibilis, hoc est, nunquam senescat, nulla prorsus detrimenta sentiat. Vt meritò dixerit Christus Dominus [b]; *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.*

b Matt. 6. 20

XII. *Conseruatam in cœlis.* Vt quiuis intelligat hæc de beata, & sempiterna vita accipienda esse, quam Deus ante omnem æternitatem electis, ac prædestinatis immutabili decreto præparauit, & fideliter, constantérque conseruat, vt certitudinem, firmitatémque diuinæ præfinitionis indicet: tam eximium enim, támque excellens bonum in cœlesti illa patria conseruatum spem nostram maximè roborat, & in aduersis confirmat, cùm de illo præmio, & corona nefas sit dubitare. Conseruari porrò dicitur, electorum præcipuè, ac prædestinatorum respectu, quibus eam hæreditatem certo, atque immutabili consilio præparauit Deus: sic enim ait Christus [a]: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et alibi [b] vi sempiterni illius decreti ita Patrem alloquitur: *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.*

a Matth. 25. 34.

b Ioan. 17. 24

XIII. Et quanquam nonnunquam prædestinati labuntur, & errant, perire tamen non possunt, quia sua diuina gratia Deus immortalis illos erigit, ac sublcuat, vt meritò dixerit Christus [c]: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Fuit aliquando Paulus Christi hostis, & fidelium acerrimus insectator, sed qui illum ab vtero matris sibi delegerat, tanquam vas electum opportuno tempore efferatam eius voluntatem diuinæ gratiæ efficacitate mutauit, & ex mirabili persequutore, mirabiliorem, vt loquitur Augustinus [d], diuini verbi prædicatorem effecit. Et hic ipse Petrus lapsus est aliquando, & nimio metu perculsus à necessaria fidei confessione recessit; sed qui illum sibi Vicarium in terris præfecerat, destinatam illi hæreditatem conseruauit, & rursum ad pœnitentiam, suámque gratiam diuino suo intuitu reuocauit. Idem planè de Thoma Apostolo dixerim, quem ab infidelitate non tam sua præsentia Christus, quàm interno quodam impulsu rursum ad fidem adduxit, vt sempiternæ hæreditatis vnà cum cæteris electis particeps esset.

c Ioan. 10. 27

d lib. 1. ad Simpl. q. 2. in fine.

XIV. Mitto Dauidem, aliósque non paucos, qui cùm aliquando à recto iustitiæ tramite deflexissent, cùm redissent in viam, suo exemplo docuerunt, verissimè dictum esse à Petro cœlestem hæreditatem electis conseruari. Benè igitur ominando ait Petrus, hanc hæreditatem fidelibus, ad quos scribit, fuisse conseruatã. Ait enim, *conseruatã in vobis*, vt significet eos electorum numero cõprehendi, siue id diuinitùs cognouerit, siue id non optandum solùm, sed sperandum esse insinuet. Ita enim sæpe tum in prima, tũ in secunda persona Scriptura loquitur. Paulus [e] enim alicubi ait: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam in cœlis.* Et alibi [f]: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Christus verò ipse [g]: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et apud Lucam [h]: *Gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Non aliter igitur ait Petrus, hæreditatem conseruatam in cœlis, *in vobis*, hoc est vobis, aut pro vobis. Græcè enim est εἰς ὑμᾶς, quasi *erga vos*, aut *in vestram vtilitatem*. Nec dubito, in nonnullis Græcis codicibus mendum esse, cùm legant in prima persona εἰς ἡμᾶς. Ea verò quæ subsequuntur, secundam personam, hoc est, ὑμᾶς, necessariò postulant. Subdit enim,

e 2. ad Cor. 5. 1.

f 2. ad Cor. 5

g Matt. 5. 12

h cap 10. 20

5. *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.*]

I. Quibusnam quæso, Deus immortalis cœlestem illam hæreditatem conseruat? *Vobis*, inquit, *qui in virtute Dei custodimini per fidem.* Ita nouum Dei beneficium recenset: quemadmodum enim parentum, ac progenitorum proprium est, non modò liberos gignere, sed eos deinde in lucem editos alere, atque educare; ita multò magis cœlestis ille parens, quos denuò filios genuit, suo deinceps patrocinio souet, ac protegit. Itaque olim apud Isaiam dixit [i]: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui*

i cap. 49 15.

etiam

coram oculis meis semper. Singularem quippe, planéque diuinam prouidentiam declarat suam; qua fidelibus, ac iustis semper adest, non aliter, ac si eos haberet in manibus descriptos, aut ante oculos positos.

A

II. Itaque Petrus custodiri ait fideles virtute Dei: nam, vt ait Dauid [a], *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Et verè, ac sapienter Concilij Tridentini Patres [b] perseuerantiam docent, nonnisi ab eo sperandam esse, qui, vt ait Apostolus [c], *potens est, eum qui stat, statuere.* Et alibi [d] definiunt iustificatum *sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare non posse.* Custodiri igitur necesse est virtute Dei, hoc est, diuinæ gratiæ præsidio, quod, vt iidem Concilij Patres affirmant, nisi quis gratiæ defuerit, *sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Quò referenda sunt illa, quæ alioubi scribit Dauid [e]: *Custodit*, inquit, *Dominus omnia ossa eorum* (de iustis loquitur) *vnum ex his non conteretur.* Eodémque spectant verba Christi [f]: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Et alibi [g]: *Capillus de capite vestro non peribit.*

a psl. 126.
b Sess.6.c.13. & can 16.
c ad Rom. 14.4.
d Can.22.
B
e psl.33.21.
f Matt.10.30
g Luc.21.18.

III. Cæterùm quod ait interpres, *custodimini.* Græcè dixit Petrus, φρουρουμένους, quæ vox ad militares excubias, & arcium, ac præsidiorum custodias maximè refertur: eáque metaphora vsus est Paulus, cùm ad Philippenses [h] dixit: *Custodiat corda, & intelligentias vestras.* Græcè, φρουρήσει. Hanc porrò eximiam custodiam flagitabat Dauid, cùm diceret [i]: *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi.* Et quidem rectè: incredibile enim dictu est, quàm multis periculis mortalis hæc vita nostra sit obnoxia: nam, vt omittam dæmonum insidias, & machinationes; domestico prælio cum prauis cupiditatibus continenter pugnandum est, nec facilè quisquam, si suis dontaxat nitatur viribus, victoriam sibi polliceri potest. Itaque vt est apud Cassianum [k] prisci olim Monachi frequenter illud in ore habebant: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.*

h cap.4.7.
i psl. 16.8.
C
k.

IV. Nemo igitur suis liberi arbitrij viribus nimiùm fidat, sed diuinæ gratiæ opem ex animo frequenter imploret: & huius exemplo Petri discat, quàm sint humanæ vires imbecillæ: ille siquidem gloriosè verba illa iactauit [l]: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Itémque: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* qui tamen non ita multò pòst vnius mulierculæ voce perterritus, non semel tantùm, sed ter Christum Dominum abiurauit: Quòd si non penitus fidem deseruit, id merito Christi factum esse credendum est, qui apud Lucam dixit [m]: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Adsit igitur oportet diuinum patrocinium; quemadmodum olim aduersùs Assyrios adfuit vrbi Ierusalem, & Regi Ezechiæ, vt est apud Isaiam [n]: *De manu enim, ait Dominus, Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.*

l Matt.26.33
D
m cap.22.32
n cap.38.6.

V. Protegit autem, & custodit Deus, primùm quidem sponte sua pro ea, qua iustos, præcipuéque electos, ac prædestinatos caritate complectitur [o], *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Deinde Christi merito, & supplicatione; qui, vt scribit Ioannes [p], pro electis preces fudit: *Non pro mundo*, inquit, *rogo, sed pro iis, qui credituri sunt.* Addi possunt tutelarium Angelorum, ac Beatorum suffragia, qui de nostra salute solliciti fausta omnia, ac fœlicia nobis ab immortali Deo precantur. Ac de Angelis quidem scripsit Dauid [q]: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Et Iacob [r] cùm bene nepotibus precaretur: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Denique hoc Angelicum patrocinium indicant Christi verba apud Matthæum [a]: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* hoc autem patrocinium iussu, atque auctoritate Dei suscipiunt Angeli, vt significat Dauid [b], *Immittet*, inquit, *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et alibi, vt paulò ante dixi, *Angelis*, ait, *suis mandauit de te.*

o 1.ad Tim. 2.4.
E
p cap.17.9.
q psl.90.11.
r Gen.48.16.
a cap.18.10.
b psl.33.8.

VI. Mitto alia sexcenta, quæ diuinum in nos patrocinium indicant, quæ alibi copiosius recensui. Hæreditatem itaque, quam paulò antè descripsit, pollicetur iis, qui custodiuntur à Deo, hoc est, qui perseuerant vsque in finem: vt enim sæpius monui, sola perseuerantia prædestinatorum est propria, soláque beatam vitam consequitur. Atque ita rectè ait Petrus hæreditatem in cœlis conseruari iis, qui in virtute Dei custodiuntur.

VII. Addit, *per fidem.* Græcè, διὰ πίστεως; an fiduciam, & confidentiam? Caue existimes. Inanis enim, & temeraria confidentia ab hæreticis excogitata, cùm plurimùm à fide distat, tum veritati Catholicæ maximè aduersatur, vt in disputatione de iustificatione planiùs docui. An solam fidem, satis esse ait ad beatam illam vitam consequendam? Id superioris, nostrique æui heretici mirè probant, sed quàm sit hoc impium dogma, à sacris literis, & Catholica religione alienum, docet Iacobus [c], qui fidem solitariam, & laudabilibus actionibus vacuam mortuam appellat. An custodiri per fidem electos docet, quod fides mente retenta miris modis animum excitet ad pias, & honestas functiones, ad gratiam, & caritatem conseruandam, ad resipiscendum, & expianda flagitia? An fidei nomine, vt sæpe Paulus Apostolus, Christi religionem intelligit, vt priscis legis Mosis ceremoniis opponitur? Certè hoc potissimùm innuere videtur Petrus, vt significet eos, qui Christiana sacra perceperint, diuino patrocinio potissimùm tutos esse, quo modo alicubi dixit Paulus [d], Deum omnium hominum esse Saluatorem, *maximè autem fidelium.* Atque ita cùm ait Petrus, *Per fidem*, caussam interiectam, & quasi instrumentum diuinæ prouidentiæ significat. Quæ, vt ait Chrysostomus, absque circuncisione, alisque legis veteris ceremoniis nos Deo conciliat.

c.
d 1.ad Tim. 4.10.

VIII. Qua ratione hic ipse Petrus [e] Deum ait fide infidelium corda purificasse: tametsi enim non desint [f], qui Petri verba de ipso habitu fidei explicent, qui errorem, & impietatem à mente depellit, atque hac ratione corda purificare dicitur; melius tamé Chrysostomus, & Beda de Christiana religione, Christíque gratia accipiunt, quæ veram, & perfectam iustitiam largitur. Per fidem igitur ait Petrus fideles custodiri, hoc est merito fidei non solitariæ, sed cum gratia, & caritate coniunctæ, vt fidem viuam intelligat: Ita apparet, quicquid iusti sunt, aut valent, diuinæ beneficentiæ, ac liberalitati acceptum esse referendum: etiam & ipsa custodia, & conseruatio diuinæ potestati tribuitur, & fides, quæ nonnihil habet meriti, Dei beneficium est.

e Act.15.9.
f D. Thom. 2.2.q.7.ar.2

IX. Itaque Christus Dominus apud Ioannem [g] Deum Patrem ita precatur; *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Et aliquanto post de se ipso ait, *Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Possis etiam *per fidem* interpretari, propter fidem, vt sit sensus, diuina vi, ac potestate custodiri iustos propter fidem, hoc est, vt fidem retineant, & constantissime in ea perseuerent, quasi tacitè innuens, ab hæreticis, & seductoribus cauendum esse: id enim potissimum exigi à Deo, vt integra, & illæsa fides omnes errores, & impietates excludat; atque

g cap 17.11.

ita

ita Oecumenius, conſeruationem, & cuſtodiam eorum eſſe dicit, qui credunt; niſi enim Deus ſua nos diuina vi, ac poteſtate tueretur, ſuamque Eccleſiam protegeret, Chriſtiana fides non tam latè diffuſa, & propagata eſſet. Quorſum autem hoc Dei patrocinium referatur, explicat, cùm ſubdit:

X. *In ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſſimo.* Huc enim tanquam ad extremum, & diuina electio, & iuſtorum cuſtodia, & fidei conſeruatio referuntur, vt qui prædeſtinati ſunt, ſalutem conſequantur ſempiternam. Nec dubium eſt de animorum ſalute, hoc eſt, immortali ac beata vita hæc accipienda eſſe, quam paulò antè hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarceſcibilem appellauerat. Addens eam illis eſſe conſeruatam qui diuino patrocinio fouentur, vt fidei beneficio ſalui fiant: vt enim
B alibi probaui, in extremo iudicio duo tantùm ordines erunt: nam alij quidem, qui ad ſiniſtram iudicis erunt, in interitum ruent ſempiternum, qui verò dexteram occupabunt, ab inferorum cruciatibus erepti ſalutem conſequuturi ſunt, hoc eſt, vitam immortalem, & beatam, vt eorum reſpectu, qui pereunt, hi ſalui dicantur. Re autem vera iuſtorum ſalus vni Deo tribuenda eſt, quod cùm probè agnoſceret Dauid, alicubi dixit [a]: *Niſi quia Dominus adiuuit me paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.* De qua enim
a pſ. 93. 17.
ſalute loquatur Petrus, mox explicat, cùm addit, *Paratam reuelari in tempore nouiſſimo* Indicat enim loqui ſe de animorum ſalute, quam etiam corporum gloria, & immortalitas conſequetur, non quidem in hac
C mortali vita, ſed in nouiſſimo tempore, hoc eſt, in extremo mundi die.

XI. Ait autem hanc ſalutem reuelandam: in hac enim
b Ep. 1. 3. 2. mortali vita latet, vt ait Ioannes [b], *Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. ſcimus. quoniam*
c cap. 64. 4. *cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.* Et Iſaias [c]: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Quæ totidem fermè verbis repetit Paulus [d]. Voluit enim
d 1. ad Cor 2. 9. Deus nos fidei beneficio ea mente complecti, quæ obſcura ſunt, nec poſſunt euidenti ratione comprehendi: ita ſpes noſtra alitur, &, vt ait Paulus [e], *Spe ſalui*
e ad Rom. 8. 24. *facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiã expectamus.* Vt autem appareat
D hanc ſpem noſtram certam eſſe, ac minimè dubiam, ait Petrus hanc ſalutem paratam eſſe reuelari, quaſi dicat eam eſſe in promptu, nec poſſe quemquam de
f ad Heb. 11. 33. ea dubitare. Paulus enim Apoſtolus apertè ſcripſit [f], Veteris Teſtamenti Patres per fidem viciſſe regna, operatos eſſe iuſtitiam, & adeptos eſſe repromiſſiones, quæ videlicet ad hanc mortalem vitam pertinerent: nã de perfecta ſalute, quæ in alia vita expectanda
g verſ. 39. eſt, aliquantò pòſt [g] ſubdit: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem. Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.*

XII. Cùm igitur exter diuina polligitatio, nefas eſt dubitare hanc ſalutem electis eſſe paratam. Id verò grauiſſimis verbis Chriſtus Dominus confirmauit [h]:
h Ioan. 14. 2. *Non turbetur, ait, cor veſtrum; creditis in Deum: & in*
E *me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, ſi quo minus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum; vt vbi ego ſum, & vos ſitis.*

XIII. Mirificè igitur Petrus hac oratione fidelium animos recreat, atque in ſpem erigit, dum primùm eos ait eſſe Dei patrocinio tutos, ac propterea ne ab ipſo quidem dæmone atrociſſimo humani generis hoſte quidquam mali metuendum eſſe, qui nihil poteſt in
i lib. de fuga in perſec. c. 2 iuſtos, niſi permiſſu Dei. Quocirca Tertullianus [i],

Bened. Iuſtinian. in Epiſt. Canon.

A *Arbitrium enim, inquit, Domini perſequutio propter fidei probationem: miniſterium autem iniquitas diaboli propter perſequutionis inſtructionem. Ita enim per diabolum [c] forte, non a diabolo euenire credimus. Nihil ſatanæ in ſeruos Dei viui licebit, niſi permiſerit Dominus, vt aut ipſum deſtruat per fidem electorum, in tentatione victricem, aut homines eius fuiſſe traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, niſi a Deo accepiſſet poteſtatem, nec in ſubſtantiam quidem eius, niſi Dominus ecce dixiſſet. Omnia, quæ ſunt ei in manu tua do, in ipſum autem ne extenderis manum. Denique nec extendit, niſi poſteà quam, & hoc poſtulante, Dominus ecce dixiſſet, Trado tibi illum, tantum animam eius cuſtodi. Sic & in Apoſtolos facultatem tentationis poſtulauit, non habens eam niſi ex per-*
B *miſſu. Siquidem Dominus in Euangelio ad Petrum. Ecce, inquit, poſtulauit Satanas, vt cerneret vos velut frumentum. Verùm ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua, id eſt ne tantum diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur. Quo oſtenditur vtrumque apud Deum eſſe, & concuſſionem fidei, & protectionem, cum vtrumque ab eo petitur concuſſio a diabolo, protectio à Filio.*

XIV. Et paucis interiectis: *Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit poteſtatem, niſi eam de Deo impetraſſet, tantum abeſt vt in oues Dei habeat. Et propterea dixit Paulus [a], principem poteſtatis aëris huius operari nunc*
a ad Epheſ. 2. 2.
in filios diffidentiæ. Idemque Tertullianus ait [b]: *Habere videtur diabolus propriam iam poteſtatem, ſi fortè in eos, qui ad Deum non pertinent: ſemel in ſtillam ſitulæ, &*
b Loco indicato aliquantò poſt.
C *in puluerem areæ, & in ſaliuam nationibus deputatis à Deo, ac per hoc diabolo expoſitis in vacuam quodammodo poſſeſſionem. Cæterum in domeſticos Dei nihil illi licet ex propria poteſtate, quia quando liceat, id eſt, ex quibus cauſſis, exempla in Scripturis ſignata demonſtrant.* Mox autem triplicem affert cauſſam, cur aliquando Deus dæmonem permittat in hominem ſæuire: *aut enim*, inquit, *ex cauſſa probationis conceditur ei ſiue tentationis, prouocato, vel prouocantis, vt in ſuperioribus, aut ex cauſſa reprobationis traditur ei peccator, quaſi carnifici in pœnam, vt Saül; & abſceſſit, inquit, Spiritus Domini a Saule, & concutiebat eum Spiritus nequam a Domino, & ſuffocabat eum: aut ex cauſſa cohibitionis, vt Apoſtolus refert, datum ſibi ſudem Angelum Satanæ, vt colaphizaretur, alioqui veriſſimè dictum eſt*
D *à Zacharia [c]: Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria eorum in medio eius.*
c cap. 2. 5.

XV. Et poſt pauca, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et in Apocalypſi [d] Angelis vaſtatoribus alius quiſpiam Angelus à Deo miſſus in hæc verba præcipit, *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.*
d cap. 7. 3.

6. *In quo exultabitis modicum nunc, ſi oportet contriſtari in variis tentationibus.*}

I. Explicat, quorſum hæc adhortatio pertineat. Etenim, vt ait Didymus, *probatur fides eorum, qui propter Deum in tentationibus diuerſis tribulantur, &*
E *vſque ad finem in huiuſmodi probata fide perſiſtunt, quos viſque conuenit exultare, licèt aliquis labor eorum voluntatibus importunus eſſe videatur: hunc enim laborem hic triſtitiæ nomine deſignat.* Sed quoniam Apoſtolus ait, *In quo*, non ſatis liquet, quorſum referatur. Cùm enim proximè nouiſſimum, aut ſupremum tempus nominaſſet, vulgatus interpres, viſus eſt relatiuum ad id tempus referre, atque idcirco futuro tempore dixit, *Exultabitis*, vt ſenſus ſit huius vitæ moleſtias in extremo illo mundi die ſingularem quandam lætitiam, ac voluptatem allaturas iis, qui magnò, conſtantique animo eas in hac mortali vita pertulerint.

T Sed

II. Sed quoniam Græci codices habent, ἀγαλλιᾶσθε, A hoc est, *exultatis*. Occumenius, & alij referunt ad tempus præsens. Quasi dicat Apostolus: *In quo*, hoc est, ob spem futuræ salutis, quæ extremo illo die reuelanda est, etiam nunc in hac breui, mortalique vita incredibili quodam gaudio exultatis, etiam si plurima aduersa perferenda sint. Quæ mihi explanatio magis arridet, vt relatiuum, *in quo*, totam superiorem orationem referat hoc sensu: Hac vos spe mirificè confirmati in hac mortalitate incredibili gaudio perfundimini, etiamsi variæ, ac multiplices tentationes subeundæ sint. Nec dubium est hac spe erectos Apo-
a Act. 5. 41. stolos abiisse [a], *Gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Eandemque
b 2. ad Cor. 7. 4. demque ob caussam Paulus Apostolus [b], *Repletus sum*, ait, *consolatione, superabundo gaudio in omni tribu-* B *latione nostra*. Sic etiam Martyres quasi ad nuptias, aut ad triumphum ad supplicia, & acerbissimos cruciatus, mortem denique ipsam ingenti cum exultatione properabant.

III. Non me fugit obseruatum à viris doctis præsens tempus pro futuro vsurpari. Syriacum futuro tempore reddidisse, *Lætabimini in æternum*. Latinos fermè omnes explanatores, & Romanam Bibliorum editionem futurum tempus agnoscere. Nec dubito verissimè affirmari, magnam fore iustorum lætitiam in extremo illo mundi die, cùm pro Christo exantlatis laboribus, sempiternum, atque immortale præmium reddetur. Et valdè probabile est, Græcos olim codices variasse, atque adeò vulgatum interpretem futurum tempus Græcè legisse; sed cùm hoc C verissimè affirmari non dubito, tum Oecumenij explanationem magis argutam censeo, maioremque vim habere ad spei nostræ certitudinem extollēdam, cùm præsertim subdat Petrus, *modicum nunc si oportet contristari*; vt idem tacitè indicare videatur, quod ele-
c 2. ad Cor. 4. 17. gantissimè alibi explicat Paulus [c]: *Id enim quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt*. Hanc ob caussam dixit Christus discipulis suis: *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: gaudete, &* D *exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. Quo loco non futuram beatitudinem pollicetur, sed præ-
d Matt. 5. 11. sentem indicat, cùm ait [d]: *Beati estis*, atque idcirco meritò gaudendum, atque exultandum monet. Et
e cap. 3. 14. hic noster hac ipsa Epistola [e], Sed, *Et si quid*, ait, *patimini propter iustitiam, beati*.

IV. Verùm siue futurum, siue præsens gaudium, & exultatio in hac quidem mortalitate nonnihil molestiæ, ac tristitiæ necessariò exigit. Christus enim apud
f cap. 16. 2. Ioannem [f] aduersa, quæ sol[illegible]anda sunt in hac vita, his verbis prædicit: *Absque Synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, qui [illegible] vos, arbitretur obse-*
g vers. 20. *quium se præstare Deo*. Et non ita multò pòst [g]: *Amen, amen dico vobis; quia plorabitis, & flebitis vos, mundus* E *autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia ve-*
h vers. 22. *stra vertetur in gaudium*. Denique [illegible]: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Sed mirum fortasse cuipiā videatur, quomodo gaudium præsens cum præsenti tristitia, ac mœrore consistere queat. *Exultatis*, ait, *modicum nunc, si oportet contristari*. Verùm tristitiam posuit interpres non pro mœrore, aut angore, qui cum gaudio pugnat, sed pro molestia, & vexatione extrinsecùs illata, de qua
i cap. 16. in fin. dixit Christus apud Ioannem [i]: *In mundo pressuram habebitis*. Græcè enim dixit Apostolus: λυπηθέντες, qua-

si dicat *afflicti*, aut *vexati*, ita significat quod paulò antè dixi, in summa rerum perturbatione iustos exultare, ac triumphare.

Id verò eximium, ac singulare Dei munus erit, qui V. cùm rebus aduersis premimur, suo nobis diuinæ gratiæ præsidio commodum adest, qui apud Dauidem dixit [a]: *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a* a psal. 90. 5. *timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano*, vt nihil penitus metuendum, aut formidandum significet. Quin etiam addit, *cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum; & glorificabo eum*. Et apud Isaiam [b]: *Cùm* b cap. 43. 2. *transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te*. Has autem tam magnificas pollicitatio- B nes neque falsas, neque inanes esse, suo exemplo testatur Paulus Apostolus [c]: *Benedictus*, inquit, *Deus*, c 2. ad Cor. 1. 3. *& Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat & consolatio nostra*. Dum ait igitur Petrus, *Si oportet contristari*, perinde est ac si dicat, si necesse est aduersa tolerare spe futuræ fœlicitatis recreati lætitia exultatis.

Egregiè verò malorum, atque incommodorum, VI. quæ perferenda sunt, acerbitatem eleuat, atque extenuat: primùm quidem dum ait, modicum, Græcè, C ὀλίγον, vt breue esse, quicquid tempore circumscribitur, & accidere potest in mortali vita, significet. Nam si cum sempiterna vita, & beatorum gloria conferatur, nullius propemodum momenti deprehendetur, quamobrem dixit Paulus [d]: *Non sunt condigna passio-* d ad Rom. 8. 18. *nes huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Addens deinde, *nunc*, incredibilem vitæ breuitatem declarat, quæ breuissimo quodam articulo temporis circumscribitur. Quocirca, vt ait Seneca [e], e Epist. 59. *Quæcunque videmus, ac tangimus, Plato in illis non numerat, quæ esse propriè putat. Fluunt enim, & assidua diminutione, atque adiectione sunt. Nemo nostrûm idem est in senectute, qui fuit iuuenis. nemo est manè, qui fuit pridiè; corpora nostra rapiuntur fluminum more. quicquid vides, currit cum tempore. nihil ex iis, quæ videmus manet. Ego* D *ipse, dum loquor, mutari ista, mutatus sum; hoc est, quod ait Heraclitus, in idem flumen bis non descendimus: manet enim idem fluminis nomen: aqua transmissa est. Hoc in amne manifestius est quàm in homine, sed nos quoque non minus velox cursus prætervehit*.

Quamobrē rectè dicitur hæc vita momentū, vnde VII. pendet æternitas. Cùm itaque tā breuis vita sit, molestiæ, ac malorū vexationes non possunt esse diuturnæ. Postremò cùm ait, *si oportet contristari*, veluti adhibita conditione periculū extenuat: neque enim necesse est viros iustos rebus aduersis semper premi, sed illud necessariū est, quicquid acciderit æquo animo ferre. Et in hanc sententiam hunc locū explicat Occume- E nius. *Dicit*, inquit, *si oporteat, propterea quod neque omnes iusti, neque omnes peccatores afflictionibus tentantur, neque prosperitate fortunæ aut illi, aut hi semper vtuntur, sed iusti cum affliguntur ad incrementum coronæ patiuntur, peccatores, vt peccatorum pœnam luant. Quin neque omnes iusti affliguntur, ne vitium quispiam laudabile esse existimet, & virtutem odio prosequatur, neque omnes peccatores miseriis afficiuntur, ne si retributionem omnium, quæ quisque meretur, [illegible] de resurrectione dubitemus*.

Et cùm mox addit, *in [illegible] tentationibus*, in- VIII. nuit non esse aduersa for[illegible] cùm sint veluti exercitationes, quibus experitur Deus quanta sit cuiusque virtus. Nam, vt ait Seneca [f], *produci virtus &* f lib. de vita beata c. 27.
[illegible]

tentari expedit, nec vlli magis intelligunt, quanta sit quàm qui vires eius lacessendo senserunt. Duritia silicis nulli magis quàm ferientibus nota est; Prabeo me non aliter quàm rupes aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus nō desinunt vndecūque moti sint, verberare, nec ideo aut loco eam mouent, aut per tot ætates crebrò incursu suo consumunt.

IX. Interim verò adhibita conditio, *si oportet*, illud etiam significat non temerè esse adeunda pericula, neque vltrò accersendas tyrānorum iras, sed cautè, si res ferat, fugienda esse pericula, ne dum quis suis viribus nimiùm fidit, miserabiliter labatur: quo fit, vt quicquid disputet Tertullianus [a], liceat nonnunquam sese periculo subducere, vt egregiè probat Athanasius [b]: nam Christus ipse fugiēdum aliquando docet [c]: ait enim; *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam*; & suo exemplo id firmauit: nam apud Ioannem [d] cùm illum Iudæi lapidibus appetere tentarent, *abscondit se, & exiuit de templo*. Et alibi [e] cùm Iudæos asperiùs increpasset, *abiit, & abscondit se ab eis*.

a lib. de fuga in persecut.
b in Apolog. de fuga sua.
c apud Mat. c. 10. 23.
d Ioan. 8. 59.
e Ioan. 12. 36

X. Certè Petrus cùm se iactaret mortem pro Christo obiturum, miserabili lapsu insolentioris iactantiæ pœnas dedit. Docet igitur hoc loco Apostolus, si res eò adducatur, vt mala, & incommoda necessariò perferenda sint, ea esse non æquo solùm, sed forti constantique animo perferenda: alioqui sapienter Seneca [f]: *Quid necesse est mala accersere, & satis citò patienda cùm venerint; præsumere, ac præsens tempus futuri metu perdere. Est sine dubio stultum, quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum.*

f Epist. 24.

XI. Varias porrò tentationes nominat, quia non vno modo omnes vexātur, alij rerū inopia, atque egestate premuntur, nonnulli corporis morbis, atque ægritudinibus cruciātur, alij bonorū omnium iacturam perferre cogūtur, secum ipsi plerique, & cum prauis suis cupiditatibus assiduè rixantur; maleuolorum calumniis, ac falsis criminationibus quidam appetuntur; tyrannorum sæuitiam, & carnificum immanitatem experiuntur: Hæc autem omnia animum indurant, patientiam explorant, virtutem perficiunt, sempiternam, atque immortalem coronā promerentur. Quocirca varias tentationes nominat Petrus. Græcè, *πειρασμοῖς*, quasi dicat, *Experimenta*. Experitur enim quilibet, quantùm profecerit. Sapienter quippe scripsit Seneca [g], *Non esse magni animi, se rebus prosperis fortem gerere, vbi secundo cursu vita procedit. Nec gubernatoris quidem artem tranquillum mare, & obsequens ventus ostendit. aduersi aliquid incurrat, oportet, quod animum probet.* Neque enim de iis tentationibus loquitur Petrus, quibus ad flagitium prouocamur: mox enim harum tentationum fructum explicat; nam subiicit,

g de Consol. ad Mart. cap. 6.

7. *Vt probatio vestra fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi.*]

I. Huc nimirum referuntur aduersa, quibus plerunque iusti Deo permittente, non tā cruciantur, quàm exercentur. Quamobrem vt rectè monet Oecumenius, *quia tentationum nomen animum turbat auditorum, idcirco caussam earum subiungit, inferuntur enim ea caussa, vt probatio vestra auro lucidior, & pretiosior efficiatur.* Probationis verò nomen, Græcè, *δοκίμιον*, *explorationem, seu experimentum* significat. Explorat enim Deus fidē nostram, non quòd eum aliquid lateat, qui scrutatur corda, & renes, qui abditas cogitationes intuetur, qui nouit omnia, antequam fiant, cuius denique oculis omnia nuda, & aperta sunt: sed vt nos ipsi vires, animúmque nostrum probè cognoscamus, nostráque constantia, & animi magnitudo, qualis, & quanta sit, cæteris patefiat. Sic alibi diximus Deum immortalem nō rarò tentare, vt olim tentauit Abraham, Iobum, Tobiam, & alios: tentat autem siue dum patitur tyrannos sæuire, siue dum permittit hæreticos aduersùs fidem Catholicam pugnare.

II. Et contra vtrumque tentationis genus sacræ literæ fidelium animos præparant, ac muniunt: aduersùs enim tyrannos Christus apud Ioannem [a] ait, *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, Non est seruus maior domino suo, si me persequuti sunt, & vos persequentur.* Aduersùs autem hæreticorum imposturas dicta sunt illa apud Matthæum [b], *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Eodem spectant Pauli verba [c]: *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

a cap. 15. 18
b cap. 7. 15.
c 1. ad Cor. 11. 19.

III. Quò spectans Tertullianus [d]: *Conditio*, ait, *præsentium temporum etiam hanc admonitionem prouocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, siue quia sunt: futura enim prænunciabantur, siue quia fidem quorundam subuertunt, ad hoc enim sunt, vt fides habendo tentationem habeat etiam probationem*: quòd si quidam hæresis virus hauriunt, ne tum quidem diuina prouidentia, quæ eas permittit, iure potest accusari: vt enim aliquantò pòst subiicit idem Tertullianus [e]: *Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur, & ideo cognoscit Dominus, qui sunt eius; & plantam, quam non plantauit Pater, eradicat, & de primis nouissimos ostendit, & palam in manu portat ad purgandam aream suam. Auolent, quantùm volent, paleæ leuis fidei quocunque afflatu tentationum, eò purior massa frumenti in horrea Domini reponetur.* Hac itaque ratione electorum fides probatur, quomodo dixit Salomon [f]: *In paucis*, inquit, *vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se*, hoc est, gloria, & immortalitate dignos. Huius autem probationis vim, apta similitudine declarat.

d De præscript. cap. 1.
e cap. 3.
f Sap. 3. 5.

IV. *Vt probatio*, inquit, *vestra fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur.* Quemadmodum enim aurifices non modò lydio lapide, sed etiam ignis ardore auri vim, ac naturam explorant; ita etiam Deus non aliter atque aurum electos suos igne tentationis experitur, quàm sint in fide constantes; atque ita Salomon [g], *tanquam aurum*, ait, *in fornace probauit illos.* Eam verò experiendi, atque explorandi rationem mirum in modum sacræ literæ probant: nam Iob [h] de seipso hunc in modum loquitur, *Ipse verò* (hoc est, Deus) *scit viam meam, & probauit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Dauid autem [i]: *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra, transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Alibi [k]: *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Denique [l]: *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Eandémque metaphoram probauit Salomon [m]: *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Alia penè sexcenta eiusdem generis in sacris literis leguntur.

g Sap. 3. 6.
h cap. 23. 10
i ps. 65. 10.
k ps. 16. 3.
l ps. 25. 2.
m Prou 17. 3

V. Potuisset autem Petrus argētum, aut aliud quodpiam metallum nominare, maluit tamen auri mentionem facere, vt ostendat, quàm sit patientia Sanctorū in conspectu Dei pretiosa: quemadmodū enim in metallorum genere nihil est auro pretiosius, ita nihil est apud Deum laudabilius eorum animi magnitudine, & constantia, qui strenuè aduersa omnia to-

lerant. Et quemadmodum aurum è fornace productum fulgorem suum indicat; ita fidelium constantia in extremo mundi die illustris, atque immortali gloria digna apparebit, vt non immeritò de Martyrum obitu dixerit Dauid a pſ.115.11. [a]: *Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius.* Et quidem, vt ait Petrus, multo erit auro pretioſior. Cœleſtia enim bona, quæ fidei, conſtantiæque electorum debentur, non aurum modò, & gemmas, ſed vniuerſa creata longiſſimo ſuperant interuallo, cùm hæc omnia caduca, & mortalia ſint, illa verò immortalia, ac ſempiterna.

VI. Quam ob cauſſam Petrus Græcè dixit, πολὺ τιμιώτερον χρυσίου, τοῦ ἀπολλυμένου, hoc eſt, *auro, quod perit, & per ignem tamen probatur*; vt appareat, magnitudinem animi, & conſtantiam auro pretioſiorem eſſe. b pſ.118.72. Ita verè dixit Dauid [b]: *Bonum mihi lex oris tui,* (hoc eſt, ad extremum vſque vitæ ſpiritum conſeruata) *ſuper millia auri, & argenti.* Et, ni fallor, hoc * cap.28.14 ipſum ſapientiæ nomine ſignificauit Iob *, cùm dixit: *Non dabitur aurum obrizum pro ea, neque appendetur argentum in commutatione eius: non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretioſiſſimo, vel ſapphiro, non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. nec commutabuntur pro ea vaſa auri.* Et iiſdem propemodum g Prou.7.8. verbis ait Salomon: *Præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Nec dubium eſt, ſapientiæ nomine veram iuſtitiam, & ſanctitatem, hoc eſt, fidem viuam, & cum caritate coniunctam, quæ tanquam aurum igne explorata, vt in præſentia ait Petrus, multo pretioſior auro deprehenditur. Ait autem, *inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Ieſu Chriſti.*

VII. Quaſi dicat, vbi fides, & conſtantia veſtra variis tentationibus probata fuerit, deprehendetur multò pretioſior auro igne deſæcato: idque ampliſſimam vobis laudem, & gloriam, & honorem afferet, cùm ſecundò Chriſtus ad nos venerit, ſuóque aduentu cuncta in lucem proferet. Nec dubito laudem, gloriam, & honorem ad ipſos electos referri, qui cùm in hac mortali vita diuinas laudes celebrarint, & ad Dei honorem, & gloriam ſe, ſuáque omnia retulerint, iure optimo ab eodem immortali Deo laudem, gloriam, atque honorem adipiſcentur. d cap.25.23 Ad laudem quidem pertinent illa apud Matthæum [d]: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Itémque illa in Apocalye cap.14.13. pſi [e]: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Ad gloriam referuntur quæ Chriſtus pronunciaturus eſt f Matt. 25. 34. his, qui à dextris erunt [f]: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* g pſ.90.15. Et illa apud Dauidem [g]: *Eripiam eum, & glorificabo* h cap.30.19. *eum.* Ieremias [h] autem laudem, & gloriam coniungit: *Et egredietur ex eis laus, vóxque ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur; & glorificabo eos, & non attenuabuntur.* Poſtremò ad honorem ſpectant illa i cap.12.26. apud Ioannem [i]: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.*

VIII. Tametſi autem non ignoro laudẽ, gloriam, atque honorẽ ſubtiliùs à Philoſophis in Scholis diſtingui, quod nos alibi apertiùs monuimus, hæc tamẽ omnia ſigillatim à Petro enumerantur, vt ſempiternæ beatitudinis magnitudinem, atque præſtantiã aliqua ratione declaret. Quicquid enim honeſtè appetitur, quicquid habet rationẽ boni, quod virtuti honeſtatique congruit, nobiliori, præſtantioríque modo illa beatorum vita comprehenditur. Itaque eos, quos æuo perfrui ſempiterno Eccleſiæ auctoritate credimus, etſi hæretici diſrumpuntur, non laudamus modò, & glorioſos prædicamus, ſed pio ac religioſo honore, cultúque proſequimur. Illi ſiquidẽ dum inter mortales viuerent, nihil habuerunt antiquius, quàm vt ab hominibus deſpicerentur, ac nihil fierent, vniúſque Dei laudem, gloriam, atque honorem ſectarentur. Nunc viciſſim Deus, vt ait Iſaias [a], *Reddit eis coronam pro cinere, oleũ gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mæroris, & vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* a cap.61.3. Pertinet igitur hæc oratio, vt monet Occumenius, ad fidelium ſolatium, *dum clariores ex calamitatibus futuros eſſe ipſos aſſerit, & ſtudioſiores, ferientioréſque efficit. dum addit. In reuelatione Ieſu Chriſti, eò quod tempus illud laborum oſtentatione, & manifeſtatione, multam gloriam illis, qui decertarint, allaturum ſit.*

IX. Quod autem ait, *in reuelatione Ieſu Chriſti*, bifariam, vt arbitror, explicari poteſt. Nam de Chriſto rectè accipias, qui ſecundo aduentu aſpectabilis, & cunctis mortalibus conſpicuus aderit, & ante eius conſpectum ſiſtentur omnes gentes, &, vt ait Zacharias [b], *aſpicient eum qui illum confixerunt.* b cap.12.10. & Ioan. 19. 37. Hanc porrò reuelationem expectant omnes iuſti: nam, vt ait Apoſtolus [c], *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* c ad Philip. 3.21. Et Ioannes [d]: *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* d Ep.1.c.3.2

X. Poteſt etiam de ea reuelatione accipi, de qua loquitur Paulus [e] cùm ait: *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadúſque veniat Dominus; qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo.* e 1. ad Cor. 4.5. Iure autem optimo in hac reuelatione, laudem, gloriam, atque honorem iuſtis, & electis pollicetur. Nunc enim, quæ eſt hominum deploranda improbitas, iuſtorum actiones non pauci carpunt, nonnulli etiam perperam interpretantur, hypocriſim, ac ſimulationem, ambitum, & gloriæ captandæ ſtudium obiiciunt, denique nihil in illis ſyncerum, nihil ſolidum eſſe mentiuntur: tunc autem bonorum virtus, atque integritas cunctis perſpicua erit. Verùm Græca vox ἐν ἀποκαλύψει, & ea quæ conſequuntur priorem explanationem magis poſtulant, vt reuelatio Ieſu Chriſti paſſiuè accipienda videatur, cùm videlicet Chriſtus Ieſus reuelabitur. Mox enim ſubiicit, *quem cùm non videritis, diligitis*, quaſi dicat, nunc quidem non modò Chriſti diuinitas latet, ſed ipſa etiam eius humanitas remota eſt ab oculis mortalium, neque ſeſe paſſim ſpectandam præbet.

XI. Quamquam autem ſeſe aſpectabilem exhibuit Paulo, vt in Actis Apoſtolicis indicat Lucas [f], & apertiſſimè Paulus [g] ipſe teſtatur his verbis, *nónne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrũ vidi?* f cap.9.4. g 1. ad Cor. 9.1. & fortaſſe etiam eodem aſpectu alij recreati ſunt; vniuerſim tamen omnibus eſt inaſpectabilis, nec videri poteſt; in illo autem extremo mundi die, ſeſe omnibus conſpicuum exhibebit, ac propterea dies ille meritò à Petro dies reuelationis Ieſu Chriſti nuncupatur. Quod maximè ad Gentilium impietatem, ac Iudæorum perfidiam perſtringendam pertinet; vtrique enim aliter quidem, atque aliter, ſed non abſimili improbitate, eum contemnunt, diuinitate ſpoliant, nullóque honore, aut cultu dignum cenſent: tunc autem planè intelligent cæco ſe errore fuiſſe deceptos: & ſerò nimis ſuã inſaniã, & veſanam fatuitatem fruſtra damnabunt. Contrà verò luce clarius apparebit Catholicæ fidei veritas, & iuſtorum conſtantia, laboris, ac meriti ſui mercedem, ac præmium conſequetur. Etenim veriſſimè dictum eſt à Salomone [h]: *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum. ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* h Sap.5.16.

8. Quem

8. *Quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis, lætitia inenarrabili, & glorificata.*}

I. Rectè Oecumenius hæc ait ad erigendam spem, animique constantiam confirmandam referri. *Si enim*, ait, *oculis carnis ipsum non intuitis, ex sola auditione amatis, considerate*, inquit, *quantum amorem, vbi eum videritis præ vobis feretis, præsertim cùm in gloria vobis reuelabitur: si enim passio eius, ita vos attraxit, quando vobis in splendore insuperabili apparebit, quem in modum animum vestrum affecturus est?* Videtur autem Petrus eos alloqui, qui Christum Dominum, dum inter mortales viueret, non viderant, nimirum à se, aliísve Apostolis non ita pridem ad fidem traductos. Ait igitur eos Christum diligere, quem non viderant, corporeis videlicet oculis: nam alioqui fides spiritalis quidam animæ oculus est, quo cernuntur ea, quæ sub oculorum aspectum non cadunt. Atque idcirco fides dicitur à Paulo [a], *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Et, vt alibi dixit egregiè Augustinus [b], *Credimus*, inquit, *vt cognoscamus, non cognoscimus, vt credamus. Quid est enim fides, nisi credere, quod non vides?*

a ad Hebr. 11. 1.
b Tract. 40. in Ioan.

II. Tametsi igitur, vt idem ait Augustinus, non potest voluntas ferri in ignota, ea tamen, quæ fide percipiuntur, satis nota sunt, vt amari queant: sed quoniam fidei cognitio, quamuis sit certissima, nullámque admittat dubitationem, est tamen obscura, & idcirco non ita afficit voluntatem, vt ea, quæ sub sensum cadunt, magna Christianorum laus est, cùm ea sperant, & diligunt, quæ nullo sensu percipi possunt. Quamobrem Petrus magnum omnino ac plane diuinum beneficium commemorat, cùm ait, fideles Christum diligere, quem non viderant. Verùm Augustinus [c] multò aliter videtur hunc locum legisse: proferens enim hæc Petri verba; *Inueniamini*, inquit, *in laudem, & honorem Iesu Christi, quem ignorabatis, in quem modo non videntes creditis, quem cùm videritis, exultabitis gaudio inenarrabili, & honorato gaudio, percipientes Testamentum fidei, salutem animarum vestrarum.*

c lib. 1. de peccat. mer. & remis. c. 27.

III. Videtur autem sanctissimus, & doctissimus Pater non optimo codice vsus, aut parum fideli eruditóve interprete: nam superiora, quæ apertè Petrus de electorum laude, gloria, atque honore scripsit, transfert ad Christum, in quem tamen omnis beatorum gloria redundat. Omittit autem, quod hîc ait Petrus, fideles diligere Christum, quem non vident, pro eo autem quod ait Petrus, *Quem cùm non videritis*, legit ipse, *Quem ignorabatis*. Quod si idoneo codice probari posset, non videretur à mente Petri prorsus alienum. Verè enim tam Iudæi, quàm Gentiles, antequã Christianis sacris initiarentur, Christum ignorabant: ita enim in Actis [d] Apostolicis loquitur Petrus: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*. Et Paulus [e]: *Qui enim*, ait, *habitabant Ierusalem, & Principes eius, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt, & nullam caussam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.*

d cap. 3. 17.
e Actor. 13. 27.

IV. Sed à vulgato interprete, & præsertim ab editione Romana, nullo pacto recedẽdum videtur. Ait igitur, *quem cùm non videritis, diligitis*. Argutè enim dixit quidam [f], eo plerunque persuadere amorem, quo mens, atque intelligentia non pertingit: non quòd ea, quæ penitus ignota sunt, amari queant; sed quòd exigua, & subobscura rerum notio incredibilem possit amorem in animo excitare, vt infinito propemodum interuallo amoris vehementia scientiæ magnitudinem superet. Est igitur hæc præclara fidelium laus, quòd cum fide, hoc est, obscura Christi cognitione, vehe-

f Vgo Vict.

A mentem in illum caritatem coniunxerint: significat enim eos esse viua fide præditos, & ea, quam Paulus Apostolus [a] ait, per dilectionem operari, de qua Augustinus [b] ita alicubi scribit: *fidei opus est dilectio*: non quòd dilectio propriè spectet ad fidem, sed quòd fidem, nisi aliud impediat, suapte natura amor, & caritas subsequatur: qua ratione dixit Basilius [c], *Credere, intelligere, & facere, consequuntur.*

a ad Gal. 5. 6.
b Psal. 31.
c Orat. de bapt.

V. Et reuerâ fides, nisi praua aliqua animi perturbatione infuscetur, admirabilem Christi amorem in animo excitat: vt enim eius diuinitatem attingit, menti obiicit summum bonum, quod ad amorem sui animum rapit. Itaque Dauid [d]: *Diligam*, inquit, *te Domine, fortitudo mea, refugium meum, & liberator meus.* Alibi [e]: *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Et si libeat B immensum illum bonorum omnium Oceanum mente, & cogitatione lustrare, reperiemus profectò innumerabilia incentiua caritatis, atque amoris: Vt nihil dicam de eius eximiis beneficiis, quibus cunctos quidẽ mortales, sed præcipuè fideles, supra modum ornauit, cùm tamen constet ea ad amorem cõciliandum vim habere propemodum incredibilem. Quàm multa autem hominum generi contulerit Deus beneficia, si cætera deessent omnia, luculenter explicat Seneca [f]. Ea verò, quæ ad gratiam, & bona supernaturalia spectant, fidei beneficio facilè quiuis fidelis per se potest agnoscere, & diuino veluti semine mente concepto, cœlestis diuiniq́ue amoris fœtũ parere.

d Psal. 17. 2.
e Psal. 25. 8.
f lib. 4. de benefic. c. 5. 6 & 7. lib. 9. c. 23. ep 74.

VI. Quòd si naturam Christi humanam sanctitate, sapientia, diuinisque Spiritus sancti muneribus supra C omnem creatam naturam locupletatam, supraque omnem humanam conditionem euectam respicias, quid eo amabilius concipi, aut cogitari possit? Certè Beatissimus Martyr, & sanctissimus Episcopus Ignatius [g] Christum Dominum, quà homo erat, amorem suum appellat, *Amor*, inquit, *meus crucifixus est*. Adde quòd, vt ait Paulus [h], membra sumus corporis Christi *de carne eius, & de ossibus eius*. Et paulò antè dixerat, Christum esse Ecclesiæ caput, quis autem adeò demens est, aut ab humanitate alienus, qui suum non diligat caput? Quis verò enumerare queat omnia Christi in nos fideles caritatis, & beneuolentiæ argumenta? Certè Apostolus [i] verè dixit, eum suam in nos caritatem commendare, *quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus* D *est*. Et Ioannes [k]: *Cùm dilexisset*, inquit, *suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

g epist. 12. ad Romanos.
h ad Ephes. 5. 30.
i ad Rom. 5. 8.
k cap. 13. 1.

VII. Huc refero sacramenta ad nostram iustificationem & salutem instituta, præcipueq́ue Eucharistiæ sacramentum, quo incredibilem, planeq́ue admirabilem in nos amorem indicauit, quæ, nisi planè stipites, aut lapides simus, nostrum non modò amorem eliciunt, sed penè dixerim, extorquẽt. Rectè itaque dixit Paulus [l]: *Qui non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha.* Hæc igitur omnia, atque id genus alia longè plura cùm fides proponat, nil mirũ, si qui veram fidem animo conceperint, eum, quem non vident Christum Dominum, perfecta caritate complectantur.

l 1. ad Cor. 16. 22.

VIII. *In quem nunc quoque non videntes creditis*. Ita perspi- E cuitatis gratia reddidit Latinus interpres; & Romana editio maximè probauit. Græcè autem dixit Petrus, μὴ ὁρῶντες πιςεύοντες δὲ, hoc est, *non videntes, credentes tamen*, vel, *cùm non videatis, credatis tamen*. Sed, vt apparet, eadem sententia constat: significat enim Petrus eos, tametsi non viderint Christum, perfectam tamen fidem animo cõcepisse, quasi alludat ad Christi verba apud Ioannem [m]: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Credidisse enim Thomam ait Dominus, quia vidit: credendi enim verbum amplè sumpsit, & significat

m cap. 20. 29.

A

aliquid sibi persuadere: nam eodem modo dixerat Thomas, *nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* hoc est, non mihi patiar hoc persuaderi. Eodemque modo Lucas [a] de Apostolis dixit: *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio:* quasi dicat, cùm adhuc illi sibi persuadere non possent, Christum Dominum, eundem ad superos remeasse, quem in cruce obiisse non dubitarent, cùm tamen præsentem conspiciebant, inane spectrum vt aliàs suspicabantur esse. Itaque ait Christus: *Quia vidisti me Thoma*, aliquando tibi persuaderi passus es, me ad superos rediisse. Addit autem: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Quo loco Gregorius [b], *In qua*, inquit, *sententia nos specialiter signati sumus, qui Christum, quem in carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem operibus sequimur: ille enim verè credit, qui exercet operando, quod credit.*

a cap.24.41.

b. Hom.26. in Euang.

B

IX. Fidei igitur naturam sequutus magistrum suum explicat hoc loco Petrus. *In quem*, inquit, *nunc quoque non videntes creditis*, quia, vt suprà dixi, fides eorum est, quæ non videntur. Quocirca Gregorius eo ipso loco, quem indicaui, vt Thomæ fidem tueatur, *Thomas*, inquit, *aliud vidit, aliud credidit; hominem vidit, & Deum confessus est;* Sic etiam Hilarius: *Quid aliud credidit Thomas, quàm quod professus est, scilicet, Dominus meus, & Deus meus? Credentes autem*, inquit, *exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.* An solummodò credentes? quasi sola fides exultandi materiam præbeat? Apagè verò istud, occinunt hanc nobis cantilenam hæretici, qui cùm fidem miris laudibus extollant, nihil minùs habent, quàm fidem. At exultare dicuntur credentes. vtique: sed credentes viua fide, & caritate formata.

C

X. Quamobrem Clemens [e] Alexandrinus ex his Petri verbis virum perfectum describit, cùm tamen perfectio absque caritate ne intelligi quidem possit, *cùm vnus vtique*, ait, *scopus, & vnus finis & viro, & mulieri sit ostensus de eo, qui est perfectus, dicit Petrus in Epistola, Modicum nunc si oportet tristitia affectis in variis tentationibus, vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod perit, & per ignem est probatum inueniatur in laudem, & gloriam in reuelatione Iesu Christi, quem cùm non videritis, diligitis, in quem nunc, cùm non videatis, credatis autem, exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei salutem animarum vestrarum.* quæ ideirco ad verbum commemoraui, vt appareat eum in nonnullis nostro interpreti consentire, in pluribus discrepare: Latini enim codices emendatiores futuro tempore legunt, *exultabitis*, Clemens autem, *exultatis*, præsenti tempore. Et Græci codices, qui nunc circunferuntur, habent, ἀγαλλιᾶσθε. Irenæus [d] autem Græcè videtur legisse futurum tempus: ait enim, *Gaudebitis gaudio inenarrabili*, vt argumento sit, Græcos olim codices non aliter, ac Latinos variasse. Et sanè negandum non est, fideles, se iustos meritò posse in hac vita exultare.

e lib.4. Stromat. nõ procul à fine.

D

d lib.4.c.22.

XI. Quocirca Paulus sæpe ad gaudium hortatur: alicubi enim ait [e]: *De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote*, &c. Alibi [f]: *De cætero, fratres mei, gaudete in Domino.* Denique ne cuncta percurram [g]: *Gaudete*, ait, *in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Et Dauid [h]: *Lætamini in Domino, & exultate iusti.* Eodémque modo sexcentis locis loquitur: oritur enim hoc gaudium ex beneficiorum magnitudine, quæ iusti ab immortali Deo perceperunt, & ex certa spe futurorum bonorum, quæ se aliquando consequuturos confidunt. Vt interim omittam ex diuinarum rerum contemplatione, non rarò in iustorum animis incredibile gaudium excitari, vsque adeò, vt etiam

e 2.ad Cor. 13.11.

f ad Philip. 3.1.

g ad Philip. 4.4.

h Psal.31.11.

E

A

quæ tolerant aduersa, non leuia solùm, sed etiam suauia videantur: Sed quoniam Petrus ait hanc lætitiam non solùm esse ineffabilem, sed glorificatam, verosimilius est, eum de futuro gaudio loqui, cùm in illo beatorum cœtu, vt ait Dauid [a], *torrente voluptatis potabuntur, & inebriabuntur ab vbertate* cœlestium diuinorumque bonorum. Erit enim gaudium illud omni ex parte plenum, de quo apud Ioannem [b] ait Christus: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et aliquantò pòst [c]: *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Erit enim tunc verè lætitia glorificata, hoc est, immortali gloria circumfusa.

a Psal.35.9.

b cap.16.22.

c vers.24.

XII. Non me fugit Ephrem [d] Syrum, iustorum gaudium propter spem futurorum bonorum gloriosum appellare. *Has, ait, promissiones habentes ineffabiles exultemus exultatione inenarrabili, & gloriosa;* vt videatur ad hunc Petri locum respicere, eumque de præsenti gaudio interpretari; sed malo cum Oecumenio, vt paulò antè indicaui, de futuro gaudio, & gloria accipere. Videtur enim Oecumenius Apostoli verba perinde explicare, quasi à minori argumentetur: *si enim*, inquit, *passio eius ita vos attraxit, quando vobis in splendore insuperabili apparebit, quem in modum animum vestrum affecturus est? Quo tempore etiam præmium, id est, salutem animarum vobis exhibebit, vt igitur ipsi occurratis, talem gloriam consequuturi, æquiparabilem huic tolerantiam præstate.*

d lib. 1. de resur. & iud. c.2.

B

XIII. Neque verò sum nescius, Diuum Thomam [e] hæc Petri verba perinde accipere, quasi de fide loquatur, qua sub specie panis credimus contineri totum Christum, verum hominem, verumque Deum, tametsi corporeis oculis cerni nequit. Ea verò sententia viris quibusdam doctis mirum in modum probatur: putant enim, quæ paulò antè dixit Petrus de regeneratione, quæque ad hunc vsque locum subiiciuntur, ad Baptismi sacramentum spectare. Quæ verò nunc addit, *In quem nunc quoque non videntes creditis*, de Eucharistiæ sacramento explicanda esse: in eius enim admirabilis Sacramenti perceptione incredibilis quidem cœlestium rerum gustus hauritur, quem ineffabilis, & gloriosa quædam exultatio subsequitur: cui etiam congruunt, quæ subiiciuntur: *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum.* Ex hoc enim Sacramento oritur mira quædam cum Deo coniunctio, de qua ita alicubi scribit Dionysius [f]: *Salus verò non aliter existere potest, nisi iij, qui salutem consequuntur, dij fiant. Deificatio porrò effectio est, Dei quoad eius fieri potest imitatio, & cum eodem coniunctio, & vt ita dicam, vnio, quod vi huius Sacramenti mira quadam ratione efficitur.* In eo enim experiuntur iusti, quàm verè dictum sit à Dauide [g], *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.*

e Opusc.58. de venerab. Sacram. altar.c.15.

C

D

f de Eccles. hierar.c.1.

g Psal.33.9.

XIV. Addunt præterea nonnulli de eodem Sacramento loqui Petrum, cùm aliquantò pòst subiicit: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Etenim extra omnem controuersiam credendum est huic augustissimo Sacramento præsertim, dum publicè prostat, venerabundas assistere beatarum mentium legiones, quas sæpius se vidisse, Isidoro Pelusiota teste, Chrysostomus affirmat; qui alicubi [h]: *O miraculum*, inquit, *mensa tam magnifice instructa, in qua agnus Dei pro te mactatur, ad quam assistunt Cherubini, descendunt Seraphini, qui senis præditi alis vultus demittunt, vbi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationem obeunt.* Certè in Liturgia B. Iacobi monet fideles lector his planè verbis: *Taceant mortales, & stent cum metu, & tremore nihil terrenum cogitantes: Rex enim Regum Christus Deus noster exit, vt mactetur, & detur in cibum fidelibus, eum verò chori Angelorum antecedunt.* Et in eandem sententiam Ambrosius [i]: *Non dubites*

E

h Hom. de sacra & diuina mensa, & iudicio, tomo 3.

i ad cap.1. Lucæ.

assistere

aspicere Angelum, quando Christus assistit: quando Christus immolatur. Denique Gregorius [a]: *Quis enim fidelium*, ait, *habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus, atque inuisibilibus fieri?* Quin etiam Beati Marci Liturgia ad hanc Petri sententiam respexisse videtur, in qua hæc verba leguntur: *Post consecrationem in animo beneficia confert, & eis, qui in te fiduciam collocant, illa tribuis, quæ in se Angeli prospicere desiderant.* Ad extremum addunt eodem etiam referenda esse illa, quæ sequuntur: *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam:* putatur enim alludere ad agnum typicum, & huius Sacramenti symbolum, quo iussi erant Hebræi accinctis renibus vesci.

a lib. 4. dial. c. 58.

XV. Sed, vt fatear, hæc omnia verè, & ad informandam pietatem accommodatè dici, non facilè tamen admiserim, id propriè voluisse significare Petrum, qui vniuersim Christianorum fidem commendat, quòd ea credant, quæ sunt supra naturam, quæque longissimè absunt à sensu, neque Philosophica, aut euidenti ratione comprehenduntur. Siquidem, vt scribit Gregorius [b], *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Non iuerim tamen inficias, Eucharistiæ Sacramentum peculiari quadam ratione fidei Sacramentum nuncupari, tum quia omnem humanæ mentis vim, atque intelligentiam longè superat, tum quia multa complectitur, quæ cum sensuum notione pugnare videntur. Sed, vt dixi, Petrus simpliciter de fidei natura disserit, quam idcirco commendat, quòd ea comprehendat, quæ non cadunt sub sensum.

b Hom. 26. Euang.

9. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.*]

I. Quorsum fides suscipienda, & retinenda sit, breuissimè docet. Fidei enim proprius finis est animarum salus, quæ extra fidem Catholicam haberi nulla ratione potest; atque hoc pacto, vt aliàs docui, Paulus frequenter inculcat iustificationem nostram vni fidei acceptam esse referendam: non quòd sola fides, vt hæretici mentiuntur, parere salutem queat: sed quod, vt idem Apostolus [c] ait, sine fide *sit impossibile placere Deo.* Non igitur, qui Christiana sacra suscipiunt, quicquam caducum, aut mortale spectare debent, sed vnam duntaxat animæ salutem quærere, quæ cùm sit immortalis, immortalem vitam expetit, & infinita quadam aptitudine prædita nulla re creata penitus expleri potest. Quocirca verissimè dictum est ab Augustino [d]: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et alibi [e]: *Satis ostendis, quàm magnam creaturam rationabilem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est, ac per hoc non ipsa sibi.* Et, *Omnis* [f] *copia, quæ Deus meus non est, egestas est.* Et rursum [g]: *Nihil est, quod animam impleat, nisi tu Deus, ad cuius imaginem est creata.* Cæteris itaque omnibus salus animæ præferenda est.

c ad Hebr. 11. 6.
d lib. 1. Confess. c. 1.
e lib. 13. Confess. c. 8.
f Soliloqu. c. 13.
g Soliloqu. c. 30.

II. Quam ob caussam apud Matthæum ait Christus [h]: *Quid enim prodest homini, si mũdum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Animæ verò salutem potissimũm nominat, quòd ad illam propriè cœlestis beatitudo pertineat, quæ in vijius Dei perspicua contemplatione posita est; quam deinde suo tempore immortalitas, & gloria corporis consequetur. Vt enim scribit Paulus [i]: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & naturale hoc induere immortalitatem.* Rectè sanè hæc animarum salus fidei no-

h Matth. 16. 26.
i 1. ad Cor. 15. 53.

A stræ finis dicitur, Græcè, τέλος, quia, vt in Actis Apostolicis ait Petrus [a], *Non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Quocirca longè verisimilius est, quod paulò antè monui, loqui Petrum simpliciter de fide, vt ea complectatur, quæ sub aspectum non cadunt, vt nihil necesse sit, Petri verba ad Eucharistiæ Sacramentum arctare.

a cap. 4. 12.

III. Tametsi enim interdum potest Eucharistia gratiam, & caritatem tribuere, atque adeò parere salutem, ipsa tamen per se gratiam, & iustitiam postulat, eiusque incremẽtum, & accessionem largitur. Quam ob caussam dixit Paulus [b]: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Et paulò antè dixerat [c]: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* At fides aditum reserat ad salutem, eamque re ipsa tribuit, si eum cæteris Theologicis virtutibus, spe, & caritate coniungatur. Hinc autem oritur inenarrabilis, & glorificata lætitia, quam modò nominauit, de qua omnino verè Dauid [d]: *Lætatus sum*, inquit, *in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

b 1. ad Cor. 11. 28.
B
c vers. 27.
d Psal. 121. 1.

10. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.*]

I. Fidem, ac religionem Catholicam ab antiquitate, & priscorum vatum auctoritate confirmat. Nolite, inquit, putare, Christianam religionem subito, ac C non ita pridem esse exortam, aut hominum esse inuentum nuper excogitatum: antiquissimi enim Prophetæ diuino numine pleni multa de ea diuinitus ediderunt oracula; & quidem non temerè aut inconsulto, sed magna adhibita diligentia. Hoc enim significant verba *exquisierunt, atque scrutati sunt.* Græcè, ἐξεζήτησαν, καὶ ἐξηρεύνησαν, quæ verba significant accuratam quandam diligentiam, & sollicitudinem, quam adhibuerunt Prophetæ non humano tantùm studio, atque industria, sed diuino potissimùm implorato auxilio. Id suo exemplo apertissimè docuit Daniel: vt enim Ieremiæ vaticinium, quod valdè obscurum videbatur, aliqua ratione comprehenderet [e], *Posui*, inquit, *faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in ieiuniis, sacco, & D cinere, & oraui Dominum Deum meum, & confessus sum.* Quod autem ait Petrus Prophetas de salute exquisiuisse, & scrutatos esse, indicat eos non solùm fidei beneficio, sed etiam Prophetico lumine multa cognouisse, quæ ad humanæ redemptionis mysterium, & Christi liberatoris ad nos aduentum, futuram denique iustorum fœlicitatem pertinerent.

e Daniel. 9. 3.

II. Itaque Iacob [f], *Salutare tuum*, dixit, *expectabo Domine.* Et paulò antè [g]: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Eodem spectasse videtur Moses, cùm dixit [h]: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Et Dauid [i]: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Alibi [k] verò: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Et Christi præclaras laudes E toto illo Psalmo describit. Neque aliter accipienda sunt Isaiæ vota in hæc verba precantis [l]: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Et alibi [m]: *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes.* Et id genus alia permulta in Prophetarum vaticiniis leguntur, quæ indicant verissimè dictum esse à Zacharia [n] erexisse Deum *cornu salutis in domo Dauid pueri sui, sicut loquutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*; Vt appareat impudentissimè

f Gen. 49. 18.
g vers. 10.
h Exodi 4. 13.
i Psal. 84. 8.
k Psal. 71. 1.
l Isaiæ 45. 8.
m cap. 64. 1.
n Lucæ 1. 69.

T menti

meotirum esse Apellem bæreticum, qui, vt scribit Eusebius[a], Prophetas aiebat à Spiritu contrario, & sibi repugnante editas esse, cùm tamen Christus Dominus[b] hortetur Iudæos, vt scrutentur Scripturas. Et apud Lucam[c] *Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Et post nonnulla[d]: *Quoniam,* inquit, *necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.*

a lib. 5. hist. Eccles. c. 13.
b apud Ioan. c. 5. 39.
c cap. 24. 27.
d vers. 44.

III. Et Paulus Apostolus[e], doctrinam ait Euangelicam diuinitùs promissam fuisse per Prophetas suos in Scripturis sanctis. Et ad Hebræos[f] multifariam ait Deum olim Patribus loquutum esse in Prophetis. Denique Petrus[g] ipse: *Non enim,* inquit, *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* B Quis autem non videat iis, quæ diuinitùs reuelata sunt, neque falsum subesse posse, nec quicquam verè obiici, quod cum ipsa veritate non mirabiliter cohæreat, tantùm abest, vt ei illo pacto aduersetur.

e ad Rom. 1. 2.
f cap. 1. 1.
g cap. 1. 21.

IV. Quod verò ait, *exquisierunt & scrutati sunt,* nihilominus Montaoi, & Priscilliani vesaniam refellit, qui Prophetas aiebant tanquam arreptitios minimè intelligeotes, quæ dicerent, sua vaticinia edidisse: exquirere enim, & scrutari intelligentis est, & cupieotis ea, quæ exquirit, & inuestigat, planiùs, atque apertiùs cognoscere. Certè Iob[h]: *Inspiratio, ait, omnipotentis dat intelligentiam;* necesse vt sit Prophetas quippe diuinitùs inspiratos intelligentia fuisse præditos. C Addo quod, vt scriptum est in libris Regum[i]: *Qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Quam ob caussam Isaias[k], Ezechiel[l], Naum[m] vaticinia sua visiones appellant. Visio autem siue ad sensum, siue ad mentem, atque intelligentiam referatur, notionem complectitur.

h cap. 32. 8.
i lib. 1. c. 9. 9.
k cap. 1. 1.
l cap. 1. 1.
m cap. 1. 1.

V. Illud fortasse mirum cuipiam videatur, quòd Prophetæ, qui diuino instinctu, & cœlesti quodam lumine illustrati fidei mysteria cognoscebant, exquirere, & scrutari dicantur, quod pertinet ad humanum studium, & mentis peruestigationem. Sed egregiè Beatus Maximus[n] hunc nodum expedit: *Vim quidem, ait, scrutandi, & inquirendi de rebus diuinis habet natura hominis sibi insitam ab auctore suo: reuelationes verò gratia Spiritus sancti aduenient facit.* D *Nec enim licet dicere, quod sola gratia operabatur in Sanctis cognitionem mysteriorum, sine facultatibus ad percipiendam cognitionem à natura datis. Non igitur absque Spiritus sancti gratia solis viribus naturalibus cognitionem rerum, & mysteriorum consequuti sunt, alioqui superuacanea fuisset Spiritus sancti gratia, quæ nihil efficeret ad manifestationem veritatis. Neque gratia Spiritus sancti operaretur in Sanctis sapientiam sine mente eam recipiente, id autem declarant omnes Sancti: siquidem post reuelationes factas inquirant rationes reuelatorum: vt Abraham quomodo possessurus sit terram, Moses, Dauid, Daniel, & Zacharias quærentes rationem visionum.*

n ...

VI. Certè illustratio diuina prorsus est necessaria, vt ea humanæ menti obiiciat cognoscenda, quæ E naturæ viribus attiogi nequaquam possunt: præterea verò mentem, atque intelligentiam noua quadam, & cœlesti luce perfundit, & naturalem intelligendi vim roborat, ac vegetat: ita tamen, vt ipsius facultati sese accommodet, eiusque functiones non impediat, sed iuuet, & promoueat, quam ob caussam rectè dicuntur Prophetæ diuina mysteria exquirere, & perscrutari, ac propterea non malè scripsit Eusebius[o]: *Omnes qui ab Abrahamo sursum versùs ad primum vsque humani generis parentem recensentur, si non*

o lib. 1. hist. c. 4.

A *nomine, atque externa professione, vt tamen ipsa fuisse Christianos,* quod Irenæus[a] ea eo probat, quod apud Ioannem ait Christus[b], Abrahamum diem Christi vidisse, & gaudio fuisse exhilaratum. Neque aliter senserunt Epiphanius[c], & Augustinus[d]: Nam quæ nos credimus præcessisse, illi futura credebant, sperabantque, &, vt paulò antè dixi, assiduis precibus à Deo flagitabant.

a lib. 4. c. 13.
b Ioan. 8. 56.
c Initio Panarij.
d lib. 19. contra Faust. c. 13. 16. 17. in Psal. 73-75. tract. 45. in Ioan. lib. 2. contra lit. Petiliani. c. 37.

VII. Porrò Didymus ex hoc loco colligit, neque eos, qui Christi aduentum præcesserunt, neque nos, qui consequuti sumus, iis esse inferiores, qui Christum præsentem conspexerunt. Quod hactenus probandum censeo, vt æquè, atque illi, fideles consequi possint salutem, cùm tamen, vt egregiè docet D. Thomas, vt quisque siue ante, siue post Christum natum B ad illum proximè accedebat, ita maximè fidei luce perfunderetur, pluribúsque diuinis muneribus locupletaretur. Quocirca rectè dicuntur Apostoli primitias Spiritus[e] percepisse, & à Christo Domino multis Regibus, ac Prophetis præferuntur[f]. *Multi,* inquit, *Reges, & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & audire, quæ auditis, & non audierunt,* & propterea beati prædicantur, quod in illa videlicet tempora incidissent, quæ tantopere veteres Patres expetierant. Ait itaque Petrus salutem, quam nos adepti sumus, fuisse accuratè, ac diligenter expetitam à Prophetis. Quos autem Prophetas intelligat, mox explicans subdit.

e ad Roman. 8. 23.
f Matth. 13. 16. Lucæ 10. 24.

VIII. *Qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* Prophetas illos significat, quos Hebræi admittebant, C quósque sacer canon comprehendit, qui, vt alibi copiosiùs docui, omnia propemodum, quæ in aduentu Christi contigerunt, tantò ante vaticinati sunt; vnico autem verbo ea omnia complexus est Petrus, cùm gratiam nominat nobis destinatam: Christi enim aduentus hoc gratiæ nomine iure optimo describitur, quia fuit omnino gratuitum, ac liberale beneficium, quod, vt aliàs dixi, nullius merito potuit comparari. Accedit, quod est veluti fons omnium cœlestium munerum, quæ diuinitùs mortalium generi tribuuntur. Hanc itaque singularem gratiam diuinitùs ait fuisse nobis concessam, qui post Christum natum Christianam fidem complexi sumus. De iis autem Prophetis ita loquitur alicubi Nouatianus[g]: *Deus Prophetas Spiritu instruxit, & per hos omnes filium* D *suum Christum repromisit, & quando daturum se spoponderat, misit, per quem nobis in notitiam venire voluit, & in nos indulgentiæ suæ sinus largos profudit, egenis, & abiectis locupletem Spiritum conferendo.*

g lib. de Trinit. c. 8.

IX. Docet autem obiter Petrus, non esse Christianam fidem, ac religionem recentem, aut nouum hominum inuentum, sed antiquissimam, & ab ipso penè nascente mundo inchoatam, quam veteres illi Prophetæ non agnouerũt modò, sed etiam pro illius temporis conditione complexi sunt. Qua de re hæc scripsit Eusebius[h]: *Cùm enim nomen Christiani hoc indicet, quòd quis Christo credens per eius doctrinam, fidem, pietatem, ac iustitiam teneat, hoc erant etiam illi sancti viri, quod Christiani nunc esse profitentur.* Et aliquantò pòst, *inde planè comperies illos veteres, quos* E *Deus tanto amore complexus sit, eosdem esse cum his, qui sint eximia Christi appellatione donati, idque ex ista Prophetæ[i] voce sic de illis referente, Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Quare perspicuum est, eam religionem, quæ est ab illis piis viris, qui circa Abraham tempora vixerunt, inuenta, & excogitata, atque iam nuper per Christi doctrinam, & prædicationem omnibus patefacta, debere primam vetustissimam, omniúmque planè antiquissimam existimari.* Et post nonnulla: *Quid igitur de cætero impediet, quominus vnam, eandémque*

h lib. 1. hist. c. 4.
i Psal. 104. 15.

viuendi

viuendi rationem, & religionis modum, tum nobis, qui à Chriſto nomen traximus, tum veteribus illis, qui Deo admodum cari habiti ſunt, verè fuiſſe fateamur, adeò vt illam perfectam religionis normam per Chriſti doctrinam nobis traditam, non nouam quidem, & peregrinam, ſed, ſi verum dicendum ſit, primam, ſolam, & veram aſſeueremus.

X. Quæ cùm ita ſint, tametſi, vt arbitror, Chriſti fides explicita non omnibus paſſim in lege naturæ, aut lege Moſis communis erat, non eſt tamen dubitandum, quamplurimis ſanctitate conſpicuis, præcipuéque vatibus, aut Prophetis, liberaliter fuiſſe conceſſam: nam Iſaias quidem tam multa, támque perſpicuè de Chriſto venturo vaticinatus eſt, vt, quod aliàs monui, non tam futura prædicere, quàm præterita narrare, & ob oculos ponere videatur.

11. *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti; prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones, & poſteriores glorias.*]

I. Explicat, quod proximè dixerat, vnáque declarat, quæ præcipuè de Chriſto Domino veteres Prophetæ prædixerint, & quo inſtinctu, impulsúque vaticinati ſint. *Scrutantes*, inquit, *in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti.* Videtur autem particula, *in*, abundare, niſi fortè ſubaudiendum eſt aliquid, quod Apoſtolus mente retinuerit, vt ſcrutantes, *in quod, vel quale tempus*, Chriſtum venturum ſignificaret in eis Spiritus Chriſti. Cùm enim Prophetæ de futuro Chriſti aduentu non dubitarent, de eius aduentus tempore ſolliciti erant. Itaque rectè Oecumenius: *Inquiſierunt*, inquit, (Prophetæ *ſicut Daniel, de futuris rebus, qui propterea vir cupiditatum ab Angelo, qui ei oracula edebat, vocatus eſt. Inquiſierunt, inquam, in quod tempus, quod ſcilicet in conſummatione ſæculi erat futurum, vel in quale, cùm ex variis captiuitatibus, Iudæis ad promiſcuum Dei cultum declinantibus, idonei homines ad ſuſcipiendum Chriſti myſterium euaſerunt.*

II. Et ſanè peruetuſta, & obſcura quæſtio eſt, cur Chriſti ad nos aduentus ſeneſcente propemodum iam mundo poſt tam multa ſæcula fuerit deſtinatus; cúmque olim id ab Auguſtino percontarentur Gentiles [a], reſpondit, *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales non quidem omnes, ſed tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt, quales etiam nunc multos videmus, cùm tanta manifeſtatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana aſtutia reſiſtere, quàm tam clara, atque perſpicua, támque ſublimi, & ſublimiter diffamata diuina cedere auctoritati.* Et paucis interiectis: *Quid ergo mirum, ſi tam infidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſæculis nouerat, vt eis apparere, vel prædicare meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros eſſe præſciebat?* Et poſt nonnulla: *Ita*, inquit, *ſalus religionis huius, per quam ſolam, veram, ſalus vera, veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.*

[a] cp.49.q.2.

III. Cúmque hæc verba ſibi à Maſſilienſibus obiicerentur, quaſi cum ſua de prædeſtinatione, æternáque electione ſententia pugnarent, ita reſpondet [b]: *Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed vtrùm prædicato ſibi Chriſto à ſe ipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt, vtrùm tantummodo eos præſciuerit, an etiam prædeſtinauerit Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putaui. Proinde quod dixi tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri, poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Itaque Auguſtinus rectè omnino tempus aduentus Chriſti electis, ac prædeſtinatis accommodat.

[b] lib. de præd. ſanct. cap.9.

IV. Sed cur hoc potiùs tempore, quàm alio venerit, & hos aliis prætulerit, neque explicat, neque explicare poteſt: vnius enim dumtaxat Dei voluntati id eſſe tribuendum, alibi docui. Scrutati igitur dicuntur Prophetæ, *quod, & quale tempus*, Græcè, ποῖον, quaſi dicat temporis articulum ſuo ad nos aduentui præfinierit. Sic Daniel [a] ſeptuaginta hebdomadum tempus præſcribit: *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Huc ſpectant, & alia oracula, vt cùm ait Abacuc [b]: *Apparebit in finem, & non mentietur, ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Et Aggæus [c]: *Adhuc vnum modicum, & ego mouebo cælum, & terram, & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Et ne ſingula percurram, Malachiæ [d] teſtimonio concludam. *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti quem vos vultis.*

[a] cap.9.24. [b] cap.2.3. [c] cap.2.7. [d] cap.3.1.

V. Scrutatos porrò ait Prophetas, non modò quod tempus fuerit Chriſti incarnationi præfixum, ſed etiam quale futurum eſſet. Pacis ne, an belli tempore, ſeruitutis, an libertatis, quo denique reipublicæ ſtatu Deus immortalis noſtræ mortalitati adhæſurus eſſet. Et quidem Dauid [e], *Orietur*, ait, *in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* Et in eandem ſententiam Iſaias [f], *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Et Ieremias [g]: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Ieruſalem habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Hebraicæ autem reipublicæ ſtatum non obſcurè indicauit Iacob, cùm dixit [h], *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

[e] Pſal 71.7. [f] cap.2.4. [g] cap.33.16. [h] Gen.49.10

VI. Iam verò quoniam hæc, atque his ſimilia vatibus olim diuinitus indicata ſunt, & ipſi ea ſedulò mente, & cogitatione verſarunt, verè dicuntur exquiſiſſe, ſcrutatíque eſſe, quo, & quali tempore Spiritus Chriſti, qui in ipſis erat, futuram Chriſti mortem ſignificaret. Omninò enim Græca verba hunc ſenſum poſtulant, *Significaret*, inquit, *in eis ſpiritus Chriſti*, hoc eſt, Spiritus Chriſti qui in eis erat. Atque ita obiter indicat Chriſti diuinitatem. Si enim antequam humanam ſibi naturam aſciſceret, ſpiritus eius erat in Prophetis, profectò Chriſtus non cum primum cœpit eſſe, cum in vtero Virginis conceptus eſt. Nec ſpiritus, quem conſtat eſſe Deum, Chriſti diceretur eſſe, niſi eiuſdem naturæ participes eſſent, & ſpiritus à Chriſto, hoc eſt, diuino verbo manaret. Hic autem Chriſti ſpiritus prænuntians, Græcè, προμαρτυρόμενον, hoc eſt, antequam euenirent, teſtificans ſignificabat Chriſti paſſiones, & glorias.

VII. Hæc nimirum erant, quæ tum Græcos, tum etiam Iudæos vehementer perturbabant: Nam, vt ait Paulus [i], *Iudæi ſigna petunt, Græci ſapientiam quærunt, nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Quamobrem Petrus, vt fideles in ſuſcepta religione confirmet, hæc, quæ cum Chriſti diuinitate maieſtatéque vtcunque pugnare videntur, & diuinitùs præfinita, & multò antea à Prophetis prænunciata fuiſſe docet. Quaſi dicat, non vos crux, & mors Chriſti ab incœpto reuocet, neque

[i] 1. ad Cor. 1. 22.

que ad perfidiam, aut impietatem impellatuille enim A
proprio sanguine,ac vita pro humanu genere litauit,
idque olim diuino numine acti singulari Dei benefi-
cio Prophetæ, & cognouerunt ipsi, & posteris de-
nunciarunt,

VIII. *Prænuncians*, ait, *eas quæ in Christo sunt passiones*: Sic
a cap.53.2. enim de illo loquitur Isaias [a]: *Non est species ei, neque
decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideraui-
mus eum, despectum, & nouissimum virorum, virum dolo-
rum, & scientem infirmitatem.* Post pauca: *Ipse autem
vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est pro-
pter scelera nostra, &c. Oblatus est, quia ipse voluit, & non
aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi
agnus corã tondente se obmutescet, & non aperiet os suũ.* Et B
b cap.11.19. Ieremias [b]: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad
victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt super me con-
silia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradi-
camus eum de terra viuentium, & nomen eius non memore-
tur amplius.* Meritò autem probra, contumelias, &
Christi denique necem commemorat Petrus, vt fal-
sam Iudæorum opinionem refellat, qua sibi temerè
persuadebant priorem Christi aduentum fore ma-
gnificum & gloriosum, diuitiis ac voluptatibus as-
fluentem, cùm tamen alia omnia vaticinati sint Pro-
c cap.24.26. phetæ: adeòque Christus ipse apud Lucam [c] dixerit,
Nonne oportuit hæc pati Christum, & ita intrare in glo-
d vers. 46. *riam suam?* Et post nonnulla [d]: *Quoniam sic scriptum* C
*est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis
tertia die.*

IX. Neque verò vniuersim tantùm Christi supplicia,
& necem vates prædixerunt, sed ipsum genus mortis
propemodum indicarunt. Etenim Dauid Christi per-
pessionis historiam describere quodammodo vide-
e Psal. 21.7. tur [e]: *Ego autem*, ait, *sum vermis, & non homo, oppro-
brium hominum, & abiectio plebis; omnes videntes me, deri-*
f vers. 13. *serunt me, loquuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Et mox [f]:
*Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt
me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, &*
g vers.17. *rugiens.* Paucis autem interiectis [g]: *Quoniam circum-
dederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit
me. foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt
omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt
in me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meã* D
h Psal.68.22. *miserunt sortem.* Alibi [h]: *Dederunt in escam meam fel, &
in siti mea potauerunt me aceto.* Quæ sanè omnia tam
aperta sunt, vt quod de Isaia non semel dixit Hiero-
i Isa.7.35 53 nymus [i], affirmare possimus, non futura prædici, sed
præsentia, aut præterita narrari.

X. Eam ob caussam cùm de morte sua Christus [k] Do-
k Mat.20.18 minus ageret, ad Prophetas, eorúmque oracula audi-
tores prouocat. *Ecce*, inquit, *ascendimus Ierosolymam, &
Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scri-
bis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus
ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Addit
l cap. 18.31. autem Lucas [l], *& consummabuntur omnia, quæ scripta
sunt per Prophetas, de Filio hominis, tradetur enim genti-
bus, &c.* Addo pleraque ad Christum, eiúsque res ge-
stas spectantia, multis olim typis, atque vmbris fuisse
m cap.12.10, expressa, vt meritò apud Oseam [m] scriptum sit: *Et lo-* E
*quutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicaui,
& in manu Prophetarum assimilatus sum.* Quæ omnia
alibi copiosiùs explicui. Sunt, qui addant, hæc Petri
verba ad ea etiam referri, quæ Apostoli, & Martyres
Christi pro fide, ac religione perpessi sunt; quod ea
quodammodo ad Christum ipsum, tanquam mysti-
ci corporis caput, spectarent: id enim Paulus Aposto-
n cap.1. 24. lus non obscurè significat, qui ad Colossenses [n], *Ad-
impleo*, inquit, *ea quæ desunt passionum Christi in carne
mea.* Et Christus ipse Saulum Christianos vexantem,
o Act.9.4. his verbis increpat [o]: *Saule, Saule, quid me perse-
queris?*

Sed quanquam hæc verissimè dicuntur, vix tamen XI.
puto ea Petro venisse in mentem, qui propriè de
Christo loquebatur, & ad amouendam Iudæorum, ac
Gentilium offensionem, ostendit hæc quæ à Christi
maiestate videntur aliena, fuisse olim à Prophetis di-
uinitùs prænunciata, tanquam Dei occulto quidem,
sed sapientissimo consilio ante omnem æternitatem
partim præfinita, partim permissa, vt alibi copiosiùs
explico. Eam ob caussam post Christi passiones poste-
riores glorias nominat. Hoc est, resurrectionem,
& in cœlum ascensum, quæ mortem eius consequu-
ta sunt.

Quippe Christi resurrectio omnia propemodum XII.
fidei nostræ dogmata confirmat, ac roborat. Describi-
tur autem non semel à Dauide, sed apertissimè ab
Osea [a], qui de Christo scripsit, *viuificabit nos post duos* a cap.6.3.
dies, in die tertia suscitabit nos. & viuemus in cõspectu eius.
Eam ob causam multis argumentis conatur Paulus [b] b 1. ad Cor.
probare Christum rediuiuum ad superos remeasse, 15.
& quidem tertia die *secundùm Scripturas*. Cæterùm
pro eo, quòd ait interpres, *posteriores glorias*, Græcè
scripsit Apostolus, τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, hoc est, *&
glorias, quæ postea consequuta sunt*, vel *quæ consequuturæ
erant*. Atque ita Paulus [c] de Christo ait, *humiliauit se-* c ad Phil.2.8
*metipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem
crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*, & quæ se-
quuntur. Et in eandem sententiam alibi [d]: *Eum au-* d ad Heb.2.
tem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Ie- 9.
sum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.
Vt appareat, egregiè mentiri hæreticos, qui negant
Christum quicquam sibi potuisse promereri; cùm ta-
men inter Græcos Cyrillus Alexandrinus, & inter
Latinos Augustinus, duo clarissima Ecclesiæ lumina,
ex verbis Pauli proximè allatis Christi meritum col-
ligant: ille enim [e], *Ob eam mortem*, inquit, *& perpes-* e de recta fi-
sionem, summa gloria coronam promeruit. Humilitas pas- de, ad Regin.
sionis est meritum exaltationis. Hic [f] verò, *Humili-* f tract. 104.
tas claritatis est meritum, claritas est humilitatis præ- in Ioan.
mium.

Quæ cùm ita sint, verè, ac sapienter monet Pau- XIII.
lus, eos fore gloriæ, & immortalitatis Christi parti-
cipes, qui eius patientiam, & modestiam rebus ad-
uersis perferendis expresserint [g]. *Si enim*, inquit, *com-* g ad Ro.6.5.
*plantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & re-
surrectionis erimus.* Et post multa [h]: *Si tamen compati-* h cap 8.17.
mur, vt conglorificemur. Quod ipsum aliis verbis signi-
ficans ait [i]: *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legi-* i 2. ad Tim.
timè certauerit. Et reuerà suo exemplo docuit Chri- 2.5.
stus, quàm sit rerum aduersarum tolerantia, Christia-
no homini necessaria; cùm se dixit [k] Apostolos suos k Mat.10.16.
mittere, tanquam agnos inter lupos; nec sanè teme-
re hanc animi constantiam, & magnitudinem exigit:
nam, vt scribit Seneca [l], *cùm aliquis tormenta fortiter* l ep.68.
*patitur, omnibus virtutibus vtitur, cùm vna in promptu sit,
& maximè appareat patientia. Cæterùm illic est fortitudo,
cuius patientia, & perpessio, & tolerantia rami sunt: illic
est prudentia, sine qua nullum initur consilium, quæ sua-
det, quod effugere non possis, quàm fortissimè ferre; illic est
constantia, quæ deiici loco non potest, & propositum nulla
vi extorquente dimittit; illic est indiuiduus ille comitatus
virtutum, quicquid honestè fit, vna virtus facit, sed ex con-
silij sententia.*

Quòd si ei Christianæ fidei lux affulsisset, addere XIV.
poterat, virtutum omnium principem caritatem,
quæ præcipuè in aduersis perferendis eminet. Nam,
vt dixit Christus [m], *maiorem caritatem nemo habet,* m Io.15.13.
vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Quo
fit, vt non modò miseri censendi non sint, qui ma-
lis premuntur, sed etiam meritò beati ab hoc ipso
Apostolo prædicentur [n], *Sed etsi quid patimini propter* n infrà cap.
iustitiam, beati. 3.14.

12. *Qui*

12. *Quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere.*]

I. Quoniam dixerat, Prophetas exquisisse, & scrutatos esse Christi Domini mysteria, ne quis fortè suspicaretur eos naturæ viribus rerum futurarum cognitionem assequutos esse; addit, *Quibus reuelatum est*, vt eos significet diuinitùs fuisse eruditos, ac diuinorum mysteriorum scientia imbutos, mox verò ostendit, vt ait Oecumenius, diuinam illam illustrationem, non tam ipsis Prophetis, quàm posteris profuisse. *Quia non sibimetipsis*, inquit, *vobis autem ministrabant ea*. Quod non perinde accipio, quasi significet Petrus, lumen illud Propheticum, nullam ipsis Prophetis attulisse vtilitatem, cùm reuera diuinorum mysteriorum cognitio mirum in modum eos in suscepta religione confirmaret, & Dei amore, & caritate inflammaret. Iudicare autem voluit Petrus, quæ Prophetæ diuinitùs nouerant, ad posterorum vtilitatem, ab iis fuisse edita in lucem, & literarum monumentis consignata: hoc enim significat, cùm ait, *Non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea*: Græcè, *διηκόνουν*. Quid enim necesse erat ea conscribere, quæ diuinitùs nouerant, si nihil ea ad posteros pertinerent?

II. Rectè autem hoc loco monet Oecumenius, voluisse Petrum his verbis duo indicare, primum quidem Prophetarum diuinorúmque oraculorum præcipuam auctoritatem, quippe quæ diuina illustratione niteretur. Deinde eos, qui ad fidem adducti Christo nomina dederant, ante omnem æternitatem diuina fuisse notione comprehensos, & ad tam singulare, támque eximium Dei beneficium destinatos. Inde colligit, tacitè moneri fideles, ne Prophetarum vaticinia contemnant, quæ ad ipsorum vtilitatem posteritati essent consignata, & Apostolorum opera, ac studio non ita pridem promulgata, atque explicata. Neque verò existimare quis debet ad Iudæos tantùm Prophetarum oracula pertinere. Vt enim initio diximus, tametsi Petrus ad Iudæos præcipuè scribit, non excludit tamen Gentiles, qui Christiana sacra in iisdem regionibus perceperant. Et Paulus vniuersim ad
a ep. 1. ca. 10. 11. Corinthios [a] scribit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.*

III. Æquum igitur est, æternam Dei in nos beneuolentiam agnoscere, &, quoad eius fieri possit, pari caritate prosequi, &, vt ait Oecumenius, Prophetarum prouidentia id à nobis suo propemodum iure exigit, vt quæ illi nostra caussa tam accuratè, diligentérque scripserunt, nos persimili studio complectamur, & quasi paternam hæreditatem adeamus. Eadémque opera tacitè insinuat, sedulò nobis conandum, laborandúmque esse, ne tam singulari Dei beneficio deprehendamur indigni, aut etiam diuinæ beneficentiæ, & liberalitati ingrati. *Vobis*, igitur, *ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis.* Apostoli enim, virique Apostolici Prophetarum oracula ad Euangelicæ fidei confirmationem proferre consueuerant. Ita Petrus cùm diuino numine afflatus ipso die Pentecostes ad
b cap. 44. 3. populum verba faceret, Isaiæ [b], & Ioëlis [c] oracula
c cap. 2. 28. producit. Ait autem [d]: *Non enim, sicut vos æstimatis,*
d Act. 2. 15. *hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, &c.* Postmodum verò plura profert Dauidis testimonia. Alibi [e] ex Deuteronomio, & libro Genesis
e Actor. 3. 22 & 26. argumentatur.

IV. Neque aliter concionabatur Stephanus [f]. Eodémque modo Christiana dogmata confirmat Paulus, vt
f Actor. 7.
apparcat, magnam esse vtriusque Testamenti consensionem, quippe quæ eodẽ Spiritu auctore promulgata, atque instituta sunt; nam in Symbolo Niceno apertè dicitur de Spiritu sancto, *qui loquutus est per Prophetas*. De noui autem Testamenti præconibus ait Christus [a]: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* a Mat. 10. 20

V. Quocirca olim veteres Patres aduersùs priscos hæreticos strenuè probant, vnum, atque eundem esse vtriusque Testamenti Deum. Et quod attinet ad rem præsentem, verè Beda. *Idem*, ait, *Spiritus Christi erat in Prophetis prius, qui postmodum in Apostolis: ideóque eandem fidem vterque populus prædicauerunt; illi Christum adhuc venturum, isti iam venisse, ac per hoc vnam Ecclesiam, cuius pars carnalem Domini aduentum præcessit, pars altera sit sequuta.* Plures autem huius rei typi ex veteri Testamento afferri solent, quæ non sine plausu, atque admurmuratione in popularibus concionibus proferuntur. Vbicunque enim fere binarius numerus commemoratur, ibi duo Testamenta significari contendunt: huc enim trahunt duo luminaria, quæ in firmamento [b] collocata sunt, quorum alterum noctí, alterum diei præsit. In Ecclesiæ namque firmamento, duo Testamenta, quasi luminaria magna micare, & vetus quidem nocti, id est Synagogæ; nouum verò diei, hoc est, Ecclesiæ præesse. Atque idcirco ait Paulus [c]: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* Duo item Cherubi [d], qui areę propitiatorio imminebant, sese mutuò respectantes eadem duo Testamenta indicabant, quorum alterum ad alterum refertur, illud quidem ad hoc tanquam vmbra ad corpus, hoc verò ad illud, tanquam solidum corpus ad vmbram, & similitudinem sui.
b Gen. 1. 18.
c ad Ro. 13. 12
d Exod. 25. 20.

VI. Addit Isidorus duos exploratores [e] botrum vecte gestantes, duos significare populos, qui Christum tanquam botrum in torculari crucis exprimendum gestant, sed Iudaicus quidem populus eum habet à tergo, quia venturum credebat; gens verò Christiana eum præ oculis habet, & quodammodo præsentem intuetur. Adde si placet duo vbera sponsæ [f], è quibus veræ, solidæque doctrinæ lac sugimus. Et id genus alia sexcenta afferri possent, quæ non sunt in præsentia commemoranda.
e Num. 7.
f Cant. cap. 4. & cap. 7.

VII. Itaque rectè hoc loco Petrus ea, quæ à Prophetis ministrata sunt, ab Euangelij ministris annunciata fuisse scribit. Ait enim, *Vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis, per eos, qui euangelizauerunt vobis*, vt consequens sit, Euangelicam doctrinam neque nouam esse, aut recentem, neque hominum studio, atque industria inuentam, atque excogitatam. Vtriusque autem Testamenti auctoritate firmata, ita penitus Christianis mentibus inhæreat, necesse est, vt quod ait Apostolus Paulus [g], *Si Angelus de cælo aliud euangelizet*, tanquam anathema abiiciendus videatur. Hinc verò apparet quàm sit eorum laudanda diligentia, qui in peruoluendis cognoscendísque Prophetarum oraculis, ac vaticiniis studium, atque operam impendunt, vt enim testatur Sapiens [h], *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit.* Et Petrus [i], *Moyses* ait, *& omnes Propheta à Samuel, & deinceps annunciauerunt dies istos.* Et alibi [k]; *Huic* (hoc est, Christo) *omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.*
g ad Gal. 1. 8.
h Eccl. 39. 1.
i Act. 3. 24.
k Act. 10. 43

Cæterùm quod ait, *Per eos, qui euangelizauerunt vobis*, Euangelicos proculdubio ministros indicat, qui Christianæ fidei præceptis eas gentes imbuerant. Nescio autem vtrùm hinc necessariò colligatur, eas

gentes

gentes, ac nationes non fuisse à Petro Apostolo eruditas. Numero autem multitudinis eos describit, qui Euangelium in Ponto promulgarant, quia neque solus, nec, vt arbitror primus lucem Euangelij in Pontum intulerat, sed Paulus, aliique quos Paulus nominat, iis regionibus Euangelicam doctrinam tradiderant, cùm tamen ipse quoque apud illas gentes suo sit Apostolico munere ritè, ac laudabiliter non sine fructu, atque vtilitate perfunctus. Vniuersim igitur Euangelicos ministros commendat, quòd veram, sanámque doctrinam proposuerint, quæ cum veterum Prophetarum oraculis mirabiliter consentiret. Quod vt planiùs ostendat, subdit, *Spiritu sancto misso de cœlo:* Nam quia dixerat Prophetas diuino Spiritus sancti impulsu vaticinatos esse, vt significet eodem Spiritu actos fuisse Apostolos, dum Euangelium promulgarent, ad externam illam Spiritus sancti effusionem, quam ipso Pentecostes die Apostoli perceperunt, respiciens, ait, *Spiritu sancto misso de cœlo.* Ita Oecumenius, *Quod verò, ait, Spiritu sancto misso de cœlo, de eo intelligit, quod die Pentecostes contigit.*

IX. Porrò de cœlo dicitur missus Spiritus sanctus eo planè modo, quo Christus ipse descendisse de cœlo in Symbolo commemoratur: cùm tamen neuter locum deseruerit, aut mutarit, sed suam diuinitatem illustri, atque aspectabili argumento declararit, vt qui in cœlo sese beatis mentibus vnà cum Patre spectandos præbent, illustri quopiam effectu sese mortalibus indicent. Fateor tamen, si hęc libeat subtiliùs perscrutari, aliter ad nos missum esse Christum, dum nostram sibi naturam asciuit, aliter Spiritum sanctum dum Apostolorum mentes diuinis suis muneribus mirabiliter compleuit, atque exornauit. Re namque vera diuina Christi hypostasis mira quadam, planéque ineffabili vnione naturam sibi adiunxit humanam, vt vnus idémque Christus, & verus Deus, & nihilominus verus homo & esset, & appellaretur. Et quamquam quicquid in incarnationis mysterio vim effectricem desiderat communi trium personarum potestate, atque actione perfectum est, vna tamen Filij, diuinitque Verbi persona humanæ naturæ copulatur, suámque diuinam hypostasim, ac subsistentiam largitur.

X. At verò diuinus spiritus siue flatum, aut ventum, siue igneas linguas respicias, nullam habet peculiarem efficientiam, quæ non sit Patri, Filióve communis. Et ipsa illa cœlestia munera quibus Apostolorum mentes locupletatæ sunt, æquè à tribus diuinis personis manarunt. Quia tamen Spiritui sancto iustificatio, sanctificatióque tribuitur, quicquid ad iustitiam, & sanctitatem pertinet, id etiam peculiari quadã ratione Spiritui sancto adscribitur: atque ita Paulus [a], vt obseruanit Gregorius [b], spiritus munera recensens ait, *alij datur per spiritum sermo sapientiæ; alij sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Idem verò Gregorius ibidem subdit totius Trinitatis opera fuisse Apostolos diuinis muneribus ornatos. Neque aliter dicitur mitti, aut tribui Spiritus sanctus, nisi quia diuinitatis effecta in nobis existunt. Quæ cum ita sint, rectè colligit Oecumenius, *si & ipsi* (qui Euangelium promulgarunt) *& Prophetæ eodem spiritu illi prophetiam, hi euangelium exequuti sunt, nulla inter ipsos, & prophetas esse differentia debet. Oportet igitur, inquit, vt idem studium his adhibeatis, quod & illi, qui prophetis audientes fuerunt, ne si aliter feceritis pœna illorum obnoxij sitis, qui prophetis non obediuerunt.*

a 1. ad Cor. 12. 8.
b hom. 30. in Euang.

XI. Sed quid quæso est, quod subijcit Petrus, *In quem desiderant Angeli prospicere?* Certè Græci códices hoc loco variant: quidam enim habent εἰς ὅν, id est, *in quem;* quomodo olim legisse videtur Gregorius [a], & omnino legit vulgatus interpres, præsertim in editione Romana, alij habent, εἰς ἅ, hoc est, *in qua,* vt referatur ad *ταῦτα*, quæ paulò antè nominauerat, vel, vt insinuat Irenæus [b], ad ea, quæ tum Prophetæ vaticinati sunt, tum Apostoli annunciarunt. Sic enim scribit: *Si subit vos huiusmodi sensus, vt dicatis; quidnam attulit Dominus veniens? Cognoscite, quoniam omnem nouitatem attulit, semetipsum afferens, qui fuerat annunciatus.* Et deinceps, *Semetipsum attulit, & ea, quæ prædicta sunt bona, in quæ concupiscebant Angeli intendere, & donauit nobis.* Eandem sententiam probare videntur Cyrillus [c] Alexandrinus, Ephrem [d] Syrus, Oecumenius, vel potiùs eius interpres, denique Syriacus, *In quibus,* inquit, *concupiscunt Angeli prospicere.* Vtraque igitur lectio suos habet auctores: nam Latini interpretis lectionem, etiam agnoscit Irenæus [e], quam plurimi Latinorum sequuntur, Ambrosius [f], Gregorius [g], Beda [h], Bernardus [i]. Sed non omnes eodem referunt relatiuum, *quem.*

a lib. 8. mor. cap 18.
b lib. 4. cap. 67. & lib. 2. cap. 19.
c de incarn. vnigen. c. 28.
d lib. de armat. spir. c. 1.
e lib. 5. c. 36.
f li. de Isaac. & vita beata cap. 5.
g li. 18. mor. cap. 18.
h in hunc locum.
i Bernar. ser. 4. de festo omn. Sanct.

XII. Certè Gregorius ad Deum ipsum, hoc est, totam Trinitatem refert, *De Deo,* inquit, *per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur, In quem desiderant Angeli prospicere.* Tum eos confutat, qui suspicantur Angelos nequaquam Deum videre; *cum tamen,* inquit, *alibi apertè dictum sit, Angeli semper vident faciem Patris.* Tum rem eandem planius explicans subdit, *Deum itaque Angeli & vident, & videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Ne autem sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur, & ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Quæ tametsi piè, doctéque à sanctissimo, doctissimóque viro dicuntur, non video tamen, quomodo possint huic loco aptari: cùm enim Petrus Deum simpliciter, & absolutè ne nominarit quidem, non apparet, quónam ratione relatiuum, *quem,* ad Deum trinum, & vnum referri queat, cùm proculdubio recta loquendi ratio postulet, vt proximè dicta respiciat.

XIII. Propiùs ad veritatem accessisse videtur Beda, qui Christum referri existimat: cùm enim paulò antè Christi passiones, & posteriores glorias nominasset Petrus, non malè subiicit. *In quem desiderant Angeli prospicere. Tanta est enim, ait, eius, qui passus est pro nobis, hominis gloria posteriorum, vt etiam Angelicæ in cœlo virtutes, cùm sint æterna felicitate perfectæ, non solùm immortalis deitatis magnificentiam, sed assumptæ humanitatis eius claritatem semper aspicere gaudeant. Sed cur cernere desiderant, cuius faciem nunquam cernere cessant? nisi quia contemplatio diuinæ præsentiæ ita Angelos beatificat, vt eius semper visa gloria satientur, & semper eius dulcedinem, quasi nouam insatiabiliter esuriant.* Fauere putantur huic explanationi, quæ de Christi dignitate scribit Paulus. Ad Colossenses [k] enim *In Christo,* ait, *condita esse vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ.*

k cap. 1. 16.

XIV. Vnde colligunt Theologi, Christum esse etiam Angelorum caput, à quo illi non pauca cœlestia munera hauriant, vt mors Christi ad eos quodammodo pertinuerit; quod Clemens [l] Alexandrinus, & Origenes [m] apertè docuerunt, nisi quòd vterque lineas videtur transilisse. Castigatiùs loquutus videtur Bernardus [n]: cùm enim hæc Petri verba ad Christum referat, eum vocat Angelorum delicias. Alibi [o] verò explicans, quid Christi mors Angelis contulerit,

l lib 7. Stromat.
m ho. 1. & 2. in Leuit.
n ferm. 1 de fest. omn. Sanct.
o ser. 22. in Cant.

Qui

Qui erexit, inquit, *hominem lapſum, dedit Angelo ſtanti, ne caderet; ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc de captiuitate defendens; & hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.*

XV. Non defuerunt, qui relatiuo, *quem*, Spiritum ſanctum indicari ſignificarent. Quam ſententiam probat etiam Beda: ait enim, *vel in quem Spiritum ſanctum, qui tantæ eſt maieſtatis, & gloriæ, vt ſemper eius viſio, ſicut etiam ipſius Patris, & Filij deſideretur ab Angelis, quem gratia diuinæ pietatis ad terras cauſſa humanæ ſalutis miſit, & illuſtrandis fidelium mentibus infudit.* Et ad hanc ſententiam alludere quodammodo videtur Epiphanius, qui vbi multis Spiritus ſancti diuinitatem probaſſet, his verbis concludit: *Eſt Spiritus ſanctus vnicus, qui ab omnibus adoratur, & ab omnibus creaturis deſideratur, & nulli adæquatur, non Angelo, non alij Spiritui, ſed vnicus eſt.* B Ita ex hoc loco Spiritus ſancti diuinitatem probare poſſis, atque hæreticos pneumatomachos refellere, quod Athanaſius [a], Baſilius [b], & Didymus [c] olim egregiè fecerunt. Et quidem retenta interpretatione Latina, Romanæ præſertim editionis, hæc mihi ſententia cæteris præferenda videtur; cùm relatiuum, *quem*, molliſſimè reſpondeat Spiritui ſancto, quem Petrus proximè dixerat cœlitùs fuiſſe miſſum.

a ep. ad Serapion.
b li. de Spir. ſanct. ad Amphiloc.
c libb. de Spir. ſanct.

XVI. Sed neceſſariò dicendum videtur Græcè legiſſe interpretem relatiuum neutrius generis, cùm eiuſdem generis ſit [illegible], quod Græcè legitur, ſed vt Latinæ loquutionis congruam formam retineret, cùm Spiritus ſanctus generis ſit maſculini, eodem genere relatiuum poſuit: dixit igitur *Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in* C *quem deſiderant Angeli proſpicere*, Græcè, [illegible], quod verbum non ſimplicem intuitum, ſed accuratam quandam, ac ſtudioſam cernendi ſollicitudinem ſignificat. Qua ratione Ioannes [d] cùm ſuam diligentiam deſcriberet, qua ad Chriſti ſepulchrum ſeſe inclinans, vidit poſita linteamina Græcè dixit, [illegible], vt eam ardentem cupiditatem ſpectandi ſignificet, quam Gregorij verbis paulò antè deſcripſimus. Neque verò exiſtimandum eſt, voluiſſe Petrū indicare ſeorſim Spiritum ſanctum, reliquáſque diuinas perſonas ſingillatim, ac propriè à beatis mentibus ſpectari: cùm enim vna, atque eadem ſit trium perſonarum natura, &, vt Græci loquuntur, [illegible]; beatorum verò contemplatio ſit omni ex parte perfecta, & proximè feratur in Deum, vno eodémque intuitu Deum D vnum, ac trinum aſpiciunt, ac trium perſonarum vnica viſione beantur. Angeli itaque cæterique beati nó aliter deſiderant Spiritum ſanctum intueri, quàm diuinam illam, immenſámque naturam contemplari.

d cap. 20. 5.

XVII. Quòd ſi libeat Græcam etiam lectionem explicare, optimè Didymus: *Si quis*, inquit, *exiſtimauerit quæſitam à Prophetis ſalutem in fine mundi, quod in omnibus, & in ſummo eſt appetitu, quando ipſius quidem cauſſa alia cuncta fiunt, ipſum verò cauſſa nullius agitur. Non abs re eſt etiam intelligi de ſanctis Angelis, & ſimpliciter cunctis beatis rationalibus hoc dictum, cùm omnes appetitum habeant proſpicere ea, quæ in fine ſæculi ſunt agenda.* Non ſatis autem liquet, loquaturne Didymus de extrema mundi ætate, qua Chriſtus noſtra mortalitate circundatus, humanum genus à diaboli ſeruitute in filio- E rum libertatem aſſeruit, an verò de extrema mundi clauſula, cùm Chriſtus Dominus omniū mortalium iudex iuſtos quidem ad immortalem, ac ſempiternam gloriam euehet; improbos verò inferorum cruciatibus in omnem æternitatem addicet. Certè Oecumenius priorem ſententiam probat: ſic enim ſcribit; *Quod verò ſubiungit, In quæ proſpicere Angeli cupiunt, id eſt, quæ etiam Angeli cupiunt, & quorum cognitionem, & euentum videre Angeli quoque ipſi cupierunt, vnde, cùm ea fierent, ex lætitia cecinerunt* [e],

e Luc. 2. 14.

Bened. Iuſtinian. in Epiſt. Canon.

A *Gloria in altiſſimis Deo.*

XVIII. Nec dubium eſt, Incarnationis myſterium, vt ait Apoſtolus [a], *Principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam*, ipſo rerum euentu miram quandam gaudij, atque lætitiæ attuliſſe materiam, quòd incredibiliter hominum ſalutem cuperent, vnde immortali Deo, vt ait Lucas, gloriam in altiſſimis concinebant, & incredibili gaudio perfuſæ beatæ mentes Chriſto Domino in cœlum aſcendenti, vt Dionyſius Areopagita, Gregorius Nyſſenus, Ambroſius, Hieronimus, & alij exiſtimarunt: Dauidicis verbis gratulantur [b]; *Attollite*, inquit, *portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Cùmque nonnulli quærerent, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Reſpondent alij, *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio; Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* B Quòd ſi libeat ad ea referre, quæ in ſecundo Chriſti aduentu futura ſunt, cùm Chriſtus Deo Patri tradet regnum, meritò etiam dicuntur Angeli ea concupiſcere, vt cœleſtis illa patria omnibus ſuis ciuibus compleatur, idque perfectè fiat, quod quotidiè oratione Dominica his verbis expetimus: *Adueniat regnum tuum.*

a ad Epheſ. 3. 10.
b Pſ. 23. 7. 9.

XIX. Nec diſplicet, quod alij ante nos piè, doctéque excogitarũt, optare Angelos intueri glorioſa Martyrum certamina, ac triumphos: verè enim dixit Apoſtolus Paulus [c]: *Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Et eadem mente Beatiſſimus Martyr Cyprianus [d]: *Prœliantes nos, & fidei congreſſione pugnantes ſpectat Deus, ſpectant Angeli* C *eius, ſpectat & Chriſtus, quanta eſt gloriæ dignitas, quanta fœlicitas præſente Deo congredi, & Chriſto iudice coronari?* Atque hactenus quidem Epiſtolæ præfatio, quæ proculdubio grauiſſima eſt, & Apoſtolica maieſtate digniſſima. Quæ deinceps ſequuntur, morum præcepta, & ſalutaria monita continent. Diuino autem conſilio tam multa præfatus eſt Petrus, vt diuinorum beneficiorum multitudine, magnitudinéque propoſita fidelium animos ad ea perficienda vehementiùs inflammet, quæ deinceps tota Epiſtola ſubijciet. Itaque ait:

c 1. ad Cor. 4. 9.
d ep. ad Thibaritan.

13. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſobrij, perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam* D *in reuelationem Ieſu Chriſti.*]

I. Cùm tam multa in vos beneficia collata ſint, diuinóſque ſuos theſauros Deus immortalis per Chriſtum humani generis liberatorem tam coppioſè effuderit, æquum profectò eſt, vt pari vos ſtudio, & grati animi teſtificatione tam ſingulari, atque eximiæ munificentiæ reſpondeatis. Videtur autem hac prima ampliſſima præceptione tria potiſſimum complecti. Vult enim primum illos mentis lumbos habere ſuccinctos, deinde ſobrios eſſe, poſtremò perfectè ſperare in eam gratiam, quæ Chriſti beneficio offertur. *Propter quod*, inquit, hoc eſt propter eximiam in vos Dei beneficentiam, *ſuccincti lumbos mentis veſtræ.* Nam, vt ait Oecumenius, *quoniam quæ adminiſtrata* E *vobis omnibus ſunt, & amanda, & ſummoperè appetenda non ſolùm hominibus, verùm etiam Angelis fuerunt; propterea neque vos negligenter gerere debetis, ſed intendere animum veſtrum, & fortiter incumbere: id enim lumbos ſuccingere ſignificat: id quod & Iob facere à Deo iubetur, quos verò lumbos oſtendit, dum ait: lumbos mentis.*

Ita videtur Oecumenius exiſtimaſſe hoc primo præcepto fortitudinē, ac magnanimitatē præcipi. Hoc enim proculdubio ea loquendi ratio in ſacris literis frequenter indicat. Nam in libro Iob [e] ait Dominus,

e cap. 38. 3.

V *Accin*

A *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Neque enim aliud præcipere videtur, quàm vt strenuè, ac fortiter se gerat, vt expeditè, ac promptè sibi interroganti respondeat. Simile quiddam innuere visus est Christus, cùm dixit [a] (a Luc. 12.35.); *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis, vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Hortatur enim Apostolos, vt solliciti sint, vigiles, ac semper parati, vt venientem sponsum excipere possint. Videtur enim metaphora à viatoribus sumpta, iis præsertim, qui togati incedunt, qui vt liberius, atque expeditiùs ingredi queant, sese accingere, & ad lumbos vestes adstringere cōsueuerunt. Ita paulò pòst [b] (b vers. 37.), *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens*

B *ministrabit illis.* Et alibi [c] (c Luc. 17.8.) Dominum seruo imperantem inducit. *Para*, inquit, *quod cœnem, & ministra mihi.* Eodem modo Elisæus puerum suum Giezi alloquitur [d] (d 4. Reg. 4. 29.), *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade.* Et in libro Tobiæ legimus [e] (e cap. 5.5.) iuniorem Tobiam inuenisse iuuenem splendidum stantem, *præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.* Et apud Ieremiam [f] (f cap. 1.17.) *Tu ergo*, ait Dominus, *accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi.* Quinetiam Deus ipse dicitur à Dauide [g] (g Psal. 92.1.) *indutus fortitudinem*, & addit, *& præcinxit se.* Neque aliud significare voluit Salomon [h] (h Prou. 30. 31.), cùm gallum vocat *succinctum lumbos.*

III. His enim omnibus locis metaphora succingendi, & adstringendi lumbos, paratum, & expeditum significat, vel ad iter peragendum, vel opus aliquod perficiendum.

C Quoniam igitur Petrus cœlestis beatitudinis futuræque gloriæ mentionem fecerat, rectè fideles monet, vt peregrinantium more succincti, atque expediti, Christi Domini aduentum præstolentur. Ne putarent autem se de externo itinerantium apparatu, & corporeis lumbis loqui, *succincti*, ait, *lumbos mentis vestræ*, vt de animi facultatibus, ac viribus sermonem esse intelligant. Quomodò loquitur etiam Paulus cùm ad Ephesios scribit [i] (i cap. 6. 14.), *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Nam proculdubio facultates animi parati, atque instrui monet, vt torpore, socordiáque abiectis, præsenti erectóque animo Christi aduentum expectent.

IV. Non sum tamen nescius, doctissimos, sanctissimósque viros hanc metaphoram ad continentiam pudi-

D citiámque transferre: ita Hieronymus [k] (k lib. 1 contra Iouin.), qui id probat ex iis, quæ subiiciuntur, *Et ipsi in omni conuersatione sancti sitis*; & rursus, *Animas vestras castificantes.* Neque aliter sensisse videtur Augustinus [l] (l lib. de contin. cap. 7.), *Quid est*, inquit, *lumbos accingere? libidines coërcere. quod est opus continentiæ.* Et in eandem sententiam Gregorius [m] (m hom. 13. Euangel.), *Lumbos præcingimus*, ait, *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Et alibi [n] (n li. 32. mor. cap. 2.); *Lumbos carnis succingere est, luxuriam ab effectu refrænare, lumbos verò mentis succingere est, hanc etiam à cogitatione restringere.* Denique Beda, *Succingit*, inquit, *lumbos mentis, qui hanc ab impura cogitatione restringit, & qui mente, & corpore castus Domini aduentum expectat. meritò, quando reuelatur, sperat.*

E Itaque hoc loco pudicitiam ab Apostolo commendari non dubitant, cui mox sobrietatem adiungit, quæ ad tuendam pudicitiã plurimum valet. Nec dubito hanc explanationem aptè huic loco congruere: Nam vt ait Petrus Chrysologus, castitas est balteum insigne militiæ Christianæ. *Cincti*, inquit, *castitatis balteo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxæ carnis detruncemus ignauiam.* Et alludens ad Christi Domini verba, *Dominus*, ait, *lumbos nostros adstringi iubet balteo castitatis, & totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum constringi mandat, continua Zona virtutis, vt carne succincta ad Domini occursum liber, velox, ex-*

A *peditus nostræ mentis reddatur incessus.*

V. Egregiam verò huiusce rei rationem affert Hieronymus [a] (a ad Ephe. 6.): *Quia*, inquit, *lumbi in generatione semper accipiuntur, & semine, secundum illud ad Hebræos* [b] (b cap. 7.10.): *Adhuc in lumbis erat Leui patris sui; videntur mihi accinxisse lumbos suos, qui nequaquam vxori debitum reddunt, nec seruiunt libidini, sed imitantur ingenitum Deum generationis negotiis non ministrant.* Verùm quoniam lumbos mentis nominat Petrus, malim cum Augustino [c] (c li. 2. quæst. Euang. q. 15.), non solam pudicitiam, sed rerum omnium moderationem ab Apostolo Petro commendari. Ita enim verba Christi explicat, *Quod*, ait, *Dominus dicit, sint lumbi vestri præcincti propter continentiam ab amore rerum sæcularium*; vt nulla nos res creata, non dicam à

B Deo auocet, sed ne minimum quidem nostrum ad illum cursum retardet. Quomodo ait Dauid [d] (d Ps. 72.25.), *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum.* Nec abhorret ab hac explanatione Tertullianus [e] (e lib. 4. in Marc. c. 29.): *Sumus*, inquit, *serui: Dominum enim habemus Deum. Succingere debemus lumbos, id est, expediti esse ab impedimentis laciniosæ vitæ, & implicitæ. Item lucernas ardentes habere, id est, mẽtes à fide accensas, & operibus veritatis relucentes.* Fauet Theophylactus [f] (f Luc. 12.), qui quod ait Christus, *Sint lumbi vestri præcincti*, perinde accipit, ac si dicat, omnibus modis parati estote ad opera Domini vestri; neque aliter Euthymius [g] (g Luc. 12.), *Sint*, inquit, *lumbi vestri præcincti ad agenda bona opera.* Denique Haymo; *Lumbos*, ait, *præcingimus cùm omnia impedimenta mundi postponimus, vt in via*

C *mandatorum Dei gressum mentis firmiter figere valeamus. Qui enim discinctus est, ipsis suis vestimentis impeditur, ne liberè ambulet. Qui verò præcinctus est, quaqua versùs discurrere potest.*

VI. Meritò autẽ hac metaphora vtitur Petrus: vt enim ex superioribus intelligi potest, necesse est seruos, ac ministros, vt expediti sint, succingi lumbos. Decet autem fideles, tanquam Dei seruos, promptos, atque expeditos esse; hoc est, vt ait Petrus, *succinctos lumbis mentis*, vt possint cum Dauide dicere [h] (h Psal. 56.8.), *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Viatores item, ac peregrini, vt liberè, atque expeditè incedant, vt paulò antè dixi, accingi consueuerunt. Fideles autem omnes, vt ait Paulus [i] (i 2. Cor. 5.6.), peregrinantur à Domino, & quasi viatores ad cœlestem patriam tendunt. Quocirca necesse est, eos laciniosas vestes adstringere, hoc est, pra-

D uas omnes cupiditates comprimere, ne liberè fluant, & institutum cursum remorentur. Denique milites succincti, atque adstricti præliantur. Militamus autem omnes duce Christo [k] (k ad Ephes. 6.12.), *aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum*, atque idcirco rectè monet Petrus lumbos esse succingendos: nam hoc idem præcepit Paulus [l] (l ad Ephe. 6.): *State*, inquit, *succincti lumbos vestros, & induti loricam iustitiæ.* Meminit autem Petrus lumborum mentis, indicans, quod apertiùs docuit Paulus, geminum quodammodo in nobis hominem existere, internum, atque externum; & in illo quidem, quod egregiè alicubi docuit Gregorius Nazianzenus, proportione quadam eadem membra

E distingui, quæ in externo homine, hoc est, in corpore cernuntur. Atque ita nil mirum est, si lumbos mentis Petrus nominet, vt animi vires, ac facultates significet. Dum autem lumbos adstringi iubet, cupiditates quasi vestes demissas vsque ad talos, & corpori circumfusas, & laxas temperantia, & moderatione, quasi zona adstringi imperat. Pro eo autem, quod Latinè dixit interpres, *lumbos mentis*, Græcè scripsit Apostolus ὀσφύας τῆς διανοίας, vt supremam hominis partem indicet, quæ inferioribus facultatibus imperat, & flectere, ac moderari debet.

VII. Nam, vt alicubi scribit Seneca [m] (m li. 5. de beneficiis c. 8.), *Nemo magis admirandus est, quam qui imperat sibi, quàm qui se habet in*

in potestate gentes facilius est barbaras, impatientes alieni arbitrii regere, qu im animum suum continere, & tradere sibi. Quocirca sapienter quodá lo.o scripsit Bernardus, tantùm quemlibet proficere, quantùm sibi ipse vim intulerit. Multa resecanda sunt, quædam abijcienda, plurima ne attingenda quidem, quæ sensus, atque inferiores animi facultates adeò appetunt ardenter, vt iis carere non posse videantur. Contrà aspera multa, ac dura, multa acerba, & molesta toleranda sunt, & ad ea comparandus, ac firmandus est animus. Quæ omnia vno verbo complexus est Petrus, cùm dixit, *Succincti lumbos mentis vestra.*

VIII. *Sobrij.* Græcè, νήφοντες. Oecumenius non simpliciter sobrios intelligit, sed addit sequentem vocem, τελείως, id est, *perfectè*, quasi Petrus non sobrietatem præcisè, sed sobrietatem perfectam exigat. Est autem hoc secundum Apostoli præceptum, quod, vt arbitror, refertur ad corpus, vt illud priùs animi moderationem, & magnitudinem quandam, ac robur præcipiat, hoc verò externam temperantiam, & gulæ moderationem. Quocirca qui superiora ad pudicitiam referunt, hanc sobrietatem pudicitiæ parentem appellant: nam, vt ille dixit [a]:

a Terent.

Sine Cerere, & Libero friget Venus. At Hieronymus. *Venter*, inquit, *mero æstuans facilè despumat in libidinem.* Et alibi: *Ventris ingluuies, & ebrietas tam animæ, quàm corporis caussam, materiamq́; infirmitatis tribuunt. Noe ex ebrietate femora nudans, à filio irridetur. Loth vina vicerunt, & ad horrenda stupra prouocauerunt. Ergo bucca noscenda est mensura tua.* Paulus [b] autem: *Nolite*, inquit, *inebriari vino in quo est luxuria.*

b Ephes. 5.18

IX. Quòd si malis superiora, vt diximus, ad animi magnitudinem, constantiam, & robur referre; sobrietatem hoc loco, quasi alterum præceptum accipies, vt à corporeis voluptatibus abstinendum moneat: tametsi enim, vt alicubi scribit Seneca [c], *Venter præcepta non audit, poscit appellat, non est tamen molestus creditor, paruo dimittitur, si modò das illi, quod debes, nõ quod potes.* Quanquam autem sobrietas quippe ebrietati ex aduerso respondens in moderando potu maximè versatur, latiùs tamen hoc loco patere videtur, vt omnia gulæ oblectamenta moderetur, ac fortasse etiam omnibus corporeis voluptatibus modum legémque præscribat, quod, ni fallor, indicare voluit Oecumenius, cùm vocem *perfectè*, cum voce *sobrij*, coniunxit, vt *perfectè sobrij* sint illi, qui in rebus omnibus temperantiam, & modestiam colunt: nam hoc eodem modo accipienda videntur, quæ hac ipsa Epistola scribit Petrus [d], *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*

c epist. 21.

d infrà cap. 5.8.

X. Et profectò, vt egregiè scribit Seneca [e], *Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia: illa enim vtilia, vitaliaq́; sunt, at hæc eo, quo superfluunt nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoq; euenit, quos immoderata fœlicitas rumpit.* Et paucis interiectis: *Necesse est etiam in immensum exeat cupiditas, quæ naturalem modum transiliit: ille enim habet suum finem, inania, & ex libidine orta sine termino sunt, necessaria metitur vtilitas, superuacua quò rediges? Voluptatibus vtique se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt, quòd eò peruenerunt, vt illis, quæ superuacua fuerant, facta sint necessaria. Seruiũt vtique, voluptatibus suis non fruuntur, & mala sua (quod malorum vltimum est) amant.* Contrà verò, vt ait Plutarchus [f], *temperatus animus vndiq; est æqualis, & pacatus, inferiori animæ nostræ portione cum superiore consentiente; admirabili quiete ornatus, & compositus, in quem intuens dicas, Conciderant venti iam, & tranquillus sine vento pontus erat: namque ipse Deus sedauerat vndas: vehementes, insanos, rabidósque motus cupiditatum, restinguente ratione, & quibus natura indiget, eos sibi consentientes, obtemperantesq́; in alijs omnibus voluntariè parentes, vt nec rationem præcurrant, nec terga vertant, nec ordinem turbent, nec dicto non sint audientes, verùm vt omnis motus quocunque velit ratio ducere, paratus sequi, vt lactans pullus cum equa simul currat, Xenocratis confirmans sententiam dicentis, verè philosophantes sponte agere, quæ cæteri metu legis facere solent inuiti, tanquam verberibus canes à voluptatibus repulsi metu suppliciorum.* Meritò igitur hanc sobrietatem, ac temperantiam, fidelibus commendat Petrus, vt spem erigat ad cœlestia bona, & immortalem beatorum gloriam, atque idcirco tertio loco monet:

e epist. 39.

f lib. de virt. mor.

Perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam. XI.

Ita enim malo aduerbium, *perfectè*, cum sperandi verbo coniungere, vt non quamlibet spem suadeat Petrus, sed spem perfectam, hoc est, virtutem Theologicam, quæ cum caritate coniungitur, præcipuéque diuina beneficentia, ac liberalitate nititur, ita tamen, vt propria merita non penitus negligat, quam Paulus [a] spem vocat filiorum Dei, *gloriamur*, inquit, *in spe filiorum Dei*: Paucis autem interiectis [b], *Spes autem*, ait, *non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vt vel hinc appareat, perfectam spem cum caritate coniungi, & Spiritus sancti gratia maximè firmari. Oritur autem spes, tanquam ab efficiente caussa, à diuina pollicitatione: constat enim, vt idem Paulus [c] scribit, posse Deum quæcunque promisit re ipsa præstare, atque idcirco Abrahamum laudat, quod *in repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere.*

a ad Ro. 5.2.
b vers. 5.
c ad Rom. 4. 21.

XII. Accedit, quòd mentiri Deus nequaquam potest, vt de illius vera, fidelique promissione nefas sit dubitare. Ita Paulus ait [d]: *Est autẽ Deus verax omnis autem homo mendax.* Hac igitur ratione spes nostra dicitur perfecta, si modò honestas, ac laudabiles actiones non negligat: nam alioqui inanis, temeritatísque plena est non solùm Gentilium, atque infideliũ spes, sed etiam hæreticorum cõfidentia: illi namque sine Christo, eiúsque vera fide sperare nihil possunt, cùm certissimæ damnationi sint obnoxij: hi verò dũ Christi merita plus æquo extollũt, humana verò contemnũt, tanquã diuinæ legis violatores sempiterna supplicia apud inferos subibunt. Apertissimè namq; dixit Christus [e]: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et alibi [f]: *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratũ vobis regnũ à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* indicans cœlestis regni possessionem laudabiliũ actionũ præmiũ, ac mercedẽ esse. *Sperate*, inquit, *in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Græcè enim nõnulli codices habent χάριν. Alij verò, vt monet Oecumenius, habent χαρὰν, hoc est, gaudiũ, & lætitiam. Vtrumque autem nomen rectè congruit ei saluti, de qua paulò antè plura dixerat. Verè quippe beata illa vita gaudiũ nuncupatur: ita enim ait Christus [g]: *Serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Beata siquidem Dei contemplatio eùm amandũ, possidendúmq; obijciat volũtati summũ bonũ, incredibilẽ in ea excitat voluptatem, & oblectationem, quam Theologi fruitionem appellant, qua voluntas penitus expleta placidissimè tanquam in extremo conquiescit.

e Mat. 19.17.
f Mat. 25 34.
g Mat. 25 21.

XIII. Eadem verò beata vita tametsi merces est, ac præmium laborũ, iure tamen dicitur gratia, & quidem, vt Theologi loquuntur in scholis, consummata, cùm à diuina liberalitate, & gratuita munificẽtia tanquam à prima, & suprema caussa pẽdeat. Quamobrẽ Paulus [h] cùm mortem peccati stipendiũ appellasset, mox cùm subdere quodammodo deberet, bonarum actionum stipendium esse vitam æternam, maluit dicere,

h ad Rom. 6. 23.

gratia Dei vita æterna. Siquidem gratia merita largitur quibus illa vita sempiterna promerenda est. Quòd si libeat vulgatam interpretationem non de gratia consummata, sed de ea gratia explicare, quæ in hac mortali vita iustis suppeditatur, hand equidem magnopere repugnatim: Sensus enim erit, vt paulò antè dixi, spem nostram in diuinæ gratiæ præsidio locandam esse, quæ vt bonum opus incipit, ita etiam perficit, atque absoluit, vt quod ait Pau-
a 1. Cor. 1. 31. lus [a], qui gloriatur, non quidem in se suísve meritis, sed in Domino glorietur. Quocirca Da-
b Psal. 3. 4. uid [b]: *Tu es,* inquit, *gloria mea, tu es susceptor meus, Domine.*

XIV. Porrò quod ait, *quæ offertur vobis*, Græcè est, τὴν φερομένην, quasi dicat, *quæ vobis defertur*, & quidem si de beata, immortalique vita accipias, ea dicitur offerri, tum quia omnibus iustis promittitur, tum quia in gratia, quæ iustis conceditur, tanquam in semine continetur. Adde quòd voluntate, vt Theo-
c 1. ad Tim. 5. 4. logi loquuntur, antecedenti, *vult* [c] *Deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Sin autem magis placeat de huius vitæ gratia accipere, ea meritò offerri dicitur, quia ita à Deo tribuitur, vt liberum tamen sit homini eam admittere, aut etiam si libeat, repudiare. Quamobrem in Apo-
d cap. 3. 20. calypsi ait [d]: *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.* Et Patres Con-
e sess. 6. cap. 5. cilij Tridentini [e] inchoari aiunt iustificationem *à Dei per Christum Iesum præueniente gratia, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate*
f Can. 4. *possit.* Et planiùs infrà [f]: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passiuè se habere, anathema sit.*

XV. Ita enim diuina gratia efficax est, & actuosa, vt nullo modo censenda sit violenta, quippe quæ nullam afferat necessitatem, cui nequeat voluntas reluctari: habet illa quidem certum, ac minimè dubium euentum, sed posita diuina præscientia, qua Deus immortalis suæ gratiæ vim, ac potestatem, & consensionem, conuenientiámque cum libero arbitrio planè cognoscit, probéq; intelligit electos suos ei vocationi, quã iis præparat, ac prædestinat, liberè, hoc est, ita consensuros, vt possint dissẽtire, si velint. Ita fit, vt ex vi qualitatis ipsius vocationis, & gratiæ non repugnet, cum illa coniungi liberæ voluntatis dissensum, vt fortasse reipsa in alio quopiam coniungetur, cui ea vocatio non ita congruit, vt ei obtemperet, & obsequatur. Vt verò huic certo loco, & modo tribuitur, qui ita voluntati congruat, vt consensum sit præbitura in sensu cõposito, & ex hypothesi, qui hoc modo vocatur, vocationem respuere, aut ei dissentire non potest. Verissimè enim dictum est ab Augustino, eiusmodi gratiam, aut vocationem à nullo duro corde respui, cùm eius vi, ac potestate, *cordis duritia auferatur.* Verùm id humani arbitrij libertatem nullo modo lædit. In ea enim conuenientia inuoluitur liber voluntatis consensus, quo posito, necessitas ex hypothesi cum libertate non pugnat. Nam cùm quis vult, vtique liberè

A vult, dum autem vult, ex hypothesi necessariò vult, neque potest non velle.

Ob eam igitur caussam meritò dicitur offerri gratia, vt liberum seruetur arbitrium, quicquid contra hæretici disputent, quorum præcipuus quidam pseu- XVI.
domagister [a], *Monet*, inquit, *voluntatem Deus non* a Caluin. lib.
qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, vt nostra 2. instit. cap.
postea sit electionis motionis, aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiare necesse est, quem trahit, volentem trahit. Quo insinuat Dominum porrecta tantum manu expectare, an suo auxilio iuuari nobis allubescat. 3. §. 10.
Cúmque liberum arbitrium primo parenti in innocentiæ statu, vltrò concessisset, subdit, *non enim*
B *docet Apostolus offerri nobis bonæ voluntatis gratiam, si acceptemus, sed ipsum velle in nobis efficere, quod non est aliud nisi Dominum suo Spiritu cor nostrum dirigere, flectere, moderari, & in eo tanquam in possessione sua regnare.* Quæ idcirco tam copiosè recensui, vt omnes intelligant, ita illum gratiæ efficacitatem defendere; vt libertatis vsum de medio tollat. Cúmque hoc Catholicæ fidei apertissimè aduersetur, & ex illa gratiæ efficacitate necessariò sequatur, quid de illa sentiendum sit, nemo non videt. Certè Augustinus [b] *Deum,* ait, *Patrem attrahere ad Filium homines, & dimittere tamen homines, vt quisque quod voluerint, eligant.* Et alibi: *Credere, vel non credere in arbitrio esse voluntatis humanæ, sed in electis à Domino præparari voluntatem.* Denique [b], b li. de Spir.
C *Visorum* ait, *suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecùs, siue intrinsecùs, & his modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, profectò & ipsum velle credere Deus operatur in hominibus, consentire autem suasioni, aut vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* & lit. c. 34.

Quæ sanè Augustini verba non modò significant XVII.
consensum, aut dissensum vitalem esse actionem, quę à voluntate tanquam suo naturali, vitalique principio manat; sed ab ea tanquam à libera caussa profluere, quæ perpetua videtur Augustini sententia. Alibi [c] c li. de grat.
enim ait in sacris literis apertissimè expressum esse & lib. arbit.
liberum humanæ volũtatis arbitrium. *Quid illud,* in- cap. 2.
quit, *quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri iubet Deus? Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium?* Et multa deinceps in eandem sententiam. Eodem spectant illa, quæ aduersùs Pelagium, & Cele-
D stium scribit [d]: *Facit autem,* ait, *homo arborem bonam,* d de grat.
quando Dei accipit gratiam. Et id genus alia sexcenta Christ. c. 19.
apud Augustinum leguntur, quæ apertissimè docent offerri quidem à Deo gratiam, sine qua fieri nihil potest, quod ad pietatem valeat, eam tamen ab homine non modò sponte, sed prorsus liberè admitti. Itaque gratia illa ex sese efficax, quæ humanæ voluntatis actionem præcurrat, & agendi necessitatem afferat, libertatis vsu funditus sublato, hæreticum est inuentum ab omnibus Catholicis explodendum, & cum Concilio Tridentino anathemate damnandum.

Quòd si quis malit gratiæ, seu gaudij nomine bea- XVIII.
tam vitam significari, illa etiam hactenus offerri dicitur, quòd nemo ad illam capessendam aut vi, aut ne-
E cessitate compellitur. Quod Euangelica cœna, aut nuptiale conuiuium meridiana luce clarius indicant: nam plures fuerant inuitati, qui varias excusationes prætexentes liberè recusarunt.

Addit ad extremum: *In reuelatione Iesu Christi,* XIX.
Græcè, ἀποκαλύψει, quod nonnulli ita accipiunt, quasi significet diuinam gratiam, aut cœlestem beatitudinem offerri, dum Christus reuelatur, hoc est, dum Christi fides proponitur. Qua de re in Actis Apostolicis [e] Paulus, & Barnabas ita loquuntur: *Vobis oper-* e cap. 13. 46.
tebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur

ad

ad gentes. Indicant enim priùs doctrinam Euangelicam Iudæis fuiſſe propoſitam, ſed quoniam eam illi repudiarunt, promulgari cœpiſſe omnibus gentibus. Eadem autem opera & Chriſti myſteria aperiuntur, & diuina gratia, cœleſtiſque beatitudo, tanquam fidei, bonarúmque actionũ præmium proponitur. Alij verò Ieſu Chriſti reuelationem interpretantur illius extremum ad nos aduentum, cùm eius diuina gloria, atque maieſtas ſeſe cunctis mortalibus ſpectandam obiiciet, quod eo tempore omnibus perſpicuum fiet, quanta ſit cuiuſque gratia, & quod meritorum præmium. Ita Oecumenius Petrũ ait loqui de gratia, ſeu lætitia, quam paulò antè in ſecundo Domini aduentu euenturam eſſe dixit, vt videlicet ſignificet tantiſper expectandum eſſe: quandiu enim in hac mortalitate vitam traducimus, expectandum eſt: nam, vt ait Paulus [a], *vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto.* Et [b], *omnis creatura ingemiſcit, ac parturit vſque adhuc.* Mox autem addit: *Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.*

a ad Coloſ. 3.3.
b ad Rom. 8.22.

XX. Tametſi enim ſeſe nunc Chriſtus fidei beneficio prodit, & aliquo modo in lucem profert, videmus tamen nunc, vt ait Paulus [c], *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognoſcimus ex parte, tunc autem cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus.* Quamobrem rectè dicitur dies ille extremus Chriſti reuelatio, quandoquidem neminem diuina eius maieſtas, & gloria latebit, ac propterea dixit Paulus [d]; *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Meritò ergo Petrus eò ſpes noſtras dirigendas eſſe monet: nam vt ait Tertullianus [e]; *Fiducia Chriſtianorum reſurrectio eſt mortuorum.* Et Ioannes [f] Apoſtolus, *Nunc,* inquit, *filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. ſcimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Interim ſpe alendi, atque recreandi ſumus cum præſertim ſpes noſtra firmiſſimis argumentis nitatur: & planè certum, miniméque dubium euentum conſequutura ſit, ſi cum animi magnitudine, ac robore, & cum ſobrietate, vt in præſentia monet Petrus, coniungatur.

c 1. ad Cor. 13.12.
d ad Coloſ. 3.4.
e lib. de reſur. carn.
f epiſt. 1. c. 3.2.

14. *Quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis.*]

I. Hæc neceſſariò cum ſuperioribus connectenda ſunt, & ab iis pendent; cum enim dixiſſet fidelibus neceſſariam eſſe animi firmitatem, & conſtantiam, ſobrietatem, certamque ſpem vel gratiæ, vel gloriæ, quæ in extremo mundi die propalanda ſit: id ex eo confirmat, quod oporteat eos filios eſſe obſequentes, quippe qui filiorum adoptione percepta priſtinis moribus, atque impietati nuntium remiſerint. Et ſanè filiorum appellatio magnam vim habet ad obedientiam, atque obſequium erga parentes perſuadẽdum. Cæterùm quod ait interpres, *quaſi filij*; Græci codices habent, ὡς τέκνα, hoc eſt, *tanquam filij*, vt vox *quaſi*, non ſimilitudinem, ſed ipſam veritatem ſignificet, & fideles, vt veri Dei filios, ad obedientiam hortetur. Quanquam autem omnes iuſti iure adoptionis, priuato quodam nomine Deum Patrem agnoſcunt, qui tamen in lege Euangelica Chriſti gratia, & caritate præditi ſunt, dicuntur à Paulo [g] accepiſſe *Spiritum non ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſſe Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamant Abba pater.* Atque ita Chriſtus [h] cùm precandi formam, legémque præſcriberet; *Sic ergo,* ait, *vos orabitis. Pater noſter qui es in cœlis.* Et poſt nonnulla [i]: *Reſpicite,* inquit, *volatilia cœli, quia non ſerunt, neque me-*

g Rom. 8.15.
h Matt. 6.9.
i verſ. 26.

A *tunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa.* Et alibi [a]: *Et patrem,* ait, *nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.* Denique ſexcentis locis Deum vocat fidelium, ac iuſtorum Patrem.

a cap. 23. 9

II. Recta autem ratio poſtulat, vt patri filius obtemperet: atque idcirco Petrus ait, *tanquam filij obedientiæ,* quod, vt arbitror, Hebræorum more dictum eſt, quaſi filij obedientes, & obſequentes: ſignificans, ea quæ partim dixit, partim dicturus eſt, eſſe cœleſtis Patris monita, quibus obtemperãdum ſit: nam Chriſtus ipſe ſuo nos exemplo docuit, Deo Patri omni ex parte obtemperandum eſſe [b]. *Deſcendi,* inquit, *de cœlo, non vt facerem voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Et alibi [c]: *Sicut mandatum dedit mihi* B *Pater, ſic facio.* Denique morti proximus [d]: *Pater mi,* inquit, *ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Vniuerſim autem mirificè in ſacris literis obedientia commendatur [e]. *Melior eſt,* inquit, *obedientia, quàm victima, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ non acquieſcere.* Quanti verò obedientia facienda ſit, Chriſtus ipſe docuit, *qui factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Et ne aduersùs obedientiam quicquam faceret, vitam profudit. Et rectè cum filiorum appellatione obedientiam coniunxit, quia hæreditas ſempiternæ vitæ non aliter debetur filiis, niſi Dei patris præceptis obtemperent. Dixit enim apud Matthæum [f] Chriſtus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua* C *mandata.*

b Ioan. 6.38.
c Ioan. 14. 31.
d Matth. 26. 40. & 42.
e 1. Reg. 12. 22.
f cap. 19. 17.

III. Non me tamen fugit ſuperioris, atque huius ſæculi hæreticos, qui nihil magis, quam diuinæ legis, diuinorumque præceptorum obſeruationem oderunt, obedientiam idem prorſus eſſe cum fide, non ſolum impiè ſed etiam ſtultè, ac imperitè affirmare. Fateor quidem pertinere aliquo pacto fidem ad obſequium, & obedientiam quæ diuinæ vocationi debetur: qua ratione Paulus cum de ſua prædicandi ratione loquitur [g]. *Arma,* inquit, *militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Vbi Græcè dixit, ὑπακοὴν, quæ vox obedientiam ſignifi- D cat. obedientia autem, quæ in captiuitatem adducit mentem, atque intelligentiam, propriè fides eſt, de qua Hilarius, *Fides habet,* inquit, *obedientiæ meritum.* Et alibi idem Apoſtolus Philippenſium fidem ſacrificium, & obſequium appellat [h]: *Sed & ſi immolor,* inquit, *ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.*

g 2. ad Cor. 10.4.
h ad Philip. 2.17.

IV. Cæterùm præter hoc fidei obſequium ſexcentis locis commendatur in ſacris literis obedientia, quæ, vt Theologi docent, in voluntate ineſt, cùm fides propria ſit mentis, atque intelligentiæ: quin etiam fides, quæ virtus Theologica eſt, vnum Deum ſpectat, qui dogmata, quæ fide credenda ſunt, ſua auctoritate ſanxit. Obedientia verò moralis virtus eſt, quæ etiam hominibus iure debetur: nam & filij E parentibus, ſerui dominis, ſubiecti principibus, ac magiſtratibus, cuncti denique fideles ſuis Epiſcopis, & præcipuè ſupremo Eccleſiæ Antiſtiti, hoc eſt, Romano Pontifici, iure optimo parent, atque obtemperant. Quæ verò fide credenda ſunt, Symbolo ferè, aliiſque Eccleſiaſticis definitionibus continentur. Quæ pertinent ad obedientiam, Decalogo, aliiſque diuinis, & humanis legibus comprehenduntur. Iam verò Chriſtus Dominus, qui beata Dei contemplatione, licèt adhuc mortalis fruebatur, fidei penitus expers fuit, obedientiam tamen ſuo exemplo docuit,

factus obediens vsque ad mortem. Et beatæ illæ mentes A
quæ perspicuè Deum intuentur, cùm fide careant,
obtemperandi tamen studium retinent. Ait enim Da-
a Psal. 102. 20. uid [a]: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes vir-
tute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermo-
num eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri
eius, qui facitis voluntatem eius.* Hæc enim omnia exi-
miam quandam obtemperandi sedulitatem, ac dili-
gentiam indicant.

V. Quantopere autem fides ab obedientia differat,
b Matth. 7. 21. indicant verba Christi [b]. *Non omnis, qui dicit mihi, Do-
mine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui fecerit
voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in re-
gnum cælorum.* Certè Dominum inuocare absque
c ad Rom. 10. 14. fide non potuerunt: Verè enim dixit Paulus [c]. *Quo-
modo inuocabunt, in quem non crediderunt?* à regno ta- B
men cœlesti excluduntur, quia non fecerunt volun-
tatem Patris, *qui in cælis est*, hoc est, quia caruerunt
d cap. 1. 22. obedientia. Eodem spectant Iacobi [d] verba: *Estote*,
inquit, *factores verbi, & non auditores tantùm.* Il-
lud ad obedientiam, hoc verò ad fidem pertinet.
e ad Rom. 10. 17. ait enim Paulus [e]: *Fides ex auditu, auditus autem per
verbum Dei.* Videtint igitur Christianæ obedien-
tiæ hostes, quam bene sacras literas intelligant, &
interpretentur.

VI. *Non configurati*, ait, *prioribus ignorantiæ vestræ desi-
deriis.* Græcè μὴ συσχηματιζόμενοι: Prohibet enim Petrus,
interprete Oecumenio, conformationem, & con-
sensionem, qua quis rebus præsentibus sese addicit:
nam qui baptismo lustrati nouam vitæ rationem in-
stituerunt, nouos etiam mores induant, necesse est. C
f ad Philip. 3. 13. alios enim mores alia vita postulat. Ita Paulus [f], *Quæ
retro*, inquit, *sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora
extendens me ipsum, ad destinatum persequor ad brauium
supernæ vocationis.* Necesse quippe est pristinis mori-
bus, atque flagitiis nuntium remittere, quod subob-
g Cant. 5. 3. scurè insinuare visa est illa, quæ apud Salomonem [g]
ait, *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui
pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Christus autẽ Do-
minus, eos, quos in gratiã, atque amicitiam admitte-
bat, inter cætera monebat, ne pristina scelera itera-
h Ioan. 5. 14. rent: Nam paralyticum his verbis affatur [h], *Ecce sanus
factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contin-
i Ioan. 8. 11. gat.* Neque aliter adulteram [i]. *Vade*, ait, *& iam am-
plius noli peccare.*

VII. Quare eadem ratione monet Petrus præterita vi- D
tia esse abiicienda. Idem frequenter monet Paulus.
k cap. 4. 22. Nam ad Ephesios [k], *Deponere*, ait, *vos secundùm pristi-
nam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur
l vers. 25. secundum desideria erroris.* Et aliquantò pòst [l], *Propter
quod deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Et ad
m cap. 3. 8. Colossenses [m]; *Nunc autem deponite & vos omnia, iram,
indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem
de ore vestro; nolite mentiri inuicem, expoliantes vos vete-
n cap. 12. 1. rem hominem cum actibus suis.* Denique ad Hebræos [n];
Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum.
o cap. 21. 10. Hoc olim significauit Deus, cùm in Deuteronomio [o]
præcepit in hæc verba; *Si egressus fueris ad pugnam con-
tra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in
manu tua, captiuosque duxeris, & videris in numero capti-
uorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriśq; E
habere vxorem, introduces eam in domum tuam, quæ radet
cæsariem, & circuncidet vngues, & deponet vestem, in qua
capta est, sedensque in domo tua flebit patrem, & matrem
suam vno mense.* Hæc enim omnia indicant ei, qui
cum Deo in gratiam redeat, pristinam viuendi con-
suetudinem funditus deserendam. Rectè autem ait
Petrus, *non configurati prioribus desideriis*, indicans ne
imaginem quidem, aut vmbram præteritorum vitio-
rum retinendam esse.

VIII. Quod planiùs explicans Paulus [p], nos ait mor-
p ad Rom. 6. 2.
tuos esse peccato. Et mox [a]; consepultos esse *cum* a vers. 4.
Christo per baptismum in mortem; vt vis omnis peccati
funditus extinguenda sit. Desideria autem nominat
Petrus, vt eò magis à rebus ipsis, ac flagitiis auocet:
Nam si appetitiones in animo vigeant, cum iis luctan-
dum erit, verendumque, ne inter pugnandum plagam
aliquam quis accipiat. Qui verò cupiditates omnes
aut compressit, aut extinxit, is omni vitio facilè care-
bit. Quocirca Christus Dominus eos, qui se sequi ve-
lint, se ipsos iubet abnegare, hoc est, prauas cupidi-
tates iugulare, & quicquid rationi reluctatur mode-
rationis fræno coërcere.

Præteritum porrò tempus ignorantiam appellat IX.
Petrus. *Ignorantiæ*, inquit, *vestræ desideriis.* Græcè ἐν τῇ
ἀγνοίᾳ ὑμῶν ἐπιθυμίαις. Quasi dicat, Nolite iis cupi-
B ditatibus obtemperare, quibus olim in ignorantia
vestra seruiebatis. Ignorantiam verò vocat tempus il-
lud, quo nondum Christo nomina dederant. Et qui-
dem meritò, vt enim multa quis sciat, rerum caussas,
effecta, proprietates, affectionésque probè cognoscat,
si Deum ignorat, & Christum Dominum non agno-
scit, ignarus, ac prorsus imperitus censendus est. Verè
enim dixit Salomon [b]; *Vani sunt omnes homines in qui-* b Sap. 13. 1.
bus non subest scientia Dei. Et Paulus [c] de priscis philo- c ad Rom. 1. 21.
sophis ait, *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscura-
tum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes
stulti facti sunt.* Quamobrem Eusebius [d] fusè probat d lib. 4. & 5. præpar. Euang.
Gentiles, qui Deum ignorabant, extrema quadam
cæcitate laborasse, atque adeò belluarum more vitam
traduxisse. Et in eandem sententiam Hieronymus, *Si-
C ne notitia creatoris*, ait, *omnis homo pecus est.* Sic sæpe Pe-
trus Iudæis Christi ignorantiam tribuit, eamdemque
Gentilibus adscribit. Paulus in Areopago disserens [e]. e Act. 17. 23.
Quod ergo, ait, *ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*
Et aliquantò pòst [f]: *Et tempora quidem huius ignorantiæ* f vers. 30.
despiciens Deus, nunc annunciat hominibus. Videtur au-
tem Petrus præterita desideria ignorantiæ prætextu
extenuare: sed ea tamen interim abiicienda monet, &
nouam quandam viuendi rationem instituendam
præcepit. ait enim

15. *Sed secundùm eum, qui vocauit vos, Sanctum, & ipsi
in omni conuersatione sancti sitis.*]

Rectè omnino, ac sapienter. Vt enim ait Dauid [g], I.
D deserenda priùs mala sunt, tum honesta, & laudabi- g Psal. 36. 27.
lia aggredienda, *Declina*, inquit, *a malo & fac bonum.*
Quamobrem, vt ait Oecumenius, monet Petrus, *vt
vanitatibus repudiatis, quibus olim detinebantur simpli-
ces, ad eius similitudinem, qui eos vocauit, qui sanctus est,
sancti etiam ipsi efficiantur.* Negat itaque retinendas
esse prauas cupiditates, sed ad omnem sanctitatem
animum informandum illius exemplo, qui eos voca-
uit, cum sit non modo sanctus, sed omnis sanctita-
tis fons, & origo. Vtitur verò Petrus argumento ex
sacris literis petito: sæpè enim Deus suo exemplo ad
sanctitatem prouocat: alicubi [h] enim ait, *Ego enim* h Leuit. 11. 44.
*sum Dominus Deus vester. sancti estote, quia ego sanctus
sum.* Et mox [i], *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Alibi [k], i vers. 45.
Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, & dices ad k Leuit. 19. 2.
E *eos, Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus ve-
ster.* Rursus [l], *Sanctificamini, & estote sancti, quia ego* l Leuit. 20. 7.
sum Dominus Deus vester. Sic etiam Christus apud
Matthæum [m] dixit, *Estote ergo vos perfecti, sicut &* m cap. 5. 48.
Pater vester cælestis perfectus est. Nihil enim esse potest
vel ad honestatem pulchrius, vel ad vtilitatem com-
modius, vel ad commendationem gloriosius, quàm
sese ad Dei imitationem, quoad eius fieri possit, com-
ponere. Hoc enim, vt arbitror, significare voluit, qui
olim inter septem Græciæ sapientes Deum sequen-
dum esse præcepit.

Tametsi

II. Tametſi enim Ambroſius [a] eam ſententiam Abrahamo accommodat, qui Deo vocanti obtemperauit, cumque quaſi viæ ducem ſequutus eſt; crediderim tamen cum Clemente [b] Alexandrino Dei potiùs imitationem, & rectam morum compoſitionem indicari. *Magnum enim*, inquit, *eſt gaudium apud Patrem uno peccatore ſeruato, inquit Dominus. hac ratione magis laudandus eſt Abraham, qui ambulauit, ſicut locutus eſt ei Dominus. Cùm hinc hauſiſſet quidem ex Græcorum ſapientibus illud dictum protulit, Deum ſequere:* Id verò cum animaduerteret dæmon, planéque intelligeret, hanc Deum imitandi cupiditatem inſitam eſſe homini, hac primùm ratione parentes noſtros oppugnare cœpit. *Eritis*, inquit, *ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum.* Itaque imitationem eius ſuadet Petrus, qui eos vocauit, & eximia quadam ſanctitate præditus eſt. B Quo loco primum indicat eorum vocationem non fuiſſe humanam. Licèt enim ab Apoſtolis, vtriſque apoſtolicis Chriſtianæ fidei præcepta didicerant, intus tamen eos Deus ipſe vocauerat. Verè namque ſcripſit Paulus [c] euangelicos miniſtros, alios quidem plantare, alios verò rigare, *ſed neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Fruſtra verba funderent, niſi intus in animo occulta vi Deus ipſe ageret, cordis duritiam auferret, & voluntatem ad ſeſe pertraheret.

a lib. 1. de Abrah. c. 2.
b lib. 2. ſtromat.
c ad Cor. 3. 7.

III. Is igitur, qui fideles vocauit, dicitur Sanctus. Quæ ſit autem Dei ſanctitas, his verbis explicat Dionyſius [d], *Sanctitas quidem eſt, vt noſtra ratione dicam, & ſententia, ab omni ſcelere libera, perfectáque, ac omni ex parte incontaminata puritas. Quæ ita in Deo eminet, vt* C *meritò ſanctus ſanctorum* [e] *nuncupetur, & celeberrimo illo hymno triſagio à beatis mentibus in cælo* [f] *celebretur.* Eandemque ob cauſſam ei ſuccinit Eccleſia, *Quoniam tu ſolus ſanctus.* Hanc autem ſanctitatem imitandam, quoad eius fieri poſſit proponit Petrus, ac propterea prauas omnes, atque impuras cupiditates abiiciendas monet.

d de Diuin. nomin. c. 12.
e Dan. 9. 24.
f Iſaiæ 6. 3. Apocal. 4. 8.

IV. Paulò aliter ſanctitatem explicat Baſilius [g], indicat enim poſitam eſſe ſanctitatem in corporearum cupiditatum carentia, qua proximè ad Deum accedimus. Neque aliter ſenſiſſe videtur Cyrillus [h], & ante vtrumque Origenes [i], cuius hæc ſunt verba, *Sancti ergo, ait, eſtote, dicit Dominus, quia & ego ſanctus ſum. Quid eſt, quia & ego ſanctus ſum? Sicut & ego, inquit, ſegregatus ſum, vt longè ſeparatus ab omnibus, quæ* D *adorantur, ſiue coluntur, ſiue in terra, ſiue in cælo, & ſicut ego excedo omnem creaturam, atque ab vniuerſis, quæ à me facta ſunt, ſegregor, ita & vos ſegregati eſtote ab omnibus, qui non ſunt ſancti, nec Deo dicati; ſegregari autem dicimur non locis, ſed actibus, nec regionibus, ſed conuerſationibus. Denique & ipſe ſermo in Græca lingua, quod dicitur ἅγιος quaſi extra terram eſſe ſignificat: quicumque enim ſe conſecrauerit Deo, meritò extra terram eſſe, & extra mundum videbitur.*

g lib. de Spir. ſanct. c. 9. & in Pſal. 32.
h lib. 12. in Ioan. c. 25.
i Hom. 11 in Leu. tribuitur etiã Cyrillo.

V. *Et ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis.* Non ſatis eſt à vitiis recedere; ſed conandum eſt vt ad diuinam ſanctitatem quam proximè accedamus. Qua verò id ratione fiat egregiè explicat Leo Pontifex [k], *Omnis dilectiſſimi, diuinorum eruditio præceptorum hoc* E *maximè agit apud corda credentium, vt amor prauus recto amore ſuperetur, & delectatione iuſtitiæ peccandi cupiditas deſtruatur dicente ſcriptura, Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Cùm autem ſint in animis hominum multa bona concupiſcentia, & laudabiles voluntates, quid eſt, quod iubetur, vt noſtris non conſentiamus affectibus, niſi quod ab illa concupiſcentia prohibemur, & ab illa voluntate reuocamur, cuius ortus ex nobis eſt, & ideo mala pronunciatur, quia noſtra eſſe conuincitur? Ad diſtinctionem igitur concupiſcentiarum, quæ ſunt ex Deo, bene homini dictum eſt,* A *Poſt concupiſcentias tuas ne eas, vt quas cognouerit proprias, ſciat eſſe vitandas.* Alibi [a]; *Agnoſcat*, inquit, *homo ſui generis dignitatem, factúmque ſe ad imaginem, & ſimilitudinem ſui creatoris intelligat, nec ita de miſeriis, quas per peccatum illud maximum, & commune incidit, expaueſcat, vt non ſe ad miſericordiam ſui reparatoris attollat. Ipſe enim dicit, Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, hoc eſt, me diligite, & ab iis, quæ mihi diſplicent, abſtinete. Facite, quod amo, amate, quod facio. Et cum videtur eſſe difficile, quod iubeo, ad iubentem recurrite; vt vnde datur præceptum, præſtetur auxilium. non negabo opem, qui tribui voluntatem.*

a Serm. 8. de iciun. 7. menſ.
a Serm. 9. eiuſd. ieiun.

VI. Prudenter autem dixit Petrus, non vt ſimpliciter ſancti ſint, hoc enim vnius Dei proprium eſt, ſed vt Dei ſanctitatem in omni conuerſatione imitentur. B quæ imitatio rudem quamdam, & inchoatam ſimilitudinem continet, tantum abeſt, vt ex æquo diuinam poſſit ſanctitatem exprimere. Vbi enim prauas cupiditates quis depoſuerit, facilè diuinum in ſe ſpiritum admittet, Deique imaginem, ac ſimilitudinem concipiet. Sic enim ait Paulus [b]; *Purgata à probro* (anima) *quod eam per malitiam contaminarat, & ad natiuam pulchritudinem reuerſa, ac veluti imagine regia veterem formam puritati reddens, hoc vno demum modo poteſt ad paracletum appropinquare. Ille porrò veluti ſol purum nactus oculum oſtendet tibi in ſe ipſo imaginem illius, qui videri non poteſt.* Poſt pauca, *Hic,* (paracletus) *eis, qui à tumultu cupiditatum purgati ſunt illuceſcens, per communionem, quã cum ipſo habẽt ſpirituales reddit. Et quemadmodum corpora illuſtria, perlucidaq; contacta radio ſolis* C *fiunt & ipſa ſupra modum ſplendida, & alium fulgorẽ ex ſeſe profundunt, ſic & anima ſpiritu afflata, ac ſpiritu illuſtrata fiunt & ipſa ſpirituales, & in alios gratiam emittunt.*

b de Spir. ſanc. c. 9.

VII. Sanctitas enim, quæ in Deo naturalis eſt, in natura creata extrinſeca eſt, & aduentitia, & à Deo potiſſimum auctore tribuitur. Quocirca Didymus, *Cum Deus*, inquit, *qui per euangelium euocauit ad ſalutem, ſit ſanctus, neceſſe eſt obedientibus vocationi omni conuerſatione, atque prudentia fieri ſanctos eius, præcipue dum is qui vocat, ad hæc inuitet, & tribuat ſanctitatem. Ait enim Quomodo ego ſum ſanctus ſum per ſubſtantiam ſanctus exiſtens, vos ſtudete participari ſanctitate, quos diligo, vt ſitis, ſicut & ego. Et vide diſpenſationem: ſe namque ſanctum eſſe dixit; accedentes autem ad eum fieri, vel futuros ſanctos indicat. Ita olim* D *dixit Deus* [c]. *Ego Dominus, qui ſanctifico vos.* Et apud Iſaiam [d]: *Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates veſtras propter me.*

c Leuit. 20. 8.
d cap. 43. 25.

VIII Adde, ſi placet, ſanctitatem iuſtorum ita eſſe perfectam, vt ei tamen nonnulla culpa adhæreat: iure enim ſcripſit Hieronymus [e], *tunc iuſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, & iuſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia, dicente ſcriptura, iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis. Et in alio loco, Dic tu peccata tua, vt iuſtificeris. Et iterum, Concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnibus miſereatur. Hæc igitur hominis ſumma iuſtitia eſt, quicquid poterit habere virtutis, non ſuum putare eſſe, ſed Domini, qui largitus eſt* Nec tamen propterea à ſanctitate excidunt, qui leuioribus culpis nonnunquam implicantur. Itaque E Dauid, qui aliàs ſe peccatis obnoxium agnoſcit, ſuam tamen ſanctitatem commemorat [f], *Cuſtodi*, inquit, *animam meam quoniam ſanctus ſum.* Iuſtorum autem ſanctitas non vt olim exiſtimabant Iudæi præſertim Phariſæi, poſita eſt in rebus externis, qui propterea, vt ait Chriſtus [g], omnia opera ſua faciebant, vt ab hominibus viderentur: *dilatabant enim phylacteria ſua, & magnificabãt fimbrias: amabant autẽ* (quod erat elati ſupercilij) *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabi.* Eã ob cauſſã alibi dixit [h], *Niſi abũdauerit iuſtitia veſtra*

e Dial. 1 cõtra Pelag.
f Pſal. 85. 2.
g Matth. 23. 5.
h Matth. 5. 20.

plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Mox autem multa subucit præcepta, quæ ad animum excolendum referuntur.

IX. In eo enim posita est sanctitas, & in eodem vitij turpitudo consistit, vt Christus Dominus apertè docuit, cum apud Matthæum negauit, quemquam inquinari, quòd illotis manibus cibo sese reficeret: animum verò sordescere impuris, ac nefariis cogitationibus [a]. *De corde enim*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, hæc sunt, quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Exigit autem Petrus hanc Christianam sanctitatem in omni conuersatione. Græcè ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ, vt in omni vita, omnique actione sanctitatem colendam doceat. Quemadmodum enim nemo verè temperans dici potest, qui semel, aut iterum temperanter agat, sed qui in omni vita voluptates contemnit, & prauis cupiditatibus frænum iniicit, ita nemo sanctus meritò appellabitur, qui rarò officio satisfacit, frequenter autem labitur, & offendit.

a Matth.15 19.

X. Quamobrem meritò Seneca [b] Fabricium suspicit, & admiratur, *qui Pyrrhi Regis aurum repulit, maiusque regno iudicauit regias opes posse contemnere. Idem medico Pyrrhi promittente venenum se Regi daturum, monuit Pyrrhum cauere insidias. Eiusdem animi fuit auro non vinci, veneno non vincere. Admirati sumus ingentem virum, quem non regis, non contra regem promissa flexissent, boni exempli tenacem, quod difficillimum est in bello innocentem, qui aliquod esse crederet etiam in hostes nefas, qui in summa paupertate, quã sibi decus fecerat, non aliter refugit diuitias, quam venenum.* Et profectò verissima philosophorum, theologorumque sententia censenda est, qui virtutes omnes ita inter sese nexas, & colligatas esse affirmant, vt qui vnam perfectè adeptus sit, omnes possideat. Et qui vna careat, nullam habeat. Et qui virtutes (quod verissimum est) habitus esse affirmant, illis non modo facilitatem, sed constantiam largiuntur, vt quoties opus sit, vires suas exerant, sibique consentaneas actiones edant.

b Epist.121.

XI. Eant nunc noui Euangelij, hoc est nefariæ hæresis buccinatores, & solam fidem ad salutem satis esse vociferentur, honestas, ac laudabiles actiones, non aliter ac nefaria flagitia impiè detestentur. Multò aliter nos cum Apostolorum principe Petro sentimus, qui assiduum sanctitatis studium postulat, cui proculdubio obtemperandum magis est, quam iis, qui non minus stultè, quam impiè iustum in omni honesta actione peccare, bona verò opera, vt honesta, & laudabilia videantur, nihil nisi gehennæ sempiternæ supplicia mereri, & saluti obesse potius, quam prodesse, non voce tantum proferre, sed & scriptis consignare non verentur. Quicquid autem perditi quidam veteratores affirment, hoc sine præceptũ siue consilium apostolicum non ad solos sacerdotes, aut sacris initiatos, sed ad omnes penitus fideles pertinet, quibus comparanda, studioseque retinenda est Christiana iustitia, & sanctitas, à qua olim idcirco sancti vocabantur, quòd eam & profiterentur, & summo studio, conatuque retinendam sibi colẽdamque censerent. Ita sæpe Paulus Apostolus fideles monet, vt ita sese in rebus omnibus gerant, *vt decet sanctos*, hoc est veræ sanctitatis studiosos, atque cultores. Iam verò Petrus tam salutari suæ adhortationi ex sacris literis fidem, atque auctoritatem accersit. Etenim subicit:

16. *Quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.*]

I. Hæc sanè verba, vt paulo ante indicaui, sæpius in sacris literis iterantur. Videtur certè Petrus præcipuè respexisse ad ea verba, quæ leguntur in Leuitico [c],

c cap.20.26.

A *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos a cæteris populis, vt essetis mei.* Diximus autem non ita multo ante sanctum eum appellari, qui à rebus terrenis, atque impuris segregatus est. eum igitur Deus sanctos esse iubet, segregari nos vult ab iis, quæ vitiosa sunt, atque impura, quæque nobis sunt cum bestijs communia, cum ab ipsa natura ita facti cõparatique simus, vt cœlestia bona spectãda nobis, atq; appetẽda proposita sint. Verè nãque dixit nobilis Poëta.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Et Dauid [a], *Filij hominum, ait, vsque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et Ioannes [b], *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mũdo sunt.* B *Si quis diligit mũdum, non est caritas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Ab his igitur omnibus, qui animũ auocat, & cœlestia meditatur, dicitur sanctus. Spectat enim, vt de Abrahamo scribit Paulus [c], *fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus.* hoc est cœlestia, ac diuina bona sperat, caduca, & mortalia omnia facilè contemnit.

a Psal.4.3.
b ep.1.c.2.15.
c ad Heb. 11.10.

Ita Petrus tacitè insinuat, nihil se noui præcipere, nihil quod cum veteri testamento non magnopere congruat, hoc olim Deum præcepisse, hoc ad omnes æquè pertinere. Deum porrò, cui simpliciter aliquid affirmanti, aut præcipienti assensus præbendus esset, cur id præcipiat, & tam sedulo postulet, rationem adhibuit. *Quia sanctus, inquit, sum ego Dominus.* Dominum se nominat, cui non homines modo, sed etiam C mentes illæ solutæ corporibus, & cætera omnia creata, etiam quæ sensu, vitaque carent, ad nutum obtemperant. Et in Hæbræis quidem codicibus ineffabile nomen legitur, quod à numero literarum Græcè, τετραγράμματον nuncupatur quo præter vnũ Deum nihil omnino creatum nominari potest. eo verò vtitur Deus, quoties aliquid magnũ præcipit, aut imperat, vt quoniã Rex Regum, ac Dominus dominantiũ loquitur, omnes acquiescãt, & expeditè obtemperent. Quis enim quæso Domino præcipiẽti parere recuset? at quales sunt domini mortales, quibus tamẽ, vel inuiti obsequi non rarò cogimur? Quis autem rerum omnium creatarum Domino imperanti obsequium subtrahere audeat? II.

D Addit verò (quæ est altera ratio) *quoniam ego sanctus sum.* Suam videlicet sanctitatẽ, & admirari nos, & colere, & imitari cupit. Quo nihil potest esse vel vtilius, vel magnificentius: suam enim eximiã liberalitatem, ac munificentiam indicat, qua nobis suæ sanctitatis particulã benignè impertit, modò nos tam singulare munus tanquã ingrati non recusemus. Illi autem hãc Dei liberalitatem negligunt, aut contemnunt qui ea admittunt, quæ Paulus Apostolos [d] inter fideles ne nominanda quidem censuit. *Fornicatio autem, & omnis immũditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent.* Et aliquantò pòst [e]: *Nolite communicare operibus infructuosis, magis autem redarguite.* Addit ad extremum, (quod tamen hoc loco ne attingit quidem Petrus.) E *Et separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.* quæ est tertia ratio, cur Deus sanctitatem flagitet. Ob hanc, inquit, caussam segregaui vos à cæteris gentibus, & nationibus, vt essetis mei, priuato quodam nomine filij, & diuini mei numinis cultores. III.

d ad Ephes. 5.3.
e vers.11.

Quà ob caussam iam inde ab initio nascẽtis Ecclesiæ traditione Apostolica, & Catholicorũ vsu receptũ est, vt qui baptismo initiatur, Christoque nomina dãt, nõ modò satanæ, sed etiã mũdo, & põpis, ac voluptatibus eius nũtiũ remittãt, & se veros Christi discipulos atque imitatores profiteãtur: & idcirco, vt obseruauit IV.

Gregorius

Gregorius Nazianzenus, stare iubebantur percepto baptismo ante magnum sacrarium, vt futuræ vitæ gloriam significarent. Quo etiam referebatur vestis alba, quæ indicabat eos, qui initiati essent, exuisse veterem hominem, & induisse *innocentiæ casta velamina*, vt Dionysius [a], & Ambrosius [b] loquuntur. Quò etiam pertinent ea, quæ eadem de re scribunt Arnobius [c], Theodoretus [d], & Socrates [e]. Eodémque refero, quod eleganter scribunt Lactantius & Paulinus, quorum ille ita alicubi cecinit [f].

Rex sacer ecce tui radiat pars magna trophæi
Cùm puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.

Hic verò

Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.

Meritò itaque fideles dicuntur segregati, vt sint sancti, & diuinam sanctitatem, quoad eius fieri possit, imitentur.

a De Eccles. Hierar. ca. 1. & 2.
b lib. de iis, qui myster. initiantur.
c psal. 104. in fine.
d lib. 3. hist. cap. 3.
e lib. 11. tripart. cap. 14.
f De resur. Domin. die.

17. *Et si Patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundùm vniuscuiusque opus in timore incolatus vestri tempore conuersamini.*]

I. Ad superiora argumenta hanc addit vrgentissimam rationem, vt probet, quod suprà proposuerat, sperandam esse salutem, & ad eam consequendam morum innocentiam, & sanctitatem colendam esse. *Si Patrem*, inquit, appellatis eum, quem omnium æquissimum iudicem futurum non dubitatis, qui absque vllo personarum respectu cuiusque merita seu bona, seu mala præmio, aut supplicio compensabit, æquum profectò est, vt illi vos filiorum beneuolentiam, & obsequium in hac mortali vita præstetis. Quòd si preces vestras non inanes, neque irritas esse cupitis, necesse est ei vos gratos, & caros esse, quod tum demum assequemini, si mores, vitámque vestram ad legis Euangelicæ præscriptum conformetis. Denique ne æquissimum, integerrimúmque iudicem in extremo illo mundi occasu formidetis, danda vobis opera est, ne quidquam in vobis deprehendat, quod meritò reprehendere, aut damnare queat. *Et si Patrem*, ait, *inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat*: eximiam quandam, ac singularem Dei beneuolentiam indicans, qua, cùm sit ipse omnium iudex, Patris tamen nomine in hac mortalitate à fidelibus voluit appellari.

II. Quærit autem hoc loco Didymus, cur Patrem dicat iudicaturum, cùm Christus apud Ioannem dicat [g]: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Et respondet omnino Patrem iudicare iudicante Filio, cùm sit eadem Patris, ac Filij diuinitas. Sed vereor ne non collimant: eodem enim loco [h] Christus Dominus ait, Patrem dedisse Filio iudicádi potestatem, *quia Filius hominis est*, indicans Christo Domino tanquam homini traditam esse potestatem quandam excellentiæ exercendi iudicium in omnes homines, quæ est sententia Augustini [i], Hieronymi [k], Bedæ [l], aliorúmque [m] multorum. Maximè fauet Tertullianus [n], *Iudicium*, inquit, *dedit illi facere in potestate, qua Filius hominis per carnem scilicet, sicut & Filius Dei per Spiritum eius.* Neque aliter sensisse videtur Vigilius [o] disputans aduersùs Eutychetem. Et quæ apud eundem Ioannem subiiciuntur, hanc sententiam magnopere confirmant, & illustrant. Fateor Chrysostomum [p], & Cyrillum [q] existimasse loqui Christum de suprema, ac diuina iudicandi potestate, quæ tribus diuinis personis, non aliter ac natura diuina communis est. Sed ea Christo non alia ratione tradita est in humana natura, nisi vi vnionis hypostaticæ, qua factum est, vt Christus homo idem esset, & Deus, eiusdem cum Patre, ac Spiritu sancto substantiæ, atque naturæ. Respectu igitur supremæ, atque diuinæ potestatis iudicandi tota Trinitas iudicatura est, vi tamen potestatis excellentiæ solus Christus iudicium exercebit, atque hoc pacto *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

g cap. 5. 22.
h vers. 27.
i Tract. 19. & 22. in Ioan. & l. 20. de ciuit. c. 6. & li. 1. de Trinit. cap. 13.
k Isaiæ 50.
l Ioan. 5.
m Rupert. li. 5. in Ioann. D. Tho. 3. p. q. 59 art. 2.
n li. contrà Prax. c. 21.
o li. 5. contra Eutyches.
p Hom. 38. in Ioan.
q lib. 2. in Ioan. c 144.

III. Cur autem ait Petrus nos Patrem eum inuocare, qui sine acceptione personarum iudicat? An Christum Patrem vocari existimat? Certè id neque nouum, neque absurdum videri debet. Nam Christus non semel discipulos suos filiolos nominat. Apud Marcum [a]. *Filioli*, inquit, *quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire.* Et apud Ioannem [b]: *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Et Paulus [c] de Christo explicat illa Isaiæ [d] verba: *Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Deus.* Et profectò ad Christum pertinent illa omnia nomina, quæ ab Isaia [e] recensentur. *Paruulus*, ait, *natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis*: hactenus enim futuri sæculi Pater nuncupatur, quia reuera est, & dicitur fidelium Pater.

a cap. 10. 24.
b cap. 13. 33.
c ad Hebr. 2. 13.
d cap. 8. 18.
e cap. 9. 6.

IV. At potiùs frater nuster dicendus est: Siquidem apud Matthæum [f] pauperes omnes indigentes, & calamitosos fratres nominat. *quandiu*, ait, *fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et alibi [g] Apostolos fratres vocat: *Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam.* Sic apud Ioannem [h]: *Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Vado ad Patrem meum, &c.* Et Paulus [i]: *Non confunditur*, inquit, *fratres eos vocare dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Quæ sunt verba à Dauide [k] sumpta, neque omnino malè fratris nomen Christo tribuitur, qui eundem nobiscum Patrem agnoscit [l]. *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Sed qui ratione humanæ naturæ frater noster appellatur, diuinitatis respectu Pater censendus est. Quin etiam vt homo erat, nostræ mortalitatis particeps nos fratres adoptiuos agnoscit; quia tamen nos denuò genuit, & gratiæ, iustitiæque vitam largitus est, doloris sui filios eosdémque dexteræ filios appellare potest, doloris quidem, quia in cruce moriens nobis vitam, & salutem attulit; dexteræ verò, quòd, vt speramus, ad dexteram suam vnà cum ouibus sit in extremo iudicio collocaturus. Nam si Paulus, quos docendo, prædicandóque ad Christum adduxerat, eos se genuisse gloriatur [m], quis neget Christum verè genuisse fideles, quos & sua cœlesti doctrina imbuit, &, vt ait Iacobus [n], *voluntariè genuit verbo veritatis*, & suo sanguine tanquam cœlesti quodam, ac diuino semine ad immortalitatem procreauit?

f cap. 25. 40.
g Matth. 28. 10.
h cap. 20. 17
i ad Hebr. 2. 11.
k psal. 21. 23.
l Ioan. 20. 17
m 1. ad Cor. 4. 15. & ad Philem vers. 10.
n cap. 1. 18.

V. Rectè verò monet Gregorius Nazianzenus, quæ à rebus corporeis ducta ad animum, ac spiritum transferuntur, nonnullam quidem similitudinem retinere, re ipsa tamen ab iis plurimùm differre. Quis enim ignorat in rebus corporeis plurimùm inter famem, & sitim interesse? At cùm de animo loquimur, iustitiæ appetitio æquè fames, ac sitis appellatur. *Beati*, inquit Christus [o], *qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Et apud Ecclesiasticum [p] hunc in modum loquitur Sapientia, *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Quid enim aliud est esurire, ac sitire iustitiam, nisi eam vehementer appetere? Quid edere, aut bibere sapientiam, nisi ea incredibiliter oblectari, eam verò adhuc esurire, & sitire, quàm eius incrementum, & accessionem summis votis expetere? Nil itaque mirum,

o Matt. 5. 6.
p cap 24. 29.

tum, si eundem Christum Dominum alia, atque alia A
ratione non modò fratrem, verùm etiam Patrem
nuncupamus: Vt fratri igitur amorem, & caritatem
debemus, vt Patri, venerationem, &, vt loquitur in
præsentia Petrus, *timorem*, sed eum, quem Theologi
filialem nuncupant.

VI. Sed quanquam hæc ita disputo, longè tamen mi-
hi verosimilius videtur, loqui Petrum de Deo trino,
& vno, quem oratione Dominica fideles omnes Pa-
trem inuocant: eius enim respectu, vt alibi copio-
siùs docui, fideles omnes adoptiui filij vocantur, &
penes illum, vt paulò antè dixi, diuina, & suprema est
iudicandi potestas, qua absque personarum acce-
a Sapient. 12. 10. ptione omnia iudicat, de quo Salomon [a]: *Cui*, in-
quit, *cura est de omnibus, vt ostendas, quoniam non in-*
b vers. 18. *iustè iudicas iudicium*. Et aliquantò pòst [b]: *Tu autem* B
dominator virtutis cum tranquillitate iudicas. Et Pau-
c ad Hebr. 13. 4. lus [c]: *Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus*. Si
igitur ait Petrus, Deum, quem iudicem expectatis,
Patrem appellatis, videte ne vos tanto parente indi-
d cap. 1. 6. gnos filios exhibeatis. Ita enim apud Malachiam [d]
loquitur Deus; *Filius honorat patrē, & seruus dominum
suum, si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? Et si
Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus
exercituum*. Videtur autem alludere Petrus ad ora-
tionem Dominicam, quæ initio nascentis Ecclesiæ
instituto Apostolico frequentissimè cœpit à fideli-
bus vsurpari. Et reuerà iudicandi potestas, quæ di-
uinæ naturæ conuenit, non aliter ac diuinitas tribus
personis communis est, vt sunt omnes actiones, quæ
in rebus creatis exercentur.

VII. Tacitè porrò indicat Petrus singularem quandam
Dei erga nos beneuolentiam, & caritatem, qui cùm
sit Dominus, ac Iudex, voluit tamen Patris nomine
inuocari. Eadémque opera insinuat tum demum
preces nostras Deo probari, si quem Patrem appella-
mus, filiorum veneratione, atque amore prosequa-
mur. Nam, vt ait Oecumenius, necesse est eos, qui
parentis opem implorant, & in filios cupiunt ado-
ptari, sese tanto parente præbere non indignos. Fu-
turi tamen iudicij meminit, ne quis diuina benigni-
tate, lenitate, ac mansuetudine abutatur. Verè enim
e Ecclesiastes 8. 11. dixit Salomon [e]: *Quia non profertur citò contra malos
sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant ma-*
f Eccles. 5. 4. *la*. Et Sapiens [f] prudenter monet: *Ne dixeris, peccaui,
& quid mihi accidit triste? Altissimus enim patiens est*
g vers. 6. *redditor*. Et paucis interiectis [g]: *Ne dicas, miseratio
Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum mi-
serebitur: misericordia enim, & ira ab illo citò proxi-
mant, & in peccatores respicit ira illius. Ne tardes con-
uerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò
enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*.
Hæc inquam omnia, atque id genus alia non pauca
insinuat Petrus, cùm ait: *Qui sine acceptione persona-
rum iudicat, secundum vniuscuiusque opus*.

VIII Excludit autem personarum respectum. Hebræi
h cap. 8. 33. enim, vt testatur Ioannes [h], gloriabantur se Abrahæ
i vers. 39. semen esse, itémque [i] Abrahamum patrem suum
esse. Docet itaque Petrus hanc esse inanem iactan- E
tiam, quandoquidem hic ipse in Actis Apostolicis
k cap. 10. 34. magna asseueratione dixit [k]: *In veritate comperi, quia
non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui
timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*. Et Pau-
lus fusè docet, beneficium Christi ad omnes omni-
l cap. 9. 6. no gentes pertinere, & ad Romanos [l] ait: *Non enim
omnes, qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ, neque qui se-
men sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi
semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij
sunt promissionis, æstimantur in semine*. Post nonnulla
m vers. 24. verò [m] filios ait esse, *quos vocauit non solùm ex Iudæis,
sed etiam ex gentibus*.

Interim etiam monet precandi studium in primis IX.
necessarium esse, quo diuinum auxilium imploratur,
tum ad euadenda pericula, quibus hæc nostra morta-
lis vita obnoxia est, tum vt facultas impetretur bene,
laudabilitérque viuendi: vt autem preces nostræ
vim habeant impetrandi, condiendæ sunt Christiana
pietate, morum innocentia, & casto Dei timore.
Nam de impiis, ac sceleratis apud Isaiam [a] ait Domi- a cap. 1. 15.
nus, *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos
meos à vobis; & cùm multiplicaueritis orationem, non
exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Con-
trà verò præcipit Paulus in hæc verba [b]: *Volo viros* b 1. ad Tim. 2. 8.
*orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & discę-
ptatione*. Siquidem Deus non tam spectat id, quod
agimus, quàm quo consilio, & mente quidque pera-
gatur. Sic olim spectasse dicitur primùm quidem ad
Abelem, tum ad eius munera, vt ex offerentis animo
de muneribus se iudicium facere indicaret. Eam igi-
tur ob caussam extremi iudicij memoriam reuocat
in præsentia Petrus, *qui sine acceptione*, inquit, *persona-
rum iudicat secundum vniuscuiusque opus*. Etenim futu-
ri iudicij recordatio eximiam quandam vim habet
ad prauas cupiditates refrænandas, vitámque purè,
& castè transigendam.

Quod suo exemplo his verbis docet Hierony- X.
mus [c]: *Ego*, inquit, *peccatorum sordibus inquinatus die-* c Epist. 5.
*bus, & noctibus operior, cum timore reddere nouissimum
quadrantem, & quod mihi dicatur, Hieronyme veni fo-
ras*. Alibi [d] verò cùm eremi solitudinem, ieiunia, la- d Epist. ad Eustoch.
crymásque suas commemorasset: *Ego*, ait, *ob gehen-*
C *næ metum tali me carcere ipse damnaueram*. Denique
Eliodorum [e] veterem amicum ad eremum inuitans, e Epist. ad Eliodor.
omnia, quæ retardare, aut impedire possent, facilè ait
superari, *si amor Dei, & gehennæ timor animum occupet*.
Hoc argumento vtebatur olim Dauid [f]: *Dixi iniquis*, f ps. 74. 5.
ait, *nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare
cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui
aduersus Deum iniquitatem*. Cur ita? Quia nusquam
patebit effugium, *quia neque ab Oriente, neque ab Occi-
dente, neque à desertis montibus, quoniam Deus iudex est*,
qui videlicet omnia suo intuitu lustrat, suáque im-
mensa vi cuncta peruadit, ac penetrat.

Duas autem indicat Petrus diuini iudicij condi- XI.
tiones, quarum prima est; *sine acceptione iudicat. Non
enim, vt ait Beda, mortales parentes imitatur, qui filiis pec-*
D *cantibus indulgentius, quàm seruis parcere consueuerunt.
Sed Deus Pater & seruos obedientes, immò & hostes ma-
num sibi dantes in filios sibi adoptat, & qui filiorum nomi-
ne videbantur honorabiliores, pro inobedientia hæreditatis
reddit exsortes*; vt summam eius iudicij æquitatem
facilè quiuis agnoscat. Altera eius iudicij conditio
his verbis continetur, *secundum vniuscuiusque opus*.
Sic etiam Dauid [g], *Quia tu reddes vnicuique secundum* g ps. 61. 13.
opera sua. Et Paulus [h]: *Qui reddet vnicuique secundum* h ad Rom. 2. 6.
opera eius. Et alibi [i]: *Omnes enim nos manifestari oportet* i 2. ad Cor. 5. 10.
*ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria cor-
poris, prout gessit siue bonum, siue malum*. Et ne cuncta
percurram, Christus ipse apud Matthæum [k]; *Filius* k cap. 16. 27
E *enim hominis*, inquit, *venturus est in gloria Patris sui
cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm ope-
ra eius*. Et in Apocalypsi [l]; *Ecce venio citò, & merces* l cap. 22. 12
mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.
Quamobrem viderint hæretici, qui solitariam fidem
supra modum extollunt; opera verò, studiosásque
actiones prorsus contemnunt, quem iudicem sint
habituri. Nam nos quidem eum iudicem expecta-
mus, qui electis suis dicturus est aliquando [m], *Venite* m Matth. 25. 34.
*benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à
constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi man-
ducare, &c*. Contrà verò reprobis [n]; *Discedite à me* n vers. 41.
maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, &
Angelis

Angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, & quæ deinceps sequuntur.

XII. Hæc porrò iudicij commemoratio meritò timorem parit. atque ita addit Petrus, *In timore incolatus vestri tempore conuersamini*. Bene autem hoc loco monet Oecumenius, non suaderi à Petro timorem illum, de quo ait Dauid, *Initium sapientiæ timor Domini*. Ille siquidem, vt ait Ioannes [a], *non est in caritate, sed perfecta caritas foris mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet; non est perfectus in caritate*. Sed alium quendam timorem indicat, qui perfectos, & sanctos semper comitatur, dum metuunt, ne in aliquo deficiant, &, vt oportet, officio non satisfaciant. Hunc timorem commendat Dauid [b]: *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum*. Et Paulus Philippenses [c] hortatur, *vt cum metu, & tremore suam salutem operentur*. Quin etiam alicubi Dauid [d] timorem Domini sanctum ait permanere in sæculum sæculi. Et Ecclesia ait etiam beatas mentes terrore concuti, *Tremunt*, inquit, *potestates*. Dominus verò [e], *Nolite*, ait, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*. Ad hunc timorē respexisse videtur Salomon, cùm dixit [f]: *Beatus est homo, qui semper est pauidus*. Et Sapiens [g]: *Facultates, & virtutes exaltant cor. Et super hæc timor Domini. Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adiutorium. Timor Domini, sicut paradisus benedictionis*. Et alibi [h]: *Timor Domini, gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis: timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*; & plura deinceps. Addit autem, *timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari*.

a 1. Canon. cap. 4. 18.
b psal. 33. 10.
c cap. 2. 12.
d psal. 18. 10.
e Matth. 10. 28.
f Prouer. 28. 14.
g Ecclesiast. 40. 26.
h cap. 1. et.

XIII. Quæ idcirco tam copiosè commemoraui, ne quis miretur, cur Petrus hoc loco timorem suadeat, & cuncti intelligant quantopere ministri Caluiniani & alios fallant, & fallantur ipsi, dum iubent, quemlibet adeò certum, ac securum esse de sua iustitia, electione ac salute, vt nihil sibi periculi à Dei iudicio, seueráque iustitia metuendum sit. Certè Dauid non semel ait [i], *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Nec de sua iustitia securus erat, cùm diceret [k], *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo*. De sua salute sollicitus erat: ait enim [l], *Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui*. Et alibi [m]: *Et à verbis tuis formidauit cor meum*. Et vt paucis cuncta complectar [n]: *Seruite*, ait, *Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Hunc autem timorem exigit Petrus, in hac nostra mortalitate: ait enim, *Incolatus vestri tempore*. Græcè, παροικίας ὑμῶν χρόνον, est autem παροικία multorum incolarum vicinia, ita factum est, vt parœcia, apud fideles cœtus sit eorum, qui ad vnam eamdémque Ecclesiam pertinent.

i psal. 37. 1.
k psal. 18. 13.
l psal. 118. 120.
m vers. 161.
n psal. 2. 11.

XIV. Quanquam in iure canonico & apud Ecclesiasticos historicos parochia, seu parœcia idem videtur esse cum diœcesi, vt vulgus loquitur, cùm alioqui diœcesis plures Episcopatus complectatur, respondeátque Primatibus, Patriarchis, vel Archiepiscopis, quod ante nos viri [o] docti obseruarunt. Videtur autem hoc loco Petrus παροικίας ὑμῶν χρόνον posuisse pro tempore peregrinationis, vt significet, quod apertè dixit Paulus [p], dum sumus in corpore nos à Domino peregrinari. Quod plurimùm valet ad id persuadendum, quod paulò antè dixerat, spem nostram ad salutem futuram erigendam esse. Sic olim Iacob à Pharaone Ægypti Rege interrogatus, quot essent dies annorum vitæ suæ, respondit [q], *Dies peregrina-* A *tionis meæ centum triginta annorum sunt*. Et Dauid se inquilinum agnoscit [a], *Incola*, inquit, *ego sum in terra*. Et alibi [b]: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea*. Quocirca verè dixit gloriosissimus Martyr Cyprianus [*], *Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas iam habere cœpimus. quid non properamus, & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita*. Et Paulus [c]: *Non enim*, ait, *habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*, vt indicet vitam hanc nostram perpetuò fluere, & fluminis instar labi, & ad mortem B properare. *Quotidie*, inquit Hieronymus [d], *morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. quot puncta notarij, tot meorum damna sunt temporum*.

o Iacob. Cuiac. ad tit. de cleric. non resider. cap. 1.
p 2. ad Cor. 5. 6.
q Gen. 47. 9.
a psal. 118. 19.
b psal. 119. 5.
* Serm. de mortal.
c ad Hebr. 13. 14.
d Epist. ad Eliodor.

XV. Neque aliter sensit Gregorius, qui hanc nostram vitam mortem potiùs, & quidem perpetuam appellandam censuit, quod ab ipso ortu incredibili quadam celeritate ad obitum properet. Videtur autem ad hunc Petri locum respexisse Clemens Alexandrinus, cùm alicubi scripsit [e], *Scientes ergo suum cuiusque officium in timore conuersemini tempore vestri incolatus*. Neque verò latuit philosophos hæc misera mortalis vitæ conditio. Ita enim quodam loco scripsit Seneca [f], *Omnia feres constanter, si cogitaueris nihil interesse C inter exiguum tempus, & longum hora sunt, quas perdimus. puta dies esse, puta menses, puta annos, perdidimus illos nempe perituros. Quid oro te refert, num perueniam ad illos? Fluit tempus, & auidissimos sui deserit, nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo, & magni est modicum fuisse? Eleganter ille Lælius Sapiens dicenti cuidam sexaginta annos habeo. Hos inquit, dices sexaginta, quos non habes*: Et alibi [g], *Meliora prætereuolant, deteriora succedunt. quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, grauissimum quodque turbidissimum subsidit: sic in ætate nostra, quod est optimum primum est, id exhauriri in aliis potius patimur, vt nobis fæcem reseruemus. Inhæreat istud animo, & tanquam missum oraculo placeat*;

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
D *Prima fugit*. Plutarchus [h] autem Homeri testimonio mortalium vitam arborum foliis comparat. *Foliorum*, ait, *alia quidem ventus decutit, alia pullulans fert sylua: verno autem nascuntur tempore; sic virorum genus, hoc quidem nascitur, hoc verò desinit*.

e lib. 3. pædag. cap. 2.
f lib. 6. nat. quæst. c. 32.
g Epist. 109.
h In orat. consolat.

XVI. Porrò timor, qui hunc decet incolatum, tametsi oritur ex iudicij diuini seueritate, non tamen supplicij grauitatem, sed sceleris, ac vitij turpitudinem spectare debet, vt metus supplicij, vitij nobis, ac sceleris fœditatem indicet, ipsa tamen magis quàm supplicium abominanda est, quippe illa nos infra homines abiicit, à Deo auocat cœlesti gratia, & caritate spoliat, & monstro similes reddit. quod facetè quondam in Stoicorum gymnasio indicare visus est Diogenes [i] Cynicus: cùm enim retrorsum incederet ridentibus nonnullis, E *Non vos*, inquit, *pudet viuendi iter facere retrogradum, mihi verò deambulando tantum id facienti vitio dare?* Et sapienter Seneca [k] Epicuri testimonio, *natura nos*, ait, *à scelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor est; multos fortuna liberat pœna: metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auersio est, quam natura damnauit. Ideo nunquam fides latendi fit, etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit. proprium autem est nocentium trepidare. Illud autem præclarè dictum sempiternæ memoriæ consignandum est, tolerabiliorem esse eum, qui*

i Apud Stobæum Serm. 2. de impru.
k ep. 98.

mors

mori subeat, quàm qui malè viuere.

XVII. Et in eandem sententiam verè, ac piè dixit alicubi Chrysostomus; nihil æquè metuendum esse ac peccatum. & Sapiens [a], *Quasi à facie colubri fuge*, inquit, *peccata, & si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis dentes eius interficientes animas hominum. quasi romphea bis acuta omnis iniquitas. plaga illius non est sanitas.* Illud igitur formidandum est, & sceleris materia penitus amputanda. Qua de re prudenter scripsit Seneca [b]; *Conscij nobis imbecillitatis nostræ quiescamus, nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec adulationi, nec vllis rebus blandè trahentibus.* Et confestim. *Quantum possumus à lubrico recedamus: in sicco quoque parum fortiter stamus.* Et alibi [c] malorum contubernia, & familiaritates vitandas monet; *Incendunt*, ait, *libidines tuas adulterorum sodalitia; si velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Auarus, corruptor, sæuus, fraudulentus multum nocituri, si prope te sint, intra te sunt.* Hic est ille castus, ac filialis timor, quem sacræ literæ tantopere commendant, de quo Sapiens [d]; *si non in timore*, inquit, *Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.* quamobrem rectè Petrus hunc timorem exigit, quod etiam facit non semel Paulus Apostolus. Nam ad Romanos scribit [e], *tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Et ad Corinthios [f]; *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Denique Salomon [g], *Beatus*, inquit, *est homo, qui semper est pauidus*; metuens videlicet, ne alicubi offendat. Quod de se ipso innocentissimus Iob affirmabat [h], *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.*

a Eccles. 21. 2.
b Epist. 117.
c Epist. 105.
d Eccles. 27. 4.
e cap. 11. 20.
f Epi. 1. cap. 10. 12.
g Prou. 28. 14.
h cap. 9. 28.

18. *Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis.*]

I. Firmissimum argumentum affert Apostolus siue ad confirmandam superiorem suam adhortationem, qua monuerat pristinos mores exuendos, Deique similitudinem, quoad eius fieri possit, vitæ innocentia, & sanctitate exprimendam: siue ad id stabiliendum, quod proxime dixerat Dei timorem sedulò retinendum. Vtrumque enim magni faciendum est, cùm ad eam salutem assequendam, quam sperandam, atque expectandam monuit, sit inprimis necessarium: ea verò salus ipsi humani generis liberatori magno pretio stetit, quippe qui illã non auro, argentóve, aut vllo mortali, caducóque pretio, sed sui pretiosissimi, diuinissimique sanguinis profusione comparauit. Excludit autem prius res caducas, & mortales. *Scientes*, inquit, *quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis.* Re namque vera humani generis salus, vt Dei in nos immensa caritas appareat, diuino planè consilio vni Christo Domino debetur, vsque eò, vt nonnulli [i] visi sint affirmare nullam naturam creatam potuisse Deo pro hominum genere satisfacere. Auctor enim Commentariorum in Epistolas Pauli, qui Ambrosij nomine circumferuntur [k]: *Tantam*, ait, *fuisse peccati grauitatem; vt saluari non possemus sine morte Christi.* Idem planiùs affirmare videtur Leo Pontifex [l]. Nam alicubi ait, *opus fuit dilectissimi secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam pietatis suæ dispositionem Sacramento occultiore* (hoc est incarnatione Christi) *compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam contra Dei propositum non periret.*

i Alexand. Alen. 3. p. q. 8. m. 6. a. 1. & 2. & m. 7. Bonauent. in 3. d. 20. art. 1. q. 3.
k ad Heb. 9.
l Serm. 2. de Nat. Dom. cap. 5.

II. Et planius [m]; *Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captiuæ mentes superbientes diabolo seruiebant, non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari, sed adiicienda erat veritas redemptionis mortalibus institutis, & corruptam ab initio originem, nouis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena.* Et rursus [a]; *Aliter enim ab æternæ mortis vinculis non possemus absolui, nisi in nostris fieret humilis, qui omnipotens permanebat in suis.* Denique [b]. *In totius igitur humani generis strage communi, vnum solum fuit remedium sub diuinæ rationis occulto, quod posset subuenire prostratis si aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus, atque innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset, & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, &c. Dominus Dauid factus est filius Dauid.*

m Ser. 3. c. 3.
a Ser. 7. c. 2.
b Ser. 8. c. 3.

III. Nec multo aliter sensisse videtur Gregorius [c]; *Ipse namque*; inquit, *Diabolus in illa nos parentis primi radice supplantans, sub captiuitate sua, quasi iustè tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus ei iniusta suadenti consensit. Ad vitam namque conditus in libertate propria voluntatis sponte sua factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat, quærendum erat sacrificium: sed quale sacrificium poterat pro absoluendis hominibus inueniri? Neque enim iustum fuit, vt pro rationali homine, brutorum animalium victimæ caderentur: vnde ait Apostolus* [d], *Necesse est ergo exemplaria cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quàm istis. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est, pro homine digna victima non fuerunt, requirendus erat homo, qui pro hominibus offerri debuisset, vt pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quid? quòd homo sine peccato inueniri non poterat, & oblata pro nobis hostia, quando nos à peccato mundare potuisset, si ipsa hostia peccati contagione non careret? Inquinata quippe inquinatos mundare non potuisset. Ergo vt rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus, vt verò à peccatis mundaret hominem, homo & sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commistione descenderet? Proinde venit propter nos in vterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo, sumpta est ab illo natura, non culpa, fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & iustitia mundare potuisset.* Idem prorsus indicare videntur Anselmus [e], & alij [f].

c li. 17. Mor. c. 18. alias 15.
d ad Heb. 9. 23.
e lib. 1. cur Deus homo, c. 11. 12. 13. & lib. 2. c. 19. 20.
f Ricar. Victor. lib de incarn. c. 8.

IV. Hæc autem tam copiosè à me commemorata sunt, non quòd existimem, doctissimos, & sanctissimos Patres significare voluisse incarnationis mysterium fuisse ad hominum genus liberandum prorsus necessarium: Vt enim arbitror, tantùm insinuant ad perfectam absolutámque iustitiam, quæ Deo simpliciter, atque absolutè satisfaceret, illud mysterium videri omnino necessarium. Id enim vtrumque ex sacris literis deprehenditur: quod enim ait Iob [g], *Non est, qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.* Huc trahitur à Gregorio [h], *Redemptor quippe humani generis*, ait, *mediator Dei, & hominis per carnem factus, quia iustus in hominibus solus apparuit, & tamen ad pœnam culpæ etiam sine culpa peruenit, & hominem redarguit, ne delinqueret, & Deo obstitit, ne feriret, exempla innocentiæ præbuit, pœnam malitiæ suscepit. Patiendo ergo vtrumque arguit, quia & culpam hominis per iustitiam aspirando corripuit, & iram iudicis moriendo temperauit, atque in vtrisque manum posuit, quia & exempla hominibus, quæ imitarentur, præbuit, & Deo in se opera quibus erga homines placaretur, ostendit. Nullus quippe ante hunc extitit, qui sic pro alienis erratibus intercederet, vt propria non haberet. Æternæ igitur morti tanto quis in aliis obuiare non poterat, quanto hunc reatus de propriis adstringebat. Venit itaque nouus homo ad hominem, contradictor ad culpam, amicus ad pœnam mira mõstrauit, crudelia pertulit, manum ergo suã in ambobus posuit, quia vnde reum recta docuit, inde iratum iudicem placauit.*

g cap. 9. 33.
h lib. 9. Mor. c. 31. alias 21.

Quod

V. Quod verò ait Dauid [a], *Frater non redemit, redimet homo non dabit Deo placationem suam*; hoc etiam modo explicatur à Basilio [b]; *Omni, inquit, captiuo opus est pretio ad libertatem recuperandam. Neque igitur fratrem suum alius quiuis frater redimere poterit, neque vnusquisquam se ipsum, quod redemptor tantò esse debet captiuo, & tam seruiente præstantior. Sed ne & in vniuersum quidem homo erga Deum ea præditus facultate est, vt ipsum placet pro peccatore, cùm & ipse sit peccati reus.* Et paucis interiectis: *Neque enim fratrem in redemptionem quæret, sed vnum aliquem, qui nostram exuperet naturam: non item hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare potest, quod ipse Deus placationem in eius sanguine per fidem elegerit.* Et aliquantò pòst: *Quid enim vsquam tanti est momenti, quod homo possit dare pro redemptione* B *animæ suæ? Inuentum tamen vnum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit; quamobrem pretio sumus empti.* Idem planè affirmare videntur omnes fermè Græci Patres; qui aduersùs Nestorium Christi diuinitatem probant. Irenæus [c] autem, *Si enim*, inquit, *homo non vicisset inimicum hominis, non iustè victus esset inimicus. Rursus autem, Nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam: & nisi homo coniunctus fuisset Deo nostro non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis.*

VI. Quæ omnia ad verbū profert Theodoretus [d]. Idem verò Irenæus paulò pòst [e]: *Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ, & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ, & immortalitati, nisi prius incorruptela, & immortalitas facta fuisset id, quod & nos, vt absorberetur, quod erat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale, ab immortalitate, vt filiorum adoptionem perciperemus.* Eodem spectant, quæ scribit Athanasius [f]; *Cùm videret*, inquit, *malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum esse, quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persoluere posse: nam excessus malitia transcendebat omne supplicium, &c.* Alibi verò [g] fusè ostendit, neque ab homine, neque ab Angelo neque ab vlla natura creata humanum genus redimi potuisse. Et ne cuncta percurram hæc videtur constans, & communis omnium tam Græcorum [h], quàm Latinorum Patrum [i] sententia. Quod D igitur ait Petrus, non esse nos corruptibilibus auro, vel argento redemptos, amplissimè explicandum videtur, quasi omnem penitus naturam creatam excludat. Aurum autem, & argentum nominat, quòd hæc magno in pretio sint apud homines.

VII. Redemptos autem ait *de vana conuersatione paterna traditionis*. Quæ verba ad Iudæos tantùm referunt, qui ad eos modò hanc epistolam scriptā fuisse autumant. Et profectò negari non potest magnum omninò beneficium commemorari, quod essent fideles ab inani Iudæorum superstitione erepti. Multas enim Hebræorum traditiones commemorat Epiphanius [k]. Alibi verò ait [l] paulò antè captiuitatem Babylonicam inuentas fuisse. Certè Christus Dominus apud Matthæum [m] plures Pharisæorum superstitio- E sas, atque impias traditiones reprehendit. Et alio loco [n] eos accusat, quod Dei præcepta negligerent propter suas traditiones, quæ proculdubio erant inanes, & prorsus inutiles. Non dubito tamen, quod etiam alij ante nos monuerunt, vanam etiam traditionem, appellari posse gentiliū impietatem: quidquid enim gentiles in idolorum cultu vsurparēt, cùm nefarium, & sacrilegum erat, tum etiam vanum: Vt enim alibi dixi, Hebræi idola appellare solent, vana: atque ita Paulus ad Corinthios [o] scribens ait. *Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum sit aliquid? Aut quod idolum sit*

a ps. 48. 8.
b In eum ps.
c lib. 3. c. 20
d Dial. 2.
e cap. 21.
f De Pass. & cruce Dom. non longè à princip.
g De Verbi human.
h Euseb. l. 4. demōst. c. 10 Greg. Naz. Orat. 2. de Pasch. Chrysost. Hom. 12 in Io. Cyrill. Alex. li. 1. de fid. ad Theodos. lib. 5. Thes. c. 7. li. 12. Thes. c. 15 li. de incarn vnigen. c. 11. Cyrill. Ierosol. catech. 3; Damasc. li. 3. de fide c. 23. & 19.
i Hilar. li. 9. de Trin. August. in Enchir. c. 128. l. 9. de ciuit. c. 27. & in psa. 129. Fulgēt. l. de incar. & grat. Christ. c. 4. & 7. Leo locis suprà indicatis & præterea Ser. 2. & 8. de Epipha. Ser. 8. de Quadrag. Ser. 2. 3. 5. 12. 12. 13. 14. 18 19. de pass. ep. 13. 81. 95. Ansel. duob. li. Cur Deus homo.
k Hær. 33.
l Hær. 42.
m ca. 23. per totum.
n cap. 15. 3 & 7.
o ep. 1. c. 10 19.

A *aliquid?* Indicans idolum quidpiam esse inane, ac fictum: ac propterea meritò idolorum cultus vana traditio nuncupatur. Siue igitur à Iudaismo, siue ab idolorum cultu vocati essent ad veram Christi fidem complectendam, iure dicuntur à vana conuersatione redempti.

VIII. Sed quomodo redempti? Nimirum qui idola colebant, miseram quamdam seruitutem seruiebant. Ita enim loquitur Scriptura: Nam Moyses [a]; *Delebit*, inquit, *vos Dominus, atque disperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus, ibique seruietis diis, qui hominū manu fabricati sunt, ligno, & lapidi, qui nō vidēt, nec audiūt, nec comedunt, nec odorantur.* Et Dauid [b]: *Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum & seruierunt sculptilibus eo-* B *rum: & factum est illis in scandalum. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Qui autem pretio persoluto in libertatem vindicantur, redimi dicuntur, quasi iterum empti, quod pridem in seruitutem vendiri essent. Et quidem, qui vitiosè, ac sceleratè viuunt, vendiri dicuntur, vt faciant mala. Quin etiā in Deuteronomio [c] dicitur Deus quosdam vendidisse, *Nónne ideo*, inquit, *quia Deus suus vendidit eos?* Et Dauid [d], *Vendidisti populū tuū sine pretio.* Quos enim Deus permittit voluptatibus indulgere, & omnium scelerum maculis fœdari, vendere eos sine pretio dicitur, quia quicquid impij percipiunt, in nihilū planè euanescit: ipsa enim voluptas puncto temporis effluit, nihilque post se relinquit præter pœnitentiam, ac pudorem: vt C enim scribit Seneca [e], *Voluptas tunc cùm maximè delectat, extinguitur, nec multum loci habet, itaque cito implet, & tædio est, & post primum impetum marcet, nec id vnquam certum est, cuius in motu natura est, ita non potest quidem vlla esse substantia, quod venit transitiuè, celerrimè in ipso vsu sui periturum: eo enim peruenit, vbi desinit, & dum incipit, spectat ad finem.*

IX. Paternam porrò traditionem in malam partem accipit Petrus, humanam videlicet, cuiusmodi erant illæ, quas diximus à Christo reprehendi, vt hinc nihil habeant hæretici aduersùs Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, de quibus ait Apostolus Paulus [f], *State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Vt enim alibi docui, Catholica Ecclesia non modò verbo D scripto, sed etiam tradito plurima sua dogmata confirmat. Et præcipuas quidem traditiones commemorant, B. Dionysius [g], Clemens [h] Romanus, Ignatius [i], Irenæus [k], Basilius [l], Tertullianus [m], & alij. Sunt quidem pleraque apud fideles, quæ humanarum traditionum speciem quandam referunt, quæ tanquam hominum, & quidem impiorum præcepta veræ pietatis cultoribus funditus negligenda, & contemnenda sunt. Quò spectant illa, quæ leguntur apud Ezechielem [n], *in præceptis*, ait, *Patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis; nec in idolis eorum polluamini.* quis enim ferat legem illam, quæ nimiùm quantum omnium propemodum fidelium animos occupauit: qua ita iniuriæ vlciscendæ præcipiuntur, vt eas (quod Christus Domi- E nus præcipit) æquo aut patienti animo ferre, turpe, atque indecorum censeatur?

X. Est quidem hæc paterna traditio ab antiquissimis ducta temporibus, sed tamen non solum vana, vt ait Petrus, sed prorsus nefaria, & detestanda est. Plura in eodem genere recenseri possent, sed capita tantum indicaui. ea autem omnia ad vanam, & stultam conuersationem pertinent, quam hoc loco Petrus Apostolus damnat. Quid enim refert vtrùm quis Iudaicas traditiones sequatur, quæ Christi diuinitati, maiestatique aduersantur, an iis sese præceptis legibúsque subiciat, quæ legi Euangelicæ,

a Deut. 4. 27
b psal. 105. ver. 5.
c c. 32. 30.
d ps. 43. 13.
e lib. de vita beata cap. 6. & deinceps.
f 1. ad Thessal. 2. 14.
g toto li. de eccl. hierarch. Hierarch.
h In lib. cōsti. Apost.
i In suis ep.
k lib. 3. c. 3. & 4.
l lib. de Spir. sanct. c. 29.
m li. de coro. mil.
n ca. 20. 18.

Christique doctrinæ ex aduerso repugnantè illam præcipuè perstringit in præsentia Petrus, qui nihilo profectò minùs hanc reprehensurus erat. Certè Paulus ad Romanos[a] dixit: *Nolite conformari huic sæculo.* Et aliquantò pòst[b]: *Non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim, mihi vindicta: & ego retribuam, dicit Dominus. sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius: noli vinci à malo; sed vince in bono malum.* Ab hac igitur, aliísque similibus traditionibus Christi beneficio redempti sumus, nisi sponte nostra seruitutis iugo iterum colla subdamus.

a cap. 12. 2.
b vers. 19.

19. *Sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, Christi, & incontaminati.*]

I. A pretij magnitudine, ac dignitate argumentatur Petrus. Quæ enim magno pretio comparantur, ea inprimis cara esse solent. magnitudinem igitur diuini beneficij extollit, quòd tanto illi pretio à vana conuersatione paternæ traditionis redempti essent. Quamobrem rectè Beda; *Quanto maius,* inquit, *est pretium, quo redempti estis à corruptione vitæ carnalis, tantò amplius timere debetis ne reuertendo ad corruptelam vitiorum animum vestri redemptoris offendatis.* Indicat enim hoc referri ad superiora (quod etiam insinuat Oecumenius) cùm castum, & filialem timorem præcepit. Neque aliter ad Corinthios scripsit Paulus[c]; *Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Et post nonnulla[d]; *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.*

c ep. 1. c. 6. 20
d cap. 7. 23.

II. Pretium autem ait fuisse pretiosum Christi sanguinem: Tametsi enim quælibet Christi actio, quippe à diuina eius hypostasi profecta infinita merendi vi prædita erat, atque adeò poterat diuinæ iustitiæ pro vniuerso hominum genere ex æquo satisfacere: diuinæ tamen sapientiæ placuit eiusdem sanguinis effusionem, ac mortem, tanquam legitimum redemptionis nostræ pretium admittere. Idque olim diuino Spiritu afflati vaticinati sunt Prophetæ, Deúsque immortalis pluribus figuris, ac typis non obscurè significauit. Quin etiam prisca illa cruenta sacrificia, vt alibi etiam monui, Christi sacrificium in ara crucis indicabant; quod præcipuè de sanguine vitulæ rufæ significat Paulus[e]; *Si enim sanguis hircorum, ait, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.*

e ad Heb. 9. 13.

III. Vt appareat, impiam, ac prorsus abominandam Caluinianorum blasphemiam censendam esse, qui ausi sunt affirmare mortem Christi corpoream nihil saluti nostræ profuisse, & crucifixi spectaculum nil nisi extremæ desperationis materiam exhibere; Cùm tamen apertissimè scribat Isaias[f]; *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Et mox: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Et aliquantò pòst[g]: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Rursus[h]: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Illico autem: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit.* Denique: *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Nihilominùs clara, & perspicua sunt, quæ scribit Dauid[*].

f cap. 53. 4.
g vers. 8.
h vers. 10.
* ps. 21. & 39 & 68.

IV. Sed Christus ipse apud Ioannem de morte sua, eiúsque fructu, atque vtilitate dixit[a]. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nec dubium est exaltationem illam Christi crucem, ac mortem significare; cum enim alibi dixisset[b], *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum,* subdit Euangelista, *hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.* Paulus autem de Christo hunc in modum loquitur[c], *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Et hoc loco Petrus humani generis redemptionem pretiosissimo Christi sanguini meritò tribuit.

a Ioan. 3. 14
b Ioan. 12. 32
c ad Rom. 3. 24.

V. Sanguinem autem nominat, *quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Imitatur enim duos eximios prophetas, Isaiam, & Ieremiam. Ille enim[d]; *Sicut ouis, ait, ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Hic verò[e]: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia dicentes, mittamus lignum in panem eius, eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Verisimile est autem eodem spectasse Ioannem præcursorem, qui cum Christum ad se venientem vidisset, exclamauit[f], *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Hi enim omnes respexisse videntur ad vetera sacrificia, præsertim illa quotidiana, quæ manè, & vesperi Deo offerri consueuerant. Ait autem Petrus, *Quasi agni*, quia non nisi mysticè Christus agnus dicitur, quòd antiquis agnis successerit, idque præstiterit, quod illi nequaquam efficere potuerant. Verè enim, vt ait Ioannes præcursor, peccatum mundi aboleuit.

d cap. 53. 7.
e cap. 11. 19
f Ioan. 1. 29.

VI. Quocirca Ioannes Euangelista[g], cum de Christo iam vita functo loqueretur, affirmarétque non fuisse illi crura confracta. *Facta, inquit, sunt hæc, vt Scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo,* quæ de agno Paschali dicta esse constat[h]. Dicitur autem agnus immaculatus: alludens enim ad victimas, & hostias veteris legis, quæ de illis dicuntur, ad Christum censuit Petrus esse transferenda, nisi quòd, quæ de victimis dicuntur, pertinebant ad corpus. Quod verò hic de Christo asseritur, ad animum spectat, quia vt hic idem Petrus[i] affirmat, *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* quod iisdem propemodum verbis dixerat[k] Isaias: *Eo quòd iniquitatem non fecerit; neque dolus fuerit in ore eius.* Et de eodem Christo ait Ioannes[l]: *Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.*

g cap. 19. 36
h Exod. 12. 46. & n. 9. 12
i Infra c. 2. 22.
k cap. 53. 9.
l ep. 1. c. 3. 5

VII. Et profectò Christus Dominus ab omni labe purus, atque integer fuit, qui neque originariam noxam contraxit, neque vllo vel leuissimo piaculo inquinatus est: nam illam quidem contrahere nequaquam potuit, siue quia virili semino cæterorum more mortalium, conceptus non est, siue quia in diuinam verbi hypostasim ea peccati sordes cadere neutiquam potuit. propria vero actione iam non potuit vllo piaculo fœdari, quàm est omnis, vel leuissima culpa ab immortali Deo aliena. Iure igitur optimo Petrus Christum Dominum agnum immaculatum, & incontaminatum appellat, cuius pretioso sanguine redempti sumus; cuius beneficij magnitudinem veteres Patres

mins

miris laudibus extollunt, & cunctis mortalibus grata memoria recolendam monent. Ita Ephrem [a] Syrus, & Cyrillus Alexandrinus.

a Ser. de angust. animæ & Serm. de Pass. Dom.

VIII. Quin etiam hinc colligit Ambrosius [c], debere nos Christo Domino fidelem seruitutem. *Nescis, inquit, quod redemerit te Christus, non emerit. non auro. non argento, sed pretioso sanguine agni, ergo redemptus a Domino es, seruus es. qui creatus es; seruus es, qui redemptus es. & quasi Domino seruitutem debes, & quasi redemptori.* Alibi [d] verò, vt quantùm Christo Domino fideles omnes debeant, planum faciat. *Sapientia mea, inquit, crux Domini est; redemptio mea mors Domini est: sanguine enim pretioso redempti sumus, vt Apostolus Petrus dixit; sanguine suo quasi homo, Dominus nos redemit, idémque quasi Deus peccata donauit.* Eodem procul dubio spectasse videtur Paulus, cùm ad Galatas [e] scripsit, *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et ad Corinthios [f], *Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.*

b lib. 4. in Isaiam c. 45. c li. de Isaac & vita beata cap. 3. d lib. 3. de fide, cap. 3. e cap. 3. 13. f ep. 1. c. 1. 30.

IX. Pretiosum autem sanguinem meritò appellat Apostolus, quippe qui diuinæ hypostasis respectu tantæ erat dignitatis, ac præstantiæ, vt vel minima eius guttula omnia cunctorum mortalium scelera, atque flagitia expiare, ac penitus delere posset; Diuinæ tamen sapientiæ, & caritati placuit, tam pretiosum sanguinem pro humani generis salute copiosè effundi, vt appareat, quod olim dixit Dauid [g], apud Deum copiosam esse redemptionem. Addo, quod alicubi obseruauit Bernardus [h], hinc facilè perspici posse, quàm graui, quámque periculoso morbo mortale genus laboraret, quod tam pretioso sanguine curandum fuit. *Si non essent,* ait Bernardus, *hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam talia Dei Filius pateretur.* Et, nisi ego fallor, non obscurè hoc olim significauit Ieremias, cùm Deum loquentem facit in hæc verba [i], *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum super contritione filiæ populi mei, cùm deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi.* Sic enim existimo Ieremiam diuino numine afflatum, tanto antè præcepisse animo admirabilem illam sanguinis effusionem; quam his verbis descripsit Lucas Euangelista, cùm de oratione Christi in horto verba faceret [k], *Factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram:* nam vis amoris, & diuinæ caritatis, quæ Christi cor incredibiliter inflammabat, pretiosum eius sanguinem extenuauit, poróśque dilatauit, adeò vt præ nimio angore fractis ac debilitatis viribus, sanguis pro sudore efflueret.

g ps. 129. 7. h. i Thren. 2. 21. k cap. 22. 43.

X. Ita enim diuinitùs præfinitum erat, vt quemadmodum olim ob violatum Dei præceptum in paradiso voluptatis execrationi terra obiecta fuerat, vt nihil præter spinas, ac tribulos germinaret, ita in horto Christi Domini obedientia, & eximia caritas pretiosi sanguinis effusione veterem illam execrationem expiaret, Ecclesiæque, cuius typum hortus ille præferebat, miram quandam fœcunditatem tribueret, vndè innumerabiles Martyres existerent, qui suo sanguine diuinam Christi sanguinis vim præclara testificatione illustrarent. Meritò itaque Christi sanguinem Petrus Apostolus pretiosum appellat: vt enim ait Ambrosius [l], *Bene pretiosus dicitur sanguis Christi, quia immaculati corporis sanguis est, quia sanguis est Filij Dei, qui non solùm de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit.*

l In Luc. c. 12

20. *Præcogniti quidem antè mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos.*]

I. Pertinet hæc sententia ad magnitudinem diuinæ

A in omne genus hominum caritatis exaggerandam: ostendit enim iam inde ab æternitate suscepisse Deum cogitationes *pacis, & non afflictionis.* Christique necem ad humani generis salutem destinasse. Ait igitur Christum tanquam agnum immaculatum ante mundi constitutionem fuisse præcognitum: Græcè enim scripsit Apostolus προεγνωσμένου, quod quanquam ad mẽtis notionem refertur, eam tamen scientiam indicat, quam, vt aliàs dixi, Theologi approbationis vocant: siquidem ante omnem æternitatem Christi incarnatio Deo mirificè placuit, eámque ad humani generis salutem destinauit. Vtrùm autem fuerit primum diuinæ prouidentiæ decretum, cuius respectu cuncta in lucem protulerit, quod video placere nonnullis, alibi disputaui: Vtcunque autem se B res habeat, æterna in omnes mortales Dei caritas & beneuolentia mirum in modum elucet, qui, vt est apud Prophetam [a], *in caritate perpetua dilexit nos,* & misso ad nos Christo, ad se pertraxit.

a Ierem. 31. 3.

II. Præcognitum igitur ait Christum ante mundi cõstitutionem, vt significet æternum, atque immutabile Dei decretum: sic enim ferè loqui solet Scriptura: nam Paulus ad Ephesios [b] ait, *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et Christus apud Matthæum [c], *Venite, inquit, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Denique hoc tam singulare beneficium & agnoscit, & prædicat Christus Dominus apud Ioannem [d]: *Pater,* inquit, *quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum. vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. quia dilexisti me ante* C *constitutionem mundi:* hoc enim est, quod hoc loco ait Petrus, fuisse Christum ante mundi constitutionem præcognitum. Quò fortasse spectauit Ioannes, cum in Apocalypsi scripsit [e], *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi;* quia videlicet iam tum mors Christi destinata erat: vtrùm autem prænotionem peccati futuri præuerteret, an contrà, non sine sententiarũ varietate à Theologis disputatur in scholis. Quid autem sentiendum existimem, alibi indicaui, cum de prædestinatione Christi fusius disserui. Obiter autem Petrus diuinam caritatem commendat, qui hominum generi tam multa bona vnius Christi beneficio largitus sit, & cum humani generis calamitatem ab æternitate prænosceret, ad eam subleuandam, maximéque ornan- D dam vnionem hypostaticam Verbi destinarit. Itaque meritò Iob [f] hanc diuinam prouidentiam admirans in hæc verba exclamauit; *Quid est homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* Et eodem spectans Dauid [g], *Quid retribuam,* inquit, *Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

b cap. 1. 4. c cap. 25. 34. d cap. 17. 24. e cap. 13. 8. f cap. 7. 17. g ps. 115. 12.

III. *Manifestati autem nouissimis temporibus propter vos.* quod ante æternitatem definitum erat, non nisi post multa sæcula re ipsa præstitum est. Idque *nouissimis temporibus,* hoc est extrema mundi ætate, quam scriptura horam nouissimam, & nouissima tempora appellare solet. Ostẽdit autem, vt monet Oecumenius, *non nouum, ac recens esse Christi mysterium, ad quod stultorum etiam animos turbat, sed antiquum, & antequã mun-* E *dus conderetur, licet Dei prouidentia opportuno tempori fuerit reseruatum, & antea prophetis indicatum, qui de his inquisierunt, vt paulò superius dixit. & nunc apertius manifestatum: quoniam antequam mundus conderetur cognitum Deo videlicet fuerat, nunc manifestatum est. id est perfectum, & absolutum.* Hoc porrò tẽpus appellat Paulus tẽporis plenitudinẽ [h], *Vbi venit,* inquit, *plenitudo temporis misit Deus Filiũ suum factũ ex muliere, factũ sub lege.* Alibi [i]; *Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nũc dies salutis:* interpretatur enim Isaiæ [k] verba, qui de Christo venturo hunc in modũ vaticinatur, *In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & seruaui te. &*

h ad Gal. 4. 4 i 2. ad Cor. 6. 2. k cap. 49. 8.

dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, vt diceres his, qui vincti sunt, Exite, & his, qui in tenebris, Reuelamini.

IV. Quàm fuerit autem tempus aduentus Christi opportunum, suo loco docui. Porrò Petrus Christi mysterium manifestatum ait Græcè φανερωθέντος extremis, aut nouissimis temporibus, vt significet latuisse quidem incarnationis mysterium, sed fuisse tandem aliquando patefactum: ita enim ad Romanos loquitur Paulus [a], *Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei.* Et ad Ephesios [b], *Illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo.* Et quidem aptè hoc loco Petrus Christi mysterium ante omnem æternitatem præcognitum, suo verò congruo tempore patefactum scribit, vt stolidas quorundam cogitationes, & inania quædam figmenta elidat, qui, vt Cyrillus Alexandrinus [c] monet, tam insigne mysterium recenti Dei consilio excogitatum arbitrabantur.

a cap.16.25.
b cap.3.9.
c lib. 11. in Ioan. cap. 28

V. Addit *Propter vos: Sed cur*, inquit Occumenius, *propter vos? Vt vos ipsos purificantes in obedientia veritatis per Spiritum fidem vestram, & spem in Deum habeatis.* Omnino verè. sed cùm hoc ad omnes mortales pertineat, iure quæras, cur potissimùm Petrus dixerit; *Propter vos.* An spectasse credendus est, quod sapienter in scholis Theologi docent, Christi aduentum omnibus quidem sufficientem, nonnullis verò efficaciter prodesse? vt quod ait *Propter vos*, indicet iis Christi aduentum reuera fuisse salutarem, qui, vt mox subdit, singulari quodam Dei munere Christi fidem complexi erant? Et sanè ita plerunque Christus Dominus loquutus est, vt suæ necis fructum omnibus quidem offerri, non tamen omnibus prodesse significaret: nam apud Matthæum de suo sanguine hunc in modum loquitur [d]. *Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et apud Lucam [e]; *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur.* Et in eandem sententiam apud Ioannem [f], *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

d cap.26.28
e cap.22.20
f cap.17.9.

VI. Quoniam igitur illi, ad quos scribit Apostolus, Christo nomina dederant, & Christiana sacra perceperant, aliaque non pauca diuina beneficia illorum caussa, hoc est ad eorum vtilitatem Christi mysterium patefactum fuisse scribit. Sic enim ferè Christi merita, quæ pro omnibus oblata sunt priuatim quibusdam ab Apostolis adscribi consueuerunt, tum quia Christus priuata quadam ratione pro electis, ac prædestinatis obiisse dicitur, tum quia certissimum est, fuisse quosdam eximiè prædestinatos, vt de beatissima Virgine, de Ieremia, Ioanne Baptista, Apostolis, aliisque similibus dubitare non licet: Nam de Paulo quidem Christus ipse in Actis Apostolicis [g] affirmat, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.* Ipse verò Paulus de se ipso ita ad Galatas scribit, *Cum autem placuit ei, qui me segregauit, ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui, &c* Hac autem ratione fidelium animos maximè excitat ad Dei amorem, & fidei constantiam, cùm eos dicat tam insigni beneficio diuinitùs fuisse affectos, qui in tanta hominum multitudine eximia quadã beneuolẽtia, & caritate, Christo fuerint aggregati.

g cap. 9.15.

VII. Sic olim Moses Hebræum populum ad Dei amorem, & religionem inflammabat [h], *Te*, inquit, *elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram: Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit Patribus vestris.* Neque aliter Dauid [a]: *Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Et profectò diuinorum beneficiorũ magnitudo ingẽtem quandã vim habet, aut habere certè debet ad amorem, & obsequium extorquendum: nam in re longè leuiori solius naturæ ductu dixit quidam:

h Deut.7.6.
a ps.147.19.

——— [b] Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus:
Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere, quæ vellem calamo permisit agresti.

b Virgil. Ecol.

Præclarè autem Seneca [c] etiam ob communia beneficia, quæ intra naturæ fines clauduntur, plurimùm nos Deo debere affirmat. *Temperatus animum Deo*, ait, *priuatim obligatus sum, quamuis non in meum honorem sydera descripta sint: & stulta auaritia mortalium possessionem, proprietatémque discernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est.*

c Epist. 74.

VIII. Adde, quòd hoc Dei beneficium vltrò his fidelibus concessum est prorsus indignis, atque immerentibus, & scelerum sordibus contaminatis. Verè enim dixit Paulus [d]: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* In hoc porrò pietatis studio mirificè excelluisse videtur Paulus Apostolus, qui communia Christi beneficia, quasi propria, ac sua interpretabatur [e]; *In fide*, inquit, *viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et alibi [f], *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.*

d ad Rom. 5.8.
e ad Gal. 2.20.
f 1. ad Tim. 1.15.

21. *Qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset in Deo.*]

I. Explicat cur dixerit, *Manifestati nouissimis temporibus propter vos*, propter vos inquit, *qui per ipsum fideles estis in Deo.* quasi dicat, Christi mysterium his præsertim temporibus prodiit in lucem, vt vos diuinam fidem perciperetis. Ita videas beneficium Christi, quod ad omnes mortales pertinet, priuatim his fidelibus attribui, quò spectans Beatus Augustinus alicubi scripsit [g]. *O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemque nostrum, tamquam solum cures, & sic omnes tamquam singulos.* Interim verò obiter ostendit fidem non humanis viribus comparari, sed diuinæ beneficentiæ, ac liberalitatis gratuitum esse donum; quod pluribus locis Paulus Apostolus apertissimè docet [h]: *Vobis*, inquit, *donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, verùm etiam vt pro eo patiamini.* Et alibi [i]: *Qui priùs blasphemus fui, & persequutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate: superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Iesu.*

g li.3. Conf. cap.11.
h ad Philip. 1.29.
i 1. ad Tim. 1.13.

II. Quocirca Massiliensium error apertè refellitur, qui, vt ad Augustinum scribit Prosper, existimabant Christi gratiam ita omnibus proponi, *vt quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint, ideóque omnem hominem ad credendum, & ad operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna, nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio sit parata:* Quin etiam eò quidam progressi erant, vt existimarent *per discretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei & ad obedientiam mandatorum eius, posse quemlibet suam dirigere voluntatẽ, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatẽ petendo, quærẽdo, pulsando,*

vt ideo

vt ideo acciperet, ideo inueniret, ideo introiret, quia bono natura bene vsus ad istam saluantem gratiam, initialis gratia ope meruerit peruenire, vt & qui voluerint, fiant filij Dei, & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint. Eundem porrò errorẽ planiùs explicans Hilarius ad eundem Augustinum scribens, ait: *Quod dicitur, Crede, & saluus eris: vnum horum exigi asserunt, aliud offerri, vt propter id, quod exigitur, si redditũ fuerit, id, quod offertur, deinceps tribuatur. vnde consequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est.*

III. Aduersùs autem hunc errorem scripsit Augustinus librum de prædestinatione Sanctorum, & alterum de dono perseuerantiæ: cumque ille idem aliquando [a] sensisset, id sua scripta recognoscens, hunc in modum correxit [b]. *Item disputans, inquam, quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit seruiturum esse maiorem, & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobauerit, de quibus propter hoc commemoratur quamuis longè postea prolatum propheticum testimonium [c] Iacob dilexi, Esau autem odio habui, ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem. Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam æternam vitam consequeretur. Nondum diligentiùs quæsieram, nec adhuc inueneram, qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus [d], Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.*

a de propos. quibusd. epist. ad Roman.
b lib. 1. retract. c. 23.
c Malach. 1. 2.
d ad Rom. 11. 5.

B

IV. Et aliquantò pòst: *Proinde quod continuo dixi, Dicit enim idem Apostolus [e], Idem Deus qui operatur omnia in omnibus: nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Ac deinde subiunxi, Quod ergo credimus nostrum est, quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum, profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per Spiritum fidei, & charitatis. Neque enim sola caritas, sed, sicut scriptum est [f], Caritas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo. Et quod paulo pòst dixi, nostrum est enim credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris: Verum est quidem, sed eadem regula, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis. Ac per hoc, quod etiam postea dixi, quia neque velle possumus nisi vocemur, & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat, quò vocat. Ac deinde subiunxi: Manifestum est ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse, quod bene operamur, omnino verissimum est. Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secũdùm propositũ Dei: non enim omnium, qui vocatur talis est, sed tãtùm electorum. Itaq; quod paulo post dixi: Sicut enim in his, quos elegit Deus, nõ opera, sed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operẽtur, sic in his, quos damnat, infidelitas, & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam etiam malè operentur, verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putaui quærendum esse, nec dixi.*

e 1. ad Cor. 12. 6.
C
f ad Ephes. 6. 23.
D

V. *Et alio loco: Cuius enim miseretur inquam facit eum bene operari, & quem obdurat, relinquit eum, vt malè operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti iniquitati. Quod quidem verum est, sed adhuc quærendum erat vtrùm & meritum fidei misericordia Dei præueniat, id est, vtrùm ista misericordia ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis est, an etiam facta fuerit, vt fidelis esset: legimus enim, dicente Apostolo, misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem. Non ait, quia fidelis eram: fideli ergo datur quidem, sed data est etiam, vt esset fidelis. Rectissime itaque alio loco in*

E

A *eodem libro dixi. Quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei & vocamur, vt credamus, & credentibus præstatur, vt bene operemur: non est gentibus ista inuidenda misericordia, quamuis minùs ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractauerim.*

Hæc tam copiosè ex Augustino exscribenda censui, vt vnà errorem, & confutationem paucis indicarem, cùm alibi fusiùs de re tota disseruerim. Liquet autem verissimè dictum esse à Petro, *Qui per ipsum fideles estis in Deo.* VI.

Indicat enim Deum quidem esse primarium fidei auctorem, ac largitorem; quod etiam significat Paulus, cùm ad Romanos [a] scribit, *Vnicuique sicut Deus diuisit mẽsuram fidei.* Christum verò suis meritis fidem nobis impetrasse. Itaque Christus apud Ioannem dixit [b]: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Quem locum egregiè obseruauit Augustinus [c], & addit Apostoli verba, qui ad Ephesios ait [d]: *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Neque verò propterea liberi arbitrij cõsensus excluditur. Rectè enim scripsit Augustinus [e]: *Intrare Ecclesiam quisque potest nolens, accedere potest ad altare nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens.* VII.

a cap. 12. 3.
b cap. 6. 29.
c lib. de prædest. Sanct. c. 7.
d cap. 2. 8.
e Tract. 26. in Ioan.

Et alibi [f] fieri docet homines ex nolẽtibus volẽtes; *aut si non facit, inquit, volẽtes ex nolẽtibus Deus, quid orat Ecclesia secundum præceptum Domini pro persequentibus suis? Nam sic etiam voluit intelligi S. Cyprianus, quod dicimus, fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, sicut in eis, qui iam crediderunt, & tanquam cælum sunt, ita & in eis, qui non credunt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi vt Deus in illis operetur & velle:* Et aliquantò pòst: *Cùm igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt, sed qui credunt prædicatore forinsecùs insonante, intus à Patre audiunt, atque discunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt, hoc est, illis datur, vt credant, illis non datur.* Et post nonnulla concludit. *Fides igitur & inchoata, & perfecta donum Dei est, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare.* VIII

f de prædest. Sanct. c. 8.

Denique ne longum faciam, perpetuò docet Augustinus & nos sponte, ac liberè credere, & fidem tamen singulare Dei munus esse. Vt enim scribit Ezechiel [g], Deus facit, vt nos velimus, & faciamus: *Dabo,* inquit, *vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Ita in Actis Apostolicis legimus [h] aperuisse Dominum cor Lydiæ purpurariæ, *vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* Vt enim ait Augustinus [i], *hoc donum cælestis gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui sicut Scriptura dicit in Actibus Apostolorum, Deus aperuerat sensum eius, & intendebat in ea, quæ à Paulo dicebantur: sic enim vocabatur, vt crederet.* Et paulò pòst ait, *Cùm Deus vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.* Quæ omnia cum vniuersim verissimè dicuntur tum de fide, cæterisque virtutibus, ac donis, quæ naturam superant, planè necessariò intelligenda sunt. Rectè enim scripsit Apostolus Paulus [k], *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout vult.* IX.

g cap. 36. 26.
h cap. 16. 14.
i lib. de prædest. Sanct. c. 20.
k 1. ad Cor. 12. 11.

Cæterum rectè ait Petrus, *qui per ipsum fideles estis in Deo;* vt significet Deum quidem primarium esse fidei auctorem, Christum verò eam nobis suis meritis comparasse; quod egregiè docet Augustinus [l], qui alicubi ait [m]. *Post casum autẽ hominis non nisi ad gratiam* X.

l epist. 105.
m lib. de dono perseu. c. 7.

ſuam Deus voluit pertinere, vt home accedat ad eum, neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo, quo ſortem conſequuti ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui vniuerſa operatur, ac per hoc ſicut operatur, vt accedamus, ſic operatur ne diſcedamus. Propter quod ei per prophe-
a Pſal.79.18. *tam dictum eſt* [a], *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tua, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te. Ille certè non eſt Adam primus, in quo diſceſſimus ab eo: ſed Adam nouiſſimus, ſuper quem fit manus eius, vt non diſcedamus ab eo. Chriſtus enim totius cum membris ſuis eſt propter eccleſiam, quæ eſt corpus eius, plenitudo eius.* Cui conſentit Leo Pontifex, qui bona omnia à Chriſti Domini cruce tanquam
b Serm.8.de paſſ. à perenni fonte ad nos profluxiſſe affirmat [b]. *Crux tua*, inquit, *omnium fons eſt benedictionum, omnium eſt cauſſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Et
c Serm.5.de paſſ. alibi [c]: *Chriſtiana igitur ſpei, dilectiſſimi, vera ratio, & principalis cauſſa crux Chriſti eſt, quæ licet Iudæis ſit ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, nobis tamen Dei virtus eſt, Deique ſapientia.*

XI. Itaque fides noſtra fertur quidem in Deum Patrem, Filium, ac Spiritum ſanctum, ſed eam merito Chriſti adepti ſumus, quem Deus voluit mediatorem, atque inſtauratorem eſſe totius humani generis, vt quemadmodum cuncti mortales primi parentis vino morti ſempiternæ obnoxij erant, ita beneficio Chriſti cuncti ad immortalitatem reuocentur. Quo-
d lib.de præ-deſt. ſanct. c.2. circa Auguſtinus [d] Pauli Apoſtoli fidem Chriſto acceptam referendam eſſe ſcribit. *Auerſus quippe*, ait, *à fide quam vaſtabat, eique vehementer aduerſus, repentè eſt ad illam gratia potentiore conuerſus, conuertente illo cui hoc ipſum facturo per Prophetam dictum eſt* [e],
e Pſal.84. *Tu conuertens viuificabis nos; vt non ſolum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex perſequutore perſequutionem in eius fidei, quam perſequebatur, defenſione pateretur. Donatum quippe illi erat à Chriſto non ſolum, vt crederet in eum, ſed etiam, vt pateretur pro eo.* Et aliquanto pòſt idem Apoſtoli teſtimonio con-
f cap.6. 23. firmat: ad Epheſios [f] enim ſcribit Paulus; *Pax fratribus, & caritas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu*
g cap.1.7. *Chriſto.* Et ad Romanos [g]; *Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.*

XII. *Qui ſuſcitauit eum à mortuis.* Quoniam effuſionis Chriſti ſanguinis meminerat, atque adeo eius crucem, & mortem indicauerat, eius nunc anaſtaſim, & reſurrectionem commemorat. Id enim maximè pertinet, vt alibi docui, ad fidem noſtram confirmandam, & ſpem roborandam: ait autem Chriſtum à Deo ſuſcitatum, vt primariam eius reſurrectionis cauſſam indicet. Pater enim, Filius, ac Spiritus ſanctus vnica, eademque communi actione Chriſtum ab inferis excitarunt, vt appareat mentiri Caluinianos, qui ſolum Patrem Chriſtum ſuſcitaſſe affirmant, quod ille ſeipſum ſuſcitare non potuerit: cum tamen Chriſtus ipſe non ſemel apertè docuerit, ſe ſua poteſtate, ac vi ad ſuperos rediſſe. Nam apud
h cap.2. 19. Ioannem [h], *Soluite*, ait, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Subdit autem Euangeliſta, *ille au-*
i Ioan.10 17. *tem dicebat, de templo corporis ſui.* Et alibi [i]: *Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam: nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*
k Ioan.5.21. Denique [k]. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viui-*
l verſ. 26. *ficat, ſic & Filius quos vult, viuificat.* Et paulò pòſt [l]; *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.*

XIII. Quæ ſi de diuina Chriſti perſona accipiantur, planè conſtat, vt modò dixi, Chriſtum vna cum Patre, ac Spiritu ſancto ſe ipſum ab inferis reuocaſſe, me-
A ritoque Paulus ad Corinthios [a] ſcripſit; *Nam etſi* a ep.2.c.13.
crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. Et 4.
Athanaſius [b]: *Reuixit* inquit, *per ſuam, quæ in ipſo erat,* b de Incarn.
vitam. Itemque corpus Chriſti ait reſurrexiſſe per Ver- Verbi & cor.
bum, quod in ipſo erat. Et Leo Pontifex [c], *Reſurrectio* eius aduen.
igitur Saluatoris nec animam in inferno nec carnem diu c Serm. 1.de
morata eſt in ſepulchro, & tam velox incorrupta carnis viuificatio fuit, vt maior ibi eſſet ſoporis ſimilitudo, quàm mortis. Quoniam deitas, quæ ab vtraque ſuſcepti hominis ſubſtantia non receſſit, quod poteſtate diuiſit, poteſtate coniunxit. reſur. c.2.
Illud autem à Theologis ſubtilius inueſtigari ſolet, An Chriſti humanitas, vt diuinitatis inſtrumentum vera, & phyſica actione nonnihil in ſua reſurrectione effecerit; & de integra quidem natura, vt anima, & corpore conſtat, ſtultum eſſet ambigere, cùm ea re-
B uera non eſſet, nec quicquam agere, aut efficere poſſet. De ſingulis igitur humanitatis partibus, hoc eſt, anima, & corpore dubitari vtcunque poteſt. Et quidem ſi ſpectetur præparatio, atque aptatio corporis ad excipiendam animam, haud equidem abnuerim, animam Chriſti tanquam Verbi inſtrumentum, vt vim habebat patrandi miracula, ita eadem poteſtate ſuum corpus aptaſſe, vt rurſus animo coniungeretur, & rediuiuum ad ſuperos remearet. Id enim in aliis, qui vnà ſecum ad vitam redierunt, effeciſſe creditur, vt idem in ſuo corpore præſtitiſſe dubitandum non ſit, cùm id præſertim ad Chriſti dignitatem maximè pertineat.

De corpore verò tametſi fortaſſe non ſine proba- XIV.
bilitate idē affirmari poteſt, cùm aliæ partes in alias,
C aut eædem in ſeipſas obedientiali, vt aiunt, facultate agere poſſent, nulla tamen apparet neceſſitas, cur id affirmandum videatur, cùm animæ vis, ac poteſtas id omne poſſet efficere, quod reſurrectio flagitabat. Quòd ſi vbi corpus ad excipiendam animam idoneè paratū eſt, nulla præterea extrinſeci agentis actio, vel efficacia poſtulatur, quæ animam corpori coniungat, vt viri docti exiſtimarunt, ſuperuacaneum erit præter eam, quam modò diximus, aliam inſtrumenti actionem quærere. Sin autem, quod magis placet, aptato corpori alia quapiam actione, eaque planè diuina, neceſſe eſt animam coniungi, ne hic quidem abſurdum erit aſſerere tam animam, quàm corpus inſtrumenti vim, & actionem exercuiſſe, quod fortaſſe Chriſti verba, quæ ſuprà allata ſunt, indicare vi-
D dentur. Nec abhorret Diuus Thomas, qui alicubi
ait [d], *animam, & corpus Chriſti ſeſe mutuò virtute diuina,* d 3.p.q.53.
non autem ſecundùm virtutem naturæ creatæ reſumpſiſſe, a.4.ad 3.
quanquam, vt verum fatear, non tam de inſtrumenti actione, quàm de primariæ cauſſæ efficacitate loqui creditur.

Et dedit ei gloriam, immortalitatem videlicet corpo- XV.
ris, cæteráque bona, quæ reſurgētium corpora comitantur. Quod ipſum ſignificauit Paulus, cùm ad Phi-
lippenſes ſcripſit [e]: *Humiliauit ſemetipſum factus obe-* e cap.2.8.
diens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in
E *gloria eſt Dei Patris.* Et ad Hebræos [f], *Eum autem,* f cap.2.9.
qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum.
Ac propterea Leo Pontifex [g] aſſumpti hominis exal- g Serm 2 de
tationem commendans ait, *vt in cuius paſſionibus ma-* Aſcenſ.c.4.
net deitas indiuiſibilis, idem coæternus ſit in gloria deitatis. Hanc porrò gloriam Chriſtus Dominus flagitabat, cum apud Ioannem Patrem his verbis allo-
queretur [h]. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temet-* h cap.17.5.
ipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet, apud te. Eam verò ſe iam re ipſa adeptum eſſe apud Matthæum

a Cap. vlt. 18. Matthæum teſtatur [a], cùm ait, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Quam enim ipſo ſtatim A incarnationis initio acceperat poteſtatem, reuerſus ad ſuperos perſpicuis documentis cunctis mortalibus patefecit. Quamobrem ipſa Chriſti mors, quæ externa ſpecie turpis, & ignominiæ plena videbatur, re tamen vera inſignis victoriæ, atque triumphi trophæum erat.

XVI. b Serm. 8. de paſſ. Verè enim ſcripſit Leo Pontifex [b], *Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in ſceptrum ſibi conuerteret poteſtatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur fidelibus grande myſterium: quia glorioſiſſimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentiſſimus debellator pulchra ſpecie triumphi ſui portabat trophæũ, & inuicta patientia humeris ſignum* c Serm. 9. de paſſ. *ſalutis adorãdum regnis omnibus inferebat.* Et alibi [c]: *Per-* B *acto igitur, dilectiſſimi, Saluatoris triumpho, & conſummatis diſpenſationibus, quas omnia veteris Teſtamenti eloquia nunciarunt, lugeat carnalis Iudæus, ſed ſpiritalis gaudeat Chriſtianus, & feſtiuitas, quæ illis conuerſa eſt in noctem, nobis coruſcet in lucem, quoniam crux Chriſti eadem eſt, & credentium gloria, & non credentium pœna.* Neque enim hæc Chriſti gloria ad eum tantùm pertinet, ſed eius ſingulari munificentia, ac liberalitate in omnes d Ioan. 17. 22. iuſtos redundat. ait enim Chriſtus [d]: *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut* e verſ. 10. *& nos vnum ſumus.* Et paulò antè dixerat [e]: *Et clarificatus ſum in eis.* Ad hanc autem Chriſti gloriam ſpectant omnia, quæ poſt ipſius mortem, & reſurrectionem conſequuta ſunt, ſiue quæ ad Chriſti corpus, ſiue ad nominis claritudinem, ac celebritatem, C ſiue denique ad fidei, & Chriſtianæ religionis propagationem referuntur.

XVII. *Vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo.* Rectè omnino: hic enim præcipuus eſt reſurrectionis fructus; quandoquidem illa Chriſtus Dominus ſuam diuinitatem maximè probauit, quod egregiè ſignificare viſus eſt f lib. de recta fide, ad Reginas. Cyrillus [f] Alexandrinus, dum ait, Deum Patrem voluiſſe vniuerſo mundo oſtendere Chriſtum Dominum, verum, atque æternum eſſe Deum, vt dum in illum credimus, ſperamuſque, non in aliquo homine, aut ſanctiſſimo quopiam Propheta, ſed in Deo vero fidem, ſpémque noſtram collocaſſe videamur, eundémque Chriſtum vna cum Patre, ac Spiritu ſancto non modò eſſe fidei noſtræ auctorem, ſed ſpei noſtræ ampliſſimum fructum, quò videntur Chriſti D g cap. 3. 36. Domini verba ſpectare, cùm apud Ioannem [g] dixit: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autẽ incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſu-* h ep. 1. c. 5. 10. *per eum* Neque aliter accipio quod ſcribit Ioannes [h]: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.* Certè ad Chriſti diuinitatem aſſerendam pertinent illa i Ioan. 14. 1. eiuſdem Chriſti verba [i]: *Creditis in Deum, & in me* k Tract. 67. in Ioan. *credite.* Quo loco Auguſtinus [k]: *Conſequens eſt enim,* ait, *vt ſi in Deum creditis, & in me credere debeatis, quod non eſſet conſequens, ſi Chriſtus Deus non eſſet.*

XVIII. Mirum igitur in modum Chriſti reſurrectio fi- l ep. 1. c. 15. 12. dem, & ſpem noſtram confirmat, vt ad Corinthios [l] egregiè probat Paulus; *Si autem Chriſtus,* ait, *prædica-* E *tur, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit: ſi autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.* Quamobrem in eo myſterio confirmando primùm quidem Apoſtoli, deinde viri Apoſtolici, plurimùm laborarunt, quòd intelligerent fidei firmitatem, & ſpei noſtræ conſtan- m Serm. 1. de reſur. Dom. c. 4. tiam illo potiſſimùm niti: Vt enim ſcribit B. Leo [m], *Ex hoc autem nobis factum eſt reſurrectionis in Chriſto,* A *ex quo in eo, qui pro omnibus mortuus eſt, totius ſpei noſtræ forma præceſſit. Non hæſitamus diffidentia, nec incerta expectatione ſuſpendimur, ſed accepto promiſſionis exordio, fidei oculis, quæ ſunt futura, iam cernimus, & naturæ promotione gaudentes, quod credimus, iam tenemus.*

XIX. Rectè autem, quod attinet ad verba, obſeruauit Oecumenius particulam ὥστε, quæ non cauſſam, ſed euentum ſignificat, impropriè poſitam hoc loco eſſe, cùm ſolum euentum ſignificet. propriè autem dicendum fuiſſe ἵνα, quæ vox cauſſam, & finem indicat: verè enim reſurrectio Chriſti ad fidem, ſpemque noſtram roborandam refertur. quod indicare viſus eſt Dauid, cùm in perſona Chriſti dixit [a], *Quæ vtilitas* a Pſal. 29. 10. *in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem.* Quod verò idem Oecumenius ſubdit εἶναι poſitum eſſe, pro B ἔχετε, vt ſenſus ſit, vt fidem veſtram, & ſpem habeatis in Deum purificantes animas veſtras: ſenſum quidem magis perſpicuum reddit, non videtur tamen penitus neceſſarium, cum Apoſtoli, vt alibi monui, Grammaticorum leges plerumque negligant: atque idcirco videri poſſit hoc loco Petrus poſuiſſe participium ἡγνικότες, hoc eſt, *purificantes*, ſeu *caſtificantes*, quaſi abſolutè, vt ſignificet, cùm purificaueritis, atque ab omni prorſus labe puras, caſtáſque reddideritis animas veſtras, vel cum ſequenti verbo coniungatur, vt mox planiùs oſtendam.

22. *Animas veſtras caſtificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde inuicem diligite attentiùs.*]

I. C Tantùm abeſt, vt Petrus ſolam fidem, aut inanem confidentiam probet, vt ad vtriuſque virtutis firmitatem laudabiles, atque honeſtas actiones ſedulò colendas doceat. *Animas*, inquit, *veſtras caſtificantes.* Oecumenius, qui hæc cum ſuperioribus coniungit, eo, quẽ modò dixi, ſenſu Petri verba explicat. Nec enim putat participium ἡγνικότες, aliunde pendere, quàm ex ſolo verbo εἶναι, quod poſitum eſſe dixit pro ἔχετε, ſed ſi cui abſurdum videatur, quod modò dixi, participium ἡγνικότες, abſolutè poſitum eſſe, commodè ad ſequentia referre poteſt, vt nouum præceptum contineat, hoc planè ſenſu, qui animas veſtras omni prorſus labe perpurgaſtis, diuinæque legis obediẽtia, mutuaque fraterna caritate informaſtis; ſimplici ex corde inuicem diligite attentiùs, hoc eſt, date operam, vt D veſtra fraterna caritas maiora in dies capiat incremẽta: quæ videtur ſimpliciſſima, atque expeditiſſima explanatio. Ait igitur Petrus, eos, qui baptiſmo luſtrati eſſent, caſtificaſſe animas, hoc eſt, eas ab omni ſorde perpurgaſſe: mira eſt enim vis aquæ baptiſmalis, quæ, vt ait Auguſtinus, corpus tangit, & cor abluit: omnia enim flagitia penitus abſtergit. Hanc autem animi caſtitatem tribuit Apoſtolus obedientiæ caritatis, & fraternitatis amori, indicans illos qui baptiſmo expiati erant ſponte ſua, ac liberè diuinæ ſeſe legi, præcipueque caritatis præcepto ſubieciſſe, atque adeò ſanctitatem colere, quomodo dixit Ioannes [b], *Omnis,* b ep. 1. c. 3. 3. *qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Innocentia enim baptiſmo parta diuinæ legis obſeruãtia, præcipueque fraterna caritate, quæ eſt veluti E compendium legis, & conſeruatur, & augetur.

II. Poſſis etiam animi caſtitatem perinde accipere, vt non ſolùm ſcelera, & flagitia excludat, ſed omnem etiam prauam affectionem ita penitus rationi ſubiiciat, vt effrænatæ cupiditates ab eius imperio nuſquam deflectant, quod profectò ad fraternam caritatem retinendam atque augendam neceſſarium cenſetur in primis. Et quidem hoc videtur ſpectaſſe Chriſtus, cùm apud Matthæum dixit [c]: *Beati mun-* c cap. 5. 8. *do corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Eodemque refero, quod ait Dauid [d], *Innocens manibus, & mũdo corde.* d Pſal. 23. 4.

a Psal. 50. 12.

A Et alibi [a]: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Neque enim Deus Pharisæorum diligentiam probat, qui vrceos, & calices, & id genus alia, quæ sub aspectum cadunt, superstitiosè potiùs, quàm religiosè purgabant: qui enim intimos animorum recessus perlustrat, ibi sanctimoniam, atque innocentiam requirit, externa non magni facit. Porrò quod ait interpres *castificantes*, Græcè dixit Apostolus, ἡγνικότες, quod est præteriti temporis, à Græco verbo ἁγνίζω, quo vsus est Ioannes [b], cùm ait; *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, Græcè, ἁγνίζει ἑαυτόν. Quo loco Augustinus [c] legit, *Castificat semetipsum, sicut & ipse castus est.* Nam Græcè Ioannes dixit, ἁγνίζει ἑαυτὸν, vt modò indicaui. Obseruat autem ibidem Augustinus, liberum arbitrium commendari: *Videte*, inquit, *quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceret, Castificat semetipsum. Quis nos castificat, nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat, ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas te ipsum. castificas te non de te, sed de illo, qui venit, vt habitet in te, tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum est, vt dicas, sicut in Psalmo* [d], *Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adiutor meus esto, aliquid agis: nam, si nihil agis, quomodo ille adiuuat?* Hæc autem eadem ratione his Petri verbis aptari possunt: fideles enim ait animas suas castificasse, quia videlicet diuinæ sese vocationi præbuerant obsequentes, ac propterea subdit;

b ep. 1. c. 3. 3.
c Tra. 5. in epist. Ioan.
d Psal. 26. 9.

III. *In obedientia caritatis.* quo loco Græci codices paulò aliter habent, ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας διὰ πνεύματος, hoc est, *in obedientia veritatis per Spiritum*, C quomodo legit Syriacus, vt argumento sit, vulgatum interpretem alios habuisse Græcos codices, quàm quos sequutus est Oecumenius, & qui nũc habentur in manibus. Certè obedientiæ virtus magis veritati, quàm caritati respondet: sic enim loquitur Paulus [e]: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati?* Rursus [f]: *Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?* Et ad Thessalonicenses [g], *Qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi.* Nec tamen absurdè obedientia caritati respondet. Diuina enim caritas cunctos ad se vocat, & allicit. vocationi autem obtemperãdum est. & si mauis caritatem creatam accipere, is dicitur caritati obedire, qui eius impulsum sequitur, ciusque præceptis obtemperat. Significat itaque Petrus fideles baptismo omni labe D purgatos Euãgelicam legem cõplexos esse, & diuinæ in se caritati prompto, atque hilari animo respondisse; Christiana denique caritate Deum bonorum omnium largitorem sedulò prosequi, fraternáque beneuolentia proximos complecti.

e ad Galat. 3. 1.
f ad Galat. 5. 7.
g ep. 2. c. 1. 8.

IV. Verùm ne cuncta sibi, suísque viribus arrogarent, & plus æquo libero arbitrio tribuerent, Græcè addidit Petrus, διὰ πνεύματος, hoc est, *per Spiritum*; quasi dicat, vos quidem sponte vestra, ac liberè & baptismum percepistis, & Christianam fidem amplexi estis, sed vtrumque diuini Spiritus impulsu, diuinóque eius beneficio adepti estis. nisi quis malit humanum Spiritum interpretari, vt sensus sit, non externa tantùm professione Christiana sacra, fidémque complexi estis, sed verè atque ex animo fidem concepi- E stis, & diuinis præceptis obtemperatis. Sed prius illud cùm simplicius est, ac verius, tum ad Petri mentem accommodatius. Nam & hoc modo loquitur etiam Paulus [h]: *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Atque vt id magis explicet, illico subiicit, *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Retenta autem vulgata interpretatione obedientia caritatis, ea ab Apostolo vocatur, quæ ab impulsu caritatis oritur. Verè enim scripsit Bernardus [a], *Sola est caritas, quæ obedientiam gratam facit, & acceptabilem Deo commendat.* Et alibi [b]: *Bonus quidem obedientiæ gradus est, si propter metum gehennæ quispiam obedierit, melior tamen est cùm ex Dei timore obeditur: illa quippe obedientia necessitatis est, ista caritatis. Illum autem dixerim obedientiæ gradum optimum, cùm eo animo opus iniunctum recipiunt, quo & præcipitur.*

h ad Ephes. 2. 8.

a Serm. 1. de S. Andr.
b lib. de præcep. & disp.

V. *In fraternitatis amore simplici.* Græcè, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον. *In fraternam caritatem à simulatione alienam.* Oecumenius hunc putat esse effectum puri cordis, & obedientiæ. *Quoniam*, inquit, *purificatio in obedientiam, idest, præparatio, seu exercitatio, seu meditatio multos etiam alios adiutores, & cooperatores solet conciliare, si spiritualis, & carens inuidia futura est, id autem* B *amoris fraternitatis opus est, vt bonum, quod inuentum fuerit, cuipiam alteri, & proximo participemus, idcirco subdit in amorem fraternitatis non dissimulatum.* Et aliquantò pòst: *Spirituales autem homines summo studio nisi, vt inuenta bona inter se mutuò communicent, ex iis cognoscere poteris, quæ alibi dicuntur.* Affert autem verba Pauli [c]: *Consideremus inuicem in prouocationem caritatis, & bonorum operum.* Quæ profectò sententia Apostolica auctoritate dignissima est: fraterna enim caritas adeò est Christianorum propria, vt, quod aliàs monui, eam Christus Dominus quasi tesseram ad suos discipulos cognoscendos constitueri: *In hoc*, inquit, *cognoscent homines, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

c ad Hebr. 10. 24.

VI. Ob eam caussam Ioannes tam frequenter incul- C cat, vt diligamus alterutrum. Et Leo [d] Pontifex: *Caritas*, inquit, *robur fidei, fides fortitudo est caritatis, & tunc verum nomen, ac verus est fructus ambarum cùm insolubilis vtriusque manet connexio: vbi enim non simul fuerint, simul desunt, quia inuicem sibi & iuuamen, & lumen sunt, donec desiderium credulitatis impleat remuneratio visionis, & incommutabiliter videatur, & ametur, quod nunc & sine fide non diligitur, & sine dilectione non creditur.* Tametsi enim hæc de caritate dicuntur, vt respicit Deum, verissimè tamen dictum est à Ioanne, eum, qui proximum non diligat, à Dei caritate videri alienum, & apud Matthæum [e] Christus Dominus, cùm primum, & maximum legis præceptum de diligẽdo Deo proposuisset, addidit, *Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et Paulus [f]: *Ne-* D *mini quidquam debeatis*, ait, *nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Et aliquantò pòst [g]: *Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.*

d Serm. 2. de Quadrag. c. 1.
e cap. 22. 39.
f ad Rom. 13. 8.
g vers. 10.

VII. Igitur Petrus proximi dilectionem exigit, non quidem præcisè, sed addit, Græcè, ἀνυπόκριτον, hoc est, vt ait Latinus interpres, *simplicem, atque ab omni simulatione alienam*, quod alus verbis expressit Ioannes cùm dixit [h], *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* vt videlicet si opus sit re ipsa proximis opitulemur: nam alioqui, vt idem Ioannes ait [i], *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Nec enim dubito Latinam vocem, *simplici*, coniungendam esse E cum amore fraternitatis, vt exemplaria Græca apertissimè indicant, quæ sic habent, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, vt nulla ratione coniungi possit cum corde: Græcè enim ἀνυπόκριτον est quarti casus, καρδίας autem secundi, & merito syncerum, & à simulatione alienam fraternam caritatem exigit Petrus, quæ, vt mox explicat, ex puro corde proficiscatur, addit enim;

h epist. 1. c. 3. 18.
i epist. 1. c. 3. 17.

VIII. *Ex corde inuicem diligite attentius.* Græcè, ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε ἐκτενῶς, hoc est, *ex puro corde.* ita enim interpretatur simplicem dilectionem, quam modò nominauerat. Purum autem cor illud

illud profectò intelligit, quod neque voluptatis cupiditate, neque vtilitatis reſpectu amorem mentiatur. Hæc enim ferè ſunt, quæ ſynceram caritatem inquinant, & corrumpunt. Ita dixit ille:

Tempore fœlici multi numerantur amici,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

[a lib. de tranquil. vitæ c. 7] Contrà verò ſapienter ſcripſit Seneca [a]: *Nihil æquè oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis. Quantum bonum eſt, vbi ſunt præparata pectora, in quæ tutò ſecretum omne deſcendat, quorum conſcientiam minùs, quàm tuam timeas, quorum ſermo ſollicitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, conſpectus ipſe delectet?* Hi videlicet amici ſunt, qui puro corde diligunt. [b epiſt. 9.] Nam, vt idem Seneca alibi ſcribit [b], *Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat, quemadmodum cœpit, ſic deſinet. Parauit amicum aduerſus vincula laturum opem; cum primùm crepuerit catena, diſcedet. Hæ ſunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. quæ cauſſa vtilitatis aſſumpta eſt, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. hac re florentes amicorum turba circumſedet, circa euerſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt, vbi probantur. ideo tot nefaria exempla ſunt aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Neceſſe eſt, vt initia inter ſe, & exitus congruant. qui amicus eſſe cœpit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, ſi vllum in illa placeat pretium præter ipſam.* Et paucis interiectis: *Iſta, quam tu deſcribis, negotiatio eſt, nõ amicitia, quæ ad commodum accedit, quæ, quid conſequutura ſit, ſperat.*

IX. Hoc nimirum Epicuri dogma erat, qui nihil præter propriam vtilitatem in amicitia ſpectabat. Cor verò purum, & Chriſtiana caritate prędìtum vnam Dei imaginem in proximo ſpectat, cúmque diligit tanquam aliquid Dei, tanquam diuinorum bonorum capacem, & ad cœleſtem beatitudinem capeſſendam [c ſer. 10. de Quadrag.] creatum: nam, vt ait Leo [c] Pontifex, *in ſancto amore conſortes etiamſi non eiſdem vtuntur gratiæ beneficiis, gaudent tamen inuicem bonis ſuis, & non poteſt ab eis extraneum eſſe, quod diligunt, quia incremento diteſcunt proprio, qui profectu lætantur alieno. In hac dilectiſſimi vnitate Sanctorum, vbi idem amatur, idem diligitur, idémque ſentitur, nec ſuperbis locus eſt, nec inuidis, nec auaris, & quicquid eſt illud, quo aut vanitas glòriatur, aut ira ſæuit, aut luxuria laſciuit, non in Chriſti fœdere, ſed in diaboli parte cenſetur, longéque à ſedibus pietatis excluditur.* Addit autem Petrus proximos non ſolùm ex corde, ſed etiam attentiùs diligendos, Græcè, ἐκτενῶς, quaſi dicat, impensè. [d ſer. 1. de ieiun. 10. menſ.] Vt enim Leo Pontifex ſapienter ſcripſit [d], *Dedit nobis maiores diligendi proximum cauſſas Chriſtianæ gratiæ latitudo, quæ ſe per omnes partes totius orbis extendens neminem deſpectat, dum docet neminem negligendum.* Subdit autem eam etiam ad inimicos extendi, & paulò antè; *Proximi nomine non ij tantùm*, dixit, *intelligendi ſunt, qui nobis amicitia, aut propinquitate iunguntur, ſed omnes prorſus homines, cum quibus nobis natura communis eſt, ſiue illi hoſtes ſint, ſiue ſocij, ſiue liberi, ſiue ſerui: Vnus enim nos conditor finxit, vnus nos creator animauit, eodem cuncti cœlo, & aëre, iiſdem vtimur diebus, & noctibus.*

23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.*]

I. Confirmat, quod paulo antè dixerat, perpurgandum eſſe animum ab omni labe, reuocátque in mentem baptiſmi percepti beneficium, qui nouus quidam, & ſpiritalis ortus fuit, ac propterea ait, *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili*: nam & paulo antè dixerat, *Regenerauit nos in ſpem viuam*: videtur autem alludere ad id, quod apud Ioannem ait Chriſtus [c], [c cap. 3. 5.] *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei; quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* Indicat enim duos eſſe hominis ortus, alterum corporeum, ex carne, hoc eſt, *ſemine corruptibili*, vt loquitur Petrus, alterum verò ſpiritalem ex Spiritu, hoc eſt, *ſemine incorruptibili.* Inde conſequens eſt, vt obſeruauit Baſilius [a], [a hom. de bapt.] *quemadmodum, quod ſecundùm carnem natum eſt ex aliquo, tale eſt, quale id, ex quo natum eſt, ita & nos ex Spiritu natos, Spiritum fieri: Spiritus autem*, vt idem ait, efficimur *non ſecundùm immenſam illam, & humanæ ſenſus incomprehenſibilem Spiritus ſancti gloriam, ſed ſecundùm eam, quæ in diuiſione chariſmatum Dei per Chriſtum vnicuique ad vtilitatem facta, & in illorum omnium operatione per ænigma conſpicitur.* Et in eandem ſententiam Cyrillus Alexandrinus [b], [b li. 2. in Io. cap. 43.] *Natum*, inquit, *ex Spiritu Spiritum hominis dicimus, non quia ex eo ſecundùm naturam eſt, ſed quia per ipſum ad Deum reformati, ac proprio eius charactere inſigniti ad ſuam, vt ſic dixerim, qualitatem animo transformamur.*

II. Eodémque prorſus modo Chryſoſtomus [c], [c hom. 25. in Ioan.] *Natiuitatem*, ait, *hoc loco intelligit Dominus non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm honorem, & gratiam.* Quod planiùs explicans Theophylactus ait, *Quod ex Spiritu natum eſt, ſpiritale effici: neque enim ait, Spiritus diuinus fit baptizatus, ſed cùm adoptionem filiorum in Spiritu, & gratiam, & honorem ſuſceperit, ſpiritalis eſſe meretur.* Hanc igitur ſpiritalem naſcendi rationem ait hoc loco Petrus, *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili fieri.* Et proculdubio de baptiſmo loquitur, in quo fideles quodammodo denuò naſcuntur. Dionyſius enim Areopagita [d] [d de Eccleſ. hierar. c. 3.] fontem baptiſmatis *matrem appellat filiationis*, hoc eſt, adoptionis filiorum. Et Chryſoſtomus [e], [e hom. 25. in Ioan.] *quod matrix eſt embryoni, hoc eſt fideli aqua, ſiquidem in aqua fingitur, & formatur.* Et alibi [f]: [f hom. 6. ad Coloſſ.] *Spiritu ſancto homo in baptiſmo fingitur, & componitur, quemadmodum Chriſtus in vtero Virginis*: quod eleganter explicat Leo Pontifex [g], [g ſerm. 5. de natiuit.] *Factus eſt homo noſtri generis, vt nos diuinæ naturæ poſſimus eſſe conſortes. Originem, quam ſumpſit in vtero Virginis, poſuit in fonte baptiſmatis, dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritus ſancti, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem, eadem facit, vt regeneret vnda credentem.*

III. Et reuera hæc ſpiritalis naſcendi ratio Chriſti Domini conceptui, atque ortui eſt valdè ſimilis: vt enim Chriſtus vi ſancti Spiritus in vtero Virginis conceptus eſt, ſic fideles in baptiſmo ex Spiritu ſancto renaſcuntur. Ita dixit Ioannes [h]: [h cap. 1. 12.] *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Et hoc loco Petrus: *Renati*, inquit, *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili.* Quamobrem Optatus Mileuitanus [i] [i li. 5. aduerſ. Parmen.] baptiſmum vocat natiuitatem immortalem. Chriſtus item in vtero Virginis momento temporis conceptus eſt, ſic in baptiſmo puncto temporis nouam quandam viuendi rationem adipiſcimur. Quocirca Chryſoſtomus [k], [k ho. 25. in Ioan.] *Quod in matrice formatur tempore indiget, quod in aqua minimè, ſed omnia momento perficiuntur.*

IV. *Non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili.* Eſt enim ſpiritalis quidam ortus, & innouatio, de qua Paulus [l]: [l ad Tit. 3. 5.] *Saluos*, inquit, *nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti.* Nam, vt ait Chryſoſtomus [m], [m ad Tit. 3.] *Deus prius euertit quod peſſimè ſteterat.* Et alibi [n]: [n ad Gal. 6.] *Natura noſtra, quæ ſenio peccati inueterauerat, repentè baptiſmi lauacro renouata eſt, non aliter, quàm ſi denuo eſſet condita.* Et Ambroſius [o]: [o ad cap. 23. Numer.] *Per baptiſmi operationem*, ait, *moriuntur homines culpa veteri, & iniquorum operibus, vt nouitate vitæ in conſortio iuſtorum transfigurati in eorum mores reſurgant.* Alibi [p] [p de iis qui initiant. c. 7.] verò alludens ad veſtem candidam, qua indui ſolent baptizati. *Accepiſti*, inquit, *veſtimenta candida, vt eſſet indicium, quod exueris*

innolu

A *inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ castâ vita-*
a hom. 25 in Ioan. *mina.* Denique Chrysostomus [a] alludens ad id, quod est in libro Geneseos, cum ex aquis procreata sunt
b Gen. 1. 20. reptilia. *Primum*, inquit [b], *dictum est. Producant aqua reptile animæ viuentis. ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viuentium, sed animas rationales, & spiritales aqua producit.* Addiderim ego nobiliores, præstantioresque aues ex aqua baptismi effingi, hoc est viros spiritales, qui fidei, spei, caritatis, reliquarúmque virtutum pennis elati in ipsum cœlum euolant, ibique nidos sibi construunt, quò fortasse respiciens Dauid [c]. *Etenim*, in-
c Psal. 83. 4. quit, *passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos altaria tua Domine virtutum.*

B

V. Quamobrem Optatus Mileuitanus [d]. *Est*, inquit,
d lib. 5. cõtra Parmen. *baptismus virtutum vita, criminum mors, natiuitas immortalis, cœlestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium.* Et Beda. *Sicut ex semine corruptibili caro, quæ corrumpitur, nascitur, sic per aquam verbo Dei consecratam, vita, quæ finem nesciat, tribuetur.* Et mox. *Sicut incorruptibile est pretium Dominicæ passionis, quo redempti sumus, ita & incorruptibile est Sacramentum sacri fontis, quo renascimur. Quæ ita sibi inuicem connectuntur, vt vnum sine altero salutem conferre nequeat. Ita enim nos Dominus tempore incarnationis suæ sanguine suo omnes redemit, vt nos quoque nostro tempore virtutum pro regeneratione baptismi ad consortium eiusdem regenerationis peruenire mereamur.* Excludit igitur Petrus semen corruptibile, hanc spiritalem generationem à corporea secernens, siue hominum, aliorúmve animantium, siue etiam plantarum, atque arborum, cum hæc omnia corporeo, & corruptibili semine procreentur.

C

VI. At fidelium animi spiritali, ac diuino quodam semine in nouam quandam vitam gignuntur, ac propterea subdit Petrus, *per verbum Dei viui permanentis in æternum.* Significat enim spiritale, & incorruptibile semen esse Dei verbum, siue quod apostolica prædicatione promulgatur, siue quod intus in animo absque externo vocum sonitu percipitur, siue denique quo Sacramenta perficiuntur. Hæc enim omnia diuina verba in æternum permanere dicuntur, quia ad gratiam, & gloriam referuntur, quæ suapte natura quodammodo immortalia, & sempiterna sunt.

D

VII. Et quidem prædicationis verbum fidem in animo
e ad Rom. 10. 17. parit: ait enim Paulus [e]: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Fides autem cœlestia, ac sempiterna bona spectat, & qua ratione à Deo pendet, immortalis est, & quodammodo sempiterna: vt enim idem
f ad Rom. 11. 29. Apostolus [f] ait, *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei*: nonquam enim Deus concessa nobis munera reuocat, nisi nos ea sponte abiiciamus. Nec, vt ait Augustinus, *priùs est vltor, quàm sit homo peccator. nec quenquam deserit, quin priùs ipse deseratur, & multos desertores ad se conuertit.* Quod multò magis de eo interno verbo accipiendum est, de quo ille apud Iob loqui-
g cap. 4. 12. tur [g]: *Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius.* & Chri-
h cap. 6. 45. stus apud Ioannem [h]; *Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Occultè enim loquitur Deus, suáque, vt ait Augustinus, secreta, & mirabili vocatione duritiam cordis aufert, & cor carneum, hoc est, obsequens, atque obtemperans largitur, qua ratione dicitur, dum verbi Dei præcones vel plantant, vel rigant, incrementum occultè tribuere. hoc autem si per se spectetur, alienum est ab interitu, & immortale ob eam, quam modò dixi, rationem, quia munera sua Deus, quæ liberaliter largitus est, non repetit, sed quantùm in ipso est, perpetuò tuetur, ac seruat.

E

VIII. Postremò verbum, quo Sacramenta peraguntur, diuina quadam vi corporea elementa afficit, vnáque

A cum illis in animum bene præparatum gratiam, & caritatem instillat, vt impiè omnino vociferentur Caluiniani, *Spiritum sanctum nullam vim conferre verbo Dei, aut Sacramentis*, cùm tamen apertè alia omnia doceat Paulus, qui ad Ephesios scribit [a], *Christus di-* a cap. 5. 25.
lexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Quin etiam Christus apud Ioannem id non obscurè signi-
ficauit, cùm dixit [b]: *Vos mundi estis, propter sermonem* b cap. 15. 3.
meum. Quapropter iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ miro consensu Patres omnes docuerunt, verba Sacramentalia habere vim efficiendi id, quod significant, quod præcipuè de augustissimo Eucharistiæ
B Sacramento omnis docet antiquitas, atque idcirco meritò ait Petrus, fideles renatos esse, *Ex semine incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.* Deum porrò viuum appellat, vt ab idolis Gentilium distinguat: sunt enim illa vitæ prorsus expertia, vt non semel docuit Dauid; eidem præterea Deo æternitatem adscribit, & immutabilitatem. Etenim, vt ait Da-
uid [c], *Tu autem Domine in æternum permanes.* Et ali- c Ps. 101. 13.
quantò pòst [d]: *Ipsi* (hoc est, cœlestes orbes) *peribunt,* d vers. 27.
tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es.

IX. At cur æternitatem Dei in præsentia nominat Pe-
C trus? Nimirum vt inde colligat, quod mox subiicit, eandem semper fuisse religionem, ac fidem, quæ tantùm ratione temporis mutationem acceperit. Ita
enim alicubi scribit Leo Pontifex [e], *Vt propositum* e serm. 3. de Natiu. c. 3.
Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate, ac passione delere, ad omnium generationum sæcula pertineret, ne turbarent nos, sed potiùs confirmarent mysteria pro temporum ratione variata, cùm fides, qua viuimus, nulla fuerit ætate diuersa. Et alio loco [f]: *Vna enim fides* f ser. 14. de Pass. c. 2.
iustificat vniuersorum temporum Sanctos, & ad eandem spem fidelium pertinet, quicquid per mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum, vel nos confitemur factum, vel Patres nostri optauêre faciendum. Itaque subdit:

24. *Quia omnis caro, vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.*

D

25. *Verbum autem Domini manet in æternum, hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.*]

I. Cùm dixisset fideles renatos esse ex semine incorruptibili per verbum Dei: possit autem verbum Dei, vt paulò antè dixi, pluribus modis accipi, explicat nunc de quo potissimùm verbo loquatur; Euangelij enim prædicationem intelligit, quam fideles non auribus tantùm, sed animo perceperant, & propterea baptismo initiati nouam quandam viuendi rationem instituerant. Quoniam verò addiderat diuinum verbum in omnem æternitatem permanere, id Isaiæ testimonio confirmat, cuius ipsa verba profert, *Quia*, inquit, *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam*
E *flos fœni, exaruit fœnum, & flos eius decidit.* Quæ sunt
ipsa Prophetæ verba [g]. Et sanè, vt ait Hieronymus [h], g Isaiæ 40. 6 h ad Isaiæ cap. 40.
Si quis fragilitatem carnis aspicit, & quod per horarum momenta crescimus, atque decrescimus, nec in eodem manemus statu, ipsum quod loquimur, quod dictamus, & scribimus, de vita nostra parte præteruolat, non dubitabit carnem fœnum dicere, & gloriam eius quasi florem fœni, siue prata camporum. Qui dudum infans, subitò puer, repentè iuuenis, & vsque ad senectutem per spatia mutatur incerta, & antè se senem intelligit, quàm iuuenem ampliùs non esse se, miratur. Pulchra mulier, quæ adolescentum post se trahebat greges, arata fronte contrahitur, & quæ priùs amori, postea fastidio est.

Plura

II. A Plura in eandem sententiam apud veteres Patres leguntur. Ambrosius [a] enim cùm eadem Isaiæ verba protulisset, *Omnis*, inquit, *caro fœnum, & verè viuet enim gloria hominis in carne, quasi fœnum, & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, præmatura, vt flos, caduca quasi fœnum, germinat vita viriditatem in specie, non in fructu soliditate, hilarioris vita quasi flos prætendens iucunditatem, breuiori spatio occasura, sicut herba fœni, quod priusquam euellatur, arescit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna? hodie videas adolescentem validum pubescentis ætatis, viriditate florentem, grata specie, suaui colore; crastina die tibi faciem, & ora mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautissimus decore, forma visus est gratia, alio die miserandus apparet ægritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut eneruatos deliciæ reddunt, luxuria decolorat; nónne verum est, quia aruit fœnum, & flos decidit?* B Pluraque deinceps in eandem sententiam elegantissimè scribit, quæ magna ex parte ea Basilio [b] expressit.

a lib. 3. in Exam. c. 7.

b hom. 5. in Exam. & orat. 24. de morte.

III. Nec pauciora scribit Seneca, qui frequenter breuitatem, fragilitatémque vitæ describit. Alicubi [c] autem; *Omnia*, inquit, *humana breuia, & caduca sunt infiniti temporis nullam partem occupantia, terram hanc cum populis, vrbibúsque, & fluminibus, & ambitu maris puncti loco ponimus ad vniuersa referentes. minorem portionem habet ætas nostra, quàm punctum, si tempore comparetur omni cuius maior est mensura, quàm mundi, vt potè cùm ille se intra huius spatium toties remetiatur. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcunque fuerit* C *incrementum, non multùm aberit à nihilo? Vno modo multùm est, quod viuimus, si satis est. Licèt mihi vaces, & in moram tardatæ senectutis nouies denos, centenósque percenseas annos, cùm ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa breuissimi, longissimique æui differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio comparaueris, quanto non vixerit*. Et aliquantò pòst: *Agunt opus suum fata, nobis sensum nostræ necis auferunt, quòque facilius obrepat mors, sub ipso vitæ nomine latet; infantem ia se pueritia conuertit, pueritiam pubertas, iuuentutem senectus abstulit, incrementa ipsa si bene computes, damna sunt*. Rursus post pauca [d]: *Nihil est tam fallax, quàm vita humana, nihil tam insidiosum, non me hercule quisquam accepisset, nisi daretur inscijs. Itaque fœlicissimum est non nasci, proximum puto, breuitate vitæ defunctos, citò in integrum* D *restitui*.

c de consol. ad Mart. c. 20.

d cap. 22.

IV. Sed vt redeam ad nostros, optimè Augustinus [e], *Lætitia*, inquit, *sæculi vanitas est, cum magna expectatione speratur, vt veniat, & non potest teneri, cum venerit. Iste dies, qui lætus est, cras vtique non erit. Transeunt omnia, euolant omnia, & sicut fumus vanescunt. væ qui amant talia: omnes quippe caro fœnum, & omnis gloria eius, vt flos fœni*. Ad eadem porrò Isaiæ verba respiciens beatissimus Gregorius Pontifex: *Iniquorum*, ait, *potentia fœni floribus comparatur, quia carnis gloria, dum nitet, cadit, dum extollitur, repentè terminatur. Sic in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur. sic nebula ab infimis se erigit, sed exortus Solis radius hanc abstergit, ac si non fuerit. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantur pluuiis incitatæ, sed celerius direptæ pereunt*.

e Tract. 7 in Ioan.

V. Sed cur quæso humanæ vitæ breuitatem in præsentia commemorat Petrus? An vt fideles ad ea quæ dixerat, retinenda prouocet? Sic planè sentit Oecumenius; *Cùm dixerit*, inquit, *regenerati ex semine non corruptibili, sed incorruptibili per verbum viuentis Dei, subiungit, cum contemptu quàm caduca, & fragilis humana gloria sit, quamque, vt ita dicam, insubsistens, vt hoc modo ad sequenda ea, quæ proposuit, auditores alliciat, quippe cum illa stabilitatem in se habeant, & perpetuitatem, nostra hæc priùs ferè corrumpantur, quàm sint*. Certè eandem comparationem sequutus olim erat Dauid, cùm dicit [a], *Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui: tu autem Domine in æternum permanes*. Addit præterea Oecumenius, ab huius mortalis vitæ breuitate, imbecillitatéque sumpsisse Apostolum argumentum, quo persuadeat, ea omnia, quæ huius vitæ terminis circunscribuntur, facilè esse contemnenda, vt ea assequamur, quæ immortalia, ac sempiterna sunt. Nam, & hoc modo argumentatur Paulus, cùm ad Corinthios [b] scribit: *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt*. Ita ait Petrus breuem, & caducam esse hanc mortalem vitam, quæ fœni instar exarescit, & quasi flos subitò flaccescit.

a Psal. 101. 12.

b ep. 2. c. 4. 18.

VI. B *Verbum autem Domini*, inquit, *manet in æternum*, tum quia doctrina, & prædicatio Christi veritatem continet prorsus immutabilem. Nam Christus ipse apud Matthæum, *Cœlum*, inquit, *& terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, tum quia verè ad immortalem, ac sempiternam vitam perducit, quod idem Christus apud Ioannem significauit his planè verbis [c]: *Spiritus est, qui viuificat; caro non prodest quidquam. Verba quæ ego loquutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt*. Et hîc ipse Petrus idem apertè testatus est, cùm dixit [d]: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*; hoc est, quæ vitam æternam pollicentur, & afferunt.

c cap. 6. 64.

d ibid. vers. 69.

VII. Verùm quoniam verbi nomen in sacris literis ambiguum est, & nonnunquam diuinam verbi hypostasim, C aliàs Christi doctrinam reuelatam significat; explicat hoc loco Petrus, vt paulò antè monui, se verbi nomine euangelicam prædicationem significare. Ait enim, *hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos*. Ita colligit, quod toto hoc capite sibi probandum sumpserat, Christi fidem, ac doctrinam Euangelicam non esse recentem, aut nuper natam, sed eius veritatem esse sempiternam, spémque certam afferre immortalis vitæ, quam veteres quidem Patres, qui Christum venturum expectabant, eiusdem Christi beneficio adepti sunt, & qui Apostolicam doctrinam ex animo complectuntur, & constantissimè retinent, & ad eam vitam, morésque accommodant, certò sibi polliceri possunt. hoc enim paulò antè dixerat, semen esse incorruptibile, quo fideles ad nouam, & spi- D ritalem vitam renascuntur, ac propterea capite sequenti fideles quasi modò genitos infantes alloquitur, & ad mores Christiano dignos hortatur. Quocirca paucissimis verbis Christianæ doctrinæ dignitatem, ac præstantiam declarat quæ vbi animum occuparit, omnia quamuis ardua, ac difficilia facilè vincit, & contemnit: quod elegantissimè explicans Leo Pontifex [e], *Hanc fidem*, ait, *ascensione Domini auctam, & Spiritus sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec requisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuersum mundum non solùm viri, sed etiam fœminæ, nec tantùm impuberes pueri, sed etiam teneræ Virgines, vsque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depu-* E *lit, mortuos suscitauit*.

e serm. 2 de ascen. Dom. cap. 3.

VIII. *Hoc est*, inquit, *verbum, quod euangelizatum est in vos*. Hoc est, quod vobis promulgatum est, quódque vos spontè complexi estis. Quippe intellexistis Christi Domini mysteria, quæ in veteri lege occultè latebant, quæque typi, & vmbræ obscurè insinuabant, & Prophetarum oracula prænunciabant, in Christi aduentu, eiúsque nece, & resurrectione, in cœlum denique ascensu fuisse patefacta: vt enim scribit Leo Pontifex [f], *Ideo sacrificiorum varietates, & purificationum differentiæ destiterunt; ideo mandatum circumcisionis, cibo-*

f ser. 18 de Pass. c. 2.

rum discretio, otium Sabbati, & Paschalis agni cessauit occisio, quia lex per Moysen data est, gratia autem, & veritas per Iesum Christum facta est. Pracesserunt figura, vt sequeretur effectus, & in aduentu rerum nunciatarum finita sunt officia nunciorum. Sic reconciliatione humani generis temperata, vt salus, qua in Christo est, nullis saculis sub eadem iustificatione defuerit, & ad hoc dilationum profecit ratio, vt qua diu credita sunt, antequam fierent, incunctanter honorarentur.

IX. Quod autem ait Petrus; *Euangelizatum est in vos*, Græcè scriptum est, εἰς ὑμᾶς, quam dicendi rationem sequutus est Latinus interpres, neglecta Latini sermonis proprietate, qua dicendum fuerat, *Euangeli-*
a cap. 2. 10. *zatum est vobis*. Ita enim apud Lucam [a] loquitur Angelus, *Euangelizo vobis gaudium magnum*, cùm Græcè scriptum sit, εὐαγγελίζομαι ὑμῖν. Suspicor autem Petrum ita Græcè loquutum esse, vt significaret Euangelicorũ ministrorum motum, qui ad illas gentes, ac nationes profecti, eas præceptis, ac institutis Euangelicis imbuerunt; quasi dicat, Verbum, quod manet in æternum, quódque immutabile perseuerat, nihil aliud est, quàm Euangelium quod ad vos perlatum
b cap. 8. in Isaiam. est. Siquidem, vt egregiè scribit Basilius [b], *Euangelij doctrina fulgetra quauis pernicior, ad extremos vsque terminos terra habitabilis peruenit, spolians principem saculi huius, & ad obedientiam Christo redhibendam eos tradncens, quos ille prado detinebat captiuos.* Ita Petrus magnitudinem beneficij, & diuinæ vocationis extollit, quod sæpe aliàs facit Apostolus Paulus. Ad Corin-
c ep. 1. c. 1. 26 thios [c] enim scribit: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Nihil enim horum spectat Deus immortalis, cùm ad fidem, aut iustitiam vocat. Ad Ephesios [a] autem: *Obsecro itaque, ait, vos, vt digni ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Denique ad Thessalonicenses [b]: *Oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione Deus noster.* Si quis enim huius diuini beneficij præstantiam, dignitatémque probè cognouerit, ei sese penitus aptabit; itáque mores suos vitámque componet, vt diuinæ in se beneuolentiæ ex æquo respondeat.

a cap. 4. 1.
b ep. 2. c. 1. 1.

X. Quò videntur spectare Dauidis [c] verba: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et Paulus [d]: *Videte ne recusetis loquentem: si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus.* Docet itaque Petrus prædicatione Euangelica tanquam incorruptibili semine fideles esse renatos, ac proinde laborandum illis esse, ne frustra fidem conceperint, vt deinceps hac tota Epistola pluribus docet, vt vel hinc appareat, non modò temerè, sed prorsus impiè & sentire, & loqui hæreticos, qui adeò fidem extollunt, vt nihil præterea ab homine Christiano præstandum censeant, cùm tamen omnis Euangelica doctrina, & institutio Apostolica, fidem viuam, hoc est, caritate formatam, & studiosis, ac laudabilibus actionibus ornatam requirat. quod quanquam sæpe dictum est, non piget tamen idem frequenter iterare, cùm hæretici suam illam de fide solitaria cantilenam tertio quoque verbo occinant.

c Psal. 94. 8.
d ad Hebr. 12. 25.

Secundi Capitis Argumentum.

Iacto superiori capite Christiana religionis veluti fundamento, quo persuasum voluit esse fidelibus, Euangelicam fidem, ad quam singulari Dei beneficio ante omnem aternitatem electi, atque pradestinati essent, olim fuisse Prophetarum oraculis apertissimè indicatam, qui plurima eius mysteria tanto antè cœlesti lumine illustrati mente percepissent, & ad posterorum vtilitatem scriptis mandassent. Proposito item eius doctrina, diuinaque vocationis fine, cuius gratia, vi diuini verbi, quasi denuò baptismo geniti essent, Christiana vita officia deinceps explicat, & qua vitia fugienda, quaque virtutes complectenda sint, luculenter monet, &, vt ait Oecumenius, rectè instituenda vita rationem copiose docet, eáque pracepta tradit, qua Christiana professioni, filiorúmque adoptioni sint in primis consentanea, referantúrque tum ad gentium exemplum, tum potissimùm ad vnius Dei gloriam, atque honorem. Itaque omnibus fermè hominum generibus viuendi leges prascribit, quidque fratribus fratres, principibus subiecti, dominis serui debeant, multis declarat, inprimísque, pietatem aduersus Deum, & malorum tolerantiam, animique magnitudinem, & constantiam in rebus aduersis commendat.

CAPVT II.

1 *Deponentes igitur omnem malitiã, & omnẽ dolũ, & simulationes, & inuidias, & omnes detrectationes,*
2 *Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.*
3 *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.*
4 *Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem*

PARAPHRASIS.

Abiecta igitur omni malitia atque omni prorsus dolo malo, positisque simulationibus, inuidentiis, cunctísque obtrectationibus, ¶ Non aliter atque infantes recèns in lucem editi rationale lac, ac doli penitus expers appetite, vt eius vi, ac potestate, ingens capiatis incrementum, & salutem aliquando consequamini sempiternam. ¶ Id autem a vobis perinde accipi volo, quasi pro certo habeam, gustasse vos quàm sit Dominus benignus, commodus, & suauis. ¶ Ad quem quidem accessistis vos, fideique beneficio adiunxi

adiunxistis tanquam ad lapidem viuum adhęrentes, ab hominibus quidem reiectũ, à Deo verò electum, & magno, vt æquum est, in pretio habitum. ¶ Sic enim existimo, & vos tanquam viuos lapides ad spiritalem domum extruendam illi penitus hærere, vt inde existat Sacerdotium sanctum, ad spiritales hostias, Deóque immortali Christi merito inprimis gratas, piè ac religiosè offerendas. ¶ Hanc enim ob caussam scripsit olim Isaias: Ecce pono in Sion lapidem, in summo angulo collocandum, lapidem, inquam, electum, & pretiosum: qui verò in eum crediderit, non pudefiet. ¶ Vos igitur, qui fidem cõplexi estis, honor, & gloria manet immortalis, cæterùm iis, qui à fide sunt alieni, lapis quem architecti reiecerunt, in capite anguli, vel maximè mirantibus, atque indignantibus apparebit. ¶ Eritque omnino lapis in quẽ impingãt, & petra ad quam offendant, nempe iis, qui Euangelica doctrina tanquam aliena, & absurda animo commouentur, & offenduntur, neque eam fidem admittunt, ad quàm diuinitùs vocati, & instituti erant. ¶ Vos autem (sic enim libet appellare) genus estis electum, regium Sacerdotium, gens sancta, populus, qui in lucrum, vt ita dicam, accessit, vt eximias eius virtutes prædicetis, qui vos admirabili sua diuináque luce perfudit. ¶ Qui quondam ad Dei populum minimè pertinebatis, nũc autem in Christi rep. tanquam ciues, ac domestici numeramini, qui pridem misericordiæ expertes censebamini, nunc amplissimam misericordiam adepti estis. ¶ Carissimi, obsecro vos, atque obtestor, vt quasi aduenæ, & peregrini cohibeatis vos à prauis, atque impuris cupiditatibus quæ aduersùs animã, ac Spiritum continenter præliantur. ¶ Eámque vitæ rationem inter Gentiles, ac Barbaros ineatis, vt qui vos tanquã maleficos execrantur, & traducunt, bonis, atque honestis actionibus vestris inspectis, tametsi in mores vestros, quàm accuratissimè inquirunt, non modò nihil deprehendãt, quod iure accusare queant, sed multa potiùs inueniant, quæ ad Dei gloriam spectent. ¶ Quocirca estote dicto audientes omnibus ciuilibus Principibus, ac Magistratibus, idque vnius Dei respectu, siue Regi, tanquam ei, qui cæteris præcellat, ¶ Siue cæteris pręsidibus, qui eius auctoritate remp. administrant, vt nocẽtium scelera vlciscantur, & rectè, ac laudabiliter viuentes præmio atque honore afficiant. ¶ Sic enim mihi credite, Dei voluntati obsequimini, qui id maximè cupit, vt morũ innocentia, vitæque integritate stultorum, atque imperitorum hominum ora obstruatis. ¶ Atque ita spontaneum atque liberum obsequium, tanquam Dei serui exhibeatis, nullo autem modo speciem libertatis improbitati prætexatis. ¶ Omnes porrò iusto honore prosequimini, Christianorum fratrum cœtum ea, qua par est, caritate, complectimini, Deo denique timorem, Regi honorem exhibere. ¶ Porrò, serui (vos enim nominatim appello) subiicite vos dominis etiamsi illi terrore vos, sæuitiáque, contra ius, fásque

autem electum, & honorificatum.

5 *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.*

6 *Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Siõ lapidẽ summũ, angularẽ, electũ, pretiosũ, & qui crediderit in eũ, nõ confundetur.*

7 *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

8 *Et lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt.*

9 *Vos autem genus electũ, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.*

10 *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti.*

11 *Carissimi, obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersùs animam.*

12 *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam: vt in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

13 *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi quasi præcellenti;*

14 *Siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

15 *Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

16 *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.*

17 *Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.*

18 *Serui subditi estote in omni timore dominis; non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.*

19 *Hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.*

20 *Qua enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hac est gratia apud Deum.*

21 *In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

22 *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.*

23 *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.*

24 *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis.*

25 *Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.*

duriùs premant, nullo habito discrimine, siue illi mansueti sint, atq; humani, siue etiã asperi, ac seueri. ¶ Hoc enim ingentem ab immortali Deo gratiam promeretur, si quis, Deo teste, dura atque aspera immeritò, sed libẽti nedum æquo animo perferat. ¶ Quam enim quæso laudem assequatur is, qui propter sua scelera seuerè plectitur? Nimirum hæc vera, & legitima laus est, & ingens apud Deum gloria, si quis, cùm laudabiliter viuat, probris, & contumeliis, atque adeò suppliciis afficiatur. ¶ Sic enim habetote, hanc esse vocationis vestræ rationem, quandoquidẽ Christus Dominus nostra omnium caussa multa acerba, atque aspera pertulit, vt suo exemplo ad sui imitationem cunctos prouocaret. ¶ Qui nullum omnino facinus admisit, neque vllius doli, ac sceleris particeps fuit. ¶ Quin potiùs cùm maledictis proscinderetur, probris & contumeliis abstinuit, cùm multa mala perferret, nulli comminabatur, sed sese vltrò iniquo iudici damnandum permisit, qui probè nosset caussam suam iusto iudici Deo notam, & perspectam esse. ¶ Quippe ille nostrûm omnium flagitia sui corporis obiectu, in ligno crucis expiauit, vt pristinis sceleribus mortui, nouam, vt ita dicam, iustitiæ vitam inchoaremus, qui eiusdem vibicibus salutem consequuti essemus. ¶ Nam vos quidem fratres, non ita pridem quasi palantes oues à Christi ouili aberrabatis, sed nunc conuersi estis ad pastorem, ac principem, vno verbo, ad inspectorem, & curatorem animarum vestrarum.

IN CAPVT SECVNDVM EXPLANATIO.

1. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones.*] A

I. RECTE' omninò ex superioribus colligit, quæ statim hoc initio capitis scribit: necesse est enim eos, qui, vt superiori capite dixit Petrus, ex semine incorruptibili nati sunt, hoc est, Dei verbo, quod manet in æternum, priscis moribus abiectis, nouam viuendi inire rationem. Græca enim vox ἀποθέμενοι, quæ est temporis indefiniti, non tam deponendam significat malitiam, quàm depositam esse, quasi dicat, deposita igitur omni malitia, vel, cùm omnem malitiam deposueritis. Rectè namque ait Basilius quamlibet naturam, propriam, ac suam, sibique consentaneam actionem flagitare. Fuerint igitur B pristinæ vitæ, vetusti mores vtcunque congruentes: ij nunc susceptæ vitæ repugnant: Nam quæ olim pueris etiam cum laude permittebantur, in viro ferẽda nullo modo sunt. Sic Paulus [a]; *Cùm essem*, inquit, *paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam, vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Et alibi [b]: *Quæ quidẽ retrò sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor*, &c. Certè noua vita, quæ baptismo inchoatur, cùm spiritalis est, tum etiam spiritales actiones postulat: ita enim loquitur Paulus [a]; *Si Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus.* Et alibi [b]: *Renouamini autẽ Spiritu mentis vestræ, & induite nouũ hominẽ, qui secũdũ Deũ creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

a 1. ad Cor. 13. 11.
b ad Phil. 3. 13.
a ad Gal. 5. 25.
b ad Ephes. 4. 23.

II. Quoniam verò natura comparatum est, vt noua forma in subiectam materiam inseri nequaquã possit, nisi prior abiiciatur, rectè Petrus antequam virtutes in animo existant, contraria vitia priùs abolenda monet. Siquidem Paulus [c] ait, *Deponere vos secundùm pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.* Et alibi: *Nunc autem deponite, & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* Denique [d]: *Abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, ac iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Neq; aliter olim loquuti sunt Prophetæ: ita enim scripsit Dauid [e]: *Declina à malo, & fac bonum.* Et Isaias [f]: *Lauamini, mundi estote, auferte malũ cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruersè, discite bene facere.* Quò videtur etiam spectasse Christus Dominus, cùm apud Matthæũ dixit [g]: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Et mox: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Quæ totidem fermè verbis repetuntur apud Lucã [h], Quod ipsum significare visus est Paulus, cùm ad Corinthios [i] dixit: *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial?*

c ad Ephes. 4. 22.
d ad Tit. 2. 12.
e Ps. 34. 17.
f cap. 1. 16.
g cap. 6. 24.
h cap. 16. 13.
i ep. 2 cap. 6. 14.

Itaque

III. Itaque Petrus rectè monet abiicienda priùs vitia, quàm virtutes inserendas. *Deponentes igitur*, ait, *omnem malitiam*: Græcè, πᾶσαν κακίαν. Quid autem sit κακία, quóque modo à πονηρίᾳ, distinguatur, alibi dixi [a ad Rom. 1. vers. 29. n. 4.]. Videtur autem hoc loco omnem improbitatem significare, vt sit veluti vitiorum omnium genus. Certè Augustinus [b lib. 50. hom. hom. 10.] torum hunc locum ita interpretatur: *Quid est malitia, nisi nocendi amor? quid dolus, nisi aliud agere, aliud simulare? quid adulatio, nisi fallaci laude seductio? Quid inuidia, nisi odium fœlicitatis alienæ? quid detractio, nisi mordacior, quàm verator reprehensio? Malitia malo delectatur alieno. dolus duplicat cor, adulatio linguam, detractio vulnerat famam.* Cæterùm alibi [c lib. 1. cōtra Iul. c. 3.] Ambrosij definitionem [d li. de Isaac & vita beata, c. 7.] probat. *Quid est*, inquit, *malitia, nisi boni indigentia?* Et profectò ita videtur κακίας Latinè interpretari M. Tullius [e 4. Tuscul.]. *Huius igitur*, inquit, *virtutis, contraria est vitiositas: sic enim malo, quàm malitiam appellare eam, quam Græci κακίαν appellant: nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vitiositas omnium.* Et alibi [f lib. 3. de finib.]. *Quas enim Græci κακίας appellant, vitia malo, quàm malitias nominare.* Et aliquantò pòst, *Sin κακίαν malitiam dixisses, ad aliud nos vnum certum vitium consuetudo Latina traduceret, hoc omni virtuti vitium contrario nomine opponitur.* Ita apud Aristotelem [g li. 7. Ethic.] ἡ κακία opponitur τῇ ἀρετῇ, hoc est, *malitia virtuti*.

IV. Malim tamen κακίαν, hoc loco singulare aliquod vitium interpretari, hoc est, vt dixit Augustinus, nocendi desiderium, quomodo sæpe vsurpari videtur apud Dauidē [h Ps. 51. statim in princ.]; *Quid gloriaris*, inquit, *in malitia, qui potēs es in iniquitate?* Explicans verò, quid malitiæ nomine significauerit, confestim subdit, *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum, dilexisti malitiam super benignitatem.* Et alibi [i Ps. 93. 23.]: *Reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos.* Quamobrem non malè quidam malitiam intelligūt hoc loco, nihil esse aliud, nisi improbā aduersùs proximos cogitationē adhuc in corde latentem. Ita enim malo accipere, quàm vt significet ignauiam, timiditatem, aut tædium: quanquam hæc omnia interdū apud Græcos indicare non iuerim inficias: hic verò grauius aliquod vitium significat; præsertim quod aduersùs proximum aliquo modo pugnet: nec displicet, quod quidam ante nos monuerunt, hoc vitium ad hæreticorum improbitatem significandam pertinere posse, qui insigni quadam vitiositate deprauati, & corrupti Euangelicæ veritati sese opponūt, vera fidei dogmata oppugnant, Catholicos præsules lacerant, veram pietatem contaminant, Apostolicas traditiones, vno verbo Christianos mores conuellunt. Sic olim idolorum cultores, & Pseudoprophetæ sanctissimos vates insectabantur, & Simon magus aduersùs hunc Apostolorum Principem, & Elimas aduersùs Paulum Apostolum impio quodam furore perciti pugnarunt.

V. Persimile malitiæ genus obseruari potest in perditissimis illis Iudæorum iudicibus, qui aduersùs castissimam Susannam, quòd suis impuris cupiditatibus morem gerere recusasset, nefariam calumniam struxerant: quocirca sanctissima illa fœmina ita Deum alloquitur [k Dan. 13. 42.], *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerūt aduersùm me.* Multa præterea in eodem genere collocari possunt, quæ leguntur in sacris literis, quæ omnia nomine malitiæ abiicienda docet Petrus: sunt enim omnia à Christiana professione maximè aliena, quam simplicitas, & candor, omne denique virtutis genus maximè decet.

VI. Proximè excludit *omnem dolum*. Græcè πάντα δόλον. Simulationem autem interpretatur Augustinus, vt paulò antè monui: nec multùm discrepat M. Tullius [l lib. 3. offic.], qui variis modis dolo agi cum proximis affirmat, cùm videlicet aliud est simulatum, aliud actum. Ita olim Cain per dolum, ac fraudē fratrem Abelem interemit; neque aliter Ioab duos strenuos duces Abner, & Amasa de medio sustulit. Sæpe autem Dauid fraudulentos, ac dolosos detestatur [a Psal. 5. 8.], *Virum*, inquit, *sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.* Alibi [b Ps. 54. ver. vlt.]: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Et aduersùs eos diuinum auxilium implorat [c Psal. 42. 1.], *De gente*, inquit, *non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.* Quotundam improbitatem accusat, quòd dolis proximos adoriren tur [d Ps. 34. 20.], *In iracundia*, ait, *terræ loquentes, dolos cogitabant.* Alibi [e Ps. 37. 13.]: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur*, Rursus [f Psal. 35. 3.]: *Dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odiū, verba oris eius iniquitas, & dolus.* Denique [g Ps. 53. 12.]: *Non defecit de plateis eius vsura, & dolus.* Videtur autem dolus ad malitiam nonnihil addere: quod enim malè animo concipitur, & cogitatur, dolo, & fraude perpetratur. Fateor tamen, quod alibi [h 2. ad Cor. 12. 16.] monui, plerunque dolum in bonam accipi partem: nam de dolo malo loquebatur Paulus, cùm ad Corinthios scripsit: *Cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Loquitur enim de fraude, & circumuentione ad extorquendam, & corradendā pecuniā, quanquā alij de dolo bono accipiunt, quasi miro quopiam artificio Corinthios ad fidem adduxisset.

VII. Sed in sacris literis malam penè semper in partem accipitur. Ita apud Malachiam, *Maledictus*, dicitur, *dolosus.* Certè Festus, *Doli*, inquit, *vocabulo nunc tantùm in malis vtimur, antiqui autem etiam in bonis rebus vtebatur, vnde adhuc dicimus, sine dolo malo, nimirū, quia solebat dici, & bonus.* Quocirca apud Terētiū [i in Eun. ac. 3. sce. 9.] dixit quidā:

Iam tum erat suspicio dolo malo hæc fieri omnia.

Vlpianus [k lib. 1. ff. de do. ma. in princip.] autem, *Dolum malum*, ait, *Seruius quidem ita definit, machinationem quandam alterius decipiendi caussa, cùm aliud agitur, & aliud simulatur.* Et aliquantò pòst: *Labeo sic definit, Dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio vera est, malum dolum adiecit, veteres enim bonum dolum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersùs hostem, latronémve quis machinetur.* Omnem igitur dolum malum alienum a Christiana professione censet hoc loco Petrus. Et quidem meritò, cùm ex sententia M. Tullij [l in Topic.], dolus malus sit bonæ fidei contrarius. Et quidem viri docti [m Alciat. de verb. signif.] inter dolum ac fraudem hoc interesse putant, *quod dolus sit alterum circumueniendi caussa, fraus verò propriè dicitur, etiam si decipiendi consilium non affuerit, sed is, qui deceptus est à se ipso, vel ex euentu fraudatus est. dolum item quidam in faciendo fraudem in verbis dicunt.*

VIII. *Et simulationes.* Græcè ὑποκρίσεις. Meritò autem dolo simulationem adiungit: vt enim ait Oecumenius, vtrumque vitium procul est à veritate, quam Euangelica doctrina profitetur, *quippe cum dolus in perniciem eorum tendat, qui decipiuntur, & simulatio diuersum quid, ab eo quod est, fingat, quorum contrario modo salutare verbum, quod fideles instituit, progredi videtur.* Sed Augustinus pro simulatione legit adulationem, quam definit, fallaci laude seductionem. Sed latiùs multò patet simulatio, cùm non in verbis, & oratione tantùm, sed etiam in rebus consistat, vt egregiè alicubi docet Augustinus; cùm enim explanaret Dauidis verba [n Psal. 63. 6.], *Narrauerunt, vt absconderent laqueos, dixerunt, Quis videbit eos?* Impia quadam, ac nefaria simulatione Iudæos aduersùs Christū Dominū vsos esse affirmat: sic enim illi ratiocinabantur; *non tradatur per nos, sed per discipulū: non occidatur a nobis, sed à Iudice: totum nos sic faciamus, vt nihil fecisse videamur.* Addit Augustinus, *At verò simulata innocentia, non est innocentia, simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Certè in

a Matt.22. Euangelio [a] sæpe Christus Pharisæorum hypocrisim A accusat. Cùm enim vnà cum Herodianis discipulos ad Christum misissent, qui simulata, & assentatoria oratione magistrum illum appellarent, & quidem veracem, qui viam Dei in veritate doceret, nec cuiusquam personam respiceret, eorum nequitia cognita [b], *Quid me*, ait Christus, *tentatis hypocritæ?* Eodemque modo aliàs sæpe Pharisæorum hypocrisim castigat [c]: *Væ vobis*, ait, *Scribæ, & Pharisæi hypocritæ.* Eadémque deinceps frequenter inculcat.

b vers.18.

c Mat.23.13.

IX. Et profectò Christianæ pietati, quæ vnum Deum mortalium omnium iudicem spectat, maximè repugnat hypocrisis. Quæ vt hominum oculos fallat, Deũ cuncta cernentem fallere nulla ratione potest. præterquam quod ne sapientes quidem semper simulatio decipit. Socrates enim, vt est apud Laërtium cùm B vidisset Antisthenem attritā partem vestis semper in conspectum protendere: *Quin desinis*, inquit, *arrogantiùs superbiam tuā nobis prodere?* Vidit enim sapientissimus vir attrito amictu Antisthenem magis gloriari, quo laudem quærebat, quàm alios, qui olosérico, vel auro argentóve induti ab omni tamen arrogantia alieni, in publicum prodirent. Et apud Ælianum [d] Diogenes cùm vidisset Olympiam, & Rhodios quosdam adolescentes pretiosis, magnificísque vestibus amictos, cum risu ait, *hoc nihil est præter fastum.* Deinde cùm incidisset in Lacedæmonios quosdam laceris, squalentibúsque tunicis indutos, *Hic*, inquit, *alius est fastus.* Vidit enim non in splendido tantùm vestitu, sed etiam in sordibus superbum animum inesse, si quis inde laudem, & inanem gloriolam aucupetur. Sapienter autem Plato [e] extremæ peruersitatis esse dixit, cùm prorsus iniustus sis, ad id tantùm niti, vt vir bonus esse videare. Quominùs mirandum est, Apostolos grauissimis verbis tanquam religionis, ac pietatis pestem hypocrisim detestari, quam Paulus [f] propriam ait esse hæreticorum, *qui in hypocrisi mendacium loquuntur, & cauteriatam conscientiam habent.*

d li.9. de var. hist.

e apud Plutarc. in lib. Num inter pocula philosophandū sit.

f 1. ad Tim. 4.2.

X. *Et inuidias*, Græcè, φθόνους. Inuidiam autem, vt diximus, definit Augustinus [g] odium fœlicitatis alienæ: alieno enim bono inuidus cruciatur. Idem verò Augustinus alibi [h] inuidiam ait esse proprium diaboli peccatum. Meritò autem Petrus Apostolus hoc vitium à Christiano pectore ablegat: nam auctor sermonum ad fratres in eremo, qui Augustini nomen D præferunt, inuidiæ incommoda describens [i], *Hæc est*, inquit, *quæ Angelum de cœlo proiecit, hominem de paradiso exulauit, Abelem occidit, contra Ioseph fratres armauit, Danielem in lacum leonum misit, caput nostrum cruci affixit, & Iudam suspendio sustulit. fratres mei super tecta prædicate, quòd inuidia est illa fera pessima, quæ fidem tollit, concordiam dissipat, iustitiam disperdit, & omnia mala generat. hæc muros Hierusalem euertit, Romam depopulauit, Carthaginem destruxit, Troiam deuastauit.* Porrò Seneca [k] inuidiam vocat, *perniciosum optimis telum inopinantes, securósq; disiecit, procellæ more, quæ in ipsa sereni fiducia solet emergere, aut fulminis subiti, ad cuius ictum etiam vicina tremuerunt.*

g lib.50. hom. hom.20.

h lib. de discipl. Christ. cap.1. simile quiddā ser. 116. de temp.

i serm. 18.

k epist.74.

XI. Numero autem multitudinis dixit Petrus, *inuidias*: tametsi enim vna est vitij forma, plura tamen bona complectitur. Plerunque enim mortalia, & caduca bona respicit, aliàs cœlestia, & quæ sunt supra naturam. atque hoc quidem posteriori modo meritò Theologi fraternæ gratiæ, aut caritatis inuidentiam inter peccata in Spiritum sanctum recensent. Omnino autem, vt ait Plutarchus [l], inuidia similis est oculorum ægritudini, quæ ad omnem splendorem caligat: ipsos autem inuidos maximè torquet, ac cruciat, & non pauca parit incommoda: quamobrem, vt scribit Laertius [m], Antisthenes absurdum esse dicebat A triticum repurgare à lolio, exercitum ab inutili milite, & à republica non secernere inuidos; significans tam esse inuidos ciuitati inutiles, quàm lolium tritico, & ignauum militem bello; idémque dicere consueuerat, non aliter ac ferrum rubigine absumitur, ita inuidos suo ipsorum vitio contabescere: ferrum enim, etiamsi nemo lædat, ex se gignere, vnde corrumpatur. In eandem quoque sententiam præcipit Paulus, cùm ad Galatas scribit [a]: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Ibidem autem non ita multò antea [b] inuidias inter opera carnis recensuerat. Ad Timotheum [c] autem ex verborum pugna inuidias, & contentiones oriri affirmat. Denique ad Titum [d], infidelibus, & à Christi religione alienis, cùm cætera vitia, tum etiam inui- B diam tribuit, vt meritò Apostolus Petrus eam à Christianorum animis hoc loco ablegandam censeat.

l lib. de odio & inuid.

m lib. 6. c. 1.

a cap.5.26.

b vers.21.

c 1. Tim. 6.4.

d cap.3.3.

XII. *Et omnes detractiones.* Græcè, πάσας καταλαλιάς. Ex inuidia enim obtrectationes oriri solent, & eam penè semper comitari: eam autem Augustinus ait mordaciorem esse, quàm veraciorem reprehensionem, additque illam vulnerare alterius famam. Certè Hieronymus quantopere detractio fugienda sit, his verbis docuit [e]: *Magis vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere; semper Scripturæ memor esto dicentis, Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Et Dauid, Detrahentem proximo suo hunc persequebar.* Et alibi [f]: *Caue ne aliis detrahas, aut alios detrahentes audias, nec minùs auribus, quàm lingua fugias detractionem: nam detractor dum te videt, non libenter audire non facilè potest de-* C *trahere.* Augustinus verò, vt auctor est Possidonius [g], aduersùs hoc genus hominum hoc distichum mensæ suæ adscripsit:

e ep. ad Celant.

f ep. ad Nepot.

g lib. de vita August. c.22.

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Eodem porrò spectâsse visus est Salomon, cùm dixit [h]: *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* Qua verò ratione repellendi sint obtrectatores, idem alibi [*] docet, *Ventus Aquilo*, ait, *dissipat nubes, & facies tristis linguam detrahentem.* Et alibi [i]: *Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit?* Et in eandem sententiam Sapiens [k]: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Illud autem ad rem maximè per- D tinet, quod ait Salomon [l]; *Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ.*

h Prou.4.24.

*Prou.25.23.

i Prou. 24. 21.

k Eccles.28. 28.

l Sap. 1. 11.

XIII. Et quidem in re graui tum detrahere, tum detrahentem audire, si præsertim quis assensum præbeat, aut etiam detrahentem prouocet, non leue peccatum est, vt meritò dixerit Bernardus [m], *Detrahere, aut detrahentem audire, vtrùm horum detestabilius sit, non facilè dixerim.* Quàm autem id sit perniciosum, indicauit Salomon [n] his verbis, *Si mordeat serpens in silentio nihilominus habet qui occultè detrahit.* Idem indicare visus est Seneca [o]. Ita enim sapientem aduersùs obtrectatores loquentem inducit; *Nullam mihi iniuriam facitis, cùm mihi detrahitis: sed ne diis quidem hi, qui aras euertunt; sed malum propositum apparet, malúmque consilium etiam vbi nocere non potuit.* Neque verò leue ma- E lum putandum est, etiamsi detractori integra non habeatur fides: nam improbè quidam, sed ingeniosè dixit, vt maximè curetur vulnus, cicatricem tamen manere; sentiens detractorem, etsi non persuadeat, mali tamen suspicionem parere. Hæc igitur omnia vitia, quæ fraternam caritatem maximè lædunt, meritò à Christianis cœtibus exterminanda monet Petrus. Aptè verò subiicit:

m lib. de ob. sid. sub fin.

n Eccles.10. 11.

o lib. de vita beata, c.26.

2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.*]

Propo

I. Proposito infantium exemplo tum superiora confirmat, tum ad innocētiam, simplicitatē, & synceritatem hortatur. Eandem verò similitudinem maximè probauit Christus Dominus, cùm apud Matthæum dixit [a]: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Spectantur autem in paruulis non imbecillitates, & illius ætatulæ næui, quos potiùs seiiciendos sacræ literæ docent. Isaias enim [b]: *Puer*, inquit, *centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Stolidum enim senem, atque amentem, & rei bene gerendæ prorsus ignarum, puerum vocat centum annorum. Et Paulus Corinthios [c] monet his verbis: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti.* Et ad Ephesios [d]: *Vt iam non simus*, inquit, *paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Retinendæ igitur sunt puerorum non quidem virtutes; sed virtutum imagines, quas viros iustos & imitari, & ad viuum exprimere maximè decet. Elucet autem præsertim in infantibus baptismi voda iustitiæ insignis quædam innocentia, quæ maximè expetenda est, & summo studio retinenda. Hanc vtcunque profitebatur Dauid: ait enim alicubi [e], *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Et alibi [f]: *Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Et post nonnulla [g]: *Ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Et Iob [h]: *Donec deficiam*, ait, *non recedam ab innocentia mea, iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

a cap. 18. 3. b cap. 65. 20. c epist. 1. cap. 14. 20. d cap. 4. 14. e Psal. 7. 9. f Psal. 25. 1. g vers. 11. h cap. 27. 5.

II. Tametsi enim, vt alibi dixi, si diuinum priuilegium excipias, nemo est, qui non aliquando offendat, aut labatur; plurimi tamen sunt, qui innocentiam hactenus retinent, quod lethifero crimine non inquinantur. Et fortasse persimilis innocentia in Saüle commendatur [i], cùm dicitur, *Filius vnius anni, cùm regnare cœpisset*, & duobus annis regnasse super Israël. Cùm enim iam tum filios haberet, non potest id de ætate accipi, & cùm ad quadraginta annos regnum administrauerit, duos tantummodo annos non ob aliam caussam regnasse dicitur, nisi quòd illis duobus annis duntaxat, Deum castè religiosèque coluerit, morumque integritatem, atque innocentiam retinuerit.

i 1. Reg. 13. 5.

III. Abest præterea ab infantibus omnis versutia, dolus, & ad fallendum composita improbitas, sed potiùs contrà miro candore, ac simplicitate prædita sunt: non aliter æquum est fideles animi candorem ab omni prorsus fraude, ac simulatione alienos in primis colere: hac enim simplicitate mirificè conciliatur Deus. Verè namque scripsit Salomon [k], *Abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Illusorem enim vocat dolosum, &, vt Hebræi codices habent, peruersum, qui pro nihilo ducit fraude, & astu alios decipere. at contrà, Deum ait familiariter agere cum simplicibus, & iis tanquam amicis arcana pectoris sui aperire: est enim in Hebræis codicibus, cum rectis secretum eius. Itaque Beatus Gregorius [l], *Cum simplicibus*, ait, *sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obscurat.* Contrà verò execratur Sapiens versutos, & callidos, quos duplici corde appellat [m]. *Væ*, inquit, *duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Et alibi [n]; *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, & prauus corde in illis scandalizabitur.*

k Prouerb. 3. 32. l 3. par. past. admo. 12. m Ecclesiastici 2. 14. n Ecclesiastici 3. 28.

IV. Iam verò Christus Dominus apud Matthæum [o] simplicitatem monet cum prudentia coniungendam; *Estote*, inquit, *prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Quò spectans B. Gregorius [a], *Admonendi*, inquit, *sunt simplices, vt simplicitatis bono prudentiam adiungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, vt circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc ad Romanos* [b] *dicit, Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo.* Et alibi [c]: *Christus*, ait, *vtraque necessariò in admonitione coniunxit, vt & simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret.* Hieronymus [d] autem: *Vt per prudentiam*, inquit, *deuitent insidias, per simplicitatem non faciant malum.* Et alio loco [e]; *Præcepit*, ait, *Dominus, vt essemus simplices, quasi columbæ, & astuti quasi serpentes, nimirum vt nec aliis nocere velimus, nec ab aliis patiamur insidias.*

o cap. 10. 16. a 3. par. past. adm. 12. b cap. 16. 19. c lib. 1. mor. c. 2. d Matth. 10. e Oseæ 7.

V. Is porrò simplex censendus est, qui sine fuco, & fallaciis, verè atque ex animo loquitur, nec patitur linguam, aut orationem ab animo discrepare; quam quidem simplicitatem describens Paulus, ait [f], *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Et alibi [g]; *Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua; ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Eandem verò simplicitatem exigit à seruis, dum suis dominis obtemperant [h]: *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.*

f 2. ad Cor. 1. 12. g 2. ad Cor. 11. 3. h ad Ephes. 6. 5. & ad Colos. 3. 22.

VI. Spiritaliter sanè paruuli vocantur humiles, & modesti, ita enim significat Christus, cùm ait [i]: *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et alio loco [k]: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum, quicunque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.* Neque aliter Hieronymus, & Augustinus verba Dauidis explicant, siue cùm ait [l]: *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*, siue, *sapientiam præstans paruulis* [m]. Itemque [n]; *Intellectum dat paruulis.* Denique [o]; *Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum, & liberauit me.* His igitur aliisque similibus nominibus aptat Petrus, vt fideles modò genitos infantes imitentur.

i Matth. 11. 25. k cap. 18. 3. l Psal. 8. 3. m Psal. 18. 8. n Psal. 118. 130. o Psal. 114. 6.

VII. *Rationabile, sine dolo lac concupiscite.*] In eadem infantium metaphora persistens, lactis alimoniam proponit. Ne quis autem existimaret loqui Petrum, de primis Christianæ doctrinæ initiis, vt loquitur Paulus [p], cùm ait, *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*: Non simpliciter lac nominat, sed addit *rationabile*; ita enim omnino legendum est, non rationabiles: Græcè enim scripsit Apostolus, τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα, hoc est, *rationabile, & absque dolo lac*: nam, vt alibi docui [q] ex sententia Clementis Alexandrini [r], lac perfectum est alimentum, quo maximè infantes non aluntur solùm, sed augentur, & incrementum capiunt. Hoc porrò lactis nomen rectè Christianæ doctrinæ tribuitur: Vt enim lac à candore, suauitate, præcipuáque nutriendi vi commendari solet; ita iisdem planè nominibus Euangelica doctrina meritò celebratur: nam vt de candore primùm dicam, quid ea fingi, aut cogitari potest candidius, quæ cùm omnia scelera, atque flagitia detestatur, tum nullam prorsus admittit, vel leuissimam culpam [s]? *Lex Domini*, ait Dauid, *immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi, iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa*: hæc enim omnia eximiam quandam Christianæ

p 1. ad Cor. 3. 2. q 1 ad Cor. 3. 2. n. 1. r lib. 1. pædag. c. 6. s Psal. 18.

doctrinæ sanctitatem indicant, quam nusquam alibi repente queas.

VIII. Quid verò de huius doctrinæ dulcedine, ac suauitate dicam? certè Dauid eodem loco [a] Dei præcepta *dulciora*, ait esse, *super mel, & fauum*. Et alibi [b] *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*. Eodemque omnino refero, quod illa dixit in Canticis [c], *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum*. Itemque illa [d]: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici & bibite, & inebriamini, carissimi*. Quanta autem vis sit nutriendi, augendique spiritalem vitam in Christi doctrina, indicat Clemens Alexandrinus [e] cùm ait: *Si in Christo sumus regenerati, qui nos regenerauit, proprio lacte nutrit, nempe verbo: quicquid enim generauit ei, quod generatur, alimentum protinus præbere est consentaneum*. Rectè igitur Petrus hoc suaue, perfectumque lac appetendum monet: vt autem appareat lactis nomen non vsurpari hoc loco pro rudi, atque inchoata rerum diuinarum scientia, quam Paulus ad Hebræos [f], propriam ait esse imperfectorum, *rationabile*, & *sine dolo* lac appetendum docet: non enim solùm hoc spiritale lac, à corporeo, & corruptibili distinguit, sed illud præterea insinuat, ad animum ita pertinere, eumque mirum in modum perficere, & ad virilem quandam ætatem, & maturitatem perducere. Subobscurè autem innuit, quæ lege Euangelica præcipiuntur, maximè esse rectæ rationi consentanea, tantum abest, vt cum illa aliqua ratione pugnent.

[a] vers. 11. [b] Psal. 118. 103. [c] cap. 1. 4. [d] Cant. 5. 1. [e] lib. 1. pædag. c. 6. [f] cap. 5. 12.

IX. At cur addidit sine dolo? Græcè, ἄδολον. An vt ostendat Christianæ doctrinæ nullam subesse fraudem, nullum dolum, vt hac ratione eam à Philosophorum, Poëtarum, hæreticorumque inuentis distinguat? Sanè ita indicare visus est Beda nam de Philosophis quidem ait Paulus [g], *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*. Poëtæ verò dum fabularum figmenta suaui quadam carminum modulatione, veluti melle obliniunt, lethale venenum propinant, & adolescentum mores incredibiliter corrumpunt. Quid verò de hæreticis dicam? Eos, vt arbitror, tacitè perstringit Salomon, cùm ait [h], *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*: Verè namque de iis scribit Irenæus [i], eos, vt est in veteri prouerbio, lacte gypsum miscere. gypsum autem lethalis veneni vim habere, auctor est Plinius. Nec multum abest, quod Vincentius [k] Lyrinensis, de iisdem affirmat: ait enim illos similes esse veneficis, qui mortifera aconita pretiosis dapibus miscent, vel mellis dulcedine liniunt.

[g] ad Rom. 1. 21. [h] Prou. 1. 10. [i] lib. 3. c. 19. [k] lib. aduers. profan. nouitat.

X. Simile quiddam addit Tertullianus [l], qui hæreticos, cum exoletis meretricibus confert, quæ formam fucis, ac pigmentis mentiuntur. Suspicor alludere voluisse Petrum ad id, quod frequenter contingere solet, vt lacti venenum admisceatur, quin fortasse factum est, quod Sextus [m] Pompeius, & Nonnius [n] Marcellus obseruarunt, vt lactandi verbum decipere, & in fraudem inducere significet, cùm deducatur ab antiquo verbo, Lacio, quod significat, decipio, à quo deducuntur etiam allicio, lacesso, illecto, delecto, oblecto. Quocirca apud Terentium [o] dixit quidam.

Nonne tibi satis esse hoc visum solidum gaudium,
Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres?

Et rursus:

Sollicitando, & pollicitando, eorum animos lactas.

Eodem modo apud Salomonem [p] loquitur Latinus interpres. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam*; quasi dicat, Blanda oratione, & speciosis promissis suadendo decipit. Quod ad Romanos expressit Paulus, cùm dixit: *Per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium*. Neque aliter accipiendum censeo, quod legitur in libro Iob [a]: *Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lactatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo*.

[l] lib. aduers. Valent. [m] lib. 10. in verbo, lacio. [n] lib. de propriet. serm. [o] in Andria. [p] Prou. 16. 29. [a] cap. 31. 26. 27.

XI. Tametsi enim omnes ferme Latini codices habêt, *Lætatum est*. Hebræa tamen vox eadem est huic loco; cum ea, quæ paulò antè habetur eodem capite [b], vbi Latinus interpres legit, *Si deceptum est cor meum*. Et Septuaginta habent, *Si deceptum est cor meum*, vt planè appareat, Latinum interpretem omnino vertisse, *lactatum*; librariorum deinde errore, irrepsisse vocem, *lætatum*; siue enim loquatur Iob de idololatria, vt ferme omnes Latini explanatores sentiunt; siue, vt Græci malunt, de diuitiarum amore, quod est veluti idololatriæ genus, multò rectiùs dicit Iob; neutra impietate se fuisse seductum, quàm fuisse lætatum. Itaque vt redeam ad Petrum, rectè dixit, lac diuini verbi esse doli expers, quia neminem fallit, neminem in fraudem, aut errorem inducit, sed potius quod more subiicit, veram affert salutem. Atqui apud Oseam [c] Deus immortalis, *Lactabo*, inquit, *eam, & ducam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius*. Quæ pertinere ad legem Euangelicam, & gentium conuersionem, Hieronymus, & Cyrillus, aliique non pauci apertè docent. Et tamen lactandi verbum planè significat seducere, & decipere. Septuaginta enim sic locum habent πλανῶ αὐτὴν, hoc est, seducam ipsam; aut verbis pelliciam. Sed nimirum bonum significat dolum, hoc est, blandam, suauemque persuasionem, qua solet Deus incredibili quadam suauitate ab infidelitate ad fidem, & à flagitiis ad pœnitentiam traducere. Adde etiam spectasse Deum vulgi sensum, nam qui olim Christo nomina dabant, proque eo acerbissimos cruciatus perferebant, delirare, atque insanire censebantur, vt seducti, ac decepti videri possent, cùm re vera diuina quadam sapientia præditi essent. Ad imperitorum igitur sensum, ac mentem dixit Dominus; se gentes lactare, hoc est, seducere velle, cùm re vera ad immortalem, ac beatam vitam adduceret.

[b] vers. 9. [c] cap. 2. 14.

XII. Non facilè autem dixerim spectaritne Petrus priscam illam Ecclesiæ consuetudinem, cuius meminit Tertullianus [d], cùm baptizati lac, & mel prægustabant. *Inde*, inquit, Tertullianus, *suscepti lactis, & mellis concordiam prægustabant*. Quod ipsum affirmat Hieronymus [e] *Deinde*, ait, *egressos, lactis, ac mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem*. Idem verò alibi [f] testatur ad suamque tempora in Occidentis Ecclesiis consueuisse baptismo expiatis præberi vinum, & lac. Quod enim mox subiicit Petrus, *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*. hoc videtur vtrumque indicare. ad hanc enim Christianæ religionis suauitatem declarandam, lactis, ac mellis dulcedo referebatur. Sed quoniam non in eo solummodo gustu persistendum erat, addit Petrus; *vt in eo crescatis in salutem*.

[d] lib. de cor. milit. [e] aduers. Luciferian. [f] in Isaiam c. 55.

XIII. Spectare visus est vim, & facultatem lactis: vt enim ait Clemens [g] Alexandrinus, lac non alit solùm, ac nutrit, sed vim habet augendi; ita apparet infantes, dum lacte aluntur mirum in modum crescere, atque augeri. Pertinet autem ad Christianam virtutem, vt quotidie maiora capiat incrementa: Vt enim ait Bernardus [h], *Vera virtus finem nescit, & tempore non clauditur*. Et Leo [i] Pontifex, *Omnes*, inquit, *de die in diem proficiendo per pietatis augmenta renouentur. Quantumlibet enim quisque iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit, & melior. qui autem non proficit, deficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit*. Atque haud scio an eodem

[g] lib. 1. Pædag. c. 6. [h] ep. 253. [i] Serm. 8. de pass. Dom.

a cap. 55. 1. dem referenda ſint, quæ ſcribit Iſaias [a]: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* Certè Gregorius [b] Nazianzenus aquas baptiſmi interpretatur, & Hieronymus in eum locum, vt paulò antè monui, vinum, & lac ad baptiſmi conſuetudinem refert. Quin etiam facilè crediderim eodem ſpectaſſe Salomonem, cùm ſponſam ita loquentem facit [c]: *Comedi fauum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi.* Ebrietatis enim nomen ſtudium ſignificat proficiendi: Vt enim ait Bernardus [d]: *Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere conaretur. Indefeſſum proficiendi ſtudium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quòd ſi ſtudere perfectioni, eſſe perfectum eſt, profectò nolle proficere, deficere eſt. In ſcala Iacob nullus Angelorum reſidet, ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur vniuerſi, vt palam daretur intelligi, inter profectum, & defectum nihil medium inueniri.*

b Orat. in ſanct. lauac.
c Cant. 5. 1.
d epiſt. 253.

XIV. Hanc ob cauſſam, vt arbitror, Chriſtus Dominus apud Matthæum [e] Beatos illos prædicauit, *qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*, hoc eſt, qui nullis certis finibus Chriſtianam virtutem circunſcribunt, qui nunquam ſe ſatis profeciſſe arbitrantur, qui vnà cum Paulo [f] quæ retrò ſunt obliuiſcuntur, & ad ea, quæ ſunt priora, ſeſe extendunt. Hoc enim eſt, quod ait Petrus, *creſcere in ſalutem.* Qui enim quotidie ad priſtinam virtutem nouas addunt acceſſiones, ij procoldubio ſalutem aſſequuntur ſempiternam. Nihil igitur neceſſe eſt, quod paulò antè monui, lactis nomine initia, & Chriſtianæ doctrinæ rudimenta interpretari: tametſi enim baptiſmo luſtratis prima Chriſtianæ fidei rudimenta traduntur, vt Chriſtianæ militiæ quaſi tyrocinia ponant: dum tamē fideles ad perfectionem hortatur, veroſimilius eſt, vniuerſam Chriſti doctrinam lactis nomine indicari, cùm præſertim addatur λογικὸν καὶ ἄδολον, *rationale, & abſque dolo.* Creſcere autem in ſalutem dixit, hoc eſt, in virtutis Chriſtianæ ſtudio proficere, quo ſalus ſempiterna comparatur. Rectè autem non vno loco monet Auguſtinus [g] eundem fidei articulum tum lac, tum etiam ſolidum cibum appellari poſſe. Lac quidem, cùm proponitur iis, qui vel non credūt, vel non planè vim eius percipiunt: ſolidum verò cibum iis, qui in Chriſtiana ſcientia, rerumque diuinarum cognitione, maiores fecêre progreſſus; ſed, vt apparet, ſpectauit Auguſtinus infantium naturam, & conditionem, quæ leuiori cibo, hoc eſt, lacte alenda eſt.

e cap. 5. 6.
f ad Philip. 3. 13.
g Enchir. c. 14. in Pſal. 130. tract. 98. in Ioan. & tract. 3. in epiſt. Io a.

3. *Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus.*]

I. Ipſa propemodum Dauidis verba vſurpat, qui alicubi [h] ait, *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Nam quod interpres hoc loco ait: *Dulcis*, & apud Dauidem, *ſuauis*, vtrobique Græcè legitur, χρηστός, hoc eſt, *commodus, facilis, benignus, beneficus.* Non facilè autem admiſerim, quod tamen exiſtimauit nonnemo, alluſiſſe Petrum ad Chriſti Domini nomen, cùm longè alia ſit vtriuſque vocis, & ſcribendi ratio, & ſignificatio. Certè olim Gentiles ſeu vocis ignoratione, ſeu irridendi ſtudio; Chriſtum, Chreſtum, & Chriſtianos, Chreſtianos per contemptum appellabant. Viri autem doctiſſimi vim nominis expendentes, vltro admittebāt, ſeque commodiſſimos, ac benigniſſimos eſſe fatebantur. Itaque Tertullianus [i]. *Si nominis odium eſt, quis nominum reatus? Quæ accuſatio vocabulorum, niſi ſi aut barbarum ſonat, aliqua vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum: Chriſtianus verò quantum interpretatio eſt de vnctione deducitur. Sed & cum perperam Chriſtianus pronunciatur à vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuauitate, vel benignitate compoſitum eſt. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Et paulò pôſt: *Ante odium nominis competebat prius de auctore ſectam recognoſcere, vel auctorem de ſecta. At nūc vtriuſque inquiſitione, & agnitione neglecta nomen detinetur, nomen expugnatur, & ignotam ſectam, ignotum & auctorem vox ſola prædamnat, quia nominantur, non quia reuincuntur.* Eodem modo loquitur Lactantius [a]: *Ignari*, inquit, *rerum noſtrarum Chriſtum, Chreſtum, & Chriſtianos, Chreſtianos vocabant. χρηστὸς autem bonus, & commodus dicitur.* Neque aliter Iuſtinus Martyr [b]: *Nominis ſanè quidem appellatione neque bonum quicquam, neque malum ſine factis ſub nomen ipſum cadentibus iudicatur. Et quantum ad nomen ipſum pertinet, quod criminis loco nobis obiicitur, optimi certè χρηστότατοι ſumus.*

h Pſal. 33. 9.
i in Apolog. c. 3.
a lib. 4. c. 7.
b in Apolog. ad Anton.

II. Et in eandem ſententiam Theophilus [c] Antiochenus: *Mihi*, ait, *crimen vertis, quod ſim Chreſtianus* (ita enim Latinè Græca vox redditur) *& inſigne, præclarúmque hoc nomen geram. At liberè confiteor me eſſe Chreſtianum, & nihil magis in votis habeo, quàm vt ſim εὔχρηστος, id eſt, bonus erga Deum: non enim mihi moleſtum, aut odioſum illud nomen eſt.* Certè Suetonius [d] *Iudæos*, ait, *impulſore Chreſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit.* Et mihi valdè veriſimile fit apud Tacitum [e], legendum eſſe Chreſtianos, & Chreſtum: *Vulgus*, inquit, *Chreſtianos appellabat, auctor nominis eius Chreſtus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Vtcunque ſit Græca vox χρηστός, *dulcem ac ſuauem* ſignificat. Verè autem dulcis eſt Dominus, ac ſuauis, veræque dulcedinis, ac ſuauitatis fons. Ita dixit Salomon [f]: *O quàm bonus, & ſuauis eſt Domine Spiritus tuus in omnibus*, quanquam non ignoro, Græcos codices paulò aliter habere. eius potiò dulcedinem guſtauerat illa, quæ loquitur in Canticis [g]: *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Et Dauid [h]: *Quàm dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Et alibi [i]: *Iudicia Domini*, ait, *dulciora eſſe ſuper mel, & fauum.* Et Sapiens [k]: *Nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Domini.* Denique Iſaias ad hanc dulcedinem cunctos prouocat, cùm ait [l], *Vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.*

c lib. 1. contra Autolic.
d in Claud. c. 25.
e lib. 15.
f Sap. 12. 1.
g cap. 2. 3.
h Pſal. 118.
i Pſal. 18. 11.
k Eccleſiaſt. 23. 37.
l cap. 66. 11.

III. Non me quidem præterit, totum hunc locum de Sacramento Euchariſtiæ à nonnullis explicari, cùm præſertim olim baptiſmo expiatis etiam infantibus Euchariſtia tribui conſueuiſſet. Etenim Dionyſius Areopagita [m]: *Tribuit*, inquit, *Sacerdos Sacramentum infanti, vt in eo nutriatur, & creſcat ſacris augmentis.* Quibus ſanè verbis ad hunc Petri locum alludere videtur, quod & planiùs facit, cùm ſub finem addit, *Guſtate, inquit Scriptura ſancta, & videte: diuinorum enim ſacrorum initio, magna eorum beneficia, qui initiantur, agnoſcent, diuinámque eorum maieſtatem, ac magnitudinem in communione ſanctè conſiderantes grata voluntate, plus quàm cæleſtia diuinitatis beneficia laudabunt.*

m de Eccleſ. hierarch. c. 5.

IV. Certè verba hæc, quibus Petrus Dei ſuauitatem, ac dulcedinem laudat ad Euchariſtiæ Sacramentum retuliſſe videntur B. Iacobus Apoſtolus [n], Cyrillus Alexandrinus [o], & Gaudētius Brixienſis Epiſcopus [p]. Et profectò locus ille Dauidis, quem videtur ſpectaſſe Petrus, totúſque ille Pſalmus de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento à pleriſque, præſertim Auguſtino, explicatur. Titulus enim illius Pſalmi apertè indicat Dauidem reſpexiſſe

n in Liturg.
o Hom. de cœna Dom. & lotione pedum.
p Serm. 2. de Paſch.

Y 4 ad

ad id, quod ipse olim coram Abimelec fecerat, cùm A
a lib.1.c.21. 13. videlicet, vt scriptum est in libris Regum [a], *immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebántque saliuæ eius in*
b in Psal 33. conc.1. *barbam*. Quam historiam Augustinus [b] ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinere non dubitat. Quod enim in libris Regum dicitur, *collabebatur inter manus*, legit ipse *ferebatur manibus suis*. Idque ait de Christo intelligendum esse, qui commendans corpus suum, dixit; *hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis*. Cùm igitur Psalmus ille Eucharistiæ Sacramentum indicet, hæc quoque Petri verba, quæ ad eum Psalmum alludunt, eodem videntur referenda. Et quidem lactis nomen ad Eucharistiam aliquo pacto spectare indicat Hierony-
c Isaiæ 55. mus [c]: explicans enim Esaiæ verba, *Emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. Spreto igitur*, ait, *illo argento, & pecunüs, quibus aquas Domini emere non possumus, pergamus ad eum, qui tenens calicem Sacramenti Discipulis loquebatur, Accipite, & bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*.

V. Neque aliter locum explicat Cyrillus Alexandrinus, nisi quòd cum Septuaginta, pro lacte, legit στέαρ, hoc est, *adipem*, interpretatur autem, adipem frumenti, idque ait non esse alienum à mysterio corporis Christi. Certè quod addit Petrus, *Lac rationabile, & sine dolo*, mirum in modum Eucharistiæ aptari potest. Veritas enim augustissimi Sacramenti nullo potest sensu percipi, sed rationis tantùm mentisque opificio creditur. Iure autem optimo dicitur *sine dolo*, C quia tametsi sub sensum non cadit, verissimis tamen Christi verbis nititur, qui nec fallere, nec mentiri potest. Tametsi autem hæc omnia verissimè dicuntur; malim tamen hæc Petri verba latiùs patere, atque vniuersim significare incredibilem Domini suauitatem, quam sexcentis locis prædicat Dauid. Illius enim
d Psal.30.20 hæc sunt verba [d]: *Quàm magna multitudo dulcedinis*
e Psal.36.4. *tuæ Domine!* Rursus & hæc [e]: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Denique ne cuncta recen-
f Psal.93.19. seam [f]: *Secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*.
g ep. ad Ctesiphont. Quocirca Hieronymus [g]: *Omne, quod habemus, bonum*, ait, *gustus est Domini; quantò plus bibo, tantò plus*
h Serm. 12. de Quadrag. pene eodem Serm.2. de Quadrag. *sitio fontem vitæ*. Et Leo Pontifex [h]: *Habet ergo*, ait, *populus Dei spirituales epulas, castásque delicias, quas salubriter expetit, & laudabiliter concupiscit, quoniam laudante, & dicente Propheta. Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus. Quisquis dulcedinem iustitiæ, & misericordiæ Dei, quibus omnis prouidentia eius dispensatur, gustu cordis attigerit, & nullo vnquam minuenda fastidio experimenta supernorum hauserit gaudiorum, corruptibilia, & temporalia bona æternorum admiratione despiciet; & in illo igne, quem Dei accendit caritas concalescet, vt algore in feruorem conuerso, & in lucem nocte mutata, vno opere in animis fidelium Spiritus sanctus & tenebras abigat, & peccata consumat*. Hæc enim omnia indicant, quid significet Petrus, cùm paulò antè dixit: *Vt in eo crescatis in salutem*.

4. *Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum.* E

5. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotiũ sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.*]

I. Qui superiora ad Eucharistiæ Sacramentum referunt, hæc quoque eodem pertinere non dubitant: Eucharistiam enim à robore, & firmitate lapidem appellari posse contendunt, cùm mirificam quandam vim habeat fidelium animos confirmandi. Quò spectare putant, quod ait Dauid [a]. *Et panis cor hominis* a Psal. 103. 15.
confirmet. Certè hoc indicare visus est Fulgentius [b], b lib 2. ad Monim.
cuius hæc sunt verba: *Hæc itaque spiritalis ædificatio corporis Christi, quæ fit in caritate, cum iuxta B. Petri sermonem lapides viui ædificantur in domum spiritualem, in Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, & acceptabiles Deo per Iesum Christum. Hæc, inquam, ædificatio spiritalis nunquam opportunius petitur, quàm cum ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, in Sacramento panis, & calicis ipsum Christi corpus, & sanguis offertur. Calix enim, quem bibimus communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, participatio corporis Domini est. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnesq; de vno pane participamus*. Quæ si negem ingeniosè, ac B verè dici, planè mentiar, sed vereor ne nimis angustè Petri verba explicentur.

Videtur enim Apostolus vniuersim proponere II.
summam quandam coniunctionem cum Christo, vt ei tanquam membra suo capiti adhærescant, & tanquam eius structuræ lapides, ipsi veluti fundamento innitantur. Quam proculdubio exigit apud Ioannem
Christus [c], cùm ait, *Manete in me, & ego in vobis, sicut* c cap.15.4.
palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos, nisi in me manseritis. Et quæ deinceps sequuntur in eandem sententiam. Additur enim seuerissima comminatio: *Si quis*, inquit, *in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet. & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*. Non iuerim tamen
inficias, quod video multis [d] placere, hanc coniun- d Hilario Psalm. 51. Atha. lib. de sent. Dionys. Alexand.
ctionem cum Christo maximè fieri perceptione Eucharistiæ, qua Christo mirificè coniungimur, & quodammodo cum illo commiscemur, &, vt ait Augustinus, in eum commutamur. Sed primùm quidem ad eum accedimus beneficio fidei, quò videtur spe-
ctare vocatio illa Christi, cùm apud Matthæum [e] e cap.11.28.
ait, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos*. Accedimus, cùm peccata detestamur, eiusque diuinam misericordiam imploramus. Quomo-
do ait Paulus [f], *Adeamus ergo cum fiducia ad thronũ gra-* f ad Hebr. 4.16.
tiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. Et alibi [g]: *Accedamus cum ve-* g ad Hebr. 10.22.
ro corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.

Accedunt denique, qui Deo penitus adhærent, III.
D & in eum spes omnes suas locatas habent, qui verè
atque ex animo cum Propheta dicunt [h]: *Mihi au-* h Psal.72.28
tem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Quæ verba eleganter explicans Bernardus [i], i Serm. de triplici vinculo.
tria docet esse veluti vincula, quibus ei adstringimur, & colligamur. *Et primum quidem*, ait, *accipite funes; secundum clauos ligneos, vel ferreos, tertium gluten. primum adstringit fortiter, & durè. secundum fortiùs, & duriùs; tertium suauiter, & securè. Fune quodammodo alligatus est Redemptori, si quis fortè dum vehementiore tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. Durum profectò vinculum, & molestum, sed & periculosum nimis, & quod diu tenere non possis: siquidem putrescunt funes, & pudoris vinculum aut obliuiscimur, aut* E *abrumpimus citò. Est autem qui clauis configitur Domino maiestatis, quem timor Dei ligat, qui non expauescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum; & hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Duriùs tamen, & fortius primo imprimitur, quia cùm ille vacillet in proposito, ille propositum non amittit. Tertius verò glutine ei conglutinatur, id est, caritate, qui tam suauiter, quam securè ligatus adhærens Deo, vnus Spiritus est cum eo*. Multa deinceps addit, quibus hunc caritatis nexum mirificè extollit.

Et

IV. Et reuera, vt alibi ait Auguſtinus, non pedum greſſibus, ſed mentis niſu, conatúque ad Deum accedimus, cùm alioqui, vt ait Apoſtolus [a], *non longè abſit ab vnoquoque noſtrùm: in ipſo enim mouemur, & ſumus.* Rectè autem ait Chryſoſtomus [b], *nihil eſſe, quod prohibeat, quominus prope Deum ſimus: Deus enim appropinquans ego ſum, ait, & non Deus procul: non longè eſt ab vnoquoque noſtrùm, non aſſiſtit miles, qui expellat, non ſatelles, qui tempus interrumpat, non eſt, qui dicat, non eſt tempus accedendi, veni poſtea. Sed quando veneris, ſtat audiens, etiamſi tempore prandij, etiamſi tempore cœnæ, etiamſi nocte intempeſta, etiamſi in foro, etiamſi in via, etiamſi in cubili fueris, & cum vocaueris, nihil vetat, quominus tuam petitionem audiat.* Inprimis autem accedenti ad Deum fidem eſſe neceſſariam, docuit Paulus [c], *Credere enim,* inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.* Significat autem Petrus hos ſuos diſcipulos, quos erudiendos ſuſcepit, fidei beneficio ad Deum acceſſiſſe, & baptiſmo percepto Chriſto nomina dediſſe. Vocat autem Chriſtum lapidem viuum, metaphora in ſacris literis admodum frequenti. Quorſum autem ea pertineat, alibi [d] copioſiùs docui, hoc loco autem ad ſtructuram, & ædificium pertinet, vt ipſe Petrus paulò pòſt apertè indicat, cùm ait, *Et ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini.*

a Act. 17. 27.
b Hom. in pſ. 4.
c ad Hebr. 11. 6.
d ad Epheſ. 2. 20.

V. Quocirca idem videtur Apoſtolus ſignificare, quod ſcribit Paulus his verbis [e]; *Fundamentum aliud nemo poteſt pr̃nere pr̃ater id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Et alio loco [f], *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Neque aliud ſignificare voluit Iſaias [g], cùm ait, *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum, qui crediderit; non feſtinet.* Quinetiam Ioannes in Apocalypſi deſcribens [h] ciuitatem Ieruſalem, in eius ſtructura lapides pretioſos collocat, & in fundamentis duodecim gemmas, quas referunt ad Apoſtolos duodecim, vt idem Apoſtolus indicat, cùm ait [i], *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum agni.* Vt facilè intelligamus electos, ac prædeſtinatos ad cœleſtis Ieruſalem ſtructuram, quaſi lapides viuos, vt mox loquitur Petrus, pertinere. Quod eleganter indicare videtur Dauid, cùm ait [k], *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.* Et alibi [l], *Ædificans Ieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraëlis congregabit.* Vocat igitur Petrus Chriſtum lapidem viuum, vt ſignificet lapidis nomen impropriè, ac metaphoricè ſumi: Vt enim ſcribit Auguſtinus [m], *Chriſtus Dominus per ſimilitudinem, non proprietatem dicitur vitis, quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera huiuſmodi, quæ magis ipſa ſunt vera, ex quibus ducuntur iſtæ ſimilitudines:* Eandémque ob cauſſam mox ſubiiciet, *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini.*

e 1. ad Cor. 3. 11.
f ad Epheſ. 2. 20.
g cap. 28. 16.
h cap. 21.
i verſ. 14.
k pſ. 50. 20.
l pſ. 146. 2.
m Tract. 80 in Ioan.

VI. Addit, *Ab hominibus quidem reprobatum.* Videtur enim apertè alludere (vt apertiùs ſubiiciet non ita multò pòſt) ad id, quod legitur apud Dauidem [n], *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quò ſpectaoit etiam Chriſtus Dominus, cùm apud Matthæum dixit [o], *Nunquam legiſtis in Scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic eſt factus in caput anguli.* Non ſatis autem apparet, quid eo loco ſignificare voluerit Dauid. Neque enim de hiſtoria præterita loqui poteſt, cùm nuſquam legatur lapidem vllum fuiſſe aut ab architectis, aut fabris murariis reiectum, qui deinceps in capite anguli fuerit collocatus. Itaque qui verba illa referunt ad Dauidis regnum, parum (vt leuiſſimè dicam) commodè Dauidis verba explicant: nam præterquam quòd magno conſenſu Patres locum illum propriè, & ad literam de Chriſto accipiunt, quem Iudæi reiecerunt, & reuera tamen Eccleſiæ fuit primarium fundamentum. Chriſtus ipſe loco iodicato hanc explanationem diuina ſua auctoritate firmat, & hic ipſe Apoſtolus, cùm apud Iudæos concionaretur, loquitur in hæc verba [a], *Hic eſt lapis* (de Chriſto loquitur) *qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in alio aliquo ſalus.* Eodémque omnino referenda ſunt Iſaiæ verba, quæ paulò antè produxi. Eodemque modo ea interpretatur Paulus [b].

n pſ. 117. 22.
o cap. 21. 42.
a Act. 4. 11.
b ad Rom. 9. 33.

VII. Dicitur itaque Chriſtus lapis angularis, ſed, vt hoc loco ait Petrus, ab hominibus reprobatus. Incredibile enim dictu eſt, quàm multis modis Chriſtum Iudæi reiecerint, ac repudiarint: nam apud Ioannem [c] illi blaſphemiam obiiciunt, *de bono,* inquiunt, *opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cùm ſis, facis te ipſum Deum.* Et princeps Sacerdotum apud Matthæum [d] ſcidit veſtimenta ſua dicens, *Blaſphemauit.* Eius porrò doctrinam abſurdam, atque alienam, ac prorſus indignam exiſtimabant [e], *Durus,* aiunt, *eſt hic ſermo; quis poteſt eum audire?* Alibi Chriſtum vocant ſeductorem [f]; *Recordati,* inquiunt, *ſumus, quia ſeductor ille dixit.* Et apud Lucam [g]: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram.* Et apud Ioannem [h]: *Si non eſſet,* aiunt, *hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Eius miracula dæmonum præſtigiis tribuebant [i]; *Hic,* inquiunt, *non eiicit dæmones, niſi in Belzebub principe dæmoniorum.* Alibi [k]: *In principe dæmoniorum eiicit dæmones.* Frequenter appellabant eum voratorem, potatorem vini, amicum publicanorum, Samaritanum, à dæmone agitatum, Sabbathi violatorem, legis denique Moſaicæ contemptorem. Ad extremum reiecerunt illum, cùm dixerunt [l], *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Itémque [m], *Non habemus regem niſi Cæſarem.* quæ omnia breuiter indicaſſe viſus eſt Ioannes cùm dixit [n]: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eũ non cognouit, in propria venit, & ſui eum non receperunt.* Reiectus etiam dici poteſt Chriſtus à Barbaris, & Gentilibus, quibus Chriſtiana doctrina videri ſolet ſtultitia. *Nos autem,* ait Paulus [o], *prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* His adde hæreticos, qui partim eius diuinitatem inficiantur, partim incarnationis myſterium oppugnant, partim præcipua Chriſtianæ fidei dogmata impiè, nefariéque conuellunt.

c cap. 10. 33.
d cap. 26. 65.
e Ioan. 6. 61.
f Matth. 27. 63.
g cap. 23. 2.
h cap. 18. 30.
i Matt. 12. 24.
k Matt. 9. 34.
l Luc. 19. 14.
m Ioan. 19. 15.
n cap. 1. 10.
o 1. ad Cor. 1. 23.

VIII. *A Deo autem electum & glorificatum.* Hoc nimirum eſt, quod ait Dauid, *hic factus eſt in caput anguli:* cùm enim regnum Chriſti, hoc eſt, Eccleſia analogia quadam ædificium nuncupetur, regia dignitas anguli, ſeu caput anguli vocatur. Chriſtus igitur, vt ipſemet apud Dauidem ait [p], *Conſtitutus Rex ſuper Sion montem ſanctum eius,* aptè dicitur à Dauide, *factus in caput anguli;* & à Petro, electus, & honoratus à Deo. quippe Chriſtus populum Iudaicum, & Gentilem in vnam, atque eandem Eccleſiam, ac ſpiritale regnum coëgit, cui ipſe tanquam caput, & princeps præeſt, in eoque ſi ſtructuræ metaphora retinenda ſit, fundamentum appellari poteſt, in quo fideles omnes ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentilibus orti, quaſi lapides viui alij aliis ſuperſtruuntur. Electus autem dicitur Chriſtus, eo, quem alibi [q] explicui, modo: præfiniuit enim Deus immortalis, vt Chriſtus Dominus hominum redemptor, Eccleſiæ tum militantis, tum triumphantis caput, omnium denique iudex eſſet. Docet autem Auguſtinus [r] hanc Chriſti electionem, prædeſtinationémque eſſe veluti exemplar prædeſtinationis noſtræ. *Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator, ipſe mediator Dei, &*

p pſ. 2. 6.
q ad Rom. 8.
r De præd. Sanct. c. 15.

hominum

hominum homo Christus Iesus, qui hoc vt esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparauit? Respondeatur quæso ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? Quod eius bonum qualecunque præcessit? quid egit antè, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Ita docet fuisse illum gratuitò, ac liberaliter electum, vt idem de electorum prædestinatione sentiendum probet.

IX. Addit Petrus, *& honorificatum.* Fuit enim diuina Christi electio, ac prædestinatio eximia; quippe eius humanitas plurimis maximisque diuinis muneribus decorata est, & ad humani generis salutem tanquam præclarum instrumentum adhibita; quod Deus ipse

a cap. 42.1. apud Isaiam [a] his verbis testatus est; *Ecce seruus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus*

b vers. 6. *proferet.* Et aliquantò pòst [b]: *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in*

c cap. 49. 6. *tenebris.* Et rursus [c]: *Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Maximo autem honore affectus est Christus, cùm ab inferis reuocatus, atque in cœlum euectus, ad Patris dexteram

d ps. 109. 1. consedit. qua de re ita vaticinatus est Dauid [d]; *Dixit*

e ad Eph. 1. 20. *Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Et Paulus [e]: *Suscitans, inquit, illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem; & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro; & omnia subiecit sub pedibus eius.*

X. Eodémque modo alibi [f] loquitur; præcipuè verò ad Christi honorem pertinet, quòd humana eius natura eò dignitatis prouecta est, vt in vna, eadémque Verbi persona mirabiliter subsistat, atque vnus, idémque Christus verè Deus, & homo sit. Quò spectans Paulus [g], *In ipso*, inquit, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Itaque egregiè Leo Pontifex [h], *In vtraque ergo*, ait, *natura idem est Dei Filius nostra suscipiens, & propria non amittens, in homine, hominem renouans, in se incommutabilis perseuerans. Deitas enim, quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, nec Dei formam serui forma violauit, quia summa, & sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non destitit.*

f ad Philip. 2. 8. ad Coloss. 2. 9. ad Hebr. 1. & 2. per totum.

g ad Coloss. 2. 9.

h Serm. 7. de Nat. Dom.

XI. Honoris autem, aut maiestatis Christi dignitatem idcirco commemorat Petrus, ne qui Christiana sacra susceperant, & Christo nomina dederant, id sibi turpe, aut inhonestum ducerent. Nam olim quidem Iudæi humilitatem, atque abiectionem Christo Domino obiiciebant, quem per contemptum fabri filium [l] appellabant. Et apud Ioannem [k] Pharisæi hunc in modum loquuntur: *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Et deinceps Gentiles adeò Christianos despiciebant, vt hominum fæces, & quisquilias appellarent; quin etiam Quintianus Siciliæ præses Agatham nobilissimam virginem his verbis affatus est, *Non te pudet nobili genere natam humilem, & seruilem Christianorum vitam agere?* At illa, *Multò, ait, præstantior est Christiana humilitas, & seruitus Regum opibus, ac superbia.* Mitto conuicia, & contumelias, quibus olim Christiani vulgò proscindebantur. Nam Cornelius Tacitus [l] eos per flagitia fuisse inuisos mentitur, & de tota Christiana religione non modò falsò, sed etiam impiè subiicit: *Repressáque in præsens, exitiabilis superstitio, rursus erumpebat, non modò per Iudæam originem eius mali, sed per vrbem etiam, quo cuncta vndique atrocia aut pudenda*

l Matt. 13. 55.

k cap. 7. 48.

l lib. 15. Annal.

confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti sunt.

XII. Meritò igitur Petrus, ne fideles vocationis suæ puderet, pigerétve, amplitudinem Christi in mentem reuocat, eadémque opera insinuat, quo cultu, ac veneratione prosequi debeant eum, à quo singulare vocationis munus adepti essent. Denique indicat, quàm verè dictum sit ab Isaia Propheta [a], *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus; Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Quod apertiùs significat Paulus cùm ad Corinthios [b] scribit, *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Ita hoc loco ait Petrus fuisse Christum Dominum ab hominibus reiectum, ac reprobatum, sed ab immortali Deo eximio quodam honore decoratum. Id ipsum sectatoribus suis vaticinatur Christus [c]: *Amen, amen, ait, dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Alibi [d] verò eos mirificè recreat, & solatur, *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit: Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.*

a cap. 55. 8.

b ep. 1. cap. 1. 27.

c Ioan. 16. 20.

d Ioan. 15. 18.

XIII. Quamobrem rectè obseruat Augustinus [e] verba illa Iudæorum, quæ sunt apud Matthæum [f], *Seductor ille dixit; Hoc*, inquit, *appellabatur nomine Dominus Iesus Christus ad solatium suorum seruorum, quando dicuntur seductores.* Imitantur enim ducem, ac magistrum suum, eiúsque vestigia sectantur, *qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.*

e In ps. 64.

f cap. 27. 63.

XIV. Quocirca aptè subdit, *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini*; vt in metaphora suscepta persistat, atque ob eam caussam quemadmodum dixerat Christum esse lapidem viuum, persimili ratione fideles lapides viuos nuncupat. Hunc locum expressit Augustinus [g]: Sic enim ait, *Deus, qui vbique præsens est, & vbique totus, non in omnibus habitat, sed in eis tantùm, quos efficit templum suum, eruens eos à potestate tenebrarum.* Et quidem hi meritò lapides viui dici possunt, qui vita gratiæ, & caritatis præditi sunt: potuit autem, vt quidam aiunt, lapides viuos appellare, ducta similitudine à silicibus, qui vulgò lapides viui dicuntur, quòd percussi ignis scintillas emittant, quasi significet iustos esse veluti spiritales silices, vnde ignis caritatis emicet, vt præter firmitatem, & constantiam exigat à fidelibus ardorem caritatis: vt interim omittam caritatem esse veluti calcem, quâ fideles tanquam viui lapides inter sese coniunguntur, vnde vnum existat ædificium: quò spectant illa, quæ in Actis Apostolicis scribit Lucas [h]: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

g ep. 57.

h cap. 4. 32.

XV. Et in eandem fermè sententiam Tertullianus ait [i] Christianorum caritatem fuisse ab ethnicis obseruatam. *Dilectionis*, inquit, *operatio notam nobis inurit penes quosdam. Videte, inquiunt, vt inuicem se diligant, & vt pro alterutro mori sint parati.* Ibidem addit, fratris nomen malè apud ethnicos audire. *Quòd fratres,*

i In Apolog.

ait,

A *ait, nos vocamus, infamant: fratres autem vestri sumus iure naturæ matris vnius. At quantò digniùs fratres & dicuntur, & habentur, qui vnum Deum Patrem agnouerunt, qui vnum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerunt veritatis?* Rursus. *Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem. Itaque quia animo, animáque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus, omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores.* Addit Beda; *Sicut ordines lapidum in pariete portantur alij ab alijs; ita portantur fideles quique à præcedentibus in Ecclesia iustis. Portant & ipsi sequentes iustos per doctrinam, & tolerantiam vsque ad vltimum iustum, qui cùm à prioribus portetur, quem portare debeat, ipse sequentem non*
a ad Galat. 6.2. *habebit. De his dicitur* [a], *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Christus autem ipse omnes* B *portat, & sustinet. & à nemine sustinetur, quia vi infinita præditus nullius ope indigebat: reliqui omnes & portari indigent, & portare alios debent.*

XVI. Crediderim porrò respexisse Petrum ad Isaiæ va-
b cap.54.11. ticinium [b], quo tanquam vrbs munita fidelium Ecclesia describitur, *Ecce*, inquit, *ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Quin etiam allusisse videtur ad Christi verba, quibus sibi pollicitus est
c Matth.16.18. summum Pontificatum [c]: *Et ego*, inquit, *dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* In hac enim Ecclesiæ substructione fideles omnes C
d ad Ephes. 2.20. locum suum occupant, *superædificati*, vt ait Paulus [d], *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Quamobrem subdit Petrus, *Domus spiritualis.* Est enim Ecclesia, & fidelium collectio, domus illa,
e cap.7.24. cuius meminit Christus Dominus apud Matthæũ [e], quam vir sapiens, *ædificauit supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.*

XVII. Eandem metaphoram retinuit Paulus, cùm ad
f ep.2.cap.3.16. Corinthios scripsit [f], *Nescitis, quia templum Dei estis,* D *& Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: templum enim Dei*
g 1. ad Cor. 6.19. *sanctum est, quod estis vos.* Et alibi [g]: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in*
h 2. ad Cor. 6.16. *vobis est?* Rursus [h]: *Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambula-*
i ep.1.c.3.14 *bo inter eos.* Rursus ad Timotheum [i]: *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò: si autem tardauero, vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* Deni-
k cap.3.6. que ad Hebræos [k], *Christus verò tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* De hac autem me-
l ep. 57. taphora ita alicubi scribit Augustinus [l], *aliter autem* E *dicitur templum esse in significatione; cùm fit per manus hominum de rebus inanimis, sicut tabernaculum lignis, velis, pellibus, atque huiusmodi mobilibus: sicut etiam per Salomonem regem templum lapidibus, lignis, metallis constructum: aliter verò re ipsa vera, quæ illis significationibus figurata est: vnde dicitur tanquam lapides viui, ædificamini domus spiritualis, & vnde item scriptum est, Nos enim templa Dei viui sumus, sicut Deus dicit, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.*

XVIII. Cæterùm quod spectat ad verba, sunt qui legant
m Leo Pontif. Ser.3. in anniuer. suæ assump. numero multitudinis, *Domos spirituales*; nec desunt qui singulari numero legant, *In domum spiritualem* [m].

A Sed Græci codices, qui nunc habentur in manibus, habent οἶκος πνευματικὸς, hoc est, *domus spiritualis.* Spiritualem autem domum appellat Petrus, domum mysticam, quomodo Paulus [a] escam spiritalem, & a 1. ad Cor. 10.3.
petram spiritalem, hoc est, mysticam nominat. Quanquam potuit Petrus nomine domus spiritalis significare templum, cùm illicò Sacerdotium sanctum nominet, quasi dicat, vos tanquam viui lapides superædificamini, vt sitis Dei templum, ac Sacerdotium, vt videlicet in mystico Dei templo vos mystici Sacerdotes mysticas hostias immoletis. Simile enim quiddam in Apocalypsi [b] significant vigintiquatuor se- b cap.5.10.
niores, cùm aiunt, *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Sed mysticum quidem, vt dixi, templum, mysticos Sacerdotes, & mystica item sacrificia intel-
B ligit. qua ratione dixit Paulus [c], *Obsecro itaque vos,* c ad Rom. 12.1.
fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et alibi [d] eleemosynam vo- d ad Philip. 4.18.
cat, *hostiam acceptam placentem Deo.* Postremò ad Hebræos [e], *Beneficentiæ autem*, ait, *& communionis nolite* e cap.13.16.
obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

Quanquam autem lapides viuos ad structuram XIX.
potissimum, atque ædificium retulit; non abnuerim tamen, quod video placere Ambrosio [f], iustos pro- f Tract. 42. mansf. mans. 38.
pter eorum firmitatem, soliditatem, & constantiam lapides appellari. Mutuantur enim, vt ait Bernardus [g], à Christo tamquam mystica petra robur, & g Ser.61. in Cant.
fortitudinem. Verè enim vsurpare possunt, quod ait David [h], *In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput* h psal.26.6.
C *meum super inimicos meos.* itémque [i]. *Et statuit supra* i psal.39.3.
petram pedes meos, & direxit gressus meos. Vir sapiens, ait Bernardus [k], *ædificat domum suam supra petram,* k Ser.61. in Cant.
quod ibi nec ventorum formidet iniurias, nec inundationem; quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, tutus à casu. Et aliquantò pòst. *Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram.* Postmodum verò eleganter docet martyrum fortitudinem à Christi vulneribus, hoc est foraminibus petræ tamquam à fonte profluere. *Stat*, inquit, *Martyr tripudians, & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire*
D *cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, si exul à corpore dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur. nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. ergo ex petra martyris fortitudo.*

Et profectò qui Christo ex toto adhæret animo, XX.
tanquam lapidi viuo lapidescat, & ipse necesse est, & plusquam humanam fortitudinem induat, & fiat & ipse lapis viuus, qui, vt ait Ambrosius [l], à terra l In Luc. c. 3.8.
E in cœlum transferendus sit: potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quamobrem Beatiss. Leo [m] his Petri verbis fideles ad fidei con- m Ser. 4. de Nati. Dom. cap.3.
stantiam hortatur. *Sed vos*, inquit, *dilectissimi, quos nullis digniùs, quàm B. Petri Apostoli alloquor verbis, Genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ædificati super inuiolabilem petram Christum, ipsique Domino Saluatori nostro per veram susceptionem nostræ carnis inserti, permanete stabiles in ea fide quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam, & Spiritum sanctum, accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.* Meritò autem lapidis, seu petræ firmitatem, ac soliditatem requirit

Deus,

a Serm.7.de ieiu decimi mēs.in prin.

A Deus, quia, vt ait idem Leo Pontifex [a], *natura mutabilis, & de peccati labe mortalis, licèt etiam iam redempta, & sacro baptismate sit renata, in quantum est passibilis, in tantùm est ad deteriora proclinis, corrumpereturque carnali desiderio, nisi spirituali muniretur auxilio.*

XXI. *Sacerdotium*, inquit, *sanctum* offerre spiritales hostias. Græcè, *ἱεράτευμα ἅγιον ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας* vt appareat, quod modò dixerat, Sacerdotium sanctum non de externo, sed de mystico, & spiritali Sacerdotio accipiendum esse, & prorsus ineptè non minùs, quàm impiè hæreticos contendere: omnes etiam laicos veros esse noui Testamenti Sacerdotes, vt externum sacrificium, & Sacerdotium ab Euangelica lege alienum esse confirment. Vtroque autem B nomine omnibus fermè humanis legibus aduersantur, vt nihil dicam de Euangelica lege, quam illi verbo quidem, suprà quàm dici potest, extollunt; re autem vera penitus euertunt. Necesse est autem duplex constituere Sacerdotium, & sacrificium; alterum quidem verum, ac proprium; alterum spiritale, & mysticum. prius illud Sacerdotium, adeò proprium, & peculiare est initiatorum, vt prophanis permitti nulla ratione queat. Quamobrem olim plurimæ hæreticorum pestes, vt ex Irenæo [b], Epiphanio [c], Augustino [d], & Isidoro [e], facilè quiuis intelligat, iura Sacerdotij etiam fœminis permittebant. Adeo autem sacrificium externum certos quosdam Sacerdotes postulat, vt etiam Gentiles, qui nefariè idola colerent, plurima Sacerdotum genera constituerent, quæ sua, ac propria curarent sacra, & victimas iugularent. C

b lib.1.c.9.
c Hær.49 & 79.
d De Hæres.
e De Hæres.

XXII. De Hæbræorum verò gente nihil attinet dicere, cùm etiam ipsi Christianæ religionis hostes non admittant solùm externa apud illos fuisse sacrificia, propriósque Sacerdotes, sed id præterea contendant, ita fuisse illius legis proprium, vt nefas sit quidquam simile in lege Euangelica vsurpari, quod videlicet Christus Dominus vna oblatione pro humano genere abundè copioséque litauit, &, vt ait Apostolus Paulus, *consummauit vniuersa*: hoc est, pristina vaticinia, & symbola expleuit, & externa sacrificia penitus aboleuit. Sed non animaduertunt miseri nullam esse religionem, ac ne concipi quidem posse, quæ Sacerdotio, & sacrificio careat: hæc enim duo & inter se retrò commeant, & cum religione, hoc est, Dei cultu, necessariò coniunguntur. Itaque iam inde D ab initio nascentis mundi Caim, & Abel Deo sacrificia obtulerunt; deinde, vt alibi docui, ius sacrorum penes primogenitos erat: ita plerunque factum est, vt quod cernitur in Melchisedecho, iidem essent & Reges, & Sacerdotes. Neque existimandum est, legem Euangelicam, quæ est omnium perfectissima, absolutissimaque sacrificio, & Sacerdotio carere.

XXIII. Quamobrem Clemens [f] Romanus ostendit, Christum Dominum non mutasse naturæ legem, sed eam potiùs confirmasse. & subdit; *Baptismum, Sacrificium, Sacerdotium, localem adorationem, alio modo mutauit.* & paucis interiectis, *Pro sacrificio cruento, rationale, & incruentum, ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis, & sanguinis sui celebratur.* Eodemque modo Irenæus [g], *Non genus oblationum, ait, reprobatum est: oblationes enim & illic, oblationes autem & hic, sacrificia in populo, sacrificia & in Ecclesia, sed species immutata est tantùm, quippe cum iam non à seruis, sed à liberis offeratur.* Sed quoniam non E est nobis in præsentia cum hæreticis suscepta disputatio, addam tantùm Petri [h] Cluniacensis verba: *Qui ab Ecclesia*, inquit, *sacrificium tollunt, hoc tentant dæmone suggerente, vt gens illa, quæ pluribus est à Deo cumulata beneficiis, minus grata illi sit, minorémque cultum, & honorem illi exhibeat.*

f lib.6.Cōst. cap.23.
g lib.4.c.34.
h Ep.contra Petrob.

XXIV. A Cæterùm hoc loco Apostolus mysticum, ac spiritale Sacerdotium cunctis fidelibus tribuit, vt paulò pòst planius docebit: Vt enim alibi docui, omnes fermè honestæ ac laudabiles actiones, vim quandam sacrificij, atque appellationem sortiuntur: frequenter enim Dauid [a] laudis sacrificium commemorat; *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et alibi [b]; *Sacrificium laudis honorificabit me.* Rursus [c]: *Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.* Quò etiam spectant illa [d]: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino.* Quinetiam non obscurè idem videtur indicare Oseas [e], cùm dixit, *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Licèt enim vituli la- B biorum significare possint, vitulos olim promissos, placet tamen Cyrilli, Hieronymi, & Gregorij [f] explanatio, qui sacrificium laudis & gratiarum actionis interpretantur; cui explanationi maximè fauent Septuaginta, qui *reddemus*, inquiunt, *fructum labiorum nostrorum.* nec discrepat Chaldæus paraphrastes; *& sint*, inquit, *eloquia labiorum nostrorum grata te accepta, tanquam boues in beneplacitum super altare tuum.*

a ps.49.14.
b ps.49.23.
c ps.115.17.
d ps.26.6.
e cap.14.3.
f lib.1.in 1. Reg.c.6.

XXV. Apertissimè verò laudis sacrificium nominat Paulus, cùm ad Hebræos [g] scribit, *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Contritio quoque, & admissorum scelerum detestatio sacrificium à Dauide [h] nuncupatur. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Idémque C indicat paulò pòst, cùm ait; *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* Certè alicubi dixit [i]: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Præterea spontaneæ vexationes, & corporis seuerior atque asperior cultus à Paulo [k] Apostolo *hostia viua, & sancta, Deóque placens, & rationabile obsequium* appellatur. Quin & Martyrum supplicia mystica sacrificia sunt, quod indicare visus est Paulus, cùm ad Philippenses [l] scripsit, *Sed, & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.* Denique, ne cuncta sigillatim percurram, beneficentiam, liberalitatem, omnia denique caritatis officia inter sacrificia recenset Paulus [m], *Beneficentiæ autem, ait, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.*

g cap.13.15.
h ps.50.19.
i ps.4.6.
k ad Rom. 12.1.
l cap.2.17.
m ad Hebr. 13.16.

XXVI. D Ita Ambrosius, Augustinus, Leo Pontifex, aliique non pauci non dubitant omnes Christianos Sacerdotes appellare. *Omnes*, ait Ambrosius [n], *filij Ecclesiæ Sacerdotes sunt: vngimur enim in Sacerdotium sanctum offerentes nosmetipsos Deo hostias spiritales.* Augustinus [o] autem, *Immolamus*, inquit, *hostiam iubilationis, hostiam lætitiæ, hostiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis in sancta Ecclesia.* Et alibi [p], *Sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam sunt mēbra vnius Sacerdotis.* Elegantissimè verò Leo [q], *Omnes enim, ait, in Christo regeneratos crucis signū efficit Reges, sancti verò Spiritus vnctio consecrat Sacerdotes, vt præter istam specialem nostri ministerij seruitutem vniuersi spiritales, & rationales Christiani agnoscant se regij generis, & Sacerdotalis officij* E *esse consortes. Quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam Sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?* Has itaque spiritales hostias hoc loco requirit Petrus, eas tamen ait *acceptabiles esse Deo per Iesum Christum.*

n cap.6.in Lucam.
o In ps.26.
p lib.10.de ciuit.c.10.
q Serm.3.de anniuer. suæ assumpt.

XXVII. Non me fugit, existimasse nonnullos verba illa, *Per Iesum Christum*, ad omnia superiora referenda esse, vt per Christum fideles omnes ad mysticum spiritalis domus, tanquam viui lapides, pertineant ædificium, & sanctum Sacerdotium adepti spiritales ho-

ſtias, & quidem Deo gratas offerant; nec dubito veriſſimè hæc omnia affirmari: quicquid enim fidelibus diuinitùs conceſſum eſt, Christo liberatori, humanæque ſalutis auctori acceptum referendum eſt: propiùs tamen ad mentem Petri exiſtimarim proximè cum antecedentibus coniungenda eſſe, vt ſenſus ſit, offerendas hoſtias acceptabiles Græcè, *εὐπροσδέκτους, per Ieſum Chriſtum*. Christi enim merito bona omnia opera Deo grata ſunt, & accepta, quippe ille, vt ait Apoſtolus[a], ſemper Deo aſſiſtit, *ad interpellandum pro nobis*. Et in eandem ſententiam dixit Ioannes[b], *aduocatū habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum*. Quocirca Didymus offerri ait, *hoſtias non per figuratum Pontificem, ſed per Sacerdotem, qui ſecundùm ordinem Melchiſedech permanet in æternum. Hic enim eſt Ieſus ſummus Pontifex pertranſiens omnes cælos. Illius ergo perſonam gerit, homo aſſumptus à Dei Verbo, vnde non ei, ſed per eum Deo hoſtia dicuntur offerri, cùm diuinitas vna ſit Patris, & Filij, & quæ Deo Patri ſacrificantur, offerantur & Filio.*

a ad Heb. 7. 25.
b ep. 1. c. 2. 1.

XXVIII. Hinc opinor Eccleſia diuinitùs edocta preces omnes ſuas ita concludit, vt Christum deprecatorem adhibeat. Probè enim intelligit, quicquid nos nitamur, & propriis viribus laboremus, inane prorſus fore, atque vtilitatis penitus expers, niſi Christi meritis & inchoetur, & abſoluatur. Quippe Christi merita adeò ſunt per ſe magna, Deóque immortali grata, vt, quod aliàs ſæpe monui, omnibus mortalibus prodeſſe queant: neceſſe tamen eſt, vt priuatim ſingulis applicentur, idque ſuis precibus aſſiduè Eccleſia flagitat. Quamobrem dixit Paulus[c]: *Conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ.* Christi enim beneficio cum Deo redimus in gratiam, vt tutò ad eum poſſimus accedere, *Per ipſum enim* (vt ait Apoſtolus[d]) *habemus acceſſum per fidem*, quod Chriſtus ipſe apud Ioannem[e] ſignificauit, cùm ſe oſtium appellauit. *Ego*, inquit, *ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Quamobrem neceſſe eſt Christo, vt ſuprà diximus, adhærere, vt illius patrocinio tecti, & veluti eius meritis locupletati, Deum nobis conciliare poſſimus. Eam ob cauſſam paulò antè dixit Petrus, ad Chriſtum accedendum eſſe, vt ei tanquam primario lapidi, nos etiam quaſi lapides viui hæreamus: quod olim diuino afflatus numine prædixerat Zacharias, cùm dixit[f]: *Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi ſui, quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.* Significat enim iuſtos Christi merito ſeruandos eſſe, & ab omnibus periculis eruendos, cùm ſint lapides viui, & ſancti, Christo lapidi viuo hærentes, vt Hieronymus interpretatur.

c ad Heb. 5. 9.
d ad Rom. 5. 2.
e cap. 10. 1. 8. 9.
f cap. 9. 16.

6. *Propter quod continet Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur.*]

I. Verba ſunt Iſaiæ[g], qui de Christo vaticinatur, & penè idem dicit, quod de lapide angulari dixerat Dauid. Petrus autem non ipſa Iſaiæ verba, ſed verborum ſententiam expreſſit, paucis additis, mutatiſve, integro tamen ſenſu retento. *Ecce*, inquit Petrus, *pono in Sion.* Iſaias autem ait, *in fundamentis Sion*, vt ſignificet Chriſtum eſſe fundamentum, vt non ſemel loquitur Paulus. Neceſſe eſt autem Sionis nomine indicari Eccleſiã, cuius Sion erat typus, & vmbra. Ita enim ſæpe non Iſaias modò, ſed alij quoque Prophetæ loquuntur, vt figuræ, aut typi nomen rei ſignificatæ tribuant, quomodo etiam loquitur interdũ Paulus[h]: *Bibebant*, inquit, *de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Et Chriſtus ipſe alludẽs ad Dauidis verba[i], ſe lapidem eſſe ſignificat[k]. *Ideo* inquit, *dico vobis,*

g cap. 28. 16.
h 1. ad Cor. 10. 4.
i pſ. 117. 22.
k Mat. 21. 43

auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, & qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur, ſuper quẽ verò ceciderit, conteret eum. Certè Daniel[a] Chriſtum vocat lapidem abſciſſum de mõte ſine manibus, qui mirum in modum excreuit in montẽ, cùm ſtatuam illam ingentem euertiſſet; quo indicabatur Chriſti regnum ſua tum amplitudine, tum poteſtate, omnia regna, atque imperia ſuperaturũ. Quod etiam inſinuaſſe videtur Dauid, cùm dixit, lapidem ab architectis reiectum, *factum eſſe in caput anguli*; quaſi dicat, in ſummo imperij faſtigio. Hebræorum enim idiomate, anguli Principes, & Magiſtratus ſignificãt. Nam in libro Iudicum[b]: *Omnes*, ait, *anguli populorum*, hoc eſt, omnes primores populi. Et Iſaias[c]: *Deceperunt Ægyptum angulum populorum eius*, videlicet Principem. Et Saül in libris Regum[d]: *Applicate*, inquit, *huc vniuerſos angulos populi*, id eſt, Principes. Ob eam cauſſam, quod in præſentia dixit interpres, *lapidem ſummum angularem*, Græcè ſcripſit Petrus, *λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτόν*, qua voce vſus eſt etiam Paulus in Epiſt. ad Epheſios[e], & Septuaginta in loco Iſaiæ.

a cap. 2. 34.
b cap. 20. 2.
c cap. 19. 13.
d lib. 1. c. 14. 38.
e cap. 2.

II. Quid autem ſit lapis angularis, & qua ratione ad ædificia adhibeatur, & metaphoricè transferatur ad principatum, alibi dixi. Itaque quod Latinus interpres dixit, *ſummum angularem*, vnica Græca voce à Septuaginta, & ab Apoſtolis exprimitur. Apud Iſaiam autem poſuit interpres vnicam tantùm vocem, *angularem*. hoc autem loco Petrus addit, *Electum*. Græcè, *ἐκλεκτόν*, qua voce vſi ſunt etiam Septuaginta apud Iſaiam, vbi tamen Latinus interpres tranſtulit, *Probatum*; quod re ipſa idem valet, quod, *Electum*. ſubijcit Petrus, *Pretioſum*, quod etiam fecit Iſaias, Græcè, *ἔντιμον*. Itaque indicat Petrus eundem eſſe Deum vtriuſque Teſtamenti auctorem, quandoquidem ea, quę in veteri prædicuntur, in nouo ad exitum perducta ſunt. Quo argumento, vt aliàs monui, vtitur Iuſtinus Martyr, diſputans aduerſùs[g] Iudæos. Quò pertinent etiam quæ aduerſùs Marcionem ſcribit Tertullianus[h]: *Vnde*, inquit, *accepit Apoſtolus, ſummum lapidem angularem dicere Chriſtum, niſi de Pſalmi ſignificatione, Lapis, quem reprobauêre ædificantes?* Certè ad hunc Petri locum reſpexiſſe videtur Cyrillus[i] Alexandrinus: ait enim, vtique de Chriſto, *fundauit Eccleſiam, ipſeque eſt fundamentum, in quo & nos tanquam lapides ſumptuoſi extruimur.* Verùm quoniam de hoc Iſaiæ vaticinio alibi diſſerui, non addam in præſentia plura. tantùm moneo bene Sion nominari, vt ſignificetur Eccleſia. Nam, vt ait Baſilius[k], *Illic Chriſtus & legem dedit, & miracula operatus eſt: illinc prædicatio ſumpto initio vniuerſum orbem obiuit.* Eodem porrò modo idẽ Iſaias[l] alibi loquitur: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et Dauid[m]: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Et rurſus[n]: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.*

f ad Eph. ca. 2. 20.
g Dial. cum Tryphone.
h lib. 5. c. 17.
i lib. 4. In Iſaiam c. 49.
k In pſ. 109.
l cap. 2. 3.
m pſ. 2. 6.
n pſ. 109. 2.

III. Itaque cur Chriſtus dictus ſit lapis angularis, & ſummus, vtrumque explicatum eſt. Sed cur quæſo dicitur, electus? cur item pretioſus? Certè de Chriſto ita loquitur Iſaias[o], *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.* totam enim orationem illam pertinere ad Chriſtum, præter Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum, Theophylactum, teſtantur Euſebius[p], & Auguſtinus[q]. Et his omnibus tacentibus id apertiſſimè docet Matthæus[r]; qui totum eum locum ad Chriſtum refert, *Vt adimpleretur*, inquit, *quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem, Ecce puer meus, quẽ elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ.* Electus autem dicitur Chriſtus eo, quem ſuprà explicui, modo, & ob eaſdem rationes: pretioſus autem

o cap. 42. 1.
p lib. 9. demõſt. Euãg. cap. 15.
q lib. 20. de ciu. c. cap. 30
r cap. 12. 18.

appellatur à Petro, vt Isaiæ locum exprimat, in quo eadem vox legitur. Ea verò, nisi mea me coniectura fallit, valet ad id explicandum, quod idem Isaias alio loco [a], aliísque verbis expressit, *In ipso*, inquit, *complacuit anima mea.* Quod paulò aliter extulit Matthæus [b], eadem tamen retenta sententia; *In quo*, ait, *bene complacuit animæ meæ.* Etenim si vis Hebrææ, & Grææ loquutionis spectetur, non significat, vt non pauci existimarunt, quem vnicè diligo, aut quo vehementer oblector, aut denique in quo penitus conquiesco: sed in quo, aut potius Hebræa phrasi, per quẽ, humano generi placatus, aut reconciliatus sum, vel placari, vel reconciliari decreui: nam, vt aliàs monui, Hebræa vox, itémque Græca, à Septuaginta inuẽta hunc sensum necessariò postulant. Ideirco autem placatus est Deus, quia Christi merita, atque ipse adeò Christus magno æstimantur pretio, adeò vt, quod doctiores Theologi in scholis probant, pro totius humani generis noxis Deo Patri ex iustitia Christus Dominus cumulatissimè satisfecerit, atque adeò illum placatum mortalibus conciliarit.

a cap 42.1.
b cap.12.18

III. Quod sequitur apud Isaiam, *qui crediderit, non festinet*, paulò aliter, si verba spectes, expressit Petrus. *Qui crediderit*, inquit, *in eum, non confundetur*, hoc est, non pudefiet. quomodo etiã loquutus est Paulus [c]: Vterque enim Apostolus interpretationem Septuaginta sequutus est, sed, vt alibi [d] docui, Prophetæ sententia optimè constat: qui enim de rerum euentu sunt solliciti, & ruborem, ac dedecus meruunt, festinare solẽt, & tanquam dubij, atque anxij, nullam partem capiũt quietis: Apostoli negant ignominiam formidandam esse, ac propterea nihil esse, cur festinandum sit. Videtur autem hæc sententia eos potissimùm perstringere, qui cœlestia futuræ vitæ bona tamdiu differri, penè ferunt impatienter: quanquam Propheta proximè de Christi aduentu loqui videtur: suadet enim, vt Iudæi patienter expectent, neque de euentu vlla ratione dubitent. quomodo etiam loquitur Abacuc [e]: *Apparebit*, inquit, *in finem, & non mentietur; si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Cæterùm Apostoli iisdem verbis monent, vt fideles perceptam fidem constanter retineant, déque futura fœlicitate nihil dubitent, sed forti cõstantíque animo quicquid tolerandum erit, perferant, certi sua cuique præmia à iusto iudice reddenda: verissimè enim dixit Dauid [f]: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Exaltationes Dei in faucibus eorum.* Quippe tunc meritò vsurpabunt illa eiusdem Dauidis verba [g]: *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri.*

c ad Rom 9. 33.
d Loco citato in ep. ad Roman.
e cap.2.3.
f ps.149.5.
g ps.47.9.

7. *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*]

I. Rectè hoc loco Didymus, *Sicut Iesus*, ait, *cùm sit lumen, iterum ad iudicium venit in mundum, vt illuminaret eos, qui cæci erant, ante eius aduẽtum, & excæcaret, qui malè videbant: Sic etiam positus est ad ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, excitans eos, qui peccato corruerãt, & corruere faciens, qui in peccatis statum firmissimum possidebant. Sic cùm lapis electus, & honoratus sit, honorem præstat eis qui per fidem superædificantur in eo, fundamentum eorum robustissimum vehementer existens. Apud eos, qui non credunt, non honorabilis, sed offensionis est lapis, & petra scandali, cùm similes existant ædificatoribus, qui despexerunt eum.* Et profectò quemadmodum lux mirificè recreat eos, qui sanis oculis eam possunt intueri, at contrà lippis, atque ægris non leuiter obest; ita Christus lux mundi nonnullis quidem honorem, & gloriam, aliis autem perniciem, atque interitũ affert. quocirca apud Lucam [h] dicitur à Simeone *positus in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.* Alludit autem ad vaticinium Isaiæ [a]; *In laqueum*, inquit, *& in ruinam habitantibus Ierusalem.* quem locum mox Petrus indicat. Porrò non me latet verborum siue Isaiæ, siue Simeonis plures explicationes legi apud Origenem, & Theophylactum; argutas illas quidem, & ingeniosas, sed parum, vt arbitror, ad Lucæ aut Spiritus sancti mentem, cùm sensus simplex, facilis, atque expeditus sit, fore vt in aduentu Christi alij credentes salui fiant, quod est resurgere, alij non credentes pereant, & ad interitum ruant sempiternum. quæ est sententia Gregorij [b] Nazianzeni, Chrysostomi [c], Bedæ [d], Theophylacti [d], Euthymij [d]. Indicauit Paulus ad Romanos [e], qui alibi [f] simile quiddam dixit, *Christi*, inquit, *bonus odor sumus Deo in iis, qui salui fiunt, & in iis, qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Quo loco plura attulimus ex Chrysostomo, & Hieronymo.

h cap.2.34.
a cap.8.14
b Orat.19.
c Orat. de occur. Dom.
d Luc.12.
e cap.9.33.
f 2. ad Cor. 2.15.

II. Rectè autem hoc loco Didymus, *Nemo in se quidem, ait, miretur audiens, quoniam vna res aliis sit ad vtilitatem, aliis ad læsionem: videmus enim eundem cibum aliis quidem salutem, aliis afferre necem. Idem odor vnguenti aliis quidem nocet, atque mortificat, aliis prodest: sic & spiritualiter accipiendum est, quoniam Apostoli, Christi bonus odor sunt, aliis odor ex vita in vitam, aliis ex morte in mortem.* Vt autem semel dicam, sic etiam accipio, quod ait Christus [g], *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Siue enim de spirituali visu, ac cæcitate loquatur, siue de corporeo intuitu, & cæcitate disserat, vt Leontius. Chrysostumus, & Theophylactus monent, euentum duntaxat, & consequutionem, non caussam indicat: nam reuera Christus si per se spectetur, vera lux erat, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*: multorum tamen vitio factum est, vt quod salutem afferre poterat, ruinæ atque interitus occasionem præberet. Ita hoc loco Petrus ait: *Vobis igitur honor credentibus.* Pro honore autem Græcè dixit τιμὴ, quæ vox nõ solùm honorem, sed etiam pretium significat. Interpres autem priorem significationem, tanquam magis communem sequutus est, quam etiam probasse videtur Didymus, si fides interpreti habenda sit. Innuit autem Christum attulisse credentibus honorem, quia ipsius merito in Dei gratiam, atque amicitiam admissi sunt, de quibus ait Dauid [h], *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*: nam in hac quidem mortali vita ad filiorum adoptionem vocãtur, qua nihil maius, nihil honorificẽtius concipi, aut optari potest. *Videte*, enim, ait Ioãnes [i], *qualẽ caritatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.* in futura autẽ beatam immortalitatẽ consequentur.

g Ioan.9.39
h ps.38.17.
i ep.1.c.3.1.

III. Quocirca meritò illi apud Salomonem [k] stuporem suum, & tarditatẽ accusãt, quòd iustos aliquando irriserint, & contempserint; *Nos*, inquiunt, *insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Non ineptè autem posset quispiam pro honore pretium interpretari. Nam quoniam paulò antè dixerat, Christum esse lapidem pretiosum, Græcè ἔντιμον, nunc ait, *Vobis credentibus, fuisse pretium.* quo videlicet redempti estis, vt capite superiori dixerat, *De vana vestra conuersatione paternæ traditionis.* Nec enim dubium est, fidem, & gratiam iustificantem merito Christi concedi, atque ita capite superiori dixerat, *Pretioso Christi sanguine quasi agni immaculati*, fuisse redemptos: hanc porrò explanationem non obscurè iudicauit Oecumenius: ait enim cùm de Christo ageret, *Qui quidem credentibus vobis pretiosus est, non credentibus lapis offensionis efficitur.*

k Sap.5.4.

Non

IV. *Non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quippe in ædificio spiritali Ecclesiæ Dei, duos populos, quasi duos parietes coniunxit. Videtur autem Petrus, vt Beda, aliique existimant, Iudæos potissimùm perstringere, qui Christum Dominum insigni quadam perfidia perpulerunt, quos Paulus, & Barnabas in Actis Apostolicis [a] his verbis affantur, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus:* Id olim vtrumque in filiis Iacob [b] iudicatum est, qui Iosephum fratrem capitali odio prosequebantur, nec ferre poterant eius principatus omina, qui tamen deinceps verè fuit ipsorum Dominus, ac Seruator. Non aliter Christus frementibus licèt, atque indignantibus Iudæis, factus est in caput anguli, quia in spiritali Ecclesiæ ædificio primas tenet, & supremū quendam principatū ipso statim sui conceptus initio adeptus est: de quo ipse apud Dauidē [c]; *Ego autē constitutus sum Rex ab eo, super montē sanctū Siō.* Dixit autē Petrus Græcè, εἰς κεφαλὴν γωνίας, explicans quod paulò antè dixerat ἀκρογωνιαῖον; quocunque tandem modo lapis angularis accipiatur.

a cap.13.46.
b Gen.37.18
c psal.2.6.

V. At quanam ratione Christus non credentibus factus est in caput anguli, si illi neque pertinent ad ædificiū, neque ipsius imperio subiiciūtur? Oecumenius certè Petri verba ad hunc ordinē, ac sensum reuocat. *Ecce*, inquit, *pono in Sion lapidem summi anguli pretiosum, electum. & qui credit in ipsum, non erubescet, qui quidem credentibus vobis pretiosus est, non credentibus offensionis lapis efficitur, quem reprobauerunt quidem ædificantes, ipse autem in caput anguli euasit inter sese credētes connectens.* Nec multò aliter Didymus, qui addit hæc ab Apostolo dicta esse propter Scribas, & Pharisæos, qui Christum oppugnabant. Oecumenius verò ait, Christum factum esse *summi anguli lapidem, eo quòd duos parietes, qui paternam domum absoluunt, hoc est, Gentiles, & Iudæos, suo contactu connectit, & in vnam iuncturam constringit Iudæorum & inutiles hostiarum immolationes tollit, & Gentilium dæmoniacam superstitionem ad pietatem traducit.* Hoc porrò ipsum malè habebat Iudæos, quòd viderent Christi regnū in dies magis efflorescere: nā ipso etiam Christo viuente, eius gloriam ac nominis celebritatem ferre non poterant. Nam apud Ioannem [d]; *Quid facimus*, inquiunt, *quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrū locum, & gentem.* Post Christi verò in cœlū ascensum cùm signa ab Apostolis perpetrata vidissent, *Quid faciemus*, aiunt [e], *hominibus istis? Quoniam quidē notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Ierusalem. manifestum est, & nō possumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et vocantes eos denuntiauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu.*

d cap.11.47.
e Actor.4.16

VI. Cùm deinceps Constātinus Imperator Christianis sacris initiatus religionē amplificaret, atque illustraret, multique ex Iudæis Christo nomina darent, illi indignantes omni crudelitatis genere eos insectabantur, vt propterea Constantin. legem tulerit in hęc verba [f]: *Iudæis, & maioribus eorum, & Patriarchis volumus intimari, quod si quis post hanc legem, aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognouimus) ausus fuerit attentare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus cōcremandus.* Quantopere autem Christianorum fœlicitas Iudæorum animos perculerit, concitata seditio indicat, quæ ad apertam defectionem spectaret, de qua ita planè scribit Chrysostomus [g]; *Post hunc* (Adrianum intelligit) *sub Constantino rursus eadē aggressi sunt. At ille amputatis illorū auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorū, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia, & verberones corporibus mutilatis, conspicuos illos faciens omnibus, ac eos, qui per omnes regiones erant sparsi, erudiens, ne in posterum eadem conarentur.*

f li.1. de Iud. C. Theodos.
g Hom. 2. ad uers. Iud. to. 5

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

VII. Certè Origenes [a] testis est, Iudæos initio nascentis Christianæ religionis, *ad nostra doctrina notam, & infamiam disseminasse, Christianis puerum aliquem immolandi morem esse, cuius & carnem singuli degustarent. Insuper & id mendacio effinxisse, quemadmodum qui ex Christiana essent hac disciplina, cum ea, quæ in operto fiunt, facere vellent; extinctis luminibus ei, quem quisque nactus esset admiscerentur. Quæ infamia olim temere edita plurimos occupabat, qui essent ab hac fide alieni, persuasumque haberent istiusmodi iam esse Christianos. & ad id temporis sic fallit nonnullos præsumpta hæc, & praua opinio, vt ea de caussa Christianos auersentur ne vel simplicia cum eis ineant verba.* Penè eadem commemorat Eusebius [b]. quamobrem egregiè Petrus, *Non credentibus*, qui tanquam ædificantes lapidem reiecerunt, factum esse ait *in caput anguli*, quod eos malè haheat.

a lib.6. cont. Celsum.
b lib.4. hist. cap.7.

VIII. Certè enim hoc ipsum Christus Dominus apud Matthæū significare visus est, cùm dixit [c]: *Nunquam legistis in Scripturis, lapidem, quē reprobauerunt ædificātes, hic factus est in caput anguli?* Confestim autem subiicit, *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, & qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum.* Perstringit enim Iudæorū perfidiam, & mētis cæcitatē, de qua apud Ioannem [d] dixerat, *hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorū mala opera.* Quò etiā spectant illa apud Matthæū [e]; *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quē admodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Fuit quidem hæc Iudæorū impietas nō paucis Prophetarū oraculis prænunciata: nullā tamen aut diuina prænotio, aut vatum prædictio futuri euentus necessitatē attulit, quicquid olim Simon Magus, Marcion, & Manichæi, superioris denique sæculi hæretici callidè excogitarint.

c cap.21.42
d cap 3.19.
e cap 23.37.

IX. Rectè enim ait Hieronymus [f], loqui plerunque Deum *ambigentis affectu, vt cum apud Ieremiam [g] ait, Si fortè audiant, & agant pœnitentiam. Et apud Ezechielem [h], Si fortè vel ipsi audiat, & si fortè quiescant. Et apud Lucam [i], Forsitan filium meum verebuntur. idque vt liberum hominis monstret arbitrium, ne præscientia futurorum mali, vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum nouerit. non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere. quod ille præsciuit. sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille nouit futurū, quasi Deus.* Et Leo Pontifex [k], *Nunquid*, ait, *iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? & illud facinus, quod omni maius est crimine, manus diuina præparationis armauit? Non hoc planè de summa iustitia sentiendum est, quia multū diuersum, multumque contrarium est id, quod in malignitate Iudæorum est præcogitatum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi, nec de vno exiuit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo, quod faciendum esset, coegit, vt fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, vt fieret.* Plura in hanc sententiam acutè, vt solet, aduersus M. Tullium scribit Augustinus [l], tota verò totam copiosè explicant Theologi, de qua nos alibi nonnulla diximus. Subdit autem Petrus:

f Ezech.2.
g cap 26.3.
h cap.2.5.
i cap.20.13
k Ser. 16. de Pass. c.2. & 3.
l lib.5 de ciuit. dei. c. primo cap.

8. *Et lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt.*]

I. Hæc ex vaticinio Isaiæ [a] (a cap.8.14.) desumpta sunt. *Et erit*, inquit, *vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël: in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem: & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Quo testimonio Iudæorum perfidiam perstringit Paulus, cùm ad Romanos scribit [b] (b cap.9.33.), *Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Quanquam eo loco Paulus respexisse etiam videtur ad alium Isaiæ [c] (c cap.28.16) locum, vbi de angulari lapide loquitur Propheta, vt significet quod hoc loco ait Petrus, eundem esse angularem lapidem, & petram scandali, & lapidem offensionis. Igitur, interprete Oecumenio, lapidem offensionis, & petram scãdali Petrus ait fuisse Christum eorum respectu, *qui offendunt, & impingunt in verbum Euangelij, dum ei non credunt.* Hoc enim indicant Petri verba, *Hi*, ait, *qui offendunt verbo, nec credunt.*

II. Rectè autem duo Iudæis tribuit: siquidem ait eos in verbum, hoc est Euangelium impingere, quod alijs verbis explicuit Paulus [d] (d 1.Cor.1.23), cùm dixit, Christum crucifixum Iudæis esse scandalum. Deinde addit, eos non credere, quod plurimis etiã Gentilibus cõmune erat. Patiebantur autẽ Iudæi scandalum, ac propterea impingere dicebantur in Euangelium, quòd falsò sibi persuaderent priorẽ Christi aduentum fore conspicuum, atque externis bonis, ac diuitijs cumulatum: eúmque alia omnia in Christo cernerẽt, suósque improbos mores acriter perstringi animaduerterent, odio, atque inuidia in illum exarserunt: quod olim Ieremias [e] (e cap.11.19) his verbis expressit, *Et ego*, ait, *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia dicentes, Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eũ de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs.* Eorum autẽ perfidiam Christus ipse apud Ioannem [f] (f cap.15.22) grauissimis verbis castigat. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatũ non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et mox: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Vtroque ergo nomine grauiter peccant Iudæi, & quia impingunt in legem Euangelicam, eámque tãquam legi Mosis repugnantem magnopere detestantur; & quia tam multis signis, atque prodigijs ad fidem prouocati nunquam credunt. Et alterum quidem ab altero proficiscitur: nam quia impingũt, fidem abnegant, atque ita eorum perfidia hoc est detestabilior, quòd prauo, & contrario errore imbuti Euangelicam doctrinam aspernantur, cùm Gentiles, quòd fidei dogmatibus assensum non præbeant, aliqua ex parte rerum ignoratione excusari queant.

III. Quocirca rectè dixit Christus [g] (g Matth.10 15.), *tolerabilius erit terra Sodomorũ, & Gomorrhæorũ in die iudicij, quàm illi ciuitati*, loquitur autem de Iudæorum vrbe, quæ Euangelicam prædicationem nõ receperit, *Tolerabilius autem*, ait Hieronymus, *erit terra Sodomorũ, & Gomorrhæorum; quia Sodomis, & Gomorrhis non fuit prædicatum: huic autem ciuitati, quæ nõ receperit Euangelium, prædicatum sit, & tamen non receperit Euangeliũ.* Nec multò aliter Euthymius. *Sodoma*, inquit, *& Gomorrha, neque miracula viderant, sicut isti innumera, neque ad terrã illorum discipuli missi sunt.* Itaque B. Thom. negat peccatũ cũ peccato conferri, sed hoc adiunctũ diligenter expendi, quòd videlicet isti propositam sibi legem Euangelicã respuerint. Nam paulò antè dixerat idẽ Christus, etiam puluerẽ de pedibus excutiendum, ne quid fortè, vt ait Origenes [h] (h Hom.4.in Genes.), *pulueris resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum posset in die iudicij reseruari.*

IV. Et in eandem sententiã Hilarius, *In eos*, inquit, *qui audita cœlestis regni prædicatione, Apostolorũ præcepta respuerint, egressu, & signo pulueris pedibus excussis æterna maledictio relinquitur. Nescio, quæ enim insistentis loco, cum eo, in quo insisterit loco, videtur communio, & fit inter eos quædã corporis, solique coniunctio. Ergo omne domus illius, habitationisq́; peccatum intra ipsã excusso puluere pedum relinquitur, nihilque sanctitatis de insistentium Apostolorum vestigijs mutuatur, vt quorũ aditu, ingressúque delicta terrenæ originis auferuntur, eorum testimonio infidelitas, cum omni terra sua puluere indicetur.* Ita videas Iudæorum perfidiam mirum in modum exaggerari.

V. Addit autem Petrus, *In quo & positi sunt.* An perfidiam intelligit? Ita videtur sensisse Didymus. *Ad hoc enim*, ait, *hoc est, ad non credendum, & offendendum, in eo positos dicit eos, qui ab eius doctrina dissentiũt.* Eodémque modo loquitur Oecumenius. *Est verò*, inquit, *lapis offensionis ijs, qui offendunt, & impingunt in verbum Euangelij, dum ei non credunt, in quod & positi sunt.* Ne quis autem existimet Deum esse perfidiæ auctorem, continuò subdit: *Non quòd à Deo in hoc segregati fuerint: nulla enim caussa perditionis ab eo exhibetur, qui omnes homines fieri saluos vult; sed quod ipsi se ipsos ira vasa constituerint, ita vt incredulitas subsequuta sit, & in eo ordine, & statu, in quem se ipsi præparauerant, positi fuerint. Nam si liberi arbitrij est homo, vt vim inferre voluntati eius non liceat, non meritò conqueri quispiam potest, quòd eo statu à Deo fuerit dignatus, quem sibi suis operibus conciliauit.* Idémque fusiùs explicans Didymus. *Est autem*, ait, *positio, quæ positi sunt voluntaria initium non credendi gerens. Sicut enim mundus, qui in maligno positus est, non ex natura, sed ex passione propria positionẽ habuit in maligno; ita & de quibus sermo est, ad non credendum à semetipsis sunt positi, cognati existentes eorum, qui traditi sunt ad contumelias passionum, & reprobum sensum. Quia enim peccantes in multa patientia, eos portabat Deus, cõtemnentes benignitatem, & longanimitatem eius, post multam inuitationem, monitionem, doctrinámque reliquit eos secundùm propriam pergere voluntatem, quando alios quidem tradidit cœlesti militia deseruire, alios autem diuersis concupiscentijs cordis sui ad impudicitiam.*

VI. Itaque videntur hi duo auctores existimasse Iudæos positos dici ad non credendum, hoc est, excæcatos, atque obduratos fuisse, & in auersam, ac reprobam mentem traditos, ac propterea Euangelio fidem non habuisse. Quæ si probanda sit sententia, planè intelligimus, quod alibi copiosiùs docui, ita dici Deum excæcare, obdurare, & tradere in reprobum sensum, vt nullo modo sceleris, aut peccati auctor, vel caussa dici queat. Vt enim verè docuit Augustinus, auctore præsertim Paulo Apostolo, præcurrit aliquid in humana voluntate, vnde meritò cœlesti luce destituatur. Erant igitur Iudæi ad fidem diuinitùs vocati, mirisque modis legis, vt ita dicam, pædagogia, Prophetarum oraculis, Christi prædicatione, ac miraculorum magnitudine, Apostolorum denique opera, ac studio, ad eam complectendam prouocati; sed ipsi, vt scriptum est in libro Iob [a] (a cap.24.13), *Fuerunt rebelles luminis*; ac propterea in impietate, ac perfidia sua positi dicuntur. Nam, vt ait Paulus [b] (b epist.2.ad Cor.3.15.), *Vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

VII. Verùm tametsi hæc verissimè dicuntur, malim tamen Petri verba aliter accipere, vt participium Græcum ἀπειθοῦντες, quod Latinus interpres Latinè transtulit, *Nec credunt*, cum sequentibus hoc modo coniungatur, vt sit sensus, *Neque credunt Euangelio*, in quod & positi sunt, quasi dicat, ad quod percipiendũ instituti, & informati erant. omnis enim lex Mosis, omnes Prophetæ Iudæorum animos ad fidem Christi quodammodo præparabant. Ita enim ait Petrus in Actis Apostolicis [c], *Deus autem, quæ prænunciauit*

per

per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic impleuit. Et alibi [a]. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Eam ob caussam Paulus [b] legem ait fuisse pædagogum in Christo, vt ex fide iustificemur. Quoniam igitur Iudæi legis pædagogia instituti, atque eruditi erant, positi dicuntur ad credendum, vt videlicet Christum liberatorem, & humanæ salutis auctorem agnoscerent, ac venerarentur, illi tamen in Euangelicam doctrinam impingentes, in perfidia perstiterunt.

a Actor. 10. 43.
b ad Galat. 3. 24.

9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.*]

I. Vbi Petrus fideles à perfidis Iudæis seiunxit, & illis quidem honorem pollicitus est, his verò supplicium, atque interitum comminatus, redit ad fideles, eosque miris laudibus extollit, quod tanquam lapides viui Christo angulari lapidi fidei, & caritatis beneficio adhæserint. *Vos autem*, inquit, *genus electum:* alludit enim, vt opinor, ad verba Deuteronomij [c], *Te*, inquit, *elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Et in Exodo [d]; *Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium, de cunctis populis.* Quocirca Clemens Romanus [e]: *Audite hæc*, inquit, *ô laici, & Ecclesia Dei electa.* Electum autem genus vocat, non electione illa, quæ propria est prædestinatorum, quæque refertur ad beatam vitam, sed alia quadam electione, quæ potest esse, & re vera est, non paucis reprobis communis, qua eliguntur, & vocantur ad fidem.

c cap. 6. 7.
d cap. 19. 5.
e lib. 2. Constit. c. 25.

II. Tametsi enim multi audiunt doctrinam, & prædicationem Euangelicam, non omnes tamen credũt, quia non omnes eliguntur ad fidem. *Multi*, inquit Augustinus [f], *audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Et paulò antè [g] dixerat, *non quia credere, vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino.* Hæc autem electio, vt idem Augustinus affirmat, electio gratiæ nuncupatur, tum quia liberalis est, & gratuita, omnia prorsus humana merita anteuertens, tum quia gratiam tribuit, & iustificationem. Rectè itaque Petrus fideles ait genus esse electum, quod ad spiritalem Abrahæ posteritatem pertineant, quod non solùm ad Iudæos, qui Christi fidem complexi essent, sed etiam, vt docet Paulus [h], ad Gentiles, referendum est, *quia non filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine.* Et aliquantò pòst [i]: *Quos & vocauit, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus.* Vt enim scribit Clemẽs Alexandrinus, ex lapidibus, hoc est, idolorũ cultoribus, Deus immortalis germanos Abrahæ filios fecit. Interim autem eximium Dei beneficium commẽdat Apostolus, quod hos dicat à Deo fuisse electos, qui, vt ait Augustinus, non eligit dignos, sed eligendo dignos facit.

f de præd. Sanct. c. 6.
g cap. 5.
h ad Rom. 9. 7.
i vers. 24.

III. Addit, *Regale sacerdotiũ*, alludens ad Mosis verba [k], *Et vos*, inquit, *eritis mihi in regnum sacerdotale*; Sequutus est autem Petrus interpretationem Septuaginta, vt aliàs penè semper. Monet verò hoc loco Didymus multò aliter fidelibus regale sacerdotiũ tribui, quàm olim populo Iudaico regnum sacerdotale. *Secundum enim veterem dispositionem legis aliud*, inquit, *erat regnum, & aliud sacerdotale genus. Sacerdotale namque à Leui, Regale ex Iuda genere succedebat. Alter enim apud Hebræos regnabat, & alter Sacerdotium obtinebat. Post illam itaque constitutionem successit Euangelium, vnum & eundem Sacerdotem, Regémque constituens: Christus namque vtrumque est: ad eum namque dictum est* [a]; *Tu es Sacerdos in æternum. Et iterum* [b], *Ego suscitaui eum Regem cum iustitia. Sed & ipse de se dicit* [c]: *Ego autem constitutus sum rex ab eo, hoc est, à Deo.* Eodem planè modo loquitur Oecumenius: *Non enim, inquit, ob Abraham in regale Sacerdotium fuistis electi. qui enim ex ipso progressi sunt, Sacerdotium à rege distinctum habuerunt. Non estis igitur per Abraham gens sancta, & genus electum, & in regale Sacerdotiũ, segregati: nihil enim horum Abrahæ dictũ est, sed per Christum estis, qui & Sacerdos iuxta ordinẽ Melchisedech, & rex mãsuetus, iustus, & salutem afferẽs, & super pullũ asinæ inscẽdens appellatus est. Ex ipso igitur qui vtraq; hæc habuit, per sanctum baptisma regenerati, meritò & genus electum appellamini, & regale Sacerdotium.*

k Exodi. 19. 6.
a Psal. 109. 4.
b Isaiæ 45. 13.
c Psal. 2. 6.

IV. Videtur autem Petrus allusisse ad sacram vnctionem, qua in baptismo inungimur, cùm olim vnctio regibus, & Sacerdotibus adhiberetur. Regale autem Sacerdotium appellat; Græcè, βασίλειον ἱεράτευμα, quasi dicat Sacerdotium regia dignitate conspicuum; cùm Christus, & Rex esset, & Sacerdos, vtriusque dignitatis participes efficit. Itaque rectè ait Leo Pontifex [d], *Omnes enim in Christo regeneratos crucis signum efficit reges, sancti verò Spiritus vnctio consecrat Sacerdotes, vt præter istam specialem nostri ministerij seruitutem, vniuersi spiritales, & rationales Christiani agnoscant se regij generis, & Sacerdotalis officij esse consortes. Quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum, corporis sui esse rectorem? Et quid tam Sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis afferre?* Et re vera regiam dignitatem illi maximè imitantur, qui sibi nouerint imperare: acutè enim, ac verè dixit quidam [e]:

d Serm. 3. de anniuers. suæ assumpt.
e Claudian.

Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Si poteris Rex esse tui.

Eam ob caussam Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, vt auctor est Plutarchus [f], *illud sibi cum primis gloriæ ducere solebat, quod Rex cùm esset, cæterisq; consilio prospiceret, nihilo secius in laboribus obeundis nemini cederet, quodq; sibi imperaret, sibiq; (vt ita loquar) Rex esset, id pulchrius esse iudicabat, quàm quod regnum obtineret in alios.* Et sapienter Seneca [g]: *Si vis*, inquit, *tibi omnia subiicere, te subiice rationi: multos reges, si ratio te rexerit.*

f in Apoph. Laconic.
g epist. 37.

V. Sacerdotium porrò non perinde accipit Petrus, vt recentiores hæretici falsò comminiscuntur, quasi vulgò omnibus liceat vero Sacerdotio fungi, cùm vt ex Leone Põtifice paulò antè docuimus, mysticum, & spiritale Sacerdotium fidelibus tribuat; de quo Origenes [h]: *Omnes enim*, inquit, *vos Sacerdotes Domini estis, & ad te enim dicitur, Gens electa, regale Sacerdotium, populus in acquisitionẽ. Si ergo vis Sacerdotiũ agere animæ tuæ, nunquam recedat ignis de altari tuo. hoc est, quod & Dominus in Euangelijs præcipit, vt sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ vestræ ardentes. semper ergo tibi ignis fidei, & lucerna scientiæ accensa sit.* Et plura deinceps. Et alibi [i] planius, *Omnes enim, ait, quicunque vnguento sacri chrismatis delibuti sunt, Sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem dicit Ecclesiam, vos autem genus electum, & regale Sacerdotium, gens sancta. Estis ergo genus Sacerdotale, & ideo accedatis ad sancta. sed & vnusquisque nostrûm habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, vt semper ardeat.*

h Hom. 4. in Leuit.
i Hom. 9. in Leuit.

VI. Deinceps autem plura recenset mystici holocausti genera: *Ego, inquit, si renunciem omnibus, quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei, aut si tradidero corpus meum, vt ardeam habens caritatem, & gloriam martyrij consequar, holocau-*

A *ſtum me ipſum obtuli ad altare Dei. Si diligā fratres meos, ita vt animam meam ponā pro fratribus meis, ſi pro iuſtitia, pro veritate vſq; ad mortem certauero, holocauſtum obtuli ad altare Dei; Si membra mea ab omni concupiſcentia carnis mortificauero, ſi mundus mihi crucifixus ſit, & ego mundo, holocauſtum obtuli ad altare Dei, & ipſe mea hoſtia Sacerdos efficior: hoc ergo modo Sacerdotium geritur.* Eadem ratione ſpiritale Sacerdotium interpretātur Clemēs[a] Alexandrinus, Athanaſius[b], Hilarius[c], Ambroſius[d], Proſper[e], aliique non pauci. Ab hoc autem Sacerdotio nulla ætas, nullus ſexus excluditur. Nec dubitandum eſt eodem modo & regnum, & Sacerdotium accipere Ioannem, cùm in Apocalypſi dixit[f], *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.* Et in eodem libro vigintiquatuor ſeniores, & quatuor animalia, *Feciſti*, inquiunt, *nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, &* B *regnabimus ſuper terrā.* Denique de beatis[h], *Erūt*, ait, *Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabūt cum illo mille annis.*

a Orat. ad gent. b Homil. de ſemen. c in Pſal. 118. d Pſal. 118. octon. 6. e lib. de vocat gēt. c. 6. f cap. 1. 6. g cap. 5. 10. h cap. 20. 6.

VII. Itaque Petrus paulò antè apertè dixerat, *Sacerdotium ſanctum ad offerendas ſpirituales hoſtias.* Et Auguſtinus[i] explicans Ioannis verba modò allata, *Non vtique*, ait, *de ſolis Epiſcopis, & presbyteris dictum eſt, qui propriè iam vocantur in Eccleſia, Sacerdotes, ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus, propter myſticum chriſma, ſic omnes Sacerdotes, quoniam membra ſunt vnius Sacerdotis, de quibus Apoſtolus Petrus. Plebs, inquit, ſancta, regale Sacerdotium.* Et in eādem ſententiam Eucherius, *Sacerdos*, inquit, *ab eo nomen accipit, quòd ſacrum prabere ducatū minoribus debeat, Quo nomine vtiq; cenſentur omnes, qui altitudine recta conuerſationis, ac doctrina ſalutaris eminent; nec ſibimetipſis tantummodo, ſed pluribus proſunt.* C *Omnes ſumus membra ſummi Sacerdotis Ieſu Chriſti.*

i lib. 20. de ciuit. c. 10.

VIII. Et ante vtrumque Tertullianus[k]; *Chriſtus*, ait, *Sacerdotes nos Deo, & Patri fecit*: alludit enim ad verba Ioānis in Apocalypſi, ait autem, *nónne & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt regnum quoq; nos, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit.* Et alibi[l], *Sed cum extollimur, inflammamur aduerſus clerum, tunc vnum omnes ſumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo, & Patri fecit.* Sed perperam hæreticorū princeps[m] hunc locū Petri alioſque perſimiles, de vero Sacerdotio explicat, vt cunctis abſque vllo diſcrimine ſacrorum tribuat poteſtatem: cui tamen ea aduerſo obluctantur Caluiniani, qui nullo vnquam tempore laicis Sacramenti vllius adminiſtrationem permittunt. ita videas veriſſimè à Poëta dictum eſſe: D

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt.

k in Exhor. ad caſt. c. 7. l lib. de monogam. c. 12. m Lutherus.

Vtrique enim cæco errore deluſi magnoperè falluntur. Nam & baptiſmum, ſi res neceſſariò poſtulet, etiam laici, atque adeò fœminæ rectè adminiſtrant, & nemo, qui non ſit ritè initiatus ius ſacrorum, aut Sacerdotij poteſtatem ſibi poteſt arrogare.

IX. Neque verò ferenda eſt aliorum quorundam hæreticorum improbitas, qui cùm non negent hoc loco agi de myſtico, ac ſpiritali Sacerdotio, impiè tamen mentiūtur Romanos Pontifices, ac cæteros Eccleſiæ Sacerdotes, id ſibi per ſummam arrogantiam priuatim vſurpare, quod eſt omnibus fidelibus commune: nam cùm nemo Catholicus inficietur, fideles omnes, præſertim iuſtos, eſſe myſticos, ac ſpiritales Sacerdotes, fatentur tamen verè, ac propriè initiatos, & hoc E nomine appellari, & ſacro munere fungi. Ita Leo Pontifex vtrumque expreſſit[n], cùm dixit, *Vt præter iſtam ſpecialem noſtri miniſterij ſeruitutem, vniuerſi ſpiritales, & rationales Chriſtiani agnoſcant ſe regij generis, & Sacerdotalis officij eſſe conſortes.* Seruitutem enim officij ſui vocat verum, ac proprium Sacerdotium, cunctos verò myſtici Sacerdotij, & regni participes eſſe affirmat.

n Serm. 3. de anniuerſ. ſuæ Aſſump.

X. *Gens ſancta.* Hic etiam titulus meritò fidelibus tribuitur. Ea enim eſt baptiſmi vis, ac poteſtas, vt quantùm in ipſo eſt, veram initiatis tribuat ſanctitatem. Quamobrem Paulus Apoſtolus cùm præterita infidelium vitia recenſuiſſet[a], *Sed hæc*, inquit, *aliquando fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Sæpe autem aliàs baptiſmo luſtratos Sanctos appellat, ſiue quia vera ſanctitate præditi ſunt, ſiue quia ad complectendam ſanctitatem inuitantur, ſiue denique quia Deo quodam modo dicantur, eiúſque diuino cultui mancipantur. Addit Didymus, Sanctos meritò appellari Chriſtianos, *quia ab eo vocati ſunt, qui verè ſanctus eſt, vt & ipſi ſancti ſint.* Porrò hæc verba ex libro Exodi[b] deſumpta ſunt, *Et vos eritis mihi*, ait, *in regnum Sacerdotale, & gens ſancta.*

a 1. ad Cor. 6. 11. b cap. 19. 6.

IX. Subdit prætereà Petrus, *Populus acquiſitionis*; Græ- B cè, λαὸς εἰς περιποίησιν, quaſi dicat, *Populus, qui in lucrum acceſſit*, vel, *qui lucro appoſitus eſt*. Nam, vt ait Didymus, *acquiſitio ex iis fit, quæ ſuſcipiuntur, non quæ proiiciuntur.* Syriacus tranſtulit, *Congregatio redempta*, vt videatur Petrus ad eundem Exodi locum alluſiſſe. Ait enim Dominus, *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis.*

XII. Quærit autem hoc loco Didymus, quo modo, *dum ex omnibus gentibus ſint vocati fideles, vnam gentem ſanctam eos eſſe dixerit. Et dicendum*, inquit, *quia forſan, licèt ex diuerſis gentibus ſint vocati, tamen eo quòd reſpuerint omnem vanitatem propter quam gentes diſperſæ videbantur, & ſuſceperint voluntatem vnam, eandémque mentem vnam reſpicientes, vnique diſciplinam, & fidem vnam,* C *quando anima[c], & cor vnum ſit omnium credentium, ideo vna gens dicti eſſe noſcuntur.* Poſſis etiam populum acquiſitionis interpretari, populum acquiſitum, aut comparatum, ita enim Hebræi loquuntur, vt alibi monui. Ita Paulus in Actis Apoſtolicis[d], *Attendite*, inquit, *vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, vt tacitè indicare velit Petrus, quod ſuperiori capite dixerat, fuiſſe fideles pretioſo Chriſti ſanguine redemptos, & in vnam Eccleſiam conuocatos.

c Act. 4. 32. d cap. 20. 28.

XIII. Rectè porrò docet Oecumenius, acquiſitionem hoc loco idem valere, quod poſſeſſionem, atque hæreditatem: *Omnes enim*, ait κτίσμα *hoc eſt, creatura Dei ſunt; κτῆμα verò, id eſt, poſſeſſio, ſoli illi, qui per bonam ſuam* D *operationem digni ea re fuerint. Propterea* inquit, *electi fuiſtis, vt per obedientiam, & bona veſtra opera præcones virtutis eius, qui vos vocauit, dicamini.* Quocirca rectè monet hoc loco Didymus, hoc electionis, & vocationis beneficium, non naturæ bonitate niti: quod autem ſubdit, *quod eligitur, virtutis munere poſſidetur*, non perinde accipio, quaſi Deus cuiuſquam virtutem, aut merita ſpectarit, dum quoſdam ad fidem, & gratiam elegit; ſed tātùm indicat non habitam fuiſſe rationem naturalis conditionis, aut bonitatis, ſed poſſideri, hoc eſt, probari virtutis munus, non quod quiſquam propriis viribus præſtet, ſed quod diuina munificentia, ac liberalitate adeptus ſit: niſi quis malit, quod video placere nonnullis, electionem à Didymo referri ad gloriam, quæ profectò meritis deſti- E natur: ſed ipſa merita gratiæ beneficio tribuuntur, idcirco verè dantur, quia complacuit cœleſti Patri prædeſtinatis regnum largiri: ita enim loquitur Chriſtus[e]: *Nolite timere, puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Hinc rectè colligas, fideles priuato quodam iure ad Deum pertinere: ita enim ſcribit Paulus[f], *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Et alibi[g]; *Non eſtis veſtri: empti enim eſtis pretio magno.*

e Luc. 12. 32. f 1. ad Cor. 3. 23. g 1. ad Cor. 6. 19.

XIV. *Vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Græcè autem dixit Apoſtolus,

stolus, *τὰς ἀρετὰς*, quo nomine significantur virtutes, quæ vel mentem, atque intelligentiam ornant, vel ad mores referuntur: vtitur autem hac voce Petrus semel, atque iterum in posteriori Epistola [a]. Et Paulus semel in Epistola ad Philippenses [b], *Si qua virtus, ait, si qua laus disciplinæ*, &c. Vbi Græcè est vox *ἀρετή*, à qua putat Augustinus [c] apud Latinos ductum esse nomen artis, quod ante illum dixerat Donatus [d]. Non satis autem liquet, quas hoc loco virtutes intelligat Petrus. An Dei virtutes significat, quæ in ipso Deo insunt? Sapientiam videlicet, bonitatem, iustitiam, misericordiam, liberalitatem, & id genus alia sexcenta, quæ Theologi in scholis attributa, & perfectiones appellant? vix credo hæc quisquam virtutis nomine censeat. Sunt enim quiddam diuinius, ac præstantius, quam vt choro virtutum includi queant: virtutem enim ferè definiunt Philosophi, honestum, ac laudabilem habitum, vsu, & consuetudine partum: quicquid autem inest in Deo, non ei accessit ex tempore, sed penitus à natura insitum est illi, &, vt veriùs loquar, idem prorsus cum ipso est. An Dei virtutes nominat, quas ille iustis diuinitùs impertit? Sic prorsus opinor: eas enim virtutes non tam voce & oratione, quàm vita, & moribus celebrare, atque exprimere necesse est. Quod dum facimus, Deum nostris quodammodo laudibus mirificè nobis conciliamus. Quod, ni fallor, indicauit Dauid, cùm dixit [e], *Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cœli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.* Et alibi [f]: *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Et Isaias [g]: *Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.*

a cap.1. & 2.
b cap. vlt. 8.
c lib. 4. de ciuit. c. 21.
d in Andr. Teren.
e Psal. 21. 32.
f Psal. 101. 19.
g cap. 43. 21.

XV. Nihil enim honorificentius, aut gloriosius de diuina bonitate, sapientia, potentiaque, prædicari potest, quàm quòd hominum mentes, ac voluntates immutet, & omnibus sceleribus conspersos omni penitus labe cœlestis suæ gratiæ beneficio purgatos, Christianis virtutibus perpoliat, atque perficiat. Nec dubito hoc voluisse mysticè significare Isaiam, cùm de futura Ecclesia vaticinans dixit [h], *Quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci, & erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur. non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Ita enim locum explicat Hieronymus, *In cubilibus*, inquit, *animarum Gentilium, in quibus priùs dracones habitabant, erunt calamus & iuncus, quibus scribatur fides Domini.*

h Isaiæ c. 35. 7.

XVI. Et eleganter Cyrillus Alexandrinus sequutus Septuaginta, qui pro eo, quod Latinus interpres dixit, *Orietur viror calami, & iunci*, transtulerunt, *Erit ibi lætitia auium, & caula gregum. Aues*, inquit, *hic dicit eos, qui vltra res terrenas euolant, & qui alti sunt propter virtutem, &, quæ suprà sunt, sapiunt, hi gaudent Christo tanquam fonte, qui effecit desertum caulem arundinis, & paludes. Semper namque aquosa loca paludibus quasi ornari solent, & Ecclesia gentium cœlesti riuo ditata, & diuinis charismatis rigata, & doctrina Sanctorum affluens, & quasi luxurians, nutrix est paludum, id est, in Christo florentium ad vitam æternam per sanctificationem.* Et aliquantò pòst: *Olim siquidem, ait, gentes errabant, lignis, & lapidibus seruientes, & obliquis viis insistentes: nunc autem discent rectam viam, & puram ad sanctam vitam adducentem.* Et paucis interiectis, subdit: *In hac ergo via pura, per Christum redempti, & congregati per fidem in vnam animorum consensionem coibunt, & via veteri omissa conuertentur, & venient in Sion, id est, Ecclesiam, habentes & in terra, & in cœlo ingens lætitiam. Laudibus igitur vehent Deum, qui seruauit.* Et multa deinceps. Itaque Petrus Dei virtutes celebrari vult, quas videlicet ille diuinitùs in suorum electorum animos inserit, & insertas excolit, & conseruat.

XVII. *Qui de tenebris*, ait, *vos vocauit in admirabile lumen suum.* Tenebras sanè pristinam cæcitatem, atque inscientiam, adde etiam impuros, & flagitiosos mores, vocat: Ita enim loquitur Isaias [a]: *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Quod *quidem*, vt ait Hieronymus, *spiritualiter impletur, & carnaliter, vt Reges, quorum cor in manu Domini est, & quibus non regnat peccatum in mortali corpore, ambulēt in splendore nascentis Ecclesiæ, siue in eo, qui ortus est in Ecclesia, & veri Regis Christi fidei colla submittant. quod quotidie videmus expleri, quando idololatriæ errore sublato, & persequutionis rabie ad fidem, ac tranquillitatem Christi Romani Principes transeunt.* Eodemque modo locum explicat Cyrillus.

a cap. 60. 2.

XVIII. Obseruat autem Oecumenius honorificas appellationes, quas paulò antè indicauerat, inde ortas esse, quòd Deus immortalis sua benignitate, & misericordia fideles complexus, eos à tenebris in admirabile suum lumen vocauit; vt ipsi eandem lucem cæteris præferentes, diuinas laudes celebrent. quod, vt idem Oecumenius subdit, tum demum fit, cùm id re ipsa præstatur, quod Christus apud Matthæum, his verbis expressit [b]: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrũ, qui in cœlis est.* Et Petrus ipse non ita multò pòst insinuat, cùm ait; *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.*

b cap. 5. 16.

XIX. Hoc ipsum, ni fallor, significat Paulus, cùm ad Romanos scribit [c], *Nox præcessit, dies autē appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominũ Iesum Christum.* Et ad Ephesios [d]: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate.* Mirabile porrò lumen vocat, vt ego quidem interpretor, fidem, quæ omnium errorum tenebris discussis cœlestia mysteria aperit, ostenditque, quàm honesta, & laudabilia sint Christianæ virtutis, ac pietatis studia, quæ olim aspera, difficilia, atque horrida videbantur. Id suo exemplo confirmat Augustinus [e]. Cùm enim aduersùs pristinam consuetudinem, & voluptatum illecebras strenuè luctaretur, subitò ait, *aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum.* Et multa deinceps.

c cap. 13. 12.
d cap. 5. 8.
e lib. 8 Confess. c. 11.

XX. Quamobrem Baptismus, quod est Sacramentum fidei, illuminatio à sanctis Patribus nũcupatur, & Baptismo lustrati eandem ob caussam dicuntur illuminati, eandemque metaphoram sequutus Dionysius Areopagita, multa præclarè de Baptismo disserit; & quidem Baptismũ alicubi vocat lucis principium, & largitorem: neque aliter loquitur Gregorius Nazianzenus, vt aliàs monui.

10\. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti.*]

I. Testimonio Oseæ confirmat eos, ad quos scribit, fuisse electos à Deo, cùm aliquando ab eo fuissent alieni.

a cap.2.23. alieni. Vaticinium porrò Oseæ [a] in vulgatis codicibus ita habet: *Miserebor eius qui fuit absque misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu.* Certè Paulus [b] hæc verba de Gentilium conuersione apertè accipit. Nam cùm dixisset, vocasse Deum plurimos, tum ex Iudæis, tum etiam ex Gentilibus, hoc posterius, quod difficilius, minúsque credibile videbatur, Oseæ suffragio firmat. *Sicut*, inquit, *in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco, vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei.* Sic autem Paulum explicant Chrysostomus [c], Ambrosius, Theophylactus, Oecumenius, Theodorus, Anselmus, quin etiam Hieronymus [d], Prosper [e], & Augustinus [f]. Qua igitur ratione Petrus eundem Prophetæ locum ad Iudæos transfert? Cæterùm quanquam Eusebius [g], Didymus, Oecumenius, alijque non pauci hanc Epistolam ad Hebræos scriptam esse contendunt, suprà tamen docui non excludi Gentiles, siue qui indigenæ essent, siue qui in iis regionibus peregrinarentur, ac veluti extorres in exilio viuerent, vt affirmant Augustinus [h], Beda, & alij. Et profectò Prophetæ verba Iudæis nequaquam congruunt: neque enim illi ante Christi aduentum vllo vnquam tēpore dicti sunt non populus Dei, cùm semper etiam in Babylonica seruitute, ad eandem temp. & Dei populum pertinerent.

b ad Rom. 9.25.
c Tum in illum locum, tum in Psal. 32. & 116.
d ep. ad Hedib. q.10.
e lib. 2. de vocat. gent. c.18.
f lib. 1. ad Simp. sub finem lib 84. cōtra Faust. c.89. lib. 18. de ciu. c. 28.
g lib. 3. hist. c 4.
h lib. 22. cōtra Faust. c. 89. & lib. 18. de ciui. c. 28.

II. Fateor quidem Iudæos, qui Euangelicæ prædicationi acriter obstiterunt, potuisse non populum Dei appellari: & si de illis loquatur Petrus, non malè Prophetæ verba per accommodationem vsurpat. C Quanquam verosimilius est, eum non aliter ac Paulum, Gentiles potissimùm alloqui, vt quod locis indicatis asserit Augustinus, vterque Apostolus Oseæ vaticinium de Gentilium cōuersione interpretetur. *Hoc*, inquit, *testimonium Propheticum de vocatione populi gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, etiam Apostoli intellexerunt.* numero autem multitudinis, cùm Apostolos nominet, proculdubio Petrum, & Paulum significat, quos ait eadem mente Prophetæ locum explicuisse. Et profectò Gentiles, qui vera Dei cognitione, cultuque carebant, rectè dicuntur esse non populus. Vt enim obseruauit Augustinus [i], populum definiuit M. Tullius cœtum multitudinis iuris consensu, & vtilitatis communione sociatum. Vnde colligit Augustinus, non posse sine iustitia remp. geri, D tum subdit, *Vbi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse: quod enim iure fit, profectò iustè fit: quod autem fit iniustè, nec iure fieri potest: non enim iura dicenda sunt, vel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicāt, quod de iustitiæ fonte manauerit; falsúmque esse, quod à quibusdam [k] non rectè sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui plus potest, vtile est. Quocirca vbi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse, & ideo nec populus iuxta illam Scipionis, vel Ciceronis definitionem.*

i lib. 19. de ciuit. c. 21.
k Trasimac. apud Platō. lib. 1. de rep.

III. Quæ quanquam acutè, atque ingeniosè à sanctissimo, doctissimoque viro disputantur, crediderim tamen Prophetam, & Apostolos significasse tantùm Gentiles à populo Dei fuisse alienos: ac proinde dicuntur, non populus, vt subaudiatur vox, Dei, quæ E mox subiicitur, cum subdit Petrus, *nunc autem populus Dei.* Fateor tamen non rarò in Scripturis infideles perinde describi, quasi non sint. *Ecce Gentes*, inquit Isaias [l], *quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt. Ecce insulæ, quasi puluis exiguus.* Paucis autem interiectis [m], *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Et planiùs in libro Esther [n] hunc in modum sanctissima fœmina orat, *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram.*

l cap. 40. 15.
m vers. 17.
n cap. 14. 11.

A Intelligit autem Amanum, cæterósque barbaros, qui Iudæorum internecionem meditabantur. Itaque Gentiles vbi Christo nomina dederint, & Christianam religionem complexi fuerint, & ad populum Dei pertinent, & in Ecclesia Dei recensentur, & incipiunt quodammodo esse, & inter Dei filios numerari.

IV. Porrò Didymus cùm Petri verba de Gentium conuersione apertè explicat, tum addit, *nullo modo posse eorum errori accommodari, qui naturarum diuersitatem adstruunt, quandoquidem qui erant à Dei populo alieni, diuinæ reipublicæ iura assequuntur, nec potest natura per se mala vllam aliquando assequi bonitatem. hic verò, qui aliquando fuit non populus, verè Dei populus nominatur, & est:* ac proinde ex eodem Propheta B addit Petrus, *qui non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti.* Gentiles enim tametsi diuinæ beneficentiæ, ac liberalitatis non erant penitus expertes, ab ea tamen misericordia erant alieni, de qua Paulus [a], *Secundùm suam misericordiam*, ait, *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quē effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorē nostrum.* Nam, vt scribit Leo Pōtifex [b], *inter omnia opera misericordiæ Dei, quæ ab initio saluti sunt impensa mortalium, nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quàm quòd pro mundo crucifixus est Christus.* Et alibi [c]: *Caussa autem reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, & tenebras ignorantiæ nostræ sua veritatis luce discuteret.*

a ad Tit. 3. 5.
b Serm. 3. de pass. c. 1.
c Serm. 1. de ieiun. 10. mens.

V. Hanc credo magnam misericordiam appellat Da- C uid, cùm ait [d], *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Neque alio spectasse videtur Ieremias, cùm dixit [e], *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.* Cùm igitur Gentiles verum Dei cultum ignorarent, & Iudæi post Christi in cœlum ascensum, fidem, religionemque Christianam miris modis oppugnarent, vtrique hac Dei misericordia carebant. Christianis autem sacris initiati, vtrique amplissimam misericordiam consequuti sunt. Nititur autem hac ratione Petrus fidelibus persuadere, vt tam singulari, diuinoque beneficio ea, qua par est, grati animi significatione respondeant: eademque opera eorum animos ad subsequentem adhortationem præparat. Ait autem

d Psal. 50. 1.
e Thren. 3. 22.

D 11. *Carissimi, obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam.*]

I. Inculcat, quod superiori capite, & huius secundi initio indicauerat. Iniiciendum videlicet esse prauis, atque impuris cupiditatibus frænum, quod ea res sit imprimis ad Christianæ virtutis fastigium assequendum non opportuna modò, sed etiā necessaria: quod vsque adeò verum est, vt ne ipsi quidem philosophi Gentiles id ignorarint: constat enim apud Plutarchum [f], *ad exercendam iustitiam vtile plerumque esse, etiam ab honestis, atque aliàs permissis abstinere.* Vt autem hæc oratio blandiùs acciperetur, carissimos appellat, & addit obsecrandi verbum: nam, vt ait Didymus, *pro-* E *pter diuinam pietatem digni sunt, vt amentur; itaque ait Petrus, quoniam præcipuo circa vos affectu constringor, obsecro, ac inuito, vt abstineatis à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam, & inimicitias habent aduersùs eam.* Obseruat autem Oecumenius Græcè dixisse Petrum ἀγαπητούς, quod significat propriè *diligibiles, amabiles, & caros*, non autem ἠγαπημένους, id est, propriè *dilectos*, vt ostendat eos plurimis esse bonis præditos, & amore, ac beneuolentia dignos, cùm alioquin amari possint quidem, qui sint amore, & caritate indigni.

f lib. de curiosit.

Prudenter

II. Prudenter autem vocat illos Petrus aduenas, & peregrinos, vt inſinuet hoc ipſo oportere illos à rebus caducis, ac mortalibus abſtinere: neque enim aduenæ, & peregrini in alieno ſolo, cùm ad patriam feſtinent, delicijs, ac voluptatibus indulgent. Diximus autem ſuprà [a] cunctos mortales aduenas eſſe, & peregrinos, cùm reuera cuncti quaſi in aliena regione tantiſper detineamur, quoad migrandum nobis ſit. Verè enim dixit alicubi Seneca [b], *Omnes reſeruamur ad mortem: totum hunc, quem videmus populum, quouſque cognas eſſe? citò natura reuocabit, & condet, nec de re, ſed de die quæritur, eodem citiùſve, tardiùſve veniendum eſt.* Et alibi [c] acutè eos deridet, qui ita rebus creatis adhæreſcunt, quaſi iis perpetuò perfrui queant. *Cæterùm, ait, iam improbi ſunt, tamque obliti, quò eant, vt mirentur aliquid ipſos amittere amiſſuri vno die omnia. quicquid eſt cui Dominus inſcriberis, apud te eſt, tuum non eſt. nihil firmum infirmo. nihil fragili æternum inuictum eſt.*

a cap. 1. 1.
b lib. 1. nat. quæſt. c. 59.
c epiſt. 99.

III. Abſtinendũ autem monet à carnalibus deſideriis, σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν. Carnalia porrò deſideria ampliſſimè vocat ea, quæ ab innata praua cupiditate oriuntur, quæ rationis imperium anteuertunt, eíque luminibus obſtruũt, ſiue honores, ac dignitates, ſiue opes, ac diuitias, ſiue denique delicias, ac voluptates appetant. Hæc enim omnia carnalibus deſideriis quæruntur, &, vt ait Apoſtolus Paulus [d], inter opera carnis recenſentur; idémque paulò antè [e] vniuerſim ait, *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Syriacus hoc loco tranſtulit, *Abſtinere vos à concupiſcentiis corporis*: Sed nimis, vt arbitror, anguſtè: multò enim latiùs in ſacris literis patet caro, quàm corpus. Et ille ipſe locus Pauli, quem modò indicaui hoc apertè docet: inter opera enim carnis recenſentur, *idolorum ſeruitus, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ*, quæ proculdubio ortum habent ab animo prauè affecto, vt videatur Petrus carnis nomine ſignificaſſe fomitem, qui in libro Geneſeos [f] his ferè verbis deſcribitur: *Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Perinde igitur eſt, ac ſi dicat Petrus, prauas omnes cupiditates ſedulò comprimendas, ac frænandas eſſe, vt quamuis plerunque nobis inuitis excitentur, illico tamen ad lineas reuocentur, & rationis imperio repugnantes licèt, & contrà nitentes, ſubiiciantur.

d ad Gal. 5. 19.
e verſ. 17.
f cap. 6. 5. & cap. 8. 2 c.

IV. Cùm autem poſſet Apoſtolus iure ſuo, próque ſui muneris ratione præcipere, atque imperare, maluit tamen (quod eſt Apoſtolicæ modeſtiæ) obſecrare. Sic Paulus ad Philemonem [g] ait, *Fiduciam habens imperandi tibi, quod ad rem pertinet, magis obſecro.* Et alibi [h]: *Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.* Rurſus [i]: *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.* Intelligebant enim viri ſanctiſſimi, plus poſſe modeſtam adhortationem in animis fidelium proficere, quàm inſolens imperium. Sic enim natura comparatum eſt, vt faciliùs hominum animi blanda prece flecti ſe, ac vinci patiantur, quàm duris, ac ſeueris imperiis.

g verſ. 8.
h 2. ad Cor. 5. 20.
i ad Epheſ. 4. 1.

V. Tametſi autem non præcipit, aut imperat, ſed obſecrat; duplici tamen argumento perſuadere nititur effrænatas cupiditates domandas eſſe: Eorum alterum à communi hominum conditione deſumitur: ſunt enim cuncti mortales aduenæ, & peregrini, vt propterea neceſſe ſit eos caducis, mortalibúſque bonis neglectis, cœleſtia, atque diuina ardenter appetere. Alterum verò ab ipſarum cupiditatum natura, & conditione petitur, atque idcirco ſubdit, *Quæ militant aduerſus animam.* Nam, vt paulò antè dixi, ex Pauli Apoſtoli ſententia, *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur.* Nam, vt ſcribit Didymus, *alia anima, & alia carnis*

A *ſubſtantia eſt, illa ſiquidem incorrupta, & immortalis, incorrupta, immortaliáque deſiderat, hæc autem cum ſit corrupta atque diffuſa, turpia, & languentia concupiſcit. Hac igitur differentia conſiſtente circa carnem, & animam hominum, neceſſe eſt & ſtudia vniuſcuiuſque ſubſtantiæ eſſe contraria.* Militare igitur aduerſus animam dicuntur, quia rationi obluctantur, &, vt ſcribit Leo [a] Pontifex, *diabolo militant, qui animas ad ſuperna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis ſedibus, de quibus ipſe excidit, gaudet abducere.* Iure autem optimo ſubiicit, *contra cuius inſidias ſapienter debet fidelis quiſque vigilare, vt inimicum ſuum de eo, quod tentatur, poſſit elidere.*

a ſerm. 2 de Aſcenſ. Domin. c. 5.

VI. B Hanc porrò pugnam mirificè deſcribit Auguſtinus [b], obſeruátque in ipſa hominis anima duas veluti voluntates inter ſe quodammodo præliari. *Vnde*, inquit, *hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim, imperat animus ſibi, & reſiſtitur, imperat animus vt moueatur manus, & tanta eſt facilitas, vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium, & animus animus eſt, manus autem corpus eſt. Imperat animus, vt velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Vnde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat, inquam, vt velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult: non ergo ex toto imperat.* Et poſt nonnulla, *Non igitur monſtrum partim velle, partim nolle: ſed ægritudo animi eſt, quia non totus aſſurgit veritate ſubleuatus, conſuetudine prægrauatus: & ideo non ſunt duæ voluntates, quia vna earum tota non eſt, & hoc adeſt alteri quod deeſt alteri.* C Deinceps [c] luculenter docet, hanc voluntatum pugnam, nullo pacto fauere Manichæis, qui naturarum diuerſitatem in vno, eodémque homine confingebant: vna ſiquidem, atque eadem voluntas, voluptatum illecebris delinita, earum dulcedine capitur, & caduca, & mortalia bona ſectatur: vbi verò lux rationis affulſerit, alia omnia appetit, atque ita ſecum ipſa pugnat.

b li. 8. Conf. c. 9.
c cap. 10.

VII. Dicuntur autem deſideria carnalia aduerſus animam militare, hoc eſt, aduerſus rationem, vnde animæ ſalus pendet. Rectè enim ex Chryſoſtomo ait Damaſcenus [d], nihil prodeſſe rationem, ſi quis improba cupiditate deliniri ſe, & tanquam laqueo implicari patiatur, quemadmodum paſſerem pennæ nihil iuuant, cùm laqueo eſt aſtrictus. Itaque rectè Sapiens [e]: *Poſt concupiſcentias tuas*, ait, *non eas, & à volun-* D *tate tua auertere.* Illico autem ſubdit: *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Monet autem Leo Pontifex [f] ab his noxiis cupiditatibus plurima, grauiſſimáque pericula cunctis mortalibus imminere. *Circumſtant*, inquit, *vndique pericula innumerabilium delictorum, & per licitos vſus ad immoderatos tranſitur exceſſus, dum per curam ſalutis irrepit delectatio voluptatis, & non ſufficit concupiſcentiæ, quod poteſt ſatis eſſe naturæ. Hinc habendi amor nunquam ſatiandus exoritur, hinc cupiditas eminendi, quæ vel ſtirpi ſuæ innexa, vel ſoboli nunc prolem habet ſuperbiam, nunc parentem.*

d lib. 2. Parallel. c. 27.
e Eccleſ. 18. 30.
f ſerm. 12 de Quadr. c. 8.

VIII. Mox verò ſubdit, continentiæ, veluti fræno animi, E corporíſque bona & retineri, & augeri. Et aliquanto poſt addit. *Spiritales epulas, caſtáſque delicias ſalubriter expete, & laudabiliter concupiſce. Quoniam*, inquit, *laudante, & dicente Propheta* [g], *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus, quiſquis dulcedinem iuſtitiæ, & miſericordiæ Dei, quibus omnis prouidentia eius diſpenſatur, guſtu cordis attigerit, & nullo vnquam minuenda faſtidio experimenta ſupernorum hauſerit gaudiorum, corruptibilia, & temporalia bona æternorum admiratione deſpiciet, & in illo igne, quem Dei accendit caritas, concaleſcet, vt algore in feruorem conuerſo, & in lucem nocte mutata, vno opere in animis fidelium Spiritus ſanctus, & tenebras abigat, & peccata conſumat.*

g Pſal. 33. 9.

Petri

IX. Pertinet autem hoc Apostolicum consilium ad eam iustitiæ partem, quæ recedit à crimine, confestim autem subiiciet alteram partem, quæ ad virtutem complectendam refertur, dum bonam inter gentes conuersationem suadet, vt enim rectè monet in præsentia Didymus, hominis animus in medio quodammodo positus, nunc in hanc, nunc in illam partem flectitur: nam si corporeis voluptatibus nuntium remittat, cœlesti quadam luce perfusus diuinum amorem concipit, honestè, ac laudabiliter vitam traducit, & cœlestia bona assiduè meditatur: at contrà si sese voluptatibus constringendum præbeat, contrà quàm recta ratio postulet, quasi corporis mancipium infœtam seruit seruitutem. Cúmque animus spiritali natura præditus sit, dum corpori indulget; fit quodammodo corporeus, & carneus. Dixit enim aliquando

a Gen. 6. 3. Deus [a], *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Nimirum, vt ait Didymus, caro appellatur homo, cùm ea expetit, quæ rectæ rationi non sunt consentanea, & cum virtute, Christianáque pietate pugnant. Siquidem illa, vt ait Oecumenius, rationem, consiliúmque perturbant, & animum in abiectam quandam, & fœdam seruitutem abducunt.

12. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*]

I. Hæc est, vt dixi, altera iustitiæ pars quæ refertur ad amorem virtutis, & laudabilium actionum studium;

b Psal. 36. 27. ita enim dixit Dauid [b]: *Declina à malo, & fac bonum.* Et quidem, vt monet Cyrillus Alexandrinus, rectè dixit Petrus, non solùm a prauis actionibus, sed etiam ab impuris cupiditatibus abstinendum esse. Iam verò omnes vitę actiones ita moderandas præcipit, vt omnem etiam Gētilium reprehensionem effugiant. Versabantur enim tunc fideles inter eos, qui à fide, & religione Christiana maximè abhorrebant, quiq; Christianorum mores iniquo animo obseruabant; quocirca

c cap. 5. 16. ca Christus Dominus apud Matthæum [c] vniuersim præcepit ità vitam instituendam, vt cuncti mortales, laudandi potiùs, quàm obtrectandi materiam habeant. Eodémque spectans Paulus ad Romanos scri-

d cap. 12. 17. bit [d]: *Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Et id ipsum se re ipsa præ-

e ep. 2. c. 8. 21 stare profitetur, cùm ad Corinthios scribens ait [e], *Prouidemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam co-*

f Colos. 4. 5. *ram hominibus.* Denique [f], *in sapientia*, ait, *ambulate ad eos, qui foris sunt.*

II. Erat autem tunc temporis consilium planè necessarium, cùm essent Gentiles Christianæ disciplinæ curiosissimi inuestigatores: vt enim ex Irenæo narrat Oecumenius, & ex Epistola Ecclesiæ Lugdunensis

g lib. 5. hist. c. 1. Eusebius [g], cùm ethnici quidam Catechumenorum, & Christianorum serui capti essent, & Martyrum supplicia reformidarent, vt impiis gratificarentur, quod à Dominis inaudierant, corpore, & sanguine Christi illos vesci, detulerunt. Id illi perperam interpretantes thyestæas cœnas, & Oedipodis incestus falsò commenti sunt, cúmque id fama, omniúmque sermone vulgatum esset, tanquam immanes belluę contra nos furere cœperunt. Cùm itaque apud Gentiles malè tunc Christiani audirent, iure optimo hortatur Petrus, vt fideles ita mores suos componant, vt omnem obtrectandi materiam submoueant.

III. Conuersationem autem bonam dixit; Græcè, ἀναστροφὴν, quia necessariò cogebantur tunc Christiani cum ethnicis versari, atque idcirco monet Petrus, vt inter illos honestè, atque laudabiliter viuant. *Vt in eo*, inquit, *quod detrectant de vobis, tanquam de malefactori-*

A *bus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.* Nam, vt alibi docui, multa olim Gentiles siue odio religionis accensi, siue falsa opinione delusi, impia, ac nefaria crimina Christianis obiiciebant quos anthropophagos, & hæmatopotas vocare consueuerant, quo nihil excogitari, aut fingi potest improbius. Impuras item, atque incestas libidines obiiciebant; quin etiam Tertullianus [a] testatur eos accusationi suæ prætexere consueuisse, *illam quoque vanitatem, quod existimarent omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse caussam. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem.* a in Apolog. cap. 40.

Et in eandem sententiam Arnobius [b]: *Quid est* IV.
istud, ait, *quod dicitur inuectam esse labem terris, postquam* b lib. 1. aduers.
B *religio Christiana intulit se mundo, & veritatis absconditæ* gent. non
sacramenta patefecit? Sed pestilentias inquiunt, & siccitates, bella, frugum inopiam, locustas, mures, & grandines, résque alias noxias, quibus negotia incursantur humana, dij nobis important, iniuriis vestris, atque offensionibus exasperati. Quam calumniam non illi solùm, sed etiam Augustinus, & Orosius luculenter confutant. Elegantissimè verò Cyprianus Demetriani Africæ Proconsulis eiusdem planè sententiæ criminationem refellit. Quamobrem non modò Petrus, sed sæpe etiam Paulus, Christianos monet, vt omnem siue Gentilium, siue Iudæorum offensionem, quàm diligentissimè vitent: sic enim ad Corinthios scribit Paulus [c]: *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.* Et alibi [d]: *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* Quod se reipsa sedulò præstitisse coram Præside Romano his verbis testatur [e]: *In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.* lōgè à princ. c ep. 1. c. 10. 32. d 2. ad Cor. 6. 3. C e Act. 24. 16.

Ex bonis operibus vos considerantes. Cognitis, ait, honestis, ac laudabilibus actionibus vestris, planè intelligant se fuisse deceptos, & falsò Christianos in odiū, atque inuidiam vocare: Est enim virtutis, incredibilis quædam vis, qua etiam improborum animos ad sese rapit vsque eò, vt etiam in inimicissimis probari, laudarique soleat. Itaque Aristippus [f] olim interrogatus, quid esset admirandum in vita, *Vir*, inquit, *probus, & moderatus: quoniam etsi inter multos impios agit, non tamen peruertitur.* Et sapienter, vt auctor est Lactantius [g], dixit olim M. Tullius, *malè mecum agitur,* D *si me oratio magis, quàm vita purgat.* Sensit vir sapiens, plus in vita quàm in oratione præsidij situm esse: oratio enim auribus excipitur, animo plerumque alieno: virtus verò ita oculos ferit, vt etiam ad animum pertingat; & verè dixit ille [h]: V. f apud Stob. serm. 35. g lib. 3 cap. 13. & 16. h Horat. in Poëtica.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Et Petrus ipse aliquantò pòst: *Vt benefacientes*, ait, *obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

Quamobrem Iustinus [i] Martyr, Adriani Principis epistolam recenset, qua iubet in mores, & vitam Christianorum inquiri, ita tamen, vt nisi crimen probetur, ipsi a supplicio immunes, calumniatores autem pro criminis grauitate pœnas luant. Ante Adrianum E Traianus ad Plinium [k], *Conquirendi*, inquit, *non sunt, si deferantur, & arguantur, puniendi sunt.* Quinetiam Nerua vetuisse dicitur, ne Christianæ religionis, aut Iudaicæ sectæ nomine quisquam insimulari posset. VI. i in Apol. ad Anton. k Plin. lib. 10. ep. 98.

Extat verò apud Eusebium [l] Antonini Imperatoris epistola in hanc sententiam: *Nobis equidem diis curæ esse, ne tales homines impuniti in obscuro lateant. Nam illi ipsi sat scio de iis, qui cultum ipsis tribuere recusant, sunt multò acerbius supplicium sumpturi, quàm vos. At quibus hominibus iam ipsi grauem exhibetis molestiam, &* VII. l lib. 3. c. 12.

tanquam

tanquam impios, atque à deorum cultu auerſos inſimulatis, eorum plane quam habent, magnopere confirmatis religionem. Illis enim magis in optatis eſt, vt in crimen adducti, mortem pro Deo ſuo oppetant, quàm vt vita fruantur. Vnde ſua ipſorum vita hoc pacto prodita multò maiorem, clarioremque reportant victoriam, quàm ſi imperata, quæ vos ab ipſis fieri poſtulatis, obirent. Cæterùm de terræmotibus, qui vel præterierunt, vel iam ſunt, non alienum à ratione videtur vos commonefacere, quandoquidem & cum adſint, animos demittitis, & infœlices veſtri omnium caſus in illorum religionem tanquam eorundem cauſſam transfertis. At illi cùm tale quid euenit conſtantiùs firmiùſque Deo fidunt. Vos autem toto illo tempore Deum penitus ignorare, réſque ſacras penitus contemnere, & non ſolùm cultus, qui ſoli Deo debetur, inſcij eſſe, & expertes, verùm etiam eos, qui illum obſeruant, & venerantur, grauiter exagitare, & ad mortem vſque inſectari videmini. Pro quibus hominibus multi, qui nos tris præfuêre prouinciis iam antè diuiniſſimo, ſanctiſſimóque noſtro patri literas ſcripſerunt, ad quos quidem ille reſcripſit nihil eiuſmodi viris negotium faceſſendum, niſi fortè aliquid maleficij contra Romanum imperium deſignare moliantur. Ad me etiam ipſorum cauſſa ſcripsêre multi, quibus per literas patris mei ſententia, & voluntati aſſentiens, reſponſum dedi. Quod ſi quiſpiam igitur cuiquam Chriſtiano, quia Chriſtianus ſit, pergat moleſtia quidquam aut criminis inferre, ille cui crimen illatum fuerit, etiamſi reipſa Chriſtianus deprehenſus ſit, abſoluatur, qui autem illum accuſauerit, iuſtum, debitúmque ſupplicium ſubeat. Meminit huius epiſtolæ etiam Nicephorus [a], qui alibi [b] alteram epiſtolam recenſet, quam non ſemel indicat Tertullianus [c], in ea enim Chriſtianorum militum legio, quæ fulminatria dicta eſt, miris laudibus celebratur. Ita videas verè ab Apoſtolo dictum eſſe, *Vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum.*

a lib. 3. c. 18. b lib. 4. c. 12. c in Apolog. cap. 5. & ad Scapul. c. 4.

VIII. Sed quorſum addit, *In die viſitationis*? Græcè, ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, quaſi dicat, *inſpectionis*, cùm videlicet Gentiles in mores vitámque veſtram inquirent. Idque Plinij illuſtri teſtimonio firmari poteſt. Is enim ad Traianum ſcribens [d], diſertè affirmat ſe nihil in Chriſtianorum vita deprehendiſſe, præter ſuperſtitionem prauam, & immodicam: ita enim verum Dei cultum homo impius appellabat. Traianus autem eos conquirendos eſſe negat.

d lib. 10. ep. 97.

IX. Huius rei meminit in Apologetico [e] Tertullianus. *Tunc*, inquit, *Traianus reſcripſit hoc genus, inquirendos quidem non eſſe, oblatos verò puniri oportere. O ſententiam neceſſitate confuſam! negas inquirendos, vt innocentes, & mandas puniendos, vt nocentes. parcit, & ſæuit; diſſimulat, & animaduertit. Quid temetipſum cenſura circumuenis? Si damnas, cur non inquiris? ſi non inquiris, cur non & abſoluis? Latronibus veſtigandis per vniuerſas prouincias militaris ſtatio ſortitur, in reos maieſtatis, & publicos hoſtes omnis homo miles eſt. Ad ſocios, ad conſcios vſque inquiſitio extenditur. Solum Chriſtianum inquiri non licet, offerri licet, quaſi aliud eſſet actura inquiſitio, quàm oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requiſitum, qui puto. Iam non ideo meruit pœnam, quia nocens eſt, ſed quia non requirendus inuentus eſt.*

e cap. 2.

X. Sed hæc quidem multò poſt Apoſtolica tempora. Cùm enim hæc Petrus ſcriberet, in omnes Chriſtianos vbique penè inquirebatur. ita monet ille eam vitæ rationem retinendam, vt ſolertiſſimi ſcrutatores, cognita fidelium innocentia, cogantur Chriſtianæ innocentiæ teſtimonium reddere. Certè Iuſtinus, vt aliàs monui, & diligenter obſeruatum eſt ab Euſebio [f], palàm profitetur Chriſtianos ignominiis appetitos ad ſæuiſſima quæque ſupplicia, & mortem ipſam pro religione non ſponte ſolum, ſed etiam alacriter tanquam ad epulas feſtinare conſueuiſſe, indéque colligit, fieri non poſſe, vt tales vel vitiorum maculis ſe contaminarent, vel voluptatum illecebris vlla ex parte caperentur. *Namque quis*, inquit, *voluptatis blanditiis deditus, quis in omnem intemperantiam effuſus, quis humanæ carnis comeſturam deliciarum loco ſtatuens poterit mortem amplexari, quo illis quibus ſe obſtrinxit cupiditatibus, omnino priuetur? An non potius omni conatu laborauerit, vt vitam, qua hic fruitur, perpetuo degat? An non magiſtratus, ſi quid fortè admiſeris ſceleris, celauerit nedum ſe ipſum tam crudeliter interficiendum prodiderit?*

f lib. 4. hiſt. c. 8.

XI. Hac vtique ratione permotus abiecta idololatriæ impietate, Chriſtianam religionem complexus eſt, &, vt ait Petrus, *in die viſitationis* Deum glorificauit. Eodem pertinet quod ex Clemente Alexandrino idem Euſebius [a] commemorat. Cùm enim ille ipſe, qui Iacobum Apoſtolum Zebedæi filium in iudicium adduxerat, eius animi robur, & conſtantiam animaduerteret, ſe continuò Chriſtianum profeſſus eſt. Simile quiddam alicubi ſcribit Beda [b]. Tertullianus autem elegantiſſimè non vno loco docet Chriſtianam fidem, ac religionem, atque adeò Dei gloriam magnam capere acceſſionem, tum maximè, cùm oppugnari videtur. Et quidem alicubi [c] ait: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra. exquiſitior quæque iniquitas veſtra illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Et alibi [d]: *Non deficiet hæc ſecta, quam tunc magis ædificari ſcias, cùm cædi videtur.*

a lib. 2. hiſt. c. 8. b lib. 1. hiſt. Angl. c. 7. c in Apolog. c. vlt. d lt. ad Scap.

XII. Poſſis etiam viſitationis diem ſimpliciter interpretari rerum aduerſarum tolerantiam: cùm enim nos Deus moleſtia, aut acerbitate quapiam explorat, viſitare quodammodo dicitur, non vt ipſe aliquid cognoſcat, quod ignoret, ſed vel vt vlciſcatur noſtra flagitia, vel noſtram conſtantiam, animique robur illuſtret. Cùm igitur Deus vel altero, vel vtroque modo viſitat, ſi vel peccata deteſtemur, & cum eo in gratiam redeamus, vel æquo, patientíque animo aduerſa omnia perferamus, id planè conſequitur, vt qui alieniſſimo animo ſunt, pudore quodammodo correpti diuinæ miſericordiæ magnitudinem extollant, & bonorum omnium largitori immortales gratias agant. Ita quod ait Petrus, *glorificent Deum in die viſitationis.*

XIII. Rectè autem Petrus Græca voce ἐπισκοπῆς vſus, diuinam prouidentiam tacitè quodammodo indicat, quaſi ſignificet, quæcunque acerba, & moleſta accidunt in vita, ad diuinam prouidentiam referenda eſſe, quæ æquè bonis, ac malis admirabili quadam ratione proſpiciat: malis quidem, dum eos bonorum exemplo ad ſaniorem mentem traducit; bonis verò, quòd ſuo illos peculiari patrocinio non tueatur modò, ac ſeruet, ſed etiam ad optima quæque promoueat. Ita olim benedixiſſe dicitur [e] *Dominus nouiſſimis Iob magis quàm principio eius*: quod ego non tam de caducis, mortalibúſque bonis accipio, quàm de cœleſtibus, diuiniſque muneribus, quæ vbertim in eos redundant, qui rebus aduerſis, vt alicubi ſcribit Chryſoſtomus [f], quaſi cœleſtibus imbribus irrigantur.

e Iob vlt. 12. f hom. 4. ad pop. Antioc.

XIV. Quocirca verè ac ſapienter dixit Ieſus [g] Syrach, *Timenti Dominum bene erit, & in diebus conſummationis illius benedicetur. plenitudo ſapientiæ eſt, timere Deum, & plenitudo à fructibus illius. omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius. corona ſapientiæ timor Domini replens pacem, & ſalutis fructum.* Et aliquantò pòſt [h]: *Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis.*

g Eccli 1. 19. h verſ. 19.

13. Subie

13. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti.*] A

I. Vtile, ac salutare, omninóque necessarium præceptum: vt enim aliàs monui, & olim obseruarunt Hieronymus [a], Chrysostomus [b], Augustinus [c], Oecumenius [d], malè audiebant Apostoli, cæterique diuini verbi præcones, quòd cùm Gentilium superstitionem, & Iudæorum legem antiquarent, eadem ratione viderentur omnes leges politicas peruertere, aut etiam abolere. Hanc calumniam, vt refellerent, Petrus præsertim, ac Paulus Apostoli, non semel grauissimis verbis docent, ciuilibus Magistratibus eorúmque legibus parendum esse, modò cum fide, veráque religione non pugnent. Eam porrò eleganter B confutat Tertullianus [e]. *Sic & circa maiestatem Imperatoris, ait, infamamur, tamen nunquam Albiani, nec Nigriani, vel Cassiani inueniri potuerunt Christiani*: quasi dicat Christianos nunquam seditiosos, & perduelles imitatos esse. Et mox, *Christianus, inquit, nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit cum toto Romano imperio, quousque sæculum stabit: tandiu enim stabit.*

a ad Tit. 3. b ad Ro. 13. c epist. 5. d in hunc locum. e ad Scapul. c. 2.

II. Quamobrem in hanc sententiam dixit Paulus [f]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quibus consentanea sunt, quæ alibi [g] scribit. Non est autem dubium humanæ C creaturæ nomine significari Principes, ac Magistratus; vt hoc loco monent Didymus, & Oecumenius. *Humanam,* inquit Oecumenius, *creaturam hic Magistratus vocat, qui à Regibus creatur, quinetiam ipsos Reges, propterea quòd ipsi quoque ab hominibus constituuntur: solet enim Scriptura constitutionem, & positionem, creaturam etiam quandoque appellare, vt cum inquit, vt duos creet in vnum nouum hominem, id est ponat, & constituat.* Adde, humanam creaturam appellari, quòd hominum proprium sit aliorum imperio sponte, ac liberè parere, & præceptis, ac legibus obtemperare.

f ad Ro. 13. in princ. g 1. ad Tim. 2. in princ. & c. 6. item in princ. Denique ad Tit. 3. 1.

III. Neque verò excludit Petrus diuinam prouidentiam, ac voluntatem, quæ in Regibus, Principibus, ac Magistratibus creandis semper primas tenet. Sic enim apud Salomonem loquitur Sapientia [h]: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Alibi D verò Reges his verbis monet [i]: *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.*

h Prou. 8. 15. i Sap. 6. 4.

IV. Recta quippe ratio, quæ diuinæ sapientiæ delibatio quædam est, perspicuè docet hominum multitudinem non solùm legibus, & præceptis, sed etiam Principum, ac Magistratuum prudentia, atque auctoritate regendam, ac moderandam esse. Reipublicæ verò formas, ac leges inuentas, ipsósque adeò Principes, ac Magistratus humano consilio, & voluntate fuisse constitutos nemo in dubium reuocauerit, qui veterum Scriptorum monumenta vel leuiter attigerit. Dicuntur autem Reges à Deo instituti, ab eóque E accepisse potestatem, tum ob eam, quam modò dixi rationem, quia id recta ratio postulat, quod est eximium Dei munus, tum quia hoc ipso, quòd Reipub. præficiuntur, eadem recta ratio monet aliquam illis potestatem, atque auctoritatem iure deberi, vt subiectos omnes in officio contineant.

V. Meritò autem addit Petrus, *Propter Deum.* Vt enim ait Didymus, *sicut alia fiunt propter Deum frequenter, & propter aliud. Similiter & subiici Principibus, & potestatibus humanis, aliquando propter Deum, aliquando propter aliud quidpiam fit.* Quid autem sit subesse *propter Deum,* explicat Oecumenius: *Subditi, inquit, estote mundanis Principibus, ac subditi quidem propter Dominum, id est, eo modo, quo Dominus præcipit.* Nam Christus ipse quatenus Principibus obtemperandum sit, apud Matthæum docuit, cùm dixit [a], *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Ostendit enim quædam Regibus, ac Magistratibus, nonnulla verò Regum Regi atque Imperatori summo, id est, Deo immortali, deberi. Et Regibus quidem debetur obedientia, atque obsequium: ait enim Paulus [b], *Admone illos Principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.*

a cap. 22. 21. b ad Tit. 3. 1.

VI. Hoc autem obsequendi, atque obtemperandi studium hactenus probandum est, vt nihil contra legem diuinam admittatur: nam alioqui verè omnino, ac sapienter dixit ille [c], *Non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis.* Et Apostoli [d], *Si iustum est,* inquiunt, *in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate.* Et post nonnulla [e], *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Quocirca rectè monet Didymus, *qui propter Dominum, ait, subditur eis qui ad principandum sunt constituti, tum solummodo eis subiectus non est, quando contraria voluntati Dei præcipiunt. Quapropter etiam reluctandum est vsque ad mortem, si quando voluerint extra Christum nos facere aliquid, dicere, vel agere præter sensum, aut sanctiones Ecclesiasticas.*

c lib. 2. Machab. c. 7. 30. d Act. 4. 19. e cap. 5. 29.

VII. Neque aliter Oecumenius: *Si quid,* inquit, *contra Dei institutionem mandarint, obediendum eis non sit.* In C eandem porrò sententiam loquitur Chrysostomus [f], *Tu, inquit, cùm audis reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt, illa solùm dici non dubita, quæ pietati, ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei, aut virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum, ac vectigal est.* Huc etiam spectant, quæ sapienter non vno loco scribit Augustinus, qui alicubi [g] hunc in modum argumentatur. *Si aliquid iubeat Proconsul, & aliud iubeat Imperator, nunquid dubitatur, illo contempto, huic esse seruiendum? ergo si aliud iubeat Imperator, aliud Deus, quid iudicatis?* Et alibi [h]: *Quando Imperatores pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseuerantes. Quicunque ergo legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.* Rursus [i]: *Terror potestatum temporalium, quando veritatem oppugnat, iustis fortibus* D *gloriosa probatio est.* Denique [k], *Legibus malis probantur boni.*

f ho. 71. in Matth. g serm. 6. de verb. Dom. h epist. 50. i epist. 48. k lib. 3. contra Cresconium c. 51.

VIII. Testis est gloriosissimus Martyr Thomas Cantuariensis Episcopus, qui Regis iniquis legibus dum fortiter strenuéque obluctatur, nobilissimi martyrij palmam adeptus est. Alioqui si Principes, ac Reges iusta præcipiant, optimè ait Paulus [l], *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* à qua lege, vt rectè monet Chrysostomus, nemo prorsus excipitur, sed suis cuique maioribus obtemperandum est: fateor tamen, vt hoc loco monet Oecumenius, hæc Apostolica præcepta ad Gentilium calumniam refellendam referri, qua Christiani quasi reip. perturbatores, hu- E manarum legum violatores, ac Principum denique contemptores in inuidiam, atque odium vocabantur. *Hoc enim,* ait Oecumenius, *prorsus & Dominus, & eius discipulus præcipit ea caussa, ne dicere Græci possint Christianismum subuersionem vitæ afferre, turbationésque, & confusionis caussam esse.* Addit autem Petrus, *Propter Deum,* vt significet Reges summo Imperatori Deo subesse, quod ipsi etiam Gentiles agnouerunt. Dixit enim alicubi Lyricus Poëta [m]:

l ad Ro. 13. 1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.

m Horat. lib. 3. carm. od. 1.

IX. Quinetiam, vt ait Oecumenius, *fidelium caussa,* additum

ditum videtur, *quippe cùm, ait, verisimile sit aliquos futuros, qui dicerent, cùm nos cœlorum regno dignos effeceris, magnámque hanc dignitatem nobis attribueris, quid rursum tam viles reddis, vt nos Principibus mundanis esse subditos velis? Unde si quis hæc dicat, Sciat, inquit, id non meum esse mandatum, sed Domini præsertim, cum ipse etiam Petrus, quibus, & qualibus Principibus subijci debeant, ostendat, qui iustè videlicet se gerunt.*

X. Est quippe Regum auctoritas certis quibusdam finibus, ac veluti cancellis circumscripta, quos egredi, aut transilire nefas est. Non solùm quia diuinæ legi subijciuntur, sed etiam quia internas animi actiones ne attingere quidem vlla ratione queunt. Quod eleganter his planè verbis expressit Seneca [a]: *Errat si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere. pars melior eius excepta est. Corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis. Meas quidem sui iuris, quæ adeò libera, & vaga est, vt ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quominùs impetu suo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cælestibus exeat. Corpus itaque est, quod domino fortuna tradidit. hoc emitur, hoc venditur. interior illa pars mancipio dari non potest. Ab hac quicquid venit, liberum est: non enim aut nos omnia iubere possumus, aut in omnia serui parere coguntur.* Et confestim. *Quædam sunt*, inquit, *quæ leges nec iubent, nec vetant facere.* Quatenus autem interdum in actiones internas lex humana vim, atque auctoritatem habeat, mitto quærere. id fusiùs subtiliùsque in scholis Theologi inuestigant.

[a] li. 3. de benef. c. 20.

XI. Certè aduersùs pietatem, ac religionem humana aucto itas qualis, aut quanta illa sit, nihil omnino potest. Itaque rectè ait Tertullianus [b]: *Facilè iniquum videtur, liberi homines inuitos vrgeri ad sacrificandum: nam & aliàs diuina res faciunda libens animus indicatur. Certè ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos vltro sui caussa placare deberet, ne præ manu esset iure libertatis dicere Nolo mihi Iouem propitium. Tu quis es? Me conueniat Ianus iratus, ex qua velit fronte. Quid tibi mecum est?* Et alibi [c] planiùs: *Tamen*, inquit, *humani iuris, & naturalis potestatis est vnicuique quod putauerit colere, nec alij obest, aut prodest alterius religio, sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi, cùm & hostiæ ab animo libenti expostulentur; ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis diis vestris: ab inuitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sint.* Denique [d]: *Videte enim, ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim. Nemo se ab inuito coli vellet, ne homo quidem.* Et in eandem sententiam Theodoricus apud Cassiodorum [e], *Religionem*, inquit, *imperare non possumus, quia nemo cogitur, vt credat inuitus.*

[b] in Apologet. c. 28.
[c] ad Scapul. c. 2.
[d] Apologet. c. 24.
[e] li. 2. variar. ep. 27.

XII. Neque aliter Theodahadus apud eundem [f], *Cum diuinitas* ait, *patiatur, multas religiones esse, nos vnam non audemus imponere: retinemus enim legisse voluntariè sacrificandum esse Domino, non cuiusquam cogentis imperio, quod qui aliter facere tentauerit, euidenter cælestibus iussionibus obuiabit.* Fauet & Lactantius [g], ait enim: *Libet igitur ex his quærere, cui potissimùm præstare se putent, cogendo inuitos ad sacrificium. ipsis ne quos cogunt? at non est beneficium, quod ingeritur recusanti, sed consulendum est etiam nolentibus, quando quid sit bonum nesciunt. cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si saluos volunt? aut vnde pietas tam impia, vt eos miseris modis, aut perdant, aut inutiles faciant, quibus velint esse consultum? an verò diis præstant? at non est sacrificium, quod exprimitur ab inuito, nisi enim sponte, atque ex animo fiat, execratio est, cum homines proscriptione, iniuriis, carcere, tormentis adacti faciunt.* Et plura deinceps. Mitto, quod scribit Iosephus [a], suo quemque arbitratu Deum colere oportere. Denique Bernardus [b], *Fides suadenda est non imperanda.* Quæ omnia eò spectant, vt appareat verissimum esse; quod docent in scholis Theologi non posse Iudæos, aut Gentiles ad fidem compelli.

[f] li. 10. ep. 26.
[g] lib. 5. c. 20. & 21.
[a] lib. de vita sua.
[b] serm. 66. Cantic.

XIII. Nam alioqui quicquid nouatores pro religionis libertate stultè, atque impiè contendant: ipse etiam Tertullianus [c], *Ad officium*, ait, *hæreticos compelli non inlici dignum est; duritia vincenda est, non suadenda, & vtique satis optimum præiudicabitur, quod probabitur à Deo constitutum, atque præceptum.* Tertulliano omnis antiquorum Patrum, & Theologorum senatus astipulatur, hæreticos tanquam perduelles, & transfugas ad Ecclesię castra iure compelli, & ad proditam, ac desertam religionem reuocari.

[c] in Scorpiaco c. 2.

XIV. Sed vt redeam ad Petrum, rectè ille monet omni humanæ creaturæ obtemperandum esse, propter Deum, quatenus videlicet Principum imperia diuinę legi consentiunt. quanquam autem alloquitur Apostolus vniuersim omnes fideles, nihil tamen prohibet, quominus excipiendi sint Ecclesiastici, qui ciuilibus Principum legibus præcisè nō tenentur, nisi quatenus recta ratio postulare videtur, vt salua Ecclesiastica libertate, qua ciues sunt, & eiusdem reipublicæ membra iustis alioqui cōmunibus legibus obtemperent; non quidem ipsarum legum vi, sed rectę rationis ductu, cùm præsertim de communi reip. vtilitate agitur, si quod æquissimum est, Ecclesiastica auctoritas accedat. Quatenus autem Ecclesiastica libertas porrigatur, & quo potissimùm iure, & instituta primùm sit, & deinceps propagata, non est in præsentia disserendum. Illud potiùs addiderim, subiectos præter obsequium, & obedientiam debere Principibus tributa, & vectigalia. Quod Christus eodem loco [d] docuit, cùm de censu persoluendo interrogatus, reddenda esse dixit Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei sunt, Deo. Et Paulus [e] ad Romanos scripsit: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Est autem tributum, & vectigal subiectionis indicium. Quocirca id etiam propter Deum persoluendum est, cùm iure debeatur tanquam principatus stipendium.

[d] Matt. 22.
[e] cap. 13. 7.

XV. Ea tamen in re sapienter apud Plutarchum [f] dixit *Alcamenes Teleclis filius cuidam percontanti quo pacto quis optimè regnet, Si lucrum non magni feceris, plurimùm dissentiens à vulgo Principum, qui non alia magis ratione principatum stabilire student, quàm attenuandis ciuium, & suis augendis opibus, cùm iustitia, & æquitas maximè imperiū reddere soleāt diuturnū.* Neq; aliter Tiberius, qui suadentibus, tributo onerandas esse prouincias, boni pastoris esse respondit, tondere pecus, nō deglubere.

[f] in Laconic.

XVI. Præclarè verò illud ab Alphonso Aragoniæ Rege dictum accepimus [g]. *Regum inprimis studium, & officium esse populares suos locupletes efficere: populi tributis enim ditioribus factis, nec vtique Reges futuros pauperes: quoniam subditorum amor, ac beneuolentia veri sunt Principum thesauri ac diuitiæ non pecunia imperata.* Quo magis videndum est Christianis Principibus, ne subiectorum facultates tributis, ac vectigalibus exhauriant, & quod vulgo queri solent, ipsum propemodum sanguinem exsugant, ne verè in illos flectatur, quod eleganter dixit Poëta [h]:

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

[g] Panorm. lib 4. de reb. gest. Alphons.
[h] Horat.

Cæterùm, quod vniuersim præceperat in sua veluti membra partitur.

XVII. *Siue Regi*, inquit, *quasi præcellenti.* Supremam quandam Regi auctoritatem tribuit Apostolus, quòd eximia quadam dignitate præditus sit, quo nomine eos

omnes intelligit, qui summa cum potestate reipublicæ præsunt, quique, vt ait Didymus, *in summo quodam fastigio politi superiorem non agnoscunt*, cui in ciuili reip. administratione humano iure subijciantur. Itaque Græcè dixit, ὡς ὑπερέχοντι, quasi dicat, *excelso, aut eminenti*. qui egregium, ac principem locum obtinet. quod vtcunque apud Cassiodorum [a] agnouisse videtur Athalaricus Rex, cuius hæc sunt verba: *Tantò diuinitati plurima debemus, quantò à cæteris mortalibus maiora suscepimus: nam quid simile rependat Deo, qui ponitur Imperio? Sed licèt pro tanto munere nihil compensari possit idonee, ipsi tamen gratia redditur, dum in seruientibus honoratur*. Sed in eo tamen culmine dignitaris agnoscat necesse est diuino se iudicio obnoxium esse, suæque administrationis sibi aliquando reddendam esse rationem.

a li. 8. ep. 24.

XVIII. Quamobrem Augustinus [b], *Necesse*, ait, *Reges aduersus Ecclesiæ dissipatores commoueri: nam si non mouerentur*, inquit, *quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat caritas vestra, quid dicam, quia hoc pertinet ad Reges sæculi Christianos. vt temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam habere, vnde spiritaliter nati sunt*. Et alibi [c], de Regibus hunc in modum loquitur, *Cum illa plerunque ordinatissima potestate homines sibi subditos per terrores lenium pœnarum à grauioribus malis prohibeant, atque compescant, plerunque autem à bona vita, & à bonis factis minuendo, & sæuiendo deterreant: Sed cum à malo, & illicito prohibent, correctores, & consultores sunt, cùm autem à bono, & licito perseguutores, & oppressores sunt. Culpantur etiam, qui prohibent à malo, si modum peccati modus coërcitionis excedat*. Fulgentius [d] autē, *Clementissimus*, inquit, *Imperator non ideo est vas preparatū in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit. sed si in vniuersali culmine recta fide viuat, & vera cordis humilitate praditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat*. Et aliquanto post, *Si iustitiā sic teneat, vt misericordia nō relinquat, si præ omnibus tamen se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, & eius paci, atque tranquillitati per vniuersum mundum prodesse suum faciat principatum*.

b Tract. 11. in Ioan.

c li. de ciuit. Dei. c. 17.

d de prædest. & grat. Christi.

XIX. Denique ne cuncta recenseam, quæ virtutes regiam dignitatem maximè decent, copiosè docet auctor [e] de duodecim abusionibus sæculi apud Cyprianum & Augustinum, cum tamen opus vtrique falsò tribuatur; Verùm Regi legitimè imperanti obtemperandum est, idque propter Deum: quocirca scripsit Sapiens [f], *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij*. Regium porrò nomen, vt paulò ante indicaui, hoc potissimum loco latissimè patens, omnes Monarchas complectitur. Nescio autē vtrum verum sit quod alicubi scribit Plinius [g], regiam dignitatem primos instituisse Aegyptios, & popularem administrationem Atticos. Sed vtcunque sit egregia quædam dignitas est, & singularis dominandi ratio, de qua Christus apud Lucam [h], *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent in eos benefici vocantur*.

e Cap. 9.

f Eccles. 4. 32.

g lib. 7. c. 56.

h cap. 22.

14. *Siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*.]

I. Græcè, pro ducibus dixit Petrus, ἡγεμόσιν, Præsides, ac Magistratus significans, qui Regum auctoritate remp. administrant, *ab eo*, ait, *missis*. Incertum an à Deo, an verò à Rege: vtrunque enim verè dici potest. nam in aristocratia, aut oligarchia Præsides, ac Magistratus diuina quodammodo auctoritate imperant, non aliter ac Reges in monarchia; quin etiam in ipsa monarchia inferiores Magistratus, qui Regi subsunt, diuina auctoritate remp. administrant. Nam in Exodo [i] Moses audito consilio soceri sui, tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos constituit, quod ipse Moses diuino consilio factum esse testatur [a]; quinetiam in libro Numerorum [b], cùm se Moses tanto oneri imparem esse fateretur, iussit Dominus septuaginta senes ad ostium tabernaculi adstare, vt eos diuino numine cœlitùs afflaret, quo vnà cum Mose Iudaicæ resp. administrationem susciperent.

i cap. 18.

a Deut. 1.

b cap. 11. 16

II. Quòd si libeat relatiuum, *eo*, ad Regem referre, nihilo minori diligentia, ac sollicitudine Magistratibus obtemperandum erit, cùm hac etiam ratione eorum auctoritas à Deo pendeat: cùm enim Pilatus Romani Imperatoris auctoritate Iudææ prouinciæ præesset, fatetur tamen Christus [c] iudicandi potestatem diuinitùs illi fuisse cōcessam; *Non haberes*, inquit, *potestatem aduersùm me vllam, nisi tibi datum esset desuper*. Siue igitur Magistratus à Deo proximè, siue à Regibus, & Principibus, siue à Rege creentur, legitimam habent præcipiendi auctoritatem, eorumque imperiis citra culpam nefas est refragari.

c Io. 19. 11.

III. Cur autem instituti sint Magistratus, explicat, cùm subdit, *Ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*. Indicans opinor, quod sapienter dixit quidam præmio, & pœna Rempublicam rectè administrari, & ob eam caussam, qui Remp. gerendam suscipit, vitæ necisque potestatem habere dicitur. & quidem malorum vindictam non nisi necessitas exprimit. Laudem bonorum, & virtutis præmium regia munificentia vltrò impendit: vt enim ait Plato, nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Quamobrem sapienter Seneca [d] Principi clementiam inprimis necessariam docet, idque exemplo apum confirmat [e]. *Iracundissimæ*, inquit, *ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt, Rex ipse sine aculeo est. noluit illū natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere, telūmque detraxit, & iram eius inermem reliquit, exemplar hoc magnis Regibus ingens*.

d li. de clem. per totum.

e cap. 19.

IV. Vindictam porrò malorum sic accipio, vt quæ in Remp. vel in ciues peccantur, iusto supplicio plectenda sint: nam priuatas iniurias Regem, aut Principem vlcisci nequaquam decet. Quamobrem sapienter Seneca [f] Principem hortatur, *Vt manifestè læsus animum in potestate habeat, & pœnam, si tutò poterit, donet, si minus temperet, longéque sit in suis, quàm in alienis exorabilior iniuriis. Nam quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui quod alteri donat, sibi detrahit; ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cùm suis stimulis exagitetur, non prosilit, qui intelligit magni esse animi iniurias in summa potentia pati, nec quidquam esse gloriosius Principe impunè læso*. Et malis porrò iniuriis vindicandis, hæc tria idem Seneca ait [g], *Lex sequuta est, quæ princeps quoque sequi debet; aut eum quem punit, emendet, aut vt pœna eius cæteros meliores reddat, aut vt sublatis malis securiores cæteri viuant*. Hoc ipsum spectare visus est Paulus, cum ad Romanos [h] dixit: *Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali*. Et confestim; *Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit*. Et de bonorum laude ibidem ait Paulus, *Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum*.

f lib. 1. de clem. c. 20.

g cap. 22. Plura de his lib. 6. noct. Atticar. c. 14

h cap. 13. 3.

V. Quod verò interpres ait, *Ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*. elegantiùs Græcè legimus, εἰς ἐκδίκησιν μὲν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν hoc est, *ad vltionem eorum qui male agunt, laudem verò rectè agentium*. Quasi dicat, vt improbos supplicio afficiant, & honestè, ac laudabiliter viuentibus præmia largiantur. Iure autem optimo Ægyptiorum Pontifex, vt auctor est Diodorus [i], cùm publicè

i li. 1. Biblio. simile quiddam apud Stobæum serm. 147.

pro

pro Rege vota faceret, inter cætera prædicare consueuerat, *leuiores inflictas pœnas, & maiores repositas gratias quam pro delictorum, aut beneficiorum meritis.* His autem non multis verbis Principum, ac Magistratuum munus describit, necesse est enim eos, vt Archytas dixit olim apud Aristotelem [a], esse aræ similes, vt ad eos qui iniuria affecti sunt, tutò confugerent. Sensit enim vir sapiens oportere Magistratus oppressis opitulari, quò pertinet id quod ait Petrus, vt improbos vlciscantur, ac puniant.

a lib. 1. Rhetor.

VI. Eodémque spectat quod apud Plutarchum [b] ait Cleomenes: cùm enim ex quodam audisset bonum Magistratum omnino erga omnes mitem, ac placidum esse oportere, *Bene quidem*, respondit, *ita tamen, ne sit contemptui.* significans nimiam clementiam Reip. perniciosam esse. Cato verò senior, vt auctor est Plutarchus [c], dicere solebat, *Malle se pro collato beneficio nullam gratiam assequi, quàm pro maleficio perpetrato non dare pœnas*; indicans nihil esse perniciosius, quàm si improborum mores pœna non coërceantur. Idem verò aiebat, *eos Magistratus, qui scelestos multos esse paterentur, non modò non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne pœna neglectus remp. labefactaret.*

b in Laconic.

c in Rom. apophth.

15. *Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*]

I. Hæc est, inquit Oecumenius, præcipua caussa, cur præcipiat Petrus, vt fideles Magistratibus subijciantur: id enim Deo est inprimis gratum, qui vt ait Paulus Apostolus, miro quodam ordine cuncta inter mortales constituit, idque recta ratio perspicuè docet, cùm alioqui rerum omnium perturbatio, atque confusio consequatur. Neque verò, vt monet Didymus, mirandum est, si quando contingat Principes, ac Magistratus multò aliter Remp. administrare, quàm lex diuina præcipiat: ea est enim huius nostræ mortalitatis misera conditio, vt vix quisquam reperiatur, qui omni ex parte officio satisfaciat. Itaque in omni fermè hominum genere aliquid obseruari licet, quod cum virtute non satis cohæreat. Si quando igitur Principes aut Magistratus perperam Remp. administrant, & in bonos quidem sæuiunt, improbos autem, ac scelestos fouent, ac promouent, non diuina prouidentia, sed eorum iniquitas accusanda est. nam & hominibus mentis, atque intelligentiæ vim largitus est Deus, vt virtutem colant, vitia detestentur. at quàm multi alia omnia sectantur, & ingenij magnitudine ad omnem turpitudinem nefariè abutuntur? Quis verò adeò impiè desipiat, vt scelerum auctorem Deum esse contendat?

II. Quamobrem, vt paulò pòst subijciet Petrus, etiam improbis modò recta, & honesta imperent, obtemperandum est, *Quia sic est voluntas Dei*, vt appareat eos longissimè à Christianæ vitæ præceptis abesse, qui aduersùs Principes, ac Magistratus aut apertè arma capiunt, aut percussores summittunt, aut insidias struunt, aut veneficia comparant. Rectè itaque ait Petrus, *Sic est voluntas Dei*, hoc est, ita Deus præcipit, & suo iure à vobis exigit. Quò autem Dei voluntas referatur, quidque potissimùm spectet, mox explicat, subdens, *Vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*, Gentilium videlicet, qui Christianos quasi legum, Principum, ac Magistratuum contemptores, vt ex Tertulliano docuimus, falsò criminabantur, & læsæ maiestatis reos accusabant. Adde etiam hæreticos, qui quod alibi monui, Christianam libertatem perperàm interpretabantur, quasi Christiani humanis legibus soluti vnì tantùm Deo, nullo autem modo Principibus, ac Magistratibus obtemperare deberent. Vt igitur omnium horum ora obstruantur, atque omnis calumniandi materia resecetur, voluit Deus, vt fideles iustis alioqui politicis legibus parerent, & Principibus, ac Magistratibus dicto essent audientes. Modestè autem dixit Apostolus, *imprudentium hominum ignorantiam*, Græcè, τὴν τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων ἀγνωσίαν, hoc est, *stultorum, aut amentium inscitiam*, cùm verè dicere potuisset, *improborum hominum calumniam, aut etiam impietatem.* Sed maluit tamen quicquid siue Gentiles, siue hæretici falsò Christianis obijcerent, inscitiæ potiùs, quàm impietati tribuere: hoc enim Christi Domini exemplo didicerat. Siquidem moriens Iudæorum caussam apud Patrem agit, & vt auctor est Lucas [a], ait, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

a cap. 23. 34.

III. Quanquam enim, vt obseruauit auctor quæstionum ex nouo Testamento, quæ falsò adscribuntur Augustino [b], non omnis ignorans culpa vacat. Certum tamen est culpæ grauitatem ignoratione non leuiter minui, si præsertim nequeat inscitia facilè tolli. Quam ob caussam dixit olim Abimelec [c], *Nunquid gentem ignorantem perdes?* Itaque Petrus ad extenuandam calumniantium culpam, imprudentiam, & inscitiam, quàm impietatem maluit accusare. Eam verò ait Christianorum obsequio, atque obedientia refelli, quæ, vt ait Oecumenius, vt est probitatis, atque virtutis indicium, ita etiam infidelibus pudorem inijcit. *Cùm enim*, inquit, *de nobis, quasi arrogantes, & insolentes, & inobedientes simus, obloquuntur, si & humiles, & obedientes, in quibus oportet nos esse videant, magis erubescunt atque obmutescunt.*

b quæst. 67.

c Gen. 20. 4.

IV. Rectè autem dixit Petrus, Græcè, φιμοῦν, quasi dicat, *vt obstruatis, aut obligetis os*, ac veluti fræno, seu chamo constringatis. Et profectò nihil est, quod magis obtrectatoris os obstruat, atque obturet, quàm recta, honesta, atque laudabilis vita. Fateor tamen nonnullorum improbitatem eò interdum progredi, vt ipsam etiam virtutem carpat, ac maledictis incessat. Nam, quemadmodum Plutarcho [d] auctore vitia plerunque virtutum nomine prætexuntur, ita etiam virtus vitij veluti velo obuoluitur. Qua de re pulchrè Sidonius [e]: *Sed quis*, inquit, *non exacerbascat, cùm videat sordidari virtutum synceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abiectus. Si proferimus erectum, superbire censetur: si minus institutum, propter imperitiam creditur irridendus: si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatus: si seuerum, tanquam crudelis horretur. si indulgentem, facilè culpatur. si simplicem, despicitur vt brutus. si acrem, vitatur vt callidus. si diligentem, superstitiosus decernitur. si remissum, negligens iudicatur. si solertem, cupidus. si quietum, pronunciatur ignauus. si abstemium producimus, auarus accipitur. si, eum, qui prandendo pascat, edacitatis impetitur. si eum qui pascendo ieiunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant. Verecundiam pro rusticitate fastidiunt. Rigidos ob austeritate non habent caros. Blandi apud eos communione vilescunt. At si vtralibet genere viuatur, semper hic tamen bonarum pastorum mores pungentibus linguis maledicorum, veluti bicipitibus hamis inuncabuntur.*

d de adulatore ab amico dignoscendo.

e lib. 7. in concione.

V. Et in eandem sententiam Zeno [f] Veronensis inuidorum mores describens: *Omittere*, inquit, *& reticere ea, quæ laude digna sunt, rimari verò, sicubi quod inueniat, quo opus virtutis ex accidentis culpæ occasionibus criminetur. Denique isti talos magnanimum quemque virum, proteruum vocant, constantem verò & patientem, sine sensu doloris appellant. Sobrium acerbum dicunt, iustum*

f ser. de liuore, & inuid.

A *crudelem, prudentem callidum vocant, liberum arrogantem criminantur, liberalem verò luxuriosum vocant, parcum auarum nominant, & omnes prorsus virtutum species decolorare contrariis, & à militia sumptis appellationibus gestiunt.*

VI. Et reuera negari non potest, quædam esse vitia virtutibus quàm simillima, quæ plerunque imperitorum animos falsi specie decipiant. Nam astutus pro sapiente habetur, pro confidente fortis; pro illiberali diligens rei familiaris custos, pro maleuolo seuerus. Verùm quod attinet ad institutum, qui fideles tanquam perduelles accusant, nullam obtrectandi criminandiue materiam habent, si eos videant Regum, & Magistratuum præceptis, ac legibus obtemperare, atque ita verè dixit Petrus ipsorum obedientiam, linguæ petulantiam veluti fræno coërcere, immò verò, vt suprà monui, etiam ab inuitis approbationem, & laudem exprimere.

VII. Quamquam non nego tantam quorundam fuisse cæcitatem, vt in clarissima veritatis luce ne possent quidem veram religionem agnoscere. quò proculdubiò ea Christi oratio spectabat, qua Apostolis imminentia mala prædixit [a]: *Absque Synagogis*, inquit, *facient vos; sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Sed verè dixit Salomon [b], vanos esse homines, *in quibus non subest scientia Dei.* Et acutè Hieronymus [c], *Sine notitia*, ait, *Creatoris, omnis homo pecus est.*

a Ioan. 16. 2.
b Sapien. 13. 1
c In epitaph. Nepot.

16. Quasi liberi, & non quasi velamen habentes, malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.]

I. Possis hæc verba cum superioribus coniungere, vbi Regibus, ac Magistratibus parendum esse monet; vt sensus sit, vos quidem liberi estis ea libertate, quam suo merito peperit Christus, sed ea tamen libertas, cum ea obedientia, quæ Principibus debetur, nulla ratione pugnat: Sic enim persuasum vobis esse debet, Christianam libertatem non esse velamentum malitiæ. Itaque tanquam Dei seruis vobis est inprimis obedientia necessaria, quæ Regibus, cæterisque debetur, qui diuina auctoritate imperant. Quòd si libeat cum iis quæ proximè dicta sunt coniungere, non magnopere repugnarim. perinde autem erit, ac si dicat Petrus, voluntas Dei est, *vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*, idque sponte vestra, ac liberè, vt Dei seruos maximè decet, non quasi Christianam libertatem veluti velum contumaciæ vestræ prætexatis.

II. Priorem explanationem sequitur Oecumenius, eandémque tribuit Chrysostomo, cuius hæc sunt verba. *Ne dicant*, inquit, *liberati à mundo sumus ciues cœlestes effecti, & tu rursus principibus nos subiicis, & vt obediamus ipsis, hortaris? Huius caussa ita obedite*, inquit, *tanquam liberi, id est, tanquam qui credideritis ei, qui vos liberauit, & vt hoc faceretis, mandauit. Ita enim non videbimini malitiæ animi, id est contumaciæ, & inobedientiæ prætextum habere libertatem qua obedientiam recusatis.* Ita videtur Apostolus eos perstringere, qui Christianam libertatem perperam interpretantes Principibus, ac Magistratibus subesse, ac parere recusabant, quos superioris sæculi hæretici imitantur, qui dum Christianam libertatem supra modum extollunt, politicam, & Ecclesiasticam administrationem euertunt, vnde rerum omnium ingens sequitur perturbatio, atque confusio.

III. Eosdem, vt arbitror, tacitè indicasse videtur Paulus, cum ad Galatas scripsit [a]. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Et Petrus alibi [b]: *Libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis.* Certè Christiana libertas in eo potissimùm sita est, vt ab omni scelere, atque improbitate alieni simus: ita enim ait Oecumenius, eum liberum esse in Domino, qui nulli turpi, & inhonestæ rei seruit. Et in eandem sententiam Beda; *Liberi*, ait, *rectè vocamur, qui per baptisma peccatorum sumus nexibus absoluti; qui à dæmoniaca seruitute redempti, qui filij Dei effecti non tanto dono libertatis potiorem peccandi facultatem, vel licentiam accepimus. Quinimmo si peccamus, mox libertate perdita, serui efficimur peccati.*

a cap. 5. 13.
b epi. 2. c. 2. 19.

IV. B Iubet itaque Petrus, vt monet Oecumenius, veris, ac synceris moribus Principibus subiici, ne videlicet alieno, aut infenso animo coactam quodammodo obedientiam eis præstemus. Id enim pertinet ad hypocrisim, & simulationem, quæ est libero homine indigna, quin potiùs eorum propria est, qui perturbationibus animi obnoxij, vitiis, ac turpibus voluptatibus seruiunt. Illi enim nihil magis metuunt, ne tales appareant, quales reuera sunt, sed ad aliorum mores, voluntatémque se callidè componunt, ac fingunt, quod est à Dei seruis alienum. Vult igitur Petrus, nos ex animo Principibus, ac Magistratibus subesse, quod aliis verbis expressit Paulus, cùm ad Colossenses [c] scripsit; obediendum esse dominis carnalibus, *Non quasi ad oculum seruientes, & hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* Ita enim idem Apostolus Christianam libertatem alibi [d] definit, *Nunc verò*, ait, *liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quò spectans beatus Augustinus [e], *Hæc est*, inquit, *libertas nostra, cum subdimur veritati, & ipse est Deus noster, qui nos liberat à morte, id est, à conditione peccati. Ipsa enim Veritas ait, Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Et alibi [f]: *Ille* (hoc est, Deus) *ab omnibus liberat, cui seruire omnibus vtilissimum est, & in cuius seruitio placere perfectè, sola libertas est.*

c cap. 3. 2.
d ad Rom. 6. 22.
e li. 2. de lib. arb. c. 13.
f li. de quãt. animæ c. 34.

V. Quamobrem Christiana libertas morum innocentiam, & sanctitatem omnino postulat, vt enim idem Augustinus [g] ait: *Bonus etiamsi seruiat, liber est, malus autem etiamsi regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed, quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum, de quibus vitiis cùm ageret Scriptura diuina, à quo enim quis inquit deuictus est, huic & seruus addictus est.* Tametsi enim hoc Stoicum paradoxum erat, vt non semel docuit M. Tullius [h], tamen illi multò aliter, & sentiebant, & loquebantur, quàm Augustinus, & cæteri Christianæ scholæ Magistri: siquidem illi à Christo Domino didicerunt [i] eum, *qui facit peccatum, seruum esse peccati.* Itémque eos verè liberos esse, quos Filius liberauerit.

g li. 4. de ciu. c. 3.
h in parad. & in orat. pro Mur.
i Ioan. 8. 34.

VI. E Quamobrem de Christiana libertate & acutè, & copiosè disserens Augustinus [k]. *Hæc*, inquit, *spes nostra est fratres, vt a libero liberemur, & liberando seruos nos faciat. Serui enim eramus cupiditatis, liberati, serui efficimur caritatis. Hoc & Apostolus dicit: Vos autem, fratres, in libertatem vocati estis, tantùm, ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per caritatem seruite inuicem. Non ergo dicat Christianus, liber sum, in libertatem vocatus sum, seruus eram, sed redemptus sum, & ipsa redemptione liber effectus sum, faciam quod volo, nemo me prohibeat à volunta*

k Tract. 41. in Ioan.

voluntate mea, si liber sum. Sed si ista voluntate peccatum facis, seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, sed vtere ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia; eris liber, si fueris seruus, liber peccati seruus iustitiæ. Et multa deinceps. Additque primam libertatem esse carere criminibus, cùm alioqui leuioribus noxis nemo in hac mortali vita penitus careat.

VII. Non est igitur Christiana libertas effrenis quædam ad quidlibet audendum, patrandúmve licentia, sed est, libertas à seruitute peccati, &, si placeat, etiam à iugo veteris legis, vt ritus, & cæremonias Iudaicas complectebatur, atque idcirco cum Dei seruitute nequaquam pugnat, ac propterea subdit hoc loco Petrus, *sed vt serui Dei.* Quæ verba tametsi à Didymo, & Oecumenio cum sequentibus coniunguntur, vulgatos tamen interpres, quod secutus est etiam Syriacus, superioribus attexit, vt significet Petrus, fidelibus eam retinendam, colendámque libertatem, quam modò ex Augustini sententia descripsi, quæ reuerà nihil est aliud quàm Dei, & iustitiæ seruitus, vt paulò antè ex Apostolo docui. Ita significat Petrus, Principum ac Magistratuum obedientiam ideò præcipi, quia pertinet ad Dei seruitutem: ob id enim paulò antè dixit Petrus, Dei esse voluntatem, vt Regibus, & Magistratibus pareamus.

17. *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.*]

I. Paucissimis verbis multa præcepta complectitur, quibus omnia propemodum Christianæ vitæ officia comprehenduntur. Principiò igitur *omnes*, ait, *honorate*, vt neque Iudæos, neque Gentiles, nullius denique ordinis homines excludat; quanquam enim non eodem omnes honore digni sunt, nemo tamen despiciendus, aut contemnendus est. Honor autem, vt alibi dixi, non tantùm externam obseruantiam, & reuerentiam significat, sed interdum ea continet, quæ sunt ad vitam tolerandam necessaria: De exter-

a cap. 12. 10. na quidem obseruantia dixit ad Romanos [a] Paulus, *honore inuicem præuenientes.* De vitæ subsidiis idem

b epist. 1. c. 5. 17. ad Timotheum [b] dixit: *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.*

II. Vtro autem modo honoris nomen hoc loco vsurpet Petrus, non planè liquet, suspicor tamen eum honoris nomine amplissimè vsum ea complecti, quæ Christiana caritas proximis suadet exhiberi. Itaque quia omnes mortales eiusdem sunt naturæ participes, eorundem bonorum capaces, iisdemque malis obnoxij, ad Christianam caritatem pertinet omnibus, quoad eius fieri possit, prospicere, vt idem planè docere videatur Petrus, quod aliis verbis præcepit

c cap. 2. in principio. Iacobus [c], cùm negat personarum habendam esse rationem, ita vt externarum tantùm rerum respectu diues pauperi, aut nobilis ignobili præferatur. Quò

d ad Rom. 13. 8. etiam spectasse videtur Paulus, cùm dixit [d], *nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim,* subdit, *diligit proximum, legem impleuit.* Hoc autem primum Petri præceptum multò latiùs patet, quàm quod mox subiicit, cùm ait, *Fraternitatem diligite:* hoc enim ad omnes omnino mortales pertinet, quod sequitur ad fideles tantùm refertur.

III. *Fraternitatem diligite.* Propiùs accedit Apostolus ad Christianæ vitæ officia: quod enim modò dixerat ad humanitatem spectat; quod sequitur Christianæ pietatis est proprium. *Fraternitatem*, inquit, *diligite.* Fideles enim omnes, vt sæpe dixi, priuato quodam iure, fratres olim appellabantur. Videtur autem Petrus, quod vniuersim præceperat, peculiari quadam ratione de fidelibus præscribere, vt idem significet, quòd traditum est à Paulo [a], cùm ait, *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei,* a ad Gal. 6. 10.

vt, quod monet Augustinus, cœlestia bona omnibus optanda sint, non omnibus tamen eadem caritatis officia exhibenda. Nam & Chrysostomus docet, Christianis tanquam Dei domesticis nihil non deberi, Christianam tamen pietatem id etiam postulare, vt cæteris omnibus, quacunque ratione possis benefacias. Quò spectant illa, quæ eleganter scribit Hieronymus [b], *Ne quis in largiẽdo dicat, ille amicus est, hunc* b ad Gal. 6.

nescio. hic debet accipere, iste contemni. Imitemur Patrem nostrum, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & super iniustos. Fons bonitatis omnibus patet. Seruus, & liber, plebeius, & rex, diues, & pauper ex eo similiter bibunt. Lucerna cùm accensa fuerit in domo, omnibus lucet æqualiter. Quòd si in cunctos indifferenter liberalitatis fræna laxantur, quantò magis in domesticos fidei, & in Christianos, qui eundem habent Patrem, eiusdem magistri appellatione censentur?

IV. Porrò fraternitatis dilectio, peculiaria quædam caritatis officia exigit, de quibus hunc in modum scribit Augustinus [c]: *Omnes autem homines æquè diligen-* c lib. 1. de doct. Christ. c. 28.

di sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum, & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte iunguntur: Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter vel indigentia, vel erga se aliqua necessitudine superaret, nihil iustius faceres, quàm vt sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari vtrique non posset: sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatiùs temporaliter adhærere potuerit. Qui autem eiusdem sunt fidei, ac religionis arctissimo quodam fraternitatis vinculo constringuntur, cuius respectu rectè ait Petrus fraternitatem esse diligendam, vt videlicet mutua pax, & concordia retineatur, qualis olim erat initio nascentis Ecclesiæ, cùm, vt ait Lucas [d], *multitudinis credentium erat cor vnum, &* d Act. 4. 32.

anima vna. Eam ob caussam præcipit Paulus [e], *vt* e 1. ad Cor. 1. 10.

idipsum omnes dicant, & non sint inter fideles schismata, sed sint omnes perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia: hoc enim est fraternitatem diligere.

V. *Deum timete.* Mirum, cur Dei timorem tertio loco præcipiat, cùm sit timor Dei fons & origo virtutum omnium, ex quo Christianæ vitæ officia ducuntur. Itaque sæpe legimus in sacris literis, *Initium sapientiæ timor Domini.* An quæ priùs dixerat Petrus, magis cum superioribus connexa erant, in quibus de obseruantia erga maiores egerat? An ea, quæ ad proximos spectant, priùs statuenda censuit, vt mox subiiciat Dei timorem, à quo vim omnem hauriunt, & firmitatem? Nam reuerà quisquis Deum timet, cunctos mortales, & præcipuè eiusdem religionis socios eximia quadam caritate complectitur, itaque vitæ suæ rationes omnes componit, vt rebus in omnibus officio satisfaciat. Quamobrem rectè Didymus *omnium*, ait, *qui laudabiliter agunt, Deus, eiusque timor initium, ac fundamentum est.* Idem verò ait rectè Dei timorem præcipi iis, quos modò Dei seruos appellaret: vt enim suprà indicaui, Didymus non aliter, atque Oecumenius verba illa, *sicut serui Dei*, cum sequentibus coniungit hoc sensu, tanquam Dei serui suo omnes honore prosequimini. *Fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate.*

VI. Sed, vt vt sit, Deo debetur timor. Ita enim apud A Matthæum [a] dixit Christus, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Et Dauid [b]: *Seruite*, ait, *Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et apud Malachiam [c] Deus ipse ait, *Si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Rectè autem monet Oecumenius, Dei timorem subsequenti præcepto præferri, quo Regi honor deferendus præcipitur. *Nam si Deus*, inquit, *timendus est, qui perdere & animam, & corpus potest, nullo modo parendum Regibus est, si ad malum aliquod nos inducant, quippe cum timor erga Deum, honorem in Reges longè superet.*

a cap. 10. 28.
b Psal. 2. 11.
c cap. 1. 6.

VII. Crediderim autem proculdubio, Petrum ingenuum illum, ac liberalem timorem suadere, de B quo Dauid [d], *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Et alibi [e]: *Timor Domini sanctus permanent in sæculum sæculi.* Denique [f]: *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* Ad extremum addit, *Regem honorificate*; quod, vt obseruant Didymus, & Oecumenius, rectè superiori præcepto subiicitur. hactenus enim Regibus, ac Principibus debetur honor, vt timori Dei, diuinoque cultui nihil repugnet. Qua de re aptè scribit Tertullianus [g]: *Christianus nullius est hostis, ne dum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit, tamdiu enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem, sic quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet, sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.*

d Psal. 33. 10.
e Psal. 18. 10.
f Psal. 127. 1.
g lib. ad Scapul. c. 2.

VIII. Eodem fermè modo loquitur Ignatius [h] ad hunc ipsum Petri locum alludens, *Honora*, inquit, *fili, Deum, & Regem. Ego autem dico, Honorate quidem Deum, vt auctorem omnium, & Dominum, Episcopum autem tanquam Principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem, principatum quidem secundum Deum, Sacerdotium verò secundùm Christum, & post hunc honorare oportet etiam Regem.* Quod libenter ad verbum exscripsi, vt appareat, quid olim viri sanctissimi de Regia, & Episcopali dignitate senserint: subdit enim D ibidem Ignatius: *nemo enim potior est Deo, neque similis ei, neque Episcopo honorabilior in Ecclesia Sacerdotium Deo gerente pro mundi salute.* Et aliquantò pòst: *Sacerdotium enim summa est omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt.* Ita videas etiam Regi præferendum esse Episcopum, tantùm abest, vt inferioribus Principibus, & Magistratibus, Episcopalis ordo subiiciendus sit. Neque obest, quod Tertullianus ait, Imperatorem solo Deo esse minorem: loquitur enim de Imperatore adhuc Gentili, & à Christi religione alieno: ille enim cùm nondum Christianis sacris initiatus esset, teneret nullum præter Deum superiorem agnoscebat, cùm, vt ibidem Tertullianus subiicit, iis diis maior esset, qui in ipsius potestate essent.

h epist. ad Smyrnens.

IX. Pertinet autem ad honorem Regium, vt idem Tertullianus affirmat, studium precandi pro Rege, proque eius, & Resp. incolumitate. Ita enim Tertullianus loquitur [i], *Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius.* Et alibi [k]: *Nos enim pro salute Imperatoris Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum.* Et aliquanto pòst Pauli [l] verba profert præcipientis pro omnibus quidem hominibus orandum esse, sed nomi-

i lib. ad Scap. c. 2.
k in Apolog. c. 30.
l cap. 32. m 1. ad Tim. 2. 2.

natim pro Regibus, *& omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus.*

Mirum autem videri potest, id quod alij censent, dicam etiam absurdum, quòd idem Tertullianus caussam quandam attulerit, cur pro Imperatoribus orandum sit, quæ videri posset aliena, ac fortasse etiam falsa. Sic enim ait, *Est & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu imperij, rebúsque Romanis, quod vim maximam vniuersæ orbi imminentem, ipsámque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem Romani Imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri. Romanæ diuturnitati fauemus:* Alibi verò dixit [a], Romanum Imperium perseueraturum, *quousque sæculum stabit: tamdiu enim*, ait, *stabit.* X.

a ad Scap. c. 2.

Et in eandem sententiam loquitur Lactantius [b], XI. *Incolumi*, ait, *Roma nihil videtur metuendum. At verò cùm caput illud orbis occiderit, & ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbique terrarum? illa est enim ciuitas, quæ adhuc sustentat omnia, precandúsque nobis, & adorandus est Deus cœli, si tamen statuta eius, & placita differri possunt, ne citiùs, quàm putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu mundus ipse lapsurus est.* Sed, vt opinor, alludunt hi auctores ad Pauli verba, quæ leguntur in posteriori epistola ad Thessalonicenses [c], *Et nunc*, ait, *quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore*: vt enim suo C loco dixi, nonnulli putant loqui Apostolum de Romano imperio, quo perseuerante, Antichristus nequaquam metuendus sit, quæ est apertissima sententia Hieronymi. *Nisi*, inquit, *fuerit Romanum Imperium antè desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet, qui ideo ita venturus est, vt Antichristum destruat.*

b lib. 7. c. 25.
c cap. 2. 6.

Augustinus etiam testatur idem; quosdam sensisse Pauli verba de Imperio Romano accipienda esse. *Quidam*, inquit, *putant hoc de Imperio dictum fuisse Romano, & propterea Paulum Apostolum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano Imperio malè optauerit, cùm speraretur æternum.* Itaque tam Tertullianus, quàm Lactantius, non de vrbe Roma, sed de Romano Imperio loquuntur. Quod non æternum, vt opina- D bantur Gentiles, sed vtrumque diuturnum futurum credidit, & vsque ad imminentem mundi interitum perseueraturum, atque ita vt calumniam Gentilium depellerent, qua Christianos Imperatorum hostes, ac perduelles esse clamitabant, affirmant se pro Imperatore, Romanoque Imperio, atque adeo pro orbis terræ salute, & incolumitate vota facere. XII.

Id autem pertinet ad honorem, qui Regibus debetur. Nam Clemens Romanus [d]: *Orandum*, ait, *pro cuncta Ecclesia, & vniuerso mundo, & eius partibus, pro fertilitate, pro Sacerdotibus, pro Magistratibus, pro Pontifice, pro Rege, & pro pace omnium.* Et Chrysostomus [e]: *In obsequio*, ait, *quotidiano oblationis Sacramentorum orandum, vt ibi præcipit Apostolus, pro Regibus, & his, qui* E *in sublimitate positi sunt.* Idemque in Liturgia: *Oblatimus*, inquit, *tibi hanc rationalem hostiam pro orbe, pro sancta Ecclesia.* Et aliquantò pòst, *pro fidelissimis, & Deo dilectis Imperatoribus.* Idemque ante ipsum in sua Liturgia posuerat Basilius, *Memento*, inquit, *Domine, piissimi, & fidelissimi Imperatoris.* Idque receptissimum fuisse ostendit Cyrillus Ierosolymitanus [f], dum ait, *Deinde, postquam confectum est illud spiritale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum* XIII.

d lib. 8. Constit. Apostol. c. 17.
e 1 ad Tim. 2.
f Catechesi mystag. 5.

clesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus. A
His addo Theophylactum, & Oecumenium, qui dum Pauli verba explanant, huic communi consuetudini apertiſſimè fauent.

XIV. Inter Latinos autem hoc non obſcurè indicaſſe videtur Arnobius [a]: *Nam noſtra quidem*, inquit, *ſcripta cur ignibus meruerint dari? Cur immaniter conuenticula diruis? In quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis, & venia poſtulatur, Magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione.* Et Ambroſius [b], *Conſecratio igitur*, ait, *cuius verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu: nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris.* Et ne cuncta percurram, idipſum colligi poteſt ex Auguſtino [c], B Bonifacio [d] Pontifice, Coelio [e] Rhemeoſi, & alijs.

a lib. 4. aduerſ. gent. non procul à fine.
b lib. 4. de Sacram. c. 4.
c ep. 59. ad Paulin. q. 5.
d ep. ad Honor.
e cap. 40.

18. *Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*]

I. Superiora vniuerſim ad omnes fideles pertinent, & quorundam inſaniam refellunt, quos Hieronymus alicubi [f] indicat. Iam hoc loco ſeruis præcepta tradit: nam, vt ibidem Hieronymus monet, initio naſcentis Eccleſiæ fuerunt, qui exiſtimarent nefas eſſe Chriſtianis dominis Gentilibus inſeruire, quam ob cauſſam Apoſtoli Petrus; & Paulus frequenter ſeruos monent, vt ſua vocatione contenti ſint, & dominis ſuis ex animo obtemperent. C Nam Paulus ad Corinthios [g] ait, *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Seruus vocatus es? Non ſit tibi curæ, ſed ſi potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini.* Et ad Galatas [h]: *Non eſt ſeruus, neque liber.* Apertiùs autem ad Epheſios [i]: *Serui, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto; non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus.* Eadem propemodum iterat ad Coloſſenſes [k]. Denique ad Timotheum [l], *Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne* D *nomen Domini, & doctrina blaſphemetur, qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt, ſed magis ſeruiant, quia fideles ſunt, & dilecti, qui beneficij participes ſunt.*

f ad Epheſ. 6.
g 1. ep. c. 7. 20.
h cap. 3. 28.
i cap. 6. 5.
k cap. 3. 22.
l ep. 1. c. 6. 1.

II. His magnopere conſentiunt, quæ hoc loco præcipit Petrus; iubet namque ſeruos ſubditos eſſe dominis *in omni timore*. Neque enim ſeruitus ipſa per ſe Chriſtianæ legi repugnat, ſed potiùs ea ſeruitus fugienda eſt quæ vitiis, & voluptatibus ſeruit. Sapienter enim apud Laërtium [m] aiebat Diogenes, Inter ſeruos, ac dominos malos præter vocabula, *nihil aliud intereſſe, niſi quòd mancipia ſeruirent dominis, domini cupiditatibus*: ſignificans vtroſque eſſe ſeruos, miſeriorem tamen ſeruire ſeruitutem dominos, *ſi improbi ſint. Nam qui cupiditatum arbitrio du-* E *citur, & multos habet dominos, & turpes, & inclementes.* Et Seneca [n]: *Quid eſt*, inquit, *præcipuum? Inprimis liberum animum habere. Hæc res efficit non iure Quiritium, vt ſit liber, ſed à iure naturæ. Liber autem eſt, qui ſeruitutem effugit ſuam. Hæc eſt aſſidua ſeruitus, & ineluctabilis, & per diem, ac noctem æqualiter premens, ſine interuallis, ſine commeatu ſibi ſeruire grauiſſima ſeruitus eſt.*

m lib. 6.
n lib. 3. natur. quæſt. in præfat.

Hæc nimirum ſeruitus miſera eſt & deteſtanda. A Seruilis autem conditio libero animo nihil obeſt. Itaque [a] *aſſueſcendum eſt conditioni ſuæ, & quàm minimum de illa querendum; & quicquid habet circa ſe commodi, apprehendendum eſt: nihil tam acerbum eſt, in quo non æquus animus ſolatium inueniat.* Tametſi autem Dei reſpectu nullum eſt diſcrimen inter Chriſtianos, cùm æquè Deus ſeruis, ac liberis pro ſuæ prouidentiæ ratione cœleſtia bona largiatur; in ciuili tamen repub. quam fides, ac religio Chriſtiana non euertit, ſed potiùs perficit, atque abſoluit, & ad immortalem, beatamque vitam dirigit, plures ſunt hominum gradus, & conditiones, & alij quidem præſunt, alij ſubſunt, quidam dominantur, nonnulli ſeruiunt: omnibus autem Chriſtiana religio ſua priuatim præcepta tradit: vt ſuo quiſque B muneri ſatisfaciat.

a Seneca lib. de tranq. quil. vitæ, c. 10.

III. Atque idcirco minimè mirandum eſt, tam accuratè omnium fermè ordinum præcepta ſuis in Epiſtolis fuiſſe ab Apoſtolo Paulo præſcripta, quibus hæc conſentanea ſunt, quæ hoc loco ſeruis præcipit Petrus. Vult enim illos ſubditos eſſe dominis. Græcè dixit, οἱ οἰκέται ὑποτασσόμενοι ἐν παντὶ φόβῳ τοῖς δεσπόταις.

IIII. Addit verò, *In omni timore.* Quo loco Oecumenius plura timoris genera recenſet, & addit, *Cùm tot modis ſumatur timor, an per omnes modos timere proprios heros ſerui debeant, non negaret ſanè hic, qui in omni timore ſubiectos eſſe heris ſeruos monet: nam & initiatorius, & perfectiuus, ſi adſit, optimè eos afficiet: alter vt caueant, ne ob peccatum in pœnam* C *aliquam grauiorem incidant, alter ne quicquam, quod hero ſuo ſit iniucundum, agere ne in animum quidem inducant ſuum.*

IV. Significat tamen timorem hoc loco, quod apertiùs docet Didymus, pro ſæuitia, aut dominorum ſeueritate accipi, ac propterea ſubiicit. *Hunc tamen timorem propter conſcientiam, id eſt, eum, qui cum ſcientia recta rationis euenit, eum appellat, qui dum nihil peccant ſerui, à peruerſis, & prauis heris infertur. Hunc laude dignum eſſe*, inquit, *& , vt cum tolerantia admittatur, præcipit.* Et poſt nonnulla; *Laudabilem hunc timorem eſſe ſtatuit, vult tamen nihilominus, vt omnibus alijs timoribus instructi ſerui ſint, dum inquit in omni timore, ſuper omnes tamen alios hunc propter conſcientiam collocat,* D *& ſolum hunc laude dignum eſſe demonſtrat, eo quòd alij ad dominorum iram deprecandam exiſtant; hic nullam omnino huiuſmodi cauſſam habeat.*

V. Licèt autem hæc omnia verè dicantur, crediderim tamen timorem hoc loco poni ab Apoſtolo pro ſupplicio, quod timendum eſt; vt moneat ſeruos etiam ſi aſpera quædam ac dura ob dominorum ſæuitiam tolerare cogantur, nihilò tamen minùs iis ſeſe ſubiectos, & obſequentes præbeant, ita illis rerum aduerſarum patientiam, ac tolerantiam ſuadet, ſi tamen pura, atque integra conſcientia ſuſtententur nullius ſibi ſceleris conſcij. Quam ob cauſſam mox ſubiicit, *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſtè.* In omni igitur timore, ait, quaſi dicat E etiamſi acerbiſſima quæque, maximèque timenda perferenda ſint, modò ſerui nihil mali, aut pœna dignum admittant.

VI. Neque verò ea timoris ſignificatio à ſacris literis videtur aliena. Sic enim loquitur Iob [b], *Timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit.* Et Iacob in libro Geneſeos ita Laban alloquitur [c]: *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes.* Et poſt nonnulla [d]: *Iurauit ergo Iacob per timorem*

b Iob. 3. 25.
c Gen. 31. 42.
d verſ. 53.

patribus suis Isaac. Deum videlicet intelligit, quem pa-
ter Isaac metuebat. Sic etiam accipio quod ait Da-
a Psal. 90. 5. uid [a]: *Non timebis à timore nocturno*, hoc est, nihil
ea formidabis, quæ nocturno tempore perterrefa-
cere, & timorem incutere solent, neque aliter lo-
b cap. 8. 12. quitur Isaias, cùm ait [b]: *Timorem eius ne timeatis, neque
paueatis.*

VII. Itaque Petrus in omni timore dixit, ac si dixisset,
in omni seueritate, aut in omni supplicio modò
ipsi nihil admiserint contra diuinam legem, aut
quod iure plectendum videatur. Quod paulò pòst
significat, cùm ait: *Si propter Dei conscientiam su-
stinet quis tristitias.* Mihi autem fit valde verisimile,
voluisse Petrum Christianos seruos in fide confir-
mare, seduloque monere, vt etiam si ab heris suis
propter Christianam religionem, aspera quædam, &
dura perpeti cogantur, non propterea tamen, aut
religionem, aut officium, deserant, sed præclara
conscientia sustententur, sibique persuadeant ma-
lorum tolerantia plurimùm se à Deo immortali pro-
mereri.

VIII. *Non tantùm*, ait, *bonis & modestis, sed etiam
discolis.* Rectè hoc etiam addit Petrus. Facilè enim
à probis, ac modestis heris, si interdum aut irascan-
tur, aut sæuiant, in bonam id partem accipitur,
cùm aliàs humanitate, ac beneficentia iræ, aut in-
dignationis mala compensent. At verò morosos,
importunos, & sæuos, atque immanes dominos,
qui leuissimam quamque ob caussam excandescunt,
& vltra modum sæuiunt, æquo animo ferre dif-
ficillimum est. Atque ita Petrus vnius Dei re-
spectu iubet seruos dominis subesse, siue illi fi-
deles sint, siue à fide alieni, siue modestia, &
humanitate præditi, siue contrà agrestes, & inhu-
mani.

IX. Pro eo autem quod ait interpres, *Et modestis*,
Græcè dixit Petrus, ἐπιεικέσι: is autem Græcè dici-
tur ἐπιεικὴς, qui æquum bonum amat, qui clemens,
lenis, mitis, modestus, ac probis moribus prædi-
tus est. Non solùm autem eo nomine comprehen-
dit Petrus fideles, qui vtplurimum neminem, ne
seruos quidem præter, aut contra ius vexant, sed
etiam infideles, inter quos non repugnat plures
esse siue natura ad lenitatem, ac mansuetudinem
propensos, siue studio ac diligentia ad omnem hu-
manitatem compositos. Quibus obtemperare, at-
que obsequi difficile non sit. His autem ex aduerso
opponit Apostolus discolos. Græci autem codices,
qui nunc habentur in manibus, pro discolis ha-
bent, σκολιοῖς.

X. Est autem σκολιὸς, *tortuosus, intortus, obliquus,
inflexus*, metaphoricè *prauus, & asper.* Latinus au-
tem interpres legisse videtur, δυσκόλοις, vt signifi-
cet *morosos, difficiles*, quibus omnia facilè stoma-
chum mouent, qui leuissima de caussa indignan-
tur. His enim Petrus ait, in omni timore seruien-
dum, hoc est, quamuis arroganter imperent, & vl-
tra modum sæuiant. Beda interpretatur, *indiscipli-
natos*, qui videlicet asperi sunt, & agrestis mori-
bus, vno verbo ab omni humanitate alienis. Vi-
detur porrò interpres ex industria Græcam vocem
retinuisse, vt morosos, ac molestos dominos si-
gnificet.

XI. Ridiculè autem quidam eam vocem à Schola
deducunt, quasi discoli indocti sint, atque ignari;
quippe qui Scholas minimè frequentarint, aut in
iis parum, vel nihil profecerint, cùm reuerà dedu-
cta vox sit ἀπὸ τοῦ κόλου, hoc est, cibo, vt δύσκολος,
sit difficilis in sumendo cibo, vt ex Athenæo in-
telligi facilè potest, & metaphoricè morosum, ac

A difficilem significat: cui opponitur εὔκολος, qui
facilè quemlibet cibum assumit, qui nihil fastidit.
Non me interim fugit, quid ex hoc loco perditis-
simè quidam [a] mortalium aduersùs Catholicos a Marloratus.
Theologos non minùs stultè, quàm impiè collì-
gant. Sed quis vnquam ita amens inter Theologos
fuit, qui ex hoc Apostoli loco quasi fidei articulum
astruat, Romanorum Pontificum tyrannidem æquo
animo ferendam esse?

Certè Catholici omnes hoc Apostolicum præ- XII.
ceptum ad seruos pertinere non negant, atque adeo
obsequium & obedientiam, quæ debetur heris, ac
dominis, connnecte. De Ecclesiasticis verò Princi-
pibus, quibus fideles subiiciuntur, ne verbum qui-
dem in præsentia facit Apostolus. Quis verò nisi
B stolidus, ac furiosus, & prorsus impius Ecclesiasti-
cam administrationem tyrannidem appellet? Certè
Christus Apostolis, eorumque successoribus impe-
randi, condendique leges auctoritatem concessit,
cùm dixit [b], *Qui vos audit me audit, qui vos spernit,* b Lucæ 10.
me spernit. Et ne fideles morum improbitatem suæ 16.
contumaciæ prætexerent, alibi dixit [c]: *Super cathe-* c Matth. 23.
dram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. omnia quæcun- 2.
*que dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm verò opera
eorum nolite facere.*

19. *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam su-
stinet tristitias, patiens iniustè.*]

Superioris sententiæ rationem reddit. Cur enim I.
C in omni timore seruiendum est dominis? quia, in-
quit, etiamsi illi prauis ac distortis moribus im-
buti, contra ius, fasque indignentur, & sæuiant,
inde ad innocentes in eos laus, & gloria redundat:
sententia tamen si per se spectetur, multò latiùs
patet, atque ad eorum omnium tolerantiam com-
mendandam pertinet, qui cùm nullius sceleris si-
bi conscij sint, acerbissimis tamen cruciatibus sub-
iiciuntur. *Hæc est enim*, inquit, *gratia*, hoc est,
id maximè Christianæ perfectionis proprium est,
hoc præclarum discipulorum Christi officium;
hæc demum solida, atque eximia gloria censen-
da est; si quis innocentiæ suæ testimonio fretus
tristia multa, atque acerba perpeti compella-
tur. *Hæc est enim*, inquit, *gratia.* Græcè, χάρις; qua-
D si dicat, hoc est Deo immortali inprimis gratum,
si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias.

Dei porrò conscientiam eam appellat, quæ Deo II.
maximè probetur, eique omni ex parte placeat,
vel quæ Deum potissimùm spectet, quæque illius
duntaxat honorem, & gloriam quærat; quæ deni-
que omni culpa vacans sese penitus Deo manci-
pet. Adde Dei conscientiam bonam simpliciter ap-
pellari, quæ vni Deo patet, cui, vt ait Seneca [d], d epist. 84.
*nihil clausum est. Interest enim animis nostris, & cogi-
tationibus mediis interuenit.* Ita Christus apud Mat-
thæum [e] dixit: *Beati qui persequutionem patiuntur* e cap. 5. 10.
propter iustitiam; qui videlicet cùm iustè, ac lauda-
biliter viuant, hoc ipso nomine in improborum in-
uidiam, atque odium vocantur, ac propterea addit
E Petrus; *Patiens iniustè.*

Nam, vt ait Augustinus [f], *non qui propter iniqui-* III.
tatem, & propter Christianæ vnitatis impiam diuisionem, f epist. 50.
*sed qui propter iustitiam persequutionem patiuntur, hi
Martyres veri sunt. Nam & Agar passa est perse-
quutionem à Sara, & illa erat sancta, quæ faciebat,
illa iniqua, quæ patiebatur. Nunquid et huic per-
sequutioni, quam passa est Agar, comparandus est sanctus
Dauid, quem persequutus est iniquus Saul? Valde vtique
distat, non quia patiebatur, sed quia propter iustitiam*

patieba-

patiebatur, & ipse Dominus cum latronibus crucifixus est, sed quos passio iungebat, caussa separabat. Et post nonnulla: *Si ergo, ait, verum dicere, vel agnoscere volumus, est persequutio iniusta quam faciunt impij Ecclesiæ Christi, & est iusta persequutio, quam faciunt impijs Ecclesia Christi. Illa itaque beata est, quæ persequutionem patitur propter iustitiam; illi verò miseri, qui persequutionem patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæuiendo; ista vt corrigat, illi vt euertant; ista vt reuocet ab errore, illi vt præcipitent in errorem.*

IV. Et in eandem sententiam alibi [a] quid inter veros, ac falsos Martyres intersit, quamuis eadem patiantur, his verbis ostendit. *Iam enim nescio quoties disputando, & scribendo monstrauimus non eos posse habere Martyrum mortem, quia Christianorum non habent vitam, cùm Martyrem non faciat pœna, sed caussa.* Denique [b]: *Hæretici, inquit, qui propter iniquitates, errores, seditiones, sacrilegia, molestias patiuntur, nomine Martyrij se iactant, vt hoc pallio dealbati, faciliùs ferantur, quia lupi sunt.*

a ep. 61.
b Serm. 50. de verb. Do.

V. Magnopere igitur falluntur ij, & toto, quod aiunt, errant cœlo, qui cùm aliquid iniustè patiuntur, iniquo id animo ferunt, ac supra modum indignantur, quòd se innocentes, atque omni scelere vacuos, & integros prædicent, atque adeò contra ius fasque supplicijs affici, æquiori se animo cuncta laturos, si aliquam culpam agnoscerent, cùm potiùs lætandum illis, gloriandúmque sit, quòd citra noxam iniustè patiantur. Ita enim apud Matthæum dixit Christus [c]: *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Eleganter enim dixit alicubi Cyprianus [d]: *Sanguini nostro patet cœlum, sanguini gehenna cedit habitaculum, & inferiorum hominum gloria pulchrior sanguinis titulus, & integrior corona signatur. Sic quoties de hoste triumphalibus spolijs onustus miles ingreditur, vulneribus suis gaudet; sic quoties tempestatibus diu nauta fatigatus, littora tuta contigerit, fœlicitatem suam de perpesso periculo ducit: est enim profectò, nisi fallor, labor lætus, per quem securitas inuenitur.* Et plura deinceps, proposito præsertim exemplo Christi, qui cùm esset ab omni prorsus labe purus, & integer, *proposito* tamen *sibi gaudio*, vt ait Paulus [e], *sustinuit crucem confusione contempta.* Pro magno itaque beneficio habenda sunt incommoda, & aduersa omnia, quibus iusti, & innocentes premuntur.

c cap. 5. 11.
d De laude Martyr.
e ad Hebr. 12. 2.

VI. Quam ob caussam Paulus Apostolus [f], *Gloriamur, ait, in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Et alibi [g] plus ait se incommodorum pertulisse, quàm cæteros, qui apud Corinthios magno in pretio erant. *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum.*

f ad Rom. 5. 3.
g ad Cor. II 23.

VII. Quamobrem meritò Martyrum laudes celebrat Cyprianus [h]. *Quibus ergo, ait, vos laudibus prædicem, fortissimi fratres? Robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? Tolerastis vsque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem; nec cessistis supplicijs, sed vobis potiùs supplicia cesserunt. finem dolorum, quem tormenta non dabant, corona dederunt. Laniena grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stantem fidem deijceret, sed vt homines Dei ad Dominum velociùs mitteret. Vidit admirans præsentium multitudo cœleste certamen, certamen Dei, spiritale certamen, prælium Christi. Stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores,*

h ep. nona.

A *& pulsantes, ac laniantes vngulas, pulsata ac laniata membra vicerunt.* Et plura in eandem sententiam vir sanctissimus scribit, quæ apertissimè docent, quàm gloriosum sit, acerbissima quæque pro iustitia pati.

20. *Quæ est enim gloria, si peccantes, & colaphizati, suffertis? Sed si bene facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.*]

I. A contrarijs confirmat quod modò dixerat: ait enim vel nullam, vel non magnam certè fore laudem, si quis, quæ propter scelera commeritus est supplicia patienti, aut etiam æquo animo ferat. Non est autem existimandum, eos, qui suorum scelerum pœnas B luunt, siue sponte susceptas, siue diuinitùs inflictas omni prorsus merito, & laude carere. Neque verò iis assentior, qui putant huius vitæ supplicia improbis adeò prodesse, vt eos à sempiterno interitu liberent.

II. Visus est id indicare Clemens [a] Alexandrinus, qui Platonis testimonio probat, vtile esse improbis suorum facinorum pœnas dare. Planiùs autem Origenes [b]: allato enim testimonio Abacuc, *Non vindicabit Dominus bis in idipsum*; eos ait, qui pœnas lege impositas persoluerunt, ab omni alio supplicio liberos fuisse, atque immunes. Denique Hieronymus [c] ad illa verba, *Non consurget duplex tribulatio*; indicare videtur eos, quos Deus in hac vita vlciscitur, æternos cruciatus euadere. C *Quod si vobis, inquit, videtur crudelis, rigidus, & cruentus, quod in diluuio genus deleuit humanum, super Sodomam, & Gomorrham ignem, & sulphurem pluit, Ægyptios submersit fluctibus, Israelitarum cadauera prostrauit in eremo, scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Certè aut vera sunt, quæ Prophetæ loquuntur, aut falsa; si vera sunt, quæ de seueritate eius videntur dicere, ipsi dixerunt. Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione: Si autem falsa sunt, & falsum est, quod dicitur, Non consurget duplex tribulatio. Falsa est ergo & crudelitas, quæ in lege descripta est. Quod si verum est, vt negare non poterunt dicente Propheta, Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione. Ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Si autem illi postea punientur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas est. Receperunt ergo & qui in diluuio perierant, & Sodomitæ, & Ægyptij, & Israëlitæ in* D *solitudine mala sua in vita sua.*

a lib. 1. Pædag. cap 8.
b Hom. 11. in Leuit.
c Nahum 1.

III. Sed proculdubio Hieronymus, & alij si affirment ipsa per se supplicia diuinitùs immissa futuræ vitæ pœnas compensare, audiendi nullo modo sunt, cùm certissimũ sit, plurimos in hac mortali vita acerbissimè fuisse cruciatos, quos tamen post mortem æternis supplicijs fuisse addictos, nemo dubitat, vt de Pharaone indicat auctor [d] de prædestinatione & gratia, & de Herode significat Lucas in Actis Apostolicis [e]. Quamobrem de iis videntur loqui, qui in ipsis supplicijs resipuerunt, & pœnitentiæ beneficio diuinam sibi gratiam, ac beneuolentiam conciliarunt.

d apud August. tom. 7.
e cap 12.

IV. Quod eodem loco paulò pòst non obscurè significat idem Hieronymus; sic enim subdit: *Quærat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio* E *decolletur, quid de eo postea fiet. aut enim punietur, & falsum est hoc, quod dicitur, Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione; aut non punietur, & optandum est adulteris, vt in præsentiarum breui, & cita pœna cruciatus frustrentur æternos. Ad quod respondebimus, Deum vt omnium rerum, ita & suppliciorum quoque scire mensuras, & non præuenire sententia iudicis, nec illi in peccatorem exercenda dehinc pœna auferri potestatem, & magnum peccatum magnis, diuturnisque eluí cruciatibus. Si quis autem punitus sit, vt ille in lege qui Israëliticis maledixerat, & qui in Sabbato ligna collegerat, tales postea*

non

non puniri, quia culpa leuis præsenti supplicio compensata est.

V. Insinuat enim quosdam in hac mortali vita plecti, quos tamen adhuc inferorum supplicia maneant, quamuis non pauci æternos cruciatus præsenti, & non grauissima pœna redimant. Quod igitur hoc loco ait Petrus, non magnam gloriam esse, si quis propter scelera perpetrata pœnas luat, innocentiæ & fortitudinis laudem excludit, qua vltrò pro iustitia strenuè tolerantur aduersa, atque idcirco ait, *quæ est enim gloria, si peccantes & colaphizati sufferetis?*

VI. Porrò quod ait interpres *Gloria*, Græcè scriptum est κλέος, quasi dicat, quæ inde laus, aut prædicatio, aut fama, aut denique nominis celebritas existet? Vt quod paulò antè dixit, patientiæ laudem extenuari, atque obscurari ab admissa culpa significet. Quod verò idem ait, *Colaphizati*, Græcè est, κολαφιζόμενοι. Quid autem sit colaphizare [a], alibi, Chrysostomi præsertim auctoritate, docui, breuiter idem videtur esse, quod pugnis faciem cedere. Itaque ad molestiam, & vexationem refertur, & ad quamlibet deiectionem, cum videlicet quis aut carcere includitur, aut fame, sitive torquetur, aut alio quopiam supplicio afficitur. Hac vt arbitror ratione datum sibi ait Paulus [b] angelum Satanæ, qui se colaphizet. nam quamuis stimulum carnis nominet, non propterea, vt suo loco dixi, fœdam impuræ libidinis cupiditatem significat, sed molestias quas à Iudæis perferre cogebatur.

a 2. Cor. 12.
b 2. Cor. 12. 7.

VII. Quanquam autem Augustinus creditur aliter sentire [c], re tamen vera id tantùm affirmat, quod Apostolus scribit, nec quid significet stimulus carnis, aut angelus Satanæ, planiùs explicat. Sic autem scribit: *Nam hoc vitio ne ipse tentaretur, quale sibi medicamentum dicit appositum a medico, qui sciret, quid curaret. Ne magnitudine inquit reuelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Videte quæ sunt consummationes. Apostolus Doctor gentium, Pater fidelium per Euangelium, accepit stimulum carnis, à quo colaphizaretur. quis nostrum hoc dicere auderet, nisi ille ipse confiteri non erubesceret? Si enim dixerimus hoc non passum fuisse Paulum, cùm ei quasi honorem deferimus, mendacem facimus: sed quia verax est, & verum dixit, oportet, vt credamus datum illi esse angelum Satanæ, ne magnitudine reuelationum extolleretur.* Nihil igitur plus dicit, quàm dicat Paulus.

c Conc. 2. in ps. 58.

VIII. Si ergo, vt redeam ad Petrum, quis sua culpa cruciatur, non magna quidem laude dignus videtur. potest tamen nonnihil à Deo promereri, si interno animi motu, & culpam agnoscat, & diuino amore incensus detestetur. At contrà; *Si bene*, inquit, *facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Hos enim, vt dixi, Christus beatos prædicat, *qui propter iustitiam persequutionem patiuntur. Hæc*, inquit, *est gratia apud Deum.* horum videlicet constantiam, atque animi magnitudinem immortali gloriæ corona in beata vita remunerabitur.

IX. Ita apud Isaiam [d], *Vt consolarer*, inquit, *omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Sion, vt darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, & vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Et in Apocalypsi [e], *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Et alibi [f]: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis; qui vicerit, possidebit hæc.* Hanc ob caussam miris laudibus extolluntur Martyres, & dicuntur [g] venisse de tribulatione magna, & lauisse stolas suas, eásque dealbasse in sanguine Agni, & mox subiicitur, *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus. quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

d cap. 61. 3.
e cap. 3. 21.
f Apoc. 21. 6
g Apoc. 7. 14

Gratiam porrò vocat Petrus, tum quia eximium Dei beneficium est, cùm quis propter iustitiam patitur. Nam Paulus ad Philippenses scribit: *Vobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Et hic ipse Petrus [a], *sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.* tum etiam quia est veluti radix, aut semen innumerabilium propemodum bonorum, quæ in illo beatorum cœtu assequentur illi, qui forti, & constanti animo acerbissima quæque pro Christo tolerauerint. X.

a Infra cap. 3. 14.

Idque elegantissimè docet Cyprianus [b], qui Martyres quosdã his verbis affatur, *Sed vobis rosa, & flores de paradisi deliciis aderant, & caput vestrum serta cœlestia coronabant. æstas ecce messium fertilitate fœcunda est, & area frugibus plena est, sed vos, qui gloriam seminastis, frugem gloriæ messuistis.* Et aliquantò pòst: *Vos de Domini vinea pingues racemi, & iam maturis fructibus botri pressura sæcularis infestatione calcati, torcular vestrum carcere torquente sensistis: vim vitæ sanguinem funditis, ad passionis tolerantiam fortes Martyrij poculum libenter haurstis.* Et multa deinceps adiicit, quibus non modò Martyrum robur laudibus extollit, sed præmij magnitudinem, atque præstantiam ob oculos ponit. XI.

b epist. 16.

21. *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*]

Duplici argumento superiorem adhortationem confirmat. Et priùs quidem ab ipsa vocatione argumentatur, deinde à Christi Domini exemplo. Priori igitur loco ait, *In hoc enim vocati estis*; hoc est, ipsa vos cœlestis vocatio suapte natura monet, vt quæcunque accidant aduersa, magno fortique animo excipiatis: hoc enim significat Christus, cùm apud Matthæum [c] dicit, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et apud Ioannem [d], *Absque synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et aliquantò pòst [e]: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Denique [f]: *In mundo pressuram habebitis.* I.

c cap. 16. 24
d cap. 6. 2.
e vers. 20.
f vers. 33.

Hoc agnouerunt Apostoli, quorum ea vox est [g], *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et Paulus [h] Hebræos nominatim ad patientiam hortatur: *Patientia enim, inquit, vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem.* Iacobus [i] autem patientiam adeò extollit, vt in ea propemodum Christianæ vitæ perfectionem sitam esse affirmet. *Patientia autem, ait, opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Neque aliter de Christiana vocatione sensit hic idem Petrus [k], *Non reddentes, ait, malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.* II.

g In Act. Apost. 14.
h ad Hebr. cap. 10. 36.
i cap. 1. 4.
k Infra cap. 3. 9.

Ipsa enim huius vitæ conditio multa obiicit, quibus iustorum patientia exercetur, & exploratur, quorum magnam partem recenset Augustinus [l]. *Et quædam sunt, inquit, fratres, tribulationes omnibus notæ. Ecce ista, quæ abundant in genere humano, alius damno affectus plangit, alius orbitate percussus luget, alius patria exulatus mœret, & redire cupit intolerabilem peregrinationem deputans. Alicui vinea grandinata est, attendit ad labores suos, & consumptam omnem operam incassum.* III.

l In ps. 49.

Quando

Quando non poteſt contriſtari qui inimicum patitur ex amico? Quæ maior miſeria in genere humano? Plangunt hæc omnes, & dolent, & tribulationes ſunt iſta. ſunt autem alia iuſtorum propria moleſtia, de quibus loquitur Paulus [a], a 2. ad Tim. 3.12. *Et omnes qui piè volunt viuere in Christo Ieſu, perſequutionem patientur.*

IV. *Hoc*, inquit idem Auguſtinus [b], b lib. 18. de ciuit. cap. 52. *nullis putandum eſt deeſſe poſſe temporibus, quia & cùm ab iis qui foris ſunt, non ſæuientibus videtur eſſe tranquillitas, & reuerà eſt, plurimúmque conſolationis affert maximè infirmis: non tamen deſunt, immò multi ſunt intus, qui corda piè viuentium ſuis perditis moribus cruciant, quoniam per eos blaſphematur Christianum, & Catholicum nomen.* Et paucis interiectis. *Ipſi quoque hæretici cùm Christianum cogitantur habere nomen, & Scripturas, & profeſſionem magnum dolorem faciunt in cordibus piorum, quia & multi volentes eſſe Christiani, propter eorum diſſenſiones hæſitare coguntur, & multi maledici etiam in his inueniunt materiam blaſphemandi Christianum nomen, quia & ipſi quoquo modo Christiani appellantur. His itaque huiuſmodi prauis moribus, & erroribus hominum perſequutionem patiuntur, qui volunt in Christo piè viuere etiam nullo infeſtante, neque vexante corpus illorum, patiuntur quippe hanc perſequutionem non in corporibus, ſed in cordibus.* Et aliquantò pòſt hunc in modum concludit: *Sic in hoc ſæculo in his diebus malis non ſolùm à tempore corporalis præſentiæ Christi, & Apoſtolorum eius, ſed ab ipſo Abel, quem primum iuſtum impius frater occidit, & deinceps vſque ad huius ſæculi finem inter perſequutiones mundi, & conſolationes Dei, peregrinando procurrit Eccleſia.*

V. Subdit eiuſmodi vocationis rationem. *In hoc enim*, ait, *vocati eſtis*, hoc eſt, ad toleranda aduerſa, & patientiam exercendam, *quia & Christus paſſus eſt pro nobis.* Eſtque alterum, & quidem efficax argumentum ad ſuperiorem adhortationem ſtabiliendam, & corroborandam. Nam, vt ait Oecumenius, aduerſa æquo animo tolerare, cùm ſis prorſus innocens, & culpa vacans, magnum omnino eſt, & à paucis præſtatur. hoc Deo eſt acceptum cùm Christi patientiam æmulari videatur, qui, vt mox dicet Petrus, non pro propriis peccatis, cùm nihil vnquam mali admiſerit, ſed noſtra cauſſa próque noſtris flagitiis acerbiſſimos cruciatus pertulerit. *Christus ergo paſſus eſt pro nobis*, ea videlicet ſupplicia ſubiuit, quæ nobis, ac noſtris ſceleribus debebantur. Itaque Dauid Christum ita c pſ. 68.5. loquentem inducit [c], *Confortati ſunt, qui perſequuti ſunt me inimici mei iniuſtè. quæ non rapui, tunc exſoluebam.* Et Iſaias [d]: d cap. 53.8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Et paulò antè [e]; e verſ. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Et poſt pauca: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*

VI. Exigit autem hoc exemplum Christi, non modò gratam, ac memorem voluntatem, & gratiarum actionem, ſed etiam, & quidem potiſſimùm imitandi ſtudium. Quod enim alicubi Christus dixit [f], f Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*; vniuerſim ad omnes Christi actiones meritò referendum eſt, cùm verè, ac ſapienter dixerit Gregorius, *Omnis Christi actio noſtra eſt instructio.* Ob eam cauſſam Paulus Corinthios [g] g 1. ad Cor. 4.16. rogat, vt ſui imitatores ſint, non aliter, atque ipſe Christum imitabatur. Epheſios verò monet [h]: h ad Epheſ. 5.1. *Eſtote*, inquit, *imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Et in eandem ſententiam Cyprianus [i]: i De bono patien. *Quod ſi*, inquit, *& nos, fratres dilectiſſimi in Christo ſumus, ſi ipſum induimus, ſi ipſe eſt ſalutis noſtræ via, qui Christum veſtigiis ſalutaribus ſequimur, per Christi exempla gradiamur. Sicut Ioannes Apoſtolus inſtruit dicens* [k]: k ep. 1. cap. 2. *Qui dicit ſe in Christo manere, debet, quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Confeſtim autem hæc ipſa Petri verba profert, & ſubiicit, *Inuenimus denique & Patriarchas, & Prophetas, & iuſtos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis cuſtodiſſe in laude virtutum ſuarum, quàm quod patientiam forte, & ſtabili æquanimitate tenuerunt.*

Allatis autem plurimorum veterum Patrum exemplis, patientiæ neceſſitatem ex veteri Domini ſententia colligit, qua olim dixit [a], *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ in ſudore vultus tui, veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es. Huius*, inquit, *ſententiæ vinculo colligati omnes, & conſtricti ſumus, donec expuncta morte de iſto ſæculo recedamus.* VII. a Gen. 3.17.

Velimus ergo, nolimus multa nobis deuoranda ſunt, multa ſubeunda pericula, multa incommoda, & mala toleranda, quæ leuiùs, faciliúſque perferemus, ſi quod monet Apoſtolus [b] aſpiciamus *in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Paulò autem antea monuerat deponendum omne pondus, & circunſtans nos peccatum, *vt per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Itaque iterum addit Petrus. VIII. b ad Hebr. 12.2.

Vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Christi porrò veſtigia, auctore Cypriano [c], ſequitur, *qui præceptis eius inſiſtit, qui per magiſterij eius viam graditur, qui veſtigia eius, atque itinera ſectatur, qui id, quod Christus & fecit, & docuit, imitatur, ſecundum quod Petrus quoque hortatur, & monet dicens, Christus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Paucis autem interiectis: *Christi nomen*, inquit, *induere, & non per Christi viam pergere, quid aliud, quàm præuaricatio eſt diuini nominis, quàm deſertio itineris ſalutaris?* Vult autem Petrus nos potiſſimùm imitari exempla patientiæ Christi: quò ſpectans B. Athanaſius [d] viro Christiano hæc præcepta tradit, *Manſuetus, & quietus ſit, & tolerans malorum, nulli malum pro malo reddens, multas contumelias ſuſtinens, quemadmodum ipſe* (id eſt Christus) *à Iudæis contumeliis affectus eſt, & ſuſtinuit, verbera, & torturas ferat. Nam & ipſe quoque hæc paſſus eſt; colaphis enim à miniſtro Pontificis cæſus, nihil contra fecit, ſed tantùm dixit, Si malè loquutus ſum, dic teſtimonium, quid malè dixerim: ſin contrà benè, quid me cædis? Nónne potuit, qui terræ imperauit, vt Datan, & Abiron viuos deglutiret, ſurſum imperare, vt eum qui verberabat ſuum conditorem, viuum deglutiret? ſed ſuſtinuit nobis relinquens exemplum, vt nos per eius veſtigia incedamus. Tu autem homo non ſuſtines ab homine tecum eiuſdem naturæ contumeliis affici? Imitare dominum tuum.* IX. c De zelo, & liuore. d De virgin. ſeruan.

Porrò Christus imitatoribus ſuis fœlicem exitum pollicetur [e]: *Ego*, inquit, *ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Longiſſimè autem abſunt à vera Christi imitatione, qui caduca, & mortalia bona conſectantur, qui gulæ, genióque indulgent, qui corporeas voluptates exquirunt, qui denique ita vitam inſtituunt, vt de ſempiterna ne cogitare quidem videantur. Certè Christus apud Lucam [f]: *Væ vobis*, inquit, *diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram: Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* X. e Ioan. 8.12. f cap. 6.24.

Certè alia omnia complexus eſt Christus, cuius exemplum nobis ad imitandum proponit Petrus, & quidem meritò. Vt enim ſcribit B. Cyprianus [g], *qui in baptiſmo ſecundum hominis antiqui peccata carnalia, & mortui, & ſepulti ſumus, qui regeneratione cœleſti Christo conſurreximus, quæ ſunt Christi & cogitemus,* XI. g De zelo, & liu. non procul à fine.

oportet

a ad Coloss. 3. 1.

oportet pariter & geramus. Ita enim ait Paulus [a], *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

XII. Et alibi [b] ad hanc ipsam Christi imitationem illustriori adhibita metaphora magnificentissimis verbis hortatur. *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginē terreni, portemus & imaginē cœlestis. Imaginem autem cœlestem*, vt ait Cyprianus [c], *portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus. Hoc est enim mutasse, quod fueras, & cœpisse esse, quod non eras; vt in te diuina natiuitas luceat, vt ad Patrem Deum deifica disciplina respondeat, vt honore, & laude viuendi Deus in homine clarescat.* Quanquā autem vniuersim Paulus Apostolus Christi imitationem suadet, Petrus tamen hoc loco Christi patientiam potissimùm imitandam proponit: ac propterea subdit:

b 1. ad Cor. 15. 47.

c loco indicato.

22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.*

23. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniustè.*]

I. Christi innocentiam cum admirabili patientia coniunctam paucis describit, vt quod modò dixerat, Christum nobis tolerantiæ exemplum reliquisse, magis confirmet. Ad innocentiam quidem pertinent illa; *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quæ verba desumpta sunt ex vaticinio Isaiæ [d], *Et dabit*, inquit, *impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua, eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* Ad quem locum videtur etiam respexisse Ioannes [e], cùm dixit, *Et scitis, quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Ex hoc porrò loco colligit Augustinus, Christum verè originaria labe non fuisse infectum: ita enim scribit [f], *Illud sanè magnum, verùmque dixisti, cùm posuisti testimonium Apostoli Petri dicentis, qui peccatum non fecit, notandum esse, quòd indicauerit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo non fuisse peccatum, vt diceret, inquit, quia qui non fecit, habere non potuit omnino verissimum est: profectò enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset: nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit infantilis ætatis exortu.*

d cap. 53. 9.

e ep. 1. c. 3. 5.

f lib. 5. contra Iulian. cap. 15.

II. Quanquam enim Petri Apostoli verba, vt etiam Isaiæ locus, indicare videntur, Christum Dominum, neque re ipsa, neque verbo vllo modo peccasse, probat tamen Augustinus Iuliani, aduersùs quem disputat, explanationem, qui ex hoc loco colligit, non potuisse Christum habere peccatum, quia non fecerit; quasi habere peccatum retulerit ad labem originis, facere autem ad ea peccata, quę propria cuiusque voluntate liberè perpetrantur: atque ita hanc veluti legem constituit Augustinus, vt quicunque in vita omni labe careat, is etiam in ortu suo, originaria labe caruerit. Qua admissa sententia, cùm certissimè constet, beatissimam Virginem matrem, nullam in omni vita, vel leuissimam contraxisse noxam, fateri necesse est, fuisse illam ab originaria labe prorsus immunem.

III. Cæterùm quod attinet ad Petri verba, illa miram quandam Christi innocentiam prædicant; qui reuerà vt originaria labe siue diuinæ naturæ, atque hypostasis respectu, siue ratione diuini conceptus, siue vtroque nomine omnino caruit; ita nulla vnquam macula fœdatus est, ac ne fœdari quidem potuit. Neque, vt arbitror, eò spectat Christi exemplum, vt hanc eius eximiam innocentiam imitemur, quam, vt ait Augustinus [a], *quantùm ad vitam pertinet, qua Christum debemus imitari, hoc quoque ad distantiam plurimùm valet, quod vnusquisque nostrûm homo est, ille autem etiam Deus: neque enim tantùm potest iustus homo esse, qui homo est, quantùm homo, qui & Deus est.*

a lib. 5 contra Iulian. cap. 13.

IV. Quò magis mirandum est, tantam esse hæretici [b] hominis impudentiam, qui asserere ausus sit, Christum Dominū in assumpta hominis natura, verè peccatorem, ac reum fuisse diuinæ maledictionis, eundémque [c] animi mollitie mortem refugisse, votáque inconsiderata emisse, quæ retractanda, & reuocanda fuerint, mediatoris officio fungi detrectasse, & voces [d] desperationis plenas fudisse. Denique [e] Christum simpliciter, & per se, iudicio Dei obiectum nullius fuisse meriti, nullámque in eo repertam fuisse dignitatem, qua Deum posset promereri. Quæ sanè omnia non modò aduersùs hanc Apostoli sententiam apertissimè pugnant, sed ipsa Euangelicæ doctrinæ fundamenta prorsus euertunt, & omnem humani generis salutem, quæ vnius Christi merito nititur, labefactant.

b Caluin. ad Gal. 5.

c Ioan. 12.

d Matt. 27.

e li. 2. instit. cap. 17. §. 1.

V. Certè alia omnia existimarunt veteres Patres doctrina, & sanctitate eximij. Irenæus [f] enim alicubi Christum vocat cœlestium, terrestrium, & infernorum Principem, *quoniam homo iustus erat, qui peccatum non fecit.* Alibi [g] Christi carnem eiusdem quidem speciei, cum nostra fuisse affirmat tametsi in ea nullum admisit peccatum. Eodémque modo loquitur Athanasius [h]. Christum enim verum corpus humanum gestasse dicit, peccatum autem nullum in eo contraxisse. sicut & ipse alibi dicit [i]. *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.*

f lib. 4. c. 37.

g li. 5. cap. 14.

h De salut. adue. Christ. aduersus Apollinar.

i Ioan. 14. 30.

VI. Neque aliter loquitur Cyrillus [k] Hierosolymitanus: *Multi enim*, inquit, *per orbem crucifixi sunt, sed nullum præter Christum exhorrent dæmones, quoniam illi quidem propter peccata sua mortui sunt, hic autem pro alienis: peccatum enim ipse non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Non Petrus erat, qui hoc dicebat ne quis suspicetur adulari illum magistro, sed Isaias id dixit, Qui corpore quidem non aderat, spiritu tamen aduentum eius in carne præuidebat.* Mox verò Pilati ac latronis testimonia profert ad Christi innocentiam stabiliendam. *Et quid est*, inquit, *quod testem adducam solum Prophetam? Accipe & illum testem, qui eum condemnauit, dicentem* [l], *Nihil inuenio caussæ in hoc homine. Et cùm morti illum addiceret, lauans manibus, Innocens*, inquit, *ego sum à sanguine iusti huius. Est & alius testis innocentiæ Iesu vnus latronum, qui cum illo erant crucifixi, reprehendens alterum, atque dicens* [m], *Nos digna factis ferimus, hic autem nihil mali fecit.*

k Catech. 13.

l Luc. 23. 4.

m Luc. 23. 41.

VII. Inter Latinos autem hæc ipsa Petri verba expendens Tertullianus [n], negat, Christum, etiamsi in ligno penderit, fuisse maledictum. *Igitur*, inquit, *non in hanc passionem Christum maledixit, sed distinctionem fecit, vt qui in aliquo delicto iudicium mortis habuisset, & moreretur suspensus in ligno, hic maledictus à Deo esset, quia propter merita delictorum suorum suspenderetur in ligno. Alioquin Christus, qui dolum de ore suo loquutus non est, quique omnem iustitiam, & humilitatem exhibuit, &c.* Hilarius [o] autem ad hunc Petri locum alludens, *Ipse quidem*, inquit, *lauacri egens non erat, quia de eo dictum est; Peccatum non fecit. & vbi peccatum non est, remissio quoque eius est otiosa, sed assumptum ab eo creationis nostræ fuerat & corpus, & nomen, atque ita non ille necessitatem habuit abluendi, sed per illum in aquis*

n lib. aduers. Iud. cap. 10.

o Can. 2. in Matth.

ablutus is

ablutionis nostræ erat sanctificanda purgatio. Denique Hieronymus [a] Deum Patrem ita loquentem inducit: *Quid mirum, si Filium meum iustum Regem miserim mundo, siue ab inferis suscitauerim, cuius omnes viæ rectæ sunt? peccatum enim non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.*

a Isaiæ 45.

VIII. Superiora Christi innocentiam morúmque integritatem probant: quæ sequuntur, animi moderationem, ac patientiam indicant, *Qui cùm malediceretur*, inquit, *non maledicebat.* re namque vera multa probra, & conuicia non modò patienti, sed æquissimo animo pertulit. Apud Ioannem [b] enim ita de illo loquuntur Iudæi, *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Apud Matthæum [c], *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorũ amicus.* Rursus apud Ioannem [d]: *Nónne*, inquiunt, *bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Denique cùm eum Romano præsidi necandum tradiderunt [e], *hunc inuenimus*, aiunt, *subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Sæpe illum blasphemiæ & impietatis insimularunt, siue cùm peccata condonaret, siue cùm se Dei Filium diceret. Aliàs legis contemptorem, ac Sabbati violatorem appellabant, quæ omnia ille mira quadam patientia tolerauit, nunquam propterea ingemuit, nunquam questus est; sed semper placidus, ac lenis, & rebus omnibus æquus fuit. Hanc animi magnitudinem imitandam proponit Petrus; & ob eam caussam capite sequenti ait, *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.*

b cap. 9. 24.
c cap. 11. 19.
d cap. 8. 48.
e apud Luc. cap. 23. 2.

IX. Quòd etiam spectans Paulus [f], *nulli*, ait, *malum pro malo reddentes.* Et alibi [g]: *Videte, ne quis malum pro malo reddat.* Quin etiam Salomon [h] ei, qui secus fecerit, supplicium minatur, *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* Tantum verò abest, vt iniurias sibi illatas vltus sit, aut nouis iniuriis compensauerit, vt potiùs Iudæorum caussam, qui sibi mortem inferebant, apud Deum Patrem in ipsa cruce ageret. Nec pugnat, quòd aliquando Iudæos appellauerit mendaces, filios diaboli, & gehennæ, hypocritas, cæcos, duces cæcorum, Prophetarum occisores, Dei osores, sepulcra dealbata, generationem prauam, & adulteram. Pertinent enim hæc, vt aliàs dixi, ad iustam increpationem, reprehensionémque, qua pro suo munere, atque auctoritate publica eorum scelera iure poterat castigare. *Cum pateretur*, ait, *non comminabatur*, quib. potiùs miro quodam silentio etiam Præsidem Romanum in admirationem rapuit.

f ad Rom. 12. 17.
g 1. ad Thessal. 5. 15.
h Prou. 17. 13.

X. Hanc itaque Christi patientiam imitandam proponit Petrus, & quidem, vt ait Ambrosius [i], *Ille verè beatus recensendus est, qui potest tantam habere virtutem, vt lacessitus, non irascatur, commotus se nolit vlcisci. inimici hoc agunt, vt prouocent ad iracundiam, maledicunt, vt maledicamus: criminantur, vt crimen retorqueamus; conuiciantur, vt excitent nos ad vicissitudinem contumeliæ.* Mox autem allatis his verbis Petri, subdit, *Ad eius ergo similitudinem, atque imaginem iustus sua vita cupiens instituta formare, accusatus tacet; læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum, vt illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum, & cum possit habere quod referat, magis vult silere, quàm dicere; ipse enim Dominus Iesus cùm accusaretur, tacebat, & cum percuteretur, non repercutiebat, denique percussus respondit, Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo; si bene, quid me cædis? Vide quemadmodum quasi verè infirmus, & quasi is, qui se vindicare non posset, puerili quodam loquebatur affectu. ita ergo & tu si habeas, quo redarguas arguentem, melius tacebis, ne redarguendi vicissitudine commotionem tuam prodas. Melius est enim dissimulare iniuriam, quàm cum redarguis, vindicare.* Post nonnulla verò, Susannæ exemplum profert, quæ *nec sexus infirmitate turbata, cùm se ad periculum mortis cognouit addictam, ne vocem quidem emiserit. Accusabatur*, inquit, *& tacebat, ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem.*

i In psal. 37.

A

XI. *Non comminabatur*, inquit. atqui apud Lucam [a], *Ecce*, inquit, *venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos, & collibus; Operite nos, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* verùm non tam fuit comminatio, quàm vaticinium. nihil enim erat, cur piis fœminis collacrymantibus minas intentaret; sed imminentia mala tanquam rerum omnium gnarus prænunciauit.

a cap. 23. 28.

B

XII. *Tradebat autem iudicanti se iniustè.* Paulò aliter habent Græci codices, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, hoc est, *tradidit autem iudicanti iustè.* quomodo etiam legisse videtur Syriacus: sic enim habet; *Sed tradebat iudicium suum iudici iustitiæ.* Eodem prorsus modo legerunt Didymus, & Oecumenius, & ille quidem ait, *Tradens eos, qui insurgebant aduersùs eum iustè iudicanti Deo Verbo inhabitanti in semetipso.* hic verò; *Tradebat Deo, qui iustè iudicat, qui reddet videlicet vnicuique secundum opera sua: id enim iustum est.* Ita sensus erit, Christum Dominum caussam suam diuino Iudicio permisisse, quod ad Romanos scribens diuina auctoritate confirmat Paulus [b], *Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim, Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

b ad Rom. 12. 19.

C

XIII. Sed Didymus quidem, vt modò indicaui, eum, qui iustè iudicat, ipsum Verbum intelligit; Augustinus [c] autem Patrem. Explicans enim verba illa Christi, *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*, obiicit ex aduerso eiusdem Christi verba [d]; *Ego non iudico quemquam, est qui quærat, & iudicet.* Tum subdit, *De quo dicit, est qui quærat, & iudicet, nisi de Patre? Ille quærit iniurias tuas; ille iudicat de iniuriis tuis. Quomodo hic Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio? Interrogemus & Petrum, audiamus eum loquentem in Epistola sua. Christus pro nobis passus est, inquit, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, qui cùm malediceretur, non remaledicebat, cùm iniuriam acciperet, non minabatur, sed commendabat illi, qui iustè iudicat. Quomodo verum est, quia Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio?*

c Tract. 21. in Ioan.
d Ioan. 8. 5.

D

XIV. Ita videas omnino de Deo Patre explicuisse Augustinum hæc Petri verba, quomodo etiam ea videtur accepisse Fulgentius [e]. Et profectò verosimilius est de Patre loqui Petrum, cui Christus suam caussam commendabat. Ita enim non semel loquitur apud Dauidem [f]: *Quoniam*, inquit, *fecisti iudicium meum, & caussam meam, sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Alibi [g], *Exurge, & intende iudicio meo, Deus meus, & Dominus meus in caussam meam. Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine Deus, & non supergaudeant mihi.* Rursus [h]: *Iudica me Deus, & discerne caussam meam.* Denique [i]: *Exurge, Deus, iudica caussam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die, ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum.*

e lib. 1. ad Trasimund.
f psal. 9. 5.
g psal. 34. 23.
h psal. 42. 1.
i psal. 73. 22.

E

XV. Quocirca videtur significare Petrus Christum Dominum suam Deo Patri caussam commendasse, siue vt suam innocẽtiam aliqua ratione declararet, atque impios iusto supplicio afficeret, siue, quod alij malũt, mihíque magis probatur, se ipsum Deo Patri scelera humani generis iustè vlciscenti vexandum, & suppliciis afficiendum offerebat, vt alludere videatur ad Isaiæ verba [k], *Ideo dispertiam ei plurimos, &*

k cap. 53. 12.

Bb fortium

fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem A *animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit.* Vt appareat non modò Chriſtum æquo, ſed etiam libenti animo, pro communi humani generis ſalute acerbiſſima ſupplicia toleraſſe.

XVIII. Verùm quoniam vulgata lectio retinenda nobis eſt, vt dicat Petrus, *tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè*; ſenſus erit, Chriſtum ſeſe vltrò, ac ſpontè iniquiſſimo Pilati iudicio ſubdidiſſe, cùm proculdubio facilè poſſet euadere, & ſeſe ab omni periculo liberare. Meritò autem dicit, *iudicanti ſe iniuſtè*: pluribus enim nominibus, Pilati ſententia fuit iniuſta. Nam primùm quidem nullum iuris ordinem ſequutus eſt, ſed ſubitam ac temerariam Iudæorum accuſationem B admiſit, nullâque adhibita conſultatione, Chriſtum ſæuiſſimæ morti addixit, cùm tamen etiam Gentiles magnam in ferendis ſententiis, reiſque damnandis diligentiam adhiberent.

XIX. Itaque Clemens [a] Romanus, *Contemplamini*, ait, *iudicia ſæcularia, quorum poteſtate videmus trahi parricidas, adulteros, veneficos, ſepulchrorum violatores, latrones. Hi enim ſtatim vt ab iis, qui reos in iudicio ſiſtunt, quæſtiones de eis habitas acceperunt, quærunt ex malefico ipſo an ita ſe res habeat, ille verò ſi ait, non ſtatim mittitur ad ſupplicium. immò pluribus diebus, cum multa deliberatione, ac conſultatione, & interiecto velo inquiritur in eum.* & alia deinceps. Eodem ſpectant & illa, quæ ſcribit alicubi Baſilius [b], *Qui rerum*, inquit, *in hoc* C *mundo potiuntur, quando facinoroſum aliquem morti ſunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & experiſſimos quoſque ad cauſſæ tractationem aduocant, multúmque temporis inſumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem ſuſpicientes, multúmque ingemiſcentes, ac iudicandi neceſſitatem deplorantes neminis non manifeſtum faciunt, quod non ex propria libidine, ſed ex neceſſario legis miniſterio condemnationis inferant ſententiam.*

a l.b.2.Cōſtit.Apoſt.c.52.

b ep.79.

XX. Cæterùm quod Baſilius, Cortinas, Clemens verò, Velum, nominat, veterem Magiſtratuum, & Iudicum conſuetudinem indicat, qui cùm ius dicerent, velis quibuſdam vtebantur, quibus tum ipſi, tum ij, qui iis à conſiliis aſſidebant, ab iis, qui cauſſas agebant, ſeiungebantur. Quò, ni fallor, reſpiciunt Honorius, & Theodoſius Auguſti [c], cùm in hæc verba legem tulerunt. *De ſubmerſis nauibus decernimus, vt le-* D *uato velo iſtæ cauſſæ cognoſcantur, & ſi quiſquam de talibus negotiis aliquid accepiſſe detegitur, iudex apud quem conſtiterit, his conquerentibus, qui nudantur pro qualitatibus perſonarum multandi, remouendi, proſcribendique habeat poteſtatem.* Leuato, inquiunt, velo. quaſi dicat, remoto velo, & non adhibitis iuris ſolemnitatibus, quę in aliis iudiciis religioſè retinendæ erant; quandoquidem in eo iudicio, ſubitò, ac veluti ex tempore iudicandum eſſet. atque haud ſcio an hoc idem ſignificare velit Syluerius [d] Pontifex: ſic enim ait, *Gulliſarius, ſeu, quod malim, Beliſarius, patritius noſter mandauit me ad ſe venire pacificè pro quibuſdam Eccleſiaſticis diſpoſitionibus in palatium pincis, & ad primum, & ſecundum velum retinuit omnem clerum, & populum, qui mecum veniebat, & nullum permiſit introire, niſi me ſolum, &* E *Vigilium diaconum noſtrum.* Suſpicor enim velum appellari, quòd ante ianuam nobilium præſertim pendere ſolet, quod ni fallor, ſignificat Clemēs Alexandrinus [lib.7.Strom.] cùm de hæreticis ait. *Sed nec ipſi ingreſſus clauem habentes, ſed falſam quandam & vt dicit conſuetudo ἀντικλεῖδα, id eſt aduerſam clauem, per quam non relaxato velo, vt nos ingredimur per Domini traditionem; ſed exciſo oſtio, & muro Eccleſiæ clam perfoſſo veritatem tranſgredientes, efficiuntur principes ac duces myſteriorum animæ impiorum.*

c In Cod. Theod.li.13. tit.9.conſt.6 & in Iuſtini. lib 11.tit.5. Conſtit.5.

d apud Gracianum 23. q.4. c.Gulliſarius.

A Vt igitur redeam ad inſtitutum, quamuis Lactantius [a] neget Pilatum tuliſſe ſententiam, ſed permiſiſſe tantum Chriſtum dominum Iudæorum voluntati, ſeu potiùs furori, vero tamen ſimilius eſt, eum re vera ſententiam protuliſſe, vt non obſcurè ſignificat Lucas [b], cùm ait, *Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Ieſum autem tradidit voluntati eorum.* quò etiam refero quod Matthæus [c], & Ioannes [d] dicunt, ſediſſe pro tribunali, quod ad ferendam ſententiam fieri conſueuit. Fuit autem ea ſententia iniuſtiſſima, ob hanc potiſſimùm cauſſam, quam hactenus explicui. XXI.

a lib.4.c.18.

b cap.23.24

c cap.27.19

d cap.19.13

Sed præterea magnam continet iniuſtitiam, quòd ipſius Pilati iudicio Chriſtus & iuſtus, & innocens B erat, ac propterea, vt ait Ioannes [e], *quærebat dimittere eum*; quocirca lotis manibus proteſtatus eſt ſe innocentem à ſanguine iuſti, ſed, vt ait Leo [f] Pontifex, *Lotis manibus, & ore polluto iiſdem labiis Ieſum miſit ad crucem, quibus eum pronunciauerat innocentem.* Sed nihil eum ablutio manuum iuuat: nam, vt idem ait Leo [g], *non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec aſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur.* Et in eandem ſententiam Ambroſius, *Pilatus*, ait, *lauit manus, ſed facta non diluit: iudex enim neque inuidiæ, neque timori cedere debet.* XXII.

e cap.19.12.

f Serm.1.de Paſſ.

g Serm.8.de Paſſ.

Ille verò tāquam mollis, ac timidus Iudex Iudæorum vocibus perterritus illorum furori tradidit innocentem: nam, vt ait Auguſtinus [h], *apertiſſimè contra* C *Cæſarem venire videretur, ſi alium Regem vellet ingerere præfitentibus ſe Regem non habere, niſi Cæſarem*, &c., vt addit Theophylactus, *calumniam metuebat, ne accuſaretur, quòd rebellem abſoluiſſet.* Quo quidē ſcelere quamuis grauiſſimo, longè tamen grauius videtur crimen Iudæorum, *qui illum*, vt ait Leo Pontifex [i], *nomine Cæſaris territum, & vocibus inuidioſis increpatum ad effectum ſui ſceleris impulerunt.* Idque ſignificaſſe videtur Chriſtus Dominus, cùm Pilato dixit [k], *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* vt enim Chryſoſtomus, Cyrillus, Euthymius, & Auguſtinus explicant, Pilati facinus, cum Iudæorum ſcelere confertur, & hoc illo grauius, ac deteſtabilius pronunciatur. XXIII.

h Tract. in Ioan.

i Serm. 8.de Paſſ.

k Ioan.19.11

Quamobrem Baſilius [l] ex Domini verbis colligit, *Pilatum quoque conſentientem iis, qui illum tradiderant, peccatum habuiſſe, licet non ita graue.* Et Auguſtinus [m], *Quod fecit Pilatus in eo ipſo, quod fecit aliquantum particeps fuit, ſed in comparatione illorum multo* D *ipſe innocentior.* Et aliquanto poſt *Noſtis*, inquit, *illum lauiſſe manus, & dixiſſe, quod ipſe non feciſſet, mundum ſe eſſe à morte illius. Fecit tamen, ſed ſi reus, quia fecit vel inuitus, illi innocentes qui coëgerunt, vt faceret? nullo modo; ſed ille dixit in eum ſententiam, & iuſſit eum crucifigi, & quaſi ipſe occidit, & vos ò Iudæi, occidiſtis. Vnde occidiſtis? gladio linguæ. acuiſtis enim linguas veſtras. & quando percuſſiſtis, niſi quando clamaſtis, Crucifige, crucifige?* XIV.

l Regg.breu. Reg.46.

m pſ.63.

Et apertiſſimè Leo Pontifex [n], *Exceſſit quidem Pilati culpam facinus Iudæorum.* Et paucis interiectis. *Sed nec ipſe euaſit reatum, qui cooperatus ſeditioſis reliquit iudicium proprium, & in crimen tranſiuit alienum.* Quæ quanquam veriſſimè dicuntur, aliunde tamen Pilati E peccatum non mediocriter augetur, quod non ſolùm contra iuſtitiam, innocentem morti addixerit; ſed etiam contra ſui muneris rationem grauiter peccaret: magiſtratus enim, ac iudicis proprium eſt ius dicere, & iuſtitiæ patrocinium ſuſcipere. Quamobrem Salomon inter cætera mala, atque incommoda, quæ viſu compererat, hoc etiam recenſet [o], quod videt, *ſub ſole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem.* Et ob eam cauſſam dixit Sapiens [p]. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè* XXV.

n Serm.8.de Paſſ.

o Eccleſiaſtes 3.16.

p Eccleſiaſtici 7.6.

extimeſcas

extimeſcis faciem potentiæ, & ponas ſcandalum in æquitate tua.

XXVI. Illud ambigi ſolet à multis, an Pilati ſententia ex eo etiam capite fuerit iniuſta, quòd ſua abuſus poteſtate, eum neci addixerit, qui nullo ſibi iure ſubiectus eſſet. Et profectò ſi quod alicubi affirmat Athanaſius [a], cognouit Pilatus Chriſti diuinitatem, impiè, ac prorſus nefariè contra Deum, ſuam exercuit poteſtatem; quod ſi id minùs probabile videtur, nonnullam dubitationem pariunt Chriſti verba apud Ioannem [b], *Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* indicare enim videtur, Pilatum habuiſſe in Chriſtum poteſtatem.

a De Paſſ. & cruce Dom.
b cap. 19. 11.

XXVII. Cæterùm ſi nomine poteſtatis intelligamus vim, & facultatem inferendi necem, ſi ſolùm humanæ naturæ vires ſpectemus, vtique Pilatus vitæ, neciſque poteſtatem habuit: nam alioqui ſi libuiſſet Chriſto vi miraculorum effectiuè vti, nulla ea Pilati poteſtas futura erat: vt enim morbos curabat, cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum, mortuis vitam reſtituebat, ita facilè potuiſſet omnem ſibi vim extrinſecùs illatam prohibere. multóque id magis diuina facultate efficere potuiſſet, qui in fornace Babylonica ignea vrendi vim non cohibuerat ſolùm; ſed in ſuauem quandam auram cõmutarat; quique in lacu leonum ferarum rabiem compreſſerat, ne Danielem innocentẽ læderẽt; qui denique millies, ſuos Martyres immaniſſimis ſupplicijs & cruciatibus affectos, integros, atque illæſos conſeruauit: Sin autem poteſtatis nomine ius dicendi auctoritatem intelligamus, tametſi non deſunt, qui exiſtiment eam poteſtatem Pilato etiam in Chriſtum Dominum non ſolùm fuiſſe permiſſam, quod videtur ſignificare Chryſoſtomus [c], ſed legitimè tanquam Romano Præſidi conceſſam;

c Hom. 83. in Ioan.

XXVIII. Longè tamen probabilius cenſeo, nullo iure Chriſtum Dominum Romano Præſidi, aut vlli omnino mortalium fuiſſe ſubiectum: nam de diuina quidem hypoſtaſi quis ambigat? Vt verò cum humana natura connexa erat, vt alia multa cœleſtia bona humanæ Chriſti naturæ largiebatur, ita etiam vi vnionis eximium quoddam, ac ſupranaturale dominium tribuebat, quo rebus omnibus creatis ſuò iure poſſet imperare. quippe Chriſtus homo, etiam ſupremis Angelis, nedum cunctis mortalibus maior erat, & ſuprema quadam poteſtate præditus cunctis poterat, pro imperio dominari. Neque verò facilè credendum eſt, ſponte ſua Chriſtum ita ſeſe Pilato ſubieciſſe, vt ius aliquod ei in ſe, ſuámque vitam permitteret. Itaque hoc etiam nomine iniuſta, atque iniqua fuit Pilati ſententia, quòd eum damnarit, qui nullo ſibi iure ſubiectus eſſet, niſi fortè Pilatum ignorantia excuſaret, quæ tamen poſitis iis, quæ ab Euangeliſtis commemorantur; vix potuit eſſe eiuſmodi, quæ illum ab omni culpa purgaret.

XXIX. Audiuerat enim [illegible] ipſius Chriſti ore, eum eſſe Regem, ipſius tamen regnum non huius mundi eſſe, quin etiam à Iudæis cognouerat, Chriſtum ſe Dei Filium prædicaſſe: quæ quidem, & id genus alia non pauca, meritò poterant, atque adeò etiam debebant Pilati mentem commouere, vt aliquid ſupra humanam naturam in Chriſto ſuſpicaretur. cùm igitur omni ex parte Pilati ſententia iniqua fuerit, rectè dicit Petrus: *Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Permiſit enim, vt Pilatus ſua in ſe poteſtate abuteretur, non aliter atque olim paſſus eſt, ſe à dæmone tentari, & in pinnam templi, atque excelſum montem perduci.

24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit, in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis.*

XXX. Finem explicat mortis Chriſti, eiúſque fructum declarat. Quorſum enim Chriſtus tam multa, támque indigna perpeti voluit: nimirum vt noſtra omnium flagitia deleret, próque iis Deo Patri ſatiſfaceret, cunctos denique mortales Deo conciliaret. Itaque ait: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum:* hoc enim dixit etiam Ioannes [a], *Et ſcitis,* ait, *quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret.* & ante vtrumque dixerat Iſaias [b], *Et ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.* Quò ſpectãs Paulus [c] Apoſtolus, *De peccato,* ait, *damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Idémque omnino, ſi Origeni, ac Theodoreto credimus ſignificauit, cùm ad Coloſſenſes ſcripſit [d]: *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Scribit enim Origenes [e] hunc planè in modum, *Peccati literas nos ſcribimus.*

a cap. 1 e. 3. 5.
b cap. 53. 12.
c ad Rom. 8. 3.
d cap. 2. 14.
e Hom. 13. in Geneſ.

Et mox; *Illud quidem, quod dicit, Chirographum peccatorum noſtrorum cautio fuit: vnuſquiſque enim noſtrûm in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati ſui literas ſcribit.* Et Theodoretus [f]: *Deus ergo Verbum, noſtra ſuſcepta natura, eam ab omni peccato liberam cuſtodiuit, & delet, quæ malè à nobis facta ſunt ſcripta debitorum.* Pertuliſſe igitur dicitur in corpore ſuo peccata noſtra, quia, vt ait Iſaias [g], *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm, & propter ſcelus populi, eum percuſſit.* Et idcirco ait Petrus: *In corpore ſuo.* Suis enim vulneribus Chriſtus animæ noſtri vulnera curauit, vt idem Iſaias [h] ſignificat, *Ipſe autem,* ait, *vulneratus eſt, propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.*

f ad Coloſſ. 2.
g cap. 53. 6.
h cap. 53. 5.

XXXI. Addit Petrus, *Super lignum.* Tametſi enim crux Chriſti Iudæis ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia videtur, ea tamen vera fuit victoriæ ſignum, vt ait Chryſoſtomus [i], &, vt ait Iſaias, Regium quodammodo ſceptrum: *Factus enim,* ait, *principatus ſuper humerum eius:* Nam, vt ait Theophylactus [k], *principatus Domini, & regnum eius eſt crux,* quia videlicet fuit crux, vt obſeruat Euthymius, veluti lancea, qua aduerſarium deiecit, & ampliſſimum quendam principatum adeptus eſt.

i Hom. 84. in Matth.
k Lucæ 23.

XXXII. Quare Tertullianus [l]: *Chriſtus,* inquit, *poteſtatem, & ſublimitatem ſuam in humeros extulit, crucem ſcilicet.* qua de re ita alicubi Auguſtinus [m]. *Grande,* inquit, *ſpectaculum, ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium, ſi ſpectet pietas, grande myſterium. Si ſpectet impietas videt Regem pro virga regni lignum ſui portare ſupplicij, ſi pietas ſpectet, videt Regem baiulantem lignum, quod fixurus erat etiam in frontibus Regum, in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant glorianda corda Sanctorum.*

l lib. contra Iudæos.
m Tract. 117 in Ioan.

XXXIII. Nec multò aliter Leo Pontifex [n], *Cùm,* inquit, *lignum crucis portaret Dominus quod in ſceptrum ſibi conuerteret poteſtatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur fidelibus grande myſterium, quia glorioſiſſimus diaboli victor pulchra ſpecie triumphi ſui portabat trophæum, & inuicta patientia humeris ſignum ſalutis adorandum regnis omnibus inferebat.* In eo igitur crucis ligno tanquam in ara Chriſtus ſeſe Deo obtulit, cùm vnus, atque idem, & victima eſſet, & Sacerdos.

n Serm. 8 de Paſſ.

XXXIV. Quamobrem Leo [o] Pontifex, *nouum,* inquit, *& verum reconciliationis ſacrificium offerens Patri non in templo cuius iam erat finita reuerentia, nec intra ſepta ciuitatis, ob meritum ſui ſceleris diruenda, ſed foris, & extra caſtra crucifixus eſt, vt veterum victimarum ceſſante myſterio, noua hoſtia, nouo imponeretur altari, & crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi.* Ita

o Serm. 8 de Paſſ.

a cap. 9. 14. — b ad Hebr. 10. 14.

A enim ad Hebræos scripsit Paulus [a], *Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* & ea oblatione, vt idemmet affirmat [b], *consummauit in æternum sanctificatos.*

c Esther cap. 7. 10. — d lib. 3. Pædag. cap. 12. — e ad Rom. 6. 2. — f vers. 8. — g vers. 11.

XXXV. Cur autem Christus Dominus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum? Nimirum, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Sic olim Aman [c] in ea suspensus est cruce, quam ipse Mardochæo parauerat. Tulisse autem peccata nostra dicitur super lignum, vt significet fuisse crucem, quod ait Clemens [d] Alexandrinus, limitem, & quasi finem peccandi. *Limitem*, inquit, *habemus crucem Domini, qua crucifigimur, & à prioribus peccatis reprimimur.* Et ob eam caussam Paulus nos ait mortuos esse peccato [e], *Qui enim*, B ait, *mortui sumus peccato quomodo adhuc viuemus in illo?* Et aliquantò pòst [f], *Mortui sumus cum Christo.* Et rursum [g], *Existimate vos quidem mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.*

h Hom. 8. in Iosue. — i ad Col. 2. 14. — k ad Galat. 6. 14.

XXXVI. Eadémque ratione suo exemplo docuit Christus, quod olim verbis docuerat, suam cuique crucem ferendam esse. In ea porrò cruce, vt ait Origenes [h], ipsum etiam peccati auctorem, hoc est, dæmonem confixit. Duos enim ait è cruce pendere, alterum quidem, qui sub aspectum cadit, hoc est, Christum Dominum, alterum verò inaspectabilem, hoc est, dæmonem. *Crux, inquit, Domini nostri Iesu Christi gemina fuit. mirus tibi sermo fortasse, & nouus videtur, quod dico. crux gemina fuit, hoc est, gemina ratione constat, &* C *duplex, quia visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est, inuisibiliter verò in ea cruce diabolus cum principatibus suis, & potestatibus affixus est cruci.* mox Pauli [i] testimonium afferens, *Quod erat*, inquit, *contrarium nobis, tulit illud de medio affigens cruci sua exuens principatus, & potestates traduxit, liberè triumphans eas in ligno crucis, licet in aliis exemplaribus habeatur, triumphans ea in semetipso. Sed apud Græcos habetur, in ligno.* Tum subdit. *Ergo duplex ratio Dominicæ crucis, vna illa, qua dicit Apostolus Petrus, quòd Christus crucifixus nobis reliquit exemplum. & hæc secunda, qua crux illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus.* Confestim autem aliud profert Pauli [k] testimonium: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et addit: *Vides, quia &* D *hic Paulus duplicem crucis prodidit rationem: duo enim sibi contraria dicit esse crucifixa, se sanctum, & peccatorem mundum, ad illam formam sine dubio, quam superius diximus Christi, & diaboli.*

l ad Rom. 6. 3. — m vers. 6. — n ad Rom. 6. 19.

XXXVII. Quapropter meritò subdit Petrus, *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Loquitur enim eo planè modo, quo Paulus Apostolus, cuius verba paulò antè protulimus. vterque autem affirmat fideles mortuos esse peccato, quia vi baptismi delentur peccata præterita, tribuitúrque gratia ad futura vitanda: atque ita ait Paulus [l], *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Id verò planiùs explicans subdit, *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Pa-* E *tris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus:* paucis autem interiectis [m], *Hoc*, ait, *scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato.* quod aliis verbis ait Petrus, *vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* hanc enim vitæ nouitatem appellauerat Paulus, qui alibi dixerat [n]: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

A Meritò itaque exclamat Ambrosius: *O diuinum crucis illius Sacramentum, in qua hæret infirmitas, virtus libera est, affiguntur vitia, eriguntur trophæa.*

Et post nonnulla: *Ergo & tu crucifige peccatum, vt moriare peccato: qui enim peccato moritur, Deo viuit. viuamus ei qui Filio proprio non pepercit, vt in illius corpore nostras crucifigeret passiones. Pro nobis enim mortuus est Christus, vt nos in illius redimito corpore viueremus. Mortua est ergo in illo non vita nostra, sed culpa.* Cúmque hæc ipsa Petri verba recitasset, subdit: *Lignum igitur illud crucis, velut quædam nostræ nauis salutis, vectura nostra, non pœna est.* XXXVIII

a Serm. 1. de Quadr. c. 4. — b Serm. 8. de Pass. — c Serm. 2. de resur. Dom. cap. 4. — d Serm. 4. de Pass. c. 3. — e Serm. 1. de resur.

Et profectò vis omnis, ac potestas honestè, lauda- XXXIX.
B biliterque viuendi à Christi cruce promanat. Rectè enim scribit Leo Pontifex [a], *Pia vita Sanctorum nunquam aliena est crucis Christi, dum continentiæ clauis desideria carnis configit, & corporeas cupiditates virtute Spiritus in se habitantis interficit.* Et planiùs alibi [b]: *Crux tua*, inquit, *omnium fons benedictionum, omnium est caussa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte;* vt pudeat Christianæ fidei hostes, recentiores hæreticos dico, qui nihil reperiunt in Crucifixi contemplatione, quo se Christiana fides sustentet, cùm tamen alia omnia veteres Patres miro consensu prædicent. Nam idem Leo Pontifex [c]: *Siue ergo*, ait, *contra ambitionem sæculi, siue contra concupiscentias carnis, siue contra hæreticorum iacula dimicemus, Dominica cruce semper ar-* C *mur.* Idemque alibi [d]: *Crux ergo Christi Sacramentum veri, & prænunciati habet altaris, vbi per hostiam salutarem natura humana celebraretur oblatio, ibi sanguis immaculati agni antiquæ præuaricationis pacta delebat, ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur aduersitas, & de elatione superbiæ victrix humilitas triumphabat.* Denique [e]: *Crux enim Christi, quæ saluandis est impensa mortalibus, & Sacramentum est, & exemplum; Sacramentum, quo virtus impletur diuina; exemplum, quo deuotio incitatur humana: quoniam captiuitatis iugo erutis etiam hoc præstat redemptio, vt eam sequi possit imitatio.*

f ad Rom. 6. 4.

Quemadmodum igitur Christus in cruce moriens, XL.
mortalitatem exuit, & resurgens induit immortalitatem: ita, Paulo Apostolo interprete, cum eo morimur, & cum eo quodammodo resurgimus; *vt quomo-* D *do*, inquit [f], *Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus.* Et paulò pòst rectè colligit, *Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Denique ait; *liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ.* Quod enim hoc loco Petrus ait, *vt iustitiæ viuamus.* aliis quidem verbis, sed eadem prorsus mente dixit Paulus, viuendum Deo, & iustitiæ seruiendum.

g cap. 53. 5. — h li. de Spir. sanct. c. 8. — i in Lucam cap. 22. — k psalmo 37.

Cuius liuore sanati estis. Aptè omnino hæc addita XLI.
sunt à Petro, ne videlicet fideles humanæ naturæ infirmitatem prætexerent. Sunt autem verba ex Isaiæ [g] vaticinio desumpta. *Disciplina*, inquit, *pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Quis est ergo* E *tur*, inquit Ambrosius [h], *cuius vulnere plagarum sanati sumus, nisi Christus Dominus? de quo idem prophetauit Isaias, quia plaga eius nostra medicina est.* Et alibi [i]; *Doles ergo Domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, & nos æstimauimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres. Infirmatus enim es sed propter peccata nostra, non quia illa tibi infirmitas erat ex Patre assumpta, sed pro me suscepta, quia mihi proderat, vt erudit io pacis nostræ esset in te, & liuore tuo vulnera nostra sanares.* Rursus alio loco [k], *Pro nobis, non pro se dolebat, &*

infirmatus

infirmatus est non propter sua, sed propter nostra peccata, vt nos suo liuore sanaret. Quid vnquam est homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, nisi quia plaga nostra habebat compassionem?

XIII. Ad eundem porrò locum respiciens Cyrillus Alexandrinus [a], *Nam quoniam, ait, taurorum hircorúmque sanguis, & iuuencarum cinis ad peccatorum ablutionem non sufficiebat, nec brutorum vnquam animalium cædes mortem potuit deijcere, ipse Christus, ipse inquam vnus pœnas pro omnibus luit, liuore namque ipsius sanati sumus, & delicta nostra ipse corpore suo in lignum tulit.* Cæterùm quod ait Isaias, & hoc loco repetit Petrus, *Cuius liuore sanati estis*, referendum videtur ad vibices verberum, & flagellorum, quasi significet verberum, ac flagellorum reliquias, aut vulnerum cicatrices vim salutarem habere. Eorum namque pia meditatio magnam vim habet ad animi vulnera curanda. Est autem hîc Græcè vox, μώλωψ, quæ etiam habetur apud Septuaginta, & quidem tam Propheta, quàm Petrus egregium prædicant vulnerum, ac mortis Christi fructum, hoc est, perfectam morborum, ac vulnerum animi curationem.

a lib. 4. in Ioan. c. 22.

XIV. Quamobrem *passio tua*, ait Bernardus [b], *vltimum refugium, singulare remedium.* alibi verò [c] in meditatione dolorum ac vulnerum Christi omnia penè spiritalia bona posita esse affirmat. *Hæc*, inquit, *meditari dixi sapientiam, in his iustitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his diuitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suauis vnctio consolationis: hæc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt, & inter læta, tristiáque vitæ præsentis via regia incedenti tutum præbent vtrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem, dum tremendum potestatibus, mitem, humilémque figurant, dum non solum placabilem, sed & imitabilem præsentant eum, qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud Reges terræ.* Nec multò aliter loquitur auctor Manualis, qui falsò, vt arbitror, creditur Augustinus [d]. *Tuta*, inquit, *& firma requies est infirmis, & peccatoribus in vulneribus Saluatoris. securus illic habito. patent mihi viscera per vulnera. quicquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei.* Et multa deinceps, quæ planè ostendunt, verissimè dictum esse à Propheta, nos ipsius liuore curatos esse.

b Serm. 22. Cantic.
c Serm. 43. Cantic.
d Tomo 9.

25. *Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.*].

I. Claudit Apostolus hoc caput admodum pia, & graui admonitione, qua non solùm superiora confirmat, & quo modo vibicibus Christi curati sint, explicat, sed præterea docet, quàm multum Deo debeant, cuius singulari, planeque diuino beneficio à pristina viuendi consuetudine abducti, & ad nouam quandam salutarem vitæ rationem traducti sint. Vtitur autem eleganti metaphora ducta ab ouibus, & pastore. Ait autem, *Eratis enim sicut oues errantes.* Hanc porrò ouium similitudinem Christus Dominus non semel in Euangelio probauit: alicubi [e] enim ait cùm turbas multas vidisset, & plurimos languoribus vexatos, fuisse illos *sicut oues non habentes pastorem.* Alibi Apostolos monet, vt eant *ad oues, quæ perierunt domus Israel*, & ad eas se missum ait [f]: alio verò loco [g] profert parabolam eius, qui relictis nonagintanouem ouibus, centesimam errantem quærit. Et ne singula curiosè perquiram, apud Ioannem [h] se quidem pastorem, cunctos verò mortales oues nominat. In præsentia igitur ait Petrus fideles fuisse aliquando *oues errantes*, siue Gentiles idolorum impietatem sequerentur, siue Iudæi Mosaica superstitione tenerentur implicti, siue denique graui aliquo scelere contaminati essent. Verosimillimum autem videtur respexisse Petrum ad eundem Isaiæ locum, quem paulò antè indicauerat: ibi enim ita loquitur Propheta [a], *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Simile quiddam de se ipso dixit Dauid [b]: *Erraui, sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum Domine.*

e Matth. 9. 36.
f Matth. 15. 24.
g Matth. 18. 12.
h cap. 10.
a Isaiæ 53. 6.
b Psal. 118. vers. vlt.

II. Quibus sanè verbis, vt egregiè obseruauit Bernardus [c], iudicat Propheta, oues errantes non nisi diuinæ gratiæ beneficio ad caulas, & ouile Christi redire. *Alioqui*, inquit, *semel à facie verbi egressa* (anima) *vel eiecta non reuerteretur oculus eius, vt videat bona. si non requireretur à verbo; quasi verò aliud anima nostra sit, quàm spiritus vadens, & non rediens, si sibi fuerit derelicta, audi profugam, & deuiam, quid doleat, & quid petat. Erraui, ait, sicut ouis, quæ periit. quære seruum tuum. O homo, redire vis? sed si in voluntate res est, quid opem flagitas? Quid aliunde mendicas in quo abundas tibi?* Idque apertissimè significauit apud Ioannem [d] Christus. *Nemo*, inquit, *potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Necesse est autem ad ouile Christi redire, ipsumque adeò Christum fide, & caritate complecti: vt enim ait Leo Pontifex [e], *dicente discipulis suis Domino* [f], *Sine me nihil potestis facere; dubium nō est hominem bona agentem à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis: vnde & Apostolus copiosissimus fidelium cohortator, cum timore, inquit, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Et hæc sanctis caussa est tremendi, atque metuendi ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.*

c Serm. 84. Canticor.
d cap. 6. 44.
e Serm. 8. de Epipha. c. 2.
f Ioan. 15. 5.

III. Quamuis autem errent aliquando oues, quia vel fidem deserunt, vel à Christi caritate recedunt, non tamen penitus à summo pastore deseruntur. De his enim ait Christus apud Ioannem [g], *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* quinetiam ea est diuinæ gratiæ vis, & efficacitas, vt etiam lupos, leones, viros, ac tigrides, aliasque immanes feras ad mansuetudinem, ac leuitatem traducat, & in mansuetas, ac mites oues conuertat. Erat olim Paulus Benjamin lupus rapax, sed, vt ait Augustinus [h], *Apostolus Paulus ex persequutore Christianorum, annunciator factus est Christi, prostrauit enim Christus persequutorem, vt faceret Ecclesiæ doctorem, percutiens eum, & sanans, occidens, & viuificans, occisus agnus à lupis, & faciens agnos de lupis.*

g cap. 10. 16.
h Serm. 14. de Sanct.

IV. Rectè autem ait Petrus fuisse tam Iudæos, quàm Gentiles oues errantes, quia proculdubio, quicunque Christum aut ignorat, aut abnegat, toto errat cœlo. Ille enim de se ipso apud Ioannem [i] dicit: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Et paulò pòst [k]: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingredietur*, ait Augustinus, *per ostium fidei in Ecclesiam, & egredietur per idem ostium fidei viuentis in vitam æternam, vbi pascua inueniet.* Nec multò aliter Gregorius [l], *Ingredietur, ait, ad fidem, egredietur autem ad speciem, pascua verò inueniet in æterna satietate.* Rursus Augustinus, *Ingredietur*, inquit, *ad internam meditationem, & egredietur ad externam actionem.* Auctor de Spiritu, & anima [m], *Ingredietur*, inquit, *ad diuinitatē meam, & egredietur ad humanitatē, & in vtriusque cōtemplatione mira pascua inueniet.* Denique alio loco Gregorius [n]: *Ingredientur, ait, & egredientur, & pascua inuenient: intus quippe habent pascua contemplationis, foris pascua boni operis; intus mentem deuotionibus impinguant, foris se piis operibus satiant.* Denique Theophylactus, *Ingredietur, ait, qui curā egerit interioris hominis; egredietur, qui mortificauerit membra sua super terram,*

i cap. 10. 1.
k vers. 9.
l Hom. 13. in Ezech.
m cap. 9. apud August. tomo 3.
n in 1. Reg. c. 16.

V. Simpliciter autem exire, & intrare, seu ingredi, & egredi Hebraismo in Scripturis admodum frequenti, significat liberè conuersari, & suo munere fungi, quod Chrysostomus, & Euthymius non obscurè significant. Qui igitur per Christum, tanquam per ostium, intrat, salutem assequitur sempiternam, suoque munere ritè fungitur. Cuncti autem mortales, vt ait Augustinus [a], originariæ labis merito miserè errabant, nec sine Christo quisquam potest in viam redire: ille enim apud Ioannem ait [b], *Ego sum via, veritas, & vita. & si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Non enim*, ait Augustinus, *à vanitate nisi veritas liberat, sed secundum gratiam, non secundum debitum, per misericordiam, non per meritum: sicut enim iudicij fuit, vt vanitati subderemur, ita misericordiæ est, vt veritate liberemur.* Qui alibi [c], quicquid aliter nouatores sentiant, *Sine fide ergo*, ait, *incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos Iustos, vt iusti essent à peccatis, potuisse mundari, & Dei gratia iustificari veritas Christiana non dubitat, siue in eis iustis, quos sancta Scriptura commemorat, siue in eis iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore non solùm in filijs Israël, sicut fuerunt Prophetæ, sed extra eundem populum, sicut fuit Iob.*

a lib. 6. in Iulian. c. 11.
b cap. 14. 6.
c lib. 2. de peccato origin. contra Pelag. & Celest. c. 24.

VI. Omnes igitur, qui sine Christo vixerũt, quasi oues palantes errauerunt, & meritò vsurpare possunt Salomonis verba [d]: *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Est enim Christus, vt paulò antè dixi, *via, & veritas, & vita, via scilicet*, vt ait Leo Pontifex [e], *in forma conuersationis iustæ, veritas in expectatione rei certæ, vita in perceptione fœlicitatis æternæ.* Huc nimirum refero illa, quæ alicubi scribit Dauid [f]: *Alienati sunt*, inquit, *peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa*: originaria enim labe inquinati alienati sunt, vt ait Augustinus, *ab ipsa veritate, à patria beata, à vita beata*; aut, si mauis, à quadam vulua alienati sunt peccatores, *in qua dolores patiebatur caritas per Apostolum dicens* [g], *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.*

d Sap. 5. 6.
e Serm. 18. de pass. c. 3.
f Psal. 57. 4.
g ad Gal. 4. 19.

VII. Eodemque modo errauerunt à ventre: in ventre quippe Ecclesiæ, vt ait Augustinus, *veritas manet, atque idcirco loquuti sunt falsa: nam quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur.* Alienantur autem à vulua, & ab vtero, seu ventre errant, siue Gentiles, siue Iudæi, qui concipi nolunt, siue hæretici, qui tanquam partus immaturi, ab Ecclesia matre abiguntur. vtrique autem falsa loquuntur, quia longè absunt à Christo, id est, Veritate. Errant denique omnes, qui priorem Adamum imitantur, in quo omnes moriuntur, atque adeò à posteriore Adamo recedunt, in quo, vt ait Paulus [h], omnes viuificabuntur.

h 1. ad Cor. 15. 22.

VIII. Ille quippe, vt ait Leo Pontifex [i], *per superbiæ cupiditatem iter fecit ad miseriam, hic per humilitatis fortitudinem, viam parauit ad gloriam.* Itaque Petrus priorem vitam fidelibus in memoriam reuocat, vt intelligant, quantum diuinæ liberalitati, ac munificentiæ debeant. Qui non solùm eos errantes patienter tulit, & diuina quadam mansuetudine diu expectauit, vt resipiscerent, sed præterita flagitia diuinæ suæ gratiæ beneficio funditus deleuit, eadémque opera docet, quid per se humanum arbitrium possit, quod gratiæ præsidio destitutum ad interitum ruit sempiternum, quid item contrà, diuinæ gratiæ vis, & potestas efficiat.

i Serm. 18. de pass. c. 3.

IX. Nam, vt ex Augustino Concilij [k] Arausicani Patres docent; *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum. si quis autem habet homo veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo, quasi guttis quibusdam irroratus, non deficiamus in via.* Ita tacitè suadet, vt grata, ac memori voluntate diuinum beneficium quod assequuti essent, deinceps complectantur, & Deo bonorum omnium largitori gratias agant immortales: nihil enim Deo gratius concipi potest, quàm gratiarum actio; ac proinde rectè monet Bernardus [a], *Disce in referendo gratiam non esse tardum, aut segnem, disce ad singula dona gratias agere. Diligenter*, inquit, *considera quæ tibi apponuntur, vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustremur; non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia obliuisci. Nunquid non perit, quod donatur ingrato? ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.*

k cap. 22.
a Serm. 27. in Cantic.

X. Et in eandem sententiam scribit Leo [b], *Non per omnia illi gratias agere, quid est aliud, quàm ex quadam eum parte reprehendere?* Et aliquantò pòst, *Fideles*, inquit, *& pios discipulos veritatis nihil magis commendat, & munit, quàm perseuerans in Deum indefessa laudatio, dicente Apostolo* [c]: *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: hæc enim voluntas Dei est, in Christo Iesu in omnibus nobis.* Itaque beneficij magnitudinem declarans Petrus, subdit:

b Serm. 1. de ieiun. 10. mens.
c 1. ad Thes. 5. 16.

XI. *Sed conuersi estis nunc.* Eadem loquendi ratione vtitur etiam Paulus: nam ad Romanos [d] cùm præteritæ vitæ flagitia commemorasset, *nunc verò*, ait, *liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et alibi [e]: *sicut enim aliquando, & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis.* Et ad Ephesios [f]: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Denique ad Colossenses [g]: *Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliauit corpore carnis eius per mortem exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Ita Petrus ait fideles esse conuersos, cùm olim quasi oues errantes extra pastoris caulas vagarentur.

d cap. 6. 22.
e ad Rom. 11. 30.
f cap. 5. 8.
g cap. 1. 21.

XII. Rectè autem ait, *Conuersi estis*, quod remotis vestigiis ad Christum vitæ auctorem redierint. Neque verò id sponte sua facere potuerunt, sed præeunte gratia illustrati, errorum tenebris discussis, veram aliquando lucem aspexerunt: vt enim verè, ac sapienter Concilij [h] Tridentini Patres docuerunt; *ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum est; hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur; ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.*

h Sess. 6. c. 5.

XIII. Nec dubium est, quicquid aliter recentiores quidam opinentur, loqui Concilium de ea gratia præueniente, & excitante, quæ re ipsa iustificationem inchoat, quæque à Theologis efficax dicitur in Scholis, cùm gratia sufficiens licèt eam per se, suaque natura inchoare queat; nunquam tamen re ipsa illam inchoet, atque idcirco initium iustificationis appellari nequaquam potest. Hanc porrò gratiam vocationem, Spiritus sancti illuminationem, & inspirationem vocat, vt minimè audiendi videantur illi, qui præter hanc gratiam, quam Concilium his nominibus describit, aliam quandam excogitarunt

alterius

alterius cuiusdam rationis, quæ si necessaria est, malè omnino à Concilij Patribus prætermittitur, neque illi verum, ac proprium iustificationis initium tradiderunt: quòd si necessaria non est, frustra omnino videtur excogitata.

XIV. Eandem porrò gratiam indicauit Dauid, cum dixit [a], *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et alibi [b]: *Misericordia eius præueniet me.* Benedictionis quippe dulcedinem, & misericordiam appellat Dauid vocationem illam efficacem quidem, sed suauem, quæ occultis, ac miris modis afficit, & mouet voluntatem: vt enim scribit Augustinus [c], *Cùm Deus vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri (inclinantur) eorum corda, vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.*

a Psal. 20. 4.
b Psal. 58. 11.
c lib. de præd. Sanct. c. 20.

XV. Quamobrem rectè iidem Concilij Patres monuerunt [d], interdum nos in sacris literis libertatis nostræ commonefieri, vt cùm apud Zachariam [e] ait Dominus: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos;* aliàs præuenientem gratiam indicari, vt cùm Ieremias ait, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Et profectò diuinæ præuenientis gratiæ necessitatem indicant illa omnia, quæ ex sacris literis congeruntur ab Augustino [f], cuiusmodi sunt [g], *Inclina cor meum in testimonia tua.* [h] *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.* [i] *Paratur voluntas a Domino.* [k] *Fiat Dominus noster nobiscum, sicut erat cum patribus nostris: non derelinquat nos, nec auertat nos à se. inclinet corda nostra ad se, vt eamus in omnibus vijs eius.* [l] *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes.* [m] *Dabo eis cor aliud, & Spiritum nouum dabo eis.* [n] *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* [o] *A Domino diriguntur gressus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias suas?* [p] *Omnis vir videtur sibimetipsi iustus, dirigit autem corda Dominus.*

d sess. 6. c. 5.
e cap. 1. 3.
f Loco citato.
g Psal. 118. 36.
h Ps. 36. 23.
i Prouerb. 8. apud 70.
k 3. Reg. 8.
l Baruc 2.
m Ezech. 11.
n Ezech. 36.
o Prou. 20.
p Prou. 21.

XVI. Quamobrem Paulus Apostolus Colossenses his verbis monet [q]: *Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, vt manifestem illud, sicut oportet me loqui.* Quomodo autem, ait Augustinus [r], *aperitur ostium verbi, nisi cùm sensus aperitur audientis, vt credat, & initio fidei facto ea, quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur, & disputantur, admittat, ne per infidelitatem, corde clauso, ea, quæ dicuntur improbet, ac repellat?*

q cap. 4. 2.
r lib. de præd. Sanct. c. 20.

Conuersi igitur dicuntur illi misericordia quam Dauid expetebat, cùm diceret [s], *Citò anticipet nos misericordia tua Domine:* Neque enim, vt Concilij Arausicani [t] Patres affirmant, *quisquam miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur.* *Diuini quippe muneris est*, vt iidem affirmant [u], *cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.*

s Psal. 78. 8.
t cap. 14.
u cap. 9.

XVII. Neque tamen propterea nos otiosos, atque oscitantes ad conuersionem impellit, aut quasi stolida, & muta instrumenta mouet, atque agitat, sed nostræ voluntatis spontaneus, ac liber consensus exigitur, quo Deo vocanti, atque excitanti, præbeamus assensum. Qua de re eleganter Leo Pontifex [x]: *Quamuis enim, ait, ædificium nostrum sine opere sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi eius protectio fuerit conditoris; tamen quia rationales lapides sumus, & viua materies: sic nos auctoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, ne ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat: et si quid sibi impossibile, aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, vt excitet desiderium, & præstet auxilium, dicente Propheta* [a]: *Iacta in Deum cogitatum tuum, & ipse te enutriet.* Plura in eandem sententiam alibi attulimus, quæ non sunt in præsentia iteranda.

x Serm. 4. de Quadrag.
a Psal. 54.

XVIII. Conuersos autem ait ad Christum Dominum, quem pastorem & Episcopum animarum appellat. *Conuersi, inquit, estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.* Meritò autem Petrus Christum pastorem appellat: hoc enim sibi nomen Christus ipse apud Ioannem vendicat [b]. *Ego*, inquit, *sum pastor bonus.* Eodémque nomine eum Isaias describit [c], *Sicut pastor, ait, gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Et Ezechiel [d]: *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Et post multa [e]: *Et seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.*

b Ioa. 10. 11.
c cap. 40. 11.
d cap. 34. 23.
e cap. 37. 24.

XIX. Indicat autem hoc nomen Regiam Christi dignitatem, & mitem, ac mansuetam regnandi rationem. Nam de regno Christi hunc in modum loquitur Irenæus [f]. Explicans enim Eliæ visum, & ad Christi regnum accōmodans. *Ostendebatur autem, ait, & regni eius mitis, & pacifica requietio. post enim spiritum, qui conterit montes, & post terræ motum, & ignem, tranquilla, & pacifica regni eius aduenient tempora, in quibus cum omni tranquillitate Spiritus Dei viuificat, & auget hominem.* Eusebius verò Cæsariensis [g] de regno Christi ita scribit; *Vbi verò Dominus, & Saluator noster Iesus Christus, qui de semine Dauid ortus est, in totum orbem Rex denunciatus est, tanquam ea quæ de terra, & ruina instaurata sit ipsa illa sedes Dauid per diuinum Saluatoris nostri regnum erecta est, & permanebit in æternum veluti sol in conspectu Dei illius lucis radius, quam doctrina illius præfert totum orbem terrarum illustrans.*

f lib. 4. 17.
g lib. 7. demonst. Euág.

XX. Epiphanius [h] autem; *Thronus igitur, ait, Dauid, & regia sedes eius est Sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem regiam, simúlque Pontificiam simul commixtam, largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ, transferens in ipsam throno Dauid non deficiente in æternum.* Chrysostomus [i] verò, *An non est*, inquit, *mundi huius Christi regnum? Quidni? Quomodo dicit non esse? Non quod hoc etiam non possideat, sed quòd in cœlo habeat imperium non humanum, sed longè maius atque præstantius.* Et paulò pòst; *regnum suum dicit non esse hinc, non quòd mundum prouidentia sua, & protectione primet, sed, vt dixi, vt neque humanum, neque caducum esse demonstret.* Sic etiam Cyrillus [k] Alexandrinus, *Christus, inquit, Pilato respondens, regem se esse non negat: mentiri enim non poterat, sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed cœli, terræ, cæterarúmque omnium rerum.*

h Hæres.
i Hom. 82. in Ioan.
k lib. 12. in Ioan c. 10 & multa 11. & 12.

XXI. Et Damascenus [l]. *Vt autem Rex pacis, ac Princeps, & dux in Israël non partis in oculorum sensum cadentis ratione, in Dauid patris sui solio sedere ostenditur, verùm spiritualiter in domo Iacob in æternum regnasse, nec regni finem vnquam accepisse.* Neque aliter de regno Christi loquuntur Latini Patres. Tertullianus [m] enim; *In omnibus locis, ait, Christi nomen regnat, vtpote ante quem omnium ciuitatum portæ sunt apertæ, & cui nulla sunt clausæ, ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valuæ æreæ sunt apertæ. quanquam & ista sunt spiritualiter intelligenda, quo præcordia singulorum varijs modis à diabolo obsessa fide Christi sunt reserata, attamē perspicuè sunt adimpleta, vtpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet. Quis enim omnibus regnare potuisset, nisi*

l Orat. 2 de Nat. Virgin.
m lib. contra Iudæos. c. de Nat. Christ. similia cap. sequenti.

Christus Dei Filius, qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nunciabatur?

XXII. Tertullianum sequitur Cyprianus[a], qui Christi regnum æternum vocat, quod nunquam interiturum est. Hilarius[b] autem ad illa verba, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius; Non, ait, super illum utique terrena ciuitatis montem complorata scilicet, & homicida, & parricida Ierusalem, sed Ierusalem eius, quæ in cœlis est, quæ est mater nostra, quæ ciuitas magni Regis est.* Ambrosius[c] quærit, quonam modo apud Lucam dicatur Christus regnaturus in domo Dauid, cum apud Ieremiam nemo dicatur ex Dauid posteritate, post Ieconiam in Regio throno sessurus, & respondit Prophetam de caduco mortaliq́ue regno loqui, Euangelistam verò de regno spiritali. *Ipsum*, inquit, *Regem secundùm honorem sæculi non accipimus Christum.* Et infrà: *Quod regnauit Christus non contra Prophetam est: non enim sæculi honore regnauit, nec Ieconiæ sedibus sedit, & ibidem regnare se dixit, qui non regnauit in terris.*

a cap. 25. & 28.
b in Psal. 2.
c lib. 3. in Luc. ad procul à fine.

XXIII. Neque alio modo quæstionem expedit Hieronymus[d]: *Non sedebis*, inquit, *super thronum Dauid vir, & homo, sed sedebit Deus, regnumque eius non erit terrenum, & breue, vt fuit Dauid, sed perpetuum, & cœleste dicente Scriptura, Regnabit super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Porrò Augustinus[e] explicans verba illa, *Regnum meum, non est de hoc mundo. Audite*, inquit, *Iudæi, & gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena, nolite timere timore vanissimo.*

d lib. 4. in Ierem. c. 22.
e Tract. 115. in Ioan.

XXIV. Et paulò pòst: *Venite ad regnum, quod non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite seruire metuendo. Dicit quidam Propheta de Deo Patre, Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, sed Sion ille, & mons ille non est de hoc mundo. Quod est enim regnum nisi credentes in eum?* Et alibi[f] explanans verba illa[g], *Disrumpet Dominus regnum Israël de manu tua, Populi ergo Israël*, ait, *personam figuratè gerebat homo iste, qui populus regnum fuerat amissurus, Christo Iesu Domino nostro per nouum Testamentum non carnaliter regnaturo.* Denique alibi[h]: *Rex Israël Christus est, quod mentes regat: quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantésque perducat.*

f lib. 17. de ciuit. c. 7.
g 3. Reg. 10.
h Tract. 50. in Ioan.

XXV. Hæc ita copiosè commemoraui, vt pastoris nomine Regiam dignitatem Christi indicari significem: cùm enim mox subiiciat nomen Episcopi, quo administratio spiritalis continetur, vox pastoris aptè ad Regiam potestatem refertur. Neque enim solùm prophani scriptores, sed etiam sacræ literæ pascendi verbo Regiam dignitatem non rarò describunt. Dauid[i] enim cùm de sua prouectione ad regnum loqueretur: *Et elegit*, inquit, *Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, & de post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam.*

i Psal. 77. 70.

XXVI. Pastorem itaque Petrus vocat Christum Dominum, hoc est, Regem, sed Regem animarum: regnum enim Christi plurimùm à corporeo, & mortali regno distat: siquidem Regia potestas, qualis inter homines esse potest, certo temporis spatio clauditur, nec latiùs patet, quàm imperantis, aut parentis vita. Neque mortalitatis fines vllo modo excedit: At Christi regnum sempiternum est, nulloque fine clauditur, vt in Symbolo Niceno quotidie testatur Ecclesia. Huc accedit quòd Regia potestas humana animum non attingit: Christi verò regnum, vt paulò antè ex Augustino docuimus, ad animum potissimùm refertur, cui vitam immortalem, ac beatam pollicetur.

XXVII. Itaque tametsi video disputari à multis, tribuendúmne sit Christo Domino regnum aliquod mortale, caducoq́ue regno persimile, & bona Theologorum[a] pars id apertè negat sic tamen breuiter statuo. Ratione vnionis hypostaticæ habuisse Christum regnum quoddam eximium, atque excellens, quo omnia creata sibi meritò subiecta possideret, atque adeò meritò illum Principem Regum terræ, & Regum Regem, & Dominorum Dominum appellari: præterea verò hominum animis, atque ipsis etiā beatis mentibus eadem auctoritate Regia præfuisse, ac præesse, vt quicquid infra Deum concipi potest, ad hoc amplissimum Christi regnum pertineat.

XXVIII. Quamobrem apud Matthæum dixit[b], *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Et Dauid[c], *Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.* Et alibi[d]: *Dominus*, inquit, *in cœlo parauit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.* Denique alibi[e]: *Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam.* Et Ioannes in Apocalypsi[f] scriptum ait esse in femore eius, hoc est, vt ferme omnes interpretātur in humana Christi natura, *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quæ omnia partim ad Christi regnum spiritale, partim ad hoc amplissimum referuntur.

XXIX. Quoniam enim hoc amplissimum Christi regnum, vt paulò antè dixi, omnia creata complectitur, nunc Christi regnum spiritale aliās corporeum, & mundanum nuncupatur: Sapienter enim scripsit Chrysostomus[g] duplex esse Christi regnum, vnum quidem ex creatione, alterum verò ex coniunctione, seu, vt ille Græcè loquitur, δημιουργίᾳ. Et priori quidem regno omnes tam Græcos, quàm Iudæos, quinetiam dæmones ait esse subiectos, posteriori autem eos tantùm comprehendit, qui Christi fidem, ac religionem complexi sunt. De priori regno explicat verba illa apud Matthæum, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* De posteriori verò accipit ea, quæ sunt apud Dauidem[h]: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

a B. Thom. lib. 3 de regim princip. cap. 3 & 14. Aegid. Matt. 21. q. 4. Tho. Valdens. lib. 2. doctrin. fi. antiq. c. 76. & 77. Victoria relect. de potest. Eccl. q. 15. & 17. Soto lib. 4. de iust. & iu. q. 4. a. 1. & in 4. d. 23. q. 2. a. 1. Bartho. Med. 3. p. q. 59. a. 4. Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. c. 4 & 5. Tolet. in Io. c. 18. adnot. 25. & 26. Bened. Pere. lib. 8 in Daniel. nō lōge à fine. Greg. Valent. 3. p. q. 22. disp. 1. punc. 6. Iansen. in Concord. Euang. ca. 3. Maldon. in Matth. c. 27. n. 11.
b cap. 28. 18.
c Psal. 21. 29.
d Psal. 102. 19.
e Psal. 46. 9.
f cap. 19. 16.
g Hom. 39. in 1. ad Cor.
h Psal. 2. 8.

XXX. Certè, Petrus de posteriori regno loqui videtur: de quo item loquitur Gregorius Pontifex[i]: explicans enim verba illa, *Sublimabit cornu Christi sui: per cornu*, ait, *intelligit regnum Christi: porrò regnum Christi sancta Ecclesia designatur, quod profectò cornu sublimabitur, quia ima nostra ad Angelorum æqualitatem perducentur.* Et infrà, *Sublimabitur ergo cornu Christi, quia sancta Ecclesia in æterna contemplatione sui Redemptoris extollitur.* Et Isidorus[k] de regno Christi exemplo Melchisedech hunc in modum loquitur: *Nomen Melchisedech Rex pacis, vel Rex iustitiæ interpretatur, quod bene refertur ad Christum: ipse enim est Rex pacis, quia per ipsum reconciliamur Deo: ipse est Rex iustitiæ, quia ipse venit, vt discerneret iustos ab impiis.*

i lib. 1. in 1. Reg. c. 2.
k Genes.

XXXI. Neque aliter Beda[l]: *Christus*, ait, *Deus noster Rex secundùm humanitatem, secundùm quam nos doctrina, & vita exemplo rexit.* Alibi verò[m]: *Non dixit*, inquit, *in acquisitione gloriæ, gazarúmque terrenarum, non in acquisitione gentium plurimarum, vrbiúmque debellatione superbarum: sed in iudicio, & iustitia: per hæc enim regnum Christi, & in singulis quibusque fidelibus, & in vniuersa pariter multiplicatur, & confirmatur Ecclesia.*

l in Psal. 5.
m in Luc. 1. ad illa verba, Regnabit in domo Iacob, in æternum.

XXXII. Porrò Bernardus[n]: *Quæro*, inquit, *quomodo dederit ei Dominus sedem Dauid, cum ipse in Ierusalem non regnauerit, quinimmo turbis volentibus eum constituere Regem, non acquieuerit, sed & ante faciē Pilati protestatus sit, Regnum meum non est de hoc mundo. Denique quid magnum promittitur ei, qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem super solium excelsum, & eleuatum, sedere in throno Dauid patris sui? Sed nouimus quādam aliā Ierusalem multò ista nobiliorem, multò ditiorem: hanc igitur puto hîc significatam.* Et paulò pòst: *Dabit ergo ei Dominus sedem Dauid*

n Homil. 4. super Missus est.

Dauid patris eius; non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed cœlestem.

XXXIII. Postremò B. Thomas [a]: *Sciendum est*, inquit, *quòd Dominus ad quæstionem respondens de regno, ita responsionem temperauit, vt nec manifestè confiteretur se esse Regem, cùm Rex non esset eo modo, quo intelligebat Pilatus, nec negaret, cum spiritualiter esset Rex Regum: dicit ergo, Tu dicis. Quia Rex sum ego, scilicet carnaliter, secundum quem modum Rex non sum, sed alio modo, Rex sum ego.*

a Ioan. 18.

XXXIV. Ex quibus omnibus planè intelligimus, nullo humano titulo Christo Domino regnum deberi; tametsi, vt dictum est, nihil omnino in rebus creatis reperitur, quod ipsius regno non subijciatur: meritò enim de Christo dixit Bernardus [b] accipienda esse verba illa Dauidis [c]: *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius*, itémque illa [d]: *Et erit omnis terra possessio eius*. Christus, inquit, *hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris: cui enim alteri dictum est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Possessionem, & dominium ce de huic, tu curam illius habe.*

b lib. 3. ad Eugen. c. 1.
c Psal. 49. 12.
d Psal. 2. 8.

XXXV. At creatio quidem non modò diuinam personam, sed etiam naturam respicit. Redemptionis verò meritum ad vnionem refertur, vt egregiè explicat Cyrillus [e]: cùm enim attulisset Dauidis verba, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, &c.* subdit, *Nam qui cum Deo Patre semper regnat, Regem se constitutum fatetur: homo enim factus, cui regnare naturaliter non est, regnum accipere dicitur, quod naturaliter vt Deus, semper habet.* Et alibi [f]: *Cùm sponte obsequutus Patri homo factus sit, qui omnia possidet, vt Deus, omnia recipit vt homo, cui regnare adventitium est, ad est, non naturale.* Et aliquantò pòst; *Igitur vt homo Princeps noster constitutus omnis carnis potestatem accepisse dicitur.*

e lib. 3. in Io. c. 2.
f lib. 11. in Io. c. 15.

XXXVI. Eodem refero ius hæreditatis, de quo loquitur Paulus [g]; *Quem constituit*, inquit, *hæredem vniuersorum*. Et ad Romanos [h], *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Patris porrò donum indicat Ioannes, cùm de Christo [i] scribit, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. Et Christus ipse hoc Patris munus agnoscit, cùm ait [k], *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.*

g ad Hebr. 1. 2.
h cap. 8. 17.
i cap. 13. 3.
k Ioan. 17. 2.

XXXVII. Tametsi igitur Christi regnum amplissimum est, latissiméque patens, hoc tamen loco Petrus, vt suprà dixi, de spirituali regno loquitur, quo pascit fidelium animos, & suis diuinis muneribus ornat, & ad beatam vitam prædestinatos perducit; ait itaque eos, ad quos scribit, longè aliquando aberrasse ab ouili, hoc est, à regno spirituali Christi fuisse alienos, sed singulari Dei beneficio verum suum pastorem, ac Regem agnouisse. Et profectò de Christi regno, déque diuino ipsius pascendi munere loquebatur Dauid, cùm dixit [l], *Dominus regit me*, vel, vt habent Hebræi, & Græci codices, *pascit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.* Indicat enim se ab optimo pastore, &, cùm erraret, quæsitum esse, & ad caulas reuocatum, & vberrimis pascuis fuisse recreatum, quod ipsum vnico verbo indicat hoc loco Petrus.

l Psal. 22. 1.

XXXVIII Addit, *Et Episcopum animarum vestrarum*, vt magis explicet vim, ac potestatem regni Christi; quasi dicat, Rex quidem vester est Christus, sed eius prouidentia

A animas potissimùm spectat, earúmque saluti, quàm accuratissimè consulit, eadémque opera docet, quid spectandum sit iis, qui in Ecclesia Dei Episcopi nuncupantur, & in animarum cura, & prouidentia Christi Domini ministri sunt. Neque enim, quod plerique faciunt, mortalia, & caduca bona spectare debent, qui, vt ait Ieremias [a], positi sunt, vt euellant, & destruant, & disperdant, & dissipent, & ædificent, & plantent.

a cap. 1.

XXXIX. Quamobrem rectè Bernardus [b] vigilandum ait ad curam, non otio torpendum, cauendúmque est, ne delicijs resolutus, aut pompis resupinus in Ecclesia quisquam deprehendatur. *Blanditur*, inquit, *cathedra? specula est, inde denique superintendis sonans tibi Episcopi nomine non dominium, sed officium.* Nec temerè Petrus Episcopi nomen, pastoris nomini subijcit: Significare enim voluit esse in Ecclesia Regiam quidem dignitatem, sed quæ potissimùm referatur ad animorum salutem procurandam, quod proprium est Episcoporum munus. Quin etiam Christus & pastor, & Episcopus dicitur, qui, vt ait Epiphanius [c], *pro toto mundo obtulit se ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ouis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, vt nobis vita omnibus modis fieret, & Sacerdotij sui immutabile firmamentum in sæcula efficeret.* Alibi verò [d], *Thronus igitur, ait, Dauid, & regia sedes est Sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem Regiam, simulque Pontificiam simul coniunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ sua translato in ipsam throno Dauid non deficiente in æternum.*

b lib. 2. ad Eugen. c. 6.
c Hær. 55.
d Hær. 29.

XL. Quod eò spectat, vt significem in Ecclesia Dei amplissimam quandam Christi Vicario concessam esse potestatem, qua animas quidem potissimùm salutaribus præceptis informare, & ad beatam, ac sempiternam vitam promouere queat: & quatenus opus sit, etiam rebus humanis prospiciat, atque opportunè consulat. Qua in re contraria extrema non pauci sequuntur, dum alij Romani Pontificis auctoritatem angustis finibus circumscribunt, qui negant posse illum ea attingere, quæ ad ciuilem vitam, & politicam administrationem pertinent; alij contrà rerum omnium dominium, & amplissimum imperium largiuntur. Vtrique lineas videntur transilire: veritas enim Catholica extrema vt plurimum vitare solet, & qui in re proposita prudenter iudicarunt, mediam quandam sententiam complexi sunt, quam egregiè explicat Innocentius [e]: *Non solùm enim, ait, in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in alijs regionibus certis caussis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus.*

e cap. per venerabilem, qui fil. sint legit.

XLI. Quod ex alijs etiam sacris canonibus [f] non obscurè intelligitur. Multa enim proculdubio in rebus humanis iure suo potest Romanus Pontifex præcipere, mutare, & abrogare, si animarum salus, & bona Ecclesiæ administratio id aliquando postulet, modò meminerit, se Christi Vicarium esse, quem in præsentia Petrus pastorem, atque Episcopum animarum appellat. Ipsi enim, cæterisque omnibus Ecclesiasticis Præsulibus persuasum esse debet, animarum salutem sibi potissimùm esse à Christo Domino commendatam, dum sibi Ecclesiam pascendã, atque administrandam sumpserunt. Neque de hoc capite plura dicenda sunt.

f e. licèt, e. ex tenore. c. ex parte, de foro comp.

Tertij

Tertij Capitis Argumentum.

MORVM disciplinam, quam superiori capite tradere cœperat, diligenter prosequitur; & primùm quidem fœminas Christianis virtutibus informat, eas præsertim, quæ nuptiarum fœdere, viris etiamnum Gentilibus copulatæ essent: interim coniugum concordiam, & domesticam pacem suadet, exemplis ex sacris literis petitis virorum etiam in mulieres officia explicat; omnia denique Christianæ vitæ præcepta breuiter perstringit, deinde vniuersim omnibus hominum generibus leges præscribit; postremò de Christi morte, eiusque fructu, & præcipua vtilitate, quæ vi Baptismi percipitur, luculenter disserit.

CAPVT III.

1 *SIMILITER & mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant.*

2 *Considerantes in timore castam conuersationem vestram.*

3 *Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri aut indumenti vestimentorum cultus:*

4 *Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti Spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

5 *Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo ornabant se, subiectæ propriis viris.*

6 *Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem.*

7 *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ.*

8 *In fine autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.*

9 *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.*

10 Qui

PARAPHRASIS.

PERSIMILI ratione vxores viris suis, & omnino fœminæ maribus subiectæ sunto: id enim natura postulat, & fieri præterea interdum potest, vt viri, qui à fide Christi alieni sunt, vxorum probitate, ac morum innocentia perspecta Ecclesiæ Christi aggregentur, & spiritali animarum lucro apponantur. ¶ Tanti nimirum est casta, atque integra vitæ vestræ ratio, quam illi non sine aliquo timore, dum contemplantur, colere quodammodo ac venerari coguntur. ¶ Sit igitur muliebris ornatus, non externus, qui in cincinnis, & vario, ac multiplici capillorum plexu, aut auri, gemmarúmve peregrino ex litore aduectarũ pompa, atque inani ostentatione aut denique vestium cultu positus est: ¶ Sed potiùs abditus atque occultus in animo situs, qui omni funditus corruptela careat, ita vt Spiritus placidus sit, & quietus, quo nihil est ante Deum magnificentius, speciosius, denique sumptuosius. ¶ Sic enim olim mulieres sanctæ, quæ spes omnes suas in Deo sitas habebant, sese comere, atque ornare solebant, cùm viris suis inprimis subditæ atque obsequentes essent. ¶ Quo planè modo Sara viro suo Abrahæ obtemperabat, quem dominum suum appellabat, cuius vos verè filiæ atque imitatrices eritis, si ita mores, vitámque vestram institueritis, vt rectè, honestéque viuentes, nullo pauore terreamini, nulláque virorum improbitate ab instituto Christianæ vitæ cursu reuocemini. ¶ Neque aliter viris præcipiendum censeo, qui tanquam maiori sapientia præditi, quo par est honore muliebrem imbecillitatem subleuent, atque ità sese cum illis tanquam cum eiusdem vitalis gratiæ cohæredibus gerant, itáque coniugij munere fungantur, ne precandi studium vel intermittatur, vel interrumpatur. ¶ Ad extremum, id cunctis magnopere suadeo, vt, quoad eius fieri possit, vnius omnes mentis, & consilij sitis, similiter inter vos affecti, caritate præditi, misericordiæ, modestiæ, humanitatis, atque humilitatis sectatores. ¶ Non malo malum rependentes, aut conuitium conuitio compensantes, sed contra potiùs bene precantes, certi hanc esse vocationis vestræ rationem, vt benedictionẽ hæreditate possideatis.

¶ Sapien

¶ Sapienter enim scriptum est à Dauide, qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coërceat linguam suam à malo, & os suum à dolo cohibeat. ¶ Declinet à malo, & faciat bonum, quærat pacem, & persequatur eam. ¶ Siquidem oculi Domini iustos benignè aspiciunt, ac protegunt, & aures eius ad eorum preces pronæ sunt: contrà verò truculentus Dei aspectus scelestis, ac facinorosis indignationem, atque iram minatur. ¶ Quis verò est, qui lædere vos aliqua ratione queat, si honestas, atque laudabiles actiones sectemini? ¶ Immò verò si contingat, vos propter iustitiam aliquid incommodi perpeti, næ vos hanc ipsam ob caussam fœlices, ac beati censendi estis. exterùm illorum terriculamenta nullo modo paueatis, aut eorum minis perturbemini. ¶ Sed potiùs Deum ac Dominum toto pectore religiosè veneramini, vósque aduersùs impios ita comparate, vt quoties res postulet, facilè possitis fidei, ac spei vestræ rationem reddere, atque explicare. ¶ Idque cum mansuetudine, & reuerentia præclara conscientia nixi, vt hoc ipso, quòd vos tanquam facinorosos traducunt, & vestram bonam, honestam, & Christiano dignam vitam carpunt, pudore suffundantur. ¶ Præstat enim vt honestè, laudabilitérque viuentes, quàm turpiter, scelestéque peccantes, si ita Deo libuerit, malis afficiamini. ¶ Quandoquidem & Christus semel pro nostris omnium sceleribus passus est; & quidem iustus pro iniustis, vt nos Deo conciliaret, cùm ipse quidem corpore mortem obierit, sed animo immortali rursus ad superos remearit. ¶ Interim verò ad parentum nostrorum animos, qui in limbo, tanquam in carcere, detinebantur, penetrauit, vt iis quoque præsentiæ suæ, atque doctrinæ fructum aliquem impertiret. ¶ Iis præsertim, qui olim diuinis monitis minimè obtemperauerant, cùm Dei Opt. Max. lenitas Noë internûtio, atque interprete satis amplum ad pœnitentiam spatium præfixerit, apparata ad extremum arca, in qua pauci, hoc est, octo tantummodo mortales, ab eluuione aquarum saluæ, atque incolumes euaserunt. ¶ Cui tanquam typo ex altera parte respondens Baptismus, nobis quoque salutem affert; quippe illo non corporis externæ sordes abluuntur, sed intus animus omni labe purgatur: adeò, vt bona conscientia Deo satisfaciat, & ritè quodammodo stipuletur, cùm Christi resurrectio mystica quadam ratione exprimatur. ¶ Qui cùm ad viuos rediisset, vi sua in cœlum conscendit, & ad Patris dexteram amplissimam honoris, ac dignitatis sedem adeptus, cùm mortem funditus extinxisset, beatarum mentium innumerabiles cœtus sibi penitus subiectos, & obsequentes habet.

10 *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia eius, ne loquantur dolum.*

11 *Declinet à malo, & faciat bonum, inquirat pacem, & sequatur eam.*

12 *Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala.*

13 *Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?*

14 *Sed etsi quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.*

15 *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos ad rationem de ea, quæ in vobis est, spe.*

16 *Sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes bonam, vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonã in Christo conuersationem.*

17 *Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes.*

18 *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu.*

19 *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit:*

20 *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.*

21 *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordiũ, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.*

22 *Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.*

IN

IN CAPVT TERTIVM EXPLANATIO.

1. *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant.*]



I. [a cap. 5. 22.] [b vers. 24.] [c cap. 3. 18.] HOc primum Apostoli præceptum non semel etiam iteratur à Paulo, qui ad Ephesios [a] scripsit, *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.* Et aliquantò pòst: [b] *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Ad Colossenses [c] autem: *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.* Videtur autem præceptum ab ipsa natura depromptum: initio enim nascentis mundi ita fœminam [d Gen. 3. 16.] alloquutus est Deus [d], *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quò videtur respexisse Paulus, cùm ad B [e ep. 1. c. 14. 34.] Corinthios [e] scripsit: *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.*

II. [f Rupert. Ab. lib. 3. de Trinit. c. 21.] Meritò enim viri docti [f] hanc naturæ legem appellant, quam Romani imitati sunt, apud quos sub viri potestate est mulier, antequam in manum viri conueniat. Sub potestate inquam viri, veruntamen non tanquam domini, sed tanquam tutoris: quæ autem in manum viri conuenit, capite diminuta dicitur, & virum tanquam dominum agnoscit. Nec frustra Apostoli hoc, vt ita dicam, connubiale præceptum tam sedulò, studioséque commendant. Nam cùm olim Gentiles falsò Christianis obiicerent, defectionem à Principibus, illud præterea addebant, coniugum diuortia Christianorum suasu, atque exem- C plo, contra ius, fásque frequentari: vt enim ex Iustino [g] [g Apolog. ad Senat.] narrant Eusebius, [h] & Nicephorus, [i] mulier quæ- [h lib. 4. hist. c. 16.] dam Christianam religionem complexa, impudicum [i lib. 3. c. 33.] virum, ne eius impudicitiæ, impuræque voluptatis particeps aliqua ratione fieret, libellum repudij misisse dicitur. Aliæ verò non paucæ commemorantur [k], [k Linus in vita Petri Apostoli. Simeon metaphrast. in vita Apost. Petr. & Paul] quæ nefarios, atque incestos virorum concubitus Christiana constantia, atque integritate recusarunt. Chrysostomus [l] autem de Paulo Apostolo hæc alicubi commemorat. *Pellicem*, inquit, *eius* (hoc est, [l li. 1. aduers. vitupes. vitæ monast.] Neronis) *quam ille deperibat, atque in deliciis habebat, cùm induxisset fidei, ac religionis Sacramenta suscipere, persuaserat vnà incestum illum impurúmque congressum declinare.*

III. Hæc igitur, atque alia eiusdem generis exempla Gentiles impulerant, vt Christianos quasi connubij D hostes, atque adeò humani generis, eius propagationis aduersarios criminarentur. eam ob caussam tum Paulus, tum etiam Petrus connubialia præcepta tradunt, & fœminas monent, ne viros suos quamuis infideles deserant, neque coniugij iura vlla ratione violent. itaque Paulus [m], *Si qua mulier*, ait, *fidelis habet vi-* [m 1. ad Cor. 7. 13.] *rum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Et paulò antè dixerat [n], *Vxori vir debi-* [n vers. 3.] *tum reddat, similiter autem vxor viro.* Intelligebant enim Apostoli connubium legitimè initum, & nexum indissolubilem parere, & fœminam viro penitus subdere, quod Christo magistro didicerant, qui [o cap. 19. 5.] apud Matthæum connubij legem ad primæuam sui E institutionem reuocat, additque, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et confestim de libello repudij ait, *Ab initio non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quod alibi totidem planè verbis dixerat [a]. [a Mat. 5. 32.]

IV. Quod verò attinet ad hæc Petri verba, qui fœminas viris præcipit esse subiectas, idem prorsus vnico verbo expressisse videtur Paulus, cùm ad Romanos scripsit [b]; *Quæ sub viro est mulier*, Græcè, ὕπανδρος, [b cap. 7. 2.] hoc est, *quæ sub viri potestate est*, eiúsque imperio subiecta. Quò idem Petrus spectasse visus est, cùm affert [c] exemplum Saræ, quæ virum suum Dominum [c infr. vers.] appellabat.

V. Ad hoc porrò mulierum officium pertinet, primùm quidem thori, & coniugij fides, cui ex aduerso respondet adulterium, quod cùm per se grauissimum crimen censetur, tum apud omnes gentes seuerissimo supplicio dignum habitum est [d]. Deinde obse- [d Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 5. c. 419. Couarru. 2. p. decret. c. 7. §. 7. n. 16.] quium & obtemperandi studium, cùm, vt docet Paulus, vir sit fœminæ caput. Cæterùm coniugij fides, tam viro, quàm fœminæ præcipitur. Rectè namque scripsit Seneca [e], *Improbum esse qui ab vxore pudicitiam* [e epist. 95.] *exigit, ipse alienarum corruptor.* Et in eandem senten- [f li. 6. diuin. inst. c. 23.] tiam Lactantius [f], *Seruanda igitur*, inquit, *ab vtroque fides alteri est, immò exemplo continentiæ docenda vxor, vt se castè gerat. Iniquum est enim, vt id exigas, quod præstare ipse non possis.* Confestim autem, *Cauendum igitur*, ait, *ne occasionem vitiis nostra intemperantia demus, sed assuescant inuicem mores duorum, & iugum ferant.* Hoc verò posterius fœminarum proprium est, quod olim significauit Deus, cùm mulieri dixit [g]: *Ipse* (hoc est, vir) [g Gen. 3. 16.] *dominabitur tui.* Idque insinuant verba superiora, *Sub viri potestate eris*: quo loco Hebræi codices habent, *Et ad virum tuum.* quasi dicat, Desiderium tuũ, concupiscentia tua, conuersio tua, prompta voluntas tua ad nutum illi obsequendi. quod apertiùs significasse videntur Chaldæus Paraphrastes, & Septuaginta, qui transtulerunt, *Ad virum tuum conuersio tua.* Quanquam Aquila, vt affirmat Hieronymus [h], pro [h in traditio. Hebraic.] conuersione societatem, Symmachus verò appetitum, vel impetum transtulit. Persimilis est enim loquendi ratio ei, qua vsus est Dauid [i], *Sicut oculi seruo-* [i Ps. 122. 2.] *rum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ.* Spectare enim solent serui dominorum suorum, ancillæ verò dominarum etiam nutus, vt illis placeant, & morem gerant.

VI. Atque haud scio an huc etiam spectarit Homerus, apud quem vxor maritum vocat οἶ-ν, hoc est, *desiderium.* Ita enim sese vxor viro suo subdere debet, vt nihil appetat, aut concupiscat, præter id, quod viro suo placere intelligit. Quod non obscurè significauit Damascenus, qui ex hoc Geneseos loco probat vxo- [k li. 2. parall. c. 72.] res adeò viris suis subiectas esse oportere, vt citra eorum auctoritatem nihil prorsus agere audeant. Porrò quod interpres dixit, *Mulieres*, Græcè scripsit Petrus γυναῖκες, quæ vox, vt aliàs monui, etiam vxores significat, vt possis hoc præceptum propriè ad eas referre, quæ connubio adstrictæ sunt: quod etiam indicant verba, quæ sequuntur, *viris suis.* Non negarim tamen sexum fœmineum virili subiectum esse. Nec facilè fœminæ imperium esse permittendum, nisi quòd barbaræ nonnullæ nationes fœmineum imperium quo iure, quáve iniuria pertulerunt: sic enim apud Lucanum [l] loquitur fœmina; [l lib. 10.]

——Non

——Non vrbes prima tenebo
Fœmina Niliacas, nullo discrimine sexus
Reginam scis ferre Pharos.

VII. Verùm hoc, vt [a] quidam [a], non tam ius, aut lex, quàm vsurpatio censenda est: Omnino autem hæc Petri disputatio ad fœminas coniugio adstrictas pertinet, quibus commodè Petrus Christiana præcepta tradit, vt fortè viros habeant à Christi fide alienos, suorum morum innocentia Christo concilient. Ita enim ad Corinthios præcipit Paulus [b], *Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consensit habitare cum illa, non dimittat virum: Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem.* Eam ob causam subdit Petrus:

a Rupert. li. 3. de Trin. & eius oper. c. 22.

b 1. ad Cor. 7.

VIII. *Et si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant. Qui non credunt*, inquit, *verbo*: hoc est, qui Euangelicæ doctrinæ non assentiuntur, qui iis, quæ audierunt, fidem non habent: *per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant*, vt quod Apostolorum voces efficere non potuerunt, fœminarum vita, & mores mira quadam vi peragant, vt etiam aliàs dixi validiora sunt exempla, quàm verba. Et, vt alicubi ait Seneca [c], *Vt salutaria, quæ citra gustum, tactúmque, odore proficiunt, ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo, & latens fundit, siue expatiatur, & vtitur suo iure, siue precarios habet accessus, coguntúrque vela contrahere, siue otiosa, mutáque est, & angusto circumscripta, siue ad aperta in quocumque habitu est, prodest. Quid tu parum vtile putas exemplum benè quiescentis?* Et Gregorius [d] Pontifex magnam ait esse exemplorum vim: *Ad hæc*, inquit, *agenda valde exempla Patrum, & sacri eloquij præcepta, nos adiuuant: si enim Sanctorum opera inspicimus, & diuinis iussionibus aurem præbemus, alia nos contemplata, alia audita succendunt, & cor nostrum torpore non constringitur, dum imitatione prouocatur.* Et alia pleraque in eandem sententiam subiicit. Inter cætera autem, *Antiquorum*, inquit, *nos exempla confirmant, & ex eorum comparatione fateri nos posse præsumimus, quod ex nostra infirmitate formidamus.* Alibi verò [e], *Narrat autem*, inquit, *gesta Sanctorum, & ad imitationem corda prouocat infirmorum, dúmque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat.* Et præclarè Valerius [f] Maximus: *Omne*, ait, *præclari facti decus crebra memoria in seipso reuirescit.*

c li. 2. de tranqui. vitæ, c. 5.

d li. 25. mor. c. 7.

e lib. 2. mor. c. 1.

f lib. 4. c. 8.

IX. Sic olim Constantinus Imperator, vt auctor est Eusebius [g], dum eorum exempla, qui idola colerent, cum Patre suo conferret, qui eam impietatem ab animo abiecerat, Christianam religionem, ac veram Dei fidem complexus est. Nam reuera sapienter omnino scripsit Chrysostomus [h], factis potiùs, quàm verbis Gentilium impietatem refellendam esse. *Sic ergo*, ait, *eos prosternamus, & aduersùs illos pugnemus, & ante verba per vitam eos perterreamus. Hæc est enim magna pugna, hæc est ratiocinatio, aduersùs quam contradici non potest, qua fit per facta. Nam etsi per verba multùm philosophemur, non exhibeamus autem vitam illis meliorem, nullum est lucrum: non enim attendunt ea, quæ dicuntur, sed examinant ea, quæ gerimus, & dicunt, tu prior pare tuis verbis, & tunc hortare alios: si autem dicis in futuro quidem esse bona innumerabilia, tanquam autem non sint, sic videaris affixus præsentibus, facta tua sunt verbis multò credibiliora.* Mox autem addit, infidelium conuersioni nihil magis obesse, quàm si ab institutis, præceptísque legis Euangelicæ Christianorum vita dissideat. *Eos ergo, ait, erigamus, & inducamus per nostram vitam. pauci, illíque illiterati sua. peruerterunt mentem Philosophorum, vt, qui & factorum*

g li. 1. de vita Constant. c. 11.

h hō. 3. in 1. Cor.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

A *ostenderint philosophiam, vt per rectam vitæ institutionem, ac philosophiam, emiserint vocem tuba clariorem: ea est enim lingua fortior.* Denique alibi [a]: *Facere enim*, inquit, *maiorem vim habet ad docendum, quàm dicere.*

a hom. 19. in ep. ad Hebr.

X. In eandem verò sententiam Ambrosius [b] Dauidis pœnitentiam commendat, quod peccatum suum non verbis solùm, sed factis etiam sit detestatus, *Hoc non solùm, ait, verbis docuit, sed & factis impleuit, quia non sufficit ad consummationem sapientia spiritualis, verbis præferre virtutem, nisi doctrina ornetur ex rebus: tunc enim demum tribuitur competens auctoritas magistro, si proprio imitetur exemplo. Denique Dominus in Euangelio: Qui fecerit, inquit, & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum. vt & facto doctrina firmetur, & factorum fides ex doctrina accipiat testimonium. alioquin non erit mixta virtutibus fundata doctrina, quæ verborum phaleris gloria virtutis abutitur. erit enim facundia locuples lingua, non erit plena operum diuitiis conscientia, & priuabitur merito suo, qui priuilegio fruitur alieno.* Denique alibi [c] totius huius sententiæ vim eleganter expressit: *Sed & Apostolus Petrus mulieris inquit gratia plurimum valet, vt viri tui conuertatur affectus per vxoris suæ bonam conuersationem, & incredulus se conuertat ad gratiam Christi. Hoc valet mulieris grauitas, & pudicitia, & eius bona conuersatio, vt virum suum vocet ad fidem, & deuotionem, quod prudentis viri sermo frequenter operatur.* Nec minorem vim habent exempla vitiorum ad corrumpendos, ac deprauandos mortalium mores, vt egregiè alicubi docet Gregorius Nazianzenus, quod vsque adeò verum est, vt alicubi scripserit Augustinus, malignos dæmones multa crimina de numinibus fingi libenter accipere, *Vt ad scelesta, ac turpia perpetranda velut ab ipsa cœlo traduci in terram satis idonea videatur auctoritas.* Idque Terentiani exemplo non vno loco confirmat.

b li. de pœnit. c. 8. si tamen illius est, quod viris doctis non videtur.

c li. 6. de Sacram. c. 5.

d li. 2. de ciuit. c. 7. & li. 1. confes. c. 16.

2. *Considerantes in timore castam conuersationem vestram.*]

I. Vxorum continentiam inprimis commendat, quæ connubio iunctis est penitus necessaria. Dixit enim quidam: *Casta ad virum matrona parendo imperat.* Plutarchus autem in Problematibus, quærit cur nouæ nuptæ, cùm ad virum ducitur, præcipi olim consueuisset, vt ignem, & aquam attingeret, respondétque ignem suapte natura purgare, aquam verò circumfere, ac lustrare, quo significabatur, vxorem puram, & castam esse oportere. Quod autem ait Petrus, *Considerantes in timore*; vxoris modestiam, ac reuerentiam indicat, quam necesse est cum castitate, pudicitiáque coniungi: solet enim plerumque mentis, & corporis integritas magnos fœminis addere spiritus, atque idcirco Petrus meritò præcipit, vt vxores corporis integritatem modestia, & Christiana humilitate condiant, tum quia vtrumque ad vitam cum coniuge pacificè traducendam plurimùm valet; tum quia animi tumorem impura plerumque libido, iusto Dei iudicio, consequitur.

II. Ita enim alicubi scribit Gregorius [e]: *Culpa, quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit, proinde per humilitatis custodiam seruanda est munditia castitatis: si enim piè spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum non leuatur, Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit iura loguima seruitutis: nam si*

e li. 26. Mor. c. 13. aliàs 12.

 auctie

auctorem suum superbiendo contemnit, iure & à subiecta carne prælium suscipit. Et paulò antè dixerat: *Multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit, quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit: hi enim prius secretò eleuant, sed postmodum publicè corruunt, quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis.*

III. Videtur itaque Petrus tacitè monere fœminas, vt ab hoc periculo caueant, ne dum per animi tumorem sese tacitè extollunt, ab ea, quam plus æquo iactant, corporis integritate excidant. Accedit, quòd modestia, & Christiana humilitas, cum pudicitia præsertim coniuncta, incredibilem quandam vim habet ad infidelium animos commouendos, vt Christianorum disciplinam mirentur, & citra vllam verborum adhortationem Christiana sacra percipiant: hoc enim est, vt ait Oecumenius, sine verbo lucrifieri; *Quia demonstratio, quæ per opera fit, certior omni verborum curiositate habetur: opus enim tacitum, & carens verbo, verbo, quod opere caret, longè præstantius est.*

IV. Ita olim Cæcilia virgo & Martyr, Valerium quasi ferocientem leonem, vt agnum mitissimum ad ouile Domini perduxit. Et Monica [a], Beati Augustini mater, virum alioqui infidelem, ad Christi fidem traduxit, & Clotildis Regina Clodouæum Christo conciliauit, & non paucæ fideles mulieres viros suos ab Ariana impietate reuocarunt. Castam porrò conuersationem, Græcè, ἁγνὴν, hoc est, puram, atque innocentem, seu incontaminatam, nulláque prorsus labe fœdatam requirit. Timor autem seu reuerentia, siue virum respiciat, siue etiam Deum, morum innocentiam maximè parit: *timor* enim *Domini*, vt ait Sapiens [b], *expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Quæ verò mulier virum honore prosequitur, & quo par est, amore complectitur, nihil admiserit vnquam, quo iustam eius iram prouocare queat. Extant non pauca etiam contraria exempla: nam vt omittam Euam, quæ virum ad criminis societatem pertraxit; infideles vxores Salomonem alioqui sapientissimum nefario idolorum cultu fœdarunt. Iezabel Acabum iusti Nabothi cæde plurimisque aliis, grauissimisque sceleribus inquinauit.

a Aug lib. 9. Confes. c. 9.

b Eccli 1. 27.

V. Quamobrem scelestissimus Balaam; vt auctor est Origenes [c], nefario planè consilio Regi Balac persuasit, vt fœminarum procacitate, & petulantia Hebræorum continentiam oppugnaret, *Si vis*, inquit, *vincere, primum eorum pudicitiam deiice, & sponte vincentur: sed aduersum hos non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est; nec armatorum vigore, sed mollitie fœminarum. procul fiue, procul amoue armatorum manum, & electam congrega speciem puellarum. Ludentes pedibus eant, manibúsque plaudentes. forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat, vincentur specie, qui non vincuntur prælio. Verùm vbi senserint eos mulieres Moabitæ, vel Madianitæ manus dedisse libidini, & peccato inclinasse ceruices, non prius semetipsas cupientibus præbeant, quàm de sacrificiis idolorum acquieuerint degustare, vt cogente libidine consiliis obtemperent fœminarum, & consecrentur prius Beelphegor, quod est idolum turpitudinis.*

c hom. 10. Numer.

3. *Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.*]

I. Quæ vniuersim præceperat, cùm castam conuersationem proposuit, singillatim explicat, præcipuéque externi cultus, atque ornatus rationem præscribit, quem modestum, sobrium, ac temperatum laudat; dum multa inania, & superuacanea reprehendit. De ornatu autem fœminarum disserit, de quo Tertullianus [a], *Habitus*, inquit, *fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum: cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant, ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro & argento, & gemmis, & vestibus deputatur, iste in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis.* Orditur autem Petrus à capite, dum ait, *Quarum non sit extrinsecus capillatura*, Græcè, ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν, quasi dicat, *crinium plicatura*, seu *circumplicatio*: Solent enim fœminæ in cultu crinium multis modis laborare. Quocirca Tertullianus [b] inter cætera muliebria studia hoc etiam commemorat, comam struere. Et alibi [c]. *Quid enim*, ait, *tanta ornandi capitis onerositas salutem subministrat?* Plura autem ornando capillo quasi artificia adhiberi consueuisse, mox idem Tertullianus indicat, *Quid*, inquit, *crinibus vestris quiescere non licet modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Alia gestiunt in cincinnis coërcere, alia vt vagi, & volucres elabantur non bona simplicitate; affigitis præterea nescio quas enormitates, subtilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in ceruicem retrò suggestum. Mirum, quòd contra Domini præcepta contenditur, ad mensuram neminem sibi adiicere posse pronunciatum est, vos planè adiicitis ad pondus. collyridas quasdam, scutorum vmbilicos ceruicibus astruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti, nec exuuias alieni capitis forsitan immundi, forsan nocentis, & gehennæ destinati Sancto, & Christiano capiti supparetis.*

a lib. de hab. mul. c. 4.

b lib. de Pallio, c. 4.

c lib. de cul. fœm. c. 7.

II. Principio autem, vt hoc loco indicat Petrus, artificiosè plicari solent crines, quod fortasse sanctissima olim fœmina Iudith fecisse indicatur, de qua scriptum est [d], *discriminauit capillos capitis sui.* Certo enim ordine capillum digesserat. Quam ob caussam acutè dixit Tertullianus, *Non licere crinibus quiescere, modò substrictis, modò relaxatis*, & quæ sequuntur: neque aliud significare voluit Paulus, ad Timotheum [e] scribens, cùm inter cætera præcipit, ne fœmina *tortis crinibus* vtatur; Græcè, μὴ ἐν πλέγμασιν, vt idem planè significet, quod hoc loco Petrus. Olim verò Isaias [f] inter muliebria instrumenta discriminalia recenset, quibus, vt arbitror, instrumentis, crines in fronte pendentes segregare consueuerant. Ad hæc peregrino colore capillum inficiebant, atque adeò nunc plurimæ etiam inficiunt. Et alicubi quidem flauus, seu rufus, aureúsve capillorum color in pretio erat. Quocirca dixit non inleganter quidam [g]:

d Iudith 10.

e ep. 1. c. 2. 9.

f cap. 3. 19.

g Ouid. in lib. 2. Fastor.

Forma placet, niueúsque color, flauíque capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.
Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina neuit,
Neglectæ collo sic iacuêre comæ.

III. Et Tertullianus [h]: *Video*, inquit, *quasdam & capillum croco vertere; pudet eas etiam nationis suæ, quòd non Germanæ, aut Gallæ sint procreatæ: ita patriam capillo transferunt male, ac pessimè. Sibi auspicantur flammeo capite, & decorum putant, quod inquinant, atque & detrimentum crinibus medicaminum vis infert, & cerebro perniciem etiam cuiuslibet synceri humoris assiduitas referunt, cum solis animando simul, & siccando capillo, exoptabiles ardor. Quis decor cum iniuria? Quæ cum immunditiis pulchritudo? Crocum capiti suo mulier Christiana ingerit, vt in*

h lib. de cul. fœm. c. 6.

A *in aram.* Confeſtim verò allatis Domini verbis, *Quis veſtrûm poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro?* ſubdit, *Ita quæ reuincunt Deum, Ecce, inquiunt, pro albo vel atro flauum facimus gratia faciliorem. Quamuis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad ſenectam vſque vixiſſe.* Tertullianum imitatus eſt Cyprianus [a]. Quod enim dixit Tertullianus, *Male, ac peſſimè ſibi auſpicantur flammeo capite,* eodem ſpectans Cyprianus ait, *audaci conatu, & ſacrilego contemptu crines tuos inficis malo præſagio futurorum.* Et Hieronymus [b]: *Nec caput,* inquit, *gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.*

a lib. de diſcip. & hab. virgin.
b ep. ad Let. de inſtitut.

IV. Illud præterea à Tertulliano reprehenditur, quòd calamiſtris intorquere ſoleant capillos, & cincinnos. B *Aliæ,* inquit, *geſtiunt in cincinnis coërcere;* aliæ contrà, vagos & volucres capillos, non bona ſimplicitate elabi patiantur. Neque his contentæ capillamentum nonnullæ conquirunt, hoc eſt, adulterinam comam, de quibus loquitur Hieronymus [a], *quæ capillis alienis verticem ſtruunt:* vſu enim olim recepto, crinem aggeſtû in turrim quodammodo primore in capitis parte extruunt, ac faſtigiant. Galerum, vaginam capitis, & operculum verticis appellat Tertullianus. Suetonius [c] capillamentum; tutulum Feſtus, & Varro. *Ab eo,* hic inquit, *quod matres familias crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vitta velatos, dicunt, tutulos.* Quò ſpectans Gregorius Nazianzenus dixit:

a ep. ad Marcel.
c in Calig.

Ne caput ædifices aſſuto fœmina crine.

C Et Lucanus:

Turritaq́; gerens frontem matrona corona.

d Sat. 6.

Et Iuuenalis [d]:

——Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

e in Epithalam. Violãt.

Denique Papinius [e]:

——Celſis procul aſpice frontis honores,
Suggeſtumq́; comæ.

Apud Athenienſes κό.υμβ⊙ dicebatur, apud Cyprios κορύ.υλη, denique apud Perſas κιδάριν.

V. Quoniam verò hæc omnia ſtudio, atque arte comparantur, Petrus dixit, ἔξωθεν ἐμπλοκῆς τριχῶν, quaſi dicat, *extrinſecus comparata, aut accerſita crinium complicatio.* Quod verò Tertullianus addit collyridas quaſdam ſcutorum vmbilicos ceruicibus aſtrui, eo- D dem refero, hoc eſt, ad alienos capillos capiti aptandos: mox enim exuuias alieni capitis appellat, quod collyridarum in morem inflexi, quaſi coronam efficerent. Quòd verò ſcutorum vmbilicos nominat, gemmas nonnulli interpretantur, quæ in collyridarum medio collocarentur. Ipſas enim collyridas ſcutorum quandam ſpeciem præferre: quanquam alij ſputorum vmbilicos legendum putant: id enim poſitum volunt pro prægustatis, ac manſis offulis, quas mulieres capillis illuſtrandis, & faciei detergendæ adhibebant: quod probarem, ſi cur ſputorum vmbilici offulæ illæ appellandæ ſint, planiùs explicarent.

VI. Sed vt vt ſit omnem iſtum capillorum ornatum prohibet hoc loco Petrus. Quin etiam Gentiles Poëtæ hunc nimium ornatum reprehendunt. Propertius E enim [f].

f lib. 1. eleg. 2.

Quid iuuat ornato procedere vitta capillo?
Et tenues Coa veſte mouere ſinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Teq́; peregrinis vendere muneribus?
Naturæq́; decus mercato perdere cultu?
Nec ſinere in propriis membra nitere bonis?

g li. 2. ele. 19.

Idémque alibi [g]:

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos
Ludis & externo tincta colore caput.

Et confeſtim:

Vt natura dedit, ſic omnis recta figura
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi ſub terris fiant mala multa puellæ
Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.

VII. Alludit enim ad id quod ſcribit Cæſar [a], omnes Britannos glaſto inficì, quòd cæruleum efficit colorem. Et Plinius [b]: *Simile,* inquit, *plantagini, glaſtum in Gallia vocatur quo Britannorum coniuges, nurúſque toto corpore oblitæ quibuſdam in ſacris nudæ incedunt.* Neque verò fœminæ ſolùm, ſed etiam viri, plus æquo in excolenda forma, & capillo curando laborabant olim, ac nunc etiam laborant. Verè enim alicubi ſcripſit Seneca [c]: *Quid capillum ingenti diligentia comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum modo vinxeris, vel, vt Scythæ ſolent, ſparſeris, in quolibet equo denſior iactabitur iuba, horrebit in leonum ceruice formoſior.* Et alibi [d]: *Tunc quoque cum diu regnis illi viri inconditè viuerent, ſatis mundi ſi ſqualorem operè collectum aduerſo flumine eluerent; cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere, & in hac re quiſque ſibi, alterique operam dabat inuicem: coniugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim, mos viris fuit, attrectabatur, ſed illum ſibi ſine vllo artifice formoſi quatiebant, non aliter quàm iubam generoſa animalia.* Hac verò tempeſtate videas quoſdam muliercularum more calamiſtratos, & cincinnatos alios protenſam comam alere; & quidem contortam, & criſpatam, quibus illud Perſij congruat:

a lib. 5. de bel. Gall.
b lib. 22. c. 2.
c ep. 124.
d li. 4. natur. q. cap. vlt.

C *——Matutini cirrata caterua magiſtri.*

VIII. *Aut circundatio auri.* An capiti & crinibus? Certè Homerus [e] aurum, atque argentum virorum crinibus implexum ſcribit, idque obſeruauit Plinius [f], qui tamen ambigit, an prior vſus à fœminis cœperit. Certè etiam fœminis purpureas veſtes, aureáque ſegmenta fœminis fuiſſe permiſſa, auctor eſt Valerius Maximus [g]. Addit Petrus, *Aut indumenti veſtimentorum cultus,* Græcè, ἢ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμ⊙, quaſi dicat, *ſupellectilium amictu:* hoc enim morbo etiam fœminæ laborant, quippe, vt ait Hieronymus [h], *ordinarum genus fœmineum eſt, multáſque etiam inſignis pudicitiæ quamuis nulli virorum, tamen ſibi ſcimus libenter ornari.* Quocirca etiam Paulus [i] aurum, margaritas, & veſtem pretioſam fœminis interdicit. Eſther [k] quidem certè alie- D nam ſe ab hoc ſuperuacaneo ornatu, his verbis declarat, *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud, quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei.*

e Iliad. 5.
f lib. 33. c. 1.
g li. 2. tit. 1.
h ep. ad Gaudent.
i 1. ad Tim. 2.
k cap. 14. 16.

IX. Porrò Hieronymus [l] ad hunc Petri locum alludens, *Non iubet,* inquit, *ſqualore, ſordibus, & horrentibus pannorum aſſumentis tegi, ſed immoderato cultui, & nimis exquiſito interdicit ornatui, ſimplicémque commendat ornatum, atque habitum:* alibi verò [m]: *Solent quædam, cùm futuram virginem ſpoponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina, nihil in collo, nihil in capite auri ſinere, reuera bono conſilio, ne habere diſcat in tenero, quod poſtea ponere compellatur.* Obſeruat autem Ambroſius [n], apud Iſaiam [o] E filias Sion reprehendi, *quòd alta ceruice procederent, nutibus oculorum, & itinere pedum trahentes, ſimul tunicas, & ludentes pedibus, & ideo gloriam veſtis earum, & ornatus earum, & cincinnos Dominus ablaturum ſe eſſe dicit.* Et aliquantò pòſt: *Vnde & Apoſtoli dixerunt, non in plicatu capillorum, ſicut Petrus docuit, neque in tortis crinibus, aut auro, & margaritis, vel veſte pretioſa, vt Paulus aſſeruit, ſed magis interioris hominis ornamenta fœminis requirenda.* Et alibi [p]: *Cùm Petri Apoſtoli Epiſtolam legerem, aduerti, quod omnis ſapiens tenendi ſit, nec*

l ep. ad Celant.
m in epiſt. ad Gaudent.
n in exhort. ad virgin.
o cap. 3.
p epiſt. 10.

A *sexum exceperit, qui fœminas ornatum omnem non in pretiosis monilibus, sed in bonis moribus habere scripserit.*

X. Mitto, quæ non vno loco scribit Tertullianus [a], quem imitatur Cyprianus [b]; prætereo bene longam orationem aduersus mulierum ornatum, cùm præsertim ad Ecclesiam pergunt, quæ est apud Chrysostomum [c]. Sapienter omnino scripsit Augustinus [d], *Nolo, inquit, de ornamentis auri, vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant, quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant, quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, nisi quòd capillos nudare fœminas, quas etiam caput velare* B *Apostolus iubet, nec maritas decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittenda sunt fœmina ornari secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus maximè Christianorum, & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt.*

a lib. de pal. lib. de hab. mul. lib. de cul. fœm.
b de discipl. & hab. virg. & lib. 3 ad Quir. c. 36.
c hom. 8. in 1. ad Timot.
d epist. 72.

XI. Rectè autem Christianorum ornatum in virtutibus, bonisque moribus situm esse docet, cùm etiam Seneca [e] mulierum insaniam grauissimis verbis castiget. *Video vniones non singulos singulis auribus comparatos.* C *Iam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt. Iunguntur inter se, & insuper alij binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina, ac terna patrimonia auribus singulis perpendissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. Quibus sumptis mulier parum liquidò nudam se non esse iurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, vt matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.*

e li. 7. de benef. c. 9.

XII. Quantus autem fuerit, apud Gentiles præsertim, in fœminis ornamentorum luxus, vnius Lolliæ Paulinæ exemplo docet Plinius [f], *Lolliam, inquit, Paulinam, quæ fuit Caij Principis matrona, ne serio quidem,* D *aut solemni cæremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna vidi smaragdis, margaritisque opertam alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque, quæ summa quadringenties sestertiûm colligebat, ipsam confestim paratam mancipationem tabulis probare.* Ea porrò summa subductis rationibus ad decies centena aureorum millia ascendit.

f lib. 9. c. 35.

XIII. Hæc porrò ornatum in Christianis fœminis grauissimis verbis sacri Scriptores reprehendunt. Nam Cyprianus [g], *Ornamentorum, inquit, ac vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.* Mox autem allatis Ioannis verbis describentis in E Apocalypsi purpuratam meretricem concludit, *Sericum, & purpuram induta Christum induere non possunt; auro, & margaritis, & monilibus adornatæ ornamenta cordis, ac pectoris perdiderunt.* Idem ante ipsum insinuauerat Tertullianus [h]. Nec pauciora scribunt Ambrosius [i], Hieronymus [k], Chrysostomus [l].

g de hab. virg.
h lib. de cul. fœm. c. 12.
i li. 1. de virg.
k ep. ad Fur.
l hom. 28. 36. 37. 41. in Genes. ho. 8. in Matt. ho. 60. in Ioã. ho. 8. & 31. in 1. ad Tim. ho. 28. in epist. ad Hebr.

XIV. Certè Arnobius [m] acriter hunc luxum siue in fœminis, siue in viris, his verbis accusat, *Idcirco animas misit, vt diuini ponderis, & grauitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas castitatis dispendio compararent, consipiciendas quærerent corporibus suis innecterent his colla laminas perfunderent auritum ammuniuerent, frontem limbis, fuligine oculos obumbrarent, nec in formas erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem, cutem corporis leuigare,* & quæ deinceps sequuntur.

m lib. 2. aduers. Gent.

XV. Mitto alia multa, quæ ex prophanis auctoribus tam Græcis quàm Latinis docti viri [a] collegerunt. Certè in sacris literis malè audiunt fœminæ, quæ nimium ornatum studiosè sectantur. Dauid [b] enim de fœminis Gentilibus, *Filiæ, inquit, eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi.* Et Isaias [c], *Ornasti, inquit, te Regi vnguento, & multiplicasti pigmenta tua*, cùm mores meretricios reprehenderet. In libris autem Regum insimulatur Iezabel; B *quòd depinxerit oculos suos stibio, & ornauerit caput suum.*

a Tiraq. de leg. connub. l. 9.
b Ps. 143. 12.
c cap. 57. 9.

XVI. Fateor tamen rectè à Hieronymo Pelagium castigari, qui omnem penitus ornatum damnabat [d]; *Adiungis, inquit, gloriam vestium, & ornamentorum Deo esse contrariam: quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem: si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum cum candida veste processerint. Cauete clerici, cauete monachi, viduæ, & virgines: periclitamini, nisi sordidas vos, atque pannosas vulgus aspexerit. Taceo de hominibus sæculi, quibus apertè bellum indicitur, & inimicitiæ contra Deum, si pretiosis, atque nitentibus vtantur exu-* C *uiis.*

d Dial. 1. contra Pelag.

XVII. Certè in libro Geneseos [e] Abrahami seruus Rebeccæ, quæ Isaaci sponsa futura erat, dedit *inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.* Nec reprehenditur Iudith [f] ornatus, *quæ discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextrariola, & lilia, & inaures, & anulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se.* Mox autem additur, *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis ap-* D *pareret.*

e cap. 24. 22.
f cap. 10. 3.

4. *Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*]

I. Internum animi ornatum commendat, hoc est, Christianarum virtutum studium, quibus animus mirum in modum ornatur: nec metuendum est, ne quis in ea re modum excedat, cùm in corporis ornatu id maximè cauendum videatur. Quocirca Augustinus, vt paulo antè monui, modum quendam præscripsit, quod etiam non vno loco facit Basilius [g]. Mirandum vt sit, cur magnus Theologus [h] in mentem venerit affirmare hæc Apostolica, sanctorumque Patrum præcepta primis illis nascentis Ecclesiæ tẽporibus E fuisse accõmodata, ad hæc autem nostra tempora nequaquam pertinere, cùm proculdubio in curando, ornandoque corpore, Christianæ modestiæ ratio habenda sit, maximeque aliorum offensiones, & scandalum vitanda sint, humanis denique legibus, & consuetudinibus seruiendum videatur.

g in regul. moral. reg. 73. c. 5. & in Isa. c. 3.
h Caietan.

II. Cæterum animi ornatus, quàm diligentissimè comparandus est: *Sed qui absconditus est*, ait Petrus, *cordis homo*: Etenim Paulus duos in nobis homines distinguit, cùm ad Romanos [i] scribit, *Condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem.* Et alibi [k], *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.*

i cap. 7. 22.
k 2. ad Cor. 4. 16.

a Carm. 8. de vita hum. b ad Gal. 5. 17. c ad Rom. 8. d ad Gal. 5. 16.

Quò spectans Gregorius Nazianzenus [a], eleganter pugnam describit, quæ est inter carnem, & spiritum, de qua multò antea dixerat Paulus [b], *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et alibi [c]: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Denique [d]: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.*

III. Ne[...] igitur superuacaneo corporis cultu, ad internum [...] ornatum fideles reuocat Petrus. Placet in præsentia verba Chrysostomi adscribere [e], *Multa, ait, vos exterioris ornatus exhibentur, magna cura, & vng[...]tium res multos exagitat, animæ vero decus, & purgatio, penitus negligitur: nam si conscientiam singulorum c[...]aere possemus, multos ibi vermes, multam saniem, atque [...]arabilem reperiremus fœtorem. cupiditates dico [...] quæ vermes spurcitia mirum in modum excedunt. Hominem autem absconditum vocat*, optima enim pars nostri, hoc est, animus latet, neque sub aspectum vllu modo cadere potest. Addit, *cordis, homo,* non quod sit, vt quidam existimarunt, in corde, sed quia cordi, hoc est, appetendi facultati præest, eaque cuncta administrat siue bona, siue mala.

e Hom. 74. in Matth.

IV. Quamobrem dicitur Deus corda hominum scrutari, quia ex iis, quæ in animu insunt, hominum studia, atque actiones probat, aut improbat. Apud Isaiam [f] enim populum Hebræorum accusat Deus, *eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* Et Christus apud Matthæum [g], *De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, hæc sunt quæ coinquinant hominem.*

f cap. 29. 13. g cap. 15. 19.

V. Animum porro, hoc est, internum hominem corpori etiam Gentiles anteferēdum censuerunt. *Ratio,* inquit Seneca [h], *nihil aliud est, quam in corpus humanum pars diuini spiritus mersa.* Et alibi [i]: *Hæc, quæ vides ossa circumuoluta neruis, & obductam cutem, vultumque, & ministras manus, & cætera quibus inuoluti sumus, vincula animorum tenebræque sunt. Obruitur his animus, effugatur, inficitur, arcetur a ver[...]s a suis, in falsa coniectus. Omne illi cum hac carne graue certamen est, ne abstrahatur, & sidat. nititur illo vnde dimissus est, ibi illum æterna requies manet, e confusis, crassisq; pura, & liquida visentem.* Quis autem hunc internum hominem deceat ornatus, explicans subdit Petrus:

h epist. 67. i lib. de consol. ad Marciam, ca. 24. similia ep. 103.

VI. *In incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus.* Est D quidem anima suapte natura immortalis, quippe à materiæ concretione aliena, sed metaphoricè inquinari, & corrumpi aliquo pacto dicitur, cùm sceleribus obstringitur, & voluptatibus delinita, corpori, cui imperare debet, turpiter seruit. Exigit igitur Petrus integrum, atque incorruptum animum, vt quietus, ac modestus spiritus existat, indicans, vt arbitror, animum vitiis, atque flagitiis corruptum, neque quietum, neque modestum esse posse: nam de impiis dixit Isaias [k]: *impij autem quasi mare feruens quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum. non est pax impiis.* Porrò Græce dixit Petrus, τοῦ πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος, quasi dicat, *placidi [...] quieti spiritus*: verum, que autem cum praua conscientia pugnat. Siquidem, vt ait Seneca [l], *maxima peccantium pœna est peccasse, nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus, & hæ, & illæ secunda pœnæ premuntur, ac sequuntur timere semper, & expauescere, & securitati diffidere.*

k cap. 57. 20. l ep. 98.

VII. Et paulò pòst: *Hic consentiamus mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eò quod perpetua illã sollicitudo vrget, ac verberat, quod sponsoribus securitatis sua non potest credere.* Et alibi [a]: *Innumerabiles proprietates sunt, sed vnus effectus vitij displicere sibi. Hoc oritur ab intemperantia animi, & cupiditatibus timidis, aut parum prosperis.* Et aliquantò pòst: *Tunc illos & pœnitentia cœpti tenet, & incipiendi timor, surrepitque illa iactatio animi non inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt, & cunctatio vitæ parum se explicantis, & inter destituta vota torpentis animi situs.* [...] paulò pòst: *Hinc illud est tædium, & displicentia sui, [...] quam residentis animi volutatio.* Itemque: *I[...], & mille fluctus mentis incertæ quam inchoata habent suspensam, deplorata tristem.* Et multa in eandem sententiam

a lib. 2. de tranquil. vitæ c. 2.

VIII. Nec dissimilia scribit Plutarchus [b], quæ nimis B longum esset commemorare. Obseruat autem Ambrosius [c], neminem ante Petrum cordis hominem dixisse. *Exterior enim, ait, homo plurima in se membra habet: interior autem cordis homo totus sapientia est, plenus gratia, plenus decoris.* Ambigi autem potest Spiritumne humanum, an diuinū intelligat. Athanasius [d] cum hæc Petri verba ad Spiritum sanctum refert. *Quod autem ait, supra res conditas esse Spiritus, & aliud quiddam à creaturis, ex istis demum resciscere licet: immutabilis, inalterabilisque est Spiritus sanctus. Spiritus enim, inquit, sapientiæ fugiet dolosum, & abscedet à cogitationibus stultis. Petri quoque verba sunt. In incorruptibilitate mansueti, & quieti Spiritus.* Quasi significet eos, qui sese puros, atque integros seruant, diuinum in se Spiritum placidum, & quietum admittere.

b lib. de tranquil. vitæ, & lib. de sera num. vindict. c epist. 10. d ep. ad Serap. de Spir. sanct.

IX. C Quod si negem verè affirmari, planè mentiar: verè enim dixit Isaias [e], *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Huic explanationi vtcunque fauere videntur vetusti nonnulli codices, qui in Latina interpretatione subiiciunt relatiuum *quod*, neutrius generis, quasi referat Græcam vocem πνεύματος, quæ est eiusdem generis; & simpliciter, atque absolutè posita Spiritum sanctum ferè significat; re enim vera ille apud Deum dici potest diues, qui eiusdem cum Patre ac Filio particeps est diuinitatis. Nec abhorret vulgata lectio, quæ habet relatiuum, *Qui*. potest enim referri ad Spiritum sanctum.

e cap. 66. 2.

X. Sed non video quorsum Spiritus sancti mentio ingeratur. Itaque Ambrosius [f] de humano spiritu D accipit: nam ad hunc locum alludens, *Oremus*, ait, *in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples.* Mox autem addit, modestiam diuitem esse apud Deum. *Diues* inquit, *est modestia, quia portio Dei est.* Sic alibi [g]; *Verè diues, qui in conspectu Dei potest diues videri, in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est.*

f lib. 1. offic. c. 18. g epist. 10.

XI. Hanc ego posteriorem explanationem magis probo, tum quia, vt dixi, prorsus extra rem Spiritum sanctum nominaret Petrus, tum, quia ille parum aptè diceretur diues in conspectu Dei, cùm reuerà æquè ipse, ac Pater & Filius Deus sit. Spiritus igitur mansuetus, ac placidus, magnifica quædam, & sumptuosa res est, ipso Deo iudice. Ita monet Petrus, vt mulieres hunc internum ornatum quærant, qui à E Deo magni habetur in pretio.

5. *Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subiectæ propriis viris.*]

I. Internum animi ornatum sedulò quærendum esse exemplo sanctarum fœminarum confirmat. Nam, vt ait Aristoteles [h], apud imperitam multitudinem ad faciendam fidem plus valent exempla, quàm rationum firmamenta. Et Spiritus sanctus antiquorum ferè exempla proponere consueuit, vt ad imi-

h lib. 2. de arte dicen. non procul ab initio.

a Deut. 32. 7. tationem prouocet. Quamobrem Moses [a]. *Memento, ait, dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos,*
b cap. 8. 8. *& dicent tibi.* Eodemque modo & Iob [b]: *Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam.* Et paucis interiectis: *Et ipsi, inquit, docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.* Et in eandem sententiam Salomon [c]:
c Prouer. 22. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt*
d cap. 51. 2. *patres tui.* Et Isaias [d]: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Denique Ieremias [e].
e cap. 6. 16. *Hæc dicit Dominus, ait, state super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.*

II. Et quidem meritò: sanctorum enim exempla ad vitam probè instituendam plurimum habent momenti. vt enim scribit Basilius [f],
f in S. Martyr. Gord. non procul ab initio. *Non indigent sancti nostris laudibus, sed nos ipsorum vitæ historia, & commemoratione imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, & in vnguento quoque præstanti diffunditur odor, sic è sanctorum commemoratione gestorum ad omnes prouenit vtilitas. Fuerit haud modici momenti eorum, quæ olim gesta sunt, veritatem exactè tenere.* Neque aliter sensit Basilij frater Gregorius [g] Nissenus.
g in vita Greg. Taumat. in principio. *Enimuerò, ait, si mentio eorum, qui virtute excelluerunt, cum nullo lucro coniuncta esset, nullumque audientibus inde ad bonum adferretur adiumentum, supervacuum forsitan, ac nullum operæpretium esset, nulla proposita vtilitate, & eandem rem frustra commemorando, & aures nequidquam obtundendo laudandi causa orationem in medium afferre. Sed quoniam eiusmodi munus orationis si rectè, & commode adhibeatur, commune audientium emolumentum erit, tanquam fax è mari adnauigantibus ad sese dirigens eos, qui in caligine per pelagus oberrant pari studio vtrisque, & vobis auscultantibus, & mihi dicenti ad hanc rem opus esse puto: persuasum est enim quod vita eius* (Gregorium Taumaturgum intelligit) *per virtutem transacta veluti fax quædam animis nostris per commemorationem affulgens, viam ad bonum iam commemorantis, quam audientibus patefacit.*

III. Eodem spectans Gregorius [h] Pontifex, *Plerumque tamen, ait, ad exercenda bona opera aliena nos vtiliter exempla persuadent, & cum mente humili opinionis aliena bona*
h lib. 22. mor. c. 5. alias 7. *suscipimus nostra vel ad melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus, cumque nos de vita proximi famæ splendor irradiat, mens nostra, quæ ad obtinendum virtutes iter se dirigit, quasi in luna lumine gressus ponit.*

IV. Certè Augustinus commemoratione vitæ B. Antonij, & alios, & se plurimùm profecisse testatur. Itaque exclamauit [i]: *Quid patimur? Quid est hoc? Quid*
i lib. 8. Conf. c. 8. *audisti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde ecce vbi volutamur in carne, & sanguine. An quia præcesserunt pudet sequi, & non pudet, nec saltem sequi?* Sanctas igitur mulieres imitandas proponit Petrus: vt enim ait Fulgentius [k],
k epist. 3. *Etiam coniugatas si fideles sint, non ambigit sanctas appellare. Nec Paulus à sanctificatione corporis, & spiritus coniugatas separat: sed hoc eas cogitare dicit, vbi earum cogitationem ampliùs teneri cognoscit. Quis enim nesciat sanctam virginum cogitationem magis ad spiritualia recurrere, & sanctarum coniugatarum cogitationem magis coniugali necessitati seruire?*

V. Commendat quidē Petrus sanctas fœminas, quòd internum animi ornatum studiosè quæsierint; nec tamen propterea negat eas etiam externo corporis cultu modestè fuisse ornatas: nam præter Rebeccam, de qua suprà dixi, Noëmi mulier & pia, & prudens nurum suam Ruth, sponsum ambientem monet his verbis [l]:
l Ruth. 3. 3. *Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimentis.* Et Ieremias [m]: *Nunquid, ait, obliuiscetur virgo*
m cap. 2. 32. *ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ?* Indicans extra culpam eiusmodi ornamenta vsurpari consueuisse. Denique Ioannes in Apocalypsi [a], cœlestem Ierusalem tanquam sponsam describit ornatam
a cap. 21. viro suo.

VI. Sed præcipuè proculdubio mulieres illæ sanctæ animi ornatum, hoc est, virtutes, & cœlestia bona sectabantur. ob id ait Petrus *sperantes in Deo*: spes enim quæ est Theologica virtus, tametsi diuina beneficentia, ac liberalitate potissimùm nititur, virtutum tamen, ac laudabilium actionum studium, non penitus negligit. Nam alioqui impudens quædam atque inanis expectatio fuerit, temeraria denique confidentia, quā non minùs stultè, quàm impiè hæretici prædicāt.

Laudabiliter igitur sanctæ mulieres sperabant, & strenuè sese in pietatis studio exercebāt: quod Iudith, & Esther exemplo intelligi facilè potest. Eodem refero, quod mox subdit Petrus: *Ornabant se subiectæ propriis viris*, indicans hoc etiam ad internum fœminarum ornatum pertinere, & virorum imperio subesse. Qua de re ita præcipit alicubi Augustinus [b],
b lib. 50. hom. 49. c. 4. *in cæteris omnibus ancillæ estote virorum vestrorum subditæ ad obsequium, nulla sit in vobis proteruitas, nulla superbia, non contumeliosa ceruix, non aliqua inobedientia, prorsus tanquam ancillæ seruite.* Et aliquantò pòst. Quatenus fœmina viro subiiciatur his verbis ostendit: *Aurum tuum vēdit maritus pro necessitate sua, ferte fœmina, ferte ancilla: noli litigare, noli contra dicere. contemptus auri tui dilectus est viri tui. Si villam tuam pro necessitate sua vendat quæ est & tua: non enim potest esse eius, quæ non sit tua. si est caritas in te, quæ debet esse in vxore, ferte patienter, & si dubitas, tu offer, contemne omnia, propter amorem viri tui. sed castitatem opta, pro castitate litiga; patienter pereat villa tua: non anima ipsius te patiente pereat.*

VII. Et quidem propterea voluit Deus ex viri corpore fœminam fingere, vt illa intelligat, se à viro pendere, eique obnoxiam esse; rectè tamen idem Augustinus monet fœminas in vsu cōiugij viris prorsus esse æquales: vt enim Paulus [c] ait:
c 1. ad Cor. 7. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* In cæteris autem vniuersim
d 1. ad Cor. 14. 34. scripsit Paulus [d] legis auctoritate mulieres subditas esse. Et alibi [e],
e ad Eph. 5. 24. *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Denique [f] silentium illis
f 1. ad Tim. 2. 11. imperat, *cum omni subiectione.*

VIII. Porrò mulieris officia paucis expressit Clemens [g] Alexandrinus,
g lib. 3. pædag. c. 11. *Res, inquit, est pulcherrima, mulier domus custos, quæ & se, & maritum propriis ornamentis induit, per quæ omnes exultant: filij quidem propter matrem, maritus propter vxorem, ipsa propter eos, omnes autem, propter Deum. Vt paucis igitur dicam, virtutis penus est fortis mulier.* Aliquantò autem pòst, adolescentulæ imaginem Zenonis Cittiæi verbis ita effingit. *Sit, inquit, pura facies, supercilium non demissum, nec oculus sublimis, neque fractus, ceruix minimè supina, nec remissa membra corporis, sed erecta, & similis et recto tono, qui est in tonis, sit in sermone acumen, & bona eorum, quæ dicta fuerint memoria, & comprehensio, habitúsque, & motus, qui nullam spem præbeat impudicis. Resideat quidem in vultu pudor, & viraginem aspectu præseferat. Procul autem absit caligo, myropolarum, aurificum, lanificum, cæterarúmque officinarum, in quibus ornatu meretricio ornatæ tanquam sedentes in prostibulo totum diem transigunt.*

6. *Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem.*

I. Quod modò vniuersim dixerat, sanctas fœminas imitandas, singulari exemplo Saræ confirmat. Et

quoniam

quoniam sanctas fœminas eo potissimùm nomine commendauerat, quòd viris suis subiectæ essent, id præcipuè in Sara enituisse docet. *Sicut*, inquit, *Sara obediebat Abrahæ*. quæ non modò illum patriam deserentem, & in alienis regionibus peregrinantem sequebatur, sed ita illi dicto audiens erat, vt se [a] sororem ipsius esse, eo præcipiente, non negauerit: quæ caussa fuit, vt à Pharaone Ægypti Rege abduceretur à viro non quidem ad stuprum, sed vt solemni ritu Regium coniugium iniret. Ambigi autem potest, num id ad Saræ laudē pertineat, cùm ad tuendā viri vitam, suam periculo pudicitiam exposuisse videatur.

a Gen. 12. & 20.

II. Non me præterit Augustinum [b], cùm historiam quandam recensuisset, quæ Antiochiæ imperante Constantino sub Acindino præside contigerat, non leuiter dubitasse, num pro salute viri eo consentiente liceat fœminæ alteri viro se commiscere, cùm id citra illius iniuriam ad Christianam pietatem aliquo pacto pertinere videri possit. Sed proculdubio licèt vir consentiat, nunquam vxori licet alteri quam suo legitimo coniugi sui copiam facere. Qua igitur ratione cum laude potuit Sara in tam aperto adulterij periculo Abrahæ obtemperare?

b lib. 1. de serm. Dom. in mon. c. 16.

III. Absit enim, vt cum Fausto Manichæo, & impio Caluino sanctissimum Patriarcham in lenocinij suspicionem vocemus; quasi infamissimum, vt loquebatur Faustus matrimonij nundinatorem. Illud autem ante omnia statuendum est omnino duriusculè locutos esse Tertullianum [c], Ambrosium [d], Chrysostomum [e], qui vel Saram se contumeliæ, atque adulterio obiecisse, vel etiam fuisse pollutam non obscurè indicant, aut indicare certè videntur: alia enim omnia docet Augustinus [f], qui ab ea mendacium, & vetrum, ac proprium in mœchiam consensum abfuisse affirmat, cum tam Abraham, quam Sara sese suáque omnia diuinæ prouidentiæ commiserint; & consuetudo gentis, vt Hieronymus [g], & Augustinus [h] testantur, factum prohibuerit: nam apud illas nationes non nisi post longum tempus, multiplices vnctiones, & mundi muliebris apparatus ad thalamum præsertim regium vxores admittebātur. Interea Pharao conatus sui non leues pœnas dedit, reique veritate comperta Saram Abrahæ intactā, atque illæsam, & vt ait Augustinus cum honore restituit. Meritò igitur Chrysostomus [i] Saræ obedientiam, & in virum suum caritatem miris laudibus extollit.

c de cul. fœm. c. 2.
d lib. 1. de Abrah. c. 2.
e Hom. 32. in Gen.
f Quæst. 26. in Gen. lib. 16. de ciuit. c. 19. lib. 22. cōtra Faust. à c. 33 vsque ad 36.
g in tradit. Hebr. in Genes.
h Quæst. 26. in Gen.
i Hom. 31. in Gen.

IV. Addit verò Petrus, *Dominum eum vocans*. Etenim vir in familia speciem quandam principatus præfert sed paterno quodam, ac moderato dominandi genere cæteris omnibus præest. Ita verò loquuta est Sara, cum audiuit [k], se fore matrem, *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Cæterum vt in præsentia monet Oecumenius, vt adhortationi maiorem vim, & auctoritatem addat, fideles fœminas Saræ filias appellat, *Cuius*, inquit, *estis filiæ*, vel ex fide ait Oecumenius, vel etiam ex genere. necesse est enim, vt filiæ matres suas imitentur. nam vt auctor est Didymus, *Sicut quis faciens opus Abrahæ, & habens eius fidem, filius eius fit, ita bona facientes fideles fœminæ matrem habent Saram.* Hoc eodem argumentandi genere apud Ioannem [l] vsus est Christus, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et aliquanto post [m], *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Quomodo etiam loquitur Paulus, qui Abraham patrem circuncisionis vocat [n], *Non ijs tantum, qui sunt ex circuncisione, sed & ijs qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.* Et ad Galatas ait [o], *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.* Vniuersim enim Scriptura sacra parentes eos vocare solet, quorum quis actiones imitatur.

k Gen. 18. 12.
l cap. 8. 39.
m vers. 44.
n ad Rom. 4. 12.
o cap. 4. 31.

V. Quamobrem Ezechiel [a], *Sicut mater, ita & filia eius, filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum, & filios suos.* Et mox; *mater vestra Cethæa & pater vester Amorrhæus*: reprehendit enim populi idololatriam. sic etiam Daniel cùm nefarios iudices argueret [b], *Semen*, inquit, *Chanaan & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.*

a cap. 16. 45.
b Dan. 13. 56.

VI. Subdit autem, *benefacientes*, hac enim ratione indicant Christianæ mulieres imitari se matrem suam Saram. Quod verò subnectit, *Et non pertimentes vllam perturbationem*; fœminarum constantiam, ac patientiam firmat, vt nullo pauore, nullis minis, aut virorum terriculamentis moueantur, sed viri mores æquo animo ferant, & eum siue blandiatur, siue minetur, & asperiùs agat, tanquam dominum, & patremfamilias & agnoscant, & venerentur. Oecumenius tamen hæc refert ad virorum domesticas exactiones; quippe cùm verisimile sit viros interdum sumptuum domesticorum rationes ab vxoribus seueriùs exigere. Vox porrò Græca *ptoesis* quæ in præsentia legitur, auctore præsertim Aristotele [c] libidinis ardorem, ac vehementiam significare potest, quasi dicat Petrus, nihil esse metuendum, ne mutuæ caritatis officia inter virum, & vxorem impotentis libidinis æstum, atque impetum acriùs inflamment: sperandum enim esse, quod post plures partus fœminis accidere scribit Aristoteles, vt cupiditatis ardor refrigescat, id diuina gratia fidelibus coniugibus largiatur.

c lib. 4. de gener. anim. c. 5.

VII. Vtraque explanatio Græcæ loquutioni congruit, sed prior illa simplicior, hæc posterior magis videtur arguta, illa adhortantis est, hæc confirmantis, atque in spem erigentis propria. Hunc locum obseruauit alicubi Ambrosius [d]: *Bona, inquit, coniux, virum suum dominum vocat, sicut Sara obediebat Abrahæ dicebat Petrus Apostolus dominum eum vocans. Bona inquam coniux non solum vocat virum suum dominum, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales, instrumenta emptionis suæ deputat. Est ergo ancilla dans opera ancillis.* Alludit enim ad priscā consuetudinem, qua vxores coëmptione comparabantur: vt enim obseruauit Boëtius, coëmptio certis solemnitatibus peragebatur: *Et sese in coëmendo inuicem interrogabant, Vir ita, an sibi mulier materfamilias esse vellet, illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet, ille respondebat, velle.* Itaque mulier in viri conueniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem, & erat mulier materfamilias viro loco filiæ. Ad quem morem allusisse videtur Virgilius cùm dicit [e]:

Téque sibi generum Thetys emat omnibus vndis.

Quo loco Seruius *ad antiquum*, ait, *nuptiarum pertinet ritum, quo se maritus, & vxor inuicem emebant.* Eodémque modo loquitur Isidorus [f], *Antiquus*, inquit, *nuptiarum ritus erat, quo se maritus & vxor inuicem emebant, ne videretur vxor, sicut ancilla.*

d in caput 31. Prouerb. c. 3. in fine.
e 1. Georg.
f lib. 9 Etymol. c. 24.

7. *Viri similiter habitantes secundùm scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ.*

I. Virorum in re domestica partes explicat, quippe vir, vt ait Aristoteles, in familia similis est Principi, qui reip. præest. Verùm quoniam in eadem familia spectanda est vxor, educandi liberi, serui alendi, & inter hos omnes pax, & tranquillitas conseruanda est, in præsentia Petrus non omnia patrisfamilias officia enumerat, sed ea tantùm proponit, quæ vxori debentur. Ait igitur, *Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri*

A *impertientes honorem.* quibus verbis tria, ni fallor, continentur præcepta, primum quidem, vt viri vnà cum vxoribus habitent, deinde vt omnia prudenter agant, postremò vt vxores honore afficiant. Primum illud ipsa coniugij natura postulare videtur: dixit enim olim Deus [a], *non est bonum hominem esse solum.* Et aliquantò pòst [b], *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

a Gen. 2. 18.
b vers. 24.

II. Idemque insinuare visus est Christus Dominus apud Matthæum [c], *Omnis,* inquit, *qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Quamobrem dixit Aristoteles [d], *Viro, & vxori secundum naturam amicitia videtur inesse: homines enim coniugium subeunt non solum procreationis, sed earum etiam gratia quæ ad ipsam conferunt vitam: officia namque continuò sunt diuisa. atque alia viri, alia sunt vxoris; opem* B *itaque sibi mutuò ferunt res proprias in commune ponentes,* cuius sententiam cum Theologis probat D. Thomas [e], nec malè verba illa Geneseos, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ,* explicat D. Thomas [f], quasi significent, viro vnà cum coniuge habitandum esse: & quidem meritò cùm ex Augustini [g] sententia, quam sequitur B. Gregorius [h], cæterique omnes Theologi, magno consensu complectuntur, integra maneāt iura cōiugij, etiam si coniuges mutuo consensu liberis non dent operam. & profectò, vt Aristoteles loco indicato non obscurè significat, mutua coniugum officia, suapte natura postulant, vt vnà viuant. Et vir quidem res externas, fœmina autem domesticas curet.

c cap. 5. 32.
d lib. 8. Eth. c. 12.
e 8. Eth. lect. 12. idem Abulen. Matt. 19. q. 45.
f ad Ephes. 5 lect. 10. sic Abul. Matt. 19. q. 21.
g ep. 199.
h lib. 9. reg. ep. 39.

III. Quocirca dixit idem Aristoteles [i] viri, & vxoris C societatem similem esse optimatum potestati. virum enim ea ius, quæ ipsum decent, præesse, cætera, quæ vxori magis congruunt, ei permittere: nam si omnibus ipse in rebus dominetur, oligarchiam, & quidem præter dignitatem imitabitur. quapropter argutè obseruauit Augustinus ex viri latere procreatam esse fœminam, vt eam quasi sociam non penitus subiectam à Deo sibi traditam intelligeret. Hoc ipsum filiorum educatio penè necessariò postulat: quandiu enim filij infantes sunt, maternam curam & sollicitudinem exigunt, vbi verò pueritiam, aut etiam adolescentiam attigerint paternum prouidentia, consilioque ad optima quæque studia promouendi sunt.

i 8. Eth. c. 10.

IV. Sapienter enim alicubi scripsit Seneca [k], *aliter pa-* D *tres aliter matres filiis indulgere. illi excitari iubent liberos ad studia obeunda mature; feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt; at matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare.* Ne igitur tenera puerorum ætas ignauia, socordiaque torpescat, paterna vigilantia conari debet vt honestis, atque laudabilibus studiis informetur: pulchrè enim, vt ait Plutarchus [l], monuit Phocylides Poëta:

k lib. quare bonis viris mala accidant, cùm sit prouidentia, cap. .
l de liberis educ.

Dum tener est gnatus generosos instrue mores.

Et sapienter dixit Gregorius Nazianzenus puerilem ætatem non aliter ac plantam recèns natam, vtramque in partem facilè flecti: quamobrem rectè monet Petrus, dum ait, *Viri similiter cohabitantes,* vox autem *similiter,* respicit superiora, quasi dicat hactenus E fœminis præcepta dedi. Eadem nunc ratio postulat, vt quæ sint virorum officia explicemus.

V. Alterum porrò viri munus est, vt quia prudentia, ac sapientia præstat, vxorem quasi consilij inopem, suis præceptis, ac monitis in officio contineat: id autem significat Petrus, cum ait, *secundum scientiam.* Indicat enim non quocunque modo vnà cum vxore illi viuendū esse, sed ita vt se prudentiæ sapientiæque magistrum vxori, vniuersæque familiæ præbeat. Pertinet autem ad viri prudentiam, vt in vxoris vitia, quæ A corrigi, emendarique possunt, prudenter, leniterque castiget, leuiora quædam, quæ vtcunque tolerari possunt, partim dissimulet, partim æquo animo ferat, id suo exemplo docuit Dauid, qui Michol vxoris suæ arrogantiam, vt scriptum est in libris Regum [a], modesta oratione coarguit. *Ante Dominum,* inquit, *qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populum Domini in Israel. & ludam, & vilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Illa siquidem arroganti supercilio, non sine ironia Dauidem salientem, atque exultantem his verbis vellicat: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur* B *vnus de scurris.*

a lib. 2. c. 6.

VI. Eodem referri potest Iobi [b] sanctissimi viri prudens increpatio: cùm enim vxor simplicitatem illi exprobraret, eumque ad execrationē impelleret, *quasi vna,* inquit, *de stultis mulieribus locuta es.* Nam Tobias [c] quidem vxoris iracundiam prudenter dissimulauit, quæ sibi identidem, spem vanam, & eleemosynarum iactationem obiiciebat. Quamobrem sapienter dixit Chrysostomus [d]; *Mulier si proba fuerit adiutrix tibi est. quid igitur si non fuerit commoda? Fac illam commodam. An non fuerunt vxores bonæ simul ac malæ? Ne haberes excusationem. qualis erat illa Iob? sed Sara erat bona. ostendam tibi mulierem & malam, & improbam, neque tamen nocuit viro. vxor Iob praua erat, & improba: suasit illi, vt blasphemias proferret. Quid igitur? labefactauit* C *turrim? deiecit adamantem? superauit petram? depulit militem? comminuit scapham? eradicauit arborem? Nihil horum: sed illa impellebat, & arbor reddebatur stabilior; illa fluctus excitabat, at nauis non submergebatur, sed secundo nauigabat vento: fructus enim decerpebantur, & arbor commota non est: folia deciderunt, & radix mansit immota. Hæc loquor, ne quis excuset vxoris improbitatem, mala est, corrige eam.*

b cap. 2. 10.
c cap. 2. in fine.
d Hom. 4. de verb. Isaiæ.

VII. Ad hanc viri sapientiam pertinet, vt intelligant vxores sibi diligendas, & ferendas esse, & idcirco Basilius [e], *Vos,* inquit, *ô viri, coniuges vestras diligite, & si locis longinquis semoti in coniugij societatem conuenistis, naturæ vinculum legibus, ac benedictione obstrictum, vnio, ac iugum distantium esto.* Cumque exemplo viperæ, murenæque marinæ docuisset, asperos, ac ferinos D viri mores vxori tolerandos, de viris continuò subdit, *Audiat & ipse vir accommodatam, sibique decentem admonitionem, vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit, tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem, ob coniunctionis reuerentiam non deponis?*

e Hom. 7. in Exam.

VIII. Tertium porrò viri officium explicat Petrus, cùm ait. *Quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem.* Superiora ait Oecumenius viri sapientiam monent, *vt quoniam fœminarum leuitatem, temeritatem, atque imbecillitatem probè norit, mitem se illi, ac placabilem exhibeat, neque domesticarum rerum, quæ ipsi in fidem credita sunt, nimis seueram, aut accuratam rationem exigat.* Hæc verò ad vsum coniugij referenda esse. Cùm enim Paulus dixisset orationis tantùm studio ab vsu coniugij recedendum esse. *Hic vero* ait Oecumenius, E *aliquid sanctius, atque honestius præcipit. Idcirco enim sapientiam & prudentiam viro tribuit, quæ probè intelligit, muliebrem sexum ad voluptatem proniorem esse, monet, ne viri cum obiurgatione, & vehementi austeritate ab vxoribus abstineant, sed primùm ipsis, vtpote infirmioribus, indulgenter vtantur, deinde cum quadam reuerentia persuadeant, vt huiusmodi abstinentiam admittant. hoc enim id est, reuerentiam, & rationem, quam habere de vxoribus viri debent, significat, cùm ait, impertientes honorem. nisi enim honor aliquis alicui exhibeatur, tunc reuerentia & ratio haberi nulla consueuit.*

Hanc

IX. Hanc autem suam sententiam Oecumenius ex eo confirmat, quod mox subuecit Petrus, *vt non impediantur orationes vestræ.* Eodem spectasse videtur Hieronymus [a], cùm enim hæc Petri verba protulisset, *Ecce,* inquit, *eodem sensu, quia eodem & spiritu impediri dicit orationes officio coniugali. quod autem ait similiter, idcirco ad imitationem prouocat viros, quia iam suprà vxoribus præceperat.* & allatis Petri verbis, quæ suprà explicuimus subdit, *Cernis quale coniugium inter viros, vxoresque præcipiat? Cohabitantes iuxta scientiam, vt nouerint quid velit, quid desideret Deus, vt tribuant honorem vasculo muliebri. Si abstinemus nos a coitu, honorem tribuimus vxoribus. si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam.* Et paucis interiectis. *O vere,* inquit, *digna vox Apostolo, & petra Christi. Maritis vxoribusque dat legem, & damnato carnis ornatu castitatem prædicat, ornatum interioris hominis in corruptione mitis, & silentis spiritus, quodam modo hoc dicens, quoniam exterior vester homo corruptus est, & beatitudinem incorruptionis, quæ propriè virginum est, habere desiistis, imitamini incorruptionem spiritus, saltem per seram abstinentiam, & quod corpore non potestis, mente præstate. has enim Christus diuitias, & hos vestræ coniunctionis quærit ornatus.*

a lib. 1. contra Iouinianum longè à princ.

X. Eum verò iisdem propemodum verbis secutus est Beda. Itaque vt apparet, Hieronymus hæc Petri præcepta, siue quæ ad fœminas, siue quæ ad viros pertinent, ad castitatis commendationem refert. Sed hoc interest inter Oecumenij, ac Hieronymi sententiam, quod Oecumenius honorem, qui vxori debetur, positum putat in quadam humanitate, lenitatéque qua vxoris consensus impetratur ad vsum coniugij intermittendum. Hieronymus verò ipsam à concubitu cessationem, honorem, congressum verò cum vxore, contumeliam vocat: quod acerbius quidem dicitur, sed contra integritatis, & continentiæ hostem vtcumque tolerandum videtur. Quod si negem hanc Apostoli explanationem probabilitate carere, nihil planè videam, cum vel sola Hieronymi auctoritas eam possit statuere.

XI. Simpliciùs tamen hoc Apostolicum præceptum de honore accipi potest, quo vxores tamquam ad Dei imaginem conditæ, & ad sobolem procreandam, & rem domesticam administrandam concessæ, à viris prosequendæ sunt. propterea enim subdit Petrus, *tamquam coheredibus gratiæ vitæ.* quasi dicat; tametsi muliebre ingenium mutabile est, ac leue, vxores tamen non solùm propter connubij vinculum, sed etiam quia eiusdem sunt gratiæ, & caritatis participes, cæterorúmque diuinorum honorum capaces, honore dignæ censendæ sunt. Etenim cum honor virtuti debeatur, piæ, ac religiosæ fœminæ, nonnullo honore cohonestandæ sunt, quod significare visus est Paulus [b], cum vxores diligendas esse dixit, sicut Christus dilexit Ecclesiam, qui adeò cælestibus muneribus eam locupletauit; vt se ipsum pro illa tradiderit, *vt illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata; ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua; qui suam vxorem diligit, se ipsum diligit.*

b ad Ephes. 5. 25.

XII. Non temerè autem dixit Petrus; *Quasi infirmiori vasculo muliebri;* indicans propterea eas facilius indignari si se contemni, aut nihili fieri animaduertant. Ita videtur hunc locum accepisse Ambrosius [c], *Mulier,* inquit, *prior decepta est, & virum ipsa decepit. vnde Apostolus Petrus subiectas fortiori vasi mulieres sanctas viris suis velut dominis obedire memorauit. illa quæ adiumento facta est viro, præsidio viri indiget, quia vir caput est mulieris, ille autem qui adiumentum vxoris habiturum*

c lib. de paradis. cap. 4.

A *se credebat, lapsus est per vxorem. vnde nemo debet facilè alteri se credere, nisi cuius virtutem probarit, nec arrogare sibi, quasi se pro auxilio putanit ascitum. Sed magis si inuenerit fortiorem, cui se putabat esse præsidio, ab ipso gratiam mutuetur, sicut & viros mulieribus honorem impertire præcipit.* Gratiam porrò vitæ vocauit Petrus cælestem Christi gratiam, quæ ducit ad vitam, estque immortalis vitæ quasi semen, aut radix.

XIII. Addit ad extremum, *vt non impediantur orationes vestræ.* His verbis permotus Hieronymus [a], honorem de quo paulò antè diximus, de vsu coniugij accipit, vt idem hoc loco dicat Petrus quod ad Corinthios scribit Paulus [b], & vt dixi, id probabilitate non caret, si tamen absolutè honorem, qui vxori de-
B beatur, intelligamus, non immeritò Petrus hæc verba adiicit: nam si vxor contemni se animaduertat, honoréque sibi debito spoliari, vt sunt fœminæ ad iracundiam propensæ, facile indignabitur, & contra virum commouebitur. ita fiet vt precandi studium magnopere languescat, & vtilitatis sit penitus expers. Videri enim posset Petrus respexisse ad Christi verba [c]; *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

a lib. 1. in Iouin.
b 1. ad Cor. 7.
c Matth. 5. 23

XIV. Indicat quippe iram, atque indignationem animo retentam, orationi magnum afferre impedimentum: Verè namque scripsit Sapiens [d], *Homo homini reseruat iram, & a Deo quærit medelam? In hominem similem si-*
C *bi non habet misericordiam & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo?* Nec dubium est fœminarum iram admodum esse impotentem. idem enim Sapiens ait [e], *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni, & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Et in eandem sententiam Salomon [f], *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa, & iracunda.* Et alibi [g]: *Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi.*

d Eccles. 28. 3.
e Eccli. 25. 22.
f Prou. 21. 19
g Prouer. 25. 24.

XV. Sexcenta id genus alia tam apud sacros, quàm prophanos auctores reperias, quæ perspicuè doceant magnam fœminarum habendam esse rationem, eorúmque honori atque existimationi consulendum inprimis, ne iusta indignatione commotæ cœlum,
D terramque misceant; Quamobrem Chrysostomus [h] præposteram quorundam patrumfamilias sollicitudinem acriter accusans, *Vxoris, ait, liberorum, & famulorum nullam curam habemus, sed alia pro aliis, quasi temulenti, solliciti cogitamus. quomodo scilicet plures famulos comparabimus, quomodo liberis amplas hæreditates relinquemus, quomodo vxor ornatu aureo potiatur, nullam nostra sed rerum nostrarum curam habemus, & vobis obliuiscimur, & quæ vestra sunt, recordamur. De liberis non prouidemus, & quæ liberorum sunt, amplificare, atque augere studemus. Itaque iis similes sumus, qui cum malè materiatam, ac ruinosam videant domum, ipsam quidem restituere negligunt, amplos ei hortos in circuitu præparant; aut illis, qui quamuis morbo conficiantur cura tamen valetudinis neglecta, aureas sibi vestes con-*
E *texunt.* Plura deinceps de liberis educandis præcepta tradit.

h Hom. 60. in Matth.

XVI. Quæ cùm ita sint, hoc Apostolicum præceptum ad domesticam pacem, & tranquillitatem tuendam promouendamque referri potest, quæ proculdubio à fœminis maximè pendet, quæ rebus domesticis cum quadam dignitate præesse maximè cupiunt. Id exemplo mulieris fortis confirmat Lamuel [i], *Confidit,* inquit, *in ea cor viri sui,* hoc est, multum illi tribuit, amplam illi in re domestica permittit potestatem. idcirco subdit, *Et spoliis non indigebit, reddet ei bonum, &*

i Prou. 31. 10

non

non malum omnibus diebus vitæ suæ; deinceps autem A
miram quandam matronæ industriam, ac sollicitudi-
nem describit.

8. *In fine autem omnes vnanimes, compatientes, frater-
nitatis amatores, misericordes, modesti, hu-
miles.*]

I. Quæ deinceps sequuntur vniuersim ad omnes
spectant, siue illi viri sint, siue fœminæ, siue cælibes,
siue connubio iuncti. In fine autem inquit Græcè,
τὸ δὲ τέλος, quasi dicat in summa, aut ad extremum.
quanquam olim nonnulli codices habebant; *in fide
autem vnanimes*; sed Græcos codices sequutus est
Syrus. *Finis verò*, ait, *vt sitis, &c.* Idémque significat,
quod Latinus interpres, quasi dicat Apostolus: Quid B
opus est singulas virorum fœminarúmve vel ætates,
vel conditiones percurrere, & sua cuique priuatim
præcepta tradere? Id quidem operosum, ac plerisque
fortasse molestum videretur: breuiter igitur, atque
vniuersim cunctis auctor sum, vt sint vnanimes. Græ-
cè, ὁμόφρονες, quasi dicat eiusdem sententiæ, atque con-
silij. Est enim, vt ait Oecumenius, *consensio quædam,
& concordia circa aliquid cum studio sine controuersia.*

II. Et profectò meritò à Seneca [a] Marcus Agrippa
a ep.95. commendatur, qui dicere solebat, *multùm se huic de-
bere sententiæ: nam concordia paruæ res crescunt, discordia
maximæ dilabuntur.* Hac se aiebat & fratrem, & ami-
cum, & optimum factum. Et omnino sapienter
b In politic. monet Plutarchus [b], viro ciuili hoc inprimis curan-
dum esse, *vt rebus administrationi ciuium subiectis, ita C
vtatur, vt amicitia, & consensus inter ciues conciliari con-
tentiones, & inimicitiæ tolli penitus videantur. Et quod in
amicorum dissidiis vsu venit, qui se priorem iniuria affe-
ctum putat, eum priorem quoque adeat, atque oratione sole-
ris, ostendásque se secum vnà dolere, & iniuriam æquè fer-
re. his iactis fundamentis mœrorem lenire incipito, homi-
némque docere, non eos commendari solitos, qui aliis inin-
riam intulerint, sed qui illatam iniuriam animo æquo, vel
certè forti tulisse videntur; hi enim non modò mansuetudi-
ne, & morum facilitate, verùm quoque prudentia, & ani-
mi magnitudine præstant, propterea quod paruis rebus ce-
dentes, maximis, ac pulcherrimis obtinent, & eminent.*

III. Quò pertinet illud Isæi Sophistæ, qui Lacedæ-
moniis periclitantibus, ac de ciuitate mœnibus cin-
genda deliberantibus, Homericum carmen reci- D
tauit:

Scutum hasit scuto, galea galea, atque viro vir.

Et adiecit: *Sic mihi state Lacedæmonij, & muris cincti
sumus.* Itémque illud Sciluri, qui cum octoginta li-
beros genuisset, moriturus, iaculorum fasciculum sin-
gulis porrexit, iussitque perfringere, quod cùm sin-
guli recusassent, quòd esset eiusmodi quod fieri nul-
la ratione posset, ipse singula iacula exemit, faciléque
omnia confregit, filios his verbis monens, *Si concor-
des eritis, validi, inuictique permanebitis, contrà si dissi-
diis, & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugna-
tu faciles.* Hoc idem præcipit Paulus Apostolus, cùm
c cap.12.16. ad Romanos [c] ait, *Idipsum inuicem sentientes.* Et ad E
d cap.2.2. Philippenses [d], *Implete gaudium meum, vt idem sapia-
tis eandem caritatem habentes vnanimes, idipsum sentien-
e ep.1.c.1.10. tes.* Denique ad Corinthios [e], *Sitis autem perfecti in
eodem sensu, & eadem sententia.* Cur autem hæc vna-
nimitas tantoperè expetenda sit, indicat idem Pau-
f cap.15.5. lus cùm ad Romanos [f] ait, *Deus autem patientiæ, &
solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum
Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum
& Patrem Domini nostri Iesu Christi.*

IV. Quòd si libeat vnà cum Beda, & aliis, pro, *In fine*,
legere, *in fide vnanimes*, adhortabitur Petrus ad ean-
g cap.4.32. dem fidei vnitatem retinendam, quam in Actis [g]

Apostolicis paucissimis verbis, primo illo Apostolico
æuo describit Lucas. *Multitudinis*, inquit, *credentium
erat cor vnum, & anima vna*; ita reiiciendas monet
Petrus argutulas, & subtiles disputationes, quæ fidei
dogmata in dubitationem adducunt; quo nomine
malè olim audiuit [a], Iulianus apostata, qui pro eth- a Greg.Na-
nicis aduersùs Christianam fidem disputare con- zianz.orat.
sueuerat. aduer. Iulia.

Est autem fides prorsus vna, neque vllam admit-
tit varietatem. Ita enim dixit Paulus [b], *Vnus Domi-* b ad Ephes.
nus, vna fides, vnum baptisma. Et Irenæus de fidei 4.5.
vnitate hunc in modum scripsit [c], *Hanc prædicatio-* c lib.1.cap.3.
*nem cùm acceperit, & hanc fidem quemadmodum prædixi-
mus, Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum dissemi-
nata diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans,
& similiter credit iis videlicet, quasi vnam animam ha-
bens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, hæc docet,
& tradit quasi vnum possidens os.* Et percurrens dein-
de omnes penè mundi regiones, ostendit eandem
vbique fidem retineri.

Idémque multis docet Cyprianus [d], *Ecclesia quo-* V.
que, inquit, *vna est, quæ in multitudinem latiùs incre-* d De vnit.
mento fœcunditatis extenditur, quomodo Solis multi ra- Eccles.
*dij, sed lumen vnum; & rami arboris multi, sed robur
vnum tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte vno riui
plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exun-
dantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine.
Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non
capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non
poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic &
Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos
porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur,
nec vnitas corporis separatur. ramos suos in vniuersam
terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter ri-
uos latius expandit, vnum tamen caput est, & origo vna,
& vna mater fœcunditatis successibus copiosa.*

Plura deinceps ad eandem vnitatem spectantia VI.
subdit, quibus mirè consentiunt, quæ de eodem ar-
gumento aduersùs Petilianum scribit Augustinus [e]. e lib.de vnit.
Monet igitur Petrus, vt eandem fidei vnitatem stu- Eccles.
diosè retineant. Quo spectat etiam quod ad Corin-
thios [f] scribit Paulus, *Obsecro autem vos, fratres, per* f ep.1.c.1.10.
*nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis om-
nes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in
eodem sensu, & in eadem sententia.* Neque enim Chri-
stiana fides, opinionum, aut sententiarum varietatem
admittit, cùm Dei verbo, diuinaque auctoritate ni-
tatur, quæ cùm eadem semper sit, nec fallere, aut de-
cipi queat, eandem semper veritatem prædicat.

Fateor tamen in permultis, quæ fide non con- VII.
stant, nonnullam esse opinandi licentiam, modò fi-
dei dogmata semper eadem, & penitus intacta per-
seuerent. Quo argumento mirificè Christiana fides
confirmatur, vt ex Epistola Dionysij Alexandrini ad
Nouatum, probat Eusebius [g]. Et Hilarius [h] vnam g lib. 6. hi-
ait esse naturam fidei. Huic explanationi magno- stor.cap.35.
perè fauet vox Græca ὁμόφρονες, quasi dicat; *Idem* h lib.1. de
sentientes, aut sapientes, vt non tam de voluntate quàm Trinit.
de mentis actione accipias. Adeò vt vna, atque ea-
dem fuerit veterum Patrum cum nostra fides. *Vna
enim*, inquit Leo Pontifex [i], *fides iustificat vniuersorum* i Serm. 14.
temporum Sanctos, & ad eandem spem fidelium pertinet de Pass.
*quicquid per mediatorem Dei, & hominum, Iesum Chri-
stum, vel nos confitemur factum, vel Patres nostri optauère
faciendum.* Et Gregorius [k] in eandem sententiam, k Hom. 17.
Osanna, inquit, *Latina lingua salua nos dicitur; ab ipso* in Ezech.
*enim Christo salutem & priores quæsierunt, & præsentes
quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini con-
fitentur: quorum vna spes, vna fides est præcedentium, at-
que sequentium populorum, quem priores nostri ex Iudai-
co populo crediderunt, atque amauerunt venturum, hunc*

nos

nos & venisse credimus, & amamus.

VIII. Et in eandem sententiam Augustinus [a]. *Itaque, ait, à patribus dispensatio suscepta carnis futura credebatur, sicut à nobis facta creditur, tempora variata sunt, non fides.* Et alibi [b], *Ante aduentum Domini præcesserunt iusti, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit; tempora variata sunt non fides, quia & ipsa verba pro tempore variantur, cum variè declinantur. Alium sonum habet, venturus est, alium sonum habet, venit. Mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadem tamen fides vtrosque coniungit, & eos, qui venturum esse, & eos, qui eum venisse crediderunt.* Paulò autem pòst. *Vt scias autem quod vna sit fides, audi dicentem Paulum [c], Habentes eundem spiritum fidei, & nos credimus.*

[a psal. 50. — b Tract. 45. in Ioan. — c 2. ad Cor. 4.]

IX. Eodem pertinent & illa eiusdem Augustini [d], *A Ioanne* inquit, *baptista & deinceps cœperunt de Christo fieri præterita, vel præsentia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis iustis credebantur, sperabantur, desiderabantur futura. Eadem igitur fides & in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt antè Christiani, & in istis, qui non solùm sunt, verùm etiam vocantur, & in vtrisque eadem gratia per Spiritum sanctum.* Nihil igitur admittendum præcipit Petrus, quod vnitati, simplicitatique fidei repugnet.

[d lib. 3. cont. duas epp. Pelag. c. 4.]

X. Addit, *Compatientes*. Græcè, συμπαθεῖς, hoc ait Oecumenius, ad eos referri, qui mali aliquid patiuntur, cùm videlicet ita afficimur animo, quasi nos iisdem malis premeremur. Hoc exemplo humani corporis, & membrorum explicat Paulus, cùm ad Corinthios [e] scribit, *Et si quid*, inquit, *patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Quo loco multa eleganter scribit Chrysostomus [f], Tum subdit, *Hæc ergo omnes cogitantes imitemur horum membrorum dilectionem, neque contraria faciamus insultantes malis proximi, & proximi bonis inuidentes: Hoc est enim furentium, & eorum, qui sunt emota mentis.*

[e epist. 1. cap. 12. 26. — f Hom. 31. in 1. ad Cor.]

XI. Et quod magis miere, idipsum vniuersim de cunctis mortalibus affirmat Seneca [g]. *Omne hoc*, inquit, *quod vides, quo diuina, ac humana conclusa sunt, vnum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem, & in eadem gigneret. hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit. illa æquum, iustumque composuit. ex illius constitutione miserius est nocere, quàm lædi. ex illius imperio paratæ sunt iuuantis manus.* Et vt redeam ad nostros, sapienter Augustinus [h], *Ecce*, inquit, *spinam calcat pes. quid tam longè ab oculis, quàm pes? longè est loco, proximus caritatis affectu. modicum pungit spina, & perparuum locum tenet in pede. vide quomodo illuc conuertuntur omnia membra. primo ipsa spina dorsi inclinat se, & deponunt se omnia membra. nunquid oculi cessant quærere? Nunquid aures cessant audire? Fortè alij, qui vident, vbi sit, dicunt, Ecce ibi est. Statim hoc audiunt aures, & sequuntur consilium: ibi & oculi quærunt, & manus operantur, & vt dixi totum corpus illuc incuruatur, & nihil vacat in homine ad subueniendum; & solum in pede factum est vulnus, & totum quod est in homine, operatur. Numquid omnia puncta sunt? Attendite. Nunquid omnia dolent? Sana est manus, sani sunt oculi, sanum est caput, sana alia membra. ipse pes sanus est, ibi tantum dolet, vbi punctus est. Non est ergo communis calamitas omnibus, sed per compassionem caritatis, omnia veniunt ad subueniendum, & omnia volunt succurrere.*

[g epist. 96. — h lib. 50. Homil. Homil. 15. si tamen is censendus est auctor.]

XII. Eadem propemodum scribit Chrysostomus [i], vnde vt paulò antè dixi, colligit eandem caritatis rationem inter fideles retinendam esse quod vtcunque præstabat olim Iob [k] cuius sunt illa propemodum aurea verba, *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Contrà verò quosdam iure reprehendit Amos [a], qui cùm bonis omnibus affluerent, & voluptatibus indulgerent; *nihil*, ait, *patiebantur super contritione Ioseph.* Paulus autem Hebræos [b] his verbis monet: *Mementote vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes.*

[i Hom. 32. in 1. ad Cor. — k Iob 30. 25. — a cap. 6. 6. — b cap. 13. 3.]

XIII. Rectè autem Gregorius [c] hunc animi affectum describit. *Quamuis vera compassio, ait, est compassionis proximi ex largitate concurrere, nonnunquam tamen cum exteriora quæq; abundè ad largiendum suppetunt, celerius dantis manus dationem inuenit, quàm animus dolorem. vnde scire necesse est, quia ille perfectè tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit, vt priùs in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat.* Et post nonnulla: *Exteriora etenim largiens rem extra semetipsum præbuit, qui autem fletum, & compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit. Idcirco autem plus compassionem, quàm datum dicimus, quia rem quamlibet plerumque dat etiam, qui non compatitur: nunquam autem qui verè compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat.*

[c li. 26. Mor. cap. 26.]

XIV. *Fraternitatis amatores.* Græcè, φιλάδελφοι, hoc est, fratrum amatores, qui, vt ait Oecumenius, proximos, quasi fratres amore, ac beneuolentia complectuntur, quod præcipuè quidem fideles spectat, qui priuato quodam iure, vt aliàs dixi, fratres vocantur. Ita enim apud Matthæum [d] ait Christus, *Omnes autem vos fratres estis.* Et mox, *Vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Sed naturæ quodam iure ad omnes mortales etiam infideles pertinet, qui eiusdem naturæ, & mortalitatis participes sunt, atque adeo fraterna caritate complectendi.

[d cap. 23. 9.]

XV. Quò videntur spectare, quæ alicubi scribit Seneca [e], *In commune viuitur; non potest quisquam beatè degere, qui se tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit; alteri viuas oportet, si vis tibi viuere.* Quod autem attinet ad hanc mutuam, & fraternam caritatem, illud verissimè ab Isidoro dictum est, *qui à fraterna dilectione secernitur, à diuina participatione priuatur.* Quin etiam Christus ipse [f], *Mandatum*, ait, *nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

[e epist. 48. — f Ioan. 13. 34.]

XVI. Certè Maximus [g], *Maior*, inquit, *est fraternitas Christi, quàm sanguinis: sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas, vnanimitatem cordis, animæq; demonstrat, sicut scriptum est [h], Erat credentium cor vnum, & anima vna. Veri ergo frater ille est, qui tam corpore, quàm vnanimitate germanus est. verus inquam frater est, cuius idem spiritus, & voluntas in fratre est. Melior est igitur fraternitate sanguinis fraternitas Christi, quoniam interdum illa sibi inimica est, Christi autem fraternitas, sine intermissione pacifica est, illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc etiam cum gratulatione communicat. illa in consortio sæpe despicit germanum, hæc assumit frequenter alienum.*

[g Sermone quodam, qui est 9. inter Serm. Ambr. — h Actor. 4.]

XVII. Certè si propriæ vtilitatis habenda ratio sit, hæc fraterna dilectio, & mutua caritas incredibilia propemodum commoda parit: *Reputa enim*, inquit Chrysostomus [i], *Si in hominum animis caritas regnet, quanta nobis sit allatura bona. Non legibus, non forensi strepitu, non pœnis, non suppliciis, non re vlla huiusmodi fuerit opus; nam si mutua caritate se omnes complecterentur, quis sit iniuriæ locus? Pugnæ, bella, cædes, seditiones, rapinæ, fraudes, & mala protinus omnia eliminarentur.*

[i Hom. 32. in 1. ad Cor.]

XVIII. Porrò Sapiens [k] tria potissimùm ait Deo immortali maximè probari, *In tribus*, inquit, *placitum est*

[k Eccle. 25. 1.]

spiritui

spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum & vir, & mulier sibi bene consentientes. quamquam enim ille de fratribus loquitur, qui ab eodem parente geniti sunt, amor tamen proximorum, quem mox subiicit, hanc profectò fraternam caritatem complectitur, quam in præsentia commendat Petrus. Et cùm Salomon [a] sex ait hominum genera Deo esse exosa, & postremo loco eos nominat, *qui seminant inter fratres discordias:* eos profectò intelligit, qui obtrectationibus, aut pravis consiliis inter eos dissidia, & contentiones seminant, qui inter se tamquam fratres viuunt, aut viuere certè debent, quod vitium in seditiosis hominibus maximè reperitur, qui inter ciues dissensiones serunt, itémque in hæreticis, & schismaticis, qui pacem Ecclesiæ violant, denique in iis omnibus, qui fidelium, & religiosorum cœtus in sectas, & factiones scindunt, cum tamen omnes tamquam fratres vnum atque eundem Patrem Deum innocent. Itaque apud eundem Salomonem multa leguntur, quæ apertè indicant, quantoperè hoc genus hominum Deo sit exosum.

a Prou.6.16.

XIX. Addit ad superiora; *Misericordes.* est autem misericordia, vt ait Oecumenius, *motio animæ benefaciendi, & opem ferendi erga congeneres.* Augustinus [b] autem; *Quid est autem*, inquit, *misericordia nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua vtique si possimus subuenire compellimur? Seruit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, vt iustitia conseruetur, siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur pœnitenti. Hanc Cicero loquutor egregius non dubitauit appellare virtutem. sic enim ille* [c] *Cæsarem alloquens ait, Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est.* Respicit enim misericordia alterius malum, vt docet Aristoteles [d], si præsertim malum fortuitum sit, & qui patitur, eo videatur indignus.

b li.9.de ciuit.c.5. c Orat. pro Qu. Ligar. d li.2.Rhet. cap 8.

XX. Rectè autem misericordia fraternæ dilectioni subiicitur: refertur enim maximè vt Aristoteles [e] ait, ad eos, qui nobis sunt amicitia, & beneuolentia coniuncti, aut iure sanguinis connexi [f]. Fateor quidem vt obseruauit Augustinus misericordiam à Stoicis inter vitia numerari. quamobrem Seneca [g], *Misericordia*, inquit, *est vitium pusilli animi ad speciem alienorum malorum succidentis. itaque pessimo cuique familiarissima est: anus, & mulierculæ sunt, quæ lacrymis nocentissimorum mouentur, quæ si liceret, carcerem effringerent.*

e lib.9.Eth. cap.3. f lib.2.Rhet. cap.3. g lib. 2. de Clem.cap.5.

XXI. Sed vt arbitror illi non aliam misericordiam agnouisse videntur, præter eam, quæ est in sensu, quæque ægritudo est, & inter animi morbos numeratur. Itaque eodem loco subdit Seneca, *Misericordia est ægritudo animi ob alienarum miseriarum speciem, aut tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit*, ac propterea aliquanto post [h] subdit; *Misericordia vicina est miseriæ: habet enim aliquid, trahitque ex ea.* Et paucis interiectis. *Misericordia vitium est animorum nimis miseriæ fauentium.* Nam alioqui vt testatur Augustinus [i], *Liber Epicteti nobilissimi Stoici ex decretis Zenonis, & Chrysippi, qui huius sectæ primas partes habuerunt, docet Stoicos huiusmodi animi motiones in animis sapientium admittere, quem vitiis omnibus liberum esse volunt. Vnde*, vt ait Augustinus, *fit consequens, vt hæc ipsa non putent vitia, quando sapienti sic accidunt, vt contra virtutem mentis, rationemque nihil possint. & vna fit eademque sententia Peripateticorum, vel etiam Platonicorum, & ipsorum Stoicorum, sed vt ait Tullius* [k], *verbi controuersia iam diu torquet Græculos contentionis cupidiores, quàm veritatis.*

h cap.6. i lib.9 de ciuit.cap.5. k lib.1. de Orat.

XXII. Sed vt vt sit, inest in animo rationis participe motus quidam ei persimilis, qui in appetitu sentiente excitantur, qui cum auctore Augustino subesse, ac parere possit rationi, meritò à Theologis [a] inter virtutes recensetur, atque adeo etiam ipsi Deo tribuitur. Quocirca Ambrosius [b], *Omnis*, inquit, *summa disciplinæ Christianæ in misericordia, & pietate est.* Quantopere autem hæc virtus Deo placeat, docet Oseas [c] his planè verbis, *Misericordiam volui, & non sacrificium.* quam sententiam non semel iterauit Christus Dominus [d]; meritóque ait Augustinus [e], *vbi scriptum est, Misericordiam magis volo, quam sacrificium, nihil aliud quàm sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi, quoniam illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij.*

a D.Th.2.2. q.30 art.3. b 1.ad Tim.4. c cap.6.6. d Matt.c.9.13.& cap 12.7. e lib. 10.de ciuit.c.5.

XXIII. Porrò autem misericordia verum sacrificium est, si tamen propter Deum exerceatur. Nam vt idem Augustinus non ita multo post subiicit [f], *ipsa misericordia, qua homini subuenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium.* Certè Christus Dominus, quanti misericordia facienda sit, apud Matthæum [g] docuit, cum dixit, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* multóque magis, cum extremi iudicij speciem quandam, ac veluti formam describens [h], misericordiæ potissimum, ac beneficentiæ habendam esse rationem significauit. Et Salomon [i] eodem spectans dixit, *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur. de panibus enim suis dedit pauperi. victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera.* Meritò itaque misericordiam commendat Petrus, cùm præsertim Iacobus [k] dicat, *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

f cap.6. g cap 5. h Matth.25. i Prou.22.9. k cap 2. 13.

XXIV. *Modesti.* In Græcis codicibus, qui nunc habentur in manibus nihil legitur, quod huic voci respondeat; Oecumenij tamen interpres, pro modestis, habet *benigni.* Syriacus Græcos videtur secutus. Vero tamen simillimum est, volgatum interpretem Græcè legisse vel ἐπιεικεῖς, vel μέτριοι, vel σώφρονες, vel κόσμιοι, vel denique quidpiam simile: refertur enim modestia etiam ad alios, cum quibus nobis versandum est, vt nihil agamus, nihil dicamus, quod aliis meritò displiceat.

Quò ni fallor, spectant illa, quæ scribit Seneca [l], *Ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint, asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita. Satis ipsum nomen Philosophiæ etiamsi modestè tractetur, inuidiosum est. quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere? Intus omnia dissimilia sint. frons nostra populo conueniat, non splendeat toga, ne sordeat quidem. Non habeamus argentum, in quod solidi auri cælatura descenderit: sed non putemus frugalitatis indicium auro, argentóque caruisse. Id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quam vulgus, non vt contrariam, alioqui, quos emendari volumus, fugamus, & à nobis auertimus.* Et multa deinceps persequitur, quibus modestia & comparatur, & exercetur.

l ep.5.

XXV. Hanc credo modestiam exigit Paulus, cum ad Philippenses scribit [m], *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et ad Colossenses [n], *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt.* Pertinent autem ad modestiam plurima, quæ commemorat Plutarchus [o]. Frugi namque moderatúsque vir non insolens, nō nimium sui amans, nemini in ciuitate oneri esse potest, nulli acerbus, & grauis, nulli infestus erit. Salutationes admittet, & blandè reddet. natura quodam modo communis, & adire se affarique volentibus facilis, cuius domus neque obserata, neque occlusa, sed patens est omnibus, quò se quisque velut à tempestate, & fluctibus in portum tutum recipere queat, nusquam vlli molestus occurrit, nemini importunus, non longo seruorum, & comitum agmine insolens,

m cap.4.5. n cap.4.5. o In Politic.

non

non delitiis, & nimio sumptu insignis, non se cæteris præferri cupiens, sed æquus, & lenis, moribus, veste, victu, familiæ cultu ad modestiam, & humanitatem compositus, vt facilè hominem agnoscas, qui se vnum de cœtu ciuium, & esse cognoscat, & haberi ex animo cupiat.

XXVI. Possis etiam modestiam ad externã dumtaxat corporis conformationẽ referre, vt nihil in eo appareat, quod in aliorum oculos & reprehensionem incurrat, quam tanquam rem pulcherrimam apud Gregorium [a] Nazianzenum maximè coluit Beatiss. Virgo.

a In trag. Christ. patiente.

(Contenta, inquit,) *præceptore Christo, quem mei*
Nunc ipsius doctorem habeo mihi satis
Edocta, quàm res pulchra sit modestia.
Et quam reportet veram vbique gloriam.

XXVII. Quod si libeat hæc subtiliùs Theologorum more enucleare, modestiã, vt ait D. Thomas [b], ita cum temperantia confertur, vt liberalitas cum magnificentia: quemadmodũ enim magnificentia magnos pecuniarũ sumptus ad honestatem reuocat, liberalitas verò mediocres; non aliter temperantia impotentes, atque efferatas cupiditates, modestia verò leuiores, ac faciliores coërcet. Quocirca eodem D. Thoma [c] auctore, quatuor modestiæ partes numerantur; humilitas contra superbiam, studiositas aduersus curiositatem, modestia, quæ in rebus, factisque consistit; denique modestia, quæ in externo cultu versatur. Cæterum de humilitate confestim agendum erit cum Petro Apostolo; de studiositate verò nihil est in præsentia dicendum, ne extra chorum ludere videamur modestia verò, quæ in factis, dictisve posita est, quam Græci εὐταξίαν vocant in præsenti ab Apostolo Petro præcipitur, & auctore Ambrosio [d] apud Latinos à modo nostris moribus imponendo numen accepit.

b 2.2.qu 60. art.5.
c 2.2.q.161. in princ.
d lib.1.Off. cap.18.

XXVIII. Ea à Stoicis apud Marc. Tullium definitur *earum rerum scientia, quæ aguntur, aut dicuntur, loco suo collocandarum.* Posita est autem in corporis motu, gestuque, cæterisque actionibus, quæ sub sensum cadunt. itaque M. Tullius [e] *Ex oculorum*, inquit, *obtutu superciliorum aut contractione, aut remissione ex mæstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, & contentione vocis, ex submissione, ex cæteris similibus facilè iudicabimus, quid aptè eorum fiat, quid ab officio, naturaque discrepet.* In his enim omnibus certa quædam ratio personæ, loco, ac tempori congruens constituenda est: nam vt idem M. Tullius ait, præsertim ex Stoicorum sententia ad modestiam pertinet, vt omnia suis locis, temporibusque agantur, atque ideirco ait [f], *tanta vis est & temporis & loci, vt si quis cum caussam sit acturus in itinere, aut in ambulatione secum ipse meditetur, non reprehendatur. At hoc idem si in conuiuio faciat, inhumanus videatur inscientia temporis.*

e lib.1.Off.
f 1.Offic.

XXIX. Nec minor personarum habenda ratio est; *hoc est enim*, inquit Ambrosius [g], *pulchritudinem viuendi tenere conuenientia cuique sexui, & personæ reddere.* Porrò in ingressu moderando, quæ sint modestiæ partes, docet luculenter Ambrosius [h], *Est etiam*, ait, *gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen si studium desit, atque affectatio, sed motus sit purus, ac simplex (nihil enim fucatum placet) motum natura informet. Si quid sanè in natura vitij est industria emendet, vt ars desit, non desit correctio.*

g l.1.Off.c.19
h l.1.Off.c.18

XXX. De voce autem idem Ambrosius hæc præcepta tradit [i]. *Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil fœmineum sonans, quale multi grauitatis specie simulare consueuerunt, sed formam quandam, & regulam, ac succum virilem reseruans* Et aliquanto post, *vt mollicculum, & infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem, ac rusticum. Naturam*

i l.1.Off.c.19

A *imitemur. eius effigies formula disciplinæ, forma honestatis est.* Idem verò docet [a] qualis tum in priuatis sermonibus tum in côncione debeat esse oratio. *In vtroque*, inquit, *seruandum, ne sit aliqua perturbatio, sed tamquam mitis, & placidus, beneuolentiæ plenus, & gratiæ, sine vlla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio.* Et post nonnulla; *Disceptatio sine ira, suauitas sine amaritudine, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione.* Nonnullis autem interiectis concionantis orationem describit. *Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena grauitatis, & ponderis non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.*

a 1.Off.c.22

XXXI. Hæc nimirum quæ extrinsecus cernuntur, quæ sit animi constitutio, non obscurè indicant. Verè enim B scripsit Sapiens [b], *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de eo.* Et Salomon [c], *In facie prudentis lucet sapientia.* Certè Gregorius [d] Nazianzenus, vt ipsemet testatur ex voltu & habitu latentem in Iuliano improbitatem deprehendit, ita vt multò antea quàm ille se proderet vir sanctus exclamauit, *O quale malum Romanorum respubl. alit.*

b Eccli. 19. 26.
c Prou.17.24
d Orat.2.in Iulian.

XXXII. Eandemque ob caussam dixit Ambrosius [e], *habitus mentis in corporis statu cernitur: hinc homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contrà grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur.* Itaque vox quædam est animi corporis motus. In iocis porrò facetiisque illud ob- C seruandum est quod monet M. Tullius [f], *vt ludo, & ioco, & somno, & quiete vtamur tum videlicet cùm grauibus, seriisque rebus satisfecerimus: Duplex autem*, ait, *iocandi genus esse, alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum.* Cauendum autem ait Ambrosius [g], *ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, & quasi concentum quendam bonorum operum.* Et M. Tullius [h], *Ipsum*, inquit, *genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum, & facetum esse debet.* Denique ad modestiam pertinet externi cultus moderatio, de quo suprà nonnulla diximus.

e lib.1.Offi. cap.18.
f 1.Offic.
g lib.1 Offi. cap.20
h 1.Offic.

XXXIII. *Humiles.* Græcè φιλόφρονες. itaque alij interpretantur affabiles. Certè Oecumenius humilitatem D hoc loco agnoscit, eamque definit, *cum quis opprobrio affici ferre, agnoscere peccatum, accusationes sustinere*, quæ ἀγνωμοσύνη etiam dici potest, id est modestia, quasi agnoscentiam dixeris. Nec dubium est, vt paulò antè ex D. Thoma docui, humilitatem modestiæ subiici tamquam eius partem. Est enim humilitas, vt ait Bernardus [i], virtus, *qua quis ex verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit*, atque adeo se nihili facit, bonis omnibus, diuinisque muneribus indignum iudicat, humanas laudes, externique honoris testificationes recusat. nam vt ait idem Bernardus [k] *ad lumen veritatis constituens se ipsum, & sine dissimulatione inspicit, & sine palpatione diiudicat*, atque ideirco, vt idem E alibi [l] affirmat, *verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnat.*

i lib. de grad humil. in princ.
k Serm.42. Cantic.
l Serm.16. Cantic.

XXXIV. Itaque cum se magni fieri, vel honore affici animaduertit, ægrè fert, ac dolet, seque omnibus tãquam inferiorem subiicit, & infima quæque semper amplectitur. Potest autem hæc virtus, vt rectè idem obseruauit [m], in mente tantùm, atque intelligendi facultate côsistere, quæ virtus rudis est, & inchoata. *Pondus*, inquit ille, *& pondus abominatio est apud Deũ. Quid enim? tu te depretiaris in secreto apud te ipsam veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretij mentiens maiori te pendere vendit nobis, quam ab ipsa accepisti? Time Deum.*

m Serm.42. Cant.

D d

& noli

& noli bene sentiens pessimam facere, vt quem humilias veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum. Sed vt idem ait, hæc humilitas, *quam nobis veritas parit, non habet calorem*: necesse est autem vt appetendi facultatem, & voluntatem afficiat, atque adeo caritate formetur, & inflammetur.

XXXV. Hanc credo egregiam humilitatis virtutem mirificè explicat Gregorius [a]; cum enim ageret de paruulo Dauide, qui patris oues pascebat, *Meritò*, inquit, *paruulus iste dicitur oues pascere, quia electus quisque humilis est, & sterilis non est, quia quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. meritò ergo non solum paruulus, sed pastor asseritur, quia qui verè humiles sunt à foris se deiiciunt, sed per internam societatem in summos, & æternis pascuis immorantur: Nam scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

a lib. 6. in 1. Reg cap. 3.

Hanc igitur virtutem fidelibus commendat Petrus, quoniam vt ait Augustinus [b], *nunc in ciuitate Dei, & ciuitati Dei in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in eius Rege, qui est Christus, maximè prædicatur* [c]. Basilius enim humilitatem virtutum omniũ θησαυροφυλάκιον vocat, in quo virtutes tutò reconduntur, & conseruantur. Et Bernardus [d] bonum quoddam, ac stabile fundamentum. Neque aliter sensit Augustinus [e], *Cogitas*, ait, *magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis*. Et paulò post, *Hoc in te fode fundamentum humilitatis, & peruenies ad fastigium caritatis.*

b lib. 14. de ciuit. c. 13.
c De consti. Monastic. cap. 17.
d lib. 5. de cõsid. in fin.
e Serm. 10. de verb. Do.

XXXVI. Hac potissimum virtute, vt Beatus olim Antonius dicere consueuerat, omnes diaboli laqueos facilè euadimus. Et vt ait Augustinus ad excipienda Dei munera apti, atque idonei reddimur. *Confluit*, inquit [f], *aqua ad humilitatem vallis, denatat de tumoribus collis*: quo pertinere possunt verba illa Dauidis [g], *Inter medium montium pertransibunt aquæ*. Denique hæc vna virtus ad se Deum quodammodo trahit, ita enim apertè docet Augustinus [h], *Videte magnum miraculum. Altus est Deus, erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te. Quare hoc, quia excelsus Dominus, & humilia respicit, vt attollat, alta, id est superba de longè cognoscit, vt deprimat.*

f Serm. 27. de verb. Do.
g psal. 103. 10.
h Serm. 157. de temp.

XXXVII. Quocirca alibi [i] hanc ait virtutem, eas maximè decere, quæ virginalem profitentur sanctitatem. siquidem illæ curare debent, vt in se requiescat Spiritus sanctus. tum subdit, *Quomodo autem requiescit vbi non inuenit locum suum? Quid autem aliud, quam cor humiliatum quod impleat, non vnde resiliat; quod erigat, non quod deprimat, cum apertissime dictum sit* [k], *Super quem requiescit Spiritus meus? nisi super humilem, & quietum, & trementem verba mea.*

i lib. de sãct. Virginit. ca. 39.
k Isaiæ 66. 2.

XXXVIII. Itaque Petrus hanc singularem virtutem maximè exigit à fidelibus memor Christum olim eam potissimum commendasse cum dixit [l], *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ac propterea dixit Augustinus humilitatem esse virtutẽ Christianæ scholæ propriam. Eodem spectat Pauli Apostoli consilium, qui ad Philippenses [m] scribit, *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo humiliauit semetipsum*, & quæ deinceps sequuntur.

l Matth. 11. 29.
m cap 2. 5.

9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.*]

I. Superiora ad ornandũ, perpoliendũmque animum referuntur. siquidem præcipua Christianæ vitæ præcepta continent. Quæ in præsentia subduntur ex iis suapte natura cõsequi videntur. Qui enim rectè animo constitutus fuerit, præcipuéque fraternam caritatem, misericordiam, modestiã, humilitatemq; coluerit, haud grauatè perficiet, quæ hoc loco præcipiuntur. *Non reddentes*, inquit, *malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Prohibet enim vltionem, ne quis, retaliãdo, par pari referat, quod apertissimè præcipit Paulus, cum ad Romanos [a] scribit, *Non vosmetipsos defendentes, carissimi*, Græcè, ἐκδικοῦντες, hoc est vlciscentes. *sed date locum iræ. scriptum est enim, Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Et Sapiens [b], *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit.* Hæc enim omnia indicant neminipriuatim licere suas vlcisci iniurias, & malũ pro malo reddere. nam alioqui vindicatio, si publica auctoritate nitatur, ad iustitiam, quam vocant vindicatiuam, pertinet. illa enim virtus spectat compensationẽ iniuriæ, siue vt damnum resarciatur, siue vt rectus in republica ordo conseruetur, siue vt læso satisfiat, siue denique vt pax, & tranquillitas conseruetur.

a cap. 12. 19.
b Eccli. 28. 1.

II. Cæterum priuatas iniurias vlcisci, & odio aduersus inimicum, atque iracundia concitari; non modo cum lege Euangelica, sed etiam cum recta ratione pugnat: nam sapienter dixit Seneca [c], virum bonum quicquid illi acciderit, æquo animo sustinere, quod sciat id accidisse diuina lege, qua vniuersa procedunt. Mitto Stoicorum nimiam rigiditatem, qui vt alicubi ait Seneca [d] ne posse quidem in sapientem iniuriam cadere affirmabant. Christiana virtus iniurias quidem, & contumelias admittit, sed æquo, libentique animo tolerat, quinetiam tamquam Dei beneficia complectitur.

c epist. 75.
d lib. 2. de Clem. cap. 3. & 4.

III. Sic olim mitissimus Dauid [e] cum probra, & contumelias ab impuro nescio quo in se iactari animaduerteret, non modo par pari non retulit, quod facilè potuisset, sed suos ab vltione cohibuit, addens, *Dimitte eum, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid, & quis est, qui audeat dicere, Quare sic fecerit?* Et rectè Chrysologus [f], *Vult Christus*, ait, *nos vitia non repensare vitiis, sed superare virtutibus, & in ipsis seminibus extinguere iram, ira lenitate vincitur, & mansuetudine extinguitur, furor, impatientia, punitur patientia.* Et Chrysostomus [g], *Nihil ita lædentes coercet, vt patientia, modestiáque læsorum.* Rursus, *Non extinguitur ignis igne, sed aqua; sic iniuria, & ira non extinguitur iniuria talione, sed mansuetudine, humilitate, beneficiis.* Et in eandem sententiam Augustinus [h], *Hoc*, inquit, *fit, vt vincatur bono malum, id est in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur à malo non exteriore, & alieno, sed intimo, ac suo, quo grauius & perniciosius, quam quiuis hostes extrinsecus immanitate vastatur.*

e 2. Reg 16. 10.
f Serm. 38.
g Hom. 48. in Matth.
h epist. 5.

IV. Isidorus porrò Pelusiota [i] acutè dixit inimicitiam in aqua scribendam esse, vt quamprimùm oblitteretur: contrà verò amicitiam incidendam esse in æs, vt perpetuò firma conseruetur. Pythagoras autem, vt scribit Clemens Alexandrinus [k], *Ollam ab igne sublatam præcipit non relinquere figuram in cinere, sed eam confundere, & quæ surgunt è subiis, conturbare stragula: tacitè enim significabat non solum delendum esse factum, & superbiam, sed ne ira quidem relinquendum esse vestigium. Cùm autem ebullire cessauerit, eam esse componendam, & omnem esse delendam iniuriæ memoriam.*

i ep. 45. 1. ad Eustath.
k li. 5. Stromat.

V. Non igitur mirum, si Petrus præcipiat nulli malum pro malo reddendum esse, cum, vt ait Chrysostomus [l], plerique Philosophorum, & Gentilium idem sibi necessariò faciendum existimarint. Nam, vt ait alicubi Seneca [m], *notissima vox est eius, qui in cultu Regum consenuerat, cum illum quidam interrogaret quomodo rarissimam rem in aula consequutus esset*

l Homi 17. in Matth.
m lib. 2. de ira cap. 33.

esset sene lutem; *Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.*

VI. *Neque maledictum pro maledicto.* Sapientis quippe vox illa est apud Senecam [a]; *Nullam mihi iniuriam facitis, sicut nec diis quidem hi, qui aras euertunt: sed malum propositum apparet, malúmque consilium etiam vbi nocere non potuit. Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum Iupiter Opt. Max. ineptias Poëtarum, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit, & abnoctantem, alius sæuum in Deos, alius iniquum in homines, alius raptorem ingenuorum, corruptorémque, & cognatorum quidem, alius parricidam, & regni alieni, paternique expugnatorem: quibus nihil aliud actum est, quam vt pudor hominibus peccandi demeretur; si tales Deos credidissent.*

a lib de vita beata. ca 26.

VII. Bene autem ad acuenda Christianorum studia plurimorum Gentilium exempla colligit Basilius [b], qui probra, & maledicta hilari animo pertulerunt. *Homo quidam,* inquit, *in foro Periclem probris omnibus incessebat: is autem minimè curare visus toto ferè die sustinuit, deinde vesperi iam discedentem cum lumine comitatus est.* Seneca [c] verò de Philippo Macedonum Rege; *Si qua,* inquit, *alia in Philippo virtus fuit, & contumeliarum patientia ingens instrumentum ad tutelam regni. Demochares ad illum, Parrhesiastes ob nimiam, & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat; audita benignè legatione Philippus; Dicite, inquit, mihi, facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum? Excepit Demochares, te, inquit, suspendere. Indignatio circunstantium ad tam inhumanum responsum exorta est, quos Philippus conticescere iussit, & Thersitem illum saluum, incolumémque dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus multò superbiores esse, qui ista dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt.* Multa deinde recenset de Augusto, de quo alibi [d] scribit; *Bonum Principem Augustum, & bene illi conuenisse fatemur ob nullam aliam caussam, quàm quod contumelias quoque suas quæ acerbiores Principibus solent esse, quam iniuriæ, nulla crudelitate exequebatur, quod probrosis in se dictis arrisit.*

b Orat. de legen. li. Gentil. quæ est 24.
c lib. 3. de ira cap. 23.
d lib. 2. de Clem. ca. 10.

VIII. Egregium verò einsdẽ Philippi Macedonis exemplum commemorat Plutarchus [e], *Archadion quidam,* inquit, *Philippo Macedonum Regi maledixerat: amici auctores erant, vt puniretur. at Rex cum occurrisset homini, cum eo est collocutus, & xenia, ac dona misit. Postea iussit amicos rogare, quomodo Archadion de se loqueretur. Cum verò testarentur cuncti eum iam mirum Philippi laudatorem esse factum; Ego igitur, inquit Rex, melior medicus sum, quàm vos.* Nihil itaque mirũ videri debet, si hæc à fidelibus exiguntur, cùm Gentiles sine fide, veráque religione similia præstiterint.

e lib. de cohibenda ira.

IX. Nam de viris sanctis siue ante aduentum Christi, siue post, rectè scripsit Hieronymus [f], *Multi præcepta Dei imbecillitate sua non Sanctorum viribus æstimantes putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos. Cæterùm diligere plus præcipi quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta quæ fecit Dauid in Saül, & in Absalon; Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis.* Quæ cùm ita sint, facilè quiuis intelliget, quanto in errore versentur ij, qui sibi turpe ducunt, nisi contumeliam, aut probrum vulnere, aut verbo vlciscantur. Et qui sibi fas esse existimant illatas iniurias hostili animo, & ferro, & armis persequi.

f Matth. 5. in fin.

X. Sed nimirum falsa Christianorum animos sententia occupauit, qua sibi persuadent turpe, atque inhonestum esse iniuriam pati, cùm vel ipso Aristotele teste nihil turpe agat, qui iniuriam patitur, sed omnis turpitudo, ac dedecus illi inhæreat, qui iniuriam facit. Nam quid quæso honorificentius, aut maiori laude dignum excogitari potest, quàm si quis diuinæ legi obsequentem se, & Christi legislatoris imitatorem exhibeat? Quis verò non animaduertat hanc inanem falsi honoris opinionem, nulla vel probabili ratione niti, & cum Christi lege ex aduerso pugnare? Quid enim quæso est honor? Certè si Aristoteli [a] credimus, iudicium est, ac veluti testimonium rectè, honestéque factorum. quis verò nisi amens, aut impius eum rectè facere existimabit, qui tam apertè diuinam legem violet? Sed quoniam hac de re alibi fusiùs disputaui, non adiiciam in præsentia plura.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

a li. 1. Rhet. cap. 1.

Sed è contrario benedicentes. Illa vitanda sunt; hoc omni studio, ac diligentia complectendum. Ita XI.
Christus apud Matthæum [b], *Diligite,* ait, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Eodem spectant quæ ad Romanos [c] scribit Paulus, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et alibi [d]; *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est, sectamini in inuicem, & in omnes.* Simile quiddã dixerat olim Salomon [e], *Ne dicas, reddam malum. Expecta Dominum, & liberabit te.* Et alibi [f]: *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* Denique Paulus hoc Apostolicũ præceptum mirũ in modum illustrat, cùm ait [g], *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius* quod totidem verbis dixerat olim Salomon [h].

b cap. 5. 44.
c ad Rom. 12. 21.
d 1. ad Thess. 5. 15.
e Prouer. 20. 22.
f Prou. 17. 13.
g ad Rom. 12. 20.
h Prou. 25. 21.

Neque verò censendum est id, vt nonnulli putant, contra naturam, cùm etiam Philosophi agnouerint, & frequenter docuerint iniurias æquo animo tolerandas, & inimicis benefaciendum. siquidem vt copiosè docet Plutarchus, plurimæ ab inimicis percipi possunt vtilitates: quinetiam Basilius maiora ab inimicis præstari nobis asserit beneficia, quàm ab amicis: Sic enim alicubi scribit [i]; *Verum quid est tandem, quod ab amico magnum adeo beneficium possit proficisci, quantum est illud, quod ab inimicis nobis datur? Quorum opera fit, vt beatitudinem illam assequamur; de qua loquens Dominus ait [k], Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersùm vos, mentientes, propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* XII.

i In Reg. breu. resp. 176.
k Matth. 5.

Et in eandem sententiam Augustinus, aut quicunque ex Augustino Sermonem [l] illum consarcinauit; *Plus diligendi sunt inimici, quàm amici: qui enim inimici sunt, corpori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia; quia qui carnalia nostra, & terrena rapiunt, cœlestia nobis, & spiritualia congregant. Nónne magis diligendus est, quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici verò carnis nostræ nobis suauia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem.* Nec quisquam audiendus est, qui se negat probra, & contumelias æquo animo ferre posse. est enim id ægri, atque imbecilli animi: nam, vt ait Plutarchus [m], animantia quædam sunt, quæ cùm stomacho plurimùm valeant, & corporibus sint saluberrimis, etiamsi serpentes, & scorpios edant, facilè tamen concoquunt, & sunt, quæ saxis etiam, & testis alantur; non aliter Christianorum animus omnia probra, atque conuicia ardore caritatis concoquat, necesse est. XIII.

l Serm. 59. de temp. in appẽd. Lou. 35. de diuers.
m De vtilit. cap. ab inim.

Quamobrem Augustinus [n], *Deus,* inquit, *dicit, quia potes inimicos diligere: tu è contrario respondes non posse: considera nunc vtrũ tibi, an Deo debeat credi.* Et aliquãtò post: *Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tanta, & tam delicata puellæ flammas, & ignes, & bestias æquanimiter* XIV.

n Serm. 61. de temp.

pertulerunt, & nos stultorum hominum conuiciis dicimus tolerare non posse? Vnde nescio qua fronte, vel qua conscientia, cum omnibus Sanctis partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.

XV. Quamobrem Ambrosius [a] eos, qui animi imbecillitatem obtendunt, quasi cōtumelias, & iniurias ferre non possint, ex hoc Apostoli loco his planè verbis erigit, & confirmat; cùmque attulisset verba Iob [b], *à flagello linguæ absconderis*; subdit, *si enim tu nulli putaueris derogandum, alienæ linguæ flagella non metues. Mirè autem sermones maledicorum expressit, dicendo, linguæ flagellum, cuius sonus latè resultet. A quo nos separare cupiens Petrus Apostolus monet, vt non reddamus malum pro malo, & maledictum pro maledicto, sed magis cùm maledicitur nobis, benedictione referamus gratiam.* Et paucis interiectis: *Bonum est quidem,* ait, *nullum si fieri potest, locum obtrectationi dare, sed quia plerique non vitiis, sed virtutibus derogant reprehendam, quod laudis est, non inuniant, quod erroris est.*

a In Adhor. ad Virg.
b cap.5.21.

XVI. *Quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.* hoc inquit, à vobis vocationis vestræ ratio postulat, ad hoc enim vocati estis, vt tanquam filij patrem vestrum cœlestem imitemini. Quod apertè significauit Christus Dominus, cùm apud Matthæū dixit, *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Et aliquantò pòst: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Itaque ait Petrus, nos in hoc esse vocatos, vt benedictionem hæreditate possideamus.

XVII. Et quidem multiplicem benedictionem spectandam nobis esse indicat Paulus, cùm ad Ephesios [c] scripsit, *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius.* Et primum quidem, qui inimicos diligunt, & benefaciunt iis, à quibus multa perpeti coguntur, & suis denique obtrectatoribus bene precantur; hoc assequuntur elogium, vt verè filij Dei appellentur, quod quanti faciendum sit, docet Ioannes [d], cùm ait, *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Et Paulus [e]: Quid filiis sperandum sit, his verbis docuit, *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt conglorificemur.*

c cap.1.3.
d ep.1 c.3.1
e ad Rom.8 17.

XVIII. Ipsa deinde patientia, rerúmque aduersariarū tolerantia, ingens quædam benedictio est: nam, vt egregiè obseruauit Chrysostomus [f], illa beatitudinum series, quæ apud Matthæum describitur, est veluti aurea quædam catena, in qua extremus anulus aureus, est patientia, & animi fortitudo, qua strenuè tolerantur aduersa. oportet enim cæteris virtutibus eum esse instructum, qui forti, constantique animo aduersa omnia sit toleraturus.

f Hom.15.in Matth.

XIX. *In hoc* igitur, ait Petrus, *vocati estis*, hoc est, vt ego interpretor, ad multa mala, atque incommoda perferenda: Vt enim olim Romanus nescio quis sapienter dixit, *agere, & pati fortia Romanum* esse; ita longè veriùs affirmare possumus, mala perpeti, & bene semper agere Christianum esse. Itaque apud Marcum [g] iis qui se sequuntur, omnibus relictis, centies tantùm pollicetur Christus, *in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam*; indicans nimirum rerum aduersarum tolerantiam egregium esse Dei munus, & singulare beneficium.

g cap.10.30.

XX. Quocirca Paulus [h] Philippensibus gratulatur quod illis donatum esset *pro Christo non solum, vt in eum crederent, sed vt etiam pro illo paterentur.* Et hic noster Petrus, vt suo loco ostendam, in rebus aduersis, & malorum perpessione gloriandum docet. Manet verò in alia vita omnium benedictionum apex, & fastigium, cum videlicet Iudex electos suos postremò vocabit iis planè verbis, quæ sunt apud Matthæum [a], *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

h ad Philip 1.29.
a cap.25.34.

XXI. Et mihi quidem valdè fit verisimile ad hanc potissimum benedictionem respexisse Petrum, quandoquidem ait, *vt benedictionem hæreditate possideatis.* Tunc enim verè iusti cœlestis benedictionis hæreditatem adibunt, cum iustitiæ coronam assequentur, quæ legitimè certantibus proposita est. Quamobrem cum dixisset Christus aduersa fortiter esse deuoranda [b], *Gaudete,* inquit, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*; Et Paulus [c]; *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

b Matth.5.12
c 2. ad Cor. 4.17.

10. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos; coërceat linguam suam à malo, & labia eius, ne loquantur dolum.*]

I. Quod paulò antè dixerat, *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Dauidis testimonio confirmat. Nolite, inquit, mirari si vos à maledicendi, obtrectandíque studio auocauerim. Id olim grauissimis verbis præceperat Dauid [d], *Quis est,* inquit, *homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum.* Ipsa igitur Dauidis verba vsurpans Petrus iis, qui sese à probris, & maledictis cohibent, ingens atque immortale præmium pollicetur. Vitam enim, & dies bonos nominat. re namque vera, & rectè ait Gregorius [e], hæc vita mortalis, quæ multis est obnoxia periculis, & innumerabilibus incommodis obsessa, mors est potiùs dicenda quàm vita: vbi enim primùm quis cœlum aspicit, & vitalem auram carpit, ad mortem pergere incipit.

d ps.33.13.
e.

II. Quamobrem præclarè omnino, ac sapienter dixit Seneca [f]: *Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere, id quoque quod tenetur per manus exit, & ipsam quam premimus horam casus incidit. Voluitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum.* Et mox: *Alibi latius mors est, quæ quoniam nunquam cogitatur, nisi aliena subinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla non desinimus, quàm dum miramur hausura.* Adde huius miseræ mortalitatis conditiones: Nam si cuncta ex æquo metienda sint, hoc ipsum exiguum vitæ spatium supplicium est, in hoc, vt ait Seneca [g], *profundum, inquietúmque proiecti mare alternis æstibus reciprocum, & modò allenans nos subitis incrementis, modò maioribus damnis deferens, assiduéque iactans, nunquam stabili consistimus loco, pendemus, & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus, nullus portus, nisi mortis est.*

f ep.102.
g lib.de cō-sol.cap.18.

III. At verò immortalis, ac sempiterna vita, quæ iustis in illo cœlesti domicilio proposita est, verè vita vitalis appellari potest: vt enim ait Ioannes [h]: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Et Isaias multò antea dixerat [i]: *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.* Neque his contentus ab ea cœlesti vita omnia prorsus mala amouet [k]. *Non esurient,* inquit, *neque sitient, & non percutiet eos æstus, & Sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* Quæ totidem fermè verbis iterans Ioannes [l], *vitæ fontes aquarum* nominat.

h Apoc.21.4
i cap.25.8.
k Isai.49.10
l Apoc.7.16

Nam

IV. Nam, vt ait Basilius[a]: *Nunc quidem in vita non sumus, sed in morte, idcirco optabat Paulus dicens: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Alia autem est quadam vita, ad quam hic nos Psalmus vocat.* Et alibi[b] ostendit veram vitam positam esse in expressione imaginis, ac similitudinis Dei, & vitiorum vacuitate, quæ deinceps vitæ nobis æternitatem largitur. Neque aliter sentit Augustinus[c]: explicans enim verba illa Christi apud Ioannem[d], *Qui audit verba mea, &c. habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transit à morte ad vitam.* Itemque illa; *Procedent in resurrectionem vitæ. Non enim, inquit, omnes viuent, ea scilicet vita, quæ quoniam beata est, sola vita dicenda est.*

a in Psal. 33. b in Serm. de inst. monast. c lib. 20. de ciuit. c. 6. d cap. 5.

V. Ad hanc igitur beatam vitam verbis Propheticis prouocat fideles in præsentia Petrus: alibi[e] verò hanc ærumnosam, & calamitosam vitam Quadragesimæ tempore significari docet. Futuram verò vitam tempore Paschali, quo diuinæ laudes maximè celebrantur, vt indicetur beatam illam vitam diuinis laudibus concinendis totam esse dicatam.

e Serm. 6. de diuers. c. 9.

VI. Addit: *Et dies videre bonos.* Quis porrò est, qui hoc audito non erigatur animo, & auidè hanc interrogationem excipiat? *Quis est*, inquit, *homo qui vult vitam, & cupit videre dies bonos?* Vtrumque, ait Chrysostomus[f], *desiderabile promissum ostendit.* Siquidem, vt ait Basilius[g], *Sæculi huius dies mali sunt, quoniam & hoc sæculum mundi, cum sit mensura, de quo dictum est, quod mundus totus in maligno sit positus, natura assimilatur mundi quem dimetitur. partes huius temporis sunt dies ipsi: propterea dicit Apostolus; Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Iacob item dies inquit annorum meorum pauci admodum, & mali sunt.* Aliquantò autem pòst: *Nunc quidem dies nostri mali sunt, quidam alij boni, quos nulla intercidit nox: erit enim Deus ipsorum lux perpetua, splendore inquam eos sua gloria illustrans; ne itaque cum bonos audieris dies, hanc vitam putes Prophetam polliceri: quos enim sol hic sensibilis peragit, decidui sunt, & dispereunt.*

f in Psal. 33. g in eundem Psal.

VII. Certè, vt Augustinus ait[h], si quis ita interrogaret, nemo profectò mortalium reperiretur, qui non optaret vitam, & non diligeret dies videre bonos. Nam quotidiano experimento cognoscimus, præsentia tempora volgò ab omnibus accusari, præterita laudari, quasi veteres illi meliores, ac fœliciores dies transegerint: Sed, vt idem Augustinus, ait, falsò. *Semper enim bonis mala fuère permixta, atque idcirco semper dies mali in sæculo, semper dies boni in Deo.* Non ergo quisquam in hac mortali vita dies bonos quærat, qui secus faxit, bonam rem quidem quærit, sed non in regione eius, illam quærit. Etenim si dies bonos vocemus eos, qui rebus molestis, & aduersis careant, ij à Christi imitatoribus contemnendi potiùs sunt, vt magistrum suum imitentur, qui tam multa acerba, & dura in hac mortali vita pertulit.

h Psal. 33.

VIII. Quòd si bonos dies eos quis vocet, qui diuitiis, honoribus, ac voluptatibus humanas cupiditates explent, falsò illi, vt ait Chrysostomus[i], dies boni nuncupantur[k]. *Quid enim*, ait Christus, *prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Bonos igitur dies eos nominat, de quibus alibi idem Propheta ait[l]: *Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* In illo siquidem beatorum cœtu vera vita erit, & dies verè boni, non solùm quia longissimè aberit mors, & ea omnia mala, quæ mortem præcurrunt, & eam quodam modo inferunt: sed etiam quia diuino conspectu beati bonis omnibus affluent, & vitam quandam penè diuinam viuent. hæc nimirum fidelibus proposita est: eò omnia studia referenda sunt: quandoquidem

i in Psal. 33. k Matth. 16. 26. l Psal. 83. 12.

A vita illa secura, tranquilla, pulchra, munda, absque interitu, sine perturbatione, mutationis, & varietatis expers, omnis elegantiæ, & dignitatis plenissima, denique beata est. Hoc itaque proposito præmio non dubitat Petrus ea subiicere, quæ eodem loco tanquam ad vitam assequendam necessaria à Propheta proponuntur.

IX. *Coërceat*, inquit, *linguam suam à malo, & labia eius, ne loquantur dolum.* Modò dixerat, *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*, nunc vniuersim cohibendam ait esse linguam à malo, & à dolo. Et quidem meritò, quandoquidem, vt ait Iacobus, omnia propemodum mala, vel inchoantur, vel perficiuntur, vel subornantur à lingua. Quam ob caussam dixit Salomon[a], *Mors, & vita in manu linguæ.* B Et alibi[b], *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* Et Sapiens[c], *Noli citatus esse in lingua tua.*

a Prou. 18. 21. b Prou. 21. 23. c Eccl. 4. 34.

X. Coërcenda est igitur lingua vniuersim quidem à malo. primùm à falso, *os enim, quod mentitur, occidit animam.* deinde à noxio, quo alienæ famæ detrahitur, postea ab otioso, cùm de verbis otiosis in extremo iudicij die reddenda ratio sit; postremò à dolo, *& labia*, inquit, *eius ne loquantur dolum.* quod est proprium assentatorum, & proditorum, quos sæpe grauissimis verbis perstringit Dauid[d], *Molliti*, inquit, *sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Alibi[e]: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Rursus[f]; *Exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent* C *in occultis immaculatum. subitò sagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt sibi sermonem nequam. Narrauerunt, vt absconderent laqueos; dixerunt, Quis videbit eos?* Itemque[g]: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.* Denique ne cuncta percurram[h]: *Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*

d Psal. 54. 22. e Psal. 27. 3. f Psal. 63. 4. g Psal. 139. 4. h Psal. 56. 5.

XI. Certè Apostolus adeò à malo frænandam linguam esse docuit, vt quædam ne nominanda quidem censuerit: sic enim ad Ephesios[i] scribit, *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Omnino autem cohibẽda lingua est à murmuratione, detractione, susurratione, mendacio, blasphemia, atque id genus aliis vitiis, vt alicubi sapienter monet Basilius[k]: *Abstine, inquit, &* D *linguam tuam ab illicitis verbis, omnem blasphemiam longè fac à te, nec superflui sermones procedant de ore tuo, quia & pro otiosis verbis in die iudicij reddituri sumus rationem. Nec ad maledicendum quempiam assuescat linguam tuam, quæ ad benedicendum, & ad laudandum Dominum creata est. De quibus ignoras rebus, in conuentu noli proferre sermonem: sed opportuna verba procedant à te, cùm opportunum tempus inueneris, vt audientibus cunctis gratiam præbeant. Ab omni vaniloquio tempera linguam tuam, ne quando qui audiunt horrescentes obturent aures suas, & sit tibi confusio coram omnibus.*

i cap. 5. 3. k in admon. ad fil. spirit. non proc. à fine.

XII. Porrò quantopere vitandus sit dolus, indicat Dauid[l], cùm ait, *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, iudica illos Deus.* Indicat enim diuinæ seueritati obnoxios esse, qui dolis proximum circumueniunt. E Et alibi[m], *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua; sicut nouacula acuta fecisti dolum. dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.* Mox verò diuinum subiicit supplicium. *Propterea, inquit, Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.*

l Psal. 5. 11. m Psal. 51. 4.

XIII. Nullus profectò finis sit, si cuncta colligenda sint, quæ de cohibenda lingua tum sacræ literæ, tum veteres Theologi tradiderunt. Nihil autem aptius dici

potuit, quàm quod Propheticis verbis ait in præsentia Petrus, ad immortalem, beatamque vitam & perennes illos dies assequendos; coërcendam linguam esse à malo, & vitandum esse dolum.

11. *Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.*]

I. Pergit Apostolus, idemque Dauidis testimonium persequitur. & quod de lingua propriè, ac priuatim dixerat, ad vniuersas humanæ vitæ actiones transfert. *Declinet*, inquit, *à malo, & faciat bonum*: his enim duabus partibus Christiana iustitia constat. Recedendum quippe est ab omni vitio, deinde complectendæ virtutes. illud est declinare à malo, hoc autem facere bonum. Eam ob caussam apud Isaiam [a] præcipit Dominus in hæc verba; *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè.* Hæc enim omnia ad priorem illam iustitiæ partem spectant, quæ auocat à malo: mox verò de bono complectendo subdit, *Discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Neque enim satis est vitia vitare, nisi quis virtutes complectatur: Verè enim dixit apud Matthæum Ioannes præcursor [b], *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et alibi [c] Christus, *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, &c.* Nam, vt ait Augustinus [d], *Quamdiu quisque malus est, non potest facere fructus bonos: si enim bonos fructus fecerit, iam malus non erit. Sic dici potest verissimè, non potest nix esse calida: cùm enim calida esse cœperit, non iam niuem, sed aquam vocamus.* Et alibi [e], *tanquam arbor mala fructus bonos, id est, bona opera, non potest facere voluntas mala.*

a cap. 1. v. 16.
b cap. 3. 10.
c Matth. 7. 17.
d lib. 2. de Serm. Dom. in monte.
e in Enchir. c. 5.

II. Et in eandem sententiam auctor imperfecti; *Non dixit*, inquit, *Dominus arbor mala non potest fieri bona, neque bona mala: Sed malus non potest facere fructus bonos, id est, quandiu malus est: si verò factus fuerit bonus, potest, vt vnusquisque quod malus est, aut bonus, voluntatis eius sit, non naturæ.* Ob eam caussam dixit apud eundem Matthæum [f] Christus, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum* vt enim ait Augustinus [g], *Satis admonet ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non posse. Ex ipsa tamen terra, cui loquebatur, vtramque arborem oriri posse. ex bona siquidem hominis natura oriri voluntas & bona potest, & mala.*

f cap. 12. 33.
g in Enchir. c. 15.

III. Quamobrem rectè ait Dauid, & hoc loco Petrus, *Declinet à malo, & faciat bonum.* Vt enim alibi scribit Augustinus [h], *Istæ duæ arbores manifestissimè in similitudine duorum hominum positæ sunt, id est iusti, & iniusti. quia nisi quisque voluntatem mutauerit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum, alio loco docet, vbi ait, Aut facite arborem bonam, &c.* Et aliquantò pòst, *mala ergo arbor fructus bonos facere non potest, sed ex mala fieri bona potest, vt bonos fructus ferat. Fuistis enim aliquando tenebræ, inquit Apostolus [i], nunc autem lux in Domino. Tanquam si diceret, fuistis aliquando arbores malæ, & ideo non poteratis tunc nisi malos fructus facere, nunc autem, lux in Domino, id est, etiam facti estis arbores bonæ, date fructus bonos.*

h lib. contra Adimant. c. 26.
i ad Ephes. 5. 8.

IV. Declinare igitur à malo nihil aliud est quàm arborem malam facere bonam, vt deinde fructus bonos edat, quod est facere bonum. Sic etiam ait Amos [k], *Quærite bonum, & non malum, vt viuatis.* Et paulò pòst [l], *Odite malum, & diligite bonum.* Quò videtur allusisse Paulus [m], cùm dixit, *Odientes malum, & adhærentes bono.* Nec enim potest quisquam, vt ait Christus [n], *duobus dominis seruire.* Et Dauid [o]: *Qui diligitis Dominum, odite malum*, quasi dicat, neminem posse Deum diligere, nec laudabiles, & studiosas actiones exercere, qui non omne prorsus malum detestetur, subdit:

k cap. 5. 14.
l vers. 15.
m ad Rom. 12. 9.
n Matth. 6. 24.
o Psal. 96. 10.

V. *Inquirat pacem & sequatur eam.* Nimirum pacem cum Deo, vt nihil admittat animus, ac ne cogitet quidem, quod cum diuina gratia, & caritate pugnet. De qua Paulus ait [a], *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Hanc pacem pollicebantur Angeli cùm nato Christo cecinerunt [b], *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quo loco Græci codices habent, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, vt gloriam quidem Deo tribuant, pacem terræ, hominibus bonam Dei voluntatem, seu beneplacitum. De quo Dauid [c], *Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, hoc est, interprete Theodoreto, *tua bona voluntas tuúsque maximus amor, & dilectio in nos est nobis scutum.*

a ad Philip. 4. 7.
b Lucæ 2. 14.
c Psal. 5. 13.

VI. Verùm quoniam vulgatus interpres legisse videtur, ἀνθρώποις εὐδοκίας, quo modo legit Irenæus inter Græcos, & Hieronymus, & Augustinus, cæterique omnes Latini: rectè Hieronymus [d], Augustinus [e], & Beda [f], pacem iis denunciari dicunt, qui bonæ sunt voluntatis. hoc est, qui omni prauitate abiecta Christianas virtutes complectuntur. Quòd si cum Euthymio [g] bonam voluntatem ad Deum referas, pax bonæ voluntatis, hanc ipsam pacem significat, quæ nos Deo conciliat, quasi dicat, Pax illa, quam diuinum beneplacitum in nobis parit, quæque non ex nostris meritis, sed ex Dei bona voluntate oritur, pax denique, quæ nihil est aliud, quàm Dei beneuolentia, & bona voluntas in nos.

d epist. 29. ad Theodor.
e lib. 14. de ciuit. c. 8.
f Lucæ 2.
g Lucæ 2.

VII. Inde oritur altera pax, quam experiuntur ij, qui sedatas habent animi perturbationes, de qua pace explicat Augustinus [h] verba illa Christi: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. In pace*, inquit, *perfectio est, vbi nihil repugnat. & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo: & vtique filij similitudinem Patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, id est, menti, & Spiritui, carnalésque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus quæ sunt nobis, bestijsque communia. atque idipsum quod excellit in homine, id est, mens, & ratio subijciatur potiori, quod est ipsa veritas vnigenitus Filius Dei: neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat. & hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati, perfectíque sapientis.*

h lib. 1. de Serm. Dom. in mon. c. 4.

VIII. Postremò quærenda est pax cum proximis, quo modo dixit Paulus [i], *Si fieri potest, quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et alibi [k]; *Pacem sequimini cum omnibus.* Ad hunc verò locum alludens, Hieronymus [l], *Pax quærenda est, vt bella fugiamus, nec sufficit eam quærere, nisi inuentam, fugientemque, omni studio persequamur, quæ exsuperat omnem sensum, in qua habitatio Dei est.* Et alibi [m]: *Pacem non solum volumus, sed & rogamus, sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem in qua non sit bellum inuolutum.* Augustinus [n] verò: *Quærite pacem, fratres, Dominus dixit. Hæc loquor vobis, vt in me habeatis pacem, pacem in terra perfectam vobis non promitto, in ista vita pax vera non est, nec tranquillitas, gaudium immortalitatis, societas Angelorum promittitur. Sed quisquis non illam, cùm hic est, quæsierit, nec illam habebit, cum venerit.*

i ad Rom. 12. 18.
k ad Hebr. 12. 14.
l ep. ad Rust.
m epist. ad Theoph. Alexand.
n Concione 2. in Psal. 33.

12. *Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala.*

Verba

I. Verba sunt eiusdem Dauidis in eodem Psalmo, A
quibus ingentia præmia comprehenduntur, quæ pro-
posita sunt iis, qui superiora rectè, ritéque perfece-
rint. *Oculi*, inquit, *Domini super iustos*. hoc est, Deus
immortalis clementi, benigno, ac paterno aspectu
respiciet eos, qui superiora præcepta studiosè obser-
uauerint. Eiusmodi certè diuinũ intuitum frequẽter
a Psal.24.16. optat Dauid: alicubi enim ait [a]: *Respice in me, & mi-*
b Psal.83.10. *serere mei, quia vnicus, & pauper sum ego*. Et alibi [b]. *Pro-*
c Psal.89.16. *tector noster aspice, Deus*. Et rursus [c]; *Respice in seruos*
tuos, & in opera sua.

II. Nonnunquam Deo gratias agit, quòd suo beni-
d Psal.101.18. gno intuitu humilium preces respexerit [d], *Respexit*
in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Et
e vers.20. aliquantò pòst [e]: *Quia prospexit de excelso sancto suo,*
Dominus de cælo in terram aspexit, vt audiret gemitus B
f Lucæ 1.25. *compeditorum, vt solueret filios interemptorum*. Beata [f]
autem Elizabeth: *Respexit Dominus auferre oppro-*
g Lucæ 1.48. *brium meum inter homines*. Denique Beatissima Virgo [g]:
Respexit humilitatem ancillæ suæ.

III. Oculos autem Dei, & mox etiam aures nominat
ἀνθρωποπαθείᾳ in sacris literis admodum frequenti:
non quòd corporea membra Deo tribuantur, qui
h cap.4.24. (vt apud Ioannem ait Christus [h]) *Spiritus est Deus,*
& eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet ado-
rare. Sed metaphoricè tamen oculos, aures, cæterá-
que corporis membra Scriptura sacra Deo attribuit,
quòd diuina sua prouidentia, potentiáque admira-
bili quodam modo ea efficiat omnia, quæ corporeis
membris à mortalibus peraguntur. Qua de re doctè,
i lib.1.de fide Orthodo. c.14. & copiosè disserit Damascenus [i]. Atque oculi qui- C
dem diuinam scientiam, qua cuncta perscrutatur,
eiusdemque prouidentiam significant: nam de scien-
k Prou.15.3. tia quidem dixit Salomon [k]; *In omni loco oculi Domi-*
ni contemplantur bonos, & malos. De prouidentia autem
l Psal.32.18. Dauid [l]; *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in*
eis, qui sperant super misericordia eius.

IV. Tametsi enim nihil est non modò in rebus huma-
nis, sed etiam in hac rerum amplissima vniuersitate,
quod diuinæ prouidentiæ non subsit, singulari tamen
quadam ratione iustis, ac piis prospicere, & consulere
dicitur: ac propterea hoc loco ait Petrus, *Oculi Do-*
mini super iustos, quasi significet eos potissimùm à Deo
diligi, & singulari patrocinio protegi, quòd alia
m Sap.3.1. quadam metaphora significauit Salomon [m], *Iusto-*
rum, inquit, *animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos* D
n Deut.33.3. *tormentum mortis*. Et Moses [n]. *Omnes Sancti in manu*
o Psal.96.10. *illius sunt*. Dauid autem [o]: *Custodit*, inquit, *Domi-*
nus animas Sanctorum suorum, & de manu peccatoris
liberabit eos.

V. Et ne credatur Deus cùm patitur iustos rebus ad-
uersis premi, morbis vexari, maledictis proscindi,
suppliciis cruciari, eorum corpora penitus deserere,
p Psal.33.20. alibi ait [p]: *Multæ tribulationes iustorum, & de omni-*
bus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia
ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Hoc, ni fal-
q cap.10.30. lor, significat Christus, cùm apud Matthæum ait [q],
Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Et apud
r cap.21.18. Lucam [r], *Capillus de capite vestro non peribit*. Meritò
autem oculus in præsentia nominat, vt peculiarem
quandam Dei beneuolentiam & caritatem insinuet: E
oculis enim, vt Græco prouerbio circumfertur, ma-
ximè conciliatur amor. Et apud Latinos in oculis
gestare, aut ferre idem valet, quod valdè amplecti,
& amare. & in oculis habere aliquid, ad id maxi-
f lib.6. ad Att.c. mè intentum esse significat. Denique M. Tullius [f]
in eorum oculis se esse dicebat, quibus maximè gra-
tus, & carus esset.

VI. *Et aures*, inquit, *eius in preces eorum*. Facilè quip-
pe Deus iustorum precibus annuit, & quod illi pe-
t Psal.49.15. tunt, liberaliter concedit. Ita enim apud Dauidem [t]
pollicetur, *Inuoca me in die tribulationis, & eruam*
te, & honorificabis me. Et alibi [a], *Prope est Domi-* a Psal.144.18.
nus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocanti-
bus eum in veritate. voluntatem timentium se fa-
ciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos fa-
ciet eos.

VII. Christus verò ipse apud Ioannem [b] ita discipu-
los affatur. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine* b cap.14.13.
meo, hoc faciam. Et alibi [c]: *Si quid petieritis Patrem* c cap.16.23.
nomine meo, dabit vobis. Et confestim: *Petite & acci-*
pietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Et apud Mat-
thæum [d], *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenie-* d cap.7.7.
tis; pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit acci-
pit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Alibi [e], e cap.21.22.
Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes, ac-
B *cipietis*. Postremò Ioannes [f] Apostolus, *Si cor no-* f epist.1.c.3.21.
strum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum,
& quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam man-
data eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo,
facimus.

VIII. Nec dubium est iustorum preces ita semper au-
diri à Deo, vt si non impetrent, quod propriè pe-
tunt, id certè assequantur, quod ad eorum salutem
valere nouit ipse, qui preces exaudit. Quocirca verè
dicit Augustinus, non semper Deum exaudire ad
voluntatem, vt exaudiat ad salutem, quinetiam in-
terdum placatum negare, quod iratus concedit. sic
plerumque parentes filiis gladium, aut venenum
poscentibus, vtrumque paterna caritate negant, nec
illorum lacrymis adduci possunt, vt concedant,
C quod non sine magno periculo, & damno eos vi-
dent accepturos.

IX. Iure igitur optimo gloriabatur olim Moses cùm
diceret [g]: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat* g Deut.4.7.
deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis
obsecrationibus nostris. Nam reuerà Gentilium dij, vt
ait Dauid [h], *Os habent, & non loquentur; oculos ha-* h Psal.113.5. & Psal.134.15.
bent, & non videbunt; aures habent, & non au-
dient; nares habent, & non odorabunt. Denique muta
sunt simulacra, ex auro, argentóve, aut etiam li-
gno confecta. Quod ipso rerum experimento Baa-
lis Sacerdotes [i] didicerunt, qui *inuocabant nomen* i 3.Reg.18.26.
Baal de mane vsque ad meridiem dicentes, Baal exaudi
nos, & non erat vox, nec qui responderet. Itaque non
sine irrisione exprobrans Elias aiebat: *Clamate vo-*
D *ce maiore. Deus enim est, & forsitan loquitur, aut*
in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit,
vt excitetur. illi verò frustra *voce magna clamabant,*
& incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lan-
ceolis, donec perfunderentur sanguine. Quòd si quan-
do videatur Deus negare, quod iusti flagitant,
id profectò ad maiorem iustorum vtilitatem re-
fertur, quomodo roganti Paulo, & quidem
ter, vt ab Angelo [k] Satanæ liberaretur, qui eum k 2.ad Cor.12.9.
colaphis cædebat, diuinitus responsum est, *Suf-*
ficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate per-
ficitur.

X. *Vultus autem Domini super facientes mala*. An im-
pij Deum latent, & diuinum eius obtutum effu-
giunt? Nihil minùs. Quapropter ait Propheta: *Vul-*
E *tus autem Domini super facientes mala*. At cur non
repetit eandem oculorum vocem? An vultus iram,
atque indignationem significat? quasi indicet Pro-
pheta impios seuero vultu à Deo inspici, quippe
qui iis vehementer succenseat, & irascatur. Aspi-
cit igitur Dominus impios, verùm non benigno,
sed toruo, indignationisque pleno aspectu. Non er-
go dicant impij, quod illi apud Iob [l], *Nubes latibu-* l cap.22.14.
lum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli per-
ambulat. Stultè non minùs, quàm impiè id sibi nefa-
rij homines persuadent.

XI. Sapienter enim dixit Tertullianus [a], *Nihil occultum quod non reueletur. quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris; Deus lumen est, & illius oculi multò plus lucidiores super solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & corda hominum intuentes in absconditas partes.* Clemens [b] autem Alexandrinus etiam Poëtarum testimoniis ne minima quidem Deum latere ostendit: ex Menandro namque hæc profert:

a lib. de pœnit. c. 6.
b lib. 5 Stro.

——Neque acum, carissime,
Desideres vnquam alienam: nam Deo
Facta haud iniqua, sed quæ iusta sunt, placent.

Et aliquantò pòst.

——Nam Deus
Te respicit præsens propè.

Et rursus ex eodem:

Nec virgines vitiet, adulter nec fiet,
Nec quid furetur is, eadem nec perpetret
Ne acum quidem implicatam cupias, Pamphile,
Namq; assicis propinquus qui est tibi Deus.

c lib. de Monarch. Et Iustinus [c] Martyr ex Philemone penè eadē affert,

——Non expetes
Acus, vel vnum vile filum, Pamphile:
Nam te videt, qui præstò adest tibi Deus
Pietate gaudens, non iniquis actibus.

XII. Sed quid opus est multis? Deus ipse apud Ieremiam [d] loquitur in hanc sententiam, *Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus? Numquid non cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* Sic apud eundem Iustinum [e] Philemon Deum his verbis describit:

d cap. 23. 23.
e lib. de Monarch.

Qualis Deus mihi dicito censendus est?
Qui cuncta cernit, ipse sed non cernitur.

Neque aliter Orpheus:

Vnicus est per se existens, qui cuncta creauit
Lumine conspectans, mortales conspicit omnes.

Latebras igitur quærant improbi, & scelesti: habent qui cūcta cernit, inspectorem Deum; quique nullum facinus inultum patitur. Propterea enim dicitur à Propheta, *Vultus Domini super facientes mala.* tametsi enim incredibili penè lenitate, ac mansuetudine innumerabilia propemodum scelera patienter tolerat, tarditatem tamen supplicij, vt quidam dixit, grauitate compensat.

XIII. Hoc enim est, quod subdit Propheta, *vt perdas de* D *terra memoriam eorum.* Quorsum verò *vultus Domini super facientes mala?* Nempe *vt perdat de terra memoriam eorum.* De hac quippe mortali, caducaque terra impiorum memoriam extinguit, cùm, vt scriptum est in Exodo [f], *visitat iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem; eorum, qui se oderunt.* Idque confirmat Dauid cùm ait [g]: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.*

f cap. 20. 5.
g Psal. 36. 35.

XIV. Quòd si nonnunquam aliter accidit, perdit tamen, & penitus abolet, & extinguit impiorum memoriam de terra viuentium; quod fortasse Hebræa vox apertiùs indicat, quæ propriè significat, incendit, aut inflammat. Hoc, vt opinor, alibi indicauit Dauid, cùm dixit [h] *iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum. Nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.* Illico verò rationem subiiciens addit, nusquam patere effugium. *Quia neque*, inquit, *ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus iudex est.*

E h Psal. 74. 5.

XV. Quanquam autem interdum ignoscit, & scelestos, & impios, caducis, ac mortalibus bonis locupletat, nonnunquam tamen diuinæ suæ iustitiæ seueritatem exercet, & ideireo, *hunc*, inquit, *humi-* A *liat*, à quo scelerum pœnas exigit, & *hunc exaltat*, quem rebus secundis attollit, *quia calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinauit ex hoc in hoc.* Neque enim in hac mortali vita totam suam iram, ac indignationem effundit, veruntamen *fex eius non est exinanita. bibent omnes peccatores terræ.* Denique concludit, *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Quæ cùm ita sint, mirum in modum hoc prophetico testimonio fidelium animos erigit Petrus, & confirmat; ac propterea subdit.

13. *Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?*]

B Metuant, inquit, impij qui iustam Dei in se iram prouocarunt, & meminerint impiorum semen aliquando periturum. vos verò qui rectam virtutis viam ingressi estis, quique ad optima quæque contenditis, erecto animo esse oportet: quicquid enim acciderit in vita, salutem vobis, & gloriam afferet sempiternam: verè namque scripsit Paulus [a] Apostolus; *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nolite itaque, vt ait Dauid [b], *æmulari in malignantibus, neque zelare facientes iniquitatem, quoniam, tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Et paucis interiectis [c]: *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; & adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies.* Rursus post pauca; *Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Et id genus alia penè sexcenta in sacris literis leguntur, quæ miseram impiorum conditionem apertissimè describunt. I.

a ad Rom. 8. 28.
b Psal. 36. 1.
c vers. 9.

C

At contrà qui virtutem colunt, qui religione, ac pietate nihil habent antiquius, diuino patrocinio tecti nihil metuunt mali: in mediis enim rebus aduersis triumphant, & exultant, atque ita Paulus [d], *Multa*, inquit, *mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis. superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Sic etiam Apostoli inter probra, & contumelias ingenti quodam gaudio perfusi exultabant [e], *Et ibant*, vt ait Lucas, *gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* II.

d 2. ad Cor. 7. 4.
e Act. 5. 41.

Nil igitur mirum, vt obseruat Oecumenius, si negat Petrus hæc mala, quibus iusti interdū premuntur, re vera mala esse, cùm nihil obesse queāt forti, & constāti animo ea tolerātibus. quamobrē verè, atque eleganter probat Chrysostomus [f] neminem lædi nisi à se ipso. Et Ecclesia eodem Spiritu edocta, alicubi canit; *Nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.* III.

f Hom. quod nemo læditur nisi à se ipso.

Hanc enim ob caussam ait Petrus *si boni æmulatores fueritis*; Græcè, ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταὶ γένησθε; quod nonnulli perinde accipiunt, quasi Dei imitationem suadeat, qui apud Matthæum [g] vnus dicitur bonus. Et Paulus [h] diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis extollit. Et Salomon [i] bonum, ac suauem Dei Spiritum vocat; ille quippe cùm nullo nostro scelere lædatur, incredibili quadam patientia, & longanimitate infidelium blasphemias, & contumelias, hæreticorum vesanias, & Catholicorū flagitia quotidie perfert, ac dissimulat, eum viri iusti imitantur, qui nullis rebus aduersis commouentur, nunquam à recta fide, aut ab officio recedunt. IV.

g cap. 19. 17.
h ad Rom. 2. 4.
i Sapien. 12. 1.

Quòd si bonum referamus ad Christum, nihilo minori studio eius imitatio complectenda est, qui, vt superiori capite Petrus dixit [k], *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* quanquam, nisi mea me fallit opinio, propiùs aberit à mente Petri, vt boni nomine simpliciter intelligamus, id quod rectum, & honestum est, vt sensus sit: V.

k vers. 23.

Quid

Quid vobis obesse poterit, si virtutis, atque honestatis studio teneamini? Videtur enim æmulandi verbo non aliter vti Petrus, quàm Paulus, qui ad Corinthios dixit [a], *Æmulamini charismata meliora.* Rursus [b], *Æmulamini spiritualia.* Denique [c], *Æmulamini prophetare.* His enim omnibus locis æmulari significat ardenter appetere.

a 1. ad Cor. 12.31. b cap. 14. 1. c vers. 39.

VI. Ait igitur Petrus iis, qui Christianam virtutem, & perfectionem sectantur, nihil posse nocere; quod de viro forti Lyricus poëta [d] cecinit:

d Hor. lib. 3. Ode 3.

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

VII. Quinetiam, vt multis ostendit Plutarchus [e], plurimis inimici plusquàm amici prosunt. Itaque Ignatius [f] Martyr de se ipso in hanc sententiam scribit, *De Syria vsque Romam pugno ad bestias in mari, & in terra nocte, ac die ligatus cum duodecim leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt, quibus si benefeceris peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est. Sed non idcirco iustificatus sum.*

e de vtil. ab inim. cap. f ep. ad Ro.

VIII. Tantum verò abest, vt molestias, & supplicia formidaret, vt quicquid in vita acerbum est, quicquid asperum ac durum, auidiùs appeteret, quàm alij voluptates, diuitias, honores, cæteráque id genus alia concupiscunt, *Vtinam*, inquit, *fruar bestiis, quæ mihi preparatæ sunt, quas & oro veloces mihi esse ad interitum, & alliciam ad comedendum me, ne sicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere: quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi, filioli: quid mihi prosit, ego scio. nunc incipio esse discipulus Christi. nihil de his, quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorúmque diuisio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me veniant, tantum vt Christo fruar.* Addit Hieronymus [g], *Cùm iam damnatus esset ad bestias, & ardore patiendi rugientes audiret leones, dixisse: frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.*

g de script. eccl. in Ignatio.

IX. Ad hanc Christianam fortitudinem sectatores suos informabat olim Christus, cùm apud Matthæum [h] diceret, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Id autem tametsi videri solet arduum, atque difficile, facile tamen præstari poterit ab iis, qui in Christum Dominum ducem, & antesignanum, mentem, cogitationémque conuerterint, qui, vt ait Paulus [i], *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Nihil enim honorificentius, aut gloriosius concipi potest, quàm si quis Christum Dominum nostra caussa patientem imitetur.

h cap. 10. 28. i ad Hebr. 12. 2.

X. Quamobrem alicubi scribit Ambrosius [k], *Nullis ergo iustus frangatur iniuriis, nullis moueatur periculis, nullis tentetur procellis, siue mors ingruat, siue vita; siue Angeli cælorum, neque deiiciatur aduersis, nec extollatur secundis, nusquam sit eius infirmus affectus.* Et post multa. *Vbi pax, & multa pax, ibi crux Christi non opprobrio, sed saluti est. Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quia tantum eius gloria dedit, vt inuersis Christum honoraret vestigiis, metuens ne si ea specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. Crux ergo opprobrium perfido, fideli autem gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est, quia pro nobis passus est Dominus, quia illo nos redemit sanguine, illa ad paradisum resurrectione reuocauit.*

k in Ps. 118. octon. 21 ad illa verba; Pax multa diligentibus nomen tuũ non est illis scandalum.

A Adde Apostolorum, ac Martyrum exempla, qui nobis constantiæ, ac fortitudinis veluti quandam speciem imitandam præbuerunt. Quo spectant illa siue Augustini [a], siue Leonis [b], siue cuiuspiam alterius, quæ de Martyrum celebritatibus circumferuntur. *Quotiescunque, ait, sanctorum martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, vt ipsos martyres imitando, accipere mereamur æterna. ab ipsis enim sanctorum martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solennitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* XI.

a ser. 37 de Sanct. b serm. de Martyr.

Et quidem Pauli exemplum, vt alicubi obseruauit Clemens Alexandrinus [c], plurimum valuit ad fidelium animos & excitandos, & confirmandos. Ita enim ad Philippenses [d] scribit, *Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerũt euangelij. ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus, & plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* Vnde colligit Clemens, quæ à veteribus rectè, & ex virtute gesta sunt, nobis quasi imagines quasdam imitandas propositas esse, atque adeò martyria quasi quædam *exemplaria conuersionis esse gloriosè*, vt ille loquitur, *sanctificatæ*. XII.

B (margin letter beside "lium animos")

c lib. 4. Stromat. non procul ab initio. d cap. 1. 12.

Ita olim Origenes, vt auctor est Eusebius [e], cùm persecutionis ardor, quotidiè magis efferuesceret, ac penè innumerabiles martyrium fortiter subirent, tanto est martyrij amore, tantáque cupiditate inflammatus, vt nihil propiùs fuerit, quàm vt in ipsa tenera ætate vltrò sese periculis obiiceret, & ad certamen exiliret, irrueréque. XIII.

e lib. 6. hist. c. 2.

C (margin letter beside "matus")

His addo admirabiles quasdam animi voluptates, atque oblectationes, quibus eorum mentes perfunduntur, qui pro Christi nomine aspera, atque acerba patiuntur. Ait enim alicubi Paulus [f], *Scientes quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.* Itémque [g], *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quæ cùm ita sint, rectè ex hoc Petri loco colligit Clemens Alexandrinus, martyrium pro Christo cupientis eximias, & præclaras quasdam virtutes, hoc est, fidem, caritatem, & spem minimè dubiam videri omnino necessarias. XIV.

f ad Cor. 1. 7 g vers. 5.

D

14. *Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & ne conturbemini.*]

Corrigit quodammodo, quod dixerat non posse res aduersas iustos vllo pacto lædere, & ad Christi [h] Domini sententiam alludens. Tantum, inquit, abest, vt si boni æmulatores fueritis, humanæ vitæ molestiæ lædere vos aliqua ratione queant, vt beati potiùs censendi sitis, si eas propter iustitiam pati compellamini. Proculdubio autem ad Christi verba respicit [i], *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Meritò autem beati prædicantur, qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, quandoquidem, vt ait Chrysostomus [k], ad eam tolerantiam cæteræ fermè omnes virtutes sunt necessariæ, verum quidem est, quod ait Paulus [l], *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo persecutionem pati.* I.

h Matth. 5. i Matt. 5. 10.

E (margin letter beside "tiuntur")

k hom. 5. in Matth. l 2. ad Tim. 3. 12.

Et Hieronymus [m], Leo [n], & Bernardus [o], affirmant, nunquam deesse persecutionem, & tolerandi materiam, sed videndum est quamobrem, & qua potissimùm ratione quis patiatur: vt enim scribit Augustinus [p], *Pœna similis est bonis, & malis. itaque Martyres non facit pœna, sed caussa. Nemo dicat persecutionem* II.

m epist. 1. n serm 9. de Quadrag. o ser. de cõuers. S. Paul. p in Psal. 34.

nem patior. non veniles pœnam, sed probet causam. Alibi [a], *Non persecutionem pati laus est, sed habendo causam bonam pati, hac laus est: laus enim est in causa bonitate, non in pœna acerbitate.* Denique [b], *Quod duo cum Christo crucifixi sunt ex vtraque latere, ostendit alios sibi dextros, alios sinistros esse passuros. dextros, de quibus dicitur, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: sinistros, de quibus dicitur [c]. Et si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

a Psal. 68.
b ser. 76. de diuers. penè eadem cp. 50
c 1. ad Cor. 13.

III. Tantùm igitur abest, vt iusti rebus aduersis perterreantur, aut despondeant animo, vt potiùs, vt ait Paulus [d], in tribulationibus glorientur. Idque capite sequenti monet etiam Petrus [e], *Communicantes*, inquit, *Christi passionibus, gaudete.* quod & Paulum Apostolum fecisse testatur Chrysostomus, cùm ad Galatas dixit [f], *De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Nō dixit*, ait Chrysostomus, *stigmata habeo; sed porto, tanquam aliquis de tropheis glorians, signisque regalibus.* Et sapienter scripsit Augustinus [g], *Mors pœna nascentis; si pro iustitia, pietateq; pendatur, fit gloria renascentis.*

d ad Ro. 5.
e vers. 13.
f cap. 6. 17.
g lib. 13. de ciuit. c. 6.

IV. Et si spectetur præmium, nihil potest optabilius cogitari, quàm pro iustitia acerbissima quæque perpeti. *Pretiosa mors*, ait Cyprianus [h], *quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis.* Et Augustinus [i], *Mors*, ait, *non vi sua in tantam vtilitatem, sed diuina opitulatione, conuersa est, vt quæ metuenda proposita est, ne peccatum committeretur, nunc suscipienda proponatur, vt peccatum non committatur, commissumq; deleatur, magnæq; victoria debita iustitiæ palma reddatur.*

h epist. 11.
i lib. 13 de ciuit. c. 7.

V. *Timorem autem eorum ne timueritis, & ne conturbemini.* Rectè hoc ex superioribus infertur: nam si in malorum tolerantia posita est beata vita, modò aduersa pro iustitia sustineantur, consequens profectò est, vt nullis minis, nullóque extrinsecùs incusso timore iusti perterreantur, aut animo concidant, & perturbentur. *Timorem autem* ait, *eorum ne timueritis*, hoc est eorum minas, & terriculamenta, quibus impij iustos conantur perterrefacere: timorem enim hoc loco vsurpat Apostolus pro rebus alioqui timendis, ac formidandis, quod in sacris literis aliàs frequenter fieri suprà docui.

VI. Persimili autem consilio Christus Dominus apud Ioannem [k] discipulos monet, vt ad omnia quamuis dura perferenda se sic comparent. *Absque Synagogis facient vos: sed venit hora vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et alibi [l]. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et aliquantò pòst [m]: *Non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Et apud Lucam [n]: *Non terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant.* Et quidem magnitudine præmij proposita, facilè omnia contemnet, qui animaduerterit ad magna præmia non nisi per magnos labores perueniri.

k cap. 16. 2.
l cap. 15. 18.
m vers. 20.
n cap. 12. 14.

VII. Quamobrem, vt ait Gregorius, si delectat magnitudo præmij, non terreat magnitudo laboris: nam, vt ait Chrysostomus [o], *Nullus athletes sine certamine fortior dici, nullus sine victoria poterit coronari.* Et, vt ait Ambrosius [p], *Qui socij sunt contumeliæ, debent & participes esse lætitiæ. ita enim dicit beatus Apostolus, Sicut socij passionum estis, & resurrectionis eritis. Si tolerabimus*, inquit, *& conregnabimus. Qui ergo tolerauerunt mala propter Christum, debent & gloriam habere cum Christo.*

o hom. 1. de Martyr.
p ser. 74.

VIII. *Timorem*, ait Apostolus, *eorum.* non enim quemlibet timorem amouet à iustis. Tametsi enim, Ambrosio [q] auctore, *Trepidare infirmitatis est, timere atque formidinis, est tamen infirmitas ad salutem, est etiam timor Sanctorum.* Et aliquantò pòst etiam in Martyribus nonnullum laudabilem timorem admittit. *Pone ergo*, inquit *Martyrem inter pericula constitutum, cum inde immanitas bestiarum ad incutiendum terrorem insiliemum, aliunde stridor candentium laminarum, & flamma fornacis ardentis exæstuet, ex parte alia personent tractus grauium catenarum, hinc carnifex cruentus assistat. pone, inquam, circunspectantem omnia plena suppliciis, deinde cogitantem mandata diuina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam penè recrudescentis ærumnam trepidare corde ne dum præsentibus cedat, perpetuis se dedat exitiis, perturbari animo, dum futuri iudicij romphaeam illam terribilem quadam conspectus specie contuetur. Nónne ad hanc trepidationem fiducia viri constantis æqualis in eundem concurrit affectum confidentia cupientis æterna, & diuina trepidantis?*

q in Psal. 118. serm. 21

IX. Et sanè æternorum suppliciorum metus inanem malorum omnium terrorem excutit. Quæ enim in hac mortali vita accidere possunt aduersa, vt sint grauia, dura, acerba, & aspera non vltra breuissimum vitæ spatium perseuerant, atque adeò articulo propemodum temporis absoluuntur. Quæ verò in alia vita metuenda proponuntur, cùm per se atrocissima sunt, tum nullo clauduntur fine, sed in omnem durant æternitatem.

X. Persimili etiam ratione cùm Petrus ait, *Et non conturbemini*, non omnem turbationem prohibet. Nam alioqui beatissima virgo audita salutatione Angelica, *turbata est in sermone eius.* quippe, vt ait Ambrosius [a], *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri.* Scribit enim Hieronymus [b], *Viri specie angelus sese virgini spectandum præbuit.* & idcirco, vt idem ait [c], *ideo forsitan timore perterrita virgo est, quia virum, quem non solebat, aspexit.* Et in eandem sententiam Damascenus [d]; *Virgo Angeli ore commota est, vt quæ cum viris colloqui minimè consueuisset: siquidem virginitatem sedulò seruare constituerat.* Fauere videtur Lucas, qui, vt habent vulgati codices Græci, dixit ἡ δὲ ἰδοῦσα, hoc est, *illa verò cum vidisset.* Origenes [e] salutationem illam ait visam fuisse virgini peregrinam, atque adeò nonnihil perterritam esse.

a li. 2. de virgin.
b ep. ad Eustoc.
c ep. ad Let.
d orat. 1 de dormitiong.
e hom. 6. in Luc.

XI. Euthymius metuisse ait dæmonis astum, idque planiùs explicans Bernardus [f], *Quod turbata est*, inquit, *verecundia fuit virginalis, & cogitabat, quia sciebat prudens virgo, quod sæpe Angelus satanæ transfigurat se in angelum lucis, & quia humilis erat, & simplex, & nihil tale ab Angelo sperabat: quippe illa ob insolitam dignitatem, obstupuit, cui se longè imparem existimabat.* Itaque persimilis perturbatio etiam in iustos, atque viros sanctissimos cadere potest; neque eam vllo modo Petrus reprehendit, qui eam perturbationem damnat, qua quis aduersùs Deum, diuinámque prouidentiam commouetur, eámque vel accusat, vel in dubium reuocat, vel nimio pauore concutitur, & consilij inops, quò se vertat, prorsus ignorat, quod iis plerumque accidit, qui nimio terrore concutiuntur.

f ho. 3. s. Missus e

15. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est, spe.*

I. Græci codices, qui nunc habentur in manibus habent θεὸν, hoc est, Deum, pro Christo, vt præcipiat Apostolus Deum in cordibus sanctificandum. At Clemens Alexandrinus antiquus, & Græcus auctor habet *Christum*: nec dissentire videtur Syriacus, qui transtulit, *Dominum Messiam.* Oecumenius autem *Deum* legit, putátque Petrum ad Isaiæ verba alludere, cùm dixit [g], *Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem*, vt sit sensus. *Non in aperto gloriandum, sed in occulto cordis conclaui sanctificationem Domini exercendam*

g Isa. 8. 13.

candam, quæ in scelerum; id est, prauarum consuetudinum gentium segregatione existit: Sanctificate, inquit, Dominum, ita vt ex honesta vestra conuersatione alij homines ipsum glorificent, quemadmodum ipse etiam Deus, & homo Christus præcipit, cùm ait [a Matt. 5. 16.] a, *Ita fulgeat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

II. Ego crediderim duo his verbis contineri præcepta: alterum, quod ad internam animi conformationem refertur: alterum, quod in externa fidei professione, defensioneque consistit. prius illud his verbis continetur, *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* assentior autem Oecumenio, allusisse Petrum ad Isaiæ verba: nam & superiora, *timorem eorum ne timueritis*, ex eodem Isaiæ loco petita sunt, videturque Apostolus Isaiæ verba aliquo pacto explanare, & Dominum exercituum, quem Isaias nominat Christum, interpretari, cui diuinitatem asserit. Sanctificandum autem ait in cordibus, hoc est, in intimo animi recessu.

III. Sanctificare autem Dominum nihil aliud est, quàm diuinam eius sanctitatem suspicere, atque admirari, &, quoad eius fieri poterit, imitari. ita enim præcipit alicubi [b Leuit. 19. 2] b Dominus, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Rursus [c Leuit. 20. 26.] c, *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus.* Sanctificatur autem Dominus præcipuè Theologicis virtutibus, hoc est, fide, spe, & caritate, quæ, vt ait Apostolus, integram, atque puram conscientiam postulant [d 1. ad Tim. 1. 5.] d, *Caritas*, inquit, *de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Fidem autem, & caritatem comitatur spes: siquidem, vt idem Apostolus ait [e ad Ro. 8. 16] e, *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Filiis autem speranda est hæreditas, mox enim subdit,

IV. *Si autem filij, & heredes.* Itaque sanctificari dicitur Deus in cordibus nostris, cùm nos veram sanctitatem colimus: hactenus enim sanctitas nostra in Deum redundat, non quòd illi vlla fiat sanctitatis accessio, quæ fieri nulla ratione potest, sed quòd eius sanctitas illustretur, quippe quæ etiam mortalibus suas quandammodo particulas impertiat. qua ratione bonitas, quæ in riuulis inest, à fonte manat, eiúsque bonitatem testatur. Et profectò hanc maximè sanctitatem exigit Deus, qui apud Isaiam [f cap. 29. 13.] f populum Hebræorum accusat, quòd ore suo, & labiis suis glorificaret Deum, cor autem eius longè esset ab eo. Et Dauid [g Psal. 44. 14.] g hanc dixit esse animæ pulchritudinem. *Omnis*, inquit, *gloria eius ab intus.*

V. Hanc quippe animi pulchritudinem mirificè probat, atque amat Deus, qui corda intuetur, omnésque animi nostri recessus peruadit, ac penetrat. quocirca frequenter monet, vt cor nostrum omni prorsus labe purgemus, & apud Matthæum [h cap. 5. 8.] h mundo corde beatos prædicat, iísque Dei intuitum, perspicuámque contemplationem pollicetur. *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* nam quemadmodum natura, vt ait Aristoteles [i de iuuent. & senect.] i, quem etiam Plinius [k [illegible] c. 37] k, & ex nostris Basilius [l in Psal. 1.] l, & D. Thomas [m 2. 2. q. 122. a. 1.] m sequuntur, primùm cor in animantibus procreat; ita Deus naturæ, & gratiæ auctor, spiritalem vitam in animo inchoat. illa enim, auctore præsertim B. Thoma [n Mat. 23. & 2. 2. q. 20. & 2. 2. q. 122. a. 3.] n, omnis bonitatis initium est, ac fundamentum.

VI. Quam ob caussam apud Matthæum [o Mat. 23. 26] o ait Christus, *Munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id quod de foris est, mundum.* Quò spectans Augustinus [p in Ps. 125.] p, *Si volueris*, inquit, *vt exteriora munda sint, interiora mundato.* Et alibi [q serm. 22. de verb. Apost.] q, *Deus*, inquit, *cor interrogat, non manum, quia inde manuum bonitas tanquam à radice arbor pendet.* atque ita Dauid [r Psal. 23. 3.] r cùm quæsisset, *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in monte sancto eius*, illico respondit, *innocens manibus, & mundo corde*, vt significet innocentiam manuum à puro corde informandam esse. Itaque quod ait Petrus, *Sanctificate in cordibus vestris*, interprete Gregorio [a in illud Beati mũdo corde.] a Nysseno ad internum hominem refertur, de quo paulò antè idem Petrus dixerat, *Sed qui absconditus est cordis homo.* & Chrysostomus [b ho. 74 in Matth.] b meritò illos accusat, qui cùm sint in ornando corpore nimis curiosi, animi ornatum penitus negligunt, quo tamen potissimùm Deus immortalis sanctificatur.

VII. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos, rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Ne quis sola interna fide, & sanctitate glorietur, hoc posteriori præcepto externam religionis Christianæ professionem, ac defensionem exigit. Nam Paulus ad Romanos [c cap. 10. 10.] c dixit, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Eodémque spectat quod apud Matthæum dixit Christus [d cap. 10. 32] d, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Neque, vt arbitror, aliter accipienda sunt Raphaëlis verba apud Tobiam [e cap. 12. 6.] e, *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei.*

VIII. Cæterùm hæc Apostoli verba, si de fidei professione accipiantur, vt ea nonnulli explicanda putant, ad omnes quidem fideles pertinent, sed si res necessitatio postulet: nefas enim est aut negare, aut dissimulare fidem, si tempus incidat, quo fidei confessio sit necessaria: quæ caussa fuit, vt tanquam hæretici habiti sint ij, qui ad vitanda pericula fas esse putabant fidem negare, quod olim sensisse Basilidem hæreticum, auctor est Philaster, qui tamen falsò mentiebatur, pro Christo Simonem Cyreneum cruci fuisse affixum. Elcesaitæ verò, vt testatur Eusebius, id licere arbitrabantur, modò fides animo retineatur.

IX. Verùm quoniam Græcè dixit Petrus [illegible], quæ vox defensionem, vel responsionem, vel denique satisfactionem significat, non tam videtur de fidei professione, quàm de eiusdem defensione, ac propugnatione loqui, vt paratos velit esse fideles ad reddendam fidei rationem. quod illo quidem Apostolico sæculo, vt in præsentia monet Oecumenius, videri poterat vtcunque necessarium. Siquidem Gentiles Christianam fidem, ac religionem miris irridebant modis, tum quòd Christiani hominem cruci affixum, & vita functum pro Deo colerent, tum quòd præsentia bona contemnerent, & quæ sub sensum non cadunt, &, vt ipsi aiebant, quæ sunt penitus ignota, atque incerta, sperarent.

X. Præcipit igitur Apostolus, vt fideles paratas ac meditatas habeant responsiones, quibus Gentilium obiecta refellant. & verisimile est consueuisse Apostolos quibusdam præceptis ad eam rem accommodatis, dum fidei rudimenta traderent, fideles omnes informare, quos animaduertebant inter barbaros, atque infideles viuere. Quocirca hoc Apostolicum consilium ad omnes fideles aliquo pacto pertinere potest, cùm omnes in ipsa prima catechesi Christianæ fidei, ac spei præcipua firmamenta percepissent, nec ignorare possent quid Gentilibus fidem calumniantibus responderi deberet.

XI. Accedit, quòd primis illis exorientis Ecclesiæ temporibus omnes fermè fideles diuini Spiritus muneribus cælitùs locupletati ad promulgandam, explicandam, defendendámque fidem mirabiliter erant instructi, vt meritò potuerit Petrus ab iis exigere, vt perceptæ fidei rationem omnibus redderent.

XII. Cæterùm hoc esse proprium Doctorum, atque Episcoporum munus nemo ambigat: fidei enim explicatio, atque defensio ad eam scientiam pertinet, de qua loquitur Apostolus Paulus [f ad Tit. 1. 9.] f, quam propriam Episcoporum esse docet. *Amplectentem enim*, inquit, *qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit*

exhorta

exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

XIII. De qua scientia ita alicubi loquitur Augustinus [a], *De qua*, inquit, *volumine tertiodecimo disputans non vtique quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis, vbi plurimum supernaceæ vanitatis, & noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuens, sed illud tantummodo, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimùm. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam quæ non nisi æterna est; aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.*

a lib. 14. de Trinit. c. 1.

XIV. Tametsi enim Christiana fides, quæ ab vnius Dei auctoritate pendet, nullis humanis rationibus nititur; plurimùm tamen humanis rationibus & illustratur & aduersùs Philosophorum sophismata, & impiorum calumnias defenditur. Qua ratione accipio quæ apud Clementem [b] aduersùs Simonem magum disputat Petrus Apostolus: *Noli*, inquit, *putare nos quod ex fide sola recipienda esse dicamus, sed ex ratione afferenda. Neque enim tutum est nude hæc fidei absque ratione committere, cùm vtique veritas ratione non careat. Et ideo qui hæc ratione munita susceperit, perdere ea nunquam potest: qui verò absque assertionibus ea suscipit simplici sermonis assensu, neque seruare ea tutò potest, neque si vera sint, certus est, quia qui facilè credit, facilè & recedit, qui autem rationem quæsiuit eorum, quæ credidit & accepit, quasi vinculis quibusdam rationis ipsius colligatus, nunquam ab his, quæ credidit, diuelli, aut separari potest; & ideò quanto quis propensior fuerit in expetenda ratione, tantò erit firmior in conseruanda fide.*

b li. 2. Recognit. circa finem.

XV. Fateor hæc tanquam apocrypha minùs ab Ecclesia probari, non tamen prorsus reiicienda sunt, quasi omnino falsa: argutè enim, atque omnino verè in fide duo distinguunt Theologi, & assensum fidei, qui sola Dei auctoritate in animo fidelium gignitur, qui, vt alicubi ait Gregorius, *non habet meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum.* Ab hoc assensu plurimùm differt credibilitatis, vt aiunt, iudicium, quo credimus ea, quæ fide creduntur, esse eiusmodi, quæ prudenter, & absque temeritate credi possint, quod quidem siue fidei assensum præcurrat, siue eum subsequatur, ratione, ac lumine naturali nititur, plurimùmque valet ad animum in fide confirmandum, & ad fidei dogmata tum explicanda, tum defendenda, idque loco indicato fusa oratione docuit Petrus.

XVI. Idemque omnino significat Eusebius Cæsariensis, qui quodam loco scripsit [c], *His cæterisq; huiusmodi cùm aduersùs nos vtantur, age iam Deum omnium per Saluatorem nostrum Verbum ipsius quasi per Pontificem inuocantes primùm in nos argumentum suum refutando calumniatores ipsos esse ostendamus, qui nihil nos comprobare posse, sed experte rationis fide persuasos asserunt, idq; tam ex his probationibus, quibus vtimur, cum ad religionem nostram Gentiles concurrunt, redarguemus, quàm ex his, quas vel scribendo, vel viua voce proferendo, &c. aut priuatim, aut publicè disputando aduersariis opponimus, ac multò magis per hos quoque libros, qui hoc totum Euangelicæ veritatis negotium continent. gratiam enim Dei, ac cœlestia beneficia per Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei Saluatorem nostrum nobis esse collata pluribus, ac perspicuis argumentis hic tractatus probaturum se pollicetur.*

c li. 1. præpar. Euang. c. 3.

XVII. Nimirum argumenta omnia, quibus olim veteres Patres aduersùs Gentiles ad fidem tuendam vsi sunt, huc referebantur, vt ostenderent fidem nostram non esse prorsus stultam, ac temerariam rerum absurdarum comprehensionem. Quanquam enim argumenta fidei nostræ non sunt eiusmodi, vt rerum, quæ creduntur, euidentiam pariant, probant tamen neque cum ratione pugnare, neque vllo modo videri absurda, & prudenter credi, ac defendi posse.

XVIII. Porrò quod ait Petrus, *Rationem de ea, quæ in vobis est, spe*, non perinde accipiendum est, quasi vnius tantum spei reddenda ratio sit omissa fide, aliisque religionis nostræ capitibus, sed cùm spes seclusa fide, nulla prorsus esse queat, eo nomine vniuersam religionem intelligit. Quocirca Syrus interpres transtulit, *de spe fidei*, hoc est, de spe, quam fidei beneficio concepistis. Et Fulgentius [a] constanter legit, *De fide, & spe*. Neque aliter legisse videtur Beda: *Sic enim disserit. Duobus modis de spe, & fide nostra rationem poscentibus reddere debemus, vt & iustas spei, ac fidei nostræ caussas omnibus intimemus, siue fideliter, siue infideliter quærentibus, & ipsam fidei, ac spei nostræ professionem illibatam semper teneamus, etiam inter pressuras aduersantium ostendentes per patientiam, quàm rationabiliter eam seruandam didicerimus, pro cuius amore, nec aduersa pati, nec mortem subire formidemus.*

a lib. 1. ad Trasimun.

XIX. Neque verò propterea quibusvis vulgò permittendum est, sacras literas explicare, aut de rebus fidei, & occultis mysteriis disputare. Verè namque scripsit Nazianzenus [b], *Non est omnium disputare de Deo, non est omnium, diuinam discutere naturam, non ita vilis est sacra Scripturæ sermo, vt vulgo indecili, & per terram adhuc repentibus homunculis pateat.* Et alibi [c], *Ac profectò legem quoque apud nos constitutam esse oportebat, quæ iuberet, vt quemadmodum olim apud sapientes Hebræos à quibusdam Scripturæ sacræ libris iuuenes arcebantur, vtpote tenuioribus adhuc, minimèque firmis animis haudquaquam profuturis, eodem quoque modo non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus de fide disputandi potestas fieret, iis nimirum, qui nec ingenio sunt omnino segni, & ignauo; nec rursum, iis, qui inexplebili quadam auiditate laborant, gloriæq; studio ducuntur, atq; in pietate feruentiores sunt, quàm par sit, atque hi quidem illic collocarentur, vbi nec sibi ipsis, nec aliis noxij essent: iis autem, qui in disputationibus modesti, ac verè compositi, & temperantes essent, libera disputandi facultas daretur; promiscua verò multitudo ab hac via, & loquacitatis morbo hac tempestate vigente abducta, & auersa, ad aliud virtutis genus minùs periculosum traduceretur, vbi & segnities minorem labem, ac detrimentum afferret, & insatiabilis auiditas pietatis laudem haberet.*

b or. 33. quæ est 1. de Theologia.

c or. 26. non procul à fin.

XX. Deinque modùm in disputationibus obseruandum luculenta oratione docet. Quò spectant ea, quæ scribit Basilius [d], qui traditionem quandam abditam, & arcanam à maioribus traditam fuisse ait, *quam Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos summouet, seruarunt. Pulchrè quidem illi nimirum docti, arcanorum venerationem silentio conseruari* & plura deinceps subiicit, quibus ostendit non omnia passim omnibus tradenda esse. Quinetiam Christus ipse non obscurè indicauit, quædam esse silentio premenda, habita præsertim ratione & personarum, & temporis. Sic enim Apostolos aliquando affatus est [e], *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò.* Et Paulus [f] non omnibus ait Doctoris munus permissum esse. *Nunquid*, ait, *omnes Doctores?* quasi dicat, Nequaquam; & à docendi munere apertè mulieres arcet [g], *Mulier*, inquit, *in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto.*

d li. de Spir. sanc. c. 27.

e Ioan. 16. 12.

f 1. ad Cor. 12. 29.

g 1. ad Tim. 2. 11.

XXI. Quæ omnia eò libentiùs admonui, vt intelligant Nouatores, quantopere ab Apostolico instituto dissideant ipsi, qui sacras literas cuiuis non legendas modò, sed etiam explanandas permittunt. Male autem hoc Apostoli testimonio se tuentur, siue quia Petrus de sæculo illo Apostolico loquitur, vt paulò antè dixi, siue quia cùm indefinitè loquatur, ad eos potissimùm

fictum eius oratio pertinet, qui muneris, aut facultatis, & eruditionis respectu, fidei dogmata, & explicare, & aduersùs hæreticos, & infideles defendere, ac tueri possunt. Quomodo loquitur Damascenus [a], qui hoc Petri testimonio probat, viros sapientes, promptos, ac paratos esse oportere ad alios erudiendos: subditque Basilij verba, qui proditionis periculum esse ait, *Si quis de rebus diuinis ab iis interrogatus, qui Dei amore praditi sunt, non promptè, atque impigrè respondeat.*

a lib. 3 parallel. c. 38.

XXII. Eandémque Petri sententiam Episcopis, ac Doctoribus accommodat Fulgentius, qui aduersùs Trasimundum Vandalorum Regem, & primarium Arrianorum [b] fautorem hunc in modũ scribit: *Cùm pro nostra fide liberè respondemus, nulla contumacia debemus suspicione notari, cum nec regia simus dignitatis immemores, sciamúsque Deo timorem, honorem Regibus exhibendum. Nos etiam B. Petrus ad respondendum paratos esse debere, paterna iubet dilectionis instinctu. Parati inquiens, semper ad respondendum omni poscenti vos rationem de fide, & spe qua in vobis est. Cùm omni poscenti rationem fidei, speique nostra pracipimur reddere, cessat prorsus vniuersa tam dignitatis exceptio, quàm persona.*

b lib. 1 ad Trasimund.

XXIII. Porro Didymus hanc Petri sententiam tum ad priuatos, tum potissimùm ad Ecclesiæ Præsides pertinere non dubitat. Ac de priuatis quidem ait, *Sicuti continuè agi quod bonum est, diuina doctrina vult, ita & instructos esse fideles hortatur, vt parati sint ad comprobationem rerum sapiendarum: quia enim multi Euangelio disciplinabiliter intendentes exigunt nos satisfactionem spei beata, non oportet segnes esse, & ad satisfactionem deferre requirentes, sed magis esse praparatos Christi discipulos.* Et post pauca: *Adhoc etiam Paulus* [c] *inuitat scribens, In sapientia ambulate propter eos, qui foris sunt, scientes quomodo oporteat singulis respondere.* Mox verò de Præsulibus subdit: *Propterea qui prasidere Ecclesiastico magisterio deputatur super hoc quod debet habere doctrinam, debet etiam resultantes obstruere.*

c ad Col. 4. 5

16. *Sed cum modestia, & timore conscientiam habentes bonam, vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.*]

I. Græci codices particula aduersatiua carent, sed simpliciter habent μετὰ πραΰτητος; hoc est, *cum modestia*; seu, vt alij transferunt, *mansuetudine*. vt videatur Apostolus hæc superioribus attexere, vt sit sensus, *volo vos paratos esse, probéque instructos, vt possitis fidei, ac spei vestra omnibus rationem reddere, idque cum modestia, seu mansuetudine, & timore, seu reuerentia, bona interim conscientia praditos.* Quem sensum non obscurè indicat vulgatus interpres, & apertè sequitur Oecumenius. *Quibus sanè*, inquit, *vt considerate, & exquisite responsiones afferamus, consulit, ita vt à vita etiam nostra comprobentur, id quod conscientiam vocat.* Et post nonnulla, *Sed promptè prompti*, ait, *estote ad responsionem semper vnicuique, qui à vobis de vestra spe rationem requisierit, reddendam: ita vt actiones quoque bonas pra vobis feratis: nam si humanè hoc, & mansuetè feceritis, & conscientiam vestram bonam esse, id est, conscios vos bonorum esse, & non malorum, vt qui vos calumniantur dicunt, probabitis.*

II. Et sanè hoc maximè videtur consentaneum. Metuendum enim est, ne qui fidei dogmata, & explicare, & defendere possunt, tumore quodam elati sese supra cæteros efferant, & arrogantiùs gerant. Tritum est enim illud eloquentissimi Oratoris, Quò quis plus ingenio valet, hoc maiori fastidio, quæ nouit, aliis tradere. Quocirca sapienter Plutarchus [a], *Vt agricolis*, inquit, *permcundum est, videre spicas inclinatas ad terram, & nutantes (nam qua ob leuitatem sursum tendunt, inanes esse creduntur) ita Philosophistri quidam vani nihil habentes ponderis, & grauitatis, elato sunt animo, & in habitu, incessu, vultuq́; nihil prater merum fastum, aliorúmq́; pra se contemptum produnt. Perspicuum est igitur eis, qui fructum ex Philosophia studio percipere moliuntur, deponendum esse protinus quicquid vanum est, & arrogans. Et quemadmodum è vasis liquorem aliquem recipientibus aër inanis expellitur, sic qui in Philosophia studio veris implentur bonis, fastum exuunt, mitioremq́; de se concipiunt opinionem, parum iam barbam iactantes, & pallium, dum omne studium ad interna transfertur.*

a lib. de profect. mor.

III. Quod multò magis de Christiana Philosophia sentiendum est: quo quis enim maiores in ea processus fecerit, hoc se magis ad modestiam, & mansuetudinem componit. Nam, vt aliàs sæpè iam dixi, plus vitæ exempla, quàm doctrinæ præcepta ad aliorum animos permouendos, atque inflammandos valent. Idcirco modestiam, seu mansuetudinem, & timorem, bonam denique conscientiam studiosè retinendas docet, ne videlicet iure vsurpari queat, quod scribit Paulus [b], *Qui ergo alium doces, teipsum non doces, qui pradicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrificium facis, qui in lege gloriaris per prauaricationem legis Deum inhonoras.*

b ad Rom. 2. 21.

IV. Remouet igitur Petrus procacia, & contumeliosa verba, ne infideles, qui fidelium oratione, & exemplo ad fidem traducendi sunt, ad indignationem, & iram prouocentur. ac propterea virtutes contrarias suadet, modestiam quidem in voce, & actionibus externis, timorem verò, quo Deum supremum iudicem, & animi spectatorem metuimus, denique conscientiam bonam, hoc est integram, & puram, atque ab omni prorsus labe alienam. Quorsum autem hæc omnia referantur, mox subiicit Petrus.

V. *Vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Simile quiddam superiori capite [c] dixerat, *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Olim certè Gentiles, vt alias non semel monui, Christianos tanquam stultos, & amentes irridebant, quòd præsentia bona contemnerent, voluptates aspernarentur, diuitias, atque honores nihili ducerent, sed cùm eorum vitam, moré̆sque respiciebant, fateri cogebantur, esse illos sceleris omnis expertes, quod, vt aliàs dixi, testatur Plinius iunior, ad Traianum scribens. *In eo*, inquit, *quod detrahebant*, aut detrahere certè cupiebant, pudore suffundebantur, quod nihil in eorum vita reprehensione dignum deprehenderent.

c vers. 12.

VI. Itaque gloriatur Tertullianus [d], quòd licèt multa Christianis crimina obiicerentur, nihil vnquam tamen probari potuerit. Necesse igitur est, eos pudefieri, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. Græcè autem dixit Petrus pro eo, quod ait interpres, *Calumniantur*, ἐπηρεάζοντες, quasi dicat curiosè anquirentes, vel potiùs incommodantes, vexantes, & molestia afficientes, vt alludere videatur ad impiam infidelium consuetudinem, qui acerbissima quæque Christianis intentabant, qui tamen ipsorum innocentia cognita, virtutem admirari, ac suspicere compellebantur. Etenim Christianam disciplinam auctore Iustino [e], Sibylla miris extulit laudibus: sic enim ait:

d in Apologet.

e in adhortat. ad gent.

Felices eras animæ telluris habebunt.
Laude Deum prius ingentem, quam corpora curent,
Insignes quæ confisa pietate beabunt;
Cunctaq́; despicient, templorum tecta negantes,
Aras surdorum nihili monumenta deorum
Cædibus, & spurco pecudum polluta cruore,
Vniusq́; Dei sacris pia turba litabit.

VII. Atque ex hoc principio illa etiam manarunt, quæ ex vita Christianorum ad publicam vtilitatem redundare scribit idem Iustinus [a]. *Ad pacem verò, ait, publicam conseruandam vobis plusquam homines cunctis adiutores sumus, & opitulatores, qui videlicet docemus, nullum apud Deum tectum esse posse, aut maleficum, & auarum, & insidiatorem, aut etiam virtutis studiosum virum, atque vnumquemque ad sempiternam vel pœnam, vel salutem pro factorum suorum meritis contendere.* Quò referri possunt non pauca, quæ habentur apud Tertullianum [b], & Lactantium [c].

a in Apol. ad Anton.
b in Apol. c. 37.
c lib. 5. c. 8.

VIII. Illa verò ad huc Petri locum illustrandum mirificè pertinent, quæ post nonnulla scribit idem Iustinus. Cùm enim Christi præcepta commemorasset, quibus ad mansuetudinem, ac lenitatem fideles informantur, hæc subicit. *Quod sanè de multis etiam vestrorum, qui nobiscum fuère, probare possumus, qui ex violentis, & truculentis alij prorsus per mutationem morum euaserunt, consuetudine nostrorum hominum victi, dum aut vicinorum constantiam vitæ sequerentur, aut comitum in via omnia inferiora habentium, & iniurias tolerantium patientiam nouam perspicerent, aut fidem eorum in contractibus experirentur.* Denique ne longum faciam, Prudentius [d] Deum hisce verbis Christianos alloquentem inducit

d li. 2. aduer. Symmac.

——vincenda voluptas
Elaqueanda animi constantia, ne retinaclis
Mollibus ac lentis nexa, & captiua prematur;
Nitendum summis conatibus, inter acerba
Sectandum virtutis iter, ne suauia fluxa
Conditionis amet, nimium ne congerat aurum,
Ne varios lapidum cupidè spectare colores
Ambitiosa velit, ne se popularibus auris
Ostentet, pulchroq́; inflata tumescat honore,
Ne natale solum patrij, ne iugera ruris
Tendat, & externos animum diffundat in agros,
Et ne corporeis addicat sensibus omne
Quod vult, aut quod agit ne præferat vtile iusto;
Spemq́; omnem in me statuat, nunquam peritura
Quæ de me sunt, æternùm mea dona manebunt.

IX. Quamobrem Constantinus, vt scribit Eusebius in eius vita [e], Sapori Persarum Regi gratulatur, quòd Christianorum religio potissimam Persidis partem exornasset. Non igitur prorsus extra rem Petrus semel, atque iterum inculcat, vt Christi fideles eam vitæ rationem retineant, quam qui maximè calumniari cupiunt, laudare, atque admirari compellantur.

e li. 4. c. 12. & 13.

17. *Melius est enim benefacientes, si voluntas Dei velit, pati, quàm malefacientes.*]

I. Occurrit, ni fallor, tacitæ quorundam cogitationi, qui obiicere poterant Apostolo Christianorum viuendi rationem, quippe ab infidelium moribus maximè discrepantem, iis esse exosam, atque idcirco in inuidiam vocari, & iudicum seueritati, tyrannorum sæuitiæ, & carnificum immanitati obnoxiam degere. Atqui, ait Apostolus, multò est laudabilius, multóque præstantius integrè, castéque viuendo suppliciis affici, quàm si iustas quis scelerum suorum pœnas luat. Hanc quippe ob caussam gloriatur Dauid [f], ait enim, *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.*

f Ps. 43. 22.

II. Neque aliter existimauit Paulus [a], qui hoc ipso Dauidis testimonio allato, non minùs verè, quàm gloriosè prædicat, nullius rei creatæ tantam esse vim, quæ se possit à Christi caritate seiungere. Et alibi [b] ait: *In hoc enim laboramus, & maledicimur: quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum maximè fidelium.* Et alio loco [c], *Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.*

a ad Ro. 8. in fine.
b 1. ad Tim. 4. 10.
c 2. ad Cor. 4. 11.

III. Quocirca Tertullianus [d] etiam fœminas ad Martyrij constantiam his verbis hortatur. *Proinde vos benedicta quodcunque hoc durum est ad exercitationem, virtutem animæ, & corporis deputate. Bonum agonem subitura estis, in quo agonothetes Deus viuus est, Xystarches Spiritus sanctus, corona æternitatis brauium, Angelicæ substantiæ politia in cœlis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque Epistates vester Christus Iesus, qui vos Spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore coguntur, cruciantur, fatigantur, quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria sperant. Et illi, inquit Apostolus, vt coronam corruptibilem consequantur, nos æternam consecuturi carcerem nobis pro palæstra interpretemur, vt ad stadium tribunalis bene exercitati incommodis omnibus producamur, quia virtus duritia extruitur, mollitia destruitur.*

d li. ad Mart. c. 3.

IV. Chrysostomus [a] verò, *Ob id*, ait, *Martyres amamus, non quòd crucientur, sed quòd non ob malefacta puniantur. Prædonibus raduntur latera, & monumentorum perfossoribus, maleficisque; idem patiuntur, & Martyres. facta quidem sunt eadem, cæterùm caussa cur hæc fiant, non est eadem.* Accedit quòd qui cùm honestè, ac laudabiliter viuat, hoc ipso torquetur, & cruciatur; Christum Dominum, ac liberatorem nostrum imitatur, qui cùm esset innocentissimus, sæuissima tamen supplicia hominum caussa subiit. Quocirca rectè paulò antè dixit Petrus [f], *Si quid patimini propter iustitiam, beati.* & capite superiori [g], *Si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* hanc ob caussam existimauit Oecumenius, quæ hoc loco ait Petrus non ad proximè dicta, sed ad superiora illa referenda esse quę modò commemoraui, *Si quid patimini propter iustitiam, beati.*

a cot. 1. ad Antioch. [illegible] lud.
f vers. 14.
g vers. 20.

V. Quanquam non omnino negat posse etiam cum proximis coniungi, si verbum illud, *benefacientes*, vniuersim pro virtutis studio, atque amore accipiatur. Ita enim scribit, *Vel si quis ad proximè dicta assignare hanc caussam velit, verbum hoc, benefaciendo, non ita sumendum erit, vt ad alterum referatur, & pro beneficiis afficiendo accipiatur, sed absolutè pro bene agendo, beneq́; operando intelligi debebit, & simili modò malè faciendo.* Et profectò Petri verba hoc simpliciter modo accipienda videntur, vt idem semper vrgeat Petrus; tum demum rerum aduersarum tolerantiam probandam esse, si cum morum innocentia, vitæque integritate coniungatur.

VI. Addit autem, *Si voluntas Dei velit.* quo loco Augustinus [h] legit, *Si velit Spiritus Dei.* ostendit autem Petrus, vt in pręsentia monet Oecumenius, *omnia Dei nutu, ac voluntate accidere. Cuncta verò vel ad subleuationem à peccatis, vel ad comprobationem, & gloriam nostram, vel ad salutem aliorum fieri; hoc autem dupliciter contingit; vel enim affligitur aliquis iustus, vt peccatores alij corrigantur, in quem sensum dictum illud est, Si iustus vix seruatur, peccator vbi apparebit? Atque hoc quoque duplicem præsefert vtilitatem, dum iusto qui*

h li. 22. contra Faust. c. 20.

calami

calamitatibus opprimitur per patientiam iustitia incrementum, peccatori qui id videt, conuersionem afferat quemadmodum diximus. Sic Oecumenius.

VII. Augustinus [a] autem, *Cùm ex voluntate*, ait, *Spiritus Dei patiuntur benefacientes, non patitur iustis, cùm autem malefacientes, non patitur peccatoribus, secundùm illius tamen voluntatem fit vtrumque, qui ait, non parcam nec iusto, nec peccatori illum flagellando, vt filium, illum puniendo, vt impium.* Addit Oecumenius pati aliquando iustos ob aliorum salutem, quod non perinde accipiendum est, quasi martyrum, iustorúmque supplicia per se ad nostram salutem referantur, quomodo Christus Dominus in cruce moriens cunctis mortalibus aditum ad salutem patefecit; sed quod interdum, vt aliàs dixi, Martyrum constantiam non pauci imitentur, nonnulli etiam tam singulari fortitudine commori, impio idolorum cultu abiecto Christo nomina dederint, vt non immeritò, quod aliàs monui, Tertullianus Martyrum sanguinem semen Christianorum appellarit.

a loco indicato.

VIII. Interim igitur Christianorum animos his paucissimis verbis subleuat Petrus: nam & ad diuinam prouidentiam omnia reuocat, quam par est fideles non suspicere solùm, atque admirari, sed piè, ac religiosè colere. & interim monet non semper calamitates, & vitæ incommoda metuenda esse, si forté Deo ita visum fuerit, qui ad iustorum vtilitatem omnia refert, quique singulari beneuolentia iustos complectitur, suoque patrocinio perpetuo tuetur, ac fouet. Neque verò in præsentia, quod in scholis Theologi facere consueuerunt, curiosius inuestigandum est, quæ, aut qualis censenda sit ea voluntas, qua Deus vult iustos rebus aduersis interdum vexari.

IX. Equidem, vt alibi docui, Clementi Alexandrino libens assentior, qui Martyrum supplicia, atque adeò Christi Domini mortem antecedenti Dei voluntati tribui negat oportere. Sic enim alicubi [b] ait: *Nos autem non sic existimamus, velle Dominum, vt in casus incidamus. sed prophetice prædixisse ea, quæ essent euentura, fore scilicet, vt propter nomen eius pateremur persecutionem, vt occideremur, & vt suspenderemur. Quamobrem noluit nos pati persecutionem, sed ea, quæ passuri sumus prius significauit per ea quæ sint ventura, prædictionem exercens ad tolerantiam, cui promisit hæreditatem.* Et post nonnulla. *Neque enim Dominus passus est voluntate Patris, nec qui patiuntur persecutionem, eam Dei voluntate patiuntur. nam ex duobus alterum aut bonum quid, & honestum erit persecutio propter Dei voluntatem, aut erunt insontes, qui eos afficiunt, & affligunt. Sed nihil fit sine voluntate Domini vniuersorum. Restat itaque vt breuiter dicamus ea, quæ sunt eiusmodi, euenire Deo non prohibente: hoc enim solum seruat & prouidentiam, & Dei bonitatem. Non est ergo existimandum eum operando exercere afflictiones. Neque enim hoc cogitare licuerit; sed non prohibere eos, qui illas exercent persuasum habere conuenit, & ad bonum vti audacibus cœptis aduersariorum.*

b li. 4. Stromat.

X. Significat autem, quod mihi planè videtur omnino certum, quamuis alij multo aliter sentiant, non esse diuinæ voluntatis decretum, omnem prænotionem antecuertens, caussam omnium, quæ in rebus creatis, siue ab hominibus, siue ab aliis caussis secundis decursu temporis peraguntur. plurima enim proximis caussis præsertim liberis permittuntur, quæ cùm Deus sua diuina scientia penitus comprehendat, nec prohibeat, sed suo diuino concursu promoueat, ea dicitur velle, vt doctè copioséque docet Damascenus [c].

c li. 2. de fide, c. 29.

XI. Cum igitur ait Petrus, *Si voluntas Dei velit*, voluntatem Dei intelligit, quam Theologi consequentem appellant, quæ habito respectu ad res creatas, multa etiam mala permittit, quæ diuina sua prouidentia ad bonum conuertit. Vt enim ait Augustinus [a], *Illud quod malum dicitur bene ordinatum, & loco suo positum eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, vllo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.*

a in Enchir. c. 11.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

18. *Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.*]

Caussam reddit superioris sententiæ, & Christi exemplo docet non modò honestum, sed gloriosum esse pro Christi nomine acerbissima quæuis pati. Præstabilius dixerat esse, multóque optabilius, cùm honestè, atque laudabiliter viuas, aduersa, & incommoda multa pati, quàm si malefactorum pœnas luas. hæc enim perfecta quædam est Christi Domini imitatio, qui cum esset innocentissimus pro nostris flagitiis grauissima supplicia pertulit, atque adeò sæuissimo mortis genere occubuit. *Semel*, inquit, *pro peccatis mortuus est.* nam cum rediuiuus ad superos remeauit, *iam non moritur*, vt ait Paulus, *& mors illi vltra non dominabitur.* Quocirca rectè Beda, *Qui ergo*, inquit, *iustus patitur, Christum imitatur, qui in flagellis corrigitur latronem, qui in cruce Christum cognouit, & a cruce cum Christo paradisum intrauit; qui nec inter flagella desistit à culpis sinistrum imitatur latronem, qui propter peccata ascendit in crucem, & post crucem ruit in tartarum.* I.

Semel autem ait Christum Dominum mortuum esse, vt eius mortis efficacitatem significet, ita enim sæpe loquitur Paulus, vt cruentum eius sacrificium adeò perfectum fuisse doceat, vt nihil necesse fuerit illud iterari [b]. *Qui non habet*, inquit, *necessitatem quotidiè, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Et post multa [c], *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.* Rursus non ita multo post [d], *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Quod autem maximè ad rem facit, & fidelium imbecillitatem subleuat, & confirmat, addit, *Iustus pro iniustis.* Nam vt supra dixit Petrus [e], *Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* II.

b ad Hebr. 7. 27.

c cap. 9. 12.

d vers. 28.

e cap. 2. 22.

Et vt maior Christi caritas elucescat, *pro iniustis*, ait, hoc est ingratis, scelestis, ac perduellibus, adeòque omnibus flagitiis coopertis. Ita enim alicubi Paulus diuinæ caritatis magnitudinem extollit [f]. *Commendat autem*, ait, *caritatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et paulo antè dixerat [g], *Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impiis mortuus est?* Pro iniustis autem dicitur mortuus, quia suo sanguine nostrorum scelerum sordes abluit, ita enim argumentatur Paulus [h], *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo emundabit conscientiam nostram ad seruiendum Deo viuenti?* III.

f ad Ro. 5. 8.

g vers. 6.

h ad Hebr. 9. 13.

Et in eandem sententiam Ioannes [i], *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem* IV.

i ep. 1. c. 2. 2

tantùm, sed etiam pro totius mundi. Quod proprium est virtus Christi, vt copiosè docet Cyrillus [a]. Estque vt ait Ambrosius [b], eius mortis fructus in Ecclesia Dei perpetuus. *Christus, ait, semel quidem pro peccatis populi mortuus est sed quotidie peccata populi redempturus.* Bene autem B. Thomas obseruat Christi exemplum frequenter nobis ad imitandum proponi, quia vt ait Augustinus, summa Christianæ religionis est imitari, quod colas.

a li. de rect. fi. ad regin.
b lib. 10. in Luc.

V. Semel autem mortuum dicit ad eorum euertendam hæresim, qui Christum semel quidem in terra ad hominum salutem comparandam obiisse aiebant; iterum autem in aëre moriturum, vt dæmones ab interitu liberet. Interim etiam eorum vesanam temeritatem castigat, qui ita sese sceleribus inquinant, quasi denuo Christus suo illos sanguine, & morte sit expiaturus, cum potius vnica Christi mors vnicam nobis pœnitentiam persuadeat, qua ita præterita scelera detestemur, vt ea nobis nullo vnquam tempore iteranda sint.

VI. *Vt nos*, inquit, *offerret Deo mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.* Ita enim habent emendatiores codices. Græcè enim scripsit Petrus, [illegible], olim tamen nonnulli codices hanc Petri orationem ad homines referebant, quasi Petrus dixerit, *Vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu*; non prorsus inepta, aut aliena sententia: id enim citra vllam dubitationem potissimùm quærebat Christus, vt nos quasi hostias, & spiritales victimas Deo offerret. Quomodo ad Romanos scripsit Paulus [c], *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

c cap. 12. 1.

VII. Necesse enim est inferiores omnes animi facultates, quæ carnis nomine comprehenduntur, rectæ rationi subiicere, quod nihil est aliud, quam mortificare. Superiores autem animi partes, quæ nomine spiritus censentur, cœlesti quadam vita erigendæ, ac roborandæ sunt, vt omnes aduersariorum impetus frangere, ac superare queant. At communior, veriórque sententia est Christum Dominum dici mortificatum quidem carne, viuificatum autem spiritu. Ita enim olim legerunt Clemens Alexandrinus, Epiphanius [d], Didymus, Oecumenius, & alij.

d Hær. 77.

VIII. Nec dubito eodem modo legisse Athanasium [e], qui aduersus Valentinianos disputans, *Verbum*, ait, *non Patrem, aut Spiritum sanctum mortem obiisse. Mors enim, ait, in carnem Verbi, quod Patri consubstantiale est, introducta fuit. Siquidem neque Pater, neque Spiritus carnem gessit, vt impie Valentini discipuli calumniantur. Sed Verbum caro factum est, ideo nos confitentes Deum, & hominem Christum esse, non dissepar ationis caussa istud dicimus. Absit, sed secundum scripturas, vt morte eius, passionéque verè acta, eaque depradicata, donec veniat, in carne quidem Verbi passionem, & mortem confiteamur, ipsum tamen Verbum incommutabile, & inalterabile esse fide cognoscamus. ideóque idem est, qui passus est, & non passus diuina quidem natura incommutabilis, & inalterabilis, carne tamen passus, vt dixit Petrus, & mortem gustare volens eo quod factus sit mediator Dei & hominum.*

e li. de incar. Christ.

IX. Petrus igitur Christum ait carne mortificatum hoc est mortali caducaque natura supplicia, & mortem subiisse, ne quis existimaret, quod stultè, atque impeitè Gentiles obiiciebant, diuinam naturam mortis fuisse obnoxiam. Eodémque modo inter Latinos legit Hieronymus [a], *Iuxta Apostolum Petrum*, ait, *occisus est carne, viuificatus spiritu, & prædicauit spiritibus in carcere constitutis, quando Dei patientia expectabat in diebus Noë diluuium impiis inferens.* Neque aliter legit Augustinus [b]. *Cum dixisset*, inquit, *Christum mortificatum carne, viuificatum spiritu*, continuo subiecit, *in quo & iis, qui in carcere erant conclusi, spiritibus veniens prædicauit*, &c.

a in Isaiam c. 54.
b epist. 99.

X. Quod autem ait, viuificatus autem spiritu, Athanasius de Spiritu sancto explicat, quasi auctor resurrectionis Christi fuerit diuina natura, quam explanationem sequitur Oecumenius. *Mortificatus quidem carne*, ait, *hoc est morte affectus ex natura carnis; humana scilicet, quam assumpserat. Sed viuificatus spiritu, id est à mortuis resurgens ex vi, & potentia diuinitatis. Deus enim Spiritus est, vt ipse theologiæ fons, ac sapientiæ nos docuit: ex mortuis siquidem non quatenus homo, sed quatenus Deus resurrexit.* Quam sententiam visus est indicare Paulus cum ad Corinthios [c] scripsit, *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.*

c ep. 2. 13. 4.

XI. Nec dubium est, vt aliàs dixi, primariam resurrectionis Christi caussam fuisse Deum. ipse tamen Christus etiam qua homo erat, sese potuit ab inferis excitare. Dicitur autem viuificatus Spiritu. Hoc est, vt ego interpretor, anima, de qua mox subiicit, *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit*; vt significet sponte sua animam Christi corpus suum denuo sibi copulasse, quod indicare visus est Christus, cum apud Ioannem [d] dixit, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Et alibi [e]; *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* qua verò id actione, aut efficientia factum sit, alibi docui. Accedit quod hac ratione innuit Petrus seiunctam fuisse quidem Christi animam à corpore, sed illam quippe immortalem vitam suam retinuisse, atque adeo vitales actiones exercuisse, ac propterea mox subiicit:

d cap. 2. 19.
e Io. 10. 17.

19. *In quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit.*

20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë cum fabricaretur arca, in qua pauci id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.*]

I. Obscurus, maximéque impeditus locus est, & multorum explanatione magis implicitus. Augustinus [f] enim, quem sequitur Beda, spiritus in carcere constitutos interpretatur homines, qui ætate Noë viuebant, quorum videlicet animæ in corpore tanquam in carcere inclusæ tenebantur. Christum autem in spiritu hoc est suæ diuinitatis vi illis prædicasse affirmat, quod bonam illis mentem diuinitus afflaret, & ad diuinum cultum tacitè inflammaret. Ab hac sententia Augustini parum admodum discrepant nouatores quidam [g] qui Christum diuinitate tantum prædicasse aiunt spiritibus in carcere detentis, quamuis carcerem aliter, quam Augustinus interpretentur.

f epist. 99.
g Beza.

II. Sed bene habet, quod ne[…]se quidem huius sententiæ auctor Augustinus illam [illegible] ex parte probat rogat enim, vt quæratur ratio, quomodo hic locus possit ad inferos pertinere. *Hæc*, inquit, *expositio verborum Petri cui displicet, vel cui etiamsi non displicet, non tamen sufficit, quærat ea secundum inferos intelligere, quia si vaiuerit illa quibus me mouere suprà commemoraui,*

morans iis soluere, vt eorum auferas dubitationem, impartias & mihi, quod si factum fuerit, poterunt illa verba vtroque modo intelligi. Verùm omnis fermè antiquitas hæc Petri verba perinde accipit, quasi significet Christi animam ad inferos penetrasse, ibique quodam modo prædicasse.

III. a 6. Stroma. Ita enim loquitur Clemens[a] Alexandrinus, *Quamobrem prædicauit Dominus iis quoque, qui erant apud inferos.* Videtur enim ad hunc Petri locum alludere: nam post pauca subiicit, *quid verò annon significant Dominum annunciasse Euangelium & iis, qui perierant in diluuio, vel potiùs vincti fuerant, & iis, qui in præsidio continebantur, & custodia?* Rursus. *Dominus nulla alia de causa descendit ad inferos, quam vt enunciaret Euangelium.* Et post multa. *Quid ergo non etiam apud inferos fuit eadem œconomia, & dispensatio, vt illic quoque omnes animæ audita prædicatione, aut ostendant pœnitentiam, aut propterea quod non crediderunt, iustum fateantur esse supplicium?* Denique. *Si ergo iis qui erant in carne, propterea enunciauit Euangelium ne iniustè condemnentur; quo modo non etiam iis, qui excesserunt ante eius aduentum, propter eandem caussam enunciauit?*

IV. b in Dialogo cũ Tryphone. c lib. 3. c. 23. Iustinus[b] verò martyr, & eum secutus Irenæus[c] verba quædam ex Isaia proferunt, quæ omne quidem nusquam apud eum Prophetam leguntur, quæ hanc ipsam Petri sententiam apertiùs continent. *Commemoratus est*, inquit, *Dominus sanctus Israël mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis, & descendit ad eos euangelizare salutem, quæ est ab eo, vt saluaret eos.* Sed Iustinus quidem, & ipse Irenæus alibi[d] d lib. 4. c. 39. e lib. 5. c. 31. ea verba Ieremiæ tribuunt. rursus Irenæus alio loco[e] simpliciter Prophetæ adscribit, nullo certo nomine indicato. f de incarn. Christi. Athanasius[f] porrò, *anima*, inquit, *ad inferos penetrante locis ingenti interuallo discriminatis sepulchro quidem, id quod corporeum erat, quia ibi corpus aderat, recipiente, inferno verò, id quod incorporeum fuit. Qua ratione igitur factum est, vt cùm Dominus adesset incorporaliter pro homine à morte sit agnitus, vt earum animarum, quas infernus tenebat, vincula sua animæ inobnoxia quidem vinculis mortis, sed tamen quæ quasi obnoxia facta esset, disrumperet, explicans illis modum, rationémque suæ resurrectionis, vt plectes ille, & conductor hominis hominem damnationi subiectum ipse præsens ad plenum liberaret in sua forma.* Et alibi[g]. g epist. ad Epict. *Corpus tum quippe in sepulchro erat positum, cùm verbum abiit, vt prædicaret spiritibus, qui in carcere tenebantur vt dixit S. Petrus.*

V. h Hær. 77. i lib. 12. in Ioan. c. 36. Epiphanius[h] hæc ipsa Athanasij verba reperit. Cyrillus[i] Alexandrinus ait, *Cùmque tempus iam esset, vt etiam spiritibus apud inferos prædicaret (venit enim vt tam viuorum, quàm mortuorum dominaretur) mortem pro nobis suscepit.* k lib. de recta fide ad Theodos. Et alio loco[k], cùm hæc ipsa Petri verba protulisset, subdit, *neque enim opinor, dixerit, quòd nuda & per se deitas vnigeniti descenderit quidem in infernum, & prædicauerit iis, qui illic spiritibus, quæ omnino est inuisibilis: diuinitas enim maior est, quam vt videatur, sed neque admittimus, quod ipsa appareret, figura in animæ speciem transformata sit. cauenda enim omnino est illa apparentia. Sed quemadmodum vnigenitus cum iis qui adhuc in carne conuersatus est cum carne, ita & animabus in inferno prædicauit animam habens sibi vnitam, in qua fuit.*

VI. l Orat. 42. His addo Gregorium[l] Nazianzenum, quem hoc loco laudat Oecumenius: de Christo enim hunc in modum loquitur, *Si in infernum descendat, simul descende, ea quoque mysteria cognosce, quæ Christus illic designauit, quod duplicis descensus consilium, quæ ratio fuerit, vtrum omnes sine vlla exceptione aduentu suo saluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui crediderunt.* Quo loco Nicetas Platonis historiam paucorum auctoritate recenset qui se ait, cum Christus apud inferos prædicauit, omnium primum fidem complexum esse. a in Psal. 118. in illa verba Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. b ad Rom. 10. c in Symb. Eiusdem denique sententiæ inter Latinos fuerunt Hilarius[a], Ambrosius[b], & Ruffinus[c]. Vni ergo Augustino ipso præsertim consentiente tam multos Græcos, & Latinos Patres obiicimus.

VII. Addo relatiuum, *in quo*, proculdubio referre, quod modo dixerat, *viuificatus autem spiritu.* Quamuis autem nomine spiritus, diuinitas significari potest, quia tamen ex aduerso respondet carni, longè probabilius, vt supra docuimus, pro anima accipitur. atque ita apparet non posse Petri verba ad Noæ tempora referri, cum nondum Christus anima præditus esset. Nam quod obiicit Augustinus id tantum viuificari, quod mortem obiit, animam verò mori nequaquam posse, ac propterea nulla ratione viuificari, facilè refellitur, tum quia Petrus non ait Christi animam fuisse viuificatam, sed Christum animæ suæ facultate rediuiuum ad superos remeasse, tum quia non semper in sacris literis id dicitur viuificari, quod mortem obiit.

VIII. d lib. 1. c. 27. e 2. Reg. 8. f cap. 7. 9. Siquidem Dauid, vt scriptum est in libris Regum[d], *virum, & mulierem non viuificabat*, hoc est nullius vitæ parcebat. Et alibi[e], *extendisse dicitur duos funiculos super Moab, vnum ad occidendum, vnum ad viuificandum*, hoc est definiuisse, quinam perimendi, quiue seruandi essent. Denique in Actis apostolicis[f] ita loquitur Stephanus, *Afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur*; hoc est ne possent viuere. Denique vt concedamus id tantum viuificari quod obiit, rectè Christus, qui verè mortuus est, spiritu dicitur viuificatus, hoc est animæ suæ efficacitate ad vitam reuocatus.

IX. Quod si proprietas verborum retinenda est, vt maximè retinenda videtur, nisi rerum necessitas aliud postulet, quod ait Petrus, *veniens prædicauit*, de diuinitate, quæ locum non mutat, propriè accipi nequaquam potest, cum de anima Christi verissimè possit affirmari. Quod ipsum intelligendum est de spiritibus, qui in carcere erant. Valdè enim impropriè, ac metaphoricè qui vitam viuunt, spiritus dicuntur in carcere inclusi. Accedit quod idem Apostolus capite sequenti quos hoc loco spiritus inclusos carcere appellat, apertè mortuos nominat: *ideo enim*, inquit, *& mortuis prædicatum est euangelium.*

X. Et nisi ego fallor, non facilè admitti potest Augustini interpretatio, qui mortuos eos intelligit, qui licet corpoream vitam degant, propter ipsorum tamen flagitia, vita gratiæ destituuntur. Nam citra vllam dubitationem iis mortuis prædicatum ait euangelium, de quibus proximè dixerat, *qui paratus est iudicare viuos, & mortuos.* Quæ verba ipso Augustino[g] auctore de veris mortuis intelligenda sunt. g in Enchir. c. 55. Denique non appaiet quorsum pertineat hæc narratio eorum, quæ Noëtico illo sæculo contigerunt. Rectè autem cohærent omnia, si de Christi descensu ad inferos, déque eius prædicatione Petri verba accipiantur, vt enim probet Christum corpore quidem fuisse vita functum, eius tamen animam fuisse immortalem: illam ait ad inferos descendisse, ibique euangelium promulgasse.

XI. Argumenta porrò Augustini non videntur habere magnam vim. quod enim ait absurdum videri, cum multi essent apud inferos, Christum iis tantummodo prædicasse, qui sæculo illo Noëtico vixerant, æquè potest contra ipsum retorqueri, neque enim vlla potest verisimilis afferri ratio, cur Christus eo potissimum tempore veram fidem mortalibus diuinitus indiderit. Addo verò Christum apud inferos alijs

permultis prædicasse sed eos potissimum nominari, qui ætate Noæ vixerāt, quia ipsi Noæ fidem non habuerant, ac propterea eluuionis aquis fuerāt absumpti; ambigi enim vtcumque poterat an aliqui ex ipsis saluté essent consecuti, idque hoc loco insinuare videtur Petrus, & planius capite sequenti, & apertissimè affirmat Hieronymus [a]. Quod verò idem ait inferni nomine non posse limbum significari, ac propterea non esse admittendum, Christum prædicasse apud inferos, ne cogamur admittere etiam damnatis aditum ad salutem patuisse, eodem Augustino [b] magistro (vt omittam veterum omnium, & totius Ecclesiæ consensum) didicimus limbum esse apud inferos.

XII. Cæterū vt hic Petri locus planius explicetur, necesse est certa quædā fidei dogmata constituere, vt appareat quibus spiritibus Christus prædicauerit, & quo carcere inclusi tenerentur. Ac primum quidem, quicquid hæretici contrà sentiant, certissimum est Christi animam descendisse ad inferos. id enim apertissimè sacræ literæ indicant [c], *Contriuit*, ait Dauid, *portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Tametsi enim ad literam loquitur propheta de populi ex Ægypto, mirifico egressu; Hilarius [d] tamen, Ambrosius [e], & alij mystico sensu Christi ad inferos descēsum describi autumant. Sapiens [f] autem, *Penetrabo*, inquit, *omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Fateor hæc verba in Græcis codicibus non haberi: librum verò illum ab hæreticis non admitti, sed apud catholicos & liber canonicus est, & vulgata interpretatio repudiari non potest. Christus autem apud Matthæum [g], *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.*

XIII. Non me quidē fugit hæreticorum principē [h] cor terræ pro morte positum esse affirmare, sed non minus ineptè quam temerè: nam qui cor terræ putant esse sepulchrum, & à metaphora nonnihil recedunt, & vim similitudinis elidunt. quemadmodum autem Ionas in ventre ceti viuus fuit, ita latere debet in corde terræ aliquid viuens, cùm in sepulchro iacuerit tantum Christi corpus mortuum. Quamobrem Tertullianus [i], Ambrosius [k], Hieronymus [l], Irenæus [m], & Gregorius [n] Nissenus cor terræ simpliciter interpretantur infernum. In Actis autem apostolicis ait Petrus [o] *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* quæ verba sunt Dauidis [p] in persona Christi. Denique Paulus [q] descendisse ait Christum in inferiores partes terræ. Adde symbolum apostolicum, & duo item Concilia Toletanum [r] IV. & Lateranense [s] sub Innocentio III.

XIV. Accedit omnium fermè Græcorum, ac Latinorum patrum [t] consensus. Quamquam autem præter hæreticos non defuerunt catholici, [u] qui negarent animæ substantiam ad inferos descendisse, sed suam tantum ibi efficacitatem exercuisse; pro certo tamen habendum est, verè Christi animam suam apud inferos præsentiam exhibuisse, vt superiora patrum testimonia, & cōciliorum decreta cōfirmant, potissimumque ex apostolico symbolo probatur, in quo id apertè asseritur. Neque obest quod in symbolo Niceno id omittatur: putarunt enim illi patres, ea tantum exprimenda, quæ vel ab omnibus necessariò credenda essent, vel certè ad hæreticos refellendos opportuna censerentur.

a in quæst. Hebraic. in Gen. ex c. 6. b lib. 20. de ciuit. c. 15 & in Psal. 85. c Psal. 106. 16. d in Ps. 138. e de myst. Pasc. f Eccli 24. 45. g cap. 12. 40. h Caluin. in Psychopan. i lib. de anima c. 31. k ad Ephes. 4. l Ionæ 2. m lib. 5. c. 31. n Orat. 1. de resur. o cap. 2. 27. p Psal. 15. 10. q ad Ephes. 4. 9. r cap. 1. s cap. 1. t Thadæus apud Euseb. lib. 1. hist. c. vlt. Ignat. ep. ad Trallian. Iust. in Dial. cum Triph. Irenæus lib. 5. c. 31. Clem. Alex lib. 6. Strom. Orig. hom. 15. in Genes. lib. 2. contra Cels. & lib. 5. in ep. ad Rom. Euseb. lib. 4. demonstr. Euang. cap. 12. Cyrill. Ierosl. Catech. 4. Athan. ep. ad Epict. & lib. de incar. Basil. Psal. 14. & 45. Gregor. Nissen. or. de resur. Nazia. ora. 2. de pasch. Epipha. in Ancor. & hæ. 46. Chry. homil. 2. de Sym. Cyrill. Alex. lib. de rec. fide ad Theod. & li. 12. in Ioan. c. 36. Theod. Psal. 15. Damasc. lib. 3. de fide c. vlt. Tertull. lib. de anima cap 31. & 32. Hippol. mar. orat. de Antech. Cypri. Ser. de vnct. chrism. Hilar. lib. 10. de Trin. vltra medium & in sp. 118. Philast. lib. 10 de hæres. cap de descen. ad infer. Gaud. Tract 6. in Exod. Prudent. hym. 1. & 9. Amb. lib 3. de fide c. 3 & lib. de myst pasc. c 4 & 2 Ro. 10 & ad Ephes 4 Hieron. ad Ephes. 4. Eccl. 4. & Zach 9. Aug. ep. 57. q. 1. ep 99 lib. 17. de ciu. c. 11. lib. 20. c. 15. & in Psal 85. Leo Ser 1. de resur Fulgen. lib. 3. ad Trasim. c 25. & 33 Vigil mar. lib. 2. contra Euty h. Arat lib. 1. Act. c. 2 Greg. lib. 13. mo. c. 20 & 21. & in Ps. De profundis. Beda l. 9. in Iob c. 7. u Dur. in 3. d 22. q. 3.

XV. Verùm cum apud inferos plura recenseantur loca, si patrum limbum excipias, quo, vt paulo post dicemus, suam Christus præsentiam intulit, communis ferè Theologorum [a] sententia asserit non descendisse re vera ad alia loca animam Christi, nisi fortè aliquos è purgatorio liberauerit. Et quidem de inferorum loco, in quo impij cruciantur, siue re ipsa eu Christi anima penetrarit, siue secus, nonnihil certè ibi effecit cum videlicet damnatos suæ perfidiæ, atque improbitatis redarguit, atque hac ratione penetrasse dicitur ad omnes inferorum partes, & inspexisse omnes dormientes, & hac ratione ait Augustinus [b] descendisse Christum ad locum doloris, in quo peccatores torquebantur. Et Fulgentius [c] descendisse Christum ait vsque ad locum tormentorum, sed fuisse tamen ab omni supplicio immunem.

XVI. Quo modo etiam loquitur Eusebius [d] Emissenus, quanquam fortasse posset, quis hæc omnia de purgatorio explicare; in quo tandiu iusti torquentur, quoad diuinæ iustitiæ perfectè satisfaciant. Sed omnino, vt alicubi copiosè docet Augustinus, dæmones, & inferorum principes perterruit etiamsi eo re ipsa non descenderit. De loco, quo iusti expiabantur, asserunt fermè Theologi [e] eos citra vllam dubitationem inde Christi descensu ad inferos, fuisse ereptos, qui pro suis noxis iustas pœnas persoluerant. Quamquam eorum mihi sententia & ad benignitatem propensior, & ad diuinam gloriam illustrandam longè videtur accommodatior, quæ singulari quodam priuilegio cunctos ex eo loco ereptos ad immortalem, beatamque vitam perduxisse affirmat.

XVII. De loco, in quo detinebantur infantes, qui originaria labe infecti obierant, Diui Thomæ [f] sententia mihi magnopere probatur. cum enim illi in eo statu tam collocati essent in quo nullus est resipiscentiæ, aut pœnitentiæ locus, ipsique dum viuerent, minimè potuerint ad gratiam percipiendam aptari, ne potuerunt quidem in eo statu citra miraculum, quod temerè asseri non debet, fidem, & caritatem concipere, quæ duo sunt ad salutem assequendam simpliciter necessaria.

XVIII. Quæ cum ita sint, exploratissimum videtur neminem ex damnatis fuisse ab inferorum suppliciis liberatum, quod apertissime scribit B. Gregorius [g]. Cum enim diaconus quidam dixisset Dominum omnes ab inferorum suppliciis eripuisse, qui eum apud inferos tanquam Deum agnouissent, & confessi essent; *De qua re*, inquit, *volo, vt fraternitas vestra longè aliter sentiat. descendens quippe ad inferos, solos per suam gratiam liberauit, qui eum, & venturum esse crediderunt, & præcepta eius viuendo tenuerunt.* Quocirca stultè non minus, quam impiè sensisse olim Marcionem, Irenæus, & Epiphanius affirmant, qui Christum Dominum suo ad inferos descensu damnatos è suppliciis eruisse censebat, contrà verò veterum patrum animas, quod sibi fidem adiungere recusassent, in sinu Abrahæ reliquisse.

XIX. Benigna verò explicatione egent ea, quæ scribit Clemens Alexandrinus [h], qui Christum suum aduentum etiam damnatis non sine fructu prædicasse scribit; cum reuerà, vt paulò antè dixi, qui dum viuerent, fide, & gratia caruerunt, nullo modo censendi sunt in alia vita ad salutem percipiendam idonei. Fateor quidem Gregorium [i] Nazianzenum visum fuisse dubitare, num Christus apud inferos omnes absque vlla exceptione saluos fecerit, an eos duntaxat, qui crediderunt. Sed non tam ille ea de re dubitauit, quam cogitandum, meditandumque esse censuit, cum proculdubio ille planè intelligeret

absque

a D. Thom. 3. p. q. 52. a. 2. & in 3. d. 22. vbi Bonauē. Ricard. Paludan. Gabr. & Marsil. q. 13.
b epist. 99.
c lib. 3. ad Trasim. cap. 30.
d Or. 2. de resurrect.
e D. Thom. 3. p. q. 52. a. 8.
f 3. p. q. 52. art. 7.
g li. 6. regest. ep. 15.
h lib. 6. Stromat.
i Orat. 42.

absque fide neminem Deo placere posse. Quod verò Nicetas [a] Platonem ait prædicanti Christo apud inferos fidem habuisse, non modo apocryphum, sed planè falsum censeri debet, cum præsertim Augustinus [b], & Philastrius [c] hæreticum esse doceant, si quis asserat Christo apud inferos prædicante nonnullos concepisse fidem, & salutem esse assecutos.

a in illũ locum Greg. Naz.
b lib. de Hæres. n. 79.
c lib. de Hæres. c. de descen. Chris. ad infer.

XX. Quid ergo est, quod ait hoc loco Petrus Christum his, qui in carcere erant, spiritibus prædicasse? Primum quidem extra omnem controuersiam videtur, veteres omnes patres, qui recta fide præditi honestè laudabiliterque hanc vitam traduxerunt, tamdiu apud inferos in sinu Abrahæ, seu limbo tanquam in carcere, vel custodia fuisse detentos, quoad Christus Dominus, qui habet clauem Dauid, sua morte aditum in cœlestem patriam iustis omnibus reseraret. Ita Hieronymus [d] ante Christi mortem *Abraham*, inquit, *erat in inferis*. Et Gregorius [e], *ante aduentum Christi omnis homo*, ait, *quantumuis probatæ vitæ ad inferni claustra descendit*. Et Chrysostomus [f]; *antequam Christus aperiret paradisi ianuam cum latrone omnes sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Dicit enim Iacob* [g], *Lugens descendam ad inferos. Euangelium quoque Abraham, & Lazarum in inferis collocat.*

d ep. ad Eliodor.
e lib. 13. mor. c. 6.
f Hom. 4. in Matt.
g Gen. 37.

XXI. Et Augustinus tametsi multa vltro, citroque disputat [h], nonnullos tamen fatetur Abrahæ sinu fuisse detentos. Hos igitur Petrus spiritus carcere inclusos vocat, Græcè φυλακῇ quæ vox carcerem, seu custodiam significat. Oecumenius autem infernum interpretatur. Sinus enim Abrahæ, seu limbus patrum, vt supra dixi, quod inferos erat. Eo igitur anima Christi re ipsa penetrauit, & patribus prædicasse dicitur, quia illis gratulata est, & suæ mortis fructum liberaliter impertiuit.

h epist. 99.

XXII. Itaque rectè Cyrillus [i]; *Anima*, inquit, *ad Verbum copulam, & vnionem sortita, descendit quidem in infernum, diuina autem virtute, & potestate vtens etiam spiritibus, qui illic erant, apparuit: Enimuerò & dicebat compeditis, Egredimini; & his, qui in tenebris, Reuelamini.* Et in eandem sententiam Irenæus [k], *tribus diebus*, ait, *conuersatus est Dominus, vbi erant mortui quemadmodum propheta ait de eo, Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum eorum, qui antè dormierunt, in terra sepulationis, & descendit ad eos extrahere eos, & saluare eos.*

i lib. de recta fide ad Reginas.
k lib. 5. c. 31.

XXIII. His igitur spiritibus prædicasse dicitur, suam videlicet præsentiam indicasse eorumque fidem, vitæque anteactæ probitatem dignis celebrasse laudibus, & beatæ vitæ possessionem impertisse. Quo pertinent Damasceni [l] verba; *Descendit*, ait, *in infernum anima deificata, vt quemadmodum iis, qui in terra versabantur, iustitiæ sol ortus erat, ita & iis, qui infra terram in tenebris & vmbra sedebant, illucesceret. Et quemadmodum iis, qui in terra erant, pacem, captiuis remissionem, cæcis visum euangelizauerat, sic etiam iis, qui in inferno erant, vt ipsi omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

l lib. 3. de fide c. 29.

XXIV. Quomodo autem prædicauerit, non satis liquet. Oecumenius [m] enim prædicasse ait, *non sermone, sed opere. Iudicantur*, inquit, *& mortui, quod manifestum est ex aduentu Domini ad inferos. cum enim eo venisset, prædicauit, sicut & iis, qui in terra viuebant. prædicauit autem non sermone, sed opere, his, qui secundum carnem vixerant, ad iudicium, illis verò, qui secundum spiritum ad gloriam, & salutem.* Et quidem si prædicatio Christi ad omnes referebatur, qui apud inferos detinebantur, necesse est eam opere potius, quàm sermone perfectam fuisse. Nam dæmones quidem, & sempiternis suppliciis cruciatos, vt paulò antè dixi, perterrefecit, & vt ait Paulus [a], *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Iis autem qui purgatorio igne torquebantur, spem fœlicitatis attulit, non ita multo post consequendæ, & si quos, aut etiam cunctos à suppliciis eripuit, non aliter ac iustis vitam beatam largitus est.

m ad Philip. 2.
a ad Colos. 2. 15.

XXV. Vt enim ait Origenes [b], *quod Christus dixit latroni, hodie mecum eris in paradiso, non illi soli dictum, sed omnibus sanctis dictum intellige, pro quibus in infernum descendit.* Et hac ratione accipio, quod scribit Augustinus [c], qui explicans verba illa ex Actis apostolicis [d], *Solutis doloribus inferni*, hæc scribit, *vel ad ipsum potest intelligi pertinere, quod eos hactenus soluerit, hoc est irritos fecerit, ne ab eis ipse teneretur, præsertim quia sequitur, in quibus impossibile erat, teneri eum. Vel si caussa quæritur, cur voluerit venire in infernum, vbi dolores illi essent, quibus teneri omninò non poterat, quia erat, vt scriptum est, Inter* [e] *mortuos liber, in quo princeps & præpositus mortis non inuenit aliquid, quod supplicio deberetur, hoc scilicet quod scriptum est, solutis doloribus inferni non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos ista liberatione iudicabat, vt neque frustra illuc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus, qui ibi tenebantur inclusi, nec tamen sit consequens vt quod diuina quibusdam misericordia iustitiaque concessit, omnibus concessum esse putandum sit.*

b hom. 15. in Gen.
c ep. 99.
d cap. 2. 24.
e Psal. 87. 5.

XXVI. Neque enim hæc diceret Augustinus de sempiternis suppliciis addictis, quibus probe nouerat nullum ad salutem aditum patere. Quamquam enim, vt supra dixi, grauissimi Theologi affirmant eos tantùm à purgatorio igne fuisse erutos, qui pro contractis noxis diuinæ iustitiæ omni ex parte satisfecerant; non caret tamen probabilitate eorum sententia, qui liberaliter cunctos fuisse à suppliciis ereptos non temere affirmant, siue quia diuinæ potentiæ vi, cuiusque supplicia tantam potuerunt breuissimo temporis interuallo accessionem accipere, vt temporis diuturnitatem grauitate, acerbitateque doloris compensarent; siue quia diuina potuit prouidentia Christi meritis liberalem condonationem largiri, cum præsertim nonnullorum fides, & merita hanc munificentiam ante obitum potuerint promereri.

XXVII. Non me fugit multa aduersus hanc sententiam obiici, sed non video, cur non potuerit Christus suis meritis hoc etiam impetrare, vt omnes electi, ac prædestinati ipsius ad inferos aduentu, pœnis omnibus soluerentur, cum præsertim id ad diuinam beneficentiam, Christique gloriam illustrandam magnopere pertineret. Certe hoc non obscurè insinuat Gregorius [f], cum ait, *Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit, omnia abstulit, vtique electa. neque etenim infideles quosque & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos ad veniam Dominus resurgendo reparauit. Sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide, & actibus recognouit.* Et paucis interiectis, *Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis exstitit.* Et rursus, *quia in electis meis te funditus perimo, ero mors tua.* At qui igne purgatorio expiabantur, electi profectò erant.

f Hom. 22. in Euang.

XXVIII. Nec discrepat Augustinus, qui præter ea, quæ supra attuli, hunc in modum alibi [g] scribit, *Et Christi quidem animam venisse vsque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occulta nobis sua iustitia iudicabat, non immeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum sit, quod dictum est* [h]. *Quem Deus suscitauit ex mortuis solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis, non video*

g lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33.
h Act. 2. 24.

nisi vt quorundam dolores apud inferos eum soluisse acci- A *piamus ea potestate, qua Dominus est, &c.*

XXIX. Verùm etiam sermone, Christum apud inferos prædicasse non videtur ambigendum: etenim anima à corpore segregata eo planè modo loquitur, quo beatæ mentes in cœlo, & dæmones inter sese sermocinantur. Et quidem patribus, qui in sinu Abrahæ, aut igne purgatorio detinebantur, lætissimum attulit nuntium, & beatam vitam impertiuit. Cæteris ipsorum perfidiam, atque improbatam exprobrauit. Vtrum autem apud inferos diu hæserit anima Christi, à multis in quæstionem vocatur, quandoquidem latroni dixerat Christus, *Hodie mecum eris in paradiso.*

XXX. Quam ob caussam existimarunt nonnulli puncto tantùm temporis Christi animam apud inferos fuis- B se. quæ videtur aperta sententia Anselmi [a]. Apud eum enim quærit discipulus, *Quò iuit anima eius* (id est, Christus) *post mortem?* respondet autem magister, *in cœlestem paradisum, vt dixit ad latronem. Hodie mecum eris in paradiso.* Rursus percontatur discipulus, *Quando ad infernum descendit?* Respondit verò magister; *media nocte resurrectionis, qua hora Angelus Ægyptum deuastauit, ea hora, id est, media nocte Christus infernum despoliauit, & noctem, vt diem illuminauit, vt dicitur* [b], *Et nox vt dies illuminabitur. & cum triumpho inde rediens, raptos inde in paradiso collocauit, post corpus suum in sepulchro visitauit, quod de mortuis excitauit. Quidam sentiunt, quod ab hora mortis, vsque ad horam resurrectionis, in inferno cum electis fuerit. & inde cum eis abiens resurrexit. Non* C *est ita. Tandiu fuit in inferno ac deuastauit, quandiu ad iudicium veniens actus cuiusque examinabit. in momento* [c], *in ictu oculi, id est quam citò oculum potes mouere.*

a in elucidar. paulò ante medium.

b Psal. 138.

c 1. ad Cor. 15.

XXXI. Fauent huic sententiæ veteres nonnulli Patres. Ita namque loquitur Nicephorus [d]. *Ipse enim iustitiæ sol Christus, anima sola à corpore per mortem segregata, apud inferos iustorum animis præstò fuit, & dux itineris ad paradisum ferentis præiit, lucis princeps, viaque ductor eis perinde atque latroni factus. Eodem namque die, ac potius eadem hora ab inferis rediit, vt quidem cùm alij nonnulli, tum is, cui aurea lingua nomen indidit in primis hoc accuratius, certiùsque exposuêre. Nec enim rationi consonum erat animam eius apud inferos retineri, qui nihil prorsus à primi parentis maledictione, & exitio secum attu-* D *lisset. subitò verò, & vt ita dicam, fulgetri celeritate dignos, luce summe coruscantis veritatis illustrans, ac immensa potentia ex caliginosis illis, soléque carentibus latebris reducens, & principibus ibi tenebrarum, ducibúsque malorum diuina potestatis splendore, & Angelicarum cohortium malitia quasi obtritis nullo tempore, & labore nullo, atque vt semel dicam, eo qui solo Deum decet modo in momento vno ad sacra, immensáque luce relucentia paradisi tabernacula traduxit.*

d lib. 1. hist. c. 31.

XXXII. Idem videtur insinuare Iustinus [e] Martyr, itémque Euthymius [f], & alij [g]. Sed longè probabilius est, triduum Christi animam apud inferos fuisse, quoad in die resurrectionis ad viuos remeauit. Quæ est omnium fermè Theologorum [h] sententia. quod insinuare visus est Christus, cùm dixit [i], *Erit filius ho-* E *minis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quæ verba Hieronymus, & Theopylactus referunt ad animam Christi, quæ in inferno triduum egit, atque ita locum intellexit Tertullianus [k], *nobis*, inquit, *inferni non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terræ, & in alto vastitas. & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas, siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum. id est in recessu intimo, & interno. & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo.* Et paulò pòst: *Forma humana mortis apud inferos functus, hic quoque legi satisfecit. neque ante ascendit in sublimiora cœlorum, quam descendit ad inferiora terrarum, vt illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret.* Eodem modo loquitur Irenæus [a], *Nunc autem tribus diebus conuersatus est, vbi erant mortui. quemadmodum prophetia ait de eo.* Et paulò pòst affert superiora Christi verba [b].

e Quæst. 76. ad orthod.

f Lucæ 23.

g Bonauent. c. 25. medit.

h in 3. d. 22.

i Matth. 12. 40.

k lib. de anima. c. 55.

a lib. 5. c. 31.

b Matth. 12. 40.

XXXIII. Quod autem ad latronem dixit Christus, *Hodie mecum eris in paradiso*, explicat Augustinus [c] de ipso Abrahæ sinu, aitque in inferno fuisse paradisum, *vbi erat*, inquit, *eo die futurus secundum humanam animam Christus.* Alibi verò [d] Dei conspectum, & perspicuum intuitum paradisum vocat. Et post multa [e] paradisum paradisorum nominat. Fuit igitur latro illo ipso die vnà cum Christo in paradiso, quia vnà B cum eo aliis omnibus sanctis ad perspicuam Dei contemplationem, ac beatam vitam euectus est. Ac propterea cum Christus ad superos rediit, vt bene ait Chrysologus [f] *ab inferis dominator ascendit.*

c epist. 57.

d lib. 12 de Gen. ad lit. c. 38.

e cap. 34.

f Serm. 74.

XXXIV. Docet igitur his verbis Petrus Apostolus Christum Dominum cruce, ac morte sua salutem attulisse non modo iis, qui post Christum vixerunt, sed & aliis qui ante ipsius aduentum veram fidem complexi erant, legitiméque Deum coluerant. Sed admodum obscura sunt quæ subiiciuntur; *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca.* Nec enim dubium est relatiuum qui, spiritus referre in carcere inclusos, quos paulò antè nominauit. An igitur iis tantum prædi- C casse Christus cēsendus est, qui Noëtico illo tempore vixerunt? quique recta fide caruerunt?

XXXV. Oecumenius explicans Gregorij [g] Nazianzeni verba, *eos*, ait, *apud inferos cœlestis gratiæ, perfectæque salutis participes fecisse, qui ita dum viuerent, animo compositi, constitutique erant, vt proculdubio Euangelicæ doctrinæ si proposita fuisset, præbituri fuissent assensum: qui enim*, inquit, *quo tempore viuebant, bonis operibus vitam ita exornarunt suam, vt si tunc quoque in mundo versatus fuisset Christus viuificans præconium non repudiassent, ij tunc ex descensu Domini ad inferos salutem adepti sunt.* Cumque ipsa Gregorij verba protulisset, subdit; *Dum enim, inquit, eos, qui credituri erant, eos significat qui sese ita præstiterunt, vt si tunc etiam accessisset Christus, fuissent credituri.*

g Orat. 42.

XXXVI. D Verùm id nulla ratione probandum videtur: cùm enim Deus non ex eo, quod quisque facturus esset, sed ex eo quod re ipsa fecerit, sententiam ferat, si quis fide & gratia destitutus diem claudat extremum, quamuis fortasse, si idonea sibi obiecta fuerit occasio, fidem & gratiam concepturus esset, non propterea tamen idoneus conceditur, cui Deus salutem impertiat: nam eadem ratione neminem damnat ex eo, quòd quis, si diutiùs vixisset, facturus erat, quod non semel probat Augustinus allatis Salomonis verbis [h], *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est, raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Eximium enim ait esse diuinæ liberalitatis beneficium quod profectò nullum esset, si ex eo quod acturus erat, E iudicandus esset.

h Sap. 4. 10.

XXXVII. Itaque quamuis nonnulli, audita Euangelica doctrina credituri essent, si tamen absque fide diem suum obierunt; cùm iam sempiternis suppliciis addicti, &, vt loquuntur Theologi, extra viam positi, iam essent in termino, non est vllo pacto credendum gratiam, & iustitiam fuisse adeptos. Itaque existimarunt alij multos fuisse apud inferos, qui nihil de Deo supra naturam concepissent, ac propterea fidei expertes dicantur, qui tamen non penitus à salute alieni essent, quod certò crederent & Deū esse, &

inquirentibus se remuneratorem esse. qui si existiment naturalem cognitionem duorum illorum principiorum satis esse ad salutem, certè decipiuntur, cum, vt alibi copiosiùs doceo, absque supernaturali fide nemini pateat aditus ad salutem: ea verò naturalis notio, quicquid aliqui secus senserint, ad supernaturalem fidem pertinere nequaquam potest, cum non diuina auctoritate, sed certa, minimèque dubia ratione nitatur. Sin autem eam omninò fidei appellatione dignam censeant, qui ea præditi erant, alieni à fide appellari non possunt.

XXXVIII Quod si quis contendat illos vocari ab Apostolo incredulos, & alienos à fide, quod longissimè abessent ab ea fidei integritate, quæ post Christi aduentum fidelium mentes illustrat, ne id quidem nodum expedit. nam si ea qualiscumque cognitio diuino lumine illustrata, diuinaque auctoritate subnixa erat, veram supernaturalis fidei rationem habebat, ac propterea qui ea imbuti sunt, nequaquam possunt infideles appellari, cùm ea implicita quædam fides sit eorum omnium, quæ sunt ad salutem necessaria: sin autem intra naturæ fines claudebatur, nec quicquam supra naturam habebat, vt non poterat quemquam ad gratiam capessendam aptare; ita post mortem nemini poterat suffragari, nec Christus apud inferos, vt bene ait Chrysostomus cuiquam salutem impertiuit, qui ea esset indignus.

XXXIX. An pro incredulis inobedientes intelligit? sanè ita Græcam vocem ἀπειθήσασι nonnulli interpretantur. quem sensum secutus est Syriacus, *Quæ quondam*, inquit, *inobedientes fuerant*. Et sunt, qui id referant ad primos parentes, quibus peccantibus, omnes quodammodo diuinum præceptum contempserant; quod insinuare visus est Athanasius [a], quem sequitur Epiphanius [b]. Sed si hoc velit Petrus significare, fateri necesse erit neminem prorsus apud inferos expertem fuisse salutis, cum æquè ad vnum omnes diuinum præceptum in primo parente violarint: & qui ita sentiunt, non satis explicant, cur Petrus eos potissimùm nominet, qui ætate Noë vixerint.

a De incarn. Verbi.
b Hær. 77.

XL. Porrò Hieronymus [c] ad hunc Petri locum respiciens hunc in modum scribit, *Vnde Dominum fecisse diluuium qui iuxta Apostolum Petrum occisus est carne, viuificatus Spiritu, & prædicauit spiritibus in carcere constitutis quando Dei patientia expectabat in diebus Noë diluuium impiis inferens*. Quibus verbis non videtur Hieronymus Spiritus in carcere constitutos appellasse incredulus seu impios: sed diluuium aduersùs impios, & incredulos diuinitùs fuisse immissum; vt sit sensus, Christus Dominus Spiritibus in carcere constitutis prædicauit, & cum occisus fuerit carni, viuificatus autem Spiritu, quandam diluuij similitudinem expressit, eo fermè modo, quo olim Noëtico illo sæculo diuina patientia præstolabatur, quæ tandem aquarum eluuione impios de medio sustulit.

c In Esaiam cap. 54.

XLI. Sed vereor ne Petri verba hanc explanationem non satis commodè admittant. participium enim ἀπειθήσασι omnino cum præcedentibus, hoc est, πνεύμασι, id est, *spiritibus* coniungendum est, alioqui non habet, vnde pendeat. Non desuerunt [d], qui existimarent Petrum in præsentia de iis priuatim loqui, qui Noë prædicanti fidem non habuerant, quorum tamen non pauci dum aquis obruerentur, resipuerunt, & gratiam consequuti sunt, atque adeò apud inferos vna cum cæteris iustis, Christi aduentum expectabant. Cur autem hos potissimùm nominet Petrus, duplex afferri potest ratio, altera, quòd de illis potissimùm ambigi poterat, fuissentne omnes tanquam impij, & alieni à fide sempiternis supplicijs addicti, & significare voluit Petrus, non paucos ex illis salutem fuisse assecutos. Altera quia cùm Petrus ad te-

d Lyran.

A rum aduersarum tolerantiam hortetur, hoc proposito exemplo, docere voluit, quæ sit eius vtilitas cùm interdum etiam impiis salutem afferat. accedit quòd ex illa aquarum eluuione occasionem sumpsit Petrus declarandi vim atque efficacitatem baptismi.

Atque hæc mihi sententia & ad veritatem pronior, & à mente Petri propiùs abesse videtur, vt sit sensus, prædicauit Christus lætum suum aduentum omnibus quidem Spiritibus in carcere detentis, hoc est, limbo inclusis, cùm alioqui iusti essent, & cunctis immortalem, beatámque vitam impertiuit: usque præcipuè qui cùm aliquando Noë viri iustissimi monita contempsissent, & arcæ fabricam irrisissent, suum tamen errorem & aliquando agnouerunt, & ex animo detestati sunt. XLII.

B *Quando*, inquit Petrus, *expectabant Dei patientiam in diebus Noe*, Græcè, ὅτε ἅπαξ ἐξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία. *Cum expectaretur Dei patientia*, Hieronymus [a] legit. *Quando Dei patientia expectabat in diebus Noe*. Syriacus, *Cùm longanimitas Dei præcepit, vt fieret arca ob spem pœnitentiæ eorum*. Petri sensum planè assecutus est: eò enim Dei longanimitas, & patientia referebatur, vt intra illos annus viginti supra centum mores, vitamque mutarent. Videtur autem vulgatus interpres aliter apud Græcos medij verbi vocem accepisse, quoniam ait *quando expectabant Dei patientiam*; vt explicet, cur fuerint minus obsequentes: diuina enim longanimitate, & patientia quodam modo abutebantur, & virum iustum irridentes vaticinij C euentum præstolari se aiebant, quo verisimile est non paucos fuisse ad pœnitentiam excitatos. XLIII.

a Ísaiæ 54.

In diebus, inquit, *Noë cum fabricaretur arca*. Dies Noë intelligit non eos quibus Noë vixit, sed eos centum viginti de quibus ait Dominus [b], *Erunt dies eius centum viginti annorum*. Neque enim loquitur Dominus de termino vitæ mortalium, sed vt ait Hieronymus, Chrysostomus & Chaldæus paraphrastes de termino peruersi illius sæculi, & perditissimorum hominum, quos diluuio delere statuerat, quibus tamen ad pœnitentiam centum & viginti annorum amplum sanè spatium largiebatur. Bene enim monet Augustinus [c], verba illa dicta fuisse à Deo circa finem quingentorum annorum vitæ Noë, hoc est cum quadringentos octoginta vitæ annos ageret, D quos more suo Scriptura quingentos vocat nomine totius maximam partem plerumque significans. XLIV.

b Gen. 6. 3.
c lib. 15. de ciuit. c. 24.

Illis igitur diebus Noë, hoc est ab ipso diuina auctoritate propositis, vt perditi homines saniora aliquando consilia complecterentur subdit; *Cum fabricaretur arca*, Græcè dixit Petrus, κατασκευαζομένης κιβωτοῦ, hoc est, apparata arca. hic enim fuit diuinæ longanimitatis exitus, apparata quippe arca, Noë cum suis eluuionem euasit. Cæteri omnes miserè perierunt. Quocircà subdit Petrus; *In qua pauci id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam*. Quoniam enim dixerat eos, qui illo sæculo viuebãt, minimè fuisse Deo obsequentes, paucos excipit, hoc est octo duntaxat, & Noë familiam, quæ in arca inclusa interitum euasit. Posuit autem Petrus animas, pro, hominibus, quod aliàs Scriptura facere consueuit. Nam & in li- E bro Geneseos [d], ita loquitur Rex Sodomorum; *Da mihi animas, cætera tolle tibi*. homines enim captiuos postulabat. Alibi [e]. *Omnes animæ filiorum eius, & filiarum triginta tres*. Eodémque modo frequenter loquitur Scriptura. Quocirca Fulgentius [f] obseruauit totum hominem in sacris literis interdum nomine carnis, aliàs nomine animæ significari. XLV.

d cap. 14. 21
e Gen. 46. 15
f lib. de incarn. & grat. Christi c. 9 & li. 1. ad Trasim.

Porrò octo animæ, quæ dicuntur saluæ fuisse, fuerunt Noë, & vxor, tres filij, Sem, Cham, Iaphet, tres item ipsorum vxores. tacitè autem significat Petrus eos qui salutem consequuntur sempiternam, XLVI.

paucos

A paucos esse si præsertim cum eorum multitudine conferantur, qui miserè pereunt. Ita Oecumenius. *Cùm enim, ait, etiam eo tempore innumerabiles essent homines, soli octo homines credentes iis, quæ prædicabantur ex arca fabricatione consequuti sunt salutem.* Nec vacat omnino mysterio octonarius numerus, vt enim obseruauit Beda [a], hic numerus ad gloriam resurrectionis spectat; quod etiam significauit Hieronymus [b], nec discrepat Augustinus [c], qui alibi [d] ait eum quodammodo ad æternitatem referri: sic enim scribit. *Quoniam omnia tempora septem dierū repetitione voluuntur, octauus fortè ille dictus est, qui varietatem istam non habebit.* Et rursus [e]; *Potest autem pro octauo intelligi, pro æterno sæculo quod post hoc tempus, quod septem diebus voluitur, dabitur Sanctis.* Fauere videtur Gregorius B Nazianzenus [f], qui verba illa Ecclesiastæ, *Da partem septem, nec non & octo*; hunc in modum explicat; *Id porrò fiet, si & hic honestis actionibus incubuerimus, & in altero sæculo velut in integrum restituti fuerimus.* Dixerat autem diem octauam ad supernæ vitæ statum spectare. tum subdit; *quam etiam mihi diuinus ille Salomon designasse videtur, cùm præscriberet, vt partem septem daremus, id est, huic vitæ, atque etiam octo, hoc est, futuro æuo.*

a Luc. 2.
b Ezech. 20. & 40.
c li. 16. de ciuit. cap. 26.
d In psal. 6.
e In psal. 11.
f Orat. 43. similia habet Orat. 16. & 19.

XLVII. Paucis autem interiectis subdit eodem spectare Psalmos Dauidicos, qui pro octaua inscribuntur. Addunt alij [g] hunc etiam numerum tempus gratiæ significare, in quo quasi post Sabbatum legis sempiterna bona iustis promittuntur. Octo igitur animæ C saluæ fuisse dicuntur. Qua de re ita loquitur Augustinus [h]; *Noe cum suis per aquam, & lignum liberatur, sicut familia Christi per baptismum crucis passione signatum.* Et post nonnulla [i]: *Quòd præter arcam omnis caro, quam terra sustentabat, diluuio consummata est, quia præter Ecclesiæ societatem aqua baptismi quamuis eadem sit, non solum non valet ad salutem, sed valet potius ad perniciem.* Deinceps verò totam arcæ allegoriam luculenter explicat.

g Vgo Vict. lib. 1. de Sacram. par. 12. cap. 2.
h lib. 12. contra Faust. ca. 14.
i cap. 17.

XLVIII. In eandem verò sententiam loquitur Hieronymus [k]: *Arca Noe, inquit, Ecclesiæ typus fuit dicente Petro Apostolo, In arca Noe pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & nos nunc similis forma baptisma saluos facit, vt in illa omnium animalium genera, ita & in hac vniuersarum & gentium, & morum homines sunt; vt ibi pardus & hædi, lupus & agni, ita & hic iusti & peccatores, id est, vasa aurea & argentea cum D ligneis, & fictilibus commorantur. Habuit arca nidos suos, habet Ecclesia plurimas mansiones. Octo animæ hominum in arca Noe seruatæ sunt, & nos Ecclesiastes iubet dare partes septem, dare partes octo, id est, credere vtrique Testamento. Ideo quidam Psalmi pro octaua inscribuntur, & per octonos versus, qui singulis literis subiecti sunt in CXVIII. Psalmo, iustus eruditur. Beatitudines quoque, quas Dominus Discipulis in monte pronuncians Ecclesiam delineauit, octo sunt. Et Ezechiel in ædificationem templi octonarium numerum assumit*; & multa deinceps.

k Dial. contra Lucifer. non procul à fine

XLIX. Dicuntur autem octo animæ saluæ factæ per aquam, an quia eis aliquid contulit aqua ad salutem? haud arbitror Sed ab aquarum eluuione arcæ beneficio ereptæ sunt. Sic Hebræorum gens sicco vestigio primum quidem mare rubrum, postmodum E etiam Iordanem pertransiit. Per aquam igitur saluæ dicuntur factæ, quia, vt scriptum est in libro Geneseos [l], *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra.* Et illicò, *porrò arca ferebatur super aquas*, quippe sine periculo non velis, aut remigio acta instar nauigij fluitabat, vt seruarentur inclusi. Ita autem locutus videtur Petrus, vt commodè mox subderet vim, atque efficacitatem baptismi: propterea enim addit,

l Gen. 7. 17.

A 21. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.*]

I. Rectè Oecumenius, *Quoniam verò, inquit, per aquam salus eis comparata est, statim id ad baptismum refert, atque aquam illam baptismum nostrum significasse, qui etiam ipso sicut incredulos dæmonas demergit, ac suffocat, ita fideles qui ad arcam Ecclesiæ accesserint, saluos efficit.* Ait autem Petrus, *Et vos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Græcè pro eo, quod interpres dixit, *similis forma*, scriptum est, ἀντίτυπον, quæ vox idem significat, quod typo, aut symbolo ex altera B parte respondet, vt non malè quidam hoc loco interpretati sint, figuræ respondens baptismus. Ita serpenti æneo ἀντίτυπος est Christus in cruce pendens. eadémque ratione agno Paschali, & mannæ ἀντίτυπα sunt sacrosancta corporis Christi, & sanguinis mysteria.

II. Verùm quoniam omnia fermè Sacramenta nostra ἀντίτυπα vocantur, eáque voce superioris sæculi hæretici veritatem Eucharistiæ magnopere oppugnant; faciendum mihi esse existimaui, vt de huius vocis vi paulo diligentiùs disseram. Igitur non negarim sæpe idem valere quod typum ac symbolum. Qua ratione dixit Gregorius Nazianzenus, Abrahamum nouam obtulisse hostiam, & magnæ ἀντίτυπον, hoc est, typum C ac symbolum. Eadémque ratione nouæ legis Sacramenta ἀντίτυπα vocantur, quòd magnam habeant cum rebus, quarum signa sunt, similitudinem, vt pro iis ipsis rebus sumi, atque accipi queant. Atque hoc modo Gregorius [a] Nazianzenus noctem Paschalem firmamenti cœlestis ἀντίτυπον vocat, propter infinitam luminum multitudinem, qua vndique collucet. Et Paulus [b] tabernaculum manufactum, & manufacta sancta ἀντίτυπα vocat verorum, quod eorum similitudinem referant. quod ipsum alicubi insinuat Gregorius [c] Nazianzenus, qui alibi [d] tabernaculum Mosis huius mundi ἀντίτυπον appellat.

a Orat. 42. quæ est 2. de Pasch.
b ad Hebr. 9. 24.
c Orat. 9.
d Orat. 34.

III. Esse autem aliquod discrimen inter τύπον, & ἀντίτυπον, docet Nazianzenus [e], qui serpentem æneum Christi τύπον, seu potiùs ἀντίτυπον nominat. Præpositio enim Græca ἀντὶ, in compositione interdum valet id quod *pro*, nonnunquam significat contra, vt D ἀντίτυπον sit id quod pro re ipsa ponitur, vel pro opposita similitudine. Sic ferè Grammatici imagines, quæ relucent in speculis, ἀντίτυπα vocant; & Mathematica corpora ἀντίτυπα dicuntur, ratione Physicorum corporum, quæ sub sensum cadunt, quasi ἀντίτυπον sit, quod cùm reuerà sit, atque extet, non cernitur tamen, quo fit vt ἀντίτυπον actiuè, & passiuè sumi queat, & actiuè quidem pro re significante ponatur; passiuè verò pro re, quæ significatur. in præsentia autem passiuè vsus est hac voce Petrus, cùm baptismum ἀντίτυπον esse dixit arcæ Noëticæ, quia videlicet illa significabatur.

e Orat. 4

IV. Qua verò ratione hoc nomen Eucharistiæ accommodetur, ingens quæstio est. Et augustissimo quidem Sacramento id nomen tribuunt Clemens [f] Romanus, Gregorius [g] Nazianz. idémque confirmat Epiphanius [h] diaconus testimonio Basilij & Eustathij, qui tamen putat hoc nomen ante consecrationem pani tribui, non item post. interpretatur enim ἀντίτυπον, exemplar similis formæ, quam interpretationem probant Damascenus [i], Anastasius [k] Antiochenus, & Theophylactus [l].

f li. 5. Constit.
g Orat. 11. de laudibus Gorgoniæ.
h 2. Synodo Nicena act. 6. to. 3. in fin.
i lib. 4. c. 14.
k Cōt. Gocianos.
l Matth. 26 & Marci 14

V. Quanquam autem hæc interpretatio videri potest iis consentanea, quæ de Sacramentis vniuersim à Theologis traduntur in scholis, cùm reuerà panis ante consecrationem, typus sit, & figura corporis

Christ;

Christi; in Liturgia tamen Basilij etiam post consecrationem hoc Sacramentum ἀντίτυπον vocatur. Et Damascenus ipse aliam quandam huius nominis rationem videtur agnoscere, adeò vt non defuerint, qui existimarint hanc interpretationem, cùm in VI. illam Synodum, tum in Damasceni libros sciolorum quorundam audacia, & temeritate irrepsisse.

VI. Rectè augustissimum Eucharistiæ Sacramentum ἀντίτυπον corporis Christi dici potest, siue quia illud refert, vt olim patiebatur, siue vt in cœlo regnat, siue denique vt aspectabile, & tractabile erat. Adde, si placet passiuè ἀντίτυπον appellari, quod plurimis olim figuris, ac typis significabatur, vel si actiua significatio magis probetur, corpus Christi, vt est in Sacramento, necem suam quodammodo repræsentat, & aliena specie se ipsū, vt est in cœlo, latenter indicat. Quam ob caussam Theodoretus [a] typorum archetypum appellat.

a 1. ad Cor. 2.

VII. Vt igitur redeam ad Petrum, baptismum ait diluuio Noëtico esse persimile, eique tanquam suo typo ex altera parte respondere. Visus est tamen Cyprianus [b] paulò aliter Græcè legisse, quàm nunc habeant codices, qui circunferuntur. Sic enim Latinè dixit, *quod & vos similiter saluos faciet baptisma*; nec magnopere discrepat Augustinus [c]: *Quod & vos*, inquit, *simili forma baptismus saluos facit*; eodémque modo legit Firmilianus epistola [d] ad Cyprianum, cùm tamen vox ἀντίτυπον, eam interpretationem non ita commodè admittat: eadem tamen sententia constat. Significat enim Petrus baptismum diuina quadam vi præditum esse, vt lustratis tribuere queat salutem.

b epist. 74. & 76.
c lib. 5. de bapt. contra Donatist. c. vlt.
d Est inter epist. Cypri. 75.

VIII. Quocirca videtur Græcam vocem ἀντίτυπον passiuè vsurpare: Clemens [e] tamen Romanus secutus Paulum Apostolum, actiuè accepisse videtur. Ait enim baptismum esse ἀντίτυπον mortis Christi. Dixerat autem Paulus [f]; *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Quæ Pauli verba eodem planè modo explicat Cyrillus Hierosolymitanus [g], atque eadem ratione vtitur Græca voce ἀντίτυπον. Ex hoc porrò loco non satis validè colligit Cyprianus [h] baptismum hæreticorum nihil prodesse. quod quemadmodum qui extra arcam deprehensi sunt, omnes ad vnum diluuio perierunt, non aliter interituri sint ij, qui extra Ecclesiam ab hæreticis baptizantur.

e lib. 5. Cōst. Apost. ca. 17.
f ad Ro. 6. 3.
g Catech. mystag. 2.
h ep. 74. 75. 76.

IX. Sed proculdubio hac quidem in re, vt alibi dixi, tantus ille vir deceptus est, cùm Apostolica traditio Ecclesiasticæ Romanorum Pontificum definitioni, nec repugnantibus quidem Scripturis, suffragetur, aperteque doceat, baptismum aliàs ritè collatum etiam apud hæreticos, suam vim, atque efficacitatem obtinere nullo habito respectu ad ministrum baptizantem.

X. Magnum itaque Dei beneficium commemorat Petrus, mirùmque in modum fidelium animos reficit, ac recreat, dum ait baptismum, quo initiati erant, habere vim tribuendi salutem, eadémque opera plures refellit hæreses, quæ de baptismo, eiúsque fructu, atque vtilitate perperam sentiunt. Quo in genere recensetur Caiana, seu Caina hæresis, cuius meminêre Tertullianus [i], Irenæus [k], Epiphanius [l], Theodoretus [m], Hieronymus [n], & Augustinus [o]: ea videtur à Caino nomen accepisse, quod eius impietatem imitaretur, & quod attinet quidem ad rem præsentem, videtur omnino malè de baptismo docuisse.

i l. de præscr. ca. 33. & l. de bapt. in initio.
k lib. 1. c. 35.
l Hær. 38.
m lib. 5. de hæret. fab.
n Aduers. Vigilant. & ep. 83. ad Ocea.
o De hæres. cap. 18.

XI. Sic enim de illa scribit Tertullianus [p], *atque adeò nuper conuersata est istic quædam de Caiana hæresi vipera venenatissima*. (Quintillam erroris inuentricem intelligit) *doctrina sua plerosque rapuit. In primis baptismum destruens planè secundum naturam. nam ferè vi-* A *pera, & aspides, ipsique reguli serpentes arida, & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quàm in aqua permanendo salui sumus.* Eodemque modo loquitur Hieronymus [a]. *Et consurgens nuper Caina hæresis, atque olim emortua vipera contritum caput leuat, quæ non ex parte, vt ante consueuerat, sed totum Christi subruit Sacramentum.*

p lib. de baptis. cap. 1.
a epi. 83. ad Ocean. in pr.

XII. Duplici autem nomine baptismum sustulisse videtur; primùm quòd negaret aquæ baptismum esse ad salutem necessarium, quod loco indicato insinuat Tertullianus, dum Quintillam viperam vocat, eámque ait suam, cæterorumque serpentum naturam imitari, & ab aqua abhorrere: id enim de viperis insinuat Plinius [b], de Regulis, seu basiliscis testatur B Isidorus [c], nec non Hieronymus [d]: deinde quòd diceret, aliqua esse peccata, quæ Christi sanguine expiari non possent: quod apertè ait Hieronymus [e]: *Dicit enim*, inquit, *esse aliqua peccata, quæ Christus non possit purgare sanguine suo. & tam profundas scelerum pristinorum inhærere corporibus, atque animis cicatrices, vt medicina illius attenuari non queant.*

b li. 8. cap. 39.
c li. 12. Etymolog. c. 4.
d ep. 83.
e Ibidem.

XIII. Hunc errorem complexi sunt, ac locupletarunt Archontici [f], qui baptismum, Eucharistiam, cæteráque Sacramenta execrantur. Manichæi, qui baptismum negant esse vtilem seu necessarium; denique Messaliani, teste Theodoreto [g], qui aiebant baptismum instar nouaculæ radere peccata, eorum tamen radicem non euellere; atque hunc postremum errorem falsò Pelagiani Augustino [h] obiiciebant, C vt ipse non vno loco testatur. Id olim sensisse Proclum nescio quem Origenistam ex Methodio scribit Epiphanius [i]. Eiusdem etiam erroris meminit Gregorius [k] Pontifex. Illum denique Lutherani sopitum iam ac penitus extinctum rursum ab inferis excitarunt Eoque errore admisso, addunt eadem ratione non modò præterita, sed etiam futura peccata baptismi recordatione tegi, atque occultari; idque Augustini [l] auctoritate probare nituntur.

f apud Epiphan. hær. 40.
g lib. 4. de hæret. fab. & li. 4. hist. c. 10.
h li. 1 contra duas epi. Pelag. cap. 13. & lib. 3. cap. 3.
i Hær. 64.
k lib. 9. reg. ep. 19.
l lib. 1. de nup. & concup. cap. 33.

XIV. Verùm alia omnia docet in præsentia Petrus, qui baptismo veram tribui sanctitatem, disertè affirmat. Quocirca Catholica Ecclesia docet, omnia prorsus peccata baptismo expiari, verámque gratiam, & iustitiam diuinitùs infundi. Quamobrem Concilium D Tridentinum [m] non modò definit, sed pluribus Scripturæ testimoniis probat, totum id baptismo tolli, quod veram, ac propriam peccati rationem habet, iisque anathema dicit, qui peccatum tantummodo radi, aut non imputari asseuerant. Neque verò in præsentia omnia mihi repetenda sunt, quæ alij ante nos aduersùs hæreticos doctè, copiosèque collegerunt.

m Sess. 5. Can. 5. fauet etiā sess. 7 can. 9. sess. 6. per totā, vbi de iustificat. sess. 14. cap. 8.

XV. Illud sanè æquè falsò, atque impiè ab hæreticis asseritur, etiam futura peccata baptismi recordatione obtegi; neque id vllo pacto indicauit Augustinus: fateor quidem illius esse hæc verba [n], *Beata itaque caro, cuius remissæ sunt iniquitates, & cuius tecta sunt peccata: beata, cui non imputauit Dominus peccatum, sed illud quod remissum, & tectum est, & non imputatur. donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim* E *quandam occultam, vnde seminetur amarus oleaster, nisi & illic eadem Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur. Non erit autem omnino aliquid vel in carnali semine vitiosum, cum eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum lauacrum vsque in finem, cuncta mala hominis purgante, atque sanante, eadem caro, per quam facta est anima carnalis, fiat etiam ipsa spiritalis, nullam legi mentis resistentem concupiscentiam carnis habitura, nihil carnalis seminis emissura. Sic enim accipiendum est, quod ait idem Apostolus* [o]: *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans*

n lib. 1. de nup. & concup. cap. 33.
o ad Ephe. 5.

eam

rogatur, daturum, facturumve ſe, quod interrogatus eſt, reſpondet. In baptiſmo autem qui luſtrandi ſunt, interrogari ſolent, num credant, num dæmoni, & pompis mundi nuntium remittant. & reſpondere ſolent, ſe credere, & nuntium remittere. Si igitur hæc ſtipulatio bonæ conſcientiæ ſit, hoc eſt, vera, & minimè fallax, baptiſmus ſuum ſortietur effectum.

XXV. Quamobrem Auguſtinus alicubi [a] exclamat, *vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo non quia dicitur, ſed quia creditur.* Et nonnullis interiectis, addit; *Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo. hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, vt per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.* B quippe pro illo ſtipulatur Eccleſia, & qui illum ad baptiſmum adducunt.

a Tract. 80. in Ioan.

XXVI. Addit, *Per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* An vt ſignificetur baptiſmum vim ſuam, atque efficacitatem à fide reſurrectionis mutuari? Id quidem aſtruunt hæretici, ſed prorſus falsò: neque enim ſaltem in infantibus ea fides baptiſmum præuertit, ſed illum potiùs tanquam cauſſam effectus, ſubſequitur: Significat itaque Petrus baptiſmum Chriſti reſurrectionem quodammodo adumbrare, & illius ſimilitudinem exprimere. Ait enim Paulus [b], *Conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. ſi enim complantati facti ſumus* C *ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Et alibi [c], *Conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis.*

b ad Rom. 6.4.

c ad Coloſ. 2.12.

XXVII. Quam ob cauſſam eleganter dixit Clemens Romanus [d], *Baptiſmus igitur datur in mortem Filij Dei. aqua adhibetur pro ſepultura. oleum pro Spiritu ſancto, ſigillum crucis pro cruce, chriſma confirmatio confeſſionis eſt, fit Patris commemoratio tanquam cauſſæ, & emiſſoris Spiritus; coaſſumptio, vt teſtis, mergi commori eſt, emergere conſuſcitari.* Et Cyprianus hoc etiam, ni fallor, ſubindicauit [e], cùm de ſe ipſo hunc in modum loquitur. *Sed poſtquam vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labe deterſa, in expiatum pectus, & purum deſuper ſe lumen infudit, poſtquam cœlitus Spiritu* D *hauſto in nouum me hominem natiuitas ſecunda reparauit.*

d lib.3. Conſtit. cap.17.

e ep.2. quæ eſt ad Donatum.

XXVIII. Secundam enim natiuitatem vocat, reſurrectionem, quæ in baptiſmo imitatione quadam exprimitur. Porrò Oecumenius Chriſti reſurrectionem commemorari affirmat, quod ea nos quodammodo ad baptiſmũ prouocet, atque alliciat. *Ante eius reſurrectionem,* inquit, *& paſſionem illud pronunciatur, Niſi quis renatus ex aqua, & Spiritu ſancto fuerit, non poteſt introire in regnum Dei. Poſtquam verò reſurrexit, promulgatum eſt, vt omnes quæ acceſſerint gentes baptizentur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

XXIX. Crediderim ego, voluiſſe Petrum indicare baptiſmi fructum potiſſimùm Chriſti reſurrectione fuiſſe illuſtratum. ex quo enim Chriſtus ad ſuperos rediit, E iuſtis aditus in cœlum patet. Dicitur autem baptiſmus ritè expians cœli ianuam aperire, quæ tamen ante Chriſti anaſtaſim nulli mortalium patuit. Accedit quòd iuſtificatio Chriſti reſurrectioni tribuitur, quia illa omnem Chriſti doctrinam, atque adeò fidei dogmata quodam modo obſignauit, vt meritò dixerit Paulus [f], Niſi Chriſtus reſurrexiſſet futilem, atque inanem fore Apoſtolicam prædicationem, & Chriſtianam fidem, atque adeò cunctos mortales priſtinis flagitiis implicitos, atque obſtrictos teneri.

f 1. ad Cor. 15.15.

A 22. *Qui eſt in dextera Dei deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, profectus in cœlum ſubiectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.*]

Quoniam Chriſti reſurrectionem nominauerat, I.
vt ſuum in Chriſtum Dominum amorem, & caritatem declaret, & interim fideles ad eandem caritatem excitet, & inflammet, humanæ Chriſti naturæ dignitatem ac præſtantiam extollit, & breuiter perſtringit ea, quæ Chriſtus Dominus malorum tolerantia, ipſaque adeò acerbiſſima nece ſibi meritò comparauit; præcipuè autem illius magnitudinem gloriæ deſcribit, quam in cœlum euectus poſt glorioſam anaſtaſim adeptus eſt. ait igitur. *Qui eſt in dextera Dei:* hoc enim, vt alibi dixi, humanæ Chriſti naturæ dignitatem, B ac præſtantiam maximè declarat, cum vno Deo excepto, nihil habeat ſupra ſe. hoc enim eſt ad dexteram Dei ſedere, digniſſimum videlicet nobiliſſimumque locum inter omnia creata, ſupráque illa occupare. Itaque Paulus [a] diuinam potentiam extollit, *Quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo; ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Et alibi [b], *ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.*

a ad Epheſ. 1.20.

b ad Heb. 1.3.

Cæterum cum certò conſtet nihil eſſe in Deo dex- II.
trum, aut ſiniſtrum, cur Chriſtus dicatur ad dexteram C ſedere, alibi copioſius diſſerui. Certè hanc dignitatis excellentiam idcirco meritus eſt, quod ſeſe vltra modum deiecerit, & acerbiſſimam mortem pro hominum ſalute obierit. Ita Paulus [c], *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo: humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Et alio loco [d]: *Eum autem,* inquit, *qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum.* Idque Chriſtus ipſe apud Lucã [e] ſignificauit his ver- D bis. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.*

c ad Philip. 2.7.

d ad Heb. 2.9

e cap. 24.

Addit porrò Latinus interpres: *Deglutiens mortem,* III.
quæ verba nihil habent in Græcis codicibus, qui nunc habentur in manibus, eis reſpondeant: Sed nec Syriacus interpres ea verba videtur agnoſcere, ea tamen legit Beda, atque interpretatur. *Quod deglutimus,* inquit, *agimus, vt in corporibus noſtris aſſumptum nuſquam pareat. Dominus ſic mortem funditus conſumpſit, vt nihil contra ſe valeret, & manente ſpecie veri corporis abeſſet labes priſca fragilitatis.* Significat enim Petrus ſurrexiſſe Chriſtum ad vitam immortalem, & perſimilem immortalitatem electis polliceri.

Non me præterit, quoſdam hæc verba referre ad IV.
mortem culpæ, quam Chriſtus moriens extinxit, ſed illud videtur myſticum. Propriè enim de morte corporea loquitur Petrus, de qua agit etiam Paulus, E cùm ad Corinthios [f] ſcripſit. *Abſorpta eſt mors in victoria.* Eadem quippe metaphora vterque Apoſtolus vſus eſt: quod enim abſorbetur, vtique deglutitur, nec deglutiri poteſt, quod non abſorbetur.

f cap. 15.54

Quid autem ad nos redundet, illicò explicans V.
ſubiicit, *vt vitæ æternæ hæredes efficeremur.* neque enim Chriſtus ſua cauſſa laborauit: ſed omnes ipſius actiones nobis profuerunt: mors enim eius noſtrã peperit immortalitatẽ. Quocirca apud Iſaiã [g] præcipitaturus dicitur mortem in ſempiternum. & apud Oſeam [h] ita planè loquitur, *De manu mortis liberabo eos de morte*

g cap. 25.8

h cap. 13.14.

redimam eos; ero mors tua, ô mors. Videtur enim Paulus
hæc de omnium mortalium resurrectione accipere,
vt quod monet Hieronymus, aliter ea interpretari
nemo possit, aut debeat. Mortẽ porrò nõ eam intelli-
git, quam effugere nemo potest, sed post mortem rur-
sus anastasim, & vitam immortalem promittit.

VI. Quocircà quod Latinus interpres dixit, *de manu
mortis*, in Hebræis codicibus, & apud Septuaginta le-
gitur, *de manu inferni*, vt sensus sit eos, qui vita functi
sunt, non vt olim limbo tanquã carcere includẽdos,
sed immortalitate donatos, ad cœlestẽ aliquando pa-
triã euolaturos, vt vitæ æternæ hæreditatẽ possideãt:
hæc enim duo præstat, vt nullã deinceps mortem ele-
cti metuant, neque inferni claustra formidẽt. quę duo
ante Christi aduentũ ita erant inter se connexa, vt al-
terum pro altero plerunque vsurparetur. Nam apud
a 1. ad Cor. 15.55. Paulũ [a], vbi Latinus legit, *Vbi est mors victoria tua, vbi
est mors stimulus tuus?* Græcè legitur, ποῦ σοῦ ᾅδη τὸ νῖκος,
b cap.2.24. hoc est, *vbi tua est, inferne, victoria?* Et in Actis [b] Apo-
stolicis Latinus interpres dixit, *Solutis doloribus infer-
ni.* cùm Græcè scriptum sit, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου,
id est, *solutis doloribus mortis.* Dauid autem vtrumque
c psal.17.6. coniunxit, cùm dixit [c], *Dolores inferni circundederunt
me: praeoccupauerunt me laquei mortis.*

VII. Mortẽ itaque extinxit Christus, idque resurrectione
d lib. 4. de-monst.c.12. sua mirificè confirmauit, vt alicubi docet Euseb [d]. *Vt
suis, inquit, familiaribus, ac discipulis vitæ, quæ post mortẽ
apud Deum futura est, spem, non oratione, neque verbis, aut
vocibus, sed factis, ac reipsa repræsentãs, & quod verbis pol-
licitus fuerat, oculis ipsis intuendũ subiiciẽs, confidẽtiores eos,
e Osee 13. atque alacriores præstaret.* Et Cyril. [e] Alex. *Redemit, inquit,
nos de manu inferni, hoc est, de tyrannide mortis.* in eo verò
posita erat mortis tyrãnis, quòd non solùm vita spo-
liaret, sed animas præterea inclusas teneret in limbo.

VIII. Quapropter olim veteres mortẽ, descẽsum ad infe-
ros appellabant. Nunc verò Christus immortalitatis
hæreditatẽ electis largitur. cõfestim enim post mortẽ,
animo quidẽ noxis omnibus expiato in cœlũ euolãt;
corporis verò resurrectionem expectant, vt verã im-
mortalitatẽ assequantur. Vocat autem Petrus æternæ
vitæ hæreditatem Hebræorum idiotismo, qui quam-
libet bonorum possessionem hæreditatem nomi-
nant, cùm interim filiorum dignitatem tacitè indi-
cet: siquidem hæreditas filiis iure debetur.

IX. Atque hæc æternitatis hæreditas ab humana hære-
ditate plurimùm dissidet. illa siquidem non nisi post
obitũ testatoris adiri potest, hæc verò ipso testatore
viuẽte, ac triũphante percipitur. Licèt autem hęc ver-
ba, vt proximè superiora in Græcis codicibus deside-
rentur, verosimile tamen est, vulgatũ interpretem in
vetustis exemplaribus ea legisse, quem deinceps Be-
da, cæterique Latini explanatores secuti sunt.

X. *Profectus in cœlum.* post suã videlicet resurrectionem,
cùm vnà cum Apostolis non multos dies versatus es-
f Act.1.9. set. *ipsis tandẽ cernentibus*, vt ait Lucas [f], *eleuatus est, &
nubes suscepit eũ ab oculis eorum.* Refellit autem his non
multis verbis quorũdam insaniam, quorũ alicubi me-
g li. de ago-ne Christ. c. 25. minit August. [g], qui negabant, Christum vnà eũ cor-
pore in cœlũ ascendisse: cùm enim Christus ipse apud
h cap.3.13. Ioann. [h] dixisset, *Nemo ascendit in cœlũ, nisi qui descẽdit
de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo*; quia sola Christi na-
tura in cœlo erat, eã tantùm in cœlum ascendisse opi-
nabantur. Quasi verò ibi Christus de corporeo ascẽsu
loquatur, ac nõ potiùs de spiritali ascensu, quo animæ
beatæ feruntur in cœlum; vt sensus sit, neminem ante
Christum in cœlum ascendisse: Græcè enim scriptum
est ἀναβέβηκεν, quod est temporis præteriti, idque om-
nino verè, cùm, vt alias sæpe dixi, primus ipse in cœ-
lestem illam patriam aditum reserarit: se ipsum autem
excipit, siue quia beata vita fruebatur, qua soli cœli-
tes beantur, siue respectu diuinitatis suæ, qua omnia

A complet, rebúsque omnibus præsens adest, vt inte-
rim omittam, quod obseruauit Augustinus [a], vnam a Tract.27. in Ioan.
Christi personam indicari.

Quò pertinet, inquit, hoc? nisi vt intelligamus vnã per- XI.
*sonam esse Christum Deum, & hominem, non duas, ne fides
nostra non sit trinitas, sed quaternitas? In cœlo erat, quan-
do in terra loquebatur, sic erat Filius hominis in cœlo, quẽ-
admodum Filius Dei erat in terra. Filius Dei in terra in
suscepta carne; Filius hominis in cœlo in vnitate personæ.*
Rursus alibi [b], *In terra erat, & in cœlo se esse dicebat, &* b Ser.14. de verb. Apost. cap. 9. simi-
quod maius est, in cœlo Filium hominis, vt vnã demonstra- lia de agone
ret in vtraque natura personam. Neque aliter existima- Christ.c.25.
uit Theophylactus. *Cùm audieris, ait, Filiũ hominis de-
scendisse de cœlo, ne existimes, quòd caro è cœlo descenderit:*
B *hoc enim Apollinarius docuit, quod Christus habuerit cor-
pus de cœlo quod per Virginem tanquã per canalem tran-
sierit. verùm quia vna hypostasis, vna persona Christus ex
duabus naturis constituta est: ideo quæ sunt hominis, di-
cuntur de Verbo, & ea quæ sunt Verbi, attribuuntur homi-
ni. sic & hoc loco Filius hominis dicitur descendere de cœ-
lo, eò quòd vna sit persona, & vna hypostasis.* Nihil igitur
ea sententia hæreticis fauet.

Confutatur his eisdem verbis Apellis, & sectato- XII.
rũ error, qui cùm inficiaretur, vt scribit Augustinus [c], c li. de Hær. cap.23.
Christum cũ vero corpore surrexisse, verum Christi
corpus in cœlum euectũ fuisse pernegabat. Sed quo-
niam verissimũ Christi corpus ad viuos rediisse con-
stat, eóque Christum Dominum sese discipulis spe-
ctandũ præbuisse, extra omnem controuersiã est, eo- d ad Ephes. 4.10.
C dem in cœlum ascendisse. Quanquam autem alibi [d]

De loco quo Christus suũ intulit corpus, vberiùs XIII.
disputaui, tantùm hîc addam ridiculam iuxta, atque
impiam Seleucianorum, & Hermianorum videri ve-
saniã, qui, vt indicat Augustinus [e], docuerunt Chri- e li. de Hær. cap. 59.
stum Dominum ad Solem vsque corpus suum extu-
lisse, eóque ibi relicto, corporis expertem ad Patris f Orat.51.
dexteram conscendisse. Quod etiam sensisse Mani- g De Hære. fabul.lib.1.
chæos, auctor est Gregor. [f] Nazianz. & Theodoret. [g]
eundem errorẽ tribuit Hermogeni. Ita factum est, vt h li 20.cõ Faust. cap
non semel doceat August. [h], Manichæos solem vene- & Tract.34. in Ioan.
rari: & Athanasius [i] Manichæos solicolas vocet. Ad-
uersùs hunc errorem loqui videtur, tacito nomine, i lib. de as-sumpt.hom.
Tertullianus [k], *vt & illi, inquit, erubescant qui affirmãt* k lib de car. Christ.c.24
*carnem in cœlis vacuam sensu, & vaginam exempto Chri-
sto sedere, aut qui carnem, & animam tantundem, aut tan-* XIV.
tummodo animam, carnem verò non iam; Necesse vt sit l ad Eph.c.1 & 4 ad Col.
D hunc errorem multò fuisse antiquiorem. 3.ad Hebr.4 & 9.

Mitto recentiorum hæreticorum somnia, qui quòd m psal.67. & 23. Isaiæ 63.
opinentur humanam Christi naturã, vbique esse, ne-
gant potuisse Christũ verè, ac propriè in cœlũ ascen- n ps.23.
dere, atque ita ad metaphoras confugiunt, vt ascen- o c.p.63.
disse in cœlum dicatur, cùm beatorum gloriam, & p Tom.9.in Ioan.
maiestatem palàm adeptus est: descendisse verò, cùm
diuinitatis splendorem humanæ naturæ veluti velo q Orat. de Ascen.Dom.
obduxit. Atqui verè, ac propriè profectus est Christus
in cœlum, vt hoc loco scribit Petrus, & frequenter r c.7.de cœl. Hierarch.
asserit Paulus [l], sexcentis denique locis sacrę literæ [m] s Dial. cum Triph.
testantur, quæ propriè, non autem metaphoricè ex-
plicandæ sunt, quibus addi possunt Sanctorũ Patrum t li.11.In Io. c.37.& in ex-
testimonia, qui hoc sensu Dauidis [n], & Isaiæ [o] verba egesi ad Ace-
E accipiunt. Ita Origenes [p], Gregorius [q] Nyssen. Dio- ciũ & in Is.63
nysius [r] Areopagita, Iustinian. [s] Martyr, Cyril. [t] Ale- u li. de inst.
xandrinus, Ambros [u]. Hieronym. [x], & Augustin [y]. virg. ca. 5. & li. de iis, qui myst.init. c.7

XV. Rectè autẽ dicit Petrus, *Profectus in cœlum*, x Isaiæ 63
quia humana eius natura ibi non erat. Bene enim ait y Serm.5 de resur.
Ruffin. [z], *ascendit in cœlũ non vbi Verbũ Deus antea non
fuerat, sed vbi Verbum caro factum antea non sederat.* Et z In expos. symb.
Leo [a] Pontifex, *ineffabili modo per ascensionem cœpit
esse diuinitate præsentior qui factus est humanitate longin-* a Serm. 2.de Ascens.
quior. Denique Vigilius [b], *Per formam serui quam ab-* b li 1.contra Eutych.
stulerat à nobis, in cœlum absens est nobis, per formam Dei.

qui

quæ à nobis non recessit, præsens est nobis.

XVI. Meritò autem perfectionē, atque ascensum Christi in cœlum Ecclesia admirabilē vocat, tum quia diuina prorsus vi, ac potestate Christus in cœlum ascendit & incredibili quadam celeritate breuissimo tēporis decursu immensum penè spatiū confecit, & ad cœlum empyreum peruenit. Testantur enim viri [a] doctissimi, si Christus humano more gradiēdo perrexisset, ne spatio quidem centum, & eo amplius annorū potuisse illū eò peruenire; cœlum quippe Empyreum plus trecentum leucarum millibus à terra distare; singulas autem leucas miliaria Italica quatuor continere. Alpharabius autem nobilis inter Arabas Astrologus asserit, tanto interuallo octauam sphęram à terra distare, vt vix quisquam octo annorū millibus ad firmamentū peruenire posset: & sunt, qui hoc interuallum leucarum esse dicant quadragies centenarū millium quadringentarum millium sexcentarum nonaginta millium septingentarum vnius, & viginti. quæ si verè, aut certè probabiliter dicuntur, nihil profectò admirabilius fingi potest, quàm humanum corpus breuissimo tempore tam ingens spatium conficere.

a Abulē. paradoxo 5. cap. 14.

44697[?]1.

XVII. Nam de aëreo progressu, qui humano corpori ob ipsitam grauitatem repugnat, minùs mirandum videtur, cùm id pertineat ad beati corporis agilitatem, quæ miram quandam facilitatem tribuit sese in omnem partem commouendi, & incredibilem celeritatē ad omnia sese loca transferendi. Quomodo autem hoc fiat, quidque sit ea agilitas accuratè disputant de ea Theologi in scholis. Certè negandū non est, posse humanum corpus hanc facultatē diuinitùs accipere, cùm eā Christi corpori concessā fuisse cōstet, certúmque

A que sit beatorū corpora Christi eo diuino corpori, fore similia. Dicitur itaque Christus profectus in cœlum.

XVIII. Addit verò Petrus; *Subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.* Quod procul dubio humanæ naturæ respectu accipiendum est, cui, vt ait Oecumenius, tanquā diuinæ hypostasi hærenti, omnes beatæ mentes meritò subiiciuntur. Nam alioqui diuinæ naturæ per se sumptæ nihil est non prorsus subiectum. Sic Paulus [a] omnibus Angelicis choris Christum fuisse prælatum affirmat. & Chrysost. [b] *Non tantum*, inquit, *super cælos, sed supra Cherubim ascendit, vltra Seraphim eleuatus est, nec antè stetit, nisi sedem Dominicam inuenisset, & accepisset.* Et Leo Pontifex [c] *Re vera* inquit, *magna, & ineffabilis erat caussa gaudendi cùm in conspectu sanctæ*

B *multitudinis super omnium cælestium creaturarum dignitatem humani generis natura conscenderet supergressura Angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudinem eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu illius gloriæ sociaretur in throno, cuius natura copulabatur in Filio.* Et rursus [d]: *Ascensio enim in cælos præsentium nobis est materia gaudiorū recolentibus illum diem, & ritè venerantibus, quo naturæ nostræ humilitas in Christo super omnē cæli militiam, supra omnes ordines Angelorum, & vltra omnium altitudinem potestatum ad Dei Patris est prouecta consessum.* Ingentem igitur Christi gloriam, ac dignitatem prædicat Petrus, cui beatæ mentes cæteráque omnia creata meritò subiiciuntur. De quo Dauid [e], *Constituisti*

C *sti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius*: ea enim verba pertinere ad Christum, docet Paulus [f]: *In eo enim*, inquit, *quod omnia ei subiecit, nihil dimisit, non subiectum ei.*

a ad Ephes. 1. 21.
b Serm. de Ascens.
c Serm. 1. de Ascens.
d Serm. 2. de Ascens.
e psal. 8. 7.
f 1. ad Cor. 15. 26. & ad Hebr. 2. 8.

Quarti Capitis Argumentum.

*C*V M *sub finem præcedentis capitis Christi Domini perpessionem ac necem cōmemorasset; indidem exorsus assiduam eius meditationem suadet, vt inde prauas cupiditates, & fœdas animi perturbationes castigandas, & cohibendas doceat, præteritáque vitia penitus abiicienda, tum præclaras Christianóque viro dignas virtutes complectendas, studioséque sectandas monet: denique ad constantiam, atque animi magnitudinem in rebus aduersis retinendam; exemplo Christi hortatur.*

PARAPHRASIS.

CVM igitur Christus Dominus in humana natura suscepta pro nostra omnium salute acerbissimos cruciatus, atque adeò sæuissimā mortem passus sit, vos quoque imitandi studio inflammati persimilem cogitationem quasi panopliā assumite: rati eū qui tam multa obiectu corporis sui perpessus est, finē quodā modo imposuisse peccatis. ¶ Ita fiet, vt deinceps nemo iam cupiditatibus aut impuris voluptatibus seruiat, sed reliquo vitæ tempore vnius sese Dei voluntati accōmodet penitusque subiiciat ¶ Sat enim, supérque fuerit nobis, quod anteacta vitam Gentiliū more traduximus, dū impuros eorū mores imitaremur lasciuiis, impuris cupiditatibus, vinolentiis, commessationibus, compotationibus, & nefariis simulacrorū cultibus contaminati. ¶ Iam verò cùm gentes non sine admiratione vestrā vitæ mutationem aspiciant, cúmque illis perabsurdū videatur non esse vos eiusdē luxus, atque improbitatis participes, vos probris, & maledictis proscindunt. ¶ Qui tamē velint, nolint, huius suæ peruersitatis reddituri aliquādo sūt rationē ei, quem Deus immortalis viuorū, ac mortuorū iudicem cōstituit. ¶ Hanc enim ob caussam etiam vita functis Euangelium promulgatum est,

Bened. Iustinian. in Epist. Canon. vt qui

CAPVT IV.

1 CHRISTO *igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis.*

2 *Vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, viuat temporis.*

3 *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.*

4 *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.*

5 *Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos.*

6 *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est; vt iudicentur quidem secundùm homines*

mines in carne, viuant autem ſecundùm Deum in Spiritu.

7 *Omnium autem finis appropinquauit. Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.*

8 *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.*

9 *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.*

10 *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.*

11 *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.*

12 *Cariſſimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui aliquid vobis contingat.*

13 *Sed communicãtes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.*

14 *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis quoniam quod eſt honoris, & gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcit.*

15 *Nemo autem veſtrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

16 *Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.*

17 *Quoniam tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?*

18 *Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?*

19 *Itaque & hi, qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.*

vt qui iam diem ſuum obierunt, hominũ quidem iudicio vnà cum corpore damnationis ſententiam percepiſſe cenſeantur, diuino tamen iudicio Spiritu atque animo vitã viuant ſempiternam. ¶ Porrò rerum omnium finis iam iam imminet, quocirca ſobrietatem, ac prudentiam colite, vigilate verù, & aſſiduas preces fundite. ¶ Præ cæteris autem omnibus mutuam inter vos, eámque vehementem, & perennem caritatem complectimini: ea enim eſt, quæ multitudinem operiet peccatorum. ¶ Hoſpitio verò vos inuicem hilari ac liberali animo excipite procul abiectis obtrectationibus, aut murmurationibus. ¶ Singuli verò pro ſua quiſque facultate, ac munere diuinitùs accepto, ſuam aliis operam impendant tanquam boni diſpenſatores multiplicis, ac variæ gratiæ Dei. ¶ Si quis ſermonem habet ad populum, ita ſe gerat, quaſi qui Dei eloquia profert. Si quis miniſterium exhibet, diuinam vim ſibi à Deo ſuppeditatam exerat, vt in rebus omnibus diuina gloria celebretur per Ieſum Chriſtum, cui meritò gloria, & imperiũ in omnem debetur æternitatem. Amen. ¶ Vos verò cariſſimi, nolite mirari quaſi noui aliquid vobis contingat, cùm rebus aduerſis tãquam ignis ardore exploramini. id enim ad veſtram patientiam, atque cõſtantiã experiendam, illuſtrandámq; refertur. ¶ Quinetiam hoc ipſo quod Chriſti Domini perpeſſionis, ac necis conſortes quodã modo, ac participes eſtis, gaudendum vobis eſt, ac magnopere lętandum, vt cum diuina eius gloria palàm omnibus apparebit, vberiori gaudio exultetis. ¶ Sic enim habetote, Si probris & contumeliis pro Chriſti nomine afficiamini, verè vos beatos, ac felices eſſe Siquidem glorioſus Dei Spiritus certam quaſi ſibi ſedem in vobis delegit, qui licèt ab illis maledictis proſcindatur, à vobis tamen honore, & gloria dignus prædicatur. ¶ Nemo autem veſtrûm tanquã homicida, aut fur, aut facinoroſus, aut alienarum rerum curioſus inueſtigator, iudicum auctoritate plectatur. ¶ Sin autem tanquam Chriſtianus rebus aduerſis premitur, ne pudore ſuffundatur, ſed ob id ipſum potiùs Deo immortales gratias agat, eiúſque diuinum nomen dignis laudibus extollat. ¶ Siquidem hoc tempus poſtulat, vt diuinum iudicium à Dei cultoribus qui omni labe purgandi ac perpoliendi ſunt, inchoetur. Quòd ſi diuinæ iuſtitiæ ſeueritas nos primùm attingit, quem exitum putabimus, ſi non in hac mortalitate, in altera certè vita habituros eos, qui fidem Euangelio abnegant, & Dei cultores inſectantur? ¶ Quòd ſi, vt eſt apud Salomonem, magno cum labore, ac difficultate iuſtus ſalutem aſſequitur, quid de impiis, ac ſceleratis futurum cenſemus? Quónam illi tandem poſt hanc vitã peruenient? ¶ Quæ cùm ita ſint, qui diuino conſilio, prouidentiáque huius vitæ incommodis rebúſque aduerſis premũtur, me quidem auctóre, ad fidelem rerum omnium conditorẽ ex animo confugiant, ſéque ei téſque omnes ſuas ita commendent, vt honeſtis, ac laudabilibus actionibus eius gratiam ineant ac beneuolentiam aſſequantur.

IN CAPVT QVARTVM EXPLANATIO.

1. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis.*]

I. 

Vt Christi necem superiori capite commemorauerat, eius memoriam, atque assiduam recordationem in præsentia commendat, & plurimas deinde eius vtilitates recenset. Passum autem ait Christum, *in carne*, non quasi animam doloris expertem fuisse sentiat,
a Psal. 68. 1. cùm de illo olim cecinerit Dauid [a], *Intrauerunt aquæ*
b cap. 26. 37. *vsque ad animam meam* scribit autem Matthæus [b] cœpisse illum contristari, & mœstum esse, additque Mar-
c cap. 14. 33. cus [c] cœpisse pauere, & tædere; denique apud vtrumque Euangelistam ait Christus Dominus, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; quæ omnia animi dolorem, atque acerbitatem indicant. Quamobrem Am-
d lib. de fide ad Gratian. brosius [d], *Sicut meam*, inquit, *suscepit voluntatem, sic meam etiam accepit tristitiam.* Et Hieronymus [e]: *Do-*
e in Isaiam c. 53. *luit pro nobis verè, & non opinione, verè crucifixus fuit, verèque doluit, tùm dixit: Tristis est anima mea.* Et vt ait
f lib. 14. de ciuit. c. 9. Augustinus [f], *in eo in quo verum erat hominis corpus, & animus verus, non falsus erat humanus affectus*: Sed aliter tamen Christus, quàm nos, afficiebatur: nam, vt idem Augustinus ait, *Christus affectus, & motus animi ita cùm voluit, suscepit, sicut cùm voluit, factus est homo.*

II. Quamobrem Hieronymus [g]; *Verè*, ait, *Dominus*
g Matth. 26. *contristatus est, sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœpit contristari: aliud est enim contristari, aliud incipere contristari.* Quæ verba indicant non fuisse Christi affectum eiusmodi, vt statum mentis, & rationis vsum vllo pacto perturbaret, vt enim ipse
h Matth. 5. alibi ait [h], *Passio reputatur in vitium, propassio licet vitij culpam habeat, tamen non tenetur in crimine: ergo qui viderit mulierem, & anima illius fuerit titillata, hic propassione percussus est, si verò consenserit, & de cogitatione affectum fecerit, iuxta illud Psalmi* [i], *Transierunt*
i Psal. 72. *in affectum cordis, de propassione transiuit ad passionem, & huic non voluntas peccandi deest, sed occasio*: Vt vi-
k Tract. 35. in Matth. deatur Hieronymus, vel idem sentire cum Origene [k], vel ab eo non multùm discrepare, qui initium tantummodo tristitiæ, & quasi gustum, non autem perfectam tristitiam in Christo admittit. vterque autem bonam in partem explicari potest, si initium tristitiæ interpretemur, tristitiam, quæ longè abest à vi-
l 3. p. q. 15. a. 6. ad 1. tio, quomodo loquitur D. Thomas [l], qui ait: *Tristitia a Christo remouetur, secundùm passionem perfectam, fuit tamen in eo initiata secundum propassionem:*
m 3. p. q. 46. a. 6. ad 4. qui tamen alibi [m] Christi dolorem, ac tristitiam maximam fuisse docet, *quia non solùm doluit pro amissione vitæ corporalis, sed etiam pro peccatis omnium aliorum, qui dolor in Christo excessit omnem dolorem cuiuscunque contriti, tum quia ex maiori sapientia & caritate processit, ex quibus dolor contritionis augetur, tum etiam quia pro omnibus peccatis simul doluit.*

III. Itaque fatendum est verè Christum Dominum non corpore solùm passum esse, sed animo etiam magno quodam dolore tristitiaque fuisse affectum. Video tamen dubitari à multis quánam ratione id possit consistere cum beato diuinitatis intuitu quo Christi anima perpetuò fruebatur: nam quod com-

A muni consensu Theologi docent, gaudium, quod à diuino conspectu manabat, superiorem animæ partem explesse quidem, ad inferiorem autem non redundasse: lux enim cœli empyrei ad hæc inferiora non pertingit, & sol, qui omnia sua luce complet, alterum hemisphærium illustrat, alterum in tenebris relinquit; verè omnino dicitur, rem tamen non penitus expedit: ipsa enim Christi Domini suprema animi pars ob læsum, ac violatum diuinum numen, incredibili quodam angore, vt loco indicato significat D. Thomas, cruciabatur, idque ab eo eximia eius in Deum caritas maximè flagitabat.

IV. Non possum autem probare, quod video tamen
B magnis viris [a] placere, non sine miraculo gaudium à beato Dei conspectu fuisse seiunctum, atque adeò animam Christi, dum raperetur ad necem, illius gaudij penitus fuisse expertem, vt nostra caussa acerbissimum dolorem conciperet. Tametsi enim non nego beatam Dei contemplationem, quæ inest in mente, diuina vi, ac potestate seiungi posse à gaudio, quod inde redundat in voluntatem, quia tamen id beatitudinem quodammodo mutilat, ac detruncat, non videtur in Christo admittendum, cum alia quadam ratione si ad diuinam omnipotentiam confugiendum sit; potuerit in suprema animæ Christi parte cum beato gaudio summa quædam tristitia
C consistere.

a Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 13. Maldonat. Matth. 26. Salmeron to. 10. tract. 14.

V. Quemadmodum enim vnus, atque idem Christus quamdiu inter mortales viuebat, æquè viator, & beatus erat, atque adeò suprema animi parte, Deum spectabat, eiusque diuino conspectu iucundissimè fruebatur, & præstantissimis voluntatis actionibus & mereri, & satisfacere poterat; quod statui beatorum repugnat; eadem ratione eius voluntas, qua ad Deum beato intuitu comprehensum referebatur, beato gaudio perfusa exultabat, vt verò voluntas erat viatoris, & diuinum numen humano scelere violatum respiciebat (quod erat caritatis creatæ) inexplicabili quadam tristitia afficiebatur. Ita duo
D contraria in eadem Christi voluntate erant, nec sese mutuò excludebant, aut vlla ex parte labefactabant, quod diuina vi, ac potestate fieri posse, nemo inficiabitur, qui admiserit Christi voluntatem beatam Deo, amore beatorum proprio, perpetuò adhæsisse, eandémque liberis suis actionibus hominum generi salutem, & gratiam peperisse, sibique adeò corporis resurrectionem, nominisque celebritatem promeruisse.

VI. Cur ergo ait Petrus Christum carne passum? nimirum carnem, seu corpus non animæ opponit, sed diuinitati, vt significet humanam Christi Domini naturam cruciatam fuisse, diuinitatem verò omnis prorsus doloris expertem. Itaque rectè Augustinus [b],
E *sicut Martyres*, ait, *passos, & mortuos dicimus in corporibus, quæ portabant, sine animarum interfectione, vel morte, sic Filium Dei passum, & mortuum dicimus in homine, quem portabat sine diuinitatis aliqua commutatione, vel morte.* Et ante illum dixerat Irenæus [c], quem ad verbum sequitur Theodoretus [d]: *Sicut enim homo erat, vt tentaretur, sic & Verbum, vt glorificaretur, requiescente quidem Verbo, vt posset tentari, & inhonorari, & crucifigi, & mori.*

b lib. de agone Christiano c. 13.
c lib. 3. c. 21.
d Dial. 3.

VII. Qua de re luculenter disserit Eusebius [a], multísque exemplis eam illustrat. *Vt enim*, inquit, *solaris luminis radij licèt omnia complectant, & corpora mortua, sordentiáque attingant, ipsi tamen nihil patiuntur. sic etiam, multóque magis Dei vis incorporea natura sua nullum neque incommodum, neque nocumentum accipiet, neque vnquam se ipsa deterior fiet, quamuis incorporea quadam ratione corpus attingat.* Post multa verò cùm humanam Christi naturam lyræ comparasset; *Neque igitur*, ait, *in partu à corpore ipse incorporeus inquinabatur, neque item qui passibilis natura expresserat, aliquid à mortali secundùm essentiam patiebatur. Nam neque, verbi gratia, dum lyra pulsatur, aut neruus conuelluntur, pati verisimile est eum, qui ita præludit, neque dum cuiuspiam viri sapientis corpus torquetur, illius sapientiam, aut quam in corpore gerit animam cædi, aut puniri meritò dicere possumus, eadem ratione neutiquam, multóque etiam minùs, quod verbi aut natura, aut vis detrimenti quidpiam ex corporis affectionibus trahat, affirmare par est.*

[a] lib. 4. demonstr. c. 13.

VIII. Patres verò Concilij Hispalen. [b] Scripturæ testimoniis probant, adhibitis etiam sanctorum Patrum suffragiis, diuinam naturam omnis fuisse doloris, ac perpessionis expertem. Ad hunc porrò locum respiciens Cyrillus [c] Alexandrinus, *Ergo*, inquit, *passio quidem dispensationis erat, sua quidem dicente Deo verbo ea, quæ sunt propria carnis propter inenarrabilem vnitatem: manente verò extra passionem quantùm ad ipsius naturam pertinet: impassibilis enim Deus est.* Idque probat exemplo animæ, quæ patiente corpore, ipsa tamen corporeo dolore non afficitur. Et in eandem sententiam Ambrosius [d], *Vt homo*, inquit, *dubitat, vt homo turbatur, non turbatur virtus, non turbatur eius diuinitas, sed turbatur anima, turbatur secundùm humanæ fragilitatis assumptionem.* Et aliquantò pòst: *Vt homo turbatur, vt homo flet, vt homo crucifigitur: Sic enim & Apostolus Paulus dixit, Quia Christi carnem crucifixerunt. Et alibi Apostolus Petrus ait, Christo passo secundùm carnem: caro igitur est passa, diuinitas autem mortis libera, passioni corpus, natura humanæ legis concessit. An verò mori diuinitas potest, cùm anima non possit?* Et alibi [e]: *Vnde amentes eos æstimare debemus, qui audientes dicentem Dei Filium. Quid me cædis, secundùm naturam diuinitatis subiectum iniuria putauerunt. Dixit enim, Quid me cædis, sed eadem diuina natura non sensit.*

[b] Concil. 5. c. 13.

[c] de incarn. vnigen. c. 26.

[d] lib. 2. de fide, c. 5.

[e] lib. de incarn. facta. c. 5.

IX. Allato deinde Isaiæ testimonio, itémque hoc Petri loco, concludit: *Rectè igitur secundùm naturam suam & caro passa est, nec ea corporis passione Verbi natura mutata est.* Denique Fulgentius [f]: *Minime*, inquit, *attendunt diuinam illam, atque incommutabilem Filij Dei substantiam, & in carne passibile passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse*: idque hoc Petri testimonio confirmat. Sic etiam loquitur Gelasius [g]. Perinde igitur est Christum carne passum, ac si dicamus humanam Christi naturam doloribus fuisse cruciatam, atque ita Petrum explicat Oecumenius; *non enim, ait, immortali sua, ac diuina natura passus est.* Græci autem codices non simpliciter passum fuisse dicunt, sed addunt ὑπὲρ ἡμῶν, id est, *pro nobis*, interpres tamen Oecumenij transtulit, *pro vobis*, vt videatur legisse Græcè ὑμῶν, sed Syriacus habet, *pro nobis*; vt commẽdet Apostolus eximiam Christi caritatem, qui nostra caussa acerbissimos cruciatus pertulerit, vt, quod monet Oecumenius, hac ratione doceat, quid nos pro Christo facere oporteat. *Vos quoque*, inquit, *prorsus retribuere ipsi id debetis, vt ob ipsum mortui peccato, non amplius humanis concupiscentiis capiamini; sed ex voluntate tantùm Dei, quod restat, vitæ tempus in carne traducatis.*

[f] lib. 3. ad Trasim.

[g] ep. aduersùs Eutychē, & Nestoriū.

X. Cur autem Christi patientis exemplum proponat, explicat his verbis: *Et vos eadem cogitatione armamini.* Quo loco Oecumenius subaudiendam putat Græ-

A cam præpositionem κατὰ, cùm Græcè scriptum sit, καὶ ὑμεῖς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε, perinde accipiatur, ac si dicat Petrus, κατὰ τὴν ἔννοιαν. Neque inficias ierim sic sæpe Græcos loqui consueuisse: Sed in præsentia quidẽ id mihi neutiquam videtur necessarium: existimo enim dixisse Petrum fideles eadem cogitatione armandos, quomodo apud Lucam [a] dixit Christus, *Sedete in ciuitate quoad vsque induamini virtute ex alto*, Græcè, ἐνδύσησθε δύναμιν. Et Paulus [b], *Induimini Dominum Iesum Christum*; vt sit sensus, eandem quoque vos cogitationem concipite, vt ea quasi thorace aduersùs omnes aduersariorum impetus protegamini. Sic enim ad Hebræos dixit Paulus [c]: *Recogitate enim eum, qui talẽ sustinuit à peccatoribus aduersùm semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.*

[a] cap. vlt. 49.

[b] ad Rom. 13. 14.

[c] cap. 12. 3.

B Hanc porrò cogitationem non eò tantùm refero, vt Christi supplicia assidua meditatione animo versanda moneat; sed vt fidelibus persuadeat exemplo Christi omnia incómoda, quæ accidere possunt in vita, forti, cõstantique animo toleranda esse. Fateor tamẽ necis Christi meditationẽ ad vitã rectè instituendã, & aduersa æquo animo toleranda non exiguã vim habere, cùm non honestũ modò, sed etiam gloriosum sit, militẽ, ducem, atque imperatorẽ suũ imitari, quin potiùs turpe, atque ignominiosum esse verè, ac sapiẽter dixerit Bernardus, *Sub capite spinoso mẽbrum esse delicatũ.* Sed præterea Petrus id etiam exigit, vt cogitemos difficilia, atque adeò appetamus multa pro Christi nomine aspera, atque acerba perpeti. XI.

Quod olim innumerabiles Martyrũ greges fecisse XII.
C accepimus, qui hac cogitatione armati eculeos, cruces, crates ardentes, & id genus alia immanissima supplicia auidiùs expetebant, quàm alij voluptates, diuitias, atque honores concupiscãt. Hæc etiam cogitatio facit, vt prauas omnes cupiditates strenuè domemus, & veterẽ in nobis hominẽ quodãmodo perimamus: quod his verbis expressit Paulus [d]: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris: Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.*

[d] 2. ad Cor. 4. 10.

Cæterùm cùm ait Petrus, *eadem cogitatione armamini*, tacite indicat nos esse in hac vita mortali tanquam milites, qui semper in acie versentur: ob id enim verè dixit Iob [e]: *Militia est vita hominis super terram.* Lu- XIII.
D ctandum enim, ac pugnandum nobis est, non vt olim Dauidi cum Philistæo, sed cum dæmone, de quo ait Paulus [f], *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem; sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mũdi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus.* Addo certandum esse cum mundo, atque adeò cum prauis cupiditatibus nostris, quæ, vt alicubi ait Iacobus [g], *militant in membris nostris*; & vt hic ipse suprà [h] dixit, *militant aduersùs animam.*

[e] cap. 7. 1.

[f] ad Ephes. 6. 12.

[g] cap. 4. 1.

[h] cap. 2. 11.

XIV. Quam ob caussam sæpe Paulus arma nobis ad præliandum apta comparanda monet: nam ad Ephesios ait [i]: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersùs insidias diaboli.* Et rursus [k]: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo.* Denique armorum genera explicans [l]: *State ergo*, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, &*
E *calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.*

[i] cap. 6. 11.

[k] vers. 13.

[l] vers. 14.

XV. Et profectò si hæc cogitatio, qua fideles armandos monet Petrus, de memoria suppliciorum, ac necis Christi accipiatur, rectè omnino hac recordatione armamur, & ad præliandum acriùs incitamur. Nam quemadmodum olim, vt est in libris Machabæorum [m], *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & mori*

[m] lib. 1. c. 6. 34.

mori ad acuendos eos in prælium; ita qui præ oculis mentis, Christi sanguinem habet, qui crucis supplicio tanquam torculari ab eo quasi botro expressus est, mirum in modum ad pugnam, ac prælium excitabitur. Ita Paulus [a], *Deponentes*, ait, *omne pondus, & circunstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.*

a ad Hebr. 12.1.

XVI. Hunc intuebatur Bernardus, cùm de fasciculo myrrhæ ex laboribus, doloribúsque Christi collecto non minùs eleganter, quàm piè loqueretur [b], *Non requiro*, inquit, *vbi pascat in meridie, quem intueor Saluatorem in cruce, illud sublimius, istud suauius, vel paratius, panis illud, hoc lac. Hunc & vos dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum cordis.* Mox verò addit: *Hæc mihi in ore frequenter, hæc in corde semper, hæc stylo meo admodum familiaria, hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Iesum, & hunc crucifixum.* Eodem spectant Augustini verba [c]: *Toto vobis*, inquit, *figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce.*

b Serm. 34. Cant.
c lib. de sanc. virg. c. 54.

XVII. Quòd si cogitatio propositum significet, & patiendi pro Christo voluntatem, næ illi fœlicissimè pugnant, qui studio Christum imitandi ardenter appetunt aduersa, adeò illa non metuunt, aut reformidant. Quamobrem rectè monet Cyprianus [d]; *ad pugnam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debere milites Christi. Considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. Hoc est enim velle cum Christo inueniri, ad quod Christus & docuit, & fecit imitari.* Et post nonnulla: *Gaudere nos, & exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neq; enim sic nomen militiæ dedimus, vt pacem tantummodo cogitare, & detrectare, & recusare militiam debeamus, quando in ipsa militia primus ambulauerit Dominus: humilitatis, & tolerantiæ, & passionis magister, vt quod fieri docuit, prior faceret, & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur.*

d epist. 56.

XVIII. Nec frustra Christi sanguinem potatum proculdubio in Eucharistiæ Sacramento commemorat, quòd eo potu mirum in modum ad pugnandum pro Christo fidelium animi inflammentur. Quemadmodum enim alicubi scriptum legimus [e], iussisse Regem, *abundantibus pugnis thuris, & vino multo puro omnes Elephantos potare, vt nimia potus subministratione efferati, impetum facerent in hostes*, ita qui Eucharistiæ Sacramento, & Christi corpore vescuntur, & eius sanguine potantur quasi quidam generosi leones, vt alicubi [f] scribit Chrysostomus, ignem spirantes ipsis etiam dæmonibus terrorem incutiunt.

e lib. 3. Mac.
f Hom. 61. ad popul.

XIX. Subdit. *Quia qui passus est in carne, desiit à peccatis.* Quem quæso intelligit? an Christum? Ita sanè intellexisse videntur quidam, qui hunc in modū Græca verba interpretantur, *Qui patiebatur in carne, destitit à peccato.* Caue autem putes, si hoc modo interpretere, Christum moriendo cessasse à peccato, cùm humana eius voluntas diuina verbi hypostasi nixa, etiam circumscripto beato Dei intuitu, quo qui fruuntur, peccare nulla ratione possunt; ita penitus Deo adhæreret, vt nihilo minùs quàm Deus ipse ab omni labe peccati libera esset atque immunis.

XX. Atque Petrus paulò antè dixerat, Christum passum esse in carne, cùm igitur nunc ait, *Qui passus est in carne*, de eodem proculdubio Christo loqui videtur. Qua igitur ratione Christus desiisse dicitur à peccato, qui nec peccauit vnquam, nec peccare vlla ratione potuit? An desiisse à peccato dicitur, quòd peccatum quodāmodo extinxerit, & sua morte peremerit?

A Sanè hoc non obscurè indicat Paulus, cùm ad Romanos [a] scribit, *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato: qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.*

a cap. 6. 6.

XXI. Significat enim, vt suo loco docui, Christum Dominum sua morte peccati vires fregisse, penitúsque eneruasse, siue quia dæmonē malorum omnium & inuentorem, & incentorem magnopere debilitauit, siue quia vberiorem, validioremque gratiā iustis largitur, & ad impuras cupiditates frangēdas, & ad dæmonum impetus superandos, vno verbo ad vitandum omni ex parte peccatum. Ac proinde eodē loco subiicit Paulus: *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quòd autem viuit, viuit Deo: Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro*; B Vt significet abstinendum omnino à scelere, quomodo Christus semel tantùm mortem obiuit, & deinceps rediuiuus, & immortalitatē adeptus nunquam moriturus est, ac ne mori quidem potest.

XXII. An peccatum posuit Petrus, pro hostia, quæ pro peccato offertur? Ita planè peccatum vsurpasse videtur Paulus, cùm ad Corinthios [b] scripsit; *Eum, qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit*: ita enim fermè eum locum explicant Latini Patres. Sed non satis intelligo, quonam modo hæc sententia huic loco aptetur: significaret enim Petrus, Christum Dominum obitu suo finem imposuisse victimis; tum quia, vt ait Paulus [c], *vna oblatione consummauit vniuersa*, tum quia, vt ibidem subiicit Apostolus, *iam non est oblatio pro peccato*: vna enim Christi oblatio pro humano genere C litauit, vt nulla præterea expectanda sit.

b ep. 2. 5. 21.
c ad Hebr. 10. 14.

XXIII. Sed quorsum id in præsentia Petrus? Neque enim id nunc ille agit, neque de merito, aut satisfactione Christi disserit. Malim itaque interpretari hæc Petri verba perinde, quasi alludat ad locum Dauidis [d], in quo Christum in hæc verba loquētem induxit; *Deus, Deus meus, respice in me. quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.* Christus enim omnium nostrûm scelera expianda suscepit, & quasi sua essent, pro iis mortem subiit; atque idcirco, vt ait Chrysostomus [e], quasi ipse peccasset, scelerum pœnas luit, quibus peccato, quantum in ipso fuit, finem imposuit, vt meritò dicatur desiisse à peccato, qui suam mortalibus iustitiam impertiuit. Rectè igitur ait Petrus, *quia qui passus est in carne, desiit à peccato.* D Græcè enim dixit Petrus πέπαυται ἁμαρτίας, vt significet Christum Dominum peccati vires eneruasse, quia cùm gratiam liberaliter impertiat, humanam voluntatem roborat, & confirmat, vt efferatas cupiditates coërcere, & comprimere queat, ne in nobis dominatum, ac tyrannidem exerceant.

d Psal. 21. 1.
e in 2. ad Cor. 5.

XXIV. Non ignoro tamen visum esse Oecumenium hæc de fidelibus accipere: ita enim ait; *Cum igitur Christus passus pro vobis sit, id est mortuus, vos quoque eadem cogitatione, id est, iuxta eandem cogitationem, eundemque scopum præparemini, quippe cum mortui etiam vos mundo videlicet sitis, qui verò mortuus est, à peccato iam desierit.* Et mox. *Nam cum inquit, qui passus est, de morte intelligit cum Paulo consentiens, qui ait, si mortui sumus cum Christo, etiam conuiuemus, & mortui quidem erimus peccato, sed viuentes Deo.* E Vt enim apparet, quod ait Petrus, *Qui passus est in carne*; refert ad fideles, quos vi baptismi constat mortuos esse peccato. Quomodo ait Paulus [f], *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo*; vt sit sensus; Imitamini Christi mortem, quemadmodum enim ille in humana natura mortem obiit, vt peccatum aboleret, ita & vos veterem in vobis hominem extinguite, vt nullus deinceps peccato locus relinquatur.

f ad Rom. 6. 11.

XXV. Hæc omnia proculdubio admodum probabiliter dicuntur, sed prior explanatio magis placet, vt

Christus moriens omnium in se ipso quodammodo peccata peremisse significetur. Nam & Paulus Apostolus hunc etiam in modũ argumentatur: cùm enim dixisset fideles exẽplo Christi mortuos esse peccato, & Deo viuere, colligit [a], *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Optat enim extingui omnino peccatum, ne Christi mors si rursum peccatum reuiuiscat, despici, & contemni videatur. Nam, vt ait Paulus [b], *voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia:* nam, vt paulò antè dixi, nemo post Christum pro hominum genere Deo Patri sese offeret, aut alia quapiam ratione pro mortalium flagitiis satisfaciet.

a ad Rom. 6.12.

b ad Hebr. 10.26.

XXVI. Quanquam enim scelera post baptismum perpetrata pœnitentiæ Sacramento, si ritè percipiatur, deleri possunt; ea tamen expiatio baptismi lustrationem non assequitur, vt Theologi in scholis copiosè docent. Quod insinuauit Paulus in Epistola ad Hebræos [c] his planè verbis; *Impossibile enim est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Quæ cùm ita sint, propiùs abest à mente Petri, vt hæc de baptismo expiatis accipiantur, qui vi baptismi carne mortui dicuntur, quòd peccatum in se quodammodo extinxerint, atque ita omni labe purgati, nullo deinceps scelere inquinari, innocentiam retinere, & omnem sanctitatem colere maximè debeant: quod apertissimè confirmant ea, quæ mox sequuntur. Subdit enim Petrus:

c cap. 6.4.

2. *Vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, viuat temporis.*]

I. Quippe referuntur hæc ad illum, de quo dixerat; *Qui passus est in carne, desiit à peccatis*, quasi dicat, Peccatum ita extinxit, vt quamuis eius prauæ cupiditates nonnunquam animum titillent, nunquam tamen eis obsequatur, sed diuinæ voluntati sese penitus subiiciat, atque omni ex parte obstringat. Ita quod superiori capite Dauidis auctoritate docuerat, deserenda esse vitia, virtutésque complectendas, vt mortem, ac resurrectionem Christi exprimamus, idem paucissimis verbis in præsentia indicat. tantùm, inquit, abest, vt qui præterita facinora expiauit, iisdem rursus implicandus, & contaminandus sit, vt illi vnius tantùm Dei voluntati obtemperandum sit.

II. Hoc ipsum frequentissimè inculcat Paulus: nam ad Romanos [d] ait non esse cupiditatibus obsequendum: ibidem [e], in nouitate vitæ ambulandum; post nonnulla [f], seruiendum in nouitate Spiritus: apertissima verò sunt illa [g], *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Neque aliud innuit, cùm ait [h], *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi:* itémque cùm [i] nouam creaturam nominat, nouum [k] hominem, denique vitam [l] nouam.

d cap. 6.12. e ver. 4. f cap. 7.6. g ad Ro. 12.2. h 1. ad Cor. 5.7. i 2. ad Cor. 5.17. ad Gal. 6.15. k ad Ephes. 2.15. & ca. 4. 24. ad Col. 3.10.

III. Quod autem ait interpres, *Non desideriis hominum*, Græcè scripsit Apostolus, ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις, quasi dicat, *humanis cupiditatibus*, quæ videlicet in hominum natura primorum parentum vitiò deprauatæ sunt, adeò vt rationis imperium præuertant, eique magnoperè reluctentur, à quibus, vt ait Cyrillus [m], omnino abstinendum est: nam, vt apud Damascenum [n] loquitur Chrysostomus; *Quemadmodum passerem penna nihil iuuant, si laqueo teneatur implicitum, ita ratio homini nihil prodest, si ab improba cupiditate expugnetur.* Quamobrem Sapiens [a]: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

l ad Hebr. 10.20.

m de adorat. in spir.

n lib. 2. parallel. c. 27.

a Eccli. 18. 30.

IV. Prudenter autem scripsit alicubi Plutarchus [b], parandas esse, & in animo recondendas commentationes, quæ sedandis perturbationibus appositissimæ sint, vt in tempore vsui esse queant. Vocat autem Petrus hominum cupiditates, hoc est, eas quibus plerunque capiuntur ij; qui humanas tantùm rationes sequuntur, quales erant ij, quos Paulus alicubi castigat [c], *Cùm enim*, inquit, *sit inter vos zelus, & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Et paucis interiectis: *Nónne homines estis?* homines enim illos appellat, qui rebus humanis, ac terrenis addicti sunt, quomodo etiam Christus Petrum reprehendit, cùm dixit [d], *Non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Sic etiam Dauid [e]: *Filij hominum*, ait, *vsque quo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nam qui diuina sectantur, vt alicubi scribit Hieronymus [f], dij nuncupantur, quales erant Apostoli, qui Christo adhærerant. Et Dauid [g], *Ego*, inquit, *dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Mox autem subiicit, *vos autem sicut homines moriemini.* Christus enim apud Ioannem [h] illos ait deos appellari à Dauide, *ad quos sermo Dei factus est.*

b Opusc. de tranquill. animi.

c 1. ad Cor. 3.3.

d Matth. 16. 23.

e Psal. 4.3.

f Matth. 16.

g Psal. 81.6.

h cap. 10.34.

V. Possis etiam hominum cupiditates interpretari eas appetitiones, quæ honesti quandam speciem præferunt, vt ab iis distinguantur, quæ cùm sordidæ sint, atque impuræ, nobis sunt communes cum bestiis, & plerunque belluarum propriæ appellantur, vt significet Petrus has etiam cupiditates cõprimendas, cùm plerunque menti tenebras offundant, & rationis arcem non leuiter oppugnent. In hoc genere cupiditates honoris præcipuum locum obtinẽt, cùm tamẽ Christianæ modestiæ, atque humilitati magnopere aduersentur, & hominum animis ita penitùs hæreant, vt quod sapienter dixit nonnemo [i], vltimo loco ponantur, & quod maximè mirandum videtur, inter eos etiam vim suam exerceant, qui rebus terrenis, & caducis nuntio remisso, seueriorem religiosæ vitæ disciplinam profitentur. Negat igitur Petrus, ei, qui iam expiatus sit à peccato, hominum desideriis, hoc est, prauis cupiditatibus viuendum esse: neque enim vitia, quæ quis aliquando abiecit, absque ingenti periculo iterantur. Sapienter enim illud scriptum esse accepimus. *Fili peccasti; ne adiicias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Idque prudenter cauebat illa, quæ in Canticis Canticorum ait [k], *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

i ...

k Cant. 5.3.

VI. *Sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis.* Postulat enim Deus nouam vitam, si modò præcesserit præteritorum scelerum detestatio: neque satis est, peccandi finem facere, nisi honestæ, atque laudabiles actiones subsequantur. Pro cupiditatibus igitur, quibus olim impij obtemperabant, diuinæ voluntati, eiusque præceptis ex animo parendum est, &, vt ait Petrus, illi omnino viuendum, hoc est, omnes vitæ nostræ rationes ex ipsius præscripto instituendæ & conformandæ sunt: Siquidem in Deuteronomio scriptum est [l], *Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur, sed quod præcipit Dominus.* Et rursus [m]: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Et quidem rectè: verè enim dixit quidam [n], *Væ misera animæ, quæ Christum non quærit, nec amat. arida manet, ... misera. perdit quod viuit, quæ te Deum non diligit, qui eum te viuere non propter te, Domine, nihil est, & pro nihilo est.* Aliquanto autem pòst. *Anima, quæ te non quærit, nec diligit, mundum diligit,*

l cap. 12.8.

m vers. 32.

n in Manu. c. 4. inter opera August. to. 9.

diligit, peccatis seruit, & vitiis subiecta est. nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper mens mea, pijssimè; suspiret tibi semper peregrinatio mea, ardeat in amore tuo cor meum, requiescat in te, Deus meus, anima mea, contempletur te in mentis excessu, cantet laudes tuas in iubilatione, & hæc sit in hoc exilio meo consolatio mea. Et plura deinceps.

VII. *Quod reliquum,* inquit Petrus, *est, in carne viuat temporis.* Quasi dicat, reliqua vita post baptismum tota Deo consecranda est, vt verè, atque ex animo vsurpare quis possit Pauli [a] verba, *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei.* Itémque illud [b], *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Dixit autem Petrus, *Quod reliquum est in carne,* describens hanc vitam mortalem. Eodem enim modo loquitur etiam Paulus, *Quod autem,* ait, *nunc viuo in carne.* Et rursus: *Quòd si viuere in carne, hic mihi fructus est operis.* De sua enim mortali vita loquitur, cùm longè aliud sit viuere secundùm carnem: nam, vt ait Paulus [c], *Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

a ad Gal. 2. 20.
b ad Philip. 2. 21.
c ad Rom. 8. 12.

VIII. Viuere igitur secundùm carnem nihil aliud est, quàm suis cupiditatibus obsequi, genio gulæque indulgere, voluptatibus diffluere, vno verbo, quod alicubi ait Paulus, ventrem pro Deo colere. In carne autem viuere, est spiritum ducere, & vitali aura frui. Quamdiu igitur superstites sumus omnes vitæ nostræ actiones ad Dei cultum, atque honorem referendæ sunt. ne quod Christus dixit [d], si rursum prauis cupiditatibus morem geramus, *Fiant nouissima nostra peiora prioribus,* quandoquidem, vt ait Paulus [e], *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Et hic ipse Petrus [f], *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato: contigit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*

d Luc. 11. 26.
e ad Hebr. 10. 26.
f ep. 2. c. 2. 21

3. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.*]

I. Quoniam dixerat non esse cupiditatibus indulgendum, eas singillatim indicat, & Gentilium vitæ, moribúsque adscribit. Quoniam inquit gentium impietatem abiurastis, æquum profectò est, vt earum improbos mores, & vitia procul à vobis abiiciatis. *Sufficit enim,* inquit, *præteritum tempus,* vt nihil necesse sit eundem viuendi modum repetere. Simile quiddam præcipit Paulus ad Ephesios [g] scribens, *Deponere vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.* Et ad Colossenses [h]: *Nunc autem deponite, & vos omnia.* Hac enim ratione Christi mortem, & resurrectionem exprimimus, qui moriens, & resurgens mortalitatem exuit, & immortalitatis gloriam adeptus est.

g cap. 4. 22.
h cap. 3. 8.

II. *Ad voluntatem,* ait, *gentium consummandam,* hoc est, cùm gentili more viueremus, nósque totos impiis gentium ritibus, & institutis penitus subiiceremus: apparet autem ex Græco codice, hæc in prima persona accipienda esse. Dixit enim Petrus, ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν, hoc est, *satis enim est nobis.* nisi quis malit Græcè legere, ὑμῖν, id est, *vobis.* quomodo legisse videtur Oecumenij interpres: sic enim ait, *Satis enim vobis fuit,* id est *sufficit vobis, quod anteacta vitæ tempore voluntatem gentium executi sitis, hoc est, gentiliter vixeritis, ambulantes sicut gentes.*

Vtcunque sit, ad eos hæc oratio pertinet, qui olim idolorum cultui dediti erant, atque adeò impuris, ac nefariis sceleribus obstringebantur, *qui ambulauerunt,* inquit, *in luxuriis,* & in iis vitam traducebant. Hæc autem vitiorum enumeratio explicationem continet eius voluntatis, quam gentium appellarat: id enim maximè cupiebant, sedulóque agebant Gentiles, vt cuncti suos mores imitarentur, & iisdem voluptatibus indulgerent. Primo autem loco Petrus ait, *In luxuriis* Græcè, ἀσελγείαις, est autem ἀσέλγεια, proteruia in vita, motibus, & sermone; atque ita Oecumenij interpres transtulit, *in petulantiis.* Significat etiam lasciuiam, & omnes libidinis formas complectitur, vt verba impudica, gestus procaces, vestes nimis curiosas, stupra, adulteria, & id genus alia, vt non malè quidam Latinè dixerint, *in lasciuiis.* III.

Eò pertinebant impura quædam, & nefaria Gentilium sacra, ludi, spectacula, aliáque permulta documenta, & irritamenta libidinis, quæ acutè ab Arnobio perstringuntur, neque sunt in præsentia commemoranda. Addit, *In desideriis,* Græcè, ἐπιθυμίαις, hoc est, *cupiditatibus.* prauas autem appetitiones intelligit, vt malorum omnium originem, & quasi fontem indicet: nam si cupiditatibus fræna laxentur, nihil non erit metuendum mali. IV.

Itaque sapienter Seneca [a] *cupiditatibus,* ait, *detrahendum esse.* Et alibi [b], *Non sunt cupiditates in longinquum mittendæ.* Et aliquantò pòst, *Non in immensum, incertúmque, producendæ.* Nam alioqui aliæ ex aliis orientur, &, vt idem Seneca [c] ait, *Altera ex fine alterius nascetur. qualem,* ait, *dicimus esse seriem caussarum, ex quibus nectitur fatum, talem dicimus esse cupiditatum.* Denique idem asserit, *immensas esse hominum cupiditates* [d], *semper hiare, & poscere.* V.

a ep. 21.
b li. de tranq. ani. c. 10.
c epist. 19.
d li. 7. de benef. c. 26.

Mox addit Petrus, *vinolentiis.* Græcè οἰνοφλυγίαις. Est autem hoc vitium, & morbus animi, quo quis vino nimiùm oblectatur: vnde ebrietates existunt. Ebrietas autem, vt ait Seneca [e], *Omne vitium incendit, & detegit, & innumerabilia propemodum mala parit. hæc acerrimas gentes, bellicosásque, hostibus tradidit, hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit, hæc contumacissimos, & iugum recusantes, in alienum egit arbitrium, hæc inuictas acies mero domuit.* VI.

e ep. 84.

Commessationibus, Græcè κώμοις, Sunt autem commessationes vt plurimùm intempestiuæ, & gulæ irritamentis obnoxiæ, quas non rarò saltationes, & obscœnæ cantiones comitantur. de quibus alibi [f] plura dixi. *Potationibus,* Græcè, πότοις, cùm videlicet potus ad ebrietatem vsque continuatur, vel cùm ad numerum, aut ad æquales haustus prouocationes fiunt: quod ferè dicunt pergræcari. *Et illicitis idolorum cultibus;* Græcè, ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις, nefarium idolorum cultum, quod erat Gentilium proprium, damnat. VII.

f ad Rom. 13. 13. n. 2.

At cur Gentilium scelera commemorat, præsertim idololatriam, si ad Iudæos scribit? An iisdem vitiis putat fuisse Iudæos contaminatos? Certè à Babylonico reditu non videntur Iudæi idola coluisse. Cætera vitia iis cum Gentilibus maxima ex parte potuerunt esse communia. Adde quòd, vt initio Epistolæ dixi, vero simillimum est in iis regionibus, ad quas hæc epistola missa est, nó paucos ex Gentilibus Christo nomina dedisse, vt meritò potuerit Petrus præterita vitia commemorare, quæ multò vberiùs recensentur à Paulo tum in Epistola ad Romanos [g], tum etiam in ea quam ad Ephesios [h] scripsit. VIII.

g cap. 1.
h cap. 4.

Huc accedit quòd adeò humana natura primi parentis vitio deprauata est, vt ad omnia mala prona, IX.

& pro

A & procliuis sit, atque ideirco diuinæ gratiæ beneficio adscribendum est, cùm quis a flagitiis seruatur immunis: quamobrem non modò piè, sed omnino verè scripsit Augustinus [a], *Gratiæ, & misericordiæ tuæ deputo, Domine, quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam facinus amaui? Et omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Et alibi [b], *Sic semper Domine, sic semper gratia tua, & misericordia tua præuenit me, liberans me ab omnibus malis, saluans à præteritis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones, & caussas, quia nisi tu & hoc mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem quoniam scio Domine, quod nullum peccatum est, quod vnquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si creator desit, à quo* B *factus est homo. Sed quod non facerem, tu fecisti; quod abstinerem, tu iussisti; quod tibi crederem, gratiam tu infudisti: tu namque Domine regebas me tibi; seruabas me tibi, & mihi, vt adulterium, & omne aliud peccatum non committerem, gratiam, & lumen donasti.*

a lib. 2. contra Secund. c. 7.
b Soliloq. c. 15. si tamen opus est Augustini.

X. Siue igitur fideles, quos alloquitur Petrus, fuissent aliquando eiusmodi sceleribus inquinati, siue secus, iure optimo monet, hæc ad præteritam, quam abiecissent, vitæ rationem pertinere, neque post Christiana sacra vllo pacto esse iteranda. Neque verò hæc perinde accipienda sunt, quasi cuncti Gentiles, aut etiam perfidi Iudæi tam nefariis flagitiis obstricti tenerentur, cum plurimi etiam inter Philosophos castè, atque temperanter viuerent, & nonnullam honesti rationem sequerentur: sed ita tamen loquitur Petrus, C quod Gentilium vita magna ex parte vitiis esset obnoxia. nam vt ait Augustinus [c], vbi vera pietas, ac religio deest, nulla potest perfecta virtus reperiri, & vbi verus Deus ignoratur, ibi impietas, & omnium scelerum turpitudo dominatur.

c li. 5. contra Iulian.

XI. Quamobrem Salomon verè omninò dixit [d], *Infandorum enim idolorum cultura omnis mali caussa est, & initium, & finis.* Et paulò antè [e] dixerat, *Et non sufficerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuentes inscientiæ bello tot, & tam magna mala pacem appellant.* Mox verò plurimorum scelerum catalogum texit, quæ impiam, ac nefariam idololatriam comitantur. quinetiam si quis dixerit in singulis vitiis speciem quandam idolomaniæ inesse, haud longè aberit à mente Pauli: nam apud illum auaritia quædam D est idolorum seruitus & gulæ deditus, non Deo, sed suo ventri quodammodo sacra facit. vno verbo quicquid homines immoderatiùs appetunt, & diuinæ voluntati, atque imperio præferunt, pro numine venerantur, & colunt.

d Sap 14. 27.
e vers. 22.

XII. Itaque Hieronymus [f], *Hæreticorum, ait, vnusquisque fingit, quod voluerit, & adorat figmentum suum, vt Marcion Deum ociosum, Valentinus Æonas. Basilides Deum Abraxas.* Et in eandem sententiam Augustinus [g]: *Quisquis talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum, & falsum fingit Deum.* Et de se ipso cùm adhuc Manichæorum errore implicitus esset [h], *Vanum, inquit, phantasma, & error meus, erat Deus meus.* Idque esse omnibus hæreticis commune, docet non semel Hieronymus [i], idémque apertè asserit Irenæus, qui E Marcum hæreticum Valentinianum idolorum architectum, & portentorum obseruatorem appellat [k]. Rursus [l] ait ab hæreticis Deum immutari, non aliter, atque à Gentilibus idolorum cultu; quinetiam hæreticos ethnicis peiores vocat [m].

f Amos 5.
g quæst. 29. in Iosue.
h lib. 4. conf. c. 7.
i Ezech. 8. Daniel. 3. Oseæ 3.
k lib. 1 c. 12.
l cap 19
m li. 1. c 9 & lib. 3. c 4.

XIII. Accinit Tertullianus [n]: *Hæreses enim, ait, ab idololatria non distare, cum & auctoris, & operis eiusdem sint, cuius hæc idololatria. Deum autem fingant alium aduersus creatorem, aut si vnicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatria.* Et alibi [a], *Sicut nationes manibus, ita & hæretici verbis idola fabricantur, id est, alium Deum & alium Christum.* Athanasius [b] verò Arianos cum Gentilibus cõparat. Lucifer autem Calaritanus Arianã hæresim idololatriam nominat. Cyrillus Alexandrinus idem de Nestoriana censet. Neque aliter de Manichæis existimauit Augustinus. Adscribam ad extremum Hieronymi verba [c]; *Sic, inquit, hæresis est idolum (nam carnis operibus, & peccatis annumeratur) & hæreticus est idololatra.* Itaque non abs re & hæc vitia Petrus commemorat, & inter cætera idololatriam.

n li. de præscrip. c. 4.
a li. aduers. Praxeam. c. 18.
b or. 1. & 2. contra Arianos.
c ad Eph. 5.

4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.*]

I. Tacitè fidelium mores, & vitam laudat, insinuátque eos à Gentilium vitiis longissimè abesse, adeò vt ipsorum sanctitatem, & innocentiam Gentiles admirentur, quasi rem nouam, & penitus inauditam, eámque tanquam suis moribus repugnantem magnopere detestentur, vt hoc ipso argumento fideles in suscepto vitæ instituto confirmet, vtque Gentilium odium calcaria addat ad meliora tendentibus, pro eo autem quod interpres dixit, *Admirantur*; Græcè scripsit Apostolus, ξενίζονται. Quam vocem alij Latinè reddunt, *Peregrinantur.* ξενίζεσθαι enim est peregrina nouitate turbari, & ad rem insolitam, ac nouam, planéque inauditam stupere; tenera enim Gentiles legis Christianæ nouitatem, eorúmque, qui baptismo lustrati essent, subitam morum mutationem mirabantur.

II. Ea est enim Christianæ doctrinæ vis, & efficacitas, vt interna quadam, & tacita ratione hominum mentes immutet, & vt non immeritò dixerit Dauid [d], *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Paulus [e] verò diuini verbi efficacitatem tantam esse ait, vt omni gladio ancipiti magis penetret, & pertingat vsque ad diuisionem compagum, ac medullarum. id quod maximè cernitur in iis, qui recentes Christo aggregantur, quod exemplo Victorini olim Rhetoris, probat Augustinus [f]. Et Ieremias [g] hoc ipsum significare visus est, *Nunquid, ait, verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?*

d Psal. 18.
e ad Hebr. 4.
f lib. 8 conf. c. 2
g cap. 23. 29.

III. Ac propterea meritò Athanasius [h] hanc Christianæ legis prærogatiuam extollit, cùm dicat nihil simile efficere vnquam potuisse Philosophorum sapientiam, cùm tamen pauci quidam homunculi nullo humano præsidio nixi, non nobilitate clari, non scientia, aut eloquentia instructi, idololatriam breuissimo tempore euerterint, & Christi crucem vniuerso terrarum orbi colendam proposuerint. *Multi, inquit, ante eum* (hoc est Christum) *fuêre Reges, & Tyranni complures apud Chaldæos referuntur, magi quoque, & sapientes apud Ægyptios, & Indos, quis vnquam horum, non dico post mortem, sed cum viuerent, tantum potuit, vt vniuersam terram sua doctrina impleret, & tantam vim hominum idololatriam dedoceret, quos Saluator noster ab idolis ad se transtulit? Græcorum sapientes eloquenter, scitéque multa conscripserunt, quid ergo? an tale aliquid, quale crux Christi designarunt?* Et plura deinceps eodem E spectantia.

h de human. Verbi.

IV. Quò etiam pertinent nisi ita, quæ scribunt Gregorius [i] Nazianzenus, Chrysostomus [k], Theodoretus [l], Augustinus [m]. Fauent etiam, quæ scribit Ruffinus [n] de mirifica conuersione gentis Iberorum, itémque alia, quæ apud eundem [o] leguntur. Meritò igitur ait Petrus, Gentiles admirari morum mutationem, quam in fidelibus animaduertebant; cuius etiam admirationis testis est alicubi Iustinus [p] Martyr, qui se quoque inter eos numerat, qui eam aliquando mirati sunt.

i or. de Spir. sanct.
k ho. 66. ad pop.
l l. 9. de cur. Græc. affect.
m lib. 22. de ciu. c. 5. & li. 13. contra Faust. c. 12.
n li. 10. c. 10.
o lib. 11. c 4. & Tripart. li. 2. c. 21. lib. 7. c. 11.
p Victor. African. lib. 1. de persecut. Vandal.

V. Admirationis autem caussa his verbis subiicitur, *non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* Mirantur, inquit, vos impuras voluptates abiicere, cum sibi persuadeant eas ita esse hominum naturæ consentaneas, vt hebetis, ac stupidi, vel stipitis potius sit eas aspernari. Scribit enim Salomon [a], *In via stultus ambulans cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Et Suetonius [b] de Nerone omnium scelerum cœno cooperto, testatur persuasissimum habuisse, *Neminem hominum pudicum, aut vlla corporis parte purum esse.* quæ fortasse caussa fuit, vt Christianis Gentiles occultas libidines obiicerent.

a Eccl. 10.3.
b in Nerone c. 29.

VI. Itaque mirabantur Gentiles, Christianos à suis impuris voluptatibus alienos esse, quas indicat fuisse non modò frequentes, sed etiam solemnes. Ob id enim vtitur concurrendi verbo, Græcè, μὴ συντρεχόντων ὑμῶν, quòd videlicet vnà cum illis non accurrerent ad spectacula, & impura, ac nefaria sacra, à quibus meritò initio præsertim nascentis Ecclesiæ magnopere Christiani abhorrebant. Atque idcirco Tertullianus [c], Arnobius [d], Lactantius [e], Hieronymus [f], id genus voluptatis acriter reprehendunt, quæ magna ex parte Christianorum Imperatorum legibus damnantur, vt Eusebius [g], & Sozomenus [h] testantur. Vocat autem luxuriæ confusionem Græcè ἀνάχυσιν, quam alij refusionem interpretantur. Sed eam ipsam refusionem, confusionem esse autumant. Sic enim loquitur Oecumenij interpres. *Ipsi, inquit, Gentiles demirantur vos, quòd vnà cum ipsis in similem impietatis refusionem, id est, confusionem non concurratis.*

c li. de spect.
d li. 2. aduer. Gent. & lib. 4. &
e lib. 6. c. 20.
f in Epit. c. 6.
f in vita Hilarion.
g li. 4. de vita Const. c. 28.
h li. 1. histor.

VII. Fortè alludit ad clandestina illa sacra, de quibus alicubi Liuius [i]: ita enim scribit; *Græcus ignobilis in Hetruriam primùm venit nulla cum arte earum, quas multas ad animorum, corporumq; cultum nobis eruditissima omnium gens inuexit: sed sacrificulus, & vates. Nec is, qui aperta religione propalam, & quæstum, & disciplinam profitendo animos errore imbueret. sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primò paucis tradita sunt, deinde vulgari cœpta per viros mulieresq;, additæ voluptates religioni, vini, & epularum, quo plurium animi illicerentur. Cùm vinum animos, & nox, & mixti fœminis mares ætatis tenere maioribus, discrimen omne pudoris extinxissent, corruptelæ primùm omnis generis fieri cœptæ, cùm ad id quisque, quo naturæ pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. Nec vnum genus noxæ stupra promiscua ingenuorum fœminarumq; erant. Sed falsi testes, falsa signa, testamentaq;, & indicia ex eadem officina exibant, venena indidem, intestinæq; cædes, ita vt ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent; multa dolo, pleraque per vim audebantur. occulebat vim, quòd præ vlulatibus, tympanorúmque, & cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra, & cædes exaudiri poterat.* Hęc enim, vt apparet, ingens erat luxuriæ confusio, vt cætera omittam, quæ alibi de Gentilium impuris moribus commemoraui. Apostolico verò illo sæculo mira, ac penè incredibilis erat virorum, ac mulierum multitudo, quæ continentiam, ac perpetuam virginitatem coleret, atque adeò Gentiles in admirationem raperet.

i li. 9. decad. 4 non longè à princ.

VIII. Addit præterea, *blasphemantes*: non solùm enim Gentiles Christianorum temperantiam, vitæ integritatem, atque morum innocentiam, tanquam rem nouam, ac prorsus inauditam demirantur, sed etiam execrantur, & maledictis incessunt: Sic enim fere improbi ac scelesti aduersùs innoxios stomachari atque indignari consueuerunt. Quorum mores graphicè describit Salomon [k], ita enim illos loquentes facit; *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Paucis interiectis [l]. *Grauis est nobis etiam ad videndum, quo-*

k Sap. 2. 12.
l vers. 15.

A *niam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius; tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis.* Et eandem ob caussam discipulos suos Christus Dominus hac oratione monuit [a], *Si mundus vos odit scitote quia me priorem vobis odio habuit. si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

a Io. 15. 18.

IX. Ad eam formam probè institutus Paulus Apostolus [b], *Mihi autem, inquit, pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Et alibi [c] ita fideles monet, *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis.* Et mox: *Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam* B *famam, vt seductores, & veraces.* Igitur Petrus Gentilium admirationem cum obtrectatione, & maledicentia coniungit. Atque ita Oecumenius: *Post hanc, inquit, admirationem, & hæsitationem, quam ex mutatione vestra conceperunt, non solùm ipsi non erubescunt, verùm etiam maledicunt, id est, subsannant vos, & derident, quippe cùm cultus erga Deum, ac pietas detestanda quædam res, ac deridenda peccatoribus, atque impiis videatur.*

b 1. ad Cor. 4. 3.
c 2. ad Cor. 6. 4.

X. Verùm serò nimis hanc suam stultitiam, atque impietatem nefarij hominis agnoscunt, quorum hæc est apud Salomonem [d] oratio: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* & plurima, quæ deinceps sequuntur. Videtur autem Petrus studia fidelium vehementiùs C inflammare, & ad retinendam, augendámque pietatem impellere, cùm hoc ipsum ab improbis vituperari non exiguam laudem pariat: Sapienter enim Agesilaum Lacedęmoniorum Regem dixisse accepimus [e]. Non minùs laudatoris inspiciẽdos esse mores, quàm eius qui laudatur: significabat enim vir sapiens perraró contingere, vt quispiam ea laudet, quæ moribus suis sunt contraria. Et Antisthenes Atheniensium Philosophus [f], improborum quorundam laudem iniquiùs accipiens vereri se dixit, ne quid imprudens egerit mali: existimabat enim ab ea hominum fæce, nihil nisi malum, laudari posse.

d Sap. 5. 3.
e Fulgos. lib. 7. c. 2.
f apud Laert. lib. 6. c. 1.

XI. Huc denique spectat, quod Christus apud Matthæum [g] dixit, *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos,* D *mentientes, propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis: sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*

g cap. 5. 11.

5. *Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos.*]

I. Appositè futuri iudicij in præsentia meminit, vt ostendat Gentiles non impunè laturos quæcunque aduersus Christianos nefario furore perciti gesserint, vnàque doceat pietatem retinendam vel metu seueritatis extremi iudicij. Quamobrem rectè hoc loco Oecumenius: *Isti sanè, inquit, neque impune huiusmodi maledictis, & conuiciis vtentur: reddituri enim rationem sunt ob hanc ipsam rem ei, qui immutabiliter, ac stabiliter* E *ad omnes iudicandos consessurus est.*

II. Itaque ostendit etiam Gentiles extremo iudicio sistendos, quod in Epistola ad Romanos luculenter docuit Paulus. quo loco inter cætera ait [h], *Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Et quidem iis, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, (imminet) ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci. Contrà verò gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm,*

h cap. 2. 12.

nium, & Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum.

III. Ait autem Petrus Gentiles rationem ei reddituros, *Qui paratus est iudicare viuos & mortuos*: quasi dicat, qui non solùm destinatus est omnium mortalium iudex, sed propemodum iam ad iudicandum accedit: quasi dicat, præstò aderit iudex, citò finem imponet improborum calumniis, & patientiam, pietatémque vestram immortalitatis gloria remunerabitur. Ita iudex ipse loquitur in Apocalypsi [a], *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Et Iacobus [b]: *Ecce Iudex ante ianuam assistit.* Et quoniam temporis articulus cunctos mortales latet, monet Christus apud Matthæum [c], *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Et apud Marcum [d], *Vigilate ergo: nescitis enim quando Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.*

a cap. 22. 12. — b cap. 5. 9. — c cap. 25. 13. — d cap. 13. 35.

IV. Eodem pertinent & illa [e]: *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.* Et mox [f]: *Ideo & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est.* Videri etiam potest significare Petrus, imminere Dei iudicium cuique in horas. cùm quis enim diem claudit extremum, diuino iudicio sistitur, vt anteactæ vitæ rationem reddat. Adde, si placet, accuratam rerum omnium vel minimarum, & reconditarum iudicis notionem, qui nouit omnia, antequam fiant, & abditos animorum recessus perscrutatur, cui denique, vt ait Paulus [g], *omnia nuda, & aperta sunt.*

e Mat. 24. 42. — f vers. 44. — g ad Hebr. 4. 13.

V. Atque ideirco, vt ait Isaias [h], *Non secundùm visionem oculorum iudicabit, neque secundùm auditum aurium arguet; sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Viuos autem, & mortuos nominat Petrus, quasi dicat cunctos mortales: nemo enim erit, qui iudicium effugiat, atque ita semper cùm iudicium nominatur, viui, ac mortui exprimuntur, vt intelligamus tam eos qui vita functi sunt, quàm illos, qui adhuc mortalitate funguntur, Christo iudici obnoxios esse, & illos quidem præmium, seu supplicium assecutos esse, hos verò alterutrum manere.

h cap. 11. 3.

VI. Quò referuntur illa, quæ alicubi scribit Salomon [i], *Cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum illud sit.* In quam sententiam Paulus [k]: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum.*

i Eccl. 12. 14. — k 2. ad Cor. 5. 10.

VII. Hac itaque ratione fideles & consolatur & confirmat Apostolus: docet enim cuncta, quæ fiunt, Deo esse perspecta, & nota, atque adeò, vt ait Paulus, improbis quidem iustum metuendum supplicium: iustis verò, ac piis immortale præmium spectandum esse. Æquum igitur est, vt probra, & contumelias ij patienter ferant, qui Christo nomina dederint, quandoquidem æquissimum iudicem habent, qui nihil volet esse inultum, nec iusto præmio patietur eos carere, qui strenuè, ac fortiter aduersa pro sui nominis gloria tolerarint.

VIII. Quamobrem Dauid iudicis auctoritatem implorat, cùm ait [l], *Iudica me Domine nocentes me, expugna impugnantes me.* Et post multa [m]: *Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.* Denique [n]: *Vidisti, Domine, ne sileas. Domine ne discedas a me.* Et id genus alia multa sæpe iterat Dauid: Ipse verò Dominus apud Isaiam [o], ait, *Ecce scriptum est coram me non tacebo, sed reddam, & retribuam in sinum eorum iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus: qui sacrificauerunt super montes, & super colles, exprobrauerunt mihi, & remetiar opus eorum primum in sinu eorum.*

l Psal. 34. 1. — m vers. 19. — n vers. 22. — o cap. 65. 6.

IX. Eadémque ratione in Christianæ vitæ præceptis, atque institutis diuini iudicij commemoratione firmantur. Rectè enim apud Augustinum dixit quidam [a], *Cum hæc diligenter considero, Domine Deus meus terribilis, & fortis, timore pariter, & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas iustè, rectéq; viuendi, qui cuncta facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis.* Alibi autem dixi iudicem futurum Christum Dominum, qui apud Ioannem ait [b], *Venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Et rursus [c]: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.*

a in Solil. c. 14. — b cap. 5. 28. — c vers. 27.

X. Adeò verò hæc futuri iudicij memoria ad mores componendos valet, vt, quod obseruauit Tertullianus [d], etiam Poëtæ, & Philosophi tribunal apud inferos posuerint, Minoëm videlicet, Æacum, & Rhadamantum intelligit: nam, vt ait Eusebius [e], *Plato Æacum, Minoëm, Rhadamantum defunctorum iudices constituit.* Quam fabulam à Prophetarum scriptis detortam fuisse scribit Lactantius [f]: *Nam cum Prophetæ, ait, assiduis concionibus prædicarent iudicaturum esse de mortuis Filium Dei, & hæc annunciatio non lateret, quoniam rectorem cæli non alium putabant esse, quàm Iouem, iudicare apud inferos Iouis filium tradiderunt: sed tamen non Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium, qui cælestes putantur, sed Deum, qui & mortalis fuit, & iustus: vel Minoëm, vel Æacum, vel Rhadamantum corruperunt.*

d in Apolog. c. 47. — e lib. 12. de præpar. c. 3. — f li. 7. c. 22.

XI. *Igitur Poetica licentia quod acceperant, vel opinio veritatem per diuersa ora, sermonésque varios diffusa mutauit.* quod aliis multis in rebus accidisse præter Lactantium eo ipso loco, indicat frequenter Clemens Alexandrinus. Extat autem apud eundem Lactantium [g] Sibyllæ testimonium de futuro Dei iudicio in hanc sententiam: *Etenim durum ad credendum omne hominum genus; sed cùm iam mundi, & mortalium venerit iudicium, quod Deus ipse faciet, iudicans impios, simul & pios; tunc demum impios quidem in tenebras in ignem mittet, qui autem pietatem colunt, iterum viuent in terra spiritum, Deo dante honorem simul, & vitam ipsis.*

g li. cit. c. 23.

6. *Propter hoc enim, & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundum Deum in Spiritu.*]

I. An idem repetit, quod superiori capite dixerat de Christi prædicatione apud inferos? Sic profectò existimarunt nonnulli, quibus astipulatur Oecumenius. Putat enim his verbis Petrum probare, quod modò dixerat, mortuos esse à Christo Domino iudicandos: *Nam etiam*, inquit, *mortui iudicantur, id quod ex descensu Domini ad inferos perspicuum fit. Siquidem ibi quoque versatus Dominus, quo tempore videlicet in cruce mortem obierat, illis prædicauit quemadmodum supra terram illis, qui viuebant. prædicauit autem non verbis, sed re. Et quemadmodum cum in mundum venit iis, qui ad eum cognoscendum parati erant, in iustificationem, aliis, qui eum ignorarunt, in condemnationem accessit: sic illis quoque, qui apud inferos erant, si qui ex carne humanè vixerunt, in iudicium, hoc est damnationem. Si qui verò secundum Deum, id est spiritualem, & virtute prædicam vitam traduxerunt, iis in gloriam, & salutem aduenit: atque ita viuorum, atque mortuorum iudex dici meritò potest.*

II. Quod ipsum post nonnulla planius, & vberius explicat. Alibi [h] verò paulo aliter videtur hunc locum interpretari. *Postremò*, inquit, *hanc quoque prædica-*

h in huius ep. argum.

tionem

tionem filiis, & resurrectionis à Domino factam apud inferos nunc, vt qui primi mortui sunt, resurgant, & iudicentur in tempore, & gratia resurrectionis permaneant. quasi dicat Christum suo ad inferos descensu sanctis, qui inibi detinebantur, prædixisse fore vt rursus corporibus assumptis ante Deum iudicem sistantur, vt pro meritis, immortalitatis gloria perfruantur, in omnem æternitatem. A

III. Idem verò Oecumenius aliter ait veteres Patres, hæc Petri verba accepisse, qui non putant ea à superioribus pendere, aut cum iis esse connectenda. *Mortuos igitur,* aiunt *duplici modo dici in sacris Scripturis, vel eos, qui mortui in peccatis sunt, qui neque vitam quidem vnquam videbunt, vel qui morti Christi conformantur, &* B *mundo, id est, mundanis concupiscentiis mortui sunt, & soli Christo viuunt, quemadmodum etiam Paulus* [a] *inquit:* a ad Gal. 2. *Quod autem nunc viuo in carne, in fide Filij Dei viuo. dicunt igitur eos, qui in Christo mortui sunt, ob ante actam ignauiæ, ac negligenter vitam seipsos in carne condemnare, atque id nihil aliud esse quàm spiritu, id est, ex Christi institutione vitam traducere, quippe cum priorum vitæ actionum damnatio alacriores, ac promptiores ad ea, quæ præ manibus habent, exercenda, ipsos efficiat.*

IV. Sed, vt rectè subdit Oecumenius, non videtur hæc sententia à superioribus seiungenda, tum quia particula γὰρ, caussam superiorum apertè indicat, tum etiam, quia licèt ea explanatio verissimam sententiam contineat, alieno tamen loco posita videretur, nisi superioribus attexenda esset. Porrò Augustinus in sua sententia perstans, hunc planè in modum Petri verba explicat, *Fieri,* inquit, *potest, vt mortuos dixerit infideles, hoc est, in anima mortuos, de quibus dicitur, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos: viuos autem, qui credunt in eum, non frustra audientes Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. De quibus etiam ipse Dominus dicit, Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Proinde etiam quod sequitur, & dicit Petrus, Propter hoc & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundùm Deum Spiritu, non cogit apud inferos intelligi. Propterea enim in hac vita, & mortuis euangelizatum est, id est, infidelibus, & iniquis, vt cùm crediderint, iudicentur quidem secundùm homines in carne, hoc est, in diuersis tribulationibus, & in ipsa morte carnis: vnde idem Apostolus alio in loco dicit tempus esse, vt iudicium incipiat à domo Domini, viuant autem secundùm Deum Spiritu, quia & in ipso fuerant mortificati, cùm morte infidelitatis, & impietatis, detinerentur.* C D

V. Verùm quod suprà [h] etiam monui, via potest hæc explanatio cum superioribus cohærere. Quod enim h cap. superiori. modò dixit, *Qui paratus est iudicare viuos, & mortuos,* de iis profectò accipiendum est, qui vita functi sunt, quos viuentibus opponit. ad id autem confirmandum subdit, propterea etiam mortuis Euangelium fuisse promulgatum, vt omnino necesse sit, vtrobique mortuos eodem modo explicare, perinde quasi eos mortuos intelligat, qui iam mortalitatem exuerunt. Nonnulli igitur verè mortuos, hoc est, vita functos ab Apostolo indicari non dubitant, sed iis aiunt Euangelium fuisse prædicatum, qui ante Christi aduentum extremum diem clauserunt: nam etiam illi, vt aliàs docui, qui fidem Christi venturi conceperant, aliqua ratione ad legem Euangelicam pertinebant. Ita sensus erit, Christum fore viuorum, ac mortuorum iudicem, quia etiam illi, qui ante Christum natum, diem suum obierant, non sine fide Euangelij vixerunt, quasi verò fideles tantùm extremum Christi iudicium subituri censeantur, ac non etiam impij, & infideles in eo iudicio suæ impietatis pœnas daturi sint. E

VI. Porrò ij minimè omnium audiendi sunt, qui mortuos interpretantur eos, qui morti proximi sunt. Sic enim aiunt apud Matthæum [a] Iairum archisynagogum dixisse, *Filia mea modo defuncta est;* cùm tamen a cap. 9. 18. illa apud Marcum [b] dicatur *in extremis;* & de eadem b cap. 5. 23. dicat Lucas [c]: *Moriebatur.* Neque aliter dixisse Paulum [d], *in mortibus se frequenter* versari, & alibi [e] se quotidie mori. Tametsi enim hæc videntur vtcunque probabiliter dici, non possunt tamen huic loco commodè aptari: cùm enim qui morti proximi sunt, adhuc reuera spirent, ac viuant; viuentibus ex aduerso opponi nequeunt, neque aptè diceretur Christus iudex viuentium, & eorum, qui non procul absunt à morte, & prorsus ineptè diceret Petrus, fore Christum viuentium, ac mortuorum iudicem, atque ob id morti proximis Euangelium fuisse promulgatum. c cap. 8. 42. d 2. ad Cor. 11. 23. e 1. ad Cor. 15. 31.

VII. Loca verò, quæ proferuntur, ei sententiæ non suffragantur: nam Iairus quidem, vel, vt ait Augustinus, non quod reuera erat, sed quod ipse ratiocinando colligebat, & suspicabatur, apud Matthæum dixit, ratus, vt ait Chrysostomus, cùm ipse filiam agentem animam reliquisset, interea obiisse, vel ad calamitatem exaggerandam, quam morientem reliquerat, iam vita functam dixit. Paulus autem mortis pericula commemorat, quæ quotidie subire cogebatur.

VIII. Quæ cùm ita sint, citra omnem dubitationem existimandum est, idem hoc loco significare Petrum, quod superiori capite, cùm scripsit Christum prædicasse spiritibus carcere inclusis, quasi dicat, quia Christus constitutus est iudex viuorum, ac mortuorum, non viuentibus modò, sed iis etiam qui vita functi erant, sui aduentus fructum impertiuit, vt particula, *propter hoc,* non tam significet præcurrentem caussam, quàm euentum, & consecutionem, hoc sensu, vt ostendat Christus, se tanquam viuorum ac mortuorum iudicem omnibus opportunè consulere, etiam vita functis voluit Euangelium euulgari, ac lætum nuntium proponi.

XI. Sic omnino hunc locum accipit Irenæus [f]: *Ea propter, inquit, Dominum in ea, quæ sunt sub terra descendisse* f lib. 4. c. 45. *euangelizantem, & illis aduentum suum remissione peccatorum existentem his, qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes, qui sperabant in eum, id est, qui aduentum eius prænunciauerunt, & dispositionibus eius seruierunt iusti, & Prophetæ, & Patriarchæ, quibus similiter, vt nobis remisit peccata, quæ non oportet nos imputare his, si quominus, contemnimus gratiam Dei.* Quod ipsum post Clementem Alexandrinum, alios etiam non paucos veteres Patres sensisse, superiori capite docui.

X. Verùm quomodo Christus apud inferos, quóve fructu prædicasse credendus sit, ex eodem loco cognosci potest. Inde Petrus in præsentia colligit, Christum esse viuorum, ac mortuorum iudicem. At qua id, quæso, ratione? Primùm, quia etiam apud inferos cum iis, qui vita functi erant, suam exercuit potestatem: nam veteres Patres è limbo eripuit, & ad beatam vitam perduxit, vt olim Deus apud Oseam [g] pollicitus g cap. 13. 14. erat. *De manu mortis,* ait, *liberabo eos, de morte redimam eos. ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne.* Et apud Zachariam [h]: *Tu quoque,* inquit, *in sanguine testamenti* h cap 9. 11. *tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Ita enim vtrumque locum doctissimi, sanctissimique Patres explicant.

IX. Deinde, quia etiam apud inferos dæmones, ac damnatos perterrefecit, eorúmque illis improbitatem, atque impietatem exprobrauit, séque humani generis liberatorem, ac vindicem, atque omnium fore iudicem declarauit. Iam verò quæ sequuntur, non facilem habent exitum, *Vt iudicentur quidem,* inquit, *secundùm homines in carne, viuant autem secundùm Deum in Spiritu.*

Neque enim satis constat, quinam sint, qui iudicantur *secundùm homines in carne, viuunt autem secundùm Deum in Spiritu.*

XII. Augustinus, qui, vt non ita pridem iudicaui, viuentes interpretatur fideles, eos ait cùm crediderint, *iudicari quidem secundùm homines in carne, hoc est, in diuersis tribulationibus, & in ipsa morte carnis, viuere autem secundùm Deum in Spiritu, quia & in ipso fuerant mortificati, cùm morte infidelitatis, & impietatis detinerentur*; sed, vt dixi, ea explanatio, ne ipsi quidem eius auctori Augustino omni ex parte satisfacit.

XIII. Oecumenius verò hæc ad eos refert, quibus dixerat fuisse apud inferos Euangelium promulgatum. *Quemadmodum*, ait, *cùm in mundum venit iis qui ad eum cognoscendum, parati erant, in iustificationem, aliis, qui enim ignorarunt, in condemnationem accessit, sic illis quoque qui apud inferos erant, si qui ex carne humanè vixerunt, id est, spiritualem, & virtute præditam vitam traduxerunt, iis in gloriam, & salutem aduenit.* Et planiùs aliquantò pòst: *Ac prædicationem quidem illam in iudicium eis,id est, in condemnationem euasisse inquit,cùm illi qui honestè,ac benè transactæ vita sibi erant conscij, bonitati eius, qui illuc aduenerat; statim sese adiunxerint, alij contrà, pudore oppressi condemnationem in se admiserunt, qui malè se, atque improbè, vixisse cognoscebant.* Denique paulò pòst: *Nam Domino ad inferos profecto, qui in mundo vixère carnaliter, condemnati sunt, qui spiritualiter vitam traduxère,vixerunt,vel in reuiuiscentia,& resurrectione cum Domino.*

XIV. Itaque videtur Oecumenius eos, qui iudicantur in carne, improbos interpretari, contrà verò iustos, & sanctos, qui viuunt secundùm Deum in Spiritu: putat enim,quemadmodum in aduentu Christi dum ille inter mortales viueret, quidam illi adhæserunt, & iustitiam adepti sunt, alij in perfidia perstiterunt: ita etiam apud inferos nonnullos gratiam, & iustitiam assecutos esse,plurimos autem in impietate perseuerasse.

XV. Sed,vt ex iis liquet,quæ superiori capite dixi, nemo apud inferos fidem,aut gratiam percepit, & quæ hoc loco dicit Petrus, ad eos omnino pertinere videntur, qui cùm essent iusti, Christi apud inferos aduentu, beatam, atque immortalem vitam adepti sunt. Et profectò particula *autem*, non obscurè iudicat vtrumque huius sententiæ membrum ad eosdem pertinere, qui iudicentur quidem, hoc est, condemnentur, *secundùm homines in carne*, viuant autem *secundùm Deum in Spiritu.* Itaque suspicor allusisse Petrum ad id, quod superiori capite dixerat, cùm eos nominauit, *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Illis igitur ait Petrus iam vita functis Euangelium prædicasse, atque ostendisse,quamuis illi hominum iudicio damnati essent,quòd viderent eos eluuione assumptos, corpore obiisse: eos tamen reuera Deo fuisse conciliatos, & Spiritu gratiæ, & caritatis vitam pœnitentiæ beneficio fuisse assecutos.

XVI. Mortuis igitur euangelizatum est, atque ita apparuit, eos qui putabantur suæ perfidiæ pœnas dedisse, meritòque fuisse damnatos; re tamen vera, Deo fuisse conciliatos, & ad immortalitatis gloriam à Christo resurgente euectos. Hæc mihi in loco obscurissimo visa sunt probabilia; verùm autem collimarim, aliorum iudicio permitto: id certè secutus sum, quod optimum,atque accommodatissimum iudicaui.

XVII. *Vt iudicentur quidem*, inquit, *secundùm homines in carne.* Græcè, κριθῶσι, paulò tamen aliter legisse videtur Oecumenius: præterito enim tempore legit, *iudicati sint, & vixerint*, atque tempus pro tempore, præteritum videlicet pro futuro sumi, quod non est

A in sacris literis infrequens. Videtur autem Oecumenius iudicandi verbum interpretari, vt idem valeat, quod condemnare. Quod verò ait, *In carne*, refert non ad condemnationem, sed ad eorum, qui condemnantur, vitam; vt sit sensus, qui carne vixerunt, hoc est, corporeis se voluptatibus constringendos præbuerunt, condemnati sunt; sed particula, *autem*, & quod additur, *secundùm homines*, indicant potiùs eam vocem ad condemnationem pertinere, hoc sensu, vt condemnentur quidem hominum iudicio, quod attinet ad corpus, quod aquarum eluuione, hoc est,vt homines arbitrantur, iusto supplicio peremptum est. Sic enim ferè arbitrantur homines quæcunque mala accidunt in vita,scelerum & flagitiorum esse supplicia.

B Quocirca ille apud Iob [a], *Recordare*, inquit, *obsecro te, quis vnquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potiùs vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo, periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos.* & Abraham in libro Geneseos [b] ita Deum affatur, *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiátque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.* Ita in Actis [c] Apostolicis, cùm vidissent barbari pendentem viperam de manu Pauli hæc inter se dicebant, *Vtique homicida est homo hic, qui cùm euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.* XVIII.

a cap. 4. 7.

b cap. 18. 25.

c cap. 28. 4.

Cum enim homines ea tantùm cernant, quæ sensibus obiiciuntur, ex bonis,aut malis externis senten- XIX.
C tiam ferunt, & alios quidem damnant, alios autem absoluunt, vtrumque temerè, & sæpe etiam falsò. quod non modò ex sacris literis, ac priscis Patribus, sed etiam ex Gentilibus cognosci potest. Nam ad Tobiam Angelus ait [d], *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Et Dauid [e], *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Seneca [f] verò longa oratione probat viros iustos, ac probos rebus aduersis non sine Dei consilio vt plurimùm premi.

d Tob. 12. 13.

e Ps. 33. 20.

f de prouid.

Quocirca hoc loco Petrus eorum non paucos ait, XX.
qui diluuio obruti sunt, fuisse saluos, & laudabiliter diem clausisse extremum. Piè autem explicanda sunt, quæ de hoc loco leguntur apud Clementem [g] Alexandrinum, Epiphanium [h], & Oecumenium [i], qui
D videntur significare nonnullos apud inferos fuisse singulari quodam priuilegio Deo conciliatos: nam, vt superiori capite docui, nemo ibi iustitiam adeptus est, sed quam viuus assecutus erat, eius Christi aduentu fructum percepit.

g li. 6. Strom.

h hær. 46.

i in hunc locum.

Qua verò ratione dæmones Christi ad inferos de- XXI.
scensu affecti sint describitur eleganter in quodam sermone, qui falsò Augustino [k] adscribitur, cùm sit ex homiliis Gregorij confarcinatus. hinc porrò quiuis facilè colliget animorum immortalitatem, de qua in libris [l] Machabæorum, *Tu quidem*, ait quidam, *scelestissime in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vitæ resurrectione suscitabit.*

k apud August. to. 10. in append. ser. 52.

l lib. 2. c. 7. 9.

E 7. *Omnium autem finis appropinquauit: estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.*]

Dixerat paulò antè Christum Dominum viuorum, ac mortuorum iudicem esse constitutum, idque I.
à signo confirmauerat, quod etiam mortuis Christi aduentus nonnihil profuerit, iam rerum omnium finem, atque extremum iudicium non procul abesse affirmat, vt subsequenti adhortationi aditum paret. Nihil enim est, quod ad vitam rectè instituendam magis

magis valeat, quàm ſi quis ſibi certo perſuadeat, non ita multo poſt ſuarum ſibi actionum ſeueriſſimo iudici reddendam eſſe rationem.

II. Itaque ait, breui bonorum, malorúmque omnium finis aderit, & hoſtes quidem veſtri qui vos probris, & contumeliis afficiunt, ſuæ improbitatis iuſtiſſimas pœnas luent: vos contrà patientiæ, conſtantiæque veſtræ immortale præmium aſſequemini. *Omnium, igitur ait, finis appropinquauit.* Ita enim ferè olim Apoſtoli, virique Apoſtolici loqui conſueuerant: agnoſcebant quippe hanc eſſe extremam ſeneſcentis mundi ætatem, ac propterea non longè abeſſe extremum

a 1. ad Cor. 10. mundi diem: Nam & Paulus [a] Apoſtolus, vetera ait omnia in figura contigiſſe, ſcripta autem eſſe, *ad correctionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt.*

b ep. 1. c. 2. 18 Et Ioannes [b], *Nouiſſima*, inquit, *hora eſt.* B

III. Mitto ea, quæ B. Gregorius, aliique viri ſanctiſſimi ea de re ſcripſerunt, qui propediem venturum præſtolabantur. Et eorum ſocordiam acriter caſtigabant, qui nihil de futuro iudicio cogitabant, ſibique diuturnam, & fœlicem vitam pollicebantur, quos

c Luc. 12. 20. Chriſtus [c] Dominus perelegãti parabola, argutóque epiphonemate perſtringit, *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem paraſti, cuius erunt?* Tum ſubiicit, *Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues.*

IV. Quoniam verò dies ille extremus ſemper imminet, nullóque certo temporis articulo expectandus

d Luc. 21. 34. eſt, rectè monet Chriſtus [d], *Attendite ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa.* Et quidem eo diligentius id nos facere oportet, quia, vt ait B. Hiero- C

e ep. ad Eliodor. nymus [e], *quotidiè commutamur, quotidiè morimur*; & ſunt tamen, qui ita viuant, ac ſi penitus eſſent immortales.

V. Illi ſerò nimis huius mortalis vitæ breuem, ac miſeram conditionem agnouerant, qui apud Salomo-

f Sap. 5. 9. nem [f] in hæc verba loquuntur. *Tranſierunt omnia illa, tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus, aut tanquam auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, ſic & nos nati continuò deſiuimus eſſe.*

VI. Cæterùm Oecumenius finem hoc loco bifariam D accipit: primùm quidem quaſi mundi finem, & rerum omnium extremum ſignificet: quem ſenſum hactenus ſecuti ſumus, quod ſuperioribus, & cõſequentibus maximè cõgruat. Addit ſecundò alium ſenſum, vt omnium Prophetarum finis, qui eſt Chriſtus, aduenisse dicatur: *Omnium ſiquidem perfectio ipſe eſt, & non vt Græci nugantur, quorum alij voluptatem, alij ſcientiam, aut contemplationem, aut virtutem eſſe finem, ac ſummũ bonum aſſerunt.* Argutè id quidem, ac verè, nec prorſus extra rem; cùm enim paulò antè dixiſſet, Chriſtum fore omnium mortalium iudicem, atque ob eam cauſſam etiam apud inferos Euangelium promulgaſſe; aptè ſubdit eundem Chriſtum vaticiniis Prophetarum finem attuliſſe, eáque omnia ſuo aduentu repræſentaſſe, quæ in lege veteri promittebantur. Nam & à Pau- E

g ad Rom. 10. 4. lo [g] finis legis appellatur Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.

VII. Nec diſſentanea ſunt, quæ mox ſubiicit Petrus: nam, vt ait Oecumenius, rectè ſubdit adhortationem ad temperantiam, ſobrietatem, & precandi ſtudium. *Quoniam*, inquit, *omnium perfectio, qui eſt Chriſtus, acceſſit, vos quoque debetis huic conformati in omnibus abſolutos, ac perfectos vos reddere in temperantia, in ſobrietate orationum; quippe cum ſobriorum ſit oratio, & precum effuſio, id eſt, vigilantium, & non eorum, qui mundanarum rerum*

A *ebrietate ſopiti opprimuntur.*

Sed quanquam hæc & verè, & non prorſus ineptè dicuntur, vero tamen ſimilius eſt, finem omnium appellari à Petro mundi occaſum, & extremum iudicij diem, quo die viuos & mortuos à Chriſto Domino dixerat iudicandos. Cùm enim hoc iudicium breui expectandum ſit, conſequens eſt, vt prudenter mores componamus, & aſſiduè ad Deum preces fundamus. VIII.

Quamobrem rectè ſubiicit, *Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.* Græcè autem dixit Petrus σωφρονήσατε, quod alij ad ſobrietatem referunt, vt IX. idem dicat hoc loco, quod capite [a] ſequenti: *Sobrij eſtote, & vigilate.* Sed illic quidem pro eo, quod interpres dixit, *ſobrij eſtote*, Græcè dixit, νήψατε, quod hîc etiam legitur pro eo, quod interpres Latinè ſcripſit, a verſ. 8.

B *vigilate.* Certè cùm vigilantiam, & precandi ſtudium ſuadeat, propius vero videtur, vt ſobrietatem potiùs, quàm prudentiam proponat, tametſi prudentia in omni vita, omnibúſque actionibus neceſſaria eſt, quam Salomon magnopere commendat, & Paulus [b] b ad Epheſ. 1. 8. Chriſti gratiam ſuperabundaſſe ait, *in nobis in omni ſapientia, & prudentia.*

Pertinet autem ad prudentiam, quod egregiè obſeruauit Seneca [c], *vt primùm inſpiciamus nos ipſos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos, quorum cauſſa aut cum quibus agendum eſt; ante omnia neceſſe eſt ſeipſum æſtimare.* Et ſapienter ſcripſit Plutarchus [d] prudentiæ munus eſſe, *immoderatos, redundantéſque affectus, & commotiones coërcere, ac reſecare: vbi enim præ imbecillitate, ac mollitie, ac metu, vel torpore, motus refugit, officiúmque,* X. c lib. 1. de tranq. vitæ c. 4. d li. de virt. mor.

C *& honeſtatem deſerit, tum præſto eſt, illum excitans, & ſubleuans: vbi verò contrà ſeſe effert inſolenter plurimus, atque inconditus & inordinatus, vehementiam aufert, & reprimit, atque ita affectuum commotionem moderans, & intra terminos continens, virtutes morum in parte animi experte rationis conſtituit inter exceſſum, atque defectum medium obtinentes locum.*

Vim verò, & efficacitatem prudentiæ declarauit Antiſthenes, qui apud Laërtium dixit, tutiſſimum eſſe murum prudentiam, *quòd is nec collabatur, nec prodatur* eius verò præſtantiam mirè extulit [e] Bion Bouſthenites, qui prudentiam ait, *tantò cæteris virtutibus antecellere, quantò cæteris ſenſibus præſtaret viſus: nam oculi prælucent toti corpori, nec vlla eſt virtus abſque prudentia.* XI. e apud Laërt. lib. 4. c. 7.

D Et quidem qui aſſiduè cogitant Chriſtum breui affuturum, vt huic mundo finem imponat, & ab omnibus præteritæ vitæ rationem exigat, prudenter cauent, ne ab illo imparati deprehendantur. quocirca ſuis omnibus cupiditatibus modum imponunt, & ab impuris voluptatibus ſeſe cohibent. quæ omnia Græca vox σωφρονήσατε, ſignificare poteſt. Nam propterea Syrus interpres tranſtulit, *Eſtote caſti, & inuigilate orationi.*

Poteſt etiam prudentia ad ſuperiora referri, quaſi moneat fideles, vt quoniam inter Gentiles viuunt, prudenter caueant, ne eorum conſuetudine aliquo pacto inquinentur. eodémque ſpectare poteſt quod mox ſubiicit, *Et vigilate in orationibus.* & fortaſſe reſpexit ad Chriſti Domini verba, qui ſæpe vigilandum XII.

E monet [f]. Quamobrem vigilandum ait Hilarius [g] in primis aduersùs furem, *id eſt diabolum ad detrahenda ex nobis ſpolia peruigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem, vt ea in curioſis nobis, & ſomno deditis conſiliorum ſuorum, atque illecebrarum iaculis perfodiat*; ita Chriſtus Diſcipulos monet [h], *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem.* f Mat. 24. 42. & 43. c. 25. 13 & c. 26. 38 & 41. & alibi. g Can 26. in Matt. h Mat. c. 26.

Duo porrò præcipit Chriſtus, eadémque duo commendat hoc loco Petrus, vigilantiam, & precum aſſiduitatem, vigilantia mentis aciem acuit, diligentiam, ac ſollicitudinem parit; oratio vires XIII.

A impetrat ad pericula cauenda, bonáque omnia sectanda. Ita Dauid [a], *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Vigilandum autem, quia est certa mors, hora autem incerta. Ita Augustinus [b] cùm de morte loqueretur. *De ista*, inquit, *pœnè soli certi sumus in rebus humanis. Cætera nostra & bona, & mala incerta sunt, sola mors certa est. Conceptus est puer, fortè nascitur, fortè abortum facit ita incertum est, fortè crescit, fortè non crescit; fortè senescit, fortè non senescit; fortè diues erit, fortè pauper; fortè honoratus, fortè humiliatus; fortè habebit filios, fortè non habebit; fortè vxorem ducet, fortè non ducet. Respice & ad mala, fortè ægrotat, fortè non ægrotat; fortè à bestia deuoratur, fortè non deuo-*B *ratur. Nunquid potest dicere, fortè moritur, fortè non moritur?* Addit, *pœna certa est, hora incerta.* voluit enim Deus nos esse peruigiles, *vt dum certa futuri iudicij*, ait Ambrosius [c], *momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.*

a Ps.24.15.
b serm.21.de verb.Dom.
c li.5.de fide c.8.

XIV. Eadémque mente Hilarius [d], *Paratos*, inquit, *nos esse conuenit, quia dies ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitat.* Neque aliter Hieronymus [e], *Ostendit*, ait, *Dominus quare suprà dixerit De die illa, & hora, nemo scit, neque Angeli; quòd non expediat scire Apostolis, vt pendula expectationis incerto, semper eum credant esse venturum, quem ignorant, quando venturus sit.* Denique in eandem sententiam Gregorius [f]: *Dominus*, inquit, *noster idcirco voluit horam vltimam nobis* C *esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur.*

d Matt.24.
e Matt.24.
f hom.13. Euang.

XV. Alioqui incautos nos, & somno deditos inopinatus, & repentinus occupabit interitus. Sic olim Sisara [g] incautè dormiens, astu fœmineo peremptus est. Saul [h] etiam inter dormientes milites stertens, hastam, & scyphum amisit, & tantùm non iugulatus est. Isboset [i] verò ipso meridie dormiens necatus est. Holophernes [k] item vino, somnóque sepultus muliebri manu cecidit. Denique Ionas [l] in extremo periculo, graui oppressus somno, in mare iactatur. Spectat autem vigilia ad mentem, quæ, vt suprà dictum est, assiduè cogitare debet, certò sibi extremum diem D imminere, atque idcirco rectè monet Gregorius [m], *Qui ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest vt ante mortem tempora indulta rapiamus.*

g Iudic.4.
h 1.Reg.26.
i 2.Reg.4.
k Iudith.13.
l Ionæ 1.
m hom.13. Euang.

XVI. Vigilantiæ addicenda est oratio. Sic sæpe Christus [n], *Oportet*, inquit, *semper orare, & nunquam deficere.* De quo loco tametsi alibi nonnulla dixi, non pigebit tamen hoc loco pauca addere: Etenim Beda, *Quis*, ait, *potest ita semper orare, & sine intermissione precibus insistere, vt nec alimentum sumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodiis, precibúsque consuetis Dominum laudare, & rogare non desistit, aut certè omnia, quæ iustus secundùm Deum gerit, & dicit, ad orationem esse reputanda. Quia enim iustus sine intermissione quæ iusta sunt agit,* E *per hoc sine intermissione iustus orabit, neque vnquam ab oratione cessabit, nisi iustus esse desistat.*

n Luc.18.1.

XVII. Verùm, vt alibi dixi, tametsi vtraque explanatio viris doctis magnopere placet, mihi neutra probanda videtur. Nam cùm Christi verba ad omnes pertineant, & propriè de precibus explicanda sint, non omnes tamen horas canonicas persoluunt, & quæ honestè, atque laudabiliter geruntur, non nisi valdè impropriè ad precandi studium pertinent; & vtcunque sit, necesse est, iustos curando corpori indulgere, & vt minimum dormire, quo tempore à precatione cessare compelluntur.

A Propiùs à vero abest Chrysostomus [a], qui eum semper orare, neque vnquam deficere existimat, qui crebras ex interuallis precationes adhibet. *Christus*, inquit, *& Paulus iussit breues, sed crebras fieri precationes ex paruis interuallis: nam si in longum extenderis verba, cùm frequenter purum sit attentus, multam audaciam diabolo suppeditasti, vt accedat, supplantetque, ac mentem ab iis, quæ dicuntur, auocet: quòd si frequenter, ac subinde oraueris, tempus omne crebris dirimens interuallis, facile poteris esse sobrius, ac vigilans, vt precationem multa cum attentione perficias.*

XVIII.
a ho. de Anna.

XIX. Quò proculdubiò spectant, quæ scribit Basilius [b], *Accumbens*, inquit, *mensæ ora; edens panem, largitori gra-* B *tiam rependito. tunicam indueris? gratias age benigno datori. amicteris pallio? fac in te augescat interior erga Deum caritas, qui integumenta largitus est.* Eodem proculdubio referenda est priscorum Patrum consuetudo, cuius meminit Augustinus [c]: *Dicuntur*, inquit, *fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio.*

b ho. de martyr. Iulitta.
c ep. 121. ad Probam.

XX. Ibidem autem addit [d], illum semper orare, qui semper vitam beatam, & sempiternā desiderat. *Quid*, inquit, *ait Apostolus* [e], *Sine intermissione orate, quid est aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc à Deo desideremus, & oremus semper.* C Sic etiam alibi [f]: *Ipsum*, ait, *desiderium tuum oratio tua est, & si continuum desiderium, continua oratio, si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare.*

d cap.9.
e 1.ad Thes. 5.
f in Ps.36.

XXI. Denique alio loco communem sententiam [g] probat [h]. *Cum enim*, inquit, *Dominus dicit, Oportet semper orare, & non deficere, & Apostolus, Sine intermissione orate; sanissimè sic accipitur, vt nullo die intermittantur certa tempora orandi.* Abbas autem Isaac apud Cassianum [i] eum ait, sine intermissione orare, qui iugi contemplatione Deo vacat, quòd profectò paucissimi faciunt. Itaque semper orare, & non deficere, id significat, quod aliàs monui, cùm aliquid à Deo flagitamus, tamdiu orandum, quoad impetremus, D vel certè assiduè, frequenter, ac sæpe orandum tam Christus, quàm Apostolus monet. Et ob eam caussam hîc Petrus in orationibus vigilandum docet, quod etiam capite sequenti repetit cùm ait, *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus circuit quærens, quem deuoret.*

g Euth. Luc. 18. Anse. ibid. & alij recentiores.
h de hæres. c.57.
i Col.9.c.3.

8. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum.*

I. At enim caritati, qua proximos diligimus, præferenda est caritas, qua diligendus est Deus. Sic enim apud Matthæum [k] dixit Dominus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc est maximum, & primum man-* E *datum: secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed nimirum eadem caritas Deum respicit, & proximos, & hos quidem Dei potissimùm respectu tanquàm aliquid illius, vt omnino prius Deum diligat, & propter illum etiam proximos complectatur. Vt enim rectè ait Augustinus [l], *Caritas duos habet pedes. Pedes*, inquit, *tuos caritas tua duos pedes habeto: noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis Dei, & proximi, istis pedibus curre ad Deum.* Quinetiam eodem Augustino [m] auctore, caritas, *tanquam extentis pennis,*

k cap.22.37.
l In Ps.33.
m Psal.121.

& du a

& duabus alis, id est duobus præceptis dilectionis Dei, & proximi volat. Eodemque modo & sentit, & loquitur Gregorius[a]. *Pennæ, inquit, singulæ, siue alæ sunt caritas Dei, & proximi. Per ipsas sancta Ecclesia volat, per ipsas terrena omnia transcendit.* Quamobrem rectè Origenes[b]; *Igitur, ait, sciendum est Dei caritatem semper ad Deum tendere, à quo originem duxit, & ad proximum respicere, cum quo participium gerit, vtpote similiter creatum.* (A)

a lib. [illegible] 3. — b in Prol. Cantic.

III. Et quidem ante omnia caritatem præcipit Petrus: neque enim ignorabat, quod docuit Paulus[c] cætera omnia quamuis eximia, planèque diuina bona, absque caritate nihili facienda esse; Eandem verò caritatem omnium quodammodo virtutum parentem censeri. *Caritas, inquit, patiens est, benigna est, caritas non æmulatur.* Et post pauca. *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* (B) Quò spectans Clemens[d] Alexandrinus, *Hæc est, ait, caritas, diligere Deum, & proximum, ea extollit altitudinem, quæ non potest explicari. caritas operit multitudinem peccatorum, caritas omnia sustinet, in omnibus est patiens; caritas nos Deo conglutinat, omnia facit in concordia. in caritate consummati sunt omnes electi Dei. absque caritate nihil est gratum Deo. eius perfectionis non est, inquit, explicatio.* Confestim verò perelegantem subiicit verborum Pauli paraphrasim.

c 1. ad Cor. 13. — d lib. 4. Stromat.

IV. Est autem caritas Christianorum, hoc est, militum, & discipulorum Christi tessera. *In hoc, ait* Christus[e], *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Egregiè verò id explicans Chrysostomus[f], ait: (C) *Quemadmodum vestes licèt aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen quoddam indumentum requirimus, vt Regem agnoscamus. vbi primùm autem purpuram, & diadema intuemur, iam Regiæ maiestatis signum nullum aliud expectamus: ita sanè, cui caritatis diadema incumbit, iam nihil obstat, quominus Christi discipulus verè existimari possit.*

e Ioan. 13. — f Hom. 32. in 1. ad Cor.

V. Eadem verò caritas omnia propemodum mala remouet. Meritò enim eodem loco scribit Chrysostomus. *Reputa, si in hominum animis caritas regnet quanta nobis sit allatura bona: non legibus, non forensi strepitu, non pœnis, non suppliciis, non re vlla huiusmodi fuerit opus. nam si mutua caritate se omnes complecterentur, quis sit iniuriæ locus? Pugnæ, bella, cædes, seditiones, rapinæ, fraudes, & mala protinus omnia eliminarentur.*

VI. Hæc nimirum initio nascentis Ecclesiæ præcellens erat, atque eximia, & meritò cuncti fideles fratres appellabantur. (D) *Maior*, inquit Maximus[g], *est fraternitas Christi, quam sanguinis: sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert; Christi autem fraternitas vnanimitatem cordis, animæque demonstrat, sicut scriptum est*[h]; *Erat credentium cor vnum, & anima vna. Verè ergo frater ille est, qui tam corpore, quàm vnanimitate germanus est. Verus inquam, frater est, cuius idem spiritus, & voluntas in fratre est. Melior est igitur fraternitate sanguinis, fraternitas Christi: quoniam interdum illa sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc etiam cum gratulatione communicat; illa in consortio sæpe despicit germanum. hæc assumit frequenter alienum.*

g Serm. 9. inter sermones Ambros. — h Act. 4.

VII. Meritò itaque Paulus caritatẽ vocat vinculũ perfectionis. (E) *Colligat enim, & constringit*, vt ait Chrysostomus[i], *bona omnia: Caritas, inquit, constringit, & complectitur omnia: quodcumque enim bonum dixeris, nisi adsit caritas, nihil est, sed planè diffluit; & quemadmodũ in naui etiamsi magna sint instrumenta, nisi fuerint subligacula, nihil proderunt; & in domo nisi sint colligationes, & contignationes; & in corpore etiam si magna sint ossa, si non fuerint vincula, & compagines, nihil proderunt: ita quæcumque quis habuerit rectè facta inania erunt, nisi sit caritas.*

i Hom. 8. ad Col.

VIII. (A) Exigit verò Petrus caritatem continuam. Græcè ἐκτενῆ. Oecumenius *intentam*, hoc est abundantem & latè diffusam interpretatur, quasi extentam, seu distentam dixeris, vt videlicet latissimè pateat, & inimicos etiam complectatur; quò pertinere potest quod ait Dauid[a]; *Latum mandatum tuum nimis.* Itemque illud Pauli[b], *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* Et paulò pòst[c]. *Dilatamini & vos.* Qua de re egregiè Augustinus[d]; *Amicitia inquit, non angustis finibus terminanda est: omnes enim, quibus amor, & dilectio debetur, amplectitur, quamuis in alios propensius, in alios suspensius inclinetur. Peruenit autem vsque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur; ita nemo est in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua caritate, pro ipsa tamen communis naturæ societate* (B) *debeatur.*

a Psal. 118. — b 2. ad Cor. 6. 11. — c vers. 13. — d ep. 122. c. 6.

IX. Et quidem verè dixit M. Tullius[e], solem è mundo tollere eum videri, qui amicitiam è vita tollat. Rectiùs id quispiam de caritate dixerit, quæ non immeritò Soli similis dicitur: quemadmodum enim sol eximia quadam celeritate, splendore, ac pulchritudine præditus est; non aliter caritas incredibili celeritate proximis opitulatur, lucem suam vbique diffundit, vt nemo sit, qui illius calorem non sentiat.

e in Lælio, siue de amicitia.

X. Denique sua pulchritudine diuinum sibi amorem conciliat. Certè Augustinus caritatis amplitudinem eleganter his verbis describit. *Aduertite, inquit, quia si inimicos non diligimus, filij Dei esse non possumus. Et qua fronte dicimus in oratione, Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum? Aut qua conscientia dicere* (C) *poterimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus? Sed dicit aliquis, ego audiam Scripturam dicentem, Amat anima mea amantem me. Amat amantes se filios, & parentes, amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & vrsi: Si enim amantes non diligamus, si filios, vel parentes despicimus, peiores leonibus, & supradictis bestiis existere videmur; sic & ipse Dominus dicit, Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nónne & ethnici hoc faciunt? qui ergo solos amicos diligũt, sicut & ipsi videtis, adhuc in hac parte publicanis, & gentibus, & bestiis similes sunt. Vt ergo superiores simus & gentibus, & bestiis, etiã inimicos, & aduersarios diligamus.*

XI. Aliquantò autem pòst; *Ipsa inquit, est vera, & germana caritas,* (D) *quæ non solùm vsque ad amicos, sed etiam vsque ad ipsos peruenit inimicos.* Sanè Chrysostomus[f] eam ait esse caritatis naturam, vt cælo latiorem faciat animam. & de se ipso subiicit, *Si liceret cor nostrum disrumpere, & ostendere, videretis intus esse in magna latitudine vos omnes mulieres, pueros, ac viros.* Alibi[g] verò: *Quemadmodum, inquit, quod calefacit, dilatare facit, ita & caritatis opus est dilatare: virtus enim calida est, & feruens caritas.* Ibidem verò quàm latum cor Paulo effecerit caritas, his verbis ostendit: *Cor Pauli dilatauit caritas: nihil latius corde Pauli; quod totum orbem complexum est.* Multa in eandem sententiam alibi scribit[h]. Eodem etiam spectant nonnulla, quæ scribit Isidorus Pelusiota[i].

f Hom. 44. in Acta. — g Hom. 13. in 2. ad Cor. — h Hom. 18. in Matth. & Hom. 5 in 2. ad Corin. — i epist. 389.

XII. Sunt, qui caritatem vehementem, atque acrem (E) accipiant, qualis erat Pauli caritas, qui prò fratribus anathema esse cupiebat, quique de se ipso dicebat[k], *Quis ergo nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Addit: *Certus sum, quia neque mors neque vita*; & quæ deinceps enumerat, *poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Et alibi[l]: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, & quæ deinceps sequuntur. Quamobrem meritò exclamat Bernardus[m]. *O amor præceps, vehemens, flagrans,*

k ad Rom. 8. 35. — l 2. ad Cor. 11. 23. — m Serm. 79. Cantic.

grans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus.

XIII. Alij continuam, & perseuerantem caritatem intelligunt, quomodo accepisse videtur Latinus interpres. Nam de caritate scriptum est in Canticis [a], *Fortis est vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis, atque flammarum. aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Et alibi Salomon [b]; *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Paulus [c] verò, *caritas nunquam excidit*; siue quia ea est caritatis natura, vt nihil habeat in se, vnde perimi, aut extingui queat; siue quia ea est eius vis, vt omnia facile superet.

a cap. 8. 6.
b Prou. 17. 17.
c 1. ad Cor. 13. 8.

XIV. Miratur enim Augustinus [d], non posse quemquam conuicia, probra, contumelias, & iniurias tolerare, *cùm tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tanta, & tam delicata puella, flammas, & ignes, & bestias æquanimiter pertulerint.* Et Leo Pontifex [e]. *Potest, inquit, aliquis mihi dicere, non possum ieiunare, non possum vigilare, numquid potest dicere, Non possum diligere? Potest dicere, non possum res meas totas pauperibus erogare, & in monasterio Deo seruire. Numquid potest dicere, non possum diligere? Si dixeris, non possum à vino, & carnibus abstinere, credemus tibi: si autem dixeris, quod non possis in te peccantibus indulgere, omnino non credimus.*

d Serm. 41. de temp.
e Serm. de mart. si tamen is est auctor.

XV. Adeò igitur perseuerans est caritas, & constans, vt nulla possit inimici improbitate violari. Hæc est caritas continua, quam postulat Petrus, quæ non facilè indignatur, ne alioqui simulata videatur, & ficta: quomodo dixit Ioannes [f], *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Ne sit igitur interrupta, aut facilè mutabilis. Eam autem præcipit inter ipsos præcipuè fideles. *Mutuam, inquit, in vosmetipsos continuam caritatem habentes*; non solùm, quia, vt ait Gregorius [g], *nemo propriè ad semetipsum habere caritatem dicitur, sed dilectio in alterum tendit, vt esse caritas possit*; verùm etiam quia vt omnes mortales caritate complectendi sint, præcipuè tamen eiusdem religionis socij diligendi sunt.

f ep. 1. cap. 3. 18.
g Hom. 17. Euang.

XVI. Quocirca Paulus [h], *Operemur*, ait, *bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Et alibi [i]; *Si quis*, inquit, *suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Nec immeritò ante omnia caritatem præcipit in fratres, non solum, quia est Christi Domini præceptum, sed etiam quia est indicium, & argumentum caritatis in Deum. Ait enim Ioannes [k]. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

h ad Galat. 6. 10.
i 1. ad Tim. 5. 8.
k epist. 1. c. 4. 20.

XVII. *Quia caritas* ait, *operit multitudinē peccatorum.* Non vno modo dicitur caritas peccatorum multitudinem operire. Nam primum vt diffunditur in anima, propria peccata delet. *Operit enim*, ait Clemens [l] Alexandrinus, *caritas multitudinem peccatorum. delet autem is, qui magis vult pœnitentiam, quàm mortem peccatoris*: vt verò respicit fratres, delet peccata, quia si aliis condonamus, dimittet etiam Deus nobis debita nostra, sic enim apud Matthæum dixit Dominus [m]; *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quod non obscurè in oratione Dominica significatur, cùm dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debitum enim*, vt ait Tertullianus [n], *in Scripturis, delicti figura est, quòd perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis, nisi donetur exactio.*

l 2. Stromat.
m cap. 6. 14.
n lib. de ora. c. 7.

XVIII. Eodemque spectans Ambrosius [o], improbos ait, ac scelestos diaboli esse debitores, *qui erat*, inquit,

o lib. 1. de Iacob, c. 4.

A *liber in Christo, debitor fit [illegible] diaboli.* Augustinus autem ad illa Dauidis [a] verba, *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum. Quæ sunt*, ait, *istæ vsuræ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur?* Demùm Euthymius [b]: *Peccatum*, inquit, *obnoxium reddit hominem, sicut æs alienum.* Itaque ad hunc locum respiciens B. Ephrem [c], *multa*, inquit, *negligendo peccamus: singulis diebus, horis, atque momentis, atque ideo caritatem possidere studeamus, hæc enim operit multitudinem peccatorum.* Et in eandem sententiam Oecumenius. *Misericordia enim erga proximum Deum nobis propitium reddit, at misericordia absque multa caritate exerceri rectè non potest.*

a Psal. 71.
b Matth. 6.
c lib. de vera pœnit. c. 1

XIX. Hæc autem peccatorum condonatio, quæ caritati tribuitur, leuiora peccata respicit, quæ venialia appellantur, vt Hieronymus [d], & Augustinus [e] B aduersùs Pelagianos docent. Deinde hactenus dicitur operire peccata, quòd pœnas temporarias magna ex parte condonet. Quod non obscurè significare visus est Tertullianus [f], *Sic*, inquit, *dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit.*

d lib. 3 aduers. Pelag.
e lib. [illegible] ep. [illegible] cap. [illegible] cont. [illegible] ep. P[illegible] cap. [illegible] peccat. & remiss. [illegible] l. [illegible] ho[illegible] m lib. [illegible] 42.
f in Scorp. c. 6.

Quamquam videtur, quod hic ait Petrus de caritate in proximos, transferre ad caritatem, qua Deum diligimus. Aliquantò apertiùs loqui videtur Ambrosius [g]: *Si per fragilitatem carnis, ait, & mundi illecebras ita mentem nostram formare non possumus, reuerentia paternæ generationis, & sedulitate prolis peccatum leuemus: caritas enim multitudinem peccatorum operit. Qui ergo ad imaginem Dei esse non potuerit, fit ad* C *plenitudinem caritatis. illa castitas culpam excludit, hæc soluit.*

XX.
g lib. de fuga sæculi. c. 1

XXI. Apertissimè verò Augustinus [h], cùm multa recenset, quæ vim habeant expiandi peccata, inter cætera ait, *mundantur & eleemosynis ab illo, qui ait, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus caritate, ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit, Caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Et alibi [i] expendens locum illum [k], *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: non solùm*, inquit, *qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod* D *cuique necessarium est, indigenti, verùm etiam, & qui dat veniam peccanti eleemosynam dat, & qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læsus est, aut offensus dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur, non solùm in eo quod dimittit, atque orat, verùm etiam in eo, quod corripit; & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat.* Et paucis interiectis subdit, *Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis nostra peccata, sed ea nihil est maius, quæ ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit.*

h lib. 2. contra Cresco. c. 12.
i in Enchir. c. 72.
k Lucæ 11. 41.

XXII. Plurima in hanc sententiam scribit Origenes [l]: cùm enim plures recenseat peccatorum expiationes, *tertia*, inquit, *est, quæ pro eleemosyna datur: dicit enim Sal-* E *uator, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, quod & nos remittimus peccata fratribus nostris.* Et post nonnulla. *sexta quoque fit remissio per abundantiam caritatis, sicut & ipse Dominus dicit, Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et Apostolus dicit, Quoniam caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Quanquam & hic videtur Apostolum explicare de caritate in Deum: sed Clemens Alexandrinus caritatem pro beneficentia accipiens, *eleemosynis*, ait, *& fide expurgantur peccata.* Sic olim Daniel [m] Nabuchodonosor

l Hom. 2. in Leuit.
m cap. 4. 24.

donoſor monet, *Conſilium meum*, inquit, *ô Rex tibi p[...]eat:[...] cata tua eleemoſynis redime.* Neque aliter accipio, quod ait Sapiens [a]., *ignem ardentem extinguit aqua & eleemoſyna reſiſtit peccatis.*

a Eccl. 3. 33.

XXIII. Præterea caritas operire dicitur peccatorum multitudinem, quia benignè peccata condonat, & iniurias non modò non vlciſcitur, ſed obliuione obruit. Ita Clemens [b] Alexandrinus: *Multis autem ait, modis intelligitur caritas, per manſuetudinem, per benignitatem, per tolerantiam, per inuidiæ & æmulationis vacuitatem, per odij remotionem, per iniuriæ obliuionem.* Id verò non perinde accipiendum eſt, quaſi nunquam liceat Principibus, Magiſtratibus, ſiue politicis, ſiue eccleſiaſticis, publica peccata vlciſci, ſed ea certè, quæ nos priuatim lædunt, benignè condonanda ſunt. Qua de re multa ſapienter ſcripſit Seneca [c], quæ Chriſtianorum ſubitam iram & ſeueritatem in noxios, ne dicam ſæuitiam, magnoperè caſtigant.

b 2. Strom.

XXIV. Alicubi [d] verò non pauca recenſet, quæ facilè animum ad lenitatem, ac manſuetudinem flectant. *[...]aturam*, inquit, *exuemus, voluntatémque facientium. puer eſt? ætati donetur. Neſcit, an peccet. Pater eſt? aut tantum profuit, vt illam etiam iniuriæ ius ſit, aut fortaſſe ipſum hoc meritum eius eſt, quo offendimur. Mulier eſt? errat. Iuſſus eſt? neceſſitati quis niſi iniquus ſuccenſet? Læſus eſt? non eſt iniuria pati, quod prior feceris. Iudex eſt? plus illius credas ſententiæ, quàm tuæ. Rex eſt? ſi nocentem punit, cede iuſtitiæ; ſi innocentem, cede fortunæ. Mutum animal eſt, aut ſimile muto? imitaris illud, ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? leuius tranſiliet ſuſtinentem. Deus eſt? tam perdis, cùm illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus vir eſt, qui iniuriam fecit? Noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi, & iam ſibi dedit, qui peccauit.*

XXV. Huc refero Pauli [e] conſilium. *Eſtote autem*, ait, *inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.* Et alibi [f]: *Induite vos ergo ſicut electi Dei Sancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam; ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Eodemque modo accipiendum exiſtimo quod ſcribit Salomon [g]: *Odium ſuſcitat rixas, & vniuerſa delicta operit caritas.*

e ad Epheſ. 4. 32.
f ad Coloſ. [...]
g Prou. 10.

XXVI. Ad extremum dicitur caritas operire peccata, quia ea tegit, ac celat, nullóque modo diuulgat. Quo in genere extat apud Theodoretum [h], Chriſtiano Principe digna Conſtantini Imperatoris oratio: qui cùm accuſationum libellos ſibi ab Epiſcopis oblatos, in medium adductos, conieciſſet in ignem, iureiurando adiecto ſe ne verbũ quidem perlegiſſe; ſubiecit: *nam Sacerdotum vitia non ſunt populo aperienda, ne ille inde cauſſa offendiculi arrepta licenter peccare aggrediatur. Quinetiam*, ait Theodoretus, *eum hoc quoque adieciſſe memorant, ſi ſuis oculis Epiſcopum alienæ vxori ſtuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos, qui idem ipſum cernerent, vlla ex parte læderet.*

h [...] hiſt. c. 1[...]

XXVII. Vt vel hinc appareat quantopere Chriſtianæ caritati eorum conſuetudo repugnet, qui in publicis, ac priuatis congreſſibus Antiſtitum, & Eccleſiaſticorum mores acriter ſeu verè, ſeu falsò perſtringunt. occulta facinora in lucem proferunt, ne dicam falſa affingunt, vt in eos planè conueniant, quæ ad Galatas ſcribit Paulus [...]: *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Certè hoc modo Petri verba explicat Oecumenius. *Hanc*, inquit (hoc eſt caritatem) *Paulus ait legis plenitudinem [...]e, hic verò* (hoc eſt, Petrus) *eſſe eiuſmodi, vt peccata [...]ſt operire, ac tegere.*

cap. 5. 15.

XXVIII. Quamobrem ſapienter monet Bernardus [a]. *Caue alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Etiam ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa. excuſa intentionem, ſi opus non potes. puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omnino diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum, vehemẽs fuit nimis tẽtatio. Quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem?*

a Serm. 42. Cantic.

XXIX. Et ſanè huic poſtremæ explanationi mirificè fauet Græcus codex: pro eo enim quod Latinus interpres præſenti tempore dixit, *operit multitudinem peccatorum*, futuro tempore ſcripſit Petrus, καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν, hoc eſt, *operiet multitudinem peccatorum.* quaſi dicat, caritas proximorum peccata obteget, tantùm abeſt vt ea in vulgus efferre, aut euulgare velit. Quod proculdubio, vt Theologi in ſcholis docent, de iis accipiendum eſt, quæ & grauia ſunt, & occulta, & proximorum famam lædere poſſunt. neque enim inficiandum eſt nonnulla eſſe eiuſmodi, ſiue quia publica ſunt, ſiue quia reipublicæ, & communi bono obſunt, quæ iure poſſint, atque adeò debeant in publicum proferri.

9. *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.*]

I. Rectè Clemens [b] Alexandrinus. *Adhæret*, inquit, *caritati hoſpitalitas, quæ eſt artificium amicitiæ circa vſum hoſpitum.* Re namque vera caritas non modò proximorum animum, ſed etiam corpus ſpectat: idcirco Petrus hoſpitalitatem ſuadet, cùm priùs caritatem commendaſſet, cuius pleraque alia officia recenſet. Erat autem olim, vt alibi dixi, frequens Chriſtianorum peregrinatio, atque adeò hoſpitalitatis vſus; & vt omittam notiora Abraham, & Lotbi exempla, Iob ita de ſe ipſo loquitur [c], *Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit.* Quippe, vt ait Chryſoſtomus, cunctis domus illius patebat, quod maximè in Abrahamo commendat Ambroſius [d], *Præſtò*, inquit, *eſt aduenientibus, & occurrit obuiam, & itinera explorat, & adeſt non quærentibus, & rapit prætergredientes.* Et rurſus: *Abraham in oſtio ſui tabernaculi non otioſus ſedet, qui longè aſpicit, neq. aſpexiſſe contentus occurrit obuiam.*

b lib. 2. Strom.
c cap. 31. 32.
d lib. 1. de Abrah. c. 5.

II. Quinetiam apud Gentiles hoſpitalitatis iura ſacroſancta cenſebantur. Clemens [e] autem Alexandrinus, Cleobuli ſapientis, ac Lydiorum monarchæ filiam laudat, *quòd eam non puderet paternorum hoſpitum pedes abluere.* Alibi [f] ait hoſpitalitatem, *eſſe quoddam [...] vtile hoſpitibus verſari.* Cæterùm Philo [g] inhoſpitalitatis vitiũ obiicit Ægyptiis, quòd Poëtis fabulandi materiam præbuit: Sic enim alicubi ſcribit Ouidius [h]

e lib. 4 Strom.
f lib. 1. Strom.
g lib. de Abrah.
h lib. 1. faſt.

Dicitur Ægyptus caruiſſe iuuantibus arua
Imbribus; atque annos ſicca fuiſſe nouem.
Cùm Thraſius Buſirin adit, monſtratq; piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Iouem.
Illi Buſiris, fies Iouis hoſtia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hoſpes aquam.

Idemque alludens alibi [i], ita Herculẽ loquentẽ facit

i lib. 9. Metamor.

Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Buſirim domui.

Et Virgilius [k].

k lib. 3 Geor.

——Quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?

III. Eius porrò ſeu fabulæ, ſeu hiſtoriæ meminére Hyginus [l], Plutarchus [m], Euſebius [n], Arnobius [o], Auguſtinus [p], & alij. At Strabo [q] eiuſmodi fabulam irridens, communem ait Barbaris omnibus conſuetudinem eſſe, vt hoſpites pellant. Ægyptios verò accuſari propter ea, quæ in fabulis de Buſiride, & Buſiritica præfectura dicta ſunt: Addit Ægyptiorum malæ famæ fauere locum, qui portu careat.

l in fabul.
m in Paral.
n in Chron.
o lib. 1 contr. gent.
p lib. 18. de ci[...] c. 12.
q lib. 17.

Is enim,

Is enim, qui pharo proximus est, nequaquam patet, sed a bubulcis excolitur, hominibus præda assuetis, qui eo adnauigantes adoriantur. Carthaginenses verò demergere, ait, *peregrinos, qui in Sardiniam, vel ad Herculis columnas nauigant.* Sat scio Diodorum[a] Busiridis fabulam vtcumque admittere.

a lib. 1. c. 4.

IV. Sed quid opus est multis? Salomon de Ægyptiis hæc memoriæ prodidit[b]. *Iustè enim patiebantur secundum suas nequitias. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt. alij quidem ignotos non recipiebant aduenas; alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant. & non solùm hæc, sed & alius quidam respectus illorum erat, & quoniam inuiti recipiebant extraneos, qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem vsi erant iustitiis, sæuissimis afflixerunt doloribus.*

b Sap. 19. 13.

V. Idem vitium ab Ægyptiis ad alios transmissum indicat Arnobius[c]. *Tauris*, inquit, *Ponticis, & Ægyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare.* Apud Plutarchum[d] Dercillus *Phaunum*, ait, *Regem, qui Mercurij filius fuit, patri immolare hospites solitum, Phalaridem item Agrigentinum tyrannum hospites torquere, & excruciare consueuisse. Perillus autem faber ærarius æream bucculam confecit, tyrannóque obtulit, vt in ea peregrinos viuos cremaret.* Idem verò Plutarchus[e] testis est Spartanos nemini peregrino Spartam permisisse. Idémque de Thebanis asserit Dionysius Halicarnasseus. De Apolloniatis Ælianus[f], & Philostratus[g]. De Scythis Herodotus[h], & Strabo[i]. Denique Horatius[k], Visam ait Britannos hospitibus feros.

c lib. 8. contra Gent. *d in Parallel.* *e in Ægyde & Lycurgo.* *f lib. 13. var. hist.* *g in vita Apol. lib. 6. c. 18* *h lib. 4.* *i lib. 7.* *k lib. 3. od. 4.*

VI. At contra apud alias gentes in pretio erat hospitalitas: nam in libris Machabæorum[l] Iupiter hospitalis nominatur, de quo cecinit Virgilius[m].

Iupiter hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Sed nihil ad Christianorum hospitalitatem, de qua multa Lucianus[n]. Hoc igitur hospitalitatis studium magnopere commendat Petrus, sed præcipuè erga Christianos. Ob id enim ait, *Hospitales inuicem.*

l lib. 2. c. 6. 3. *m lib. 1. Æneid.* *n in dial. peregr.*

VII. Neque more Gentilium rei honorificentiam spectat, de qua M. Tullius[o]: sed fraternæ caritatis rationem habet. Quam ob causam etiam præcipit Paulus[p], *necessitatibus Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.* Et alibi[q], *Caritas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio receptis.* Magnus verò Basilius[r] de hospitibus recipiendis egregia præcepta tradit: præcipuè autem inanem vetat ostentationem, & pompam, & Christianam, ac religiosam modestiam, & frugalitatem suadet.

o 1. Offic. *p ad Rom. 12. 13.* *q ad Hebr. 13. 1.* *r in reg. fus. disp. interr. 20.*

VIII. Sed cur Petrus addit, *Sine murmuratione?* An eorum perstringit auaritiam, qui ægrè, & non sine tacita quadam querela, atque accusatione hospites excipiunt? Sanè Paulus[f] Apostolus, *Non ex tristitia*, inquit, *aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Et inter Philosophos etiam hoc liberalitatis genus, quasi per vim expressum, ne probatur quidem. Sapienter enim scribit Seneca[g], *Inter multos, ac varios errores temerè, inconsultéque viuentium; nihil propemodum, optime Liberalis, dixerim nocentius, quàm quòd beneficia nec dare scimus, nec accipere. Semina in solum effœtum, & sterile non spargimus: beneficia sine vllo delectu magis proiicimus, quàm damus. Multos experimur ingratos, plures facimus, quia aliàs graues exprobratores, exactorésque sumus, aliàs leues, & quos paulò post muneris sui pœniteat, aliàs queruli, & minima momenta calumniantes, gratiam corrumpimus omnem, non tantùm postquam dedimus beneficia, sed etiam dum damus.* Et plura deinceps, quæ licèt vniuersim de beneficentia dicta sint, huic tamen hospitalitati aptari possunt.

f 2. ad Cor. 9. 7. *g lib. 1. de benef. c. 1.*

IX. Remouet igitur Petrus murmurationem, hoc est, tacitas querelas, & occultas detractiones, quibus interdum, qui hospitio excipiunt, hospitum siue prudentiam, siue moderationem requirunt, & interdum etiam nimium sumptum obiiciunt. An murmurationem eam reprehendit, qua interdum alij alios tacitè accusant, quòd hospites non admittant ipsi, sed ad se potiùs transmittant? Fateor id non videri ab Apostolica prouidentia alienum. Nam & Paulus Apostolus ad Corinthios[a] scribens nonnullorum auaritiam tacitè perstringit. *Ecce*, inquit, *tertiò paratus sum venire ad vos, & non ero grauis vobis: non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos.* Metuebat enim ne illi hospitij frequentiam reformidarent. Non aliter Petrus in præsentia omnes querimonias facessere iubet, quæ hospitij gratia accidere possent inter fideles.

a ep. 2. c. 12. 14.

X Et interim hospitalitatem monet hilari, ac liberali animo exercendam: nam qui morosè, aut malignè beneficium largitur, & exiguam apud homines laudem assequitur, nec magnam à Deo gratiam init: vt enim scribit Seneca[b], *Non tam in rebus, quam in benefaciendi voluntate beneficij magnitudo consistit: nonnunquam enim nos magis obligat, qui dedit parua magnificè, qui regum æquauit opes animo, qui exigua tribuit, sed libenter, qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit, qui non voluntatem tantùm iuuandi habuit, sed cupiditatem, qui accipere se putauit beneficium, cùm daret, qui dedit, tanquam non recepturus, recepit tanquam non dedisset, qui occasionem, qua prodesset, & occupauit, & quæsiuit. Contrà ingrata sunt, licèt re, ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt: multòque gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur. Exiguum est, quod in me contulit, sed ampliùs non potuit: At hic quod dedit, magnum est, sed dubitauit, sed distulit, sed cùm daret, gemuit; sed superbè dedit, sed circumtulit, & placere ei, cui præstabat, noluit, ambitioni dedit, non mihi.*

b lib. 1. de benef. c. 7.

XI. Addo verissimam Gregorij[c] sententiam. *Peregrini*, inquit, *Ad hospitium non solùm inuitandi sunt, sed etiam trahendi.* Cumque Pauli, & hæc ipsa Petri verba protulisset subdit: *Opinata res est valdè, & seniorum nostrorum nobis relatione tradita. quidam paterfamilias, cum tota domo sua magno hospitalitatis studio seruiebat, cúmque quotidiè ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios aduenit, ad mensam ductus est; dúmque paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet in eius manibus fundere, conuersus vrceum accepit, sed repentè eum, in cuius manibus aquam fundere volueras, non inuenit: cúmque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit, Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.* Non tantùm ergo sine murmuratione, sed magna cum animi lætitia ac hilaritate peregrini hospitio excipiendi sunt, cùm se in illis Christus[d] Dominus excipi profiteatur.

c Hom. 23. in Euan. *d Matth. 25. 35.*

10. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*]

I. Quoniam caritas sese latissimè fundit, præter hospitalitatis studium, paucissimis verbis omnia propemodum caritatis officia complectitur Petrus: vt enim ait Oecumenius, *ad caritatem pertinet eorum bonorum communicatio, quæ quis habet, cum frater ijs caret, & indiget.* Vnusquisque igitur ait, *sicut accepit gratiam*, Græcè χάρισμα, hoc est, donum, quod potissimùm ad aliorum vtilitatem refertur: neque enim loquitur Petrus de gratia gratum faciente, quæ priuatam cuiusque vtilitatem spectat, quæ, vt alibi dixi, vel idem est cum caritate, vel ab ea nunquam seiungitur.

II. Potest autem hæc sententia tum ad superiora, tum etiam ad ea, quæ subsequuntur, commodè referri.

Ad

Ad superiora quidem, vt sit sensus, hospitalitatem abſque murmuratione exercendam, pro ea facultate, quam quis diuinitùs accepit. Ad ea verò, quæ consequuntur hac fermè ratione, vnusquisque ea bona, quæ à Deo accepit, libenter aliis impertiat, quæcunque tandem illa sint, quæ mox ad certa quædam capita reuocantur. Indicat autem Apostolus non pauca esse Dei munera, quæ tum intra naturæ fines, tum etiam supra naturam mortalibus conceduntur, quæ aliis prodesse debeant.

III. Et quidem opes, & diuitiæ frustra habentur, si recondantur in arca, nec vlli prorsus vsui sint: nam alioqui, verissimè dictum est tam deesse auaro quod habet, quàm quod non habet: alia verò Dei munera, quæ à Theologis gratiæ gratis datæ nomine comprehenduntur, otiosa planè sunt, & vtilitatis expertia, nisi proximis prosint. Hæc igitur munera in alterutrum administranda monet Petrus, vt eorum fructus in eos redundet, quorum caussa Deus illa largitus est: neque enim quisquam ea sibi priuatim vendicare debet, non modò quasi non ea diuinitus acceperit, sed etiam vt sibi soli retineat.

IV. a cap. Etenim Christus Dominus apud Matthæū [a] proposita talentorum parabola, hoc ipsum indicauit: Laudatur enim qui quinque talēta auxerat, itémque qui duo totidem accessione multiplicauerat: contra verò acriter castigatur, & reprehenditur is, qui vnicum talentum in terra defossum otiosè detinuerat. b Prou.26.13 Sic Salomon [b] torpentem, ac pigrum accusat. *Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manum suam sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam conuerterit.*

V. c Pro.27.17 Contrà verò vtilitatem, quam interdum alij aliis afferunt, pereleganti similitudine describens ait [c], *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Acuuntur enim homines ex mutuo inter se conuictu, & congressu, & virtutum exemplis ad optima quæque prouocantur. d Eccles.4.9 Quamobrem alibi [d] ait, *Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se, & si dormierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet?*

VI. e Tract. 10. in Ioan. Rectè verò monet Augustinus [e]: *Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis à Christo.* Et eodem loco, *Si autem fueris frigidus, marcidus ad te solum spectans, & dicens in corde tuo, quid mihi est curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea, ipsam, integram seruem Deo. Eia non tibi venit in mentem seruus ille, qui abscondit talentum? Nunquid accusatus est, quia perdidit, & non quia sine lucro seruauit?* Et rursus, *Vnusquisque in domo sua cum amico suo, cum inquilino, cum cliente suo, cum maiore, cum minore quomodo dat Deus aditum, quomodo aperit ianuam, verbo suo nolite quiescere lucrari Christo.* f psal.33. in verbo, Magnificate Dominū mecum Et alibi [f], *Si amatis*, inquit, *Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis iunguntur, & omnes, qui sunt in domo vestra.*

VII. Ait autem Petrus, *in alterutrum illam administrantes*, Græcè, διακονοῦντες, vt significet alios aliis quandam debere seruitutem: nec enim, vt sapienter dixit quidã, nobis tantùm nati sumus. g Eccli.17.12. Et Sapiens [g], *Mandauit*, inquit, *illis vnicuique de proximo suo.* Vnicuique enim præcepit Deus, quomodo se cum proximo gerat, vt videlicet ei nulla ratione obsit, sed potiùs prosit, quantùm in ipso est. Subdit, *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Græcè dixit οἰκονόμοι. Neque enim quemquam voluit Deus suorum bonorum esse dominum, atque adeò ita se quemque gerere voluit, quasi suæ administrationis redditurus sit aliquando supremo iudici rationem. Quamobrem

A apud Lucam [a] proposita parabola vilicei, qui Græcè a cap.16.2. dicitur οἰκονόμος, exigendam à Domino rationem probat. *Redde*, inquit, *rationem vilicationis tuæ: iam enim non poteris vilicare.*

VIII. Vnde colligit Theophylactus, non esse quemquam dominum diuitiarum. *Nihil enim*, inquit, *habemus proprium, sed dispensatores alienarum rerum sumus, quæ a Domino nobis concreditæ sunt, vt illas bene dispensemus, sicut ipse imperat:* quod ante illum dixerat auctor imperfecti [b] in Matthæum: *Diuitiæ*, ait, *nostra* b Hom. 11. *non sunt nostra, sed Dei: Deus enim dispensatores nos voluit esse rerum suarum, non dominos:* quod longa oratione docet Basilius [c]. Quò spectans Chrysosto- c Hom.13. mus [d], *Sapiens*, ait, *risi testamenta legens dicentia. Ille* d Hom.2. ad pop. Antioc. *quidem habeat agrorum, vel domus dominium, vsum verò* B *alius: omnes enim vsum habemus, dominium autem nemo.* Rursus: *Manifestum*, inquit, *est, quòd illi soli dominium habent, qui & diuitiarum vsum contempserunt, & fructum deriserunt: qui enim præsentibus abiectis, ipsas pauperibus erogat, in necessaria suis, vsus est, & ipsarum dominium habens obiit, neque per ipsam mortem illa excidens possessione, sed omnia illo recipiens tempore, & illis multo plura, quando in die iudicij illorum præsidio maximè egebit, & quando omnes factorum rationes repetemus.*

IX. e Luc.16. Idem planè dixit Beda [e]: *Villici vocabulo, ait, discimus eos qui pecunias habent non iam dominos suæ, sed alienæ potius rei dispensatores esse putandos.* Et Petrus f Serm.125. Chrysologus [f], *In terra nos debemus sentire villicos, dominos non putare: prorogationis temporaria ministerium suscepisse, non inuenisse ius perpetuum possidendi.* Et quod C magis mirandum est Hebræorum sapientissimus Philo [g], *Liquere, ait, satis puto nos alienis vti possessionibus,* g li. de Cherub. *nec gloriam possidendo, nec diuitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidquam vel corporis, vel animæ proprium, immo ne vitam quidem. Vsumfructum habemus solum, quod si agnosceremus, curaremus tanquam res Dei procurantes morem esse Domini recipere sua quandocunque ipsi visum fuerit sic enim ademptas ferremus leuius. Nunc plerique omnes dum existimant hæc sua esse, ac propria; priuati quopiam eorum, & egentes mox opprimuntur mœstitia.*

X. h lib. de benef. cap.3. Et Seneca [h] Gentilis, quamuis Philosophus. *Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. omnia ista, quæ vos tumidos, & supra humana elatos obliuisci cogunt vestræ* D *fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis armati, quæ ex alieno sanguine rapta vestro defenditis, propter quæ classes cruentaturas maria deducitis, propter quæ quassatis vrbes ignari quantum telorum in aduersos fortuna comparet; propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegij fœderibus inter contendentes duos terrarum orbis elisus est, non sunt vestra, in depositi caussa sunt, iam, iámque ad alium dominum spectantia; aut hostis illa, aut hostis animi successor inuadet.*

XI. i li. de Hæs. cap.40. k D.Thom. 2.2.q.66.a.2. Neque verò hæc propterea disputo, quasi Apostolicorum errorem olim ab Augustino [i], aliísque Theologis [k] damnatum, persuadere velim, qui eos in suum cœtum admittendos negabant, qui bona sua possiderent; sed vt appareat quanto in errore E versentur illi, qui caducis, mortalibúsque bonis ita incubant, quasi ea perpetuò possessuri sint, cùm tamen, vt eleganter dixit quidam [l], sit omnino l Horat. lib. 2. Od.14.

Linquenda tellus & domus, & placens
Vxor, neque harum, quas colis, arborum
Te præter inuisas cupressos
Vlla breuem dominum sequetur.
Absumet hæres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus: & mero
Tinget pauimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

Iob [m] autem, *nudus egressus sum de vtero matris meæ,* m cap.1.21. *& nudus reuertar illuc.* vtcumquè sit breues dominos

nos

nos esse constat, qui hæc omnia non ita multo pòst velimus, nolimus ingratis, atque ignotis plerumque hæredibus relicturi sumus.

XII. Quod si hæc de omnibus fortunæ, corporisque bonis verissimè dicuntur, statui facilè potest, quid de aliis bonis sentiendum sit, quæ à Prospero, aliisque viris sanctissimis *vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum* nuncupantur: quæ viris Ecclesiasticis tamquam fidelibus administratoribus in pios, ac religiosos vsus distribuenda credita sunt: illi certè quicunque illi tandem sint, ne supremo quidem Ecclesiæ antistite, Romanoque Pontifice excluso, eorum bonorum respectu vllo modo domini, sed tantum œconomi, atque administratores censendi sunt, quorum fides, atque integritas exigenda est aliquando ab eo, qui horum omnium non vno nomine legitimum sibi dominium vendicat.

XIII. Cæterum illud omninò tam Laicis quam Ecclesiasticis sedulo cogitandum est, quanam ratione eiusmodi bonis vtantur, vt diuinæ voluntati morem gerant. *Voluntas autem Domini est*, ait Theophylactus[a], *datas vti in vsum conseruorum, non in proprias delicias.* Et Chrysostomus[b], *Diuitem te fecit Deus, vt egenis auxilieris, vt peccata tua soluas per liberalitatem aliis exhibitam.* Verè autem apud Augustinum[c] his verbis diuitem alloquitur Deus, *Plus tibi dedi, vt haberes vnde pauperi dares. pauperi non dedi ob hoc, vt te probarem. non quia ambobus non habui vnde darem. sed per pauperem volui te probare. Ego sum qui diuitem, & pauperem feci. prærogatorem te constitui in bonis meis, fac misericordiam. quia nihil perdes, & me qui tibi dedi, non offendes. Da. quid dubitas? quia si dederis, ego plura dabo. quid tibi soli vindicas, quod ambobus dedi? Quare tu solus comedes, quod ambobus creaui? Quasi tuo labore hoc adipiscaris, aut tuum esse putas.*

a Luc. 16.
b Hom. 2. ad popul.
c l. 50. Hom. Hom. 47.

XIV. Itaque rectè Petrus fideles vocat diuinorum munerum administratores, hoc est, vt ipsemet subdit, *multiformis gratiæ Dei*. Græcè ποικίλης hoc est variæ, ac multiplicis. Ait enim Paulus[d], Habentes autem donationes Græcè χαρίσματα *secundum gratiam* χάριν, *quæ data est nobis, differentes, siue prophetiam, &c.* Et alibi[e], *Diuisiones gratiarum sunt*, Græcè χαρισμάτων. Rursus *diuisiones ministeriorum. diuisiones operationum.* Denique[f], *vnicuique autem nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Quibus omnibus locis χάρισμα seu χάριν referre videtur Paulus ad bona tantùm spiritualia, & ad eas gratias, quæ dicuntur gratis datæ. At vero in præsentia Petrus vtraque Græca voce ampliori quadam significatione vsus videtur. Quod enim dixit, *vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes*, vbi Græcè est vox χάρισμα, si ad superiora referatur, vt videri potest non improbabile, ea voce complecti videtur etiam fortunæ bona, quæ fouendo ornandoque corpori subseruiunt.

d ad Rom. 12. 6.
e 1. ad Cor. 12. 4.
f ad Ephes. 4. 7.

XV. Quod autem modo subiicit, *sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*, eadem amplitudine & ad superiora, & ad ea, quæ subsequuntur, spectare potest. Vox enim, *sicut*, postulare videtur vt cum superioribus coniungatur: quæ verò subiiciuntur eadem gratiæ voce procul dubio comprehenduntur. Verum quoniam, auctore Augustino, gratiæ nomen non facilè in sacris literis deprehenditur significare bona naturalia, & quæ spectant ad creationem, vt existimabant Pelagiani; similius vero crediderim hoc loco Petrum vtraque Græca voce supranaturalia bona significare, siue hæc sententia cum superioribus, siue cum sequentibus connectatur, vt quamquam hospitalitas absque fortunæ bonis exerceri non potest, ipse tamen hospitalitatis vsus sit cœlestis gratiæ beneficium, atque idcircò moneat Petrus, vt pro eius

A gratiæ vi, & conditione diuino impulsu respondeant, & liberaliter peregrinis opitulentur.

XVI. Multiformem autem, seu variam, atque multiplicem gratiam appellat, præcipuè propter gratias gratis datas, quæ locis indicatis enumerantur a Paulo, ex quibus nonnullas mox indicabit Petrus. Sic etiam Christus in parabola[a] talentorum, *Vni quidem*, ait, *data fuisse quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum vnicuique secundum propriam virtutem.* Et Paulus[b]; *alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* B Tum subdit, *hæc autem omnia operatur, vnus atque idem spiritus diuidens singulis, prout vult.*

a Matth. 25. 14.
b 1. ad Cor. 12. 8.

XVII. Hanc enim maximè ob caussam gratiæ gratis datæ nuncupantur, quod nullo meritorum, aut priuatæ cuiusquam præparationis respectu sed vnius Dei libera voluntate tribuantur, vt alicubi copiosius explicui. Referuntur autem hæc omnia ad proximorum vtilitatem, eamque ob caussam ait Paulus[c], *Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Quocirca rectè hoc loco ait Petrus *sicut boni dispensatores*. Græcè οἰκονόμοι. Quemadmodum enim œconomus patrifamilias subest, & reddendæ rationi obnoxius est, ita iis, qui huiusmodi bonis prædıti sunt etiam, atque etiam perspiciendum est, quanam ratione iis vtantur. C Ne frustra illa accepisse videantur, aut quæ ad aliorum vtilitatem referenda sunt, ad inanem ostentationem, aut auram popularem captandam transferantur.

c 1. ad Cor. 12. 7.

XVIII. Bonos igitur dispensatores eos vocat, qui muneribus acceptis benè, & ex caritatis præscripto vtuntur, & qui abundant aliorum inopiam, & egestatem subleuant. Quod proculdubio maximè spectat ad Ecclesiasticos præsules, & antistites, de quibus ait Paulus[d], *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*; suo tamen modo hoc apostolicum præceptum etiam priuatos attingit. Ad eos enim etiam refertur parabola, quæ est apud Lucam[e], *Homo quidam*, inquit, *nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. vocatis autem decem seruis suis dedit eis decem mnas, & ait ad illos, negotiamini, dum venio.*

d 1. ad Cor. 4. 1.
e cap. 19. 12.

XIX. D Tametsi enim Theophylactus seruos interpretatur Ecclesiæ ministros, Euthymius, Titus Bostrensis, & Beda præceptores, doctores, & concionatores intelligunt: haud tamen ambigam Christianis omnibus negotiandum esse. Nostra autem negotiatio in eo posita est, vt diuinæ vocationi respondeamus, eiusque diuinis muneribus rectè vtamur. Hæc autem negotiatio cœlestis, ac diuinum lucrum quærit, nec quisquam ab hac negotiatione alienus censendus est. vt enim ait B. Gregorius[f], *Nullus est qui veraciter dicat: talentum minimè accepi, non est vnde rationes ponere cogar. talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit.* Ibidem autem addit, *cum augentur dona, rationes etiam donorum crescere.* vnde colligit, quo quis plura accipit, eò E plura sibi esse cogitāda, & maiori sollicitudine laborandū, ne frustra ea accepisse videatur, quæ sibi diuinitus collata sunt. *tanto enim*, inquit, *esse humilior, atque ad seruiendū promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.*

f Hom. 9. in Euang.

11. *Si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis ministrat tamquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.*]

Ex

I. Ex plurimis Dei muneribus duorum tantum cæteris prætermiſſis in præſentia meminit, hoc eſt docendi concionandique facultatis, & miniſterij, ſeu diaconatus. ac de priori quidem, *ſi quis*, inquit, *loquitur quaſi ſermones Dei.* videtur enim Petrus doctores, ſeu Euangeliſtas, præcipuéque paſtores indicare, quorum proprium munus eſt populum erudire, diuinam legem explicare, ſuaque oratione populum ad Chriſtianas virtutes inflammare. Eos igitur monet, vt cum ad populum verba faciunt, ita ſe gerant, vt Dei nuncios, & interpretes decet. Voluit enim Deus prophetas, & Apoſtolos non ſua ſenſa, ſed diuina oracula proferre.

II. Itaque Iſaiam [a] Prophetam his verbis alloquitur, *Poſui verba mea in ore tuo.* Ipſe verò Iſaias [b] apertè teſtatur ſe Dei eſſe inſtrumentum, *Et poſuit*, inquit, *os meum quaſi gladium acutum.* Sæpe [c] autem ait, *os Domini locutum eſt.* Et ad Ieremiam [d], *Vniuerſa*, inquit, *quæcumque mandauero tibi, loqueris.* Et nonnullis interiectis [e]. *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Ad Ezechielem [f] autem, *Fili hominis omnes ſermones meos, quos ego loquor ad te, aſſume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade, ingredere ad tranſmigrationem ad filios populi tui, & loqueris ad eos, & dices eis, Hæc dicit Dominus Deus.*

a cap. 51. 16. b cap. 49. 2. c Iſaiæ 1. 20 cap. 40. 5. d cap. 1. 7. e verſ. 9. f cap. 3. 10.

III. Chriſtus autem Dominus ita Apoſtolos ſuos, cum eos ad prædicandum mitteret, affatur [g], *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et apud Lucam [h]. *Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari, quemadmodum reſpondeatis. ego enim dabo vobis os, & ſapientiã, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Et de Stephano protomartyre ſcribit idem Lucas [i], *Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.*

g Matth. 10. 19. h cap. 21. 14 i Actor. 6. 10

IV. Monet itaque Petrus, vt qui docendi, concionandique munere funguntur, ita ſe gerant, perinde quaſi diuina verba proferant. Qua de re non minus piè, quam doctè alicubi diſſerit Auguſtinus [k], *Agit itaque noſter iſte eloquens, cùm & iuſta, & ſancta, & bona dicit, neque enim alia debet dicere. agit ergo quantum poteſt, cum iſta dicit, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur, & hæc ſe poſſe, ſi potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet, vt orando pro ſe, ac pro illis, quos eſt allocuturus, ſit orator antequam doctor. Ipſa hora iam vt dicat, accedens priuſquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam ſitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat.* & multa deinceps eodem ſpectantia.

k lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 15.

V. Loquitur igitur Petrus de iis, qui docendi munere funguntur, ita explicante Oecumenio, *Vt ſi quis*, inquit, *ſermone donatus ſit; id enim ſignificat, cum ait tamquam eloquia Dei.* Olim autem vt colligitur ex Paulo [l], in cœtu fidelium non modo antiſtes, ſed etiam priuati de rebus diuinis verba facere conſueuerant, *Cum conuenitis*, ait Paulus, *vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.* Exiſtimo autem Petrum ea omnia gratuita munera his pauciſſimis verbis complecti, quæ oratione exercentur. De quibus plura Paulus loco indicato.

l 1. ad Cor. 14. 26.

VI. Abſolutè autem æque vniuerſim ait, *ſi quis loquitur*, ſublato videlicet Eccleſiaſticorum, & laicorum diſcrimine, modo ritè, ac rectè, & quod ad rem faciat, quis loquatur. Et æuo quidem Apoſtolico gratiæ gratis datæ beneficio, multi de fidei dogmatibus, déque morum præceptis, aptè, appoſitéque diſſerebãt, vt Spiritus ſanctus facultatem cuique tribuebat, exemplo ab Hebræis ducto, qui in templo & ſynagogis cuiuis docendi poteſtatem faciebant, modo periti, ac docti eſſent. Quamobrem in Actis Apoſtolicis [a] Synagogæ princeps Paulum & Barnabam ad dicendum prouocat. *Viri, ait, fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite.*

a cap. 13. 15

VII. An autem alicuius deſideraretur facultas, ſiue olim apud Hebræos, ſiue poſtea apud fideles, ambigi vtcumque poteſt. Ac de Iudæis quidem video placere viris doctis [b] abſque ſuperioris auctoritate non licuiſſe cuiquam in templo docere, eam verò poteſtatem à Pontifice concedi conſueuiſſe, atque idcirco exiſtimant [c] principes Sacerdotum, & ſeniores populi quæſiſſe [d] à Chriſto, in qua poteſtate hæc faceret, hoc eſt vt ipſi interpretantur, qua auctoritate in templo doceret: non negant tamen fas fuiſſe prophetis ſuo, vt ita dicam, iure populum erudire, & morum præceptis informare: idcircò enim Chriſtum quotidie in templo nemine contradicente docuiſſe, quod tamquam propheta vulgo haberetur.

b Abulenſ. Matth. 23. q. 14. c Matth. 21. q. 42. d Matth. 21. 23.

VIII. Verùm in Synagogis Principem Synagogæ, qui archiſynagogus appellabatur, cunctis præfuiſſe, atque in omnes exercuiſſe auctoritatem haud grauatè admiſerim: id enim ex Actis [e] Apoſtolicis non obſcurè deprehenditur. Paulus enim archiſynagogi auctoritate perorauit, & Stephanus [f] iuſſu Principis Sacerdotum luculentã habuit orationem, qua ſibi martyrij gloriam comparauit. De templo autem, hoc eſt porticu Salomonis, quò omnis Iudæorum multitudo promiſcuè conuenire conſueuerat, cogor vehementer dubitare: nam præterquam quod mihi Chriſtus Dominus nullius expectato aſſenſu, frequentiſſimè de fidei myſteriis verba fecit; Petrus cum greſſum claudo reſtituiſſet, in porticu Salomonis bene longam orationem habuit [g]; itémque Apoſtoli carcere diuinitus ſoluti in templo Chriſtianæ fidei dogmata explicant [h]. Nec facilè conceſſerim cum Iudæi Chriſtum interrogant, in qua poteſtate ea faciat, de docendi facultate eos loqui.

e cap. 13. 15. f Act. 7. 2. g Act. 3. 12. h Act. 5. 12. & 22.

IX. Nam vt eos omittam, qui apud Origenem [i] de mirifica patrandi miracula poteſtate Chriſtum interrogari autumant, quos ille merito deridet, Chryſoſtomus, & Theophylactus eam interrogationem potiſſimum ſpectare putant, vendentes, & ementes de templo eiectos: quaſi Chriſtus Dominus Sacerdotum, ac miniſtrorum templi ſibi arrogaſſet auctoritatem. itaque ille ait, *cauponum vitium in templo correctionem obiiciunt.* Hic verò, *quis*, inquit, *es tu, qui eucis negotiantes?*

i Tract. 17. in Matth.

X. Quod ſi placeat vniuerſim interrogationem accipere, vt ad omnia, quæ Chriſtus gerebat, referatur, non magnopere repugnarim. Nam Iudæi, vt Origenes, & Hieronymus affirmant, & doctrinam carpebant, quam apud Marcum [k] nouam appellabant, & miracula calumniabantur, vt non tam de docendi facultate, quam de ipſa doctrina percontentur. Et quidem cum numero multitudinis dicant, *in qua poteſtate hæc facis*, rectius ad illa omnia ſpectaſſe credendi ſunt Sacerdotum Principes, & ſeniores, quæ Chriſtus in die palmarum geſſerat, vt ſit ſenſus in qua poteſtate ex templo ementes, ac vendentes expuliſti, vrbemque, ac templum triumphantium more, tanto eum apparatu, & populi acclamatione ingreſſus eſt. Et Euthymius quidem à Chryſoſtomo, & Theophylacto nihil diſcrepat.

k cap. 1. 27.

XI. Certè Græca vox ἐξουσία ius dicendi, ſeu iuriſdictionem, ac Principis poteſtatem ſignificare videtur. quaſi dicant Sacerdotum Principes; ſatis pro imperio multa geſſiſti, & tamen nemo tibi hanc auctoritatem tribuit; cur ergo illam tibi temerè arrogas? De fidelium autem cœtu primis illis naſcentis Eccleſiæ veluti incunabulis, diuini numinis, ſanctique Spiritus

ductu,

ductu, impulsuque cuncta gerebantur, vt loco indicato ad Corinthios significat Paulus. Postmodum verò Ecclesiasticis sanctionibus merito laici de rebus diuinis verba facere prohibentur, idque Episcopis tamquam proprium ipsorum munus reseruatum est, aliis etiam Ecclesiasticis priuilegio Apostolico, aut laudabili consuetudine permissum.

XII. *Si quis ministrat, tamquam ex virtute.* hæc est altera cœlestis gratiæ functio, quæ latissimè patet. Quodlibet enim Ecclesiasticum ministerium, & Sacramentorum, sacrarúmque rerum administrationem complectitur, & sunt, qui mortalium, & caducorum bonorum vsum comprehendant: nec desunt, qui hæc etiam ad ciuiles, & politicos magistratus pertinere existiment, vt significet Petrus, eos, qui in Ecclesia, vel ciuili republica, magistratu, aut publico munere funguntur, ita sese gerere oportere, vt intelligant sibi diuinitus eam traditam esse potestatem, ne plus sibi arrogent, quam sibi à Deo permissum sit.

XIII. Certè Oecumenius amplissimè hanc administrationem interpretatur. *Si quis*, inquit, *affluet opibus, is inopi succurrat, neque id parcè, sed pro viribus, quas suppeditatio à Deo ipsi affert.* Et post pauca. *Neque id in opum possessione tantum intelligendum, sed in omnibus etiam reliquis naturæ dotibus, quas non habenti fratri communicare vnusquisque debet: propterea quod ipse etiam cum non haberet, à Deo iccirco accepit, vt indigentibus exhiberet.* Quod si quis hæc ad Ecclesiasticos præcipuè transferenda putet, næ ego illi libens assentiar: quæcumque enim illi siue mortalia bona, siue spiritalia munera adepti sunt, ea proximorum vsui, atque vtilitati iure debentur. Quod autem ait Petrus, *Tamquam ex virtute*, bifariam interpretor. primum quidem quod insinuauit Oecumenius, vt significet tantum proximis tribuendum esse, quantum quisque pro facultate diuinitus accepta potest.

XIV. Dixit enim Græcè ἐξ ἰσχύος quasi pro ea potestate, *quam administrat Deus*, hoc est quam Deus tribuit, vt quoniam Deus liberaliter cuncta suppeditat, non sint eius ministri parci, & tenaces. Rectè enim scribit auctor imperfecti [a]; *Vbi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax, si Deus benignus est, vtquid Sacerdos eius austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Deinde quasi Petrus insinuet, quicquid Ecclesiasticus minister agat, Deo tamquam primario auctori tribuendum esse, qui vim, robur, atque efficacitatem largitur; quod egregiè explicat Paulus [b]. *Quid igitur*, ait, *est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

a Hom. 43. in Matth.

b 1. ad Cor. 3. 4.

XV. Quamobrem de baptismo ait Augustinus [c], Quamuis multi ministri siue iusti, siue iniusti baptizent, baptismi sanctitatem non nisi illi tribuendam esse, *super quem descendit columba, de quo dictum est, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Petrus baptizet, hic est, qui baptizat; Paulus baptizet, hic est, qui baptizat; Iudas baptizet, hic est, qui baptizat: nam si pro diuersitate meritorum baptisma sanctum est, quia diuersa sunt merita, diuersa erunt baptismata, & tanto quisque aliquid melius putatur accipere, quanto à meliore videtur accepisse.* quod falsum esse multis deinde confirmat. Iam de sacrosanctæ Eucharistiæ mysteriis eodē planè modo loquitur Chrysostomus [d]. *Nos, ait, ministrorum tenemus locum, qui verò sanctificat & immutat ea Christus ipse est. ait enim cum discipulis meis facio pascha; hæc est illa mensa, & minus nihil habet. non enim illam quidem Christus, hanc autem homo perficit, verum & hanc ipse quoque.*

c Tract. 6. in Ioan.

d Hom. 60. ad popul. & 83. in Matth.

XVI. Idem possis de omnibus aliis Sacramentis affirmare: tametsi enim Sacerdos à peccatis absoluit, & tamquam Christi minister peccati maculas eluit, Deus tamen est primarius iustificationis auctor, qui tamquam sanctitatis, iustitiæque effector, & peccata expiat, & gratiam largitur. idque in cæteris suo modo sentiendum est. Qui verò pro sui muneris ratione, atque auctoritate nocentes punit, id non nisi accepta à Deo potestate ritè, ac iure facit. Sic enim loquitur Paulus [a], *Non est potestas, nisi à Deo.* Et cum ipse incestu contaminatum anathemate damnauit [b]. *Ego quidem, ait, absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu tradere huiusmodi Satanæ.* Suam enim potestatem Deo refert acceptam.

a ad Rom. 13. 1.

b 1. ad Cor. 5. 3.

XVII. Quo spectans Tertullianus [c]. *Ibidem*, inquit (de cœtu fidelium loquitur) *etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu.* Et Augustinus [d]. *Ita sanè, ait, vt nec emendationis vigilantia quiescat corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisque coercitionibus licitis atque concessis, quæ salua vnitatis pace in Ecclesia quotidie fiunt secundum præceptum Apostolicum [e], caritate seruata; si quis autem non obaudit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo, vt erubescat, & non vt inimicum existimetis, sed corripite vt fratrem.*

c In Apolo. cap.

d Post collat. ad Donatist. c. 4. post cad. cap. 20.

e 2. ad Thes. 3. 14.

XVIII. Neque verò id solum de Ecclesiastico iudicio, sed etiam de ciuili, & politico intelligendum est; Principes enim, & magistratus suam à Deo adepti sunt auctoritatem. Illos enim his planè verbis alloquitur Salomon [f], *Audite ergo Reges, & intelligite: discite iudices finium terræ; præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.*

f Sap. 6. 2.

XIX. Iosaphat autem Rex Iuda iudices, ac magistratus hac vere regia oratione mouet [g]. *Videte, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit.* Huc igitur est, quod ait Petrus; *si quis ministrat tamquam ex virtute*, vt nihil sibi Dei minister priuatim arroget, sed diuinam in se liberalitatem agnoscat.

g 2. Par. 19.

XX. Mox verò finem indicat, quo gratiæ gratis datæ, earumque functiones referantur, *Vt in omnibus*, inquit, *honorificetur Deus per Iesum Christum.* Græcè est δοξάζηται hoc est glorificetur. Atque ita Oecumenij interpres ait, *Hæc moneo, vt in omnibus vel gentibus vel operibus vestris Deus glorificetur.* Sic etiā Paulus [h], *Regi*, ait, *sæculorū immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum.* Et re vera, vt alibi dixi, gloriam potissimum à nobis exigit Deus. Nam apud Matthæum [i], *Sic luceat lux vestra*, ait Dominus, *coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et Paulus [k]; *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

h 1. ad Tim. 1. 17.

i cap. 5. 16.

k 1. ad Cor. 10. 31.

XXI. Quamobrem acutè apud Augustinum [l] dixit nonnemo. *Qui de bono suo gloriam sibi quærit, & non tibi, hic fur est, & latro, & similis est Diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.* Et Beda, *Honorificatur*, ait, *Deus in actibus nostris, cum omne quicquid bene, ac secundum voluntatem eius facimus, non hoc nostris meritis sed eius gratiæ tribuimus: contrà autem mala quæ gerimus nostra solum malitiæ, vel ignorantiæ deputamus.* Honestis enim, ac laudabilibus actionibus nostris Deo gloriam tribuimus, cum eum bonorum omnium auctorem, & agnoscimus, & prædicamus.

l In Soliloq. cap. 15.

Idem

XXII. Mirum etiam existimandum est, cum nostra flagitia confitemur, ita enim olim Iosue Achan allocutus est [a], Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, ac indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Quamobrem egregiè dixit Augustinus [b], Nunquid, & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Immò verò maximè pertinet ad laudem Dei. Quare maximè pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Quia tanto plus laudatur medicus, quanto plus desperabatur aegrotus. Confitere itaque peccata tua, quo magis desperabas de te propter iniquitates tuas. tanto enim maior laus est ignoscentis, quanto maior exaggeratio est peccata confitentis. Non ergo putemus nos recessisse à laude cantici, si iam hic confessionem intelligimus, qua confitemur peccata nostra, & hoc ad laudem cantici pertinere quia cum peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus.

a Iosue.c.19. b In ps. 94.

XXIII. Et quidem, nisi mea me fallit opinio, eadem prorsus ratio est, cur & bonis actionibus, & peccatorum confessione Dei gloria celebretur. Laudabiles enim actiones nostræ animi pulchritudinem indicant, cuius unicus est auctor, & effector Deus: peccatorum verò confessio amissam pulchritudinem restituit. quod egregiè alicubi explicat Augustinus [c]: cùm enim verba illa Dauidis explanaret, Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Pulchritudinem, inquit, amas? Vis esse pulcher, confitere. non dixit pulchritudo, & confessio, sed confessio, & pulchritudo. foedus eras, confitere, ut sis pulcher. peccator eras, confitere, ut sis iustus. foedare te potuisti, formosum te facere non potes. qualis autem est sponsus noster, qui foedam amauit, ut pulchram faceret? Quomodo ait aliquis, foedam amauit? Non venit, inquit, vocare iustos, sed peccatores. Quos vocas peccatores? Vt remaneant peccatores? Non inquit. Et quomodo non erunt peccatores? Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Confitentur enim peccata sua, vomunt mala, quæ auidè voraverunt, non redeunt ad vomitum suum, sicut canis immundus, & erit confessio, & pulchritudo. amamus pulchritudinem? prius eligamus confessionem, ut sequatur pulchritudo.

c In ps. 95.

XXIV. Rectè autem Petrus diuinorum munerum usum ad Dei gloriam referendum monet. Nam ut ait Bernardus [d], Felix est, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum. Et alibi [e], Ad locum, inquit, unde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant; remittantur ad suum principium cœleste profluuium, quo uberius terræ refundatur. Ad Dei igitur gloriam omnia nostra referenda sunt. Addit Petrus, Per Iesum Christum. Quippe ille bonis omnibus actionibus vim, atque efficacitatem impetrauit, cuius merito omnia nobis diuina munera tribuuntur, qui de se ipso dicebat [f], Ego autem non quæro gloriam meam. Et post nonnulla [g], Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.

d Serm. contra ingrati tudinem. e Serm. 13. in Cantica. f Ioan. 8. g ibid. 54.

XXV. Celebratur autem Dei gloria potissimùm per Christum, qui suo sanguine totius humani generis sordes abluit, & ut ait Apostolus, exhibuit sibi Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam. Cui, inquit, est gloria & imperium in sæcula sæculorum amen. Ipsi enim Christo, tanquam Deo honor, & gloria debetur in omnem æternitatem. atque idcirco meritò à Chrysostomo [h] improbitatis, atque impietatis Iudæi accusantur, qui lumen oculorum cæco donatum conarentur extinguere, eique suaderent, ut Deo gloriam daret, ut ab eius miraculi gloria Christū excluderēt, quo etiam modo loquitur Gregorius [i]. Quid est, inquit, dicere, da gloriam Deo, nisi non huic curationis tuæ laudes tribuere, quia Deus non est; & quia peccator asseritur, non solum Deus esse negatur, sed etiam homo iustus.

h In Io. c. 9. i Sup. Reg. cap. 1.

XVI. Ex hoc autē Petri loco, etiam si alia penè innumerabilia testimonia deessent, facilè colligi potest Chri-

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

A sti Domini diuinitas, cui gloria, & imperium in sæculorū sæcula tribuitur. Nam ut paulò antè Pauli testimonio docui, soli Deo debetur gloria, eidem quoque congruit æternitas, quæ sæculorū sæculis exprimitur. Addit Petrus vocem, amen. quam ex Hebræo fonte deductam Ecclesia latinitate donauit. & quidē ab initio nascentis Ecclesiæ, post recitatas preces populus respōdebat, Amen. Ita Iustinus [a], Post preces, & Eucharistiam totus cœtus acclamat amen. Et Tertull. [b] Abstinens, inquit, quas ad Dominum extulerat, posse modò laudada historię fatigaro, ex ore, quo. Amen in sanctū protulerat, gladiatori testimoniū reddere. August. [c] verò, Nunquid, ait, ubi audieritis Sacerdotē Dei ad eius altare populū hortantem ad orandum, non respondetis Amen. Denique Hieron [d]. Romanæ, ait, plebis laudatur fides. ubi alibi tanto studio, & frequentia ad Ecclesias, & ad martyrum sepulchra concurritur, ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur?

a In Apolog. ad Anton. b lib. de spectac. cap. 25. c epist. 106. d Præfat. in lib. 2. ep. ad Galat.

B

XXVII. Sic olim apud Hebræos [e] eodem modo populus respondere solebat. est autem, Amen, vox Hebræa de qua alicubi hunc in modum scribit Hieronymus [f], Amen verò ait, Aquila πεπιστωμένως exprimit, quod nos fideliter possumus dicere adiuerbium ex nomine fidei Amen, Septuaginta, γένοιτο idest fiat. unde & in fine librorum, in quinque siquidem volumina Psalterium apud Hebræos diuisum est fiat, fiat, transtulerunt quod in Hebraico legitur Amen. Amen quo scilicet esse verè dicta quæ sunt supra confirmatur. Vnde Paulus asserit non posse aliquem respondere amen, idest confirmare quæ dicta sunt, nisi intellexerit prædicationem. Alibi [g] verò: Saluator inquit, noster in Euangelio per verbum amen, vera esse, quæ loquitur. ostendit. quod autem amen, consensum significet audientis, & sit signaculum veritatis, ad Corinthios quoque prima nos docet: in qua Paulus ait: Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tua benedictione, quoniam quidem nescit, quid dicas? Ex quo ostendit non posse idiotam respondere verum esse, quod dicitur, nisi intellexerit, quod docetur. Dixerat autem paulo antè. Quomodo in veteri Testamento quadam iurandi consuetudine Deus sua verba confirmat. dicens, Viuo ego, dicit Dominus. Per sanctos quoque iuratur, viuit anima tua: ita & Saluator noster in Euangelio per verbum, amen, vera esse, quæ loquitur, ostendit.

e Deut. 27. f ep. 137. ad Marcel. g ad Gala. 6.

C

XXVIII. Nec dubium est hanc vocem, idem plerumque valere, quod vere. Nam cum Marcus [h] dicat, Amen dico vobis; quoniam vidua hac pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Lucas [i] eandem narrās historiam ait, Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit. Itaque, amen, assentientis est; ita sæpe in Euangelio legimus. Amen, amen, dico vobis. Aliàs confirmat, quod dictum est ab altero. atque ita Augustinus [k]. Fratres, inquit, mei amen vestrum, subscriptio vestra est, consensio vestra est. astipulatio vestra est. Et Ambrosius [l], Et tu, inquit, dicis. Amen, hoc est verum esse. quod os loquitur, mens interna fateatur, quod sermo sonat, affectus sentiat.

h cap. 12. 43. i cap. 21. 3. k In fragm. Serm. contra Pelagian. l lib. 4. de sa. c. 5.

D

XXIX. Loquitur enim de prisca illa cōsuetudine, qua post verba consecrationis, quæ clara voce proferebantur, populus respōdebat, Amen. Plerumque certè optantis affectum significat, quomodo post preces adhiberi solet, quasi optemus, fusas preces suum sortiri effectum, vel quæ precibus postulauimus nos verè. atque ex animo flagrasse. Cum itaque hoc loco Petrus gloriam, atque imperium in sæcula sæculorum Deo, & Christo deberi affirmasset, meritò subiecit, Amen, quasi dicat ita planè sit, vel sic prorsus fieri opto, bonique omnes optare debent.

E

12. Carissimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat.]

 Re-

I. Redit nunc Apostolus ad suam adhortationem, quam superiori capite breuiter attigerat, cupiebat enim fideles in percepta fide adeo esse constantes, vt nullo aduersariorum impetu, nullàve rerum perturbatione ab ea diuelli vlla ratione possent. Itaque eos monet, ne perterreantur, si fortè contra se infideles sæuiant. vtitur autem pereleganti metaphora. *Nolite*, ait, *peregrinari*; Græcè, ξενίζεσθε quo verbo paulò ante vsus est: significat autem nolite percelli, nolite commoueri, nolite obstupescere, aut mirari. Sic Syriacus, *ne miremini*. Tertullianus [a], *ne expauescatis*. Cyprianus [b], *nolite mirari*. Fulgentius [c], *nolite expauescere*. Saluianus [d], *nemo*, inquit, *moueatur*. De re autem noua, inexpectata, atque insolita, dici solet: quocirca rectè ait Oecumenius, *ne rem peregrinam, & alienam ab amicis Dei existimetis*. Hunc autem locum eleganter expressit Tertullianus [e]. *Dilecti*, inquit, *ne expauescatis vstionem, quæ agitur in vobis in tentationem, quasi nouum accidat vobis. Etenim secundum quod communicatis passionibus Christi gaudete, vti & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes, si dedecoramini in nomine Christi, beati estis. quoniam gloria, & Dei spiritus requiescit in vobis, dum ne quis vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alieni speculator, si autem vt Christianus ne erubescat, glorificet autem Dominum in nomine isto.*

a In Scorp. cap. 12.
b ep. 56.
c lib. 3. ad Trasimun.
d lib. 1. de prouiden.
e In Scorp. cap. 12.

II. Nec multo aliter Cyprianus [f]. *Carissimi*, ait, *nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit, ne excidatis tamquam nouum vobis contingat, sed quotiescumque communicatis Christi passionibus per omnia gaudete, vt & in reuelatione facta claritatis eius gaudentes exultetis; si improperatur vobis in nomine Christi beati estis, quia maiestatis, & virtutis Domini nomen in vobis requiescit.* Non est autem mirandum, quia, vt suprà docuit Petrus [g], hæc est Christianæ vocationis ratio: dixerat enim *in hoc vocati estis*, scilicet ad toleranda aduersa; & Paulus [h], *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur.*

f epist. 56. & de exhortat. mart. cap. 9.
g cap. 2.
h 2. ad Tim. 3. 12.

III. Ac propterea verè scripsit Hieronymus [i]. *Erras, frater, erras, si putas vnquam Christianum persecutionem non pati.* Leo [k] verò Pontifex, *Nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis.* Egregiè verò Chrysostomus [l]. *Nemo certans requiem quærit. nefas est pugilem Dei vacare delicijs. non licet epulari luctantem. Luctamen quidem sunt præsentia omnia, certamen, bellum, stadium, aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est, atque sudoribus: nullus vbi ad certamen se exuit, vnctusque est, requiem quærit.* Denique Bernardus [m]. *Videbatur*, ait, *iam cessasse persecutionis tempus, sed vt palam factum est, nunquam deest persecutio Christiano.*

i epist. 1.
k Serm. 9. de quadrag.
l Hom. 8. in 2. ad Tim.
m Serm. 1. de conuers. S. Pauli.

IV. Vndique imminent nobis certamina, quinetiam intra nos ipsos intestino bello oppugnamur. Ita Chrysostomus [n]. *Vides*, inquit, *nunc maiorem esse persecutionem inuadentibus nos vndique afflictionibus, tamquam bestiis? Nunc est grauis persecutio vel ob hoc, quod non putatur esse persecutio. etenim etiam hanc difficultatem habet bellum, quod pax putatur, vt ne contra illud arma sumamus, vel insurgamus, nullus formidat.* Et in eandem sententiam Hieronymus [o], *Tunc*, ait, *maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis.* enumerat autem vitiorum oppugnationem. *Inde*, inquit, *me persequitur luxuria, inde auaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo, compellit libido, vt habitantem in me Spiritum sanctum fugem, vt templum eius violem.*

n Hom. 24. in Act. Apo.
o epist. 1.

V. Id olim in Ismaële, qui vt ait Paulus [p] Isaacum persequebatur, fuisse significatum longa oratione docet Origenes [q]. *Si caro*, inquit, *cuius personam gerit Ismael, qui secundum carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, & delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, huiusmodi ludus carnis cum spiritu Saram maximè, quæ est virtus, offendit. & huiuscemodi blandimenta acerbissimam persecutionem iudicat Paulus. Et tu ergo, ô auditor, non illam solam persecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris. Sed si fortè te voluntas carnis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra, hæc, si virtutis es filius, tamquam persecutionem maximam fuge. sed si iniustitia blandiatur, & gratia eius flexus non rectum iudicium feras, intelligere debes, quia sub specie ludi blandam persecutionem ab iniustitia pateris. verum & per singulas malitiæ species, etiam, si molles, & delicatæ sint, & ludo similes, has persecutionem spiritus dicito.*

p ad Galat. 4. 19.
q Hom. 7. in Genes.

VI. Neque aliter sensit Augustinus [a]. *Quam lusionem*, inquit, *dicit scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus. plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt.* Et post multa. *Illa lusio illusio erat, illa lusio deceptionem significabat: nam magnum Sacramentum attendat caritas vestra. Persecutionem illam vocat Apostolus ipsam lusionem, ipsum lusum persecutionem vocat.* & multa deinceps. Eodem spectant quæ scribit Gregorius [b]. Malorum enim societatem persecutionem ait esse. *Ego*, inquit, *Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit: boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur: ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. tres in arca filij Noë fuerunt, vnus irrisor patris extitit, qui etsi in se benedictus fuit, maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham prius quam vxorem Ceturam filios habuit, sed tamen carnalis eius filius est repromissionis filium persecutus. quod magnus doctor exponit dicens, sicut autem is, qui secundum carnem est, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc.*

a Tract. 11. in
b lib. 9. reg. epist. 39.

VII. Bernardus [c] vero grauissimis verbis deplorat Ecclesiæ conditionem in qua reperiuntur, qui non modo Christianos, sed ipsum etiam Christum persequuntur. Alibi verò [d] explicans Dauidis verba, *Non timebis à timore nocturno, a sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano*; quatuor recenset persecutionum genera, quibus tum priuatim singuli, tum vniuersa Ecclesia maximè oppugnatur.

c Serm. 1. de conuers. Pauli.
d Serm. 6. in ps. Qui habitat.

VIII. His addendi sunt Dæmones, qui continenter tum astu, tum etiam vi aggrediuntur. Itaque Hieronymus [e] ait, *persequitur me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes.* Et Chrysostomus [f], *Qui piè viuunt, semper*, ait, *persecutionem patiuntur, etsi non ab hominibus, tamen à Dæmonibus, quæ quidem grauior est persecutio.* Aggrediuntur autem dæmones præcipuè fideles, vt enim ait Hilarius [g], *In sanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta grassantur.* Vt enim idem Hilarius ait, *Victoria ei est magis exoptata de sanctis.* Et Euthymius [h]. *Vbi*, inquit, *diuitias videt, ibi aciem ex aduerso instruit*: quam ob caussam merito Chrysostomus [i] dæmones ait similes esse piratis. *Quemadmodum*, inquit, *piratæ, quando vident nauem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem diuitias, tum potissimum variis moliuntur insidiis, vt possint mercibus omnibus nauigantem illos spoliare; ita sane diabolus cum videt spirituales diuitias coacervatas, alacritatem feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri, cruciatur, & dentibus frendet, & quasi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, vt si qua vel paruum inueniat aditum, quicquid in nobis est spiritualium diuitiarum depr[a]edet.*

e ep. 1.
f Hom. 40. ad popul.
g Matth. 4.
h Matth. 4.
i Hom. 31. in Genes.

IX. Et in eandem sententiā Leo [k] Pontifex. *Intelligamus*, ait, *quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab aduersariis impetēdos.* Sic etiam

k Serm. 1. de quadrag.

loquitur

a lib. 3. de sum. bono c. 5.

loquitur Isidorus [a]. *Quia Diabolus in sanctis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat, & qui interius amisit dominium, exterius commouet bellum.*

X. Tantum abest igitur vt fideles tamquam rem nouam, & inauditam Dæmonis oppugnationes admirari debeant, vt potius pro certo habere possint sibi cum dæmone perpetuo luctandum esse. Verè namque scripsit Origenes [b] Baptismum quo expiamur quandam esse prouocationem, qua dæmonem ad pugnam excitamus. *Venisti, loquit, ad aquam baptismi, istud est ceremoniis, & pugna spiritualis initium. hinc tibi aduersus Zabulum nascitur pugna principium.* Quod etiam luculenter explicat Gregorius [c]: *Omnes, ait, qui ea, quæ mundi sunt, mente calcant, & quæ Dei sunt, plena intentione desiderant, Leuiatam contra se suscitant, quia eius malitiam instigatione suæ conuersationis inflammant. Dolet contra se captum renisi, & mox zelo accenditur, mox ad certamen mouetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat.* Et alibi [d]. *Illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis iungi iam cœlestibus contemplatur.* Itemque, *toto nunc annisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit. Iordanem sitit, & toties in os illius Iordanis fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit.*

b Hom. 9. in lib. Iudic.

c lib. cap. ... verba. Qui parati sunt suscitare Leuiatam.

d Iob 40 ad illa verba Absorbebit fluuium, & nō mirabitur.

XI. Et ne cuncta percurram, agmen claudat Hieronymus, ita enim alicubi [e] scribit. *Non quærit Diabolus homines infideles. de Ecclesia Christi rapere festinat. esca eius, secundum Abacuch [f], electa sunt. Iob subuertere cupit. & deuorato Iuda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.* Iam verò quod hoc loco monet Petrus, apertius hac ipsa Epistula sub finem [g] confirmat. *Sobrij, ait, estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.*

e Epist. ad Eustoch. de custod. virgini.

f cap. 1.

g cap. 5. 8.

XII. Tentationem porrò fermonem Græcè πύρωσιν vocat, hoc est vstionem, atque ardorem, innuens ingruentia mala, & res aduersas duplici ex caussa cum igne conferri: primum quidem quia non aliter atque ignis purgat, & explorat. Ita Dauid [h], *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Et alibi [i]. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Rursus [k]. *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.* atque hanc potissimum caussam spectasse videtur in præsentia Petrus, dum ait, *Qui ad tentationem vobis fit*, quasi dicat, vt vos Deus tentet, atque exploret. Ita enim de sanctis loquitur Salomon [l]. *Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. tamquam aurum in fornace probauit illos.* Deinde cum igne meritò confertur tentatio, & persecutio, quia quemadmodum ignis vrit, & cruciat, non aliter illa molestiam, & dolorem affert. Quomodo dixerat hac Epistola Petrus [m], *Modicum nunc si oportet contristari.*

h ... 16. 3.

i ps. 25. 2.

k ps. 65. 10.

l Sap. 3. 5.

m cap. 1. 6.

XIII. *Quasi noui aliquid vobis contingat.* Hæc est ratio, cur mirandum, aut obstupescendum non sit propter res aduersas neque enim res noua, aut inaudita est, si iusti malis premantur: nam quotquot olim iusti fuerunt, multa coacti sunt perferre incōmoda, vt Abraham, Loth, Isaac, Iacob, Ioseph cæterique omnes, de quibus ad Hebræos [n] Paulus, *Ludibria, inquit, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.*

n cap. 11. 36.

XIV. Accedit, quod ne rei nouitate quisquam perturbari posset, Christus Dominus futura mala prædixit [o]; *Cauete autem, ait, ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos.* Et paulò pòst [p]. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis*

o Matt. 10. 17.

p vers. 21.

A *odio omnibus hominibus propter nomē meum.* Denique [a], *Cum autem persequētur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Et alibi [b]. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorē vobis odio habuit. si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et post nonnulla [c]. *Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria.* Et mox. *In mundo pressuram habebitis.* Adde illa [d]. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini: absque synagogis facient vos.* & quæ deinceps sequuntur.

a vers. 23.

b Ioan. 15. 19

c cap. 16. 32

d cap. 16. 1.

XV. His enim, atque aliis similibus fidelium animos præparauit Christus ad omnia fortiter perferēda, quę toleranda essent aduersa, & ob eam caussam meritò ait Petrus nihil esse mirandum si dura, & aspera multa perferenda sint in vita. vt enim ait Oecumenius,
B *videbat fore, vt aliqui ob illatas sibi afflictationes scandalo afficerētur, quasi Domino seruientibus perturbatione omni, ac molestia carens vita promittatur:* cum longe aliud futurum Christus Dominus multo antea denuntiauerit [e]. *Mundus, inquit, gaudebit, vos verò contristabimini.* Quamobrem Iacobus [f], *Beatus, inquit, vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et hic ipse Petrus sub huius epistolæ initium [g] dixerat, *Vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi.*

e Ioan. 16. 20

f cap. 1. 12.

g cap. 1. 7.

XVI. Hic autem rursus meminit probationis: huc enim, vt dixi, refertur vox πυρώσεως vt interpretatur Oecumenius. *Sic, inquit, afflictationes appellat ob probationem,*
C *& explorationem exhiberi ipsas indicat. probatio verò pretiosam, & studio dignam rem, quæ exploratur, vt aurum, & argentum reddit.* Huc etiam refertur quod ait, *quia ad tentationem vobis fit.* Græcè πειρασμὸν quasi dicat experimentum. Non est igitur, ait, nouum hoc experimentum, quod de vobis, deque vestra virtute sumit Deus. Non quod ille cuiusquam rei ignoratione laboret, sed vt suorum virtutem, ac probitatem omnibus testatam faciat. Sic olim, vt paulò antè dixi, viros iustos tentasse, atque explorasse dicitur; atque idcirco hoc maximè nomine non æquo tantum, sed etiam hilari animo quæcumque acerba, atque aspera accidere possunt in vita, deuoranda sunt. Nam vt scriptum est in Deuteronomio [h], fideles suos tentat Dominus, vt palam fiat, vtrum diligant eum; an non in
D toto corde, & in tota anima sua.

h cap. 13. 3.

13. *Sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.*]

I. Potissimam affert rationem, cur omnia huius vitæ incommoda hilariter subeunda sint, quia videlicet hac ratione Christum imitamur, & ipsius perpessionum quodam modo participes euadimus. *His,* inquit Oecumenius, *quod beatissimū omnium est, subiungit, quod illi, qui ita patiuntur, similes Christi euadant, dum cum ipso nunc contemnuntur. atque ita totum ornamentum ipsis absoluit, ac perficit.* Ita enim pollicetur Christus [i], *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* mox verò subiicit præmium. *Et ego, ait, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bi-*
E *batis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël.* Et alibi [k]. *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Et Paulus [l], *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.* Alibi verò [m]. *Si enim complātati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Denique [n]. *Nam si cōmortui sumus, &*

i Luc. 22. 29

k Ioan. 17. 24

l 2. ad Cor. 4. 10.

m ad Rom. 6. 5.

n 2. ad Tim. 2. 11.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

communicemus, si sustinebimus, & conregnabimus.

II. Præclarum igitur est, atque inprimis optandum, Christi patientiam imitari, proque eius nomine acerbissima quæque tolerare. Quamobrem sapiẽter Augustinus. *Nolo*, inquit, *sine vulnere esse quia te video vulneratum.* Honestum siquidem, & gloriosum sibi milites ducunt, si eandem cum Imperatore subeant fortunam. Itaque Vrias [a], *Arca*, inquit, *Dei Israël, & Iuda habitat in papilionibus, & dominus meus Ioab. & serui domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam. & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Alienum quippe à virtute bellica existimauit, dum Imperator in acie versatur, voluptati operam dare.

a 2.Reg. 11. 11.

III. Eandem rationem secutus videtur Christus, cum apud Matthæum [b] dixit, *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo, sicut dominus eius.* Et apud Ioannem [c]. *Amen amen dico vobis non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum.* Quod cum Apostoli probè cognoscerent, cum probris, & contumeliis afficerentur [d], *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* nempe pro magno beneficio, eximioque munere ducebant probra, & contumelias pro Christi nomine toleratas, siue quia ducem, atque imperatorem Christum imitabantur, siue quia amplissima patientiæ præmia proposita esse non ignorabant. Ait enim Paulus [e], *Si compatimur, vt & conglorificemur.* Et alibi [f]. *Scientes quod sicut socij passionum estis sic eritis & consolationis.*

b cap. 10. 24
c cap. 13. 16.
d Act. 5. 41.
e ad Rom. 8 17.
f 2. ad Cor. 1. 7.

IV. Quamobrem rectè ait Petrus, *Gaudete*, nam ob eam ipsam caussam dixit Iacobus [g]. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Quamquam autem in ipsis etiam rebus aduersis propter Christi imitationem gaudendũ est, ac propterea Paulus superabundare se gaudio scribit [h] *in omni tribulatione*, præcipuam tamen lætitiæ materiam futuri præmij certa spes, atque expectatio suppeditat. Quam ob caussam ait Petrus, *vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Gaudendum enim ait dum aduersa tolerantur, vt ei gaudio maius gaudium succedat, maiorque ac solidior exultatio, de qua Christus ait [i], *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et aliquanto post [k]. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Plenum enim gaudium interpretantur Augustinus [l], Beda [l], & alij [m] cœleste gaudium. *Perfectum enim, & plenum gaudium erit, cui nihil deerit*, de quo Dauid [n], *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.*

g cap. 1. 2.
h 2. ad Cor. 7. 4.
i Ioan. 16. 22
k vers. 24.
l In illũ locum.
m Rupert.
n ps. 16. 15.

V. Accedit quod verè plenum, ac perfectum dicitur, tum quia nullam habebit admixtam tristitiam, aut tristitiæ caussam; tum quia sempiternum erit, neque vllo fine claudetur, cum huius mundi gaudia semper aliquid acerbitatis admixtum habeant, & plerumque in luctum conuertantur. Verè namque scripsit Salomon [o], *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Et Iob [p] de se ipso affirmat. *Versa est in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium.* Et Amos [q] luctuosam calamitatem atque acerbam seruitutem minatur iis, qui canunt *ad vocem Psalterij, sicut Dauid, putauerunt se habere vasa cantici, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph, quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium.*

o Prou. 14. 13.
p cap 30. 31.
q cap. 6. 5.

VI. At verò à beatorũ cœlesti gaudio aberit omnis dolor, omnisque tristitiæ materia, quippe Deus *absterget omnem lacrymã ab oculis eorum, neque luctus erit amplius, aut vllus dolor.* Id autem perfectè atque absolutè erit *in reuelatione gloriæ eius*, hoc est post Christi secũdum aduentum, cum ingenti gloria, ac maiestate circunfusus, & Angelorum, sanctorũmque agminibus stipatus sese cunctis mortalibus spectandũ præbebit, vt mundo finem imponat, & tamquam iudex extremã sententiam ferat. tametsi enim dubitandum non est iustorum animas ritè expiatas, ad beatorũ sedes euolare, & diuino conspectu iucundissimè perfrui, nũdum tamen perfectam, atque omnibus numeris absolutam beatitudinem adeptæ sunt: sed expectant, atque appetunt corporum resurrectionem, & vnà cum iis perfectè beentur, ac propterea in Apocalypsi [a] testatur Ioannes vidisse se *subtus altare animas interfectorũ propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes, Vsquequo Domine sanctus, & verus, & non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum.*

a cap. 6. 9.

VII. Singulæ porrò stolæ animæ beatitudinem significant, quam ipsi assecuti iam sunt; expectare porrò iubentur alteram stolam, hoc est corporis gloriam, quam non nisi post communem omnium anastasim adipiscentur. Ita enim ait Gregorius [b], *Quid namque est singulas illis stolas albas tribuere, nisi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid vero est, Donec electorum numerus impleatur, requiescere, nisi futuræ resurrectionis gloriam expectare? In qua nimirum iterum singulas stolas albas accipient, quia immortalia & incorruptibilia corporum suorum vestimenta sument.*

b In exposit. Ps. 4. pœnit. ad illa verba Auditui meo dabis gaudium.

VIII. Eodemque modo & sentit, & loquitur Augustinus [c], seu quicumque est eius sermonis auctor, *Per stolas albas*, ait, *debemus intelligere mercedem baptismi præmium martyrij mercedem æternorum, & gaudium cœlestis patriæ. Habent ergo ante resurrectionem sancti singulas stolas, quia in sola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruuntur: postea autem accepturi sunt binas, quando receptis corporibus immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore. De hoc Isaias [d], In terra sua duplicia possidebunt.* Tunc igitur vt ait Petrus gaudebunt Sancti *exultantes.*

c Ser. 11. de Sanct.
d cap 61.

IX. Nec abhorret ab hac sententia Bernardus, siquidem ad eundem illum Apocalypsis locum respiciens ait [e]; *Acceperunt iam singulas stolas sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. stola enim prima ipsa est fœlicitas, & requies animarum: secunda verò immortalitas, & gloria corporum. Tunc autem plenum perfectúmque gaudium assequemur.* Nam nunc quidem vt ibidem ait Bernardus, *animæ sanctæ, quas propria Dei insigniuit imagine te (caro) desiderant; ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, vt nec dum tota earum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui.* Vbi igitur Christi gloria reuelabitur, omni ex parte beatorum gaudium perficietur.

e Serm 3. de festo omn. Sanct.

X. Tametsi autem perfectum gaudium in communi omnium resurrectione iusti adipiscentur, interea tamen non exiguam habent lætitiæ materiam. Quod significauit hoc loco Petrus dum ait, *Communicantes Christi passionibus gaudete*, quod profectò gaudium in hac mortali vita haberi potest; nam de alterius vitæ gaudio subdit, *vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Et quidem meritò iusti ob integram, puramque conscientiam gaudio perfunduntur. Ait enim Salomon [f]; *Cor gaudens exhilarat faciem.* Et Paulus [g], *Gloria*, inquit, *nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Et Ioannes [h], *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Deinde virtutis exercitatio gaudendi materiam præbet.

f Prou. 15. 13
g 2. ad Cor. 1. 12.
h ep. 1. c. 3. 21

XI. Quocirca ait Salomon [i], *Gaudium iusto est facere iustitiam.*

i Prou. 21. 15

instituam. Siquidem qui iustus est, magna cum hilaritate iustitiam exercet, & ex ipsa iusta actione incredibilis in animam eius lætitia redundat. Ob eam

a cap.61.v.10. caussam dixit Isaias [a], *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Neque verò, vt paulò antè dixi, ipsa rerum aduersarum pro Christo tolerantia exiguam affert gaudij materiam, si præsertim accedat præsentis Dei auxilij confidentia, quam aliquo modo ex-

b cap.3.18. pressit his verbis Abacuch [b]; *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*; hoc est in Deo, qui me saluum, & incolumem seruat.

XII. Futuræ autem mercedis, ac beatæ vitæ expectatio gaudium auget, & mirum in modum exaggerat. Nec enim mentiri potest Christus, qui apud Matthæum

c Matt.5.12. dixit [c], *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis*; sed hoc qualecumque gaudium infinito propemodum interuallo ab eo distat, quod electi percepturi sunt, cum ad beatam vitam euehentur: tunc enim verè gaudebunt, & exultabunt.

XIII. Tunc re ipsa vera esse competient, quæ apud

d cap.65.13. Isaiam [d] dicit Dominus. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis; ecce serui mei bibent, & vos sitietis; ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini; ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore*

e cap.66.12. *cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Et rursus [e]. *Ecce declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis. Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt.*

XIV. Tunc verè vt ait Petrus, *gaudebunt exultantes.* Græcè ἀγαλλιώμενοι, quod significat quasi exilientes, vt enim ait Nonnius, *exultare est supra modum exilire, & efferri,* & quodam modo nimium gaudere. Sic enim

f Carol. ad Ludo. epig. 48. dixit quidam [f], *Otio exultas, nimiumque gaudes.* Erit autem gaudium illud beatorum non quidem in se ipso nimium, sed supra certè humanarum actionum meritum, hoc est, vt Theologi loquuntur, vltra con-

g Ps.138.17. dignum. Quocirca Dauid [g], *Mihi autem*, inquit, *nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Neque enim potest quisquam sempiternæ fœlicitatis magnitudinem assequi, vt meritò

h cap.64.4. dixerit Isaias [h], *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt; oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus super vos requiescit.*]

I. Commoratur Apostolus in eodem argumento, vt persuadeat Christianis non modo rerum aduersarum tolerantiam, sed in iis perferendis constantiam, atque animi hilaritatem. *Si exprobramini*, inquit, *in nomine Christi beati eritis.* Nam Christus his probris, & contumeliis pro suo nomine toleratis, hoc est, vt interpretatur Oecumenius, hoc ipso quod aliqui Christiani sunt beatam vitam pollicetur.

II. Quapropter Hieronymus [i], *Illud*, inquit, *male-*

i Matth.5. *dictum contemnendum est, quod falso maledicentis ore profertur: vnde & Dominus definit, quæ sit beata maledictio dicens, omne maledictum aduersum vos mentientes propter me.* Neque verò eiusmodi maledictum solummodo contemnendum, sed etiam hilari & exultanti animo excipiendum est, quod suo exemplo docuit Paulus,

k ad Rom.5.3. qui de se ipso dicit [k], *Gloriamur in tribulationibus.* Et

l Matth.5. re vera vt ait Chromatius [l], *gloriosa est persecutionum tolerantia, cuius mercedem Dominus repositam esse dicit in cælis.* Auctor verò imperfecti [a]. *Qui verò*, ait, *concupiscit quæ in cælo sunt, opprobria non timet in terris, nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum, sed quid iudicet Deus de ipso.*

Bened. Institutan in Epist. Canon.

a in eundem Matth. locũ.

III. De persimili autem calumnia dixit Christus apud

b cap.10.25 Matthæum [b], *Si patremfamilias Belzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* quo loco Hilarius, *Multum*, inquit, *proficit ad tolerantiæ assumptionem rerum imminentium cognitio, maximè si patientiæ voluntas præsumatur exemplo.* Adde quod hoc ipsum non posse nomine despici, aut probris, & contumeliis proscindi, si probe inspiciatur, non potest censeri malum, cum sit potius Christianæ virtutis, præcipueque patientiæ exer-

c in Psal.54. in princip. citatio, idque asserit apertissimè Augustinus [c] his om-

B nino verbis, *Homines malos, quos patitur commemoratus est, eandemque passionem malorum hominum exercitationem suam dixit;* Mox colligit; *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum; Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.*

IV. Non vno autem modo improbi iustos, ac pios exercent: nam vt idem Augustinus ait [d]. *Sicut duo par-*

d Serm. 78. de temp. *uuli in vtero Rebecca collidebantur, sic in vtero Ecclesiæ duo sibi populi inuicem aduersantur. In ventre spiritualis Rebeccæ, id est Ecclesiæ duo populi colliduntur humiles scilicet, & superbi, casti & adulteri.* Nam vt nihil aliud agat impij ipsa eorum vita iustos, ac pios cruciat: ita enim

e epist. 45. loquitur Augustinus [e]. *Quod sic persequitur vitam bonorum vita iniquorum non cum cogit imitari quod displi-*

C *cet, sed cum cogit dolere quod videt: quoniam coram pio viuens impiè, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. Nam sæpe, & diu impiorum corporibus à sæcularibus potestatibus, & quorumlibet vexationibus parcitur, piorum autem cordibus à malis hominum moribus nunquam par-*

f in Psal.60. *citur vsque ad sæculi finẽ.* Alibi [f] verò cum de Loth patientia agit, Loth, inquit, *non patiebatur ab aliquo corporalem persecutionem, persecutio eius facta mala Sodomitarum erant.*

V. Neque auctore Gregorio, aliò referenda sunt ver-

g cap.30.29. ba Iob [g], *Frater fui draconum, & socius struthionũ. Quid,*

h lib.20.mor. c.19. inquit [h], *draconum nomine, nisi malitiosorũ hominum vita*

i Ierem.14 *signatur? De quibus & per Prophetam [i] dicitur, traxerunt ventum, quasi dracones: peruersi etenim quique ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflan-*

D *tur. Qui autem struthionum appellatione intelligi, nisi simulatores solent. struthio enim pennas habet, & volatum non habet, quia simulatores quique speciem sanctitatis habent, sed virtutem sanctitatis non habent: visio quippe est bona actionis decorat, sed à terra minimè pennis virtutis leuat. Electus itaque sancta Ecclesiæ populus, quia pacis suæ tempore intra se quosdam malitiosos, ac simulatores patitur, dicat; frater fui draconum, & socius struthionum.* Confestim autem addit, *Nullus quippe perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est, qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat.* Tum longa oratione ostendit omnes ferme iustos malis fuisse permixtos, quorum moribus, & vita non leuiter fuerint cruciati.

VI. E Accedit malorum insectatio, atque aperta vexatio, de qua propriè hoc loco loquitur Petrus. Ea verò si pro Christo æquo, ac libenti animo toleretur, gloriam parit immortalitatis, quod eo minus arduum, ac difficile videri debet, quod plurimi à fide Christi, & religione alieni acerbissima supplicia fortiter pertulerint, non alio proposito præmio, nisi humanæ laudis, & gloriæ. Itaque de Mutio Scæuola hunc in

k ep.66. sub finem. modum loquitur Seneca [k]. *Ego dubitem quin magis laudem truncam illam, & retorridam manũ Mutij, quàm cuiuslibet fortissimi saluam? Stetit hostium, flammarumque*

contempor, & manum suam in hostili foculo distillantem perspectaun, donec Porsenna, cuius pœna fauebat, gloria inuidit, & ignem inuito eripi iussit. Hoc bonū quidni inter primum numerē, tantoq; maius putem, quā illa secura, & inuētum fortuna. Quanto rarius est hostē amissa manu vicisse, quam armata. Et post pauca; *quidni ego fœliciorē putē Mutium, qui sic tractauit ignē, quasi illam manū tractatori præstitisset? In integrū restituit, quidquid errauerat. Confecit bellum inermis, ac mancus, & illa manu trunca Reges duos vicit.*

VII. Et quod magis mirandum est hæretici Donatistæ, vt scribit Augustinus [a], *se trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes.* Et subdit. *Iam verò per abrupta præcipitia, per aquas, & flammas occidere se ipsos quotidianus illis ludus est. hæc enim eos tria mortis genera diabolus docuit, vt mori volentes, quando non inueniebant, quem terrerent, vt eius gladio ferirentur, per saxa se mitterent, aut ignibus, gurgitibusque donarent.*

[a] epist. 50. ad Bonif.

VIII. In eandem verò sententiam multa ethnicorum exempla profert Tertullianus [b], qui animo prorsus inuicto acerbissima quæque pertulerunt. Inter cætera autem Atheniensis meretricis exemplum affert, *quæ conscia coniurationis, cum propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam suam comestam in faciem tyranni expuit, vt nihil agere se scirent tormenta, & si vltra perseuerarēt.* Addit & Lacedęmonū exēplum: *nam quæ hodie*, inquit, *apud Lacedæmonas solēnitas maxima est διαμαστίγωσις, id est flagellatio, nō latet, in qua sacro ante arā nobiles quiq; adolescētes flagellis affliguntur, astantibus parentibus, & propinquis, &, vti perseuerent, adhortantibus. Ornamentum enim, & gloria deputabitur maiore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus. Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis, & gladij vigore, vt gladium, ignem, cruces, bestias, tormenta contemnant, sub præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis, & diuinæ mercedis.* Tum subdit; *tanti vitreum? quanti verò margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso.*

[b] li. ad Mart. c. 4.

IX. Cæterum nō tam in præsentia Petrus de tyrannorum suppliciis, quam de improborū cōuiciis, ac probris loquitur. solent enim præsertim ethnici conuicia, & probra iactare in iustos; ita olim dixit Dauid [c], *Omnes vidētes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerūt caput.* Et aliquāto post [d], *Circundederūt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.* Et alibi [e], *Super omnes inimicos meos factus sum opprobriū vicinis meis valde, & timor notis meis.* Et alio item loco [f]: *Tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.* Paulò pòst [g], *Dilatauerunt super me os suum.* Denique [h]; *Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis.*

[c] Psal. 21. 8.
[d] Psal. 21. 13.
[e] Psal. 30. 12.
[f] Psal. 34. 16.
[g] vers. 21.
[h] Psal. 108. 3.

X. Non modo autē futuram beatam vitam in cœlo pollicetur cum ait, *Beati eritis*, sed in hac etiam mortalitate illius sempiternæ fœlicitatis amplissimū indicat pignus, cum subiicit, *Quoniam quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescit:* hæc enim omnia ad præsentē vitam spectant; sed Græci codices paulo aliter habent, ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, quasi dicat Spiritus gloriæ, & Spiritus Dei in vobis requiescit, vt sit sensus, Spiritus Dei, qui est Spiritus gloriæ, vel Spiritus gloriæ, & Dei requiescet super vos. Quocirca quod ait Latinus interpres, *honoris, & virtutis Dei*, nihil habet in Græcis quod sibi respondeat: verisimile tamen est aliter illum legisse, ac proinde olim Græcos codices variasse. Nam Syrus quidē transtulit, *Spiritus gloriosus Dei super vos requiescet.* Cyprianus [i] autem legit, *Quia maiestatis, & virtutis Domini nomen in vobis requiescit:* necesse vt sit eum Græcè legisse δυνάμεως, non A autem πνεῦμα, vt nunc legitur.

[i] epist. 56. & de exhort. mart. c. 9.

XI. Nec dubium est gloriæ spiritum positū videri pro Spiritu glorioso, quippe qui cū sit Deus, Patri, Filioque æqualis, immortali gloria est circumfusus, diciturque hic Spiritus in iustis requiescere, iisque præsertim, qui probra & contumelias æquo animo ferunt. Nec displicet, quod alij dicunt honoris, gloriæ, & virtutis Dei Spiritū appellari, quomodo Isaias [a] spiritū sapiētiæ, & intellectus aliorūque diuinorū munerū nominat, *Requiescet*, inquit, *super eū Spiritus Domini, Spiritus sapiētiæ, & intellectus, Spiritus cōsilij, & fortitudinis, Spiritus sciētiæ, & pietatis, & replebit eū spiritus timoris Domini.*

[a] cap. 11. 2.

XII. Significat enim Domini spiritū ea omnia cœlestia ac diuina munera largiri. Eadēque ratione videtur indicare Petrus, iniurias, & cōtumelias pro Christo tolerātibus, diuini spiritus munere, ac beneficētia, qui in B ipsorū animis requiescet, honorē, gloriā, & diuinam quandā vim tribuēdam esse. Et quidē id verissimè dicitur: nihil enim est diuino iudicio honorificentius, nihil illustrius, aut gloriosius quàm pro Christi nomine dura, & acerba perpeti. Neque vlla est maiori laude digna fortitudo, ea, quæ tolerandis aduersis pro vera fide; ac religione, iustitia denique menda exercetur. Hic autem Spiritus tam multorum bonorum largitor in iis potissimum requiescere dicitur, qui aduersariorum calumnias æquo animo ferunt.

XIII. Neque enim humanæ naturæ vires, aut moralium virtutū facultates tantam largiri possent constantiā & firmitatem, quātam tribuit vnius diuini Spiritus præsentia. Meritò enim dixit Dauid [b]. *Qui tribulant me* C *inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.* Dixerat autē paulo antea [c]; *Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

[b] Psal. 26. 2.
[c] vers. 1.

XIV. Requiescere autē dicitur spiritus, vt diuinæ gratiæ vim atque efficacitatē declaret. ita enim adest homini, itaque volūtatem afficit, vt nō immutet solùm, sed etiā vegetet, ac roboret; nec incipiat solū bonū opus, sed perficiat, & absoluat, & vsque ad extremū perseuerantiā tribuat. Quæ omnia electorū sunt beneficia, cum alioqui spiritus reprobos nōnunquam immutet quidē, sed non ita multo pòst deserat, siue quia, vt de Saule ait Greg. Naziāz. nō se totos spiritui tractādos, atq; immutādos præbent, siue quia ipsi se diuini spiri- D tus motioni, atq; impulsui spōte opponūt. & ab eius vi subducūt, qui nemini ē deserit, nisi prius ipse deseratur.

XV. Porò in Græcis codicibus quædam alia adduntur verba, quæ apud Latinum interpretem desiderantur. Sic autem habent, κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται, hoc est, iuxta ipsos quidem maledictis proscinditur, penes vos autem honore, & gloria afficitur. Verisimile autem est olim etiam apud Latinos hanc Apostoli sententiam fuisse: eam enim agnoscit Cyprianus [d], *quod quidem*, ait, *secundum illos blasphematur, secundum nos autem honoratur:* nisi quod in prima persona ait, nos, cum vulgatus interpres secundā personam exprimat. Sed eadem semper sententia constat.

[d] epist. 56. & de adhortat. mart. c. 9.

XVI. Sensus enim est infideles; & improbi vos maledictis, & contumeliis afficiūt, sed illorū obloquutiones, E & probra in ipsum Spiritum sanctum recidunt. qui contra vestra patiētia, & in perferendis iniuriis æquanimitate apud bonos, atque æquos rerum æstimatores dignis laudibus extollitur, atque immortali gloria dignus prædicatur. Atque hac ratione mirum in modum subleuat, & recreat, tum quia eos docet rebus aduersis tolerandis socium habere ipsum diuinum spiritum; qui maiorem periculorum, & contumeliarum partem excipiat. Sic enim apud Zachariam [e] dixit. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et in Actis [f] apostolicis Christus Dominus ita Paulum

[e] cap. 2. 8.
[f] cap. 9. 4.

affatur, *Saule, Saule, quid me persequeris?* qui tamen Christianos insectabatur. Tum verò maximè, quia fidelium, & iustorum patientia diuino nomini non exiguam gloriam affert.

XVII. Quemadmodum enim quæ Christus Dominus in hac mortali vita perpessus est, eximiam quãdam Deo immortali gloriam pepererunt, ita quæ iusti pro Dei nomine tolerant, ad eandem Dei gloriam illustrandam referuntur, & fortasse ob hanc caussam dixit
a Psal.86.3. Dauid [a], *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* siue enim de militante, siue de triumphante Ecclesia accipias, nihil potest gloriosius prędicari, quam hic quidẽ martyrũ constantia, ibi vero eorundem triumphus, quem
b cap.7.14. aliquo modo describit Ioãnes in Apocalypsi [b], *Hi sunt,* inquit, *qui venerunt de tribulatione magna, & lauerũt stolas suas, & dealbauerũt eas in sanguine agni, ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte in templo eius.*

XVIII. Tametsi enim non eo inficias, ea verba ad omnes electos vtcũque pertinere, præcipuè tamẽ martyrum
c Serm. 1. de San. gloriã describi asserit August. [c] *Stolas quippe, ait, martyre. in sanguine agni lauerunt, dum mẽbra sua, quæ oculis insipiẽtium visa sunt pœnarum squalore fœdari, sic potius fuso pro Christo sanguine ab omnibus mundauere contagiis, insuper & beata immortalitatis luce digna reddidere, quod est etiam lotas habuisse stolas in sanguine agni.* Eodemque
d Hom. 17. Ezech. modo accepisse videtur Greg. [d] Sed proculdubio iusti omnes quodam modo verè dicũtur de magna tribulatione venisse, cum in cœlesti patria laborũ suorum præmiũ assequuntur. verissimè enim dixit Pau-
e Act.14.21. lus [e]; *Quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare*
f Apocal. 7. *in regnum Dei.* Et Beda [f]. *Illi enim ait, digni habentur illic in Dei consistere ministerio, qui hic inter aduersa fideles nominis eius confessores existunt.*

XIX. Quãquam autem qui probra & contumelias æquo animo ferunt, non cõtinuò martyres appellandi sunt, martyrum tamen patientiam, & constantiam imitan-
g Hom.35. in Euang. & lib.3. dialog. c.26. tur: vt enim ait B. Gregorius [g]. *Duo sũt martyrij genera, vnum in mente, aliud in mente simul & actione. Itaq; esse martyres possumus, etiam si nullo percutientium ferro trucidemur, mors quippe à persequẽte martyrium in aperto opere est, ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* Et post nonnulla. *Et nos ergo sine ferro esse possumus martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.* Et paucis interiectis cuiusdam Stephani admirabilem patientiã prædicat. *Virtus,* inquit, *patientiæ in eo vehementer excreuerat, ita vt eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. reddebat contumeliis gratias, si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat, omnes suos aduersarios nihil aliud, quam adiutores existimabat.*

15. *Nemo autem vestrum patiatur, vt homicida, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*]

I. Quoniam dixerat tolerantiam iniuriarũ iustorum animas quodammodo parare ad excipiendum Spiritum sanctum, & aduersariorum probra, & contumelias in Dei contemptum redundare, iustorũ verò patientiam ei honorem, & gloriã afferre: ne quis ea perinde acciperet, quasi ad eos etiam pertinerẽt, qui suorum scelerum pœnas luunt, subdit, *Nemo autẽ vestrum patiatur, vt homicida, &c.* Non enim omne supplicium laudabile est, aut omnis perpessio digna præmio censenda est: nam vt alibi dixi ex Augustini, & Gregorij sententia, in martyre non supplicium, sed caussa spectatur. martyres pro fide, pro religione, pro iustitia, pro Dei denique amore cruciantur. fures, homicidæ, cæterique facinorosi suorũ scelerũ meritò dãt pœnas.

II. Ait igitur Petrus, absit, vt quisquam vestrum in furto, homicidio, aliòve crimine deprehensus, iudicum seueritatẽ experiri cogatur. Tantum enim abest, vt hoc ad Dei gloriam referatur, vt magno potius de-
A decore, atque ignominia Christianam religionem, noménque afficiat. Primo autem loco nominat Apostolus homicidas, quod genus hominum Deo, hominibusque est maximè inuisum. Quod apparet ex libro Geneseos, grauissimè enim indignatur Deus aduersùs Caim, qui omnium primus fraterna se cæde fœdauit. Et in Exodo [a] præcipit Dominus. *Non occides.* Et in a Exo.20.14
Leuitico [b], *Qui percusserit, & occiderit hominem morte moriatur.* Leges etiam humanæ homicidas morti addicunt. b cap.24.17. sic etiam in Exodo c.21.12.

III. Certè in Euangelio Christus Dominus [c], *Omnes,* ait, *qui acceperint gladium* (videlicet ad occidendũ) *gladio peribũt.* Et in Genesi [d] scriptũ est, *Quicumq; effuderit humanũ sanguinẽ, fundetur sãguis illius.* Deniq; in Apocalypsi [e] *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* c Matth.26.52. d cap.9.6. e cap.13.10.
B Sequitur, *Aut fur.* hoc enim facinus lex diuina detestatur. In Exodo [f] ait Dominus. *Non furtum facies.* Et mox. *Non concupisces domũ proximi tui.* Itaque Tobias [g], quia vir iustus erat, maximè à furto abhorrebat, *Videte,* ait, *ne forte furtiuus sit, reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* f cap.20.15. sic etiã Deuter.5.c.21. g cap.2.21.
Paulus verò Apostolus Ephesios grauissimis [h] verbis à furto reuocat, *Qui furabatur,* inquit, *iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* h cap.4.28.

IV. Circumfertur & illud Augustini [i] præclarè dictum. *Nemo habet,* inquit, *iniustum lucrum sine iusto damno. Qui furatur, acquirit vestem, sed perdit fidem. vbi lucrum, ibi damnum. lucrum in arca, damnum in conscientia.* i Serm. de decem plag.

V. Deinde addit Petrus; *Aut maledicus.* quo loco Græ-
C ci codices habent κακοποιὸς, hoc est facinorosus, aut malorum patrator, quomodo interpretatur Syriacus, vel vt mauult Tertullianus [k], quem imitatur Cyprianus [l], *maleficus. Nec quisquam,* inquit, *vestrum tanquam fur, aut homicida patiatur, aut tanquam maleficus.* Existimo eo nomine omne scelus cõprehendi, atque ideò recte Latinè dici facinorosum. Christiana enim religio innocentiam requirit, & omne crimẽ detestatur: verisimile autẽ est aliter legisse vulgatũ interpretem. k in Scorp. c.12. l lib. 3. ad Quirinum ca. 37.

VI. Certè facinorosi nomen etiam maledicos, & obtrectatores complectitur. quod vitium in sacris literis frequentissimè, grauissimisque verbis damnatur. Alicubi [m] enim ait Salomon *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul a te.* Alibi [n], *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Et m Prou.4.24. n Eccles.10.11.
D Iacobus [o]. *Nolite,* inquit, *detrahere alterutrum, fratres; qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.* Vniuersim autem de sceleratis ait Paulus [p]. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* o cap.4.11. p 1.ad Cor. 6.9.

VII. Cæterùm quod attinet ad maledicos, & detractores, adeo hoc viniũ detestabile putauit Augustinus [q], vt plus dixerit nocere, *detrahentes Christo in membris suis, quam qui eius carnem mox resurrecturam peremerunt.* Denique concludit, aut alienorum appetitor. vbi Græcè scriptum est, ἀλλοτριοεπίσκοπος hoc est, vt alij vertunt, *alienarum rerum curiosus.* Tertullianus, q Psal.108.
E *alieni speculator.* Cyprianus, & Augustinus, *curas alienas agens.* Ita videtur Latinus interpres rerum alienarum appetitionem pro curiositate vsurpasse: est enim curiositas rerum alienarum nimia quædam peruestigatio, & inquisitio, quæ est quædam vitiosa cognoscendi appetitio.

VIII. Et quidem nimiam curiositatem ea cognoscendi, quæ ad rem non magnopere pertinent, multis reprehenditur à Seneca [r]. Alienarum verò rerũ, ac morum peruestigationẽ lõga oratione detestatur Plutarchus [s]. Recensetur autem hoc vitium à Petro Apostolo tan- r epi.27.&c. s lib. de curios.

A quam supplicio dignum, quod fermè, qui aliorum
mores curiosè exquirunt, eos etiam contra ius, fasque
euulgent, vt non immeritò curiosi delatores appel-
lentur [a]. atque ita nisi ego fallor, hic detrahendi ma-
teriã Apostolus subtrahit. Vtcúque sit curiositas inter
superbiæ vitia recensetur [b]; de qua Gregorius loqui-
tur in hanc sententiam. *Graue curiositatis est vitium, quæ*
dum cuiuslibet mentem ad inuestigandum vitam proximi
exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, vt aliena
sciens, se nesciens sit, & curiosus animus quanto peritus fue-
rit alieni, tanto fiat ignarus sui.

a l. edicto ver. id autem deferri debet ff. de iure fisci.
b Bernard. in tract. de grad. humil.

IX. Quinetiam vt acutè dixit quidam [c], *curiosus nemo*
est, qui non sit maleuolus. Et alius quidam [d], *sua quod nihil*
refert, percontari desinas. Quid autem spectandũ sit in
naturalium rerum contemplatione, vt in ea etiam cu-
B riositas vitetur, egregiè docuit Augustinus [e]. *Non fru-*
stra, & inaniter, loquit, *intueri oportet pulchritudinẽ cœli,*
ordinem syderum, candorem lucis, dierum, & noctium vi-
cissitudinem, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam
temperationem quadripertitis elementis congruentem, tan-
tam vim seminum, species numerosque gignentium, & om-
nia in suo genere modum proprium, naturamque seruantia,
in quorum consideratione non vana, & peritura curiositas
exercenda est, sed gradus ad immortalia, & semper perma-
nentia faciendus.

c Plaut.
d Terent.
e lib. de vera relig. ca. 29.

16. *Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet au-*
tem Deum in isto nomine.]

I. Dixerat suprà, hanc esse Christianæ vocationis ra-
tionem, vt rebus aduersis fideles exerceãtur, propter-
C ea in præsentia addit; si quis ob Christiani nominis
professionem malis prematur, non modo nõ esse do-
lendum aut erubescẽdum, sed magnopere potiùs læ-
tandum, atque exultandum: id enim & ad hominum
prædicationem præclarũ, & ad immortalitatis gloriã
assequendam in primis accómodatum. Olim quidem
ipsum Christiani nomen apud infideles quamuis in-
noxium, adeo erat inuisum, vt ob eam vnam caussam
fideles conquisitissimis suppliciis cruciarentur.

II. Quod illustri exemplo confirmat Iustinus [f]. Siqui-
dem Vibicius vrbis præfectus Lucium quendam, ac
Tertium nullius sceleris compertos, solum quod
Christiani dicerentur, capitis damnauit. Idem tamen
alibi [g]. *Ex nomine ipso,* inquit, *neque laus cuiquam, neque*
pœna rectè debetur, nisi quid vel per virtutem, vel per
D *prauitatem factum esse ab eo probari potest.*

f in Parenes. ad gent. in princip.
g Apolog. ad Anton.

III. Et in eandem sententiam Athenagoras [h] his verbis
gentiles Imperatores affatur. *Si quis sit, qui nos seu par-*
ua, seu magna iniuria, & noxa conuincere possit, pœnam
non detrectamus, petimusque adeo, vt si quod sit supplicium
acerbissimum, sæuissimumque, id sustineamus. Sin de nomi-
ne ipso tantum accusamur (ad hodiernum enim vsque diem
eorum, quæ de nobis sermonibus communis, & iudicio omni
carens hominum fama confingit flagitiorum, nullus dum
Christianus compertus, & conuictus est) vestrum fuerit ma-
ximi, humanissimi, & doctissimi Imperatores lege ferenda
à nobis istam amoliri vim, & violentiam, quemadmodum
in imperio vestro vniuerso, & priuatim pro se quisque &
publicè vrbes cuncta beneficia vestra participant, vt & nos
gratiam vobis habeamus, meritòque nobis gratulemur à sy-
E *cophantiis, & calumniis liberati. Neutiquam enim est iusti-*
tiæ, æquitatisque vestræ alios quidem mortales criminum de-
latos, non prius puniri, quam res fuerint peracti, in nobis au-
tem plus valere nomen ipsum quam argumenta, & proba-
tiones iuris, & iudicij. Quæsitoribus si quid reus per iniu-
riam fecerit inquirentibus, sed in nomen ipsum perinde at-
que flagitium contumeliosè illudentibus. Nullum verò no-
men in se ipso, & per se ipsum neque malum, neque bonum
censetur, sed ob eas, quæ sub nomina cadunt, seu malas, seu
bonas actiones, vel praua illa, vel proba esse existimantur.
Et quæ deinceps sequuntur.

h Orat. pro Christ.

A Eodemque modo loquitur Tertullianus [a]. *Ideo* IV.
torquemur, ait, confitentes, & punimur perseuerantes, & ab-
soluimur negantes, quia nominis prælium est. Denique quid
de tabella recitatis illum Christianum, cur non & homici-
dam? si homicida Christianus, cur non & incestus? Vel
quodcumque aliud nos esse creditis? In nobis solis pudet, aut
piget ipsis nominibus scelerum pronunciare? Christianus si
nullius criminis reus est, nomen valdè infestum si solius no-
minis crimen est. Mox [b] verò. *Quid? quod ita plerique*
clausis oculis in odium eius impingunt, vt bonum alicui te-
stimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem.
Bonus vir Caius Seius, sed malus tantùm, quod Christianus.
Item alius. Ego Lucium sapientem virum repentè factum
Christianum defero. nemo retractat, ne ideo bonus Caius,
& prudens Lucius, quia Christianus, aut ideo Christianus,
B *quia prudens, & bonus. Laudant, quæ sciunt, vituperant,*
quæ ignorant; & id, quod sciunt, eo quod ignorant, corrum-
punt, cum sit iustius occulta de manifestis præiudicare, quam
manifesta de occultis prædamnare. Alij quos retrò ante hoc
nomen vagos, viles, improbos nouerant ex ipso denotant, quo
laudant, cæcitate odij in suffragium impingunt. Quæ mu-
lier? quam lasciua? quã festiua? Quis iuuenis? Quis Lucius?
Quam amasius? facti sunt Christiani. ita nomen emenda-
tioni imputatur.

a in Apolog. c. 2.
b cap. 3.

Ita videas rectè monuisse Petrum gloriandum esse V.
iis qui hoc nomine quia Christiani sunt, probris, &
contumeliis proscindantur, aut etiam suppliciis cru-
cientur. Ipsum enim nomen omni prorsus vitio ca-
ret. Rectè enim ait Tertullianus [c]. *Nunc igitur si no-*
minis odium est, quis nominum reatus? quæ accusatio voca-
C *bulorum? nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis,*
aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum. Christianus
verò quantum interpretatio est, de vnctione deducitur. sed
& cum perperam Chrestianus pronunciatur à vobis (nam
nec nominis certa est notitia penes vos) de suauitate. vel be-
nignitate compositum est. oditur ergo in hominibus inno-
cuis etiam nomen innocuum. At enim secta oditur in no-
mine vtique sui auctoris. Cæterum de hoc nomine, de-
que eius notatione alibi plura dixi.

c Apolog. c. 3.

Assentior autem Tertulliano [d] affirmanti Christia- VI.
num nomen, imperante Tiberio, primum fuisse in-
uẽtum: testatur enim Lucas [e] primũ Antiochiæ Chri-
sti discipulos appellatos fuisse Christianos, videlicet
à Christo magistro, atque institutore. Tametsi enim,
vt alicubi scribit Eusebius [f], Prophetę olim, & Reges
D Christi, hoc est vncti, appellabantur, vt meritò dixe-
rit Dauid [g]. *Nolite tangere Christos meos*, id tamen vt
idem Eusebius affirmat propterea factum est, quod
illi diuini numinis instinctu oleo perfusi Christum,
specie quadam adũbrarent, & effigiem ac figuram regiæ, ac
primariæ potestatis, quæ in solo, & vero Christo Verbo Dei
omnia moderante cernitur, per se ipsi exprimerent.

d in Apolog. c. 5. & 7.
e Actor. 11. 26.
f lib. 1. hist. c. 3.
g Psal. 104. 15.

Quamobrem acutè Cyrillus [h] obseruauit plures VII.
ante Virginem Deiparam fuisse Christotocas, hoc est
Regum, & Prophetarum matres, vnam tantum verè
fuisse virginem Theotocõ, & Dei matrem Non pos-
sunt autem hoc nomine verè gloriari hæretici, quia
licet Christum verbis profiteantur, à Christi tamen
lege, ac fide alieni ad Christi Ecclesiam non pertinẽt.
Quocirca Tertullianus [i]. *Si hæretici* inquit, *sunt, Chri-*
E *stiani esse non possunt.* Et rursum [k] negat cum hæreticis
contendendũ esse, quia non sunt Christiani. Et alibi [l].
Ouis, ait, *propriè Christianus, & grex Domini Ecclesiæ po-*
pulus, & pastor bonus Christus: & ideo Christianus non in-
telligendus, qui ab Ecclesiæ grege aberrauerit.

h epist. ad monach. Ægypt.
i lib. de præscript.
k cap. 16.
l lib. de pudicit.

Eodẽ modo loquitur Cyprianus [m]. *Quisquis ille est,* VIII.
& qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ec-
clesia non est. Neque aliter loquitur Augustinus [n]. *Si*
diligenter, ait, quæ ad Christũ pertinent cogitantur, nomine
tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se
Christianos vocari volunt: re verò ipsa non est apud eos.

m epist. 52.
n Enchir. c. 5.

Denique

a or. 2. cōtra Arrian. Denique magnus Athanasius [a]. *Cum omnes,* inquit, *à* A *Christo Christiani & essemus, & diceremur, explosus est Marcion inuentor hæreseos, & qui eum secuti sunt, non iam Christiani, sed Marcionistæ appellati sunt.*

IX. Cum igitur hæretici errotis, atque impietatis suæ Ecclesiastica sententia pœnas luunt, non vt Christiani, aut pro Christi nomine patiuntur, neque ad eos martyrum gloria vllo pacto redundat. Præclarè verò Christianorum vitam nomini, ac professioni consentientem describit Augustinus. *Ille verò*, inquit, *Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino mouetur iniuria, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cuius mensam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo, & Angelis glorietur, qui terrena contemnit, vt possit habere cœlestia, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui* B *miseris subuenit, qui ad fletum fletibus prouocatur alienis.*

X. Quæ cum ita sint, facilè quiuis intelliget, quam verè dixerit Petrus, *Si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* est enim, quod immortales Deo gratias agant, & se Christo Domino aliquo pacto similes esse gratulentur, qui, quod suprà dixit Petrus, Christi passionibus communicent, vt cum eum rebus aduersis tolerandis imitentur, eius quoque gloriæ, ac triumphi fiant aliquando participes.

17. *Quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?*]

I. Verè omnino atque apposite hæc subiicit Petrus. siue enim occultum, siue apertum, ac perspicuum Dei iudicium spectes, æquum est illud à domo Dei inchoari. Nam de extremo quidem, ac publico Dei iudicio apud Matthæum legimus iudicem venturum, eos primum, qui à dextris erunt, hoc est iustos, & Dei cultores ad cœlestia præmia vocaturum; deinde impios sempiternis suppliciis addicturum. In hac verò mortali vita non quidem apertum sed occultum Dei iudicium exercetur, & iusti quidem rebus aduersis plerumque vexantur siue vt eorum leuiores noxæ expientur, siue vt ad ampliorem gloriam prouehantur.

II. Itaque vt monet Oecumenius, his verbis Apostolus Petrus fidelium animos excitat, vt quoniam iudicium diuinum illis imminet, sedulò nitantur Christiano nomini cōsentaneam vitam traducere. vt enim ait Beda, *Occultum Dei iudicium in hac mortalitate referri solet aut ad mores perpurgandos, aut ad animos ad saniora consilia traducendos, aut certè sempiterna supplicia aliqua ratione inchoat. Et quidem iustorum mores, vitamque diuino plerumque iudicio perpoliri indicat Pau-*

b 1. Cor. 11. 32. *lus, dum ad Corinthios scribit* [b], *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.*

III. Quo etiam referuntur illa apud Ieremiam [c], *Ca-*

c cap. 31. 18. *stigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus.* Huc refero Dauidis, Ionæ, Ezechiæ, Iosiæ, aliorumque plurimorum in sacris literis descriptas calamitates, quibus eorum nonnulli næui resecti sunt. atque hac ratione rectè monet Oecumenius iudicium hoc loco non condemnationem, sed inuestigationem, examinationem, & explorationem significare: refertur enim nonnunquam, vt magnus Basilius ait, ad piorum mores corrigendos, & perficiendos. Quam ob caussam ait Petrus hoc iudicium à domo Dei inchoandum esse. hoc enim significare visus est apud

d cap. 9. 5. Ezechielem [d] Dominus, cum ait; *Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite, non parcat oculus vester,* A *neque misereamini. senem, adolescentulum, & virginem, paruulum & mulieres interficite vsque ad internecionem: & à sanctuario meo incipite*

IV. Quo etiam spectant verba Pauli [a], *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* quinetiam Salomon [b] sapienter suadet vt disciplinam Domini æquo animo admittamus, *Disciplinam,* inquit, *Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias, cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Ad hunc enim locum respexit Paulus, vt ipsius verba indicant. Denique Deus ipse in Apocalypsi [c], *Ego*, inquit, *quos amo, arguo, & castigo.* Ea est enim humanæ imbecillitatis ratio, vt quamdiu inter mortales viuimus, nemo sit tanta, támque eximia virtute præditus; quin ali- B quando labatur, & leuiter peccet. a ad Hebr. 12. 6. b Prou. 3. 12. c cap. 3. 19.

V. Diuina itaque benignitate nunc internis admonitionibus, nunc etiam externis malis iusti corripiuntur, vt nullus in eis remaneat næuus. Porrò Augustinus [d] hunc Petri locum expendens probat non esse mirandum, si iusti aliquando Deo permittente multa cogantur perferre incommoda, idque ad leuiores noxas expiandas, cum ne filio quidem suo pepercerit Deus, qui licet innocentissimus esset, aliena tamen peccata in se quodammodo luenda susceperat: *Quid enim,* inquit Augustinus, *iustius vnico, cui tamen Pater non pepercit? Et quid euidentius, cum nec iustis parcat, emendans eos varietate tribulationum, cum de hac re aperte sit dictum, Et si iustus vix saluus erit?* d li. 22. contra Fault. c. 14.

VI. Alibi [e] verò ante extremum Iudicij diem docet C etiam in hac mortalitate aliquod diuinum exerceri iudicium. *Ideo autem,* ait, *cum diem iudicij Dei dicimus, addimus vltimum, vel nouissimum, quia & nunc iudicat, & ab humani generis initio iudicauit.* Et post nonnulla; *iudicat etiam non solum vniuersaliter de genere dæmonum, atque hominum, vt miseri sint propter primorum meritum peccatorum, sed etiam de singulorum operibus propriis, quæ gerunt arbitrio voluntatis.* & plura deinceps. Post multa [f] verò. *Plerumque,* ait, *& malis mala eueniunt, & bonis bona proueniunt magis inscrutabilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius.* e lib. 20. de ciuit. c. 1. f cap. 2.

VII. Hoc igitur nunc iudicium occultum exercet Deus, quod quam iustum sit, tunc apparebit, cum ad apertum, & extremum iudicium veniet; tunc enim, vt ibidem ait Augustinus, *hoc quoque manifestabitur, quam* D *iusto iudicio Dei fiat, vt nunc tam multa, ac penè omnia iusta iudicia Dei, sensus, mentesq. mortalium lateant, cum tamen in hac re piorum fidem non lateat iustum esse, quod latet.*

VIII. Et quidem ambigi nequaquam potest iustissimum esse vtrumque Dei iudicium. Nam de extremo illo ait Dauid [g], *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Quæ nunc exercentur Dei iudicia tametsi abdita, & occulta sunt, suo tamen tempore apparebunt diuinæ iustitiæ maximè consentanea. quinetiam addit Paulus [h], mala quibus interdum iusti premuntur esse veluti *in exemplum iusti iudicij Dei.* Meritò itaque, ait Petrus iudicium inchoari à domo Dei. Nam, vt ait magnus Basilius [i]; *Natura comparatum est, vt contra eos, qui familiarissimi nobis sunt, cum* E *in nos peccant, maximè indignemur. Familiarissimi autem Deo sunt non alij, quam fideles, qui domum Dei, id est Ecclesiam complent, atque extruunt.* g Psal. 50. h 2. ad Thess. 1. 5. i apud Oecum. hoc loco.

IX. Addit Petrus, *Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio?* Argumentatur, inquit Didymus, à maiori; atque ita omnino colligit, *Si primum à nobis qui sumus Dei domus, examinatio actuum, cogitationumq. fit, quem credetis terminum non credentibus Dei Euangelio prouenire?* Ita sensus erit, si fideles suos Deus rebus aduersis non exercet solùm, sed etiam erudit, purgat, & perficit, quid existimatis euenturum

rum iis, qui in perfidia perseuerant, & voluptatibus liberè indulgent, perinde quasi nullo Dei timore
a cap. 21. 17. concutiantur? siquidem vt ait Iob [a], *Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui.* Agit enim Iob de impiorum obitu, tunc autem eorum lucerna quodammodo extinguitur, hoc est omnis eorum gloria, & splendor perit. Apprehendet eum inundatio, & vt loquitur
b cap. 28. 18. Isaias [b], *flagellum inundans*, quo significatur suppliciorum multitudo, quæ ab eodem Propheta grauissimis verbis describitur. *Ponam*, inquit, *in pondere iudicium, & iustitiam in mensura, & subuertet grande spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.*

X. Et Salomon [c] eleganti oratione iudicij seuerita-
c Sap. 5. 18. tem, ac suppliciorum acerbitatem, varietatémque describit: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem, acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosa ira plena mittentur grandines. excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter, contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos.*

XI. Hæc omnia metaphoricè impiorum exitum describunt. Quemadmodum enim eorum vita à moribus iustorum plurimum dissidet, ita eorum exitus à iustorum extremo magnopere discrepabit. Nam ho-
d Ps. 33. 20. rum quidem, vt ait Dauid [d], *multæ sunt tribulationes, sed de his omnibus liberabit eos Dominus*: & quod caput est sempiternis gaudiis in beatorum cœtu perfruen-
e cap. 18. 6. tur. Illi verò, vt in Apocalypsi ait Ioannes [e], *duplicia accipient supplicia secundum opera ipsorum, & quantum glorificauerint se, & in delicijs fuerint, tantum reddetur eis tormentum, & luctus.*

XII. Nimirum hic erit finis eorum, qui Euangelio non credunt, & qui legis Euangelicæ præcepta contemnunt. Neque enim infideles tantum, sed etiam qui perceptæ fidei consentaneè non vixerint, inferorum supplicijs cruciabuntur. Quocirca vt monet Didymus, hac oratione Petrus fidelium animos excitat, & in percepta fide mirum in modum confirmat, dum infelicem eorum exitum indicat, qui Christianam religionem aspernantur, ita illos casto Dei timore in officio continet, obiterque monet, ne diuina iudicia temere accusent, aut reprehendant, cum in hac mortali vita alia sit diuinæ benignitatis, ac mansuetudinis ratio, quàm futura expectetur eius iustitiæ æquitas. nunc enim indulgentiæ, & misericordiæ tempus est, erit aliquando tempus cum Deus *iustitias iudicabit*, hoc est, summa quadam iustitiæ seueritate sententiam feret.

18. *Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?*].

I. Eandem opinor rationem illustrat, & confirmat alludens, vt existimo, ad Salomonis verba qui alicu-
f Prou. 11. 31. bi ait [f], *Si iustus in terra recipit, quanto magis impius, & peccator?* More enim Apostolico secutus est Petrus Septuaginta interpretationem, qui Salomonis locum ita planè Græcè transtulerunt, vt in præsentia habet Petrus, videtur enim argumentum à minori, quasi dicat; si æquissimo Dei iudicio iustus non nisi multis calamitatibus, atque incommodis vexatus salutem

A assequitur sempiternam, quale, aut quantum supplicium manere existimabimus eos, qui absque vllo fræno omnibus sese flagitiis constringendos præ-
bent? qui vt ait Iob [a], *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Sic planè locum explicat Beda. *Si tanta*, inquit, *est fragilitas humanæ vitæ, vt nec iusti quidem, qui in cœlo coronandi sunt, sine tribulationibus propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem transeant, quanto magis hi, qui cœlestis gloriæ sunt exortes certum damnationis suæ perpetuæ exitum expectant?* a cap. 21. 12.

Iam verò pro eo, quod Latinè legimus, *vix saluabitur*. Græcè dixit Petrus, μόλις σῴζεται, quasi dicat, difficile; innuens illos magnis laboribus, plurimisque difficultatibus salutem sibi comparare. Et quidem II
B meritò. Nam si olim Assyrij, vt est in libro Iudith [b] b cap. 10. 18.
vnius fœminæ pulchritudinem admirati exclamarunt, *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Multo profectò magis gaudendum est iustis qui verissimè dictum esse ab Apostolo [c] certò c ad Rom.
sciunt, non esse condignas *passiones huius temporis ad* 8. 18.
futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Accedit quod veteri veluti prouerbio circumfertur, optima, & pulcherrima quæque difficilia.

Rectè autem scribit B. Gregorius [d]; *Ad magna præ-* III.
mia perueniri non potest, nisi per magnos labores. vnde & d hom. 17.
Paulus egregius prædicator dicit. Non coronabitur, nisi qui Euang.
legitimè certauerit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Paulò an-
C tea verò præmij magnitudinem non multis verbis descripserat; *Quæ autem*, inquit, *lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?*

Vt intelligant igitur sancti illius præmij magnitu- IV.
dinem nullis posse calamitatibus aut incommodis huius vitæ æquari multis plerumque difficultatibus exercentur, vt ampliori deinde præmio diuina sententia decorentur. Ad huius autem vitæ difficultates domestica pugna, atque intestinum prælium accedit
cum vt ait Apostolus [e], *caro concupiscat, aduersus spi-* e ad Gal. 5.
ritum, spiritus autem aduersus carnem, quandoquidem 17.
D *hæc sibi inuicem aduersantur.* ita nō rarò accidit quem-
admodum idem Apostolus [f] scribit, vt non id, quod f ad Ro. 7. 16
volumus bonum, sed quod detestamur malum, faciamus.

Nam velle quidem iustis penè semper adest, perfi- V.
cere autem bonum non item. experiuntur enim legem in membris legi mentis repugnantem, & penè peccati laqueis obstringentem. Adde, quod hæc ipsa
corporis moles, vt ait Salomon [g], cum sit interitui g Sap. 9. 15.
obnoxia, *aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Ipsa porrò via quę du-
cit ad vitam, vt Dominus ait in Euangelio [h], arcta h Matt. 7. 14
est, & angusta porta, necesse vt sit, multas incidere difficultates, quæ cursum nostrum retardent, ac remorentur, vt nihil dicam de studiosarum actionum
E difficultate. vt enim olim Poëta [i] nescio quis non i Simonides
ineleganter dixit, *Fertur virtus habitare in rupibus adi-* apud Clem.
tu difficilibus; & Philosophi vulgò docent circa diffi- Alex. lib. 4.
cilia versari virtutem. Stromat.

Quocirca rectè omninò colligit Ambrosius si iu- VI.
stus vix saluabitur, cunctis valde metuendum esse, sollicitéque cauendum, ab occasionibus peccandi [k]:
Si iustus, inquit, *vix saluus fit, peccator, & impius vbi pa-* k Apolog.
rebit? Aduertitis ergo quam plerumque etiam bonum pro- poster. Da-
positum subruat caussa peccandi, & ideo caussas ipsas pri- uid. c. 3.
mò fugere & vitare debetis. Non vis amore capi? Noli in

ij essem

ſpeciem mulieris intendere. Et aliquanto poſt. *Vis non aduri? Noli ad ignem accedere. Vis non præcipitari? Nutantia fuge, prærupta euita, caue caduca, declina labantia.* Aliquanto autem antea multorum exempla commemorauerat, quibus nullius eſſe tantam virtutem docuerat, cui non ſit peccandi periculum formidandum. *Si Dauid*, inquit, *infirmus, tu fortis? ſi Salomon lapſus eſt, tu immobilis? ſi Paulus primus peccatorum, tu potes primus eſſe ſanctorum?*

VII. Et in eandem ſententiam alibi [a]: *Sed ſi conſideres,* ait, *quia iuſtus vix ſaluus ſit, intelligis profectò, & ipſius nonnunquam titubare veſtigia, & auctorem declinationis eorum Deum videri, quia ipſe quoque pariter iuſtos ſæpe tentari quo magis probentur tentationibus eruditi. Quis eſt autem tam fortis, vt nequaquam in tentatione moueatur, niſi Dominus adiutor ei aſſiſtat?* Hieronymus [b] porrò aduerſos Pelagianos diſſerens, hoc Petri teſtimonio probat neminem eſſe omnis prorſus labis expertem. *Quis*, inquit, *mortalium aliquo errore non capitur? Quem hæreticorum, & falſorum dogmatum venena non maculant? Tempus eſt*, inquit, *vt incipiat iudicium à domo Dei, ſi autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? Certè iuſtus, qui in die iudicij vix ſaluatur, ſaluaretur autem facilè, ſi nihil in ſe haberet maculæ: ergo iuſtus eſt in eo, quod floret multis virtutibus, & vix ſaluatur in eo, quod in quibuſdam Dei indiget miſericordia.*

a in Pſ. 43. ad illa verba. Quoniã humiliaſti nos in loco afflictionis.
b dial. 2. cõtra Pelagia.

VIII. Quanquam Hieronymus difficultatem, quam in aſſequenda ſalute experiuntur iuſti, non ad huius vitæ difficultates, & incommoda, vt hic locus poſtulat; ſed ad leuiores noxas refert, quibus etiam iuſti nonnunquam inquinantur; quod quanquam veriſſimè dicitur, non ſatis tamen cum antecedentibus, & ſubſequentibus cohæret: hæc tamen Petri verba ſi per ſe ſpectentur, eum ſenſum non grauatè admittunt, quomodo frequenter in concionibus ad populum vſurpari ſolent. Nec magnopere videntur repugnare, quæ paulò antè dixit Petrus, *Quis finis eorum, qui non credunt Euangelio?* Vt enim interpretatur Didymus, *docet non credentes diuina doctrina ineuitabilem, & indeclinabilem ſuſcepturos vltionem, quam finem eorum nominant circunſcribentem incredulitatem eorum.*

IX. Quinetiam ipſe non multum à Hieronymi ſententia diſcrepat; ſubdit enim, *Quapropter nequaquam inter bonos peccator, & impius apparebit, cum iuſtus vix ſaluetur æſtuando, & decertando quomodo eius iudicium tranſigatur. Nam licet nihil praui ſibi ſit conſcius, veruntamen ſciens quoniam non in hoc iuſtificatur, donec eum iuſtificet iudex, æſtuat, & decertat.*

X. Sed enimuerò mirum videri poteſt, cur Deus electos ſuos tam multis difficultatibus implicitos eſſe, tamque multis calamitatibus afflictari patiatur, vt tanto cum labore nec ſine ingenti periculo ſalutem aſſequantur. Verum id propterea fieri exiſtimauit Beda, *Vt oſtendatur, quod meritò fuerit tota natura hominum damnata, ac proptereà non vult facilè de tanto malo nec ipſe omnipotens homines liberare; propter quod & peccata procliuia ſunt, & iuſtitia laborioſa niſi amantibus.* Sed multo fuſius ac ſubtilius non vno loco ea de re diſſerit Auguſtinus. Et alicubi [c] quidem ait, *Nos autem, quantum conceſſum eſt, ſapiamus, & intelligamus ſi poſſumus Dominum Deum bonum ideo etiam ſanctis ſuis alicuius operis iuſtitiam aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant non à ſeipſis ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminentur tenebræ eorum & ſuauitatem, qua det fructum ſuum terra eorum.* Et aliquanto poſt, *commendans*, inquit, *nobis eandem gratiam ſuam, vult nos eſſe humiles, ne facilitatem in omnibus aſſecuti, noſtrum putemus eſſe, quod eius eſt, qui error multum eſt religioni pietatiq́; contrarius.*

c li. 2. de pec cat. mer. & remiſ. c. 19.

XI. Et in eandem ſententiam alibi [d] Iuliano Pelagiano non peccandi facilitatem aſſerenti, hunc in modum reſpondet; *quaſi nos negemus adiutorium Dei tantum valere, ſi velit, vt hodie nullas concupiſcentias malas habere poſſimus, contra quas vel inuictiſſimè dimicemus, & tamen non fieri nec tu negas. Cur autem non fiat, quis cognouit ſenſum Domini? Non tamen parum ſcio, cum ſcio quæcunque illa cauſſa ſit, quod nec iuſti Dei ſit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Eſt igitur aliquid in eius abdito, altóque conſilio, cur quandiu viuimus in hac carne mortali, eſt nobis contra quod mens dimicet noſtra.* Multis verò deinceps oſtendit id propterea factum eſſe diuinitus, vt arrogantiæ, & ſuperbiæ tumor comprimatur.

d li. 4. cõtra Iul. c. 3.

XII. Quod alibi [a] etiam elegantiſſimè probat. Siquidem ait, *cætera vitia tantum in malefactis valent, ſola autem ſuperbia etiam in rectè factis cauenda eſt.* Ac proptereà non ita multo poſt ſubdit [b], *Deſerit aliquando Deus vnde ſuperbis, vt ſcias non tuum, ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.* Idem verò frequentiſſime aſſerit multas plerumque difficultates, periculáque à Deo, magno iuſtorum bono permitti, vt his malis compulſi ad preces confugiant, diuinámque opem, atque auxilium implorent.

a li. de nat. & grat. c. 27.
b cap. 28.

XIII. Qua ratione dixit B. Gregorius, *mala quæ nos exterius premunt, ad Deum ire compellunt.* Quamobrem adoleſcens ille, cuius alicubi meminit Lucas [c], fame, atque egeſtate compulſus, vt obſeruauit Auguſtinus, ingemiſcens dixit, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum.* Eadémque ratione coguntur iuſti ad perſeuerantiam, quæ vnius Dei ſingulare beneficium eſt, impetrandam, & peccandi pericula diligenter cauere, & aſſiduis precibus diuinum patrocinium implorare.

c Luc. 15.

XIV. Colligit autem Petrus longè deteriorem eſſe impiorum ac ſceleratorum hominum conditionem. *Si iuſtus*, inquit, *vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?* Alludit enim ad Salomonis [d] verba, quæ paulò antè commemoraui; *Si iuſtus in terra recipit quanto magis impius, & peccator?* Quærit autem hoc loco Didymus, quid inter impium, & peccatorem interſit. nam aliquando videtur ſcriptura inter impium, & peccatorem diſtinguere, vt Dauid [e], cum alicubi ait, *Ideo non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.* Paulus [f] verò cum dixiſſet Chriſtum pro impiis mortuum eſſe, idem mox aliis verbis explicans ſubdit [g], *Quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Poteſt autem*, ait Didymus, *impius eſſe, qui omnino extra Dominum eſt, peccator autem quem Deus continet, ſed ille contemnit Deum, dum tranſgreditur leges eius.* Addit; *ſi verò aliquando in textu idem peccator, & impius inueniatur, differentiam tamen habebit in intellectu. poſſibile eſt autem eum, qui peccat, mox & impium eſſe, quando per contemptum impiè agit in Deum.*

d Prou. 11. 31
e Pſal. 1. 5.
f ad Ro 5. 6.
g verſ. 8.

XV. Græcè pro impio ſcripſit Petrus ἀσεβὴς. Quæ vox alienum à pietate propriè ſignificat, hoc eſt impium. Impios autem Latini ferè crudeles, & conſceleratos vocant; ſic enim alicubi Terentius [h];

Vbi ego illum ſceleroſum, miſerum, atque impium inueniam? Et M. Tullius [i], *Me tamen fugerit. Deorum immortalium has eſſe in impios, & conſceleratos pœnas certiſſimas conſtitutas.* Aliàs impius religioſo opponitur [k].

h in eun. ac. 4. ſc. 5.
i in Piſon.
k M. Tull. pro Fõteio.

XVI. Crediderim hoc loco impios à Petro eos appellari, qui à Chriſtiana religione alieni ſunt; peccatores autem, qui licet Chriſtianam religionem profiteantur, diuinam tamen legem contemnunt. quo planè modo locum explicat Oecumenius; *at verò*, inquit, *impius, & peccator in eo differunt, quod impius à Deo alienus prorſus eſt, peccator aliquatenus quidem Deum colit, ſed alioqui tamen legem eius contemnit, ac violat.* Illico

verò

verò idem subiicit, quod dixerat Didymus; fieri posse, A ut idem & impius sit, & peccator. *quippe cum qui contra legem operatur, profanum se & gerat, dum peccando Deum esse non consideras.* Certè impium descripsisse videtur Salomon [a]; *Impius, inquit, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Significat enim impium esse eum qui sceleribus, ac flagitiis ita est assuetus, ut veluti obducto callo, virtutem aspernetur, & contemnat.

a Prou. 18. 3

XVII. Videtur autem Apostolus in eodem argumento à minori persistere, sed ut monet Oecumenius, quod de impiis dicit, non tam in præsenti, quam in futura vita perficietur, nam iusti quidem magno cum labore vitam immortalem assequuntur, cum Christus dixerit [b] regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere, atque idcirco multis ærumnis, & calamitatibus B iustos exercent, contra verò ij, qui sese voluptatibus constringendos præbent, grauissimas in altera vita suorum scelerum pœnas dabunt.

b Mat. 11. 12.

XVIII. Itaque ait Petrus, *Vbi parebunt?* Quasi dicat, Quis erit eorum finis? Innuens videlicet acerbissimos cruciatus, quos apud inferos subituri sunt. Hoc ipsum alia quadam metaphora indicauit David [c], *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.* Et aliquanto post [d], *Quoniã qui malignantur, exterminabuntur.* Rursus [e], *Quia peccatores peribunt: inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint, & exaltati deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Denique toto illo Psalmo C fœlicissimam iustorum conditionem, & miserrimum impiorum exitum describit.

c Psal. 36. 1.
d vers. 9.
e vers. 20.

XIX. Quæ cum ita sint, hac sua oratione Petrus mirum in modum fidelium animos confirmat, ac roborat, ne impiorum fœlicitate commoueantur, aut suis incommodis atque ærumnis ab instituto cursu retardentur, aut etiam reuocentur. Quod enim olim sapiens quidam dixit spectandum esse finem, id tacitè in præsentia insinuat Petrus. res enim aduersæ, quibus iusti premuntur in hac vita, gloriam immortalem, ac vitam pariunt sempiternam. Contra verò secunda fortuna, qua scelesti, ac facinorosi nonnunquam fruuntur, grauissimis, & in omnem æternitatem perseuerantis suppliciis obnoxios reddit. Sic olim apud Lucam diuiti apud inferos cruciato pater D Abraham respondisse fertur [f], *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

f Luc. 16. 25

XX. Ita videas, ut sit in hac mortali vita diuersa iustorum, impiorúmque conditio, ita longè dissimilem fore utrorumque alterius vitæ statum, *tolluntur,* enim impij, ut quidam [g] dixit, *in altum, ut lapsu grauiore ruãt.* Quamobrem Chrysostomus [h], *Vbi, inquit, videris improbum vitam agentem, nec quicquam acerbi hic patientem, ne putaueris illum beatum. sed deflere potius, ac deplora velut illic omnia tristia perpessurum quemadmodum diues fecit. Rursus, ubi quem videris virtutis studiosum, & eundem innumeris affligi molestiis, beatum existima. ut qui, & hic omnia sua peccata diluerit, & illic multam habeat paratam mercedem. quemadmodum Lazaro euenit.* Et eadem prorsus mente Gregorius [i], *Si qui, ait, estis, qui in* E *hoc mundo exteriora bona aliquid accepistis, ipsum donum exterius pertimescere debetis, ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum, ne iudex qui hic bona exteriora restituit, à retributione boni interni repellat, ne honor hic, vel diuitiæ non adiumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris.*

g Claudianus.
h hom. 3. de Lazaro.
i hom. 40. Euang.

XXI. Quocirca tantum abest, ut iusti rebus aduersis perturbandi sint, ut contra potius res secundas, & quam plerique fœlicitatem appellare solent, si sapiant, magnopere metuere, ac formidare debeant. Quærit enim aliucubi Chrysostomus [a], fierine possit, ut idem hic caducis, mortalibusque bonis perfruatur, & vitam beatam, & immortalem adipiscatur. Respondet autem. *Illud impossibile est, ô homo. atque ex eorum numero, quæ frustra speres. Fieri non potest, ut qui hic in socordia, securitateq; vixerit, qui in deliciis omnibus assiduus dies consumpserit, qui temere, negle&cq; transegerit ætatem, illic honorem consequatur.*

a Hom. 3. de Lazaro.

XXII. Multo autem id apertiùs, longéque grauioribus verbis confirmat Bernardus: cum enim eadem Abrahæ verba apud Lucam expenderet [b], *ad tremendum,* ait, *iudicium Abrahæ veniamus, non enim Abrahæ, sed Dei sententia est. Memento, inquit, fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. verum utrumque est. non potest omnino negari; fer sententiam. Quia paucis expressa totius summa negotij est. ille bona, & iste mala recepit. Quid modo? Nunc autem, inquit, hic consolatur, tu verò cruciaris. Expergiscimini ebrij, & flete. terribilis enim Deus in iudiciis super filios hominum. Haccine cruciatuum caussa tota quod in hoc sæculo bona recepit? Ipsa plane. neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animaduersio diuina eiecisse videtur, ut alterum sibi hic paradisum adinuentio humana pararet.*

b serm. de verb. Petr. ecce nos reliquimus omnia.

XXIII. Fateor hæc Bernardi verba dicta videri asperius, tum quia Abraham, Isaac, aliique viri iusti non pauci diuitiis, atque opibus affluentes, iustitiam, & sanctitatem constantissimè retinuerunt, & post mortem sempiterna beatorum gaudia adepti sunt, tum quia Deus ipse mortalia, & caduca bona tanquam virtutis præmium olim pollicebatur. Sic enim apud Isaiam [c] C ait, *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Quinetiam Iob vir Dei testimonio rectus, & simplex diuina liberalitate plurima, & præstantissima bona consecutus est.

c cap. 1. 19.

XXIV. Itaque tam Chrysostomus, quam Bernardus id tantum significant, horum bonorum affluentiam per se quidem valde periculosam esse, atque adeo iustis nequaquam expetendam, & cum facilè deliniat animos, atque demulceat, & ad voluptates suapte natura propensos, sensim blandéque alliciat, etiam perniciosam. Alioqui Abrahæ verba eos potissimum sempiternis cruciatibus addicunt, qui mortalibus caducisque bonis ad cupiditates explendas, & sectandas voluptates abutuntur.

XXV. Quod si hæc omnia, quæ mortalium sententia nu- D merantur in bonis, cum incommodis, atque huius vitæ calamitatibus conferantur; non ambigam id affirmare, quod hoc loco, non obscurè innuit Petrus, hæc diuinæ beneuolentiæ, ac prædestinationis argumenta videri, illa verò promiscuè impiis, ac iustis concedi; sed illis quidem quasi leuioris cuiuspiam boni præmium, his verò tanquam beneficentiæ, ac liberalitatis materiam, ut in beata vita amplissima deinde præmia nanciscantur. Nil igitur mirum si Petrus in præsentia dicat hæc mala quibus interdum iusti diuino consilio premuntur, ut salutem sempiternam assequantur, argumento esse improbos, quibus omnia ex animi sententia eueniunt, sæuissimis apud inferos cruciatibus in omnem æternitatem mactandos esse.

E

19. *Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.*]

I. Hæc est postrema huius capitis clausula; quæ tria veluti capita paucissimis verbis complectitur. Nam primum quidem docet iustos non sine diuino consilio, ac prouidentia rebus aduersis, & plurimis vitæ incommodis exerceri: deinde monet in iis perferendis non esse cuiusquam viribus, & constantiæ magnoperè fidendum, sed assiduis precibus diuinum præsi-

dium

dium expetendum: postremò strenuè virtutis studiū retinendū, nulloque modo iniurias vlciscendas, sed potius beneficia probris, & contumeliis rependenda. A

II. Primo igitur loco, ait, *Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei.* quicquid enim, dixit quidam [a], *patimur, venit ex alto.* Spectante videlicet, atque volente Deo. quod egregiè explicans Tertullianus [b] ait, *Vocati sumus ad militiam Dei viui iam tunc, cum in Sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit.* Alibi [c] verò, *Si persecutiones, ait, vel maximi exitus aut vitam auferunt, aut mortem, aut plagam, aut sanationem, habes auctorem eiusdem.* [d] *Ego percutiam, & sanabo: ego viuificabo, & mortificabo.* [e] *Vram inquit, illos, sicut vritur argentum, & probabo, inquit, illos sicut probatur aurum. Cum enim exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc erunt ignea iacula diaboli, per quæ fidei vstio, & conflatio administratur, ex Dei tamen voluntate. De ista quis dubitare possit, ignoro, nisi planè friuola, & frigida fides deprehendens eos, qui timidè conueniunt in Ecclesiam.* Paucis verò interiectis, *an non scimus,* ait, *quod Deus omnium sit Dominus? Et si velit Deus, tunc persecutionem pateris, si verò noluerit, silebunt nationes. credas vtique, si tamen in eum Deum credis, sine cuius voluntate nec passer vnius assis cadit in terram. nos autem, puto, multis passeribus antestamus.*

a Seneca Tragœd.
b li. ad Martyr. c. 3.
c de fuga in persecutione c. 3.
d Deut. 32.
e Zachar.

B

III. Plura deinde subdit, quibus Deum auctorem persecutionum, ac molestiarum esse contendit. Quod alia quidem mente, quam ille existimauit, accipio; vt enim suprà Clementis Alexandrini testimonio docui, non ita Deus martyres, aliósque viros pios cruciari, torquerique vult, quasi primariò, ac per se hæc illis mala, atque incommoda procuret, sed mala impiorum voluntate, quam cum posset prohibere, non prohibet ad iustorum patientiam & exercendam, & illustrandam, & denique coronandam vtitur. Eam ob caussam Athanasius [f] plurimis tum exemplis, tum rationibus probat fas esse persecutiones fugere, quoad Dei volūtas cognita sit, & explorata. Ita enim Deus velle dicitur iustos aduersa tolerare, vt voluit Iob virum sanctissimū grauissimis malis à Dæmone vexari. C

f in Apol. de fuga sua.

IV. Itaque rectè Tertullianus [g]; *Scire,* inquit, *debemus, quatenus nec persecutio est sine iniquitate Diaboli, nec probatio fidei sine persecutione: propter probationem fidei necessariam iniquitatem, non patrocinium præstare persecutioni, sed ministerium. præcedere enim Dei voluntatem circa fidei probationem, quæ est ratio persecutionis, sequi autem Diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis, quæ est ratio probationis.* Paulò autem post. *Habes,* inquit, *exemplum Iob, cui Diabolus nullam potuit inferre tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem.* & plurima deinceps ad eandem rem firmandam eleganter subiicit. D

g de fuga in persecut. c. 2.

V. Certè ipse Iob suarum calamitatum Deum auctorem & agnouit, & professus est, cum dixit; *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.* Nec dubium est plerumque Deum adesse iustis, atque ab his mala & incommoda prohibere. Vt enim scribit Eusebius [h], cùm Aurelianus Imperator litteras aduersus Christianos conscriptas, *subscribere pararet, diuina eum vltio subito occupauit, quæ brachiorum commissuris eneruatis, eum illum ab instituto repressit, vt omnium oculis clarè, & manifestò spectandum subiecit, quomodo mundi principibus ne minima quidem data sit facultas aliquid contra Christi Ecclesias moliendi, nisi præpotens Dei manus diuino suo, & cælesti iudicio temporibus, quibus Ecclesiam probare decreuerit, illud disciplinæ, & castigationis caussa perfici, & expleri permiserit.* E

h in Chron. an. 278 & li. 7. hist. c. 24.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

VI. Simile quiddam Valenti accidisse accepimus, qui non paucis prodigiis cum S. Basilium proscribere pararet, ab instituto desistere coactus est. Itaque Petrus cum res aduersis, quibus interdum fideles premuntur, in diuinam refert voluntatem, eos magnopere reficit, & recreat, & ad patientiam, constantiámque vehementius inflammat.

VII. Iam verò cum subdit, *Fideli creatori commendent animas suas;* saluberrimo consilio, planèque necessario eosdem monet, ne temerè suis viribus fidant, sibique persuadeant diuino se præsidio, ac patrocinio magnopere indigere, atque adeo ad Deum confugiāt, eiúsque opem continenter implorent, & vt ait Athanasius [a] non temere in pericula irruant, *Commendent* ergo ait Petrus, *fideli creatori animas suas.* Sic enim in periculis faciendum esse suo exemplo docuit Christus, qui in cruce antequam efflaret animam, *clamans voce magna* dixit [b], *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Sic etiam Stephanus protomartyr moriens exclamat [c], *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* nam alioqui non paucos legimus apud Cyprianum, Eusebium, Nicephorum, & alios, qui cum plus sibi, suisque viribus tribuerent, quàm recta ratio pateretur, suppliciorum acerbitate victi, fidem abnegarunt, & idolis cultum, ac venerationem adhibuerunt. Contrà verò virgines, ac puellæ integerrimæ diuino præsidio nixæ acerbissimos cruciatus insuperabili constantia, atque inuicto animo pertulerunt.

a Apolog. de fuga sua.
b Luc. 23. 46
c Actor. 7. 5[9]

VIII. Certè beatissima virgo Agatha sic Deum precata fertur, *Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi qui me carnificum tormentis superare præstitisti, accipe animam meam.* Rectè autem ait Petrus *fideli creatori* animas esse commendandas. Nam vt ait Oecumenius, *fidelis est Deus, hoc est fidus, & verax in promissionibus suis, vt tentari nos supra quam possumus, permissurus non sit:* ita enim dixit Paulus [d], *Fidelis autē Deus est, qui non patitur vos tētari supra id, quod potestis, sed faciet etiā cum tentatione prouentū, vt possitis sustinere.*

d 1. ad Cor. 10. 13.

IX. Et apud Isaiam [e] suum patrocinium amplissimis verbis pollicetur Deus. *Cum transieris,* loquit, *per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Id reipsa experti sunt tum filij Israël, qui primùm quidem mare rubrum, deinde Iordanem sicco vestigio transmiserunt: tum in fornace Babylonica tres pueri [f]; *Angelus enim Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit.*

e cap. 43. 2.
f Dan. 3. 49.

X. Porrò creatorem nominat, vt significet ipso propemodum creationis iure Deum suis fidelibus affuturum, ne in aduersis deficiant; non enim creauit, vt deserat, sed quos ad imaginem, & similitudinem suam condidit eosdem suo patrocinio perpetuo fouet, nec quemquam deserit, nisi prius ipse deseratur. Quamobrem magna olim confidentia dixit Paulus [g], *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.*

g 2. ad Tim. 1. 12.

XI. Certè castissima Susanna suo exemplo docuit, quàm verè dicatur Deus fidelis. cum enim, vt ait Daniel [h], *esset cor eius fiduciam habens in Domino,* suámque illi innocentiam perspectam, & cognitam magna animi submissione proponeret; confestim Danielis opera, non sine miraculo à certissima nece erepta est. Addo nostrorum martyrum exempla, qui se ad subeundum martyrium fusis ad Deum precibus comparabant vt de Polycarpo scribit Eusebius [i].

h cap. 13. 35
i li. 4 hist. c. 14.

XII. Iubet autem Petrus animas Deo commendari *in benefactis.* Græcè ἀγαθοποιΐᾳ, hoc est rectè agendo,

siue quia preces nostræ honestis, ac laudabilibus A actionibus ornandæ sunt, vt suam apud Deum vim habeant, siue quia probra, & contumeliæ beneficiis compensandæ sunt, vt quæ à Deo petimus, facilè impetremus. Certè vtrumque Apostolo dignum præceptum est; & illud quidem prius placuit Oecumenio: sic enim scribit; *Sed quo pacto commendare seipsum Deo quispiam debet? In benefaciendo videlicet, id est, in humilitate, vt non glorietur, & se efferat ob ea, quæ patitur, sed quanto maiora videtur pati, tanto inutiliorem seipsum existimet, & semper illud subiungat, & dicat; Iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis.*

XIII. Salomon [a] autem, *Longè*, inquit, *est Dominus ab* [a Prou. 15. 29] *impiis, & orationes iustorum exaudiet.* Et Sapiens [b], [b Eccl. 35. 21] *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, nō consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat.* Denique Angelus apud Tobiam [c], [c cap. 12. 8.] *Bona*, inquit, *est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.* Isaias verò Deum impiorum preces aspernantem inducit [d], [d Isa. 1. 15.] *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam.* Cur ita? *Manus enim*, ait, *vestra sanguine plena sunt.* Et alibi [e], [e cap. 59. 2.] *Ecce*, inquit Isaias, *non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat; sed iniquitates vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret: manus enim vestra pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitates*, & plura deinceps.

XIV. Quocirca Petrus Christianorum preces cum honestis actionibus coniungendas monet, quod eadem mente, alia tamen methapora dixit Paulus [f], [f 1. ad Tim. 2. 8.] *Volo*, ergo, ait, *viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* Vtrumque certè apud Lucam [g] [g cap. 18. 10.] non obscurè significauit Christus proposita duorum hominum parabola, Pharisæi, & Publicani: quorum ille arrogantius quæ putabat eximia bona sua prædicabat, hic verò sese vehementer deiiciens ne audebat quidem oculos in cœlum attollere, huius tamen preces illius iactationi Christi iudicio, atque sententia præferuntur. Verè enim dixit Dauid [h], [h Psal. 101. 18.] *Respexit* (Dominus) *in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.* Et sanctissima mulier Iudith [i], [i cap. 9. 16.] *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

XV. Quod vero posteriori loco monui benefacta, quæ hoc loco exigit Petrus, significare beneficentiam, atque humanitatem, quæ pro iniuriis, & contumeliis rependitur, Apostolico pectore dignissimum consilium est. Nam Christus, qui apud Matthæum [k] [k cap. 5. 44.] dixit, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, suo exemplo præceptum firmauit, cum apud Lucam [l] [l cap. 23. 34.] in cruce pendens, *Pater*, inquit, *dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Et Stephanus [m] [m Act. 7. 59] dum lapidibus obrutus animam efflaret, *Domine* ait, *ne statuas illis hoc peccatum.* Quod ipsum precatum fuisse Iacobum Ierosolymitanum antistitem, Apostolum, ac Domini fratrem testatur Isidorus. De Polycarpo verò scribit Eusebius [n] [n lib. 4. hist. c. 14.] eum ministris qui ad se rapiendum ad necem aduenerant, sereno placidóque vultu occurrisse, *& primum mensam illis apponi iussisse, deinde orasse, vt cibum large, & affatim sumerent, vnamq; horam, qua liberè orationi vacaret, postulasse.*

XVI. Beatissimus verò Cyprianus cum capite obtruncandus esset, iussisse fertur [o] [o in actis sui martyr.] speculatori suo aureos quinque supra viginti dari, adeo etiam inimicis benefaciendum esse, viri sanctissimi existimarunt. ἀγαθοποιΐα autem quam in præsentia nominat Petrus, hanc præcipuè beneficentiam significat, de qua hunc in modum loquitur Chrysostomus [a], [a hom. 18 in Matth.] *Medici*, inquit, *quando iniuriis, & calcibus læduntur furentium, tunc illorum magis miserentur, tunc maximè ad reddendam illis sanitatem parantur. Et tu igitur de inimicis eandem itineto sententiam, sicq; vtere tibi iniuriari cupientibus: illi namque sunt maximè ægroti.* Alibi [b] [b ho. 5. in 1. ep. ad Cor.] verò exemplo Ioseph rem eandem confirmat, additque inimicos, & qui alios lædunt, dignos potius esse commiseratione, quàm probris, & maledictis.

XVII. *Quinetiam*, inquit, *Ioseph licet venditus, & seruus effectus esset, atque in vincula coniectus, ne sic quidem tamen acerbum aduersus eos, à quibus læsus fuerat, verbum emisit. Sed quid ait? furtim sublatus sum de terra Hebræorum. nec addit à quo: pudet enim eum malorum fratrum magis, quam eos ipsos, qui hæc perpetrauerant. Eodem modo nos quoque affici conuenit, vt pro iis, qui nobis iniuriam inferunt, vehementius angamur, quam illi ipsimet: detrimentum enim ad illos redundat.* Illico verò eleganti similitudine hanc ipsam sententiam illustrat, *quemadmodum enim*, ait, *qui clauos calcibus impetunt, eoque nomine gloriantur, huiusmodi furoris ergo commiseratione, & lachrymis digni sunt, eodem modo qui eos lædunt, à quibus nihil iniuriæ acceperunt, multis lamentis, ac fletibus potius, quā execrationibus digni sunt, vt qui suas ipsimet animas feriāt.*

XVIII. Cùm itaque Petrus animaduerteret plurima à Gentilibus imminere pericula, ad patientiam hac tota Epistola fideles vehementer hortatur, idque hoc potissimum capite quam accuratissimè facit, & cum in C initio Christi exemplum proposuisset, de quo suprà [c] [c cap. 2. 23.] dixerat, *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*; eius eximiam patientiam imitandam proponit, cum animas in benefactis Deo commendandas esse monet: hac enim maxima ratione Deus conciliatur, & precibus nostris benignè annuit, qui apud Matthæum benefaciendum præcepit iis, qui nos oderunt, & orandūm pro persequentibus, & calumniantibus nos, ingenti proposito præmio, *Vt sitis*, inquit, *filij Patris vestri, qui in cœlis est.*

XIX. Quo spectans Leo Pontifex [d], [d serm. 1. omn. Sanct.] *misericordem te*, ait, *misericordia, iustum vult te esse iustitia, vt in creatura sua creator appareat, & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.* Neque aliter sentisse videtur Chrysologus [e], [e serm. 38.] *Non dedignetur*, ait, D *seruus hoc accipere à conseruis, quod Dominus à seruis, & pro seruis accepit. Palmis faciem non negauit; tollenti tunicam, & pallium dimisit, & corpus; angariantem se ad laborem libens secutus est ad mortem. si dignum pati duxit Dominus, quomodo videtur indignum, pati seruum?*

XX. Hæc autem omnia præcepta superioribus capitibus non semel inculcauerat præsertim cum proximo capite dixit, *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.* Denique vt finem aliquando faciam, ex hoc loco colligas ita diuinam gratiam implorandam, vt subiiciatur tamen liberi nostri arbitrij qualiscunque conatus. Idcirco enim ait Deo animas commendandas, quod pertinet ad impetrandam gratiam, & addit, *in benefactis*, vt liberi arbitrij conatum indicet. Tametsi enim nihil boni agere potest liberum arbitrium, quod ad salutem E pertineat vitæ æternæ, sine Deo vt loquitur Augustinus [f], [f li. de gratia & lib. arbit. c. 17.] *vel operante, vt velimus, vel cooperante cum volumus*; hoc tamen diuinum auxilium non planè dormientibus, aut otiosis tribuitur, cum vt Patres Tridentini Concilij docent [g], [g sess. 6. Can. 4.] liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum Deo excitanti, atque vocanti assentiendo cooperetur.

Quinti Capitis Argumentum.

VNIVERSAM Epistolam non paucis morum præceptis concludit, præcipuè verò Ecclesiæ Præsules sui muneris admonet, iisque rectam Ecclesiasticæ administrationis rationem, præscribit. Adolescentibus autem modestiam, & Christianam humilitatem in primis sectandam proponit: cunctos denique fideles ad vigilantiam, ac sobrietatem hortatur; & pereleganti Epilogo Epistolæ finem imponit.

CAPVT V.

1 *SENIORES ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, & eius, quæ in futuro reuelanda est gloria communicator.*

2 *Pascite qui in vobis est gregem Dei prouidentes non coactè sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè.*

3 *Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

4 *Et cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

5 *Similiter Adolescentes subditi estote Senioribus, omnes autem inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

6 *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.*

7 *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.*

8 *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.*

9 *Cui resistite fortes in fide, scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.*

PARAPHRASIS.

EGo verò Episcopos, vósque omnes, qui siue ratione ætatis, siue ratione muneris Ecclesiastici aliis præfecti estis, obsecro, atque obtestor in Domino vester Coepiscopus, & afflictionum Christi Domini, non verbo tantùm, sed rerum aduersarum tolerantia testis, idémque sempiternæ gloriæ particeps, quæ aliquando patefiet. ¶ Obsecro inquam, vt quantùm in vobis est, omni studio, ac sollicitudine Dominici gregis vobis commissi curam agatis, non quasi per vim imperium, atque dominationem affectantes, nec tanquam repugnantes, sed sponte, ac libentes, non turpe lucrum quærentes, sed animo propenso, & ad id, quod est è re maximè intento. ¶ Neque ferocius, aut imperiosius, quasi Tyrannidem in subiectos, præcipuéque in Clericos exercentes, sed date potius operam, vt quasi vitæ, morúmque exemplaria ab omnibus suspiciamini. ¶ Sic enim habetote, cùm Princeps ille Pastorum, qui vos Ecclesiæ suæ præfecit in omnium sese mortalium conspectum dabit, fore, vt vos immortalitatis perenni, atque incorruptibili corona redimiti, quasi stellæ in omnem æternitatem fulgeatis. ¶ Vos verò, qui seu ætate, seu munere Senioribus subestis, iis facilè vos obsequentes exhibete, adeò vt omnes alij, aliis vicissim prompto, atque hilari animo subiiciamini. Omnes verò Christianam modestiam, atque humilitatem in animo penitus infixam habetote, siquidem, vt nostis, superbis Deus obluctatur, eósque deprimit, ac deiicit, humilibus autem vberem gratiam largitur. ¶ Itaque humili, ac demisso animo diuinam omnipotentiam agnoscite, eamque, qua par est veneratione, colite, vt vos opportuno, ac præfixo tempore eo, quo par est, honore extollat. ¶ Omni videlicet cura, rerúmque vestrarum sollicitudine in eum coniecta, certos enim vos esse oportet vos illi cordi, & curæ esse. ¶ Sobrietatem porrò, ac vigilantiam in primis colite, certi accerrimum humani generis hostem, malorúmque omnium auctorem Dæmonem rugiẽtis, ac ferocientis leonis instar obambulare sedulò quærẽtem, quem in fraudem inducat, & suis quodammodo immensis faucibus deglutiat ¶ Ei vos forti constantíque animo fidei veluti clypeo, seu lorica tecti strenuè obsistite, gnari iisdem propemodum

rebus aduersis reliquos omnes fideles,qui vbique gentium degunt, iisdémque tentationibus oppugnari, & quodammodo perfici. ¶ Deus autem cœlestis gratiæ, bonorúmque omnium Auctor, qui nos ad æternæ suæ gloriæ, immensǽque beatitudinis participationem Christi Iesu beneficio vocauit his modicis, ac perexiguis molestiis exercitos instaurabit, fulciet, roborabit,atque stabiliet. ¶ Ipsi autem immortali Deo gloria, atque imperium in omnem æternitatem iure optimo debetur, & cœlestium mentium, bonorúmque omnium prædicatione celebratur. Amen. ¶ Syluano fideli fratri, hanc, vt arbitror, perbreuem Epistolam dictaui (vel ad vos perferendam dedi) in qua & hortatus sum, & asseueranter testatus hanc fidem, ac religionem, quam complexi estis, & in qua Dei beneficio statis, veram esse Dei legem, quæ cœlestem gratiam afferat, & ad beatam vitam aditum, referet. ¶ Romana sanè Ecclesia diuinæ electionis non aliter, ac vos consors, & particeps vnà cum Marco filio meo plurimam vobis salutem dicit. ¶ Vos verò mutuò vos pro recepta fidelium consuetudine caritatis osculo consalutate. Interim ego vobis omnibus, qui Christo Iesu nomina dedistis Christianam pacem ex animo opto. Amen.

10 *Deus autem omnis gratia, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*

11 *Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

12 *Per Syluanum fidelem fratrem vobis,vt arbitror,breuiter scripsi,obsecrans,& contestans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.*

13 *Salutat vos Ecclesia,quæ est in Babylone coëlecta,& Marcus filius meus.*

14 *Salutate inuicem in osculo sancto, gratia vobis omnibus,qui estis in Christo Iesu. Amen.*

IN CAPVT QVINTVM
EXPLANATIO.

1. *Seniores ergo,qui in vobis sunt,obsecro consenior, & testis Christi passionum,& eius,quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator.*]

I. SENIORES Græcè, Πρεσβυτέρους, videri posset Apostolus de ætate agere, cùm paulò pòst senioribus, iuniores opponat, Græcè enim dixit νεώτεροι, neque videri debet alienum,quòd hoc loco præcipit Petrus, nam senum quidem præesse, remque publicam administrare proprium est. Adolescentum verò parere, ac
a Num.11.16 subesse. Ita olim Deus [a], cum Iudæorum senatum vellet instituere, *Congrega mihi*, inquit, *septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac*
b li.19.Mor. *magistri*: quanquam Gregorius [b] non tam ad anno-
c.11 aliàs 13. rum numerum, quam ad mentis senectutem refert. Ita enim ait, *Senes vero scriptura sacra vocare consueuit non eos, qui sola quantitate temporum, sed morum gran-*
c Sap. 4. *dauitate maturi sunt. Vnde per quendam [c] sapientem dicitur. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neq; numero annorum computata; cani autem, sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.*

II. Mox verò,allatis verbis Mosis modo à nobis propositis subiicit: *In quibus quid aliud, quàm senectus cordis requiritur, cum tales iubentur eligi, qui senes esse sciuntur? si enim senectus in eis corporis quæreretur, à tantis sciri poterant, à quantis videri. dum vero dicitur; quos tu*
A *nosti, quòd senes populi sunt, profectò liquet quia senectus mentis, non corporis eligenda nunciatur.* Nec dubium est senilem ætatem obseruantia, & veneratione dignam, atque ad gerendam rempublicam maximè idoneam censeri. Itaque senatum à senibus vocatum fuisse, apud M. Tullium [a] testa- a In Cat.siue
tur Cato; & senatores ob ætatem, & Reipublicæ de senect.
Patres ob sollicitudinem appellatos esse, auctor est Isidorus. Iam verò Dionysius [b], Alicarnassius *lon-* b lib. 2. Ali-
genos, ait, *& optimos viros senes videntur prisci ap-* carnasseus.
pellasse: & Anacletus [c] Presbyteros ait non propter c ep. 2. habe-
decrepitam ætatem, sed propter sapientiam no- tur.dist.84.
minari, eamque ob causam in sacris literis Abra- c. final.
hamum omnium primum senem vocari, qui tamen maiorum suorum ætatem; ne longo quidem
B attigerat interuallo. Salomon [d] denique, vt est apud d Sap 4.
Septuaginta, hominum caniciem prudentia definit, quæ maximè viget in senibus, quos longo rerum vsu ductos, multa cognoscere, ac mente retinere necesse est.

Atque ita apud Iobum [e] legimus, *Annorum mul-* III.
titudo doceret sapientiam; quocirca Sapiens [f] seni po- e cap. 32.
tissimum in conuiuio loquendum esse monet, dum f Eccl. 32. 4.
ait, *Loquere maior natu*, Græcè πρεσβύτε; *decet enim te.*
Et apud Danielem g. Senatus Iudæorum Danielem g cap. 13. 50.
adolescentem his verbis affatur, *Veni,& sede in medio nostrum,& indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis;*

neclunis; hoc est sapientiam ad iudicium exercen- A
dum in primis necessariam.

II. Sed quamquam hæc omnia verissima sunt, nihil
dubito tamen Presbyterorum nomen hoc loco ad
Ecclesiasticum Magistratum referri: quæ est Hiero-
a epist. 85. nymi [a] sententia, qui cum ex aliis locis, tum ex hoc
potissimum probat Presbyteri nomen etiam ad Epi-
scopos pertinere: nam de Episcoporum munere lo-
qui in præsentia Petrum, indicat Græca vox, qua non
ita multo post vtitur, cum ait prouidentes nõ coactè,
Græcè ἐπισκοποῦντες. Oecumenius certè tũ ad ætatem,
tum etiam ad officium Presbyteri nomen refert, id-
b cap. 20. que probat ex Actis Apostolicis [b]. Cum enim Paulus
Presbyteros alloqueretur, quos Epheso Miletũ euo-
cauerat. *In quo*, inquit, *posuit vos Spiritus sanctus Episco-
pos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* B

III. Adde quod Paulus Titum [c] monet, vt constituat
c ad Tit. 1. Presbyteros per ciuitates, confestim verò quasi expli-
cans de quibus Presbyteris loquatur. *Oportet*, inquit,
d ep. 1. c. 4. *Episcopum irreprehensibilem esse.* Et ad Timotheum [d].
Noli, ait, *negligere gratiam, quæ tibi data est per imposi-
tionem manuum Presbyterij*; procul dubio enim de ma-
nuũm impositione loquitur, quæ in Episcopi initia-
tione ex traditione Apostolica, adhiberi solet. Hanc
ob caussam vocat se Petrus Compresbyterum, &
Ioannes Apostolus se Presbyterum nominat. Quippe
in Episcopatu Presbyteri ordo clauditur, multo aliter
quàm inferiores ordines in superiori: si quidem hi
nonnisi humano iure superiori præponendi sunt, at-
que idcirco (quod luculenter in scholis Theologi do-
cent.) si omisso inferiori superior ordo suscipiatur, ra- C
tus erit, ac firmus, sed inferior tantùm ordo assumen-
dus erit. Ac si Episcopus nondum suscepto Presby-
teratu initietur, nihil penitus efficere potest, vt pla-
nius traditur in scholis.

IV. Itaque Petrus Episcopos hoc loco sui monet offi-
cij; vtque oratio vim, atque auctoritatem habeat pri-
mum quidem vtitur obsecrandi verbo, qui simplici-
ter posset pro sui muneris ratione imperare. Dixit au-
tem Græcè παρακαλῶ, quod possis etiam Latinè red-
dere, adhortor, maluit autem Interpres, vti obsecran-
di verbo, quo etiam vsus erat in persimili sententia in
e cap. 4. posteriori ad Timotheum [e] epistola, vbi enim ipse
Latinè dixit, obsecra, Græcè scripsit Paulus παρακάλε-
σον. Est autem hoc imperandi genus cùm modestum,
tum apud prudentes & cordatos in primis efficax. D

V. Sic Paulus ad Philemonẽ ait. *Propter quod multam
fiduciã habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem
pertinet propter caritatem magis obsecro.* Ita videas impe-
rij Apostolici leuitatem, ac facilitatem. Hoc enim in-
f cap. 20. 25. sinuauerat Christus, cum apud [f] Matthæũ dixit. *Sci-
tis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui ma-
iores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos,
sed quicumque voluerit inter vos maior esse, sit vester mi-
nister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester ser-
uus.* quod apertè aliquanto post Petrus ipse monet,
cum ait, *non dominantes in Cleris.*

VI. Deinde muneris sui dignitatem commendat, ait
enim; *Consenior, & testis Christi passionũ, qui, & eius, quæ
in futuro reuelanda est, gloriæ communicator.* Tria autem
sibi potissimùm sumit. Primùm enim se vocat Com- E
presbyterum, hoc est Coepiscopũ, vt Christianæ mo-
destiæ, atq; Apostolicæ humilitatis exemplũ præbeat,
qui iure posset se Episcoporũ Episcopum, & Ecclesiæ
Principem appellare, ei siquidem dictum est à Domi-
g Luc. 22. 32. no [g]. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu ali-
quando conuersus confirma fratres tuos.* Et apud Ioan-
h cap. 21. nem [h] agnos, & oues pascendos suscepit. Quocirca
tametsi Petri successores suũ agnoscunt in vniuersam
Ecclesiam principatum, merito tamen cæteros infe-
riores Episcopos fratres, & Coepiscopos nominant:

A Ita olim Gregorius [a] non modestè solùm, sed etiam IX.
verè Episcopi vniuersalis nomen tamquam propha- a lib. 4. re-
num, & sacrilegum detestatur, perinde enim Sanctis- gesti ep. 32.
simus Pontifex hoc nomen accipit, quasi cæteri om-
nes Episcopi præter nudum nomen nulla sint aucto-
ritate præditi, itaque [b] ait. *Triste valde est, vt patien-* b lib. 4. re-
ter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater, gest. 34. ad
& Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Et Constãtium.
alibi [c]. *Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriar-* c ep. 36. ad Eulog.
charum nomen cæteris derogatur. Rursus [d] alio loco. *Si* d lib. 7. ep.
vnus vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis. 69. ad Euseb.

X. Alioqui non ignorabat in Concilio Calcedonensi
Leonem Põtificem Sanctissimum, & Beatissimũ Vni-
uersalem Archiepiscopum, & Patriarcham magnæ
Romæ appellari. Calcedonense autem Concilium
B Sanctum, & Catholicum fuisse vbique Gregorius as-
firmat. Si igitur Romanus Pontifex Ecclesiæ vniuer-
sæ curam gerit, meritò Ecclesiæ vniuersalis Episco-
pus, & vniuersalis item Episcopus nuncupatur. Quo e epist. 2.
nomine Sixtus [e] Primus, Victor [f] item Primus, Pon- f epist. 1.
tianus [g], Stephanus [h] Primus, Leo [i] denique Pri- g epist. 2. h epist. 2.
mus sese citra vllam culpam appellarunt. Quod non i epist. 54.
potuit Gregorius ignorare. 62. 65.

XI. Sapienter autem ille nominis ambitionem suspe-
ctam habuit, cum præsertim eo tempore ambigere-
tur, vtrum hoc nomen Catholici Episcopi Ioanni
Constantinopolitano Episcopo, qui id nominis sibi
arroganter vsurpabat, permittendum esset. Atque id-
circo Gregorius superbum, sacrilegum, ac propha-
num nomen appellat, si Patriarchæ Constantinopo-
C litano tribuatur, & ob eam causam, ne sibi quidem
hoc nomen tribui voluit, non quòd non agnosceret
sibi iure deberi, sed vt hac ratione impudentissimi
hominis arrogantiam suæ modestiæ exemplo faci-
lius retunderet.

XII. Quam ob rem ineptè quidam [k], atque omnino
falsò scriptum reliquit, vniuersalem Episcopum, ne k Grat. dist.
Romanum quidem Episcopum vocari, nisi fortè hoc 99 can. Bea-
nomen accipiat, vt cæteris inferioribus Episcopis tæ sedis.
omnis detrahatur auctoritas. Fateor interdum vni-
uersalem Episcopatum dici priuatis Episcopis diui-
nitus creditum. Nam Clemens [l] Romanus, Catholi- l lib. 6. con-
cos Episcopos his verbis alloquitur. *Scripsimus vobis* stit. c. 14
*Catholicam hanc doctrinam ad confirmandos vos, quibus
vniuersalis Episcopatus commissus est.* Sed hoc nihil si-
D gnificat aliud, quàm vnam esse Ecclesiã Catholicam,
cui Episcopi priuatim suæ cuique parti præsunt.

XIII. Quod egregiè explicans Cyprianus [m], ait. *Hanc
Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit: qui* m lib. de v-
Ecclesiæ renititur, & resistit? qui cathedram Petri, super nit. Eccles.
*quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confi-
dit? Quando & B. Paulus Apostolus hoc idem doceat, &
Sacramentum vnitatis ostendat, dicens, Vnum corpus, &
vnus Spiritus, vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus,
vna fides, vnum baptisma, vnus Deus? Quam vnitatem
firmiter tenere, & vindicare debemus maximè Episcopi, qui
in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque vnum, atq;
indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mẽdaciter fallat,
nemo fidei veritatẽ perfida præuaricatione corrũpat. Epi-
scopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.*

XIV. E Quo modo alibi [n] dixerat. *Cum singulis pastoribus
portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque, & gu-* n epist. 55.
bernet, rationem sui actus Domino redditurus. Addo alia
quapiam ratione dici posse priuatos Episcopos Ec-
clesiæ Catholicæ præesse, quia singulæ Ecclesię fidem
Catholicam profitentur; & Episcopi, qui rectè præ-
sunt Catholicæ Ecclesiæ siue doctrina, siue exemplo
prosunt. Qua ratione Gregorius [o] Naxianzenus. *Cre-* o Orat. in S.
ditur, inquit, *illi populi Alexandrini præsidentia, quod* Athanasiũ.
*perinde est ac si dicam totius orbis præfectura. Id est sic præ-
fuit, vt vniuersis præesset, quia fides, quam ille sartam*

ecclesiam defendit ad omnes spectat. Et cum de Sancto A Cypriano [a] agit. *Non enim soli Carthaginensi Ecclesiæ præfuit, aut Africæ, quæ merito eius, vsque in hodiernum diem celebratur, sed vniuerso Occidenti, imo Orienti ferè ipsi, & Meridiei, ac Septentrioni, quocumque ille admiratione sui peruenit.*

a Orat. in S. Cyprianum.

XV. Maneat igitur quod in præsentia affirmat Petrus Episcopos omnes ordinis charactere prorsùs esse æquales, ac propterea meritò Petrum se Compresbyterum, & Coepiscopum nominare. Nam ob hanc causam dixit olim Cyprianus [b]. *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur.* quo etiam modo loquitur Hieronymus [c]. *Super Petrum, ait, fundatur Ecclesia. Et licet id* B *ipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Et alibi [d]. *Quid Platoni, & Petro? vt ille Princeps Philosophorum, ita hic Apostolorum fuit.* Sed ratione potestatis, quæ dicitur ordinis Petrus Coepiscopus, & Compresbyter dicitur cæterorum.

b epist. 55. ad Cornel.

c lib. 1. contra Iouin.

d lib. 1. con. Pelagian.

XVI. Addit, *& testis Christi passionum*, quo nomine vt alibi [e] dixi Apostolicum munus describit. Sunt enim Apostoli oculati testes & mortis, & resurrectionis Christi. Quocirca Ioannes his verbis suam exorditur primam epistolam. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, quod vidimus, & au-* C *diuimus annunciamus vobis.* Testantur porrò Apostoli Christum pro hominum salute mortē obiisse, & tertia die ad superos remeasse: bifariam autem dicuntur Apostoli testes passionum Christi, tum quia ea narrabant, quæ viderant oculis, tum quia pro ea acerbissima quæque forti, & constanti animo tolerabāt, quod propriè martyrium, hoc est testimonium, nuncupatur. Ita enim Christus apud Matthæum [f] dixit. *Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides, & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.*

e dispu. de mun. Apost.

f cap. 10. 17.

XVII. Quapropter frequenter Paulus sua commemorat vincula, flagella, aliaque plurima incommoda, quæ pro Christo perpeti cogebatur. Rectè verò hoc cum Apostolico munere coniungitur, cum enim Christus D Dominus apud Ioannem [g] Petro summum Pontificatum concessisset, statim addidit mortis comminationem. *Amen amen, inquit, dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Ne possent autem hæc verba aliorsum trahi, statim addit Euangelista. *Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.*

g cap. 21. 18.

XVIII. Pro magno autem decore, atque ornamento olim habebatur, si quis pro Christi nomine supplicia vel tolerasset, vel certè non formidasset. Quam ob causam Tertullianus, & Cyprianus miris laudibus extollunt eos, qui pro Christo torti, vexatique fuerant, vel ad supplicia destinati detinebantur in vinculis. Ita Petrus hoc etiam nomine sibi, suæque orationi auctoritatem conciliat. Iam verò monet hoc loco Oecumenius suo exemplo Apostolum cæteros ad modestiam, & Christianam humilitatem hortari, perinde enim hæc esse accipienda, ac si dicat Apostolus. *Si ego qui talium miraculorū spectator fui, atque eorū vobis præceptor sum, non dedignor Cōpresbyterum, & Sociū vestrū me ipsū vocare, neque vos supra illos efferri, qui sub vobis sunt, debetis. Quippe cum etiā Christus huius Magister, cum humilitatē doceret, dixerit* [h]. *Si ego Dominus, & Magister laui vobis pedes, sic & vos alterius lauare pedes debetis.*

h Ioan. 13.

XIX. Postremò addit; *Et eius, quæ in futuro reuelanda est,* A *gloriæ communicator*, Græcè κοινωνός, hoc est Consors, & Particeps, vt videlicet indicet, quoniam Christiana humilitas euehenda sit, quasi dicat, Qui vester sum in Ecclesiastica administratione socius, quique voce, & vitæ rationibus Euangelium promulgo, Christique œconomiam, quantum in me est, apud omnes gentes, ac nationes fidem facio, atque hac me potissimùm spe sustento, quod diuina pollicitatione nixus immortalis, sempiternæque gloriæ participem me aliquando futurum confido. Spectabat nimirum Petrus diuinam illam Christi pollicitationem, quæ apud Matthæum [a] his verbis exprimitur. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super* B *sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.*

a cap. 19. 28.

XX. Quò etiam spectasse visus est Paulus, cum ad Romanos [b] scripsit. *Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt conglorificemur. Existimo enim, quod non sunt cōdigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Reuelandam porrò dixit gloriam, seu claritatem, est enim Græcè δόξα, quia, vt ait Ioannes [c], *non dum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et Paulus [d]. *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et alio loco [e]. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tamquam à Domini Spiritu.*

b cap. 8. 17.

c ep. 1. c. 3. 2.

d ad Colos. 3. 4.

e 2. ad Cor. 3. 18.

XXI. C Nunc igitur obscurè, beneficio fidei, ea mente cōplectimur, quæ iustos in illa beatorum sede manent, obscuritati verò fidei, succedet beatus intuitus, cùm vi luminis gloriæ patefient ea, quæ nunc, *neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascēderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Tunc enim re ipsa præstabitur, quod olim Christus Dominus de seruo fideli [f] pronunciauit. *Dico vobis, ait, quoniam super omnia bona sua constituet eum.*

f Matth. 24. 47.

XXII. Illa verò gloria, quia quamdiu inter mortales viuimus non satis percipi à nobis potest, pluribus nominibus in sacris litteris describitur. Nam interdum dicitur regnum, quo explenda est naturalis imperādi cupiditas, atque idcirco Christus [g] pauperibus spiritu, & persecutiones propter iustitiam patientibus, cœ- D leste regnum pollicetur. Aliàs ad hoc nostrum exilium subleuandum ciuitas, ac patria nuncupatur; de qua Paulus [h]. *Accessistis, inquit, ad ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem.* Rursus [i]. *Non enim habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*; sæpe vocatur domus Dei, de qua Christus apud Ioannem [k]. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; nonnunquam dicitur Paradisus, sic Paulus [l]. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum in tertium cœlum*; & paulo post, *raptum in Paradisum.* Et Christus latroni de cruce pendenti Paradisum pollicetur. *Hodie*, inquit, *mecum eris in Paradiso.*

g Matth. 5.

h ad Hebr. 12. 22.

i cap. 13. 14.

k cap. 14.

l 2. ad Cor. 12. 2.

XXIII. Mitto alia penè sexcenta symbolica, & metaphorica nomina, quibus cœlestis illa gloria describitur: appellatur enim aliquando thesaurus, & margarita [m] E pretiosa, denarius [n] diurnus, gaudium [o] Domini, cœna [p] magna, nuptiæ [q], brauium [r], corona [s], quæ omnia satis ostendunt bona illa cœlestis gloriæ ingentia esse, nunc tamen latere, sed aliquando tamen electis, ac prædestinatis palàm proponenda esse.

m Matth. 13.

n Matth. 20.

o Matth. 25.

p Luc. 14.

q Matth. 25.

r 1. ad Cor. 9. & ad Philip. 3.

XXIV. Cæterùm Petrus se eius gloriæ participem esse affirmat, spe videlicet, atque expectatione, quæ, vt ait Paulus, *non confundit*, hoc est non afficit pudore, nititur enim meritis Christi, quorum vis est infinita, & diuinæ gratiæ efficacitate, cuius Apostolus eximio quodam, ac singulari Dei priuilegio certa, & minimè dubia

s 1. ad Cor. 9. & 2. ad Timot. 4.

dubia effecta, adhuc mortalitate circumdatus, experiebatur. Quocirca fidēter admodùm eius ſe gloriæ, quæ reuelanda eſt, cōpotem eſſe affirmat, qua ratione orationi ſuæ incredibilem conciliat auctoritatem:

XXV. Spectabat autē, ni fallor, diuinas illas Chriſti pollicitationes [a]. *Merces veſtra copioſa eſt in cœlis: & triſtitia* [b] *veſtra vertetur in gaudium.* [a Matth. 5. b Io. 16.] Nam & Paulus hac eadem ſpe confirmatus erigebatur in aduerſis, cum [c] diceret. [c 2. ad Tim. 4.] *Bonū certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quā reddet mihi Dominus in die illa iuſtus iudex.* Hoc autem merito poterant ſibi certo Apoſtoli polliceri, qui ſuam electionem, ac prædeſtinationem diuinitùs agnouerant. Cæteris autem omnibus non ſine aliquo timore, ac formidine ſperanda eſt immortalis illa, & beata vita.

XXVI. Quamobrem Paulus alicubi [d] ait. *Noli altum ſapere, ſed time.* [d ad Rom. 11. 20.] Et Ioannes [e] Epiſcopum Philadelphiæ admonet his planè verbis. [e Apoc. 3. 11.] *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam.* Addit autem Petrus hanc gloriam in futuro eſſe reuelandam, ne quis in hac mortalitate gloriam, aut beatam vitam quærat. Hîc enim quamdiu viuimus laborandū, ſudandum, præliandum, cum domeſticis, atque externis hoſtibus continenter, vſque ad extremum vitæ ſpiritum dimicandum eſt, præmium laboris, & victoriæ alteri vitæ reſeruatur.

2. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum. neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè.*]

I. Munus Epiſcopi paucissimis verbis, eiuſque conditiones deſcribit. *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei.* Paſcendi verbum regium eſſe, ſi metaphoricè ſumatur, nemo ignorat. Sic enim prophani ſcriptores non rarò loquuntur. Illud etiam libenter conceſſerim nonnunquam in ſacris litteris ad regiam dignitatem ſignificandam referri. Nam Dauid. [f] [f Pſal. 77. 7.] *Elegit, ait, Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium. de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum, & Iſraël hereditatem ſuam.* Sed ea ſignificatio neque perpetua eſt, neque propria, vt enim nihil dicam de ſcriptoribus prophanis; ſexcentis locis ſcripturæ ſacræ, paſcendi verbum de gregum, & armentorum paſtoribus propriè accipitur. Metaphoricè autem, atque impropriè ad Principes, ſiue laicos, ſiue Eccleſiaſticos transfertur, & ad hos quidem frequentiſſimè, vt penè propriè Epiſcopi Paſtores nuncupentur, ad illos verò rariùs, ac minus propriè.

II. Aliquando tamen ad regiam dignitatem refertur, ſic enim dixit Matthæus [g]. [g cap. 2. 6.] *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël*, Græcè eſt ποιμανεῖ. Apud Michæam [h] verò, vnde id vaticinium deſumptum eſt, [h cap. 5.] Hebræa vox ſignificat dominari: Et in Apocalypſi [i]. [i cap. 19. 15.] *Ipſe, inquit, reget eas in virga ferrea*, Græcè ποιμανεῖ, hoc eſt paſcet.

III. Igitur qui ex hoc paſcendi verbo, cum Chriſtus Dominus apud Ioannem [k] Petro dixit: [k cap. 21. 15. 16. 17.] *Paſce agnos, & paſce oues*; colligunt Petro, eiuſque ſucceſſoribus totius orbis terræ imperium, ac dominatum fuiſſe conceſſum, perperam argumentantur, vitioſéque concludunt, & denique priſcis omnibus Patribus aduerſantur. Ita autem homines acuti, & minimè mali colligunt, paſcendi verbum imperium indicat, cui igitur paſcendi munus imponitur, imperandi, ac dominandi tribuitur auctoritas. Verùm quod hoc enthymemate ſumitur, ponitúrque tanquam certum, tam eſt falſum, atque abſurdum, vt nulla confutatione indigeat. Vt enim modò indicaui, ſi vocis proprietas ſpectetur, paſcendi verbū proprium eſt Paſtorum; qui greges, aut armenta pecudum paſcunt: cùm verò metaphoricè vſurpatur non ſemper imperium, ac do-

A minium indicat, vt vel ex hoc Petri loco meridiana luce clarius perſpicitur: monet enim Petrus, vt Epiſcopi gregem Dei paſcant, quibus tamen non ita multo poſt dominandi facultatem adimit, dùm ait, *Neque, vt dominantes in Cleris.* Et denique Epiſcopis hoc ipſo quòd Epiſcopi ſunt, hoc eſt ſacris initiati, nemo dominium tribuat, niſi qui planè deſipiat, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis vim, ac rationem penitùs ignoret.

IV. Quòd ſi hoc verbum præter dominandi vim, aliud poteſt ſignificare, multóque frequentius, & quaſi propriè Eccleſiaſticæ adminiſtrationi tribuitur, viderint hi, qui aliter ſentiunt, quid illo ſuo Enthymemate, quámque aptè, congruentérque concludant. Certè veteres Patres tum græci, tum latini eo apud B Ioannem loco indicato Eccleſiaſticam præfecturam ſignificari non dubitant. Græcum enim verbum ποίμαινε, ſignificat paſcere, non quocumque modo, ſed cum quodam imperio, quod ſuo modo Eccleſiaſticis Præſulibus, & Regibus, ac Principibus poteſt eſſe commune, itaque Chryſoſtomus [a] præfecturam, atque officium Petro tribui non ſemel inculcat, idque probat ex illis Chriſti verbis apud Matthæum [b]. [a lib. 2. de Sacerdotio. b cap. 24. 45.] *Quis putas eſt fidelis ſeruus; ac prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Eccleſiaſticam autem & ſpiritualem præfecturam procul dubio intelligit, de qua etiam loquitur Auguſtinus [c]. [c in Ioan. c. 21.] *Oues*, inquit, *ipſas paſcendas, id eſt docendas, regendaſque committit.* Gregorius [d] autem Paſtores vocat Rectores, & curam paſtoralem regimen, & culmen regiminis; deni- [d lib. de cur. Paſtor.] C que paſcere, regere, ac præeſſe interpretatur. Sed cum hæc Eccleſiaſtica adminiſtratio, vt imperium, & auctoritatem exigat, non tamen Laicum, & ſæculare dominium neceſſario poſtulet, qui eiuſmodi dominatum Petro, eiuſque ſucceſſoribus aſſerunt, ſi eo Ioannis loco nitantur, fruſtra laborāt, & vt leuiſſimè dicam, imperitiam ſuam produnt.

V. Sed mirum fortaſſe cuipiam videatur, cur Petrus Presbyteros hortetur, vt gregem ſuum paſcant, cum vni Petro oues dominicæ paſcendæ traditæ ſint. Certè enim apud Ioannem Petrus proprio nomine appellatur, *Simon Ioannis*, vt ea Chriſti oratio ad vnum Petrum referenda videatur. Nam idem Petrus interrogatur an Chriſtum diligat. Idque tertiò, vt trina Petri negatio, trina itidem amoris confeſſione D deleatur, vt Cyprianus, & Auguſtinus obſeruarunt; atque ob id mœrore Petrus, triſtitiaque afficitur; Petri denique mors verbis illis deſcribitur. *Cum autem ſenueris, alius cinget te, & ducet quo tu non vis.* Quo ex loco hæreticorum [e] Princeps ſtultè, atque imperitè [e Caluin.] colligit, vel ea verba ad omnes Apoſtolos pertinere, quibus Chriſtus agnos, atque oues Paſtoribus cōmiſit, vel in præſentia Petrum ius ſuum in alios quoque Epiſcopos trāſtuliſſe. Sed apertiſſimè vt modo dixi, indicat Ioannes, vni Petro omnes Chriſti oues, gregémque vniuerſum regendū, paſcendumque traditū eſſe; Sic enim loquitur Maximus [f]. [f Serm. de Apoſt. Petr. & Paul.] *Hic eſt, inquit, Petrus, cui Chriſtus aſcenſurus ad Patrem, paſcendas auiculas ſuas, oueſque cōmiſit.* Et Leo [g] Pontifex; *Cui*, (de Petro loquitur) [g ep. 89 ad Epiſcop. Vien. Prouin.] *cum præ ceteris ſoluendi, & ligandi poteſtas trādita ſit, E paſcendarum tamen ouium cura ſpecialis mandata eſt.* Alibi [h] verò. [h Serm. 2. de Nat. Apoſtolorum Petri & Pauli.] *Nam & poſt reſurrectionem ſuam ait Dominus B. Petro Apoſtolo poſt regni claues ad trinam æterni amoris profeſſionem myſtica inſinuatione ter dixit. Paſce oues meas.* Et aliquāto poſt Petrum, ait, à Chriſto Domino totius Eccleſiæ principem conſtitutum. Denique alibi [i] copioſius. [i Serm. 3. de ſuo anniuerſ.] *De toto mundo, inquit, vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cūctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, vt quāuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multiq; Paſtores, omnes tamē propriè regat Petrus, quos principaliter regit.*

Christum. Cæteris igitur inferioribus Episcopis suus cuique priuatus grex pascendus est, ac propterea ait hoc loco Petrus. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* quo

a Act. 20. 28.

modo etiam loquitur Paulus [a]. *In quo*, inquit, *vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

VI. b lib. 2. de Sacerdotio.

At videtur Chrysostomus [b] verba illa Christi. *Pasce oues meas*, ad omnes Episcopos transferre, sic enim de Basilio loquitur. *Tunc ostensurum Basilium eximiam suam dilectionem in Christum, si pascat eius gregem, cum scriptũ sit. Si diligis me, pasce oues meas.* Apertius autem

c lib. de agone Christiano c. 30.

Augustinus [c]. *Cum ei* (hoc est Petro) inquit, *dicitur, omnibus dicitur Amas me, pasce oues meas.* Sed nimirum doctissimi, sanctissimique viri indicant, quod est verissimum, Pastoris curam, ac sollicitudinem suo quodam modo ad omnes Episcopos, & Pastores circumscriptè tamen, ac definitè pertinere. Quod enim vni-B uersim respectu fidelium omnium, dictum est Petro, id etiam priuatim ad singulos spectat Episcopos, qui in partem sollicitudinis vocati, gregis dominici nonnullam partem pascendam, suscipiunt. Quam ob rem rectè ait Petrus, *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, hoc est earum curam ouium suscipite, quæ vestræ prouidentiæ creditæ sunt. Pertinet autem ad Pastores non solùm pabulum ouibus ministrare, sed eas regere, errantes in viam reuocare, & ad ouile, caulasque reducere.

VII. d in sent. nõ procul ab initio.

Egregiè autem munus Pastoris describit Bernardus [d]. *Quantum distat inter Pastorem, & gregem, tantum debet distare inter Episcopum, & plebem; Stat ille sublimis, & rectus, curuat iste caput solo depressum,*

e Ouid.

vnde Poëta [e].

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri.

Ille regit, iste regitur, ille pascit, iste pascitur, vt ex ipsa forma, & habitu vterque discernatur: habet ille in manu virgam, qua feriat, vel potius ducat, & reducat ouem. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, vt subiectos suos exemplo magis instruat, quam verbo? erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præ-

f Act. 1.

cesserint Magistri, vnde & de Domino scriptum [f] *est. Quæ cœpit Iesus facere, & docere. Habet etiam baculum, quo feriat lupum, virga ouem, baculo lupum, hoc est mites, & obedientes debet lenius corripere, duros verò corde, & improbos acrius arguere, cumque necesse fuerit, etiam anathematis sententia ferire. Tenet canem in fune, zelum scilicet*

g ad Rom. 10.

in discretione, ne sit de illis, de quibus scriptum [g] *est, habent zelum (alias æmulationem) Dei, sed non secundum scientiam. Habet etiam Pastor bonus panem in pera, hoc est verbum Dei in memoria.* Nec ita multò pòst planius explicat, quæ sint boni Pastoris partes. *Pastorum,* inquit, *est vigilare super gregem, propter tria necessaria: videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor iustitiæ. In custodia spiritus consilij. In prece affectus compassionis.*

VIII.

Quæ cum ita sint, facilè quiuis intelligat, quantopere Pastoris præsentia sit gregi necessaria. Pascen-E dus est enim grex verbo, & exẽplo, ac propterea Petrus ait. *Pascite, qui in vobis est, gregem.* Hoc est enim, vt ait Hilarius, Pastorum more ouibus præesse. Sunt autem Pastori ea præstanda omnia, quæ paulo ante ex Bernardo commemoraui. Præbet autem Pastor non solùm pabulum ouibus, sed eas etiam à lupis defen-

h cap. 10. 11.

dit; qua ratione Christus [h] apud Ioannem, Pastorem à mercenario distinguit, quod *Pastor animam suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem, & qui non est Pastor, cuius non sunt oues propriæ videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues: Mer-A cenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Hoc non obscurè indicasse videtur Paulus, qui in Actis [a] Apostolicis minoris Asiæ Epi-

a cap. 20. 28.

scopos his verbis hortatur. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi.*

Porrò quod ait Petrus, Qui in vobis est, gregem Dei, Græcè τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον. vulgatus Interpres perinde accipit, quasi Petrus suum cuique gregem pascendum moneat, quasi dicat. Vnusquisque gregem sibi commissum pascat. Fuerũt qui verba illa τὸ ἐν ὑμῖν, ita accipiant, vt Latinè valeant, quantum in vobis est, quod quamquam, si sententiam spectes, verissimè dicitur, nihil enim à Pastore amplius exigitur, quàm quod efficere ipse possit, tamen, vt arbitror, B omnino melius sensit Interpres vulgatus, qui articulum τὸ, coniunxit cum voce ποίμνιον, quæ alioqui Græcè careret articulo, qui ferè omitti non solet. Et re vera idem videtur hoc loco præcipere Petrus, quod in Actis Apostolicis præcepit Paulus, qui dixit. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos.* Obseruauit autem Gregorius Nazianzenus Pastoris munus, & laboriosum, & periculosum esse, quia nullis parcendum est laboribus, sed, vt ait Paulus [b]. Vigilandum in omnibus, laborandum, explendum opus Euangelicum, & Dei verbum prædicandum instanter, opportunè, importunè, & alij quidem arguendi, alij obsecrandi, nonnulli etiam increpandi in omni patientia, & doctrina. Rectè autem ait Nazianzenus [c]. *Sit,* inquit,

IX.

b 2. ad Tim. 4. 5.

c Apolog. 1.

C *aliquis non modo à vitiorum contagione purus, verum ad summum etiã virtutum fastigium euectus. Haud equidem video quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus huiusmodi præfecturã intrepidè suscipere queat. Nã profectò ars quædã artiũ, & scientia scientiarum hominẽ regere, animal omnium maximè variũ, & multiplex.* Quæ verba vsurpasse videtur Gregorius [d] Pontifex, cum dixit. *Ars artium, & scientia scientiarum est regimen animarum.*

d initio Cur. Pastor.

X.

Non dixit autem temerè Petrus; *gregem Dei.* Necesse est enim gregem pascere, tanquam gregem Dei. Christus namque Petro dixit, *Pasce oues*, non tuas, sed *meas.* Sic Paulus loco sæpius indicato. *Regere,* inquit, *Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Et apud Ezechielem [e] Deus ipse quibusdam Pastoribus ex-

e cap. 34. 3.

probrat, quod gregem suum non pascant. *Gregem* D inquit, *meum non pascebatis, dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset Pastor, errauerunt greges mei, facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem; requiram gregem meum.* Et id genus alia non pauca: ita videas oues Pastoribus pascendas non ipsorum, sed Dei esse. Animas enim fideles vocat Deus bona sua, vineam suam, familiam suam, sponsam suam, siquidem pro illis, earumque salute mortalitatem induit, sanguinem fudit, acerbissimam denique mortem obiuit. Meminerint igitur oportet Ecclesiastici Præsules ad se pertinere parabolam talentorum, idcirco enim talenta seruis dicuntur tradita fuisse à Deo, vt opera, & diligentia seruorum fidelium multiplicentur. Nam & ob hanc ipsam causam Apostolos suos, quos ouium suarum Pastores E constituerat, piscatores hominum appellauit, quia videlicet, & infideles ad fidem traducendi, & peccatores ad pœnitentiam adducendi sunt. Hãc ob causam Petrus non ita multo post Christum Dominũ Principem Pastorum appellat; sed hoc interest, quòd ille suas oues pascit, quas creauit, & redemit, de quibus apud Ioannem [f] ait. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Reliqui verò Pastores oues dominicas pascendas susceperunt, vt earum aliquãdo supremo Iudici Deo, ac Domino rationem reddãt. Meritò autẽ addit Petrus, *qui in vobis est,*

f cap. 10. 27.

quasi

quaſi dicat, qui fidei veſtræ creditus eſt, ſui enim cuique Epiſcopo fines præſcripti, certæque Diœceſes attributæ ſunt, vt minimè liceat in alienum veluti patrimonium inuolare. Quamobrem cum olim Sanctus Epiphanius Conſtātinopoli Pontificalia exercuiſſet, iure à Chryſoſtomo eius vrbis Antiſtite caſtigatus eſt, quòd Sacrorum Canonum auctoritatem violaſſet.

XI. Porrò paſcendi modum, ac rationem indicans ait, *prouidentes non coactè*, Græcè ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς. Olim certè vt ex Suida cognoſcimus Athenienſes ad viſendas, atque inſpiciendas vrbes Epiſcopos, hoc eſt inſpectores, ſeu viſitatores mittere conſueuerunt, qui inſpicerent, atque explorarent, num cuncta rectè ſuoque ordine fierent, vt ſi vocis proprietatem ſpectes ἐπισκοπεῖν, & ἐπισκέπτεσθαι, idem valeant, quod apud Latinos viſitare, & inſpiciendo, contemplandoque cognoſcere, qui ſit rerum ſtatus, & conditio, vt hoc ipſo Epiſcopi nomine ſui muneris Præſules admoneantur; Hieronymus [a] Græcam vocem ἐπισκοποῦντες interpretatur ſuperintendentes, quòd Epiſcoporum proprium ſit gregi proſpicere, ac ſedulò conſulere, & vt ait Ambroſius [b], vigilare. *Bene*, inquit, *Paſtores vigilant, quos bonus Paſtor informat*, quo fit, vt ſuo muneri ſatisfacere non queant illi, qui abſque legitima cauſa, atque auctoritate ab Eccleſiis ſuis abſunt, quos Sacroſancta Tridentina [c] Synodus his verbis monet. *Cùm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omniū operum exemplo paſcere, pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis in iudicio, & veritate paſcant, & regant.* Et in eandem ſententiam Gregorius [d]. *Epiſcopi*, inquit, *eſt de prædicationis miniſterio ſemper cogitare, intentiſſimo timore conſiderans, quòd receſſurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta ſeruis diſtribuens dicat* [e]. *Negotiamini dum venio. Quod profectò negotium tunc verò nos agimus, ſi viuendo, & loquendo proximorum animas lucramur; ſi infirmos in ſuperno amore roboramus, ſi proteruos, & tumidos gehennæ ſupplicia terribiliter inſonando flectimus, ſi nulli contra veritatem parcimus, ſi ſupernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus.*

a ep.85. ad Euagr.
b lib. 2. in Luc. cap. 2.
c Seſſ. 23. c. 1 de reform.
d lib. 2. Regeſt. ep. 39.
e Lucæ 19.

XII. Vult autem Apoſtolus hanc prouidentiam, & ſollicitudinem ſpontaneam eſſe, non coactam, atque idcirco ait, *non coactè, ſed ſpontaneè*, Græcè μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως; Oecumenius; *Non coactè, autem*, inquit, *neque inuitus paſcit, qui formam, & exemplar benefaciendo ſe ipſum ſubditis ſuis proponit, atque ita diſcipulos ſuos afficit, vt ad æmulationem Magiſtri inter ſeſe omnes certent*. Beda verò. *Coactè*, inquit, *prouidet gregi, qui propter rerum temporalium penuriam, non habens vnde viuat, idcirco prædicat Euangelium, vt de Euangelio viuere poſſit; ſpontaneè verò, & ſecundum Deum, qui nullius terrenæ rei, ſed tantùm ſupernæ mercedis intuitu verbum Dei prædicat, cæteraque Paſtoris officia præſtat*. Crediderim ego Apoſtolum eorum regendi, atque imperandi rationem reprehendere, qui quaſi per vim obſequium, & obedientiam exprimunt, quod eleganter explicuit Gregorius [f] Nazianzenus. *Antiſtes*, inquit, *virtutis ſuæ præſtantia multitudinem ad mediocritatem trahat, ac non per vim coërceat, ſed perſuaſione alliciat. Nam quod neceſſitate extorquetur, præterquam quod tyrannicum eſt, improbandum, ne firmum quidem, ac ſtabile eſt. Quicquid enim violenter cogitur, non ſecus ac*

f Apolog. 1.

A *planta per vim manibus inflexa, atque diſtracta, ſimul ac miſſum factum eſt, rurſus ad ſe redire conſueuit: quod autem à libera voluntate proficiſcitur æquiſſimum ſimul, ac certiſſimum eſſe ſolet, vtpote beneuolentiæ vinculis adſtrictum, atque conſeruatum, ac proinde vel maximè lex noſtra, & legiſlator ſanxit, vt grex non coactè, ſed ſponiè, ac libenti animo paſcendus ſuſcipiatur*. Neque aliter ſenſiſſe videtur Ambroſius, qui hunc in modum alicubi [a] ſcriptum reliquit. *Dominus operationes ſeruulorum ſuorum ſpontaneas probat potius, quàm coactas, ideo ex ſeruis liberos facit, vt magis voluntatum noſtrarum munera, quàm neceſſitatum obſequia conferamus*. Simile quiddam indicaſſe videtur Paulus [b], cum dixit. *Hilarem datorem diligit Dominus*: quod enim ille de munificentia, ac liberalitate aſſerit, ad omnes honeſtas, ac
B laudabiles actiones videtur pertinere.

a In pſ. 118. octon. 14.
b 2. ad Cor. 9. 7.

XIII. At Chriſtus apud Lucam [c], cum de inuitatis ad cœnam ageret. *Compelle*, inquit, *eos intrare*. Sed profectò id non eo ſpectat, vt voluntati, ac libero arbitrio vim, & neceſſitatem afferri diuinitùs exiſtimemus, ac ne illud quidem indicat, quempiam ad fidem eſſe compellendum, ſed diligentiam, ac ſollicitudinem ſerui Paterfamilias excitat, eumque monet, vt omnibus neruis contendat, nulli labori parcat, nullo periculo terreatur, ſedulò denique det operam, vt omnes ad cœnam veniant. Hæc enim diligentia quandam quaſi vim afferre videtur, nam qui importunis precibus ad aliquid agendum impellitur, vulgò ferè dicere ſolet, ſe amicorum importunitate fuiſſe
C coactum. Quin etiam aliena exempla cogere interdum dicuntur; ita Paulus Petrum alloquens ait. *Quomodo gentes cogis iudaizare?* Exemplo videlicet, & facto. Exempla quippe maiorum non tam inuitant, & prouocant, quam cogunt, & compellunt ad imitationem.

c cap. 14. 23.

XIV. Adde quòd commemoratione imminentium ſuppliciorum apud inferos, & incuſſo terrore compelli dicuntur nonnulli ad vitia fugienda, complectendamque virtutem, quin etiam, vt Gregorius alicubi dixit. *Mala, quæ nos exterius premunt, ad Deum ire compellunt*. Idemque alibi [d] affirmat, eos, *quos voluntas praua peruertit*, plerumque aduerſitate corrigi. Hieronymus [e] verò. *Ex quo*, inquit, *intelligimus, quòd prouidentia Dei ſæpe nobis accidant mala, ne habea-*
D *mus ea, quæ cupimus, & variis calamitatibus huius ſæculi, ac miſeriis ad Dei ſeruitutem redire cogamur*. Idque apud Oſeam [f] indicat Deus ipſe, ita enim loquitur. *Ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet, & dicet; vadam, & reuertar ad virum meum priorem*. Et profectò, vt ait Gregorius [g] Nazianzenus. *Non eſt graue plagis affici, ſed plaga meliorem non fieri, grauiſſimum, & acerbiſſimum eſt*. Certè Auguſtinus [h] de tota illa parabola hunc in modum alicubi ſcribit. *Venerunt, ait, de plateis, & de vicis gentes, venient de ſepibus hæretici, nam qui conſtruunt ſepes, diuiſiones quærunt; coge intrare, inquit Dominus, foris inueniatur neceſſitas, naſcitur intus voluntas*: & alio [i] loco planè oſtendit
E vtilem eſſe compulſionem. *Quod*, inquit, *vobis videtur inuitos ad veritatem non eſſe cogendos, erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inuiti*. Denique cum alias exiſtimaſſet, nefas eſſe hæreticos ad fidem compellere, hanc ſuam ſententiam ad Vincentium [k] ſcribens, multis confutat: ad Bonifacium [l] autem Comitem planè in hæc verba ſcribit. *Dominus, inquit, ad magnam cœnam ſuam prius adduci iubet conuiuas, poſtea cogi, ſi poteſtate, quam per religionem, ac fidem Regum tempore, quo debuit diuino munere accepit Eccleſia, ij, qui inueniuntur in viis, ac in ſepibus, hoc eſt in hæreſibus, & ſchiſmatibus*

d Hom. 36. Euāg. & lib. 34. Mor. c. 2.
e Oſeæ 2.
f cap. 2. 6.
g Orat. de plaga grand.
h Ser. 33. de verb. Dom.
i lib. 2. con. 2. Gaud. ep. cap. 17.
k epiſt. 48.
l epiſt. 50.

schismatibus coguntur intrare, non quia coguntur, reprehendant; sed quò coguntur, attendant. Fateor igitur persuadendam esse fidem, non cogendam, sed perduelles, ac fidei desertores quales sunt hæretici, iustis supplicijs ad Christi castra reuocantur. Quod igitur ait Petrus, *non coactè sed spontaneè*, vim remouet à prima fidei persuasione, non autem Ecclesiæ consuetudinem damnat, quæ legum ciuilium, & Principum auctoritate, hæreticorum perfidiam vlciscitur.

XV. Quod si quis Petri verba ad ipsos Episcopos referat, perinde quasi eos moneat, ne coactè gregi suo adsint, eumque pascant, sed vltrò, ac sponte, libentique animo suam Ecclesiæ sibi creditæ præsentiam exhibeant, non magnopere repugnarim. Optandum enim est, vt Episcopi sese totos Ecclesiastico, & Episcopali muneri applicent, neque patiantur se à suis Ecclesijs tamquam coniugibus auelli, nisi fortè, quod Concilij Tridentini [a] Patres affirmant, *Christiana caritas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas aliquos nonnumquam abesse postulent, & exigant.* Certè Augustinus [b] multos ait olim ad Episcopatum suscipiendum fuisse compulsos. *Multi*, ait, *vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Sed qui hoc modo ad Episcopatum compellitur, non potest, aut debet laborem subterfugere, aut se excusare, vt multis confirmat Chrysostomus [c], *Oportet enim*, inquit, *etiam sic compulsum vti gratia Dei ad maiorem virtutum profectum.* Induat necesse est, vt loquitur Paulus, *viscera caritatis*, siquidem illa, vt monet Bernardus [d], *Bona mater est in Pastore, cum arguit, mitis est; cum blanditur, simplex est; piè solet sæuire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari.* Cæterùm hac nostra tempestate nihil est necesse ad infulas, & purpuram compellere, nam, vt ait Bernardus [e], *Curritur ad Ecclesiasticas curas, tamquam sine curis iam quisque victurus sit, cum ad curas peruenerit, & qui nondum has curas experti sunt, videntes alios, qui iam humeros submiserunt huic sarcinæ, non solùm non gemere tamquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati non vident.* Et cum hanc insaniam, & temeritatem acriter pupugisset, subdit. *Non cum tanta alacritate currerent ad honores, si esse sentirent, & onera, grauari profectò metuerent, nec cum tanto labore, & periculo dignitates affectarent, affectant autem, quia sola attenditur gloria, non pœna.*

[a] Sess. 23. c. 1. de reform.
[b] epist. 204.
[c] lib. 4. de Sacerdotio.
[d] epist. 2.
[e] epist. 24.

XVI. Cæterùm meritò addit Interpres Latinus; *secundum Deum*, vt videlicet quicquid agant Episcopi, totius Dei gloriam spectent; itáque se in suo munere gerant, vt se Dei Vicarios agnoscant. Qua de re egregia præcepta tradit Bernardus [f], cùm ad Eugenium scribit. *Esto*, ait, *grauis, sed non austerus, non dissolutus, neque seuerus, sed interea mediocritatem tene, vt neque de seueritate sis onerosus, neque de familiaritate contemptus. Austeritas fugat infirmiores, grauitas reprimit leuiores, in Palatio Papam, domi te Patremfamilias exhibe, ament te domestici, si non, fac vt te timeant; vtilis est semper custodia oris, quæ tamen familiaritatis gratiam non excludat, ille conuenicatior habitus, si actu seuerus, vultu serenus, verbo serius.* Verùm nihil est in Græcis codicibus, quod his verbis respondeat: verisimile autem est Græcos codices olim aliter habuisse, quàm nunc passim legamus, neque enim suspicari fas est, ausum esse interpretem aliquid de suo addere.

[f] lib. 4. de consideratione.

XVII. Sed quid quæso est, quod mox subijcit, *non turpis lucri gratia*? Græcè dixit Apostolus μηδὲ αἰσχροκερδῶς, videturque omnem simpliciter auaritiam, atque auri cupiditatem detestari, ita autem scribit Oecumenius. *Qui enim non superbè, & arroganter se gerit, nec supra subditos extollitur, sed in humilitate degit, vilitatemque, & parsimoniam ita amplectitur, vt nullo sumptu indigeat, neque indumentorum magnificorum, neque mensæ Sybariticæ, quæ cum superbia coniunguntur, ex turpi lucro etiam prouentum requirunt.* Videtur autem turpe lucrum interpretari, quod ferè contra iustitiam, rectamque rationem, aut etiam sacros Canones quæritur. Ego verò crediderim turpe lucrum hoc loco latius aliquanto patere, quàm apud Theologos, aut Sacrorum Canonum Interpretes; apud illos enim turpe lucrum appellatur id, vel quod est contra iustitiam, vel quod Sacris Canonibus aduersatur; hoc verò loco, ni fallor, turpe lucrum appellat Petrus ditescendi studium; quò procul dubio spectant Isaiæ [a] verba. *Speculatores*, inquit, *cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, canes impudentissimi nescierunt saturitatem, declinauerunt vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum.* Eodemque spectant verba Hieronymi, qui Nepotianum hac oratione sui monet officij. *Obsecro te*, inquit, *& repetens iterum, iterumque monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, idest ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas, quàm quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi; Cleri eorum non proderunt eis; nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant sæculares, & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, ac fallace Diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos Mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam pauperes, & peregrini, & cum illis Christus conuiua nouerit: negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Itaque eos videtur hæc Apostoli sententia perstringere, qui opulenta Sacerdotia appetunt, non vt gregem sibi creditum pascant, aut Ecclesiastica Sacramenta ministrent; sed vt ditescant, vt Ecclesiasticas opes, hoc est fidelium oblationes, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum per luxum, & ambitum ad suas cupiditates explendas abliguriant, vel quasi hæreditario iure ad propinquos, & cognatos transmittant. Certè hoc olim apud Ezechielem [b], grauissimis verbis Deus ipse reprehendit. *Væ*, inquit, *Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Paulus autem Ecclesiasticis stipendium, & ad vitam tolerandam necessaria non negat, modo suo muneri non desint. Alioqui rectè ait Bernardus [c]. *Væ tibi*, inquit, *Episcope, qui peccata populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur; dic mihi quantum desudas, vt gemitibus, orationibus, pœnitentia, & prædicatione diluas peccata illorum, quorum bona comedis? Venies miser ante tribunal Christi, & audietur grauis querela populorum, accusatio dura eorum; quorum vixère stipendijs, nec diluêre peccata, quibus facti sunt duces cæci, & fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt, quid diuitiæ illæ oblectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium? tam duræ tenteris ipsum obligant rationi? vniuersa quidem vsque ad quadrantem nouissimum exigêris; non licet tibi de facultatibus Ecclesiæ luxuriari, & in superfluitatibus consumere, sed solùm viuere; non licet ditari, non licet consanguineos extollere, non licet palatia ædificare, denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

[a] cap. 56. 10.
[b] cap. 34.
[c] epist. 24.

XVIII. Itaque omne auaritiæ genus, omnem nimiam cupiditatem, turpe lucrum appellat Apostolus, vno verbo rerum Ecclesiasticarum abusum reprehendit, ac damnat, vt enim eodem loco docet Bernardus. *Res pauperum, non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dignoscitur. nam patrimonia sunt pauperum, facultates*

Ecclesiæ

A *Eccleſiarum ; & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur , quicquid miniſtri , & diſpenſatores vltra victum accipiunt, & veſtitum ; neque enim ordinauit Deus hos , qui Euangelio ſeruiunt, de Euangelio quærere diuitias , vel ornatum , ſed viuere ex eo, vt ſcilicet ſint contenti alimenta corporis , non gulæ irritamenta , & quibus tegantur , non quibus ornentur, accipere.*

XIX. Egregiè verò Proſper [a], oſtendit non pertinere ad turpe lucrum , ſi quis Eccleſiæ facultates ex Sacrorum Canonum præſcripto & retineat, & adminiſtret. *Quamuis*, inquit, *Epiſcopus ante omnia propria dimiſerit, tamen factus Epiſcopus poteſt ſine aliquo impedimento perfectionis, facultates Eccleſiæ diſpenſare, quia non ſunt propria, ſed omnino communes. Et ideo S. Paulinus, qui prius vendiderat ſua prædia , & pauperibus erogauerat , factus* B *Epiſcopus non contempſit Eccleſiæ facultates , ſed fideliſſimè diſpenſauit. Sic Hilarius, qui prius omnia ſua pauperibus diſtraxerat , poſt factus Epiſcopus non ſolùm conſeruauit , quæ inuenit , ſed etiam accepit fidelium numeroſis hæreditatibus ampliauit , quoniam hi Sancti viri facultates Eccleſiæ, non vt poſſeſſores , ſed vt procuratores poſſidebant, non eas in ſuos vſus vendicantes, vt proprias , ſed vt commendatas pauperibus diuidentes , ſcientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium , pretia peccatorum , & patrimonia pauperum. Et ideo habentes docebantur ea contemnere ; quia non ſibi , ſed aliis poſſidebant , nec ſuſcipiebant eas habendi cupiditate , ſed ſubueniendi pietate.*

[a lib. 2. de vita contemp. cap. 9. & 10.]

XX. Quæ ſi vera ſunt , quid de iis exiſtimandum erit, qui auri cupiditate inflammati res ſacras ; & diuini C Spiritus chariſmata pretio vendunt ? nimirum hi Giezi , & Simonem peſſimo omnino exemplo imitantur, & Iudæ proditoris auaritiam , & impietatem re ipſa exprimunt, qui in rebus Sacris impiam, ac nefariam nundinationem inſtituunt , Sacerdotia vltra modum multiplicant, & ſubinde ditioribus permutant, iniquas conditiones, & pacta ineunt, vt inſtitorum, & mercatorum induſtriam non æmulari ſolùm, ſed longo interuallo ſuperare videantur ; ita fit vt Eccleſiaſticorum vita, moréſque traducantur , quod ſuo exemplo Laicos in omne auaritiæ genus , & improbas cupiditates impellant , quos longa oratione perſtringit Bernardus [b]. Prætereo illos , qui vt ait Iſaias [c], *Infideles ſunt , & ſocij furum, qui diligunt munera, & ſequuntur retributiones.*

[b Declamat. ad illa verba Ecce nos reliquimus omnia.]
[c cap. 1. 23.]

XXI. Neſcio autem quàm verè ſcripſerint nonnulli, quia Paulus alicubi [d] dixit. *Nemo militans implicat ſe negotiis ſæcularibus* , negotiationem , quæ refertur D ad lucrum diuino iure Clericis prohiberi : nam ad ſæcularia negotia non vna tantum negotiatio referenda eſt , ſed alia penè ſexcenta , quæ nihilominus cum Eccleſiaſtico munere, ac dignitate pugnare videntur. Multo certè magis ad ius diuinum pertinere cenſuerim , quod idem Paulus [e] ait ; *habentes alimenta , & quibus tegamur , his contenti ſimus.* At quis dicet eum contra ius diuinum peccare , qui aliquid præterea poſſederit ? Certè Cyprianus [f] Chriſti diſcipulum victum ſibi in diem poſtulare , ſcribit, qui de craſtino cogitare prohibetur, & ex eo Apoſtoli loco, aliiſque non paucis alibi [g] colligit , poſſidendi concupiſcentiam , & pecuniam non appetendam. E Non negarim negotiationem , cùm per ſe periculoſam, tum verò Eccleſiaſtico ordini minus congruentem videri , ac propterea iure optimo Sacrorum Canonum auctoritate Clericis interdici ; quid autem illis hac quidem in parte liceat Theologi, Sacrorúmque Canonum Explanatores viderint, mihi quidem certum atque exploratum videtur , neque iure diuino naturali, neque poſitiuo Clericos à negotiatione arceri, auaritia certè , & improba diuitiarum cupiditas in omni quidem hominum genere turpis eſt , in Clerico autem, atque Eccleſiaſtico impia, & ſacrilega cenſenda eſt : vt enim ait Proſper, ad Clericos potiſſimùm ſpectant illa, quæ ſcribit Beatus Ioannes [a], *Debemus ambulare ſicut Chriſtus ambulauit :* qua verò id ratione præſtandum ſit, explicat idem Proſper his verbis. *Quid eſt ambulare , ſicut ille ambulauit, niſi contemnere omnia proſpera , quæ contempſit ? & non timere aduerſa , quæ pertulit ? docere quæ docuit ? ſperare quod promiſit ? præſtare beneficia etiam ingratis ? non retribuere ſecundum merita maleuolis ? orare pro inimicis ? miſereri peruerſis, tolerare aduerſos ? æquanimiter pati ſubdolos , atque ſuperbos ; ac denique iuxta verbum Apoſtoli [b], mortui ſimus carni, vt dumtaxat Chriſto viuamus ? Sicut enim carne mortuus nulli iam detrahis , nullum aduerſatur, aut deſpicit , nullius pudicitiam callida circumuentione corrumpit , non inuidet , non adulatur , non ambit , ſic qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis , nulla horum poſſunt agere , aut pati.* Viderint igitur , ne turpis lucri gratia Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcipiant , qui pinguia & opulenta Sacerdotia , amplos denique Epiſcopatus , & ſplendidas thiaras appetunt , qui non Epiſcopale opus , ſed opes ſedulò, diligentérque perquirunt , qui conſanguineos vltra modum locupletant , & augent , aliáque permulta efficiunt, quæ paſſim à Sanctis Patribus, præcipueque à Bernardo acriter reprehenduntur, quæ libens prætereo, ne ludere videar extra chorum.

[d 2. ad Tim. 2. 4.]
[e 1. ad Tim. 6. 8.]
[f de Orat. Dom. & de oper. & eleemoſ.]
[g lib. 3. ad Quirin. c. 61.]
[a ep. 1. c. 2. 6.]
[b ad Col. 3.]

3. *Neque vt dominantes in Cleris , ſed forma facti gregis ex animo.*]

I. Dominandi ambitum reprehendit , ac damnat Apoſtolus, qui à Chriſto magiſtro audierat [c]. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum , & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos , non ita erit inter vos, ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Quo loco Auctor imperfecti ; *Principes*, ait, *Eccleſiæ ſiunt , vt ſeruiant minoribus ſuis , vt miniſtrent eis , quemadmodum acceperunt à Chriſto, & ſuas vtilitates negligant, & aliorum procurent, vt ſi opus fuerit, neque mori recuſent pro ſalute inferiorum ſuorum , ſicut Apoſtolus [d]. Ego, inquit, impendam , & ſuperimpendar pro animabus veſtris.* Hoc autem loco Græcè ait Petrus μηδ' ὡς κατακυριεύοντες, hoc eſt, vt nos alibi [e] diximus, violenter dominantes, nam & Chriſtus apud Matthæum [f] D de Regibus Ethnicis dixit κατακυριεύουσι , quaſi dicat, dominatum exercent in eos, quos videlicet imperio ſuo regunt. Docuit autem Chriſtus , & eum imitatus Apoſtolus , non eſſe imperio Eccleſiaſtico arrogantius abutendum ; nam alioqui Eccleſiæ Præſules, atque Antiſtites eximio quodam, atque excelſo imperio potiri docuit præter cæteros Gregorius [g] Nazianzenus , qui Præſidem ita affatur. *An me liberè loquentem æquo animo feretis ? nam vos quoque imperio meo , ac throno lex Chriſti ſubiicit , imperium enim nos quoque gerimus , addo etiam , præſtantius , ac perfectius, niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere , & cæleſtia terrenis cedere ;* Quamobrem olim Augustinus [h] fatetur ſe auctoritate Apoſtoli , *tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis* E *ſæcularibus , vel iudicando dirimendis , vel interueniendo præcidendis , quibus, inquit, nos moleſtiis idem affixit Apoſtolus non vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur , arbitrio.* Rurſus alibi [i]. *Suis , inquit , vitioſis, & negotioſis cupiditatibus adiuuandis , vt occuperaur , & eis noſtra tempora impendamus efflagitant , aut certè infirmos premunt , vt cauſas ſuas ad nos deferre compellant ; quibus dicere non audemus, dic homo, quis me conſtituit Iudicem, aut diuiſorem inter vos ? conſtituit enim talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores , in foro prohibens iurgare Chriſtianos.* Ita videas thronum , ac tribunal

[c Matt. 20. 25]
[d 2. ad Cor. 12.]
[e epiſt. 2. ad Theſſal. c. 5. verſ. 13.]
[f c. 20. v. 25.]
[g Orat. 17.]
[h li. de oper. Monach. ca. 29.]
[i In pſal. 118.]

Eccleſiaſti

Ecclesiasticum Apostolica auctoritate constitutum. Ea verò de re, deque Augustini iudicandi consuetudine, hæc scribit Possidius *Et eas*, inquit, (hoc est lites, seu causas fidelium) *aliquando vsque ad horam refectionis, aliquando autem tota die ieiunans semper tamen noscebat, & dirimebat, interdum in eis Christianorum momenta animorum quantum quisque vel in fide, bonisque operibus proficeret, vel ab iis deficeret, atque compertis rerum opportunitatibus diuinæ legis veritatē partes docebat, eamque illis inculcabat, & eos, quo adipiscerentur vitam æternam, edocebat, & admonebat, nihil aliud quærens ab iis, quibus ob hoc vacabat, nisi tantùm obedientiam, & deuotionem Christianam, quæ & Deo debetur, & hominibus.*

II. Certè Anacletus [a] ciuiles fidelium controuersias
[a epist. 1.] Episcopi sententia definiendas ex priori Epistola ad Corinthios Pauli Apostoli colligit. Neque aliter sen-
[b lib. 2. cōst. Apost. c. 39.] sisse videtur Clemens [b] Romanus. *Præclara*, inquit, *Christiani laus est cum nullo habere negotium, quoties aliqua vexatione, vel tentatione lis alicui oriatur, curet vt ea transigatur, etiamsi detrimentum pati debeat, nec ad Ethnicum iudicium accedat, sed nec patiatur mundanos Magistratus de nostris ius dicere. Nam per illos diabolus seruos Dei vexat, & nobis notam inurit, quasi non habeamus nos vnum sapientem, qui possit inter partes ius administrare, & controuersias componere.* Et non ita multo
[c cap. seq.] post [c]. *Non cognoscant ergo gentes controuersias, quæ inter vos oriuntur, neque contra vos infidelium testimonia recipiatis, neque ab iis iudicari velitis.* Sed quoniam plura
[d 1. ad Cor. 6] hac de re [d] alibi dixi, nihil amplius in præsentia addendum censeo, tantùm moneo imperij seueritatem tamquam ab Ecclesiastica mansuetudine alienam ab Apostolo in præsentia reprehendi, vt, quod insinuat
[e In Reg.] Augustinus [e], Ecclesiastici Antistites amari se magis appetant, quàm timeri. *Ipse*, inquit, *qui vobis præest, æstimet se non dominante cupiditate, sed caritate seruiente*
[f epist. 2.] *fœlicem.* Scitè verò Hieronymus [f]. *Illud dico*, inquit, *quòd Episcopi Sacerdotes se esse nouerint, non dominos; honorent Clericos, quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis honor quasi Episcopis deferatur. Scitum illud est Oratoris Domitij. Cur ego te, inquit, habeam vt Principem, cum tu me*
[g epist. 3.] *non habeas, vt Senatorem?* Et alibi [g], quid inter Regem, & Episcopum intersit his verbis docet. *Rex nolentibus præest, [Episcopus] volentibus, ille terrore subijcit, hic seruituti donatur, ille corpora custodit ad mortem, hic animas seruat ad vitam.* Sic olim, vt Auctor est Euse-
[h lib. 7. hist. cap. 24.] bius [h], malè audiuit Paulus Samosatenus, quòd in Episcopatu sæcularium honorum gradus affectaret,
[i epist. 1. ad Thessal. c. 5.] seque in iis arroganter gereret, vt alibi [i] copiosius docui. Non igitur Petrus omnem prorsus dominatum ab Episcopis, & Pastoribus remouet, sed dominationis, ac principatus arrogantiam, & fastum, ne, quod in Pharisæis Christus Dominus reprehendit, onera grauia, & importabilia subiectis imponant, quæ ipsi ne digito quidem ausint attingere.

III. *Non dominantes*, inquit, *in Cleris*. Quos autem Cleros appellet, non planè liquet. Siquidem Cyril-
[k lib. 5. in Isai. Orat. 3.] lus [k] hoc nomine vniuersum fidelium gregem significari autumat. *Hi*, inquit, *qui in Christo sunt scoporum explatorum, quos Dominus per Isaiam coarguit, non sibi proponunt, scribit enim D. Petrus vocatus ad Episcopatum, ascitis ad functionem docendi oues ratione præditas, non vt dominaremur Clero, idest populo, qui sors Domini est, sed vt sint gregis exemplaria.* Quæ sententia nouatoribus adeo placuit, vt ex errore, impiáve traditione, aut prauo affectu ab honore Clerici nominis; deiectos esse Laicos conquerantur. Verùm quod attinet ad Petri sententiam, etiam si demus, quod isti contendunt, & Cyrillus insinuat verè omninò, atque appositè Apostolus monet Episcopos, & Ecclesiæ Præsules, ne in gregem fidelium tyrannidem exerceant, quæ cum ciuiles Magistratus, ac Principes maximè dehonestet, Ecclesiasticos Præsules adeo fœdat, atque inquinat, vt nihil magis eorum muneri, atque officio repugnare videatur. Fideliū porrò multitudo Cleri nomine significari potest, quòd re vera sit pars, ac portio Domini, quam proprio sanguine acquisiuit. Quo modo olim populus Israëliticus, hæreditas, seu funiculus hæreditatis Domini appellabatur. Ita Moses [a] *Pars autem Domini*, ait, *populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* [a Deut. 32. 9.]

IV. Cæterum hoc admisso negari non potest Ecclesiasticis functionibus addictos peculiari quadam ratione Clericorum nomine significari, quod quemadmodum olim apud Iudæos Leuitæ priuato quodam iure, ac suo ad sortem, atque hæreditatem Domini pertinebant, siue quòd illi priuatim Deum quasi proprium patrimonium sibi delegissent, siue quòd illos Deus, quasi proprium peculium haberet: non aliter isti vtroque nomine in Clericorum ordinem referantur. Quò spectans Hieronymus [b]. *Clericus*, ait, *interpretetur nomen suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur, si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors id est pars Clericorum est.* Hæreditas autem, seu possessio sortis nomine nuncupatur, tum quia olim sorte diuisa est terra promissa, tum quia hæreditas non raro in plures sorte distribuitur, vel quod magis reor, quia vt plurimùm hæreditas non electione, & consilio, sed sorte, ac penè fortuitò peruenit ad hæredes, qui raro eliguntur, frequentissimè autem nascuntur: Quam analogiam spectasse visus est Apostolus, cum ad Colossenses [c] scripsit. *Dignos nos fecit in parte sortis sanctorum.* Et ad Ephesios [d]. *In quo nos sorte vocati sumus.* Non quòd absque meritis, vt hæretici mentiuntur, cœlestis beatitudo tribuatur: sed quòd ad gratiā, atque adoptionem filiorum Dei absque vllo nostro merito vocemur, quo fit, vt toto errent cœlo Pelagiani, qui in iustificatione nostra priores partes homini, posteriores Deo tribuunt; verè namque Paulus, cum dixisset, *In quo nos sorte vocati sumus*, continuo addidit, *prædestinati secundum propositum voluntatis eius*; indicans vnicam, & veram vocationis, electionisque nostræ, vno verbo prædestinationis causam. Nemo quippe gratiam Dei implorat, nisi prius à Deo electus sit; nemo, vt ait Bernardus, Deum quærit, nisi quæsitus; nemo diligit, nisi prius diligatur. Etenim Deus auersos conuertit errantes in viam reuocat à non quærentibus inuenitur, & non interrogantibus palàm apparet. Quocirca nobis dicitur sors, quæ Dei respectu prouidentia, seu prædestinatio rectè vocatur, vt egregiè in scholis docent Theologi.
[b epist. ad Nepotian.] [c cap. 1. 12.] [d cap. 1. 11.]

V. Porrò quamuis nouatores ferre non possint, quod apud Catholicos passim vsurpatur, cum alij Clerici, alij Laici appellantur, passim tamen in Conciliis, & Sacris Canonibus Clericorum, & Laicorum nomen, ac distinctio legitur [e]: Inter scriptores autem Ecclesiasticos antiquissimus, idemque doctissimus Tertullianus [f], hunc in modum scribit. *Cum extollimur*, ait, *& inflamur aduersus Clerum, tunc vnum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo, & Patri fecit, cum ad peræquationem disciplinæ Sacerdotalis prouocamur, deponimus infulas, & impares sumus.* Post nonnulla autem. *Laicis verò*, inquit, *quia monogamia non conuenit, cætera quoque aliena sunt.* Verùm quoniam verbum Dei exigunt hæretici, & hominum, vt illi loquuntur, testimonia negligunt, & contemnunt, extant apud Ieremiā [g] apertissima verba. *Cleri eorum*, inquit, *non proderunt eis*: quæ verba explanans Origenes [h]. *Hæc*, ait, *ante me alij exposuerunt, & quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eandem*

[e apud Clemēt. in Canon. Apost. Canon. 22. 23 29. In Conc. Nicen. Can. 1. 2. 5. 8. 17. 18. 19. in quibus frequenter agitur de nom. & ord. Clericorum.] [f lib. de Monogamia.] [g cap. 12.] [h Hom. 7. in Hier.]

profectò

prosero. Nos, qui putamus aliquid esse, id est qui in Clericatus vobis ordine præsidemus in tantum, vt quidam de minori gradu, ad hunc locum cupiant peruenire, nosse debetis, non statim in eo esse saluandos, quia Clerici sumus, multi enim & Presbyteri pereunt, & Laici beatissimi reperiuntur. Neque aliter accipit Epiphanius [a]. *Oportebat, inquit, nos dilectissime Clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei, & obseruatione diligentissima hoc esse, quod dicimur. Sic enim sacra Scriptura loquitur. Cleri eorum non proderunt eis; qua arrogantia Clericatus conducere nobis poterit, qui non solum cogitatione, & sensu, sed etiam sermone peccamus.* Addo Hieronymum [b], cum enim ille eum Prophetæ locum explicaret. *Dicitur, ait, hoc & Ecclesiasticis, quid enim eos iuuare poterit Episcopi nomen, & Presbyteri, vel reliquus ordo Ecclesiasticus, cum magis grauentur dignitatibus suis, & potentes potenter tormenta patiantur?* Ita videas doctissimos viros existimasse Cleri nomen, etiam apud Ieremiam ad eos potissimum pertinere, qui diuino cultui priuato iure consecrati sunt, quod potissimùm, vt paulo ante dixi, Leuitas spectat, qui pars, & hæreditas Domini nuncupari consueuerant.

a Ep. ad Io. Hierosol. in initio.

b in Ierem. cap. 2.

VI.

Quæ cũ ita sint, siue Petrus de fideli populo vniuerso, siue de ordine Ecclesiastico loquatur, superbũ, atque arrogantẽ dominatum ab Ecclesiasticis Præsulibus alienũ esse docet, quos Christi humilitatem, ac modestiã in omni vita decet repræsentare: Græcanica tamẽ Oecumenij scholia de ordine Ecclesiastico eum loqui apertissimè asserũt, sic enim habent. *Clerum autem hic, quemadmodum etiam nunc nos consueuimus cõgregationem sacrã vocat, quæ in sortẽ Domini cessit*; quamuis autem negandũ non sit (quicquid aliter nonnulli perperam sentiant) fas esse Episcopis etiam in Laicos fideles suã exercere Ecclesiasticam potestatẽ, præcipua tamen eorũ auctoritas Clericos, atque Ecclesiasticos sacris præsertim initiatos spectat; quos necesse est in officio continere, & ad optima quæq; nõ oratione solùm, sed potissimùm vitæ exẽplo promouere. Id verò non arrogãter, aut imperiosè, sed modestè ac religiosè agendum esse monet. Propterea enim Antistites, Pastores, ac Patres appellantur, quod paterno, nõ regio dominatu subiectis imperare debeant. Meminisse enim eos oportet sese hominibus præesse, quibus, vt ait Greg. [c] Nazianz. difficillimum sit imperare, Ecclesiastico præsertim imperio, *quod, vt ille ait, in lege diuina situm est, & ad Deum ducit, cuius quo maius est fastigium, maiorque dignitas, eo etiam maius periculũ est prudenti vtique viro, & cordato.* Alibi verò [d]. *De his quidem, ait, ita sentio, cunctisque animarum dispensatoribus vtilẽ, doctrina arbitris legem statuo, vt nec per duritiã hominum animos exasperent, nec per summissionẽ elatos, & insolentes efficiant, sed prudẽter, & consultè in fidei causa se gerant, nec in alterutro horum mediocritatẽ excedant.* Ita monet, vt Episcopi eam administrandæ Ecclesiæ rationem ineant, quę mansuetudinem, & Christianã humilitatem redoleat, nec muneris dignitati quicquam officiat.

c Orat. 1.

d Orat. 32.

VII.

Quam ob causam subdit Apostolus. *Sed formæ facti gregis ex animo.* Vult quippe eos esse veluti Christianæ perfectionis exemplaria. Pulchrè enim monet Greg. [e] Nazianzenus, cauendum esse, *ne admirandæ virtutis mali pictores existant, aut pictorum non fortasse malorum, multorum quidem certè malum exemplar, aut à parœmia non longè recedant, alios mederi tẽtantes, cum ipsi vlceribus scateant.* Mox autem subdit. *Ab eo, qui cæteris præsit, non hoc solum requiri, vt malus non sit (malum enim esse plerique etiam è vulgo turpissimum censent), verùm etiam vt virtute præstet iuxta illud Scripturæ præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere iubemur.* Et subdit. *Nec vt vitiosas animæ notas duntaxat expungat, verùm vt meliores etiam inscribat, ita*

e Orat. 1.

A *vt magis virtute antecellat, quàm honore, ac dignitate superet, nec modum sibi vllum honestè viuendi, atque altius ascendendi constituat. nec lucro potius id, quod arripuit, quàm damno id, quod effugit, deputet. Verùm quod præ pedibus est, gradum ad id, quod deinceps sequitur, esse arbitretur, nec virtute vulgus anteire magnopere amplum, atque illustre iudicet, verùm detrimento ducat, si à suscepti muneris dignitate absit.* Dicit autem Apostolus ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου, quod Oecumenius refert ad superiora, cum paulo ante dixit. *Non coactè, sed spontaneè*, quasi explicet quid sit *non coactè*, suo gregi prospicere. Malim ego idem hoc loco præcipere Petrum, quod ad Timotheum [a] Paulum. *Exemplum, inquit, esto fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, & castitate*, Itemque ad Ti-

a ep. 1. c. 4. 12

B tum [b]. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate*: vbique enim est vox Græca τύπος, nam, vt ait Hieronymus [c], optat Paulus, *vt Timotheus, aut quicumque Prælatus instar sit Archetypi siue primariæ formæ, ex qua viua virtutum simulacra lineamentis vitæ honestæ in se translatis exprimuntur.* Ea de re Prosper [d] luculenter disserens, ostendit vitæ exemplis orationem confirmari, & mores viui, atque auctoritatem orationi afferre. Illud autem verè obseruatum est ab Augustino [e], mirum in modum exempla spectantium animos permouere. *Nescio, inquit, quomodo amplius, & in ipsius forma, scilicet diuina caritatem excitamur per fidem, qua credimus vixisse sic aliquem, & spem, qua nos quoque ita posse viuere, qui homines sumus, ex eo quod aliqui homines ita vixerunt, minimè desperamus, vt hoc etiam de-*

b cap. 2. 7.

c ad Titũ 2.

d lib. 1. de vita contẽplat. c. 17. 18.

e l. 8. de Trinit. ad fin.

C *sideremus ardentius, & fidentius precemur.* Alibi verò [f]. Idcirco ait exempla Sanctorum ab Ecclesiis proponi, vt nos eorum vitam imitantes persimilem gratiam, & gloriam consequamur.

f lib. de Catechizan. rudib. cap. 7.

VIII.

Quantopere autem in Episcopo requirãtur Christianarum omnium virtutum præclara exempla, docet Chrysostomus [g] his planè verbis. *Sit omnibus doctrina, exemplarque virtutis, sua speculum vita quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti primaria quædam imago omnia in se habens, quæ bona, & honesta sunt.* Eadem paucis mutatis scribit eodem loco Theophylactus; & in eamdem sententiam Primasius [h]. *Ne exemplo, inquit, destruas verbum*; indi-

g ad Titũ 2.

h ad Tit. 2

D cans exempla, quod paulo ante dixi, orationi fidem, atque auctoritatem conciliare. Plura hac de re scribit Augustinus [i]. Hanc porrò viuendi rationem Episcopo præscribit Bernardus, dum ad Episcopum [k] Senonensem in hæc verba scribit. *Nec præceps eris in sententiam, nec vehemens in vindicta, non in corrigendis remissior, non seuerior in parcendis, non pusillanimus in expectandis, non superfluus in victu, nec notabilis in vestitu, non cunctus ad promittendum, non ad reddendum tardus, nec prodigus dator.* Longa deinde, atque acri, vehementique oratione inuehitur contra nimium vestium luxum, & ornatum. Egregiè verò Sanctus Malachias [l] apud eumdem Bernardum.

i In psal. 39.

k epist. 42.

l In vita ipsius Malach.

E *Oportet, inquit, Episcopum, ait Episcoporum Princeps, non dominari in Clero, sed formam fieri gregis: haud aliam sanè formam, quàm ab illo accepimus, qui humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. Quis mihi det hanc relinquere filiis signatam sanguine meo?* Mitto illa quibus idem Bernardus [m] bonorum, malorumque Antistitum mores copiosè, luculenterque describit, illius certè verba sunt hæc. *Monstruosa res est sedes prima, vita ima, gradus supremus, status infimus, vultus grauis, actus leuis, sermo multus, fructus nullus, ingens auctoritas, & animi instabilitas, forma fictiua, & non factiua.* Quibus consonant ea, quæ scribit Gregorius. *Infirmis est vita Pastoris, qui modo calicem Domini signat, modo*

m Ser. 66. & 67. Cantic.

tales agitat, quasi in auibus cæli ludit, modo canes instigat. A

IX. Addit Interpres, *Ex animo*, quibus verbis in Græcis Codicibus, qui nunc habentur in manibus, nihil respondet, nec videtur quidquam simile legisse Syriacus; sed vt paulo ante monui, non est facilè suspicandum voluisse Interpretem sua pro Apostolicis verbis obtrudere; crediderim potius Græcos olim Codices variasse, omninóque legisse Interpretem, quod Latinè expressit: neque enim id omnino additur extra rē, fieri enim potest, vt quis per hypocrisim, ac simulationem Christianæ perfectionis veluti larvam præ se ferat, qui tamen omnibus flagitiis elam, atque occultè inquinetur. Qui autem hac ratione vitam instituunt, non ex animo virturem colunt, ac ne colunt quidem, sed falsa, fallacique specie aliis imponunt, hoc longè deteriores, quòd aliorum oculos inani quodam fulgore perstringunt, vt ad illos referenda sint ea, quæ aduersus Scribas, & Pharisæos dixit [a] aliquando Christus. *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia, sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.* Persimiles perstrinxit olim Satyricus [b], dum ait.

a Matth. 23. 27.

b Iuuenal. Sat. 2.

X. *Qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt.* Et Bernardus [c]. *Boni, inquit, videri, non esse, mali non videri, sed esse volunt.* Rursus. *Non est apud hypocritas virtutis colere, sed colorare vitia, quodam quasi virtutis minio.* Auctor [d] sanè imperfecti, hoc planè modo hypocritam alloquitur. *Dicito mihi hypocrita, si bonum est esse bonum, vt quid non vis esse, quod vis apparere? si verò malum est esse malum, vt quid vis esse, quod non vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse, quod autem formosum est apparere, formosius est esse.* Putat autem Gregorius [e] hypocritas describi his verbis apud Iob [f]. *Penna struthionis, similis est pennis herodij, & accipitris. Ita, inquit, sunt nimirum omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conuersationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas, per speciem, sed in terra repunt per actionem, quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum secularium pondere prægrauati nullatenus à terra subleuantur.* Paucis autem interiectis addit. *Quid verò per struthionum vocabulum, nisi hi, qui se bonos simulant, designantur, qui sanctitatis vitam, quasi volatus pennam per speciem retinent, sed opera non exercent?* Alibi [g] verò scirpo, & carecto hypocritas similes esse ait. *Scirpus ergo, inquit, vel carectis nomine hypocritæ vitam signat, qua speciem quidem viriditatis habet, sed ad humanos vsus fructum vtilitatis non habet; quæ sterilitate operis arida permanens, solo sanctitatis colore viridescit. Sed neque sine humore scirpus, neque sine aqua carectum proficit, quia hypocritarum vita ad bona opera infusionem quidem superni muneris percipit, sed in cunctis, quæ agit, exteriores laudes appetens à fructu perceptæ infusionis inanescit.*

c Serm. 24. Cantic.

d Hom. 45. in Matt.

e lib. 31. Mor. c. 5. alias 6.

f 39. 16.

g lib. 8. Mor. cap. 24. alias 27.

B C D

4. *Et cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*]

I. Ne frustra putarent sibi laborandum esse, amplissimum eorum industriæ proponit fructum, & eximiam quādam præmij dignitatem. Rectè enim monet Oecumenius coniunctionem & positam esse pro vt caussali, hoc pacto: *Vt cum ipse Pastorum Princeps apparuerit, immarcescibilem coronam percipiatis*; quasi dicat Sedulò vobis pro Ecclesia, proque fidelium salute contendendum est, vt bonis Pastoribus præmium propositum consequamini. *Cum apparuerit*, inquit, *Princeps Pastorum*; Periphrasis est Christi Domini, quem hac ipsa epistola Petrus [a], *Pastorem, & Episcopum animarum appellauit.* Et Paulus [b]. *Deus autem pacis*, ait, *qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ouium in sanguine Testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum.* Ipse verò apud Ioannem [c] se bonum Pastorem vocat. *Ego*, inquit, *sum Pastor bonus*; quem etiam olim Prophetæ [d], Pastoris nomine Christū venturum describunt. Meritò autem Principem Pastorū nominat, quia cūcti Pastores Christum tamquā supremum Principē agnoscunt, cuius, vt supra dixi, oues pascendas cæteri acceperunt; Petro enim summo Ecclesiæ Pastori dictum est à Christo [e], *Pasce oues*, non tuas, sed *meas*. Egregiè namque scripsit alicubi Augustinus [f]. *Qui hoc animo pascunt oues Christi, vt suas esse velint non Christi, se conuincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subueniendi, & Deo placendi caritate.* Dixit autem, *cum apparuerit*, secundum Christi aduentum indicans, cum in extremo mundi die cunctos mortales ad iudicium accerset, vt bonis quidem premium, ac perennem felicitatē largiatur, improbos verò sēpiternis apud inferos cruciatibus addicat. Vel certè supremum cuiusque vitæ diem insinuat, tunc enim suum quemque vel præmium, vel supplicium manet. Ita non semel Christus secundum suum aduentum describens, *Cum venerit*, ait, *filius hominis.*

a cap. 2. 25.

b ad Hebr. 13. 20.

c Ioan. 10. 11. 14.

d Ez. 34. 23. Iere. 3. Ezechiel. 34 Zachar. 11.

e Ioan. 21.

f Tract. 123. in Ioan.

II. Habet autem hæc adhortatio Petri magnam omninò vim ad excitandos Episcoporum animos, cum certo sciant non inanes fore ipsorum conatus, quibus eximia quædam merces proposita est; qua de re ita apud Matthæum [g] disserit Christus Dominus. *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Est autem, vt diximus, Episcoporum maximè proprium, facere, & docere. Magni autem dicuntur futuri in regno cœlorum, hoc est, eximio præmio afficiendi: quippe apud Danielem [h] scriptum est. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Theologi verò in cœlesti beatitudine Doctoribus propriam quamdam aureolam deberi affirmant, quæ non quidem doctrinæ habitui, neque Doctoris muneri præcisè debetur, nisi docendi functio, & labor accedat. Quamobrem Petrus hoc fortasse spectans monuit Episcopos, vt gregem pascant, hoc est doceant, erudiant, atque instituant, vt Doctoribus propositum præmium assequantur, cuiusmodi autem hoc præmium futurum sit, explicat Petrus, cum ait. *Percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Et primum quidem coronam appellat, quo nomine vsus est etiam Paulus [i], cum ad Timotheum scripsit. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Deinde addit, Coronam fore immarcescibilem, hoc est nullo vmquam tempore interituram. Idque ex eo probat, quia erit corona gloriæ non ex floribus, aut frondibus, herbisque caducis contexta, sed ipsa illa sempiterna, atque immortali beatorum gloria.

g cap. 5. 19.

h cap. 12. 3.

i ep. 2. c. 4. 8.

III. Porrò Petrus *Coronam gloriæ* dixit, siue Hebræorum more, quasi dicat, coronam gloriosam, siue vt significet, beatam illam immortalitatem fore veluti coronam egregia quadam cum dignitate, & maiestate coniunctam, nam in Apocalypsi [k] seniores, qui visi sunt in cœlo, redemptos se profitentur in sanguine Agni, & mox addunt. *Et fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terra.* Denique regnare dicuntur Beati in sæcula sæculorum. *Dominus* [l], inquit, *Deus illuminabit*

k cap. 5. 10

l Apoc. 22. 5

illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. Id A credo mysticè indicauit Iob [a] interprete præsertim Gregorio [b] Pontifice, ait enim Iob. *Vt in humero meo portem illum, & circundem illum, quasi coronam mihi:* Loquitur enim de libro, de quo paulo ante dixerat. *Et librum scribat ipse qui iudicat.* Quem librum interpretatur Gregorius nouum Testamentum, quod *portare humero*, vt ipse existimat, *est Scripturam sacram operando perficere.* Subdit autem. *Et notandum quàm ordinatè describitur, & prius in humero portare, & postmodum sicut corona circumdari, quia videlicèt sacri eloquij mandata, si modo bene portantur in opere, pòst nobis coronam victoriæ exhibent in retributione.* Quia verò id nonnisi singulari Dei beneficio obtineri potest, rectè dictum est à Dauide [c]. B *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* In quem locum egregiè Bernardus [d]. *Triplex, inquit, nobis necessaria est benedictio, præueniens, adiuuans, & consummans. Prima misericordia, secunda gratia, tertia gloria. Præuenit misericordia conuersionem, adiuuat gratia conuersationem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non potest dare terra nostra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordia præueniamur, aut agere bonum, donec adiuuemur à gratia, aut consummari in bonis possumus, donec gloria repleamur. Verùm in his tribus non immeritò dulcius sapit ea, quæ non modo immeritos, sed & malè meritos* C *præuenit, vt dum adhuc filij sumus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, immo & impetentibus, non inuocantibus, sed prouocantibus, non interpellantibus, sed etiam repellentibus spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur ea, quæ præuenit, quia quæ adiuuat, fortitudinis, quæ consummat plenitudinis est.*

[a cap. 31. 36. b l. 22. Mo. c. 14. alias 20. c psal. 20. ver. 4. d Ser. 19. in paruis Serm.]

IV. Iam quod hoc loco ait Petrus *coronam immarcescibilem*, Græcè ἀμαράντινον, Paulus [e] maluit dicere incorruptam, Græcè ἄφθαρτον, vtramque vocem coniunxit Petrus hac ipsa Epistola [f], cum de cœlesti hæreditate ageret, quæ hoc loco corona nuncupatur. *In hæreditatem, inquit, incorruptibilem, incontaminatam, & immarcescibilem* ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον. D De ea eleganter scribit Tertullianus [g], vt alibi [h] docui. Alludit autem Petrus ad veterum certamina, quod planius loco indicato facit Paulus, in quibus victores corona donabantur; quò etiam spectauit Augustinus [i], cum ait: Deum non modo spectatorem esse nostrorum certaminum, sed etiam adiutricem, quod in illis certaminibus ludorum actores efficere nequaquam poterant. *Adiuuat, inquit, certantes, qui certamen indixit; non te sic spectat Deus in agone certantem, vt populus solet Athletam, clamore enim populus monet Athletam, adiuuare non potest; Coronam parare potest, qui indixit certamen, vires autem subministrare non potest. Deus autem quando spectat certantes suos, adiuuat eos certantes, & inuocantes.* E Et in eandem sententiam Dionysius [k] Areopagita. *Certantibus, ait, Dominus præmia proponit, vt Deus, leges autem certaminis tulit, vt sapiens, præmiáque vincentibus decora constituit, &. pulcherrima, & quod est profectò diuinius, ipse, vt est summè clemens, & bonus in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans pro illorum salute, atque victoria aduersus mortis, & corruptionis imperium pugnat:* Vt igitur coronam hanc immarcescibilem assequamur, legitimè nobis certandum est, ait enim Paulus [l], *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*; quò alludens

[e 1. ad Cor. 9. 25. f cap. 1. 4. g lib. de Coron. milit. c. 15. h 1. ad Cor. 9 num. 5. i Ser. 103. de temp. k de Eccles. Hierar. c. 2. sub finem. l 2. ad Tim. 2. 5.]

A Ephrem [a] Syrus. *In luctaminibus, inquit, huius sæculi nullus sine agone, seu certamine coronatur, & in spirituali conuersatione, & proposito sancto nemo sine luctamine potest immarcescibilem coronam accipere, vitæque æternæ hæres existere. Vis in agone certare, & victor existere? indue te armatura Dei, sicut vestimento, indue te virtutibus animæ.*

V. Id quidem commune est omnibus fidelibus, sed priuato quodam iure Ecclesiasticis Præsulibus hoc certamen propositum est, quibus cum vitiis, ac sceleratis hominibus continenter luctandum est. Sic olim apud Iosephum [b] Moses paulo ante mortem Iudæis exprobrans ait. *Nostis quia frequenter peiora à vobis, quàm ab hostibus mortis pericula sustinui.* Sæpe B etenim vsu venit, quod alicubi commemorat Dauid [c]. *Retribuebant, inquit, mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Cum ingratis interdum agendum est, ne dicam cum malignis, qui, quæ per se honesta, & laudabilia sunt, perperam interpretantur; quocirca de se ipso ait Paulus [d]. *Foris pugnæ, intus timores.* Tametsi enim nunc nihil est ab infidelibus Principibus metuendum, (hæreticos semper excipio) non rarò tamen Laici Dynastæ, ac Principes Antistitum auctoritatem suspectam habent, & dum sibi, suæque dignitati plus æquo metuunt, Ecclesiasticis negotium facessunt, Sacros Canones aut violant, aut detorquent; Ecclesiastica iura vel infringunt, vel non leuiter imminuunt, quibus si obsistas, ingentes excitantur turbæ, & scandala oriuntur; si æquo, pa- C tientique animo feras, nec muneri tuo satisfacis, & Ecclesiæ, cui prodesse debueras, non exiguum affers detrimentum. Has omnium externas pugnas subire coguntur Episcopi, intra Ecclesiasticos autem fines non exiguis timoribus concutiuntur, siue Ecclesiastica disciplina religiosè retinẽda sit, siue improbi castigandi, vel in officio continendi, siue denique mores corrigendi, & ad legis Euangelicæ præscriptum conformandi sint. Denique strenuè illis laborandũ est, vt hanc aliquando immarcescibilẽ coronã adipiscantur.

[a lib. de luctam. spirit. b li. 4. Antiquit. cap. 6. c psal. 34. 12. d 2. ad Cor. 7. 5.]

5. *Similiter adolescentes subditi estote senioribus. omnes autem inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*]

I. Hactenus Presbyteros alloquutus est, nunc adolescentes informat. Ambigi autem potest ad ætatémne, D an verò ad inferiorum Clericorum munera adolescentia referenda videatur. Et Beda quidem, quem viri docti sequuntur, adolescentes putat inferiores ordinis Clericos nuncupari, quos iubet suis Episcopis, atque Antistitibus dicto esse obedientes. Non desunt tamen, qui hoc loco & Adolescentes, & Seniores ætatis, atque annorum respectu interpretentur. Vtraque autẽ sententia sua probabilitate nititur, nisi quòd prior magis cum superioribus cohæret: propterea enim videtur Apostolus dixisse, *similiter*, quasi dicat, vt proprium est Pastorum gregi sibi subiecto prospicere, ita ex aduerso oues ratione præditæ Pastoribus subesse debent. Accedit quòd cum Presbyteros nominet, quibus proximè præcepta dederat, non faci- E lè credendum est, recessisse Apostolum ab eius vocis significatione, quam modò sequutus erat, quin potius existimarim Græcam vocẽ νεώτεροι, altera ex parte respõdere πρεσβυτέροις, vt quemadmodum Presbyteri pro Episcopis accipiuntur, ita adolescentes pro inferioribus Clericis, de quibus paulo ante dixerat. *Non dominãtes in cleris.* Hos enim maximè decet Episcopis subiici, iisque in omnibus obtẽperare. Nec mirum videri debet inferiores Clericos adolescẽtes nominari, vt enim adolescentes dicuntur ij, qui ætate proficiunt, ita qui per gradus in Ecclesiastica

hierarchia promouentur, adolescere quodam modo A dici possunt, hoc est in sacris ordinibus promoueri, quoad, quasi in virû perfectû, ad Presbyteratû ascendât, his igitur iubet Apostolus subditos esse Episcopis, & quidem meritò, sunt enim eius veluti ministri, quorum ille opera tum sacris peragendis, tum aliis Ecclesiasticis functionibus obeundis vtitur. Denique Episcopus eorum veluti parens censetur, atque ideirco æquum est illos liberorum more parenti subesse, eiusque imperio facilè obtemperare.

II. Quod si quis contendat ætatis respectu adolescentes appellari, non equidem magnopere repugnarim. Nec enim dubito æquum esse, vt adolescentes senioribus subdantur, atque ita quod ait Petrus. *Adolescentes subditi estote senioribus* · perinde est ac si dicat. Iuniores ætate superiores honore prosequimini. Ita B enim olim dixit Dominus [a]. *Coram cano capite assurge, & honora personam senis.* Et Sapiens [b]. *In multitudine presbyterorum prudentium sta. & sapientia illorum ex corde coniungere. vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te.* Sapienter autem dixit Plutarchus [c]. *Iuuenes vehementes ac temerarij sunt, & in appetitionibus inflammati, & furentes, & rabidi propter sanguinis copiam, & caloris. At in senibus concupiscentiæ fons, qui quidem est in iecinore, restinguitur, paruusque fit, & imbecillus. Viges autem magis ratio, affectibus vna cum corpore tabescentibus* · quo spectans, ni fallor, Comicus [d].

a Leu 19.32.
b Eccle.6.35
c de lib. educan.
d Ter. in Adelph. Act.5. Scen.4.

Numquam ita quisquam subducta ratione ad vitã fuit
Quin res, ætas vsus, semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat, vt illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies.

C Meritò autem Petrus adolescentibus præcepta tradit, vt qui meminerit venisse Christum, vt omnibus omnino cuiusuis ætatis, atque ordinis hominibus salutem afferret: ita enim alicubi loquitur Irenæus [e]. *Omnes enim venit per semetipsum saluare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum infantes, & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores, ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus sanctificans infantes, in paruulis paruulus sanctificans hanc ipsam habentes ætatem, simul & exemplum illis pietatis effectus, & iustitia, & subiectionis; in iuuenibus iuuenis exemplum iuuenibus fiens, & sanctificans. Domino*; vt vel hinc discant Episcopi omnibus sese hominum D ordinibus præfectos esse Pastores, vt pro cuiusque ætate, & conditione omnibus prospiciant. Ita Paulus [f]. *Græcis*, inquit, *& Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum.* Et alibi [g]. *Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucri facerem, & factus sum Iudæis, tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer.* Et concludit. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Id verò, vt ait Augustinus [h]; *non mentiendo, sed compatiendo, non simulantis actu, sed commiserantis affectu.*

e lib.3 c.39.
f ad Rom.1.14.
g 1. ad Cor. 9.19.
h epist.9.

III. *Omnes autem*, ait, *inuicem humilitatem insinuate.* Quoniam dixerat, Adolescentes senioribus subditos esse debere; ne id fortasse cuipiam durius videatur, E omnibus Christianam modestiam, atque humilitatem in primis colendam monet, qui enim hac virtute præditi sunt, facilè aliis sese subiiciunt. Vt enim apud Cassianum [i] ait quidam. *Humilitas est omnium magistra virtutum, ipsa est cœlestis ædificij firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium, atque magnificum Saluatoris. Is etenim vniuersa miracula, quæ Christus operatus est, sine periculo elationis exercet, qui mitem Dominum non sublimitate signorum, sed patientia, atque humilitatis virtute sectatur.* Addit autem Petrus hoc loco, *Inuicem*, vt significet Christianum esse, non solum maioribus sponte subesse, sed cuiuis etiam siue æquali, siue minori subiici, hoc autem

i Collat.15. cap.7.

A significat vox Græca ἀλλήλοις, hoc est, alius, alij vicissim subiiciamini. Ita fiet, vt nullo labore, nullaque difficultate Pastoribus, atque Antistitibus dicto sitis audientes. Quò potissimùm spectat hoc Apostolicum præceptum, quemadmodum & illud Pauli [a], *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Hoc autem adeo placuit Basilio, vt alicubi [b] scripserit, æquum esse; vt ipsi etiam Præpositi alius alij subiiciatur; allatis enim Apostoli [c] verbis. *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, vnanimes id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* Subdit. *Veruntamen quod maius* B *afferri humilitatis exemplum potest, quàm si conuentuum Antistites vicissim alij, aliorum imperio subiiciantur?* Alibi [d] verò. *Sanè*, ait, *humilitas quidem ea est, cum quis cæteros omnes se ipso superiores existimat, ex præscripto Apostoli.* Cæterùm pro eo, quod Latinus Interpres dixit. *Omnes autem inuicem humilitatem insinuate*, Græcè scripsit Petrus πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, hoc est, omnes autem alius alij vicissim subiecti humilitatem præ vobis ferte. Oecumenius Græcam vocem ἐγκομβώσασθε perinde accipit, quasi significet, inuoluere, & circumdare, vt sensus sit, humilitatem omni ex parte complectimini, & ea vndique inuoluamini: vt significet Petrus hanc egregiam virtutem ex animo colendam, & in omni vita, omnique actione C studiosè retinendam: vt enim alicubi scribit Cassianus [e]. *Nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint veræ humilitatis in nostro corde fundamenta, quæ firmissimè collocata perfectionis, & caritatis culmen valeant sustinere, ita scilicet, vt, quemadmodum diximus, primùm fratribus nostris humilitatem veram intimo cordis affectu exhibeamus, in nullo scilicet acquiescentes eos contristare, vel lædere.*

a ad Hebr. vlt.17.
b Reg. fus. disp. resp.35.
c ad Philip. 2.2.
d Reg. breu. respon 198.
e lib. 12. de Inst. ren. cap. 31.

Illud tamen monuerim editionem Complutensem, & regiam pro ἐγκομβώσασθε habere ἐγκολπώσασθε IV.
quasi dicat, veluti stola induimini: neque aliter legisse videtur Syriacus, qui transtulit. *Circumamicti estote.* Aliquid simile indicare voluit vulgatus Interpres, cum dixit. *Insinuate.* Est enim, insinuare, D quasi in sinum immittere, & coniungere, vt non malè quidam dixerint. In animo infixam habere. Vt enim egregiè obseruauit Gregorius [f] Nazianzenus. Vera humilitas non in rebus externis, sed in animo posita est. *Non enim, ait, in veste, sed in animi constantia humilitas sita est. Nec colli depressio, aut vocis demissio, aut vultus inclinatio, aut promissa barba, aut capitis ad cutem vsque rasi exornatio, aut certus incedendi modus humilitatem effingit, quæ vt ad breue quoddam tempus exprimi possunt, ita quam celerrimè sese produnt, nihil enim simulatum constans, aut diuturnum est.* Et sanè vox ipsa ταπεινοφροσύνη animi demissionem, & moderatum quendam sensum E significat. Rectè enim alibi [g] idem Nazianzenus scribit. *An te fingis humilitatem non tam in paruis rebus, leuisque momenti (fieri enim posse, vt eam ostentatio, fictaque, & adumbrata virtutis species pariat) quàm in maioribus, & grauioribus explorari? Ego certè humilitatis, ac modestiæ laudem huic demum tribuerim, non qui de se ipso pauca, idque apud paucos, & rarò commemorat; nec qui inferiorem humiliter affatur, sed qui parcè, ac modestè de Deo loquitur, ac quædam proloqui, quædam premere, & retinere, quorumdam etiam inscitiam fateri nouit, atque sermone cedit, cui loquendi munus commissum est, ac non nullos vberiore spiritus gratia præditos, & contemplatione*

f Orat.19.
g Orat.26.

alius prouectos esse, æquo animo patitur. Et multa deinceps in eamdem sententiam. Quibus mirificè consentiunt ea, quæ apud Cassianum [a] sapienter disserit Serapion Abbas. *Proinde, inquit, vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis, atque verborum, sed de intima mentis humiliatione descendit; quæ tunc demum euidentissimis patientiæ suæ fulgebit indiciis, cum quis, non ipse de se crimina ab aliis non credenda iactauerit, sed ab aliis sibimet arroganter ingesta, contempserit, & irrogatas iniurias mansueta cordis æquanimitate tolerarit.* Quamobrem verè omnino scripsit Basilius [b], externa humilitatis, ac modestiæ argumenta tum demum probari, cum ex interna animi affectione oriontur. Alioqui ea omnia arrogantiæ, & ambitionis indicia censenda esse. cæterùm aptè omnino Petrus adolescentibus humilitatem suadet; solet enim ea ætas, non solùm communi naturæ vitio, sed priuato quodam, ac suo caloris impetu supra se, efferri, & alios facilè contemnere; quod etiam in infantibus se obseruasse asserit Augustinus [c]. *Imbecillitas*, inquit, *membrorum infantilium innocens est, non animus infantium: Vidi ego, & expertus sum zelantem paruulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum.* Plura autem eiusmodi commemorauerat, quæ animi elationem, ac tumorem, & non exiguam indignationem indicant. Accedit quòd, vt ait Ambrosius [d]. *Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, feruorem calentis inflammat ætatis.* Quamobrem alibi [e] adolescentium officia describens; *Bonorum*, inquit, *adolescentium est timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reuerentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam, ac verecundiam, quæ ornamenta sunt minoris ætatis: vt enim in senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur natura.*

a Collat. 18. c. 11.
b Orat. 27. de humil. & vana glor.
c lib. 1. Confess. c. 7.
d lib. de Viduis.
e lib. 1. Offic. c. 17.

V. Rectè verò humilitas præcipuè ab Apostolo commendatur, est enim, vt ait Basilius [f], *tutissimus virtutum omnium thesaurus*; vel, vt idem alibi [g] ait, *sagena, quæ omnes virtutes complectitur.* Quò spectans B. Gregorius [h], eos, ait, quasi puluerem in manibus flante vento gestare, qui absque humilitate cæteras virtutes congregant. Atque idcirco humilitatem vocat [i], *omnium magistram, ac matrem virtutum.* Alibi [k] victutis originem nominat. *Quia enim*, inquit, *origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est in humilitate perdurat.* Denique alio [l] quodam loco ait, *Euidentissimum reproborum signum esse superbiam, contrà verò signum electorum humilitatem:* mox autem subdit, *quòd si quando aliqui fictam speciem humilitatis assumunt, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt, quia eorum superbia diu latere non sustinens, cùm ex alia tegitur, ex alia actione denudatur: qui verò sub lege humilitatis militant, semper pauidi, atque ex omni latere circumspecti aduersum iacula elationis pugnant, & quasi contrauenientes ictus solùm magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.* Huic autem Apostolico præcepto affine est, quod scribit Apostolus Paulus [m]. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* Et alibi [n]. *Honore inuicem præuenientes.* Porrò quæ de humilitate dicta sunt, vt maximè adolescentes deceant, in aliis omnibus, atque adeo etiam in ipsis Episcopis, & Principibus præcipuè commendantur, nam vniuersim quidem ad omnes pertinent ea, quæ scribit Sapiens [o]. *Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et Christus Dominus [p]. *Nisi efficiamini*, inquit, *sicut paruuli, non intrabitis in regnum*

f in Constit. Monast. c. 17.
g Serm. de abdica. rerū.
h in Psal. 3. Poeniten.
i lib. 27. mor. c. alias 13.
k lib. 2. mor. c. 1.
l lib. 34. mor. cap. 18. alias 23.
m ad Philip. 2. 3.
n ad Rom. 12. 10.
o Eccl. 3. 21.
p Matt. 18. 3.

A *cœlorum.* De Episcopis autem scribit B. Isidorus. *Agnoscat se Episcopus seruum esse, non dominum, talem subditis se præstet, vt non solum auctoritate, verum & humilitate clarescat.*

VI. Quoniam Deus, inquit, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hanc eamdem sententiam habet Iacobus [a], videturque aliquo pacto desumpta ex Salomone [b], ait enim. *Ipse* (hoc est Deus) *deludet illusores* (Septuaginta habent superbos) *& mansuetis dabit gratiam:* quo loco Septuaginta hanc Apostolicam sententiam expresserunt. *Dominus*, inquiunt, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quò videtur etiam spectasse Beatissima [c] Virgo. *Deposuit*, inquit, *potentes de sede, & exaltauit humiles.* Est autem efficacissimum argumentum ad humilitatem B persuadendam. Quis enim est, qui non metuat Deum sibi obsistantem? quis verò non magnopere cupiat eius cœlesti, diuinaque gratia repleri? Atqui ait Apostolus tumidi, atque elati Deum sibi ex aduerso repugnantem experientur, qui contra humilibus gratiam, & caritatem affluenter largitur: vt enim Augustinus ait. Diuinæ gratiæ imber denutat de tumoribus collium, hoc est, superborum, & ad humilium valles confluit: quò pertinere videntur ea, quæ scribit Dauid [d]. *Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.* Quod vsque adeo verum est, vt plerumque humilitas irascentem Deum ab impendenti vltione reuocet. Ita olim [e] Deus. *Nonne*, inquit, *vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa non inducam malum in diebus eius.* C Quod ipsum indicat Dauid [f], cùm ait. *Quoniam excelsus est Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* In quam sententiam scribit Augustinus [g]. *Videte fratres miraculum magnum, altus est Deus, erigis te, & fugit à te, humilias te, & descendit ad te. quare hoc? quia excelsus est, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit. Humilia de proximo respicit, vt attollat alta, id est superba de longè cognoscit, vt deprimat.*

a cap. 4. 6.
b Prou. 3. 34.
c Lucæ 1. 52.
d Psal. 103. 10.
e 3. Reg. 21. 29.
f Psal. 137. 6.
g Serm. 2. de Ascēs. Dom. qui est 175. de tempore.

6\. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.*]

I. Simile quiddam dixit Iacobus [h]. *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Hoc autem loco D Petrus quasi argumentando hanc veluti amplissimam conclusionem colligit. Et quod Iacobus dixit. *In conspectu Dei.* maluit Petrus dicere. *Sub potenti manu Dei:* vt tacitè insinuet colendæ humilitatis causam. Qui enim intelligit Deum omnia posse, nihilque omnino esse in rebus creatis, quod diuino nutui non penitus subsit, nisi planè amens sit, sese maximè deiiciet, & Christianam modestiam atque humilitatem ex animo complectetur. Itaque nihil est, quod magis humilitatem suadeat, quàm si quis diuinam omnipotentiam assidua meditatione secum ipse peruoluat. Addit Apostolus ingentis præmij spem. *Vt vos*, inquit, *exaltet.* Nam vt scribit Gregorius [i] Nazianzenus, *sine exemplo Christus Dominus optimum ad sublimitatem iter humilitatem esse docuit.* Addit verò E Athanasius [k] ingens esse ad salutem remedium. *Ingens*, inquit, *remedium est ad salutem animi humilitas. cum Satanas non ob scortationem, aut adulterium, aut furtum deiectus sit è cœlo, sed superbia illum inde præcipitarit infra ipsam abyssum, cuius hæc verba fuere. Ascendam, & ponam solium è regione Dei, & ero æqualis Altissimo: & ob hæc verba deiectus est, ignisque æternus illius hæreditas, & pertio factus est. Superbia in Diabolo est, humilitas contra in Christo est. enim ipse Dominus loquatur. Si quis inter vos cupiat fieri magnus, sit omnium minister.* Quocirca verè dixit Bernardus [l], humilitatem virtutum esse stabile

h cap. 4. 10.
i Orat. 48. & 42.
k de Virgin. seruan.
l lib. 5. de consid. ad Eugen.

fundamentum. Quæ si omittitur, inquit, virtutum con- A
a Ser. 10. de verb. Dom. gregatio, non nisi ruina est. Et Augustinus [a]. Magnus esse
vis? à minimo incipe; cogitas magnam fabricam construe-
re celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et
quantam quisque vult, & disponit super imponere molem
ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fun-
damentum. Et fabrica quidem cum construitur in supre-
ma consurgit, qui autem fodit fundamentum, ad ima depri-
mitur. Ergo, & fabrica ante celsitudinem humiliatur, &
fastigium post humiliationem erigitur. Eodem spectasse
b lib. de armat. spir. c. 1. etiam videtur Ephrem [b], cùm dixit. Pro calceamento
sume humilitatem, sicut enim calceamentum calcatur iu-
giter, ita, & quem humilitas sancta repleuerit, studet ab
omnibus conculcari.

II. Vt vos, inquit, exaltet in tempore visitationis. Græci
codices simpliciter habent ἐν καιρῷ, hoc est, in tempo- B
re, siue in opportunitate. Monet autem Oecumenius,
in tempore, addi, vt de exaltatione, quæ in futurum tem-
pus fit, intelligat, quæ vel sola exaltatio est, cùm non mute-
tur, sed in perpetuum duret. Addit verò. Quæ hic fit, cum
instabilis sit, & caduca, semper sibi succedentem humilia-
tionem habet, vt citius quandoque, quàm exaltatus quis-
piam sit, in humiliationem delabatur. At ex humiliatione
altitudinem, & sublimitatem comparari ipse Dominus cer-
tus sponsor testatur, cum ait. Vnusquisque qui se humiliat
exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Et qui vult
primus inter vos esse, sit omnium vltimus. Denique colli-
git. In futuro tempore ex humiliatione exaltationem pro-
mitti, quippe cum inuariabilium rerum tempus sit futuro,
& incorruptibili sæculo sit, cum enim incorruptibile illud sit,
nihil mortale, aut caducum in se habet. Quæ quamquam C
verissimè dicuntur, & vera exaltatio humilibus pro-
missa in futuro sæculo potissimùm reseruatur. Existi-
mo tamen Petri verba simpliciter accipienda esse,
vt sensus sit. Suo tempore, aut cum opportunum
fuerit eos, qui se deiiciunt, exaltandos. Interdum
enim etiam in hac mortali, caducaque vita, humiles
c Prou. 29. 23. attolluntur: qua ratione dixit Salomon [c]. Superbum se-
quitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. Et
d cap. 22. 29. Iob [d]. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui
inclinauerit oculos ipse saluabitur. Ob eam rem dixit
e Psal. 89. 14. Dauid [e]. Repleti sumus manè misericordia tua, & exul-
tauimus, & delectati sumus in omnibus diebus nostris. Læta-
ti sumus pro diebus, quibus humiliasti nos. Sanctissimæ
f 11. 10. verò Esther [f] historia hoc ipsum apertissimè probat.
Sic enim legimus. Conturbataque est gens iustorum ti- D
mentium mala sua, & præparata ad mortem. Hæc erat
summa quædam deiectio. Mox autem sequitur. Cla-
maueruntque ad Deum, & illis vociferantibus, fons par-
uus creuit in fluuium maximum, & humiles exaltati sunt,
g cap. 5. 11. & deuorauerunt inclytos. Denique Eliphaz apud Iob [g]
inter cæteras Dei laudes hoc etiam prædicat. Qui
ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate. At-
que haud scio, an hoc ipsum significare voluerit
h 57. 15. Isaias [h] his verbis. Hæc dicit excelsus, & sublimis habi-
tans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in
sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu, vt vi-
uificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

III. Quod igitur addit Latinus Interpres. In tempore
visitationis. Non solùm desideratur in Græcis Codi-
cibus, qui nunc circumferuntur, sed ne agnoscitur E
quidem à Syriaco, qui simpliciter ita reddidit. Hu-
miliemini igitur sub potenti illa Dei manu, vt ipsa vos
euehat tempore congruo. Certè non de vita futura tan-
l Psal. 74. 8. tùm, sed etiã de præsenti loqui videtur Dauid [l], cum
ait. Hunc humiliat, & hunc exaltat. Arrogantes enim,
& superbos deiicit, humiles verò, & abiectos extol-
lit: depressit olim Vasthim, & Aman, extulit autem
Esther, & Mardochæum. Eademque ratione Saulis ex-
probrat Samuël his planè verbis. Nónne cum paruu-
lus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?

A Quem locum obseruans Gregorius [a] perinde id di- a lib. 18. mor. c. 20. aliàs 22
ctum esse ait, ac si apertè diceret. Magnus mihi fuisti,
quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es, factus es
despectus mihi. Et alibi [b]. Ad Saul, inquit, diuina in- b lib. 24. c. 15. aliàs 17.
crepatione dicitur. Nónne cum paruulus esses in oculis
tuis, caput te constitui in tribubus Israel? Paruulus quip-
pe in oculis suis est, qui in eo quod semetipsum considerat,
imparem se alicuius meritis pensat. Paulo post autem
humiliandi rationem, ac modum præscribit. Discant
ergo, ait, quomodo humiliari proximis debeant, qui adhuc
quo loco apud Deum habeantur, nesciunt. Si sic se electi
etiam illis humiliant, quibus iam se per interna iudicia
interpositos deprehendunt. Hoc autem proprium esse spe-
cimen electorum solet, quòd de se semper sentiunt infra
quàm sunt. Docet autem Augustinus humilitatem
B virtutem esse Christianæ scholæ propriam, quocirca
alibi ait [c]. Nunc in ciuitate Dei, & ciuitati in hoc sæ- c lib. 14 de Ciuit. c. 13
culo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in
eius Rege, qui est Christus, maximè prædicatur, con-
trariúmque huic virtuti elationis vitium in eius aduer-
sario, qui est Diabolus maximè dominari sacris litteris
edocetur.

Quomodo autem in Christo Domini potuerit IV.
esse humilitas, docet egregiè Bernardus [d]. Ipse, in- d Serm. 42. Canticorũ.
quit, se exinaniuit, ipse se humiliauit, non necessitate iu-
dicij, sed nostri caritate, poterat nimirum vilem se, & con-
temptibilem demonstrare, sed planè non reputare, quem non
sciebat se ipsum. Voluntate proinde humilis fuit, & non
iudicio, qui talem se obtulit, qualem esse nesciuit, magis
autem placuit minimum reputari, qui se summum non
C ignorabat. Quod non perinde accipio, quasi Chri-
sti humanitas non posset agnoscere se in se ipsa spe-
ctatam, omni planè honore indignam esse, cum
quidquid haberet boni diuino sibi munere, ac libe-
ralitate collatum esset. Sed id nimirum indicat Ber-
nardus, non potuisse Christum, si sua omnia bona
spectaret, censere se probris, & contumeliis dignum;
quamobrem subiicit. Non enim quomodo ego, vel in
inuenimus nos in veritate dignos dedecore, & contemptu,
dignos omni extremitate, & inferioritate, dignos etiam sup-
plicijs, dignos plagis. Non inquam ita & ille, qui tamen
omnia expertus est, quia voluit tamquam humilis corde.
Quocirca apud Matthæum [e] ait. Discite à me, quia e cap. 11. 29.
mitis sum, & humilis corde. Propterea ait Sapiens [f]: f Eccl. 3. 21.
Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus ho-
D noratur. Si quidem hoc se maximè Christi discipu-
los, & sectatores declarant.

Hæc autem omnia de vera humilitate accipienda V.
sunt, quæ vt ait Bernardus [g], virtus est, qua quis ex ve- g de grad. Humil. in initio.
rissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, quippe, vt ait Isi-
durus [h] Pelusiota, animo potius quàm verbo specta- h lib. 1. ep. 341.
tur; sui porrò cognitio ex Dei contemplatione maxi-
mè oritur. Quò spectasse visus est Augustinus, qui ali-
cubi dixit. Nouerim te, nouerim me, vt amem te, & con-
temnam me. Et Bernardus [i] in eandem sententiam. i Serm. 42. Cantic.
Ad illud lumen, ait, veritatis constitutus homo se ipsum, &
sine dissimulatione inspicit, & sine palpatione diiudicat. Vt
non immeritò dixerit quispiam, humilitatem esse
collyrium, de quo Angelus in Apocalypsi [k]. Collyrio, k cap. 3. 18.
inquit, vnge oculos tuos, vt videas: quo is quis inunga-
E tur, verissimè sese apud omnes deiicit, quia vt ait Ber-
nardus [l]. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis l Serm. 16. Cantic.
prædicari, gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod
laudes contemnat. Egregiè verò de hac virtute philoso-
phatur idem Bernardus [m], nec piget eius aurea verba m Serm. 42. Cantic.
hic adscribere. Est, inquit, humilitas, quam nobis veritas
parit, & non habet calorem, & est humilitas, quam caritas
format, & inflammat, atque hæc quidem in affectu; illa in
cogitatione consistit. Etenim tu si temet ipsum intus ad lu-
men veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine pal-
patione diiudices, non dubito, quin humilieris, & tu in oculis
tuis

tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamuis A
nec dum fortaſsè id eſſe pateat in oculis aliorum. Eris igi-
tur humilis, ſed de opere interim veritatis, & nondum ad-
huc de amoris infuſione. Nam ſi veritatis ipſius, quæ te ti-
bi veraciter, atque ſalubriter demonſtrauit, ſicut ſplendore
illuminatus, ita amore affectus fuiſſes, voluiſſes proculdubio,
quod in te eſt, eamdem de te omnes tenere ſententiam, quam
ipſam apud te veritatem habere cognoſcis. Poſtmodum
verò eos acriter reprehendit, qui cum verè de ſe de-
miſsè, atque humiliter ſentiunt, recuſant tamen
ab aliis deſpici, aut contemni. *Pondus, inquit, & pon-*
dus abominatio eſt apud Deum. Quid enim? tu te depre-
tiaris in ſecreto apud temetipſum veritatis trutina ponde-
ratus, & foris alterius pretij mentiens, maiori te põdere ven-
dis nobis, quam ab ipſa accepiſti? Time Deũ, & noli hãc rem
peſſimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat volun- B
tas. hoc enim eſt reſiſtere veritati, hoc pugnare cõtra Deum.
IV. Alia verò ex parte dignus eſt humilis ſummis ho-
a lib. 3. epiſt. 70. noribus; ac propterea Iſidorus [a] Pelusiota humilita-
b Orat. 38. & 42. tem vocat, *ingens faſtigium.* Et Gregorius [b] Nazian-
zenus. *Optimum,* ait, *eſſe ad ſublimitatem iter.* Denique
c de Virgin. Athanaſius [c], *ingens*, nominat, *ad ſalutem remedium.*
d lib. 6. in 1. Reg. c. 3. Quamobrem Gregorius [d] Pontifex explicans verba[e]
e 1. Reg. 16. 11. illa. *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues:* Meritò,
inquit, *paruulus iſte dicitur oues paſcere. quia electus*
quiſq; humilis eſt, & ſterilis non eſt, quia quotidie magna
agit, ſed de ſe magna non ſentit. Meritò ergo non ſolùm
paruulus, ſed paſtor aſſeritur. quia qui verè humiles ſunt,
foris ſe deiiciunt, ſed per internam ſocietatem in ſummis, &
æternis paſcuis immoratur, nam ſcriptum eſt. Deus ſuperbis
reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia, C
niſi vt ſumma videant, & cognoſcant, & diligant, atque ad
ipſa dilecta quaſi fortes, & pingues currant? Sectanda igi-
tur eſt humilitas, vt hoc loco monet Petrus. Verùm
quod ille addit. *Vt vos exaltet,* non cauſam, vt arbitror,
ſed conſequutionem indicat. Nam qui ideo ſe deiicit,
vt ſiue in hac mortali vita, ſiue in illo beatorum cœtu,
amplitudinem, & gloriam aſſequatur, videri poſſit
non tam ſtudioſus humilitatis, quàm honoris, ac di-
gnitatis appetens. Atque hunc, ni fallor, perſtringere
Eccl. 19. 23. videtur Sapiens [f], cùm ait. *Eſt qui nequiter ſe humiliat.*
interiora autem eius plena ſunt dolo. Et ſanè qui ſe in
aula principum deiiciunt, vt ad honores proueh ãtur,
ambitioſi, non humiles cenſendi ſunt. Qui verò hu-
militatem colunt, vt humilibus propoſita in cœlo
præmia adipiſcantur, ſunt quidem laude digni, quòd D
ea expetant, quæ pulcherrima, honeſtiſſima, maximé-
que appetenda ſunt. Haud tamen crediderim, id eſſe
inter humilitatis officia recenſendum, quæ hominis
animum, vt paulò ante dixi, ita afficit, & componit, vt
ſe humilis bonis omnibus indigniſſimũ iudicet. Quo-
circa omni penitus ſui, ſuarumque rerum ſolicitudi-
ne abiecta, ſeſe totum Deo ex animo ſubiicit, à cuius
voluntate, nutuque penitus pendet. Quod inſinuaſſe
viſa eſt Virgo Beatiſſima, cùm mira ſibi denuncianti
g Lucæ 1. 38. Angelo, reſpondit [g]. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſe-*
cundum verbum tuum. Humilitatem itaque ſequitur
prouectio, vt Chriſtus non ſemel his verbis docuit.
Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabi-
tur. Id verò, vt ait Petrus, cõgruo, & opportuno tem-
pore fiet, cum videlicet Deus id optimum exiſtima- E
uerit, vt ſignificant Græci codices, vel certè, vt indicat
vulgatus Interpres; humilitatis prouectio in tempore
viſitationis fiet, hoc eſt in futurum, vt explicat Oecu-
menius. Viſitationem autem poſuit Interpres, vt ſi-
gnificet in extremo mundi occaſu, vel certè in ſupre-
mo cuiuſque vitæ die, omnia etiam abdita, atque oc-
culta mentis, quæ in lucem, atque omnium aſpectum
proferenda ſunt, quàm accuratiſſimè expendẽda eſſe.
h Sophoniæ c. 1. 12. Quò referenda ſunt Prophetæ [h] verba. *Scrutabor,* in-
quit, *Ieruſalem, & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus*

A *ſuis,* Et id genus alia non pauca, quæ paſſim in ſacris
litteris leguntur, ex quibus intelligimus Deum Iudi-
cem cuncta luſtraturum, vt ſuum cuique vel præ-
mium, vel ſupplicium iuſtè rependat.

7. *Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quo-*
niam ipſi cura eſt de vobis.]

Rectè Oecumenius, *vt timorem,* inquit, *omnem ex* I.
humiliatione hac auferat; fortaſſe etenim vereri aliquos
videbat ne ſi in hac vita ſe ipſos humiliarent, mali aliquid
paterentur, idcirco ſubiungit. Ne timeas, curam omnem,
& ſolicitudinem tui in Dominum coniice, nam ſi id feceris,
prouido, ac fido Procuratori te ipſum commiſeris. ipſi enim
cura eſt de his omnibus. Sic autem ferè perſuaſum eſt
hominibus eos, qui humilitatem complectuntur fa-
B cilè ab omnibus contemni, atque adeo in maximas
plerumque anguſtias, vitæque diſcrimina adduci.
Hanc inanem dubitationem amouet Apoſtolus, di-
uinumque patrocinium humilibus certò pollicetur.
Superuacaneam verò ſolicitudinem reiicit, quam
Chriſtus Dominus, atque ipſe Paulus Apoſtolus
grauiſſimis verbis reprehendunt: nam ſolicitudo,
qua futuræ vitæ bona ſedulò, ac ſtudiosè perqui-
runtur, cùm laudabilis eſt, atque honeſta, tum in
primis neceſſaria, de qua Paulus [a]. *Volo autem vos* a 1. ad Cor. 7. 32.
ſine ſolicitudine eſſe, qui ſine vxore eſt ſolicitus eſt, quæ
Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Et Propheta [b]. b Micheæ 6. 8.
Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus
requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere miſeri-
cordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Quæ verò
C ſpectant ad corpus, quæque ſunt ad tuendam vi-
tam neceſſaria, non ſunt illa quidem penitùs negli-
genda; meritò tamen nimia eorum ſollicitudo, quæ
præſertim à diffidentia, aut deſperatione non longè
abeſt à Chriſto Domino [c] reiicitur. *Ideo,* inquit, *di-* c Matt. 6. 25.
co vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis,
neque corpori veſtro, quid induamini. Paucis autem in-
teriectis ſubiicit. *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non*
ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, &
Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Neque verò pugnant,
quæ ſcribit Salomon [d], qui ſocordiam, & quorun- d Prou. 24. 34. & c. 6. 9.
dam negligentiam, atque oſcitantiam reprehendens
ait. *Vſque quò piger dormies, vſque quò de ſomno conſur-*
ges, parum inquam dormies, modicum dormitabis, pau-
xillum manus conſeres, vt quieſcas, & veniet tibi quaſi
D *curſor egeſtas tua, & mendicitas quaſi vir armatus.* Et
alibi [e]. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit* e Prou. 20. 4.
ergo æſtate, & non dabitur illi. Denique non ſemel
ad excitandam quorumdam inertiam, atque acuen-
dam induſtriam, formicæ proponit [f] exemplum, f Prou. 30. 25
quæ præparat in meſſe cibum ſibi. Quamobrem inter opti-
mo apud Caſſianum [g] Ioannes Abbas anachoreti- g Collat. 19. c. 3.
cam vitam ſe deſeruiſſe affirmat, *quia deguſtata eius*
puritas ſolicitudine interdum carnalium rerum interpola-
ta ſordebat. Et aliquanto [h] poſt hoc in eius vitæ ge- h cap. 5.
nere incommodi ineſſe dicebat, *quòd cum maior nu-*
merus fratrum habitationem illius ſolitudinis cœpiſſet ex-
petere, & coanguſtata vaſtioris heremi libertate, non
modo ignem illum diuinæ contemplationis frigere feciſſet,
ſed etiam multimodis mentem carnalium rerum vinculis
E *impediret.* Quò ſpectans Paulus [i]; *nihil,* ait, *ſoliciti ſi-* i ad Philip. 4. 6.
tis, ſed in omni oratione, & obſecratione petitiones veſtræ
innoteſcant apud Deum.

Crediderim autem, cùm Apoſtolus ait; *Omnem ſo-* II.
licitudinem veſtram proiicientes in eum; vtili, ac ſalutari
conſilio monere humiles, vt ſiue de ſalute, ſempiter-
naque felicitate ſoliciti ſint, ſiue quæ ſunt ad vitam
tuendam neceſſaria, ea, qua par eſt, moderatione
perquirant, non ſuis dumtaxat viribus nitantur,
ſed in vno Deo ſpes omnes ſuas ſitas, & colloca-
tas eſſe velint, ſine quo ipſi nihil aggredi, neque

perficere, aut absoluere vllo modo possunt. Quamquam enim non nego multa tum in œconomica, tum in politica administratione absque præcurrentis gratiæ beneficio, & inchoari, & perfici posse. Eadem tamen illa diuinum concursum, atque opem necessariò postulant, quæ si desint, ne hiscere quidem quisquam omnino potest. Neque enim vlla est, quamuis humana, & politica actio, quæ non annuente, vel permittente certè, atque adiuuante Deo peragatur: vt enim alicubi ait Augustinus [a], *nihil est in hac, vt ita dicam, mundana republica, quod in illo sempiterno, diuinóque senatu non decernatur, vel certè permittatur.* [a in sententiis Prosperi.] Ea verò, quæ ad sempiternam, beatamque vitam referuntur, quæ ad pietatem, & ad rerum supranaturalium ordinem spectant, & præueniente gratia indigent, vt inchoentur, & adiuuante, vt perficiantur. B Quocirca verè Paulus [b]. *Deus est enim*, inquit, *qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*: [b ad Philip. 2.13.] quo loco est, Græca vox εὐδοκίαν; vt à diuina in nos beneuolentia bona omnia profluere, ac promanare significet. Idémque Paulus [c] de se ipso ait. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* [c ad Philip. 4.13.] Denique [d]. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* [d ad Philip. 1.6.] Vtraque igitur sollicitudo nostra Deo potissimùm nititur, & quæ diuina spectat ab eo omni ex parte pendet; humana verò illi ipsi accepta referenda est. Quod etiam apud Gentiles agnouit non nemo, cùm enim Athenienses suum nescio quem Imperatorem, quòd Cotyn regem interemisset, suspicerent, atque admirarentur; ille respódisse fertur Diis habendam esse gratiam, quibus auctoribus res præclarè cesissent, C nam se quidem nihil præter manum, & operam commodasse, euentum rei in manu Dei esse, cui gratia habenda sit, si quid ex animi sententia euenerit, illum tamen operam nostram requirere. Non itaque Petrus sollicitudinem penitùs reiicit, sed eam vult diuina potissimùm ope, ac patrocinio niti.

III. Præclarè autem apud Ælianum Aristoteles [e] non contemnendus Philosophus luculenta oratione hortabatur, [e lib. 14. hist.] vt, ne quis de præteritis curam postea, nec de futuris antea susciperet, id enim animi bene constituti signum esse, & hilaris cogitationis argumétum. Iubebat autem in diem animum intendere, solùm quippe præsens in manu nostra positum esse, non item præteritum, aut instans, illud enim iam abiisse, hoc an euenturum sit, incertum esse. D Addit autem Petrus egregiam rationem, *quoniam*, inquit, *ei est cura de vobis.* Quod vsque adeo ipsa duce Natura mortaliũ mentibus inditum est, vt alicubi scripserit Seneca [f] eos, [f lib. de prouidentia.] qui ab imperita multitudine miseri habentur Deo esse carissimos. *Cum videris*, inquit, *bonos viros, acceptósque Diis laborare, sudare, per arduum conscendere; malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere, cogita illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat, bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.* Et post nonnulla. *Ecce*, inquit, *spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, vtique si & prouocauit. Non video inquam, quid habeat in terris Iuppiter pulchrius, si conuertere animum velit, quam vt spectet Catonem iam partibus* E *non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum.* At multo & verius, & certius nostri. huc enim spectat, quod ait Deus ipse apud Ieremiam [g]. [g cap 1.8.] *Ne timeas*, inquit, *à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te, dicit Dominus.* Et post nonnulla [h]. [h vers. 19.] *Bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.* Contra verò Salomon inanes eorum spes, & fallaces cogitationes esse affirmat, qui suis dumtaxat viribus confisi, plus æquo sunt in hac mortalitate solliciti. [i Prou. 11.7.] *Expectatio*, ait [i], *sollicitorum* A *peribit.* Hoc igitur est, quod ait Petrus; *quoniam ipsi cura est de vobis.* Quamobrem dixit Salomon. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, non tanget illos tormentum mortis.* Et olim Moses [a] dixerat. *Dilexit populos omnes sancti in manu illius sunt.* [a Deut. 33. 3.] Alias penè sexcenta in eamdem sententiam afferri possent, quæ alibi copiosius recensui, hæc visa sunt indicanda, vt appareat quàm verè dixerit Petrus solicitudinem omnem nostram diuino patrocinio, & foueri, & promoueri, resque humanas ita à Deo curari, quod egregiè obseruauit Augustinus [b], vt curet vnumquemque nostrum tamquam solum curet, sic autem omnes tamquam singulos. [b lib. 3. confess. c. 11] Idem verò alibi sapienter omnino affirmat, neminem à Deo deserit, quin prius ipse Deum deserat.

IV. B Diuinam sanè prouidentiam olim quidem Philosophi, vt alibi docui, partim penitus abnegarunt, partim mutilarunt, optimi tamen quique, ac præstantissimi integram illam eamdemque amplissimam professi sunt, quam fides Catholica certissimis argumentis, sacrarumque litterarum, ac veterum Patrum testimoniis confirmat. Hoc verò loco Petrus paucissimis verbis astruit. Et quidem Christus Dominus diuinam rerum humanarum prouidentiam ex rebus minutissimis, quæ à Deo non penitùs negliguntur, luculenter probat. *Nónne*, inquit [c], *duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt, nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos.* [c Matth. 10. 29.] Rectè autem Chrysostomus [d]. C *Hæc verò*, inquit, *dixit ostendens, quia nihil fieret eo nesciente, sed spectante quidem cuncta, non tamen cuncta faciente, ac si diceret. Nihil omnino turbemini, neque paueatis, ille enim, qui & prauidet ista omnia, quæ & sustinetis, & potest profectò prohibere, vobis vtique prospiciens, curamque vestri gerens, non prohibet, quod in nostris quoque tentationibus cogitare oportet. Et satis hinc idoneam consolationem poterimus accipere.* [d Hom. 9. in Matth.] Multo autem apertius Augustinus [e]. *Quod autem ore suo Saluator dicit, vnum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quod fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat; nónne confirmat, non solùm totam istam mundi partem rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verum etiam vilissimas eius, abiectissimásque* [e lib. 1. Gen. ad litteram c. 21.] D *particulas diuina prouidentia regi?* Alibi [f] verò hæc ipsa Christi verba expendens. [f lib. de agone Christiano c. 8.] *Hoc enim*, inquit, *dixit volens ostendere quicquid vilissimum homines putant, omnipotentia Domini gubernari, sic enim & volatilia cœli ab eo pasci, & lilia agri ab eo vestiri verum loquitur, qui capillos etiam nostros numeratos esse dicit. Sed quoniam mundas animas rationales per se ipse Deus curat, siue in optimis, & magnis Angelis, siue in hominibus tota sibi voluntate seruientibus; cætera vero per ipsos gubernat, verissimè dici potuit etiam illud ab Apostolo [g]: non enim de bobus cura est Deo. In scripturis enim sanctis Deus homines docet, quomodo cum hominibus agant, & ipsi Deo seruiant: quomodo autem agant de pecoribus suis ipsi sciunt, idest quomodo salutem pecorum suorum gubernent vsu, & peritia, & ratione* [g 1 ad Cor. 9.] E *naturali.* Quod tamen nnn perinde accipio, quasi Deo etiam pecora, & bestiæ curæ non sint, quippe ille sua prouidentia victum, aliaque necessaria ipsis etiam passeribus sapienter curat. Dixit enim Christus [h] ipse. *Respicite volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa.* [h Matth. 6. 26.] Et mox. *Considerate lilia agri quomodo crescunt, & non laborant, neque nent.* Illicò verò subiicit. *Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, &c.* David [i] autem etiam coruorum [i Psal 146. 9.]

pullos

pullos diuina prouidentia ali confirmat. Vniuersim [a] autem Deum ait producere, *Fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum.* Significat igitur Paulus peculiari quadam ratione diuinæ prouidentiæ subesse hominem, cui gratiam, & gloriam, cœlestiáque bona voluit esse proposita.

a Ps. 103.14.

V Quocirca meritò addit Christus, *Vestri autem, & capilli capitis omnes numerati sunt: immensam enim*, vt ait Hieronymus [b], *Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum, quod nihil nostrum lateat Deum, etiam parua, & ociose dicta eius scientiam non fugiant.* Origenes autem, *Discipulorum*, ait [c], *Domini etiam capilli capitis numerati esse dicuntur, hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum seruantur apud Dominum, quia iusta, quia sancta sunt.* Et in eandem sententiam Damascenus [d] capillorum nomine, *minutissima quæque cogitationum, & intentionum demonstrari*, affirmat. Egregiè verò Augustinus [e] de his Christi verbis in hanc sententiã disserit. *Omnem curã vestrã super Dominũ mittite, prorsus vos ipsos totos proiicite in illũ. Non se subducit, vt cadatis, ille, qui nos creauit, & de ipsis capillis nostris securitatẽ nobis dedit. Amen dico vobis, inquit, & capilli capitis vestri numerati sũt. Capilli nostri numerati sunt Deo, quanto magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? Videte quia minima vestra nõ cõtemnit Deus, nam si contemneret, nec crearet, nam & capillos nostros ipse vtique creauit, & numeratos habet, sed modo cum sint in-quis fortè peribunt, & hinc audi vocem eius. Amen dico vobis. Capillus capitis vestri non peribit. Quid times hominem homo in sinu Dei positus? tu de illius sinu noli cadere, quicquid ibi passus fueris ad salutem valebit, non ad perniciem.* Itaque ait Dauid [f], *Ego autem mendicus sum, & pauper. Dominus sollicitus est mei, adiutor meus, & protector meus tu es.* Sapiens [g] autem, *Timentis Dominum beata est anima eius, ad quem respicit. Et quis est fortitudo eius? Oculi Domini super timentes eum protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Quapropter Dauid [h], *Et si ambulauero*, inquit, *in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es, virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

b Matth. 10.
c hom. 8. in Leuit.
d in histor. Barlaham, c. 9.
e serm. 6. de verb. Dom.
f Ps. 39.18.
g Eccl. 34.17.
h Psal. 22.4.

VI Atqui Hieronymus explicans Prophetæ [i] verba, *facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens Principem* de diuina prouidentia paulo aliter sentire videtur, ait enim, *Alioquin quomodo potest sic habere Deus homines quasi pisces maris, & velut reptilia, quæ non habent principem, cum Angeli singulorum quotidie videant faciem Patris, qui in cœlis est. & circundet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos?* Respondet autem mox in hanc sententiam, *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit prouidentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem, & ordinem cursumq́; rerum intelligere possumus. verbi gratia. Quomodo nascatur piscium multitudo, & viuat in aquis, quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cib[illegible]. Cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotq́; moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum prædæ cedere debeant.* Quæ fateor duriuscula videri possunt, si de diuina scientia præsertim accipienda sint, cum nefas sit inficiari immensam Dei scientiam minima quæque complecti, suáque diuina luce omnia lustrare, nihil enim in rebus creatis tam abiectum, atque exiguum reperiri potest, quod diuinum illum intuitum lateat, aut diuinæ prouidentiæ non subiiciatur. Sed nimirum id vnum significat Hieronymus, longè aliam esse hominum, quàm cæterarum rerum Dei immortalis procurationem, ac prouidentiam, quod confestim explanans subiicit. *Non simus tam fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus in nos ipsos iniuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium prouidentiam esse dicentes. Ex quo liber ille Apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus, & in hanc similitudinem piscibus quoque, & arboribus, & bestiis vniuersis proprios in custodiam Angelos assignatos.* Ex quibus apparet id vnum significare voluisse Hieronymum, multo aliter Deum rebus humanis, quam bestiis, cæterísque rebus creatis sua diuina sapientia, prouidentiáque consulere. Quod cùm verissimum est, tum ad ea confirmanda plurimum valet, quæ hoc loco ait Petrus. Dum fidelibus peculiarem curam, & singularem quandam Dei prouidentiam pollicetur.

i Habac. 1.

VII. Nec enim dubium est diuinam prouidentiam ne in homines quidem æquabiliter fundi, cum neminem quidem penitus deserat, nec quemquam ab iis excludat, quæ ad vitam tuendam necessaria sunt. Multo tamen aliter fidelium, iustorum, ac denique prædestinatorum procurationem suscipit, vt ex iis, quæ de diuina prædestinatione, déque cœlestis gratiæ præsidiis à Theologis disputantur in Scholis, meridiana luce clarius liquet. Addo quod alicubi [a] ait Dauid *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Mox [b] verò, *Clamauerunt iusti. & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.* Rursus [c], *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Quin etiam non eadem planè ratione electos, ac prędestinatos ad beatam, ac sempiternam vitam promouet. Illud certum est ad eos maximè pertinere, quod de ouibus suis apud Ioannem [d] Christus Dominus asseruit, *Ego*, inquit, *vitam æternam do eis, & non rapiet eas quisquam de manu mea, & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Quippe, vt ait Augustinus [e], *de illis loquitur ouibus, de quibus dicit Apostolus. [f] Nouit Dominus qui sunt eius, & quos præsciuit, ipsos & prædestinauit, quos autem prædestinauit, ipsos & vocauit. quos autem vocauit, illos & iustificauit, quos autem iustificauit ipsos & glorificauit. De ouibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit, securus est de numero earum, qui pro eis nouit, quod dedit. Et hoc est, quod ait. Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Eodem modo loquuntur Hieronymus [g] & Gregorius [h], qui, quod etiam facit Hilarius, obseruant vnam, atque eandem esse Patris, ac filij manum, hoc est, vnam, atque eandem vtriusque vim, ac potestatem. Itaque persimilem prouidentiam pollicetur Petrus omnibus fidelibus, cùm ait, *Quoniam ipsi est cura de vobis.* Neque verò torpentes, aut oscitantes vult esse fideles, quoniam, vt ait Augustinus, non agit Deus homines tanquam stipites, aut tanquam saxa impellit, sed mira quadam vi, atque efficacitate ex nolentibus volentes facit, &, vt idem Augustinus [i] ait, incredibili quadam suauitate ad se trahit. Ita igitur omnis sollicitudo in vnum Deum conniicienda est, vt humanum studium, ac diligentia diuinæ gratiæ subiiciatur. Verissimè enim scriptum est à Prospero [k], *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratia opulentiæ, si proficit.* Confestim verò vt diuinæ beneuolentiæ magnitudinem facilè quiuis agnoscat, egregiè subdit.

a Ps. 33.16.
b vers. 18.
c vers. 20.
d Io. 10.28.
e Tract. 48. in Ioan.
f 2 ad Tim. 2.
g Ezech. 18.
h lib. 3 Mor. c. 3 alias 2.
i Tract. 26. in Ioan.
k li. 2. de vocat. gentiũ, c. 9.

Quæ

A *Quæ opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ, quod autem à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humanæ.* Id verò non obscurè hoc loco insinuat Petrus, subdit enim:

8. *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*]

I. Posita diuina prouidentia, quæ, vt diximus, latissimè funditur, humani arbitrij partes explicat, & quid vniuersim à Christi fidelibus necessariò exigatur, paucis indicat. Proposito præsertim periculoso certamine, quod nobis cum atrocissimo, atque infestissimo hoste continenter ineundum est. Inter cætera autem sobrietatem, & vigilantiam commendat. *Sobrij,* inquit, *estote, & vigilate.* Nam, vt ait Oecumenius, *eos, qui intellectualiter dormire, id est vanis rebus oscitanter vacare consueuerunt, atque inde sobrietatem animæ aggrauant, praua; ac molesta desperationis fera inuadit.* Certè Christus apud Lucam [a] his verbis cunctos monuit. *Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius sæculi.* Et Paulus [b], *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus, & ebrietatibus.* Et apud Ioëlem [c] exclamat Dominus, *Expergiscimini ebrij.* Quamuis autem sobrietatem potissimùm nominet, verisimile tamen est, omnem temperantiam maximè commendare: vt enim dixit quidam [d]; *magni animi est magna contemnere, atque mediocria malle, quam nimia; illa enim vtilia, vitaliáque sunt; at hæc eo, quo superfluunt, nocent.* Sapientior autem addit, *Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ sunt, quorum impotentia, atque insana libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quòd quæ fecere, patiuntur? nec immeritò hos illos furor vexat, necesse est enim in immensum exeat cupiditas, quæ naturalem modum transiliit. Ille enim habet suum finem, inania, & ex libidine orta sine termino sunt. Necessaria metitur vtilitas. Superuacua quò rediges? voluptatibus vtique se immergunt, quibus in consuetudinem adductis, carere non possunt. Et ob hoc miserrimi sunt, quòd eò peruenerunt, vt illis, quæ superuacua fuerant, facta sint necessaria. Seruiunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua (quod malorum vltimum est) amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent, &*

D *desinit esse remedio locus vbi, quæ fuerant vitia, mores sunt.* Contra verò temperati animi tranquillitatem, & pacem eleganter describit Plutarchus [e], *Temperatus animus,* inquit, *vndique est æquabilis, & pacatus, inferiori animæ nostræ portione cum superiore consentiente admirabili quiete ornatus, & compositus, in quem intuens dicas. Conciderant venti iam, & tranquillus sine vento pontus erat, namque ipse Deus sedauerat vndas vehementes, insanos, rabidósque motus cupiditatum restinguente ratione, & quibus natura indiget, eos libi consentientes, obtemperantésque in actionibus voluntariis parante, vt nec rationem præcurrant, nec terga vertant, nec ordinem turbent, nec dicto non sint audientes; verùm vt omnis motus quocumque velit ratio ducere, paratus sequi, ceu lactens pullus cum equa simul*

E *currat, Xenocratis confirmans sententiam dicentis, quod verè philosophantes sponte agunt, quæ cæteri metu legis facere solent inuiti, tanquam verberibus canes à voluptatibus repulsi formidine suppliciorum.* Nec minori eloquentia hunc ipsum tranquillæ mentis statum expressit Augustinus [f], cùm dixit. *In pace perfectio est, & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, & vtique filij similitudinem Patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subiicientes rationi, id est menti, ac spiritui, carnálesque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum Dei, in quo*

A *ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestijsque communia, atque id ipsum, quod excellit in homine, id est mens, & ratio subiiciatur potiori, quod est ipsa veritas vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori seipsū subiiciat, & hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati, perfectique sapientis.*

II. Potissimùm verò sobrietatem commendat Petrus. Nam vt ait Titus Bostrensis [a], *Vnà huius curæ, crapula item, & ebrietas hominis intellectum adimunt, fidem obscurant, & earum rerum, quæ sunt vtiles, & necessariæ obliuionem inducunt. Quocirca magna opus est vigilantia, magnáque cautione, & prudentia, dandáque opera, vt præter iugem orationem conuenientia quoque ieiunia Deo offe-*

B *ramus.* Addit Theophylactus [b] hoc esse tutissimum remedium ad ea mala vitanda, quæ in hac mortali vita cunctis fermè imminent, ac propterea Petrus aduersus Dæmonis impugnationem sobrietatem, ac vigilantiam suadet. Multa autem sunt, quæ ebrietatem fugiendam, ac detestandam doceant, sed illud in primis, quod sapienter monuit Anacharsis, qui interrogatus qua ratione ebrietatem quis posset vitare, respōdisse fertur, id fore facillimum, si semper præ oculis haberet ebriorum fœdos, planéque homine indignos mores. Quo videntur spectasse Lacedæmones, qui pueris, temulentos seruos ostentabant, vt tam deformi spectaculo ab ebrietate deterrerentur. Certè Chrysostomus [c] ebrietatem opprobrium vocat humani generis, id adeò Noë [d], & Loth [e] exempla con-

C firmant, quorum ille fœdè nudatus à filio irridetur; hic filias nefando incestu corrupit. Longè deteriora leguntur apud Auctorem sermonum ad fratres in Eremo, qui habentur inter opera Augustini [f]. Habitum porrò ebriorum, & corporis deprauationem describunt Basilius [g], & Ambrosius [h]. Augustinus [i] ebriosos ait bestiis esse deteriores. Chrysostomus [k] asinis, & canibus turpiores vocat, additque, *Diabolo nemo magis amicus est, quam qui delicijs, & ebrietati omnis culatur: hic enim fons, hæc mater, atque origo vitiorum omnium est. Quid deliciarum hæc fœditas mali non inducit? sues ex hominibus facit, delicijs vacans nullo discrimine à Dæmoniaco separatur, impudens enim, & furiosus pariter est, & Dæmoniacum, omnes miseremur, hunc verò auersamur, quia sponte furorem sibi attrahit, & os, oculos, nares*

D *cætera simpliciter sensuum instrumenta amarissimas voluptatis conficit cloacas.* Cui consentiens Augustinus [l] ebriosos sordidis paludibus similes esse affirmat.

III. Iam verò si de animo loquamur, nihil magis cum ratione pugnat, quàm ebrietas. Nam, vt ait Basilius [m], *Sicut aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem supprimit.* Idémque addit. *Ebriorum animæ vino submersæ sunt.* Rursus. *Mentis lumine per ebrietatem se priuas, inter bestias rationis carentes adnumerari potes, similique illis videri.* Quocirca verè Isaias [n], *Absorpti, inquit, sunt à vino.* Et alibi [o], *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Vbi Septuaginta legunt. *Vinum enim succendet eos* hoc est, interprete Basilio [p], afficiet eum flammis, & incendio, *Vim,* inquit, *feruor corporis infu-*

E *sus incendium fit ignitorum inimici iaculorum: rationem enim, ac mentem vinum deprimit, voluptates, & animi cæteros affectus malos, velut apum examen excitat.* Et plura deinceps. Idcirco Salomō [q] *Noli,* ait, *esse in cōuiuiis potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur.* Et aliquanto post. [r] *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ: cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Paulus verò [s], *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* quo loco Græcè legitur ἀσωτία, hoc est,

Margin notes:
a cap. 21. 34.
b ad Rom. 13. 12.
c cap. 1. 5.
d Seneca ep. 39.
e li. de virtute morum.
f lib. 1. de ser. Dom. in monte c. 2.
a in Luc. c. 21
b Luc. 21.
c hom. 1. ad pop. Antioc.
d Gen. 9.
e Gen. 19.
f ser. 33.
g hom. 14.
h li. de Elia, & ieiunio c. 16
i ser. 231. de tempore.
k ho. 58. in Matth.
l ser. 231. de tempore.
m ho. 14.
n c. p. 28. 7.
o cap. 5. 11.
p hom. 14.
q Prou. 23. 20.
r vers. 29.
s ad Ephes. 5. 18.

A est, luxus, seu lascitia, vt non tantum professionem significet, ioiporam tamen, ac fœdam; de qua Clemés[a] Aleaandrinus vbi de moderando potu præcepta tradit, plurimáque contra ebrietatem ex prophanis Auctoribus profert. Possis tameo ἀσωτίας, impuram, ac veneream voluptatem interpretari, quæ ferè eom ebrietate coniungitur. Nam verè scripsit Hieronymus[b], *Vbi saturitas, & ebrietas, ibi libido dominatur; specta ventrem, & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam, scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam*. Idem alibi[c], *Violentia scurrarum est, & commessatorum, venterque mero æstuans cito despumat in libidinem*: idque mox Noë, & Loth exemplis confirmat.

B Quamobrem Plato[d], *In ciuitate, inquit, nec seruus, nec serua vnquam vinum gustet, nec ipsi quidem Magistratus illo, quo magistratum gerunt, anno neque Gubernatores, neque Iudices dum munus suum exercent vllo modo vinum gustent*. Nimirum intelligebat vir sapientissimus temulentiam plurimum animo, ac menti officere, quod Clemens[e] Alexandrinus, & Galenos[f] egregiè docent. Sapienter autem Seneca.[g] *Non est animus, ait, in sua potestate, ebrietate deuictus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo iacet, abditum effertur, & prodit in medium. Onerati mero quem admodum non continent cibum vino redundante, ita ne secretum quidem quod suum, alienúmque est, pariter effundunt*. Et deinde colligit nihil esse aliud ebrietatem, quàm voluntariam insaniam.

IV. Docet itaque Petrus ebrietatem vitandam, dum ad sobrietatem hortatur, quod aliis verbis docet Ephrem[h] Syrus, *Fuge, inquit, vinum, velut venenum, ne ebrietas te superet, expoliatumque virtutibus nudũ efficiat, quemadmodum Noë sanctissimum, & antiquissimum virum*. Et multa deinceps addit eodem spectantia. Et Gregorius[i] Nazianzenus à commessationibus, & ebrietatibus reuocat, *quibus, inquit, cubilia, & impudicitias adiuncta esse scio, quandoquidem malorum magistrorum mala sunt doctrina, vel potius malorum seminum mala segetes*. Obseruat autem Origenes[k] quod scriptum est in Leuitico,[l] *Vinum, & siceram non bibetis tu, & filij tui tecum*. Tum subdit. *Sobrietas enim omnium virtutum mater est, sicut è contrario ebrietas omnium vitiorum*. Et aliquanto post, *Est ergo ebrietas viri perniciosa in omnibus, sola namque est, quæ simul cum corpore, & animam debilem reddat*. Et mox, *In ebrietatis ægritudine corpus simul, & anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur, omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam resoluit, oculos tenebrat, mentem velat obliuio, ita vt hominem se esse nesciat, nec sentiat*. Alibi[m] verò expendens historiam Loth contra ebrietatem multa congerit. In eandem sententiam non pauca scribit Isidorus[n] Pelusiota, quo loco vocat ebrietatem voluntarium furorem. Eandem alibi[o] tanquam multorum vitiorum causam detestatur. Illud verò prudenter dictum est à Salomone[p], *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas, ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis*. Certè olim, vt viri[q] docti tradũt, plurimæ gentes, ac nationes vel omninò, vel magna certè ex parte vino abstinebant. Sobrietatem commendare videtur Salomon[r], cùm ait, *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet*. Hinc Xenophon[s] apud Athenæum, *Videmur, inquit, mihi id etiam virorum corpora pati, quod plantæ: illæ siquidem vbi cœli frequentibus imbribus irrigatæ sunt, nullo pacto sese erigere possunt, neque auris perspirantur: verum cum quantum sufficiat ebi-*

A *berunt, & rectè, & fœliciter surgunt, & ad fructuum generationem facillimè perducũtur. Sic nos etiam sumus affecti, nam si potum frequentiorem hauriamus, statim & mens, & corpora nostra ab æquitate declinarunt, ac neque respirare, ne dum quidpiam dicere possumus. Quòd si nobis pueri in minora pocula irrorauerint, sic vino leniter commoti in comitatem, lætitiámque conuertemur*. Quibus mirè consentanea sunt, quæ scribit Chrysostomos[a], *Non ita, inquit, terra natura vexata aquarum superabundantia continuè dissoluitur, vt corporis vis mollescit, ac diffluit, & exilis redditur vini potu continuò ingurgitata*.

V. Porrò sobrietatis legem his verbis explicat Chrysostomus[b], *Scribens ad Timotheum Paulus nobis bibendi vini mensuram, ac terminos statuit, tantum bibere iubens, quantum valetudinem adiuuet, quantum corpori sanitatem præbeat*. Neque aliter sensisse videtur Isidorus[c]. *Vtendum ait, est epulis non ad luxuriam, vel ad* B *satietatem, sed tantùm vt corpus sustentetur. Nam, vt Philosophi dixerunt; Cibandus est venter vt contineat animam, non vt corrumpat. Qui nimium cibis vtuntur quanto magis ventrem pascunt, tanto magis sensum mentis obtundunt. Nam Græci dixerunt, Ex crasso ventre subtilem sensum gigni non posse, nam gula saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniúmque hebescere facit*. Quò spectãt illa, quæ sunt apud Ezechielem[d], *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius*. Nimia enim rerum abondantia, & ventris ingluuies à cœlestibus, diuinisque rebus mentem auocat, vt non immeritò de quibusdam dixerit Paulus[e], *Quorum Deus venter est*: quos ibidem inimicos crucis Christi appellat. Quò alludens Ignatius[f], *Videte ergo, inquit, malignos* C *operarios inimicos Crucis Christi, quorum finis est interitus, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione eorum. videte canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squammosos, & aspides, basiliscos, scorpiones. Hi enim sunt thoes, vulpes, & simiæ humana imitantes*. Meritò autem sobrietati vigilantiam addit Petrus. Somnolentia enim vt plurimum ex ebrietate oritur.

VI. Quamobrem subdit. *Et vigilate*. Sic etiam Paulus[g] ebrietatem cum somno coniunxit, *Qui enim, inquit, dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt*. In quem locum plura dixi. Cæterùm vigilantiam pluribus locis Christus Dominus commendat, quòd siue cuiusque obitus, siue supremi iudicij dies immineat, neque certò constare possit, quo tempore ex hac vita cuique migrandum sit. Itaque apud Marcum[h] ait Dominus, *Videte, vigilate, & orate, ne* D *scitis enim quando tempus sit*. Confestim verò, *Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniat sero, an media nocte, an galli cantu, an manè ne cum venerit repentè inueniat vos dormientes*. Et apud Matthæum[i], *Vigilate ergo quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*. Quo loco Gregorius[k], *Horam vltimam, ait, Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione preparemur*. Et in eandem sententiam dixerat Hilarius[l], *Paratos esse vos conuenit, quia dies ignoratio intentam sollicitudinem suspensa expectationis exagitat*. Eodémque spectans Hieronymus[m], *Ostendit, inquit, Dominus quare suprà dixerit, de die illa, & hora nemo scit, neque Angeli, quòd non expediat scire Apostolis, vt pendula expectationis incerto semper eum* E *credant esse venturum, quem ignorant quando venturus sit*. Id autem prudenti admodum consilio factum esse luculenter docet Ambrosius[n], *Nobis, ait, scire non proderat, vt dum certa futuri iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. Non enim prodest scire, sed metuere quod futurum est*.

Certè

[a] li. 2. pædagog. c. 2.
[b] ad Tit. 1.
[c] ep. 83. ad Oceanum.
[d] li. 2. de legib.
[e] li. 2. pædag. c. 2. & lib. 7 Strom.
[f] lib. quòd mores animi affectionibus corporis respondeant.
[g] ep. 84.
[h] li. de luct. Spirit. c. 1.
[i] orat. 38.
[k] hom. 3. in Leuit.
[l] cap. 10.
[m] hom. 5. in Genes.
[n] li. 1 ep. 203
[o] epist. 179.
[p] Prou. 31. 4.
[q] Alexan. ab Alexandro l. 3. c. 11 & tib. Tiraq.
[r] Prou. 23. 31.
[s] lib. 11. c. 21.

[a] hom. 1. ad pop. Antioc.
[b] hom. 1. ad pop. Antioc.
[c] li. de sum. bon. c. 42.
[d] cap. 16. 49.
[e] ad Philip. 3. 19.
[f] ep. 9 ad Antioch.
[g] 1. ad Thes. c. 5. 7.
[h] cap. 13. 33. & 35.
[i] cap. 24. 42.
[k] hom. 13 in Euang.
[l] in Matth. c. 24.
[m] ibid.
[n] li. 5 de fide c. 8.

Certè dormientibus plurima, eaque grauissima imminere pericula multorum exempla docuerunt.

VII. Siquidem Sisara [a Iud. 4. 21.] incautè dormiens fœminæ manu turpiter occubuit. Isboseth [b 2. Reg. c. 4. vers. 6.] verò meridiano somno correptus, à duobus nefariis latronibus confossus est. Holofernes [c Iudith 13.] somno, vinóque sepultus ab integerrima fœmina obtruncatus est. Mitto Saulem, cui dormienti scyphus, & hasta à Dauide [d 1. Reg. 26.] sublata sunt. Alia porrò ratione Petrus vigilantiam hoc loco commendat ob periculum videlicet, quod ab hoste teterrimo, atque infensissimo imminet. *Quia aduersarius*, inquit, *vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Suadet autem non tam à somno corporeo abstinendum (quanquam hîc etiam moderatio in primis est necessaria) sed præcipuè animi vigilantiam de qua hunc in modum scribit Gregorius [e hom. 13. in Euang.], *Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet, vigilat, qui à se torporis, & negligentiæ tenebras pellit.* Et alibi [f li. 1 mor. c. 36. aliàs 18.], *Vir confusionis est*, inquit, *qui forti mentis custodia munitus non est; quia dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Totus itaque virtute muniendus est aditus mentis, nequando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis.* Hanc opinor sollicitudinem, ac vigilantiam indicant illa animalia, quæ in Apocalypsi [g cap. 4. 6.] describuntur plena oculis ante, & retro. Oportet enim virum iustum, quasi nouum quendam Argum pluribus oculis cuncta circunspicere, vt Dæmonis artes, ac dolos cauere possit. Atque idcirco diuinæ gratiæ præsidium implorandum est, vt cœlesti ope adiuti imminentia pericula cernere, ac vitare possimus. Huc enim refert Ambrosius [h lib. de Ioseph.], quod in libro Geneseos [i cap. 46. 4.] Iacobo vaticinatus est Deus; *Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos: hoc est*, inquit Ambrosius, *mysterium quod verus Ioseph imponeret manus super oculos eius, id est populi, vt qui non videbat ante, iam videat.* Et ante illum Origenes [k hom. 15. in Genes.], *Vtinam, ait, nobis quoque iniiciat manus Iesus super oculos, vt incipiamus respicere non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, & aperiat nobis illos oculos, qui non intuentur præsentia, sed futura, & reuelet nobis cordis aspectum, quo Deus videtur in spiritu.* Hanc, ni fallor, vigilantiam, prædicabat illa, quæ in Canticis [l Cant. 5. 2.] ait, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vt enim explicat Gregorius, [m li. 23. mor. c. 21. aliàs 12] *Perinde est ac si diceret, Dum exteriores sensus ab huius vitæ sollicitudinibus sopio, vacante mente viuacius interna cognosco, foris dormio, sed intus cor vigilat, quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo.* Et alibi [n li. 5 mor. c. 22. aliàs 25.], *Ego dormio*, inquit, *& cor meum vigilat, quia videlicet sancta mens, quò se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eò verius interna cognoscit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat.* Id verò illustri admodum exemplo confirmat, *Quid bene*, inquit, *per Iacob* [o Gen. 28.] *in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, & obdormiuit, à terra scalam cœlo inhærentem, innixumque illi Deum, ascendentes quoque, & descendentes Angelos vidit. In itinere quippe dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu à rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire est in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit.* Et plura deinceps. Hanc porrò vigilantiam necessariam esse non vno loco docuit Cyprianus [p epist. 8 & de orat. Dom.], Neque enim, vt ait Chrysostomus [q ho. de nat. Dom. ex variis in Lucã.], *inuenitur Deus à dormientibus, neque se coniungit nisi vigilantibus.*

VIII. Egregiè verò de hac animi vigilantia disserit Gregorius [r hom. 11. in Cant.] Nyssenus, *Vnum*, ait, *quoddam est de magnis Christi præceptis, per quæ mens discentium Dei verbum omnibus crassis in natura rebus ad sese quasi quodam puluere decusso ad cupiditatem rerum supra nos positarum attollitur. Est autem hoc debere nos somno minimè addictos esse, quicunque ad vitam supernam respiciamus, adeóque nunquam non mente nobis vigilandum esse, quasique animorum quendam impostorem, & insidiatorem veritatis, oculorum nictum abigendum: illum inquam nictum, illum somnum, per quem formantur in eis, qui altius errori vitæ huius infixi hærent somniis illa consimilia simulachra, magistratus, opes, potentiæ, fastus, voluptatum impostura, gloriæ cupiditas, vita delicata, ambitio, cætera denique omnia, quæcunque in hac vita temerè à non satis circunspectis per quandam opinionẽ expetuntur*, &c. Ille profectò vigilabat, qui alicubi [a Habac. c. 2. 1.] dixit, *Super custodiã meã stabo, & figã gradũ super munitionẽ, & cõtẽplabor, vt videã quid dicatur mihi, & quid respondeã ad arguentẽ me.* Etenim, vt interpretatur Gregorius [b li. 22. mor. c. 10. aliàs 13], *Super custodiã suã stat, qui per solertẽ disciplinã terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet, vt dum semper stantem appetit æternitatẽ, infra se sit omne, quod transit.* Eandem omninò vigilantiam suadebat Ieremias, cùm dixit [c Ier. 31. 21.], *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti, reuertere Virgo Israël, reuertere ad ciuitates tuas istas, vsquequò deliciis dissolueris filia vaga?* Denique ipsa hostis diligentia, & sollicitudo vigilantiam persuadet, atque idcircò meritò dixit Augustinus, *Hostis vigilat, & dormis tu?* Et alibi [d de ver. Do. ser. 19. c. 10. vide ser. 17. ad fratres in Eremo.], *Corde vigila, fide vigila, spe vigila, caritate vigila, operibus vigila.* Hac enim ratione non strenuè modo, sed etiam feliciter cum aduersario præliabimur. Quocirca Ephrem [e li. 2. de compunct. cordis c. 2.] Syrus, *Vigilemus ergo, ait, dilectissimi, vigilemus, donec in bello constituti sumus, & contra Diabolum dimicemus. Pugna quidem eius in promptu est, ipse autem infirmus existit, ac debilis; noster autem Dominus fortis agonotheta, qui est Rex Regum, his, qui alacriter dimicauerint, & virtutem præstat, & coronam immarcescibilem. Quemadmodum enim puluis à vehementia venti spargitur, ita & aduersarius noster ad nihilũ redigitur, quãdo vox nostra in Dei laudibus personat, & orationes nostræ plenæ lachrymis Domino exhibentur.*

IX. Rectè verò monet Oecumenius, videri hoc loco Petrum id innuere, quod olim Christus Dominus zizaniorũ parabola significauit, vt videlicet, *vigilemus semper, & Zizaniorum seminatorem caueamus, ne fortè dormientibus nobis, id est, negligenter, & ignauè viuentibus, malas cogitationes latenter inserat, atque à vera vita nos seducat, non enim cessat, inquit, sed tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Appellat autem Petrus Diabolum aduersarium nostrum. *Aduersarius*, inquit, *vester Diabolus.* Videtur autem allusisse Petrus ad Hebræam vocem Satan; quæ propriè cõtrarium, aut aduersarium significat. Vt autem scribit Iustinus [f Apolog. ad Antoninum.], *Archidux, & Princeps malorum Dæmonum serpens vocatur, & Satanas, & Diabolus.* Idem verò [g in dial. cũ Tryphone.], *Satanas*, inquit, *appellatur, nomen rebus ipsis, quas agit congruens, indeq; compositum. Nam Sata Iudæorum, & Syrorum voce Apostata, & desertor est, nomen autem nas, etiam serpens vocatur, idemq; est quòd sata Hebræorum expositum sermone, ex quibus vtrisq; vnum compositum fit nomen Satanas.* In sacris literis Satan, idem valet quod aduersari, detrahere, calumniari. Ita apud Dauidem [h Ps. 37. 21.] Hebraicè legitur, *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi.* Alibi [i Ps. 108. 20.], *Hoc opus eorũ qui detrahunt mihi apud Dominũ.* Itémque, *Induãtur, qui detrahunt mihi, pudore.* His enim omnibus locis est eadem vox Satan. Et apud Zachariã [k c. 3. in prin.], *Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei*, quasi dicat, stabat aduersarius aduersaturus. Deniq; in libris Regum [l li. 3. c. 5. 4.], *Non est Satan, neque occursus malus.* Id est, nõ est aduersarius. Diabolus porrò, hoc est, calumniator meritò dicitur, quoniam, vt ait Basilius [m hom. 9.], *Idem, & in peccato nobis cooperatur, & accusator est, gaudet ex interitu nostro, nosq; eorũ gratia, quæ commissa sunt, traducit.* Quocirca in Apocalypsi [n cap. 12. 10.] dicitur *accusator fratrũ, qui accusabat illos ante conspectũ Dei nostri die, ac nocte.* Nam, vt interpretatur Gregorius [o lib. 2. mor. c. 5. aliàs 4.], *In die, ac nocte accusare non desinit, quia modo nos in prosperis, modo in aduersis accusabi-*

les

A

les oſtendere contendit. In die accuſat, cũ proſperis malo nos vti inſinuat, in nocte accuſat, cum in aduerſis nos non habere patiētia demõſtrat. Dixerat autem paulo antè, *Antiquus aduerſarius cũ qua accuſet mala nõ inuenit, ipſa ad malũ inflectere bona quærit, cumq; de operibus vincitur, ad accuſandũ verba noſtra perſcrutatur; cùm nec in verbis accuſationẽ reperit, intentionẽ cordis fuſcare contendit, ꝗ͂ ſi quæ bona facta bono animo nõ fiāt, & idcirco perpendi à iudice bona nõ debeant.* Rectè autẽ Diabolum noſtrum vocat aduerſarium, quia iam inde ab initio naſcentis mundi primos noſtros parentes oppugnauit, & expugnauit.

X. *Tanquam leo rugiens.* Immanitas, ac ſæuitia Dęmonis ferarum omniũ crudelitatem ſuperat, atque idcirco in

a Gen. 3. 5.

B

ſacris [a] literis nunc ſerpens dicitur, *Serpens, inquit, erat callidior cunctis animantibus terra.* Neq; enim id ad animal tantũ refero, cùm Septuaginta φρονιμώτατος, reddiderint, quod propriè de beſtia dici nequaquam poteſt. Vox Hebræa *gharum*, *vafrum*, atque aſtutum ſonat, indicátque calliditatẽ, atque aſtutiā malā in partem accipiendā eſſe. Aquila tranſtulit πανοῦργος, quaſi

b cap. 27. 5.

dicat verſipellem, ac verſutum. Ita Iſaias eum [b] vocat, *Leuiatan ſerpentem vectem, & tortuoſum*; nam ea verba de Diabolo accipienda eſſe conſtans eſt omnium ex-

c li. 4. mor. c. 31. & 12. & 18. d 90. 13.

planatorũ ſententia, id maximè explicāte Gregorio [c]. Aliàs dicitur, aſpis, & baſiliſcus, ſic David [d], *Super aſpidem, & baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Et quidem hoc poſtremum draconis nomen Diabolo mirè cõgruit, quem hoc ipſo nomine Ioan-

e cap. 12. 3.

nes in Apocalypſi [e] deſcribit. *Ecce ait, draco magnus, rufus, habens capita ſeptẽ, & cornua decem.* Et poſt nõnulla

C

f lib. 5. c. 28.

beſtiam nominat pardo, & vrſo ſimilẽ, quā Irenæus [f] Antichriſtum ſignificare docet; mox verò ſubdit Ioā-

g cap. 40. h orat. 6. in Cant. i li. 9. in Ioā. c. 6. k ho. 27. in Matt. l in Pſ. 103. m lib. 1. de pœnit. c. 13. n Iob 40. o libri 1. de Gen. ad lit. c. 20. & lib. 11. de ciuit. c. 15. & 17. p in hũc locum.

nes; *Cui draco, (id eſt Diabolus) dedit virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.* Quam ſimilitudinem ſequuti plurimi ſanctorum Patrũ, nomine Beemoth apud Iob [g], non elephantis ſolùm naturam, ſed præcipuè Diaboli vim, & conditionem indicari autumāt. Ita inter Græcos Origenes, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Euſebius, Seuerus in catena Græci, ipſe catenæ Auctor Gregorius [h] Nyſſenus, Cyrillus [i] Alexandrinus, Chryſoſtomus [k]; ſubindicant Baſilius [l], & Theodoretus. [l] Inter Latinos Ambroſius [m], Hieronymus [n], Auguſtinus [o], Gregorius [p] Pontifex. Qua verò ratione ea Beemoth deſcriptio Diabolo aptetur mitto quærere, cum non pertineat ad hunc locum, in quo Diabolus tanquam leo rugiens nobis proponitur.

XI. Meritò autem quæras ſæuitiam ne leonis, an virium magnitudinem, an denique terrorem ſpectarit Petrus, quo cæteræ belluæ leonis dumtaxat rugitu concutiuntur. Certè rugitum nominat, de quo hunc

q ho. 9 in Exameron.

planè in modũ ſcribit Baſilius [q]; *Cui (hoc eſt leoni) tāta quoq; vocis elicienda natura præſtitit inſtrumenta, vt animantiũ cõplura lõgè ipſo celeriora ſolo ſæpe rugitu capiantur.* Eadémque ratione Ambroſius [r], *Quæ ante ſe ei fo-*

r lib. 6. in Exam. c. 3.

cuari ſera audeat, cuius voci tantus naturaliter ineſt terror, vt multa animantiũ, quæ per celeritatẽ poſſent impetũ eius euadere, rugitus eius ſonitu, velut quadā vi attonita, atque illa capiātur? Quò refero quæ leguntur apud Amos [s]

s cap. 3. 8.

Prophetam, *Leo, inquit, rugiet, quis nõ timebit?* Nec dubium eſt ad hunc leonis rugitum alluſiſſe Petrum, qui rugientem leonem apertè nominat. Sed duplicem ferunt leonis eſſe rugitum. Alterum ante prædā captā, illi quippe inhians, vt ſuo rugitu terreat, & conſternatā arripiat rugire ſolet. Alterũ iam capta præda, vbi enim illam apprehendit, quaſi exultans vociferatur.

E

t Pſ. 21. 14. u cap. 31. 4.

Sic David [t], *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens.* Et Iſaias [u], *Quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam.* At Petrus de priori rugitu ante captam prædam citra vllam dubitationem

x Amos 3.

agit. De quo Cyrillus [x] Alexandrinus in hæc verba loquitur, *Qui naturas ferarum exquiſitius perueſtigant,*

Bened. Iuſtinian. in Epiſt. Canon.

A

narrant leonem eſurientem montes, ſaltus, & nemora continenter peruagari; huc, illuc oculos circumferre, & quidpiam ibidem paſcentium rapere. Vbi autem aliquid ſibi ad eſum idoneum conſpexerit, propiorem factum horribiliter, & abſonè rugiendo prædam inuadere. Et paulò pòſt. *Qui contra beſtias clamare conſueuit, & propemodum minari, prius ſe impreſſionem facturum.* Denique addit. *Cum leone itaque Deus ſe comparat non prius inſiliente, & exitu prædam deuorante, niſi minas præmiſerit.*

XII. Itaque Petrus Dæmonem ait rugientis leonis inſtar circuire, hoc eſt, nihil non moliri, aut tentare, vt nos degluciat; quod elegantiſſimè expreſſit Cyprianus [a], ſic autem ſcribit. *Excubandum eſt fratres, atque*

a de zelo, & liuore.

B

omnibus viribus elaborandum, vt inimico ſæuienti, & iacula ſua in omnes corporis partes dirigenti plena vigilantia repugnemus, ſecundùm quod Petrus Apoſtolus præmonet dicens. Sobrij eſtote, vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Confeſtim autem ſubiicit. *Circuit ille nos ſingulos, & tamquam hoſtis clauſos obſidens, muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua minus ſtabilis, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, vt ſoni dulcioris auditu ſoluat, & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam conuicio prouocat, manum iniuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat, vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta, vt animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia, honores terrenos promittit, vt cœleſtes adimat. oſtentat falſa, vt vera ſubripiat, & cùm latenter non poteſt fallere, expreſsè, atque apertè minatur, terrorem perſequutionis intentans ad debellandos Dei ſeruos, inquietus ſemper, & ſemper infeſtus, in pace ſubdolus, in perſequutione violentus. Quamobrem fratres contra inſidias, & minas eius ſtare debet inſtructus animus tam paratus ſemper ad repugnandum, quàm eſt ille ad impugnandum.* Hoc ipſum apud Io-

C

b cap. 1. 7.

bum [b] idem dæmon ſignificauit, cùm dixit. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Incredibili enim odio, & mira quadam vi, aſtúque admirabili, genus hominum inſectatur, maximeque cupit à beatæ vitæ poſſeſſione, à qua ipſe iam olim excidit, cunctos mortales abducere. Huius porrò rei ex Iuſtino Martyre, Oecumenius hanc cauſam affert. *Harum, inquit, Diaboli abſque vlla intermiſſione inſidiarum, & aſſiduarum eius contra nos verſutiarum cauſam afferens, etiam S. Martyr Iuſtinus Diabolum, inquit, ante Domini aduentum ſuæ pœnæ vim non ita certo nouiſſe, cum diuini Prophetæ obſcurè, & ænigmaticè locuti de ipſo fuerint, ſicut videre licet in Iſaia [c], qui ſub perſona Aſſyrij totam eius tragœdiam agendo occultauit. Vbi verò ex Domini aduentu repoſitum eſſe, ac paratum æternum ignem Diabolo, & Angelis eius manifeſtò audiuit, ex illo verò tempore non ceſſare enim, inquit, ab inſidiis Chriſti fidelibus inferēdis, dum multos ſuæ defectionis habere ſocios vult, ne ſolus eius condēnatione dedecoretur vana hac, & inuida cõſolatione ſuffultus.*

D

c cap. 14.

XIII. Verùm his non multis verbis (quæ ego quidem apud Iuſtinum non memini legere) incredibile dictu eſt, quàm multa peccata ſint. Nam, vt hinc incipiam, nemini dubium eſſe poteſt, cunctos Dæmones ſuæ damnationis probè conſcios iam tum fuiſſe, cùm cœleſti illo domicilio deturbati, partim Tartaro incluſi ſempiternis ardoribus deſtinati, partim in hoc aëre nobis finitimo leuiori fortaſſe ſupplicio addicti ſunt. Vt enim à Damaſceno [d] ſapientes obſeruatum eſt. *Quod hominibus eſt mors, Angelis fuit lapſus.* Quemadmodum igitur homines poſt mortem pro rerum ab ſe geſtarum conditione, vel præmium, vel ſempiternum cruciatum nanciſcuntur, ſuæque conditionis ſtatum probè norunt; non aliter de Angelis poſt eorum lapſum ſentiendum eſt. Mirum quidem fateor videri poſſit, quorſum apud Matthæum [e]

E

d li. 2. de fide c. 4.

e cap. 8. 29.

Ll vocife

vociferentur Dæmones se ante tempus à Christo Domino torqueri, *Venisti, inquiunt, ante tempus torquere nos.* Et apud Marcum [a] pœnam his verbis Dæmon deprecatur, *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* vt ante Christi aduentum videantur Dæmones pœnæ, & supplicij fuisse expertes. An illi Christi præsentia nec ullo quopiam cruciatu torquebantur? Ita sanè Chrysostomus [b], *Nemine, inquit, vidente flagellabantur, multoque magis, quàm mare paulo antè perpulsi præsentia Christi, atque incensi vexabantur, & sæuissime torquebantur.* Eodemque modo Euthymius [c], *Dæmones, ait, Christum cognouerunt, & non ferentes virtutem inuisibiliter eos inflammantem clamauerunt.* Ipsa namque Christi præsentia, vt viri [d] docti obseruant, magnam Dæmonibus supplicij afferebat accessionem, & vt ait Hieron. [e] *Præsentia Saluatoris tormenta sunt Dæmonis.* Vt verò scribit Theophylact. [f] *Tormentum & cruciatum Dæmones putant, si non permittantur lædere homines.* Quocirca non significant se tum primùm supplicijs affici, sed pœnæ incrementum experiri se testantur.

a cap. 5. 7.
b hom 29. in Matth.
c Matth. 8.
d Abulen. Mat. 8. q. 108
e Matth. 8.
f ibid.

XIV. Sed cur, inquies, addunt, *ante tempus*? hoc enim planè indicare videtur ante Christi aduentum, ac ne tum quidem, cùm inter mortales degeret, fuisse se supplicijs affectos. Nec videtur abnuere Chrysostomus [g], alicubi enim ait, *Venisti huc vt nos cruciares ante tempus?* Mox autem subdit, *Qui futurum cruciatum dicunt, & iudicium, & examen, & supplicium futurum intelligunt,* quasi præsentem pœnam recusent. Alibi [h] verò, *Putarunt Dæmones supplicij iam tempus instare, atque ideo formidine commoti sunt, tanquam tum iam demergendi ad tormenta pœnarum.* Rursus, *Cum non possent excusare se, quòd non peccassent, ne ante tempus pœnam darent, precantur. Quoniam enim iam se deprehensos in iniquis factis arbitrabantur, quibus omnis, quo poterant, modo creaturas Christi exagitabant, propterea putarunt non expectaturum ipsum pœnitionis tempus, sed acerbitate, & magnitudine peccatorum commotum, tunc ipsos punitururm.* Consentit Euthymius [i], *Dæmones, inquit, quandam causa suæ defensionem prætexunt, quòd non nunc pœnas dare debeant, sed tempore vniuersalis iudicij, & grauiter discruciati dicunt: Venisti huc, vt affligas nos ante definitum tempus.* Nec videtur ab hac sententia abhorrere Augustinus [k], cuius hæc sunt verba, *Dæmones Domino trementes dicunt, quid venisti ante tempus perdere nos? siue quia subitum illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius opinabantur, siue quòd perditionem suam hanc ipsam dicebant, qua fiebat, vt cogniti spernerentur, & hoc erat ante tempus, id est, ante tempus iudicij, quo æterna damnatione puniendi sunt cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur.*

g ho. 44. in Ioan.
h ho. 29. in Matth.
i Matth. 8.
k li. 8. de ciuit. c. 23.

XV. Cæterùm qualecumque tandem supplicium præsente Christo subirent Dæmones futuram detrusionem in Tartarum deprecantur, vt significat Lucas [l], dum ait, *Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Erant enim Dæmones ex eorum numero, qui in hoc citimo aëre versantur. Qui non ignorabant se in supremi iudicij die vnà cum cæteris reprobis in imum Tartarum detrudendos. Vel certè Christi aduentum nimis celerem, ac festinum esse significabant, quo se mundi imperio, ac principatu deijciendos esse non ignorabant, atque hoc quasi supplicium intempestiuum deprecabantur. Adde si placet non videri improbabile iniquo animo tulisse Dæmones se ante tempus ab impiis illis hominibus expelli, quos ob sua immania scelera diuturniori supplicio, & vexatione dignos esse arbitrabantur. Nihil igitur de supplicio agunt, quo iam inde ab initio sui lapsus cruciabantur, tametsi enim, vt Theologi [m] docent, plerique Dæmones nondum infernis illis ac Tartareis sedibus includuntur, qui homines assiduè vexant, & ad scelera, atque flagitia incitant, suo tamen iusto cruciatu non carent, suumque supplicium, qualecumque illud tandem sit, secum ipsi, vel inuiti gestant, ac propterea apud Lucam Christum obtestantur, ne in Tartareum carcerem detrudantur. Fateor quidem Bedam [a], & alios [b] existimasse, *Dæmones vbicumque, vel in aëre volitant, vel in terris, aut sub terris vagantur, siue detinentur, suarum secum ferre semper tormenta flammarum instar febricitantis, qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, feruorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris euitare non potest. Sic Dæmones etsi in templis colantur auratis, etsi per aëra discurrant, igne semper ardere gehennali.* Quamquam autem difficile creditu est Dæmones, qui inter homines versantur, igne corporeo cruciari, eiusque ignis incendium cæteris neque locis, neque hominibus obesse. Videtur tamen ad Dei quidem iustitiam pertinere, vt eo Dæmones torqueantur, ad rectam autem rerum administrationem spectare, vt cætera eo igne non lædantur. Nam quod nonnulli [c] dicunt, cruciari Dæmones, non quòd igne corporeo vstulentur, sed quòd eius incendio se destinatos norint, adeóque non aliter affici, ac si illo igne comburerentur. Parum (vt leuissimè dicam) verisimile videtur, multo enim aliter torqueri necesse est eum, qui igne inflammatur, quàm qui rogum sibi paratum esse exploratum habet. Nec me fugit quod alij excogitarunt, diuinæ iustitiæ vi, ac potestate fieri, vt non aliter Dæmones sempiterni incendij expectatione torqueantur, quàm si inferno igne iam nunc torrerentur. Verùm id mihi nihil videtur esse aliud, quàm diuinare, neque aliter de iis sentiendum existimo, qui Dæmones aiunt proximè à Deo nulla interiecta causa grauissimo supplicio mactari. Vtcumque sit, non modo nouerant Dæmones ante Christi aduentum se esse damnatos, sed suæ præsentis damnationis supplicium perferebant.

l cap. 8. 31.
m D. Th. 1. p. q. 74. ar. 4. ad 3.
a Iacobi 3.
b Gloss. ibid.
c D. Th. 1. p. q. 74. ar. 4.

XVI. Iam verò quis ferat, quod ex eodem Iustino indicat Oecumenius ante Christi Domini ad nos aduentum, neque Dæmones hominibus inuidisse, neque mortales suis dolis, ac fraudibus vexasse? Mitto primos Parentes astu Dæmonis in fraudem actos, & vnà cum vniuersa posteritate in hanc malorum sentinam fuisse deiectos? Quàm multa ab ipso nascentis mundi exordio Dæmonum suasu, quamque atrocia facinora patrata sunt? Non itaque post Christi aduentum cœpit Dæmon tanquam leo rugiens circuire, & quærere quos deuoret; sed cum animaduerteret se à cœlesti illa patria exulare, ad eam verò plurimos mortalium fuisse destinatos, inuidiæ stimulis agitatus, eos omnibus machinis oppugnat, nititúrque quantum potest illos flagitiis, atque sceleribus implicare, & ad inferorum supplicia pertrahere, quod egregiè explicans Basilius [d], *Quæris igitur, inquit, vnde illis sit contra nos bellum? quoniam cum omnis ille malitiæ promptuarium existeret, inuidiæ quoque morbum in se recepit, & inuidit nobis illatum honorem, nec facilè tulit vitam in Paradiso beatam ducere; quamobrem dolis hominem aggressus eadem ambitionis cupiditate, quam ipse ab initio habuit, velle similem esse Deo. hac rursus ad decipiendum nos vsus lignum ostendit, &c.* Tum concludit, *Non inimicus igitur à Deo nobis constitutus est, sed ipse ex inuidia sese nobis opposuit, animaduertens se ex Angelorum ordinibus expulsum, non talis terrenam creaturam ad Angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari.* Et alibi [e], *Quid enim, ait, Principem malorum Dæmonem, ad bellum aduersus hominem internecinum impulit nonne inuidia? per quam, & Deo aduersari palam deprehensus est, dolens ouium ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidiis petit hominem.* Rursus alio quodam [f] loco de inuidia hæc scribit, *Ipsa namque proprium est Diaboli vitium, non enim Diabolus statim creatus est Diabolus, sed cum Angelicam potestatem accepisset, in Dæmonis naturam conuersus est, & factus iniquus Dæmon. Hic enim iniquitate imbutus, & à Dei familiaritate alienatus, & ad partem defectionis conuersus, postquam vidit hominem paruum quidem animal supra omnem*

d ho. 9. quod Deus non est Auctor malorum.
e ho. 11. de inuidia.
f hom. 22. in aliquos scripturæ locos.

A *omnem creaturam honoratum, cum esset antiquior homine facile conspexit solum hominem manibus Dei plasmatum esse, cætera verbo tantum procreata, hunc ei honorem inuidit.* Post nonnulla verò, *Vt igitur agnouit hominem, vbi vidit tam exile animal ad Angelorum dignitatem à Deo vocatum, & per virtutem modestiamque vitæ conuersationem ad vitæ perfectionem tendentem, inuidia motus eum per insidias aggredi cogitauit.* Simile quiddam indicasse videntur Irenæus [a], Iustinus [b] Martyr, Metodius apud Epiphanium [c], Tertullianus [d], Cyprianus [e], Chrysologus [f], Bernardus. [g]

a li. 4. c. 78. & li. 5. c. 24.
b in Dialog. cũ Triphon.
c hæresi 74.
d lib. de patientia.
e de zelo, & liuore.
f ser. 48.
g serm. 17. in Cant.

XVII. Circuire autem dicitur Dæmon quærens quem deuoret, quia mille illi nocendi artes, quibus partim occultè, partim manifestè nos oppugnat. Verè namque scripsit Hieronymus [h], *Erras, inquit, frater, erras, si putas vnquam Christianum persecutionem non pati. Tum maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster tanquam leo rugiens, aliquem deuorare quærens circuit. & tu pacem putas? sedet in insidiis cum diuitibus, vt in occultis interficiat innocentem, oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in occulto sicut Leo in spelunca sua insidiatur, vt rapiat pauperem, & tu frondosa arboris tectus vmbraculo molles somnos futurus præda carpis? Inde me persequitur luxuria, inde auaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo. compellit libido, vt habitantem in me Spiritum sanctum fugẽ, vt templum eius violem persequitur, inquam, me hostis cui nomina mille, mille nocendi artes, & ego infelix victorem me putabo dum capior?* Post multa verò, *Nolite, ait, credere, nolite esse securi, licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculũ, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antemna figatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est.*

h epist. 1. ad Heliodorum.

C Hic porrò aduersarius, vt interpretantur Basilius [i], Euthymius [k], Theophylactus, Ambrosius [l], Augustinus [m], illo aduersario significatur, de quo meminit Christus apud Lucam, *Via etenim nostra,* ait Basilius, *est hæc vita. aduersarius autem vis quadam, siue potentia nobis obluctans, & concomitans per huius vitæ curriculum se eo comparans omni molitione, & ex insidiis, vt nos abducat à via ad Deum nos rectà deducente.* Hic autẽ aduersarius, vt hoc loco ait Petrus, *Circuit quærens quem deuoret,* hoc est, omnem machinam mouet, vt nos in fraudem inducat. Rectè autem monet Origenes [n] nõ esse huoc circuitum, qui gressu corporeo peragatur, *Intendite, inquit, ò amici, quia circuisse se dicit totam terrã, quæ sub cælo est, sed non carnalibus vestigiis, neque corruptibilibus gressibus, sed spiritali transcursu, atque incorporali transitu vniuersa, quæ sub cælo sunt, subito peruolans,* D *atq; peragrans.* Et aliquanto post, *Circuiuit non carnalibus vestigiis, sed circuitionibus iniquitatis, nõ terrenis gressibus, sed spiritalibus seductionibus.* Rursus, *Terram circuiuit Diabolus ad desolandum, ad exterminandum eam, ea, quæ sub cælo sunt, peragrans ad perturbandum, & peruertendũ, & ad furorem concitandas, atque exacerbandas gentes aduersus gentes, & regiones.* Mox verò addit Dæmonem circuire totam terram, hoc est, *omnes terrenos, eos, qui terrena sapiunt tantùm, eos, qui terrena sola cogitãt, & meditantur, diligunt, atque requirunt.* Et multa deinceps in eandem sententiam, tum concludit, *Corda, quæ nõ sunt in cælo, quæ in cælum nunquam ascenderũt, neque fidei integritate, neque mẽtis desiderio, neque Domini memoria, neq; resurrectionis expectatione, neque iudicij timore, neque spe gloriæ æternæ, sed horũ omniũ, quæ in cælo sunt obliuiscũtur, despiciunt quoque, atque derelinquunt. Talia sunt corda omniũ ferocium, pertinaciũ eorũ, qui nõ agunt pœnitentiã; huiuscemodi enim corda circuit Diabolus persuadens, atque infatuãs, obtundens, atque obdurãs eorũ, quæ ea, quæ super cælum sunt, in incorruptione non sapiunt, sed ea sola, quæ sub cælo sunt in corruptione super terram requirunt.*

i in Isa. c. 3.
k Luc. 12.
l li. 7. in Luc.
m ser. 1. de verb. Dom.
n [illegible] Iob.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

XVIII. Hoc igitur modo quærit Dæmon, quos deuoret, vt enim ait Ambrosius [a]; *Serit illecebras deliciorum, vt habeat in supplicio participes, quos habuit in errore cõsortes: atque ideo socios quærit ad culpã, vt obnoxios prodat ad pœnã.* Sed duplex hoc loco exoritur quæstio. Altera cur patiatur Deus homines à Dæmone tam acriter, tamque hostiliter oppugnari, cũ penè innumerabiles ad interitum pertrahat sempiternũ. Altera cur Dæmon qui quò plures decipit, atque in fraudem impellit, eò acerbius apud inferos torquetur, tam auidè tamen, támque solicitè aliorum perniciem, atque extremam damnationem & optet & quærat. Priori quidem quæstioni respondet Athanasius. [b] *Vt ij, inquit, qui diligunt Deum manifesti fierent, & vt ij, qui deliciis dediti sunt, redarguerentur. Vbi namque nullus est aduersarius non manifestãtur dextri Regis milites, ergo Diabolus victoria causa est, & hoc quoque pacto cognoscuntur ab iis, qui diligunt* B *Deum.* Simile quidã indicasse videtur Sapiens [c], cùm dixit, *Qui non est tentatus, quid scit?* Et aliquãto post [d], *Qui tentatus non est, qualia scit?* quasi dicat enim, qui nulla sit pugna prouocatus pauca admodum cognitione complecti. Quemadmodum enim olim Deus non omnes Chananæos exterminauit, vt eorum oppugnatione populus Israël quodammodo erudiretur, atque in officio contineretur. Ita frequenti Dæmonis impugnatione, docet non esse humanis viribus fidendũ sed diuinam opem continenter implorandam. Propterea dixit Paulus [e], *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Quem locum expendẽs Chrysostomus [f], *Si tales, inquit, instructæ sunt acies, si incorporales Principatus, si mundi Domini, si spiritales* C *nequitiæ aduersus nos sunt, quomodo dic quæso, deliciaris? quomodo inermes vincere poterimus? Ita quisq; sibi ipsi singulis diebus dicat, quando per fastum occupatus, quando per concupiscentiam, quando mollem vitam inconsultò, ac frustra quæris.* Et aliquanto post, *Conculcabimus Diaboli potentiam si peccata cõculcauerimus, omnia dico temporalia, fastum, concupiscentiam, superbiam, omnes animi passiones. Ansam enim dant Diabolo diuitiæ, pecunia, & vanagloriæ studium.* Has itaque virtutes, atque id genus alias non paucas exigit à nobis Deus, dum nos à Dæmone oppugnari permittit. Quò spectans Basilius [g] multis hortatur ad pugnam, *Miles, inquit, es? collabora Euangelio, milita bonã militiã contra spiritus nequitiæ, aduersus vitiosas carnis affectiones, induito omnem armaturã Dei, vt probes te ei, sisq; gratiosus Duci tuo, qui huic te militiæ* D *adlegit. prouide, vt nullis implicẽris vitæ illius negotiis, & perplexis curis. Athleta es? Attende tibi ipsi ne quam ex legibus athletico agoni præscriptis imprudens transgrediaris, nam nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Imitare Paulum, & cursu contendentem, & in palæstra colluctantem, & in agone pugillari decertantem. Tu strenuus pugil ipse habeto animæ oculum nusquam euagantem, sed attentum, & peruigilem. Primum, ac tuere passis manibus partes, quarum plaga lethalis fit: in aduersarium immotum oculum intendito fixus, instã diario cursu, qui tibi præcurrunt, in eos te extendens, sic assequaris, sic currito, vt præuertas, in luctamine repugna inuisibilibus aduersariis per tota istius curriculum tabis, vt perseueres, hac sancta sententia, muniens animo, vt sis non supinus, aut considens, sed arrecto, non dormitanti, sed peruigili, ac sobrio,* E *quique multa cum vigilantia præsens sit, & tuens sibi præesse.*

a li. 7. in Luc. c. 12.
b q. 7. ad Antiochum.
c Eccl. 34. 9.
d vers. 11.
e ad Ephes. 6. 12.
f hom. 22. in ep. ad Ephes.
g hõ. In illud dictũ, attende tibi.

XIX. Non probo autem, quod à multis circumfertur, singulis datum fuisse aliquem Dæmonem tentatorem, quemadmodum, & bonum Angelum præsidem, & custodem. Quod placuisse videtur Origeni [h], qui laudat librum Pastoris, & Epistolam Barnabæ. Idémque sensisse videtur Nyssenus [i], Auctor [k]

h li. 3. Periarchon. c. 2. & hom. 33. in Luc.
i de vita Mosis onte meo.
k ser. 63.

sermonum ad fratres in Eremo apud Augustinum [a], A & alij. [b] Cur autem mihi non placeat, alibi copiosius docui, videtur enim Platonicum nescio quid sapere, vel potius Poëticū, vt enim Auctor est Plutarchus [c], Empedocles duos cuique Dæmones attributos scribit, vnum bonum, alterū malum, cui Plutarchus ipse subscribit, reiecta Menandri sententia, cuius meminit Clemens [d] Alexandrinus, qui bonum tantùm Angelum vnicuique tanquam bonæ instituendæ vitæ pædagogum adscribit, quod etiam existimasse videtur Plato [e], qui malum Genium ne nominat quidem. Quamobrem Theodoretus [f], ita de Dæmonibus loquitur, *Hos enim suo cum Principe quem sacra literarum modò Hebraico vocabulo Satanam, id est Apostatam vocant,* B *modò Diabolū, quippe qui Deum Patrē apud homines criminando traducat, vtérque ipsos homines alternas lites, controuersiásque incitat.* cumque eos dixisset nequaquam esse sua natura malos, sed suo vitio ab eo excidisse statu, in quo fuerant à Deo procreati subiicit. *Subinde autem rabie quadam contra humanum genus incitatos, quòd ad imaginem Dei factum videbant, atrox bellum aduersus hominem suscepisse, Deum verò, qui hominem procreauit, credimus Angelis præsidentibus custodisse humanum genus, ne qua vel violentia, vel tyrannide aduersarius noster hominem super irruens. quem inuidia succensus oderat, nulla habita ratione, disperderet. Neque tamen sustulisse cœptum semel inter homines, dæmonésq; certamen, vt ea scilicet colluctatio pugiles fortissimos proderet, eaque occasione plurima virtutis ederentur exempla. Huius autem* C *rei causa tametsi violentos aduersarij contra nos impetus per Angelorum custodiam repressisset: ille tamen concessit, vt hominis rationes, atque discursus tentationum pugna vexaret, vt videlicet eos corona dignos ostenderet, qui fortiter restitissent. Neque enim Diabolum contra humanum genus, armauit ipse, atque instruxit, sed ad humanam vtilitatem Diaboli malitia vsus fuit. Ita & medicos solere aiunt, qui ad morborum curationem viperis nonnunquam serpentibusq; vtuntur.*

a tom. 10. b Mag sent. in 1. dist. 11. c li. de tranq. & serenit. animi. d li. 5. Strom. e in Phœdone, & in Theage, & in Apologia. f li. 2. de curan. Græcan. affection.

XX. Quæ cum ita sint, ne magnis quidem viris assentior, qui singulis suum certum non quidem à Deo, sed à Dæmonum Principe Lucifero Dæmonem adiectum esse arbitrantur, cum planè constet interdum quempiam à pluribus Dæmonibus oppugnari, vt S. Antonio accidisse scribit Athanasius. [g] Quin etiam D auctor est Hieronymus [h] singulis quibusque vitiis suum præfectum esse Dæmonem, *Sunt enim, ait, quidam Dæmones amoribus, & amatoriis cantibus seruientes, vt Propheta quoque commemorat dicens. Spiritu fornicationis seducti sunt. Nam, & barbara quadam nomina eorum esse dicuntur, vt sæpe confessi sunt hi, quos verè vulgus maleficos vocat; & incantationes, & preces, & colores varij, & diuersa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quæ inuocati assistere Dæmones, & infelices animas capere memorantur. Alij verò iracundias, & furores, & bella committere: alij prœsse inimicitiis, & inter homines odia concitare.* Quæ videtur fuisse sententia Origenis [i], quam apertius explicat Cassianus [k], *Hoc tamen,* inquit, *nosse debemus non omnes Dæmones, vniuersas hominibus inferre passiones, sed vnicuique vitio certos spiritus incubare, & alios quidem immunditiis, ac libidinum sordibus oble-* E *ctari; alios blasphemiis, alios iræ, furorique peculiarius imminere; alios pasci tristitia; alios cenodoxia, superbiaq; mulceri, & vnumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere, sed nec cunctas pariter suas ingerere prauitates, sed vicissim prout temporis, vel loci, vel suscipientis opportunitas prouocarit.* Plura præterea addit, quæ huic nostræ sententiæ mirificè fauent Neque verò obest quod recentiores quidam ad suam stabiliendam sententiam ex Paulo [l] Apostolo afferre solent, *Datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Nam primùm ex hoc ipso testimonio probatur, quod illi negant tentantem Dæmonem à Deo attribui; Deum enim suæ tentationis auctorem agnoscere videtur Paulus ad superbiæ, & arrogantiæ spiritum comprimendum. Sic enim ait Hieronymus [a], *Paulo datus est ad premendam superbiam monitor, vt is in curru triumphali triumphanti datur monitor suggerens, hominem te esse memento.* Deinde non in omni vita, sed ad certum aliquod tempus credendum est permissum fuisse Paolo tentatorem, qui eum vexaret, ne plus æquo supra se efferretur. Itaque non à Dæmone Angelus Satanæ attributus erat Paulo, vt isti volunt. sed à Deo immissus eo planè modo, quo olim Iobum Dæmonis voluntati permisit. Itaque vt B hanc priorem quæstionem expediam non sine magno iustorum compendio patitur illos Deus à Dæmone oppugnari, vt victores deinde coronet.

g in vita S. Antonij. h Oseæ 4. i Iosue 11. k collat. 7. c. 17. l 2. ad Cor. 12. 7. a epist. 15. de obitu Blesyllæ.

XXI. Iam posterior quæstio difficiliorem habet explicatum, nisi quòd asserunt fermè Theologi eam esse improbissimi desertoris malitiā, & prauitatem, vt etiam suo malo aliis obesse studeat. Accedit quòd cùm incredibili quodam odio Deum prosequatur, ferre non potest vt ab hominibus, piè, ac religiosè colatur. Quā ob causam Dionysius [b] Areopagita, & Damascenus [c] Dæmonem vocant omnis malitiæ, atque improbitatis Parentem. Addo etiam superbiam, qua miruni in modum elatus cunctos sibi mortales similes reddere, penitúsque subiicere conatur. Denique inuidiæ stimulis agitatus vniuersos à beata vita auocare, & in C perniciem, atque interitum sempiternum pertrahere nititur. Solet autem cæcis errorū nubibus hominum mentes obducere, siue adhibitis falsis Prophetis, ac Magistris, præcipuéque hæreticis, vt Achabi [d] exemplo didicimus; siue rerum notionibus, & simulachris, quæ inhærent phantasmati, partim permixtis, partim etiam immutatis, siue adhibitis falsis, atque inanibus prodigiis, quod Christus Dominus apud Matthæū [e], & Paulus ad Thessalonicenses [f] scribens apertissimè indicant, quo fit, vt qui sese sceleribus, atque flagitiis obstringunt, capti luminibus, & cæci nuncupentur. Quocirca dixit Sophonias [g], *Ambulabunt vt cæci, qui à Domino peccauerunt.* Ita Samson [h] à Philisthæis captus, oculísque priuatus, turpiter molere coactus est. Alias prauas cupiditates inflammat, ac voluptatum D illecebras obiicit, honorúmque fulgore aciem mentis perstringit, vt meritò dixerit Iacobus, vnumquemque à propria concupiscentia tentari. Nonnunquam etiam Deo permittente, ac volente plagas, & morbos, cæteráque corporis incommoda inferre consueuit, vt exemplo Iob luce clarius constat. His igitur modis circuire dicitur à Petro quærens quem deuoret, cum enim leoni similis esse dicatur leonis more deuorare perhibetur.

b cap. 4. de diuin. nom. c li. 2. de fide c. 4. d 3. Reg. 22. e cap. 24. f ep. 2. c. 5. g cap. 1. 17. h Iud. 16. 21.

9. *Cui resistite fortes in fide, scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.*]

L. Indicato periculo, & morbo, effugium, atque antidotum proponit. Est autem antidotum & opportunum, & efficax, de quo etiam scribit Paulus [i]: vbi enim cum atrocissimo hoste præliandum esse dixis- E set, omni spiritalium armorum apparatu fideles instruit, præcipuéque sumendum scutum fidei docet; *in quo, possint, omnia tela nequissimi ignea extingui.* Quò spectans Cyprianus [k], *Portemus*, ait, *fortiter scutum fidei, quo protegente quicquid iaculatur inimicus, possit extingui.* Neque aliter accipio, quod ait Dauid [l], *Scuto circundabit te veritas eius, nō timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & Dæmonio meridiano.* Veritas enim Dei Optimi Maximi, vt in scholis Theologi docent, firmum est, ac stabile fidei nostræ fulcrum, fide porrò

i ad Ephes. 6. 16. k ep. 56. l Psal. 90. 5.

Dæmoni obluctandum est, ac strenuè resistendum, vt eum in fugam facilè conuertamus. Ait namque Iacobus [a]. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Docet autem fides aduersus impugnationes Dæmonis diuinam potissimùm opem, cœlestisque gratiæ præsidium inuocandum esse. Ita Dauid [b]. *Eripe me*, inquit, *de luto, vt non infigar, libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum* In quem locum ait Gregorius [c]. *Quem enim mali operis iniquitas à bona stabilitate commouit, quasi tempestas aquæ rapuit, sed si adhuc longa consuetudine non præualuit, non demersit; iam in puteum cecidit, qui hoc, quod diuina lex prohibet, perpetrauit, sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustauit.* Hæc igitur mala meritò deprecatur Dauid, qui alibi [d] eadem mente, *Excita*, ait, *potentiã tuam, & veni, vt saluos facias nos.* Eadem fides docet non solis precibus agendum, sed omnes etiam liberi arbitrij conatus adhibendos esse, ne quid inueniat Dæmon in nobis, quo tamquam telo nos confodiat. Egregiè enim scribit S. Leo [e]. *Nouit* (de Dæmone loquitur) *cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ; nouit quem errore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, uentilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbicumque viderit studiosius occupari.* Qua verò arte cum teterrimo hoste dimicandum, & quid precibus sacris adnectendum sit, S. Antonij auctoritate docet Athanasius [f]. *Hostile*, ait, *illis* (hoc est Dæmonibus) *contra omnes Christianos, maximè verò cōtra Monachos, & Virgines Christi odiũ est, eorũ semitis laqueos tendũt, eorũ mētes impiis, ac obscœnis cogitationibus nitũtur euertere. Sed nihil nobis in hoc terroris incutiãt. fideliũ enim orationibus, atq; ieiuniis ad Dominum statim corruũt; nec tamē si paululũ cessauerint, prorsùs plenã putent esse victoriã. Solēt sancti grauius assurgere, & multa arte pugnandi, si non cogitatione nihil egerint, pauoribus terrēt.* Cũque deinceps ostēdisset Dæmonis suasu neq; precandũ, neque ieiunandũ, *sed vtrumq; ex Christiana consuetudine agendũ.* Deinde etiamsi irruētes mortē nobis intētare videãtur, ridēdos potius esse, quàm timēdos, subdit. *Magna aduersum Dæmones arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimescit Satanas vel iv ieiuniũ, vigilias, orationes, iciunia, mansuetudinē, voluntariã paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatē, misericordiã, iræ dominatum, & præcipuè purum cor erga Christi amorem.* Denique ad strenuè pugnandum his verbis hortatur. *Iam cura Christianorum, & Monachorum sit, ne per eorum inertiam vires Dæmonibus præbeãtur, nam quales nos, & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueuerunt. Et si quod in pectoribus mala mētis, & pauoris semē inuenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca captos cumulant timores, & crudeliter imminentes infelicem puniunt animam. Si autē alacres fuerimus in Domino, & futurorũ bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus Dei committamus, nullus Dæmonum ad expugnãdum valebit accedere, magis enim, cum munita in Christo corda cõspexerint, cõfusi reuertentur. Ita & Iob firmatum in Domino Diabolus refugit, & infelicissimum Iudam expoliatum fide vinculis captiuitatis innexuit. Vna est ergo ratio vincendi inimicum lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio, quæ Dæmonum ludos, quasi fumum expellens verse quetur aduersarios potius, quàm timebit.*

a cap. 4. 7.
b Psal. 68. 15.
c lib. 16. Mo. cap. xiiii. 24.
d Psal. 79. 3.
e Serm. 7. de nat. Domin.
f in vita S. Antonij.

II. Non igitur sola fide pugnandum est, quasi nihil præterea Christianã disciplina postulet, sed ipsa fides vires sufficit, & arma expedit, ac ministrat, quibus hostes debellemus. Ob eam rem Ioannes [g]. *Hæc est*, ait, *victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

g ep. 1. c. 5. 4.

A Nam, vt scribit [a] Elias Cretensis. Per fidem, *accedente Dei opera, & auxilio vitiosas omnes affectiones vincere, ac profligare possumus, nam siue libido pectus nostrũ inuaserit, cõmet, futura bona, eamque, quæ hinc promanatura est, lætitiam credentes, iam facili negotio extinguemus, siue tentatio accidat ex iisdem rebus solatium hauriemus.* Ipse autem Gregorius [b] Naazianzenus, *Cum eo hoste dimicandum*, inquit, *habemus, qui nos interius oppugnat, & continenter lacessit, ac nobismet ipsis* (quo nihil miserius est) *tanquã armis in perniciē nostrã vtens peccati morte nos afficit.* Tum concludit, *Ergo aduersus ista tã magna, perfectaq; fide opus est, tã maiori Dei auxilio.* Paulus [c] verò omnes iustorũ victorias, & triũphos vni fidei acceptos referēdos putat; *Per fidem*, inquit, *deuicerunt regna, operati sunt iustitiã adepti sunt repromissiones.* Idē verò ad Ephe-
B sios [d] quidē fidē appellat *scutũ.* Ad Thessalonicēses [e] autē, *loricam.* Protegit enim, & munit, & inimicorũ tela tutò excipit, & infringit. Quocirca rectè Origenes [f] Christianos milites fide potissimùm armãdos docet, *Omnes igitur*, ait, *qui militiã Christi sequi vultis, qui castris ipsius esse desideratis, procul à vobis timorē mittite, procul cordis expellite formidinē, vt cum confidētia dicat miles Christi: Si cõsistant aduersum me castra, nõ timebit cor meũ; si consurgat in me præliũ, in hoc ego sperabo Confidenter dicat: Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Sed ne vos deterreat, talis ista militia nihil in se difficile, nihil arduum, aut impossibile continet. Vis scire quàm facile sit implere hæc in fide militantibus? solent in istis castris sæpè etiam mulieres vincere, quia non corporis robore, sed fidei virtute*
C *pugnatur.* Itaque contra superbiam fides docet Deũ superbis resistere, humilibus autem dare gratiam; [g] aduersus impuros, ac nefarios libidinis impetus obiicit illud [h] Pauli, *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Itémque [i] illud, *Non in cubilibus, & impudicitiis.* Denique [k], *Neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebũt.* Postremò, vt obseruauit Gregorius, suum cuique vitio adhibet medicamentum. Ceterùm quàm fuerit Christiana fides fortis, ac valida luculenter docuit Origenes [l], cum enim ostendisset Philosophorum imbecillitatem, continuò subdit, *De Christianis autē quid erit dicendum, quorum doctrinam vel Romanorum senatus, Imperatoresq; vt quisque successerat, & milites ipsi, & populi, & credentium necessarij impugnando tam acriter interpel-*
D *larent, vt perinde victa illorum fortè succubuisset infidelibus, ni diuina virtute emergēs superior adeo euasisset, vt terrarũ orbem etsi insidias molientem peruicerit.* Athanasius [m] autem eiusdem fidei vim miris effert laudibus, inter cetera autem, *Signum*, ait, *Crucis, & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est.* Et ne cuncta percurram Gregorius [n] Pontifex explicans verba illa [o] Iob, *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Vnicuique*, ait, *animæ, cui Dominus misericorditer præsidet, ante omnia fides fortitudinem præbet, de qua Petrus ait. Aduersarius vester Diabolus, sicut leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Hunc autem fortitudinis bina-tus iungitur, dum fit, quod scriptum est. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

a in Orat. 1. Greg. Naz.
b Orat. 1.
[illegible]
c ad Hebr. 11. 33.
d ad Ephe. cap. 6. 16.
e ep. 1. c. 5. 8.
f Hom. 9. in lib. Iud.
g Iac. 4 & 1. Petr. 4.
h 1. Corint. 15. 50.
i ad Rom. 13. 13.
k 1. Corint. 6. 9.
l lib. 1. aduer. Celsum, sub initium.
m in vita S. Antonij.
n lib. 31. Mo. c. 28.
o cap. 39. 19.

III.
E *Scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitatis fieri.* Rectè hoc loco Oecumenius, hæc ait ad subleuandos eorum animos referri, dum ostendit, nõ eos solùm, ad quos hæc epistola mittitur, sed vniuersim fideles omnes, qui vbique terrarũ degũt multis calamitatibus, & tentationibus vexari. Et subdit, *Quippe cum sociarum manuũ admotio in subleuando pondere multum conferre consueuerit.* Planius autem hoc loco Græcorum verborum sensum expressit Syriacus Interpres, *Scitote etiam*, inquit, *quòd contra vestros fratres, qui in mundo sunt, ipsæ illæ passiones eueniunt.* Græcè

enim scripsit Petrus, τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων, quasi dicat. Hoc vos firmiores, constantioresque oportet esse in fide, maiorique conatu aduersus Diaboli versutias, atque impetus decertare, quòd non ipsi soli, sed fideles vniuersi ab humani generis hoste iisdem, quibus vos oppugnamini, machinis appetuntur. Sic enim habetote Christum Dominum ad hæc, atque alia maiora fideles suos iam inde ab initio fortiter toleranda informasse. *Tradent enim vos*, inquit [a], *in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides, & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus*. Nec ita multo post [b]. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & consurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*. Et alibi [c]. *Absque Synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*. Hoc eodem solatij genere vsus est Paulus, cùm ad Hebræos dixit [d]. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*. Fraternitatis porrò nomine eos omnes significat, qui Christo nomina dederant, vt enim alibi docui initio nascentis Ecclesiæ, fideles omnes fratres appellabãtur; quod cum carperent, & perperam interpretarentur Gentiles, id ad fraternam caritatem veteres Patres referendum monent. Idque adeo Platonis auctoritate confirmat Clemens [e] Alexandrinus. *Fratres nos esse*, ait, *vtpote vnius Dei, & vnius Magistri; alicubi etiam Plato dicere videtur hoc modo. Qui in ciuitate estis omnino fratres estis*. Eiusdem nuncupationis meminerunt Iustinus Martyr [f] & Athenagoras [g]; optimè verò Tertullianus [h]. *Fratres*, inquit, *& dicuntur, & habemur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctificationis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerunt veritatis. Itaque qui animo, animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores*. Neque aliter scribit Minutius [i] Felix. *Fratres vocamur, vt vnius Dei Parentis homines, vt consortes fidei, vt spei coheredes*. Nec dubium est hanc appellationem à fraterna caritate deductam esse, quam potissimùm Christus Dominus fidelibus commendauit, adeò, vt hoc veluti signo suos discipulos à cæteris distingui, & internosci voluerit. Certè olim Hebræi omnes suæ Religionis homines fratres nominabãt, vt passim in sacris litteris legimus, quorum imitatione, vt verisimile est, inter fideles eadem appellatio retenta est. Atque ita in Concilio Apostolico Epistolæ ad Antiochenos [k] scriptæ hæc inscriptio præficitur. *Apostoli, & seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem*. Et Paulus [l] Corinthios reprehendit, quòd frater cum fratre iudicio contenderet. Denique ad eosdem scribens [m], ait. *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere*. Quæ cum ita sint memor Petrus verborum Christi Domini monentis omnes [n] nos fratres esse; fidelium multitudinem fraternitatem nominat. Nam & ob hanc causam in oratione Dominica Deum Patrem appellamus.

a Matth. 10. 17. — b vers. 21. — c Ioan. 16. 2. — d cap. 13. 7. — e lib. 5. Stromatum. — f in suis Apologiis. — g ibidem. — h in Apolog. c. 39. — i in Octauio. — k Act. 15. 23. — l ep. 1. c. 6. 6. — m 1. ad Cor. 5. 11. — n Matt. 23. 8.

10. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque*.]

I. Addit aliud solatij argumentum, cum enim dixisset omnes fratres, ac fideles rebus aduersis quodam modo perfici, Græcè enim scripsit καταρτίσαι, addit

A nunc Deum suo patrocinio, cœlestisque suæ gratiæ præsidio affuturum, & præliantes diuina ope roboraturũ. *Deus*, inquit, *omnis gratiæ*, quasi dicat cœlestium omnium bonorum auctor, vt nihil non ab eo expectandum, atque optandum doceat. Quo mirificè eorum animi subleuãtur, qui rebus aduersis premuntur. Videtur autem idem subobscurè indicare, quod in sua Epistola scribit Iacobus [a]. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*. Strenuè itaque aduersus Dæmonem pugnandum esse docet, quòd fideles Deum habeãt bonorum omnium auctorem, sui certaminis non inspectorem modo, sed etiam adiutorem. Persimili oratione vtitur Tertullianus [b]. *Bonum*, inquit, *agonem subitura estis, in quo agonothetes Deus viuus est, Xystarches* B *Spiritus sanctus, corona æternitatis brabium, angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque epistates vester Christus Iesus, qui vos Spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit*. Fortassè huc etiam Paulus mẽtis aciem intenderat, cum ad Corinthios [c] scripsit. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*. Vt autẽ magis in spem erigat, doceatque posse illos diuinã opẽ sibi certò polliceri, non modo ait Deum esse bonorũ omniũ parentẽ, sed addit eos iam maximum, diuinissimũque beneficium diuina liberalitate percepisse, vt qui tam eximiũ bonũ largitus sit, quæ longè minora sunt multò sit faciliùs concessurus. *Qui vocauit*, inquit, *nos in æternã suã gloriam in Christo Iesu*. Vocationẽ porrò intelligit ad Euangeliũ, & Christianã fidem, quæ ad immortalẽ, ac sempiternã beatorũ vitam C aditum referat, vt qui ad eam vocati sunt, ad cælestem gloriã vocati censeãtur. Verùm quoniam Christus dixit, multos esse vocatos, paucos autem electos, vocationẽ, de qua cõstabat, cõmemorat; de electione ne verbum quidẽ facit; Omnino autem quia vocanti Deo fideles obtẽperauerant, fuerat eorũ vocatio respectu fidei, & gratiæ efficax; atque adeò egregiũ planè beneficium existimari debet, vt enim ait Dauid [d]. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*. Vocauit autẽ, ait, nos, Græcè enim lego ἡμᾶς, vt beneficij magnitudinem, ac præstantiam extollat, dum fideles ait eius vocationis esse consortes, quam ipsi Apostoli pro singulari beneficio ducunt.

Modicum passos ipse perficiet. Quoniam dixerat Diabolum tamquam leonem rugientem circuire, & quærere D quem deuoret, visus erat eos mirum in modum perterrefacere, quibus cum immanissimo leone certandum dixerat. Ne animo despondeant, modicùm ait illos passuros, nihilo enim plus potest Dæmon, quàm quantum illi à Deo permittitur. Deus autẽ, vt ait Paulus [e], non patitur quemquam tentari supra id, quod potest, sed facit potius cum tẽtatione prouentum. Quicquid ergo aduersus homines molitur Dæmon, si præcisè cum humanis viribus conferatur, non est potestas, quæ cõparetur ei. Sin autem tenues, & infirmæ liberi nostri arbitrij vires à diuinæ gratiæ præsidio roborentur, & adiuuentur, etiam si inferorum castra aduersus nos consistant, quasi puerorum terriculamenta facilè contemnuntur. Itaque Dauid [f]. *Si consistant*, ait, *aduersum me castra, non timebit cor meum, si* E *exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo*. Et alibi [g]. *Et si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Perficiet, inquit, Græcè καταρτίσαι. Quid autem ea vox significet alibi docui: videtur enim Petrus indicare Deum vires sufficere, & robur instaurare, denique quod deest humanæ imbecillitati de suo præstare. Re namque vera cælestis gratia, vt alicubi ait Augustinus, vires præbet efficacissimas voluntati. Illa quippe, vt ait Dauid [h], *Sanat omnes infirmitates (nostras) redimit de interitu vitam (nostram,) coronat (nos) in misericordia, & miseratio*

a cap. 1. 17. — b lib. ad Martyres c. 3. — c ep. 1. c. 4. 9. — d Psl. 147. 8. — e 1. ad Cor. 10. 13. — f Psal. 26. 3. — g Psal. 22. 4. — h Psal. 102. 3.

miserationibus, replet in bonis desiderium (nostrum) ita fit vt renouetur, *tamquam aquilæ iuuentus (nostra.)* Illa
a Psal. 16. 5. eadem perficit[a] gressus nostros, *in semitis suis, vt non moueantur vestigia nostra.* Quoniam igitur non dubitat Deum, & pugnantibus adesse, & opem ferre certantibus.
b Psal. 15. 8. *Ipse*, inquit, *perficiet.* Quocirca Dauid[b]. *Prouidebam*, ait, *Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.*

II. Addit, *confirmabit*, Græcè στηρίξει, quasi dicat, ne labamini, aut cadatis, fulciet, vt enim ait Augusti-
c de dono perseu. c. 7. nus[c], diuinæ gratiæ beneficium est, vt quis in percepta iustitia perseueret. *Post casum autem hominis*, ait, *non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere. vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo.* Et mox subiicit.
d Psal. 79. 18 *Propter quod et per Prophetam[d] dictum est, fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te.* Hanc gratiam tribui nobis beneficio Christi hoc loco indicat Petrus, dum ait fideles vocatos esse, *ad æternam suam gloriam in Christo Iesu.* Idemque eodem loco confirmat Augustinus, explicans enim, quis nam sit vir dexteræ Dei, cuius meminit Propheta. *Iste*, inquit, *certè non est Adam primus, in quo discessimus ab eo, sed Adam nouissimus super quem fit manus eius, vt non discedamus ab eo.* Mox verò. *Cum ergo fit super eum manus Dei, vt non discedamus à Deo, ad nos vtiq; peruenit opus Dei, hoc est enim manus Dei, quoniam opere Dei sit, vt simus in Christo permanẽtes cum Deo, non sicut in Adam discedentes à Deo.* Hac itaque ratione fulcire dicitur Deus, & sustentare, ne succumbamus. Addit, *solidabit*, Græcè autem in Codicibus, qui nunc circũferuntur legimus σθενώσει, θεμελιώσει, quasi dicat roboret, ac stabiliat. Dat enim robur, & vires auget, vt in prælio victoriam
e Psal. 17. 35. reportemus. Ita Dauid[e]. *Qui docet manus meas ad præ-*
f Psal. 143. 1. *lium, posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Et alibi[f]. *Docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Neque enim solùm docet quomodo præliãdum sit, sed qua ratione superandus, ac debellandus sit hostis. Ita
g cap. 10. 14. in libro Iosue[g] Deus ipse dicitur pugnasse pro Israël. Sæpe autem pollicetur Deus se pro populo suo pu-
h Exod. 14. 25. gnaturum. Quemadmodũ igitur olim Ægyptij[h] dixerunt. *Fugiamus Israëlem Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Non aliter pugnaturus est Deus pro suis fidelibus aduersus Tartareos hostes. Verè igitur, & piè
i Serm. 47. Cant. loquitur Bernardus[i], cum ait, *Christum esse & pugnantis formam, & gloriam triumphantis. Virumque ait, es mihi Domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patientis, vtrumque fortiter prouocat, ac vehementer accendit. Tu docet manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ, tu caput meum post victoriam tua coronas præsentia maiestatis, siue quia pugnantem te specto, siue quia te expecto non solùm coronantem, sed & coronã.* Hoc igitur præsidio fretinihil est quòd aduersariorũ impetus formidemus, futurum enim est, vt post victoriam Epinicion Deo canamus,
k 1. ad Cor. 15. 57. & cum Paulo[k] Apostolo Deo gratias agamus, *qui dedit nobis victoriam per Dominũ nostrum Iesum Christum.* Quamobrem hoc fortassè spectans Petrus subiicit.

11. *Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum Amen.*]

I. Clausula est totius Epistolæ Apostolis, virisque Apostolicis valde familiaris. Deo enim immortali tribuit Petrus gloriã, atque imperium sempiternum. Vtrumque enim ita propriũ est Dei, vt verè scriptum
l 1. ad Tim. 1. 17. sit ab Apostolo Paulo[l]. *Soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum Amen.* Nam de gloria quidem in ortu Christi cecinit Angelus. *Gloria in Altissimis Deo, & in*
m 1. ad Cor. 1. 31. *terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et Paulus[m]. *Qui gloriatur*, inquit, *in Domino glorietur.* Isaias[n] verò
n cap. 48. 11. Deum ita loquentem inducit. *Gloriam meam alteri non*
o Serm. 13. Cant. *dabo.* Quocirca Bernardus[o]. *Abiicero*, inquit, *gloriam*

prorsus, ne fortè si vsurpauero non concessum, perdam meritò & oblatum. Nomine autem oblati pacem intelligit, de qua dixit Angelus apud Lucam[a]. *Et in terra* a cap. 2. 14.
pax hominibus bonæ voluntatis. Atque idcirco subdit Bernardus. *Pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius.* Et aliquanto post. *Cautus sum, nec ingratus beneficio datæ pacis, nec sacrilegus inuasor gloriæ tuæ. Tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata, mecum bene agitur si pacem habuero.* Nec mirum si dixit aliquando Christus apud Ioannem[b]. Gloriæ cupiditatem cum fide ex b cap. 5. 44.
aduerso quodam modo pugnare. *Quomodo*, inquit, *potestis credere, qui gloriam ab inuicẽ accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est non quæritis?* Humana quippe gloriæ arrogantiam parit, quæ cum fidei humilitate non benè cohæret. Docuit autem, vt Bernardus[c] ait, Paulus[d] c Serm. 13. Cant. d 2. ad Cor. 1. 12.
Apostolus, *vnde, & in quo gloriandum sit. Gloria*, inquit, *nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ securus glorior si teste conscientia de gloria conditoris nihil mihi vsurpo, securus planè, quia iam non contra Dominum, sed in Domino. Hæc nobis gloriatio non solùm non prohibetur, sed & suadetur, cùm dicitur. Gloriam ab inuicem quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est non vultis? Re vera gloriari in solo Deo non nisi à solo Deo est, nec mediocris ista gloria, quippe tam vera, quàm de veritate, & in veritate, tam rara, vt vix vel paucitas perfectorum perfectè glorietur in ea.* Sanè Deo soli debetur gloria, hoc est, cultus, & veneratio latriæ. Eademque ratione eius imperium omnium non mortalium solùm, sed etiam beatarum mentium præconio, in omnem æternitatẽ celebrandum est, quippe ille rebus omnibus creatis simpliciter, absque absolutè imperat, qui omnia & ex nihilo condidit, & si libeat subitò potest in nihilum reuocare. Rectè itaque monet Petrus Deo immortali gloriam tribuendam, eiusque diuinum imperium eo, quo par est obsequio, ac veneratione colendum. Eodemque modo Chrysostomus[e] glorificandum monet e Hom. 4. in prior. ad Timot.
Deum, & in corpore, animoque nostro gestandum, *quod tum fiet, si virtutem vbiq, teneamus, si animæ studeamus ornamẽtis, quippe ille minimè prohibetur ornatus.* Addit autem Petrus. *In sæcula sæculorum*, quia diuinas laudes Beati in omnem æternitatem vnà cum mentibus à materiæ concretione seiunctis prædicabunt.

12. *Per Syluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi, obsecrans, & contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.*]

Per Syluanum. Dorotheus in Synopsi Sylam à Syluano distinguit, illum enim Corinthiorum, hunc I.
Thessalonicensium Episcopum fuisse scribit. Idemque in Græcorum Menologio[f] significatur. Nec discrepat Hippolytus[g] Martyr. Alia omnia existimauit Hieronymus[h], qui ad Damasum scribens. f 3. Kal. Aug. g lib. de sexag. duobus discipulis.
Sciendum, inquit, *Sylam collegam Pauli lingua Hebræa Apostolum dici, qui cum eo nonnullas Epistolas scribit, & h ep. 143.
vitiosè Syluanus legitur pro Syla, cum Syluanum in Apostolorum actis non legamus.* Et in eamdem sententiam Theodoretus[i]. *Existimo*, ait, *Syluanum vocari Sylam,* i 1. ad Thess. c. 1.
is enim & Philippis, & Thessalonicæ, & Berhææ cum eo (hoc est Paulo) *versatus est, eoque relicto cum beatissimo Timotheo profectus erat Athenas.* Quo loco obiter obseruo Theodoretum memoria lapsum, eùm ait Paulum relicto Syla vnà cum Timotheo Athenas nauigasse, nam ex Actis Apostolicis[k] liquet Sylam, ac k cap. 17. 14.
Timotheum Berhææ substitisse, cùm Paulus Athenas profectus est. Iis tamen significauit Apostolus, vtquàm primùm ad se venirent. Illud à Hieronymo verissimè dictum est Syluanum in Actis Apostolicis nunquam legi. Itaque quod alibi dixi[l], Syluanus l 1. ad Thess. 1.
idem prorsus est cum Syla, & qui hoc loco nominatur Syluanus, idem planè est eum eo, quem postmodum Paulo adhæsisse legimus. Cum enim hanc Petri

Epistolam in Orientem detulisset; ibi videtur cum Paulo societatem iniisse, vnaque cum illo plurimas obiisse regiones. Hunc igitur Petrus fidelem fratrem appellat, cui vel Epistolam dictauerat, vel (quod verisimilius reor) perferendam tradiderat. Vtrumque enim consueuisse Apostolos facere ex Epistolis Pauli facilè quiuis deprehendat. Quod autem ait Petrus, *Vobis, vt arbitror breuiter scripsi*, non significat aliā eum scripsisse Epistolā, sed de hac ipsa loquitur, quasi dicat. Hanc, quam scripsi, breuē Epistolam vel Syluano amanuensi dictaui, vel ei certè quasi tabellario perferendā dedi. Itaque hæc est Petri prior Epistola, cui successit altera, quam ipsemet vocat secundam, quæ alioqui dicenda foret tertia, si ante hanc aliam scripsisset. Subdit. *Obsecrans, & contestans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.* Quibus verbis explicat, quo fine scripserit, continet enim hæc epistola primùm quidem adhortationem, atque obsecrationem ad fidem retinendam, & Christianos mores induendos, contrariaque vitia fugienda. Deinde pluribus etiam argumentis probat, Christianam fidē, ac religionem non modò veram, sed ad salutē penitùs necessariam esse; ac proinde veram gratiam vocat. an vt legi Euangelium opponat, quo ea repræsentantur, quæ in veteri testamento eminus, atque obscurè vmbris, ac figuris inuoluta promittebantur? an alludit ad id, quod ait

a cap. 1, 17. Ioannes [a] eodem videlicet diuino Spiritu magistro, *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est?* Non rarò Paulus nouum testamentum, atque Euangelium gratiam nominat, vt cùm ad

b cap. 5. 2. Romanos [b] scribit. *Per quem* (Christum videlicet) *habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Quo modo etiam loquitur hoc loco Petrus. *In qua*, inquit, *statis.* Interim autem obiter indicat munus Apostolicum, quod duplici ferè functione continetur adhortandi studio, & testificandi auctoritate. Proprium enim esse Apostolorum adhortari apertissimè docent Pauli Epistolæ, quæ adhortationibus plenæ sunt, quibus fideles ad Christianarum virtutum studium inflammat; quin etiam Timotheum disci-

c ep. 1. c. 62. pulum his verbis [c] monet. *Hæc doce, & exhortare.* Et

d cap. 2. 15. Titum [d]. *Hæc loquere, & exhortare.* Ipse verò ad Co-

e ep. 2. c. 61. rinthios [e] scribit. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* De testificandi autem actione nihil attinet multa dicere, ob id enim maximè Apostoli Te-

f cap. 24. 48. stes nuncupantur. Ita illos apud Lucam [f] nominat

g Act. c. 1. 8. Christus. *Vos autem testes estis horum.* Et alibi [g]. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Et Petrus cum de sufficien-

h Act. 1, 22. do Apostolo in locum Iudæ dissereret [h]. *Oportet*, inquit, *testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis*, hoc est, Apostolorum collegio aggregari.

13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.*]

I. Christianæ caritatis officium est etiam absentes, atque ignotos diligere, vt nil mirum videri debeat salutationes adscribi eorum, qui procul dubio illos, ad quos hæc Epistola missa est, ne de facie quidem nouerant. Sic olim sese fideles etiam ignotos per litteras salutabant, quod in Epistolis Pauli, & aliorum Apostolorum non semel licet obseruare. Vnde plura Epistolarum genera orta sunt, de quibus alibi nonnulla dixi. Sed quænam sit hæc Ecclesia in Babylone coelecta ingens quæstio est, & non leuis hæreticos inter, & Catholicos pugna. Illi siquidem vt probent Petrum Romæ numquam fuisse, constanter negant Babylonis nomine Romam significari. At contra Catholici hoc ipso Petri testimonio probare nituntur Petrum Romæ fuisse, & hanc Epistolam Romæ

A scriptam, Romanamque Vrbem, non autem Ecclesiam Babylonis nomine occultè indicari. Atque vt ab antiquissimis ordiamur, Papias apud Eusebium [a]. *Constat*, inquit, *porrò Petrum Marci mentionem facere in priore Epistola, quam Romæ texuisse dicitur, quam quidem Epistolam ibi perscriptam ostendit, dum ciuitatem illam verbi translatione Babylonem appellat hoc modo. Salutat vos Ecclesia nostræ electionis consors, quæ est in Babylone, & Marcus filius meus.* Idemque scribit Nicephorus [b], & eodem planè modo sentit Hieronymus [c]. *Petrus*, ait, *in Epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans Salutat*, inquit, *vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta.* Apertissimè verò id asserit Oecumenius. *Babylonem autem*, ait, *Romam vocat ob excellentiam imperij, & claritatem, id quod olim multo tem-*

a lib. 2. hist. c. 15. aliàs 14.

b lib. 2. hist. c. 15.

c lib. de scriptoribus Ecclesiast. in Marco, similia scribit in Isa. 24. & 47. in prologo libr. Didymi de Spiritu sancto.

B *pore Babylon obtinuit.* Beda verò. *Romam*, inquit, *vocat Babylonem propter confusionem multiplicis idololatriæ, in cuius medio sancta Ecclesia adhuc rudis, & parua iam fulgebat.* Et aliquanto post. *Et bene*, ait, *dum auditores hortatur ad patientiam aduersitatum præsentium dicit Ecclesiam, quæ secum est in Babylone, constitutam, id est, in confusione tribulationum, quia sancta Dei ciuitas à permixtione, & pressura Diaboli nō potest esse immunis.* Addo in Apocalypsi [d] Babylonis nomine Vrbem Romam describi. Ita enim loquitur Tertullianus [e]. *Sic & Babylon etiam apud Ioannem nostrum Romanæ Vrbis figura est, proinde magnæ, & regno superbæ, & Sanctorum Dei debellatricis.* Eodem modo locum explicat Aretas [f], fauet Orosius [g]. Mitto quod hæretici impio tamen, & sacrilego furore perciti passim Ro-

d cap. 17. 5.

e lib. 3. con. Marcion. ca. 13. & aduer. Iudæos c. 9.

f in Apocal. c. 17.

g lib. 7. c. 2.

C mam Babylonem appellant: sed multo aliter Apostoli, cæterique viri Apostolici Vrbi Romæ hoc nomen tribuunt, nam hæretici quidem Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, ac Magistram Babylonis nomine describi nefariè mentiuntur, vt significent ab ea esse recedendum. Contra verò Apostoli, cæterique Ecclesiastici scriptores ipsam Vrbem Romam Babylonem appellāt, siue propter magnitudinem imperij, vt vult Tertullianus, siue propter idololatriæ nefarium cultum. Quocirca Hieronymus [h], ita Romanam Vrbem alloquitur. *Ad te*, inquit, *loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti.* Idololatriæ verò impietas, quæ Romæ potissimùm vigebat, à Leone [i] Pontifice perstringitur. *Hæc autem*, ait, *ciuitas ignorans suæ prouectionis*

h lib. 2. in Iouin. prope finem.

i Serm. 1. de Nat. Apost. Petri, & Pauli c. 2.

D *auctorem, cum penè omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.*

II. Nugatur igitur hæreticus [k] impostor, qui duplicem Babylonem fuisse scribit: vnam apud Assyrios; alteram apud Ægyptum, quæ nūc dicitur Cayrum, vnde colligit cum Petrus ex Babylone scripserit, ex Assyria, vel ex Ægypto, nullo autem modo ex Italia scripsisse. At neutra verè dici potest (quod tamen in Apocalypsi [l] legitur) imperium in omnes Reges terræ obtinere, necesse vt sit aliam quampiam mysticam, & spiritalem Babylonem dici, hoc est, Vrbem Romā, non quæ nunc est, sed quæ tunc erat, cùm Petrus, & Ioannes scribebant: vt meritò dixerit Augu-

k Vdalricus Velenus.

l cap. 17. 18

E stinus, Babylonem esse quasi primam [m] Romam; & Romam esse velut alteram [n] Babylonem, & velut prioris filiam Babylonis. Orosius [o] autem plures collegit inter vtramque Vrbem veluti affinitates, aut cognationes. Quocirca loqui hoc loco Petrum de Vrbe Roma tam certum est, quàm stultum, atque impium negare.

m lib. 18. Ciuit. c. 2.

n ibidem c. 22.

o lib. 2. in princ.

III. Sed cur mutato Vrbis nomine Babylonem pro Roma scripsit Petrus? An quia latere cupiebat, vbi nam gentium viueret, neque tutum putabat locum prodere, in quo degebat, cum non ita pridem è

carcere,

carcere, quo ab Herode inclusus detinebatur, innoxius euasisset, nec ignotaret Claudium Principem Herodi Regi impensè fauere, adeoque sibi ob eam causam metueret? Ita sanè existimauit non nemo, sed vt arbitror, parùm scitè, nam vt libens concedam potuisse Claudium plurimùm obesse Petro, si cognouisset eum qui Herodis manus effugerat, Romæ viuere. Quid quæso periculi erat, si id sciretur in remotissimis regionibus, ad quas hæc epistola scripta est? Crediderim potius Christianorum, qui Romæ erant saluti atque incolumitati consuluisse, ne si fortè hæc epistola ad Gentilium manus perueniret, intelligerent illi Romæ non paucos Christo nomina dedisse, quod erat tum Senatui, tum Romano Principi non solùm molestum, sed planè exosum, vt ea, quæ deinceps consequuta sunt, luce clarius probarunt. Simile quiddam fecit etiam Paulus [a], qui nomine planè metaphorico se ex ore leonis erutum fuisse scribit, cum de Nerone, eiusque seueritate loqueretur. Non sunt autem vllo modo audiendi Nouatores, qui Babylonis nomine hoc loco Vrbem intelligunt, quæ est apud Assyrios, vel oppidulum in Ægypto. Nam de priori Babylone non loqui Apostolum facilè quiuis intelliget, qui ea legerit, quæ scribit Iosephus [b], affirmat enim ille Iudæos, qui in Babylone, & apud Assyrios viuebant Caij Augusti auctoritate expulsos, & plurimos eorum trucidatos, reliquos sese aliò recepisse, vt nullo modo verisimile sit Petrum imperante Claudio (quo tempore hanc epistolam scripsit) in Vrbe Babylone, vel etiam apud Assyrios versari potuisse. Nam de altera Babylone, quæ erat apud Ægyptios Strabo [c] ait locum fuisse obscurum castelli potius, quam oppidi nomine dignum, sed natura tamen munitum, olim à quibusdam Babylonis erectum, nec vllo modo credendum est, hanc Babylonem à Petro indicari, cum nulla in ea fuerit Ecclesia coëlecta. Itaque superest, vt Vrbem Romam significari dicamus, nam in ea Vrbe Claudio imperante vixisse Petrum, ibique Romanam fundasse Ecclesiam omnium penè scriptorum testimonio, atque auctoritate firmatum est, quod alibi [d] vtcumque probaui.

a 1. ad Tim. 4.17.
b lib. 18. Antiqu. cap. vlt.
c lib. 17.
d ad Rom. 1

IV. Cæterum more suo hæretici in Romanam Ecclesiam impio quodã furore debacchantes, eam vocant Babylonem, deque ea non minus imperitè, quàm sacrilegè ea omnia interpretantur, quæ in Apocalypsi leguntur, cum tamen certum sit, nihil eorum, quæ ibi contra Babylonem commemorantur, Romam Christianam præsertim eam, quæ Romano Pontifici subest, ne dum Catholicam & Romanam Ecclesiam attingant. Illa quippe dicitur abominationum mater, Romana verò Ecclesia est fidei magistra, religionis custos, arx veræ, ac solidæ pietatis, & sanctitatis. Itaque Tertullianus [e] de Romana Ecclesia hunc in modum scribit. *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Et Hieronymus [f], vt paulo ante docui; Romam, ait, scriptam in fronte Blasphemiam Christi confessione delèsse. Quæ verò in Apocalypsi scripta sunt non posse ad Romanam Ecclesiam transferri ipsa Ioannis verba luce clarius probant. Nam vt admittam; quamuis Augustinus [g], Arethas, Beda, & alij [h] aliter sentiant, septem montes, quibus Babylon insidere dicitur, septem esse Vrbis Romanæ colles, nihil tamen dubito eam describi Romam, quæ qualisque tunc erat, cùm Ioannes scribebat, quæque, vt ipse loquitur, tenebat Imperium super Reges terræ, & quæ erat ebria de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum, quæ omnia citra vllam dubitationem Romanam Vrbem indicant, quæ Nerone, Domitiano, ac cæteris Imperatoribus martyres trucidabat. Nam nũc quidem

e lib. de præscriptionib.
f lib. 2. contra Iouin. extrema.
g In ps. 26.
h Haymo. Rupert. Apocalyps. 17.

A Roma nullum in Reges terræ imperium obtinet, nullius Sanctorum, & Martyrum sanguinem fundit, sed eorum potius reliquias pia veneratione prosequitur, & religioso cultu reueretur. Non me latet scelestum, ac nefarium, atque omnium mortalium impurissimum hæreticum de Babylonica captiuitate scripsisse, eorum perstringens religionem, ac pietatem, qui Romano Pontifici obtemperant, & Apostolicas traditiones complectuntur, Ecclesiasticis legibus, & Pontificum sanctionibus parent, sed nimirum impuro ore venenum, quod vt ipse non diffitetur, Dæmone propinante bibit, impudenter euomit, & quæ in suis Babylonicis congressibus deblaterare solebat, voluit etiam editis libris ad posteros, tam-
B quam male digestam crapulam exhalare, dignus profectò, qui omnibus priscis Patribus neglectis, vnus audiatur, ac pro numine habeatur, qui nefario sacrilegio, ac proditæ religionis scelere, incestis nuptiis, vel potius impuro meretriculæ contubernio, suam, vt ipse loquitur, Ecclesiæ reformationem est auspicatus. Certè Hieronymus Romanam fidem miris extollit laudibus, alicubi [a] enim, *Romanæ fidei*, ait, *purissimum fontem.* Alibi [b]. *Vrbs*, ait, *potens, vrbs orbis Domina, vrbs Apostoli voce laudata.* Denique [c]. *Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiam si Angelus aliter annunciet, quæ semel prædicatum est Pauli auctoritate, munitam non posse mutari.* Iam verò ad Damasum his verbis scribit. *Ego beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri commu-*
C *nione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est, si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit, id est qui Christi non est, Antichristi est.* Irenæus [d] autem multis ostendit Ecclesiasticam doctrinam, Apostolica traditione firmatam sartam tectam Romæ conseruari, ad quam omnibus fidelibus tutò confugiendum sit. Porrò Cyprianus [e]. *Post ista*, inquit; *adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est à schismaticis, & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Alibi [f] de Romana Ecclesia. *Scimus*, inquit, *hortatos nos esse, vt*
D *Ecclesiæ Catholicæ Matricem, & radicem agnoscerent, & tenerent.* Neque aliter sentit, aut loquitur Ambrosius, qui de Satyro fratre scribit [g]: *Rogauit si cum Episcopis Catholicis, id est si cum Ecclesia Romana consentiret.* Idem multis docet Optatus [h] Mileuitanus. Augustinus sanè cum de Cæciliano ageret [i]. *Qui posset*, ait, *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, per communicatorias literas esse coniunctum.* Alibi [k] ad Romanam Ecclesiam Donatistas inuitans ait. *Venite fratres, si vultis vt inseramini in vite, dolor est, cum vos videamus præcisos ita iacere, numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede in ordine illo Patrum, quis cui successerit videte, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum*
E *portæ.* Denique ad Ecclesiæ Romanæ laudem pertinent illa, quæ ad Episcopos Prouinciæ Viennensis Leo Pontifex scribit [l]. *Prædicationis*, ait, *Euangelij Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Eant nunc isti perditissimi mortalium, Ecclesiam Romanam Babylonem esse vociferentur: nos tot Sanctorum testimonio, atque

a ep. 16. ad Princip. de obitu Marcellæ.
b li. 2. in Iouin.
c Aduersus Ruffinum.
d lib. 3. c. 3.
e lib. 1. ep. 3.
f lib. 4. ep. 8.
g Orat. de obitu ipsius.
h lib. 2. cõt. Parmen.
i epist. 162.
k In ps. cõt. Donatistas.
l epist. 87.

auctoritate

auctoritate nixi, longo annorum vsu, & consuetudine confirmati, ipso denique totius Orbis terræ consensu muniti Romanam Ecclesiam veluti columnam, & firmamentum Veritatis libenter agnoscimus, eamque complectimur, certi per tot sæcula (vt ait Leo [a] Pontifex) docente Spiritu sancto eam nulla fuisse hæresi violatam.

a Ser. contra hæres. Eutychetis.

V. Ecclesiam porro Petrus vocat collectam, hoc est eiusdem electionis, vocationisque participem, vt insinuet etiam Gentilibus Euangelij lucem affulsisse. Vitiosè autem nonnulli Codices habent, collecta, cum Græcè apertissimè scriptum sit συνεκλεκτή. Marcum verò filium nominat Euangelij videlicet scriptorem. Quoniam autem plures eodem nomine leguntur, non satis constat, quem potissimùm nominet Petrus. In Actis [b] enim Apostolicis meminit [B] Lucas Marci, qui filius Mariæ, & Ioannes dicebatur, Commemoratur & Marcus Barnabæ consobrinus, cuius meminit Paulus [c], de quo suo loco plura diximus. Vtrum autem hic à superiori distinguatur, non satis liquet. Dorotheus quidem, vt alibi dixi, distinguit. Sed vt vt sit, hic Marcus de quo hic agitur Euangelij scriptor est, qui & Petri Interpres fuit, vt affirmant Papias apud Eusebium [d], & Hieronymus [e]. Non assentior autem Epiphanio [f] affirmanti fuisse Marcum ex Septuaginta duobus discipulis, cum id planè negent Papias [g], & Hieronymus [g], itemque Beda [h]. Hunc igitur filium suum appellat Petrus, quòd illum Christo peperit. Hic autem non in Ægypto, vt existimauit Chrysostomus [i], sed Ro- [C] mæ Euangelium scripsit, vt Anastasius [k], alijque [l] affirmant. Græcè ne, an Latinè scripserit ambigi video à nonnullis, sed vt alibi docui, qui eum Latinè scripsisse contendunt, præterquàm quod Hieronymo [m], & Augustino [n] aduersantur, nullo firmo argumento nituntur. Fateor quidem scripsisse Suetonium [o] iussu Tyberij Græcam linguam apud Romanos exoluisse, eumdemque affirmare [p] Græcum hominem Latini sermonis prorsus ignarum Græcè loquentem à Claudio Augusto Magistratu fuisse deiectum. Denique non nego quod Philostratus [q] scribit, ne Romanos quidem prouinciarum præsides Græcam linguam calluisse: Sed quamquam Marcus Romæ scripsit, non tamen, dum id ageret, Romanis tantùm operam dabat; sed cunctis fermè Gentibus [D] Euangelium scribebat, quarum maxima pars Græcam linguam vsurpabat. Et vt cætera omittam, si quid hæc argumenta probarent, Paulum ad Romanos Latinè scripsisse nihilominus probarent, quod nemo tamen ausus est dicere. Nam quòd in Euangelio Marci voces nonnullæ Latinæ deprehendantur, non est id eius Euangelij proprium, apud Matthæum enim legimus [r] κοδράντην & [s] δηνάριον. Et κῆνσον, quæ voces Latinæ sunt, vt & aliæ apud Ioannem, & Paulum, vt alibi copiosius ostendi.

b Act. 12. 12.
c ad Coloss. 4. 10. & ep. ad Philem. & 2. ad Tim. c. 4.
d lib. 3. c. vlt.
e lib. de scriptor. Eccles. in Marco. & Isaia 75.
f Hæresi 51.
g Locis citatis.
h Præfat. in Marcum.
i Hom. 1. in Matth.
k in Synopsi.
l apud Euse. lib. 2. hist. c. 14. & lib. 3. cap. vlt.
m ep. 123. ad Damasum.
n lib. 1 de consensu Euangelistarũ cap. 2.
o in Tyberio cap. 71.
p in Claudio
q lib. 5 vitæ Apollonij.
r cap. 5.
s c. 20. & 21.

14. *Salutate inuicem in osculo sancto, gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu, Amen.*]

I. Caritatem Christianam adhibita salutatione indicat; eam verò osculo sancto perfici cupit. Sanctum autem osculum dicit primùm, vt distinguatur ab impuro, atque impudico. Deinde vt ostendat non se prophanum, aut ciuile osculum exigere, cuius apud varias gentes multiplex erat consuetudo. Nam Xenophon [t], & Herodotus [u] patrium morem apud Persas fuisse aiunt eos osculari, quos honore prosequi vellent, cum inferiores salutando potentiorum genua manu tangerent, cognatos verò, ac necessarios, si diutius abfuissent, aut abfuturi essent mutuis sese osculis salutare. Sic Cyrus apud Xenophontem [x] di- [A] cessurus Persarum lege cognatos ad osculum admisisse scribitur, & pro more Ciaxarem [a] ad se venientem osculo excepisse. Romanos autem consueuisse amicis obuiam factis frontem suauiare auctor est Plutarchus [b], & ab ea consuetudine ne fœminas quidem fuisse exclusas præter Plutarchum [c] testatur etiam Plinius [d], de qua consuetudine meminit Martialis [e] his verbis.

t Orat. de laud. Agesilai
u lib. 1.
x lib. 1. Pædiæ.
a li. 5. Pædiæ.
b In Problemat.
c De virtut. mulier. & in qq. centuriatis Roman.
d lib. 14 c. 13
e lib. 7. Epigram.

Bruma est, & riget horridus December
Audes tu tamen osculo niuali
Omnes obuius hinc, & hinc tenere
Et totam Line basiare Romam.

Et alibi [f].

f lib. 11.

Effugere non est Basse Basiatores
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt
[B] *Et hinc, & illinc, vsquequaque, quacumque.*

Eam consuetudinem Tyberius Cæsar, vt auctor est Suetonius [g], lege lata sustulit, quæ tamen non obtinuit, cum etiam imperante Domitiano osculi frequentiam Martialis perstringat. Obseruat autem auctor libri de Amicitia inter opera Augustini [h] rectè osculum vsurpari primùm tamquam reconciliatæ amicitiæ, & redintegratæ gratiæ signum, deinde quasi pacis indicium, postea vt lætitiæ argumentum, postremò tamquam Catholicæ communicationis tesseram. Erat etiam apud Iudæos osculi vsus admodum frequens. Isaac [i] enim antequàm filio bene precaretur ei osculum ingessit. Iacob [k] etiam consobrinam suam Rachel non sine osculo salutauit. Item [C] Laban [l] ante quàm recederet filios, & filias osculatus est. Esau [m] quoque aduenientem fratrem Iacob osculo excepit. Ioseph [n] omnes fratres suos osculans amplexus est. Sic Aaron [o] occurrens fratri suo Moysi osculum fixit. Denique Moses [p] socerũ suum Iethro ad se venientem osculans salutauit. Quam consuetudinem spectasse visus est Christus Dominus, cùm apud Lucam [q] Pharisæum accusat, quòd sibi osculum non dedisset.

g in Tyberio cap. 34.
h Tom. 1.
i Genes. 27.
k Gen. 29.
l Genes. 31.
m Genes. 33.
n Gen. 45.
o Exod. 4.
p Exod. 18.
q cap. 7.

Sanctum porrò, ac religiosum osculum olim etiam inter infideles vsurpari consueuerat. Postes enim, ac limina templorum religiosè veteres salutabant; Sic Virgilius.

Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt;

Et Tibullus [r]

r li. 1. Eleg. 2

[D] *Non ego, si merui, dubitem procumbere templis*
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego tellurem pedibus perrepere supplex
Et miserum sancto tundere poste caput.

At multo religiosius osculum vsu receptum erat inter fideles, quod hoc loco Petrus osculum sanctum vocat, cuius frequentissimum, ac promiscuum fuisse vsum indicant Ignatius [s], & Tertullianus [t], & huius quidem hæc sunt verba. *Dum inter amplexus & oscula assidua concalescit.* Iustinus [u] autem cùm de cœtu fidelium ageret. *A precibus*, inquit, *finitis mutuis nos inuicem osculis salutamus.* Idemque insinuat Athenagoras [x]; Origenes [*] autem. *Mos, ait, in Ecclesia traditus est, vt post orationes osculo se inuicem suscipiant fratres.* Vt non immeritò Tertullianus [y] osculum vocet si- [E] gnaculum orationis. Est enim hoc osculum fraternæ beneuolentiæ & Index, & incentiuum. Quocirca Cyrillus [z] Ierosolymitanus meritò dixit. *Hoc osculum animos mutuò conciliat, & omnem malorum obliuionem illis spondet.* Et Augustinus [a]. *Post orationem dominicam dicitur Pax vobiscum, & osculantur sese inuicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est quomodo labia tua, & labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde illius non recedat.* Et Chrysostomus [b]. *Nam osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur in vsu est. Sed vereor ne fortè plures ex nobis labijs hoc tan-*

s ep. ad Antioch. & ad Tarsenses.
t lib. de velan. Virgin. cap. 14.
u in Apolo. ad Anton.
x Orat. pro Christianis.
* ad Rom. 16
y l. de Orat.
z Catechesi 5.
a Serm. 83. de diuers.
b lib. 1. de cõpunctio.

tummodo

tummodo facias, cum Chriſtus pacem non ex ore, ſed ex corde deſideret, & affectu velit proximum, non ex labiis ſalutari. Hanc enim oſculi vim eſſe docet etiam Xenophon [a] indicās animos non aliter coniungi, quàm corpora. Hoc igitur ſanctum oſculum poſtulat hoc loco Petrus, quemadmodum frequenter facit & Paulus [b]. Concludit deinde felici precatione, qua gratiam fidelibus omnibus optat. *Gratia,* inquit, *vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Ieſu,* Amen.

a In Conuiuio. b ad Rom. 16. 1. ad Cor. 16. 2. ad Cor. 13. 1. ad Theſſal. 5.

II. Videtur autem Oecumenius hunc locum paulo aliter legiſſe, ſic enim apud Interpretem lego. *Salutate vos mutuò in oſculo caritatis. Pax vobis omnibus, qui in Chriſto Ieſu eſtis.* Et re vera Græci Codices ita habent ἐν φιλήματι ἀγάπης, hoc eſt, in oſculo caritatis; & pro gratia Græcè legitur εἰρήνη, id eſt pax. Rectè autem ait Oecumenius oſculum caritatis, idem prorſus eſſe quod oſculum ſanctum, vt veriſimile ſit B vel Interpretem idem Græcè hoc loco legiſſe, quod apud Paulum, atque adeo oſculum ſanctum tranſtuliſſe, vt interpretaretur quodnam eſſet oſculum caritatis, hoc eſt oſculum ſanctum. Atque ita Oecumenius. *Cum Paulus,* inquit, *ſcribat, vt in oſculo ſancto ſalutentur; hic, ait; in oſculo caritatis, idem diuerſis verbis ſignificans. Quippe cùm etiam Paulus caritatem in Chriſto maiorem cæteris virtutibus, quam etiam martyrio ipſo eſſe cognoſcat. Ille igitur oſculum ſanctum, oſculum in Deo ſegregatum appellat. Hic oſculum caritatis, veræ ſcilicet caritatis, quam Paulus etiam celebrat.* Et fortaſſe Græcè legit ἐν φιλήματι ἁγίῳ. Certè Syriacus non aliter ac Latinus Interpres legit oſculo ſancto.

A Græci tamen Codices conſtanter habent ἀγάπης, vt oſculum ſanctum quaſi interpretetur, vt ſit oſculum à vera caritate profectum. Quod autem Latinus Interpres dicit, gratia vobis, Græcè legitur εἰρήνη, hoc eſt pax, atque ita legit Oecumenius, qui non de communi pace hominum intelligit, *quam vt affectibus incumbant, homines procurant, quo videlicet frui voluptatibus vanis atque inani gloria poſſint, quibus, dum à bellis vacant, ſeſe dedere conſueuerunt. Sed pacem eam,* inquit, *conſequi ipſos optat, quam Chriſtus Magiſter quoque cùm ad paſſionem abiret, dignos ipſos exiſtimauit. Pacem, inquiens, relinquo vobis. Et ſubiungens differentiam. Non quomodo mundus dat. Non enim vt fruamur delicits, & cupiditatibus pax habenda eſt; ſed vt colligati in caritate omnes aduerſarij noſtri victi verecundentur.* Suſpicor Græcè legiſſe Interpretem non εἰρήνη, ſed χάρις, vel pacis B nomine eam ſignificari voluit, quam Chriſti gratia parit. Paulus certè, vt alibi [a] obſeruaui gratiam, & pacem precatur. Ea enim vera pax eſt, quam Chriſti gratia, & caritas gignit, quæ dicitur alicubi à Paulo [b] omnem ſenſum ſuperare. Vtrouis igitur modo accipias, id optat Petrus, quod eſt omnium optimum, maximéque optandum. Rectè autem vt monet Oecumenius hoc veluti ſanctitatis ſigillo more Apoſtolico epiſtolam obſignat. Hæc pax nobis optanda, atque omni ſtudio procuranda, & retinēda eſt, vt Deus pacis auctor, & amator ſuis nos diuinis muneribus locupletet, & tamquam verè pacificos vt ſuos filios complectatur, & æternæ fœlicitatis, paternæque hæreditatis compotes aliquando faciat. Amen.

a ad Rom. 1. b ad Phil. 4, 7.





IN POSTERIOREM PETRI APOSTOLI EPISTOLAM

PRÆFATIO.

PAVCA præfari, etsi aliàs superuacaneum, in præsentia necessa- I.
rium existimo, nam primùm de huius epistolæ auctoritate, tum de Auctore nonnihil dicendum videtur. Deinde epistolæ argumentum breuiter proponendum erit, vnàque explicandum, qua occasione, & ad quos scripta sit. Non habuisse autem hanc secundam Petri Apostoli nomine inscriptam epistolam, certam, & Catholicam apud omnes auctoritatem; tam certum est, quàm impudens inficiari. Nam de ea hunc planè in modum scribit Eusebius [a]. *Eam autem, quæ illius secunda fertur esse epistola, non ita auctoritate, & testimonio veterum confirmatam accepimus.* Et rursus [b]. *Ex illis, quæ in dubitationem quidem vocantur, sunt tamen à plerisque recepta, est epistola, quæ Iacobi dicitur, & Iudæ, & secunda Petri, & secunda, & tertia, quæ Ioannis nomine inscribuntur.* Didymus [c] verò. *Non est*, inquit, *ignorandum præsentem epistolam esse falsatam, quæ licèt publicetur, non tamen in Canone est.* Et in eamdem sententiam Hieronymus [d] ita de Petro loquitur. *Scripsit duas epistolas, quæ Canonicæ nominantur, quarum secunda à plerisque eius negatur propter styli cum priore dissonantiam.* Hanc vnam ob causam Nouatores [e] eam à Sacrorum librorum Canone expungendam censent, adeò sunt ad iudicandum temerarij, & ad pronuntiandum proiecti, vt paucorum dubitationem pro decreto habeant, & plurimorum assertioni, atque Ecclesiasticæ definitioni longè præferant.

Dubitarunt igitur pauci quidam, iique prorsus anonymi, atque ignoti: at II.
plurimi tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ, iidemque grauissimi, & antiquissimi Patres Canonicam huic epistolæ auctoritatem tribuunt. Nam Athanasius [f] hanc inter Canonicas, atque Apostolicas epistolas tertio loco recenset, quod etiam facit Gregorius [g] Nazianzenus. Nec dissentiunt Amphilochius [h], Damascenus [i], Cyrillus [k] Hierosolymitanus, vt interim omittam eos, qui ex hac Epistola tamquam Sacro, & Canonico libro testimonia proferunt, quod non semel faciunt Hippolytus [l] Martyr, Didymus [m] Alexandrinus, Ephrem [n] Syrus, Origenes [o], Epiphanius [p], Iustinus [q] Martyr, Chrysostomus [r], Cyrillus [s] Alexandrinus, Damascenus [t], Antonius [v], & Maximus [x]. In Occidentali autem Ecclesia hanc epistolam tamquam sacram grauissimi Scriptores habuerunt, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Gregorius, Bernardus, & alij. Sed quod maximè rem conficit, & concludit plurium Conciliorum [x] auctoritate, Ecclesiastica Sanctione definitum est, eam esse Sacrorum librorum Canoni inserendam, vt salua fide non liceat aliter opinari.

a lib. 3. Hist. cap. 3.
b cap. 25.
c Sub finem Commẽt. in hanc epist.
d de Scriptor. Eccle. in Pet.
e Erasm. ad fin. adnot. in hãc ep. Luth. Præfat. in ep. Can. & 6. in confess. Vitemberg. Chemnit. in exam. Conc. Trident.
f in synopsi, & ep. 9. for-coasti. ca.
g In Carm. de Scri Sacr.
h in Iãbic. ad Seleu cum.
i lib. 4. c. 18.
k Catec. 4.
l Ser. de Antichristo.
m in Cõm.
n
o
p Heres. 76.
q quæst. 74.
r In psal. 4. & 31.
s 1 in Gen. lib. 1. & 4. in Isa. ep. 5. lib. de recta fide ad Reginas.
t In Parallelis.
v In capitib. Theolog.
x Conc. Carthag. 3. c. 47. Florent. & Trident.

Argumenta

III. Argumenta quibus nituntur Nouatores ad secundum caput spectant, in quo de huius epistolæ Auctore differendum erit. Nam quod de veterum dubitatione obiiciunt, si vim habeat ad hanc epistolam ex albo sacrarum litterarum excludendam, ne admittatur quidem Mariæ Deiparæ Virginitas, Christi Domini diuinitas, & cum Patre æqualitas, eius denique ad superos reditus, cum de his omnibus, aliísque non paucis graues olim dubitationes fuerint excitatæ. Quod si nonnullorum hæsitatio, aut etiam perfidia diuinorum mysteriorum fidei, & Sacrosanctæ, atque illibatæ veritati nihil officit, cur huius epistolæ auctoritatem labefactabit, aut etiam infringet? cùm præsertim dubitationis Auctores, & incerti sint, ac ne de nomine quidem noti? Fateor quidem hanc epistolam in editione Syriaca non haberi, at eam olim receperant Ephrem Syrus, & alij, admiseruntque deinde cæteri omnes Catholici, qui Ecclesiasticum Canonē recipiunt. Certum igitur, atque exploratum sit posteriorē Petri Epistolam iam pridem in Ecclesia Sacrosanctam obtinuisse auctoritatem cæteris Scripturę libris omnino parem, cui refragari nefas sit, quáque ad stabilienda Christianæ fidei dogmata Viri sancti, doctíque vsi sint olim, & vti liceat in præsentia, etiamsi hæretici disrumpantur. Possent fortasse pauca quædā proferri, quibus non necessariò diuina fides habenda videatur, vt quod de cœli ardore asseritur, de quo non conuenit inter Theologos, sed hæc, atque id genus alia suo loco commodiùs explicabuntur, & ni fallor, apparebit, nihil tota hac epistola contineri, quod non sanam, Catholicámque doctrinam redoleat. Quod verò ait Didymus fuisse hanc epistolam corruptam, & deprauatam, meritò moueret, si deprauationis, aut falsitatis locum indicaret, nunc autem epistola quanta, quanta est, tota Catholica est.

IV. De Scriptore huius epistolæ fuisse aliquando dubitatum Auctor est Hieronymus [a], non aliam ob causam, nisi quòd stylus à priori discrepat. Sed ipsa epistolæ inscriptio, Simonis Petri serui, atque Apostoli Iesu Christi nomen habet, necesse vt sit eius Auctorem, vel esse Petrum Apostolum, vel nefarium, ac scelestum quempiam Sycophantam, & impostorem. Quis autem adeò effrons, atque impudens fuerit, qui sibi Apostoli, atque Apostolorum Principis nomē arrogarit? Quid? quòd huius epistolæ Auctor se Pauli fratrem nominat, quasi dicat eiusdem muneris collegam? quis autem nisi Apostolus id ausit affirmare? Addo quod idem apertissimè insinuat aliam se scripsisse epistolam, cum hanc secundam nominet, vt ad priorem Petri respexisse videatur. Denique ne longior sim, cùm Auctor se dicat Dominicæ Transfigurationis mysterio interfuisse, necesse est illum è tribus Apostolis vnum esse, qui soli spectasse Christi gloriam dicuntur, hoc est vel Iacobum, vel Ioannem, vel ipsum Petrum. Nemo autem hactenus ausus est hanc epistolam Ioanni, vel Iacobo adscribere, vt consequens omnino sit eam vnius Petri fœtum legitimum esse, nisi hoc etiam nebulonem quempiam mentitum esse, quis dixerit, vt è tribus vnus, & quidem præcipuus, hoc est, Petrus haberetur. Quod nemo nisi temere suspicari potest de eo præsertim, qui tam salutaria præcepta tradat.

[a] De Script. Eccles. in Petro.

V. De stylo quod obiicitur, facilem, atque expeditum habet exitum, neque enim est à rectè scribentium consuetudine alienum, vt pro rerum, locorum, temporum, ac personarum varietate nunc grandiori, nunc humiliori dicendi charactere vtantur. Nam Hieronymus ipse alia orationis forma Epistolas scribit, alia sacras litteras interpretatur, & explanat. Gregorius verò Pontifex cultiorē, ornatiorémque adhibet orationē, cùm sacros libros explicat, quàm cùm epistolas scribit. Paulus verò non eodem stylo suas omnes epistolas exarauit. Postremò Hieronymus [b] nodum facilè expedit. *Duæ*, inquit, *Epistolæ quæ feruntur Petri, stylo inter se, & charactere discrepant, structurāque verborum. Ex quo intelligimus pro necessitate rerum diuersis eum vsum interpretibus.* Quod etiam accidisse Paulo Apostolo pluribus confirmat. Prioris itaque

[b] ep. 150. ad Edibiā q. 11.

epistolæ interpres fuit Marcus, vt in eiusdem fine restatur Petrus. Huius posterioris videtur fuisse Glaucias, cuius alicubi meminit Clemens [a] Alexandrinus. *Etiamsi,* inquit, *Glauciam sibi adscribat magistrum, vt ipse gloriatur, qui fuit Petri interpres.* Nil igitur mirum, cum diuersi fuerint Interpretes, varium dicẽdi genus, quod tamen ab Apostolica grauitate non abhorreat, vt in iis obseruauit Eusebius [b], qui Apostolorum nomina mentiebantur. *In quibus,* ait, *& ipse stylus multùm ab Ecclesiastica consuetudine deprehenditur esse diuersus, sensus quoque ipse, & omnia, quæ his inseruntur longè ab Apostolica dissonant fide, ex quo figmenta esse prauitatis hæreticæ comprobantur.*

a lib. 7. Stromat. nõ procul à fine.
b lib. 3. c. 25.

Argumentum porrò huius epistolæ describitur ab Athanasio [c], nec non ab Oecumenio [d], breuiter autem fidem perceptam commendat, ad eámque constanter retinendam hortatur, quam verá esse docet, à Prophetis olim non humanæ rationis ductu, sed diuini Spiritus impulsu prænunciatam. Deinde ad vitæ innocentiá, morúmque integritatem graui oratione excitat, monétque fideles, vt fraudulentos seductores caueant, nec Pseudoprophetis aures præbeant, ne iniquis eorum consiliis, ac monitis ad interitum ruant sempiternum. Venturos enim Sycophantas, atque impostores, qui tam diuturna iudicij expectatione pertæsi illud aliquando futurum pernegarent. Quibus id vnum obiiciendum suadet mille annorum moram pro vno dumtaxat die Dei iudicio, atque existimatione censeri. Pro certo autem affirmat supremum mundi diem breui adfuturum, atque idcirco sedulò cunctis laborandum esse, vt ad eum diem ingentem sibi meritorum supellectilem comparẽt. Postremò Pauli Apostoli consilia, & monita laudat, tametsi ea à nonnullis deprauari, & corrumpi non negat. Interim tamen ad constantiam, & perseuerantiam inflammat. Tribus autẽ capitibus tota epistola continetur, & in primo quidẽ ad fidem Catholicá retinendam pluribus hortatur. Et in altero fideles aduersus hæreticorum fraudes, atque impostutas munit: in postremo denique vtriusque rei causas explicat. VI.

c in Synopsi.
d In hanc epistolam.

Scripsit autem hanc epistolam Petrus morti proximus, & procul dubio Romæ, vt amoris erga fideles sui perpetuum veluti pignus extaret, suóque ipse muneri Apostolico interim satisfaceret, vnáque ostenderet nullam à se boni, sedulíque Pastoris partem negligi. Non est autem dubium ad eosdem hanc esse scriptam Epistolam, ad quos prima missa est, vt ipsemet apertissimè testatur, cùm ad illos se epistolam secundam scribere affirmat. Est autem epistola breuis quidem, sed succi plena, vt in ipsa explanatione perspicuum fiet. VII.

Primi Capitis Argumentum.

VOCATIONEM ad fidem studiosis, ac laudabilibus actionibus firmandam, ac stabiliendã docet; suam in omnium fidelium salute procuranda, perpetuam sollicitudinem commendat, quam ne post obitum quidem se vnquam depositurum spondet. Priscis Prophetis, suaq; doctrina, ac prædicationi diuinam asserit auctoritatem, quòd illi quidem futura omnia cognouerint, ipse verò Christi gloriæ in monte Thabor spectator fuerit, paternámque vocem de cælo lapsam, quæ Christi diuinitatem prædicabat, auribus exceperit.

CAPVT I.	PARAPHRASIS.
1 *SIMON Petrus seruus, & Apostolus Iesu Christi iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.*	SIMON Petrus Christi Iesu seruus, & Apostolus salutẽ iis dicit, qui eamdem cum cæteris Apostolis fidem, ac religionem nõ sine diuino beneficio sortiti sunt, illius singularis iustitiæ merito, qua Christus Deus ac Saluator noster pro hominum genere Deo Patri satisfecit.
2 *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri.*	¶ Opto igitur inprimis gratiam & pacem Dei, ac Domini nostri Iesu Christi, maiora in dies capere incrementa, vt ampliorem vobis diuinarum rerum scientiam, & cognitionem afferat.
3 *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ*	¶ Eo planè modo

modo, quo diuina eius vis ac potestas liberaliter nobis largita est omnia, quæ ad vitam, & pietatem pertinent; ea videlicet supranaturalium rerum cognitione tradita, qua nos ad nominis sui gloriam, diuinámque potestatem declarandam vocauit. ¶ Quamobrem preciosa, atque ingentia nobis munera olim promissa largitus est Deus; vt eorum beneficio diuinæ naturæ consortes efficeremini; eadémque opera eam vitaretis impuræ cupiditatis deprauationem, quæ mundum vniuersum quodammodo fœdarunt. ¶ Vos verò tam insigni beneficio excitati date diligenter operam, vt fidei vestræ virtutis studium adiungatis, virtuti verò scientia succedat. ¶ Scientiæ porrò temperantia, temperantiæ verò patientia, patientiæ pietas. ¶ Pietati autem fraterna caritas, hunc denique vetus amor, & dilectio proximorum. ¶ Hæc enim si vobis adsint, atque abundent, non otio solertia vestra, aut industria contabescet, nec vestri irriti conatus erunt, quibus ad Iesu Christi Domini nostri cognitionem assequendam contenditis. ¶ Nam si cui fortasse hæc minimè adsint, is profectò veluti cæcitate correptus, & vix ignatus manu quodammodo, quò gressum figat explorat, oblitus se à priscis suis sceleribus Baptismo fuisse expiatum. ¶ Quocirca fratres, omni studio adhibito, efficite, vt omnes intelligant, vos diuinæ vocationi, & electioni vestræ ita moribus, ac vitæ rationibus respondere, vt de eius firmitate nemo dubitare queat, nã si id præstiteritis, nullus vobis aut casus, aut lapsus, pertimescendus erit. ¶ Hac enim ratione amplissimus vobis ad cœleste Regnum, ac Domini nostri, Seruatorísque Iesu Christi gloriam, & beatitatem aditus patefiet. ¶ Quamobrem quantum in me erit efficiam profectò, vt mea monita, atque consilia nemo vestrûm desiderare queat: tametsi intelligo vos satis instructos, & in fide confirmatos nihil ignorare eorum, quæ ad veram Christi fidem aliquo pacto referuntur. ¶ Nihilo tamen secius mei muneris rationẽ hoc à me arbitror postulare, vt quamdiu spiritum duco, vitalique aura fruor, meis vos adhortationibus continenter excitem. ¶ Certò namque scio breui me mortalitatem exuturum, ita enim diuinitus me Christus Dominus certiorem fecit. ¶ Quin etiã dandam mihi operã intelligo, vt hęc mea monita posteritati consignata etiam post obitũ meum ad horum omniũ recordationem assiduè vos excitent; quin etiã ego meis vos apud Deum precibus quantum potero promouebo. ¶ Sic enim habetote non arte compositas fabulas, quemadmodũ Simoniani faciunt, à nobis fuisse propositas qui diuinam Christi potestatẽ eiúsque ad nos aduentum vobis proposuimus, cuius diuinã maiestatem nostris oculis perspeximus. ¶ Ille siquidem à Deo Patre eximio quodam honore, & gloria affectus est huiuscemodi voce cœlitùs missa, Hic est Filius meus, in quo mihi complacui, ipsum audite. ¶ Quam vocem è cœlo missam ipsi

quæ ad vitam, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute.

4 Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc diuinæ consortes naturæ fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.

5 Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam.

6 In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia pietatem.

7 In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.

8 Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

9 Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

10 Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando.

11 Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.

12 Propter quod incipiam vos semper commonere de his, & quidem scientes; & confirmatos vos in præsenti veritate.

13 Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione.

14 Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

15 Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

16 Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.

17 Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi cõplacui ipsum audite.

18 Et hanc vocem nos audiuimus dè cælo

allatam cùm essemus cum ipso in monte sancto.

19 *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.*

20 *Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.*

21 *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

nos audiuimus, cum aliquando vnà cum illo in monte Tabor versaremur. ¶ Nos verò non hac tantùm voce, sed propheticis oraculis nitimur, quorum de certitudine dubitare non potestis, qui rerum euenta perspicuè conspexistis, quibus quidem vaticiniis dum diligenter operam datis, eaque quasi lucernam in obscuro loco lucentem sequimini, magna profectò laude digni estis, modò pergatis quoad perennis ille, ac sempiternus dies illucescat aliquando, & lumen illud beatorum in cœlesti gloria mentes vestras irradiet. ¶ Illud autē ante omnia persuasum vobis esse debet omnia. Prophetarum oracula nullius priuata auctoritate, aut interpretatione constare. ¶ Neque enim Prophetia humanum inuentum censendum est, nec priuato cuiusquam studio cōparari potest, sed diuino afflati Spiritu viri sancti oracula ediderunt.

IN CAPVT PRIMVM
EXPLANATIO.

1. *Simon Petrus seruus, & Apostolus Iesu Christi iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.*] A

I. CONSVETA est Epistolæ inscriptio, qua Scriptoris nomen, & personæ ad quam scribitur breuiter indicatur. Sic enim ferè non apud prophanos solùm, sed etiam sacros Scriptores receptum est, vt eorum scripta Auctoris nomen præferant. Sic Prophetæ olim, sic Euangelistæ, sic denique omnes Apostoli facere consueuerunt. Simon, inquit, vel vt Græcè legitur Συμεών, quod idem prorsus est, sed illud contractius, & frequentiùs vsurpatum. Quoniam autem ex Apostolis eodem Simonis nomine alius appellabatur, ne quis esset ambigendi locus, additur B Petrus. Quomodo apud Matthæum [a] ait Euangelista. *Respondens Simon Petrus dixit. Tu es Christus Filius Dei viui.* Nam Gentis more in circuncisione Simonis nomine vocatus est, quod possis Auditorem, seu obedientem interpretari. Petri verò nomen à Christo Domino illi impositum est, vt futuram eius, successorúmque ipsius in fide firmitatem, atque constantiam declararet, simúlque indicaret, quod postmodum palàm edixit fore vt super hanc Petram (hoc enim sonat Syriaca vox Cephas) ædificaret Ecclesiam, quæ nullis posset inferorum machinis expugnari.

a cap. 16. 16.

II. Itaque vt ait Oecumenius. *Simon Simeonis est diminutiuum, sicut Metrodori Metras, Menodori Menas, Theodosij Theodas:* quæ veráne sint, an secus mitto C quærere, sat enim habeo Simonem proprium fuisse Petri nomen. Nam à Christo Domino apud Ioannem [b]; Simon Ioannis appellatur. Post Christi in cœlum ascensum, vt plurimum Petrus, vel Simon Petrus nominatur, nisi quòd in Concilio [c] Apostolico à Iacobo Apostolo Simon præcisè vocatur. *Simon,* inquit, *narrauit,* cùm Petrum significaret, qui proximè ante illum sententiam dixerat. In priori epistola se simpliciter Petrum appellat, hîc vtrumque nomen adhibuit, neque, vt arbitror, temerè. Simon enim, vt

b cap. 21. 15.

c Act. 15. 14.

A modò dixi, si interpretere, audientem, vel obsequentem significat. Quocirca dum se Simonem vocat, tacitè indicat dum ad eos scribit, se maximè Christi præcepto obtemperare, & oues atque agnos sibi, suæque prouidentiæ creditos sedulò curare, qui quod coràm voce docuerat, scriptis firmare non grauetur. Pertinebat vtique id ad Apostolicam sollicitudinem, de qua sic planè loquitur Irenæus [a]. *Valde enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas; lapsis autem summa calamitas.* Digna profectò Apostolico gradu sedulitas, ac diligentia, quam æquum esset eos imitari, qui se Apostolorum successores, & esse, & haberi volunt. B

a lib. 3. c. 3.

III. Præter nomen autem, quod poterat aliis esse commune, addit Apostolus duo epitheta. *Seruus & Apostolus Iesu Christi.* Vtrumque eadem ratione vsurpauit Paulus [b], ait enim. *Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus.* Illud ad Christianam modestiam, atque humilitatem, hoc ad muneris, ac dignitatis maiestatem refertur: illud omnibus præsertim fidelibus commune est, hoc proprium Apostolorum. De quo munere alibi [c] fusiùs disserui. Neque verò credendum est Apostolos hoc titulo arrogantiùs fuisse gloriatos, sed vt orationi suæ auctoritatem conciliarent, eo necessariò vsos. Sic ferè Magistratus facere consueuerant; cum quidpiam sfamcirent, quod honoris, ac muneris prærogatiua sanciendum foret. C Quocirca Petrus nihil de se honorificentius prædicat, quod iure suo facere poterat, qui se Apostolorū Principem, & Christi in terris Vicarium agnoscebat. Neque enim Apostoli sui muneris dignitatem ambitiosè ostendebant, qui probè intelligerent Christi mansuetudinem, atque humilitatem sibi potissimùm imitandam, ac repræsentandam esse.

b ad Rom. 1. 1.

c Tom. 1. in Paul. disp. de Apostolatu.

IV. Quamquam si res postularet amplitudinem muneris præclaro aliquo facinore illustrabant, qua ratione Paulus [d]. *Quam diu quidem, inquit, ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*

d ad Rom. 11. 13.

Et

a 1. ad Tim. 2. 7. Et alibi [a]. *Positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Doctor gentium in fide.* Danda enim sedulò opera est ne Dei munera, & beneficia nostra socordia, ignauiave vilescant. Hoc autem ipso quòd se Christi seruum, & Apostolum nominat eximia quædam, planeque diuina in se collata beneficia prædicat. Nam de Dei seruitute verè omnino, ac sapienter scripsit Augusti- b lib. 19. de Ciuit. c. 21. nus [b], *Planè satis edoctum est quibusdam videri esse seruitutem, & Deo quidem vt seruiatur vtile esse omnibus, seruiens autem Deo animus rectè imperat corpori, inque ipso animo ratio Domino Deo subdita rectè imperat libidini, vitijsque cæteris. Quapropter vbi homo Deo non seruit, quid in eo putandum est esse iustitiæ, quandoquidem Deo non seruiens nullo modo potest iustè animus, aut humana ratio vitijs cæteris imperare?* Porrò de Apostolis, c ad Ephes. 2. 20. Paulus [c] ait eos esse *Ecclesiæ fundamenta*, Augustinus [d] d epist. 120. c. 14. autem vocat illos, *firmamenta, & columnas Ecclesiæ.* Igitur Petrus tamquam seruus Dei, illius honorem, & gloriam spectat, & salutem quærit proximorũ, quippe qui à Domino [e] audierat. *Docete omnes gentes*, sibi- e Matth. 28. 19. que omnium fidelium curam, & sollicitudinem creditam esse non ignorabat.

V. Atque hac ratione tacitè sibi suæque orationi non vulgarem conciliat auctoritatem, nam qui Apostolico munere fungitur nec facilè decipi, nec quemquam f Luc. 10. 16. fallere potest, Apostolus enim dictum est à Domino [f]. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & qui* g Matth. 10. *me spernit, spernit eum, qui misit me.* Itemque [g]. *Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur* h 2. ad Cor. 13. 3. *in vobis.* Et Paulus [h] de se ipso. *An experimentum, inquit, quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Inter Apostolos autem Petrus obtinet Principatum, nam, vt i in Luc. c. 24. ait Ambrosius [i]. *Quia solus professus fuerat ex omnibus, omnibus antefertur.* Et Chrysostomus [k]. *Magna, ait, Do-* k in Ioan. c. 21. *minum Petro cõmunicasse, & orbis terrarũ curã demãdasse.* l Serm. 3. de sua assumpt. Denique Leo [l] Pontifex *De toto mũdo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarũ gentiũ vocationi, & omnibus Apostolis, cũctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq; Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

VI. Quam ob causam Paulus, qui singulari quodã priuilegio à Deo vocatus, & Apostolico ordini adscriptus erat, voluit tamẽ sua cum Petro cõsilia commu- m ad Galat. 2. 2. nicare, ne fortè, vt ipse ait [m], *in vanũ curreret, aut cucur-* n ep. 89. ad August. *risset.* Ostendẽs, vt monet Hieronymus [n], *non habuisse securitatẽ Euãgelij prædicãdi, nisi Petri, & cæterorũ Apostolorũ, qui cum eo erãt, fuisset auctoritate roboratũ.* Chryso- o Hom. 28. in Ioan. stomus [o] autẽ Petrũ vocat, *os Apostolorũ, Principem & verticem totius cœtus.* Alibi [p] verò de eodẽ Paulo sic lo- p ad Gal. 1. quitur. *Apostolorum Principẽ quã par est honorẽ tribuit, ea enim de causa ad eum venit, non vt ab eo aliquid disceret, sed vt solùm videret.* Hactenus inscriptionis prior pars, quæ scriptoris nomen continet; sequitur altera.

VII. *Iis, qui nobiscum coæqualem sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.* Atqui hæc periphrasis Christianos omnes cõplectitur, qui eiusdem fidei, ac religionis participes sunt, qua igitur ratione q cap. 3. hæc ipsa [q] Epistola non obscurè indicat se ad eosdem scribere, ad quos priorem Epistolã miserat? sic autem ait. *Hanc ecce vobis carissimi secundam scribo Epistolam.* Scripserat autem, vt suo loco dixi, ad Ponti, Galatiæ, aliarumque Orientalium regionum fideles, quapropter eosdem omninò hoc loco intelligit, obiter tamẽ significat, hæc Apostolica monita ad omnes prorsus fideles pertinere, atque adeò omnibus esse cõmunia. Apparet autẽ benignitas, ac munificẽtia Dei, quæ fidem, ac Religionẽ suã omnibus patere voluit, nemine r ad Rom. 3. penitus excluso, vt vbique docet Paulus, & nos alibi obseruauimus. Nã alicubi quidẽ ait. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, qui credunt in eum, non enim est* f cap. 10. *distinctio.* Rursus [f]. *Omnis, qui credit in illum, non confun-* *detur, non enim est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.*

VIII. Et Petrus [a] in Actis Apostolicis linteum vidit, *in* a cap. 10. 12. *quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli*; quod quidem ad homines pertinere, qui absque vlo discrimine, distinctioneve ad fidem vocantur, Petrus ipse agnouit, qui aliquanto [b] pòst diait. b vers. 34. *In veritate cõperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam acceptus est illi.* Idque obseruauit Origenes [c], Ambro- c Hom. 7. in Leuit. sius [d] autem de eodem linteo, seu vasculo hũc in mo- d Serm. 67. qui est 2. de Natali Apostolorum. dum disserit. *Nam vtique diuersa animalia collecta in vno vasculo diuersarum Gentium congregatio collecta in vna Ecclesia demonstratur, quæ Ecclesia in illius vasculi splendido, dum non habet maculam, neq; rugam, linteo nitore resplẽdet.* Et Augustinus [e]. *Vas, ait, illud Ecclesiam si-* e Serm. 26. de Diuers. c. 5. *gnificat, quatuor linea, quibus dependebat, quatuor partes Orbis Terrarum, per quas tenditur Ecclesia Catholica, quæ vbique diffusa est.* Et post nõnulla. *Animalia ergo illa gẽtes sunt, omnes enim gentes, quæ immũdæ erãt in erroribus, vt superstitionibus, & concupiscentiis suis antequam veniret Christus, illo aduẽniẽte donatis sibi peccatis mũda facta sũt.* Nec multo aliter Gregorius [f]. *Quid enim, ait, aliud signi-* f lib. 18. Mo. c. 16 aliàs 22. *ficatur per linteũ fundonis, nisi subtilis intexta sanctæ prædicationis tela, in qua molliter quiescitur, quia mens in illa fideliũ spe superna refouetur, vnde & Petro animalia in linteo demonstrantur, quia peccatorum animæ misericorditer aggregatæ in blanda fidei quiete continentur.*

IX. Quia igitur omnes gentes vocantur ad fidem, meritò coæqualem dicuntur fidem sortitæ. Dixit autem Græcè Apostolus *ἰσότιμον*, quasi dicat *æquè pretiosam.* Est enim, si ipsa per se spectetur vnius planè formæ, suique semper similis, nisi quòd eorũ respectu, in quibus inest nũc maior, nũc minor esse potest. Et propterea aliquãdo Apostoli augeri sibi fidẽ postulabãt, cum g Lucæ 17. 5. dicerent. *Domine adauge nobis fidẽ.* Incrementũ enim, atque accessionẽ fidei petebãt, vt monẽt Origenes [h], h Tom. 32. in Ioan. Prosper [i], Titus [k] Bostrensis, Theophylactus, Euthy- i lib. 2. de vo. cat. Gent. c. 3. mius. Potest autẽ fidei incrementũ in ipsa fidei firmitate atque adhæsione iis, quæ credũtur, spectari, vel in k Lucæ 17. ipsis rebus, quæ fide cõprehenduntur, siue quia plura, siue quia difficiliora, magisq; obscura sunt. Nõ temerè autẽ Apostoli augeri sibi fidẽ postulabãt, nõ quòd fidei suæ, hoc est, suis dũtaxat viribus animo conceptæ diuinã addi fidẽ cuperẽt, vt parùm cautè dixisse videtur non nemo, sed diuinæ fidei amplificationẽ flagi- l Euthym. Luc. 17. tabãt, qui aliquando *ὀλιγόπιστοι*, hoc est modicæ fidei dicti sunt, vt apud Matthæũ [m], *Quid timidi, inquit, estis* m cap. 8. *modicæ fidei?* Rursus [n]. *Quid cogitatis inter vos modicæ fi-* n Matth. 16. *dei?* Et apud Lucam [o]. *Vbi est, inquit, fides vestra?* Certè o cap. 8. alias [p] *ἀπιστίαν* illis obiicit Christus, *propter incredulitatem vestram*, ait. p Matth. 17.

X. Hoc itaque loco dicitur coæqualis fides, si ipsa per se vis, ac natura virtutis spectetur, nisi quis malit coæqualem dici, hoc est, vt Græca vox significat, æquè pretiosam quia vno, eodẽque pretio, hoc est, pretioso Christi sanguine cõparata est; vel quia eodem præmio digna est, perspicua videlicet Dei cõtẽplatione, vel quod magis probo, coæqualẽ dixit, hoc est, eãdem nobiscũ fidẽ. Monet autẽ hoc loco Oecumenius his Apostoli verbis credentiũ studiũ ad prædicandũ verbum excitari. *Qui enim inquit, coæqualem gratiã sortiti sunt, digni non sunt, vt aliquo ex iis, in quibus æquales extitere defraudentur.* Quod tamẽ vniuersim de omnibus fidelibus non facilè admiserim. Etenim non omnibus in rebus æquales sibi esse ait Christianos, nam neque omnes Apostoli, neque omnes Christi Vicarij cẽsendi sunt, sed eiusdẽ eos tantummodo fidei participes esse affirmat. Neque propterea omnes cõtinuò ad docẽdi munus prouocandi sunt, quandoquidẽ, vt Paulus ait, non omnes in Ecclesia Doctoris munere funguntur.

Bened. Iustin. in Epist. Canon. Mm 3 Tertiũ

Tacitè potiùs indicat singularem quamdam ab iis, vitæ, morúmque innocentiam, ac sanctitatem desiderati, cum fidei luce diuinitus illustrati Christianis sacris imbuti, atque initiari essent.

XI. Parùm autem scitè, ne quid grauios dicam, faciunt ij, qui hinc colligunt, nullo iure fuisse Petrum cæteris superiorem, sed æquam fuisse omnium conditionem, nihilque illi supra cæteros tribuendū esse, quasi verò nunc Petrus de hierarchia Ecclesiastica, deque honorum gradibus differat, ac non potiùs de fide, ac religione Christiana, quæ, vt modò dixi, vna est, ac simplex omnibus fidelibus, quātùm in ipsa est, æquè cōmunis. Cæterùm de principatu Petri non est in præsentia differendum. Is verò adeò perspicuè ex sacris literis colligitur, perpetuaque Ecclesiæ traditione firmatur, vt qui vel aliter sētiat, vel aliquo modo dubitet in meridiana luce cæcutiat. Ait igitur Petrus eādem fideles omnes cōsequutos esse fidē, quā Apostoli prædicant. Sed cur dicat sortitos ambigat fortassè quispiā, quæ enim ad gratiā, & iustificationē referūtur, nihil cum casu, aut fortunæ temeritate commone habēt sed vt aliàs monui, quæ diuina liberalitate, ac munificētia nobis cōceduntur, quia omnia nostra merita anteuertunt, nullamque aliam in causam, quàm in spontaneam, ac liberam Dei voluntatem referri possunt, sortis nomine plerumque significantur.

XII. Itaque Augustinus [a] explicans verba illa Dauidis. *In manibus tuis sortes meæ. Sortes*, inquit, *dixit quantum ego existimo gratiā, qua saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiā Dei? quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei, nam vbi dicitur iste facit, iste non facit, merita cōsiderantur, & vbi merita cōsiderantur, electio non est sors; quādo autē Deus nulla merita nostra inuenit, forte voluntatis sua nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus, hac est sors*. Plura ea de re alibi [b] dixi. Paulus verò Græcè aliis vsus est vocibus, quæ hæreditatē potius, quàm sortem significāt, alludens, vt ego interpretor, ad veterem illam sortitionem, qua in Palæstina singulis sua cuique hæreditas attributa est, quo factum est, vt sæpe sors pro hæreditate in sacris literis vsurpetur.

a In Psal. 13. conc. 2.
b ad Ephes. c. 11. Coloss. 3, 12.

XIII. *In iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.* Ne fidem perceptam suis meritis tribuerent, addit Petrus hoc tam singulare munus iustitiæ Christi acceptum esse referendum, qui pro hominum genere, iustè Deo Patri satisfecit, cæteraque omnia bona mortalibus impetrauit. Dixit autē *in iustitia* Hebræorū idiotismo, qui, vt aliàs sæpe monui, hac ratione instrumēti causæque intermediæ vim, atque efficacitatem explicare solent. Ait itaque illos æqualē cum Apostolis fidem adeptos esse nullo ipsorū meritò, sed Christi Domini beneficio, ac liberalitate, qui est bonorū omniū fons, atque origo. Quocirca iure optimo Prosper [c] ex hoc loco, itēque ex alio prioris [d] Epistolæ fidē ob Christi merita dari probat. *Petrus quoq; Apostolus*, ait, *ex Deo haberi fidē prædicās ita scribit. Sciētes quod nō corruptibilibus auro, vel argēto redēpti estis de vana vestra cōuersatione paternæ traditionis, &c.* Tū subdit. *Per ipsū fideles estis in Deo.* Quod deinceps aliis plerisque Scripturæ testimoniis confirmat, vt quod ait Petrus. *Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi, de vno Christo videatur accipere;* qui idem dicatur Deus. & Saluator, quē Dionysius [e] Areopagita sanctitatis fontē appellat, qui nos repleat sanctitate. Idemque insinuat Irenæus [f], qui Christum ait venisse vt medicum ad nostra curanda vulnera.

c lib. 1. de vocat. Gent. c. 8.
d cap. 1.
e cap. 4. de Eccles. Hierarchia p. 3.
f lib. 3. c. 5.

XIV. Apertiùs autē Clemens [g] Alexandrinus. *Apparuit*, inquit, *hominibus hic ipse Verbū, qui solus est ambo, Deus, & homo, & est nobis omniū causa bonorū, à quo edocti rectè viuere ad vitā æternā trāsmittimur.* Quod probat ex Paulo Apostolo, qui ad Titum [h] ait. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiēs nos, vt abnegātes impietatē, & sæcularia desideria sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Paulò etiam pòst ipsius Christi [a] verba profert. *Ego sum ostiū per me si quis introierit, saluabitur, ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Prope finē ait. *Nullū esse aliud opus Christi quam vt homo saluus fiat.* Denique idē Clemens [b] Christū vocat, *fundamētum, atq; ædificiū, per quē est principium, & finis.* Gregorius [c] verò Nyssenus, *Omnē*, ait, *bonorū spem in Christo firmiter esse credimus, qui bonum aliquod adeptus est, is in Christo est, qui omne bonū cōtinet.* Plurima in eamdem sententiam scribit Cyrillus, qui alicubi [d] ait. *Filius vita substantialiter est, & per fidem in credentibus habitat.* Alibi [e]. *Tabernaculo igitur præcedente Hebræi sequebantur, stante castra metabantur, vt nos discamus nullum alium nobis esse Ducem datum ad salutē, quàm Verbum Dei hominem factum.* Et rursus [f]. *Filius non sic, sed vt sanctitatis fons ex propria potestate discipulos sanctificat.* Origenes [g], *Christum*, dixit, *esse omnia bona, contra verò Diabolum omnia mala.* Neque aliter loquuntur Epiphanius [h], Chrysostomus [i], & Theodoretus. Iam inter Latinos Ambrosius [k] ostendit, *Christum omnibus esse quærēdum, esse omnium omnibus stillare rorem gratiæ in omnes.* Fauent Augustinus [l], & Bernardus [m].

g adhortat. ad Gentes. similia habet lib. 1. Pædag. c. 7. & 9.
h cap. 2. 11.
a Ioan. 10. 9.
b lib. 7. Strom.
c lib. de vita Mosis.
d lib. 2. in Io. c. 74.
e lib. 4. in Ioan. ca. 18. Multa hoc spectantia scribit lib. 9. in Io. c. 13. 41. 47.
f lib. 4. Thesaur. c. 1. in fine. Videatur lib. 5. Thes. c. vlt. & lib. 11. c. 4. & lib. 1. de Trinitate.
g lib. 5. in ep. ad Rom. in fine. Similia habet lib. 3. c 3. lib. 6. c. 8. & Hom. 1. Cant.
h in Anchorato.
i ad Tit. 3.
k lib. 3. de Virg. c. fin.
l Ser. 92. de Temp. & in Psal. 35.
m Serm. 15. Cant.
n cap. 53. 15.

XV. Vocat autem iustitiam Christi, siue iustitiæ nomine sanctitatem intelligas, quæ tanta fuit apud Deū, vt vnius Christi respectu cæteri omnes iustitiā adipiscātur, vt significat Isaias [n], cùm ait. *Iustificabit ipse iustus seruus meus multos.* siue ad vim satisfaciēdi referas, quæ vt Theologi tradunt summā quā iam iustitiæ æquitatē exæquauit. Sunt tamē qui distinguūt Deum à Christo, quasi illud nomē referatur ad Patrē, qui est primaria, atque absoluta bonorū omnium causa, atque ita Deus quidē effectricē causam, Christus verò meritoriā contineat, quamquam Christus diuinitatis respectu ab efficienti causa (quicquid aliter sentiant Arriani) non excluditur. Fateor tamen, si Græcos codices consulamus, pronius esse, vt Christo vtrumque nomen tribuatur, & Dei quidem nomen eius diuinitatem, Saluatoris verò humanam naturā indicet, quæ facit veluti instrumentum afferendæ salutis, quasi voluerit Petrus Christo Domino diuinitatem asserere, non ignorans fore non paucos, qui eam acriter oppugnarent, cùm præsertim nascentis Ecclesiæ initio maximi esset apud omnes cōmendanda, ne ei acerbissimorū dolorum perpessio, & mors ipsa, quæ à Gentilibus obiiciebantur, aliquo pacto officerent. Atque hactenus quidem inscriptio, sequitur salutatio.

2. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Iesu Domini nostri.*]

I. Salotatio est planè Apostolica, de qua alibi plura dixi. Rectè autem hoc loco Oecumenius. *Vbique*, inquit, *pacem ipsis optat, non quidem mundi pacem, sed eam, quæ in cognitione Dei consistit. Ea siquidem sola pax est, vt pote quæ ab offensione in Deum, & inimicitia nos liberet. Vnde etiam Christus hanc nobis, cùm ad Patrem discederet, exhibuit, & cum à mortuis resurrexisset, clamauit. Quin etiam in Ecclesiis nos Angelum pacis dari nobis precamur, & Sacerdos sæpenumero di sancto altari hanc populo exhibet. Et nos in mutuis salutationibus hac vti consueuimus, propterea quòd ea & bonorum omnium mater, & gaudij nostri fundamentum est. Idcirco etiā Dominus discipulis suis vbi in domum aliquā ingrederētur exhibere eam præcepit.* Certè olim apud Gentiles, qui nihil supra humanam cōditionem agnoscebant, nihilque nisi humanum, & caducū spectabāt salutantes incolumitatem, sospitatem, salutem denique precabantur; Iudæi se, è pacem optabant, sed humanam. Christus verò eam pacem attulit, quæ ortum habet à gratia, estque vera pax, quæ vt ait Apostolus [o], *exuperat omnem sensum.*

o ad Philip. 4. 7.

II. Itaque primùm quidem gratiam, deinde pacem nominat, quòd vera pax, vt modò dixi, à gratia proficiscatur,

ficiſcatur, ſine qua vera pax eſſe nullo modo queat. Rectè enim dixit Apoſtolus[a]. *Iuſtificati ex fide pacem habemus ad Deum*, cuius, vt ait Leo[b] Pontifex, *ſententia breuitate omnium ferè mandatorum continetur effectus, quia vbi fuerit veritas pacis, nihil ibi poteſt deeſſe virtutis. Quid eſt autem dilectiſſimi pacem habere ad Deum niſi velle, quod iubet, & nolle quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & ſimiles expetunt voluntates, nec vnquam diuerſitas morũ ad firmã poteſt peruenire concordiam, quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent, & iis appetit delectari, quibus illum nouit offendi.* Et alibi[c] multo planiùs. *Si autem*, inquit, *mens rectori ſuo ſubdita, & supernis muneribus delectata terrena voluptatis incitamenta calcauerit, & in ſuo mortali corpore regnare peccatũ non ſinerit, ordinatiſſimum tenebit ratio principatum, & munitiones eius nulla ſpiritualium nequitiarum labefactabit illuſio, quia tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.* Non optat autem Petrus ſimpliciter gratiam, & pacem, ſed vtramque multiplicari cupit, Græcè enim dixit πληθυνθείη, vt videlicet augeantur, maioráque in dies capiant incrementa. Quo etiam verbo vſus erat in priori Epiſtola, vt ex hoc etiam vnum, atque eumdem eſſe vtriuſque Epiſtolæ auctorem facilè quiuis intelligat.

a ad Rom. 5. 1.
b Serm. 6. de Nat. Dom. c. 3.
c Serm. 2. de Quadrag. c. 2.

III. Porrò gratia in hac quidem mortali vita nũquam poteſt eſſe tanta, quin ſemper augeri, & maior fieri poſſit, quocirca Auguſtinus[d]. *Nemo*, inquit, *fidelis dicit ſufficit, vbi dixiſti ſufficit, ibi defeciſti.* Et iiſdem propemodum verbis Bernardus[e]. *Si dixiſti ſufficit, & periiſti.* Elegantiſſimè verò more ſuo Leo[f] Pontifex. *Quantumlibet enim*, inquit, *quiſque iuſtificatus ſit, habet tamen dum in hac vita eſt, quo probatior eſſe poſſit, & melior, qui autem non proficit, deficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.* Alibi[g] verò. *Natura enim noſtra manente adhuc mortalitate mutabilis, etiamſi ad ſumma quæque virtutum ſtudia prouehatur, ſemper tamen ſicut poteſt habere quo recidat, ita poteſt habere quo creſcat, & hæc eſt perfectorũ vera iuſtitia, vt nunquã præſumant ſe eſſe perfectos, ne ab itineris non dum finiti intentione ceſſantes, ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi depoſuerint appetitum.*

d in Pſal. 62. ſimilia epi. 39. libr. de Spiritu, & litera c. vlt. l. de perfe. iuſtitiæ, & lib. 1. retract. c. 7.
e epiſt. 95.
f Serm. 8. de Paſſ. ver. fin.
g Serm. 2. de Quadrag. c. 2.

IV. Mitto Eccleſiaſticam aduerſus hæreticos definitionẽ[h], qua impudentiſſimi mortaliũ neſcio qui meritò dãnantur, qui hominum iuſtitiam, & ſanctitatem tantam eſſe poſſe iactabant, vt ei nulla fieri poſſet acceſſio. Addit *in cognitione Dei*, Græcè ἐπιγνώσει, vt nõ quamlibet cognitionẽ, ſed diuinã, ac ſupranaturalem intelligat, quæ nõ niſi cœleſti diuinoque munere cõparatur, de qua hũc in modũ loquitur Leo Põtifex[i]. *Vnde tota dilectiſſimi Chriſtiana ſapiẽtia diſciplina non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, ſed in vera, & voluntaria humilitate cõſiſtit, quam Dominus Ieſus Chriſtus ab vtero matris vſq; ad ſupplicium crucis pro omni fortitudine & elegit, & docuit.*

h Clem. ad noſtrum de Hæreticis.
i Serm. 7. de Epiph. c. 4.

V. Dei porrò ait cognitionem, & Ieſu Chriſti Domini noſtri, ſpectans opinor id, quod apud Ioannem[k] dixit aliquando Chriſtus. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Vtrũque enim noſſe, & confiteri neceſſe eſt, quod his verbis explicat Ambroſius[l]. *Coniunctione illa Patrem vtique copulauit, & Filium, vt Chriſtũ verum Deum à maieſtate Patris nemo ſecernat, nunquam enim connexio ſeparat, & ideo dicendo, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, & Sabellianos interfecit, & Iudæos excluſit.* Ruſus[m] alibi. *Scindit veſtimentum, qui legit, hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, niſi cognoſcant Chriſtum. Non enim ſolum Patrem verè Deum cognoſcere vita æterna eſt, ſed etiam Chriſtum cognoſcere verum Deum, verum de vero, Deum de Deo vita eſt ſempiterna.*

k cap. 17. 3.
l lib. 5. de fide c. 2.
m lib. 1. in Luc.

Et eadem planè mente Cyrillus[a], cum dixiſſet particulam *ſolum*, non excludere Filium, ſubdit. *Nonne videtis, quod ſtatim coniungitur: Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum? Vt ergo verus Deus Pater cognoſcendus eſt, ita non aliter Ieſus quoque Chriſtus habendus eſt.* Et alio[b] quodam loco. *Si cum agnitione ſolius, ac veri Dei iunctam neceſſe eſt adeſſe & cognitionem Ieſu Chriſti, & vitam hoc æternã parit, quomodo nõ omnibus manifeſtũ eſt, quod Deus verus eſt Chriſtus?* Rurſus[c]. *Connexa itaque eſt cognitioni Patris cognitio filij, atque eo pacto cognitio Dei viuifica eſt, ſi verò altera ſeparatur ab altera, claudicabit ſcientia Dei.*

a libr. 10. Theſ. c. 6.
b lib. de recta fide ad reginas.
c Hom. 5 ſimilia lib. 5. con. Iulian.

VI. Neque aliter loquuntur Athanaſius[d], & Baſilius[e]. Optimè autẽ Gregorius[f] Nazianzenus *Verũ enimverò*, ait, *arbitror iſtæc verba, Vt cognoſcãt te ſolũ verũ Deũ, proferri ad euerſionẽ Deorum, qui reapſe cum Dij non eſſent, Dij tamen appellarẽtur. Nõ enim adiicerentur & illa. Et quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ, ſi quidẽ ad diſcrimen filij ponerẽtur hæc verba, ſolum verũ, ac non cõmuniter de diuinitate proferrentur.* Eodemque modo loquuntur Cæſarius[g], Hilarius[h], Auguſtinus[i]. Quamobrem gratiam, & pacem augeri optat Apoſtolus. *In cognitione Dei, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quæ eſt Catholica fides, quam præcipuè aduerſus Iudæos prædicabant Apoſtoli, quámque conſtanter retinuit Eccleſia, & vſque ad extremum mundi finem retinebit.

d Diſp. con. Arrium.
e lib. 4. con. Eunomium.
f Orat. 4. alias 5. de Theologia.
g Dialog. 1.
h libr. 9. de Trinit.
i lib. de ſpiritu, & litera cap. 33. & Serm. 111. de Tempore.

3. *Quomodo omnia nobis diuina virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute.*]

I. Exordium eſt Epiſtolæ valdè obſcurum, atque impeditum, & varia, ac multiplici explanatione diſtractum. Vox enim Latina, *quomodo*, & Græca ὡς, magnam parit obſcuritatem. Tametſi autem non nego vtramque vocem tam Græcam, quàm Latinam plerumque in ſacris litteris vim admirantis habere, vt apud Dauidem[k]. *Quomodo facti ſunt in deſolationem.* Et rurſus[l]. *Quomodo dilexi legem tuam Domine.* Et apud Ieremiam[m]. *Quomodo ſedet ſola ciuitas.* Hoc loco tamen vix credo eam ſignificationem poſſe admitti, cùm nihil dicat Petrus admirando, ſed ſimplici narratione Dei in nos beneficia commemoret. Nec placet quod alij contendunt aliquid eſſe neceſſariò ſupplendum hunc fermè in modum. Gratia, & pax perficiatur in agnitione Dei, ac Domini noſtri, vt videlicet cognoſcatis, quomodo omnia nobis diuina liberalitate conceſſa ſint. Malim ſimpliciùs ita accipere, vt hæc clauſula cum ſuperiori coniungatur. Gratia, inquit, & pax incrementa capiat, quoad Dei cognitio in vobis ſuis omnibus numeris abſoluatur, quæ quidẽ Dei cognitio docebit, quomodo omnia nobis diuina munificentia conceſſa ſint, vt cognitio Dei, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti nihil aliud hoc loco complectatur, quàm certam ſcientiam, & cognitionem eorum omnium, quæ nobis diuinitùs tributa ſunt.

k Pſal. 72. 19.
l in Pſ. 118. 97.
m Threnorũ 1. 1.

II. Oecumenius certè plures explanationes inſinuat, ſed ſemper hanc ſententiam cum ſuperioribus connectit. *Ordo*, inquit, *eſt. Gratia vobis, & pax, vtpote cum omnia, quæ ad vitam ſpectant, & pietatẽ in agnitione Dei, & Ieſu Domini noſtri diuina ipſius potentia, id eſt, per diuinam eius potentiam gratia hæc nobis donauerit, agnitionem eius, gloriam, virtutem, per quæ maxima promiſſa donata nobis ſunt, vt cùm à corruptione mũdana effugeritis, quæ ex cupiditate exiſtit, diuinæ naturæ participes efficiamini. Vel hoc modo. Vobis, qui in agnitione Dei, & Ieſu Domini noſtri æqualem nobiſcum fidem ſortiti eſtis per iuſtitiam Dei noſtri gratia, & pax multiplicetur. Vel ita. In agnitione Dei, & Ieſu Domini noſtri, quæ quidem agnitio per diuinam eius potentiam omnia, quæ ad vitam ſpectant, & pietatem donauit, per ipſam, inquam, agnitionem eius, qui nos vocauit per gloriam, & virtutem,*

per quam gloriam, & virtutem pretiosa, & maxima pro-
missa data sunt, vt diuinæ naturæ participes efficiamini, dũ
mundanæ concupiscentiæ corruptionem effugeritis, sed etiam
hoc ipsum, hoc est, in hoc ipsum studium omne conferentes,
subministrate in fide virtutem, in virtute autem cognitio-
nem. Omnino significare videtur Apostolus diuinam
Dei potentiam omnia nobis largitam esse, quæ ad vi-
tam, ac pietatem pertinent, cum nos ad sui agnitio-
nem per gloriam, ac virtutem vocauit, vt diuinam li-
beralitatem, ac munificentiam agnoscas. Nam vt ait
a cap.1.2. Iacobus [a]. *Omne datum optimum, & omne donum perfe-*
ctum de sursum est descendens à Patre luminum. Et Ec-
clesia Deum inuocat. *A quo bona cuncta procedunt.*

III. Interim Petrus gratam, diuinorũque beneficiorum
memorem postulat voluntatem, quæ Dei optimi ma-
ximi munificentiam, ac liberalitatem memoria com-
plectatur, ac libens prædicet. Nihil enim magis Dei
bonitatem ad iram, atque indignationem prouocat,
quàm si quis ea, quæ Dei munera sunt, sibi, suisque
viribus impudenter tribuat. Quò spectant illa, quæ
b lib.10.ep. scribit Ambrosius [b]. *Quanto excellentiùs in mandatis*
84. *Dei quisq; proficiunt, tanto maiores habẽt causas formidinis,*
& tremoris, ne de ipsis probitatis argumentis mens sibi bene
cõscia, & laudis auida in superbia rapiatur excessu, & fiat
immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Sed B.
Petrus in Epistola secunda contra hoc periculum nos præ-
muniis, si enim omnia, quæ ad vitam, & pietatem pertinent,
Deus nobis diuina sua virtute donauit, nihil magis fugien-
dum est, quàm appetitus huius concupiscentiæ, quæ virtu-
tem negat diuini operis amore propriæ dignitatis, & cum
aliæ cupiditates ea tantùm bona, quibus aduersantur, immi-
nuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrũpit.

IV. Id adeò Paulus Apostolus apertissimè indicauit,
c ep.1 c.4.7. cùm ad Corinthios [c] scribit. *Quid habes quod non acce-*
pisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?
d ep 89.q.2. Quæ verba expendens Augustinus [d]. *Id est*, inquit,
Simitha lib *quid gloriaris, quasi à te ipso habeas, quod si non accepisses,*
2.de peccat. *à te ipso habere non posses? Hoc autem dictum est, vt qui*
merit. & re- *gloriatur, non in se ipso sed in Domino glorietur, & qui non-*
miss.c.18. *dum habet vnde glorietur, non à se ipso speret, sed Domi-*
e lib 3. ad *num precetur.* Et paucis Cyprianus [e]. *In nullo gloriandum*
Quirin.c.4. *quando nostrum nihil est.* Rectè autem subdit Petrus,
Diuina virtutis suæ Græcè θείας δυνάμεως, quod ma-
gnificentiùs dicitur, quàm si simpliciter affirmaret
Deum omnia largitum esse. Indicat enim non libera-
litati modò, sed diuinæ etiam omnipotentiæ bona
omnia nostra accepta esse referenda.

V. Addit, *quæ ad vitam, & pietatem*, nam alioqui non
omnia omnibus largitus est Deus. Sunt enim pluri-
f 1. ad Cor. ma gratuita dona, quæ non omnibus concessa sunt,
12.4. quia vt ait Apostolus [f], *Diuisiones gratiarũ sunt, & di-*
uisiones ministrationum, & diuisiones operationũ. Et pau-
g vers. 8. lo [g] pòst. *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ,*
alij autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alte-
ri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatũ in vno spiritu,
alij operatio virtutũ, alij prophetia, alij discretio spirituum,
alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum: hæc au-
tem omnia operatur vnus, & idem spiritus diuidens singu-
h vers. 28. *lis prout vult.* Et post nonnulla [h]. *Quosdam quidem*, in-
quit, *posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundò*
Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias
curationũ, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.
Mox subdit. *Numquid omnes Apostoli, numquid omnes*
Prophetæ, numquid omnes Doctores, &c. indicans hæc
Dei beneficia quibusdam dumtaxat priuatim conce-
di, non autem omnibus esse communia.

VI. Cæterùm ea, quæ ad vitam pertinent, communia
i Act.17.24. sunt omnibus. Quocirca Paulus disserens [i] in Areo-
pago. *Deus*, ioquit, *qui fecit mundum, & omnia, quæ in*
eo sunt, hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in ma-
nufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur in-
A *digens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspiratio-*
nem, & omnia. Et aliquanto pòst [a]. *In ipso enim viui-* a vers.28.
mus, mouemur, & sumus. Et Christus ipse apud Mat-
thæum [b]. *Solem suum*, ait, *oriri facit super bonos, & ma-* b cap.5.45.
los, & pluit super iustos, & iniustos. Ad quem locum al-
ludens Leo Pontifex [c]. *Omnes*, inquit, *ad sui cognitio-* c Serm. 8. de
nem generalibus incitans donis pluit super iustos, & iniu- Epipha. c. 3.
stos, & solẽ suum oriri facit super bonos, & malos. Eodem-
que modo Ambrosius [d]. *Latè patet benignitas Dei, su-* d lib. 5. in
per ingratos pluit, malis fœcunda non negat terra prouen- Luc.
tus, idem mundi sol sacrilegos, religiososq; pariter illuminat.

In hanc autem sententiam mira quædam scribit VII.
Seneca [e], ex quo hæc pauca quædam exscribere non e lib. 4. de
grauabor. *Ingens tibi domicilium sine vllo incendio, aut* benef.c.5.6.
ruinæ motu struxit, in quo vides non tenues crustas, & ipsa, 7.
B *quæ secantur lamina graciliores, & integras lapidis pretio-*
sissimi moles, sed totas variæ, distinctæq; materiæ, cuius tu
paruula frusta miraris. Tectum verò aliter nocte, aliter
interdiu fulgens, negas te vllum munus accepisse? Et cum
ista, quæ habes, magno æstimes, quod est ingrati homi-
nis nulli debere te iudicas? Vnde tibi, istum, quem trahis,
spiritum? Vnde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis,
atque ordinas lucem? Vnde sanguinem, cuius cursu vitalis
cõtinetur calor? Vnde ista saporibus exquisitis vltra satieta-
tem lacessentia? Vnde hæc irritamenta iam laxa volupta-
tis? Vnde ista quies, in qua putrescis, ac marces? Nõnne si
gratus es, dices:

——Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus;
C *Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum*
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

Aliquanto autem pòst etiam ea, quæ arte constãt Dei
beneficia esse docet. *Ille*, inquit, *Deus est, qui tot artes, tot*
vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo
cantus edituros commentus est. Neque enim nostra ista, quæ
inuenimus dixeris non magis quàm quòd crescimus, quam
quòd ad constitutum tempus sua corpori officia respondẽt. Et
plura deinceps, quæ nimis lõgum esset cõmemorare.

Iam verò de iis, quæ ad pietatem spectant res est VIII.
planè certa, cum nihil in hoc genere humana possit
imbecillitas, nisi cœlestis gratiæ præsidio subleuetur.
Vetè namque Concilij Aphricani Patres, vt scribit
Prosper [f] in hunc modum definierunt. *Gratiam Dei* f in Resp ad
per Iesum Christum Dominum non solum ad cognoscẽdam, 8. caput Gal-
D *verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos* lorum.
adiuuare: Ita vt sine illa nihil veræ, sanctæq; pietatis habere,
cogitare, dicere, agere valeamus. Quibus accinũt ea, quæ
in Concilio secũdo Arausicano [g] decreta sunt. *Si quis*, g Can.6.
inquiunt, *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderã-*
tibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non
autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut
oportet agere valeamus per infusionem, & inspirationem
sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, &c. resistit Apostolo
dicenti. Quid habes quod non accepisti? Multo autẽ aper-
tiùs paulo [h] pòst. *Si quis per naturæ vigorem bonum ali-* h Can.7.
quod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, vt ex-
pedit, aut eligere, siue saluari, id est, Euãgelicæ aut prædica-
tionẽ consentire posse confirmat absq; illuminatione, & inspi-
ratione Spiritus sancti, qui dat omnibus, suauitatem in con-
E *sentiendo, & credẽdo veritatẽ, hæretico fallitur Spiritu non*
intelligens vocem Dei in Euangelio [i] dicentis Sine me nihil i Ioan.15.
potestis facere. Et illud Apostoli. Non quod idonei simus
cogitare aliquid à nobis, &c. Denique [k]. *Hoc Deo propi-* k Can.25.
tiante prædicare debemus, & credere quòd per peccatũ pri-
mi hominis ita inclinatũ, & attenuatum fuerit liberum ar-
bitrium, vt nullus postea aut diligere Deum, vt oportet, aut
credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonũ est,
possit: nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenerit.

Concilium [l] autẽ Tridentinum dum de nostræ iu- IX.
stificationis exordio disserit, præcurrentẽ gratiã adeò l Sess.6.c.5.
necessa

neceſſariam eſſe docet, *vt abſque illa liberum arbitrium mouere ſe ad Iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate non queat*. Paulò autem pòſt, *Si quis*, inquit, *dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Extant autem in eandem ſententiam plurima Auguſtini [a] teſtimonia, ſic enim ille alicubi loquitur.

a li. de grat. Christi c.27.

X. *Gratiam Dei, qua caritas diffunditur in cordibus noſtris, ſic confiteatur qui vult veraciter confiteri, vt omninò nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque iuſtitiam fieri poſſe non dubitet.* Alibi [b] verò, *Quod ergo pertinet ad Religionem, atque pietatem, de qua loquitur Apoſtolus, ſi non ſumus ſufficientes cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, profectò non ſumus idonei credere.* De qua fide alibi [c], *Hanc fidem*, inquit, *intelligite, vt nec negetis Dei gratiam, nec liberum arbitrium ſic defendatis, vt à Dei gratia ſeparetis tanquam ſine illa vel cogitare aliquid, vel agere ſecundum Deum vlla ratione poſſimus.* Addo, & illa [d], *Quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Denique [e] ne omnia perſequar, *Sine illo*, ait, *vel operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus ad bona pietatis opera nihil valemus.*

b li. de prædeſtinat. SS. ſanctor. c.2.
c ep.146.
d li. de bono perſeu. c.16.
e li. de grat. & lib. Arb. c. 17.

X I. His addenda ſunt, quæ ſcribit Auctor [f] Hypognoſticon, *Eſſe*, inquit, *fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere.* Et poſt [g] multa, *Eſt liberum arbitrium in homine, quod quiſquis eſſe negauerit, catholicus non eſt. & quiſquis ſic eſſe dixerit, quòd ſine Deo bonum opus, id eſt, quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſſit, catholicus eſt.*

f li.3.c.4.
g cap.50.

XII. Poſtremo Auctor [h] de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui putatur Gennadius, *Si quis dixerit*, inquit, *per Naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, vt expedit, aut eligere. ſiue ſaluari, id eſt, Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat abſque illuminatione, aut inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & in credendo veritatem hæretico fallitur Spiritu*, &c. quæ ſunt ipſa verba, quæ Concilij Arauſicani Patres vſurparunt. Hæc autem tam copioſè recenſui, vt appareat, quid hoc loco dixerit Petrus, cùm ait, *quæ ad vitam, & pietatem pertinent*, diuinitus nobis eſſe conceſſa, ſunt enim omnia diuinæ potentiæ ac liberalitatis beneficia, ſiue quę ad Naturam, ſiue quæ ad gratiam referuntur, ſed aliter tamen, atque aliter, vt copioſius in ſcholis Theologi tradunt.

h cap.44.

XIII. Sed cur addit Petrus, *Per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute?* An ea etiam, quæ naturæ bona ſunt à diuina vocatione pendent, qua ad Chriſti fidem, ac religionem vocati ſumus? At multa, quæ ad naturam ſpectant conceſſa ſunt iis, qui nefario idolorum cultu, aut hæreſeos prauitate contaminantur? Sed nimirum cœleſtis hæc doctrina fidelium mẽtibus diuinitus indita perſpicuè docet, quicquid ſiue ad naturam, ſiue ad gratiam ſpectet Dei eſſe beneficium, vt videatur Apoſtolus ad id reſpexiſſe, quod paulo ante dixerat, *Vt gratia, & pax impleatur in cognitione Dei*, per quam probè intelligimus omnia in nos Dei collata beneficia, eorúmque rationem diſtinguimus, nam quæ ad pietatem, & gratiam ſpectant, ea procul dubio vi diuinæ vocationis, nobis conceſſa ſunt, quæ verò ad vitam, ſeu naturam pertinent non item, niſi fortè perpaucis nonnihil tributum eſt, quod ad vitam vel confirmandam, vel tuendam, & conſeruandam referatur.

XIV. Vocaſſe autem ait, *per gloriam, & virtutem ſuam*, innocens fideles Chriſto nomina dediſſe, quod ſanctitatem Chriſti (eſt enim Græcè ἀρετή) & miraculorum magnitudinem agnouerunt, quæ ipſius diuinitatis, ac maieſtatis fidem faciebant, niſi quis malit, quòd Gręcę eloquutionis ratio patitur, Petrum indicare voluiſſe hanc noſtram vocationem eò referri, vt Dei gloria, & ſanctitas illuſtretur, quod tum maximè fit, cum plurimi Chriſtianam Religionem complectuntur. Hac nimirum ratione Chriſti gloria eluceſcit, quam Chriſtus petebat à Patre, cùm apud Ioannem [a] diceret, *Pater clarifica nomen tuum*; cui Pater reſpondit, *Et clarificaui, & iterum clarificabo*. De qua gloria ipſo interprete Ioanne [b] locutus eſt Iſaias [c], cùm ſe vidiſſe Dominum teſtatur ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Eadémque ratione Chriſti virtus, ac ſanctitas magis, ac magis illuceſcit, & apud varias gentes, ac nationes celebratur, idque vnum ſpectaſſe videtur Deus, cùm nos ad fidem, & Catholicam Religionem vocauit. Intelligit autem vocationem, non modò externam, ſed etiam internam, communem tamen, non autem eam, quæ eſt electorum propria, cùm non facilè dicturus eſſet Apoſtolus fideles omnes eſſe electos, & prædeſtinatos, qui probè noſſet, non ſemel dictum eſſe à Chriſto, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

a cap.12.28.
b cap.12.41
c cap.6.1.

Itaque de ea vocatione loquitur, de qua ſcribit Auguſtinus [d], *Ad illam enim Cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur; itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi. quoniam, vt venirent vocati erant in libera voluntate.* Et alibi [e] duas apertè diſtinguit vocationes, *Vocat enim*, inquit, *Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui, non ea vocatione, qua vocati ſunt, qui noluerunt [f] venire ad nuptias, illa quippe vocatione, & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, & Gentes, quibus crucifixus ſtultitia eſt. Sed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens: Ipſis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* XV.

d li.83. quæſtionũ q. 68.
e de prædeſt. Sanctor. c.16
f Luc. 14.18.

Vocationem igitur omnium fidelium hoc loco accipio, quæ tam prædeſtinatis, quàm reprobis communis eſt. Nec mirum eſt ſe etiam eadem vocatione comprehendere Petrum, qui proculdubio erat è numero prædeſtinatorum; Eſt autem hæc vocatio diuinum planè beneficium, quapropter Auguſtinus [g], *Vocatio ergo*, inquit, *ante meritum voluntatem operatur, propterea, & ſi quiſquam ſibi tribuit, quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere, quòd vocatus eſt, qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmij, vt vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicij, cum vocatus venire neglexerit.* XVI.

g li.83. qq. q. 68.

4\. *Per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ fugientes eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.*]

Græci Codices, qui nunc habentur in manibus conſtanter habent δι᾽ ὧν, hoc eſt, per quæ, quaſi referatur ad gloriam, & virtutem, quorum reſpectu Deus immortalis magna, & pretioſa promiſſa repręſentarit. Vulgatus autem Interpres legiſſe videtur δι᾽ οὗ, id eſt, per quem, quaſi de Chriſto accipiat; quomodo totum hunc locum intellexiſſe videtur Athanaſius [h] diſputans contra Arrianos; Ambroſius [i], Beda [k], & alij legant *per quam*, vt de vocatione intelligere videantur, à qua, vt ait Chryſoſtomus, bona omnia I.

h or.2. con. Arrian.
i li.10 ep. 8.
k in hunc locum.

omnia oriuntur; vel certè de gloria, & virtute Christi, vt insinuare videtur Ambrosius. Romana editio habet *per quem*, vt necessariò de Christo loqui videatur Apostolus, qui, vt supra dixi, est bonorum omnium fons, atque origo, per quem omnia, quæ olim diuinitus promissa erãt, reipsa exhibita, ac repræsentata sunt,

a Rom. 10. 4
b cap. 5. 18.

qui hanc ob causam dicitur à Paulo [a], *finis legis ad iustitiam omni credenti*. Quique de se ipse apud Matthæũ [b] dixit, *Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

c li. 17. cont. Faust. c. 5. & 6. li. 19. c. 7. 8. 9. 10. 13. & 22. q. 166. in Exod.
Conc. 27. in Ps. 118. Auctor qq. vet. ac nou. Test. q. 69.
d Matt. 5.

II. De qua Christi sententia multa scribit Augustinus. [c] Et profectò hæc vulgata lectio retinenda videtur, quandoquidem Christus Dominus suo ad nos aduentu Prophetarum vaticinia euidentissimè comprobauit, & veteris legis vmbris, ac figuris rei veritatem substituit, qua de re optimè Euthymius [d], *Videamus*, inquit, *quomodo legem impleuerit, ac Prophetas, Prophetas quidem complens omnibus, quæ de ipso scripserunt Prophetæ opere completis, nam ob id quoque frequenter addiderunt Euangelistæ, vt impleretur, quod dictum est per Prophetam. Legem autem vno quodammodo complens, nihil transgrediendo eorum, quæ lex iusserat; dixerat enim prius ad Ioannem. Sic decet nos complere omnem iustitiam. Alio autem modo addens ipsis, quæ prætermissa erant, quod etiam hic magis congruum est intelligere. Cum enim lex peccatorum fines prohibeat, Christus principia quoque vetuit. Siquidem cædes fructus est peccati, radix autem eius est ira, nisi verò quis radicem abstulerit, quandoque tandem fructum producet. Patet igitur mancum fuisse præceptum, quod solum occidere vetabat, hoc autem Christus complens præcipiens non irasci, quod in aliis præceptis procedendo licebit inuenire.*

C

e Matt. 5.
f serm. 6. de ieiunio decimi mensis.

III. Penè eadem scribit Theophylactus. [e] Elegantissimè verò more suo hac de re disserit Leo [f] Pontifex, *Cessantibus enim*, inquit, *significationibus, quibus Saluatoris nostri nunciabatur aduentus, & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea, quæ ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseuerant, & quæ vtrique testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata.* Et in eandem sententiam alibi [g],

g ser. 7. de ieiunio septimi mens. c. 2.

Apostolica, inquit, *institutio dilectissimi, quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, sed adimpleret, ita veteris Testamenti decreta distinxit, vt quædam ex eis sicut erant condita Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ fierent obseruantiæ Christianæ.*

D

h Matt. 5.

Optimè verò Hieronymus [h] Christum, ait, legem complesse, *siue quòd de se per alios prophetata compleuerit, siue quod ea, quæ antea propter infirmitatem audientium rudia, & imperfecta fuerant, sua prædicatione compleuerit, iram tollens, & vicem talionis excludens, & occultam in mente concupiscentiam damnans.* Meritò igitur ait Petrus per Christum maxima, & pretiosa promissa fuisse concessa.

i li. 4. c. 67.

IV. Neque enim inficiari quisquam potest suo ad nos aduentu Christũ Dominũ cœlestia quædã, ac diuina bona attulisse, vt egregiè explicat Irenæus [i], *Si autem*, inquit, *subit vos huiusmodi sensus, vt dicatis; quid igitur noui Dominus attulit veniens? cognoscite quoniam omnem nouitatem seipsum afferens, qui fuerat annunciatus, hoc enim ipsum prædicabatur, quoniam nouitas veniet innouatura, & viuificatura hominem.* Videtur autem allusisse

k cap. 43. 18.

E

Irenæus ad Isaiæ [k] verba, *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea.*

V. Mox verò illustri similitudine rem magis declarat, *Regis enim*, inquit, *aduentus ab his quidem, qui mittuntur seruis prænunciatur propter apparatum, & expeditionem*

A

eorũ, qui incipient suscipere suũ Dominũ. Cùm autem venit Rex, & illa prænũciato gaudio adimpleti sunt, qui sunt subiecti, & perceperunt eam, quæ est ab eo, libertatem, & participant visionem eius, & audierunt sermones eius, & fruiti sunt muneribus ab eo, non iam requiretur, quid noui attulit Rex super eos qui annunciauerunt aduentum eius: apud eos videlicet, qui sensum habent. Semetipsum enim attulit, & ea, quæ prædicta sunt bona, in quæ concupiscebant Angeli intendere, & donauit hominibus. Cumque deinceps attulisset verba Christi, quibus se negauit legem soluere, aut Prophetas, subdit, *Omnia enim ipse adimpleuit veniens, & adhuc implet in Ecclesia vsque consummationem à lege prædictum nouum Testamentum. Quemadmodum, & Paulus Apostolus eius ait in ea, quæ est ad Romanos. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est testificata à lege, & Prophetis.*

B

VI. Promissa autem Græcè dixit ἐπηγγελμένα, quæ gratuitò, ac liberaliter Deus pollicitus erat, qualia erant omnia, quæ ad Christum venturum pertinebant: vocat autem maxima, & pretiosa, quia Christo nihil pretiosius, aut maius propter ipsius diuinam hypostasim excogitari potest. Idcirco hic ipse Petrus [a]

a ep. 1. c. 1. 18.

Christi sanguinem pretiosum vocat, *Non corruptibilibus*, inquit, *auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.* Tanti enim apud Deum fuit, vt omnibus electis gratiam, & gloriam iusto persoluto pretio comparauerit, & miram quandam vim X Sacramentis diuinitus institutis largitus sit, quæ iustitiam, & salutem affert, vt enim ait Tertullianus [b],

b li. de resur. car. c. 8.

C *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur, caro signatur, vt anima muniatur, caro manuum impositione adumbratur, vt & anima. Spiritu illuminetur, caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.*

c li. 19. cont. Faust. c. 18.

VII. Hæc igitur, atque his similia sunt magna, & pretiosa dona, quæ attulit Christus. Quocirca rectè ait Augustinus [c] legis veteris cæremonias, & Sacramenta cessasse, quia cum nihil præter Christi venturi promissionem continerent, eo præsente nullum erant vsum habitura, *Propterea*, inquit, *potius reperiuntur non obseruari à Christianis, quòd ea Christus impleuerit. Ipsa quippe talium figurarum obseruatio prænunciatio Christi fuit. Vnde quid mirum est, quid absurdum, imò quid non congruum, & consentaneum, si post eius cessarit aduentum,*

D *quicquid ideo fiebat, vt eius prænuntiaret aduentum? figura igitur rerum, quæ ad hoc obseruabantur, vt ipsa earum obseruatione venturus Christus prophetaretur, vsque adeo non debent propterea putari per Christi aduentum non impleta, quia illo veniente non obseruantur, vt nisi iam per aduentum Christi implerentur, adhuc obseruarentur.*

d cap. 13.

VIII. Et post nonnulla [d], *Proinde prima Sacramenta, quæ obseruabantur, & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Christi venturi, quæ cum suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta: nõ enim venit soluere legem, sed adimplere, & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Ita apparet verissimas fuisse olim diuinas pollicitationes, de quibus Deus ipse apud Dauidem [e],

e Ps. 88. 35.
f ad Rom. 4.

E *Quæ procedunt*, inquit, *de labiis meis, non faciam irrita.* Sapienterque dixisse Apostolum [f], posse Deum facilè præstare quæcumque pollicitus est.

IX. *Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Græcè, θείας κοινωνοὶ φύσεως. An eiusdem diuinæ naturæ participes; & planè, vt Græci loquuntur ὁμοούσιοι? Caue putes, est enim hæc extrinseca participatio perceptæ gratiæ, & caritatis forma, qua cùm Deo immortali amicitiam inimus, & societatem, ac spiritalem quandam cognationem contrahimus. Ita enim loquitur Ioannes [g], *Societas nostra sit cum Patre,*

g ep. 1. c. 1. 3.

& cum

a ep. 1. c. 3. 5. b cap. 3. 0.

A *& cum Filio eius Iesu Christo*, Idémque alibi [a]. *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Et mox [b]. *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus; scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus.* Nunc enim rudi quadam, atque inchoata similitudine diuinam naturam exprimimus, quæ tum perficietur, quantùm creatæ naturæ fas est, cùm beatam immortalitatem, & perspicuam Dei contemplationem assequemur; *Cùm Christus apparuerit*, ait Paulus [c], *vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

c ad Colos- senses 3.

X. Cùm igitur ait Petrus. *Vt efficiamini diuinæ consortes naturæ*, Id potissimum ait fieri Athanasius [d], cùm in Baptismo consignamur à Spiritu sancto. B *Ita porrò*, ait, *consignati meritò consortes efficimur diuinæ naturæ, vt Petrus dixit.* Alibi verò [e] nos ait Christi, hoc est, Filij ita fieri participes, vt Dei etiam participes simus. Quanti autem hoc beneficium faciendum sit, docet Ambrosius [f]. *Quid illa*, inquit, *attexam, quòd hominem Deus diuinæ fecit consortem naturæ, sicut in Epistola Petri legimus? Vnde non immeritò quidam ait. Cuius & genus sumus; dedit enim nobis de cognatione sua rationabilis scilicet naturæ, vt quæramus illud diuinum, quod non longè est ab vnoquoque nostrùm, in quo & viuimus, & sumus, & mouemur.* Quò etiam respexisse videtur [g] Leo Pontifex. *Agnosce*, inquit, *ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.*

d ep. ad Serapion. e orat. 2. con. Arian. f lib. 6. ep. 38. g ser. 1. de Nat. 3.

XI. Sed hic quidem ideo nos diuinæ naturæ consortes C effectos esse indicat, quòd vi vnionis hypostaticæ humana natura diuinæ Christi personæ coniuncta est. Eamdémque sententiam sequitur hoc loco Oecumenius, sic enim ait, *Diuinæ verò naturæ participes ex Domini, & Dei aduentu effecti sumus, cùm ipse naturæ nostræ primitias in se assumpserit, & assumendo sanctificauerit. Nam si primitiæ sanctæ sunt massa quoque ipsa sancta est.* Ambrosius verò naturæ nostræ conditionem spectauit, quæ cùm sit particeps rationis ad diuinam naturam quodam modo accedit. At meliùs Athanasius hanc diuinæ naturæ participationem ad Spiritus sancti gratiam refert, quam vi Baptismi, aliorúmque Sacramentorum percipimus. Quo fit, vt fideles Spiritus sancti templum nuncupentur. Cyrillus [h] autem Hierosolymitanus de Eucharistiæ Sacramento D potissimum explicat. *Quare*, inquit, *omni cum certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus. nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, vt sumpto corpore, & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis, & sanguinis* χριστοφόροι γινόμεθα, *sic Christophori erimus hoc est, Christum ferentes, cum eius corpus, & sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita vt Beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiemur.*

h Catech. Mystag. 4

XII. Quamquam autem hæc verè dicuntur omnia, & verbis per se spectatis satis accommodatè: suspicor tamen Petrum de beata, immortalíque vita potissimum loqui, quasi dicat, quæ olim diuinitus promissa erant Christus Dominus cumulatissimè repræsentauit, vt vos cælestis, diuinæque beatitudinis aliquando participes efficiamini. Tunc enim beatorum E animi diuino gloriæ lumine perfusi, & corporis immortalitatem adepti eximiam quamdam, planéque diuinam dignitatem assequentur, ac diuinorum bonorum participes fient. Quò spectant illa [i] interprete Augustino [k]. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Quo honore* (ait Augustinus) *nisi vt sit cum Filio eius? quod enim superiùs ait. Vbi ego sum, illic & minister meus erit, hoc intelligitur expressisse, cùm dicit, Honorificabit eum Pater meus. Nam quem maiorem honorē accipere poterit adoptatus, quàm vt sit vbi est vnicus, non æqualis factus diuinitati, sed consociatus æternitati?*

i Io. 12. 26. k Tract. 51. in Ioan.

XIII. A Quocirca ait Petrus. *Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*, hoc est, eiusdem beatitudinis participes. Quemadmodum enim Deus Optimus Maximus se ipso beatur, ita iustorū felicitas, ac beatitudo non nisi in vnius Dei contemplatione posita est Quæ sanè contemplatio nihil est aliud, nisi quædam diuinitatis participatio pro ratione, & qualitate luminis gloriæ. Quam ob causam Beati dicuntur comprehensores, quia diuinam naturam mente animóque comprehendunt: non quòd eius amplitudinem, atque immensitatem exhauriant (quod Dei solius est proprium) sed quòd eam, vt est in se ipsa attingant, ipsáque penitus complectantur.

XIV. B Quod si magnus Athanasius [a] vi vnionis hypostaticæ dixit nos quodam modo diuinitatem induere, & beatam vitam adipisci, id multò profectò veriùs de beatæ vitæ possessione affirmare possumus. Sic autem ille loquitur. *Vt enim Dominus induto corpore factus est homo, ita & nos homines ex verbo Dei deificamur (Græcè* θεοποιούμεθα*) eò quòd illud receptum sit in carne, & iam inde vitam æternam adipiscamur.* Neque aliter accipio quod alicubi scripsit Gregorius [b] Nazianzenus. *Animal hic variè gubernatum* (de homine proculdubio loquitur) *atque aliò demigrans, & quod mysterij extremum est, animi ad Deum nutu, ac propensione diuinitatem consequens; eò enim mihi veritatis splendor ille, quem hic exiguè haurimus, tendit, vt Dei claritatem videam, & sentiam dignam eo, qui hæc constrinxit, & dissoluet, ac rursus excellentius, sublimiúsque* C *constringet.*

a orat. 4. con. Arian. b orat. 42.

XV. Quo loco Nycetas, *Deificatio*, ait, *omnis actionis, & contemplationis est terminus.* Deificationis enim nomine beatam contemplationem intelligit. Consortem igitur fieri diuinæ naturæ est quodammodo deificari & ad diuinam illam naturam, quoad eius fieri possit quàm proximè accedere. Quod tunc potissimum fiet, cùm ad perspicuam Dei contemplationem beati prouehentur. Est autem ea contemplatio supremus Christiani hominis finis, quo Christi ad nos aduentus, eiúsque omnia merita referuntur. Neque his contentus Apostolus, qua id ratione consequi possimus, his verbis docet.

XVI. *Fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corru-* D *ptionem.* Necesse est enim sordidas, atque impuras cupiditates edomare, ac rationi penitus subijcere, vt vitæ innocentia, morúmque integritas retineatur, quæ ad beatam vitam capessendam est omnino necessaria. Atque idcirco ait eas cupiditates repudiandas esse, quæ sunt in mundo, quæque ad interitum ducunt. Græca autem vox φθορά, quæ corruptionem significat, referri potissimum videtur ad impuras, ac nefarias cupiditates. Quò etiam opinor spectauit Ioannes [c], cùm dixit. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Quicquid enim est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

c ep. 1. c. 2.

XVII. Ij porrò qui his cupiditatibus indulgent describuntur à Paulo [d] his planè verbis. *Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* quibus confestim opponit. E *Vestra autem conuersatio in cœlis est.* Rectè verò Petrus in mundo ait esse hanc voluptatis cupiditatem, hoc est, inter fideles, cùm longissimè abesse debeat à cœtu fidelium, vt alicubi docet Tertullianus [e]. *Per suauitatem*, inquit *saginentur eiusmodi dulcibus conuiuæ sui, & loca, & tempora, & inuitator ipsorum est; nostra cœna, nostræ nuptiæ nondum sunt, non possumus cū illis discumbere, quia nec illi nobiscum. Vicibus disposita res est, nunc illi lætantur, nos conflictamur. sæculum, inquit, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo, dum mendici gaudent, vt cùm lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter*

d ad Philip. 3. 19. e lib. de spectaculis ca. 28.

nunc

nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es Christiane, si & in sæculo voluptatem concupiscis, imò nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Philosophi quidem hoc nomen quieti, & tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea auocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi metas, & scenas, & puluerem, & arenas suspiras, dicas velim, non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod & Apostoli, exire de sæculo, & recipi apud Dominum? hæc voluptas, vbi & votum.

XVIII. Mox [a] verò Christianas voluptates & oblectamenta recenset, additque, *Quæ maior voluptas, quam fastidiũ ipsius voluptatis, quàm sæculi totius contemptus, quàm vera libertas, quàm conscientia integra, quàm vita sufficiens, quàm mortis timor nullus, quod calcas Deos nationum, quod Dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod reuelationes petis, quod Deo viuis?* In eandem autem sen-

a cap. 29.

b lib. 6. c. 20. tentiam eleganter disserit Lactantius [b], *Deus, inquit, idcirco virtutem dedit, vt vinceres voluptatem, eamque egredientem fines sibi datos intra præscriptum coërceret, ne hominem suauitatibus delinitum, & captum ditioni suæ subiiceret, ac sempiterna morte mulctaret.*

B

XIX. Quamquam hi de ea tantummodo voluptate loqui videntur, quæ ad spectacula, & oculorum oblectationem refertur. Multò latiùs patent illa, quæ alicubi scribit Athanasius [c], quæ alibi [d] ad verbũ commemoraui. Et profectò sic mihi persuadeo hãc Apostoli sententiam de omni quidem voluptate accipiendam esse, sed præcipuè tamen fœdam, & impuram detestari, atque damnare, quæ meritò Græcè dicitur σωματικὴ ἡδονή, hæc est enim, quæ mentis, intelligentiæque vim non obtundit modò, sed etiam deprauat, & corrumpit, & corpus ipsum non mediocriter lædit, *Egregie namque dixit* Leo [e] Pontifex, *Fugiantur noxiæ voluptates inimica gaudia, & desideria vana, tamque peritura. Quis fructus est, quæve vtilitas ea indesinenter cupere, quæ etiamsi non deserant, deserenda sunt? Amor rerum desinentium ad incorruptibilia transferatur, & ad sublimia vocatus animus cœlestibus delectetur.*

c li. de virg.
d ad Phil. 3. 18.

C

e serm. 5. de Epiph. c. 4.

XX. Iure autem optimo has impuras cupiditates fugiendas monet Apostolus, cùm Christianæ militiæ magnopere aduersentur, vt idem Leo [f] Pontifex alibi docet, *Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna prælectos peritura nõ occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, & ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, vt peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter.* Illicò verò allatis huius Apostoli [g] verbis, *Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Subnectit, *Cui autem nisi Diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis sedibus, de quibus ille excidit, gaudet abducere?*

f serm. 2. de Ascen. D. Domin. c. 5.

g ep. 1. c. 2. 11

D

XXI. Falluntur igitur, & toto, quod aiunt, cœlo errant illi, quidum suis omnibus cupiditatibus obtemperant, ac voluptatis cœno miserè voluntantur, nihilo tamen secius se Dei filios, & Christi cohæredes in cœlesti beatorum sede fore se aliquando non dubitant. Meminerint itaque verè monuisse Paulum [h] eos, qui Christi sunt, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifixisse. Reuocent item in mentem, quæ alicubi monet Leo Pontifex [i], *Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen, & regnum, per baptismatis Sacramentum Spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subiicere seruituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, qui misericordia te redemit.*

h ad Gal. 5. 24.

i ser. 1. de natiuit. in fine.

E

A 5. *Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam.*]

I. Oecumenius hæc cum superioribus ita coniungit, *Sensus autem, inquit, est huiusmodi. Cum innumerabilia dona acceperimus ex aduentu Christi, quibus & diuinæ naturæ fieri participes possumus, & ad vitam, & pietatem attolli, ita nos gerere debemus, vt fides virtutem subministremus, ac per virtutem ad pietatis profectum progrediamur, quoad in perfectum omnium bonorum deuenerimus.* Aggreditur autem hoc loco Apostolus miram quandam gradationem, cui vix similem in vniuersa Scriptura reperias, tametsi ea figura tum à Prophetis, tum etiam ab Euangelistis interdum vsurpatur. Eo autem hæc omnis oratio refertur, vt moneat nos Petrus, quod alicubi docuit Paulus [a], *Ne quis desit gratiæ Dei.*

a ad Heb. 12. c. 15.

B

II. Tametsi enim, vt paulo antè dixi, bona omnia à Deo proficiscuntur, non tamen oscitantibus, & otiosis diuinæ gratiæ opitulatio prodest. Verè namque scripsit Augustinus [b], cum de edomanda praua cupiditate dissereret. *Non ideo tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur adnitendo etiam nostra efficacia voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatémque non condidit salutem nostram Deus operatur in nobis.* Et alibi [c] explicans verba illa Ioannis. *Omnis, qui habet spem hanc in ipso, castificat se ipsum, sicut & ipse castus est. Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceret, castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? sed Deus te nolentem non castificat, ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas te ipsum, castificas te non de te, sed de illo, qui venit, vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum est, ideo autem tibi tributum est, vt dicas sicut in Psalmo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis adiutor meus esto, aliquid agis, nam si nihil agis quomodo ille adiuuat?*

b lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 5

c Tract. 4 in ep. Ioã. c. 3

C

III. Et in eandem sententiam Auctor [d] libri, qui scala Paradisi inscribitur, qui tribuitur D. Augustino, & D. Bernardo, cum verè neutrius esse videatur, *Cooperatores quidem*, loquit, *Dei sumus, sicut dicit Apostolus, vult siquidem Deus, vt eum oremus, & vt ei aduenienti, & præstolanti ad ostium aperiamus sinum voluntatis nostræ, & ei consentiamus.* Et quoniam hoc cœpimus agere, placet alia quædam Augustini verba subiicere, cùm enim alicubi [e] quæreret, vtrum fides esset in nostra potestate, potestatem definit, *vbi voluntati adiacet facultas faciendi*, & mox colligit, *Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur quòd si vult, facit, si non vult, non facit.* Paulò autem post subdit, *Vide nunc vtrum quisquam credat si noluerit, aut non credat, si voluerit, quod si absurdum est, quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem vtique volentis est, profectò fides in potestate est.*

d cap. 10. inter opera Aug. tom. 9.

e li. de Spiritu, & litera c. 31.

D

IV. Post nonnulla [f] verò ostendit, quomodo diuinæ gratiæ humana voluntas assensum præbeat, *Visorum, inquit, suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siue extrinsecus vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat. Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non in-*

f cap. 34.

E

f-mat

firmat quod dictum est. Quid enim habes, quod non accepisti? verum etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei est, accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis est.

V. Bene autem habet, quòd liberi arbitrij [a] hostes fateantur, hoc loco moneri nos à Petro, *Ne gratiæ Dei desimus, neque enim trunci, aut stipites sumus, sed oportet nos vicissim omnem diligentiam afferre.* Qui etiam alibi [b] affirmant nos primæ gratiæ συνεργεῖν, addúntque qui id neget, primæ gratiæ efficacitatem negare. Hoc igitur est, quod ait Petrus, *Curam omnem subinferentes*, Græcè σπουδὴν, quasi dicat studium, sollicitudinem, sedulitatem, conatum, quod non ita multo post apertius, planiúsque docebit. Pro eo verò, quod Latinè dixit Interpres, *subinferentes*, Græcè scripsit Apostolus παρεισενέγκαντες, quasi dicat, ad diuina munera, ac beneficia accepta addite præterea de vestro studium, ac onsum, hoc enim potissimum interest inter humanas actiones, & lapidũ, aut stipitum motus, quæ enim ratione, ac libertate carent agi, atque impelli dicuntur. Homines verò ita aguntur, vt etiam ipsi non nihil agant, *Agis*, inquit Augustinus [c], *si ageris, & bene agis, si à bono ageris*. Et post non nulla, *Non sunt filij Dei si non aguntur spiritu Dei, si autem spiritu Dei aguntur, pugnant quia magnum habent adiutorem*. Et alibi [d], *Aguntur*, inquit, *vt agant, non vt ipsi nihil agant.*

a Beza.
b li. 1. qq. & respons. ad Ioachim. Camerar.
c ser. 43. de verb. Dom. c. 7.
d li. de cor. & gra. c. 2.

VI. Idem possis etiã in altera Græca voce ἐπιχορηγήσατε obseruare, significat enim, insuper suppeditate, præterea suggerite, adijcite, quæ omnia indicant liberæ voluntatis conatum, & vim aliquam effectricem liberi arbitrij, hæc enim duo coniungenda esse docuit Augustinus [e], nam cùm ageret de Philisthæis, & Arabibus allatis Scripturæ [f] verbis, *Suscitauit, inquit, Dominus super Ioram spiritum Philisthim, & Arabum, qui finitimi erant Æthiopibus, & ascenderunt in terram Iuda, & dissipauerunt eam, & ceperunt omnem substantiam, quæ in domo Regis inuenta est*. Tum subdit, *Hic ostenditur Deum suscitare hostes ad terris vastandis, quas tali pœna indicat dignas. Nunquid tamen Philisthiim, & Arabes in terram Iudeam dissipandam sine sua voluntate venerunt, aut sic venerunt sua voluntate, vt mendaciter scriptum sit, quòd Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitauit? Immò vtrumque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitauit. Quod etiam sic dici potest, & eorum spiritum Dominus suscitauit, & tamen sua voluntate venerunt. Agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò iniustè aliquid velle non nouit.* Verùm hac de re alibi [g] plura dixi.

e li. de grat. & lib. arb. c. 21.
f li. 2. Paral. c. 21.
g ad Rom. 8. 14.

VII. Subdit Apostolus *In fide vestra virtutem*. Indicans quid suppeditandũ sit. Et fides quidẽ, vt paulo antè ex Augustino docui humanæ voluntatis functio est, ita tamen, vt præcipuum sit Dei munus, quod copiosissimè probat Augustinus [h], qui tamen aliquãdo aliter senserat, sed in retractationibus [i] sententiã mutauit, perpetuòque deinceps docuit fidem diuinæ gratiæ beneficio humanis mentibus infundi. *Vt enim*, inquit [k], *sic natura fidem posse habere, numquid & habere? non enim omnium est fides, cum fidem posse habere sit omniũ.* Et mox, *Proinde posse habere fidem, sicut posse habere caritatem natura est hominum habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratia est fidelium.* Et multa deinceps. Rectè autẽ inchoat Petrus à fide, illa enim, vt ait Augustinus [l], est ædificij spiritualis fundamentum, id quod copiosiùs docet Ambrosius [m], *Fundamentum ergo*, inquit, *est iustitiæ fides*. Et post nonnulla, *Ideo & Paulus fundamentum posuit Christum, vt supra eum opera iustitiæ locaremus, quia fides fundamentum est.* Et in eandem sententiam Oecumenius, *Gradus*, in- A quit, *progressionis, & profectus ita facit. Primum gradum fidem esse statuit, quæ bonorum omnium stabilimentum est, ac fundamentum.*

h toto li. de prædest. Sanct.
i lib. 1 c. 23.
k li. de præd. Sanct. c. 5.
l de prædest. Sanct. c. 7.
m li. 1. offic. c. 28.

VIII. Porrò quod spectat ad rationem loquendi, præpositio, *in*, poni videtur pro coniunctione, *cum*, quemadmodum & apud Osæam [a], *Infirmabitur*, inquit, *omnis, qui habitat in ea, & in bestiis agri, & in volucre cœli.* Quo loco Septuaginta apertè habent, *cum bestia agri, & cum volucre cœli.* Ita videas vbique fidem solitariã, & bonarum actionum vacuam damnari. Vult autem Apostolus cũ fide coniungi, virtutẽ, Græcè ἀρετὴν. Oecumenius explicat id est, *opera sine quibus, vt Iacobus* [b] *ait, fides mortua est.* Eodémque modo loquitur Beda, qui duo videntur virtutis nomen amplissimè sumpsisse, qua ratione omnem virtutem cõplectitur. Neque B alio modo accipit Hieronymus. [c] Siquidem, ait, *virtutis nomen in sacris literis ambiguum esse, & interdũ quidem significare miracula, vt apud Isaiam.* [d] *Virtutes eius in insulis nunciabunt. Aliàs pro conuersatione bona vsurpari, vt cùm hoc loco ait Petrus. Ministrate in fide vestra virtutẽ. Et Paulus,* [e] *Si qua virtus.* Græcè ἀρετὴ, perinde quasi doceat Petrus, non satis esse solam fidem, quod tum ipsi, tum etiam Iacobo, Ioanni, & Iudæ propositum fuisse suis epistolis probare, docuit Augustinus. [f]

a cap. 4. 3.
b c. 2. 20. 26.
c Isa. 63.
d cap. 44.
e ad Phil. 4. 8.
f li. de fid. & oper. c. 14.

IX. Sunt qui malint hoc quidem loco virtutis nomine non ipsum virtutis genus, sed formam quampiam virtutis insinuari, hoc est, eam, quæ forti, cõstantique animo tolerat aduersa, quam Philosophi fortitudinẽ appellant, quòd ad profitendam, ac tuendam fidẽ Apostolico præsertim illo æuo esset in primis necessaria. C Neque sanè ea Interpretatio à rectè loquentiũ consuetudine abhorret, qui ἀρετὴν virtutem potissimùm bellicam interpretantur, quasi habeat aliquid ἄρεως, id est martis. Quibus ego haud grauatè assentior, tum quia non satis aptè loqueretur Apostolus si fidei eximiæ videlicet virtuti genus ipsum virtutis adiungeret, tum quia deinceps singulares virtutes enumerat, quod frustra faceret, si virtutis nomine omnem virtutem complexus esset.

X. Rectè verò confestim addit. *In virtute scientiam*, Græcè τὴν γνῶσιν, quam Oecumenius, *arcanorum Dei mysteriorum scientiam* definit, quæ, vt ille ait, *non cuilibet aduenit, sed ei tantùm, qui ex operibus præstantioribus per habitum exercitatos sensus sibi comparauit.* Et fortassè de hac scientia loquebatur Christus apud [g] Ioannem, D cùm dixit, *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea.* Sic enim locum illum explicat Augustinus [h], qui facere voluntatem Patris refert ad fidem ex verbis Christi aientis, *Hoc est opus Dei vt credatis in eum, quem ille misit.* [i] *Intellectus enim*, inquit, *merces est fides, ergo noli quærere intelligere, vt credas, sed crede, vt intelligas, quia nisi credideritis, non intelligetis, qui autem crediderit, intelliget quod dixit Christus. Mea doctrina non est mea. Intelliget quia Christus Dei Filius, qui est doctrina Patris, non est ex seipso, sed filius Patris.* Quod ait pertinere ad Sabellianam hæresim refellendam, quæ diuinas personas reipsa permiscebat, & confundebat, nominibus tantùm distinguebat.

g cap. 7. 17.
h Tract. 29. in Ioan.
i Ioan. 6. 29.

XI. Probabilis est, nec prorsus reijcienda sententia, sed verùm huic loco congruat adhuc ambigo. Nam cum E hæc Apostolica præcepta ad fideles omnes pertineãt, hanc verò rerũ diuinarũ scientiam nõ omnes assequi possint, quam Augustinus [k] sapientiam mauult appellari, qui scientiam humanarum rerum propriè nominem definit, cui *non quidquid sciri ab homine potest in rebus humanis, vbi plurimum superuacuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis est*, tribuendum putat, *sed illud tantummodò, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinẽ ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua scientia nõ pollẽt fideles plurimi, quamuis polleãt ipsa fide plurimùm. Aliud est enim scire tãtummodò, quod homo credere debeat propter*

k lib. 14. de Trin. c. 1.

Nn adi-

adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. A

XII. Itaque malim scientiæ nomine cœlestem, ac diuinam quandam prudentiam intelligere, quæ nouerit quid rebus, locis, temporibus maximè congruat. Quam ferè qui de rebus diuinis disserunt, discretionem appellant, de qua hunc in modum scribit Bernardus [a], *Feruor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat, ergo laudabilis eius feruor discretionem erigit, & discretio feruorem regit.* Rursus alibi [b], *Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem etiam, & perpetuitatem. Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum, tolle hanc, & virtus vitium erit.* Extat apud Cassianum [c] bene longa de discretione disputatio, quam ait [d] inter nobilissima Spiritus sancti dona ab Apostolo [e] numerari. *Alij datur*, inquit, *per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alij fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum in vno Spiritu. Et post pauca. Alij discretio Spirituum, deinde completo omni catalogo spiritualium charismatum subdit. Omnia autem hæc operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult.* B

a ser.13.Cãt. b ser. 49. c collat.2.c.4. d cap.1. e 1.ad Cor. 12.8.

XIII. Sapienter verò apud eundem Cassianum [f] monet B. Antonius plurimorum lapsus, ac ruinas non aliunde ortum habuisse, quàm quòd hoc tam eximio, támque diuino bono caruerint. *Hæc namque*, inquit, *est discretio, quæ oculus, & lucerna corporis in Euãgelio* [g] *nuncupatur secundum illam sententiam Saluatoris. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quòd si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Eò quòd ipsa cogitationes hominis vniuersas, actúsque discernens cuncta, quæ sunt gerenda peruideat, atque perlustret, quæ si in homine nequam fuerit, id est non vero iudicio, & sententia communita, seu quolibet errore, ac præsumptione decepta totum corpus nostrum faciet tenebrosum, hoc est, omnem aciem mentis, actúsq́; nostros reddet obscuros, cæcitate scilicet vitiorum, & perturbationum tenebris inuolutos. Si enim*, inquit [h], *lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nulli namque dubium est errante iudicio cordis nostri, & ignorationis nocte possesso, cogitationes quoque, & opera nostra, quæ ex discretionis deliberatione descendunt maiorũ peccatorũ tenebris implicari.* C

f collat.2.c.2. g Matt.6.22 h Matt.6.23

XIV. Multa deinceps addit Cassianus, quæ huius virtutis præstantiam, & necessitatem declarant, vt meritò videri possit Apostolus eam virtutem fortitudini adiunxisse, ne videlicet illa nimio impetu concitata feratur in præceps, sed discretionis veluti fræno cohibita rectum teneat cursum. addit: D

6. In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.

I. Scientiæ addendam monet abstinentiam, Græcè ἐγκράτειαν, quam Paulus [i] inter Spiritus sancti fructus recenset, quo tamen loco redditur ab Interprete Latinè modestia, ab alijs temperantia, seu continentia. Est autem deducta vox à verbo ἐγκρατεύομαι, quod idē Interpres [k] Latinè interpretatus est *abstinere*, cùm enim de athletis dicat Paulus πάντα ἐγκρατεύεται, Latinè dixit, *ab omnibus se abstinet.* Oecumenius hoc loco ἐγκράτειαν, amplissimè videtur accipere, vt elationis, ac fastus moderationem significet, *Post hæc*, inquit, *continentia, seu temperantia subsequitur, quippe cùm hæc quoque ei opus sit, qui ad mensuram, & modum cognitionis iam peruenit, ne donis magnitudine insolens euadat.* Quæ mihi sententia non solùm probatur, sed omnino videtur vera, quæque huic loco maximè congruat, tum E

i ad Gal. 5. 22. k 1. ad Cor. 9.25.

quia Græcę vocis proprietas id potissimùm postulet, cùm ἐγκρατεύομαι Latinè valeat in potestate habeo, vt videatur vim illam indicare, qua quis sibi, suísque omnibus cupiditatibus imperat. Tum quia, cùm scientia, vt ait Paulus, inflet, & elationem quandam, animique tumorem pariat, rectè ei modestia, animique moderatio adnectitur.

II. Itaque abstinentia non propriè in præsentia significat eorum, quę ad cibum potúmque pertinent, moderationem, neque temperantiam, quæ in iis voluptatibus versatur, quæ tactu præcipuè, gustúque percipiuntur, sed arrogantiæ, & insolentiæ modum potissimùm respicit, ne quis videlicet ob suam scientiā supra cæteros efferatur, seque magnificentiùs circunspiciat. Id verò apertissimè monet Petrus cùm ferè, qui scientia præstant elatos, ac tumidos spiritus induant, cæteros facilè contemnãt, sibi verò omnia deberi existiment, quod est à Christiana modestia, atque humilitate prorsus alienũ. Quocirca Chrysostomus [a] rectè dixit, *Quando* (scientia) *fuerit sine caritate, extollit ad insolentiam.* Basilius [b] autem quod apud Isaiam legimus, *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudẽtes.* Ad eos ait pertinere, qui sibi scientiam arrogant, & si quid laude dignum gesserint, sibi ipsis adscribunt.

a ho. 20. in prior. ad Cor.c.8. b in Isa. c.5. c c.5.vers.21.

III. Optimè verò Auctor [d] Commentariorũ in Paulũ, qui Ambrosij nomen præferunt, *Manifestũ est*, inquit, *habentẽ scientiam in eo ipso gloriari, si non foris, quia prudẽs est, vel apud se ingenium enim scientiæ hoc est, vt glorietur in sese, ideo inflat.* Et paulò pòst, *Sicut enim vinum non temperatum admistione aquæ mentem alienat, ita scientia superbum facit, nisi temperetur.* Denique Augustinus [e] in hæc verba præcipit, *Sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machina quadam, per quam structura caritatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cùm scientia destruetur, quæ ad finem caritatis adhibita multum est vtilis, per se autem ipsa sine tali fine non modò superflua, sed etiam perniciosa probata est.* Et alibi [f] explicans verba Pauli, *Scientia inflat. Quod rectè*, inquit, *aliter non intelligitur, nisi scientiam tunc prodesse, cùm caritas inest, sine hac autem inflare, id est in superbiam inanissima quasi ventositatis extollere.* Denique alio [g] quodam loco, *Ita scientia quamuis ad legem Dei pertineat, si in aliquo sine caritate fuerit, inflat, & nocet.* Non itaque mirum videri debet, si Petrus cum scientia modestiam coniungendam monet.

d 1 ad Cor.8 e ep.119.c.11 f li.9.de ciu. Dei c.20. g lib. 2. cõt. Cresco. 13.

IV. Quod si quis malit de abstinentia, aut temperãtia accipere, non equidem magnopere repugnabo, necessaria est enim viro Christiano temperantia, atque ab iis omnibus voluptatibus abstinentia, quæ sensu, potissimùm verò gustu, tactúve hauriũtur. Sed ea virtus nihilo magis cum scientia, quàm cum qualibet alia virtute cõnexionem habet, nisi quis fortè velit, quod vltrò, libénsque concesserim, hanc temperantiam ad assequendam scientiam plurimùm valere. Nam prudenter admodum dixit Salomon [h], *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitarem stultitiam.*

h Eccl.2.3.

V. Quàm sit autem ad Christianę virtutis apicem capessendum hæc virtus necessaria docet Basilius [i] allatis Mosis, & Eliæ exemplis, additque continentiam amplissimè patere, & ad omnem prauam cupiditatem frænandam, cohibendámque referri, sic verò scribit, *Continentiam autem appellamus, non si quis se à cibo penitus abstineat, quando hoc violenta quadam vitæ dissolutio est. Sed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis gratia pietatis ergo, de industria sequimur rerum voluptatem titillantium abstinentiam. Atque vt semel finiam quarum rerum voluptates ab iis, qui ex libidine [illegible] degunt, expetitæ solitæ sunt, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, est temperandum.*

i in regul. fusius disput. reg. 16.

Proinde nequaquam in una tantùm escarum fugienda voluptate continentiæ culturam consistere existimandum est, sed eam ad omnem etiam rem, quæcunque proposito nobis finis adversaria sit, & impedimento, pertinere. Ex quo intelligitur, qui hanc perfectè virtutem tenuerit, eum nullo modo, cùm ventrem in potestatem redegerit, suam humanæ sibi passurum gloriam dominari. Aut cùm obscœnam voluptatem devicerit, opum cupiditatem, aut aliam quamvis degenerem animi affectionem, velutì iram, ægritudinémve, aut quæcunque imperitis animis dominari consueverunt, non superaturum. Ferme enim quod in omnibus præceptis animadvertimus, ea videlicet inter se connexa esse, neque fieri posse, ut ullo modo uni separatim ab altero satisfiat, hoc præcipuè in continentia cernitur. Nam & demisse de se sentit verè humilis, qui in gloria continentiam adhibet, & Evangelicæ inopiæ mensuram explet, qui in congerendis opibus continentiam servat, & ab ira tranquillus est, qui animi elationem, atque iracundiam in officio continet. Ea denique absoluta continentiæ ratio est, ut linguæ, ut oculis limites præscribat, ut auribus minimè curiosam indulgeat auscultationem, & singulis hos cancellos ipsorum officij quasi quosdam circumscribat, atque circundet, extra quos qui egressus sit, is incontinens, ac petulans est.

VI. Porrò ex vitio abstinentiæ contrario penè omnia mala oriri docet Gregorius [a] Pontifex. *Gula*, inquit, *deditos luxuria sequitur.* Idque inde probat, quod in libris Regum [b] scriptum est, *Muros Ierusalem destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum Principe militum.* Quo loco Septuaginta *Principem cocorum* legunt. Itaque ait Gregorius, *Princeps namque cocorum venter est, cui magna cura obsequium à cocis impenditur, ut ipse delectabilibus cibis impleatur; muri autem Ierusalem virtutes sunt animæ ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Cocorum igitur Princeps muros Ierusalem deiicit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* Aptè verò subdit Petrus, *In abstinentia autem patientiam* Græcè ὑπομονὴν nam cum voluptatibus, pravis cupiditatibus, ac morbis, & ægritudinibus animi luctandum est, atque adeò animi constantia, & patientia est omnino necessaria.

[a 3. p. Pastor. admon. 20.]
[b 4. Reg. 25. 4.]

VII. Quod indicans Oecumenius ait. *Quoniam verò non contingit eum, qui modico tempore utitur temperantia firmiter donum possidere, subingressa tolerantia rem omnem absolvit.* Ad hunc autem locum respiciens Gregorius, *Nisi*, inquit, *mentes abstinentium plerumque in patientia à sinu tranquillitatis excuteret, nequaquam Petrus dum diceret. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia autem abstinentiam, protinus vigilanter adiungeret dicens. In abstinentia autem patientiam. Deesse quippe abstinentibus patientiam prævidit, quo eis ut adesset admonuit.* Sunt quippe nonnulli, qui rerum difficultatem experti, & frequenti, ac non levi plerumque lapsu perterriti despondent animo, neque fieri posse putant, ut quis cupiditates penitus frangat, & domitas, atque obsequentes reddat rationi. Atque ita cunctis appetitionibus habenas laxant, quibus patientia necessaria est, cùm præsertim, ut alibi [c] docui ὑπομονὴ, sæpe perseverantiam, & in suscepto vitæ instituto constantiam significet, quod maximè huic loco congruit.

[c ad Ro. 2. 7]

VIII. Non enim unius, aut paucorum dierum abstinentia, seu temperantia, continentiáque probatur, sed constans, ac perseverans, quæ nulla difficultate, nullóque periculo frangatur, aut defatigetur. Huc non pauca referri possunt, quæ eleganter à Tertulliano, & Cypriano de patientiæ laudibus commemorantur. Certè Salomon [d], *Melior est*, inquit, *patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Quamvis enim Hebræa, & Græca vox non tam pa-

[d Prov. 16. 32]

A tientem, quàm lentum, ac tardum ad iram significet. Gregorius tamen, & Beda vim Latinæ vocis sequuti patientiæ præstantiam significari docent; sic autem scribit Gregorius [a], *Quanto culmine virtutis patientia polleat Salomon indicat dicens. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Minor est ergo victoria urbes expugnare, quia extra sunt, quæ vincuntur, maius est autem quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subiicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.*

[a hom. 35. Euang. & 3. p. cur. Pastor.]

IX. *In patientia autem pietatem.* Græcè εὐσέβειαν, hanc ait Oecumenius oriri ex patientia, *Patientia*, inquit, B *subintrans rem omnem absolvit, & perfectiorem erga Deum obedientiam reddens pietatem nobis conciliat*, hoc est, ut interpretatur Augustinus [b], verum Dei cultum; id enim vox Græca sonat. Quocirca idem Augustinus [c], *Pietas itaque*, inquit, *propriè Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen, ait, & erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi, hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur, quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandat, eáque sibi vel pro sacrificiis, vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, ut & Deus ipse dicatur pius, quem sanè Græci nullo suo sermonis usu εὐσεβεῖν vocant, quamvis εὐσέβειαν, pro misericordia illorum etiam vulgus usurpet.* Non me fugit pietatem Parentes plerumque respicere, qua ratione dixit M. Tullius [d], & ex illo Augustinus [e], C *Pietas est per quam sanguine iunctis, patriæque, benevolum officium, & diligens tribuitur cultus.*

[b li. 4. de ciuit. c. 23. & lib. 5. c. 15.]
[c li. 10. de ciuit. c. 1.]
[d li. 2. de Inuent.]
[e li. 83. qq. q. 3.]

X. Sed hoc loco proculdubio Dei cultum significat, cui mirum in modum perseverantia, & tolerantia placet. Qua ratione dixit Iacobus [f], *Patientia opus perfectum habet.* Perseverans videlicet usque ad extremum. Nisi quis perfectum opus intelligat, quo Deus piè, ac religiosè colitur. De ea namque pietate, agit hoc loco Petrus, de qua [g] Paulus his verbis loquitur, *Exerce teipsum ad pietatem*, quæ aliàs dicitur θεοσέβεια, quamquam Augustinus [h], ut paulo antè dixi, non negat more vulgi hoc nomen etiam pro misericordiæ operibus usurpari.

[f cap. 1. 4.]
[g 1. ad Tim. c. 4. 7.]
[h lib. 10. de ciuit. c. 1.]

XI. D Coniungit igitur Petrus cum patientia pietatem, ut quæ in pugna cum vitiis, & perturbationibus aspera, dura, & difficilia toleranda sunt, ad unius Dei gloriam, & honorem referantur, ac futuræ vitæ, perennísque felicitatis expectatione condiantur, & leviora fiant, quod monuit Paulus [i], cùm dixit, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Itémque [k], *Quod momentaneum est, & leve tribulationis nostræ in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis non contemplantibus ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna.* Nimirum hæc mente, & cogitatione versabant, & Martyres dum acerbissima supplicia, gravissimósque cruciatus pro Christi fide perferrent, & qui rebus omnibus nuntio remisso divinarum rerum contemplationi sese totos addixerant, & illi E quidem suo sanguine, hi verò honestis, ac laudabilibus actionibus Deo litabant.

[i Rom. 8. 18.]
[k 1. Cor. 4. 17]

7. *In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.*]

V

I. Vel hinc apparet pietatem ad Dei cultum, ac venerationem referri, non autem ad misericordiæ functiones, has enim fraternitatis amor complectitur. Videtur autem Petrus hoc loco duo legis

præcepta indicare, quorum alterum Dei amorem, & cultum, alterum erga proximos præcipit caritatem, cum pietate igitur, quæ Deum spectat, beneuolentia, & amor erga fratres connectitur. Nam & in superiori [a] Epistola monnerat Petrus, oportere nos esse fratrum amatores, & Ioannes [b] apertissimè docet veram pietatem cum fratrum odio non posse consistere, *Qui dicit, ait, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.* Et aliquanto pòst [c], *Qui autem odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat, quia tenebræ obscurauerunt oculos eius.* Et alibi [d], *Qui non diligit manet in morte, omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Rursus [e], *Qui non diligit, non nouit Deum.* Denique [f], *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt quomodo potest diligere?*

a cap. 3.
b ep. 1. c. 3. 9
c vers. 11.
d c. 3. 14. & 15.
e c. 4. 8.
f vers. 20.

II. Quocirca meritò dicit Oecumenius, *Pietati fraternus amor accedit, qui sanè non accessisset, nisi pietas gradum ad benignitatem erga omnes nobis supposuisset.* Hoc nimirum significauit Paulus, cùm ad Timotheum [g] scripsit, *Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Sed non temerè Petrus huic amori fraterno pietatem præposuit, hactenus enim fratres diligendi, ac beneficentiæ officiis colendi sunt, vt pietas in Deum non deseratur. Quod idcirco monui, vt nimiam quorundam in suos indulgentiam non modò improbandam, sed vehementer etiam detestandam significem, qui per speciem benignitatis Ecclesiastica bona in cognatos, & propinquos effundunt, quos ad summos honores, & ad immensas opes extollunt, vt ecclesiasticorum in eos profusio Regum magnificentiam longè superet, qua illi quondam Ecclesiam liberalissimè locupletarunt.

g ep. 1. c. 5. 8.

III. Fateor dixisse Deum apud Isaiam [h], *Carnem tuam ne despexeris.* Vbi Septuaginta apertiùs dicunt, *Domesticos seminis tui ne despexeris.* Sed rectè Ambrosius [i], *Hæc est, ait, approbanda libertas, vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas, non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre in opibus.* Et D. Thomas [k] ait, *Si de eo quod vsui Episcopi, vel alicuius Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, id est, vt non indigeant, non autem ditiores inde fiant.* Grauissimi autem Theologi [l] affirmant hac etiam lege comprehendi summum Pontificem, atque idcirco ita cogi restituere, *quæ à Papa bona Ecclesia pro libito Papa habuerunt, vt ditentur, exaltentur, & magnificentur, sicut qui ab aliis Prælatis similia bona acceperunt. Omnis namque donatio Ecclesiastica res pietate, vel necessitate vacua non distributio sed dissipatio est à dispensatore vsurpata.*

h cap. 58. 7.
i li. 2. officiorum c. 30.
k 2. 2. q. 185. ar. 7. ad secundum.
l Caiet. 2. 2. q. 43. ar. 8.

IV. Egregiè verò Prosper [m], *Quod habet, inquit, Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere.* Et subdit [n], *Nec illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt sine grandi peccato suo, vnde pauper victurus erat, accipiunt.* Hæc obiter dixerim, ne quis nimiæ in suos indulgentiæ amorem fraternitatis prætexat, qui certis finibus clauditur, & quibusdam veluti cancellis circumscribitur, vt videlicet nihil contra ius, fasque fratrum, & coniunctorum causa suscipiatur.

m lib. 2. de vit. contēpl. c. 9.
n cap. 10.

V. Postremo loco addit caritatem, *In amore autem, ait, fraternitatis caritatem*, Græcè ἀγάπην, hæc enim non solùm φιλαδελφίαν complectitur, sed etiam ad extraneos, & inimicos porrigitur, éstque omnium virtutum apex, & ornamentum, sine qua, vt ait Paulus [o], cætera omnia inania sunt, ac prorsus inutilia. Caritas autem Christiana in amore inimicorum potissimùm cernitur, verè enim dixit Tertullianus [a], *Amicos diligere omnium est, inimicos autem solum Christianorum.* Quos alloquitur Christus, cùm apud Matthæum ait, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Quàm autem id sit vel frugiferum, vel honestum, vel potiùs vtrumque, hoc argumento probat, *Vt sitis, inquit, filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Sanè quidem caritas Dei filios facit, ita enim scribit Ioannes [b], *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Filios autem parentum mores decet imitari.

o 1. ad Cor. 13.
a lib. 1. ad Scapulam.
b ep. 1. c. 3.

VI. Cùm igitur Deus cœlestis Pater diligat omnia, quæ sunt, præcipuè verò caritate fideles omnes complectatur, eius caritatem imitari filios, & quoad eius fieri possit repræsentare necesse est, ne spurij, aut adulterini, aut tanto Parente indigni censeantur. Ad hanc caritatem etiam superiori [c] Epistola grauissimis verbis hortatur Petrus, *Caritatem, inquit, continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum.* Mox verò eius officia explicans subiicit, *Hospitales inuicem sine murmuratione, vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* &c.

c cap. 4. 8.

VII. Quæ quidem caritatis officia olim à fidelibus etiam fœminis incredibili quodam studio frequentabantur, quæ non semel elegantissimè à Tertulliano commemorantur, ita autem ad vxorem [d] scribit, *Quis enim sinat coniugem suam visitandorum fratrũ gratia vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? quis nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit, à latere suo exími libenter feret? quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? quis ad conuiuium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur? Iam verò alicui fratrum ad osculum conuenire? aquam Sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo inuadere, desiderare, in mente habere? Si & peregre frater adueniat quod in aliena domo hospitium? si cui largiendum erit, horreum proma præclusa sunt.*

d li. 2. c. 4. & militia de colēda fœminarũ c. 11. & li. de corona milit.

VIII. Hactenus Apostolus Christianarum virtutum catalogum texuit, cæterum in hac virtutum enumeratione admirabilis quidam, planéque diuinus ordo cernitur. Fidei enim, quod est, vt diximus, spiritalis ædificij fundamentum, rectè additur virtus, id est, fortitudo, & constantia, quæ aduersus Tyrannorum minas, cruciatúsque integram, atque illæsam fidem, ac religionem retineat, quod suo exemplo innumerabiles olim Martyres, castissimæque Virgines docuerũt. Nam ob hanc ipsam causam post Baptismum, id est, fidei Sacramentum, tribuitur Confirmatio, qua fideles roborantur ad profitendam fidem, próque ea ad extremum vsque spiritum strenuè, ac fortiter decertandum. Huic succedit scientia, quæ rectè cum constantia coniungitur, eámque mirificè perficit, atque ornat. Ij enim libenti, constantíque animo aduersa omnia tolerant, qui probè norunt legitimè certantibus propositam esse in cœlo gloriæ amplissimam coronam.

IX. Mox sequitur abstinentia, seu continentia, nam qui diuina scientia præditi sunt, facilè sibi, suísque omnibus cupiditatibus imperant, & prauas quaslibet appetitiones comprimunt. Tum patientia, perseuerantiáque instructi ab instituto vitæ cursu non modò non recedunt, sed ne deflectunt quidem, donec ad calcem, ac metam perueniant. His autem bonis omni

omnibus ornati veram pietatem colunt, quæ, vt ait A
a 1. ad Tim. 4.8.
Paulus [a], *Ad omnia valet.* Postmodum Christiana beneuolentia fratres omnes, atque eiusdem religionis cultores prosequûtur. Postremò cũctos mortales etiã inimicos diuina caritate complectũtur, seque suaque omnia in Deum referunt tãquam in extremum. Hæc nimirum est Christianæ vitæ perfectio, quæ eximias quasdam præclarasque virtutes exigit, non quales olim Philosophi pollicebantur rudes, & inchoatas, quæ à perfecta, absolutáque virtutis ratione, vt probat Augustinus [b], plurimùm distabant, cùm ipsi virtutis auctorem, hoc est, Deum ignorarent, & caritate, quæ est absolutissima virtutis forma, destituerentur. Subdit itaque:
b ...
... lib.

8. *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.*] B

I. Vt ostendat Apostolus, quod obseruauit Augustinus [c], non satis esse ad salutem, fidem solitariam, atque elumbem, quam hæretici iactitant, has omnes virtutes, quas enumerauit, non solùm vtiles, ac frugiferas, sed omnino necessarias esse docet. Hæ, inquit, virtutes, quas hactenus enumeraui, si in vobis fuerint, atque adeo perfectionis apicem attigerint, planè efficient, vt hæc Christi cognitio, quam eius beneficio adepti estis, amplissimum fructum aliquando pariat. *Hæc*, inquit, *si vobiscum adsint* Græcè ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα, hoc est, si huiusmodi virtutibus præditi eritis, aut si hæ virtutes vobis insint, animumque vestrum perficiant, atque ornent, vt significet laborandum illis esse, non modò vt eas assiduis à Deo precibus contendant, sed suo etiam studio, ac labore nitantur eas assequi. Addit *& superent*. Græcè πλεονάζοντα, quasi dicat sic abundent, atque exuberent, vt perfectum quemdam, atque absolutum virtutum omnium statum constituant.
c lib. de fi. & oper. c. 14.

II. Vt enim ex Plotino docet Macrobius [d]. Quatuor sunt veluti gradus virtutis, quædam dicuntur politicæ, nonnullæ purgatoriæ, seu purgatiuæ, aliæ iam purgati animi, nonnullæ denique exemplares: vt enim actionibus humanis modum ponunt, legésque præscribunt, totámque hominis vitam quodam modo instituunt, & componunt politicæ nuncupantur. D Eædem verò cum altiùs aliquantò hominem attollunt, & à rebus caducis, atque mortalibus animum auocant, & cum Deo cõiungunt, purgatoriæ, seu purgatiuæ appellantur; Vt verò iam in statu quodam perfecto hominem collocant, purgati animi, & heroicæ virtutes vocantur, proximéque accedunt pro humanæ conditionis imbecillitate ad virtutes exemplares, quæ in vno Deo reperiuntur. Ita existunt tres quidam humanæ vitæ status, quibus ad vitæ Christianæ perfectionem tenditur. Incipientibus enim virtutes politicæ congruunt, proficientibus purgatoriæ, vel purgatiuæ, perfectis denique purgati animi, heroicæque virtutes, quæ neque agendi difficultatem experiuntur, & vt plurimùm perturbationes animi sedatas, & tranquillas habent. Cum igitur ait Petrus, vt virtutes exuberent, fideles monet, vt optima quæque sectentur, & ipsum virtutis apicem complectantur. E
d lib. 1. in somn. Scipi.

III. Quomodo hac ipsa [e] Epistola eosdem monet his verbis. *Crescite in gratia, & cognitione Dei nostri.* Et Paulus [f]. *Veritatem autem, facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Ipse verò Christus beatos eos prædicat [g], qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quò spectans Bernardus. *Vera*, inquit, *virtus finem nescit, tempore non clauditur, neque vmquã iustitiæ* [cut off] *bitratur se cõprehendisse, numquam dicit satis est, sed semper esurit, sitique iustitiam, ita vt si semper viueret, semper quantum in se est iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.* Et post nonnulla addit. *Si studere perfectioni perfectum est, profectò nolle proficere deficere est.*
e cap. 3. 18.
f ad Ephes. 4. 15.
g Matt. 5. 6.

Bened. In:Iman. in Epist. Canon.

IV. *Non vacuos*, inquit, *nec sine fructu vos constituent.* Omninò verè, ac sapienter, nam qui fidem solitariam prædicant, & extollunt, inanes planè sunt, & vacui, omnisque spiritalis fructus prorsus expertes. Nihilo autem minus falluntur ij, qui quoniam Apostolus virtutum exercitationem exigit, vitam illam contemplationi deditam, quam olim Anachoretæ aliique viri sanctissimi & complexi sunt ipsi, & miris laudibus extulerunt, reiicere, ac damnare non minùs imperitè, quàm impiè contendunt. Tametsi enim illi precandi, meditandique studio dediti externas actiones non magnoperè vsurpabant, veras tamen, Christianasque virtutes mirificè complectebantur, quod cùm ex ipsorum vita tum ex iis colligi facilè potest, quæ scribit Cassianus.

V. Accedit quòd, vt ait Augustinus [a], *vna & sola est contemplatio Dei, cuius merito omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia postponuntur, & illa quidem omnia, quæ in Apostolo Paulo fuisse prædiximus, non solùm bona, & vtilia, verùm etiam magna, & præclara.* Neque verò quisquam facilè hoc vitæ genus, aut omninò sequi, aut diu retinere poterit, qui non enumeratis virtutibus animum, mentemque compleuerit.
a Serm. 43. de tempore si tamen est August.

VI. C Pollicetur autem Apostolus studiosarũ actionum fructum sanè amplissimum. *Non vacuos*, inquit, *nec sine fructu vos constituent.* Non vacuos quidem, quia gratia, & caritate plenos, non sine fructu, Græcè ἀκάρπους, quia bonis actionibus merces debetur, quæ in beata illa vita cumulatissimè persoluetur.

VII. Quod agnoscens Paulus [b], *Bonum, ait, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solùm autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius.* Quem locum expendens Augustinus [c]. *Reddet*, inquit, *mihi Dominus coronam iustus Index, debet ergo, quod reddit, reddet ergo iustus Index, non enim opere inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. Bonum certamen certaui, opus est, cursum consummaui, opus est, fidem seruaui, opus est, superest mihi corona; Corona iustitiæ, merces est, sed in mercede tu nihil agis, in opere non solus agis; corona tibi est ab ipso, opus autem abs te, sed non nisi ipso adiuuante.* Propterea itaque ait Petrus non fore fideles sine fructu, si Christianas virtutes colant. Quod etiam olim significauerat Isaias [d], cùm dixit. *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.*
b 2. ad Tim. 4. 7.
c lib. 5. Hom. hom. 2. c. 14.
d cap. 3. 10.

VIII. Quò etiam spectasse videtur Paulus, cùm ad Corinthios [e] scripsit. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et aliquanto [f] pòst. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Sed quoniam de iustorum meritis alibi copiosiùs disserui, nihil amplius in præsentia addendum videtur; tantùm moneo non frustra dixisse Petrum, non fore iustos expertes fructus, neque mercede carituros. Sunt enim, vt ait Augustinus [g], *merita iustorum, quia iusti sunt*, hoc est, enumeratis virtutibus præditi, aliisque similibus cœlestibus, ac diuinis bonis ornati.
e 2. ad Cor. 9. 6.
f vers. 10.
g epist. 105.

IX. Addit, *in Domini nostri Iesu Christi cognitione* non solùm vt significet iustos, si enumeratas virtutes sibi comparent, magnos in Dei cognitione pro-

gressus quotidie facturos, sed etiam, (quod magis A
probo,) vt indicet eas virtutes hactenus vtiles, ac
frugiferas esse, si vera Dei fides cognitioque firmo,
& constanti animo retineatur; nam, vt ait Augusti-
a Tract. 3. in Io. nus [a] cœlestis merces, ac præmium non nisi fidelibus
debetur. *Cum promerueris*, inquit, *Deum viuendo ex fide accipies præmium immortalitatem, & vitam æternam.*
Aliquanto autem pòst. *Videtur quidem Deus vitam æternam tamquam debitam reddere, cui debitam? fideli, quia promeruit illam per fidem.* Fidem autem intelligit, non otiosam, & languidam, vel potius mortuam, sed studiosis, ac laudabilibus actionibus instructam.

X. Quamobrem Auctor [b] librorum hypognosticon.
b lib. 3. *Vnicuique, ait, reddet Deus secundùm opera sua, habet enim homo malum meritum, cum vitio suo declinat à bono,* B
& facit malum, habet & bonum meritum, cùm in omnibus gratiæ Dei bona in se operanti non resistit, sed cooperator
c lib. de perfect. iustitiæ resp. 17. *existit.* Itemque Augustinus [c]. *Post hanc vitam merces perficiens redditur, sed eis tantùm, à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur.* Facient igitur hæ virtutes, vt fides, & cognitio Christi non sit inanis, & expers meriti, sed potiùs frugifera, & ingenti meritorum copia locupletata. Id verò à contrario sensu magis, magisque confirmans addit.

9. *Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.*]

I. Nimirùm hæc perspicuè docent, quàm verè dictum sit à Iacobo, fidem absque operibus mortuam C
esse. Cui enim etiam si fidelis sit, enumeratæ virtutes desunt planè cæcus est. *Fides enim*, vt ait Augu-
d lib. 15. de Trin. c. 18. stinus [d], *sine caritate potest quidem esse, sed non & prodesse.* Quod olim docuerat Paulus, cùm ad Corin-
e ep. 1. c. 13. thios [e] scripsit. *Si habuero omnem fidem ita, vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Aper-
f cap. 2. 14. tissimè verò Iacobus [f]. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare illum?* quasi dicat nullo modo, nam loqui Iacobum de vera fide suo loco probaui-
g lib. 21. de Ciuit. ca. 26. & lib. de Vnic. Baptismo c. 10. mus, & disertissimè docet Augustinus [g]. Ait autem Petrus eum esse cæcum, cui hæ virtutes desint, & manu tentare, videtur enim respexisse ad id, quod
h Deut. 28. 28. scriptum est in Deuteronomio [h]. *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, vt palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* D

II. Quod malum experti erant illi, quorum sunt hæc
i cap. 59. 10. apud Isaiam [i] verba. *Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Et de Pha-
k cap. 15. 14. risæis idem asserit Christus, cùm apud Matthæum [k] a t. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Nec multùm
l ep. 1. c. 6. 4. discrepat, quod ad Timotheum scribit Paulus [l]. *Superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, &c.* Cui affine est illud, quod de nefariis quibusdam mulier-
m epist. 2. ad Tim. c. 3. 7. culis alibi [m] scribit. *Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Videtur autem E
Apostolus miserum hæreticorum statum describere, quales erant olim illi, qui nudam, ac solitariam fidem extollebant, laudabiles, & honestas actiones negligebant; ad eos enim potissimùm pertinent ea,
n cap. 1. 17. quæ scribit Sophonias [n]. *Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.*

III. Iure autem optimo hæretici, & improbi, ac scelesti homines, cæci nuncupantur, quia vt plurima rerum scientia, & cognitione valeant, in rebus agendis turpiter errant, & cæcorum more identidem A offendunt, & labuntur. Quam ob causam Irenæus [a] a lib. 5 c. [illegible]
vanos omnes indoctos & audaces appellat eos, qui Euangelij speciem simulantur, quæ in nostri seculi hæreticos mirè cadunt, qui cùm singularem nescio quam, atque eximiam rerum diuinarum scientiam profiteantur, re tamen vera incredibilem quamdam inscitiam produnt, vt meritò de iis affirmare quis
possit, quod scribit Paulus [b]. *Sed vltrà non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* b 2. ad Tim. 3. 9.
Quippe vt ait Salomon [c]. *Excæcauit illos malitia eorum, & nescierunt Sacramenta Dei.* Et manu, inquit, c Sap. 2. 21
tentans, Græcè μυωπάζων, quasi dicat, manu viam d lib. 4. c. 29.
tentans, quod profectò hæreticorum est proprium, e lib. 4. c. 5.
qui quòd veræ fidei luce destituantur, noua cudunt f Hom. 1. in Exam.
Euangelia, noua, & impia dogmata excogitant, nul-
B lo certo loco consistunt, sed subinde recentia suæ g lib. vlt. de præp. Euig.
impietatis capita inuertunt, vt meritò quis de illis h lib. 18. de Ciuit. ca. 4. & 51. & c. 11 de ver. Apost.
poëticum illud affirmare queat.

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

IV. Et quidem meritò, cùm recedant ab Eccle-
sia, *quæ est columna, & firmamentum veritatis*; nam i ep. ad Constantium in 6. Synod. act. 4.
vt ait Rhodon Asianus apud Nicephorum [d]. *Propterea discordes inter se sunt, quod sententiam, quæ consistere, atque extare nequaquam potest tuentur, atque* k in Conc. 2. Niceno act. 5.
defendunt, atque idcirco vt idem Nicephorus [e] testatur. *Adulterina Ecclesiæ dogmata, quæ paulatim emicuerant, breui sunt extincta, & in se ipsis inter se* l lib. de præscripe.
abolita, cùm alij super alios nouis rebus studerent, atque m lib. [illegible]
inter se confligerentur, non aliter quàm fluctuum com- n ep. ad Constantium, &
motiones insurgentes subinde, atque decidentes in varias, lib. 7. de Trin.
C *multiplicésque abeunt formas, & postremò vt nihil eorum appareat, euanescunt.* Nam vt aiunt Basilius [f], o lib. 2. de fide c. 4.
Eusebius [g], & Augustinus [h], omnis humana opi- p in Psal. & Se[illegible] de Agon. Christiano c. 29.
nio, cuiusmodi sunt hæreticorum somnia, fluctuans est, & fallax.

V. Quocirca penè omnes Patres leuitatem & lib. 1 de pecc. cat. mer. & remiss. c. 14.
inconstantiam hæreticis obiiciunt, quod præcipuè faciunt, Agatho [i] Pontifex, Tarasius [k], Tertullia- q Serm. 66. Cant.
nus [l], Cyprianus [m], Hilarius [n], Ambrosius [o], Augustinus [p], Bernardus [q], Athanasius [r], Epiphanius [s]. r lib de decret. Nic. Synod.
Ita fit, vt vix exortæ hæreses in varias, ac multiplices sectas diuidantur, vt affirmant Irenæus [t], s Hæresi 75.
& Augustinus [u], & apertissimè deprehenditur ex t lib. 1. ca. 5. & [illegible]
historiis [x]. u lib. [illegible] de Bapt. con. Donat. c. 6.

VI. Cæterùm quod spectat ad Græcam vocem
D μυωπάζων. Si vim verbi Græci spectemus μυωπάζω, x Euag. lib. 6 & 4 Socr.
apud Dionysium Areopagitam, vt Viri docti [y] ob- lib. 2. cap. 42. lib 5. ca. 23
seruarunt, idem est, quod Latinè cæcutio, seu Theod. lib. 2. ca. 29. Sozom. lib. 9. c. 25 Euseb. lib. 4. cap. 7.
oculos claudere non possum, quam interpretatio- Rufin. lib. 10 cap. 25. Niceph. lib. 9. c. 44. & lib. 12 c. 29.
nem probare videtur Oecumenius, ita enim ex in- y Budeus in comment. ling. Græc.
terprete loquitur. *Lusciosum autem esse, id est, μυωπάζειν, nihil aliud significat, quàm cæcutire* ἀπὸ τῶν μυῶν, id est, à muribus, qui sub terra degunt, & perpetuò cæci sunt. Sed cum præcedat vox τυφλὸς, id est, cæcus, non videtur ea interpretatio admodum consentanea, cum cæcitas hunc etiam morbum, & aliquid amplius comprehendat. Sunt qui idem valere putent, ac si dicas, nihil prorsus cernens, vt more Hebræorum, idem bis aliis verbis iteret, quod sæpe alias in sacris litteris vsurpari ali-
E bi docui.

VII. Nec desunt qui Auctore Dionysio interpretentur, conniuens, aut oculos claudens, quod est quoddam peculiare cæcitatis, seu ophthalmiæ genus. Addo ego hoc mysticè eorum videri proprium qui cùm veritatem probè norint, ei tamen tenebras offundunt, vt suis sceleribus, ac flagitiis nonnullam excusationem prætexant, è quorum numero erant illi improbi, ac nefarij senes de quibus in hæc
verba ait Daniel [z]. *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt viderent cælum neque* z cap. 13. 9.

recorda

recordarentur iudiciorum iustorum. Quod ipsum de illo affirmari potest, de quo cecinit Dauid [a]. *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.* Eiusmodi denique erant illi, de quibus loquitur Paulus [b]. *Et sicut non probauerunt*, inquit, *Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, &c.*

a Psal. 35. in princ.

b ad Rom. 1.

VIII. Quæ tametsi propriè ad infideles pertinere videntur, qui veri Dei notionem cultumque neglexerunt, perspicuè tamen eorum impietatem indicant, qui mentis aciem à Deo auocant, vnde innumerabilia propemodum mala oriuntur. Nam vt ait Gregorius [c]. *Qui errant in Dei cognitione, iustè traduntur, vt errent pariter in agendis.* Et vt non semel ait Augustinus, non rarò fit, vt peccatum sit etiam pœna peccati, qua verò id ratione intelligendum sit, alibi videro. Certè illud negari non potest, eos, qui his, atque aliis similibus virtutibus carent, omnibus penè flagitiis, atque sceleribus obnoxios degere, nec posse absque singulari diuinæ gratiæ præsidio in tam multis vitiorum illecebris lapsum vitare in omni vita.

c [lib.] 5. mo.

IX. Quæ porrò sequuntur planè innuunt Apostolum de fidelibus loqui, ait enim. *Obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* Indicat enim eos, qui studium virtutis negligunt obliuioni tradere eximium, planéque diuinum beneficium, quod vi Baptismi perceperunt. Mouet autem Oecumenius hanc Petri sententiam ei persimilem videri, quam scripsit Iacobus [d]. *Si quis*, ait, *auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Sic etiam iste*, ait Oecumenius, *cùm cognouerit, dum purgatus fuerit sancto Baptismate, se multitudine peccatorum fuisse ablutum, ac liberatum, & ex ea ablutione sanctitatem se accepisse, cùm deberet sobriè agere, & dare operam, vt perpetuò sanctificationem sibi conseruaret, sine qua Dominum videbit nemo, ipsi obliuioni hoc mandauit.*

d cap. 1. 23.

X. Est quippe hominis ingrati beneficia obliuioni tradere, hoc autem vitium, vt ait Bernardus, diuinæ beneficentiæ, ac liberalitatis fontem obstruit. Dum verò Petrus scelera olim perpetrata expiari, & perpurgari dicit, obiter ostendit, (quod hæretici inficiantur) in Baptismi Sacramento peccata verè deleri, ac penitus aboleri, non solùm tegi, ac veluti abradi. Nominat enim καθαρισμὸν, hoc est, purgationem. Quocirca Concilium [e] Tridentinum aduersus hæreticos hanc profert sententiam. *Si quis per Domini nostri Iesu Christi gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.* Vetera autem delicta nominat, siue quia præcesserunt ante baptismum, siue quia pertinent ad veterem hominem, quem qui Baptismo initiantur penitùs exuunt, & nouum induunt.

e Sess. 5. in decret. de peccat. origin.

XI. Verè enim aduersus Pelagianos scribit Augustinus [f]. *Baptismus abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia factorum, dictorum, cogitatorum, siue originalia, siue addita, siue quæ ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt.* Quocirca rectè dixit Apostolus [g]. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* Hoc igitur tam eximium beneficium obliuiscuntur, qui virtutibus enumeratis omninò carent, & tamquam cæci in ignorationis, & erroris tenebris versantur.

f lib. 1. con. 2. epp. Pelag.

g ad Tit. 3. 5.

XII. Pessimè autem hanc Catholicam doctrinam interpretabantur Pelagiani, qui, vt idem Augustinus [a] ait, calumniabantur Catholicos, quasi dicerent. *Baptisma non verè homines nouos facere, id est non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios sæculi, id est, Diaboli remanere. Mentiuntur*, ait Augustinus, *insidiantur, tergiuersantur, non hoc dicimus, omnes enim homines, qui sunt filij Diaboli, etiam filios sæculi, non autem omnes filios sæculi, etiam filios Diaboli dicimus.* Suspicor autem tacitè voluisse Petrum insinuare eos, qui post Baptismum sese rursum sceleribus obstringunt, eius Sacramenti penitus obliuisci, quo sese Diabolo, & mundo, eiúsque pompis nuncium remissuros esse vouerunt. Cùm enim peccant, ei prauæ cupiditati obsequuntur, quam se rectæ rationis, diuinæque legis fræno cohibituros spoponderant. Quamobrem aptè omnino, ac sapienter subdit:

a loco indicato.

10. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando.*]

I. Locus est cùm per se difficilis, tum propter varias, ac multiplices Theologorum disputationes obscurus, atque implicitus. Hortatur enim Apostolus, vt fideles sedulò dent operam studiosis actionibus exercendis, vt hac potissimùm ratione certam, ac stabilem suam reddant vocationem, & electionem. Sic autem ait Oecumenius. *Quare fratres magis studete, vt stabilem, atque immutabilem vocationem vestram, atque electionem reddentes, id est, institutionis, atque instructionis verbum, quod ex electione vestra, & vocatione audiuistis, irreprehensibiles sitis, ne quasi obliti verbi Dei iudicemini. sed in vestra firma vocatione permaneatis.* Scio nonnullos graues in primis Theologos, deque re litteraria, catholicaque Ecclesia optimè meritos ex hoc loco colligere fideles vocatos quidem esse, & nonnullos etiam electos ad æternam vitam, sed hanc electionem, vocationemque respectu sui vltimi, primariique effectus adhuc esse incertam, ac pendulam, cùm fieri possit, vt plurimi ab vltimo fine, hoc est, gloriæ assequutione excidant.

II. Itaque satagendum monet Petrus, vt studiosis, ac laudabilibus actionibus ea certior, firmiorque reddatur. Quocirca asserunt diuinam electionem, quamdiu quidem superstites sumus, & vltimi finis prænotionem anteuertit, non ita certò, firmitérque nos ad beatam vitam referre, quin suo euentu frustrari queat. Horum ego ingenio, eruditioni, ac pietati impensè faueo, sententiam probare nulla ratione possum. Sumunt enim electionem absolutam ad gloriam, posteriorem esse prænotione perseuerantiæ vsque ad extremum vitæ finem, quod, vt alibi doceo, Augustino, D. Thomæ, melioribusque notæ Theologis apertè aduersatur. Deinde negant honestas prædestinatorum actiones ante omnem præscientiam boni vsus liberi arbitrij quoad omnes suas conditiones à Deo esse præfinitas, quod eadem ratione à communi Theologorum consensu abhorret. Itaque vt hic locus probè explicetur, necesse priùs est statuere de qua vocatione, atque electione loquatur Apostolus, tum quamnam certitudinem requirat.

III. Iam certum, atque exploratum videtur non loqui Petrum de externa vocatione qua fideles Apostolorum opera ad Christianam fidem, ac religionem vocati sunt. Illa siquidem non solùm certa, sed omnibus etiã nota, atque perspecta est, vt nihil ei certitudinis, ac firmitatis ex bonis operibus accedere posse

videatur. Interna porrò vocatio cum sit alia, vt loquũtur Theologi, sufficiens, alia efficax, non potest Apostolus de priori, ac sufficienti tantùm loqui, cùm iam constaret fideles re ipsa Christo nomina dedisse, & Christianis sacris fuisse initiatos. Restat igitur, vt de efficaci vocatione loquatur, hoc est, ea, quæ ita adhibita est fidelium mentibus, vt ab iis etiam voluntatis assensum expresserit.

IV. Hæc autem si referatur ad proximum suum effectum, id est, consensum, quo fides, & Christiana religio admittitur, est omninò certa, ac firma; primùm quidem ex diuinæ voluntatis æterno decreto, quo statuit quosdam certis quibusdam conditionibus positis, ita vocare, vt illi obtemperent, & sequantur. Deinde ex ipso libero voluntatis consensu vi diuinæ scientiæ quibusdam positis ante omnem æternitatem diuina prænotione comprehenso. Qua de re ita loquitur Augustinus [a]. *At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quòd bene volumus, nobis verò tribui non potest, quòd vocamur.*

a lib. 1. ad Simplician. q. 2.

V. Mox verò explicans quanam ratione vocatio sit effectrix bonæ voluntatis, subdit. *An fortè illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & illud verum sit. Multi vocati, pauci electi. Vt quamuis multi vno modo vocati sint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minùs verum sit, igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quo modo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possent, vt eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi. Et non iam similiter verum est, igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis, quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit, quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, multi vocati, pauci verò electi, illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamuis vocati.*

VI. Et multa deinceps subdit, quibus apertissimè docet vocationem efficacem eximiam quidem esse diuinæ misericordiæ beneficium, quæ congruam vocationem cuique ita accõmodauerit, vt spontaneus, & liber consensus liberi arbitrij subsequatur, sed inuoluere tamen liberi arbitrij consensum, sine quo saltem sub conditione præuiso gratiæ, & vocationis efficacitas intelligi non potest. Eodemque modo alibi [b] loquitur, & vocationis congruæ vim, ac naturam indicat. *Ex quo*, inquit, *apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, & tamen si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent.* Hanc itaque vocationem diuina volontas certam facit, quæ vt loquitur Augustinus, beneficia Dei præparat, *quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Et vt ait Apostolus [c]. *Dat velle, & perficere*, non tamen absque nostro libero consensu.

b lib. de Do. perseu. c. 14.

c ad Philip. 2.

VII. Quòd si hæc vocatio referatur ad ea, quæ deinceps peragenda sunt, hoc est, ad præceptorum obseruantiam, & perseuerantiam in gratia, & sanctitate percepta. Eadem ratione eius siue certitudo, siue firmitas, & constantia primùm quidem à Deo,

A deinde etiam à nobis pendet, vt idem Augustinus [a] apertissimè docet. *Meminerimus*, inquit, *Deum dicere. Proiicite à vobis omnes impietates vestras, cùm ipse iustificet impium. Meminerimus ipsum dicere. Facite vobis cor nouum, & Spiritum nouum dabo vobis. Quomodo ergo quod dixit facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare iubet si ipse daturus est? quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat, quod iubet, cùm adiuuat vt faciat, cui iubet?*

a de Grat. & lib. arb. c. 1.

VIII. Aliquantò autem pòst. *Per hanc*, inquit, (id est gratiam Dei) *fit vt sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ, per hanc etiam fit, vt ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & iam magna fiat, vt possit implere diuina mandata, quæ voluerit, cum valdè perfectéque voluerit.* Post non nulla [b] verò. *Certum est* B *nos mandata seruare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est nos velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò antè posui. Præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est, à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet; de quo dictum est, Deus est, qui operatur in vobis, & velle. Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.*

b cap. 16.

IX. Ex quibus omnibus facilè quiuis intelliget certitudinem, ac firmitatem vocationis nostræ, & in percepta iustitia perseuerantiam, ita esse Dei donum, vt tamen liberi arbitrij consensus necessariò exigatur. Vt enim ait Augustinus [c]. *Post casum hominis* C *nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo.* Quia tamen nos sumus, qui perseueramus meritò fideles hortatur Apostolus, vt per bona opera certam faciant vocationem. Idque faciendum esse pluribus docet Augustinus [d]. *Exhortamur*, inquit, *ergo, & prædicamus, sed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt, qui verò eas non habent, fit in eis quod scriptum est, vt audientes non audiant, audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu.*

c lib. de don. perseu. c. 9.

d lib. de Do. perseu. c. 14.

X. Electio porrò hoc primùm à vocatione distinguitur, quòd illa certo temporis articulo fit, hæc verò æterna est. Atque idcirco qua ratione à diuina voluntate pendet; inde omnem suam certitudinem, ac D firmitatem haurit, neque vllo nostro conatu firmari, aut infirmari potest. Sed quoniam, si referatur ad effecta, proximè respicit gratiam, qua vocamur, pro natura, & conditione gratiæ vocantis certitudinem, ac firmitatem habet, hoc est, effectum proximum sortitur, aut non sortitur. Nam eorum respectu, qui vocationi respondent, & electio certa est, & efficacem gratiam habet pro effectu, atque adeò ipsum voluntatis assensum. Ratione verò eorum, qui obluctantur, & vocanti non consentiunt, vocatio quidem inanis, ipsaque electio non quidem vocationis, & gratiæ respectu, sed vitio liberi arbitrij irrita redditur. Qua ratione dixit Christus [e]. *[illegible] volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.*

e Matth. 23. 37.

XI. E Quòd si electio proximè referatur ad gloriã, eius certitudo, ac firmitas in vnius Dei voluntate, eiusque immutabili decreto posita est. [illegible] verò ipsius gloriæ assequutionem spectant nostr[illegible]tans cõsensum necessariò inuoluit, ita enim Deus beatam vitam suis prædestinatis præparat, vt ipsas etiam actiones, quibus ea comparanda est, non solùm prænotione anticipet, sed etiam præfiniat suæ decreto voluntatis. Itaque videas quocumque tandem modo vocationem, atque electionem accipiat Petrus, hanc ipsius adhortationem neque inutilem, neque

super

A ſuperuacaneam videri, cùm enim dixiſſet, qui enumeratis virtutibus careat, eum cæcorum more in tenebris verſari, & percepta beneficia obliuione obruere; rectè ſubdit. Quapropter *fratres magis ſatagite*, quaſi dicat. Quapropter fratres date diligenter operam, vt has enumeratas virtutes aſſequamini. Quocirca particula μᾶλλον non comparationem continet, ſed potius correctionem, quaſi dicat. Quinimò; quod verò ait Interpres, *ſatagite*, Græcè dixit Apoſtolus σπουδάσατε, hoc eſt, date diligenter operam, omnem diligentiam, & conatum adhibete, ſummo ſtudio contendite.

XII. Quod autem ait Interpres. *Per bona opera*, nihil habet in Græcis Codicibus, quod ei reſpondeat, nec quicquam legiſſe videtur Oecumenius, qui ſimpliciter ait. *Studete, vt ſtabilem, atque immutabilem vocationem veſtram, atque electionem reddatis.* Veriſimile autem eſt olim Interpretem aliter legiſſe, vel certè id addidiſſe, quod neceſſariò ſubaudiendum erat. Neque enim Apoſtolica adhortatio aliò refertur, quàm vt fidelium animos ad ſtudioſas, & honeſtas actiones excitet, atque inflammet. Neque alia ratione quàm bonarum actionum ſtudio, & exercitatione vocatio, atque electio certa, ac firma reddi poteſt. Iam quod ait Interpres. *Certam faciatis*, Græcè ſcriptum eſt βεβαίαν, poteſt autem ea vox ſtabilem, ac firmam ſignificare, quam interpretationem ſequitur hoc loco Oecumenius. *Stabilem*, inquit, *atque immutabilem vocationem veſtram, atque electionem reddentes.* Idque hactenus verum erit, vt vocatio, atque electio ad vltimum effectum, hoc eſt, perſeuerantiam referatur, C quaſi dicat, Chriſtianas virtutes ſedulò colite, datéque operam, vt gratiam perceptam diuinæ vocationis, atque electionis vi conſtanter ad extremum vſque vitæ ſpiritum retineatis, vt certitudo, & firmitas vocationis, electioniſque ad earum effecta referatur.

XIII. Poteſt etiam ea vox certum, & compertum ſignificare, vt ſenſus ſit. Omnem adhibete diligentiam, vt honeſtis actionibus veſtris compertum habeatis vos à Deo Patre vocatos, atque electos eſſe, nulláque ratione nefarii Simonis myſtagogus indigere, aut ſi mauis; vt veſtræ probè inſtitutæ vitæ ratione cunctis mortalibus probetis vos ad eorum numerum pertinere, qui ſingulari Dei beneficio à Deo vocati, electíque ſunt. D Addo ego eam vocem non tam certitudinem, quàm magnam quamdam, & penè certam animi fiduciam continere, quem ſenſum ſi ſequare iure optimo Petrus bonarum actionum ſtudium ſuadet, vt fideles magnam ſuæ vocationis, atque electionis fiduciam animo concipiant. Atque hac ratione dixit alicubi [a] Thucydides αὐχῶ τι τῆς διανοίας τὸ βέβαιον ἔχοντες, quæ ſi doctorum virorum interpretationem ſequamur, hanc noſtram ſententiam confirmant. Significant enim magnam quamdam animi fiduciam habentes. Et apud Ariſtophanem βέβαιος φίλος, hoc eſt, amicus certæ fidei, cui tutò fidas, de quo ille acutè dixit. *Amicus certus in re incerta cernitur.* Cùm enim diuina electio, ac prædeſtinatio abdita ſit, & occulta, nemóque omnino mortalium E eam certò citra Dei peculiare priuilegium noſſe queat, quibuſdam tamen coniecturis adduci quis poteſt, vt de ſua vocatione, atque electione bene ſperet.

[a] lib. 2.

XIV. Quam ob cauſam dixit D. Thomas. *Per bona opera, quæ facit homo, ſuæ electionis poteſt habere certitudinem, non quidem ſcientiæ, ſed coniecturæ, non rei, ſed ſpei.* Quod videtur indicaſſe etiam Paulus, cùm ad Romanos [b] ſcripſit. *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* Qua de re Gregorius [c] Pontifex hunc in modum ſcribit. *Mens, quæ*

[b] cap. 8. 16.
[c] lib. 1. Dialog. cap. 1.

A *Spiritu ſancto impletur habet euidentiſſima ſigna ſua, virtutes ſcilicet, & humilitatem, quæ ſi vtraque perfectè in vna mente conueniunt, liquet quòd de præſentia ſancti Spiritus teſtimonium ferant.* Extant enim probabilia quædam ſigna, quæ cuique ſpem nonnullam afferre queant ſuæ tum iuſtitiæ, tum prædeſtinationis, de quibus non pauca ſcribunt Baſilius [a], Cyrillus [b], & Gregorius [c], Leo [d] Pontifex, Bernardus [e], Cyprianus [f], Ambroſius [g]. Omnia autem ſigna ad hoc caput reuocantur, quod hoc loco indicat Petrus, virtutis enim amor, ac ſtudium certum, atque euidens argumentum eſt diuinæ beneuolentiæ, & liberalitatis. Ab eo ſiquidem manat à quo oritur *omne datum optimum, & omne donum perfectum.*

[a] In regulis breuioribus reg. 12. & 296.
[b] lib. 10. in Ioan. c. 5.
[c] lib. 1. Dialogorum c. 1
[d] Serm. 8 de Epiphan.
[e] Serm. de quatuor modis orandi.
[f] Serm. de Cœna Dom.
[g] lib. 5. de Sacram. c. 2

Cur autem voluerit Deus electionem prædeſti- XV.
B natorum tam eſſe abditam, atque occultam egregiè explicat Auguſtinus [h]. *Quis enim ex multitudine fidelium, quàm diu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Satanæ Angelum ne extolleretur tantus colaphizaretur Apoſtolus.* Et multa deinceps in eamdem ſententiam, qui tamen alibi [i] ad hanc fiduciam hortatur his verbis. *Declina à malo, fac bonum, & ſecurus expecta vitam, tunc dices Domino feci quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti.* Auctor [k] verò librorum hypognoſticon ad eamdem ſpem erigit fideles, dum ait. *Solus Deus ſcit, qui ſunt eius, in quantum autem poſſumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nihil deſperationi demus, pro inuicem oremus, vt ſaluemur, in conſpectu Dei nos humiliemus* C *dicentes. Fiat voluntas tua. Ipſius erit poteſtatis indicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædeſtinationis indebitam prærogare.*

[h] De corrept. & grat. cap. 13.
[i] Serm. 39. de verb. Dom.
[k] lib. 6.

Eodem ſpectant illa, quæ eleganter ſcribit Grego- XVI.
rius [l] Pontifex. *Ecce, inquit, nos omnes iam vocati per fidem ad cæleſtis Regis nuptias, venimus. Incarnationis eius myſterium & credimus, & confitemur. Diuini verbi epulas ſumimus, ſed futuro die iudicij Rex intraturus eſt; quia vocati ſumus, nouimus, ſi ſumus electi, neſcimus. Tanto ergo neceſſe eſt, vt vnuſquiſque noſtrum in humilitate ſe deprimat, quanto ſi ſit electus ignorat. Nonnulli enim bona nec incipiunt, nonnulli verò in bonis, quæ inceperunt, minimè perſiſtunt. Alter penè totam vitam ducere in prauitate conſpicitur, ſed iuxta finem vitæ à prauitate* D *ſua per diſtrictæ pœnitentiæ lamenta reuocatur. Alter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc contingit ad erroris nequitiam iuxta finem vitæ declinare. Alius bonum bene inchoat, melius conſummat; alius in malis actibus à primæua ætate ſe exercet, & in eiſdem operibus ſemper ſe ipſo deterior conſummatur. Tanto ergo ſibi vnuſquiſque ſollicitè metuat, quanto ignorat quod reſtat, quia quod ſæpe dicendum eſt, & ſine obliuione retinendum, multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

[l] Hom. 38. Euang.

Quocirca prædeſtinationis effecta, hoc eſt, bonæ, XVII.
ac laudabiles actiones diligenter ſectandæ ſunt. Nam ſi quis prædeſtinationis effecta aſſequatur, de ipſa prædeſtinatione non debet eſſe ſollicitus. Huc autem refertur Apoſtoli oratio, qua Galatas [m] monet. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et aliquantò E poſt. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes, ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Et ad Corinthios [n]. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Denique alibi [o]. *Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

[m] cap. 6. 8.
[n] ep. 2. c. 9. 6.
[o] 1. ad Cor. 3. 8.

Rectè autem docet D. Thomas [p] cuiuſque ſalutem ita prædeſtinari à Deo, *vt etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat quicquid hominem promouet ad ſalutem, vel orationes propriæ, vel alia bona, vel quicquid huiuſmodi, ſine quibus aliquis ſalutem non conſequitur. Vnde*

[p] 1 p. q. 23. art. 8.

prædeſtinatio

prædestinatis conandum est ad bene operandum, & orandum, quia per huiusmodi prædestinationis effectus certiundinaliter impletur. Atque ita apparet verè dixisse Petrum per bona opera certam reddi vocationem, atque electionem eo modo, quo potest in hac vita reddi certa. Atque hac ratione interpretor quod ait Theophylactus [a]. *Dei quidem esse vocare, electos autem fieri vel non, nostrum.* Quia videlicet non sine aliquo respectu ad nostrum consensum diuina fit electio, quæ enim à Deo præfiniuntur à causis secundis perficienda, causarum naturæ, earúmque efficientiæ accommodantur, quandoquidem Deus ex communi prouidentia rerum causas non immutat, quo fit, vt quæ à causis necessariis agenda sunt, ita præfiniantur, vt necessariò eueniant, nisi fortè Deus aliquid supra naturam velit efficere, vt cùm iussit stare Solem, & vmbram in horologio Achaz retrocedere, & denique ignem Babylonicum refrigerare. Quæ verò liberè peragenda sunt, salua libertate præfiniuntur, vt minimè mirandum sit, si qui prædestinati sunt ad beatam vitam piis adhortationibus moneantur, vt diuinæ gratiæ respondeant, suásque honestas, ac laudabiles actiones diuinæ vocationi, atque electioni accommodent, quæ quamquam Dei Optimi Maximi munera, & beneficia sunt, nihilo tamen secius etiam nostræ liberæ voluntatis nisum, conatúmque requirunt.

a Matth. 22.

XIX. Atque idcirco ad eas Viri sancti hortantur, vt fusè probat Augustinus [b] allatis Cypriani [c], & Ambrosij [d] testimoniis, qui præterea docet quanam ratione fideles monendi sint, & ad conuersionem, ac perseuerantiam inflammandi, sic autem [e] ait. *Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini. apprehendite saluberrimam disciplinam, quod tamen cum feceritis nolite extolli, quasi de operibus vestris, aut gloriari quasi non acceperitis. Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate, & à Domino gressus vestri diriguntur, vt eius viam velitis, de ipso autem cursu vestro bono, rectóque condiscite vos ad prædestinationem diuinæ gratiæ pertinere.* Paulò autem pòst. *Et si qui sunt nondum vocati, pro eis, vt vocentur, oremus, fortassis enim sic prædestinati sunt, vt in nostris orationibus concedantur, & accipiant eamdem gratiam, qua velint, atque efficiantur electi.* Quod qua ratione intelligendum sit post nonnulla his verbis explicat. *Vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantiam à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis ipse largitur.* Hoc igitur est, quod paulò antè dixit effici electos, hoc est confidere se ad electorum numerum pertinere.

b De dono persen. c. 19. & deinceps.
c lib. 3. ad Quirin. c. 4.
d lib. de fuga sæculi c. 1.
e lib. de don. persen. c. 22.

XX. Hinc apparet quantopere fallantur ij, qui cùm non dubitent diuinam electionem, cùm æternam, tum certam, planéque immutabilem esse, hinc colligunt quicquid mortales agant certum, fixumque esse quicquid futurum sit, & prædestinatos quidem perire, reprobos autem ad prædestinatorum numerum peruenire nequaquam posse; ita omnem adhortationem superuacaneam esse, nec quidquam vel prodesse, vel obesse bonas, aut malas actiones, cùm ex sola Dei libera voluntate ante omnem æternitatem alij quidem ad vitam prædestinati, alij ab ea reiecti sint. Neque verò eorum probanda sententia videtur, qui negant ante meritorum prænotionem quemquam ad gloriam efficaciter eligi. Pro certo enim habendum est, prædestinationem merita præparare, & vt ait D. Thomas, postulare tamquam quidpiam necessariò præcurrens efficax propositum dandi gloriam, ea planè ratione, qua electio eorum, quæ referuntur ad finem, posterior est ipsius finis appetitione. Imo et prædestinationem quippe, & gratiam hoc interesse dixit Augustinus [a], *quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio.* Siquidem, vt idem alibi [b] docet. *Prædestinatio nihil aliud est, quam præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

a lib. de præd. Sanctor. cap. 10.
b lib. de don. persen. c. 14.

XXI. Hæc porrò beneficia pertinent ad gratiam congruam, quæ liberi arbitrij consensum inuoluit, qui liberè quidem, sed certò tamen in prædestinatis futurus est, cùm neque diuina scientia falli, neque diuina præfinitio irrita, atque inanis esse queat. Et quoniam fieri potest, vt inter cætera, quæ ad alicuius salutem præfinita sunt, aliorum adhortatio, atque admonitio censeatur, idcirco Apostolus his verbis hortatur fideles omnes, vt honestas, ac laudabiles actiones complectantur, sine quibus vocatio, aut electio certa, & firma esse non potest.

XXII. Quamquam autem videntur hæc non nullis non solùm difficilia, atque implicata, sed planè eiusmodi, quæ consistere nulla ratione queant, adeò tamen censenda sunt, & vera, & certa, vt alicubi scripserit Augustinus [c]. *Neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Non desunt tamen viri docti, & pij, qui non pauca afferunt Scripturæ testimonia, vt probent neminem eligi ad gloriam, nisi ex meritorum prænotione, sed frustra, vt arbitror, inaniterque laborant. Scriptura enim id, quod est verissimum docet, non dari gloriam nisi propter merita, sed (quod illi non capiunt, vel dissimulant) ante meritorum absolutam prænotionem præfinitur electis gloria, eiusque certus gradus certissimè quidem dandus, sed non absque meritis, quæ diuina prædestinatione præfinienda sunt.

c lib. de don. persen. c. 19.

XXIII. Quocirca gratis, ac liberaliter eliguntur ad gloriam, dandam tamen ex iustitia tamquam bonarum actionum mercedem, & legitimi certaminis coronam. Cùm itaque Christus apud Matthæum [d] ait. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esuriui enim, &c.* Et post pauca ad reprobos. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, esuriui enim, &* quæ sequuntur. Vt omni ex parte constet antithesis, non ipsam regni præparationem simpliciter cum præparatione supplicij, sed regni possessionem cum ipsa supplicij tolerantia, seu perpessione Christus Dominus comparat; & illam quidem paratam esse ex meritis non aliter atque hanc, quia ita præfinita est, vt non nisi ex meritis possidenda sit, quemadmodum absque meritis nemo sempiterna supplicia subiturus est. Ita Augustinus [e]. *Non est ergo, inquit, indignum vt Deus dicat. Ite in ignem æternum eis, qui eius misericordiam per liberum arbitrium respuerunt; & dicat, Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum, eis, qui per liberum arbitrium fidem eius susceperunt, peccata sua confessi sunt, pœnitentiam egerunt, displicuerunt sibi quales fuerunt, & quales per eum facti sunt illi placuerunt.*

d cap. 25. 34.
e lib. 2. de act. con. Felic. Manich. cap. 8.

XXIV. Atque hac ratione ad illa Matthæi [f] verba. *Sedere autem ad dexteram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, ait Epiphanius [g]. *Hoc vult ostendere, quòd non iuxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate.* Et aliquanto pòst. *Si laboraueritis erit vobis paratum à Patre meo, reddet enim Deus ex iustitia præmium.* Quod sexcentis locis docet Augustinus, qui alicubi [h] cum ageret de verbis Pauli. *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Cui redderet, inquit, coronam iustus Iudex, si non donasset* gratiam

f cap. 20. 23.
g Hæresi 69
h li. de grat. & li. arb. c. 6. 2. ad Tim. 4. 8.

gratiam misericors Pater? & quomodo esset ista corona iustitia, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodo ista debita redderetur nisi prius illa gratuita donaretur? Sic etiam loquitur Cyrillus [a] dum verba Christi explanat. *Non est meum*, ait, *dare supremum honorem vobis petentibus, qui reseruatus est in præscientia Patris illis, quos excessus certaminis commendauerit.*

a lib. 10. Thes. cap. 6.

XXV. Non committam, vt hoc loco elegantissima Ambrosij [b] verba desiderentur. *Non est*, inquit, *meum, qui iustitiam seruo, non gratiam, denique ad Patrem referens addidit, Quibus paratum est, vt ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Vnde & Apostolus ait. Quos præsciuit, & prædestinauit. Non enim ante prædestinauit, quàm præsciret, sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit.* Loquitur enim Ambrosius more Græcorum, & veterum Patrum, qui prædestinationem proximè referebant ad gloriam, & eius assequutionem, quam meritò præscientia bonarum actionum posteriorem esse censebant. Quomodo etiam loquitur aliquando Augustinus [c], qui quod ait Paulus ad [d] Ephesios. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: non video*, inquit, *quomodo sit dictum nisi in præscientia.* Vt videantur veteres omnes loquuti de postremo prædestinationis effectu, quem procul dubio præcurrit præscientia priorum beneficiorum Dei, id est, vocationis, & iustificationis; & quod alibi docui, non videntur veteres de ordine, quem vocant intentionis egisse, in quo primum occupant locum, quæ sunt executione postrema, sed de ipsa executione tantùm disseruisse, in qua voluntas dandi gloriam sequitur meritorum prænotionem, nisi quis malit, quod alibi planius docui, veteres omnes loqui de scientia quadam eorum, quæ nonnisi quibusdam positis futura sunt, quæ procul dubio prædestinationem anteuertit.

b lib. 5. de fide cap. 4.
c lib. 1. ad Simplician. q. 2.
d cap. 1. 4.

XXVI. Neque aliter accipienda sunt, quæ scribit Chrysostomus [e], qui ait, *dignitatem præparatam esse, vt coronam certantibus, & pro ratione certaminis.* Loquitur enim de vltimo prædestinationis effectu, hoc est, præparatione gloriæ tradendæ, & quidem ex iustitia, qua etiam ratione loquitur Hieronymus [f], explicans enim Prophetæ verba. *Si volueritis, bona terræ comedetis. Liberum*, inquit, *seruat arbitrium, vt in vtramque partem, non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit*, quæ apertissimè pertinent ad exsecutionem. Et alibi [g], *Dilectio, & odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus; alioquin nouimus, quòd omnia Deus diligat, nec quidquam eorum oderit, quæ creauit, sed propriè eos sua vindicat caritati, qui vitiorum hostes sunt, & rebelles, & è contrario illos odit, qui à Deo destructa cupiunt rursus exstruere.* Nam citra vllam dubitationem de duplici amore loquitur, quorum alter est erga omnia creata, qui est quodam modo naturalis, quo diligit etiam Dæmones, ac damnatos, quatenus eos vult suam retinere naturam.

e Hom. 35. in Matth.
f lib. 1.
g Malach. 1.

XXVII. Alter verò est non gratuitus, sed quasi ex iustitia manans, de quo Salomon [h]. *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me inuenient me*; atque hic ex præscientia futurorum, & cuiusque meritis oritur. Præterea verò concipiendus est in Deo amor quidam planè gratuitus, ac liberalis eorum præsertim respectu, quæ sunt supra naturam, quæque valent ad gratiam & gloriam consequendam, de quo loquitur Ioannes [i]. *In hoc est caritas non quasi nos dilexerimus Deum sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Et apud Oseã [k] ait Deus ipse *Diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis.* At Hieronymus non de hoc amore loquitur, sed de eo, qui ex iustitia debetur, de quo etiam loquitur ad Edibiam [a]. *Vasa, ait, misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam, non irrationabiliter saluat, & absque veritate, sed causis præcedentibus, quia alij non susceperunt filium Dei, alij autem recipere sua sponte voluerunt, ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* Nam & hæc de exsecutione accipienda sunt.

h Prou. 8. 17.
i 1. Epist. c. 4. 10.
k cap. 14. 5.
a quæst. 10.

XXVIII. Nec mirum est electionem referri ad gloriæ possessionem, cùm & Augustinus [b] eodem interdum modo de electione loquitur, cùm enim explicaret verba illa Pauli [c]. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret*, mutata omnino nihil interpretatione, vt alibi [d] monui. *Non ergo*, inquit, *secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est, non quia Deus inuenit opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad Regnum cælorum, nam nisi esset electio, non essent electi, nec rectè diceretur, quis accusabit aduersus electos Dei?* Illico autem subdit. *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio, nemo enim eligitur nisi iam distans ab eo, qui reiicitur. Vnde quod dictum est. Quia elegit nos ante mundi constitutionem; non video quomodo dictum sit nisi in præscientia.*

b lib. 1. ad Simplician. quæst. 2.
c ad Rom. 9. 11.
d Loc citat.

XXIX. Quæ sanè omnia absque vlla dubitatione de ea electione accipienda sunt, qua Iusti ad vitam æternam eliguntur. Idcirco enim ait iustificationem electione priorem esse, cum tamen ex Augustini sententia electio, quæ pertinet ad prædestinationem, tamquam omnium reliquorum causa vocationem, iustificationem, cæteráque omnia bona anteuertat.

XXX. Quocirca sub finem quæstionis duas apertè electiones distinguit. *Igitur*, inquit, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quandoquidem nec velle, nec currere nisi eo mouente, atque excitante poterimus. Quòd si electio hic fuit aliqua, vt sic intelligamus, quod dictum [e] est. Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, non vt iustificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed vt eligantur, qui iustificentur. Certè ita occulta est hæc electio, vt in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit, aut si apparet, quibusdam ego in hac re infirmitatem meam fateor.* Cùm dixisset nullam apparere causam huius electionis, concludit. *Restat ergo vt voluntates eligamur, sed voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo potest, hoc autem vt occurrat non est in hominis potestate.*

e ad Rom. 11. 5.

XXXI. Et ne videatur aliquid admittere contra iustitiam subdit. *Numquid iniquitas est apud Deum exigentem à quo placet, donantem cui placet, qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum; numquid iniquitas est apud Deum? absit. Quare tamen huic ita, & huic non ita? homo tu quis es? debitum si non reddis, habes quod gratuleris, si reddis non habes quod queraris. Credamus tamen, etsi capere non valemus.* Quæ sanè omnia eò spectant, vt significent prædestinationem ad gratiam, quæ propositum dandi gloriam subsequitur, ita esse gratuitam, ac liberalem, vt omnia prorsus merita præcurrat, & omnium sit causa meritorum. Quocirca quod paulò antè dixit de electione iustorum ad gloriam, ad exsecutionis ordinem referenda sunt. Tunc enim non dum exorta hæresi Pelagiana, de diuina prædestinatione ad gratiam non subtiliùs disputauit, quamuis eam suam disputationem ita commendet, vt in ea dicat pro libero arbitrio pugnatum, sed vicisse gratiam.

XXXII. Cæterùm cùm hoc loco Petrus vocationem, atque electionem nominet, & vtriusque certitudinem, ac firmitatem ab honestis actionibus pendere affirmet, mihi valdè fit verosimile, quod etiam suprà

indicaui loqui illum de electione, quę exsecutionem, & ipsa prædestinationis effecta respicit, quæque otitur ex prænotione meritorum; nam vt paucis rem difficillimam expediam, sic de prædestinatione, atque electione sentio. In primo veluti articulo, vt more nostro loquamur in se ipsa diuina mens intuetur omnes hominum series, quas create potest, & quicquid in iis aut simpliciter, aut quibusdam conditionibus positis etiam contingenter, ac liberè futurum sit. In secundo elegit hanc, quam condidit mortalium classem omnibusque positis vidit, quid vniuersim omnibus, & priuatim singulis euentutum esset. Tertio decreuit ex vniuersa hominum multitudine quosdam seligere, quibus gloriam spontè, ac liberè, & propriis meritis comparandam destinaret. Quarto ad eam consequendam singillatim electis alio, atque alio modo gratiam efficacem, & congruam vocationem, & singula denique merita præfiniuit, quibus certus, ac definitus gloriæ gradus respondeat. Quinto vidit omnes electos vi suæ gratiæ in iustitia, & sanctitate ad extremam vsque vitæ spiritum perseuerare, quam ob causam Sexto institiæ decreto suam cuique mercedem, & gloriæ coronam præparauit.

XXXIII. Itaque cùm ait Petrus *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, atque electionem faciatis.* Si verba illa respiciant vocationem, qua quis vocatur ad gratiam, & præparationem gloriæ, quæ ex iustitia debetur, verissimam, apertissimámque sententiam continent, congrua namque, & efficax vocatio, vt non semel monui, ita est diuinæ liberalitatis beneficium, vt tamen liberi arbitrij consensum inuoluat, qui ita à gratia efficitur, vt non nisi à libero voluntatis arbitrio proferatur. Præparatio verò gloriæ, quæ ad iustitiam pertinet ab honestis actionibus tota pendet, quia, vt ait Apostolus, *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Miror igitur quosdam ex hoc loco voluisse colligere electionem ad gloriam, quæ pertinet ad prædestinationem, oriri ex prænotione meritorum: cùm prædestinatio ad gratiam, eámque efficacem, quæ omnia prædestinationis effecta complectatur, vt rectè obseruauit D. Thomas, ad gloriam referatur tamquam ad finem, necesse vt sit propositum dandæ gloriæ præcessisse, & quidem efficax, cuiusmodi est ipsa prædestinatio ad gratiam. Nam qui prædestinationem inchoari putant à gratiæ sufficientis præparatione, quam constat esse omnino liberalem, & quouis merito antiquiorem, quam tamen suspensam, vt dixi, & pendulam esse autumant, quoad liberi arbitrij consensum gratia reddatur efficax, & ipsa prædestinatio absoluatur, & certa, ac firma reddatur, cùm plus tribuunt libero arbitrio, quàm recta ratio patiatur, tum etiam cum Augustini sententia apertissimè pugnant.

XXXIV. Etenim cùm Pelagiani dicerent *voluntatem, qua Deo credimus donum esse Dei, quia de libero exsistit arbitrio, quod cùm crearemur, accepimus*, respondet [a] ipse. *Attendat, & videat non ideo tantùm istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verùm etiam quod visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus.* Et post nonnulla. *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat, profectò & ipsum velle credere Deus operatur in nobis.* Mitto quòd alias semper Augustinus ait Deum facere, vt velimus, & vt faciamus. Alicubi autem expendens verba Pauli [b]. *Si credideris saluus eris. Ideo*, inquit, *hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea facimus, & Deus facit, vt illa faciamus. Sunt per Prophe-*

[a] lib. de Spir. & litt. c. 34.
[b] ad Rom. 10

A *tam Ezechielem* [a] *apertissimè dicit, quid enim apertius, quam vbi dicit. Ego faciam, vt faciatis?* Quo etiam pertinent illa, cùm ait, gratiam scilicet efficacem à nullo duro corde respui, idcirco enim dari, vt cordis duritia primitùs auferatur, quod de gratia illa, quam sufficientem appellant verè affirmari nequaquam potest, cum illa à plurimis reiiciatur, sed hac de re nimis fortasse multa, redeo igitur ad Apostolum.

Hac enim facientes non peccabitis aliquando. Ita ne verò? planè si continenter honestas actiones exerceant, eas præsertim, quas enumerauit, omni vacabunt culpa. Ita Oecumenius relatiuum *hæc*, ad superiora refert, hoc est, *virtutem, cognitionem, continentiam*, & quæ sequuntur. Probabile. At fortè probabiliùs proximè dicta interpretabimur, bona videlicet opera, quibus satagendum dixerat, vt certa vocatio, & electio fiat. Porrò pro eo, quod Interpres dixit, *peccabitis*, Græcè scripsit Petrus πταίσητε, hoc est, *non labemini.* An igitur qui hæc Petri consilia complectitur numquam excidet, numquam labetur, numquam offendet? Atqui Salomon [b] ait. *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et planiùs Ioannes [c] Apostolus. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Denique Augustinus frequenter docet omnes iustos verissimè illa orationis Dominicæ verba vsurpare. *Dimitte nobis debita nostra.* C Qua igitur ratione verum erit, quod hic ait Petrus. *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando?* An idem indicat quod aliis verbis Ioannes [d]. *Omnis qui natus est ex Deo non peccat?* Vt significet quamdiu in iustitia, & sanctitate perseuerat non peccare, ac ne posse quidem peccare lethaliter, cùm id ex aduerso cum iustitia, & sanctitate pugnet?

Sed quoniam, vt dixi, Græca vox lapsum, & offensionem significat, videri posset perfectam quamdam innocentiam omnis labis prorsus expertem polliceri. Sanè si de graui, & lethali culpa loquatur Petrus, omninò verè dixit iustos, qui laudabiles, atque honestas actiones exercent, non peccare. Primùm quia, vt paulo ante indicaui, iustus, qua iustus est, & honestè, atque ex virtute viuit, non peccat, ac ne potest quidem peccare, nam vt ait Ioannes [e]. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo* D *natus est.* De his enim idem Ioannes alibi [f] dicit. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hi nimirùm Christum tamquam Parentem, ac Magistrum sequuntur, qui alicubi [g] dixit. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et alibi [h]. *Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.* Monet certè Paulus [i]. *Vt sicut in die honestè ambulemus.* Dixerat autem paulò antè. *Abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Alio item [k] loco. *Nos autem qui diei sumus sobrij simus.*

XXXV.

XXXVI.

Deinde quia qui certam, ac firmam suam faciunt vocationem, & electionem, hoc est, qui diuinitus E prædestinati, atque electi sunt, non ita excident à gratia, vt pereant, sed vel omnis labis expertem, & prorsus integram vitam ducent, & si aliquando labentur, aut offendent antequam è viuis excedant, certò reuocabuntur ad gratiam, atque ita à prædestinatione nullo modo excident. De his enim dixit Christus apud [l] Ioannem. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eos quis, quam de manu mea.* Et mox. *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* Et Augustinus [m]. *De illis autem dubium, ait, de quibus dicit Apostolus* [n]. *Nouit Dominus, qui sunt eius. Et* [o]. *Quos præsciuit,* ipsos,

XXXVII.

[a] cap. 36.
[b] Eccles. 7 d. 21.
[c] ep. 1 c. 1. 8.
[d] ep. 1. c. 3 et
[e] ep. 1. c. 3. 9.
[f] Ioan. 1.
[g] Ioan. 8. 12.
[h] Ioan. 11. 9.
[i] ad Rom. 13. 13.
[k] 1 ad Thes. 5. 8.
[l] cap. 10. 28.
[m] Tract. 48 in Ioan.
[n] 2 ad Tim. 2. 19.
[o] ad Rom. 8. 29.

[illegible] & præd[illegible]inauit, quos autem prædestinauit, ipsos & [illegible] quos autem vocauit, illos & iustificauit, quos autem iust[ificauit] ips[os] & glorificauit. De quibus istis nec lupus [illegible] fur tollit, nec latro interficit, securus est de numero [illegible] quis pro eis nouit, quod dedit. & hoc est, [illegible] Non rapiet eas quisquam de manu mea.

[illegible] plane modo loquitur Hieronymus [a]. *Vnde, [illegible] oues Domini, quæ sequuntur eum, non rapiuntur de manibus eius, & ipse dicit Pater quod dedit mihi [illegible] manus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. E[x] quo perspicitur vna Patris, Filijque potestas, [illegible] substanti[a] [illegible] eum de Filij manu, quæ dedit Pater nemo potest rapere, & hæc eadem in Patris manu sunt quæ non rapiuntur ab eo, liquidò comprobatur omnia Patr[is] & Fi[lij] [esse] communia, & in Filij manu tene[ri] [Pa]trem, [quo]niam Patris manu tenentur, quæ Filij sunt.* Nequ[e] [al]iter sensit Chrysostomus [b]. *Nam vt intelligas, [illegible] particulam; quia Pater meus, qui dedit mihi; [pro]pter [illegible] dictam ne iterum Deo contrarium dicerent, cum dixi[sset]. Nemo rapiet eas de manu mea, prosequens [illegible] & [illegible] manum vnam esse ostendit.* Aliquan[to] autem [illegible] Augustinus [c]. *Quid est hoc. Nemo rapit de manu mea, & nemo rapit de manu Patris mei [illegible] vna manus est Patris, & Filij? An forte [illegible] Filius manus est Patris sui? Si manum intelligamus potestatem, vna est Patris, & Filij potestas, quia vna est diuinitas. Si autem manum intelligamus, sicut dictum est [per] Prophetam [d]. Et brachium Domini, cui reuelatum e[st]? Manus Patris ipse est Filius.* Et post nonnulla. *E[t] nemo rapit de manu Patris mei, hoc est, nemo rapit mi[hi].*

XXXIX. Ita v[i]deas nullum prædestinatis lapsum pertimescendum esse, quoad interitum ruant sempiternum. Quamobrem dicerent Theologi in scholis ex hypothesi, vel in sensu composito non posse prædestinatos ita peccare, vt in eo facinore absque vera pœni[tentia] diem claudant extremum. Vtrùm autem hoc significe[t] Ioannes, cùm ait. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, [et] non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*, suo loco videro. Postremò accedit, quòd ipsu[m] hone[sta]rum actionum studium, atque exercitatio animum [f]irmat, ac roborat ad voluptatum illecebras, & lenocinia superanda, Dæmonis oppugnationes vin[cen]das, omnia denique peccata facilè cauenda. Hoc enim modo dixit olim quidam, cùm ad adulterium pertraheretur. *Quomodo ergo po[ss]um hoc malum facere [et] peccare in Dominum Deum meum?* Et alia [f] quæpiam cum ad persimile facinus mortis comminatione compelleretur exclamans dixit. *Angustiæ sunt mihi vndique, si enim hoc egero mor[s] mihi est, si autem non [eg]ero, non effugiam manus vestras. sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in [co]nspe[ct]u Domini.*

XL. Nec de d[iuin]æ gratiæ præsidio dubit[a]ndum est, [cu]m certissimum sit, neminem a Deo deseri, quin [illegible] ipse sponte a Deo recedat. Quippe, vt ait Augustinus, *In malo ip[s]ius prior est voluntas eius, in bono autem prior est voluntas Creatoris eius.* Quo[cir]ca lu[cule]nter docuit [illegible]lius [g] non esse Deum malorum au[ct]orem, nec [illegible] quemquam sua scelera, atque fl[agitia] in di[uinam] [re]ferre vol[u]ntatem.

XLI. Q[uo]d qua rati[o]ne tueantur, atque explicent [illegible] qui hu[ma]nam voluntatem diuini, atque [illegible] decre[ti] impulsu ad ipsam flagitij naturam, & [illegible]am acti[o]nem excitari, vt illi aiunt, [illegible] [illegible] si quis fortè [illegible]cipiat, ego meam [illegible], atque hebetudinem fa[te]or id as[sequi] [illegible] p[o]sse. Legi enim apud Augusti[num] [illegible] *Nu[squam] autem legimus in sanctis Scripturis, non est voluntas nisi a Deo, & rectè non scriptum*

Bened. Instiga[illegible] Epist. Canon.

A *est, quia verum non [illegible] [illegible] quod ab it, au[ct]or est [illegible] ab illo, quoniam [illegible] est etiam si de[illegible] potestatem.* Quo loco nemo cr[e]d[at] [illegible] voluntatis nomine non ipsum [illegible]que facultatem, sed actionem [illegible] functionem significari. Nam [illegible] facultate loqueretur Augustinus, [illegible] negasset verum esse omnem voluntatem, hoc est, animi facultatem esse à Deo, cum [illegible] intelligeret quicquid vsquam extat, & in [illegible] rerum numeratur Deum habeat auctorem, & architectum.

B Negat igitur omnem voluntatis functionem esse à Deo, idque ob eam ipsam causam, quod si secus sit, fateri oporteat Deum esse peccati auctorem, quod mens, & recta ratio abominatur. An hîc arguta illa, & peracuta distinctio admittenda est, qua malam voluntatem in duo veluti membra secant, & si spectetur id, quod in actione à natura inest, eam esse omnino bonam, atque adeò posse esse à Deo, sin autem inspiciatur id, quo actio m[al]a, & vitiosa dicitur, id verò nullo modo à Deo auctore proficisci, sed liberi arbitrij peccatum esse. Video hoc præclarò inuentum, si Deo placet, grauissimis Theologis vehementer probari, mihi cur reijciendum, nullâque ratione admittendum videatur, alibi copiosiùs docui, quàm breuissimè autem fieri poterit in C præsentia ostendam. XLII.

Ponendum enim est, quod ait Augustinus, non omnem voluntatis actionem esse à Deo. Atqui nulla est functio humanæ voluntatis t[a]m nefaria, atque improba, cui non adnectatur totum id, quod in ipsa actione Natura constat, atque adeò naturalem quamdam, vt isti volunt, boni[ta]tem insitam habet. Quemadmodum igitur omni[s] pot[est]as, vt natura cõstat, suamque retinet bonitatem, v[ti] à Deo tamquam auctore, & Conditore pendet, cur non eadem ratione omnis functio volũtatis, quæ [illegible] sua inhęrẽti bonitate spoliari nequit, nõ æquè dic[at]ur à Deo pendere? Nam ne mala quidẽ potestas, hoc est, qua quis abutitur ad humana, diuinaque iura violanda, [e]t malitiam, & vitiositatem habẽt annexam, esse potest à Deo, cùm tamen August. tamquam verissimũ admittat, quod ait Apostolus. *Non est pote[stas] nisi à Deo* contrà verò neget verè dici posse, non es[se] voluntatẽ nisi D à Deo, quod tamen isti verissim[um] [e]sse affirmant. XLIII.

An solam vitiositatem, a[c] mali[tia]m neg[e]t Augustinus Deo tamquam Auctori tribuendam? Sane si de concursu diuino, quo causis om[n]ibus adest, omnésque actiones fouet, & quodammodo vegetat, disputatio instituatur, equidẽ non abnu[o] [e]um Deum tamquam primam causam ei actioni [illegible] præbere concursum [co]mmunis prouidentiæ vi, q[u]a hu[ma]næ libertati sese quodammodo accõmodat. C[aeteru]m de absoluta & præcurrẽte Dei voluntate & ac[tio]ne, [q]ut, vt isti loquũtur, impulsu penitus nego Cùm [illegible] siue suapte natura, siue ex adiunctis nec[essario] sit annexa malitia, non potest Deus quemqu[am] a[d] eiusE modi functionem excitare, quin necessaria co[niunctione] adiunctam malitiam præstituat; atque de[cernat]. XLIV.

Non [illegible] mẽ fugit homines acutos, & mult[o]rum iudicio v[iros] [d]octos ita disputare, [u]t dicãt D[eum] infinita quadã vi, ac potestate præditum secare que[m]admodo actionẽ in duas veluti partes, & præhnire [illegible] quid in ea naturale ac bonum est, non [au]tem vitiositatem, quæ illi vi liberi arbitrij adnectitur. Sed aueo scire vtròm vi solius intel[l]igentiæ, ac diuinæ m[ente]s Deus actionis bonitatem à prauitate seiungat, [a]n etiam voluntatis diuinæ functione. Si prius [illegible] id XLV.

 asserant,

asserant nihil est, quòd ad Dei infinitam vim, ac potestatem confugiant, nullus est enim adeò stupidus, ac bardus, qui non sua qualicumque ingenioli hebetudine, ac tarditate bonitatem actionis à vitiositate secernat, planéque intelligat illius functionis naturam & bonam esse, & à Deo manare, improbitatem verò nonnisi ab humano arbitrio accedere; quo tamen admisso nemo nisi amens dixerit, eum, qui cædem, aut adulterium admiserit, quia vi mentis, & cogitationis, eius bonitatem à malitia seiungit, ac segregat, non esse verè, ac propriè sceleris, ac flagitij causam.

XLVI. Quod si Deum velint etiam voluntaris actione ita velle bonitatem functionis creatæ, vt nullo modo velit vitiositatem annexam, id primùm vident, quod latuit Augustinum, qui, si omnis voluntas à Deo sit, Deum fore peccati auctorem non dubitauit. Deinde sciscitari libet quanam ratione diuina voluntas cum annexa malitia conferatur, vel enim efficaci voluntate vult actionis bonitatē, eadémque efficacitate non vult malitiam, vel cum efficaciter velit subiectā actionem voluntate minimè efficaci, nolle dicitur (vt more nostro loquamur) malitiam, quæ ei adnectitur. Et vt ab hoc posteriori mēbro exordiar, vt nihil dicam voluntatem minùs efficacem diuinæ maiestati non satis congruere eorum respectu, quæ à sua diuina efficacitate omni ex parte pēdent; hac ipsa inefficaci voluntate nollet malitiam, qui aliquo scelere obstringitur. Adulter enim ita imputam voluptatem sectatur, vt annexam illi malitiam horreat potiùs, quàm appetat, adeòque vellet nullam ei malitiam subesse, vt extra culpā, ac vituperationem licentiùs, ac libentiùs voluptate perfrueretur. Verùm quoniam voluptatem simpliciter appetit, quæ à malitia eximi nequit, idcirco meritò dicitur simpliciter velle malitiam. Si igitur Deus eadem omnino inefficaci voluntate malitiam recusat, cùm actionem efficaciter velit, persimili ratione simpliciter velle malitiam censendus est.

XLVII. Quòd si prius membrum magis placeat, intolerabilior sequitur absurditas, fateri enim necesse est, si Deus efficaciter non vult malitiam, quæ tamen te ipsa actionem intimè comitatur, efficacem aliquam Dei voluntatem suo effectu carere, quo nihil potest absurdius, aut tanta maiestate indignius cogitari, quomodo enim verum erit. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra?* Aut quod ait Paulus [a]. *Voluntati enim quis resistet?* Huc accedit quòd secum ipse Deus quodammodo pugnare videretur, si ex iis, quæ suapte natura, vel ex adiunctis ita sunt inter se connexa, vt seiungi, separatíve non queant, alterum efficaciter velit, alterum eadem efficaci tate nolit. Nam si hoc ipso quòd Deus efficaciter non vult malitiam, legis vim, & auctoritatem aut soluit, aut laxat, cur scelerum rei censendi sunt, qui ea perpetrant; quæ diuina auctoritate omni culpa liberantur?

a ad Rom. 9. 19.

XLVIII. Quid quòd pleraque sunt eiusmodi, vt à vitiositate, prauitatéque exími, aut absolui non queant? Quis enim odium Dei, periurium, blasphemiam, idololatriam, & id genus alia penè sexcenta ab infita, atque innata vitiositate seiungi posse existimabit? Sitigitur hæc vera sunt, vt profectò verissima censeri debent, vt multùm nitantur, ac sudent hæretici, illud quidem non repugnantibus nobis facilè obtinebunt, etiamsi Deus malam actionem absolutè velit; non esse illum aut sceleris reum, aut culpæ affinem, qui nulli legi, nullique superioris præcepto subiacitur. Illud non assequentur, vt Deum eximant ab efficientia peccati, quia actionis, cui peccati malitia est penitus annexa, sit vera, & primaria causa, quo fit, vt nullo modo cohæreant quæ isti dicunt, procedere à Deo, quæ scelerate ab hominibus malefica perpetrantur, & rerum omnium primam causam esse Dei voluntatem, eam tamen non esse peccati causam. Nam quemadmodum Deus si sit causa & auctor trianguli, necessariò facit vt is triangulus tres angulos habeat æquales duobus rectis, quia id naturam trianguli necessariò comitatur, ita si efficaci voluntate vult odium Dei, eadem efficacitate vult vitiositatem, ac malitiam quæ illi necessariò inest. Nam quod nonnulli de diuino concursu obiiciunt, facilè refellitur, diuinus enim concursus, voluntaris humanæ actionem non præuertit, sed comitatur, & sese causis secundis accommodat, atque idcirco humanæ libertati quodammodo sese subiicit ex vi suæ legis qua voluit omnes causas suo diuino concursu fouere, & integram atque illæsam hominis permittere libertatem. Itaque nemo iure potest suis flagitiis diuinam auctoritatem prætexere, nullius est Deus sceleris causa, nec Deo auctore quisquam fieri potest deterior, sed vitio suo quisque peccat, & vt ait Iacobus [a], *Deus neminem tentat, sed intentator potiùs malorum est, vnusquisque autem tentatur à concupiscentia propria abstractus, & illectus.* Contrà verò qui virtutem sectantur, & honestas, ac laudabiles actiones exerceot, diuinam opem assiduè implorant, omni denique studio, ac diligentia ad capessendam, retinendámque cœlestem, ac diuinam gratiam adhibent, non peccabunt aliquando, sed castè, atque integrè vitam traducent, quod hoc loco ait Petrus. *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Sed contrà potiùs, qui ita vitæ suæ rationes composuerit, aditum sibi ad cœlestem patriam reserabit, quod mox explicans Petrus subiicit.

a cap.

11\. *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.*]

L. Rectè superioribus hæc adnectuntur. Fructus enim honestæ, ac laudabilis vitæ non in eo tantùm positus est, vt peccata vitentur, sed præterea beatam, ac sempiternam vitam parit; idque præcipuè post Christi ad nos aduentum, qui sua morte cœlestis Patriæ occlusas diu ianuas patefecit, quod vt arbitror in Christi Baptismo indicatum est; tunc enim, vt ait Matthæus [b], *Aperti sunt ei cœli*, vt quiuis facilè intelligeret Baptismi Sacramento aditum nobis in cœlum patere. Olim autem in veteri Testamento, etiam si iusti salutem assequebantur, cogebantur tamen in limbo tam diu expectare, quoad Christus cœli ianuas recluderet. Quocirca Paulus [c]. *Nondum*, ait, *propalatam esse Sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum.* Et alibi [d] de priscis illis Patribus scribit. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes.* Quò spectans B. Hieronymus [e]. *Ante Christum*, inquit, *Abraham apud inferos, post Christum latro in Paradisum.* Et alibi [f]. *Sanguis Christi clauis est Paradisi, terram enim viuentium, quam primus Adam perdidit, secundus inuenit, imò perditam redemit.*

b cap. c ad Heb. 9. d cap. 11. e ep. ad Heliodor. f e[illegible] ad Dardan.

11\. Ait igitur Petrus. *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum.* Etenim vox illa, *Sic*, ad superiora refertur quasi dicat, Qui satagunt per bona opera certam facere suam vocationem, & electionem digni sunt, quibus cœlestis [illegible] præmium, & corona reddatur. Pro eo autem, quod Interpres Latinè dixit, *abundanter*. Græcè est πλουσίως, quo loco Ambrosius [illegible] legit, *abundantius.* Vt appareat tamen [illegible] D[illegible] b[illegible] s, & [illegible] ag[illegible] ficentia, quæ, vt Theologi d[illegible] [illegible] on [illegible] gnum præmia largitur. Q[illegible] [illegible] ob[illegible] [illegible] dixit alicubi Paulus [h]. *Non sunt condigna* [illegible]

h Rom. 8.

temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et ... ego fallor cò spectat similitudo desumpta à ser...nte, cum idem Apostolus ait [a]. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Quemadmodum enim messis sementem longè superat, ita præmij magnitudo si c... labore conferatur multis nominibus excellit, & præstat. Quocirca dixit idem Apostolus [b]. *Quod in momentaneum est, ac leue tribulationis nostræ, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* ...um enim si ipsum per se præmium cum labore ...f...tur, cùm hic quidem breuis sit, illud verò sempiternum, planè liquet copiosam, atque abundantem fore iustorum remunerationem.

Porrò hoc præmium ministrari dicitur, vt appa...at gratiæ, & gloriæ præparationem diuinæ munificentiæ, ac liberalitati acceptam esse referendam. Di...r autem Græcè Petrus ἐπιχορηγηθήσεται, quasi di...t, subministrabitur. Neque enim mentitur Deus, ...l gitime certantibus immortalitatis coronam ...cuus est. Ita Christus cùm de futuro præmio ...reret [c]. *Amen*, inquit, *dico vobis, quod præ...t se, & ... illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Subministrabitur autem *introitus in regnum cælorum*, hoc est, in illam beatorum sedem ac cœlestem patriam, quam Christus Dominus regni nomine sæpius descripsit. Nam Euange...i promulgationem his verbis exorsus est [d], *Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum:* Et sæpè alias plurimas de regno cœlesti proposuit [e] parabolas & vt in Actis Apostolicis scribit Lucas [f]. Illis quadraginta diebus, quibus post reditum ad Superos inter mortales vixit plurima de cœlesti regno docuit Apostolos. Dicitur autem beata vita regnum primùm ob amplitudinem illius cœlestis patriæ, quocirca Baruch [g]. *O Israel*, inquit, *quàm magna est domus Dei & ingens locus habitationis eius.*

IV. Quàm sit autem amplum cœleste regnum, si loci ambitum spectes inde facilè colligas, quod situm est in cœlo empyreo, hoc est, supremo, omniùmqoe amplissimo orbe, cùm tamen magnitudo totius terræ, si cum orbe Lunæ, quæ citima nobis est, conferatur, instar puncti Sapientum omnium consensu censenda sit. Deinde ob ciuium frequentiam, ac multitudinem; nam de beatis mentibus corporis mole solutis ait Paulus [h]. *Accessistis*, inquit, *ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Et Daniel [i]. *Millia millium ministrabant ei, & decies millia, centena millia assistebant ei.* Iob [k] verò. *Numquid est numerus militum eius?* Quasi diffidat cogitatione assequi cœlestium militum magnitudinem. His adde propè innumerabiles Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Pastores, Doctores, Sacerdotes, Leuitas, Monachos, Anachoretas, sanctas denique Virgines, Viduas, ac Matronas. Neque ciuium multitudo angustias parit, vt enim ait Augustinus [l]. *Regnum Dei crescente possessorum numero non minuitur, quia non diuiditur; vnicuique integrum est, quod concorditer habetur à multis.*

V. Erit præterea regnum sempiternum, ac sine fine, ait enim Angelus ... *Et regni eius non erit finis.* Et Augustinus [n] hoc ait cœlestis, diuinique regni proprium esse. *Habent*, inquit, *mutationes regna terrena*, mox autem subdit mentitos esse eos, qui regnis terrenis polliciti sunt æternitatem. *Qui hoc*, ait, *regnis terrenis promiserunt, non veritate ducti sunt, sed adulatione mentiti sunt.* Poëta illorum quidam inducit Iouem loquentem, & ait de Romanis.

Hic ego, nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi ———

Nec minori assentatione Ammianus [o] Marcellinus Vrbem Romam *æternam*, vocat, *victuram quamdiu erunt homines.* At verissimè de æterno Beatorum regno scripsit Daniel [a]. *Potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Huic regno præest quidem Summus, ac Supremus Monarcha Deus, ... tamen omnes beati regiæ potestatis quodam modo participes erunt, nam de illis in Apocalypsi [b] scriptum est. *Et regnabunt in sæcula sæculorum.* Et apud Matthæum [c] dixit Dominus. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et apud [d] eumdem ad regni possessionem vocantur. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Quocirca Iacobus [e] ait. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Quinetiam in Apocalypsi [f] sedere dicuntur in throno Dei. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Denique Ioannes [g]. *Ego*, inquit, *Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno.*

VII. Postremò erit hoc regnum opulentissimum, ac bonis omnibus affluens. Erunt autem eius regni bona & ab boni periculo libera, & mali prorsus expertia. Verè enim scripsit Dauid [h]. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Et Ioannes [i]. *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.* Cùm tamen, vt eleganter docet Chrysostomus [k], bona, quibus mortales Reges fruuntur non caduca modò, & breuia, sed innumerabilibus propemodum periculis obnoxia, & sexcentis malis admixta sint. Quamobrem rectè quidam [l]. *Regnum*, inquit, *cælorum regnum felicissimum, regnum carens morte, & vacans fine, cui nulla tempora succedunt per æuum, vbi continuus sine morte dies nescit habere tempus, vbi victor miles donis ineffabilibus coronatur.* Augustinus autem [m]. *Quid expauescis*, ait, *quia pereunt regna terrena? ideo tibi cœleste promissum est, ne cum terrenis perires, nam ista peritura omninò prædicta sunt. Exurget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, sed veniet ille, de quo dictum est Et regni eius non erit finis.* Atque idcirco hoc etiam loco Petrus ait. *Ministrabitur vobis introitus in æternum regnum.*

VIII. Porrò hoc regnum dicitur *Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.* Vt si diuinitatem spectes, quod obseruauit Ambrosius vnam intelligas Filij ac Patris diuinitatis naturam, eamdemque regni, atque imperij maiestatem. *Quæro autem*, inquit Ambrosius [n], *quomodo regnum velint Patris, & Filij esse diuisum, cùm Dominus dixerit, vt suprà ostendimus. Omne regnum inter se diuisum facilè destruetur. Et ideo ad excludendum Arriana sacrilegium fatuitatis, vnum imperium Patris, & Filij etiam Petrus sanctus asseruit dicens. Quapropter satagite fratres certam vocationem, & electionem facere. Hæc enim facientes non errabitis, sic enim abundantiùs ministrabitur introitus in æternum imperium Dei, & Domini nostri conseruatoris Iesu Christi. Aut si quis de Christo tantùm imperio dictum putat, & hoc ideo sic accipit, vt Patrem, Filiúmque potestate secernat, is tamen & regnum Filij fatebitur, & æternum. Itaque non solum duo inducent regna diuisa, vt obnoxia sint defectui, sed etiam cùm regna comparabilia nulla sint Dei regno, quod Filij esse etiam si velint negare non possunt, aut contra suam sententiam ... vt idem Patris & Filij regnum esse fateantur, aut quod sacrilegium est dicere, ius Patri regni minoris*

[a] ad Galat. 6. [b] 2. Cor. 4. [c] Luc. 12. [d] Matt. 4. [e] Matt. 13. [f] Act. 1. [g] cap. 3. 24. [h] Hebr. 12. [i] Dan. 7. 10. [j] [k] cap. 25. 3. [l] lib. 18. de ciuit. Dei cap. 2. [m] Luc. 1. 33. [n] Serm. ... cap. ...
[o] lib. ...
a cap 7. 14. b c. 22. 5. c cap 5. 3. d cap. 25 34. e cap. 2. 5. f Apoc 3. 21. g Apoc. 1. 9. h ps. 90. 10. i Apoc. 21. 4. k Hom. 66. ad Pop. Antioc. l Auct. lib. manual c. 8. apud Aug. tom. 9. m Serm. 29. de verb. Do. n lib. 5. de fide ad Grat. cap. 6.

Bened. Assimannus Epist. Canon.

 sint

adscribent, aut quod contrarium est, quem minorem diuinitate impiè memorant, cuius regnum fatebuntur æquale.

IX. Tum multis probat regnum Dei, regnum esse Christi, & vt cætera omittam apud Lucam [a] latro in cruce pendens, *Memento mei*, inquit, *cum veneris in regnum tuum.* Et apud Matthæum [b] Christus ipse Petro pollicetur claues regni cælorum, quod profectò, vt ait Ambrosius, *facere non posset, nisi haberet in potestate quod donat.* Denique Paulus [c]. *Hoc enim scitote*, inquit, *intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Ergo subiicit Ambrosius, *Vnum regnum, & vna diuinitas.* Quod aliis multis suo loco ostendimus, & olim aduersus Arrianos plurimi sanctissimi, doctissimique Patres probarunt.

a cap. 23. 42.
b cap. 16. 19.
c ad Ephes. 5. 5.

X. Quod si ad humanam Christi naturam referas, nihilominus verè dixit Petrus regnum illud cœleste Christi Domini regnum esse, siquidem, vt ait Paulus, cùm se vsque ad mortem deiecisset, meritò amplissimam gloriæ coronam adeptus est. *Eumdem*, inquit Paulus [d]; *qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Et alibi [e]. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hanc ob causam dicitur sedere ad dexteram Patris, hoc est, in supremo quodam dignitatis gradu, ac propterea apud Lucam ait. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Regnum suum vocat, quod suis ipse meritis sibi primùm, deinde nobis omnibus comparauit.

d ad Hebr. 2. 9.
e ad Philip. 2. 8.

XI. Ad hoc igitur amplissimum, ac felicissimum regnum ministrabitur introitus non iis, qui solam fidem profitentur, vt mentiuntur hæretici, sed qui honestis actionibus Christi sibi gratiam conciliant, & partam conseruant, & augent, quod paucissimis verbis expressit Paulus, cùm in epistola ad Romanos [f] dixit. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam:* significans cœlestis regni possessionem, & immortalis, beatæque vitæ assequutionem iis tamquam finem spectandam, atque expectandam esse, qui summo studio sanctitatem, vitæque innocentiam sectantur, qui videlicet, vt ait Christus [g] Dominus, *esuriunt, & sitiunt iustitiam.* hoc est, illam auidissimè expetunt, ac persequuntur. Ministratur autem aditus, legis, ac diuinorum præceptorum obseruatione; Quærenti [h] enim adolescenti, quid sibi faciendum esset, vt vitam assequeretur æternam, respondit Christus. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.*

f cap. 6. 22.
g Matt. 5. 6.
h Matth. 19. 18.

XII. Aliquid autem amplius postulare videtur hoc loco Petrus, qui studium, ac diligentiam honarū actionum requirit, vt fideles diuinæ in se liberalitati, ac munificentiæ persimili grati animi testificatione respondeant, neque quod aliàs sæpius monui, pietatis studio quamdiu inter mortales degunt modum, aut finem imponant. Spetare enim debent non defuturum sibi diuinæ gratiæ præsidium, modo ipsi non reluctentur, sed se potiùs mouendos, & agendos præbeant. Ita enim qui expertus erat, dixit alicubi Augustinus [i]. *Proiice te in eum; noli metuere, non se subtrahet, vt cadas, proiice te securus, excipiet te, & adiuuabit te fidelis Deus est, se ipsum negare non potest.*

i lib. 9. Confess. c. 11.

12. Propter quod incipiam vos semper commonere de his, & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate.

I. Ciuiliter admonitionem excusat, & quodam modo mitigat, quod etiam fecit in epistola sua Iudas. *Commonere*, inquit, *vos volo scientes semel omnia.* Quod autem ait Interpres. *Incipiam vos semper monere*, Græcè est οὐκ ἀμελήσω, hoc est, *non negligam*, indicans quod paulo post planiùs docebit id à se munus Apostolicum suo propemodum iure postulare, & ob eam causam dicit non se id muneris neglecturum, nec temerè addit, *semper*, alludens, vt opinor ad id, quod scribit Isaias [a]. *Clama ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam.* Et alibi [b]. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Et suis verbis Paulus [c]. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Hoc enim proprium est munus eorum, qui Ecclesiis præsunt, quibus animarum cura credita est, vt vel hinc appareat, quid de iis Episcopis sentiendum sit, qui Ecclesias suas penitus deserunt, ouium suarum ne vultum quidem agnoscunt; quos meritò possit quis canes mutos appellare [d] *non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.*

a cap. 58. 1.
b cap. 62.
c 2. Tim. 4. 2.
d Isa. 56. 10.

II. Hæc enim omnia in eos maximè cadunt, qui suis Ecclesiis neglectis sua quærunt commoda, & inani, fallacique spe concepta Principum aulam sectantur, honores ambiunt, opes vndique coaceruant, & quasi sui status obliti ea persequuntur, quæ vbi adepti fuerint pluribus, ac maioribus difficultatibus implicentur. Apostolico igitur muneri ne desit Petrus, fideles monet, atque hortatur. Et quidem *scientes*, ait, *& confirmatos*, quasi dicat. Tametsi non dubito vos hæc probè tenere, atque in hoc genere doctrinæ apprimè esse versatos, vt appareat Euangelicam, atque Apostolicam doctrinam non ad erudiendum tantùm, sed etiam ad mouendos, & inflammandos animos referri. Nam si Apostoli, atque Euangelici Doctores nihil sibi proponerent aliud, quàm vt fideles cœlestium, ac diuinarum rerum scientia, cognitionéque imbuerent, quid opus esset apud doctos, atque eruditos verba facere?

III. At quoniam fieri potest, vt qui rerum scientia præstant, rebus agendis torpore aliquo, socordiáque languescant, minúsque sedulò ad praxim ea reuocent, quæ mente perceperunt, monendi, hortandi, atque excitandi sunt. Quò spectasse mihi videntur ij, qui Christianam Theologiam musiis quidem Latinè, sed aptè tamen, ac verè affectiuam esse docuerunt. Quocirca Gregorius [e] cùm de suo Episcopali munere ageret. *Episcopi*, inquit, *est de prædicationis ministerio semper cogitare intentissimo timore considerans, quòd recessurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta seruis distribuens dicat, Negotiamini dum venio. Quod profectò negotium tunc verè nos agimus, si viuendo, & loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos in superno amore roboramus, si proteruos, & tumidos gehennæ supplicia terribiliter insinuando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si supernis amicitiis dediti humanas inimicitias non timemus.*

e lib. 5. Regest. indict. 10. ep. 39.

IV. Id verò aliqua ratione diuinitus indicatum est, cùm Isaiæ [f] pollutis labiis præditum se esse querenti cœlitus Seraphim destinatus est, qui ignito calculo os eius attingeret, & mox eum ad prædicandum mitteret; innuere enim videtur Concionatoris verba ignita esse oportere, vt Auditorum

f cap. 6.

animos

animos inflammare queat Id ipsum exemplo suo docuit Christus, qui cùm aliquando cum duobus discipulis Emauntem tendentibus verba faceret, quibusdam veluti facibus, aut flammis admotis eorum corda adussit, vt illi meritò dicerent [a]. *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Itaque Petrus fideles sibi monendos putat, quamuis illi probè sint instituti, confirmatique in fide, sic enim accipio, quod ait. *In præsenti veritate,* quasi dicat in Euangelica doctrina, quæ hoc demum tempore mundo illuxit, quamquam fortasse præsentem veritatem eam appellat, quam proximè dixerat. Vt satagerent, *per bona opera certam facere vocationem, atque electionem.* Eodem enim modo loquitur Paulus in Epistola ad Romanos [b]. *Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia ita vt possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte tam[illegible], quasi in memoriam vos reducens propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus.*

[illegible] 24. 32.
[illegible] 15.15

V

Ac[illegible] quòd ea est Euangelicæ doctrinæ ratio, vt nemo in [illegible] instructus, atque eruditus esse queat, quin semper quotidiè proficere possit. Quocirca Augustinus [c]. *Tanta est,* inquit, *Christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio meliore ingenio conarer addiscere, non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti tanta in eis perueniatur difficultate, sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè, rectéque non viuitur, tam multa, támque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantáque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligenda sunt latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura [d] quodam loco habet. Cùm consummauerit homo, tunc incipit.*

[illegible] 3 ad [illegible]
d Eccles. 18. 6.

VI.

Mirandum vt sit venisse in mentem Nouatoribus [e] quibúsdam tam liberè prædicare sacras litteras cuinis peruias, ac faciles esse, adeò vt cerdones, ac cæmentarij & si Deo placet lanij eas non intelligere modò, sed alijs interpretari, atque explanare se posse impudenter, ac temerè iactitent.

e Luc. in Prog. Assert. [illegible]. Brent. Prolego.

At mult[illegible] aliter existimauit Dauid, qui Dei opem frequenter implorat, vt diuinam legem scrutari, atque intelligere possit. *Da mihi,* inquit [f], *intellectum, & seruabor legem tuam.* Rursus. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Denique. *Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Quamobrem Hieronymus [g]. *Si tantus,* inquit, *Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas paruulos, & penè lactentes inscitiæ nocte circumdari.* Adde quod Christus [h] Dominus discipulis, qui tamen Hebraicam linguam tenebant sacras Scripturas interpretatur; & in Actis [i] Apostolicis Reginæ Æthiopum Eunuchus Hieronymi [k] testimonio & sanctus, & pius, & humilis, sacras literas legebat, & tamen fatetur, non posse se absque magistro earum sensa percipere. *Quomodo,* inquit, *possum* (videlicet intelligere) *nisi aliquis ostenderit mihi?* Huc accedit quod hac ipsa Epistola [l] Petrus quædam ait esse in Epistolis Pauli *difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant.* Et B. Augustinus [m] difficillimum sibi videri ait locum illum in priori Epistola ad Corinthios [n]. *Si quis autem superædificat supra fundamentum istud, &c.*

[illegible] 118. 34.
g ep. ad Paulin. [illegible] Inst[illegible] ch.
h Luc. vlt.
i cap. 8.
k ep. ad Paulin. de studio [illegible] pt.
l cap. vlt.
[illegible] fid.
[illegible] c.
[illegible] 2

VII.

Certè veteres Patres magnam in sacris literis difficultatem, & obscuritatem agnouerunt, sic enim loquitur Irenæus [o]. *Si ergo & in rebus creatis quædam quidem earum adiacent Deo, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali [illegible] eorum, quæ in Scripturis requiruntur, [illegible] Scripturis [illegible] spiritualibus existentibus quadam quidem absoluamus [illegible] secundum gratiam Dei, quadam autem commendemus Deo, & non solum in hoc sæculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt à Deo?* Neque aliter existimasse videtur Origenes [a], sic enim ait. *Alij quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum eius inuenire potuerunt, licèt re vera sit multis locis obscura.* Et alibi [b]. *Diebus ac noctibus obsecrandum est, vt veniat agnus de tribu Iuda, & ipse librum signatum dignetur aperire.* Et in eamdem sententiam Chrysostomus [c] ad illa Christi verba. *Scrutamini Scripturas. Christus,* ait, *Iudæos ad Scripturarum non simplicem, & nudam lectionem, sed ad inuestigationem perquàm diligentem relegauit. Non dixit legite Scripturas, sed scrutamini, diuina enim summa indigent diligentia, in vmbra enim maioribus illis non aperte loquutus est, idcirco effodere profundiùs iubet, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus, non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tamquam thesaurus profundè reconditur, qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam, & laborem, numquam quæsita inueniet.*

o [illegible] c. 47.
Bened. Iustinian. in Epist. Canon.
a lib. 7 con. Cels. & ho. 5. in Leuit.
b Hom. 12. in Exod.
c Hom. 14. in Ioan.

IX.

Auctor [d] verò imperfecti non mòdò affirmat Scripturas esse obscuras, & difficiles, sed geminam eius rei rationem affert. Tum quia Deus alios voluit esse Magistros, alios discipulos. Tum quia si perspicua esset Scriptura non tam esset vtilis, quàm contemptibilis. Ambrosius [e] porrò. *Mare,* inquit, *est Scriptura diuina habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum.* Sic etiam Hieronymus [f] fusè docet non posse absque Magistro sacras literas percipi ob multas, & magnas difficultates, quæ in singulis libris deprehenduntur. Quodam [g] autem loco ait. *Numquam ab adolescentia aut legere, aut doctos viros, quæ nesciebam interrogare cessaui, aut me ipsum habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maximè causam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia sciscitarer.* Et alibi [h]. *Omnis,* inquit, *Epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus inuoluta est.* Quò referenda sunt ea, quæ de Basilio, & Gregorio Nazianzeno scribit Ruffinus [i]. *Ambo,* inquit, *nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per annos tredecim omnium Græcorum sæcularium libris remotis solis diuinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earúmque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.*

d Hom. 44. in Matth.
e ep. 44. ad Constantin.
f ep. ad Paulin. de studio literarum.
g Præfat. in ep. ad Ephes.
h ep. ad Algas. q. 8.
i lib. 11. Historiæ c. 9.

X.

Iam Augustinus [k]. *Sed multis,* ait, *& multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur non inueniunt, ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt, quod totum prouisum diuinitùs esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerumque vilescunt.* Et alio quodam [l] loco. *Mira,* inquit, *profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eum, horror honoris, & tremor amoris.* De se ipso autem alibi [m] ait. *In ipsis sanctis Scripturis multò nescio plura, quam scio.* Postremò Gregorius [n] Pontifex. *Magnæ,* ait, *vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc maius aliud, quia si Scriptura sacra intelligentia in cunctis esset aperta, vilesceret, quæ in quibusdam locis obscurioribus tanto*

k lib. 2. de doctr. Christian. c. 6.
l lib. 12. Confess. c. 14.
m epist. 119. c. 21.
n Hom. 6. in Ezech.

maiori dulcedine inuenta reficit, quanto maiori labore fatigati animum quæsita.

XI. Non igitur mirum si Petrus probè alioqui institutos sua oratione hortatur, & ad meliora impellit. Intelligebat enim quotidie in diuinarum rerum cognitione proficiendum esse, suique muneris rationem id maximè postulare, vt omnibus prodesse studeret. Verè siquidem scripsit Gregorius. *Lingua Episcopi fomentum sit bonis, aculeus malis. Tumidos retundat, iratos mitiget, pigros, ac desides exacuat, ac succendat, asperis blandiatur, desperatos consoletur.*

a 1. Cor. 9. 22. Sic Paulus [a] omnia omnibus se factum gloriabatur, vt omnes faceret saluos. Vt hinc facilè colligas quàm sit Petrus Apostolus caritatis ardore incensus, qui de proximorum salute tantopere sit sollicitus. Meminerat enim sibi non semel tantùm, sed ter dictum fuisse à Domino [b]. *Si amas me pasce agnos, & pasce oues.* Et aliquando sibi linteum indicatum cunctis animantibus refertum, dictumque [c] diuinitus. *Occide, & manduca*

b Ioan. 21. 16. 17.
c Act. 10. 13.

XII. Hoc enim visum ad hominum, Gentilium præsertim salutem procurandam referri, tum ea, quæ subiiciuntur apertissimè docent, tum veteres fermè omnes Patres affirmant [d]. Ambrosius enim ait Petri famem desiderium salutis significasse. Augustinus autem ait. *Occidendi ergo erant, & manducandi, id est, vt occideretur in eis vita præterita, qua non nouerant Christum, & transirent in corpus eius tamquam in nouam vitam societatis Ecclesiæ.* Et Gregorius. *Quod mactatur, quippe à vita occiditur, id verò quod comeditur in comedentis corpore commutatur. Macta, ergo, & manduca, dicitur, idest à peccato eos, quo viuunt interfice, & a te ipsis illos in tua membra conuerte.*

d Orig. ho. 7. in Leuit. Ambros. ser. 67. qui est 2. de Apostolis Aug. ser. 26. de diuer. c. 7. Greg. 18. mo. c. 20. aliàs 22.

XIII. Nec dubito huc allusisse Bernardum, cùm ad Eugenium [e] scripsit. *Draconas inquis me mones pascere, & Scorpiones, non oues, propter hoc inquam magis aggredere eos sed verbo, non ferro.* Et paucis interiectis. *Vulnera ad salutem si non omnes, si non vel multos, certè quos possis.* Hoc studium procurandæ salutis imitandum, sibi proponant necesse est, qui Ecclesiasticam administrationem suscipiunt, vt egregiè alicubi monet Bernardus [f]. *Oportet prorsus, ait, hoc vino Zeli æstuet, qui aliis præsidet, quemadmodum Doctor Gentium æstuabat, quando dicebat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? alioquin improbè satis præesse affectas, quibus prodesse non curas, & quorum non zelas salutem, subiectionem nimis ambitiosè vendicas tibi.*

e lib. 4. c. 3.
f Serm. 33. Cant.

13. *Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.*

I. Ratio est superioris sententiæ, idcirco enim Petrus fideles sibi sedulò monendos dixit, quia id muneris Apostolici maximè proprium est, atque adeò id à se ratio iustitiæ postulat. Et sanè quod in cæteris spectat ad caritatem, in Præsulibus, atque Antistitibus ad iustitiam refertur. Quocirca qui hac in parte suo muneri desunt, non Pastores, sed mercenarij nuncupantur. Ita enim loquitur Gregorius [g]. *Sæpe prælati improuidi humanam gratiam amittere formidantes loqui libere recta pertimescunt, in hoc iam non Pastores, sed mercenarij, quia lupo oues vorante ipsi silent assimilati canibus mutis non valentibus latrare, quibus ab increpatione debita silentibus dicitur [h]. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.*

g Par. 3. Past. c. 15.
h Ezech. 13. 5.

II. Hoc apertè apud Ezechielem [i] Deus ipse insinuat his planè verbis. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auer-*

i cap. 3. 17. si milia c. 33. 2.

A *tatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Et quæ sequuntur. Rectè autem Hieronymus [a]. *Speculator, ait, Ecclesiæ, vel Episcopus, vel Presbyter, qui à populo electus est, & scripturarum lectione cognoscens, & prauidens, quæ futura sint, annunciet populo, & corrigat delinquentem. Vnde magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni, & assumpti à populo negligentia nos demus, atque desidiæ, & quod his peius est deliciis, ventriq; & otio seruientes honorem nos accepisse putemus, non ministerium.* *Quamdiu* inquit, *sum in hoc tabernaculo*, quasi dicat, dum vita suppetet numquam mihi ab hoc munere cessandum existimo.

a Ezech. 33.

III. Ita enim scribit Sapiens [b]. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia.* Et B alibi [c]. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Boni siquidem Pastoris munus iisdem, quibus vita terminis clauditur, & qui Ecclesiæ gubernacula aliquando suscepit, ea ad mortem vsque administret oportet, vt non immeritò [d] Canones moneant inter Episcopum, & Ecclesiam spiritale iniri coniugium, quod multò difficilius, quàm corporeum coniugium dirimatur. Quocirca Episcopi nomine indignissimi cēsendi sunt ij, qui cum quamdio Ecclesiis præfuerint, indeque marsupia compleuerint, pluresque diuitias cōgesserint, iis nuntium remittunt, vt liberè aulas Principum infulati tamen, & purpura clari frequentare queant.

b [illegible] 33.
c cap. [illegible] 18.
d cap. [illegible] de translat. Episcop.

IV. Illi verò à veterum Episcoporum consuetudine, C sacrorumque Canonum præscripto longius abeunt, qui ditiores, ac nobiliores Ecclesias ambiunt. Quamuis enim olim magna fuerit inter Catholicos de translatione Episcoporum concertatio, illud tamen tāquam certum, atque exploratum ab omnibus magno consensu receptum est, Episcoporum translationes si per se spectentur, non esse omnino probandas. Deinde nullo modo propriæ cuiusque voluntati, cupiditatique permittendas, eas verò non esse suapte natura malas, atque adeò à viris probatæ vitæ nonnumquam cum laude vsurpatas. Postremò nonnisi cogente Ecclesiæ, vel vtilitate, vel necessitate admittendas esse, atque hæc singillatim nobis, strictimque in præsentia probanda videntur, vt appareat, quàm verè dictum sit ab Apostolo sibi pro animaD rum salute ad extremum vsque vitæ spiritum laborandum esse.

V. Quantopere igitur Episcoporum translationes detestandæ, atque abominandæ sint, iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ Niceni Concilij Patres docuerunt, sic enim definierunt [e]. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut aliquis ex Clero dederit operam, vt ex sua Ecclesia transferatur, non est in alia recipiendus, sed potiùs cogere eum debent, vt ad locum suum redeat, quod si noluerit, eiiciendus est in totum ex Ecclesia, deponendúsque ex ordine, & communione fidelium illorum, qui ad illam Ecclesiam pertinent, priuandus.* His consentiunt ea, quæ Concilij Antiocheni Patres [f] statuerūt. *Episcopus*, inquiunt, *ab alia Parochia in aliam ne transeat, nec se sua sponte ingerens, nec a populo vi adactus,* E *nec ab Episcopis coactus, maneat autem in ea, quam à Deo sortitus est, Ecclesia, & ab ea non recedat secundum decretum prius de ea re editum.*

e Can. 15. alias [illegible]
f Cōc. Ant. 1 can. 2. Habetur apud Gratiā. 7 quæst. 1 Episcopum.

VI. Idem omnino statuit Concilium [g] Constantinopolitanum primum, & Cōcilium Sardicense [h], in quo Osius Cordubensis Episcopus in hac sententiam loquitur, *Non minus mala consuetudo quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de sua ciuitate ad aliam transire. Manifesta est enim causa, qua hoc facere tentat, cùm nullus in hac inuentus est Episcopus, qui à maiore ciuitate ad minorem transiret,* vnde

g Can. 2. apud Mart. Bracaren. c. 5. & 6.
h apud e[illegible] c. 6. & Gra dist. 8. c. mia lo consuerdo

unde apparet avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni servire, ut dominationem agant. Si omnibus placet, huiusmodi perniciei, sævius & austerius vindicetur, ut nec Laicam communionem habeat, qui talis est; responderunt universi, placet. Et multa deinceps addit ad rei turpitudinem exaggerandam. Huc pertinet Concilij Carthaginensis [a] tertij decretum aduersus Cresconium Villaregiensem Episcopum, qui relicta sua Ecclesia Tubunensem inuaserat, cuius etiam meminit Ambrosius [b] Mediolanensis Episcopus. Itemque Concilij Aphricani [c] definitio. Apertissimè verò Concilij Carthaginiensis Sexti Patres, inter quos fuit Augustinus, ita definierunt [d]. *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus.*

a ca. 38. [illegible] ep. [illegible] 7. [illegible] a. [illegible] tit. c

VIII. Plura in eamdem sententiam prisci Pontifices censuerunt; non sunt autem Leonis Pontificis verba prætermittenda, is enim ad Anastasium Episcopū Thessalonicensem hæc scribit [e]. *Si quis Episcopus ciuitatis suæ mediocritate despecta administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorem se plebem quacumque occasione transtulerit, non solum a Cathedra quidem pelletur aliena, sed carebit & propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupiuit, nec illis, quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri.*

VIII. Iam verò si quando huiusmodi translationes admittendæ videantur, non esse propriæ cuiusque voluntati permittendas, non obscurè Sardicense Concilium insinuat, dum [f] ait. *Aliud est spontè transire, aliud est coactè aut necessitate venire, unde non isti mutant ciuitates, sed mutantur, qui non spontè, sed coactè hoc agunt.* Dixerat autem [g] paulò ante. *Non debere Episcopum de ciuitate ad ciuitatem transire, vel transferre, non de iis dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate maiorum hoc agunt, sed de his, qui avaritiæ ardore inflammati spontè sua prosiliunt, & potius ambitioni, quam utilitati Ecclesiæ seruire, ut dominationem agant, insistere cupiunt.* Eodémque modo loquitur Cælestinus [h] Pontifex. *Si Episcopus utilitatis gratia transferatur, ne id per se ipsum faciat, sed fratribus cogentibus, & rem eam sacra huius Sedis auctoritate expediat, non inanis gloriæ, verum utilitatis communis, aut necessitatis ergò.* Tum profert Anteri [i] Pontificis decretum. *De mutatione, inquit, Episcoporum, unde Sanctam Sedem Apostolicam consulere voluistis, scitote eam communis utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione.*

f ca. 2. g Can. 5. h in suis decretis. i apud [illegible] c.

IX. Pelagius [k] autem. *Scias, inquit, frater dilectissime, aliud esse causa necessitatis, & utilitatis, & aliud causa præsumptionis, & propriæ voluntatis; non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ electionis migrat de ciuitate in ciuitatem, sed causa necessitatis, aut utilitatis mutatur.* Hoc ipsum multa ex iis, quæ paulò antè allata sunt, apertissimè confirmant. Non ob aliam enim causam huiusmodi Episcoporum migrationes damnantur, nisi ob avaritiæ studium, aut dominandi ambitum. Ex quibus omnibus liquet non eas esse suapte natura malas, si ad Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem referantur.

k [illegible] ad [illegible] ep.

X. Eam ob causam non sine laude à viris sanctissimis sunt interdum usurpatæ. Quamobrem Concilium Sardicense [l]. *Quis enim umquam, ait, audet dicere sanctum Petrum Apostolorum principem non bene egisse, quando mutauit Sedem de Antiochia Romam? aut quis eum negat ob id sanctum esse, aut dignitatem, aut meritum umquam Apostolatus tam in cælis, quam in terris perdidisse? aut quis negat sanctos esse illos alios Episcopos, qui de ciuitatibus ad ciuitates translati sunt, aut meritum Pontificatus perdidisse?* Et post pauca. *Aut quis umquam potest approbare, sanctum non esse Alexandrum, qui Hierosolymam de alia ciuitate translatus est, aut sanctum Gregorium Nazianzenum, qui Nazianzo constitutus, aut S. Proclum qui de Cyzico translatus est Constantinopolim?* Et quidem de Alexandri translatione scribit Eusebius [a]. Historiam vero Gregorij Nazianzeni fusè scribit Nicephorus [b] Callistus, qui alibi [c] translationem Procli commemorat, pluresque recenset, qui ad alias Ecclesias translati sunt. Quocirca Nazianzeni translationem non modò Meletius Antiochenus Episcopus, sed etiam Synodus prima Constantinopolitana confirmauit. Procli verò probauit Cœlestinus in epistola ad Cyrillum, ad Ioannem Antiochenum, & Rufum Thessalonicensem.

a lib. 6. Eccl. hist. b lib. 12. c. 10. & 11. c lib. 14. ca. 37. & 39.

XI. In his autem Ecclesiarum, & Episcopatuum mutationibus unius dumtaxat Ecclesiæ utilitatis, aut necessitatis habendam esse rationem omnis antiquitas clamat. Ita enim scribit Anterus [d]. Nam cùm dixisset communi utilitate, atque necessitate fas esse Ecclesiam mutare, subdit. *Non enim transit de ciuitate in ciuitatem, qui non suo libitu, aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam, aut necessitate aliorum hortatu, & consilio potiorum transfertur.* Quamobrem Nicephorus [e]. *Canones, inquit, & veteres Ecclesiæ Antistites liberum esse voluerunt quotiescumque legitima suaderet utilitas ex urbe una in aliam Episcopum transferre, videlicet si sincerior pietas, vel Ecclesiastica fortè tranquillitatis constitutio translationem flagitaret; transitionem enim prohibet, non translationem, hæc enim id, quod præter voluntatem, & præter institutum fit, omninò significat, & vox ea veluti in inanimatis usurpatur, illa verò de animatis, & quodam modo de iis dicitur, qui per arrogantiam fortè miscendarum rerum gratia in thronos insiliunt. Eam verò rectè Canon, sicuti paulò post fusius exponam, inhibet, legitimam autem translationem nequaquam.*

d epist. 1. ad Episc. Beticæ Prouin. & Tolet. e lib. 14. c. 39

XII. Eodémque modo, ut paulò antè ostendi, loquitur Cælestinus [f]. Itémque Pelagius [g]. Concilij verò Carthaginensis [h] sexti Patres statuerunt olim in hæc verba. *Sanè si id utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum, & Laicorum Episcopis porrecto per sententiam Synodi transferantur.* Et ne longior sim, addam tantùm verba Concilij [i] Sardicensis. *Negat, inquit, misericordiam, necessitatem patientibus, qui populis indigentibus diuinis ministeriis, & non habentibus proprium Episcopum, qui eos instruat causa utilitatis, atque necessitatis ex alia ciuitate, licet minor sit in eam, quæ non habet Episcopum doctiorem vel utiliorem meliori consilio, non spontè transeuntem, sed maiorum exhortatione mutare, aut Episcopum eiectum, & persecutionem patientem causa utilitatis, aut necessitatis inthronizari non permittit. Apud veteres enim sine ulla differentia de una ciuitate ad alterā migrabat Episcopus, dū utilitas, & necessitas euocaret.* Paulò autem antea dixerat. *Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa utilitatis, aut necessitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit.* Maneat igitur perlistendū esse Episcopo in sua Ecclesia, & pro ouium suarū utilitate usque ad extremum vitæ strenuè laborandum. Hoc insinuat in præsentia Petrus, dum ait, quamdiu vita suppetit fideles sibi monendos esse.

f cap. 2. suorum decret. g epist. 2. h c. 27. apud Grat. 7. q. 1. c. Episcopus i Cant. 2.

XIII. Vtitur autem metaphora tabernaculi. *Quamdiu, inquit, sum in hoc tabernaculo.* Quo nomine corpus suum describit, tacitè insinuans nos esse in hac mortali vita tamquam peregrinos, aut milites, aut etiam Pastores, hi enim omnes in tabernaculis, ac tentoriis habitare consueuerunt & idcirco hac eadem metaphora usus est Paulus [k]. *Qui sumus, inquit, in hoc*

k 2. ad Co. 5. 4.

A *tabernaculo ingemiscimus grauati.* Et paulò pòst quasi explicet, cur nomine Tabernaculi vsus sit. *Dum sumus*, inquit, *in corpore, peregrinamur à Domino.* Sic etiam paulò pòst, cum de morte sua Petrus agit depositionem tabernaculi nominat. Quamquam enim nobiles inprimis Philosophi hac metaphora abusi hominem solam animam esse definiebant, quæ corporis ceu domicilio, vel potiùs carcere includeretur. Apostoli tamen, virique Apostolici cùm de hominis natura rectè, veréque sentirent, nec dubitarent corpus esse veram hominis partem, hanc metaphoram hactenus retinuerunt, vt animi immortalitatem declararent, eiúsque præstantiam tacitè indicarent, quæ posito mortali corpore aliò migraret.

XIV. B Itaque corpus nonnumquam tabernaculum, aliàs vestem, interdum etiam domum appellabant. Hæc enim omnia non obscurè significanit Paulus [a] Apostolus, qui non solùm, vt dixi, corpus nostrum tabernaculum vocat, sed cùm de eodem loquitur. *Nolumus*, inquit, *expoliari, sed superuestiri:* paulò antè verò. *Scimus*, ait, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cælis. Suscitare*, ait, *vos in commonitione.* hoc est excitare, inflammare, ad meliora promouere; *in commonitione.* Hebræorum more, hoc est, mea admonitione, & cohortatione, Græcè dixit ὑπομνήσει. Quasi dicat, se in memoriam dumtaxat reuocare ea, quæ ipsi non ignorarent, neque enim docendi, aut erudiendi videbantur ij, quos C paulò antè dixerat probè instructos, & rerum scientia imbutos esse, vt Apostoli modestiam, animique demissionem facilè agnoscas, qui ne id quidem sibi arroget, quod est muneris Apostolici proprium. Vt enim ex Matthæo [b] didicimus, Christus Dominus cunctas gentes ordini Apostolico docendas tradidit. Præcipuè autem Petrus eorum, qui ex gente Iudæorum Christo nomina dederant, curam, ac patrocinium susceperat; de illo enim verè dixit Paulus [c]. *Qui operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis.* Quod, vt suo loco dixi, non perinde accipiendum est, quasi non licuerit Petro Gentiles Christo aggregare, cùm, vt paulò antè dixi, cœlesti [d] viso ad omnium gentium, ac nationum conuersionem fuerit prouocatus. Sed quòd peculiari quadam D ratione Iudæos sacris initiandos cœlestibúsque præceptis informandos acceperit.

a 2. ad Cor. 5. 4.
b cap. vlt.
c ad Gal. 2. 8
d Act. 10.

XV. Quamobrem iustum esse ait hoc officij genus, quo illos ad optima quæque hortatur, atque inflammat, cùm tamen interim Gentilibus ad Christum adducendis Romæ strenuam operam daret, vt omnes fermè occidentales Ecclesiæ Petrum Anctorem agnoscant, qui partim per se ipsum, partim per suos discipulos Euangelium in Occidente promulgauit, plurimásque Ecclesias fundauit, quod his verbis ad Decentium scribens significauit Innocentius [e]. *Quis enim, ait, nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romana Ecclesia traditum est, ac nunc vsque custoditur ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Aphricam, & Siciliam, insulásque interiacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes? aut legant, si in his Prouinciis alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse, quod si non legunt, quia nusquam inuenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non est dubium, ne dum peregrinas assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.*

e epist. 1.

XVI. Quæ tamen, vt aliàs monui, Paulum Apostolum non excludunt, quem Romæ, & in Hispania Euangelio promulgando operam dedisse alibi docuimus. Vt autem de Petro loquamur constat illum plures instituisse Episcopos, in Sicilia quidem Pancratium, Marcianum, Perillum, & Philippum. Capuæ Priscum, Neapoli Asprem, vel Aspienatem, Thárracinæ Epaphroditum, Equicolis Marcum, alium tamen ab Euangelista, Nepetinæ ciuitati Ptolemæum, Fesulis Romulum, Lucæ Paulinum, Rauennæ Apolinarem, Veronæ Euprepium, Patauio Prosdocimum, Ticino Syrum, Aquileiæ post Marcum Ermagoram. In Galliis verò Lemouicensibus, Tholosanis, & Burdegalensibus Martialem, Tungrensibus, Coloniensibus, & Treuerensibus Maternum, & Valerium, Rhemensibus Syxtum, Arelatensibus Trophimum, Senonensibus Sabinianum, Cenomanensibus Iulianum, Viennæ, & Maguntiæ Crescentem, Catalaunum, Memmium, Bituricensibus Vrsinum, Aruernensibus Austremonium, Sanctonensibus Eutropium, Germaniæ Eucharium, Ægistum, & Marcianum, Hispaniæ Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indalecium, Cæcilium, Æsychium, Euphrasium, & alios. Sunt qui addant etiam in Britanniam Petri opera Euangelium penetrasse. Meritò igitur ait hoc loco Petrus iustum esse reuocare in memoriam, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria; cum præsertim, vt mox dicet, mortem sibi imminere non dubitet; ideirco enim subdit:

14. *Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.*]

I. Superiori argumento vim addit, dum ait mortem sibi imminere, idque auctoritate Domini confirmat, qui sibi obitus sui tempus instare significauit. Pertinet autem ad Parentum, ac Magistrorum munus sub vitæ finem filios, ac discipulos suos seriò monere, & salutaribus præceptis informare; sic olim Iacob paulò ante mortem filiis bene precatus est; sic Moyses vniuerso populo diuinæ legis obseruantiam grauissima oratione commendauit. Et Dauid Salomoni filio antequàm moreretur non pauca præcepta dedit. Tobias verò filium vnicum ad Dei cultum, ac beneficentiam graui oratione inflammauit. Denique Christus Dominus cùm sibi non ita multò pòst moriendum certò sciret, longa oratione, & solatus est discipulos, & ad optima quæque excitauit. Obseruandum est autem quod ait Petrus: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* Retinet enim metaphoram, qua proximè vsus erat, & corpus suum tabernaculum nominat, obitum verò, ac mortem non interitum, quasi integer homo pereat, sed tabernaculi depositionem appellat, vt animum superstitem fore indicet.

II. Videtur autem alludere ad militum consuetudinem, qui confecto bello, & parta victoria, & pace denique comparata militare tabernaculum deponunt, E & ad patriam, & domesticas sedes reuertuntur. Ita indicat iustos, ac pios bello velutì confecto, & victoria potitos tabernaculum deponere, vt in cœlesti patria triumphum agant, & iustitiæ coronam assequantur. Hanc ob causam piorum mors somnus frequenter in sacris literis dicitur; sic Dauid [a]. *Cum dederit dilectis suis somnum.* Et Christus Dominus apud Ioannem [b]. *Lazarus amicus noster dormit.* Et apud Lucam [c]. *Non est mortua puella, sed dormit.* De Stephano autem protomartyre ait Lucas [d]. *Obdormiuit in Domino.* Paulus autem.

a Ps. 126.
b cap. 11.
c cap. 8.
d Act. 7.
e 1. ad Cor. 15. 5

Omnes

Omnes quidem, ait, dormiemus. Et alibi [a], *Nolumus vos ignorare de dormientibus.*

III. Itaque mors profectio quædam est, qua ab hac mortali, & misera vita ad immortalem, ac beatam pergimus, quod eleganter expressit Cyprianus [b], *Eius est, inquit, mortem timere, qui ad Christum nolit ire, eius est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare. Simeon iustus viso Christo sciuit se cito esse moriturum. Lætus itaque de morte iam proxima accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamauit. Nunc dimittis seruum tuum in pace. Contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc tranquillam quietem, quando de huius mundi turbinibus extracti sedes, & securitatis æterna portum petimus.* Aliquantò autem pòst, *Amplectamur*, inquit, *diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exsolutos Paradiso restituit. Quis non peregrè constitutus properaret in Patriam regredi? quis non ad suos nauigare festinans ventum prosperum cupidiùs optaret, vt velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus, parentes Patriarchas iam habere cœpimus, quid non properamus, & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus?*

IV. Sapienter autem scripsit alicubi Seneca [c] eandem propemodum metaphoram sequutus, *Nemo nostrum cogitat quandoq; sibi ex hoc domicilio exeundum, sic veteres inquilinos indulgentia loci, & consuetudo etiam inter iniurias detinet. Vis aduersus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita, propone tibi quandoque hoc contubernio carendum, fortior eris ad necessitatem exeundi.* Plurima verò in hanc sententiam congerit Plutarchus [d] ex priscis Philosophis collecta, quæ hunc locum locupletare, & illustrare queant, addam tantùm Cypriani [e] verba, *Si mortem*, inquit, *possemus euadere, meritò mortem timeremus, porrò autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de diuina promissione, & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis.*

V. Certò autem sibi Petrus, & quidem non multò pòst mortem imminere profitetur diuino oraculo monitus, *Secundum quòd, ait, & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.* Non puto autem respexisse Petrum ad Christi verba apud Ioannem [f], quibus sibi genus mortis prædixit, *Amen, amen*, inquit, *dico tibi, cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Interpretatur autem Euangelista, quid ea verba significent, cùm subiicit, *Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Quid autem sit extendere manus explicans Tertullianus [g], *Romæ*, inquit, *Petrus passioni Dominicæ adæquatur.* Et alibi [h], *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit, tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci astringitur.* Et planiùs Augustinus [i], *Extendes, ait, manus tuas, hoc est, crucifigeris, non enim crucifixus, sed vtique crucifigendus quò nollet est ductus.* Vt enim non negem mortem, ac genus mortis Petro indicari, celeritatem mortis, quod hîc Petrus affirmat, Christus ne attingit quidem.

VI. Inde itaque cognouit Petrus sibi aliquando in cruce moriendum, quando autem in crucem tollendus esset, non nouit, necesse vt sit aliud quiddam indicare Petrum, cùm ait celerem sui tabernaculi depositionem sibi diuinitùs à Domino fuisse prænunciatam. Non me fugit quid Linus [k], Egesippus [l], Ambrosius [m], & Gregorius [n] memoriæ prodiderunt pia populi Romani importunitate paulò ante mortem coactum fuisse Petrum fuga sibi consulere, sed vix ex Vrbe egresso obuium fuisse illi Christum Dominum crucem humeris gestantem, quem cùm ille interrogasset, quo nam pergeret, respondisse Dominum se Romam iterum crucifigendum petere, quo audito Petrum de sua nece Dominum loqui rectè interpretatum continuò se in Vrbem recepisse. Verùm non potuit Petrus ad hanc historiam in præsentia alludere, cùm illa paulò ante mortem contigerit, nec verisimile sit eum iis postremis vitæ diebus hanc epistolam scripsisse, cùm statim post reditum in Vrbem ad supplicium raptus dicatur.

VII. Rem autem totam hunc in modum describit Ambrosius, *Idem Petrus postea victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos Gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet; & quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est, rogabatur enim vt ad instituendum, & confirmandum populum se reseruaret, quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Vrbemq; ingredi, ait, Domine quo venis? respondit Christus, Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum, Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione suscepta mortis exuerat, quòd enim mortuus est, mortuus est semel, quòd autem viuit, Deo viuit. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset in seruulo, itaque spontè remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimq; correptus per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.*

VIII. Vero itaque simillimum videtur Christum Dominum Apostolorum Principi, suóque in terris Vicario priuatim supplicij sui tempus indicasse, non ipsum diem, nam alioqui nunquam adduci potuisset, vt fuga mortem vitaret; sed vniuersim opinor, vt hîc loquitur Petrus, significatum est illi, non procul abesse obitus sui diem, atque ita, vt gratificaretur fidelibus, qui id maximè contendebant, absque vllo piaculo sese potuit fugæ committere. Quocirca cùm intelligeret Petrus sibi non ita multò pòst extremum imminere diem, hoc studiosiùs, ac diligentiùs fidelium salutem procurat, vt Apostolico muneri nulla ex parte deesse videatur. Neque aliter fecit Paulus, qui non ita multò ante mortem ad Timotheum [a] scribens ait, *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Viri enim sanctissimi mortis expectatione non terrentur, sed exultant potiùs, ac triumphant. Hinc illæ eiusdem Pauli [b] voces, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Itémque [c], *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Neque enim caducarum rerum amore detinentur, qui probè norint, non se hîc habere manentem ciuitatem, ac propterea futuram sedulò inquirunt.

IX. Alia omnia accidunt iis, qui mortalium bonorum gustu tenentur implicit, de quibus rectè Sapiens [d], *O mors*, inquit, *quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Sic olim Agag Amalechitarum Rex cùm sibi moriendum animaduerteret, his verbis exclamauit [e], *Siccine separas amara mors?* At reuera nihil habet mors quod metuendum sit, modò quis bene, ac laudabiliter vixerit. Quocirca Christiano homine dignissima vox est, quæ alicubi apud Senecam [f] extat, *Ante senectutem curaui vt bene viuerem, in senectute vt bene moriar, bene autem mori est libenter mori, vt satis vixerimus nec anni, nec dies faciunt, sed animus.* Rursus [g] alibi, *Citiùs mori, aut tardiùs ad rem non pertinet bene mori, aut malè ad rem pertinet. Bene autem mori est effugere malè viuendi periculum.* Itemque [h], *Magnum est honestè mori, prudenter, fortiter.*

X. Denique hic Philosophus, qui vt apparet, de animi immortalitate ne cogitabat quidem, mortem tamen inter mala numerandam negat, quæ potiùs malorum omnium finem, ac terminum affert. Ita enim de mortuo loquitur, *Excessit filius tuus terminos, intra quos seruitur, excepit illum magna, & æterna pax, non paupertatis metus, non diuitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non inuidia felicitatis* aliena

a 1. ad Thes. 4. 13.
b de mortal.
c ep.
d or. consolat.
e ep. 56.
f cap. 21. 18.
g de præscr. c. 36.
h Scorp. c. 14.
i Tract. 123. Ioan.

a ep 2. c. 4. 6.
b Phil. 1. 21.
c ibid. 23.
d Eccl. 41. 1.
e 1. Reg. 15. 32.
f ep 72.
g ep. 71.
h ep. 78.

alienæ tanguntur, nec sua premitur, nec conuitiis quidem vllis verecundæ aures verberantur, nulla publica clades conspicitur, nulla priuata, nec sollicitum futuri pendet ex euentu semper in deteriora dependentis; tandem ibi consistit, vnde nihil enim depellat, vbi nihil terreat. Longa deinde oratione ostendit mortem nihil esse aliud, quàm malorum omnium carentiam. Quid ille dixisset, si beatam, immortalemque vitam manere iustos credidisset? Itaque viri sancti mortem potiùs appetebant, quàm timebant. Ante obitum tamen de fidelium salute solliciti strenuè eorum causa laborabant.

15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.*]

I. Rectè hæc superioribus adnectuntur, siue quia ab B iis pendent, siue quia eorum nonnullam rationem reddunt. Pendere autem videntur, si hoc modo Petrus argumentetur. Quoniam extremus imminet dies, danda mihi sedulò est opera, vt meorum siue consiliorum, siue præceptorum memoriam retineatis; reddere autem videtur rationem suæ tum sedulitatis, tum diligentiæ, cùm dicat cupere se, vt etiam post obitum suum horum omnium recordentur. Vt autem hoc loco monet Oecumenius, fuerunt olim, qui hæc non sine hyperbato, hoc planè sensu explicanda censerent, *Dabo operam, vt etiam post meum exitum vos semper, & assiduè horum memoriam habeatis. Sunt tamen alij, qui simpliciter interpretentur, quasi dicat Apostolus. Dabo operam, vt semper vos etiam post meum exitum horum memoriam habere possitis, quasi dicat. Ne miremini, neque grauiter feratis, si assiduè vos de iisdem commonefacio, non enim id ago propterea quòd tarditatis, atque imperitia vos damnem, sed vt assidua de his doctrina stabilem,* C *atque immutabilem perceptionem in animos vestros inducam, qua confirmati post meum quoque vna obitum insita, atque indelebilia huiusmodi documenta habeatis.* Hactenus Oecumenius.

II. Vtraque autem explanatio huic loco congruit, priorem illam indicare visus est ipse Petrus apud Clementem [a] Romanum, ita enim loquitur, *Certus esto, quòd necesse est me suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium ab obsecrando cessabo.* Ibi enim, vt etiam hoc loco indicare videtur se etiam post mortem pro fidelium salute fore sollicitum, atque adeò suis precibus eos ad optima quæque promoturum, quod recentiores nó pauci maximè probant. Res autem ipsa; D quicquid hæretici contrà disputent, iam pridem universo Ecclesiæ consensu recepta est, & à sanctissimis, doctissimisque viris Scripturæ testimonio, & sacrarum traditionum auctoritate firmata. Quòd si libeat alteram explicationem sequi, significabit Petrus, idcirco se epistolam scribere, vt quæ viuens præceperat, etiam post ipsius mortem in sua epistola legantur, eáque lectione discipulorum animi ad meliora excitentur. Hæc enim, vt alibi dixi, præcipua est sacrorum scriptorum vtilitas, in iis enim maiorum mens elucet, & vita resplendet. Itaque Dauid [b], *Quanta*, inquit, *mandauit Dominus Patribus nostris nota facere filiis suis, vt cognoscat generatio altera: filij qui nascentur, & exsurgent narrabunt filiis suis.*

III. Possis etiam hanc Petri pollicitationem aliò re- E ferre, vt se dicat daturum operam, ne post suum obitum Pastores, ac Doctores desint, qui Ecclesiis præsint, suáque diligentia, ac sedulitate fideles confirment, Gentiles ad fidem adducant, quod factum esse experimento comperimus. Apostolis enim Episcopos, & Pastores successisse videmus, de quibus Augustinus explicat verba illa Dauidis [c], *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Genuerunt te*, ait Augustinus, *Apo-*

A *stoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi Patres. Sed nunquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? & si vnus ipsorum dixit. Cupio dissolui, & esse cum Christo, multo magis optimum est, manere in carne necessarium propter vos. Dixit hoc quidem, sed quandiu hic manere potuit. nunquid vsque ad hoc tempus? nunquid vsque in posterum? ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? absit. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est, Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli. Pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi, hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putas desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi creuit Paternitas. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Constitues eos Principes super omnem terram.* Eodémque modo loquitur Gre- B gorius [e] Pontifex, *Omnipotens Deus Ecclesiam suam diu sine administratione non deserit, nam cum fortes ad præmium vocat, eorum vice debiles ad certamina roborat: cùm illos suscipiendo remunerat, istis laborum vires, quas remuneret, subministrat. De quibus eidem sancta Ecclesia dicitur. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. In virtute quippe antiquorum Patrum, hi qui postmodum prælati sunt, subrogantur, quia & cùm annosa arbusta succiduntur, in eorum robore tenera virgulta succrescunt.* [e c. 12]

Quod ergo post mortem suam aliorum opera, atque industria Petrus facturus erat; dum inter mortales degit, sedulò præstat, qui meminerit dictum sibi à Christo Domino. *Pasce oues meas, & pasce agnos* Quod IV. verò spectat ad verba, quod ait Interpres, *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum* C *memoriam faciatis*, Græcè est, σπουδάσω ἔχειν. Nonnulli autem verbũ ἔχειν coniungũt cum infinitiuo ποιεῖσθαι, vt sensus sit. Dabo operam vt post obitum meum horum possitis recordari. Sic enim & Latini loqui solent, *Habeo dicere, habeo polliceri*, hoc est, possum dicere, & possum polliceri. Ita hoc loco ἔχειν ὑμᾶς τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι, vt possitis horum memoriam agere, aut horum memoriam retinere.

16. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.*]

Suæ sollicitudinis, & constantiæ rationem reddit; idcirco enim tam sedulò, ac studiosè laborat, vt fide- D les quæ partim voce, partim scripto tradiderat memoria complectantur, ac retineant, quoniam illa non sunt inania figmenta, aut fabulæ ingeniosè confictæ, cuiusmodi sunt, quæ ab hæreticis inculcantur, vt videatur Gnosticos tacitè perstringere. Itaque rectè Oecumenius, *Non frustra*, inquit, *se de his diligentiam præ se ferre, sed eatenus ea persequi, quatenus certissima, ac verissima cognitione percepit. Non enim sapientia se humana vtendo, & ornata oratione decipiendo vim Domini & aduentum manifestasse ipsis asserit, id quod & Græci faciunt, & hæretici, dum illi fuco orationis, hæretici figmentis Auditores captant, ac fallunt, quemadmodum Valentiniani, qui profundum, & silentium prodigiosis fabulis introducebant, nam verisimile est eo tempore ipsos iam suboriri incepisse.*

E Hæc ille, cui tamen de Valentinianis non assentior, II. videtur enim Valentinus non nisi secundo sæculo, & quidem in fine errores suos proseminasse. De Simone, eiusque sectatoribus facilius admiserim loqui in præsentia Petrum. [illegible] etiam Gentilium fabulas notat, quas meritò veteres omnes Patres & derident, & sapienter confutant. Si [illegible] autem Græca verba non facilè statuas indoctas, an doctas fabulas

[a] ep. 1 ad Iacob. frat. Dom.
[b] Ps. 77. 6.
[c] Ps. 44. 17.

bulas in c pretere, ait enim Petrus μὴ σεσοφισμένοις μύθοις nonnulli quidem *arte compositas fabulas* interpretentur. Quid vulgarus Interpres scripserit, non satis liquet. Variant enim Latini Codices & alij quidem *ind* *as* alij *doctas fabulas* legunt. Noua editio Romana habet *doctas*; quasi Apostolus Christianam simplicitatem commendet, quę nihil arte conflictum, aut ingeniosè inuentum sequitur. Sed ea tâtùm probat, quæ diuinitus patefacta sunt, quæque non tam ad exc ndum ingenium, quàm ad mores, vitámque rectè instituendam valent.

Quocirca Hieronymus [a], *doctas fabulas* interpretatur, hoc est argute, ingenioséque confictas, cùm tamen loqui non à veritate tantùm, sed etiam à pro plurimum abhorreant, quæ propterea indignissimæ erant, quæ ab Apostolorum Principe im sub extremum vitæ commendarentur. m Gent ú quidem Poëtarum fabulæ, vt Iustinus, enagoras, Minutius, Arnobius, Tatianus, Ter an is, Lactantius copiosè docuerunt, nihil habét sed somniantium deliramentis simillimæ sunt: quæ autem ab hæreticis excogitata sunt monstra, atque portenta à Poëtarum fabulis partim desumpta, partim à Philosophorum ineptiis detorta, qualia sint satis se produnt ipsa, vt meritò dixerit Irenæus aduersus eos, *V orsa est, sententia eorum manifestatio*. Et Hieronymus [e], *Sententias vestras prodidisse superasse est*.

No am inquit, *fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem*, Græcè δύναμιν, hoc est, vim, atque efficacitatem, siue tradendæ veritatis, siue humani generis redimend, siue mira, ac supra naturæ vim, ac facultatem efficiendi, siue humana scelera expiandi, siue denique Sacramenta condendi. His enim rebus omnibus admirabilis vis, atque efficacitas Christi Dom cernitur, quæ non hæreticorum, aut Poëtarum fabu sed certissimis documentis probantur, vt pau pòst indicabit. Rectè autem ait virtutem se Ch n tam fecisse, cùm enim eius imbecillitas, qua mortem subierat, multos non mediocriter perturbaret, in eo maximè laborabant Apostoli, vt ostenderent in ea mortalitate, infirmitatéque naturæ vim diuinam latuisse.

Quocirca Paulus de Christo Domino [d] ait, *Crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*. Hanc itaque virtutem, diuinamque vim, ac potestatem maximè extollebant Apostoli, & qui sequuti sunt Apostolorum successores, præcipuè autem Leo [a] Pontifex cùm sępe aliàs, tum potissimum quodam loco vtramque docet in Christo naturam fideliter, constantérque credendam, sic autem ait, *Duplicis itaque in Christo formæ vna persona est, & Filius Dei, idémque Filius hominis vnus est Dominus conditionem seruilem consilio pietatis recipiens, nec legem necessitatis incurrens, quia potestate factus est humilis potestate passibilis, potestate mortalis, vt ad destruendum peccati, mortisque dominatum, & pœna capax esset substantia infirmitatis, & nihil gloria sua perde natura virtutis. Cum itaque Dilectissimi legentes, vel audientes Euangelium, quædam in Domino nostro Iesu Christo cognoscitis subiecta iniuriis, quædam illustrata miraculis, ita vt in eodem nunc humana appareant, nunc diuina resplendeant, nolite quidquam eorum adscribere falsitati*.

Et aliquantò pòst. Quomodo singula distinguenda, & suis sint principiis adscribenda, his verbis elegantissimè docet. *Da hominis, quòd de muliere puer natus, da Deo, quod nec conceptu læditur Virginitas maternæ partu. Formam serui obuolutam pannis iacentem in præsepio cognosce: sed annunciatam ab Angelis, declaratam ab elementis, adoratam à Magis formam Domini confitere. Humanum intellige quòd non declinauit nuptia-*

A *le conuiuium, diuinum approba quòd aquam conuertit in vinum. Nostra tibi innotescat esse io, cum mortuo amico fletus impenditur, diuina potentia itus, cum idem post quatriduanam iam fœtidus sepulturam solo vocis imperio viuificatus erigitur. Lutum de sputo & terra fieri corporei fuit operis sed ul inc superlitos cæci oculos illuminari non dubium est illius fuisse virtutis, qua quod principiis natura non dederat, ad manifestationem suæ gloriæ reseruauit. Veri est hominis fatigationem corpoream somni quiete releuare, sed veri Dei est, vim sæuientium v oce trum præcepti increpatione compescere. Cibos esurientibus apponere humanæ benignitatis est, & socialis animi, sed quinque panibus & duobus piscibus quinque millia virorum exceptis mulieribus, & paruulis satiare, quis negare audeat opus esse Deitatis?*

B Addit & præsentiam, Græcè παρουσίαν, vt omnino malè quidam Codices præscientiam habeant. Hæc igitur ait, quæ de Christi diuinitate, déque eius corporeo ad nos aduentu docui, non ex Philosophorum exhedris, aut Poëtarum, vel hæreticorum fabulis deprompta sunt, sed ex rei veritate, quam ipsis oculis vidimus, & auribus percepimus, *Speculatores*, inquit, *facti illius magnitudinis*. Solent enim Apostoli eorum, quæ docebant se oculatos testes appellare, ita Ioannes [a], *Et qui vidit*, inquit, *testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius*. Et alibi [b], *Quod fuit ab initio, quòd audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur*, &c. Et Petrus [c], *Dedit*, inquit, *eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquam surrexit a mortuis*. Hic autem, ait, *speculatores facti illius magnitudinis*, Græcè τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος, vt appareat loqui Petrum de magnitudine Christi, est enim ἐκείνου masculini generis, & omnino ad Christum referendum est, cuius maiestatem conspexerant Apostoli, itéque optimo eius virtutem, ac præsentiam poterant prædicare. VII.

[a] cap. 19. 35.
[b] ep. 1. c. 1.
[c] Act. 10. 41

Quod autem ait, *speculatores* Græcè dixit ἐπόπται, quasi dicat se oculis perspexisse Christi magnitudinem, quod verè poterat Petrus affirmare, qui vnus fuit è tribus, quos Christus in monte adesse voluit, cùm speciem quandam eius gloriæ, quæ corpori debebatur, ad punctum temporis assumpsit, quod mox clariùs explicat. Indicat enim mysterium, de quo D Matthæus [d], Marcus [e], & Lucas [f] copiosè scripserunt, *Post dies sex*, ait Matthæus, *assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix*. Vt enim ait Leo [g] Pontifex. *Conscenso cum eis seorsum monte præcelso claritatem suæ gloriæ demonstrauit, quia licèt intellexissent in eo maiestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam nesciebant*. Neque enim, vt idem Leo mox subiicit, diuinitatis naturam corporeis oculis cernere vlla ratione poterant; *Nam illam*, inquit, *ipsius deitatis ineffabilem, & inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde seruatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant, & videre*. VIII.

[d] cap. 17. 1.
[e] cap. 9. 2.
[f] cap. 9. 28.
[g] serm. de Trásf. Dom.

E

17. *Accipiens enim a Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.*]

Rectè hoc loco Oecumenius, *Vel participium*, inquit, *hoc (accipiens) pro verbo (accepit) positum est, propterea quòd ad participium consequutio orationis minimè respondet, vel si pro participio propriè sumere hoc quispiam velit, necesse omnino erit, vt inconstructa oratio efficiatur.* I.

Sea

Sed ii (accipiens) pro accepit sumamus, aptè omnia verba fen- A *debunt in hunc modum. Accepit enim a Deo Patre hono-rem, & gloriam, voce sibi delata a magnifica gloria.* Videtur omnino esse Hebraismus, quo Hebræi non infrequenter participio pro verbo vtuntur. Confirmat autem quid modò indi auerat speculatorem se illius magnitudinis fuisse: nam præter quam quòd omnia Christi miracula viderat, quæ ipsius diuinitatem vtcumque declarabant, peculiare quoddam mysterium intuitus, quod in monte Tabor contigisse tres Euangelistæ commemorant. Accepisse autem dicitur honorem, & gloriam à Deo Patre, vt diuinarum personarum distinctio significetur, quod obseruarũt

a de varia Deitate Trin. b lib. 2. de Trinit. c li. 3. cont. Maxim. c. 10 d de Eccles. dogmatibus c. 1.

Athanasius [a], Hilarius [b], Augustinus [c], Gennadius. [d] B Ita porrò dicitur accepisse à Patre honorem, vt tamen ipse eiusdem cum Patre particeps fuerit actionis vt est eiusdem naturæ, ac substantiæ consors. Accepisse autem ait honorem, & gloriam; honorem quidem, cùm paterna voce declaratus est Filius; gloriam verò ob illustrationem totius corporis, & vestimentorum splendorem, quod fuit egregium diuinæ illius maiestatis argumentum.

II. Describitur autem ea gloria à Hieronymo [e] hunc

e Matt. 17.

planè in modum. *Qualis futurus est tempore iudicandi, talis apparuit Apostolis: quòd autem dicit. Transfiguratus est ante eos, nemo putet pristinam eum formam & faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, vel assumpsisse corpus, vel spirituale, vel aereum. Sed quomodo trãsformatus sit Euangelista demonstrat dicens. Et resplenduit* C *facies eius sicut sol. Vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Certe transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit. Esto corpus spirituale fuerit, num & vestimenta mutata sunt, quæ in tantum fuere candida, vt alius Euangelista diceret. Qualia fullo super terram non potest facere. Quod autem fullo super terram potest facere, corporale est, & tactui subiacet, & non spirituale, & aereum, quod illudat oculis, & tantum in phantasmate conspiciatur.*

III. Eodemque modo loquitur Beda, aliique penè omnes, qui externam dumtaxat corporis gloriam Petro, reliquisque duobus Apostolis indicatam fuisse affirmant, cùm neque animæ gloria, multo que minùs D diuinitatis maiestas corporeis oculis cerni posset.

for. de Trãsfig. Dom.

Quamobrem Damascenus [f], *Nunc*, inquit, *visa fuit, qua hominum oculis cerni non poterant, nimirum terrenum corpus diuinum splendorem emittens mortale corpus Deitatis gloriam fontis instar fundens.* Post multa verò, *At solis quidem*, ait, *instar ipsius facies lucet, & enim lux materia carens personaliter vnitur, eique assistit sol efficitur, atque ipsius vestimenta tanquam nix albescunt. Vestimentum enim non per vnionem deificatum est, verum per quandam dumtaxat affectionem, ac non item hypostaticè.*

g lib. 3. c. 10.

Certè Auctor [g] de mirabilibus sacræ Scripturæ vnde splendor, & gloria oriretur his verbis declarat. *Lucis in hac ostensione Domini facies solari splendore fulserat non tamen ipsa caro splenduit, sed diuinitas latens in corpore luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus quantum poterant concessit.*

IV. Verùm hi Auctores videntur indicare fulgorem E illum corporeum nihil esse aliud, quàm ipsam hypostaticam vnionem, quod apertius alibi indi at Da-

h li. 3. de fide c. 17. i hæres. 69. k or. 49. quæ est de fide.

mascenus [h], nec non Epiphanius. [i] Quibus consentire videtur Nazianzenus [k], vbi de hoc mysterio in hæc verba loquitur, *Vt sol, cum in nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non auertitur. Sic & homo ille, quem Dei Filius induit, Deitatem in illo non intercepit, sed abscondit. Denique cum se in monte paululum ex-*

A *tra [illegible] hominem extu[illegible], [illegible] lumine eius penè obcæcati Apostoli sunt. Et [illegible] Vt [illegible] Solis non [illegible] ad nostros [illegible], quia quod non videtur [illegible] nubium [illegible] illa diuin[illegible] dixi, corpus [illegible], probat: non [illegible] proprio latui [illegible] sed carnis, vt dixi [illegible] Fi[illegible] Dei, Filius [illegible]. Si [illegible]us [a], Transformatus est, ait [illegible] quidem in [illegible] figura manente, diuino [illegible] splendore [illegible] quiddam in [illegible] de tegente ac faciem illustrante, [illegible] ad [illegible] Dei similitudinem commutante.*

a in [illegible] 34.

Quæ sententia non perinde accipienda est, quasi V B diuina Christi persona corpori coniuncta diuinitatis fulgorem in corpus illud transfunderet, tum [illegible] diuinitatis splendor cùm sit incorporeus [illegible] omnis materiæ concretione seiunctus [illegible] corpus [illegible] nequaquam potest, aut illam ei corpoream [illegible]tem impertiri. Tum quia tam inde à primo [illegible] fuisset Christi corpus diuino splendore perfusum tametsi non erat mortalium oculis aspectabile. A[illegible] dit quòd diuina Christi hypostasis nullam h[illegible] in Christi corpus efficientiam, quæ non esset [illegible] nitati communis, ut omnis efficientis caus[illegible]ctio ob eandem tum substantiam, tum agendi vim [illegible] potestatem iure optimo tribuitur. Neque verò [illegible] sunt ij, qui nouum quidem splendorem [illegible] non negant, quo ab eorum sententia discrepant, [illegible] C quadam specie Apostolorum oculos d[illegible] autumant; sed cum tamen Christi corpo[illegible] negant, & in fulgido tantùm aëre [illegible] tant, cum tamen Euangelistæ affirmant Ch[illegible] tum fuisse immutatum, nam Matthæus [illegible] ait, *Resplenduit facies eius sicut sol.* Lucas autem, *Fa[illegible] ciei vultus eius altera.* Quæ proculdubio in [illegible] corpore Christi mutationem factam esse indicant.

Itaque accepisse dicitur Christus gloriam a D[illegible] V Patre, quia ad breuissimum tempus corpori [illegible] mortali splendorem illum largitus est, qui [illegible] tam beato debetur, cùmque beatitudinis ratio [illegible]ularet, vt anima tam beata corpori sibi coniu[illegible]atitudinem, & immortalitatem, cæterasque [illegible] pertiret, non sine miraculo factum est, vt q[illegible]m D Christus mortem pro hominum [illegible] erat omnes beati corporis dotes [illegible] rentur, quoad mortalitatem exueret. [illegible] uo quodam miraculo in monte Tabor [illegible] beati splendorem assumpsit.

Ho[illegible] porro à Patre accepisse di[illegible] VI. *[illegible] ad eum [illegible]*
Ac [illegible] quidem mox licet. [illegible] gni[illegible] oria vnde vox illa emissa [illegible] quet. An nubem illam quam Euang[illegible] morant cœlesti quadam luce fulgentem [illegible] appella[illegible] Sanè id videri potest ad [illegible] quemadmodum enim corporis [illegible] gloriam appellamus [illegible] nomine cen[illegible]. An g[illegible] tris maiestatem de qua Christus apud [illegible] Isaiæ [illegible] interpretatur *[illegible]*, inquit *[illegible]*

b [illegible] cap.

E *do vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Qu[illegible] bio personarum Trinitatem [illegible] ac specie vidisse testatur. Quod int[illegible] mant Athanasius [illegible], & Cyrillus [d], inter L[illegible] tem Ambro[illegible] [e]

c i. de Ch[illegible] d Isa. e li [illegible] c. 4. & de c. 18.

Nec dubium est illius vocis effic[illegible] æq[illegible] à VII tribus personis pende[illegible] cum nil[illegible] tis, quod Deum [illegible] Auctorem ea tamen voce Patri [illegible], qui vnigenitum Filium Apostolis [illegible] & imitandum proposuit. Cùm autem [illegible]

conijcet

constet Deum frequenter externa, ac perceptibili voce fuisse loquutum, plures eius loquutionis modos recenset Gregorius [a], *Sciendum*, inquit, *est, quia duobus modis locutio diuina distinguitur: aut per seipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cùm per semetipsum loquitur, sola nobis vis internæ inspirationis aperitur:* de quo loquendi genere fusius disserit.

Sed quoniam cum externa voce nihil commune habet, in præsentia omittitur. De altero autem loquendi modo subiicit, *Cùm verò per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis, & rebus, aliquando imaginibus, & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre assumptis, aliquando cœlestibus substantiis, aliquando simul terrenis, aliquando simul terrenis, & cœlestibus, nonnunquam verò etiam per Angelum humanis cordibus ita loquitur Deus, vt ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur.* Sed vt apparet non omnes hi loquendi modi ad externam loquutionem pertinent, quod idem dixerim de iis loquutionis generibus, quæ recenset Augustinus [b], *Veritas*, inquit, *incommutabilis, aut per seipsam loquitur ineffabiliter rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, siue spiritualibus imaginibus spiritui nostro, siue corporalibus vocibus nostri corporis sensui.* Postremus enim loquendi modus est huius loci proprius, vox enim à nube lucida lapsa dicitur.

Nec dubium est vocem illam verum fuisse sonum qui ad Apostolorum aures pertingeret, & analogia quadam ad viuentis, atque hominis articulatam vocem potuit vox appellari: hac enim analogia locutus dicitur Deus, qui alioqui loquutionis organis destituitur: sed ei tamen corpora ad formandas voces tanquam supremo Imperatori obtemperabant, vt intelligendi, ac mouendi vis loquendi facultati; subiecta corpora loquutionis organis respondeant. Et quoniam vox ex nube missa, ab Apostolis, qui iacebant in terra, exaudita est, eam non modò claram, sed etiam intensam fuisse necesse est, quæ tamen, vt ait Augustinus [c], si propriè loquendum sit, meliùs articulatus sonus appellari potest. Dicitur autem Patris vox, quia Patrem indicat, ciusque nomine prolata est, sed, vt rectè ait Fulgentius [d], totius sanctæ Trinitatis opus fuit, licèt verborum, quæ exprimuntur sensus ad vnum Patrem pertineat, qui solus Filium ante omnem genuit æternitatem. Itaque verè Auctor [e] de operibus Cardinalibus apud Cyprianum, *Hanc vocem à Paternitate tua*, inquit, *delatam nemo est qui ambigat, non est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare, non est in cœlestibus agminibus, qui Dominum Iesum suum audeat filium nominare.* Loquitur autem de persimili voce, quæ in Baptismo Christi audita est.

Porrò ea vox tum demum cœlitus missa dicitur, cum iam Apostoli Christi gloriam, eiúsque vultus splendorem non sine ingenti admiratione conspexissent, vt hac ratione Pater Filio, cuius gloriam indicasset, suo etiam testimonio diuinam conciliaret auctoritatem, cùm alioqui ipsius corporis gloria, & Mosis, Eliæque præsentia Christi amplitudinem, ac dignitatem testarentur. Ita enim loquitur Isidorus [f] Pelusiota, *Domini, ac Saluatoris nostri in monte Transfiguratio ... à morte ad vitam excitationem præsignat, quam quidem etiam vsque ad ipsius resurrectionem tacitam apud se tenere spectatores iubebantur, vtpote eum fidem inuenturam, vt quæ iam respsa perspi-*

cered. Iustinian. in Epist. Canon.

A *ceretur. Mosis* * *autem, & Eliæ* * *præsentia hoc testabatur, eum & viuis & mortuis dominari.* Hoc igitur honore Filium Pater affecit, cùm externa voce audientibus Apostolis eius dignitatem, & supremam auctoritatem declarauit, quò non ineptè referas, quod dixit Christus [a], *Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*, quæ est Hieronymi [b] sententia, *Pater*, inquit, *respondet pro Filio, vt verbum Domini compleretur. Ego testimonium non dico pro me sed Pater, qui me misit, ipse pro me dicit testimonium.*

* Plures alias rationes afferũt Chrysost. ho. 57. in Matt. Epiph. hæres. 42. Damasc. or. de Trãsf. Tertull. lib. 4. in Marcion. c. 22. Hilar. in Matth. 17. Leo Pontif. ser. de Trãsf.

a Ioan. 8. 18.

b Matth. 17.

XII. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Hoc est argumentum paternæ orationis. Vocat enim Pater Christum Dominum Filium dilectum; quo loco Auctor [c] de operibus Cardinalibus, *Duo*, inquit, *grata vocabula, filius, & dilectus, ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur*, B *vt communio nominum nos associet collegio munerum, & tanta dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accendántque deuotionis affectum.* Rectè autem ex hoc loco Athanasius [d], & Hilarius [e] Arrianos confutant, quod & elegantissimè facit Leo [f] Pontifex, *Dicente enim*, inquit, *Patre. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Nónne euidenter auditum est: hic est filius meus, cui ex me, & mecum esse sine tempore est? Quia nec Genitor genito prior, nec genitus, est genitore posterior. Hic est filius meus, quem à me non separat Deitas, non diuidit potestas, non discernit æqualitas. Hic est filius meus, non adoptiuus, sed proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus, nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis. Hic est filius meus, per quem omnia* C *facta sunt, & sine quo factum est nihil, quia omnia, quæ facio, similiter facit, & quicquid operor, inseparabiliter mecum, atque indifferenter operatur. In Patre enim est Filius, & in Filio Pater, nec vnquam vnitas nostra diuiditur; & cùm alius ego sim, qui genui, alius ille, quem genui, non aliud tamen de illo vobis fas est cogitare, quàm de me sentire possibile est. Hic est filius meus, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec vsurpatione præsumpsit, sed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune consilium, vsque ad formam seruilem inclinauit incommutabilem Deitatem.*

c ser. de Baptis. apud Cyprian.

d or. 4. cont. Arrian.

e lib. 5. de Trinit.

f sermo. de Transf. c. 6.

XIII. Et Damascenus [g], *Hic inquam*, ait, *qui nunc homo cernitur, Filius meus dilectus est, hic qui nuper homo fa-* D *ctus est, qui humiliter, & abiectè vobiscum versatur, cuiúsque nunc facies resplenduit, hic inquam filius meus dilectus est, sæculis omnibus antiquior, solus ex solo, vnigenitus sine tempore, & sempiternè ex me Patre progressus; quique, & ex me, & in me, & mecum & semper est, nec existentiæ ratione me posterior.* Et multa deinceps. Et aliquantò pòst, *Hic est Filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem Angelos etiam feci, per quem cœlum fundatum est, ac stabilita terra.* Et nonnullis interiectis, *Hic est non seruus, aut legatus, aut Angelus, sed Filius meus dilectus.* Eodem pertinent multa, quæ in eandem sententiam scribit Augustinus [h].

g orat. de Transf.

h orat. de 5. hæres. c. 7.

XIV. Dicitur porrò Christus filius dilectus, hoc ipso quia Filius, non enim propterea filius, quia dilectus, E cùm ille natura, non sola adoptione filius sit: nos contrà, quia tantùm adoptione filij sumus, quia diligimur à Deo, filij nuncupamur, non verò idcirco diligimur, quia filij. Quod indicasse videtur Ioannes [i], cùm dixit, *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Priùs enim gratiam nobis, & caritatem Deus largitur, posthuo-

i ep. 1. c. 3. in princ.

dum tanquam filios complectitur. Christus igitur A tanquam filius diligitur à Patre, nam vt apud Ioannem [a] dixit Christus, *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Dixit autem Græcè Petrus ἀγαπητός, hoc est, *dilectus*, quamquam aliàs eandem vocem Interpres reddere solet, *Dilectissimus*; quomodo alicubi transtulit Cyprianus [b], *Hic est*, inquit, *filius meus dilectissimus, in quo bene sensi.* Neque aliter legisse videtur Ambrosius [c].

a cap. 3. 35. — b ep. 63. c. 6. — c lib. de fid. c. 5.

XV. Addit præterea Deus Pater, *In quo mihi complacui*, Græcè εὐδόκησα, quasi dicat. Cuius merito hominum generi conciliatus sum. Eo enim mirificè oblector, cuius respectu placuit mihi humano generi salutem impartiri, hoc enim videtur postulare B Græca vox, de qua alibi plura dixi. Possis etiam ad ipsum Christum referre. Vt dicatur Filius dilectus, qui Deo Patri vnicè placeat, in quo, vt ita dicam, Paternæ deliciæ positæ sint, quem sensum indicare videtur Bernardus [d], *In quo*, inquit, *mihi bene complacui; verè enim hic est, in quo non est, quid Patri displiceat, quod oculos maiestatis offendat, vnde & ipse* [e] *ait. Quia quæ placita sunt ei facio semper.* Et quidem meritò in eo sibi placet, quia, vt ait Hilarius [f] peculiari modo Dei filius est, *Scilicet origine, veritate, & natiuitate, non autem adoptione, nuncupatione, aut creatione.*

d serm. 1. de Epiphan. — e Ioan. 8. 29. — f li. 3 de Trinit.

XVI. Denique addit, *Ipsum audite.* Vt enim ait Damascenus [g], *Qui hunc suscipis, me suscipis, qui eum* C *non herili auctoritate, sed paterno modo misi, vt enim homo mittitur, vt autem Deus in me manet, & ego in eo. Qui vnigenitum meum Filium non honorat, me Patrem non honorat, qui misi eum, ipsum audite, habet enim æternæ vitæ verba, hic est non seruus, aut legatus, aut Angelus, sed filius meus dilectus, ipsum audite.* Et Leo [h] Pontifex, *Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo, & cuius prædicatione manifestor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite, quia ipse est veritas, & vita, ipsa virtus mea, atque sapientia. Ipsum audite, quem legis mysteria prænunciauerunt, quem Prophetarum ora cecinerunt. Ipsum audite, qui sanguine suo mundum redimit, qui Diabolum ligat, & vasa eius rapit, qui peccati chirographum, & præuaricationis pacta dirumpit. ipsum audite, qui viam aperit ad cælum, & per* D *Crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad Regnum.*

g orat. de Transf. — h serm. de Transf. c. 7.

XVII. *Ipsum audite.* Quippe ille plenus erat, vt ait Ioannes [i], *gratiæ, & veritatis.* Quinetiam, vt idem [k] affirmat, *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Christus autem ipse apud Ioannem [l], *Quod scimus*, inquit, *loquimur, & quod vidimus testamur.* Vtitur autem numero multitudinis pro numero singulari, quod frequentissimum est, præsertim, cùm viri modesti de se, suisque rebus loqui coguntur. Ita Christus se verum, & fidelissimum testem, ac Magistrum declarat, eum videlicet, quem Deus apud Isaiam [m] pollicetur, *Ecce*, ait, *Testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem Gentibus.* Quem locum obseruauit Iustinus [n], vt Christum doceat verum esse omnium E Magistrum. Apud Matthæum [o] verò ita loquitur Christus, *Prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso mundo in testimonium cunctis Gentibus.* Et apud Ioannem [p], *In hoc natus sum vt testimonium perhibeam veritati.*

i cap. 1. — k ibid. 17. 18. — l cap. 3. 15. — m cap. 55. 4. — n Dial. cum Triphon. — o cap. 24. 14 — p cap. 18. 37.

XVIII. Meritò igitur diuina Patris vox Christum audiendum esse monet, qui apud Ioannem [q] se verum, ac legitimum testem esse hac ratione probat, *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, si mihi non vultis credere, operibus credite.* Nam vt ait Chrysostomus [a], *Ab operum æqualitate se Deum probat*; ea verò opera, vt monet Augustinus [b], *sibi in testimonium vocat.* Eleganter verò Fulgentius [c], *Vt quem hominem verum constaret esse passionibus hominis, eundem verum Deum crederemus operibus Deitatis, ipso Filio dicente. Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

q cap. 10. 25 — a hom. 4 [illegible] Ioan. — b li. 1 [illegible] Fauft. c — c lib. ad Trasimun. c. 15.

XIX. Ipsum igitur ait Pater audite, hoc est, ei docenti fidem habetote, tanquam vero, ac legitimo Magistro, qui nec fallere, nec falli potest, eidemque præcipienti obtemperate, cùm sit verus legislator, ac Dominus. Verùm solus ne Christus est audiendus? sanè hoc maximè contendunt Caluinistæ, qui hæc verba memoriæ commendanda monent, & altiùs infixa retinenda, ne alium quàm Christum audiamus. Mentitur ergo Salomon [d], qui ait, *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Mentitur Moses [e], qui Sacerdotibus obsequendum præcipit in hæc verba, *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, decreto Iudicis morte moriatur homo ille.* Mentitur Paulus [f], qui præpositis obtemperandum docet, *Obedite, ait, præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Mentitur denique Christus, qui Apostolos alloquens [g], *Qui vos audit, ait, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Quocirca audiendus quidem est Christus tanquam præcipuus Magister, ac supremus legislator, sed & cum illo audiendi sunt ij omnes, quos ille sibi Vicarios substituit.

e Deut. 17. 12 — f ad Heb. 13. 17. — g Luc. 1[illegible]

18. *Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.*]

I. Vel ex hoc loco, vt obseruauit Beda, facilè quiuis intelliget huius epistolæ Auctorem vnum esse è tribus Apostolis, qui transfigurationis mysterio interfuerunt; nam alioqui impudentissimè D mentiretur, qui se ei mysterio adfuisse affirmaret, cùm tres tantùm Apostoli tanti mysterij testes fuerint oculati: cùm verò Ioanni, aut Iacobo hæc epistola adscribi nequeat, id restat vnum, vt eius Auctor censendus sit Petrus. Rectè autem ille ait se eam vocem audisse vnà cum duobus collegis, nam Deum loquentem videre non poterant, & nube illa quodammodo obuoluti nihil penitus intuiti sunt, non apparentibus ampliùs Mose, & Elia, vt Euangelistæ scribunt, *nisi solum Iesum.* Ait autem eam vocem de cœlo missam, qui paulò antè dixerat, lapsam à magnifica gloria. Sed non est verisimile ab ipso cœlo vocem illam fuisse missam, sed cœli nomine aërem significauit, quomodo aues cœli dici consueuerunt.

II. Cæterùm in ipsa nube, quæ visa est, efformatam E fuisse haud ambigo, quæ inde egressa ad Discipulorum aures peruenit. Quomodo tonitrua in nubibus excitata ad nostras aures pertingunt. Sic aliàs apud Ioannem [h], cùm perlimilis vox Christi maiestatem declararet, turba, quæ astabat, & audierat, dicebat, *Tonitruum esse factum, alij dicebant Angelus ei locutus est.* Porrò vox illa, vt ex Euangelistarum narratione constat, audita est postquam Apostoli Christi gloriam conspexerant; tempus verò, & locum

h cap. 12

& locum notat subdens, *Cùm essemus cum illo in monte sancto.* Nec dubium est, eum loqui de monte Tabor, quem sanctum appellat ob mysterij, quod in illo contigit sanctitatem. Neque enim alia ratione sanctitas loco tribui potest, nisi vel aliqua externa consecratione, quomodo sancta dicuntur Templa, & Altaria, vel quia in illo aliquid sanctum exercetur; qua ratione sancta aliquo pacto vocantur loca, in quibus viri sancti seu vixerunt, seu etiam sepulti iacent.

Huc spectat quod ait Augustinus, [a] *Multi enim modi sunt sanctitatis, & multi modi sunt sanctificationis, non enim omne, quod sanctificatur ad Regnum cælorum mittitur. De esca nostra dixit Apostolus* [b], *Sanctificatur per verbum Dei, & orationem.* Et paucis interiectis, *Disce ergo esse aliquem modum, & quasi umbraculum quoddam sanctitatis, quod non sufficiat ad percipiendum salutem.* Quocirca Hieronymus [c] Paulæ Romanæ pietatem, ac Religionem commendans, quòd montem illum religiosè conscenderet, *Scandebat, inquit, montem Tabor, in quo transfiguratus est Dominus a [...] cebat procul montem Hermon, & Hermonium, & campos latissimos Galilææ, in quibus Sisara, & omnis exercitus eius Barach vincente prostratus est.* Et ob eius loci sanctitatem mysterij memoriam colens Helena Constantini mater templum trium Apostolorum honori extruxit. Ita enim scribit Nicephorus [d], *In ipso transfigurationis loco, quo splendorem illum mirificum conspexere, Apostolis tribus pulcherrimam extruxit Ecclesiam quo loco multam etiam reliquit pecuniam in subsidium eorum, qui ibi manerent, locúmque ipsum excolerent.*

IV. Idem verò Nicephorus aliam quandam rationem affert, cur potuerit mons sanctus appellari, *In eo* inquit, *Melchisedech Abrahamum dicitur benedictione [...] esse.* Certè Damascenus [e] huic monti conuenire ait verba illa Dauidis [f], *Tabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Nam Hermon, inquit, prius exultauit, quando paterno testimonio Christo ad Baptismum profecto. Filij nomen tributum est: nunc vero exultat, ac lætitia perfunditur Tabor diuinus, & sanctus ille mons non minus gloria quàm altitudine sublimis.* Nec mirum est voluisse Christum in monte tribus Apostolis hoc mysterium patefacere; solebat enim ille pleraque in montibus peragere, vt ex Euangelio deprehenditur.

V. De hoc autem mysterio præterea, quæ scribunt Damascenus [...], & Euthymius [h], hæc habet Tertullianus [i], *In montem secedit, nam & pristinum populum apud montem, & visione, & voce sua Creator initiarat. Oportebat in eo suggestu consignari nouum testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat. Sub eodem [...] ambitu nubis, quam nemo dubitauit de aëre Creat[...] globatam. Nec nunc muta nubes fuit, sed vox [...] de cælo, & Patris nouum testimonium super Filium, de quo Psalmo secundo. Filius meus es tu, ego hodie genui te. & Isaia quinquagesimo. Quis metuens Deum audit vocem filij eius.*

VI. Paternam igitur vocem audisse se ait Petrus, cùm vnà cum Christo Domino esset in monte. Tres enim Discipulos assumpsisse dicitur Christus *Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.* Hi enim tres, vt ait Victor [k] Antiochenus, *tanquam Coryphæi primas inter Apostolos obtinebant.* Et Chrysostomus [l], itémque Euthymius [m] Petrum quidem aiunt adhibitum fuisse, quod eum propter fidei seruorem valde diligeret, Ioannem verò ob eximiam eius sanctitatem, Iacobum denique quod grauis, ac molestus esset Iudæis. Cur autem tres tantùm testes adhibuerit explicat Damascenus [a], *Vt venerandum, inquit, Trinitatis mysterium subindicaret, atque vt sub duobus, aut tribus testibus staret omne verbum.*

Bened. Iustinian in Epist. Canon.

VII. Paulò autem pòst de tribus Apostolis hunc in modum scribit, *Iam verò quid causa est, quamobrem Petrum, & Iacobum, & Ioannem assumpserit? Petrum, vt testimonium, quod vere prabuerat à Patre exhibitum fuisse ostenderet, ac sententia ipse sua fidem astrueret, utpote quod Pater cælestis, hoc ei testimonium patefecerat, atque etiam vt Antistitem, quique totius Ecclesiæ gubernaculo susceperit. Iacobum autem, vt, qui ante omnes Apostolos pro Christo mortem oppeturus, ipsiúsque calicem bibiturus, ac Baptismum ipsius causa suscepturus esset. Ioannem denique vt Virginem, & purissimum Theologiæ organum quo Dei gloriam omni tempore sublimiorem conspicatus, illud postea, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, intonaret, vnde etiam Tonitrui filius appellatus est.*

19. *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.*]

Torquentur hoc loco nonnulli, séque versant in omnes partes vnà Apostoli voculâ perterriti, ait enim, *Habemus firmiorem propheticum sermonem,* Græcè βεβαιότερον. Et primùm quidem aiunt comparatiuum pro positiuo, aut etiam superlatiuo positum esse, quasi dicat. Præter hanc cœlestem Patris vocem, si quis fortè eam in dubium reuocet, habemus firma, ac minimè dubia, seu potiùs firmissima, certissimáque oracula Prophetarum, quæ diuinam Christi maiestatem prædicant. Sed quoniam videtur Petrus nonnulla omnino comparatione vti, idcirco secundo loco aiunt Propheticum sermonem firmiorem appellari, non quòd paterno testimonio præferendus sit, sed quòd perspicuo rerum euentu priscorum Prophetarum vaticinia confirmata, ac stabilita sint, verissimáque comprobata. Quæ interpretatio admitti vtcumque posset si de Transfigurationis mysterio, de quo priuatim agit Petrus Vates olim propriè, ac nominatim vaticinati essent. Quis verò ferat eos, qui Prophetico sermone, ipsam paternam vocem indicari, certiorémque appellari autumant? Quorsum enim id addat Apostolus, cùm Dei Patris vocem magnificentissimis verbis extulisset? cur verò eam vocem firmiorem appellet, de cuius veritate, ac certitudine nefas est dubitare?

II. Nihil igitur ambigo propheticum sermonem, veterum Prophetarum oracula significare. Ita enim docuit Augustinus [b], *Quis enim nostrûm, inquit, non miretur delata voce de cælo certiorem propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse? Certiorem sane esse dixit, certiorem non meliorem, non veriorem. Tam verus enim ille sermo de cælo, quam sermo Propheticus, tam bonus, tam vtilis: quid est ergo certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor? quare hoc? quoniam sunt homines infideles, qui sic detrahunt Christo, vt dicant eum magicis artibus fecisse, quæ fecit; possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de cælo per coniecturas humanas, & illicitas curiositates, ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico antea, ante istam vocem, sed ante Christi carnem, nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas; quisquis eum dicit magnum fuisse, si ergo magicis artibus fecit, vt coleretur & mortuus, numquid magus erat ante*

Marginal notes: [a] ... [b] ... [c] ... Paulæ. [d] ... 10. [e] orat. de transf. [f] Psal. 88. [h] ... [i] lib. 4. in Marcion. c. ... [k] Marc. 9. [l] Matt. 17. [m] Matt. 17. — [a] orat de Transf. — [b] ser. 27. de ver. Apost. c. 4.

antè quàm natus. Ecce quare ait Apostolus Petrus. Habemus certiorem Propheticum sermonem. Vox de cœlo, quæ fideles admoneantur, propheticus sermo, quo infideles conuincantur.

III. Ita videtur Augustinus firmitatem referre ad credentium animos, quòd videlicet firmiùs nonnulli adhærerent iis, quæ Prophetarum oraculis prænunciata, & euidenti rerum euentu comprobata cernuntur, quàm iis, quæ Apostolorum prædicatione absque oraculis Prophetarum promulgabantur; qualis erat hæc Petri narratio de paterna voce cœlitus missa. Simile quiddam insinuare videtur Oecumenius, *Propterea quod,* inquit, *ex rebus ipsis, & experientia cognouimus, quæ à Prophetis fuerunt prænunciata, clariorem omnem eorum prophetiam habemus, non quòd de voce à Patre de cœlo demissa prophetia aliqua sit, sed quia ex voce Patris, quæ de Filio testificata est confirmati sumus, & certò credidimus omne Prophetarum vaticinium stabile, ac sine vlla controuersia verum esse. Ex hoc enim certiorem esse eorum prophetiam iudicamus, quippe cum res verba ipsorum fuerint consequuta.*

IV. Possis etiam addere, quod alij ante nos obseruarunt certiorem appellari Iudæorum respectu, qui Prophetarum oraculis assueti, iis quodammodo firmiorem præbebant assensum, quàm iis, quæ Vatum testimonio destituebantur. Quòd videtur spectasse

a Io.c.5.39. Christus Dominus, cùm apud Ioannem [a] dicit, *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et subdit, *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Denique hunc sensum confirmat Beda, *Si quispiam,* ait, *nostro testimonio discredendum putauerit, quòd in secreto gloriam Redemptoris nostri conspeximus diuinam, quòd vocem Patris ad eum factam audierimus, certè sermoni Prophetico nemo contradicere, nullus de hoc ambigere audebit, quem diuinis Scripturis iam olim insertum omnes verum esse testantur.*

V. Quæ cùm ita sint, vocat Petrus propheticum sermonem firmiorem, non quidem paterna voce, sed suo testimonio, firmiorem autem non vi sua, sed ob credentium, siue Gentilium, siue Iudæorum conditionem: vtrique enim suspicari potuissent Apostolos vel mentiri posse, vel certè res gestas à Magistro suo Christo magnificentiùs prædicare, & supra veritatem extollere, cùm de oraculorum euentu, qui perspicuè cunctis apparebat, nulla ratione possent dubitare. Et profectò, vt alibi copiosiùs docui, mira est inter vaticinia Prophetarum, & Euangelicam historiam consensio, singula enim fermè, quæ de Christo in Euangelio commemorantur, multò antea fuerant à Vatibus prænunciata. Quamobrem plurimi Sanctorum eandem fuisse aiunt priscorum Patrum fidem cum fide nostra, nisi quòd illa erat aliquantò obscurior, nostra explicatior, & dilucidior; illa tempus futurum spectabat, nostra præ-

b lib. 4.c.13. sentum. Ita Irenæus [b], *Et nos,* ait, *eandem fidem*

c inic. Panar. *accipientes, quam habuit Abraham.* Epiphanius [c] verò cùm de veteris Testamenti Patribus ageret, *Operabatur* ait, *tunc pietas, & impietas, fides, & incredulitas, fides quidem Christianismi imaginem obtinens.*

VI. Copiosè autem, ac luculenter Augustinus [d], *Ante aduentum,* ait, *Domini nostri Iesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt iusti sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides, quia & ipsa verba pro tempore variantur cùm variè declinantur. Alium sonum habet venturus est, alium sonum habet, venit; mutatus est sonus. Venturus est, & venit, eadem tamen fides vtrosque coniungit & eos qui venturum esse, & eos qui eum venisse [illegible] Diuer[illegible] quidem tem[illegible] sed vtrosque per vnum fidei ostium hoc est, per C[illegible] videmus ingressos. Nos credimus Dominum Iesum [illegible] stum natum ex Virgine, venisse in carne, pa[illegible] resurrexisse, in cœlum ascendisse: totum hoc, [illegible] verba audistis præteriti temporis impletum esse iam credimus. In eo[illegible] sunt fidei societate nobiscum, & illi Patres, qui crediderunt de Virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum ascensurum.* Mox autem testimonio Pauli, hæc ipsa confirmans addit, *Illos enim ostendit Apostolus, vbi ait [a]. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum [b] est. Credidi propter quod locutus sum. Et nos credimus propter quod loquimur. Propheta dixit. Credidi propter quod locutus sum. Apostolus dicit. Et nos credimus propter quod & loquimur. Vt scias autem, quòd vna sit fides, audi dicentem. Habentes eundem spiritum fidei, & nos credimus. Et plura deinceps eodem spectantia.*

d Tract. 45. In Ioa. & milia lib. 2. con. lit. Petilian. c. 37 & li. 19. con. Faust. c. 13. 16. & 17.

a [illegible] 4.13.

b [illegible]

Cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Laudat Christianorum studium, eorum præcipuè, qui ex Iudaismo Christo nomina dederant, quòd peruoluendis, perscrutandisque Prophetarum vaticiniis operam darent; in iis enim Christianæ doctrinæ capita facilè poterant recognoscere, modò perfidiæ, ac cæcitatis velum deposuissent. Sic olim Eunuchus Æthiopum Reginæ Isaiam percurrebat [c]. Iudæi qui erant Berœæ, vt scribit Lucas [d], audita Pauli concione, *quotidie scrutabantur Scripturas, si hæc ita se haberent.* [e] Syrac denique, *Sapientiam,* ait, *omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit.*

c Act. 8.

d Act. 17.

e Eccli. 39.

VIII. Eam ob causam Iustinus [f] Martyr aduersus Philosophorum libros disputans, magnam ait vtilitatem ex Prophetarum lectione percipi posse, *Quocirca,* inquit, *cùm veri nihil de Religione à Doctoribus vestris percipi posse constet, & idoneum satis documentum vobis ignorationis ipsi sua per dissidentes inter se factiones exhibuerint, reliquum esse opinor, vt ad maiores nostros reuertamur, qui & vt Magistros vestros longo tempore antiuerterunt, nihil nos de suis ipsorum cogitationibus, & placitis docuerunt, minimè ipsi mutuis dissensionibus, inuicem confligentes, aut alij aliorum dicta euertere in animum inducentes, quippe qui omni contentionis studio, & factionum dissidio liberi, sicuti à Deo acceperunt, ita nobis doctrinam tradiderunt.* Et alibi [g], *Libri verò eorum* (de Prophetis loquitur) *etiam nunc extant [illegible] quis legat, eisque fidem habeas, plurimum etiam [illegible] emolumenti.*

f in adhort. ad Gent.

g Dial. Tryphon.

IX. Quod etiam confirmat [h] Lactantius Philosophorum [illegible] longè Prophetarum oracula antepones. Atque [illegible] dem ratione Petrus fideles à Simonianorum [illegible] osticorum fabulis, ac Philosophorum delira[illegible] cat, de quibus ita loquitur Paulus [i], *Euan[illegible] cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et alibi [k], *Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* Videtur autem hæc Petri oratio ad Iudæos, qui Christiana sacra susceperant potissimùm pertinere, qui Prophetarum scripta maximè colebant, & in Synagogis frequenter legere, atque audire consueuerant.

h li. 7. c. 14.

i ad Ro. 1.

k ad Ephes. 4.18.

X. Eorum itaque diligentiam, ac sedulitatem commendat, vt enim paulò pòst dicet Prophetarum vaticinia diuinam auctoritatem, & ad erudiendos, ac permouendos animos magnam vim habent, cùm præsertim rerum euenta iis omni ex parte respondeant, quod ij maximè obseruare poterant,

...nt, qui Apostolorum opera cælesti fidei luce perfusi sunt.

XI. ... lucerna, inquit, *lucenti in caliginoso loco.* ...turam & conditionem Prophetiæ describit, ...iam pertinet ... lucernæ in caliginoso loco ... ; & lucernæ quidem metaphoram probauit ... Dauid [a]. *Lucerna, ait, pedibus meis verbum tuum, ... meis.* Quin etiam Salomon [b] *Mandatum lucerna est, & lex lux.* In nouo autem Testamento ... etiam diuini verbi Præcones lucernæ ... esse ...tur. Christus enim apud Ioannem [c]. Præcursorem suum lucernam appellat. *Ille, ait, erat lucerna ardens, & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Et apud Matthæum [d] cùm Apostolos lucem mundi vocasset, confestim lucernæ metaphoram vsurpans *Neque accendunt,* inquit, *lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt.*

XII. Quòd autem ait. *Lucenti in caliginoso loco,* indicat Prophetiarum obscuritatem, ac difficultatem, ...e quibus Dauid [e]. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Ita enim locum explicat Gregorius [f], qui explanans verba illa Iob [g]. *Qui ligat aquas in nubibus suis, ...t non erumpant pariter deorsum. Quid,* inquit, *hoc loco aquam, nisi scientiam, quid nubes, nisi prædicatores appellat? Nam quia in sacro eloquio aliquando aqua ... dicitur, Salomone [h] attestante didicimus, qui ait Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ. Aqua signari scientiam Dauid ... Propheta testatur dicens. Tenebrosa aqua in nubibus aeris id est, occulta scientia in Prophetis, quia ante aduentum Domini dum occultis Sacramentis grauida mysteria immensa gestarent intuentium oculis eorum intelligentia caligabat.* Necesse vt sit Nouatores [k] vehementer falli, qui Scripturam aiunt esse ... certissimam, facillimam, apertissimam, sui... interpretem, quæ omnia probet, iudicet, & ...

XIII. Hanc porrò Scripturæ difficultaté, obscuritatemque vt suprà indicaui, omnes penè veteres Patres & agnouerunt, & professi sunt. Præcipuè verò inter Græcos Clemens [l] Romanus, Dionysius [m] Areopagita, Irenæus [n], Clemens [o] Alexandrinus, Origenes [p], Dionysius [q] Alexandrinus, Athanasius [r], Basilius [s], Gregorius [t] Nazianzenus, Epiphanius [u], Chrysostomus [x], Theodoretus [y], Titus [z] B...strensis, Procopius [aa] Gazeus, Maximus [bb] Monachus, Ioannes [cc] Damascenus, Euthymi... Inter Latinos autem Tertullianus [ee], Hila..., Ambrosius [gg], Hieronymus [hh], Augustinus [ii], Petrus [kk] Chr...s, Prosper [ll], Gregorius [mm] Pont..., ...otus [nn], Beda [oo]. Quamobrem Ruffin... ...ciom, & Gregorium Nazianzenum ma... *Quòd ambo nobiles, ambo Athenis eru... collegæ per annos tredecim omnium Græcorum ... um libris remotis solis Scripturæ diuinæ voluminibus operam dabant, eorúmque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.* tantùm abest, vt quod Nouatores faciunt, passim cuiuis etiam cerdonibus, & cæmentariis, & muliereulis sacrarum litterarum explanationem permittendam censerent.

XIV. Plures autem à priscis item Patribus rationes afferuntur, cur Scriptura sacra pluribus sit difficultatibus implicita. Nam ipsum Hebraicum idioma quo primum sacræ literæ editæ sunt, ob phrases, dicendique modos peregrinos, atque abditos non exiguam parit obscuritatem, sic en... loquitur Theodoretus [a]. *Quænam est causa obscuritatis in Scriptura? fecit obscuritatem mutatio ex alia lingua in aliam & quod studuerint Interpretes pressis ... entes vestigiis de verbo in verbum interpretari. Hoc ipsum accidit iis, qui è lingua Italica transferunt in linguam Græcam sunt illa quoque plena magna obscuritate.* Euthymius [b] autem eadem de re hunc in modum scribit. *Præterea obscuritatis alia est ratio, idioma scilicet Hebraicæ linguæ diuersum à Græca, varijs enim, ac multiplicibus loquendi modis Prophetæ sæpenumero vsi sunt.* Et paucis interiectis. *Postremò illa etiam addatur ratio, quòd de prima propria Hebraica lingua in aliam antiqua omnia legimus translata. Omnis autem lingua in aliam conuersa ut plurimum difficultatem, & obscuritatem generat.*

XV. Possis etiam addere metaphoras, & parabolas quæ frequenter vsurpantur, præsertim ex Palæstinæ consuetudine, ex quibus magnam oriri difficultatem necesse est. Deinde Clemens [c] Alexandrinus aliam affert rationem à primarij Auctoris fine desumptam Hoc enim Deus potissimùm spectauit, *vt diligenter inquiramus, ac semper vigilemus in inueniendis salutaribus orationibus.* Quam rationem insinuat Basilius [d]; apertè affert Cassianus [e]. *Vt etiam,* inquit, *inter ipsos domesticos fidei, dum intellectuum spatia coram eis immensa tenduntur, in eis desidiosorum argueretur ignauia, & studiosorum alacritas, & industria probaretur.*

XVI. Quin etiam Clemens Alexandrinus aliam bis verbis rationem addit. *Præterea nec omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere ne læderentur aliter accipientes ea quæ à Spiritu sancto dicta sunt salutariter. Quamobrem iis, qui sunt electi ex hominibus, & iis qui ex fide coaptati sunt, ad cognitionem, quæ seruantur sacra mysteria Prophetarum teguntur parabolis, Scripturarum enim stylus est parabolicus.* Quiddam simile indicat Cassianus. *Ne Sacramenta,* inquit, *diuina nullum habentia ... italis intellectus velamen obductum cunctis hominibus, id est, tam fidelibus, quàm prophanis æquali scientia, & notitia panderentur. Et per hoc inter inertes, & studiosos nulla esset virtutis, prudentiæq; distantia.*

XVII. Postremò, vt bene monet Basilius [f], meritò nonnulla diuinis litteris aspersa est difficultas, quia *quæ labore parata sunt, ea nescio quo pacto magis amantur, quæq; longo tempore contingunt, constantiùs permanent. Porro quæ facilè parantur, his non perinde auidè fruimur, negligitur enim rerum obuiarum copia, neque vlla custodia dignas ducit qui possides.* Quibus consentanea sunt, quæ scribit Gregorius [g] Nazianzenus. *Quod ea, inquit, ratione factum puto,* (loquitur autem de hac Scripturæ obscuritate) *vt sapientes meliori, quàm cæteri conditione sint aut quod non sine labore, ac negotio acceperunt, studiosè quoque conseruent, ac retineant, quod enim aliquis celeriter, faciléque adeptus est, id ne retinere quidem magnopere curat.* Quod ipsum indicat Procopius [h]. Optimè verò Augustinus [i]. *Ita,* inquit, *obscurè quædam dicta sunt, vt densissimam caliginem obducant, quod totum diuinitus prouisum esse non dubito ad edomandam labore superbiam & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerumque vilescunt.* Et alibi [k]. *Sunt in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, vt exerceant, ad hoc aperiuntur, vt pascant.*

XVIII. Similia scribit Gregorius [l] Pontifex. Eademque probant Isidorus [m] & Beda [n]. Eleganter verò Prosper [o].

a 1. Reg. q. 1.
b Præf. in Psal.
c lib. 2. Stro. c. 7.
d Præf. in Isa.
e Collat. 8. c. 3.
f Præf. in Isa.
g ad Nemes.
h Præf. in Isa.
i lib. 2. de doct. Christ. c. 6.
k in Ps. 140.
l Hom. 6. in Ezech.
m lib. 1. de sum. bon. ca. 18.
n in Psal 10.
o in sent. n. 67.

... c. 24. / ... Præf. in Gen & præfat. in Isa. / bb Cétur. 2. c. 29. / cc lib. 4. c. 18 / dd Præfa. in Psal. & Io. 5. / ee lib. de ...all. c. 1. / ... Præfat. in ... & in 118. / ... Ser 8 & Ps. 118 / ... de ver. Re... ca 17. & de doct. ... Præf. in Psa. / ... de vil. credend. ca 7. / ... 3. & 119. / ... Ser. 96 / ... Sent. 7. / ... Præf. in mor. c. 4. / ... in mor. / ... Hom. 6. in Ezech. / ... lib 1. de sum bon. ca. 28 / ... in Psal. / ...

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

Quamuis

Quamuis in sacris libris, quos nosse laboras
Plurima sint lector clausa, & opaca tibi.
Inuigilare tamen studio ne desine sancto
Exercens animum dona morata iuuant.
Gratior est fructus quem spes productior edit,
Vltrò obiectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem
Qui dedit vt quaras addet vt inuenias.

a Hom. 3. de Lazaro. At Chrysostomus [a] aliter sentire videtur, cùm enim dixisset Philosophos obscurè multa, inuolutéque scripsisse subiicit. *Apostoli verò, & Propheta omnia contra fecerunt; manifesta, claráque prodiderunt, exposuerunt nobis velut communes Orbis doctores, vt per se quisque discere possit ea, qua dicuntur, è sola lectione.* Rursus alibi [b]. b Hom. 3. in 2. epist. ad Thessal. *Quamobrem*, inquit, *opus est concionari? omnia clara sunt, & plana ex Scripturis diuinis, sed quia delicatuli estis auditores delectationem audiendo venantes, propterea concionatores quaritis.*

XIX. Verùm si rectè tanti viri verba expendantur, hoc solùm inter Philosophos, Apostolos, ac Prophetas interesse docet, quòd illi inanem gloriam sectantes abstrusa quædam, & abdita naturæ arcana, & quidem obscurè, atque inuolutè posteritati consignarunt. Hi verò ea præcipuè scripserunt, idque absque oratorio apparatu, aut verborum lenocinijs, quæ ad salutem consequendam valent, vt videatur orationis simplicitatem, facilitatemque commendare, idque eo consilio, vt quorundam socordiam, ignauiamque perstringeret, qui sacrorum librorum lectionem tamquam à se alienam reiiciebant. Ipse verò omnes hortatur, vt sacras litteras C peruoluant, quia sola earum lectio etiamsi non omnia perspiciantur, non exiguam affert vtilitatem. Loquitur autem potissimùm de iis, quæ aut ad historias explanandas, aut morum præcepta tradenda referuntur.

XX. Itaque profert Pauli verba, quibus se ait abditam sapientiam, aut orationis pompam, atque ornatum minimè fuisse sectatum; confestim autem subiiciens, quæ spectant ad mores. *Cui enim*, inquit, *non sunt manifesta quacumque in Euangelio scripta sunt? quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundo cordis, cateráque huiusmodi, desiderabit praceptorem, vt aliquid eorum discat, qua dicuntur? quin etiam signa, miracula, historia, nónne cunctis nota, manifestáque sunt?* Et paulò pòst explicans quid à suis auditori- D bus exigat. *Sume*, inquit, *librum in manus, lege historiam omnem, & que nota sunt memoria tenens, ea, qua obscura sunt, paríterque manifesta frequenter percurre, quòd si non poteris assiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem, communica cum his ea, qua scripta sunt, declara vehemens studium.*

XXI. Quibus verbis omnino fatetur quædam esse difficilia, & quæ Præceptoris operam, diuinámque opitulationem requirant, vt fusiùs deinde docet, c Hom. 3. in 2. ad Thess. quod ipsum alibi [c] planiùs explicat; cùm enim dixisset omnia esse dilucida, atque perspicua, illico subdit. *Nam dic quaso quo orationis fastu dicebat Paulus? Sed tamen conuertit orbem terra, quo nam autem Petrus, qui erat illiteratus?* Mox autem cùm obscuritatem obtendi posse indicasset, hæc E addit. *Quanam ea obscuritas? dic quaso an non sunt historia?* Denique torporem quorundam castigat, qui à Scripturarum lectione abhorrebant; idcirco d Hom. 10. in Io. alibi [d] auditores hortatur, vt antè quàm ad Concionem accedant, ea, quæ explicanda sunt, perlegant, difficilia, & obscura notent, vt eorum à Concionatore explicationem quærant.

XXII. Non itaque mirum quod ait Petrus propheticum sermonem lucernam esse lucentem *in caliginoso loco.*

A Etenim vt ait Augustinus [a]. *Omnis Prophetia antè Domini aduentum lucerna est, de qua dicit Petrus Apostolus; habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Lucerna itaque Prophetæ, & omnis Prophetia vna magna lucerna. Quid Apostoli? non lucerna etiam ipsi? planè lucerna.* Sed quem obsecro caliginosum locum appellat? an tenebrosum locum vocat, rudem adhuc, atque inchoatam eorum cognitionem, qui à Iudæis orti Christianis tum primùm sacris initiati erant? Ita existimarunt nonnulli, qui diem, ac luciferum perfectam, atque absolutam Christianæ disciplinæ scientiam interpretantur, vt dicat Petrus, tantisper Prophetarum B oraculis operam dandam esse, quoad quis absolutam Euangelicæ doctrinæ comprehensionem assequatur.

Probari hæc sententia posset si in Euangelicæ doctrinæ luce Prophetarum vaticinia nulli vsui essent, ac propterea abiicienda viderentur, quòd particula, *donec*, indicare videtur. Hanc tamen sententiam innuit Oecumenius. *Squallidus enim*, ait, *& siccitatè affectus locus caliginosus, & obscurus esse consueuit, propterea quòd dum calore solis succensus humore, qui aëri formam dat, priuatur, aërem ipsum radiorum solarium ministrum ineptum ad ei ministrandum necessariò efficit, vtpote qui in discrimen veniat ne propriam suam qualitatem amittat; vnde fit, vt quasi per peregrinum vehiculum radius delatus obscuram quandam lucem* C *emittat: attendendo igitur, inquit iis, qua ita obscurè à Prophetis dicta sunt, spe non frustrabimini, nam cùm res suo quaque tempore aduenient, quas dies nomine significauit, aptè admodum in translatione persistens. Dixit enim lucernam, & locum squallidum, id est, caliginosum, & tenebrosum, qua quidem nox est. Noctem autem omnem dies subsequitur, cùm dies igitur, inquit, aduenies, id est, rerum ipsarum prasentia, habebitis orientem luciferum in cordibus vestris, hoc est, Christi cognitionem, & aduentum eius à Prophetis praenunciatum, qui tamquam lux vera corda vestra illustrabit.*

Sed cùm hæc Epistola ad fideles scripta sit, iam illis fidei lux affulserat, adeoque cognouerant, quæ de Christi aduentu à Prophetis prænunciata erant, D iam re ipsa ad exitum fuisse perducta, atque idcirco, vt Paulus [b] ait. Nox præcesserat, dies autem appropinquauerat. An hanc mortalem, caducamque vitam caliginosus locus significat, in qua multis ignorationis, ac cæcitatis tenebris inuoluimur, & vt ait Paulus [c], *Videmus per speculum in ænigmate*, fideique obscuritate implicati detinemur? Sanè si ita est, rectè Petrus oracula Prophetarum, & sacras literas cum lucerna contulit. Hæc enim lucerna in cœlesti beatorum Patria nulli erit vsui, ea enim ciuitas, vt ait Ioannes [d], *Non eget sole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.* Et rursus [e]. *Et nox vltrà non erit, & non egebunt lumine lucerna, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* XXIV

b ad Rom. 13. 12.
c ad Cor. 1. 13. 12.
d Apoc. 21. 23.
e cap. 22. 5.

E Quocirca ad hunc locum alludens Augustinus [f]. *Quamdiu ergo, ait, ad lucernam ambulamus, necesse est vt cum timore viuamus, cùm autem venerit dies noster, id est, manifestatio Christi, de qua Apostolus, cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et alibi [g]. *Ergo in his velut nocturnis doloribus, & laboribus prophetia nobis accensa est, sicut lucerna in caliginoso, & obscuro loco, donec lucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Certè cùm Petrus addit. XXV.

f in Psal. 51.
g in Psal. 8

dit *Donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris* immortalem, ac beatam vitam deſcribit. Hebræorum autem more bis idem alia ratione iterat, elucet enim dies, cùm lucifer exoritur, atque ita dixit Martialis,

—— Phoſphore redde diem.

a ... de Eſt quippe Veneris ſtella, de qua Marcus Tullius [a], cùm antegreditur ſolem, lucifer, cùm ſubſequitur, Heſperus, Græcè, ἑωσφόρος, nuncupatur. Et quidem ſuſpicari quiſpiam poſſet, indicare voluiſſe Petrum his verbis diuinum illud lumen gloriæ, quo beatorum mentes perfuſæ ad beatam Dei contemplationem euehuntur, de quo plura Theologi in ſcholis.

20. *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scriptura propria interpretatione non fit.*]

Quoniam dixerat vaticinia Prophetarum peruoluenda, & legenda eſſe, docet nunc, cùm ea difficilia, & obſcura ſint, quanam ratione explicanda videantur. Oecumenius autem aliquid amplius ſignificare videtur. *Ve oſtendat*, inquit, *ea quæ dixerunt, non ſine interpretati, diſtinguátque prophetiam veram à ficta, & dæmoniaca, quæ inter hæreticos exerceri deprehenditur. Omnem prophetiam Scripturæ, inquit, priuatæ ſolutionis minimè eſſe, hoc eſt, Prophetas à Deo quidem accipere Prophetiam, non tamen vt ipſi volunt, ſed vt qui eos mouet, diuinus Spiritus operatur; at nouiſſe quidem ipſos, atque intellexiſſe Propheticum ſermonem, qui ipſis demittebatur, non tamen ſolutionem etiam eius feciſſe.*

I. Certè negari non poteſt Prophetas ita fuiſſe diuina quadam luce illuſtratos, vt tamen non ſuo arbitratu vaticinari poſſent, quod Eliſei exemplo locè clarius conſtat, cùm enim ad eius pedes Sunamitis mulier gemebunda iaceret, luctus cauſam ſe ignorare,

b 4. Reg. 4. 27. ingenuè faſſus eſt Eliſeus [b]. *Anima*, inquit, *eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non oſtendit mihi.* Et cùm idem à tribus Regibus

c 4. Reg. 3. rogaretur [c], vt quid de futuro belli euentu ſperandum eſſet, prænunciaret, pſaltem adduci iuſſit, & eo ſuauiter canente, vt ait Scriptura, *Facta eſt ſuper eum manus Domini, & prophetauit.*

d 2. Reg. 7. Nathan [d] verò Propheta cùm ſponte ſua Dauidis conſilium de extruendo templo commendaſſet, iuſſus eſt à Domino ſententiam reuocare. Quemadmodum igitur Prophetæ non ſponte ſua oracula fundebant, ſed cœleſti perfuſi lumine quo Deus illos ſuo duntaxat nutu illuſtrabat; eadem ratione non niſi diuina ope implorata intelligenda, atque explananda ſunt.

III. Itaque ſapienter Dionyſius [e] Alexandrinus cùm

e de Apoc. contra Nepo. de vaticiniis ageret, quæ ſunt in Apocalypſi. *Iſtas*, inquit, *res non propria ratione metior, ac pondero, ſed fidei potiùs tribuo, & altiores, diuinioréſque proſe... arbitror, quàm quas ipſe vllo pacto cogitatione comprehendere valeam, atque non eas improbo, quas non intelligo, ſed ideo potiùs admiror, quòd mentis acie luſtrare non queo.*

f de Incarn. Verb. ſub fin. Neque aliter intelligo quod ſcribit Athanaſius [f]. *Ad Scripturarum indaginem, verúmque intellectum opus eſt vita proba, animo puro, & virtute, quæ ſecundùm Chriſtum eſt, vt mens per eius tramitem decurrens ea, quæ expetit, adipiſci poſſit, quatenus fas eſt humanam naturam diuina intelligere, nam ſine pura mente, & ſanctorum imitatione nemo comprehendit Sanctorum verba.*

IV. Eodem verò ſpectans Baſilius [g]. *Requiritur autem,*

g ... Iſa. *ait, præter vitæ puritatem aſſidua in ſcripturis exercitatio, vt maieſtas, atque arcanum diuinorum verborum perpetua meditatione animo imprimatur.* Exigit etiam

h Hom. 40. in Ioan. i cap. ... Chryſoſtomus [h] ſtudium, ac diligentiam, cùm enim explicaret verba Chriſti apud Ioannem [i], *Scrutamini*

A *ni Scripturas. Diuina enim*, inquit, *ſumma indigent diligentia, in vmbra namque maioribus illis non ab re locutus eſt, idcirco effodere profundius iubet, vt quæ altè deliteſcunt, inuenire poſſimus, non enim rem in ſuperficie, & in promptu poſitam effodimus, ſed quæ tamquam theſaurus profundè reconditur, qui enim huiuſmodi quærit, niſi ſummam adhibeat diligentiam, & laborem nuſquam quæſita inueniet.*

V. Quin etiam eodem ſpectare exiſtimo, quæ ſcribit Procopius [a] Gazeus. *Si quis*, inquit, *locus ſe offert obſcurior, quàm vt hunc ingenij tui vires aſſequi valeant, aut Patres tibi conſulendi ſunt, aut ſcientiarum Deus precibus fatigandus eſt.* Penè eadem indicat Damaſcenus [b]. Porrò inter Latinos Hilarius [c]. *Arduum, ait, ac difficillimum eſt hominem per ſe ipſum,*

a Præf. in Geneſ.

b lib. 4. c. 18.

c in Pſ. 118.

B *per ſaculique Doctores rationem præceptorum cœleſtium conſequi, nec natura noſtra recipit infirmitas diuinis inſtitutis niſi per eius gratiam, quæ hæc ipſi dederit, erudiri.* Eodemque modo loquuntur Ambroſius [d], & Proſper [e]. Denique Bernardus [f]. *Quo ſpiritu*, inquit, *Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant, ipſo etiam intelligendæ ſunt.*

d Serm. 8. & 10. in Pſ. 118

e in ſent. n. 67.

f ep. ad fratres de Mon. Dei.

VI. Itaque verè ait Petrus prophetiam non fuiſſe à Prophetis explicatam, nec poſſe humano ingenio abſque diuini numinis ope percipi, aut declarari. Quamobrem ad rectam Eccleſiæ adminiſtrationem neceſſe fuit certum aliquem Iudicem conſtitui, ad quem in fidei controuerſiis, ac diuinarum Scripturarum interpretatione tutus eſſet acceſſus, cuius definitioni, atque ſententiæ nefas eſſet refragari. Atque

C ita quamuis hæretici alia omnia ſentiant, hoc iudicium ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio miro Catholicorum conſenſu penes Eccleſiam eſſe, ac præcipuè Romanum Pontificem, receptum eſt. Sic olim Moſes [g] cum leuiora inferioribus iudicibus permiſiſſet, grauiora ſibi reſeruauit. Et ob eam cauſam Aggæus [h] iubetur à Deo de re quapiam ad Religionem ſpectante interrogare Sacerdotes, quod alicubi obſeruauit Gregorius [i] Nazianzenus. Et Malachias [k]. *Labia*, inquit, *Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Quem locum expendit alicubi Bernardus [l].

g Exod. 18.

h Deut. 17.

h cap. 2. 12.

i Apolog. 1.

k cap. 2. 7.

l lib. 2. ad Eugen.

VII. In libris [m] autem Paralipomenon Ioſaphat in hanc ſententiam Iudices alloquitur. *Videte, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini.* Et ali-

m lib. 2. c. 19. 6.

D quantò pòſt Sacerdotes, ac Leuitas his verbis monet. *Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum.* Quò ſpectaſſe videtur Salomon [n], cùm dixit. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore vno.* Hoc etiam firmari poteſt ex verbis Chriſti, quibus Petrum alloquens ait [o]. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum.* Huc enim referenda eſt clauis ſcientiæ, de qua multa Theologi in ſcholis. Itémque alibi [p] iubet tamquam ethnicum haberi, & publicanum, *qui Eccle-*

n Eccleſiaſt. 12. 11.

o Matth. 16. 18.

p Matth. 18. 17.

E *ſiam non audierit.*

VIII. Eodem etiam pertinent [q] illa. *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia, quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere.* Quo loco obſeruauit Cyprianus [r], numquam Chriſtum Dominum nomine Pontificum, aut Sacerdotum, ſed nomine tantùm Phariſæorum, & Scribarum Iudæos reprehendiſſe, quaſi Sacerdotum, & Pontificum auctoritatem ſartam tectam eſſe vellet. Eadem verò verba Auguſtinus

q Matt. 23. 2.

r lib. 4. ep. 9.

ſ epiſt. 161

maiori dulcedine inuenta resistit, quanto maiori labore fatigati animum quæsita.

XI. Non igitur mirum si Petrus probè alioqui instructos sua oratione hortatur, & ad meliora impellit. Intelligebat enim quotidie in diuinarum rerum cognitione proficiendum esse, suique muneris rationem id maximè postulare, vt omnibus prodesse studeret. Verè siquidem scripsit Gregorius. *Lingua Episcopi fomentum sit bonis, aculeus malis. Tumidos retundat, iratos mitiget, pigros, ac desides exacuat, ac succendat, asperis blandiatur, desperatos consoletur.* Sic Paulus[a] omnia omnibus se factum gloriabatur, vt omnes faceret saluos. Vt hinc facilè colligas quàm sit Petrus Apostolus caritatis ardore incensus, qui de proximorum salute tantopere sit sollicitus. Meminerat enim sibi non semel tantùm, sed ter dictum fuisse à Domino[b]. *Si amas me pasce agnos, & pasce oues.* Et aliquando sibi linteum indicatum cunctis animantibus refertum, dictumque[c] diuinitus. *Occide, & manduca.*

a 1.Cor.9. 22.
b Ioan.21. 16.17.
c Act.10.13.

XII. Hoc enim visum ad hominum, Gentilium præsertim salutem procurandam referri, tum ea, quæ subiiciuntur apertissimè docent, tum veteres fermè omnes Patres affirmant[d]. Ambrosius enim ait Petri famem desiderium salutis significasse. Augustinus autem ait. *Occidendi ergo erant, & manducandi, id est, vt occideretur in eis vita præterita, qua non nouerant Christum, & transirent in corpus eius tamquam in nouam vitam societatis Ecclesiæ.* Et Gregorius. *Quod mactatur, quippe à vita occiditur. id verò quod comeditur in comedentis corpore commutatur. Macta, ergo, & manduca, dicitur, idest à peccato eos, quo viuunt interfice, & à se ipsis illos in tua membra conuerte.*

d Orig. ho. 7. in Leuit. Ambros. ser. 67. qui est 1. de Apostolis Aug. ser. 26. de diuer. c. 7. Greg. 18. mo. c. 20. aliàs 32.

XIII. Nec dubito huc allusisse Bernardum, cùm ad Eugenium[e] scripsit. *Dracones inquis me mones pascere, & Scorpiones, non oues, propter hoc inquam magis aggredere eos sed verbo, non ferro.* Et paucis interiectis. *Vulnera ad salutem si non omnes, si non vel multos, certè quos possis.* Hoc studium procurandæ salutis imitandum, sibi proponant necesse est, qui Ecclesiasticam administrationem suscipiunt, vt egregiè alicubi monet Bernardus[f]. *Oportet prorsus, ait, hoc vino Zeli æstuet. qui aliis præsidet, quemadmodum Doctor Gentium æstuabat, quando dicebat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? alioquin improbè satis præesse affectas, quibus prodesse non curas, & quorum non zelas salutem, subiectionem nimis ambitiosè vendicas tibi.*

e lib. 4. c. 3.
f Serm. 33. Cant.

13. *Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.*

I. Ratio est superioris sententiæ, idcirco enim Petrus fideles sibi sedulò monendos dixit, quia id muneris Apostolici maximè proprium est, atque adeò id à se ratio iustitiæ postulat. Et sanè quod in cæteris spectat ad caritatem, in Præsulibus, atque Antistitibus ad iustitiam refertur. Quocirca qui hac in parte suo muneri desunt non Pastores, sed mercenarij nuncupantur. Ita enim loquitur Gregorius[g]. *Sæpe prælati improuidi humanam gratiam amittere formidantes loqui liberè recta pertimescunt, in hoc iam non Pastores, sed mercenarij. quia lupo oues vorante ipsi silent assimilati canibus mutis non valentibus latrare, quibus ab increpatione debita silentibus dicitur[h]. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini.*

g Par. 2. Past. c. 15.
h Ezech 13.5

II. Hoc apertè apud Ezechielem[i] Deus ipse insinuat his planè verbis. *Fili hominis speculatorem dedi te domus Israel, audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auer-*

i cap. 3. 17. similia c. 33. a

A *tatur à via sua impia, & viuat. ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Et quæ sequuntur. Rectè autem Hieronymus[a]. *Speculator, ait, Ecclesiæ, vel Episcopus, vel Presbyter, qui à populo electus est, & scripturarum lectione cognoscens, & prouidens quæ futura sint, annunciet populo, & corrigat delinquentem. Vnde magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni, & assumpti à populo negligentiæ nos demus, atque desidiæ, & quod humilitatis esse debuit, ventrique, & otio seruientes honorem nos accepisse putemus, non ministerium. Quamdiu, inquit, sum in hoc tabernaculo,* quasi dicat, dum vita suppetet numquam mihi ab hoc munere cessandum existimo.

a Ezech. 33.

III. Ita enim scribit Sapiens[b]. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia.* Et B alibi[c]. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Boni siquidem Pastoris munus iisdem, quibus vita terminis clauditur, & qui Ecclesiæ gubernacula aliquando suscepit, ea ad mortem vsque administret oportet, vt non immeritò sacri Canones[d] moneant inter Episcopum, & Ecclesiam spiritale iniri coniugium, quod multò difficilius, quàm corporeum coniugium dirimatur. Quocirca Episcopi nomine indignissimi censendi sunt ij, qui cùm quamdiu Ecclesiis præfuerint, indeque marsupia compleuerint, pluresque diuitias cógesserint, iis nuntium remittunt, vt liberè aulas Principum infulati tamen, & purpura clari frequentare queant.

b Eccles. 4. 33.
c cap 18. 22
d cap. inter corporalia de translat. Episcop.

IV. Illi verò à veterum Episcoporum consuetudine, C sacrorumque Canonum præscripto longius abeunt, qui ditiores, ac nobiliores Ecclesias ambiunt. Quamuis enim olim magna fuerit inter Catholicos de translatione Episcoporum concertatio, illud tamen tánquam certum, atque exploratum ab omnibus magno consensu receptum est, Episcoporum translationes si per se spectentur, non esse omnino probandas. Deinde nullo modo propriæ cuiusque voluntati, cupiditatique permittendas, eas verò non esse suapte natura malas, atque adeò à viris probatæ vitæ nonnumquam cum laude vsurpatas. Postremo nonnisi cogente Ecclesiæ, vel vtilitate, vel necessitate admittendas esse, atque hæc singillatim nobis, strictimque in præsentia probanda videntur, vt appareat, quàm verè dictum sit ab Apostolo sibi pro animarum D salute ad extremum vsque vitæ spiritum laborandum esse.

V. Quantopere igitur Episcoporum translationes detestandæ, atque abominandæ sint, iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ Niceni Concilij Patres docuerunt, sic enim definierunt[e]. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aut aliquis ex Clero dederit operam, vt ex sua Ecclesia transferatur, non est in alia recipiendus, sed potius cogere eum debent, vt ad locum suum redeat, quod si noluerit, eiiciendus est in totum ex Ecclesia, deponendusque ex ordine, & communione fidelium illorum, qui ad illam Ecclesiam pertinent, priuandus.* His consentiunt ea, quæ Concilij Antiocheni Patres[f] statuerũt. *Episcopus,* inquiunt, *ab alia Parochia in aliam ne transeat, nec se sua sponte ingerens, nec à populo vi adactus,* E *nec ab Episcopis coactus, maneat autem in ea, quam à Deo sortitus est, Ecclesia, & ab ea non recedat secundum decretum prius de ea re editum.*

e Can. 15. alias 25.
f Cõc. Ant. 1. can. 21 Habetur apud Gratiã. 7 quæst. 1. c. Episcopum.

VI. Idem omnino statuit Concilium[g] Constantinopolitanum primum, & Cócilium Sardicense[h], in quo Osius Cordubensis Episcopus in hác sententiam loquitur, *Non minùs mala consuetudo quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de sua ciuitate ad aliam transire. Manifesta est enim causa, qua hoc facere tentat, cùm nullus in hac re inuentus sit Episcopus, qui à maiore ciuitate ad minorem transiret,*

g Can. 2. apud Martin. Bracaren. ca. 5. & 6.
h apud eũdẽ c. 6. & Grat. dist. 8. c. mala consuetudo.

vnde

vnde appareat auaritia ardore eos inflammari, & ambitioni ſeruire, vt dominationem agant. Si omnibus placet, huiuſmodi pernicies, ſeuius & auſterius vindicetur, vt nec Laicam communionem habeat, qui talis eſt; reſponderunt vniuerſi, placet. Et multa deinceps addit ad rei turpitudinem exaggerandam. Huc pertinet Concilij Carthaginenſis [a] tertij decretum aduerſus Creſconium Villæregienſem Epiſcopum, qui relicta ſua Eccleſia Tubuſicenſem iouaſerat, cuius etiam meminit Ambroſius [b] Mediolanenſis Epiſcopus. Itemque Concilij Aphricani [c] definitio. Apertiſſimè verò Concilij Carthaginienſis Sexti Patres, inter quos fuit Auguſtinus, ita definierunt [d]. *Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis Clericus.*

a cap. 38.

VII. Plura in eamdem ſententiam priſci Pontifices cenſuerunt; non ſunt autem Leonis Pontificis verba prætermittenda, is enim ad Anaſtaſium Epiſcopū Theſſalonicenſem hæc ſcribit [e]. *Si quis Epiſcopus ciuitatis ſuæ mediocritate deſpecta adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorem ſe plebem quacumque occaſione tranſtulerit, non ſolum à Cathedra quidem pelletur aliena, ſed carebit & propria, vt nec illis deſerueat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis, quos per ſuperbiam ſpreuit. Suis igitur terminis quiſque contentus ſit, nec ſupra menſuram iuris ſui affectet augeri.*

VIII. Iam verò ſi quando huiuſmodi tranſlationes admittendæ videantur, non eſſe propriæ cuiuſque voluntati permittendas, non obſcurè Sardicenſe Concilium inſinuat, dum [f] ait. *Aliud eſt ſponte tranſire, aliud eſt coactè, aut neceſſitate venire, vnde non iſti mutant ciuitates ſed mutantur, qui non ſponte, ſed coactè hoc agunt.* Dixerat autem [g] paulò ante. *Non debere Epiſcopum de ciuitate, ad ciuitatem tranſire, vel transferre, non de iis dicitur, qui aut vi expulſi, aut neceſſitate coacti, aut auctoritate maiorum hoc agunt, ſed de his, qui auaritiæ ardore inflammati ſponte ſua proſiliunt, & potius ambitioni quàm vtilitati Eccleſiæ ſeruire, vt dominationem agant, adſtere cupiunt.* Eodémque modo loquitur Cœleſtinus [h] Pontifex. *Si Epiſcopus vtilitatis gratia transferatur, ne id per ſe ipſum faciat, ſed fratribus cogentibus, & rem eam ſacra huius Sedis auctoritate expediat, non inanis gloriæ, verum vtilitatis communis, aut neceſſitatis ergò.* Tum profert Anteri [i] Pontificis decretum. *De mutatione*, inquit, *Epiſcoporum, vnde Sanctam Sedem Apoſtolicam conſulere voluiſtis, ſcitote eam communi vtilitate, atque neceſſitate fieri licere, ſed non libitu cuiuſquam aut dominatione.*

g Can. 1.

h in ſuis decret. c. 2.

IX. Pelagius [k] autem. *Sciat*, inquit, *frater dilectiſſime, aliud eſſe cauſa neceſſitatis, & vtilitatis, & aliud cauſa præſumptionis, & propriæ voluntatis; non ergo mutat ſedem, qui non mutat mentem, id eſt, qui non cauſa auaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel ſuæ electionis migrat de ciuitate in ciuitatem, ſed cauſa neceſſitatis, aut vtilitatis mutatur.* Hoc ipſum multa ex iis, quæ paulò antè allata ſunt, apertiſſimè confirmant. Non ob aliam enim cauſam huiuſmodi Epiſcoporum migrationes damnantur, niſi ob auaritiæ ſtudium, aut dominandi ambitum. Ex quibus omnibus liquet non eas eſſe ſuapte natura malas, ſi ad Eccleſiæ vtilitatem, vel neceſſitatem referantur.

X. Eam ob cauſam non ſine laude à viris ſanctiſſimis ſunt interdum vſurpatæ. Quamobrem Concilium Sardicenſe [l]. *Quis enim vmquam*, ait, *audeat dicere ſanctum Petrum Apoſtolorum principem non bene egiſſe quando mutauit Sedem de Antiochia Romam? aut quis eum neget ob id ſanctum eſſe, aut dignitatem, aut officium vmquam Apoſtolatus tam in cœlis, quam in terris perdidiſſe? aut quis negat ſanctos eſſe nobiles alios Epiſcopos, qui de ciuitatibus ad ciuitates tranſlati ſunt, aut meritum Pontificatus perdidiſſe?* Et poſt pauca. *Aut quis vmquam poteſt approbare ſanctum non eſſe Alexandrum, qui Hieroſolymam de alia ciuitate tranſlatus eſt, aut ſanctum Gregorium Nazianzenum, qui Nazianzo conſtitutus, aut S. Proclum qui de Cyzico tranſlatus eſt Conſtantinopolim?* Et quidem de Alexandri tranſlatione ſcribit Euſebius [a]. Hiſtoriam verò Gregorij Nazianzeni fusè ſcribit Nicephorus [b] Calliſtus, qui alibi [c] tranſlationem Procli commemorat, pluréſque recenſet, qui ad alias Eccleſias tranſlati ſunt. Quocirca Nazianzeni tranſlationem non modò Meletius Antiochenus Epiſcopus, ſed etiam Synodus prima Conſtantinopolitana confirmauit. Procli verò probauit Cœleſtinus in epiſtola ad Cyrillum, ad Ioannem Antiochenum, & Rufum Theſſalonicenſem.

a lib. 6. Eccl. hiſt.
b lib. 11. ca. 10. & 11.
c lib. 14 ca. 37. & 39.

XI. In his autem Eccleſiarum, & Epiſcopatuum mutationibus vnius dumtaxat Eccleſiæ vtilitatis, aut neceſſitatis habendam eſſe rationem omnis antiquitas clamat. Ita enim ſcribit Anterus [d]. Nam cùm dixiſſet communi vtilitate, atque neceſſitate fas eſſe Eccleſiam mutare, ſubdit. *Non enim tranſit de ciuitate in ciuitatem, qui non ſuo libitu, aut ambitu hoc facit, ſed vtilitate quadam, aut neceſſitate aliorum hortatu, & conſilio potiorum transfertur.* Quamobrem Nicephorus [e]. *Canones*, inquit, *& veteres Eccleſiæ Antiſtites liberum eſſe voluerunt, quotieſcumque legitima ſuaderet vtilitas ex vrbe vna in aliam Epiſcopum transferre, videlicet, ſi ſincerior pietas, vel Eccleſiaſtica fortè tranquillitatis conſtitutio tranſlationem flagitaret; tranſitionem enim prohibet, non tranſlationem, hac enim id, quod præter voluntatem, & præter inſtitutum fit, omninò ſignificat, & vox ea veluti in inanimatis vſurpatur, illa verò de animatis, & quodam modo de iis dicitur, qui per arrogantiam fortè miſcendarum rerum gratia in thronos inſiliunt. Eam verò rectè Canon, ſicuti paulò poſt fuſiùs exponam, inhibet, legitimam autem tranſlationem nequaquam.*

d epiſt. 1. ad Epiſc. Beticæ Prouin. & Tolet.
e lib. 14. c. 39.

XII. Eodémque modo, vt paulò antè oſtendi, loquitur Cœleſtinus [f]. Itémque Pelagius [g]. Concilij verò Carthaginenſis [h] ſexti Patres ſtatuerunt olim in hæc verba. *Sanè ſi id vtilitas Eccleſiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo Clericorum, & Laicorum Epiſcopis porrecto per ſententiam Synodi transferantur.* Et ne longior ſim, addam tantùm verba Concilij [i] Sardicenſis. *Negas*, inquit, *miſericordiam, neceſſitatem patientibus, qui populis indigentibus diuinis miniſterijs, & non habentibus proprium Epiſcopum, qui eos inſtruat cauſa vtilitatis, atque neceſſitatis ex alia ciuitate, licet minor ſit in eam, quæ non habet Epiſcopum doctiorem, vel vtiliorem meliori conſilio, non ſponte tranſeuntem, ſed maiorum exhortatione mutare, aut Epiſcopum eiectum, & perſecutionem patientem cauſa vtilitatis, aut neceſſitatis inthronizare non permittis. Apud veteres enim ſine vlla differentia de vna ciuitate ad alterā migrabat Epiſcopus, dū vtilitas, & neceſſitas euocaret.* Paulò autem antea dixerat. *Non ergo bene intelligunt Eccleſiaſticas regulas, qui hoc negant cauſa vtilitatis, aut neceſſitatis fieri poſſe, quoties communis vtilitas, aut neceſſitas perſuaſerit.* Maneat igitur perſiſtendū eſſe Epiſcopo in ſua Eccleſia, & pro ouium ſuarū vtilitate vſque ad extremum vitæ ſtrenuè laborandum. Hoc inſinuat in præſentia Petrus, dum ait, quamdiu vita ſuppetit fideles ſibi monendos eſſe.

f cap. 2. ſuorum decret.
g epiſt. 2.
h c. 17. apud Grat. 7. q. 1. c. Epiſcopus
i Can. 2.

XIII. Vtitur autem metaphora tabernaculi. *Quamdiu*, inquit, *ſum in hoc tabernaculo.* Quo nomine corpus ſuum deſcribit, tacitè inſinuans nos eſſe in hac mortali vita tamquam peregrinos, aut milites, aut etiam Paſtores, hi enim omnes in tabernaculis, ac tectoriis habitare conſueuerunt, & idcirco hac eadem metaphora vſus eſt Paulus [k]. *Qui ſumus*, inquit, *in hoc taberna-*

k 2. ad Cor. 4.

tabernaculo, ingemiscimus grauati. Et paulò pòst quasi explicet, cur nomine Tabernaculi vsus sit. *Dum sumus* inquit, *in corpore, peregrinamur à Domino.* Sic etiam paulò pòst, cum de morte sua Petrus agit depositionem tabernaculi nominat. Quamquam enim nobiles inprimis Philosophi hac metaphora abusi hominem solam animam esse definiebant, quæ corporis ceu domicilio, vel potiùs carcere includeretur. Apostoli tamen, virique Apostolici cùm de hominis natura rectè, verèque sentirent, nec dubitarent corpus esse veram hominis partem, hanc metaphoram hactenus retinnerunt, vt animi immortalitatem declararent, eiúsque præstantiam tacitè indicarent, quæ posito mortali corpore aliò migraret.

XIV. Itaque corpus nonnumquam tabernaculum, aliàs vestem, interdum etiam domum appellabant. Hæc enim omnia non obscurè significauit Paulus [a] Apostolus, qui non solùm, vt dixi, corpus nostrum tabernaculum vocat, sed cùm de eodem loquitur. *Nolumus,* inquit, *expoliari, sed superuestiri:* paulò antè verò. *Scimus,* ait, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cœlis. Suscitare,* ait, *vos in commonitione.* hoc est excitare, inflammare, ad meliora promouere; *in commonitione.* Hebræorum more, hoc est, mea admonitione, & cohortatione, Græcè dixit ὑπομνήσει. Quasi dicat, se in memoriam dumtaxat reuocare ea, quæ ipsi non ignorarent, neque enim docendi, aut erudiendi videbantur ij, quos paulò antè dixerat probè instructos, & rerum scientia imbutos esse, vt Apostoli modestiam, animíque demissionem facilè agnoscas, qui ne id quidem sibi arroget, quod est muneris Apostolici proprium. Vt enim ex Matthæo [b] didicimus, Christus Dominus cunctas gentes ordini Apostolico docendas tradidit. Præcipuè autem Petrus eorum, qui ex gente Iudæorum Christo nomina dederant, curam, ac patrocinium susceperat; de illo enim verè dixit Paulus [c]. *Qui operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis.* Quod, vt suo loco dixi, non perinde accipiendum est, quasi non liceret Petro Gentiles Christo aggregare, cùm, vt paulò antè dixi, cœlesti [d] viso ad omnium gentium, ac nationum conuersionem fuerit prouocatus. Sed quòd peculiari quadam ratione Iudæos sacris initiandos cœlestibúsque præceptis informandos acceperit.

a 1. ad Cor. 5.4.
b cap. vlt.
c ad Gal. 2.8
d Act. 10.

XV. Quamobrem iustum esse ait hoc officij genus, quo illos ad optima quæque hortatur, atque inflammat, cùm tamen interim Gentilibus ad Christum adducendis Romæ strenuam operam daret, vt omnes fermè occidentales Ecclesiæ Petrum Auctorem agnoscant, qui partim per se ipsum, partim per suos discipulos Euangelium in Occidente promulgauit, plurimásque Ecclesias fundauit, quod his verbis ad Decentium scribens significauit Innocentius [e] *Quis enim, ait, nesciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? præsertim cùm sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Aphricam, & Siciliam, insulásque interiacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes? aut legant, si in his Prouinciis alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse, quod si non legunt, quia nusquam inueniuntur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non est dubium, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.*

e epist. 1.

XVI. Quæ tamen, vt aliàs monui, Paulum Apostolum non excludunt, quem Romæ, & in Hispania Euangelio promulgando operam dedisse alibi docuimus. Vt autem de Petro loquamur constat illum plures instituisse Episcopos, in Sicilia quidem Pancratium, Marcianum, Perillum, & Philippum. Capuæ Priscum, Neapoli Asprem, vel Asprenatem, Thatractinæ Epaphroditum, Equicolis Marcum, alium tamen ab Euangelista, Nepesinæ ciuitati Ptolemæum, Fesulis Romulum, Lucæ Paulinum, Rauennæ Apolinarem, Veronæ Euprepium, Patauio Prusdocimum, Ticino Syrum, Aquileiæ post Marcum Ermagoram. In Galliis verò Lemouicensibus, Tholosanis, & Burdegalensibus Martialem, Tungrensibus, Coloniensibus, & Treuerensibus Maternum, & Valerium, Rhemensibus Syxtum, Arelatensibus Trophimum, Senonensibus Sabinianum, Cenomanensibus Iulianum, Viennæ, & Maguntiæ Crescentem, Catalaunum, Memnium, Bituricensibus Vrsinum, Aruernensibus Austremonium, Sanctonensibus Eutropium, Germaniæ Eucharium, Ægistum, & Marcianum, Hispniæ Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Æsychium, Euphrasium, & alios. Sunt qui addant etiam in Britanniam Petri opera Euangelium penetrasse. Meritò igitur ait hoc loco Petrus iustum esse reuocare in memoriam, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria; cum præsertim, vt mox dicet, mortem sibi immmere non dubitet; ideirco enim subdit:

14. *Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.*]

I. Superiori argumento vim addit, dum ait mortem sibi imminere, idque auctoritate Domini confirmat, qui sibi obitus sui tempus instare significauit. Pertinet autem ad Parentum, ac Magistrorum munus sub vitæ finem filios, ac discipulos suos serio monere, & salutaribus præceptis informare; sic olim Iacob paulò ante mortem filiis bene precatus est; sic Moses vniuerso populo diuinæ legis obseruantiam grauissima oratione commendauit. Et Dauid Salomoni filio antequàm moreretur non pauca præcepta dedit. Tobias verò filium vnicum ad Dei cultum, ac beneficentiam graui oratione inflammauit. Denique, Christus Dominus cùm sibi non ita multò pòst moriendum certò sciret, longa oratione, & solatus est discipulos, & ad optima quæque excitauit. Obseruandum est autem quod ait Petrus: *Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei.* Retinet enim metaphoram, qua proximè vsus erat, & corpus suum tabernaculum nominat, obitum verò, ac mortem non interitum, quasi integer homo pereat sed tabernaculi depositionem appellat, vt animum superstitem fore indicet.

II. Videtur autem alludere ad militum consuetudinem, qui confecto bello, & parta victoria, & pace denique comparata militare tabernaculum deponunt, & ad patriam, & domesticas sedes reuertuntur. Ita indicat iustos, ac pios bello veluti confecto, & victoria potitos tabernaculum deponere, vt in cœlesti patria triumphum agant, & iustitiæ coronam assequantur. Hanc ob causam piorum mors somnus frequenter in sacris literis dicitur; sic Dauid [a]. *Cum dederit dilectis suis somnum.* Et Christus Dominus apud Ioannem [b]. *Lazarus amicus noster dormit.* Et apud Lucam [c]. *Non est mortua puella, sed dormit.* De Stephano autem protomartyre ait Lucas [d] *Obdormiuit in Domino.* Paulus [e] autem. *Omnes*

a Ps. 126.
b cap. 11.
c cap. 8.
d Act. 7
e 1. ad Cor. 15.51.

Omnes quidem, ait, dormiemus. Et alibi [a], *Nolumus vos ignorare de dormientibus.*

a 1. Theſ. 4.

III. Itaque mors profectò quædam eſt, qua ab hac mortali, & miſera vita ad immortalem, ac beatam pergimus, quod eleganter expreſſit Cyprianus [b], *Eius eſt,* inquit, *mortem timere, qui ad Christum nolit ire, eius eſt ad Christum nolle ire, qui ſe non credat cum Chriſto incipere regnare. Simeon iuſtus viſo Chriſto ſciuit ſe citò eſſe moriturum. Lætus itaque de morte iam proxima accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamauit. Nunc dimittis ſeruum tuum in pace. Conteſtans tunc eſſe ſeruis Dei pacem, tunc tranquillam quietem, quando de huius mundi turbinibus extracti ſedis, & ſecuritatis æterna portum petimus.* Aliquantò autem pòſt, *Ampleſtamur*, inquit, *diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exſolutos Paradiſo reſtituit. Quis non peregrè conſtitutus properaret in Patriam regredi? quis non ad ſuos nauigare feſtinans ventum proſperum cupidiùs optaret, vt velociter caros liceret amplecti? Patriam noſtram Paradiſum computamus, parentes Patriarchas iam habere cœpimus, quid non properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus?*

b ... de mor- talit.

IV. Sapienter autem ſcripſit alicubi Seneca [c] eandem propemodum metaphoram ſequutus, *Nemo noſtrum cogitat quandoque ſibi ex hoc domicilio exeundum, ſic veteres inquilinos indulgentia loci, & conſuetudo etiam inter iniurias detinet. Vis aduerſus hoc corpus liber eſſe tanquam migraturus habita, propone tibi quandoque hoc contubernio carendum, fortior eris ad neceſſitatem exeundi.* Plurima verò in hanc ſententiam congerit Plutarchus [d] ex priſcis Philoſophis collecta, quæ hunc locum locupletare, & illuſtrare queant, addam tantùm Cypriani [e] verba, *Si mortem*, inquit, *poſſemus euadere, meritò mortem timeremus, porrò autem cum mortalem mori neceſſe ſit, ampleſtamur occaſionem de diuina promiſſione, & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis.*

d ... or. conſolat. e ep. 56.

V. Certò autem ſibi Petrus, & quidem non multò pòſt mortem imminere profitetur diuino oraculo monitus, *Secundum quòd, ait, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi.* Non puto autem reſpexiſſe Petrum ad Chriſti verba apud Ioannem [f], quibus ſibi genus mortis prædixit, *Amen, amen,* inquit, *dico tibi, cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Interpretatur autem Euangeliſta, quid ea verba ſignificent, cùm ſubiicit, *Hoc autem dixit ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Quid autem ſit extendere manus explicans Tertullianus [g], *Romæ*, inquit, *Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur.* Et alibi [h], *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit, tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci aſtringitur.* Et planiùs Auguſtinus [i], *Extendes, ait, manus tuas, hoc eſt, crucifigeris, non enim crucifixus, ſed vtique crucifigendus quò nollet eſt ductus.* Vt enim non negem mortem, ac genus mortis Petro indicari, celeritatem mortis, quod hic Petrus affirmat, Chriſtus ne attingit quidem.

f ... cap. 21. 18. g ... de præ- ſcr. c. 36. h ... Scor- piaco c. 14. i ... tract. 123. in Ioan.

VI. Inde itaque cognouit Petrus ſibi aliquando in cruce moriendum, quando autem in crucem tollendus eſſet, non nouit, neceſſe vt ſit aliud quiddam indicare Petrum, cùm ait celerem ſui tabernaculi depoſitionem ſibi diuinitùs à Domino fuiſſe prænunciatam. Non me fugit quid Linus [k], Egeſippus [l], Ambroſius [m], & Gregorius memoriæ prodiderunt pia populi Romani importunitate paulò ante mortem coactum fuiſſe Petrum fuga ſibi conſulere, ſed via ex Vrbe egreſſo obuium fuiſſe illi Chriſtum Dominum crucem humeris geſtantem, quem cùm ille interrogaſſet, quo nam pergeret, reſpondiſſe Dominum ſe Romam iterum crucifigendum petere, quo audito Petrum de ſua nece Dominum loqui rectè interpretatum continuò ſe in Vrbem recepiſſe. Verùm non potuit Petrus ad hanc hiſtoriam in præſentia alludere, cùm illa paulò ante mortem contigerit, nec veriſimile ſit eum iis poſtremis vitæ diebus hanc epiſtolam ſcripſiſſe, cùm ſtatim poſt reditum in Vrbem ad ſupplicium raptus dicatur.

k ... actis ... cet. & l ... ex- ... oſ. m ... 11. n ... Pſal. 4- 6.

VII. Rem autem totam hunc in modum deſcribit Ambroſius, *Idem Petrus poſtea victo Simone, cùm præcepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitauit animos Gentilium, quibus eum quærentibus Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, vt paulisper cederet; & quamuis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt, rogabatur enim vt ad inſtituendum, & confirmandum populum ſe reſeruaret, quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, Vrbemque ingredi, ait, Domine quò venis? reſpondit Chriſtus, Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum, Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paſſione ſuſcepta mortis exuerat, quòd enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel, quòd autem viuit, Deo viuit. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Chriſtus crucifigendus eſſet in ſeruulo, itaque ſponte remeauit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimque correptus per crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum.*

VIII. Vero itaque ſimillimum videtur Chriſtum Dominum Apoſtolorum Principi, ſuòque in terris Vicario priuatim ſupplicij ſui tempus indicaſſe, non ipſum diem, nam alioqui numquam adduci potuiſſet, vt fuga mortem vitaret; ſed vniuerſim opinor, vt hic loquitur Petrus, ſignificatum eſt illi, non procul abeſſe obitus ſui diem, atque ita, vt gratificaretur fidelibus, qui id maximè contendebant, abſque vllo piaculo ſeſe potuit fugæ committere. Quocirca cùm intelligeret Petrus ſibi non ita multò pòſt extremum imminere diem, hoc ſtudioſiùs, ac diligentiùs fidelium ſalutem procurat, vt Apoſtolico muneri nulla ex parte deeſſe videatur. Neque aliter fecit Paulus, qui non ita multò ante mortem ad Timotheum [a] ſcribens ait, *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Viri enim ſanctiſſimi mortis expectatione non terrentur, ſed exultant potiùs, ac triumphant. Hinc illæ eiuſdem Pauli [b] voces, *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Itémque [c], *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Neque enim caducarum rerum amore detinentur, qui probè norint, non ſe hic habere manentem ciuitatem, ac propterea futuram ſedulò inquirunt.

a 2. ep. 2. c. 4. 6. b Phil. 1. 21. c ibid. 23.

IX. Alia omnia accidunt iis, qui mortalium bonorum guſtu tenentur implicîti, de quibus rectè Sapiens [d], *O mors*, inquit, *quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis.* Sic olim Agag Amalechitarum Rex cùm ſibi moriendum animaduerteret, his verbis exclamauit [e], *Siccine ſeparas amara mors.* At reuera nihil habet mors quod metuendum ſit, modò quis bene, ac laudabiliter vixerit. Quocirca Chriſtiano homine digniſſima vox eſt, quæ alicubi apud Senecam [f] extat, *Ante ſenectutem curaui vt bene viuerem, in ſenectute vt bene moriar, bene autem mori eſt libenter mori, vt ſatis vixerimus nec anni, nec dies faciunt, ſed animus.* Rurſus [g] alibi, *Citiùs mori, aut tardiùs ad rem non pertinet bene mori, aut male ad rem pertinet. Bene autem mori eſt effugere male viuendi periculum.* Itemque [h], *Magnum eſt honeſtè mori, prudenter, fortiter.*

d Eccl. 41. 1. e 1. Reg. 15. 32. f ep. 72. g ep. 71. h ep. 78.

X. Denique hic Philoſophus, qui vt apparet, de animi immortalitate ne cogitabat quidem, mortem tamen inter mala numerandam negat, quæ potiùs malorum omnium finem, ac terminum affert. Ita enim de mortuo loquitur, *Exceſſit filius tuus terminos, intra quos ſeruitur, excepit illum magna, & æterna pax, non paupertatis metus, non diuitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis ſtimulus inceſſit, non inuidia felicitatis aliena*

alienæ angitur, nec sua premitur, nec committit quidem vllis verecunda aures verberantur, nulla publica clades conspicitur, nulla priuata, nec sollicitus futuri pendet ex euentu semper in deteriora dependenti; eandem sibi constituit, vnde nihil eum depellat, vbi nihil terreat. Longa deinde oratione ostendit mortem nihil esse aliud, quàm malorum omnium carentiam. Quid ille dixisset, si beatam, immortalémque vitam manere iustos credidisset? Itaque viri sancti mortem potiùs appetebant, quàm timebant. Ante obitum tamen de fidelium salute solliciti strenuè eorum causa laborabant.

15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.*]

I. Rectè hæc superioribus adnectuntur, siue quia ab iis pendent, siue quia eorum nonnullam rationem reddunt. Pendere autem videntur, si hoc modo Petrus argumētetur. Quoniam extremus imminet dies, danda mihi sedulò est opera, vt meorum siue consiliorum, siue præceptorum memoriam retineatis; reddere autem videtur rationem suæ tum sedulitatis, tum diligentiæ, cùm dicat cupere se, vt etiam post obitum suum horum omnium recordentur. Vt autem hoc loco monet Oecumenius, fuerunt olim, qui hæc non sine hyperbato, hoc planè sensu explicanda censerent, *Dabo operam, vt etiam post meum exitum vos semper, & assiduè horum memoriam habeatis. Sunt tamen alij, qui simpliciter interpretentur, quasi dicat Apostolus. Dabo operam, vt semper vos etiam post meum exitum horum memoriam habere possitis, quasi dicat. Ne miremini, neque grauiter feratis, si assiduè vos de iisdem commonefacio, non enim id ago propterea quòd tarditatis, atque imperitia vos damnem, sed vt assidua de his doctrina stabilem, atque immutabilem perceptionem in animos vestros inducam, qua confirmati post meum quoque vitæ obitum insita, atque indelebilia huiusmodi documenta habeatis.* Hactenus Oecumenius.

II. Vtraque autem explanatio huic loco congruit, priorem illam indicare visus est ipse Petrus apud Clementem [a] Romanum, ita enim loquitur, *Certus esto, quòd necesse est me suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium ab obsecrando cessabo.* Ibi enim, vt etiam hoc loco indicare videtur se etiam post mortem pro fidelium salute fore sollicitum, atque adeò suis precibus eos ad optima quæque promoturum, quod recentiores nō pauci maximè probant. Res autem ipsa; quicquid hæretici contrà disputent, iam pridem miro Ecclesiæ consensu recepta est, & à sanctissimis, doctissimísque viris Scripturæ testimonio, & sacrarum traditionum auctoritate firmata. Quòd si libeat alteram explicationem sequi, significabit Petrus, idcirco se epistolam scribere, vt quæ viuens præceperat, etiam post ipsius mortem in sua epistola legantur, eáque lectione discipulorum animi ad meliora excitentur. Hæc enim, vt alibi dixi, præcipua est sacrorum scriptorum vtilitas, in iis enim maiorum mens elucet, & vita resplendet. Itaque Dauid [b], *Quanta*, loquit, *mandauit Dominus Patribus nostris nota facere filiis suis, vt cognoscat generatio altera: filij qui nascentur, & exsurgent narrabunt filiis suis.*

[a] ep. 1 ad Iacob. frat. Dom.

[b] Ps. 77. 6.

III. Possis etiam hanc Petri pollicitationem aliò referre, vt se dicat daturum operam, ne post suum obitum Pastores, ac Doctores desint, qui Ecclesiis præsint, suáque diligentia, ac sedulitate fideles confirment, Gentiles ad fidem adducant, quod factum esse experimento comperimus. Apostolis enim Episcopos, & Pastores successisse videmus, de quibus Augustinus explicat verba illa Dauidis [c], *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Genuerunt te,* ait Augustinus, *Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi Patres. Sed nunquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? & si vnus ipsorum dixit. Cupio dissolui, & esse cum Christo, multò magis optimum est, manere in carne necessarium propter vos. Dixit hoc quidem, sed quandiu hic manere potuit: nunquid vsque ad hoc tempus? nunquid vsque in posterum? ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? absit. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est, Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli. Pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi, hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putas desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi creuit Paternitas. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Constitues eos Principes super omnem terram.* Eodémque modo loquitur Gregorius [a] Pontifex, *Omnipotens Deus Ecclesiam suam dignа sine administratione non deserit, nam cùm fortes ad præmium vocat, eorum vice debiles ad certamina roborat: cùm illos suscipiendo remunerat, istis laborum vires, quas remuneret, subministrat. De quibus eidem sanctæ Ecclesiæ dicitur. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. In virtute quippe antiquorum Patrum, hi qui postmodum prælati sunt, subrogantur, quia & cùm annosa arbusta succiduntur, in eorum robore tenera virgulta succrescunt.*

[c] Ps. 44. 17.

[a] c. 28. alias 14.

IV. Quod ergo post mortem suam aliorum opera, atque industria Petrus facturus erat; dum inter mortales degit, sedulò præstat, qui meminerit dictum sibi à Christo Domino. *Pasce oues meas, & pasce agnos.* Quod verò spectat ad verba, quod ait Interpres *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, Græcè est, σπουδάσω δὲ ἔχειν. Nonnulli autem verbū ἔχειν coniungūt cum infinitiuo τὸ ποιεῖσθαι, vt seorsus sit. Dabo operam vt post obitum meum horum possitis recordari. Sic enim & Latini loqui solent, *Habeo dicere, habeo polliceri*, hoc est, possum dicere, & possum polliceri. Ita hoc loco ἔχειν ὑμᾶς τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι, vt possitis horum memoriam facere, aut horum memoriam retinere.

16. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.*]

I. Suæ sollicitudinis, & constantiæ rationem reddit, idcirco enim tam sedulò, ac studiosè laborat, vt fideles quæ partim voce, partim scripto tradiderat, memoria complectantur, ac retineant, quoniam illa non sunt inania figmenta, aut fabulæ ingeniosè confictæ, cuiusmodi sunt, quæ ab hæreticis inculcantur, vt videatur Gnosticos tacitè perstringere. Itaque rectè Oecumenius, *Non frustra*, inquit, *se de his diligentiam præ se ferre, sed eatenus ea persequi, quatenus certissima, ac verissima cognitione percepit. Non enim sapientia se humana tendo, & ornata oratione decipiendo vim Domini, & aduentum manifestasse ipsis asserit, ad quod & Græci faciunt, & hæretici, dum illi fuco orationis, hæretici figmentis Auditores captant, ac fallunt, quemadmodum Valentiniani, qui profundum, & silentium prodigiosis fabulis introducebant, nam verisimile est eo tempore ipsos iam suboriri incepisse.*

II. Hæc ille, cui tamen de Valentinianis non assentior, videtur enim Valentinus non nisi secundo sæculo, & quidem in fine errores suos proseminasse. De Simone, eiusque sectatoribus facilius admiserim loqui in præsentia Petrum. Et fortasse etiam Gentilium fabulas notat, quas meritò veteres omnes Patres & derident, & sapienter confutant. Si inspicias autem Græca verba non facilè statuas indoctasne, an doctas fabulas

bulas [illegible] pretere, ait enim Petrus *[illegible]*, [illegible] quidem *arte compositas fabulas* inter- [illegible]. Quid vulgatus Interpres scripserit, non satis [illegible]. Variant enim Latini Codices, & alij quidem [illegible] alij *doctas fabulas* legunt. Noua editio Romana habet *doctas*; quasi Apostolus Christianam simplicitatem commendet, quę nihil arte confictum, aut ingeniosè inuentum sequitur. Sed ea tátùm probat, quæ diuinitus patefacta sunt, quæque non tam [illegible] exc[illegible] dum ingenium, quam ad mores, vitámque [illegible] instituendam valent.

Quocirca Hieronymus [a], *doctas fabulas* interpretatur, hoc est argute, ingeniosèque confictas, cùm tamen al[illegible] non a veritate tantùm, sed etiam à pro[illegible] te plurimum abhorreant, quæ propterea in[illegible]ssimæ erant, quæ ab Apostolorum Principe [illegible] sub extremum vitæ commendarentur. [illegible]m Gentiliū quidem Poëtarum fabulæ, vt Iustinus, [Ath]enagoras, Minutius, Arnobius, Tatianus, Ter[tulli]anus, Lactantius copiosè docuerunt, nihil habēt [illegible] sed somniantium delitamentis simillimæ sunt: quæ autem ab hæreticis excogitata sunt monstra, atque po[r]te[nt]a à Poëtarum fabulis partim desumpta, partim à Philosophorum ineptiis detorta, qualia sint satis se produnt ipsa, vt meritò dixerit Irenæus [b] ad[illegible] eos, [illegible] orta est, *sententia eorum manifestatio*. Et Hieronymus [c], *Sententias vestras prodidisse superasse est*.

Notam, inquit, *fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem*; Græcè *δύναμιν*, hoc est, vim, atque efficacitatem, siue tradendæ veritatis, siue humani generis redimend[i], siue mira, ac supra naturæ vim, ac facultatem efficiendi, siue humana scelera expiandi, siue denique Sacramenta condendi. His enim rebus omnibus admirabilis vis, atque efficacitas Christi Domini cernitur, quæ non hæreticorum, aut Poëtarum [fa]bu[lis], sed certissimis documentis probantur, vt pa[ulo] pòst indicabit. Rectè autem ait virtutem se C[hristi] no[tam] fecisse, cùm enim eius imbecillitas, qua mortem subierat, multos non mediocriter perturbaret, in eo maximè laborabant Apostoli, vt ostenderent in ea mortalitate, infirmitatéque naturæ vim diuinam latuisse.

Quocirca Paulus de Christo Domino [d] ait, *Crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*. Hanc itaque virtutem, diuinámque vim, ac potestatem maximè extollebant Apostoli, & qui sequuti sunt Apostolorum successores, præcipuè autem Leo Pontifex [c]um sępe aliàs, tum potissimum quodam loco vtramque docet in Christo naturam fideliter, constantérque credendam, sic autem ait, *Duplicis itaque in Christo [fo]rmæ vna persona est, & Filius Dei, idémque Filius hominis vnus est Dominus conditionem seruilem consilio pietatis recipiens, nec legem necessitatis incurrens, quia potestate [illegible] est humilis, potestate passibilis, potestate mortalis, vt ad destruendum peccati, mortisque dominatum, & pœnæ capax esset substantia infirmitatis, & nihil gloria sua perde[ret] natura virtutis. Cum itaque Dilectissimi legentes, vel audientes Euangelium, quadam in Domino nostro Iesu C[hri]sto cognoscitis subiecta iniurijs, quadam illustrata miraculis, ita vt in eodem nunc humana appareant, nunc diuina re[spl]endeant, nolite quidquam eorum adscribere fallaci[illegible]*.

Et aliquantò pòst. Quomodo singula distinguenda, & su[is] sint principiis adscribenda, his verbis elegantissimè docet, *Da hominis, quòd de muliere puer nascitur, da Deo, quod nec conceptu læditur Virginitas materna, [nec] partu. Formam serui obuolutam pannis iacentem in præsepio cognosce: sed annuntiatam ab Angelis, declaratam ab elementis, adoratam à Magis formam Domini confitere. Humanum intellige quod non declinauit nuptia-*

A *le conuiuium, diuinum approba quòd aquam conuertit in vinum. Nostra tibi innotescat ipse [illegible], cum mortuo amico fletus impenditur, diuina potentia [illegible], cum idem post quatriduanam iam fœtidus sepulturam solo vocis imperio viuificatus erigitur. Lutum de sputo, & terra fieri corporei fuit operis, sed [h]inc superlitos cæci oculos illuminari non dubium est illum fuisse virtutis, qua quod principiis naturæ non dederat, ad manifestationem suæ gloriæ reseruauit. Veri est hominis fatigationem corpoream somni quiete releuare, sed veri Dei est, vim sæuientium procellarum præcepti increpatione compescere. Cibos esurientibus apponere humanæ benignitatis est, & socialis animi, sed quinque panibus & duobus piscibus quinque millia virorum exceptis mulieribus, & paruulis satiare, quis negare audeat opus esse Deitatis?*

B Addit & præsentiam, Græcè *παρουσίαν*, vt omnino malè quidam Codices præscientiam habeant. Hæc igitur ait, quæ de Christi diuinitate, déque eius corporeo ad nos aduentu docui, non ex Philosophorum exhedris, aut Poëtarum, vel hæreticorum fabulis deprompta sunt, sed ex rei veritate, quam ipsis oculis vidimus, & auribus percepimus, *Speculatores*, inquit, *facti illius magnitudinis*. Solent enim Apostoli eorum, quæ docebant se oculatos testes appellare, ita Ioannes [a], *Et qui vidit*, inquit, *testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius*. Et alibi [b], *Quod fuit ab initio, quòd audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur*, &c. Et Petrus [c], *Dedit*, inquit, *eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus* VII. [a] cap. 19. 35. [b] ep. 1. c. 1. [c] Act. 10. 41

C *præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquam surrexit à mortuis*. Hic autem, ait, *speculatores facti illius magnitudinis*, Græcè *τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος*, vt appareat loqui Petrum de magnitudine Christi, est enim *ἐκείνου* masculini generis, & omnino ad Christum referendum est, cuius maiestatem conspexerant Apostoli, indéque optimo eius virtutem, ac præsentiam poterant prædicare.

Quod autem ait *speculatores* Græcè dixit *ἐπόπται*, quasi dicat se oculis perspexisse Christi magnitudinem, quod verè poterat Petrus affirmare, qui vnus fuit è tribus, quos Christus in monte adesse voluit, cùm speciem quandam eius gloriæ, quæ corpori debebatur, ad punctum temporis assumpsit, quod mox clariùs explicat. Indicat enim mysterium, de quo VIII.

D Matthæus [d], Marcus [e], & Lucas [f] copiosè scripserunt, *Post dies sex*, ait Matthæus, *assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix*. Vt enim ait Leo [g] Pontifex, *Conscenso cum eis seorsum monte præcelso claritatem suæ gloriæ demonstrauit, quia licèt intellexissent in eo maiestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiam nesciebant*. Neque enim, vt idem Leo mox subijcit, diuinitatis naturam corporeis oculis cernere vlla ratione poterant; *Nam illam*, inquit, *ipsius deitatis ineffabilem, & inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde seruatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant, & videre*. [d] cap. 17. 1. [e] cap. 9. 2. [f] cap. 9. 28. [g] serm. de Trāsf. Dom.

E

17. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.*]

Rectè hoc loco Oecumenius, *Vel participium* inquit, *hoc (accipiens) pro verbo (accepit) positum est, propterea quòd ad participium consequutio orationis minimè respondet, vel si pro participio propriè sumere hoc quispiam velit, necesse omnino erit, vt inconstructa oratio efficiatur* I.

Sed

constet Deum frequenter externa, ac perceptibili voce fuisse loquutum, plures eius loquutionis modos recenset Gregorius [a], *Sciendum*, inquit, *est, quia duobus modis locutio diuina distinguitur: aut per seipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cùm per semetipsum loquitur, sola nobis vis internæ inspirationis aperitur:* de quo loquendi genere fusiùs disserit.

Sed quoniam cum externa voce nihil commune habet, in præsentia omittitur. De altero autem loquendi modo subiicit, *Cùm verò per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis, & rebus, aliquando imaginibus, & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre assumptis, aliquando cœlestibus substantiis, aliquando simul terrenis, aliquando simul terrenis, & cœlestibus: nonnunquam verò etiam per Angelum humanis cordibus ita loquitur Deus, vt ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur.* Sed vt apparet non omnes hi loquendi modi ad externam loquutionem pertinent, quod idem dixerim de iis loquutionis generibus, quæ recenset Augustinus [b], *Veritas*, inquit, *incommutabilis, aut per seipsam loquitur ineffabiliter rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, siue spiritualibus imaginibus spiritui nostro, siue corporalibus vocibus nostri corporis sensui.* Postremus enim loquendi modus est huius loci proprius, vox enim à nube lucida lapsa dicitur.

Nec dubium est vocem illam verum fuisse sonum, qui ad Apostolorum aures pertingeret, & analogia quadam ad viuentis, atque hominis articulatam vocem potuit vox appellari: hac enim analogia locutus dicitur Deus, qui alioqui loquutionis organis destituitur: sed ei tamen corpora ad formandas voces tanquam supremo Imperatori obtemperabant: vt intelligendi, ac mouendi vis loquendi facultati; subiecta corpora loquutionis organis respondeant. Et quoniam vox ex nube missa, ab Apostolis, qui iacebant in terra, exaudita est, eam non modò claram, sed etiam intensam fuisse necesse est, quæ tamen, vt ait Augustinus [c], si propriè loquendum sit, meliùs articulatus sonus appellari potest. Dicitur autem Patris vox, quia Patrem indicat, eiusque nomine prolata est, sed, vt rectè ait Fulgentius [d], totius sanctæ Trinitatis opus fuit, licèt verborum, quæ exprimuntur sensus ad vnum Patrem pertineat, qui solus Filium ante omnem genuit æternitatem. Itaque verè Auctor [e] de operibus Cardinalibus apud Cyprianum, *Hanc vocem à Paternitate tua*, inquit, *delatam nemo est qui ambigat, non est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare, non est in cœlestibus agminibus, qui Dominum Iesum suum audeat filium nominare.* Loquitur autem de persimili voce, quæ in Baptismo Christi audita est.

I. Porrò ea vox tum demum cœlitus missa dicitur, cùm iam Apostoli Christi gloriam, eiúsque vultus splendorem non sine ingenti admiratione conspexissent, vt hac ratione Pater Filio, cuius gloriam indicasset, suo etiam testimonio diuinam conciliaret auctoritatem, cùm alioqui ipsius corporis gloria, & Moysis, Eliæq; ie præsentia Christi amplitudinem, ac dignitatem testarentur. Ita enim loquitur Isidorus [f] Pelusiota, *Domini, ac Saluatoris nostri in monte Transfiguratio nostram à morte ad vitam excitationem præsignat, quam quidem etiam vsque ad ipsius resurrectionem tacitam apud se tenere spectatores iubebantur, vt ne eam fidem inuenturam, vt quæ iam respsa perspiceretur. Mosis* [*] *autem & Eliæ* [*] *præsentia hoc testabatur, eum & viuis, & mortuis dominari.* Hoc igitur honore Filium Pater affecit, cùm externa voce audientibus Apostolis eius dignitatem, & supremam auctoritatem declarauit, quò non ineptè referas, quod dixit Christus [a], *Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*, quæ est Hieronymi [b] sententia, *Pater*, inquit, *respondet pro Filio, vt verbum Domini compleretur. Ego testimonium non dico pro me sed Pater, qui me misit, ipse pro me dicit testimonium.*

Bened Iustinian. in Epist. Canon.

XII. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Hoc est argumentum paternæ orationis. Vocat enim Pater Christum Dominum Filium dilectum; quo loco Auctor [c] de operibus Cardinalibus, *Duo*, inquit, *grata vocabula, filius, & dilectus, ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur, vt communio nominum nos associet collegio munerum, & tanta dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accendántque deuotionis affectum.* Rectè autem ex hoc loco Athanasius [d], & Hilarius [e] Arrianos confutant, quod & elegantissimè facit Leo [f] Pontifex, *Dicente enim*, inquit, *Patre. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Nónne euidenter auditum est: hic est filius meus, cui ex me, & mecum esse sine tempore est? Quia nec Genitor genito prior, nec genitus est genitore posterior. Hic est filius meus, quem à me non separat Deitas, non diuidit potestas, non discernit æqualitas. Hic est filius meus, non adoptiuus, sed proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus, nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis. Hic est filius meus, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quia omnia, quæ facio, similiter facit, & quicquid operor, inseparabiliter mecum, atque indifferenter operatur. In Patre enim est Filius, & in Filio Pater, nec vnquam vnitas nostra diuiditur; & cùm alius ego sim, qui genui, alius ille, quem genui, non aliud tamen de illo vobis fas est cogitare, quam de me sentire possibile est. Hic est filius meus, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec vsurpatione præsumpsit, sed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune consilium, vsque ad formam seruilem inclinauit incommutabilem Deitatem.*

XIII. Et Damascenus [g], *Hic inquam*, ait, *qui nunc homo cernitur, Filius meus dilectus est, hic qui nuper homo factus est, qui humiliter, & abiectè vobiscum versatur, cuiúsque nunc facies resplenduit, hic inquam filius meus dilectus est, sæculis omnibus antiquior, solus ex solo, vnigenitus sine tempore, & sempiternè ex me Patre progressus; quique, & ex me, & in me, & mecum & semper est, nec existentiæ ratione me posterior.* Et multa deinceps. Et aliquantò pòst, *Hic est Filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem Angelos etiam feci, per quem cœlum fundatum est, ac stabilita terra.* Et nonnullis interiectis, *Hic est non seruus, aut legatus, aut Angelus, sed Filius meus dilectus.* Eodem pertinent multa, quæ in eandem sententiam scribit Augustinus [h].

XIV. Dicitur porrò Christus filius dilectus, hoc ipso quia Filius, non enim propterea filius, quia dilectus, cùm ille natura, non sola adoptione filius sit: nos contrà, quia tantùm adoptione filij sumus, quia diligimur à Deo, filij nuncupamur, non verò idcirco diligimur, quia filij. Quod indicasse videtur Ioannes [i], cùm dixit, *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Priùs enim gratiam nobis, & caritatem Deus largitur, postmodum

* Plures alias rationes affert Chrysost. ho. 57. in Matt. Epiph. hæres. 42. Damasc. orat. de Trásf. Tertull. lib. 4. in Marcion. c. 22. Hilar. in Matth. 17. Leo Pontif. ser. de Trásf.
a Ioan. 8. 18.
b Matth. 17.
c ser. de Baptis. apud Cyprian.
d or. 4. cont. Arrian.
e lib. 5. de Trinit.
f sermo. de Transf. c. 6.
g orat. de Transf.
h orat. de 5. hæres. c. 7.
i ep. 1. c. 3. in princ.

dum tanquam filios complectitur. Christus igitur A tanquam filius diligitur à Patre, nam vt apud Ioan-
a cap.3.35. nem [a] dixit Christus, *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Dixit autem Græcè Petrus ἀγαπητός, hoc est, *dilectus*, quamquam aliàs eandem vocem Interpres reddere solet, *Dilectissimus*; quomodo ali-
b ep.63.c.6. cubi transtulit Cyprianus [b], *Hic est*, inquit, *filius meus*
c lib.de fid. c.5. *dilectissimus, in quo benesensi.* Neque aliter legisse videtur Ambrosius [c].

XV. Addit præterea Deus Pater, *In quo mihi complacui*, Græcè εὐδόκησα, quasi dicat. Cuius merito hominum generi conciliatus sum. Eo enim mirificè oblector, cuius respectu placuit mihi humano generi salutem impartiri, hoc enim videtur postulare B Græca vox, de qua alibi plura dixi. Possis etiam ad ipsum Christum referre. Vt dicatur Filius dilectus, qui Deo Patri vnicè placeat, in quo, vt ita dicam, Paternæ deliciæ positæ sint, quem sen-
d serm.1. de Epiphan. sum indicare videtur Bernardus [d], *In quo*, inquit, *mihi bene complacui; verè enim hic est, in quo non est, quid Patri displiceat, quod oculos maiestatis offen-*
e Ioan.8.29. *dat, vnde & ipse* [e] *ait. Quia quæ placita sunt ei facio semper.* Et quidem meritò in eo sibi placet,
f li.3 de Trinit. quia, vt ait Hilarius [f] peculiari modo Dei filius est, *Scilicet origine, veritate, & natiuitate, non autem adoptione, nuncupatione, aut creatione.*

XVI. Denique addit, *Ipsum audite.* Vt enim ait Da-
g orat. de Transf. mascenus [g], *Qui hunc suscipit, me suscipit, qui eum non herili auctoritate, sed paterno modo misi, vt enim homo mittitur, vt autem Deus in me manet, & ego in eo. Qui vnigenitum meum Filium non honorat, me Patrem non honorat, qui misi eum, ipsum audite, habet enim æternæ vitæ verba, hic est non seruus, aut legatus, aut Angelus, sed filius meus dilectus, ipsum audite.* Et
h serm. de Transf. c.7. Leo [h] Pontifex, *Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo, & cuius prædicatione manifestor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite, quia ipse est veritas & vita, ipsa virtus mea, atque sapientia. Ipsum audite, quem legis mysteria prænunciauerunt, quem Prophetarum ora cecinerunt. Ipsum audite, qui sanguine suo mundum redemit, qui Diabolum ligat, & vasa eius rapit, qui peccati chirographum, & præuaricationis pacta dirumpit, ipsum audite, qui viam aperit ad cœlum, & per D Crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad Regnum.*

XVII. *Ipsum audite.* Quippe ille plenus erat, vt ait Ioan-
i cap.1. nes [i], *gratiæ, & veritatis.* Quinetiam, vt idem [k] af-
k ibid.17.18. firmat, *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Christus autem ipse
l cap.3.11. apud Ioannem [l], *Quod scimus*, inquit, *loquimur, & quod vidimus testamur.* Vtitur autem numero multitudinis pro numero singulari, quod frequentissimum est, præsertim, cùm viri modesti de se, suisque rebus loqui coguntur. Ita Christus se verum, & fidelissimum testem, ac Magistrum decla-
m cap.55.4. rat, eum videlicet, quem Deus apud Isaiam [m] pollicetur, *Ecce*, ait, *Testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem Gentibus.* Quem locum obseruauit Iusti-
n Dial. cum Triphon. nus [n], vt Christum doceat verum esse omnium E
o cap.24.14 Magistrum. Apud Matthæum [o] verò ita loquitur Christus, *Prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso mundo in testimonium cunctis Gentibus.* Et apud Ioan-
p cap.18.37. nem [p], *In hoc natus sum vt testimonium perhibeam veritati.*

XVIII. Meritò igitur diuina Patris vox Christum audien-
q cap.10.25 dum esse monet, qui apud Ioannem [q] se verum, ac legitimum testem esse hac ratione probat, *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, si mihi non vultis credere, operibus credite.* Nam vt ait Chrysostomus [a], *Ab*
a hom.60.in Ioan. *operum æqualitate se Deum probat*; ea verò opera, vt monet Augustinus [b], *sibi in testimonium vo-*
b li.13.con. Faust.c.1. *cat.* Eleganter verò Fulgentius [c], *Vt quem homi-*
c lib. ad Trasimun. c.15. *nem verum constaret esse passionibus hominis, eundem verum Deum crederemus operibus Deitatis ipso Filio docente. Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

XIX. Ipsum igitur ait Pater audite, hoc est, ei docenti fidem habetote, tanquam vero, ac legitimo Magistro, qui nec fallere, nec falli potest, eidémque præcipienti obtemperate, cùm sit verus legislator, ac Dominus. Verùm solus ne Christus est audiendus? sanè hoc maximè contendunt Caluinistæ, qui hæc verba memoriæ commendanda monent, & altiùs infixa retinenda, ne alium quàm Christum audiamus. Mentitur ergo Salomon [d],
d Prou.1.8. qui ait, *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Mentitur Moses [e], qui Sa-
e Deut.17.12 cerdotibus obsequendum præcipit in hæc verba, *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, decreto Iudicis morte moriatur homo ille.* Mentitur Paulus [f], qui præpositis obtemperandum docet, *Obe-*
f ad Heb. 13.17. *dite*, ait, *præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Mentitur denique Christus, qui Apostolos C alloquens [g], *Qui vos audit*, ait, *me audit, qui vos*
g Luc.10.16. *spernit, me spernit.* Quocirca audiendus quidem est Christus tanquam præcipuus Magister, ac supremus legislator, sed & cum illo audiendi sunt ij omnes, quos ille sibi Vicarios substituit.

18. *Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto.*]

I. Vel ex hoc loco, vt obseruauit Beda, facilè quiuis intelliget huius epistolæ Auctorem vnum esse è tribus Apostolis, qui transfigurationis mysterio interfuerunt; nam alioqui impudentissimè mentiretur, qui se ei mysterio adfuisse affirmaret, cùm tres tantùm Apostoli tanti mysterij testes fuerint oculati: cùm verò Ioanni, aut Iacobo hæc epistola adscribi nequeat, id restat vnum, vt eius Auctor censendus sit Petrus. Rectè autem ille ait se eam vocem audisse vnà cum duobus collegis, nam Deum loquentem videre non poterant, & nube illa quodammodo obuoluti nihil penitus intueri sunt, non apparentibus amplius Mose & Elia, vt Euangelistæ scribunt, *nisi solum Iesum.* Ait autem eam vocem de cœlo missam, qui paulò antè dixerat, lapsam à magnifica gloria. Sed non est verisimile ab ipso cœlo vocem illam fuisse missam, sed cœli nomine aërem significauit, quomodo aues cœli dici consueuerunt.

II. Cæterùm in ipsa nube, quæ visa est, efformatam fuisse haud ambigo, quæ inde egressa ad Discipulorum aures peruenit. Quomodo tonitrua in nubibus excitata ad nostras aures pertingunt. Sic aliàs apud Ioannem [h], cùm pertimi-
h cap.12. lis vox Christi maiestatem declararet, turba, quæ astabat, & audierat, dicebat, *Tonitruum esse factum, alij dicebant Angelus ei loquutus est.* Porrò vox illa, vt ex Euangelistarum narratione constat, audita est postquam Apostoli Christi gloriam conspexerant; tempus verò, & locum

& locum notat ſubdens, *Cùm eſſemus cum illo in monte ſancto* Nec dubium eſt, eum loqui de monte Tabor, quem ſanctum appellat ob myſterij, quod in illo contigit ſanctitatem. Neque enim alia ratione ſanctitas loco tribui poteſt, niſi vel aliqua externa conſecratione, quomodo ſancta dicuntur Templa, & Altaria, vel quia in illo aliquid ſanctum exercetur; qua ratione ſancta aliquo pacto vocantur loca, in quibus viri ſancti ſeu vixerunt, ſeu etiam ſepulti iacent.

Huc ſpectat quod ait Auguſtinus [a], *Multis enim modis ſunt ſanctitatis, & multis modis ſunt ſanctificationis, non enim omne, quod ſanctificatur ad Regnum cælorum mittitur. De eſca noſtra dixit Apoſtolus* [b]. *Sanctificatur per verbum Dei, & orationem.* Et paucis interiectis, *Diſce ergo eſſe aliquem modum, & quaſi umbraculum quoddam ſanctitatis, quod non ſufficiat ad perceptionem ſalutis.* Quocirca Hieronymus [c] Paulæ Romanæ pietatem, ac Religionem commendat, quòd montem illum religioſè conſcenderet, *Scandebat,* inquit, *montem Tabor, in quo transfiguratus eſt Dominus, aſpiciebat procul montes Hermon, & Hermonium, & campos latiſſimos Galilææ, in quibus Siſara, & omnis exercitus eius Barach vincente proſtratus eſt.* Et ob eius loci ſanctitatem myſterij memoriam colens Helena Conſtantini mater templum trium Apoſtolorum honori extruxit. Ita enim ſcribit Nicephorus [d], *In ipſo transfigurationis loco, qui ſplendorem illum mirificum conſpexére, Apoſtolis tribus pulcherrimam extruxit Eccleſiam, quo loco multam etiam reliquit pecuniam in ſubſidium eorum, qui ibi manerent, locúmque ipſum excolerent.*

IV. Idem verò Nicephorus aliam quandam rationem affert, cur potuerit mons ſanctus appellari, *In eo,* inquit, *Melchiſedech Abrahamum dicitur benedictione proſequutus eſſe.* Certè Damaſcenus [e] huic monti conuenire ait verba illa Dauidis [f], *Tabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Nam Hermon,* inquit, *prius exultauit, quando paterno teſtimonio Chriſto ad Baptiſmum profecto, Filij nomen tributum eſt: nunc verò exultat, ac lætitia perfunditur Tabor diuinus, & ſanctus ille mons non minùs gloria quàm altitudine ſublimis.* Nec mirum eſt voluiſſe Chriſtum in monte tribus Apoſtolis hoc myſterium patefacere; ſolebat enim ille pleraque in montibus peragere, vt ex Euangelio deprehendimus.

V. De hoc [illegible] myſterio præterea, quæ ſcribunt Damaſcenus [g], & Euthymius [h], hæc habet Tertullianus [i], *In montem ſecedit, nam & priſtinum populum apud montem, & viſione, & voce ſua Creator initiarat. Oportebat in eo ſuggeſtu conſignari nouum teſtamentum, in quo conſcriptum vetus fuerat. Sub eodem* [illegible] *ambitu nubis, quam nemo dubitauit de aëre Creat*[illegible] *lobatam. Nec nunc muta nubes fuit, ſed vox* [illegible] *e cælo, & Patris nouum teſtimonium ſuper Filium, de quo Pſalmo ſecundo. Filius meus es tu, ego hodie genui te. & Iſaiæ quinquageſimo. Quis metuens Deum audit vocem filij eius.*

VI. Paternam igitur vocem audiſſe ſe ait Petrus, cùm vnà cum Chriſto Domino eſſet in monte. Tres enim Diſcipulos aſſumpſiſſe dicitur Chriſtus *Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.* Hi enim tres, vt ait Victor [k] Antiochenus, *tanquam Coryphæi primas inter Apoſtolos obtinebant.* Et Chryſoſtomus [l], itémque Euthymius [m] Petrum quidem aiunt adhibitum fuiſſe, quod eum propter fidei feruorem valde diligeret, Ioannem verò ob eximiam eius ſanctitatem, Iacobum denique quod grauis, ac moleſtus eſſet Iudæis. Cur autem tres tantùm teſtes adhibuerit explicat Damaſcenus [o], *Vt venerandum,* inquit, *Trinitatis myſterium ſubindicaret, atque vt ſub duobus, aut tribus teſtibus ſtaret omne verbum.*

VII. Paulò autem pòſt de tribus Apoſtolis hunc in modum ſcribit, *Iam verò quæ cauſa eſt, quamobrem Petrum, & Iacobum, & Ioannem aſſumpſerit? Petrum, vt teſtimonium, quod verè præbuerat à Patre exhibitum fuiſſe oſtenderet, ac ſententia ipſe ſua fidem aſtrueret, nempe quòd Pater cæleſtis, hoc ei teſtimonium patefecerat, atque etiam vt Antiſtitem, quique totius Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet. Iacobum autem, vt, qui ante omnes Apoſtolos pro Chriſto mortem oppeturus, ipſiúſque calicem bibiturus, ac Baptiſmum ipſius cauſa ſuſcepturus eſſet. Ioannem denique vt Virginem, & puriſſimum Theologiæ organum quo Dei gloriam omni tempore ſublimiorem conſpicatus, illud poſtea, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, intonaret, vnde etiam Tonitrui filius appellatus eſt.*

19. *Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.*]

I. Torquentur hoc loco nonnulli, ſéque verſant in omnes partes vnâ Apoſtoli voculâ perterriti, ait enim, *Habemus firmiorem propheticum ſermonem,* Græcè βεβαιότερον. Et primùm quidem aiunt comparatiuum pro poſitiuo, aut etiam ſuperlatiuo poſitum eſſe, quaſi dicat. Præter hanc cæleſtem Patris vocem, ſi quis fortè eam in dubium reuocet, habemus firma, ac minimè dubia, ſeu potiùs firmiſſima, certiſſimáque oracula Prophetarum, quæ diuinam Chriſti maieſtatem prædicant. Sed quoniam videtur Petrus nonnulla omnino comparatione vti, idcirco ſecundo loco aiunt Propheticum ſermonem firmiorem appellari, non quòd paterno teſtimonio præferendus ſit, ſed quòd perſpicuo rerum euentu priſcorum Prophetarum vaticinia confirmata, ac ſtabilita ſint, veriſſimáque comprobata. Quæ interpretatio admitti vtcumque poſſet ſi de Transfigurationis myſterio, de quo priuatim agit Petrus Vates olim propriè, ac nominatim vaticinati eſſent. Quis verò ferat eos, qui Prophetico ſermone, ipſam paternam vocem indicari, certioremque appellari autumant? Quorſum enim id addat Apoſtolus, cùm Dei Patris vocem magnificentiſſimis verbis extuliſſet? cur verò eam vocem firmiorem appellet, de cuius veritate, ac certitudine nefas eſt dubitare?

II. Nihil igitur ambigo propheticum ſermonem, veterum Prophetarum oracula ſignificare. Ita enim docuit Auguſtinus [b], *Quis enim noſtrûm,* inquit, *non miretur delata voce de cælo certiorem propheticum ſermonem ab Apoſtolo dictum eſſe? Certiorem ſanè eſſe dixit, certiorem non meliorem, non veriorem. Tam verus enim ille ſermo de cælo, quàm ſermo Propheticus, tam bonus, tam vtilis: quid eſt ergo certiorem, niſi in quo magis confirmetur auditor? quare hoc? quoniam ſunt homines infideles, qui ſic detrahunt Chriſto, vt dicant eum magicis artibus feciſſe, quæ fecit; poſſent ergo infideles etiam iſtam vocem delatam de cælo per coniecturas humanas, & illicitas curioſitates, ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico antea, ante iſtam vocem, ſed ante Chriſti carnem, nondum erat homo Chriſtus, quando miſit Prophetas; quiſquis eum dicit magum fuiſſe, ſi ergo magicis artibus fecit, vt coleretur & mortuus, numquid magus erat*

Marginal notes: [a] [illegible] [c] [illegible] Paulæ. [d] l. c. 30. [e] orat. de transf. [f] Pſal. 88. [g] orat. de transf. [h] Matt. 17. [i] lib. 4. in Marcion. c. [k] Marc. 9. [l] [illegible] 17. in [m] Matt. 17. [o] orat. de Transf. [b] ſer. 27. de verb. Apoſt. c. 4.

ante quàm natus? Ecce quare ait Apostolus Petrus. Habemus certiorem Propheticum sermonem. Vox de cœlo, qua fideles admoneantur, propheticus sermo, quo infideles conuincantur.

III. Ita videtur Augustinus firmitatem referre ad credentium animos, quòd videlicet firmiùs nonnulli adhærerent iis, quæ Prophetarum oraculis prænunciata, & euidenti rerum euentu comprobata cernuntur, quàm iis, quæ Apostolorum prædicatione absque oraculis Prophetarum promulgabantur; qualis erat hæc Petri narratio de paterna voce cœlitus missa. Simile quiddam insinuare videtur Oecumenius, *Propterea quòd,* inquit, *ex rebus ipsis, & experientia cognouimus, quæ à Prophetis fuerunt prænunciata, certiorem omnem eorum prophetiam habemus, non quòd de voce à Patre de cœlo demissa prophetia aliqua sit, sed quia ex voce Patris, quæ de Filio testificata est confirmati sumus, & certò credidimus omne Prophetarum vaticinium stabile, ac sine vlla controuersia verum esse. Ex his enim certiorem esse eorum prophetiam iudicamus, quippe cum rei verba ipsorum fuerint consequuta.*

IV. Possis etiam addere, quod alij ante nos obseruarunt certiorem appellari Iudæorum respectu, qui Prophetarum oraculis assueti, iis quodammodo firmiorem præbebant assensum, quàm iis, quæ Vatum testimonio destituebantur. Quò videtur spectasse

a Io. c. 5. 39. Christus Dominus, cùm apud Ioannem [a] dixit, *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam æternam habere. & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et subdit, *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Denique hunc sensum confirmat Beda, *Si quispiam,* ait, *nostro testimonio discredendum putauerit, quòd in secreto gloriam Redemptoris nostri conspeximus diuinam, quòd vocem Patris ad eum factam audiuimus, certè sermoni Prophetico nemo contradicere, nullus de hoc ambigere audebit, quem diuinis Scripturis iam olim insertum omnes verum esse testantur.*

V. Quæ cùm ita sint, vocat Petrus propheticum sermonem firmiorem, non quidem paterna voce, sed suo testimonio, firmiorem autem non vi sua, sed ob credentium, siue Gentilium, siue Iudæorum conditionem: vtrique enim suspicari potuissent Apostolos vel mentiri posse, vel certè res gestas à Magistro suo Christo magnificentiùs prædicare, & supra veritatem extollere, cùm de oraculorum euentu, qui perspicuè cunctis apparebat, nulla ratione possent dubitare. Et profectò, vt alibi copiosiùs docui, mira est inter vaticinia Prophetarum, & Euangelicam historiam consensio, singula enim fermè, quæ de Christo in Euangelio commemorantur, multò antea fuerant à Vatibus prænunciata. Quamobrem plurimi Sanctorum eandem fuisse aiunt priscorum Patrum fidem cum fide nostra, nisi quòd illa erat aliquantò obscurior, nostra explicatior, & dilucidior; illa tempus futurum spectabat, nostra præteritum. Ita Irenæus [b], *Et nos,* ait, *eandem fidem accipientes, quam habuit Abraham.* Epiphanius [c] verò cùm de veteris Testamenti Patribus ageret, *Operabantur tunc pietas, & impietas, fides, & incredulitas, fides quidem Christianismi imaginem obtinens.*

b lib. 4. c. 13.
c init. Panar.

VI. Copiosè autem, ac luculenter Augustinus [d], *Ante aduentum,* ait, *Domini nostri Iesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt iusti sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non fides, quia & ipsa verba pro tempore variantur cùm variè declinantur. Alium sonum habet venturus est, alium sonum habet, venit; mutatus est sonus. Venturus est, & venit, eadem tamen fides vtrosque coniungit: & eos qui venturum esse, & eos, qui eum venisse crediderunt. Diuersis quidem temporibus sed vtrosque per vnum fidei ostium, hoc est, per Christum videmus ingressos. Nos credimus Dominum Iesum Christum natum ex Virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse: totum hoc, sicut verba audistis præteriti temporis impletum esse iam credimus. In eius sunt fidei societate nobiscum, & illi Patres, qui crediderunt de Virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum ascensurum.* Mox autem testimonio Pauli, hæc ipsa confirmans addit, *Illos enim ostendit Apostolus, vbi ait [a]. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum [b] est. Credidi propter quod locutus sum. Et nos credimus propter quod loquimur. Propheta dixit. Credidi propter quod locutus sum. Apostolus dicit. Et nos credimus propter quod & loquimur. Vt scias autem, quòd vna sit fides, audi dicentem. Habentes eundem spiritum fidei, & nos credimus. Et plura deinceps eodem spectantia.*

d Tract. 45. in Ioan. similia lib. 2. con. lit. Petilian. c. 37. & li. 19. con. Faust. c. 13. 16. & 17.
a 2. ad Cor. 4. 13.
b Ps. 115. 10

VII. *Cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Laudat Christianorum studium, eorum præcipuè, qui ex Iudaismo Christo nomina dederant, quòd peruoluendis, perscrutandisque Prophetarum vaticiniis operam darent; in iis enim Christianæ doctrinæ capita facilè poterant recognoscere, modò perfidiæ, ac cæcitatis velum deposuissent. Sic olim Eunuchus Æthiopum Reginæ Isaiam percurrebat [c]. Iudæi qui erant Berœæ, vt scribit Lucas [d], audita Pauli concione, *quotidie scrutabantur Scripturas, si hæc ita se haberent.* [e] Syrac denique, *Sapientiam,* ait, *omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit.*

c Act. 8. 28.
d Act. 17. 11.
e Eccli. 39.

VIII. Eam ob causam Iustinus [f] Martyr aduersus Philosophorum libros disputans, magnam ait vtilitatem ex Prophetarum lectione percipi posse, *Quocirca,* inquit, *cùm veri nihil de Religione à Doctoribus vestris percipi posse constet, & idoneum satis documentum vobis ignorantiæ ipsi sua per dissidentes inter se factiones exhibuerint, reliquum esse opinor, vt ad maiores nostros reuertamur, qui & vt Magistros vestros longo tempore anteuerterunt, nihil nos de suis ipsorum cogitationibus, & placitis docuerunt, minime ipsi mutuis dissensionibus, inuicem conflictantes, aut aliorum dicta euertere in animum inducentes, quippe qui omni contentionis studio, & factionum dissidio liberi, sicuti à Deo acceperunt, ita nobis doctrinam tradiderunt.* Et alibi [g], *Libri verò eorum* (de Prophetis loquitur) *etiam nunc extant, quos si [illegible] legat, eisque fidem habeat, plurimum etiam inde ferat emolumenti.*

f in adhort. ad Gent.
g Dial. cum Tryphon.

IX. [illegible] etiam confirmat [h] Lactantius Philosophorum [illegible] longè Prophetarum oracula anteponens. Atque [illegible] eadem ratione Petrus fideles à Simonianorum [illegible] Gnosticorum fabulis, ac Philosophorum deli[illegible]cat, de quibus ita loquitur Paulus [i], *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et alibi [k], *Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* Videtur autem hæc Petri oratio ad Iudæos, qui Christiana sacra susceperant potissimùm pertinere, qui Prophetarum scripta maximè colebant, & in Synagogis frequenter legere, atque audire consueuerant.

h li. 7. c. 14.
i ad Ro. 1. 21
k ad Ephes. 4. 18.

X. Eorum itaque diligentiam, ac sedulitatem commendat, vt eorum paulò pòst dicet Prophetarum vaticinia diuinam auctoritatem, & ad erudiendos, ac permouendos animos magnam vim habent, cùm præsertim rerum euenta iis omni ex parte respondeant, quod ij maximè obseruare poterant,

... qui Apostolorum opera cœlesti fidei luce per... ...

XI. *Quasi lucerna*, inquit, *lucenti in caliginoso loco*. ...uram ... conditionem Prophetiæ describit, ...am perlim...m esse ait luc...rnæ in ...liginoso loco ...ni: & lucernæ quidem metaphoram probauit ... Dauid[a]. *Lucerna, ait, pedibus meis verbum tuum, ... semitis meis*. Quin etiam Salomon[b]. *Manda... lucerna est, & lex lux*. In nouo autem Testamento ...tiam diuini verbi Præcones lucernæ ... esse ...ntur. Christus enim apud Ioannem[c] Præcu...rem suum lucernam appellat. *Ille*, ait, *erat lu...na ardens, & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius*. Et apud Matthæum[d] cùm Apostolos lucem mundi vocasset, confestim lucernæ metaphoram vsurpans. *Neque accendunt*, inquit, *lucernam, ... ponunt eam sub modio, sed super candelabrum*, ... *luceat omnibus, qui in domo sunt*.

XII. Quòd autem ait. *Lucenti in caliginoso loco*, in...icat Prophetarum obscuritatem, ac difficultatem, ...e quibus Dauid[e]. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. ...ta ...ocum explicat Gregorius[f], qui explanans verba illa Iob[g]. *Qui ligat aquas in nubibus suis, ... non erumpant pariter deorsum. Quid*, inquit, *hoc lo...o aquarum, nisi scientiam, quid nubes, nisi prædicatores appell...? Nam quia in sacro eloquio aliquando aqua s...ientia dicitur, Salomone*[h] *attestante didicimus, qui ait: Aqua profunda verba ex ore viri, ... torrens redundans fons sapientiæ. Aqua signari scientiam Dauid ... Propheta testatur dicens. Tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est, occulta scientia in Prophetis, quia ante aduentum Domini dum occultis Sacramentis grauidi mysteria immensa gestarent intuentium oculis eorum intelligentia caligabat*. Necesse vt sit Nouatores[k] vehementer falli, qui Scripturam aiunt esse ... certissimam, facillimam, apertissimam, sui...ectem, quæ omnia probet, iudicet, & ...et.

XIII. Hanc porrò Scripturæ difficultaté, obscuritatemque vt suprà indicaui, omnes penè veteres Patres & agnouerunt, & professi sunt. Præcipuè verò inter Græcos Clemens[l] Romanus, Dionysius[m] Areopagita, Irenæus[n], Clemens[o] Alexandrinus, Origenes[p], Dionysius[q] Alexandrinus, Athanasius[r], Basilius[s], Gregorius[t] Nazianzenus, Epiphanius[u], Chrysostomus[x], Theodoretus[y], Titus[z] Bostr...sis, Procopius[aa] Gazeus, Maximus[bb] ...nachus, Ioannes[cc] Damascenus, Euthymi... Inter Latinos autem Tertullianus[ee], Hila... Ambrosius[gg], Hieronymus[hh], Augustinus[ii], Petrus[kk] Ch...ologus, Prosper[ll], Gregorius[mm] Ponti... [nn], Beda[oo]. Quamobrem Ruffin... ...ium, & Gregorium Nazianzenum magn... *Quòd ambo nobiles, ambo Athenis eru... collegæ per annos tredecim omnium Græcorum ...um libris remotis solis Scripturæ diuinæ voluminibus operam dabant, eorúmque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat*. tantùm abest, vt quod Nouatores faciunt, passim cuiuis etiam cerdonibus & cementariis, & mulierculis sacrarum litterarum explanationem permittendam censerent.

XIV. Plures autem à priscis item Patribus rationes afferuntur, cur Scriptura sacra pluribus sit difficultatibus implicita. Nam ipsum Hebraicum idioma, quo primum sacræ literæ editæ sunt, ob phrases, dicendique modos peregrinos, atque abditos non exiguam parit obscuritatem, sic enim loquitur Theodoretus[a]. *Quænam est causa obscuritatis in Scriptura? facit obscuritatem mutatio ex alia lingua in aliam ... quod studuerint Interpretes pres... ...entes vesti...is de verbo in verbum interpretari. Hoc ipsum accidit iis, qui e lingua Italica transferunt in linguam Græcam: sunt illa quoque plena magna obscuritate*. Euthymius[b] autem eadem de re hunc in modum scribit. *Præterea obscuritatis alia est ratio, idioma scilicet Hebraicæ linguæ diuersum à Græca, variis enim, ac multiplicibus loquendi modis Prophetæ sæpenumero vsi sunt*. Et paucis interiectis. *Postremò illa etiam addatur ratio, quòd de prima propria Hebraica lingua in aliam antiqua omnia legimus translata. Omnis autem lingua in aliam conuersa vt plurimum difficultatem, & obscuritatem generat*.

XV. Possis etiam addere metaphoras, & parabolas quæ frequenter vsurpantur præsertim ex Palæstinæ consuetudine, ex quibus magnam oriri difficultatem necesse est. Deinde Clemens[c] Alexandrinus aliam affert rationem à primarij Auctoris fine desumptam. Hoc enim Deus potissimùm spectauit, *vt diligenter inquiramus, ac semper vigilemus in inueniendis salutaribus orationibus*. Quam rationem insinuat Basilius[d]; apertè affert Cassianus[e]. *Vt etiam*, inquit, *inter ipsos domesticos fidei, dum intellectuum spatia coram eis immensa tenduntur, in eis desidiosorum argueretur ignauia, & studiosorum alacritas, & industria probaretur*.

XVI. Quin etiam Clemens Alexandrinus aliam his verbis rationem addit. *Præterea nec omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere, ne læderentur aliter accipientes ea, quæ à Spiritu sancto dicta sunt salutariter. Quamobrem iis, qui sunt electi ex hominibus, & iis qui ex fide coaptati sunt ad cognitionem, quæ seruantur sacra mysteria Prophetarum teguntur parabolis, Scripturarum enim stylus est parabolicus*. Quiddam simile indicat Cassianus. *Ne Sacramenta*, inquit, *diuina nullum habentia ...ritualis intelle...us velamen obductum cunctis hominibus, id est, tam fidelibus, quam prophanis æquali scientia, & notitia panderentur. Et per hoc inter inertes, & studiosos nulla esset virtutis, prudentiæq; distantia*.

XVII. Postremò, vt bene monet Basilius[f], meritò nonnulla diuinis litteris aspersa est difficultas, quia *quæ labore parata sunt, ea nescio quo pacto magis amantur, quæq; longo tempore contingunt, constantiùs permanent. Porrò quæ facilè parantur, his non perinde auide fruimur, negligitur enim rerum obuiarum copia, neque vlla custodia dignas ducit qui possidet*. Quibus consentanea sunt, quæ scribit Gregorius[g] Nazianzenus. *Quod ea*, inquit, *ratione factum puto*, (loquitur autem de hac Scripturæ obscuritate) *vt sapientes meliori, quàm cæteri conditione sint, aut quod non sine labore, ac negotio acceperunt, studiosè quoque conseruent, ac retineant; quod enim aliquis celeriter, faciléque adeptus est, id ne retinere quidem magnopere curat*. Quod ipsum indicat Procopius[h]. Optimè verò Augustinus[i]. *Ita*, inquit, *obscurè quædam dicta sunt, vt densissimam caliginem obducant, quod totum diuinitus prouisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerumque vilescunt*. Et alibi[k]. *Sunt in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, vt exerceant, ad hoc aperiuntur, vt pascant*.

XVIII. Similia scribit Gregorius[l] Pontifex. Eademque probant Isidorus[m] & Beda[n]. Eleganter verò Prosper[o].

a 1. Reg q. 1.
b Præf. in Psal.
c lib. 1. Strō. c. 7.
d Præf. in Isa.
e Collat. 8. c. 3.
f Præf. in Isa.
g ad Nemes.
h Præf. in Isa.
i lib. 2. de doct. Christ. c. 6.
k in Psal. 140.
l Hom. 6. in Ezech.
m lib. 1. de sum. bon. ca. 18.
n in Psal. 10.
o in sent. c. 67.

... tal. 4 ... 44 in ... n Imp. ... 1. Reg. ... Luc. 24. ... Præf. In Gen. & præfat. in Isa ... bb Cētur. 2. c. 29. cc lib. 4. f. 18 dd Præfat. in Psal. & lo. 5 ee lib. de ... l. c. 1. ... Præfat. in ... & in 118. ... Ser. 8. & ... 118 ... Præ. in ... ch. & ... de ver. Re... ca 17. & ... de doct. ... ca ... præf. in Psa. 40 de vtil. creden. ca. 7. ... 3. & 119. kk Ser. 96 ... Sent. 7. ... Præf. in ... mor. c. 4. ... 20. mor. c. 1. Hom. 6. in Ezech. nn lib. 1. de sum. bon. ca. 18 oo in Psal. 1. ... & Act. 8. ... 11. c. 9.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

Quamuis in sacris libris, quos nosse laboras
Plurima sint lector clausa, & opata tibi.
Inuigilare tamen studio ne desine sancto
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus quem spes productior edit,
Vltro obiectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem
Qui dedit vt quaras addet vt inuenias.

a Hom. 3. de Lazaro.

At Chrysostomus [a] aliter sentire videtur, cùm enim dixisset Philosophos obscurè multa, inuolutéque scripsisse subiicit. *Apostoli verò, & Propheta omnia contra fecerunt; manifesta, claráque prodiderunt, exposuerunt nobis veluti communes Orbis doctores, vt per se quisque discere possit ea, qua dicuntur, è sola lectione.* Rursus alibi [b], *Quamobrem, inquit, opus est concionari? omnia clara sunt, & plana ex Scripturis diuinis, sed quia delicatuli estis auditores delectationem audiendo venantes, propterea concionatores quaritis.*

b Hom. 3. in 2. epist. ad Thessal.

B

XIX. Verùm si rectè tanti viri verba expendantur, hoc solùm inter Philosophos, Apostolos, ac Prophetas interesse docet, quòd illi inanem gloriam sectantes abstrusa quædam, & abdita naturæ arcana, & quidem obscurè, atque inuolutè posteritati consignarunt. Hi verò ea præcipuè scripserunt, idque absque oratorio apparatu, aut verborum lenocinijs, quæ ad salutem consequendam valent, vt videatur orationis simplicitatem, facilitatemque commendare, idque eo consilio, vt quorundam socordiam, ignauiamque perstringeret, qui sacrorum librorum lectionem tamquam à se alienam reiiciebant. Ipse verò omnes hortatur, vt sacras litteras C peruoluant, quia sola earum lectio etiamsi non omnia perspiciantur, non exiguam affert vtilitatem. Loquitur autem potissimùm de iis, quæ aut ad historias explanandas, aut morum præcepta tradenda referuntur.

XX. Itaque profert Pauli verba, quibus se ait abditam sapientiam, aut orationis pompam, atque ornatum minimè fuisse sectatum; confestim autem subiiciens, quæ spectant ad mores. *Cui enim*, inquit, *non sunt manifesta quacumque in Euangelio scripta sunt? quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundi cordis, cateráque huiusmodi, desiderabit praceptorem, vt aliquid eorum discat, qua dicuntur? quin etiam signa, miracula, historia, nónne cuiuis nota, manifestáque sunt?* Et paulò pòst explicans quid à suis auditori- D bus exigat. *Sume*, inquit, *librum in manus, lege historiam omnem, & qua nota sunt memoria tenens, ea, qua obscura sunt, parúmque manifesta frequenter percurre, quòd si non poteris assiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem, communica cum his ea, qua scripta sunt, declara vehement studium.*

XXI. Quibus verbis omnino fatetur quædam esse difficilia, & quæ Præceptoris operam, diuinámque opitulationem requirant, vt fusiùs deinde docet, quod ipsum alibi [c] planiùs explicat; cùm enim dixisset omnia esse dilucida, atque perspicua, illico subdit. *Nam dic quaso quo orationis fastu dicebat Paulus? Sed tamen conuertit orbem terra, quo nam autem Petrus, qui erat illiteratus?* Mox autem cùm obscuritatem obtendi posse indicasset, hæc E addit. *Quanam ea obscuritas? dic quaso an non sunt historia?* Denique torporem quorundam castigat, qui à Scripturarum lectione abhorrebant; idcirco alibi [d] auditores hortatur, vt antè quàm ad Concionem accedant, ea, quæ explicanda sunt, perlegant, difficilia, & obscura notent, vt eorum a Concionatore explicationem quærant.

c Hom. 3. in 2. ad Thess.

d Hom. 10. in Io.

XXII. Non itaque mirum quod ait Petrus propheticum sermonem lucernam esse lucentem *in caliginoso loco.*

A Etenim vt ait Augustinus [a]. *Omnis Prophetia ante Domini aduentum lucerna est, de qua dicit Petrus Apostolus; habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tamquam lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Lucerna itaque Propheta, & omnis Prophetia vna magna lucerna. Quid Apostoli? non lucerna etiam ipsi? planè lucerna.* Sed quem obsecro caliginosum locum appellat? an tenebrosum locum vocat fidem adhuc, atque inchoatam eorum cognitionem, qui à Iudæis orti Christianis tum primùm sacris initiati erant? Ita existimarunt nonnulli, qui diem, ac luciferum perfectam, atque absolutam Christianæ disciplinæ scientiam interpretantur, vt dicat Petrus, tantisper Prophetarum B oraculis operam dandam esse, quoad quis absolutam Euangelicæ doctrinæ comprehensionem assequatur.

a Tract. ... in I...

XXIII. Probari hæc sententia posset si in Euangelicæ doctrinæ luce Prophetarum vaticinia nulli vsui essent, ac propterea abiicienda viderentur, quòd particula, *donec*, indicare videtur. Hanc tamen sententiam innuit Oecumenius. *Squallidus enim, ait, & siccitate affectus locus caliginosus, & obscurus esse consueuit, propterea quòd dum calore solis succensus humore, qui aeri formam dat, priuatur, aërem ipsum radiorum solarium ministrum ineptum ad ei ministrandum necessariò efficit, vtpote qui in discrimen veniat, ne propriam suam qualitatem amittat; vnde fit, vt quasi per peregrinum vehiculum radius delatus obscuram quamdam lucem* C *emittat: attendendo igitur, inquit ille, qua ita obscurè à Prophetis dicta sunt, spe non frustrabimini, nam cùm res suo quaque tempore aduenient, quas dies nomine significauit, aptè admodum in translatione persistens. Dixit enim lucernam, & locum squallidum, id est, caliginosum, & tenebrosum, qua quidem nox est. Noctem autem omnem dies subsequitur, cùm dies igitur, inquit, aduenerit, id est, rerum ipsarum prasentia, habebitis orientem luciferum in cordibus vestris, hoc est, Christi cognitionem, & aduentum eius à Prophetis prænunciatum, qui tamquam lux vera corda vestra illustrabit.*

XXIV. Sed cùm hæc Epistola ad fideles scripta sit, iam illis fidei lux affulserat, adeoque cognouerant, quæ de Christi aduentu à Prophetis prænunciata erant, D iam re ipsa ad exitum fuisse perducta, atque idcirco, vt Paulus [b] ait. Nox præcesserat, dies autem appropinquauerat. An hanc mortalem, caducamque vitam caliginosus locus significat, in qua nimis ignorationis, ac cæcitatis tenebris inuoluimur, & vt ait Paulus [c], *Videmus per speculum in anigmate*, fideique obscuritate implicit detinemur? Sanè si ita est, rectè Petrus oracula Prophetarum, & sacras literas cum lucerna com[...] Hæc enim lucerna in cœlesti beatorum Pat[ria n]ulli erit vsui, ea enim ciuitas, vt ait Ioannes [d], *Non eget sole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.* Et rursus [e]. *Et nox vltrà non erit, & non egebunt lumine lucerna, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.*

b ad Rom. 13. 12.

c ad Cor. 1. 13. 12.

d Apoc. 21. 23.

e cap. 22. 5.

XXV. E Quocirca ad hunc locum alludens Augustinus [f]. *Quamdiu ergo, ait, ad lucernam ambulamus, necesse est vt cum timore viuamus, cùm autem venerit dies noster, id est, manifestatio Christi, de qua Apostolus, cùm Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et alibi [g]. *Ergo in his velut nocturnis doloribus, & laboribus prophetia nobis accensa est, sicut lucerna in caliginoso, & obscuro loco, donec lucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Certè cum Petrus addit.

f in Psal. 51.

g in Psal. 89.

dit. *Donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*, immortalem, ac beatam vitam describit. Hebræorum autem more bis idem alia ratione iterat, elucet enim dies, cùm lucifer exoritur, atque ita dixit Martialis,

——— *Phosphore redde diem.*

Est quippe Veneris stella, de qua Marcus Tullius [a], cum antegreditur solem, lucifer, cùm subsequitur, Hesperos, Græcè, ἑωσφόρος, nuncupatur. Et quidem suspicari quispiam posset, indicare voluisse Petrum his verbis diuinum illud lumen gloriæ, quo beatorum mentes perfusæ ad beatam Dei contemplationem euehuntur, de quo plura Theologi in scholis.

20. *Hoc primum intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.*]

Quoniam dixerat vaticinia Prophetarum peruoluenda, & legenda esse, docet nunc, cùm ea difficilia, & obscura sint, quanam ratione explicanda videantur. Oecumenius autem aliquid amplius significare videtur. *Vt ostendat*, inquit, *ea qua dixerunt, non sint interpretati, distinguátque prophetiam veram à ficta, & demoniaca, quæ inter hæreticos exercere deprehenditur, Omnem prophetiam Scripturæ, inquit, priuatæ solutionis minime esse, hoc est, Prophetas à Deo quidem accipere Prophetiam, non tamen vt ipsi volunt, sed vt qui eos mouet, diuinus Spiritus, operatur, ac nouisse quidem ipsos, atque intellexisse Propheticum sermonem, qui ipsis demittebatur, non tamen solutionem etiam eius fecisse.*

II. Certè negari non potest Prophetas ita fuisse diuina quadam luce illustratos, vt tamen non suo arbitratu vaticinari possent, quod Elisei exemplo luce clarius constat, cùm enim ad eius pedes Sunamitis mulier gemebunda iaceret, luctus causam se ignorare, ingenuè fassus est Eliseus [b]. *Anima*, inquit, *eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non ostendit mihi.* Et cùm idem à tribus Regibus rogaretur [c], vt quid de futuro belli euentu sperandum esset, prænunciaret, psaltem addoci iussit, & eo suauiter canente, vt ait Scriptura, *Facta est super eum manus Domini, & prophetauit.* Nathan [d] verò Propheta cùm sponte sua Dauidis consilium de extruendo templo commendasset, iussus est à Domino sententiam reuocare. Quemadmodum igitur Prophetæ non sponte sua oracula fundebant, sed cœlesti perfusi lumine quo Deus illos suo duntaxat nutu illustrabat; eadem ratione non nisi diuina ope implorata intelligenda, atque explananda sunt.

III. Itaque sapienter Dionysius [e] Alexandrinus cùm de vaticiniis ageret, quæ sunt in Apocalypsi. *Illas*, inquit, *res non propria ratione metior, ac pondero, sed fidei potius tribuo, & altiores, diuiniorésque profectò arbitror, quàm quas ipse vllo pacto cogitatione comprehendere valeam, atque non eas improbo, quas non intelligo, sed ideo potius admiror, quòd mentis acie lustrare non queo.* Neque aliter intelligo quod scribit Athanasius [f]. *Ad Scripturarum indaginem, verúmque intellectum opus est vita proba, animo puro, & virtute, quæ secundum Christum est, vt mens per eius tramitem decurrens ea, quæ expetit, adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam diuina intelligere, nam sine pura mente, & sanctorum imitatione nemo comprehendit Sanctorum verba.*

IV. Eodem verò spectans Basilius [g]. *Requiritur autem*, ait, *præter vitæ puritatem assidua in scripturis exercitatio, vt maiestas atque arcanum diuinorum verborum perpetua meditatione animo imprimatur.* Exigit etiam Chrysostomus [h] studium, ac diligentiam, cùm enim explicaret verba Christi apud Ioannem [i], *Scrutamini Scripturas. Diuina enim*, inquit, *summa indigent diligentia, in vmbra namque maioribus illis non ab re locutus est, idcirco effodere profundius iubet, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus, non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur, qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam, & laborem nunquam quæsita inueniet.*

Quin etiam eodem spectare existimo, quæ scribit Procopius [a] Gazeus. *Si quis*, inquit, *locus se offert obscurior, quàm vt hunc ingenij tui vires assequi valeant, aut Patres tibi consulendi sunt, aut scientiarum Deus precibus fatigandus est.* Penè eadem indicat Damascenos [b]. Porrò inter Latinos Hilarius [c]. *Arduum*, ait, *ac difficillimum est hominem per se ipsum, per sæculique Doctores rationem præceptorum cœlestium consequi, nec natura nostra recipit infirmitas diuinis institutis nisi per eius gratiam, qua hæc ipse dederit, erudiri.* Eodemque modo loquuntur Ambrosius [d], & Prosper [e]. Denique Bernardus [f]. *Quo spiritu*, inquit, *Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt.*

VI. Itaque verè ait Petrus prophetiam non fuisse à Prophetis explicatam, nec posse humano ingenio absque diuini numinis ope percipi, aut declarari. Quamobrem ad rectam Ecclesiæ administrationem, necesse fuit certum aliquem Iudicem constitui, ad quem in fidei controuersiis, ac diuinarum Scripturarum interpretatione tutus esset accessus, cuius definitioni, atque sententiæ nefas esset refragari. Atque ita quamuis hæretici alia omnia sentiant, hoc iudicium ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio miro Catholicorum consensu penes Ecclesiam esse, ac præcipuè Romanum Pontificem, receptum est. Sic olim Moses [g] cum leuiora inferioribus iudicibus permisisset, grauiora sibi reseruauit. Et ob eam causam Aggæus [h] iubetur à Deo de re quapiam ad Religionem spectante interrogare Sacerdotes, quod alicubi obseruauit Gregorius [i] Nazianzenus. Et Malachias [k]. *Labia*, inquit, *Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Quem locum expendit alicubi Bernardus [l].

VII. In libris [m] autem Paralipomenon Iosaphat in hanc sententiam Iudices alloquitur. *Videte, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.* Et aliquantò pòst Sacerdotes, ac Leuitas his verbis monet. *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum.* Quò spectasse videtur Salomon [n], cùm dixit. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore vno.* Hoc etiam firmari potest ex verbis Christi, quibus Petrum alloquens ait [o]. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum.* Huc enim referenda est clauis scientiæ, de qua multa Theologi in scholis. Itemque alibi [p] iubet tamquam ethnicum haberi, & publicanum, *qui Ecclesiam non audierit.*

VIII. Eodem etiam pertinent [q] illa. *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum verò opera eorum nolite facere.* Quo loco obseruauit Cyprianus [r], numquam Christum Dominum nomine Pontificum, aut Sacerdotum, sed nomine tantùm Pharisæorum, & Scribarum Iudæos reprehendisse, quasi Sacerdotum, & Pontificum auctoritatem sartam tectam esse vellet. Eadem verò verba Augustinus [f] ad

a [Tusc./De nat. deor.] b 4. Reg. 4. c 4. Reg. 3. d 2. Reg. 7. e Apud Euseb. lib. 7. hist. f In Synopsi. g In Isa. h Hom. 40. in Ioan. i cap. 5.

a Præf. in Genes. b lib. 4. c. 18. c in Ps. 118. d Serm. 8. & 10. in Ps. 118 e in sent. n. 67. f ep. ad fratres de Mon. Dei. g Exod. 18. & Deut. 17. h cap. 2. i Apolog. 1. k cap. 2. 7. l lib. 2. ad Eugen. m lib. 2. c. 19. n Ecclesiast. 12. 11. o Matth. 16. 18. p Matth. 18. 17. q Matt. 23. 2. r lib. 4. ep. 9. f epist. 161.

ad Episcopos transfert. *In illum*, inquit, *ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc in eadem cathedra sedet, etiamsi quidam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil praeiudicaret Ecclesiae, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens ait. De praepositis malis, quae dicunt facite, quae faciunt, facere nolite.* Postremò Ioannis vltimo dixit Dominus Petro. *Pasce oues.* Vt autem auctor est Ieremias [a] pascendae sunt doctrina, & scientia. *Dabo*, inquit ille, *vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.*

a cap. 3. 15.

IX. Quocirca Hieronymus [b] in re grauissima, ac difficillima, & in vtramque partem agitata sedem Apostolicam sibi consulendam dixit. *A Pastore*, ait, *praesidium ouis flagito.* Et quidem meritò: apud Lucam [c] enim Christus Petrum his verbis alloquitur. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quae causa fuit, vt Paulus, qui diuinitùs Euangelica doctrina imbutus erat, Apostolos tamen consuleret, vt ad Galatas [d] scribit. *Ascendi*, inquit, *secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod praedico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Vt enim aiunt Tertullianus [e], Hieronymus [f], & Augustinus [g], Ecclesia Paulo non credidisset, nisi eius Euangelium Petri auctoritate firmatum esset.

b epist. ad Damas. de nomine hypostasis.
c cap. 22. 32.
d cap. 2. 2.
e lib. 4. in Marcion.
f ad Augost. quae est epist. 11. inter epist. Aug.
g epist. 19.

X. In Actis [h] autem Apostolicis, grauissima de legis ceremoniis controuersia non nisi Apostolorum auctoritate componitur. Atque ob eam causam Concilij [i] Tridentini Patres grauissimis verbis hanc Catholicam veritatem definierunt. *Ad coërcenda*, inquiunt, *petulantia ingenia decernit* (Sancta Synodus) *vt nemo sua prudentia innixus in rebus fidei, & morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiam si huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendae forent.*

h cap. 15.
i Sess. 4. in decr. de edit. & vsu script.

XI. Non igitur liberum cuique est sacras literas interpretari, qua in re non modò haeretici, sed plerique etiam Catholici suo ingenio plus aequo indulgent, qui non solùm à communi sanctorum Patrum interpretatione recedunt, sed peregrinas, atque extortas explanationes sequuntur, & Hebraeorum lacunas purissimis sanctorum Patrum fontibus non sine magno Ecclesiae detrimento praeponunt, atque ita multa nobis vaticinia eripiunt, quibus Christiana dogmata mirum in modum stabiliuntur; nonnulla aliò trahunt, atque corrumpunt, omnia denique susque deque inuertunt, & pro vero, ac legitimo Scripturae sensu mera nobis Rabinorum somnia, atque portenta obtrudunt. Videtur autem hoc loco Petrus Simonianos, & Gnosticos tacitè perstringere, qui suo arbitratu Scripturas alias reiiciunt, alias probant, & pro suo libito interpretantur, quorum amentiam, ac temeritatem nostri saeculi haeretici imitantur.

21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*]

I. Probatio est superioris sententiae, vt enim paulò antè Bernardi verbis docui, eodem Spiritu explananda est Scriptura, quo condita est, condita est autem diuino Numinis impulsu, vt hoc loco asserit Petrus qui procul dubio de vera Prophetia loquitur, deque veris Prophetis, quorum vt ait Philo [a], *Maior est dignitas, quàm vt se misceant humanae Reipublicae, & mundi ciues sint, sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus migrarunt in mundum intelligibilem ibi sortiti domicilium adscripti Reipublicae idearum incorporearum, & incorruptibilium.* Alibi [b] verò, *Futurorum*, inquit, *cognitio non est hominis propria*, quod deinde longa oratione confirmat. Denique [c], *Propheta*, inquit, *interpres est Dei dictantis intus oracula.* Nam Deus ipse immortalis futurorum praenotionem Dei propriam esse saepe indicauit, apud Isaiam [d] enim idola Gentium his verbis perstringuntur. *Annunciate quae ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Et alibi [e]. *Ventura, & quae futura sunt annuncient eis.* Denique [f] alibi Deus sibi hanc futurorum praescientiam reseruat. *Ventura*, inquit, *interrogate me.*

a lib. de gigant.
b lib. quis rerum diuin. sit haeres.
c lib. de Praem. & poen.
d cap. 41. 23.
e cap. [illegible]
f Isaias [illegible]

II. Non me fugit vaticinandi studium etiam apud Gentiles in physicum, & artificiosum tribui. Et physicam quidem vaticinandi rationem eam vocarunt, quae à natura, siue rerum naturalium inspectione descendit; artificiosam verò illam, quae non ex naturae praesagiis, sed ex altioris alicuius substantiae traditione constat, quam rursum pro substantiae diuersitate aliam diuinam, daemoniacam aliam faciunt. Physicum porrò vaticinandi genus pro naturalium corporum numero in varias, ac multiplices formas distribuunt, eam enim artem (si tamen ars vlla est) quae ex coeli & syderum contemplatione futura praedicit, Astrologiam vocarunt, eas verò diuinationis formas, quae in singulis simplicibus corporibus versantur, propriis nominibus appellarunt, ab igne quidem Pyromantiam, ab aëre Aëromantiam, ab aqua Hydromantiam, à terra denique Geomantiam Graecis vocibus dixerunt.

III. Neque his contenti in ipsis etiam mixtis, animatisque corporibus nonnullam diuinandi vim positam esse censebant, atque ita ex homine, atque auibus potissimùm futurorum notionem aucupabantur, vnde varia vaticinandi genera orta sunt, nam ab vniuersi humani corporis inspectione Physiognomia dicta est, ab vnius frontis intuitu Metoscopia, à volae manus Chiromantia, à somnii iudicio Onirocritica orta est; Quae verò in auium aspectu putatur esse, Auspicium, aut Augurium dicitur, quod diuinandi genus apud veteres celeberrimum fuit, cui finitimum erat Extispicium, cùm ex intestinorum vario aspectu futura coniectabant. Praeter has autem vaticinandi rationes Pythagorici, qui numeris in rerum natura nihil diuinius esse putabant, iis literis, quibus numeri significantur, quamdam diuinandi vim inesse opinabantur, quod in iis tantùm linguis locum habebat, in quibus numeri alphabeti literis indicabantur; ex iis igitur literis certos quosdam numeros indagabant, ex quibus multa se posse futura praedicere existimabant. Non defuerunt, qui ex aleae iactu vaticinia venentur, quam artem aleatoriam vocant; sunt etiam aliae innumerabiles vaticinandi rationes, de quibus singillatim dicere otiosum, atque operosum esset.

IV. Caeterùm quae futura sunt partim necessaria, partim contingentia, partim etiam libera, ac spontanea sunt. Necessariorum autem alia sunt, quae coelesti quadam necessitate constant, vt quae à syderibus & coelestibus globis pendent: alia non nisi elementarem necessitatem habent. In priori genere numerari possunt,

Cras

... Solem ortiturum, post aliquot dies futuram ... plim, & id... alia. In posteriori verò, hyeme futuram pl... autumno, aut etiam æstate varia morborum genera grassatura, quæ potius inter contingentia numeranda sunt, licet positis eorum causis nonnullam habeant necessitatem. Libera porrò, ac spontanea quædam sunt simpliciter, atque absolutè libera, vt Socratem cras scripturum, aut non scripturum, quædam verò mixta, quæ aliquam necessitatem, aut necessitatis speciem annexam habent, vt cùm quis metu tempestatis iacturam facit, liberorum autem prioris generis quædam generatim, atque vniuersim pronunciantur, vt bella futura, celebrandas nuptias, atque alia eiusmodi; quædam verò priuatim prædicuntur, vt Petrum à Sempronio occidendum, Valeriam nupturam Titio.

Denique vt nihil intactum relinquamus, quædam sunt, quæ à propria voluntate, quædam quæ ab aliena pendent. Prioris generis sunt cras Socratem ambulaturum: posterioris Titium fore Consulem, Episcopum, vel Cardinalem. Adde his quæ à diuina voluntate pendent, vel suæ iam legi adstricta, vel omni lege soluta. Cæterùm prætermissis omnibus diuinationis generibus, siue naturalibus, siue arte constantibus, illud verissimè affirmatur à Petro, Prophetiam humanum non esse inuentum, neque ab humana voluntate pendere; diuinitus enim tradita est, vt in scholis Theologi copiosè docent. Non abnuerim tamen etiam inter Gentiles præter superstitiosas diuinandi rationes, fuisse aliquando veros Prophetas, qui Deo auctore futura præsenserint, ac prænunciarint, quod de Iobo negari non potest, cuius historia, & vaticinia inter sacros libros numerantur: quod confirmat his verbis Augustinus [a]. *Fuerunt*, inquit, *& inter Gentiles Prophetæ, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur, quod non facilè crederem, nisi quòd Poëtarum quidam in lingua Romana nobilissimus ante quàm diceret ea de innouatione sæculi, quæ in Domini nostri regnum satis concinere, & consonare videntur, præposuit versum, dicens,*

Vltima Cumæi iam venit carminis ætas.

Cumæum autem carmen Sibyllinum esse nemo dubitauerit.

VI. Quin etiam Clemens [b] Alexandrinus auctor est apud Græcos fuisse propriæ suæ linguæ spectatissimos Prophetas, quod Petri, Paulique testimonio probat. *Quemadmodum*, ait, *Deus Iudæos saluos esse voluit dans eis Prophetas, ita etiam Græcorum spectatissimos propria sua lingua Prophetas excitatos prout capere poterant Dei beneficentiam à vulgo secreuit præter Petri prædicationem declarabit Paulus Apostolus dicens. Libros quoque Græcos sumite, & agnoscite Sibyllam quomodo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura & Hystaspem sumite, & legite, & inuenietis Dei Filium multò clarius, & apertius esse scriptum.*

VII. Porrò hoc Pauli testimonium ex libro quopiam apocrypho desumptum videtur, cùm in ipsius epistolis nusquam legatur. In eamdem verò sententiam Iustinus [c] Martyr. *Perfacile*, inquit, *nobis erit rectam religionem ex parte aliqua, & ea, quæ proximè ad Prophetarum accedunt doctrinam, à veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico per sortes, ac responsa nos docente percipere.* Alibi [d] verò. *Opera*, ait, *& instinctu malorum Dæmonum mortis supplicium aduersus librorum Hydaspis, (seu Hystaspis) aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores constitutum esse. quasi eadem sit Sibyllarum, ac Prophetarum ratio.* Nam de Hydaspe, (malim vt alij legunt Hystaspe) scribit Lactantius [e]. *Hydaspes quoque, qui fuit Medorum Rex antiquissimus, à quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaspes dicitur, admirabile somnium sub interpretatione vaticinantis pueri ad*

A *memoriam posteris tradidit, sublatum iri ex orbe imperium, nomenque Romanum multo ante præfatus, quàm illa Troiana gens conderetur.*

VIII. Neque verò dubitari potest, si quæ de rebus futuris præsertim ad Religionem spectantibus, siue à Sibyllis siue ab aliis prædicta sunt, Deo potissimum Auctore fuisse prænunciata, quod non obscurè significauit Augustinus [a]. *Hæc autem*, ait, *Sibylla, siue Erythræa, siue vt quidam magis credunt Cumana, ita nihil habet in toto carmine suo, cuius exigua ista particula est, quod ad Deorum falsorum, siue factorum cultum pertineat; quin imo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, vt in eorum numero deputanda videatur, qui pertineant ad Ciuitatem Dei.* Ita non immeritò Diodorus [b] Sibyllas vocat, *mulieres Deo plenas.* Et B Plato [c] quosdam homines diuinos vocat. Et alibi [d]. *Rectè*, inquit, *eos, quos fatidicos nunc dicimus, diuinos vocauerimus, neque enim hos frustra diuinos appellamus, & diuina re inspiratos, & Deo possessos.*

IX. Non me tamen latet Auctorem eorum Commentariorum in Paulum, qui Ambrosij nomen præferunt, aliósque non nullos multò aliter opinari. Ille [e] siquidem à nefario, improbóque spiritu arreptos fuisse autumat. Aristoteles [f] autem. *Atrabilis æstu circa meatus sedi succenso exagitatos dixit:* quod ego quidem de quibusdam aliis vaticiniis, quæ Sibyllarum nomine celebrarentur potissimùm acciperim. Siquidem ille. *Multi etiam*, ait, *propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico infurescunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes, qui diuino spiraculo instigari creduntur, cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit.* Ammianus [g] certè Marcellinus. *Sol enim*, inquit, *vt aiunt Physici, mens mundi nostras mentes ex sese velut scintillas diffundit, cum eas incenderit vehementius futuri conscias reddit, vnde Sibyllæ crebrò se dicunt ardere torrente vi magna flammarum.*

X. De Sibyllis autem, aliisque Vatibus Gentilium non pauca scribit Pausanias [h]. Sed quæ de Christo, déque admirabili eius ad nos aduentu in Sibyllinis libris leguntur, nonnisi Auctore Deo cognosci, prædicique potuerunt. Apud Eusebium [i] autem extat Sibyllæ præclarum de Christo vaticinium, in quo inest ἀκροστιχίς, quia videlicet primæ versuum literæ hanc efficiunt sententiam. *Iesus Christus Dei Filius, Seruator, Crux.* Et apud Paulum [k] Diaconum. Persimile oraculum Sibyllæ legitur in hæc verba. *O ter beatum lignum, in quo Deus extensus est.* Hæc enim neque astu Dæmonis, neque vllo humano artificio, neque denique atrabilis æstu percipi potuerunt.

XI. De nostris porrò Prophetis certum, atque exploratum est eos diuino Spiritu actos futura prædixisse, atque idcircò verissimè dictum est à Petro. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia.* Nam [l] Philo Iudæus extasim quam Prophetæ patiuntur pennide explicat, quasi humana mens diuino numini cedat, sic autem scribit. *Quod enim in nobis est ratio, hoc in mundo Sol, quia luceat ambo, alter mundo præbens lucem sensibilem, altera nos illustrans radiis intelligibilibus. Siquidem donec mens nostra lucet velut meridianum splendorem diffundens, per totam animam intra nos ipsos manemus. Cæterùm illa vergente ad occasum meritò extasis, ac diuinus furor incidit, exoriente enim diuino lumine humanum occidit, ac rursum occidente illo hoc exoritur. Id quod solet accidere Prophetica genere, Emigrat enim è nobis mens immigrante diuino Spiritu quo recedente illa rursum reuertitur, non est enim fas, vt mortalis cum immortali habitet, ideo rationis occasus, & offusa tenebra extasim, & diuinum furorem inducunt.* Verùm hæc Philonis sententia, si ita accipiatur,

[a] In expos. inchoat. ep. ad Rom.
[b] lib. 6. Strom.
[c] Exhort. ad Græcos.
[d] Apolog. ad Anton.
[e] lib. 7. c. 15.

[a] lib. 18. de Ciuit. c. 23.
[b] lib. 5.
[c] In Phedone.
[d] In Menone.
[e] In prior. ad Cor.
[f] In Proble. sect. 33. Problem. 1.
[g] lib. 21. in initio.
[h] lib. 10. non procul ab initio.
[i] In orat. Constant. c. 18.
[k] lib. 10 c. 15
[l] lib. quis rerum diuin. sit hæres.

piatur, quasi Prophetæ mens à diuino numine pellatur, vel propria functione spolietur, admitti nulla ratione potest, necesse est enim Prophetæ mentem vel rerum imagines, ac notiones percipere, vel de iis certè ab alio perceptis rectè iudicare, quod vtrumque pertinet ad mentem, & rationem.

XII. Quocirca non aliter dicitur mens Prophetæ recedere, diuinóque Spiritui cedere, nisi quod supra suum agendi modum, intelligendíque vim attollitur, vt diuino Spiritui tamquam instrumentum subseruiat, ac famuletur, quod insinuat Gregorius [a] (a lib. 2. Dialog. c. 3.) cùm de Petro agit è vinculis erepto. *Petrus verò*, inquit, *quem Angelus soluit, eiúsque mentem in extasim rapuit, non extra se quidem, sed supra semetipsum fuit. Mens quippe Prophetæ ducitur, & quodam modo vi cælestis numinis agitur.* Quam ob causam Prophetæ dicere solent, *Factum est verbum Domini*, vel *manus*, vel *Spiritus Domini supra me*, quia diuino illustrati lumine eò mente, atque intelligentia feruntur, quò alioqui suis connixi viribus penetrare nequaquam possent.

XIII. *Spiritu sancto itaque inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Multiplex autem potest esse diuina inspiratio, vnde plures Prophetiæ gradus, ac veluti formæ existunt, de quibus multa Theologi [b] (b D. Thom. 2. 2. q. 174.). Sic apud Lucam [c] (c cap. 1.) loquitur Zacharias. *Qui loquutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.* Et Paulus [d] (d 2. ad Tim. 3. 16.) omnem ait scripturam diuinitus fuisse inspiratam, quò videtur spectasse Dauid, cùm [e] (e ps. 44. 2.) dixit. *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.* Et Christus apud Matthæum [f] (f cap. 22. 44.) testatur Dauidem in spiritu loquutum esse, cùm ea verba protulit [g] (g ps. 109. 1.). *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Denique Isaias sæpe ait. *Os Domini loquutum est.*

XIV. Neque verò iusti, & Sancti solummodo Prophetiæ spiritum adepti sunt, sed plerumque etiam improbi, nam in libro Numerorum [h] (h cap. 24. 17) Balaam, qui magus, & ariolus erat, improbisque moribus præditus, egregium de Christo oraculum edidit. Et Caiphas [i] (i Ioan. 11. 51) prophetasse dicitur. Et quod magis mirandum est Christus apud Matthæum [k] (k cap. 7. 22.) ait quosdam in Iudicio dicturos. *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* quibus tamen responsurus sit Iudex. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Quem locum obseruans Cyprianus [l] (l li. de vnit. Eccles. c. 8.). *Prophetare*, inquit, *& Dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique, & admirabilis res est, non tamen regnum cæleste consequitur, quisquis in his omnibus inuenitur, nisi recti, & iusti itineris obseruatione gradiatur.*

XV. Fateor imperfecti operis Auctorē [m] (m In eum Matt. locū.) falsa miracula, falsámque Prophetiam interpretari. *Prophetant*, inquit, *in nomine Christi, spiritu autem Diaboli, quales sunt diuinatores; Dæmonia eiciant in nomine Christi, habentes spiritum Inimici, magis autem non eiciunt, sed eicere videntur colludentibus sibi Dæmonibus.* At longè verosimilius est de vera prophetia, verisque miraculis Christum loqui, atque indicare hæc cœlestia, diuináque sua munera cum improbis moribus posse consistere, vt alicubi probat Chrysostomus [n] (n Hom. 25. in Matth.).

XVI. Porrò Oecumenius obseruat hoc loco discrimen inter bonos, ac malos Prophetas, quòd boni Prophetæ diuino lumine illustrati probè intelligerent, quæ loquebantur, mali verò non item. De Viris enim Sanctis, qui cœlesti lumine perfusi futura prædicebant ait. *Nam Prophetas, qui diuino Spiritu afflabantur nouisse ea, quæ à Deo dicenda ipsis iubebantur, vnde perspicuum est, quod sponte exequebantur, & quod volebant, id loquebantur, id subticebant, quod nolebant, id quod in Iona, & Balaam videre licet, quorum* (a Ioan. 1.) *alter denunciare vaticinium Niniuitis nolebat* [a]; *alteri præceptum est, vt ea diceret, quæ ipsi suggererentur. At falsis Prophetis, aut Græcorum oracul[...] me idem contingebat, non enim compotes mentis [...] futura prædicebant, sed furore oppressi, atque ag[...] non secus, atque ebrij quæ agerent ignorabant.*

XVII. Hoc discrimen non agnoscebant olim Priscillianistæ, & à Montano profecti, qui negabant Prophetas eorum fuisse conscios, quæ prædicerent, sed arrepticiorum more ignota verba fundere, qui error iam olim ab Ecclesia reiectus est. Maneat igitur quod hoc loco ait Petrus prophetiam, atque adeò diuinam omnem Scripturam diuinitus fuisse traditam, atque adeò diuina planè auctoritate constare. Quocirca Augustinus [a] (a lib. 11. de Ciuit. c. 9.) de Scriptura diuina hunc in modum loquitur. *Scriptura fidei mirabilem auctoritatem non immeritò habet in orbe terrarum atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras inter cætera, quæ dixit vera, diuinitate prædixit.* Et rursus [b] (b cap. 10.). *Quanto minus credendum est illis literis, quas plenas fabulosis velut antiquitatibus proferre voluerunt, contra auctoritatem antiquissimorum, diuinorúmque librorum, quæ totum Orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus Orbis sicut ab ea prædictum est, credidit, quæ vera se narrasse præterita ex his, quæ futura prænunciauit cùm tanta veritate complentur, ostendit.*

XVIII. Atque ita verè Theodoretus [c] (c Præf. in ps.), & Gregor. [d] (d Præf. in li. Iob.) Pontifex linguas, manúsque sacrorum Scriptorum nihil aliud fuisse aiunt, quàm Spiritus sancti calamos, vt paulò antè Dauidis testimonio docuimus. Quamobrem Iosephus [e] (e lib. 12. antiq. c. 2.), & Eusebius [f] (f lib. 8 Præp. Euang. c. 1.) Demetrij Phaler[ei] testimonio, vel potiùs Aristhei auctoritate confirmant, sacram Scripturam tamquam aliquid Sacrosanctum prophanis Scriptoribus prorsus fuisse intactam, quod si qui profanorum hominum eam attingere auderent, Dei vltricem iram continuò expertos esse.

XIX. Nominat autem Petrus Sanctos Dei homines, quos ait diuino numine actos fuisse loquutos, quia, vt ait Augustinus; *veluti Deus cœlestia, diuináque sua munera certo quodã ordine ad homines peruenire.* Quemadmodum enim exoriente sole montium cacumina illustrantur, indéque etiam ad colles, atque imas valles radij Solis pertingunt, non aliter à viris sanctissimis tamquam à montibus diuinæ illustrationis radij ad nos veluti colles aut etiam valles peruenirent.

XX. Quod egregiè explicat Augustinus [g] (g Tract. in Ioan.) ex verbis Dauidis [h] (h ps. 71. 3.). *Suscipiant montes pacem Populo, & colles iustitiam. Montes*, ait vir sanctus, *excelsæ animæ sunt, & colles paruæ animæ sunt, sed ideo montes excipiunt pacem, vt colles possint excipere iustitiam: quæ est ista iustitia, quam colles excipiunt? fides, quia iustus ex fide viuit. Non autem acciperent minores animæ fidem, nisi maiores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, vt possent paruulis traiicere, quod possent paruuli capere.* Et post pauca. *Oculos nostros cùm leuamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ, leuamus oculos nostros ad montes, vnde veniat auxilium nobis.*

XXI. Quapropter Paulus ad Romanos [i] (i cap. 15. 4.) scribit. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Indicans incredibilem quamdam esse diuinæ Scripturæ vim ad recreandos, atque excitandos animos, vt quæcumque acciderint aduersa æquo excipiantur animo. Vt enim ait B. Gregorius [k] (k Præf. in li. Iob c. 4.). *Diuinus sermo sicut mysterijs prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refouet, habet in publico vnde paruulos nutriat, seruat in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspendat.* Qui alibi [l] (l lib. 2. Mor. cap 1.) Scripturam sacram speculo similem esse ait, in quo interna nostra facies cernatur, vt inde quid ponendum, quidque necessa-

riò optan

tiò optandum, quærendúmque ſit, facilè intelli- A
gamus. Origenes [a] verò Chriſti diuinitatem in Scri-
ptura ſacra latere ait, non aliter atque olim diuina
eius perſona in humana natura occultabatur: quo-
circa diligenter inueſtiganda eſt, vt diuina ope im-

a in Leuit.

plorata, & Spiritus ſancti luce illuſtrati, quæ diui-
nitùs dictata ſunt percipere poſſimus; hoc enim, vt
arbitror, à fidelibus exigit Petrus, cùm paulò antè
prophetici ſermonis certitudinem, ac firmitatem
propoſuiſſet.

Secundi Capitis Argumentum.

Tria potiſſimùm Apoſtolorum Princeps ſuperiori capite docuerat. Primùm quidem cæleſtium diuinarúmque rerum ſcientiam abſque Chriſtianarum virtutum ſtudio, cultúque ad ſalutem ſempiternam nihil prodeſſe. Deinde nihil eſſe ad perceptam fidem conſtanter retinendam vtilius, quàm laudabilium, atque honeſtarum actionum aſſiduam exercitationem, qua noſtra ad Chriſtianam religionem vocatio, electióque mirificè confirmatur. Poſtremò ſacrarum Scripturarum ſtudium magnam afferre vtilitatem, cùm non ſit hominum inuentum, ſed diuini numinis eximium, ac ſingulare munus. Iam verò quoniam ſub finem Capitis Vatum oracula commendauerat, Pſeudoprophetas nunc, eorúmque mores deſcribit, vt eos maximè cauendos eſſe doceat. Videtur autem certum genus hominum potiſſimùm perſtringere, quod eo tempore exortum Catholicæ doctrinæ, atque Apoſtolicæ prædicationi magnopere aduerſaretur, quibus atrociſſima, acerbiſſimáque ſupplicia iam iam imminere grauiſſimis verbis confirmat, errores denique ſedulò vitandos ob oculos ponit.

CAPVT II.

1 *Fvervnt verò & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant ſuperducentes ſibi celerem perditionem.*

2 *Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur.*

3 *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.*

4 *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari.*

5 *Et originali mundo non pepercit, ſed octauum Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit diluuium mundo impiorum inducens.*

6 *Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens euerſione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens.*

7 *Et iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuria,*

PARAPHRASIS.

Qvemadmodvm autem fuerunt olim in populo Iſraelitico pſeudoprophetæ non pauci, perſimili ratione exiſtent inter vos pſeudomagiſtri, qui factiones, & ſectas perditiſſimas introducent, & errorum pleniſſimas ſcholas, & Chriſtum Dominum ſuum liberatorem, ſalutíſque auctorem negabunt, ſed incredibili celeritate ad interitum ruent ſempiternum. ¶ Plurimi verò eorum blanditiis deliniti impuras eorum libidines, & obſcœnas voluptates perſequentur, quæ cauſa erit, vt non pauci Euangelicæ doctrinæ, Chriſtianæque fidei obtrectent, denique veritatem probris, ac maledictis inſectentur. ¶ Hi verò errorum magiſtri, & seductores, compoſitis, fictíſque ſermonibus per auaritiam inſtitorum inſtar ex vobis lucrum, & compendium quærent, quos iam pridem à diuino Iudice ſeueriſſima manet ſententia, eorúmque interitus haud ſegniter, vel ſerò illos opprimet. ¶ Nam ſi diuina iuſtitia Angelos, qui ſeſe ſcelere contaminarunt, inultos eſſe non paſſa eſt, ſed inferorum catenis obſtrictos in tartarum præcipites egit, ibíque ad extremum vſque iudicium tamquam in cuſtodia incluſit. ¶ Et priſcis illis mortalibus non pepercit, ſed impios omnes eluuione extinxit, iuſto Noë, & octauo iuſtitiæ præcone vnà cum familia ab interitu erepto. ¶ Vrbes verò Sodomæ, & Gomorrhæ, & reliquas finitimas cœleſti incendio abſumptas, & in cinerem redactas penitus deleuit, eáſque ſuæ iuſtitiæ documentum eſſe voluit, & exemplum iis, qui earum impietatem, vel perſimilem nequitiam imitarentur. ¶ Iuſtum porrò Loth à nefariis, ac

ſceleſtis

sceleſtis hominibus impura viuendi licentia, obſcœniſque moribus penè oppreſſum à periculo eripuit. ¶ Ille ſiquidem cùm nihil turpe oculis, aut auribus haurire ſuſtineret, quippe iuſtus, atque innocens inter ſceleſtos, ac facinoroſos continenter viuens, iniquorum moribus mirum in modum animo cruciabatur. ¶ Nimirum diuinæ prouidentiæ, ſapientiæque maximè congruit, religioſos, ac pios, caſtóſque Dei cultores ab omni periculo eripere, impios autem, ac facinoroſos ad extremum iudicij diem ſempiternis ſuppliciis cruciandos reſeruare. ¶ Illos verò præcipuè, qui corporeis voluptatibus dediti, impuris, ac nefariis cupiditatibus obſequuntur, & rerum omnium Dominum contemnunt, audaces, præfracti, ſibíque vltra modum placentes, qui denique gloria præcellentes conuitiis inceſſere non verentur. ¶ Cùm tamen ne Angeli quidem tanto iis robore, ac poteſtate ſuperiores audeant gloria præcellentes diris, ac maledictis proſcindere. ¶ At iſti pecudum more, quæ ſuapte natura prædæ, atque exitio obnoxiæ ſunt, cùm iis, quæ minimè percipiunt, maledicendi ſtudium exerceant, peribunt aliquando, atque in interitum ruent ſempiternum. ¶ Iuſtam iniquitatis ſuæ mercedem referentes, qui pro ſingulari voluptate ducunt, ſi vel vnius diei deliciis fruantur, quos verè labes, ac maculas appelles licet, qui in conuiuiis ſuis, & erroribus luxuriantes vobis inſultare non deſiſtunt. ¶ Qui in oculis adulteras ſuas ferunt, cùm à peccato ne ad punctum quidem temporis ceſſare norint, inſtabiles animos ineſcantes, rapinis aſſueti, denique execrabiles. ¶ Qui abiecta recta virtutis, ac veritatis via turpiter aberrarunt, ſecuti auaritiam Balaam filij Boſor, qui iniquitatis mercedem impiè adamauit. ¶ Sed meritò impietatis ſuæ arguitur, & à muto iumento humana voce loquuto pſeudoprophetæ dementia caſtigata eſt. ¶ Hi videlicet ſunt fontes aqua carentes, nebulæ, quæ ventorum, ac procellarum vi circumferuntur, quibus caligo tenebrarum in omnem æternitatem luminibus obſtruet. ¶ Siquidem vbi faſtuoſa, & inania verba crepuerint, miſeros mortales per impuras cupiditates corporeis voluptatibus ineſcant eos etiam, qui aliquando ab eorum ſeſe contagione ſegregauerant, qui in errore verſantur. ¶ Ita illis libertatem pollicentur, cùm ipſi tamen ſint ſerui nefariæ corruptelæ, etenim à quo quis ſuperatus eſt, ei etiam in ſeruitutem addicitur. ¶ Nam ſi poſteaquam percepta Domini, ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti cognitione, inquinamenta, quibus refertus eſt mundus, deſeruerunt, his rurſum quaſi victi implicantur, & inuoluuntur, longè profectò maiori in diſcrimine verſantur, quàm olim. ¶ Satius enim fuiſſet illis non agnouiſſe tectum iuſtitiæ iter, verámque Dei doctrinam, quàm vbi cognouerint, & complexi fuerint, recedere ab illo, quod ipſis impoſitum eſt, ſancto mandato. ¶ Verùm id licet de illis affirmare,

iniuria, ac luxurioſa conuerſatione eripuit.

8 *Aſpectu enim, & auditu iuſtus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant.*

9 *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos.*

10 *Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditia ambulant, dominationémque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes.*

11 *Vbi Angeli fortitudine & virtute cùm ſint maiores non portant aduerſum ſe execrabile iudicium.*

12 *Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant, blaſphemantes in corruptione ſua peribunt.*

13 *Percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias coinquinationis, & maculæ, deliciis affluentes, in conuiuiis ſuis luxuriantes vobiſcum.*

14 *Oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti, pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij.*

15 *Derelinquentes rectam viã errauerunt ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit.*

16 *Correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ, ſubiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit Prophetæ inſipientiam.*

17 *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur.*

18 *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur.*

19 *Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis, à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.*

20 *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.*

21 *Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.*

22 *Contigit enim eis illud veri prouerbij,*

Canis

Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. affirmare, quod veteri prouerbio circumfertur, similes esse illos cani, qui quod vomitu egesserat, rursum fœdè ingerit, & sui, quæ licèt lota in cœni volutabro volutatur.

IN CAPVT SECVNDVM EXPLANATIO.

1. *Fuerunt verò, & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt, Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant superducentes sibi celerem perditionem.*]

I. QVONIAM sub finem præcedentis capitis Prophetarum vaticinia commemorauerat, Pseudoprophetas nunc fuisse olim, atque in posterum futuros esse ait, vt ab eorum falsis dogmatibus fideles sibi diligenter caueant. Asserit igitur fuisse olim in populo Dei Pseudoprophetas, nam Iammem, & Mambrem Mosi restitisse auctor est Paulus [a]. Et Elias [b] quidem quinquaginta supra quadringentos Prophetas Baal vno die trucidandos curauit. Sedechias [c] item vnà cum aliis quadringentis Achabum falsa victoriæ spe delinitum ad interitum impulit reclamante Michæa vero Dei Propheta. Et ne in re notissima otio abutar, sæpe Ieremias, aliique Vates Pseudoprophetis obsequendum negant. Itaque verissimè dixit Petrus fuisse olim in populo falsos Prophetas, nam & Gamaliel in Actis [d] Apostolicis Iudam, & Theodam commemorat, qui amplam familiam duxerant.

a 2. ad Tim. 3. 8.
b 3. Reg. 18. 40.
c 3. Reg. 22. 6.
d cap. 5. 36. 37.

II. Quin etiam Pseudoprophetæ ipsos etiam veros Dei nuntios Deo permittente in fraudem inducere potuerunt, nam cùm diuinus quidam Vates [e] Dei iussu Ieroboami impietatem publicè castigasset, dum in patriam reuertitur, Pseudoprophetæ oratione deceptus contra Dei præceptum cibo sese recreauit, & in itinere Leonis dente peremptus violati Numinis pœnas dedit. Fuisse autem illum à Pseudopropheta sedoctum præter Iosephum [f], asserit etiam Gregorius; tametsi in libris Regum simpliciter Propheta nuncupatur, vt quod ait Hieronymus, cùm præcisè in Scriptura Propheta nominatur diuinum Vatem accipiendum esse, tum demum admittendum videatur, cùm ex adiunctis contrarium non apparet. Neque verò mirandum est fuisse semper veritatis oppugnatores, vt enim luculenter docet Philo [g]. Nescio quo pacto certo experimento didicimus id, quod deterius est, potiori insidiari, quod etiam non obscurè significauit Christus [h] in parabola Zizaniorum; *Cum enim*, ait, *dormirent homines venit inimicus, & superseminauit Zizania in medio tritici.*

e 3. Reg. 13.
f lib. 8. Antiq. c. 9.
g lib. quòd deterius potiori insidiatur.
h Matt. 13. 25

III. Ex quo autem dæmon è cœlesti domicilio ob nimiam arrogantiam, & fastum deturbatus est, cùm Deo immortali suæ improbitatis, ac sceleris vsodici obesse nullo pacto queat, omnem adhibet conatum, vt eius honorem, & gloriam inter mortales obruat, eius fidem, ac Religionem inquinet, diuinósque sibi honores quacumque ratione pos-

A sit impudenter, atque impiè arroget. Quocirca non solùm apud Gentiles non ab imperitis modò, sed ab aliis etiam sapientibus pro Deo habitus est, verùm etiam in Hebræorum gente, quæ verum Deum rerum omnium Conditorem & agnosceret, & ritè coleret, sua nefaria sacra, & scelestos, ac sacrilegos Vates, ac Sacerdotes astu planè tartareo sibi quàm studiosissimè curauit, vt si fieri posset, veram pietatem, ac Religiosum Dei cultum penitus aboleret.

IV. Hoc igitur exemplo proposito, de quo in sacris litteris diligenter versati, atque eruditi dubitare nequaquam poterant, subdit Petrus. *Sicut & in vobis erunt magistri mendaces.* Græcè ψευδοδιδάσκαλοι. Quemadmodum inquit olim in populo Israëlitico
B Pseudoprophetæ non pauci extiterunt, persimili ratione inter vos exorientur Pseudomagistri, quod ipsum etiam Paulus in Actis [a] Apostolicis denunciauit. *Ego scio*, inquit, *quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces* (vel vt alij legunt) *graues, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Persimiléque vaticinium aliàs iterat; alicubi [b] enim ait: *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.* Quem locum obseruarunt Ignatius [c], Irenæus [d], Epiphanius [e], Theodoretus [f], Chrysostomus [g], Ambrosius [h], Bernardus [i].
C Simile quiddam indicat in posteriori epistola ad Thessalonicenses [k]. Nec dissimilia scribunt Ioannes [l], & Iudas. Ille siquidem ait, *Nunc Antichristi multi facti sunt.* Et quod magis ad rem facit, Christus ipse non semel monet Pseudoprophetas vitandos, alicubi [n] enim ait. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Alibi [o]. *Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et apud Marcum [p]. *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum, & multos seducent.*

a cap. 20. 29
b 1. ad Tim. 4. 1.
c ep. 9 & 13.
d lib. 1. c. 22.
e Hæres. 18.
f lib. 1. de hæret. fabul.
g Hom. 12. in illum loc.
h Ibidem.
i Serm. 56. Cant.
k cap. 2.
l ep. 1 c. 2. 18
m In sua ep.
n Matt. 7. 15
o Matth. 24. 24.
p cap. 13. 5.

V. Mirandum magis, quòd id necessariò fieri in-
D dicat alicubi [q] Paulus. Nam, *oportet*, ait, *& hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Spectata enim humana inconstantia, itémque nouitatis studio, atque ad malum propensione, id videtur necessariò consequi, vt Chrysostomus, atque Ambrosius monent. Inde tamé non exigua vtilitas, aut fructus consequitur, iustorum enim constantia, fideique integritas clarior, illustriórque apparet. Ambigi autem potest certum ne aliquod hominum

q 1. ad Cor. 11. 19.

genus indicare videatur Petrus, an vniuersim tantùm hæreticos, & Pseudomagistros notet. Oecumenius Nicolaitas significari existimat. *Hinc autem,* ait, *contra Nicolaitarum hæresim inuehi incipit, duplicem ipsorum malignitatem taxans, sunt enim & in dogmate, quod ex maledictis contra Dominum Christum composuerunt maximè impij, & in vita impurissimi.* Crediderim ego Simonis etiam Scholam his verbis perstringi, & fortasse etiam Cherinti sectatores, hi enim omnes illo ipso Apostolico æuo impuras, ac nefarias hæreses promulgabant.

VI. Rectè autem Petrus eos vocat Magistros mendaces, tametsi enim hæretici interdum nonnulla vera pronunciant, præcipua tamen eorum dogmata & falsa sunt, & impia. Ambitiosè tamen, ac petulanter Magistri sibi nomen arrogant, quod, vt paulò antè indicaui Ephesus significauit Paulus, cùm hæreticos dixit *loqui peruersa vt abducant discipulos post se.* Quod fuisse olim institutum Pharisæorum significat Christus; cùm apud Matthæum [a] dixit. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo quàm vos.* Quorum impietatem imitantur hæretici, qui incredibili studio, ac diligentia suæ impietatis venenum apud imperitam multitudinem effundunt, & auditorum, sectatorúmque suorum multitudine gloriantur, & quod olim faciebant Donatistæ, suam esse Catholicam, & veram Ecclesiam mendacissimè gloriantur, de quibus meritò subiicit Petrus. *Qui introducent sectas perditionis*, Græcè αἱρέσεις ἀπωλείας, vt appareat sensum verè expressisse Interpretem, sed aliam sequutum esse metaphoram.

a cap. 23. 15.

VII. Siquidem hæresis Græcè ab eligendo dicta est, secta verò à secando, eò quòd facto sit ab aliis quodam modo resecta, & separata. Certè Paulus [b] sectam non malam in partem vsurpat: nam coram Præside Iudææ, *Confiteor autem,* ait, *hoc tibi, quod secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio patrio Deo meo.* Vbi tamen Græcè dixit καθ' ὁδόν, hoc est secundùm viam. Et coram Agrippa [c]. *Secundum certissimam sectam nostræ Religionis vixi Pharisæus,* Græcè autem dixit καθ' αἵρεσιν, vt appareat ne nomen quidem hæresis semper malè audire, nam & Nazaræorum factio, quæ apud Iudæos putabatur sanctissima hæresis nuncupatur [d]. *Auctorem,* inquit, *seditionis sectæ Nazaræorum*, Græcè αἱρέσεως. Verùm apud Latinos sectæ nomen veræ etiam Religioni tribuitur. Ita enim loquuntur Tertullianus [e], & Cyprianus [f]. Vt plurimùm autem malam in partem accipitur, hæresis autem nomen malè perpetuò audit. Iudas [g] enim hæreticos ita describit. *Hi sunt,* inquit, *qui segregant semetipsos.* Quasi dicat qui se à vera Religione seiungunt; & sectionem quodam modo faciunt. De quibus loquitur Paulus, cùm ad Timotheum [h] scribit. *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, & ad fabulas conuertentur.* In hoc enim genere collocari possunt Carpocrates, Valentinus, & Marcion, qui inaudita, & incredibilia quædam figmenta, & somniantium deliramenta confinxerunt. Meritò autem Petrus hæreticorum sectas, perditionis sectas nominat, Græcè ἀπωλείας, quia non solùm perniciosæ sunt, & noxiæ, sed etiam interitum afferunt sempiternum.

b Act. 24. 14.
c Act. 26. 5.
d Act. 24. 5.
e lib. de Pallio. li. de fug. sæcul. lib. de coron. milit. li. de testim. anim. & lib. ad Scapul.
f ep. 23. 14. & Præf. 1. lib. ad Quirin.
g vers. 19.
h 2. ad Tim. 4. 3.

VIII. Addit, *Et eum, qui emit eos Dominum negant.* An verè Christum Dominum, ac Deum esse negabant. fuerunt quidem post Apostolorum tempora, qui Christi diuinitatem abnegarent, vt Arrius, qui Christum inter res creatas numerabat. Sed vt arbitror non id in præsentia agit Petrus, sed eos potiùs indicat, qui cùm minùs rectè de Christo sentirent, eíque ea tribuerent, quæ in Deum nequaquam cadunt, obliquè Christi diuinitatem inficiari videbantur. An eum Dominum esse, & humani generis liberatorem inficiabantur? Id etiam non pauci hæretici commenti sunt, ij præsertim, qui Cyrenæum pro Christo Domino crucem subiisse mentiebantur; sed id multò recentius fuit, quàm vt Apostolica tempora attingeret, potuit tamen diuini Spiritus afflatu hæc omnia Petrus mente peruoluere; sed quod in præsentia scribit, vniuersim hæreticos attingit, qui quocumque tandem errore corripiantur, à Christi vera doctrina recedunt, eiúsque fidem abiurant, qui pro eorum salute sanguinem, ac vitam profudit. Hoc enim est, quod ait, *eum qui emit eos,* Græcè ἀγοράσαντα, qui persoluto pretio mercatus est, & à Dæmonis seruitute redemit.

IX. Porrò ad hoc Petri vaticinium respexit Hippolytus [a] Martyr, cùm dixit. *Princeps Petrus fides Petra, quem beatum indicauit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorum, ille qui regni claues habet, docuit nos dicens. Erunt in vobis falsi Doctores, qui introducent sectas perditionum.* Ad hunc eumdem Petri locum alludens Lactantius [b] Firmianus. *Scire,* inquit, *nos conuenit, Christum, & legatos eius prædixisse, quòd plurimæ sectæ, & hæreses deberent existere, quæ concordiam sancti corporis rumperent, ac monuisse, vt summa prudentia caueremus, ne quando in laqueos incideremus.* Clamat enim Paulus [c]. *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem:* quæ aduersus quosdam Iudæos dicta videntur, qui Christianam libertatem miris modis oppugnabant, vt legis ceremonias statuerent, quos fortasse hoc etiam loco tacitè Petrus insinuat, quod verisimile sit eos etiam Petri auditoribus fuisse insidiatos.

a Orat. de cõsum. sæcul.
b lib. 4. c. 30.
c ad Philip. 3. 2.

X. *Superducentes sibi celerem perditionem.* Exitum, atque euentum hæreseos, ac prauæ doctrinæ indicat. Ruunt enim miseri hæretici ad interitum, quod etiam docet Paulus [d]. *Multi,* inquit, *ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Ad quem locum alludens Ignatius [e] eadem verba repetit, additque. *Videte canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squammosos, & aspides, basiliscos, scorpiones.* Interitum autem sempiternam damnationem interpretor, nam vt ait Paulus [f]. *Quorum finis erit secundum opera ipsorum.* quamquam non nego etiam in hac mortali vita hæreticos vt plurimùm malè perire. Nam Simon Magus dum se in cœlum ascensurum iactitat præceps è Capitolio ruit, vt scribunt Arnobius [g], Egesippus [h], Maximus [i]. Manichæus auctore Epiphanio [k] iussu Persarum Regis viuus excoriatus est. Montanus, Theodotus, Prisca, & Maximilla se ipsos laqueo necarunt, vt testatur Eusebius [*]. Nonnulli Donatistæ à canibus, quibus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum impiè obiecerant lacerati sunt, vt contra Parmenianum affirmat Optatus [l]. Arrij fœdissima mors, qui erumpentibus intestinis miserè crepuit, plurium Scriptorum [m] testimonio firmatur. Iulianus Apostata in expe

d ad Philip. 3. 19.
e epist. 9. ad Antioch.
f 2. ad Cor. 11. 15.
g lib. 2. c. Gent.
h li. 3. de excid. Hierosl. cap. 2.
i Hom. 5. de nat. Apost. Pet. & Pauli.
k Hæres. 66.
* lib. 5. Hist. cap. 17.
l lib. 2.
m Ruffin. lib. 10. cap. 13. Sozom. lib. 2. c. 29. Theod. li. 1. hist. c. 14. Atha. Orat. 1. cont. Arrian. Epipha. hær. 69. Sedul. in Carmin.

in expeditiooe Perſica fulmine ictus occubuit, A
vt præter Theodoretum aſſerit etiam Gregorius [a]
a Orat. … contra Iulian. Nazianzenus.

XI. Eunomius verò Spiritus ſancti hoſtis actus in exi-
b lib. 2. hiſt. linm infeliciter obiit, vt memorat Theodoretus [b].
24. Neſtorius corroſa lingua in exilio diem clauſit ex-
c … 1 c. 7. tremum. Auctores ſunt Euagrius [c], Sozomenus [d],
d lib. 1. hiſt. Nicephorus [e]. Conſtantius hæreſis Arrianæ patro-
c. … & lib. nus, & Athanaſij acerrimus hoſtis morbo violento
ca… inter gemitus, & querelas exceſſit è vita, de quo
e … c. 36. Gregorius [f] Nazianzenus, Theodoretus [g], Zona-
f … tract. in S. ras [h], Nicephorus [i]. Imperaote autem Valente Ar-
Athan. riano triſtia multa, atque acerba Romano imperio
g … 1. hiſt. accidiſſe teſtantur Socrates [k], & Zonaras [l], ipſe vi-
c. … & lib 2. uus à Gothis comburitur, vt affirmat Rufinus [m];
cap. 2. Valentioianus iunior laqueo ſibi vitam eripuit. Alia
h … annal. ſexcenta exempla afferri poſſent tum priſcorum,
i … 9 c 18. tum etiam recentiorum hæreticorum, quæ paſſim
k lib. 4. hiſt. apud hiſtoricos leguntur; vt de Baſilio Impera-
cap 10 tore, qui ob hæreſim Eutychetis infeliciſſimè oc-
l In Valēte. cubuit. De Leone Iſaurico Iconomachorum fau-
m lib. 11 c. tore, qui ex inteſtinis laborans animam efflauit.
13. Conſtantino Copronimo violeota morte perem-
pto. Leone item Copronimo, qui ſubitò, ac repen-
tè mortuus eſt. Leone Armenico in ipſa Eccleſia
necato; Eraclio, qui cùm Monotelitis adhæſiſſet
ſubitam, fœdámque mortem obiit, quòd non ni-
ſi in vultum proprium mingere poſſet, vt auctor eſt
n In Annal. Zonaras [n]. Michaële Balbo grauiſſimo inteſtino-
rum dolore abſumpto, Theodorico Gotho ſubito, C
o 4. Dialog. atque horribili morbo confecto, cuius meminit
cap. 10. Gregorius [o].

XII. Ait autem Petrus *Celerem perditionem*, vt non
modò certum, ſed celerem interitum imminere
affirmet. Ac de certitudine quidem dubitare ne-
p ad Rom. 2. fas eſt, ob id enim dixit Paulus [p] eos, qui in ſce-
5. lere perſeuerant, & crimina criminibus cumulant,
theſaurizare *ſibi iram in die iræ, ac iuſti iudicij
Dei qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Et
mox quaſi impios deſcribens ſubiicit. *Iis autem,
qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veri-
tati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tri-
bulatio, & angustia in omnem animam hominis ope-
rantis malum.* Celeritatem verò grauiſſimis ver-
q Sap. 6. 6. bis ſignificat Salomon [q]. *Horrende*, ioquit, *& ci-
r Eccleſ. 5. 8. tò apparebit vobis.* Et Sirac [r]. *Miſericordia enim, &
ira ab illo citò proximant. & in peccatores reſpicit* D
ſ Apoc. 11. 14 *ira illius.* Denique Ioannes [ſ]. *Væ tertium*, ait, *ve-
niet citò.*

XIII. Pertinet autem hoc tertium væ ad extremum
iodicium, cùm omnium Iudex Chriſtus de im-
probis, ac ſceleratis ſupplicium ſumet. Dicitur
autem citò ſubſequuturum ſupplicium, ſiue quia
in cuiuſque obitu fereoda eſt de eius præmio, aut
pœna ſententia; ſioe quia Dei reſpectu quam-
uis longiſſimum tempus breuiſſimo articulo com-
t Infra c. 3 8. paratur, vt enim hic ipſe Petrus [t] ait. *Vnus
dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille an-
ni ſicut dies vnus.* Siue demum, quia hæc eſt vl-
tima mundi ætas quam meritò Ioannes oouiſſi-
mam horam appellat.

XIV. Sapienter autem, ac piè ex hoc loco colligit Cy-
u De recta fide ad Regin. rillus [u] Alexandrinus. Primùm quidem nos eximio,
ac pretioſo Chriſti ſanguine fuiſſe redemptos, ob id
enim ait Petrus, *eum, qui emit eos.* Deiode non eſſe oou
iuris noſtri, quandoquidem à Chriſto Domino re-
dempti io eius tranſiuimus poteſtatem. Quam ob
x 1. ad Cor. cauſam dixit Paulus [x]. *Non eſtis veſtri, empti
6. 20. enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum
in corpore veſtro.* Poſtremò Chriſtum verum eſſe
Dominum, verúmque Deum, vt hinc appareat,

A quantum illi debeamus, qui tanti nos, noſtrám-
que ſalutem fecit, vt pro nobis mortem oppete-
re noo dubitarit. Quò ſpectans Paulus [a]. *Nunc* a ad Rom. 6,
verò, ait, *liberati à peccato, ſerui autem facti Deo*, 22.
*habeatis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem
verò vitam æternam.* Quæ cum ita ſint pauciſſi-
mis verbis hoc loco Petrus Pſeudomagiſtrorum
impietatem declarat, dum eos ait liberatorem, ac
Redemptorem ſuum negare, vt minùs mirandum
ſit eos grauiſſimo ſupplicio obnoxios degere, & ad
interitum ruere ſempiternum.

2. *Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via
veritatis blaſphemabitur.*]

B

Paulò aliter habent Græci Codices, pro eo I.
enim, quod Interpres ait. *Eorum luxurias.* Græcè
legimus ἀπωλείαις, hoc eſt, exitia, & interitus. For-
tè olim Græci Codices variabant. Videtur enim
Interpres legiſſe ἀσωτείαις, vel ἀσελγείαις, hoc eſt,
intemperantias, & luxus, vel certè ſenſum red-
didit. Oecumenius non aliter legit, quàm nunc
habeant Græci Codices, qui circumferuntur. Cer-
tè ſignificat Apoſtolus multos improbam hæreti-
corum viuendi rationem ſequuturos, atque adeò
eorumdem ſuppliciorum fore participes. More au-
tem Prophetæ multos fore prædicit, qui Pſeudo-
magiſtris ſeſe in diſciplinam tradant. Quod ipſum
C olim ſignificauit Chriſtus, cùm dixit [b]. *Lata porta*, b Matt. 7. 13
*& ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi
ſunt, qui intrant per eam: quàm anguſta porta, &
arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt,
qui inueniunt eam.* Mox autem ſubiicit. *Attendi-
te à falſis Prophetis*, quaſi ſignificet, fore vt falſi
Prophetæ amplam, & latam viam ingrediantur,
& plurimos habeant Sectatores; Verè namque
ſcriptum eſt à Salomone [c]. *Peruerſi difficilè corri-* c Eccleſ. 1. 15
guntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Et ali-
bi [d]. *Multigena impiorum multitudo non erit vti-* d Sap. 4. 3.
lis. Quin potiùs multùm oberit, tum oratione
ſua, tum etiam multò magis vitæ exemplo. De-
nique ne longum faciam, non ſemel dixit Chri-
ſtus [e]. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* e Mat 20. 16

Huc refero quod ſcribit Iob [f]. *Conteret multos*, II.
& innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Quo f cap 34. 24.
D loco Gregorius. *Innumerabiles*, inquit, *adiunxit,
vel multitudinem exprimere ſtuduit reproborum, quæ
humanæ rationis numerum tranſit, vel certè indicare
voluit, quòd omnes, qui pereunt, intra electorum nu-
merum non habentur, vt eo ſint innumerabiles, quo
extra numerum currunt.* Poſt pauca verò Dauidis [g] g pſ. 39. 6.
verba profert. *Multiplicati ſunt ſuper numerum.* Tum
ſubdit, *Ac ſi diceret. Multis Eccleſiam intrantibus
etiam hi ad fidem ſpecie tenus regni inueniunt, qui
à numero regni cœleſtis excluduntur. quia electorum
ſummam ſua videlicet multiplicitate tranſcendunt.* Rur-
ſus aliquantò pòſt. *Propter hanc multitudinem, quæ
extra electorum numerum iacet in Euangelio [h] Do-* h Matth. 20
minus dicit. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. 16.
E Multos itaque ait, Pſeudomagiſtrorum eſſe ſecta-
tores, ſiue eorum falſa dogmata complectantur,
vnáque cum illis ad interitum ruant, ſiue eo-
rum veſanas, impuráſque voluptates ſectentur.
Vtrumque enim hæretici ferè contendunt, qui
obiectu voluptatis, qua plurimi mortalium delini-
ti capiuntur, ſua nefaria dogmata obtrudunt,
quod nimiùm quantùm ſuperioris ſæculi & cona-
ti ſunt, & perfecerunt, qui ampliſſimas Regiones,
oobiliſſimáſque prouincias à Catholica Religione
abduxerunt; & per ſpeciem Chriſtianæ libertatis, &

vt ipsi mentiuntur, Euangelicæ veritatis, impudentem quamdam, ac petulantem licentiam inuexerunt.

III. *Per quos via Dei blasphemabitur.* An per Pseudomagistros? an verò per Magistrorum discipulos, ac sectatores? ad vtrosque mea quidem sententia aptè, ac verè referre queas: dici enim vix potest, quàm multis, quámque grauibus probris, ac maledictis proscindatur Ecclesia, & Catholicorum disciplina ab impura hæreticorum fæce, qui pietatem superstitionis, idolomaniæ, atque hypocrisis nomine traducere consueuerunt. Præcipuè tamen Pseudomagistros hæc oratio tangit, qui veluti œstro perciti nimio quodam furore in Ecclesiam Romanam, Ecclesiarum omnium Magistram, & supremum Ecclesiæ Præsidem, Christique Vicarium debacchantur. Illam siquidem alteram Babylonem, hunc Antichristum impiè, nefariéque appellant. De priscorum verò hæreticorum contumeliis, quibus Catholicos afficiebant, nihil attinet in præsentia verba facere, ne curata iam, & ad sanitatem perducta vulnera non tam videar refricare, quàm non sine dolore exulcerare. Recentiores certè hæretici Clericos, & sacris initiatos derident, Monachos execrantur, ieiunia, & seueriorem viuendi rationem detestantur, castitatem damnant, sacros Canones, & humanas, ciuilésque leges Christianæ libertati repugnare contendunt; Sacramenta tamquam præstigias, & inanes cæremonias abominantur, vno verbo Catholicos omnes ritus Dæmonis inuenta, & otiosorum hominum deliramenta nuncupant.

IV. Adde quòd qui sunt à Christi fide alieni, dum vident eos, qui nihil, nisi Euangelium, & purum, ac putum Dei verbum crepant, qui optimos se Christi discipulos & esse, & haberi volunt, omnibus sceleribus, atque flagitiis coopertos, impuris, ac nefariis voluptatibus indulgere, abdomini, gulæque tamquam mancipia seruire: Christianum nomen, ac professionem subsannant, & tamquam perditissimum vitæ genus de medio tollendum censent. Nam qui olim ob falsò obiecta, numquam autem probata crimina adeò malè de nostra Religione, & sentiebant, & loquebantur, vt quod alicubi ait Tertullianus, Christianos ad bestias, & tamquam sacrilegos, & Religionis hostes exterminandos clamarent, quid quæso facturi essent, si hæc tam impia, fœdáque facinora, quæ omnibus nota, & perspicua sunt ad vniuersam Christianam Religionem pertinere censerent? Certè his artibus, vt egregiè dixit Gregorius [a] Nazianzenus, hæretici contra nos crabrones excitant, hoc est gentiles satis suopte ingenio in nos infensos. Fateor, quod egregiè obseruauit Saluianus [b], hæc Petri verba eos etiam aliquo pacto attingere, qui nomine tantùm Christiani dicuntur, cùm vita, & moribus à Christiana pietate longissimè absint, quique vt ille ait, *per flagitia, & turpitudines suas, nomen Religionis infamant, de quibus scriptum est à Paulo* [c]. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominabiles, & incredули, & ad omne opus bonum reprobi. Per hos enim sacrosanctum nomen Domini Dei sacrilegorum hominum maledictione violatur.*

a Orat. 35. sub fin.

b lib. 4. de prouid.

c ad Titum 1.16.

V. Et re vera, qui illorum improbos, impurósque mores intuentur, cùm ex eis de cæteris omnibus sententiam ferant, omnes iisdem sceleribus implicatos, atque inuolutos putant. De quibus meritò loquitur Paulus [d] his planè verbis. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Sed

d ad Rom. 2. 24.

A tamen Petrus de Pseudomagistris; hoc est, hæreticis, eorúmque sectatoribus loquitur, quos acutè Bernardus [a]. *Vulpes paruulas*, appellat, *quæ demoliuntur vineas. Et si*, inquit, *iuxta allegoriam Ecclesias vineas; vulpes hæreses, vel potius hæreticos ipsos intelligamus.* Vulpium enim astum, & calliditatem imitantur, & vineam Ecclesiæ deuastant, & demoliuntur. Quod sine ingenii dolore non possumus recordari, dum mentis oculos conijcimus in Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam, Scotiam, Hyberniam, cæteràsque prouincias hæresis labe contaminatas, & ab Ecclesia Catholica segregatas.

a Serm. 64. Cant.

B 3. *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.*]

I. Pro *auaritia* Græcè est πλεονεξία, de qua voce alibi plura dixi, est enim studium quolibet in genere plus habendi; hoc autè loco ponitur pro φιλαργυρία, hoc est auri, atque argenti cupiditate, quam rectè Interpres auaritiam vocauit. Nam præter voluptatum corruptelam tribuit Petrus Pseudomagistris auaritiam, qua permoti, blanda, fictáque, & ad decipiendum composita oratione sua dogmata vendidant, & cauponantur, hoc enim est, quod ait. *Fictis verbis de vobis negotiantur*, Græcè ἐμπορεύσονται, est enim à mercatoribus ducta metaphora, quæ in tota
C hac sententia obseruari potest; quod enim ait *fictis verbis*, hoc etiam videtur à Mercatorum consuetudine petitum, qui ornatis verbis, & mira arte excogitatis, vt suas merces carius vendant, supra modum eas laudare, atque extollere solent. Nec temerè dixit Apostolus. *Fictis verbis*, Græcè πλαστοῖς λόγοις, quia solent mercatores in nundinis nonnulla etiam more plastis, ac figuli confingere, quos Pseudomagistri studiosè imitantur, plurima enim fingunt, & fabulantur, vt suis dogmatibus fidem, atque auctoritatem concilient, ac verborum veluti lenocinius fucum faciant, de quibus verè illud affirmes, quod alicubi scripsit Paulus [b]. *Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.*

b ad Rom. 16.18.

D II. Dulces autem sermones Græcè dixit Paulus διὰ τῆς χρηστολογίας, quasi dicat commodam, atque vtilem, seu blandam orationem, hoc enim maximè profitentur hæretici, qui blandiloquentia, & assentatione sese in aliorum animos ad decipiendum insinuant. Nam qui blandis verbis vtuntur χρηστολόγοι à Græcis dicuntur, quo nomine Auctor est Aurelius Victor appellatum fuisse Pertinacem Imperatorem, quòd blandus magis, quàm beneficus esset. Id autem proprium esse hæreticorum docet Irenæus [c]. *Suadenter quidem*, inquit, *illi illiciunt per verborum artem simpliciores ad requirendi modum, malè autem perdunt eos in eo quòd blasphemam, & impiam ipsorum sententiam faciunt in fabricatorem non*
E *discernere valentium verum à falso.* Paulò autem pòst. *Quemodo*, inquit, *lapidem pretiosum smaragdum magni pretii apud quosdam, vitreum in eius contumeliam per artem assimilatum quoad vsque non adest, qui possit probare, & artificium arguere, quod subdolè sit factum.* Qua similitudine ostendit, quo artificio hæretici suos errores simplicioribus instillent.

c Præf. li. 1.

III. Simile quiddam de hæreticorum fraude, ac dolo scribit Gregorius [d] Nazianzenus. *Hi per verisimilem confessionem*, ait, *innocentium mentes occulta fraude seducunt, & vt soles lethale poculum dulcedine temperatum sinceritate fallente porrigere, sic & hoc malum per*

d Orat. 49.

per blandimenta aurium, audientium ſenſus quadam labe contaminans contagione adhærentes inficit. Et in eamdem ſententiam Hieronymus [a]. *Sic*, ait, *verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quoque concinnant, vt & noſtram, & aduerſariorum confeſſionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Teſtatur hoc idem Auguſtinus [b] Manichæorum allato exemplo. *Incidi*, inquit, *in homines ſuperbè delirantes, in quorum ore laquei Diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui Domine, & Domini Ieſu Chriſti, & Paracliti. Hæc enim non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus, & ſtrepitu linguæ, cæterùm cor inane veri, & dicebant; Veritas, & veritas, & nuſquam erat in eis.* Porrò Gregorius [c] Pontifex in eamdem fermè ſententiam. *Exaſperare quippe*, ait, *hæretici auditores ſuos in exordio loquutionis ſuæ metuunt, ne vigilanter audiantur, eorumque valdè triſtitiam declinant, vt negligentiam capiant; & planè ſemper blanda ſunt quæ proponunt, ſed aſpera quæ proſequendo ſubinferunt.* Et alibi [d]. *Verborum perſequutiones ab hæreticis nunc etiam quotidiè toleramus, cùm ipſi hæretici linguis nobis ſubdolis, & falſa humilitate blandiuntur.*

a epiſtol. ad Ocean. & Pammach.
b lib. 3. confeſſ. c. 6.
c lib. Moral. cap. alias 11.
d lib. 19. Moral. cap. alias 5.

IV. Hoc itaque ſignificat Petrus, cum ait, *fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Vt præterea (quod paulò antè poſuit) eorum auaritiam perſtringat, quaſi dicat eos ab auditoribus ſuis lucrum, & compendium expectare. Hoc enim proprium eſt Mercatorum, qui nihil, niſi lucrum quærunt. Quos videtur Paulus deſcribere, cùm ad Titum [e] ait. *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximè qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui, qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.* Et Iudas [f]. *Os eorum loquitur ſuperbiam, mirantes perſonas quæſtus cauſa.* Quocirca Irenæus [g] de Marco neſcio quo magnam diuitiarum copiam collegiſſe ſcribit. Et Ignatius [h] Martyr eiuſmodi homines vocat alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, & quaſi vortices, ſic autem ſcribit. *Quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, amatores voluptatum, & non Dei, ſpeciem quidem pietatis præſeferentes, virtutem autem eius abnegantes, Chriſtum mercantes, verbum Dei in tabernis prædicantes, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vendentes, mulierum corruptores, aliena concupiſcentes, & pecuniarum amatores.*

e cap. 1. 10.
f verſ. 16.
g lib. 1. c. 9.
h epiſt. 3.

V. *Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Iuſtū quippe illis imminere ſupplicium docet. *Iudicium*, inquit, *iam olim non ceſſat*, diuinæ prouidentiæ æternum decretum indicans, quo impiis, ac ſceleratis præſertim hæreticis ſempiternos cruciatus deſtinauit. Vt enim diuina ſua iuſtitia Deus electis, atque in gratia perſeuerantibus immortalem, ac beatam vitam præparauit, ita etiam iis, qui ad extremum vſque vitæ ſpiritum in ſcelere perſiſtunt, interitum ſempiternum decreuit. In præſentia autem Petrus *Iudicium*, Hebræorum more pro condemnatione poſuit; Quòd autem ait, *non ceſſat*, Græcè οὐκ ἀργεῖ, perinde eſt, ac ſi dicat, non otiatur, aut non irritum erit, quia non fruſtra id decreuit Deus, atque ita immutabilis decreti firmitatem declarat. Idem verò mox magis explicans ſubdit. *Et perditio non dormitat*, Græcè οὐ νυστάζει, vt eam iam iam inſtare doceat, neque dormitantium more negligere, vt vehementi quadam proſopopœia rebus inanimis vitam, ac motum tribuere videatur, quaſi dicat, nullum impiis patere effugium, ſed iis omnino pereundum eſſe. Meritò autem priùs diuinum Dei decretum nominat, à quo euentus certitudo pendet, quod his verbis indicat Oecumenius. *Iudicium enim*, ait, *& condemnatio his non otiatur, id eſt, non otioſa erit,* A *atque irrita, ſed iam diu ab antiquo tempore id quod præcognitionem Dei ſignificat, parata ipſis eſt, ſicut enim ex præcognitione bonis bona, ita impiis, & malis conuenientem ipſis locum præparauit.* Loquitur autem Oecumenius de Iuſtitiæ decreto, quod vt in ſcholis Theologi docent meritorum prænotionem ſubſequitur. Nam antè quàm Deus cuiuſquam merita intueatur, electos ſuos prædeſtinat, iiſque ex ſingulari quadam beneuolentia gratiam præparat, vt meritò dixerit Auguſtinus [a], hoc inter prædeſtinationem, & gratiam intereſſe, *quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia verò ipſa donatio.*

Bened. Iuſtinian. in Epiſt. Canon.

a lib. de prædeſt. ſanct.

4\. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit* B *cruciandos in iudicium reſeruari.*]

I. Diuini ſupplicij certitudinem inductione confirmat, tribus potiſſimùm exemplis allatis; orditur autem à ſupplicio Angelorum, qui confeſtim patrato ſcelere ſuperbiæ, atque arrogantiæ ſuæ vindicem, atque vltorem Deum experti ſunt. An autem de omnibus Angelis, qui olim lapſi ſunt, hæc Petri verba accipienda videantur, ambigi vtcumque poteſt. Nec enim deſunt, qui contendant de omnibus prorſus loqui Apoſtolum, rati nimirum indefinitam, vt vocant, propoſitionem pro generali, atque ampliſſima ſententia hoc quidem loco accipiendam eſſe. Sed meo quidem iudicio, ſi verborum vim C tantummodo ſpectes, nihil efficiunt, aut aſſequuntur; nulla enim ratio cogit, vt verba indefinita generali ſententiæ æquanda ſint, cùm & leges Dialecticæ doceant indefinitam ſententiam in materia contingenti cum ſingulari propoſitione æquari. Nec quidquam eos iuuat, quod mox addunt, nullam hîc fieri exceptionem, cùm tamen mox in exemplo à primis illis mortalibus deſumpto excipiatur illico Noë. Nam & præter Noë ſeruati ſunt etiam filij, & vxores, qui tamen non excipiuntur. Præterquam quòd haud equidem exiſtimarim, vt non ita pòſt oſtendam, loqui Petrum de ætate tantùm Noë; ſed vniuerſim de priſcis omnibus mortalibus ab ipſo primo parente Adamo vſque ad Noëtica tempora, inter quos quamplurimos fuiſſe D iuſtos nefas eſt dubitare, qui tamen non excipiuntur.

II. Hæc dixerim, ſi verba tantùm ſpectemus; nam de re ipſa quid ſentiendum ſit; Omnes ne Angeli, qui peccarunt, ſuppliciis ſempiternis fuerint addicti, videro non ita multò pòſt. Fatent ſanè multa poſſe hoc loco in quæſtionem vocari, quæ à Theologis in ſcholis doctè, copioſeque vltrò, citróque agitantur. Ego quod ad Petri explicationem maximè facit, duo quàm breuiſſimè pertractanda ſuſcipio. Primùm potuerint ne Angeli poſt patratum facinus reſipiſcere, ac præteritam culpam damnare, ſeque ad pœnitentiam, atque adeò gratiam iuſtificantem diuinæ gratiæ beneficio præparare. Deinde fuerint ne aliqui reipſa poſt peccatum ad pœnitentiam reuocati.

III. E Vt igitur à priori quæſtione exordiar nihil in præſentia dicendum videtur de Origenis errore, qui vt affirmant Epiphanius [b], Theophilus [c], Hieronymus [d], & Auguſtinus [e], exiſtimauit Dæmones etiam nunc ſi velint re ipſa poſſe conuerti, & gratiam, ac iuſtitiam conſequi; cùm tamen certum, atque exploratum ſit vndecumque id oriatur, eos non aliter, ac cæteros mortales, qui ſempiternis ſuppliciis cruciantur, nullo vmquam tempore ad pœnitentiam traducendos, ac ne traduci quidem

b ep. ad Ioa. Hieroſ.
c lib. 2. Paſchal.
d ad Galat. 1. & 2.
e lib. de hæreſib.

 poſſe.

a D. Thom. 1.p.q.64.a.2. q.4. de ver. ar.10.q.6.de malo art. 1. Alex. Alens. 2.p.q. 4. méb. 2. Capreol. in 2. dist. 7. q.2.a.1. cõt. 8. ad argum. Scoti 3. loco adducta, Caiet 1.p.q.64. art.2. Ferraren. 4. con. Gent c.95. §. aduertédum secundò.

posse. Verùm igitur statim post culpam potuerint A ad pristinum gratiæ statum remeare non satis liquet, Theologi ferme in scholis negant, eos potuisse culpam vllo pacto detestari, atque adeò amissam gratiam recuperare. Sed plurimi [a] id ad Angelicæ naturæ conditionem referunt, quæ quod semel probauit, reiicere, aut repudiare non potest, vel quia error in fine primario ab anima seiuncta à corpore, aut ab Angelo à materiæ concretione segregato corrigi, aut emendari nequit. Errasse autem Angelos circa finem; vel [b] denique quia maximo quodam liberrimóque impetu sese in malum præcipites egerint, vt inde auelli nequaquam potuerint.

IV.

b Henr. col. liber. 8. q. 11.
c li. 2. de fide orthod. c. 3.

Verùm si priscos Patres consulamus, meridiana, vt arbitror, luce clariùs constabit non esse Angelo- B rum naturam huiusmodi, vt illi post facinus patratum resipiscere non potuerint. Damascenus [c] enim de Angelica natura hunc in modum scribit. *Est ergo natura Angeli rationalis, & intellectualis, & libera potestate, arbitrióque fulta, vertibilis secundùm propositum, siue voluntate mutabilis.* Vt autem appareat id absolutè, ac simpliciter accipiendum esse, subdit. *Nam omne creatum vertibile, solum autem increatum inuertibile, & omne rationale potestate liberum. Intellectualis igitur natura, vt rationalis potestate libera est, vt creata verò vertibilis, potestatem habens manendi, & proficiendi in bono, & in deterius prolabendi.* Eodem planè modo loquitur Fulgentius [d], cùm enim dixisset Angelis, atque hominibus diuinitus concessam esse facultatem cognoscendi, & diligendi C Deum, ita tamen vt eam quisque & retinere, & abiicere posset, subdit. *Si quis tamen sponte eam perderet, suo deinceps arbitrio resumere non valeret. Voluisse sanctæ cogitationis initia gratuito dono bonitatis denuo reuocandis quibus vellet infundere, cuius fuit in ipso creationis exordio nullis præcedentibus meritis spiritus, & corpora legis, atque affectionibus prout ipse sapiens voluit congruè, & mirabiliter ordinare.* Mox verò eamdem rem magis explicans. *Bona quoque, ait, voluntatis, & cogitationis initium non hominis ex ipso nasci, sed diuinitus, & præparari. & tribus in eo Deus euidenter ostendit, quia neque Diabolus, neque aliquis Angelorum eius, ex quo ruina illius meritò in hanc inferiorem sunt detrusi caliginem, bonam potuit, aut poterit resumere voluntatem.*

d lib. de fid ad Pet. c. 3.

V.

Ne quis autem hoc tribuat Angelicæ naturæ conditioni, quæ præteritam electionem reuocare nequeat, confestim addit. *Quod si possibile esset, vt humana natura postquam à Deo auersa bonitatem perdidit voluntatis, ex ipsa rursum eam habere potuisset, multò possibiliùs hoc haberet Angelica, quæ quantò minus grauatur terreni corporis pondere, tantò magis hac esset prædita facultate.* Quibus sanè verbis apertissimè significat naturam Angelicam suapte natura potuisse actionem præteritam damnare, si cœlestis gratiæ beneficio diuinitus fuisset excitata, cùm eamdem dicat humanæ, Angelicæque naturæ esse rationem, quin etiam multo maiorem Angelis resipiscendi tribuendam videri facultatem. His addo nonnul- E los, qui apertè significant potuisse Dæmonem, eiúsque sectatores ad pœnitentiam reuocari, hoc enim insinuant Clemens [e] Alexandrinus, Irenæus [f], Auctor [g] de mirabilibus sacræ Scripturæ apud Augustinum [h], Cyrillus [i] Hierosolymitanus, Cassianus [k] Isidorus [l], Anselmus [m], Gregorius [n] Nyssenus, seu Nemesius.

e lib. 1. Stromat.
f lib 1. c. 4.
g cap. 2. li. 2.
h Tom. 3.
i Cat. . h. 2.
k Collat. 4. c. 13 14.
l lib. 1 de sum. bon. ca. 12.
m lib 2. cur Deus homo c. 21.
n lib. 1. de Philosophia, qui est de homine c. 3.
o ad Rom. 9. 22.

VI. Et sanè perspicua videntur Irenæi verba, alludens enim ad verba Pauli [o] *In multa patien-* A *tia sustinuit vasa iræ*, Græcè μακροθυμίᾳ, ait Deum fuisse magnanimum in peccato Angelorum, atque hominum; quoniam inquit, *magnanimus extitit Deus, & in transgressorum Angelorum apostasia, & in inobedientia hominum, edisserere*, dixit enim Græcè ἐμακροθύμησεν, quasi significet, vtrisque concessisse Deum ad resipiscendum facultatem. Nam procul dubio hoc significat Paulus, cùm dixit, in multa patientia, & longanimitate sustinuisse Deum vasa iræ. Auctor vero de mirabilibus sacræ Scripturæ. *Si enim, ait, de suo delicto habere veniam non desperasset, nunquam consentientis sibi hominis damnum salutis suæ procuraret, qui enim de priori peccato habere veniam desiderat, nullo modo augmentare aliud præparat.* Quæ planè fru- B stra, atque inaniter dicerentur, nisi veniam sperare potuissent.

Cyrilli autem Hierosolymitani verba, tametsi vtcumque obscura sunt, insinuant tamen pœnitentiam Angelicæ naturæ non repugnare. *Nescimus*, inquit, *quanta illo & Angelis condonauerit, indulget enim & illis*: non potest autem significare Angelos iam beatos peccare, & rursus ad pœnitentiam reuocari, ac propterea necesse est, de illis Angelis eum loqui, qui lapsi sunt, quibus hactenus indulgere dicit, quòd ipsis etiam aliquando pœnitentiæ locum concesserit, ne dicamus virum sanctissimum existimasse etiam Dæmones resipiscere; & scelerum veniam assequi posse. Neque aliter accipienda videntur, quæ C scribit Cassianus. *Denique, inquit, hos, quos intelligimus ad voluntatum suarum desideria perficienda nullo carnis obstaculo retardari, Dæmones scilicet, ac spiritales nequitias, & quidem cum sint de eminentiori Angelorum ordine deuoluti, detestabiliores esse hominibus contemplamur, eò quòd possibilitate eorum desideriis adiacente id, quod nequiter semel conceperint, irreuocabili malo perficere non verentur, quia sicut est animus eorum velox ad excogitandum, sic ad perficiendum pernix, ac soluta substantia, dùmque suppeditat eis prona facultas ea, quæ voluerint peragendi, conceptum malum nulla intercedens deliberatio salutaris emendat.* Videtur enim resipiscendi facultatem eis tribuere, ipsam tamen pœnitentiam negare ob eam D potissimùm causam, quam paulò post explicat; quod ipsum dixerim de Isidoro, & Anselmo, qui eodem penè modo de Angelorum lapsu, pœnitentiáque loquuntur. VII.

Apertissima autem sunt Gregorij Nisseni verba. *Quidam, inquit, Angelos volunt post casum minime ea, quæ ex pœnitentia est, venia potiri (mors enim horum est casus) at ante casum ad similitudinem vitæ hominum etiam gratia dignos eos effici, quod quia non fecerunt, irremissibilem, ac perennem deinceps nequitia sua conuenientem habebunt vindictam.* Quo loco pro eo, quod Interpres Latinè dixit casum, seu lapsum, Græcè scripsit Gregorius ἔκπτωσιν. Quam vocem eamdem sententiam repetens vsurpat etiam Da- E mascenus [a] cùm ait. *Quod in homine est mors, hoc esse in Angelis casum seu lapsum*, Græcè ἔκπτωσιν. Quam verò vocem ad verbum interpretari possumus dilapsum, seu egressionem, quod ego verbum non ad culpam, sed ad pœnam referendum puto, vt significet calamitatem, casum, & ruinam, nam fermè Græci ἔκπτωσιν, seu ἔκπτωμα, ossium luxationem, seu excessum à propria sede vocant, vt ad Angelorum ruinam, qua à propria sede deiecti sunt aptissimè transferatur. Apertissimè VIII.

a lib. 2. c. 4.

tissimè verò loquitur Elias [a] Cretensis, cùm enim de Angelis ageret. (*cum prius*, inquit, *essent à natura mutabiles, nimirum sententia, voluntatisque respectu, hoc est ἀθελητρεπτοι. (nam quicquid est creatum, idem etiam mutabile est) post lapsum Diaboli ex gratia sunt immutabilitatem consequuti.* Apparet enim eum existimasse non esse Angelorum voluntatem etiam post electionem suapte natura immutabilem, quandoquidem eam, quam habent immutabilitatem, gratiæ beneficio adepti sunt: Gratiæ autem nomine beatam vitam, & gloriam intelligit immortalem, quæ non immeritò à Paulo dicitur gratia, quia nonnisi gratiæ beneficio comparatur, qua ratione etiam à Theologis gratia consummata nuncupatur.

a Orat. 8. Greg. Naz. quæ est 2. de pace.

IX. Quæ cum ita sint haud ambigam potuisse Angelos, si diuina illis beneficentia adfuisset, præteritam culpam detestari, & veniam consequi, atque adeò ad id nonnullam diuinitùs accepisse moram, nec defuisse illis præcurrentem gratiam necessariam, sed illos tamen in peruersa voluntate perstitisse, atque adeò, vt hoc loco ait Petrus, sempiternis cruciatibus fuisse addictos; Vnde deinceps tanta in iis orta est peruicacia, & obstinatio, vt quemadmodum homines vbi mortalitatem exuerunt, resipiscere nequaquam possunt; non aliter ipsi à pœnitentia sunt penitus auersi, neque amissam gratiam vllo pacto recuperare queant. Quocirca rectè scripsit Gregorius [b] Nissenus, seu quod malim Nemesius, Angelorum ruinam, cum obitu mortalium comparari. Et in eamdem sententiam Gregorius [c] Pontifex. *Nimirum*, ait, *Deus Apostatam Spiritum ad pœnitentiam nequaquam renocat, sed vias superbia eius nesciens damnat.* Et alibi [d]. *Apostata verò spiritus ad reparationis lucem nulla spe veniæ, nulla conuersionis emendatione reuocatur.* Denique [e]. *Reprobi quippe Angeli semel à cælestibus lapsi, sicut amorem amissæ beatitudinis non recipiunt, ita & pœnitentiam agere de perpetrata superbia numquam possunt.* Eadem est sententia Damasceni [f], Anselmi [g], Augustini [h], Bernardi [i].

b lib. 1. de Philosophia c. 1.
c 1. Mor c. 4.
d lib. 4. Mor. c. 9.
e lib. 3. in 1. Reg. c. 4.
f lib. 2. c. 3.
g lib. 2. cur Deus homo c. 21.
h in Enchir. c. 29.
i Serm. 1. de aduen. Dom.
k Serm. 1. de assumpt. B. Mariæ.

X. Iam verò quod spectat ad posteriorem quæstionem, extra omnem controuersiam videtur neminem ex Angelis, qui lapsi sunt, peccati veniam adeptum esse, atque adeò omnes extremam suæ perpetuæ damnationis subiisse sententiam. Neque id mirum videri debet, cùm primorum parentum lapsus diuina benignitate fuerit expiatus. Siquidem veteres Patres plures huius discriminis rationes afferunt; prætermissa enim eorum Theologorum sententia, quam paulò antè reiecimus, qui id ad naturæ Angelicæ proprietatem referunt, quasi illi à suscepto consilio dimoueri nequeant, Gregorius [k] Nissenus, & Damascenus [l] id propterea factum esse affirmant, quòd mentes illæ solutæ corporibus nulla animi perturbatione, aut ægritudine permotæ peccauerint, quod in hominum genere secus accidit, quæ tamen ratio si cum plerisque hominum flagitiis conferatur, admitti vtcumque potest: sin autem de primorum parentum scelere accipiatur, non magni facienda videtur, cùm ne illi quidem morbo animi corrupti, aut deprauati facinus admiserint.

k lib. 1. de Philosophia c. 1.
l lib. 2. c. 3.

XI. Augustinus [m] verò, Gregorius [n], & alij, idcirco aiunt Angelos ad pœnitentiam non fuisse reuocatos, quòd illi nullo impulsore adducti impiè contra Deum peccarunt, contra verò primi humani generis satores Dæmone instigante lapsi sunt.

m lib. 3. de lib. arb. c. 6.
n lib. 4. Mor. c. 9.

A Sed si inferiores Angeli suasore Lucifero assensum præbuerunt, non est ea ratio magni facienda. Alibi autem Augustinus [a], itemque Anselmus [b], hoc inter Angelorum lapsum, atque hominum peccatum interesse putant, quòd illorum quidem scelus non vniuersam naturam tabefecit, Adæ verò peccatum vniuersam posteritatem contaminauit. Et ne cuncta percurram, quod propemodum esset infinitum, Gregorius [c] Pontifex, itemque Cassianus [d] faciliùs aiunt hominem pœnitentiæ locum inuenisse, quòd carnis imbecillitate peccarit, quod in Angelo admitti non potest; Sed aut hæc ratio eadem videtur esse cum ea, quæ animi perturbatione nititur, aut vim perexiguam habet.

a in Enchir. c. 29.
b lib. 2. cur Deus homo c. 21.
c lib. 9. Mor. c. 16.
d Collat. 4. c. 13 & 14.

B Itaque non tam in rebus ipsis, quàm in abdita, atque occulta Dei prouidentia huius discriminis ratio constituenda videtur, quam, vt ego quidem arbitror, in hac mortalitate, imbecillitateque naturæ citra singulare Dei priuilegium assequi nemo potest. Verè igitur ait Petrus Deum peccantibus Angelis non pepercisse, *Sed rudentibus*, ait, *inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* Græcè autem pro *rudentibus* scripsit Petrus σειραῖς, quasi dicat, *catenis*, loco autem, *inferni*. Græcè legimus ζόφου, hoc est, *caliginis*, vt habet Oecumenij interpres, siue etiam *noctis*, vt alij malunt, vt necesse sit Latinum interpretem, vel aliter Græcè legisse, vel non tam verba, quàm sententiam spectasse. Eamdem C fermè sententiam habet Iudas in sua Epistola [e]. *Angelos verò*, ait, *qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* In quem locum nonnulla diximus de supplicio Dæmonum, quæ non sunt in præsentia iteranda. Certè Petrus catenas, seu rudentes metaphoricè nominat, quomodo etiam multa de inferorum suppliciis scribit Cyprianus [f]. *Seniens*, inquit, *locus cui Gehenna nomen est, magno plangentium murmure, & gemitu, & cruciantibus flammis perhorrendam spissa caliginis noctem sana semper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obstruitur, & in varios pœna exitus relaxatur. Tunc saeuiendi plurima genera, tum in se ipse conuoluit quicquid ardoris emisi edax flamma cruciaris. Hos quibus recusata vox Domini, & imperia fuêre contempta, disparibus coercet exitus, próque merito salutis exacta vires suas suggerit, dum pars sceleris discrimen imponit.* Atque hæc quidem vniuersim omnino verè.

XII.

e vers. 6.
f de laud. Martyrij.

XIII. Mox verò singula pœnarum genera distinguens. *Et alios quidem*, ait, *moles intolerabilis curuat; alios per abruptum cliuosi tramitis collem vis sana precipitat, & catenarum stridentium nexum graue pondus inclinat. Sunt & quos agens strictim rota, & indefessa vertigo, & quos tenaci inter se densitate constrictos adhærens corpori corpus includat. Vt & absumat incendium, & grauet ferrum, & excruciet turbam multorum.* Quibus sanè verbis plurima continentur, quæ nisi impropriè, ac metaphoricè accipiantur, Poëtarum figmentis quàm simillima videri queant. Catenas igitur, & vincula interpretor ineuitabilem illam subeundi supplicij necessitatem, quæ nullis precabus flecti, aut mutari, nulláque vi, aut potestate vinci, vel superari potest, quam plerique Theologi alligationem vocant, quam Dæmones, cæterique

damnati inuiti licèt, repugnantésque patiuntur. Quoniam verò apud inferos, hoc est, vt loquitur Petrus, in Tartaro ignis præcipuè sempiterno quodam incendio sontes exurit, non planè liquet verus ne ignis, an metaphoricus censendus sit: qua de re accuratè in scholis disserunt Theologi.

XIV. Et fuerunt qui ignem spiritalem, atque incorporeum astruerent, quam sententiam non semel indicat Origenes, alicubi [a] enim ait ignem illum ab igne nostrate natura ipsa differre, & vrendi quidem vi præditum esse, de luce negat sibi liquere. Alibi [b], ignem à multitudine scelerum in singulorum animis progigni affirmat, non aliter ac febris ab humorum multitudine, ac pugna in humanis corporibus excitatur. Denique [c] ignem eodem planè modo, quo vermem metaphoricè interpretatur. Quam sententiam, vt ignem metaphoricum probat, complecti videntur Chrysostomus [d], Hieronymus [e], Gregorius [f] Nissenus; apertissimè verò Ambrosius [g]. Ita enim scribit Chrysostomus [h]. *Ignis ibi est, & tenebra, & vincula, & vermis immortalis, sed non hæc sola istis nominibus, nec talia demonstrantur, sed alia multò peiora, & multò seueriora, quæ nominibus vsitatis appellata sunt.* Significat enim inferorum supplicia his nominibus vtcumque describi, deinde docet ignem illum carere luce, semper ardere, & esse igne nostrate acriorem. Hieronymus autem ad illa Isaiæ verba. *Vermis eorum non morietur. Ignis*, inquit, *qui non extinguitur à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torquent in suppliciis constitutos, quare vitio suo, atque peccato caruerint electorum bono iuxta illud, quod scribitur. Versatus sum in miseria, dum configitur mihi spina.* Sed hanc sententiam hactenus admittit Hieronymus, vt retineantur tamen, *præuaricatorum, & Dominum negantium æterna supplicia.*

a Hom. 13. in Exod.
b lib. 2. Periarch. c. 11.
c Hom. 9. in diuers. loc. Matth. de cuius tamen auctoritate ambigitur.
d Hom. 1. ad Hebr.
e Isa. vlt.
f de anim. & resur.
g libr. 7. in Luc. c. 14.
h Simil. habet Hom. 44 in Matth. & ho. de præm. sanct. & Gehen. in fin. tom. 5.

XV. Gregorius autem Nissenus vlteriùs aliquantò progreditur, cùm docere videatur infernum locum esse incorporeum, atque inaspectabilem. Denique Ambrosius. *Ergo*, inquit, *nec corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis: sed hæc ideo, quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur, & vermes, ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis tamquam cruditatem quamdam contrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur.* Paucis autem interiectis. *Ignis est*, ait, *quem generat mæstitia delictorum, vermis est, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensúmque compungunt, & quadam exedunt viscera conscientiæ.*

XVI. Nec magnopere ab hac sententia abhorrere videtur Augustinus [i], cùm enim de historia diuitis [k] Epulonis ageret. *Conuenienter*, inquit, *responderi posse talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos leuauit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum desiderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ibi fieri postulauit. Vbi tamen erant sine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarsit, & illa guttula, quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, siue in extasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum.* Gregorius [l] autem. *At contrà*, inquit, *gehennæ ignis cùm sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret.* Denique Damascenus [m]. *Traduntur*, ait, *peccatores in ignem æternum non materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus.*

i 21. de Ciuit. c. 10.
k Luc. 16.
l lib. 15. Mor. c. 24. aliàs 17.
m lib. 4. de fid. c. vlt.

XVII. Contra verò plurimi sanctorum Patrum corporeum ignem videntur asserere, nam Clemens [a] Alexandrinus hunc in modum loquitur. *Animaduertitate Ephesij, qui noueris ex philosophia eam, quæ per ignem fit, expurgationem eorum, qui malè vixerunt, quam ἐκπύρωσιν, id est exustionem, seu inflammationem posteà vocarunt Stoici.* Quod ipsum reperit Iustinus [b] Martyr. Gregorius [c] autem Nazianzenus. *Noui*, ait, *præterea ignem, non, purgatiuum, sed afflictiuum, siue Sodomiticum, qui super omnes pluit peccatores sulphure, ac tempestate permixtus, siue qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, siue qui ante faciem Domini incedit.* Quæ procul dubio de vero, & corporeo igne intelliguntur. Chrysostomus [d e] cùm de impiorum supplicio dissereret. *In ignis*, ait, *fluuium, atque pelagus inrudentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur.* Et alio quodam [f] loco. *Expendito vita alterius mala, quæ sint futura, Regni cœlorum priuationem, in gehenna intestum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram loci angustam, igneos fluuios, fornaces numquam restinguendas.* Basilius [g] ignem illum ait vim vrendi retinere, luce tamen destitui.

a lib. 5. Stromat.
b ad hor. ad Gent. & Apol. 2. ad Antonin.
c Or. in S. Lauacr.
d Hom. 44. in Matth. similis ho. 55. in Matth. in fin.
e Homil. de præm. sanct. tom. 3.
f Hom. 13 in ep. ad Rom. simil. hom. 4 ad Ephes. hom. 1. ad Hebr. ep. ad Theod. lapsum.
g in Psal. 28.

XVIII. Neque aliter sentire putandus est Hieronymus [h]. Isidorus [i] autem idem videtur innuere, ait enim ignem illum vi calefaciendi præditum esse, luce non item. Augustinus [k] porrò sæpe indicat inferni ignem verè esse corporeum. Alicubi [l] autem ait. *At verò Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis, & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit.* Quamquam Augustinus penè semper existimat animas, atque adeò Dæmones tenui quodam corpore constare, atque ideirco ab igne corporeo torqueri, & cruciari posse. Quod cùm communi Theologorum sententia reiiciatur, si id existimasset Augustinus, aliter, vt opinor, de Tartareo igne sensisset. Certè Gregorius [m] apertissimè asserit inferni ignem esse corporeum, & fusè disputat, quanam ratione Dæmones, & animæ cùm corpore careant, ab eo affici, & cruciari queant. Et ob eam causam loco paulò antè indicato mendum nonnulli esse suspicantur, & pro incorporeo corporeum substituendum putant, vt vir sanctus dicat gehennæ ignem corporeum quidem esse, sed pabulo non egere.

h Iob. 24. & Matth. 10.
i libr. 1. de sum. bon. ca. 21.
k lib. 21. de Ciu. c. 9. lib. 8. de Genes. ad lit. cap. 5. lib. 20. de Ciuit. c. 16.
l 21. de Ciu. ca. 10. simil. de fid. & op. c. 15. Ser. 12. de ver. Apost. Serm. 98. & 151. de tēp. c. 17. & 15.
m lib. 4. Dial. c. 29.

XIX. Itaque si dicendum sit quod sentio, non existimo certa, & Catholica fide necessariò credendum esse, ignem inferorum corporeum esse: fateor enim sæpe in sacris literis ignem appellari, ait enim Dauid [n]. *Pones eos in clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Et Sapiens [o]. *Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.* Et Isaias [p]. *Præparata est enim ab heri thophet à Rege præparata profunda, & dilatata, nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Et alibi [q]. *Concipietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester, vt ignis vorabit vos.* Et Christus [r] Dominus. *Vermis autem eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et alibi [s]. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Sed non liquet ignémne metaphoricum, an verum, & naturalem sacræ literæ significent. Quemadmodum enim necesse est apud inferos vermē, fletum, stridorem dentium metaphoricè explicare, nulla potest excogitari ratio, cur non eodem modo liceat ignem interpretari, cùm sæpe aliàs eædem Scripturæ non nisi metaphoricè ignem vsurpent,

n Psal. 20. 10.
o Eccl. 21. 10
p cap. 30. 33.
q cap. 33. 11.
r Marci 9. 44.
s Matth. 25.

a Luc. 12. 49. b Luc. 3. 16. c orat. in S. lauacr. d 2. de fid. & op. c. 16. & li. de 8 quæ. ad Dul. q. 1.

A vsurpetur, vt cùm ignis pro huius vitæ molestiis, atque ærumnis ponitur, aut cùm Christus dixit [a], *Ignem veni mittere in terram*; & Ioannes [b], *Ipse baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Idque non semel necessariò faciendum esse docuerunt olim Gregorius [c] Nazianzenus, & Augustinus [d].

XX. e in sess. postr.

Quocirca nihil ea de re Ecclesiæ definitione sancitum est, atque ita in Cōcilio [e] Florentino, cùm Græci apertè professi essent se non admittere ignem purgatorium, Patres definiunt locum expiandis culpis destinatum catholica fide credendum esse, de igne ne verbum quidem. Quod autem de igne purgatorio dicitur, idem de igne inferorum sentiendum est, cùm duratione tantùm, ac mora distinguantur. B Accedit quòd ex sanctis Patribus nihil certi deprehendi potest, cùm alij hoc, alij illo modo sentiant, iidem aliter, atque aliter loquantur. Nam Augustinus anceps videtur, ac dubius. Gregorius non eodem semper modo sentit, ac loquitur. Postremò plurimi ignem tantùm nominant, & Scripturam imitantur, nihil distinguunt verum ne, an metaphoricum ignem intelligant. Fateor quidem sacras literas propriè explicandas esse, nisi rerum necessitas nos ad metaphoras confugere compellat. Sed magna omnino videtur necessitas, quòd inter Theologos de huius ignis natura, atque efficacitate non conuenit. Deinde cùm necesse sit vermem, & id genus alia metaphoricè accipere, nihil prohibet, quominus ignem quoque metaphoricum intelligamus. Nam quæ tandem ratio afferri potest, cur nonnulla metaphoricè, alia propriè interpretari cogamur? C Certè quæ allata sunt ex Cypriano, & Chrysostomo, vix possunt absque metaphora intelligi. Augustinus [f] autem, vt paulò antè dixi, historiam diuitis Epulonis metaphoricè explanat.

f li. 20. de ciu. c. 10. & li. 16. de Genes. ad lit. c. 5.

XXI. Neque verò admiserim, quod nonnulli affirmant hanc sententiam à Hieronymo damnari; tantùm enim reiicit errorem Origenis, qui sola conscientia, & scelerum recordatione improbos apud inferos torqueri existimabat, & externa omnia supplicia penitùs negabat, quod vt alibi docui, meritò repudiatur. Ita autem scribit Hieronymus [g], *Ignis quoque gehennæ, & tormenta, quæ Scriptura sancta peccatoribus comminatur, non posuit* (Origenes) *in suppliciis sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute, & potentia omnis memoria* D *delictorum ante oculos nostros ponitur, & veluti ex quibusdam seminibus in anima derelictis vniuersa vitiorum seges exoritur, & quicquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, & præteritas voluptates mens intuens conscientiæ punitur ardore, & pœnitentiæ stimulis confoditur.* Quibus verbis errorem Origenis describit, quod etiam alibi [h] facit. *Quia igitur*, inquit, *sunt plerique qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecùs adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum, & conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur, in similitudinem febris, quæ non torquet extrinsecùs ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit, sine cruciatuum forinsecùs adhibitione, quæ possidet;* Hanc itaque Origenis sententiam Hieronymus damnat, has persuasiones & decipulas fraudulentas, verba inania appellauit, & vacua.

g ep. ad Auit.

h ad Eph. 5.

XXII. E Non iuerim tamen inficias longè probabilius, ac tutius videri fore illum ignem corporeum, ac verum, tum quia hoc magis sacris literis, priscísque Patribus consentaneum videtur, tum quia hac ratione magis ab errore Origenis recedimus. Addo quòd nisi corporeus ignis statuatur, difficillimum erit constituere, quidnam nomine ignis intelligendum sit, neque enim, vt somniauit Origenes sola conscientia, & peccati recordatio vim ignis habere potest, quomodo autem spiritualia supplicia extrinsecùs adhibeantur, etiamsi maximè fingendi detur facultas, explicari vix vnquam poterit, cùm præsertim sancti Patres inferorum suppliciis nonnullam ignis proprietatem accommodent. Vt igitur aliquando redeam ad Petrum, meritò ait Angelos peccantes infernis rudentibus detractos in Tartarum cruciandos. Addit verò *in iudicium reseruari*, Græcè τετηρημένους, non quidem in iudicium reseruatos ait, quasi nunc non torqueantur, cùm reuera sempiterna supplicia iam olim subierint, sed idcirco in iudicium reseruari ait, quia in extremo illo iudicio vnà cum cæteris mortalibus supremam audituri sunt sententiam.

XXIII. a cap. 7.

Aptè verò huic loco Gregorius verba illa Iob [a] B accommodat, *Numquid mare sum ego, aut cetus quia circumdedisti me carcere?* ait autem, *Quid verò appellatione maris nisi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa, quid autem ceti nomine nisi antiquus hostis exprimitur? qui dum mentes sæcularium possidendo penetrat, quasi in eorum lubrica cogitatione natat. Sed cetus carcere constringitur, quia malignus spiritus in inferioribus deiectus, ne ad cælestia volare præualeat, pœna suæ ponderis coarctatur.* Cúmque hæc Petri verba protulisset subdit, *Cetus carcere constringitur, quia tentare bonos, quantùm desiderat prohibetur.* Et aliquantò pòst, *Cetus ergo ac mare circumdatione premitur carceris, quia vel malignus spiritus, vel sequaces illius, in quorum se mentibus colligit atque in eis vndas tumentium cogitationum voluit, vt implere mala, quæ appetunt, nequeant, superna eos districtio angustat.* C Hæc quidem spiritali, ac mystico sensu Gregorius, nam reuera Dæmon inferorum carcere, seu tartaro, vt loquitur Petrus, includitur, vt suæ superbiæ sempiterna supplicia luat, atque hoc, ni fallor, argumento ducto à maiori concludit Apostolus certissimum impiis imminere interitum, & perennes cruciatus, vt qui Dæmonis vitia imitantur, eius etiam pœnas aliquando experiantur.

XXIV. b coll. 8. c. 8. 9. 10.

Ex hoc porrò loco rectè colligit Cassianus [b] constare angelos nonnullos olim grauiter peccasse, suíque sceleris iustissimas dedisse pœnas. Beatus autem Ambrosius [c] non esse mirandum ait, si interdum etiam viri sancti dæmonis grauissimas, acerbissimásque oppugnationes vel muiti sustinere cogantur. Quinetiam ex hoc eodem loco probat Augustinus [d] D non esse dæmones natura malos, qui sese sponte sua criminis turpitudine fœdarint. Et alio quodam loco dæmonem [e] asserit in iudicium reseruari, vt cum suis sectatoribus, ac veluti sui corporis membris extremam iudicis sententiam, & irreuocabilem damnationem subeat. Idémque alibi [f] affirmat illud etiam extra controuersiam esse, quod nonnulli tamen in dubium reuocabant, dæmonum, ac damnatorum supplicia fore sempiterna. Postremò hoc exemplo docet Cassianus [g], quanto studio, ac diligentia vitanda sit superbia, quæ mentes illas corporis mole solutas, ac liberas in ima tartara deiecit.

c Apolog. 2. Dau. c. 2.

d lib. de nat. bon. c. 33.

e Tract. 95. in Io. & 21. de ciuit. c. 33

f 21. de ciu. c. 23.

g lib. 12. de inst. renun. c. 4.

5. *Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.*]

I. E Secundum exemplum est diuinæ vltionis, desumptum à primo illo nascentis mundi sæculo, cùm vniuersi mortales paucis exceptis eluuione aquæ perierunt. Subaudiendum est autem ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *si non pepercit*, vt non malè quidam ex hac loquendi formula colligant Angelis non aliter, ac priscis illis mortalibus pœnitentiæ locum fuisse concessum. Quod autem ait originali mundo, Græcè scripsit Apostolus ἀρχαίου κόσμου, quasi dicat antiquum, & aliquo pacto rudem, & imperitum, tunc enim rerum diuinarum perexigua, ac subobscura notione præditi erant homines,

nes, vt ex libro Geneseos facilè deprehendi potest. Dicitur autem Deus priscis illis mortalibus non pepercisse, quos tamen Noë exemplo, & adhortatione ad pœnitentiam excitauit, vt in superiori [a] epistola Petri planius ostendi. Verùm quoniam Dei benignitatem, ac liberalitatem contempserunt, ad vnum omnes vnica familia Noë excepta eluuione aquarum extincti sunt. Habet autem hoc secundum exemplum magnam omnino vim, nam si rudes illos homines, atque imperitos rerum diuinarum inscitia nihil omnino iuuit, vt suorum scelerum supplicium effugerent, quid de nobis sentiendũ videtur, quibus Christianæ doctrinæ, quasi lux meridiana affulsit? Nam vt ait Christus [b] Dominus, *Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

a cap. 3.
b Luc. 12. 47

II. Sed olim quidem *corrupta* dicitur [c] *fuisse terra coram Deo, & repleta iniquitate.* Quinetiam *multa* dicitur fuisse *malitia hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum.* Denique, *Omnis caro* corrupisse dicitur *viam suam*, vt meritò Deus ad indignationem, & iram prouocatus videatur, vsque adeò, *vt tactus dolore cordis intrinsecus* dixerit: *Delebo hominem, quem creaui à facie terræ ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli, pœnitet enim me fecisse eos.* Ne tamen omne humanum genus penitus interiret, familiam Noë saluam, atque incolumem reseruauit; & idcirco ait Petrus, *Sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit.* An octauum à primo parente intelligit? Caue id credas, nam ex libro Geneseos [d], & Euangelio [e] Lucæ liquet eum fuisse decimum. Itaque octauum præconem iustitiæ Noë vocat, quia ex iis, qui arcæ beneficio interitum effugerunt numeratur octauus, octo enim tantummodo incolumes euaserunt: meritò autem præconem iustitiæ appellat, quod suo exemplo, & oratione cunctos ad iustitiam complectendam, ac retinendam inflammaret; de illo enim scripsit [f] Sirac, *Noe inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, ideo dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluuium, testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri posset diluuio omnis caro.*

c Gen. 6. 12.
d Gen. 5.
e cap. 3.
f Eccl. 44. 17

III. Cæterùm eximias viri iusti laudes non semel celebrat doctissimus Philo [g], alicubi enim ita de illo scribit, *Nam si quis roges, cur Noe dicatur inuenisse gratiam coram Domino Deo prius quàm aliquid boni fecisset, quantùm quidem nos scire possumus, rectè respondebimus liquere, quod laudator sit creationis, & generationis. Nam Noe interpretatur requies, aut iustus, necesse est autem, qui cessans à peccatis, & iniquitatibus requiescat in honestate, & viuit cum iustitia, gratiam inuenire apud Deum.* Mox autem explicans, quid sit gratiam inuenire, *Porrò*, inquit, *inuenire gratiam non id tantum significatum habet, quod quidam vsurpant pro placere, sed & tale quid, iustus quærens rerum naturam in hoc inuenies inuentum optimum, quòd gratia Dei sint, quæ sunt omnia, sibi enim creando gratificatus est nihil, quando illi nihil inde accessit, ideoque tantùm gratiam profundere proprium est ei.* Alio verò [h] loco explicans verba illa, *Noe homo iustus perfectus in generatione sua placuit Deo; quæ ex concretis,* inquit, *nascuntur, & ipsa concreta sunt, nam ex equis equi è leonibus leones, è tauris boues, homines item ex hominibus gigni necesse est, at bona mentis non talis est propria progenies, sed prædicta virtutes hominem esse, iustum esse, perfectum esse, Deo placere, quod vt perfectissimum, & summa felicitatis finis postremum subiungitur.* Dixerat autem [i] priùs miras fuisse Noë animi dotes: denique, *Ante omnia, ait, Noe illum, qui primus in sacra Scriptura iustus pronunciatus est à protoplasto inductus decimum non ad in-*

g li. 2. de legis allegor.
h lib. quòd Deus sit immutabilis.
i li. de congressu quærendæ eruditionis gratia.

A *dicendam annorum multitudinem, sed vt apertè doceat, quod sicut denarius numerorum, qui deinceps vnitatem sequuntur, est perfectissimus, ita iustitia in anima rerum finis est vitæ actionum.*

IV. Deus autem ipse ita Noë alloquitur [a], *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me in generatione hac:* vbi Ambrosius [b], *Multi,* ait, *hominibus iusti videntur, pauci Deo, aliter hominibus, aliter Deo, hominibus secundum vitæ speciem, Deo secundum puritatem animi virtutis veritatem; homines quæ foris sunt probant, Deus quæ intus examinat. Perpende autem addidit, in generatione ista, vt neque superiores condemnaret, neque posteriores excluderet, retléque diluuium factum astrueret interitu generationis eius, quæ non haberet consortium æquitatis.* Petrus autem non solùm vocat Noë iustum, sed etiam iustitiæ præconem, quia, vt dixi, improbos illos ad veram iustitiam, ac pietatem non tantùm oratione, sed etiam vitæ exemplo prouocabat, cùm tamen surdis, vt aiunt, caneret, nec quicquam cum mortalium perditissimis proficeret, vt non immeritò illi diluuio ad vnum omnes extincti sint: itaque subdit Petrus, *diluuium mundo impiorum inducens,* quasi dicat mundo impiis, ac sceleratis hominibus referto.

a Gen. 7. 1.
b li. de Noë, & arc. c. 11.

V. Non dubitandum tamen videtur plures etiam fuisse tunc vel iustos, vel innocentes, qui tamen omnes Noëtica familia excepta vnà cum impiis absumpti sunt, vt appareat quàm periculosum sit cum nefarius hominibus societatem inire. Interim verò diuini iudicij seueritas magnopere extollitur, & quidem verè, nec enim falsò dixit Sirac [c], *Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Et aliquantò [d] pòst, *Ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim, & ira ab illo citò proueniunt.* Significat enim Deum, & facilè ignoscere, & nonnunquam etiam subito vlcisci. Maximè autem in eos sçuire consueuit Deus, qui multitudine, & grauitate scelerum callum quodammodo obduxisse videntur, de quibus loquitur Apostolus, cùm ad Hebræos [e] scribit, *Impossibile enim est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum; virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.*

c Eccl. 5. 4.
d vers. 6.
e cap. 6. 4.

6. *Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens euersione damnauit exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.*

I. Tertium exemplum à ciuitatibus Sodomorum, & Gomorrhæorum ductum, quæ ob fœdam præposterámque libidinem cœlesti incendio conflagrarunt, ac penitus absumptæ sunt; idem exemplum attulit etiam Iudas, historiam verò breuiter commemorat Salomon [f]: *Hunc iustum, ait, à pereuntibus impiis liberauit, fugientem descendente igne in Pentapolim, quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.* Indicat enim quod legitur in libro Geneseos [g] de vxore Loth, quæ quod contra Dei præceptum post terga respexerit in salis statuam conuersa est, quam Iosephus [h] ad suam vsque ætatem perseuerasse testatur; alibi [i] verò illarum vrbium, totiúsque regionis vastationem, atque incendium hunc planè in modum describit, *Huic* (id est Arabiæ) *Sodomitica terra vicina est, olim quidem tam fructibus, quàm diuitiis ciuitatum fortunata, nunc autem omnis exusta, vt quæ habitatorum impietate fulminibus*

f Sap. 10. 6.
g cap. 19. 26
h li. 1. antiq. c. 12.
i li. 5. de bel. Iuda. c. 5.

co-sa

conflagraſſe commemoratur, denique adhuc in ea diuini re- A *liquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, etiam renaſcentes in fructibus cineres, qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium verò manibus in fumum diſ-ſoluuntur, & cinerem.*

II. Vtrumque eleganter deſcribit Cyprianus [a], nam de vxore Loth ita ſcribit:

a Sodoma.

Namque comes coniux heu me malè tum quoque legis
Fœmina non patiens diuina ad murmura cæli
Audaces oculos nequidquam ſola retorſit
Non habuit vnà loqui quod viderit, & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſaq; imago ſibi formam ſine corpore ſeruans
Durat adhuc etenim dura ſtatione ſub æthram
Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis,
Quin etiam ſi quis mutilauerit aduena formam
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur, & viuens alio iam corpore ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Paulò autem pòſt de illius regionis natura, conditionéque hæc ſcribit:

Nullus aras fruſtra piceas fuligine glebas,
Semper empta etiam ſi qua illic iugera latas
Autumni conantur opes, facile optima ſeſe
Promittunt oculis pyra, perſica, & omnia mala
Donec carpantur, nam protinus indice tactu,
Soluitur in cinerem, fit vana fauillàque pomum.

III. Simile quiddam ait Philo [b], *Tunc, ait, vt in ſacra Scriptura legitur, fulmina imbrium in morem de cœlo ruentia concremauerunt homines impios vnà cum eorum vrbibus. Extant in hodiernum vſque monumenta cladis illius inenarrabilis, oſtenduntúrque ruinæ in Syria mixtæ cineri fumo, ſulphuri, lambentibus hæc interdum flammis ſenſibus, ſicut fit in reliquiis incendij.* Alibi [c] verò fuſiùs hanc totam Sodomorum hiſtoriam deſcribit, *Sodomitarum*, inquit, *regio pars Chananææ terræ, quam Syri Palæſtinam nominant infinitis iniquitatibus referta præcipuè propter ventris libidinum, cæterarumq; voluptatum ſtudia iam diuino calculo iudicata fuerat; immodicæ autem ciuium luxus è ſuperflua rerum copia habuerat originem, accedente enim ad bonitatem agri aquarum commoditate omnis generis fructuum quotannis prouentus erat maximus, eſt autem ingens malorum initium, vt quidam non malè coniectans dixit, nimia bonarum rerum copia, quarum ſatietatem quidam non ferentes tanquam iumenta laſciuiunt à ceruice excuſſis naturæ legibus, verſi ad meracas potationes, cibos opiparos, & nefarios concubitus, non ſolùm enim in fœminas inſaniendo corrumpebant alienos thalamos, ſed & cum maſculis rem habebant maſculi, nil veneris naturam communem patrantibus, & patientibus, & irritam genituram ferentes nulla ſecutura progenie.*

b lib. 1. de vita Moſ. nõ procul à fine.

c lib. de Abraham.

IV. Nonnullis autem interiectis diuinam ſubiicit vltionem, *Immanes autem, ait, illos, & nefarios coitus exoſus* (ſcilicet Deus) *abolcuit, & rabidos eorum patratores aggreſſus nō vulgari aliquo, ſed nouo, mirandoq; affecit ſupplicio, inductis enim ſubitò nubibus iuſſit eas imbrem non aquæ, ſed ignium pluere, ſimúlque in morem niuis denſiſſima indeſinenter flamma deorſum ferretur magno impetu, ardebant arua cum pratis, & condenſa ſaltuum, paluſtris quoque materies, & intima nemorum, vrebantur eodem incendio campeſtria, ſegetes cum ſuis frugibus conflagrabant, & arbuſta montium trunci vnà cum ſuis radicibus, vrbana quoque, & ruſtica ædificia, mœnia, cæteráque opera publica non minùs quàm priuati parietes; atque ita vnus dies frequentiſſimas ciuitates vertit in buſta ſuorum ciuium, ſtructuras verò lapideas, & ligneas in cinerem, & minutiſſimum puluerem. Vbi verò ſupra terram flammis abſumpta fuerunt omnia, terram ipſam vorabat incendium, ita vt exuſtis penitùs vitalibus nihil ſupereſſet, vnde vel fructus, vel herba germinaret, in hodiernum vſque malo durante. Nam fulmineus ignis nunquam extinguitur, aut* D E

ſerpit, aut vaporat, quod oculis ipſis cernitur; extant enim argumenta cladis veteris, fumus exhalans perpetuò, & ſulphur, quod ibi foditur.

His autem duobus poſterioribus exemplis probat Apoſtolus diuinæ quidem vltionis ſeueritatem in impios, eximiam verò erga iuſtos beneficentiam, ac miſericordiam. Nam Noe iuſtum vnà cum familia à diluuio, & Loth cum filiabus ab incendio eripuit, itaque ait: *ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens euerſione damnauit.* Hoc eſt Hebræa phraſi euertens vltus eſt. Porrò Iudas tam ſeueræ vltionis cauſam explicat, cùm ait, *Exfornicata, & abeuntes poſt carnem alteram:* atque ad hanc fortaſſe diuinam vltionem alludit Paulus, cùm ad Epheſios [a] ſcribit. *Propter hæc venit ira Dei,* dixerat autem paulò antea: *omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno* B *Dei.* Ad hæc enim vitia reſpexiſſe videtur, vt ibi monet Chryſoſtomus. Et ſanè Sodomiticum nefas adeò eſt atrox, atque immane, vt meritò dicatur ante Deum vociferari, & quaſi iuſtam vindictam poſtulare, ſic enim ait Deus [b]. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis,* clamor autem, vt explicat Auguſtinus [c], in ſcriptura ponitur, *pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore abſcondatur,* neque aliter ſentit Gregorius [d]. V.

a cap. 5. 6.

b Geneſ. 18. 20.

c lib. 1. locution. de Gen. c. 18.

d lib. 5. Mor. c. 7. lib. 19. Mor. c. 23. lib. 6. regeſ. ep. 178. & 3. p. paſt. c. 32.

e lib. 1. de prouid.

VI. Porrò de hoc clamore elegantiſſimè ſcribit Saluianus [e]. *Pulchrè, ait, clamorē dixit in ſe habere peccata, grandis abſque dubio peccantium clamor eſt, qui à terra aſcendit ad cœlum, quare autem peccata hominum quaſi clamare teſtatur? ſcilicet quia tadi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium.* C *Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur.* Aliquantò autem poſt de his Petri verbis ita diſſerit. *In præſenti autem illud, quod futurum eſt, Deus voluit declarare iudicium, quando ſuper impium populum gehennam miſit è cœlo, ſicut etiam Apoſtolus dicit, quod Deus ciuitates Sodomam, & Gomorrham euerſione damnauit, exemplum ponens impiè acturis, quamuis id ipſum, quod ibi actum eſt, plus habuerit miſericordiæ, quàm ſeueritatis; quòd enim pœnam eorum tam diu diſtulit, miſericordiæ fuit, inſtitiæ, quòd aliquando puniuit.* Hoc itaque eſt, quod ait Petrus. *Exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens,* quaſi dicat, hoc exemplo indicare voluit, quale ſupplicium maneat eos, qui impiè, ac ſceleratè vitam traducunt, hoc enim recta ratio poſtulat, vt quorum quis mores, vitámque imitetur, eorum exitum perhorreſcat. D

VII. Obſeruat autem loco indicato Saluianus, ſæuire quidem interdum Deum humana improbitate prouocatum, ſed penè coactum ſupplicia infligere. *Oſtendit, inquit, Dominus quàm inuitus puniat etiam grauiſſimos peccatores dicens, quòd clamor Sodomorum, ad ſe aſcenderit, hoc eſt dicere, miſericordia quidem mea mihi ſuadet, vt parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit vt puniam.* Et aliquantò pòſt. *Et ideo cùm Angelos Sodomam Deus miſiſſet, hoc nobis probare voluit, quod etiam malos puniret inuitus, ſcilicet vt cùm legeremus, quæ à Sodomis Angeli pertuliſſent, & videremus ſcelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obſcœnitatem, probaret vtique nobis Deus, quòd ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint, vt perirent.* E

VIII. Hoc ipſum olim non obſcurè Deus ipſe apud Iſaiam [f] indicauit, cùm dixit. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, vindicabor de inimicis meis:* Dolens enim ſupplicia intentat, qui non delectatur pœnis irrogandis, ſed procliuis eſt ad lenitatem, & manſuetudinem, & ad miſericordiam ſuapte natura propenſus, ſed quia etiam ſummè iuſtus eſt, ſcelerum magnitudinem,

f cap. 1. 24.

nem, & grauitatem iusto supplicio plectit; eadem tamen opera eximia quadam benignitate cæteros à peccando deterret, & in officio continet. Quocirca A
a Pro.21.11. Salomon [a], *Mulctato*, ait, *pestilente sapientior erit paruulus:* Sic enim sunt multorum ingenia, vel natura, vel consuetudine comparata, vt supplicij metu potiùs, quàm virtutis specie, atque honestate commoueantur.

7. *Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit.*

I. Verè omninò dixit olim Abraham [b] Deum alloquens.
b Genes.18.25. *Absit à te vt rem hanc facias, & occidas iustum, cum impio, fiátque iustus sicut impius, non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* B
Quamquam autem non inuenti sunt decem, quos Abraham requirebat, vt Deum ad misericordiam prouocaret, voluit tamen Deus Abrahæ gratificari, & iustum Loth vnà cum familia ab incendio eripere tamquam innoxium, & Sodomorum impietate minimè implicitum. Itaque illum Petrus iustum vocat, quòd ab impia, nefariáque Sodomitarum libidine maximè abhorreret, vt ex Geneseos historia liquet. Qua verò ratione contra iustitiam, & castimoniam non peccarit, cùm filias stupro obiecit vt adolescentes, quos putabat, à se hospitio acceptos ab iniuria, fœdáque contumelia liberaret, & cùm ipse deinceps incesto complexu filias constuprarit, alibi dixi; hoc autem loco Petrus eum ait fuisse oppressum, Græcè καταπονούμενον, quasi defatigatum, vel lassatum, labore confectum, videtur enim respexisse ad historiam, C
c cap.19.9. quæ habetur in libro Geneseos [c]. *Vimque*, inquit, *faciebant Loth vehementissimè, iámque propè erat, vt effringerent fores.*

II. Ereptus igitur est Loth primùm à contumelia, cùm illi cæcitate, seu, vt Græcè scriptum est ἀορασίᾳ percussi sunt, ne ostia domorum videre possent, cùm cætera cernerent, idque meritò, vt qui alienas fores violare, ac perfringere conarentur, ne suas quidem intueri possent, deinde etiam ab incendio, & conflagratione mirabiliter erutus est; cùm Angeli ductu egressus vrbe, totam illam regionem emensus in oppidum finitimum sese recepit. Quocirca ait Petrus, D
à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit. Videtur autem Interpres alios habuisse codices, quàm qui nunc circumferuntur, ita enim habent, καταπονούμενον ὑπὸ τῆς τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς ἐρρύσατο, quasi dicat oppressum, aut defatigatum Loth propter consuetudinem nefandorum hominum impura libidine corruptorum, vel dicendum est Interpretem satis commodè expressisse sententiam, possis enim ita accipere, cùm ait. *Et iustum Loth oppressum à nefandorũ luxuriosa conuersatione*, vt id totum referatur ad participium *oppressum*, seu defatigatum, vel ad verbum, quod sequitur, *eripuit*. vtrumque enim verè dicitur, & fuisse Loth impia scelestorum hominum consuetudine valdè defatigatum, & cùm defatigatus esset, ab eorum conuictu, & societate fuisse ereptum; quòd autem in Latinis codicibus legitur, *iniuria*, nihil habet in Græcis quod ei respondeat; tacitè E
autem Loth sanctitatem commendat, qui inter improbos castè, integréque vixerit, nam vt ait Grego-
d lib.1.Mor. rius [d]. *Non valdè laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis; sicut enim grauioris culpa est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum etiam*
e cap.30.29. *inter malos extitisse. Hinc est quod idem beatus Iob* [e] *sibimet attestatur dicens. Frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc Petrus magnis Loth laudibus extulit, quod bonum inter reprobos inuenit*, hoc verò magis deinde explicat Petrus, cùm ipsam improborum vitam, A ac mores iusto Loth loco supplicij fuisse commemorat.

8. *Aspectu enim, & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.*

Quia dixerat Loth fuisse oppressum, vel defatigatum, explicat nunc laboris, ac defatigationis causam seu materiam, cùm enim adeò iustitiam coleret, vt nihil impium, aut fœdum cernere, vel audire posset, cogebatur tamen quotidie scelestorum hominum flagitia & videre, & audire, quibus incredibiliter eius animus cruciabatur. I.
B Mira igitur fuit iustitia, & sanctitas Loth, qui adeò ab omni vitio abhorreret, vt nihil turpe oculis, aut auribus absque molestia exciperet. Ad hunc autem locum respiciens Gregorius, cùm hæc ipsa Petri verba protulisset, subdit. *Qui nimirum cruciari non posset, nisi praua propinquorum opera & audiret, & cerneret, & tamen aspectu, & auditu iustus dicitur, quia iniquorum vita non delectando, iusti aures, atque oculos feriendo tangebat.* Meritò autem ait Petrus fuisse Loth aspectu, atque auditu iustum, sic enim bene compositus animus etiam externas corporis actiones moderatur, vt ab omni turpitudine, ac fœditate penitus abhorreant.

II. Itaque oculorum, auriúmque voluptates tamquam Syrenes, vel potiùs perniciosissimas pestes fugit, quòd animum emolliant, eiúsque vires, ac robur C
frangant, & malorum omnium conciliatrices prudentum iudicio censeantur. Eam ob causam olim fideles à Gentilium spectaculis magnopere abhorrebant, & impuras cantilenas auersabantur, vt Tertullianus, ac Cyprianus elegantissimè docent. Loth igitur aspectu, atque auribus iustus dicitur, qui nihil ipse sponte sua impurum spectaret, audirétque, cùm tamen inter eos viueret, qui nefariis sceleribus cooperti nullum impudicitiæ genus non impudenter complecterentur: propterea ait Petrus, *habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Tantùm enim aberat, vt vir iustus, ac sanctus eorum mores, actionésque probaret, vt iis non aliter ac graui aliquo supplicio cruciaretur. Sic olim D
Dauid [a] de se ipso testatur. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Rursus [b]. a Psal. 118. 139. b ver.158.
Vidi præuaricantes, & tabescebam. Itémque [c], *Super inimicos tuos tabescebam.* c Psal.138. 21.

III. Hinc autem apparet eximia quædam, ac singularis Dei prouidentia, qua iustorum saluti, atque incolumitati prospicit, eorum præsertim, qui iniurias, & contumelias Deo illatas iniquissimo animo ferunt, quod esse proprium iustorum alienbi docet Gregorius Nyssenus [d], ita enim scribit. *At prima quidem* d lib. de beatitu. in illa verb. beati qui lugent.
facie potest aliquis illum luctum beatum putare, qui propter delicta, atque peccata extitit iuxta Pauli de tristitia doctrinam, vbi dixit, non esse vnam tristitiæ speciem, sed aliam quidem mundanam, aliam verò, quæ secundum Deum repræsentatur. Ita olim Samuel Saulis deplorabat interitum, & Hieremias propter populi flagitia incredibili quodam dolore afficiebatur. Et Augustinus [e] de hac e Præf. in Psal.69.
E iustitia Loth, déque eius animi angore ita loquitur *Neque enim & Loth ille sanctus in Sodomis ab aliquo corporalem persecutionem patiebatur, aut dictum illi erat, vt non ibi habitaret. persecutio eius facta mala Sodomitarum erant.* Eodem spectare potest quod ait Paulus ad Galatas [f], eum, qui secundùm carnem natus fuerat, persequutum fuisse illum, qui secundũ spiritũ natus f cap. 4.29.
erat, cùm tamen in libro Geneseos [g] dicatur Sara vidisse filium Agar ludentem cum filio suo, non autem persequentem; quo loco Augustinus [h]. *Quam lusionem dicis scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem* g cap.21.9. h Tract.11. in Io.

dicit

dicit Apostolus. Et paulò antè dixerat, *Sed illa lusio, illusio erat, illa lusio deceptionem significabat*. & paucis interiectis concludit, *Plus ergo vos persequuntur, qui vos illudendo seducunt*. Quod profectò non solùm eos attingit, qui verbo & oratione seducere moliuntur, sed multò magis illos, qui exemplo ad impietatem trahere nituntur.

IV. At Loth vir iustus, ac pius primùm quidem cruciabatur, quòd quotidie multa indigna cernere cogeretur, quæ cùm propter ipsorum fœditatem ac turpitudinem mirum in modum pudicum animum lancinabant, tum etiam propter frequentiam, nimiámque peccandi licentiam rectæ rationis præscriptum, diuinámque legem insigni quadam contumelia afficiebant, qua nihil pia mens tristius, aut acerbius intueri potest. Deinde ipsa illa iniuria, quam hospitibus intentabant, incredibili proculdubio mœrore iustissimum virum torquebat, vt ipsius verba apertissimè testantur; dicit itaque Petrus. *Animam iustam iniquis operibus cruciabant*, quod est iustorum proprium, qui nihil ferre possunt, nisi quod iustitiæ, & æquitati congruat, optimè enim viro iusto præcepit olim nescio quis; *Præstabis*, inquit, *parentibus pietatem, cognatis dilectionem, præstabis amicis fidem, omnibus æquitatem, pacem cum omnibus habebis, bellum cum vitiis.*

9. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos.*]

I. Laborat hoc loco Oecumenius, vt suspensam, atque hiulcam orationem excuset, cum nihil sit, quod adhibitæ conditioni respondeat, nam quia dixerat, si Deus Angelis peccantibus, cæterísque mortalibus Noëtico æuo, & mox Sodomitis, & Gomorrhæis non pepercit, sed sæuissimis suppliciis vltus est, rectè loquendi, scribendíque ratio postulabat, vt subijceret, longè minùs impunitatem sperare posse impios, ac nefarios pseudoprophetas, de quibus initio capitis dicere cœperat: itaque negat hanc esse argumentationem ductam à simili, sed esse tantùm exemplorum quamdam enumerationem, qua docet impios quidē suorum scelerum pœnas tandem aliquando luere, iustos autem, quales fuerunt Noë, & Loth, ope diuina tutos ab omni malo eripi, vt quasi admirans subdiderit Petrus, *Nouit Dominus pios de tentatione eripere*, & quæ deinceps sequuntur. Et profectò si rem spectes, non malè sentit Oecumenius, sin autem ad orationem respicias, ea proculdubio videtur inabsoluta, siquidem particula illa, *si*, cui nihil in consequentibus respondet, orationem suspendit; & pendulam quodammodo reddit.

II. Quod idem dixerim de sententia Bedæ, qui hunc in modum hæc superioribus adnectit; si illis iniquè agentibus non pepercit, Noë verò, & Loth iustos, ac pios ab omni non solùm malo, sed etiam periculo eripuit, argumento est, Deum probè nosse, atque adeò posse iustos ab omni incommodo liberare, qui ex aduersu impios æternis suppliciis irreuocabili suo decreto ante omnem æternitatem destinauit; vt enim hoc admittamus, quod etiam videtur insinuasse Oecumenius, nihilominus pendula, atque hiulca relinquitur oratio. Non me latet Higinum [a] Pontificem totum hunc locum Petri paulò aliter describere, ita enim habet, *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, in iudicium cruciandos reseruari, & originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens, quid putatis iniquis, & impiis perseuerantibus in nequitia eorum erit?* & quæ deinceps sequuntur. Cùm autem totum Petri locum ad verbum exscribat, non mihi facilè persuadere possum, quidquam Pontificem suo marte, ingeniòve adiecisse, mihíque adeò fit valde verosimile olim in Latinis, ac fortasse etiam in Græcis codicibus perfectam, atque absolutam orationem, & integram argumentationem fuisse.

[a] epist. 2.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

III. Quocirca cùm commemorasset Apostolus Loth beneficium, qui ab incendio Sodomitico euasit incolumis, rectè subdit, *nouit Dominus*, quasi dicat ad diuinam ipsius prouidentiam pertinet, pios de tentatione eripere, de tentatione autem dixit Græcè πειρασμοῦ, vt significet, si quid aduersi iusti patiantur, id non ad vltionem, sed ad tentationē pertinere; explorat enim Deus eorum animi robur, atque constantiam; ita ait Dauid [a], *Multæ sunt tribulationes iustorū, sed de his omnibus liberauit eos Dominus*; idque exempla Noë, & Loth suprà commemorata non obscurè indicant; & planiùs Deus ipse apud Dauidem [b], *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Et alibi [c], *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Nouit igitur Deus iustos è malis eruere, & ærumnis, ac rebus aduersis veluti exploratos, illustriores reddere, verè namque scripsit Salomon [d], *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos, subest enim tibi, cùm volueris, posse.* Hæc autem sententia in eo maximè cernitur, quod confestim subiicit Salomon, *Cum ergo*, inquit, *sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute.*

[a] Ps. 7. 10.
[b] Psal. 90. 15.
[c] Ps. 49. 15.
[d] Sap. 12. 18.

IV. Non igitur Petrus solam, ac simplicem scientiam Deo tribuit, quę sola rerum cognitione contenta non aliò referatur, sed eam scientiam intelligit, quæ est actionis principium, quámque in scholis practicam Philosophi appellant. Nec enim malè apud Iob [e] loquitur Eliphaz Themanites, cùm dixit: *Recordare, obsecro te, quis vnquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? Mox autem subdit, Quin potiùs vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos.* Tametsi enim negari non potest, plurimis interdum grauissimísque calamitatibus, ærumnísque iustos vexari, in iis tamen non pereunt, aut deficiunt, vt egregiè ait Paulus [f], *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed nō destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, humiliamur sed nō confundimur, deiicimur, sed non perimus.* Alibi [g] verò cùm multa commemorasset aduersa; *propter te*, inquit, *mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.*

[e] cap. 4. 7.
[f] 2. ad Cor. 4. 8.
[g] ad Rom. 8. 37.

V. Prætetquam quòd Eliphaz verba hac possunt ratione explicari, vt significet Deum immortalem nunquam ex ira, aut iustitiæ lege iustos vlcisci cùm in iis nihil odio, aut supplicio dignum deprehendatur. Quam ob causam in eandem sententiam dixit Dauid [h], *Iunior fui, etenim senui, non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Sed omnis ira Dei in impios, ac sceleratos effunditur, de quibus mox subdit Petrus, *iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos.* Nec enim semper improbi suorum scelerum in hac mortali vita pœnas luunt, sed interdum bonis affluunt, voluptatibus perfruuntur, suísque cupiditatibus liberè obsequuntur, non tamen impunè ferent, quippe qui nisi maturè resipiscant, acerbissimis inferorum suppliciis destinantur. hoc enim est, quod ait Petrus,

[h] Ps. 36. 25.

in diem iudicij reseruare cruciandos, quod illa apud Lucam [a] Lazari, diuitisque historia apertissimè docet, quæ verissima Abrahæ sententia clauditur, *Recordare fili, quòd recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem ille consolatur, tu verò cruciaris.*

a cap. 16.

VI. Acutè autem expendit Chrysostomus [b], verbum illud *recepisti*, quasi significet, paucorum fortasse bonorum mercedem illum iam percepisse, superesse tantùm, vt ipsius flagitia sempiternis suppliciis mactentur. Certè qui caducis, ac mortalibus bonis affluunt, magnopere metuere debent, ne, quod ait Salomon, extrema gaudij luctus occupet. Vt enim scribit Gregorius, eandem Abrahæ sententiam explicans, *ista sententia pauore potiùs indiget, quàm expositione, nam si qui estis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis, ipsum, vt ita dicam, donum exterius pertimescere debetis, ne vobis pro quorumdam vestrorum actuum recompensatione sit datum, ne iudex qui hic bona exteriora restituit, à retributione boni intimi repellat, ne honor hic, vel diuitia non adiumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris.* Et alibi [c], valdè ait occulta esse Dei iudicia, cùm in hac vita nonnunquam bonis sit malè, & malis bene, quod eadem Lazari, diuitisque historia confirmat, quod etiam facit Bernardus [d]. Hinc autem colligit Origenes [e], non posse quemquam, vt ille loquitur, *in carne, & in spiritu habere delicias, sed si quis*, inquit, *in carne delicatur, sicut ille diues, carebit gremio Abrahæ, & deliciis; qui verò in præsenti sæculo pane afflictionis vescitur, sicut & ille pauper, cùm hinc abscesserit erit in deliciis.*

b conc. 2. & 3. de Lazaro.
c lib. 5. mor. c. 8.
d in declamat.
e hom. 1. in Psal. 36.

VII. Nouit itaque Deus, & bonos à malis eripere, & impios in tartarum detrudere, sed illud quidem non est perpetuum, cùm plerumque iustos rebus aduersis exerceat, hoc autem nisi peccatores saniora aliquando consilia respicient, numquam non efficitur, tametsi in hac etiam mortali vita, improbos nonnunquam Deus grauissimè cruciat, quod si interdum dissimulat, id ipsum ad pœnam pertinet. Verè namque dixit Dauid [f], *Exacerbauit Dominum peccator.* Flagitiorum videlicet multitudine, & grauitate; quid igitur Deus? *In multitudine*, inquit, *iræ suæ non quæret*, hoc est, non puniet, non vlciscetur, vt acerbiùs in futura vita cruciet, & torqueat; quod indicat in præsentia Petrus, cùm ait: *In diem iudicij cruciandos reseruari.* Sic olim Dauid [g], *Hunc*, inquit, *humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc; verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Deus quippe in hac mortali vita non quidem semper pro meritis, sed vt diuinæ ipsius sapientiæ visum fuerit, *hunc humiliat, & hunc exaltat.* Quibusdam secunda omnia, & prospera ex animi sententia patitur euenire; alios contrà deprimit, ac deiicit, id verò idcirco accidit, quia paratum habet calicem iræ, furorisque plenum, quasi dicas, generoso, ac meraco vino, absynthio tamen, & multa fæce, hoc est, seueritate permixto, ex eo calice subinde particulas nunc aduersus hunc, mox aduersus illum effundit, maximam tamen amaræ, & fæculentæ portionis partem retinet, & conseruat, quam totam exhaurient in alia vita impij; nihil igitur cogitari potest improbo infelicius, qui nullus vnquam rebus aduersis prematur.

f Psal. 9. 24.
g Psal. 74. 9.

10. *Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes.*]

I. Quod vniuersim summa genera attingens indicauerat, id præcipuè Simonianis, ac Gnosticis, cæterisque similibus hæreticis accommodat, *magis autem*, ait Græcè μάλιστα, hoc est, *maximè*, quasi dicat; potissimùm Deus sæuire solet in impios, ac nefarios hæreticos. Attingit autem præcipua hæreticorum vitia, & peccata, ante omnia verò illis impudicitiam, impuræque libidinis ardorem obiicit, *qui post carnē*, inquit, *in concupiscentia immunditiæ ambulant.* Nam primùm ait eos abire, seu ambulare post carnem, quasi dicat pecudum more, nihil nisi de corporeis voluptatibus cogitare, nihil altum, aut sublime quærere, sed veluti gulæ, genitique mancipia delicias vndecumque conquirere. Deinde addit, eos ambulare *in concupiscentia immunditiæ*, Græcè μιασμοῦ, hoc est, *inquinamenti*, seu *pollutionis*, vt indicet eos totos esse in sordibus, & impurissimis fæcibus, quod, vt ait Oecumenius, maximè de Nicolaitis, Gnosticis, atque aliis eiusdem farinæ hæreticis accipiendum est. Quamquam Hieronymus [a] hæreticum pudicum, & castum inueniri vix posse affirmat, *Difficile est enim*, inquit, *hæreticum reperire, qui diligat castitatem, non quòd eam præferre desistat in labiis, sed quòd non seruet in conscientia aliud loquens, & aliud faciens.* Id superiori sæculo multorum exempla docuerunt, qui religiosæ, ac cœnobiticæ vitæ, catholicæque Ecclesiæ nuntio remisso, & monasticis votis nefariè violatis incestas, ac sacrilegas nuptias contra ius, fasque ausu planè temerario, ac fanatico inierunt; Ecclesiasticam verò, ac religiosam castimoniam non abiurarunt modò, sed ei voce, ac reipsa execrabili bello indicto, impuris libidinibus sese constringendos, commaculandosque præbuerunt, & tripudiis, saltationibusque, Ecclesiæ, ac religionis, vt ipsi mentiuntur, innouationem ac reformationem auspicati sunt. In hos, eorumque similes verè dicta videntur illa, quæ alicubi [b] scribuntur à Paulo, *quæ ab iis*, inquit, *occultè fiunt turpe est dicere.*

a lib. 2. in Ose. c. 7.
b Eph. 5. 12.

II. Subdit Petrus, *dominationemque contemnunt.* Græcè κυριότητος καταφρονοῦντας, quod etiam Oecumenius de Nicolaitis, ac Gnosticis, iisque hæreticis accipit, quorum mores ab Irenæo præcipuè describuntur. Illi siquidem, vt hîc ait [c], Saluatoris Domini nomen abnegabant. *Saluatorem*, inquit, *dicunt, nec enim Dominum eum nominare volunt*: quod etiam in Epistola sua dixerat Iudas; *Dominatorem*, ait, *& Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Quocirca vt eo loco [d] dixi, non iis assentior, qui his verbis notari putant hæreticorum quorumdam impium, ac nefarium conatum, quo Magistratuum, ac Principum auctoritatem impudentissimè spernunt, ac penitus conuellere nituntur. Idem omnino indicare videtur Petrus, quod in Epistola sua scripsit Iudas; quo loco dominationem ad diuinitatem retulimus, vt vterque Apostolus Gnosticis exprobret, quòd diuinum dominatum, ac prouidentiæ ordinem contemnant, dum mania quædam, ac planè conficta numina, seu potiùs monstra inducunt. Est autem, vt ait Tertullianus [e], Dominus, Dei proprium cognomen, quod analogia quadam etiam mortalibus tribui aliquo pacto potest, *Dicam planè*, inquit, *& Imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor, vt vice Dei dicam. Dominus meus vnus est omnipotens Deus æternus.* Et alibi [f], *Deus nominatur ab initio, Dominus autem non nisi post condita omnia.* Indicat enim quod in scholis luculenter docent Theologi, Domini nomen ex iis esse, quæ inter se conferuntur, atque adeò necessariò aliquid postulare, ad quod dominium, seu imperium referatur, vt enim Pater dici non potest, qui filio caret, ita Dominus nemo vocabitur, cui ex altera parte non respondeat seruus.

c Iren. li. 1. c. 1.
d in ep. Iud.
e in Apolog.
f lib. cont. Hermog.

III. Gnostici igitur, vt ex Irenæo docuimus, Christum

Christum Dominum esse pernegabant, ac propterea iure optimo dicuntur dominationem contemnere; quod deinde apertissimè fecerunt Arriani, qui Christum Dominum paterna æqualitate, diuinitatéque penitus spoliabant, cuius respectu æquè ac Pater est rerum omnium absolutè dominus. Quomodo eum a Ioan.20.28. fassus est olim Thomas [a], cùm dixit: *Dominus meus, & Deus meus*; quamquam enim ratione humanæ naturæ præstanti quodam dominio præditus est, de quo alibi plura dixi, diuinitatis tamen intuitu amplissimum, atque absolutissimum rerum omnium dominium obtinet. Certè Oecumenius hunc in modum Petri verba interpretatur, *Deinde,* ait, *per hæc à mundi opificio, & prouidentia dominationibus expulsis in omnem liberè carnalem immunditiam profusi sunt.* Videtur enim alludere ad Simonis figmenta, qui alios nescio quos mundi architectos, ac dominos nominabat. Itaque nihil hæc ad principes, aut magistratus pertinent, quemadmodum nec illa, quæ apud Iudam leguntur, cùm eodem sensu, atque iisdem propemodùm verbis scripta sint.

IV. Hæc autem duo vitia, quorùm alterum libidines, ac voluptates amplectitur, alterum impietatem sectatur, adeò inter se connexa, & colligata sunt, vt alterum ex altero sequatur; nam qui sese voluptatibus inquinant, atque impuris cupiditatibus obtemperant, ij facilè in impietatem, & religionis contemptum incidunt, & contrà qui à recta fide, veráque religione deficiunt, omnium scelerum, ac turpitudinum cœno scelestissimè fœdantur. *Dominationem* porrò dixit pro Domino, vel pro ipsa dominandi ratione, quasi diuinam prouidentiam, eiúsque admirabilem ordinem contemnant, & pro Angelis administris Æonas, aliáque incognita monstra substituant, vt ex Irenæo, Epiphanio, & aliis cognosci facilè potest, quarum fabularum omnium prima velut semina initio nascentis Ecclesiæ Nicolaitæ, & Simoniani iecerunt, quę deinde Marcionis, Cerdonis, ac Valentini opera amplissimam segetem pepererunt, vt alibi copiosiùs docui; hinc enim orta est Æonum multitudo, & inaudita, atque absurda quędam appellatio, quam Valentinus excogitauit.

V. Pergit autem Petrus, & subdit, *audaces*, Græcè τολμηταὶ, vbi primùm obseruanda est, quod attinet ad verba, subita casuum mutatio, cùm enim posuisset quarto casu καταφρονοῦντας, subiicit τολμηταὶ, recto casu, vt, quod monet Oecumenius, subaudiendum sit verbum substantiuum cum relatiuo, ac si dicat, qui sunt audaces, *Nihil enim,* vt ipse ait, *absurdum est, vt qui rectorem, & creatorem mundi respuerunt, audaces sint*; Non solùm autem audaces, sed imprudentes, ac temerarij sunt hæretici, ij præsertim, qui reconditam quamdam, atque abditam rerum diuinarum scientiam sibi arrogant, atque ita veteres omnes Patres incredibili quodam fastu contemnunt, quos, si Deo placet, simplices, imperitos, superstitiosos appellant, vt nihil dicam de superioris sæculi hæreticis, qui pro sua, vt ipsi iactitant, religione, ac pietate omnem antiquitatem inscitiæ, & superstitionis accusant, Oecumenica concilia traducunt, Pontificum responsa irrident, omnia denique Catholica dogmata subsannant. Nec mirum; ex eo enim audaciam concipiunt, quod sibi nimiùm placent, vt Latinus transtulit interpres, quod enim Græcè dixit Apostolus αὐθάδεις, Laonicus transtulit, *sibi placentes*. Cùm enim, vt dixi, singularem quamdam scientiam sibi vendicent, incredibili quadam temeritate, atque audacia sacras literas interpretantur, vel potiùs corrumpunt, ac deprauant, & in alienissimos sensus detorquent, & de rebus diuinis tanquam de equo Troiano fabulantur. Cæterùm Græca vox αὐθάδεις, *præfractos*, & *contumaces* significat, quomodo

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

A accipit Oecumenius, *Contumaces*, inquit, *hoc est, qui quod sibi placet, sequi omnino, ac tueri volunt.*

VI. Et præfractos quidem eos ferè intelligimus, quibus sua inuenta vltramodum placent, & quæ ab ipsis excogitata sunt, quamuis falsa, aut minori probabilitate nixa omnium sapientum placitis longè præferunt, quod profectò faciunt ij, qui nihil præter sacras literas aut probant, aut admittunt, qui, quod ait Propheta [a], *sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* a Ezech.13. Tales olim erant Prophetæ Baal, quorum consilio deceptus Achab miserè periit. Addit deinde, *Sectas non metuunt introducere blasphemantes.* quo loco nihil est in Græcis codicibus, quod respondeat infinito, *introducere*, sic enim habent, δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες, hoc est, *sectas*, aut si mauis, *glorias*, *non verentur contumeliis incessere aut blasphemare.* Vox autem δόξας legitur etiam apud Iudam, quo loco inter-

B pres, *maiestatem* transtulit. Certè Oecumenius hoc etiam loco gloriam, aut maiestatem, aut excellentiam intelligit. *Nam qui ex contemptu*, inquit, *dominationem vllam non timent, quid mirum si omnem gloriam, & excellentiam etiam spernunt?* Et aliquantò pòst allato Iudæ loco, *Quocirca,* inquit, *ex illo sumpta occasione interpretandorum horum verborum ducimur, cùm, inquit, glorias non verentur maledicere, intelligi debere, pro contemnunt, & nihili faciunt blasphemare omnem gloriam.*

VII. Et profectò si hic locus cum epistola Iudæ conferatur, idem videtur omnino significare Petrus, quod etiam confirmant ea, quæ subsequuntur; quocirca si hunc sequamur sensum, quod ait Petrus, glorias, seu gloria præcellentes conuitiis, ac maledi-

C ctis incessere non verentur, idem penè erit, quod paulò antè dixit, dominationem contemnunt, nisi quòd illud ad animum potissimùm spectat, hoc ad vocem, & orationem refertur, vt quem animo contemptum conceperint, obtrectando, & maledicendo proferant, aut si mauis, idem planè dicat, quod Iudas, vt δόξας referat ad significandos Angelos Dei ministros, & prouinciarum præfectos, nisi quis malit δόξας nouum, ac vetus testamentum interpretari, quod tamen non vsque adeò verisimile videtur, cùm quo illo Apostolico non legatur quisquam in nouum, aut vetus testamentum inuectus, Apostolos, aut prophetas contumeliis affecisse; quòd si vulgata lectio retinenda sit, proprium hæreticorum vitium describitur, suam enim quisque sibi sectam deligit, vt initio capitis hic idem Apostolus scribit. Qui introducunt, inquit, sectas

D perditionis, Gręcè αἱρέσεις. videtur autem posuisse hoc loco δόξας, vt significet sectas, seu opiniones, quas eos ait introducere, *blasphemantes:* quòd videlicet aliter sentientes probris, ac maledictis proscindant. Ex hac autem vulgata interpretatione suspicari licet, interpretem aliter Græcè legisse, quàm nunc habeant vulgati codices, quorum fidem, atque auctoritatem si sequamur, necessariò dicendum erit participium βλασφημοῦντες (quod est apud Græcos frequentissimum) positum esse pro verbo infinito, vt non metuunt blasphemantes idem sit, quòd non metuunt blasphemare.

11. *Vbi Angeli fortitudine, & virtute cùm sint maiores,*

E *non portant aduersum se execrabile iudicium.*]

I. Qui hunc locū de Principibus, ac Magistratibus accipiunt, magnopere laborāt, vt hæc aptè superioribus attexāt; nam primùm quidē Angelorū nomen ad cacodæmones transferunt, quasi Petrus dicat, eos ferre non posse, hoc est, tolerare Dei iudicium, & sententiam, sed sub ea perpetuò tremere, ardere, & cruciari,

cùm tamen robore, ac viribus cunctis mortalibus longè præstent, idque ob vnum tantùm superbiæ facinus perpetratum, vt inde insinuet maiora, atque acerbiora supplicia reposita esse iis, qui impiè dominationem, ac maiestatem conuitiis, ac maledictis appetunt. Quasi hac argumentatione Gnosticos comminatione supplicij à flagitio reuocare contendat. Alij de dæmonibus quidem locum explicant, sed alio tamen modo, perinde ac si neget Apostolus eos principibus, ac magistratibus obtrectare, cùm agnoscant illos ad rectam reipub. administrationem à Deo esse constitutos, vt appareat Gnosticos ipsis etiam dæmonibus videri deteriores. Sed neutra mihi explanatio videtur ad rem; primùm quia, vt suprà dixi vix potest hic locus de principibus, ac magistratibus accipi; deinde quia si Petrus de cacodæmonum suppliciis ageret, non profectò diceret, non ferre illos à Domino iudicium. ferunt enim, quamuis inuiti, & cruciatus coguntur perpeti sempiternos, cùm paulò antè dixisset, illos tartaro inclusos in iudicium reseruari. Postremò nec appellaret *execrabile iudicium*, quod est summa iustitia, & æquitate subnixum.

II. Nam si id referat ad ipsos dæmones, qui supplicia execrantur, non satis videtur aptè, & congruenter afferri: Quid enim quæso commune habet hæreticorum maledicentia, quam coarguendam suscepit Apostolus, cum dæmonum execrationibus, atque blasphemiis? Quorsum verò dicat, malos dæmones magistratibus, aut principibus non malè precari? nam eo quidem tempore cùm omnes principes, ac magistratus nefariam dæmonum superstitionem, cultúmque omni studio, conatúque promouerent, cur illos conuitiis lacesserent? Qua verò ratione quod ait Petrus, *non portant aduersum se à Domino execrabile iudicium*, de principum, ac magistratuum probris, & contumeliis accipi potest? Quid quæso est diuinare, aut aliena loqui, si hoc est interpretari?

III. Meliùs sanè, atque aptiùs alij bonos, ac beatos Angelos designari intelligunt, quorum tantam pietatem esse aiunt, vt quamuis æuo illo Apostolico Ethnicos principes, ac Magistratus tamquam sæuissimos Christianæ religionis hostes exosos haberent, eos tamen maledictis incessere (quæ est eorum pietas, ac religio) non auderent, vt hinc appareat, quanta sit hæreticorum improbitas, qui eos contumeliis, & conuitiis proscindere non verentur. Sed primùm aueo scire, quonam pacto hæc Petri verba, *non portant aduersum se à Domino execrabile iudicium*, ad id significandum referantur, quod isti contendunt; Angeli non obtrectant, neque malè precantur Principibus, esto; quæro quid sit, non portare execrabile iudicium; an ideo dixit, Angelos non portare iudicium, quia non eas subeunt pœnas quæ maledicos, & obtrectatores apud inferos manent? Id quidem verissimum est, sed quis non videat, quàm sit hoc frigidum, & apostolica grauitate indignum? Nam quis obsecro non rideat eum, qui ita scelestos, atque impios reprehendat, quòd mentes illæ beatæ ab omni flagitio, ac scelere sint alienæ? Quorsum autem ait Petrus Angelos esse mortalibus robore, ac viribus superiores? possent enim improbi respondere esse illos iam beatos, atque adeò omnis labis prorsus expertes, mortales verò flagitiis esse obnoxios, vt Angelorum exemplo minimè arguendi, aut castigandi videantur.

IV. His igitur omissis placet omninò Oecumenij explanatio, qui idem putat affirmari hoc loco à Petro, quod in sua epistola scripsit Iudas; sic autem ait; *Deinde vt audaciam circa hæc reprimat, infert, quando Angeli robore, & potentia maiores cùm sint, &c. idem quod Beatus Iudas inquiens, nam etiam ille loquacitatem, & maledicentiam quorumdam castigans eodem exemplo; sed latiùs tamen mentionem facit, cùm inquit. Michaël autem Archangelus, &c. non ausus est iudicium inferre maledicentiæ. Tale quid etiam Petrus nunc dicit, cùm ait, Hos miseros nulla ratione habita glorias maledicere, cùm tamen neque qui potentia, & viribus maiores sunt, istis videlicet flagitiosis hominibus, non ferant, id est, non inferant, contra ipsas videlicet glorias maledicum iudicium apud Dominum.* Allato verò Michaëlis exemplo, quod est in epistola Iudæ, subdit; *& est à minori argumentatio in hunc modum. Si Diabolus, qui dignior est, vt maledicatur, quia tamen gloriæ cuiusdam est particeps à Michaële Archangelo coram Domino id non est consequens; illi sanè non sapiunt, qui ita temerè gloriam omnem maledictis persequuntur, cùm tamen multò post Angelorum dignitatem constituti sint.*

V. Ita videas magnam esse argumenti vim, nam si Angelus Michaël non est ausus aduersus Dæmonem proferre blasphemiam, aut eum maledictis incessere, quantò id minùs ferendum est in his hominum fæcibus, qui præsertim in ipsam Dei maiestatem, maledicta contorquent, & diuinæ prouidentiæ rationem, atque ordinem reprehendere, ac damnare audent? Ait igitur Petrus, *vbi Angeli*, Græca potiùs, quàm Latina phrasi. Latinè enim dicendum fuerat, cùm Angeli, qui robore, ac viribus præstant, non portant, Græcè οὐ φέρουσιν, id est, non inferunt, non audent inferre: aduersum se, κατ' αὐτῶν. An aduersus ipsas, hoc est δόξας quas paulò antè nominarat? Ita accipit Oecumenius, qui tamen glorias de ipso dæmone interpretatur, qui dicitur creationis princeps, & natura præstantissimus est; quod fortasse significant verba, quæ in Græcis codicibus subiiciuntur παρὰ κυρίῳ, hoc est, *apud Dominum*, quasi significet naturam Angelicam, cùm sit corporis expers, & à materiæ concretione seiuncta, proximè accedere ad Deum. Possis etiam accipere κατ' αὐτῶν, hoc est, *aduersus sese*, maledicta enim, quæ iactantur in dæmonem, si naturam spectes, in Angelum, & quidem præstantissimum feruntur, atque ideo si ei Angeli malè precarentur, in se ipsi quodammodo maledicta conijcerent. Quod legitur in Græcis codicibus παρὰ κυρίῳ, idem valet, quod *apud Dominum*, sed perinde est, ac si dixisset, *à Domino*, vt significet à Domino mala optari, qui est scelerum, ac flagitiorum vindex; sic enim ferè loqui solent Septuaginta, qui quod Hebraicè legitur à Domino, Græcè dixerũt παρὰ κυρίου. Vt apud Dauidem [a], *Apud Dominum gressus hominis diriguntur*, hoc est, à Domino, vt legit Augustinus. Ait igitur Petrus, Angeli quamuis sint mortalibus robustiores, validiorésque, non ausi sunt à Domino aduersus Dæmonem precari malum. Dixit autem, *execrabile iudicium*, Græcè βλάσφημον κρίσιν, quasi dicat, sententiam execrandam, & vt dixit Iudas κρίσιν βλασφημίας, hoc est, vel blasphemiæ execrationem, vel blasphemiæ pœnam, ac supplicium. Ita videtur etiam Petrus ad illam historiam alludere, quam indicat Iudas, licèt alibi in libris Canonicis non legatur.

[a] Pf. 36. 23.

12. *Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant, blasphemantes in corruptione sua peribunt.*]

I. Angelorum dignitati, præstantiæ, ac sanctitati ex aduerso consceleratorum hominum, hoc est, hæreticorum, & pseudoprophetarũ mores obiicit, quod etiam in sua epistola fecit Iudas. More autem Scripturæ eos bestiis comparat, eorum videlicet vitia perstringens, quibus ferinos mores imitantur. Nam, & Christus cùm de falsis prophetis loquitur, *Attendite*, inquit,

a Matth.7. inquit [a], *à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Itemque
b cap.10.12. apud Ioannem [b], periculum ouibus imminere monet à lupo, qui *rapit, & dispergit oues.* Eodémque modo
c Act.20.29. Paulus [c]. *Ego scio,* inquit, *quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi.* Siue quia Christiana, & Catholica dogmata deprauát, siue quia
d in adhort. ad gen. non longè à princ. vt indicat Clemens Alexandrinus [d], rapacitati sunt deditti. Aliàs Ioannes Præcursor [e] progeniem vipera-
e Matth.3.7. rum, Christus verò serpentes, & genimina vipera-
f Matth.23.33. rum Pharisæos appellant; fortasse, vt idem Clemens insinuat, quòd fraude, & astu decipiant, & occulto veneno animos corrumpant. Herodem Christus vulpem vocauit ob ingenium vafrum, ac subdolum, & ad decipiendum compositum, quam ob causam id
g Serm. in Cant. nomen hæreticis tribuit Bernardus [g], quos Athanasius, & Augustinus vulpibus à Sampsone ad Philistinorum segetes vrendas adhibitis significari autumant.
h epist. ad Antioch. Ignatius [h] certè pluribus bestiarum nominibus eos describit. *Videte,* inquit, *canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squammosos, aspides, basiliscos, scorpiones; hi sunt thoes, vulpes, & simiæ humana imitantes.*
i epist. ad Nerinem. Alibi verò [i]. *Omnis igitur, qui dixerit præter illa, quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem seruet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem operans.*

II. Clemens certè Alexandrinus [k] varia hominum vi-
k Adhor. ad Gentes non longè à princ. tia variis animantibus aptat, *volucres enim vocat eos, qui sunt leues, serpentes verò eos, qui deceptores, & leones eos, qui sunt animosi, & ad iram concitati, sues autem eos, qui sunt voluptati deditti, lupos denique eos, qui sunt rapaces.* Mitto alia sexcenta nomina, quibus hæreticorum mores à viris sanctissimis describuntur. Certè hoc loco Petrus Gnosticos vocat animalia rationis expertia, Græcè ἄλογα, quia magis cum recta ratione pugnant, quàm si quis sese (quod illi tamen faciebant) omni voluptatum genere contaminet. Indicat igitur hoc impiorum hominum genus belluarum more non ratione, aut consilio duci, sed cæco naturæ quodam impetu eò ferri, quò eos libidinis ardor, vel diuitiarum cupiditas, vel denique honorum ambitio
l Psal.48.13. rapit. Simile quiddam indicasse videtur Dauid [l] his verbis. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*
m Psal.31.9. Alibi verò [m]. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non*
n cap. *est intellectus.* Et Ieremias [n]. *Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.*

III. Quod verò addit Interpres, *naturaliter,* Græcè est φυσικὰ γεγεννημένα. An hi natura ipsa mali sunt, atque improbi, vt nequeant aliquando virtutis honestatem, ac pulchritudinem amplecti? Caue suspiceris, quicquid enim ab auctore naturæ, ac rerum omnium conditore profectum est, bonum sit oportet, ille quippe,
o Gen.1.31. vt ait Moses [o], *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Tritum verò est apud Philosophos, quicquid aliqua ratione consistit, cum bono certò cõmeare, vt quem-
p cap. 4. de diu. nom. admodum scribit Dionysius [p] Areopagita, nihil omnino sit, quod boni naturam effugiat, vsque eò, vt Dæmones ipsi, quibus nihil deterius, aut hominum generi perniciosius concipi potest, natura sua boni sint, & à bono conditore creati. Naturam igitur vitiatam, & corruptam accusat Apostolus quæ bestiarum naturalem impetum sequitur, quasi ad facinus perpetrandum facta quodammodo videatur. Ambigi autem potest referendum ne sit hoc, quod ait Apostolus, ad Gnosticos, quasi illi sint ad hominum perniciem, atque interitum nati, an verò eos dicat bestiis similes esse, quæ videntur ad hominum perniciem procreatæ. Vtrouis autem modo accipias, eodem reuolueris, significat enim Petrus hoc hominum

A genus non aliter ac belluas, atque immanes feras pestem, ac vastitatem mortalibus inferre.

Illud autem, quòd Latinè dixit Interpres; in captionem, & in perniciem; sunt qui passiuè accipiendum putent, quasi significet Apostolus Gnosticos in prædam, atque exitium tendere, cum Angeli sint suapte natura ab omni interitu penitus alieni. Ego nihil dubito Græcas voces, ἅλωσιν καὶ φθοράν, tam actiuè, quàm passiuè accipiendas esse, vt homines non aliter, ac feras ad prædam, atque exitium natos esse dicat, sensúsque sit, perditos, ac sceleratos homines cæco naturæ impetu in impuras, ac nefarias libidines ferri, atque adeò se, suósque sectatores perdere, ac suis veluti laqueis, & pedicis irretitos vtrosque ad interitum ruere sempiternum. Quod planiùs explicans IV.
B mox subiicit:

In his, quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt. Nimirum ipsi pereunt, & secum imitatores suos in extremam perniciem pertrahunt. Tribuit autem his hominibus inscitiam, atque ignorantiam, tametsi insignem quamdam sapientiam profitentur, quo etiam modo loquitur Iudas. *Quæcumque,* inquit, *ignorant, blasphemant.* Sic autem ferè accidit, vt qui sciendi modum non tenent, pro scientia stultidam quamdam inscitiam assequantur. Itaque de Philosophis, qui singularem quamdam scientiam iactabant, V.
dixit Paulus [a]. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* a ad Rom.1.22.
Et Christus ipse Sadducæos castigans [b] ait. *Erratis nescientes Scripturas, & virtutem Dei.* Alibi [c] eamdem ob b Matth.22. c Matth.15.
causam Pharisæos cæcos appellat. *Sinite,* inquit, *illos,*
C *cæci sunt & duces cæcorum.* Denique apud Lucam [d]. *Vos* d cap.11.52.
tulistis clauem scientiæ, & ipsi non introistis, & eos, qui introibant prohibuistis.

Quàm autem hoc verè ab Apostolo dicatur, is facilè per se cognoscet qui legerit ea, quæ à Iustino, Irenæo, Epiphanio, Theodoreto, Augustino, & aliis hæreticis obiiciuntur. Sunt enim eorũ dogmata somniantium deliramẽtis quàm simillima, vt nihil dicam de recentioribus hæreticis, in quibus non facilè statuas, imperitiámne magis, an improbitatem, ac nequitiam mirere. Ait itaque Petrus, *blasphemantes ea,* quæ non satis percipiũt, *in corruptione sua peribunt.* Eleganti-ùs Græcè ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, hoc est, in perditione sua perdentur, vel in corruptione sua corrumpentur, hic enim est, impuræ voluptatis exi- VI.
D tus, vt ait Paulus. *Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionẽ,* quod mox planiùs explicãs Petrus subdit:

13. *Percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conuiuiis suis luxuriantes vobiscum.*]

At quam mercedem intelligit? an de extremo sempiternoque supplicio loquitur? sanè id videri posset probabile, nihil enim verius, certiúsve, quàm nefarios, atque impios hæreticos sempiternis apud inferos suppliciis cruciandos. Sed vereor, vt ea, quæ subiiciuntur, hunc sensum admittant; Pergit enim Apostolus in eorum flagitiis, atque sceleribus enumeran- I.
E dis, vt mihi veniat in mentem suspicari, id significare hoc loco Petrum, quod ad Romanos Paulum [e], cùm e ad Rom.1.27.
ait. *Similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desideriis suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* Indicat enim nonnulla peccata ad aliorum scelerum pœnam pertinere, quod his verbis significat Oecumenius. *In iis, quæ ignorant, maledicentes, id est, spontaneæ suæ ignorantiæ maledicentes digna ipsis corruptione corrumpuntur, mercedem iniustitiæ recepturi, quam sponte sibi compararunt.*

a 26. Mor. c. 31. Quā de re egregiè Gregorius [a]. Sic sic, inquit, elati inflata fuerant retributione feriendi, vt quia superbiendo se hominibus preferunt, luxuriando vsque ad iumentorum similitudinem deuoluuntur. Homo enim cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Intus ergo videt Deus quod mentem eleuat, & idcirco permittit foris inualescere quod deprimat. Intus prius extollitur, quod foris postmodum luxuriæ corruptione sternitur: occultam videlicet culpam sequitur aperta percussio, vt malis exterioribus interiora puniatur, & cor publicè corruat, quod latenter tumebat, & plura deinceps in eamdem sententiam. Vtetque autem Apostolus mercedis nomine abutitur ad significandam iustam compensationem, confestim autem declarat, quamnam compensationem, & mercedem appellet.

II. Voluptatem, ait, existimantes dici delicias, Græcè ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν. Voluptatem, inquit Oecumenius, quotidianum luxum existimantes, hoc est, veram, & amabilem lætitiam, & voluptatem in quotidiana gula fruitione constituentes. Alij perinde accipiunt, quasi vel vnius diei delicias summæ voluptatis loco ducant, vt indicet illos breuibus, ac fluxis deliciis supra modum oblectari, cùm vera voluptas, maximeque expetenda sempiterna sit, & immortalis, b Psal. de qua Dauid [b]. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. c cap. 66. 11. Et Isaias [c]. Vt repleamini ab vbere consolationis eius, vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Corporeæ verò voluptates citò diffluunt, & euanescunt, ac non modò animi vires emolliunt, sed plerumque etiam corporis robur frangunt, atque eneruant, & innumerabiles morbos, atque ægritudi- d Eccles. 18. nes pariunt. Hanc ob causam dixit Sapiens [d]: Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluptate tua auertere. e lib. 7. de benef. c. 2. Sapienter verò Seneca [e]. Voluptas, inquit, fragilis est, & breuis, fastidio obiecta, quo auidiùs hausta est, citiùs in contrarium recedens, cuius subinde necesse est aut pœnitere, aut pudere. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis Diis proximi deceat. Res humilis membrorum turpium, ac vilium ministerio veniens exitu fœda. Illa est voluptas & homine, & viro digna non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies, sed perturbatione carere, & illa, quam hominum inter se rixantium ambitus concutit, & ea, quæ intolerabilis ex alto venit. Hanc voluptatem æqualem, intrepidam, numquam sensuram sui tædium, percipit hic quem deformauimus, qui maximè, vt ita dicam, diuini iuris, atque humani peritus de præsentibus gaudet, ex futuro non pendet. Vera quippe, ac solida voluptas in animo inest, qua mirificè oblectantur ij, qui vni se Deo probare contendunt.

III. Ait porrò Petrus illos esse coinquinationes, & maculas, sic enim scribit. Coinquinationes, & maculæ, Græcè σπῖλοι καὶ μῶμοι. Sordes, & maculæ, ait Oecumenius. Quippe qui nihil in se habeant puritatis, sed quasi sordes in indumento mundo, id est, in pura, & sincera vita inhærentes, & omnia maculantes, vbi auerterint aliquos à sanctitate, & flagitiosos reddere secum versantes, vel viros, vel mulieres potuerint, id delicias sibi esse existiment. Valet autem hic dicendi modus ad rei turpitudinem, ac fœditatem exaggerandam, quasi in iis nihil mundum, purùmve sit. Eodem planè modo loquitur Iudas. Hi sunt, inquit, in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore. Est autem σπῖλος, qua voce vtitur Petrus, macula, seu labes, qualis ex vino, aut vnguine oriri solet, quæ quoniam fœdum quid, & abominandum refert, oculos offendit; non aliter hi rempublicam quasi quædam sordes magnopere fœdant, atque inquinant. Ac propterea rectè vulgatus Interpres reddidit, coinquinationes, & maculæ non solùm quia suis improbis moribus vniuerso Christianorum cœtui inuidiam conflant, & obtrectatorum linguas in nos quodammodo prouocant, atque armant, vt quod ait Paulus [a], propter il- a ad Rom. 2. 24. los nomē Domini blasphemetur, quasi cæteri omnes eorum similes sint; sed etiam quia alios inficiunt, & corrumpunt, suoque exemplo in eamdem scelerum societatem pertrahunt.

Quocirca Irenæus [b], cuius meminit Eusebius [c], IV. b lib. 1. c. 4. c lib. 4. hist. c. 7. de priscis hæreticis hunc in modum scribit. Qui & ipsi ad detractionem diuini nominis, & Ecclesiæ, quemadmodum & gentes à Satana præmissi sunt, vt secundum alium, & alium modum, quæ sunt illorum audientes homines, & putantes nos omnes tales esse, auertant aures suas à præconio veritatis. Simile quiddam ante illum dixerat Iustinus Martyr [d] accusans Iudæos quòd in Christianos calumnias iactarent. Itaque, inquit, non ipsi d Dial. cum Tryphon. modò nobis iniquitatis estis causa, sed aliis quoque prorsus mortalibus vniuersis, & meritò vociferatur Isaias. Propter vos nomen meum malè audit in gentibus. Neque aliter Epiphanius [e]. Sunt autem, ait, à Satana subornati, e Hær. 27. ac producti in opprobrium, & scandalum Ecclesiæ Dei, indiderunt enim sibi ipsis cognomen Christianorum ad hoc, vt gentes per ipsos offendantur, & sancta Ecclesiæ Dei vtilitatem, & veram prædicationem propter illorum nefaria facta, & incomparabilem improbitatem auersentur. Et vt gentes ipsorum assiduè nefaria opera considerantes putent sanctæ Dei Ecclesiæ tales esse, & auertant velut dixi, aures à Dei, & veritatis doctrina.

V. Deliciis affluentes in conuiuiis suis, luxuriantes vobiscum. Eodem planè modo, vt dixi, loquitur Iudas. Hi sunt, ait, in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore. Videtur autem Interpres hoc loco legisse ἀγάπαις, ac proinde transtulit, in conuiuiis suis, cùm tamen Græci codices nunc quidem constanter habeant ἀπάταις, hoc est, in erroribus, seu deceptionibus suis. Quippe illi ex suis erroribus, ac deceptionibus fructum planè nullum præter vsum deliciarum carpunt, id enim spectant vnum, vt genio, gulæque indulgeant, seseque omnibus voluptatibus ingurgitent. Quod si de conuiuiis accipias, idem planè sequetur, idcirco enim conuiuia frequentant, vt gulæ, ac ventri seruiant, quod esse omnibus hæreticis commune vitium indicat Paulus [f], dum eos ait esse, volupta- f 2. ad Tim. 3. tum potiùs amatores, quàm Dei: de quibus hunc in modum scribit Martyr [g] Ignatius. Quorum Deus ven- g epist. ad Magnes. ter est, qui terrena sapiunt, amatores voluptatum, & non Dei, speciem quidem pietatis præseferentes, virtutem autem eius abnegantes. Christum mercantes, verbum Dei in cauponis prædicantes, & Dominum nostrum Iesum Christum vendentes, mulierum corruptores, aliena concupiscentes, & pecuniarum amatores.

VI. Palmare verò illud est, quòd de Carpocratianis scribit Clemens Alexandrinus [h]. Hos, ait, dicunt, & h lib. 3. Strom. aliquos alios similium malorum æmulatores ad cœnam conuenientes (neque enim dixerim Agapem eorum congressionem) viros simul, & mulieres, postquam satietate venerem excitante exsaturati fuerint, lumine amoto, quòd fornicatoriam hanc eorum iustitiam pudore afficeret, auersa lucerna coire quomodo velint, & cum quibus velint, meditatos autem in huiusmodi agape communionem, interdiu iam à quibus velint mulieribus exigere Carpocratea (diuina enim nefas est dicere) legis obedientiam. Meminere huius nefariæ consuetudinis Philastrius [i], i lib. de hæres. & Theodoretus [k]. Egregiè verò Minutius [l] Felix. k li. prim de hæres. fab. l in Octauio. Ad epulas, inquit, solemni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, & omnis ætatis. Illic post multas epulas, vbi conuiuium caluit, & incestæ libidinis feruor exarsit, canis qui candelabro nexus est, iactu offulæ vltra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum, & saltum prouocatur. Sic euerso,

euersa; atque extincto conscio lumine impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt. Quò procul dubio spectasse visus est Tertullianus [a], cùm ait. *Dicimur sceleratissimi de Sacramento infanticidij, & pabulo inde, & post conuiuium incesto, quod euersorum luminum canes lenones scilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundiam procurent.* Et rursus [b]. *Præterea candelabræ, & lucernæ, & canes aliqui, & offulæ, quæ illos ad euersionem luminum extendant.* Hoc enim paucorum probrum, & quidem hæreticorum in omnes Christianos, Gentiles contorquebant.

a in Apoc. cap. 7.
b cap. 9.

VII. Cæterùm quòd Petrus, vt Græci codices habent, errores, non conuiuia nominet, eodem omnino referendum videtur, spectauit enim Apostolus impiam, ac nefariam interpretationem, quam impurissimi mortalium Christi verbis adhibebant, vt enim Clemens Alexandrinus obseruauit, quod Christus apud Lucam [c] dixit. *Omni autem petenti te tribue.* Perinde explicabant, quasi doceret Christus, impuram illam Carpocratianæ scholæ coniunctionem, præcipe-rétque fœminam cuiuis petenti sui copiam facere. Ita sacrosanctis Scripturæ verbis ad impuræ libidinis defensionem impiè abutebantur.

c cap. 6. 30.

VIII. Verùm quod attinet ad Apostoli verba non satis liquet, quomodo distinguenda sint; possis enim hoc sensu accipere In cōuiuiis suis luxuriantes vobiscum; quasi dicat Gnosticos in cōuiuiis suis vnà cum fidelibus luxuriari, quod tamen non facilè admiserim, neque enim fideles æuo illo Apostolico Gnosticorum impia, & nefaria conuiuia ausi essent frequētare, Apostolus autem non fidelium, sed Gnosticorum cōuiuia, seu errores nominat. Neque vero placet quod alij *συνευωχούμενοι*, non *deliciari*, sed *insultare* interpretantur, cùm apertè Oecumenius ad delicias referat. Itaque sic omnino Apostoli verba in ordinem redigo. *Coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes in conuiuiis*, seu erroribus, ac deceptionibus suis. Quæ sequuntur autem, *luxuriantes vobiscum*, sequentibus necto, quod ex Oecumenio apertè deprehenditur, sic enim ille scribit. *Quin etiam dum vobiscum coëpulantur, non ob caritatem id faciunt, & vt sales, & mensæ communicationem ineant, sed vt occasionem ad decipiendas mulieres nanciscantur, hi enim cùm oculos habeant, nihil aliud, quàm adulteras inspiciunt, atque in hoc sine vllo fine peccantes tamquam exercitationis filij animas instabiles inescant.* Verosimillimum enim est (quod nonnulli ante nos obseruarunt) consueuisse Gnosticos in Agapes fidelium sese insinuare, non modò vt ventrem implerent, sed vt mores Christianorum carperent, & si possent, nonnullos etiam seducerent. Qua ratione, vt arbitror, factum est, vt Gentiles, quia nonnullos Gnosticorum, fidelium conuiuiis interesse non ignorabant, ex illorum ingenio, ac moribus cæteros omnes fingerent, adeóque Catholicis thiestea conuiuia, & incestas libidines obiicerent. Pergit itaque Apostolus.

14. *Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij.*]

I. Conuiuantes itaque, seu luxuriantes vobiscum, hoc nimirum animo, perditóque consilio, vt ipsi videlicet nonnulla nefaria voluptate oblectentur, cùm nihil præter facinus meditari soleant, qui peccandi consuetudine quodam modo obcalluerint. Iam verò Græci codices pro eo, quod Latinè dixit Interpres, *adulterij*, habent *μοιχαλίδος*, id est, *adulteræ*, vt significet, quod inquit Oecumenius, eos nihil, nisi adulteras cogitare. Hunc locum ele-gantissimè tractat auctor [a] de singularitate Clericorum; sic enim scribit. *Insaniunt prorsus, ardent desiderio fœminarum, & obscœnitatibus inuitantes malunt mori, quàm contenti sint à lateribus mulierum aliqua distinctione diuelli, vt ad explendam sua auiditatis ingluuiem punctio temporis non sine fœmina voluptate, & hunc habent in mulieribus finitum, vt in illis semper defixa intentione desideria satient oculorum. Sic inter eos integritas emoritur, vbi omnis commoratio siue conuiuendo, siue commanendo corruptis affectionibus inquinatur. Quos sanctus Petrus Apostolus designauit dicens, in conuiuiis suis luxuriantes oculos habentes plenos mœchationibus, & incessabilibus delictis capientes animas infirmas.*

a Inter. oper. Cypriani.

II. Sunt quidem oculi inter humanos sensus præcipui, vt præter cæteros egregiè docet Philo, qui alicubi [b] ita scribit. *At visus oculorum quidem inter omnes sensus est præcipuus, quo solo percipimus res pulcherrimas, solem, lunam, cælum, mundum vniuersum.* Et post multa; *Hunc enim, ait, Deus regem cæterorum constituit, omnium editissimum, & tamquam in arce collocatum, perquam familiarem fecit animæ.* Alibi denique [c]. *Inter cæteros sensus imperium penes oculos esse voluit, ideo eos quoque in sublimi collocauit, vt principes, & quidem variis modis honoratos, sed præcipuè loco tam insigni, & conspicuo.* Ac multa deinceps; sed illud præcipuè, vt idem Philo affirmat, oculi præstantiam, ac dignitatem insinuat, quod miro quodam modo & animum afficit, & ab animi perturbationibus afficitur. Quam ob causam dixit apud Matthæum [d] Christus. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo.* Et Ambrosius [e]. *Primùm, inquit, adultera oculorum tela sunt, secunda verborum, sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere.* Nec malè Poëtæ tum Græci, tum Latini oculos voluptatis illices esse affirmant, nam quidam [f] illorum dixit.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Et Chrysostomus radicem adulterij curiosam ait esse vultus contemplationem; sic etiam ille.

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.

Et alius [g] quidam fenestras nostrarum mentium oculos appellauit.

b lib. de Abraham.
c lib de special. legib.
d cap. 5. 28.
e lib. de Ioseph c. 5.
f Prosper li. 2. eleg. 15.
g Quintilia. declam. 1.

III. Porrò Saluianus [h], *abesse, ait, à seruis suis omne omnino etiam oculorum scandalum Dom præcepit, & ideo si quis, inquit, viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Hinc intelligere planè possumus, quam castos nos esse Saluator iusserit, qui etiam licentiam visionis abscidit; sciens enim fenestras quodammodo esse nostrarum mentium visum oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire.* Et paulò pòst. *Idcirco itaque, ait, Dominus petulcos impudicorum hominum intuitus noxa adulterij non carere, scilicet vt qui bona fide fugeret adulterium, custodiret aspectum.* Mox autem. *Vt quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita, & sicut salua iatuitus incolumitate pulueris labē oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet.* Quam ob causam Seneca [i] interdum oculorum iacturam cōmodam esse docet his planè verbis. *Oculos perdidi, habet & nox suas voluptates; oculos perdidi, quam multis cupiditatibus via incisa est? quàm multis rebus carebis, quas ne videres vel eruendi erant? Non intelligis partem innocētiæ esse cæcitatē? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum, quam cōcupiscat, huic vrbē, & mala omnia, certè irritamenta sunt vitiorum, ducésque scelerum.*

h lib. 3. de prouid.
i de remed. fortuit.

IV. Quamobrem meritò, vt scribit Ælianus [k], Zaleucus Locrensium Legislator legem tulisse fertur, vt oculi mœchis eruerentur; quoniam verò etiam auaritiæ oculi fomenta suggerunt, iure optimo Iustinianus [l] Imperator abigeos, ac horreorum expilatores luminibus priuãdos censuit. Nil itaque mirum, si hoc loco Apostolus Gnosticorum oculos adulterij seu adulteræ

k lib 13. var. hist. c. 24.
l ic legg. et. (?) tit 4. §. 7 & 12.

plenos esse ait, quòd videlicet aspectu, vt mox subiicit, & ad scelus, ac facinus inflammentur ipsi, & fœminas alliciant. Quod quia apud illos frequentissimum est, ac penè perpetuum, addit. *Et incessabilis delicti.* Græcè ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, vt referatur ad oculos, qui nesciant à peccato auocari, quippe qui fœminas impudicè spectent, omniaque curiosè perlustrent, vt impura aliqua voluptate perfruantur, vt sensus sit; oculos impudicos, lasciuósque habentes, quique à flagitio ne puncto quidem temporis cessare queant.

V.
a lib. 3. pædag. c. 11.
b cap. 10.

Rectè autem dixit Clemens [a] Alexandrinus; *Pulchra autem, seu bona contemplans oculus cor lætificat. hoc est, qui rectè contemplari didicit, lætitia afficit.* Mox ex libro Prouerbiorum [b] subiicit. *Oculo autem innuens cum dolo viris congregat molestias.* Dixerat autem paulò antè. *Porrò oculis maximè parcendum est, quoniam melius est labi pedibus, quàm oculis. Dominus [c] itaque quàm fieri potest compendiosissimè medetur huic vitio. Si te tuus inquiens scandalizat oculus, excinde eum, ex imo euellens cupiditatem, lasciui autem aspectus, & versatilibus, ac tamquam conniuentibus oculis intueri, nihil est aliud, quàm oculis mœchari, cùm per eos cupiditas prima ineat pugnæ præludia. nam ante totum corpus corrumpuntur oculi.*

c Matth. 5.
d Orat. 18.
e Aduer mulieres ambitiosiùs se ornantes.

Sapienter autem Gregorius Nazianzenus [d], *Procaces,* ait, *& auidi oculi ea etiam, quæ attingere nefas est, attingunt, organum nempe omnium promptissimum, atque auidissimum.* Et alibi [e] fœminas monet, ne procaces, & impudicos oculos aliis quibusdam inuciant, oculos quippe cor nefariè sequi solet.

VI.
f de vera Virginit.

Iam verò Basilius [f] cùm seruandæ Virginitatis præcepta traderet. *Non igitur,* ait, *oculorum acies ad omnia passim inspicienda visibilia pandenda est, ne omnem quoque figurarum, atque formarum speciem sine discretionis examine hauriens ad earum postea turbetur imagines. Verùm apertis ad ea, quæ vitæ vsu necessariò inspicienda sunt, corporeis oculis anima omnino claudet obtutus, eósque ad veri intuitum luminis, & eius, quæ ex illo insinuatur, pulchritudinis considerationem etiam eatenus clausos peruigili aperiet studio.* Post multa verò. *Non sit,* ait, *mollis obtutus, ne intuentibus voluptatis contra se emittat indicia, neque emissum forinsecus oculi iactum se patiatur attingere, ne hoc veluti ignito iaculo in corde percussa ad voluptatis inflammetur imagines.* Et multa deinceps in eamdem sententiam prudentissimè subiicit. Chrysostomus [g] verò. *Etenim,* ait, *si alienam pulchritudinem curiosiùs perscrutatus fueris, hic arma iniquitatis effectus est oculus non à propria efficientia, oculi enim est videre, non impudicè videre, sed à subeuntis cogitationis malitia. quòd si illum continueris, atque refrænaueris, tum iustitiæ arma effectus est.*

g Hom. 11. ad Rom.

VII.
h Thren. 3. 51.

Quocirca Hieremias [h]. *Oculus meus,* dixit, *deprædatus est animam meam.* Quo loco Hieronymus. *Cùm per incuriam,* inquit, *aspectus patefactus fuerit tentationis aditus, vix tranquillitatem inueniet animus turbatus, nisi illi subuenerit diuinæ pietatis intuitus. Hinc est, quòd Beatus Iob ait [i]. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine. Vt enim cogitationes cordis castè seruare posset, fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Valde namque est, quod caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi per oculos alligata vix magni luctaminis manu soluitur. Ne ergo quadam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est, quia intueri non debet, quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, a lasciuia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam.* Et post nonnulla. *Sub Iudææ,* inquit, *voce, quæ exteriora videndo concupiscens bona interiora perdiderat, propheta dicit. Oculus meus deprædatus est animam meam. Concupiscendo enim visibilia, inuisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis.*

i cap. 31. 4.

VIII.
a lib. 21. Mor. c. 2.

His mirè consentiunt, quæ scribit Gregorius [a], ait enim sensuum externorum opera appetitiones animi excitari, inflammarique, vt meritò dixerit Hieremias mortem ingredi per fenestras. Tum subdit. *Quisquis verò per has corporis fenestras incautè exteriùs respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle, quod noluit; præceps quippe anima dum antè non prouidet, ne incautè videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod vidit. Vnde & propheta mens, quæ subleuata sæpe mysteriis internis intererat, quia alienam coniugem incautè vidit, obtenebrata postmodum sibimet illicitè coniunxit.* Plura deinceps addit, quæ eodem referuntur. Procaces igitur oculi flagitium perpetuò fouere dicuntur, quo nomine Petrus Gnosticos perstringit, quasi dicat, eos adeò impuris voluptatibus addictos esse, vt oculorum procacitate libidinem spirent. Seneca [b] verò exemplum narrat hominis impurissimi, qui sibi specula confecerat, quibus suas nefarias libidines etiam auersus spectare posset, nimirum ille oculos habebat incessabilis delicti, & abominandæ fœditatis spectatores.

b lib. 1. nat. quæst. c. 16.

IX.

Pellicientes animas instabiles. Græcè δελεάζοντες, hoc est, *inescantes,* quasi oculis, ac procaci intuitu alios ad facinus prouocent, vt paulò antè dixi. Eamque, ni fallor, ob causam fœminæ Hierosolymitanæ ab Isaia [c] graui oratione reprehenduntur. *Pro eo,* inquit, *quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant.* Superbiam enim, & procacitatem earum describit, vt Basilius, Cyrillus, & Hieronymus explicant, & Basilius quidem hunc in modum loquitur. *Quæ in animo constituit captare multos, ac venari laqueo suæ elegantis formæ, collo incedit in sublime porrecto, & in nutibus item oculorum probatio redditur mulieris fornicariæ, & procacis ad opera ipsa anhelantis fascino, ac noxio aspectu. Ipso enim intuitu obscœnam demonstrat animæ impuritatem. Dum enim suauiter, & blandis arridet ocellis, prolicit ad explendam libidinem, iactu enim oculorum, sagittam planè exitialem emittit, cuiusmodi tandem obtinet rumor de Basilisci natura, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores.* Eodem refero, quæ scribit Sapiens [d]. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius cognoscitur.*

c cap. 3. 16.
d Eccles. 26. 12.

X.
e in reg. monach. & epist. 109.

Quapropter rectè omninò præcipit Augustinus [e]. *Oculi,* inquit, *vestri etsi iaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nulla, neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminosum est, nec solo tactu, & affectu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habetis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius, & cùm se inuicem sibimet etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus.* Hæc verè, ac sapienter suis Clericis præcipit Augustinus probè intelligens, quanta sit oculorum vis, vel ad pudicitiam retinendam, vel ad libidinis flammas incitandas.

XI.

Pellici autem ait Apostolus, *animas instabiles,* hoc est, ægras, atque imbecillas, in quibus nondum continentia altas, ac firmas radices egit; hæ namque facilè etiam nullo impellente labuntur, & obiecta quauis illecebra subitò inescantur. Vt autem appareat quàm graue ab huiusmodi hominibus periculum immineat, illico subdit. *Cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij.*

Pio

Pro *auaritia* autem, Græcè numero multitudinis dixit Apoſtolus πλεονεξίαις. quid autem ſit πλεονεξία dixi alibi ad epiſtolas Pauli, vbi ea vox frequenter vſurpatur. Eſt autem, vt vno verbo dicam, appetitus plus habendi. Nec ſolùm ad auri, argentive cupiditatem, ſed etiam ad impuræ voluptatis appetitionem refertur, vt quod rectè monet Oecumenius, non auaritiæ modò, ſed impudicitiæ vſum, atque exercitationem obiiciat, quaſi dicat, eos plus habendi deſiderio inflammatos, nihil niſi libidinem, & auaritiam meditari, qui in eo toti ſunt, vt aurum, argentumve corradant, & voluptatibus ſeſe conſtringendos præbeant, à quibus hic ipſe Apoſtolus abſtinendum docuit, cum [a] dixit. *Obſecro itaque vos tanquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam.* Egregiè autem Leo Pontifex [b]. *Cui autem*, inquit, *niſi diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad ſuperna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ab illis ſedibus, de quibus ipſe excidit, gaudet abducere?* Quocirca rectè addit Apoſtolus, hos eſſe maledictionis filios, hoc eſt, homines deteſtandos, & execratione digniſſimos, de quibus meritò Paulus [c] ait. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.*

a 1. Pet. 2.
b Serm. 2. de ieiun. decim. cap. 5.
c Phil. 3. 19.

XII. De hoc porrò hominum genere ita ſcribit Philo [d], *Hi poſtquam per totum diem in tribunalibus, in curiis, in theatris, & vbique moleſti fuerint aliis, reuerſi ſuam domum deſtruunt, infelices, non loquor de ædificiis, ſed de animæ cognata domo, hoc eſt, corpore, quod immodicis deliciis aliis ſuper alias ingeſtis obruunt, & mero multo rigant, donec ratio merſa pereat, & affectus, qui ſub ventre naſcuntur, ex ſaturitate in effrenem rabiem concitati, quicquid obuiam fit, corripiunt ad ſedandos libidinis furentis ſtimulos.* Alibi [e] verò voluptatem ſerpenti comparat, cuius aſtu Eua omnium Mater primùm ſeducta eſt. Itaque prudenter admodum monet Leo [f]. *Fugiantur* ait, *noxiæ voluptates, inimica gaudia, & deſideria iam vtique peritura; quis fructus eſt, quæve vtilitas ea indeſinenter cupere, quæ etiam ſi non deſerant, deſerenda ſunt.*

d lib. de Somniis.
e li. de mũd. opif.
f Serm. 5. de Epiphan. c. 4.

15. *Derelinquentes rectam viam erraverunt ſecuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit.*]

L Nimirum hoc ex ſuperioribus neceſſariò ſequitur, qui enim voluptates, & auaritiam ſectantur, hi procul dubio à recta aberrant via, & quod caput eſt, nonnumquam etiam ab Eccleſia recedunt, extra quam nemini poteſt aditus patere ad ſalutem. auaritiæ autem ſtudium, & voluptatum cupiditas menti tenebras offundunt, vt nihil propius ſit, quàm vt recta fides deſeratur. Sic enim ait Paulus [g]: *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Quo loco Ambroſius, *quia*, inquit, *omnia mala poteſt admittere, ideo radix omnium malorum eſt, quia vt deſideria ſua expleat* (*quod tamen impoſſibile eſt, vt ipſa aſſequatur*) *& maleficia, & homicidia, & obſcœnitatem, & quicquid ſceleris eſt, perpetrat.* Idem verò alibi [h]. *Auaritia quò plura abſtuleris, eò magis inopem ſe eſſe credit, omnibus inuida, ſibi vilis, in ſummis diuitiis inops, affectu extenuat quod ſenſu abundat, nullus rapiendi modus, vbi nulla menſura cupiendi, elementa concutit, mare ſulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat, nec ſereno grata, nec nubilo, condemnat prouentus annuos, fœtuſque terrarum arguit.* Nec malè quidam [i] pecuniæ ſtudium metropolim omnium malorum vocat. Et alius [k] quiſpiam duo dixit eſſe malorum elementa, inexplebilem opum cupiditatem, & gloriæ appetitionem. Sapiens [l] verò. *Auaro*, inquit, *nihil eſt ſceleſtius,* *hic enim & animam ſuam venalem habet.*

g 1. ad Tim. 6. 10.
h li. de Caim & Abel.
i Bias.
k Timon.
l Eccle. 10. 9.

II. Hanc igitur dum plerique ſectantur, derelinquunt viam rectam, hoc eſt, vt loquitur Paulus [a], *errauerunt a fide.* Siue quia receſſerunt ab Eccleſia, vt plurimis hæreticis accidit, ſiue quia fidei animo conceptæ congruentes mores non accommodarunt, & præterea *inſeruerunt ſe doloribus multis*; hoc eſt, vt Hebræi loquuntur, flagitiis, atque peccatis. *Propter hoc igitur*, ait Proſper [b], *eis, qui militant Deo, fugiendæ ſunt diuitiæ, quas qui habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inueniunt, ſine cura non ſeruant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt.* De his igitur ait Petrus. *Derelinquentes rectam viam*, quam videlicet Chriſtus Dominus docuit, qui ſe dixit [c] eſſe, viam, veritatem, ac vitam, affirmauitque eos, qui ſe ſequerentur, non ambulaturos in tenebris, ſed habituros lumen vitæ. Quin etiam addidit [d], ſe eſſe oſtium. *Ego*, inquit, *ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Porrò hi, quos hoc loco perſtringit Petrus, errauerunt tum in fide, ac recta doctrina, tum etiam in moribus, vitæque actionibus, ſiquidem quicquid agant homines extra Eccleſiam, & ſine Chriſto, fruſtra laborant, & quod attinet ad præmium æternæ vitæ, oleum atque operam perdunt.

a 1. Tim. 6. 10.
b lib. 2. de vita contempl. cap. 13.
c Ioan. 14. 6.
d Ioan. 10. 9.

III. Rectè namque ſcripſit alicubi Auguſtinus [e], *Dicant ergo pagani, bene viuimus, ſi per oſtium non intrant, quid eis prodeſt, vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodeſſe bene viuere, vt detur illi ſemper viuere, nam cui non datur ſemper viuere, quid prodeſt bene viuere? quia nec bene viuere dicendi ſunt, qui finem bene viuendi, vel per cæcitatem neſciunt, vel per inflationem contemnunt.* Poſt nonnulla verò. *Fuerunt ergo*, ait, *quidam philoſophi de virtutibus, & vitiis ſubtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutiſſimè concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis concrepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus. Nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis bene viuere. Sed non intrabant per oſtium, perdere volebant, mactare, & occidere.* Quibus mirè conſentiunt, quæ ſcribit Gregorius [f]. *Ille ergo*, ait, *ad ouile ouium intrat per oſtium, qui intrat per Chriſtum, ipſe autem per Chriſtum ingreditur, qui de eodem creatore, ac redemptore humani generis vera ſentit, & prædicat, & prædicata cuſtodit.*

e Tract. 45. in Ioan.
f lib. 7. regeſ. ep. 43.

IV. Idem planè de hæreticis ſcribit Cyprianus [g], cùm enim attuliſſet verba Ioannis in Apocalypſi [h]: *Diues ſum, & ditatus, & nullius rei egeo, & neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & cæcus, & pauper, & nudus.* Subdit. *Has opes, has diuitias paupertatis pro certo poſſidere ſe credat, quiſquis Chriſti Eccleſia derelicta ratione caſſa apud temerarios illos ſchiſmatum duces, & diſſenſionis auctores conuerti non trepidat, quos Ioannes antichriſtos appellat, quos Euangeliſta paleis ſimulat, quos Dominus Chriſtus fures, & latrones defignat, ſicut ipſe in Euangelio declarat.*

g ad Nouat. cap. 1.
h cap. 3. 17.

V. *Secuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit.* Indicat hiſtoriam, quæ habetur in libro Numerorum [i]. Siquidem Balac Moabitarum Rex ingenti propoſito præmio Balaam accerſiri iuſſit inſignem videlicet magum, atque ariolum, vt populo Iſraëlitico feliciter progredienti dira imprecaretur. Dicitur autem hoc loco Balaam ex Boſor, hoc eſt, filius Boſor, vt apertè indicant Græci Codices, qui habent τοῦ Βοσόρ. Cùm tamen in libro Numerorum dicatur filius Beor, vt ibi Beor, pro Boſor, vel hic Boſor loco Beor poſitum eſſe videatur, niſi quis malit huius Balaam parentem fuiſſe binominem. Ambigitur autem fueritne Balaam verus Dei vates, nec enim deſunt, qui [k] affirment, quales fuiſſe dicuntur Sibyllæ,

i cap. 22.
k Eugubin.

A Sibyllæ, & apud Ægyptios Mercurius Trismegistus. Negari enim non potest, edidisse illum egregium de Christo [a] vaticinium, quin etiam Deum quæsisse dicitur [b], antequam oracula ederet. Certè Hieronymus [c], illum, ait, fuisse primùm virum sanctum, ac Dei prophetam, *Sed postea*, inquit, *per inobedientiam, & desiderium munerum, dum Israël maledicere cupit diuini vocabulo nuncupatur.* Nec discrepare videtur Tertullianus [d]. *Balaam*, inquit, *Propheta in aruspicio accersitus à Rege Balach ad maledicendum Israelem, cum quo prælium inibat, simul spiritu implebatur non ad quam venerat, maledictionem, sed quam illi ipsa hora spiritus suggerebat, benedictionem pronunciabat, antè professus apud nuntios regios, mox etiam apud ipsum, id se pronunciaturum, quod Deus ori eius indidisset.* Cæterùm nihil dubito fuisse illum verè magum, & diaboli
B interpretem, quod asserunt Gregorius [e] Nyssenus, Procopius [f], Cyrillus [g] Alexandrinus, & Theodoretus [h]. Inter Latinos autem Ambrosius [i], Augustinus [k], Rabanus [l]: idque apertè indicat ariolì nomen, sic autem eum appellat Moses [m]. *Misit ergo*, ait, *nuntios ad Balaam filium Beor ariolum*, idque ipse re ipsa confirmat, dum ad captandum augurium septem aras extruxit idolo Baal, eique victimas immolauit. Denique tentauit maledicta, & execrationes in Dei populum iactare, idque omninò facturus erat, nisi diuina vi prohibitus fuisset. Non me tamen fugit existimasse Hebræos, vt auctor est Hieronymus [n], Balaam amicum Iob fuisse, qui apud illum [o] Eliu appellatur, sed eos vehementer falli iudicant Se-
C ptuaginta, qui affirmant Eliu fuisse ex regione Ausitidis, hoc est, Idumæum, cùm ex Deuteronomio [p] constet Balaam fuisse ex Mesopotamia Syriæ. Denique negari non potest fuisse illum impium, ac facinorosum, non solùm quia modis omnibus conatus est diris execrationibus Israëliticum populum perdere, sed quia illi materiam, & occasionem peccandi obiecit, vt meritò ab exercitu fuerit occisus [q]. At dicitur quæsisse Deum, fateor, sed quem ille Deum putabat, quem Moses nomine Iehoua describit, vt indicet Balaam errorem qui verum Dei nomen Dæmoni, vel falso certè numini tribueret.

a Num. 24. 17.
b Num. 23. 3.
c In tradit. Hebraic. in Genes.
d lib. 4. in Marcio. c. 28.
e lib. de vita Mos. sub fin.
f Num. 23.
g li. 6. de ador. in Spir.
h quæst. 40. in Num.
i lib. 6. ep. 37.
k Ser. 103. de temp. & q. 46. Num.
l Num. 23.
m Num. 22. 5.
n In tradit. Hebraic. in Genes. affirmat Rupert. & Auct. Comment. in Iob qui tribuuntur Hieron. cap. 32.
o Iob 32. 2.
p cap. 23. 4.
q Num. 31. 8. & 16.

VI. Ait itaque Petrus à recta via hos homines aberrasse, & sequutos esse exemplum Balaam, qui mune-
D rum cupiditate inflammatus nefarium scelus aggressus est, qui propterea dicitur mercedem iniquitatis amasse. Nam vt ait Oecumenius. *Hinc cognoscere possumus Balaam ex auaritia affectus, quem furioso suo vaticinio alebat, semel à Deo prohibitum, iterum contentiosè ire ad Balac festinasse, & timore Dei, terroribúsque in itinere correptum benedictionis orationem non immutasse.* Hoc eodem Balaam exemplo vsus est etiam Iudas. *Errore*, inquit, *Balaam mercede effusi sunt.* Scribit enim Moses fuisse illum pretij cupiditate allectum, ita enim scribit. *Perrexerúntque seniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium.* Obseruat autem Oecumenius hoc inter vaticinium, verámque prophetiam, & magicum furorem, quam Græci μαντείαν nominant, potissimùm interesse,
E quòd prophetæ scientes dicant ea, quæ prænunciant, contra verò qui magico furore agitantur, ea, quæ effundunt, prorsus ignorent. Quamquam Balaam, vt idem Oecumenius obseruat, probè videtur agnouisse, quæ diceret, eùm pro execratione, quam cupiebat intentare, se bene precari animaduerteret, Deo videlicet animum eius permouente, & aliò, quàm ipse cuperet, impellente. Verùm scribit Augustinus [r]. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* Licèt igitur Balaam mala cuperet imprecari, coactus tamen est, populo benedicere, quod ipsemet

r li. de Grat. & lib. arb. c. 21.

significauit, cùm dixit [a]. *Ecce adsum, numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* quippe ille ab Angelo fuerat seuerè monitus; qua de re subdit Petrus.

a Num. 22. 38.

16. *Correptionem verò habuit suæ vesaniæ, subiugale mutum hominis voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam.*]

I. Alludit ad historiam, quam modò indicauerat, vt enim scribit Moses, cùm Balaam insidens asinæ ad Balac Regem pergeret, *stetit Angelus Domini in via contra Balaam, cernens autem asina Angelum stantem in via euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum, quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, stetit Angelus in angustiis duarum materiarum, quibus vinea cingebantur, quem videns asina iunxit se parieti, & attriuit sedentis pedem, at ille iterum verberabat eam, & nihilominus Angelus ad locum angustum transiens, vbi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deuiare, obuius stetit; cúmque vidisset asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis, qui iratus vehementiùs, cædebat fuste latera eius. Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est. Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertiò; respondit Balaam, quia commeruisti, illusisti mihi, vtinam haberem gladium, vt te percuterem; dixit asina, Nónne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic quid simile vnquam fecerim tibi? at ille ait, Numquam; Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram.* Ad hanc igitur historiam alludens Petrus, Balaam ait, correptionem habuisse suæ vesaniæ; videtur autem correptionem tribuere non Angelo, sed asinæ; subdit enim:

II. *Subiugale mutum hominis voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam.* Stolidum quidem, ac mutum animal ne verbum quidem dixit, quo Balaam vesania, atque temeritas prohiberetur, aut saltem cohiberetur, tantùm enim asina questa est, quòd se immerentem fuste cæderet, Angelus autem humana voce loquens mortem Balaam minatus est, vetuitque aliud quidquam loqui, quàm quod ipse præceperit. Cur igitur ait Petrus à suo iumento fuisse Balaam à prauo consilio reuocatum? An quia iumenti trepidatio, & diuerticula hominem in itinere retardarunt, humana verò alloquutio in stuporem, atque admirationem adduxit, vt Angeli verba, & præceptum maiori quadam veneratione exciperet? An quia ipsa iumenti allocutione diuinam vim agnoscere coactus est, ac propterea monenti Angelo fidem habuit, ac præcipienti obtemperaturum se recepit? Sanè permirum est hominem fuisse adeò siue stupidum, siue vecordem, vt cùm humana, atque articulata voce loquentem asinam audiret, non continuò obstupesceret, sed cum ea non aliter, ac cum famulo altercaretur. Nec enim poterat ignorare id supra naturam fieri, atque adeò aliquid subesse augustius, atque diuinius, sed nimirum homo magicis artibus assuetus, id dæmonum opera fieri posse non ignorabat. Sic enim olim Dæmon serpentis lingua vsus Euam deceperat; potuit igitur suspicari Dæmonem sibi voluisse imponere, ac propterea spe præmij allectus etiam si monitus fuisset à Deo nequidquam contra populum effutiret, in suo tamen iniquo execrandi consilio persistebat, atque ob eam causam obuiam factus est illi Angelus, vt partim per se, partim per asinam hominem castigaret. Humana porrò specie sese primùm asinæ spectandum exhibuit, mox etiam ipsi Balaam sese conspicuum ostendit, ita enim hominis cæcitas, & præfracta mens magis enituit.

III. Vſus porrò eſt Deus voce aſinæ, eiúſque organis Angeli opera verba efformauit, vt quod monet Gregorius [a] Nyſſenus, auguris vanitas & caſtigaretur, & erudiretur, qui ex artis ſuæ præſcripto ruditum aſinæ, atque auium garritum, quaſi omina, quæ futura portenderent, ineptiſſimè obſeruare conſueuerat. Ad mores autem pertinet quod obſeruat Gregorius [b]. *Aſina*, inquit, *retardata Angelum videt, quem Balaam nec dum videbat, quia plerumque caro tarda per moleſtias flagello ſuo menti indicat Deum, quem ipſa carni præſidens non videbat.* Sic etiam idem alibi [c] monet. *Sicut irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem naturæ rationalis acceſſit, ita ſæpe quilibet indignus ſancta verba per prophetiæ ſpiritum accipit, ſed tamen ad promerendam ſanctitatis gloriam non pertingit, vt & ſupra ſe loquendo emineat, & infra ſe viuendo torpeſcat.* Angelus porrò fulgenti gladio mortem minatur Balaam, ſi aliter loquatur, quàm ipſe eius mentem afflauit.

a lib. de vita Moſ. ſub fin.
b 3. par. paſt. admonit. 13.
c lib. 27. Mor. cap. 1.

IV. Sed mirum id, ac planè ſuperuacaneum videri poſſit, nam ſi Deus ita eius mentem ſuo diuino Spiritu occupare poterat, vt omnino aliud effari non poſſet, quàm quod ſibi diuinitus inditum eſſet, quorſum iſta comminatio, & toties iterata præceptio. Sed nimirum cupiebat Deus Balaam voluntatem humano quodam more immutare, vt ille ſpontè ſeſe, ac liberè diuino imperio ſubderet, atque adeò non tam ſpe præmij, quàm obtemperandi voluntate iter ſuſceptum conficeret. Quod quoniam non impetrauit, ſed ille in ſua nequitia, atque impietate perſtitit, etiam inuitum ad bene precandum impulit. Nec enim dubitant Theologi in ſcholis poſſe Deum, ſi velit, humanæ voluntati vim afferre, & liberæ rationis vſum adimere, quamquam id vix vmquam factum fuiſſe credendum eſt, nam cum hoc ipſo Balaam ita ſuam diuinam agendi vim Deus immortalis aptauit, temperauítque, vt ille non tamquam arreptitius, aut Sibyllarum more furore correptus ea proferret, quæ nequaquam intelligeret, vtique libertatis penitus deſtitueretur. Apparet enim ex ipſa Moſis narratione illum ſpontè, ac liberè populo bene precatum eſſe, ſic enim ait [d]. *Cum vidiſſet Balaam, quòd placeret Domino, vt benediceret Iſraeli.*

d Num. 24. 1

V. Quamobrem *Deus*, vt loquitur Origenes [e], *illum præuenit, & ire Balaam, atque inuocare Dæmones ad maledicendum prohibet, ſi tamen à cupiditate ceſſaſſet, ſed quia perſtitit in deſiderio pecuniæ, indulgens Deus arbitrij libertati rurſus ire permittit, verbum tamen ſuum inijcit in os eius prohibens maledictiones fieri per dæmones, vt benedictionibus locum daret, & pro maledictis proferat Balaam benedictiones, ac prophetias, quæ poſſunt ædificare non ſolùm Iſraël, ſed & reliquas gentes.* Et multa deinceps, quæ hanc Balaam hiſtoriam mirificè illuſtrant. Certè Auguſtinus [f] Balaam ait nunc vituperabilem, nunc laudabilem poni. *Nam vituperabilis eſt*, inquit, *cùm ædificat aras, & victimas imponit dæmonis, & apparatu magico poſcit diuina reſponſa. Culpabilis eſt, cùm conſilium peſſimum dat, vt populus deciperetur per mulieres Madianitas, & cultum Idolorum. Rurſus laudabilis eſt, cùm verbum Domini ponitur in ore eius, cùm Spiritus Dei fit ſuper eum, cùm de Chriſto prophetat, cùm Iudæis, & Gentibus de aduentu Chriſti myſteria futura pronunciat, cùm pro maledictionibus benedictionem populo largitur, & nomen Iſraël ſuper viſibilem gloriam myſticis excolit eloquiis.* Igitur Deus mentem eius diuina ſua luce perfudit, vt ea cerneret, penitúſque perciperet, quæ humanæ imbecillitatis captum longè ſuperant, mox etiam voluntatem ſuaui quodam impulſu permouit, vt pendens, voléntque ac planè liberè, & humano more abiecto maledicendi ſtudio, populo fauſta, ac felicia precaretur, & de Chriſti aduentu admirabile planè, vaticinium ederet.

e Homil. 15. in lib. Num.
f Serm. 163. de tempore.

VI. Verùm quoniam hic cœleſtis afflatus ad punctum temporis tantummodo hominem affecit, ille poſtmodum ad ingenium rediit, & impio, nefarióque conſilio Hebræos ad impuram libidinem, ac ſceleſtum Beelphegor cultum impulit. Itaque de illo ſapienter ſcripſit Philo [a]. *Nam neque ille ſophiſta Balaam, id eſt, vanum vulgus contrariarum opinionum, & inter ſe pugnantium volens execrari probos, & lædere, quidquam valuit, Deo maledictionem vertente in benedictionem, vt & vafritiem iniuſti redargueret, & ſe virtutis amicum oſtenderet.* Et alibi [b]. *Quapropter vanus ille Balaam quamuis hymnos egregios in Deum cecinit, & in his illum, non eſt ſicut homo Deus, canticorum omnium ſanctiſſimum, pluribus item laudibus Iſraëlem ornauit, tamen impius, & execratus à ſapiente legiſlatore vocatur, & irrita cenſetur eius maledictio, ait enim eum mercede conductum ab hoſtibus profectum malo animo, & cùm mente concepiſſet execrationes grauiſſimas contra carum Deo populum, ore, linguáque precatum præclara vaticinia. Hæc enim ei Deus fautor bonorum dictabat cogitanti peſſima, & malitioſo propoſito conſentanea, ſic enim teſtatur oraculum. Non permiſit, inquit, Deus Balaamum tibi maledicere, ſed vertit execrationes eius in benedictiones.* Denique alio loco de Balaam hunc in modum ſcribit. *Nam & hic eſt terræ progenies, non cæleſte germen, argumento certiſſimo, quòd auguria, falſáſque diuinationes ſequens, ne animæ quidem oculo recluſo vidit reſiſtentem ſibi Angelum Dei, vt conuerſus retrorſum abſtineret ab iniuria, ſed ita ſe commiſit imprudentiæ fluctibus inundantibus, vt obrueretur ab eis.*

a lib quòd deterius potiori inſidiatur.
b lib. de migra. Abrahā.

VII. Quæ cùm ita ſint, rectè ait Petrus, Gnoſticos huiuſce Balaami imitatores eſſe, atque idcirco quemadmodum ille diuinitùs eſt caſtigatus, ita ipſi imminens ſibi ſupplicium metuere, ac formidare debent. Vocat autem Balaamum Prophetam, ſiue quia de Chriſto præclarè vaticinatus eſt, ſiue quia more Scripturæ etiam Pſeudoprophetis nomen Prophetæ accommodat; legimus enim Prophetas Baal, & id genus alia nō pauca, vt eo nomine ſignificet Scriptura non tam id, quod illi erant, quàm quod videri vellent, & inaniter profiterentur. Accedit quòd, vt ait Oecumenius, *Prophetæ ſcientes dicunt ea, quæ pronunciant, vnde etiam Prophetam hunc ipſum vocauit, vtpote qui ſciret ea, quæ diceret, non enim ſe ignoraſſet, quæ dicebat, in electione præſtantiorum perſtitiſſet. benedictio igitur eius non vaticinij, & diuinationis ſuæ, ſed virtutis diuinæ fuit.* Nam alioqui inanem illam vaticinandi artem meritò Petrus inſipientiam, ſeu dementiam, Græcè παραφρονίαν appellat.

17. *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur.*]

I. Impuros adhuc Gnoſticos inſectatur, vrítque illuſtribus metaphoris, eos enim appellat *fontes ſine aqua*, vt indicet illos inani ſpe auditores decipere, quòd ſingularem quamdam ſapientiam iactitent, re autem vera meras nugas proferant, quippe, vt ait Oecumenius, *vitæ aquam, id eſt, puram prædicationis, & dulcem aquam amiſerunt*, quam Chriſtus Dominus apud Ioannem [c] Samaritanæ pollicetur. *Dediſſet tibi*, inquit, *aquam viuam.* Et alibi [d]. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluēt aquæ viuæ.* Quemadmodum igitur ſi fons eminus viatori appareat, ſpem facit extinguendæ ſitis, quæ tamen protinus euaneſcit, ſi aqua, quæ expetebatur, deficiat; non aliter hi magiſtelli eximiam quamdam doctrinam pollicentur, quam tamen tradere non poſſunt. Nam vt de Manichæis ſcribit Auguſtinus [e], ſunt fermè hæretici homines *ſuperbè delirantes, nimis*

c Ioan 4. 10.
d Ioan. 7. 38.
e lib. 3. Cōfeſſ. cap. 6.

quorum

quorum ore laquei diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum nominis Dei, Iesu Christi, & Paracleti. Alibi [a] verò hunc ipsum Petri locum indicans, *ideo etiam,* inquit, *fontes siccos appellat, fontes videlicet, quod acceperint agnitionem Domini Christi, siccos autem, quia non congruenter viuunt.* Possis etiam addere fontes absque aqua iure optimo dici, quòd eruditionem, ac doctrinam, quam magnificè prædicant, & plenis buccis iactitant, nequaquam habeant. Re namque vera hæretici præter argutiolas nescio quas, quibus pueriliter voculas consectantur veræ, solidæque doctrinæ, vt multùm sudent, ac laborent, vix quidquam exprimunt. Quam ob causam à Iuda Apostolo *nubes sine aqua* nominantur.

a De fid. & oper. cap. 25

II. Neque aliò spectasse videtur Petrus, cùm mox subiicit, *nebulæ turbinibus exagitatæ*, quod Iudas dixerat, *quæ à ventis circumferuntur.* Non solùm autem significat, quod superiori metaphora indicauerat, carere illos vera sapientia, veráque probitate, sed vt eorum leuitatem, & inconstantiam perstringat, quod insinuasse visus est Iudas, cùm eos vocauit *Sydera errantia.* Porrò Hieronymus [b] hunc Petri locum perinde accipit, quasi describat *Iouinianum loquentem buccis tumentibus, & inflata verba trutinantem, repromittentem in cælis libertatem, cùm ipse corruptionis seruus sit, atque luxuriæ; canis reuertens ad vomitum suum, nam cùm Monachum esse se iactitet, & post sordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, ad candidam vestem, & nitidam cutem, ad mulsum, & elaboratas carnes, ad iura Apitij, & Paxami, ad balneas quoque, ac fritillas, & popinas se conferat, manifestum est, quòd terram cælo, vitia virtutibus, ventrem præferat Christo, & purpuram coloris eius putet regna cælorum. Et tamen iste formosus Monachus, crassus, nitidus, dealbatus, & quasi sponsus semper incedens aut vxorem ducat, vt æqualem virginitatem nuptiis probet, aut si non duxerit, frustra contra nos verbis agit, cùm opere nobiscum sit.* Quæ idcircò ad verbum exscripsi, vt significem, quo sensu Hieronymus hunc Petri locum acceperit, quod enim ille de Iouiniano scripsit, hoc possis de omnibus fermè hæreticis affirmare, in quibus ne micam quidem salis reperias, ac ne virtutis quidem vmbram.

b lib. 2. cont. Iouin.

III. Ac propterea rectè subiicit, *quibus caligo tenebrarum reseruatur,* quæ sunt planè eadem apud Iudam, si Græcos codices consulas, tametsi Interpres non eodem modo vtrobique loquutus est. Non est autem dubium indicari à Petro sempiternum supplicium, quod apud inferos in omnem æternitatem hæreticos cruciabit. Scribit enim Fulgentius [c], nulli hæreticorum, quam diu in errore persistit, patere aditum ad salutem. *Firmissimè,* inquit, *tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum, vel schismaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari.* Inferorum autem supplicia meritò caliginis, ac tenebrarum nominibus describit, nam, vt alibi dixi, quidquid tetrum, acerbum, ac molestum in rebus humanis concipitur, seu verè, seu metaphoricè apud inferos improbos cruciat.

c De fid. ad Petr.

18. *Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur.*]

I. Rationem reddit, cur Gnosticos fontes sine aqua, & nebulas turbinibus exagitatas appellarit, cùrque sempiternos cruciatus illis comminatus sit. Quoniam, inquit, vt explicat Oecumenius, *supra modum fastuosa verba vanitatis loquutis carnali concupiscentia in impudicitiis eos, qui verè effugerant, alliciunt, & omninò eos, qui priùs in errore conuersabantur, quare impudicitiæ, arrogantiæ, & impietatis rei sunt, qui hæc efficiunt. Superba* autè dixit, *vanitatis loquentes*; hoc est, fastuosa, & vana, phrasi apud Hebræos non infrequenti. Est autem hoc vitium omnibus fermè hæreticis commune, præcipuè tamen scholam Simonis attingit, siquidem illi soli sibi sapere videbantur, & eximiam quamdam maximarum rerum, quæ humanū captum superant, scientiam profitebantur, cùm tamen re vera inaniter nugarentur. Verè namque de omnibus hæreticis dixit Irenæus [a]. *Vani omnes, & indocti, & insuper audaces.* Alibi [b] verò delicias illis, & corporis voluptates exprobrat. Fastum porrò, ac superbiam notat Paulus [e], cùm de hæretico in hæc verba pronunciat. *Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, ac pugnas verborum.* Optimè verò Tertullianus [d]. *Omnes tument, omnes scientiam pollicentur, antè sunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismis agere? curationes repromittere, forsitan & tinguere?* Et in eamdem sententiam Hieronymus [e]. *Hæretici matrem habent iniquitatis suæ superbiam, dum semper se scire altiora iactitant, & in Ecclesiæ contumeliam debacchantur.* Quam ob causam Epiphanius [f] auctor est omnes hæreticos sese Gnosticos appellasse, hoc est, peritos, scientes, & rerum, disciplinarúmque multarum cognitores. Nihil autem attinet in præsentia de superioris, ac nostri sæculi hæreticorum impudentia, arrogantiáque plura dicere, qui se solos scire gloriantur, veteres omnes Patres facilè contemnunt, conciliorum, atque adeò totius Ecclesiæ auctoritatem nihili faciunt.

a lib. 3. cap. 12
b lib. 1. cap. 1
e 1. ad Tim. 6.
d De præscr. cap. 41.
e Ose. 5.
f Hær. 31. contra Valent.

II. Rectè de hæreticis dixit Tertullianus [g], *tales loquacitatem facundiam existimant, impudentiam constantiam deputant, & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ iudicant.* Vt meritò hæreticos ob garrulitatem hirundini similes esse possis affirmare, quò, interprete Hieronymo [h], pertinet illud Pythagoræ, *hirundinem in domum non esse suscipiendam* hoc est, verbosos, loquaces, & garrulos. Quin etiam eos ranis similes esse dixeris, vt egregiè docet Augustinus [i]. *Superbiam,* inquit, *& inanes contentiones, quasi strepitum vocum habere possunt, sed doctrina vera sapientiam non possunt insinuare. Qui enim Christianæ veritati contradicunt, & in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt tædium quidem afferentes auribus, nullos autem præbentes cibos mentibus.* Adde quòd quemadmodum ranæ face noctu accensâ continuò obmutescunt, ita hæretici, vanique sophistæ visa veritatis luce; vt verè in illos conueniat, quod cecinit Poëta,

Lumine percussæ cessant maledicere ranæ,
Et victus veri luce Sophista tacet.

Porrò Origenes [k], & ex illo Augustinus [l], sophistas, atque hæreticos cum emphibus comparat. *Hoc,* inquiunt, *animal pennis quidem suspenditur per aëra volitans, sed adeò subtile est, & minutum, vt oculi visum nisi acutè cernentis eludat, corpus tamen cùm insederit acerbissimo terebrat stimulo, ita vt quem volantem quis videre non valet, sentiat stimulantem. Hoc ergo animalis genus dignissimè arti Philosophiæ, vel hæreticorum calliditati poterat comparari, quæ minutis, & subtilibus verborum stimulis animas terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus quisque nec videat, nec intelligat vnde decipitur.* Subdit Petrus:

g lib. contra Hermog. c. 1
h Apol. ad Rufin.
i lib. de cōmen. decem præcept. cum decē plagis.
k Hom. 4. in Exod.
l Serm. 87. de temp.

Pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ. Cum fastu, & arrogantia impuras, ac nefarias libidines coniungunt; nam vt ait Hieronymus, vix quemquam de hæreticorum fæce reperias, qui continentiam diligat, quin potiùs

A poris si ab vltima superiorum temporum memoria ad hæc vsque tempora sæcula omnia percurras, nihil in hæreticorum scholis pudicum, nihil castum deprehendas. Quippe paucissimis verbis eos descripsisse videtur Apostolus, cùm dixit [a]. *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, voluptatum magis amatores, quàm Dei.* Huc pertinent ea, quæ doctè, & eleganter scribit Hieronymus [b]. *Quod multi, ait, acquiescunt sententia tua* (Iouinianum alloquitur) *indicium voluptatis est, & pro magna sapientia deputas si plures porci post te currant, quos gehenna succidiet nutrias?* Et post nonnulla. *Basilides magister luxuria & turpissimorum complexuum post tot annos ita in Iouinianum, quasi in Euphorbum transformatus est, vt Latina quoque lingua haberet heresim suam.* Rursus post pauca. *Vexillum crucis, & pradicationis austeritas idolorum templa destruxerat, è B regione luxuria ventris, & gutturis subuertere nititur fortitudinem crucis.* Denique. *Semper Pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & ad modicum placent; amara est veritas, & qui eam pradicant, replentur amaritudine, in azymis enim veritatis, & sinceritatis Domini pascha celebratur, & cum amaritudinibus comeditur.*

a 2. ad Tim. 3.

b li. 2. in Iouin. sub fin.

IV. Acutè verò Gregorius. *Muros Hierusalem coquorum Princeps destruit, quia virtutes anima, dum nõ restringitur venter, perdit. Hinc est, quòd Paulus* [c] *contra Hierusalem mœnia decertati vires coquorum principis subtrahebat, cum diceret, Castigo corpus meũ, & seruituti subiicio; vnde præmiserat, sic pugno nõ quasi aërẽ verberans, quia cum carnẽ restringimus, ipsis abstinentiæ nostra ictibus non aërẽ, sed immundos spiritus verberamus, & cum hoc, quod est intra nos, subiicimus, extra positis aduersarius pugnos damus. Hinc est, quòd cum Rex Babylonis succendi fornacẽ iubet, stuppa, & C picis ministrari congeriẽ pracipit, sed tamen abstinẽtes pueros hoc igne minimè consumit, quia antiquus hostis, licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat, vt à carnalis concupiscentia æstibus illæsæ perdurent.* Adeò piæ mẽtes ab impuris hæreticorum motibus alienæ sunt, longéque diuersam ab hæreticis viuendi rationem sequuntur, docent enim corporis voluptates, quasi certissimas pestes fugiendas esse, ac propterea media, ac ieiunio imponentes libidinum motus cohibendos, ac frænandos esse.

c 1. Cor. 9.

Qua de re hunc in modum scribit Basilius [d]. *Est, inquit, corpus castigandum, ac fera cuiusdã instar cohibendum, & ab ipso aduersus animam tumultus orientes ratione, veluti flagello cõpescendi, ne frænum voluptati omnino D laxando mens velut auriga ab equis cõtumacibus, ac minimè obtemperantibus feratur, ac rapiatur.* Mox verò Philosophorum exemplis rem confirmans subdit, *At inter cætera Pythagoræ meminisse dulci oportet, qui videns quẽdam exercitationibus, ac cibis lautè, appositéque sese curantem, ac saginantem. Heus inquit, miser non desinis continuò duriorem tibi carcerẽ præparare. Ideo & Platonem dicunt cognito, quod ex corpore est, nocumento, Academiam Athenis loco pestilenti elegisse, vt nimiam corporis prosperitatem veluti vitem palmites luxuriantem amputaret. Ego verò bonam valetudinem, qua in summo sit, ex medicis sæpe audiui, fallacem esse. Quando igitur ipsa corporis diligentia, & corpori pariter, & animæ inutilis esse apparet, hanc E sarcinam delinire, & illo famulari manifesta fuerit insania. Si autem hoc contemnere studeamus, nihil aliud rerum humanarum facilè admirabimur.*

d [illegible] de legend. lib. gentil.

VI. His verò admodum consentanea sunt, quæ idem alibi [e] scribit. *Vis, inquit, optimus corporis habitus, & coloris bonitas pugilem à cæteris distinguit, sic Christianum à cæteris discernit macilentia corporis, palloŕque deflorescens, qui continentiæ veluti adminiculus est comes, indicio est enim Christi mandatorum verè pugilem esse, qui in infirmitate corporis aduersarium suum in lucta prosternit, & quam potens sit in pietatis certaminibus, declarat conue-*

e In regul. fusius disp. q. 17.

Bened. Iustinian. in Epist. Canon.

A niemer verbis illis, cùm infirmor, tunc potens sum. Nec discrepat Chrysostomus [a], qui explicans verba illa Pauli. *Castigo corpus meum; quasi dicat, multum sustineo laborem, inquit, vt sobriè viuam, siquidem intractabilis est cupiditas ventris voracitas. Verumtamen eam cohibeo, & non trado me ipsum affectibus, sed affectus comprimo, & ipsam naturam multis sudoribus subiicio. Hæc autem dico, vt nemo à certando desperet pro virtute, nam laboriosum est. Quare, inquit, castigo, & in seruitutem redigo, non dixit perdo, & punio, non enim inimica caro est, sed castigo; & redigo in seruitutem, quod Domini est, non hostis, magistri, non inimici, exercitatoris, non aduersarij.*

a 1. Cor. 9.

VII. Obseruatione verò dignissima sunt illa, quæ ad Ecclesiam Vercellensem scribit Ambrosius [b]. *Audio, B inquit, homines, qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum, delirare eos, qui castigant carnem suam, vt menti subditam faciant; quod numquam scripsisset, neque fecisset Paulus, si deliramentum putasset. Gloriatur autem dicens, castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus inueniar. Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur.* Mox verò perstringens eos, qui hac in parte Gnosticos imitarentur. *Quæ istos, inquit, epicuros noua schola misit, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant? Dominus Iesus volens nos aduersus Diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt sciremus, quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Quæ causa C Christus ieiunarit, hi astruant, nisi vt nobis exemplo esset eius ieiunium.* Adeò igitur impurissimi mortalium à vera Christi doctrina abhorrent, *qui pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ*, cum Christus Dominus animam odio habendam docuerit, vt significaret, luctandum esse cum improbis voluptatibus, & prauis cupiditates comprimendas. Quò spectans Paulus [c], quasi pugilem se, atque athletam describens ait. *Sic pugno non quasi aërem verberans.* Et alibi [d]. *Bonum, inquit, certamen certaui.*

b ep. ad Eccl. Vercell.

c 1. Cor. 9. 26

d 2. ad Tim. 4. 7.

VIII. Verè autem omninò scripsit alicubi Hieronymus [e]. *Difficile, imò impossibile est, vt præsentibus quis, & futuris fruatur bonis, vt hic ventrem, & ibi mentem expleat, vt de deliciis transeat ad delicias, vt in vtroque sæculo primus sit, vt in cœlo, & in terra appareat gloriosus.* D Nam vt ait Paulus [f], *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*, indicans videlicet mortalem hanc vitam certamini esse destinatam. Scribit enim Dionysius [g]; *Certantibus Dominus præmia proponit, vt Deus, leges autem certaminis tulit, vt sapiens, præmiáque vincentibus decora constituit, & pulcherrima, & quod est profectò diuinius, ipse, vt est summè clemens, & bonus, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans pro illorum salute, atque victoria aduersus mortis, & corruptionis imperium pugnat.* Et in eamdem sententiam Augustinus [h]. *Adiuuat, inquit, certantes, qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus in agone certantem, vt populus solet athletam, clamore enim populus monet athletam, adiuuare non nouit. Coronam parare potest, qui indixit certamen, vires autem subministrare non potest. Deus autem quando spe- E ctat certantes suos, adiuuat eos certantes, & inuocantes, nam vox athletæ ipsius est* [i]. *Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.*

e epist. 34. ad Iul.

f 2. ad Tim. 2. 5.

g De Eccles. hierar. c. 2. sub fin.

h Serm 105. de temp.

i ps. 93.

IX. At isti alia omnia spectant, qui gulæ, ac genio indulgent, neque hoc contenti, *pelliciunt*, vt ait Petrus, *in desideriis carnis luxuriæ.* Græcè δελεάζουσι propriè vt suprà dixi, *inescant*, proposita enim voluptatis dulcedine multos decipiunt. Videtur autẽ desumpta metaphora ab aucupio, seu piscatu, aues enim, ac pisces esca obiecta illæ quidẽ laqueo, hi verò hamo cõprehenduntur. Dixit autem Petrus, *in desideriis carnis*, more, vt opinor, Hebræorũ, qui, vt sæpe alias monui,

instrumenti vim, aut interiectæ causæ efficientiam præpositione, in, & auferendi casu significant, vt sensus sit, per carnis desideria, aut certè carnis desideriis palliciunt. Quod autem addit Interpres, *luxuriæ*, indicat eum Græcè legisse ἀσελγείαις, quomodo etiam legisse videtur Augustinus [a], qui totum hunc Petri locum ita planè exprimit. *Hi sunt fontes sicci, & nebulæ à turbine exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruata est, superba enim vanitatis loquentes alliciunt in concupiscentiis carnis impudicitia eos, qui paululum effugerunt in errore conuersati.* Cùm enim carnis impudicitiæ dicat, eundem planè sensum cum vulgato Interprete sequitur, quasi Hebræa phrasi desideria carnis luxuriæ, seu impudicitiæ dicat, pro desideriis carnis impudicis.

a lib. de fid. & oper. c. 24.

X. Cæterùm omnes Græci Codices, quos quidem ego videre potuerim, constanter habent ἐπιθυμίαις, numero multitudinis, vt sit sensus, per carnis appetitiones inescantes voluptatibus eos, qui nonnihil recesserunt ab iis, qui in errore versantur, vel vt alij malunt, eos, qui verè recesserunt; hoc enim loco Græci codices variant, sunt enim, qui legant ὀλίγως, quos sequutus videtur Interpres. Sunt qui habeant ὄντως ἀποφυγόντας hoc est, *existentes fugientes*, quasi dicat, *re vera fugientes*. sed vtro modo legas, nihil sententiæ deperit; vulgatus tamen Interpres Hebræam phrasim, vt dixi, probasse videtur; maluit autem luxuriam dicerè, quàm impudicitiam, licèt enim luxuria latiùs pateat, frequenter tamen Interpres eam pro impudicitia vsurpat.

XI. Quod autem ait, *eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur*, ambiguam sententiã continet, quod enim ait, *qui in errore conuersantur*, referri potest ad verbum *pelliciunt*, vt sit sensus, pelliciunt eos, qui paululũ effugiunt, vt eos ad impietatẽ reuocent, itemque eos, qui in errore versantur, vt illos magis, ac magis confirmẽt. Potest etiã coniungi cum verbo, *effugiunt*, quasi dicat, eos in fraudem inducũt, qui paululum ab iis recesserunt qui in errore versantur, quem sensum indicat Augustinus [b], qui ait *eos, qui paululũ effugerunt in errore conuersati*. quasi dicat, eos decipiunt, qui cùm aliquãdo in eodem errore versati essent, ab iis tamen paululum recesserant, vt significet Petrus, Gnosticos iis etiam interdum imponere, qui ab ipsorum errore resipiscentes saniora consilia aliquando susceperant; quæ sententia cum iis, quæ subsequũtur magis cohæret; longè autem faciliùs in eorũ animos voluptates sese insinuant, qui eas aliquando adamarunt, licèt aliquamdiu intermiserint. Quocirca Tertullianus non semel docuit viduæ continentiam operosiorem esse, ac difficiliorem virginitate; sic autem scribit [c]. *Non tantùm virginibus datum opinor, licèt in illis integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operosius, quia facile est non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris numquam; gloriosior continentia, quæ ius suum sentit, quæ quid viderit, nouit. Poterit Virgo felicior haberi, at vidua laboriosior, illa, quòd bonum semper habuit, ista, quòd bonum sibi inuenit; in illa gratia, in ista virtus coronabitur.* Et eodem planè modo alibi [d]. *Non enim & continentia virginitati antistat, siue viduorum, siue qui ex consensu contumeliam communem iam recusarunt? Nam virginitas gratia constat, continentia vero virtute, non concupiscendi cùs concupiscẽdo inolcuerit, grãde certamen est, cuius autẽ rei concupiscendi ignorauerís fructum, facile non concupiscas aduersarium non habens concupiscentiam fructus.*

b lib. de fid. & oper. c. 24.

c lib. 1. ad Vxor. cap 8.

d lib. de velan. Virg. c. 10.

XII. Quam quidem sententiam non solum probat, sed egregiè etiam explicat Cyprianus [e]. *Tuetur*, inquit, *in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem*. Nec dissentit Hieronymus [f], *Virginitas in eo facilior est*, inquit, *quòd carnis incentiua non nouit, & viduitas in eo sollicitior, quòd præteritas animo recolit voluptates, maximè si se virum putet perdidisse, non præmisisse, quorum alterum doloris, alterum gaudij est.* Sic denique nonnulli apud Clementem Alexandrinum [a]. *Iam*, ait, *nonnulli quoque præferunt viduam Virgini, quod attinet ad continentiam, vt quæ experta est voluptatem, & magno, & excelso animo contempserit.* Quæ omnia non eò spectãt, vt virginum dignitati detraham, cùm satis constet virginitatem præstantissimum, ac nobilissimum esse continentiæ gradum, cui meritò aureola in cœlesti patria debeatur, quippe quæ in periculoso certamine non modò nobilissimam victoriam reportarit, sed sine vulnere, penitúsque illæsa euaserit. Sed vt confirmem, quod in præsentia subindicat Petrus, eos, qui aliquando impuris hæreticorum voluptatibus contaminati essent, ob præteritæ oblectationis memoriam, & peccãdi consuetudinem in eamdem foueam faciliùs relabi, & in pristinos mores leuissima quauis aura impelli, contáque maiori cum labore, ac difficultate sibi temperare. Quòd si probemus eos Codices, qui Græcè legunt ὄντως ἀποφυγόντας, hoc est, *qui verè aufugerunt*, significabit Apostolus tantum posse Gnosticorũ improbitatem, ac nequitiam, vt eos etiam in fraudem inducere sperent, qui verè, atque ex animo nefarias, atque impuras libidines auersantur.

e lib. de bono patien.

f epist. 11. Ageruc. de monogam.

a lib. 3. Stromat. cap. 9. in princ.

19. *Libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis, à quo enim quis superatus est, huius & seruus est.*]

I. Hac nimirum ratione imponere conantur, & ad suas incestas voluptates alios flectere moliuntur, qui libertatem pollicentur, quia videlicet doctrinæ suæ cultoribus liberum spondent ad Patrem accessum, iis fermè rationibus, quæ tamquam deliramenta ab Epiphanio [b] confutantur, nisi fortè iam tum eam libertatem prædicabant, quam recentiores hæretici iactant, quæ omnem obedientiam excludit, omnibúsque flagitiis, atque sceleribus laxat habenas; quam certè Augustinus [c] egregiè refellit. *Putauerunt*, inquit, *hoc esse liberè viuere, vt tamquam de tanta redemptione securi, quicquid liberet, licere sibi arbitrarentur, non intuentes quod dictum [d] est. Vos in libertatem vocati estis, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis. Vnde & ipse Petrus [e] dicit, Liberi, non sicut velamentum malitiæ habentes libertatem.* Hæc enim, quam isti libertatem appellant, omni quamuis sæuissima seruitute deterior, miseriórque censenda est, cùm turpissimis vitiis, ac voluptatibus seruiat. Itaque rectè Oecumenius, *quare impudicitiæ, arrogantiæ, & impietatis res sunt, qui hæc efficiunt, cúmque ipsi immunditiæ serui sint, quam corruptionem meritò appellat, libertatem aliis, quos decipiunt, pollicentur, non vera illam quidem, sed remissa ac profusa vita libertatem.*

b Hær. 25. 26. 27. & aliis.

c lib. de fid. & oper. c. 14.

d ad Gal. 5. 13.

e ep. 1. c. 2. 16.

II. Idcirco meritò ait Apostolus, *cùm ipsi serui sint corruptionis*. voluptates intelligit, & nefaria flagitia, quibus mens, atque animus non inquinatur solùm, sed planè deprauatur, & corrumpitur; veram libertatem indicauit Christus [f], cùm dixit, *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis*; Christus enim humanæ vindex libertatis verè nos liberauit à iugo legis, à Dæmonis tyrannide, à peccati seruitute. Expectanda autem est, & votis etiam concepitis optanda felix quædam libertas, qua vt ait Apostolus [g], *ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*; quam ipse alibi exoptabat cùm diceret. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nam vt ait Gregorius [h] Nazianzenus, quamdiu spiritum ducimus, atque hac vita mortali fruimur, miseram quamdam seruitutẽ seruire cogimur, & corporis indigentiæ

f Ioan. 8. 36.

g ad Rom. 8. 20.

h Orat. 16.

indigentiæ prospicere, cùm enim dixisset improbo, & infido corpori nos esse quodammodo alligatos. *Haud equidem*, inquit, *scio quomodo coniunctus sim, quóque pacto simul & imago Dei sim, & cum cœno voluter, quod & cum pulchra valetudine est, bello me lacessit, & cum bello premitur, mærore me afficit, quod & vt conseruum amo, & vt inimicum odi, atque auersor, quod & vt vinculum fugio, & vt coheres vereor. Si debilitare illud, & conficere studeo, iam non habeo quo socio, & opitulatore ad res præclarissimas vtar, minimum haud ignorans, quam ob causam procreatus sim, quódque me per actiones ad Deum ascendere oporteat. Sin contrà vt cum socio, & adiutore mitius agam, nulla iam ratio occurrit, qua rebellantis impetum fugiam, atque à Deo non excidam compedibus degrauatus, vel in terram detrahentibus, vel in ea detinentibus. Hostis est blandus, & placidus, insidiosus amicus, ô miram coniunctionem, & alienationem, quod metuo, amplector, quod amo pertimesco, antequam bellum gesserim, in gratiam redeo, antequam pace fruar ab eo dissideo.*

III. Egregiè verò Seneca [a]. *Omnes cum fortuna copulati sumus; aliorum aurea catena est, & laxa, aliorum arcta, & sordida, sed quid refert? eadem custodia vniuersos circumdedit, alligatique sunt etiam qui alligauerunt, nisi tu fortè leuiorem in sinistra catenam putas. Alium honores, alium opes vinciunt, quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit; quibusdam aliena supra caput imperia sunt, quibusdam sua; quosdam exilia vno loco tenent, quosdam Sacerdotia. Omnis vita seruitium est; assuescendum itaque conditioni suæ, & quamminimum de illa querendum, & quicquid habet circa se commodi apprehendendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium inueniat.* Quibus sanè verbis apertè docet hanc nostram vitam mortalē seruitutem quamdam esse, nec posse quemquam libertatem assequi, nisi qui ita sit animo compositus, vt quidquid accidat æquabilitatem retineat in omni vita. Sapienter autem apud Laërtium [b] dixit Diogenes, eum verè liberum non esse, qui seruit vitiis, nec liberum esse posse, qui multis eget, *plurimis autem eget auarus, ambitiosus, ac deliciis deditus.* Idémque aiebat inter seruos, ac dominos malos præter vocabula nihil interesse, nisi quòd mancipia seruirent dominis, domini cupiditatibus, significans vtrosque seruos esse, miseriorem tamen dominos seruitutem seruire, si sint improbi. *Nam qui ducitur affectuũ arbitrio, & multos habet dominos, & turpes, & inclementes.* Tantum igitur abest, vt quam libertatem isti pollicentur, præstare possint vt eos potiùs, qui sibi obtemperant, in turpem quamdam seruitutem coniiciant, quæ longè detestabilior est ea, quam describit Gregorius Nazianzenus, qui seruitutem eam intelligit, qua cogimur necessaria corpori ministrare, cui opponitur libertas, qua perfruuntur illi, qui iam mortalitatem exuerunt.

[a] lib. 1. de tranquil. vitæ c. 10.
[b] lib. 6.

IV. Hanc verò libertatem polliceri nemo potest in hac mortali vita; vtcumque autem eius nonnullũ gustum percipiunt ij, qui in edomandis, frangendisque cupiditatibus operam, ac studium collocant, qualem optabat Basilius [c], cùm diceret. *Scire autem vos volo quod optamus nobis virorum, ac mulierum cœtus dari, quorum conuersatio in cœlis sit qui carnem suam cum affectionibus, ac concupiscentiis crucifixerint, quique nec de cibis, nec de indumentis solliciti sint, sed immobiles, & assidui apud Dominum noctes, ac dies precationibus immorentur, quorum os non loquatur opera hominum, sed hymnum concinat Deo nostro, quique sedulò propriis manibus operentur, quò possint impartiri illis, qui opus habent.* Quod genus vitæ complexum se esse testatur Paulus [d], cùm ait. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.* Eius porrò vitæ fœlicitatem describens Saluianus [e]. *Nemo*, ait, *aliorum sensu miser est, sed suo, & ideo non possunt esse falso iudicio miseri, qui sunt verè sua conscientia beati.* Item rursus. *Nulli, vt opinor beatiores sunt, quam qui ex sententia sua, atque voto agunt. Humiles sunt religiosi, hoc volunt, pauperes sunt, paupertate delectantur, sine ambitione sunt, ambitum respuunt, inhonorati sunt, honorem reiiciunt, lugent, lugere gestiunt, infirmi sunt; infirmitate lætantur. Cum infirmor, inquit Apostolus, tunc potens sum. itaque quicquid acciderit iis, quicumque verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt, quia inter quantumlibet aspera, nulli lætiores sunt, quam qui hoc sunt quod volunt.*

[c] ep. 63.
[d] 2. ad Cor. 4. 10.
[e] lib. de prouiden.

V. Et sanè vt intolerabilis quædam seruitus est, cupiditatibus suis obtemperare, & multis egere, cùm multa habeas, multa appetere, cùm plurima possideas, ita contrà eximia quædam libertas est, omnibus deliciis facilè carere, nihil appetere, nihil formidare. Itaque sapienter scripsit Seneca [a]. *In primis autem respuendæ sunt voluptates, eneruant, & effœminant, & multum petunt; multum autem à fortuna pendendum est; Deinde spernendæ opes auctoramenta sunt seruitutum, aurum, & argentum, & quicquid aliud felices domos onerat, relinquatur, non potest gratis constare libertas. Hanc si magno æstimas, omnia paruo æstimanda sunt.* Idem verò alibi [b]. *Quid est præcipuum? in primis liberum animum habere, hæc res efficit non è iure Quiritium vt sis liber, sed à iure naturæ; liber autem est, qui seruitutem effugit suam, hæc est assidua seruitus, & ineluctabilis, & per diem, ac noctem æqualiter premens, sine interuallis, sine commeatu. Sibi seruire grauissima seruitus est, quam discutere facile est, si desieris multa à te poscere, si desieris tibi referre mercedem, si ante oculos, & naturam tuam posueris & ætatem, ac tibi ipse dixeris, quid insanio? quid anhelo? quid sudo? quid terram verso? quid forum viso?*

[a] ep. 104.
[b] Præf. in lib. 3. quæst. natural.

VI. Ridiculè igitur libertatem pollicentur ij, qui miserè seruiunt, qui vt ait Petrus, *serui sunt corruptionis*, hoc est, qui sunt voluptatis, ac libidinis mancipia, hanc enim vocat corruptionem, quo modo etiam loquitur Paulus [c], *qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem*, non modò corporis, cùm gulæ, & Veneris voluptates pessimam messem colligant, quia vertuntur in phlegmata, sordes, menstrua, & reliquam humani corporis fœditatem, & corruptionem, sed quod deterius est, non solùm afferunt corporis, sed animæ sempiternam mortem, atque interitum. Nisi quis malit corruptionem positam esse pro corpore corruptibili, quomodo dixit alicubi Paulus [d], omnia creata aliquando liberanda à seruitute corruptionis; seruitutem enim intelligit corruptibilem, quia corpori seruitur, cui mox ex aduerso opponit libertatem gloriæ, hoc est, libertatem gloriosam, quam quidem corruptibilem seruitutem hunc fermè in modum describit Origenes [e]. *Considera enim*, ait, *necessitates corporis, appetentiam cibi, digestionum putorem, posteritatis reparandæ verecundiam, vt seritur soboles, vt editur, vt nutritur, & vide in his quanta vanitas habeatur, quanta corruptio, cui creatura anima nobilis, & rationabilis licèt non volens subiecta est.* Huic porrò corruptioni corporis cuncti mortales procul dubio suo modo seruiunt, sed ij præcipuè, qui sese voluptatibus constringendos præbent.

[c] ad Gal. 6. 8.
[d] ad Rom. 8. 21.
[e] lib. 7. in ep. ad Rom.

VII. Gregorius certè Nazianzenus [f] latiùs aliquanto hanc corruptionem interpretatur; cui omnia creata (quod indicare videtur Apostolus) inuita quodammodo seruiant. *Quandoquidem*, inquit, *etiam res omnes conditæ, & cœlestes virtutes mea quidem sententia huiusmodi rerum sensu afficiuntur. Neque enim creatura simul tantum ingemiscit, & parturit corruptioni seruiens, hoc est, iis, qui in terra nascuntur, & intereunt, finem eorum, & reuelationem*

[f] Orat. 3. quæ est 1. in Iulian.

A *expectans, vt ipsa quoque tunc sperata libertate potiatur, velut nunc hic in vita propter creatoris potentiam alligata.* A qua sententia non abhorret Ambro-
a Serm 82. sius [a], qui hanc seruiturem etiam Lunæ tribuit, sic enim de illa scribit. *Liberabitur à seruitute; vides ergo quòd luna non laborat carminibus, sed laborat obsequiis, non laborat periculis, sed laborat officiis, non laborat, vt pereat, sed laborat, vt seruiat.*
b Præfat. in psal. 125. Augustinus [b] autem non solùm ait nos à seruitute, sed etiam à captiuitate liberari. *Si Redemptor,* ait, *noster ille dicitur, captiui tenebamur; vbi ergo tenebamur, vt ille veniret redimere captiuos? vbi tenebamur? fortè apud Barbaros, peior est Barbaris Diabolus, & angeli eius, ipsi antea tenebant genus humanum, ab eis redemit nos, qui non aurum, neque argentum, sed sanguinem suum pro nobis dedit; quomo-* B *do autem homo venerat in captiuitatem, Paulum Apostolum interrogemus, etenim ipse præcipuè gemit in ista captiuitate suspirans æternam Hierusalem, & docuit nos gemere ex ipso spiritu, quo & ille impletus gemebat, hoc enim ait; Omnis creatura congemiscit, & dolet vsque nunc. & iterum, Vanitati enim creatura subiecta est non sponte, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.*

VIII. His igitur omnibus modis dicuntur Gnostici corruptioni seruire, tum quia omnia referunt ad corpus, & corporis voluptates, tum quia omnibus sese sceleribus inquinant, atque adeò ad interitum ruunt sempiternum; vt autem probet Apostolus eos seruire, subdit. *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* C Suspicor Petrum ad priscam consuetudinem allusisse, qua qui in bello victi fuissent, & quasi manu capti mancipia, & serui fiebant. Vt
c lib. 5. de ling. Latina. enim ait Varro [c]. Mancipium appellabatur; quasi manu captum, qui, vt alij volunt, & seruus dicebatur, quia in bello seruatus non perimebatur, inde enim seruitutis origo ducta videtur, cùm alioqui cuncti mortales liberi nascantur. Inde igitur ducta similitudine ait Petrus Gnosticos, quia libidini, ac voluptati succumbunt, ei tamquam victrici seruire, vt enim ait Oecumenius, *à qua quis perturbatione vincitur, ab ea in seruitutem etiam abducitur.* Quomodo etiam loquitur Seneca [d].
d ep. 47. *Alius,* inquit, *libidini seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori, dabo consularem aniculæ seruientem;* D *nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria.* Videri etiam potest Petrus respexisse ad id, quod ait
e Ioan. 8. 34. Christus [e]: *Omnis, qui facit peccatum seruus est pec-*
f ad Rom. 6. 16. *cati.* Persimilem enim seruitutem indicat Paulus [f]. *Nescitis,* inquit, *quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.* Ac proin-
g vers. 19. de paulò pòst [g] subdit. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

IX. Videtur enim Apostolus regnum iustitiæ peccati regno ex aduerso opponere, & huius seruitutem illius seruituti, proinde subiicit, *cùm enim serui essetis* E *peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Et paulò antè dixerat. *Liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ.* Et aliquantò pòst. *Liberati à peccato, serui autem facti Deo.* Vniuersim igitur ait Petrus eum illius seruituti addictum esse, à quo victus, ac superatus fuerit, qui igitur ab impotenti libidine superatur, eius seruus efficitur, & contrà, qui pietati, ac iustitiæ sese præbet obsequentem, eius seruus efficitur, ea autem
h In epist. ad Rom. cap. 1. seruitus, vt alibi [h] dixi, quouis imperio præstantior, atque optabilior est. Reddit igitur rationem Petrus, cur dixerit Gnosticos corruptioni seruire,

A quandoquidem illi à prauis cupiditatibus sese vinci, ac superati patiuntur, nam vt ait Seneca [a]. a epist. 39. *Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt?* Et aliquantò pòst. *Voluptatibus vtique se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt, quòd eò peruenerunt, vt illis quæ superuacua fuerant, facta sint necessaria; seruiunt vtique voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua (quod malorum vltimum est) amant.* Et profectò nulla sæuior, atque immanior tyrannis concipi potest, quàm libidinis impotentis sæuum, ac truculentũ imperium, assiduis enim cupiditatibus animum concutit, huc illuc rapit, & quibusdam veluti catenis implicitũ constringit, vt nihil honestũ, vel ad punctũ temporis cogitare queat.

B

20. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.*]

Quod modo dixerat eum seruitutis illius addici, L. à quo fuerit superatus, planiùs explicat, & confirmat. Si enim, inquit, post agnitam veritatem à pristinis sese vitiis ac voluptatibus superari patiuntur, in longè deteriora, & periculosiora incidunt mala. Videtur autem eos indicare, qui cùm gentilium impietatem abiurassent, & Christianis sacris initiati essent, voluptatum lenociniis deliniti ad impuras, ac C nefarias hæreticorum sectas defecerant, vt Simon Magus, Nicolaus, Ebion, Cherintus. Inquinationes autem mundi gentilium sacra, ac nefarias superstitiones appellat, illis enim vniuersus terrarum orbis inquinabatur. Quàm verò essent impura, ac sacrilega, docent, Arnobius [b], Minutius [c], Iustinus [d] Martyr, b Adue. Gẽt. & alij, vt omittam, quæ scribunt Clemens [e] Alexan- c In Octauio drinus, Athanasius [f], & Cyprianus [g] contra Idolorum d in Apolog. ad Anton. vanitatem. Accedit, quòd cum impio Idolorum cultu e In adhor. ad Gent. omnium propemodum voluptatum, ac libidinum licentia coniuncta erat. Ait autem refugisse illos *inqui-* f Orat. cont. Idola. *nationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris* g De Idol. vanit. *Iesu Christi;* hoc est, per cognitionem veræ fidei, & Christianæ doctrinæ, quæ docet Christum Dominum, vt ait Paulus [h], eripuisse *nos de præsenti sæculo* h ad Gal. 1. 4 D *nequam secundùm voluntatem Dei, & Patris nostri.*

IL. *His rursus implicati superantur,* an idolorum cultu? Equidem non facilè mihi patiar persuaderi, hoc voluisse Petrum significare, quamquam fortasse nonnulli etiam Apostolorum sæculo ad idola defecerant. Crediderim potiùs eos perstringi, qui hæresim complexi essent, scribit enim Tertullianus [i], i lib. de præscript. c. 40. *neque ab idololatria distare hæreses, cùm & auctoris, & operis eiusdem sint, cuius & idololatria. Deum aut fingunt alium aduersus Creatorem, aut si vnicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodam modo genus est idololatriæ.* Hæretici enim, tametsi *vnum Deum fatentur,* vt scribit Irenæus [k], sed *per sententiam* k lib. 1. c. 19. *malam immutant, ingrati existentes ei, qui fecit eos, quemadmodum & gentes per idololatriam.* Sic sæpe Hierony- E mus [l] docet omnem hæresim esse quamdã idololatriam, damnarique à Prophetis idolorũ nomine. Eleganter verò Augustinus [m]. *Quisquis talẽ cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum Deum vtique, & falsum in cogitatione portat.* Dixerat autem paulò antè, cùm Iosue dixit. *Auferte deos alienos, qui sunt in vobis,* non de veris idolis, quæ nulla tunc fuisse credendum est, sed de falsis opinionibus, quas de Deo haberent, loquutum esse. *Proinde* inquit, *Propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo, & ipsas admonebat auferri.*

l Ezech. 8. Daniel. 3. Osee 3.
m li. 6. qq. in Iosu. q. 29.

Posset

III. Posset etiam quis opinari, cùm Petrus dixit, *his rursus implicati superantur*, de moribus hæreticorum loqui, qui nimia quadam viuendi licentia gentilium mores imitabantur, atque ita qui abiecta Euangelica doctrina ad Gnosticos defecerant, iisdem voluptatibus inquinabantur, quibus olim, dum colerent idola, turpiter seruiebant. Itaque ait, si postquam Dominum, ac Saluatorem nostrum agnouerint, & fide viua complexi fuerint, rursus à pristinis voluptatibus, ac libidinibus sese vinci, ac superari patiuntur, iis omnino turpiter seruiunt, & longè deteriori seruitute implicantur, quàm cùm antea idola colerent; vt enim qui à morbo conualuerint, si rursus in ægritudinem incidant, periculosiùs ægrotant; non aliter qui vitiis, ac sceleribus nuntium aliquando remiserint, si rursus sese iis constringi patiantur, longè maius salutis periculum subeunt. Quocirca subdit. *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*: quam sententiam confirmat Apostolus Paulus, cùm ad Hebræos [a] dixit. *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Et alibi [b]. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.*

a cap. 6. 4.
b ad Hebr. 10. 26.

IV. Cæterùm quod ait Petrus. *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*, ad id quodammodo alludit, quod C ait Christus [c]. *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*, cui affine est illud apud Ioannem [d]. *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* His enim omnibus locis indicatur eum, qui post acceptam iustificationem rursus flagitio inquinatur, iustè in se iram Dei prouocare, & maiori supplicio dignum videri. Quocirca verè dixit Chrysostomus [e]. *Noli peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam; cogita, inquit, ô homo, grauiorem esse culpam post veniam, renouatum vulnus peius dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentia ingratus est, qui post veniam peccat, sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat, nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat.* Et paucis interiectis. *Graue est hominem instructum delinquere, grauius absolutum peccare; seruo peior est, qui patronum post datam libertatem offendit, beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit.* Alio [f] verò loco. *Maximè quidem*, inquit, *operam adhibeamus, ne labamur, sed si in peccata quandoque inciderimus, studeamus celeriter resurgere, & non in peiora recidere, ne ea audiamus, quæ fuerunt dicta paralytico. Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat.*

c Matth. 12. 45.
d cap. 5. 14.
e Hom. de lapsu primi hominis.
f in Ps. 121. ead. hom. de crud. discipl. & hom. 5. de pœnit.

V. In eamdem sententiam scribit Augustinus [g]. *Iterum dico, ait, & sæpe dicendum est, sufficit præteritum tempus voluntates gentium consummasse, detestamini, auersamini canes conuersos ad vomitum suum, detestamini, & auersamini mundatam, & vacantem domum, quo nequiores alij septem spiritus adducuntur, vt fiant nouissima hominis peiora, quàm erant prima, vos vestrum mundatorem tenete habitatorem.* Egregiè verò Cyprianus [h]. *Glorificemus, & portemus Deum, ait, puro, & mundo corde, & obseruatione meliore, & qui per sanguinem Christi Domini nostri redempti sumus, per omnia seruitutis obsequia Redemptoris imperio pareamus, demúsque operam, ne quid immundum, & prophanum templo Dei inferamus, ne offensus sedem, quam inhabitat, derelinquat. Sospitantis Domini verba sunt, & docentis, curantis pariter, & monentis. Ecce, inquit, sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, dat* A *viuendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem. Nec habenis liberis, & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potiùs, quibus sanatus fuerat, mancipato grauius comminatur, quòd sit scilicet minor culpa deliquisse antè, cùm necdum nosses disciplinam Dei, nulla sit venia vltra delinquere postquam Deum nosse cœpisti.*

g lib. 50. hom. hom. 20.
h de habit. Virg. c. 1.

VI. Denique Bernardus [a]. *Si dixerit mihi Iesus, inquit, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? exui tunicam meam, si reinduero eam, quantum profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, numquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum iacui diu in luto fæcis, sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me sal-* B *uum fecit, ipsum mihi dixisse recordor, ecce sanus factus es, vade iam, ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Ita apparet, quàm sit eorum conditio periculosa, qui post gratiæ perceptæ beneficium, rursus pristinis, aut nouis sceleribus sese obstringunt.

a Serm. 3. in Cant.

VII. Non iis tamen [b] assentior, qui eò putant pertingere posse aliquem peccatorem, vt iusto Dei iudicio penitus deseratur, adeò vt nequeat resipiscere, & ad Deum conuerti. Tametsi enim non nego, pleraque in Scripturis, & apud sanctos Patres legi, quæ videntur indicare, quosdam à Deo ita penitus deseri, vt planè intereant, ea tamen commodam habere possunt explicationem, vt nihil diuinæ gratiæ, aut pœnitentiæ efficacitati detrahatur. Fateor dixisse C Salomonem [c]. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Eumdemque alibi [d]. *Nequam erat natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & non poterat mutari cogitatio ipsorum in perpetuum.* Et Hieremiam [e]. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Eumdemque alibi [f]. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Quibus consentanea sunt diuina quædam testimonia, quibus significat Deus, nolle se flecti, aut vllo modo parcere. Nam apud Isaiam [g]. *Excæca, inquit, Domine cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude ne fortè videant oculis suis, & auribus suis audiant, & conuertantur, & sanem eos.* Alibi verò [h] sumpta vineæ metaphora. *Ostendam, ait, vobis, quid ego faciam vi-* D *neæ meæ, auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam vepres, & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Hieremiæ autem dixit [i] Deus. *Noli orare pro populo isto, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Et Samuëli [k]. *Vsquequò tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum?* Denique apud Marcum [l] ait Christus. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem, qui foris sunt in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.*

b Hadria q. 5. de pœnit. Roffens. art. 36. aduer. Luther. Andr. Vega lib. 13. in Cõc. Trid. Abulens. in Exod. c. 4. q. 12. & alij. tenere videtur D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1 & q. 14. art. 8. ad 1. Ruar. Taper. ar. 7. Caietan. ientac. 8. q. 1. Driedo li. 2. de grat. & lib. arb ca. 2. p. 2. in solu. arg. & lib. de capt. & redemp. generat. human. c. 1 Michael Medin. de recta in Deum fide lib. 5 c. 1.
c Eccles. 7. 14
d Sap. 12. 10.
e cap. 13. 23.
f cap. 51. 9.
g cap. 6.
h Isa. 5. 5.
i cap. 7. 16.
k 1. Reg. 16. 1.
l cap. 4. 11.

VIII. Verùm hæc omnia nullam apud me vim habent, quæ enim testimonia indicant aliquos non posse E conuerti facilem, atque expeditum habent explicatum, vt enim scribit Gregorius [m] Nazianzenus, *posse vel non posse non vno modo dicitur variam enim, ac multiplicem significationem habet, nonnumquam enim secundùm virium defectum dicitur, & certi temporis, ac personæ ratione habita, vt quod puer luctari non possit, aut catulus cernere, aut cum aliquo dimicare. Luctabitur enim fortasse aliquando & cernet, & cum hoc dimicabit etiam, si cum altero nequeat. Interdum de eo dicitur, quod sæpenumero contingit, vt illud [n]. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, fieri enim potest, vt quædam ciuitas abscon-*

m Orat. 36. quæ est 4. de Theol.
n Matt. 5. 14.

datur, maiori nimirum aliquo monte ipsius luminibus obstruente. Impossibile etiam dicitur, quod minime aequum

a Matt. 9. 15.

est, rationique consentaneum, cuius generis est illud [a]. *Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Quarta significatione hoc fieri non posse dicitur,*

b Matth. 13. 58.

a quo nostra voluntas abhorret, cuiusmodi est illud [b]. *Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum, qui eū excipiebant. Illud quoque impossibile dicitur, quod natura quidem impossibile est, Deo autem valenti possibile; quo in genere est illud* [c]*; eumdem hominem*

c Ioan. 3. 4.

d Matth. 19. 24.

bis nasci non posse, nec acu camelum [d] *admitti; quid enim prohibeat, quominus haec fiant, si Dei voluntas ita tulerit? Praeter hos omnes modos impossibile dicitur, quod nulla omnino ratione fieri potest, vt impossibile esse dicimus, Deum malum esse, aut omnino non esse.*

IX. Cùm igitur Scriptura significat aliquos conuerti, aut iustificari non posse, id indicat admodum esse difficile, qua ratione aegritudinem aliquam curari non posse dicimus, non quae omnino medicinam respuat, sed quae non sine magna difficultate, periculo, & labore curationem admittit, pleraque enim in sacris litteris hoc modo accipienda sunt. Nam in

e cap. 37. 4.

libro Geneseos [e] de fratribus Ioseph scriptum est. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*; hoc est, adeò illum auersabantur, vt pacificè cum

f Ioan. 5. 44.

eo sermonem habere nollent. Et Christus [f] apud Ioannem ait. *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quae à solo Deo est, non quaeritis?* Rursus [g] alibi. *Non potest mundus odisse vos.*

g Ioan. 7. 7.

h Ioan. 12. 39.

Itemque [h]. *Non poterant credere*, hoc est, vt interpretatur Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, nolebant. Quae verò testimonia de hominum caecitate, atque obduratione loquuntur, aliò pertinent, vt suo loco doceo. Certum est autem, & caecos posse diuinitus lucem aspicere, & obduratos caelestis gratiae efficacitate molliri. Caetera verò, quae indicant Dei voluntatem auersam, vel eodem modo explicanda sunt vt superiora, vel vt docent Theologi in scholis, sensum, vt aiunt, compositum inuoluunt, vel denique de poena aliqua certè infligenda accipiuntur.

X. Non negarim tamen videri nonnullos ex sanctis

i lib. 12. Mor. c. 5.

k Eccl. 7. 14.

Patribus id ipsum indicare. Gregorius [i] enim tractans locum illum Salomonis [k]. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit. Nec mirum, inquit, si à corde reprobo praedicator minimè auditur, dum nonnumquam ipse quoque Dominus in his, quae loquitur, resistentium moribus impugnatur, hinc est enim, quòd Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitia iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Bene autem subditur. Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat, quia omnis homo per id, quod male agit, quid sibi aliud, quam conscientiae suae carcerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exteriùs accuset? qui cùm iudicante Deo in malitia sua caecitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minime meretur.* Et multa deinceps in eamdem

l Hom. 31. in Euang.

sententiam. Alibi vero [l]. *De poena*, inquit, *peccati est vt ex dolo quidem possit donum conspici, sed tamen ex merito contingat, a bono, quod conspicitur, repelli, vsitata quippe culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem, conatur quidem illa, sed confestim labitur, quia vbi sponte diu perstitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit.*

XI. Isidorus [m] autem, *Deserente*, inquit, *nullus poenitere*

m lib. 2. de summo bo. c. 16.

potest, nonnulli autem ita desciuntur à Deo vt deplorare mala sua non possint, etiamsi velint. consilio immundorum spirituum hoc fit, nam quia ipsis negatum est post praeuaricationem regredi ad iustitiam, obserare aditum poenitentiae hominibus cupiunt, ne ipsi ad Deum reuertantur, sed eos

A *habeant socios perditionis, illud quibuscumque fraudibus agentes, vt aut deserantur à Deo, aut flagellis immanitate desperent. Ingemiscendum est igitur, & excussa omni securitate lugendum, ne Dei secreto, & iusto iudicio deseratur homo, & perdendus in potestate Daemonis relinquatur.* Huic etiam sententiae fauere videtur Augustinus [a], alicubi enim de Pharaone agens. *Non hoc ergo*, inquit, *illi imputatur, quod tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* Alibi [b] verò semper caecitatem, atque obdurationem praecedentis peccati, atque impietatis iustissimam poenam esse affirmat.

a de quibusd. proposit. in ep. ad Rom. propos. 62.

b de praedest. sanct. c. 6.

Verùm haec omnia commodè explicari possunt de reprobis, quos constat, vt Theologi loquuntur, in sensu composito non posse ita conuerti, vt sempiter- XII.

B nam salutem consequantur. Hi enim meritò dicuntur inclusi, & despici, ac deseri à Deo, ac sempiternis suppliciis destinari. Nam alioqui ex Scripturis patet nonnumquam obduratos posse conuerti. Isaias [c] enim fatetur cor populi fuisse induratum.

c cap. 63. 17.

Indurasti, inquit, *cor nostrum, ne timeremus te.* Nihilo tamen secius subdit. *Conuertere propter seruos tuos, tribus haereditatis tuae*; indicans sperare se populi indurati conuersionem. Deus autem ipse apud Ezechielem [d] ait. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Et Paulus [e]. *Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* Loquitur autem de corde indurato, de quo mox subdit. *Secundùm autem duritiam tuam, & impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, & reuelationis iusti*

d cap. 11. 19. simil. c. 36. 26.

e ad Rom. 2. 4.

C *iudicij Dei.* Addo his testimoniis indicari externa auxilia absque Dei excitante, & adiuuante gratia esse prorsus inania, atque vtilitatis expertia, denique iisdem planè modis, quibus Scriptura explicari posse.

Omnino autem apertè significant verissimam esse hanc Petri sententiam, qua dixit, facta esse posteriora deteriora prioribus, quandoquidem iustificationis difficultatem, incredibiliter auget ingrati animi vitium, quo quis post acceptam iustitiam rursus in Deum peccat, & quantum in ipso est, iustam Dei indignationem prouocat, dignúsque redditur, qui quamplurimis gratiae praesidiis destituatur, quibus Deus ad poenitentiam prouocare, ac perducere consueuit, quod vineae similitudine insinuauit XIII.

D Isaias, vt paulò antè significaui. Alioqui certum, atque exploratum est, quod alicubi asserit D. Thomas [f], quandiu quis hac vitali aura fruitur, numquam arbitrij libertate penitùs spoliari, gratiae verò diuinae vim, atque efficacitatem tantam esse, vt nullum sit adeò atrox, atque immane facinus, vel tanta scelerum, ac flagitiorum multitudo, cui non possit opitulari, & iustitiam, ac sanctitatem impertiri, quorum alterutrum siquis neget, eum necesse est grauissimo errore inuolui, atque implicari.

f 1. 2. q. 86. art. 1.

Non iuerim tamen infitias à D. Thomae mente longiùs illos abiisse, qui cum putant auctores illos, quos suprà nominaui, erroris arguere, ac damnare, cùm tamen illi salua, atque incolumi humanae voluntatis libertate, admissa item vi, ac potestate diuinae gratiae, ob XIV.

E grauitatem, ac multitudinem flagitiorum asserant interdum Deum immortalem iustè denegare auxilium necessarium ad poenitentiam, & conuersionem. Nam cùm inter catholicos receptum sit pro loco quidē, & tempore cunctis mortalibus sufficiēs, ac necessarium, gratiae diuinae auxilium concedi, est tamen extra controuersiam, eiusmodi auxilium non omnibus, singulis adesse momentis. Constat enim re ipsa iis denegari, qui subito post patratum peccatum vel in ipso flagitio vita excedunt. Liquet autem plerosque peccando exanimatos esse, atque ex pietate; subtrahi te

verò Deum aliis quibusdam hoc auxilium necessarium non sine aliqua probabilitate, indicant tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum allata testimonia, quamuis etiam plures alias, vt diximus, explicationes admittant. Certè de duro corde scribit Bernardus [a]. *Elatum cor durum, & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis, quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Alibi [b] verò copiosiùs. *Cor durum*, inquit, *dictum est, quod se ipsum non exhorret, quia nec sentit, nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus abstulit ei cor lapideum, & dedit ei cor carneum. Cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futurorum improuidum, ipsum enim est, cui præteritorum præter solas iniurias nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla est, nisi fortè ad vlciscendum, prospectio, atque præparatio. Et vt breui cuncta horribilis mali mala complectar, cor durum est, quod nec Deum timet, nec homines reueretur.*

a Serm. de trib. fallac. præsentis vitæ.
b lib. 1. de consid. ad Eugen.

XV. Illud omnino fatendum est, de nullo prorsus mortalium, quamdiu viuit, abiiciendam esse spem salutis, sic enim scribit Augustinus [c]. *De quocumque enim quamuis pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Et alibi [d]. *De nullo desperandum est, quamdiu ad pœnitentiam patientia Dei adducit, paganus est hodie, Iudæus est hodie, hæreticus est hodie, schismaticus est hodie, quid si cras amplectatur Catholicam fidem, & sequatur Catholicam veritatem? quid si iste, quos tamquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant veram requiem, & vitam in futuro?* Ita fit, vt quamuis eorum sententia non penitus reiicienda videatur, qui perditissimos homines à Deo interdum penitus deseri affirmant, absque magna temeritate nemo priuatim tamquam à Deo penitus destitutus censeri possit.

c 1. retract. c. 19.
d Ser. 11. de verb. Dom.

XVI. Siquidem Ecclesia pro omnibus etiam grauissimis peccatoribus preces ad Deum fundit, sic enim scribit Augustinus [e]. *Nunc Ecclesia ideo pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia nunc tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maximè pro eis orat, nisi vt det illis Deus, sicut dicit Apostolus [f], pœnitentiam, vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, secundum ipsius voluntatem?* Paucis interiectis. *Orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur, pro his enim solis exauditur, qui etsi aduersantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, vt pro eis exaudiatur Ecclesia, & filij efficiantur Ecclesiæ; si qui autem vsque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis conuertentur in filios; numquid iam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Cur ita? nisi quia in parte Diaboli computantur, qui dum essent in corpore, non sunt translati ad Christum.* Et in eamdem sententiam Gelasius [g] Papa. *Peccatum*, inquit, *ad mortem est, in eodem peccato manentibus vsque ad mortem, & peccatum non ad mortem est, ab eodem peccato recedentibus ante mortem. Nullum est quippe peccatum, pro quo remittendo non orat Ecclesia, aut quod data sibi diuinitus potestate desistentibus ab eo non possit absoluere, vel pœnitentibus relaxare.*

e lib. 21. de ciuit. c. 24.
f 2. ad Tim. 2. 26.
g de anathe. vinc.

21. *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.*]

I. Cur posteriora prioribus deteriora videantur, hæc amplissima sententia declarat. *Melius* autem ait, hoc est, minùs malum futurum illis fuisse, si numquam Catholicam doctrinam cognouissent, aut amplexi essent, quàm post susceptam fidem ad priorem impietatem relabi. Est autem hæc sententia ei persimilis, quam apud Lucam [a] dixit Christus Dominus. *Ille autem seruus*, inquit, *qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Significat enim, grauiùs peccare illos, qui post veram Dei cognitionem contra Deum peccarint. Meritò autem quærit Augustinus, quomodo hæc Christi verba cohæreant cùm vaticinio Dauidis [b], qui alicubi ait. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ non inuocauerunt nomen tuum,* quæ videntur indicare acerbiora infideles manere supplicia. *Quo modo ergo*, inquit [c], *intelligendum est, quod ait Dominus in Euangelio, seruus, qui nescit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit paucis, seruus autem, qui scit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multis, si maior ira Dei est in gentes, quæ Dominum non cognouerunt? In eo quippe, quod ait, effunde iram tuam, satis hoc verbo indicauit, quàm multam iram voluerit intelligi, vnde postea dicit. Redde vicinis nostris septies tantum. An quia multum interest inter seruos, qui licèt nesciant voluntatem Domini sui, tamen inuocant nomen eius, & alienos à familia tanti Patrisfamilias, qui sic ignorant Deum, vt nec inuocent Deum? Inuocant enim pro eo simulachra, vel dæmonia, vel quamlibet creaturam, non creatorem, qui est benedictus in sæcula. Neque enim istos, de quibus hoc prophetat, ita nescientes significat sui Domini voluntatem, vt tamen ipsum Dominum timeant, sed ita ipsum Dominum nescientes, vt nec inuocent eum, & inimici nominis eius existant. Multum ergo distat inter seruos voluntatem Domini sui nescientes, & tamen in familia eius, atque in domo viuentes, & inimicos non solum ipsum Dominum scire nolentes, sed & non eius nomen inuocantes, atque seruos eius insuper oppugnantes.*

a cap. 12. 47.
b Psal. 78.
c in eumd. Psal. 78.

II. Quæ sanè sententia non modò dubitationem non expedit, sed magis videtur implicare, significat enim grauiora supplicia imminere gentibus, qui ita Deum ignorant, vt eum non inuocent, & præterea fideles insectentur, quod cum hac Petri sententia pugnare videtur, qui procul dubio innuit, leuiùs peccaturos fuisse Gnosticos, si in infidelitate persistissent, quàm si post fidem susceptam in eamdem, aut persimilem impietatem relaberentur; sed nimirum nondum liquet, cur ita simpliciter loquatur Petrus, videtur enim Gentilium infidelitatem cum hæreticorum errore conferre, & indicat hæresim grauiorem esse impietatem, vt apertissimè docet D. Thomas [d] hoc ipso Petri testimonio nixus, quod etiam confirmat Chrysostomus [e], hæreticus enim magis contra rationem peccat, minúsque cohærenter loquitur, quia partem fidei Christianæ admittit, partem reiicit, cùm tamen eadem sit omnino credendi ratio, vt videatur hæreticus eamdem religionem oppugnare, atque euertere, quam vtcumque profitetur. Addit Epiphanius [f] hæreticum ex suo genere videri refractarium, nec facilè posse in rectam viam reuocari, atque ita verissimè dixit Petrus præstabilius fuisse in pristina infidelitate persistere, quàm hæresim complecti, & ad impium Gnosticorum dogma deflectere.

d 2. 2. q. 10. art. 6.
e Hom. 50. ad Popul. Antiochen.
f in Anchor.

III. Huic sententiæ persimilis videtur ea, quæ legitur in Apocalypsi [g]. *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Ambrosius [h] enim. *Frigidus est*, inquit,

g cap. 3. 15.
h Serm. 2. in Psal. 118.

qui fidem nescit, calidus est, qui Spiritus sancti feruore succensus est. Mox addit. *qui calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat, fidem non accepisse, quàm neglexisse, est enim tepidus peior frigido, vt Iudæus, qui sibi videtur fidem habere, quam non habet, quantò tolerabiliorem causam gentilis habet, qui potest dicere, non cognoui legem, non audiui prophetas? Neuter quidem excusatur, sed plus delinquit, qui negauit, quod legerat, quàm qui opera non fecit, quæ facienda non nouerat.* Neque aliter

a 3. p. post. admon. 35.

videtur sentire Gregorius [a]. *Admonendi, ait, sunt, vt perpendant, quod tolerabilius esse potuisset, rectam viam non arripere, quàm post arreptam post tergum redire.* Et ad id confirmandum affert hunc locum Petri. Sed de hac Ioannis sententia, quoniam alij aliter opinantur, plura in præsentia non dicam. Tantùm enim indicare volui, quid de ea duo grauissimi Patres sentiant, quorum si probanda sit explanatio, mirificè Ioannes cum Petri verbis consentit. Certè enim minori supplicio digni videntur Gentiles, quàm hæretici, quin etiam quadam ex parte minùs illi peccant, quàm fideles, cùm vtplurimùm illos ignoratio excuset, illorúmque peccata extenuet, contrà verò accidat fidelibus.

IV. Quamobrem hoc etiam modo hunc locum explicat Augustinus [b]; tractans enim verba illa Dauidis.

b Conc. 2. in Ps. 30.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium. Subdit. *De talibus dicit Apostolus Petrus. Facta sunt illis posteriora deteriora prioribus, melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm cognoscentibus retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato. Cùm dicit, melius erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, nónne iudicauit meliores esse inimicos foris positos, quàm intus malè viuentes, quibus premitur, & grauatur Ecclesia?* Paulò autem pòst. *Istis itaque talibus cùm sit plena Ecclesia, nónne veraciter illic dicunt pauci immo ex paucorum voce ipsa Ecclesia; Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium.* Et in eamdem sententiam Saluianus [c].

c lib. 4. de prouid.

Nunc quia iam Christum agnouisti, qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionem, proijcieris per teporem, quod etiam B. Apostolus Petrus exposuit, dicens de vitiosis, & tepidis; melius erat illis, &c. Denique Auctor [d] sermonum ad fratres in heremo.

d Serm. 34.

Quid hoc est, inquit, *melius erat illis* (& quæ deinceps sequuntur) *nisi quod melius esset, quòd in vita sæculari, & laicali mansisset, quàm postmodum solitariã vitam desereret? Apostatare enim nequã est, mortale est, cum damnatione semper viuere est, tales vxori Loth comparantur.*

V. *Melius* igitur ait, *erat non cognoscere*. Græcè ἐπεγνωκέναι, hoc est, *cognouisse*, vt respiciat præteritam vitam in infidelitate, in qua procul dubio satius fuerat permanere, quàm à recta fide deficere, quam meritò viam iustitiæ appellat, quia sine vera fide nulla potest esse vera iustitia, vt sæpe monet Augustinus, qui alicubi [e] ita planè scribit.

e de prædest. Sanct. c. 7.

Ex fide autem ideo dicit (de Apostolo loquitur) *iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur:* quam ob causam iustus dicitur ex fide viuere. Subdit Petrus, *quàm post agnitionem*, hoc est, post fidem mente conceptam, *retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Quid autem nomine sancti mandati significetur explicat Augustinus [f] hunc in modum.

f lib. de fid. & oper. c. 25.

VI. *Neque enim*, inquit, *illud hoc loco intelligendum est sanctum mandatum, quo præceptum est, vt in Deum credamus, quamquam eo ipso totum contineatur, si eam intelligamus fidem credentium, quæ per dilectionem operatur, sed apertè expressit, quid diceret sanctum mandatum, id est, quo præceptum est, vt ab huius mundi coinquinationibus recedentes casta conuersatione viuamus, sic enim ait. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in agnitionem Domini nostri, & Conseruatoris Iesu Christi, his rursus implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus; non ait, refugientes ignorantiam Dei, aut refugientes infidelitatem sæculi, vel tale aliquid; sed coinquinationes mundi, in quibus est vtique omnis immunditia flagitiorum.* Sed quamquam Augustini auctoritas apud me semper est grauissima, cogor tamen in præsentia vel minimum ab eo nonnihil recedere, licèt enim non negem coinquinationes mundi referri, vt vult Augustinus, ad omnia scelera, atque flagitia, cùm tamen Apostolus addat vocem *mundi*, ea procul dubio vitia indicat, quæ palàm, ac liberè apud Gentiles frequentabantur, ad eas autem deflectere dicebantur Gnostici, quia vt suprà explicuimus, non solùm mores, sed etiam nefarium cultum infidelium magna ex parte imitabantur. Itaque retrocedere à sancto mandato; est, à recta fide deficere, quæ omnes illas coinquinationes reprehendit, ac damnat.

VII. Hoc ipsum docuit Paulus, cùm ad Hebræos [a] scripsit.

a cap. 10. 26.

Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Quæ verba potissimùm quidem in eos conueniunt, qui perceptam fidem, ac susceptam religionem abiurant, rectè tamen in eos omnes cadunt, qui post iustificationem peccãt, vt ex sanctorum Patrum magno consensu eo loco docui. Nec dubito eodem etiam modo explicari posse hunc Petri locum, quod multorum testimonio non ita multò pòst probabo. Quin etiam eodem spectare videntur ea, quæ scribit Paulus ad Galatas [b].

b cap. 4. 8.

Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt dij, seruiebatis, nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? Ostendit enim Galatas, antequam lucem euangelicam aspicerent, excusari vtcumque potuisse, non item post Christiana sacra suscepta. Atque hac ratione Scriptura sacra nonnumquam quosdam quamuis peccatores, aliorum comparatione, qui grauiùs peccant, iustos appellare consueuit. Sic Hieremias [c].

c cap. 3. 11.

Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iuda. Et Ezechiel [d].

d cap. 16. 51.

Et Samaria, inquit, *dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Loquitur enim de Sodoma, & Samaria, quas, vt scribit Hieronymus [e],

e Ezech. 16.

non simpliciter iustas esse decernit, sed comparatione deteriorum. Hanc porrò suam sententiam Petrus duplici prouerbio confirmat.

22. *Contingit enim eis illud veri prouerbij. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*]

I. Prior parœmia à Salomone [f] desumpta est, sic enim ille ait.

f Prou. 26. 11.

Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudẽs, qui iterat stultitiam suam. Vniuersim enim de peccatore loquitur, qui post expiata pristina scelera, illis denuò implicatur; hoc autẽ Petrus Gnosticis, eorũque sectatoribus accommodat. Porrò Salomon rectè hominem scelestum cani comparat, animali videlicet impudico, inuerecundo, ac nullius propemodum vtilitatis, adeò vt Deus immortalis vetuerit in Deuteronomio [g], ne sibi offerretur merces prostibuli, nec pretium canis.

g cap. 23. 18.

Non offeres, inquit, *mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.* Et Christus non semel etiam peccatores canibus similes esse affirmat. Alicubi [h] enim ait.

h Matth. 15. 26.

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Alibi [i].

i Matth. 7. 6.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Optimè autem hoc nomen in hæreticos conuenit, vt enim scribit Hieronymus [k],

k Matth. 7.

quidem canes eos intelligi volunt, qui post fidem

Christi

Chriſti reuertuntur ad vomitum peccatorum ſuorum. Et Baſilius [a] canum nomine eos ſignificari arbitratur, *qui per contumeliam legem Dei violant, ex qua violatione illud conſequitur, vt & qui ſunt extra fidem, ſimul & contemnenda arbitrentur dogmata Domini, & ex illis ipſis anſam arripiant præſidentius nos inuadendi, & conuitijs, ac contumelijs, violatorem veluti proſcindendi.*

a in reg. breu. interr. 290.

II. Deinde tam Salomon, quàm Petrus Apoſtolus, impium, ac deſertorem religionis cani ſimilem eſſe aiunt reuertenti ad vomitum, quòd res fœda, atque abominanda ſit omiſſam impietatem iterare, non aliter ac turpe, fœdúmque eſt, canem rurſus haurire, quam eiecerat fœditatem. Ob id enim vterque addit *vomitum ſuum* Græcè ἴδιον, hoc eſt, *proprium*, quaſi dicat, quemadmodum canis nauſeante ſtomacho id, quo moleſtè grauatur, euomit, & tanquam noxium abiicit, mox pro cibo reuocat, & aſſumit, ſic etiam peccator vrgente conſcientia, quo ſe premi, vrgeríque ſentit, peccatum deteſtatur, & abiicit, & quodam modo euomit, ſed ſtultè deinde, atque impiè quod tanquam malum deteſtatus eſt, quaſi bonum, & appetendum repetit. Sic ferè hanc comparationem explicat Gregorius [b], *Canis quippe, inquit, cum vomit, profectò cibum, qui pectus deprimebat, proijcit, ſed cùm ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rurſus oneratur. Et qui admiſſa plangunt, profectò nequitiam, de qua malè ſatiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proijciunt quam poſt confeſſionem dum repetunt, reſumunt.* Reſpicit etiam hęc ſimilitudo fœditatem, vt dixi, quò ſpectaſſe viſus eſt Damaſcenus, qui alicubi [c] ait, *Caterùm in hoc omnibus viribus eſſe incumbendum, vt nos ab obſcœnis operibus puros, atque integros ſeruemus, ne rurſus canis inſtar ad vomitum noſtrum redeuntes, nos ipſos rurſus peccato in ſeruitutem addicamus.*

b 3. p. paſt. admon. 31.
c li. 4. de fide ortho. c. 10.

III. Eodémque modo loqui videtur auctor [d] Commentariorum in Paulum, qui Ambroſio inſcribuntur, ait enim, *Qui pœnitentia ablutus eſt ab operibus mortuis, ſi eadem iterum agit, peiùs contaminabitur, ſicut ait Apoſtolus Petrus. Canis reuerſus ad vomitum.* Optimè verò Auguſtinus [e], *Quibus, ait, rebus renuncias* (de Baptiſmo loquitur) *niſi factis malis, factis Diabolicis, factis à Deo damnatis, furtis, rapinis, periurijs, homicidijs, adulterijs, ſacrilegijs, factis abominandis, curioſitatibus? His omnibus renuncias, & rurſus his inflexus ſuperaris. Facta ſunt tibi poſteriora deteriora prioribus. canis es reuerſus ad vomitum.* Itémque, *Si canis hoc faciens horres oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?* Certè Apoſtolus hanc potiſſimum rationem ſequutus videtur, ita enim confirmat, quod mox dixerat, facta eſſe deteriora prioribus. Eadémque opera rei fœditate propoſita fideles in ſuſcepta fide, ac religione confirmat, ne ſi ſe à Gnoſticis decipi patiantur, canum obſcœnitatem imitentur. Certè Iſidorus [f] Peluſiota canibus ſimiles ait eſſe hæreticos, qui cùm veram doctrinam complexi ſint, rurſum ad priorem ſententiæ peruerſitatem reuertuntur. Eodémque modo loquitur Chryſoſtomus [g], *Canes verò, inquit, ſunt omnes hæretici, qui contra creatorem ſuum blaſphemiarum extendunt eloquia.*

d ad Hebr. 9 ſimil. c. 10.
e in Pſal. 80.
f li. 1. ep. 143.
g ho. de cruce Dom.

IV. Poſterius prouerbium additur à Petro, *Sus, inquit, lota in volutabro luti.* Eandem verò explanationem habet, nam, vt ait Origenes [h], *porcis ſimiles dicuntur ij, qui peccatorum fœtoribus delectantur, ſicut porci, qui fœtorem omnem tanquam odorem ſuauiſſimum expetunt. Conſidera ergo peccatorem, qui peccatis ſuis delectatur, & lætus eſt in malis ſuis, quoniam & ipſe in ſtercore fœtido voluatur, & nullum fœtoris eius, qui ex peccati ſtercore redditur, percipit ſenſum, velut in ſummis voluptatibus, & gratiſſimis delicijs delectatur.* Eodem videtur ſpectare myſtico ſaltem ſenſu quod ſcripſit Sirac [a], *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* Quemadmodum enim, qui à cadaueris contactu ex legis [b] præſcripto ablutione expiabatur, nihil ei expiatio proderat, ſi rurſus eodem contactu inquinaretur, ita qui ſcelera, atque flagitia pœnitentia eluit, ſi rurſus iiſdem ſceleribus inquinatur, quid ei prior pœnitentia prodeſt? Quocirca Gregorius [c], *Mortuum quippe eſt, ait, omne opus peruerſum, quod pertrahit ad mortem, quod vita iuſtitiæ non viuit. baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit mortuum, qui praua opera, quæ ſe meminit egiſſe, deplorat, ſed in eiſdem ſe iterum poſt lachrymas implicat. Anima itaque qualibet eiuſdem mortui lauatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo, quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem iuſtitiæ exurgit. Pœnitentiam enim verè agere eſt, commiſſa flere, ſed iterum plangenda declinare.* Ruſus alibi [d], *Ille quippe lauatur à mortuo, qui per pœnitentiam mundatur à peccato, quem ſi contigerit, eadem, quæ punierat iterando, peccata committere, nihil contuliſſe videtur adhibita ſatisfactionis lauatio, quem maculauit inhoneſtiùs iterata facinoris turpitudo.*

h hom. 1. in Pſal. 37.
a Eccl. 34. 29.
b Num. 19.
c li. 9. regeſt. ep. 39.
d in Pſ. 50. ad ill. ver. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.

V. Videtur autem Petrus duorum animalium ſimilitudinem aſſumpſiſſe, ſequutus magiſtrum ſuum, qui eorumdem comparatione vſus, *Nolite*, inquit [e], *dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Vtrumque enim animal immundum cenſebatur in lege, neque aliter exiſtimaſſe cenſentur Gentiles, ſcripſit enim Poëta Lyricus [f]:

e Matt. 7. 6.
f Hor. lib. 1. epiſt. ep. 2. ad Lollium prope fin.

Syrenum voces, & Circes pocula noſti,
Quæ ſi cum ſocijs ſtultus, cupidusq; bibiſſet
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & excors
Vixiſſet canis immundus, & amica luto ſus.

VI. Quod autem ait Interpres, *in volutabro luti*, Græcè eſt, κυλισμὸν εἰς κύλισμα βορβόρου, hoc eſt in volutabrum cœni, ab eo autem Græco vocabulo dicti ſunt Gnoſtici βορβοριῖται quaſi qui in cœno verſentur, eóque oblectentur; nam vt ſcribit Epiphanius [g], varijs nominibus appellati ſunt. *Apud quoſdam autem, ait, Borborianі appellantur, alij Coddianos ipſos cognominant, Codda enim Syriaca lingua dicitur patina, aut catinus ex eo, quod non poſſint aliqui cum ipſis cibum ſumere, ſed priuatim inquinatis edulia dentur, & quod non poſſit quis vel panem cum ipſis comedere propter inquinationem, & propter cohabitatores ſeparatos ipſos habentes Coddianos cognominauerunt. Iidem in Ægypto Stratiotici vocantur, & Phibionitæ, velut ſuprà ex parte dictum eſt; quidam ipſos Zachæos appellant, alij Barbelitas.* Sed & Theodoretus [h], *Ex Valentini, inquit, ſeminibus Barbeliotarum, ſiue Borborianorum, vel Naaſinorum, vel Stratioticorum, vel Phemionitarum, qui vocantur, execranda ſecta pullulauit.* Et Auguſtinus [i] de Gnoſticis agens, *Denique, ait, cum ab alijs, atque alijs per diuerſas terrarum partes aliter, atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quaſi cœnoſos propter nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſterijs exercere dicuntur.* Ad eorum turpitudinem acceſſiſſe videntur Adamiani, ſeu Adamitæ, de quibus Epiphanius [k], & Clemens Alexandrinus [l], qui cùm de Valentinianis loquutus eſſet, ſubdit, *Talia autem ſtatuunt Prodici quoque aſſecla, qui ſeipſos falſo nomine vocant Gnoſticos, ſe ipſos quidem dicentes eſſe natura filios primi Dei, nobilitate autem, & libertate abutentes viuunt, vt volunt, volunt autem libidinosè.* Paulò pôſt ſubdit, *Clanculum enim committunt adulteria*, & alia deinceps. Hæc igitur dixerim, vt appareat Petrum meritò Gnoſticos ſuibus comparare, qui in cœno volutantur.

g hær. 26.
h li. 1. de hæret. fabul. de Barbeliotis, ſeu Borborianis.
i lib. de hær. c. 6.
k hæreſ. 58.
l li. 3. Strom. c. 3.

Tertij

Tertij Capitis Argumentum.

NOVO vsus exordio, vt maiorem sibi fidem, atque auctoritatem conciliet, iterat ea, quæ superiori capite indicauerat, venturos præsertim sub finem mundi pseudoprophetas, qui fidem Christianam, & Catholica dogmata multis machinis oppugnent, ea potissimùm, quæ de secundo Christi aduentu in sacris literis traduntur, hinc ille de spirabilis aëris conditione, cæterorúmque elementorum procreatione, omnium denique interitu copiosè differit, vnde colligit, qualis esse debeat fidelium vita, qui bona cœlestia, & immortalia sperant. Adhibita deinceps Christiana, & Apostolo digna adhortatione honorificam Pauli commemorationem addit, eiusq́; auctoritate sua dicta confirmat, & denique Epistolam concludit.

CAPVT III.

1 *HANC ecce vobis carissimi secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.*

2 *Vt memores sitis eorum quæ prædixi verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum præceptorum Domini, & Saluatoris.*

3 *Hoc primùm scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes.*

4 *Dicentes vbi est promissio, aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.*

5 *Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.*

6 *Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.*

7 *Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.*

8 *Vnum verò hoc non lateat vos carissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.*

9 *Non tardat Dominus promissi, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

10 *Adue*

PARAPHRASIS.

HASCE igitur iam alteras ad vos carissimi literas scribo, vt in iis paterna mea commonitione, adhortationéque sinceram vestram mentem excitem, atque confirmem. ¶ Ne vnquam memoriam excidant veterum Prophetarum monita, quæ vtraque Epistola commemoraui, perpetuóque retineatis præcepta tradita vobis ab Apostolis Domini nostri, & Saluatoris. ¶ Ante omnia autem vos monitos esse percupio in extremis mundi diebus venturos impostores nescio quos, omnibus siue à natura, siue ab arte ad decipiendum præsidiis instructos, qui suis prauis cupiditatibus obsequentes nihil non tentabunt, vt plurimos mortalium in fraudem inducant. ¶ Sic autem fere ratiocinabuntur, vbi nam quæso, aient, est diuina pollicitatio? aut quando tandem Domini aduentus expectandus erit? siquidem iam pridem parentes nostri vita functi sunt, neque vllum futuri aduentus indicium cernitur, quin potiùs omnia statum suum cursum retinent, quem iam inde ab initio, quo condita sunt, obtinuerunt. ¶ Etenim illi volentes, prudentésque ignorant, aërem istum, quem cœli nomine frequenter appellamus, vnà cum terra Conditoris imperio ex aqua produisse, & aqueam propemodum naturam sortita esse. ¶ Quæ duo elementa aquæ eluuione obruta, olim huic inferiori mundo perniciem, atque interitum attulerunt. ¶ Iam verò immutatus æther vnà cum terra, quæ nunc superest, eodem diuino imperio idcirco conseruatur, vt in extremo iudicij die, quo impij, ac scelerati suorum flagitiorum pœnas dabunt, igne cœlitùs misso instauretur. ¶ Nolim autem hoc vnum vos lateat fratres mihi carissimi, nullam esse apud Deum moram diuturnam, qui in sua illa æternitate, qua fruitur, omnia suo diuino intuitu præsentia cernit, adeò vt coram illo dies vnus pro annorum millibus habeatur, itémque anni mille quasi dies vnus censeantur. ¶ Nolite itaque existimare, Deum, qui diuinæ pollicitationis est auctor, fidem fallere, aut fines præscriptos prætерire, vt falsò nonnulli arbitrantur, qui nimiam tarditatem accusant, sed potiùs

tiùs sic habetote hunc esse diuinæ magnanimitatis,
atque in vos beneficentiæ singulare argumentum,
qui patientia sua omnes ad pœnitentiam prouo-
cat, vt qui nolit quemquam perire, sed resipiscere
aliquando, & saniora consilia capere. ¶ Procul-
dubio autem præstituto tempore dies ille Domi-
ni, & extremus mundi occasus nocturni furis in-
star aduenict, quo aër procellæ in morem abri-
pietur, elementa verò calore æstuantia soluentur,
denique terra, & quicquid in ea cernitur, flam-
mis exuretur. ¶ Cùm igitur hæc omnia interi-
tura sint aliquando, & in aliam quamdam spe-
ciem immutanda, statuere potestis ipsi, quales vos
esse oporteat, quibúsque moribus, ac pietatis of-
ficiis præditi. ¶ Non expectantes modò, sed
quantum in vobis est, cupientes, accelerantés-
que extremum illum mundi diem, quo Deus iu-
dex aderit, quo die, vt modò dixi, æther ignis
ardore inflammatus soluetur, elementa verò eo-
dem igne ambusta quodammodo liquescent.
¶ Nouum itaque aërem, nouámque terram,
quod Deus immortalis, qui fallere, ac mentiri
non potest, certò pollicitus est, meritò nos expe-
ctamus, vt cuncta à misera quodammodo seruitu-
te liberata eam, quam par est æquabilitatem reti-
neant. ¶ Quæ cùm ita sint, dum hunc Dei ad-
uentum expectatis, date quæso vos diligenter ope-
ram, vt ille vos immaculatos, atque incontami-
natos, & tranquilla pace perfruentes inueniat.
¶ Idque vobis omnino persuasum sit, diuinam
patientiam, qua tamdiu hominum flagitia tolerat,
ad multorum mortalium salutem referri, quem-
admodum dilectus frater noster Paulus pro sin-
gulari sibi diuinitus sapientia tradita ad vos scri-
psit. ¶ Quod etiam omnibus in suis epistolis fa-
cit, dum hisce de rebus quàm accuratissimè disse-
rit, in quibus fateor nonnulla esse obscura, & ca-
ptu difficilia, quæ imperiti quidam, & parum in fi-
de constantes detorquere solent, quod in cæteris
etiam Scripturis sacris ad suorum ipsorum perni-
ciem, atque interitum facere consueuerunt. ¶ Vos
igitur dilecti fratres, quandoquidem iam à me
præmoniti estis, sedulò cauete, ne simul cum aliis
nefariorum errore abducti eam fidei firmitatem,
certitudinémque quam iam pridem complexi
estis aliquando abiiciatis. ¶ Date potiùs operam,
vt gratia diuináque scientia Domini nostri, & Ser-
uatoris Iesu Christi maiora in dies capiant incre-
menta, ipsi verò Christo Domino, & in hac mor-
tali vita, & in omnem æternitatem sempiterna sit
laus, & gloria. Amen.

10 *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.*

11 *Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus.*

12 *Expectantes, & properantes in aduentum diei Dei, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.*

13 *Nouos verò cælos, & nouam terram, secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.*

14 *Propter quod carißimi hæc expectantes satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.*

15 *Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut & carißimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.*

16 *Sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

17 *Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.*

18 *Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.*

IN

IN CAPVT TERTIVM EXPLANATIO.

1. *Hanc ecce vobis cariſſimi ſecundam ſcribo Epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem.*]

I. RECTE hinc colligit Oecumenius duas ſcripſiſſe Petrum Epiſtolas, atque idcirco hanc omnino à Petro fuiſſe editam; quòd autem ſubdit *in quibus*, ad ambas Epiſtolas refertur, vt ſignificet, tam priorem, quàm poſteriorem Epiſtolam eodem referri, ad commonendos videlicet, atque excitandos fidelium animos. Verùm quòd ſpectat ad verba, videtur Interpres Græcè legiſſe, non ἤδη, vt nunc habent exemplaria Græca, ſed ἰδὲ, ac propterea dixit, *ecce*, cùm Græci Codices hunc habeant ſenſum. Haſce iā alteras vobis cariſſimi ſcribo literas, quamquam etiam ſingulari numero Græcè dixit Petrus ἐπιστολὴν, mox autem ſubiicit relatiuum ἐν αἷς numero multitudinis, vt vtramque, vt dixi, Epiſtolam referat. Quòd autem cariſſimos appellat, more ſuo Interpres ita Latinè dixit, quod Græcè habetur ἀγαπητοί. Finem porrò vtriuſque Epiſtolæ eò ſpectare ait, vt fidelium mentes excitentur, moneantúrque, vt in ſuſcepta fide, ac religione perſiſtant, memores eorum, quæ ipſe Prophetarum teſtimonio, atque auctoritate docuerat, ſeu viua voce, ſeu etiam ſcripto. *Veſtram*, inquit, *excito in commonitione ſinceram mentem*, quod autem ait *excito*, Græcè legitur διεγείρω, quaſi dicat, extimulo, vt magnam quamdam vim, atque energiam ſignificet. Sincera porrò mens, vt ait Oecumenius, & cogitatio eſt, *cùm eorum, quæ ſalutaria ſunt, quæ iam audiuimus, & reſeruata iam ſunt, ac depoſita, recordamur, & ad reſumendam eorum operationem omni ſtudio, ac viribus omnibus incitamur.*

II. Interim autem muneris Apoſtolici eximiam quamdam ſollicitudinem declarat, quippe cùm nihil ſibi antiquius eſſe ſignificet quàm vt oues ſibi commiſſas omni ſtudio, ac diligentia in virtutis, Chriſtianæque perfectionis curſu promoueat. Hoc enim Paulus à Timotheo Epheſiorum Epiſcopo exigebat, cùm diceret [a], *Inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Perſimilem ſedulitatem præfert, cùm ad Coloſſenſes ſcribit [b], *Non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis Dei.* Et in Actis Apoſtolicis [c] Epiſcopos Aſianos his verbis affatur, *Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim ſeruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis docens vos publicè, & per domos.* Quod iis obſeruandum in primis cenſeo, qui Eccleſiæ gubernacula ſuſcipiunt, nec enim illi infulis, ac purpura contenti eſſe debent, aut Eccleſiaſtico cenſu, ſed ſtrenuè illis laborandum eſt, vt Dei vineam diligenter excolant, fideles moneant, hortentur, corrigant, & ad omnem pietatem non tam voce, quàm moribus, vitæque exemplo excitent, atque inflamment, hoc enim ab eis exigit Eccleſiaſtica præfectura, quam Apoſtolus non dignitatem, ſed opus appellauit [d]: *Si quis*, inquit, *Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Opus*, inquit Hieronymus [e], *non dignitatem, laborem, non delicias, opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* Et Auguſtinus [f] negat eum eſſe Epiſcopum, qui præeſſe magis eligit, quàm prodeſſe. Certè Salomon [a] ei, qui pro alio ſpoponderit, laborandum, & totis viribus nitendum monet, vt fidem ſuam liberet, *Fili mi*, inquit, *ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ*; quæ omnia rectè in Epiſcopos cadunt; perſimilem enim ſollicitudinem, ac diligentiam ipſorum muneris ratio flagitat.

a 2. ad Tim. 4. 2.
b Coloſ. 1. 9.
c Act. 20. 18
d 1 ad Tim. 3. 1.
e epiſt. 83. ad Ocean.
f lib. 19. de ciuit. c. 19.
a Prou. 6. 1.

2. *Vt memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum præceptorum Domini, & Saluatoris.*]

I. Huc nimirum adhortatio, monitióque Apoſtolica refertur, vt auditores fideles memoria retineant, quæ olim à Prophetis, & deinde ab Apoſtolis, & Chriſto Domino tradita, atque imperata ſunt. Multiplex autem eſt obſcuri loci explanatio, duo enim fidelium memoriæ videtur Petrus commendare; primùm quidem, vt ne obliuiſcantur eorum, quę ipſe ex vatum, ac Prophetarū oraculis prænunciarat. *Vt memores*, inquit, *ſitis eorum, quæ prædixi verborum à ſanctis Prophetis*, quaſi dicat, vt memoria retineatis ea, quæ prædixi, quæ ſunt ipſiſſima Prophetarū oracula. Videtur autē indicare, quod mox etiā ſubiiciet, ea, quæ de pſeudoprophetis ſuperiori capite prædixerat. Volo, inquit, vos memores eſſe eorū verborū, quæ à Prophetis accepi.

II. Addit deinde, *& Apoſtolorum veſtrorum præceptorū Domini, & Saluatoris*. Obſcura ſanè ſententia, quam Oecumenius hunc in modum explicat, *Vt memores ſitis verborum prædictorum à Prophetis ſanctis, & mandati noſtri Apoſtolorum, & mandati Domini Saluatoris Ieſu, vel vt memores ſitis verborum prædictorum à ſanctis Prophetis, & à mandato ſcilicet prædictorum noſtri Apoſtolorum, & à mandato Domini, & Saluatoris Ieſu.* Et idcirco plerique priorem ſententiam, atque explanationem ſequuti putant Petrum monere fideles, vt memoria retineant præcepta Apoſtolorum, quæ ſunt ipſius Domini præcepta. Non deſunt, qui hæc diſtinguant, quaſi ipſos meminiſſe velit præceptorum, tum eorum, quæ ab Apoſtolis, tum etiam illorum, quæ à Chriſto Domino tradita ſunt: ſunt denique qui hos gignendi caſus, *Domini, & Saluatoris* referant ad vocem Apoſtolorum, hoc ſenſu. Vt memores ſitis verborū, quæ prædicta ſunt à ſanctis Prophetis, & mandati noſtri, qui ſumus Apoſtoli Domini, & Saluatoris. Sed prima Oecumenij interpretatio planior videtur, ac ſimplicior, vt Apoſtolus cōmendet præcepta Apoſtolorum, quæ ſunt mandata Domini, & Saluatoris, niſi quis malit hyperbatō agnoſcere, vt ſenſus ſit. Memores vos eſſe volo præceptorum quæ ab Apoſtolis Domini noſtri, & Saluatoris tradita ſunt vobis, vt videatur Apoſtolus idem monere, quod ſcribit Paulus ad Theſſalonicenſes, cùm dixit [b], *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Certè idem videtur indicare, quod ad Epheſios ſcribit Paulus [c], vbi fideles ait ſuperædificatos *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.*

b 2. Theſſ. 2. 15.
c ad Eph. 2. 20.

3. *Hoc*

3. *Hoc primùm scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes.*] A

I. Quæ ante secundum Christi aduentum ventura sint, denunciat, quod etiam fecerat Christus Dominus, nam apud Matthæum [a], *Surgent enim*, ait, *pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et Paulus [b], *Spiritus autem*, ait, *manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam*, &c. Et alibi [c], *Hoc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines, se ipsos amantes*, & quæ sequuntur. B Nouissimos autem dies extrema mundi tempora appellat, quamuis aliàs Ioannes [d] totũ hoc tempus post Christum natum nouissimam horam appellet. Ait igitur Petrus sub finem mundi venturos illusores *in deceptione.* Sed Græci quidem codices simpliciter habent *illusores* non autem *in deceptione*, sed olim verisimillimum est aliter habuisse Græcos codices, quàm qui nunc circumferuntur. Nam Augustinus [e] ita hunc locum recitat, *Venient*, inquit, *in nouissimo dierum illusione illudentes secundùm proprias concupiscentias suas euntes, & dicentes, vbi est promissum præsentiæ ipsius?* vt videatur aliquid simile legisse, quod expressit Interpres, cùm ait, *in deceptione, Illusores*, autem vocat, hoc est, impostores, sycophantas, & deceptores. C fortasse alludit ad verba Dauidis, cùm [f] ait, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Hebraicè enim est vox לֵצִים *letzim*, hoc est, *irrisorum*, seu *illusorum*, qui videlicet diuina oracula irrident, & tanquam inanes fabulas contemnunt, quod profectò facturi sunt ij, de quibus loquitur Apostolus, qui, vt mox dicet, quærebant, *vbi est promissio aduentus eius?* quasi quæ de secundo Christi aduentu in sacris literis leguntur, mera sint somnia, aut Poëtarum figmenta, quales erant illi Athenienses [g], qui cùm audissent resurrectionem mortuorum, irridebant Paulum. Et sanè illusorum, vel irrisorum nomine omnes hæretici censendi videntur, nihil enim omnes faciunt præcipua religionis nostræ dogmata, quod in nostri sæculi hæreticis nimiùm quantùm cernitur. D

II. *Iuxta proprias concupiscentias ambulantes*, vt enim aliàs dixi, hoc est omnibus hæreticis commune, vt suis cupiditatibus liberè obsequantur, hoc autem est, secundùm concupiscentias suas ambulare, quod maximè de Gnosticis affirmare licet, quorum, vt superiori capite dixi, perditissimi erant, & profligatissimi mores. Sed quoniam vitia sua externa quadam sanctitatis specie obuelant, iure optimo illusores appellantur, vt phrasi Hebræa significet Petrus esse illos homines pestilentes, hoc est, perditissimos, & maximè perniciosos, quippe qui per speciem probitatis imperitis facilè imponerent, & suis corruptissimis moribus alios inquinarent. Porrò hac ratione dicendi omnia propemodum vitia his pseudoprophetis attribuit, ambulare enim iuxta proprias concupiscentias nihil est aliud, quàm omnibus in rebus cupiditatibus suis morem gerere, quasi liceat, quicquid libeat, cùm tamen recta ratio alia omnia doceat, vt enim scribit Seneca [h], *Multis seruiet, qui corpori seruiet, qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus viuere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore; huius nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis obiicit, honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est.*

a Matth. 24. 24.
b 1. ad Tim. 4.
c 2. ad Tim. 3.
d 1. Io. 2. 18.
e lib. 20. de ciu. c. 18.
f Psal. 1. 1.
g Act. 17. 32.
h epist. 14.

4. *Dicentes vbi est promissio, aut aduentus eius? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.*]

I. Mimesis est illusorum sententiam exprimens prorsus temerariam, & impiam, conabantur enim Gnostici suis persuadere non futurũ extremi iudicij diem, vt eius iudicij sublato metu omnibus libidinibus liberè sese constringendos præberent. Videntur enim eorum mores exprimere, qui apud Paulum [a] dicebãt. *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur*; nec enim illi resurrectionem expectabant, quam tamen sacræ literæ frequentissimè, & quidem verbis apertissimis pollicentur. *Vbi est*, inquit, *promissio, aut aduentus eius?* Græcè est ποῦ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ, hoc est, *vbi est promissio aduentus eius?* quomodo etiam legisse videtur Augustinus, qui ait. *Vbi est promissum præsentiæ ipsius?* Neque aliter habet Oecumenius. *Irridendo*, ait, *inquiunt, vbi est promissio aduentus eius?* Græcam autem vocem, quam hic Latinè reddit, *aduentum*, in primo capite *præsentiam* dixit. Necesse igitur est, aliter legisse Interpretem, & promissionem quidem referre ad resurrectionem, aduentum verò ad Christi præsentiam, qui venturus est ad iudicium.

II. Igitur homines impurissimi, vt ad suas incestas, nefariasque libidines faciliùs alios pertraherent, futuri iudicij expectationem à mortalium mentibus amouere conabantur, atque ita eos, qui eius iudicij metu continerentur in officio, irridebant, ac subsannabant, hoc enim est hæreticorũ propriũ, vt cùm argumentis destituuntur, quibus sua falsa dogmata stabiliant, aut nostra conuellant, per contemptum risu, & cachinnis catholicos exsibilent, & vt ait Augustinus [b], *omniũ hæreticorum quasi regularis est illa temeritas, scilicet vt conentur auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ quasi rationis nomine, & pollicitatione superare.* Itaque Gnostici fidelibus tot sæculorum moram obiiciebãt, vt frustra Christi secundum aduentum tandiu expectari concluderent, adeóque Prophetarum vaticinia falsa, atque inania ostenderent. Hac autem ratione præcipuum religionis nostræ caput oppugnant, & quantum in ipsis est, euertere conantur, quod Christus ipse in cœlum ascendens per Angelos suos veluti internũtios Apostolis, atque vniuersæ Ecclesiæ potissimùm commendauit. *Ita veniet*, inquiunt, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Tam autem aperta sunt Scripturæ testimonia, quibus secundus Christi ad nos aduentus à priscis Patribus confirmatur, vt otiosum sit in re notissima diutius immorari, & oleum, quod aiunt, atque operam perdere.

III. *Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* A mundi diuturnitate, & rerum omnium constantia colligunt eius æternitatem, atque immutabilem firmitatem, atque adeò de secundo Christi aduentu, mundique occasu, non oportere quemquam esse sollicitum. Hoc nimirum argumento inter alia nonnulla probare nititur Aristoteles [c] cœlum esse ab interitu liberũ, quòd in eo nullu vnquam tempore vlla potuerit obseruari mutatio, vt ne futuram quidem suspicandum videatur. Ait igitur Petrus. E *Ex quo Patres dormierunt*, hoc est, vita functi sunt. Sæpe enim Scriptura mortem appellare somnum consueuit, vt hac ratione animæ immortalitatem innuat, quamquam etiam Gentiles eodem modo de morte non raro loquuntur. Nam quidam [d] dixit:

Soles occidere, ac redire possunt.
Nobis cùm occidit breuis lux
Nox vna perpetua dormienda.

& alius [e] quidam.

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

a 1. ad Cor. 15. 32.
b epist. 56.
c li. 1. de cœlo, & mũdo.
d Catul. ad Lesbiam.
e Virg. lib. 10. Æneid.

Loquitur autem Petrus de priscis illis mortalibus, à quibus omne genus hominum propagatum est.

IV. *Omnia*, inquit, *sic perseuerant ab initio creaturæ.* quomodo loqui videtur Salomon [a], *Quid est*, inquit, *quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Quo loco errasse videtur Origenes [b], vt etiam obseruarunt Metodius [c], & Hieronymus [d], qui plures fuisse, futuróſque mundos existimabat, cùm tātùm Salomon interprete Hieronymo, significet ea, quæ ad rerū ortū, atque interitū pertinēt, eodē modo se habere. *Videtur mihi*, ait Hieron. *de his, quæ suprà enumerauit, generatione, & generatione, mole terrarum, ortu Solis, & occasu, cursu fluminum, magnitudine Oceani, omnibusq; quæ aut cogitatione, aut visu, vel auribus discimus, non communiter loqui, quòd nihil nouum sit in natura rerum, quod non antè iam fuerit, ab initio enim mundi homines nati, & mortui sunt, & terra super aquas constitit librata, & Sol ortus occubuit. Et ne plura percurram, & auibus volare, & natare piscibus, & terrestribus ingredi & serpentibus labi Deo artifice concessum est.* Hæc igitur omnia sic perseuerant ab initio creaturæ, hoc est, à mundo condito, omnia siquidem certa quadam lege percurrunt, *Ab initio autem creaturæ*, dixit Græcè ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, quasi dicat, ab initio creationis, ex quo nimirùm omnia condita sunt.

a Eccl. 9.
b lib. 9. Pegiar.
c l. de resur.
d ep. ad Auit.

5. *Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.*]

I. Confutatio est superioris erroris, nam qui ita, inquit, sentiunt, & loquuntur, non animaduertunt magnam olim fuisse in rerum natura mutationem. *Latet*, inquit, *eos hoc volentes*, hoc est, vt ait Oecumenius, *spontè ignorant, spontè enim conniuent, & ad veritatem percipiendam cæcutiunt.* cùm alioqui ex sacris literis facilè cognoscere possent, qua ratione olim condita sunt elementa, & spirabilis aër, & terra ex aqua emerserit, & diuina vi, imperióque constiterit; Græcè est συνεστῶσα, vt referatur ad terram, quamquam non desunt, qui Latinè reddiderint, *consistentes*, vt referat omnia quæ suprà nominauerat. Meminit huius interpretationis Beda, sequitur Oecumenius. *Quemadmodum, ait, cœlo, ac terra ex aqua consistentis diluuium inopinato superueniens, ita & nunc statutum est, vt per ignem fiat vniuersi corruptio, cum quo impij quoque peribunt.* Augustinus [e] certè ita hunc locum recitat, vt non facilè statuas, vtram interpretationem probarit. Sic enim habet, *Latet enim eos hoc volentes, quia cœli erant olim, & terra de aqua, & per aquam consistentia.* Non enim liquet, an vox *consistentia*, sit numeri vnitatis, & referat terram, an multitudinis, & omnia enumerata complectatur. Apparet autem Gnosticorum inscitiam fuisse, vt loquuntur Theologi, affectatam, seu crassam, & supinam. vt in eos rectè conueniant, quæ de quopiam scribit Dauid [f], *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Itémque quod scribit Paulus [g], *Si quis autem ignorat, ignorabitur*, vt interpretatur Augustinus [h].

e lib. 20. de ciuit. c. 18.
f Ps. 35. 4.
g 1. Cor. 14. 38.
h Tract. 48. in Ioan.

II. *Quòd cœli erant priùs*, hoc est, vel ab initio creationis, vel ante diluuium, vt Beda, & alij explicant. Idque appositè, vt ostendat, non exiguam in diluuio factam esse mutationem; non satis tamen constat, cœlestiane corpora propriè intelligat Petrus, an aërem, quem cœli nomine Scriptura frequenter appellat. Priorem sententiam probat Oecumenius, *Quid est*, inquit, *illud, quod ipsos latet? cœlos videlicet ante diluuium antiquitùs. sicut in mundi procreatione apud Moysem est, ex aqua extitisse; in quit enim ille, iussisse Deum in medio aquæ firmamentum fieri, hoc est firmiorem aquarum subsistentiam existere.* At Beda, & alij posteriorem sequuntur, aërem quippe significari autumant, qui ex aquis, hoc est, nubibus, & aqueis vaporibus cōstat.

III. Iam qui Oecumenio subscribunt, Petrum aiunt ad initium creationis respexisse, de quo Moses [a] ait, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Nam quòd Augustinus alicubi [b] cœli nomine Angelos intelligit, mysticum videtur. Quòd verò alio [c] loco cœli, terræque nominibus materiam primam indicari autumat, minùs videtur probabile, cùm Philosophis, ac Theologis perabsurdum videatur materiam primam omni penitùs forma vacuam per se existere, & cohærere. Qui cœlum empyreum intelligunt, rem verissimam dicunt, modò reliquos orbes non excludant. Basilius [d] enim, *Cœlum*, inquit, *quod in principio factum est, similiter vt terram esse ab initio factum incompositum, postea verò esse decoratum luce, & Sole, Luna, omnibúsque astris mirabiliter distinctum, & exornatum.* Neque aliter accipio, quod ad Oceanum scribit Hieronymus [e], *Rudis mundus, needum Sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus incompositus, & inuisibilem materiam ab ipsorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat, solus spiritus Dei in auriga modum super aquas ferebatur, & nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.*

a Gen. 1.
b li. 11. de ciu. c. 9.
c lib. 1. de Gen. cont. Manich. c. 7.
d hom. 1. in Exam.
e epist. 83.

IV. Videtur itaque Moses significare fuisse ab initio ante omnia conditum cœleste corpus omnes prorsus orbes complectens, absque luce tamen, Sole, astris, distinctione, ac motu, quę omnia deinceps subsequnta sunt. Qui igitur arbitrantur Petrum de cœlestibus orbibus loqui, primam illam cœli, terræque creationē indicari autumant, quia cœlestes illi globi primùm quidē rudes & inchoati, mox perfecti, omnibúsque numeris absoluti inter omnia creata principem locū obtinuerunt. Sed quoniam non satis constat, quomodo cœlestia illa corpora ex aqua, & per aquam consistant, Græcum participium συνεστῶσα referendum est tantummodo ad terram, de qua mox. Cæterùm hæc sententia ex iis, quæ deinceps sequuntur, & quæ à philosophis, ac Theologis disputantur in scholis, multis, ac magnis difficultatibus implicatur.

V. Quocirca Bedæ sententia plures, ac nobiliores habet sectatores, vt cœlorum nomine aërem significari intelligamus, *Iste*, inquit Beda, *humidus aer, & turbulentus, de quo dicitur* [f] *Miluus in cœlo cognouit tempus suum.* Quòd verò nonnulli dicunt, cœlorum, numero multitudinis, nomine nunquam aërem indicari, facilè refelli potest. quòd enim legimus in libro Iudicum [g], *Cœliq; ac nubes distillauerunt aquis.* procul dubio de aëre accipiendum est. Eodémque modo loquitur Scriptura in libris [h] Regum. *Ecce*, inquit, *cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.* Ait itaque Petrus, siue ab initio mundi, siue ante diluuium fuisse aërem, & terram, vt in his duobus potissimùm elementis, quæ ad hominum vitam tuendam sunt præcipuè necessaria, magnam factam esse mutationem, & longè maiorem aliquando futuram indicet.

f Hier. 8. 7.
g cap. 5. 4.
h li. 3. c. 18. 45.

VI. *Et terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.* An quia terra ex aqua, veluti ex materia procreata sit? nullo modo. Cùm enim Moses dixit: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, globum terræ significauit, vt Basilius [i], Chrysostomus [i], Theodoretus [i], Ambrosius [i], Beda [i], Tertullianus [k], & alij explicuerunt. Erat tamen terra abysso, & aqua permixta, quò videtur etiam respexisse Dauid [l], cùm dixit: *Initio tu Domine terram fundasti, opera manuum tuarum sunt cœli.* Sed quoniam, vt idem Moses ait, tertia die dixit Deus, *congregentur aquæ in locum suum. & appareat arida*, extitisse dicitur terra de aqua, Græcè ἐξ ὕδατος, hoc est, *ex aqua*, quia ex ea, quodammodo emersit. Non videtur autem tum primùm condita, vt voluisse videtur Augustinus [m],

i Gen. 1.
k cont. Hermog.
l Ps. 102. 26.
m lib. 1 de Gen. ad lit. c. 15. lib. 1. de Gen. cont. Manic. c. 12. lib. de Gen. imperf. c. 10.

qi em

quem alij sequuntur. Siquidem terra primo die aquæ admixta, rudis tamen, & imperfecta in lucem prodiit, & tertio demum die suam veluti perfectionem assecuta est. Dicitur autem per aquam consistere, quia humore aqueo veluti glutine compacta per se cohæret, planeque consistit, nisi quis malit id referre ad fontes, & flumina, quibus quasi venis irrigatur, ne redigatur in puluerem.

VII. Non me tamen præterit, quid hac de re senserit Philo [a], qui ait, iussisse Deum, *vt quicquid tunc aqua salsum erat, ac terra fertilitati noxium futurum erat, in vnum locum conflueret dulci humore in terra relicto, tum vt eo terra conglutinaretur, tum vt fertilitati terra, atque animantium vsui esset.* Sed non facilè mihi patiar persuaderi aquam, quæ tum quidem vnius erat rationis, ac formæ, habuisse partes, alias quidem salsas, alias verò dulces. Quod autem ait Basilius [b], *Non solum exundantes aquas de terra superficie tum defluxisse, sed quicquid etiam aquarum per omnem terra profunditatem immixtum erat, excessisse inexorabilibus Dei praceptis obtemperando*; sic accipio, perinde quasi significet, aquas in vnum locum ita fuisse coactas, vt eodem omnes prorsus aquæ etiam terræ visceribus immixtæ, quantum in ipsis est, naturæ quodam impetu ferrentur. Quod planiùs explicans Ambrosius ait, *Ex illo ergo tempore currit aqua, fontes labuntur in flumina, lacus deriuantur in maria, ipsa se aqua pracedit, vrget, & sequitur, vnus est ductus, vnum corpus.* Cùm autem antea aqua terram operiret, dicitur à Propheta [c] fuisse veluti terræ amictus, *Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aqua.* Mox verò diuinum indicans præceptum, subdit, *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt, ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis, terminum posuisti, quem non transgredientur, nec conuertentur operire terram.*

a de mund. opif.

b hom. 4. in exam.

c Ps. 103. 6.

VIII. Verùm qui participium συνεστῶσα numero multitudinis ad cœlestes etiam orbes referunt, quasi dicantur ex aqua, & per aquam consistere, vt olim apertè nonnulli codices habebant, *Cœli erant olim de aqua, & per aquam consistentes*, quique cœlestia corpora eo nomine indicari non dubitant, in varias abiêre sententias, sunt enim, qui aquæ nomine totam illam molem significari arbitrētur, quam Moses terram vocat, cùm ait, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Nam cùm illicò subiiciat, *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebra erant super faciem abyssi*, materiam, quam vocant primam describi putant, quia aqua, quæ facilè alienam formam admittit, materiæ primæ optimè respōdet, cui omnis forma leui aliqua mutatione inditur, quæ videtur sententia Augustini [d], qui persimili ratione materiam primam terræ, atque abyssi nominibus commodè describi censet, quòd quemadmodum terra omnibus subsit, ita omnibus formis materia prima subiaceat, abyssus verò profunditas quædam sit impenetrabilis, & materia non facilè cōprendi queat, cùm auctore Platone [e], nonnisi spuria, atque adulterina ratione cognoscatur. Sed cùm hanc sententiam probasset Hermogenes sequutus Platonem, quem Iustinus [f] malè ait explicuisse de materia prima, quæ legerat apud Mosem; eam confutat Tertullianus [g], ab ea tamen non multùm discrepat Hieronymus [h], dum inuisibilem materiam, & abyssorū magnitudinē nominat, sed vt paulò antè dixi, citra miraculum non potuit materia prima per se subsistere.

d lib. 1. de Genes. cont. Manich. c. 7.

e in Timeo.

f in Apol. ad Antonin.

g lib. cont. Hermog. c. 24.

h ep. 83. ad Ocean.

IX. Oecumenius existimare videtur cœlestia corpora ex aquis constare, & ex eadem aqua terram extitisse, *Sicut*, inquit, *ex aquis cœlo, & terra constante diluuium mundo inopinato superuenit, ita etiam nunc repositū esse, vt per ignem vniuersi ternicies efficiatur*, quo eū impij quoque perituri sint. Idque planiùs explicans, subdit, *Cum enim duo sint elementa, qua vniuersi hanc machinam maximè continent, & coherentem conseruant, aqua, & ignis, ex quibus reliqua duo etiam existunt. Nam aër ex aquarum exhalatione, terra ex earumdem concretione constat.* Sed non facilè hoc admiserint Peripatetici, qui cœlestia illa corpora alterius cuiusdam naturæ, & ab elementis longè diuersæ esse contendunt. Si qui verò sunt, qui eandem illis cum cæteris corporibus materiam adscribant, non tamen aquæ naturam, & proprietates illi tribuunt.

Benedict. Iustinian. in Epist. Canon.

X. Sunt denique qui aquæ nomine significari putent, totam illam molem, quæ rudis, atque informis in principio dicitur condita, quæ etiam terra nuncupatur; vbi enim dixisset Moyses, *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, subdit, *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebra erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Innuens videlicet quam vocauerat terram, eandem aquam, & abyssum appellari, perinde quasi significet, tum cœlum, quod nominauerat, tum etiam terram ex aqua extitisse, quod apertè asserit Oecumenius, *Terra enim*, inquit, *ex aqua quidem tanquam ex materiali principio, per aquam verò, tanquam per principium perfectiuum. Aqua enim continet terram veluti gluten quoddam quod ipsi adest, quod nisi ipsi contingeret, necesse esset illam dissolui, & ferri in aerem.* Sed vt verum fatear, non facilè adduci possum, vt à recepta Peripateticorū sententia recedam, qui longè aliā cœli materiam esse contendunt, sed iis omissis, quæ in scholis, ac diatribis Philosophorum accuratiùs agitantur, eorum mihi sententia perplacet, qui Petrum aiunt in præsentia de aëre, & terra loqui, quæ duo elementa ex aqua, & per aquam constare affirmat ob eam, quam suprà explicui rationem, videtúrque hæc explanatio mirificè congruere cum iis, quæ mox subiicit de diluuio, déque extremo mundi occasu.

XI. Addit ad extremum, *Dei verbo*, Græcè τῷ λόγῳ, imperio videlicet diuino, quod non semel expressit in sua narratione Moses, itémque Dauid his verbis, *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Quòd si quis de diuina persona Verbo accipi malit, non magnopere abnuerim, scripsit enim Ioannes [a], *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factū est.* Quo loco particula *per*, non instrumentū, aut ministeriū, aut denique intermediam causam, vt contendebāt Ariani, significat. Satis enim constat, ex vsu Scripturæ sanctæ, eā nonnunquā primariæ causæ tribui, vt multis ostendunt Basilius [b], Ambrosius [c], Augustinus [d]. Sic Paulus [e], *Vocatus*, inquit, *Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* Dicitur autē Pater creare per Filiū, seu per Verbū, vt intelligamus non tantùm Patrem, sed etiam Filiū creare, accepta à Patre potestate; qua ratione etiam Græci Patres dicere consueuerūt, Patrem producere Spiritū sanctū per Filiū, quòd eadem sit in vtroque spirandi vis, & potestas sed in Patre quidem à se, in Filio verò à Patre. Accedit, quòd Filio, ac Verbo diuino peculiari quadā ratione, vt in scholis tradunt Theologi, tribuitur ars, ac sapientia Patris, dicitúrque Pater per Verbum tanquam per artem, ac sapientiam creare. Hæc igitur omnia quæ condita sunt à Deo, diuina sapientia Patris consistunt.

a cap. 1. 3.

b lib. de Spir. sanct. c. 2. & deincept.

c li. 4. de fid. c. 6.

d lib. 1. de Trin. c. 6.

e 1. ad Cor. 1. 1.

6. *Per qua ille tunc mundus aqua inundatus periit.*]

I. Hæc nostram superiorem sententiam maximè confirmant, cùm enim Scriptura [f] ait, *Rupti sunt omnes fontes abyssi magna, & cataracta cœli aperta sunt*, duas diluuij causas indicat, alteram quidem eruptionem, & exundationem abyssi, infernè enim ingens aquarum copia erupit, alteram verò pluuiam ex nubibus affluenter decidentem, nubes quippe per catachresim cœli, hoc est, aëris cataractas vocat. Nec enim audiendi sunt ij, qui [g] cataractas stellarum

f Gen. 7. 11.

g Petrus de Aliaco.

quaſdam conſtitutiones interpretantur, quæ naturali vi præditæ ſint, pluuiam, ac diluuium ciendi. Ridicula verò eorum [a] cenſenda eſt ſententia, qui cataractas putant eſſe foramina quædam in firmamento, è quibus aquæ illæ, quæ firmamento inſidere dicũtur, magno impetu defluxerint, ſed nõ vident homines acuti, non ſatis eſſe ea foramina firmamenti, niſi etiam omnes planetarum orbes findantur, quod quàm ſit ineptum ſuſpicari, nemo non videt. Rectè igitur ait Petrus *per quæ*, hoc eſt, per aërem, terram, & aquã periiſſe mundũ, vt enim modò dixi, aqua infernè erumpens, & supernè defluens, terrarum orbem abſumpſit, & vt ait Petrus, *ille tunc mundus aqua inundatus periit*; periiſſe autem mundum ait, hoc eſt, bonam eius partem, nam alioqui cœleſtes orbes nihil læſi ſunt, quin etiam hæc mundi inferior pars hactenus periiſſe dicitur, quòd fuerit in deterius commutata, quódque homines, & animantia penitùs interierint.

a Eugubin. & Oleaſter.

II. Atque hæc eſt aperta ſententia Auguſtini [b], ſic enim ait, *Hos etiam aëreos cœlos quondam periiſſe diluuio, in quadam earum, quæ canonica appellãtur, Epiſtola legimus. Neque enim humida illa natura, quæ ita concreuerat, vt cubitis quindecim altiſſimorum montium tranſcẽderet vertices, potuit ad ſydera peruenire, ſed, quia huius aëris humidioris in quo aues volitant, vel tota, vel propè tota ſpatia compleuerat, periiſſe, qui fuerant, cœlos, in illa Epiſtola ſcribitur. Quod neſcio, quemadmodum poſſit intelligi, niſi in aquarum naturam pinguioris huius aëris qualitate conuerſa, alioqui non perierunt tunc iſti cœli, ſed ſublimiùs erecti ſunt, cùm locum eorum aqua occuparet. Itaque faciliùs eos ſecundùm illius Epiſtolæ auctoritatem, credimus periiſſe, & alios, ſicut ibi ſcribitur, repoſitos, extenuatis videlicet exhalationibus, quàm ſic erectos, vt eis ſuperioris cœli natura loco cederet.* Quod diligenter obſeruandum videtur, quoniam mox Petrus indicat, eos cœlos igne ſupremo conflagraturos, qui ab eluuione aquarum igni comburendi reſeruantur, & vt infrà ſuo loco dicemus, non vlteriùs pertinget ignis, quàm quò aquæ diluuij peruenerunt.

b lib. 3. de Gen. ad lite. c. 2.

III. Ambigi autem ſolet, cunctíne mortales, qui aquis diluuij extincti ſunt, ſempiternis etiam ſuppliciis addicti ſint. Verùm ea de re nonnulla diximus ad illum Petri [c] locum, *Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Neque verò veriſimile eſt, omnes penitùs adeò fuiſſe propriæ ſalutis immemores, vt nemo prorſus reſipiſceret, nemo extra Noë familiam iuſtitiam coleret, vt interim omittam plurimos infantes originali labe purgatos ſalutem conſequi potuiſſe ſempiternam. Periiſſe igitur dicuntur, quia vita functi ſunt, quorũ tamen maxima pars ſempiternos cruciatus ſubierit. Porrò Ioſephus auctor [d] eſt Adamum rerum interitum, & quidem geminum prædixiſſe, quam ob cauſam eius poſteri, *ne antè inuenta ſua ex hominum notitia dilaberẽtur, & priùs perirent, quàm pernoſcerentur, ſcientes Adamum vniuerſalem rerum interitum præcinuiſſe, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis, vna lateritia, altera lapidea, vtrique ſua inuenta inſcripſerunt, vt ſi lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtitibus hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab ipſis dedicatam, quæ noſtris temporibus extat in terra Syria.*

c ep. 1. c. 3. 20

d li. 1. antiq. c. 3. aliàs 4.

7\. *Cœli autem, qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti ſunt igni, reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.*]

I. Quoniam dixerat, periiſſe mundum, hoc eſt, citimas eius partes, meritò ait, *cœli, qui nunc ſunt*, hoc eſt, hic aër, ita immutatus, & ab eo, qui ante diluuium fuerat, nonnihil diuerſus. Ex ſuperiori autem mundi mutatione colligit hanc alteram, quam tamen Gnoſtici pernegabant, vt videatur Apoſtolus ad Adami vaticinium reſpicere, quod modò ex Ioſepho cõmemoraui. Quemadmodum, inquit, olim aquarum eluuione mundus interiit, ita futurum eſt aliquando, vt ignis incendio omnia abſumantur. Nominat autem cœlum, & terram, quæ potiſſimùm huic incendio diuinitùs deſtinata ſunt, & idcirco dicũtur eodẽ verbo *repoſiti, & igni reſeruati*. Sic enim cecinit Dauid [a], *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Et Iſaias [b], *Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorẽ ſuũ, & increpationem ſuã in flamma ignis, quia in igne Dominus iudicabit.* Et Ioël [c], *Ante faciem eius ignis vorant, & poſt eũ exuret flamma.* Quocirca Daniel [d] Iudicis thronũ his verbis deſcribit, *Thronus eius flãma ignis, rota eius ignis accẽſus, fluuius igneus, rapidusq́, egrediebatur à facie eius.* Denique Paulus [e], *dies enim*, inquit, *Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Quę omnia quamuis à nõnullis [f] metaphoricè explicentur, verum tamen, ac proprium ignem indicare conſtans eſt omnium Theologorum [g] ſententia, cui maximè ſuffragatur hic Petri locus, vbi aquis diluuij ex aduerſo obiicitur verus ignis; & paulò pòſt addit, *Elementa calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur.* Et rurſus, *Elementa ignis ardore tabeſcent.*

a Pſ. 96. 3.

b cap. 66. 15.

c cap. 2. 3.

d cap. 7. 9.

e 1. Cor. 3. 13

f Chry. Mat. 24. Euthym. ibid. Aug. li. 1. q. Euang. c. 38. lib. 20. de ciu. c. 21. Cyprian. de bon. pat. in fin. Theod. Eſa. 66. Hieron. Eſa. 66. Sedul. 1. Cor. 4. Ambroſ. ſer. 20. in Pſ. 118. Origen. li. 4. cõt. Celſum.

g in 4. d. 47. & 48.

II. Sed cùm de vero igne ambigat nemo, non planè liquet, quorſum ignis Chriſti ſecundum aduentũ præcurrat, video enim exiſtimaſſe nonnullos [h], ignẽ illũ eò potiſſimùm referri, vt eos, qui tũc ſuperſtites erũt, illicò interficiat, & iuſtorũ ſordes, ſi quæ ſuperfuerint, ſuo incendio abſumat. De qua ſententia tãtùm habeo dicere, non videri neceſſariam, vt rectè alij [i] obſeruarunt. Nec enim neceſſarius eſt ignis, vt mortem afferat viuentibus, neque vt iuſtorum maculas expiet, vt meridiana luce clariùs conſtat. Nam qui [k] ignem referunt ad mundi immutationem, & vt ipſi loquuntur, purgationem, rem vtcumque veram dicunt, ſed non ſuo loco, hæc enim mundi innouatio Chriſti aduentum non præcurret, ſed ſubſequetur, vt indicant Auguſtinus [l], Proſper [m], Anſelmus [n], & alij [o]. Nec me fugit non paucos olim igne illo cunctos mortales reuocatos ad ſuperos, expiandos eſſe, docuiſſe. Origenes [p] enim explicans illa verba; *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Ego*, inquit, *puto, quòd & poſt reſurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante, nemo enim abſque ſordibus reſurgere poterit.* Et alibi [q], *Vt ego arbitror, omnes nos venire neceſſe eſt ad illum ignem, etiamſi Paulus ſit aliquis, vel Petrus, veniet tamen ad illum ignem, ſed illi tales audiunt etiamſi per ignem tranſeas, flãma non adurent te, ſi verò aliquis ſimilis mei peccator ſit, veniet quidem ad ignem illum ſicut Petrus, & Paulus, ſed non ſic tranſiet ſicut Petrus, & Paulus.* Fateor quidem hæc facilè accipi poſſe de igne purgatorio, ſed alibi [r] tamen ita loquitur, *Si quis in ſecunda reſurrectione ſeruatur, iſte peccator eſt, qui ignis indiget baptiſmo, qui combuſtione purgatur, vt quicquid habuerit lignorum, fœni, & ſtipulæ, ignis conſumat.*

h indicat Aug. lib. 50. homil. ho. 16. aſſerunt Bona. q. vlt. Anton. 4. p. tit. 14. c. 11. §. 3.

i Richar. in 4. d. 47.

k Beda li. de rat. tẽp. c. 69. Magiſt. in 4. d. 47. D. Th. ibi. q. 2. ar. 4. Duran. q. 3. Paluda. q. 1. Richa. ar. 2. q. 4. & 5. Sot. d. 48. q. 4. ar. 1. & 2. & aliis.

l li. 20. de ciui. c. 16. 18. 30

m in dimid. temp. c. 9. & 20.

n in Elucid.

o Bonau. in 4. d. 47. ar. 2. q. 1.

p ho. 14. in Luc.

q hom. 3. in Pſ. 36. ſimil. li. 8. in ep. ad Ro. ſub fin.

r hom. 13. in Hierem.

III. Neque aliter ſenſiſſe videtur Lactantius [s], *Sed & iuſtos*, ait, *cùm iudicauerit Deus, etiam igne eos examinabit. Tum quorum peccata vel numero, vel pondere præualuerint, perſtringẽtur igne, atque comburentur, quos autẽ plena iuſtitia, & maturitas virtutum [illegible]xerit, ignem illum non ſentient. Habent enim aliquid in ſe [illegible] quod vim flammæ repellat, ac reiiciat. Tanta vis eſt innocentiæ [illegible] ab ea ignis ille recedat innoxius, qui accepit à Deo hanc poteſtatem, vt impios vrat, iuſtis obtemperet.* Addo his Cæſarium [t] Arelatenſem, qui nonnulla peccata iuſtorum poſt reſurrectionem igne ait eſſe expianda. Faciunt Ambroſius [u], Hilarius [x], Hieronymus [y]. Verùm hæc ſententia nulla videtur ratione ferenda, nonnihil enim

s lib. 7. c. 21.

t ho. ad ill. ver. 1. ad Cor. 3. ſaluus erit ſic quaſi per ignem.

u in Pſ. 36. & ſer. 5. & 20. in Pſ. 118.

x Pſal. 118. octon. 3.

y lib. 3. in Amos, c. 7. & in Pſ. 96. & 103.

enim aut sumit, aut ponit, quod cum recta fide pugnat; nam Beatissima Virgo, & innumerabiles infantes baptismo expiati, qui nullo sese piaculo contaminarunt, nulla egent expiatione: Addo Martyres proprio sanguine omnes penitùs maculas eluere, & qui ædificant aurum, argentum, & lapides pretiosos, nihil habent, quod expiatione indigeat vt Hieronymus[a], & Augustinus[b] obseruant, & Concilium[c] Florentinum definit. Addo quòd plurimi iam beati resurrecturi sunt, atque adeò omnis penitus labis expertes, vt nihil penitus habeant expiandum. Itaque duo tantùm erunt resurgentium ordines iustorum, qui omni ex parte integri erunt, ac puri, & reproborum, qui numquam expiandi sunt, sed sempiternis supplicijs cruciandi.

a lib.2.con. Iouin.
b August. in Psa. 37.
c Sess. vltim.

IV. Videtur itaque Apostolus veram afferre causam B cur ignis Christi aduentum præuertat; *repositi sunt*, inquit, *igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Indicat enim eo igne impios perterrefaciendos, & tam tum suorum scelerum pœnas daturos, vt enim iusti suorum corporum gloria iam tum perfruentur, ita impij suis corporibus sempiterna supplicia prægustabūt; quod significasse videtur David[d]. *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Planiùs[e]. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quò videtur respexisse Paulus[f], cùm dixit. *In reuelatione Domini Iesu de cælo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt eum.*

d Psal. 49. 3.
e Psal. 96. 3.
f 2.ad Thess. 1.8.

V. Possis etiam dicere, referri hunc ignē ad illustrandam iustorum sanctitatem eo planè modo, quo in C fornace Babylonica trium puerorum innocentia idcirco enituit, quia læsi non sunt. Quomodo etiam dixit David[g]. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Nam quia illi nihil ab igne lædētur, suam innocentiam testatam relinquent, & suam quodammodo impij improbitatem exprobrabunt: descēdet enim ignis ille post generalem omnium anastasim, vt reprobos tan tum inuoluat, & cruciet, & tam diu perseueret, quoad iudicium absoluatur, vt eo absoluto maiorem in modum augeatur, & mundum vniuersum absumat. Videtur autem futurus ignis eiusdem naturæ cum igne inferni, quacumque tandem ratione procreandus sit. Quamuis autem neget Augustinus[h] eius procreationis modum ab vllo morta- D lium cognosci posse; illud tamen affirmari potest, diuina vi, ac potestate procreandum, dixi autem alibi[i], quanam ratione facilè produci queat, vel deiectu ignis elementaris, vel ex incendio radiorum Solis in hac media aëris plaga excitato, coëuntibus calidissimis, ad densissimis radijs, vt in chalybeo, & concauo speculo fieri solet, vel alia quapiam ratione Deo nota, vt olim quinque Vrbes incendio cœlitus misso conflagrarunt.

g Psal. 16. 3.
h [illegible] de Ciu. c. 6.
i 1 Cor. c. 3. ver. 13. n. 6.

VI. Hic igitur ignis Dei verbo, hoc est, imperio, seu decreto destinatus est ad incendium mundi, & extremam impiorum perditionem, quod in secundo Christi aduentu potissimùm fiet. Dicuntur autem impij perire (hoc enim significat Græca vox ἀπόλλυσθαι, hoc est, *perditio*) non quia animæ, quæ immortales sunt, E desinant esse, sed quòd in omnem æternitatem animo, & corpore cruciandi sint, atque adeò, vt ita dicam, mortem vitalem obituri, & viui videntésque ita cruciandi, vt continenter mortem appetant, nec suis cruciatibus vllam possint leuationem adhibere. Itaque Petrus extremum mundi diem iudicij, & perditionis impiorū hominum diem appellat; Diem porrò ponit Apostolus pro tēpore; neque enim constat, quamdiu iudicium duraturum sit, *nam per quot dies*, ait Augustinus[k], *hoc iudicium tendatur incertum est, sed* A *Scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tēpore, nemo, qui illas literas quamlibet negligenter legerit, nescit.* Cæterùm præter illud Adæ vaticinium, quod paulò antè commemoraui, constans fuit etiam apud Gentiles multorum sententia, mundum incendio interiturum. Et quod attinet quidem ad mundi occasum, quid sentiendum sit, non ita multò pòst videro.

k lib. 20. de Ciuit. c. 1.

De ignis porrò conflagratione, sic olim cecinit Sibylla[a]; VII.

a lib.2.orac.

Tunc ardens fluuius cælo manabit ab alto
Ignem, atque locos consumet funditus omnes,
Terrámque, oceanúmque ingentem, & cærula ponti
Stagna, lacus, fluuios, fontes, ditémque seuerum
Cælestémque polum, cæli quoque lumina in vnum
Fluxa fluent, forma deleta prorsus eorum
B *Astra cadent etenim de cælo cuncta reuulsa.*

Et in eamdem sententiam Ouidius[b] hæc scribit:

b lib.1.Met.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, quo rectáque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Et Seneca[c]. *Si tibi*, inquit, *potest solatio esse commune fatū, nihil, quæ stat loco, stabit, omnia sternet, abducetq́; secum vetustas, supprimet montes, sorbebit maria, flumina auertet, & commercio gentium rupto societatē generis, cœtumq́; dissoluet. Alibi hiatibus vastis subducet mōtes, vrbes tremoribus quatiet, & ex infimo pestilentia halitus mittet, necabitq́; omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrebit, incendetq́; mortalia. & cùm tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis cædent, & sydera syderibus incurrēt, & omni flagrante materia vno igni quidquid* C *nūc ex disposito lucet, ardebit.* Eamdē verò fuisse Stoicorum sententiā testis est Eusebius[d]. *Placet*, inquit, *huius sectæ antiquissimis in aërem omnia conuerti per maximos quosdam circuitus, & in ignem postea æthereum resolui omnia.* Aliquantò autē pòst. *Placet enim Stoicis philosophis in ignem vniuersam essentiam tamquam in semen suū commutari, ex quo rursus vniuersi constitutio, qualis antea fuerat, absoluatur. Hoc sanè dogma sectæ huius vetustissimi astruxerūt, Zenon videlicet, & Cleātes, nec non Chrysippus, nam huius discipulum, & scholæ successorem Zenonē prohibuisse hanc de vniuersi exustione doctrinam perhibent.*

c lib. de cōs. ad Marciam in fine.
d lib. 15. de præp. Euang. c. 17.

Iam verò Oecumenius eadem de re hunc in modum scribit, *Cum enim duo sint elemēta quæ vniuersi hāc machinam maximè continent, & cohærentem conseruant, aqua, & ignis, ex quibus reliqua duo etiam existunt. nam* D *aër ex aquarum exhalatione, terra ex earumdem concretione constat, quæ vtraque, id est, exhalationem, & concretionem ex aqua exprimit ignis vis, quæ à creante Deo naturaliter ipsi insita est. Cùm igitur duo hæc præcipua sint elementa, & per aquam priùs impiorum scelera fuerint deleta, necesse itaque est, vt rursus impiorum perditio per ignem fiat. Ac de hoc quidem mundi interitu non Christiani solum, verùm etiam Græcorum Sapiētes, vt Heraclitus Ephesius, & Empedocles Æthnæus tradunt.* Verùm nos multò aliter hanc mundi conflagrationem accipimus, quàm olim veteres Stoici. *Ita namque*, ait Iustinus[e] Martyr, *& nos exustionem futuram esse dicimus, sed non sicut Stoici tradunt iuxta naturæ rerum inter se omnium mutationis rationem, quod turpissimum esse apparet.* VIII.

e adhort. ad Gen.

Hoc igitur est, quod ait Petrus, ignem reseruari E ad impiorum vltionem, quasi dicat, tantum igitur abest, vt quod Gnostici contendunt, nulla sit metuenda mutatio in hac rerum vniuersitate, vt certissimè potiùs formidandum sit ignis incendium, quo hæc omnia inferiora in fauillas, & cinerem redigenda sint. Nam vt olim aquarum eluuione hominum scelera vltus est Deus, ita cùm grauiora, atque atrociora sint hominum flagitia, quæ post primum Christi aduentum perpetrantur, acerbiore supplicio, hoc est, igne plectenda, & quodammodo excoquenda sunt. Ponit autem Petrus id tamquam certum nulla IX.

adhibita probatione, cùm ij, ad quos scribebat, id A
ignorare non possent, quod ab omnibus fermè pro-
phetis sæpius iteratur.

8. *Vnum verò hoc non lateat vos carissimi, quia vnus dies*
apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut
dies vnus.]

I. Diuturnam moram obiiciebant Gnostiei, vt non
ita pridem ostensum est, iam docet Petrus humano
iudicio videri quidē vtcumque lōgum tempus, quod
à primo Christi aduentu ad secundum vsque, vel po-
tiùs à muodo condito ad extremi iudicij diem inter-
cedit, sed illud quantum quantum est, si referatur ad
Deum, eiusque diuinum intuitum, quo in sua æterni-
tate omnia contemplatur, re vera esse perexiguū. Sic B
a Psal. 89.17. dixit olim Vates [a] (quò spectasse videtur Petrus)
mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ
præteriit. Deo siquidem nihil præterit, nihil aduenit,
sed omnia sunt præsentia, cùm ipsius æternitas nul-
lam habeat successionem. Hinc autem quoniam mil-
b ep. ad Cyprian. le anni pro vna die censentur, colligit Hieronymus [b],
quia sex diebus conditus est mundus, sex annorum
millibus duraturum. *Ego*, inquit, *arbitror ex hoc loco*
(Psalmum Dauidis intelligit) *& ex epistola, quæ nomine*
Petri inscribitur, mille annos pro vna die solitos appellari,
vt scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex mil-
libus tantùm annorum credatur subsistere, & postea ve-
nire septenarium numerum, & octonarium, in quo verus
exercetur Sabbatismus, & circuncisionis puritas redditur, C
vnde & octo beatitudinibus bonorum operum præmia pro-
c Miche. 4. *mittuntur.* Alibi [c] verò eamdem sententiam indicans:
In consummatione, ait, sæculorum Saluator noster appa-
ruit, & in vndecima hora ad conducendos operarios venit,
d ep. 1. c. 2. *& completa illius passione Ioannes* [d] *dicit. Filij nouissima*
hora est. Nam si in sex millibus annorum quingenti anni
per horas dies singulas diuidantur, nouissima hora conse-
quenter est tempus fidei gentium.

II. Et profectò vetustissima videtur hæc, multorùm-
que suffragio firmata sententia. Iustinus enim Martyr
ita alicubi scribit. *Ex plerisq; Scripturæ verbis intellige-*
re licet, verum pronunciare eos, qui sex annorum millia esse
tempus nunc ab orbe condito tradunt. Aliquando enim di-
cit Paulus, in extremis his temporibus per Filium nobiscum
locutus est; alias verò: In quos fines sæculorum deuenerunt.
Interdum quoque; cùm venerit expletio temporum, hæc au- D
tem omnia in sexies millesimo anno dicta sunt.

III. Quin etiam Irenæus [e]. *Quot diebus, ait, hic factus est*
e lib. 5. c. vlt. *mundus, & millenis annis consummatur, & propter hoc ait*
Scriptura Geneseos, Et consummata sunt cœlum, & terra, &
omnis ornatus eorum, & consummauit Deus in die sexto
omnia opera sua, quæ fecit, & requieuit in die septimo ab
omnibus operibus suis, quæ fecit. Hoc autem est antefacto-
rum narratio, quemadmodum facta sunt, & futurorum
prophetia, est enim dies Domini quasi mille anni. In sex
autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt, manife-
stum est ergo, quoniam consummatio istorum sextus mille-
simus annus est.

IV. Sequitur eamdem sententiam Lactantius [f], cuius
f lib. 7. c. 7. hæc sunt verba. *Sciant igitur philosophi, qui ab exordio*
mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum mil- E
lesimum annum esse conclusum, quo numero expleto con-
summationem fieri necesse est, & humanarum rerum sta-
tum in melius reformari, cuius rei argumentum est, quòd
mundum Deus, & hoc naturæ admirabile opus, sicut ar-
canis sacræ Scripturæ continetur, sex dierum spatio con-
summauit, diémque septimum, quo ab operibus requieuit,
sanxit. Hic est autem dies sabbati, qui in lingua Hebræo-
rum à numero nomen accepit. Cúmque de septena-
rio numero nonnulla dixisset, subdit. *Ergo quoniam*
sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per sæcula sex,

A *id est, sex millia annorum manere in hoc statu necesse est,*
dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur,
sicut indicat Propheta dicens. Ante oculos tuos Domi-
ne mille anni tamquam dies vnus. Et sicut Deus in tan-
tis rebus faciendis, ita & religio eius, & veritas in his sex
millibus annorum laboret necesse est, malitia præualente,
ac dominante; & rursum, quoniam perfectis operibus re-
quieuit Deus die septimo, eúmque benedixit, necesse est,
vt in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur è
terra, & regnet per annos mille iustitia, sitque tranquillitas,
& requies à laboribus, quos mundus iam diu perfert.

Eiusdem sententiæ videtur fuisse Hilarius [a], expli- V.
cans enim verba illa. *Et post dies sex transfiguratus est;* a Can. 17. in Matt.
Cum post dies sex, ait, gloria dominica habitus ostenditur,
sex millium scilicet annorum temporibus euolutis, regni cœ-
B *lestis honor præfiguratur.* Nec ab ea videtur abhor-
ruisse Augustinus [b]. *Mille autem anni, ait, duobus* b lib. 20. de Ciuit. c. 7.
modis possunt, quantùm mihi occurrit, intelligi, aut quia
in vltimis annis mille ista res agitur, id est, sexto anno-
rum milliario, tamquam sexto die, cuius nunc spatia poste-
riora voluuntur, secuturo deinde sabbato, quod non habet
vesperam, requie scilicet sanctorum, quæ non habet finem,
& huius milliarij tamquam diei nouissimam partem, quæ
remanebit vsque ad terminum sæculi mille annos appella-
uerit, eo loquendi modo, quo pars significatur à toto, aut cer-
tè mille annos pro annis omnibus huius sæculi posuit, vt per-
fecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.

Verùm Germanus [c] Constantinopol. Episcopus VI.
ad hunc numerum auctoritate Græcorum Patrum c in Theor. Eccles.
quingentos annos adiecit; *quòd Pontifex, ait, obsi-*
C *gnet populum, id subindicat futurum aduentum Christi*
anno sexies millesimo quingentesimo fore ex supputatione
digitorum significante sexies millesimum quingentesimum.
Et eamdem sententiam tribuit Hippolyto, Cyrillo,
& Chrysostomo.

Videtur autem hæc sententia ex Hebræorum la- VII.
cunis prodiisse, eatare enim fertur apud eos Eliæ [d] d Talmud. ord. 4. tra. 9.
cuiusdam non Thesbitis somnium, ne dicam vati-
cinium, quo sex annorum millibus perseueraturum
mundum asserit, & duo quidem millia inanitati tri-
bui, totidem legi scriptæ, nihilo pauciores Messiæ;
sed, vt auctor est Lactantius, videtur ea sententia
multò antiquior, quam Hydaspem, Mercurium Tris-
megistum, ac Sibyllas olim tradidisse testatur.

Cæterùm Ambrosius [e] apertè indicat, se hanc VIII.
D sententiam non probare, explicans enim, quod e lib. 7. in Luc. nō pro. ab init.
Matthæus, & Marcus dicunt. *Post dies sex*, fuisse di-
scipulos à Christo Domino assumptos: *de quo*, in-
quit, *possemus dicere, post sex millia annorum, mille*
enim anni in conspectu Dei tamquam dies vna, sed plu-
res quàm sex millia computantur annorum. Augusti-
nus [f] verò huius sententiæ auctores his verbis re- f in Psal. 89.
prehendit. *Attamen*, inquit, *ausi sunt homines præ-*
sumere scientiam temporum, quod scire cupientibus di-
scipulis Dominus ait. Non est vestrum scire tempora,
quæ Pater posuit in sua potestate, & definierunt hoc sæ-
culum sex annorum millibus, tamquam sex diebus posse
finiri; nec attenderunt, quod dictum est; tamquam dies
vnus, qui præteriit, non enim quando dictum est, soli mil-
le anni præterierant, & quod eos maximè debuit admo-
E *nere, ne temporum luderentur incerto, quod est sicut vi-*
gilia in nocte. Neque enim sicut de sex diebus aliquid
verisimile videntur opinari propter sex dies primos, qui-
bus Deus perfecit opera sua; Sic etiam sex vigilias, id
est, horas decem, & octo possent illi opinationi coaptare.
Alibi [g] verò. *Frustra igitur, ait, annos qui huic sæcu-* g lib. 18. de Ciuit. c. 53.
lo remanent, computare, ac definire conamur, cùm hoc sci-
re non esse nostrum ex ore veritatis audiamus quos tamen
alij quadringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab
ascensione Domini vsque ad eius vltimum aduentum com-
pleri posse dixerunt.

Ego

IX. Ego verò de hac sententia tantùm habeo dicere, nullo certo fundamento niti, quamquam non facilè admiserim, quod Ambrosius, & ante illum Cyprianus [a] subindicant, eorum iam ætate sex annorum millia præteriisse, cùm ne nunc quidem anno iam millesimo sexcentesimo vigesimo ex veriori chronologia præterierint, quo fit, vt hoc quidem argumento ea sententia refelli nequaquam possit. Addo tamen sententiam non modò esse incertam, &, vt dixi, nullo stabili fundamento nixam, sed aliqua ex parte cum Christi Domini sententia pugnare, quam egregiè expendit Augustinus [b]. *Non est*, inquit, *vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quomodo etiam argumentatur [c] Cyrillus Hierosolymitanus. *Tempus*, ait, *nemo curiosè inquirat, non est enim nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua, neque audeas determinare, quando hæc fient, neque rursus supinus taceas.* Neque aliter sentit Beda [d], qui hanc sententiam friuolam, & hæreticam appellat, friuolam quidem, quòd nullo firmo argumento probetur, hæreticam verò, quòd Chiliastarum errorem foueat. Denique hoc ipsum insinuat Chrysostomus [e], & auctor [f] imperfecti.

a præf. ad exhort. ad Martyr.
b lib. 18. de Ciu. c. 53. in Ps. in Psal. 89. & epist. 79. & 80.
c Catech. 5.
d lib. de ratio. temp. ca. 64. & 66.
e Hom. 9 in 1. ad Thess.
f Hom. 50. in Matth.

X. Quod igitur ait Petrus, mille annos coram Deo esse tamquam diem vnum, calumniæ Gnosticorum obiicitur, qui ex moræ diuturnitate Christi secundum aduentum irridebant, ostendit enim Petrus Dei respectu nullam quamuis diuturnam moram nimis videri longam. Frustra igitur illi dicunt. *Vbi est promissio, aut aduentus eius?* Quamuis enim homines multos numerent annos, omnes tamen Dei iudicio pro vno die censentur. Acutè autem addit Propheta mille annos æquari diei iam præteritæ, vt significet omnia esse Deo præsentia, nihilque ei præterire, aut aduenire, hoc enim postulat æternitatis natura, quæ motum, & successionem ignorat. Quocirca mox subiicit Petrus.

9. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*]

I. Græcè legitur, οὐ βραδύνει ὁ κύριος τῆς ἐπαγγελίας, id est, *non tardat Dominus promissi*, Hebræa phrasi, quasi dicat, Dominus, qui promisit, nihil moratur aut tardat, nihil cunctatur, cunctari enim is dicitur, qui segniter moras trahit, quod in Deum nullo modo cadit, sed quicquid ille semel præfiniuit, eo ipso temporis articulo præstat, quo statuit. Cùm igitur dixit Abacuch [g]. *Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Deum ait moram quidem facere, non tamen tardare, quia præfixo, & præstituto, præfinitóque tempore venturus est. In sacris porrò literis is propriè tardare dicitur, non qui nonnihil moratur, nec citò venit, sed qui quo tempore venturus erat, non venit: Sic nunc nemo verè dixerit tardare Antichristum, qui nonnisi in extrema mundi clausula venturus est, cùm verò in Exodo [h] præcipit Deus in hæc verba. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* statuto tempore absque mora reddendas imperat. Eodémque modo loquitur Tobias [i]. *Scio enim*, ait, *ipse quoniam numerat Pater meus dies, si tardauero vna die plus* (hoc est vltra præstitutum itineri meo tempus) *contristatur anima eius.* Quamuis igitur secundus Christi aduentus olim promissus diu expectetur, non dicitur tamen tardare, quia præfinito tempore venturus est Dominus, & datam fidem præstabit.

g cap. 2. 3.
h cap. 22. 29.
i cap. 9. 4.

II. Quocirca rectè ait Apostolus, *non tardat, sicut quidam existimant*, Græcè dixit Apostolus, vt habent codices, qui nunc circumferuntur βραδυτῆτα ἡγοῦνται, hoc est, *quemadmodum nonnulli tarditatem opinantur*; tarditatem autem eodem modo interpretor, cùm videlicet præscriptos suis terminos excedit. Tarditati autem hoc loco Petrus ex aduerso opponit μακροθυμεῖ, quæ est longanimitas, qua Deus peccatores ad pœnitentiam expectat. Sic Salomon [a]. *Dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.* Et Moses [b]. *Dominator Domine Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis.* Denique Ionas [c]. *Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Quam ob causam dixit Iustinus [d] Martyr, *confusionem, & interitum totius mundi per quem mali Angeli, & Dæmones, & homines, non amplius existent, fieri nondum permittit propter semen Christianorum, quod naturæ rerum causam esse nouit.*

a Sap. 11. 24.
b Exo. 34. 6.
c cap. 4. 2.
d Orat. ad Gen.

III. Quin etiam Paulus [e] ad Romanos ait. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, planè adducit etiam renitentem, mox enim subiicit. *Secundum autem duritiam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Adducit autem actione inchoata, quia vt ad pœnitentiam quis pertrahatur, diuina sua gratia excitat, vocat, illuminat, & inflammat; sed quia quamlibet diuinam vocationem potest quis vi liberi arbitrij repellere, vt Concilium [f] Tridentinum affirmat, irrita, atque inanis, si liberum arbitrium reluctetur, diuina vocatio redditur. Ita in Actis Apostolicis [g] loquuntur Apostoli. *Vobis oportebat loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Et Stephanus [h]. *Duri*, inquit, *ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut Patres vestri, & vos.* Atque hoc ipsum loco indicato significat Paulus, cùm duritiam cordis, & impœnitens cor thesaurizare ait iram in die iræ.

e cap. 2. 4.
f Sess. 6. c. 5. & can. 3.
g cap. 13. 46.
h Act. 7. 51.

III. Quamobrem verè dixit Prosper [i]. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, córque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.* Verùm quoniam liberæ voluntatis consensus necessariò exigitur, continuò subiicit. *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratia opitulatione, si proficit.* Tum addit. *Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia, quòd autem à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humana.*

i libr. 2. de voc. gen. c. 9.

IV. Rectè igitur dicitur à Petro *patienter agere*, Græcè μακροθυμεῖ, quasi dicat *longanimis est*. Latinus autem Interpres habet, *propter vos*, vt videatur legisse ὑμῶν, cùm Græci codices nunc habeant ἡμῖν, id est, *nos*, eadem planè sententia. Quod autem Interpres ait, *propter*, Græcè scriptum est εἰς, id est, *in vos*, aut *erga vos*. Ita dixit Isaias [k]. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus.* Quo loco Hieronymus. *Grandis*, inquit, *misericordia Dei, vt expectet nostrā pœnitentiā.* Expectare autem dicitur nostram pœnitentiam, quia licèt illa sit ipsius singulare munus, haberi tamē non potest absque nostro consensu. Qua de re ita alicubi disserit Augustinus [l]. *Profectò*, inquit, *& ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissen-*

k cap. 30. 18
l lib. de spir. & lit. c. 34.

datur, maiori nimirum aliquo monte ipsius luminibus obstruente. Impossibile etiam dicitur, quod minimè aequum est, rationique consentaneum, cuius generis est illud[a]. *Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Quarta significatione hoc fieri non posse dicitur, à quo nostra voluntas abhorret, cuiusmodi est illud*[b]. *Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum, qui ea excipiebant. Illud quoque impossibile dicitur, quod natura quidem impossibile est, Deo autem volenti possibile; quo in genere est illud*[c]; *eumdem hominem bis nasci non posse, nec acu camelum*[d] *admitti; quid enim prohibeat, quominus hae fiant, si Dei voluntas ita tulerit? Praeter hos omnes modos impossibile dicitur, quod nulla omnino ratione fieri potest, vt impossibile esse dicimus, Deum malum esse, aut omnino non esse.*

a Matt. 9. 15.
b Matth. 13. 58.
c Ioan. 3. 4.
d Matth. 19. 24.

IX. Cùm igitur Scriptura significat aliquos conuerti, aut iustificari non posse, id indicat admodum esse difficile, qua ratione aegritudinem aliquam curari non posse dicimus, non quae omnino medicinam respuat, sed quae non sine magna difficultate, periculo, & labore curationem admittit, pleraque enim in sacris litteris hoc modo accipienda sunt. Nam in libro Geneseos[e] de fratribus Ioseph scriptum est. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*; hoc est, adeò illum auersabantur, vt pacificè cum eo sermonem habere nollent. Et Christus[f] apud Ioannem ait. *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quae à solo Deo est, non quaeritis?* Rursus[g] alibi. *Non potest mundus odisse vos.* Itemque[h]. *Non poterant credere*, hoc est, vt interpretatur Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, nolebant. Quae verò testimonia de hominum caecitate, atque obduratione loquuntur, aliò pertinent, vt suo loco doceo. Certum est autem, & caecos posse diuinitus lucem aspicere, & obduratos coelestis gratiae efficacitate molliri. Caetera verò, quae indicant Dei voluntatem auersam, vel eodem modo explicanda sunt vt superiora, vel vt docent Theologi in scholis, sensum, vt aiunt, compositum inuoluunt, vel denique de poena aliqua certè infligenda accipiuntur.

e cap. 37. 4.
f Ioan. 5. 44.
g Ioan. 7. 7.
h Ioa. 12. 39.

X. Non negarim tamen videri nonnullos ex sanctis Patribus id ipsum indicare. Gregorius[i] enim tractans locum illum Salomonis[k]. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit. Nec mirum, inquit, si à corde reprobo praedicator minimè auditur, dum nonnumquam ipse quoque Dominus in his quae loquitur, resistentium moribus impugnatur; hinc est enim, quòd Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitia iam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Bene autem subditur. Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat, quia omnis homo per id, quod malè agit, quid sibi aliud, quàm conscientiae suae carcerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exteriùs accuset? qui cùm iudicante Deo in malitia sua caecitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minime meretur.* Et multa deinceps in eamdem sententiam. Alibi vero[l]. *De poena*, inquit, *peccati est vt ex dolo quidem possit bonum conspici, sed tamen ex merito contingit, à bono, quod conspicitur, repelli, vsitata quippe culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem, conatur quidem illa, sed confestim labitur, quia vbi sponte diu perstitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit.*

i lib. 12. Mor. c. 5.
k Eccl. 7. 14.
l Hom. 31. in Euang.

XI. Isidorus[m] autem, *Deserente*, inquit, *nullus poenitere potest, nonnulli autem ita despiciuntur à Deo vt deplorare mala sua non possint, etiamsi velint. consilio immundorum spirituum hoc fit, nam quia ipsis negatum est post praeuaricationem regredi ad iustitiam, obserare aditum poenitentiae hominibus cupiunt, ne ipsi ad Deum reuertantur, sed eos habeant socios perditionis, illud quibuscumque fraudibus agentes, vt aut deserantur à Deo, aut flagellis immanitate desperent. Ingemiscendum est igitur, & excussa omni securitate lugendum, ne Dei secreto, & iusto iudicio deseratur homo, & perdendus in potestate Daemonis relinquatur.* Huic etiam sententiae fauere videtur Augustinus[a], alicubi enim de Pharaone agens. *Non hoc ergo*, inquit, *illi imputatur, quod tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* Alibi[b] verò semper caecitatem, atque obdurationem praecedentis peccati, atque impietatis iustissimam poenam esse affirmat.

m lib. 2. de sum. bo. c. 16.
a de quibusd. proposit. in ep. ad Rom. propos. 62.
b de praedest. sanct. c. 6.

XII. Verùm haec omnia commodè explicari possunt de reprobis, quos constat, vt Theologi loquuntur, in sensu composito non posse ita conuerti, vt sempiternam salutem consequantur. Hi enim merità dicuntur inclusi, & despici, ac deseri à Deo, ac sempiternis suppliciis destinari. Nam alioqui ex Scripturis patet nonnumquam obduratos posse conuerti. Isaias[c] enim fatetur cor populi fuisse induratum. *Indurasti*, inquit, *cor nostrum, ne timeremus te.* Nihilo tamen secius subdit. *Conuertere propter seruos tuos, tribus hereditatis tuae*; induens sperare se populi indurati conuersionem. Deus autem ipse apud Ezechielem[d] ait. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Et Paulus[e]. *Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* Loquitur autem de corde indurato, de quo mox subdit. *Secundùm autem duritiam tuam, & impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Addo his testimoniis indicari externa auxilia absque Dei excitante, & adiuuante gratia esse prorsus inania, atque vtilitatis expertia, denique iisdem planè modis, quibus Scriptura explicari posse.

c cap. 63. 17.
d cap. 11. 19. simil. c. 36. 26.
e ad Rom. 2. 4.

XIII. Omnino autem apertè significant verissimam esse hanc Petri sententiam, qua dixit, facta esse posteriora deteriora prioribus, quandoquidem iustificationis difficultatem, incredibiliter auget ingrati animi vitium, quo quis post acceptam iustitiam rursus in Deum peccat, & quantum in ipso est, iustam Dei indignationem prouocat, dignúsque redditur, qui quamplurimis gratiae praesidiis destituatur, quibus Deus ad poenitentiam prouocare, ac perducere consueuit, quod vineae similitudine insinuauit Isaias, vt paulò antè significaui. Alioqui certum, atque exploratum est, quod alicubi asserit D. Thomas[f], quandiu quis hac vitali aura fruitur, numquam arbitrij libertate penitùs spoliari, gratiae verò diuinae vim, atque efficacitatem tantam esse, vt nullum sit adeò atrox, atque immane facinus, vel tanta scelerum, ac flagitiorum multitudo, cui non possit opitulari, & iustitiam, ac sanctitatem impertiri, quorum alterutrum siquis neget, eum necesse est grauissimo errore inuolui, atque implicari.

f 3. p. q. 86. art. 1.

XIV. Non iuerim tamen inficias à D. Thomae mête longiùs illos abiisse, qui eum putant auctores illos, quos suprà nominaui, erroris arguere, ac damnare, cùm tamen ille salua, atque incolumi humanae voluntatis libertate, admissa item vi, ac potestate diuinae gratiae, ob grauitatem, ac multitudinem flagitiorum asserant interdum Deum immortalem iustè denegare auxilium necessarium ad poenitentiam, & conuersionem. Nam cùm inter catholicos receptum sit pro loco quidê, & tempore cunctis mortalibus sufficiês, ac necessarium, gratiae diuinae auxilium concedi, est tamen extra controuersiam, eiusmodi auxilium non omnibus, singulis adesse momentis. Constat enim re ipsa iis denegari, qui subito post patratum peccatum vel in ipso flagitio vita excedunt. Liquet autem plerosque peccando exanimatos esse, atque expirasse; subtrali. te

ô

verò Deum aliis quibusdam hoc auxilium necessarium non sine aliqua probabilitate, indicant tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum allata testimonia, quamuis etiam plures alias, vt diximus, explicationes admittant. Certè de duro corde scribit Bernardus [a]. *Elatum cor durum, & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis, quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Alibi [b] verò copiosiùs. *Cor durum*, inquit, *dictum est, quod se ipsum non exhorret, quia nec sentit, nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus abstulit ei cor lapideum, & dedit ei cor carneum. Cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futurorum improuidum, ipsi enim est, cui præteritorum præter solas iniurias nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla est, nisi fortè ad vlciscendum, prospectus, atque præparatio. Et vt breui omnia horribilis mali mala complectar, cor durum est, quod nec Deum timet, nec homines reueretur.*

a Serm. de tem. fallac. præsentis vitæ.
b lib. 1. de consid. ad Eugen.

XV. Illud omnino fatendum est, de nullo prorsus mortalium, quandiu viuit, abiiciendam esse spem salutis, sic enim scribit Augustinus [c]. *De quocumque enim quamuis pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Et alibi [d]. *De nullo desperandum est, quamdiu ad pœnitentiam patientia Dei adducit, paganus est hodie, Iudæus est hodie, hæreticus est hodie, schismaticus est hodie, quid si cras amplectatur Catholicam fidem, & sequatur Catholicam veritatem? quid si isti, quos tamquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant veram requiem, & vitam in futuro?* Ita fit, vt quamuis eorum sententia non penitus reiicienda videatur, qui perditissimos homines à Deo interdum penitus deseri affirmant, absque magna temeritate nemo priuatim tamquam à Deo penitus destitutus censeri possit.

c 1. retract. c. 19.
d Ser. 12. de verb. Dom.

XVI. Siquidem Ecclesia pro omnibus etiam grauissimis peccatoribus preces ad Deum fundit, sic enim scribit Augustinus [e]. *Nunc Ecclesia ideo pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia nunc tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maximè pro eis orat, nisi vt det illis Deus, sicut dicit Apostolus [f], pœnitentiam, vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, secundum ipsius voluntatem?* Paucis interiectis. *Orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur, pro his enim solis exauditur, qui etsi aduersantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, vt pro eis exaudiatur Ecclesia, & filij efficiantur Ecclesiæ; si qui autem vsque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis conuertentur in filios; numquid iam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Cur ita? nisi quia in parte Diaboli computantur, qui dum essent in corpore, non sunt translati ad Christum.* Et in eamdem sententiam Gelasius [g] Papa. *Peccatum*, inquit, *ad mortem est, in eodem peccato manentibus vsque ad mortem, & peccatum non ad mortem est, ab eodem peccato recedentibus ante mortem. Nullum est quippe peccatum, pro quo remittendo aut non orat Ecclesia, aut quod data sibi diuinitus potestate desistentibus ab eo non possit absoluere, vel pœnitentibus relaxare.*

e lib. 21. de ciuit. c. 24.
f 2. ad Tim. 2. 16.
g de anathe. vinc.

21. *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*]

I. Cur posteriora prioribus deteriora videantur, hæc amplissima sententia declarat. *Melius* autem ait, hoc est, minùs malum futurum illis fuisse, si numquam Catholicam doctrinam cognouissent, aut amplexi essent, quàm post susceptam fidem ad priorem impietatem relabi. Est autem hæc sententia ei persimilis, quam apud Lucam [a] dixit Christus Dominus. *Ille autem seruus*, inquit, *qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Significat enim, grauiùs peccare illos, qui post veram Dei cognitionem contra Deum peccant. Meritò autem quærit Augustinus, quomodo hæc Christi verba cohæreant cum vaticinio Dauidis [b], qui alicubi ait. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ non inuocauerunt nomen tuum*, quæ videntur indicare acerbiora infideles manere supplicia. *Quo modo ergo*, inquit [c], *intelligendum est, quod ait Dominus in Euangelio, seruus, qui nescit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit paucis, seruus autem, qui scit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multis, si maior ira Dei est in gentes, quæ Dominum non cognouerunt? In eo quippe, quod ait, effunde iram tuam, satis hoc verbo indicauit, quàm multam iram voluerit intelligi, vnde postea dicit. Redde vicinis nostris septies tantum. An quia multùm interest inter seruos, qui licèt nesciant voluntatem Domini sui, tamen inuocant nomen eius, & alienos à familia tanti Patrisfamilias, qui sic ignorant Deum, vt nec inuocent Deum? Inuocant enim pro eo simulacra, vel dæmonia, vel quamlibet creaturam, non creatorem, qui est benedictus in sæcula. Neque enim istos, de quibus hoc prophetat, ita nescientes significat sui Domini voluntatem, vt tamen ipsum Dominum timeant, sed ita ipsum Dominum nescientes, vt nec inuocent eum, & inimici nominis eius existant. Multùm ergo distat inter seruos voluntatem Domini sui nescientes, & tamen in familia eius, atque in domo viuentes, & inimicos non solùm ipsum Dominum scire nolentes, sed & non eius nomen inuocantes, atque seruos eius insuper oppugnantes.*

a cap. 12. 47.
b Psal. 78.
c in eumd. Psal. 78.

II. Quæ sanè sententia non modò dubitationem non expedit, sed magis videtur implicare, significat enim grauiora supplicia imminere gentilibus, qui ita Deum ignorant, vt eum non inuocent, & præterea fideles insectentur, quod cum hac Petri sententia pugnare videtur, qui procul dubio innuit, leuiùs peccaturos fuisse Gnosticos, si in infidelitate persistissent, quàm si post fidem susceptam in eamdem, aut persimilem impietatem relabantur; sed nimirum nondum liquet, cur ita simpliciter loquatur Petrus, videtur enim Gentilium infidelitatem cum hæreticorum errore conferre, & indicat hæresim grauiorem esse impietatem, vt apertissimè docet D. Thomas [d] hoc ipso Petri testimonio nixus, quod etiam confirmat Chrysostomus [e], hæreticus enim magis contra rationem peccat, minúsque cohærenter loquitur, quia partem fidei Christianæ admittit, partem reiicit, cùm tamen eadem sit omnino credendi ratio, vt videatur hæreticus eamdem religionem oppugnare, atque euertere, quam vtcumque profitetur. Addit Epiphanius [f] hæreticum ex suo genere videri refractarium, nec facilè posse in rectam viam reuocari, atque ita verissimè dixit Petrus præstabilius fuisse in pristina infidelitate persistere, quàm hæresim complecti, & ad impium Gnosticorum dogma deflectere.

d 2. 2. q. 10. art. 6.
e Hom. 50. ad Popul. Antiochen.
f in Anchor.

III. Huic sententiæ persimilis videtur ea, quæ legitur in Apocalypsi [g]. *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Ambrosius [h] enim. *Frigidus est*, inquit,

g cap. 3. 15.
h Serm. 2. in Psal. 118.

qui fidem nescit, infidus est, qui Spiritus sancti feruore succensus est. Mox addit. *qui calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat, fidem non accepisse, quam neglexisse, est enim tepidus peior frigido. vt Iudaeus, qui sibi videtur fidem habere, quam non habet, quantò tolerabiliorem causam gentilis habet, qui potest dicere, non cognoui legem, non audiui prophetas? Neuter quidem excusatur, sed plus delinquit, qui negauit, quod legerat, quàm qui opera non fecit, quæ facienda non nouerat.* Neque aliter
a 3. p. past. admon. 35. videtur sentire Gregorius [a]. *Admonendi, ait, sunt, vt perpendant, quod tolerabilius esse potuisset, rectam viam non arripere, quam post arreptam post tergum redire.* Et ad id confirmandum affert hunc locum Petri. Sed de hac Ioannis sententia, quoniam alij aliter opinantur, plura in præsentia non dicam. Tantùm enim indicare volui, quid de ea duo grauissimi Patres sentiant, quorum si probanda sit explanatio, mirificè Ioannes cum Petri verbis consentit. Certè enim minori supplicio digni videntur Gentiles, quàm hæretici, quin etiam quadam ex parte minùs illi peccant, quàm fideles, cùm vt plurimùm illos ignoratio excuset, illorúmque peccata extenuet, contrà verò accidat fidelibus.

IV. Quamobrem hoc etiam modo hunc locum ex-
b Conc. 2. in Psal. 30. plicat Augustinus [b]; tractans enim verba illa Dauidis. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium.* Subdit. *De talibus dicit Apostolus Petrus. Facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm cognoscentibus retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato. Cum dicit, melius erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, nónne indicauit meliores esse inimicos foris positos, quàm intus malè viuentes, quibus premitur, & grauatur Ecclesia?* Paulò autem pòst. *Istis itaque talibus cum sint plena Ecclesia, nónne veraciter illic dicunt pauci immo ex paucorum voce ipsa Ecclesia; Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium.* Et in eam-
c lib. 4. de prouid. dem sententiam Saluianus [c]. *Nunc quia iam Christum agnouisti, qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionem, proiecieris per teporem, quod etiam B. Apostolus Petrus exposuit, dicens de vitiosis, & tepidis; melius erat*
d Serm. 34. *illis, &c.* Denique Auctor [d] sermonum ad fratres in eremo. *Quid hoc est*, inquit, *melius erat illis* (& quæ deinceps sequuntur) *nisi quod melius esset, quòd in vita sæculari, & laicali mansisset, quam postmodum solitariam vitam desereret? Apostatare enim iniquũ est, mortale est, cum damnatione semper viuere est, tales vxori Loth comparantur.*

V. *Melius* igitur ait, *erat non cognoscere*. Græcè ἐπεγνωκέναι, hoc est, *cognouisse*, vt respiciat præteritam vitam in infidelitate, in qua procul dubio satius fuerat permanere, quàm à recta fide deficere, quam meritò viam iustitiæ appellat, quia sine vera fide nulla potest esse vera iustitia, vt sæpe monet Augustinus, qui
e de prædest. Sanct. c. 7. alicubi [e] ita planè scribit. *Ex fide autem ideo dicit* (de Apostolo loquitur) *iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur:* quam ob causam iustus dicitur ex fide viuere. Subdit Petrus, *quàm post agnitionem*, hoc est, post fidem mente conceptam, *retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Quid autem
f lib. de fid. & oper. c. 23. nomine sancti mandati significetur explicat Augustinus [f] hunc in modum.

VI. *Neque enim, inquit, illud hoc loco intelligendum est sanctum mandatum, quo præceptum est, vt in Deum credamus, quanquam eo ipso totum continetur, si enim intelligamus fidem credentium, quæ per dilectionem operatur, sed apertè expressit, quid diceret sanctum mandatum, id est, quo præceptum est, vt ab huius mundi coinquinationibus recedentes casta conuersatione viuamus, sic enim ait. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in agnitionem Domini nostri, & Conseruatoris Iesu Christi, his rursus*

A *implexi superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus; non ait, refugientes ignorantiam Dei, aut refugientes infidelitatem sæculi, vel tale aliquid, sed coinquinationes mundi, in quibus est vtique omnis immunditia flagitiorum.* Sed quamquam Augustini authoritas apud me semper est grauissima, cogor tamen in præsentia vel inuitus ab eo nonnihil recedere, licèt enim non negem coinquinationes mundi referri, vt vult Augustinus, ad omnia scelera, atque flagitia, cùm tamen Apostolus addat vocem *mundi*, ea procul dubio vitia indicat, quæ palàm, ac liberè apud Gentiles frequentabantur, ad eas autem deflectere dicebantur Gnostici, quia vt suprà explicuimus, non solùm mores, sed etiam nefarium cultum infidelium magna ex parte imitabantur. Itaque retrocedere à sancto man-
B dato; est, à recta fide deficere, quæ omnes illas coinquinationes reprehendit, ac damnat.

Hoc ipsum docuit Paulus, cùm ad Hebræos [a] scri- VII.
psit. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* a cap. 10. 26. Quæ verba potissimùm quidem in eos conueniunt, qui perceptam fidem, ac susceptam religionem abiurant, rectè tamen in eos omnes cadunt, qui post iustificationem peccãt, vt ex sanctorum Patrum magno consensu eo loco docui. Nec dubito eodem etiam modo explicari posse hunc Petri locum, quod multorum testimonio non ita multò pòst probabo. Quin etiam eodem spectare videntur ea, quæ scribit Paulus ad Galatas [b]. *Sed tunc* b cap. 4. 8.
C *quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt dij, seruiebatis, nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò seruire vultis?* Ostendit enim Galatas, antequam lucem euangelicam aspicerent, excusari vtcumque potuisse, non item post Christiana sacra suscepta. Atque hac ratione Scriptura sacra nonnumquam quosdam quamuis peccatores, aliorum comparatione, qui grauiùs peccant, iustos appellare consueuit. Sic Hieremias [c]. *Iustificauit* c cap. 3. 11.
animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iudæ. Et Ezechiel [d]. *Et Samaria, inquit, dimi-* d cap. 16. 51.
dium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. Loquitur enim de
D Sodoma, & Samaria, quas, vt scribit Hieronymus [e], e Ezech. 16.
non simpliciter iustas esse decernit, sed comparatione deteriorum. Hanc porrò suam sententiam Petrus duplici prouerbio confirmat.

21. *Contingit enim eis illud veri prouerbij. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*]

Prior parœmia à Salomone [f] desumpta est, sic I.
enim ille ait. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum,* f Prou. 26. 11.
sic imprudẽs, qui iterat stultitiam suam. Vniuersim enim de peccatore loquitur, qui post expiata pristina scelera, illis denuò implicatur; hoc autẽ Petrus Gnosticis, eorúmque sectatoribus accommodat. Porrò Salomon rectè hominem scelestum cani comparat, animali videlicet impudico, inuerecundo, ac nullius propemo-
E dum vtilitatis, adeò vt Deus immortalis vetuerit
in Deuteronomio [g], ne sibi offerretur merces prosti- g cap. 23. 18.
buli, nec pretium canis. *Non offeres, inquit, mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.* Et Christus non semel etiam peccatores canibus
similes esse affirmat. Alicubi [h] enim ait. *Non est bo-* h Matth. 15. 26.
num sumere panem filiorum, & mittere canibus. Alibi [i]. i Matth. 7. 6.
Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Optimè autem hoc nomen in hæ-
reticos conuenit, vt enim scribit Hieronymus [k], k Matth. 7.
quidam canes eos intelligi volunt, qui post fidem

Christi

Christi reuertuntur ad vomitum peccatorum suorum. Et Basilius [a] canum nomine eos significari arbitratur, *qui per contumeliam legem Dei violant, ex qua violatione illud consequitur, vt & qui sunt extra fidem, simul & contemnenda arbitrentur dogmata Domini, & ex illis ipsis ansam arripiant pestilentius nos inuadendi, & conuitiis, ac contumeliisque, vt lacerorem veluti proscindendi.*

a in reg. breuior. interrog. 150.

II. Deinde tam Salomon, quàm Petrus Apostolus, impium, ac desertorem religionis cani similem esse aiunt reuertenti ad vomitum, quòd res fœda, atque abominanda sit omissam impietatem iterare, non aliter ac turpe, fœdúmque est, canem rursus haurire, quam eiecerat fœditatem. Ob id enim vterque addit *vomitum suum* Græcè ἴδιον, hoc est, *proprium*, quasi dicat, quemadmodum canis nauseante stomacho id, quo molestè grauatur, euomit, & tanquam noxium abiicit, mox pro cibo reuocat, & assumit, sic etiam peccator vrgente conscientia, quo se premi, vrgerique sentit, peccatum detestatur, & abiicit, & quodam modo euomit, sed stultè deinde, atque impiè quod tanquam malum detestatus est, quasi bonum, & appetendum repetit. Sic ferè hanc comparationem explicat Gregorius [b], *Canis quippe*, inquit, *cum vomit profectò cibum, qui pectus deprimebat, proiicit, sed cum ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt, profectò nequitiam, de qua malè satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proiiciunt quam post confessionem dum repetunt, resumunt.* Respicit etiam hæc similitudo fœditatem, vt dixi, quò spectasse visus est Damascenus, qui alicubi [c] ait, *Cæterùm in hoc omnibus viribus esse incumbendum, vt nos ab obscœnis operibus puros, atque integros seruemus, ne rursus canis instar ad vomitum nostrum redeuntes, nos ipsos rursus peccato in seruitutem addicamus.*

b 3 p. past. admon. 31.

c li. 4. de fide ortho. c. 10.

III. Eodémque modo loqui videtur auctor [d] Commentariorum in Paulum, qui Ambrosio inscribuntur, ait enim, *Qui pœnitentia ablutus est ab operibus mortuis, si eadem iterum agit, peius contaminabitur, sicut ait Apostolus Petrus. Canis reuersus ad vomitum.* Optimè verò Augustinus [e], *Quibus*, ait, *rebus renuncias* (de Baptismo loquitur) *nisi factis malis, factis Diabolicis, factis à Deo damnatis, furtis, rapinis, periuriis, homicidiis, adulteriis, sacrilegiis, factis abominandis, curiositatibus? His omnibus renuncias, & rursus his inflexus superaris. Facta sunt tibi posteriora deteriora prioribus. canis es reuersus ad vomitum.* Itémque, *Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?* Certè Apostolus hanc potissimum rationem sequutus videtur, ita enim confirmat, quod mox dixerat, facta esse deteriora prioribus. Eadémque opera rei fœditate proposita fideles in suscepta fide, ac religione confirmat, ne si se à Gnosticis decipi patiantur, canum obscœnitatem imitentur. Certè Isidorus [f] Pelusiota canibus similes ait esse hæreticos, qui cùm veram doctrinam complexi sint, rursum ad priorem sententiæ peruersitatem reuertuntur. Eodémque modo loquitur Chrysostomus [g], *Canes verò*, inquit, *sunt omnes hæretici, qui contra creatorem suum blasphemiarum extendunt eloquia.*

d ad Hebr. 9. simil. c. 10.

e in Psal. 80.

f li. 1. ep. 143.

g ho. de cruce Dom.

IV. Posterius prouerbium additur à Petro, *Sus*, inquit, *lota in volutabro luti.* Eandem verò explanationem haber, nam, vt ait Origenes [h], *porcis similes dicuntur ij, qui peccatorum fœtoribus delectantur, sicut porci, qui fœtorem omnem tanquam odorem suauissimum expetunt. Considera ergo peccatorem, qui peccatis suis delectatur, & lætus est in malis suis, quoniam & ipse in stercore fœtido volutatur, & nullum fœtoris eius, qui ex peccati stercore redditur, percipit sensum, velut in summis voluptatibus, & gratissimis deliciis delectatur.* Eodem videtur spectare mystico saltem sensu quod scripsit Sirac [a], *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* Quemadmodum enim, qui à cadaueris contactu ex legis [b] præscripto ablutione expiabatur, nihil ei expiatio proderat, si rursus eodem contactu inquinaretur, ita qui scelera, atque flagitia pœnitentia eluit, si rursus iisdem sceleribus inquinatur, quid ei prior pœnitentia prodest? Quocirca Gregorius [c], *Mortuum quippe est*, ait, *omne opus peruersum, quod pertrahit ad mortem, quod vita iustitiæ non viuit. baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit mortuum, qui praua opera, quæ se meminit egisse, deplorat, sed in iisdem se iterum post lachrymas implicat. Anima itaque qualibet eiusdem mortui lauatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo, quod planxit, nec per lamenta pœnitentia ad rectitudinem iustitiæ exurgit. Pœnitentiam enim verè agere est, commissa flere, sed iterum plangenda declinare.* Rursus alibi [d], *Ille quippe lauatur à mortuo, qui per pœnitentiam mundatur à peccato, quem si contigerit, eadem, quæ puniuerat, iterando, peccata committere, nihil contulisse videtur adhibita satisfactionis lauatio, quem maculauit inhonestius iterata facinoris turpitudo.*

h hom. 1. in Psal. 37.

A

a Eccl. 34. 29.

b Num. 19.

c li. 9. regest. ep. 39.

B

d in Ps. 50. ad ill. ver. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

V. Videtur autem Petrus duorum animalium similitudinem assumpsisse, sequutus magistrum suum, qui eorumdem comparatione vsus, *Nolite*, inquit [e], *dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Vtrumque enim animal immundum censebatur in lege, neque aliter existimasse censentur Gentiles, scripsit enim Poëta Lyricus [f]:

e Matt. 7. 6.

f Hor. lib. 1. epist. ep. 2. ad Lollium prope fin.

Syrenum voces, & Circes pocula nosti,
Quæ si cum sociis stultus, cupidusque bibisset
Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors
Vixisset canis immundus, & amica luto sus.

C

VI. Quod autem ait Interpres, *in volutabro luti*, Græcè est, εἰς κυλισμὸν βορβόρου, hoc est in volutabrum cœni, ab eo autem Græco vocabulo dicti sunt Gnostici βορβοριανοί: quasi qui in cœno versentur, eóque oblectentur; nam vt scribit Epiphanius [g], variis nominibus appellati sunt. *Apud quosdam autem*, ait, *Borborian appellantur, alij Coddianos ipsos cognominant, Codda enim Syriaca lingua dicitur patina, aut catinus ex eo, quòd non possint aliqui cum ipsis cibum sumere, sed priuatim inquinatis edulia dentur, & quod non possit quis vel panem cum ipsis comedere propter inquinationem, & propter cohabitatores separatos ipsos habentes Coddianos cognominauerunt. Iidem in Ægypto Stratiotici vocantur, & Phibionitæ, velut supra ex parte dictum est; quidam ipsos Zachæos appellant, alij Barbelitas.* Sed & Theodoretus [h], *Ex Valentini*, inquit, *seminibus Barbeliotarum, seu Borborianorum, vel Naasinorum, vel Stratioticorum, vel Phemionitarum, qui vocantur, execranda secta pullulauit.* Et Augustinus [i] de Gnosticis agens, *Denique*, ait, *cum ab aliis, atque aliis per diuersas terrarum partes aliter, atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi cœnosos propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur.* Ad eorum turpitudinem accessisse videntur Adamiani, seu Adamitæ, de quibus Epiphanius [k], & Clemens Alexandrinus [l], qui cùm de Valentinianis loquutus esset, subdit, *Talia autem statuunt Prodici quoque asseclæ, qui seipsos falso nomine vocant Gnosticos, se ipsos quidem dicentes esse natura filios primi Dei, nobilitate autem, & libertate abutentes viuunt, vt volunt, volunt autem libidinosè.* Paulò pòst subdit, *Clanculum enim committunt adulteria*, & alia deinceps. Hæc igitur dixerim, vt appareat Petrum meritò Gnosticos suibus comparare, qui in cœno volutantur.

g hær. 26.

D

h lib. de hæret. fabul. de Barbeliotis, seu Borborianis.

i lib. de hær. c. 6.

k hæret. 51.

l li. 3. Strom. c. 3.

E

Tertij

Tertij Capitis Argumentum.

NOVO vsus exordio, vt maiorem sibi fidem, atque auctoritatem conciliet, iterat ea, quæ superiori capite indicauerat, venturos præsertim sub finem mundi pseudoprophetas, qui fidem Christianam, & Catholica dogmata multis machinis oppugnent, ea potissimùm, quæ de secundo Christi aduentu in sacris literis traduntur, hinc ille de spirabilis aëris conditione, cæterorúmque elementorum procreatione, omnium denique interitu copiosè differit, vnde colligit, qualis esse debeat fidelium vita, qui bona cœlestia, & immortalia sperant. Adhibita deinceps Christiana, & Apostolo digna adhortatione honorificam Pauli commemorationem addit, eiusq; auctoritate sua dicta confirmat, & denique Epistolam concludit.

CAPVT III.

1 *HANC ecce vobis carißimi secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.*
2 *Vt memores sitis eorum quæ prædixi verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum præceptorum Domini, & Saluatoris.*
3 *Hoc primùm scientes, quod venient in nouißimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes.*
4 *Dicentes vbi est promißio, aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.*
5 *Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.*
6 *Per qua ille tunc mundus aqua inundatus periit.*
7 *Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.*
8 *Vnum verò hoc non lateat vos carißimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.*
9 *Non tardat Dominus promißi, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

10 *Adue*

PARAPHRASIS.

HASCE igitur iam alteras ad vos carissimi literas scribo, vt in iis paterna mea commonitione, adhortationéque sinceram vestram mentem excitem, atque confirmem. ¶ Ne vnquam memoriam excidant veterum Prophetarum monita, quæ vtraque Epistola commemoraui, perpetuóque retineatis præcepta tradita vobis ab Apostolis Domini nostri, & Saluatoris. ¶ Ante omnia autem vos monitos esse percupio in extremis mundi diebus venturos impostores nescio quos, omnibus siue à natura, siue ab arte ad decipiendum præsidiis instructos, qui suis prauis cupiditatibus obsequentes nihil non tentabunt, vt plurimos mortalium in fraudem inducant. ¶ Sic autem fere ratiocinabuntur, vbi nam quæso, aient, est diuina pollicitatio? aut quando tandem Domini aduentus expectandus erit? siquidem iam pridem parentes nostri vita functi sunt, neque vllum futuri aduentus indicium cernitur, quin potiùs omnia statum suum cursum retinent, quem iam inde ab initio, quo condita sunt, obtinuerunt. ¶ Etenim illi volentes, prudentésque ignorant, aërem istum, quem cœli nomine frequenter appellamus, vnà cum terra Conditoris imperio ex aqua prodiisse, & aqueam propemodum naturam sortita esse. ¶ Quæ duo elementa aquæ eluuione obruta, olim huic inferiori mundo perniciem, atque interitum attulerunt. ¶ Iam verò immutatus æther vnà cum terra, quæ nunc superest, eodem diuino imperio idcirco conseruatur, vt in extremo iudicij die, quo impij, ac scelerati suorum flagitiorum pœnas dabunt, igne cœlitùs misso instauretur. ¶ Nolim autem hoc vnum vos lateat fratres mihi carissimi, nullam esse apud Deum moram diuturnam, qui in sua illa æternitate, qua fruitur, omnia suo diuino intuitu præsentia cernit, adeò vt coram illo dies vnus pro annorum millibus habeatur, itémque anni mille quasi dies vnus censeantur. ¶ Nolite itaque existimare, Deum, qui diuinæ pollicitationis est auctor, fidem fallere, aut fines præscriptos præterire, vt falsò nonnulli arbitrantur, qui nimiam tarditatem accusant, sed po-

tiùs

tiùs sic habetote hoc esse diuinæ magnanimitatis, atque in vos beneficentiæ singulare argumentum, qui patientia sua omnes ad pœnitentiam prouocat, vt qui nolit quemquam perire, sed resipiscere aliquando, & saniora consilia capere. ¶ Proculdubio autem præstituto tempore dies ille Domini, & extremus mundi occasus nocturni furis instar adueniet, quo aër procellæ in morem abripietur, elementa verò calore æstuantia soluentur, denique terra, & quicquid in ea cernitur, flammis exuretur. ¶ Cùm igitur hæc omnia interitura sint aliquando, & in aliam quamdam speciem immutanda, statuere potestis ipsi, quales vos esse oporteat, quibúsque moribus, ac pietatis officiis præditi. ¶ Non expectantes modò, sed quantum in vobis est, cupientes, accelerantésque extremum illum mundi diem, quo Deus iudex aderit, quo die, vt modò dixi, æther ignis ardore inflammatus soluetur, elementa verò eodem igne ambusta quodammodo liquescent. ¶ Nouum itaque aërem, nouámque terram, quod Deus immortalis, qui fallere, ac mentiri non potest, certò pollicitus est, meritò nos expectamus, vt cuncta à misera quodammodo seruitute liberata eam, quam par est æquabilitatem retineant. ¶ Quæ cùm ita sint, dum hunc Dei aduentum expectatis, date quæso vos diligenter operam, vt ille vos immaculatos, atque incontaminatos, & tranquilla pace perfruentes inueniat. ¶ Idque vobis omnino persuasum sit, diuinam patientiam, qua tamdiu hominum flagitia tolerat, ad multorum mortalium salutem referri, quemadmodum dilectus frater noster Paulus pro singulari sibi diuinitus sapientia tradita ad vos scripsit. ¶ Quod etiam omnibus in suis epistolis facit, dum hisce de rebus quàm accuratissimè disserit, in quibus fateor nonnulla esse obscura, & captu difficilia, quæ imperiti quidam, & parum in fide constantes detorquere solent, quod in cæteris etiam Scripturis sacris ad suorum ipsorum perniciem, atque interitum facere consueuerunt. ¶ Vos igitur dilecti fratres, quandoquidem iam à me præmoniti estis, sedulò cauete, ne simul cum aliis nefariorum errore abducti eam fidei firmitatem, certitudinémque quam iam pridem complexi estis aliquando abiiciatis. ¶ Date potiùs operam, vt gratia diuináque scientia Domini nostri, & Seruatoris Iesu Christi maiora in dies capiant incrementa, ipsi verò Christo Domino, & in hac mortali vita, & in omnem æternitatem sempiterna sit laus, & gloria. Amen.

10 *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.*

11 *Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus.*

12 *Expectantes, & properantes in aduentum diei Dei, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.*

13 *Nouos verò cælos, & nouam terram, secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.*

14 *Propter quod carissimi hæc expectantes satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.*

15 *Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut & carissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.*

16 *Sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

17 *Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.*

18 *Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi; ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.*

IN CAPVT TERTIVM EXPLANATIO.

1. *Hanc ecce vobis carissimi secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.*]

I. RECTE hinc colligit Oecumenius duas scripsisse Petrum Epistolas, atque idcirco hanc omnino à Petro fuisse editam; quòd autem subdit *in quibus*, ad ambas Epistolas refertur, vt significet, tam priorem, quàm posteriorem Epistolam eodem referri, ad commonendos videlicet, atque excitandos fidelium animos. Verùm quòd spectat ad verba, videtur Interpres Græcè legisse, non ἤδη, vt nunc habent exemplaria Græca, sed ἰδὲ, ac propterea dixit, *ecce*, cùm Græci Codices hunc habeant sensum. Hasce iā alteras vobis carissimi scribo literas, quamquam etiam singulari numero Græcè dixit Petrus ἐπιστολὴν, mox autem subiicit relatiuum ἐν αἷς numero multitudinis, vt vtramque, vt dixi, Epistolam referat. Quòd autem carissimos appellat, more suo Interpres ita Latinè dixit, quod Græcè habetur ἀγαπητοί. Finem porrò vtriusque Epistolæ eò spectare ait, vt fidelium mentes excitentur, moneantúrque, vt in susceptа fide, ac religione persistant, memores eorum, quæ ipse Prophetarum testimonio, atque auctoritate docuerat, seu viua voce, seu etiam scripto. *Vestram*, inquit, *excito in commonitione sinceram mentem*, quod autem ait *excito*, Græcè legitur διεγείρω, quasi dicat, extimulo, vt magnam quamdam vim, atque energiam significet. Sincera porrò mens, vt ait Oecumenius, & cogitatio est, *cùm eorum, quæ salutaria sunt, quæ iam audiuimus, & reseruata iam sunt, ac deposita, recordamur, & ad resumendam eorum operationem omni studio, ac viribus omnibus incitamur.*

II. Interim autem muneris Apostolici eximiam quamdam sollicitudinem declarat, quippe cùm nihil sibi antiquius esse significet quàm vt oues sibi commissas omni studio, ac diligentia in virtutis, Christianæque perfectionis cursu promoueat. Hoc enim Paulus à Timotheo Ephesiorum Episcopo exigebat, cùm diceret [a], *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Persimilem sedulitatem præsefert, cùm ad Colossenses scribit [b], *Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis Dei.* Et in Actis Apostolicis [c] Episcopos Asianos his verbis affatur, *Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, docens vos publice, & per domos.* Quod ius obseruandum in primis censeo, qui Ecclesiæ gubernacula suscipiunt, nec enim illi infulis, ac purpura contenti esse debent, aut Ecclesiastico censu, sed strenuè illis laborandum est, vt Dei vineam diligenter excolant, fideles moneant, hortentur, corrigant, & ad omnem pietatem non tam voce, quàm moribus, vitæque exemplo excitent, atque inflamment, hoc enim ab eis exigit Ecclesiastica præfectura, quam Apostolus non dignitatem, sed opus appellauit [d]: *Si quis*, inquit, *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus*, inquit Hieronymus [e], *non dignitatem, laborem, non delicias, opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Et Augustinus [f] negat eum esse Episcopum, qui præesse magis eligit, quàm prodesse. Certè Salomon [a] ei, qui pro alio spoponderit, laborandum, & totis viribus nitendum monet, vt fidem suam liberet, *Fili mi*, inquit, *si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ*; quæ omnia rectè in Episcopos cadunt; persimilem enim sollicitudinem, ac diligentiam ipsorum muneris ratio flagitat.

a 1. ad Tim. 4. 2.
b Colos. 1. 9.
c Act. 20. 18
d 1. ad Tim. 3. 1
e epist. 85. ad Oceanum
f lib. 19. de ciuit. c. 19.
a Prou. 6. 1.

2. *Vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum præceptorum Domini, & Saluatoris.*]

I. Huc nimirum adhortatio, monitióque Apostolica refertur, vt auditores fideles memoria retineant, quæ olim à Prophetis, & deinde ab Apostolis, & Christo Domino tradita, atque imperata sunt. Multiplex autem est obscuri loci explanatio, duo enim fidelium memoriæ videtur Petrus commendare; primùm quidem, vt ne obliuiscantur eorum, quę ipse ex vatum, ac Prophetarũ oraculis prænunciarat, *Vt memores*, inquit, *sitis eorum quæ prædixi verborum a sanctis Prophetis*, quasi dicat, vt memoria retineatis ea, quæ prædixi, quæ sunt ipsissima Prophetarũ oracula. Videtur autẽ indicare, quod mox etiā subiiciet, ea, quæ de pseudoprophetis superiori capite prædixerat. Volo, inquit, vos memores esse eorũ verborũ, quæ à Prophetis accepi.

II. Addit deinde, *& Apostolorum vestrorum præceptorũ Domini, & Saluatoris*. Obscura sanè sententia, quam Oecumenius hunc in modum explicat, *Vt memores sitis verborum prædictorum à Prophetis sanctis, & mandati nostri Apostolorum, & mandati Domini Saluatoris Iesu, vel vt memores sitis verborum prædictorum à sanctis Prophetis, & à mandato scilicet prædictorum nostri Apostolorum, & à mandato Domini, & Saluatoris Iesu.* Et idcircò plerique priorem sententiam, atque explanationem sequuti putant Petrum monere fideles, vt memoria retineant præcepta Apostolorum, quæ sunt ipsius Domini præcepta. Non desunt, qui hæc distinguant, quasi ipsos meminisse velit præceptorum, tum eorum, quæ ab Apostolis, tum etiam illorum, quæ à Christo Domino tradita sunt: sunt denique qui hos gignendi casus, *Domini, & Saluatoris* referant ad vocem Apostolorum, hoc sensu. Vt memores sitis verborũ, quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, & mandati nostri, qui sumus Apostoli Domini, & Saluatoris. Sed prima Oecumenij interpretatio planior videtur, ac simplicior, vt Apostolus cõmendet præcepta Apostolorum, quæ sunt mandata Domini, & Saluatoris, nisi quis malit hyperbatõ agnoscere, vt sensus sit. Memores vos esse volo præceptorum quæ ab Apostolis Domini nostri, & Saluatoris tradita sunt vobis, vt videatur Apostolus idem monere, quod scribit Paulus ad Thessalonicenses, cùm dixit [b], *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Certè idem videtur indicare, quod ad Ephesios scribit Paulus [c], vbi fideles ait superædificatos *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*

b 2. Thess. 2. 15.
c ad Eph. 2. 20.

3. *Hoc*

3. *Hoc primùm ſcientes, quòd venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes.*] A

I. Quæ ante ſecundum Chriſti aduentum ventura ſint, denunciat, quod etiam fecerat Chriſtus Dominus, nam apud Matthæum [a] (a cap. 24. 24), *Surgent enim*, ait, *pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Et Paulus [b] (b 1. ad Tim. 4. 1.), *Spiritus autem*, ait, *manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam a fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*, &c. Et alibi [c] (c 2. ad Tim. 3. 1.), *Hoc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes*, & quæ ſequuntur. B Nouiſſimos autem dies extrema mundi tempora appellat, quamuis aliàs Ioannes [d] (d 1. Io. 2. 18) totũ hoc tempus poſt Chriſtum natum nouiſſimam horam appellet. Ait igitur Petrus ſub finem mundi venturos illuſores *in deceptione*. Sed Græci quidem codices ſimpliciter habent *illuſores* non autem *in deceptione*, ſed olim veriſimillimum eſt aliter habuiſſe Græcos codices, quàm qui nunc circumferuntur. Nam Auguſtinus [e] (e lib. 20. de ciui. c. 18.) ita hunc locum recitat, *Venient*, inquit, *in nouiſſimo dierum illuſione illudentes ſecundùm proprias concupiſcentias ſuas euntes, & dicentes, vbi eſt promiſſum præſentiæ ipſius?* vt videatur aliquid ſimile legiſſe, quod expreſſit Interpres, cùm ait, *in deceptione, Illuſores* autem vocat, hoc eſt, impoſtores, ſycophantas, & deceptores. C fortaſſe alludit ad verba Dauidis, cùm [f] (f Pſal. 1. 1.) ait, *Beatus vir; qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Hebraicè enim eſt vox לֵצִים *letzim*, hoc eſt, *irriſorum*, ſeu *illuſorum*, qui videlicet diuina oracula irrident, & tanquam inanes fabulas contemnunt, quod profectò facturi ſunt ij, de quibus loquitur Apoſtolus, qui, vt mox dicet, quærebant, *vbi eſt promiſſio aduentus eius?* quaſi quæ de ſecundo Chriſti aduentu in ſacris literis leguntur, mera ſint ſomnia, aut Poëtarum figmenta, quales erant illi Athenienſes [g] (g Act. 17. 32.), qui cùm audiſſent reſurrectionem mortuorum, irridebant Paulum. Et ſanè illuſorum, vel irriſorum nomine omnes hæretici cenſendi videntur, nihili enim omnes faciunt præcipua religionis noſtræ dogmata, quod in noſtri ſeculi hæreticis nimiùm quantùm cernitur. D

II. *Iuxta proprias concupiſcentias ambulantes*, vt enim aliàs dixi, hoc eſt omnibus hæreticis commune, vt ſuis cupiditatibus liberè obſequantur, hoc autem eſt, ſecundùm concupiſcentias ſuas ambulare, quod maximè de Gnoſticis affirmare licet, quorum, vt ſuperiori capite dixi, perditiſſimi erant, & profligatiſſimi mores. Sed quoniam vitia ſua externa quadam ſanctitatis ſpecie obuelant, iure optimo illuſores appellantur, vt phraſi Hebræa ſignificet Petrus eſſe illos homines peſtilentes, hoc eſt, perditiſſimos, & maximè pernicioſos, quippe qui per ſpeciem probitatis imperitis facilè imponerent, & ſuis corruptiſſimis moribus alios inquinarent. Porrò hac ratione dicendi omnia propemodum vitia his pſeudoprophetis attribuit, ambulare enim iuxta proprias concupiſcentias nihil eſt aliud, quàm omnibus in rebus cupiditatibus ſuis morem gerere, quaſi liceat, quicquid libeat, cùm tamen recta ratio alia omnia doceat, vt enim ſcribit Seneca [h] (h epiſt. 14.), *Multis ſeruiet, qui corpori ſeruiet, qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus viuere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore; huius nos nimius amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, contumeliis obiicit, honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis carum eſt.* E

4. *Dicentes vbi eſt promiſſio, aut aduentus eius? ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.*]

Mimeſis eſt illuſorum ſententiam exprimens prorſus temerariam, & impiam, conabantur enim Gnoſtici ſuis perſuadere non futurũ extremi iudicij diem, vt eius iudicij ſublato metu omnibus libidinibus liberè ſeſe conſtringendos præberent. Videntur enim eorum mores exprimere, qui apud Paulum [a] (a 1. ad Cor. 15. 32.) dicebãt. *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur*; nec enim illi reſurrectionem expectabant, quam tamen ſacræ literæ frequentiſſimè, & quidem verbis apertiſſimis pollicentur. *Vbi eſt*, inquit, *promiſſio, aut aduentus eius?* Græcè eſt ποῦ ἐστὶν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ, hoc eſt, *vbi eſt promiſſio aduentus eius?* quomodo etiam legiſſe videtur Auguſtinus, qui ait. *Vbi eſt promiſſum præſentiæ ipſius?* Neque aliter habet Oecumenius. *Irridendo*, ait, *inquiunt, vbi eſt promiſſio aduentus eius?* Græcam autem vocem, quam hic Latinè reddit, *aduentum*, in primo capite *præſentiam* dixit. Neceſſe igitur eſt, aliter legiſſe Interpretem, & promiſſionem quidem referre ad reſurrectionem, aduentum verò ad Chriſti præſentiam, qui venturus eſt ad iudicium.

II. Igitur homines impuriſſimi, vt ad ſuas inceſtas, nefariaſque libidines faciliùs alios pertraherent, futuri iudicij expectationem à mortalium mentibus amouere conabantur, atque ita eos, qui eius iudicij metu continerentur in officio, irridebant, ac ſubſannabant, hoc enim eſt hæreticorũ propriũ, vt cùm argumentis deſtituuntur, quibus ſua falſa dogmata ſtabiliant, aut noſtra conuellant, per contemptum riſu, & cachinnis catholicos exſibilent, & vt ait Auguſtinus [b] (b epiſt. 56.), *omniũ hæreticorum quaſi regularis eſt illa temeritas, ſcilicet vt conentur authoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ quaſi rationis nomine, & pollicitatione ſuperare.* Itaque Gnoſtici fidelibus tot ſæculorum moram obiiciebãt, vt fruſtra Chriſti ſecundum aduentum tandiu expectari concluderent, adeóque Prophetarum vaticinia falſa, atque inania oſtenderent. Hac autem ratione præcipuum religionis noſtræ caput oppugnant, & quantum in ipſis eſt, euertere conantur, quod Chriſtus ipſe in cœlum aſcendens per Angelos ſuos veluti internũtios Apoſtolis, atque vniuerſæ Eccleſiæ potiſſimùm commendauit. *Ita veniet*, inquiunt, *quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Tam autem aperta ſunt Scripturæ teſtimonia, quibus ſecundus Chriſti ad nos aduentus à priſcis Patribus confirmatur, vt otioſum ſit in re notiſſima diutius immorari, & oleum, quod aiunt, atque operam perdere.

III. *Ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* A mundi diuturnitate, & rerum omnium conſtantia colligunt eius æternitatem, atque immutabilem firmitatem, atque adeò de ſecundo Chriſti aduentu, mundique occaſu, non oportere quemquam eſſe ſollicitum. Hoc nimirum argumento inter alia nonnulla probare nititur Ariſtoteles [c] (c li. 1. de cœlo, & mũdo.) cœlum eſſe ab interitu liberũ, quòd in eo nullo vnquam tempore vlla potuerit obſeruari mutatio, vt ne futuram quidem ſuſpicandum videatur. Ait igitur Petrus. *Ex quo Patres dormierunt*, hoc eſt, vita functi ſunt. Sæpe enim Scriptura mortem appellare ſomnum conſueuit, vt hac ratione animæ immortalitatem innuat, quamquam etiam Gentiles eodem modo de morte non rarò loquuntur. Nam quidam [d] (d Catul. ad Lesbiam.) dixit:

Soles occidere, ac redire poſſunt.
Nobis cùm occidit breuis lux
Nox vna perpetua dormienda.

& alius [e] (e Virg lib. 10 Æneid.) quidam.

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Loquitur autem Petrus de priscis illis mortalibus, à quibus omne genus hominum propagatum est.

IV. *Omnia, inquit, sic perseuerant ab initio creaturæ.* quomodo loqui videtur Salomon [a], *Quid est*, inquit, *quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Quo loco errasse videtur Origenes [b], vt etiam obseruarunt Methodius [c], & Hieronymus [d], qui plures fuisse, futurósque mundos existimabat, cùm tantùm Salomon interprete Hieronymo, significet ea, quæ ad rerũ ortũ, atque interitũ pertinet, eodẽ modo se habere. *Videtur mihi*, ait Hieron. *de his, quæ supra enumerauit, & generatione, & generatione, mole terrarum, ortu Solis, & occasu, cursu fluminum, magnitudine Oceani, omnibusq; quæ aut cogitatione, aut visu, vel auribus discimus, nos communiter loqui, quod nihil nouum sit in natura rerum, quod non antè iam fuerit, ab initio enim mundi homines nati, & mortui sunt, & terra super aquas constitit librata, & Sol ortus occubuit. Et ne plura percurram, & auibus volare, & natare piscibus, & terrestribus ingredi & serpentibus labi Deo artifici concessum est.* Hæc igitur omnia sic perseuerant ab initio creaturæ, hoc est, à mundo condito, omnia siquidem certa quadam lege percurrunt, *Ab initio autem creaturæ*, dixit Græcè ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, quasi dicat, ab initio creationis, ex quo nimirùm omnia condita sunt.

[a] Eccl. 1. 9.
[b] lib. 3. Peri archon.
[c] l. de resur.
[d] ep. ad Auit.

5. *Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.*]

I. Confutatio est superioris erroris, nam qui ita, inquit, sentiunt, & loquuntur, non animaduertunt magnam olim fuisse in rerum natura mutationem. *Latet*, inquit, *eos hoc volentes*, hoc est, vt ait Occumenius, *spontè ignorant, spontè enim conniuent, & ad veritatem percipiendam cæcutiunt.* cùm alioqui ex sacris literis facilè cognoscere possent, qua ratione olim condita sunt elementa, & spirabilis aër, & terra ex aqua emerserit, & diuina vi, imperióque constiterit; Græcè est συνεστῶσα, vt referatur ad terram, quamquam non desunt, qui Latinè reddiderint, *consistentes*, vt referat omnia quæ suprà nominauerat. Meminit huius interpretationis Beda, sequitur Occumenius. *Quemadmodum*, ait, *cælo, ac terra ex aqua constitutis diluuium inopinatò superuenit, ita & nunc statutum est, vt per ignem fiat vniuersi corruptio, cum quo simul quæque pereunt.* Augustinus [e] certè ita huoc locum recitat, vt non facilè statuas, vtram interpretationem probarit. Sic enim habet, *Latet enim eos hoc volentes, quia cæli erant olim, & terra de aqua, & per aquam constituta.* Non enim liquet, an vox *constituta*, sit numeri vnitatis, & referat terram, an multitudinis, & omnia enumerata complectatur. Apparet autem Gnosticorum inscitiam fuisse, vt loquuntur Theologi, affectatam, seu crassam, & supinam. vt in eos rectè conueniant, quæ de quopiam scribit Dauid [f], *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Itémque quod scribit Paulus [g], *Si quis autem ignorat, ignorabitur*, vt interpretatur Augustinus [h].

[e] lib. 20. de ciuit. c. 18.
[f] Ps. 35. 4.
[g] 1. Cor. 14. 38.
[h] Tract. 48. in Ioan.

II. *Quod cœli erant priùs*, hoc est, vel ab initio creationis, vel ante diluuium, vt Beda, & alij explicant. Idque appositè, vt ostendat, non exiguam in diluuio factam esse mutationem; non satis tamen constat, cœlestiáne corpora propriè intelligat Petrus, an aërem, quem cœli nomine Scriptura frequenter appellat. Priorem sententiam probat Occumenius, *Quid est*, inquit, *illud, quod ipsos latet? cœlos videlicet ante diluuium antiquitùs, sicut in mundi procreatione apud Moysem est, ex aqua exstitisse; in quo enim ille, iussisse Deum in medio aquæ firmamentum fieri, hoc est firmiorem aquarum subsistentiam existere.* At Beda, & alij posteriorem sequuntur, aërem quippe significari autumant, qui ex aqois, hoc est, nobibus, & aqueis vaporibus cõstat.

III. Iam qui Occumenio subscribunt, Petrum aiunt ad initium creationis respexisse, de quo Moses [a] ait, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Nam quòd Augustinus alicubi [b] cœli nomine Angelos intelligit, mysticum videtur. Quòd verò alio [c] loco cœli, terræque nominibus materiam primam indicari autumat, minùs videtur probabile, cùm Philosophis, ac Theologis perabsurdum videatur materiam primam omni penitus forma vacuam per se existere, & cohærere. Qui cœlum empyreum intelligunt, rem verisimam dicunt, modò reliquos orbes non excludant. Basilius [d] enim, *Cœlum*, inquit, *quod in principio factum est, similiter vt terram esse ab initio factum incompositum, postea verò esse decoratum luce, & Sole, Luna, omnibúsque astris mirabiliter distinctum, & exornatum.* Neque aliter accipio, quod ad Oceanum scribit Hieronymus [e], *Rudis mundus, necdum Sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus incompositam, & inuisibilem materiam ab ipsorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat, solus spiritus Dei in auriga modum super aquas ferebatur, & nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.*

[a] Gen. 1.
[b] li. 11. de ciuit. c. 9.
[c] lib. 1. de Gen. cont. Manich. c.
[d] hom. 2. in Exam.
[e] epist. 83.

IV. Videtur itaque Moses significare fuisse ab initio ante omnia conditum cœleste corpus omnes prorsus orbes complectens, absque luce tamen, Sole, astris, distinctione, ac motu, quęomnia deinceps subsequuta sunt. Qui igitur arbitrantur Petrum de cœlestibus orbibus loqui, primam illam cœli, terræque creationẽ indicari autumant, quia cœlestes illi globi primùm quidẽ rudes & inchoati, mox perfecti, omnibúsque numeris absoluti inter omnia creata principem locũ obtinuerunt. Sed quoniam non satis constat, quomodo cœlestia illa corpora ex aqua, & per aquam consistant, Græcum participium συνεστῶσα referendum est tantummodo ad terram, de qua mox. Cæterùm hæc sententia ex iis, quæ deinceps sequuntur, & quæ à philosophis, ac Theologis disputantur in scholis, multis, ac magnis difficultatibus implicatur.

V. Quocirca Bedæ sententia plures, ac nobiliores habet sectatores, vt cœlorum nomine aërem significari intelligamus, *Iste*, inquit Beda, *humidus aër, & turbulentus, de quo dicitur* [f] *Miluus in cœlo cognouit tempus suum.* Quòd verò nonnulli dicunt, cœlorum, numero multitudinis, nomine nunquam aërem indicari, facilè refelli potest. quòd enim legimus in libro Iudicum [g], *Cœlisq; ac nubes distillauerunt aquis.* procul dubio de aëre accipiendum est. Eodémque modo loquitur Scriptura in libris [h] Regum. *Ecce*, inquit, *cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.* Ait itaque Petrus, siue ab initio mundi, siue ante diluuium fuisse aërem, & terram, vt in his duobus potissimùm elementis, quæ ad hominum vitam tuendam sunt præcipuè necessaria, magnam factam esse mutationem, & longè maiorem aliquando futuram indicet.

[f] Hier. 8. 7.
[g] Iud. 5. 4.
[h] 3. li. 3. c. 18. 45.

VI. *Et terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo.* An quia terra ex aqua, veluti ex materia procreata sit? nullo modo. Cùm enim Moses dixit: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, globum terræ significauit, vt Basilius [i], Chrysostomus [i], Theodoretus [i], Ambrosius [i], Beda [i], Tertullianus [k], & alij explicuerunt. Erat tamen terra abysso, & aqua permixta, quod videtur etiam respexisse Dauid [l], cùm dixit: *Initio tu Domine terram fundasti, opera manuum tuarum sunt cœli.* Sed quoniam, vt idem Moses ait, tertia die dixit Deus, *congregentur aquæ in locum suum, & appareat arida*, extitisse dicitur terra de aqua, Græcè ἐξ ὕδατος, hoc est, ex aqua, quia ex ea, quodammodo emersit. Non videtur autem tum primùm condita, vt voluisse videtur Augustinus [m], quem

[i] Gen. 1.
[k] cont. Hermog.
[l] Ps. 101. 26.
[m] lib. 1 de Gen. ad lit. c. 13. lib. 1. de Gen. cont. Manic. c. 12. lib. de Gen. imperf. c. 10.

quem alij sequuntur. Siquidem terra primo die aquæ A admixta, rudis tamen, & imperfecta in lucem prodit, & tertio demum die suam veluti perfectionem assecuta est. Dicitur autem per aquam consistere, quia humore aqueo veluti glutine compacta per se cohæret, planéque consistit, nisi quis malit id referre ad fontes, & flumina, quibus quasi venis irrigatur, ne redigatur in puluerem.

VII. Non me tamen præterit, quid hac de re senserit Philo [a], qui ait, iussisse Deum, *vt quicquid tunc aqua salsum erat, ac terra fertilitati noxium futurum erat, in vnum locum conflueret dulci humore in terra relicto, tum vt eo terra conglutinaretur, tum vt fertilitatis terra, atque animantium vsui esset.* Sed non facilè mihi patiar persuaderi aquam, quæ tum quidem vnius erat rationis, ac formæ, habuisse partes, alias quidem salsas, alias verò dulces. Quod autem ait Basilius [b], *Non solum exundantes aquas de terra superficie tum defluxisse, sed quicquid etiam aquarum per omnem terræ profunditatem immixtum erat, excessisse inexorabilibus Dei præceptis obtemperando;* sic accipio, perinde quasi significet, aquas in vnum locum ita fuisse coactas, vt eodem omnes prorsus aquæ etiam terræ visceribus immixtæ, quantum in ipsis est, naturæ quodam impetu ferrentur. Quod planiùs explicans Ambrosius ait, *Ex illo ergo tempore currit aqua, fontes labuntur in flumina, lacus deriuantur in maria, ipsa se aqua præcedit, vrget, & sequitur, vnus est ductus, vnum corpus.* Cùm autem antea aqua terram operiret, dicitur à Propheta [c] fuisse veluti terræ amictus, *Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ.* Mox verò diuinum indicans præceptum, subdit, *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt, ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis, terminum posuisti, quem non transgredientur, nec conuertentur operire terram.*

a li. de mūd. opif.

b hom. 4. in exam.

c Ps. 103. 6.

VIII. Verùm qui participium συνεστῶσα numero multitudinis ad cœlestes etiam orbes referunt, quasi dicantur ex aqua, & per aquam consistere, vt olim apertè nonnulli codices habebant, *Cœli erant olim de aqua, & per aquam constituti*, quique cœlestia corpora eo nomine indicari non dubitant, in varias abiêre sententias, sunt enim, qui aquæ nomine totam illam molem significari arbitrētur, quam Moses terram vocat, cùm ait, *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Nam cùm illicò subiiciat, *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*, materiam, quam vocant primam describi putant, quia aqua, quæ facilè alienam formam admittit, materiæ primæ optimè respōdet, cui omnis forma leui aliqua mutatione inditur, quæ videtur sententia Augustini [d], qui persimili ratione materiam primam terræ, atque abyssi nominibus commodè describi censet, quòd quemadmodum terra omnibus subsit, ita omnibus formis materia prima subiaceat, abyssus verò profunditas quædam sit impenetrabilis, & materia non facilè cōprendi queat, cùm auctore Platone [e], nonnisi spuria, atque adulterina notione cognoscatur. Sed cùm hanc sententiam probasset Hermogenes sequutus Platonem, quem Iustinus [f] malè ait explicuisse de materia prima, quæ legerat apud Mosem; eam confutat Tertullianus [g], ab ea tamen non multùm discrepat Hieronymus [h], dum inuisibilem materiam, & abyssorū magnitudinē nominat, sed vt paulò antè dixi, citra miraculum non potuit materia prima per se subsistere.

d lib. 1. de Genes. cont. Manich. c. 7.

e in Timeo.

f in Apol. ad Antonin.

g lib. cont. Hermog. c. 34.

h ep. 83. ad Ocean.

IX. Oecumenius existimare videtur cœlestia corpora ex aquis constare, & ex eadem aqua terram extitisse, *Sicut*, inquit, *ex aquis cœlo, & terra constante diluuium mundo inopinato superuenit, ita etiam nunc repositū esse, vt per ignem vniuersi pernicies efficiatur*, quo cū impij quoque perituri sint. Idque planiùs explicans, subdit, *Cum enim duo sint elementa, quæ vniuersi hanc machinam maximè continent, & cohærentem conseruant, aqua, & ignis, ex quibus rebus quæ duo etiam extiterunt. Nam aer ex aquarum exhalatione, terra ex earumdem concretione constat.* Sed non facilè hoc admiserint Peripatetici, qui cœlestia illa corpora alterius cuiusdam naturæ, & ab elementis longè diuersæ esse contendunt. Si qui verò sunt, qui eandem illis cum cæteris corporibus materiam adscribant, non tamen aquæ naturam, & proprietates illi tribuunt.

X. Sunt denique qui aquæ nomine significari putent, totam illam molem, quæ rudis, atque informis in principio dicitur condita, quæ etiam terra nuncupatur; vbi enim dixisset Moyses, *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, subdit. *Terra autem erat inanis, & va-* B *cua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Innuens videlicet quam vocauerat terram, eandem aquam, & abyssum appellari, perinde quasi significet, tum cœlum, quod nominauerat, tum etiam terram ex aqua extitisse, quod apertè asserit Oecumenius, *Terra enim*, inquit, *ex aqua quidem tanquam ex materiali principio, per aquam verò, tanquam per principium perfectiuum Aqua enim continet terram veluti gluten quoddam, quod ipsi adest, quod nisi ipsi contingeret, necesse esset illam dissolui, & ferri in aerem.* Sed vt verum fatear, non facilè adduci possum, vt à recepta Peripateticorū sententia recedam, qui longè aliā cœli materiam esse contendunt, sed iis omissis, quę in scholis, ac diatribis Philosophorum accuratiùs agitantur, eorum mihi sententia perplacet, qui Petrum C aiunt in præsentia de aëre, & terra loqui, quæ duo elementa ex aqua, & per aquam constare affirmat ob eam, quam suprà explicui rationem, videtúrque hæc explanatio mirificè congruere cum iis, quæ mox subiicit de diluuio, déque extremo mundi occasu.

XI. Addit ad extremum, *Dei verbo*, Græcè τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ, imperio videlicèt diuino, quod non semel expressit in sua narratione Moses, itémque Dauid his verbis, *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Quòd si quis de diuina persona Verbo accipi malit, non magnopere abnuerim, scripsit enim Ioannes [a], *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factū est.* Quo loco particula *per*, non instrumentū, aut ministeriū, aut denique interiectam causam, vt contendebāt Ariani, significat. Satis enim constat, ex vsu Scripturæ D sanctæ, eā nonnunquā primarię causę tribui, vt multis ostendunt Basilius [b], Ambrosius [c], Augustinus [d]. Sic Paulus [e], *Vocatus*, inquit, *Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* Dicitur autē Pater creare per Filiū, seu per Verbū, vt intelligamus non tantùm Patrem, sed etiam Filiū creare, accepta à Patre potestate; qua ratione etiam Græci Patres dicere consueuerūt, Patrem producere Spiritū sanctū per Filiū, quòd eadem sit in vtroque spirandi vis, & potestas sed in Patre quidem à se, in Filio verò à Patre. Accedit, quòd Filio, ac Verbo diuino peculiari quadā ratione, vt in scholis tradunt Theologi, tribuitur ars, ac sapientia Patris, dicitúrque Pater per Verbum tanquam per artem, ac sapientiam creare. Hæc igitur omnia quæ condita sunt à Deo, diuina sapientia Patris consistunt.

a cap. 1. 3.

b li. de Spir. sanct. c. 2. & deinceps.

c li. 4. de fid. c. 6.

d lib. 1. de Trin. c. 6.

e 1. ad Cor. 1. 1.

E 6. *Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.*]

I. Hæc nostram superiorem sententiam maximè confirmant, cùm enim Scriptura [f] ait, *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt*, duas diluuij causas indicat, alteram quidem eruptionem, & exundationem abyssi, infernè enim ingens aquarum copia erupit, alteram verò pluuiam ex nubibus affluenter decidentem, nubes quippe per catachresim cœli, hoc est, aëris cataractas vocat. Nec enim audiendi sunt ij, qui [g] cataractas stellarum

f Gen. 7. 11.

g Petrus de Aliaco.

quaſdam conſtitutiones interpretantur, quæ naturali vi prædita ſint pluuiam, ac diluuium ciendi. Ridicula verò eorum [a] cenſenda eſt ſententia, qui cataractas putant eſſe foramina quædam in firmamento, è quibus aquæ illæ, quæ firmamento inſidere dicũtur, magno impetu defluxerint, ſed nõ vident homines acuti, non ſatis eſſe ea foramina firmamenti, niſi etiam omnes planetarum orbes findantur, quod quàm ſit ineptum ſuſpicari, nemo non videt. Rectè igitur ait Petrus *per quæ*, hoc eſt, per aërem, terram, & aquã periſſe mundũ, vt enim modò dixi, aqua infernè erumpens, & supernè defluens, terrarum orbem abſumpſit, & vt ait Petrus, *ille tunc mundus aqua inundatus periit*; periiſſe autem mundum ait, hoc eſt, bonam eius partem, nam alioqui cœleſtes orbes nihil læſi ſunt, quin etiam hæc mundi inferior pars hactenus periiſſe dicitur, quòd fuerit in deterius commutata, quódque homines, & animantia penitùs interierint.

a Eugubin. & Oleaſter.

II. Atque hæc eſt aperta ſententia Auguſtini [b], ſic enim ait, *Hos etiam aëreos cœlos quondam periiſſe diluuio, in quadam earum quæ canonica appellãtur, Epiſtola legimus. Neque enim humida illa natura, quæ ita concreuerat, vt cubitis quindecim altiſſimorum montium tranſcẽderet vertices, potuit ad ſydera peruenire, ſed, quia huius aëris humidioris in quo aues volitant, vel tota, vel propè tota ſpatia compleuerat, periiſſe, qui fuerant, cœlos in illa Epiſtola ſcribitur. Quod neſcio, quemadmodum poſſit intelligi, niſi in aquarum naturam pinguioris huius aëris qualitate conuerſa, alioqui non perierunt tunc iſti cœli, ſed ſublimiùs erecti ſunt, cùm locum eorum aqua occuparet. Itaque faciliùs eos ſecundùm illius Epiſtolæ auctoritatem, credimus periiſſe, & alios, ſicut ibi ſcribitur, repoſitos, extenuatis videlicet exhalationibus, quàm ſic erectos, vt eis ſuperioris cœli natura loco cederet.* Quod diligenter obſeruandum videtur, quoniam mox Petrus indicat, eos cœlos igne ſupremo conflagraturos, qui ab eluuione aquarum igni comburendi reſeruantur, & vt infrà ſuo loco dicemus, non vlteriùs pertinget ignis, quàm quò aquæ diluuij peruenerunt.

b lib. 3. de Gen. ad lite. c. 2.

III. Ambigi autem ſolet, cunctíne mortales, qui aquis diluuij extincti ſunt, ſempiternis etiam ſuppliciis addicti ſint. Verùm ea de re nonnulla diximus ad illum Petri [c] locum, *Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Neque verò veriſimile eſt, omnes penitùs adeò fuiſſe propriæ ſalutis immemores, vt nemo prorſus reſipiſceret, nemo extra Noë familiam iuſtitiam coleret, vt interim omittam plurimos infantes originali labe purgatos ſalutem conſequi potuiſſe ſempiternam. Periiſſe igitur dicuntur, quia vita functi ſunt, quorũ tamen maxima pars ſempiternos cruciatus ſubierit. Porrò Ioſephus auctor [d] eſt Adamum rerum interitum, & quidem geminum prædixiſſe, quam ob cauſam eius poſteri, *ne antè inuenta ſua ex hominum notitia dilaberẽtur, & priùs perirent, quàm pernoſcerentur, ſcientes Adamum vniuerſalem rerum interitum præcinuiſſe, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis, vna lateritia, altera lapidea, vtrique ſua inuenta inſcripſerunt, vt ſi lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ inſcriptis continebat, ſpectanda exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab ipſis dedicatam, quæ noſtris temporibus extat in terra Syria.*

c 1. ep. 3. c. 3. 10

d li. 1. antiq. c. 3. aliàs 4.

7. Cœli autem, qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti ſunt igni, reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.]

I. Quoniam dixerat, periiſſe mundum, hoc eſt, citimas eius partes, meritò ait, *cœli, qui nunc ſunt*, hoc eſt, hic aër, ita immutatus, & ab eo, qui ante diluuium fuerat, nonnihil diuerſus. Ex ſuperiori autem mundi mutatione colligit hanc alteram, quam tamen Gnoſtici pernegabant, vt videatur Apoſtolus ad Adami vaticinium reſpicere, quod modò ex Ioſepho cõmemoraui. Quemadmodum, inquit, olim aquarum eluuione mundus interiit, ita futurum eſt aliquando, vt ignis incendio omnia abſumantur. Nominat autem cœlum, & terram, quæ potiſſimùm huic incendio diuinitùs deſtinata ſunt, & idcirco dicũtur eodẽ verbo *repoſiti, & igni reſeruati.* Sic enim cecinit Dauid [a], *Ignis ante ipſum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius.* Et Iſaias [b], *Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorẽ ſuũ, & increpationem ſuã in flamma ignis, quia in igne Dominus iudicabit.* Et Ioël [c], *Ante faciem eius ignis vorans, & poſt eũ exurens flamma.* Quocirca Daniel [d] Iudicis thronũ his verbis deſcribit, *Thronus eius flãma ignis, rota eius ignis accẽſus, fluuius igneus, rapidusq́; egrediebatur à facie eius.* Denique Paulus [e], *dies enim*, inquit, *Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Quę omnia quamuis à nõnullis [f] metaphoricè explicentur, verum tamen, ac proprium ignem indicare conſtans eſt omnium Theologorum [g] ſententia, cui maximè ſuffragatur hic Petri locus, vbi aquis diluuij ex aduerſo obiicitur verus ignis; & paulò poſt addit, *Elementa calore ſoluentur terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur.* Et rurſus, *Elementa ignis ardore tabeſcent.*

II. Sed cùm de vero igne ambigat nemo, non planè liquet, quorſum ignis Chriſti ſecundum aduentũ pręcurrat, video enim exiſtimaſſe nonnullos [h], ignẽ illũ eò potiſſimùm referri, vt eos, qui tũc ſuperſtites erũt, illicò interficiat, & iuſtorũ ſordes, ſi quæ ſupererint, ſuo incendio abſumat. De qua ſententia tãtùm habeo dicere, non videri neceſſariam, vt rectè alij [i] obſeruarunt. Nec enim neceſſarius eſt ignis, vt mortem afferat viuentibus, neque vt iuſtorum maculas expiet, vt meridiana luce clariùs conſtat. Nam qui [k] ignem referunt ad mundi immutationem, & vt ipſi loquuntur, purgationem, rem vtcunque veram dicunt, ſed non ſuo loco, hæc enim mundi innouatio Chriſti aduentum non præcurret, ſed ſubſequetur, vt indicant Auguſtinus [l], Proſper [m], Anſelmus [n], & alij [o]. Nec me fugit non paucos olim igne illo cunctos mortales reuocatos ad ſuperos, expiandos eſſe, docuiſſe. Origenes [p] enim explicans illa verba; *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Ego*, inquit, *puto, quòd & poſt reſurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante, nemo enim abſque ſordibus reſurgere poterit.* Et alibi [q], *Vt ego arbitror, omnes nos venire neceſſe eſt ad illum ignem, etiamſi Paulus ſit aliquis, vel Petrus, veniet tamen ad illum ignem, ſed illi tales audiunt etiamſi per ignem tranſeas, flãma non aduret te, ſi verò aliquis ſimilis mei peccator ſit, veniet quidem ad ignem illum ſicut Petrus, & Paulus, ſed non ſic tranſiet ſicut Petrus, & Paulus.* Fateor quidem hæc facilè accipi poſſe de igne purgatorio, ſed alibi [r] tamen ita loquitur, *Si quis in ſecunda reſurrectione ſeruatur, iſte peccator eſt, qui ignis indiget baptiſmo, qui combuſtione purgatur, vt quicquid habuerit lignorum, fœni, & ſtipulæ, ignis conſumat.*

III. Neque aliter ſenſiſſe videtur Lactantius [f], *Sed & iuſtos, ait, cùm iudicauerit Deus, etiam igne eos examinabit. Tum quorum peccata vel numero, vel pondere præualuerint, perſtringẽtur igne, atque comburentur, quos autẽ plena iuſtitia, & maturitas virtutum incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim aliquid in ſe Dei, quod vim flammæ repellat, ac reiiciat. Tanta vis eſt innocentiæ, vt ab ea ignis ille recedat innoxius, qui accipiet à Deo hanc poteſtatem, vt impios vrat, iuſtis obtemperet.* Addo his Cæſarium [t] Arelatenſem, qui nonnulla peccata iuſtorum poſt reſurrectionem igne ait eſſe expianda. Fauent Ambroſius [u], Hilarius [x], Hieronymus [y]. Verùm hæc ſententia nulla videtur ratione ferenda, nonnihil enim

a Pſ. 96. 3.
b cap. 66. 15.
c cap. 2. 3.
d cap. 7. 9.
e 1 Cor. 3. 13
f Chry. Mat. 24. Euthym. ibid. Aug. li. 1. q. ſ. ... c. 3 & lib. 10. de ciu. c. 21. Cypria. de bon. pat. in fin. Theod. Eſa. 66. Hieron. Eſa. 66. Sedul. 1. Cor. 3. Ambroſ. ſer. 20. in Pſ. 118. Origen. li. 1. cõt. Celſum.
g in 4. d. 47 & 48.
h indicat Aug. lib. 50. homil. ho. 16. aſſerunt Bona. q. vlt. Antoni. 4. p. tit. 14. c. 11. §. 3.
i Richar. in 4. d. 47.
k Beda li. de rat. tẽp. c. 69. Magiſt. in 4. d. 47. D. Th. ibi, q. 2. ar. 3. Duran. q. 3. Paluda. q. 1. Richa. ar. 2. q. 4. & 5. Sot. d. 48. q. 4. ar. 1. & 2. & 3. ſ.
l li. 20. de ciuit. c. 16. 18.
m in dimid. temp. c. 9. & 10.
n in Elucid.
o Bonau. in 4. d. 47. ar. 2. q. 5.
p ho. 54. in Luc.
q hom. 3. in Pſ. 36.
r ſimil. li. 8. in ep. ad Ro. ſub fin.
ſ hom. 13. in Hierem.
f lib. 7. c. 21.
t ho. ad illa ver. 1. ad Cor. 3. ſaluus erit ſic quaſi per ignem.
u in Pſ. 36. & ſer. 5. & 20. in Pſ. 118.
x Pſal. 118. octon. 3.
y lib. 3. in Amos, c. 7. & in Pſ. 96. & 103.

enim aut famis, aut poenæ, quod cum recta fide pugnat; nam Beatissima Virgo, & innumerabiles infantes baptismo expiati, qui nullo sese piaculo contaminarunt, nulla egent expiatione: Addo Martyres proprio sanguine omnes penitùs maculas eluere, & qui ædificant aurum, argentum, & lapides pretiosus, nihil habent, quod expiatione indigeat vt Hieronymus [a], & Augustinus [b] obseruant, & Concilium [c] Florentinum definit. Addo quòd plurimi iam beati resurrecturi sunt, atque adeò omnis penitus labis expertes, vt nihil penitus habeant expiandum. Itaque duo tantùm erunt resurgentium ordines iustorum, qui omni ex parte integri erunt, ac puri, & reproborum, qui numquam expiandi sunt, sed sempiternis supplicijs cruciandi.

a lib. 2. con. Iouin.
b August. in Psal. 37.
c Sess. vltim.

IV. Videtur itaque Apostolus veram afferre causam B cur ignis Christi aduentum præuertat; *repositi sunt*, inquit, *igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Indicat enim eo igne impios perterrefaciendos, & iam tum suorum scelerum pœnas daturos, vt enim iusti suorum corporum gloria iam tum perfruentur, ita impij suis corporibus sempiterna supplicia prægustabunt; quod significasse videtur David [d]. *Deus manifestè veniet. Deus noster & non silebit, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Planiùs [e]. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quò videtur respexisse Paulus [f], cùm dixit. *In reuelatione Domini Iesu de cœlo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt eum.*

d Psal. 49. 3.
e Psal. 96. 3.
f 2. ad Thess. 1. 8.

V. Possis etiam dicere, referri hunc ignẽ ad illustrandam iustorum sanctitatem eo plane modo, quo in C fornace Babylonica trium puerorum innocentia idcirco enituit, quia læsi non sunt. Quomodo etiam dixit David [g]. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Nam quia illi nihil ab igne lædētur, suam innocentiam testatam relinquent, & suam quodammodo impijs improbitatem exprobrabunt: descẽdet enim ignis ille post generalem omnium anastasim, vt reprobos iam tum inuoluat, & cruciet, & tam diu perseueret, quoad iudicium absoluatur, vt eo absoluto maiorem in modum augeatur, & mundum vniuersum absumat. Videtur autem futurus ignis eiusdem naturæ cum igne inferni, quacumque tandem ratione procreandus sit. Quamuis autem neget Augustinus [h] eius procreationis modum ab vllo mortalium cognosci posse; illud tamen affirmari potest, diuina vi, ac potestate procreandum, dixi autem alibi [i], D quanam ratione facilè produci queat, vel deiectu ignis elementaris, vel ex incendio radiorum Solis in hac media aëris plaga excitato, coëuntibus calidissimis, ad densissimis radijs, vt in chalybeo, & concauo speculo fieri solet, vel alia quapiam ratione Deo nota, vt olim quinque Vrbes incendio cœlitus misso conflagrarunt.

g Psal. 16. 3.
h [illegible] de [illegible]
i 1. Cor. c. 3. ver. 15. n. 6.

VI. Hic igitur ignis Dei verbo, hoc est, imperio, seu decreto destinatus est ad incendium mundi, & extremam impiorum perditionem, quod in secundo Christi aduentu potissimùm fiet. Dicuntur autem impij perire (hoc enim significat Græca vox ἀπώλεια, hoc est, *perditio*) non quia animæ, quæ immortales sunt, E desinant esse, sed quòd in omnem æternitatem animo, & corpore cruciandi sint, atque adeò, vt ita dicam, mortem vitalem obituri, & viui videntésque ita cruciandi, vt continenter mortem apperant, nec suis cruciatibus vllam possint leuationem adhibere. Itaque Petrus extremum mundi diem iudicij, & perditionis impiorũ hominum diem appellat; Diem porrò ponit Apostolus pro tẽpore; neque enim constat, quamdiu iudicium duraturum sit, *nam per quot dies*, ait Augustinus [k], *hoc iudicium tendatur incertum est, sed*

k lib. 20. de Ciuit. c. 1.

A *Scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tẽpore, nemo, qui illas literas quamlibet negligenter legerit, nescit.* Cæterùm præter illud Adæ vaticinium, quod paulò antè commemoraui, constans fuit etiam apud Gentiles multorum sententia, mundum incendiu interiturum. Et quod attinet quidem ad mundi occasum, quid sentiendum sit non ita multò pòst videro.

VII. De ignis porrò conflagratione, sic olim cecinit Sibylla [a]:

a lib. 2. orac.

Tunc ardens fluuius cœlo manabit ab alto
Ignem, atque locos consumet funditus omnes,
Terrámque, oceanúmque ingentem, & cærula ponti
Stagna, lacus, fluuios, fontes, ditémque seuerum
Cœlestémque polum, cœli quoque lumina in vnum
Fluxa fluent, forma deleta prorsus eorum
B *Astra cadent etenim de cœlo cuncta reuulsa.*

Et in eandem sententiam Ouidius [b] hæc scribit:

b lib. 1. Met.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, quo correptáque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Et Seneca [c]. *Si tibi*, inquit, *potest solatio esse commune fatũ, nihil, quo stat loco, stabit, omnia sternet, abducetq; secum vetustas, supprimet montes, sorbebit maria, flumina auertet, & commercio gentium rupto societatẽ generis, cœtumq; dissoluet. Alibi hiatibus vastis subducet mõtes, vrbes tremoribus quatiet, & ex infimo pestilentia halitus mittet, necabitq; omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrebit, incendetq; mortalia, & cum tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis cedent, & sydera syderibus incurrẽt, & omni flagrante materia vno igni quidquid* C *nũc ex disposito lucet, ardebit.* Eamdẽ verò fuisse Stoicorum sententiã testis est Eusebius [d]. *Placet*, inquit, *huius secta antiquissimis in aerem omnia conuerti per maximos quosdam circuitus, & in ignem postea æthereum resolui omnia.* Aliquantò autẽ pòst. *Placet enim Stoicis philosophis in ignem vniuersam essentiam tamquam in semen suũ commutari, ex quo rursus vniuersi constitutio, qualis antea fuerat, absoluatur. Hoc sanè dogma secta huius vetustissimi astruxerũt, Zenon videlicet, & Cleãtes, nec non Chrysippus, nam huius discipulum, & scholæ successorem Zenonẽ prohibuisse hanc de vniuersi exustione doctrinam perhibent.*

c lib. de cõs. ad Marciam in fine.
d lib. 15. de præp. Euang. c. 17.

VIII. Iam verò Oecumenius eadem de re hunc in modum scribit, *Cum enim duo sint elemẽta quæ vniuersi hãc machinam maximè continent, & cohærentem conseruant, aqua, & ignis, ex quibus reliqua duo etiam existunt, nam* D *aer ex aquarum exhalatione, terra ex earumdem concretione constat, quæ vtraque, id est, exhalationem, & concretionem ex aqua exprimit ignis vis, quæ à creante Deo naturaliter ipsi insita est. Cùm igitur duo hæc præcipua sint elementa, & per aquam primi impiorum scelera fuerint deleta, necesse, inquit, est, vt rursus impiorum perditio per ignem fiat. Ac de hoc quidem mundi interitu non Christiani solum, verùm etiam Græcorum Sapiẽtes, vt Heraclitus Ephesius, & Empedocles Æthnæus tradunt.* Verùm nos multò aliter hanc mundi conflagrationem accipimus, quàm olim veteres Stoici. *Ita namque*, ait Iustinus [e] Martyr, *& nos exustionem futuram esse dicimus, sed non sicut Stoici tradunt iuxta naturæ rerum inter se omnium mutationis rationem, quod turpissimum esse apparet.*

e adhor. ad Gen.

IX. Hoc igitur est, quod ait Petrus, ignem reseruari E ad impiorum vltionem, quasi dicat, tantùm igitur abest, vt quod Gnostici contendunt, nulla sit metuenda mutatio in hac rerum vniuersitate, vt certissimè potiùs formidandum sit ignis incendium, quo hæc omnia inferiora in fauillas, & cinerem redigenda sint. Nam vt olim aquarum eluuione hominum scelera vltus est Deus, ita cùm grauiora, atque atrociora sint hominum flagitia, quæ post primum Christi aduentum perpetrantur, acerbiore supplicio, hoc est, igne plectenda, & quodammodo excoquenda sunt. Ponit autem Petrus id tamquam certum nulla

adhibita probatione, cùm ij, ad quos scribebat, id ignorare non possent, quod ab omnibus fermè prophetis sæpius iteratur.

8. *Vnum verò hoc non lateat vos carissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.*]

I. Diuturnam moram obiiciebant Gnostici, vt non ita pridem ostensum est, iam docet Petrus humano iudicio videri quidẽ vtcumque lõgum tempus, quod à primo Christi aduentu ad secundum vsque, vel potiùs à mundo condito ad extremi iudicij diem intercedit, sed illud quantum quantum est, si referatur ad Deum, eiusque diuinum intuitum, quo in sua æternitate omnia contemplatur, re vera esse perexiguũ. Sic B

a Psal. 89. 17. dixit olim Vates [a] (quò spectasse videtur Petrus) *mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit.* Deo siquidem nihil præterit, nihil aduenit, sed omnia sunt præsentia, cùm ipsius æternitas nullam habeat successionem. Hinc autem quoniam mil-

b ep. ad Cyprian. le anni pro vna die censentur, colligit Hieronymus [b], quia sex diebus conditus est mundus, sex annorum millibus duraturum. *Ego*, inquit, *arbitror ex hoc loco* (Psalmum Dauidis intelligit) *& ex epistola, quæ nomine Petri inscribitur, mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantùm annorum credatur subsistere, & postea venire septenarium numerum, & octonarium, in quo verus exercetur Sabbatismus, & circuncisionis puritas redditur, vnde & octo beatitudinibus bonorum operum præmia pro-* C

c Miche. 4. *mittuntur.* Alibi [c] verò eamdem sententiam indicans: *In consummatione, ait, sæculorum Saluator noster apparuit, & in vndecima hora ad conducendos operarios venit,*

d ep. 1. c. 2. *& completa illius passione Ioannes* [d] *dicit. Filij nouissima hora est. Nam si in sex millibus annorum quingenti anni per horas diei singulas diuidantur, nouissima hora consequenter est tempus fidei geminum.*

II. Et profectò vetustissima videtur hæc, multorúmque suffragio firmata sententia. Iustinus enim Martyr ita alicubi scribit. *Ex plerisq; Scripturæ verbis intelligere licet, verum pronunciare eos, qui sex annorum millia esse tempus nunc ab orbe condito tradunt. Aliquando enim dicit Paulus; in extremis his temporibus per Filium nobiscum locutus est; aliàs verò: In quos fines sæculorum deuenerunt. Interdum quoque; cùm venerit expletio temporum. hæc autem omnia in sexies millesimo anno dicta sunt.* D

III. Quin etiam Irenæus [e]. *Quot diebus, ait, hic factus est*

e lib. 5. c. vlt. *mundus, & millenis annis consummatur, & propter hoc ait Scriptura Geneseos. Et consummata sunt cælum, & terra, & omnis ornatus eorum, & consummauit Deus in die sexto omnia opera sua, quæ fecit, & requieuit in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Hoc autem est antefactorum narratio, quemadmodum facta sunt, & futurorum prophetia, est enim dies Domini quasi mille anni. In sex autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt, manifestum est ergo, quoniam consummatio istorum sextus millesimus annus est.*

IV. Sequitur eamdem sententiam Lactantius [f], cuius

f lib. 7. c. 7. hæc sunt verba. *Sciant igitur philosophi, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum, quo numero expleto consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. cuius rei argumentum est, quòd mundum Deus, & hoc naturæ admirabile opus, sicut arcanis sacræ Scripturæ continetur, sex dierum spatio consummauit, diemque septimum, quo ab operibus requieuit, sanxit. Hic est autem dies sabbati, qui in lingua Hebræorum à numero nomen accepit.* Cúmque de septenario numero nonnulla dixisset, subdit. *Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per sæcula sex,*

A *id est, sex millia annorum manere in hoc statu necesse est, dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta dicens. Ante oculos tuos Domine mille anni tamquam dies vnus. Et sicut Deus in tantis rebus faciendis, ita & religio eius, & veritas in his sex millibus annorum laboret necesse est, malitia præualente, ac dominante; & rursum, quoniam perfectis operibus requieuit Deus die septimo, eúmque benedixit, necesse est, vt in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur è terra, & regnet per annos mille iustitia, sitque tranquillitas, & requies à laboribus, quos mundus iam diu perfert.*

Eiusdem sententiæ videtur fuisse Hilarius [a], expli- V.

cans enim verba illa, *Et post dies sex transfiguratus est;* a Can. 17. in Matt.

Cum post dies sex, ait, gloria dominica habitus ostenditur, sex millium scilicet annorum temporibus euolutis, regni cælestis honor præfiguratur. Nec ab eâ videtur abhorruisse Augustinus [b]. *Mille autem anni, ait, duobus* b lib. 20. de Ciuit. c. 7.

modis possunt, quantùm mihi occurrit, intelligi, aut quia in vltimis annis mille ista res agitur, id est, sexto annorum milliario, tamquam sexto die, cuius nunc spatia posteriora voluuntur, secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, requie scilicet sanctorum, quæ non habet finem, & huius milliarij tamquam diei nouissimam partem, quæ remanebit vsque ad terminum sæculi mille annos appellauerit, eo loquendi modo, quo pars significatur à toto, aut certè mille annos pro annis omnibus huius sæculi posuit, vt perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.

Verùm Germanus [c] Constantinopol. Episcopus VI.

ad hunc numerum auctoritate Græcorum Patrum c in Theor. Eccles. rer.

quingentos annos adiecit; *quòd Pontifex, ait, obsignet populum, id subindicat futurum aduentum Christi anno sexies millesimo quingentesimo fore ex supputatione digitorum significante sexies millesimum quingentesimum.* Et eamdem sententiam tribuit Hippolyto, Cyrillo, & Chrysostomo.

Videtur autem hæc sententia ex Hebræorum la- VII.

cunis prodiisse, extare enim fertur apud eos Eliæ [d] d Talmud. ord. 4. tra. 9.

cuiusdam non Thesbitis somnium, ne dicam vaticinium, quo sex annorum millibus perseueraturum mundum asserit, & duo quidem millia inanitati tribui, totidem legi scriptæ, nihilo pauciores Messiæ; sed, vt auctor est Lactantius, videtur ea sententia multò antiquior, quam Hydaspem, Mercurium Trismegistum, ac Sibyllas olim tradidisse testatur.

Cæterùm Ambrosius [e] apertè indicat, se hanc VIII.

D sententiam non probare, explicans enim, quod e lib. 7. in Luc. nõ pro. ab init.

Matthæus, & Marcus dicunt. *Post dies sex, fuisse discipulos à Christo Domino assumptos: de quo,* inquit, *possemus dicere, post sex millia annorum, mille enim anni in conspectu Dei tamquam dies vna, sed plures quàm sex millia computantur annorum.* Augusti-

nus [f] verò huius sententiæ auctores his verbis re- f in Psal. 89.

prehendit. *Attamen, inquit, ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait. Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate, & definierunt hoc sæculum sex annorum millibus, tamquam sex diebus posse finiri; nec attenderunt, quod dictum est; tamquam dies vnus, qui præteriit, non enim quando dictum est, soli mille anni præterierant, & quod eos maximè debuit admo-* E *nere, ne temporum luderentur incerto, quod est sicut vigilia in nocte. Neque enim sicut de sex diebus aliquid verisimile videntur opinari propter sex dies primos, quibus Deus perfecit opera sua; Sic etiam sex vigiliæ, id est, horas decem, & octo possunt illi opinationi coaptare.* Alibi [g] verò. *Frustra igitur, ait, annos qui huic sæcu-* g lib. 18 de Ciuit. c. 53.

lo remanent, computare, ac definire conamur, cùm hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus quos tamen alij quadringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab ascensione Domini vsque ad eius vltimum aduentum compleri posse dixerunt.

Ego

IX. Ego verò de hac sententia tantùm habeo dicere, nullo certo fundamento niti, quamquam non facilè admiserim, quod Ambrosius, & ante illum Cyprianus [a] subindicant, eorum iam ætate sex annorum millia præteriisse, cùm ne nunc quidem anno iam millesimo sexcentesimo vigesimo ex veriori chronologia præterierint, quo fit, vt hoc quidem argumento ea sententia refelli nequaquam possit. Addo tamen sententiam non modò esse incertam, &, vt dixi, nullo stabili fundamento nixam, sed aliqua ex parte cum Christi Domini sententia pugnare, quam egregiè expendit Augustinus [b]. *Non est*, inquit, *vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quomodo etiam argumentatur [c] Cyrillus Hierosolymitanus. *Tempus, ait, nemo curiosè inquirat, non est enim nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua, neque audeas determinare, quando hæc fient, neque rursus supinus iaceas.* Neque aliter sentit Beda [d], qui hanc sententiam friuolam, & hæreticam appellat, friuolam quidem, quòd nullo firmo argumento probetur, hæreticam verò, quòd Chiliastarum errorem foueat. Denique hoc ipsum insinuat Chrysostomus [e], & auctor [f] imperfecti.

a præf. ad exhort. ad Martyr.
b lib. 18. de Ciu. c. 53. in Ps. 6. in Psal. 89. & epist. 79. & 80.
c Catech. 5.
d lib. de ratio. temp. ca. 64. & 66.
e Hom. 9. in 1. ad Thess.
f Hom. 50. in Matth.

X. Quod igitur ait Petrus, mille annos coram Deo esse tamquam diem vnum, calumniæ Gnosticorum obiicitur, qui ex moræ diuturnitate Christi secundum aduentum irridebant, ostendit enim Petrus Dei respectu nullam quamuis diuturnam moram nimis videri longam. Frustra igitur illi dicunt. *Vbi est promissio, aut aduentus eius?* Quamuis enim homines multos numerent annos, omnes tamen Dei iudicio pro vno die censentur. Acutè autem addit Propheta mille annos æquari diei iam præteritæ, vt significet omnia esse Deo præsentia, nihilque ei præterire, aut aduenire, hoc enim postulat æternitatis natura, quæ motum, & successionem ignorat. Quocirca mox subiicit Petrus.

9. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*]

I. Græcè legitur, οὐ βραδύνει ὁ κύριος τῆς ἐπαγγελίας, id est, *non tardat Dominus promissi*, Hebræa phrasi, quasi dicat, Dominus, qui promisit, nihil moratur aut tardat, nihil cunctatur, cunctari enim is dicitur, qui segniter moras trahit, quod in Deum nullo modo cadit, sed quicquid ille semel præfiniuit, eo ipso temporis articulo præstat, quo statuit. Cùm igitur dixit Abacuch [g]. *Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Deum ait moram quidem facere, non tamen tardare, quia præfixo, & præstituto, præfinitóque tempore venturus est. In sacris porrò literis is propriè tardare dicitur, non qui nonnihil moratur, nec citò venit, sed qui quo tempore venturus erat, non venit; Sic nunc nemo verè dixerit tardare Antichristum, qui nonnisi in extrema mundi clausula venturus est, cùm verò in Exodo [h] præcipit Deus in hæc verba. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* statuto tempore absque mora reddendas imperat. Eodémque modo loquitur Tobias [i]. *Scis enim*, ait, *ipse quoniam numerat. Pater meus dies, si tardauero vna die plus* (hoc est vltra præstitutum itineri meo tempus) *contristatur anima eius*. Quamuis igitur secundus Christi aduentus olim promissus diu expectetur, non dicitur tamen tardare, quia præfinito tempore venturus est Dominus, & datam fidem præstabit.

g cap. 2. 3.
h cap. 22. 29.
i cap. 9. 4.

A II. Quocirca rectè ait Apostolus, *non tardat, sicut quidam existimant*, Græcè dixit Apostolus, vt habent codices, qui nunc circumferuntur βραδυτῆτα ἡγοῦνται, hoc est, *quemadmodum nonnulli tarditatem opinantur*; tarditatem autem eodem modo interpretor, cùm videlicet præscriptos quis terminos excedit. Tarditati autem hoc loco Petrus ex aduerso opponit μακροθυμεῖ, quæ est longanimitas, qua Deus peccatores ad pœnitentiam expectat. Sic Salomon [a]. *Dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam.* Et Moses [b]. *Dominator Domine Deus miserator, & clemens, patiens, & multa miserationis.* Denique Ionas [c]. *Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multa miserationis, & ignoscens super malitia.* Quam ob causam dixit Iustinus [d] Martyr, *confusionem, &*
B *interitum totius mundi per quem mali Angeli, & Dæmones, & homines, non ampliùs extent, fieri nondum permittit propter semen Christianorum, quod naturæ rerum causam esse nouit.*

a Sap. 11. 24.
b Exo. 34. 6.
c cap. 4. 2.
d Orat. ad Gen.

III. Quin etiam Paulus [e] ad Romanos ait. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, planè adducit etiam renitentem, mox enim subiicit. *Secundum autem duritiam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ.* Adducit autem actione inchoata, quia vt ad pœnitentiam quis pertrahatur, diuina sua gratia excitat, vocat, illuminat, & inflammat; sed quia quamlibet diuinam vocationem potest quis vi liberi arbitrij repellere, vt Concilium [f] Tridentinum affirmat, irrita, atque inanis, si liberum arbitrium reluctetur, diuina vocatio redditur. Ita in Actis Apo-
C stolicis [g] loquuntur Apostoli. *Vobis oportebat loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Et Stephanus [h]. *Dura*, inquit, *ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut Patres vestri, & vos.* Atque hoc ipsum loco indicato significat Paulus, cùm duritiam cordis, & impœnitens cor thesaurizare ait iram in die iræ.

e cap. 2. 4.
f Sess. 6. c. 5. & can. 3.
g cap. 13. 46.
h Act. 7. 51.

III. Quamobrem verè dixit Prosper [i]. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.* Verùm quoniam liberæ voluntatis consensus necessariò exigitur, continuò subiicit.
D *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione, si proficit.* Tum addit. *Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia, quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.*

i libr. 2. de voc. gen. c. 9.

IV. Rectè igitur dicitur à Petro *patienter agere*, Græcè μακροθυμεῖ, quasi dicat, *longanimus est*. Latinus autem Interpres habet, *propter vos*, vt videatur legisse ὑμῶν, cùm Græci codices nunc habeant ἡμῶν, id est, *nos*, eadem planè sententia. Quod autem Interpres ait, *propter*,
E Græcè scriptum est εἰς, id est, *in vos*, aut *erga vos*. Ita dixit Isaias [k]. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus.* Quo loco Hieronymus. *Grandis*, inquit, *misericordia Dei, vt expectet nostrā pœnitentiā.* Expectare autem dicitur nostram pœnitentiam, quia licèt illa sit ipsius singulare munus, haberi tamē non potest absque nostro consensu. Qua de re ita alicubi disserit Augustinus [l]. *Profectò*, inquit, *& ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea*

k cap. 30. 18
l lib. de spir. & lit. c. 34.

dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est. Quod autem A
ille ait de fide, eadem planè ratione de pœnitentia
accipiendum est, mox enim subdit. *Qua vox non solum
non infirmat quod dictum est, quid enim habes, quod non
accepisti, verum etiam confirmat. Accipere quippe, & habe-
re anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consen-
tiendo, ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei est,
accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis est.*

V. *Nolens*, inquit, *aliquos perire, sed ad pœnitentiam re-*
a 1. Tim. 2. 4 *uerti.* Simile quiddam scripsit ad Timotheum [a] Pau-
lus: *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem verita-
tis venire.* Igitur Petrus ait, nolle Deum quemquam pe-
rire, ita enim olim dixerat Deus ipse apud Ezechie-
b cap. 18. 23. & sim. c. 33. 11. lem [b]. *Numquid voluntatis mea est mors impij, dicit Domi-
nus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Impiè igi-
c Caluin. ad Rom. 9. 17. & 18. tur vociferatur impostorum princeps [c], *Deus impios* B
destinauit creare, vt perdat. Et alius quidam eius sectator,
& symmista noluisse Deum, *vt Christus pro omnibus pate-
retur, moreretur, satisfaceret.* Quod vtrumque cum Dei
bonitate, ac misericordia, quam hoc loco extollit Apo-
stolus, ex aduerso pugnat. Certè Christus apud Mat-
d cap. 11. 28. thæum [d] omnes simpliciter vocat. *Venite*, inquit, *ad me
omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Fa-
e cap. 20. 28. teor alibi Christum dixisse apud Matthæum [e], filium
hominis *dare animam suam redemptionem pro multis.*
f cap. 26. 28. Rursus [f] alibi. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effun-
g ad Hebr. 9. 28. detur.* Et Paulus [g]. *Christus semel oblatus est ad multorum
exhauriendda peccata.* Non nego probabilem vtcumque
eorum videri sententiam, qui multorum nomine omnes
significari affirmant; siue quia Græci πολλούς, non tam
numerali, quàm infinito nomine vocant, siue quia C
omnes re vera multi sunt. Magis tamen credo quod
h ad Hebr. 9. 28. alibi [h] docui, his & similibus aliis locis non tam Chri-
sti voluntatem, quàm mortis eius fructum declarari.
Nam si voluntatem eius spectes, ille pro omnibus mor-
i ad Ro. 2. 6. tuus est. Sic Paulus [i]: *qui dedit redemptionem semetipsum
k 2. ad Cor. 5. 14. & 15. pro omnibus.* Alibi [k]. *Si vnus pro omnibus mortuus est,
ergo omnes mortui sunt.* Sin autem respicias fructum,
non ad omnes, sed ad multos peruenit.

VI. Non igitur audiendi sunt Prædestinatiani, non Ar-
l in Ps. 146. nobius [l], quicumque ille sit auctor commentariorum in
m lib. 2. de lib. arb. c. 14. & 16. Psalmos, non Faustus [m], non Remigius Lugdunensis,
qui negant Christum natum, ac mortuum esse pro
n libr. contra tres epist. trium Episco. Gall. omnibus; Christus enim ipse apud Matthæum [o] dixit.
Non est voluntas ante Patrem meum, qui in cælis est, vt pereat
o cap. 18. 14. *vnus de pusillis istis.* Et ob eam causam ascensurus in D
p Mat. 28. 19. cælum monet [p] Apostolos, vt doceant *omnes gentes,
baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus San-
cti*; significans sui ad nos aduentus beneficium omni-
bus esse propositum, diuinæque beneficentiæ fontes
cunctis mortalibus patere. Quamobrem Auctor Com-
mentariorum in Paulum, qui Ambrosio inscribuntur,
q ad Ro. 12. ad hunc, vt opinor, Petri locum respiciens [q]. *Dominus*,
inquit, *Iesus, qui de cælis venturus est ad liberationem ge-
neris humani, quotidie remittit peccata conuersis ad se, nec
statim non credentes condemnat, sed expectat, sciens posse
r ad Ephes. 5 proficere ad agnitionem Dei.* Et alibi [r]. *Hæ vera diuitiæ
sunt misericordiarum Dei, vt non quærentibus vltrò mise-
ricordia præstaretur. Hoc est abundare misericordia, vt &
non postulantibus tribuatur; hæc caritas Dei erga nos, vt
quia fecit nos noluit perire nos.*

VII. Certè hæc Dei voluntas, qua neminem vult perire,
& qua vult omnes homines saluos fieri, Dei quidem
respectu est efficax, cùm ille re ipsa cunctis anteceden-
ter, & in causis salutis instrumenta necessaria præpara-
uerit; ratione tamen effectus, qui non in omnibus sub-
sequitur, nequaquam dici potest efficax: erit igitur vo-
luntas antecedens, vt loquitur Damascenus, quæ natu-
ras hominum spectat, vt sunt in se iis exclusis, quæ vitio
liberi arbitrij accesserunt. Priori siquidem modo si hu-
mana natura inspiciatur, nihil prorsus habet odio di-

A gnum, nihil quod iusto iudicio plectendum sit. At vbi
ea spectantur, quæ vitio liberi arbitrij in illa insunt,
cùm alij gratiæ consensum præbuerint, alij obluctati
sint, illi quidem præmio, hi verò supplicio digni censen-
tur; sed hoc interest, quòd qui gratiæ refragantur, pro-
prio vitio peccant, qui verò obtemperant, non nisi ipsius
gratiæ beneficio id faciunt. Quòd si quis percontetur,
quanam id ratione cum Dei beneficentia, & liberalitate
cohæreat, qui facilè posset omnes liberare, suaque di-
uina gratia ita flectere, vt omnes obtemperarent, audiat
Augustinum his planè verbis respondentem [a]. *Iam si ad* a lib. de spir. et liter. c. 34. in fin.
*illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctat, cur
illi ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita, duo sola
occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat. O altitudo di-
uitiarum, & Numquid iniquitas est apud Deum? cui responsio ista*
B *displicet, quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptores.*

Neque aliter alibi respondet, qui quamquam gra- VIII.
tiæ efficacitatem in ipsam Dei voluntatem præcipuè
refert, semper tamen liberi arbitrij consensum inuoluit.
Sic enim alicubi [b] ait. *Vult autem Deus omnes homines* b lib. de spir. ad lit. c. 33.
*saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen,
vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè vten-
tes iustissimè iudicentur.* Eodemque modo loquitur Pro-
sper [c], quæ sanè fuit Concilij Tridentini Patrum sen- c lib. 2. de voc. gen. c. 9.
tentia, *qui liberum hominis arbitrium a Deo motum, &* d Sess. 6. c. 5. & can. 9.
excitatum cooperari Deo, & si velit, dissentire posse affirmat.
Plura in hanc sententiam alibi [e] dixi. Non vult igitur e 1. Tim. ca. 2. 4.
Deus quemquam perire, sed omnes ad pœnitentiam
reuerti, eadem videlicet antecedenti voluntate, nemi-
nem enim penitus à pœnitentia excludit; quamquam
C re ipsa non omnes conuertuntur, & pœnitentiam agunt,
non enim agit Deus in nobis, ac nobiscum, vt cum la-
pidibus, rebusque inanimis, quæ naturæ quodam impe-
tu feruntur. Quamobrem verè dixit Ambrosius [f], aut f 1. ad Tim. 2
quicumque est alius auctor. *Vult Deus omnes saluos fie-
ri, sed si accedant ad eum, non enim sic vult, vt nolentes sal-
uentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint.*

Hieronymus autem ad illa verba Pauli [g], *Secundum* IX.
propositum eius, qui vniuersa operatur, secundum consilium vo- g ad Ephes. 1
luntatis suæ, sic scribit. *Vult autem* (Deus) *ea, quæcumque
sunt plena rationis, atque consilij, vult saluare omnes, & in
agnitionem veritatis venire, sed quia nullus absque propria vo-
luntate saluatur* (liberi enim arbitrij *sumus*) *vult nos bonum
velle, vt cum voluerimus, velit in nobis & ipse suum implere
consilium.* Qua ratione Damascenus [h] diuinam voluntatem h lib. 2. de fid. c. 29.
D antecedentem vni Deo tribuit, consequentem verò ex
nostra ait oriri voluntate. *Neque latendum est*, inquit,
*Deum præcedenter velle omnes saluari, & regni eius conse-
qui, non enim ad puniendum nos plasmauit, sed vt efficiat nos
bonitatis suæ participes, vt bonus, peccantes autem puniri
vult, vt iustus. Dicitur igitur prima, præcedensque, voluntas,
& acceptatio ex ipso existens, secunda verò voluntas sequens,
& permissio ex nostra causa existens.* Et Clemens Ro-
manus [i]. *Audiuimus*, inquit, *ex ore Domini nostri Iesu* i lib. 2. const. c. 55.
*Christi, & optimè edocti dicimus, quænam sit voluntas Dei
bona, beneplacens, & perfecta, quæ nobis per Iesum Christum
declarata est, scilicet ne vllus pereat sed potius omnes homi-
nes, cùm ei vno consensu crediderint, laudibus eumdem vno
animo, & ore celebrantes idem in sempiternum viuant.*

Quod autem ait, *ad pœnitentiam reuerti*, veram pœni- X.
E tentiam intelligit, hoc est, perfectam peccati detestatio-
nem, de qua hunc in modum loquitur Basilius [k]. *Non ille* k Isa. 1.
*qui dixit, peccaui, deinde in peccato perstat, is confitetur pecca-
tum, sed qui vt ait Dauid, inuenit peccatum, & odio habuit, &
huic inquit, remittuntur peccata, si virtus totum animum occu-
pet, & vitij contrarij odium gereret.* Alibi [l] verò, quærit, l in regul. breuior. q. 5.
quonam modo debet quis agere de singulis peccatis
pœnitentiam, & cuiusmodi fructus ostendere dignos
pœnitentiæ. Et respondet. *Nimirum si similem illius ani-
mum induerit, qui dixit, iniquitatem odio habui, & abominatus
sum, & ea præstiterit, quæ scripta sunt in sexto psalmo, in eo*

autem

autem inter cætera scriptum est. Laboraui in gemitu meo, Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo.

10. *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.*]

I. Sic sæpe aliàs Scriptura docet Christi aduentum fore mortalibus improuisum, nam hanc ipsam furis similitudinem subindicauit Christus apud Matthæū[a] cùm dixit. *Illud autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Sic Paulus[b], *dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* Et Ioannes[c]. *Veniam ad te tamquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te.* Alibi[d]. *Ecce venio sicut fur.* Theophylactus[e] verò. *Furem autem, ait, mundi consummationem nominat, & vniuscuiusque mortem; porrò insinuat Dominus nocte aduentum suum futurum. Sicut igitur fur clam venit, ita & meus aduentus, vt negligentes non sitis.* Græci sanè codices hoc etiam loco habent ἐν νυκτὶ, hoc est, *in nocte*, vt videatur Petrus ad Christi verba apud Matthæum allusisse.

a Matth. 24. 43.
b 1. ad Thess. 5. 2.
c Apoc. 3. 3.
d cap. 16. 15.
e Matth. 24.

II. Cur autem voluerit Deus suum aduentum, & extremum cuiusque vitæ diem esse incertum, explicat Chrysostomus[f], & ex eo Theophylactus, qui duo plures huius rei causas recensent. *Prima autem est, quia si nouisset homo diem suum vltimum, nihil non scelerum conaretur patrare aliis diebus, deinde fine vitæ appropinquante baptizaretur; deinde plerique si nouissent in crastinum verbi gratia sese morituros innumeris malis hostes affligere meditarentur, tamquam iam de se ipsis desperantes, hostiumque se implere sanguine cupientes, quod nunc non fit mortis eos terrore remorante, vitæq́; cupiditate, præterea vita sua amantiores præ nimia desperatione, ac tristitia perirent, si mortis suæ tempus, ac momentum compertum haberent. Ad hæc iusti non tantùm mercedis haberent periculis obiecto, quia compertum haberent, se nunc haud morituros, sed post tot verbi gratia annos. Nunc verò cùm incertum sit, euadant ne pericula. an secus, nec vel sic tamen mortem euadere laborant, perspicua eorum virtus est. Quemadmodum enim tres pueri ea de causa maiorem admirationem merentur, quòd cùm non satis nouissent, an ex igne essent euasuri, nec ne, neque sic tamen statuam adorauerunt, propterea obitus noster erit tamquam fur in nocte.*

f 1. ad Thess. 5.

III. *In quo cœli magno impetu transient.* Locus est admodum celebris, ac multiplici Theologorum disputatione nobilitatus. Ego ne videar extra chorum ludere, paucis cuncta perstringam. Ac primùm quidem explicandum videtur; quænam sint illa corpora, quæ cœlorum nomine significantur, quæque magno impetu transitura sint; deinde vniuersim quid de mundi interitu sentiendum videatur. Vt igitur à priori quæstione exordiar, antiquissima fuit multorum sententia, quam his verbis alicubi explicat. Hieronymus[g]; *quidam perire, & veterascere pro abolitione, & morte accipiunt, iuxta illud, quod in Catholica epistola legimus; cœli, qui nunc sunt, & terra eodem verbo reseruata sunt igni. & iterum elementa ardentia soluentur, quæ quidem & Philosophorum mundi opinio est, omnia, quæ cernimus, igni peritura; vnde & Apostolus; Pertransit, ait, figura mundi huius contemplantibus nobis non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Tale quid & Ioannes Apostolus scribit. Mundus pertransiit, & desiderium eius.* Mox autem explicans Isaiæ verba, *quia cœli sicut fumus liquescent*, subdit. *Et in Hebraico dicitur, Cœli sicut fumus liquescent, siue iuxta Aquilam, & Symmachum, comminuentur in nihili, & in salis modum conterentur, & vanescent.* Vt appareat illos, de quibus loquitur Hieronymus, hunc Petri locum de cœlestibus corporibus accepisse. Id etiam apertè sensit Oecumenius, vt supra indicaui, planiúsque infrà ostendam. Placuit id etiam recentioribus quibusdam[a], qui æthereos illos globos exurendos, denuóque refundendos asserunt, idémque alij bene longa disputatione confirmant.

g lib. 14. in Isa. cap. 51.
a Catherin. hic, & ad Hebr. 1.

IV. Ego, quod etiam suprà monui, nihil dubito loqui Petrum de hoc aëre nobis finitimo, quem cœli nomine etiam vulgus appellat, quæ est apertissima Augustini[b] sententia, omnium fermè Theologorum suffragio confirmata. *In epistola quoque, ait, Petri Apostoli, vbi aqua inundatus, qui tunc erat, perisse dictus est mundus; satis clarum est, & quæ pars mundi à toto significata est, & quatenus perisse dicta sit, & qui cœli repositi igni reseruandi in diem iudicij, & perditionis hominum impiorum. Et in eo, quod paulò post ait; veniet dies Domini, vt fur, in quo cœli magna impetu transcurrent, elementa autem ardentia resoluentur, & terra, & quæ in ipsa sunt opera exurentur, ac deinde subiecit, his omnibus pereuntibus, quales oportet vos esse? Possunt illi cœli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reseruandos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt, procellosa, & turbulenta, in qua eosdem cœlos dixit esse repositos, saluis illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sydera constituta.* Cœlorum autem nomine etiam numero multitudinis aërem significari ostensum est suprà, aliique ante nos probant ex illo Psalmi[c]. *Volucres cœli*, vbi in Hebræo legitur *Zipor scamain*, quæ vox vt minimum apud illos dualis est, & apud Latinos non nisi nomine multitudinis exprimi potest.

b lib. 20. de Ciuit. c. 24.
c ps. 8. 9.

V. Dicuntur porrò cœli magno impetu transire, hoc est, in morem procellæ, Græca vox ῥοιζηδὸν, significat non solùm cum impetu, sed etiam cum stridore; ita Oecumenius. *Cùm verò, ait ῥοιζηδὸν, impetuosè, & stridenter sonum significat, & sibilum, qui ex igne flagrantibus edi consueuit*, vt significet magnam in aëre futuram commotionem; quod verò ait Interpres, *transient*, Græcè est παρελεύσονται, hoc est, *præteribunt*, vel *dissoluentur*. Vtrùm autem interitum, an mutationem significet, videro non ita multò pòst: certè quidquid illud erit, magno quodam impetu, atque agitatione fiet, vnde ingens terror mortalium animos occupabit. Acutè autem monet Damascenus[d] ex Magno Basilio, *non esse hæc vana terriculamenta, qualia infantibus nutrices intentare solent, hæc enim, ait, non fabulæ sunt, sed sermo verus.*

d lib. 2. parallelorum cap. 15.

VI. *Elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Videri posset elementorum appellatione etiam aërem comprehendi, atque idcirco cœlorum nomine æthereos globos indicari, quod non obscurè insinuat Beda, qui elementorum voce omnia quatuor elementa comprehendi autumat. Augustinus tamen, vt suprà docui, ea elementa accipi existimat, quæ in hac ima mundi parte subsistunt, hoc est, vt ego interpretor, terram, & aquam, nisi quis malit cœlo, hoc est, aëri tamquam speciei subiici genus vniuersum, quasi dicat, non aër solùm cum stridore peribit, sed cætera quoque elementa ambusta soluentur. Nam & mox subdit. *Terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* quæ tamen terra elementorum nomine comprehenditur, quæ vniuersim dixerat calore soluenda, sed eam tamen nominatim exprimit, vt addat, quæ in ipsa sunt opera, exurenda, quasi dicat, quicquid in terra vel arte, vel natura constat, igne vorabitur.

VII. Quoniam autem hoc loco Petrus aërem, cæteráque elementa interitura dixit, constans fuit à primis

vsque

vsque ducta temporibus omnium fermè gentilium sententia, mundum aliquando periturum. Plato enim, vt secundam quæstionem expediam, *tempus*, ait, *cum cælo [illegible] est, vt simul facta, simul etiam dissoluantur, si quando solutio quædam ipsorum fiet*: quò spectant Sibyllina carmina, & alia quædam, quæ suprà à nobis allata sunt. Quibus addo Lucretium [a], cuius sunt hæc carmina.

Vna dies dabit exitio, multósque per annos
Sustentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animus fallit, quàm res noua, miráque menti
Accidit exitium cæli, terraq; futurum.

Neque aliter sentit Lucanus [b]

——— ———Sic cùm compage soluta
Sæcula tot mundi suprema coëgerit hora
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sydera syderibus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutiétque fretum; fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi, totáque discors
Machina diuulsi turbabit fœdera mundi.

His addi alij possunt, qui mundi conflagrationem probarunt, quos suprà commemoraui.

VIII. Iam qui fidei luce illustrati de futuro iudicio rectè senserunt, ignis quidem conflagrationem admittunt, sed de mundi, rerúmque omnium interitu aliter, atque aliter opinantur. Petrus certè Apostolus apud Clementem [c] Romanum cum Simone mago disputans duo cœlestia corpora distinguit, vnum quidem inaspectabile, in quo est beatorum sedes, ac domicilium, quod ait esse penitùs immutabile, ac sempiternum, alterum verò stellis, atque astris distinctum, quod sub aspectum cadit, quódque est aliquando interiturum. Cùm enim ad hominum vtilitatem conditum sit, vbi mortales in hac infima terræ regione esse desierint, ne futurum quidem est hoc cœlum, cuius motu fouentur, & conseruantur vniuersa. Idem sensisse videtur Hilarius [d]; *cælum*, ait, *ac terram maxima elementa arbitramur esse soluenda*. Alibi [e] explicans illa verba *in æternum permanet verbum tuum*, Græcè εἰς αἰῶνα, ait Latinè reddendum, *non in æternum, sed in sæculum; sæculum enim intra spatium definiti temporis continetur, non enim ait in sæculum sæculi, neque in sæcula sæculorum; sed in sæculum verbum tuum permanet; scit post hoc sæculum cælum, & terram præterire Domino dicente. Amen dico vobis, cælum, & terra præterient, verba autem mea non transient. Meminit etiam hoc sæculum periturum esse, vt sit cælum nouum, & terra noua.* Denique [f] alio loco: *Cælum hoc quod visibus nostris per naturam suam subiacet, quod tamquam simus solidatum firmamentis, & naturam, & nomen accepit, præteribit, & non erit, sedes autem Domini manet in æternum.* Idem sensisse videntur Hieronymus [g], Oecumenius [h], Theodoretus [i], Iustinus [k] Martyr, Ambrosius [l], qui cùm Philosophorum varias recensuisset sententias de cœli natura, Aristotelem, qui cœlum ab interitu alienum putat, pugnare ait cum sacris literis, ex quibus colligit, cœlum esse aliquando periturum. Idem insinuant Basilius [m], & Gregorius [n] Nyssenus, Quamquam Dionysius [o] Areopagita cœlum putat esse naturæ ab interitu alienæ.

IX. Sed vt hinc potissimùm exordiar, cœlum empyreum, neque interiturum est, neque vllo modo immutandum, aut purgandum, cùm sit ab omni mutatione alienum, sempiternum, ac nullius purgationis, ac perfectionis indigens, cùm sit quodam modo ipsius Dei immortalis regia, & Angelorum, ac beatorum domicilium, de quo Paulus [p], *Scimus*, ait, *quoniam si terrena domus nostra dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam*

a lib. 5.
b lib. 1. Pharsalie.
c lib. 1. recognit.
d Can. 4. in Matth.
e In psal. 118. litera lamed.
f In psal. 122.
g lib. 14. in Isa. c. 51. & li. 18. c. 65.
h Tum hoc loco, tùm etiã ad Rom. 8.
i ad Rom. 8.
k q. 93. 94. 95.
l lib. 1. Exam. cap. 6.
m Hom. 1. in Exam.
n li. de opif. Hom. c. 21.
o cap. 4. de diu. nom.
p 2. ad Cor. 5. 1.

in cælis. Inferiora verò cœlestia corpora non quidem penitùs peritura, sed integra, atque incolumi eorum substantia immutanda, atque innouanda sunt. Hæc enim omnium fermè Patrum, ac Theologorum sententia est. Augustinus enim licèt alicubi [a] hanc quæstionem dubiam relinquat, alibi [b] tamen apertè ait esse immutanda; sic enim scribit [c]. *Peracto quippe iudicio tunc esse desinet hoc cælum, & hæc terra, quando incipiet esse cælum nouum, & terra noua, mutatione namque rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus, vnde & Apostolus ait. Præterit enim figura huius mundi, volo vos sine sollicitudine esse, figura ergo præterit, non natura.* Rursus [d]. *Illa vtique, vt dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt scilicet mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus etiam in melius innouatis.*

X. In eamdem sententiam scribit Hieronymus [e], explicans enim Dauidis [f] verba. *A principio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes vt vestimentum veterascent, & sicut pallium inuolues eos, & mutabuntur. Ex quo*, ait, *ostenditur perditionem cælorum, non interitum sonare, sed mutationem in melius, de quibus dicitur. Erit cælum nouum, & terra noua.* Et alibi [g]. *Porrò*, ait, *qui nouitatem commutationem in melius, & non elementorum arbitrantur interitum, illo vtuntur exemplo. A principio terram tu fundasti, &c.* Tum subdit; *In quo perspicuè demonstratur perditionem, & interitum, non abolitionem in nihili sed commutationem sonare in melius*, quod deindè fusè probat. Neque aliter existimauit Gregorius [h], ad illa enim Iobi [i] verba, *humiliabuntur sicut omnia, & auferentur; Cælum*, inquit, *& terram auferri, seu transire per eam, quam nunc habent imaginem tamen per essentiam sine fine subsistere.* Nec discrepat Beda [k]; idem dixerim de Gennadio [l], Primasio [m], Anselmo [n], Ambrosio [o], & aliis [p].

XI. Eadem videtur esse Græcorum Patrum sententia, nam Irenæus [q], cùm multa ex sacris literis attulisset, quæ cœli, terræque mutationem indicant, concludit, *qui autem inhabitant in eis quemadmodum hæc morientur*; indicans quemadmodum homines ita moriuntur, vt postmodum in alium statum immutentur; ita etiam cuncta in aliam quamdam conditionem commutanda. Apertè verò Epiphanius [r]. *Hic mos est*, inquit, *Scripturis, vt hanc mundi transmutationem in meliorem, ac magis gloriosam restitutionem, interitum, ac perditionem dicant, tamquam videlicet prima figura pereat per vniuersorum ad illustriorem statum mutationem; nam nulla contrarietas, aut absurditas est in diuinis Scripturis. Præterit enim figura huius mundi; & non mundus, dictum est. sic sanè morem habent Scripturæ vt perditionem vocent mutationem in meliorem, & pulchriorem prioris formæ.* Denique eiusdem sententiæ est Oecumenius, qui quamuis dicat cœlum igne purgandum, negat tamen eius substantiam, ac naturam immutandam.

XII. Potest autem non obscurè hæc sententia ex sacris literis colligi, ait enim Dauid [r], cœlestia illa corpora esse sempiterna. *Ipse*, inquit, *dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit.* Verùm mirum videri possit, quod Basilius, & Ambrosius obseruarunt, qui asserunt, Aristotelis sententiam, quæ cœlo æternitatem tribuit, cum sacris literis pugnare, nisi fortè in eo lapsum Aristotelem existiment, quod cœlum Deo coæternum esse censuerit. Huc accedit, quòd Iob [s] corpora illa cœlestia solidissima esse dixerit. [illegible] inquit, *forsitan cum eo fabricatus es cælos,*

qui

a In ps. 101.
b lib. 20. de Ciuit. c. 14. 16. 18. & 24.
c cap. 14.
d cap. 16.
e Is. 65.
f ps. 101.
g in Isa. c. 65.
h lib. 17. Moral. cap. 5.
i cap. 14.
k Tum hoc loco, tum [illegible] de temp. [illegible] 10. c. 6.
l de Eccles. dogm. c. 69.
m ad Hebr. 1.
n ad Heb. 1. & 1. Apoc. 20. & 21.
o ad Heb. 1.
p Iulian. Pomer. l. 1. b. 3. prognost. c. 46.
q lib. 4. c. 6.
r Hær. 64.
r ps. 148. 5.
s cap. 37. 18.

qui solidissimi quasi ære fusi sunt? Adde quod alicubi obseruat Hieronymus scripsisse Isaiam [a]. *Erit lux lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* Quod, ait Hieronymus [b], *non interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius,* idque confirmans subdit. *Quod vt possit intelligi, nostræ conditionis ponamus exempla, infans cùm in puerum creuerit, & puer in iuuenem, & iuuenis in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit, idem enim est, qui priùs fuit, sed paulatim commutatur, & ætas pristina perire dicitur, quod intelligens & Paulus [c] Apostolus loquebatur; præterit enim figura huius mundi, consideremus quid dixerit, figura præterit non substantia.* Idem verò ex hoc Petri loco confirmat, cúmque hæc ipsa verba protulisset, addit. *Quod quo sensu accipiendum sit postmodum docet, nouos autem cœlos, & nouam terram videbimus, & repromissionem eius, non dixit, alios cœlos, & aliam terram videbimus, sed veteres, & antiquos in melius commutatos.*

a cap. 30. 26.
b in Isa. c. 65.
c 1. Cor. 7. 31.

XIII. Denique Epiphanius, Hieronymus, & alij hoc ipsum colligunt ex Paulo [d], cùm ait. *Scimus, quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc;* dixerat autem paulò antè. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quoniam verò tribuit Apostolus rebus creatis sensum, & cognitionem, insigni quadam prosopopœia, iisdem etiam gemitum, & expectationem adscribit, non ingemiscerent autem, vel appeterent proprium interitum, à quo omnia creata naturæ ductu maximè abhorrent. Denique vt paucis cuncta complectar, hic locus Petri, qui ex nonnullorum sententia cœli interitum apertè significare videtur, mirificè nostræ sententiæ fauet, indicat enim ea corpora igne expurganda, quæ fuerant olim eluuionis aquis vastata, cùm tamen constet apertissimo Scripturæ testimonio aquas diluuij cœlestes illos globos nulla ratione attigisse, quod egregiè ab Augustino [e] obseruatum est.

d ad Rom. 8.
e lib. 20. de Ciuit. c. 24.

XIV. Non ignoro quidem Oecumenium, & alios quosdam existimasse, æthereos illos globos igne purgandos quæ videtur Hieronymi, Augustini, Gregorij, & Bedæ, aliorúmque sententia; sed si ignis conflagratio non vltra secundam aëris regionem pertinget, vt Augustinus affirmat, & cæteri insinuant, liquet profectò cœlestia corpora illo igne non posse attingi. Addo, si cœlum, quod non solùm Aristotele auctore, sed Dionysio Areopagita astipulatore probat Theologorum schola, natura est per se ab interitu alienum, nullo pacto ab igne lædi potest, aut aliqua ratione immutari. Denique in iis nullæ sordes concipi possunt, quæ sint ignis incendio expurgandæ, quod enim ait Iob [f]. *Cœli non sunt mundi in conspectu eius.* aduersus hanc sententiam vim nullam habet, vel enim loquitur de Angelis, vel si de cœlestibus orbibus agit, eos negat esse mundos interprete D. Thoma, quia materiæ concretione constant, quæ si macula, vt labes censenda est, ea elui nulla ratione potest.

f cap. 15. 15.

XV. Neque verò iis assentior, qui cœlestia corpora ob præuisum primi Parentis peccatum condita fuisse dissolubilia, atque interitui obnoxia; vel in deterius commutata, aut aliqua ratione contaminata esse contendunt. Id enim cùm temerè fingitur, tum etiam à diuinæ prouidentiæ ratione maximè videtur esse alienum; quæ cùm ita sint, nulla excogitari potest ratio, cur orbes illi sint aliquo modo purgandi. Quod si quis sciscitetur, sint ne orbes illi aliquò pacto immutandi, miro consensu prisci omnes Patres affirmare videntur, cùm tamen neque ex hoc loco

A Petri, neque ex aliis Scripturæ locis id necessariò deprehendatur. Dicit quidem Petrus non ita multò pòst. *Nouos verò cœlos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus;* sed facilè responderi posset, toto hoc capite perpetuò loqui Apostolum de cœlo aëreo, ne ambiguè nunc hoc, nunc illo modo cœli nomen vsurpasse videatur. Quæ verò addit Petrus, *secundum promissa eius,* referri videntur ad ea, quæ scribunt tum Dauid, tum etiam Isaias, ex quibus veteres Patres, quos suprà laudaui, & præterea Chrysostomus [a] colligunt æthereos illos globos in melius esse mutandos, quæ tamen verba eamdem admittunt explanationem; quod idem dixerim de verbis Ioannis in Apocalypsi [b]. *Et vidi,* inquit, *cœlum nouum, & terram nouam.* Denique quod ait Isaias [c], B *Erit lux Lunæ sicut lux Solis;* non necessariò ad statum illum rerum post iudicium referendum videtur. Cyrillus [d] enim, & Auctor [e] quæstionum veteris, ac noui testamenti id referunt ad tempus legis nouæ.

a Hom. 14. in ep. ad Ro. & Hom. 10. ad popul.
b cap. 21. in princ.
c cap. 30. 26.
d Isa. 30.
e quæst. 105

XVI. Verùm quoniam Hieronymus hæc postrema Isaiæ verba de cœlestium corporum innouatione, itémque alia non pauca Scripturæ testimonia explicat, veterésque omnes Patres hanc mutationem, ac innouationem agnoscunt, non videtur temerè n[e]ganda, quam non semel probat Chrysostomus [f], aliique non pauci Apocalypsis explanatores. Præcipuè verò Augustinus [g] hæc inter cætera scribit. *Cœlum quippe nouum & terram nouam futuram legimus.* Et qui- C dem certum videtur cœli motum cessaturum, cùm nulla sit eius motus futura necessitas; quod non obscurè significare visi sunt Isaias, & Ioannes, cùm ille dixit [h]. *Complicabuntur sicut liber, cœli.* hic autem [i]. *Cœlum recessit sicut liber inuolutus.* Denique apertissimè docet idem Ioannes [k]. *Tempus non erit amplius;* cessante enim motu, necesse est perire etiam tempus. De hac porrò innouatione sic alicubi scribit Cyrillus [l] Alexandrinus. *Discipulus Seruatoris dixit in extremo die, quia in eo cœli procella in morem transibunt, & elementa æstuantia soluentur, terráque, & quæ in ea sunt opera exurentur omnia. Igitur illud conuoluendos esse cœlos, & casuras stellas, huius vniuersitatis renouationem potest ostendere.* Et alibi [m]. *Isaias mortem elementorum propriè nominat, & aptè mutationem in melius, vt* D *etiam Paulus inquit, creatura liberabitur à seruitute corruptionis; quo autem modo liberabitur, ostendit Christi discipulus dicens. Veniet dies Domini vt fur, in qua cœli procella in morem præteribunt, elementa ardentia dissoluentur. Igitur creaturæ renouationem, velut ex mortuis resurrectionem, quemadmodum in humanis corporibus, fore ait.* Et Damascenus [n], *non prorsus,* inquit, *peribunt cœli.* Addunt Theologi in scholis nouam luminis accessionem factum iri; hoc enim modo Hieronymus [o] Isaiæ verba explicat. *Erit,* inquit, *lumen lunæ, sicut lumen Solis, quando dederit Dominus cœlum nouum, & terram nouam, & transierit habitus mundi huius, vt luna, & Sol laboris, & cursus sui præmia consequantur. Etenim expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei præstolatur.* quæ tamen lucis accessio diuina vi supra naturam illis corporibus tribuetur.

f Hom. 14. ad Rom. & Hom. 10. ad popul.
g lib. 20. de Ciuit. c. 16.
h Isa. 34. 4.
i Apoc. 6. 14
k Apoc. 10. 7
l li. 3. in Isa. cap. 34.
m lib. 4 in Isa. cap. 51.
n li. 2. de fid. orthod. c. 6.
o in Isa. c. 30

E XVII. *Terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* hinc colligit Beda duo elementa, aquam, & ignem penitus extinguenda, reliqua verò duo perpurganda, & in meliorem quandam formam immutanda, quod ipsum asserit Oecumenius. Propiùs tamen à vero abest frequentior Theologorum sententia veterum Patrum auctoritate firmata, quæ asserit innouanda quidem cuncta elementa, & perficienda, integra tamen, atque illæsa eorum natura, atque substantia. Colligitur vtcumque ex sacris literis. *Terra,* inquit Salomon [p], *in æternum stat.* Rursus [q]. *Omnia opera,*

p Eccles. 1. 4.
q cap. 3. 14.

quæ

a ad Rom. 8. 22.
quæ fecit Deus perseuerant in æternum. Et Paulus [a]. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc*; non appetens certè proprium interitum, sed meliorem quandam immutationem, atque innouationem. Quocirca quod ait Petrus, *elementa calore soluentur.* & in præsentia, *terra, & quæ in ipsa sunt opera exurentur, & elementa ignis calore tabescent.* insignem quandam mutationem indicant. Non interim tamen inficias, cùm terram, & opera exurenda dicit, nonnullam terræ exustionem, & cæterarum rerum interitum indicari. Solet enim Scriptura ita plerumque loqui, vt regionem quampiam exuri, & cremari dicat, cùm quæ in illa sunt, flammis absumuntur. Hanc portò innouationem ignis conflagratio perficiet, vt præter eos, quos suprà nominaui, asserit Origenes [b], quæ omnes sordes ab elementis absterget, & alienas admixtiones absumet.

b lib. 4 & 5. con. Cels.

XVIII. Crediderim etiam nonnihil perfectionis extrinsecus addendum, vt optimè declarant Chrysostomus [c], & D. Thomas [d], erit enim terra lucida, & peruia in superficie non aliter, ac vitrum; aqua crystallum imitabitur, aër cœlum, ignis autem astra: siue quia hæc eis claritas intrinsecè adhærebit, siue quia extrinsecus à cœlestium corporum splendore in ea redundabit. Quo modo verò terræ corpus alioqui opacum, ac densum pellucidum esse possit, ac peruium Theologi viderint; ego quidem miraculum non necessarium temerè admittendum non censeo. Vt igitur redeam ad Petrum, terra exurenda dicitur, & quæcúnque in illa sunt penitùs absumenda. Quòd autem attinet ad verba; quòd ait, *elementa calore soluentur.* Græcè est καυσούμενα λυθήσονται, hoc est, *æstuantia*; *soluentur* autem dixit, quasi idem significet, quod ait Paulus [e]. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis,* quasi dicat, à captiuitate, aut seruitute soluentur, vt enim alibi dixi, res creatæ coguntur nunc turpem quamdam seruitutem seruire, dum in Deum peccantibus opitulantur, & quodam modo seruiunt: quòd verò ait; *quæ in ipsa sunt opera exurentur,* Græcè dixit Apostolus κατακαήσεται indicans omni ex parte concremanda, atque absumenda esse, videtúrque ea potissimùm intelligere, quæ hominum studio, ac labore perfecta sunt, ea siquidem omnia cœlesti illo incendio conflagrabunt. Rectè autem monet Oecumenius dixisse Petrum opera, quæ in terra sunt, comburenda esse, non autem homines, quod vniuersim de omnibus accipio, nam impios, ac reprobos igne illo inflammandos iam suprà docui, quamquam ne ipsi quidem penitùs absumendi sunt, vt apud inferos in omnem æternitatem igne torreantur.

c epist. ad Theod. lapsum paul. ante med.
d in 4. dist. 48 q. 2. art. 4.
e ad Rom. 8. 21.

11. *Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, ac pietatibus.*]

I. Id pro certo ponitur, omnia, quæ spectantur, & diliguntur in vita penitùs absumenda, cùm tamen adeò incertum sit, quando hæc futura sint, vt dixerit aliquando Christus diem illum extremum nedum ab Angelis, sed ne à filio quidem hominis cognosci. Illud est extra omnem controuersiam tam diu staturum mundum, quoad prædestinatorum numerus expleatur. Origenes certè hac de re alicubi [f] hunc in modum scribit. *Ex quo aduenit Saluator finis erat iam mundi, denique ipse docebat, pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, sed retinuit, & repressit diem consummationis, & adesse prohibuit. Videns enim Deus Pater salutem gentium per ipsum solum posse constare, dicit ad eum. Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Donec ergo paterna pollicitatio compleatur, & Ecclesia ex diuersis nationibus crescat, atque introeat tota gentium plenitudo, & tunc demum omnis Israël saluetur, dies producitur, differtur occasus, nec vmquam solo cumbit, sed semper exoritur, dum credentium cordibus Sol iustitiæ lumen veritatis infundit. Cùm verò repleta fuerit mensura credentium, & deterior iam, ac decolor ætas vltima generationis aduenerit, cùm increscente iniquitate refrigescet caritas multorum, & perpauci remanserint in quibus fides inueniatur, tunc iam abbreuiabuntur dies.*

f Hom. 11. in lib. Iosue.

II. Porrò quod ait Origenes in priori Christi aduentu extremum mundi diem futurum fuisse, liberiùs dictum videtur, & absque vllo prorsus fundamento, tamdiu autem stare mundum, donec fidelium, & electorum numerus expleatur, verissimum est, videtúrque significari in Apocalypsi [a], cùm dictum est iis, qui sub altari præstolabantur, vt requiescerent, *adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Colligit autem Petrus ex mundi occasu, quales oporteat esse fideles, quod etiam fecisse videtur Paulus, cùm ad Corinthios [b] scripsit. *Hoc itaque dico fratres, tempus breue est, reliquum est, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint, & qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent tamquam non gaudentes, & qui emunt, tamquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi.* Est autem Christi aduentus, cùm ad iudicandum venerit partim timendus, partim etiam amandus: scribit enim Augustinus [c], *Iudicium Dei numquid tantummodo formidandum est, non amandum? formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam.* Et alibi [d], *Si amamus Christum, vtique eius aduentum desiderare debemus.*

a cap. 6. 11.
b 1. Cor. 7. 29.
c ps. 100.
d ps. 147.

III. Quapropter rectè omnino scripsit Gregorius [e] *Visionem districti Iudicis, quam iustus vehementer expectat, iniustus venire reformidat. Iste namque labores suos considerans mercedem retributionis quærit, & causæ suæ meritum sciens præsentiam iudicis expetit. Ille verò, qui iniustitiæ suæ meminit, venire Iudicem perhorrescit, actúsque suos examinari metuit, quia damnari, si examinetur, nouit. Aduentum Iudicis non diligunt, nisi qui in causa sua se habere iustitiæ meritum sciunt.* Certè Christus apud Lucam [f] iustis dixit. *His autem fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*; illam videlicet redemptionem pollicetur, de qua loquitur Paulus [g], cùm ait. *Sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.* Redimenda enim sunt corpora nostra à misera quadam seruitute, qua cogimur corporeis necessitatibus obtemperare, & quod caput est, à moriendi necessitate redimemur, quomodo idem Paulus ait [h]. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Qualis autem, aut quanta sit hæc dignitas his verbis vtcunque explicat Chrysostomus. *Papæ,* inquit, *illius, qui ad dexteram Patris sedet, conforme fiet hoc corpus? illi qui adoratur ab Angelis? illi, cui astant incorporales illæ virtutes? illi, qui est super omnem principatum, potestatem, & virtutes illi conforme fiet? Si ergo totus orbis lachrymis sumptis eos defleret, qui ab ista spe deciderunt, num dignè collachrymaretur, quod cùm promissio nobis sit facta, corpus nostrum futurum ita glorioso Christi corpori conforme, illi cum Dæmonibus abeunt?*

e lib. 31 Mor. cap. 21.
f Luc. 21. 28.
g ad Rom. 8. 23.
h Phil. 3. 20

IV. Negari omnino non potest, quod alicubi monet Hieronymus [i], *grandis audaciæ, puræque conscientiæ esse regnum Dei postulare, & iudicium Dei non timere.* Verumtamen Paulus non modò non timet, sed potiùs cum gaudio expectat, sic enim alicubi ait. *Ego enim*

i Matth. 6.

iam

iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Quòd si Gentiles, qui à Christiana spe longissimè aberant, agnoscebant tamen mortem esse miseræ cuiusdam seruitutis terminum, quid existimare debent ij, quibus cœlestia, & immortalia bona promittuntur? Certè de Socrate scribit Gregorius [a] Nazianzenus, *ab Atheniensibus ad mortem damnatus, atque in carcere agens de corpore, quasi de alio ergastulo cum discipulis disserebat, cumque fugere posset, recusauit; postquam autem cicuta ei oblata est perlibenter accepit, perinde ac si non lethale poculum acciperet, sed propinando amicos ad potandum inuitaret.* Ex Platone verò scribit Seneca [b]. *Sapientis animus totus in mortem prominet, hoc vult, hoc meditatur, hac semper cupidine fertur in exteriora tendens.* Denique M. Tullius [c], viros bonos, ait, & sapientes, qualis erat Socrates, quasi cygnos cum laude, & voluptate mori, quia scilicet præuident, & quodam modo diuinant, quid in morte sit boni.

[a] ad Philagrium.
[b] ad Marciā cap. 23.
[c] lib. 1. de Orat.

Qui igitur rerum omnium interitum præstolātur, nec de futuro Christi aduentu, eiúsque seuerissimo iudicio quidquam dubitant, ita si sapiant, mores, vitámque suam componunt, vt venientem Iudicem nulla ratione formident. Quocirca rectè ait Petrus hinc facilè colligi, quales nos esse oporteat, *in sanctis conuersationibus, ac pietatibus.* Nam si hæc omnia peritura aliquándo sunt, nequaquam magni facienda videntur, cùm animus hominis immortalis hæc omnia infra se habeat, quippe caduca, & mortalia. Rectè autem Seneca [d]. *Ego*, inquit, *nihil magis suaserim, quàm sumere ingentem animum, & hæc, propter quæ litigamus, discurrimus, anhelamus, videre, quàm humilia, & abiecta sint, nulli, qui altum quiddam, aut magnificum cogitant, respicienda. Et re vera ab[…] à recto diuitiæ, honores, potentia, & ea, quæ opinione hominum cara sunt, pretio suo vilia; nescimus æstimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. Nihil habent ista magnificum, quod mentes nostras in se trahat, præter hoc, quòd mirari illa consueuimus.* Quare Basilius [e] cùm de diuitiarum contemptu non pauca disseruisset, subdit. *Ne esto circa præsentia hæc pusillo, aut deiectiore animo, quin potiùs vitam illam tibi operitor beatam prorsus, nec vllo fine claudendam.* Et alibi [f]. *Si tibi multa vndique quasi ex copiosissimis fontibus affluxerint opes, noli luculentam illarum recipere copiam; diuitiæ si affluant mihi, cum admiratione hanc suscipito vocem, fluxa est diuitiarum natura, suos possessores torrente præ rapido ocyùs prætercurrit, alios alio modo apta mutare Dominos. Quemadmodum fluuius ex alto fluens loco, ita subitò exuberat, vt stantes in ripa quandoque attingat. Simul verò vbi attigit mox secedit, sic & opum lubrica decliuitas perniciosissimam exhibet ex prolapsione leuissimam sui præsentiam aliud ex alio natam permutare.*

[d] lib. de ira. cap. 32.
[e] in ps. 48.
[f] [illegible]

VI. Multa deinceps addit, quibus luculenter ostendit, hæc mortalia, & caduca bona, quæ tanti à plerisque fiunt, instabilia esse, & leuissimo momento nouos dominos admittere, & mutare. Componendus igitur, firmandúsque est animus, vt hæc omnia, quæ cœli ambitu concluduntur, nec magni æstimentur, nec magnopere appetantur, nec denique, vbi possidétur, studiosiùs retineantur, nec si amittantur, acerbiori luctu deplorentur, cùm aliquando tandem descenda sint. Hoc igitur est, quod ait Petrus; *cùm hæc omnia dissoluenda sint, quales oporteat vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus.* Animus quippe tranquillus, & bene compositus suas omnes externas actiones ita moderatur, vt sanctitatem, morúmque innocentiam non solùm præseferat ipse, sed alios suo exemplo ad omnem pietatem, ac sanctitatem informet.

VII. Sic etiam docuit idem Petrus [a], cùm dixit. *Conuersationem inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Bonam autem, ac sanctam conuersationem describit Basilius [b]. *Equidem*, ait, *illam ego existimo honestam, & ex ordine esse viuendi in communi fidelium societate rationem, in qua membrorum inter se corporis similitudo conseruatur, vt videlicet alius sit, qui oculi locum obtineat, cui scilicet regenda totius societatis delata procuratio sit, quique & quæ iam facta sint aut probet, aut improbet, & quæ facienda ante prouideat, diligentérque consideret. Alius item qui aurium, ac manus in iis audiendis, tractandísque, quæ audiri, ac tractari conueniat, quæ in re singuli ex ordine singulorum inter se membrorum similitudinem attingant.* Cúmque plura in eam sententiam disseruisset, concludit. *Quambrem debet vnusquisque eo in loco, in quo est, studium suum abiecta prorsus omni cunctatione alacriter præseferre.*

[a] ep. 1. c. 2. 12.
[b] Regul. fus. disp. 24.

VIII. Gregorius verò Nazianzenus [c] nihil ait referre *quo habitu simus, & cum quibus consuetudinem habeamus, modò nos ita comparemus, vt siue soli simus, mentem à sensibus contrahamus, siue cum aliis versemur, in communi hominum cœtu tamquam in secreto viuamus, atque inter eos, qui minimè philosophantur, philosophiæ studia colamus, & quemadmodum arca illa Noë, quæ in diluuio diluuium enasit, atque ingens illud Mosis spectaculum, hoc est, ille montis rubus, quem ignis vrens non perurebat, eodem modo nos quoque nec ex vulgi contagione detrimentum vllum contrahamus, quemadmodum nec adamas ab iis, à quibus percutitur, & pro virili nostra caremus, vt alij per nos meliores efficiantur.* Quantopere autem à malorum consuetudine cauendum sit, docet Chrysostomus [d]. *Resurrectionem, ait, Theodore, non ambigis fore, & illud cœleste iudicium, quod nos post finem vitæ huius expectat. Omnes, inquit B. Apostolus, nos astare oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum; non incassum gehennæ enim pœnæ denunciatur nec frustra tot, ac tantorum bonorum præmia præparantur: vmbra autem quædam, ipsisque vmbris inanior, nequiórque est conuersatio sæcularis, plena periculorum, plena tormentorum extremo cuidam seruitio subiugata.*

[c] Orat. 23.
[d] epist. 6 ad Theod. Monac.

IX. Porrò Apostolus numerò multitudinis; *in sanctis*, ait, *conuersationibus.* Tum quia necessariò cum pluribus versandum est, tùm quia significat vitæ rationē omni ex parte integrā, sanctam, perfectámque esse oportere; quod ipsū de *pietatibus* accipiendū est, vt enim auctore Dionysio [e], affirmāt Theologi necesse est bonum ex integra causa, hoc est, omnibus suis partibus, ac numeris perfectū, atque absolutū existere. Conuersationem verò Græcè ἀναστροφὴν à pietate, hoc est εὐσεβείᾳ distinguit, quòd illa respiciat ciuilem, atque humanam consuetudinem inter homines, hæc autem ad Dei cultum potissimùm referatur; vtrumque enim necessarium est, vt egregiè explicat Paulus [f]. *Prouidentes, ait, bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

[e] c. 4. de diu. nom.
[f] ad Rom. 12. 17.

X. Ait autem Bernardus [g], *debet quisque quantum potest, se irreprehensibilem exhibere, primùm quidem coram Deo, sed deinde etiam coram hominibus.* Tum allatis Apostoli verbis subiicit. *Tribus siquidem modis prouidemus bona coràm hominibus, id est, habitu, actione, sermone. Habitu ne sit notabilis, actione ne sit reprehensibilis, sermone ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione, & intentione, nam*

[g] Serm. de tripl. iud.

& cogitatio debet esse sancta, unde scriptum est. Cogitatio sancta seruabit te, & affectio pura, intentio recta. Sunt autem tria ista, id est, cogitatio, affectio, intentio in anima, sed in ea quoque propriis singula locis distincta videntur. Nam cogitatio in memoria est, affectio in voluntate, intentio in ratione. Et plura deinceps: certè Augustinus [a] ex hoc loco eorum impietatem refellit, qui olim solam fidem sufficere docebant ad salutem, quod etiam noui hæretici, quasi mali oui pessimi corui auidè arripuerunt, & quotidie suis sectatoribus impudenter inculcant, cùm tamen hoc loco Petrus sanctam conuersationem, ac pietatem exigat, quod deinde in iis, quæ consequuntur, planiùs, ac fusiùs explicat. Luculenter autem hac ipsa [b] epistola docuerat, cùm dixit, *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

a lib. de fid. & oper. c. 14.

b cap. 1. 10.

12. *Expectantes, & properantes in aduentum diei, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.*]

I. Duo quædam valdè perfecta exigit Petrus vt videlicet ita conuictum, consuetudinémque suam fideles cum omnibus componant, & pietatem aduersus Deum colant, quasi non expectent solùm, sed valdè etiam, atque auidè capiant Christi aduentum, non priorem illum quidem, quem præstolantur Iudæi, sed frustra, cùm iam præterierit; verùm posteriorem illum, quo hæc mundi moles ardore ignis ambusta in melius commutabitur. Expectatio sanè assiduam cogitationem, & sollicitam quamdam diligentiam exigit, de qua Christus in Euangelio [c]. *Sint*, inquit, *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Quibus verbis non solùm expectandum monet, sed etiam expectationis modum præscribit, qua de re ita loquitur Augustinus [d]. *Lumbos nostros accinctos esse voluit, & lucernas ardentes; quid est lumbos accinctos? declina à malo; quid est lucernas ardentes habere? hoc est, & fac bonum. Quid est, quod adiunxit, & ait. Et vos similes estote hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis; nisi quod in illo psalmo sequitur. Inquire pacem, & persequere eam? hæc tria, hoc est, abstinentia à malo, & operatio boni, & spes præmij æterni commemorata sunt in Actibus Apostolorum [e], vbi scriptum est, quia docebat eos Paulus de continentia, de iustitia, & spe vitæ æternæ. Ad continentiam pertinet, sint lumbi vestri accincti; ad iustitiam pertinet, & lucernæ ardentes; ad expectationem Domini pertinet, quæ est spes vitæ æternæ. Ergo declina à malo, hæc est continentia; hi sunt lumbi accincti; & fac bonum, hæc est iustitia; hæ sunt lucernæ ardentes; quære pacem, & sequere eam; hæc est expectatio futuri sæculi.*

c Luc. 12. 35.

d Serm. 39. de verb. Do.

e cap. 14. 25.

II. Sic etiam Paulus [f] ait. *Vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Quem locum expendens alicubi [g] Bernardus eadem penetratione docet Christi aduentum expectandum esse. *Impietas* ait, *erat incredulitas, quia Deum nec credebamus, nec colebamus. Deum enim sicut pium est colere, sic impium est abnegare. Sæcularia desideria sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, quæ trahunt, & inclinant ad amorem sæculi. Istis abnegatis viuit homo sobriè refrænans concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ; postquam verò incipit esse sobrius, contra duplicem ebrietatem duplicem ponit sobrietatem; ebrietas exterior, voluptatum effusio, interior curiositatum accumulatio; econtrà sobrietas exterior voluptatum cofrænatio, interior curiositatum exclusio. Ita viuit homo sobriè quantùm ad se ipsum, iustè quantùm ad proximum, qui exhibet quod iustum est; iustitia est in duobus, in innocentia, & in beneficentia; innocentia iustitiam inchoat, beneficentia consummat; piè quantùm ad Deum, pietas est in duobus, vt de nobis non præsumamus, sed in Deo perfectè confidamus, vt per eum omnia mundi impedimenta vincamus.*

f ad Tit. 2. 12.

g In paru. Ser. Serm. 12.

III. Addit; *Et properantes in aduentũ diei Domini.* Græcè σπεύδοντας, hoc est, *festinantes*, seu *accelerantes*, vt non solùm Christi aduentum præstolentur, sed etiam optent, vt quamcitissimè Christus adueniat, quod vt suprà dixi, eorum est proprium, qui in Christianæ virtutis stadio magnos fecere progressus, idque Christus Dominus in oratione Dominica petendum monuit, cùm enim dicimus, *Adueniat regnum tuum*; interprete Augustino [a] hunc eius aduentum flagitamus, ait enim, *quòd siue volimus, siue nolimus, vtique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur.* Nam vt ait Paulus [b], iustitiæ corona reposita est iis, *qui diligunt aduentum eius.* Quo loco Anselmus; *aduentum Iudicis*, inquit, *non diligunt, nisi qui in causa sua habere se iustitiæ meritum sciunt.* Et Theodoretus: *Amat Domini aduentum, qui illius leges sequitur, & ex illis vitam instituit.*

a ep. 121. c. 11.

b 2. Tim. 4. 8

IV. Quærit autem Chrysostomus [c], quonam modo quis diligat aduentum Christi, & respondet; *Si de eius præsentia gaudet; qui verò in eius gaudet præsentia, digna gaudio facit, opes omnes, si opus sit, atque ipsam animam ponet vt bonis fruatur æternis, vt secundùm ipsius aduentum congruo habitu mereatur aspicere cum fiducia, cum gloria, cum claritate, hoc est, diligere aduentum eius; qui illius aduentum diligit, omnia facit, vt ante vniuersalem illum singularis fiat ad eum quidam Saluatoris aduentus. Quis verò iste est? audi dicentem [d] ipsum Dominum nostrum, qui diligit me mandata mea seruabit, & veniemus ego, & Pater, & mansionem apud eum faciemus.* Itaque qui Dei aduentum diligit, is, quantùm in ipso est, Dei aduentum accelerat, hoc est, optat vt quamcitissimè Christus veniat. Ne quis autem Iudæos priorem aduentum adhuc expectaret, posteriorem Christi ad nos aduentum describens ait. *Per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Eadem videlicet inculcans, quæ paulò antè copiosiùs explicuerat; illos enim cœlos ignis ardore soluendos ait, quos post diluuium igni repositos fuisse dixerat, hoc est, aërē, vt diximus, terræ finitimum. Nam quamuis inter doctos in disputationem vocetur, cœlestes ne globi incendio peruerendi, purgandi, atque immutandi sint, ea tamen de re ne verbum quidem hoc loco facit Apostolus, qui perpetuò, vt apparet, de aëre loquitur, & ob eam, quam suprà attuli, causam, addit, *& elementa ignis ardore tabescent.* Græcè *ταχήσεται*, id est, *æstuantia liquescent*, aut *liquefient*; suprà dixerat λυθήσεται alia quadam metaphora vt monui; hic verò respicere videtur ad ceram, aut plumbum, aut aliud quidpiam simile, quod calore liquefiat, vt significet eodem fermè modo fore aliquando, vt elementa nimio ignis ardore colliquescant, ab eo enim statu, in quo nunc sunt, plurimùm recedent.

c Hom. 9. post ad Tim.

d Ioan 14.

V. Porrò hoc Petri argumentum eleganter expressit Isidorus [e] Pelusiota. *Si cœlum*, inquit, *libri instar conuoluetur, & astra cadunt, & Orion, ac terra, & omnia, quæ ipsius complexu coërcentur, igne conflagrant, cunctáque nuda, & aperta magno illi dominicæ præsentiæ diei præparantur. Ecquid ipsum curis liberas, ac non vt rationes redditurus te præparas, verum vt criminum expers, atque incognitus futuris pœnitentiam differs? Vide igitur ne tum demùm tibi in mentem veniat pœnitentia, cum desperationi*

e lib. 1. epist. 182.

sols

ſoli locus erit. Cæterùm quod ait Petrus. *Elementa*
ignis ardore tabeſcent; nonnullam dubitandi materiam
a Eccleſ. 1.4. præbet, ſiquidem Salomō [a], terram ait fore ſempiter-
nam; *Generatio*, inquit, *præterit, & generatio aduenit, ter-*
b li. 17. Mor. *ra autem in æternum ſtat.* Meritò autē ait Gregorius [b],
cap. 5. quæri poſſe, *cùm per Salomonem dicitur. Generatio præ-*
terit, & generatio aduenit, terra verò in æternum ſtat, cur
B. Iob omnia humiliari aſſerat, & auferri, quæ verba per-
ſimilem habent cum Apoſtolo Petro ſententiam; quod enim
Iob ait, humiliari, & auferri, Petrus dicit, tabeſcere, ſeu li-
queſcere. Reſpondet autem Gregorius in hæc verba.
Quod tamen facilè diſcutimus, ſi terra, & cœlum, vel
qualiter tranſeat, vel qualiter maneat, diſtinguamus,
vtraque namque hæc per eam, quam nunc habent, imagi-
nem tranſeunt, ſed tamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt.
c 1. ad Cor. 7 *Hinc namque per Paulum* [c] *dicitur. Præterit enim figura*
d Matth. 2. 3. *huius mundi; hinc per ſemetipſam Veritas* [d] *dicit. Cœlum,*
& terra tranſibunt, verba autem mea non trāſibunt. Hinc
e Apoc. 21. *ad Ioannem* [e] *angelica voce perhibetur. Erit cœlum no-*
uum, & terra noua, quæ quidem non alia condenda ſunt, ſed
hæc ipſa renouantur. Cœlum igitur, & terra & tranſit, &
erit, quia ab ea, quam nunc habet, ſpecie per ignem tergi-
tur, & tamen in ſua ſemper natura ſeruatur; vnde per
f pſ. 101. *Pſalmiſtam* [f] *dicitur. Mutabis ea, & mutabuntur, &*
plura deinde; quocirca meritò ſubdit Petrus.

13. *Nouos verò cœlos, & nouam terram ſecundum pro-*
miſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia ha-
bitat.]

I. Sic planè dixit Iſaias [g]. *Ecce enim ego creo cœlos nouos,*
g cap. 65. 17. *& terram nouam.* Ruſſus [h]. *Sicut cœli noui, & terra no-*
h cap. 66. 22. *ua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus.* Et Ioan-
i cap. 21. 1. nes in Apocalypſi [i]. *Et vidi, ait, cœlum nouum, & ter-*
ram nouam, primum enim cœlum, & prima terra abiit, &
mare iam non eſt. Suprà autem oſtenſum eſt, quanam
ratione cuncta innouanda ſint, ſiue hæc innouatio
Iudicis aduentum præcurrat, ſiue, quod magis reor,
iudicium ſequatur. Meritò autem ambigitur, quos
cœlos, & quam terram intelligat, cùm mox addat:
in quibus iuſtitia habitat, quæ verba ſi referātur ad cœ-
lū nouum nouámque terrā, planè ſignificare vidētur,
cœleſtia corpora fore noua, quia in illis, verè, cœlo
empyreo etiā comprehenſo iuſtitia habitat, ſiquidé in
illam cœleſtē patriam nihil coinquinatū penetrabit.
II. Igitur qui Chiliaſtarum impietatē ſequuntur, no-
uos cœlos, nouámque terrā interpretantur hæc infe-
riora corpora, quæ iuſtorū vſui deſtinanda putāt, qui
in iis mille annos cum Chriſto regnaturi ſunt, integri
quidē, & puri, atque omnis labis, & culpę prorſus ex-
pertes, ſed omnibus tamē corporis voluptatibus af-
fluentes, quę quidem hæreſis licet magna ex parte vi-
ris ſanctiſſimis Papiæ, Iuſtino, Irenæo, aliiſque non
paucis fucum fecerit, iam pridem ab Eccleſia explo-
ſa, meritoque damnata non poteſt ad huius loci ex-
planationē pertinere, nec vllo modo admittenda eſt.
k Iſaiæ 65. Itaque quamuis Cyrillus [k] Alexand. & Hieron. [k] de
æthereis globis, cœleſtibúſque corporibus hæc verba
accipiant, eáque innouanda eſſe affirment, vt ſuprà
etiā monui, non video tamen, quomodo in his, ſi ter-
ra præſertim comprehendatur habitatura ſit iuſtitia,
cùm præſertim viri Sancti ad cœlum empyreum vnà
cum Chriſto regnaturi inuehendi ſint, impij verò ad
inferos perpetuò cruciandi ſint demergendi.
III. Sunt, qui putent, cœlum nouum, terrámque nouam
iis infantibus permittenda eſſe, qui, cùm nihil vn-
quā perpetrarint in vita, quo communē omnium Pa-
rentem Deum ad iram, atque vltionem prouocarint,
originaria tamē labe coinquinati obierūt, vt naturali
quadā fœlicitate beatáque vita perfruantur, quæ abſ-
que iuſtitia intelligi nequit. Sed quid de hac ſentētia

A exiſtimandum ſit, dicā non ita multò pòſt; nunc tan-
tùm aio, ne ſomniaſſe quidē Apoſtolū hoc inane fi-
gmentum, tantū abeſſe, vt probarit; prætereà quod
non ſatis intelligo, quæ iā in illis, qui originaria labe
inquinati ſunt, vera concipi iuſtitia queat. Malim ego
cœlos nouos, ac terram nouam intelligere eo planè
modo, quo ſuprà diximus, hæc omnia nobis finitima
corpora immutanda, atque innouāda eſſe; quomodo
etiā Iſaiam, & Ioannē interpretor. De his enim verè
affirmat Apoſtolus nouū cœlum, & nouam terram à
nobis expectari. Nam etiā qui Latinè ſcribūt, cœlum
pro aëre, nō rarò vſurpant. Sic enim loquitur M. Tul-
lius [a]. *Cœlum hoc, in quo nubes, imbres, ventique aguntur,* a li. 2. Tuſc.
quod & humidum, & caliginoſum eſt propter exhalationes b Æneid. 8.
terræ. Neque aliter loquitur Virgilius [b]. *Cœlúmque ſe-* c li ad Mar-
B *renat.* Sic omninò Tertullianus [c], *de Sole ad cœlum.* tyr. c. 3.
Quid autem ſit, quod mox ſubiicit Petrus, *in quibus* IV.
iuſtitia habitat: nondū liquet; fateor exiſtimaſſe non-
nullos verba illa nō ad corpora innouata, ſed ad eos,
qui eam innouationem expectant, referenda eſſe, vt
ſenſus ſit, cœlū nouum, & terrā nouam expectamus,
nos quidem qui iuſtitiā colimus, nam cæteri, qui vo-
luptatibus corporis indulgēt, nihil de futura vita co-
gitant, quod quia viris doctis valdè probatur, non
prorſus reiiciendum puto; vero tamen ſimilius credi-
derim referri ad cœlum, & terram, vt his verbis ex-
plicet Apoſtolus, poſt eorū corporum innouationem
nullam in mundo fore impietatem, tūc ſiquidem res
omnes creatas liberandas à ſeruitute corruptionis, vt
loquitur Apoſtolus [d], *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* d ad Rom. 8.
C Quò videtur ſpectaſſe Cyrillus [e], cùm dixit; *vt enim* 21.
principio terra ob Adæ præuaricationem ſubiecta maledi- e li. 3. in Ge. ferè med.
ctioni fuerat, ſic ob Chriſti obedientiam benedictionem aſ-
ſequuta eſt, ſed & alio quodam modo terram ipſam liberam
omni maledictione reddidit, quippe nouos cœlos, nouámque
terram, vt ipſe promiſerat, expectamus, ſicut & ſapientiſſi-
mus ille Saluatoris noſtri diſcipulus aſſerit.
Quamobrem iuſtitia in corporibus innouatis ha- V.
ctenus dicitur habitare, quia non ampliùs corpora il-
la vanitati ſeruient, atque adeò iis prorſus ſordibus
carebunt, quibus propter hominum flagitia in hac
mortali vita quodammodo inquinantur: cùm enim
peccantium vitam foueant, ac tueantur, eorum quo-
que ſcelerū fœditate aliqua ratione inficiuntur. Quò
fortaſſe ſpectauit Oecumenius, qui nouos cœlos, no-
D uamque terram futuram dixit, vt iuſtorū nouitatem,
quoad eius fieri poteſt, repræſentent. Fateor ſi hæc
explanatio admittatur, iuſtitiæ nomen nō ita propriè
accipi, ne cum Origene [f] his etiam corporibus ſen- f lib. 1. Periar. c. 7.
ſum, ac mentem, ac propterea etiam peccatum, & ve-
ram iuſtitiam, ac ſanctitatem tribuamus. Fauet huic
explanationi Ambr. [g] qui hoc modo explicat verba g lib. 5. ep. 21
Pauli [h], *quia ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corru-* h ad Rom. 8
ptionis in libertatē gloriæ filiorum Dei. Quomodo enim 21.
omnia creata nūc quidē ſunt aliquo modo inſtrumē-
ta, & adiumenta flagitiorū, ita facta mutatione in ho-
minibus, extinctíſque penitus priſtinis flagitiis, quan-
tum in ipſis eſt, pietatem, ac iuſtitiam creata omnia
colent, quæ propterea dicitur in iis habitare.
Ambroſius autem eleganti quadam proſopopœia VI.
E rebus inanimis non modò cognoſcendi vim, ſed imi-
tationis etiam ſtudium tribuit, quaſi mortales, dum
tolerāt diuinam bonitatem imitentur. Sic autē loqui-
tur. *Illius ergo imitatrix bonitatē cœleſtes creaturæ licèt in-*
gemiſcant, quòd mundi huius vanitati ſubiecta ſint, conſo-
lantur ſe tamen, quod liberabuntur à ſeruitute corruptionis
in libertatē gloriæ, cùm filiorū Dei adoptio venerit, quæ eſt
vniuerſorū redēptio. Hac itaque ratione docet Petrus, *in*
quibus iuſtitia habitat, quaſi rebus creatis iuſtè redda-
tur innouatio, quòd tādiu vanitati ſubiectæ fuerint,
& iniquorum hominum improbitatem pertulerint.

Quod verò ait, nouos cœlos, nouámque terram expectari, ad statum mundi refertur, qui post iudicium futurus est. Qualis autem post illam innouationem omnino futurus sit, non conuenit inter omnes; neque enim apparet, quis eius innouationis vsus sit futurus, quia neque rerum ortus, neque interitus, qui ad hominum vsum, commoditatémque refertur, necessarius erit, cùm iusti quidem in beatorum cœtu æuo sempiterno perfruentur; impij verò apud inferos numquam cessaturis supplicijs cruciabuntur.

VII. Itaque recentiores nonnulli [a] terram aiunt multò fore amœniorem, pulchriorémque ad eorum, vt supra iudicaui, infantium vsum, qui communi totius naturæ labe infecti obierunt, cùm neque cœlo digni sint, neque inferorum supplicijs cruciandi videãtur, sed in hoc mundo naturalem quamdã beatitudinem nacti omnis prorsus mali expertes beatam vitam traducturi sint in omnem æternitatem. Quamquam autem hæc sententia ab alijs Theologis [b] refellitur, eorum tamen argumenta non magnam videntur habere vim. Mihi certè videtur valde suspecta sententia, & quòd nullo stabili fundamento nitatur, & quod à Pelagiano dogmate ab Augustino sæpius damnato non admodum abhorrere videatur. Siquidem ille [c], cùm alicubi errores Pelagij recenset, inter cætera illud reprehendit, quòd eius sectatores, *infantibus, etiam si non baptizentur, extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quamdam vitam* pollicentur; quod idem hi Theologi affirmant. Alibi [d] verò quasi hanc sententiam perstringens ait. *Nulla igitur ex nostro arbitrio præter baptismum Christi salus æterna promittetur infantibus, quam non promisit Scriptura diuina humanis omnibus ingenijs præferenda.* Et post nonnulla [e]. *Nec salus, nec vita æterna sine baptismo speràda est.*

a Hiero. Sauon. lib. 3. de triúpho crucis c. 9. Ambros. Cathar. hoc loco.
b Sot. 1. de nat. & grat. c. 14.
c Aug. lib. de hæres. c. 88.
d lib. 1. de peccatorum merit. & remiss. cap. 23.
e cap. 24.

VIII. Rursus alio loco [f] coactum ait fuisse Pelagium hanc suam sententiam damnare tamquam à Christiana fide alienam, deinde allatis Christi verbis apud Ioannem [g]. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Confestim subiicit. *Vsque illam* (nimirum vitam) *quæ post hanc mortem futura est, & contra Apostolicæ Sedis auctoritatem, vbi de hac ipsa re cùm ageretur, hoc testimonium adhibitum est Euangelicum, ne paruuli non baptizati vitam posse habere credantur, & contra ipsius Pelagij verba apud Episcopos, vbi anathematizauit eos, qui dicerent infantes non baptizatos habere vitam æternam.* Illa [h] verò apertissima sunt. *Quisquis*, ait, *nobis dixerit, quemquam in resurrectione mortuorum viuificari posse nisi in Christo, tamquam pestis communis fidei detestandus est.* Itémque. *Quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo viuificari omnino non posse. Qui autem non viuificatur in Christo, restat vt in eadem damnatione maneat, de qua dicit Apostolus* [i], *per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem.*

f ep. 106.
g Ioā. 6. c. 53.
h ep. 28.
i Rom. 5. 18.

IX. Non negarim tamen aliò fortasse Pelagianum dogma referendum esse, quòd illius sectatores vitam æternam, & quidem supranaturalem à cœlesti regno distinguerent, & hanc quidem infantibus non baptizatis tribuerẽt, illud omnino negarẽt. Hi verò Theologi naturalem quamdã beatitudinẽ, quæ naturæ viribus comparari posse creditur, concedendam putãt, quod quã maximè, vt apparet, à Pelagiano errore discrepat. Sed hoc ipsũ omnino videtur incredibile; neque enim citra miraculum possent illi infantes vel subitò rerum omnium scientiam consequi, vel sine Magistro quamuis longissimo temporis decursu sibi comparare. Hac autem naturalium rerum cognitione sublata, nulla ne naturalis quidem reliqua potest esse beata vita: quod idem dixerim de virtutibus, quibus humani mores componuntur, & impotentes libidinum motus comprimuntur. Itaque magno consensu Theologi affirmant, eos in Limbo detinendos, corporei quidem doloris, & cruciatus penitus expertes, omni tamen beata vita carentes.

X. Quæ cùm ita sint, qualis futurus sit in mundi innouatione rerum inferiorum status, nõ videtur omnino exploratum. Nam cùm Petrus dicat, terram, & ea, quæ in illa sunt opera comburenda, mirum si mixta, aut animantia rursum reuocanda censeantur, cùm nulli præsertim vsui sint futura; atque hæc videtur cõmunior Theologorum [a] sententia. Anselmus [b] tamen, quem alij [c] libenter sequuntur, ait, *terra, quæ in gremio suo corpus Domini confouit, tota erit, vt paradisus, & quia Sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuò decorata.* Sed cùm ortus, atque interitus rerum non sit futurus, quis credat herbis, ac plantis immortalitatem, & quidem supra naturam concedendam esse? Certè Nemesius [d] homini tantùm propter animæ immortalitatẽ sempiternã vitã tribui posse contendit. Cœli porrò motum post iudicium cessaturũ omnes Theologi affirmãt, & præclarè docet Ambrosius [e]. Siquidẽ ait, *Cœli peribũt, & cœlum, & terra præteribit, postea autem & Sol, & luna, & cætera stellarum lumina requiescent in gloriam filiorum Dei, quando erit Deus omnia in omnibus.*

a in 4. dist. 48
b In elucid.
c Guilelm. Parisien. apud Carthus. in 4. dist. 48.
d lib. de Philos. c. 3. ap. Gregor. Nyssen.
e lib. 5. ep. 11

14. *Propter quod carissimi hæc expectantes satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.*]

I. Quanam ratione extremus mundi dies expectandus sit deinceps docet, cùm præsertim in illo necesse sit, mortales omnes ante Christũ Iudicem sisti, vt præteritæ vitæ, omniúmque suarum actionum rationem reddant. Et quidẽ Sapiens [f] prudenter monet parandam ante iudicium iustitiam. Et aliquantò pòst. *Ante iudiciũ*, inquit, *interroga te ipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.* Denique. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Et profectò cùm multa sint, quæ fideles possint ad virtutis, Christianæque perfectionis studium, atque amorem inflammare, tum præcipuè singularem vim habet extremi iudicij recordatio, quod egregiè docet Basilius [g] his planè verbis.

f Eccle. 18. 19
g In ps. 33.

II. *Si quando*, ait, *te senseris ad vnum aliquod cieri, ac prosilire peccatum, mihi ad mentem reuoca formidabile illud nec vlli mortaliũ tolerabile Christi iudicium, in quo quidem præsidet Iudex in alto, & sublimi throno, astabit porrò creatura omnis pætrepida, & intremiscens ad ipsius gloriosum, & illustrem aduentum: eo singuli quique sistentur de his examinadi, quæ quisque gessit in viuis, deinde eos, qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidem, ac tristes circumstabunt angeli ignẽ paratum continentes, ignem spirantes propter propositi amarulentiam, vultũ præseferentes nocti assimulem pro mœrore, atque hominum odio. Subinde conspicient barathrũ in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignémque obscurum, causticas quidem vires habentem, luce verò destitutum.* Et plura deinceps.

III. Meritò igitur ait Petrus *satagite*, Græcè σπουδάσατε hoc est, omni studio, ac sollicitudine contenditẽ, date diligenter operã; immaculati, inquit, & inuiolati inueniri, Græcè ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι, id est, maculæ, ac labis omnis expertes, adeò vult fideles ab omni scelere, ac turpitudinis nota esse alienos; id autẽ triplici potissimùm ratione fiet. Primùm quidẽ, si quis diuinam maiestatẽ cuncta cernentem semper sibi præsentem cõtempletur, quod visus est insinuare Deus ipse, cùm ad Abrahamũ [h] dixit. *Ambula corã me, & esto perfectus;*

h Gen. 17. 1.

quò

a Prou. 3. 6. quod spectans Salomon [a] ait. *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Eodemque modo
b cap. 4. 6. Tobias [b] senior filium monet. *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Et Michæas [c].
c cap. 6. 8. *Indicabo tibi*, ait, *ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Præclarè
d epist. ad Heron. autem dixit Ignatius [d]. *Memento Dei, & non peccabis.* Clemens verò [e] Alexandrinus, *hac solum ratione fit, vt quis numquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse*
e lib. 3. pæd. c. 5.
f epist. 10. *existimet.* Et quod magis mirere, Seneca [f]. *Sic viue*, inquit, *cum hominibus, tamquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.* Hoc spectasse
g Dan. 13. 23. visa est Susanna [g] sanctissima fœmina, cuius sunt hæc propemodum aurea verba. *Melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Eo-
h Ps. 17. 23. démque modo Dauid [h]. *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me, & ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.*

IV. Deinde diuinorum beneficiorum recordatio in generoso præsertim pectore magnam vim habet ad
i Gen. 39. 9. prohibenda peccata. Ita Ioseph [i] negat se posse contra Dominum suum peccare, a quo ita humaniter, ac liberaliter habitus erat. Atque hæc, ni fallor, sunt illa
k cap. 11. 4. vincula, de quibus loquitur Dominus apud Oseam [k]. *In funiculis*, inquit, *Adam traham eos, & in vinculis caritatis.* Adde diuinas pollicitationes, quibus tamquam quibusdam vinculis nos sibi Deus obligat, &
l Ser. de triplic. cohær. vincul. clau. glutin. obstringit, de quibus Bernardus [l]. *Fune*, inquit, *quodam modo alligatum est Redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi benefacti intuitum, memoriam promissionis, & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpat.* Quantum autem pro di-
m cap. 12. apud August. tom. 9. uinis beneficiis ipsi bonorum omnium auctori debeamus, docet Auctor [m] libri de contritione.

V. Ipse porrò Augustinus hunc planè in modum dis-
n Ser. 67. de temp. serit [n]. *Fecit enim nos, cum non essemus, reparauit nos postea, cum perissemus, mortem suscepit, pretioso nos sanguine liberauit, ad inferna descendit, de faucibus nos æternæ mortis eripuit, cælorum nobis etiam præmia promisit. Hæc omnia fratres dilectissimi pio, & benigno animo cogitantes, quantum possumus cum ipsius adiutorio beneficiis suis vicem rependere festinemus. Non reddamus mala pro bonis, sed quantum possumus voluntati eius obtemperare fideliter studeamus, totis viribus innitentes, vt præcepta ipsius magis nobis pariant de sequacitate remedium, quam de transgressione iudicium.* Et plura deinceps, quæ ad sanctitatem, atque innocentiam retinendam plurimùm valent.

VI. Postremò eodem pertinet Dei timor, quem Ber-
o loco indic. nardus [o] clauo comparat; de quo Dauid [p]. *Confige*
p Ps. 118. 120. *timore tuo carnes meas.* Nam, vt ait Basilius [q]. *Quemad-*
q in Ps. 33. *modum qui corporis membra habent clauis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent, sic ij, quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitant. Timenti itaque non est inopia, hoc est, nulla ad complectendam virtutem desit facultas, cum per timorem ab indecoro omni, & absurda actione reuocatur, & impeditur, sed perfectus est, nullo bonorum, quod humanæ conueniat naturæ destitutus.* Multa
r Ser. 67. de temp. etiam in eamdem sententiam scribit Augustinus [r].

VII. Sed auctore Bernardo [s], nihil validius caritate, quæ
s Ser. de trip. cohær. vinc. clau. glut. glutinis vim obtinet, de quo legimus, *glutino bonum est*; quo Deo adhærere cupiebat Dauid, cùm diceret. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Hac igitur potissimùm ratione satagendum est fidelibus, vt immaculati, & inuiolati inueniatur. Pro *inuiolatis* autem Græcè dixit Apostolus ἀμώμητοι, hoc est, inculpati, & Momi morsibus minimè obnoxij; quod de iis verè affirmari potest, qui vitæ innocentiam colunt. Ita dixit Ioan-
t ep. 1. c. 3. 21. nes [t]. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam ha-*

A *bemus ad Deum.* Et Iob [a]. *Si iniquitatem, quæ est in ma-* a cap. 11. 14.
nu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis. Hoc quippe exigit iure suo à nobis Deus, qui, vt ait Paulus [b]. *Elegit nos in ipso* b ad Ephes. 1. 4.
ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immacu-
lati in conspectu eius in caritate. Et alibi [c]. *Reconciliauit* c ad Colos. 1. 22.
in corpore carnis eius per mortem exhibere nos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. Addit Petrus, *in pace*, illam videlicet pacem intuens, qua Deus nobis placatur, quæ dicitur beneuolentia, Græcè
εὐδοκία, hæc enim pax, interprete Augustino, *exuperat*, d ad Philip. 4. 7.
vt ait Paulus [d], *omnem sensum, & custodit corda, & intelligentias nostras.* Eorum verò potissimùm animos occupat, qui immaculati, & inuiolati reperiuntur,
B hoc est, qui bona conscientia præditi sunt.

15. *Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.*

Mirè congruunt hæc cum superioribus, nam qui I.
dixerat, Christi aduentum expectandum, atque adeò etiam expetendum, addit nunc eius tarditatem, & cunctationem ad electorum salutem referri, atque idcirco fideles monet, vt illam æquo animo ferant, sibique persuadeant, fore illam iustis, atque electis salutarem, tum quia multi fortè prædestinati, atque electi interea fidem complectentur, aut cum Deo in gratiam redibunt, tum etiam quia interea iusti sua
C merita nouis incrementis amplificabunt, dum multa pro Christi nomine perferre cogentur, & Christianas actiones frequentabunt. Ait igitur. *Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini*; Græcè μακροθυμίαν, qua videlicet tam diu hominum scelera, atque flagitia tolerat, neque pro meritis mortales vlciscitur. Sic Paulus [e]. *Sustinuit*, inquit, *in multa patientia* e ad Rom. 9. 22.
vasa iræ, apta in interitum, Græcè κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. Hanc ergo ait Petrus salutẽ arbitramini, quamplurimis enim procul dubio salutem afferet.

Nam vt ait idem Paulus [f], hæc ipsa Dei seu pa- II.
tientia, seu longanimitas à diuina benignitate profi- f ad Rom. 2. 4.
ciscitur, quæ *ad pœnitentiam adducit.*] Egregiè etiam
scripsit Augustinus [g]. *Ne putetis gratis esse malos in hoc* g in Ps. 54.
mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus
D *aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.* Et quidem cùm peccator expectatur à Deo, vt resipiscat, & corrigatur, eximia quædam, ac singularis Dei misericordia censenda est,
de qua Hieremias [h]. *Misericordiæ Domini, quia non* h Thren. 3. 22.
sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Atque hac ratione Dauid, aliique eius similes, & ipse Paulus Apostolus salutem consequuti sunt, qui hac seclusa misericordia omnino perituri erant. Quanti autem hæc misericordia facienda sit, luculenter docet Bernardus [i]. i Ser. de triplic. miser. & quatuor misericord.

Paruam, ait, *misericordiam dico, expectationem qua* III.
non statim punit peccantem, sed expectat ad pœnitentiam, paruam autem non in se, sed ad comparationem aliarum. Alioquin magna planè, magna omnino misericordia expe-
E *ctatio Domini est, nam peccantem Angelum omnino non expectauit, sed præcipitauit, hominem quoque peccantem non distulit, sed protinus expulit de Paradiso. Nunc iam expectat, dissimulat, sustinet decem annis, viginti, vsque ad senectutem, & senium. Et si consideremus quanta, & quamplurima peccata quotidie fiunt, nónne leuia reputamus illa, quæ tam continuè damnationis excepere sententiam?* Et aliquantò pòst. *Hanc ergo misericordiam Domini, qua tardat ferire paratus ignoscere, paruam non quidem in se ipsa, sed aliarum comparatione nominaui; quia hæc siquidem sola fuerit, nulli omnino sufficit ad salutem.*

IV. Solet autem Deus interdum rebus aduersis improbos ad saniorem mentem, & salubriora consilia reuocare. Quam ob causam dixit Isaias[a]. *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit.* Ita enim intelligunt impij Deum esse iustissimum scelerum vindicem. Sic alibi dixit idem Isaias[b]. *Cùm feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis.* Quo loco Hieronymus, *Quamdiu*, ait, *non exerces iudicia tua super terram, & nec bonis bona, nec malis retribuis mala; iustitia tua ô Domine Deus ignoratur in terra. Cùm autem iudicij die pro qualitate operis vnicuique reddideris quod meretur, tunc iustitia tua cognoscetur in orbe terrarum, quæ priùs apud incredulos videbatur iniusta.* Quamquam Hieronymus ad extremi iudicij diem iustitiæ declarationem refert, cùm tamen alij de ea iustitia loqui prophetam non dubitent, quæ interdum in hac B mortali vita exercetur, quæque nonnumquam impios erudit, & iustos magnopere confirmat, de qua re Dauid[c]. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Quem locum explicans Gregorius[d] eleganter docet, impiorum supplicium, & iustis, & improbis plurimùm prodesse. *Dum itaque*, ait, *alienum interitum conspiciunt, reuocantur ad cor, vt recogitent suum, & vnde alius ad tormenta ducitur, à tormento alius inde liberatur. Stringit ergo super eum manus suas, quia conspicit in aliena pœna quid timeat, & dum delinquentem sic percussum conspicit, dissoluta sua opera iustitiæ vigore constringit, sicque fit, vt qui iniquus viuens multos ad culpam traxerat delectatione peccati, quosdam moriens à culpa reuocet terrore tormenti*; atque hæc quidem de im- C probis.

a cap. 28. 19.
b cap. 26. 9.
c Psal. 57. 11.
d 18. Mor. c. 13.

V. Mox verò de iustis subdit. *Quod etiam prouenire bonis Psalmista testatur dicens. Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam impiorum, manus suas lauabit in sanguine peccatorum. In peccatorum morientium sanguine iusti lauantur manus, quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur.* Monet itaque Petrus, vt fideles hanc Dei benignitatem, & misericordiam agnoscant, & tam iustis, quàm impiis salutarem esse non dubitent. Non est enim, vt ipse ait apud Ezechielem[e], voluntatis eius *mors impij, sed potius vt conuertatur, & viuat.* Quin potiùs, vt ait Paulus[f], *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

e cap. 18. 23. & c. 33. 11.
f 1. ad Tim. 2. 4.

VI. *Sicut & carissimus frater noster Paulus secundùm da-* D *tam sibi sapiētiam scripsit vobis.* Paulum coapostolum, ac fratrem suum carissimum laudat; sed quem locum ex ipsius Epistolis indicet, non facilè dixerim. Nam Oecumenius refert ad Epistolā ad Romanos[g], vbi Paulus ait. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*; addunt alij plura loca, vt ad Corinthios[h], ad Galatas[i], ad Thessalonicenses[k], ad Timotheum[l]. Sed cùm Petrus ad Hebræos dispersos scribat, dicatque Paulum ad eos scripsisse, non possum mihi persuadere ad ea Pauli loca animum intendisse Petrum. Sunt qui velint illum respexisse quæ scripta sunt in Epistola ad Hebræos[m], quæ nos alibi adnotauimus, hoc est; *cupimus autem vnumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem.* Sed si hæc Petri verba referantur ad ea, quæ E proximè dixit, Dei longanimitatem salutem esse existimandam, non video, quid eo loco Paulus simile habeat cum hac Petri sententia, qui tamen indicat iisdem de rebus Paulum loqui. Quocirca verosimilius crediderim Petri verba ad ea omnia referenda esse, quæ tota hac Epistola, præsertim hoc postremo capite scripta sunt. Et quidem longanimitatem commēdat Paulus, dum ad spem, & confidentiam hortatur, quod facit tota Epistola ad Hebræos[n].

g cap. 2.
h ep. 1. ca. 9. 15. & ep. 2. c. 21. & 18.
i cap. 1. & 2.
k ep. 1. c. 2. & ep. 2. c. 1. & 2.
l ep. 2. c. 4.
m cap. 6. 11.
n Præsertim c. 3. 6. & 10.

VII. Augustinus[o] certè videtur hæc verba Petri de A omnibus Pauli Epistolis accipere, cùm enim ageret de verbis Pauli, quæ scribit ad Corinthios[a]. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam:* cōcludit. *Si autem ista & vera, & clara sunt, procul dubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus, atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit, esse in scriptis eius quædam difficilia intellectu.* Sed vt apparet de proxima sequenti sententia agit Augustinus, de qua mox dicendum erit, in qua procul dubio loquitur Petrus de omnibus Epistolis Pauli, hîc autem singularē quempiam locum innuit ex Epistola ad Hebræos, cùm dicat Paulum ad eosdem scripsisse, quos ipse alloquitur. Sapientiam autem Pauli nominat, quæ cùm in omnibus Epistolis, tum præcipuè in ea, quæ est ad He- B bræos scripta, maximè elucet.

o de fid. & oper. c. 15.
a ep. 1. c. 3. & 12.

VIII. Obseruant autem nonnulli Petri modestiam, & caritatem, quòd suum olim reprehensorem non solùm laudet, sed etiam carissimum fratrem appellet, quasi nihil penitus eius libera obiurgatione, increpationéque fuerit offensus, vel indignatus, vt Apostolicam sanctitatem facilè quiuis agnoscat. Laudat autem Pauli sapientiam non tam studio, ac labore partam, cùm ad pedes Gamalielis eruditus est, quàm diuinitùs haustam, cùm sancti Spiritus munere nulla humana ope adiutus Euangelium didicit, atque idcirco datam sapientiam nominat Petrus, quasi dicat, non humana industria comparatam, quamquam altera alteram iuuat, & vtraque quodā modo data dici potest, cùm Deum habeat auctorem. Ait enim Sapiēs[b]. C *Omnis sapientia à Domino Deo est*, siue tāquam à conditore naturæ, siue tāquam à gratiæ auctore, & largitore. Cæterùm quāuis omnes Apostoli, qui Spiritum sanctū acceperūt, eius diuina munera, & charismata, atque adeò sapientiā cōsequuti sint, magis tamen in Paulo sapientia emicuit, & ob eam causam in Actis Apostolicis[c] à nōnullis gentilibus pro Mercurio habitus est, quem vano errore delusa gentilitas sapiētiæ Deum existimabat. Magnum sanè Pauli Epistolæ testimonium habent, cùm ab eo non probentur modò, sed laudibus etiam celebrentur, cùm dictum est à Domino[d]. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

b Eccl. 1.
c Act. 14. 12.
d Luc. 22. 32.

IX. Inde manauit ad posteros, ac successores Petri auctoritas probandi sacras literas, easque vniuersæ Ec- D clesiæ proponendi, non enim ad Romanum Pontificem tantùm spectat, iudicare de vero Scripturæ sensu, sed etiam statuere, quis canonicus liber censendus sit, quis contrà adulterinus, ac spurius. Magna igitur Epistolis Pauli accessit auctoritas ex hoc Petri elogio, quemadmodum Pauli Euangelium eiusdē Petri suffragio probatum fidem, atque auctoritatē in vniuersa Ecclesia obtinuit; quòd si Petri assensus deesset, vt scribit Augustinus[e], Ecclesia illi non crederet. *Apostolus*, inquit, *Paulus post ascensionem Domini de cælo vocatus, si non inuenires in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.*

e lib. 28. con. Faust. c. 4.

16. *Sicut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his,* E *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*]

I. Vel hinc quiuis facilè deprehendat, non vnum aliquem certum locum indicari à Petro, sed vniuersim Pauli Epistolas laudari, in quibus multa leguntur his, quæ à Petro dicta sunt, admodum consentanea. Quòd ergo dixit Petrus imminere tempora periculosa, futuros pseudoprophetas, ac pseudomagistros, Dei benignitatē patienter expectare, dum peccatores

errores scripserant, & id genus alia, passim inculcantur à Paulo, ac propterea rectè ait Petrus in omnibus Epistolis loqui Paulum de his, quæ videlicet à se fuerant hac tota Epistola perscripta. Quod vero ait Petrus in Pauli Epistolis quædam esse difficilia, verissimum esse deprehendent ij, qui eas paulò diligentiùs peruoluerint. Hinc autem facilè colligas, quanto in errore versentur hæretici [a], qui sacras literas per se perspicuas, & in clarissima luce positas cuiuis facilè peruias esse affirmant,

a Lutherus. Ochin. Kem.

II. Verùm quoniam de Scripturæ obscuritate hac ipsa Epistola non [b] semel disserui, plura dicenda non sunt. De sapientia porrò, quæ maximè in Epistolis Pauli deprehenditur, sic planè loquitur Chrysostomus [c]. *Paulum archetypum bonorum, cui omnem prædicationem res orbis, mysteria cuncta, vniuersamque dispensationem Deus concessit, ipse cælum, solem habens iustitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum, & profundissimum.* Re namque vera Pauli epistolæ omnia penè Christianæ religionis mysteria mirabiliter explicant. De gratia enim, de præscientia, & necessitate fidei, de Christi redemptione, totáque eius œconomia, de matrimonio, & iure coniugum, de cœlibatu, ac virginitate, de augustissimo Eucharistiæ sacramento, sacrificioque, de nouem Angelorum ordinibus, de Episcoporum, presbyterorum, diaconorumque functionibus, totóque ordine hierarchico mira quadam sapientia disserit Paulus. Tanta verò dicendi copia, vt meritò de illo scripserit Hieronymus [d], *Paulus vas electionis, tuba Euangelij, rugitus Leonis nostri, flumen eloquentiæ Christiana, qui mysterium retrò generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur. quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.*

b cap. 1.

c Hom. 4. de laud. Pauli.

d ep. 61. ad Pammach.

III. Et quod magis mirere, Chrysostomus [e] apud Ethnicos disceptatum fuisse affirmat, esset ne Paulus Platoni anteferendus, cuius illi doctrinæ grauitatem, subtilitatémque, & dicendi maiestatem, & grandiloquentiam adeò mirabantur, vt ob id diuini illi cognomen magno consensu tribuerint. Et quid mirum, cùm ipse asseueret se diuinitùs in tertium vsque cœlum, atque adeò in paradisum fuisse sublatum, audiuisseque arcana verba, quæ non licet homini loqui? Quocirca verè omnino Dionysius Areopagita [f] Paulum vocat communem nostrum solem. Et alibi eundē sapientiæ abyssum, à quo ipse abdita quædam mysteria, totámque Ecclesiasticam, & cœlestem hierarchiam accepisse se gloriatur; vt minùs mirandum sit, quod alicubi affirmat Origenes, existimasse nonnullos Paulum esse veritatis Spiritum à Patre missum, quem pollicitus est discipulis suis Christus, cùm dixit [g]. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

e Hom. 3. in 2. ad Cor.

f c. 7. de diu. nom.

g Io. 14. 16.

IV. *In quibus sunt quædam difficilia intellectu.* Planè ita est, cùm enim mens illa Pauli diuinæ cuiusdam sapientiæ oceano, vt ita dicam, redundaret, nec verbis semper assequeretur rerum magnitudinem, legentium animis tenebras interdum offundit, quòd non raro syntaxim negligat, multa commisceat, inferat, incidat, mutilet, diuaricet, & vt vno verbo cuncta complectar, non raro absorbeat. Ita nonnumquam apud illum legas aposiopeses, mutilas sententias, hyperbata, anantapodota, & id genus tropos, qui non exiguam pariunt obscuritatem. Mitto Græcas, & Hebræas phrases, & frequentes Hebraismos, quos qui non bene callent, coguntur de Apostoli sensu frequenter hæsitare. Ita Augustinus [h] fatetur se inchoatam Epistolæ ad Romanos explanationem magnitudine deterritum, rudem, & inchoatam omisisse. *Cœperam*, inquit, *in Epistolam ad Romanos, sed quoniam si perficeretur, plures futuri erant libri, & ipsius operis labore, ac magnitudine deterritus in alia faciliora deflexus sum.*

h lib. 1. retract. c. 25.

V. Quamobrem non immeritò de Paulo Apostolo hæc alicubi scripsit Eusebius [a]. *Paulus, qui inter ceteros Apostolos eruditior etiam in verbis videtur, & in sensibus præpotens, non ampliùs quam paruulum Epistolarum suarum corpus reliquit, quod vtique immensa continet intra se, atque innumera sacramenta, vtpote qui vsque ad tertium cœlum raptus, quæ gererentur inspexerat, & in ipsum quoque Deo dignum paradisum adductus viderat ibi ineffabilia verba, & doctrinam illius mirum scholæ discipulus effectus exceperat.* Nil igitur mirum, quod hoc loco ait Petrus multa in Pauli Epistolis difficilia deprehendi. Nam & ipse Apostolus Paulus hoc non obscurè insinuat, cùm ad Ephesios [b] scribit. *Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, vt innotescat principibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.*

a lib. 3. hist. c. 24.

b cap. 3.

VI. *Quæ indocti, & instabiles deprauant.* Nimirùm eiusmodi est diuina sapientia Pauli, quæ omnes propemodum hæreses conuellat, quæ causa fuit, vt permulti hæretici eas magnopere detestati sint; quidam enim eas omnes prorsus repudiarunt, atque exploserunt, quorum princeps, ac parens, vt Irenæus [c], & Eusebius [d] affirmant, fuit Ebion, quem festiuè Ignatius mentis inopem interpretatur, vt enim Eusebius [e], Epiphanius [f], & Theodoretus [g] obseruarunt, Ebion Hebraica lingua inopem, ac mendicum significat. Cùm enim ille legem veterem vnà cum Euangelio coniungendam, retinendámque doceret, Paulum tamquam legis hostem, apostatam, & Græcum, vt Epiphanius [h] ait, per summam contumeliam appellabat, omnesque eius Epistolas de medio tollebat, & fabulam nescio quam de ortu, & defectione Pauli ad Iudaismum confingebat. Eius errorem teste Eusebio [i], cōplexi sunt Helchesenæ hæretici, qui imperante Philippo Augusto omnes Pauli Epistolas reijciendas censuerunt.

c lib. 1. c. 26.

d lib. 3. hist. c. 27.

e lib. 3. hist. c. 21.

f Hær. 30.

g lib. 2. de hæret. fab.

h Hær. 30.

i lib. 6. hist. c. 27.

VII. Alij non omnes quidem Pauli Epistolas prorsus respuere ausi sunt, sed eas dumtaxat, quas cum suis dogmatibus ex aduerso pugnare animaduerterent. Ita Encratitæ, quorum princeps fuit Tatianus Iustini Martyris quondam auditor, vt auctor est Eusebius [k], Epistolas ad Timotheum, & Titum reiecerūt. Arius Epistolam ad Hebræos, Marcion duas ad Timotheū, vnam ad Titum, & Epistolam ad Hebræos, vt Hieronymus [l], & Epiphanius [m] testantur. Porrò Marcion illas ipsas decem Epistolas Pauli, quas probabat, in multis adulteratas, mutilatas, truncatas, & plerisque etiam ascititus additamentis intermixtas habuit, ex quibus volumen conflauit, addita in calce Epistola ad Laodicenses Pauli nomine inscripta, & librum Apostolicum nuncupauit. Qui verò Pauli Epistolas admittunt, non omnia, quæ in eis scripta sunt, probant, vt quidam anonymus Fabricij discipulus, contra quem Augustinus duos scripsit libros contra aduersarium legis, & Prophetarum. Hic igitur, vt idem Augustinus [n] scribit, *pro qualitatibus ingeniorum in quinque personis Paulum loquutum esse*, aiebat, *vnam autem Iudæorum, alteram eorum, qui sub lege sunt, tertiam eorum, qui sine lege sunt, quartam infirmorum, quintam denique perfectorum esse dicebat.* Atque ita Paulum nonnumquam aliter loquutum, quàm ipse sentiret, & cùm legē, aut Prophetas laudat, in gratiam Iudæorum loqui, & eorum veluti personam induere, cùm tamen ipse alia omnia

k lib. 4. hist. c. 29.

l in præf. ep. ad Tit.

m Hær. 42.

n lib. 2. con. aduers. leg. & prophet.

existimaret, qui se gentilibus sine lege esse affirmaret. A

VIII. Aëriani porrò, vt obseruauit Epiphanius [a] Pauli dictata duas veluti in classes partiebantur, & alia quidem asserebant eum diuini Spiritus impulsu scripsisse, quæ maximè probanda essent, nonnulla verò humano more, quasi Spiritu sancto destitutum effudisse, quæ repudianda essent. Verùm hos omnes acutè more suo perstringit Hieronymus [b]. *Si redderent*, inquit, *causas cur has epistolas Apostoli esse, & Apostolo dignas non putarent, tentaremus eis aliquid respondere, & forsitan satisfacere lectori; nunc verò cùm hæretica auctoritate pronuncient & dicant: Illa Epistola Pauli est, hæc non est, ea auctoritate se pro veritate intelligant refelli, quia ipsi non erubescunt falsa simulare.* Nec multum ab his abhorrent [c] illi, qui sacros Scriptores memoria subinde lapsos non leues quosdam errores admisisse, ausi sunt affirmare, quo nihil fingi potuit impudentius, ne dicam improbius. Si quis enim error in sacris litteris semel admittatur, omnis eorum auctoritas nutat, facileque hæretici cùm se Scripturæ testimoniis vrgeri sentient, ibi statim erratum clamitare poterunt.

a Hær. 76.
b Præf. in ep. ad Titum.
c Erasm. ca. 2. & 27. in Matt.

IX. Igitur hi omnes Pauli Epistolas deprauant, sed præter hos Faustus, vt auctor est Augustinus [d], deprauatas aiebat esse Pauli Epistolas iis in locis, quibus ille ait [e] Christum esse ex semine Dauid secundùm carnem, eam enim sententiam tamquam falsam ab eodem Apostolo fuisse damnatam, cùm ad Corinthios [f] scribit. *Nos neminem nouimus secundùm carnem, & si cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* Verùm, vt egregiè docet Augustinus, hæc duo, quæ Marcioni adeò inter se pugnare videntur, vt vtrumque verum esse non queat, nullo modo pugnant. Christum enim Dominum ex semine Dauid natum esse, idem Apostolus non vno loco dicit, & aliæ sanctæ Scripturæ apertissimè prædicant; quòd verò dicit. *Et si nouerامus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus, ea ipsa circumstantia Scripturæ loci eius satis ostendit, quid loquatur Apostolus. Suo quippe more vitam nostram futuram, quæ iam in ipso homine mediatore Christo Iesu capite nostro resurgente completa est, ita spe certa meditatur, quasi iam adsit, præsensque teneatur; quæ vtique vita non erit secundùm carnem, sicut iam Christi vita non est secundum carnem.*

d lib. 11. con. Faust. c. 1. & 7
e ad Rom. 1.
f 2. ad Cor. 5. 16.

X. Mox verò explicans Augustinus, quid carnis nomine eo loco intelligat Paulus, subdit. *Carnem namque hoc loco non ipsam corporis nostri substantiam, quam Dominus etiam post resurrectionem suam carnem appellat, dicens [g]. Palpate, & videte, quia Spiritus ossa, & carnem non habet, sicut me videtis habere, sed corruptionem, mortalitatemque carnis vult intelligi, quæ tunc non erit in nobis, sicut iam in Christo non est.* Nouerat igitur aliquando Paulus Christum secundùm carnem morti videlicet obnoxium, & vt ait Augustinus, *secundùm carnis mortalitatem antequam resurgeret, sed nunc iam non nouimus, quia sicut idem dicit Apostolus [h], Christus resurgens a mortuis iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur.* Quòd si Faustus verborum vrgeat proprietatem, fateatur necesse est, mentitum esse Apostolum, cùm dixit. *Noueramus Christum secundum carnem, si Christus numquam fuit secundum carnem, nemo enim nouerat quod non erat.* Adde quòd si propterea existimandum est Christum non habuisse carnem, quia dixit Apostolus, nunc iam non se nosse Christum secundùm carnem, nec illi, vt colligit Augustinus, habuerunt carnem, de quibus in eodem loco dicit; *itaque nos amodò neminem nouimus secundum carnem. Quod idcirco dictum est, quia illorum fidem vitam futuram tamquam præsentem meditabantur, qui resurgentes commutabuntur, amodo, inquit, neminem nouimus secundùm carnem, id est, iam certam spem tenemus futuræ nostræ incorruptionis, & immortalitatis, vt amodo iam in ipsa nostra gaudeamus.*

g Luc. 24. 39.
h ad Ro. 6. 9.

XI. Porrò quod Fabricij discipulus, & legis, ac prophetarum aduersarius obiicit, rectè ab Augustino [a] refellitur. *Quod enim*, ait, *dixit [Paulus] non fallentis astu, sed compatientis affectu, qui diuersis animarum morbis tam misericordi corde subuenit, quam sibi subueniri voluisset, si errore, vel infirmitate simili laboraret, hic in fallaciam detestabilem vertit.* Addo quòd Iudæos alloquens negat illos ex lege iustificari; & ad Gentiles scribens exemplum Abrahæ illis proponit hominis planè ignoti, vt semper se sui similem esse declaret, qui legem sanctam, ac iustam B esse affirmet, quæ tamen sine fide, aut gratia prodesse non queat. Dixit [b] quidem aliquando. *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, non dum enim poteratis. Et sapientiam loquimur inter [c] perfectos; & animalis [d] homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei.* Sed subiicit Augustinus. *Absit vt putemus eum inaniter, nec veraciter ista dixisse, numquid tamen ideo credendus est, quemquam sibi credentium fallere voluisse? Dedit igitur paruulis parua, non falsa, lactea, non noxia, nutrimenta, non peremptoria.* Et plura deinceps subiicit, quibus docet nihil esse à Paulo scriptum siue pro lege, siue contra legem, quod non sit verum, & ex animo pronunciatum. C

a lib. 2. con. aduers. leg. & prophet. c. 9.
b 1. ad Cor. 3. 2.
c 1. ad Cor. 2. 5.
d Ibid. v. 14.

XII. Quòd verò Aëriani mentiuntur quædam scripsisse Paulum humano more, ac Spiritu sancto destitutum, planè ipsorum amentiam, atque impietatem indicat, nec enim à Spiritu sancto destitui potuit, nisi aliquo sese graui piaculo, ac scelere inquinaret, quod iam fuit à Paulo Apostolo alienum, quàm omnes hæretici suis falsis dogmatibus absunt à veritate. Non negarim quidem nonnulla esse ab illo humanitùs scripta, vt cùm ad Galatas [e] ait. *Vtinam abscindantur qui vos conturbant.* Et ad Timotheum [f]; *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer, & similiter libros, & membranas.* Denique ad Philemonem [g]. *Prapara mihi hospitium.* Sed hæc tamen non sunt eiusmodi, vt D Spiritum sanctum excludant ab eo præsertim, qui verè dicere potuit [h]. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Itemque [i]. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

e cap. 5.
f epist. 2. c. 4. 13.
g cap. vnic.
h 2. Cor. 13. 3.
i ad Gal. 2. 20.

XIII. Iam verò Petrus duo vitia obiicit hæreticus, inscitiam, & leuitatem, seu inconstantiam; ait enim, *indocti, & instabiles*: nam procul dubio dum Scripturas, & Pauli præsertim Epistolas ad sua falsa dogmata stabilienda detorquent, multa imperitè, atque indoctè effutiunt. Itaque Paulus [k] ipse hæreticum hominem his verbis describit. *Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum.* Alibi [l]. *Vltra*, inquit, *non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus.* Quamobrem Irenæus [m] de hæreticis ita loquitur. *Vani omnes, &* E *indocti, & insuper audaces.* Eusebius [n] autem. *Sacras*, ait, *audacter deprauarunt Scripturas, veteris fidei canonem abrogarunt, Christum ignorarunt, neque quid sacræ & diuinæ literæ de illo dicant, conquisierunt.* Quod de superioris, nostrique sæculi hæreticis meritò quispiam affirmare queat, dum enim singularem quandam, atque eximiam doctrinam, & eruditionem profitentur, non in dogmatibus fidei solùm, sed in aliis etiam humanæ, diuinæque sapientiæ capitibus turpiter errant, quod vel vnius [o] testimonio probari potest, qui inter illos tanto in pretio habetur,

k 1. ad Tim. 6. 4.
l 2. ad Tim. 4. 9.
m lib. 3. c. 12.
n lib. 5. hist. c. 27.
o Caluin.

a Orat. habetur, vt illius quidam Symmista a de eo pronunciarit. *Summus ille maximusque Theologus, quo nemo docent doctius, nemo iudiciosius, nemo enucleatius, nemo magnificentius hactenus scripsit.* Hic igitur tam eximius Theologus scripsit alicubi B. Athanasium magno illi Concilio Niceno primo præfuisse, cùm tamen constet, eum tunc Diaconum tantummodo fuisse, fuúmque Episcopum comitatum esse. Idémque ait Arianos aliquanto tempore præcessisse Manichæorum hæresim, cùm tamen hi Aureliano imperante circa annum Domini 277. cœperint insanire, illi verò non nisi ætate Constantini, hoc est, Anno Christi circiter 322. exorti sint. Mitto sexcentas antilogias, quasio eius scriptis viri docti obseruarunt.

XIV. Instabiles autem, & io suis dogmatibus inconstantes sunt, nec sui semper similes, sed aliquid nouit in dies cudunt, nam in vniuersum de suæ ætatis hæreticis scribit Tertullianus b, *Ipsis etiam à suis regulis variare inter se licet, dum suo modulatur arbitrio, quæ quis accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit, qui tradidit.* Egregiè verò Hilarius ad Constantiũ Augustum. *Periculosum, ac miserabile, ait, esse tot nunc fides existere quot voluntates, tot nobis doctrinas esse, quot mores, & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt; dum ueldu fides scribuntur, vt volumus, aut ita vt volumus, intelligitur, vt cùm secundum vnum Deum, vnum Dominum, vnum baptisma, etiam fidei vna fit, excedimus ab ea fide quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne vlla sit.* Auctor c verò imperfecti hæreses cum arena confert, tot enim ait esse sententias, quot arenas. Penè eadem scribunt Epiphanius d Diaconus, Epiphanius e Salaminæ, Ambrosius f, Ruffinus g, Socrates h, Sozomenus i, Theodoretus k, Nicephorus l.

XV. Euagrius m autem, *Dissident,* inquit, *Patres à filiis, mariti à coniuge,* quibus consentanea sunt, quæ scribunt Theodorus n, & Bernardus o, quod in singulis penè hæreticorum sectis perspicuè cerni potest. Simoniani enim, vt auctor est Irenæus p, confestim in varias sectas diuisi sunt. Valentini discipuli subitò magistro contradicere cœperunt, vt idem Irenæus q docet, aliique non pauci r testantur. Idem accidisse Marcioni, & Montano auctor est Epiphanius s. Simile quiddam de Manichæo scribit Augustinus t. Alibi u idem asserit de Donato. De Ario testis est Ruffinus x. Hilarius y verò Arianos ait singulis annis mutasse fidem, quod de Messalianis testantur Epiphanius z, & Theodoretus a. De Eutychianis vero Euagrius b. Idem accidisse Lutheranis viri c docti affirmant, adeò vt à nonnullis centones Lutheranorum sectæ recenseantur. Certè hoc olim insinuauerat Isaias d, apud quem ita loquitur Dominus. *Concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios,* nam vt ait Hilarius e. *Bellum hæreticorum pax est Ecclesiæ.* Quam ob causam hæretici à Chrysostomo f, Hieronymo g, & Augustino h caudis vulpium Sampsonis similes esse dicuntur. Et Bernardus i de hæreticis explicat illud, quod legitur in Cãticis k *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Iam verò quod legitur in Apocalypsi l, *commanducauerunt linguas suas,* aptè explicatur à nonnullis m, de hæreticis, qui contra se ipsos loquuntur, & secum ipsi pugnant. Et vt paucis cuncta complectar, dicuntur hæretici Babyloniam turrim extruere, in qua fuit olim linguarum confusio, vt Augustinus n, & Beda o obseruarunt.

XVI. Deprauant Græcè στρεβλοῦσιν, hoc est, *detorquent,* vt videlicet sua dogmata vtcumque confirment, nam vt scribit Augustinus p: *Neque enim nata sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.* Incredibile

b li. de præscript.
c hom. 10. in Matth.
d in 7. Synod. Act. 5.
e hær. 75.
f li. 1. de fid. c. 4.
g li. 10. c. 25.
h lib. 5. c. 23.
i lib. 8 c. 2.
k lib. 2. hist. c. 13.
l lib. 4. c. 5. & li. 2. c. 19.
m li. 4. c. 10.
n in anag. ad Anast. l. 4. c. 7.
o serm. 66. Cant.
p li. 1. c. 21.
q lib. 1. c. 5.
r Tertul. de præscript. Clem. Alex. 3. Strom. Epiphan. hær. Theod. li. 1. de hær. fab. Euseb. lib. 4. c. 7. Aug. de hær.
s
t lib. de hæresi. 46.
u li. 1. de bapt. c. 6.
x li. 10. c. 25.
y lib. ad Const.
z hæres. 80.
a li. 4. de hær. fab.
b lib. 3. & 4.
c Staphil. li. de concord. discip. Luth.
d cap. 19.
e lib. 3. de Trinit.
f Psal 96.
g Ezech. 13.
h in Ps. 61. & 80.
i serm. 63. Cant.
k cap. 2.
l cap. 16. 10.
m Rupert. lib. 9.
n Tract. 1. in s. Canon. 10.
o Mat. 5.
p Tract. 18. Ioan.

A enim dictu est, quanto studio hæretici Scripturas sacras, non vt intelligant, sed vt corrumpant, & peruertant peruoluere soleant. *Neque enim,* idem Augustinus a ait, *non omnes hæretici Scripturas catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt.* Olim quidem Marcion, vt auctor est Tertullianus b, *originalia instrumenta Christi,* quæ habebantur apud Lucam c, *delere ausus est, ne carê eius probaretur.* Idem verò alibi d ait, *nil mirum videri, si ex Apostoli Pauli instrumento capiantur ab hæreticis argumenta, cùm oporteat hæreses esse, quæ esse non possent, nisi & perperam Scripturæ intelligi possent.* Ita planè Arius, Sabellius, Nestorius, Eunomius, Macedonius, Vigilantius, Donatus, Pelagius, Berengarius, aliique omnes

B sacras literas non minori audacia atque impudentia, quàm sacrilega impietate deprauatas ad multorum perniciem detorserunt, vt meritò scripserit Tertullianus e, *Scripturas obtendunt hæretici, & hac sua audacia statim quosdam mouent, in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.*

Sicut & ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem, quod nominatim de Pauli Epistolis dixerat, vniuersim de omnibus Scripturis affirmat. Hunc autem locum aptè Augustinus f ad suæ ætatis hæreticos transfert. *Feræ sunt,* inquit, *quoniam non intelligendo nocent, & feræ calami sunt, quoniam Scripturarum sensum pio suo errore peruertunt, dicit Apostolus Petrus, indocti, & instabiles peruertunt Scripturas ad proprium suum in-*

C *teritum.* In eos enim aptè quis transferat, quod scribit Isaias g, *Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum; telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis, opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* Nam quoniam olim Ieroboam à vero Dei cultu defecit, & decem tribus ad impietatem, suisque sceleris societatem impulit, hæreticorum symbolum quodammodò fuit; quam ob causam dixit Oseas h; *quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ* mox autem vt ostendat Propheta, quàm sit futilis, atque inanis hæreticorum labor, subdit; *quia ventum seminabunt, & turbinem metent, culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam quod etsi fecerit, alieni comedent eam.*

D Non solùm autem deprauant, sed pro suo arbitratu reiiciunt, quicquid ipsorum dogmatibus aduersatur, ita enim loquitur alicubi Tertullianus i, *Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas, & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, & si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones, commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.* Quò pertinet illud Irenæi, qui hæreticos ait gloriari consueuisse, & se tanquam emendatores Apostolorum venditare, de quibus ita loquitur Cyprianus k, *Corruptores Euangelii, atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt, partim memores, & partem subdolè comprimentes, vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius senten-*

E *tiam scindunt.* Itaque Origenes l vocat illos Scripturarum fures, & adulteros. Irenæus m porrò, *Non solùm autem ex Euangelicis, ait, & Apostolicis tentant ostensiones facere conuersantes interpretationes, & adulterantes expositiones, sed etiam ex lege, & prophetis, cùm multa parabolæ, & allegoriæ sint dicta, & in multa trahi possint, ambiguum per expositionem propensiùs ad figmentum suum, & dolosè adaptantes in captiuitatem ducunt à veritate eos, qui non firmam fidem in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in vnum Iesum Christum Filium Dei conseruant.*

Itaque

a lib. 7. de Gen. ad lit. c. 9.
b li. de carne Christ. c. 2.
c cap. 1.
d lib. de resur. car. c. 40
e li. de præscrip. c. 15.
XVII.
f in Ps. 67.
g cap. 59. 5.
h cap. 8. 6.
XVIII.
i de præscr. c. 17.
k de vnit. Eccles.
l ad Rom. 2.
m li. 1. c. 1.

XIX. A Itaque alij, vt ait Augustinus [a], Euangelia reiecerunt, alij Pauli Epistolas omnes, vt Origenes [b], Eusebius [c], & Irenæus [i] testantur, alij vt Manichæi, quod affirmant Eusebius [c], & Augustinus [f], vniuersam legem Moysis & vetus testamentum repudiabant. Idem verò Augustinus [g] addit Manichæos, ita noui Testamenti Scripturas probare, vt quod voluerint, ex iis admittant, quod noluerint, reiiciant. De Priscillianistis autem, illos ait [h], Manichæis *versutiores esse, quòd nihil Scripturarum canonicarum repudient, sed in suos sensus allegorizando vertant, quicquid in libris sanctis est, quod corum euertat errorem.* Plura de his Vincentius [i] Lyrinensis, & alij, vt appareat verè omnino dixisse Petrum, indoctos, & instabiles homines Pauli Epistolas, & cæteras Scripturas deprauare, & inuertere. Quò spectans Athanasius, hoc ait solùm spectare hæreticos, *idq; vnum conari, vt ea, quæ rectissimè ab ipso Deo dicuntur, & fiunt, aduersentur, & vt diuinum habet oraculum Scripturas sacras aliò pro sua ignorantia per vim detorqueant.* B

a li. 1. retrac. c. 10.
b in Ps. 82.
c li. 3. hist. c. 27.
d lib 1. c. 26. & 29.
e lib 5 c. vlt.
f con. Faust.
g de hæres. c. 59.
h cap. 70.
i de proph. hæres. nouit.

XX. *Ad suam ipsorum perditionem*; vt significet eos tantam improbitatem non impunè laturos, nam qui publicas tabulas violant, aut Regum diplomata interuertunt, grauissimo inter mortales supplicio digni censentur, vt proculdubio diuinorum oraculorum corruptores acerbioribus cruciatibus digni habendi sint. Idque non solùm de futuro sæculo, gehennæque incendiis sentiendum est, sed plerumque etiam hæretici in hac mortali vita suæ impietatis grauissimas pœnas luunt, quod multorum exemplis firmari posset. Hoc autem non obscurè indicasse videtur Christus Dominus apud Matthæum [k], cùm dixit: *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* C Nam interprete Augustino [l] de iis loquitur Christus, qui similes sunt Alexandro ærario, de quo scribit Apostolus [m], *Alexander, inquit, ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundùm opera eius, quem & tu deuita, valde enim restitit verbis nostris.* Hunc autem à fide defecisse testatur idem Paulus [n], *Ex quibus, inquit, est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.*

k Mat. 18. 6.
l lib. 1. qq. Euang. c. 24.
m 2. ad Ti. 4. 14.
n epist. 1. ad Tim. c. 1. in fin.

17. *Vos igitur fratres præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.*]

I. Salubri adhortatione Epistolam claudit, & indicato periculo sedulò cauendum monet, ne se decipi D patiantur, & in fide suscepta vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè perseuerent. Ad id autem plurimùm valet hoc Apostolicum consilium, quo ab hæreticorum consuetudine cauendum monet, quod etiam elegantissimè alicubi monet Cyprianus [o], *Hinc autem ait, fratres dilectissimi, hinc admoneo pariter, & consulo, ne perniciosis vocibus temerè credatis, ne fallacibus verbis consensum facilè commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis.* Alibi [p] verò, *Declinent autem de cætero fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba, & colloquia eorum, quorum sermo, vt cancer serpit, sicut Apostolus dicit. Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ. Et iterum: hæreticum hominem post vnam correptionem euita, sciens, quia peruersus est huiusmodi, &* E *est à semetipso damnatus.* Mox verò ad suam confirmandam sententiam plura Scripturæ testimonia profert. *Et per Salomonem*, inquit, *loquitur Spiritus sanctus. Peruersus in ore suo portat perditionem, & in labiis suis ignem condit. Item, denuo monet dicens. Sepi aures tuas spinis, & noli audire nequam. Et iterum. Malus obaudit linguæ iniquorum, iustus autē non intendit labiis mendacibus.*

o ep. 40.
p epist 55. simil. ep. 64. & 74. & ser. de lapsis prope fin. & lib de vnit. eccl.

Nemo verò suis viribus satis potest confidere, nec perseuerantiam certò sibi polliceri, vt enim ait Augustinus [a], *Non perseueraturis perseueraturos prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore, & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Deus enim est, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate.* Quocirca sæpè in Euangelio inculcat Christus [b], *Videte, vigilate, & orate.* Rursus [c], *Videte ne quis vos seducat.* Itémque [d], *Videte ne seducamini.* Et in eandem sententiam Paulus [e], *Nolite seduci.* Et [f], *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Denique [g], *Videte quomodo cautè ambuletis.* Ad hunc autem locum respiciens Ambrosius [h], *Habeamus*, inquit, *& nos stationem, vt secundùm Apostolum Paulum teneamus propositam spem sicut anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vt iuxta Apostolum quoque Petrum, præscientes caueamus, ne errore nefariorum abducti excidamus à propria firmitate.* Porrò Græcè dixit Petrus, non, vt ait Interpres, *fratres*, sed ἀγαπητοὶ, hoc est, *dilecti*, atque ita Augustinus [i] legit, *amantissimi*, nam & aliàs Interpres Latinè solet reddere, *dilectissimi*. Fortè ille legit hoc modo ἀδελφοὶ, sententia tamen vtrouis modo constat. Fratres enim, hoc est, fideles appellat, quos quia Apostolica caritate complectitur, dilectos, seu dilectissimos, aut amantissimos vocat. II.

a li. de bon. perseu. c. 13.
b Mat. 24.
c Mat. 13.
d Luc. 21.
e 1 ad Cor. 15.
f ad Ephe. 5.
g 1. Thess. 2.
h Tract. de 42. mansion. mans. 33. mansion. 38.
i de fid. & oper. c. 14.

III. *Præscientes*, inquit, *custodite*, Græcè προγινώσκοντες φυλάσσεσθε, quasi dicat, præmoniti, & hac mea prædictione præparati, atque instructi. Augustinus [k] dixit *præscientes*, & qui à me admoniti imminens periculum cognoscatis; quomodo etiam hoc loco dixit Interpres. Pro eo autem, quod hic ait, *custodite*, dixit ille, *cauete*. Interpres tamen vim Græcæ vocis expressit, quæ metaphoram continet ductam ab iis, qui militares custodias obseruant. Quemadmodum enim illi vigiles diligenter obseruant, ne quid vrbi, aut arci ab hostibus periculi immineat, eadem diligentia monet Apostolus hæreticorū, & impostorū fraudes cauendas esse. *Ne insipientiū*, inquit, *errore traducti*, Græcè est, ἀθέσμων, hoc est, *nefariorum*, &, vt ait Augustinus, *falsorum*. Pro *errore* autem Græcè dixit πλάνῃ, vnde stellæ illæ erraticæ planetæ vocantur, vt significet hæreticos esse errones, qui vago errore decepti nusquam consistant. *Excidatis à propria firmitate*, abducti videlicet ab eorum errore excidatis ab ea fide, quam primùm hausistis, quam firmissimam, ac solidissimam esse oportet. Dixit autem Græcè στηριγμοῦ, quasi dicat, gratia, & fide catholica humanam mentem quodam modo firmari, ac stabiliri, quod alibi dixit Paulus [l], *Optimum est gratia stabilire cor.* Et alibi ad fidei firmitatem alludens. *Ne circumferamini*, ait, *omni vento doctrinæ.* Augustinus dixit: *Ne decidatis a corroboratione vestra.*

k vbi supra.
l ad Hebr. 13. 9.

18. *Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, ipsi gloria, & nunc, & in diem æternitatis. Amen.*

I. Hæc est postrema totius Epistolæ clausula, qua monet fideles non solùm, vt caueant pericula, de quibus modò dixerat, & perceptam fidem constanter retineant, sed etiam nitantur aliquid quotidie ad pristinam virtutem addere; probè enim intelligit in Christianæ virtutis stadio nemini esse consistendum, nam & Apostolus Paulus [m] fideles his verbis hortatur. *Omnis ædificatio crescit in templum sanctum Domini.* Et alibi [n], *Non cessamus pro vobis orantes, vt impleamini agnitione voluntatis Dei in omni bono opere fructificantes, & crescentes in omni scientia Dei, in omni virtute confortati.* Nam vt alibi non semel monui, ea est Christianæ virtutis ratio, vt nullo certo fine, nullóve termino circum

m ad Eph. 4.
n Col. 1. 10.

a serm. 8. de pass. in fine. circumscribatur, sed nouam semper accessionem admittat sic alicubi monet ª Leo Pontifex, *Omnes de die in diem proficiendo per pietatis augmenta renouentur, quantumlibet enim quisque iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit, & melior, qui autem non proficit, deficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.* Et vt ait Auctor operis imperfecti in Matthęum, hæc mortalis vita similis est naui, quæ aduerso flumine nauigat, quæ nisi prouehatur, illico retrò labitur. Quamobrem rectè Petrus Apostolus, ne fideles fidei firmitatem amittant, eos monet, vt in dies proficiant, & maiores faciant in Christiana perfectione progressus.

II. Optat autem, vt crescant in gratia, & cognitione. Gratiam autem cognitioni præfert, quòd illa sit simpliciter, atque absolutè necessaria, hęc verò non item, potest enim simplex, ac solitaria fides, si non desit gratia, prodesse, at verò sine gratia nec prophetia, nec diuinorum mysteriorum cognitio, nec denique quantumuis perfecta, & absoluta scientia prodesse quidquam potest, vt ad Corinthios ᵇ bene monet Paulus: b 1. Cor. 13. 2. cognitionem porrò non quamcumque commendat, Apostolus, sed cognitionem *Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi*; vt videlicet percepta habeant, & cognita mysteria omnia, quę pertinent ad Christum Dominum, ea præsertim, quę præcipuis fidei capitibus continentur, quæque ab hæreticis oppugnari consueuerunt. Ad extremum addit doxologiam. *Ipsi*, inquit, *gloria, & nunc, & in diem æternitatis. Amen.* Diuinam enim gloriam, & in hac mortalitate, & in omnem deinceps æternitatem celebrandam docet, atque hanc ob causam tam frequenter Ecclesia consueuit elogium illud iterare. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* quippe intelligit ad vnius Dei gloriam omnia nostra consilia esse referenda, cui laus, & gloria sit in omnem æternitatem. Amen.

IN PRIMAM





IN PRIMAM CATHOLICAM IOANNIS EPISTOLAM,

PROLVSIO.

De Ioanne Apostolo, atque Euangelista, quamquam Papias, & Hieronymus plura scripserant; Prochorus autem, qui dicitur eius discipulus, & comes vitam ipsius, & miracula non pauca posteritati consignauit; eius tamen narratio planè videtur conficta, multaque continet prorsus absurda. Athanasius [a] autem recenset inter libros apocryphos librum, qui inscribitur, Circuitus Ioannis, qui fortè idem est cum historia Prochori. Nobis verò nonnulla hoc loco de tanto Apostolo præfari visum est, ne epistolarum eius explanationem repentè, & illotis, quod aiunt, manibus aggredi videamur. Sex autem omninò capitibus, quæ dicenda sunt, breuiter complectemur. Nam primùm quidem plures olim Ioannes celebres fuisse ostendemus, vt appareat, de quo potissimùm nobis agendum sit. Deinde de genere, patria, vitæque ratione, antequàm Christo nomen daret, differendum [sit]. Tertiò, de vocatione ad Christum, déque iis, quæ deinceps consecuta su[n]t, vsque ad Christi in cœlum ascensum. Quartò, de Apostolicis functionibus, quibus Ecclesiam instituit, & amplificauit. Quintò, de scriptis eius. Sextò, & postremò de martyrio, & morte.

a [In Synops.]

Plures olim fuisse Ioannes.

CAPVT I.

I. In nouo testamento præter Ioannem Euangelistam, alius quidam memoratur à Luca Ioannes, qui cognominabatur Marcus, de quo in Actis Apostolicis [b] hunc in modum scribit, cùm de Petro è carcere diuinitùs erepto loquitur: *Venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus.* & aliquanto post [c], cùm Pauli, ac Barnabæ profectionem narraret, *assumpto, ait, Ioanne, qui cognominatus est Marcus.* & post multa [d]. *Barnabas*, inquit, *volebat secum assumere Ioannem, qui cognominatur Marcus.* Non est autem in dubium reuocandum hunc longè diuersum esse ab Euangelista Ioanne, de quo nobis est suscepta disputatio. Siquidem ille fuit Apostolorum sectator, vel vt ait Dorotheus [e], vnus ex septuaginta Domini discipulis; hic autem noster præcipuus inter Apostolos, & Christo in primis carus, vt dilecti nomen adeptus sit. Hæc tamen homonymia non paucis fucum fecisse videtur, qui quod vni conuenit, alteri tribuunt.

b Cap. 12. 12.
c [Cap. 1]5.
d Cap. 15. 37.
e In Synopsi.

II. Ac primùm quidem Nicephorus [f], Cedrenus [g], & Gennadius affirmant Ioannem Euangelistam Hierosolymis habuisse domum; sic autem Nicephorus de postrema Christi Domini cæna scribit: *Hæc cæna parata in domo, vt aiunt, Ioannis Euangelistæ, quam ille possessione sua (non exigua autem ea fuit in Galilæa) Caypha eius temporis Pontifici vendita, cuius gratia etiam illi notus extitit, sicut ipse alicubi sacro suo testimonio astruit, in locis circa Sion montem sitis comparauerat.* Planiùs Cedrenus. *Cum*, inquit, *Zebedæus mortuus esset Ioannes, & Iacobus, ad luxerunt matrem suam, eaque cum Maria, Christi videlicet Matre habitabat; bonis porrò suis Caypha venditis Sionem emerunt, is est locus, vbi pascha mysticum Christus celebrauit, & foribus clausis ingressus est, ibique Christo in cœlum assumpto Maria vsque ad finem vitæ egit.* Meminit huiusce domus Gregorius Nazianzenus [a], qui alteram etiam nominat Ioannis cognomento Marci. Sic autem ait:

f Lib. 1. cap. 28.
g In annal.

a In tragœd. nisi sit potius Apollin.

Eamus hinc citis silentes gressibus
Ædes petendo, fœmina in quibus manent
Vt hospites cum matre Marci Maria,
Quò & conuolauit, vt reor, sacer chorus:
Ibique dulcem præstolabimur diem
Potiúsue eamus in nostri Gnati domum
Quem filius mihi arrogauit vnicus.

III. Verùm, vt quod sentio apertè dicam, de Ioannis Euangelistæ domo nihil habeo affirmare, nam cum omnes Apostoli vt eorum nomine asserit Petrus [b], omnia sua bona reliquissent, Christique paupertatem complexi essent, haud mihi facilè patiar persuaderi, Ioannem contra voti religionem sibi domum retinuisse. Propius à vero abesse crediderim eam domum ad matris ipsius bona spectasse, & ad eius vsum ita fuisse retentam, vt ad Ioannem tamen nullo iure pertineret, ne insignem Apostolum, & Christo Domino in primis carum paupertatis fructu, meritóque priuemus, quæ quidem domus, quòd matris esset, Ioannis ipsius aliquo modo dici potuit, cum præsertim omnibus fidelibus vsui esset.

b Mat. 19. 27.

IV. Domum verò Ioannis, qui cognominatur Marcus, apertè nominat Lucas in actis Apostolicis [c], in illam enim se recepit Petrus, cum è carcere diuinitùs est ereptus. Cæterùm quod de cæna Christi extrema asseritur, quasi illa in Ioannis Euangelistæ domo habita fuerit, probare nulla ratione possum; nam cum Ioannes vna cum Petro ad eam cænam parandam mitterentur, ad ignotum quendam Patremfamilias destinabantur adhibitis notis, quibus internosci possent. Sic autẽ loquitur Christus apud Matthæum [d]. *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei, magister dicit: tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis meis.* & apud Marcum [e]. *Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, & quocumq; introierit, dicite Domino domus, quia Magister*

c Cap. 12. 12.
d Cap. 26. 18.
e Cap. 14. 13

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

dicit, vbi est refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis manducem, & ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & ibi parate. Eadem repetit Lucas [a], duosque discipulos nominat Petrum, & Ioannem.

a cap. 22. 8.

V. Quæ planè omnia quis non videt, futura fuisse penitus supervacanea, si in materna domo Ioannis cœna illa instruenda erat? quod ipsum dixerim de alterius Ioannis ædibus, omninò enim verosimillimū est fuisse illum omnibus discipulis perspectum, & cognitum, atque idcircò nihil opus erat tam multis verbis Patremfamilias describi. Quis autem fuerit Pater ille familias, in cuius domo Christus Dominus postremò cum Discipulis cœnatus Eucharistiæ sacramentum instituit, longáque oratione disseruit, si quis percontetur, non planè inter auctores conuenit. Ambrosius [b] certè pauperem quempiam, atque ignobilem fuisse putat, cùm tamen cœnaculum stratum, hoc est, vt ego interpretor, peristromatis ornatum, seu stragula veste cuius meminere Liuius [c], Clemens Alexandrinus [d], Apuleius [e], & Seneca [f], cum paupertate ex aduerso pugnet; nisi quis malit de lectis accipere, quibus cœnaculum erat instructum. Theophylactus Simonem leprosum fuisse autumat Lazari Patrem, quod nihilo videtur probabilius tùm quod ille non Hierosolymis, sed Bethaniæ habitaret, tùm quid vero quàm simillimū videatur fuisse illum Apostolis satis notum, cùm aliàs Christus, & quidem ante paucos dies vnà cum Discipulis apud eum cœnasset. Suspicari quis posset fuisse aliquem occultum Discipulum, qualem Iosephum ab Arymathæa, & Nicodemum fuisse legimus. Et credi posset, quod aliqui affirmant, alterum ex his fuisse, nisi fuissent illi satis noti. Discipulum aliquem indicant Christi verba, cùm ait. *Magister dicit, apud te facio pascha.* Sed ne hoc quidem videtur planè necessarium, cum Magistri nomine, ac titulo Christus Dominus etiam ab iis honestaretur, qui ei nequaquam adhærerent. Et quod magis mirandum est, etiam à Pharisæis, qui ei maximè infensi erant.

b lib. 10. in Luc. c. 8.
c Dec. 4. l. 9.
d lib. 2. Pædag. c. 3. & 9.
e lib. 2. de Asino aureo.
f lib. de vit. beat. c. 25.

VI. Quisquis igitur fuerit hic Paterfamilias, qui cœnaculum stratum Domino cum Discipulis cœnaturo commodauit, nō fuit certè id cœnaculum in domo Ioannis Euangelistæ, neque alterius Ioannis cognomine Marci, neque vllius Discipuli, qui Apostolis cognitus esset. Non penitus tamen iis assentior, qui quempiam ex iis fuisse opinantur, qui peregrinis hospitia pretio locare solerent; crediderim potius nobilem aliquem, ac diuitem fuisse, qui occultè ob Iudæorum metum Christi fidem complexus esset. Quocirca non est admodum verisimile, quod Cedrenus affirmat, in hoc ipsum cœnaculum ianuis clausis ingressum fuisse Christum ad Discipulos, cùm rediuiuus ad superos remeasset, ac ne in illo quidem coactos fuisse Discipulos crediderim, cùm diuino Spiritu afflati sunt. Nam qui Christo adhuc superstite latere cupiebat, eo profectò vita functo sese prodere nequaquam ausus esset. Verosimilius igitur videtur Mariæ domum matris videlicet Ioannis cognomento Marci ab Apostolis post Christi necem, & eius in cœlum ascensum fuisse religiosè frequentatam, vt in actis Apostolicis indicat Lucas [g]; ex quo loco facilè quiuis intelliget, quæ à Cedreno commemorantur non vsque adeo firmo fundamēto niti, cùm longè credibilius sit in hac Mariæ domo coactos fuisse Discipulos, cùm Spiritum sanctum, et atque diuina charismata in die Pentecostes perceperunt. Non assentior tamen OEcumenio [h], qui affirmat hunc Ioannem cognomento Marcum fuisse Euangelij scriptorem, quod alibi fusius refutaui.

g cap. 12. 12. Sic asserunt acta Barnabæ ab Alexādro Mon. conscripta apud Surium tom. 3.
h Act. 12.

VII. Porrò Papias vt auctor est Eusebius [i], astipulante Hieronymo [k], duos Ioannes nominat, Ioannem Apostolum, & Euangelistam, & Ioannem quendam presbyterum. *Si quis,* inquit, *presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis versatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitabar, nempè quid Andreas dixisset, quidve Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, aut Matthæus, aut quis alius Domini Discipulus, quæ denique Aristion, & Ioannes presbyter, qui in numero Discipulorum Domini habebantur, loquuti fuissent.* Mox autem subiicit Eusebius; *Quo in loco est operæpretium animaduertere nomen Ioannis ab eo bis enumeratum, priorem quem cum Petro, & reliquis Apostolis percenset, declarat manifestè Ioannem Euangelistam fuisse. Alterum oratione variata aliis extra numerum Apostolorum associat, quem cum Aristionem illi ordine præposuerit, ipsum presbyterum vocat, sic vt hisce narratio eorum vera esse ostendatur, qui dixerunt duos eodem nomine nuncupatos in Asia fuisse, duoque illorum Ephesi esse sepulchra & vtrumque ad hanc vsque ætatem Ioannis nomine appellari.*

i lib. 3. hist. c. 33 eadem habet Niceph. lib. 3. c. 46.
k in Catal. in Papi.

VIII. Fuisse autem hos duos Ioannes inter se diuersos asserit apud eumdem Eusebium [a] Dionysius Alexandrinus; seniorem autem Ioannem non solùm ab Apostolo & Euangelista, sed etiam à Ioanne cognomento Marco, & Barnabæ consobrino distinguit, vt omninò videatur tres in Ecclesia hoc nomine celebres admittere, quod tamen aliis non placet, qui Ioannem presbyterum eumdem esse putant cum Ioanne, qui dicitur Marcus, & Barnabæ consobrinus, quem Ephesi non aliter ac Ioannem Apostolum, & Euangelistam sepultum esse ferunt. Nam quod ait Dionysius eum in Asia non fuisse, facilè Pauli [b] testimonio refelli potest, qui Epheso Romam Timotheum accersens præcipit, vt secum Marcum ducat, hoc est, Ioannem cognomine Marcum, fatendum vt sit, eum non aliter ac Timotheum in Asia tunc fuisse. Vtrum autem hic esset Ioannes ille presbyter, qui Ephesi sepultus iacet adhuc ambigo; hunc enim Barnabæ consobrinum, cum aliquando cum Paulo rediisset in gratiam, apud eum mansisse ferunt vsque ad obitum Barnabæ. eo verò vita functo in Cyprum vna cum Epaphra, & Tychico ad eam Ecclesiam administrandam à Paulo fuisse missum, vt [c] quod ait Dionysius Alexandrinus diem extremum Ephesi claudere non potuerit, eum tamen Ioannis presbyteri, & Ioannis Apostoli sepulchra Ephesi extare dicantur. Viderint igitur viri docti, qua ratione vtrumque probare potuerint, & Ioannem Barnabæ consobrinum, eumdem esse cum Ioanne presbytero Ephesi sepulto, & tamen post obitum Barnabæ in Cypro Ecclesiam administrasse.

a lib. 7. c. 20.
b 2. Tim. 4. 11.
c Metaphr. 19. Febr.

IX. Quæ cum ita sint, malim Ioannem presbyterum, quod magis probare videtur Dionysius [d] Alexandrinus, tertium fuisse Ioannem ab Apostolo, & Barnabæ consobrino omninò diuersum, qui presbyter, ac Theologus diceretur. Quæ causa fuit, vt à quibusdā pro Ioanne Apostolo habitus sit, qui quòd inter cæteros Euangelistas de Christi diuinitate, & fusius, & luculentius disserat, Theologi nomen accepit. Hoc enim nomine à priscis Patribus [e], Græcis præsertim passim appellatur. Fateor tamē hoc eodem Theologi nomine omnes Apostolos à Dionysio [f] Areopagita nuncupari; vocat enim Petrum maximum, & antiquissimum Theologorum columen, & Hierotheum cæteris omnibus secundùm Theologos, id est, Apostolos præfert. Fieri igitur potuit, vt huic Ephesino Ioanni Theologi nomen vel per errorem ab iis, qui Apostolum existimabāt ob nominis homonymiam, tributum sit, vel ob eximiam rerū diuinarum scientiam, atque doctrinam meritò impositum, quod præsertim Ioannem Apostolum, & Theologum imitaretur, & quodammodo repræsentaret; quod insinuare videtur Dionysius Alexādrinus, sic enim ait. *Cæterùm*

d apud Euseb. lib. 7 hist. c. 20.
e Dion. Areop. c. 3. ad Io. Theol. Hipp. Mar. de consum. mundi. Athanas. in Synopsi. Cyrill. Hieros. catech. 12. Epiph. hær. 51. Chrys. præf. in ps. 37. Cyrill. Alexād. lib. 3. de Trinitate.
f cap. 3. de diu. nom.

Ioannis

Ioannis Apostoli multos fuisse ὁμωνύμους arbitror, qui propter singularem amorem, quo erga illum affecti erant; propter admirationem, quam de eo habebant, & propter æmulationem, qua ad illum imitandum flagrabant, & quod à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appellationem amplexati sunt, quemadmodum nomina Pauli, & Petri fidelium liberi crebrò ferunt.

A

X. Iam verò quoties Ioannes de seipso loquitur, non se nomine proprio appellat, sed hac veluti periphrasi describit, *Discipulus, quem diligebat Iesus.* Quæri autem potest, num amor hic, quo Christus Ioannem prosequebatur, ad humanam amicitiam, & externã quandam beneuolentiam tantùm, an verò etiam ad supranaturalem charitaté referendus sit. Nam si pertineat ad charitatem, cum hic amor in Deo efficax sit, atque actuosus, consequens profectò est, vt plura Ioanni contulerit cælestia munera, maioremque gratiam, & charitatem impertierit, adeoque ille cæteros omnes sanctitate superarit, longéque maiori charitate Christum Dominum complexus sit, & sanè ita de Ioanne loqui videtur Hieronymus [a]; apertius id asserũt alij, qui beneuolentiam humanam Christi diuinæ putant fuisse subiectam, atque adeo semper ei ex æquo respondisse, vt necessariò Christus, quẽ humano amore magis diligeret, eumdem etiam maiori supernaturali charitate complecteretur. Quæ si vera sit sententia, fateri necesse est, Ioannẽ fuisse omniũ Apostolorum sanctissimum, quod profectò absque temeritate affirmari non potest, cum Salomon [b] verissimè scripserit, *Spirituum ponderator est Dominus.* Quamquam autem cùm Ioãnes se vocat Discipulum, *quem diligebat Iesus*, nullam comparationem includit, cum tamen Christus omnes procul dubio Apostolos diligeret, si ea periphrasis certum aliquem Discipulum indicat, vt profectò indicat singularem vel amorem, vel amoris significationem innuit.

a Ep. ad Heliod. & ep. ad Principiã de epitaph. Marcel.

b Prou. 16.

XI. Quæ causa fuit, vt plerique sanctissimi, doctissimique viri simpliciter affirmarint Ioannẽ fuisse Christo Domino cariorem. Nam Augustinus [c]. *Ipse,* inquit, *est Ioannes, qui inter omnes Discipulos super pectus Domini discumbebat, & quem Dominus charitatem debens omnibus, tamen præ cæteris diligebat.* Et alio quodam loco. *Vbicumque,* ait, *se cõmemorat Ioannes, vt nomine suo tacito ipse possit intelligi, hoc addit, quòd eum diligebat Iesus, quasi solum diligeret, vt hoc signo discerneretur à cæteris, quos vtique omnes diligebat. Quid ergò nisi amplius se dilectum, cum hoc diceret volebat intelligi?* Euthymius [e]. *Ioannem,* inquit, *diligebat Iesus, plus videlicet cæteris, vt qui plus diligi dignus erat.* Eodem modo Theophylactus [f]. *Ioannes præ omnibus aliis diligebatur maximè.* Chrysostomus [g], *& alij amabantur, sed Ioannes præcipuè.* Nec dubitauit Clemẽs Romanus [h] de Ioanne scribere, *quem Christus magis amabat.* Et B. Thomas [i] Christum ait, *speciali dilectione præ cæteris Ioannem dilexisse.* Denique Ecclesia de illo canit; Hic est beatissimus Ioannes, *qui priuilegio amoris præcipui cæteris altius meruit honorari.* Vt omninò fatendum sit, aliqua ratione Ioannem fuisse supra cæteros Christo Domino carum.

B

c Tract. 16. in Ioan.

d Tract. 124. in Ioan.

e Ioan. 13.

f Ibid.

g Hom. 71. in Ioan.

h lib. 5. cõst. cap. 13.

i Ioan. 21.

C

D

XII. Quod si de diuina charitate loquamur, quæ est tribus diuinis personis communis, quæque efficax est, & actuosa, ea profectò plus diligitur, qui plura à Deo gratuita, & supernaturalia munera percipit, quiq; ad ampliorem beatæ vitæ, cælestique gloriæ gradum destinatur. Nec potest quisquam absque temeritate definire, quis sit cæteris præferendus. Quoniam autem necesse est in Christo creatam charitatem admittere, qua ille vt homo Deum, ac proximum diligebat, de ea proculdubio loquitur Ioãnes, cùm se Discipulum vocat, *quem diligebat Iesus.* Hæc autem charitas quamquam simpliciter magis spectat meliores, non tamen interdum potest, vt alia, atque alia ratione eundem

E

magis, ac minus diligat, nã in bonis spiritalibus meliores, ac sanctiores meritò præfert, in bonis autẽ, quæ spectant ad corpus, propinquos, & iure sanguinis connexos cæteris anteponit. Quocirca licèt Christus hac supranaturali charitate in bonis supranaturalibus plus eos diligeret, qui magis à Deo increata charitate diligebantur, aliquo tamen alio respectu plura poterat Ioanni ex eadem charitate, & apertiora amoris signa ostendere, quàm cæteris. Neque existimandum est ea fuisse tantùm, vt nonnulli volunt, humanæ amicitiæ, & ciuilis beneuolentiæ effecta, cum bonis supranaturalibus, aut quæ ad supranaturalia referrentur, maximè niterentur.

XIII. Quod si quis quærat, quidnam in Ioanne spectarit Christus, vt eum hac ratione maiori complecteretur amore, plures recensentur causæ; prima est virginitas, de qua Hieronymus [a]. *Ioannes,* inquit, *qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, Virgo permãsit, & ideo plus amatur à Domino, & recumbit super pectus Iesu.* Verùm Epiphanius [b] eamdem laudem tribuit vbique Iacobo, Ioannem tamen ob adolescentiam, in qua virginitas magis splendescit, magis Dominus diligebat, cũ præsertim addat Euthymius [c], *tantam à puero curã habuisse puritatis, vt ne turpem quidem cogitationem vnquam in cor suum ascendere permiserit.* Chrysostomus [d] addit alteram amoris causam. *Excellentem animi humilitatem, ac mansuetudinem, quas adeptus erat, postquam de præeminentia correptus fuerat.* Tertiam indicat Theophylactus. *Ioannes,* ait, *innocentissimus, simplicissimus, mansuetissimus omnium erat, & ideo diligebatur.* B Thomas [e] enumerat inter amoris causas sapientiam singularem, & amoris Dei vehementiam. Alibi [f] iuuẽtuté ait maiora sibi beneuolentiæ, ac familiaritatis indicia vindicasse.

a 1. in Iouinian.

b Hæres. 58. & 78.

c Ioan. 13.

d Apud Euthym. loc. indic.

e Ioan. 13.

f Ioan. 21.

XIV. Porrò Augustinus [g] quærit vter plus à Christo diligeretur, Petrus, an Ioannes, & mysticum seorsum sequitur de vita actiua, & contemplatiua: de personis non respondet. Sunt qui simpliciter Petrũ præferant, quia apud Ioannem [h], plus cæteris Dominum diligere cõmemoratur. De diuina verò sapientia scriptum est in Prouerbiis [i]. *Ego diligentes me diligo.* Beatus autem Thomas [k], quosdam ait existimasse Petrũ magis dilexisse Christum in membris, atque eadem ratione maiorem Christi beneuolentiam promeruisse, cùm Christus illi Ecclesiam commendauerit; Ioannem verò plus dilexisse Christum in seipso, atque idcircò maiori ipsius amore fuisse dignum, cui ob hanc causam matrem commendauit. Alij dixerunt Petrum magis dilectum ob feruentiorem charitatem, Ioannem ob eximium munus intellectus. Alia id genus permulta excogitari possent, quæ tamen non possunt apertè docere, vter horum Apostolorum sit sanctior, aut ampliori gratia, & gloria præditus. Neque de hoc capite plura dicenda sunt.

g Tract. 124. Ioan.

h cap. 21.

i cap. 8. 17. Ita loquitur Alex. Alens. 3. p. qu. 32. mem. 4.

k 3. p. q. 20. art. 4.

Ioannis genus, patria, & vitæ ratio, antequam Christo se in disciplinam daret.

CAPVT II.

I. VNiuersim Apostolos fuisse, vel appellatos esse Galilæos, diuina oracula prodiderunt, Angeli siquidẽ vbi Christus in cælum ascendisset, his verbis Apostolos compellarunt [l]. *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum?* Iudæi verò [m]. *Nonne ecce,* inquiunt, *omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt?* Sed ex qua tribu potissimùm orti sint, nõ planè liquet. Certè Dauid [n] indicare creditur, fuisse illos ex tribu Iuda, Zabulon, & Nephthalim. *Principes,* ait, *Iuda duces eorum, principes Zabulõ, & Nephthalim.* Ita enim scribit Theodoretus. *Ex his tribubus cæteri Apostoli originem duxerunt, & illi, qui vocabãtur fratres Domini, ex tribu Iuda genus traxerunt.*

l Act. 1. 10.

m Act. 2. 7.

n Ps. 67. 28.

A *Petrus autem, & Andreas, & Iacobus, & Ioannes, & Philippus ex oppido Bethsaida fuerunt, Matthæus, & Iacobus dicti sunt habitare Capharnaum, Simon Zelotes Chananæus nominatus est, omnia autem hæc loca Galilææ sunt. Zabulon, & Nephthalim ibi suam habuerunt sortem.* Idémque ex Isaia [a] probant Hieronymus, & Cyrillus Alexandrinus [b], ait enim Isaias. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthalim, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium.*

a Isai.c.9.
b In Isa.c.9.

II. Excipiendus tamen videtur Iudas Ischarioth, quem Hieronymus [c] ortum putat ex tribu Ephraim, esseque Ischarioth, oppidum eiusdem tribus. Alibi [d] tamen illum ait fuisse ex tribu Issacchar, vt legendum sit Issacchar ioth, qua de re non magnopere videtur esse laborandum. B Quod autem fratres Christi fuisse dicantur ex tribu Iuda, nihil prohibet, quominus Galilæi potuerint appellari; nam & Christus Dominus, quem constat ex tribu Iuda, & familia Dauid ortum esse, Nazarenus, & Galilæus passim vocabatur, quod Nazareth educatus ibidem frequenter versaretur.

c Isai. 28. & Matth 10.
d De nom. Hebraic.

III. Quod autem spectat ad Ioannis parentes, pater quidem Zebedæus, mater verò Salome, vel Maria Salome dicebatur, & vtriusque non semel meminere Euangelistæ. Falluntur autem qui Zebedæi filios fuisse putant fratres aut cognatos Christi, nusquam enim in Euangelio fratres Domini vocantur. Falsò autem legitur apud Chrysostomum [e]. *Vnde igitur inquies fratres eius dicuntur Iacobus, & Ioannes?* C Falsò inquam hoc scribitur, vera enim lectio ad marginem adiecta est. *Pater eius dicitur Iacobus?* Minorem videlicet Iacobum intelligit, quem etiam Paulus [f] fratrem Domini appellat. Idque ibidem Chrysostomus ait; *non aliter dici, quàm quia ipse Ioseph Mariæ putabatur maritus.*

e Hom.5.in Matth.
f Ad Galat.

IV. Ex quonam potissimùm oppido fuerit Ioannes, ex Euangelio non potest apertè colligi; certè à stagno Genezareth, seu mari Galilææ eius patria non procul aberat, cùm in eo loco piscationi operam daret, vt potuerit valdè probabiliter affirmare Theodoretus [g], eum fuisse ortum in oppido Bethsaida; quod etiam affirmant Chrysostomus [h], Leontius, Theophylactus, Eurhymius [i]. Quamquam alibi idem Chrysostomus [k] eius patriam ignotam fuisse D dicit; fortè obscuram, atque ignobilem significat, quo fit, vt tenuis, abiectæque fortunæ fuisse credatur, quamuis apud Marcum [l] mercenarios habuisse dicatur. *Relicto*, inquit, *patre Zebedæo in naui cum mercenariis secuti sunt eum*; vt fas sit suspicari, in eo hominum genere fuisse illum vtcumque fortunatum, si præsertim vera sint, quæ superiori capite ex Nicephoro, & Cedreno attulimus. Fateor alicubi [m] dixisse Hieronymum propter generis nobilitatem fuisse notum Pontifici, & Iudæorum insidias non timuisse. *In tantum ait, vt Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante crucem.* Sed viderint alij quanti in tam tenui fortuna, & humili, atque abiecto artificio nobilitas facienda sit. Aliam eius rei E causam afferunt Nicephorus [n], & Cedrenus [o], si minus veram, aliquanto certè probabiliorem, notum fuisse Pontifici, quod suam illi hæreditatis partem vendidisset. Alij [p] piscatu notũ fuisse aiunt, quod ad Pontificis domum pisces afferre consueuisset. Nonnulli verò suspicantur quempiam eius cognatum, aut consanguineum in Pontificis familia fuisse. V. Denique sunt, qui id referant ad Dauidis stirpem, ex qua Ioannes ortum duceret, quæ nihil habent præter tenuem coniecturam, & fortasse falso nituntur fundamento.

g In Psal.67.
h Hom.1.in Matth.
i Ioan.1.
k Hom.1.in Ioan.
l Cap.1.20.
m In epitaph. Marcellæ.
n Lib. 1. c. 18.
o In Annal.
p Lyran.

Certè vnim quamuis Hieronymus [q], Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus [r], & alij [s], discipu-

q In epitaph. Marc.
r Ioan.18.
s Laur. Iust. lib de agon. cap.8.

A lum Pontifici notum Ioannem fuisse affirment, dubitat tamen Augustinus [a], quem alij [b] sequuntur. Nec desunt, qui putent, nobilem aliquem, ac diuitem discipulum fuisse, occultum tamen, qui fuerit à Pontifice in honore habitus, quod de Ioanne humili, ac paupere, qui Christum palam sequebatur, non admodum videtur probabile. Itaque nihil hoc crediderim ad Ioannem pertinere, eum præsertim ipse, qui eam historiam narrat, non se consueto more, ac *periphrasi describat, qui semper solet se vocare discipulum, quem diligebat Iesus.* Quod igitur attinet ad Ioannis conditionem, fuisse illum tenuioris fortunæ indicat Matthæus [c], qui scribit eum vnà cum Patre Zebedæo, & Iacobo fratre, cùm à Domino vocatus est, B in nauicula retia sua, videlicet lacera, & confracta refecisse. Neque obest quod scribit Marcus, fuisse vnà cum illo mercenarios, consueuerunt enim eiusmodi opifices aliorum opera interdum vti, quos pretio, ac mercede conducunt.

a Tract.113. in Ioan.
b Caiet.
c Matth.4.21.

VI. De eius porrò genere vitæ, ac moribus, antequàm Christo nomen daret, certò affirmari nihil præterea potest. De vocatione Matthæus, Marcus, & Lucas disertè scribunt; sed vtrum eadem narrent, non planè liquet. Et quidem sunt, qui duas Apostolorum vocationes numerent, tertiam addunt nonnulli. Certè Ioannes [d] scribit Andream vocatum fuisse à Christo, qui fratrem suum Petrum ad eum adduxit, quam tamen Augustinus negat fuisse vocationem C ad Christi familiaritatem, sed tantùm ad quandam agnitionem, sic autem scribit [e], *Intelligendum est, non sic eos vidisse Dominum, vt ei iam inseparabiliter cohærerent, sed tantùm cognouisse, quis esset, eumque miratos ad propria remeasse.* Secundam vocationem narrant Matthæus [f], & Marcus [g], cùm sese in Christi disciplinam penitùs tradiderunt. Tertiam addunt nonnulli, quam recenset Lucas [h]; quod insinuat Augustinus, qui Lucæ narrationem diuersam esse putat à narratione Matthæi, & Marci. Et quidem negari non potest, nonnullam apparere inter vtramque historiam antilogiam. Nam apud Lucam piscatores dicuntur ex naui descendisse, vt retia abluerent, apud Matthæum verò, & Marcum alij quidem retia ad pisces capiscandos in mare demittebant, alij verò retia reficiebant. Apud Lucam in hæc verba Christus Petro D præcipit. *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Piscium verò tanta multitudo concluditur, vt rete disrumpatur; obstupuit Petrus, & admirationis plenus dixit. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Apud Matthæum, & Marcum, vidit Dominus Petrum, & Andream iacientes rete in mare, eosque his verbis ad se vocat. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* hæc, & id genus alia non pauca duas videntur vocationes distinguere.

d Cap.1.40.
e lib. 2. de consensu Euang.c.17.
f Matt.4.
g Cap.1.
h Cap.5.

VII. Quocirca Augustinus narrationem Lucæ priorem fuisse putat Matthæi, & Marci narrationem; Christum enim cum ad mare Galilææ venisset, duas vidisse nauiculas, vt scribit Lucas, & in alteram, quæ erat Petri, conscendisse, inde confluentium multitu- E dinem docuisse, postea iussisse Petrum in altum ducere, retiaque iactare, quibus iactatis ingens multitudo piscium comprehensa est, Petrum, cæterosque socios interim admiratione captos obstupuisse, & non vocatos Christum sequutos esse. *Intelligendum autem*, ait Augustinus, *non tunc eos a Domino vocatos, sed tantùm Petro prædictum, fore vt aliquando homines capturus esset.* Ita existimat eos ad cymbas, & piscationem rediisse, quoad tertiò, vt Matthæus, & Marcus scribunt, vocarentur, vt deinceps fierent piscatores hominum. Itaque cùm apud Lucam dicuntur; *subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum*: interpretantur nonnulli non quòd penitùs sese omni-

bus

bus abdicarint, aut penitùs cuncta abiecerint, sed quod tantisper nauigia, ac retia deseruerint, quomodo mulier [a] illa Samaritana reliquisse dicitur hydriam, vt ciues suos ad Christum vocaret.

a Ioan. 4. 28.

VIII. Quamquam autem hæc tùm per se ipsa, tùm propter Augustini, magnorumque virorum auctoritatem non sunt aspernanda, numquam tamen mihi potui persuadere quattuor præcipuos Apostolos, non nisi secunda tandem vocatione Christo nomina dedisse. Itaque sic mihi semper persuasum fuit, Matthæum, & Lucam vnam, atque eamdem vocationem narrare. Sic enim existimandum est Christum Dominum ad mare Galilææ inambulantem, vidisse primùm Petrum, & Andream piscationi adhuc operam dantes, inde cùm paululum processisset, respexisse etiam Ioannem, & Iacobum resarcientes retia, stetisse postea, cùm audiendi desiderio turbæ plurimæ ad illum confluerent, interea nauiculis duabus ad terram adductis descendisse piscatores, retiaque lauisse; tùm Dominum Petri nauiculam conscendisse, turbasque docuisse, demùm miraculum illud edidisse, quo illi in admirationem rapti Christo penitùs adhæserint. Compendio itaque Matthæus, & Marcus Apostolorum vocationem narrant, quam vberius explicans Lucas adiecit ea, quæ illi prætermiserant.

IX. Quòd si hæc minus placeant, possis etiam alia quapiam ratione vnam, atque eamdem Apostolorum vocationem tueri, si dicas, primùm quidem Petrum, & Andream à Domino his verbis fuisse vocatos. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Deinde Iacobum, & Ioannem vt narrant Matthæus, & Marcus, ita quattuor Apostoli Dominum vocantem audierunt; interim socij piscatores, & mercenarij, qui in cymbis eorum remanserant, descenderunt, vt lauarent retia; cum verò turbæ irruerent, Petri nauem Christus conscendit, rogauitque Petrum, vt à littore nonnihil recederet, vt inde ad confluentem multitudinem concionem haberet, qua absoluta iubet in altum ducere, & retia laxare, paret Petrus, piscium incredibilem multitudinem capit, annuit Iacobo, & Ioanni, vt opem ferant; denique admiratione capti relictis omnibus Christum sequuti sunt. Ita Ioannes hic noster vna cum Iacobo fratre, & duobus aliis fratribus Petro, & Andrea Christo penitùs adhæsit. Sunt autem hæc omnia iis admodum consentanea, quæ alibi [b] copiosius disseruimus.

b Disp. de Apost. c. 5. n. 7. & 8.

Vitæ ratio postquam Christo Ioannes adhæsit.

CAPVT III.

I. VOcatum fuisse Ioannem, cum in lacu Genethzareth, seu mari Galilææ piscaturam exerceret, dictum est modò, vt minimè audiendi sint ij, qui illum nuptias iniisse ferunt, & quidem illas, quæ in Cana Galilææ celebratæ ab hoc ipso Euangelista commemorantur. Non interim tamen inficias prodictum esse à magnis auctoribus in iis nuptiis Ioannem fuisse sponsum, qui viso miraculo aquæ in vinum conuersæ relicta sponsa Christo Domino sese in disciplinam dederit. Tametsi autem ea vulgaris opinio censetur, non habet tamen, vt dixi, vulgares auctores, eam enim asserit Beda [c], quem non pauci [d] sequuntur, qui eam communem esse affirmant. Fauere creditur Hieronymus, qui alicubi [e] eum maritum, ac Virginem appellat. Certè nobilissimi Theologi [f] eam magnopere probant. Inde verò profecta putatur receptissima Ecclesiæ consuetudo, qua sponsis religionis gratia fit potestas à nuptiis resiliendi, quæ vsu coniugij, & coniunctione corporum obsignatæ non fuerint.

c Præf. in Ioan.
d Auct. præfat. in tract. Aug. in Ioã. Rop. lib. 2. in Ioan.
e Lib. 1. in Iouin.
f D. Tho. 2. 2. q. 186. a. 4. Bonau. in vita Christi Antonin. 3. p. sum. tit. 1. & lib. 1. sum. hist. tit. 5. Ioan. Maior, Sot. in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. Landulf. in vita Christi Ioã. Echius, Carthus. Lyran. & alij.

II. At multo aliter sensisse videtur Augustinus [a]. *Sunt,* inquit, *qui senserint, & ij quidem non contemptibiles sacri eloquij tractatores à Christo Ioannem Apostolum propterea plus amari, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in scripturis canonicis non euidenter apparet, veruntamen id quoque multum adiuuat congruentiam huius sententiæ, quod illa vita per eum significata est, vbi non erunt nuptiæ.* Addo Epiphanium [b], qui apertissimè negat Ioannem his nuptiis interfuisse, Hieronymus [c] autem Ioannem ait à Domino penè puerum fuisse vocatum, ac propterea ad nuptias minus aptum censuit. Quam etiam ob causam non ipsi, sed Petro traditum fuisse ait Pontificatum; & certè si existimasset Ioannem à nuptiis fuisse abductum, hoc profectò telo aduersus Iouinianum vsus esset, qui nuptias Virginitati æquabat. Huc accedit quod communi fermè Catholicorum consensu receptum est, Christum propterea nuptiis interfuisse, vt eas sua præsentia quodam pacto sanciret, cùm non ignoraret futuros hæreticos, ac præcipuè Manichæos, qui nuptias omnibus machinis oppugnarent, & vt ait Augustinus [d], etiam falsa confingerent, vt hoc sacramentum de medio tollerent, qui Theclæ nescio quam fabulam non veriti sint in medium proferre. Quid verò facturi fuissent, si hoc argumento niti potuissent, quod Christus Dominus coniugij dissolutionem suo exemplo statuisset?

a Tract. vlt. in Ioan.
b Hæres. 51.
c Lib. 1. in Iouin.
d Lib. 30. cont. Faust. cap. 4.

III. Quod si Ioannes inter eos discipulos erat, qui vna cum Christo nuptiis interfuisse commemorantur, certè conuiua fuit, sponsus non fuit. Nicephorus [e] enim sponsum in his nuptiis fuisse scribit Simonem Cananæum, cum enim Helenæ res gestas commemoraret. *Et in Cana, inquit, Galilea, vbi Simonis Cananæi nuptiæ celebratæ, & ex occultis, incertisque botris vinum factum aliam quoque sacram ædem ædificauit.* Sed vtcumque se res habeat, extra controuersiam videtur Ioannem Apostolum virginitatem perpetuò coluisse, quod miro consensu Patres omnes affirmant, qui hanc putant fuisse vel vnicam, vel præcipuam causam, cur illum Christus Dominus eximia quadam, & singulari beneuolentia prosequeretur, vt inde dilecti discipuli nomen acceperit. Anastasius [f] certè Nycenus Epiphanij testimonio, atque auctoritate virginitatis laudem non Ioanni modo, sed etiam Iacobo fratri attribuit.

e Lib. 8. cap. 30.
f Quæst. 79. in Scriptur.

IV. Cum igitur Ioannes Christi fidem complexus esset, præcipua quadam illi beneuolentia, & charitate coniunctus nihil habuit antiquius, quàm vt se magistro suo omni ratione probaret, & cunctis in rebus obsequentem præberet. Vnà autem cum fratre Iacobo, vt scribit Marcus [g] Boanërges nomen accepit, quod interprete Euangelista filios tonitrui significat. Quamquam autem eam vocem nonnihil immutandam censuit Hieronymus [h], Euangelistæ tamen interpretatio retinenda est, vt Zebedæi filij, iidem tonitrui filij nuncupentur. Et quidem Epiphanius [i], cùm de Ioanne loquitur, hoc ei nomen iure optimo conuenire affirmat, quòd vocem illam initio sui Euangelij ediderit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Ioannes,* inquit, *re vera tonitrui filius per propriam suam grandiloquentiam velut ex quibusdam nubibus à sapientia ænigmatibus piam nobis de filio intelligentiam iuxta similem modum persuasit.* Sed hac quidem ratione hoc nomen Iacobo non potest esse commune, cùm tamen æquè illi à Christo impositum sit.

g Cap. 3. 17.
h Dan. 1.
i Hæres. 73.

V. Hieronymus [k], vt hoc nomen vtrique meritò tributum videatur, ad fidei firmitatem, ac magnitudinem refert quod vtrique hæc congruit. Sed quo-

k Matt. 20.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

modo hæc fidei seu firmitas, seu magnitudo cum tonitru conferantur, non apparet. Enthymius [a] tonitrui filios dictos esse ait, quasi filios tonantis, quomodo filius iniquitatis iniquum: filius pacis pacificum significant. Tonantes autem fuisse Zebedæi filios, quòd diuina dogmata tonando quodammodo explicuerint, voce quidem Iacobus, scriptis verò Ioannes, sed de Ioanne quidem facilè admiserim, de Iacobo verò non video, cur ille potius, quàm cæteri Apostoli tonuisse dicatur, quod idem dixerim de Theophylacti [b] sententia, qui filios tonitrui appellatos putat, quasi præcipuos Dei verbi præcones, prædicatores, ac Theologos. Nam si Ioannem excipias, nihil eximium Iacobus supra cæteros Apostolos habuisse videtur. Gregorius Nazianzenus [c] hanc appellationem refert ad eorum grandiloquentiam, quæ in Ioanne fuit planè admirabilis.

a Matt. 10. b Matt. 10. c Orat. 19.

VI. Sunt, qui hoc nomen ad transfigurationis mysterium pertinere existiment, in quo vterque tonitru cælitus missum audiuit; verùm id paulo videtur durius, hæc est enim Hebrææ phrasis ratio, vt filij nomine peculiarem quamdam vim cuiuspiam frequenter Hebræi explicent, vt cum apud Ieremiam [d] filiæ pharetræ vocantur sagittæ, quòd inde ad sagittandum educi soleant. Et apud Isaiam [e] filia areæ dicitur seges, quæ inde colligitur. Ita filij tonitrui hi duo fratres nuncupantur, non quòd tonitru percipiant, sed quia vel tonitru aliqua ratione imitantur, hoc est, vt ait Gregorius Nazianzenus [f], quia spiritualia intonuerunt, vel quod magis reor, quia priuato quodam amore à Christo tanquam mystico tonitru diligebantur; semper enim vna cum Petro ad priuatas quasdam actiones adhibentur, ad transfigurationem in monte, ad filiam Archisynagogi excitandam, ad orationem in horto habitam; Christum verò Redemptorem rectè tonitruum appellari apertissimè docet Gregorius [g]. *Aliquando verò, ait, in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conuenientе prophetia ad notitiam nostram, quasi ex nubium concursione prolatus est, qui inter nos visibiliter apparens, ea, quæ super nos erant, terribiliter sonuit.* Fuerunt autem omnes Apostoli beneuolentia, & charitate Christi filij, ita enim illos apud Ioannem [h] vocat. Sed hi duo fratres singularis beneuolentiæ respectu priuato quodam iure filij, & quidem tonitrui nuncupantur, quod vim, ac vehementiam tonitrui imitarentur, quam aliquando Christus in extremo iudicio repræsentabit, cum nihil eorum, quæ perperam ab hominibus gesta sunt inultum esse patietur. Ita enim Gregorius [i] explicat verba illa Iob [k]. *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?*

d Thren. 3. 12. e Cap. 21. f Orat. 44. g Lib. 29. Mor. c. 16. h Cap. 13. 31. i Lib. 17. Mor. c. 19. k Cap. 26. 14.

VII. Certè illi se tonitrui filios esse palam professi sunt, cum apud Lucam [l], vt Samaritanos vlciscerentur, qui Christum magistrum suum hospitio accipere recusassent, illum interrogarunt, num vellet, vt ipsi ignem in illos cælitùs immitti precarentur à Deo. Quo loco aptè obseruat Ambrosius hos duos fratres tanquam tonitrui filios ita fuisse loquutos, Christus verò, vt idem monet Ambrosius, eorum voluntati nequaquam acquieuit, vt indicaret Euangelicam, & Apostolicam mansuetudinem retinendam esse in primis, nec semper hominum scelera, atque flagitia iusto supplicio plectenda. Ita autem loquitur. *Quòd verò discipulos increpauerit, quia ignem de cælo supra illos descendere cupiebant, ostenditur nobis non semper in eos, qui peccauerint, vindicandum, quia nonnunquam amplius prodest tibi clementia ad patientiam, lapso ad correptionem.*

l Cap. 9. 56.

VIII. Verùm quoniam nobis præcipuè de Ioanne agendum est, is profectò eximiam quamdam, ac singularem in Christum obseruantiam, & pietatem declarauit, tùm aliàs frequenter, tùm verò præcipuè, cùm vt est apud Marcum [a], & Lucam [b], ita magistrum alloquitur: *Præceptor vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, qui non sequitur nobiscum.* Putabat enim id ad magistri contumeliam spectare, cuius honoris, ac dignitatis se præcipuè studiosum & esse, & haberi cupiebat. Quamquam autem Christus id minimè probauit, discipuli tamen beneuolentiam, & charitatem non potuit non probare. Itaque illo deinceps semper familiarissimè est vsus, quem vnà cum Petro ad parandum Pascha destinauit [c].

a Cap. 9. 38. b Cap. 9. 49. c Luc. 22. 7.

IX. Illud verò ad singularem quamdam, planeque inauditam charitatem pertinet, quod in ea ipsa postrema cœna supra pectus Domini Ioannes recubuit. Qua de re ipsemet loquitur [d] in hæc verba: *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Et aliquanto [e] post. *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu.* Et alibi [f]. *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Quod quidem, vt ait Augustinus [g], eximium fuit amoris argumentum; *Quod maius,* inquit, *dare potuit Dominus maioris erga eum suæ dilectionis indicium, quàm vt homo, cum cæteris condiscipulis suis socius tanta salutis, solus tamen discumberet super pectus ipsius Saluatoris?* Adde quod inde hausisse creditur diuinam illam sapientiam, quæ in eius scriptis apparet. Itaque Ambrosius [h], *Ioannes,* inquit, *cùm caput suum supra pectus Iesu Domini reclinaret, hauriebat profunda secreta sapientiæ.* Rursus: *Constitue Dominum recumbentem in conuiuio, reclinantem se Ioannem super pectus eius, mirantes alios, quòd seruus se supra Dominum reclinaret, quòd caro illa peccatrix supra templum Verbi recumberet, quòd anima illa carnis vinculis innexa aulam diuinæ plenitudinis scrutaretur.*

d Ioan. 13. 23. e Vers. 25. f Cap. 21. 20. g Tract. 124 in Ioan. h In Ps. 118. octon. 2.

X. Eodem etiam pertinent, quæ scribit Hieronymus [i]. *Ioannes, ait, recubuit in pectore eius, vt hauriret fluenta sapientiæ, vt posset dicere: In principio erat Verbum.* Alio verò loco [k]. *Ioannes recubuerat supra pectus Iesu vnde & hauserat sapientiam.* Neque aliter hanc Ioannis quietem interpretatur Augustinus [l], ait enim. *Non sine causa de Ioanne in Euangelio narratur, quia & in conuiuio super pectus Domini discumbebat. De illo ergò pectore in secreto biberat, sed quod in secreto bibit, in manifesto eructauit.* Et alio [m] quodam loco. *Ioannes de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat, bibendo de pectore Domini diuinitatem eructauit: In principio erat Verbum.* Denique alibi [n]. *Ille auidissimus epulator Ioannes, cui non sufficiebat ipsa mensa Domini, nisi discumberet super pectus Domini, & de arcano eius biberet diuina secreta, eructauit: In principio erat Verbum.* Denique Origenes [o]. *Certum est, ait, quòd Ioannes in principali cordis Iesu, atque internis doctrinæ eius sensibus requieuisse dicatur, ibi requirens, & perscrutans thesauros sapientiæ & scientiæ, qui reconditi erant in Christo.*

i Ezech. 2. 8. k Io. sn. comment. in Zachar. l Tract. 36. in Ioan. m Tract. 1. in ep. Ioan. n In Ps. 144. o Hom. 1. in Cant.

XI. Sed nullus sit finis, si cuncta mihi describenda sint, quæ de hoc mysterio à priscis Patribus [p] sapienter excogitata sunt. Ambigi tamen potest, an ea, quæ hactenus ex viris doctissimis colligimus, perinde accipienda sint, quasi re vera tunc, cum Ioannes in sinu Domini recubuit, cælestem sapientiam diuinitùs hauserit; hoc enim indicare videntur tùm ea, quæ modò recensuimus, tùm illa præcipuè, quæ apud virum sanctissimum [q] leguntur. Cùm enim de Ioannis recubitu loqueretur: *Sapientia, inquit, arcana contemplando rimaris, curris per Angelos, discurris per Archangelos, cæterasque*

p Auct. ep. de viro perfecto apud Hier. to. 9. Ruper. Io. 13. Laur. Iust. lib. de agon. Chryst. c. 5. Beda hom. de S. Io. c. 7. Aymon in Ioan. q Laur. Iust. vbi supra.

cælestium

cælestium spirituum legiones considerationis penna percurrendo volaret, ubi nunc panduntur indicibiles sapientiæ thesauri, ubi reserantur revelationum sacra mysteria, dum natatur altitudo, æterna Verbi generatio, & cælestis gloriæ triumphale regnum. Ex aduerso tamen indicare videmur nonnulla non tùm percepisse Ioannem diuinam sapientiam, sed eùm vna cum cæteris Apostolis Spiritum sanctum percepit; illum verò recubitum illius sapientiæ fuisse quodammodo signum. Ita enim videtur insinuare Augustinus [a], cùm ait: *Hoc præcipuum donum accepit à Domino, super cuius pectus in communio discumbebat, vt per hoc significaret, quia secretia altiora de intimo eius corde potabat.* Et in eamdem sententiam Beda [b]. *Futuri*, inquit, *erat signum mysterij.* (de recubitu loquitur) *figurabatur enim iam tunc Euangelium, quod erat scripturus, vberius, atque altius cæteris scripturæ paginis arcana diuinæ maiestatis esse comprehensurum, quia enim in pectore Christi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, meritò super pectus eius recumbit, quem maiore cæteris sapientiæ, & scientiæ singularis munere donat.* Et alibi [c]. *Non frustra perhibetur Ioannes in cœna recubuisse super pectus Domini, sed per hoc verissimè docetur, quia cælestis haustum sapientiæ cæteris excellentius de eiusdem pectoris fonte potauerit.* Mitto cætera, quæ eodem pertinent.

a Tract. 58. in Ioan.
b Hom. de S. Ioan.
c cap. 1. in Ioan.

XII. Tametsi autem hæc ita à sanctis Patribus dicuntur, mea tamen sententia non perinde accipienda sunt, quasi negent, tunc Ioannem diuinam hausisse sapientiam, sed id tantùm indicant, externum illum recubitum eius diuinæ sapientiæ indicium, atque argumentum fuisse, quam ille inde percipiebat. Quò procul dubio referuntur illa, quæ in Ecclesiastica Psalmodia canit Ecclesia. *Iste*, inquit, *est Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, Beatus Apostolus, cui reuelata sunt secreta cælestia*; &, *flumina Euangelij de ipso Dominici pectoris fonte potauit.* Omninò autem mihi fit verisimile, Ioannem vna cum cæteris in die Pentecostes diuina Spiritus sancti charismata percepisse, non dubito tamen multa illum in sinu Domini recumbentem de Trinitate, diuinitate Christi, cæterisque eius mysterijs cognouisse. Nam si Petrus antequam Spiritum sanctum perciperet, rudis aliquoi, & impertus tantum sapientiæ percepit, vt cùm de sufficiendo duodecimo Apostolo ageret, Prophetæ sensa probè intelligeret, & explanaret, quid mirum si huic dilecto Discipulo in sinu suo recumbenti pluta Christus diuinitus significauerit? Et sanè hoc videntur priscorum Patrum verba apertè indicare.

XIII. Verùm quod attinet ad recubitum Ioannis supra Domini pectus, non perinde accipio, vt existimarunt nonnulli [d], qui nihil aliud significari putant, quàm Ioannem Christo proximum assedisse, & sinum vestis interpretantur, vel certè spatium, quod extento Christi brachio comprehendi poterat. Itaque vt res tota planius explicetur, altius aliquanto ducto principio de cœnandi, accubandique more apud Hebræos pauca dicenda videntur. Atque olim quidem consueuisse Hebræorum gentem more nostro mensæ assidere, ex sacris litteris apertè deprehenditur; hoc enim primùm indicat conuiuium Iosephi [e], in quo fratres ipsius iuxta ætatis ordinem sedere iossi sunt. *Nondum enim*, vt ait Philo [f], *discumbendi mos receptus erat.* Sic legimus in Exodo [g]. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Et Dauid ad Ionathan ait [h]: *Ecce Kalendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum.* Et aliquanto post. *Sedit Rex ad comedendum panem.* Rursus alibi idem Dauid [i]. *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam, oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum*, videlicet ad mensam. Alibi verò [a]. *Cum sederent*, ait Scriptura, *ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam.* Quam ob causam Salomoo [b]. *Quando*, inquit, *sederis vt comedas cum Principe.* Et Sapiens [d]. *Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum, nec prior poscas bibere.*

d Faber Stapul. Arias Montan. Caiet.
e Gen. 43.
f lib. de Ioseph.
g cap. 32. 6.
h 1. Reg. 20.
i Ps. 100. 5.
a 3. Reg. 13. 20.
b Prou. 23. 8.
c Eccles. 31.

XIV. Sed quocumque tandem id tempore contigerit (nec enim inter omnes conuenit) certum est, vt ex Philone indicaui, accumbendi, seu discumbendi morem ab Hebræis fuisse receptum, siue Persarum more, qui ita vesci consueuerant, vt Regis Assueri [d] conuiuium indicat, siue Romanorum ritu, qui genti imperabant. Et Christum quidem in extrema cœna, de qua agitur, discubuisse cum Apostolis indicant Euangelistæ. *Vespere autem facto*, ait Matthæus [e], *discumbebat.* Nam quòd de ritu Agni paschalis, qui à stantibus comedendus fuisse creditur, facilè refellitur, siue quia mos ille iam pridem in desuetudinem abierat, siue quod magis probo, quia id tùm solùm faciendum præcipiebatur, cùm mox ex Ægypto migraturi essent. Addo quòd in Exodo [f], vbi Agni paschalis ritus, ac ceremoniæ quàm accuratissimè describuntur, statio ne nominatur quidem. Accedit quòd hîc non de esu Agni, sed de cœna loquimur, quæ post pedum ablutionem à Ioanne narratur, in qua augustissimum Eucharistiæ sacramentum institutum est. Quamquam verosimillimum est, etiam in cœna Agni paschalis Christum cum Discipulis discubuisse, & quidem in cœnaculo, seu triclinio tribus omninò lectis instructo, vt omnes ex eadem mensa, eademque patina cibum sumerent. quod indicat Christus ipse apud Matthæum [g], cùm ait: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Neque enim vnum aliquem designat, sed vnum tantùm ait, ex conuiuis proditorem fore, quasi magis explicans, quod Paulo ante dixerat, *vnus ex vobis me traditurus est*; ne fortè putarent, vnum aliquem ex alijs Discipulis id effecturum.

d Esther 1.
e cap. 26. 20. Idē scribunt Mar. & Luc.
f cap. 12. 8.
g cap. 26. 23.

XV. Non hîc persequar cætera, quæ ad conuiuij solemnitatē exigebantur, quæ alij copiosè persequuntur, tantum enim mihi propositum est explicare, quomodo Ioannes in sinu Domini recubuerit. Itaque cum tredecim cœnaturi essent, tres omnino fuisse lectos in triclinio paratos necesse est, & in duobus quidem quini Apostoli discumbebant, in tertio terni tantùm, Christi videlicet cum Petro, & Ioanne. Quamuis enim vt plurimùm terni in singulis lectis accumberent, plures tamen interdum accubuisse indicat Horatius [h]

Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos.

& M. Tullius [i]. *Nihil*, ait, *apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, quini in lectulis, sæpe plures.* Et quidem Macrobius [k] in pontificali conuiuio sex in vno lecto accubuisse narrat. In hac igitur cœna Dominica tribus lectis discubuere tredecim, in tertio porrò lecto, qui medius erat, accumbebant Christus, Petrus, & Ioannes. Sed quo ordine non satis liquet.

h lib. 1. Saty. 4.
i Or. in Pison. Vide etiam Macrob. lib. 3. c. 13.
k lib. 6. c. 6.

XVI. Nam, vt ait Plutarchus [l], *apud Persas medius locus, in quo Rex cubat, honore cæteris præfertur. Apud Græcos primus, apud Romanos medij lecti postremus, quem consularem dixere; apud accolas Ponti Græcos nonnullos sicut Heracleotas è diuerso medij lecti primus*; quamquam indicat medium locum esse præcipuum quem vocat regalem. Primum autem locum ait fuisse conuiuatoris, supra eum cubare solitum honoratissimum conuiuarum. Ita Horatius [m]

Summus ego, prope me Viscus Thurinus, & infra
Si memini Varius, cum Seruilio Balatrone
Vibidius, quos Mæcenas adduxerat vmbras.

l lib. 1. conuiu. q. 3.
m lib. 2. Satyr. 8.

Nomemanus erat super ipsum, Porcius infrà
Ridiculus totas simul absorbere placentas.

a lib. 9. epp. epist. 177. ad Papir.
b In Calig. c. 24.

Et M. Tullius [a]; *Accubueram*, inquit, *hora nona, & quidem supra me Atticus, infra Verrius.* Suetonius [b] de sororibus Imperatoris hunc in modum scribit: *Plerúque conuiuio singulas infra se vicissim collocabat, vxore supra se cubante*, vt appareat medium locum fuisse Imperatoris.

XVII. His igitur positis, quo loco Christus accubuerit non satis conuenit inter omnes, qui putant Christum summum accubuisse, proximum illi fuisse Ioannem asserunt, qui ob id in sinum sedere dicatur, quod erat proprium filiorum. Extremum in eodem lecto accubuisse Petrum, qui propterea commodè potuit monere Ioannem, vt Magistrum interrogaret, & proditorem cognosceret. Quæ ratio etsi probabilitate non caret, nonnihil tamen continere videtur absurdi, nec enim æquum est credere Petrum, qui semper aliàs in Apostolico Collegio primas tenet, in eo mystico conuiuio Ioanni fuisse postpositum, nisi fortè id ansam præbuit Discipulis disquirendi, quis inter ipsos cæteris præferendus esset. Verùm quoniam cùm Christus Discipulorum pedes abluere cæpit, à Petro primùm inchoasse videtur, verosimillimum est, illum primo loco accubuisse, & Christum medium locum inter ipsum, & Ioannem occupasse, vt hac ratione Christus Ioannem infra se, hoc est, in sinu haberet, nam qui eo loco discumbebat, in sinu eius esse dicebatur, qui medius erat, atque idcirco eo loci liberi, & filiæ discumbere solebant, itemque illi, qui maximè cari haberentur, atque ita Plutarchus [c]: *Locus*, inquit, *infra Dominum, vxoris, & liberorum est, qui in sinu esse dicebantur.* Et Plinius [d]. *Cœnabat*, inquit, *Nerua cum paucis Veiento proximus, atque etiam in sinu recumbebat.* Et Xiphylinus [e] de Heliogabalo scribens, *eum*, ait, *in Aurely pectore recubuisse, atque in sinu velut amicam cœnasse.*

c lib. 1. conuiu. q. 3.
d lib. 4. ep. 25.
e In Heliog.

XVIII. Longè igitur probabilius est Christum Dominum medium inter Petrum, & Ioannem recubuisse, vt Petrus non incommodè innuere potuerit Ioanni, vt proditorem à Domino cognosceret, cum præsertim Augustino interprete *non voce, sed nutu, ac motu corporis, quid vellet, significauerit.* Atque hac ratione rectè dicitur Ioannes in sinu, & pectore Domini recubuisse, qui sanè recubitus, peculiarem, vt supra dixi, Christi Domini in eum amorem, ac beneuolentiam significat, si præsertim ob id eo loco in cæna collocatus est, quod asserunt Euthymius, & Theophylactus, & ante illos Chrysostomus [f], vt ea ratione mœror eius de magistri proditione aliqua ratione leuaretur. Quamquam Beda [g] eum asserit non in extrema tantùm cæna, sed etiam in aliis in Christi Domini sinu recumbere consueuisse, quod quamquam fortasse verum est, ipse tamen de suo huc recubitu ita loquitur, vt vltimam semper cænam indicet. Non me fugit Origenem [h], aliósque grauissimos, ac doctissimos viros [i], existimasse Ioannem, qui prius in sinu recumbebat, ascendisse ad pectus, vt commodius, maiorique cum silentio quæreret, quisnam illum proditurus esset, nam priori loco Græcè dixit Euangelista ἀνακείμενος recumbens, posteriori verò ἐπιπεσών, id est, incidens. Sed Augustinus [k] pectus à sinu non distinguit, quod mihi videtur probabilius, nisi quòd priori voce significauit Euangelista locum accubitus; posteriori actionem, qua Ioannes caput ad Christum applicuit, vt interrogaret.

f Hom. 72. in Ioan.
g Ioan. 1.
h In Ioan.
i D. Thom. Caiet. & alij.
k In ill. loc.

XIX. Iam verò quanta fuerit Ioannis in Præceptorem suum pietas, & charitas, inde quiuis facilè colligat, quòd cæteris Discipulis fuga lapsis, ad crucem vsque Dominum sequutus est, & iuxta crucem fortí, & constanti animo stabat. Nam quod nonnulli volunt, adolescentem illum, qui apud Marcum [a] relicta sindone aufugit nudus, cum Christus à militibus comprehenderetur, fuisse Ioannem, vix possunt suam sententiam satis expedire, ne dum tueri. Fateor tamen id olim sensisse Gregorium [b], & Bedam [c], quibus fauere videtur Ambrosius [d]. *Adolescens*, inquit, *amictus sindone Dominum sequebatur tempore passionis, qui sua omnia dereliquerat.* Vt autem appareat eum de Ioanne loqui, præter superiora addit: *Matutinum Deum Verbum in principio ipso semper fuisse, atque esse cognouit, & manere in se probauit.* Recentiores, quibus hæc sententia magnopere probatur, sindonem vestem cœnatoriam fuisse interpretantur, quam putant illum ex obliuione retinuisse nimio quodam mœrore obrutum, & ob proditorem cognitum penè extra se positum. Aiunt enim (quod equidem facilè admiserim) solam cœnatoriam vestem à conuiuis indui consueuisse, vt qui à balneo ita contecti accumberent. Sed nimium stuporem Ioanni, cæteris autem Discipulis, ipsique adeò magistro sopitam quandam negligentiam, & vecordiam attribuunt, qui condiscipuli, discipulive negligentiam non animaduertit.

a cap. 14. 51.
b In Iob 19. ad illa ver. Consumptis carnibus. Et in 1. Reg. c. 15.
c Mar. 14.
d In Psal. 36.

XX. Vestem profectò cœnatoriam conuiuas sumere consueuisse non assentior modò, sed magnopere etiam probo, quin etiam addo, eam pro conuiuiorum conditione mutari solitam, vt nunc quidem nuptialis, nunc funebris esset. Eæ verò super nudo induebantur, sed quod de sindone interpretantur, haud facilè admiserim, cœnatoriæ enim vestes syntheses potius appellabantur, quòd essent mollicinæ, hoc est, delicatiores, ac pretiosiores cæteris, & vt loquitur Apuleius [e], latiusculæ, pellucidæ scilicet ex tenui lino, vel serico, aut etiam purpureæ, quæ aliás triclinaria dicebantur, de quibus Plinius [f]. *Metellus Scipio triclinaria Babylonica sestertium octingentis millibus in libus venisse iam tunc posuit in Capitonis criminibus quæ Neroni Principi quadragies sestertio nuper stetere.* Et alibi [g]. *Hinc successit Dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi, hac Publius Lentulus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta vsus improbabatur, qua purpura quis non iam inquit triclinaria facit?* Quis igitur sibi persuadeat pauperes, ac mendicos potuisse sibi syntheses ad cœnandum comparare?

e lib. 7. de Asino aureo.
f lib. 8. c. 48.
g lib. 9. c. 39.

XXI. Quod si quis contendat eumdem, qui cœnaculum instrauerat, cœnatorias etiam vestes parasse, non valdè repugnarim, illud tamen constanter retinuerim, neque Christum Dominum cœnatoriam vestem sumpsisse, neque Ioannem cœnatoria indutum cum Domino in horto fuisse. Nam Christum quidem Ioannes ait, absoluta cœna legali posuisse vestimenta sua, quibus certè indutus cœnauerat, quam super cœnatoriam haudquaquam induisset, ea enim dumtaxat veste induti, si modo eam adhiberent, cœnare consueuerant, aliquando tamen penulatos, ac palliatos Romanos cœnatos accepimus. Nam sic loquitur Martialis [h]:

h lib. 11.

Ad cœnam venias, sed sic diuisa recumbes,
Vt non tangamus pallia nostra tuis.

Potuerunt igitur Discipuli vnà cum Christo consueta veste induti cœnare. Quòd si quis omninò contendat lotos, cœnatoriáque veste indutos cœnasse, non abnuerim, modò Christum excipiant, quem sua retinuisse vestimenta docet Ioannes, quæ, vt Discipulorum pedes ablueret, posuisse commemorat, posuit autem vel pallium tantùm, vt numerus multitudinis pro singulari ponatur, vel pallium cum tunica superiori, retenta tunica inconsutili, quæ proximè corpori adhærebat, ne quis putet eum

A eum planè nudum solo linteo præcinctum Discipulorum lauisse pedes, quod eius singulari modestiæ, & virginali pudori, ac verecundiæ prorsus repugnat. Itaque non potuit Ioannes sindone relicta nudus aufugere.

XXII. Sed neque id de Iacobo fratre Domini (quod alij opinantur) facilè concesserim, qui tunc quidem iam natu grandis longè ab adolescentia aberat, vt qui auctore Epiphanio[a] anno sexto supra septuagesimo septimo Neronis anno obierit, hoc est, anno Christi sexagesimo tertio, necesse vt sit, cum annis triginta tribus Christi ætatem superasse. Quocirca mirari satis non possum, cur idem Epiphanius existimarit, fuisse Iacobum hunc adolescentem, quo tempore B Christus captus est, cùm tamen annum, vt minimum sexagesimum excederet. Sic igitur mihi persuadeo adolescentem illum, vel alium quempiam fuisse ex Discipulis, vel quod magis reor, adolescentem quempiam, qui in horto, vel non procul ab illo habitaret, qui ad multitudinis concursum, & armorum strepitum accurrerit, visóque periculo abiecto velo, aut linteo, quo tectus erat, nudus aufugerit.

a Hær. 78.

XXIII. Iam verò in cruce positus Dominus noster Virgini Matri Ioannem, & Ioanni Matrem commendauit, quod profectò egregium est beneuolentiæ, & charitatis argumentum, voluit enim Ioannem Virginis filium esse, vt quemadmodum ipse fratris loco habuit, sic Mater illum loco filij admitteret, & Ioan- C nes tantu afficeretur honore, vt eam verè posset Matrem appellare, quam Christus Dei filius vnicam, verámque Matrem agnoscebat in terra, eumdémque iussit Matri esse obsequentem, vt solitudinem solaretur, & ei necessaria ministraret, Virginem denique, vt sancti loquuntur, Virgini commendauit. Ille verò eam suscepit *in sua*, hoc est, interprete Ambrosio[b], in sua spiritualia bona, qui alia omnia Christi amore deseruisset, sic autem scribit. *Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat? Bonus verbi, sapientiaque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperunt: accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis* D *retenta sunt. Neque enim Mater Domini nisi ad possessionem gratiæ demigraret vbi Christus habebat habitaculum.* Nec multo aliter explicat Augustinus[c]. *Suscepit*, ait, *eam Discipulus in sua non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat.* Rursus. *Suscepit eam Discipulus in sua, vt ad eius curam quicquid ei esset necessarium pertineret.* Eodem fermè modo loquitur Cyrillus[d]. *Commendauit*, inquit, *Christus Matrem Discipulo, vt officium filij in eam seruaret, Matrem similiter admonuit, vt Parentis in Discipulum auctoritatem haberet, amore videlicet, atque charitate non minus illos coniungi voluit, quàm si natura maxima propinquitate coniuncti essent.*

b In Enchir. ad Virg.
c Tract. 119. in Ioan.
d In Ioan. cap. 19.

XXIV. Fateor hæc omnia verè, atque aptè dici, Græcè D tamen dixit Euangelista εἰς τὰ ἴδια, idest, in propria, quomodo idem Ioannes de diuino Verbo[e] dixit. *In propria venit*, εἰς τὰ ἴδια, videtur indicare fuisse Virginem in Ioannis domum admissam, sic enim ferè loquitur scriptura, nam vbi interpres ait de[f] Aman, *reuersus est in domum suam*; Græcè legimus, εἰς τὰ ἴδια. Et in Actis Apostolicis[g]. *Redierunt in sua*; Græcè dixit Lucas εἰς τὰ ἴδια. Ita videtur significare Euangelista Virginē habitasse cum Ioanne, non quòd ille propriam domum haberet, qui, vt dixi, omnia reliquerat, sed quod in materna domo viueret cum Virgine, vel quod vbicumque esset, non sine Virgine moraretur. Quo posito valde videtur verosimile, cùm Christus in crucem sub-

e cap. 1. 11.
f Esther c. 5. 10.
g Act. 21. 6.

A latus est, Iosephum Virginis sponsum, vt ait Epiphanius,[a] iampridem obiisse, nisi quis malit cum Cypriano[b] affirmare superstitem illum quidem fuisse, sed æquo animo Christi factum tulisse. *Passus est*, inquit, *æquanimiter Ioseph sibi Ioannem in hoc seruitio præponi, quem digniorem se iudicabat, & ideo maximè, quia Magistri electio sic negotium ordinabat; quia videlicet iam exigebat ratio, vt coniugij renunciaretur opinio, neque vltra Pater Christi æstimaretur, qui hactenus vicem Patris, & coniugis tenuerat.* Eamdem planè sententiam indicat Ambrosius[c], qui alibi[d] ait. *Non abrogaretur vxor marito, sed quia pro mysterio coniugium prætexuit, completis mysteriis iam coniugio non* B *egebat.* Quæ si negem probabiliter dici, amens sim, sed Epiphanij sententia videtur potior.

a Hær. 78.
b Tract. de Passio.
c lib. de instit. Virg. c. 6. & 7.
d Luca 3.

Postremò cum Ioannes à Magdalena audisset corpus Domini in sepulchro non esse repertum, vnà cum Petro eò cucurrit, & qui cursu Petrum prævetterat, eum in sepulchrum ingredientem secutus est, & firma, constantique fide credidit Christum resurrexisse, quod priùs scripturarum admonitu, quas non bene callebat, nondum planè crediderat. Nec dubium est, illum cum cæteris Apostolis Christum rediuiuum sæpius vidisse; cùm verò vna cum Petro, aliisque non paucis in mari Tyberiadis piscationi operam daret, omnium primus Dominum in littore stantem agnouit, dixitque Petro. *Dominus est.* Quod Hieronymus[e] vir- C ginitati acceptum putat esse referendum: *Solus*, inquit, *Virgo virginem agnoscit.* Et alibi[f]; *prior virginitas virginale corpus agnoscit.* Nec multo aliter Cyrillus. *Ioannes*, inquit, *propter mentis puritatem, & cordis oculorum acumen ad intelligendum erat aptissimus; vnde solus signum statim intellexit, & Christum adesse cognouit, & aliis nihil dubitans significauit.* Chrysostomus verò hoc loco Ioannem cum Petro confert: *Proprios*, inquit, *mores referunt Petrus, & Ioannes; ille feruentior, hic altior erat; ille vehementior, hic perspicacior, ideo Ioannes prior nouit Iesum, Petrus prior ad eum properauit.* Et Origenes. *Petrus*, inquit, *in firma actionis, ac fides ponitur, Ioannes autem contemplationis, & scientiæ typum imitatur; vnus siquidem recumbe-* D *bat super pectus Dominicum, quod est contemplationis Sacramentum, alter sæpè titubat, quasi trepidæ actionis symbolum.* Sunt qui Ioannem in Christi sinu dormisse autument, quod nulla ratione admiserim nisi fortè contemplationis somnium intelligant, quod admitti vtcumque potest. XXV.

e lib. 1. cōn. Iouin.
f Ep. 61. ad Pammach.

Apostolicæ functiones, quibus Ecclesias instituit, & amplificauit.

CAPVT IV.

D VBi Christus in cælum ascendit, Ioannes vnà cum cæteris Apostolis diuini Spiritus charismata in die Pentecostes percepit, & vna cum Petro claudum illum erexit, eique restitutum gressum confirmauit, qui ad templi portam, quæ dicitur speciosa, iacebat mendicans[g], & pro eo constanter Iudæorum Senatui respondet[h]. Et cum eodem Petro ad Samaritanos profectus, illis iam baptismo lustratis Spiritum sanctum impertiuit. Cum verò Apostoli diuini Numinis impulsu orbem terrarum sibi Euangelicis præceptis imbuendum, informandumque distribuissent, Ioannes hic noster in Asiam minorem migrauit, vt Concilij Ephesini[i] Patres, Eusebius[k] Cæsariensis, Gregorius[m] Nazianzenus, Nicephorus[n], & Chrysostomus[o] affirmant, L

g Act. 3. 2.
h Act. 4. 8.
i 2. p. Conc. act. 1. in ep. Synod. ad Cler. Constantinop.
k lib. 3. hist. c. 1.
l Orat. 25.
m lib. 3. c. 1.
n Hom. in 12. Apostol.

mant, qui Chrysostomus[a] alibi ait Ioannem corpore habitasse Asiam, *ubi antiquitus omnes Philosophorum sectæ philosophatæ sunt, ideirco locus is Dæmonibus obnoxius est, & admodum formidabilis, in medio tamen inimicorum claruit, illorum fugata caligine arcem euertit quàm munitissimam.* Extat historia nomine Prochori[b] Ioannis res gestas copiosè complectens, quæ tamen, vt initio dixi, tota videtur conficta, & fabulosa, & non pauca continens Apostolica grauitate, sanctitatéque prorsus indigna.

a Hom. 1. in Ioan.
b Tom. 7. bibl. san.

II. Porrò Concilij Ephesini Patres Virginem Deiparam vna cum Ioanne aliquandiu Ephesi commoratam esse asseuerant, quod tamen Epiphanio[c] non probatur. *Cum Ioannes*, inquit, *in Asiam instituerit profectionem, nusquam dicit scriptura, quod abduxerit secum sanctam Virginem.* Quæ ratio si probanda sit, ne Ioannis quidem Asiana profectio admittenda erit, quæ nullo scripturæ testimonio probari potest. Sed si Ephesini Patres verè affirmarunt, Virginem aliquando Ephesi fuisse, necesse est illam vna cum Ioanne Hierosolymam reduisse, cum ibi, vt omnis antiquitas affirmat, exuerit mortalitatem, & quo tempore Paulus Hierosolymam profectus est, ad antecessores suos Apostolos ibi cum Petro, & Iacobo Ioannem offenderit. Iam verò Ioannes in Asia plures instituit Ecclesias, illásque præcipuè, quas ipse in Apocalypsi recenset, ad quas alludens Tertullianus[d]. *Habemus*, ait, *& Ioannis alumnas Ecclesias.* Hieronymus[e] verò, *Totas*, inquit, *Asiæ fundauit, rexitque Ecclesias.* Quod tamen, vt verum fatear, vix potest consistere. Nam Ephesina quidem Ecclesia, vt auctor est Irenæus[f], à Paulo quidem fundata est, à Ioanne verò, qui in ea vsque ad Traiani tempora perseuerauit, Euangelicis præceptis, institutísque informata. Quocirca Ignatius[g] Paulum in Ecclesiæ Ephesinæ administratione Ioanni præfert, huic subijcit Timotheum, non quasi ille Ioanni successerit, sed quia erat illo dignitate longè inferior. Epiphanius[h] enim Ioannem ait in senectute eam Ecclesiam administrasse. *Illic*, inquit, *sanctus Ioannes post ætatem senectam iubetur à Spiritu sancto prædicare, & reflectere errantes in via.* Quo fit, vt si verum sit, quod Ephesini Concilij[i] Patres scripserunt, dicendum videatur, Ioannem vna cum Virgine Matre primùm quidem aliquandiu Ephesi commoratum esse, deinde cum eadem Hierusalem reduisse; demùm post eius obitum, & Apostolorum Petri, & Pauli necem rursum in Asiam reuertisse, earúmque Ecclesiarum administrationem suscepisse.

c Hær. 78.
d lib. 4. in Marcio. c. 5.
e De script. Eccles. in Ioan.
f lib. 3. c. 3.
g Epist. ad Ephes.
h Hær. 51.
i Par. 2. act. 1.

III. Res verò eius in Phrygia gestas memorat Metaphrastes[k], quas nihil est necesse in præsentia recensere. Neque verò credibile est, eum perpetuò in Asia permansisse, cùm satis cõstet illum alias Orientis regiones peragrasse, peruenisse autem vsque ad Parthos indicat hæc ipsa eius prima Epistola, quam explicandam suscepimus, quæ olim inscribebatur ad Parthos, vt suo loco docebo. Sed quid vna cum Virgine Matre Ephesi, aut alibi tantus Apostolus egerit, si quis curiosius sciscitetur, vix quidquam habeo respondere; nam ante illum Asianas Ecclesias ab Apostolis Petro, & Paulo fuisse fundatas negari non potest, quamuis deinde pleræque, & eæ præsertim, quæ in Apocalypsi nominantur, Ioannis opera diligenter fuerint excultæ. Nam, vt apud Eusebium[l] scribit Dionysius Alexandrinus, fuit Apostolus Ioannes eloquentia præditus non vulgari, atque idcirco ait: *Euangelium, & prima Ioannis Epistola non solùm vitio carent, sed etiam summa cum verborum elegantia, maximo sententiarum pondere & concinna eloquentiæ dispositione perscripta sunt, tantum abest, vt vox aliqua barbara, aut solœcismus, aut imperitus, aut rudis sermo in eis reperiatur.*

k die 5. Septembris.
l lib. 7. hist. cap. 10.

IV. Cum igitur in Asia versaretur, strenuè pro Christi fide amplificanda laborabat, & vt de omnibus Apostolis scribit Marcus[a], Euangelicam doctrinam prodigiis, atque miraculis confirmabat. Et plurima quidem recensentur à Pseudoprochoro, quæ, quia incerta, ne attingenda quidem sunt. Sed cùm, auctore Hieronymo[b], Ephesij magicis artibus dediti essent in primis, atque idcirco Apollonium Tyaneum, qui circa initium Neroniani Imperij ad eam vrbem accesserat, tamquam Numen venerarentur; vero simillimum videtur, ingentem Apostolo cum nefario impostore concertationem fuisse susceptam, vt eius præstigias eluderet, & contra quæ ipse mira, & supra naturam efficeret, certissima esse veræ fidei, doctrinæque argumenta probaret. Cum verò imperante Domitiano incertum, an Apollonij Tyanei fraude, an Euphratis Philosophi desertoriis machinationibus, an denique Ebionis hæretici dolis vinctus Romam perductus, eiusdem Imperatoris edicto in Insulam Pathmon relegatus esset, ibi pro sui muneris ratione fidei propagandæ, & ad veram religionem mortalibus adducendis operam dedit. Qua de re sic planè loquitur Origenes[c]. *Imperator autem Romanorum sicut docet traditio condemnauit Ioannem dantem testimonium verbi Dei in insulam Pathmon, sicut ipse de suo martyrio docet, non dicens, quis eum condemnauit, sed vbi fuit condemnatus.*

a cap. vlt.
b Præf. in ep. ad Ephes.
c Tract. 11. in Mat.

V. Fallitur verò Epiphanius[d], qui affirmat, Ioannem Claudio imperium obtinente, ex insula Pathmo Ephesum reduisse, cum ne tùm quidem eò fuisset deportatus, eodemque modo lapsus est Aretas[e], qui Ioannis exilium sub Nerone contigisse scribit. Nec dubium est multa Apostolum in ea insula gessisse præclarè, quæ fusè à Metaphraste recensentur. Iam verò Domitiano mortuo, eiusque actis rescissis, Neruæ edicto exulibus restitutis Ioannes Ephesum redijt; sic enim scribit Eusebius[f]. *Eodem tempore ille ipse Apostolus, & Euangelista Ioannes, quem Dominus Iesus summo erat amore complexus, adhuc in Asia vitam traducens, simul ac ab exilio, quod in insula pertulerat, post Domitiani mortem reuertebatur, Ecclesias ibi administrauit.* Mox[g] verò ex Clemente Alexandrino historiam quamdam recitat, cuius nos alibi meminimus: eius autem historiæ auctoritate Chrysostomus Theodorum lapsum ad pœnitentiam hortatus: *Quæ gesta sunt*, inquit, *cum illo iuuene, qui pridem Discipulus fuit Ioannis illius filij Zebedæi, deinde longo tempore ducem egit latronum, iterum à sanctis manibus beati Senis interceptus in superiorem virtutem è lustro, è spelunca latronum penetrauit, ipse non ignoras, nosti enim non minus quàm ego sæpè numero te admirantem audiui referre beati viri condescensum, & mansuetudinem, & suauitatem illicem, quoniam prior cruentam dexteram exosculatus est hærens in amplexu Adolescentis, & ea via reduxit ad amissam virtutem.* Meminere eiusdem historiæ alij plures, præsertim Cassianus[h], & Antiochus[i] Monachus scriptor non ignobilis, qui eius auctorem laudat Irenæum.

d Hær. 51.
e In Apoc.
f lib. 3. hist. cap. 16.
g cap. 17.
h Coll. 24. cap. 21.
i Ser. 122.

VI. Inter cætera verò, quæ supra naturam admirabilia gessit, narrat Apollonius[k] antiquus historicus, hominem iam vita functum diuina vi, ac potestate Ephesi à Ioanne Apostolo ad vitam fuisse reuocatum. Illud etiam prætermittendum non est, quod auctore Polycarpo scribit Irenæus[l]. *Et sunt*, inquit, *qui audierunt eum dicentem, quoniam Ioannes Domini [illegible] in Ephesо iens lauari [illegible] cum vidisset intus [illegible], exilierit de balneo non lotus, dicens,* quòd

k Apud Eus. lib. [illegible] hist. cap. [illegible] Sozom. [illegible] cap. 18. Niceph. 4. cap. 25.
l lib. 3. c. 3.

quòd timeat, ne balneum concidat, cum intus esset Cherintus inimicus veritatis. Quod usdem propemodum a lib.4.c.fi2. verbis narrant Eusebius [a], b lib.4.c.22. Nicephorus [b], & Theodoretus [c]. c lib. 2. de hæret.fabul. Sed Epiphanius [d] semel, atque iterum non de Cerintho, sed de Ebione commemorat. d Hær.30. Addit verò Hieronymus [e] post Ioannis recessum e duct. Lucifer. balnei ruina Cerinthum vnà cum asseclis oppressum periisse.

VII. Plures autem Ioannem habuisse Discipulos, quos quotidie ad mutuam charitatem hortaretur, testis f lib.3.in ep. ad Gal.c.6. est Hieronymus, qui de illo hæc alicubi [f] memoriæ prodidit. *Beatus Ioannes Euangelista cum Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, & vix inter Discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: filioli diligite alterutrum. Tandem Discipuli, & fratres, qui aderant, tadio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister quare hoc semper loqueris? qui respondit dignam Ioanne sententiam, quia praceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Quam quidem sententiam hac sua prima Epistola, quam explicandam suscepimus, multis non solùm confirmat, sed magnopere etiam amplificat. De charitate enim erga proximos incredibile dictu est, quàm multa inculcet.

VIII. Porrò Policrates ad Victorem Romanum Pontificem scribês hæc apud Eusebium [g] de Ioanne Apo- g lib.5. hist. c.23. stolo, & Euangelista memorat. *His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, qui Sacerdos fuit, qui laminam auream gestauit, qui Martyr doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit.* Eadem narrat Nih lib.2.c.44. cephorus [h]; *Quinque*, ait, *quòd sacrorum Antistes esset, insigne Episcopale gestauit*, Græcè πέταλον, quasi dicat, *bracteam, siue laminam auream, tenuem quasi folium.* Quod i Hær.29. & 78. de Iacobo fratre Domini scribit Epiphanius [i], quamquam ille id Iacobo licuisse ait tamquam Aaronico k Hær.29. Sacerdoti. *Insuper verò*, ait [k], *etiam Sacerdotio ipsum functum esse iuxta vetus Sacerdotium reperimus, quapropter* penè eadem Hær.78. *etiam permittebatur ipsi semel in anno ingredi ad Sancta Sanctorum, velut lex Pontificibus pracepit, sicut scriptum est: sic enim multi retulerunt ante nos de ipso, Eusebius, & Clemens, atque alij, sed & folium, siuè bracteam in capite gestare ipsi licebat.* Cæterum eadem de Ioanne Euangelista l De scrip. Eccles. in Polic. ex eodem Policrate scribit Hieronymus [l], sed addit Ioannem auream laminam in fronte portasse. Erat autem lamina ad modũ semicirculi ab aure ad aurem protensa, quæ à posteriori parte vitta hiacynthina pileo capitis alligabatur, quæ quòd speciem quamdam coronæ præferret, corona aurea dici consueuerat, m Eccle.45. 14. sic enim loquitur Sapiens [m]. *Coronam*, inquit, *auream super mitram eius, expressam signo sanctuarij*; alludit enim ad Pontificale ornamentum, de quo loquitur Mo- n Exod. cap. 28.35. ses [n]. Simile quiddam vsurpasse videtur Ioannes, vt iam tùm insignia Pontificalia ad similitudinem Hebræorum Pontificum cœperint ab Ecclesia probari, vnde postea vsus mitræ, & reliquorum ornamentorum manasse videtur, quibus ad sacrificium Episcopi ornari consueuerunt.

Ioannis Apostoli, & Euangelistæ scripta.

CAPVT V.

I. REctè ait Hieronymus [a], fuisse Ioannem Apo- a lib. 1. in Iouin. stolum, Euangelistam, & Prophetam; Apostolum *quidem quia scripsit ad Ecclesias, vt Magister*, Euangelistam, *quia librum Euangelij condidit, quod excepto Matthaeo alij ex duodecim Apostoli non fecerunt*, Prophetam, *quia vidit in Pathmos insula, in qua fuerat à Domi-* A *tiano Principe ob Domini martyrium relegatus; Apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem*; quibus verbis indicat tria ipsius scriptorum genera; Ioannes enim tanquam Apostolus suis epistolis Ecclesias cælestibus monitis informauit, & de secunda quidem, & tertia, quæ aliquando in dubium sunt reuocatæ, dictum est suo loco. Hãc primam tamquam Ioannis germanam, ac propriam ab omnibus fuisse receptam, testis est Hieronymus [a], qui alibi [b] de aliis a De scrip. Eccles.in Io. etiam duabus idem affirmat. Verùm quòd hæc pri- b Epis 85.ad Euang. ma epistola inscriptione, & titulo careat, mirum fortassè cuipiam videri possit, nisi quòd cum apud Hyginum [c], & Augustinum [d] inscribatur ad Parthos, c Epist.1. d lib. 99. quæst. test. q. 39. His adde Ioan. secundum epist.2. ad Valer. & Idacium de Trin. contra Arian. suspicari quis possit eam inscriptionem excidisse. B neque enim viri sanctissimi temerè illam ad Parthos scriptam esse affirmassent, nisi eam illi inscriptionem aliquo certo documento cognouissent, cum enim apud Parthos, vt paulo ante diximus Euangelium promulgarit, eosdem sibi putauit Apostolus hac sua epistola in fide, ac religione confirmandos esse. Credibile autem est Parthos non modo Iudæos, sed etiam Gentiles Christo nomina dedisse. Nam de Iudæis ex Actis Apostolicis facilè colligi potest, siquidem inter eos Iudæos, qui ipso die Pentecostes obstupuerunt, quòd Apostolos audirent de rebus diuinis variis linguis differentes, Parthi, & Medi, Elamitæ nominantur. Fuisse autem plerosque etiam Gentiles ad fidem traductos indicant verba C illa, quæ hac epistola [e] leguntur. *Filioli custodite vos à simulachris.* e cap.5.20.

Mirum autem videtur nonnullis, cur Ioannes ne II. nomen quidem suum adscripserit, cum tamen alias apertè suo se proprio nomine indicauerit. Sed diuinam nonnulli prouidentiã pluribus nominibus admirantur, quæ nihil est necesse in præsentia commemorare. Quanti autẽ ea facienda sint, docti viderint, mea quidem sententia videntur eiusmodi, quæ acutè, atque ingeniosè excogitata ad alia propemodũ omnia apostolica scripta nihilo minori probabilitate transferri queant. Certè si hæc epistola non Ephesi, sed in insula Pathmo conscripta est, potuit Apostolus nomen suum supprimere, ne maiorem sibi, D atque Ephesinis fidelibus apud Tyrannum, qui se Christianæ religionis nomine relegauerat, inuidiam, conflaret, quasi à promulganda fide, quam gentiles oppugnabant, ne supplicio quidem territus reuocaretur. Quæ causa fuit, vt ne eos quidem nominaret, ad quos scribit, siuè illi Ephesij, siuè Parthi essent; quod autem sit huius epistolæ argumentum, suo loco videro.

Porrò vt Euangelista Euangelium scripsit, om- III. nium quidem Euangelistarum postremus, non planè dignitate postremum. De eo sanè hunc in modum scribit Athanasius [f]. *Euangelium secundum Ioan-* f In Synopsi. *nem pradicatum est à Ioanne Apostolo, & dilecto, cum exul esset in Pathmo insula, & postea ab eodem Ephesi editum per Caium dilectum Apostolorum hospitem de quo* E *Paulus ad Romanos* [g] *scribens dicit. Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia.* Extat apud Cedrenum [h] g cap. vlt. 23. h In Nerua. de Ioannis Euãgelio Hippolyti Episcopi Portuensis, & Martyris in hæc verba sententia. *Ioannes Iacobi frater cum in Asia verbum Dei propagaret imperante Roma Domitiano in Pathmum insulam est deportatus, inde à Nerua reuocatus Ephesum conscripto Euangelio, & patefactione, quam conspexerat, vita excessit, annos natus centum & sex.* Et quidem scripsisse illum Euangelium post suum ab exilio reditum confirmat Epiphanius [i]. *Cogit*, inquit, *sanctus Spiritus Ioannem recusantem Euangelium annunciare ob metum, & humilitatem in senecta ipsius post nonaginta annos vita eius, post reuersionem ipsius à Pathmo.* i Hær. 51.

Certè

IV. Certè Irenæus[a] auctor est Ioannem Euangelium Ephesi scripsisse[b], quem sequitur Eusebius[c]; quamquam Metaphrastes, & Dorotheus[d] Athanasio subscribunt; & in insula quidem Pathmo Ioannis Euangelium scriptum fuisse, editum verò Ephesi asseuerant. Addit verò Metaphrastes tonitrua, & fulgura cælitùs audita, cùm Ioannes scriptionem inchoauit. *Cum solutum, inquit, lege exilij Ephesum esset reuersurus, insulani precibus agunt ne recedat; quod cum persuadere non possent, secunda faciunt petitionis initium, ne scilicet totum se ipsum auferret, sed se ipsum loquentem assiduè suis scriptis relinqueret, vtque Christi Euangelium, & ea quæ ipse viderat de Christo scriberet. Annuit ille, & antequam opus aggrederetur tum sibi, tum alijs indixit ieiunium, & Prochorum sequi iubet, ac cum eo montis ascendit verticem, & more Samuelis rectus erigitur, & sicut Moyses manibus eleuatis effigiatur, & mentem à sensibus abstrahit, tuncque horrenda tonitrua, terrores, & fulgura, his similia, quæ antea Moysi legem recipienti contigerant, facta sunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, atque resonant: In principio erat Verbum.* Nec multo aliter sensit Hieronymus[e], cuius hæc sunt verba. *Coactus est ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis & multarum Ecclesiarum legationibus de diuinitate Saluatoris altius scribere, & ad ipsum, vt ita dicam, Dei Verbum, non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere. Vnde & Ecclesiastica narrat historia, cum à fratribus cogeretur, vt scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur; quo expleto reuelatione saturatus illud proœmium è cælo veniens eructauit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

a Lib. 3. c. 1.
b Lib. 5. hist. c. 8.
c Apud Lipom. tom. 1.
d In Synopsi.
e Præf. in Euang. Mat.

V. Idem verò Hieronymus causam scribendi Euangelium[f] his verbis explicat. *Nouissimus omnium scripsit Euangelium rogatus ab Asiæ Episcopis aduersus Cherintum, aliósque hæreticos, & maximè tùm Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse, vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt, quòd cum legisset Matthæi, Marci, & Lucæ volumina probauerit quidem textum historiæ, & vera eos dixisse firmauerit, sed vnius tantum anni, in quo & passus est post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cuius acta à tribus exposita fuerant superioris temporis antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit, sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint.* Verum alij multo antea putant Ioannem scripsisse Euangelium, & quidem Ephesi, antequam proficisceretur in exilium. Nam Clemens[g] Romanus, qui obijt sub Domitiano Ioannis Euangelium nominat, & Dionysius[h] Areopagita ad eum scribens in exilio positum eius Euangelium laudat. Et si ad confutandam exorientem Cherinti hæresim Euangelium scripsit, ea videtur multo ante cœpisse. Nam Epiphanius[i] ait Cherintum fuisse vnum ex iis, qui Antiochiæ circuncisionem cum Euangelio coniungendam docebant; & illius etiam meminit Clemés[k] Romanus. Quare subitò Ioannes occurrisse putandus est. Et quidem Ioannem idcircò potissimùm ad Euangelium conscribendum fuisse adductum, vt hæreticos confutaret, Irenæus[l], & Epiphanius[m] affirmát. Re namque vera eius Euangelium, & Epistolæ hæreses, atque hæreticos firmissimis argumentis refellunt, Euangelium quidem eos, qui Christi diuinitatem negarent, cuiusmodi erant Cherintus, & Ebion; epistulæ verò Basilidem, & alios, qui Christum veram assumpsisse carnem infitiabantur. Itaque à diuina Christi generatione Euangelium orditur, hanc verò epistolam his verbis inchoat. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrecta-*

f De scrip. Ecclesiast.
g Lib. 2. c. 61.
h Epist. ad Ioan. Euág.
i Hæres. 28.
k Lib. 6. c. 11.
l Lib. 3. c. 11.
m Hæres. 51.

A *uerunt de Verbo vitæ, &c.* Et infra 4. *Omnis, inquit, spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est antichristus.*

a Cap. 4. 2.

VI. Quoniam verò, vt ait Epiphanius[b], Basilides aiebat, quicquid de Christi morte narratur, inanem quandam speciem, fictamque imaginem esse, atque idcircò eius causa martyrium non esse subeundum, in 2. epistola ait. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem, hic est seductor, & antichristus.* Et de martyrio quidem hæc ipsa prima epistola[c] ait. *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Et planius[d]. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Hæc enim omnia, vt suo loco
B diceemus, hæreticos iugulant, & Catholica dogmata mirè stabiliunt, & confirmant. Quanquam autem non dubium est Ioannem Græcè Euangelium scripsisse, Epiphanius[e] tamé illud ait fuisse in Hebræam linguam conuersum, suaque ætate Tyberiade in Iudæorum gazophylacio asseruatum. Non facilè antem dixerim, hoccine Euangelium intelligat Papias apud Eusebium[f], qui historiam nescio quam narrat de muliere, quæ multorum criminum apud Christum Dominum esset insimulata, quam in Euangelio secundum Hebræos contineri affirmat. Cum enim hæc historia longè diuersa videatur ab ea, quam de muliere adultera narrat Ioannes[g], verosimilius videri possét Matthæi Euangelium indicari, quo Nazaræi
C vtebantur, quod ab Epiphanio, & Hieronymo Euangelium secundum Hebræos appellatur, in quo fortasse tunc ea historia legeretur. Nam ea quidem mulier, cuius meminit Ioannes, vnius dumtaxat adulterij rea dicebatur. Ioannis porrò Euangelium adeo reliquis præstat, vt ob id ipse aquilæ dicatur similis, quæ altissimè volat. Nam vt ait Augustinus[h]. *Cæteri Euangelistæ tamquam cum Domino homine, in terra ambulant, de diuinitate eius pauca dixerunt. Ioannem autem quasi piguerit in terra ambulare, ita ut se non solùm supra terram, & omnem ambitum aëris, & cæli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, & peruenit ad eum per quem facta sunt omnia dicens: In principio erat Verbum.*

b Hær. 24.
c Cap. 4. 15.
d Cap. 5. 8.
e Hær. 30.
f Lib. 3. in fine.
g Cap. 8. 3.
h Tract. 36. in Ioan.

VII. Postremò Ioannes tamquam Propheta admirabilem scripsit Apocalypsim in insula Pathmo, in qua
D illa omnia diuinitùs cognouit, quæ in eo libro commemorantur. Eum tamen librum non fuisse à Ioanne Apostolo, & Euangelista conscriptum, sed à Cherinto hæretico, nonnulli Episcopi Alexandrini existimarunt, vt apud Eusebium[i] asserit Dionysius Alexandrinus. *Dixerunt, inquit, non esse Ioannis librum, immò neque eam posse esse reuelationem, quæ tam crasso ignorationis inuolucro esset obtecta; & falsò titulo inscriptum affirmarunt, & non fieri posse, vt Apostolus aliquis, immò verò neque ex sanctis viris, aut ex aliis, qui sunt Ecclesiæ membra quispiam, sed Cherintus quidam vnde hæresis Cherintiana primùm orta, inuectaque est, eius libri auctor exstiterit, qui operi suo tamquam mentito, tamquam pleno vanitatis nomen celebre, vt dignum approbatione voluit imponere.*
E Eundem errorem Alogis tribuit Epiphanius[k], vel Alogianis, vt loquuntur Augustinus[l], & Philastrius[m]. Sed recentioribus[n] hæreticis non probatur, quòd videant in eo libro opera magnopere commendari, quibus illi exitiale bellum indixerunt.

i Lib. 7. cap. 20.
k Hær. 51.
l De hæres. c. 30.
m De hæres.
n Luther.

VIII. Ipse verò Dionysius Alexandrinus Ioannis alicuius viri sancti opus esse non dubitat, haud tamen facilè admittit esse Ioannis Apostoli, quod multis argumentis tùm apud Eusebium[o], tùm etiam apud Nicephorum[p] probare nititur, quæ quia ab aliis iampridem luculenter reiecta sunt, non committam vt quisquam mihi iure obiiciat, hac quidem in re me, vt aiunt, actú agere, & frustra tempus conterere;

o Lib. 7. cap. 20.
p Lib. 6. cap. 15. & 23.

satis

satis enim omnium penè Sanctorum suffragio, atque Ecclesiæ auctoritate Apocalypsim tamquam genuinum Ioannis Apostoli fœtum admitti, ac passim pro canonico libro probari constat. Videtur autem is liber sub finem Domitiani imperij à Ioanne conscriptus, vt Eusebius [a], Nicephorus [b], & alij [c] testantur. Inter cæteros autem Irenæus alicubi [d] hunc planè in modum scribit: *Per ipsum vtique editum fuisse, qui Apocalypsim viderat, neque enim ante multum temporis visa est, sed penè sub nostro sæculo ad finem Domitiani imperij.* Ea porrò quæ de Ioanne seniore, ac Theologo obiiciuntur, alibi refelluntur à nobis, quæ verò à Dionysio Alexandrino colliguntur, iampridem, vt dixi, explosa sunt. Hæc igitur sunt Ioannis scripta, quæ diuinam planè Apostoli sapientiam, ac sanctitatem redolent, dignúmque prorsus indicant, quem Christus Dominus eximia charitate complecteretur, qui vbique diuini amoris spiret ardorem.

a in Chron. b lib. 2. c. 24. & lib. 3. c. 9. c Irenæus. d lib. 5. sub fin.

Ioannis martyrium, & mors.

CAPVT VI.

I. DVo sunt in Euangelio loca, quæ primo intuitu inter se pugnare, aut non satis certè cohærere videntur. Nam cùm filij Zebedæi primos in regno Christi consessus appeterent [c], his à Domino verbis castigantur: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, aut sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Videtur enim Christus indicere, fore vt vterque pro Christo, & pro religione mortem aliquando oppetat. Contra verò cùm quæreret Petrus [f], quid de Ioanne futurū esset, hoc responsum accepit: *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Quo ex loco, vt ipse monet Euangelista, vulgatum est inter discipulos, Ioannem non moriturum; quæ sanè opinio multorum animos adeò occupauit, vt non pauci eum adhuc esse superstitem, & mortalem vitā agere existimarint, sed cum Enoch, atque Elia extremis illis mundi temporibus ad nos venturum, vt contra Antichristum pro fide, ac religione decerteret. Qua de re sic loquitur Euthymius: *De Ioanne quæstio est apud multos, aiunt enim, quòd quia infallibile est Christi vaticinium, scilicet calicem meum bibetis. & Ioannes nondum martyrij mortem sustinuit, nondum mortuus est, sed adhuc viuit, & cum Enoch, & Elia circa sæculi consummationem occidendus est.*

c Mat. 20. 23. f Io. 21. 22.

II. Nec dissimilia habet Theophylactus [g]. *Quidam,* inquit, *dicunt, Ioannem viuere, & ab Antichristo occidendum cum Elia prædicantem Christum.* Aretas [h] verò ad illa verba; *Oportet te iterum prophetare gentibus. Ex hoc,* ait, *dicto opinantur multi, Ioannem vsque ad sæculi consummationem viuere, ac venturum esse circa tempora Antichristi cum Enoch, & Elia.* Quam sententiam apertissimè docuit Hippolytus [i] Martyr; *Prior,* inquit, *Domini aduentus præcursorem habuit Ioannem Baptistam, posterior autem Enoch, & Eliam, & Ioannem Theologum exhibebit.* Sic etiam loquitur Metaphrastes [k]. *Ioannes Enoch, & Eliæ coniungitur.* Damascenus [l] verò: *Ioannes vsque ad aduentum Christi expers omninò mortis perstiturus est.* Sic denique [m] alij recentiores. Neque verò hæc sententia prorsus rationibus destituitur, quæ illam vtcumque probabilem reddunt.

g Ioan. 21. h Apoc. 10. i Or. de cōsum. sæcul. to. 5 Bibliot. sanct. k In vita Io. l Orat. 1. de Transfig. m Freculphus in chron. tom. 2. lib. 2. c. 9. Tr. pezun. ad illa verba Christi: Sic eū volo manere. Ambros. Catherin. Gen. 2.

Nam primùm verba Christi apud Ioannem [n] aliquem Christi aduentum expectandum indicant, ac non priorem, qui iam aderat; designant igitur alterum posteriorem; & cùm ait de Ioanne: *Si eum volo manere donec veniam;* indicat illum fore superstitem vsque ad secundum suum aduentum, vt videlicet vnà

III. n cap. 21. 22.

A cum Enoch, & Elia sese Antichristo opponat; idque multo quā Enoch, & Elia valentius, cùm ille tantùm ex lege naturæ pugnaturus sit, Elias autem ex lege Mosis, ipse verò ex lege Euangelica, quæ cæteris est longè præstantior. Atque hæc fortasse non postrema causa fuit singularis illius charitatis, qua illum Christus complexus est, vt fideles cum extremo illo cadentis mundi tempore propensius venerentur, maioríque beneuolentia prosequantur, illius denique monita, & consilia facilè admittant. Accedit deinde, quòd nemo illum mortuum vidit, nusquam eius corpus apparuit, nusquam extat, illa verò Apocalypsis [a] verba: *Oportet te iterum prophetare gentibus,* non leuiter hanc sententiam confirmant.

a cap. 10. 11.

B IV. Addo quòd non videtur credibile Apostolum tam Christo Domino carum martyrij gloria, laureaque caruisse, quam illum procul dubio vehementer optasse credendū est. Cùm igitur apud Matthæum [b] Christus illi calicem martyrij polliceatur, nec dum illum potauerit; quid reliquum est, nisi vt dicamus, ad extrema illa pereuntis mundi tempora reseruari? Quod vel ex eo firmari potest, quòd cùm ille, vt aliquanto post dicemus, in feruentis olei dolium Romæ coniectus sit, non passus est Deus, illum diem extremum claudere, non aliam profectò ob causam, nisi quòd eum gloriosior maneat martyrij triumphus. Denique ipsemet opinionem de se cōceptam, quasi non esset, nisi in extremis mundi temporibus moriturus non damnat facturus proculdubio, si eam C falsam esse cognouisset, tantùm enim ait Christi verba non apertè mortem illius inficiari.

b cap. 20. 23.

V. At multo ad veritatem pronior sententia est, quæ Ioannem mortalitatem exuisse affirmat, quæ quamquam certis, minimèque fallentibus argumentis, & rem planè conficientibus probari non potest, auctores tamē fide dignissimos [c] habet. Euthymius [d] enim: *Quis,* inquit, *relinquitur sermo asserentibus Ioannem non esse mortuum. cùm iam ipsemet luculenter clamet, quòd erram, qui hoc suspicamus?* Hieronymus [e] verò eū diem extremum obiisse his verbis affirmat: *Confectus senio sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus iuxta eamdem Vrbem sepultus est.* Et Polycrates [f] ad Victorem Romanum Pontificem scribens de Ioanne sic planè loquitur: *Qui tandem Ephesi morte consopitus* D *occubuit.* Apertissimè autem Tertullianus [g]. *Translatus est Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet, cæterùm morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant; obiit & Ioannes, quem in aduentu Domini remansurum frustra fuerat spes.* Quo loco cùm de Enoch, & Elia dixisset eos reseruari, nec dum obiisse, de Ioanne planè affirmat, eum iam vita functum esse; cùm verò addit, frustra fuisse spem eum remansurum, eorum sententiam refellit, qui eum adhuc superstitem arbitrantur. Augustinus [h] porrò explicans verba Christi: *Si eum volo manere, tantùm,* ait, *violenta morte non obisse,* quasi alias concedat, diem clausisse extremum. Denique Chrysostomus [i] Ioannem ait, post mortem, *tanquam viuum Ephesum* E *curare.*

c Ambros. in Psal. 45. & ser. 20. in Ps. 118. Hieron. Mat. 20. Eusebius Emyss. hom. de Ioan. Chrys. hom. 2. in Ioan. August. ser. de tēp. 149. Greg. hom. Euang. 35. Theod. Heracleota Io. 21. Theodor. Mopsuesten. Io. 21. Græcorum ceteri Io. 21. Beda Io. 21. & in martyrol. d Ioan. 21. e De script. Eccles. in Io. f Apud Euseb. lib. 5. c. 23. & Niceph. lib. 4. c. 37. g lib. de anima c. 50. h Ser. de Fer. 4. Pasch. i Homil. de 12. Apost. tom. 5.

VI. Certè eius sepulchrum Ephesi extare testantur Eusebius [k], Nicephorus [l], Chrysostomus [m], Metaphrastes [n]. De eo verò sic planè loquitur Augustinus [o]: *Sed cui placet adhuc resistat, & dicat, & asserat Apostolum Ioannem viuere, atque in illo sepulchro eius, quod est apud Ephesum dormire eum potius, quàm mortuum iacere contendat. Assumat in argumentum, quòd illic terra sensim scatere, & quasi ebullire perhibetur, atque hoc eius anhelitu fieri sine constanter, siue pertinaciter asseueret. Non enim possunt deesse, qui credant, si non desunt, qui etiam Moysem asserant viuere, quia scriptum est, eius sepulchrum*

k lib. 3. hist. c. 31. l lib. 3. c. 20. m Hom. 26. ad Heb. n In vita Io. o Tract. 124. in Io.

chrum non inueniri, & apparuit cum Domino in monte, ubi & Elias fuit, quem legimus non esse mortuum, sed raptum. Nec ita multo post: *Tradunt etiam, quòd in quibusdam scripturis, quamuis apocryphis reperitur, quando sibi fieri iussit sepulchrum, incolumem fuisse præsentem, eóque effosso, & diligentissimè præparato ibi se tamquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum; vt autem isti putant, qui hæc verba Domini sic intelligunt, non defunctum, sed defuncto similem cubuisse, & cùm mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem, & donec Christus veniat sic manere, suámque vitam scaturigine pulueris indicare, qui puluis creditur, vt ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli.* A

VII. Hæc ille ex aliorum sententia, quid autem ipse sentiat, mox subiicit in hæc verba: *Huic opinioni superuacaneum existimo reluctari, viderint enim, qui hunc locum sciunt, vtrùm hoc ibi faciat, vel patiatur terra, quod dicitur, quia & re vera non à leuibus hominibus id audiuimus.* B Tùm subdit: *Si autem, quod magis creditur, ideo sanctus Ioannes ait, non dixisse Dominum, non moritur, ne illis verbis, quæ dixit, hoc voluisse intelligi putaretur, corpusque eius in sepulchro eius exanime sicut aliorum mortuum iacet, restat, vt si verè ibi fit, quod sparsit fama de terra, quæ subinde ablata succrescit, aut ideo fiat, vt eo modo commendetur pretiosa mors eius, quoniam non eam commendat martyrium (non enim eum pro fide Christi persecutor occidit) aut propter aliquid aliud, quod nos latet.*

VIII. Ipsam verò rem gestam hunc in modum narrat

a lib. 2. c. 42. Nicephorus [a]: *Verum enim verò cùm ad hunc locum peruenerimus, necessarium esse duxi, sacram quoque translationem Diui istius Apostoli persequi, cùm enim dudũ transitionem suam ad Deum, diémque, & horam eius prænoscisset, presbyteris, ministrísque Ecclesiæ, & præterea quicumque flagrantes essent fide fratribus assumptis extra Ephesiorum Vrbem progreditur, & cum eis in vicinum quemdam tumulum, quò frequenter ire precationi operam daturus solebat, conscendit, ibi vehementius orans Ecclesias Deo commendat, mox sarculis quibusdam, & ligonibus celeriter sepulchrum sibi fodi præcipit, deinde eos, qui tùm aderant, arcanis de Deo verbis, & præceptis optimis de fide, spe, & potissimum dilectione (quippè dilectus ipse) erudiit, & corda eorum confirmans seruatori Verbo commẽdat, postremòque illis in Domino saluere, & valere iussis, vbi se crucis signo communisset, in monumentum descendit, operculúmque ei imponere, & id firmius communire, denique reuerti eos postea, sepulchrum aperire, diligentérque perspicere mandat. Hoc modo cùm ille, vt vestibus sepulchralibus amictus erat, in fossam descendisset, séque ad obitum composuisset, statim eo, qui iustus debetur, sopitur somno, cùm quidem ad multam senectutem post passionem seruatoris Christi sexagesimo octauo anno peruenisset.* C D Et aliquanto post alia quædam addit, quæ paulo post commemorabuntur.

IX. Certè Cælestinus Pontifex in Epistola ad Concilium [b] Ephesinum, non solùm extare sepulchrum, sed reliquias Ioannis Apostoli affirmat. *Vos*, inquit, *honor fratres beatissimi, respiciatur illa sola dilectio, in qua vtique secundùm vocem Ioannis Apostoli, cuius reliquias præsentes veneramini, manere debemus.* E Quod ipsum affirmant Patres Orientales in Epistola Synodica ad Senatum [c] Constantinopolitanum, cùm enim de Vrbe Epheso loquuntur, Martyrum, & Ioannis Euangelistæ monumenta commemorant. *Sanctorum*, inquiunt, *ac triumphatorum martyrum, maximè verò beatissimi Ioannis Theologi, ac Euangelistæ (quem summam apud Dominum nostrum fiduciam, familiaritatémque obtinuisse constat) monumenta complectendi desiderio flagrantibus, id facere integrum fuerit.* Et quidam Cælestinus Græcè nominat λείψανα, quæ propriè sunt defunctorum reliquiæ, cùm de hominibus dicuntur, vt constat ex Plinio. [d] Patres verò Orientales in Ephesino Concilio nominant λάρνακας, id est, arcas, seu sepulchra, seu monumenta, coniungunt autem monumentum Ioannis cum reliquorum Martyrum sepulchris.

b Habetur in Conc. Ephes. par. 2. act. 2.

c Habetur in Concil. Ephes. p. 2. act. 2.

d lib. 10. ep. 73.

X. Quæ cùm ita sint, eorum primùm reiicienda videtur sententia, qui eum adhuc in sepulchro viuentem spirare contendunt, cùm minimè credendum sit sanctissimum Apostolum, & Christo charissimum tamdiu in sepulchro viuum detineri, & Dei contemplatione, ac beatorum consessione priuari. Verùm quoniam Nicephorus [a], & Metaphrastes [b] aiunt, illucescente sequenti die, qui eum diem consequutus est, quo Ioannes in sepulchro inclusus est, cùm à Discipulis sepulchrum eius apertum esset, nihil præter crepidas, & sepulchralia lintea apparuisse, arbitrati sunt nonnulli [c], eum resurrexisse ad vitam immortalem, & vnà cum corpore, quemadmodum & Virginem Christi matrem in cælum fuisse translatum, quod asserit Nicephorus [d] his verbis, cùm enim locum illum Ioannis [e] explicaret: *Si eum volo manere. Cæterùm*, inquit, *Dominus eò, quòd temerè, & frustra arcana inscrutabilis iudicij Dei inquirere, & inuestigare vellet, acriùs obiurgat* (de Petro loquitur) *si eum*, inquit, *volo in præsenti vita cum corpore manere donec veniam (casum Hierosolymorum, aut secundum aduentum scilicet innuens) quid id ad te? Tu quemadmodum tibi constitutum est, sicidem vt ego, ad crucis mortem te para, de Ioanne verò, aut aliquo aliorum non tibi, sed mihi cura erit. Atque inde fama increbuit, Discipulum illum mortem non visurum, quam quidem multorum opinionem, tamquam importunam, minùsque veram ipse corrigens, non dixit ei, inquit, Iesus, quòd moriturus non sit, moriturus est enim eo, quo Dei Genitrix modo, confestim verò reuiuiscet, ac resurget incorruptibili scilicet corpore, alterum magistri expectaturus aduentum.*

a lib. 2. c. 42.

b In vita Ioan.

c Pet. Dam. ser. 1. de S. Ioan.

d lib. 2. c. 33.

e Ioan. 21.

XI. Quam sententiam si negem piam esse, & Ioannis sanctitati magnopere consentaneam, & congruentem, planè nihil videam, tantum tamen habeo dicere, admodum probabilem non videri, tùm quod historiis apocryphis nitatur, tùm quòd vetustiorem, ac maioris notæ auctorem nullum habeat, quam tamen sententiam, si quis sequi valit, quod ad me attinet, non improbo, sed maiora tamen, ac firmiora argumenta requiro. Qui verò dixerunt eum vna cum Enoch, & Elia superstitem esse, vnáque cum illis aduersùs Antichristum ante secundum Christi aduentum pugnaturum, nihil habent, quo hanc suam sententiam tueantur, nisi quod in Apocalypsi [f] legitur: *Oportet te iterum prophetare gentibus.* inde enim vt ait Aretas; *opinantur multi beatum hunc virum vsque ad sæculi consummationem victurum, ac venturum esse circa tempora Antichristi cum Enoch, & Elia, vt vna cum illis corrigat eos, qui tunc viuent, homines, & quod sub Antichristo interimendus sit.* Verùm ea verba vel significant eum postmodum Euangelium fuisse scripturum, quod existimarunt permulti [g], vel quod magis placet, multa illi superesse vaticinanda, quæ deinceps in eodem libro scripta sunt. Cæterùm in eodem illo libro duo tantùm testes contra Antichristum pugnaturi Enoch, & Elias nominantur.

f cap. 10. & 11.

Apoc. 10.

g Primasius. Beda. Ansbert. Aymo. Ambros. Rupert. Anselm. & Thomas.

XII. Sed quid significet Christus, cùm ait: *Si eum volo manere, donec veniam*, meritò quæritur. Illa autem verba in omnibus Græcis codicibus constanter habent, non οὕτως, sed, ἐὰν, vt Latinè reddendum fuerit non, sic, sed, si: Scriptorum autem negligentia in Latinos omnes fermè codices deprauata lectio peruasit, & alij quidem legunt: *Sic eum volo manere*; vt legunt Augustinus [h], Eusebius Emissenus [i], Ambrosius [k], Beda [l], & alij [m], vel: *si sic eum volo manere*, quomodo habet Hieronymus [n]. Quod attinet autem ad sensum, quocum

h Tract. 124. in Io. & ser. 149. de temp.

i Hom. de S. Ioan.

k In Ps. 45 & ser. 20. in Ps. 118.

l Ioan. 21.

m Rupert. Ioan. 21.

n lib. 1. con. Iouin.

quocumque modo legas, non magnum discrimen est, nisi quòd si legas, *sic eũ volo manere*, oratio est affirmans, non tamè continuò sequitur, vt significet Ioannem non esse moriturum. Sin autem legas, *si eum volo manere*, aut, *si sic eum volo maneré*, nihil affirmat, sed sub conditione loquitur, non debere Petrum molestè ferre, etiam si eum manere vellet. Hac autem lectione in hunc modum constituta de verborum sensu non planè inter omnes conuenit. Augustinus, & Beda, vt vulgarem opinionem admitterent, ad allegoriam confugerunt, vt Petrus quidem actiuam, Ioannes contemplatiuam vitam significet, quarum illa finem habitura, hæc permansura sit in omnem æternitatem. Chrysostomus verò, & Theophylactus ad locum videntur referre, quasi dicat: *Si eum volo hic manere, & non mitti tecum in totum orbem terrarum ad docendas omnes gentes, donec paulo post redeam, & mittam eum, quid ad te?*

XIII. Alij auctores omnes de morte explicant verba illa: *si eum volo manere*; hoc est, non mori. Sed inter eos dissensio est de illis, *donec veniam*. Et sunt, qui intelligant non secundum Domini aduentum, quem omnes expectamus, sed aduentum illum metaphoricum, quo non quidem ad iudicium, sed ad exercendam potentiam, aut vltionis seueritatem, vt per Titum, & Vespasianum Hierosolymitanam deleret vrbem, quasi significet, non moriturum Ioannem, nisi vsque ad tempora Vespasiani. Indicat hanc sententiam Nicephorus [a], sequuntur Dorotheus [b], & Theophylactus [c]. [a lib. 1. c. 35. b In Synopsi. c Ioan. 21.] sed vt arbitror, violenta, & minimè probabilis explanatio est; alij secundum Christi aduentum intelligunt, sed in ea loquutione hyperbolem inesse putant, qua nihil significetur aliud, quàm Ioannem diutissimè victurum; quomodo nos cùm aliquid valde sero futurum significare volumus, vulgo dicere solemus non nisi vsque ad diem iudicij faciendum, ita Leontius, & Theodorus Mopsuestenus. Alij denique secundum Christi aduentum absque vlla hyperbole, aut figura indicari putant, sed Christum non de quacumque, sed de sola violenta loqui morte, quam Ioannes non esset sicut Petrus subiturus, vt sensus sit: *Si eum*, aut, *sic eum*, aut denique, *si sic eum volo manere*, id est, illæsum, non cruci affixum sicut te, non alio violentæ mortis genere concisum, ac dilaceratũ, sed sanum, atque integrum, licèt mortuum, quid ad te? tu me sequere, tu mecum ad crucem propera. Sic Eusebius Emissenus [d], Augustinus [e], & alij [f]; atque hic est legitimus, & germanus sensus, quem videtur insinuasse Ioannes ipse, cùm addidit: *Et non dixit Iesus, non moritur, sed si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* [d Hom. de S. Ioan. e Ser. 149. de temp. f Ruper. hoc loco.]

XIV. Restat alter locus apud Matthæum [g], *calicem quidem meum bibetis*; videtur enim indicare Christus Iacobum, & Ioannem martyres aliquando futuros. [g cap. 20. 23.] Et quoniam de Iacobo res est certa, quem constat ab Herode fuisse occisum, de Ioanne ambigitur, quomodo Domini calicem biberit. Et quidem Theophylactus [h] existimat eum à Traiano fuisse necatum, atque ita morte violenta sublatum, & martyrio functum. [h Mat. 20.] Quæ si vera esset sententia, nihil de Ioannis martyrio dubitandum esset, sed quoniam nusquam legitur Ioannis violenta mors, cæterique omnes auctores eum vel adhuc superstitem esse, vel naturalem obiisse mortem affirmant, reliquum est, vt quæramus, quánam ratione Ioannes calicem Domini biberit. Quòd si verum sit, quod nonnulli existimarunt, non prædicere Christum fore, vt prius se filij Zebedæi mortem oppetant, sed tantùm significare, hoc se illis posse concedere, vt calicem suum bibant, non autem illud, vt ad dexteram, & sinistram suam sedeãt, quod iis reseruatur, quibus paratum est à Patre, nulla reliqua videretur quæstio. Verùm quoniam omnes ferme alij Christum putant rem futuram prædicere, Euthymius [a], Beda [a], & alij Ioannis exilium loco martyrij fuisse putant, illúdque addunt, quod ait Tertullianus [b], Romæ in olei feruentis doliũ fuisse iniectum, atque ita non voluntatem martyrio, sed martyrium voluntati defuisse. [a Mat. 20. b De præscript.]

XV. Quod quamquam probabiliter dicitur, & ad Christi verba accommodatè, crediderim tamen simpliciter, atque absolutè posse Ioannem appellari martyrem ob id solùm, quòd in feruentis olei dolium iniectus purior, ac vegetior, vt ait Tertullianus, enaserit. Tametsi enim Theologi in scholis martyrum nomen iis dumtaxat tribuunt, qui mortem pro Christo perpessi sunt, olim tamen, ætate potissimum Cypriani, etiam illi, qui à confessione Christiani nominis nulla suppliciorũ atrocitate abduci poterant, martyrum nomine appellabantur, quos Tertullianus interdum designatos martyres, nonnumquam etiam martyres simpliciter appellat. Certè Tertullianus, & Cyprianus ad martyres scribunt, eorúmque constantiam, atque animi magnitudinem miris laudibus extollunt. Qua de re quia [c] alibi plura dixi, non iterabo in præsentia eadem, cùm satis sit affirmare Ioannem in eo supplicio fidei, ac religioni testimonium præbuisse, & quoniam non nisi miraculo enasit, verè, ac propriè martyrem posse appellari, vt ad reliqua illius præconia, quibus à Hieronymo Apostolus, Euangelista, & Propheta nuncupatur, martyris etiam titulus addi queat. Ita Polycrates apud Eusebium [d]: *Martyr, inquit, & doctor fuit.* [c Ad Rom. 10. 10. d lib. 3. c. 25.]

XVI. Qua verò ætate Ioannes è viuis excesserit, non planè liquet. eum certè obiisse anno sexagesimo octauo à Christi morte imperante Traiano constans est veterum sententia. Sed qua ætate Christo adhæserit, quoniam certò sciri non potest, annorum vitæ eius numerus certò nequit constitui. Hieronymus [e] tantùm ait illum ad extremam peruenisse ætatem. alibi [f] penè puerum à Domino fuisse vocatum. [e lib. 3. in ep. ad Gal. c. 6. f lib. 1. in Iouin.] Sed si, vt affirmat Beda [g], nonagesimum octauum annum agens mortalitatem exuit, necesse est eum, cùm Christo adhæsit, vt minimum septimum supra vigesimum annum attigisse, vt penè puer dici nequaquam potuerit. [g De sex ætatibus.] Epiphanius [h] affirmat eum post annum vitæ suæ nonagesimum Ephesum rediisse, & Euangelium scripsisse triennio ante obitum, cui consentiunt Beda [i], Dorotheus [k], & alij, qui Euangelium scripsisse aiunt anno sexagesimo quinto ab ascensu Christi in cælum; [h Hær. 51. i Ioan. vlt. k In Synopsi.] quod si verum est, ad annum nonagesimum octauum nequaquam potuit peruenire, multóque minus ad centesimum sextum, quem illum attigisse asserit Cedrenus [l], tantum abest, vt centum viginti annos expleuerit, quod scripsit Dorotheus [m]. [l In cõpen. Annal. m In Synopsi.] Verùm, vt dixi, cùm non satis constet, quoto ætatis anno Christo nomen dederit, eius vitæ spatium certò definiri non potest. Sunt qui ex picturis coniiciant, eum circa annum vigesimum secundum ætatis suæ fuisse à Domino vocatum, sed argumento leuissimo, nam vt ille ait:

——— Pictoribus, atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Nemo enim est, qui Iosephum beatissimæ Virginis sponsum non pingat valdè senem, quem tamen nemo crediderit in extrema penè senectute cum Virgine puella iniisse coniugium. Quam ob rem retinendum est, quod Hieronymus ait, sub Traiano illum obiisse, & ad extremam peruenisse senectutem.



EPISTOLÆ PRIMÆ B. IOANNIS

ARGVMEMTVM.



OTA hæc Ioannis prima Epistola amoris, & charitatis diuinæ, siue qua Deum, siue qua proximos diligimus, ardorem, ac vehementiam spirat. Duo verò præcipuè fidei nostræ mysteria, Trinitatis, atque Incarnationis Christi mirabiliter confirmat. Dignitatem, ac præstantiam status Euangelici declarat. Omne genus hominum diuinis præceptis, atque Euangelicis institutis informat. Dei filios à Diaboli filiis secernit. Eos, qui Christo aduersantur, quos Antichristos appellat, suis coloribus describit. Peccati turpitudinem, & grauitatem exaggerat. Omnes denique in spem erigit, & ad charitatem inflammat. Tribuitur autem in quinque omnino capita, quæ suo ordine singillatim explicanda erunt.

EPISTOLÆ PRIMÆ CANONICÆ IOANNIS APOSTOLI

ARGVMENTVM.

DE prima iustificatione, quæ verbo fidei maximè perficitur, déque perseuerantia in percepta iustitia disserit, vnáque ostendit hanc nostram iustitiam nonnullis interdum næuis infici, atque adeo longissimè abesse à diuina perfectione, quæ instar lucis nullas tenebras admittit.

PARAPHRASIS.



VOD ante omnem æternitatem vna cum Patre immortali, ac sempiterna vita fruebatur, quodq; nos mortalitate circumdatū eum docere in terris audiuimus, oculisq; spectauimus, & quē accuratissimè contēplati sumus, quod denique manibus nostris cōtrectauimus de æterni Dei verbo viuifico. ¶ Ipsa quippe immortalis, ac beata vita aspectabilem sese, ac tractabilē præbuit: itaque nos, qui vidimus, idonei testes sumus vobisque sempiternam vitam promulgamus, quæ olim quidem erat apud Patrē, non ita pridem autē sese mortalibus conspiciendam exhibuit. ¶ Quod inquā intuiti sumus, quodque auribus nostris percepimus, credendū vobis, & complectendū proponimus, vt vos nobiscum eiusdē cælestis gratiæ, ac diuinorum bonorum participes sitis, nos verò vna vobiscum cum Patre, ac Filio eius Iesu Christo artissimè coniungamur. ¶ Hæc autē ad vos scribere placuit, vt perfecto, absolutóque gaudio perfundamini. ¶ Illud verò in primis, quod ab eo audiuimus, vobis commendatū esse percupimus, Deū immortalē immensam quamdā, atque admirabilē lucē esse, à qua longissimè tenebræ seiunguntur, cùm neque error, neque inscitia, neque verò labes vlla, aut macula in eo deprehēdi, aut cōcipi queat.

CAPVT I.



1 *Vod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.*

2 *Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.*

3 *Quod vidimus, & audiuimus annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.*

4 *Et scribimus vobis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

5 *Et hæc est annunciatio, quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis, quoniā Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vlla.*

6 *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.*

7 *Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi fily eius emundat nos ab omni peccato.*

8 *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

9 *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

10 *Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.*

¶ Quod si nobis veluti blandiendo, assentandóque gloriabimur, nos cum eo inisse societatem, & tamen in errorum, vitiorúmque tenebris vitam traducimus, plane mentimur, oratióque nostra, atque adeò ipsa vita longissimè absunt à veritate, rectáque viuendi ratione. ¶ Sin autem diuina luce illustrati eius splendorem, ductumque sequimur, Deumque, qui lucem habitat inaccessam, & vndique habet circumfusum lumen imitamur; næ nos beati, qui & cum illo, & inter nos mutuam societatem contraximus, quippe quos sanguis Iesu Christi filij eius ab omni prorsus scelere, atque flagitio expiauit. ¶ Nam si quasi nos magnificè circumspiciamus, nostrámque innocentiam admiremur, id affirmare audeamus, nos omnis prorsus labis integros, ac puros esse, planè decipimur, aut nos ipsi fallimus. Et dum ita de nobis aut sentimus aut prædicamus, aperte mentimur ¶ Contra si fateamur quæ aliquando peccauimus, nósque adeo diuinam iram, atque indignationem prouocasse non negemus, ille verò, qui fidem suam accuratissimè liberare solet, neque à iustitia vel tantillum recedere potest, omnia nobis præterita flagitia condonabit, omnémque nostram nequitiam, atque impietatem penitus perpurgabit. ¶ Si denique libeat obstinatè affirmare nos nusquam lapsos esse, aut offendisse, nihil propius est, quàm vt asseramus, mentiri Deum, qui frequentissimè nos imbecillitatis nostræ admonuit, necesse vt sit, nos omnia eius consilia, atque præcepta sempiterna quadam obliuione obruisse.

IN CAPVT PRIMVM

EXPLANATIO.

1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ.* A

I. I quis fortè dubitaret, an huius Epistolæ auctor esset Ioannes Euangelista, hoc exordium nullum relinqueret ambigendi locum, tam est enim eius Euangelij principio simile, quàm ouum ouo; quin potius quadam ex parte idem planè dicerim, ibi enim Græcè dixit, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, hic autem, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ibi interpres dixit, *In principio erat Verbum*, hic autem, *quod fuit ab initio.* Porrò hæc prima sententia, tum propter rerum præstantiam, ac dignitatem, tum propter orationis formam valdè videtur obscura, atque implicita. Est enim oratio hyperbato admodum perturbata, aspera, & dissoluta, & ob interiectam parenthesim non leuiter inuoluta. B Primarium enim verbum multo post subiicitur, *testamur, & annunciamus*, Græcè, μαρτυροῦμεν, καὶ ἀπαγγέλλομεν. Hac, vt opinor, mente, mysterium vobis proponimus diuinitatis Christi, qui cùm sit æterni Patris sempiternum verbum, in sua diuina hypostasi à patre absque principio genitum, idem nostra mortalitat[e] suscepta sese nobis spectandum, tractandumque exhibuit, cuius rei nos idonei testes sumus, qui illum oculis perspeximus, manibusque contrectauimus, & aliquandiu vnà cum illo viximus, eumque docentem audiuimus. Atque ita contra Ebionem, & Cerinthum Christi diuinitatem astruit, & contra Valentinum, atque alios eius incarnationem, & hypostaticam cum natura nostra vnionem declarat.

II. Obscurè id quidem, sed verè omninò hoc indicat OEcumenius, & obscuritatis rationes reddit. *Ipse autem*, inquit, *non ita apertè, & planè orationem sicut nos explicauit. Primùm ex concisi. & breuitate verbi [illegible], deinde vt Græcam facundiam, ac [illegible] spernat, [illegible]que nostram non in verbis, sed in rebus ipsis, atque operibus esse ostēdat, tum vt nos attentiores redd[at], ne prima inspectione facile eam percipiendo negligēter [illegible]. Accedit quod de Deo loquens obscuritate occultare aliquatenus voluit. quæ præstantiora sunt [illegible] vt à prophanis auribus percipiantur, neque efferri, & enunciari ad ipsos sine periculo possunt, exponere enim sancta canibus, & proijcere margaritas ante porcos prudentis hominis minimè est.* Sunt verò [illegible]tatus, & Incarnationis mysteria, vt asserit Athanasius[a], a in Symbol.

ad salutem consequendam cum primis necessaria. Et de incarnatione quidem, quod æque necessarium est, apertè docet, duas in vnam hypostasim naturas mirabiliter fuisse copulatas, sed impermixtas tamé, nulloque pacto confusas.

III. Fecit id etiam in Euangelio, siue vt exortas hæreses confutaret, vt Irenæus [a], Epiphanius [b]; Chrysostomus [c], Cyrillus [d], & Beda [e] affirmant, siue, vt in futurum caueret, vt monēt Chrysostomus [f], & Theophylactus [g]: siue denique vt ab aliis Euāgelistis prætermissa, quæ maximè ad salutem necessaria essent, fideles nō laterēt, diuinitas enim Christi nō satis ab aliis Euángelistis explicatur, vt præcipuè Eusebius [h], Basilius [i], & Nicephorus [k] obseruarunt. Itaq; Ioannes non in Euangelio solum, sed hoc etiam loco de diuinitate Verbi apertè loquitur, illúdque ait ita sibi humanam naturam coniunxisse, vt nihil tamen de diuinitate decederet, sed idē filius planè, qui ante omnem æternitatem naturaliter à Patre genitus est, in tempore inter mortales, mortalis ipse vixerit. Itaque verissimè, rectissiméque scripsit Leo Pontifex [l]; *Verus enim Deus est filius Dei totū habens ex Patre, quod Pater est, nullo exordio tēporalis, nulla varietate mutabilis, nec ab vno diuisus, nec ab omnipotente diuersus. Sempiterni Genitoris vnigenitus sempiternus, vt mēs fidelis credens in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in eadem vnius Deitatis essentiā, nec vnitatem gradibus diuidat, nec Trinitatem singularitate cōfundat.* Atque hæc quidē de diuinitate Verbi, mox autem de eius humana natura subiicit.

a lib. 3. c. 11.
b Hæres. 51.
c Homil. 1. in Io.
d Præfat. in Io.
e Ioan. 1.
f Hom. 3. in Io.
g Pręf. in Io.
h lib. 3. hist. c. 24.
i lib. 2. con. Eunom.
k lib. 2. c. 45.
l Serm. 2. de Ascens. c. 3.

IV. *Non autem sufficit Dei Filium in sola Patris nosse natura, nisi eū nō recedentē à propriis agnoscamus in nostris. Exinanitio enim illa, quam reparationi impendit humanæ dispensatio fuit miserationis, non priuatio potestatis. Nam cum & ex æterno consilio Dei non esset aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri, inuisibilis visibilē, intemporalis temporalem, impassibilis passibilem substantiam suam fecit, non vt virtus deficeret in infirmitate, sed vt infirmitas in incorruptibilem posset trāsire virtutem.* Hæc vir sanctissimus, quæ hic noster tū in Euangelio, tum hac sua Epistola admirabili quadam ratione luculenter explicuit.

V. Igitur interpres dixit, *quod fuit ab initio*, cum in Euangelio dixerit: *In Principio erat*: cū tamē vtrobiq; Græce dixerit Apostolus ἦν. Certè hic æternā Christi naturam, quæ nullo temporis decursu præterit, nulla successione mutatur, æquè omnia tempora significare possunt. Quocirca hic ipse Ioānes in Apocalypsi [m]; *Pax*, inquit, *ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Itaque præterito tempore apud Dauidem [n] loquitur Deus Pater: *Ego hodie genui te.* Et alibi [o]; *Ex vtero ante luciferum genui te.* cùm tamen ea generatio numquam prætereat, ac ne præterire quidem queat. In Euangelio autem maluit interpres dicere *erat*, quod ad æternitatem diuinæ naturæ significandam aptius, congruentiúsque censetur. Vt enim obseruauit D. Thomas [p], *quod futurum est nondum est actum, præsens autem actu est, & per hoc quod est actu præsens, non designatur fuisse, præteritum autem perfectum designat aliquid extitisse, & esse iā determinatum, & iam desiisse, sed præteritum imperfectum significat aliquid fuisse, & non esse adhuc determinatum, nec desiisse, sed adhuc manere. Sed quantum ad rationem præsentis competit maximè ad designandum æternitatem præsens tempus, quod significat aliquid esse in actu quod semper conuenit æternis, & ideo dicitur [q]: Ego sum, qui sum.*

m cap. 14.
n Psa. 2.
o Psa. 109. 3.
p Ioan. 1.
q Exod. 3. 14.

VI. Cæterùm si præteritum perfectum cum imperfecto conferatur, imperfectum ita significat tempus præteritum, vt tamen indicet quandam perseuerantiam, qua ratione, vt alicubi obseruauit Plinius [r], *Veteres illi pingendi [illegible] conditores absoluta opera pendenti titulo inscripserunt, vt Apelles faciebat, vt Polycletus faciebat, tamquam [illegible] imperfecta, vt contra iudiciorum [illegible] superesset [illegible] regressus ad veniam, velut emendaturo quidquid desideraretur, si non esset interceptus.* Itaque verbum *erat*, quippe imperfectum, existentiam non penitus abolitam significat, quod verbum *fuit* non ita perspicuè indicat, cum rem præteriisse, ac nō [illegible] significat, vt cum Poëta [a] dixit; *Fuimus Troes, fuit Ilium.* Verum quoniam *Dei perfecta sunt opera*, vt scribit Moyses [b], potuit hic interpres ad hoc significandum vti præterito perfecto, cum præsertim dicat Apostolus, *ab initio.*

r [illegible] Praef. de nat. hist.
a Virg. [illegible]
b Deut. 32. 4.

VII. Negari autem non potest, multo esse aptius verbum *erat*; vt enim Basilius [c]; *Cum dixit Ioannes: In principio erat Verbum, duabus vocibus cogitationem intra præscriptos terminos reclusit. Hæc enim vox, erat, nullum cogitationi præbet exitum, quemadmodū hæc principium non dat transitum humanæ mentis cogitationi; quātumuis enim cogitatione curras ad anteriora, non excedis, erat; & quantumuis institeris videre quæ sint vltra illum, non poteris tamen superare principium.* Quamquam si propriè de Deo loquendum sit, nullo tempore eius æternitas circumscribi potest, vt enim monet Gregorius Nazianzenus [d]; *Deus & semper erat, & est, & erit; vel, vt rectius loquar, semper est. nam erat, & erit, huius nostri temporis, fluxæque, & caducæ naturæ segmenta sunt, ille autem semper est, atque hoc modo se ipsum nominat, cum Moysi oraculum dedit.* Quò spectās Augustinus [e]; *Mentis quippe, ait, aciem in omnem mutabilitatem ab æternitate seiungo, & in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis, & futuris motibus constant, nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum est, quia & quod præterit, esse desinit, & quod futurum est, nondum esse cœpit; æternitas autem tantummodo est, nec fuit, quasi non sit, nec erit, quasi adhuc non sit.*

c [illegible] Spir. [illegible]
d Orat. 4[illegible]
e de ver. relig. c. 49.

VIII. Atque ita Plato [f]; *Erat, inquit, & erit, quæ nati temporis species sunt, non rectè æternæ substantiæ a[illegible] n[illegible]mus, dicimus enim de illa. Est, erat, & erit, sed [illegible] re vera solum esse competit, fuisse verò, & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidā duo illa sunt, æterna autē substantia cum eadem semper, & immobilis perseueret, neque senior se ipsa fit vmquam, neque iunior, neque fuit hactenus, nec erit in posterum, neque recipit eorum quidquam, quibus res corporeæ, mobilésque ex ipsa generationis conditione subiiciuntur.* Obseruat autem Beda [g], ideo quater inculcasse Euangelistam erat, erat, erat, erat, *vt intelligeremus omnia tempora præuenisse coæternum Patri Verbum.* Et Ambrosius [h]: *Ecce, inquit, quater erat, vbi inuenit impius hæreticus, quod non erat?* Hanc opinor ob causam August. [i] hoc etiam loco legit, *erat*, quomodo etiam legit OEcumenius interpres. Ita, quod monet Basilius, refellitur Arianorum impietas [k], qui olim aiebant, *erat aliquando tempus, quando non erat, & antequam nasceretur non erat.* Obseruat autem hoc loco Didymus Verbum *erat*, propriè de vno Deo dici, qui simpliciter est, cum cætera non nisi in certo quopiam genere dicantur esse.

f in Timæo.
g [illegible]
h lib. [illegible] de fid. ad Gr[illegible]
i Tract. 1 in hanc Epist.
k Ambros. [illegible] tract. de Symbo[illegible]

IX. Ab initio, Græcè ἀπ' ἀρχῆς. In Euangelio dixit. *In principio*, ἐν ἀρχῇ. Si principium cum Origene [l], Cyrillo [m], & Augustino [n] interpreteris Patrem, quasi significet Ioannes, filium fuisse in Patre, cùm dixit: *In principio*, simile quiddam indicabit hoc loco, cùm ait, *ab initio.* Quasi dicat, Verbum à Patre prodire, ac promanare ortu quodam æterno, planéque ineffabili. Sin autem, quod videtur magis ad mentem Apostoli, principium intelligas rerū omnium initiū, planè idem docet in præsentia, quod in Euangelio, vtrobi

l Tom. [illegible] in Io. & hom. in diuers.
m in Io. c.
n lib. 6. Trinit. c.

vtrobique enim [illegible]ficat Verbum diuinum æternitate omnia præcessisse. Fiat, inquit, à principio, aut ab initio, antequam quidquam fieret, vt apud Salomonē de seipsa loquitur [a] Sapiētia. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* & multa deinceps. Quapropter Augustinus[b], *In principio* (inquit) *sic dictum est, ac si diceretur, ante omnia.* Auctor verò quæstionum ex vtroque testamento apud Augustinum[c]. *Illud* (ait) *quod dicitur, in principio erat Verbum, ante inchoationem creaturæ superna, & inferna significatur fuisse, vt non vtique inter hæc, quæ creata sunt, prius factum intelligeretur, quia in principio erat, cum disponeret Deus facere creaturam. Ego si in principio erat, id est, ante omnia, erat semper.*

X. In eamdem verò sententiam Chrysostomus[d]. *Cum audis, quod in principio creauit Deus cælum, & terram, quid per hoc principiū intelligis? Certè quod ante omnia visibilia ea creauit; sic cum de vnigenito dicatur, quod in principio erat, ante omnia intelligibilia, & ante sæcula fuisse intelligas necesse est.* Eodemque modo loquitur Beda, & plures recentiores. Neque aliter accipiendum est, quod hoc loco ait *ab initio*; quamquam possis principium absolutè accipere, vt non modò omne creationis initium, sed quicquid cogitatione concipi potest, præuertat. Quomodo videtur accipere Hilarius[e]: *Quid est* (inquit) *illud, in principio erat? transeunt tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates, pone aliquid, quod voles tua opinione, principium, nō tenes tempore, erat enim.* Rursus: *Meus piscator* (hunc Ioannem intelligit) *vicit omne principium, erat enim, quod est, neque tempore aliquo concluditur, vt cœperit, quod erat potius in principio, quàm fiebat.* Et Cyrillus[f]; *Quæ mens poterit vltra illud, erat, conuolare, aut quando illud erat mente tenebimus, vt cogitationes nostras non antecedat?* Itemque: *Erat per se indeterminate prolatum, nullis vmquam terminis circumscribetur, cùm notum sit scrutantem semper intellectum præcedere.* Sic etiam Basilius[g]. *Quantumcumque volueris mentis inquisitione retrocurrere, pertransire tamen, quod erat, & vltra illud ferre cogitationibus non poteris.*

XI. Hoc igitur loco idem valet, *quod fuit ab initio*, cum præsertim Ambrosius hoc loco legat, *quod erat in principio. Alibi quoque* (inquit) *Ioannes in epistola dicit, quod erat in principio, indefinite tenditur erat, quicquid excogitaueris, erat filius, quod erat in principio, nō includitur tempore, non principio præuenitur.* Augustinus[i]; *Qui in principio* (inquit) *erat, intra se cōcludit omne principium.* Acutè verò Gregorius Nazianzenus[k]. *Quodcumque principium verbi assignare volueris, præiudicatū habebis, quia in principio erat.* Ita videas nomine principij æternitatem significari, quæ est principium sine principio. Sic enim ait Cyrillus Alexandrinus[l]. *In principio* (inquit) *siquidem definitionem principij retinet, nihil antiquius est, numquam enim principij principium poterit excogitari. Nam si aliud quiddam ante principium intelligitur, excidet prorsus ratione eius esse principium. Præterea si ante verè principium aliud inueniri poterit, in infinitum nobis erit procedendum, aliud semper ante aliud quærentibus, nec in vno simpliciter principio consistentibus.*

XII. Faciunt ad æternitatis naturam explicandam verba Basilij[m], cùm enim de nomine principij ageret. *Non est* (inquit) *possibile principio antiquius quid excogitare, non esset enim principium, si quid ante se haberet superius. Nam si eorum esset principium, quæ dicuntur ad aliud, vt principiū sapientiæ, principiū viæ bonæ, & in principio fecit Deus; fortè possemus eum, qui tali principio cōstitutus est, generationem cogitando excedere. Verùm quoniam id principij significatū absolutum, ac sine relatione supremam naturam significat, quomodo non deridendus is est, qui vltra hoc principium cogitatione circumuagatur, & id suis imaginationibus excedere conatur?* Intelligo igitur ab initio seu a principio non solùm, vt principium antecedit, quidquid est creatum, sed etiam quidquid principio caret, vt quod ait ἀπ' ἀρχῆς, id est, *ab initio*, idem sit, quod ab æternitate, quæ principio caret, cùm sit ante omne principium, etiam quod animo, & cogitatione fingi possit.

XIII. Huic autem sententiæ Ioannis Apostoli persimilis est illa, quæ habetur in Ecclesiastico[a]. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* itemque illa apud Michæam[b]; *Et egressus eius ab initio a diebus æternitatis.* Quod fuit, igitur *ab initio*, perinde dictum est, ac si dixisset, quod semper fuit, quod principio caret, quod fuit, & erit in omnem æternitatem. Sic omnes diuinitatis Christi oppugnatores iugulat, præsertim Ebionem, & Cerinthum, denique Arianos, qui vt supra indicaui, illud vsurpabant, *erat, quando non erat*, itemque Paulinianistas, ac Photinianos, qui tum primùm Christum extitisse affirmabant, cum natus est ex Virgine, nulloque modo ea antiquiorem esse, atque ita eius diuinitatem prorsus abnegabant.

XIV. Quoniam igitur Ioannes de Christi mortali vita, deque eius cum hominibus consuetudine dicturus erat, ne quis humanam tantùm in illo naturam cogitaret, hæc de eius diuinitate ante denuncianda censuit, vt vtraque in Christo natura diuina, & humana integra fide credatur. *Hoc enim est*, vt ait Leo Pontifex[c], *quod iustificat impios, hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in vno, eodemque Domino nostro Iesu Christo & vera deitas, & vera credatur humanitas. Deitas, quæ ante omnia sæcula in forma Dei æqualis est Patri; humanitas, quæ nouissimis diebus in forma serui vnita est homini.* Itaque contra Gentiles Christi diuinitatem prædicat, eiusque æternitatem indicat, cum Gentilium Dij & esse cœperint, & tanquam mortales ex humanis excesserint, vt Arnobius[d], Clemens Alexandrinus[e], Iustinus Martyr[f], & Eusebius Cæsariensis[g] multis docuerunt. Idemque contra hæreticos valet, præsertim contra Ebionem, qui primis illis Apostolorum temporibus, vt auctor est Hilarius[h], docuit, Christum more cæterorum hominum ex viro, & fœmina ortum esse, vt non immeritò dixerit Hieronymus[i], hunc Apostolum, & Euangelistam aduersus huius hæretici impietatem scripsisse Euangelium.

XV. Eius potiò hæretici meminere Ignatius[k], Irenæus[l], Hieronymus[m], Nicephorus[n], Philaster[o], videturque circa annum Domini octogesimum, vel paulo ante hæresim excogitasse, hausisseque errorem ex Cerintho, quem crediderim fuisse primum omnium huius erroris parentem, ac magistrum; hūc enim æqualem fuisse Ioannis Apostoli scribit Irenæus[p]. De hoc autem multa scribunt Theodoretus[q], Dionysius Alexandrinus[r], & Eusebius Cæsariensis[s]; videturque omninò fuisse ante Ebionem, vel eodem certè vixisse tempore; vt appareat lapsum esse Philastrium, qui primum huius erroris auctorem fuisse censet Carpocratem, cùm hic fuerit vtroque posterior, quippe qui, vt asserunt Irenæus[t], & Eusebius[u], æqualis fuit Basilidis imperante Adriano anno Domini circiter centesimo vigesimo, de quo meminit Theodoretus[x], itemque Nicephorus[y]. Eamdem porrò hæresim complexus est deinde Theodotus Bisantius Coriarius, aduersus quem scribit Epiphanius[z], cùm eum hic aliquādo Christum negasset, vt hominum vitaret opprobria, hoc se quasi clypeo protegebat, quod hominem tantùm non Deum abiurasset. Suspicor autem apud Augustinum[a] pro Theodotione Theodoti nomen reponendum esse, quomodo legunt Philaster[b], & Nicephorus[c].

XVI. Idem postea anno Domini circiter ducentesimo

Marginal notes (left column): a [illegible] 8. — b [illegible] de [illegible] c. 2. — c [illegible] q. 1. — d [illegible] 3 in [illegible] — e [illegible] de [illegible] — f in Ioā. c. 1. — g lib. 1. cōt. Eunom. — h lib. [illegible] de [illegible] c. 3. — i [illegible] 6. de [illegible] — k [illegible] de [illegible] — l [illegible] in [illegible] 1. — m [illegible]

Marginal notes (right column): a cap. 24. 14. — b cap. 5. 2. — c Serm. 4. de epiphan. — d aduers. Gent. — e in Protrept. — f adhort. ad Gent. — g de præpar. Euang. — h lib. 1. de Trinit. — i de script. Eccles. in Ioan. — k epist. ad Trallian. — l lib. 1. c. 26. — m Hær. 1. — n lib. 4. c. 23. — o in catal. hæret. — p lib. 1. c. 25. & lib. 3. c. 3. — q lib. 2. de hær. fab. — r lib. 2. de promiss. — s lib. 3. hist. cap. 22. — t lib. 1. 24. — u lib. 4. hist. cap. 7. — x [illegible] de hær. fabul. — y lib. 4. [illegible] — z hær. 54. — a de hæres. — b in catal. — c lib. 4. c. 10. & 21.

vigesimo primo sensisse Artemonem quemdam scribit Eusebius [a], confirmant Nicephorus [b], & Cassiodorus [c], & vt affirmat Philaster, idem docuit Paulus Samosatenus anno à Christo nato centesimo nonagesimo sexto, vel circiter, de quo plura Nicephorus [d]. Non ita multo post anno ferme trecentesimo quinquagesimo in eodem luto hæsit Photinus, vt testantur Vincentius Lirinensis [e], & Cassiodorus [f]. Eum verò Hilarius [g] minus cautè cum Ebione confundit; & quod magis mirère, Theophilus Alexandrinus [h] & Augustinus [i] docuerunt, Origenem filij diuinitatem negasse, fuisseque quasi Arij primum parentem, ac magistrum, vt subindicat etiam Epiphanius [k]. Ab hoc tamen errore, & erroris suspicione eum liberant Athanasius, ac Methodius apud Socratē [l], Basilius [m], Rufinus [n], & Pamphilus Martyr. Certè Vincentius [o] Lirinensis ita de Origene scribit, vt apertè significet, si re vera non errauit, eum saltem errandi occasionem præbuisse Arianis. Hos igitur omnes hæreticos, eiusdemque farinæ alios hæc prima Ioannis sententia refellit. Cùm enim Verbi æternitatem asserat, eius diuinitatem astruit, cum nihil præter Deum sit omnino sempiternum.

a lib. 5. hist. cap. 28. b lib. 4. c. 20. c lib. 1. c. 14. d lib. 6. c. 27. e cont. prophan. hæres. nouit. f lib. 3. tripart. c. 5. g lib. 7. de Trinit. h l. 2. pasch. i de hæres. cap. 43. k ep. ad Ioā. Hierosol. l lib. 6. hist. m lib. 2. de Spir. sanct. cap. 17. n in Apolo. pro Orig. Adde Picum Mirand. in apolog. q. 7. o cont. prophan. hæres. nouit.

XVII. *Quod audiuimus*: non planè Verbum ipsum, vt erat in principio, audierunt Apostoli, nisi fortè audiuisse dicendi sunt oracula prophetarum, in quibus Christi diuinitas non obscurè indicatur. Sæpè enim Christus Dominus ipso illo Dei nomine sacrosancto יהוה *Iehoua* nuncupatur. Sic enim loquitur Dauid [p] ex communi interpretatione. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Alibi [q]: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui.* Quæ de Christo explicat Paulus [r]: Rursus [s]: *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Denique [t]; *Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Isaias verò [u]: *Vocabitur nomen eius Emanuel.* Alibi [x]: *Extensio alarum eius implens latitudinem terræ ô Emanuel.* Et aliquanto post. *Expectabo Dominum.* Hebraicè יהוה *Iehouah.* Itemque [y]: *Vocabitur Deus fortis*; loqui autem de Christo docent Chrysostomus [z], & Eusebius †. Addo & illa [a]. *Ecce Deus saluator meus.* Itemque illa [b]. *Faciet Dominus in monte hoc conuiuium,* quæ de Eucharistiæ Sacramento explicant Hieronymus, Cyrillus [c], & Eusebius [d]. His affinia sunt quæ alibi [e] scribit idem Isaias. *Ecce Deus noster vltionem adducet*: hæc enim pertinere ad Christum testatur Cyprianus [f]. Illa [g] verò, quæ de Cyro videntur dici; *Verè tu es Deus absconditus*, referri tamen ad Christum docent Hieronymus, Theodoretus, Procopius [h], Athanasius [i], & Cyprianus [k]. Dicuntur enim de Persarum Rege Cyro, qua ratione typum Christi gerebat, vt affirmant Athanasius [l], Hilarius [m], Ambrosius [n], Tertullianus [o], Epiphanius [p], Eusebius [q], Lactantius [r]. Similia pluribus alijs locis scribit Isaias [s], in quibus semper legitur Dei nomen ineffabile, atque idcirco ad asserendam Christi diuinitatem ex iis locis argumentantur Higinus Pontifex [t], Irenæus [u], Tertullianus [x], Cyprianus [y], Athanasius [z], Epiphanius [a], Ambrosius [b], Chrysostomus [c], Cyrillus [d], Theodoretus [e], Augustinus [f], Pelagius [g], Soter [h].

p Psal. 23. 10. q Psal. 44. 7. r ad Hebr. cap. 1. 8. s Psal. 46. 7. t Psal. 67. 5. u cap. 7. 14. x cap. 8. 8. y cap. 9. 6. z hom. quòd Christus sit Deus. † l. 7. præp. Euang. cap. 3. a Isa. 12. 2. b cap. 25. 6. c Isa. 25. d lib. 1. demonstr. Euang. c vlt. e cap. 35. 4. f lib. 1. ad Quirin. c. 28. g Isa. 45. 15. h Isa. 45. i de Christi natiu. k lib. 2. ad Quirin. cap. 22. l lib. de assumpt. hom. m lib. 5. de Trin. c. fin. n lib. 5. de fid. c. 2. o lib. cont. Praxeam. p hæres. 69. q l. 5. demon. Euang. c. 4. r l. 4. diuin. instit. c. 12. & 13. s cap. 6. 12. 33. 40. 45. t epist. 1. u lib. [illegible] c. 32. x lib. 4. in Marcion.

Nec pauciora diuinitatis Christi testimonia leguntur apud alios Prophetas. Alicubi [y] enim ait Ieremias. *Nonne tu es Dominus Deus noster, quem expectauimus?* Et alibi [z]. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Vbi est nomen יהוה *Iehoua*, ex quo loco Christi diuinitatem probant Hieronymus [a], Augustinus [b], Eusebius [c]. Hebræi autem legunt. *Dominus iustitia nostra*, quod habet maiorem vim. Oseas [d] item: *Saluabo eos*, inquit, *in Domino Deo suo.* Et Baruch [e]: *Hic est Deus noster.* Quem locum obseruarunt Clemens Romanus [f], Sixtus Primus [g], Clemens Alexandrinus [h], Cyrillus [i], Eusebius [k]. Addo Michæam [l]. *Dominus*, ait, *de templo sancto suo.* Et Zachariam [m]. *Lauda, & lætare Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.* Postremò Malachiam [n]. *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis.* Hæc igitur, atque his similia potuerunt Apostoli audire, ipso præsertim Christo docente, & sacras literas explanante.

XVIII. y l[illegible] ad Quirin. c. 6. z [illegible] de [illegible] deit. Trinit. a h[illegible] de fid. c. 9. c hom. 7. ad popul. [illegible] c. 7. & [illegible] c. [illegible] in [illegible] f Tract. 24. [illegible] Ioan. g ad Vigil. Episcop. h epist. [illegible] 3. t cap. 14. z cap. [illegible] 3. & [illegible]

a lib. ad loc. b lib. 5. de ciuit. c. 39. c lib. 6. demonst. c. 7. & lib. 7 c. 10. d cap. 1. 7. e cap. 3. 36. f epist. 1. g ep. item h lib. 2. pædag. c. 3. i de incarn. vnigen. c. k lib. 6 demonst. c. 19. l cap. 1. 2. m cap. 2. 10. Idem pene c. 9. [illegible] n cap. [illegible]

Quin etiam audire potuerunt Deum ipsum, hoe est, verbum Patris nostra aliquando mortalitate circumdatum inter mortales more cæterorum hominum vitam ducturum. Sic enim ait Baruch [o]. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Planiùs audierunt ipsum docentem, vt enim scribit Paulus [p], qui olim locutus erat *multifariam multisque modis in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est in filio.* Et Augustinus [q]. *Aperuit*, inquit, *os suum, qui olim aperiebat ora Prophetarum.* Quocirca dixit Isaias [r]: *Propter hoc sciet populus meus nomen meū in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Nam de Christi ad nos aduentu loqui Prophetam testantur Hieronymus, & Cyrillus [s]. Pertinet autem ad hunc locum, quod ait Paulus [t]; *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Audierunt itaque Apostoli ipsum Dei verbum, & Christum Dominum docentem, ac propterea idonei fuerunt testes apud omnes gentes. Nam Petrus [u] ita de Christo concionatur ad pupulum. *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo.* Et Christus [x] ipse ascensurus in cælum. *Eritis*, inquit, *mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Auditum porrò visui meritò præponit, quia inde ducitur vitæ spiritalis initium; fides enim inchoat vitam Christianam, fides autem ex auditu. ita meminit in præsentia Didymus.

XIX. o cap. 3. 36. p ad Heb. 1. 1. q lib. 1. de serm. Dom. in mon. sub init. r cap. 52. 6. s in illū loc. t ad Rom. 10. 17. u Act. 10. 40. x Act. 1. 8.

XX. *Quod vidimus oculis nostris*: quod maximam certitudinem indicat, quò illud Isaiæ [y] referri potest. *Non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post terga monentis.* Rectè autem Hieronymus [z] hunc locum ad Euangelicam legem pertinere affirmat, quasi polliceatur Deus, se breuem legem daturum. *Pro lacniosis*, inquit, *legis obseruationibus, atque mandatis in vno verbo recapitulauit omnia: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, consummatum enim & abbreuiatum sermonem fecit Dominus super terram.* Aptè autem hoc loco OEcumenius; *Quem per legem, ait, & prophetas venturum audiuimus, eum, vbi venit in corpore manifestè vidimus; nam diuinam in se naturam cernere nemo mortalium potest.* Moysi quippe dixit olim Deus [a]. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Quo loco Augustinus; *Ostendens*, inquit, *hac vita corruptibilis carnis Deum sicuti est, apparere nō posse, id est, sicuti est videri, in illa enim vita potest, vbi vt viuatur, huic vita moriendum est.* Et alibi [b]. *Quod responsum est Moysi, quia nemo potest faciem Dei videre, & viuere, id est, nemo potest eum in hac vita videre viuens sicuti est, nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formauit.*

y cap. 30. 20. z Isa. 30. a Exod. 33. 21. b epist. 112.

XXI. Quam ob rem Gregorius Nazianzenus [c]; *Filium Dei, ait, visum à Patribus approbamus, vt non totum in illo* quod

c Orat. de fide.

quod est Deus videatur, sed vt dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complenda erant, in illo per imaginem cernerentur. Nec potest quisquam, vt A
a hom. 1. de natal Dom. ait Maximus [a], *corporalibus oculis sicuti est, inspicere diuinitatem*, & hic ipse Ioannes in suo Euangelio [b]. *Deum*
b cap. 1. 18. *nemo vidit vmquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Non solùm autem oculis corporeis Deum nemo vidit vmquam, quod fieri planè non potest; sed quamquam externam nonnullam imaginem conspexerunt aliqui, non in ea tamen Deus ipse inerat, sed Dei nomine Angelus. Ita enim sentiunt non modò Theologi omnes in scholis, sed vetustissimi etiam, sanctissimi, doctissimique Patres, quorum
c cap. 4. de cæl. hier. verba adscribere non pigebit. Dionysius [c] igitur. *Per Angelos*, inquit, *nobis donata sunt diuina reuelationes, sic* B *enim lex, vt diuina scripta testantur, per Angelos nobis data est, atque etiam claros illos, qui legem antecesserunt, eamqua secuti sunt, Patres nostros Angeli ad diuinitatis notitiam perduxerunt, cum vel id, quod agendum erat, inducerent, vel ab errore eos, vitáque scelesta ad rectam veritatis viam traducerent, vel sacros eis ordines, vel mysteriorum diuinorum occultas visiones, aut diuinas quasdam prædictiones interpretando enunciarent, & aperirent. Quod si quis illinc etiam per se sine vllo medio nonnullis sanctis Deum visum esse contendat, is discat, hoc etiam aperiè ex sacris literis id, quod in Deo occultum sit, vidisse, aut visurum esse neminem.*

XXII. Mox verò explicans quanam ratione nonnulli Deum vidisse dicantur, subiicit. *Deum verò sanctis visum, ac ostensum esse illum quidem, sed enunciationibus, quæ Deo digna sint per quasdam sacras, & eorum, quibus* C *ostenduntur, captui accommodatas visiones. Theologia autem sapientissima visionem illam, quæ in se descriptam diuinitatem, quasi specie, & habitu eorum, quæ nulla forma depingi possunt, prodidit rectè ex eo, quod ad diuinitatem eos, quibus ostenditur, erigat, Dei visionem nuncupat, propterea quòd ea in mentibus eorum, qui vident quemdam diuini luminis radium infundat, & aliqua rerum diuinarum doctrina eos erudiat. Has autem diuinas visiones clarissimi illi Patres nostri cælestium virtutum opera didicerunt.* Ita videas existimasse Dionysium beatarum mentium opera externam quamdam, & corpoream speciem oculis fuisse obiectam, quod etiam multis docuit
d hom. ... Gregorius [d].

XXIII. Idem verò apertissimè asserit Hieronymus [e]. Sic
e ad ... 3. enim scribit. *Quod ait Apostolus: Lex per Angelos; hoc* D *volunt intelligi, quod in omni veteri testamento, vbi Angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelus quidem vere ex ministris pluribus quicumque sit visus. Sed in illo mediator loquatur, qui dicit: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Augu-
f lib. 3. de Trinit. c. 11. stinus [f] porrò. *Omnia*, inquit, *quæ Patribus visa sunt, cum Deus illis secundum dispensationem suam temporibus congruam præberetur, per creaturam facta esse, est manifestum.* Rursus autem cum quæsisset. *Cur ergò scriptum est, Deus dixit ad Moysem, & non potius dixit Angelus ad Moysem?* Respondet, *quia cum verba iudicis præco pronunciat, non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille Iudex; sic etiam loquente propheta sancto. Et si dicamus, propheta dixit, nihil aliud, quàm Dominum dixisse intelligi volumus. Et si dicamus Dominus dixit, Prophetam non* E *subtrahimus, sed quis per eum dixerit, admonemus.* Denique sub finem caput, & librum concludit his verbis. *Sed iam satis quantum existimo, pro captu nostro disputatum, constitutumque, & probabilitate rationis, quantum homo, vel potius quantum ego potui, & firmitate auctoritatis, quantum de scripturis diuina eloquia patuerunt, quod antiquis Patribus nostris ante incarnationem Saluatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ, & species corporales per Angelos facta sint, siue ipsis loquentibus, vel aliquid agentibus ex persona Dei, siue assumentibus ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstraretur hominibus.*

XXIV. A Certè sacræ literæ apertissimè aliquando Angelos nominant, & cùm Deum exprimunt, vel ibi, vel alibi Angelorum operam, & obsequium non reticent, vt enim docet Augustinus [a], rectè dicitur Deus a lib. cont. Adiman. c. 9.
loqui, cùm tanquam ministrum, & interpretem Angelum adhibet: *Quemadmodum enim, ait, Verbum Dei, quod est Christus, in prophetia loquitur veritatem, sic in Angelo ipse loquitur, quando veritatem Angelus annunciat & rectè dicitur, Deus dixit, & Deus apparuit, & item rectè, Angelus dixit, & Angelus apparuit, cum illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, hoc ex persona seruientis creaturæ.* Quocirca apparet viros sanctissimos existimasse non ipsum Deum aspectabili forma sese præbuisse olim videndum Patribus, quæ, vt dicimus, B receptior est Theologorum sententia. Non desunt tamen, qui aliter opinentur, ipsumque immortalem Deum sese corporea specie spectandum præbuisse existiment, quod tùm Græcorum, tùm Latinorum Patrum testimonio, atque auctoritate firmari potest.

XXV. Nam vt hinc potissimùm exordiar Clemens Romanus [b]. *Hunc*, inquit, *Christum vidit Iacob vt hominem,* b lib. 5. constit. Apostolic. c. 21.
& dixit: Vidi Deum facie ad faciem, & saluata est anima mea. Hunc Abraham acceptum hospitio Iudicem, simulque Dominum confessus est; hunc Moyses in rubo vidit, hunc vidit Iesus Naue dux exercitus Domini armatum simul pugnantem ad Iericho. Neque aliter sensisse videtur Origenes [c], qui vnum ex Seraphim, quos vidit c Hom. 1 in c. 6. Isa.
Isaias, Christum Dominum fuisse autumat. *Quis*, C inquit, *est iste de Seraphim? Dominus meus Iesus Christus, iste iuxta dispensationem carnis missus est, habens in manu sua carbonem, & dicens, ignem veni mittere in terram.* Eodem planè modo & sentit, & loquitur Iustinus [d], d Dial. cum Tryphon.
qui Abrahæ, cæterisque Patribus filium Dei visum fuisse scribit. Sic etiam Eusebius [e]. *Ne suspicari, ait,* e lib. 1 hist. cap. 2.
quidem fas est, visiones illas Deum repræsentantes, vt sunt illæ factæ Abrahamo, & Iacobo, quæ sunt sacris literis proditæ, Angelis voluntati Dei seruientibus, eiusque sedulò obeuntibus ministeria attribuendas esse. Quandoquidem cum quisque ex istorum numero hominibus visus est, non occultat sanè scriptura, sed nominatim Angelum, non Deum, neque Dominum hominibus loquutum esse asseuerat, sicut insinitis scripturarum testimoniis est comprobatu perfacile. Et post nonnulla. *Primogenita*, inquit, *& vnica Dei* D *sapientia ipsum videlicet Dei Verbum, quod ante omnium rerum erat originem, incredibili quodam amoris ardore erga humanum genus incensum interdum per Angelos hominibus in terra vitam degentibus apparuit, interdum per se quippè salutaris Dei potentia est, vni, & alteri ex prisca ætatis viris, qui ipsum summo pietatis studio complectebantur, non aliter quàm humana forma (aliter enim haud fieri poterat) perspicuè visus est.*

XXVI. Eodem modo loquitur Nicephorus [f]. *Atque eqnidem, inquit, in hominis specie ipsi Abrahæ frequentius, progenitisque ex eo apparuisse creditur, quandoque per se ipsum,* f lib. 1. c. 2.
quandoque per administros suos Angelos oraculis eos admonens, & docens de rebus optimis, quod quidem cuiuis vel inde facile est existimare, & credere, Angelum enim Dominum, vel etiam Deum appellare consuetudo scripturæ E *non est, sed ita simpliciter nudo scilicet nomine Angelum: illum verò semper insignibus, & excellentibus extollit, & celebrat nominibus, Deumque, & Dominum aperiè, & clarè vocat.* Tùm concludit: *Itaque Verbum, quod colimus, æternum, & sæculis, temporibusque vniuersis antiquius fuisse, & veteribus olim, & si non omnibus quibusdam, tamen apparuisse paucis hisce dictum esse, satis sit.* Post nonnulla [g] verò. *Posteaquàm tanta malignitas, vitiorumque omnium grauedo perinde, atque damnosa quædam ebrietas per omnes ferè est grassata, caliginemque eorum animis offudit, ipsum omnium optimum Dei Verbum magnitudine bonitatis propria coactum, nunc per naturæ legem, nunc per Angelorum* g cap. 3.
aduentum,

aduentum, & præsentiam, quandoque etiam per se ipsum mysticis quibusdam, & arcanis apparitionibus paucis quibusdam, qui antiquitùs pietate, & amore Dei clari extiterunt, viris, alicubi se exhibuit, hominis forma assumpta, quòd aliter id ipsis aspicere concessum non esset.

XXVII. Iam verò inter Latinos Tertullianus[a]. *Qui ad Moysem loquebatur*, ait, *ipse filius Dei, qui & semper videbatur, Deum enim Patrem nemo vidit vnquam, & vixit, & ideo constat, ipsum Dei filium Moysi esse locutum, & dixisse ad populum: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Idem verò alibi[b] affirmat eum, quem Nabuchodonosor vidit in fornace vnà cum tribus pueris similem filio Dei, verè fuisse Dei filium, *qui cum cæli nubibus venturus est Iudex viuorum, atque mortuorum.* Quod ipsum affirmat Hippolytus[c]. *Dic mihi*, inquit, *Nabuchodonosor, quando & vbi vidisti filium Dei, vt hunc Dei filium confitereris? quis cor tuum pupugit, vt hoc Verbum posses edere? Quibus oculis potuisti tantas has diuitias, veluti in speculo prospicere? cur tibi soli, & nulli præterea Satraparum tuorum innotuit? Sed quando scriptum est: Cor Regis in manu Domini; hæc profectò est manus Domini, vt cognoscens eum in camino, ipsum prædicares, & glorificares. Nec vacat id mysterio, quod enim Iudæi filium Dei hominem factum non erant agnituri, nec recepturi, præmonstrat Scriptura gentes eum esse agnituras, & recepturas, quem iam Rex Babylonis in fornace videns agnouit, & filium Dei est confessus. Sed quia nondum Iesus ex Virgine natus erat, ideo quarti illius nomen Rex non posuit.*

a lib. aduers. Iud.
b lib. 4. cõt. Marc. & lib. cõt. Praxeã.
c Orat. de consum. sæcul.

XXVIII. Nec abhorret ab hac sententia Augustinus[d], quam alij[e] & sequuntur, & copiosiùs explicant. Sic enim scribit: *O alienigena vnde tibi hoc? quis tibi annunciauit filium Dei? nondum quidem mundo nascitur, & similitudo nascentis à te cognoscitur, vnde tibi hoc? quis tibi istud nunciauit? nisi quia sic te Deus illuminauit, vt cùm illic apud te captiui tenerentur inimici Iudæi, sic diceres testimonium filio Dei.* Itaque hi omnes significant in illa fornace Babylonica Dei filium sese præbuisse videndum; vniuersim autem Deum humana specie sese aliquando præbuisse spectandum, indicat Ambrosius[f], qui Spiritum sanctum columbæ specie visum alicubi affirmat. *Quare spiritus*, inquit, *descendit sicut columba? nisi vt tu videas columbam etiam illam, quam Noë iustus emisit ex arca illius columbæ esse speciem, vt typum agnosceres sacramenti? Et fortasse dices, cùm illa vera columba fuerit, quæ emissa est, hic quasi columba descenderit super Christum, quo modo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem? cum secundùm Græcos in specie columbæ super aquam diuinitatis spiritum descendisse, sit scriptum? Sed quid tam verum, quàm diuinitas, quæ manet semper? Creatura autem non potest veritas esse, sed species, quæ facilè soluitur, & mutatur. Simul quia eorum, qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas. Vnde & Dominus ait: Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Meritò ergo sicut columba descendit, vt admoneret nos simplicitatem columbæ habere debere. Speciem autem pro veritate accipiendam legimus, & de Christo, & specie inuentus est, vt homo, & de Patre Deo, neque speciem eius vidistis.*

d Conc. ad Catech. aduers. pagan. Iud. & hæret. c. 15.
e Ruper. li. 6. de vict. verbor. Dei cap. 21.
f lib. de his, qui myster. initiantur cap. 4.

XXIX. Porrò Augustinus[g]. *Ipse*, inquit, *filius, qui est Verbum Dei non solùm nouissimis temporibus, cùm in carne apparere dignatus est, sed etiam prius à constitutione mundi, cui voluit, de Patre annuncians, siue loquendo, siue apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam.* Prudentius[h] autem ita loquitur:

——— Filius hoc est
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species, quas possit homo comprehendere visu.
Hæc vidit princeps generosi seminis Abram
Iam tunc dignati terras inuisere Christi.
Hospes homo in triplicem numen radiasse figuram.

Hieronymus[i] item: *Legimus, ait, quòd Abrahæ visus sit Dominus in hominis figura, & cum Iacob quasi luctatus, qui Deus erat, vnde appellatus est locus ipse Facies Dei. Et Ezechiel vidit Dominum in forma hominis sedentem super Cherubim.*

g lib. cont. Adiman. c. 9
h in apotheo. id est, Patripassia.
i Ita. 6.

XXX. Denique ne cuncta persequar, Leo Pontifex[a], cùm aduersùs Euthychetis hæresim scribit, ita planè loquitur: *Poterat omnipotentia filij Dei sic ad docendos, iustificandosque homines apparere, quomodo & Patriarchis, & Prophetis in carnis specie apparuit, cùm aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cùmque officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit.* Videas igitur placuisse multis verè Dei filium aliena tamen specie fuisse visum, quæ si tanquam vera, aut certè vt probabilis sententia admittenda sit, illud omninò retinendum est, neque hypostaticam vnionem ante incarnationis mysterium admittendam esse, neque veram humanam naturam humanis sensibus fuisse obiectam. Addo etiam non ita filium sese præbuisse videndum, vt Pater, ac Spiritus sanctus abessent; quo fit, vt Patres, qui hanc sententiam tuentur, nunc filium, nunc Patrem nominent; nam Clemens Romanus, qui, vt supra indicaui, filium visum fuisse affirmat. Alibi[b] Patrem ait, Abrahæ, Isaac, & Iacob fuisse visum. Et Augustinus cùm de Deo cum primo parente nostro loquente ageret[c]. *Hic autem*, ait, *vbi scriptum est, dixit Dominus Deus ad Adam; cur non ipsa Trinitas intelligatur, nihil dici potest.* Paulo[d] autem post cùm ageret de exitu filiorum Israël ex Ægypto, deque columna nubis, quæ populum Israëliticum ductore Deo præibat: *Quis*, inquit, *& hic dubitet per subiectam creaturam, eamdemque corpoream, non per suam substantiam Deum oculis apparuisse mortalium? sed vtrùm Patrem, an filium, an Spiritum sanctum, an ipsam Trinitatem vnum Deum similiter, non apparet.* Denique[e]. *Per subiectam verò creaturam non solùm filium, vel Spiritum sanctum, sed etiam Patrem corporali specie, siue similitudine mortalibus sensibus significationem sui dare potuisse credendum est.*

a epist. 13. ad Pulch. Aug.
b li. 7. const. cap. 34.
c lib. 2. de Trinit. c. 10.
d cap. 14.
e cap. 18. sub fin.

XXXI. Quod igitur ait Apostolus: *Vidimus oculis nostris.* ad veram Christi mortalem naturam refertur, cùm verè hîc ipse Ioannes[f] dixerit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*; ac proinde verè dixit Leo Pontifex[g]. *Illæ imagines huius hominis erant indicia, cuius veritatem ex præcedentium Patrum stirpe sumendam significationes mysticæ nunciabant. Et ideo Sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum nullæ implebant figuræ, quia nondum superuenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbrauerat ei, vt & intra intemerata viscera ædificante sibi sapientia domum Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma serui in vnam conueniente personam Creator omnium nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur.*

f Ioan. 1. 14.
g lib. 13. ad Pulch. Aug.

XXXII. *Quod perspeximus*, Græcè ἐθεασάμεθα, quod *intuiti oculis*, ait OEcumenius, *quod admirati sumus.* θεᾶσθαι *enim est cum admiratione, & stupore inspicere.* Re autem vera Apostoli Christi miracula cum ingenti admiratione, ac stupore contemplati sunt. Nam apud Matthæum[h], vt hoc exempli gratia ponam, cùm vidissent arborem ad Christi imperium confestim exaruisse, *videntes*, inquit Euangelista, *discipuli mirati sunt dicentes, quomodo continuò aruit?* Alia multa in eandem sententiam proferri possent, quæ nihil est necesse in præsentia afferre. Nam quod hoc loco ait Ioannes, non admirationem tantùm indicat, sed solicitam, & sagacem quamdam inspectionem, quasi omnem sensuum ludificationem excludat, vt se veram, solidam, atque expressam humanam Christi naturam inspexisse confirmet. Quo maximè hæc Apostolorum inspectio à veterum Prophetarum visis distinguitur, illa enim externam tantummodò speciem

h cap. 21. 20

A speciem oculis, aliisve sensibus obiiciebant, quæ cum Angelo, siue etiam cum Deo non aliter ac corpus mobile cum mouente coniungebatur, quod longè secius accidit in Christo, in quo vera hominis natura cum Verbi Dei hypostasi mirabili nexu coniuncta erat, vt inde illa idiomatum (vt Theologi loquuntur) communicatio existeret, qua quæ Dei sunt propria, homini tribuuntur, & rursus quæ humanæ naturæ conueniunt, de Verbo Dei verè affirmantur. Quapropter verissimè dicuntur Apostoli vidisse Dei Verbum non quidem in se ipso, sed natura assumpta, quam ob causam hic ipse in Euangelio dixit; *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.* Quo loco vsus est Euangelista eadem Græca voce ἐθεασάμεθα, qua in B præsentia, quasi dicat, spectauimus, contemplati sumus, & palam veluti in theatro intuiti sumus. Didymus videndi verbum refert ad oculos corporeos, quibus Apostoli humanam Christi naturam conspexerunt, perspiciendi autem ad mentem, atque intelligentiam, qua eius diuinitatem cognouerunt.

XXXIII. Gloriam autem vocat argumenta, atque indicia diuinitatis, quamuis enim in nostra mortalitate diuinitatis maiestas lateret, adeò tamen apertis, atque perspicuis argumentis sese patefecit, vt oculis propè ipsis cerni posset. An verò cùm Euangelista gloriam nominat, ad Christi transfigurationem alludat, de

a epist. 2. c. 1. qua apertè loquitur Petrus[a], non facilè dixerim. C Existimarim potius eum de Christi miraculis, rebusque admirabiliter gestis loqui, vt Chrysostomus, & Euthymius docuerunt. Aptè verò huic loco aptari

b Tract. 2. in Ioan. possunt, quæ alicubi scribit Augustinus[b]. *Gloriam eius, inquit, nemo posset videre, nisi carnis humilitate sanaretur; vnde non poteramus videre. Intendat ergò charitas vestra, & videte quod dico, irruerat homini quasi puluis in oculum, irruerat terra, sauciauerat oculum, videre non poterat lucem, oculus iste sauciatus inungitur, terra sauciatus erat, & terra illuc mittitur, vt sanetur, omnia enim collyria, & medicamenta nihil sunt, nisi de terra; de puluere cæcatus es, de puluere sanaris, ergò caro te cæcauerat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat oculus cordis cæcatus. Verbum caro factum est, medicus iste tibi fecit collyrium, & quoniam sic venit, vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem, ideo factum est in te, vt quoniam Verbum caro factum est, tu possis dicere, & vidimus gloriam eius.* Quæ tam multa Augustini verba & si fortasse mysticum sensum continent, vtilem certè habent, elegantémque sententiam.

XXXIV. Nec pugnat tamen cum hoc Ioannis loco, quod

c Ioan 1. 14. ibi dixerat[c], *gloriam quasi vnigeniti*, vt enim docent

d ep. 47. & serm. 18. in Psal. 118. Ambrosius[d], Augustinus[e], Gregorius[f], Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius[g], particulæ *quasi*,

e in Ps 125. & *tanquam* non semper similitudinem, sed interdùm

f 18 Moral. cap. 4. ipsam rei veritatem significant. Verè enim dicere solemus Regem incedere tanquam, vel quasi Re-

g Ioan. 1. gem, hoc est, vt Regem decet, vt par est regiam incedere maiestatem. Vtrobique igitur Ioannes ait Christum Dominum verè fuisse aspectabilem, & E humanis obtutibus obiectum, qua ratione dixit

h Lucæ c. 10. 23. Christus apud Lucam[h]: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*; non quòd omnes, qui Christum Dominum corporeis oculis intuiti sunt, censendi sint beati, sed quia illi beatissimi planè fuerunt, qui ita eius humanam naturam viderunt oculis, vt eius diuinitatem fide complecterentur, quales fuerunt Apostoli, eorúmque similes, ad quos hæc Apostoli verba propriè spectant. Quis enim dicat beatos fuisse Pharisæos, qui non solùm Christum conspexerunt oculis, sed ipsius insignia, atque admirabilia miracula viderunt, & non solùm non ei fidem habuerunt, sed inui-

A dentiæ, odiisque stimulis agitati, necem illi nefariè, impieque struxerunt, vt de illis meritò dixerit Chri-

stus ipse[a]. *Si non venissem, & opera fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Sed vt sermo impleatur, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* a Io. 15. 24.

Et manus nostra contrectauerunt. Quis est, inquit Augustinus[b], *quis est, qui manibus tractet Verbum, nisi quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis? Hoc autem Verbum, quod caro factum est, vt manibus tractaretur, cœpit esse caro ex Virgine Maria, sed non tunc cœpit Verbum, quia quod erat ab initio dixit.* Quamobrem verè dixit OEcumenius: *Non autem quod erat spectauimus, aut contrectauimus, eius enim generationem quis enarrabit? sed* B *quod genitum est, & factum, vel contrectatione cognitionis, vt dictum iam est, vel sensibili etiam palpatione, quemadmodum etiam post resurrectionem Thomas. Vnus enim erat, & indistinctus, idem spectabilis, & inspectabilis, perceptibilis, & imperceptibilis, tangibilis, & intangibilis, humanè loquens, & tanquam Deus miracula operans.* Si enim quæras, quid significet Ioannes, dùm se ait manibus contrectasse, rectè OEcumenius, vel certam quandam cognitionem se habuisse indicat Ioannes, vel etiam re vera corporeis manibus contrectasse, Græcè enim dixit ἐψηλάφησαν. Quo verbo vsus est etiam Lucas[c], cùm se Christus, postquam ad superos rediit, spectandum, palpandúmque Apostolis exhibuit. XXXV. b Tract. 1. in hanc epist. c cap. 24. 39.

C *Palpate*, inquit, *& videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet*, Græcè ψηλαφήσατε. Fortasse igitur Ioannes ad hunc locum spectauit, vt significet se idoneum esse testem, qui viderit, manibusque tractarit ea, quæ prædicaret: oculati enim testes vbique maximæ sunt auctoritatis, Christus autem Apostolos suæ voluit esse incarnationis & doctrinæ testes, *Eritis*, inquit[d], *mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Certè hoc modo quosdam hæc verba intellexisse affirmat Didymus, ac de Ioanne quidem Clemens Alexandrinus hæc scribit: *Fertur ergò in traditionibus, quoniam Ioannes ipsum corpus, quod erat extrinsecus tangens manum suam in profunda miserit, & duritiam carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum manui præbuisse, discipuli.* d Act. 1. 8.

XXXVI. e Tract. 1. in hanc epist. *De verbo vitæ.* Rectè monuimus supra, idque etiam D obseruauit Augustinus[e], hoc epistolæ initium magnopere cum Euangelij principio congruere, cùm vtrobique & Verbum appelletur, & in principio fuisse dicatur: multa autem in præsentia inuestiganda videntur, quò hæc Apostoli sententia planiùs intelligatur. Nam primum de voce, & vocis interpretatione agendum erit, tùm de eius sensu, & re subiecta; deinde cur filius Dei dicatur Verbum; postremò cur potius Verbum, quàm filius nominetur. Vt igitur à prima quæstione ordiamur, Græcè dixit Apostolus περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς; & Latinè interpres *de Verbo vitæ*. Quamquam autem hæreticus[f] nescio quis, vt plus cæteris sapere videatur, habendam ait magis rationem sermonis Hebræi quàm Græci, quòd E verò sit quàm simillimum Ioannem synagogæ vocibus assuetum, etiam Græcè scribentem ad Hebraicas voces allusisse. Quoniam verò editio Chaldaica, quæ populari sermoni magis erat consentanea, pro voce Iehoua habet hanc alteram vocem מֵימַר *mimàr*, seu מֵאמַר *memir*, hoc est, sermo promissus, existimauit respexisse Ioannem ad hanc vocem, vt significaret, Christum esse sermonem illum Prophetarum oraculo tanto antè promissum. Sed mirum est sciolum hunc Grammaticum id vidisse vnum, quod cæteros omnes latuit, ipsum præsertim Syriacum Interpretem, qui non מֵימַר *mimàr*, vel מֵאמַר *memir*, sed מִלְּתָא *melletha*, transtulit. Huc accedit, quòd f Theod. Beza.

nihil erat, cur Ioannes ad Syriacas voces confugeret, qui apud Prophetas nomen Verbi, hoc est, τῦ λόγου
a Psal. 32. 6. frequenter legi non ignoraret. Dauid a enim. *Verbo Domini*, inquit, *cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis*
b Psal 44. 1. *virtus eorum*. Alibi b, *Eructauit cor meum Verbum bo-*
c Psal. 106. 20. *num*. Et c, *Misit Verbum suum, & sanauit eos*. Itemque d,
d Psal. 118. 89. *In æternum Domine Verbum tuum permanet in cælo*. De-
e Psal. 147. 18. nique e, *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea*. Salo-
f Sap. 9. 1. mon f autem. *Qui fecisti omnia Verbo tuo*. Et alibi g,
g Prou. 25. 2. *Gloria Dei est celare Verbum*. Et Ecclesiasticus h, *Fons*
h cap. 1. 5. *sapientiæ Verbum Dei in excelsis*.

XXXVII. Sunt qui malint pro verbo sermonem dicere,
i cap. 1. 1. itaque legunt apud hunc ipsum Ioannem i, *In principio erat sermo*; qua in re tametsi nonnullos habent antiquos auctores, quos sequantur, in eo tamen minus probandi sunt, quòd nimis antiqua, & obsoleta idcirco sequantur, vt à communi Catholicorum, at-
k lib. aduers. Praxeam. & aduers Hermog. que adeò Ecclesiæ sententia, & interpretatione recedant. Fateor Tertullianum k, Nouatianum l, Cy-
l de Trinit. apud Tertullian. prianum m, Hilarium n, Lactantium o, Ambrosium p, Hieronymum q, Augustinum r, Prudentium s, Anselmum t, & alios non semel sermonem
m lib. 2. ad Quirin. c. 3. & 6. pro verbo dixisse. Quin etiam non defuerunt, qui appellarent vocem, vt alicubi monet Iustinus u, itemque Lactantius x. Et Claudianus de Christo
n lib. 2. de Trinit. scripsit:

o lib. 4. c. 8. & 9. *Christe potens rerum redeuntis conditor æui*
Vox summi, sensusque Dei, quam fudit ab alta
Mente Pater.

p lib. 1. in Lucam. c. 9 Et sunt qui ex sacris litteris colligant omninò sermonem Latinè dicendum pro eo, quod Græci di-
lib. 2. cap. 2. lib. de fide con. Arrian. cap. 2 cunt λόγον. Coniiciunt ex eo, quod Cyprianus apud Dauidem y legit. *Sermone Domini cæli firmati sunt*.
q Isai. 15. & in epist. ad Ephes. Itemque z. *Misit sermonem suum & sanauit eos*. Et apud Isaiam a. *Sermonem abbreuiatum faciet Deus super terram*. sed leuis & fallax est coniectura. Cyprianus
r Tract. 54. & vers. 8. in Ioan. enim vix vllam sua ætate Latinam habebat interpretationem, quam sequeretur, sed ipse ex Græco
s Hymn. 6. Catamer. interpretabatur. Aptius afferri poterat locus ex Prouerbiis Salomonis b. *Gloria*, inquit, *regum est celare*
t Ioan. 1. *Verbum, gloria regum inuestigare sermonem*. Vtrobique
u adhort. ad Gent. enim est Hebraica vox דָּבָר dauar. quod significat
x lib. 4. c. 9. verbum, & sermonem. Sed non negamus Græcam
y Psal. 32. 6. vocem λόγον Latinè plerumque rectè reddi posse
z Psal. 106. 20. sermonem, sed id solùm contendimus, hoc loco
a cap. 10. 22. & 23. Ioannis, & in principio Euangelij aptiùs, ac meliùs
b cap. 25. 2. reddi Verbum.

XXXVIII Nec me fugit, Græcam vocem rectè etiam Lati-
c Caiet. nè rationem sonare, vt quibusdam c placuit interpretari apud Ioannem, quibus ex antiquis suffraga-
d aduers. Praxeam. tur Tertullianus d. *Ante omnia enim*, inquit, *Deus erat solus ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia; solus autem, qui nihil extrinsecus præter illum. Cæterùm ne tum quidem solus, habebat enim secum quam habebat in semetipso rationem suam scilicet, rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius, & ita ab ipso omnia, quæ ratio sensus ipsius est, hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus, ideoque iam in vsu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cùm magis rationem competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis à principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, & quia ipse quoque sermo ratione consistens priorem eam, vt substantiam suam ostendat, tamen & sic nihil interest*. Et multa deinceps ad eandem sententiam illustrandam; sed præstabat auscultare
e lib. 83. qq. q. 63. Augustino e, qui ait. *In principio erat Verbum, quod Græcè λόγος dicitur, Latinè & rationem, & verbum significat. Sed hoc loco melius Verbum interpretamur, vt significetur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt operatiua potentia. Ratio autem & si nihil per illam fiat, rectè ratio dicitur*. Atque haud scio, an Ter-

A tullianum tacitè notet Ambrosius a, dùm ait. *Verbum hoc nostrum vtique prolatum est, syllaba sum, sonus est, & tamen à sensu nostro, & mente non discrepans, & quæ interiori tenemus affectu, ea tanquam operantis Verbi testificatione signamus; sed non sermo noster operatur; solum est Verbum Dei, quod nec prolatiuum est, nec ἐνδιάθετον dicunt, sed quod operatur, & viuit, & sanat*. Videtur autem Tertullianus Verbum accepisse ἐνδιάθετον pro recondita, atque in mente retenta cogitatione. a lib. 4. de fid. c. 3.

Iam verò quoniam λόγος Latinè etiam definitionem significat, suspicari quis posset eam Interpretationem huic loco congruere. Nam Gregorius Nazianzenus ita videtur loqui de filio, perinde quasi λόγος sit Patris definitio. *Verbum*, inquit, *dicitur filius quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem,* XXXIX.
b Orat. 36. quæ est 4. de Theolog.
B *non modo propter generationem passionis omnis expertem, verùm etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre, vimque enunciatricem, fortasse etiam quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum, nam definitio quoque λόγος dicitur, qui enim filium cognouit, an Christus (hoc enim significat illud, qui vidit) Patrem quoque cognouit; ac breuis, & compendiosa, facilisque paternæ naturæ declaratio est filius*. Sed vt hæc verissimè, sapientissiméque à viro sapientissimo iuxta, ac sanctissimo dicuntur, cum vulgata tamen interpretatione non pugnant, rationem enim tantùm afferunt, cur filius rectè possit λόγος appellari, cùm ea fermè omnia, quæ hac
C voce significantur, filio aliquo pacto conueniant, quod de aliis permultis affirmari posset, quæ illa eadem Græca voce significantur, sed cùm de filio Dei loquimur, aptissimè Latinè dicitur Verbum.

Cur autem filius dicatur Græcè λόγος, Latinè Verbum, difficilior quæstio est magna sententiarum varietate implicita; vt enim quisque Græcam vocem interpretatur, ita aliam, atque aliam rationem excogitauit, cur filius dicatur λόγος. Nam qui rationem interpretari malunt, id nominis filio idcirco tribuunt, quòd ἀπαθῶς, hoc est, absque vlla commotione, aut perturbatione, corruptionéve à Patre procedat, non aliter, ac ratio ex animo, vel notitia ex ratione promanat. Ita Gregorius Nazianzenus c, Basilius d, Ambrosius e, Chrysostomus f, Aretas g, Theophylactus, Euthymius. Vel certè hanc similitudinem sequuti sunt, quam etiam Nazianzenus, XL.
c Orat. 36. quæ est 4. de Theolog.
d Homil. in Ioan. 1.
e lib. 1. de fid. cap. 1.
D & Basilius probant, quòd quemadmodum nobis ratio, ita Patri filius intimus sit, quam etiam probasse videtur Tertullianus i. Origenes k porrò propterea rationem Dei filium appellari autumat, quòd dum à nob somne id aufert, quod rationi repugnat, nos reddat rationi obsequentes. Qui λόγον definitionem interpretantur, quod post Gregorium Nazianzenum faciunt Elias Cretensis l, & Euthymius m, id nomen filio tribuunt, quòd Patris naturam exprimat, quippe qui, vt ait Paulus n, *sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*. vel certè, quòd sit quasi rerum omnium definitio.
f Hom. 12. in Ioan.
g Apoc. 19.
h Ioan. 1.
i cont. Praxeam
k lib. 1. in Ioan.
l in orat. Greg Naz. 36.
m Ioan. 1.
n ad Hebr. 1. 3.

Qui verò Verbi interpretationem sequuntur, primùm negant Dei filium Verbum vocale appellari, XLI.
E sic enim loquitur Augustinus o. *Verbum*, inquit, *non sicut verba nostra debemus accipere, quæ ore prolata verberato aëre transeunt*. Elegantissimè verò Tertullianus p. *Quid est sermo, nisi vox, & sonus oris, & sicut Grammatici tradunt, aer offensus, intelligibilis auditu, cæterum vacuum nescio quid, & incorporale, & inane? At ego nihil dico de Deo inane, & vacuum prodire potuisse, vt de non inani, & vacuo prolatum, nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, & tantas substantias fecit*. Iam inter Græcos Ignatius q. *Christus*, inquit, *est Verbum Patris non prolatiuum, sed substantiale, non loquutio articulatæ vocis, sed operatio Deitatis, substantia scilicet genita in omnibus bene placens genitori*. Eusebius r autem.
o de fid. & symb. c. 3.
p cōt. Prax eam
q epist. ad Magnes.
r lib. 5. dem. Eua. cap. 5.

Nemo

Nemo putet, inquit, humana, quæ ex syllabis constat, & ex nominibus & verbis componitur, articulata, atque enunciabili enunciatione Dei verbum esse simile. Et Epiphanius [a]. *Filius Dei Verbum existens non est vocalis actio Dei, sed Filius existens essentia est.* Multo autem planius Chrysostomus [b]. *Cum verbum hoc loco audis, noli quæso in acquiescere, quo dicunt id verbum esse, quod ore profertur, aut simpliciter verbum, multa enim Dei sunt verba, quæ & Angeli faciunt, nullum tamen eorum Deus est, sed & prophetia, & præcepta verba dicuntur. Hoc autem verbum scilicet diuinũ substantia quædam est in persona ex ipso Patre sine passione procedens.* Denique Damascenus [c]. *Deus Verbum suum ex se genitum semper habet, non verbi nostri instar substantia carens, atque in aerem dilabens, sed verè existens, ac viuum, & perfectum.*

XLII. Quanquam autem hæc omnia verissima sunt, negari tamen non potest, nonnullam Verbum diuinum cum vocali verbo similitudinem habere, vt enim verbum nostrum, quod ore profertur, significandi vim habet ea, quæ mente concipiuntur, ita etiam diuinum Verbum Patris voluntatem, ipsumque adeò Patrem declarat. Ita Origenes [d], Clemens [e] Alexandrinus, Basilius [f], Theophylactus [g], & Euthymius. *Filius*, inquit Epiphanius [h], *Verbum nominatur, quoniam interpres est voluntatum Dei.* Et Ignatius [i]. *Deus manifestauit seipsum per Christum, qui est Verbum ipsius.* Quo etiam modo loquitur Gregorius [k] Nazianzenus, qui diuino Verbo enunciandi, interpretandique vim tribuit, sed optimè Augustinus [l]. *Verbum* (inquit) *Patris dictum est, quia per ipsum innotescit Pater, sicut ergo verbis nostris id agimus, vt noster animus innotescat audienti, sic illa sapientia, quam genuit Pater, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum eius conuenientissimè nominatur.* Quamobrem rectè dixit Paulus [m] Apostolus: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Quasi dicat, qui priùs alieno loquebatur ore nunc ore, verbóque suo locutus est, atque hac ratione magna pars veterum, & recentiores fermè omnes auctores putant filium vocari Verbum, quòd sit notitia Patris. Ita Dionysius [n] Romanus, Athanasius [o], Eusebius [p], Hilarius [q], Augustinus [r], Fulgentius [s], Cyrillus [t], Rufinus [u], Damascenus [x], Anselmus, [y] & alij [z].

Tametsi autem magno Theologorum consensu hæc similitudo Verbi cum vocali verbo recepta est, nihil tamen prohibet, quominus alias etiam rationes similitudinis quispiam possit excogitare. Vt enim ait Basilius [a]: *Quæ secundùm cor nouimus, hæc verbo proferimus, & Dominus apud Lucam* [b] *ex abundantia, ait, cordis os loquitur.* Et Dauid: *Eructauit cor meum Verbum bonum: eundem in modum Verbum diuinum ex mente Patris procedit.* Addit præterea: *Verbum nostrum nostræ cogitationis imaginem refert & quod loquimur exemplar habet eius, quod corde cogitamus, similiter Verbum diuinum imago Patris est;* tum concludit Verbum idcirco appellari, *vt quòd ex mente procedit ostendatur, quoniam imago est Genitoris sui.*

XLIII. Augustinus [d] sanè, & Isidorus [e] Verbi similitudinem in eo agnoscunt, quòd quemadmodum nos verbo imperamus, ita Deus Verbo suo omnia fieri iussit: *Dixit enim* (ait Dauid) [f] *& facta sunt. dixit autem Verbo, & Verbum præceptum significat sic Dauid* [g]. *Ignis, grando nix glacies spiritus procellarum, quæ faciunt Verbum eius.*

XLIV. Sed Verbum diuinum propriè verbo mentis respondet, atque idcirco Augustinus [h] diuini Verbi naturam multis explicat. *Quisquis* (inquit) *potest intelligere verbum non solùm antequam sonet, verumetiam antequam sonorum eius imagines cogitatione voluantur, iam potest videre per hoc speculum, atque in hoc ænigmate aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est In principio erat Verbum.* Et post nonnulla [i]: *Quicumque ergo cupit ad qualemcumque similitudinem Dei Verbi, quamuis per multa dissimilem peruenire, non intueatur verbum nostrum, quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur. Omnium namque sonantium verba linguarum etiam in silentio cogitantur, & carmina percurruntur animo tacente ore corporis. Nec solùm numeri syllabarum, verumetiam modi cantilenarum cùm sint corporales, & ad eum, qui vocatur auditus, sensum corporis pertinentes per incorporeas quasdam imagines suas præstò sunt cogitantibus, & tacitè cuncta ista voluentibus. Sed transcenda sunt hæc, vt ad illud perueniatur hominis verbum, per cuius qualemcumque similitudinem, sicut in ænigmate videatur vtcumque Dei Verbum.* Et paulo post: *Perueniendum est ergo ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo natæ, sed à Deo factæ imaginis Dei, quod neque prolatiuum est in sono, neque cogitatiuum in similitudine soni, quod alicuius linguæ esse necesse sit, sed quòd omnia, quibus significatur, signa præcedit, & gignitur de scientia, quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur sicuti est, simillima est enim visio cogitationis visioni scientiæ.* Denique concludit: *Si ea accedit, quantum potest, ista similitudo imaginis facta ad illam similitudinem imaginis natam, qua Deus Filius Patri per omnia substantialiter similis prædicatur.*

XLV. Est igitur Verbum diuinum verbo mentis nostræ quàm simillimum, vt enim verbum mentis absque motu vi cogitationis producitur, non aliter Pater vi suæ diuinæ mentis extra vllam mutationem Verbum suum parit; & quemadmodum mens humana verbum suum in se retinet, ita diuinum Verbum à paterna mente non recedit. Rectè quippe ait Fulgentius [a]: *Mens cogitando verbum intra se generat, & sic generat verbum de se, vt genitum habeat apud se: sic Verbum diuinum in ipso Patre manet, à quo gignitur, vnde Ioannes* [b]: *Vnigenitus* (inquit) *qui est in sinu Patris.* Adde, quòd vt verbum hominis est imago rei, quæ mente concipitur, ita Verbum Patris est ipsius Patris imago, quam ille se ipsum omni ex parte comprehendens admirabili quadam ratione producit. Quin etiã vt verbum mentis est principium moliendi, fabricandive, quæ ab homine perfici possunt, non aliter diuinum Verbum est in mente Patris principium omnia peragendi, ob id enim dixit Ioannes [c]: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et reuera, vt ait Augustinus [d], *hominis opera nulla sunt, quæ non priùs dicantur in corde vnde scriptum est* [e]: *Initium omnis operis verbum.* Nec ita multo post: *Est* (inquit) *& hæc in ista similitudine verbi nostri similitudo Verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum, quod non sequatur opus, opus autem esse non potest, nisi præcedat verbum; sic & Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura, creatura verò nulla esse potest nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia.*

XLVI. Addo, quòd quemadmodum verbum mentis voce profertur: sic diuinum Verbum humanæ naturæ copulatum sese cognoscendum præbuit. Quocirca Augustinus [f]: *Verbum* (inquit) *nostrum vox quodammodo corporis fit assumendo eam, in qua manifestetur sensibus hominum, & sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem, ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit, vt mutetur in carnem, assumendo quippe illam, non in eam se consumendo, & hoc nostrum vox fit, & illud caro factum est.* Et hoc est, quod hoc loco ait Ioannes: *Quod vidimus, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Postremò quemadmodum mentis verbum tamdiu perseuerat, quamdiu ipsa intelligendi actio perdurat: sic planè diuinum Verbum sempiternam illam diuinæ mentis, & intelligentiæ actionem exæquat, atque adeò semper gignitur, & semper producitur. Quocirca Michæas [g]: *Egressus* (inquit) *eius ab initio a diebus æternitatis:* ex Hebraica enim editione constat, egressus numero multitudinis egressiones signifi

* Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

a Hær. 73. b Hom. 3. in Ioa. c lib. 1. de fide c. 6. d lib. 1. in Io. e Adhor. ad gen. & lib. 1. pædag. c. 3. f Hom. in Io. 1. g [illegible] h Hær. 71. i Ep. ad Magnes. k Or. 36. quæ est 4. de Theolog. l lib. de fid. & symb. c. 4. m Ad Hebr. 1. 1. n Apud Athan. in ep. de sent. ipsius. o lib. de decr. [illegible] p lib. 7. de præpar. c. 4. & lib. 5. de demonstr. q lib. 2. de Trinit. r Tract. 1. & 14. in Io. & lib. 15. de Trinit. c. 10. 11. 12. & 27. s lib. 3. ad Monim. & lib. 2. ad Trasim. t lib. 1 thes. [illegible] lib. 4. c. [illegible] lib. 6. c. 1. [illegible] 10. c. 4. [illegible] 4. c. 3. & [illegible] de Trinitate. a In expos. sic symb. x lib. 1 de fide c. 6. y lo monolog. c. 29. 30. 31 & 32. z Auctor. lib. de cogn. veræ vitæ, c. 14. apud Aug. & Rupert. Ioan. 1. a Hom. in princip. Euang Ioã. b Cap 6 45. c Psal 44. 1. d Ser 190. de temp. e lib. 7 orig. c. de fi[illegible] f Psal 148. 5. g Psal 148. 8. h lib. [illegible] de Trin. c. 10. i [illegible]

a lib. 3. ad Monim. b Cap. 1. 18. c Cap. 1. 3. d lib. 15 de Trinit. 11. e Eccles. 37. f lib. 15. de Trinit. c. 11. g Cap 5. 2.

significare, vt diuini Verbi generationem multas quodammodo, & innumerabiles continere significet. Hac igitur, aliæque permultæ, quæ excogitari possent, ratio es similitudinem indicant inter diuinum, & mentis nostræ verbum.

XLVII. Nec pauciores sunt dissimilitudines, neque enim, vt ait Basilius a, *possibile est paruis, & vilia diuinis, atque æternis ad vnguem accommodari*. Nam, vt Augustinus b scribit: *Deus cùm æstimatur, non potest æstimari, cùm comparatur, non potest comparari*. ita videlicet, vt cum rebus creatis diuina maiestas æquetur. Itaque humanum verbum tempore inchoatur, diuinum cùm sempiternum sit, initio, & fine caret. Accedit, quòd verbo mentis nostræ tempore prior est mens, vnde illud oritur: non est autem Pater prior tempore Verbo diuino, quod ab ipso gignitur, cùm non aliter sit Filius æternus, ac Pater. Ita etiam Verbum humanum natura ipsa à proferente differt, diuinum verò eiusdem planè naturæ, & substantiæ est cum Genitore; & quod maximè ad rem facit, mentis nostræ verbum accidens est, diuinum verò substantia per se subsistens. Rursus verbum nostrum per se efficere nihil potest, diuinum est prorsus omnipotens; eadémque ratione verbum nostrum vitæ est expers, æternum verò diuina vita præditum est, vt non immeritò appelletur in præsentia à Ioanne Verbum vitæ. Adde quòd verbum nostrum multiplex est, cùm nos multa & intelligamus, & loquamur; at quia Deus vnica sese mentis actione, omniáque creata planè cognoscit, vnico verbo contentus est. Ita Athanasius c: *Hominibus* (inquit) *multa, & frequentia quotidie verba enascuntur, & prætereunt eò quòd priora non maneant, sed euanescant, quod ideo contingit, quia mortales istorum verborum patres lubricas, & prætermeabiles habent ætates, cogitationes autem tales sunt, qualia illa, quæ loquuntur; vnde fit, vt multa verba habeant, & post multa verba nihil eorum incolume possideant, simul enim vt desiit quis loqui, consumptum est verbum. Contra verò Dei Verbum vnum est, atque idem, & in æternum permanet sine mutatione, non primum, aut secundum, sed semper idem existens. Conueniebat siquidem vnius Dei vnicam esse imaginem, atque vnicum Verbum, vnicam item sapientiam.*

a lib. 2. con. Eunom.
b ser. 190. de temp.
c ser. 3. con. Arrian.

XLVIII. Eodémque modo Augustinus explicans verba illa Dauidis d: *semel loquutus est Deus. Apud se* (inquit) *semel loquutus est Deus, hic inter homines sæpè multis modis Patribus per multiformem creaturam loquutus est.* Alibi verò e: *Dicere* (ait) *Dei sine initio est, & sine fine, & tamen vnum verbum dicit, dicat alterum, si quod dixit, transierit. Cum verò & à quo dicitur manet, & quod dicitur, manet, & semel dicitur, & non finitur, & ipsum semel sine initio dicitur, nec bis dicitur, quia non transit, quod semel dicitur. Item* f *legimus: semel loquutus est Deus. Toties loquutus est Deus per Prophetas, toties per Apostolos, hodiéque loquitur per sanctos suos, & ait: semel loquutus est Deus. Vnde semel loquutus est, nisi per Verbum suum?*

d Psal. 61. 12.
e In Psal. 44.
f Psal. 61. plura lib. 7. de Trinit. c. 3 & lib. 15. c. 2. penè ead. Greg. lib. 23. mor. c. 19.

XLIX. Huc accedit, quòd verba nostra effluunt, & dilabuntur, diuinum semper perseuerat, & quia viuens est, & à viuente proficiscitur; Dei Filius nuncupatur, & verè est, vt probant Theologi g in Scholis. Plura hac de re scribit Athanasius h, vbi ea fermè omnia recenset, quæ nos breuiter perstrinximus. Hilarius i: *Cessat* (ait) *sonus vocis, & cogitationis eloquium, verbũ hoc res est, non sonus, natura non sermo, Deus, non inanitas est.* Eadem fusiùs scribit Augustinus k, Isidorus l Pelusiota, Fulgentius m. Augustinus n verò diuinum Verbum etiam cum verbo scripto confert, explicans enim verba illa Dauidis: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Verbum suum* (ait) *Deus in se ipso velociter scribit.* Tum subdit. *Cum verbum dicat Deus, & verbum, quod dicitur non sonet, & transeat, sed & dicatur, & maneat, scriptis hoc maluit Deus comparare, quam sonis.* Et moxi *Velociter* (ait) *Dei tale est, vt velocius nihil sit. In scripturis enim scribitur littera post litteram, syllaba post syllabam, verbum post verbum, nec ad secundum transitur, nisi primo præscripto, ibi autem, id est, in Deo nihil velocius, vbi non multa sunt verba, nec tamen aliquid prætermissum est, cùm in vno sunt omnia.* Quò fit, vt minus cautè dixerit Lactantius a, Dei filium cum voce, ac sono ex Dei ore processisse, cùm nihil horum in diuino Verbo admitti queat. Non negarim tamen metaphoricè dici Verbum ex ore Patris prodire; nam de Sapientia, quæ idem est cum Verbo, si personã diuinam significet, scriptum est in Ecclesiastico b. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Sed quoniã Deus mẽbris corporeis caret, vt ratio metaphoræ retineatur, diuina eius mẽs quæ est principium productionis Verbi, vt dicitur loqui, ita potest os appellari.

g D. Thom. 1. p. q. 27. art 2.
h ser. 3. con. Arrian.
i lib. 2. de Trinit.
k Tract. in Io.
l lib. 3. ep. 341.
m lib. 1. ad Trasim. c. 16.
n In Psal. 44.
a lib. 4. c. 8.
b cap 24. 5.

L. Eadem verò mens, quæ ratione concipit verbum, vocari potest cor, atque ita Dauid c: *Eructauit* (inquit) *cor meum verbum bonum.* Hæc enim verba ad Patrem, atque æternam Filij productionem referri, docent Gregorius d Nazianzenus, Cyrillus e, Tertullianus f, Ambrosius g, Nazianzeni porrò verba hæc sunt: *Propheta ex voce Dei eructauit* (inquit) *verbum bonum. Videt hoc verbum filium Dei esse, quem non aliunde, quàm de paterno pectore, & vt ita dicam, de vtero cordis Dei credimus extitisse.* Et Augustinus h: *Vnde profert Deus verbum* (ait) *nisi ex corde suo, ex intimo suo?* Persimili ratione dicitur hoc verbum ex vtero prodire; sic enim loquitur Deus ipse apud Dauidem i: *Ex vtero ante Luciferum genui te* quæ metaphora quamuis à fœminis desumpta videatur, vsu tamen, & consuetudine sacrarum litterarum constat hunc dicendi modum viris etiam aptari. Nam ad Abrahamum k dixit Deus: *Qui egredietur de vtero suo, ipsum habebis hæredem.* Et Dauid l: *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo.* Et rursus m: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo.* Et alibi n: *Regem Assyriorum filij qui egressi fuerant de vtero eius, interfecerunt.* Denique o Iob: *Orabam filios vteri mei.* Significat enim Scriptura ex paternis visceribus liberos gigni. Quomodo id etiam affirmari potest de Deo Patre, qui filium ex se ipso gignit. Non negarim tamen, vterum apud Hebræos variis nominibus appellari, dicitur enim בֶּטֶן *beten*, & מְעַיִם *megaim*, & רֶחֶם *rechem*, & duo quidem priora vocabula tam viris, quàm fœminis communia sunt, tertium tantùm fœminis conuenit. Cùm igitur vterus tribuitur viris, nomen est מְעַיִם *megaim*. apud Dauidem p est vox בֶּטֶן *beten*. itémque apud Iob q; cùm verò apud Dauidem loquitur Deus r: *Ex vtero ante Luciferum genui te*: est רֶחֶם *rechem*, quod proprium esse diximus fœminarum.

c Psal. 44. 1.
d Orat. de fid.
e lib. 1. de Trinit.
f lib. 2. con. Marcion & aduer. Praxeam.
g Ambr. tract. symb. fin. lib Luc. & l de fid. c.
h In P 44.
i Psal 109 3.
k Gen 15. 14.
l 2. Reg. 16. 11.
m cap. 7. 12.
n 2 Paralip. 32. 21.
o cap. 19. 17.
p Psal 131.
q cap. 19.
r Psal. 109.

LI. Quarum vocum vim ignorasse videntur Irenæus inter Græcos, & Tertullianus inter Latinos. Nam s ille quidem illud Dauidis, *de fructu ventris tui.* Explicat de Messia, sic autem ait: *Propter hoc de fructu ventris eius Regem promisit, quod erat proprium virginis prægnantis, & non de fructu lumborum eius, vel renum eius, quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis.* Et eodem modo Tertullianus t: *Nathan* (inquit) *Propheta professionem ad Dauid facit seminis eius, quod erit* (inquit) *ex ventre ipsius: Hoc si in Salomonem simpliciter edisseras, risum mihi incuties, videbitur enim Dauid peperisse Salomonẽ.* Nã Irenæus agit de loco Dauidis u, vbi est vox בֶּטֶן *beten*, cõmunis vtriusque sexui. Tertullianus autẽ loquitur de verbis Nathan x, vbi legitur מְעַיִם *megaim*, quæ item vox æquè de viris, ac fœminis dicitur. Sed fateor apud Dauidem y, vocem רֶחֶם *rechẽ* propriã esse fœminarum, quasi alludat ad vterũ, seu vuluã fœminæ. Nam huc ipse Tertullianus z admittit: *Primogenitus* (inquit) *vt ante omnia genitus, & vnigenitus, vt solus ex Deo genitus, propriè de vuluà cordis ipsius,*

s lib. 3. c. 2.
t lib. 3. con. Marcion. cap. 20.
u Psal. 131.
x 3. Reg. 12.
y Psal. 109.
z lib. con. Prax. c. 7.

secundum

a Psal. 44. secundum quod & Pater ipse testatur [a]. Eructauit cor meum sermonem optimum. Qua ratione diuino Verbo b Prou. 8. 24. tribuitur [b] conceptus, & partus: Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Et: Ante omnes colles ego parturiebar. Quæ tamen metaphoricè Deo tribuuntur, quia vt conceptus in vtero matris aliquandiu detinetur, donec ad maturitatem perducatur, & partum; ita filius, ac diuinum Verbum in vtero Patris manet, vt hic ipse Ioannes [c] ait: Vnigenitus, qui est in sinu c c. Euang. Patris. Quoniam igitur humanus ortus postulat vim gignentem, vterum concipientem, ac parientem; hæc omnia suo modo Patri tribuuntur, qui viri fœminæque vicem explet, nostro enim more de rebus diuinis loqui cogimur. Nam, vt ait Athanasius [d], cōsuetudo est sacræ Scripturæ humanitus ea, quæ supra homines sunt, eloqui, & significare; quod etiam pertinet, quod scribit Hilarius [e]: Plerumque per nostrorum corporum membra Deus nobis significat operationum suarum momenta, sensum nostrum vsu intelligētiæ communis educens. Denique Hieronymus [f] Patrē ita loquentem inducit: Non habeo vterum, sed non possum aliter me indicare Patrem, nisi humanis verbis loquutus fuero. Ex vtero genui te de mea substantia, quando autem dicitur vterus, filius significatur, & filius non adoptatus; de vtero generauit, de sua natura, de suis visceribus, de sua substātia, ex vtero, id est de medullis diuinitatis suæ totum quidquid Pater est in diuinitate dedit filio.

d ... cont. ... in dictū ... erat ... e ... 12. de Trinit. f ... Ezech. 109.

LII. Porrò cur Dei filius dicatur Verbum, ambigat fortasse quispiam; cùm hæc vox Verbi respondeat Græcæ voci λόγος, nō modò apud Catholicos, sed etiam apud Gentiles legitur. Nam Iustinus g testimonium profert ex carminibus Orphei, vbi Verbum Dei nominat, per quod cælum, & terra, & vniuersa cōdita est creatura, prout nos diuina sanctorum prophetia docent. Lactantius [h] autem: Verbum (inquit) diuinū nec Philosophi quidē ignorarunt, siquidem Zenon naturæ dispositorē, atque opificem vniuersitatis λόγον prædicat, quē & fatum, & necessitatem rerum, & Deum, & animum Iouis nuncupat. Nam Trismegistus, qui veritatē pene vniuersā nescio quomodo inuestigauit, virtutē, maiestatēmq; Verbi sæpè descripsit. Quid autem de Verbo scripserit Trismegistus, docuit Augustinus [i]: Hermes (inquit) quē Latini Mercurium dicunt, scripsit librum, qui λόγος τέλειος appellatur, id est, verbum perfectum, magnum nomē libri huius, quia magnum est, de quo scriptus est liber: quid enim perfectius verbo, quo solum est inter mortuos liberi. Audiamus quid loquatur Mercurius de verbo perfecto: Dominus, inquit, & omnium factor Deorum secundum fecit Dominū. Et post pauca, vt ostenderet quid dixerit, repetiuit, & dixit: Quoniā ergo hunc fecit primum, & solū, & vnū, bonus autē ei visus est, & plenissimus omniū bonorū. Addit August. Quē primò factū dixit, postea vnigenitū appellauit, atē alio loco sic dixit: Filius benedicti Dei, atq; bonæ voluntatis, cuius nomē nō potest humano ore narrari. Plura ex illo referūt recētiores [k]. Extat liber, qui dicitur Pimādet, in quo multa de Verbo diuino legūtur.

g in adhort. ad Gent. h lib. 4. c. 9. i lib. de quinque hæres. 3.

LIII. De Platonicis autem plurimi affirmant, eos de hoc Verbo diuino scripsisse. Et quidem Augustinus [l] de iis hūc in modum scribit: Procurasti (inquit) mihi per quemdam hominē immanissimo typho turgidum quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinā versos, & ibi legi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino, multis, & multiplicibus suaderi rationibus, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. & quæ sequuntur. Alibi [m] verò Magos Pharaonis in tertia plaga defecisse scribit eū dixeritm, digitus Dei est hic. Ducet autem digitum Dei significare Spiritū sanctū. Denique concludit Philosophos de Spiritu sancto olīi potuisse philosophari, quāuis de Patre, & filio non tacuerint. Eusebius [n] certè plura affert ex Plotino, Numenio, & Philone

k Aug. Eu... & ... n. ... Fiac. ... de ... mon... princ. l ... conf. 9. m quæst 25. in Exod. n lib. 11. præp. Euang. cap. 10.

Benedict. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

Hebræo, quæ videntur ad Verbū diuinum spectare; quod etiam faciunt Clemens Alexandrinus [a], Cyrillus [b], & Theodoretus, Augustinus [c] autē nōnulla etiā profert ex Porphyrio. Sed quicumque ex Philosophis de Verbo Dei loquuntur, vel eā voce ad mūdum archetypum, & rerum omnium ideas significādas referunt vel ab Hebræis eā sententiam inuenati sunt, vel Sibyllis didicerunt, vel peculiari quadam Dei illustratione diuinitus edocti sunt. Et quidem Philo [e], quid Verbi nomine significant, his verbis ostendit: Vt decreuit (inquit) ingentem hanc Vrbē condere, prius formas eius concepit, ex quibus postquā intelligibilem mundum cōstituit, ad illius exemplar sensibilem hunc mundū cōdidit. Et post multa: Si vis (inquit) liceat apertioribus vti vocabulis, nihil aliud dixerit esse mundū intelligibilem, nisi Verbum Dei iā mundum cōdentis. Rursus aliquanto post: Liquet autē quod archetypum sigillum, quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipse sit archetypum illud exemplar, idea idearum Verbum Dei.

a 5. Strom. b lib. 8. cōt. Iulian. c lib. 2. de princip. d lib. 10. de ciuit. c. 23. e lib. de mūd. opific.

LIV. Quoniam verò, vt ait Hieronymus [f], illud apud Græcos circumferebatur, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει, hoc est, aut Plato philonizat, aut Philo platonizat, propter similitudinem sensuum, & eloquij, ex his Philonis verbis luce clarius constat Verbi nomine Platonicos mūdū archetypū, & rerū ideas appellasse, atque ita nihil de filio Dei cogitasse. Quòd si ab Hebræis scientiā hauserunt, aut à Sibyllis, verā Verbi notionē vtcūq; habere potuerūt. Quin etiā dæmones verē Verbū Dei agnoscunt, nā & Serapidis oraculū circūfertur Ægyptio cuidā Regi editū,

f lib. de script. Eccles. in Philo.

Principio Deus est, tum sermo, & spiritus istis
Additur, aequaua hæc sunt, & tendentia in vnum.

Et Augustinus [g] asserit dæmonē Mercurio indicasse futura tēpora perditionis suæ. Itaque multa apud Philosophos, & Poëtas ineptissima leguntur, quæ ne ipsi quidem satis intelligant. Quòd si quis contēdat, Verbū Dei, filiumque eius vnigenitū à Philosophis nonnullis fuisse cognitum, nō magnopere repugnabo, modò ille viessim cōcedat, non id illos humanæ vi mētis, atq; intelligentiæ fuisse assequutos, sed diuina liberalitate, ac munificētia fuisse illustratos, vt de multis affirmat Augustinus [h], & de Sibyllis plurimi opinantur, vt intelligi potest ex Arnobio [i], Lactantio [k] Eusebio [l], Hieronymo [m], Augustino [n]: nisi quis malit ex consuetudine eum Ægyptiis cognouisse illos Hebræorū scripta, cū Moses ipsis etiā Gentibus dus fuerit longè antiquior, vt probāt Clemēs Alexandrinus [o], Eusebius [p], Cyrillus [q], Iosephus [r], Clemēs [s] porrò Alexādrinus: Leges inquit) quæcumque veræ sunt, & de Deo optimo suppeditata tibi sunt, à Platone ab Hebræis. Et alibi [t] Platonem vocat ex Hebræis Philosophū, & vniuersim de Philosophis ait: Philosophi ante Domini aduentum à Prophetis Hebræis partes veritatis id minime agnoscentes sumpserūt, sed sibi tāquā propria dogmata attribuerūt, & alia quidē adulterarūt, alia autē supervacaneæ quadā diligentia indoctè tanquā sapientes pronunciarūt, alia autem etiā inuenerunt. Eusebius [u] autem Cæsariensis ex Aristobuli sententia hæc scribit: Leges nostras in multis Plato sequutus est, aperte namq; in multis examinasse singula videtur. Mosaica nāq; volumina ante Alexandrum, & ante Persarum imperium tradita fuerant, vnde plurima sicut & Pythagoras Philosophus ille accepit. Numenius autem Pythagoricus apertè scribit, nihil aliud esse Platonem quā Moysem, Attica lingua loquentē. Et in primo volumine de bono: Plato inquit, atq; Pythagoras, quæ Brachmanes Ægyptij, Iudæiq; inuenerint, ea Græcè ipsi exposuerunt. Nec dissimilia scribit Theodoretus [x], Anaxagoras, ait, Pythagoras, Plato enigmata quædā de Deo ab Ægyptiis, Hebræisq; collegerunt. Additq; Cur nō iis omnibus relictis ad Mosem Oceanum Theologia trāsimus, à quo fluunt omnes, & maria deriuātur?

g lib. 8. de ciuit. c. 23. h 18. de ciuit. c. 47. i aduers. Gent. k lib. 4. c. 15. l lib. 4. de vita Constant. m lib. 1 cont. Iouin. n lib. 18 de ciuit. c. 23. o 1. Strom. p lib. 10 præp. Euang. q lib. 5 cont. Iulian. r lib. 1. & 2. cōt Appion. s ad hort. ad Gent. t 1. Strom. u lib. 9. præp. Euang. c. 3. simil habet lib. 11 præp. cap. 7. x lib. 2 de curan Græc. affect. y eodem li.

C X illine

A *illinc enim & Anaxagoras, & Pythagoras, Platóque post eos parua quædã veritatis lumina, quadamque initia desumpserunt.* Et ne longum faciã, eodem modo de Platone loquitur Ambrosius[a], & alibi[b] Gẽtiles ait multa transtulisse de nostris. Sic Hieronymus[c]; neque aliter Augustinus, quamquam alibi hãnc sententiam ducto argumento à ratione temporũ confutat[d], nec putat Platonem ad Ieremiæ ætatem potuisse peruenire, quæ tamen Augustini sentẽtia, si vera sunt, quę apud Eusebiũ scribit Aristobulus, apertè refellitur.

LV. Certè Demetrius Phalereus apud Iosephũ[f] laudat legẽ Mosis, & rationem affert, cur eius Poëtæ, & Gentiles historici nullam fecerint mentionẽ, quòd cùm sit sacrosancta[g], ore prophano tradi nõ debuit. B Certè multa ex lege Mosis à Philosophis, & Poëtis desumpta, sed deprauata, immutata, ac detorta sunt, de Chao, de Gigantibus, de diluuio, aliísque nõ paucis, vt ex Augustino[h] intelligi potest; qua fortasse etiam ratione ea, quæ ad Verbi diuini ortum pertinẽt, corruperũt, & quæ hypostasi dumtaxat distinguuntur, etiam natura ipsa differre docuerũt, atq; ita primã mentẽ vocabant ipsum bonũ, secundam opificẽ mundi, tertiam eiusdem mundi animã, ex quo errore nõnulli profectã putãt Arij impietatẽ. Quæ cùm ita sint, verosimilius videtur, Philosophos ingenij quadã magnitudine, assiduóq; studio, ac diligẽtia potuisse quædã de Deo cognoscere, quæ tamen multis erroribus essent admixta, nec tamen Trinitatis mysterium, aut diuini Verbi æternam productionem C vllo modo attingerent.

LVI. His igitur prætermissis fides Catholica vnigenam Dei filiũ Verbum appellat; quãquam autẽ negari nõ potest nonnullã esse in ea voce metaphoram, desumptam ab iis, quæ in humana mente concipimus, ea tamen admissa analogia, propriè Verbum in Trinitate admittendum est, vt probant Athanasius[i], Basilius[k], Cyrillus[l], Augustinus[m], qui alibi[n] affirmat, ea propriè explicanda esse; quæ si ita explicẽtur, nihil continent absurdi. Certè autẽ nihil potest absurdum cogitari, si filiũ propriè Verbũ appellemus. Nã, vt ait Augustinus[o], nullũ potest propriè verbũ dici, quod non sit verum; in diuino autẽ Verbo, ac sciẽtia maximè propriè inest veritas, vt copiosè docet D Anselmus[p]. Adde proprium esse verbi, vt ex Augustino[q] colligitur, repræsentare, quod præcipuè conuenit diuino Verbo, in quo, vt idẽ Augustinus[r] affirmat, omnia repræsentantur tanquam in prima, & summa veritate, vt idem Augustinus[s] asserit.

LVII. Itaq; Iustinus Martyr[t], Athanasius[u], Gregorius Nazianzenus[x], Gregorius Nyssenus[y], Epiphanius[z], Chrysostomus[a], & Theophylactus metaphoram hactenus probare videntur ob eas similitudines, quas cum verbo nostro diuinum Verbum habere docuimus; ex quo fit, vt Verbum in diuinis, cum propriè dicitur, non sit essentiale, sed personale, quæ est omnium priscorum[c] Patrum sententia. Fauent sacræ literæ, quæ nomen Verbi secundæ Trinitatis personæ, hoc est, filio tribuunt. Ita enim loquitur Ioannes E tum hoc loco, tum in principio sui Euangelij: *In principio* (inquit) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum.* Et hac ipsa epistola sub finẽ ait: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Cur autem filius Verbũ nuncupetur, explicat Augustinus[d] pluribus locis, & quidem meritò, quia vt iis, quæ hactenus diximus perspicuè intelligitur, omnes ei Verbi conditiones mirè conguunt; atque ita Pater propriè, vt docet Augustinus[a], ratione filij dicit, aut loquitur, cùm filium vi suæ diuinæ mentis generat. Quam ob causam idem Augustinus[b] ait: *Eo filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo filius.* Denique vt ex verbo cognoscitur is, qui loquitur, ita per filium cognoscitur Pater, vt idem Augustinus[c] docet.

LVIII. Quam ob rem Basilius[d]: *Cur Verbum? quò ostendat, quod ex mente processit. cur Verbum? quia est à passione natum. cur Verbum? quia imago est genitoris totum in se ipso genitorem ostendens.* Cyrillus autẽ Alexandrinus inter alia non pauca filij nomina de hoc nomine Verbi in hunc modum scribit: *Multis enim nominibus scriptura filium appellat, sed Euangelista cùm Verbum dixerit quasi proprium, idque mirabile atq; inauditum pro-* B *nunciasset, nihil aliud apposuit, nec dixit vt de Paulo verbi gratia scribitur, Paulus Apostolus, sufficit enim sibi ad significandum ipsum esse filij Verbum dixisse.* Et plura de hoc ipso nomine contra Eunomium disserit, post nonnulla: *Etenim ille perperam Verbi nomen, & appellationem filio tribuebat, non quod suapte natura Verbum esset, sed quod à Patre Verbum acciperet, & nobis proferret, atq; ita solum participatione Verbum cõfi ebatur, cùm sit Verbum per se à Patre procedẽs*; de quo ita planè Basilius[g]: *Audi Verbum hoc ita vt Deo condignum est, cũ de vnigenito differens Verbum ipsum appellauit.* Et aliquanto post: *Verbum audiens caue, ne mentis imbecillitate ad humiles, terrenásque sententias deprimaris, sed Verbi potestatẽ, ac sensus diligentius inuestiga.* Quod re- C ctè contra Eunomium dictum est, qui nihil poterat de diuina Verbi productione percipere, quod non humano planè modo concipiendum esset.

LIX. Sed cur hoc loco Ioannes, cùm de vnigenito loqueretur, Verbum potius, quàm filium nominauit? Persimilem quæstionem attigerũt Basilius[h], Leontius[i], Chrysostomus[k], Theophylactus, Euthymius[l], vnámque omnes rationem afferunt, ne si vocasset filium, aliquid forte humanum, ac passibile mẽs humana cogitaret, quod olim accidisse Arianis accepimus qui filium absq; fœmina intelligere planè nequibant; sic enim de illis scribunt Hilarius[m], & Cyrillus[n]. Probari posset hæc ratio, si præter Verbum, & filium, nihil habuisset Euangelista, quo secundam Trinitatis personam exprimeret; at potuit D nominare sapientiam, lucem, splendorem, & id genus alia penè sexcenta, quæ Origenes[o], & Basilius[p] adnotarunt. An Verbum idcirco appellare maluit, quòd id nomẽ magis esset notũ, & gratum, & quòd magis accommodatum ad id, quod postea dicturus erat? an quia nullum erat filij Dei nomen inter Hebræos magis vsitatum? id certè video viris doctis vehementer probari, quibus ergo libẽter subscribo. Addo tamẽ voluisse hoc loco Ioannem id ipsum indicare, quod initio sui Euangelij docuerat, diuinum videlicet Verbum humanã sibi naturã hypostaticè copulasse, vt genus humanum in gratiam cum Deo Patre reuocaret. Adde, si placet, vtrobique voluisse Ioannem Philosophorum nomen quidem retinere, E eorum tamen errorem corrigere, verámque diuini Verbi naturam, ac dignitatẽ declarare, vt enim paulo ante insinuaui, tametsi Philosophi verbi nomen vsurpabant, diuinæ tamen personæ vim, ac potestatem ignorabant, vt meritò dixerit Hieronymus[q]. *Hoc* (de Dei Verbo loquitur) *doctus Plato nesciuit, hoc Demosthenes eloquens ignorauit; perdam, inquit*[r]*, sapiẽtiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.*

LX. Verbum autem maluit Ioannes appellare, quàm filium, vt more suo eius diuinitatem declararet, & ne quis, cùm filium audiret, humanæ procreationis rationem conciperet, & vt eum vnigenitum significaret, vt enim scribit B. Gregorius[s]; *Pater vnigenitum consubstantialem sibi filium genuit,* loquo

a In Ps. 118. octo. 18 & in l. de Noe, & arca c. 8. b li. de bon. mor. c. 10. c Eccles. 10. d lib. 2. de doct. Christ. cap. 28. e lib. 8. de Ciuit. c. 11. f lib. 12 antiq. c. 2. g Simil. habẽt Tatiano. ora. ad Gen. Theoph. li. 3. ad Antol. Iust. in paren. ad Gen. & io apol. 1. h lib. 8. de Ciuit. c. 11. & lib. 18 c. 37. i Orat. 2. 3. & 4. cõt. Arian. & li. de decret. Nicen. Synod. k in illud Ioan. 1. In principio erat Verbum. l lib. 7. thes. m li. de fid. & symb. c. 3. li. 5. de Trinit. c. 7. li. 7. c. 1. & 2. li. 9. c. 6. & 8. li. 14 c. 7 & 10. li. 15. c. 6. n lib. 3. de doctr. Christi c. 10. li. 8. de Gen. ad lit. c. 2. o lib. 15. de Trinit. c. 15. p in monol. c. 31. & 36. q lib. 8. de Trinit. c. 8. r lib. 6. de Trin. c. vlt. s lib. 11. de Trinit. c. 14. t 10 dial. cu Tryphone. u in expos. fid. ad pict. x Orat. de natal & or. 2. de Pasch. y de S. Trin. adoer. Iudæ. z in princip. z hæres. 73. a Ioan. 1. b Ioan. 1. c Clem. Alex. 4 & 5. Strom. Iust. M. dial. cum Trypho. Athan. in expos. fid. ad Epist. & or. 3 cont. Arian. Basi. hom. 44. Greg. Naz. or. de nat. & or. 2. de Pasch. & or. 4. de Theol. Greg. Nyss. de Trin. cont. Iud. Chrysost. Ioan. 1. Cyrill. lib. 1. thes. c. 17. lib. 7. c. 1. Tertul. cont. Prax. Victor Afer li. 3 & 4. de Trin. Aug. li. 5. de Trin. c. 3. li. 6. c. 1 & li. 7 c. 2. & 3. lib. 15. c. 19. d lib. 15. de Trin. c. 8. lib. de cognit. veræ vitæ c. 14 & 16. ser. 15. de nat. Dom. ser. 6. in fer. 3 Pasch.

a lib. 7. de Trin. c. 11 & 10 psal. 62. b lib. 7. de Trinit. c. 2. c lib. de fid. & symb. c. 3. Plura de hac re Ægid. io 1 d. 27. q. 2 principal. art. 3 & Neruæus tractat. de Verb. quæst. 2. art. 4. d Hom. in 1. Ioan. e lib. thes. cap. 1. f cap. 4. g Hom. 1. in Ioan. h Hom. 10 Ioan. 1. i Ioan. 1. k Hom. 2. in Ioan. l Ioan. 1. m lib. 2 cõt. Constant. n li. 1. thes. cap. 2. o lib. 1. in Ioan. p Hom. 1. in Ioan. q epist. ad Paulin. r Isa. 29. 14. Abd. 1. 8. 1. Cor. 1. 19. s li. 23. Mor. cap. 19.

loqui enim Dei est Verbũ genuisse, semel autem loqui Dei est Verbum aliud præter vnigenitum non habere, vnde & apte subditur, & secundo id ipsum non repetit, quia videlicet hoc ipsum Verbum, id est, filium, nõnisi vnicum genuit. Huc accedit, quòd verbũ dicitis est verbum, atque ita significat, Verbum esse quidem Deum æqualem Patri, non tamen αὐτόθεον, hoc est, Deum à se ipso, vt superioris sæculi hæretici mentiti sunt; siquidem à Patre procedit, atque ita Ioannes vno, eodémque verbo Filium, & Patrem indicat. Quam ob rem rectè scripsit Augustinus [a]. *Pater sapientiam dicit, vt Verbum eius sit, nõ quomodo profertur ex ore verbum sonans, aut ante pronũciationem cogitatur, spatiis enim temporum hoc completur, illud autem æternum est, & illuminando dicit nobis, & de se, & Patre, quod dicendum est hominibus.* Et post nonnulla: *Si enim hoc verbum, quod nos proferimus, temporale, & transitoriũ, & se ipsum ostẽdit, & illud, de quo loquimur, quãto magis Verbũ Dei, per quod facta sunt omnia? quod ita ostendit Patrẽ, sicuti est Pater, quia & ipsum ita est, & hoc est, quod Pater secundùm quod sapientia est, & essentia. Nam secundùm quod Verbum, non hoc est, quod Pater, quia Verbum non est Pater, & Verbum relatiuè dicitur, sicut filius, quod vtique non Pater.*

a lib. 7. de Trinit. c. 3.

LXI. Ad hæc Verbum res creatas aliquo modo respicit, qua ratione Augustinus [b] de hoc æterno Verbo explicat id, quod legitur in Ecclesiastico [c]: *Imitum omnis operis Verbum.* De quo item hic ipse Ioannes in Euangelio [d] scripsit. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quò spectans Clemens Alexandrinus [e]: *Quid verò* (ait) *an non factum quoque est dicere, & facere ex verbo sit seu ratione? si non enim verbo, seu ratione agamus, extra rationem fecerimus. opus autem rationale ex Deo efficitur, & nihil sine ipso factum est.* Quibus consentanea sunt, quæ scribit Victorinus [f] Afer. *Nõ ergo* (inquit) λόγος *loquutio quadam est, sed potentia ad creandum est, confabulatio, quibus futurum est esse.* Iodicat præterea vox Verbi diuinæ productionis admirabilem modum, vt Patres Ephesini Concilij egregiè docuerunt. *Coëxistere* (inquiũt) *semper, & coæternum esse Patri filium splendor tibi denunciat, impassibilitatem natiuitatis illius ostendit Verbum, consubstantialitatem nomen filij pandat.* Denique indicare voluit Apostolus Verbum esse veluti legatum, nuntium, atque interpretem diuinæ voluntatis ad nos propterea missum, vt Dei legem promulgaret & Euangelium conderet.

b lib. 15. de Trinit. c. 2.
c cap. 37. 20.
d cap. 1. 3.
e 1. Strom.
f lib. 1. de Trinit.

LXII. Addit, *de Verbo vita*, quasi dicat, Verbum hoc esse viuens, vitam autem, vt ait OEcumenius, non eam intelligit, *quæ temporis interuallo mensuretur, sed quæ ex sese subsistat, & apud Patrem semper sit consentiens cum iis, quæ in Euangelio suo dixit, nam & illic: Et Verbum* (inquit) *erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quocirca Hilarius [g], *viuens, ait, nõ mortuus natus est*, quin potius Verbum diuinum fons est vitæ, de quo, interprete Theodoreto, loquitur Dauid [h]: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Apud te* (ait Theodoretus) *est Verbum æternum, fons vitæ, & in lumine Spiritus sancti lumen vnigeniti tui cernimus.* Et idcircò omnia dicuntur in illo habere vitam, vt Ambrosius [i], & Augustinus [k] explicant, qui alibi [l]: *Sapientia Dei* (inquit) *secundùm artem continet omnia, terram vides, cælum, solem, lunam, sunt ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* Alio [m] verò loco: *Propterea* (ait Ioannes) *quod factum est in ipso vita erat, omnia quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in se ipsis vita non sunt.* Quod ipsum sensisse videtur Auctor [n] homiliarum ex diuersis, quæ tribuuntur Origeni. *Cælum* (ait) *& terra, abyssus, & quæcumque in eis sunt, in Verbo viuunt, & vita sunt, & æternaliter subsistunt, & quæ nobis omni motu vitali carere videntur, in Verbo viuũt.* Rursus: *Omnia, quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter, & vniformiter, & causaliter subsistunt.* Sic etiam Beda [a]: *Quod factum est in tempore siue viuum, siue vita carens apparuit, totum hoc in spiritali factoris æterne quasi semper vixerat, & viuit.*

g lib. 2. de Trinit.
h Psal. 35. & ibi Theod.
i in Ps. 36.
k lib. 1. de Gen ad lit. cap. 14.
l Tract. 1. in Ioan.
m Dial. 65. qq. 9-16.
n Hom. 2.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

a Ioan. 1.

LXIII. Possis etiam dicere Verbum vitæ appellari, quòd vitam quodammodo largiatur, dum omnia fouet, cõseruat, & vegetat. Ita Cyrillus [b]. *Quoniam* (inquit) *creatura nullam durandi virtutem in se per naturam habet, sed filius Dei cunctis quasi commixtus vita eorũ fit, & in propria natura cõditione cõseruat, adeirco clamat Euangelista: quod factum est in ipso vita erat, nõ solùm* (inquit) *per ipsum facta sunt vniuersa, sed quæcumque facta sunt Dei filius, principium, & subsistentia omnium tam visibilium, quàm inuisibilium in ipsis vita erat.* Vel certè vita dicitur Verbum, quia in ipso omnia constant, sic Ambrosius [c]. *Quod factum est* (inquit) *in ipso vita erat, quia in ipso constant omnia.* Quod etiam Chrysostomus, & Theophylactus [d] significant, quamquam fortasse de viuentibus tantummodo loquitur Ioannes, quibus Verbum vitam impertit, & conseruat. Mihi verò facilè persuaserim, voluisse Ioannem ad verba Christi alludere, quæ ipse in Euãgelio [e] recitat. *Ego sum via, & veritas, & vita*; quasi dicat, de Verbo vitæ, qui se vitam appellauit, quique alibi [f] dixit. *Ego veni, vt vitam habeant, & abũdantiùs habeant*; vt videlicet in hoc mundo vitam habeant gratiæ, in altero abundantiùs vitam gloriæ sic Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Augustinus, Beda [g], & alij. Vel ex sententia Cyrilli [h], vt non solùm habeãt gratiam, sed multiplicem cælestium bonorum affluentiam, vel abundantiùs habeant ob resurrectionis gloriam, quam soli iusti adipiscentur. Sed quoniam Græcè dicit περισσὸν, hoc est, abundanter, significat, vt ego arbitror, vitam validam, ac probè consistentem, quam paulo [i] post vitam appellat æternam. *Et vitam* (inquit) *æternam do eis.* Ita apud Ioannem dixit [k] Petrus: *Domine, ad quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et Christus ipse Marthã alloquẽs [l] dixit. *Ego sum resurrectio, & vita*, hoc est, auctor resurrectionis, & vitæ.

b Ioan. 1.
c lib. 1. hexam. c. 4.
d Ioan. 1.
e cap. 14. 6.
f Ioan. 10. 10.
g Ioan 10.
h Ioan. 10.
i vers. 18.
k cap. 6. 69.
l Ioan. 11. 25.

LXIV. Quòd si libeat vitam accipere, qua Verbum ipsum viuit, vt Verbum vitæ idem sit, quod Verbum viuens; est planè Verbum, vt dixi, vita diuina, idque suapte natura, &, vt aiunt, per essentiam, quomodo est sapientia, iustitia, & sanctitas; quippe Deus similis, atque æqualis est Patri viuẽs immortali vita, quæ deficere nulla ratione queat, vt meritò dicatur ab Apostolo [m] *solus habere immortalitatem*. Sin autẽ malis vitæ auctorem interpretari Verbum, non aliter ac Pater vitam omnibus viuentibus largitur, vt iure optimo dixerit Apostolus [n]: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*; & præterea iustis vitam gratiæ, & gloriæ impertit; ac propterea diuina sapientia apud Salomonem [o] loquitur in hæc verba: *Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ait itaque Ioannes se vna cum cæteris Apostolis, & oculis spectasse, & contrectasse manibus hoc Verbum vitæ, non quidem in se ipso, sed sed nostra mortalitate circundatum, quia, vt ipse in Euangelio dixit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.*

m 1. ad Timoth. 6. 16.
n Act 17. 28.
o Prou. 8. 34.

2. *Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.*

1. Si ad ipsum Verbum referas, rectè ait vitam fuisse manifestatam, Verbum enim caro factum sese spectandum mortalibus præbuit, & qui ve est in se ipso, suáque diuina natura corporeis oculis cerni nequaquam potest, sese aspectabilem, ac tractabilem exhibuit, sic olim dixerat Baruch [p]: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

p cap. 3. 38.

Si de vita accipias quam Christus attulit in mundum, verè vita gratiæ cœpit omnibus palam fieri, cùm omnes ad hanc vitam prouocantur, omnibúsque proponitur Euangelium; sic enim ait Christus [a]: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Prior tamen explanatio magis videtur ad mentem Apostoli, quam his verbis explicat Augustinus [b]: *Et ipsa vita manifestata est. Christus ergo Verbum vitæ, & vnde manifestata est? erat enim ab initio, sed non erat manifestata hominibus. Manifestata autem erat Angelis videntibus, & tanquam pane suo cibantibus, sed quid ait Scriptura [c]? panẽ Angelorum manducauit homo. Ergo manifestata est ipsa vita in carne, quia in manifestatione posita est, vt res, quæ solo corde videri potest, videretur & oculis, vt corda sanaret; solo enim corde videtur Verbũ; caro autem & oculis corporalibus videtur. Erat vnde videremus carnẽ, sed nõ erat vnde videremus Verbum, factum est Verbum caro, quã videre possemus, vt sanaretur in nobis, vnde Verbũ videremus.* De illa igitur vita se loqui Ioannes ait, quæ inter mortales visa est, quæque se ipsa sua luce patefecit. Qui rursus cùm apparuerit, electis suis gloriæ immortalitatẽ tribuet, ita enim loquitur Paulus [d]. *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

a Matth. vlt. 19.
b Tract. 1. in hanc epist.
c Ps. 77. 25.
d ad Colos. 3. 4.

II. Idcirco subdit: *Et vidimus, & testamur, & annũciamus vobis.* Non inanes (inquit) gentilium fabulas, aut obscuras, & incertas narrationes, sed rẽ verissimam, certissimámque proponimus vobis, quam vidimus ipsi, & proprij sanguinis, vitæque effusione testamur. Non quoniam Græcè dicit Ioannes μαρτυροῦμεν, putauit Augustinus allusisse Apostolum ad Martyres. *Vidimus* (inquit) *& testes sumus, vidimus, & Martyres sumus; testimonium enim dicendo ex eo, quod viderunt, & testimonium dicendo ex eo, quod audierunt ab his, qui viderunt, cùm displiceret ipsum testimonium hominibus, aduersùs quos dicebatur, passi sunt omnia, quæ passi sunt Martyres; testes Dei passi sunt, Deus testes habere voluit homines, vt & homines habeant testem Deum.* Viderunt igitur Apostoli vitam, idcirco autem viderunt, quia manifestata est, & se ipsam propria luce patefecit. Acutè autem Augustinus ad hanc vitæ declarationem explicãdam interpretatur verba illa Dauidis [e]: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Vbi* (inquit) *viderũt in manifestatione; quid est in manifestatione? in sole, id est, in hac luce. Vnde autem potuit videri in sole, qui fecit solem, nisi quia in sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam? Ille ante solem, qui fecit solem, ille ante luciferum, ante omnia sydera, ante omnes Angelos verus Creator, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, vt videretur oculis carneis, qui solem vidẽt, ipsum tabernaculum suũ in sole posuit, id est, carnem suam in manifestatione huius lucis ostendit, & illius sponsi thalamus fuit vterus Virginis, quia in illo vtero virginali cõiuncti sunt duo, spõsus, & spõsa, sponsus Verbum, & spõsa caro.*

e Ps. 18. 6.

III. Hoc ipsum indicasse videtur Lucas [f], cùm Ioannem Christi præcursorem concionantem inducit: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Quo loco alludit ad Isaiæ [g] verba: *Et reuelabitur* (ait) *gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est.* Septuaginta enim quos sequitur Euangelista, de diuino Verbo locum interpretantur, atque ita salutare Dei transtulerunt. Loqui enim Prophetam de Christo venturo veteres fermè omnes Patres affirmant, Eusebius [h] certè: *Ioannes* (inquit) *præparabat eos, qui visuri erãt gloriam Domini, & quod vocatur salutare Dei, quod quidem nihil aliud est, quam Christus.* Eodemque modo Irenæus [i]: *Vnus igitur* (ait) *& idem Deus est Pater Domini nostri, qui & præcursorẽ per Prophetas missurum se promisit, & salutare suũ, id est, Verbũ suum visibile effecit omni fieri carni incarnatum, & ipsum, vt in omnibus manifestus fieret rex eorum.* Ambrosius [a]: *Videbit omnis caro salutare Dei, id est, videbit omnis homo Christum Dei.* Gregorius [b] autem: *Omnis* (inquit) *caro accipitur omnis homo, salutare Dei videlicet Christum.* Sed hoc interest, quòd Eusebius, Irenæus, & Ambrosius hoc simpliciter referunt ad Christi aduentum. Gregorius verò de extremo aduentu explicat: *Salutare Dei* (inquit) *videlicet Christum in hac vita omnis homo videre non potuit, vbi ergo in hac sententia Propheta prophetiæ oculum, nisi ad extremi iudicij diem tetendit? Vbi cùm apertis cœlis, ministrantibus Angelis, considentibus Apostolis in sede maiestatis suæ Christus apparuerit, omnes hunc & electi, & reprobi pariter videbunt, vt & iusti de munere retributionis sine fine gaudeant, & iniusti in vltione supplicij in perpetuum gemant.*

f cap. 3. 5.
g cap. 40. 5.
h lib. 9. de demonst. Euangel. demonst. 5.
i lib. 3. c. 9.
a ad Rom. 3.
b Hom. 20. in Euang.

IV. Sed quamquam hæc non improbabiliter dicuntur, longè tamen verosimilius est, Prophetæ, & Euangelistæ verba de prioris Christi aduẽtu accipienda esse. Tametsi enim non omnis prorsus caro, hoc est, non omnis homo Christum Dominum videre potuit, factum est tamen Verbum vi suæ incarnationis per sese aspectabile, vt ab omnibus videri posset. Et si de fidei oculis Euangelistæ, ac Prophetæ verba accipiantur, potuerunt verè dicere: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Quomodo dicit Dauid [c]: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes seruient ei.* Et Isaias [d]: *Fluent ad eum omnes gentes:* Cùm tamen non omnes penitus Reges Christum adorent, aut omnes omninò gentes illi seruiant, aut ad eum confluant. At Ioannes de se, cæterísque Apostolis verè affirmat: *Et vidimus,* quemadmodum & supra dixerat, *audiuimus, vidimus, oculis nostris perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt.* Hîc autem intuitum solummodo nominat, vt significet certam, & minimè dubiam cognitionem; & quia visus sæpe ad omnes sensus transfertur, dum visum, & aspectum nominat, ea complectitur omnia, quæ paulo ante significauerat, cùm auditum, tactúmque expresserat.

c Ps. 71. 11.
d cap. 2.

V. Rectè autem hoc loco ait *vidimus*, cùm mox subiiciat; *& testamur, & annũciamus vobis,* vt quod suprà monui, idoneum se testem probet, qui de re certa, atque explorata, quam oculis conspexerat, loquatur, vt enim ait Didymus, *quod vidit aliquis, nunciare poterit alteri.* Testantur autem Apostoli, & annunciant, non solùm quia certò cognoscunt ea, quæ aliis prædicant, sed etiam quia Magistri præcepto, diuinique Numinis impulsu ea compellebantur effari, quæ diuinitus didicerant. Propterea in Actis Apostolicis [e]: *Non possumus* (inquiũt) *quæ vidimus, & audiuimus non loqui.* Et Paulus [f]: *Væ mihi* (ait) *si non euangelizauero.* Quippe vas erat electum, vt Christi nomen portaret inter gentes, & de illo dixerat Spiritus sanctus [g]: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus, ad quod elegi eos.* Porro Didymus, vt supra monui, distinguit hoc loco visionem ab inspectione, & illam quidem ad humanam refert naturam, quæ corporeis oculis cerni poterat, hanc verò ad diuinam, quæ in illa latebat. Ea igitur ait enunciari posse, quæ oculis subiiciuntur, multa verò, quæ perfectè inspecta mente percipiuntur, voce, atque oratione explicari nequaquam posse, *dũ per eruditionẽ ineffabilem cognoscuntur. Nõ enim* (inquit) *licet homini loqui hæc, hoc est impossibile.*

e cap. 4. 20.
f 1. Cor. 9. 16.
g cap. 13. 2.

VI. Nam proculdubio quædam sunt, quæ humana oratione explicari nequeũt, quæque passim euulganda nõ sunt. Sic enim loquitur Basilius [h]: *Christi generatio propria, ac præcipua diuinitatis est, quæ quidẽ silentio magis, ac fide veneranda, quàm disputatione aliqua nostra, seu curiositate vestiganda est. Vbi enim nec tempus, neque æuum intercedit, neque iste modus intelligitur, nec spectator adfuit, nec est, qui exponat, quomodo mens aliquid*

h de humana Christi generat.

imagina

imaginabitur? quomodo mentis cogitationibus lingua famulabitur? Et eodem penè modo Clemens [a] Alexandrinus: *Qui Spiritum quidem sanctum possident profunda Dei scrutatur, hoc est, ij, qui ea assequuntur, quæ latent in Prophetis. Sanctis autem canes impertiri vetantur, donec canes manserint.* Nam qui temerè apud quosuis arcana fidei mysteria effundunt, iis Gregorius [b] Nazianzenus similes esse ait, *qui luto margaritam, & imbecilli auri tonitrui sonum, & solem infirmis oculis, & lacte adhuc viuentibus solidum cibum committunt.* Athanasius [c] verò alludens ad illud Tobiæ [d]: *Sacramentum Regis abscondere bonum est: Mysterium,* ait, *Regis celare, & vt Dominus præcipit, non esse sancta porrigenda canibus, neque proiiciendas margaritas ante porcos, non enim fas est mysteria gentibus prodere.* Multa denique in eamdem sententiam scribunt Origenes [e], Basilius [f], Chrysostomus [g], Isidorus [h] Pelusiota, Cyprianus [i], Hieronymus [k], Augustinus [l], Leo Pontifex [m].

a l. 5. Strom. ad proc. ab init.
b Orat. 44.
c Apol. 2.
d cap. 12.
e Homil. 2. in Psal. 37.
f Reg. breu. 150.
g lib. 2. de comp. cor. Præf. in Ioã. Homil. de cœn. Dom.
h lib. 1. epist. 143.
i lib. 3. ad Quirin. cap. 50.
k Matth. 7.
l lib. 1. de adul. coniug. cap. 17. & Hom. 7. in Apoc.
m epist. 78 cap. 4.

Testamur (ait) *& annunciamus*. hoc est, vt supra indicauimus, primarium huius sententiæ verbum. Videtur autē Apostolus duobus hisce verbis duo præcipua Christianæ religionis capita indicare voluisse, quorum alterum ea complectitur, quæ credenda sunt, alterum ea, quæ ad actionem referuntur. Et de priori quidem capite ait. *testamur*, fides enim diuina

VII. quamuis nonnisi à Deo intus in animum instilletur, externam tamen aliquam testificationem postulat, siquidem, vt ait Paulus [n], ex auditu concipitur, *auditus autem per verbum Dei.* Et vt idem subiicit, audire nemo potest *sine prædicante*, hoc est, proponēte, & testificante. De posteriori verò ait, *annunciamus*, vtroque autem munere se ritè, ac rectè perfunctum fuisse affirmat Paulus, cùm in actis Apostolicis Asianos Episcopos his verbis affatur [o]: *Vos scitis prima die, qua ingressus sum in Asiã, qualiter vobiscũ per omne tempus fuerim, seruiens Domino cũ omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* Vbi apertè distinguit ea, quæ ennunciauerat, & docuerat, hoc est, vtilia, quæ ad gratiam, & gloriam assequendam valerent, ab iis, quæ testaretur, quæ videlicet ad pœnitentiam, & fidem pertinerent.

n Rom. 10. 17.
o cap. 20. 18.

VIII. Ita hoc loco Ioãnes, *quæ vidimus* (inquit) *testamur*, vt videlicet credatis. Verbum diuinum humanam sibi adiunxisse naturam, quam nos oculis vidimus, & manibus nostris contrectauimus, *& annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Illi* (inquit Augustinus) *viderũt ipsum Dominum præsentem in carne, & audierũt verba ex ore Domini, & nunciauerunt nobis.* Vt autem sibi fidem conciliet Apostolus: *Nunciamus* (inquit) *vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* quasi dicat, vt ait Didymus, *vitam quæ erat in Patre, palam factam nobis vidimus.* Vitam autem æternam ipsum Dei Verbum intelligit, de quo dixerat: *De Verbo vitæ, quod fuit ab initio.* Hæc enim vita, vt diximus, vera vita est per se subsistens, & verus item auctor, & largitor vitæ. Videntur igitur verba illa, *& vita manifestata est*, parenthesi comprehendi. Quod verò subdit, *& vidimus*, superiorum est repetitio, *testamur, & annunciamus*, ad superiora referũtur; cùm verò addit, *vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*, explicat quidnam sit Verbum vitæ de quo dixerat. Meritò autem vitam æternam appellat ob eas, quas supra attulimus, rationes: *Apparuit* (inquit) *nobis*, quos alloquebatur Christus, cùm apud Lucã [p] dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos*

p cap. 10. 23.

A *videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Nam vt ait Irenæus [a], cælesti lumine perfusi Christum venturum expectabant, & videre præoptabant; quem igitur illi futurum præstolabantur, Apostoli præsentem conspexerunt.

a lib. 4. cap. 24.

3 *Quod vidimus, & audiuimus annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.*

Causam explicat, cur testetur, & annunciet, quæ viderat, & audierat, vt videlicet qui audierint, eiusdem sint fidei, gratiæquè participes. itaque ait Augustinus; *Illi viderunt, nos non vidimus, & tamen socij sumus, quia fidem communem tenemus.* Ambigi autem potest, Apostoline, qui viderunt, & audierunt, ob id B nobis præferendi sint, qui cùm non viderimus, neque audiuerimus Christum, iis tamen fidem adiungimus, quæ de illo nobis ab Apostolis proposita sunt credenda. Nam apud Lucam, vt modò dixi, beati prædicantur Apostoli, quia viderunt, & audierunt. Apud Ioannem autem dixit Dominus: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Et videri possent hæ duæ sententiæ inter se aliquo pacto pugnare, nam si *Prophetæ* illi, *& Reges*, & vt ait Matthæus [b], *iusti*, inferiores censentur Apostulis, qui viderunt, & audierunt, quæ illi videre, & audire cupierunt; quomodo verè beati, & quidem præ Apostolis, qui Christum vidêre præsentem, prædicantur ij, qui non viderunt, & crediderunt? Prophetæ autem vtique crediderũt, alioqui enim, vt Irenæus [c], & Chrysostomus [d] mo- C nent, non potuissent id optare, quod nulla ratione cognoscerent. Ex verbis igitur Christi apud Ioannem beatiores Apostolis censendi essent. Sed facilè expedietur quæstio, si quid vtrobique spectarit Christus, diligentiùs inspiciatur. Apud Matthæum igitur, & Lucam Apostolos Prophetis prædicat beatiores, quia cùm vtique crediderint, illi tamen quæ credebant, videre, & audire tantùm cupiebant, hi verò & viderunt, & audierunt. Et erat meritò in beatitudine ponendum filium Dei tam diu optatum, atque expectatum ad hominum salutem procurandam in primis necessarium præsentem cernere, & loquentem, & docentem audire. Nam & ob id Simeon se quodammodo beatum agnouit, quòd cùm Christum liberatorem vnà cum cæteris Iudæis audissi- D mè expeteret, eum aliquando tandem in vlnas accepisset, itaque Deum laudans dixit: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

I.

b cap. 13. 16.
c lib. 4. cap. 25.
d Hom. 7. in Ioan.

Neque verò Hieronymo, & Chrysostomo penitus assentior, qui oculos, auresque mentis à Christo beari autumant, cùm Prophetis Apostolos præfert, tametsi enim libens fateor, non potuisse Pharisæorum oculos, aut aures beari, etiamsi eadẽ, quæ Apostoli & audirent, & viderent, non possum tamen dubitare de corporeis oculis, auribúsque Christum loqui. Nam si de solis mentis oculis, atque auribus ageret, non possent excludi Prophetæ, qui iis oculis, & auribus non videre, & audire cupierunt, sed planè viderunt, & audierunt Christum, qui olim aliquan- E do venturus expectabatur. Nam de vno Abrahamo dixit Christus [e]: *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* Nec dubium est voluisse Christum Apostolos Prophetis anteferre, quòd quæ Prophetæ futura crediderant, isti præsentia viderunt, quæ illi à longè, isti cominus; quæ illi obscurè, ac mente solùm, isti perspicuè, & corporeis oculis conspexissent, ac manibus contrectassent. Quam fœlicitatem agnoscit hoc loco Ioãnes, & Petrus [f], cuius hæc sunt verba: *Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm essemus cũ ipso in monte sancto.*

II.

e Ioan. 8. 56.
f epist. 2. c. 1. 18. & 19.

Aliquid igitur præter fidem in Apostolis prædicat, A quo Prophetis beatiores censeantur.

III. Cùm autem apud Ioannem ait Christus: *Beati, qui non viderũt, & crediderunt*, fidei præstãtiam, atque excellẽtiam declarat, Thomæ interim fidei tarditatem perstringens, qui fidem oculorum aspectu, & manuum contactu metiens se negauerat crediturum, nisi Christi vulnera oculis cerneret, & manibus contrectaret. Quocirca verè dixit Leo [a] Pontifex: *Magnarum hic vigor est mentium, & valde fidelium lumen est animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quò nequeas inferre conspectum. Vnde & illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis & visu explorasset, & tactu: Quia vidisti me (inquit Dominus) credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Et Chrysostomus [b]: *Hoc enim fides est accipere, quæ non videntur.* Et Augustinus: *Quid est* (inquit) *fides? credere quod non vides.* Et in hunc locum: *Dominus* (inquit) *consolans nos, qui ipsum iam in cælo sedentem manu contrectare non possumus, sed fide cõtingere, ait illi, quia vidisti, credidisti; beati, qui non viderunt, & credunt, nos descripti sumus, nos designati sumus.*

a serm. 2. de ascension. Dom. c. 1.

b Hom. 86. in Ioan.

B

IV. Testari igitur ait Ioannes, & annunciare se, quæ audierat, & viderat: *vt & vos* (inquit) *societatẽ habeatis nobiscum.* Græcè κοινωνίαν, *vt eamdem* (inquit Didymus) *quam nos de Deo sententiam habeatis*; hoc enim propriè significat κοινωνία, vt videlicet fides nostra sit vobis etiam communis. Ita breuiter indicat vim muneris Apostolici, quæ in eo posita est, vt quæ illi diuinitus perceperant, quantum in ipsis esset, aliis impertirent. Quamobrem Paulus fidenter apud Agrippam Regem concionatur [c]. *Opto* (ait) *apud Deum, & in modico, & in magno nõ tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales, qualis & ego sum exceptis vinculis his.* Et Salomon [d]: *Quam sine fictione* (inquit) *didici, sine inuidia communico, & honestatem illius nõ abscondo.* Rectè autem dicit, *vt societatem habeatis nobiscum*, cùm sit in primis necessarium fidei, ac doctrinæ societate cum Apostolis coniungi; vera enim fides esse nõ potest, quæ non sit Catholica, Apostolica, & Romana, quod egregiè docuit Tertullianus [e]: *Si potes* (inquit) *in Asiam tẽdere, habes Ephesum. si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est; statu fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cũ sanguine suo profuderũt, vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioãnis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulã relegatur, videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cũ Aphricanis quoque Ecclesiis contesserarit.*

c Act. 26. 29.

d Sap. 7. 13.

e lib. de præscrip. c. 36.

C

D

V. Et alio loco [f]: *Videamus quod lac à Paulo Corinthij hauserint, ad quam regulã Galatæ sint recorrecti, quid legant Philippẽses, Thessalonicenses, Ephesij, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Euangeliũ & Petrus, & Paulus sanguine quoque suo signatũ reliquerunt, habemus & Ioannis alumnas Ecclesias.* Et Cyprianus [g]: *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, nec perueniet ad Christi præmia, qui reliquerit Ecclesiam Christi, alienus est, prophanus est, hostis est, habere iam non potest Deũ Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere quisquam, qui extra arcã Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit, monet Dominus, & dicit: Qui non est mecum, aduersùs me est, & qui non mecum colligit, spargit; qui pacem Christi, & concordiam rumpit, aduersùs Christũ facit, qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.* Et aliquãto post: *Cum Deo manere nõ possunt, quia esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerũt. Ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel obiectis bestiis animas suas ponãt, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus, occidi talis potest, coronari non potest.*

f lib. 4. con. Marcion.

g lib. de vni. Eccles.

E

A Denique: *Recedendum est* (ait) *à delinquentibus, vel imò fugiendum, ne dũ quis malè ambulantibus iungitur, & per itinera erroris, & criminis graditur, à via veri itineris exerrans pari crimine & ipse teneatur. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia eius, & fides vna, & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non potest, nec corpus vnum discidio compaginis separari diuulsis laceratione visceribus in frusta discerpi, quicquid à matrice discesserit, seorsum viuere, & spirare non poterit, substantiam salutis amittit.*

VI. Itaque retinenda est societas, & coniunctio cum Catholica, & Apostolica Ecclesia, quam cõstantissimè omnes pronunciæ retinuerunt, vt egregiè docuit Irenæus [a]. Mox autem Ioannes explicat, quorsum hæc societas referatur: *Et societas* (inquit) *nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Hunc enim finem B hæc Apostolica societas spectat, vt fide, & charitate cũ Deo cõiungamur, neque enim Apostoli sua causa laborabãt, aut vtilitatem propriam quærebãt, sed, vt ait Paulus [b], *pro Deo legatione* fungebantur, vt quàm plurimos Deo aggregarẽt, ac perducerẽt ad salutem. Ita loquitur alicubi Apostolus [c]: *Siue autẽ tribulamur pro vestra exhortatione, & salute, siue consolamur pro vestra consolatione, siue exhortamur pro vestra exhortatione, & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur.* Hoc quippe Apostolicorũ virorũ propriũ est, quod suo exẽplo alibi docuit Paulus [d]: *Ego autẽ libẽtissimè impẽdam, & superimpẽdar ipse pro animabus vestris, licèt plus vos diligẽs minus diligar.* & paulo ante dixerat [e]: *Nõ enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.*

a lib. 3. c. 3.

b 2. Cor. 5. 20.

c 2. Cor. 1. 6.

d 2. Cor. 12. 15.

e vers. 14.

VII. C Permirum autem videri possit, cur prætermisso Spiritu sancto Patrem, ac Filium dumtaxat nominet: an duabus personis expressis, Spiritus sanctus, id est, vtriusque nexus intelligitur? Sanè cùm actio exprimitur, quæ ad res creatas pertinet, etiã si vna persona diuina nominetur, tota necessariò Trinitas indicatur; quod multo magis dicendum videtur, si duæ exprimantur, vt hoc loco, cùm de coniunctione agitur, quæ vi gratiæ, & charitatis fit cum Deo. spectat enim hæc vnio totam Trinitatem, à qua gratia, & charitas manat. Sic apud Ioannem dixit Christus [f]: *Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vbi Patrem ac Filium tantùm nominatim D appellat, cùm tamen siue de aduentu gratiæ, vt Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theodorus Mopsuestenus, Theodorus Heracleotes, Leontius, Beda, Theophylactus, Euthymius docent; siue, vt alij malunt, de ipso aduentu gloriæ loquatur, Spiritus sanctus excludi non queat. Itaque de hoc Dei ad nos aduentu ita scribit Augustinus [g]: *Facit Spiritus sanctus cum Patre, & Filio in sanctis mansionem intus vtique tamquam in templo suo Deus Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos, veniunt subueniendo, venimus obediendo, veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit nobis eorum non extraria visio, sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna.*

f cap. 14. 23.

g Tract. 76 in Ioan.

VIII. E Nec multo aliter Fulgentius [h]: *Non efficitur absens localiter Deus, cùm iustè relinquit impium, neque loco præsens efficitur, cum misericorditer visitat quẽ fecerit dignũ.* Et aliquanto post: *Veniunt, atque abeunt proprio, atque incõprehensibili modo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Neque tamen localiter aut Pater, aut Filius mouetur, aut Spiritus sanctus, nouerunt sic venire, atque abire, vt neque ad locum localiter veniãt, neque de loco localiter discedãt: hic aduentus Patris, & Filij, & Spiritus sancti non mobilitatem, sed pietatem Dei venientis ostendit.* Hanc igitur societatem cũ Deo trino, & vno optat Ioannes, quam expresso Patris, & Filij nomine indicat, sequutus Magistrum suum Christum, qui eodem modo de

h lib. 2. ad Trasim.

ea

ea loquutus erat, non exclusо tamen Spiritu sancto, qui à Patre, ac Filio in actionibus, quæ dicuntur ad extra non separatur; si præsertim Ambrosij sententia probanda sit, qui vel vnica Trinitatis persona indicata totam significari Trinitatem non dubitat. sic enim scribit: *Si Christum* ait, *& dicas Deum Patrem, à quo vnctus est Filius, & ipsum, qui vnctus est, Filiũ, & Spiritũ sanctum, quo vnctus est, designasti. scriptum* [b] *est enim: Hunc Iesum a Nazareth, quẽ vnxit Deus Spiritu sancto; & si Patrem dicas, & Filium eius, & Spiritum oris eius pariter indicasti, si tamen id etiam corde comprehendas, & si Spiritum dicas & Deum Patrem, à quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filij quoque est Spiritus, nuncupasti.*

IX. Quod profectò apud eos, qui vera Trinitatis notione imbuti sunt, verissimè affirmatur, atque idcirco Apostolus duas tantùm personas nominat, quoniam ad eos scribit, qui fidem Trinitatis ritè perceperant, & in trium diuinarum personarum nomine baptismo lustrati erant, nec vim, atque efficacitatem sancti Spiritus ignorare poterant, qui eius diuina charismata aspectabili signo cælitus vel perceperant ipsi, vel percepisse Apostolos certò sciebant. Filium autem Iesum Christum nominatim expressit, & eum Deo Patre coniunxit, vt quod aliàs in Euangelio fecerat, eius diuinitatem assereret, quam ab hæreticis acriter nouerat impugnari. Rectè igitur ait: *Societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.* Filiũ autem procul dubio intelligit filiatione æterna, qua genitus est à Patre, eiusdem naturæ, & maiestatis particeps, ratione cuius dicitur vnigenitus, cùm humanitatis respectu sit *primogenitus in multis fratribus.*

4 *Et hæc scribimus vobis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

I. Causam indicat, quamobrem ad illos scribat, *vt gaudium* (inquit) *vestrum sit plenum*, perfectum, omnibúsque numeris absolutum, cui nihil addi queat. Dixit autem Latinus interpres: *gaudiũ vestrum*, quomodo etiam apud Græcos legisse videtur OEcumenius, & apud Latinos apertè habet Augustinus. Græci tamen codices, qui nunc circumferuntur, habent, ἡμῶν, id est, nostrum, quomodo legisse videtur Syriacus, qui trãstulit *gaudium nostrum in vobis.* quasi dicat, gaudium nostrum, quod ea vobis, hoc est, vestra fide, ac diuinarum rerum studio percipimus, vt possimus omni ea parte vestra causa gaudere. Si enim Latino interprete legas, *vestrum*, sensus erit, vt vos perfecto possitis gaudio, lætitiáque perfundi, quod tum fiet, si hæc nostra præcepta, & monita ea, qua par est, cura, & sedulitate exceperitis, & ad praxim, atque actionem reuocaueritis. Certè Christus Dominus apud c cap. 16. 24. hũc ipsum Euangelistam[c] fidelibus in Apostolorum persona gaudium plenum pollicetur, iisdémque verbis, quibus hoc loco vtitur Ioannes significans vsquequaque perfectum futurum non modò illud gaudium, quo in beata vita perfruentur, sed illud etiam, quod percepturi sunt, cùm ea, quæ à Deo petierint, facilè impetrabunt. Persimile igitur gaudium fidelibus spondet Apostolus, si vitam, morésque suos Christi præceptis penitus subiiciant, itaque componant, vt ab eorum præscripto ne latum quidem vnguem discrepent.

II. Quòd si gaudium nostrum mauis legere, planè id etiam verissimè affirmat Apostolus, incredibile enim dictu est, quam lætitiam, atque animi voluptatem, & oblectationem capiat Magister, cùm videt discipulos suis præceptis obtemperare, atque in dies fieri d Rom. 15 meliores. Ita Paulus [d] optat Romam peruenire *in gaudio*, cùm videat eorum fidem, ac pietatem efflo- e cap. 2. 2. rescere. Philippenses [e] autem hortatur, vt impleant

A gaudium suum, hoc est, vt ipsemet interpretatur, *vt idem sapiant eamdem charitatem habentes.* Et post mul- a cap. 4. 1. ta [a] eos gaudium, & coronam suam appellat, quod videlicet eorum causa, & plurimùm lætari, & gloriari posset. Plenum autem gaudium vocat, quod non ea caducis mortalibúsque rebus oritur, cuius *extrema*, vt loquitur Sapiens, vt plurimùm *luctus occupat*; sed quod ex rerum diuinarum contẽplatione, Christianarúmque virtutum exercitatione percipitur, quod quidem describitur ab Augustino [b] his planè verbis: b Ep. 116 ad Nebrid. *Magna* (inquit) *secessione à tumultu rerum labentium, mihi crede, opus est, & non duritia, non audacia, non cupiditate inanis gloriæ, non superstitiosa credulitate fiat in homine nihil timere, hinc enim fit illud etiam solidũ gau-* B *dium nullis omnino lætitiis vlla ex particula conferẽdum.* Mox verò explicans quanam in re hoc solidum gaudium positum sit, subiicit: *Quod si in naturam humanam talis vita non cadit, cui aliquando euenit ista securitas, cur tanto euenit crebrius, quanto quis in mentis penetralibus adorat Deum?*

III. Quocirca siue vestrum, siue nostrum gaudium legamus, plenum gaudium appellat Ioannes gaudium spiritale, quod ab eo gaudio plurimùm differt, quo in hac mortali vita perfruuntur illi, qui sese corporis voluptatibus constringendos præbent, de quo Gregorius [c] ita alicubi scribit: c Hom. 12. in Euang. *Sed quia præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta, hic fratres charissimi vanam* C *lætitiam fugite, si illic flere formidatis; nemo enim potest & hic gaudere cũ sæculo, & illic regnare cum Christo. Tẽporalis itaq; lætitiæ fluxa restringite, carnis voluptates edomate, quidquid in animo ex præsẽti sæculo arridet, ex cõsideratione æterni ignis amarescat, quicquid in mẽte pueriliter hilarescit, hoc disciplina iuuenilis censura coërceat, vt, dum sponte tẽporalia fugitis, æterna gaudia sine labore capiatis.* Quale autem sit gaudium plenũ, & gaudere in Domino, eleganter docet Basilius [d]: d Reg. breuior. Reg. 194. *In his* (inquit) *quæ secundùm mãdatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quandocumque mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere, & gratulari inter nos debemus.* Est autem, vt idem Basilius [e] ait, *gaudium exultatio quædam veluti subsilientis animæ, & se diffundentis, quod ex sententia aliquid obuenerit.* e Hom. 4. de gratiarum actione. Quamobrem Paulus [f] in Domino gaudendum f Philip. 4. 4. D monuit: *Gaudete* (inquit) *in Domino semper, iterum dico gaudete.* Quo loco Anselmus: *Gaudete* (inquit) *non in sæculo, sed in Domino. sicut enim nemo potest duobus Dominis seruire: sic nemo potest & in Domino, & in sæculo gaudere.* Et Chrysostomus [g]: g Hom. 18. ad pop. *Non simpliciter dixit: gaudete semper, sed addit continuæ voluptatis causam subdens: Gaudete in Domino semper.*

IV. Qua verò ratione possit quis in Domino semper gaudere, explicat illicò subiiciens: *In Domino gaudẽs ex accidente nullo hac voluptate excidere potest; alia nẽpe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantam nobis afferunt voluptatem, vt ex aliis nascentem tristitiam expellat, & obumbrẽt. Dei verò timor hæc habet vtraque, stabilis enim est, & immotus, atq; tantũ emittit lætitiæ, vt nullius nos aliorũ malorum sensus capiat. Deum enim, sicut* E *oportet, timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla breui facile extinguitur: sic quæcumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur, atque perduntur. Et re vera hoc est maxime mirabile, quòd cum adsint, quæ contristare solent, permanet ipse gaudens;* quod deinceps longa oratione prosequitur singula propemodum malorum genera percurrens, ostenditque ea hoc verum gaudium non modò non extinguere, sed ne leuiter quidem afficere, aut imminuere.

V. Quod etiam luculenter ostẽdit Basilius [g]: g Hom. 4 de gratiar. act. *Anima* (inquit) *quæ semel se modis omnib. desiderio adstrinxerit,*

ius

A *sus conditoris, iámque insueuit oblectare se tanta illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemēter illud gaudium, animiq; sui iucūdissimam diffusionem intercipi, aut immutari per multiplicem, & succedaneam carnalium affectionum mutationē, quin ea potius, quæ aliis mœrorem afferunt, in cumulum sibi vertet, & accessionem lætitiæ. Cuiusmodi erat Apostolus, dum sibi probè admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in persequutionibus, in necessitatibus, egestatē suā in gloriā, & exultationem permutans.* Hoc igitur plenum, ac solidum gaudium optat Apostolus, vt qui probè nouit, quod

a Rom. 14. 17. ait Paulus [a], regnum Dei esse iustitiam, pacem, & gaudium in Spiritu sancto. *Non est* (inquit) *regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudiū in Spiritu sancto.* Iam verò in quonam posita sit plenitudo

B b ad Rom. 15. 13. gaudij, explicat idem Paulus [b], cùm ait: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti.* Quo loco Orige-

c lib. 10. in ep. ad Rom. nes [c]: *Sed ego* (inquit) *puto posse habere credētes plenitudinem pacis, cùm reconciliantur Deo Patri per fidē secundum verbum Pauli dicentis: Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo; & cū in pacē redeunt cum filio Dei per sanguinem crucis eius, & cùm sancto Spiritui sociātur, cùm se emundauerint ab omni inquinamēto, & effecti fuerint vasa sancta, vt ita demum quis repletus videatur omni pace, si in plenitudine crediderit Trinitatis: propter hoc denique subiūgit Apostolus, & dicit: Repleat vos omni gaudio, & pace in credēdo, vt abūdetis spe, & virtute Spiritus sancti. Si enim qui credit, virtute sancti Spiritus munitur, certum est, quòd plenitudinem gaudij semper habeat, & plenitudinē pacis.*

C

VI. d Hom. 12. in lib. Num. Plura autem de gaudio alibi scribit [d]: *Si ergo* (inquit) *in Domino gaudeam, & spe gaudeam, & si gaudeā pro nomine Domini passus iniuria, in iis omnibus, aliisque eorum similibus primitias gaudij per Pontificē verum Deo obtuli.* Mox verò sæculi gaudia hunc in modum describit, *Nam si gaudeā* (inquit) *de rebus sæculi, de honoribus, de diuitiis, falsa sunt ista gaudia ex vanitatibus vanitatū: si verò in malis gaudeā, & exultē de aliorū ruinis, ista iam non solum vana, sed & diabolica gaudia, imò nec gaudia nominanda sunt, nō est gaudere impiis, dicit Dominus.* Rursus antē de spiritali gaudio disserens: *Si gaudeam* (ait) *in verbo Domini, si gaudeam de scientia mysteriorum Dei, si gaudeam, quòd dignus habitus sum sapiētia Dei secreta, & arcana cognoscere; si gaudeam, quòd relictis omnibus, quæ sunt in hoc mundo, nō solum inuisibilibus, sed &*

D *visibilibus, non solùm vanis, sed & necessariis, soli me Verbo Dei, atque eius sapientiæ mancipārim, in iis omnibus fatis, vt puto, accepta Deo primitiæ gaudij offerentur.* Denique

e Hom. vulc. in 1. Reg. alio quodam loco explicans verba illa Annæ [e]: *Exultauit cor meum in Domino. Necessariè* (inquit) *addidit in Domino, est enim exultatio, quæ non est in Domino, sicut & illud dicitur: gaudete in Domino; potest enim quis gaudere in carnalibus, & non in Domino; si enim gaudeā, quod inuenis thesaurum visibilem, istud gaudium carnis est, & non in Domino. Si gaudeam, quod me homines laudant, & fortè non pro merito, non est hoc gaudere in Domino: si gaudeamus in rebus fragilibus, & caducis, hæc omnia non habent laudabile gaudium.* Subdit autem eadem, quæ alibi enumerauerat, in quibus verum, ac solidum

E gaudium positum esse affirmat.

VII. f lib. 10. cōf. c. 22. Optime verò Augustinus [f] verum gaudium à falso distinguit. *Absit* (inquit) *Domine, absit a corde serui tui, qui confitetur tibi, absit, vt quocumque gaudio gaudeā, beatum me putem,*

g Isa. 48. 22. *Est enim gaudium* [g], *quod non datur impiis, sed iis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es, & ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, & propter te, ipsa est, & non est altera, qui autē alia putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verū.* Et post nonnulla [h]:

h cap. 23. *Beata quippe vita est gaudiū de veritate, hoc est enim gaudium de te qui veritas es Deus illuminatio mea, salus faciei meæ Deus meus.* Vult itaque Ioannes, vt fideles gau-

A deant, sed pleno, & solido gaudio, non illo, de quo Salomon [a] ait: *Lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Gaudium enim eiusmodi neque perfectum, neque plenum, neque solidum, ac ne verum quidem gaudium est. Ita Iob [b]: *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorū breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Quo loco Gregorius: *In puncto* (inquit) *stylus mox, vt ponitur, leuatur, nec mora vlla agitur, vt per exprimendam lineam trahatur: sic hypocrita præsentis vitæ gaudia cùm tangit, amittit.* Quod alia quadam metaphora explicans Dauid [c]: *Deus meus* (ait) *pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Planiùs autem, multóque efficaciùs Septuaginta apud Iob dixerūt: *Lætitia autem impiorum ruina insignis, gaudium verò iniquorum est perditio.* Vbi Nicetas: *Quæ illis* (ait) *lætitia voluptas cordis est, exitio futura sit, ingentique ruinæ.* Et Chrysostomus acutè colligit: *Si eorum lætitia ingens est ruina, & gaudium perditio, quid dicemus esse ipsum interitum? Dic amabo te, quid dolorem? quid animi ægritudinem?*

a Prou. 2. 14.

b cap. 20. 4.

c Ps. 82. 14.

B

Et quod magis mirandum est, verum gaudium Seneca eleganter describit, cùm dixit [d]: *Bona mentis fundamentum esse, ne gaudeas vanis: fundamētum hoc esse dixi, etiā culmē est; ad summa peruenit, qui scit, quòd gaudeat, qui felicitatē suam in aliena potestate nō posuit; sollicitus est, & incertus sui, quem spes aliqua proritat, licèt ad manum sit, licèt non ex difficili petatur, licèt illum numquā sperata deceperint; hoc ante omnia fac mi Lucili, disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita summoueo, qui spes dulcissima oblectamēta deuitandas existimo. Imò contra, nolo tibi vmquam deesse lætitiam, volo illa tibi domi nasci; nascitur, si modò intra te ipsum sit: cæteræ hilaritates nō implent pectus, sed frontem remittūt, leues sunt, nisi fortè tu iudicas illum gaudere, qui ridet, animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus, mihi crede, res seuera est verum gaudium.* Et plura deinceps. Alibi verò [e]: *Sola* (inquit) *virtus præstat gaudium perpetuum securum, etiā si quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vmquam diem vincunt.* VIII. d Epist. 23.

C

e Epist. 27.

5 *Et hæc est annunciatio, quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vlla.*

D I. Hactenus quodam modo præfatus est, suique muneris rationem, ac vim breuiter explicuit, iam incipit rem ipsam attingere, suæq; doctrinæ materiam proponit. *Hæc est* (inquit) *annunciatio*, Græcè ἐπαγγελία. Sunt autem qui Latinè malint pollicitationem, aut promissionem interpretari; quòd si de vi vocis agamus, admitti posse non nego, hoc autem loco annunciationem significare non dubito, de hac enim præfatus erat, cùm se testari, atque annunciare dixerat. Nec Syriacus aliter accipit, qui *Euangelium* transtulit; quod verò mox subiicit, *quoniam Deus lux est*, non promissionem, sed præcipuum doctrinæ caput continet. Quis enim dicat promisisse Deum se esse lucem? si quis id eum docuisse asserat, verè atque

E aptè loquatur. *Hæc est igitur* (inquit) *annunciatio, quam audiuimus ab eo*; non refero pronomen *hæc* ad superiora, vt nonnulli faciunt, quasi significet se audiuisse Verbum vitæ fuisse ab initio, quamquam de Verbi æternitate admitti vtcumque posset; nec enim dubium est cognouisse Apostolos Verbi diuinitatem, & eiusdem æternitatem; cætera tamen, quæ se dicit Ioannes audisse, vidisse, oculis perspexisse, manibúsque tractasse, ad eam certè annunciationem non pertinent, quam se audisse memorat.

II. Igitur pronomen *hæc* cum sequentibus coniungo, vt Didymus, OEcumenius, & Augustinus existimāt. *Ab ipso Saluatore* (ait Didymus) *annunciationem Discipulis*

pulit factam scripsit, qua declaratur, quia cùm Deus lux sit, nullas tenebras habet in semetipso, hanc annunciationem & vobis. inquit, *offerimus, vt eamdem, quam nos de Deo sententiam habeatis.* OEcumenius autem: *Resumit* (inquit) *rursus orationem, & qua nunciatio ea sit, quam audiuit, explanat. eámque esse hanc,* inquit, *Deus lux est, & tenebra in ipso non sunt.* Denique Augustinus: *Hoc est* (ait) *quod annunciamus vobis, quia Deus lux est, & tenebra in eo non sunt vlla.* Audierunt autem hoc Apostoli, vt ait OEcumenius ab ipso Christo, qui apud Ioannem a, ait: *Ego sum lux mundi. qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Itémque b alibi: *Ego lux veni in mundum, vt qui credit in me, in tenebris non maneat.* Quam ob causam hic ipse Ioannes c Christum veram lucem appellat: *Erat* (inquit) *lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Lucem autem se mundi appellat Christus, vt ait Elias d Cretensis: *propterea quòd splendore cognitionis illustret eos, quibus oculi animi purgantur. quódque occupatos ab ignorationis caligine sua luce perfundat. Nam si ignoratio, & peccatum caligo est, sequitur cognitionem, diuinámque vitam esse lucem; quòd ait: Ego sum, hic verbum suum coaeternitatem ipsius denotat, non dixit autem: in me lux illa est, sed: ego lux illa sum, ne quis Christum in duos filios diuidat post assumpta humana natura administrationem; nam vnus est Dominus Iesus Christus, vt inquit Apostolus, tam ante carnem, quàm post carnem assumptam; vtque rem breuiter rursus exponam, de bono Patre bonus filius, de luce ingenita lux aeterna emicuit.*

a cap. 8. 12.
b cap. 12. 46.
c cap. 1 sui Euang.
d Ad ... at. ... eg.

III. Et alio quodam e loco: *Lucem ipse* (inquit) *in Euangelio se appellat: Ego sum* (ait) *lux mundi, qua quidem appellatio tribuitur ei, propterea quòd tenebras ignorationis abigat, & lucem diuina cognationis splendere faciat in iis, qui ad eum nutu quasi quodam inclinant.* Et Ambrosius f de eadem luce in hunc modum disserit: *Est enim lux mundi non vtique lux visibilis, sed animarum, qua in hoc mundo sunt intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentia, & vt pradicatur in Euangelio incorporea virtutis inflammans vapore secreta mentium, animorúmque penetralia.* Demum Augustinus g: *Quod ait Dominus* (inquit) *Ego sum lux mundi, clarum puto esse eis qui habent oculos. vnde huius lucis participes fiant.* Confestim autem proponit Manichaeorum errorem, qui solem istum oculis carnis visibilem expositum, & publicum non tantùm hominibus, sed etiam pecoribus ad videndum Christum Dominum esse putauerunt. Explicata verò rectae fidei veritate subiicit: *Non arbitremur Dominum Iesum Christum hunc esse solem, quem videmus oriri in oriente, occidere in occidente, cuius cursui nox succedit, cuius radij nube obumbrantur, qui certa de loco in locum motione commigrat. Non est hic Dominus Iesus Christus, non est Dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est.*

e ... Orat.
f lib. 5. ep. 21.
g Tract. 34. Ioan.

IV. Meritò igitur Dionysius h Areopagita lucis nomen Deo tribuit, quem appellat *bonum, & lucem mentis,* quòd mentem quidem caelestem omnem spiritali luce impleat, omnem autem ignorationem, errorémque ex omnibus animis, quibus insitus sit, expellat, eísque omnibus sacrum lumen largiatur, & ex mentis eorum oculis caliginem, quae eis ignoratione offusa est, depellat, & discutiat, excitétque & aperiat magno tenebrarum pondere contractos, participésque faciat primùm modici luminis, deinde cùm lumen magis degustant, & magis expetant, magis se infundat, abundantiúsque illustret. Egregiè verò Gregorius i Nazianzenus. *Deus* (inquit) *summum, & inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione praditam illuminans, hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus. hoc se magis contemplandum nobis prabens, quò accuratiùs animos purgauerimus, eò rursus magis amandum, quo magis contemplati fuerimus, eo denique magis cognoscendum, quò magis amauerimus, sese ipse speculans, & comprehendens, ac perexiguè ad externa diffundens. Lumen porrò hoc dico, quod in Patre, & Filio, & Spiritu sancto consideratur, quorum opulentia natura identitas est, atque vna, eadémque splendoris prosultatio.*

h cap. 4. de diuin. nomin.
i Orat. 40.

V. Quae sanè omnia apertè indicant, verè dictum esse à Ioanne Deum esse lucem tenebrarum prorsus expertem, & *Lucem*, vt ait OEcumenius, *intelligibilem, qua oculos anima nostra ad perceptionem eius illustrat, & ab hic materialibus omnibus auocans ad ipsam solam appetitum nostrum amatorio affectu inuitat.* Quocirca meritò dicitur à Iacobo a, *Pater luminum*, quia inde manat omnis luce spiritalis, qua primùm beatae illae mentes, caeteríque mortales. qui immortali, ac beata vita perfruuntur, deinde iusti, postmodum omnes etiam homines illustrantur. Et beatae quidem mentes gratiae primùm, ac fidei, tum gloriae lumine collucentes meritò à Iob astra matutina nuncupantur. *Cùm me* (inquit) b *laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Tametsi enim si litteralis sensus spectetur, de syderibus, & astris loqui videtur Iob; non malè tamen sensu saltem mystico, & spiritali Gregorius c astra matutina interpretatur Angelos. *Quia enim* (inquit) *prima in tempore condita natura rationabilium spirituum creditur, non immeritò matutina astra Angeli vocantur. Quòd si ita est, dum terra esset inuisibilis, & incomposita, dum tenebra essent super abyssum, venturum diem subsequentis saculi per lucem sapientia existendo praeuenerunt. Nec negligenter audiendum est, quod additur,* simul, *quia nimirum astra matutina etiam cum vespertinis Redemptoris potentiam laudant, dum electi Angeli etiam cum redemptis in mundi fine hominibus largitatem gratia superna glorificant.* Aliquanto autem post: *Qui & fortasse* (inquit) *ideo matutina astra memorantur, quia sapè ad exhortandos homines missi sunt, & dum venturum manè nunciant, ab humanis cordibus prasentis vita tenebras fugant. Sed ecce Angeli diuinam potentiam laudant, quia ipsa eos tanta claritatis visio delectat.*

a Iacobi 1. 17.
b cap. 38. 7.
c lib. 28. mor. c. 14. alias 7.

VI. Iusti verò, praesertim ij, qui ad aliorum eruditionem, atque instructionem destinantur, caelesti luce adeò perfunduntur, vt ipsi etiam lucis nomen assequantur, sic enim apud Matthaeum d Christus Dominus Apostolos affatur: *Vos estis lux mundi.* Et rursus e: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est.* Quippe (vt ait Hilarius f) *natura luminis est, vt lucem quocumque circumferatur, emittat, illatúmque adibus tenebras interimat luce dominante. Igitur mundus extra cognitionem Dei positus obscurabatur ignorantia tenebris, cui per Apostolos scientia lumen inuehitur, & cognitio Dei claret. & de paruis eorum corpusculis, quacumque incesserint, lux tenebris administratur.* Denique mortales omnes diuinae lucis quodammodo participes sunt, verè enim dicitur Christus g *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum.* Tametsi autem Apostoli, aliíque viri sanctitate conspicui lucis nomine significantur. Multo tamen aliter Deus, & Christus Dominus lux appellatur, est quippe Christus veluti sol, Apostoli, caeteríque eorum similes sunt, veluti radij, qui emittuntur à sole, vel, quod alij malunt, Christus lux dicitur tamquam sol, Apostoli quasi lucernae, aut faces accensae: nam de Ioanne praecursore dixit h Christus: *Illa erat lucerna ardens, & lucens.* Quemadmodum enim lucerna aliunde lumen accipit: sic etiam Apostoli à Christo tamquam vero sole illustrantur, vt alij lucem praeferant.

d cap. 5. 15.
e vers. 17.
f Canon. 4. in Mat.
g Io. 1. 9.
h Io. 5. 35.

VII. Addit: *Et tenebra in eo non sunt vlla*, tenebras autem, vt ait OEcumenius, *vel ignorantiam, vel peccatum appellat, quippe cum in Deo neque ignorantia, neque peccatum locum vllum habeat, sed circa materiam, nostrámque hanc compositionem existat.* Neque aliter accipit Didymus:

Nec

Nec ignorantia (inquit) *nec nequitia est in Deo.* Quod A
vtrunque sacrarum literarum testimoniis confirmat.
Quis autem (ait Augustinus) *audeat dicere, quòd in Deo*
sunt tenebræ? aut quid est ipsa lux? aut quid sunt tenebræ? ne
fortè talia dicat, quæ ad oculos istos nostros pertineant, Deus
lux est, ait nescio quis. & sol lux est, & luna lux est, & lu-
cerna lux est. Aliquid debet esse hu maius, longè præstan-
tius, longéque supereminentius, quantum Deus à creatura,
quantum Conditor à conditione, quantum sapientia ab eo,
quod factum est per sapientiam longè vltra omnia debet
esse lux ista. Iam verò quod attinet ad ignorantiæ te-
nebras, non possunt illæ diuinam lucem vel leuiter
a cap. 2. 22. infuscare. Verè enim dixit Daniel [a]: *Ipse reuelat pro-*
funda, & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux
b Sap. 8. 8. *cum eo est.* Et Salomon [b]: *Si multitudinē scientiæ desiderat* B
quis, seu præterita, & de futuris æstimat, scit versutias ser-
monum, & dissolutiones argumentorum, signa, & monstra
scit, antequam fiant, & euentus temporum, & sæculorum.
vno verbo nihil omninò, quamuis abstrusum, atque
abditum diuinam scientiam effugit: scrutari dicitur
corda, & renes, quia abdita animi sensa, cogitatio-
nésque perlustrat, & non solùm præterita, præsentia,
& futura vnico, ac simplici intuitu conspicit, sed ea
etiam quasi præsentia intuetur, quæ licèt futura non
sint, posita tamen aliqua conditione futura essent.

VIII. Ita legimus in libris [c] Regum Dauidem consu-
c 1. Reg. 23. 2. luisse Deum, an si mansisset in ciuitate Ceilam, tra-
dendus esset in manus Saul, respondisse verò Domi-
num, tradendum esse; quo audito ille aufugit, atque C
ita reuelauit Deus id, quod nullo modo futurum
d Abulen. q. 13. in illum locum. Dionys. Carthus. & Lyran. erat, nisi posita conditione, quæ nulla fuit, vt viri [d]
docti obseruarunt. Apud Matthæum [e] verò ait Do-
minus: *Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ in te*
factæ sunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Alia
e cap. 11. 21. sexcenta Prophetarum oracula in eamdem senten-
tiam proferri possent, quæ libens omitto, ne videar
extra chorum ludere, cùm præsertim hac de re alibi
fusiùs disputauerim; tantùm igitur in præsentia dico,
nihil esse omnino, quod diuinam scientiam lateat;
qui abdita hominum consilia intueri dicitur. Fateor
f Psal. 17. 12. tamen Dauidem [f] verè dixisse, *posuit tenebras latibulum*
suum, sed vt ait OEcumenius, *tenebræ eo loco ignoran-*
tiam Dei ob ipsius incomprehensibilitatem significant. Latet D
enim Deus, & nostræ mentis hebetudinem effugit,
quia nequit omnino comprehendi, ac propterea di-
citur latere in tenebris non quòd tenebræ ipsum af-
ficiant, sed quòd eius immensus splendor nostræ mē-
tis acié perstringat, & excæcatis veluti nube obducat.

IX. Iam verò tenebras etiam significare peccatum Di-
dymus, OEcumenius, & Augustinus affirmant; idque
ex eo probat OEcumenius, quod hic ipse Ioannes in
g cap. 1. 5. Euangelio [g] dixit: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam*
non comprehenderunt. Tenebras (inquit) *peccatricem no-*
stram substantiam vocans, in qua Christus natus, id est,
qua assumpta Christus omnium inquinationum particeps non
h Psal. 91. 16. *fuit peccatum enim non fecit. Sic Dauid* [h]: *Rectus Domi-*
nus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Et Moses [i]: E
i Deuter. 32. 4. *Deus* (inquit) *fidelis absque vlla iniquitate.* Et rursus Da-
k Psal. 5. 5. uid [k]: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et alibi [l]: *Sanctus*
l Psal. 144. *in omnibus operibus suis.* Denique Abacuch [m]: *Mundi*
m cap. 1. 3. *sunt oculi tui, ne videant malum.* Quo fit, vt non modò
impius, & sacrilegus, sed planè detestabilis, atque
abominandus error censendus sit quorumdam Iu-
n lib. cont. gent. c. 95. dæorum, qui, vt asserit D. Thomas [n], Deum aiebant
frequenter peccare, & expiari. Et Thalmudistæ [o] ine-
o Ord. 4. tract. 6 dist. 1. apud Sixtum Senen. lib. 2. ptissimè ineptè, ac nefariè mentiuntur, Deum præce-
pisse populo Iudæorum, vt singulis nouilunus sacri-
ficium expiationis peragerent ad expiandum pecca-
tum a se perpetratum, quòd lumen iniustè a luna
ademptum Soli attribuerit. Cui affine est illud, quod
somniauerunt Luciferiani, Deum grauiter peccasse,

A cùm Luciferum sempiternis suppliciis addixit, sed
stultum, nedum otiosum esset stoltdissimum errorem
pluribus confutare, cùm non modò Deus, qui est
ipsa lex, & rectitudo, peccare nequeat, sed ne possit
quidem vllius sceleris auctor esse.

Viderint autem, quomodo id tueantur illi, qui ita X.
vniuersim affirmant, Deum sua diuina vi, atque effi-
cacitate, omnem secundam causam præmouere, atque
ad agendum, vt illi loquūtur, prædeterminare, atque
applicare, vt ne malæ quidem actiones excludantur,
ad quas ita Deum humanam voluntatem impellere
arbitrantur, vt actionem quidē simpliciter velit, pec-
cati verò fœditatem, atque improbitatem non item;
qua de re, quoniam alibi plura dixi, nihil addam in
B præsentia, sed potiùs cum OEcumenio colligo, vt so-
cietatem cum Deo retineamus, dandam esse operam,
vt omnes à nobis tenebras penitus depellamus. *Quo-*
niam (inquit) *communicationem cum Deo habemus, qui est*
lux, & in huiusmodi luce subesse tenebræ nullo pacto possunt,
sicut demonstratum est ne amplius neque nos, qui cum luce
communicationem & societatē habemus, in nobis ipsis tene-
bras admittamus, ne pœnam subeamus mendacij, & ex mē-
dacio à luminis societate abrūpamur. Vnde si societate mu-
tua coniuncti permaneamus, quæ sanè nostri in ipso lumine
est, multis peccatis efficimur. Sanè Paulus [a] negat societa- a 2. Cor. 6. 14.
tem esse posse iustitiæ cum iniquitate. *Quæ enim* (in-
quit) *participatio iustitiæ cū iniquitate? aut quæ societas luci*
ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? Quo-
C niam igitur in Deo tenebræ nullæ sunt, neque esse
possunt, meritò dixit Iacobus [b]: *Apud quem non est* b cap. 1. 17.
transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Atque ita sa-
pienter monet Ioannes, vt societatem cum hac diui-
na luce ineamus, eámque sequamur, quæ vitā immor-
talem largitur, cùm contrà, qui ambulat in tenebris,
nesciat quò vadat. Quantopere autē hoc Apostolicū
consilium sit necessarium, docent ea, quæ sequūtur.

6. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, &
in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatē non facimus.

Eos vbiter castigat, qui fidem, ac religionem Chri- I.
stianam profitentur, cùm tamen minimè congruen-
tes mores, & actiones habeant, quos Paulus [c] alicubi c ad Tit. 1. 16.
perstringens ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem ne-*
D *gant.* Hic autē si profiteamur (inquit) nos Dei socios,
& sectatores esse, & nihilo tamen secius in tenebris
versamur, planè mentimur longissiméque absumus à
veritate. Ambulare porrò in tenebris nihil est aliud,
quàm vitæ suæ rationes aliter instituere, quàm recta
ratio, & lex Euangelica præscribat, siue earum rerum
ignoratione laboremus, quæ sunt ad salutē necessa-
riæ, siue scelerum, ac vitiorū maculis inquinemur. De
inscitiæ porrò, atque ignorationis tenebris loquitur
Paulus, cùm ad Ephesios [d] scribit. *Tenebris obscuratū ha-* d cap. 4. 18.
bentes intellectū, alienati à vita Dei per ignorantiā, quæ est in
illis propter cæcitatē cordis ipsorū. Ait autē de cæcitate mē-
tis, atque obduratione Gentiliū, de quibus [e] dixerat: e Ad Rom. 1. 21.
Obscuratum est insipiens cor eorū. Itemque [f]: *Tradidit illos* f ver. 28.
E *Deus in reprobum sensum, vt faciāt quæ non conueniunt.* Et
planè hic hominum status deplorandus, dicitúrque
Græcè πώρωσις, quæ vox *excæcationē* seu etiā *obduratio-*
nē significat. Nā πῶρος Græcè *callū* dicitur, re nāq; ve-
ra, qui hac ratione affecti sunt, & excæcati, & indura-
ti appellātur, meritóq; dicūtur in tenebris ambulare.

Et cor quidem durum his planè verbis describitur II.
à Bernardo [g]. *Cor durum* (inquit) *dictum est, quod semet-* g lib. 1. de consid. ad Eugen.
ipsum non exhorret, quia nec sentit; nemo duri cordis salutē
vmquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus abstulit
ei cor lapideum, & dedit cor carneum. Cor durum est, quod
nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur
precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur ma-
gis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidū,
ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum
ad

ad pericula, inhumanis ad humana, temerariũ ad diuina, A
præteritorum obliuiscens, præsentium negligẽs, futurorũ im-
prouidum; ipsum enim est, cui præteritorũ præter solas iniu-
rias nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit,
futurorum nulla est, nisi forte ad vlciscẽdum prospectio, at-
que præparatio. Et vt breui cuncta horribilis mali mala cõ-
plectar, cor durum est, quod nec Deum timet, nec homines
a quæst. 12. in Exod. *reueretur.* Nec magnopere dissentit Theodoretus[a], &
quoniam eadẽ ratio est obdurationis, & cæcitatis, de
cæcitate mentis hũc in modũ scribit Augustinus[b]:
b lib. 5. cont. Iul. *Cæcitas mẽtis, qua solus remouet illuminator Deus, & pec-*
catũ est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati est, qua
cor superbum digna animaduersione punitur, & causa
peccati est, cum mali aliquid cæci cordis errore cõmittitur.

III. Atque hoc quidem est ambulare in tenebris; nam B
c Psal. 94. 8. cæcitatem quidem peccatum esse indicat Dauid[c]:
Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.
Et mox: *Et dixi: semper hi errant corde, ipsi verò non co-*
gnouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibũt
d cap. 30. 15. *in requiẽ meam.* Et Ieremias[d]: *Propter multitudinẽ ini-*
quitatis tuæ dura facta sunt peccata tua, & propter dura
peccata tua feci hæc tibi. Eodẽ pertinet grauis illa Ste-
e Act. 7. 51. phani reprehensio[e]: *Dura* (inquit) *ceruice & incircunci-*
si corde vos semper Spiritui sancto resistitis. Eodem refe-
f ad Rom. 2. ro, quod ait Paulus[f]: *Secundum autẽ duritiam tuam, &*
g Hebr. 3. 12. *impœnitens cor thesaurizas tibi irã in die iræ.* Et alibi[g]:
Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrũm cor malum in-
credulitatis. Eadẽ verò seu cæcitas, seu obduratio pœ-
h ad Rom. 1. 28. na peccati dicitur, quod significans Paulus ait[h]: *Pro-*
pter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt fa- C
i cap. 12. 25. *ciãt, quæ non conueniunt.* Et Iob[i]: *Palpabunt quasi in tene-*
bris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios. Et
k cap. 6. 10. Isaias[k]: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua,*
& oculos eius claude. Quo loco Septuaginta planiùs:
Incrassatũ (inquiunt) *est cor populi huius, & auribus gra-*
uiter audierunt, & oculos cõpresserunt, ne fortè videãt ocu-
lis, & auribus audiãt, & corde intelligãt, & conuertant se,
& sanẽ illos. Deniq; est etiã causa peccati, ob id enim
l ad Rom. 1. 28. ait Paulus[l]: *Vt faciant, quæ nõ conueniunt.* Et Salumõ[m]:
m Prou. 28. 14. *Qui mentis est duræ, corruet in malum.* Et Sirach[n]: *Cor*
durum malè habebit in nouissimo.

n Eccl. 3. 27. IV. Quocirca qui hanc cæcitatem, aut mentis duritiã
contraxerunt, veritati, ac luci reluctantur, de quibus
o cap. 21. 14. ait Iob[o]: *Qui dixerunt Deo: recede a nobis, & scientiam*
viarum tuarum nolumus; quis est omnipotẽs, vt seruiamus D
p cap. 24. 13. *ei, & quid nobis prodest, si orauerimus illum?* Alibi[p]: *Ipsi*
fuerunt rebelles luminis, nescierunt vias eius, nec reuersi
q cap. 34. 27. *sunt per semitas eius.* Denique[q]: *Qui quasi de industria*
recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt.
Ita miserè destituuntur à Deo, tantùm abest, vt cum
illo vllã habeant societatẽ, aut coniunctionem; lon-
gissimè enim à recto itinere recedũt, de quibus Salo-
r Prou. 2. 13. mõ[r]: *Qui relinquunt* (inquit) *iter rectum, & ambulãt per*
vias tenebrosas, qui lætantur, cum male fecerint, & exultãt
in rebus pessimis, quorum viæ peruersæ sunt, & infames
s cap. 18. 3. *gressus eorum.* Et rursus[s]: *Impius cum in profundum ve-*
nerit peccatorum, contẽnit: adeo quidem, vt vix vnquã
t Eccles. 7. 14. saniora consilia respiciat, rectè enim dixit Salomõ[t]:
Cõsidera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quẽ ille des-
u Sap. 12. 10. *pexerit.* Et alibi[u] de quibusdã loquitur in hunc mo- E
dũ: *Nequã est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum,*
quoniã nõ poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum,
semen enim erat maledictum ab initio. Et in eãdem sen-
x cap. 3. 3. tentiam Ieremias[x]: *Frõs meretricis facta est tibi, noluisti*
erubescere. Ita plerũq; fit, vt etiã rebus aduersis exci-
tati ab instituto vitæ cursu non recedant, de quibus
y cap. 5. 3. ita loquitur Ieremias[y]: *Percussisti eos, & non doluerunt,*
attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinã: indurauer-
runt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Nec
z Prou. 23. 34. multo aliter Salomon[z]: *Et eris sicut dormiens in medio*
mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices:

verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me, & ego non
sensi. Ita fit, vt dicantur non posse resipiscere, aut mẽ-
tem, consiliúmve mutare. Ita Ieremias[a]: *Si mutare po-* a cap. 13. 23.
test Æthiops pellẽ suam, aut pardus varietates suas, &
vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Atque
idcirco nonnumquam dicitur eorum peccatũ pror-
sus deleri nõ posse, ait enim Ieremias[b]: *Peccatum Iu-* b Hierem. 17. 1.
da scriptum est stylo ferreo, in vngue adamãtino exaratum
super latitudinem cordis eius. Et alibi[c]: *Insanabilis est* c cap. 30. 15.
dolor tuus. Et paulo ante dixerat[d]: *Insanabilis fractu-* d vers. 12.
ra tua, pessima plaga tua, non est, qui iudicet iudicium tuũ
ad alligandum, curationum vtilitas non est tibi.

Qui ergo dicunt se habere societatem cum Deo, V.
& tamen his tenebris mentẽ offusam habent, apér-
tè mentiuntur, eoq; morbo laborant, à quo magna
cũ difficultate curari possint. Videri autẽ posset hu-
iusce tam miseri status, & perditæ cõditionis auctor
esse Deus, nisi apertè Scriptura doceret Deũ nullius
sceleris auctorem esse posse. Etenim Iacobus[e]: *Nemo* e cap. 1. 13.
(inquit) *cum tentatur dicat, quoniã à Deo tentatur, Deus*
enim intentator malorum est, ipse autẽ neminem tẽtat. Et
Sirach[f]: *Nemini ait* (ait) *mandauit Deus impiè agere, &* f Eccles. 15. 21.
nemini dedit spatium peccandi. Et rursus: *Ne dicas, ille me*
implanauit (hoc est, errare fecit) *non enim necessarij sunt*
ei homines impij, & omne execramentum erroris odit Do-
minus. Quem locum egregiè obseruat Augustinus[g]. g li. de grat. & liber. arb. lib. 12.
Dauid etiam[h]: *Nõ Deus* (ait) *volẽs iniquitatẽ tu es; odi-*
sti enim omnes qui operantur iniquitatẽ. Quomodo et- h Psal. 5. 6.
iam dixit Salomon[i]: *Odio sunt Deo impius, & impietas* i Sap. 14. 9.
eius. Multa autem in eam sententiã scribit Basilius[k], k Homil. quòd Deus non est auctor malorum.
quod etiam inter Philosophos luculenter facit Ma-
ximus Tirius[l], consentiente Platone[m], qui omnino
pugnandum esse docet, ne Deus, qui bonus est, ma-
lorum causa dicatur, alioqui enim secum Deum pu- l Ser. 25.
gnaturum qui suis legibus contraria præciperet. m lib. 2. de Republ.

Egregiè verò Augustinus[n] hac de re disserit: *Dete-* VI.
standa (inquit) *& abominada opinio est, qua Deum cuiuſ-* n Ad articulos sibi falso imposit. resp. 10.
quã malæ voluntatis, ac malæ actionis credit auctorẽ, cuius
prædestinatio numquam extra bonitatẽ, nusquã extra iu-
stitiam est. Mala enim homines cum admittunt, suis concu-
piscentiis, & cupiditatibus seruiunt, quas ab illa prima vo-
luntaria præuaricationis labe traxerunt. Cum autẽ decli-
nãt à malo, & faciunt bonũ, à Domino gressus hominis di-
riguntur vt viã eius velit. Nõ ergo casus ruentiũ, nec ma-
lignitatẽ iniquorũ, neq; cupiditates peccãtium prædestina-
tio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit, sed planè præ-
destinauit iudicium suum, quo redditurus est vnicuiq; pro-
vt gessit, siue bonũ, siue malum. Nec ita multo post[o]: *Ne-* o Resp. 13.
fas est (inquit) *Deo adscribere causas peccatorum, & rui-*
narum hominum, qui licet ex æterna scientia præcognitum
habuit quid vnicuiq; pro meritis redditurus sit, nemini ta-
men per hoc, quod falli nõ potest, aut necessitatẽ, aut volun-
tatẽ intulit delinquẽdi. Si ergo à iustitia, & pietate quis
deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua cõcupiscentia tra-
hitur, sua persuasione decipitur. Nec in tali negotio quid-
quã diuinæ voluntatis interuenit, cuius ope scimus multos,
ne laberentur, retentos, nullos autẽ vt laberẽtur, impulsos.
Mox autẽ[p]: *Fieri nõ potest, vt per quẽ à peccatis surgitur,* p Resp. 14.
per eum in peccata decidatur. Si ergo in sanctitate viuitur,
si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, ma-
nifestum est munus Dei, sine quo nullius boni operis fru-
ctus acquiritur: si autẽ ab his receditur, & ad peccata trã-
situr, nihil ibi Deus mala tentationis immittit, & recessu-
rum ipse nõ deserit, antequã ille deserat, & facit plerumq;
ne deserat, aut etiamsi discesserit, vt redeat. Cur autẽ illum
retineat, & illum nõ retineat, nec possibile est comprehen-
dere, nec licitum inuestigare, sed illud scire sufficit, & ab il-
lo esse, quod statur, & non esse ab illo quod ruitur.

Atqui non semel sacræ literæ docent, Deum esse VII.
& cæcitatis, & obdurationis auctorem, nam in Exo-
do[q] dixit Dominus: *Ego indurabo cor eius,* de Pharao- q cap. 4. 21.

a cap. 3. 7. ne loquitur. idémq; alibi [a] reperit. Et Paulus de qui- A
b Rom. 1. 24 busdā ait [b]: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum,*
in immunditia, vt contumeliis afficiant corpora sua in se-
c vers. 26. *metipsis.* Et aliquanto [c] post: *Tradidit illos Deus in pas-*
d vers. 28. *siones ignominiæ.* Denique [d]: *Tradidit illos Deus in repro-*
e 2. Thess. 2. 11. *bum sensum, vt faciant, quæ nō conueniunt.* Et alibi [e]: *Ideo*
mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mēdacio.
f Isa. 6. 10. Apud Isaiam [f] autem loquitur Dominus in hæc ver-
ba: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & ocu-*
los eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis
audiat, & corde suo intelligat, & cõuertatur, & sanē eum.
g cap. 14. 9. Apud Ezechielē [g] autem: *Et Propheta* (inquit) *cùm*
errauerit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi
h cap. 63. 17 *Prophetam illum.* Quocirca Isaias [h] erroris auctorem
Deū agnoscens: *Quare* (inquit) *errare nos fecisti, Domi-*
ne, de viis tuis, indurasti cor nostrū, ne timeremus te? De- B
i Rom. 9. 18. nique Paulus [i]: *Ergo* (inquit) *cuius vult miseretur, &*
quē vult indurat. Hęc igitur, & id genus alia non pau-
ca indicare videtur, Deum esse cæcitatis, & obdura-
tionis auctorem. Itaque hæreticus interpres apertè
asserit, Deum propriè diuina sua efficacitate obdura-
re, & excæcare, quod satanæ addicat, & mancipet, vt
cor durū magis, ac magis obduret, & arcano quodā
motu, qui captum imbecillitatis nostræ superet, eos
flectat, & ad peruicaciam impellat; ita tamē, vt nefas
sit Deum peccati auctorem existimare. Pharaonis
enim duritiem fuisse quidem peccatum, obduratio-
nem verò Dei iudicium.

VIII. Verùm, vt multùm se torqueat, ac sudet hæreti-
cus, effugere non potest, quin Deum peccati faciat C
auctorem; obduratio enim, quam Deo tribuit, qui vi
sua efficaciter obdurat, non aliter est causa duritiei,
ac calefactio caloris; si igitur durities peccatum est,
eaq; ab obduratione efficitur, quis non videt, si Deus
sit auctor obdurationis, eumdem esse duritiei, id est,
peccati causam? Nam, vt à proposito exemplo non
recedamus, si ignis calefactionē efficit, calefactio ve-
rò calorem quis nisi amens inficiari audeat, ignem
verissimam esse caloris causam? frustra igitur nititur
k cap. 8. 34. Deum ab efficientia peccati liberare. Apud Ioannē [k]
enim ait Christus: *Omnis, qui facit peccatum, seruus est*
l Rom. 1. 32. *peccati*, hoc est, peccato inquinatur. Et Paulus [l] reos
sceleris ait esse non solùm, qui faciunt peccata, sed
etiam qui consentiunt facientibus. Quanto id magis
de Deo affirmari potest, qui, vt hæreticus cōtendit,
ita hominis voluntatem flectit, agitat, & impellit, vt D
ea nullo pacto diuinæ motioni reluctari queat? Quis
verò ferat Deum vlcisci ea, quorum ipse est causa?
m lib. 1. ad Monim. c. 3. Certè Fulgentius [m] Deum negat eorum esse vltorem,
quorum ipse sit auctor. Pharao autem non semel di-
n Exod. 8. 15. citur [n] se ipsum obdurasse: *Videns* (inquit) *Pharao, quòd*
o vers. vlt. *data esset requies, ingrauauit cor suum.* Et post multa [o]:
Ingrauatum est cor Pharaonis. Hebraicè, aggrauauit
p cap. 9. 35. ipse cor suum. Sic etiam infra [p]: *Ingrauatum est cor*
eius, & seruorum illius, & induratum nimis. Atq; ideir-
co meritò suæ improbitatis pœnas Pharao dedit.

IX. Sunt qui obdurationem naturalem quādam vim
interpretentur, vt nihil aliud sit, quàm robur & cō-
stantia, cuius Deus citra vllam culpā potest esse au- E
ctor; sed Pharao ea firmitate, & constātia abusus est,
dum propositi sui nimium fuit tenax, & contra Dei
voluntatem pertinacissimè pugnauit. Sed naturale
illud robur, seu constantia durities appellari nequa-
quam potest, nec tanquam à causa ab obduratione
manat; durities enim, seu cæcitas superbi, atq; arro-
gantis animi pertinacia, proteruia, & peruicacia est,
quorum vitiorum Deus auctor esse nō potest, ea ta-
q quæst. 18. in Exod. men obdurationē cōsequuntur. Certè Augustinus [q]
alicubi, cum de Pharaonis obduratione ageret: *Vi-*
dendum est (inquit) *vtrum sic accipi possit illud: Ego in-*
durabo cor Pharaonis: tanquam diceret, quàm durum sit,
demonstrabo. Sed vt admittamus, posse vtcumq; hanc

A explanationem in Pharaonis obduratione probari,
aliis certè Scripturæ locis aptari nequaquam potest.
Nā in Deuteronomio [a] scriptum est: *Noluitque Sehō* a cap. 2. 30.
Rex Hesebon dare nobis transitum, quia indurauerat Do-
minus Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius,
vt traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. Et in libro
Iosue [b]: *Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur* b cap. 11. 20.
corda eorū, & pugnarent contra Israël, & caderent, & nō
mererentur vllā clementiā, ac perirent. Et Isaias [c]: *Indu-* c cap. 63. 17.
rasti cor nostrū, ne timeremus te. Denique Paulus [d]: *Cu-* d Rom. 9. 18.
ius vult miseretur, & quem vult indurat. Perspicuum
enim est, in his aliisque similibus sententiis Augu-
stini interpretationem neutiquam posse admitti.

Plurimi igitur, grauissimique Theologi existima- X.
runt Deum dici & obdurare, & excæcare nō aliquid
B efficiendo, sed tantummodo permittēdo. Sic loqui-
tur Damascenus [e]: *Opera* (inquit) *pretium est agnosce-* e lib. 4. de fide orthod.
re moris esse diuinæ Scripturæ permissionē Dei, actionē eius
vocare, vnde Apostolus ait: Conclusit Deus omnia in incre-
dulitate. Itē: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, vt ocu-
lis non videant, & auribus non audiāt, & alia similia, quæ
quidē omnia non vt Deo agente accipiēda sunt, sed vt Deo
permittente ob liberā scilicet agendi facultatem, quia sine
violentia bonū esse debet. Permissionem igitur Dei, vt actio-
nem, & operationē eius, dicere consuetū est sacra Scriptura.
Eodēque modo Pauli verba explicat Chrysostomus,
cū enim dixisset Paulus [f]: *Tradidit illos Deus in repro-* f Rom. 1.
bū sensum, subdit Chrysostomus: *Quod hîc dicitur tra-*
didit, nihil est aliud quàm permisit; quemadmodū enim si
C *Dux aliquis exercitus ingrauescente bello sese subduceret,*
quid aliud faceret, nisi quòd milites hostibus traderet? non
quòd ipse illos in stragē impelleret, sed quòd eos suo priuaret
auxilio. Ad eumdē sanè modū & Deus eos, qui oblatum à
se auxilium amplecti nolentes priores resilierunt, reliquit.
Ad eādē sententiā accedit Auctor [g] libri de essentia g inter oper. Aug. tom. 4.
diuinitatis, qui Augustino inscribitur: *Indurare dicitur*
Deus quorumdā malorū corda, sicut de Pharaone scriptū
est, non quòd per potentiā suā dura faciat eorū corda, hoc
enim impiū est de Deo sentire, sed quia exigentibus eorum
culpis duritiā cordis, quā ipsi sibi male agēdo nutriunt, nō
aufert, quasi eos induret, quia iusto iudicio indurari sinit.

Verùm quamquam hæc sententia multorū suffra- XI.
gio in Theologorum scholis recepta est, non potest
tamen animum meū penitus explere; video enim in
excæcatione, obduratione que longè aliter, quàm in
D aliis flagitiis sacras literas loqui. Nā cùm verissimum
sit, quod ait Augustinus [h], nihil omnino fieri, *nisi* h in Enchir. cap. 90.
Omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciēdo.
Si propterea dicitur Deus excæcare, & indurare, quia
cæcitatē, & obdurationem permittit, cur nō eadem
ratione dicatur mœchari, occidere, furari, cùm nihil
eorū nisi eo permittente fiat? Addo, quòd Augusti-
nus [i] pluribus ostendit, non solam permissionem, sed i lib. 5. con. Iulian. c. 3. & li. de nat. & grat. cap. 2
nonnullam efficientiam in excæcatione, obduratio-
nēque videri necessariò admittendam. Itaque alicu-
bi Augustinus [k] voluit Deū esse excæcationis, & ob- k lib. 5. con. Iul. c. 3.
durationis auctorē, non qua ratione peccatū est, sed
vt habet rationē pœnæ; ita enim loqui Apostolū [l], qui l ad Rom. 1. & 2. ad Thessal.
E cæcitatē, vel obdurationē præcedentium peccatorū
pœnā fuisse apertissimè indicat: *Qui* [m] (inquit) *cōmu-* m ad Rom. 1. 25.
tauerūt veritatem Dei in mendaciū, & seruierunt creaturæ
potiùs, quā Creatori, qui est benedictus in sæcula, propterea
tradidit eos Deus in passiones ignominiæ. Et aliquāto post:
Propterea sicut non probauerunt Deum habere in notitia,
tradidit illos Deus in reprobū sensum, vt faciant ea, quæ
non conueniunt. Rursus [n]: *Eo quod charitatē veritatis nō* n 2. Thess. 2. 10.
receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operatio-
nem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui
non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Videtur hęc sententia magnopere placuisse Isido- XII.
ro [o], sic enim scribit: *Pœna peccati peccatum admittitur,* o lib. 2. de sum. bon. c. 19.
quando pro merito cuiusque peccati Deo deserente in aliud
peccatum

A *peccatũ deterius itur, de quo amplius, quis admiserit, fordidetur. Praecedentia itaque peccata sequentiũ criminũ sunt causa, vt illa, quæ sequuntur, sint praecedentiũ pœna: praecedentium vero peccatorum pœna ipsa vocatur induratio veniens de diuina iustitia. Hinc est, quod ait Propheta*[a]*: Indurasti cor nostrum, ne timeremus te, neque enim, qui iusti sunt, à Deo impelluntur, vt mali fiant, sed dum mali iã sunt, indurantur, vt deteriores existant, sicut dixit Apostolus*[b]*: Quoniã veritatẽ Dei non receperunt, vt salui fierent, misit illis Deus spiritum erroris. Facit ergo Deus quosdã peccatores, sed in quibus talia iam peccata praecesserunt, vt iusto iudicio eius mereantur in deterius ire.* Sed vereor, ne hæc sentẽtia iisdem implicetur nodis, quibus hæretici sententia astringitur; cùm enim durities & cæcitas grauissimum peccatum censeatur, quacumque B tandem ratione efficiatur à Deo, consequens omnino est, Deũ esse auctorẽ peccati; quo fit, vt meo quidem iudicio non nisi impropriè peccatũ dici queat pœna peccati, ea videlicet ratione, qua iusto Dei iudicio destituitur quis eo diuinæ gratiæ præsidio, quo à subsequenti facinore poterat expediri, cùm præsertim pœna contra eius voluntatem irrogetur, qui eam patitur, & tamen peccatum hactenus peccatũ est, quia spontè, ac liberè propria volũtate patratur.

a Isa. 63. 17.
b 2. Thess. 2.

XIII. Nec mihi facilè persuaserim, id voluisse Isidorũ, qui potius Deum cæcitatis auctorem idcirco esse affirmat, quòd propter præterita peccata Deo deserente in alia deteriora, & grauiora quispiam labatur. Non iuerim tamen inficias, quasdam esse actiones, C quæ vt manant ab agente, veram habeant culpæ rationem: vt verò excipiuntur in patiente, subeant naturam pœnæ, quomodo Iobi calamitas, vt à dęmone excitata grauissimum piaculum fuit; vt à Iobo tolerabatur, nulla erat culpa, sed grauissima tantùm pœna. Sic defectio Absalonis, & Semei execratio, vt ab eorum auctoribus manabant, immania flagitia erãt, respectu Dauidis supplicium erant. In his igitur atque id genus aliis vtcumque admiserim, quod grauissimi Theologi affirmant, Deum esse auctorẽ pœnæ, non item culpæ; qua ratione voluit Deus Christum Dominum pro hominũm salute mortem oppetere, cùm tamen nõ fuerit auctor parricidij Iudęorum; sed vt apparet, in excæcatione, atque obduratione id nequaquam probari potest, siue enim effi- D ciatur à Deo, siue ab homine excipiatur, semper habet rationem culpæ.

XIV. Itaque fuerunt qui mallent, Deum idcirco dici excæcare, & obdurare, quòd nimia sua tolerantia, patientia, & longanimitate, dum hominum scelera, atque flagitia perfert, quæ est hominum improbitas, eos videatur ad deteriora prouocare; sic enim ferè loqui solemus, cùm dicimus parentes quosdã nimia sua indulgentia filios perdere: viderúrque hæc sententia indicari à Salomone, alicubi[c] enim dixit: *Quia non profertur citò cõtra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Et Iob[d]: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Neque aliter loquitur Apostolus[e]: *An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? secundũ autẽ duritiã tuã, & impœnitens cor thesaurizas tibi irã in die iræ, & iusti iudicij Dei.* Huius porro sentẽtiæ videtur esse Origenes[f], apertissiméque est Basilius[g]: *Obstinauit* (inquit) *Pharaonem Deus, vt cùm per longam eius patientiã, & supplicij procrastinationem illius flagitia augescerent, ac tandẽ ad vltimum terminum excreuissent, illustrius fieret diuinum, quo periturus esset, iudicium. Itaq; cùm a minoribus progressus flagellis Deus, maioribus deinceps, atque maioribus plectere eum pergeret, nec molliret tamẽ obstinatũ, cõperit patientia, ac lenitatis sua illum esse contemptorẽ, ipsóq; vsu aduersiũ plagas obcalluisse, & tamẽ*

c Eccles. 8.
d cap. 24. 21.
e Rom. 2. 4.
f lib. 3. Periarch. c. 1.
g Or. quòd Deus nõ est auctor malorum.

A *ne sic quidem illum morte mulctauit, donec se ipsi submergeret, cum ausus esset præ superbia, eadẽ, qua iusti, via insistere, ratus vt Dei populo, sic etiam sibi peruium fore mare rubrum.* Nec dissimilia scribit Cyrillus[a].

a lib. de Ador. in spir.

XV. Eiusdem prorsus sententiæ fuisse videtur Hieronymus[b]: *Si patientia Dei* (inquit) *indurauit Pharaonẽ, & multo tempore pœnas distulit Israelis, vt iustius condemnaret, quos tanto tẽpore sustinuerat, non Dei accusanda est patientia, sed eorum duritia, qui bonitate Dei in suã perditionẽ abusi sunt. Alioqui vnus est Solis calor, & secũdùm naturas subiacentes alia liquefacit, & alia indurat; alia que soluit, & alia constringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum, nec tamen caloris diuersa est natura: sic bonitas, & clemẽtia Dei vasa iræ, quæ aptata sunt in interi-* B *tũ, indurat, vasa autẽ misericordiæ preparata in gloriã saluat.* Quibus adeò similia sunt, quæ scribit Theodoretus[c] vt ex eodem manasse fonte videantur, cum enim idem exemplum ceræ, & luti, calorisque Solis attulisset, cõcludit: *Quẽadmodum ergo Sol vna, & eadẽ virtute cõtraria operatur, sic ex longanimitate Dei nõnulli capiunt vtilitatẽ, alij vero dãnum, & illi emolliuntur, isti verò indurantur. Quod etiã Dominus declarauit in Euãgelio dicens*[d]*: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui nõ vident, videant, & qui vidẽt, cæci fiant; cuius est simile quod Sanctus dixit Simeon*[e]*: Ecce positus est hic in ruina, & in resurrectionẽ multorum in Israel.* Eodémq; modo & sentit, & loquitur August.[f] cũ enim verba Mosis recitasset, quibus Deũ ait cor Pharaonis in- C durasse: *Sic* (inquit) *intelligendum est, ac si diceret: ego patiens fui super eum, & seruos eius, quia patiẽtia Dei obstinatior fiebat malus eius animus, adeo pro eo, quod est; Patiẽs fui cum eo, dicitur, grauaui cor eius.* Eamdem verò sententiã lõga oratione alibi[g] explicat, vbi ait, ex multitudine peccatorum nasci desperationem, ex desperatione obdurationem. Addit tamẽ numquam Deũ deserere, nisi prius ab homine deseratur.

b Epist. 150. quæst. 10. ad Hebidiam.
c quæst. 12. in Exod.
d Ioan. 9. 39.
e Luc. 2. 34.
f quæst. 36. in Exod.
g Serm. 88 de temp.

XVI. Hãc ego sententiam si negem valdè videri probabilem, & admodũ piam, certè mentiar, si nihil aliud in obduratione, & cæcitate requiram, longiùs profectò abeam à vero sacrarum literarũ sensu, quæ nonnihil præterea postulare videntur, cùm quis dicitur obdurari, aut cæcis, densisque tenebris offundi. Itaque plurimorum sentẽtia Theologorum fuit, in- D durari quempiam, & excæcari à Deo, cùm grauissimis id peccatis exigẽtibus à Deo deseritur, plurimisque diuinæ gratiæ subsidiis spoliatur, quibus destitutus vel omnino, vel non sine magna difficultate resipiscere ac molliri, & ad bonum flecti potest, sed magis, magísq; duratur, & obfirmatur in malo: sic propter absentiam gubernatoris perire dicitur nauigiũ, atque hac ratione loquitur Chrysostomus[h]: *Dicitur* (inquit) *Deus in Scriptura quosdã indurasse, & alios tradidisse in reprobum sensum, nõ quòd hæc à Deo fiãt, quippe cùm à propria hominum malitia proueniant, sed quia Deo iustè homines deserente hæc illis contingant. Cùm enim deserimur à Deo, tradimur Diabolo, in cuius potestatẽ redacti, innumeris malis afficimur.* Multis verò deinceps docet E neminem à Deo deseri, quin priùs ipse deserat Deũ.

h Hom. 67. in Ioan.

XVII. Neque aliud sensisse videtur Auctor libri de predestinatione, & gratia, qui tribuitur Augostino[i]. explicãs enim Pauli verba[k]: *Cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat. Quantum* (inquit) *ad indurationem, ibi paululum humana mentis intentio verbi nouitate cõfunditur, sed nõ ita intelligendũ est illud, quasi Deus in homine ipsã, quæ non esset, duritiã cordis operetur; quid enim aliud est cordis duritia, quã Dei obuiare mãdatis? Nũ beatus Stephanus Iudæis dixit*[l]*: Dura ceruice, & incircumcisi corde, & auribus vos semper Spiritui sancto restitistis. Indurare autẽ dicitur Deus eũ, quẽ mollire noluerit, & excæcare dicitur eũ, quẽ illuminare noluerit, & repellere dicitur eũ, quẽ vocare noluerit.* Ipse verò Augustinus[m] in eamdem

i cap. 4.
k ad Rom. 9. 18.
l Act. 7. 51.
m Epist. 105. ad Sixtum.

A sententiam hoc modo loquitur: *Non obdurat Deus impertiendo malitia, sed non impertiēdo gratiā, quibus autem non impertitur, nec digni sunt illi, nec merentur, quin potius, vt non impertiatur Deus gratiam suam, hoc digni sunt illi, & hoc merentur.* Nec discrepat Isidorus [a], vt ex iis, quæ paulo ante attulimus, intelligi facilè potest, qui alibi dicit [b]: *Deserēte Deo nullus pœnitere potest.*

a lib. 2. de sum. bon. c. 19.
b cap. 16.

XVIII. Luculenter porro non vno loco hanc sententiam explicat Gregorius [c], ad illa namque verba Iobi: *Priuauit eum Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Quamuis* (inquit) *aliud sit priuare, aliud nō dare, hoc tamē repetiit subdendo, non dedit, quod præmisit, priuauit, ac si diceret: Quod dixit, priuauit, non iniustè sapientiam abstulit, sed iustè nō dedit. Vnde & Pharaonis cor Dominus indurasse dicitur, non quòd ipse duritia contulit, sed quòd exigētibus eius meritis nulla illud desuper infusi roris sensibilitate molliuit.* B Alibi [d] autem luculentiùs multóq; fusiùs explanans verba illa Iob [e]: *Si destruxerit, nemo est, qui ædificet, si incluserit hominē, nullus est, qui aperiat. Omnipotens* (ait) *Deus humanū cor destruit, cū relinquit, ædificat, dum replet. Neque enim humanam mētem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suā sufficit ipsa sibi dimissa. Vnde plerumque fit, vt cùm audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exteriùs à prædicatore moueatur, quia mutū est cor omne, quod loquitur, si ille interius in corde nō clamet qui aspirat verba, quæ audiuntur.* Vnde Propheta [f] dixit: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eū.* Et Salomon [g] ait: *Considera opera* C *Dei, quòd nemo possit corrigere quē ille despexerit. Hinc est, quod [h] Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari tamen non potuit, quia exigente culpa malitiæ iam intus cor eius Deus reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat. Bene autem subditur: si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat, quia omnis homo per id, quod malè agit, quid sibi aliud, quàm cōscientiæ suæ carcerem facit? Vt hunc animi reatus premat, etiamsi nemo exteriùs accuset, qui cùm iudicante Deo in malitia sua cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur.*

c lib. 31. mor. cap. 11.
d li. 11. mor. c. 8.
e cap. 12.
f Psal. 126. 1.
g Eccles. 7. 14.
h Genes. 4. 9.

XIX. Plura autem deinde subdit, quæ miram, ac prorsus inestabilem diuinam erga homines prouidētiam declarant, quàm humanæ mentis imbecillitate metiri, aut cogitatione assequi planè non possumus. D *Nam sæpè* (inquit) *nonnulli è prauis actibus exire cupiūt, sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in mala consuetudinis carcere inclusi a semetipsis exire nō possunt. Et quidem culpas proprias punire cupientes, hoc, quod rectè se agere existimant, in grauiorem culpam vertunt, sicque modo miserabili, vt quod exitum putant, hoc inclusionē inueniant. Sic namque [i] Iudas, cùm sibi mortem contra peccatum intulit, ad æterna mortis supplicia peruenit; & peius de peccato pœnituit, quàm peccauit. Dicatur ergo, si incluserit hominē, nullus est, qui aperiat, quia sicut nemo obsistit largitati vocantis Dei, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere itaque Dei est, clausis non aperire, vnde ad Mosen de Pharaone dixit Deus: Ego obdurabo cor eius. Obdurare quippe Deus per iustitiam dicitur, quando cor* E *reprobum per gratiam non emollit. Recludit igitur Deus hominem, quē in suorum operum tenebris relinquit.* Placuit hæc sententia Theologorū principi B. Thomę [k], aliisque non paucis, mihique hactenus probatur, vt tamen aliquid præterea ad excæcationem, obdurationémque exigi contendam.

i Matt. 27. 3.
k 1. 2. q. 79. ar. 3. & 1. Scot. d. 40. q. 4.

XX. Multa enim Deus intus in animo, exteriúsque agit, vnde plerique occasionem arripiunt grauiùs peccandi, & pertinaciùs obdurandi, quæ est sententia Augustini, quam ille pluribus Scripturæ testimoniis confirmat [m]. Cùm enim Iulianus Scripturæ verba perinde interpretaretur, quasi tradi desideriis nihil aliud esset, quàm relinqui per diuinam patientiā, A non per potentiam in peccata compelli; subiicit Augustinus. *Quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam, & potentiam vbi ait [a]: Sic autē volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiā suā, tulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem. Quid horum tamen dicis esse quod scriptum est? Et propheta [b]: Si errauerit, & locutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetā illū, & extendam manum meam super eū, & exterminabo eum de medio populi mei Israël. Patientia est, an potentia?* Et plura deinceps [c]. Alibi verò cùm multa Scripturæ testimonia attulisset, concludit his verbis: *His, & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominū* B *ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorū iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto.* Paucis autē interiectis: *At per hoc* (inquit) *quādo legitis in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterētur.*

l Lyran. Exod. 4. Abul. ibid. q. 12. Caiet. Exod. 9.
m lib. 5. con. Iul. c. 3.
a ad Rom. 9. 22.
b Ezech. 14. 9.
c lib. de grat. & lib. arbit. c. 21.

XXI. Cùm verò ageret [d] de execratione illa, qua filius Gemini Dauidem insectabatur: *Quomodo* (inquit) *dixerit Dominus huic homini maledicere Dauid, quis sapiēs, & intelliget? Non enim iubēdo dixit, vbi obedientia laudaretur, sed quòd eius voluntatē proprio vitio suo malā in hoc peccatum iudicio suo iusto, & occulto inclinauit, ideo dictū est; dixit ei Dominus.* Denique: *Est igitur* (inquit) *in hominis voluntate peccare, sed vt hoc, vel hoc ea malitia* C *faciat, nō est in eius voluntate, sed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas.* Quibus consentiunt ea, quæ [e] alibi scribit. *Vtitur* (inquit) *bene cordibus malis ad id, quod vult ostēdere bonis, vel quod facturus est bonis; & quamuis vniuscuiusq; cordis in malitia qualitas suo fiat vitio, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis, vt tamē qualitate mala huc vel illuc moueatur, causis fit, quibus animus propellitur, quæ causæ vt existant, vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta prouidētia, iustissima planè, & sapientissima, vniuersum, quod creauit, disponētis, & administrantis Dei.* Id verò planiùs explicans allato Pharaonis exēplo subdit: *Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei nō moueretur ad pietatē, sed potiùs ad impietatē, vitij proprij fuit. Quod verò facta sunt ea,* D *quibus cor suo vitio tā malignum resisteret iussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum, quia nō flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispēsationis fuit diuinæ, qua tali cordi non solum iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, qua pœna timētes Deū corrigerētur. Proposito [f] quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidium cōmittatur, aliter auarus, aliter pecuniæ cōtēptor mouētur, ille scilicet ad facinus perpetrandum, hic ad cauendum; ipsius tamē lucri propositio in alicuius illorum nō fuit potestate; ita causæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos inuenerint iam factos propriis vitiis ex præterita voluntate.*

d de grat. & lib. arbit. c. 20.
e Quæst. 18. in Exod.
f Similiter scribit Rupert. lib. 7. comment. in Exod. c. 21.

XXII. Quæ sententia vt planiùs explicetur, in obduratione, seu excæcatione duo necessariò videntur distinguenda; alterum, quod habet quamdam rationem materiæ; alterum, quod formæ similitudinem E refert. Et indurationis quidem, seu cæcitatis materia praua quædam est animæ constitutio, quæ tum ex multitudine, tum ex grauitate peccatorum oritur. Ad eam verò, vt habet rationem entis, vim suam, atque efficientiā accommodat Deus, non aliter ac ad alias omnes actiones, quib. est annexa malitia, ad ipsius tamen prauitatem, seu vitiositatem, siue illā habitualē, siue actualem voces, nullo modo. Sed hæc animi constitutio, nisi aliud accedat, nondū obdurationem, aut cæcitatem efficit; quando autē ea sit eiusmodi, vt meritò obdurationis forma accedat, certò sciri, aut constitui definitiuè non potest.

An

An autem sit aliquis status, quo posito obduratio, vel cæcitas subsequatur, inter Theologos disputatur. Iam verò obdurationis, aut cæcitatis forma ex parte quidem hominis quamdam continet luctam, & quasi pugnam contra Deum, vt indicat Auctor [a] de prædestinatione, & gratia, quę tota nascitur, vt vitiosa est, & praua, ab improbitate, & malitia præcedenti. Qua ratione Irenęus [b], Gregorius [c] Nyssenus, Cassianus [d], & alij, homines aiunt à seipsis indurati: ex parte verò Dei negationem efficacis auxilij significat, quod alioqui necessarium est, vt eiusmodi obduratio non consequatur. Hæc autem negatio non est tantùm derelictio, sed iusta Dei voluntas vlciscendi excæcatorum flagitia. Quocirca peccator suo merito sese obdurat, suáque duritie Deo reluctatur, Deus autem tamquam scelerum vltor quodammodo efficienter obdurat.

a [c]ap. 4.
b lib. 4. c. 76.
c lib. de vit. Mos.
d [coll.] 3. c.

XXIII. Obdurationis porro materia oritur necessariò ex permissione peccati, quod spectasse videntur omnes superiores sententiæ, cùm tamen hæc permissio multo latius pateat, quàm vt obdurationi, & excæcationi tantùm congruat. Fieri etiam potest nonnulla actione diuina, ita tamen, vt nullo modo Deus sit auctor peccati, eo fermè modo, quem Origenes [e], & Hieronymus [f] explicant; idque vel largiendo impunitatem scelerum, vt indicat Paulus [g], & probat Augustinus [h]; vel cumulando beneficia, quibus impij abutuntur ad maiorem peccandi licentiam; vel inclinando voluntatem iam vitio suo malam ad aliquod genus pœnæ, vt Tertullianus [i], Augustinus [k], & Gregorius [l] affirmant. Iam forma obdurationis, & cæcitatis, cùm, vt sæpè dictum est, non sit sola permissio, peculiarem quandam resipiscendi difficultatē afferi, atque idcirco, vt minimum exigit in Deo diuinæ voluntatis actionem, qua re vera quoddam gratiæ subsidium subtrahit, quod licèt non omnibus concedatur, non omnibus tamen priuata voluntatis actione negatur, sed ideorum proprium esse dicitur, qui dicuntur excæcati, & obdurati, quique traditi sunt in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt. Præterea verò plerumque excæcatio, seu obduratio in obdurato; vel excæcato interni luminis, & nonnûquam etiam naturalis remotionē continet tamquam iustissimam peccati pœnam, ad eum planè modum, quo Sodomitæ olim percussi [m] sunt cæcitate corporea, vt quamuis oculos retinerent, videndi tamen facultate destituerentur. Id ipsum interdum in animo accidere potest, vt non obscurè significauit Christus apud Matthæum [n] in parabola de talentis, cùm talentum ablatum fuisse ait à seruo otioso, ac deside, & negotianti concessum.

e [lib. 3.] pe[ri archon c.] 1. & [hom. 4.] in [Exod.]
f [in Psal.] 150. ad [Hedi]b. am [q.] 1[1].
g [Rom.] 1. & R m. 2.
h [Ser.] 88. de [temp.]
i [lib.] 2. con. Marcio.
k [li]b. de pr[æ]dest. san. c. 8. lib. de grat. & lib. arbit. 20. & 21. lib. 5. con. Iulian. c. 3.
l [lib.] 25. mor. c. [1]3.
m Gen. 19. 11.
n cap. 25. 28.

XXIV. Adde externa adminicula Doctorum, Concionatorum, Pastorū, ac Sacerdotum, quæ aliquādo Deus amouet, vt apud Amos [o] Prophetam significat his verbis: *Immittam in eos famē non panis, sed audiendi verbi Dei.* Nonnumquam etiam Concionatorum dicēdi vim, & facultatem imminuit, ne qui audiunt, obsequantur, vt colligi potest ex parabolis, quæ leguntur apud Matthæum [p], ex quibus nō pauca colligit Origenes [q]. Postremò plerumque Deus diabolo potestatem facit excæcandi, & obdurandi iis modis, quos suæ diuinæ iustitiæ congruere agnoscit, vt multis explicat Augustinus [r]. His igitur omnibus modis nonnulla obdurationis, & excæcationis efficientia Deo tribuitur, ita tamen, vt nullo modo sit auctor peccati. Qua ratione explicanda sunt, quæ ex sacris literis fusè admodū congerit Augustinus [s], quæ vix de sola permissione intelligi commodè possunt. *Facit* (inquit Augustinus [t]) *miris, & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua non solùm in corporibus hominum, sed etiā in ipsis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed eis tam malis vtitur, vt voluerit, cùm ipse aliquid iniquè velle non possit.*

o [cap.] 8. 11.
p cap. 13.
q [ho]b. 3. pe[ri ar]ch. c. 1.
r [in] Ps. 77.
s loc. cit.
t lib. 5. con. [Iul]. c. 3.

XXV. Quæ cùm ita sint, commodè cum Chrysostomo [a], & Damasceno [b] dicere quispiā possit, excæcare Deū, & obdurare ea planè ratione, qua Scriptura solet, quę ex euentu consequuta sunt, alicui causæ tribuere. *Mos* (inquit Damascenus) *sacra Scripturæ est, quedā, quæ secundum euentū debent intelligi, causaliter dicere: vt illud: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cū iudicaris. Nō enim propterea peccauit Dauid, vt vinceret Deus peccatum suum, neq; indigebat Deus peccato eius, vt ex illo victor appareret: sed quia nobis peccātibus nō affert irā suā, sed pœnitētibus parcit, victor mali nostri demonstratur. nō ad hoc autē nos peccamus, sed ita euenit res. Quemadmodū si quis sedeat operans, & superueniat eius magnus quispiam amicus, ait: non operer hodie, aduenit hic meus amicus; nec tamen amicus ideo venit, vt ille nō operaretur, sed occupatus circa amici susceptionē euenit, vt non operaretur, & dicuntur hec euēsse, quia ita eueniunt res.* Hac itaque ratione indurare, & excæcare dicitur Deus, quia cæcitas & obduratio ex hominum quidem malitia, & ex diuina actione, quasi necessaria quadam consecutione sequitur.

a in Io. c. 12.
b lib. 4. de fid orthod. c. 20.

XXVI. Permittit enim Deus, vt improbi suis cupiditatibus liberè indulgeant; ita enim loquitur Dauid [c]: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorū, ibunt in adinuentionibus suis.* Et Paulus [d] quosdam ait traditos in desideria cordis eorum, & in passiones ignominiæ, de quibus illud verè affirmare possimus, quod ait Dauid [e]: *Transierunt in affectum cordis*, hoc est, id omne consequuti sunt, quod cupierunt, omniáque eis ex voto successerunt. Largitur Deus bonorum omnium affluentiam, inde in nonnullorum animis, vt ait Dauid [f], *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*, hoc est, ex corde adipato, & pingui ac bonorum omnium copia redundauit. Omnia quibusdam ex sententia eueniunt, nihil patiuntur aduersi [g]: *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia.* Sanctorum preces aut prorsus amouet, aut non exaudit, sic ait apud Ieremiam [h]: *Tu noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Et alibi [i]: *Si steterint Moses, & Samuel corā me, non est anima mea ad populum istum.* Inde plerumque fit, vt improbi nōnulli omnibus sese sceleribus constringendos præbeāt. Quin etiam bonos monitores amouet, quò pertinet illud Ieremiæ [k]: *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus ergo eam, quoniam peruenit vsq; ad cœlum iudicium eius.* Amouet bona exempla, contra verò assentatores, & falsos doctores permittit, atque ita multorum vitio fit, vt obdurentur, & densis errorum tenebris inuoluantur.

c Psal. 80.
d Rom. 1.
e Ps. 72. 7.
f Ps. 72. 7.
g Ps. 72. 5.
h cap. 7. 16.
i cap. 15. 1.
k cap. 51. 5.

XXVII. Meritò igitur ait Ioannes mentiri illos, longissimèque abesse à vero, qui cùm in tenebris versentur, cum Deo tamen societatem habere se gloriantur. *Mentimur* (ait) *& veritatem non facimus.* Quę enim esse potest cum Deo societas, qui lux est, & fons luminis iis, qui cæcis tenebris inuoluti scelera sceleribus cumulant? Sanè qui id sibi persuadeat, nō solùm mentitur, sed veritatē non facit, quia non solùm voce, & oratione, sed vita, & moribus à veritate recedit. Est enim in sacris literis veritas duplex: altera, quæ in sermone consistit, cùm quis verè, & ex animo loquitur: altera in actione, & vita, de qua loquitur Ezechiel [l], cùm virum iustum describens, inter cætera ait: *In praeceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem, hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.* Qui igitur in tenebris ambulat, non solùm mentitur, si falsò asserat, se habere societatem cum Deo, sed veritatem non facit, quia ab officio, & recta ratione recedit; siue tenebras referat ad errores, quales sunt hæreses, & impiæ,

l cap. 18. 9.

nefariæque sententiæ; siue etiam ad scelera, & flagi- A
tia, quæ quia gratiæ lucem excludunt, tenebræ nun-
cupantur. Videtur autē Ioannes alludere ad id, quod
a Ioan. 3. 20. dixit Christus in Euangelio [a]: *Omnis enim, qui malè
*agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur
*opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt
manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Verita-
tem enim facere Hebræorū more dicit, qui opus iu-
stū, ac rectum veritatem vocant; quod enim verū est,
& rectum est, & quod rectum, verum, ac sibi consen-
b Ps. 24. 5. tiens. Sic dixit Dauid [b]: *Dirige me in veritate tua.* Et
c Ps. 85. 11. alibi [c]: *Et ingrediar in veritate tua*, id est, via tua recta.

7 *Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato.* B

I. Rectè tenebris ex aduerso opponit lucem. Verùm
quoniam dixerat Deum esse lucem tenebrarū peni-
tus expertem, iure quæras, in qua nobis luce ambu-
landum moneat? sunt qui fidem intelligant, quæ si
conferatur cum sola naturali scientia, quam naturæ
viribus consequi possumus, lux est, quamuis vtcūque
obscura. Neque iuerim inficias, fidem in sacris literis
lucis nomine appellari, de qua Christus apud Ioan-
d cap. 8. 12. nem [d]: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed ha-*
e cap. 9. 2. *bebit lumen vitæ.* Et Isaias [e]: *Habitantibus in regione um-*
bra mortis lux orta est eis. Vbi enim fides animo affulse-
rit, quid agēdum, fugiendúmve sit, docet, ad cælestiū C
terū contemplationem aciem mentis attollit, incre-
dibili denique quodam lumine intelligentiam per-
fundit. Vereor tamen, vt solitariam fidem hîc possim
admittere, tametsi enim omnes eiusdem fidei socie-
tate & inter nos, & cum Deo coniungimur, nō con-
tinuò tamē, qui fide præditi sunt (quod mox subiicit
Apostolus) Christi sanguine ab omnibus flagitiis ex-
piantur, nisi sola fide homines iustificati cū hæreticis
mentiamur. Fateor fideles nonnullam etiam cū Deo
societatem inire, sed non qualem Deus ipse exigit, &
f 1. Cor. 13. 2. qualem optabat Paulus [f], cùm diceret: *Si habuero om-*
nem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nō
habuero, nihil sum. Certè qui sola fide gloriantur, verè
dicere non possunt, se in luce ambulare, sicut ipse
Deus est in luce, nihil enim fidei sua commune habet
cum luce, qua Deus, & beati perfruuntur.

II. Quoniam igitur tenebras inscientiam, & flagitia
pauloante appellauerat, malim hoc loco lucis nomi-
ne non modò fidem, & rerum diuinarum cognitio-
nem, sed etiam iustitiam, & sanctitatem interpretari.
g Prou. 4. 18. Dixit enim Salomon [g]: *Iustorum autem semita quasi lux*
splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Via
impiorū tenebrosa, nesciūt vbi corruant. Et de quibusdam
h ad Philip. 2. 15. ait Paulus [h]: *Luceris sicut luminaria in mundo, in medio*
nationis prauæ, & peruersæ. Et hic ipse Ioannes nō ita [i]
i cap. 2. 10. multo post charitatem, qua diligimus fratres, lumen
vocat: *Qui diligit* (inquit) *fratrem suū, in lumine manet,*
& scandalum in eo nō est. Et contra: *Qui odit fratrē suum,*
in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia
tenebræ obscurauerunt oculos eius: ita videas charitatem,
quæ est iustitia nostra, appellari lucem. Atque ita verè E
ait: *Si autē in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce*, hoc
est: si charitatem animo complectimur, & Christiana
iustitia præditi sumus, Deúmque, quoad eius fieri po-
test, imitamur, qui & charitas est, & summa iustitia,
societatem habemus ad inuicem, hoc est, & cum Deo, &
inter nos diuinæ charitatis nexu astringimur. Sed hoc
interest, quòd Deus ipse lux est increata, fons, & ori-
go luminis. Lux autem nostra delibata quædam lucis
k de diuin. nom. cap. 4. particula est, de qua Dionysius [k] Areopagita loquitur
in hunc modum: *Mentem quidē cælestem omnem spiritua-*
li luce implet, omnem autem ignorationē, erroremq́; ex om-
nibus animis, quibus insitus sit, expellit, eisq́; omnibus sacrū
lumē largitur, & ex mentis eorum oculis caliginem, quæ eis
ignoratione offusa est, depellit, & discutit, excitatq́; & aperit
magno tenebrarum pondere cōtractos, participesq́; facit pri-
mùm modici luminis, deinde cùm lumen quasi degustant,
& magis expetunt, magis se infundit, abundantiusq́; illu-
strat, quòd multùm dilexerint, eosq́; semper ad ea, quæ ante
sunt pro ea ratione, quam ad contentionem habent, excitat.

Quod autem ait: *societatē habemus ad inuicē*, Græcè III.
est, κοινωνίαν ἔχομεν μετ' ἀλλήλων, quasi dicat: inter nos,
vt possis tum ad Deum, tum etiam ad proximos re-
ferre. Nam de proximis quidem planè constat, eos
nobiscum charitatis vinculo coniungi: nulla autem
in hac vita cum Deo coniunctio perfectior excogi-
tari potest, quàm quæ pendet à charitate, de qua lo-
quitur Dauid [a], cùm ait: *Mihi autē adhærere Deo, bo-* a Ps. 72. 28.
num est: quamquā non negō hanc, quā cū Deo habe-
mus in hac mortali vita, societatē, & coniunctionem,
rudem quodammodo esse, & inchoatam, si cum ea
conferatur, quam in beatorum cœtu expectamus, de
qua ita alicubi loquitur Augustinus: *Cùm inhæsero tibi*
ex omni me, nunquam erit mihi dolor, aut labor; viua erit
vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam, quem tu im-
ples, subleuas eum, quoniam tui plenus non sum, oneri mihi
sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætādis mœroribus,
& ex qua parte stet victoria, nescio: cōtendunt mœrores mei
mali cum gaudiis bonis, & ex qua parte stet victoria, nescio.
Tūc enim beati lumine gloriæ circumfusi, & perfe-
cta charitate inflammati, in Dei lumine, vt ait Da-
uid [b], videbunt lumen. Itaque si in luce, hoc est, fide b Ps. 35. 10.
viua; & charitate formata ambulamus, quotidiéque
proficimus, vt pro nostra tenuitate quamproximè ad
diuinam illam lucem accedamus, societatem habe-
mus ad inuicem, Græcè κοινωνίαν, vt veram bonorum
communicationem significet, qui est veræ amicitiæ
fructus. Ea est enim Dei in nos benignitas, ac muni-
ficentia, vt quos suapte natura seruos possidet, ad so-
cietatem, & amicitiam admiserit.

Charitas enim vera, ac propria amicitia est inter IV.
Deum, & homines, Deus enim nos nullius priuati
commodi respectu, sed propter nos ipsos diligit, qui,
vt in Symbolo profitemur, *propter nos homines, & pro-*
pter nostra salutē descendit de cælo. Nos vero Deum pro-
pter se ipsum amore prosequimur, eiúsque immortalia
D sua, atque immensa bona ea charitate gratulamur.
Itaque inter Deum, & nos mutuus est, & reciprocus
amor. Apud Salomonem [c] enim ait Deus: *Ego dili-* c Prou. 8. 17.
gentes me diligo. Et paulo post [d]: *Vt ditē diligentes me, &* d Ibid. 21.
thesauros eorum repleam. Est autem hic mutuus amor
vtrique parti perspectus, ac notus, nam nos quidem
diuinam in nos beneuolentiam ea innumerabilibus
eius beneficiis perspicuè cognoscimus, ille contra
nostram charitatem, quam animis nostris infudit,
probè nouit. Accedit, quòd bonorum communica-
tio ne desideratur quidē, cùm & merita nostra Deo
grata sint, eáque in suis quodammodo rationibus po-
nat, nos contra diuinorum bonorū quotidie magis,
ac magis participes efficiamur, vt ait Petrus [e], diuinæ e ep. 2. c. 1. 4.
naturæ consortes. Quin etiam diuina consuetudine,
E conuictúque perfruimur, ob id enim dixit Aposto-
lus [f]: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Et alibi [g]: f ad Philip. 3. 20.
Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, g ad Ephes. 2. 19.
& domestici Dei. Quod verò maximè proprium est
amicitiæ, nihil nisi honestatem spectat, charitas, quæ
Deum diligit ob ipsius summam bonitatem, & v-
num Deum respicit, & proximos quasi aliquid Dei,
Denique hæc mutua charitas constans est, ac perpe-
tua; nam Deus quidem, vt ait Ieremias [h], *charitate* h cap. 31. 3.
perpetua dilexit nos. Qui verò perfectè Deum dili-
gunt, cum Apostolo [i] verè dicere possunt: *Quis nos* i ad Rom. 8. 35.
separabit à charitate Christi? Omnino autē [k] *fortis est,* k Cant. 8. 6.

it

A *vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lãpades eius, lampades ignis, atque flammarum, aqua multa non potuerunt extinguere charitatem.* Itaque rectè Augustinus [a] cum Deo loquitur: *Beatus, qui amat te, & amicũ in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt, qui non amittitur.*

a lib.4. confess. cap. 9.

V. Hæc autem amicitia in eo maximè eluxit, quòd Deus ipse immortalis hanc nostram mortalitatem sibi mirabiliter coniunxit, vt nostri omnino similis nobiscum versaretur. Itaque Baruch [b]: *Post hæc* (inquit) *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quam ob causam ab Isaia [c] *Emanuel* nuncupatur, hoc est, nobiscum Deus. Et contra qui diuina charitate inflammantur, cum Apostolo [d] cupiunt *dissolui, & esse cum Christo.* Verùm quoniam hæc amicitia supranaturalis est, & præstantioris, nobiliorisque naturæ, omnes propemodum amicitiæ formas complectitur. Quocirca non modò hoc loco à Ioanne, sed alibi etiam à Paulo [e] vocatur societas: *Benedictus,* (inquit) *Deus, qui vocauit nos in societatem filij sui.* Alias [f] dicitur ciuitas, & domesticorum coniunctio. *Estis* (inquit) *ciues sanctorum, & domestici Dei.* Nonnunquam [g] appellatur filiatio: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et hac ipsa Epistola [h]: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Denique nuncupatur coniugium, nam apud Oseam [i] ita loquitur Deus: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Et Paulus [k]: *Despondi enim* (inquit) *vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Alia penè sexcenta eiusdem generis in sacris literis leguntur, quæ dignitatem, ac præstantiam huius diuinæ coniunctionis, & amicitiæ indicant.

b cap. 3. 38.
c cap. 7. 14.
d Philip. 1.
B
e 1. Cor. 1. 9.
f Ephes. 2.
g Ioan. 1.
h cap. 3. 1.
i cap. 2. 19.
k 2. Cor. 11.
C

VI. *Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* An hoc diuinam amicitiam, & societatem consequitur? Caue suspiceris. Si is rerum ordo suspiciendus sit, qui spectari solet in peccatore, in quo prius necesse est tolli peccati auersionem actione pœnitentiæ, conuersionisque in Deum, quæ est illi contraria; hoc, inquam, præcurrat necesse est, prius enim nostro concipiendi modo intelligimus expelli auersionem peccati, quàm gratiam, & charitatem infundi. Quomodo priùs recedendum est à malo, tum complectenda virtus, sic enim ait Dauid [l]: *Declina à malo, & fac bonum.* Et in naturali rerum permutatione prius à corpore contraria forma extruditur, tum subsequens producitur, si eius ordinis habeatur ratio, qui in subiecto corpore, seu, vt alij loquuntur, in materia respicitur; cùm ratione finis, aut formæ alia videatur ratio, vt subtiliùs in scholis disputant Theologi. Itaque coniunctio &, causam hoc loco continet, significatque idcirco nos societatem habere cum Deo, quia sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato. Sic autem ferè loqui solet Scriptura, vt Christi sanguini vim tribuat abluendi, expiandique peccata. Nam in Apocalypsi [m] Christus Dominus *testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ* appellatur, *qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et Paulus [n]: *Per eum* (inquit) *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Et alibi [o]: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Et Petrus [p]: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.* Sapienter enim Tridentini [q] Concilij Patres definierunt neminem esse posse iustum, *nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur.* Idque addunt fieri in impij iustificatione, *dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.*

l Psal. 36. 27.
D
m cap. 1. 5.
n Coloss. 1. 20.
o ad Ephes. 1. 7.
p epist. 1. cap. 1. 18.
q sess. 6. cap. 7.

VII. Quamquam autem actiones Christi, si per se singulæ spectentur, ob diuinæ personæ Verbi dignitatem infinita quadam merendi, satisfaciendique vi præditæ erãt, humanæ tamen redemptionis, nostræque iustificationis meritum morti, atque effusioni sanguinis tribuitur; tum quia fuit illud eximiæ charitatis opus, maximéque ad humani generis liberationem accommodatum; tum etiam quia tunc potissimùm Christi meritum fuit omni ex parte absolutum, omnibúsque suis numeris perfectum. Quocirca diuina prouidentia Christi mortem, & sanguinis effusionem ad nostram iustificationem, & salutem potissimùm retulit. Primùm quidem, vt diuina in genus humanum charitas illustriùs appareret, quandoquidem verè dixit aliquando Christus [a]: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Deinde, vt peccati immanitas, ac turpitudo notior fieret, vt enim alicubi ait Bernardus: *Si non essent hæc ad mortem* (de hominum sceleribus, ac flagitiis loquitur) *& mortem sempiternam, nunquam pro eis Dei filius moreretur.* Tertiò, vt iustificationis gratia, & scelerũ abolitio maiori haberetur in pretio, quippe quæ Christo Domino tanti steterit. Postremò, vt cunctis mortalibus eximiæ cuiusdam charitatis, ac fortitudinis, omniúmque aliarum virtutum præberet exemplum.

a Ioan. 15. 13.

VIII. Meminit autem Apostolus nominatim sanguinis Christi, id, opinor, propriè spectans, quod egregiè docet Paulus [b], cùm de veteris legis expiationibus disserens concludit his verbis: *Et omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Vnde colligit, aliam nobis nobilioris sanguinis effusionem fuisse necessariã. *Necesse est ergo* (inquit) *exemplaria quidem cælestiũ his mundari, ipsa autem cælestia melioribus hostiis, quàm istis.* Quem locum expendens Gregorius [c] ait: *Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat: quærendum erat sacrificium. sed quale sacrificium poterat pro absoluendis hominibus inueniri? Neque enim iustum fuit, vt pro rationali homine brutorum animalium victimæ caderentur, vnde ait Apostolus: Necesse est ergo exemplaria cælestiũ his mundari, ipsa autem cælestia melioribus hostiis, quàm istis. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est, pro homine digna victima nõ fuerunt, requirendus erat homo qui pro hominibus offerri debuisset, vt pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur.* Deinceps verò idcirco ait Christi victimam fuisse necessariam, quia solus Christus fuit absque peccato. Quanta autẽ sit Christi sanguinis vis, & efficacitas, more suo elegantissimè docuit Leo [d]: *Effusio enim* (inquit) *pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretiũ, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Quoniam sicut Apostolus [e] ait: Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia, & cùm sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum seruitutis.*

b ad Hebr. 9. 22.
c lib. 17. Mor. cap. 5. alias 10.
d ser. 12. de pass. c. 3. eadem habet epist. 83. c. 5.
e ad Rom. 5. 20.

E

IX. Obseruat autem hoc loco OEcumenius, non temerè dixisse Apostolum: *Sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato.* Tametsi enim sanguis humanæ, non diuinæ naturæ erat, ob summam tamen cum diuina persona coniunctionem sanguis ille propemodum diuinus appellari poterat, & ratione illius diuinæ personæ vim quamdam habebat infinitam, vt meritò dixerit Clemens [f] VI. vnam sanguinis Christi guttulam vniuersum mundum redimere potuisse, atque hinc confutari ait Nestorij impietatem, qui duas in Christo personas

f in extrau. Vnigenitus. de pœnit. & remiss.

impiè, ac nefariè distinguebat, atque idcirco Deiparam Virginem non θεοτόκον, sed tantummodo χριστοτόκον appellandam censebat. Addit deinde hanc Ioannis sententiam ad Iudæorum impiam blasphemiam confutandam referri, quorum apud hunc ipsum Euangelistam [a] hæc sunt verba: *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Et tamen hoc loco Ioannes ait: *Si lucis opera agimus, participes eius sumus, si verò non agimus, ab eo alienamur.* Ita fateri necesse est, esse illum omnis labis prorsus expertem.

a Ioan. 9. 25.

X.

Nihil autem necesse est in præsentia de vnione Christi sanguinis cum hypostasi Verbi disserere. Disputatur ea de re à Theologis in scholis, & vltrò, citròque multa afferuntur, quæ non sunt in præsentia commemorāda. Certè vtcumque sit, sanguis ille, quia à diuina Verbi persona manabat, vim quamdam habuit infinitam, qua de re ita loquitur Augustinus [b]: *Quæritis quid emerit? videte, quid dederit, & inuenite quid emerit. Sāguis Christi pretium est, tāte quid valet? quid nisi totus orbis, quid nisi omnes gentes?* Alibi verò [c]: *Pretium vitæ nostræ sanguis est Domini, & totius mundi incolumitas sempiterna; pecunia illa totius mundi copiosa possessio est.* Tametsi alio [d] quodam loco Christi innocentiæ vim tribuit expiandi peccata: *Sanguis ille* (ait) *quoniam eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum.* Quamquam fortasse diuinam personam indicat, quæ nullo modo peccato fuit obnoxia; inde enim, vt nō semel iam diximus, vis omnis sanguinis Christi oritur. nam ita loquitur Cyrillus Alexandrinus [e]: *Ex confesso salutaris est mors Christi, sed si non esset Deus, quomodo ipse & solus sufficit ad hoc, vt sit pretium? Sed sufficit solus pro omnibus mortuus, quia & super omnes est Deus; igitur est morte sua carnis à mundo depellens mortem.* Et Damascenus [f]: *Non enim humano modo fluctuabat, vt qui non homo solùm, sed etiam Deus, vnde etiam ipsius passiones viuificæ, & salutares extiterunt.* Eodem modo loquuntur Theodotus Ancyranus [g], & Dionysius Areopagita [h].

b in Psal. 95.
c serm. 118. de temp.
d lib. 13. de Trin. c. 15.
e lib. 1. de rect. fid. ad Regin. cap. quòd mors Christi mūdo salutaris.
f lib. 3. de fid. c. 15.
g Hom. de nat. quę habetur in Cōc. Ephes.
h epist. vlt. ad Caium.

XI.

Egregiè verò Gregorius Nazianzenus [i]: *Nullum tamen* (inquit) *cum salutis meæ miraculo conferendum est, in qua exiguæ cruoris guttæ orbē vniuersum instaurarunt, atque idem, quod lactè coagulum hominibus præstiterunt, in vnum nos cōiungentes, & constringentes.* Denique ne longum faciam, communis est Græcorum, Latinorúmque Patrum sententia, diuinæ personæ dignitatem immensam quamdam, atque infinitam vim Christi actionibus, ac præcipuè effusioni sanguinis, ac morti tribuisse. Quod igitur impiè vociferati sunt Iudæi: *Sāguis eius super nos, & super filios nostros*, id nos piè, ac religiosè vsurpare possumus, vt diuini sanguinis vim, atque efficacitatem ad nostra expianda scelera imploremus, ita enim fiet, vt penitus expiati, atque ab omni labe perpurgati societatem, veramque amicitiam ineamus cum Deo. Quod etiam significauit Paulus, cùm ad Romanos [k] ait: *Iustificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Quam enim Paulus pacem vocat, eamdem Ioannes societatem, & quod idem est, amicitiam nominat: idcirco enim pax cum Deo cōciliatur, vt deinceps cum eodem amicitia ineatur. Ita enim Christus ipse voluit, qui alicubi [l] dixit. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Et paulo ante dixerat: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Re namque vera omnia propemodum sua bona iustis voluit esse cōmunia, quod amicorum esse proprium, antiquissimo, vulgatissimóque prouerbio receptum est. Cùm igitur hęc omnia mortis, ac sanguinis Christi beneficio assequamur, meritò ait Paulus [m]: *Mihi autē absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

i Orat. 41. quæ est 2. de Pasch. prop. fin.
k cap. 5. 1.
l Ioan. 15. 15.
m ad Galat. ult. 14.

XII.

Quod autem ait Ioannes, *emundat*, Græcè καθαρίζει, efficientiam sanguinis indicat. Verùm cùm peccatum nonnisi infusione gratiæ tollatur, quæri potest, quánam ratione potuerit Christi sanguis peccata expiare. Nec enim dubium est, primariam gratiæ causam esse solum Deum, nec posse eam causæ efficientiam vlli rei creatæ diuinitus concedi, vt in disputatione de Gratia fusiùs probaui, si de causa physica loquamur. Non pugnat tamen naturam creatam ad gratiam efficiendam, expiandumque peccatum tamquam instrumentum à Deo adhiberi, vt ferè accidit, cùm quis vi sacramentorum ex opere, quod aiunt, operato iustitiam, vel eius incrementum assequitur. Iam verò Christum suis meritis esse tamquam primariam causam in genere moris omnis gratiæ, quæ post vnionem hypostaticam hominum generi collata est, sacræ literæ, & veteres omnes Patres affirmant, Christum enim Dominum frequenter Scriptura redemptorem, medicum, & Saluatorem appellat. Sic enim loquitur Iob [a]: *Scio enim, quòd redemptor meus viuit.* Isaias autem [b]: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Zacharias [c] autem: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Apostoli [d] verò; *Nec enim* (inquiunt) *aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et alibi [e]: *Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur.* Et Paulus [f]: *Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Alibi [g] verò de Christo loquens ait: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Rursus [h]: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Denique [i]; *Per eum* (inquit) *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Et id genus alia sexcenta passim in sacris literis leguntur.

a cap. 19. 25.
b cap. 53. 5.
c cap. 9. 11.
d Act. 4. 12.
e vers. 38.
f Rom. 5. 10.
g 1. Cor. 1. 30.
h 2. Cor. 5. 18.
i Coloss. 1. 20.

XIII.

Eodem pertinēt alia non pauca testimonia, quæ docent Christum esse ostium, & viam vnicam salutis. Ipse enim apud Ioannem [k] ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Et alibi [l]: *Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Quo loco Cyrillus [m]: *Cùm nemo* (inquit) *veniat ad Patrem, nisi per Christum, vt ipse ait: Ianua, & via reconciliationis hominum ad Patrem filius factus est, & gratiam vna cum Patre ipse distribuit.* Eodem pertinent illa [n]: *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Addo, quòd frequenter Christus describitur tamquam diuinorum munerum, bonorúmque supernaturalium auctor; ipse enim Christus apud Ioannem [o] ait: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quod multo antea indicauerat Isaias [p] dicens: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris*, quos fontes eleganter explicat Bernardus [q]; eosdémque indicare visus est Paulus [r], cùm de Christo dixit: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* indicans nimirum, Christum esse veluti fontem, à quo bona omnia cælestia profluunt, qui propterea in Canticis [s] dicitur *fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.*

k cap. 10. 9.
l Ioan. 14. 6.
m lib. 9. in Ioan. c. 42.
n Ioan. 11. 25.
o cap. 7. 38.
p cap. 12. 3.
q Serm. 1. de nat. Dom. & Serm. 66. in parū.
r Ephes. 1. 3.
s Cant. 4.

XIV.

Idem frequenter inculcant Patres. Dionysius [t] enim Areopagita Christi beneficia, diuinásque illustrationes etiam ad Angelos pertinere affirmat. Eumdem verò alibi [u] docet sanctitatis esse fontem, & nos sanctitate replere. Clemens Alexandrinus [x]: *Apparuit* (inquit) *hominibus Verbum, qui solus est ambo Deus,*

t cap. 7. de cælest. hier.
u c. 4. de Eccles. hierar. p. 3. in fin.
x in ad ... ad Gen. ... lib. 1 Pædag. c. ... & c. 7. in fin. li. 7. Strom.

Dei & homo, & est nobis omnium causa bonorum, à quo ed... recte viuere ad vitam æternam trasmittimur. quod Pauli testimonio confirmat aientis ad Titum [a]: *Apparuit enim gratia Dei saluatoris nostri.* Paulo autem post ad idem confirmandum adhibet verba Christi apud Ioannem [b]: *Ego sum ostium*, &c. Denique sub finem ait: *Nullum aliud esse opus Christi, quam vt homo saluus fiat.* Irenæus [c] sanè Christum ait, *tamquam medicum venisse ad nostra curanda vulnera.* Gregorius Nyssenus [d]: *Omnem* (inquit) *bonorum spem in Christo firmiter esse credimus, qui bonum aliquod adeptus est, is in Christo est, qui omne bonum continet.* Cyrillus Alexandrinus explicans verba illa [e]: *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam: Filius* (inquit) *vita substantialiter est, & per fidem in credentibus habitat.* Alibi [f]: *Tabernaculo igitur præcedente Hebræi sequebantur, stante, castra metabantur, vt nos discamus nullum alium nobis esse ducem datum ad salutem, quam Verbum Dei hominem factum.* Illa verò apertissima sunt [g]: *Filius vt sanctitatis fons ex propria potestate discipulos sanctificat dicens: Accipite Spiritum sanctum.*

V. Origenes [h] porrò Christum vocat omnia bona, & Diabolum omnia mala. Et alio quodam [i] loco Christum appellat propitiationem, & hostiam: *Secundum ergo* (inquit) *quod hostia est, profusione sanguinis propitiatio efficitur in eo quod dat remissionē præcedētium delictorum.* Epiphanius [k] explicans verba illa Pauli [l]: *Apparuit humanitas.* multa Christi beneficia recenset, eúmque ostendit per gratiam habitare in nobis. Nec dissimilia in eum locum scribunt Chrysostomus, & Theodoretus. Plura in eamdem sententiam afferunt Latini. Ambrosius enim ait [m]: *Omnia igitur habemus in Christo, omnis anima accedat ad eum siue corporalibus ægra peccatis, siue clauis quibusdā sæcularis cupiditatis infixa, siue imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, siue multis aliqua sit iā perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortē times, vita est; si cælum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est, si cibum quæris, alimentum est.* Et multa deinceps. Prosper [n] verò Christi mortem ad omnium scelerum expiationem à Deo Patre relatam esse affirmat. Multáque in eamdem sententiam scribit Augustinus [o]: nec pauciora Bernardus [p]; constat enim absque Christi beneficio neminem vmquam consequutum, aut consequi posse salutem, quod olim quidem in Concilio Mileuitano, & Arausicano, & nuper in Concilio Tridentino [q] definitum est. Quæ cùm ita sint, rectè dixit Apostolus: *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.*

VI. De vi, atque efficacitate sanguinis Christi trifariam scriptura loquitur, interdum enim vtitur tempore præterito, vt cùm Paulus ait [s]: *Gratificauit nos in dilecto filio suo* Alibi [t]: *Recōciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Et Ioannes [v]: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Denique Isaias [u]: *Ipse peccata multorum tulit.* Aliàs præsenti, vt hoc loco Ioannes, & Paulus [x]: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Interdum futuro, sic Dauid [y]: *Quis dabit ex Sion salutare Israël?* Isaias [z]: *Veniet ex Sion redemptor.* Quæ sanè omnia significant amplitudinem meritorum Christi, & immensam quamdam vim, atque efficacitatem ipsius sanguinis, quæ ad omnes hominum ætates pertineat, non quòd omnibus omnino profit, aut profuerit, profuturúsve sit, sed quòd omnibus prodesse queat: ea tamen verâ aliter, atque aliter applicatur nunc vi Sacramentorum, quàm olim, vt Theologi tradunt in scholis. In præsentia igitur docet Apostolus, nobis facilè Christi sanguinem applicari posse, cùm suppetant Sacramenta, quæ sunt veluti aromatariorum narthecia, in quibus Christi merita continentur. Dicitur autem sanguis Christi emundare ab omni peccato, quia nullum est tam immane facinus, quod nequeat Christi sanguine elui, & Sacramentis ritè adhibitis expiari. Emundat igitur, quantum est in se, qua ratione medicamentum morbos curat, si ex artis præscripto vsurpatur, requiritur autem dolor, ac detestatio peccati, quia, vt ait Augustinus: *Qui creauit te sine te, non iustificat te sine te; creauit nescientem, non iustificat, nisi volentem.*

8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

I. Quoniam dixerat, Christi sanguine omnia peccata expiari, ne quis excipiat, se eius sanguinis beneficio non egere, subdit, neminem esse, qui verè affirmare possit, se omni prorsus scelere, ac vitio carere. Augustinus certè superiora de peccato originis explicat, quasi Apostolus dixerit, Christi sanguine peccatum à parentibus contractum expiari, in quo tamquam in semine omnia peccata continentur. Hæc autem, quæ nunc subijcit Apostolus, de peccato propria actione patrato accipienda esse docet; quod mox dicet confessione condonari. Quicquid autem de superiori sententia existimandum sit (quamquam non video, cur ad peccatum originis restringenda sit) hîc agi de peccatis spontè perpetratis haud ambigam. Non possum tamen vlla ratione probare, quod in populari concione dixit non nemo, de lethali crimine loqui Apostolum, quasi nemo possit absque graui, lethalique piaculo vitam traducere, quod nihil est aliud, quàm asserere Dei legem eiusmodi esse, cui nemo possit omni ex parte obtemperare, cùm tamen mandata eius grauia non sint, positáque diuina gratia omnibus possibilia. Nam alioqui receptissimum est, quod non semel inculcat Augustinus, neminem peccare in eo, quod vitare non potest, qui verò lethalia peccata eiusmodi esse affirmat, vt ab iis nemo possit esse prorsus immunis, fateatur necesse est, hominem peccando non peccare, quod quàm sit absurdum nemo non videt. Non me fugit existimasse nonnullos loqui Apostolum non de peccato propriè, sed de fomite, seu concupiscentia, quæ non rarò peccatum appellatur, quia à peccato oritur, & ad peccatum prouocat, vt alibi copiosiùs docui. Sed vt ingenuè dicam, quod sentio, non facilè à me impetro, vt iis assentiar, nec enim credo venisse in mentem Apostolo, quemquam adeò vel insanire, vel omnem penitus pudorem abiecisse, qui dicere audeat, se nulla cupiditate pulsari, nullam experiri in se pugnam, quam etiam viri sanctissimi coguntur experiri vel inuiti.

II. Loquitur igitur Apostolus de leuioribus culpis, &, vt Theologi loquuntur in scholis, venialibus peccatis, atque vniuersim pronunciat, neminem esse, qui omni prorsus culpa vacet. Nam si quis affirmare audeat, se nulli prorsus culpæ esse affinem, se ipse seducit, hoc est, sibi imponit, & longè abest à veritate. hoc enim est, vt ait Oecumenius, seipsum decipere, hoc est, aberrare à vero, quia, vt ait Apostolus, *veritas in eo non est.* Id olim accidit Pelagio, qui longiùs etiam progressus, naturæ viribus aiebat omnia quamuis leuissima peccata vitari posse. Nec multùm ab eo errore recedunt ij [a], qui facilè admittunt ea leuiora piacula, quæ subito quodam impetu admittuntur, & vt Theologi loquuntur, ex surreptione, vitari omnia nequaquam posse; quæ verò

ex

Marginal notes: a cap. 2. 11. — b cap. 10. 9. — c lib. 5. c. 11. — de vit. ... — a. in ... c. 74. — 4. c. 48. — ... a hoc ... entia — ... lib. 9. — ... c. 23. — 42. ... 47. — ... Thes. ... in fin. — ... lib. 5. — ... 1. — 12. — ... 1. — de ... — in ep. ... om. in — lib. 3. in epist. — ... ec dis. ... habet — c. 8. & ... omil. 2. in ... — in Ancho. — ad Tit. 3. 4. — m lib. 3. de Virg. — n lib. 2. de vocat. Gent. 6. — ... 92. de ... explicans verba ... 35. Apud eo est finis vita. — p Serm. 13. ... Serm. 1. ... natal. & Serm. 66. in ... — ... 6. c. 5. — ... Ephes. 6. — Rom 5. — Apoc. 1. 5. — ... 53. 12. — ad Ephes. — ... 13. 7. — ... 59. 20. — a Duran. in 2. d. 28. q. 5.

ex genere suo leuia sunt, quæque non sine præcurrenti consilio patrantur, eiusmodi esse, vt ab iis integer, ac purus liberè quispiam esse queat. Alia omnia docuit hæreticus [a] impostor, qui ne leuissimam quidem labeculam quamuis maximæ gratiæ præsidio effugi posse contendebat. Persimili errore lapsus est alius [b] quispiam, qui ausus est affirmare omnes iustorum actiones, quales quales illæ tandem sint, honestas, ac laudabiles esse; contra verò quicquid impij agant culpa nō vacare. Nec leuiori errore inuoluuntur ij [c], qui tantam posse comparari perfectionem aiebant, quæ vsque eò hominis animum aduersùs libidinis impetum, & Dæmonis vexationes firmaret, vt labi, deficere, denique peccare nulla ratione posset, qui sanè omnes errores iam pridem ab Ecclesia explosi nostra non indigent confutatione.

a Luther.
b Ioan. Hus.
c Begardi, & Beguinæ.

III. Cæterùm verissimè iudicat Apostolus, quod certa fide credendum monet Ecclesia, neminem quantumuis perfectum, & iustum, citra peculiare Dei priuilegium, eximiúmque diuinæ gratiæ beneficium adeò vitam innocenter traducere posse, vt nusquam offendat, aut labatur. Quod non obscurè insinuant Patres Concilij Mileuitani [d], qui hunc Ioannis locum ita explicant, vt non tātùm humiliter, sed etiam veraciter (ita enim illi loquuntur) dicendum sit, nos non omni penitus carere peccato; adduntque anathema ei, qui aliter Apostoli verba interpretetur. Et Concilium Tridentinum [e] in eamdem sententiam eos anathemati subijcit, qui existimauerint, *iustum posse in tota vita omnia etiam venialia peccata vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia.* Suffragantur alia nō pauca Scripturæ testimonia. Salomon [f] enim: *Non est* (inquit) *homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Et alibi [g]: *Septies in die cadit iustus, & resurgit.* Dauid [h] autem cùm de peccati condonatione ageret: *Pro hac* (inquit) *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Et alibi [i]: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Denique Iacobus Apostolus [k]: *in multis* (ait) *offendimus omnes.*

d cap. 6.
e Sess. 6. can. 23.
f Eccles. 7. 21.
g Prou. 24. 16.
h Ps. 31. 6.
i Ps. 141. 2.
k cap. 3. 2.

IV. Frequenter autem probat Augustinus, omnes quamuis eximia sanctitate præditos, non tantùm ex humilitate, sed omnino ex vero illud orationis Dominicę vsurpare posse: *Dimitte nobis debita nostra.* Huc pertinet tota disputatio Hieronymi aduersùs Pelagianos. Itemque quod scribit Augustinus. [l] *Nam si testimonia* (inquit) *scripturarum, quibus existimo definitū, nullum hominē hîc viuentem, quamuis vtatur libero arbitrio, inueniri sine peccato, sicuti est, ne intres in iudiciū cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens; & cætera talia, quisquam docere potuerit aliter esse accipienda, quàm sonant, & demonstrauerit aliquem, vel aliquos sine vllo hîc vixisse peccato, qui non ei nō solùm minimè aduersatus, verùmetiā plurimùm gratulatus fuerit, non mediocribus inuidētiæ stimulis agitatur.* Mox autem addit, quod ad præsentem Apostoli locum illustrandum plurimùm valet: *Quin etiam si nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus, & tamē esse, aut fuisse, aut fore defenditur, & putatur, quantum ego iudicare possum, non multum erratur, nec perniciosè, cum quadam quisque beneuolentia fallitur; si tamen qui hoc putat, se ipsum talem esse non putet, nisi re vera, ac liquidò talem se esse perspexerit.* Planiùs autem alibi [m]: *Quisquis ergo fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominē, vel aliquos homines putat excepto vno Mediatore Dei, & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, cōtrarius est diuinæ scripturæ.* Et paucis interiectis: *Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum, ita quemquam hominē iustè vixisse in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Ioāni, qui ait: Si dixerimus, quia peccatū non habemus, nos ipsos*

l l. de spir. & litt. c. 2.
m de perf. iust. cap. 21.

A *seducimus, & veritas in nobis non est.* Post nonnulla negat in oratione Dominica dicendum esse: *Dimitte nobis debita nostra, si numquam vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione eiusdem peccati desiderijs aliquantulum consentiremus, sed tantummodo dicendum esset: Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Nec Iacobus Apostolus diceret: In multis offendimus omnes.*

V. Eodem refero alia non pauca sanctorum Patrum testimonia, Basilij [a], Cypriani [b], Hilarij [c], Ambrosij [d], Gennadij [e], Gregorij [f], Cassiani [g], Bernardi [h], ex quibus colligo neminem tanta Dei gratia præditum, tantísque diuinæ gratiæ præsidiis instructum esse posse, qui in omni vita suas omnes actiones ita moderetur, & regat, vt omni etiam leuissima culpa perB petuò vacet. Quod dicerim propter nonnullos, qui affirmant, circumscripto diuino priuilegio posse quempiam diuinæ gratiæ sese obsequentem præbere, & in virtutis stadio quotidie magis, ac magis proficere, vitia extinguere, perturbationes sedare, tantam denique longo vsu bene agendi facilitatem comparare, vt in reliquo vitæ tempore vsque ad finem integram innocentiam, ac penitus illæsam teneat. Quorum sententia quemdam hominum statum optandum potius, quàm sperandum describit; hæc enim omnia, quæ ab his commemorantur, eximium quoddam, planéque singulare beneficium exigunt; quo posito, vt non ita multo post dicemus, C nihil prohibet, quominus quis ab omni prorsus labe purus, atque integer reperiri queat. Accedit, quòd ea omnia, quæ commemorata sunt, physicam quamdam facultatem indicant, non tamen moralem. Iis [i] tamen non planè assentior, qui non audent concedere, posse quempiam ad breuissimum tempus omni culpa carere, cùm tamen id apertè asserat Diuus Thomas [k]. Quis enim negare audeat, si quis iam ætate adultus baptismo expietur, eum ad breuissimum tempus omni prorsus peccati labe carere?

a Homil. de peccat.
b lib. 3. ad Quir. c. 54.
c in Ps. 118.
d in Luc. c. 1. & lib. de fug. sæcul. cap. 1.
e de Eccles. dogm. c. 9.
f lib. 8. Mor. c. 4. & lib. 21. c. 9.
g Coll. 23. à c. 17. vsque ad fin.
h l. de præcep. & disp.
i Ioan. Driedo lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 5.
k 3. p. q. 79. art. 4. ad 2.

VI. Nec interim inficias, quo quis maiores habet in Christiana virtute, & charitate progressus, eum & paucioribus, & leuioribus noxis raro admodum inquinari, vt colligitur ex Hieronymo [l], & Augustino [m]. Ita legimus in sacris litteris quosdam fuisse perfectos, & coram Deo ambulasse: ita loquitur D Scriptura de Noë [n], de Abraham [o], de Asa Rege [p], de Ezechia [q]. Alios quosdam ait diuinis præceptis obtemperasse, vitámque sine querela traduxisse. Ita loquitur de Iob [r], de Dauide [s], de Zacharia [t]. Idem de Apostolis asserit Augustinus [u]. Quamquam, vt verum fatear, non repugnat, viros interdum eximia sanctitate præditos, siue ob naturæ conditionem, siue ob rerum euenta, & varias, ac multiplices occupationes frequentiùs iis maculis inquinari, quæ subito quodam impetu, qui rationem vt plurimùm præuertat, patrari solent. Atque ita nemo prorsus erit, cui hæc Apostolica sententia non conueniat, qui non verè, atque ex animo dicere possit: *Dimitte nobis debita nostra,* vt præterita respiciat, *& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo,* vt futura pecE candi pericula, & peccata vitare queat.

l Dial. 3. cōt. Pelag.
m l. de nupt. & cōcupisc. c. 4. & lib. de nat. & grat. cap. 62.
n Gen. 6. 9. & Ecclesi. 44. 17.
o Gen. 17.
p 3. Reg. 15. & 2. Para. 15.
q 4. Reg. 20. & Eccl. 48.
r cap. 1. 23. & 29.
s Psal. 100. & 118.
t Luc. 1.
u lib. 1. de Serm. Dom. in mon. & l. 1. retract. cap. 19.

VII. Atqui sacræ literæ exigere videntur integram, & puram vitam, atque omnis labis prorsus expertem. Paulus enim Colossenses [x] hortatur, vt ambulent *dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei in omni virtute.* Et ad Corinthios [y]: *Stabiles* (inquit) *estote, & immobiles, abūdantes in opere Domini semper.* Ad Philippenses [z] verò: *Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehēsione, in medio nationis prauæ, & peruersæ.* Et in eādem sententiam Petrus [a] omnes hortatur ad Christianam perfectionem capessendam. Denique perfecta legis

x Coloss. 1. 10.
y 1. Cor. 15. 58.
z Philip. 2. 15.
a ep. 2. c. 1.

legis obseruatio hoc videtur necessariò postulare, cum præsertim prisci Ecclesiæ Patres mira prædicent de diuinæ legis facilitate; præsertim Origenes [a], Basilius [b], Gregorius Nyssenus [c], Chrysostomus [d], Hilarius [e], Hieronymus [f], Augustinus [g], Cæsarius [h], Bernardus [i], quibus addi potest Philo Iudæus [k], cùm præsertim tanta videatur esse diuinæ gratiæ efficacitas, vt omnes difficultates superare queat. Igitur nonnulli cùm hoc maximè argumento se vehementer premi animaduerterent, responderunt, scripturarum adhortationes potissimum referri ad lethalia peccata fugienda, quæ propriè animũ inquinant, diuinámque gratiam expellunt; monere prætereà, vt nitantur homines, & ad perfectiora semper contendant, & ab omnibus malis, quoad eius fieri potest, recedant; quòd si non omnia prorsus effugiant, non id gratiæ vim, ac potestatem infringere, sed naturæ imbecillitatem indicare, quam cùm Deus facilè tollere posset, eam tamen ad humilitatem conseruandam, exercendámque reliquit.

VIII. Cui sententiæ fauere videtur Augustinus [l], cùm enim quæreret Cœlestius, vtrùm præceptum sit homini sine peccato esse: *Aut enim* (dicebat) *non potest, & præceptum non est: Aut quia præceptũ est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non posset?* respondet Augustinus, *cõsultissimè homini præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt cùm se nõ posse perspexerit, medicinã requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem, gratia Dei est per Iesum Christũ Dominum nostrum.* Sed aut ego vehementer fallor, aut hæc responsio nodum non expedit, ponere enim videtur gratiam, quæ ad omnia peccata vitanda, etiam venialia necessaria est, in promptu esse, ac pro libito cuiusque haberi posse, quod alias perpetuò negat Augustinus, atque in re proposita admitti neutiquam potest, quandoquidem, vt modò dixi, absque singulari Dei priuilegio vitari omnia peccata venialia nequaquam possunt. Itaque dixerunt alij [m] hanc Christianam perfectionem, quæ omnes vel leuissimas culpas excludat, non præcipi, sed indicari, quod multo videtur absurdius; peccatum enim, vt aliàs docui, absque lege aut præcepto intelligi non potest, cùm præsertim ij non sint audiendi, qui peccata venialia putant esse non contra præcepta, sed contra consilia.

IX. Igitur existimarim, Dei legem, si conferatur cum homine in pura natura constituto, non modò esse possibilem, sed etiam facilem, quia, vt aliàs docui, si in eo statu conditus fuisset homo, vt plurimum honestè, laudabilitérque vixisset, & communi prouidentia submaus, eos potuisset in virtute habere progressus, vt facilè etiam omni quamuis leuissima culpa vacaret, quod multo magis de statu innocentiæ existimandum est, cum diuinæ gratiæ, æternorúmque supranaturalium bonorum præsidium adesset. Nunc autem vitiata natura, cùm lex nequaquam mutata sit, humani arbitrij vitio, licèt integra maneret physica potestas legi obtemperandi; moralis tamen facultas venialium culparum respectu etiam posita communi gratia adeò est attenuata, vt necesse sit nonnunquam offendere, & labi, quod non idcirco factum est, quòd gratia non posset hanc humanam imbecillitatem subleuare, suóque diuino præsidio perficere, ac roborare, sed tum vt gratiæ necessitas cognoscatur, tum vt Christiana modestia, atque humilitas retineatur, cùm præsertim ea sit humanæ vitæ ratio, vt multa accidant, quæ subitò mentem concutiant, vel animum varijs perturbationibus commoueant, vnde facillimum sit, leui aliqua labe infici, quæ vix interdum deprehendatur. Quocirca Dauid ita Deum alloquitur [a]: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis mũda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Nam vt ait Augustinus [a], multa peccantur verborum, & cogitationum offensionibus; quibus sanè modis frequenter labitur humana mortalitas, atque ita ad hæc tam varia, tamque multiplicia peccata omni ex parte cauenda eximium, ac singulare Dei priuilegium postulatur.

X. Neque verò inficiandum est, eiusmodi priuilegium diuinitus concedi posse, cùm longè maior sit vis, atque efficacitas diuinæ gratiæ, quàm humanæ naturæ imbecillitas, facilèque possit Deus immortalis omnes animi nostri perturbationes sedare, & fomitem, vt Theologi loquuntur, aut comprimere, aut extinguere, peccandique materiam, & occasiones subtrahere, denique ad actionem peccati suum necessarium concursum denegare. Id verò non obscurè pluribus locis indicat Augustinus [b], nec videtur absurdum, vt viri docti monent, asserere, fuisse hoc priuilegium nonnullis concessum, quod colligitur ex epistola [d] quinque Episcoporum ad Innocentium, & ex Augustino [e]. Nec desunt [f], qui hoc priuilegium tribuant Ioanni Baptistæ. Fateor tamen longè probabilius videri hoc esse proprium priuilegium beatissimæ Virginis, nulli prætereà commune, vt indicant Basilius [g], Hieronymus [h], & Augustinus [i]. Quibus addo Gregorium [k], Bedam [l], & Bernardum [m]. Nam de Virgine quidem dubitare non licet, cùm Tridentini Concilij Patres [n] hoc ei priuilegium apertè tribuant. Et Augustinus [o] quidem: *Excepta* (inquit) *sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem, inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatũ. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas, cùm hic viuerent congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, vtrum hoc quod iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nónne vna voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est?*

XI. Idem verò alibi rectè [p] colligi putat, si quis sponte sua nunquam peccauerit, ne contraxisse quidem peccatum originis. cùm enim de Christo loqueretur, affert Iuliani sententiam, qui ex verbis Petri [q] dicebat satis intelligi, *in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatũ, vt doceret, quia quod non fecit, habere non potuit.* tum subdit Augustinus, *omnino verissimum est, profectò enim peccatũ etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea* (inquit) *nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Ex quibus verbis, vt de beatissima Virgine, cui secundùm Christum plurimùm humana mortalitas debet, fusiùs aliquantùm dissseram, duplex eius priuilegium deprehenditur. Nam quoniam rectâ fide credimus Virginẽ Deiparam nullo vnquam quamuis leuissimo piaculo sese sponte sua inquinasse, si rectè argumentatur Augustinus, consequens est, eam ne contraxisse quidem primæuam illam totius naturæ labem. Quod quamquam à paucis admodum oppugnatur, visum tamen est, ad huius beatissimæ Virginis honorem, & gloriam in præsentia paulo vberiùs confirmare, vt interim appareat hanc Ioannis amplissimam sententiam beatissimam Virginem nullo modo attingere. Existunt autem quatuor hoc loco explicandæ quæstiones. Prima, nunnéne, qui nascuntur ex Adamo sint obnoxij Adami peccato, seu quod idem est, illius debitum contraxerint; altera, an omnes in Adamo peccauerint, siue eius peccati

a Hom. 9. in Ios.
b Homil. in dictum: Attende tibi.
c ad Harm. de profess. nom. Christiani, & in Beati. Beati mundo corde. & in dict. Euang. Quatenus [illegible] ex minimis meis fecistis.
[illegible] Hom. 8. de pœnit.
[illegible] de charitate.
[illegible] 19. ad [illegible] om. [illegible] in Matt.
[illegible] 2. ad [illegible]
[illegible] 112. in verb. Latum mandatum tuum nimis:
[illegible] ad Nepot. de vit. Cler.
g Serm. 191. de temp.
[illegible] Hom. 9. ad Monachos.
[illegible] Serm 2. de ascen. Dom.
k lib. de legib.
l de perf. iust. resp. 6.
m Lyran. Matth. 22.
a Psal. 18. 13.
a in Enchir. cap. 78.
b lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 6. lib. de nat. & grat. cap. 40.
d inter epp. Aug ep. 95.
e li. de perf. iustit. in fin. li. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 6. lib. de spir. & lit. cap. 2.
f Ambr. Cather. lib. de exim. præd. Christi.
g Hom. 16.
h epistol. ad Rust. & li. 2. cont. Pelag.
i lib. 5. cont. Iul. c. 9. li de nat. & grat. cap. 62.
k Hom. 17. Euang & li. 18. Mor c. 4 & lib. 32. c. 1.
l Ioan. 1. ad ill. ver. Ecce qui tollit peccata mundi.
m l. de grat. & lib arb.
n Sess. 6. can. 23.
o lib de nat. & grat c. 36.
p li. 5. cont. Iul. cap. 15.
q ep. 1. c. 2.
e 10. Driedo lib. 1 de gra. & lib. arb. cap 5. p 2[illegible]

A peccati labem re ipsa contrahant, siue secus; tertia, an possit quis concipi absque peccato; quarta ac postrema, verene beata Virgo originariam labem contraxerit.

XII. Iam verò antequam primam quæstionem aggrediar, statuendum est, longè esse aliud debitum peccati, quàm ipsum peccatum, quemadmodum & mortis debitum ab ipsa morte distinguitur; idque nonnullis Scripturæ testimoniis, atque exemplis facilè probari potest, nam vt scribitur in libro Geneseos [a], Iacobum fugientem Laban socer minarum plenus insectabatur, tamque animo bonorum omnium prædam deuorauerat, réque ipsa perfecturus omnino videbatur, nisi diuinitus secùdùm quietem prohibitus mentem, consiliúmque mutasset. Eodemque modo si Dauid [b] sese recepisset in Ceilam, B futurum erat, vt à ciuibus Saülis trucidandus traderetur, monitus à Deo periculum euasit. Denique certum est, cunctos homines morti esse obnoxios, & debitum mortis contraxisse, an omnes re ipsa mortem obituri sint, adhuc ambigitur, cùm D. Thomas [c], & alij [d] eorum sententiam probabilem esse putent, qui non omnes morituros esse affirmant. Eadem igitur ratione fieri potest, vt quis peccato sit obnoxius, nec tamen re ipsa peccet. Peccare autem in Adamo quidam idem esse putant cum debito peccati contrahendi, vel ipsum certè debitum præuertere; perinde quasi omnes contrahendo peccatu sint obnoxij, quia in Adamo peccauerunt. Ego verò non alia ratione crediderim omnes in Adamo peccasse, nisi quia vi seminis in illo continebantur, nec gratiæ C beneficio à lege illa cum primo parente, eiusque posteritate lata excipiuntur. Ita duplex intelligitur existere debitum, & peccandi in Adamo fictione quadam iuris, nisi excipiantur, & vbi in illo peccauerint, eius peccati labem contrahendi, constat enim aliud esse concipi debere in peccato, aliud re vera in illo concipi.

(a cap. 31.)
(b 1. Reg. 23. 21.)
(c 1. 2. q. 83. ar. 3. ad 1.)
(d Caiet. ib.)

XIII. Posse autem distingui debitum peccandi in Adamo ab ipso peccato, atque adeò potuisse excipi quempiam ab illa lege communi qua omnes posteri Adæ comprehendebantur, humano potest exemplo vecumque indicari. Potest enim Rex alicui militi castrum fiduciario iure possidendum concedere, posteros omnes eiusdem militis eodem iure astrin- D gens, vno, vel altero excepto, quem ipse Rex præcipua quadam beneuolentia complectatur, ita vt quamuis reliqui omnes si ipsorum parens, aut progenitor regiam maiestatem violarint, à fiduciario iure cadant, is tamen, qui excipitur, ius illud retineat. Quod idem dixerim de Adami posteris, si quem enim Deus peculiari beneuolentia prosequatur, Christi præsertim meritis potuit ab ea lege eximere, qua peccante Adamo eius omnes posteri peccaturi erant, licèt alioqui eidem peccato obnoxius esset. Quod illo exemplo confirmari potest, quod legitur in libro Esther [e], nam cùm Rex legem tulisset, ne quis nisi accersitus Regem adiret, & Regina Esther E vltrò ad eum accessisset, ac propterea vereretur, ne legis pœnæ subiiceretur: *Non morieris* (inquit Rex) *non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.*

(e cap. 15. 13.)

XIV. Quod igitur ad primam quæstionem attinet, existimauit nonnemo [f] pertinere ad fidem Catholicam, omnes, qui naturaliter oriuntur ex Adamo, originariæ labis debitum contrahere, quod vt minimùm ego intelligo de priori illo debito peccandi in Adamo, vt planius constabit infra; idque videtur ex sacris literis apertissimè colligi, ait enim Paulus [g], *in quo omnes peccauerunt*, quod vt minimùm intelligitur de peccandi debito, quomodo necessariò intelligenda sunt verba illa Geneseos [h], *quocumque die comederis, morte morieris*, hoc est, morti obnoxius eris; A neque enim eo die mortuus est Adam, quo peccauit, sed ab eo die morti fuit obnoxius. Accedit, quòd Adamo Paulus ex aduerso opponit Christum, in quo ait omnes viuificari, cùm tamen plurimi sua culpa Christi beneficio careant, vt appareat eum loqui de peccato Adæ, & Christi gratia, vt per se suapte vi spectantur, illud enim suapte natura omnes inquinat, vel inquinare potest; Christi verò gratia salutem omnibus potest afferre; quo etiam modo alibi loquitur Paulus: [a] *Si Christus* (inquit) *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; cùm tamen re vera non omnes cum Christo peccato moriantur.

(f Caietan. opusc. de cócep. Virg.)
(g ad Rom. 5. 12.)
(h cap. 2. 17.)
(a 2. ad Cor. 5.)

XV. Idem sanctorum Patrum testimonio, atque auctoritate probari potest, qui dum negāt, quemquam præter Christum excipi ab hac lege peccati, procul B dubio de debito peccandi, vel peccati contrahendi, intelligendi sunt, cùm maxima eorum pars non modò de peccato originis, sed de iis culpis loquatur, quibus quis sponte sua inquinatur. Sic enim loquitur Clemens Romanus [b]: *Nemo* (inquit) *à peccato vacuus est, præter eum, qui propter nos factus est homo, cùm scriptū sit: Nullus purus a sorde, etiamsi vnius diei sit vita eius.* At certum est, vt infra dicemus, non paucos fuisse in vtero præditos sanctitate, atque adeò absque vllo scelere produisse in lucem. Neque aliter loquitur Ambrosius [c]: *Solus enim* (ait) *per omnia est natus de fœmina sanctus Dominus Iesus, qui carnalis contagia corruptela immaculati partus nouitate nō senserit, & cælesti maiestate depulerit.* Auctor verò commentario- C rum [d], qui ipsi tribuuntur: *Tale* (inquit) *fuit originale peccatum in carne primi hominis, vt pœna, & peccatū fieri potuisset in omni humano genere, præterquam in Christo, in quo solo salus, & remedium fuit.* Eademque ratione accipio, quæ pluribus locis scribit Augustinus [e], vt cùm ait: *Corpus Christi quamuis ex carne fœminæ assumptum est, quæ & de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptū est, quomodo fuerat ea cōcepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* Et alibi [f]: *Quod si dementis est dicere, & sine dubio caro Christi, nō est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnē esse peccati?* & multa deinceps.

(b l. 2. const cap. 18.)
(c lib. 2. in Luc.)
(d ad Heb. 4)
(e lib. 10. de Gen. ad lit. c. 18. Simil. habes lib. 5. contra Iul. cap. 15.)
(f li. 5. cont. Iul. c. 15.)

XVI. Rursus [g]: *Legitur sanè homo sine crimine, legitur sine D querela, & nō legitur sine peccato, nisi filius hominis vnus, idemque Dei filius.* Itemq;: *Quisquis fuisse, vel esse in hac vita aliquem, vel aliquos homines putat excepto vno mediatore Dei, & hominū, quibus necessaria non fuit remissio peccatorū, contrarius est Scripturæ diuinæ.* Addo & illa [h]: *Non pro magno cōmendaretur in Christo similitudo carnis peccati, nisi omnis cætera caro esset caro peccati.* Et alio quodam loco [i]: *Ecce vnde trahitur peccatum originale, ecce cur nemo nascitur sine peccato, ecce propter quod Dominus nō sic concipi voluit.* Postremò [k]: *Omnes mortui sūt in peccatis, nemine prorsus excepto, siue originalibus, siue voluntate additis.* Eodem refero quæ scribit Fulgentius [l]: *Hæc est gratia, qua factum est, vt Deus, qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo conciperetur, E atque nasceretur in similitudine carnis peccati de carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solēnitate concepta, caro fuit vtique peccati, quæ filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.* Quibus verbis dum ait beatam Virginem in iniquitatibus fuisse humana solemnitate cooceptam, de prima illa conceptione loquitur, quæ fit in ipso viri cum fœmina congressu, de qua plura infra dicturi sumus; dum verò vocat carnem Virginis carnē peccati, debitum peccati significat. Eusebius porro Emyssenus [m]: *Sanguinē* (inquit) *quem pro matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Et alibi Virginem alloquens ait [n]: *Sanguinē de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit, quē*

(g 1. de perf. iust.)
(h Ser. 33. de verb. Apost.)
(i Serm. 45. de temp.)
(k lib. 20. de Ciuit. c. 6.)
(l lib. de incarn. & grat. Christi c. 6.)
(m Hom. 1. de nat.)
(n Hom. 1.)

etiam

A *etiam pro te soluas, à peccati enim nexu per se non fuit immunis, nec ipsa Genitrix redemptoris.* Et Leo Pontifex [a]: *Sicut nullum à peccato liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit, solus itaque inter filios hominum Dominus Iesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus est.* Alibi [b]: *Solus enim B. Virginis filius natus est sine peccato non extraneus ab hominũ genere, sed alienus à crimine.* Denique [c]: *Solus peccati contagium non haberet.*

a Serm. 1. de nat. Simil. Serm. 8.
b Serm. 12. de pass.
c Serm. 3. de Pent.

XVII. Iam Petrus Diaconus [d]: *Nullus est hominum, qui non huius peccati vinculo nascatur adstrictus, præter eum, qui ad vinculum hoc peccati soluendum nouo generationis modo natus est mediator Dei, & hominum.* Et Faustus [e]: *Cum illum solum videas ab originali immunem contagione, qui non carne, sed spiritu, neque erubescenda passione, id est, concupiscentia conceptus est, agnosco.* Anselmus [f]: *Virgo ipsa, unde assumptus est, in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam Mater eius, & cum originali peccato nata est, quia &* B *ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt.* Alibi [g] Virginem ait, antequam conciperet Christum, per fidem fuisse purgatam, indicans illam aliqua fuisse sorde fœdatam. Post nonnulla [h] dicit Christum sumpsisse carnem de carne peccatrice, sicut azymum de fermento. Et mox [i] Pauli testimonio. *Omnes* (ait) *excepto Christo probari peccatores.* Huc etiam spectant, quæ scribit Bernardus [k], de quo plura infra. Hæc igitur, atque id genus alia testimonia probant, solum Christum à debito peccati fuisse immunem, cæteros omnes ne exclusa quidem beatissima Virgine pecca- C to fuisse obnoxios, atque adeò vt minimùm eius debitum contraxisse. Nam alioqui si quis non solùm peccato, sed etiam peccati debito careat, huic Christus non fuit necessarius, imò nihil ei contulit, qui non venit, nisi peccatores saluos facere. An autem verba Pauli affirmantis omnes in Adamo peccasse, de solo debito, an de ipso verè peccato accipienda sint, non planè liquet. Sunt enim [l], qui de debito interpretentur; sunt [m] qui malint de ipso peccato accipere, vtra autem sententia sit verior, non ita multo post suo loco videro.

d lib. de incarn. cap. 3.
e lib. 2. de lib. arb.
f lib. 2. cur Deus homo cap. 16.
g lib. de concep. Virgin. cap. 18.
h cap. 20.
i cap. 22.
k epist. 174.
l Caietan.
m Ferrar. 4. cont. Gen. cap. 50.

XVIII. Porro quod spectat ad secundam quæstionem, cunctíue mortales re ipsa præsumptione viris in Adamo peccasse censeantur, qui hoc idem esse putant cum peccati debito, negant ab eo quemquam potuisse eximi, nos verò, qui, vt supra docuimus, aliter distinguimus, vltrò fatemur; potuisse Deum quem- D piam excipere, qui quamuis ratione corporeæ substantiæ in Adamo contineretur, atque adeò deberet, vt cæteri mortalium, in eo peccare, non censeretur tamẽ re ipsa vnà cum illo peccatum perpetrare, quia lege illa communi non intelligeretur comprehẽsus, vt allato exemplo ex fiduciario iure vtcumque probauimus. Quamquam autem non desunt, qui hunc dicendi modum re ipsa in beatissima Virgine maximè probent, sunt tamen alia ex parte, qui id minimè tutum opinentur, & via salua fide asseri posse contendant. Ego verò, vt suo loco infra planiùs ostendam, tametsi non nego id fieri omnino potuisse, nec fidei decretis vllo pacto repugnare, non possum tamen mihi persuadere id esse vel necessarium, vel sa- E cris litteris, aut priscis Patribus admodum consentaneum, ex quibus, vt minimùm probari videtur omnes in Adamo peccasse, atque adeò cõtrahendo peccato fuisse obnoxios, ac propterea propriè à Domino fuisse redemptos, ac liberatos, quod minus cómodè defendi, explicaríque potest, si semel quis admiserit beatam Virginem, aut alium quempiam in Adamo nõ peccasse, cùm præsertim cõmuni ferè Theologorum cõsensu receptum sit, nihil esse aliud in Adamo peccare quàm in eo vi seminis cõtineri. Quanquam enim debitum peccandi ab ipso peccato distingui videatur, non omnes tamen id facilè admiserint.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

XIX. A Tertia sanè quæstio, an videlicet vbi quis semel in Adamo peccauerit, ac debitum contrahendi peccati subierit, re ipsa possit absque peccato concipi, longè difficiliorem habet explicatum. Nec enim desunt, qui id posse fieri negent [a], qui præcipuè de beatissima Virgine loquuntur; videtúrque sententia Augustini [b], vbi solùm excipit Christum: *Præter hoc vinculum* (inquit) *concupiscentiæ carnalis natus est Christus sine masculo ex Virgine concipiente de Spiritu sancto, non potest iste dici in iniquitate conceptus, non potest dici, in peccatis mater eius in vtero eum aluit, cui dictum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Aliquanto autem post, cùm dixisset omnes in Adamo mortuos esse, & peccatum æquè, ac mortem omnes occupare, subdit: *Definita est sententia, in Adam* B (inquit) *omnes peccauerunt, solus esse innocens infans potuit, qui de opere in Adam non est natus.* Idem sensisse videtur Leo Pontifex [c]: *In tanta igitur* (inquit) *humani generis strage commune vnum solum fuit remedium sub diuinæ rationis occulto, quod possit subuenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus, a que innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset, & meritò. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat viuiata radicis sine semine propago esse, de quo Scriptura dicit* [d]: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nónne tu, qui solus es? Dominus Dauid factus est filius Dauid, & de promissi generis fructu proles est orta sine* C *vitio.* Vt enim apparet, perspicuè ostendit neminem humano semine concipi potuisse absque peccato, quod ipsum apertiùs, & quidem nominatim de Virgine docuit Bernardus [e]: *Non valuit* (inquit) *prius sancta esse, quàm esse, an fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi cõceptioni immiscuit, vt simul & sanctificata fuerit, & cõcepta? Nec hoc quidem admittit ratio, quomodo nãque aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut Spiritui sancto societas cũ peccato fuit? Aut certè peccatũ quomodo non fuit, vbi libido nõ defuit? nisi fortè quis dicat de Spiritu sancto cõ, & non de viro conceptam fuisse, sed id hactenus inauditum.*

a Henric. quodlib. 15. q. 13.
b in Psal. 50.
c Serm. 8. de nat. c. 3.
d Iob 4. 14.
e epist. 174.

XX. Itaque auidè hanc sententiam complectuntur Theologi non ignobiles, qui post legem latam negãt potuisse Deum vlli mortalium quidquam concedere, quod legi repugnaret, nisi velit sibi contrarius esse, & secum quodammodo pugnare, quod, vt leuissimè dicam, ineptissimum videtur. Quis enim ne- D get etiam posita lege potuisse Deum quempiam excipere, ne ea lege comprehenderetur, quod viri docti [f] vltrò fateri compulsi sunt; potuit enim quispiam ab ipsa lege excipi, ea verò postea potuit quis in Adamo peccare, & cõtrahendo peccato obnoxius fieri, qui tamen re ipsa Dei singulari munere, ac beneficio ab eo immunis conciperetur. Quomodo licèt omnes morti obnoxij sint, non repugnat tamen, vt quispiam mortem re ipsa effugiat. Addo quòd lex illa id tantùm necessariò postulare videbatur, vt omnes Adæ posteri exui sui ortus, qua ratione procreabantur ex semine, diuina gratia essent indigni, ita tamen vt integrum Deo esset singulari quempiam beneuolentia prosequi, atque immunem ab originaria E labe conseruare. At inquiunt, non potuisse Deum quemquam excipere à iustitia, & gratia, si in ea primus Parens perseuerasset, cur igitur non idem de peccati lege dicamus? Quasi verò si de absoluta potentia loquendum sit, non potuerit quoslibet à gratia excludere: sed si de ordinata potentia loquamur, fateor Dei dona, vt ait Apostolus, esse absque pœnitentia, facilèque admiserim, non prius Deum esse vltorem, quàm sit homo peccator. Cùm verò agimus de beneficio, & gratiæ priuilegio, quis audeat dicere vlla sua actione ademisse sibi Deum benefaciendi potestatem? Neque verò nobiscum pugnat Augustinus, & Leo Pontifex, vnum

f Heruæus quodlib. 4. q. vlt.

A enim illi excipiunt Christi conceptum, quia ex vi sua nullo pacto contrahendo peccato obnoxius erat, cùm cæteri omnes suapte natura labem originariam postulent, si diuinæ gratiæ priuilegium circumscribas. Quocirca verè significant, cunctos mortales contrahendo peccato obnoxios esse, cùm vi seminis ab Adamo originem ducant. De Bernardo verò, quia de B. Virginis conceptu nominatim differit, plura infra dicenda erunt.

XXI. In postrema verò quæstione primùm quidem statuendum videtur tamquam certum, de quo ambigi nefas sit ex verbis Pauli [a], aliisque similibus locis, vbi amplissima profertur sententia, qua omnes Adæ posteri originaria labe obstringuntur, non colligi certum B fidei decretum, quo priuilegium cuiuspiam excludatur, proindéque minimè fide Catholica credendum esse, omnes omnino mortales nemine excepto eam labem aut contraxisse, aut necessariò contrahere, quod apertissimè indicauit Synodus Tridentina [b], quæ cùm vniuersim pronunciasset, cunctos mortales originali peccato inquinari, continuò addidit, *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* indicans peculiare priuilegium cum lege generali non pugnare, quod etiam alicubi [c] concedit P. Thomas. Quòd si animaduertissent, qui aliter sentiunt, nõ tam facilè, opi- C nor, pronunciarent hoc Virginis priuilegium cum sacris litteris, & priscis Ecclesiæ Patribus pugnare. Addo hoc priuilegium etiam aliis potuisse concedi, nedum Dei parenti Virgini. Et si quis re ipsa cuipiam fuisse cõcessum assereret, nullo pacto posse hæreticos, aut erroris damnari, quod nobilissimi Theologi [d] cõtrariæ sententiæ assertores admittere non verẽtur. Neque enim id apertè sacris litteris, aut Ecclesiasticæ definitioni aduersatur; quãquam, vt arbitror, nõ careret id temeritate, & erroris suspicione, cùm neq; sacrarũ litterarũ testimonia, neque Ecclesiasticâ auctoritate firmari queat. Quamquã enim Ecclesia Græca B. Ioannis Baptistæ cõceptionem celebrat, id tamen Romanæ Ecclesiæ nõ probatur, & fortasse illi aliud quiddã ab hoc priuilegio longè diuersum spectarũt.

[a] ad Rom. 5. 12.
[b] Sess. 5. in decret. de pecc. orig.
[c] in 3. d. 3. q. 1. art. 1. quæst. 1.
[d] Caiet.

XXII. D Itaque retinenda est lex generalis, quæ asserit omnes, qui vi seminis ortum ducunt ab Adamo, originaria labe contaminari, quo fit vt multo cautiùs, longéque probabiliùs loquantur ij, qui admittunt beatissimam Virginem & in Adamo peccasse, & inde contraxisse debitum peccati, nam alioqui vix dici posset à Christo redempta, nisi peccato esset aliquo pacto obnoxia, etiam si Christi beneficio gratiam percepisset. Quamuis enim ea multorum sententia ex Christi meritis Angeli perceperint gratiam, nemo tamen eos ait fuisse redẽptos, cùm nulli crimini fuissent obnoxij. Præterea hoc admisso facilè refellũtur, quæ ab aduersariis ex Scripturis, & priscis Patribus proferuntur, tantùm enim probant Deiparam quippe peccato obnoxiam Christi sanguine fuisse redemptam, vnúmque Christum liberatorem vi sui E diuini conceptus omnis penitus labis fuisse expertem. Antequam autem vlteriùs progrediar, id mihi videor cum viris doctis [e] liberè posse affirmare eos [f] pugnãtia loqui, qui eodem articulo temporis putant beatissimam Virginem, & in peccato fuisse conceptam, & cælesti gratia perfusam, cùm enim peccatum gratiæ priuationem cõtineat, nihilo plus potest cum gratia consistere, quàm aientia, & negantia eadem de re eodem tempore, eodemque modo affirmari queant. His igitur ita positis omnes de quæstione proposita sententiæ ad pia capita reuocari possunt; quidam enim existimant hanc esse quęstionẽ penitus inutilem, neque posse ad fidẽ Catholicã vlla ratione A pertinere; alij contra alteram partem iam definitam esse autumant, eámque ad fidẽ Catholicam spectare; denique alij alterutri parti probabiliter adhæserunt.

[e] Duran. in 3. d. 3. q. 2.
[f] Henric. quodlib. 15. q. 13.

XXIII. Vt igitur à primo capite exordiamur, Hæretici [a] nonnulli nihil aiunt ad salutem animarum referre, sitne Virgo Deipara in peccato originali concepta, an secus, & pro sua singulari modestia hanc quæstionem otiosis ventribus relinquendam esse autumant. Inter Catholicos autem opinantur nonnulli [b] nihil in hac quæstione tamquam dogma fidei definiri posse, cùm sit res facti, de quo liquere non potest. Sed si hæretici negent hanc quæstionem pertinere ad salutem, quia neutra pars sit Ecclesiastica aucto- B ritate definita, verè omnino loquuntur, & ab Ecclesia non dissentiunt. Sin autem eorum studium reprehendunt, qui in alterutra parte asserenda siue ingeniosè, siue piè laborant, suo, ac suorum more faciũt, qui quod refellere non possunt, superbè despiciunt, & contumeliosè subsannãt. Neque verò admiserim, quæstionem esse otiosorum hominum (quamquam illi ventres maluerunt dicere, quòd Catholicos sui similes esse opinentur, quorum Deus venter est.) Sed quamdiu Ecclesia id permittit, digna est Theologico studio, atque diligentia, tum ad honorem, & laudem filij, ac matris, tùm ad veritatem cognoscendam, qua nihil est in rebus humanis pulchrius, nihil diuinius, C quamquam Pij V. & Pauli V. auctoritate editæ sunt constitutiones, quibus Concionatoribus interdicitur, ne vulgari lingua coram populo vtriusque sexus hãc quæstionem vltrò, citróque agitare, aut disputationis in morem argumenta proponere, & soluere audeant.

[a] Sarcer. in postill. ad init. Euang. Matth.
[b] Caietan. opuscul. de cõcep. Melchior Can. lib. 4. de loc. c. 14 & lib. 7. cap. 3.

XXIV. Catholici verò, qui propterea negant alteram partem definiri posse tãquam fidei dogma, quòd sit res facti, vt modestissimè loquar, incautiùs loqui videntur, nam isto modo nulla pene de beatissima Virgine quæstio ad fidẽ pertinere posset, siquidem perpetua eius virginitas, sanctitas, atque immunitas à peccato spontè patrato, corporis eius assumptio, & id genus alia facti sunt; nihil igitur horum, si Deo placet, pertinebit ad fidem, quod tamen pro ipsorum pietate affirmare non audebũt, licèt fortasse nihilo D plus ex sacris litteris, quàm immaculata conceptio probari queant. Itaque fatẽdum est, nihil esse hactenus ab Ecclesia definitum, posse tamen alteram partem tãquam fidei dogma constitui. Certè Paulus V. iussit partem negantem perpetuo silentio inuolui, nec posse publicè aut voce, aut scripto doceri. Neque verò existimandum est Concilium Tridentinum à definitione abstinuisse, quòd existimaret definiri non posse, sed quòd animaduerteret rem esse cõtentionis, difficultatis, & obscuritatis plenam, & quòd alia vrgerent, quæ ad hæreticos refellendos maximè spectarent, & ad Ecclesiasticos mores corrigendos, componendósque valerent, eam disputationem vt minus necessariam omittendam censuit, Sixti tamen IV. constitutiones, quibus Virginis priuilegium asseritur, tamquam probabile, & Christiana pietate, ac E veneratione dignum probauit, & confirmauit.

XXV. In secundo porrò capite variæ sunt hæreticorum, tum Catholicorum sententiæ: etenim hæreticorum princeps [c] existimare videtur fide credendum esse beatissimam Virginem communi peccati labe fuisse infectam, ait enim: *De speciali Mariæ priuilegio cùm cæleste diploma protulerint, credemus quod iactant.* Tum Augustini testimonio probare nititur eam fuisse, vt cæteros mortales in peccato conceptam. In eadem sententia inter Catholicos fuit aliquando B. Thomas [d], asserit enim, *secundùm fidem Catholicam firmiter credendum esse omnes homines præter Christum ex Adamo deriuatos cõtrahere peccatum originale.* Alibi verò [e], *erroneum esse*

[c] Calu. in antid. Conc. Trid.
[d] 1. 2. q. 81. art. 3.
[e] quæst. 4. de malo art. 6.

(ait) *excipere quemquam a peccato originali, qui via generationis descendit ab Adamo.* Idem dixit Auctor de fide ad Petrum, qui putatur Fulgentius [a]. *Firmissimè* (inquit) *tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, ac mulieris concipitur, in peccato originali nasci.* Huius autem sententiæ fuisse omnes veteres Patres quidam sanè quàm fidenter, & asseueranter affirmant, atque ad id probandum nonnullas adhibent coniecturas, quarum prima est, quia omnes ferè loquuntur contra Pelagianos, atque ita B. Virginem in omnium hominum ordinem redigunt, tamquam originaria labe contaminatam. Secunda, quia videntur existimare Patres, contrariam sententiam sacris literis aduersari. Tertia, quia docent contrariam sententiam esse ab Ecclesiæ sensu alienam. Quarta, quia eadē ratione peccato Virginem inuoluunt, qua Christum eximunt, quòd illa fuerit humano more concepta, Christus verò non item. Quinta, quia existimabant sancti, neminem posse originaria labe carere, nisi absque libidine conciperetur. Sexta, quia carnem Virginis carnem aiunt fuisse peccati, sicut affirmant Christi carnem fuisse similitudinem carnis peccati. Septima, quia non possumus dicere veteres illos Patres loqui de debito peccati contrahendi, cùm hæc distinctio priscis illis Theologis penitus fuerit inaudita. Postrema, quia B. Thomas [b] ex veterum Patrum sententia fide ait credendum esse, omnes excepto Christo originaria labe inquinari, vt existimandum sit, idem omnino veteres illos Patres sensisse, à quorum ille sententia ne latum quidem vnguem recedit.

a cap. 2.

b 3. p. q. 31. art. 5.

XXVI. Verùm hæc sententia adeò falsa est, vt si quis eam pertinaciter defendat, hæreticus habendus sit, vt facilè intelligi potest ex constitutionibus [c] Apostolicis, & Concilio Tridentino [d], quibus locis tantùm abest, vt peccatum Virginis asseratur, vt potiùs contrarium longè probabilius censeatur, & assertores contrariæ sententiæ anathemate feriantur. Neque verò adduci possum, vt credam veteres illos sanctos Patres huius fuisse sententiæ, cùm magnæ temeritatis esse videatur adeò asseueranter affirmare tam multos sanctos Patres tamquam fidei dogma probasse sententiam, quam sedes Apostolica tamquam planè hæreticam apertè damnauit. Quamuis enim illi propterea hæretici censendi non essent, quòd nihil adhuc eo tempore ab Ecclesia esset definitum, quia tamen communis consensus Patrum fidei habet auctoritatem, si, quod isti volunt, vsque ad Bernardi tempora communi consensu Patres Virginem Deiparam originaria labe implicitam existimabant, tam multis illis sæculis id Catholica fide credendum erat, nunc verò cùm tamquam hæreticum auctoritate Apostolica damnetur, quis non videt in rebus fidei mutationem, ac pugnam introduci? At quis vmquam fando audiuit id, quod aliquando inter fidei dogmata numerabatur, mox fuisse inter hæreses Apostolica auctoritate relatum? Sed vt appareat, quanto in errore sint ij, qui hanc sententiam priscis Patribus affingunt, expendamus, si placet, singulorum verba.

c extrauag. graue nimis de reliqu. & venerat. sanct. & Constit. Pij V.

d Sess. 5.

XXVII. Certè qui D. Thomam sequuntur in asserendis Patrum sententijs miram quamdam diligentiam præ se ferunt, & sacratum literarum, priscorumque Patrum studium profitentur. Itaque sunt [e], qui multos afferant, nominemque quidem contrarium sensisse, in quo tamen, vt non ita multo post ostendam, longius abeunt à vero; sunt [f], qui numerent ad quadraginta; sunt [g], qui tenocent ad quindecim. Ego veteres omnes Patres duas in classes distribuo, quarum prima eos continet, qui vno excepto Christo cæteros omnes aiunt originali peccato fuisse obstrictos; altera complectitur eos, qui beatissimam Virginem nominatim appellant, eámque aiunt communi labe fuisse inquinatam. Et in priori quidem præter eos, quos supra nominaui, recenseini B. Gregorius, qui alicubi [a] ait, solum Christum esse verè sanctum, & liberum à peccato. Cyrillus Alexandrinus, seu potiùs Origenes [b]: *Omnis* (inquit) *qui ingreditur hunc mundum in quadam contaminatione effici dicitur propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius.* Et aliquanto post: *Omnis ergo homo in patre, ac matre pollutus est, solus verò Iesus Christus Dominus meus in hanc generationem mundi ingressus in Matre non est pollutus.* Penè eadem scribit Cyrillus [c], vbi ait, *neminem excepto Christo Diaboli sagenam euasisse.* In posteriori verò collocari possunt Eusebius Emyssenus, Fulgentius, Bernardus, Anselmus, quorum verba supra recitaui. Præterea Ambrosius [d], qui dicit carnem Christi in Matre fuisse carnem peccati, addo Maximum [e], Remigium [f], Bedam [g], Augustinum [h].

e Can. lib. 3. de locis Theol. c. 13.

f Capreol. in 3. d. 3.

g Caietan. ... de concept.

a li. 11 Mor. c. 11. & l. 18. Mor. c. 35.

b l. b. 12. in Leuit. vers. fin.

c Dial. 1. de Trinit. fere med.

d in Ps. 118.

e Serm. de Assumpt.

f Ps. 1.

g Luc. 1.

h lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 24. & in 1 Ps. 34.

XXVIII. Verùm ego his, ac similibus sanctorum testimonijs nihil moueor; auctores enim prioris classis vel nihil probant, vel id vnum concludunt, omnes peccati debitum contraxisse, quod nos vltrò concedimus, nihil enim amplius dicunt, quàm quod ait Apostolus, omnes in Adamo peccasse; & vt aliquid de singulis dicamus, ordiar à Clemente Romano, quem ego supra primo loco nominaui. Vt igitur admittam librum constitutionū firmæ, ac ratæ auctoritatis esse, quod non omnes concedunt, nihil tamē aliud dicit, quàm quod ait Iob [i], neminem mundū esse à sorde; apertè autem excipit Christum, quia de illo sine diuinæ personæ respectu, siue sui ortus intuitu nulla poterat esse controuersia. Et mihi quidem valde fit verisimile, non illum de peccato originis, sed de eo loqui, quod sponte patratur, monet enim Episcopos, & sacerdotes, vt facilè peccata condonent, quòd nemo sit omnis penitus labis expers, allatis etiā exemplis Prophetarum, & Patriarcharum. Verba porro Ambrosij [k], si ita presse accipiantur, vt sonat, aliquid amplius probabunt, quàm veliot aduersarij, indicant enim solum Christum natum esse absque peccato, atque ita falsum erit Ieremiam fuisse in matris ventre sanctificatum, falsum item Ioannem Baptistam adhuc in vtero Spiritu sancto fuisse repletum, falsum denique beatissimam Virginem fuisse ante ortum sanctificatam, quod tamen multis probat D. Thomas [l]. Quocirca vel hæc omnia probant verba Ambrosij, vel Virginis immaculatum conceptum non lædunt, cùm præsertim dicant, Christum natum per omnia sanctum, quod illi soli conuenit qui suapte natura sanctus erat, cùm cæteri dicantur sanctificati. Quod verò ait in epistola ad Galatas [m], non significat solum Christum fuisse à peccato exemptum, sed omnino liberum à debito, & pœna peccati, *quia in eo* (inquit) *fuit salus, & remedium.*

i cap. 14. 4.

k lib. 2. in Luc.

l 3. p. q. 27. art. 1.

m cap. 4.

XXIX. Iam de Augustino res videtur aperta. cùm enim agat contra Pelagianos, Scripturæ auctoritate confirmat omnes esse peccati reos, Christum verò non solùm à peccato, sed ex vi conceptionis ab omni peccati debito excipi, de B. Virgine ne verbum quidem; quin potius illam his amplissimis sententijs non comprehendi apertissimè docuit [n], quia aduersus Pelagianos disputans, cùm de peccatis agitur, nullam vult de B. Virgine quæstionem institui, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit *ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Nec enim temerè dixit, cùm de peccatis agitur, indicare enim voluit, eam omni peccatorum genere caruisse, cùm præsertim addat, *ad vincendum omni ex parte peccatum*, quod profectò de illa verè affirmari non

n li. de nat. & grat. c. 36.

non posset, si peccato originali fuisset obstricta. Fulgentius certè, siue quicumque alius Auctor de fide ad Petrum, generalem legem constituit iisdem propemodum verbis, quibus in sacris literis exprimitur, atque idcirco non aliter quàm Scripturæ verba accipienda est. Idem planè dixerim de Gregorio, Origene, & Cyrillo, nisi quòd ipsi potissimum videntur ostendere Christum Dominum præcipua quadam, planèque singulari ratione & dici, & esse sanctum, & nisi ego fallor, ferè de actuali peccato loquuntur. D. quidem Thomas cum antiquioribus scholasticis videtur fuisse huius sententiæ, sed illi nimis religiosè sanctorum verba interpretati sunt, cùm tamen ipsi non negent beatissimam Virginem omnis actualis labis fuisse expertem. De Leone Pontifice, Petro Diacono, Fausto, & aliis idem dicendum videtur, peccati enim debito omnes inuoluunt, vno excepto Christo, cuius merita cæteris omnibus salutem attulerunt.

XXX. Iam verò in secunda classe fateor, Fulgentium, Eusebium Emyssenum, Anselmum, & Bernardum nominatim agere de beatissima Virgine. Sed Eusebius quidem facilè potest de peccati debito explicari, cuius respectu caro Virginis meritò dicitur caro peccati, quod aliis omnibus, præsertim Fulgentio aptari potest, qui tamen non loquitur de conceptu, cùm anima rationalis infunditur, sed de prima receptione seminis in matrice, quo tempore embrio cùm anima rationali careret, neque erat gratiæ capax, & suberat necessitati originariæ labis contrahendæ, quæ procul dubio est Bernardi, & Anselmi sententia: cùm in Virginis conceptu intercessisse dicant libidinem, & maritales complexus, quæ de animæ infusione intelligi nequeunt. Et Bernardus quidem nisi hoc modo intelligatur, multa dicit, quæ Theologis scholasticis non facilè probentur, videtur enim negare vsum coniugij esse posse sine peccato, cùm neget in eo Spiritum sanctum posse reperiri, & tamen Theologi posse illum aiunt habere vim merendi, & conferendi gratiam, si ritè, ac rectè vsurpetur. Deinde si nomine libidinis virium, ac peccatum intelligat, malè negat quemquam absque libidine, hoc est, absque peccato actuali concipi, alioqui omnes parentes, dum liberis dant operam, hoc ipso peccarent, quod falsum esse constat. Sin autem libidinem sensum voluptatis, & oblectationem appellet, cùm sit illa naturalis, neutiquam peccatum dici potest. Loquitur igitur de natura conceptus, quam admittimus fuisse eiusmodi, vt vi sua peccatum contractura esset.

XXXI. Coniecturæ verò, quibus aduersarij nituntur probare priscos omnes sanctos originariæ labi Virginem Deiparam implicitam fuisse asserere, vim prorsus nullam habent; nam prima quidem falsum assumit, vix enim vllus, si Augustinum excipias, contra Pelagianos differit, sed eorum maxima pars de humanæ salutis mysterio loquitur, idque aiunt egregiè fuisse à Christo administratum, qui cùm innocens, & sanctus esset, peccatum omni ex parte deleuit; qui verò nominatim agunt de Virgine, vt Bernardus, ij ad Ecclesiæ Romanæ, atque Apostolicæ sedis auctoritatem prouocant, quæ eo quidem tempore nondum immaculatum Virginis conceptum celebrabat. Reliquæ verò coniecturæ omnes vsque ad septimam, si de peccati debito accipiantur, vim non exiguam habent, si de ipso peccato, prorsus nullam. Septima verè indignissima videtur viro Theologo, quamuis enim sancti Patres re ipsa non exprimant distinctionem debiti ab ipso peccato, re tamen ipsa, vt ex superioribus intelligitur, e[illegible] inficiari nequaquam possunt, atque hoc modo ni fallor, loquitur Augustinus [a], cum de Christo hunc in modum scribit: *Profectò enim peccatum etiã maior fecisset, si paruulus habuisset, nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum nõ fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum nõ habuerit infantilis ætatis exortu.* Quę verba de debito, & quasi necessitate peccandi intelligenda sunt, alioqui, vt alibi dicemus, non repugnat aliquem ex priuilegio purum, atque integrum ab actuali peccato conseruari, qui fuerit originaria labe infectus, vt fatentur ij, qui negant Virginem absque originaria macula cõceptam, quam tamen actualis peccati expertem, ac penitus immunem fuisse concedunt. Octaua denique coniectura tantùm probat B. Thomam in ea fuisse sententia, qui tamen alibi [a] concedit, potuisse Virginem Deiparam in parentibus sanctificari. Et alibi [b] ingenuè fatetur, eam fuisse ab originali, & actuali peccato liberam, atque immunem. Quicquid autem senserit D. Thomas, liquet hanc sententiam absque errore defendi non posse.

a l. 5. cont. I[illegible]. c. 15. in fin.

a in 3. d. 3. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1.

b 1. d. 44. q. vnic. 3. ad 3.

XXXII. In eodem porrò capite plurimorum sententia [c] recẽsetur, qui aiunt fide Catholica credendũ esse beatissimam Virginem absque peccato originis fuisse conceptam, qui specie quidem pietatis, sed minus tamen cautè in contrariã sententiam acriter inuehuntur, tribus potissimùm nixi argumẽtis. Primum, quòd Concilium Basiliense [d] immaculatam Virginis conceptionem probauit, eiúsque cultoribus indulgẽtias concessit. Deinde, quia Ecclesia conceptionem celebrat, quemadmodũ enim fide credimus esse aliquẽ Beatum, ac Sãctum, cùm Ecclesiã diem eius festũ celebrat, ita necesse est credere Virginis conceptionem immaculatam, quia Ecclesia eam solemniter celebrandam proponit. Postremò, quia Ecclesia orat per immaculatam Virginis conceptionem, docet autem Cælestinus [e], legem credendi statui lege supplicandi.

c Faber Sepul. in [illegible] Dama[illegible] Acad. Pari Almayn. de potest. Ec. c. 16. C[illegible] in Damasc. lib. 3. c. 2. & lib. 6 in Ioan. c. 15 qui habentur inter Comment. Cyrilli.

d Sess. 36.

e ep. ad Episc. Gall. cap. 11.

XXXIII. Sed hæc sententia non minus quàm præcedens falsa est, quod ex iisdem Apostolicis cõstitutionibus, & Tridentino Concilio deprehẽditur Quod autem spectat ad Concilium Basiliense, miror quemquam Catholicum eius Concilij auctoritate moueri, quod constat fuisse schismaticũ, & plurima contra Romani Pontificis supremam potestatem definisse, cùm præsertim definitio Sixti IV. cui contradici non potest, apertissimè repugnet. Secundum verò argumentum tametsi in schola D. Thomæ magnã habet vim, multis tamẽ modis refelli potest; mihi ea videtur expeditissima ratio, quæ affirmat legem Ecclesiasticam tantam habere vim, quantam ipsa Ecclesia velit, quæ quidem B. Virginis immaculatũ conceptum ita omnibus festiuo cultu celebrandum proponit, vt tamen neget, se quidquam certa fide credendum præcipere; vult enim eam celebritatem, & immunitatem Virginis à peccato tamquam rem probabilem à fidelibus excipi, quod vtique verissimum est, eritque semper, etiamsi Ecclesia alteram aliquando partem definiret. Tertium denique argumentum à multis ita refellitur, vt dicant, illam precandi formulã, cuius initium est: *Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem*, nõ Ecclesiæ auctoritate, sed priuati cuiuspiam hominis studio fuisse institutã, atque idcirco meritò à Pio V. ab Ecclesiasticis precibus fuisse sublatam. Verùm mihi hæc responsio non videtur carere temeritate; nam vt admittam, quod illi non probant, eius precationis auctorem quempiam fuisse priuatum, negare certè non possunt, à tempore Sixti IV. ad Pium vsque V. eam fuisse publicè in sacris precibus ab Ecclesia receptam, & vsurpatam. Itaque existimarim potuisse Ecclesiã opinione probabili subnixam eam precandi rationem absque errore frequentare, quod enim ad Episcopos Galliæ scribit Cęlestinus, non significat semper talẽ esse fidem, qualis est oratio, sed

precationem aliqua necessariò opinione niti. Si enim quis pro suis flagitiis oret, is credat oportet se peccatis obstringi, siue id credat diuina fide, siue humana opinione; necesse item est credere Deum posse, atque adeò velle peccata expiare. At enim si hæc opinio nihil habet præter probabilitatem, poterit esse falsa, atque ita poterit Ecclesia errare. Sed profectò numquam alias, ac ne in re quidem proposita errare poterit Ecclesia, quæ vtramque opinionem dicit esse probabilem; quamuis immaculatam conceptionem cultu sacro, & religioso prosequatur, cùm præsertim, vt Theologi [a] non indocti affirmant, non semper in colendis festis noua sanctitatis ratio postuletur. Ita olim Virginis præsentationem celebrabat Ecclesia, quam cùm aliquando intermisisset, rursus eam Sixtus V. restituit; Ecclesia certè Græca Ioannis Baptistæ conceptionem celebrat vtique gratiæ, & sanctitatis expertem.

a Capreol. in 3. d. 3. q. 1.

XXXIV. Iam in tertio capite varia tum hæretici, tum Catholici opinantur: ex hæreticis [b] quidam turins esse ait credere, B. Virginem fuisse in peccato conceptam. Alius [c] quispiam imprudentiùs asserit, eam fuisse conceptam in peccato, atque adeò deinceps scelerum maculis adeò fœdatam esse, vt Angelico solatio indiguerit, ne penitus desperaret. Patres Concilij Tridentini reprehendit nescio quis [d], quòd leuibus, ac puerilibus coniecturis permoti Virginem Deiparam à lege communi exceperint; nec ferre possunt aliqui [e] eam tamquam singulari sanctitate præditam celebrari. Sed quoniam hæretici nulla afferunt argumenta, ne videntur quidem nostra confutatione digni, iis tantùm opponimus eiusdem farinæ viros [f], qui B. Virginis conceptionem miris modis prædicant, & immaculatam, ac sine vlla peccati labe fuisse autumant. Inter Catholicos maxima Scholasticorum [g] pars Deiparam communi lege obstrictam fuisse ait.

b Sacer.
c Schen.
d Chemnit.
e Brent. c. in Io. [illegible]el. Roding & Centuriatores.
f Luther. & Erasm.
g Alex. Alès in 3. p. D. Thom. 3. p. q. 27. ar. 2. & vbique. Inclinat Bonau. in 3. Arimin. in 2. d. 3. q. 2. Henr. quodlib. 15. q. 13. Durand. Palud. Capreol. in 3. d. Antoni. 3. p. tit. 8. c. 2. Ferrar. 4. con. gen. c. 50. Caiet. 3. p. q. 27. ar. 2. & opusc. de concep.

Verùm hæc sententia, quam confutari authoritas Apostolica vetat, nonnullis argumentis confirmari solet, quæ ad tria capita reuocantur quæ quatenus nostram sententiam oppugnant dissoluenda sunt.

XXXV. Primum igitur argumentum desumitur ex Scripturis, quæ solum Christum excipiunt, reliquos omnes communi labe peccati inuoluunt, atque implicant. Sed respondeo primùm Scripturas intelligi de peccati debito, quod nos in Virgine non negamus, vt dicemus infra. Deinde ea aduersò obijcimus alia Scripturæ testimonia, quibus eodem planè modo Spiritus sanctus loquitur de peccato spontè patrato, quod tamen ne aduersarij quidem in Virgine audent admittere. Sic enim ait Dauid [h]: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Et Paulus [i]: *Non est iustus quisquam, non est requirens Deum.* Et Iob [k]: *Nemo mundus à sorde, ne infans quidem, cuius est vnius diei vita super terram.* Cùm tamen beatissima Virgo sine controuersia excipienda sit, vt illam etiam excipit B. Thomas. Nam quod quidam dicunt, faciliùs excipi posse Virginem ab actuali, quàm ab originali peccato, quòd magis illud repugnet Virgini, quàm hoc, & falsum est, & ad rem non facit. Falsum quidem est, quoniam originale peccatum gratiæ priuationem annexam habet, quæ maximè Deiparæ Virgini repugnat, quam non habet venialis culpa, qua tamen caruisse dicitur. Ad rem autem non facit, quia non quærimus, cur excipienda sit, modò constet eam excipi potuisse, cur eiusm excipi debuerit, non video. Nam cur Virgo redempta dicatur à Christo, facilè expeditur, cùm ad id satis sit eam peccato contrahendo fuisse obnoxiam. Addo ex Photio Patriarcha [l] Constantinopolitano, plerumque in sacris litteris figuram, vt ille

h Psal. 13. 3.
i Ad Rom. 3. 10.
k Secũdùm LXX.
l Ep. ad Amphiloch.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

A loquitur, amplissimam esse, & generalem, sententiam non item, vt apud Ioannem [a]: *Quotquot* (inquit) *antè me venerunt, fures sunt, & latrones*, quo testimonio aduersùs Mosen, & Prophetas abutebantur Marcionistæ. Et Salomon [b]: *Vanitas* (ait) *vanitatum, & omnia vanitas.* Certè vanitas non est virtus, non caritas, non iustitia. Et Dauid [c], vt modò dixi: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Scriptura item dicit, omnibus esse moriendum, & tamen non sine magna probabilitate asserunt Theologi non pauci, eos, qui in die iudicij viui deprehenduntur, non morituros. Denique Scriptura ait, vt paulo ante monui, non solùm omnes in peccato concipi, sed etiam nasci, & tamen nemo dubitat Virginem sanctissimam fuisse in vtero sanctificatam, atque adeò natam ab omni labe puram.

a cap. 10. 8.
b Eccles. 1. 1.
c Psal. 13. 3.

XXXVI. Secundum argumentum desumitur ex Patribus, B qui tamen, vt supra docui, facilè de peccati debito explicari possunt, cùm præsertim eodem planè modo loquantur, quo Scriptura diuina, legem enim generalem proferunt, solùmque excipiunt Christum, quia vi sui conceptus longissimè aberat ab omni culpa, & culpæ debito. Eodemque modo accipienda sunt Conciliorum verba, & tamen auctoritate Concilij Tridentini legi generali Virginis priuilegium non aduersatur. Postremò aliquot rationibus pugnant, ac primùm quidem aiunt, hoc esse priuilegium proprium Christi, quod absque eius iniuria alteri communicari non potest. At, quod eorum pace dictum sit, nullo modo admittendum videtur, hoc esse Christi priuilegium; nam vt omittam diuinæ C personæ dignitatem, quæ suapte natura omnem peccati maculam penitus excludit, ipsa eius conceptus ratio cùm sit aliena ab humani conceptus natura, nec vt seminis ortum ducat ab Adamo, citra priuilegium omni peccato caret, vt enim communi consensu fatentur Theologi, peccatum originis nonnisi vi seminis transfunditur in prolem. Addo quòd etiam si admitteremus tamquam verum, hoc esse Christi priuilegium, nihil tamen prohiberet, quominus posset ignobiliori quodam modo Matri communicari, vt alia multa habuit cum Matre aliqua ratione communia. Nam citra vllam ipsius iniuriam, vt ipse caruit fomite, idem diuersa ratione tribuit Matri; ipse dicitur Mediator, eumdem honorem alio D quodam modo non solùm Matri, sed aliis etiam Sanctis concessit; ipse dicitur fundamentum, idemque tribuit Apostolis, ac Prophetis; postremò ipse est caput Ecclesiæ, quod etiam Petro, eiusque successoribus non negauit.

XXXVII. Addunt præterea non eguisse Virginem Redemptore, nisi fuisset aliquando captiua, vt enim Christus ipse fatetur, non venit quærere iustos, sed peccatores. Verùm ne aduersarij quidem negant, nobilissimum redemptionis modum censeri eum, cùm quis ab eo scelere eripitur, quo erat aliquando inquinandus, quod etiam alicubi animaduertit Bernardus [d], qui etiam Angelos à Christo redemptos esse affirmat, cùm tamen nulli flagitio essent obnoxij: fateor E tamen hunc dicendi modum non videri vsurpandum, re namque vera nisi Virgo Deipara peccati debitum contraxisset, Christo Redemptore non eguisset, nec verè dici posset ab eo redempta. Quoniam verò sacræ litteræ eos propriè redimi affirmant, qui contrahendo peccato obnoxij erant, negari non potest Dei parentem Virginem verè fuisse redemptam. Sic dicuntur non pauci ex inferno erepti, qui morituri erant, ac descensuri ad inferos, licèt verè nondum descendissent; atque hac ratione intelligendi sunt Zosimus [e], & Augustinus [f], cùm dicunt, neminem liberari, nisi qui fuerit aliquando

d In Cantica.
e ep. ad omn. episc.
f ep. ad Optat.

XXXVIII. seruus, hoc est, aut debito, aut re ipsa. Postremò aiunt B. Virginem contraxisse concupiscentiam, & mortis necessitatem, quæ oriuntur ex peccato, necesse vt sit, eiusdem peccati labe eam fuisse inquinatam. Sed de concupiscentia non est magnopere laborandum, siue quia in Virgine fomes diuino beneficio vel fuit impeditus, vel extinctus, siue quia concupiscendi facultas naturalis est, & voluptas, quæ eam consequitur, salua, atque integra ratiocinandi facultate fuisset etiam in statu innocentiæ, cùm liberi gignebantur, nec tamen propterea illi originali iustitia caruissent. De morte verò quamquam non desunt [a], qui aiunt mortem post Christi necem non esse amplius peccati pœnam, sed pertinere ad nouum quoddam fœdus initum cum Christo, vt eius mortem imitemur, quò vnà cum illo regnare possimus, non videtur tamen id necessarium, Ita enim mors dicitur pœna peccati, vt tamen sit aliquo pacto naturalis, atque ita non debuit Deipara ab ea liberari, cùm ipse Christus etiam si per vim non fuisset occisus, quia humanam naturam susceperat, quamuis omni culpa careret, aliquando tamen moriturus esset.

Postrema igitur sententia est aliorum omnium fermè Catholicorum [b], Academiarum totius fermè vrbis Christiani auctoritate firmata; quæ primùm quidem asserit potuisse beatissimam Virginem Deiparam ab originaria labe immunem seruari, ita vt in suo conceptu eam labem minimè contraheret. Id quidem non negat D. Thomas [c], qui affirmat potuisse B. Virginem in parentibus sanctificari, si gratiæ suæ beneficio in illis expiasset Deus vitium, seu peccatum, non solùm vt afficiebat personam, sed vt inquinabat naturam, id tamen negat docuisse. Alij verò aiunt, quod etiam nonnulli de Christo affirmauerant, fuisse in Adamo nonnullam particulam delibatam, quæ libera, atque immunis fuit à peccato, vnde Virgo concepta est. Verùm hic dicendi modus meritò exploditur in Scholis, siue quia parum admodum videtur naturæ consentaneus, siue quia peccatum, quamuis transmittatur vi seminis, non inest tamen in semine. Itaque alij excipi aiunt potuisse Virginem in mente diuina, cùm Adam peccaturus præuideretur, ita vt licèt in eo Virgo vi generationis contineretur, in eo tamen non censeretur peccare, idque ita factum esse asserunt nonnulli. Verùm hæc sententia quatenus asserit id fieri potuisse, non est reprehendenda; re tamen vera, vt supra indicaui, magis placet Virginem in Adamo peccasse, indeque contraxisse peccati debitum, ac propterea fuisse à Christo redemptam, quod non obscurè colligitur ex Augustino [e]. Fauet item Zosimus [f], est enim Christus omnium redemptor, vt pluribus [g] locis probat Augustinus. Hæc tamen argumenta non eamdem vim habent (quod nonnulli suspicantur) ad probandum id non potuisse fieri, omnis enim horum argumentorum vis pendet ex iis, quæ in sacris litteris reuelata sunt, & à Patribus tradita, ex quibus liquet carnem Virginis re vera fuisse carnem peccati, quod vt minimùm intelligitur debito contrahendi; absolutè tamen, ac simpliciter, vt supra indicaui, potuisset Deus meritò Christi Matrem præseruare, ne in Adamo peccaret, cùm alioqui ratione naturæ in eo contentæ peccare debuisset, tunc autem redempta diceretur à debito peccandi, sicut nunc dicitur libera à debito contrahendi peccati.

XXXIX. Non me tamen fugit, nonnullos quibusdam argumentis contendere, B. Virginem in Adamo non peccasse; nam primùm quidem obiiciunt verba illa [a] Assueri Regis: *Hæc lex non propter te, sed pro omnibus constituta est*; quibus nos supra probauimus potuisse ab ea lege Virginem excipi, re autem vera ita factum esse, verba illa non probant, cùm præsertim in Hebræis codicibus non legantur, in Græcis autem multo aliter habeant, sic enim legunt: *Non morieris, quia commune nostrum est imperium*; quod, vt apparet, Virgini aptari non potest. Deinde obiiciunt verba illa ex [b] Canticis: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum deliciis affluens, innixa super dilectum suum; sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua?* Putant enim ea verba pertinere ad Virginem, quæ à lege lata fuerit excepta, verùm ea ab Ambrosio [c], ab Augustino [d], Gregorio [e], & Theodoreto [f] explicantur de Ecclesia; ab aliis de anima [g]. Sunt [h], qui de Virgine quidem explicent; sed longè alio sensu, putant enim significari Virginem sub arbore crucis, vbi synagoga interiit, fuisse à Christo redemptam, & ad gratiæ vitam progenitam, Alij [i] censent esse verba Patris ad Christum in cruce morientem, quasi dicat, sub arbore crucis Virginem eius Matrem denuo veluti dolore corruptam, Christúmque filium denuo peperisse verè Bennoni, hoc est, doloris filium. Ego de beata Virgine aliter interpretor, vt infra patebit. Illa præterea verba obiiciunt, quæ leguntur in libro Geneseos [k]: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, &c. Sed cùm ea verba dicta sint post Adæ peccatum, & de re futura, malè transferuntur ad significandam exceptionem à lege lata ante peccatum. Accedit, quòd Hebræi, & Græci codices legunt *ipsum*, vt intelligatur de semine, itaque legendum monet Hieronymus [l]. Alij [m] qui legunt *ipsa*, interpretantur de Ecclesia, quæ in Baptismo caput serpentis, id est, originale peccatum conterit. Quò spectare potest illud Dauidis [n]: *Contribulasti capita Draconum in aquis*. Sunt qui explicent de anima, quæ merito Christi Dæmonem superat, sic Ambrosius [o]; qui verò de Virgine accipiunt, aliò spectant, vt infra docebo. Postremò argumentantur nonnulli ex arbore illa Danielis, cuius radices iussæ sunt conseruari. Sed hoc argumentum planè est absurdum, cùm enim apertam habeat arbor illa explanationem de regno Nabuchodonosor, Virgini nonnisi per vim accommodari potest.

XL. Iam verò qui Christum prædestinatum fuisse affirmant ante prænotionem peccati, eadémque ratione aiunt fuisse Virginem prædestinatam ab omni peccati labe prorsus immunem, & diuina gratia semper præditam. Quo posito fateri necesse est, eam gratiam fuisse illi priuatim concessam, nullo autem modo ratione capitis in Adamo. Eademque ratione existimandum erit, pendere Virginem ab Adamo in naturalibus tantùm, nullo autem modo in gratuitis, nisi fortassè ratione mortalitatis, vel immortalitatis, quæ cum dignitate Matris non videntur ita necessariò coniuncta. Sed hoc, vt facilè dicitur, ita nullo stabili fundamento nititur, cùm præsertim quod sumitur de Christi prædestinatione, non ab omnibus admittatur. Itaque longè probabilius est, cùm Deus immortalis gratiam contulit primo parenti, in illo spectasse etiam Virginem Matrem tamquam eiusdem gratiæ participem, atque ita dum Adam peccauit, gratiam pro se, & tota posteritate, ne Virgine quidem exclusa amisit; quæ ob id dicitur in Adamo peccasse, & contrahendo peccato fuisse obnoxia, merito tamen Christi fuisse liberata, & redempta singulari quodam modo, vt numquam gratia careret, nec origina

a Cather. opusc. de cōcep.
b Scot in 3. d. 3. & d. 18. q. vnic. Aureol. apud Capreol. Gabr. Mai. 26. Argent. Almain. Io. Bacon. in 3. d. 3. Marsil. in 2. q. 20. & in 3. q. 4. Abulen. Paradox. 1. c. 25. & in prolog. Bib. c. 6. Exodi. 34. q. 8. Carthus. in 3. d. 3. Gerson opusc. de cōcep. Lipom. in caten. Gen. 35. Clicton de puris. Virg. c. 5. Dried. lib. 3. de dogmat. charact. c. 4. p. 1. c. fin. Rophen. ar. 2. con. Luther. Piggh. con. Erasm. Viguer. In sua instit. c. 18. Cather. opusc. de cōcep. Galat. lib. 7. c. 3. Cordub. lib. 1. q. 44.
c in 3. d. 3. q. 1. ar. 1. quæst. 2.
d Galat. lib. 7. c. 10. Viguer. in sua inst. c. 18. Cather. de pecc. orig. c. vlt. & de cōcep. Virg.
e lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 34. & 35. & lib. 3 con. Iul. c. 3 & ep. 157.
f ep. ad episc. Gall.
g ep. 28. l. 1. de nupt. & concup. c. 27. & 28 lib. 6. con. Iul. c. 8. lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 7. lib. de nat. & grat. c. 4. lib. 13 de trinit. c. 14. Auct. lib. hypognost. c. 2.

a Esther 13. 13.
b cap. 8. 5.
c Ser. 19. in Psal. 118.
d lib. de grat. & lib. arb. c. 6.
e lib. 16. moral. c. 10.
f Cant. 8.
g Ambr. ser. 14. in Psal. 118.
h Guliel. Petit, seu Paruus.
i Lyran.
k cap. 3. 15.
l In tradit. Hebr. in Gen.
m Raban. & Gloss. interlin.
n Psal. 73. 13.
o lib. de fug. sæcul. c. 2.

originaria labe inquinaretur, tamquam eximiè prædestinata, ita vt in Adamo tantùm gratia caruisse censeatur, in quo vi seminis continebatur. Qua ratione quicquid alij obiiciant, nullo modo æquatur Christo, qui neque in Adamo continebatur vi seminis, nec contrahendo peccato obnoxius erat, suo tamen merito Virginem Matrem ab omni labe perpurgauit.

XLI. Itaque piè credendum est beatissimam Virginem singulari Dei beneficio in primo sui conceptus articulo originariæ labis fuisse expertem, & vnà cum natura gratiam percepisse. Primum autem conceptus articulum non illum accipio, quo primùm fœtus in vtero Matris existit informis, atque exanimis, tunc enim, vt Bernardus, Anselmus, B aliique non pauci affirmant, omnes in iniquitatibus concipiuntur, qui humano semine procreantur, atque ita B. Virgo in eo puncto temporis fuisse dicitur obnoxia peccato, quia nisi gratiæ beneficio seruaretur immunis, peccato inquinanda erat. Primum igitur temporis punctum, quo Virgo concepta est, intelligimus, cùm primùm anima creata est, & infusa corpori, cæteri enim Adæ posteri tunc dicuntur peccato inquinari, & tunc dicimus Virginem Deiparam eius labis fuisse expertem, & gratia præditam. Potest autem hæc sententia probari primùm ex sacris litteris, deinde Ecclesiæ auctoritate; tertiò Patrum testimoniis; postremò non contemnendis rationibus.

XLII. Vt igitur ordiamur à primo capite, obseruandum ante omnia est, testimonia Scripturarum magna ex parte sumi in sensu allegorico, qui quamquam ad fidei dogmata confirmanda non habet magnam vim, non potest tamen omnino contemni, cùm Paulus ad Hebræos à typo, seu figura ad id, quod typo continebatur, non semel argumentetur, inde enim probat sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech. Et Ioannes quæ de agno Paschali dicta erant, sensu prophetico ad Christum transtulerit; *Os* (inquit) *non comminuetis ex eo.* Accedit, quòd hic sensus posita interpretatione Ecclesiæ, & communi fidelium opinione, non exiguam vim probandi habet. Fatendum tamen est, non esse Scripturæ testimonia eiusmodi, quæ rem penitus conficiant, nam si secus sit, res pertineret ad fidem Catholicam, nec posset absque errore oppugnari, cùm tamen auctoritate Apostolica cautum sit, ne quis alteri parti ita adhæreat, vt alteram erroris aut hæresis arguat. Sunt autem in hoc primo capite perspicuitatis gratia plures distinguendæ classes.

XLIII. Prima itaque classis continet varia figurarum genera, quæ Virginis immaculatum conceptum aliqua ratione significant. Igitur primus locus est in libro Geneseos[a], cùm dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Lux illa B. Virginis typus erat, cùm enim dixisset Moses, tenebras esse super faciem abyssi, quo significabatur vniuersum genus hominum peccati veluti tenebris occupari, statim subiicit dixisse Deum, *fiat lux*, voluit enim, vt ait Paulus, *de tenebris lucem splendescere*, hoc est, de massa illa corrupta, & vitiata, & quasi tenebris oblita, integerrimam Virginem quasi lucem splendescere. Tametsi enim maxima pars antiquorum locum illum de natura Angelica explicat, quia tamen priùs facta est mentio tenebrarum quæ ipsis etiam consentientibus peccatum significant, de B. Virgine meliùs interpretamur, quæ de tenebris, hoc est, natura peccatrice in admirabile Dei lumen vocatur, A quam meritò vir[a] pius vocat stellam mundi. Et alius[b] quidam, lucem mundi. Meritò autem lux appellabatur, quia quomodo lux à corpore lucido ita pendet, vt ab eo accipiat quicquid est, non aliter Virgo Deipara à Christo Domino tamquam iustitiæ sole omnia mutuatur, & quicquid habet, illi acceptum refert. Lux porro illa ab initio condita diuisa dicitur à tenebris, & tenebræ quidem noctis nomine vocantur, lux verò appellata est dies, hæc enim Virgo verus dies est, illius noctis nescia, de qua ait Iob[c]: *Pereat nox, in qua dictum est, conceptus est homo.* Etenim illa non est in peccati nocte concepta, neque habuit vnquam vllam admixtionem tenebrarum.

a cap. 1.

a Petr. Dam. ser. 3. de nat. Virg.

b Laur. Iustin. ser. de nat. Mar.

c cap. 3. 3.

XLIV. B Secundus locus ex eodem[d] libro desumitur: *Fecit* (ait Moses) *Deus duo luminaria, luminare maius, vt præesset diei, luminare minus, vt præesset nocti.* Certè Paulus[e] fideles, & sanctos luminaria vocat: *Lucetis* (inquit) *sicut luminaria in mundo.* Igitur Dei Mater luminare maius appellatur, dicitúrque præesse diei propter summum gratiæ splendorem, & tenebrarum carentiam: alij sancti sunt luminare minus, lucéntque in nocte, nam si cum peccatoribus conferantur, sunt veluti nocturna sydera. At verò Virgo Mater est tamquam sol vndique collucens, atque idcirco dicitur à Ioanne[f], *amicta sole.* A Salomone[g] *electa vt sol*, vt meritò dixerit Dauid[h]: *In sole posuit tabernaculum suum*, C cùm in vtero Virginis vi Spiritus sancti conceptus est. Nam quemadmodum sol ex nobilissima quadam materia constat, ita Deipara Virgo, quasi nobilissima quædam pars Adæ electa est, & incredibili splendore gratiæ ornata. Iam tertius locus est in eodem[i] libro: *Fons* (inquit) *ascendebat de terra irrigans omnem superficiem terræ.* Quo loco ex Hebræo alij vertunt vaporem, alij nebulam, Chaldæus Paraphrastes nubem. Neque enim describitur fons, qui nullus est, qui totam terram irriget sed agitur de pluuia, dixerat enim paulo antea: *Nondum enim pluerat Dominus super terram.* Docet igitur fieri pluuiam ex vapore, ac nube ascendente de terra, vt commodè D possis omnes interpretationes probare. Quia enim plures vapores pluuiam efficiunt, fontes numero multitudinis dici possunt, vt quidam[k] interpretati sunt; & quia omnes in vnum quasi conglobati euehuntur in altum, numero vnitatis ad irrigandam terram fontis vices obeunt; quia verò vapor ille nebulosus in morem nubis erat condensatus, nebula, & nubes appellari poterat. Quocirca vapori, ac nubi vi Solis è terra sursum attractæ Virgo comparatur, vt enim nubes è terra vi caloris leuis effecta attrahitur, ita Virgo è terra, id est, natura peccatrice producta, vi autem gratiæ cælestis omni prorsus peccati pondere abiecto in sublime fertur. E Eadémque fonti similis esse dicitur, quo fidelium animæ cælestium munerum imbre irrigantur.

d Gen. 1. 16.

e Philip. 2. 15.

f Apoc. 12.

g Cant. 6. 9.

h Psal. 18. 6.

i Gen. 2. 6.

k Nicolaus Papa ep. ad Michael. Imp.

XLV. Quartò ex eodem libro[l] argumentari licet, Euæ enim procreatio, de qua ait Moses: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* In ea, vt docet Epiphanius[m], significabatur Deipara Virgo, quæ verè dicitur Virago, quia magnitudinem suam sumpsit de viro, hoc est, ex meritis Christi, atque ob id ipsa dicebat: *Fecit*[n] *mihi magna qui potens est.* Multóque verius, quàm Eua mater viuentium nuncupatur,

l Gen. 2. 21.

m Hær. 78.

n Luc. 1. 49

eorum enim mater est, qui vitam immortalem victuri sunt. Est autem de viro sumpta, quia nihil fœmineum, aut diabolicum contraxit, nam, vt ait Origenes [a], quod virile est spectat ad laudem, fœmineum verò ad imbecillitatem, & peccatum. Id quod etiam significatur in Adæ costa, ex qua facta est Eua, ibi enim maximè viri robur apparet. Nec prætereundum est, quòd efformata est Eua ex Adamo nondum peccatore, à quo nullam penitus labem contraxit, vt intelligeremus fore, vt hæc Virgo nulla prorsus peccati labe inficeretur. Indidem sumitur [b] quintus locus: *Porro* (inquit Moses) *arca ferebatur super aquas.* Quemadmodum enim nihil omnino præter vnam arcam aquas diluuij euasit, ita sola Virgo ab originaria labe fuit immunis; & vt illa arca omnes rimas bitumine penitus occlusas habebat, vt ab aquis peruadi, aut penetrari non posset; sic Maria Virgo diuini Spiritus gratia planè stipata nullam vnquam peccato rimam apertam habuit. Addo ex eodem libro [c] sextum locum: *Ex eo* (inquit) *tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Quòd si terra Sacerdotalis libera erat à tributo soluendo, quid de beatissima Virgine existimandum erit, quæ mystica est Sacerdotalis terra, & magnum illum Sacerdotem, ac Pontificem peperit, qui mundum vniuersum suo sanguine expiauit? an non debuit à tributo originariæ labis, quod vniuersa natura Diabolo persoluit, penitus liberari?

a Hom. 1. in Exod.

b Gen. 7. 18.

c Gen. 47. 26.

XLVI. Ex libro Exodi [d] proferri potest septimus locus, arca enim veteris testamenti ex lignis setim, quæ non putrescunt, intus, & extra auro obtegitur, cùm tamen solummodo Dei sabellum diceretur. Quid ergo existimandum est de arca mystica, in qua Deus ipse, & vt loquitur Apostolus [e], *plenitudo diuinitatis corporaliter requieuit.* Certè nulla ratione debuit peccati putredinem experiri, sed in omni vita ab ipso sui ortus exordio auro diuinæ gratiæ circumuestiri. Addo octauum locum ex eodem [f] libro, ligna enim tabernaculi, quæ non putrescunt, hanc summam Virginis integritatem significant, cùm fuerit ipsa viuum Dei tabernaculum, cui conuenit illud Dauidis [g] elogium: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, & quidem eximia, ac singulari sanctitate. Nonus locus est in eodem [h] libro; altare enim thymiamatis ex lignis setim, & auro vestitur; hanc eamdem Virginis integritatem, atque innocentiam illud altare significat, quæ fuit altare odoris suauissimi, vt meritò beatæ mentes admirationis plenæ exclament [i]: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Eodem spectat [k] decimus locus, in quo legimus nihil fuisse in templo Salomonis, quod non auro tegeretur, vt argumentari liceat nullum fuisse punctum temporis in tota B. Virginis vita, quod careret auro gratiæ. Sit vndecimus locus ex libro Iudith [l]: *Vna* (inquit) *mulier Hebræa confusionem fecit in domo Nabuchodonosor*, quod verissimè de Virgine affirmari potest, quæ sola inter posteros Adæ vi seminis procreatos originariæ labis expers fuit. Adde si placet duodecimum, in eodem libro [m], sanctissima quippe illa fœmina, *custodiuit me* (inquit) *Angelus eius hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* Quibus verbis significatur triplex Virginis integritas diuino ei munere concessa. Hinc euntem ait, *euntem* ad indicandam conceptus integritatem, cùm videlicet

d cap. 25. 10.

e ad Colos. 2. 9.

f cap. 26. 15.

g Psal. 45. 5.

h cap. 30. 1.

i Cant. 3. 6.

k lib. 3. Reg. 6.

l cap. 14. 16.

m cap. 10.

A primùm creata est, & in matris vtero concepta; *ibi commorantem*, vt indicet vitæ sanctitatem, atque innocentiam penitus impollutam, *& inde huc reuertentem*, quia in cælum assumpta vnà cum corpore libera fuit à corruptione. Claudat agmen decimus tertius locus ex libro Esther [a]: *Hæc lex* (ait Rex Assuerus) *non pro te, sed pro omnibus est constituta.* Quæ quoniam Esther Virginis figura fuit, siquidem vt illa salutem populo suo attulit, sic Virgo mundi peperit Saluatorem, etiam Virgini aptari possunt, ostendúntque eam à communi lege originariæ labis fuisse exceptam. Alia sexcenta eiusdem generis colligi possent, quæ breuitatis causa omittuntur, satis enim visum est, genus ipsum tantummodo
B indicare.

a cap 15. 13.

XLVII. Secunda classis mysticas beatissimæ Virginis laudes complectitur, ex quibus hoc eius priuilegium rarum non euidenter deprehenditur. Ordiar autem ex Canticis Canticorum, ibi [b] enim leguntur hæc verba: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* quæ de B. Virgine explicant Sedulius [c], & alij [d]. Et quidem Sedulius sic cecinit:

b Cant. 2. 2.

c lib. 2. mirab. diuin.

d Adam à S. Victore.

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis
Nil quod lædat habens, matrémque obscurat honore:
Sic Euæ de stirpe sacra veniente Maria
Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.

C Itaque de illa verè dicere possumus, quod de Iob asserunt Auctor [e] Commentariorum in Iob, qui tribuuntur Origeni, & Chrysostomus [f], fuisse Virginem columbam in medio accipitrum, ouem in medio luporum, stellam in medio nubium, lilium in medio spinarum, germen iustitiæ in oppido iniquitatis. Ibidem scribit Salomon: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me caritatem.* Significat enim, si ad beatam Virginem referantur hæc verba, in ipso ingressu, hoc est, cùm primùm concepta est, percepisse diuinitus caritatem, quam deinde ordine quodam indies magis perfecit. Quòd si sequamur Hebræos codices, qui hunc habent sensum, *vexillum eius erga me di-*
D *lectio*, significat illam perpetuò in se dilectionis habuisse vexillum, quia numquam peccato fuit contaminata; vexillum enim Regis in vrbibus, & castris, quæ Regi subijciuntur, collocari solet. Fuit autem beatissima Virgo castrum planè diuinum, in quo semper Deus suæ dilectionis vexillum fixum habuit. Addamus & illa ex eodem libro [g], *Tota* (inquit sponsus) *pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Hæc autem pertinere ad Virginem asserunt viri [h] docti; vocat autem Virginem amicam, quæ videlicet numquam ab eo desecit, & ne puncto quidem temporis fuit in potestate dæmonis. Absolutè autem excludit ab ea omnem maculam, quam pulchram ait esse omni ex parte; quod pro-
E fectò dici non potest, si fuit originaria macula fœdata.

e lib. 3. in Iob.

f Hom. 4. de patientia Iob.

g Cant. 4. 7.

h Rup. lib. 6. in Cant. & lib. de glor. Trinit. c. 13.

XLVIII. Nihilominus Virgini aptantur [i] illa: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?* Pulchrè omnino, speciosèque processit Maria Virgo, quæ numquam nudis pedibus vestigium fixit. Distingui autem possunt, ac numerari septem Virginis gressus, quoniam primus est diuina prædestinatio, alter conceptus, tertius ortus, quartus diuini Verbi incarnatio, quintus partus, sextus tota vita, septimus denique & postremus mors. Hi verò omnes sunt pulchri, & quidem in calceamentis, quia Virgo diuina protecta gratia sine impedimento vllo potest circumferre vestigium. Prædestinatio quidem fuit eximia, & sin

i Cant. 7. 1.

A & singularis. Prima secundùm Christum; conceptus integer, ac purus ab omni labe peccati; ortus immaculatus, quia eximia sanctitate prædita nata est; Incarnatio munda, quia integra virginitate concepit; partus planè diuinus absque vllo dolore, aut fœditate; tota vita innocẽs absque vlla prorsus sorde, mors admirabilis, aliena à corruptione. Eodẽ refero, quæ eodem libro scripsit Salomon [a]: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Porro suscitandi verbum Hebræorum idiotismo generare, & producere significat. Sic in Genesi [b]: *Vt suscites* (loquit) *semen fratri tuo.* Et in Deuteronomio [c]: *Prophetam suscitabo eis.* Denique apud Matthæum, & Lucam [d]: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ait igitur
B Deus se spiritaliter suscitasse, id est, genuisse ad gratiam beatissimam Virginem, *sub arbore*, vbi corrupta est eius mater Eua, quia non passus est eam eius peccati labe fœdari. Ita enim Maria Virgo Euæ spiritaliter successit, sicut sub arbore Crucis Ecclesia successit Synagogæ corruptæ. Atque idcirco ascendit Maria de deserto, quippe quæ verè einsdem erat naturæ nobiscum, & peccati carne circumdata, cælestium tamen charismatum, & gratiarum delicijs affluens.

a cap. 8. 5.
b cap. 38. 8.
c cap. 18. 15.
d vtrobique cap. 3.

LIX. Alibi porro Salomon [e] ita loquentem Sapiẽtiam inducit: *Dominus possedit me in initio viarũ suarum.* Ea autem verba aptari Virgini affirmat non nemo [f]; initium verò viarum Domini in humana natura est
C conceptus; si igitur Deus ab initio Virginem possedit, necesse est illam fuisse absque peccato, & in gratia conceptam. Persimilis locus legitur in libro Ecclesiastici [g]: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* qui eodem modo explicatur, vtrumque enim locum beatissimæ Virgini accommodat Ecclesia. Angelus verò Gabriel apud Lucam [h] Virginem salutat gratia plenam, Græcè κεχαριτωμένην, quam vocem interpretans Gregorius Neocæsariensis: *Dicitur enim* (inquit) *gratia plena, quòd naturæ leges gratia superet. κεχαριτωμένην vocat quasi sanctam corpore, & spiritu*: vt appareat, omnino malè ab importunissimo Grammatico [i] reprehendi Bernardum, qui Græcam vocem interpretatus est gratia plenam. Sic enim interpretãtur Athanasius [k], Theophylactus [l], Hieronymus [m], seu
D alius quispiam, Ambrosius [n], & Gregorius [o], qui idem confirmat ex sequentibus verbis: *Dominus tecum.* Idcirco enim singulari quodam modo Dominus cum Virgine fuisse dicitur, quia cùm illam sibi parentem delegisset, manibus, quod aiunt, plenis cælestes in illam thesauros effudit, idque vnum denegauit, quod humanæ naturæ concedi nequaquam potuit.

e Prou. 8.
f Galatin. … c. 2.
g cap. 24. 14.
h cap. 1. 28.
i Erasm.
k … sanctiss. Deipar.
l … 1. 28.
m … de assũp. Virg.
n … sex 1.
o Ibidem.

L. Tertia porrò classis continet ea testimonia, quæ singularem quamdam libertatem, atque immunitatem Virginis à peccato declarant. Primus igitur locus est in libro Geneseos [p]: *Inimicitias* (inquit Deus) *ponam inter te, & mulierem, & semen tuũ, & semen illius, & ipsa aut ipsum conteret caput tuum.* Quo locu eorum sententiam probare nõ possum, qui nihil aliud
E indicari censent, quàm fore vt serpens, qui humi repit, hominum pedibus conteratur. Hoc enim iam serpenti denuociauerat Deus, cùm dixit: *Super pectus tuum gradieris.* Præterquam quòd aliquid omnino maius verba illa significant, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Ineptissimum enim est hoc ad naturalem horrorem tantummodo referre, quo serpentes solemus auersari, cùm præsertim id multo magis in alijs quibusdam bestiis cernatur. Accedit, quòd maxima pars veterum Theologorum hoc non de serpente, sed de dæmone interpretatur, qui Euam deceperat, vt Irenæus [a], Chrysostomus [b] Epiphanius [c], Theodoretus [d], Cyprianus [e], Augustinus [f], Leo Pontifex [g], Beda [h], & alij [i]. Quamobrem necessariò aliquid propheticum significatur, quod non ad vniuersam naturam, sed ad singularem aliquam fœminam pertineat, quod nõ obscurè indicat Hebraicus articulus; qui ad Euam referri nequaquam potest, cùm de re futura dicat Deus: *Inimicitias ponam.* Quamquam autem non nego Hebræos, Græcosque codices legere *ipsum* masculini, vel neutrius generis, contendo tamen plurimos veterũ legisse *ipsa*. Quod faciunt Iosephus [k], Chrysostomus [l], Augustinus [m], Gregorius [n], Ambrosius [o], Bernardus [p], Eucherius [q], Beda [r], & alij [s]. Nec desunt, qui locum illum de B. Virgine interpretentur, quæ meritò Christi serpentis
B caput contriuit, non eo modo, quo nonnulli explicãt illud Pauli [t]: *Saluari fœminam per filiorum generationem*, quòd genuerit Christum, qui re vera caput serpentis contriuit; sed quia ipsamet Diabolum omni ex parte superauit, nam alioqui frustra diceret Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*; & tamen vtrumque dicit.

Equidem fateor hæc commodè ad Ecclesiam transferri, de qua etiam loquitur Ioannes [u]. Sed vt ingenuè dicam, quod sentio, puto verum, ac proprium eorum verborum sensum esse eum, quem tradit Auctor [x] Epistolæ de viro perfecto, quæ falsò tribuitur Hieronymo, vbi in hunc modum scribit: *Inimicitias ponam inter te, ac mulierem, illam, inquam, mulierem, quæ Saluatorem parturiet, non quæ generet fratrici-*
C *dam; ponam* (inquit) *inimicitias inter te, ac mulierem, quæ repudiata facilitate credendi*, &c. Eumdem sensum probat Serapion [y]: *Clarum* (inquit) *est pronunciatum de Christo, quem sine semine peperit intemerata Virgo.* Eamdem autem fuisse multorum sententiam docet Eucherius [z], quam etiam probant recentiores [a]. Ait igitur Deus fore inimicitias inter B. Virginem, ac serpentem, & inter semen Virginis, ac semen serpentis, futurúmque addit, vt Virgo, vel eius semen conterat serpentis caput, & serpẽs calcaneo ipsius insidietur. Duas autem inimicitias indicat, alteram inter Virginem, ac serpentem, alteram inter semen Virginis, & semen serpentis. Prior illa inimicitia si peculiaris debet esse in Virgine, necesse est, vt sit ratione originariæ labis. Nam quoniam eam non ignorabat puram,
D atque integram esse ab huius peccati labe, maximo illam odio prosequebatur; hoc autem piaculo sublato, æquè omnes homines Diabolus odit, peculiarem autem exercet inimicitiam cum Virgine, quia videt illam peccati quidem debito obnoxiam, ipso tamen peccati nexu non teneri. Quòd si ad Virginem referendum sit, quod sequitur, *ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*: quamquam alij aliter explicant, commodè tamen dicere possumus, serpentis caput peccatum esse originis, de quo illud rectè accipitur [b]: *Contribulasti capita Draconũ in aquis*: Baptismo enim hoc peccatum expiatur, meritóque dicitur serpens insidiari calcaneo, quo ipse premitur, sumpta metaphora ab eo, qui incedendo serpentem calcat, quod maximè fit calcaneo, cui serpens insi-
E diatur, id est, conatur mordere, vt Virginem, quam in conceptu non læserat, læderet in morte, & in cinerem corpus eius redigeret, quod tamen perficere non potuit, sed eo calcaneo pressus est.

a lib. 4. c. 78.
b in illi loc.
c hær. cõtra Audicomanis.
d Gen. 3.
e lib. 2. ad Qui. in c. 9.
f lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 36.
g serm. 2. de natal.
h Gen. 3.
i Hieron. in qq. Hebrai. in Genes. Rupert lib. 3. in Gen. c. 19. & lib. … de vict. verbi Dei cap. 16. Raban Gen. 3.
k lib. 1. c. 3.
l Hom. 17. in Gen.
m lib. 11. de Gen. ad lit. c. 36 lib. 2. de Gen. contra Manich. c. 18.
n lib. 1. Mor. cap. 38.
o de fuga sæculi c. 7.
p Homil. de verb. Apoc. signum magnum.
q lib. 2. in Gen. c. 29.
r Genes. 3.
s Raban ib.
t 1. ad Timoth. 2. 15.
u Apoc. 12.
x Habetur tom. 4.
y apud Lipom. in caten. Gen.
z in ill. loc.
a Rupert. & alij.
b Ps. 73. 13.

LII. Inimicitia porrò seminis Virginis, & seminis serpentis explicatur à Ioanne [c] hac ipsa Epistola, cùm dixit: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* Nec enim audiendi sunt [d] ij qui semen dæmonis Gigantes fuisse autumãt, semen enim dæmonis sunt ea omnia, quæ ipso auctore ab hominibus perpetrantur, atque adeò impij, & scelesti ad semen dæmonis perti

c cap. 3. 8.
d Francis. … 10. 1. … 54. & alibi.

a cap. 8. 44.

pertinent, de quibus apud Ioannem [a] ait Christus: *Vos ex patre Diabolo estis.* Contriuisse verò Christum draconis caput nemo negare potest. Eodem refero quod ibidem subditur, cùm Deus his verbis fœminam alloquitur: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries.* Constat autem hæc pertinere ad omne genus fœminarum vna excepta Virgine Deipara, quæ vnicum Filium, eúmque sine dolore peperit, ob eam videlicet causam, quam eleganter expressit Cyprianus, vel certè Auctor eius sæculi [b]

b ser. de nat. Christi.

Vitro (inquit) *maturus ab arbore humida fructus elapsus est, nec oportuit vellicari. quod sponte prodibat, nihil in hac repetiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam experiit pœnarum vsuram. Spiritu sancto obumbrante incendium originale extinctum est, ideoque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* His addo, quòd in Canticis [c] Canticorum sponsæ, hoc est, Virginis genæ pulchræ dicuntur *vt turturis,* quæ à natura caret felle, vt significet Spiritus sanctus caruisse Virginem in ipso conceptu felle, & amaritudine peccati. Eademque ratione appellatur [d] columba, & inuitatur *in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ,* hoc est, in embrione dum concipitur; petra enim pro generationis principio ponitur, ita dixit Isaias [e], *attendite ad petram.* Nec temerè, vt opinor, his [f] vocatur pulchra, vt eius innocentia indicetur primùm in conceptu; deinde in vita, meritóque similis nardo dicitur, vnde Regi accumbenti incredibilem quamdam odoris fragrantiam spirauit. Alibi [g] dicitur in persona Virginis: *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me,* vt cadere nulla ratione queat. Et ne cuncta singillatim persequar, sexcenta eiusmodi in eo libro leguntur, quæ incredibilem quamdam Virginis innocentiam indicant.

c cap. 1. 10.
d cap. 2. 14.
e cap. 55.
f Cant. 1.
g Cant. 2.

LIII. Venio nunc ad secundum caput argumentorum, constat autem non ita pridem Virginis immaculatam conceptionem in Ecclesia Latina solemni ritu cœpisse celebrari, apud Græcos tamen ea celebritas longè fuit antiquior. Extant [h] enim Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani constitutio, & oratio Leonis item Imperatoris de sanctissimæ Virginis conceptu. Afferunt alij ad [i] eámdem rem confirmandam testimonium Gregorij Nazianzeni, quod profectò antiquissimum est, cùm ille vixerit ante annos plus mille, hoc est, sæculo quarto à Christo nato. In Ecclesia autem Latina cœpit ea solemnitas celebrari primùm in Anglia, cùm in ea insula Guillelmus Normannorũ Dux dominaretur circa annum Domini septuagesimum supra millesimum, id maximè approbáte S. Anselmo. Mox verò Ecclesia Lugdunensis inconsulta Sede Apostolica eamdem celebritatem anno circiter millesimo centesimo quadragesimo quinto vsurpare cœpit: atque ob id acriter à B. Bernardo reprehenditur, quasi rem nouam absque Sedis Apostolicæ auctoritate introduxisset. Postmodum verò Sixtus IV. cùm opinio de immaculata Virginis conceptione percrebresceret, constitutionem edidit, qua præcipit eum diem festum celebrari, & Ecclesiasticas preces ad eius diei solemnitatem institutas Apostolica auctoritate confirmauit, & piis indulgentiis ad eas frequentandas fideles omnes prouocauit. Neque verò admitti potest, quod nonnulli cõfingunt, celebrari conceptionis nomine Virginis sanctificationẽ, cùm apertè Sixtus IV. [k] immaculatam Virginis conceptionem nominet. Addo quòd sanctificationis solemnitas in Ecclesia ne nominatur quidem, si paucos excipias, qui aliter de Virginis conceptu opinantur. Nihilo magis audiendi sunt ij, qui cum admirant celebrari conceptionem, id negant propterea fieri, quòd fuerit à peccato immunis, sed tamquam singulare quoddam beneficium humano generi collatum, quod apertè cum communi fidelium sensu pugnat, qui Virginis conceptionem immaculatam intelligunt, quomodo eam intellexit Bernardus [a], qui rei nouitate permotus eam inconsulta Sede Apostolica non omni ex parte probauit. Addo quòd B. Thomas [b] negat celebrari festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto, vnde colligit natiuitatem Virginis fuisse sanctam, quia festo die colitur, vt liceat eadem ratione de conceptione argumentari. Accedit auctoritas Concilij [c] Basiliensis, in quo plurimi viri docti asserunt immaculatam Virginis conceptionem piè credi, & congruentem principiis fidei. Quamquam enim Concilium illud legitima caruit definiendi auctoritate, virorum tamen doctissimorum consensus magnam habet vim ad rei veritatem stabiliendam, quibus addi possunt vniuersæ Christiani orbis Academiæ, quæ hanc sententiam magna voluntatis conspiratione complectuntur.

h Apud Theod. Balsam. in oo. mo canone Phot. tit. 7.
i Galat. [illegible] lib. 7. cap. 4.
k Extrauag. cùm præexcelsa, & Extrauag. graue nimis de [illegible] & ve[illegible] et. sancti.
a epist. 174.
b 3. p. q. 27. art. 1.
c Sess. 36.

LIV. Accedit quòd immaculatæ conceptioni erecta sunt templa, altaria, & dicatæ religiones, quarum constitutiones à Iulio II. Leone X. Alexandro VI. approbatæ, & confirmatæ sunt. In earum verò principio immaculata Virginis conceptio grauissimis verbis asseritur. Itaque nihil ab Ecclesia ad hanc veritatem stabiliendam aliud exigi posse videtur, quàm vt eam certa fide credendam proponat, quod hactenus quidem neque Pontifices, neque Concilium Tridentinum facere voluerunt, cùm non desint in Ecclesia viri docti, & pij, qui aliter & sentiãt, & doceant, quos Sixtus IV. suis constitutionibus seuera comminatione aut damnari, aut reprehẽdi vel tamquam errantes, vel tamquam peccantes vetat. Denique fidelium omnium consensus, & pia animorum in beatissimam Virginem propensio nõ leuiter huic sententiæ astipulantur. Constat enim olim eiusmodi populi consensum Antistitum auctoritate firmatum viros pietate insignes in sanctorum numerum retulisse. In hac verò re ita ferè fideles afficiuntur, vt si quis aliter sentiat, & loquatur, non leues excitet inter fideles perturbationes, offensiones, & scandala, vt ij ipsi, qui immaculatam conceptionem non probant, & agnoscunt, & liberè fatentur, qui aliquando suis [d] præceperint, ne contra immaculatam conceptionem concionentur, quòd ea sententia nullius sit vtilitatis, & grauissima scandala pariat. Quæ quoniam procul dubio pusillorum sunt, in re minimè necessaria vitari debent, vt egregiè docuit D. Thomas [e].

d Manuale Dominican.
e lect. 3 in c. 14. epist. ad Rom.

LV. Tertiò probari potest sanctorum Patrum testimoniis, quorum alij mira quædam, ac penè incredibilia de Virginis innocentia, atque integritate prædicãt, alij nominatim ab hoc piaculo liberam fuisse affirmant. Mitto illa, quæ scribunt Iacobus [f], Abdias [g], septima Synodus [h], Concilium [i] Francofordiense, & Origenes [k]. Dionysius [l] certè Areopagita Virginis corpus [illegible], καὶ [illegible] appellat; quod etiam Maximus Scholiastes adnotauit, quasi dicat, Dei receptaculum, ac principium vitę, vt significet, illo peccato caruisse, quod fuit principium mortis. Irenæus [m]: *Sicut Eua* (inquit) *inobediens facta, sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis, sic & Maria habens prædestinatũ virum, tamen Virgo obediẽs, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis.* & plura deinceps addit, quæ cum peccato originis vix cohærent. Alibi [n]: *Quemadmodum Eua per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deũ præuaricata verbum eius, ita & Maria per Angelicum sermonẽ euangelizata est.* Et non ita multo post: *Virginis Eua virgo Maria*

f In Liturgia.
g In vita S. Andr.
h Act. 3.
i ep. ad Episcop. Hisp.
k Hom. 4. ex var.
l cap. 3. de diuin. nominib.
m lib. 3 cap. 33.
n lib. 5. cap. 19.

Mariæ fieret aduocata, quasi non potuerit eodem crimine inuolui. Athanasius [a] Deiparam Virginem vocat *impollutam ratione peccati*. Alio vero in loco [b]: *Ista* (inquit) *noua Eua mater vitæ appellatur, & integrasque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium*; *dicimus eam igitur iterum, atque iterum, semper, & undequaque beatissimam*. Qua igitur ratione potuit peccato aliquando inquinari? Certè Basilius [c] *sanctissimam* nominat, *& intemeratā Dei genitricem*. Et Chrysostomus [d], *semper beatissimam, & penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubin, & gloriosiorem incomparabiliter Seraphim*. Gregorius [e] Nazianzenus hæc de Virgine scribit:

Æquanda nullis Mater, & Virgo supra
Omnes decora Virgines, & maxima
Quæ vincis omnes cælitum ordines
Regina, Domina, generis humani bonum.

a Epist. ad ...
b Orat. de S. Deipara.
c In sua Liturg.
d In sua itē Liturgia. Idem hom. in S. Hipopan.
e In tragœd. sub fin.

Ephrem [f] Syrus: *Intemerata* (inquit) *prorsúsque pura Virgo Deipara regina omnium, spes desperantium, Domina mea gloriosissima, eadémque optima, sublimior cælicolis, purior Solis radiis, & splendoribus, honoratior Cherubin, & πολυομμάτοις, id est, multioculis spiritibus, sanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* & quæ sequuntur. Alibi [g] verò: *Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei sponsa*. Denique [h]: *O immaculata, & benedicta Filij tui, Deique omnium Mater inculpata, pura, integra, sacrosanctissima*. Epiphanius [i] cùm multa dicit, quæ cum superioribus congruunt, tùm addit: *Solo Deo excepto cunctis superior extitit, natura formosiores ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Quod autem ait, *natura*, si de natura præcisè loquatur, falsum dicit, humana enim natura inferior est Angelis, vt ait Dauid: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Quocirca Christi etiam humanitas natura dicitur Angelis inferior: cùm igitur Virgo Deipara natura dicitur formosior Cherubin, & Seraphin, intelligi debet, vt loquitur Paulus, cùm ait: *Eramus & nos natura Filij iræ*, id est, sorte, & conditione nascendi, vt Virgo dicatur natura, id est, ortus sui conditione purior Angelis. Penè eadem habent Isychius [k], Damascenus [l], Methodius [m], Cyrillus [n], Aponius [o], Origenes [p].

f Orat. de laud. Deip.
g Orat. ad Virg.
h In thren. seu lament. Virg.
i Serm. de laud. Deip.
k Or. 1. & 2. de lau. Vir.
l Or. de dormit. Deip. & lib. 4. de fi. l.
m Method c. 15.
n In S. Hipopan.
o Hom. con. Nestor.
o lib. 4. Cāt.
p Hom. 1. in diuers.

LVI. Venio nunc ad Latinos Patres, quorum princeps Ambrosius [q] ita de Virgine Deipara loquitur: *Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius Dei Matre? quid splēdidius ea, quam splendor elegit?* Alibi [r]: *Aula* (inquit) *regalis est Virgo, quæ non est viro subdita, sed soli Deo*; atqui si peccatum contraxisset, etiam Diabolo subiecta fuisset. Hieronymus [s]: *Mors* (ait) *per Euam, vita per Mariam.* Et alibi [t]: *Quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat, plena gratiæ salutatur.* Libro autem contra Heluidium vocat eam *Dei templum, Spiritus sancti Sedem*. Denique apud Isaiam [u]: *Nos* (inquit) *virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligimus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærētem.* Egregiè verò Augustinus [x]: *Hæc prima matris damna resoluit, hæc homini perdito salutem adduxit, Mater generis nostri pœnam attulit mundo, genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria; Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit; illa percussit, ista sanauit.* Auctor sermonum [y] ad fratres in Eremo: *Talis* (inquit) *suo modo fit mater, qualis & filius, qui procul dubio caruit omni peccato.* Fulgentius [z]: *Facta est Maria restauratio fœminarum, quæ per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ.* Anselmus [a]: *Decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat.* Quæ verba interpretans B. Thomas [b], talem ait fuisse puritatem Virginis, *quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit*;

q lib. 2. de Virg.
r lib. de inst. Virg. c. 12.
s Epist. ad Eustoch.
t Epist. ad Principiam.
u cap. 11.
x Ser. 35. de Sanct. Multa in eādem sent. serm. 6. 15. 18. de temp. lib. de nat. & grat. 36. lib. 5. cō. Iul. c. 15.
y Serm. 20. apud Aug. tom. 10.
z De laud. Mar.
a De cōcep. Virg. c. 18.
b 1. d. 44. q. vnic. art. 3. ad 3.

A quod profectò tantus vir omnium primus dicere ausus non esset.

LVII. In altera porrò classe primus omnium collocandus est Gregorius Neocæsariensis antiquissimus, & doctissimus Pater Basilio, & Nazianzeno æqualis, qui interpretans vim illius vocis, quæ est in salutatione Angelica κεχαριτωμένη: *Hæc* (inquit) *sola Virgo fuit sancta corpore, & spiritu.* quæ nisi de singulari quadam, minimèque communi sanctitate accipiantur, falsa penitus erunt, cùm innumerabiles Virgines recenseri queant ea præditæ sanctitate. Eodem prorsus modo loquitur Gregorius [a] Nazianzenus, ait enim beatissimam Virginem fuisse animo, & corpore puram. Necesse igitur est, vt eximiam sanctitatem intelligat nulli præterea communem, qualis est sanctitas, quæ

a Or. 38. & 42.

B originalem etiam labem excludat. Sophronius [b] planiùs, atque apertiùs id significauit, sic enim scripsit: *In vterum à viro intactum, castitatis virginitate decoratum Maria sancta, ac pura, & quæ Dei erant, sapientis, & ab omni labe secundùm corpus, & animam, ac mentem libera.* Proclus [c] Constantinus Virginis carnem impollutam appellat. Quòd si referatur ad virginitatem, non erit Deiparæ proprium priuilegium, sin autem significet, carnem Virginis idcirco dici impollutam, quòd licèt esset principium contrahendi peccati, ab eo tamen anima diuinitus fuit omni ex parte integra, & pura, laudem Virginis propriam continet. Quomodo etiā accipio Theodoti [d] Ancirani verba: *Vterus* (inquit) *virginalis mundus est à passionibus peccati.*

b Ep. ad Honor. 1. vt scribit Phot. in Bibl. quæ habet in VI. Synod.
c Homil. de Virg.
d Homil. de nat. Dom. in Cōc. Ephes.

C Neque aliter interpretor Chrysippum [e] Presbyterum, qui Virginem appellans ait: *Aue fons lucis omnem hominem illuminantis, aue Solis ortus, qui nullum ferre potest occasum, aue armatium vita.* Et multa deinceps in eamdem sententiam. Et paulo ante Virginem dixerat *puellam impollutam*. Isychius [f] autem Virginem vocat, *præclarum naturæ nostræ ornamentum, gloriam luti nostri, quæ Euam pudore, & Adamum comminatione liberauit, audaciam draconis abscidit, quam concupiscentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis læsit.* Sed multo clariora, & illustriora sunt, quæ scribit Damascenus [g]; alicubi enim Virginem ait in conceptione fuisse puram [h]. Alibi lumbos B. Ioachim vocat beatos, quòd immaculatum semen fuderint. Alio etiam [i] loco, cùm multa de immaculata conceptione disserit, tum illud

e De laud. Virg. tom. 2. Bibl. sanct.
f Conc. 2. de Virgin. eod. tom.
g In Martyrol. teste Galat. lib. 7. c. 5.
h Serm. de laud. Virg.
i Orat. 1. de nat. Virg. simil. or. 3. & or. 1. & 2. de Assump. lib. 3. de fid. c. 2. Cyrill. hom. 6. in Conc. Ephes. habetur to. 6.

D addit, *natura gratiam antecurrere ausa non est.* Quo ad excludendum peccatum originis dici nihil potuit apertius, significat enim, quod nos asserimus, Virginem vnà cum natura gratiam percepisse.

LVIII. Iam inter Latinos Auctor [k] de operibus cardinalibus, quæ tribuuntur Cypriano, apertè dixit, vt paulo ante monui, Virginem cum cæteris fœminis nihil præter naturam habuisse commune: *Plurimum* (inquit) *a cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Mitto Sedulium, cuius verba supra recitaui. Ambrosius [l]: *Suscipe me* (inquit) *in carne, quæ in Adam lapsa est, suscipe me non ex Eua, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Et alibi [m]: *Egregia* (inquit) *Maria, quæ signum*

k Serm. de nat.
l In Ps. 118. octon. 22.
m De instit. Virg. c. 5.

E *sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum leuauit.* Cùm enim virginitatem laudasset, intemeratam addit integritatem, vt omnem penitus peccati maculam excludat. Hieronymus [n] præter ea, quæ supra attulimus, ad illa verba Dauidis: *Eduxit illum in nube diei. Nubem* (inquit) *leuem debemus sanctam Virginem accipere, pulchrè dixit diei, quia nubes illa numquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* Alibi [o] cùm dixisset Abraham, Isaac, & Iacob liberos fuisse subdit: *Ex quibus nata est Virgo liberior sancta Maria; nullum habens fruticem, nullum germen ex latere.* Arator [p] autem sic ait:

n In Ps. 77.
o Eccles. 10.
p lib. 1. in Act Apost.

qua

——— qua tunc statione sedebat
Porta Maria Dei Genitrix intacta creantis
A nato formata suo mala criminis Eua
Virgo secunda fugat, nulla est iniuria sexus.

Neque aliter cecinit Adam à S. Victore, ait enim:

Salue Verbi sacra Parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos spineti gloria:
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spina nescia.

a Contépl. 2. de B. Virg.
b Contépl. 6.
c In Ps. 101.

Idiota verò[a]: *Tota* (inquit) *pulchra es in tui conceptione ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei Altissimi.* Planiùs aliquantu post: *Tota pulchra es, Virgo, non in parte, sed in toto, macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te.* Rursus alibi[b]: *Inuenisti, Virgo Maria, gratiam cælestem, quia fuerunt in te ab originali labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio.* Bruno Carthusianorum[c] institutor: *Hæc est* (inquit) *terra illa* (de Virgine loquitur) *cui benedixit Dominus ab omni propterea contagione peccati libera.* Sanctus Dominicus[d]: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus ita decuit in secundo Adam fieri.* Quod multo antea dixerat Andreas[e] Apostolus, qui Ægeam proconsulem alloquens inter cætera hæc pronunciauit: *Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat, necessariò de immaculata Virgine natus est perfectus homo.* Sanctus Ildephonsus[f] Archiepiscopus Toletanus Virginem appellat *incorruptam, & incontaminatam, & ab omni contagione prima originis alienam.* Et paulo post ait eam *in Adam nō admisisse.* Et planiùs: *Constat* (inquit) *ex authoritate Ecclesiæ, quòd nullis quando nata est subiacuit delictis, nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum.*

d In tract. de corp. Christi.
e In vita ipsius.
f Serm. de virg. B. Mar.

LIX. Beatus Laurentius[g] Iustinianus: *Ab ipsa conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnationis alienæ chirographo.* Nec ita multo post: *Erat planè à carnis colluuione immunis, & ita ab omni peccati labe extranea.* Et alio[h] quodam loco: *Hæc est* (inquit) *originalis pœna delicti, à qua nemo, quamuis eximia polleat sanctitate, liber exiuit; quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine, excepto duntaxat Mediatore Dei, & hominum homine Christo Iesu, & ipsius Matre sub hac peccati lege sunt conditi.* Sic etiam[i] alibi: *Nemo ab ipso mundi initio vsque ad temporis plenitudinem duntaxat Mediatore, eiusque Genitrice exceptis iugū damnationis euasit.* Demum[k]: *Ab hoc quippe originali peccato nullus excipitur præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem.* Petrus quoque[l] Damianus: *Quid ergo* (inquit) *vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium?* Et alibi[m]: *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.* Anselmus, qui aliàs aliter sentire visus est, alicubi[n] tamen scripsit: *Omnes mortui sunt in peccatis nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei siue originalibus, siue etiam voluntate additis.* His addi possunt alij non pauci recentiores Theologi, quos nihil est necesse in præsentia recensere. Prætermisi autem ex industria Augustinum, quia eius verba non semel recitaui; ex quibus intelligimus, noluisse illum, cùm de peccatis agitur, de Virgine Deipara quæstionem instituere[o]. Alibi verò consequens esse putauit, si quis sponte sua nihil vmquam peccauerit, cum ne contraxisse quidem peccatum; & contra eum, qui contraxerit, procul dubio peccaturum, vt fatendum sit, quoniam constat Virginem non peccasse, ex Augustini sententia ne contraxisse quidem.

g Ser. de annūciat. Mar.
h lib. de cast. connub. verbi, & animæ.
i In fascic. amor. c. 7.
k li. de grad. perf.
l Serm. 3. de nat. Virg.
m Serm de Virg. assūpt.
n 2. Cor. c. 5.
o De nat. & grat. c. 36.

LX. Postremò hæc pia sententia non contemnendis rationibus nititur, tametsi enim difficillimum est statuere, quid Deū deceat, Augustinus[p] tamen hanc A legem præscribit: *Quicquid* (ait) *tibi vera ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum.* Qua lege posita rectissima, verissimáque ratio docet, vt quæ ad tantam dignitatem euecta est, vt sit Filij Dei Mater, ea omnia priuilegia consequatur, eorúmque omnium bonorum particeps fiat, quæ ipsi non repugnant. Ita enim asserit Vlpianus[a], vbi ait Augustam non esse quidem per se legibus solutam, Principem tamen eadem ei priuilegia concedere, quæ ipse habet ex officio. Cùm igitur probatum sit, hoc priuilegium cum natura humana non pugnare, quis negare audeat, decuisse Dei Matrem illo honestari? Adde ex iis quæ fieri per se possunt optima vt plurimum à Deo Opt. Max. fieri, earum præsertim personarum respectu, B quæ sibi maximè addictæ sunt, & connexæ. Videmus autem vi Sacramentorum ab originali labe plurimos expiari, pauciores diuinitus etiam in maternis vteris ea labe purgari; cur igitur non dicamus ipsius præsertim Virginem Matrem, quod fieri posse nemo negat, ab eadem labe liberam, atque immunem fuisse seruatam? Certè communi Theologorum consensu receptum est, consueuisse Deum pro personæ dignitate gratiam congruentem largiri; liquet autem Dei parentis dignitatem cùm Deum proximè attingat, esse propemodum infinitam, vt alicubi asserit D. Thomas; nec posse Deum, vt obseruauit S. Bonauentura, maiorem habere matrem. Fatendum igitur profectò erit, consentaneam tantæ dignitati gra- C tiam illi fuisse tributam, quæ omnem ab illa penitus maculam repelleret; cùm præsertim Matris Dei dignitati, qua nihil ad Deum propius accedit, quæ quandam cum illo affinitatem contraxit, nihil magis, quàm peccati fœditas repugnat; quæ profectò hoc etiam nomine à Matre longissimè remouenda est, quòd eius turpitudo, & ignominia in Filium aliqua ratione redundet.

p lib. 3. de lib. arb. c. 5.
a Lege Princeps, ff. de leg.

Quòd si nemo est, qui neget fuisse Virginem proximè post primum conceptionis articulum gratia cælesti perfusam, cur si potuit eamdem gratiam in ipso statim conceptu percipere, debuit hoc beneficium differri, quod tamen Angelis tanto in genere gratiæ Dei Matre inferioribus concessum fuisse constat? Quis enim non videat Matri non esse denegandum, D quod ministris, & seruis vltrò datum fuisse comperimus? Accedit, quòd, vt egregiè docet Augustinus, & ante illum affirmauerat Dionysius[b], nullū Deus malum permittit, nisi vt inde boni aliquid hauriat. At quid quæso boni oriri poterat, si Virgo Mater permissa esset originaria labe fœdari? An inde meritorum Christi, diuinæque eius gratiæ efficacitas apparebat quæ Virginem ab ea sorde, & macula elueret? Atqui id longè illustriùs, longéque magnificentiùs enituit, si Christi merita, quod facilè facere poterant, Deiparam à communi lege eximerent, & vna cum natura gratiam largirentur. Quid quòd cætera priuilegia quamuis eximia, & singularia, si cum hac innocentia, atque integritate, atque ab omni pecca- E to immunitate conferantur, longe inferiora censenda sunt? etsi ita loqui fas est propemodum contemnenda? Quid enim quæso speciosum habet virginea integritas cum admirabili partu coniuncta, ipsáque adeò dignitas Matris Dei, si componatur cum animi integritate, atque innocentia, quæ nulla prorsus culpa inquinetur? Neque enim dubitandum est, hanc singularem innocentiam optandam magis Virgini fuisse, quàm ipsam virginitatis integritatem, qua citra culpam carere potuit, cùm tamen hac innocentia spoliari sine aliqua culpa non queat. Nihil autem Virgini culpa detestabilius videri potuit, quæ illam à Deo conditore seiungeret: libentius etiam dignitate Matris caruisset, si optio illi data fuisset, LXI.

b cap. 4. de diu. nom.

quàm

quàm pateretur, se originaria labe contaminari. Vt igitur innumerabilia propemodum priuilegia Dei Parenti concessa esse admiramus, conceptum illæsa virginitate, partum sine dolore, obitum absque corruptione, denique Matris amplissimam dignitatem, si fuit aliquando peccato implicita, hæc omnia quodammodo fœdantur, & minùs illam exornãt, quòd fuerit aliquando à Deo aliena, quæ tamẽ ob Matris dignitatem alioqui proximè ad illum accedit.

XII. Hæc ferè Filij personam, ac dignitatem maximè decent, qui cùm sponte sua liberè sibi Matrem delegerit, dignissimam profectò atque omni genere laudis cumulatissimam delegisse credẽdus est. Quid de ipsa Matris persona existimandum putabimus? illa profectò diuinitus electa est, ex cuius purissimo sanguine Christi corpus gigneretur. At illud, vt sæpè iam diximus, erat tantùmmodo similitudo carnis peccati, licèt enim ratione materiæ à primo Parente originem duceret, non tamen ab illo vi seminis pendebat. Vt igitùr sanguis Virginis idoneam Christi corpori materiam sufficeret, ita debuit ab Adamo pendere, vt quando omnino culpa vacare non poterat, quàm minimum tamen illam attingeret, atque adeò debito tantùm, non ipsa peccati culpa inquinaretur. Nam si Deus Abrahæ progeniem à Gentilium impietate segregauit, vt ex ea naturam sibi humanam copularet, æquum profectò erat, vt quoniam proximè ea Virgine humanam sibi naturam copulaturus erat, eam quoad eius fieri posset ab omni peccati labe segregaret. Addo quòd, vt sæpe iã dixi, dignitas Matris Dei tanta est, quanta vix tenuitas humanæ mentis, atque intelligentiæ capere potest. Quamobrem quemadmodum natura nobilissimæ formæ congruentem præparationem substernit, ita æquum fuit insigni quadam ratione Deiparam ad hanc dignitatem præparari; nulla autem ratione nobilius aptari, & accommodari poterat, quàm summa quadam innocentia, & peccati carentia. Siquidem hac potissimùm ratione Deo singulariter grata erat, dignissimàque, quæ apud Filium, & Patrem humanæ naturæ patrocinium susciperet bonàque omnia cælestia mortalibus impertaret. Cùmque ipsa quippe Dei Mater iure, vt ita dicam, cognationis, & sanguinis ad Deum integritatis, & innocentiæ fontem quã proximè accederet, necesse erat eam, quantam maximam poterat, eiusdem innocentiæ, & integritatis partem percipere, vt interim omittam maternum nomen hoc propemodum iure suo à Christo filio exigere, vt se summo quodam honore prosequatur. Sapienter enim à Salomone [a] scriptum est, *Gloria filiorum Patres eorum*. Ita videmus ipsum Salomonem iussisse sibi matrem assidere. Quoniam igitur potuit Christus matrem ab omni culpa integrã, ac puram seruare, nemo prudẽs aduertit, hoc fuisse ab amantissimo Filio prætermissum, qui in ea, vt ait Salomon [c], requieuit, quam creauit, qui eodem Salomone [d] auctore non habitat *in corpore subdito peccatis*.

a Prou. 17. b 3 Reg. c Prou. 8. d Sap. 1.

LXIII. Atque vt aliquando cõcludam, cùm fuerit Christus Dominus humanæ vindex, atque assertor libertatis, atque adeo Deiparentis Virginis Redemptor, dubitare nemo potest, quemadmodum peculiari quadam ratione merita sua obtulit Patri pro prædestinatis, ita eximio quodam modo Parentem suã redemisse, próque illa sanguinẽ, quem ex illa assumpserat, profudisse. Hoc enim non solùm ab illo exigebat obediẽtia, quam debebat Patri, sed etiam pietas, qua tamquam Filius Matrem venerabatur. Huc accedit, quòd ad eius dignitatẽ maximè pertinebat, omnem suorum meritorum vim, atque efficacitatẽ exercere, atque adeò quosdam eripere à vitiis, atque sceleribus sponte patratis, alios ab originaria labe perpurgare, Matrem denique etiam ab ea labe innoxiã cõseruare. Id planè ostendit, quod ait Paulus, *vbi abundauit delictum superabundasse & gratiam*; nec fuisse donum delicto persimile, sed longè præstantiorem fuisse peccato Adæ diuinæ munificentiæ, ac liberalitatis magnitudinem. Cùm præsertim ipsa eius Mater meritò à sanctis Patribus, totáque Ecclesia reconciliatrix, mediatrix, aduocata, auctrix salutis, aliísque id genus nominibus nuncupetur. Quamobrem meritò dixit S. Bernardinus Senensis ad illa verba: *Vulnerasti cor meum*; Christum Dominum potius pro Virgine redimenda, quàm pro aliis omnibus venisse in mundum; atque idcirco illam ait fuisse primogenitam redemptionis. Cùm igitur contrariæ sententiæ argumenta superiùs explosa sint, restat, vt concludamus, fuisse Virginem originariæ labis prorsus expertem. Sequitur; vt ostendamus, fuisse illam ab omni quamuis leuissima culpa prorsus integram, & putam, vt hac Ioannis sententia, qua omnes peccato inuoluit, minimè comprehendatur.

a Can. 4. ser. 51.

LXIV. Nam quoniam consueuit Deus congruam iis gratiam largiri quos ad aliquod munus elegit, vt idonei ministri efficiantur, idcirco rectè argumentatur B. Thomas [b], beatissimam Virginem eam accepisse gratiam qua idonea esset Dei Mater; nõ fuisset autem idonea Mater Dei, si aliquando peccasset; tum quia Parentum honor redundat in filios, quod Salomon significauit [c], cùm dixit: *Gloria filiorum patres eorum*, vt eadem ratione existimandũ sit, Matris ignominiam ad Filium aliquo pacto pertinere. Tum etiam quia Virgo Deipara singularem quandam cum Christo Domino affinitatem contraxit, qui est ab omni peccato alienissimus. Dicitur antè ab Apostolo [d]: *Quæ conuentio Christi ad Belial? & quæ communicatio lucis ad tenebras?* Accedit, quòd Christus, quia Dei Filius est, meritò sapientia nuncupatur. De ea autem dixit Salomon [e]: *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Atqui hæc diuina sapientia non in animo tantùm Virginis, sed in eius etiam vtero domicilium collocauit, vt omnino fatendum sit, eam omni prorsus caruisse labe peccati, cui potissimum congruunt illa [f]: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*.

b 3 p. q. 27. art. 4. c Prou. 17. d 2. Cor. 6. e Sap. 1. f Cant 4.

LXV. Sed aduersùs hoc Virginis priuilegium incredibile dictu est, quàm multa ab aduersariis obiiciantur. Hæreticorum enim princeps [g], qui falsò opinatur neminem posse quamuis eximio, ac singulari munere gratiæ perfectam, atque omnibus numeris absolutam assequi iustitiam, & sanctitatem atque omni ex parte diuinæ legi obtemperare; vt hoc Virginis priuilegium admittat, cæleste diploma exigit, sine quo negat se illud admissurum, quasi verò in aliis fidei articulis hoc cæleste diploma exigatur ac non satis sit ad fidei dogmata stabilienda Scripturæ, diuinarúmque traditionum, & Ecclesiæ denique auctoritas. Sed cum Tridentinum Concilium asserat Ecclesiam hoc Virginis priuilegium absque vlla controuersia admittere, nomine Ecclesiæ ait ille Concilium Claramontanum tantummodo significari. Quod quamquam ille per contemptum, ac veluti irridendo affirmat, nos tamen Conciliorum auctoritati tantum tribuimus, quantum eis Ecclesiastica auctoritas Romani præsertim Pontificis suffragio tribuit. Quamquam de eo Concilio nihil vmquam memini legere, nisi quod sub Vrbano in ea Vrbe de expeditione Hierosolymitana actum esse accepimus. Falsum verò est vnicum illud Concilium Ecclesiæ nomine intelligi, sed potiùs eo nomine vnanimis consensus Patrum significatur, omnium

g Calu. in ant. Conc. il. Triden.

Benedict. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

Academiarum conspiratio, omnium Catholicorum A
scriptorum sententia, vt omittam ipsius Tridentini Concilij sacrosanctam auctoritatem, cum præsertim quæ paulo ante de originaria labe disputauimus, Augustini[a] præsertim testimonio hoc mirum in modum confirment.

a lib. 5. con. Iul. c. 15.

Itaque frustra nituntur hæretici hoc eximium, Virginis priuilegium oppugnare, vt enim supra diximus, decuit Deiparam Virginem tanta integritate nitere, vt infra Deum nihil ea sanctius, nihil purius, nihil integrius concipi, aut cogitari queat. Atque ita non est dubitandum, eam excipi ab hac amplissima Ioannis sententia, qua negat, quemquam esse, qui aliquo piaculo non inquinetur. Sed quoniam ad huius Deiparæ Virginis honorem longiùs aliquanto excurrimus, ad Ioannem aliquando reuertamur. B
Is enim subdit.

9 *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

I. Quandoquidem dixerat, neminē esse omnis labis prorsus expertem, & paulo ante docuerat, Christi sanguine deleri peccata, iam docet qua ratione Christi sanguinis efficacitas singulis applicetur. Si confiteamur, inquit, peccata nostra: *quod potest homo* (ait Augustinus) *faciat, ipse confiteatur quod est, vt ab illo curetur, qui semper est, quod est. Ipse enim est, & est: nos non eramus, & sumus.* Existunt autem hoc loco duæ C
grauissimæ quæstiones, quarum prima est, de quibusnam peccatis loquatur Apostolus, de lethalibúsne tantum, an etiam de leuioribus, quæ facilè veniam impetrant. Altera, quam potissimùm confessionem exigat, verùm videlicet eam, quæ soli Deo fit, an verò illam etiam, quæ homini, qualis est sacramentalis confessio. Et de priori quidem quæstione ita loquitur in præsentia Augustinus: *Non tantùm præterita, sed & si qua forte contraximus ex hac vita, quia non potest homo, quamdiu carnem portat, non habere vel leuia peccata.* Quocirca indicat, etiam leuia peccata hoc loco cōprehendi, esséque confessione expianda, non quòd illa sacramentali confessione omnino indigeant, sed quòd ritè, ac rectè confessione purgentur, siue soli Deo, siue etiam Sacerdoti pandantur. Tametsi enim D
leuia peccata sunt, non sunt tamen, vt ait Augustinus, contemnenda. *Sed ista (inquit) leuia, quæ dicimus, noli contemnere, si contemnis quando appendis, expauesce quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam.* Ita perpetuò loquitur Augustinus, nam ad Seleucianā[b] in eamdem sententiam explicat verba illa[c]: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim (ait) ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo, sed illa vtique quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimēt, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepēs aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauem, atque submergat?* E

b Ep. 108.
c Mat. 6. 12.

II. Eodem autem modo alias[d] semper loquitur. Neque aliter sentire videtur Isidorus[e]. Quod tamen non perinde accipiendum est, quasi multa leuia, & venialia peccata mutata natura in lethale conuertantur, quod fieri nequaquam posse magno omnium consensu Theologi docent in scholis. Sed id tantùm significat, assiduitatem leuiter peccandi, cū per se periculosam esse, tum eò non rarò hominem adducere, vt etiam lethaliter peccet. Ita enim scri-

d lib. de decem chordis Tract. 12. in Ioan. In Psal. 129 Serm. 88 de temp. & in 47. [illegible] sal. & c. [illegible] de sum. bon. c. 18.

psit Sirach[a]: *Qui spernit modica, paulatim decidit.* Et vt ait Gregorius[b]: *Si curare parua negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam maiora perpetramus.* Et alibi: *Qui enim peccata minima fieri, ac deuitare negligit, a statu iustitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit. Admonendi sunt, qui minima frequenter excedunt, vt solicitè considerent, quia nonnumquam in parua deterius, quam in maiori culpa peccatur. Maior enim quo citius quia est culpa agnoscitur, eo etiam celeriùs emendatur, minor verò dum quasi nulla creditur, eo peius, quo & securiùs in vsu retinetur. Vnde fit plerumque, vt mens assueta malis leuibus nec grauiora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitia per culpas nutrita perueniat, & tanto in maioribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.*

a Eccles. 19 1.
b l. 10 mor. c. 14 alias 9 & p. 3 pastor. admon. 34.

III. Vniuersim igitur ait Apostolus, confitenda esse peccata, siue illa grauia sint, siue leuia, si quidē omnia detestanda, & deploranda sunt: *Ante omnia* (ait Augustinus) *confessio, ne quisquam se dicat iustum ante oculos Dei, qui videt quod est, erigat ceruicem homo qui non erat, & est.* Explicans autem quorsum confessio adhibenda sit, subdit: *Ante omnia ergo confessio, deinde dilectio, quia de charitate quid dictum est? Charitas[d] cooperit multitudinem peccatorum. Iam videamus si ipsam charitatem cōmendat propter subrepentia delicta, quia sola delicta extinguit charitas, superbia extinguit charitatē. Humilitas ergo roborat charitatē, charitas extinguit delicta.* Et multa deinceps addit de humilitate, quam ait ad confessionem pertinere: *Quantū autē bonū* (ait Oecumenius) *ex confessione emanat, ostēdit ille qui dixit[e]: Dic tu prius peccata tua, vt iustificeris.* Pertinet autem ad humilitatem, auctore Augustino, vt cōfiteamur nos peccatores esse: *Ipsa* (inquit) *est humilitas, non vt dicamus illud lingua, quasi propter arrogantiam, ne displiceamus hominibus, si nos iustos dixerimus; facimus hoc impij, & insani.* Mox eorum veluti orationem exprimens: *Scio quidem* (ait) *quia iustus sum, sed quid dicturus sum ante homines? si me iustum dixero, quis ferat? quis toleret? Apud Deū nota sit iustitia mea, ego tamē dicā me peccatorem, non quia sum sed ne arrogantia odiosus inueniar. Dic hominibus quid es? dic Deo quid es? quia si nō dixeris Deo quod es, damnat Deus quod in te inuenit. Non vis vt ille damnet? tu damna. Vis vt ille ignoscat? tu agnosce, vt possis dicere Deo[f]: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Dic illi etiam illa verba in Psalmo[g]: quoniam iniquitatem meam ego agnosco.* Hæc omnia Augustinus de leuioribus noxis scribit, innuens de his potissimùm loqui Ioannem, de quibus etiam paulo ante dixerat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quò fit, vt multo magis agnoscenda, confitenda, & deploranda sint lethalia crimina, quæ Augustinus in præsentia vocat præterita, innuens illa vi Baptismi fuisse penitus expiata, atque deleta, nec post Baptismum rursum iterata.

d 1. Pet. 4. 8.
e Esa. 43 apud LXX.
f [illegible]

IV. Iam quod attinet ad secundam quæstionem, confessionis nomen ambiguum esse nemo ignorat; interdum enim in sacris literis cognitionem quandam Dei cum laude coniunctam significat, dicitúrque confessio laudis, de qua sæpe Dauid, & Christus Dominus apud Matthæum[h]: *Confiteor tibi* (inquit) *Pater Domine cæli, & terræ.* alias externam fidei confessionē sonat, de qua Christus[i]: *Qui me* (inquit) *confessus fuerit coram hominibus, cōfitebor & ego eū coram Patre meo.* Et de præcursore scripsit Ioannes[k]: *Confessus est, & non negauit.* Et Paulus[l] Christum ait coram Pilato dedisse bonam confessionem. Alibi: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et hac ipsa Epistola ait Ioannes, *qui confitetur Christum Iesum in carne venisse.* Qua ratione olim, qui fidem coram Tyrannis profitebantur, appellabantur Cōfessores, vt

h cap. 11.
i Matth. 10. 32.
k cap. 1.
l 1. Tim.

[...] c. [...] & ser. de

A vt colligitur ex Cypriano , & nos alibi copiosiùs docuimus. Verùm neutra ex his confessionibus pertinet ad hunc locum. Itaque non rarò confessio cognitionem, & declarationem significat occulti peccati, quæ nonnunquam fit soli Deo, de qua sæpe fit mentio in Scripturis. Hãc enim videtur Deus postulasse ab Adamo, cùm dixit: *Adam vbi es?* Nam vt ait Ambrosius[b], perinde est ac si dixisset: *Vbi est tua bene tibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi es ergo? non in quo loco quæro, sed in quo statu, quò te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem ante quærebas?* Sic etiam confessionem à Caïno exigebat, cùm dixit[c]: *Quid fecisti?* Sic enim ferè solet Deus variis interrogationibus ad resipiscentiam homines perducere, vt agnoscant, fateanB túrque peccata sua, & confessionem misericordia subsequatur. Ita Dauid[d]: *Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei,* de qua plura Chrysostomus[e], & Augustinus[f].

b lib. de Paradis. c. 14.
c Gen. 4.
d Psal. 31.
[...] Psal. 50.
f [...] 50. hom. hom. 12. & in Psal. 66. c mod.

V Interdum verò confessionem delicti significat, quæ fit homini, vel ad gratiam conciliandam, qualis fuit confessio fratrum[g] Ioseph, Saulis[h], & Semei[i]. Vel ad impetrandum auxilium, vel consilium, qua ratione nonnulli explicant verba illa Iacobi[k]: *Confitemini alterutrũ peccata vestra.* Vel vt sententiã subeat, qualis fuit confessio Acham[l]. Vel denique vt à Sacerdote peccata soluantur, qualis videtur fuisse Iudæorum confessio, de qua in libro Numerorũ[m]. Nec enim desunt[n], qui affirment, etiã apud Iudæos, nonnullam peccati confessionem vsurpari, quæ fuit olim C veluti typus confessionis sacramentalis. Cùm igitur ait Ioannes: *Si cõfiteamur peccata nostra.* nõ satis liquet, vtram peccati confessionem exigat, eámne, quæ soli Deo fit, an verò illã, quæ fit hominibus. Certè Augustinus, vt intelligi potest ex iis, quæ paulo ante attulimus, indicare videtur, loqui Apostolũ de cõfessione, quæ fit hominibus Christianæ modestiæ, & humilitatis gratia; sed ea tamen aut non habet vim expiandi peccata, aut si quam habet, ea procul dubio non ab illa externa confessione, sed ab interno animi sensu, motúque tota pendet, cùm ita quis ad se deprimendum, deiiciendúmque sua peccata commemorat, vt ea ex animo dãnet, ac detestetur. Videri posset (quod Nouatores contendunt) loqui Apostolum de confessione, quæ vni Deo fieri solet, quæ vel idẽ est cum D contritione, vel ab ea non admodum distinguitur. Sunt autem viri docti, & pij, qui negant posse Apostolum de hac confessione loqui, cùm peccata confitentibus veniam polliceatur, quam negant huic confessioni à Deo esse promissam. Loqui verò putant Apostolum de cõfessione sacramentali, cui eiusmodi promissio sit annexa, ideirco enim subdit: *Fidelis est, & iustus Deus.* quæ verba ad diuinam pollicitationem referuntur. Atqui hanc pollicitationem agnoscit Dauid[o], cùm ait: *Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et Isaias[p]: *Narra si quid habes, vt iustificeris*, vbi Lxx. habent: *Dic peccata tua vt iustificeris.* Quæ procul dubio E tacitam Dei pollicitationem insinuant, qua confitenti peccata eorum expiatio promittitur.

g Gen. 50.
h 1. Reg. 24. 26.
i 2. Reg. 19.
k cap. 5.
l Iosu. 7.
m cap. 5.
n Iudicat Hugo lib. 2. sacra. p. 14. c. 1. Asserunt Walden. to. 2. c. 136. & 137. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 6. §. 1. Galat. lib. 10. c. 3. Ioan. Eckius [...] 42.
o Psal. 31. 5.
p cap. 43. 26.

VI. Quòd si confessio, quæ soli Deo fit, à contritione non differt, quis ignorat, contritioni peccatorũ condonationem ex diuina promissione deberi? Nihil enim frequentius in sacris litteris inculcatur, quàm Deum pœnitentium lachrymas, & gemitus exaudire, & peccata pœnitentibus facilè condonare. Accedit, quòd communi Theologorum sententia receptum est, leuiora peccata piis in Deum actionibus, eorúmque detestatione quotidie deleri. Quocirca mea quidem sententia negari non potest, admodum probabiliter Apostoli verba de hac cõfessione accipi posse. Nam hoc ipsum significauit Christus Dominus, cùm in oratione Dominica ea verba vsurpari præcepit, quæ quotidie iterantur, cùm dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Siue igitur loquatur Apostolus de leuioribus culpis, siue vniuersim de omnibus peccatis, confessio, quæ fit Deo, cùm sit eadem cum contritione, vel eam inuoluat, condonationem, atque expiationem affert. Quamquam deinde necesse est, lethalia peccata in confessionis sacramento explicare, cùm sacramẽtalis confessio diuino præcepto nitatur.

VII. Non inuerim tamen inficias, posse etiam Apostoli verba non sine magna probabilitate de sacramentali confessione accipi, qua singula saltem lethalia pecB cata Sacerdoti explicantur, quæ quidem in sacris litteris nonnullis figuris insinuatur, apertéque in nouo Testamento instituitur. Apud Ioannem enim dixit Christus[a]: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Datur enim Apostolis eximia quædam potestas remittendi, ac retinendi peccata, ipsique adeò constituuntur iudices, vt videant, quæ remittenda, quæve retinenda sint, ita enim locum explicant Athanasius[b], Gregorius[c] Nazianzenus, Chrysostomus[d], Hilarius[e], Hieronymus[f], Augustinus[g], Bernardus[h]. Quoniam igitur peccata vt plurimùm occulta sunt, siue quia mente tantùm, atque interno animi motu, siue quia remotis arbitris perpetrantur, necesse est illa externa confessione patefacere. QuaC propter quam Latini confessionem vocant, Græci ferè exomologesim appellant. Vt enim ait Suidas ἐξ μολογεῖν, idem est, quod *foras dicere*, vel *fateri*. Exomologesin autem sic ferè describit Tertullianus[i]: *Exomologesis (inquit) est petitio veniæ, quia qui petit veniam delictum confitetur.* Et Cyprianus[k]: *Denique (ait) quanto & fide maiores, & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore adstricti, tamen quoniam vel hæc cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, ac simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licèt, ac modicis vulneribus exquirunt.*

a cap. 20.
b In dict. Euang. Exiens in mundum vniuersum.
c Or. ad ciues timore perculsos & ad Princip. irascen.
d lib. 3. de Sacerdot.
e Mat. 16. & 18.
f Ep. ad Hediob. & Mat. 16.
g lib. 10. de ciuit. c. 9.
h Ser. 1. de SS. Apostol. Petro, & Paulo
i lib de orat. c. 6.
k Ser. de lapsis.

Quæ sanè verba hoc libentiùs recensui, quòd apertissimè indicent, sacramentalem confessionem, in qua etiam abdita, atque occulta peccata cordis D explicantur, ne quis existimet Cyprianum de publica confessione loqui. VIII. Quamquam non nego, etiam publicam illam confessionem, quæ olim in Ecclesia vsurpari solebat, exomologesim appellari, vt ex Tertulliano[l], & Cypriano[m] intelligi facilè potest. Quin etiam, quod alij ante nos obseruarunt, facilè admiserim, omnem actionem, quæ delicti confessionem imitatur, exomologesim vocari. Ita enim loquitur Tertullianus[n]: *Tantũ releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat, confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumacia. Huius[o] igitur pœnitentiæ secundæ, & vnius quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, vt non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis* E *Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Mox verò explicans, quibus actionibus exomologesis coniungatur, subdit: *Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa, quæ peccauit, tristi tractatione mutare, cæterum pastum, & potum pura nosse non ventris scilicet, sed animæ causa. Plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari,*

l lib. de pœnit.
m Ep. 10. 11. 13. 52. 62.
n lib. de pœnit. c. 8.
o cap. 9.

& mugire dies, noctésque ad Dominum Deum tuum; presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis. Vt appareat omnes pœnitentiæ partes exomologesis nomine comprehendi.

IX. Quamquam, vt verum fatear, tam Tertullianus, quàm Cyprianus exomologesim ad publicam pœnitentiam referunt. Ita enim loquitur Cyprianus[a]: *Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, vt per manus impositionem Episcopi, & Cleri ius communicationis accipiant.* Paucis interiectis: *Nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo, & Clero imposita.* Et alibi[b]: *Si autem de eis* (inquit) *aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est, & ideo æstimato iusto tempore postea exomologesi facta ad Ecclesiam redeat.* Ex quibus facile intelligi potest, exomologesim olim, hoc est, publicam, & solemnem pœnitentiam, posteriorem fuisse aliqua priuata pœnitentia, quâ peracta exomologesis sequeretur, vt alibi copiosiùs explicui. Certè hoc loco Ioannes pro eo, quod interpres dixit, *confiteamur*, Græcè scripsit ὁμολογῶμεν, vt videri possit, pristinam illam exomologesim aliquo pacto indicare, quæ sanè olim tanti fiebat, vt ad abolendam omnem culpam, si priuatam confessionem sequeretur, censeretur aptissima. Vt enim scribit Origenes[c]: *Sicut ij, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humores, vel phlegmata stomacho grauiter, & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur: ita etiam ij, qui peccauerunt, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam.*

a Epist. 10.
b Epist. 61.
c Hom. 2. in Ps. 37.

X. Mox verò medicum diligenter eligendum monet, cui morbos animæ detegas: *Tantummodo* (inquit) *circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demum si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem. Si quid consilij dederit facias, & sequaris; si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari. Multa hoc deliberatione, & satis perito Medici illius consilio procurandum est.* Ita videas consueuisse olim fideles priuatim priùs Sacerdotibus peccata confiteri, non solùm consilij causa, vt malè quidam interpretantur, sed vt ab eo absolutionem consequerentur. Et si quid, vt ait Origenes, publicè proferendũ esset, non sine Episcopi consensu, atque auctoritate coram multitudine proponeretur. Quo in genere grauiter peccatum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana testatur Socrates[d], Nicephorus[e], Sozomenus[f]: *Mulier enim quædam nobilis* (ait Socrates) *ad Presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata, quæ post Baptismum commiserat, particulatim confitetur: Presbyter mulieri mandatum dat, vt ieiunet, & continuis precibus se dederet, quò vna cum peccatorum confessione opus dignum pœnitentia ostenderet. Mulier longiùs in confitendo progressa alterius culpam se ipsa insimulat: docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormiuisse.* Eam ob causam Nectarius Eudemonis cuiusdam Presbyteri Alexandrini consilio Presbyterum pœnitentiarium sustulit.

d lib. 5. hist. c. 19.
e lib. 12. cap. 28.
f lib. 7. c. 16.

XI. Hæc autem historia vltrò, citróque inter Catholicos agitatur, nam vt omittam hæreticos, qui confitendi peccata consuetudinem sublatam esse contendunt, non defuerunt inter[a] Catholicos, qui opinarentur fuisse ad tempus confessionis Sacramentum abrogatum; quibus multis locis[a] fauere videtur Chrysostomus: *Peccata* (inquit) *tua dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico, vt confitearis conseruo tuo, sed dicito Deo, qui curat ea.* Fauet etiam Cassianus[b]: *Quis est* (inquit) *qui non possit Deo suppliciter dicere; peccatum meum cognitum tibi feci? Vt per hanc confessionem etiam illud subnectere mereatur; & tu remisisti impietatem peccati mei. Quod si verecundia retrahente reuelare peccata tua coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desistas.* Sed profectò hoc minimè probandum videtur, tum quia res aliter gesta est, quàm nobilissimi Theologi existimare videantur; tum quia peccatorum confessio, quæ diuino iure sancitur, nullius auctoritate antiquari, aut aboleri potuit. Neque credendum est, Nectarium quamuis non doctissimum tanta diuinarum rerum ignoratione laborasse, multóque minus Chrysostomum sapientissimum, prudentissimúmque Episcopum sua auctoritate, ac suffragio rem gestam potuisse confirmare. Meliùs omnino existimarunt alij[c], qui dicunt, non confessionem sacramentalem, sed quamdam eius appendicem, seu additionem fuisse abrogatam, quam nonnulli[d] in eo positam fuisse autumant, quòd Episcoporum decreto Presbyter pœnitentiarius constitutus esset, qui omnium peccata audiret ac deinde quantumuis secreta ad Episcopum deferret, & coram populo recitaret. Interea hac ratione cognitum fuisse mulieris stuprum cum Diacono perpetratum; vnde populi ira in Sacerdotes exarsit, vt propterea Nectarius coactus sit Presbyterum exauctorare, & quemlibet suo iudicio, conscientiæque permittere.

g Melchior Can. relect. de pœn. p. 5. Dominic. Sot. in 4. d. 18. q. 3. art. 5.

a Hom. 2. in Ps. 50. Simil. habet hom. de Lazaro. Hom. de publ. Hom. 31. in 12. cap. ad Hebr. Hom. de pœnit. & confess. Hom. 8 de pœnit. Hom. 5 de incomprehensib. Dei nat.
b Coll. 20.
c Pet. Sot. lect. de confess. Ruar. T. per ar. 5. 14.
d Ruar. cit.

XII. Verùm neque hæc sententia probari vllo modo potest, non enim credendum est, in Ecclesia Orientali vsu, consuetudinéque receptum fuisse, vt peccata secreta publicè coram populo recitarentur. Quod cùm repugnat iuri naturæ, tum plurima scandala, detrimenta, multorum offensiones, dissensiones, atque discordias parere consueuit; cùm præsertim Concilium Tridentinum[e] dicat, hanc publicam confessionem, neque diuina lege præcipi, neque vllo humano præcepto consultò posse præscribi. Huc accedit, quòd hæc publica delictorum recitatio, quæ in Campaniam irrepserat, tamquam sacris Canonibus, Apostolicæque traditioni repugnans à Leone[f] Pontifice reprehenditur: *Illam etiam* (inquit) *contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri. De pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicè recitetur, cum reatus conscientiarũ sufficiat solis confessoribus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.*

e Sess. 14. c. 5.
f Leo Epist. 80. ad Episcop. Campan.

XIII. Quæ idcirco tam copiosè ad verbum recensui, vt appareat, eos[g] minimè audiendos esse, qui solùm reprehendi putant à Leone abusum, quo pœnitentes publicè sua peccata fateri cogebantur, cùm id pertineret vel ad Episcopum, vel Presbyterum pœnitentiarium. Res enim ipsa videtur reprehendenda,

g Ruar. T. per.

prorsúsque

prorsúsque damnanda siue à pœnitente, siue ab Episcopo, siue ab alio quopiam publicè peccata recitentur. Videtur autem Leo damnare consuetudinem libellos recitandi, in quibus omnia genera flagitiorum continerentur, quod ad Episcopos non pœnitentes videtur spectare, qui publica peccata in libellum relata palam recitare consueuerant. Ratio verò, quam affert Pontifex, eamdem prorsus vim habet, siue pœnitens ipse cogatur coram populo fateri peccatum, siue alius ea facinora recitet, eadem enim semper existit erubescentia, quæ potest à pœnitentia reuocare. Neque verosimile est, in amplissima Constantinopolitana Ecclesia vnum tantummodò pœnitentiarium fuisse constitutum, qui omnium confessiones exciperet, nec enim tāto labori, atque oneri par esse potuisset. Reuelare verò peccata secretò in confessione audita ita pugnat contra ius diuinum, vt nulla humana lege præcipi queat, atque adeò minimè credendum est, Episcopos, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ ante Nectarium præfuerunt, tam nefariam legem tulisse, vt sacrosanctum confessionis secretum violaretur. Nec fas est suspicari, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, aliósque Orientales Episcopos tam insignem diuini iuris contumeliam tolerasse. Postremò si omnia peccata quātumuis secreta publicè coram multitudine proponenda, & recitanda erant, nihil erat necesse pœnitentiarium virum fidelem, & secreti tenacem constitui, quandoquidem nihil omnino eorum, quæ audierat, retinendum erat.

XIV. Alij igitur viri non imperitissimi[a], totam hanc Socratis, ac Sozomeni narrationē fabulam esse ac fraudulenter ab hæreticis excogitatam opinantur. Fabulæ auctorem fuisse Socratem non contemnendis cōiecturis probare nituntur. Nam primùm quidem Socrates visum esse ait Ecclesiæ, vt pœnitentiarij Presbyteri tollerentur, quod ne fando quidem auditum est. Nulla enim synodus, nullus hac de re canon extat, qui tamen maximè proferri debuit in re præsertim tanta, quæque ad omnes Orientales Ecclesias pertineret. Deinde significat post Nouatianum schisma pœnitentiæ rationem nonnihil immutatā, quod repugnat Cornelio, Cypriano, Dionysio[b] Alexandrino, & aliis. Id quod etiam colligi potest ex ipso Cypriano[c], & Conciliis: Romano sub Cornelio, & Carthaginensi sub Cypriano, in quibus statuitur, ne lapsi nisi post dignam pœnitentiam recipiātur, quod olim semper in Ecclesia fuerat obseruatum. Addunt eam historiam ne attingi quidem ab Epiphanio, Theodoreto, Zonara, Cedreno, qui tamen diligenter omnia conscripserunt, quæ ad Nectarij tempora pertinent. Sozomenus[d] tantùm, & Nicephorus[e] incautè Socratem sequuti sunt. Sed neque Ambrosius, Pacianus, Hieronymus, Augustinus, & alij Nectarij propemodum æquales vllam huius historiæ mentionem fecerunt. Accedit, quòd non sine virulentia Socrates scribit, canonem de Presbytero pœnitentiario retineri ab aliis sectis, ab iis solùm fuisse antiquatum, qui fidem consubstantialis vnà cum Nouatianis complectuntur, vt nomine aliarum sectarum Ecclesiam Catholicam significare videatur, quam Nouatiani, licèt consubstantialis fidem admitterent, alio tamen nomine oppugnabant. Quin etiam in illa sua narratione Socrates penè pugnantia inuoluit, dixerat enim Nouatianos reiecisse canonem de Presbytero pœnitentiario, tum subdit, eos ne initio quidem admisisse. Quid ergo sustulerunt, si numquam huiusmodi Presbyterum admiserunt? Neque verosimile videtur, vnius dumtaxat sceleris occasione in vna tantùm Ecclesia patrati omnes continuò Episcopos antiquissimam consuetudinē aboleuisse, & vnius

a Latin. Latinius opuscul. de hac re edito.
b Apud Euseb. lib. 6. hist. c. 35.
c Multa epist. & ser. de laps.
d lib. 7. c. 16.
e lib. 12. c. 28.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

A Episcopi factum vniuersæ antiquitati prætulisse.

XV. Quod si Sozomeni, ac Nicephori verba paulo diligentiùs inspiciantur, indicant canonem de Presbytero instituendo, præficiendóque pœnitentibus à schismate Nouati primùm editū fuisse, perinde quasi ante Nouatum nulla in Ecclesia fuerit aut pœnitentia, aut confessio, quod est impudentissimum mendacium. Siquidem auctore Cypriano[a] ad Antonianum Nouatianus ipse dandam dixit pacem esse lapsis in exitu vitæ; quod etiam confirmat Pacianus[b]. Et profectò Nouatus suo schismati hanc ipsam consuetudinem admittendi pœnitentes tamquam fidei repugnantem, quasi iustam defectionis causam prætexuit, nec sine aculeo Socrates odiosum vocat B institutum, quòd lapsi nemine impellente ad impetrandam veniam publicè sua peccata confiterentur. Callidè autem huius facinoris auctorem excogitasse videtur Nectarium, virum videlicet Patritium, qui iam grandæuus adhuc Catechumenus nulla sacrarum litterarum scientia, nulla scribendi, dicendíve facultate præditus post Gregorium Nazianzenum proximè ante Chrysostomum Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfuit. Visus est enim idoneus Auctor, cùm præsertim à Gregorio[c] Nazianzeno acriter reprehendatur, quòd multa contra sui muneris rationem peccaret. Ipsa porro Socratis narratio secum multis nominibus pugnare videtur. Nam si pœnitentiarius secreti religione tenebatur, qua ratione potuit populus C occultum fœminæ cùm Diacono scelus perpetratum ex eo cognoscere? Cur autem Nectarius pœnitentiarij sacrilegio penitus dissimulato rem vtilissimam, planéque necessariam de medio sustulit? Quæ tandem isthæc est sapientia? quæ sanctitas? quæ pietas? quæ religio? Et tamen laudatur à Nicephoro[d], Photio[e], Socrate[f], Sozomeno[g], & altero Nicephoro[h] Callisto. Cur verò Romani Pontifices, qui aliàs semper irruenti malo occurrerunt, hic penitus muti fuerunt, cùm tamen sapientissimi, doctissimique essent? Cur denique Theodosius, qui Nectarij factum se in Presbyterium inuitantis improbauit, vt Rufinus[i], Theodoretus[k], & Sozomenus[l] memorant, in tanto crimine penitus tacuit?

a lib. 4. ep. 2. quæ est in edit. Palmer. 52.
b epist. 3.
c ep. ad Nectar.
d In Chronolog.
e De synod. c. 2.
f lib. 5. c. 8.
g lib. 7. c. 8.
h lib. 12. c. 28.
i lib. 2. c. 8.
k lib. 5. c. 17.
l lib. 5. c. 24.

XVI. D Illud verò impium planè videtur sublata confessione liberum cuique accessum, ne publicè quidem peccantibus exceptis ad Eucharistiæ sacramentum permittere, quod tamen insinuare videtur Socrates, vt fatendum sit, omnino totam eius narrationē mutare. Verùm, vt ingenuè fatear, vix adduci possum, vt credam, fuisse Socratē quamuis alioqui Nouatiano errore infectum, adeò impudentem, vt tam apertè mentiretur, cùm tam facilè posset ab iis, qui interfuerant, redargui falsitatis, ac mendacij. Itaque vt admittamus historiam tamquam veram, tria in illa obseruanda videntur, de quibus nonnulla potest esse controuersia. Primùm enim Socrates, Sozomenus, & Nicephorus aiunt olim in Ecclesia Orientali occasione E Nouatiani schismatis pœnitentibus Presbyterum quemdam fuisse præpositum. Deinde illius Presbyteri culpa factum esse, vt flagitium Diaconi cum muliere alioqui secretum, atque occultum patefieret. Postremò ob scandalum, & Ecclesiæ perturbationē inde exortam, Presbyterum fuisse exauctoratum, totúmque illum ritum abrogatum, ac permissum omnibus, vt pro sua quisque conscientia ad sacra mysteria accederet. Quæ tria ad euertendam sacramentalem confessionem funditùs vim nullam habent.

XVII. Quod enim attinet ad primum, fallitur hæreticus impostor, qui constitutionem de Presbytero pœnitentiario, quam editam ferunt à Nouatiano schismate, ad sacramentalem confessionem existimat pertinere, quā tamen constat, multo ante ab ipso nascentis

Ecclesiæ exordio diuina auctoritate fuisse in Ecclesia vsurpatam. Et si verum dicendum sit, arbitror eam ne ad publicam quidem confessionem referendam esse, perinde quasi tum primùm publica confessio cœperit frequentari. Cùm eius confessionis apertissimè meminerit Origenes [a], eáque insinuetur à Tertulliano [b], Irenæo, & Dionysio [c] Areopagita. Quamobrē si quid occasione schismatis mutatum est, id vnum suspicor fuisse, vt vnus aliquis Presbyter designatus pœnitentibus aures præberet, cùm antea liberum cuique esset, quem mallet eligere, cui peccata confiteretur, vt apertissimè significat Origenes [d]. Quæ autem esset huius pœnitentiarij functio, non planè liquet. Nam ex Sozomeno Cassiodorus [e], & Nicephorus [f] planè contraria, & pugnantia narrant. Ille enim ait visum fuisse antiquis Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur, & ad eam rem perficiendam Presbyterum pœnitentiarium fuisse institutum. Hic verò graue (inquit) visum est Episcopis in mediæ plebe, velut in theatro noxam confiteri, atque ob id fuisse electum vnum Presbyterum.

a Hom. 2. in Ps. 37.
b lib. de pœnit.
c epist. 8. ad Demophyl.
d loc. indic.
e lib. 9. tripar. c. 35.
f lib. 12. c. 28.

XVIII. Itaque alij aliter de hoc Presbytero senserunt. Certè Chrysostomus pluribus [g] locis ait alludens ad factum Nectarij non esse opus iam quasi in theatro peccata pandere, quasi olim ante Nectarium id esset necessarium, quod vel ex ipsa narratione Socratis, Sozomeni, Nicephori, & Cassiodori colligitur, qui omnes Nectarij factum non obscurè perstringētes amotam aiunt arguendi, & increpandi proximos occasionem sublata cognitione peccatorum, vnde maior peccandi licentia exorta est. Tametsi enim, vt supra dixi, nonnisi peccata publica coram populo recitabantur, quæque iam illi perspecta erant, & cognita, ea tamen publica pronunciatio obiurgatio quædam erat, quæ cùm ruborem iniiciebat, tum etiam frænum nimiæ peccandi licentiæ adhibebat. Iam verò quoniam non omnia erant publicè pronuncianda, oportuit hunc Presbyterum fidelem esse, secretique tenacem, vt quæ tacenda essent, fideliter reticeret. Qua ratione conciliari vtrumque possent Cassiodori & Nicephori narrationes, ille enim de peccatis publicis fuisse illa ait tamquam in theatro pronuncianda, hic de occultis negat. Quamobrem ad hoc munus obeundum pœnitentiarium Presbyterum fuisse constitutum, qui non omnium simpliciter fidelium, sed pœnitentium tantùm confessiones exciperet; quod primùm non obscurè indicat Sozomenus, qui vbi meminit Presbyteri à Nectario sublati, addit visum illum Romæ retineri, & publicè pœnitentiæ ritum fusè explicat. Deinde quia, vt paulo ante dixi, vnus fidelium omnium confessiones audire nequaquam potuisset. Postremò quia propriè loquendo pœnitentes olim appellabantur ij, qui publicam pœnitentiam agerent.

g Hom. 5. de incomprehens. diuinit.
Hom. 4. de Lazaro.
Hom. 8. de pœnit.
Hom. de publican.

XIX. Quæ cùm ita sint, cùm ante hæresim Nouati consueuissent fideles consilio Sacerdotis, cui integrè cōfessi essent, nonnulla publica, & grauiora peccata in Ecclesia coram multitudine confiteri, tamen ad id nulla certa lege compellebantur, ea lex orto Nouati schismate lata in Oriente videtur adhibito ad id vno aliquo Presbytero pœnitentiario, qui deinde à Nectario exauctoratus est, cæteris Episcopis approbantibus, imitantibúsque. Hoc autem admisso nemo nō videt, sacramentalem confessionem nullo pacto lædi, quæ vim suam semper in Ecclesia diuina auctoritate retinuit, retinebitque quamdiu mundus stabit. Porro quod spectat ad flagitium à fœmina cum Diacono perpetratum, mentitur more suo hæreticorum princeps [h], qui ad infamandam confessionem sacramentalem confinxit, fœminam per speciem confessionis prætexuisse consuetudinem, quam cum Diacono habebat, quod apertissimè Socrate, Sozomeno, Nicephoro, & Cassiodoro aduersatur. Nam Socrates, à quo cæteri eam historiam sumpserunt, apertè scribit, fœminam scelus suum spontè publica confessione aperuisse, rem verò totam hanc planè in modū narrant Sozomenus, & Nicephorus: Cùm ea mulier iussa esset à Presbytero pœnitentiario diutiùs in Ecclesia orationis causa manere, nacta inde occasionem cum Diacono flagitium patrauit, & quamuis crimen esset occultum, nec Presbyter ei mandasset, vt illud publicè proferret, tamen ipsa dum alia publica peccata confiteretur, longius quàm par erat, & iussa fuerat, progressa, hoc etiam scelus patefecit. Ex quo apparet rectè eorum [a] sententiam refutari tamquam minùs probabilem, qui vt supra monui, ipsum Presbyterum aiebant, consueuisse publicè peccata recitare. Hinc ergo meritò concitatum est odium populi in Presbyterum, quasi institisset, quod erat iniquissimum, publicè occultum facinus confiteri.

h Caluin.

a Ruar. Tap. Groter. in Enchir. Conc. Colon.

XX. Iam quod tertio loco excutiendum erat, certum est, Nectarium non abrogasse priuatæ confessionis vsum, qui ad Sacramentum pertineat. Primùm, quia Socrates ipse eum ait sustulisse pœnitentiæ appendicem additam ad veteres canones propter Nouatianum schisma. Deinde quia id tantùm sustulisse credendus est, quod ad sedandū populum propter scandalum exortum necessarium erat, id autem satis esse videbatur, si occulti delicti publicatio prohiberetur. Denique quia constat, perseuerasse in Ecclesia Græca vsum confessionis sacramentalis, vt constat ex Nicephoro Carthophylace, Chrysostomo, & synodo Trulliana, cùm tamen nusquam Nectarij constitutio antiquata legatur. Quam ob rem quod apud Gratianum legitur ex Theodoro, Græcos soli Deo confiteri, additum videtur à sciolo nescio quo fortassè ob historiam, quæ de Nectario circumfertur. Nam apud Theodorum, neque in Concilio [b] Cabilonensi II. neque apud Magistrum ea verba leguntur. In Concilio verò [c] Florentino hic error Græcis non obiicitur, qui tamen grauissimus est, & recentissimi Græcorum Nicolaus [d] Cabasilas, Anastasius [e] Nicenus, Ieremias [f] Patriarcha Constantinopolitanus sacramentalē confessionem admittunt. Porrò in sua narratione Sozomenus necessariam esse docet confessionē ad impetrandam veniam; neque ipse, vel alius quisquam Nectarium reprehendit, quasi vsum confessionis sustulerit, quod malè asserunt nonnulli [g], cùm tamen Nicolaus [h] Papa Nectarium vocet hæreticorum expugnatorem, eiúsque sententiā acriter defendat Chrysostomus; quod profectò non faceret, si confessionē iure diuino sancitam penitus abrogasset. Neque credendum est vniuersum Orientem tam graui errori assensum præbiturum fuisse, vt necessariò fatendum sit, publicam duntaxat occultorū facinorum confessionem ab eo fuisse antiquatam. Quod autem addūt Socrates, & Sozomenus permissum esse cuique, vt secundùm conscientiam suam ad sacra mysteria percipienda accederet, non significāt, factam fuisse fidelibus potestatem, vt sine confessione, & iudicio Sacerdotis Eucharistiam perciperent: sed ne cogerentur adire publicum Ecclesiæ tribunal, neque pœnitentiarij iudicium sequi, vt publicè confiterentur, sed ita ipsi suæ conscientiæ rationem haberent, vt siquidem lethalem aliquam noxam contraxissent, nonnisi confessione expiati augustissimi Sacramenti participes fierent, sed quem mallent, sibi confessarium deligerent. Hæc igitur de confessione, quam exigit hoc loco Ioannes, dixisse volui.

b cap. 33.
c 4. d. 17.
d In expl. Liturg. c. 19.
e Quæst. 6.
f In conf. confess. Aug. c. 10. 11.
g Thom. VValden. tom. 2. de sacr. c. 141.
h Epist. ad Photium, quæ habetur in VIII. synod. act. 4.

XXI. *Fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Rectè OEcumenius fidelem ait Deum dici, *id est, verū,*

quippe

quippe cùm fidelis non tantùm de eo dicatur, cui creditur, sed de eo quoque, qui confirmat, & fidem facit, qui ex suis veris moribus aliis etiam idem potest partirpare, atque ita fidelis Deus est. Crediderim fidelem dici, quia suam fidem liberat, nam qui confitentibus peccata veniam pollicitus est, id re ipsa præstat. Nihil autem frequentius in sacris litteris legitur, quàm diuina promissio, qua cunctos Deus spe veniæ proposita ad pœnitentiam prouocat. Sed cur quæso iustus? Idem OEcumenius: *Iustus verò (ait) vtpote qui ad se accedentes, qualiacumque peccauerint minimè repellas; peccata enim sine vlla dubitatione sic remittit, qui per pœnitentiam sacro Baptismati accurrunt, siue in ipsum siue in alterum peccarint.* Verùm nõ satis videtur ratio iustitiæ explicari, neque enim facilè quis admiserit pœnitentiam, hoc est, contritionẽ, confessionémve siue quæ Deo, siue quæ homini fiat, iustè peccati expiationem promereri. Id subtiliùs inter Theologos agitatur in Scholis, nec enim defuerunt, qui opinarentur contritionem, vt manat ab auxilio gratiæ, & impulsu Spiritus sancti mouentis, & quodammodo inhabitantis, satisfacere ex iustitia pro culpa, & pœna æterna, eo planè modo, quo ex iustitia meretur gloriam, atque adeò ita esse Deo gratam, vt fuerat culpa exosa. Quæ tamen sententia non eodem modo ab omnibus & explicatur, & defenditur. Nonnulli [a] enim existimarunt priùs natura hominem percepta diuina gratia iustificari, postmodum verò vi suæ actionis pro peccato satisfacere.

a Palud. in 3. d. 20. q. 2. Caiet. 3. p. q. 1 ar.

XXII.

b Ruar. Tapes ar. q. de satisfact. tribuit hanc sentent. D. Thomæ 4. d. 15. q. 1. ar. 2. in corp. & ad 1. Fauet 1. 2. q. 113. ar. 2. ad 1. vbi cõcedit vlt. dispos. quæ manat a gratia esse meritoriã gloriæ, & q. 113. art. 8. docẽs motionem in Deum, & detestatiõnem peccato esse posteriorem gratia, vt non repugnet esse meritoriam remissionis peccati, & satisfacere pro culpa.

Sed vt ingenuè fatear, non satis intelligo, quánam ratione iustificatio debiti condonationem, aut remissionem naturâ præuertat, cùm iustificatio idcirco admittenda sit, quòd debiti remissio præcessisse intelligitur. Ineptum verò est, existimare debitum priùs gratuito condonari, tum ex iustitia vi æqualis satisfactionis aboleri, vt interim omittam, ne actionem quidem subsequentem, etiam si intelligatur gratia informata, ex æquo posse pro culpa satisfacere. Itaque alij malunt contritionem appellare satisfactionis veluti formam, quæ cùm summam inuoluat caritatem in Deum, iustè assequitur peccati expiationem. Quocirca vbi peccator diuinæ gratiæ auxilium prorsus gratuitò, ac liberaliter fuerit adeptus, vi suæ contritionis adeò assequi peccati remissionem, vt quemadmodum posita luce illico necesse est fugari tenebras, itane infinita quidem sua vi, ac potestate Deus possit contritu peccati condonationem denegare. Quocirca Christi merita non applicari peccatori nisi ad supranaturalis gratiæ auxilium impetrandum, atque adeò postmodum absque vlla diuina acceptatione iustificari. Denique iustificari hominem ex iustitia perinde accipiunt nonnulli [b] non quasi contritio vi sua iustitiam afferat, sed quia illa id Deo tribuit, quod ex æquo peccatum compensat, ita postmodum vi diuinæ pollicitationis impium iustificari. Alia omnia sensisse videntur [c] alij, qui existimant contritionem ex misericordia ob beneficia meritorum Christi satisfacere pro culpa, & pœna æterna. Rationem iustitiæ admittunt tantùm ratione Christi, quia ex iustitia nostram iustificationem promeruit. Posse etiam vtrumque rationem iustitiæ eo nomine admitti, quòd iustè Deus pœnam aliquam temporariam exigit, in quam commutat æternam, cui aliàs peccator erat obnoxius.

Videtúrque sententia Richar. in 4. d. 15. ar. 1. q. 2. in corp. & ad 1. vbi cõcedit posse meritis Christi posse esse satisfactionẽ ex iustitia, & d. 17. ar 2. q. 7. illud cõcedit, si cõtritio præcedat remissionem peccati, ex cõdigno mereri eius remissionem.

c Alex. ?ẽs. 4. p. q. 17. mẽb. 4 ar. 4. & q. 24. mẽ. primo. Bonau. in 4. d. 15. ar. 1. q. 1. qui aperte ait nõ satisfieri Deo pro culpa, sed illã gratis ex Christi meritis condonari. Duran. d. 15. q. 1. n. 6. & 7. Almayn. ead. d. q. 1. ar. 2. Marsil. q. 11. ar. 2. in p. e. in fin. Alber. d. 14. ar. 6. Medina q. 1. de satisf.

Sunt qui [d] rationem iustitiæ, & quidem perfectæ in ipsa contritione admittant, non vt ipsa per se spectatur, sed vt concipitur, intelligitúrque aliquid esse Christi, qui contrito suam satisfactionem impertit, & cum illo, & in illo quodammodo satisfacit. Vnde perfectissima, iustissimáque existit satisfactio pro culpa, & pœna æterna. Postremò maxima Theologorũ pars in peccatoris iustificatione perfectæ iustitiæ rationem negat, admittit tamen contritionem ex congruo mereri gratiam, & remissionem [a] peccati. Hæc alij. Ego vt verum fatear, in re difficillima & sententiarum varietate implicita sic primùm statuo. Gratiam iustificationis, ac remissionis peccati munus esse distinctum, planéque diuersum à contritione, non aliter atque in mutatione naturali forma, quæ producitur à præcurrenti præparatione differt, vt non obscurè pluribus locis significat D. Thomas [b]. Et nisi ego fallor, id apertè insinuant Scripturæ. Apud Ezechielem [c] enim ita loquitur Dominus: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Quibus verbis apertissimè indicat contritionem, & pœnitentiam exigi à peccatore; gratiam & iustitiam à Deo tribui. Sic etiam apud Zachariam [d]: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* & Dauid [e]: *Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* & Petrus in Actis [f] Apostolicis: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* & Paulus [g] se missum ait à Christo *aperire oculos eorum* (hoc est, Gentilium) *vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deũ, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortẽ inter Sanctos.* Christus etiã apud Lucam [h] hoc indicans ait. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Idem apertissimè colligitur ex parabola [i] filij prodigi, cùm enim dixisset filius: *Pater peccaui in cælũ, & corã te.* statim dixit pater: *Citò proferte stolam primam, & induite eum* hoc est, vt Tridentinũ [k] Concilium interpretatur, Christianam iustitiam.

XXIII.

d Palud. d. 15. in 3. q. 1 ar. 1. Arg. ib. q. 1. ar. 1. Caiet. 3. p. q. 1. ar. 3.

a Alex. Alẽs 4. p. q. 17 mem. 4. ar. 5 & 5. q. 2. Bonau. in 2. d. 28. ar. 2. q. 1. Alber. in 1. d. 41. ar. 2. ad 5. Hẽr quodlib. 4. q. 11. quodlib. 8. q. 5. Marsil. in 2. q. 18 Ferrar. 3. cõ. gen. c. 149. Vega q 7 de iustif. & lib. 8. in Conc. Trid. c. 6. Roffen. ar. 1. cõ. Luther. Oliua de conf. P. lõ. c. 73. Ruar. Tapetar. 7.

b 3. p. q. 86. ar. 1. 4. & 6. 1. 2. q. 113. ar 8 in 3 d. 19. q. 1. ar. 1.

c cap. 18. 21.

d cap. 1. 3.

e Psal. 31. 5.

f cap 3. 19.

g Actor. 26. 18.

h cap. 7. 47.

i Luc. 15. 22.

k sess. 6. c. 7.

XXIV.

Eodem modo sentiunt sancti Patres. Ita enim loquitur Gennadius [l]: *Pœnitentia (inquit) aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in vltimo vitæ Spiritu admissorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia propositum Dei, quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile, & ideo quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ, si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuò vita excedatur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miseratione Domini viuat.* Et Bernardus [m]: *Vbi* (inquit) *lachrymæ fuerint, ibi accenditur spiritualis ignis, qui illuminat secreta mentis.* Et aliquanto post: *Compunctio lachrymarum remissio est peccatorum, quia omnia peccata dimittuntur, quando cum lachrymis ad memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum sanctum reducit ad se.* Eodem modo loquuntur Auctor [n] sermonum ad fratres in eremo, Chrysostomus [o], Fulgentius [p], Augustinus [q], Gregorius [r], Ambrosius [s], cuius hæc sunt verba: *Et tu plurimùm dilige, vt tibi remittatur plurimum, nam & Paulo remissa sunt peccata multa, quia ipse multùm dilexit.* Et sub finem concludit: *Agnoscendo peccatum veniam peto, curro ad pœnitentiam, gratiam consequor.* Concilium [t] verò Tridentinum apertissimè docet fuisse quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motum necessarium, cúmque ait: *In homine post Baptismum lapso ita demum præparare ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Alibi [u] verò detestationem peccati iustificationis præparationem vocat. Mox [x] verò subiicit: *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.*

l De Eccles. dogmat. c. 80.

m De modo bene viuen. ad soror. c. 10.

n ser. 12.

o hom. 5 de pœnit.

p hom. 7. c. 7.

q lib. 50. hom.

r hom. 23.

s hom 8 super Ezech.

s lib. 6. in Lucam.

t sess. 14. c. 4.

u sess. 6. c. 6.

x cap. 7.

XXV.

Ita olim argumentabantur Patres contra Nouatum negantem etiã pœnitentibus remissionẽ dari peccatorũ contra quẽ multa colligit Gratianus [y]. Nonnulla

y De pœnit. d. 3.

habent Chrysostomus [a], Hieronymus [b], Auctor [c], de vera, & falsa pœnitentia, Augustinus [d], Ambrosius [e], Tertullianus [f]. Denique hoc videntur tamquam certum ponere omnes Theologi, cùm disputant, vtrùm contritio gratiam iustificantem mereatur, negántque veram rationem meriti condigni, quia posita contritione iustitia gratis [g] datur. Alij [h] admittunt meritum congruum, quibus fauent Concilium Mileuitanum, & Arausicanum, Ambrosius [i], & Augustinus [k], & nos alibi copiosiùs probauimus. Quo fit, vt gratia iustificans etiam posita contritione gratuitum sit beneficium, verámque rationem iustitiæ penitus excludat. Quod non obscurè insinuant Concilij Tridentini Patres, cùm enim præparationem ad gratiam explicuissent, mox cùm iustificationis causas declarant, causam efficientem aiunt [l] esse misericordem Deum, *qui gratuitò abluit, & sanctificat signans, & vngens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et aliquanto post credendum esse [m] affirmant, *neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia propter Christum.*

a ep. 5. ad Theod. Laps. b ep. 46. 48. c cap. 5. d In enchir. c. 65. e lib. 2. de pœnit. c. 4. f lib. de pœnit. c. 4. g Vict. relect. 2 de potest. Eccles. n. 4. Sot. lib. 2. de nat. & grat. c. 4. h And. Vega q. 6 & 7. de iustif. i lib. 10. in Luc. c. 23. k ep. 105. l Sess. 6. c. 7. m cap. 9.

XXVI. Idque elegantissimè confirmat Chrysostomus, qui de diuina erga nos misericordia hûc in modum [n] disserit: *Nam vbi viderit voluntatis nostræ firmum propositum, & feruentis nos desiderio ad se accedere, non tardat neque differt, sed accelerat, suámque solitam liberalitatem exhibens dicit adhuc loquente te dicam: Ecce adsum.* Alibi verò [o] apertiùs: *Num pœnitentem (inquit) licet saluari? & maximè. Totam vitam in peccatis absumpsi, & si pœnitentiam egero saluabor? & maximè. Vnde constat? ex Domini clementia, ne tuæ confidas pœnitentiæ, tua namque pœnitentia tanta nequit peccata delere. Si sola foret pœnitentia, iure timeres, sed postquam cum pœnitentia commiscetur Dei misericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam. Multum enim est misericors Deus, & tantum clemens, vt neque Filio pepercerit, vt ingratos seruos redimeret. Nec mihi dicas, nimium peccaui, & quomodo possum saluari? Tu non potes, tuus potest Dominus, & ita delet peccata, vt ne eorum remaneat vestigium.* Et in eamdem sententiam Cassianus [p], qui cùm de latrone loqueretur, Dei in illum misericordiam his verbis extollit: *Si enim vel illum latronem ob vnam confessionem introductum in paradisum recordemur, intelligemus eum, non cursus sui merito tantam beatitudinem consequutum, sed dono Dei miserentis adeptum.* Mox de Dauide: *Vel si (ait) reminiscamur Dauid Regis duo tam grauia, támque immania crimina vno pœnitudinis sermone deleta, nec hîc videbimus ad indulgentiam tanti criminis obtinendam laboris merita æquiparasse, sed superabundasse Dei gratiam, qui vera pœnitudinis occasione percepta tantam peccatorum materiam sub vnius Verbi plena confessione consumpsit.* Et post [q] nonnulla: *Dicimus enim secundùm Saluatoris sententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inueniri, sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus, dederit, vel aperuerit quod pulsamus, vel illud, quod quærimus, fecerit inueniri.* Denique [r] alibi: *Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat peruenire, ejus semetipsum aptare studet instrumentis, nec obdurati cordis peruicacia à remedio salutari fontem tantæ pietatis auertat. Quia etiamsi hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini, clementiáque deleuerit.*

n Hom. 27. in Gen. o Hom. 80. ad pop. Antioch. p lib. 12. de instit. renun. c. 11. q cap. 14. r coll. 20. c. 8.

XXVII. Neque verò ij satis Dei benignitatem, & misericordiam tuentur, qui ideo gratuitò, ac liberaliter expiari peccata contendunt, quòd ij sa contritio, detestatióque peccati non proprijs liberi arbitrij viribus concipiatur, sed præcurrentis gratiæ beneficio, qua Deus liberaliter cor peccatoris ad detestanda peccata excitat, & inflammat; nihilo enim minus

A diceretur gloria gratuitò concedi, quam tamen Apostolus coronam iustitiæ appellauit. Vt interim omittam excitantis gratiæ opera condonari tantùm debitum carendi auxilio supranaturali, ac ne illud quidem manente culpa penitus aboleri, sed diuinæ gratiæ præsidium gratuitò tribui. Omnino autem perabsurdum videtur, solam priuationem, & carentiam diuinæ gratiæ excitantis liberaliter tolli. Quocirca quicquid aliter nonnulli sentiant, absoluta sua diuina vi, ac potestate Deus citra vllam iniuriam, ac iniustitiam posset culpæ, æternæque pœnæ condonationem denegare. Nam si eam tribuit, vt verè tribuit, non id necessariò contritioni acceptum referendum est, sed diuinæ, ac liberali pollicitationi, pactionique initæ cum Christo, vt paulo post ostendam. Etenim si ipsa per se contritio spectetur, seclusa applicatione meritorum Christi nulla ratione mereB tur ex iustitia peccati condonationem, quæ est communis Theologorum [a] omnium sententia. Neque enim ex æquo potest contritio satisfacere omni ex parte pro culpa, nam alioqui ex condigno mereretur gratiam, & expelleret peccatum.

Quæ cùm ita sint certa, ex Catholica fide credendum videtur, contritionem ex vi operis, etiam vt manat à singulari auxilio gratiæ animum excitantis, ac mouentis, aut etiam inhabitantis secluso Christi merito ex iustitia satisfacere non posse pro lethali crimine. Nam si ponamus peculiari gratiæ auxilio excitasse Deum vel Angelum, vel Adamũ, atque ad contritionem & peccati detestationem permouisse, si Deus absque vllo Christi merito vi illius contriC tionis peccatum condonasset, aio expiationem illam sceleris gratuitam, planéque liberalem futuram fuisse, nullóque modo ex iustitia. Hæc enim videtur omnium fermè Sanctorum sententia, qui propterea affirmant, ad humani generis salutem procurandam, Christi incarnationem fuisse necessariam. Sic enim inter cæteros loquitur Athanasius [b]. *Atqui (ait) ista pœnitentia non ex æquo, & bono cum Deo egisset, nam ne sic quidem ille verus fuisset.* Tum addit: *Pœnitentia enim reum à sua natura non abducit, sed solummodo cessationem in peccando facit.* Alibi [c] verò. *Cùm videres (inquit) malitiam tolerabilem, neque mortale genus idoneum esse, quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persoluere posse, nam excessus malitia transcendebat omne supplicium.* D Quæ profectò omnia falsò dicerentur, si sola contritio iustè potuisset abolere peccatum. Quòd si ipsa contritionis vis, & natura spectetur, potest illa quidem ad modum formæ auersionem à Deo, & aliqua ratione maculam abstergere, non tamen offensam, & gratiæ, atque amicitiæ indignitatem, & reatum inimicitiæ sempiternæ. Offensa enim qua ratione ferebatur in Deum, erat quodammodo infinita, adeóque postulabat actionem, quæ infinito quodam modo Deo placeret. Addo quòd ea est peccati vis, ac potestas, vt peccatorem sempiternis suppliciis obnoxium reddat, necesse vt sit hanc propemodum infinitam obligationem infinita quadam vi dissolui, quæ in contritione vtcunque accepta inesse E nequaquam potest.

XXVIII.

Et verò ea est contritionis ratio, vt feratur in Deum summo quodã, ac supranaturali amore, atque adeò vicissim quasi in actu primo, vt loquuntur, hominem cõstituat amore dignum. Atque ita Deo satisfaceret tamquam amico, non tamen tamquam iudici, qui iustè posset pœnam exigere sempiternam, quæ sceleri perpetrato debebatur, vt vel hinc appareat eã ad peccatũ ex iustitia expiandũ nõ satis esse. Atque vt pressiùs aliquanto Dialecticorũ more agamus, admissa illa hypothesi, qua meritum, & satisfactio Christi remouentur, sciscitari libet, vtrùm actio contritionis oriatur

XXIX.

a D. Thom. 3. p. q. 1. ar. 2. q. 85. ar. 3. ad 2. in 4. d. 14. q. 1. ar. 1. q. 5. ad 1. d. 15. q. 1. ar. 2. Bonau. in 4. d. 20. q. 3. ad 2. & q. 4. Richar. ibid. q. 4. Duran. & in 4. d. q. 1. Capreoli ibid. concl. 1. & ad argu. Almayn. q. 1. Maior. d. 14. q. 2. ad vlt. dub. Marsil. in 4. q. 110. Alex. 3. p. q. 1. art. 2. in corp. & ad 2. Medina C. de pœnit. tract. 3. q. 1. Vega lib. 15. in Con. Trid. c. 4. Scot. in 4. d. 1. q. 6. d. 15. q. 1. d. 16. q. 1. Gabr. in 4. d. 14. q. 1. ar. 1. & 2. conclus. 4. b de incarn. Verbi, eiusque corporali ad nos aduentu. c In Euang. de pass. & cruce Dom.

oriatur ab aliquo habitu supernaturali, vel à sola naturali facultate vi supranaturalis auxilij erecta, & excitata. Si hoc posterius placeat, planè efficitur, contritionem non modò mereri ex iustitia peccati expiationem, sed ipsam etiam gratiam, qua fit homo iustus, cùm illa adinstar formæ iustificet, & aboleat peccatum. Sin magis probetur prius illud, necesse est profectò suapte natura habitum illum prius per se subsistere, quod est absurdum, vel inexistere, ita tamen, vt nondum iustificet. Quod cum eorum sententia ex aduerso pognat, qui non negant iustificationis formam esse gratiam, & tamen contendunt, ad expiandum peccatum contritionem esse necessariam, quod planè videtur absurdum, cùm priùs ponatur gratia inhærens in homine, quæ est iustificationis forma.

XXX. Verùm multis videtur absurdum, peccatum suapte natura sempiternam pœnam ex iustitia promereri, & functionem charitatis, & contritionis non eadem ratione censeri dignam gloria, atque adeò ex iustitia tollere gloriæ impedimentum, hoc est, peccatum, cùm præsertim is, qui Deum diligit, sit amore, ac præmio dignus non aliter, ac qui in illum peccat, dignus est odio, atque supplicio. Ipsa porro poniendi, præmióque afficiendi actio æquè vel ad iustitiam distribuentem, vel ad iustitiam legalem pertinet, vt egregiè docuit D. Thomas [a], cùm iustitia commutatiua in Deo non admittatur, qui tamen ait, in iustificatione spectari quodammodo iustitiam, cùm Deus charitatis respectu culpam condonet. Cæterùm fateri necesse est, longè aliam esse rationem peccati, & contritionis, seu diuinæ dilectionis. Nam cùm peccatum sit legis violatio, cui vel solo titulo creationis quilibet parere debet, hoc ipso peccatorem reddit obnoxium pœnæ, quam Deus iure exigit. Contritio verò, siue charitatis actio si spectetur, vt ab homine proficiscitur, & refertur in Deum, hominis actio quæpiam est, quæ non tanti est, vt Deum facere queat ex iustitia debitorem, qui nulli potest iure quidquam debere. Sin autem inspiciatur contritio tamquam munus, ac beneficium Dei, multo minùs veram habet rationem iustitiæ, quæ eiusdem ad se ipsum nulla esse potest, quamuis fortasse in ea insit nonnulla ratio proportionis, & congruentiæ, quam D. Thomas rationem quamdam, ac formam iustitiæ nuncupat. Huc accedit, quòd si contritio accipiator, vt Dei donum homini concessum, hoc ipso perfectam iustitiæ rationem excludit, licèt enim liberalis donatio non pugnet cum iustitia, si tamen ea donatio intrinsecè referatur ad actionem, qua satisfit, iustitiæ ratio penitus interit. Quocirca non admiserim, contritionem ex condigno Dei amorem prometeri eo planè modo, quo peccatum supplicio, ac pœna dignum censetur. Fateor tamen habere nonnullam cum diuino amore proportionem, cæterùm præmium pertinere videtur ad quamdam commutatiuæ iustitiæ formam, quæ propriè non inest in Deo. Vindicatio verò, vt quamdam habet commutationis formam, reddit peccatorem obnoxium Deo, quod nihil absurdi inuoluit, vt verò pendet à Deo, pertinet ad iustitiam legalem.

XXXI. At enim lex naturalis postulat, vt qui lethaliter peccet, ob ipsius peccati naturam sit supplicio dignus sempiterno; cur non eadem ratione affirmandum erit eum, qui Deum diligat, meritò à Deo diligi? Diligi autem à Deo amore supranaturali, nihil aliud profectò est, quàm omni prorsus peccati labe purgari. Cùm igitur contritio Dei amorem inuoluat, fatendum erit ea peccatum expiari. Sed longè diuersa ratio est, peccatum enim, vt paulo ante dixi, non constituit Deum homini debitorem, sed contra potiùs peccatorem obnoxium Deo. At si amor ex condigno amorem Dei mereretur, Deum constitueret aliquo pacto debitorem peccatori, quod esse non potest. Videri tamen posset, nisi admittamus contritione quempiam iustificari, nequaquam peccatorem fieri iustum à forma inhærente, sed extrinseca tàntùm appellatione, & vt loquuntur, imputatione, quod est prorsus hæreticum. Verùm si in hypothesi persistamus, alia esset constituenda ratio iustificationis, aliáque eius forma excogitanda. Quamquam absolutè dicendum videtur, contritionem vna cum diuina acceptatione hominem iustificare, quemadmodum nunc re ipsa Deus ad iustificandum peccatorem solam admittit attritionem, si cum Sacramento coniungatur, cùm alioqui rei natura postulet contritionem. Addo veram iustificationis formam esse gratiam, cæteráque supranaturalia dona, quæ re ipsa peccatum expellunt, quamquam semper diuinæ voluntatis acceptatio inuoluitur, quæ aliis habitibus hominem iustificare potuisset, & peccatum expiare. Sed hi tamen visi sunt rei naturæ accommodatissimi, cùm reddant hominem rectum coram Deo, & idoneè ad finem supranaturalem comparent. Nam contritionem non esse veram iustificationis formam apertissimè significat Concilium Tridentinum [a], primùm enim docet, contritionem esse iustificationis præparationem præcurrentem, deinde ait, formam iustificationis respondere humanæ præparationi, idque per infusionem gratiæ, & donorum; instrumentum verò iustificationis esse Baptismum, cæteráque Sacramenta, ex quibus nihil contritioni aptari potest. Significat præterea formam esse permanentem, quam vocat primam stolam. Denique, vt aliquando concludam, cùm contritio proficiscatur ab homine, non potest habere moralem æqualitatem cum remissione peccati.

Nunc autem posito incarnationis Christi merito, XXXII. eóque peccatoribus applicato, ne potest quidem contritio ex æquo satisfacere pro culpa, neque perfectam iustitiæ ratione explere. Tametsi enim Christi merita in se sunt planè infinita, ea tamen neque Christi voluntate, neque acceptatione diuina ad infinitum præmium referuntur, neque vim habent infinitam, nisi vt manant ab ipso Christo. Nam alioqui in applicatione certum semper, ac finitum effectum spectant. Quocirca interdum applicantur ad auxilium tantùm sufficiens, aliàs etiam ad auxilium efficax, nunc denique ad hoc, aliàs ad aliud diuinum beneficium, numquam tamen inest æqualitas rei ad rem, sed ex diuina voluntate quædam conuenientia: atque idcirco multo minùs inerit perfecta iustitiæ ratio, quæ, vt paulo ante dixi, gratuitum beneficium excludit, quòd ab eo proficiscatur, cui satisfaciendum est, inque eum finem, vt satisfiat. Nunc autem omnino gratis à Deo Patre communicantur peccatori merita Christi in hunc ipsum finem, vt contritione concepta pro culpa satisfaciat, atque ita inter peccatorem, & Deum perfecta iustitiæ ratio perit, cùm tota illa satisfactio nitatur beneficio Patris, quo largitur merita Christi, quibus æterna pœna redimatur. Quo fit, quicquid alij contra disputent, vt non solùm liberaliter condonentur nobis peccata, quia gratuito merito Christi concessum nobis est auxilium excitans ad contritionem, sed quia ipsa contritionis actio non iustè redimit pœnam æternam, & culpam, vt manat à peccatore, sed solùm vt in illa considerantur merita Christi, cui tamquam merces, ac præmium peccatoris iustificatio debetur, atque ita si qua iustitiæ ratio concipi potest, ea inter Patrem, & Christum intercedit, peccatoris autem respectu eximia quædam est liberalitas, & misericordia.

[a] 2.2. q. 61.

[a] Sess. 6 c. 6. & 7. Can. 3. & 4.

cordiæ. Ita enim fermè loquuntur veteres Patres, qui miro consensu docent, Deum spontè, ac liberaliter ignoscere, atque ex hac Dei propensa voluntate hortantur peccatores ad pœnitentiam.

XXXIII. Sic enim loquitur Tertullianus [a]: *Habes, cui satisfacias, & quidem volentem, id si dubitas, euolue, quæ Spiritus* [b] *dicat Ecclesiis.* Et post pauca: *Non communicaretur, si non ignosceret pœnitenti.* Chrysostomus [c]: *Iustitiam* (inquit) *Deus* (hoc est, gratiam, & sanctitatem, qua iusti sumus) *huic pœnitentiæ in præmium proposuit.* Qui alibi [d] docet pœnitentiam impetrare remissionem & misericordiam. Augustinus [e] verò. *Da Domine* (inquit) *misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso.* Quin etiam apertissimè aiunt, expiationem peccatorum, & iustificationem esse diuinæ clementiæ, pietatis, ac misericordiæ eximium, ac singulare munus, quod sæpissimè repetit Chrysostomus [f]. Addunt præterea iustificationem non esse præmium, aut mercedem, non dari ex iustitia, aut ex meritis, quod sexcentis locis affirmat Augustinus, quibus tamen supersedendum censeo, quia facilè ad præcurrentem, & excitantem gratiam detorqueri possunt, pauca tamen attingam, quæ propriè ad remissionem peccatorum videntur pertinere. Alicubi [g] enim ostendit, neminem iustificari, vel ab originali, vel ab actuali peccato, nisi beneficio gratiæ Dei *per Iesum Christum Dominum nostrum non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu, & effectu, donec sanet omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet nos in miseratione, & misericordia.* Vbi apertè nomine gratiæ, & misericordiæ non solùm præcurrentem gratiam, sed ipsam etiam iustificationem significat. Alibi [h] verò explicans illa verba Dauidis [i]: *Illustra faciem tuam super seruum tuum. Quid est ergo* (ait) *Illustra faciem tuam super seruum tuum? Appareat* (inquit) *quia pertineo ad te; nec si dicat Christianus impius, quia pertinet ad te, ne sine causa tibi in alio psalmo dixerim Iudica me Deus & discerne causam meam. Quod tibi dixit: discerne causam meam, hoc dicit hic, illustra faciem tuam. Et nunc ne & ipse superbiat, & quasi se iustificare videatur, adiungit & ait: Saluum me fac in tua misericordia, hoc est, non in mea iustitia, non in meis meritis, sed in tua misericordia. Non quia ego sum dignus, sed quia tu misericors es, noli me audire secundum iudiciariam seueritatē, sed secundum misericordissimā bonitatem.*

a lib. de pœnit.
b Apoc. 1. & 2.
c Hom. 42. in Matth.
d lib. 1 & 2. de compun. cordis.
e Serm. 3 de natal. qui est 7. de tēp.
f Loc. cit. & præterea in Ps. 50. Hom. 10. in Matt. Hom. 60. ad pop.
g epist. 105.
h Conc. 3. in Psal. 30.
i Psal. 30.

XXXIV. Et in alio [k] quodam loco in illa verba: *Diligit misericordiam, & iudicium. Misericordia tempus modò est, iudicij post erit. Vnde est misericordia tempus? vocat amodo auersos, donat peccata conuersis, patiens est super peccatores, donec conuertantur, quandocumque conuersi fuerint præterita obliuiscitur.* Rursus ad illa verba [l]: *Misericordiam, & veritatem eius quis requiret? Misericordia* (inquit) *dicitur, quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam, vt peccata nobis omnia dimitteret, & vitam æternam promitteret.* Et paulo post: *Misericordiam exhibuit dimittendo peccata.* Vt appareat diuinam liberalitatem, ac misericordiam non adeò angustis terminis circumscribi, vt solam præcurrentem gratiam, & excitantem largiatur, cætera, quæ subsequuntur, ex iustitia tribuat. Nam si quis id pertinaciùs contendat, mea quidem sententia in eas deducetur angustias, vt admittere cogatur, contritionem ex condigno iustificationem mereri, sicut meretur gloriam. Nam si suapte natura gratiam antecertit, nulla potest afferri ratio, si gloriam meretur, cur non mereatur etiam gratiam iustificantem. Quòd si nō præcurrit gratiam, sed illam subsequitur, vt significat D. Thomas [m], in eas sese difficultates inducet, ex quibus facilè expediri non queat. Nam ex D. Thomæ sententia in iustificatione quatuor certo quodam ordine reperiuntur; infusio gratiæ, motus animi in Deum, peccati detestatio, & condonatio culpæ. Ita fit, vt in primo illo articulo, in quo gratia concipitur absque peccati remissione infusa, ea absque suo effectu intelligenda sit, quem suapte natura proximè tamquam forma procreat. quod est monstri simile. Cùm tamen aduersarij fateantur, gratiam formam esse eiusmodi, quæ faciat hominem iustum, atque expellat peccatum; vel certè, quod multo absurdius est, concipienda sit infusio gratiæ, vt manat ab agente, circumscripta eiusdem receptione, quæ ei altera ex parte respondet, perinde quasi gratia intelligatur absque substrato, quod cùm sit qualitas, admitti nullo modo potest. Tametsi enim, vt affirmat D. Thomas, nostro intelligendi modo prius natura concipitur motio agentis, quàm dispositio, seu affectio mobilis, motio tamen agentis in mobili absque motu ipsius mobilis intelligi non potest, cùm agentis actio re ipsa idem sit cum passione mobilis.

k Conc. 1. in Psal. 32.
l in Ps. 60.
m 1. 2. q. 113. art. 8.

Persimili ratione dicendum esset, remissionem peccati non propriè fieri à gratia tamquam à forma, si illa intelligatur infusa, antequam peccatum sit penitus expiatum. Quin etiam admittendum esset, motum animi in Deum, & detestationem peccati re vera ex condigno peccati condonationem promereri. Nam si mereretur gloriam, mereatur profectò necesse est remotionem impedimenti, quo prohibemur à gloria; quod nihil est aliud, quàm peccatum. Atqui hoc apertissimè pugnat cum Tridētino Concilio [a], ait enim, nos gratis iustificari ideo dici, *quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus; alioquin, vt Apostolus inquit* [b] *gratia non est gratia.* Neque enim eorum interpretatio admitti potest, qui existimant loqui Concilium de operibus, quæ gratiam excitantem præcurrunt, quam solam negant cadere sub meritum. Nam cùm etiam ipsi fateantur, iustificationem oriri à gratia tamquam à forma, hæc propriè gratia iustificationis appellatur; ea verò cadere videretur sub meritum, quod profectò maximè absurdum est. Neque vllo modo eorum sententia cum Concilij definitione cohæret, qui idcirco tantùm hominem gratis iustificari aiunt, quia gratis datur auxilium excitans, quamuis cætera, quæ subsequuntur, ex merito iustitiæ debeantur. XXXV.

a Sess. 6.
b ad Rom. 11.

Addo quòd idem Tridentinum Concilium [c] neminem ait iustificari, *nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id autem in impij iustificatione fieri, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret.* Quæ si vera sint, vt verissima censenda sunt, planè sequitur, non solam præcurrentem, & excitantem gratiam dari merito Christi, sed ipsam etiam charitatem, quæ per Spiritum sanctum infunditur, vt appareat ad impetrandam charitatem non satis esse ipsam cōtritionis functionem absque noua applicatione, atque influxu meritorum Christi. Eam autem meritorum Christi applicationem non solùm tunc fieri, cùm gratia excitans tribuitur; sed etiam cùm charitas, & gratia inhærens diffunditur in cordibus, vt ad illum singularem, planéque diuinum effectum merita Christi applicentur, atque adeò ipsius merito verè dicamur iustificati, atque ipsius pretiosissimo sanguine abluti. Denique si contritio posita gratia excitante ex æquo pro culpa satisfacit, ipsa profectò nos magis tamquam vera iustitiæ forma iustos facit coram Deo, quàm ipsa gratia inhærens, quod, aut ego fallor, aut apertissimè Tridentino Concilio aduersatur, ait enim [d], *vnicam formalem causam nostræ iustificationis esse Dei iustitiam, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ,* XXXVI.

c Sess. 6. c. 7.
d Sess. 6. c. 7.

nostra, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. Non potest autem Concilium nomine iustitiæ, qua iusti nominamur, & sumus, contritionis actionem intelligere, quam inter præparationes ad iustificationem recensuerat [a], cùm præsertim infantes, aliique qui cum sola attritione in Sacramento Baptismi ex opere operato iustificantur, nullam possint habere contritionem. Præterquam quod non facilè explicari potest, quænam sit præparatio, aut dispositio, cuius quantitatem, ac mensuram contritio ipsa sequatur, cùm tamen facilè quiuis intelligat, gratiam inhærentem, & charitatem contritionis magnitudini æquari.

a cap. 6.

XXVII. Quæ cùm ita sint, fateri necesse est, contritionem ex diuina liberalitate, ac misericordia vi meritorum Christi pro culpa, & pœna æterna satisfacere, neque in iustificatione veram, ac propriam iustitiæ rationem aliter reperiri, quàm vt mox dicam. Qua igitur ratione hoc loco Apostolus ait: *Deus iustus est, vt remittat nobis delicta nostra*? Sanè primùm siue Christus ex pura, perfectaque iustitia satisfecerit, siue secus (neque enim id nunc agimus) vtique Deus Christi satisfactionem tamquam æqualem admisit pro totius humani generis redemptione, ipseque adeò Christus pro omnibus quidem sufficienter, pro nonnullis etiam efficaciter ex iustitia legali Patri satisfecit, vt cuius satisfactio exigebatur. Quemadmodum enim peccatum non erat contra propriam iustitiam, ita satisfactio ex propria, veráque iustitia necessaria non erat. Quoties igitur Christus sua merita ad singulos iustificandos applicat, ex legali iustitia Deus Christi merita, & satisfactionem admittit. Nam cùm Princeps nummi, seu monetæ valorem constituit, eo pretio persoluto rectè ex iustitia acquiescat oportet: ita quando iam constituit Deus, vt merita Christi singulis applicata gratiam conferant, Christi respectu, qui constitutum pretium soluit, iustitiam quodammodo Deus exercet, licèt peccatori multis nominibus gratuitum, ac liberale beneficium tribuat. Quod si nonnulla etiam iustitia inter Deum, & peccatorem concipienda sit, ea profectò nonnisi metaphorica, & impropria esse potest, quia videlicet ità iustificamur, vt nonnihil à nobis exigatur, cùm necessaria sit contritio, quæ tamen ad propriam iustitiam pertinere non potest, ac ne ad legalem quidem, cùm debiti magnitudinem non ex æquo assequatur. Accedit quòd posita natura contritionis, & Christi merito influente ea nonnullam habet cum gratia iustificante proportionem, quæ impropriè iustitia nuncupatur, qualis in creatione reperiri dicitur, cùm Deus singulis rebus creatis id tribuit, quod cuique maximè congruit. Qua ratione alibi docui, contritionem ex congruo iustificationem promereri.

XXVIII. *Et emundet nos ab omni iniquitate.* Peccatorum quippe remissio omnem maculam penitus abstergit, quod insinuauit olim Deus apud Ezechielem [b], cùm dixit: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et apud Isaiam [c]: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quamobrem Concilium Tridentinum [d] anathema dicit iis, qui reatum peccati originalis remitti negant, aut etiam asserunt non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicunt *tantùm radi, aut non imputari, in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem.* Et in eamdem sententiam vniuersim scribit Chrysostomus: *Tu* (inquit) *non potes [...] est Dominus: [...] ita delet peccata, vt nec eorum remaneat [...]; in corporibus quidem hoc non licet, quin etiam [...] medicus elaboret, & imponat vulneri remedia, vlcus quidē tollit, cicatrix verò permanet, vulneris circumferens [...], aspectus deformitatem. Et licèt in infinitum medicus contendat, non tamen cicatricem delere potest, ipsa namque naturæ repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitásque medicamentorum. Deus autē cùm delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque permittit remanere vestigium, sed cum sanitate pulchritudinem quoque restituit, cum liberatione à pœna dat iustitiam, & præuaricatū non præuaricato similem reddit. Si namque vel infinita quis habens [...] nera pœnitētia ... egerit, & aliquid fecerit boni, sic ea Deus delet, vt neque cicatricem, neque vestigium, neque peccatorum ostendat indicium.* Hoc igitur est, quod ait Ioannes: *Et emundet nos ab omni iniquitate,* quia non potest peccatum cum gratia, & charitate consistere.

b cap. 36. 25.
c cap. 1. 18.
d sess. 5 in decret. de [...]
a Hom. [...] ad pop. quæ est de pœn.

10. *Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.*

1. Freqenter Apostolus Ioannes eadem repetit, & inculcat. Videtur autem hoc loco superiorem sententiam repetere, cùm dixit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nō est.* nisi quòd ibi videtur affirmare, omnes iustos frequenter leuioribus noxis obstrictos teneri, hic autem solùm affirmat, neminem esse, qui non aliquando lapsus sit. Quòd si libeat hanc Apostoli sententiam subtiliùs enucleare, trifariam ea potest explicari. Primùm quidem, vt accipiatur de peccato originali, quasi significet Ioannes, omnes in Adamo peccasse, ac proinde ea labe inquinari. Deinde, vt de proprio cuiusque scelere loquatur, & quidem lethali, ac mortifero. Postremò, vt de leuioribus, ac de venialibus noxis tantummodò agat. Ceterum quamquam non nego, si per se verba ipsa spectentur, posse illa ad peccatum originis transferri, de quo Paulus [b]: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et aliquantò post [c]: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Quò fortasse spectauit etiam Isaias [d], cùm dixit: *Cecidimus quasi folium vniuersi,* vt alludere videatur ad arborum folia quæ arefacta radice omnia decidunt, ita peccante Adamo omnes in eo peccauimus, & [...] ait Basilius [e]: *Quia nō ieiunauimus, exulamus.* Sed non video, cur Apostolus originariæ labis in præsentia mentionem faciat, propius enim abest à [...], cum proximè dixerit, confessione peccata expiari, de iis peccatis eum loqui, quæ ea ratione expianda sunt, cuiusmodi non est peccatum originis, quod non est propria voluntate patratum, sed vt semine contrahitur, vt sæpe docet Augustinus [f].

b ad Rom. 5. 12.
c vers. 19.
d cap. 64.
e Hom. [...] ieiun.
f lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 9. 25. & 27. & lib. 3. cap. [...]

II. Eadem ratione haud facilè admiserim, loqui Apostolum de lethali peccato; tametsi enim id verum [...] que posset cum præcedenti senten[tia] cohærere, [q]uia dixerat, h[...]em, ac [i]ustum Deum [remit]tere nobis peccata nostra, & emundare nos ab omni iniquitate. Non video tamen, qua ratione ita vniuersim affirmare pos[sit] Apostolus, neminem esse, qui n[on ali]quando lethaliter peccauerit, & si quis id de se [af]firmet, mendacij Deum arguere. It[a] enim locum explicat OEcumenius: *Si verò [ali]quis impudēter nos [asse]rentes non peccasse nos dicamus, duplex malum efficiemus nam & nos mendaces reddemus, & Deum, qui supra omnē veritatem est, in mendacium inducemus.* Non facilè autem apparet, cur is, qui nullius lethalis criminis sibi conscius se non peccasse affirmat, Deum mendacij arguat. An fortè respexit Ioannes ad Dauidis verba [g]:

g Ps. 115. [...]

D.minus

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum? Certè Chrysostomus [a] ab ea Dauidis amplissima sententia ne beatissimam quidem Virginem Deiparam excipere videtur, cui nonnullam fidei dubitationem attribuit. Quod & facit Origenes [b], itemque Theophylactus [c].

a Hom. 49. in Gen. & in Psal. 13.
b Hom. 17. in Luc.
c Luc 2.

III. Verùm quod spectat ad beatissimam Virginem, satis, vt arbitror, supra ostendimus, eam ne leui quidem culpa fuisse inquinatam, vt multo minùs existimandum sit, eam lethali noxa obstrictam fuisse. Quod verò de fidei dubitatione obiicitur, non perinde accipiendum est, quasi illa aliquando vel leniter contra fidem peccarit, sed qui ei nonnullam dubitationem adscribunt, hæsitationem credo intelligunt ex vehementi admiratione, ac stupore profectam, quod procul dubio potuit citra culpam in integerrima Virgine admitti, quæ prolem sibi promitti audiebat Virginitatis voto obstrictæ. Quin etiam addo amplissimam Prophetæ sententiam, aliásque persimiles, quæ passim in sacris literis leguntur, non tam factum significare, quàm humanæ naturæ conditionem, & imbecillitatem, quæ tanta est, vt meritò quiuis suam qualemcumque integritatem, & innocentiam Deo possit acceptam referre, atque idcirco agendæ sint immortales Deo gratiæ non modò ob beneficia accepta, sed etiam ob singulare patrocinium, quo iustos à multis flagitiis, atque sceleribus, quibus poterant inquinari, integros, ac puros conseruarit. Atque hac ratione Ioannis verba explicari possunt, quasi dicat: Si dixerimus, quia non peccanimus, inspecta videlicet propensione ad malum, & circumscripto diuinæ gratiæ præsidio futurum fuisse asseruerimus, vt non peccaremus, planè mendacem facimus Deum, qui olim dixit [d]: *Sensus, & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua.* Atque adeò Concilij Arausicani Patres auctore Augustino verè dixerunt: *nemo habet ex se nisi mendacium, & peccatum.* alioqui si amplissimæ illæ sententiæ de re ipsa loquantur, multas profectò exceptiones admittunt. Nam Ieremias, & Ioannes Baptista, vt beatissimam Virginem omittam, in vtero sanctificati lethale crimen numquam admisisse creduntur. Taceo plurimos viros sanctissimos hac etiam innocentiæ laude claros extitisse. Itaque Ioannes *peccauimus* dixit pro *peccare potuimus.*

d Gen. 6. & 8.

IV. Sin autem, quod magis reor, loquitur Apostolus de leuioribus culpis, idem planè significat, quod superiori sententia dixerat, neminem reperiri, qui non aliquando labatur, & erret, nisi (quod supra docuimus) peculiari quodam gratiæ præsidio fulciatur. Quod enim vniuersim diuinum priuilegium admittit Augustinus [e], & ante illum probauerat Hieronymus [f], nos paulo ante beatissimæ Virgini concessum ostendimus, idque pro certo ab omnibus credendum Ecclesia docet. Circumscripto autem peculiari priuilegio verissimè dicit Apostolus, neminem posse integram suam innocentiam prædicare. Itaque Hilarius [g] ad illa verba: *Amputa a me opprobrium meum, quod suspicatus sum. Propheta* (inquit) *in corpore positus loquitur, & neminem viuentium scit sine peccato esse posse, sed eum terrebat a se orat, non tamquam de admisso, perpetratóque confessus est sed quia id per infirmitatem carnis suæ in se suspicatur habitare.* Eodem modo loquitur Ambrosius [h]: *Sed quod peius est* (inquit) *frequenter terrenarũ illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites, animóque volnas, quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile.* Et aliquanto post: *Nam quis inter tot passiones huius corporis, inter tantas illecebras huius sæculi tutũ, atque intemeratum seruare potest vestigium?* Multo verò apertiùs Fulgentius [a]: *Firmissimè (ait) tene, & nullatenus dubites, etiam iustos atque sanctos homines, exceptis iis, qui baptizati paruuli sunt, sine peccato hic neminem viuere posse, semperque omni homini esse necessarium, & peccata sua vsque in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem à Deo humiliter, ac veraciter postulare.*

e lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 6. de nat. & gra. cap. 42. lib. 50. homil hom. 23. de perfect. iust. c. 2. lib. 1. retract. c. 32.
f lib. 2 & 3. cont Pelag.
g in Ps. 118.
h lib de fug sæculi c. 1.
a lib de fide ad Pet. c. 4

V. Et in eamdem sententiam Gregorius [b]: *Sine culpa* (ait) *in mundo esse non potuit, qui in mundum cum culpa venit.* Denique, ne cuncta percurram, Bernardus [c]. *Qui lotus est* (inquit) *nõ indiget, nisi vt pedes lauet. Lotus est, qui grauia peccata nõ habet, cuius caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio, & cõuersatio munda est. Sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi esse nõ possunt, quin aliquãdo vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet cedat animus vel ad horam.* Meritò tamen à Concilio Tridentino [d] damnantur ij, qui dicunt *iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare.* Vt enim cõcedamus, iustum interdum offendere, non tamen inficiandum est, iustos frequenter honestè, ac laudabiliter agere, posséque permultas eorum functiones omni culpa vacare. Quòd si quis percontetur, cur interdum iusti offendant, id ego responderim, quod alicubi [e] scribit Augustinus hanc ipsam quæstionem expendens. *Cum voluntate* (inquit) *humana gratia adiuuante diuina sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillimè, ac veracissimè respondere, quia homines nolunt, sed si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Veruntamen etiam hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicam. Nolunt homines facere, quod iustum est, siue quia latet, an iustum sit, siue quia non delectat, tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quàm bonum sit, nouimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciẽdum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuemur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

b Hom. 39 in Euang.
c Serm. de cœna Dom.
d Sess. . . c. 11.
e lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 17.

VI. Si igitur dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum. Priùs dixerat, *ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* nunc ait, nos ipsi etiam Deo mendacium affingere: quippe ille docuit, etiam iustos peccatorum veniam petere, cùm in oratione proferri iussit: *dimitte nobis debita nostra*; indicans id quotidie iterandum, quòd frequenter his leuioribus culpis implicemur. *Verbum* autem *eius in nobis nõ est*, quia veram eius doctrinam non amplectimur. Itaque ait OEcumenius: *Si non peccasse nos dicamus, verbum eius negamus, ac repudiamus, quod spiritus, & vita sunt.* Fortè etiam indicare voluit eos, qui suam sibi innocentiam, suísque dumtaxat viribus arrogant diuina eloquia falsitatis arguere, quæ sexcentis locis negant, nos absque diuinæ gratiæ subsidio, vel boni aliquid agere, vel mali aliquid vitare posse, atque in iis quidem verè negat Apostolus verbum Dei esse, siue quia eius memoriam penitùs deleuerunt, siue quia non bene percipiunt, aut quod deterius est, etiam perperam interpretantur. Ac de primo quidem capite nimis fortasse multa dicta sunt.

CAPITIS SECVNDI ARGVMENTVM.

Superiori capite egit Apostolus de iustificatione Baptismo parta, nunc docet, quanto studio, conatúque enitendum sit, ne rursus vitiis, ac sceleribus inquinemur. Quin potiùs conandum monet, vt Dei præcepta quoad eius fieri potest, religiosè colamus, iísque obtemperemus. Ante omnia autem charitatem commendat, siue qua Deus, siue qua proximi diligendi sunt. Singulas hominum ætates priuatim hortatur, & ad pietatis studium, atque amorem inflammat. Mundi amorem reprehendit, ac damnat. Falsos fratrês describit, qui Deum abnegant. Pietatem erga Christum in Deum Patrem redundare affirmat, quòd eadem sit vtriusque diuinitas, & maiestas, atque idcirco idem honor, atque eadem gloria. Hac enim potissimùm ratione fidem, & sanctitatem retineri, quæ sola potest vitam afferre sempiternam.

CAPVT II.

1 *Filioli mei, hæc scribo vobis vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.*

2 *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

3 *Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus.*

4 *Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.*

5 *Qui autem seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est, & in hoc scimus, quoniam in ipso sumus.*

6 *Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

7 *Carissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio, mandatum vetus est verbum, quod audistis.*

8 *Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est in ipso, & in vobis, quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.*

9 *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.*

PARAPHRASIS.



Ilioli mihi percari, hæc idcirco ad vos scribere in animum induxi meum, vt meis monitis confirmati ab omni vos scelere puros, atque integros conseruetis. Quòd si quis humana imbecillitate lapsus aliquando fuerit, ne animo concidat, aut spem prorsus abiiciat, cùm habeamus apud nostrum omnium Parentem Iesum Christum eximia iustitia, ac sanctitate præditum, qui sua merita commemorans nostræ causæ patrocinium suscipiat. ¶ Ipse siquidem sese olim Deo Patri pro nostris flagitiis placamentum obtulit, próque iis abundè satis fecit, qui non modò nostra piacula suo sanguine deleuit, sed omnium mortalium crimina quantum in ipso fuit penitus expiauit. ¶ Porrò illius salutarem fidem, notionémque verè nos assequutos tum demùm re ipsa profitebimur, si quæ ille præcepit, ex animo complectamur, diuinæque ipsius legi sedulò obtemperemus. ¶ Nam qui se Dei notione præditum esse gloriatur, eius tamen præceptis nequaquam se præbet obsequentem, is non tam voce, quàm vita, ac moribus mentitur, seque à veritate Christiana longissimè abesse declarat. ¶ Contra verò qui eius sese præceptis, atque institutis penitus subiicit, iísque vitæ suæ rationes informat, hic profectò Dei caritate præditus est, & Christianæ professioni ex æquo respondet. Sic enim habetote hoc vno argumento perspicuè probari, nos illius verè esse cultores, eique caritatis nexu esse adstrictos, atq; intimè adhærescere. ¶ Id enim ratio postulat, vt qui se Deo carum & esse, & haberi velit, eius actiones quàm diligētissimè imitetur, eiúsque vestigia quàm accuratissimè semper sectetur, ac persequatur. ¶ Quod verò ad me attinet fratres, nolim vos arbitrari nouū me aliquod præceptum vobis proponere, re nāque vera nihil à vobis exigo præter id, quod iā pridē accepistis, quod quidē vetustissimum præceptū est, quod in ipsis Christianæ fidei rudimētis, & audiuistis & mira animi propensione probastis. ¶ Et si dicendū est, quod res postulat, idē nouū præceptū appellari potest, cùm & hominē quodā modo innouet, & ad nouū, quem vocāt, hominē referatur. Idq; cùm per se verissimè affirmatur, tū proprio experimēto didicistis ipsi, cùm pristinis tenebris abiectis verā aliquādo lucē aspexeritis. ¶ Nolim autē vos lateat, si quis se cęlesti luce perfusū esse glorietur, & fratrē, ac proximū suū odio persequatur, eū re vera etiā nū densa quadā caligine,

cæcísque errorum nubibus inuolui. ¶ Nam qui fraterna beneuolentia,& charitate proximos complectatur,is profectò cæleste lumen aspexisse, eiúsque ductu prouehi censendus est, cùm ita vitam instituat,moréſque ſuos componat,vt nemo quidquam in eo iure reprehendat, aut præterea requirat. ¶ Itaque idem iterare non piger, ſic igitur aio, & ſic affirmo, eum, qui fratrem, ac proximum ſuum odio, ac maleuolentia inſectatur, in denſis adhuc tenebris verſari, & cæcorum more in incertum ferri, quippe cui errorum tenebræ ipſam etiam oculorum aciem, ac lumen ademerint. ¶ Libens verò hæc ad vos ſcribo, cariſſimi, vt vobis in mentem reuocem,diuina poteſtate, & ipſius Christi merito veſtra omnia flagitia & Baptiſmo fuiſſe expiata, & Pœnitentiæ ſacramento, ſi quæ poſt Baptiſmum exciderint poſſe deleri. ¶ Hæc ad vos primùm refero, qui aliorum veluti parentes habemini, quod Chriſtum Dominum verum, æternúmque Deum ante alios complexi eſtis. Deinde etiam ad vos, qui tamquam adoleſcentes non ita pridem ei nomina dediſtis, & à dæmonis ſeruitute,& laqueis ſtrenuè euaſiſtis. ¶ Denique ad vos filios, quos ex animo diligo, hæc potiſsimùm ſcripſi, quia veſtrum omnium Parentem optimum agnouiſtis. Ad vos verò Patres hæc mea præcipuè pertinent,quòd eum fide complexi eſtis, qui ante omnem æternitatem abſque vllo principio ſemper fuit, ſempérque erit. Ad vos verò adoleſcentes, vt iſtam veſtram Chriſtianam fortitudinem, ac robur prædicarem, vobiſque ex animo gratularer, quòd cæleſti quadam vi, ac poteſtate præditi malorum omnium auctorem ingenti cum laude ſuperaſtis. ¶ Nolite itaque mundum,neque ea, quæ in mundo ſunt, diligere, mihi enim credite, ſi quis mundi amore implicatur, is à paterna charitate, qua iuſtos Deus immortalis bonorum omnium parens proſequitur, longè eſt alienus. ¶ Quidquid enim hoc aſpectabili mundo continetur, aut voluptatum illecebris animum emollit, aut diuitiarum cupiditate inflammat,aut faſtu, atque ambitu extollit, quæ ſunt omnia à paterna charitate aliena, & ad hæc caduca, & mortalia bona, vel bonorum potius ſimulachra referuntur. ¶ Quæ ſane omnia quamuis ſpecioſa corporeis oculis videantur, non aliter tamen atque aura leuis momento temporis præteruolant,ipſorúmque cupiditates breui langueſcunt: qui verò diuinis præceptis nihil habet antiquius, in omnem æternitatem perſeuerat. ¶ Illud autem ſcitote, cariſsimi, extremum iam pereuntis mundi tempus vel imminere, vel propemodum iam adeſſe, quo tempore Antichriſtum venturum eſſe accepiſtis. Iam nunc enim plures Antichriſti exorti ſunt, vt vel hinc appareat extremam mundi clauſulam iam adeſſe. ¶ Et hi quidem Antichriſti è noſtro fidelium cœtu prodierunt, ſed re verà ex n[illegible]orum, electorúmve numero nequaquam era[illegible], ſi [illegible]nam prædeſtinationem, æternumque Dei conſilium ſpectes. Nam ſi ſecus fuiſſet, vnà nobiſcum

10 *Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt.*

11 *Qui autem odit fratrem ſuum in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit, quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*

12 *Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius.*

13 *Scribo vobis, Patres, quoniam cognouiſtis eum,qui ab initio eſt. Scribo vobis, Adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum.*

14 *Scripſi vobis infantes, quoniam cognouiſtis Patrem. Scripſi vobis Adoleſcentes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum.*

15 *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. ſi quis diligit mundum,non eſt caritas Patris in eo.*

16 *Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ; quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.*

17 *Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius,qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

18 *Filioli, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, nunc autem Antichriſti multi facti ſunt, vnde ſcimus,quia nouiſſima hora eſt.*

19 *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.*

20 *Sed*

20 *Sed vos vnctionem habuistis à sancto, & nostis omnia.*

21 *Non scripsi vobis, quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam, & quoniam omne mendacium ex veritate non est.*

22 *Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus. Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.*

23 *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet, qui confitetur Filium, & Patrem habet.*

24 *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis.*

25 *Et hæc est repromissio quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.*

26 *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.*

27 *Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos; sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.*

28 *Et nunc, filioli, manete in eo, vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.*

29 *Si scitis, quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.*

in Ecclesiá vtique perstitissent, sed nimirum sua defectione testati sunt, non omnes, qui nobiscum viuunt, inter electos, ac prædestinatos numerari. ¶ Vos verò diuini spiritus vnguine delibuti amplissimam quamdam diuinarum rerum scientiam adepti estis. ¶ Neque enim ego hæc ad vos scripsi, vt vestram inscitiam erudiam, sed potiùs vt hæc omnia probè cognoscentes admoneam, mendacia, quæ ab impostoribus proferuntur, nihil habere commune cum fidei vestræ veritate, tantùm abest, vt à Deo veritatis auctore, vel ipsa potius humana veritate profecta sint. ¶ Quid enim mendacius eo, qui Iesum negat esse Christum humani generis liberatorem? Hic profectò verè potest Antichristus appellari, qui dum Christum abnegat, æquè Patrem, ac Filiũ abiurat. ¶ Sic enim se res habet, quisquis Filium abnegat, is eadem opera Patrem abiicit: qui verò Filium admittit, Patrem necessariò confitetur. ¶ Vos verò date diligenter operam, vt quam fidem ab initio percepistis, eamdem ad finem vsque vitæ constantissimè retineatis. Nam si id sedulò feceritis, mihi credite Parentis, ac Filij charitatem retinebis. ¶ Hoc enim pollicitus est ipse Deus, qui mentiri nequaquam potest, quique perennem, immortalémque vitam se in fide, & charitate perseuerantibus largiturum recepit. ¶ Ego verò paucis hæc ad vos scripsi, vt indicatis pseudoapostolorum fraudibus, & imposturis à suscepta vos fide auocari nulla ratione patiamini. ¶ Cùm præsertim augustissimo Spiritus sancti chrismate perfusi, & in fide mirum in modum confirmati eorum impia præsertim, ac nefaria institutione minimè egeatis, qui percepta Spiritus sancti vi omnia probè didiceritis, quæ sunt ad salutem necessaria, quæque diuina veritate subnixa ab omni prorsus mendacio sunt aliena, & vt spero ita penitus in animis vestris hærent, vt nihil eorum, quæ isti mendacissimè confingunt, ac temere effutiunt, admissuri sitis. ¶ Itaque, fratres mihi carissimi, hoc agite, dogmata ab initio vobis tradita sanctè retinete, vt cùm iudex, qui non longè abest, suam vbique lucem adueniens diffundet, nos vnà vobiscum lætati potius, & ob vestram constantiam gloriari possimus, quàm ob defectionem pudefieri, ac rubore suffundi compellamur. ¶ Quòd si non ignoratis Deum esse iustum, ipsamque adeò supremam iustitiam, & pro cuiusque meritis præmium, vel pœnam illaturum; id vobis persuasum esse percupio, eum, qui rectè, ac laudabiliter vitam traduxerit, tamquam Dei imitatione filium ab eo videlicet gratiæ beneficio genitum sempiternæ hæreditatis fore aliquando participem.

IN CAPVT SECVNDVM EXPLANATIO.

1. *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* A

I. Voniam dixerat, neminem esse omnis
labis prorsus expertem, cùm sit humana
imbecillitas ad lapsum vltra modum fa-
cilis, & procliuis, monet eos, qui Bapti-
smo iam expiati essent, vt quoad eius fieri possit, in-
nocentiam retineant, additque si quis fortè alicubi
offendat, aut labatur, non esse prorsus desperan-
dum, cùm Christum habeamus apud Patrem patro-
num, & aduocatum. Filiolos autem appellat, vt suam
in illos paternam indicet charitatem, vtque osten-
dat, eos vi Baptismi fuisse quasi denuo genitos. Nam
a ep. 1. c. 2. 2. & Petrus [a] fideles quasi modò genitos infantes B
hortatur, vt in dies proficiant, quoad salutem
assequantur sempiternam. Sic Christus apud Ioan-
b cap. 13. 33. nem Apostolos [b] filiolos nominat: *Filioli* (inquit) *ad-*
c ad Gal. 4. 19. *huc modicum tempus vobiscum sum.* Et Paulus [c]: *Filioli
mei* (ait) *quos iterum parturio, donec formetur Christus in
d 1. Cor. 4. 15. vobis.* Alibi [d] se fidelium parentem vocat: *Nam si de-
cem* (inquit) *millia pædagogorum habeatis in Christo, sed
non multos Patres, nam in Christo Iesu per Euangelium ego
e ep. 1. c. 1. 23. vos genui.* Dicuntur autem fideles, vt scribit Petrus [e],
*renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per Ver-
bum Dei viui, & permanentis in æternum.* Est enim Dei
f Luc. 8. 11. Verbum, ipso Christo [f] Domino interprete, veluti
semen. *Semen* (inquit) *est verbum Dei,* quod vbi *in cor-
de bono, & optimo* exceptum est, vberem segetem pa- C
rit. Et quoniam Christus verbum est Patris, meritò
g cap. 9. 6. ab Isaia [g], *Pater futuri sæculi* nuncupatur.

II. Tacitè interim suam dignitatem Apostolicam in-
dicat, & fideles officij monet, Apostoli enim, virique
Apostolici, & eorum successores Episcopi, sunt velu-
ti fidelium patres, rursus fideles iis tamquam paren-
tibus omnia pietatis officia debent. Quam ob rem
h in Psal. 44. 17. Augustinus [h] ad illa Dauidis verba: *Pro Patribus tuis
nati sunt tibi filij,* Patres interpretatur Apostolos, à qui-
bus deinde fideles omnes tamquam filij geniti sunt.
Genuerunt (inquit) *te Apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædica-
uerunt, ipsi Patres.* Et aliquanto post: *Pro Apostolis filij
nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. hodie enim Episcopi,
qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia* D
*Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit
i 26. Moral. c. 34. aliàs 28 in sedibus Patrum.* Et Gregorius [i]: *In virtute quippe* (ait)
*antiquorum Patrum hi, qui postmodum prælati sunt, subro-
gantur, quia & cùm annosa arbusta succiduntur, in eorum
robore tenera virgulta succrescunt.* Itaque Ioannes, vt pa-
rentis munere ritè fungatur, fideles monet, ne pec-
cent. *Hæc* (inquit) *scribo vobis, vt non peccetis.* Iure autem
quæras, quorsum referatur pronomen *hæc,* nam supe-
riora quidem aliò videntur referri, ita enim dixit: *Et
hæc scribimus vobis, vt ut gaudium vestrum sit plenum.* Nec
satis apparet, quam vim habeat ad cohibēda peccata
humanæ imbecillitatis cōmemoratio, quæ ita facilè
labitur, vt vix quisquam reperiatur, ac ne vix quidem,
qui nusquam offendat, aut labatur. An illa respexit, E
quæ scripserat, cùm dixit, in luce ambulandum esse?
k cap. 1. 7. *Si autem* (inquit [k]) *in luce ambulamus, sicut & ipse est in
luce, societatem habemus adinuicem.* Probabile. At ni
fallor, multo probabilius est, hanc totam epistolam
indicari, quæ profectò eò potissimùm spectat, vt fi-
deles ab omni scelere, & flagitio reuocentur.

III. Hæc est enim prima iustitiæ pars, vt à malo rece-
damus, altera, vt virtutem complectamur, ita signifi-
A cauit Dauid [a], cùm dixit: *Declina à malo, & fac bonum.* a Ps. 36. 27
Neque enim ille omnino collimasse censendus est,
qui dixit [*]: *Virtus est vitiū fugere.* Aliud enim est, nullo * Horat.
piaculo contaminari, aliud virtutem colere. Præcla-
rum quidem est, vt ille ait,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Sed qui ibi gradum figat, nondum virtutis pulchri-
tudinem aspexit, tantum abest, vt complexus sit. Est
tamen vitæ integritas, & innocentia nonnulla Chri-
stianæ iustitiæ, & sanctitatis pars, quemadmodum ad
corporis firmitatem pertinet morbi vacuitas. Rectè
itaque primo loco monet Apostolus, vt sese fideles
ab omni scelere puros, atque integros seruent. Sed
quoniam id, vt superiori capite monuerat, admo-
B dum videtur difficile, opportunum adhibet medica-
mentum, ne vbi quis alicubi offenderit, & virtutis
fines egressus fuerit, de salute desperet, omnique spe
veniæ penitus abiecta, sese omnibus flagitiis, atque
sceleribus cooperiat, ac propterea addit:

Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Pa- IV.
trem Iesum Christum iustum. Optandum quidem est, vt
nemo peccet, nam vt ait Isaias [b], *iste omnis fructus, vt* b cap. 27. 9.
auferatur peccatum eius. Sed vbi quis vel ignoratione,
vel imbecillitate lapsus est, ad Christum Dominum
tamquam patronū, & aduocatum cōfugiendum est.
Aduocatum (inquit) *habemus apud Patrem,* Græcè παρά-
κλητον, quam vocem alij consolatorem, alij adhorta-
torem, alij denique deprecatorem interpretantur.
C Qui [c] Latinæ linguæ proprietatem inuestigāt, aduo- c Laurent. Valla.
catum à patrono distinguunt, quòd aduocatus is di-
catur, qui ad defensionē alicuius astat, etiam si nihil
loquatur; patronus verò, qui reum dicēdo defendit.
Alij [d]: *Qui defendit* (aiunt) *alaquem in iudicio aut patronus* d Ascon. Pedian.
*dicitur si orator est, aut aduocatus, si ius suggerit, aut præsen-
tiam suam commodat amico, aut procurator si negotium susce-
pit, aut cognitor si præsens causam nouit, & sic tuetur vt suam,
sed procurator est absentis, cognitor verò præsentis.* Vtcūque
sit, rectè Christus dicitur paracletus, hoc est, patro-
nus, seu aduocatus. Qua de re tametsi alibi nonnihil
dixi, hîc tamen locus postulat, vt de hoc Christi mu-
nere paulo copiosiùs disseram. Ostendámque vnà
cùm Christo etiam beatos nostram apud Deum cau-
D sam agere, vt etiam ipsi nostri dici possint aduocati.
Et quoniam Paulus Christum ait [e] assistere vultui e ad Heb. 7. 25.
Dei, & interpellare [f] pro nobis, ambigi non potest f ad Rom. 8. 34.
eū apud Patrem mortaliū causam agere, & aduocati
munere ritè perfungi, vt alibi docui, siue sua merita,
& satisfactionem Patri repræsentādo, siue etiā preces
pro nobis fundēdo. Sed illud à Nouatoribus perperā
obiicitur, hoc ipso excludi alios aduocatos, nec posse
citra Christi iniuriā sanctorum opē implorari, eósq;
deprecatores adhiberi. Id enim hæretici partim ad
idololatriam referunt, quasi sancti pro diis habean-
tur, partim tamquam stultum irrident, quòd sancti
neque nostra curent, neque norint, neque vota, aut
preces nostras audiant, partim denique tamquam
E Christo contumeliosum damnant, quòd sanctis tri-
buatur id, quod est Christi Domini propriū munus.

V. Vt igitur ordiar à primo capite, nemo Catholico-
rum est adeò vel insanus, vel impius, vt diuinitatem
sanctis tribuat, cùm potiùs omnis Catholicorū cœtus
Collyridianos detestetur, qui, vt ait Epiphanius [g], g Hær. 78 & 79.
Deiparā Virginem tāquam Deam colebāt, & sacrifi-
ciis, & sacris ceremoniis venerabātur. Tantum igitur
abest, vt cùm sanctorū opē imploramus, eos diuino
cultu

A cultu prosequamur, vt potiùs illos deprecatores, & internuncios adhibeamus, vt eorum opera, quæ nobis necessaria sunt, à Deo impetremus. Nam quòd sanctos in cælo positos nostris adesse precibus, votísque asserimus, id non idcirco fit, quòd illis immẽsitatem Dei tribuamus, qui suapte natura vbique præsens adest, sed quòd illi præsentem Deum perspicuè intueantur, ac cernant, in quo omnia, quæ ad ipsos aliqua ratione pertinent diuino illustrati lumine vident. Rectè enim dixit alicubi Augustinus: *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* Neque verò sanctis primariò templa, & altaria eriguntur, sed eorum memoriæ, inuocationi, celebritatique dicantur, cùm tamen præcipuè Deo consecrentur. Neque aliter accipienda sunt, quæ apud Catholicos scriptores legũ-
B tur, cùm plerisque sanctis templa aiunt fuisse erecta. Multo verò minus iis sacrificia offeruntur, sed in sacrificiis, precibúsque nostris tamquam deprecatores implorantur, vt eorum suffragiis nostra apud Deum sacrificia promoueantur.

VI. Non est igitur dubitandum, eos, tametsi longissimè absunt à nobis, nostras audire preces, nostrísque piis votis opitulari, qui omnia, vt dictum est, in Deo intuentur, quíque eximia quadam, & perfecta caritate nos adhuc mortalitate fungentes complectuntur. Quamquam enim beati diuinam essentiam non planè comprehendunt, neque omnes penitus res humanas in ea necessariò cernunt, receptum tamen est
C in schola Theologica quemlibet ea cernere, quæ ad se, suúmque statum aliquo modo spectant, ita fit, vt ad se confugientes quantũ in ipsis est, benignè complectantur, & foueant, iustos promoueant, improbis opem ferant, vt saniorem aliquando mentem recipiant, & salubriora consilia sequantur. Quocirca sacræ litteræ apertissimè docent, non modò beatorum preces, sed etiam viuentium suffragationes absque vlla Christi contumelia à viris sanctis implorari. Itaque Augustinus hunc ipsum Apostoli locum illustrans ait: *Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, sed dicit aliquis: Ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi, vel Præpositi non petunt pro populo; sed attendite Scripturas, & videte,*
a Coloss. 4. D *quia & præpositi commendant se populo, nam Apostolus* [a] *dicit plebi: Orantes simul & pro nobis. Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis; inuicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.* Certè Pharao Mosis, atque
b Exod. 8. 8. Aaronis preces postulat [b]: *Orate* (inquit) *Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo.* Et populus ad iram
c Num. 11. 2. Dei, & vltricem flammam auertendam clamauit [c] ad Mosen, *qui orauit ad Dominum, & absorptus est ignis.*
d 1. Reg. 7. 8. Sic filij Israël Samuelem his verbis [d] affantur. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum. Ille verò clamauit ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.* Esther sa-
e cap. 4. 16. nè sanctissima fœmina Mardocheum his verbis [e]
E alloquitur: *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susam*
f Ad Rom. 15. 30. *repereris, & orate pro me.* Denique Paulus [f]: *Obsecro* (inquit) *vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum,*
g 1. ad Thess. 5. 25. & Heb. 13. 18. *vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* Et [g] alibi semel: *Orate* (ait) *pro nobis.*

VII. Idemque apertissimè confirmat antiquissima Patrum traditio, & communis omnium consensus, nam
h De Eccl. hier. c. 7. Dionysius [h] Areopagita: *Itaque* (inquit) *sacra Scriptura acquiescens vtiles esse in hac vita dixerim sanctorum preces, hoc modo scilicet: si quis sanctorum munerum desiderio incensus, ad eáque percipienda piè affectus, prauitatis tamen propriæ conscius quempiam sanctorum virorum adeat, orétque sibi adiutorem, & precatorem accedere, capiet ex hoc omnino vtilitatem commoda cuncta excedentem. Fruetur enim iis, quæ petit, suauissimis donis suscipiente diuina clementia,*

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

A *atque in primis in eo amplectetur religiosam cognitionem sui, reuerentiámque sanctorum, & laudabile sanctarum petitionum à se postulatarum desiderium, consentaneúmque his sacratiorem habitum.* Ignatius verò Magnesianos, ac Trallianos sedulò monet, vt pro se apud Deum preces fundant. Idem flagitat Athanasius [a]. Sic etiam Basilius [b], Ephrem [c] Syrus, Gregorius [d] Nazianzenus, Ioannes [e] Chrysostomus. Inter Latinos elegantissimè Cyprianus [f]. *Nunc est* (inquit) *fratres carissimi, vt memores mei sitis, vt inter magnas, atque diuinas cogitationes vestras nos quoque animo, & mente voluatis, simque in precibus, & orationibus vestris, cùm vox illa purificatione confessionis illustris, & iugi honoris sui tenore laudabilis ad Dei aures penetrat, & aperto sibi cælo de his subacti mundi par-*
B *tibus ad superna transmissa impetrat de Domini bonitate, quod postulat.* Et [g] alibi: *Vos orationibus frequenter insistite, & preces nostras vestris precibus adiuuate.* Eodem modo loquuntur Ambrosius [h], Hieronymus [i], Augustinus [k], Paulinus [l], Gregorius [m], Isidorus [n], Beda [o], qui omnes cùm viri essent sanctissimi, aliorum tamen preces, & suffragationes expetebant.

a ep. ad Lucifer. Episc. & ep. ad Episc. Africæ.
b ep. 7. 8. & 49.
c Ser. de extrem. iud. & de cõpunct.
d ep. 187.
e ep. 36 & ep. 124.
f ep. 26.
g ep. 33.
h lib. 7. ep 55.
i ep. 40. & Apolog. ad Pammach. c. 1.
k ep. 77. & lib. de bon. viduit. c. 23.
l ep. 37. & ep. ad Aug. quæ est inter epp. Aug. 33.
m lib. 1. regist. ep. 24.
n ep. ad Braul. episc.
o Præf. in Mar.

Iam verò vita functos ritè obsecrari, vt pro sua pietate, caritatéque, qua præstant, suis nos precibus iuuent, miro consensu omnis antiquitas testatur. Certè Origenes [p]: *O beate* (inquit) *Iob viuens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu Regis Domini ora pro nobis miseris, vt etiam nos terribilis Dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus*
C *oppressionibus malignis, & connumeret nos cum iustis, & conscribat nos cum his, qui salui fiunt.* Basilius [q] verò: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat* (martyres intelligit) *qui rursum lætatur, hos oret; hic vt à malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro filiis auditur, peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti verò salutem implorat.* Neque aliter loquitur Ephrem [r] Syrus. Gregorius [s] verò Nazianzenus Athanasij suffragia implorat, & Chrysostomus [t] Imperatorem his verbis laudat: *Nam & ille, qui purpuram gestat, ad sepulchra illa se confert, vt ea exosculetur, abiectóque fastu supplex stat, sanctósque obsecrat, vt ipsi apud Deum sibi præsidio sint, atque vt tentoriorum opificem, & piscatorem, & quidem fato functos patronos habeat precibus is contendit, qui dia-*
D *demate cinctus est. Ergo ne dic quæso, horum Dominum mortuum dicere audebis, cuius serui etiam defuncti eorum, qui vniuerso orbi imperant, patroni, ac defensores sunt?* Alibi [u] verò ita Apostolum Petrum alloquitur: *Adsis huic templo miraculorum promptuario, quod sancta nominis tui appellatione præcipuè honoratur, in quo venerandas catenas tuas, vt thesaurum quendam reponi voluisti. his catenis nostrarum animarum vulnera quasi liges.* Et multa deinceps. Sic Cyrillus [x] Alexandrinus Ioannis Euangelistæ suffragium, ac patrocinium optat. Mira profectò sunt, quæ in hanc sententiam scribit Theodoretus [y]: *Qui homines prospera sunt* (inquit) *valetudine, cõseruari eam sibi à Martyribus petunt, qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles*
E *viri, & mulieres dari sibi filios petunt, non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei martyres tamquam diuinos homines, intercessorésque sibi eos apud Deum aduocent, & precentur.* Mox verò non inanes esse fidelium preces his verbis ostendit: *Piè verò fideliterque precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirùm adepta sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porro manuum simulachra suspendunt ex argento, auróque confecta.* Et multa deinceps.

VIII.
p lib. 2. in Iob.
q orat. in 40. Martyr. quæ est hõ. 20. simil. hom. 26. de Mart. Maman.
r Ser. de sanct. Martyr.
s Orat. 21.
t Hom. 26. in 2. Cor.
u Ser. in ador. caten. & gladij S. Petri apud Sur. tom. 4.
x Hom. de S. Io. Euãg. habita in Cõc. Ephes.
y lib. 8. de curã. Græc. affect.

IX. Latini porro Patres nec pauciora, nec minùs aperta in eamdem sententiam scripserunt. Cyprianus [a] enim: *Innocentes* (inquit) *in ordine sanctorum protomartyres primum habeant locum, & secretorum conscij diuinorum propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris*

a Ser. de stella, & Magis.

exerent laboribus, quos vsque hodie funestius Herodes persequitur, quorum sanguine, & morte Diabolus delectatur. Ambrosius [a]: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent, cognouerunt.* Nimis longum esset, si velim exscribere quaecumque leguntur apud Hieronymum [b], Rufinum [c], Augustinum [d]. Egregiè autem Leo [e] Pontifex: *Confirmate amicitias cum sanctis Angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius nobis spondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribúsque sociamini. Vnde & illi gaudent, gaudete, horum diuitias concupiscite & per bonam aemulationem ipsorum ambite suffragia.* Et Gregorius [f] item Pontifex: *Omnipotens Deus excellentiam vestram in suo semper timore custodiat, atque ita vestra vota in filiorum excellentissimorum regum nepotum vestrorum, intercedente B. Petro Apostolorum principe, cui eos commendatis, sospitate adimpleat, vt stabile vobis gaudium de eorum semper incolumitate, sicut cupitis habere, concedat.*

a lib. de viduis.
b ep. 27. ad Eustoch. in vita S. Hilarion. & aduers. Vigilā.
c lib. 2. hist. c. 33.
d In adnot. in Iob c. 14. lib. 7. de baptis. contra Donat. c. 1. lib. 21. de Ciuit. c. 27. ser. 17. de verb. Apost. De cura pro mort. c. 4. & ser. 1. de S. Steph.
e ser. 5. de epiph. c. 4.
f lib. 12. ep. 8.

X. Neque verò de Beatorum patrocinio, & suffragatione dubitare fas est. Baruch [g] enim precatur in haec verba: *Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israël, & filiorum ipsorum.* Iudas [h] autem Machabaeus in somnis vidit Oniam defunctum manus extendentem, & orantem pro populo, itémque virum alterum aetate grauem, & gloria mirabilem, audiuitque Oniam dicentem: *Hic est Ieremias Propheta Dei, qui multum orat pro populo, & sancta Ciuitate Ierusalem.* Idem videtur non obscurè indicare Petrus [i], ait enim: *Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi, dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Videtur enim, vt eo loco indicaui, etiam post obitum suum patrocinium polliceri. Addo omnes fermè Liturgias [k], quae Sanctorum preces, & agnoscunt, & imperant. Certè Irenaeus [l]: *Sicut Eua* (inquit) *seducta est, vt effugeret Deum: sic Maria suasa est obedire Deo, vt Virginis Euae Virgo Maria fieret aduocata.* Origenes [m] autem: *Quis dubitat, quòd sancti quique Patrum & orationibus nos iuuent, & gestorum suorum confirment, atque hortentur exemplis.* Alibi [n] planiùs: *Ego sic arbitror, quòd omnes illi, qui dormierunt ante nos Patres pugnent nobiscum, & adiuuent nos orationibus suis.* Athanasius [o]: *Nósque* (ait) *Apostolorum principe suffragante Petro ab imminentibus periculis valeat liberari.* Sed apertissimè Cyrillus [p] Hierosolymitanus: *Cùm hoc* (inquit) *sacrificium offerimus, postea facimus mentionem nominatim eorum, qui ante nos obdormierunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras.*

g cap. 3. 4.
h lib. 2. Mach. c. 15. 12.
i ep. 2. c. 1. 14.
k Liturg. Petr. & Ecclesia Romana, Eccl. Hierosolymitana, Eccles. Aethiopica, Eccles. Mediolan.
l lib. 5. c. 19.
m Hom. 26. in Num.
n Hom. 26. in Ios. simil. hom. 3. in Cant. Hom. 3. in diuers. lib. 8. con. Celsum.
o ep. ad Felicem Pap.
p Catech. myst. q. 5.

XI. Iam verò Basilius [q] de quadraginta Martyribus hunc in modum loquitur: *Hi sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi quaedam turres contra aduersariorum incursum refugium exhibent.* Et post nonnulla: *Saepe operam dedistis, & laborastis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis, quadraginta sunt hi vnam orationis emittentes vocem, vbi enim sunt duo, vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est; vbi verò quadraginta fuerint, quis dubites Deum esse praesentem?* Plura [r] alibi in eamdem sententiam Gregorius [s] Nazianzenus de patre suo iam vita functo haec scribit: *Nec dubito, quin hoc nunc quoque tanto magis deprecatione sua, quàm prius doctrina praestet, quanto nunc magis Deo appropinquat.* Et planiùs de S. Basilio [t]: *At nunc ille quidem in caelis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens. Neque enim ita nos reliquit, vt prorsus nos reliquerit.* Rursus [a] de S. Athanasio: *Athanasius in bona senectute post multas dimicationes, & palaestras vita defunctus, nunc res nostras, vt persuasum habeo, caelitus inspicit, & virtutis causa laborantibus manum porrigit, eoque magis, quòd corporis vinculis liberatus est.* Eodem modo loquuntur Epiphanius [b], Gregorius Nyssenus [c], Chrysostomus [d], Theodoretus [e].

q Hom. 20.
r Ep. ad Iulian. Apost. In anaphora Syriac. In Liturg.
s Oratione 19.
t Orat. 20.

Porro Latini Patres id etiam frequentissimè, apertissiméque inculcant. Cornelius [f] enim Pontifex: *Orantes* (inquit) *Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedentibus sanctis eius Apostolis maculas purges peccatorum vestrorum.* Cyprianus [g]: *Memores* (inquit) *nostri inuicem simus, vtrobique pro nobis semper oremus, pressuras, & angustias mutua caritate releuemus; & si quis istinc nostrum prior diuinae dignationis celeritate praecesserit, perseueret apud Dominum nostra dilectio pro fratribus, & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Hilarius [h] explicans illa verba Dauidis: *Montes in circuitu eius, &c. Sed neque desunt* (inquit) *stare volentibus Sanctorum custodiae, neque Angelorum munitiones.* Et aliquanto post: *At ne leue praesidium in Apostolis, vel Patriarchis, ac Prophetis, vel potius in Angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant, crederemus, adiectum est: Et Dominus in circuitu populi sui.* Iam Ambrosius [i]: *Habes* (inquit) *proximos, qui Deo pro se supplicent, habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos, si ipsa Martyribus deuotionis societate, misericordia quoque muneribus appropinques.* Et paucis interiectis: *Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreae, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuae verbo Dei pulsae.* Apertissimè verò Hieronymus [k]: *Si Apostoli* (inquit) *& Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro caeteris, quando de se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias & triumphos?* Augustinus [l] porro: *Dominus noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis, omnes Martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis.* Illa verò penè aurea sunt, quae de Petro Apostolo [m] scribit: *Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? si tunc supplicantibus proderat aura quaedam transeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud poenalium vinculorum, si ad praesidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax post triumphum?* Mitto alios penè innumerabiles. Claudat agmen Leo [n] Magnus: *Sicut autem & nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitae ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.*

a Orat. 14.
b Io vit. Isa.
c In orat. funeb. in Melet. Episcop. In S. Theod. & in 40. Martyr.
d In S. Pelag. c. 15. De SS. Iuuentio, & Maximo MM. De S. Ignatio. Hom. de poenit. & in Liturg.
e lib. 8. de curā. Graec. affec. In hist. SS. Patr. c. 8. & 27.
XII.
f ep. 2.
g ep. 57. Penè eadē lib. de mortal. Tract. de discipl. & habitu Virg.
h In Psal. 124.
i lib. de Viduis. Sic in orat. funeb. de obit. Valentin. & lib. 2. de Iacob. & vita beat. c. 10.
k Aduer. Vigil. vide etiam ep. 25. de obitu Blesillae.
l In Psal. 85. sic in Psal. 88. Tract. 8. in Io. lib. 20. cō Faust. c. 21.
m Ser. 5. sanct. in fest. Pet. & Paul.
n Ser. 1. de nat. Apost. Petri, & Pauli.

Quin etiam viuentium preces interdum non sine fructu, & magna vtilitate expetuntur. Nihil autem horum Christo contumeliosum censendum est, aut cum eius singulari aduocati munere pugnare. Nam, vt egregiè scribit Bernardus [o]: *Fidelis planè, & potens Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quòd mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia cantatur pariter & iudicium, quia etsi didicit ex his, quae passus est, compassionem, vt misericors fieret, habet tamen & iudiciariam potestatem; denique Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fugit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei?* Ita ostendit diuinam Christi maiestatem formidandam esse, atque adeò non frustra deprecatores adhiberi, quorum precibus, ac meritis nobis concilietur; ac propterea subiicit: *Iam itaque nec ipsa*

XIII.
o Ser. ad ill. verb. Apoc. Signum magnum.

mulier

A *mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa, inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria.* Et aliquanto post: *Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est.* Vt igitur ad mediatorem alios adhibemus mediatores, sic ad hunc aduocatum nobis conciliandum alios quærimus aduocatos. Quod non solùm citra Christi iniuriam, sed magno etiam cum ipsius honore, & gloria facimus. Rectè nihilominus dixit Ioannes habere nos aduocatum Christum Dominum, ille quippe in hac aduocatione primas tenet, cuius meritis cæteri omnes gratiam, & gloriam, & quicquid boni possident, adepti sunt.

XIV. Illud verò egregiè obseruatum est ab Augustino, non dixisse Ioannem, aduocatum habetis, sed habemus: *Non dixit* (inquit) *habetis, nec me habetis dixit, sed & Christum posuit, non se: & habemus, dixit, non habetis; maluit se ponere in numero peccatorum vt haberet aduocatum Christum, quàm ponere se pro Christo aduocatum, & inueniri inter damnandos superbos.* Sic ferè viri iusti sese peccatoribus annumerant. Ita Salomon[a]: *Iustus prior est accusator sui.* Et Daniel[b]: *Peccauimus,* (inquit) *iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & declinauimus à mandatis tuis, ac iudiciis.* cùm tamen ipse vir esset integerrimus, atque sanctissimus. Longè enim abest à iustis suorum meritorum iactantia, qui suæ imbecillitatis conscij, vel præterita peccata & agnoscunt, & deplorant, vel soliciti sunt, ne diuinæ gratiæ desint, & eius præsidio destituti aliquo flagitio inquinentur. Præterquam quòd vna cum Dauide[c] verè dicere possunt: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Quin etiam, vt ait Augustinus[d], omnes sancti, sanctæque verè quotidie dicunt: *Dimitte nobis debita nostra.* & hic ipse Apostolus superiori capite dixerat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Iacobus[e]: *In multis* (ait) *offendimus omnes.*

a Prou. 18. 17.
b cap. 9. 5.
c Psal. 18. 13.
d De nat. & grat. c. 36.
e cap. 3. 2.

XV. *Iesum Christum* (inquit) *iustum.* atqui iustorum proprium est vel vlcisci peccata, vel certè odisse. Qua igitur ratione, iustus pro nobis aduocati munere fungitur? An iustum dixit Patris respectu, qui Christi iusti, atque innocentis aduocationem contemnere neutiquam potest? Certè non crediderim aduocati iustitiam commendari, quasi qui iustam causam defendendam suscipiat. Quomodo Cassiodorus[f] aduocati iustitiam extollens ait: *Si in aduocationis studio iustitia claritate fulsistis.* Fortè etiam respexit id, quod sequitur: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* vt sensus sit: speranda est peccatorum venia deprecante Christo Domino, & humani generis aduocato, qui sua iustitia, & sanctitate Deum Patrem mortalibus conciliauit. Et fortasse etiam indicat Christi satisfactionem hactenus fuisse iustam, quòd ex æquo Patri satisfecit, qui suo sanguine facilè poterat plures etiam mundos à peccati, ac Diaboli seruitute redimere. Ac de nostra quidem redemptione verè scripsit Apostolus[g]: *Non sicut delictum, ita & donum, si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Et Leo[h] Pontifex: *Ampliora* (inquit) *adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per Diaboli amiseramus inuidiam.* Et alibi[i]: *Sicut Apostolus ait, vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia, & cum sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum seruitutis.*

f lib. 11. var. ep. 4.
g Ad Rom. 5.
h Ser. 1. de Ascens. c. 4.
i Ser. 12. de pass. c. 3.

XVI. Rectè autem monet OEcumenius, hæc ad humanam Christi naturam referenda esse, nam alioqui tamquam Deus eamdem habet cum Patre potestatem, vnáque cum illo ac Spiritu sancto peccata condonat. Quin etiam quandiu inter mortales viuebat, etiam tamquam homo suprema quadam potestate, quam vocant, excellentiæ peccata tollebat. Idque aliquando[a] firmissimo argumento probauit, cùm antequam paralytico integram restitueret valetudinem dixit: *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata dixit paralytico: surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Ex miraculo enim suam potestatem confirmat diuinitus à Patre acceptam, qua quidem, vt Theologi docent, potuit absque Sacramento peccata expiare, & gratiam, ac iustitiam largiri, instituere Sacramenta, quibus peccata deleantur, & sacerdotibus potestatem facere retinendi, ac remittendi peccata. Ita enim apud Ioannem[b] dixit: B *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* Quamobrem rectè hoc loco monet Augustinus, apposite scripsisse Apostolum, aduocatum habemus: *Ille* (inquit) *talis vir, non dixit, aduocatum habetis, apud Patrem, sed si quis peccauerit, aduocatum habemus.* Vt significet suscepisse Christum totius humani generis patrocinium, vt non ita multo post planiùs docebit, atque adeò illum omnium esse mortalium aduocatum ad quem fas sit cuique liberè confugere, modò præterita facinora ex animo detestetur.

a Mat. 9. 6.
b cap. 20. 22.

XVII. At Christus ipse apud Ioannem[c] ait: *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis, ipse enim Pater amat vos.* Quo loco videtur hoc aduocati munus recusare, C ita enim accipit Chrysostomus[d], qui indicat, Christum negare se rogaturum Patrem. Gregorius[e] autem excludi ait orationem, quæ voce fiat, solam enim admittit commiserationem. Eademque ratione explicat verba[f] Pauli: *Interpellat pro nobis. Vnigenito enim* (inquit) *Filio pro homine interpellare est apud coæternum Patrem se ipsum hominem demonstrare, eique pro humana natura rogasse est eamdem naturam in diuinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberauit.* Atqui ipse Dominus apud eumdem Ioannem[g] dixerat: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis.* significans se impetraturum à Patre Spiritus sancti charismata, quibus Apostoli ornandi erant. D Itaque Cyrillus[h] ita accipit verba Christi, perinde quasi dicat, facilè Apostolos impetraturos omnia, quæ Christi nomine petierint, non solùm quia Christus rogaturus est Patrem, sed multo magis quia Pater eos vehementer diligit. Denique Hilarius[i] omnium, vt arbitror, appositissimè solam excludi putat precum necessitatem, quasi dicat Christus: eximius amor, quo vos Pater prosequitur, cùm vobis facilem, ac propitium reddet, vt nihil necesse sit me pro vobis preces fundere.

c cap. 16. 27.
d Hom. 78. in Io.
e Hom. 22. mor. c. 13. alias 18.
f Ad Rom. 8. 34.
g cap. 14. 16.
h lib. 11. in Io. c. 9.
i lib. 6. de Trin.

2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

I. Ne quis fortè suspicetur, ita Christum esse aduocatum, vt possint tamen eius clientes causa cadere, E quomodo apud Ezechielem[k] indicat Deus, non se aduocatorum preces magnifacere? *Si fuerint* (inquit) *tres viri isti in medio eius Noë Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quòd si & bestias pessimas induxero super terram, vt vastem eam, & fuerit inuia, eò quòd non sit pertransiens propter bestias, tres viri isti si fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.* Persimili igitur ratione fieri posset, vt Christus pro hominum genere preces funderet, nec tamen exaudiretur à Patre. Huic ergo tacitæ hominum suspicioni occurrit,

k cap. 14. 14.

Apostolus subdens: *Et ipse est propitiatio pro peccatis*
nostris. quasi dicat, ita orat, vt exoret, & impetret, &
a 1. Cor. 1. 3. pro peccatis abundè satisfaciat. Nam vt ait Paulus:
Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctifica-
tio, & redemptio. Eademque opera ostendit Christum,
etiam si aduocati munere fungatur, non esse tamen
minorem Patre, quandoquidem vnà cum illo pecca-
b lib. con. sermon. Arian. c. 19. ta condonat. Certè olim, vt scribit Augustinus[b],
Macedoniani, quia spiritus apud Ioannem dicitur
paracletus, hoc est, aduocatus, eum Patre minorem
esse contendebant. Ne quis igitur idem de Filio su-
spicetur, quem dixerat esse paracletum, & aduoca-
tum, addit illum esse propitiationem pro peccatis,
cui non aliter ac Patri conueniunt ea, quæ scribit
c Psal. 102. 3. Dauid[c]: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* Et
d Psal. 129. 4. rursus[d]: *Quia apud te propitiatio est.* Itemque: *Impieta-*
tibus nostris tu propitiaberis. Certè Paulus[e] de Christo
e Rom. 3. 25. B ait: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in*
sanguine ipsius. Vbi Grecè scripsit Apostolus ἱλαστήριον,
alludens ad veteris Testamenti propitiatorium. Hic
autem Ioannes dixit ἱλασμός, vt significet ipsam con-
donandi peccati actionem, vel pro peccatis satisfa-
ctionem, suo enim sanguine, ac vita pro hominũ ge-
f 2. Cor. 5. 19. nere litauit, atque ita Paulus[f] ait: *Deus erat in Christo*
mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.
II. Rectè autem ait, *propitiatio pro peccatis.* sic enim
ferè hæc vox in sacris litteris accipitur, vt referatur
g Eccles. 34. 23. ad peccatum, ita loquitur Sapiens[g]. *Nec in multitudine*
sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Et dies, quo
summus sacerdos in Sancta Sanctorum penetra-
h Leuit. 16. bat, aspergens[h] sanguine propitiatorium, *dies propi-*
C *tiationis* appellabatur. Indicabat enim, vt interpreta-
i Ad Heb. 9. 2. tur Paulus[i], noui Testamenti propitiationem, quæ
Christi sanguine peragenda erat. Verè autem dicitur
Christus propitiatio, quia solus ipse suo sanguine
omnium mortalium flagitia expiauit; cæteri quam-
uis sanctissimi viri deprecatores esse possunt, & ex-
piationis ministri, propria tamen auctoritate expiare
peccata non possunt. Id vnius Christi sanguis efficit,
k Apoc. 1. 5. qui, vt ait Ioannes[k]: *Dilexit nos & lauit nos à peccatis*
l Ser. 12. de pass. c. 3. *nostris in sanguine suo.* Quocirca rectè Leo[l] Pontifex.
Effusio enim, (ait) pro iniustis sanguinis iusti tàm potens fuit
ad priuilegium, tàm diues ad pretium, vt si vniuersitas
captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyranni-
ca vincula retinerent. Et paulo post: *Quamuis enim in*
D *conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fue-*
rit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mũdi. Ac-
ceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitu-
dine exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singu-
lares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quis-
quam debitum suo funere soluit, cùm inter filios hominum
solus Dominus noster Iesus extiterit, in quo omnes crucifixi,
omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati.
III. Addit: *Non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro*
totius mundi. OEcumenius hæc verba accipit, quasi
dicat Ioannes, Christum propitiationem esse, non
solùm pro Iudæorum peccatis, sed etiam pro Gen-
tilium omnium flagitiis, quod etiam insinuat Cyril-
m lib. 11. Io c. 19. lus[m], vt paulo post ostendam. Sed vereor, vt id ad-
E mitti possit, nam si, quod initiò diximus, hæc epi-
stola scripta est ad Parthos, qui procul dubio Gen-
tiles erant, cùm dixit Ioannes: *ipse est propitiatio pro*
peccatis nostris, Parthos procul dubio comprehendit,
atque ita ineptè diceret Christũ esse propitiationem
non solùm pro nostris, sed etiam pro Gentilium pec-
catis. Nec satis probo, quod alij malunt, mundum
opponi prædestinatis, quasi dicat Apostolus, Chri-
stum esse propitiationem non solùm pro prædesti-
natorum, sed etiam pro aliorum omnium mortalium
culpis. Nam cùm, vt diximus, voce illa *nostris* eos
etiam comprehendat, ad quos scribit, non est veri-

A simile existimasse Ioannem, eos omnes fuisse præde-
stinatos. Itaque crediderim priorem huius sententiæ
partem ad fideles referri, posteriorem ad cunctos
omnino mortales, quasi dicat, Christus Dominus
propitiatio est, nõ solùm pro fidelium, sed etiam pro
infidelium, omniúmque omninò mortalium pecca-
tis. Quomodo dixit Paulus[a], Christum esse Saluato- a 1. Tim. 4. 10.
rem omnium, maximè autem fidelium, quod etiam
insinuat Petrus[b]: *Nolens* (inquit) *aliquos perire, sed om-* b ep. 2. c. 3. 9.
nes ad pœnitentiã reuerti. Quam ob causam apud Mat-
thæum[c] dixit: *Docete omnes gentes.* Et apud Marcum[d]: c cap vlt. 19.
Prædicate Euangelium omni creaturæ Et Paulus[e]: *Volo* d cap vlt. 15.
(inquit) *omnes homines esse sicut me ipsum.* Nec dubitan- e 1. Cor. 7. 7.
dum est, Christum Dominum obtulisse sua merita
pro omnibus hominibus. Ita enim scribit Aposto-
lus[f]: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ex- f 1. Tim. 2. 6.
cipi tamen necesse est dæmones, ac damnatos, pro
B quibus quippe extra salutis locum positis Christus
sua merita nullo modo obtulit. Quamobrem rectè
Augustinus: *Habes* (inquit) *Ecclesiam per totum mundũ,*
noli sequi falsos iustificatores, & veros præcipitatores In illo
monte esto, qui impleuit orbem terrarum, quia Christus
propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostro-
rum, sed & totius mundi, quem suo sanguine comparauit.
At cur dixit Christus[g]: *Non pro mundo rogo, sed pro* IV.
iis, quos dedisti mihi. Augustinus[h] indicat, Christum g Io. 17. 9.
orasse tantùm pro prædestinatis, sic enim ait: *Mun-* h Tract. 107. in Io.
dum vult modo intelligi, qui viuunt secundùm concupiscen-
tiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ, vt ab illo eligan-
tur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro iis, quos ei
Pater dedit, rogare se dicit, per hoc enim quòd eos illi Pater
C *iam dedit, factum est, vt non pertineant ad eum mundum,*
pro quo non rogat. Sed quicquid de propositis verbis
sentiendum sit, certè non ita multo post pro omni-
bus, qui credituri sunt, orat, qui tamen non omnes
erant prædestinati. Cyrillus[i] Alexandrinus hũc Ioan- i lib. 11. in
nis locum cum Christi verbis hac ratione conciliat: Io. c. 19.
Saluator enim (inquit) *pro mundo hic orare abnuit. Ioan-*
nes autem non pro nostris peccatis solùm propitiationem, &
paracletum illum esse, sed pro vniuerso affirmat mundo. Ve-
rùm beatus Ioannes, quoniam erat Iudæus, ne pro Iudæis
tantùm paracletus esse Dominus apud Patrem videretur,
non autem etiam pro aliis gentibus, quæ vocatæ obsequutæ
sunt, necessariò pro toto mundo adiecit, id est, pro omnibus,
qui per fidem vocati ad iustitiam, & sanctificationem per-
D *uenerunt. Dominus autem noster Iesus Christus suos à nobis*
separans: pro eis (inquit) *tantũmodo, qui verba mea seruant,*
& iugum meum acceperunt, rogo. Verùm orationem
Christi cum eius sacrificio, atque oblatione coniun-
git, quasi eadem sit vtriusque ratio, cùm tamen sacri-
ficium sine controuersia pro omnibus oblatum sit,
nihil tamen prohibeat, quominus Christus priuatim
pro aliquibus preces fuderit.
Sunt qui orationem Christi ad voluntatem ante- V.
cedentem, & subsequentem, sufficientiam, atque effi-
caciam non aliter, ac merita referant, quorum nihil
mihi videtur necessarium; siquidem loco eo apud
Ioannem indicato agit Christus de sua priuata qua-
dam prece, quam pro discipulis fudit, atque idcirco
E dixit: *Ego pro eis rogo*, eos videlicet indicans, de quibus
paulo ante dixerat: *Manifestaui nomen tuum hominibus,*
quos dedisti mihi de mundo. Cùm igitur orauit pro illis,
mũdũ, hoc est, cæteros omnes mortales exclusit, sicut
aliquando pro solo Petro orauit, de quo ita loquitur
apud Lucã[k]: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* k cap. 22. 32.
Eodẽ verò Ioannis loco paucis interiectis, vt modò
dixi, priuatim orat pro iis, *qui credituri sunt* (inquit) *per*
verbũ eorum in me. Quos meritò cum iis coniungit qui
sibi fidem adiunxerant, suáque præcepta, atque insti-
tuta complexi erant. Itaque Ioannes hoc loco de
Christi munere disputans, illum ait propitiationem
esse

esse pro cunctis mortalibus. Christus autem Dominus eo, quam diximus, loco, de sua priuata oratione loquitur. Sed quoniam constat, Christum pro omnibus sese obtulisse Patri in ara Crucis, & Eucharistiæ oblatio idem Christi sacrificium refert, ac repræsentat, meritò sacrificium propitiatorium à Tridentina Synodo appellatur, ambigi potest, an istud etiam sacrificium propitiatio sit pro omnibus mortalibus, adeóque ritè pro cunctis hominibus offerri queat. Ac primùm quidem, quicquid hæretici [a] contra nitantur, citra omnem controuersiam fatendum est, Missæ sacrificium non solùm sumentibus, sed aliis etiam pro quibus offertur, prodesse posse, non solùm impetrando, sed etiam propitiando. Sic Iacobus [b]: *Offerimus* (inquit) *tibi incruentum sacrificium, pro peccatis nostris, & ignorantiis populi.* Neque aliter Basilius [c], & Chrysostomus: *Offerimus* (aiunt) *sacrificium hoc reuerendum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui.*

VI. Non potest autem dubitari, vtróque modo ritè offerri pro iustis, qui adhuc superstites sunt, pro quibus & impetrandi, & propitiandi vim habet. Excipio tamen infantes Baptismi lustratos, quibus vis impetrandi huius sacrificij, prodesse potest, propitiandi facultas non item, cùm Baptismi beneficio penitus sint expiati, vt nihil præterea supersit, quod propitiatione indigeat. Quocirca si moriantur, pro iis offertur Missa, quam vocant [d] exultationis. Eadémque vis impetrandi etiam peccatoribus prodest, vt Tridentina Synodus [e] apertissimè docuit: *Huius quippe* (ait) *oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Idque etiam affirmat D. Thomas [f], prodest enim, vt irruentes tentationes faciliùs vincant, in fide, ac spe confirmentur, & ab imminentibus periculis liberentur, & vitare queant peccata, quæ alioqui facilè ab iis perpetrari solent, qui aliquo scelere inquinantur. Ita enim scribit alicubi Origenes [g]: *Qui semel intra se licèt paruum posuerit fermentum* (peccatum intelligit) *quotidie semetipso nequior efficitur, atque deterior.* Et Basilius ad illa Isaiæ verba [h]: *Væ, qui attrahitis peccata, quasi funiculo longo! Sicut* (inquit) *qui funes nectunt, aut iunceas fiscellas, vt quod superest ex fune cœpto contorqueri, consumatur, alterum ei attexunt, & interserunt, quo funis longior euadat: sic qui in profundo malorum festinant, priusquam priori peccato sit impositus finis, secundum adornantur.* Neque aliter sentit Augustinus [i]: *Quomodo vt vestis fiat longa, additur spartum sparto; id autem non rectum it, sed torquetur; sic addendo peccatum peccato, peccatum ad peccatum adnectitur, & fit restis longa, qua alligentur manus, & pedes peccatoris, & proiiciatur in profundum, funiculis enim peccatorum suorum vnusquisque constringitur.*

VII. Certè pro iis, qui anathemate obstringuntur, próque hæreticis, atque apostatis offerri publico nomine [k] nequaquam potest; priuato tamen nomine, quicquid aliter senserit non nemo [l], orari potest in viuentium [m] commemoratione, quæ ante consecrationem ex instituto Ecclesiastico vsurpatur. Porro is, qui anathemate percussus verè iam resipuit, & cum Deo in gratiam rediit, etsi nondum sit ab Ecclesiæ nexu solutus, tametsi nonnulli [n] negant, est tamen suffragiorum capax. Quod plerique doctissimi [o] viri, nec temerè affirmant, siquidem tam diuina gratia, & charitate præditus viuum efficitur Christi mẽbrum, nec fas est opinari, piam Matrẽ Ecclesiam eum velle suo beneficio carere, qui Christi gratia non caret. Quin etiam catechumenis hoc sacrificium prodest, vt intelligi potest ex Clemente [p] Romano; Chrysostomo [a], Augustino, [b] Ordine [c] Romano, & Gennadio [d], cùm censeantur in numero fidelium, licèt nondum Baptismi characterem perceperint. Itaque valet hoc sacrificium ad impetrandum pro iis spiritualia bona, & ob eã causam instituta est ab Ecclesia Missa pro catechumenis. In quæstionem autem vocatur, an si catechumeni vita functi salutem consequantur, Missa pro eis oblata ex opere operato satisfaciat. Sunt enim qui negent [e]; tum quia olim catechumeni non permittebantur sacrificio adesse, tum quia non videtur verisimile latius patere sacrificij fructum, quàm Sacramentorum, non fuerunt autem catechumeni Sacramentorum participes. Quocirca Chrysostomus [f] apertè negat pro catechumeno vita functo sacrificium offerri posse. At contra [g] alij meo quidem iudicio melius de catechumenis audientibus tantùm, necdum Baptismum petentibus facilè superioribus assentiuntur, de competentibus verò alia omnia. Siquidem hi adeò fide præditi obierunt, vt per eos non steterit, quominus Baptismi charactere insignirentur. Itaque Ambrosius [h] de Valentiniano Imperatore, qui nondum initiatus obierat, in hunc modum scribit: *Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani, sed iam credamus, vel testimoniis Angelorum, quòd detersa labe peccati ablutus ascendit, quem sua fides lauit, & petitio consecrauit. Credamus quia ascendit à deserto, ex hoc arido, & inculto loco, ad illas florulentas delectationes, vbi cum fratre coniunctus æterna vita fruitur voluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præscribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum connexione transcurret, omnibus vos orationibus frequentabo.* Quamobrem Chrysostomus de audientibus tantùm catechumenis, qui ea negligentia Baptismum non expetierunt, apertè loquitur, ideóque eos deflet, quòd planè interierint.

VIII. Et vt appareat, quàm latè pateat hoc propitiatorium sacrificium, ausim etiam cum viris [i] doctissimis affirmare, etiam pro Turcis, ac Paganis non absque fructu offerri, vt videlicet resipiscant, & fidem amplectantur, quicquid nõnulli [k] secus opinati sint. Etenim Augustinus [l] pro omnibus sacrificium offerendum esse docet eo argumento nixus, quòd crucis sacrificium pro omnibus sit oblatum, Missa verò eiusdem sacrificij quædam sit commemoratio. Accedit, quòd primis Ecclesiæ nascentis temporibus ex Apostolica traditione pro Regibus, & Principibus infidelibus sacrificabatur. Auctores sunt Clemens [m] Romanus, Iustinus [n] Martyr, Tertullianus [o], Cælestinus [p], Chrysostomus [q], & alij [r]. Nàm quæ scribit Paulus, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus faciendas, pro Regibus, & omnibus, qui sunt in sublimitate, de Missæ oblatione explicat Augustinus [s]. Olim certè Iudæi pro Gentilibus sacrificabant, vt pro Rege [t] Dario, & filiis, pro Spartiatis [u], pro salute Heliodori [x]. Quamobrem, quod ait Augustinus [y]: *Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro iis, qui sunt membra Christi?* vel de vita iam functis accipiendum est, vel, vt interpretatur D. Thomas [z], membra Christi eos etiam vocat, qui quamdiu superstites sunt, etiam si re ipsa ad Christi corpus non pertinent, pertinere tamen possunt. Atque hæc quidem de huius sacrificij propitiatione respectu viuentium accipienda sunt.

IX. Iam verò qui æuo iam fruuntur sempiterno in Missæ sacrificio ritè quidem inuocantur, vt in priscis Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysostomi liquet, confirmantibus Cyrillo [a], Epiphanio [b], Augustino [c]. Non tamen pro iis offertur, cùm nulla prorsus egeant expiatione. Quamobrem Augustinus [d] memoriam quidem ait eorum fieri, non tamen pro iis orari. Non enim,

a Luther. & Chemnit. b In Liturg. c In suis Liturg. d Alex. Alens. 4. p. q. 42. art. vlt. D. Thom. in 4. d. 45. q. 2. art. 2. Palud. ibid. q. 1. art. 2. Gabr. lect. 27. in Cant. Nauar. de orat. c. 19. Missell. n. 5. c. 33. e Sess. 22. c. 2. f 4. d. 12. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. g Hom. 23. in Num. h cap. 5. i In Ps. 130. k cap. à nobis 2. & c. sacris de sent. excom. S. Thom. in 4. d. 18. q. 2. art. 1. Sot. 4. d. 22. q. 1. art. 1. Couar. c. alma Mater, p. 1. § 6. Nauar. de orat. num. 14. & 20. & in man. cap. 27. num. 18. Bellar. lib. 2. de miss. c. 6. Suar. d. 68. sect. 2. l Sot. loc. indic. m Ang. ver. Missa n. 51. Syluest. v. Missa 1. n. 8. & excommunicat. 9. n. 2. Armill. ca. com. 1. n. 9. Tabien. excom. 1. n. 5. Nau. de orat. c. 19. n. 71. Couar c. alma Mater, p. 1. § 6. n. 4. Maiol. lib. 1. de irreg. c. 15. Palu. in 4. d. 18. q. 3. Suar. disp. 68. sect. 2. Azor. lib. 1. c. 12. Bellar lib. 2. de Miss. c. 6. n Sot. ex c. à nobis 2. de sent. excom. o Richar. in 4. d. 18 ar. 2. q. 2. Ledes. q. 23. art. 1. Anton. 3. p. tit. 25. cap. .. Nauar. de orat. cap. 19. num. 68. & in manual. cap. 27. n. 18. & 36. Couar. c. alma Mater, 1. p. § 6. n. 4. concl. 9. Turrecr. can. si quis Episcop. 11. q. 3. p lib. 8. const. c. 18.

a Homil. de Adã, & Eua, si tamen est eius. b Epist. 109. c In tertio scrutin. d de Eccles. dogm. c. 30. e Azor. lib. 10. cap. 22. Suar. d. 73. sect. 2. & 10. f Hom. 3. ad Philip. g Bellar. l. 2. de Miss. c. 6. Henriquez lib. 9. c. 15. h Orat. de obit. Valẽt. i Ledesm. 2. 4. q. 23. art. 1. Nauar. de orat. cap. 19. n. 72. 73. Alan. lib 2. de Euchar. cap. 32. Suar. disput. 78. sect. 2. Bellar. lib. 2. de Missa c. 6. Henriq. lib. 9. c. 15. k Sot. lib. 9. de iust. & iure c. 20. art. 2. Azor. lib. 10. cap. 22. l Epist. 59. m lib. 8. cõst. cap. 18. n In apolog. 2. o In apolog. c. 23. & 39 & lib. ad Scap. p Epist. 2. c. 11. q Homil. de Adã & Eua, & hom. 6. in 1. ad Tim. r Ad ill. voc. 1. ad Tim. 2. *Obsecro igitur* 1. p. s Epist. 59. t lib. 1. Esdr. cap. 6. u lib. 1. Machab. c. 12. x lib. 2. Machab. c. 3. y lib. 1. de anim. & eius orig. c. 9. z in 4. d. 12. q. 2. art. 2. quæstiun. 2. a Catech. 5. mystag. b Hær. 75. c Tract. 84. in Io. lib. 8. de ciuit. c. 27. lib. 22. c. 10. lib. 20 con. Faust. c. 21. d Tract. 84. in Io. & ser. 17. de ver. Apost.

enim, vt ait Innocentius[a], Sancti nostris precibus indigent. Qui verò sempiternis cruciatibus apud inferos torquentur, nullo prorsus suffragio, nullóque sacrificio, expiationéve iuuantur, cùm eorum supplicia nullam admittant leuationem, vt Cyprianus[b], Augustinus[c], Gregorius[d], Damascenus[e], Bernardus[f], cæterique Theologi[g] affirmant. Qua de re perperam senserunt[h] pauci quidam, qui nonnullam leuationem damnatorum suppliciis sacrificia, & preces fidelium afferre autumant. Verùm illud multorum disputatione diu, multúmque agitatū est, quod asserit Damascenus[i] B. Gregorium Missæ sacrificio Traiani animam ab inferis eruisse; sed multis[k] ea oratio Damasceni non videtur; præsertim cùm Damascenus[l] alibi dicat hominibus id esse mortem, quod Angelis fuit casus. Et Gregorius[m] apertè doceat pro infidelibus defunctis nihilo plus orādum esse, quàm pro diabolo, quos constat sempiternis cruciatibus esse addictos, atque irreuocabilem subiisse sententiam.

X. Eos verò, qui purgatorio igne expiantur, Catholica fides docet, piorum sacrificiis magnopere iuuari, vt contra hæreticos copiosè probant omnes Catholici scriptores. Itaque verè affirmat Ioānes, Christum esse propitiationem pro totius mundi peccatis; quandoquidem nemo vmquam ab ipso mundo condito peccati veniā adeptus est absque meritis Christi, licèt illa aliter, atque aliter pro vario hominum statu & conditione fuerint applicata, vt propterea non malè dixerint quidam, Christum Dominum ab hoc eodem Apostolo in Apocalypsi Agnum vocari ab origine mundi occisum. Nam & in lege naturæ, & in lege scripta Christi merita licèt futura, erant tamen diuinæ menti præsentia, suámque vim iam tunc mirabiliter exercebant. Post Christum verò natum longè nobilius, longéque perfectius vim suam, atque efficacitatem exercent, & in omnibus quidem Sacramentis, sed præcipuè in Baptismo hanc expiandi vim adhibent, cùm non modò peccati culpam, sed omnem etiam pœnam funditus extinguat. Proponitur autem Baptismus cunctis mortalibus, vt apud Matthæum[n] docuit Christus Dominus, cùm dixit: *Docete omnes gentes baptizantes eos.* Vt autem doceat Apostolus, quânam ratione meritorum Christi fructum consequi possimus, aptè subiicit

3 *Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus.*

I. At quorsum hoc? OEcumenius ad superiora refert, cùm proximo capite dixit: *Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato.* Quasi nunc explicet, in quo posita sit hæc communicatio, & societas, quam cum Deo habere possunt mortales. Sed vereor ne sit hoc longiùs petitum, propiúsque à vero abesse videtur, vt hæc cum proximè superioribus connectantur, quasi dicat: est quidem ille propitiatio pro omnium hominum peccatis, sed ea nihil prodest, nisi iis, qui eius mandatis obtemperant; hac enim ratione apertè indicamus nos ei, vt decet, adhærere, scientiámque rerum diuinarum cum diuina charitate coniungere, & ad praxim reuocare, vt Apostolus diuino afflatus numine inanem hæreticorum iactantiam iam tum perstringere videatur, qui dum Christi in omne genus hominum eximiam liberalitatem, atque ignoscendi facilitatem prædicant, non oscitantiam modò, sed impuram quamdam viuendi licentiam, & nefariam quidlibet audendi libertatem inducunt, atqui enim, esse quidem Christum propitiationem pro omnibus hominibus, sed eam tamen neque otiosis neque omnium scelerum maculis fœdatis, sed iis dumtaxat prodesse, qui diuinæ legi obtemperant, & puram, castámque vitam traducunt.

II. *In hoc* (inquit) *scimus.* Multa hoc loco Didymus de sciendi verbo disserit, quod sæpe in sacris litteris multo latius patet, quàm apud Philosophos, qui scientiam propriè appellant eam, quæ rerum causas scrutatur, & certum, atque euidentem parit assensum, distinguitúrq; ab humana fide, atque opinione, quæ hæsitationem, atque formidinem habent adnexam. Quòd si scientia Deo tribuatur, certissimam quamdam, ac penitus exploratam rerum omnium, quæ sunt, fuerunt, & erunt, comprehensionem significat. Sic enim verè dicitur Deus omnia etiam futura, & abditas mentium cogitationes perspicuè intueri; atque adeò etiam illa, quę licèt simpliciter, atque absolutè futura non sint, quibusdam tamen positis futura essent. Quamquam enim de hoc postremo non sine magna contentione inter Theologos certatur, ea tamen res adeò perspicuè sacrarum litterarum, priscorúmque Patrum testimoniis firmatur, vt de ea dubitare ingenuæ mentis nemo queat. Sed de futurorum scientia ita in libro Geneseos[a] loquitur Deus: *Scio, quod Abraham præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se.* De abditis verò mentium cogitationibus scripsit Dauid[b]: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et Ioannes de Christo Domino[c]: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.*

III. Aliàs verò scientiæ nomen ei cogitationi tribuitur, quæ certo experimento constat. Sic Salomon[d]: *Et hoc ipsum* (inquit) *erat summa sapientia scire, cuius esset hoc donum.* Et Paulus[e]: *Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Denique fides ipsa nonnumquam scientia nuncupatur; ita sæpè loquitur Paulus[f]: *Scimus* (ait) *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et Ioannes[g]: *Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.* Et Martha apud Ioannem[h]: *Scio, quia resurget in nouissimo die.* Denique Zacharias apud Lucam[i]: *Ad dandam scientiam salutis.* Ait igitur Ioannes, *In hoc scimus*, ac si dicat: hoc veluti certo experimento deprehendemus, *quoniam cognouimus eum*, hoc est, planè cognoscemus, nos perfectam in Deum fidem assequutos esse, si mandata eius obseruamus. Quamquam enim fides à studiosis, & laudabilibus actionibus seiuncta vera fides est, elumbis tamen, exanguis, & mortua iure censetur vt in Epistola Iacobi copiosiùs docuit, eámque possunt impij non aliter ac dæmones habere, sed nullam affert vtilitatem, vt egregiè docet Paulus[k]: *Etsi habuero* (inquit) *prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Certè de impiis ait idem Paulus[l]: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Horum similes erant Scribæ, & Pharisæi, de quibus Christus apud Matthæum[m] ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.*

IV. Illa vtilis, ac frugifera fides, & scientia est, quæ charitate informatur, quæque ea, quæ nouit, ad praxim redigit, de qua Isaias[n] hunc in modum loquitur: *Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Indicat enim diuinam illam scientiam fore actuosam, quæ omnia scelera, atque flagitia cohibeat, quæ propterea dicitur ab eodem Propheta[o] iustificare: *In scientia* (inquit) *sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Contra verò qui hac diuina scientia carent, misera quadam

a cap. cum Marte. de celebr. Miss.
b lib. 1. ep. 9.
c in Enchir. c. 109. 110.
d l. 34. Mor. c. 13. 13 aliàs 16. & lib. 4. Dialog. c. 57.
e lib. 2. de fide c. 4.
f Ser. 8. in Ps. Qui habitat.
g Alens. S. Tho. Bonan. Richar. in 4. d. 45.
Abulens. lib. 4. reg. c. 4. q. 57.
Nauar. de or. notab. 19. n. 63. & notab. 22. n. 46.
h Gloss. can. tempus 13. q. 2.
Præpositiuus in compen. Theol.
Lincolnien. in summa Theol. in fi.
Altisiod. lib. 4. ad fin.
Aug. de Ancon. lib. de potest. Eccl.
i Orat. pro defunct.
k Can. lib. 10. de loc. Theol. c. 2.
Sot. lib. 4. d. 45. q. 2. ar. 2.
Medin. C. de orat.
Bellar. lib. 2. de Purg. c. 8.
Baron. ad Annal 604.
l lib. 2. de fid. c. 4.
m lib. 34. mor. c. 13.
n cap. vlt. in fin.

a cap. 18. 19.
b Psal. 93. 11.
c cap. 2. 25.
d Sap. 8. 21.
e 1. Cor. 2. 12.
f ad Rom. 8. 28.
g Epist. 1. c. 3. 2.
h cap. 11. 24.
i cap. 1. 77.
k 1. Cor. 13. 2.
l ad Tit. 1.
m cap. 23. 2.
n cap. 11. 9.
o Isa. 53. 11.

dam scelerum, ac vitiorum seruitute detinentur, quod indicat Isaias, cùm ait [a]: *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Nonnullos etiam hac scientia destitutos Ecclesiastica præfecturа sua diuina sententia indignos iudicat Deus. sic enim apud Oseam [b] loquitur: *Conticuit populus meus eo, quòd non habuerit scientiam, quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Sic olim filij Heli dicuntur nesciisse, ac penitus ignorasse Dominum. Porro inquit Scriptura [c]: *Filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum*: non quòd penitus nescirent, sed quòd vita, & moribus ita sese gererent, ac si Deum, & quæ essent Sacerdotum partes penitus ignorarent.

V. Porro hæc scientia veram tribuit gloriandi materiam. Quocirca apud Ieremiam [d] ita loquitur Deus ipse: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur scire, & nosse me.* Itaque Paulus hanc maximè scientiam optabat, cùm diceret [e]: *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Ait itaque Ioannes, ex legis obseruatione nos perspicuè deprehendere, fidem nostram esse fidem viuam; hoc enim ipsum significabat Iacobus, cùm dixit [f]: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Sic etiam Petrus [g] ex bonis actionibus Christianorum pietatem spectandam esse monet his verbis: *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Hîc autem Ioannes obseruationem mandatorum hoc toto capite mirificè commendat. Itaque subdit:

4 *Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.*

I. Mentitur (inquit) actionibus suis, quæ cum suscepta fide ex aduerso pugnant, mentitur & oratione, si scientiam practicam sibi arroget, quæ animum charitatis nexu cum Deo adstringit, de qua Christus apud Ioannem ait [h]: *Ego scio eum, & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, & sermonem eius seruo.* Pertinet autem hoc ad superioris sententiæ confirmationem, vt monet OEcumenius: *A contrario* (inquit) *idem confirmat ad maiorem demonstrationem, atque inquit: Qui dicit, noui ipsum, id est, communicationem, & coniunctionem cum eo habeo, & mandata eius non seruat, mendax est. Qui enim fieri potest, vt coniunctus, & non coniunctus idem sit? siquidem mandata seruare, coniunctionem, non seruare; alienationem significat.* Quod igitur ait Ioannes, nosse eum, non simplicem notionem, sed voluntatis approbationem significat; quomodo dicitur Deus eos nosse, quos diligit. Sic loquitur Paulus [i], cùm ait: *Nouit Dominus qui sunt eius.* Et Dominus apud Ioannem [k] ait: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Contra nescire Deus dicitur, quos non probat, seu potiùs reiicit, & damnat. Sic apud Matthæum [l] fatuas Virgines reiiciens ait: *Amen dico vobis, nescio vos.* Non est autem cur quisquam obiiciat humanarum virium imbecillitatem, aut præceptorum difficultatem, adest enim diuinæ gratiæ præsidium, quo humanæ naturæ imbecillitas confirmatur; &, vt hic ipse Apostolus alibi ait [m]: *Mandata eius grauia non sunt.*

II. Cauendus est autẽ hoc loco tum Pelagianorum, tum Lutheranorum, & Caluinistarum error; illorum quidem, qui naturæ viribus omnia Dei præcepta [A] obseruari posse contendebant; horum verò, quòd legem Dei eiusmodi esse affirmant, cui nemo possit perfectè obtẽperare. Vtrique extrema sequuti sunt. Nam Pelagiani quidem, vt liberi arbitrij vim, ac potestatem tuerentur; gratiæ necessitatem excludebant, quamquam eam vtilem esse non negabant. Lutherani verò, & Caluinistæ vim gratiæ dum plus æquo extollunt, liberi arbitrij naturam, potestatémque elidunt, adeóque ipsum etiam nomen de medio tollunt. Iam quod Pelagiani olim docuerunt, imprudentèr nonnulli etiam Catholici [a] admiserunt, qui legem aliam naturalem, aliam supranaturalem esse affirmant. Hanc rursus pertinere aiunt ad actiones internas fidei, spei, & caritatis, vel ad externam administrationem, susceptionémue Sacramentorum. [B] Absque gratia autem iustificante seruari posse naturalium præceptorum substantiã, non item præcepta sacramentalia, quorum substãtia gratiam necessariò postulat. Interna verò præcepta etiam supranaturalia absque gratia quantum ad substantiam posse obseruari. Nonnihil ab hac sententia recedunt [b] alij, qui vltrò fatentur, supranaturalia præcepta necessariò postulare gratiæ præsidium, vt quantum ad substantiam obseruentur, fieri tamen posse, vt seclusa gratia possit quis vitare peccata his supranaturalibus præceptis contraria, quia facienti quod in se est, nulla potest culpa adscribi.

III. Cæterùm fide Catholica credendum est simpliciter, atque absolutè in hoc statu naturæ lapsæ non [C] posse quemquam solius naturæ viribus vniuersam naturalem legem seruare, ita vt nusquam labatur, aut erret, atque adeò omne prorsus vitet lethale crimen. Hoc autem primùm quidem de collectione omnium præceptorum accipiendum est, deinde de perpetua quadam obseruatione ad longum tempus. Nam alioqui quis adeò desipiat, vt dicat, cogi quempiam singulis momentis peccare? Sic planè doctissimi [c] Theologi senserunt, qui præterea affirmant, contrariam sententiam ad Pelagianam hæresim pertinere. Et profectò non obscurè id significauit Paulus in Epistola ad Romanos, & in altera ad Galatas; videtur enim contendere tam Iudæos, quàm Gentiles Christi gratiæ beneficio indigere, nec posse absque illo legem obseruare, non solùm propter pecca[D]tum originis, sed etiam propter naturæ imbecillitatem, quæ ex illo orta est. Itaque alicubi [d] ait: *Quis me liberabit à corpore mortis huius?* Confestim autem respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Agebat autem de tentatione, & pugna, quæ plerúmque ab inferioribus facultatibus excitatur aduersùs rationem, ac mentem, quo fit, vt difficillimum sit, omnibus cupiditatibus semper reluctari, nulláque voluptatis illecebra, aut titillatione capi. Et rursus [e] sic planè ratiocinatur: *Quod autem impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Quo loco apertissimè docet, absque gratiæ præsidio omni ex parte legem perfici non potuisse, præcipuè autem loquitur de [E] præcepto, quo impotentes animi cupiditates comprimi imperantur.

IV. Accedit, quòd ibidem vocat legem naturalem, quæ refertur ad mores, legem peccati, & mortis, qua videlicet vigente, humanæ naturæ imbecillitas gratiæ auxilio destituta peccato implicatur, atque adeò sempiternæ mortis rea efficitur. Alibi [f] legem vocat virtutem peccati, quòd ad peccatum quodammodo impellat. Alio [g] verò loco litteram occidẽtem, quia, vt ait Augustinus [h], cùm lex illa gratiæ adminiculum non suppeditaret, dum mala prohiberet, præciperétque quæ recta sunt, peccati materiam, atque occasionem præbebat, atque adeò etiam mortis, & sempiternæ

Marginal notes (left column): a cap. 5. 13. — b cap. 4. 6. — c 1. Reg. 2. 12. — d cap. 9. 23. — e ad Philip. 3. 8. — f cap. 2. 18. — g 1. Pet. 2. 12. — h cap. 8. 55. — i 2. ad Tim. 2. 19. — k Ioan. 10. 14. — l cap. 25. 12. — m cap. 5. 3.

Marginal notes (right column): a Scot. in 3. d. 23. q. 1. Gabr. ibidẽ. Duran. ibid. q. 6. n. 8. & 2. d. 28 q. 3. — b Caiet. 1. 2. q. 109. art. 8. — c D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 4. & 8. lib. 3. cont. gent. c. 170. Mag. in 2. d. 25 & 28. Gregor. in 2. d. 28. q. 2. Richar. ibid. art. 7. Marsil. in 2. q. 18. art. 2. concl. 4. Henr. quodlib. 5. q. 20. Decan. Louan. art. 7. — d Rom. 7. 24. — e cap. 8. 3. — f 1. Cor. 15. 56. — g 2. Cor. 3. 6. — h lib. de spir. & lit. c. 4.

ternæ damnationis. Denique ad Galatas [a] hæc scribit: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* significans nimirum, nonnisi Christi beneficio, eiúsque gratiæ vi vitari posse peccatum. His addi possunt veteris Testamenti testimonia, quæ indicant, legis obseruationem diuini Spiritus eximium esse beneficium, sic enim loquitur Deus apud Ezechielem [b]: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciã, vt in præceptis meis ambuletis.* Et id genus alia permulta, qualia sunt ea testimonia, quibus frequenter Augustinus aduersus Pelagianos probat, neminem esse absque peccato. Quo maximè argumento vtitur Hieronymus [c], vt Pelagianos refellat. Addunt nonnulli Salomonis [d] verba: *Et cùm scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Quæ

B procul dubio non exiguam vim habent, vox enim ἐγκρατὴς non significat continentem in certo aliquo genere, sed is propriè dicitur ἐγκρατὴς, qui vniuersim ab omnibus vitiis, ac sceleribus sese purum, atque integrum seruat, vt planè indicet Salomon, nõ posse vniuersam legem ita perfectè seruari, vt omnia prorsus peccata vitentur.

V. Huc accedit Ecclesiastica definitio, cuius est auctoritas sacrosancta; plurimi enim Põtifices, & Concilia apertè definierunt, totam legem absque gratia obseruari non posse. Et quidem Concilium [e] Mileuitanum anathema dicit iis, qui affirmant, gratiam non esse necessariam, nisi vt dicebat Pelagius, ad facilius seruanda præcepta. Idem dicitur in Concilio [f]

C Arausicano. Et Mileuitanum Concilium, & Carthaginiense in Epistolis [g] ad Innocentium hoc idẽ confirmant. Eodémque modo ad vtrumque Concilium respondet Innocentius [h]. Denique eadem est definitio Cõcilij [i] Toletani III. & Tridentini [k], vt omittam Epistolas Cælestini [l], qui laudat Innocentiũ, & Zosimum antecessores suos, qui idẽ prorsus censuerant. Accedunt plurimi sancti Patres, qui Pelagianum dogma strenuè oppugnant; præcipuè Augustinus [m] Hieronymus [n], Gregorius [o], Basilius [p], Cyrillus [q], Chrysostomus [r], Prosper [s]. & Hieronymus quidẽ id exemplo confirmat eius, qui aduerso flumine nauigat, qui si tantillum contentionem remittat, ocissimè relabitur. Chrysostomus autem hominem ait similem esse

D naui gubernaculo destitutæ, vt enim illa vi tempestatis huc illuc rapiatur, & fluctibus absorbeatur, ita homo absque gratia à Diabolo rapitur, & in interitum trahitur sempiternum. Denique Cyrillus negat fas esse bene agere, & absque animi perturbatione vitam traducere, dæmonum denique laqueos effugere, nisi nos diuina gratia suo præsidio muniat, atq; cõfirmet.

VI. Nec desunt firmæ rationes, & argumẽta, quę hanc verissimam sententiam stabiliant, vt enim argumentatur B. Thomas, ipsa naturæ deprauatio indicat, eam à sua integritate plurimùm defecisse, multo enim acrius, quàm antea, ac vehementiùs vrgetur à dæmone, cuius imperio propter primæuã illam labem iure quodãmodo subiicitur. Deinde incredibili quodam

E impetu rapitur ab iis, quæ sub sensum cadunt, & voluptatis titillatione, & cupiditatum stimulis partim delinitur, partim etiam vrgetur. Quin etiam torpore quodam mens hominis obtunditur, & à virtutis studio, atque amore mirum in modum reuocatur. Adde incredibilem quandam rerum inscitiam, & multiplicium errorum varietatem, vsum denique, & longam peccandi consuetudinẽ, & improborum hominum exempla, quibus veluti laqueis constringitur, & tamquam aculeis prouocatur ad malum. Quæ sanè omnia vim rationis eneruant, & liberi arbitrij facultatem mirum in modum debilitant, & frangunt. Accedit humanarum rerum conditio, sic enim ferè hominum vita instituta est, vt sæpe multa accidãt, quæ

a cap. 3. 22.
b cap. 36. 27.
c Malach. 1.
d Sapien. 8. 21.
e cap. 3. 4. & 5.
f cap. 22.
g Ep. 90. & 92. apud August.
h Ep. 91. & 93. apud eũdem August.
i Can. 2.
k Sess. 6. can. 2.
l Ep. 1. c. 4. 8. & 9. & ep. 2.
m Ep. 46. 47. 89. 91. 95. 105. 106. 120. 144. 200.
Soto lib. de spir. & lit. lib. 2 de pecc. mer. & rem. cap. 5. lib. de nat. & grat. c. 59. lib. de perf. iust. lib. de grat. & lib. arbit. c. 20. & lib. de gratia Christi c. 8.
n Dialog. 3. con. Pelag.
o Hom. 12. in Ezech. & lib. 2. mor. c. 12.
p Ser. quòd Deus nõ est auctor mal
q lib. 2. in Ioan. c. 41.
r In Ps. 7. & illud Matt. 21. *Soluite & adducite ad me.*
s lib. 1. de voc. gen. & lib. contra Collato.

A In diuersa animum rapiãt, plura occurrant præcepta, alij, atque alij impulsus, necesse sit humanam mentem plerumque fluctuare, & inopem consilij ancipiti cogitatione distrahi, & in multis deficere, ac labi, cùm præsertim ea diuina prouidẽtia destituatur, quæ alioqui integram naturam fouere, ac promouere poterat.

VII. Adde, si placet, quòd propterea Christus Dominus apud Matthæum [a], cùm precãdi legem præscriberet, non solùm docuit vim, & facultatem bene agendi à Deo esse petendam, sed id etiam addidit, vt postularemus, ne pateretur nos in tentationem induci. Alibi [b] verò: *Vigilate* (inquit) *& orate, ne intretis in tentationem.* Inde autem colligunt Concilij Africani [c] Patres nõ posse nos omnia peccata vitare, & vniuersas ten-

B tationes superare. Ita argumentantur Augustinus [d], & Prosper [e]. Eodémque modo explicant verba Dauidis [f]: *In te eripiar à tentatione.* Itemque [g]: *Aduitor meus esto, ne derelinquas me.* Denique illa [h]: *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Eodẽ spectat etiam gratiarum actio, quæ pro victoria Deo debetur. De qua Paulus [i]: *Deo autem gratias, qui dat nobis victoriam per Christum.* Addunt alij perpetrato peccato auerti hominem à Deo, vt ad res creatas conuerti, indeque oriri propensionem quandam ad malum, contra verò nonnullam bene agendi difficultatẽ. Sed hæc qualiscumque propẽsio, seu difficultas si omnis naturam physicè nõ imminuat, potest tamen vtcumque habitus

C malus comparatus cum recta ratione pugnare, atque adeò nõnihil bene agẽdi difficultas augere, vt maior quædam, atque efficacior gratia desiderari videatur.

VIII. Non me tamen fugit, hæc omnia argumẽta à plerisque facile eludi, perinde quasi id vnum probent, quod Pelagiũ negasse autumãt, generale auxilium ad studiosas, ac laudabiles actiones esse necessariũ. Sed quamquam non nego, interdum gratiæ nomen generali auxilio accommodari, vix tamen à Patribus, & Conciliis hac ratione vsurpatur; gratia enim Christi beneficiũ appellatur, itaque ferè Patres, & Concilia loquuntur. Verosimiliùs respondent alij, qui allata testimonia de supranaturalium præceptorũ obseruatione intelligenda putant. Concilium tamẽ Carthaginense [k] apertè Pelagium damnat, quòd legem natu-

D ralem absque adminiculo gratiæ obseruari posse docuisset. Et Augustinus [l] negat præcepta Decalogi naturæ tantùm viribus seruari posse. quod ipsum facilè colligitur ex Cælestino [m], & Tridẽtina [n] Synodo Egregiè hoc apertè probãt rationes allatæ, quæ desumptæ sunt ex pugna, quę inter ipsas hominis facultates existit, quod viri [o] docti egregiè obseruarũt. Sed quoniam non desunt qui aliter & opinentur, & strenuè tueantur, operæpretium erit eorum argumenta paulo diligentiùs expendere.

IX. Multa enim sacrarum litterarum testimonia colligunt, quæ diuinæ legis facilitatem apertissimè indicant. In Deuteronomio [p] quippe de lege vniuersa hęc leguntur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non*

E *supra te est neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus, &c. sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo vt facias illum.* Et Sapiens [q]: *Si volueris* (inquit) *mandata seruare, conseruabunt te.* Paulus autem [r]: *Cùm gentes* (ait) *quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt.* Et hic quidem de lege naturali apertè loquitur, superiora verò testimonia de lege Decalogi citra vllam dubitationem intelligenda sunt.

X. Non me tamen præterit, facilè nonnullos hæc testimonia ad statũ hominis naturæ integræ, vel potiùs felicem illam innocẽtiæ conditionem referre, quam originalis iustitia, aliaque propemodũ innumerabilia

supranatu

a cap. 6. 13.
b Matth. 26. 41.
c Epist. 95. apud August.
d lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4.
e lib. 2. de voc. gen. c. 9. alias 28.
f Ps. 17. 30.
g Ps. 26. 9.
h Ps. 29. 7.
i 1. Cor. 15. 57.
k Ep. 90. inter epp. August.
l lib. 83. qq. q. 13.
m Ep. 1. c. 6.
n sess. 6. cap. 13. & Can. 22.
o Caiet. 1. 2. q. 109.
p cap. 30. 11.
q Eccles. 15. 16.
r ad Rom. 2. 14.

A supranaturalia bona mirificè ornabant. Verùm ego tantùm dico, non posse hoc allatis testimoniis vllo modo aptari, loquuntur enim de hac hominũ conditione, in qua omnes viuimus. Fateor Augustinum, & Tridentinũ Concilium existimasse iis locis indicari liberi arbitrij facultatem, qua diuina præcepta seruanda sunt, non tamen remoueri gratiam, sine cuius ope seruari nõ possunt. Quod quamquam verissimum est, vim tamen argumenti non penitus elidit; locus enim ille Deuteronomij magnam omnino vim habere videtur. Nam & ipse Augustinus[a] explicat quidem locũ de vniuersa lege, ad eos tamẽ pertinere ait, qui iam beneficio gratiæ roborati sunt, atque idcirco prius dixisse Mosen: *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominũ Deum tuum* B *in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Quæ sanè interpretatio mirè videtur cõgruere cũ verbis ipsis, & cũ Pauli[b] sententia. Illa enim cordis circumcisio ad gratiam iustificantem pertinet, Paulus autem totum illum locum ad fidem iustificantẽ refert, *quæ* (inquit) *ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? id est, Christũ à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, verbũ fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

a lib. de per. iust. ferè extremo.

b ad Rom. 10. 6.

XI. Quibus sanè verbis nemo non videt, alludere Paulum ad illum Deuteronomij locum, neque so- C lùm significare, quod nonnulli volunt[c], præsentiam, & facilitatem cognoscendi legem, sed de ipsa legis obseruatione, quæ hominẽ iustificat, differere, confert enim iustitiam, quæ est ex lege, cũ ea, quæ est ex fide. Et de illa quidem explicat verba illa Leuitici[d]: *Qui fecerit iustitiam, quæ ex lege est, viuet in ea.* Verba autem Deuteronomij explicat de iustitia, quæ est ex fide. Quod si de sola legis cognitione, facilitateque intelligendi præcepta Paulus loqueretur, nullum posset inter legem veterem, & nouam constitui discrimẽ, vt enim lex fidei omnibus patet, ita etiam lex illa vetus, quæ vnius dumtaxat populi propria erat, palam vniuerso populo proposita est. Fateamur igitur necesse est, Paulum agere de facilitate obseruandi legem, atque ita interpretari verba Mosis, posito D enim spiritu gratiæ, lex omnis, vt ostendit Augustinus[e], facilis est, & suauis. Iam verò verba illa Ecclesiastici rectè explicantur ab Augustino[f]; id enim vnũ tantummodo significant, quod probat Augustinus ad obseruationem legis liberi arbitrij cõcursum esse necessarium. Locus verò Pauli, vt interpretatur Augustinus[g], quem sequitur D. Thomas[h], gratiam non excludit, sed eam potiùs tamquam necessariam ponit. Sin autem malimus, quod eidem Augustino non displicuit, de naturæ viribus præcisè Paulum agere, eius sententia indefinitè accipienda est, vt opus aliquod legis naturali animi nostri facultate perfici posse ostẽdat, nõ perinde quasi lex vniuersa, omnia- E que eius præcepta collectim sumpta seruari queant.

c Abul. Deu. 30.

d cap. 18. 5.

e de spi. & lit. ca. 29.

f lib. de gra. & lib. arb. c. 15. & 16.

g de spir. & lit. cap. 26. & 27.

h 1. 2. q. 109. ar. ... ad 1. & lect. 3. in 10. Paul.

XII. Atqui aiũt, totius legis naturalis obseruatio intra naturæ fines clauditur, cur ergo nequeat naturæ dũtaxat viribus præstari, cùm præsertim sit maximè naturæ cõsentanea, & rectæ rationi mirum in modum cõgrua? Huc accedit, quòd extra controuersiã videtur singula præcepta singillatim, & per se sũpta posse vi naturalis facultatis seruari, cùm autem singula tãtùm, non collectim vniuersa seruanda sint, nullũ erit præceptũ, quod naturales humanæ naturæ vires excedat, atq; adeo seruari nõ queat. Quocirca veteres omnes Patres absolutè, ac simpliciter docẽt nõ modò legem Dei non esse impossibilem, sed potius facilem & suauem, ita enim scribũt Basilius[i], Chryso- A stomus[a], Hieronymus[b], Augustinus[c], Bernardus[d].

i Hom. in illud, Attende tibi.

XIII. Visum est hoc argumẽtum permultis adeò firmũ, ac validum, vt vltro concesserint, non esse in hominibus facultatem, qua possent vniuersam legẽ obseruare, atque adeò vitare omne peccatum simpliciter, vt aiunt, & confusè, quamuis & singula præcepta obseruare, & singula peccata vitare queant. Quemadmodum ad tolerandã vitam non est hoc, vel illud singulare alimenti genus simpliciter necessariũ, confusè tamẽ absque alimento viuere nemo potest. Ita aiũt posse hominem singillatim vitare hoc, aut illud peccatum, seruare hoc, vel illud præceptum; si tamen omnia confusè spectẽtur, necessariò hominem in aliquo precepto deficere, & peccare, atque hac ra- B tione physicam, & moralem potentiam distinguunt.

a Hom. 2. de laud. Pauli. Hom. 8. de pœnit. Hom. 26. ad Roman. Hom. 14. in 1. ad Cor.

b Epist. ad Damas. & in Dia. cõ. Pel.

c in Psal. 56. & ser. 61. de temp.

d Ser. 50. in Cant.

XIV. Sed vt verum fatear, hæc sententia, licèt fortasse cuipiam ingeniosa, & arguta videatur, probari mihi tamen nulla ratione potest. Nam si admittamus collectionem præceptorum confusè, atque vniuersim spectatã esse supra naturæ vires, planè sequitur, eum nullo pacto peccare, qui sit animo ita comparatus, vt nolit omnia prorsus peccata vitare. Vt enim sexcẽtis locis docuit Augustinus, absurdissimũ est, eum peccati reum teneri, qui nolit, aut non faciat, quod facere nullo modo potest. Itaque quemadmodum nemo cogitur velle simpliciter, atque absolutè omnia venialia peccata vitare, cùm constet, ea vitari planè non posse, ita nemo cogeretur velle vitare omnia mortalia, si vitari omnia nequaquam possent, quod quàm C sit absurdum, & à recta ratione alienum, nemo non videt. Qui verò[e] dicunt, vniuersam legem physicè, ac remotè facultati naturali, non tamen morali consentaneã esse, non planè animum meum explent, nec vt arbitror, vim argumenti infringunt. Libet enim percontari, cùm Augustinus docet, neminẽ peccare in eo quod vitare nõ potest, de vtra facultate loquatur, de physicáne, an de morali? Certè non de physica, liquet enim plerumque physica potẽtia præceptum aliquod seruari, & peccatum vitari posse, cùm tamen ob moralem impotentiam facilè quis ab omni culpa excusetur. Nam qui cũ moderamine inculpatæ tutelæ hominẽ peremit, culpa vacat, quia videlicet potentia morali vitam aliter tueri non poterat, qui fortassè physicè fuga sibi consulere potuisset, at- D que ita seipsũ incolumẽ seruare, & alterius vitæ parcere. Sed quia id moraliter, hoc est, spectatis omnibus, quæ in illa actione spectanda erant, nõ poterat, siue quia fuga turpis illi futura erat & indecora, siue quia cõtra legẽ militarẽ facturus videbatur, siue deniq; aliã ob causam, moraliter dicitur homicidiũ vitare nõ potuisse, atq; idcircò in eo minimè peccasse.

e Caiet. 1. 2. q. 109. ar. 8.

XV. Quapropter, quod ait Augustinus, de morali facultate accipiendum est, ac proptcrea argumentum vim suã adhuc retinet. Si enim vniuersæ legis obseruatio tãquam impossibilis humanæ naturæ vires superat, consequẽs est, eum non peccare, qui in animo suo proponit nolle se totam legem seruare, quã ser- E uare non potest. Itaque dicendum est Deum nullo modo pręcepisse impossibilia, tametsi enim lex naturalis collata cũ morali facultate liberi arbitrij, habet vniuersim, & confusè nonnullã impossibilitatem, si tamen Deus hominẽ in solitaria natura condidisset, sua diuina quadam peculiari prouidentia præsto illi futurus erat, vt vrgẽte cuiuslibet pręcepti necessitate, nisi ipse sibi defuisset, diuinæ prouidẽtiæ pręsidio adiutus præceptum seruare potuisset. Qua quidem prouidentia quoniam nunc propter peccatum originis meritò destituitur, Christi beneficio substituta est gratia, quæ in necessariis nulli penitus deest, qua singula potest peccata vitare, quod insinuant Augustinus[f], & Diuus Thomas[g]. Quoties igitur quis

f lib. de per. iust. nõ procul à fine.

g 1. 2. q. 109. a. 4. & 8. & 1. cont. gen. c. 59. & 2. 2. q. 2. a. 5. ad 3.

præcepto tenetur, adest illi procul dubio gratia sufficiens, vt præcepto obtemperare queat, atque ita si peccat, vitio suo, atque improbitate peccat. Addo quod imbecillitas liberi arbitrij ex originaria labe orta est, & illius quodam modo pœna censetur, vt ipse D. Thomas [a] fatetur. Siqua autem maior imbecillitas ex proprio cuiusque peccato oriatur, ea priuatæ cuiusque culpæ meritò adscribitur, quo fit, vt ad vitandum aliquod peccatum necessaria sit præteritorum scelerum contritio, quod non modo indicat Augustinus [b], sed plurimi Theologi [c] affirmant.

a 1.2.q.1.ar. 3.ad 1.

b lib. de gra. Christi cap. 27. & 29.

c Greg. in 2. d 26.q.2. Adr. quodl. 4. And. Vega q 13. de iust. conclus. 5. Sot. in 4. d. 17. q 1. a. 6.

XVI. Iam verò fateor, nihil esse in scholis Theologorum vulgatius, quàm vitari posse singula peccata, nó tamen omnia, non video tamen quomodo id facilè expediri queat. Nam quod aliqui aiunt, argumentũ illo vitio laborare, quod Sophistæ, seu Dialectici vocant, à sensu diuiso ad coniunctum, vt si quis dicat, potest quis ferre pondus decem librarum, quin etiam viginti, addo etiã triginta, malè omnino colliget, posse illum ferre sexaginta librarum pondus. Arguté profectò dicitur, non tamen animum explet omninò meum, præcepta enim nunquã simul collecta omnia seruanda proponuntur, sed priuatim singula suo quæque tempore. Quin potius si plura præcepta eodẽ tempore seruanda occurrãt, nec possint omnia seruari, minus præceptum maiori cedit, eiusque vis, & obligatio cessat, vt exempli gratia. Præcepto naturali cogitur quis ægrotanti, atq; omni ope destituto ministrare, si incidat in idem tempus Ecclesiasticum præceptum audiendi sacrum, hoc posterius præceptũ priori posthabendum est, quippe cum eo tempore nullam imponat parẽdi necessitatem, atque idcircò qui in ea hypothesi sacrũ non audit, neque præceptum violat, nec omninò peccat. Qua etiam ratione eorum videtur sententia refutari, qui putant in eo argumento mutari quam vocãt suppositionẽ, quòd in antecedẽti ea sit confusa, seu distributiua, in cõsequẽti verò copulata, & cõiuncta.

XVII. Addo, quòd si possint singula per se vitari, cum ex cuiusque victoria reluctãdi vis, & potestas augeatur, rectè quis colligat proportione quadam ita augeri liberi arbitrij facultatem, vt omnia possit peccata superare; fateor quidem in leuioribus, ac venialibus culpis, in quibus hoc etiam frequenter vsurpatur, singula vitari posse, non omnia, satis probabilem rationem afferri. Nam cum venialia peccata multa sint, quæ subitò irrepunt, & perfectam consultationem, deliberationemque præueniunt, non mirum est, si quando mens, & ratio per imprudentiam, aut subitam aliquam perturbationem tantillum à recto tramite deflectant. Lethalia verò crimina, quæ perfectam deliberationem postulant, peccati, aut culpæ rationem obtinere non possunt, nisi eiusmodi sint quæ liberũ arbitriũ vitare queat. Qua ratione Augustinus [d] de Pharaone indurato in hunc modum scribit: *Non ergo hoc illi imputabatur, quòd tunc non obtemperauit, quandoquidẽ obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Quamobrẽ sunt qui dicant hac planè ratione distinguendũ esse, cũ enim dicimus in antecedẽti posse hominẽ singula peccata vitare, si loquamur de facultate morali, id accipiẽdũ esse de singulis generibus, non de singulis generum, atque adeo sensum esse, nullum esse genus præcepti, quod seruari, nullumque peccati genus, quod per se sumptũ vitari non queat. Quo admisso fatendũ esse etiam omnia genera præceptorum quidem seruari, peccatorũ verò vitari posse. Sin autẽ in antecedenti singula generum accipiantur, falsum planè assumi, cum absque adminiculo gratiæ vis, & facultas moralis in aliquo singulari deficiat. Vt enim paulo ante

d In expos. quarund. prop. ep. ad Rom. prop. 62.

A dìximus, ad vitam sustentandam simpliciter est necessarius cibus; & cibus aliquis singularis, nó tamen nullus singularis cibus, qui certo aliquo genere cõtineatur, sit simpliciter necessarius. Quanquam non nego aliquã esse in exemplo allato dissimilitudinẽ, nam si ex aliqua hypothesi cibi omnes certo aliquo numero comprehendantur, res eò deduci poterit, vt singularis aliquis cibus simpliciter videatur necessarius, cum tamen nullum possit omninò singulare præceptum excogitari, quod sit penitus impossibile.

Sed vtcumque sit, negari non potest, hæc magna probabilitate niti, cum enim dicimus singula præcepta per se sumpta esse possibilia, hoc planè significamus, nullum esse præceptum, quod ex genere suo XVIII.
B sit eiusmodi, vt pugnantia inuoluat, si quis asserat, naturali facultate seruari posse, nihil enim prohibet quominus quodlibet genus præcepti legis naturalis certo tempore, certisque conditionibus ita proponatur, vt facilè seruari queat. Atque hoc modo verissimum est singula præceptorũ genera naturæ viribus seruari posse. Eodemque modo concesserim, quod inde infertur, etiam omnia collectim sumpta posse seruari, modo omnia genera, nó tamẽ omnia sub generibus contenta intelligamus. Sed vrgeat fortasse quispiã, si morali dumtaxat facultate nequeunt omnia legis præcepta seruari, quoniam ea moralis facultas spectat, quæ vt plurimum contingunt, nó repugnabit interdum secus accidere, adeoque fieri poterit, vt quispiam omnibus legis præceptis absque ad-
C miniculo gratiæ obtemperet. Itaque nonnulli [g] cõcedunt eũ, qui inuincibiliter ignorat se esse in peccato, posse ad aliquod breue tempus totam legem seruare; sed quoniã loquuntur de lege supranaturali, nó videtur ea sententia huic loco accommodari. Nã quod spectat ad legem naturalẽ, non satis intelligo, quid efficiat illa ignorantia peccati, aut qua ratione ea possit legis difficultatẽ vel imminuere, vel tollere.

g Caiet. 1. 2. q. 109. art. 8. And Veg. q. 13. de iustif. conclus. 5.

XIX. Aio igitur hanc moralem impotentiam nó idcircò moralem appellari, quod aliquando secus possit accidere, sed quòd ea non oriatur ex intrinsecis naturæ principiis, sed ex impedimentis, quæ vt plurimùm extrinsecus vrgent, nisi peculiari Dei prouidẽtia remoueãtur. Quæ quidem magna ex parte in solitaria natura remouenda erant vi illius prouidentiæ
D quæ ei statui debebatur, vt intelligi potest ex iis, quæ Plato [h] & Aristoteles [i] scribunt. Nunc autem in hac imbecillitate naturæ ad gratiam, & Christi beneficiũ pertinet, quidquid aliqui contra disputent. Ita fit, vt respectu huius moralis facultatis magnum sit discrimen inter statum naturæ solitariæ, & hanc naturæ lapsæ imbecillitatem, quia posita diuina lege ei statui debebatur prouidentia quædam, quæ bene agẽdi impedimenta remoueret. Nunc autem gratiæ beneficium planè gratuitum est, ac liberale, quod tamẽ ita semper hominibus adsit, vt cùm peccant, possint nó peccare, ne quod sæpè inculcat Augustinus, peccando non peccent; quo nihil fingi potest absurdius, vt sexcẽtis locis ille probat. Cùm igitur nemini de-
E sit in rebus necessariis diuinæ gratiæ opitulatio, nemo præsertim fidelium naturæ imbecillitatem prætexere potest, quominus Dei præceptis obtemperet. Vt enim scribit Augustinus [k]: *Non adiuuatur nisi qui & ipse aliquid agit, adiuuatur autem, si inuocat, si credit, si secundum propositũ vocatus est.* Et alibi [l]: *Ad hoc enim* (inquit) *valet quod scriptum est: si volueris, conseruabis mandata, vt homo, qui voluerit, & non potuerit, nondũ se planè velle cognoscat, & oret, vt habeat tantam voluntatẽ, quãta sufficit ad implenda mãdata.* Et aliquãto [m] post: *Ideo* (inquit) *iubet aliqua quæ non possumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus, ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Quamobrem rectè collegit

h In Phædr. i Eth. c. 8. & 9.

k De perf. iust. c. 2.

l De grat. & lib. arb. c. 15

m Cap. 16

A colligit Ioannes, obseruationem mandatorum indicare perfectam charitatem, qua Deo coniungimur.

XX. Quamquam autem hæc ita à nobis disputata sunt, haud tamen abnuerim, actionem aliquam studiosam, ac laudabilem exerceri, atque adeò præcepta aliqua moralia naturæ dumtaxat viribus saltē ad breue tempus aliquando posse seruari, si præsertim graues tentationes non vrgeant. Dixi tamen ad breue tempus, nam si communem humanæ vitæ statum, conditionemque spectemus, multa frequenter accidunt, quibus humana mens mirum in modum agitatur, & concutitur, vt diutius reluctari, & in officio persistere absque præsidio gratiæ nemo queat, graues enim, molestas, atque importunas tentationes sine ope gratiæ nemo potest cum laude superare.

B Nam qui huiusmodi tentationes peccando vincunt, & prauam aliquam cupiditatem alia peruersa cupiditate quasi clauum clauo trudunt, non tentationem superāt, sed impuræ cupiditati succumbunt, vt enim scribit B. Gregorius [a]: *Cū à pluribus hostibus obsideamur, cum vnum, aut alterum effugiamus, victi tamē ab aliquo tenemur.* Quam ob causam Augustinus rectè alicubi [b] scripsit, carnalem cupiditatem alia cupiditate non sanari. Addo tamen leuissimam quidem tentationem absque adminiculo gratiæ vinci posse, eo modo, quo scribit Paulus [c], vt ex tentatione fructus, atque vtilitas respectu finis supernaturalis percipiatur, quæ propriè, vt scribit Augustinus [d], vitiorum, ac tentationum victoria nuncupatur.

a Hom. 12. in Luca.
b lib. 3. cont. 2. epp. Pelag. c. 4.
c 1. ad Cor. 10. 13.
d lib. 21. de Ciuit. c. 16.

C

XXI. Quòd si nonnumquam accidat, vt neque vitio quis succumbat, neque finis supernaturalis respectu meritum vllum comparet, non grauatè admiserim, circumscripta gratia naturæ solius viribus tentationem, vtcumque grauem vinci, ac superari posse. Qui enim facultatem habet aliquid honestè agendi, is profectò vim habeat necesse est repellendi contrarium, cùm præsertim accidere non rarò possit, vt contraria tentatio obiecta re quapiam indifferenti, quam natura maximè appetat, non difficulter superetur. Vt si quis valdè propensus ad ludum, obiecta ludendi occasione, actionē aliquam intemperantiæ omittat, quæ cum ludo non consistat. Idque nisi ego fallor, ex sacris litteris non improbabiliter firmari potest.

D In libro enim Geneseos [e] scriptum est: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et Iacobus [f] vnumquemque ait à concupiscentia sua tentari abstractum, & illectum. Neque ab hac sententia abhorret D. Thomas [g], qui ait, humanam mentem, ac rationem ab animi perturbatione, & cupiditate necessitatem nequaquam pati, nisi penitùs rationis iudicium absorbeatur. Igitur quamuis sensus diutius quàm ratio in homine vigeat, & quæ sub sensum cadūt, acrius afficiant animum, & à dæmone in maius etiam augeantur, semper tamen potest sensus à rationis imperio superari, cùmque id naturæ fines non egrediatur, si magnam aliquam, & extraordinariam difficultatem excipias, opem gratiæ non necessariò postulat.

E Itaque Hieronymus [h] negat quemquā vitiis necessario subiacere. Et Augustinus [i] explicans verba Hieronymi: *In rectè* (inquit) *faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Ad vincendam autem ingentem aliquam difficultatem, & ad frugiferam, atque vtilem victoriam gratiæ subsidium necessariò requiritur.

e cap. 4. 7.
f cap. 1. 14.
g 1. 2. q. 50. art. 3.
h lib. 2. con. Iouin.
i lib. de nat. & grat. c. 65.

XXII. Non ignoro aduersùs hanc sententiam viros doctissimos acriter pugnare allatis non paucis Scripturæ testimoniis. Salomon [k] enim ait, neminē esse posse continentem, nisi Deus det. Et Paulus [l] affirmat, Deum esse, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus. Victoriam verò tentationum diuinum beneficium esse non semel affirmat Dauid [m]: *In te* (in-

k Sap. 8. 21.
l 1. Cor. 10.
m Ps. 17. 30.

A quit) *eripiar à tentatione.* Alibi [a]: *Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* Postremò Christus Dominus precibus à Deo contendendum esse monet [b], ne nos inducat in tentationem. Verùm cùm hæc omnia indefinitè pronuncientur, omnino verissimè dicta censenda sunt, si quæ modo sint tentationes, quæ nonnisi Christi beneficio, & gratiæ adminiculo vincantur. Quod nos non solùm non negamus, sed etiam maximè contendimus; sunt enim pleræque tentationes adeo graues, molestæ, atque importunæ, quæque aliquo certo tempore, certisque conditionibus ita hominem vexent, & vndique obsideant, vt quamquam numquam adimant liberi arbitrij facultatem, nequeant tamen absque peculiari

a Ps. 117. 13.
b Mat. 6. & 26.

B auxilio gratiæ superari, si præsertim agamus, vt sæpè iam dixi, de vtili, frugiferaque victoria, quæ ad beatam vitam capessendam valeat.

XXIII. At videtur hæc nostra sententia cum definitione Conciliorum apertè pugnare. Synodus [c] enim Palæstina à Pelagio hanc exigit confessionem: *Fateatur* (inquit) *quando contra tentationes, concupiscentiásque illicitas dimicamus, quamuis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram prouenire victoriam.* Et Synodus Carthaginensis [d], & Mileuitana [e] ad Innocentium scribentes Pelagianos reprehendunt, quòd verba illa Christi: *Ne nos inducas in tentationem.* non ita intelligenda docerent, *tamquam diuinum auxilium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, atque ad*

c apud Aug. ep. 106.
d Ep. 90. apud August.
e Ep. 91. apud eundē.

C *hoc perficiendum solam sufficere hominis voluntatem.* Innocentius [f] verò ad Concilium Carthaginense in hæc verba rescribit: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequidquam terrena labis, & mundani corporis vincere conamur errores, cùm pares ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et aliquanto post: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur; nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adiuuante vincamur.* Et ad Concilium Mileuitanum: *Gratia priuatus* (ait) *necesse est in diaboli laqueis irretitus occumbat.* Et Zosimus [h] Papa Innocentij successor: *Quod* (inquit) *tempus interuenit,*

f Epist. 91. apud August.
g Ep. 93. apud August.
h in Ep. Celest. ad Gallos c. 9.

D *quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus est. Superbum est enim, vt quidquam sibi humana natura præsumat clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed contra principes, & potestates.* Ipse verò Cælestinus [i]: *Nemo* (inquit) *etiam baptismatis gratia renouatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.* Accedit Concilij [k] Arausicani definitio: *Diuini* (ait) *muneris est, cùm rectè cogitamus, & pedes nostros ab iniustitia tenemus.* Et rursus [l]: *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur.* Quis ergo audeat dicere, absque gratiæ munere tentationem aliquam posse superari, quod nihil est

i Epist. ad Gall. c. 6.
k cap. 9.
l cap. 14.

E aliud quàm pedes ab iniustitia cohibere, & à magna miseria liberari?

XXIV. Verùm fateor hæc omnia argumenta cum errore Pelagij ex aduerso pugnare. cùm enim ille indefinitè negaret, ad vincendas tentationes necessarium esse auxilium gratiæ, perinde erat, ac si diceret, nullam prorsus tentationem diuinæ gratiæ beneficio indigere, sed vniuersim omnes naturæ viribus posse superari. Hoc autem Concilia, & Pontifices meritò damnant, quorum sententia cùm indefinita sit, & affirmans, vim obtinet sententiæ singularis, significátque nonnullas esse tentationes, quæ non nisi præsidio gratiæ vincantur, atque ita idoneè error Pelagij confutatur, cum appareat neminē posse omnes omnino

b 2 tenta

tentationes etiam singillatim sumptas vincere sine gratia, atque adeo neminem simpliciter, & absolutè vitam agere posse absque peccato, quod Pelagius asserebat. Nam ad omnia peccata vitanda necesse est omnes penitus tentationes superare, quod sine ope gratiæ perfici non potest. Vt igitur hunc Pelagij errorem Concilia, & Pontifices damnent, negant tentationes omnes absque gratia superari posse. Et sanè Synodus Palæstina, vt ex ipsius verbis apertè cõstat, non solùm indefinitè, sed etiam restrictè loquitur: *Quando enim* (inquit) *contra tentationes, concupiscentiásque illicitas dimicamus.* Quæ verba cùm apertè indicent pugnam, luctam, & certamen, non obscurè insinuant acres, & molestas tentationes, cùm in leuioribus, & facilioribus vix vlla pugna reperiatur. Si qua igitur pugna absque gratiæ præsidio vinci non potest, planè sequitur contra Pelagium, nõ posse quemquam absque ope gratiæ viuere sine peccato. Eodemque modo respondendum est ad Synodum Mileuitanam, quæ clariùs Pelagij errorem damnare videtur, qui ad vincendum peccatum simpliciter negaret, nos diuinæ gratiæ adminiculo indigere.

XXV. Difficiliora videntur Innocentij verba, quæ ad vtrumque Conciliũ scribit, cùm præsertim inter cætera dicat, *quotidiana remedia a Deo petenda esse.* non ambigam tamẽ eodem modo eius sententiam interpretari, quotidie enim, vt hominũ est natura, & conditio, grauissimæ tentationes & pericula immoẽt, ad quæ aut remouenda, aut superanda quotidiana diuinæ gratiæ præsidia imploráda sunt, ne vt sunt humana, si diuinæ gratiæ patrocinium desit, diaboli laqueis inuoluamur. De Cælestino maior videtur esse dubitandi ratio, quod absolutè neget, quemquá sibi posse victoriam vindicare, eò quòd aduersus dæmones sit nobis dimicandum. Sed primùm fateor, nemině sibi posse quidquam boni arrogare, ac ne vllam quidem dæmonis victoriam, quæ gratiam, aut gloriam consequatur. Addo ne illum quidem, qui viribus liberi arbitrij aliquam vel leuissimam tentationem superat, posse suis viribus eam victoriam adscribere. Neque enim certù scire potest, vtrùm id ad singulare Dei munus, ac beneficium spectet, cum ita plerùmque accidere possit, adeóque humanę vitæ euentus incerti sint, vt certò statuere nemo queat, quid propriis viribus, quidve diuina ope perficiat. Neque aliter interpretor verba Zosimi, cum enim tanta sit, vt diximus, humanæ vitæ imbecillitas, quantá quotidie vel inuiti experimur, nullus potest tẽporis articulus excogitari, in quo diuino auxilio nõ egeamus, diuinæque gratiæ subsidia imploranda non sint. Quod verò Arausicani Concilij Patres dicunt, *diuini esse muneris, cùm ab iniustitia pedes tenemus,* non quouis modo accipio sed cùm vtiliter, & cum merito id facimus, cumque pias cogitationes suscipimus, quæ valeant ad vitam æternam, vt iidem Patres [a] insinuãt. Cùm verò aiunt [b], *nullum miserum de quantacumque miseria liberari, nisi qui Dei misericordia preuenitur* nihil aduersus nostram sententiam definiunt. Apertè siquidem de peccatore loquuntur, qui peccati miseria constringitur, eumque verè asserunt absque Dei præcurrẽte gratia non liberari, quod nos etiam vltrò concedimus.

[a] Can. 7. & 21.
[b] Can. 14.

XXVI. At bene longum sanctorum Patrum agmen nobis obuiam eunt, qui alia omnia apertè docere videntur. Basilius [c] enim: *Oportet* (inquit) *ad semper ab insidiatoribus discedere, vbi tamen permissus est quis in tentationẽ incidere, eventum vt ferre possit, voluntatem Dei per orationem petere.* Chrysostomus [d] ita planè scribit: *Sunt tentationes quas sufferre non possumus, & quanã sunt illæ? omnes vt ita dicam; possibilitas enim in diuino nutu est, quã nostra allicimus voluntate. Quare vt certò cognoscas, nõ solùm illas, quæ virtutem nostram exuperant, non posse sine diuino auxilio facilè sustinere, sed ne has quidem humanas addidit. Sed faciet cum tentatione prouentũ, vt possitis sustinere. Et quidnam hoc significat? neque enim mediocres illas, quod dixi, inquit, propria virtute sufferemus, sed hic quoque diuino indigemus auxilio, vt eas vel effugiamus, vel certè perferamus.* His addi possunt, quæ scribit Auctor [a] imperfecti in Matthæum: *Sicut nauis* (inquit) *fracto gubernaculo illuc ducitur, quò tempestas voluerit, sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum agit, quod non vult, sed quod diabolus vult.* Inter Latinos sanctus Cyprianus [b]: *Quando* (ait) *rogamus, ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè, atque arroganter aliquid assumat.* Et paulo post: *Vt dum præcedit humilis & summissa confessio, & datur totum Domino, quicquid suppliciter cum timore, & honore Dei petitur, ipsius pietate præstatur.*

c In lib. moral. constit. constit. 4. cap. 3.
d Hom. 24. in 1. ad Corint.
a Hom. 37.
b De orat. Dom.

XXVII. Ambrosius [c] explicans verba illa Dauidis: *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te. Quis est* (inquit) *tam fortis, vt nequaquam in tentatione moueatur, nisi Dominus ei adiutor assistat?* Hieronymus [d] verò cum attulisset verba Christi: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem,* continuò subdit: *Debuisset dicere iuxta vos, surgite, & resistite, liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate nullius alterius indigetis auxilio.* Et rursus [e]: *Nostra victoria & corona victoria illius protectione, & clypeo paratur.* Augustinus [f] porrò profert sententiam Pelagij asserentis voluntatem aliquantum valere ad non peccandum. Et alibi [g] planiùs de Pelagij sententia ita scribit: *In libro quippe ad Virginem sacram, quod vt supra commemoraui, cum dicit, diuinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio resistamus. Significat profectò quid sapiat. vt quid enim hoc verbum interposuit, id est faciliùs? An verò non erat integer sensus; vt nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens vtique credi, tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam sine auxilio Spiritus sancti, & si minus facilè, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur.* Alibi [h]: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem; negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium remouendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.* Rursus [i]: *Gratiæ tuæ* (inquit) *deputo omnia, quæ non feci mala.* Itaque videtur Augustinus sententiam nostram tamquam Pelagianũ dogma damnare.

c In Ps. 43.
d lib. 3. aduer. Pelag.
e lib. 3. sub initio.
f Epist. 106. post med.
g li. de grat. Christi. c. 27.
h De perf. iust. ferè extremo.
i lib. 2. confess. c. 7. Idem repet. lib. 50. hom. hom. 23.

XXVIII. Cum Augustino sentiunt, & loquuntur ferè posteriores omnes. Prosper [k] enim: *Quisquis igitur* (inquit) *in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adiuuari, ad quem quotidie corda vniuersorũ fidelium clamant. Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Deinde ostendit contra Cassianum valdè esse absurdum, si quis asserat, leuiores tentationes posse absque gratia superari: Paulus [l] verò Orosius contra Pelagianum vniuersim docet, Dei gratiam singillatim dari *quotidie per tempora, per dies, per momẽta, per atomos.* Et B. Gregorius [m]: *Aptè* (inquit) *reduci in puluerem dicitur, quia dimissus sibi cuiuslibet tentationis aura rapitur.* Alio verò [n] loco explicans illud: *Ne derelinquas me Domine Deus meus: Illos siquidem* (ait) *procul dubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit: necessariò enim sequitur, vt omni tentationi sit subditus, quicumque à Deo fuerit derelictus.* Denique hoc videtur ostendere Ecclesiæ consuetudo, quæ quotidiè sæpius repetit: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* Itemque in prima hora matutina: *Tua nos* (inquit) *salua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum.*

k li. aduers. Collat. c. 35.
l lib. de lib. arbit.
m lib. 9. moral. c. 37.
n In Psal. 3. pœnit.

XXIX. Sed aut ego fallor, aut hæc Patrũ testimonia non habent maiorem vim, quàm Concilia paulo ante allata. quamobrem vniuersim eodem modo, quo illa refelluntur. Quod verò attinet ad singula testimonia:

De

De Basilio non videtur magnopere laborandum, verba enim allata inscriptionem, ac titulum illius capitis conueniunt, deque grauissima tentatione agunt, qua quis ad supplicia pro fidei confessione, aut iustitiæ defensione rapitur, in qua maximum requiri diuinæ gratiæ subsidium, nemo nisi amens, aut impius negauerit. Chrysostomi verò verba nostram penè sententiam explicant: non enim temerè, & absque causa addidit, *vt ita dicam*; significans nimirum, non se absolutè, & vniuersim de qualibet tentatione loqui, sed vt plurimùm & de grauissimis, ac molestissimis tentationibus agere. De Auctore autem operis imperfecti dixi supra, nihil enim aliud significat, quàm eum, qui gratia destituitur, innumerabilibus periculis, & tẽtationibus obnoxium degere, nec posse absque Dei peculiari auxilio è laqueis euadere, quod nos vltrò concedimus. Porro Cyprianus eodẽ prorsus modo explicandus est, vt non ita pridem explicuimus Cælestinum; neminem videlicet posse sibi quidquam arroganter tribuere, quasi possit qualibet quamuis magna difficultate superata, vel peccatum vitare, & tẽtationem vincere, vel vitam honestè laudabilitérque traducere. Quod vel ex eo maximè intelligitur, quia affert exemplum martyrij, quod est opus maximum, ac difficile in primis, vt facilè ex alio eiusdem Cypriani [a] loco colligitur. a Epist. 9.

XXX. Ambrosij sanè verba eamdem explanationem admittunt, quam Auctor operis imperfecti. Quisquis enim diuinæ gratiæ patrocinio caret, omni ex parte periculis patet, atque adeo confugiendum est illi ad diuinam opem implorandam. Nec dubito eodem modo accipienda esse verba Hieronymi, nisi quòd fortasse ille, vt mox mox de Orosio dicam, non de gratia, hoc est, Christi beneficio, sed de generali auxilio aduersus Pelagium disputat, qui tantùm libero arbitrio tribuebat, vt nullo prorsus extrinseco auxilio eius vires indigere arbitraretur. Verba porrò Augustini, quibus Pelagij sententiam explicat, eo modo accipienda sunt, quo suum dogma Pelagius defendebat, cùm diceret, humanam voluntatem ad vitanda peccata in omni vita vim aliquam habere, id tamen facilius gratiæ beneficio obtineri. Hoc igitur tamquam falsum, atque hæreticum dogma iure Augustinus reprehendit, ac damnat. Cùm verò alibi Deo se debere dicit omnia peccata, quæ non perpetrauit, id significat, quod vltrò concessum, quoties alicui tẽtationi strenuè reluctamur, & vincimus, singulare aliquod esse Dei beneficium, quod tamen non necessariò ad Christi gratiam pertineat, sed ad communem quandam prouidentiam, quam in rebus humanis admittere necesse est.

XXXI. Prosper verò non de qualibet tentatione, sed de grauissima, & molestissima loquitur, quam vocat tribulationem, qualem ait fuisse tentationem Iobi. Cùm verò ait, non posse absque errore concedi, leuiores tentationes sine gratia vinci non absolutè, sed cum quadam comparatione loquitur, illius tentationis respectu, quam expertus est Iob: ea enim multæ esse possunt longè leuiores tentationes, quæ tamen simpliciter graues sint, & molestæ, nec sine gratiæ adminiculo superari queant. Iam verò Paulus Orosius nec loquitur propriè de tentatione, nec de auxilio gratiæ Christi, sed de concursu generali Dei, quod nomine gratiæ describit; vtitúrque Matthæi [b] testimonio, quo Christus ait Patrem cælestem solem suum oriri facere super bonos, & malos, & pluere super iustos, & iniustos. Addit præterea verba Pauli [c]: *Qui arat, in spe arat*: quæ proculdubio de generali concursu accipienda sunt. Ita autem loquitur Orosius, quia, vt ipse eodem loco narrat, ex disputatione Pelagij apertè deprehenderat, hoc diuinum auxilium ab eo denegari: quod etiam insinuat Hieronymus, cum quo tunc erat Orosius, cùm librum illum scriberet. Quocirca vterque eodem modo loquitur, & ad calamum aptandum Dei auxilium necessarium esse docet. Paulo autem post idem Orosius disputationem de Christi gratia aggreditur, indicátque se de alio quodam auxilio disputare, quàm antea disseruerat. De Gregorio postremò idem dixerim, quod de Ambrosio, & de Auctore operis imperfecti; indicat enim, hominem gratiæ præsidio destitutum vndique periculis circumseptum in apertissimum salutis discrimen adduci. Quod verò spectat ad preces Ecclesiasticas, fateor illas & piè, & prudenter adhiberi ob periculorum, & tentationum multitudinem, humanæque naturæ imbecillitatem; quibus positis nemo sibi facilè polliceri potest, suis se viribus cuncta posse pericula euadere, aut impedimenta remouere, aut denique tentationes superare. Quod enim ait Augustinus [a], *prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere, quod oramus. Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si vnde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.* Et aliquanto post: *Absit vt quod facere Deum rogamus vocibus, & oribus nostris, eum facere negemus cordibus nostris.* Aptè contra Pelagium pronunciatur, qui tantum humanis viribus tribuebat, vt omne prorsus diuinum auxilium excluderet.

b cap. 5.

c 1. Cor. 9.

a Epist. 107.

Postremò hunc fermè in modum aduersus hanc nostram sententiam viri docti disputant. Si enim, inquiunt, tentatio grauis sit, & molesta, certum videtur ad eam superandam gratiæ adminiculum necessariò postulari. Quòd verò quis leuiori tentatione pulsetur, id ipsum diuinum esse beneficium docuit Paulus [b], cùm dixit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere.* Apertissimè enim significat, diuinum esse beneficium, cùm vires humanas tentatio non excedit. Neque verò inficiandum est, orandum esse Deum, ne patiatur, nos vlli tentationi succumbere, eique pro victoria gratias esse agendas, vt vel hinc appareat in singulis diuinæ gratiæ præsidium esse necessarium. Nam si quam potest homo suis viribus tentationem superare, certè eo nomine in se ipso, non in Domino posset gloriari. Quod apertissimè cum Pauli Apostoli [c] sententia pugnat, qui non semel ait: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* XXXII.

b 1. Cor. 10. 13.

c 1. Cor. 1. 31.

Sed enim verò leuis tentatio oriri plerumque potest aut ex rerum naturalium cursu, aut ex hominis constitutione, aut à re quapiam extrinsecus obiecta, aut denique aliis ex multis causis, vt minimè necesse sit, oriri semper ex gratia Christi, aut Spiritus sancti subministratione. Erit tamen semper singulare Dei beneficium ex peculiari quadam prouidentia, diuinoque patrocinio ortum intra ordinem tamen naturalem, & citra vllum supernaturale beneficium Christi. Fateor hac in re lapsum esse Cassianum, vt ex Prospero [d] intelligi potest, qui beneficium naturalis protectionis solummodo agnosceret, deque eo verba Pauli interpretaretur; alterum verò, quod oritur ex gratia Christi non admitteret. Nos verò vtrumque necessarium esse censemus; & naturale quidem patrocinium in leuioribus, & communibus tentationibus, gratiæ verò beneficium in grauioribus requirimus. Itaque prudenter, ac verè Dei auxilium flagitamus, siue illud oriatur à naturali prouidentia, siue à gratia supranaturali, & inspectis periculis, & incertitudine humanorum euentuum in XXXIII.

d li. aduers. Collat. c. 35.

rebus omnibus laudabiliter preces adhibentur. Eamdemque ob causam ob felicem rerum exitum Deo gratias agimus. Iam verò cùm Paulus Apostolus prohibet, ne quis in se ipso glorietur, non qualemcumque gloriam damnat, sed eam dumtaxat, quam quis ex iis actionibus inaniter captat, quæ ad iustitiam, & immortalem vitam referuntur. Præterquam quòd si quis contendat nulla prorsus in re cuiquam mortalium gloriandum esse, id hactenus intelligendum est, quod nihil sine diuino concursu, eiusque naturali saltem beneficio efficere possumus; atque ita semper in omni laudabili actione Deus immortalis primas, ac potiores sibi partes vendicat.

XXXIV. Quod si de actionibus supranaturalibus, deque supranaturalibus præceptis agendum sit, extra controuersiam est, humanæ naturæ vires non posse actione supranaturali, vt supranaturalis est, in finem supranaturalem tendere absque adminiculo gratiæ. Hoc enim est, quod maximè contra Pelagium, & Pelagianorum reliquias Concilia, & prisci olim Patres docuerunt. Cùm itaque hoc loco ait Apostolus: *Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* de ea, vt diximus, scientia, ac notione loquitur, quæ est cum caritate coniuncta. Multa enim præcepta legis Euangelicæ non modò postulant supranaturalis gratiæ adminiculum, sed etiam caritatem, & gratiam inhærentem, sine qua ritè obseruari non queunt. Mentitur itaque quicumque se cum Deo caritatis nexu adstrictum esse gloriatur, si diuina præcepta negligit, aut contemnit: *Et in hoc* (inquit) *veritas non est.* Quod enim ait Paulus [a], plurimos Philosophorum cognouisse quidem Deum, nec tamen laude, & gloria prosequutos, nec pro acceptis beneficiis gratias egisse, de cognitione quadam à caritate seiuncta accipio, quæ nulla ratione referebatur ad praxim. Quod ipsum de iis affirmari potest, qui fide solitaria gloriantur. Alioqui idem Apostolus [b]: *Si quis* (inquit) *se existimat scire, nondum cognouit, quomodo oporteat eum scire.* Rectè enim scripsit alicubi Bernardus [c]: *Quid prodest scire, quid te oporteat facere, si non detur & velle facere? Quid si velis quidem, sed minimè possis? Quantos expertus sum agnita veritate tristiores, & ideo magis, quod iam confugere ad ignorantiæ excusationem non liceret, scientes, & non facientes, quod veritas hortaretur? Quæ cum ita se habeant, neutrum sine altero sufficit, parum dixi, non expedit quoque. Unde id scimus? scienti* (inquit) [d] *bonum, & non facienti peccatum est illi. Item* [e]: *seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna vapulabit multis.*

a Ad Rom. 1.
b 1. ad Cor. 8. 2.
c Ser. 74. Cant.
d Iacob. 4. 17.
e Luc. 12. 47.

XXXV. Rursus alibi [f] explicans verba Pauli. *Vides* (inquit) *quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nesciens. Vides* (inquam) *quomodo fructum, & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? quid nisi vt scias, quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat. Quo ordine? vt id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? vt id ardentius, quod vehementius est ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, vel proximi.* Qui solam igitur rerum diuinarum scientiam iactant, hactenus mentiuntur, quòd sciendi modum, & scientiæ fructum, atque vtilitatem ignorant, ac propterea addit Ioannes: *Et in hoc veritas non est.* Illa videlicet, quæ ad praxim referatur, nisi quis dicat, quod existimauit non nemo, veritatem hoc loco significare Christum, qui se apud Ioannem [g] veritatem vocat. hæc autem veritas in eo non est, qui caritate destituitur. Quamquam vt verum fatear, nimis hoc videtur argutum, propriùsque vero crediderim fuisse hæc verba ab Apostolo addita ad maiorem emphasim, vt id explicaret quod dixerat, mendax est. Is enim verè mendax est, qui veritatem non fatetur.

f Ser. 36. Cant.
g cap. 14. 6.

5. *Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est; in hoc scimus, quoniam in ipso sumus.*

I. Superiorem sententiam à contrariis magis explicat, dixerat enim eum, qui præcepta Dei negligat, mentiri, si Dei sibi cognitionem arroget. Ait nunc perfecta illum caritate præditum esse, qui Dei verbum seruat, vt appareat in superiori sententia, non de simplici scientia eum loquutum esse, sed de ea, quæ caritatem habet annexam. Cæterùm quod ait *verbum eius*, Græcè λόγον, idem, opinor, significat, quod proximè dixerat mandata, nisi quod, vt ait Augustinus, præcipuè videtur hoc loco respexisse dilectionis præceptum, quod Christus in Euangelio suum præceptum, & mandatum nouum appellarat [a]: *Hoc est* (inquit) *præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Et quidem rectè, vt enim ait Apostolus [b], omnia legis præcepta in hoc verbo instaurantur: *Diliges proximum sicut te ipsum.* Et: *Plenitudo legis est dilectio.* Hoc igitur præceptum verbum Dei appellat: *Qui vere* (inquit Didymus) *ex tota anima, & ex toto corde diligit Deum, eius imperij verba custodit, & ex ipsis cognoscitur, dilectionem Dei habere.* Ita docet, miram esse connexionem inter caritatem, & legis obseruationem, quod etiam apud Ioannem [c] dixerat Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum.* Et rursus [d]: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est, qui me diligit.* Quocirca Gregorius: *Probatio* (ait) *dilectionis, exhibitio est operis.* Caritas autem verbum Dei appellatur, quia ab [e] Apostolo præcepti finis nuncupatur: *Finis* (inquit) *præcepti est caritas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Ac proinde rectè ait [f] Leo Pontifex, sine caritate inanes esse cæteras virtutes: *Quamuis enim* (ait) *magnum sit habere rectam fidem, sanamque doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nuda sunt tamen omnes sine caritate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.*

a Ioan. 13. 12.
b Io. 13. 34.
c cap. 14. 15.
d ver. 21.
e 1. ad Tim. 1. 5.
f Ser. 10. de Quadrag.

II. *Verè* (inquit) *in hoc caritas Dei perfecta est.* Perfecta enim caritas Deum potissimùm spectat, & proximos tamquam aliquid Dei, ne inimicis quidem exclusis. De qua ita loquitur Leo Pontifex [g]: *Ipsam* (inquit) *matrem virtutum omnium in secretis suæ mentis inquirat, & si in ea dilectionem Dei, & proximi toto corde inuenit repererit, ita vt etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi, quisquis huiusmodi est, Deum & rectorem, & habitatorem esse sui non dubitet.* Sed mirum videri potest, quòd Ioannes perfectam caritatem in diuinorum præceptorum obseruatione collocet; cum tamen Christus [h], qui legi obtemperantibus vitam pollicitus erat his verbis: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* ab iis, qui perfectionem appetunt, aliud quiddam exigat, dum ait: *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me, & habebis thesauros in cælo.* Ex quo loco meritò Theologi colligunt perfectionis consilium, quod nemini mortalium parendi necessitatem imponit. Sed egregiè D. Thomas Euangelica consilia vtilia quidem esse affirmat, atque ad assequendam perfectionem valdè accommodata, quippe quæ omnia contraria impedimenta remoueant, non ita tamen simplici

g Ser. 8. de epiph. c. 3.
h Matt. 19. 17.

simpliciter, atque absolutè videri necessaria, vt absque illis nemo possit perfectionem attingere, quam in integra, omnibusque suis numeris absoluta legis obseruatione, ac præcipuè in caritate positam esse affirmat, quæ ab [a] Apostolo vinculum perfectionis appellatur, siue quia quasi perfectissimum vinculum nos cum Deo astringit, de quo explicat Bernardus [b] verba illa [c] Isaiæ: *Glutino bonum est.* Siue quia omnia complectitur, & constringit, quæ sunt ad perfectionem necessaria; de illa namque dixit Apostolus [d]: *Caritas patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam,* & quæ sequuntur.

a Colos. 3. 14.
b Ser. 79. Cant.
c cap. 41.
d 1. Cor. 13. 4.

III. Augustinus [e] verò: *Sicut radix* (inquit) *omnium malorum est cupiditas, ita & radix omnium bonorum est caritas. Totam magnitudinem, & latitudinem diuinorum eloquiorum possidet caritas, qua Deum, proximumque diligimus.* Et aliquanto post: *Quapropter, fratres, sectamini caritatem dulce, & salubre vinculum mentis, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noe per diluuium secura, in Abraha peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima, in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat. In Machabæis sæuos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum.* Hæc porro caritas, si in sua amplitudine, ac veluti pomœno spectetur, trifariam tribui potest. Est enim quædam caritas increata vnius Dei propria, qui se omni penitus ex parte comprehendit, diuinam sui cognitionem persimili amore, & caritate exæquat, seque adeo ita diligit, vt eius amor, & caritas nullam admittat accessionem. Vt verò res creatas spectat, *diligit omnia* (vt ait Salomon) *quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit.* Atque hæc quidem perfectio omnibus est numeris absoluta, cui nihil deest, nihil addi, aut detrahi potest. Altera est beatorum, qui Deum, ac proximos perfectè diligunt absque difficultate, absque impedimento nec vnquam ab amore cessant, idque magna cum facilitate, gaudio, & oblectatione. Postrema est huius vitæ perfectio, quæ tamen multos næuos admittit, hactenus tamen perfecta caritas appellatur, quòd lethale crimen penitus excludat.

e Ser. 39. de temp.

IV. Ac de duplici quidem perfectione creata hunc in modum loquitur Ambrosius [f]: *Duplex est forma perfectionis, alia medios, alia plenos numeros habens, alia hic, alia ibi, alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram.* Eodémque modo Augustinus [g]: *Iustitia* (inquit) *secundum quam iustus ex fide viuit, quoniam per Spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est. Quæ licet non immeritò in aliquibus iustis pro huius vitæ capacitate perfecta dicatur, parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum.* Neque aliter Hieronymus [h], qui aduersus Pelagianos sic planè disserit: *Ex quo perspicuum est duas in Scripturis sanctis esse perfectiones, duasque iustitias, & duos timores. Primam perfectionem, & incomparabilem veritatem, perfectamque iustitiam Dei virtutibus coaptandam. Secundam autem, quæ competit nostræ fragilitati iuxta illud, quod in Psalmo [i] dicitur. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Vtraque autem perfectio interprete Anselmo indicatur à Paulo [k], qui de se ipso sic planè loquitur: *Non quod iam acceperim, aut perfectus sim;* mox verò de cunctis fidelibus subijcit: *Quicumque ergo perfecti*

f lib 3. de off. c. 3.
g lib 3. con. 2. epp. Pelag. c. 7.
h Aduer. Pelag.
i Psal. 142. 2.
k Ad Philip. 3. 12.

A *sumus, hoc sapiamus.* Hæc autem perfectio, quam in hac mortalitate assequi potest humana imbecillitas, quibusdam quasi gradibus distinguitur pro hominum conditione, & statu. Sic enim scribit Augustinus [a].

a lib. 83. qq. q. 65.

V. *Ex quo* (inquit) *comprehendimus, quatuor esse differentias etiam in vno homine, quibus gradatim peractis in vita æterna manebitur; quia enim oportebat, atque id iustum erat, vt postea quam natura nostra peccauit, amissa beatitudine spiritali, quæ paradisi nomine significatur, animales, carnalesque nasceremur. Prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cùm iam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine eius victi peccamus, quoniam nos nondum adiuuat fides. Tertia actio est, quando iam plenissimè credimus liberatori nostro, nec* B *meritis nostris aliquid tribuimus, sed eius misericordiam diligendo iam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cùm ad peccatum nos ducere nititur, sed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quamuis ei non tradamur. Quarta est actio, cùm omnino nihil est in homine, quod resistat Spiritui, sed omnia sibimet concorditer iuncta, & connexa vnum aliquid firma pace custodiant.* Quibus apertè docet Augustinus absolutissimam caritatis perfectionem propriam esse beatorum, in hac autem mortali vita nonnullam tamen longè minorem perfectionem reperiri; de qua quidem ante legem dictum est [b] Abrahæ: *Ambula coram me, & esto perfectus.* In lege ait David [c]: *Et ero perfectus cum eo & custodiam me ab iniquitate mea.* In lege Euangelica ait Christus: C *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.*

b Gen. c. 17. 1.
c 2. Reg. 22. 24.

VI. Itaque rectè ait Augustinus [d]: *Perfectio caritatis hominum in hac vita præcipitur, quia non rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur.* Clemens [e] autem Alexandrinus hanc perfectionem nihil aliud esse ait, quàm *renunciasse peccatis, & in fidem eius, qui est perfectus, esse regeneratos posteriorum peccatorum oblitos.* Et alibi [f]: *Fuerit quis* (inquit) *vtique perfectus, qui profitetur abstinentiam à malis.* Quam ob causam Gregorius [g] Nazianzenus huius nostræ vitæ caritatem perfectam ait, & imperfectam meritò posse appellari. Nam si cum Angelorum perfectione conferatur, rudis est, & inchoata; penè autem nulla si cum diuina perfectione D componatur. Est tamen aliquo modo perfecta, si lethale crimen excludat, aliasque necessarias conditiones habeat. Verè namque scripsit Leo Pontifex [h]: *Natura enim nostra manente adhuc mortalitate mutabilis, etiamsi ad summa quæque virtutum studia prouehatur, semper tamen sicut potest habere, quo recidat, ita potest habere quo crescat: Et hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum.* Semper enim huius vitæ perfectioni nonnulla fieri potest accessio, vt enim idem [i] Pontifex ait: *Quantumlibet quisque iustificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quo probatior esse possit, & melior, qui autem non pro*E*ficit, deficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.*

d lib. de perf. iust.
e lib. 1. pædag. c. 6.
f lib 4. strō.
g Orat. 51.
h Ser. 2. de Quadrag.
i Ser. 8. de pass.

VII. Verè autem omnino dixit Apostolus, perfectionem caritatis tribus rebus comparari: *Caritas* (inquit) *de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Orditur autem à corde puro, quod proximè perfectionem attingit, postremo autem loco fidem nominat, à qua perfectio sumit exordium. Fidem autem exigit non fictam, hoc est, vt interpretatur Bernardus, quæ non facilè figulorum more frangatur, qualis eorum est fides, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Hæc enim fides nunquam

a Luc. 9. 62. b Lucæ 17. 32. c In Psal. 1. d Psal. 1. e 2. Cor. 13 lect. 1. f lib. 83. qq. q. 36.

A perfectionem assequetur, vt enim ait Christus [a]. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Alibi [b] verò proposito exemplo vxoris Loth. *Qui in agro* (inquit) *similiter non redeat retro. memores estote vxoris Loth.* Melius fortasse Gregorius fidem fictam interpretatur eam, cui vita, & mores non consentiunt. Proximè commendatur à Paulo bona conscientia, quæ tùm demùm eiusmodi censenda est, si id omne excludat, quod diuinæ legi aduersatur, quod vt ait Basilius [c], indicauit Propheta, cùm dixit: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Ne quando,* ait Basilius [d], *abierimus in concilium impiorum non consistendum in via peccatorum, non sedendum in cathedra pestilentiæ, rerum naturam sequutus hunc dictis ordinem imposuit. Primùm enim consilium inimus, deinde consilium firmamus, postremò in iis, quæ consuluimus, permanemus.* B Eodem fermè modo loquitur S. Thomas [e]. Huc etiam pertinent, quæ scribit Augustinus [f]: *Venenum caritatis est cupiditas. perfectio, nulla cupiditas: augmentum caritatis, imminutio cupiditatis: perfectæ caritatis nulla cupiditas.*

g lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 15. lib. 3. con. 2. epp. Pelag. c. 7. & lib. 4. c. 11. h Gen. 39. 8. i Daniel. 13. 23. k 1. ad Timoth. 4. 2. l cap. 5. 3. m lib. 1. ep. 3.

VIII. Cupiditatibus autem qui obtemperat, conscientiam profectò inquinat, vt meritò dixerit Augustinus [g], non posse quemquam omni prorsus vacare culpa, idque Ambrosij testimonio firmat, qui alicubi ait, impossibile esse, vt perfectè quis immaculatus esse possit in corpore constitutus. C Bona profectò conscientia præditus erat, atque ab omni impura cupiditate alienus adolescens [h] ille, qui à Domina sollicitatus ad stuprum, negauit sibi integrum esse contra Dominum, & Deum immortalem peccare. Optima item conscientia [i] erat Susanna, quæ ne pudicitiæ iacturam faceret, vitæ periculum subire non dubitauit. *Vndique* (inquit) *sunt mihi angustiæ, si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras? sed melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in Deum meum.* Contra verò longissimè illi à recta conscientia absunt, quos ait Apostolus [k], cauteriatam habere conscientiam, qui, vt interpretatur Theodoretus, stupore quodam correpti, nullum peccati sensum, nullum dolorem habent. D Quos videtur accusare Ieremias [l], cùm ait: *Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas supra petram, noluerunt reuerti.* Eosdem describit Cyprianus [m]: *Hinc* (inquit) *illic pectus amens, & hebes animus, & sensus alienus est; ira Dei est, non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia, sicut scriptum est. Dedit illis Deus spiritum compunctionis, ne reuertantur scilicet, & curentur.*

n 1. Cor. 4. 4. o Psal. 18. 14. p cap. 9. 28. q cap. 12. de diuin. nom. r Leu. 20. 26. s Matth. 5. 48.

IX. Is sanè, qui bona conscientia præditi sunt, Apostoli [n] verba ex animo vsurpant, *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* & cum Dauide [o] aiunt: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* & cum Iob [p] verentur omnia opera sua, certi non parcere Deum delinquenti. E Denique quod monet B. Gregorius, etiam ibi culpam agnoscunt, vbi culpa non est. Postremo loco bonæ conscientiæ succedit cor purum, hoc est, ab omni praua cupiditate alienum, quo maximè ad beatas illas mentes, & ipsius immortalis Dei sanctitatem quoad eius fieri potest in hac naturæ imbecillitate accedit. Vt enim scribit Dionysius [q]: *Sanctitas est omni scelere libera, perfectaque, & penitus incoinquinata munditia.* Ad quam his planè verbis Deus ipse mortales hortatur [r]: *Sancti eritis mihi, quoniam ego sanctus sum, & elegi vos ex omnibus gentibus, vt essetis mei.* Neque aliud indicare voluit Christus [s], cùm iussit Apostolos diuinam perfectionem imitari: *Estote* (inquit) *perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Hoc au-

a lib. de baptis. b Coll. 1. c. 7.

A tem imitationis studium explicans Gregorius [a] Nissenus. *Grate* (ait) *conuenit inspicere Genitoris nostri proprietates, vt ad similitudinem Patris nosmet formantes, legitimi filij simus Dei, qui nos ad adoptionem, quæ per gratiam contingit, vocauit: Graue enim probrum est adulterinus, spurius, & subditiuus filius, qui factis suis paternam nobilitatem fallat, & ludificetur.* Perfecta itaque caritas, quæ, vt diximus, haberi potest in hac vita, Dei legem, atque præcepta omni ex parte complectitur, atque idcircò verè ait Ioannes, caritatem in eo perfectam esse, qui seruat verbum Dei. Quicquid enim agant homines, nisi hanc perfectam caritatem assequantur, longè à Christiana perfectione absunt, vt enim ait Cassianus [b]. B *Ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.* hoc est, ad caritatem perfectam, quæ, vt ex Paulo docui, ex fide, conscientia bona, & puro corde existit.

c Ad Rom. 8. 16. d 2. Cor. 14. 5. e ad Philip. 2. 12. f Io. 13. 35.

X. *In hoc* (inquit) *scimus, quoniam in ipso sumus.* An certò, atque euidenti argumento cognoscimus nos esse Deo gratiæ beneficio coniunctos? caue suspiceris An certa fide, cui falsum subesse nequeat? ne id quidem censeas. Nec enim, vt alibi docui, diuina fide quisquam potest sibi certò persuadere, se esse iustum. Qua igitur ratione ait Ioannes: *Scimus quoniam in ipso sumus?* C Illa videlicet vtcumque probabili scientia, de qua loquitur Apostolus [c], cùm ait. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Et alibi [d]: *Vos ipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis?* Hæc tamen scientia, vt alibi docui, non omnem penitus timorem excludit, de quo ait Paulus [e], *cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Possis etiam, vt insinuat OEcumenius, quod ait Apostolus; *Scimus*, perinde accipere, ac si dicat, aperto argumento indicamus, nos Deo caritatis nexu adstringi, quippe cum ex operibus perfecta caritas demonstretur. Nam & apud Ioannem [f] dixit Dominus. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* D Hæc autem dilectio, vt ait Augustinus, perfecta tunc erit, cùm diliget etiam inimicos; debet autem dilectio non corporis, sed animæ salutem spectare. Quocirca, *sic* (inquit) Augustinus, *dilige inimicos tuos, vt fratres optes, sic dilige inimicos, vt ad societatem tuam vocentur.*

6. *Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare.*

g cap. 11. 29. h Ser. 10. de verb. Apost. i Isa. 14. 14.

I. In eodem argumento persistit, additque ad superiora, Christi imitationem perfectæ caritatis argumentum esse, quo non improbabiliter intelligere possumus diuina nos esse gratia præditos. E Christus enim ipse ad sui imitationem prouocat, cùm apud Matthæum [g] dicit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Quo loco Augustinus [h]: *Discite* (inquit) *à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia creare, & non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare sed quia mitis sum, & humilis corde.* Natura quidē ipsa ad Dei nos imitationē prouocat, quippe qui ad Dei imaginē conditi sumus, imago autē eò est perfectior, quò propius ad prototypum, & exemplar accedit. At malè quidam olim Dei similitudinē appetiit, qui [i] dixit: *Similis ero Altissimo.* Nihilo melius Deum imitari primi nostri Parentes cupierunt, dum serpenti fidem habuerunt, qui illos quasi Deos futuros esse mentitus est. Itaque vt tutò, & absque periculo Deum imitari possemus, Dei Verbum, vt ait

Arhana

Athanasius [a], humanam sibi naturam copulauit. Quocirca Petrus [b]. *Christus (ait) passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et Paulus [c]: *Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi.* Denique [d] Christus ipse: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Qua verò id ratione faciendum sit, explicat hoc loco Augustinus: *Quid nos* (inquit) *monet? qui dicit se in ipso manere, id est, in Christo, debet, sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Fortè hoc nos monet, vt ambulemus in mari? absit. Hoc ergo, vt ambulemus in via iustitiæ; in qua via? iam commemoraui. Fixus in cruce erat, & in ipsa via ambulabat, ipsa est via charitatis. Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt; si ergo didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini.*

B

II. Imitationem Christi ad inimicorum dilectionem restringit, spectans opinor id, quod apud Matthæum [e] dixit Christus: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos; orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Et mox: *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Sed Christi imitatio latius patet, vt enim supra dixi, exigit ipse mansuetudinem, & humilitatem in primis, habemus autem in illo omnium virtutum exemplaria, quæ tutò imitemur, vt enim ait Basilius [f]: *Fuit aduentus Christi in carne Euangelicæ conuersationis prodita forma afflictionis, crux, sepultura, resurrectio, vt homo, qui saluus fit per imitationem Christi, veterem illam adoptionem, qua in ius filiorum ascitus fuerat, recipiat.* Mox autem subdit: *Itaque necessarium est ad vitæ perfectionem Christum imitari non solùm exemplis, quæ in vita demonstrauit, lenitatis, modestiæ, ac patientiæ, verùm etiam mortis illius, sicut Paulus ait: Christi imitator conformor morti eius, si quomodo perueniam ad resurrectionem è mortuis.* Id deinceps ostendit in Baptismi Sacramento maximè fieri. Cæterùm de Christi, Deique imitatione hunc in modum scribit Gregorius [g] Pontifex: *Deum quippe imitari desiderat, qui fastigium potentiæ alienis intentus vtilitatibus, & non suis laudibus elatus administrat, qui prælatus cæteris prodesse appetit, non præesse. Tumoris namque elatio, non ordo potestatis in crimine est, potentiam Deus tribuit, elationem verò potentiæ malitia nostræ mentis inuenit. Tollamus ergo quod de nostro contulimus, & bona sunt, quæ Deo largiente possidemus, quia nequaquam iusta potentia, sed actio praua damnatur.*

D

III. *Qui* ergo *dicit se in ipso manere*, hoc est, ei nexu charitatis adstringi, debet sicut ipse ambulauit, ambulare, Græcè ὀφείλει, hoc est, obnoxius est, necesse est, eum Christi vestigiis insistere, & ad eius imitationem vitam, moresque suos componere. Nam sic ferè disputant sapientes, imitationis studium à beneuolentia potissimùm oriri, quos enim diligimus, eorum quàm simillimos esse cupimus. Adde hoc esse singulare, atque eximium obsequij genus, vt alicubi insinuat Tertullianus [h]: *Igitur* (inquit) *si probos quosque seruos, & bonæ mentis pro ingenio dominico conuersari videmus, siquidem artificium promerendi obsequium est, obsequij verò disciplina morigera subiectio est. Quantò magis nos secundùm Dominum moratos inueniri oportet, seruos scilicet Dei viui, cuius iudicium in suos non in compede, aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœna, aut salutis.* Hanc ob causam dixit Christus: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et discipulos suos [i] vocans: *Venite* (ait) *post me*, hoc est, me sequimini, meæ vitæ rationem imitamini, quippe ille ad hoc humanam sibi naturam adiunxit, vt exemplo, & doctrina hominum mores ad rectam viuendi rationem informaret. Antequam ille inter mortales viueret, qui iustitiam colerent, coram Deo ambulare dicebantur, sic enim Deus Abrahamum [k] monuit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Sic de priscis omnibus Patribus ait Zacharias [l], vixisse illos *in sancti-*

Margin notes, left column:
- a de incar. Verbi.
- b epist. 2. cap. 2.
- c Ephes. 5. 2.
- d Ioan. 13. 15.
- e Matth. 5. 44.
- f li. de Spir. sanct. c. 15.
- g l. 26. Mor. cap. 24. alias 19.
- h lib. de patient.
- i Matth. 4. 19.
- k Gen. 17. 1.
- l Lucæ 1. 75.

A

tate, & iustitia coram ipso. Et vniuersim cuncti vulgò hanc dicendi formam vsurpabant, *viuit Dominus, in cuius conspectu sto.* Post aduentum verò Christi ad eius imitationem omnes prouocantur. Olim quidem Philosophus nescio quis, vt Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, & Ambrosius affirmant, Deum, dixit, sequere, qui tamen non de imitatione, sed de prouidentiæ ductu loquebatur, cui obtemperandum esse verè, sapienterque monebat. At naturæ penè ipsi indita est cupiditas imitandi Deum, vt Athanasius, & Augustinus asserunt, adeo vt propterea callidè dæmon perditissimos, scelestissimosque mortalium pro Diis coli voluit, vt qui sese flagitiis contaminarent, Deum imitari crederentur.

IV. Et sanè nemo simpliciter, ac præcisè ad sui imitationem prouocare potest, cum nemo sit, qui non aliquando offendat, & labatur; atque idcirco Paulus ad Corinthios [a] scribens: *Imitatores* (ait) *mei estote, sicut & ego Christi.* Perinde quasi hactenus tantum se imitandum proponat, quia ipse Christi vitam, moresque imitatione exprimeret. Quamquam autem ad Philippenses [b] absolutè dixit: *Imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram*, vel, vt alij legunt, *nos*, paulo ante tamen dixerat; *quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta*, indicans se Christo ex animo adhærere, eiusque admirabiles actiones, quoad eius fieri potest,

C

quàm accuratissimè imitari. Ita dixit Christus [c]: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Qua verò ratione sua vita imitanda sit, his verbis docet [d]. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Se ipsum autem abnegare, vt ait Chrysostomus, nihil est aliud, quàm in alium planè virum commutari; qua ratione de Christo dixit Paulus [e]: *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Non potuit ille quidem diuinam naturam penitùs exuere, eam tamen quodammodo abdidit, & in humana natura occultauit, ita nobis vetus homo quodammodo abiiciendus est, omnisque vetustas deponenda, vt nouum hominem induamus; tollenda verò etiam crux, quia vt ait

D

Apostolus [f]: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Neque enim, vt ait Gregorius, satis est à vitiis abstinere, nisi etiam prauæ omnes cupiditates comprimantur, vitiorumque fibris euulsis ipsa etiam voluptatum incentiua extinguantur. Quod exemplo Christi faciendum monet Apostolus [g], *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Et vt ait Dauid: *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Necesse igitur est, hac ratione Christum imitari, & aspicere *in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.*

V. Hanc porro imitationem elegantissimè suadet Leo Pontifex [h]: *Imitamini* (ait) *quod operatus est, diligite quod dilexit, & inuenientes in vobis Dei gratiam, vestram in illo redamate naturam, quoniam sicut ille in paupertate diuitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit, ita & vos eisdem gradibus, eisdem vestigiis vt cælestia apprehendatis, terrena despicite.* Et Cyprianus [i]: *Hoc est enim* (ait) *velle cum Christo inueniri, id quod Christus & docuit, & fecit imitari, secundum Ioannem Apostolum dicentem: Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare.* Et alibi [k]: *Quod si non est maior domino suo seruus, & liberatori debet obsequium liberatus, qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus fecit imitari. Scriptum est, & legitur, & auditur, & in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur; qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare. Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est; tunc respondet ad fidem nominis*

E

sectatio

Margin notes, right column:
- a ep. 1. c. 11.
- b cap. 3. 17.
- c Ioan. 12. 26.
- d Matt. 16. 24.
- e Philip. 2. 7.
- f Gal. 5. 24.
- g ad Hebr. 12. 2.
- h Serm. 2. de resur. c. 5.
- i Epist. 56.
- k de habit. Virg.

fectatione veritatis, & credenti præmium datur, si quod creditur, & geratur. Hoc itaque est, quod ait hoc loco Ioannes, *debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

7\. *Carissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio, mandatum vetus est verbum, quod audistis.*

I\. Quoniam dixerat, præceptorum obseruatione perfectam Dei charitatem contineri, indicat nunc, quæ potissimùm præcepta intelligat. Et quoniam Apostoli vno, eodémque diuini numinis afflatu ducebantur, quod dixerat Paulus [a], charitate in proximos legem absolui, idem hoc loco insinuat Ioannes, cùm proximorum charitatem vetus, ac nouum præceptum appellat. Principiò autem carissimos nominat, vt hoc ipso suam erga illos charitatem declaret, & qui de charitate præcepta tractaturus erat, à charitate non videatur alienus. Nam quemadmodum dixit ille: *Si vis me flere, flendum est primum ipsi tibi:* ita qui charitatem alteri persuadere cupit, eam prius indicet ipse necesse est. Deinde ait, *non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus. Obiiciebatur Apostolo* (ait Didymus) *nouam ab illo doctrinam tradi, ac prorsus inauditam, tacitè igitur ille occurrens negat, se nouum aliquod præceptum proponere, sed prisca, & vetera inculcare.* Nominat autem præceptum charitatis, quo proximi diliguntur, quod quidem, vt Didymus, & OEcumenius affirmant, siue ad Iudæos, siue ad Gentiles referatur, vetus erat, & antiquum. Nam si de Iudæis loquendum sit, in Leuitico præcipit Deus [b] in hæc verba: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum.* Ex quo loco Iudæi à contrario sensu inimicos odio prosequendos esse colligebant, cùm tamen eo loci, & vox Hebræa eum, qui aliqua ratione nobis coniunctus est, absolutè significet, & LXX. Interpretes πλησίον, id est, proximum, Græcè dixerint. Omnes autem homines inter sese & naturæ similitudine, & eodem creationis principio, eademque redemptione coniuncti sunt, & fideles præterea eadem Ecclesiæ, & Sacramentorum societate connexi, vt etiam inimici proximi nomine comprehendantur. *Erat igitur hoc præceptum* (vt ait Didymus) *auditum olim, & à longo iam tempore receptum, ideo sapienter antiquum, & in notitiam hominum iam venisse prædicatur.* Quò etiam spectasse visus est Augustinus, ait enim: *Mandatum vetus quare? non quia ad veterem hominem pertinet. Sed quare? quod habebatis ab initio.* Et mox: *Ideo ergo vetus, quia iam audistis.* Sed, vt ait Didymus, quoniam hæc epistola ad Gentiles scripta est, vetus mandatum appellatur, siue quia initio statim conuersionis hoc præceptum catechumenis proponebatur, siue quod mauult Didymus, quia est hominum mentibus à natura, vel naturæ potiùs conditore insculptum.

a Rom. 13. 8.
b cap. 19. 18.

II\. Nam vt ait B. Gregorius [c]: *Proximi dilectio ad duo præcepta deriuatur, cùm & per quemdam [d] iustum dicitur: Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsam veritas dicit: Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Vtroque igitur nomine vetus præceptum meritò nuncupatur, & quia id naturalis ratio præscribit, & quia in veteri lege expressum est. Nam inter Philosophos plurima in hanc sententiam scribit Plutarchus [e]. De vltione verò hæc scribit Seneca [f]: *Vltio doloris confessio est, non est magnus animus, quem incuruat iniuria.* Alibi [g]: *Inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum vltio, & à contumelia non differt, nisi ordine; qui dolorem regerit, tantùm excusatius peccat.* Et Iuuenalis [h].

——— *Infirmi est animi, exiguique voluptas*
Vltio.

Quocirca Didymus: *Vnde* (inquit) *considerandum est, ne*

c li. 10. Mor. cap. 6.
d Tob. 4. 16.
e in polit. in problem. de vitil. cap. ab inim. & de cohib. irac.
f li. 3. de ira cap. 6.
g lib. 2. c. 32.
h Satyr. 3.

A *fortè vetus mandatum dicat, & ab initio existens, quod etiam ab omnibus hominibus est auditum, id est, amabilem effectum per naturalem accedentem sensum. Omnes enim homines, cum sint naturaliter mansueta, & communia animalia, diligunt proximos, vnde Saluator hunc naturalem affectum mouens ait: Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite similiter.* Et in eamdem sententiam OEcumenius: *Sed dubitaret* (inquit) *quispiam, quomodo pertinere ad Græcos hoc possit, cum nihil apud ipsos huiusmodi reperiatur: respondemus legem de charitate erga proximos scriptam his etiam fuisse. Vbi, & quomodo? in pugillari cordis naturalibus cogitationibus inscriptam: naturales enim in nobis cogitationes legem vocari Paulus testatur, cum ita inquit: Video autem alteram legem, legi mentis meæ, quæ est in me, aduersantem. Legem igitur, id est, mandatum* B *vetus Græci quoque acceperunt, cum natura id sanciat, vt erga cognatum omne benignè se gerant, mutuóque amore sese prosequantur; quippè cum gregabile, ac sociabile animal homo sit, id quod sanè sine charitate esse nullo pacto potest. Quin etiam multos veteres historiæ memoriæ prodiderunt, qui pro se mutuò mortem obierint. Quod profectò maximæ charitatis esse indicium Saluator noster asserit, dum ait: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt pro amicis suis animam suam quispiam ponat.*

III\. In veteri porro Testamento sæpe [a] odium prohibetur: *Non oderis* (inquit) *fratrem tuum in corde tuo.* Et in Exodo [b]: *Si occurreris boui inimici tui, aut asino errantis* C *reduc ad eum.* Quamobrem Cassianus [c]: *Sed quid* (inquit) *diuinis præceptis Euangelicis, atque Apostolicis immoramur, cum etiam vetus lex, quæ aliquid habere remissionis videtur, hæc eadem præcauerat dicens: Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Et iterum [d]: Non eris memor iniuriæ ciuium tuorum. Et rursum [e]: Itinera eorum, qui memoriam retinent malefacti, in mortem. Vides & ibi nequitiam non in opere tantùm, sed etiam in arcanis cogitationibus resecari, cùm de corde odium, & iniuriæ non solùm retributio, sed etiam ipsa memoria radicitus iubeatur euelli?* Visus est quidem alicubi Augustinus [f] existimare in lege veteri odium præcipi: *Nec quod* (inquit) *in lege scriptum est: oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo. Dicitur quidem in veteri Testamento: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed mox ipse Diabolum inimicum interpretatur, quem odisse præcipimur, & hominem D malum, qua ratione malus est. Diligenda quippe est natura, odio prosequenda malitia, quæ est perpetua Augustini [g] sententia. Idem sensisse videtur Hilarius [h]: *Amari* (inquit) *proximum lex eligebat, & in inimicum licentiam odij dabat.* Nec discrepat OEcumenius, qui negat Mosis præceptum fuisse vniuersale: *Sed peculiare* (inquit) *ad cognitos, eiusdémque nationis homines spectans, solos amicos diligere, inimicos verò odio prosequi præcipiebat. Vnde* (inquit) *diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed tantorum virorum pace nusquam id legitur in veteri lege, vt alibi copiosius docui, neque Christus, cùm apud Matthæum [i] dixit, *Audistis quia dictum est, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum*; locum vllum veteris legis, sed Phari- E sæorum tantùm sententiam, & prauam legis interpretationem indicauit.

a Leu. 19. 17.
b cap. 23. 4.
c lib. 8. c. 14.
d Leu. 19. 18.
e Prou. 12. secund. LXX.
f lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 41.
g li. 19. cōt. Faust. c. 24. & Serm. 59. de temp.
h Matth. 5.
i cap. 5. 43.

IV\. Neque eorum probanda est sententia, qui ciuilem inimicum ex legis præscripto diligendum esse non negant, inimicum verò legalem odio prosequendum esse contendunt; nam, vt rectè viri docti [k] affirmant, odium ipsa lege naturæ prohibetur, si de odio inimicitiæ loquamur, quod est suapte natura vsque adeò malum, vt in Deum cadere nulla ratione queat, ac ne ab illo quidem probari, aut præcipi. At iubebantur Iudæi Cananæos ad internecionem necare; fateor, sed citra odium, quomodo carnifex iussu Principis, aut Magistratus sontes in crucem tollit,

k Abulens. Matth. 5. q. 347.

A tollit, aut iugulat, cui tamen nefas est, eos odisse, aut priuatas in illos iniurias persequi. Meritò igitur ait Ioannes hoc esse præceptum vetus, *quod habuistis* (inquit) *ab initio*, siue magistra natura, siue etiã legis veteris institutis, siue cùm primùm Christo nomina dedistis. Idcircò negat esse mandatum nouum, quasi inauditum, vel naturæ repugnans, vt multi falsò arbitrantur, quos perstringens Hieronymus[a] ait: *Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos, cæterùm diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Mandatũ*, inquit, *vetus est verbum, quod audistis.* Indicat enim consueuisse olim iis, qui Baptismo lustrandi erant, B proponi potissimùm præceptum charitatis, quo proximi diligendi sunt, cùm enim ait, *quod audistis*, alio modo id explicat, quod dixerat, *quod habuistis ab initio*, vel ab initio legis promulgatæ, vel ab initio vestræ in Deum conuersionis.

a Matth. 5.

8. *Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est in ipso, & in vobis, quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.*

I. *Non aliud mandatum* (inquit Augustinus) *sed illud idem, quod vetus appellauerat, quod a Christo[b] mandatum nouum vocatur.* Sed cur nouum? an quia præcipit, vt etiam inimicos diligamus? ita sanè indicare videtur C OEcumenius, sed non arbitror, vt enim dixi, etiam in veteri lege inimici diligendi erant; quin etiam id lex naturalis præcipit, vt supra indicaui. An quia olim externa dumtaxat actio præcipiebatur, nunc verò internus præcipuè amor imperatur? At olim etiam internus amor necessariò postulabatur, cùm numquam licuerit odio quemquam prosequi. An quia noua amoris ratio præscribitur? Sic sanè Cyrillus & Chrysostomus. Sed ille[c] quidem nouam amoris rationem in eo positam putat, quòd olim proximi iubebantur diligi sicut nos, hîc verò præcipitur, vt eos diligamus, sicut Christus dilexit nos, qui plusquàm se nos amauit, *cùm* enim, vt ait Paulus[d], *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiẽs in similitudinẽ hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* D Et Petrus[e]: *Iustus* (inquit) *pro iniustis mortuus est.* Quasi indicet Cyrillus, charitatis lege nos cogi sanguinem, ac vitam pro aliorum salute profundere. Sed id certo quodam ordine, vt in scholis docent Theologi, faciendum esse non nego, animæ enim saluti corporea vita posthabenda est; cæterum Imperatori pro gregario milite occumbendum esse nemo sanus dixerit. Paulo aliter nouam amandi rationem explicat Chrysostomus[f], vt videlicet, quemadmodum nos Christus absque vllis meritis dilexit, non aliter nos vnius Dei respectu, nulla meritorum habita ratione, charitate proximos complectamur.

b Ioã. 13. 34.
c lib. 9 in Ioan. c. 23.
d ad Philip. 2. 6.
e epist. 1. c. 3.
f Hom. 71. in Matth.

II. Sed hoc eodem modo olim proximi diligendi erant, neque aliter eos amandos esse lex naturæ præcipit, quæ quamquam proximorum amorem in E Deum non refert, merita tamen anteuertit, & vnius, eiusdemque naturæ coniunctionem, ac similitudinem spectat. An nouum propterea dicitur, quòd naturæ vitio penè antiquatum esset, & à Christo Domino instauratum sit, & ad pristinam nouitatem reuocatum? Hoc indicat loco notato Cyrillus, ait enim, omnia fuisse à Christo innouata. Verùm quamquam hoc verissimè dicitur, non tamen expedit, cur hoc charitatis præceptum priuatim, ac propriè dicatur nouum, cùm cætera omnia persimili ratione noua possint appellari. Neque verò eorum videtur probanda sententia, qui præceptum hoc

A nouum idcirco vocari autumant, quòd nouo Christi spiritu perficiatur, nihilo enim minus cætera omnia noua essent, cum absque adminiculo gratiæ præstari non queant. An propterea nouum dici arbitrabimur, quia phrasi Hebræa id, quod præstantissimum est, nouum appellari consueuit? Sanè cùm sit secundum legis præceptum, proximéque ad primum accedat, quo Deum supra omnia diligere iubemur, inter alia omnia præcepta primum obtinet locum, & vt ait Apostolus, cætera omnia complectitur, cùm plenitudo legis sit dilectio, & qui diligit proximum, legem impleat, id vtcumque probabile censendum est. An quia peculiarem quemdam amorem præcipit, quo inter sese fideles diligendi sunt, nouum B mandatum vocatur? Ita viri docti opinantur, nec omninò malè, Christus enim hoc voluit esse argumentum, quo ipsius discipuli dignoscerentur. *In hoc* (inquit[a]) *cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.*

a Ioan. 13. 35.

III. Verùm his omnibus Augustini[b] sententiam præfero qui nouum præceptum idcirco appellari docet, quòd hominem innouet, maximéque spectet ad eã vitæ nouitatem, quam commendat Apostolus, & à fidelibus exigit, cũ ait: *Vt in nouitate vitæ ambulemus. Nónne* (inquit) *iam erat hoc mandatum in antiqua Dei lege, vbi scriptum est: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum? cur ergo nouum appellatur à Domino, quod tam vetus esse conuincitur? An ideo est mandatum nouum, quia* C *exuto vetere induit nos hominem nouum? Innouat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat, & vt à carnali dilectione distingueret, addidit: sicut dilexi vos.* Et paucis interiectis: *Dilectio ista nos innouat, vt simus homines noui, hæredes testamenti noui, cantatores cantici noui. Hæc dilectio fratres carissimi antiquos etiam tunc iustos, tunc patriarchas, & prophetas, sicut postea beatos Apostolos innouauit, ipsa & nunc innouat gentes, & ex vniuerso genere humano, quod diffunditur toto orbe terrarum, facit, & colligit populũ nouum.* Itaque Ioãnes memor præcepti Dominici charitatis præceptum mandatum nouum appellat, *quod verum* (inquit) *est in ipso, & in vobis.* Quæ verba ad ipsum præceptum nouum retulisse videtur OEcumenius. *Nouum enim* (inquit) *hoc mandatum vobis scribo, quod veritatem in se habet, & in Deo, qui per communi-* D *cationem sui sibi vos conciliauit, & in vobis, qui in ipso inter vos estis consotiati.* Neque aliter accipiunt Augustinus, & Iunilius, quos recentiores non pauci libenter sequuntur. At Græci codices hunc sensum citra Grammaticæ vitium non admittunt, mandatum enim Græcè fœmineo genere dicitur ἐντολὴ, relatiuum autem ὃ neutrius generis est.

b Tract. 65. in Ioan. & lib. 19 cont. Faust. c. 27.

IV. Malim igitur referre ad superiorem sententiam, qua dixerat: *Non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus.* Hac fermè ratione, quod dixi, me non nouum, sed vetus mandatum, iterúmque nouum me mandatum scribere, quamuis pugnantia quodammodo inuoluere videatur, cum idem affirmem, & negem, si rectè tamen percipiatur, verissi- E mum omnino censebitur, cum dilectionis præceptum & antiquissimum sit ab ipso auctore naturæ mortalium mentibus inditum, atque in veteri lege præcipuè commendatum, idemque maximè nouum, cum vitæ nouitatem afferat. Verum igitur hoc est *in se ipso*, quia ipsa per se sententia certissima, & verissima est, cum tempore quidem nihil sit hoc præcepto antiquius, effectu verò nihil magis nouum; *& in vobis*, idem esse verissimè dictum apertissimo euentu comprobatur, quandoquidem vos hoc tamquam naturæ præceptum, nouæque vitæ argumentum complexi estis. Nam vt ait Didymus, non omnia vetera, & antiqua præcepta abolita, & antiquata sunt,

sed

sed non pauca vim suam obtinent, cuiusmodi sunt ea, quæ ad mores, & ad naturæ legem pertinent, quæ non auctoritate Mosis, aut legis veteris, sed suapte vi parendi necessitatem imponunt. Quocirca verissimè apud Matthæum [a] dixit Dominus, non se venisse, vt legem solueret, sed adimpleret, id enim egregiè præstitit, quia, vt ait Leo Pontifex [b], *ipse est finis legis, non euacuando significationes ipsius, sed implendo, qui licet idem sit auctor veterum, qui nouorum, figuratarum tamen promissionum sacramēta mutauit, quia promissa perfecit, & denūciationibus cessationē imposuit, quoniam denunciatus aduenit. In præceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta, vt perfectiora, & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia saluatorem.* Et planiùs alibi [c]: *Apostolica institutio dilectissimi, quia Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, sed impleret, ita veteris Testamenti decreta distinxit, vt quædam ex eis, sicut erant, condita Euangelica eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantia Christianæ. Quamuis enim varietates hostiarum, differentia baptismatum, & otia sabbatorum cū ipsa carnis circumcisione cessauerint, manent tamen ex ipsis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia.*

a cap. 5. 17.
b Ser. 14. de pass. Dom. cap. 5.
c Serm. 7. de Ieiun. septimi mensis.

A B

V. Mox verò hoc ipsum charitatis præceptum attingens subdit: *Et cùm inde dicatur; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Christo Domino dicente, cognouimus quòd in his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ. Tantáq; est sub huius geminæ charitatis edicto vtriusq; copula Testamenti, vt sine istarum connexione virtutū nec lex quemquā inuenìatur iustificasse, nec gratia.* Atque haud scio, an hoc ipsum significet Ioannes, cùm ait; *quia tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet.* Quæ enim ad legem veterem vmbris, ac typis inuoluta pertinebant, vtique transierunt, quia eorum significatio iam nulla est, etenim Christus sua præsentia vaticiniis, ac promissionibus veteris Testamenti finem attulit, & quæ olim promittebantur, repræsentauit. Ea autem omnia Ioannes tenebrarum nomine comprehendit, re namque vera obscura erant omnia, & vmbrarum, typorúmque inuolucris implicita, vt non immeritò Gregorius eò referat verba illa Dauidis [d]: *Tenebrosa aqua in nubibus aëris. Tenebrosa* (ait Gregorius [e]) *aqua in nubibus aëris, id est, occulta scientia in prophetis, qui ante aduentum Domini, dum occultis sacramentis grauidi mysteria immensa gestabant, intuentium oculis eorum intelligentia caligabat.* Eodem spectare videtur Paulus, cùm ait [f]: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.*

C D

d Psal. 17. 12.
e l. 17. Mor. c. 24. aliàs 12.
f Rom. 13. 12

VI. Quod autem ait Interpres tempore præterito, transierunt, præsenti tempore Græcè dixit Apostolus, παράγεται, hoc est, prætereunt, quia quotidie oracula Prophetarum Apostolico illo æuo ad exitum perducebantur. *Et verū lumen*, ait, *iam lucet*; Christus enim sua luce mundum illustrauerat. *Erat* [g] quippe *lux vera, quæ illuminat omnem hominē venientē in hunc mundum.* Et Christus [h] ipse dixerat: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Lumē porro verum nominat Apostolus, sed maiori quadam emphasi Græcè scripsit τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, quasi dicat, lumen illud verum olim promissum, cùm dixit Isaias [i]: *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuū, & gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebræ operient terrā, & caligo populos. super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabūt gentes in lumine tuo, & reges in splēdore ortus tui.* Etenim Hieronymus, & Cyrillus hæc prophetæ verba de Ecclesia, deque tempore noui Testamenti accipienda docent, verum namque lumen lucet:

E

g Ioan. 1. 9.
h Ioan. 8. 12.
i cap. 60. 1.

nam vt ait Leo Pontifex [a], *ideo sacrificiorum varietates & purificationum differentia destiterunt, ideo mandatum circumcisionis, ciborum discretio, otiū sabbati, & paschalis agni cessauit occisio, quia lex per Mosen data est, gratia autem, & veritas per Iesum Christū facta est; præcesserunt figuræ, vt sequeretur effectus, & in aduentu rerū nunciatarum finita sunt officia nunciorum.* De hoc vero lumine, veráque luce dixit Ioannes [b]: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, erant enim eorum mala opera.* Erat quidē superioribus temporibus in mentibus fidelium lumen fidei, sed multis veluti vmbrarum, atque oraculorum nubibus inuolutum, nunc autem, vt ait Paulus [c], *reuelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginē transformamur tamquā à Domini spiritu.* Erat etiam lux gratiæ, & charitatis, sed quia illa pendebat à Christo venturo, multo copiosius post eius aduentum in omne genus hominum effusa est. Quò fortasse spectans Isaias [d], Christum alloquens dixit; *Ros lucis, ros tuus.* Rectè autem subdit Ioannes:

A B

a Ser. 18. de pass.
b Ioan. 3. 19.
c 2. Cor. 3. 18.
d cap. 26. 19.

9. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.*

I. Quam lucem, & quas tenebras hoc loco intelligat, ab effectu indicat, ait enim, eum, qui fratrem odio prosequatur, lōgissimè abesse à luce, & in densissimis tenebris adhuc versari. Neque enim potest odium proximi cum diuina gratia, quæ cælestis lux est, consistere, atque idcirco necesse est eos in peccatorum tenebris versari, qui inimicos à fraterna charitate excludunt. *Qui* ergo *dicit se esse in luce*, hoc est, Christianam, atque Euangelicam viuendi rationem profiteri, quæ vera lux est, & tamen fratrem suum odit, Cimmeriis tenebris inuoluitur. Non dixit autem, inimicum suum odit, sed *fratrem*; siue quia omnes homines creationis respectu, & naturæ similitudine fratres sunt, siue quia eos notat, qui cum fidelibus inimicitias exercent. Ita videtur hunc locum accepisse Augustinus, sic enim scribit: *Eia fratres mei, quādiu dicemus vobis, diligite inimicos? Videte quod peius est, ne adhuc fratres oderitis. Si fratres solùm amaretis, nondum essetis perfecti; si autem fratres oderitis, quid estis? Vbi estis? Respiciat vnusquisque cor suum, non teneat odiū contra fratrem pro aliquo verbo duro, pro contentione terræ, ne fiat terra. Quisquis enim odit fratrem suum, nō dicat, quia in lumine ambulat; quid dixi? non dicat, quia in Christo ambulat.* Subdit deinde, frustra nos gratulari iis, qui abiecto idolorum cultu, Christum tamquam verum Deum, atque humani generis liberatorem venerantur, & colunt, si fraterno odio animum inquinant, adhuc enim versantur in tenebris, nihil illis prodest Christiana professio, sed plurimùm potius obest, *seruus* [e] *enim sciens voluntatem Domini, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis.*

C D

e Lucæ 12. 47.

II. Sic Cyprianus [f]: *Qui odit* (inquit) *fratrē, in tenebris ambulat, & nescit, quò eat, it enim nesciens in gehennam, ignorans, & cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet à Christi lumine dicentis: Ego sum lumen mundi.* Fraternum autem odium damnat Apostolus, & tenebris adscribit, quasi significet, eos, qui fratres oderint, nondum exuisse gentilem spiritum, atque animum; illi enim absque vlla causa Christianū nomen oderant, de quibus Tertullianus [g]: *Oditur ergo* (inquit) *in hominibus innocuis nomē innocuum.* Loquitur autem Apostolus de odio, quod à Theologis dicitur inimicitiæ, quod in ipsam personam, ac naturam fertur, nam odium, quod abominationis appellatur, non modò cum charitate non pugnat, sed plerumque etiam laudabile est. De hoc enim scripsit Paulus [h]:

E

f de zelo, & liuore.
g Apolog. cap. 3.
h ad Rom. 12. 9.

Dilectio

Dilectio sine simulatione odientes malum. Quo loco obseruat Origenes, mirum videri, quòd Apostolus inter cætera bona virtutum, etiam odium tamquam necessarium assumat. *Vnde* (inquit) *certum est inesse animæ odij affectum, est enim laudabile odisse vitia, odisse peccata, nisi enim quis odio habeat vitia, non potest amare, nec conseruare virtutes; verbi gratia, si quis pudicitiam custodire proponat, non potest eam tutò seruare, nisi odium quoddam, & execrationem aduersus impudicitiam sumat. Difficilis enim, & valde difficilis est illa continentia, vbi desideratur illud, à quo abstinetur, & cupiditas animi solo metu futuri iudicij refrenatur. Periculosa hæc valde, periculosa sunt, nisi secundum consilium Apostoli odientes malum, & peccata, & quodammodo aduersum ea odiorum bella peragentes adhæreamus bono.* Et quidem pertinere hoc odium etiam ad charitatem, idem Origenes paulo ante docuerat.

III. Explicans enim verba illa Pauli: *Charitas sine simulatione: Ego puto* (inquit) *quòd omnis charitas, quæ non est secundum Deum, simulata sit, & vera non sit. Etenim creatæ animæ Deus idcirco et cum cæteris virtutibus etiam affectum charitatis inseruit, vt diligat Deum, & ea, quæ vult Deus. Cum ergo hoc opus animæ dedit charitati, quicumque aliquid aliud dilexit, quàm Deum, & quæ Deo placent, charitas in eo ficta, & simulata dicenda est. Sed & si quis proximum suum diligat, & cum errantem eum viderit, non commoneat, non corrigat, simulata ista charitas dicenda est; & ideo nihil habere adulatorium, nihil fucatum charitas debet, sicut & alibi idem Apostolus dicit. Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Idcirco enim charitas suadet monendum, corrigendumque fratrem, sicubi labatur, & erret, quia odio abominationis vitium tamquam fratris malum abominatur, & detestatur; proinde eodem loco subdit Apostolus. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes;* non enim dilectionis præceptum quemlibet amorem probat, sed diuinam exigit charitatem, de qua ita loquitur Augustinus [a]. *Diligunt inuicem mariti, & vxores, parentes, & filij, & quæcumque alia inter se homines necessitudo humana deuinxerit, vt taceamus de dilectione culpabili, atque damnabili, qua diligunt inuicem adulteri, & adulteræ, scortatores, & meretrices, & quoscumque alios non humana necessitudo, sed humanæ vitæ noxia turpitudo coniungit. Mandatum ergo nouum dedit nobis Christus, vt diligamus inuicem, sicut & ipse dilexit nos.* Hanc enim charitatem exigit Christus, quæ non humano nitatur affectu, sed vnius Dei instinctu moueatur.

a Tract. 73. in Ioan.

IV. Ita enim docet Gregorius [b]. *Qualiter autem* (ait) *ista dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in plerisque scripturæ suæ sententiis & amicos iubet diligi in se, & inimicos diligi propter se. Ille enim veraciter charitatem habet, qui amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum; nam sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientia. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt. Proinde cum Dominus diceret, hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, protinus addidit: Sicut dilexi vos; ac si apertè dicat, ad hoc amate, ad quod amaui vos.* Qui igitur fratrem suum odit odio inimicitiæ, cum charitate pugnat, qui autem proximum ex charitate diligit, Dei in illo imaginem, diuinæque gratiæ capacitatem amat, vitia, si quæ sunt, abominatur, & odit. Ille itaque *in tenebris est vsque adhuc*, nec dum veram lucem aspexit, qui fratrem suum odit; versari autem dicitur in tenebris vel ignorationis, vel vitiorum, sunt enim spirituales tenebræ inscitia quidem, quia mentis, atque intelligentiæ lumini aduersatur, peccatum verò, seu vitium, quia cum virtutis luce pugnat. Hoc autem planius explicat paulo post.

b Hom. 27. in Euang.

V. Interim docet eum, qui fratrem odit, magnarum rerum ignoratione laborare, quæ partim naturæ ductu cognoscuntur, partim diuinitus patefacta fidelibus credenda proponuntur. Et natura quidem duce cognoscimus, quod fusè, copioséque docet Plutarchus [a], multas, neque vulgares ab inimicis percipi posse vtilitates, modo iis rectè quis vtatur. Nam ignis, cuius est in humana vita incredibilis vtilitas ad coquendos cibos, & frigus repellendum, perniciem, atque interitum affert, nisi quis prudenter caueat; & inimicis qui bene vtitur, melior, & cautior euadet, si hostiliter se gerat, plurimis sese difficultatibus, ac periculis inoluet. Cælitus autem nos docuit Christus [b], quomodo nos cum inimicis geramus. *Diligite* (inquit) *inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Dilectionem porro præcipit, nō qualemcumque, sed quam supra descripsimus, vt Dei respectu etiam inimicis tum spiritalia, tum etiam corporea bona cupiamus. Hic enim amor cùm per se honestus est, ac laudabilis excludens turpem, ac fœdum amorem, tum cōstans ac firmus ab humano, naturalique amore plurimùm differens. Ille siquidem leui aliqua offensione aut extinguitur, aut etiam in odium commutatur. Hanc verò diuinam charitatem aquæ multæ non extinguūt [c], nec flumina obruunt. At in amore naturali incredibile dictu est, quàm multa frequenter accidant beneuolentiæ, & charitati planè contraria. *Sæpe enim* (ait Ambrosius [d]) *hæreditatis diuidendæ causa mutuo se odio prosequuntur. plusque potest amor pecuniæ quam vinculum hoc naturale.* Videmus etiam, vt ait Chrysostomus [e], filios mortem parentibus optare, vt hæreditas ad eos perueniat.

a de vtil. c. ab inimic.

b Matth. 5. 44.

c Cant. 8. 6.

d li. de Noë, & arca, c. 26

e Hom. 2. in epistol. ad Coloss.

VI. Hæc autem supranaturalis charitas perfecta est, de qua eleganter scribit Augustinus [f]. *Beatus* (inquit) *qui amat te* (Deum alloquitur) *& amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt, qui non amittitur.* Complectitur igitur hæc charitas amicorum, & inimicorum dilectionem, qui duo amores si inter sese conferantur, mutuo se se vincunt, & vincuntur. Nam amicorum quidem amor hoc potissimum nomine inimicorum amorem superat, quòd nobiliorem, digniorémque personam, magisque Deo coniunctam respicit; ab eo verò superatur, quòd inimici amor amplior sit, ac latius pateat, omninóque purior, ac perfectior videatur. Latius quidem patet, cum amicos, inimicosque complectatur, atque idcirco Ambrosius [g] hoc ait esse latum illud mandatum, de quo Dauid: *Latum mandatum tuum nimis.* Est autem purior, quia nulla in eo spectatur amoris ratio, nisi Deus ipse, qui hunc amorem præcipit, cum amici amorem aliæ plerumque rationes humanæ soleant excitare, & fouere. Denique perfectior est, cum maiorem nisum, conatumque voluntatis requirat; ac propterea Christus [h] non obscurè indicauit, proprium esse perfectorum. *Si enim* (inquit) *diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis: nónne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt?* Tum concludit: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

f lib. 4. confess. cap. 9.

g Serm. 12. in Psal. 118.

h Matth. 5. 46.

VII. Itaque Augustinus [i] diligere amicos incipiētium, ac proficientium esse ait, diligere verò inimicos perfectorum. Idem confirmans Gregorius [k] apud Ieremiam [l] ait Moysem, & Eliam populi deprecatores nominati, quòd inimicos dilexerint, quod est proprium perfectorum. Denique Bernardus [m], cum

i in Ench. cap. 73. 74.

k li. 9. Mor. cap. 9.

l cap. 15.

m Ser. Fer. 4. Hebd. San.

a cap 15.1.

attulisset verba Christi apud Ioannem [a]. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Subdit: *Maiorem tu Domine habuisti, qui pro inimicis tuis animam posuisti.* Addit Christus benefaciendum iis, qui nos oderunt, tiam vt ait Gregorius, *probatio dilectionis exhibitio est operis.* Sic Paulus amoris effecta [b] exigit: *Estote ergo* (inquit) *imitatores Dei sicut filij carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Et Christus [c] imitationem Dei proponit: *Vt sitis* (inquit) *filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Hoc enim, vt ait Chrysostomus [d] addendum est ad amorem, vt ei benefacias, quem diligas, nihil enim aliud est amare, quàm beneuelle. Sunt autem, vt ait Basilius, spiritalia, & corporea bona optanda, curandaque inimico. *Quoniam* (inquit) *homo constat ex animo, & corpore, quod quidem ad animum attinet eos, qui huiusmodi sunt diligemus, castigando, admonendo, & omnibus modis ad sanitatem reuocando. Quod verò ad corpus pertinet, beneficiis ipsos subleuando, cum aliqua re egeant earum, quæ sunt ad vitam necessaria.* Deoique orandum ait Christus *pro calumniantibus & persequentibus*; quod, vt ait Gregorius [e], ipsi oranti maximam affert vtilitatem, sic enim scribit: *Pro semetipso poenitens tanto citiùs exaudiri meruit, quanto deuotè pro aliis intercessit, plus enim pro se valere preces suas efficit, qui has & aliis impendit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis Iudicis proximi dilectione conditur, quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro aduersariis impendat. Hinc est enim, quòd magistra veritas dicit: Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*

b ad Ephes. 5.1.
c Matt. 5.45
d Hom. 18. in Matth.
e li 35. Mor. cap. 7.

VIII. Quod si quis sciscitetur, quidnam pro inimicis ab immortali Deo petendum sit, acutè Augustinus [f], & Gregorius [g] respondent, id potissimùm à Deo contendeodum esse, quod ait Apostolus [h]: *Vt det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Vnde colligit Gregorius, non esse orandum pro Dæmonibus, nec pro damnatis, cum nequeant resipiscere, neque sententiam mutare, quod ipsum affirmat Augustinus [i], qui addit, ne orandum quidem esse pro iis, quos constaret esse reprobos; quia verò nemo potest prædestinatos à reprobis distinguere, vnà cum Ecclesia pro omnibus orandum est. Hac itaque ratione diligendi sunt inimici, alioqui si quempiam odio prosequimur, in tenebris versamur, neque Christiana professio quidquam proderit, cum planè, vt ait Ioannes, adhuc versemur in tenebris. Quid autem sit in tenebris versari, non tam exponendum est, vt ait Augustinus, quàm gaudendum si non fiat, aut plangendum si fiat. Spectat enim id ad Gentilium potius mores, & quod longè deterius est, ipsi etiam legi naturæ aduersatur; contra verò rectè subiicit Apostolus.

f Ser. 59. de temp
g li. 34. Mor. cap. 16.
h 2. ad Tim. 2.26.
i lib. 21. de ciuit. c. 24.

10. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.*

I. Non solùm in lumine est, quomodo dixerat, eum, qui odit fratrem, esse in tenebris, sed in lumine, inquit, manet, quasi dicat, perseuerat, seque eo lumine dignum ostendit, qui luminis ductum sequatur, quique vt filius lucis ambulet, vt ait Apostolus, omnes quippe fideles vi baptismi dicuntur illuminati, & sunt aliquo pacto filij lucis. Quòd si Christiano nomini, professionisque vita moresque respondeant, manere dicuntur in lumine, & tamquam filij lucis ambulare. Itaque monet Apostolus [a], *vt abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.* Et Christus: *Ambulate* (inquit [b]) *dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Paulus verò rursum Ephesios [c] monet, vt meminerint aliquando se fuisse in tenebris, sed diuinitus ad lucem translatos filios lucis meritò appellari. *Eratis* (inquit) *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Dicitur porro charitas, atque adeo omnis virtus meritò lux, quia à Patre luminum, atque ipso veræ lucis fonte promanat, in quo nullæ sunt tenebræ, oriturque à fidei luce, quæ est inter Theologicas virtutes ortu suo prima. Denique aliis lucem quodammodo præfert, vt propterea dixerit apud Matthæum Christus [d]: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

a ad Rom. 13.12.
b Ioan. 12. 35.
c cap 5. 8.
d Matth. 5. 16.

II. *Et scandalum in eo non est.* Augustinus scandalum passiuè interpretatur. *Qui sunt* (inquit) *qui patiuntur scandalum, aut faciunt? qui scandalizantur in Christo, & in Ecclesia; qui in Christo scandalizantur, tamquam à sole vruntur, qui in Ecclesia tamquam à luna. Dicit autem psalmus. Per diem sol non vret te, neque luna per noctem; id est, si tenueris charitatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia, nec Christum relinques, nec Ecclesiam.* Et re vera qui perfecta charitate præditi sunt, non facilè offenduntur, nec scandalum patiuntur, non enim offendunt, cum lumen videant, vel potius, vt ait Ioannes, in lumine maneant. Quocirca Hieronymus [e]: *Nota* (inquit) *quòd qui scandalizatur, paruulus est, maiores enim scandalum non recipiunt.* Et Ambrosius [f]: *Pusillorum est* (inquit) *exagitari scandalo, vnde & Dominus ait; quicumque scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis, non solùm pusillos, sed etiam minimos dicit, quos perturbant scandala, & ideo graui obnoxius pœna est, vt legisti, quicumque turbauerit infirmæ mentis infantiam. Sicut enim grauiori dignus est supplicio, qui persuaserit crimen infantulo, & incautam præcipitarit ætatem, ita qui inualidum, & insipientem, & improuidum circumscripserit persuasione erroris, aut excogitatione cordis affectum.*

e Matth. 18.
f Serm. 15. in Psal. 118.

III. Quam ob rem Paulus, qui strenuè ad perfectionem contendebat, cum dixisset, *quis scandalizatur,* protinus subiicit, *& ego non vror?* non dixit, scandalizor, sed vror. Quodam enim doloris sensu afficiebatur, dum quosdam videret, non leuiter offendi, & scandalizari, quod erat animi imbecilli, & qui non magnos haberet in virtute progressus. Ita Dauid [g]: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Non offenditur qui fratrem diligit, quasi sit graue hoc charitatis præceptum, verè enim dixit quidam [h]: *De diligendis inimicis fratres carissimi nullus vmquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere, non possum ieiunare, non possum vigilare, numquid potes dicere, non possum diligere? Potes dicere, non possum res meas totas pauperibus erogare, & in monasterio Deo seruire, numquid potes dicere, non possum diligere? Si dixeris, quia non possum à vino, & à carnibus abstinere, credemus tibi, si autem dixeris, quòd non possis in te peccantibus indulgere, omninò non credimus, quia nulla nobis remanet excusatio. dum non de cellario, sed de corde istam eleemosynam iubemur implere vt per viam vitæ ad æternam patriam mereamur peruenire.*

g Ps. 118. 165.
h Auct. Ser. de martyr. apud Leon.

IV. Possis etiam scandalum actiuè accipere, quasi dicat, qui fratrem diligit, cælesti lumine ita perfunditur, vt neminem lædat, nulli offendendi materiam, vel occasionē præbeat, ita enim omnes vitæ suæ rationes cūponit, vt nullus calūniæ, nullus obtrectationi pateat locus, quod enim alicubi monet Apostolus [i], re ipsa præstat, abstinétque ab omni specie mali, ipsúmque

i 1. Thessal. 5.22.

a 1. Cor. 12. 13. ipsúmque Apostolum [a] imitatur, qui de se ipso dixit: *Si esca scandalizat fratrem, non manducabo carnem in æternum.* Neque enim officio satisfacit, qui pusillorum scandalum quoad eius fieri potest non vitat, quia verè dixit Gregorius: *In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus.* Quam ob b Matt. 18. 6. causam dixit Christus [b]: *Væ mundo à scandalis.* Et: *Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Verè igitur ait Ioannes eum, qui fraterna charitate præditus proximum suum diligit, cælesti, ac diuino lumine perfusum esse, & alienum à scandalis, siue quia non facilè offendit, siue quia nemini offendendi occasionem præbet.

11. *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*

I. More suo Apostolus iterat, quod paulo ante dixerat, eum, qui fratrem odio prosequatur, in tenebris viuere; addit præterea, eum ambulare in tenebris, & ignorare quò tendat, quia tenebris habet oculos obcæcatos. Gradatim autem hoc malum amplificat, & exaggerat; nam primùm ait, eum esse in tenebris, non inscitiæ tantùm, sed etiam, quod deterius est, improbitatis: vt enim diximus, odium inimicitiæ grauissimum malum est, & ab ipso malorum omnium auctore subornatur. Deinde addit, eum in tenebris ambulare, & cæcorum more oberrare; postea C ignorare eum ait, quò tendat, cùm re vera in interitum ruat sempiternum, idque propterea, *quia tenebræ* (inquit) *obcæcauerunt oculos eius.* Et quidem *quid tam cæcum*, ait Augustinus, *quàm isti qui oderunt fratres?* Perstringit autem Donatistas, quasi odio fraterno excæcati offenderint ad lapidem offensionis, hoc est, Christum, & ab eo, eiúsque Ecclesia recesserint. Œcumenius autem hunc fermè in modum Apostoli verba explicat: *Qui dicit se esse Christi* (ait) *& fratrem suum odit, mentitur, & Christi inimicus est, nam si Christus ita ipsum amauit, vt animam suam pro eo poneret, quo pacto qui Christi se esse ait, odio fratrem suum prosequitur, pro quo Christus mortuus est?* Addit: *Vel hoc modo: Qui inquit se esse Dei, & odio habet fratrem suum, qui* D *est Christus, quippe cùm ipse dicat: Annunciabo nomen tuum fratribus meis, is profectò non Dei, sed Diaboli est, nam si esset Dei, fratrem suum, & per ipsum Christum amaret.*

II. Verùm quod posteriori loco ait de Christo, longè vt arbitror, abest à mente Apostoli, nec enim Christum, quem omnium Dominum, ac liberatorem prædicabat, simpliciter fratrem appellaret. Quamuis enim Christus ad suam in omne genus hominum beneuolentiam, & charitatem, & insignem præterea modestiam, atque humilitatem declarandam, discipulos suos fratres aliquando nominarit, nemo tamen Apostolorum ausus est vmquam eum vocare fratrem, cùm semper illum magistrum, ac Dominum nuncuparent; ita enim dixit apud E c cap. 13. 13. Ioannem Christus [c]: *Vos vocatis me magister, & Domine & bene dicitis, sum etenim.* Itaque vniuersim hoc loco Ioannes fratrem, hoc est, próximum vocat, & fraternum, id est, proximorum odium damnat, nec dubitat eos, qui odio inflammantur, in tenebris versari; & quasi cæcos incerto cursu rapi ad interitum. Rectè d Hom. 23. enim dixit Auctor [d] imperfecti: *Odium spiritus est tenebrarum, & vbicumque insederit, sordidat pulchritudinem sanctitatis.* Addítque: *Cùm mundus iste scandalis plenus sit, si amicos tantum voluerimus diligere, non poterimus inuenire quos diligamus.* Et profectò cæci meritò appellantur qui proximum oderunt, non enim vident, quam

A magnum ab inimicis beneficium accipiant. Nam vt omittam quæ sapienter scribit Plutarchus, verè dixit Augustinus [a]: *Plus diligendi sunt inimici, quàm amici, qui enim inimici sunt, corpori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia, quia quæ carnalia nostra, & terrena rapiunt, cælestia nobis, & spiritualia congregant. Nonne magis diligendus est, quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici verò carnis nostræ nobis suauia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem.* a Ser. 59. de temp.

III. Et in eámdem sententiam Basilius [b]: *Quid* (inquit) *est, quod amico magnum adeo beneficium possit proficisci, quantum est illud, quod ab inimicis nobis datur? quorum opera fit, vt beatitudinem illam assequamur, de qua Dominus dixit: Beati estis, cùm vos oderint homines, & persecuti* B *vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me.* Fateor amorem inimici ab egregia quadam, planeque diuina charitate proficisci; quemadmodũ enim ait Plutarchus [c]: *Animantia, quæ plurimum stomacho valent, quæque corporibus sunt saluberrimis, etiamsi serpentes, & scorpios edant, facilè tamen concoquunt, & sunt qui saxis etiam, & testis alantur.* Ita qui diuino amore flagrant, contumelias, conuicia, probra, aliaque omnia incommoda concoquunt, & penè dixerim, serpentibus, scorpiisque saginantur. Eiusmodi fuisse ait Augustinus [d], innumerabiles Martyres. *Tot* (inquit) *viri, tot mulieres, clerici, pueri, sancta, & tam delicata puellæ flammas, & ignes, & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos hominum conuicia dicimus tolerare non* C *posse. Vnde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus sanctis partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla, neque in rebus minimis non acquiescimus.* Profectò quemadmodum Solis ardor omnes nubes, halitúsque absumit, sic charitatis flamma iniurias, & contumelias pro nihilo ducit, & vt noctis frigiditas nubes fouet, nôn aliter mentis cæcitas conuicia retinet, atque auget. b in regg. breuior. reg. 176. c de vtil. ab inim. cap. d Serm. 61 de temp.

IV. Itaque meritò ait Ioannes, qui fratrem odit, & ambulare in tenebris, & cæca mente huc illuc errabundum ad interitum ruere: *Tenebræ* (inquit) *obcæcauerunt oculos eius.* Internæ quippe mentis tenebræ internam animi cæcitatem pariunt, & ad externas tenebras perducunt, in quibus *erit fletus, & stridor dentium.* Cæcus est quicumque fratrem, & proxi-D mum odit, nec tamen se cæcum agnoscit, sed lynceum potius, atque Argum putat. Sic enim ferè comparatum est, vt nemo vitium, seu morbum, quo laborat, facilè agnoscat, quod egregio exemplo ostendit Seneca [e]: *Harpasten* (inquit) *vxoris meæ fatuam scis hereditarium onus in domo mea remansisse, ipse enim auersissimus ab istis prodigiis sum; si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me rideo. Hæc fatua subito desiit videre, incredibilem tibi narro rem, sed veram, nescit esse se cæcam, subinde pædagogum suum rogat, vt migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere liqueat tibi, nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum.* Simile quiddam in sene quodam homine probo, & magnæ apud suos auctoritatis, & meritò ob eximiam, & singularem E eruditionem, obseruaui adolescens, cùm enim ille quippe octogenario maior surdaster effectus esset, hoc tamen in se vitium minimè agnoscebat, sed verè, ac seriò conquerebatur, pessimam consuetudinem inualuisse, homines multo submissius loqui, quam solerent, ita vt viderentur vereri, ne intelligerentur, & non minus falsò, quàm ineptè in eo modestiam collocare. e epist. 50.

V. Ea fermè est omnium vitiosorum hominum conditio, vt se, suasque sordes non agnoscant, nemo se auarũ esse intelligit, nemo cupidũ. Non ego, ait quispiam, ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere; non ego sumptuosus, sed vrbs ipsa magnas

impensas exigit: non est meum vitium, quòd iracundus sum, quòd nondum constitui certum genus vitæ, adolescentia hæc facit. Sed nemo in suis morbis magis excæcatur, quàm qui iracundia inflammatur, & odio incensus iniurias vlciscitur. Cæteræ enim animi perturbationes suauitate quadam animum demulcent, & nimia quadam dulcedine inebriant. At verò ira, & odium animum extra se rapiunt, & penè in amentiam vertunt; sic enim ait Chrysostomus [a]. *Inter iram, & insaniam nihil differt.* Et M. Tullius [b] nihil ait esse similius insaniæ, quàm iram, quam bene Ennius dixit, *initium insaniæ.* Et Seneca [c]: *Quidam* (inquit) *ex sapientioribus dixerunt, iram breuem esse insaniam.* Quocirca Chrysostomus [d]: *Videbis* (inquit) *iratos non secus, ac insanos turpiter in insaniam præcipites ferri, cum enim circa præcordia ira efferbuerit, ut ignem emittit, tota inflatur facies, incompositè manus mouentur, ridiculè prosiliunt pedes.* Denique Gregorius [e]: *Ira stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti.* Inde oritur odium, quod nihil aliud videtur esse, quàm ira quædam altius in animo hærens, & longo tempore fota.

a Hom. 47. in Ioan.
b Tuscul. 4.
c li. 1. de ira cap. 1.
d Hom. 3. in Ioan.
a li. 5. Mor. cap. 31.

12. *Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius.*

I. Non satis liquet, quánam ratione hæc superioribus attexantur, nam sunt, qui referant ad superiora, cùm dixit: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, ambulare*; quasi nunc doceat, quid singulis agendum sit, vt Christi mores, vitamque imitentur. Malim ego cum OEcumenio proximè superioribus adiungere, cùm enim præceptum charitatis maximè commendasset, id nunc singulis hominum generibus, seu gradibus accommodat, cùm non æquè omnes charitatis perfectionem assequi possint, sed alij alijs magis proficiant. Ita autem scribit OEcumenius: *Quoniam dixit, mandatum nouum scribo vobis, affectionem quoque eorum, qui epistolam accepturi sunt, notat, atque id ex prouectione, ac progressu augmenti corporalis. Nouerat enim, non omnes orationem hanc æqualiter esse admissuros, neque simili diligentia, ac studio, sed alios tamquam pueros introductionis modo, quibus remissionem peccatorum per Christi fidem promittit; alios tamquam prouectos, qui in virum perfectum euaserint ad ætatem perfectionis Christi, atque ita, vt alios etiam procreare filios possint, quibus quòd eius, qui ab initio erat, cognitionem habeant, testificatur. Sed quis est, qui ab initio est, nisi Deus Verbum, quod erat in principio apud Deum? Alij tamquam adolescentes erant hoc suscepturi, quibus utpote iuuenilibus affectis, ac luxuriantibus contra ignominiosas perturbationes victoriam pollicetur.* Ita videtur, quæ subiicit Apostolus ab hominum ætate desumpta spirituali profectui accommodare, sic enim subiicit:

II. *Quia igitur* (inquit) *ita vos scio pro ætatum differentia ea, quæ a me scribuntur, esse admissuros, me quoque ad affectionem ætatis vestræ accommodare doctrinam necesse est, atque alios alloqui tamquam filios, qui agnouerunt Patrem, hoc est, Deum, alios vt Patres, qui quidem filiis cognitione eatenus præstent, vt non tantùm Deum tamquam Patrem, verùm etiam tamquam principio carentem, & imperceptibilem agnouerint, quippe qui in principio erat, quibus sanè perfectiore institutione opus est. Adolescentibus autem, & iuuenibus, qui robusti cum sint, ad luctam, & certamina instruendi sunt, victoriæ gloriam attestatus, eos generosis ac militaribus colloquutionibus vndique extendit.* Quæ omnia tam copiosè recensui, non quòd omnia probem, sed vt ostendam rectè illum quæ hoc loco subiicit Apostolus, cum proximè præcedentibus coniungere. Cæterùm, ni fallor, dilectionis præceptum ad omnes hominum gradus pertinere affirmat. Nominantur autem ab Apostolo primo loco filioli, Græcè τεκνία: deinde patres, Græcè πατέρες: tertiò adolescentes, Græcè νεανίσκοι: quartò, ac postremò infantes, Græcè παιδία. Rursus repetuntur patres, & adolescentes, sed addito verbo temporis præteriti. Quod igitur attinet ad Ioannis mentem, sic sentio, & sic existimo, primam illam sententiam, qua se ait ad filiolos scribere, vniuersim fideles omnes complecti, quos meritò filiolos vocat, quia non ita pridem Baptismo lustratos Christo pepererat. More autem suo ad maiorem beneuolentiam, & charitatem indicandam filiolos appellat, nam & infra dicit: *Filioli nouissima hora est.*

III. Quod igitur ait: *Scribo vobis filioli*, perinde accipio ac si dicat, hoc vetus, nouumque charitatis præceptum, de quo hactenus disserui, ad vos potissimùm pertinet, qui nuper Christo aggregati præteritorum scelerum, ac flagitiorum expiationem adepti estis. Hoc enim significat, cùm ait, *quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius*: vt hoc veluti communi argumento probet iniurias condonandas, & inimicos diligendos esse, quod ipsi qui pridem Deo erãt exosi, atque infensi baptismi beneficio tã facilè in gratiam admissi sint, & quotidie si fortè labantur, pœnitentiæ Sacramento denuò cum eo amicitiam ineant, propterea enim præsenti tempore dixit, *remittuntur vobis peccata.* Visum est autem hoc argumentum efficax, meminerat enim Apostolus, monuisse Christum, vt in oratione Dominica [a] fideles frequenter illud iterarent. *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Itemque apud eumdem Matthæum propositam parabolam de seruo illo nequam, qui immemor accepti beneficij debitum à conseruo seuerissimè exigebat, his verbis conclusisse. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Omnis enim ea parabola cò refertur, vt doceat, Deum non ignoscere iis, qui iniurias vlciscuntur, & perpetuas, & implacabiles inimicitias exercent.

a Matth. 6.

IV. Itaque Ioannes rectè colligit, quia Deus facilè peccata condonat, etiã inimicos beneuolentia complectendos esse. Sic enim scripsit Sapiens [b]: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit.* Quod adeo verum est, vt viri sanctissimi indicare videantur eos, qui iniurias vlciscũtur, vsque eò contra se diuinam iustitiam prouocare, vt eorum etiam scelerum, quæ iam expiata erant, sint pœnas daturi. Ita enim scribit alicubi Gregorius [c]: *Quia* (inquit) *seruus conseruo suo debitum non dimisit, & hoc est iussus exigi, quod ei fuerat iam dimissum, ex quibus dictis constat, quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Neque ab hac sententia abhorrere videtur Augustinus [d], ex eadem enim parabola, *redire* (ait) *peccata dimissa, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus docet de illo seruo.* Et inter Græcos Theophylactus [e]: *Cogita* (inquit) *quãtum malum sit vindictæ cupiditas, quandoquidem etiam donationem Dei reuocat & irritat. Quamuis enim dona Dei ea sint, quorum illum non pœniteat, reuocantur tamen hac ratione, & irritantur.* Denique Euthymius [f]: *Nisi erga nostros debitores misericordia vsi fuerimus, subuertemus etiam quæ nobis supplicantibus remiserat, & postmodum omnium pœna à nobis sine vlla compassione exiget.*

b Eccl. 28. 2.
c lib. 4. dial. cap. 6.
d li. de bapt. cõt. Donat. cap. 12.
e Matth. 18.
f Matth. 18.

V. Quæ tamen non perinde accipienda sunt, quasi re vera Deus peccata iam condonata rursus reuocet, & eorum pœnas exigat, sed id tantum significant, vt egregiè docet D. Thomas [g], æternam pœnam redire, quæ pristinis peccatis debebatur, nõ quidem propter illa, sed propter nouum peccatum perpetratũ contra proximũ, quod ob ingrati animi vitiũ habitã ratione

g 3. p. q. 88.

præteritæ

A præteritæ indulgentiæ & grauius censetur, & acerbiori supplicio dignum. Ita alibi dixit Dominus[a], fient nouissima deteriora prioribus, semper enim peccatum post priorem culpam expiatam admissum ex ingrati animi vitio turpius, ac detestabilius censetur.

a Luc. 11. 26.

Neque verò parabola illa de seruo nequam aliud significat. rectè namque docuit Chrysostomus[b], in parabolis non aliter atque in picturis aduci plerumque parerga, quæ ad parabolæ sensum nequaquam pertineant. *In parabolis* (inquit) *non oportet nimia in singulis verbis cura peragi, sed cùm quid per parabolam intendat Dominus didicerimus, inde vtilitate collecta nihil vlterius anxio est conatu inuestigandum.* Neque enim, vt idem alibi dixit, *ad verbum exponenda parabola sunt.* Nec discrepat Augustinus[c], qui de typis, ac figuris veteris Testamenti ea docet, quæ in omnes etiam parabolas conueniunt. *Non sanè* (inquit) *omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa,* B *quæ aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria, & soli nerui in citharis, atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum, sed vt aptari possint, insunt & cætera in compagibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia dicuntur & aliqua, quæ nihil significant, sed quibus adhæreant ea, quæ significant, & quodammodo religentur.*

b Hom. 65. in Mat. simil hom. 11. in Epist. ad Roman. & hom. 48. in Matth.

c lib. 16. de Ciuit. c. 2.

VI. Itaque rectè Sapiens[d]: *Relinque* (ait), (hoc est, dimitte, aut condona) *proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Addit: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo, quis exorabit pro peccatis illius?* Hæc enim omnia rei indignitatem, & criminis magnitudinem exaggerant, omninòque exprimunt, quod alicubi dixit Christus[e]: *Dimittite, & dimittemini, si dimiseritis hominibus peccata eorum, & Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Rectè itaque Ioannes ad fideles ait pertinere caritatis præceptum, quo iubentur inimicos diligere, & iniurias facilè condonare, quia ipsi facilè à Deo impetrarunt, & impetrant peccatorum condonationem. Meritò autem dixit præsenti tempore, *remittuntur*, ne quis fortè Nouatiano errore implicatus semel tantùm peccatorum veniam sperandam esse existimaret, cum quoties ingemuerit peccator, Deus facilè ignoscat. Addit, *propter nomen eius*, vt excludat liberi arbitrij merita, quæ seclusa Christi gratia nulla esse possunt; itemque Ministrorum vel sanctitatem, vel auctoritatem, quæ ad expianda peccata vim nullam habet: *Per cuius nomen* (inquit Augustinus) *remittuntur peccata? numquid Augustini? ergo per nomen Donati? Videris quis Augustinus, aut quis Donatus? Nec per nomen Pauli, nec per nomen Petri; nam diuidentibus sibi Ecclesiam, & partes facere de vnitate cupientibus parturiens paruulos Mater caritas in Apostolo exponit viscera sua, conscindit quodammodo verbis vbera sua, plorat filios, quos videt efferri, reuocat ad vnum nomen eos, qui multa nomina sibi facere volebant, repellit ab amore suo, vt Christus ametur, & dicit: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? quid dicit? Nolo mei sitis, sed vt mecum sitis, mecum estote. Omnes illius simus, qui pro nobis mortuus est, qui pro nobis crucifixus est, vnde & hic dimittuntur vobis peccata per nomen eius, non per hominis alicuius.* In nomine igitur Christi, hoc est, eius merito, & auctoritate expiantur peccata.

d Eccles. 28.

e Luc. 6. 37.

13. *Scribo vobis Patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum.*

I. Quod vniuersim de fidelibus omnibus dixerat, A id priuatim singulis hominum generibus accommodat, hominum verò ætates in tres veluti gradus partitur. Nam alios quidem ab ætate matura appellat patres, alios adolescentes, nonnullos denique infantes, vt his tribus hominum generibus tres spiritalis vitæ gradus insinuet. Perfectos videlicet, quos appellat patres, proficientes, quos adolescentes nominat, denique incipientes, quos infantes nuncupat. Pertinere igitur ait caritatis præceptum ad perfectos, qui sunt veluti aliorum parentes, siue quia aliorum salutem procurant, siue quia cum perfecti sint, alios possunt ad perfectionis studium inflammare. Patres igitur vocat eos, qui iam ætate sunt maturi, & qui magnos habent in virtute progressus, quibus maximè congruit inimicorum dilectio, & iniuriarum obliuio ob eam maximè causam, quòd eum cognouerint, qui ab initio est, hoc est, perfectam Christi cognitionem B adepti sint, is enim est, de quo hic ipse Apostolus in huius epistolæ exordio dixerat. *Quod fuit ab initio*, &c. Cum ergo ij cognouerint Christi diuinitatem, atque æternitatem, nec de eius doctrina dubitare queant, statuere apud se possunt, hoc ipsius præcipuum, ac singulare præceptum magnopere esse complectendum. Ait autem hoc loco Augustinus, filios vocari, *quia remittuntur eis peccata propter nomen eius, & quia regenerantur in nouam vitam.* Ac subdit: *Quare Patres? quia cognouistis eum, qui à principio est, principium enim ad paternitatem pertinet.*

Mox verò de Christo in hunc modum differit: II. *Nouus Christus in carne, sed antiquus in diuinitate.* Sic enim explicat quod ait Apostolus à principio, atque C ideirco subiicit: *Quàm antiquus putamus? quot annorum? putamus ne maior, quàm mater sua? maior planè quàm Mater. Omnia enim per ipsum facta sunt, si omnia, & ipsa Mater. Antiquus fecit, de qua nasceretur nouus. Putamus ne ante Matrem solam? & ante auos Matris antiquus. Auus Matris ipsius Abraham. & Dominus[a] dicit. Ante Abraham ego sum. Ante Abraham dicimus? cælum, & terra antequàm esset homo facta sunt: ante ipsa fuit Dominus, imò & est. Optimè enim non ait, ante Abraham ego fui. sed ante Abraham ego sum. Quod enim dicitur, quia fuit, non est, & quod dicitur, quia erit, nondum est. Ille non nouit nisi esse, secundum quod Deus est, esse nouit, fuisse, & futurum esse non nouit.* Propterea etiam hoc loco ait Ioannes, qui ab initio est. Quod autem sit hoc initium explicans Au- D gustinus ait: *Dies est ibi vnus, sed sempiternus non ponunt illum diem in medio hesternus, & crastinus, hesterno enim die finito incipiens hodiernus venturo crastino finitur. Ille vnus dies ibi est sine tenebris, sine nocte, sine spatiis, sine mensura, sine horis; quod vis illum dic, si vis, dies est, si vis, annus est, si vis, anni sunt. Dictum est enim de ipso. Et[b] anni tui nō deficient. Quomodo autem dictus est dies? quando dictum est Domino[c]. Ego hodie genui te. Ab æterno Patre genitus, ex æternitate genitus, in æternitate genitus; nullo initio, nullo fine nullo spatio latitudinis, quia est, quod est, quia ipse est, qui est. Hoc nomen suum dixit[d] Moysi. Dices eis, qui est, misit me ad vos: quid ergo ante Abraham? quid ante Noe? quid ante Adam? audi Scripturam[e]. Ante Luciferum genui te. Postremò ante cælum & terram; quare? quia omnia[f] per ipsum* E *facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ideo Patres agnoscite, patres enim fiunt agnoscendo, quod est ab initio.*

a Ioan. 8. 58.

b Psal. 101. 28.

c Psal. 2. 7.

d Exod. 3. 14.

e Psal. 109. 4.

f Ioan. 1. 3.

Ita videtur Apostolus eos appellare patres, qui in III. hac vita perfectionem sectantur, qui cognitionem, & scientiam, qua præditi sunt, ad praxim reuocant, & cum caritate coniungunt, ac proinde: *Si cognouimus* (ait Augustinus) *amemus. Nam cognitio sine caritate non saluos facit. Scientia inflat, caritas[g] ædificat: si confiteri volitis, & non amare, incipitis Dæmonibus similes esse, confitebantur Dæmones filium Dei, & dicebant: Quid nobis, & tibi? & repellebantur; confitemini, & amplectimini.* Patris porrò nomen primùm est naturæ, tùm religionis, de-

g 1. Cor. 8. 1.

A hinc honoris, ac dignitatis, postremò ætatis. Natura dicitur pater filiorum respectu, qui interdum paterfamilias nominatur, quasi totius familiæ caput. Haud tamen crediderim hac ratione accipi ab Apostolo nomen patris. Honoris nomen erat apud Romanos, apud quos Senatores patres sunt appellati, & ex illis geniti patritij. Qua fortassè ratione serui Nahaman Syri eum [a] patrem appellabant, nisi patremfamilias dicere maluerint; atque hæc ratione dixit [b] ille:

a 4 Reg 5. 13
b Horatius.

Hic ames dici pater, atque princeps.

Nam inter Imperatorum titulos etiam pater patriæ recensebatur. Religionis nomen erat apud Gentiles, qui Liberum patrem, & Iouem Deorum patrem appellabant. Apud fideles autem Episcopi patres vocantur, sic Augustinus. Cassiodorus [c] autem: *Quod etiam* (inquit) *in hac nostra conuersatione, hodiéque contingit, vt filius Episcopus factus Patris sui Pater vocetur, non nascendi ordine, sed honore.* Et Sidonius [d]: *Inclyti Galliarum Patres, & Protomystæ.* Qua ratione Pontifex Romanus Pater Patrum nuncupatur. Sic Tertullianus [e]: *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium Pontifex scilicet Maximus Episcopus Episcoporum dicit.* Quod nomen Ambrosius ipsi Christo [f] tribuit. Erat præterea nomen ætatis, nam senes ferè Patres vocare consueuimus.

c Psal. 109.
d lib. 4. ep. 17.
e lib. de pudic. in init.
f Ser. 83.

B

IV. Cùm igitur Apostolus ad patres se scribere ait, spectare potuit ætatem, aut honorem Ecclesiasticum, atque adeo aliquo pacto religionem, ac propterea iis hanc maximè ob causam caritatis præceptum commendat, quòd perfectam Dei notionem adepti sint: *Quoniam* (inquit) *cognouistis eum qui ab initio est*; quasi dicat, eos tùm ratione ætatis, tùm etiam honoris, & religionis respectu Christiana quadam sapientia præditos esse, quæ id siue ætatis, siue honoris maximè deceat; sic enim loquitur [g] Iob: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et alius quidam apud ipsum [h]: *Sperabam enim, quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam, sed vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Et Salomon [i]: *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, sed cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Hos igitur monet Apostolus, vt meminerint caritatis præceptum ad se potissimùm pertinere, cum maximè spectet ad perfectionem, quæ patris nomine indicatur.

C

g cap. 12. 12.
h cap. 32. 7.
i Sap. 4. 8.

D

V. Quoniam verò hoc præceptum latissimè patet, subiicit Apostolus: *Scribo vobis adolescentes*, siue ratione ætatis, siue etiam progressus, quem iam in virtute fecissent. Danda enim iis diligenter opera est, vt proximos Christiana caritate prosequantur, cæteræ enim virtutes absque caritate perexiguam, ac penè nullam vim habēt vt ad Corinthios docet Paulus [k]. Cur autem iis caritatis præceptum commendatum esse percipiat, explicat, cùm addit, *quia vicistis malignum*, Græcè τ πονηρόν, hoc est, perditum illum, ac scelestum malorum omnium incentorem. Videtur antē alludere ad vim nominis, & eam quodammodo interpretari: quos enim Interpres adolescentes vocat, Græcè Apostolus νεανίσκους nominat, quod nomen significat corpore, ac viribus validos, vt possint labores pugnæ tolerare. Continenter siquidem cum principibus, ac potestatibus, vt loquitur Apostolus, dimicandum nobis est. Qui autem strenui sunt, ac robusti facilè diuinæ gratiæ præsidio fulti Dæmonem superant. Sic enim ait Paulus [l]; *Qui dat nobis victoriam per Christum.* Itaque OEcumenius: *Adolescentibus autem,* (ait) *& iuuenibus, qui robustiorum sint, ad luctam, & certamina instruendi sunt, victoriæ gloriam attestatus eos generosis, ac militaribus collocutionibus indigere ostendit.* Quanquam suspicor, non tàm Apostolum affirmare quod

k 1. Cor. 13.
l 1. Cor. 15. 57.

E

A te vera sit, quàm quod maximè cupiat; decet enim adolescentes cum prauis cupiditatibus luctari, quæ in ea ætate maximè vigent, vt ea ratione arma quodammodo Dæmoni subtrahant, quibus ille nos oppugnat, vt enim ait Iacobus [a]: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*

a cap. 1. 14.

VI. Obseruat autem Augustinus, prudenter admodum Ioannem suam cuique gradui laudem tribuere: *Filij* (inquit) *sunt, patres sunt, iuuenes sunt. Filij quia nascuntur, patres quia principium agnoscunt, iuuenes quare? quia vicistis malignum. In filiis natiuitas, in patribus antiquitas, in iuuenibus fortitudo.* Mox autem de pugna, & victoria iuuenum subdit: *Si malignus à iuuenibus vincitur, pugnat nobiscum pugnat, sed non expugnat, quare? quia nos sumus fortes? an quia ille est fortis in nobis, qui inter manus persequentium infirmus inuentus est? Ille nos fortes fecit, qui persequentibus non restitit, crucifixus est enim ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Hos igitur tanquam strenuos, & fortes monet, vt qui malignum vicerint, se ipsos, quod gloriosissimum est, vincant, & iniurias facilè condonent, inimicos denique amore, & beneuolentia complectantur. Hoc itaque est, quod ait Apostolus, *scribo vobis*; hoc est, vos priuatim moneo, & hæc mea caritatis commendatio ad vos potissimùm pertinet, siue patres, siue iuuenes, siue infantes sitis; omnibus enim hoc præceptum congruit, vel potius est necessarium in primis.

B

C 14. *Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis Patrem; scripsi vobis adolescentes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.*

I. Sunt, qui hoc loco præterito tempore legant: *Scripsi vobis infantes.* Sed Græci codices, qui nunc habentur in manibus, constanter habent γράφω, hoc est, scribo; itaque legisse videtur OEcumenius, præsens enim tempus posuit Interpres, & ratio id videtur postulare, nam & præsenti tempore vsus est, cùm de patribus, & adolescentibus ageret. Quòd verò protinus præterito tempore subiiciat: *Scripsi vobis adolescentes*, ad id refertur, quod modò dixerat: *Scribo vobis adolescentes*, est enim, vt dicam, non inutilis repetitio superiorum. Iam infantes Græcè vocat, παιδία quod nomen si referatur ad ætatem, parùm aptè diceret Apostolus, se ad eos scribere, cum illi ne percipere quidem possint, quæ dicuntur, tantùm abest, vt re ipsa perficere queant. Eos igitur significare videtur, qui vitæ spiritalis tyrocinium ponunt, qui adhuc quasi in rudimentis versantur, quibus tribuit Patris cognitionem: *Quoniam* (ait) *cognouistis Patrem*, quasi indicet, eos vnum verum Deum agnoscere, & profiteri, de quibus ait [b] Petrus: *Quasi modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite*; adscribit autem patribus notionem Verbi, infantibus cognitionem Patris. Accipio autem hoc loco Patris nomen, non vt refertur ad filium, quem ante omnem æternitatem genuit, sed vt simpliciter dicitur Deus Pater, nostrū omnium respectu, qui auctore Christo dicere audemus, *Pater noster, qui es in cælis.* Cognitio verò Verbi, quam paulo ante Patribus tribuit, multo est perfectior, complectitur enim cognitionem diuinitatis Christi, vt modò ex Augustino docui, atque ita notionem Trinitatis continet, cum verbum sit dicentis verbum.

D

b ep. 1. 2. 2.

E

II. Possis etiam hæc nomina paulo aliter accipere, quasi eosdem patres, adolescentes, atque infantes nominet, alia tamen, atque alia ratione. Patres quidem, quòd alios ad Christi fidem, eiusque diuinitatis confessionem adducant, & Christianis præceptis atque institutis erudiant. Adolescentes verò, quòd dæmonum oppugnationes forti, constantique animo

mo tolerent, & gloriosam victoriam referant. Denique infantes, quòd eius ætatis innocentiam, & simplicitatem imitentur, & quam de Deo notionem mente perceperunt, moribus exprimant. Has enim
a Matt. 18.3. infantium conditiones exigit Dominus [a], cùm ait: *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Idemque insinuare visus est Paulus [b], cùm dixit: *Malitia paruuli estote.* Quoniam igitur Ioannes has omnes proprietates, & conditiones in omnium fidelium mentibus inesse maximè desiderabat, his omnibus nominibus eos describit. Iam verò Græci codices duas hoc loco repetitiones habent; priorem quidem his verbis: ἔγραψα ὑμῖν πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς, hoc est; scripsi vobis patres, quoniam eum cognouistis, qui est ab initio, quod totidem verbis paulo ante dixerat. Alteram, quam ponit Latinus Interpres, quæ est eiusmodi: *Scripsi vobis adolescentes, quoniam fortes estis & verbũ Dei manet in vobis, & vicistis malignũ.* quæ de infantibus dixerat, non putauit iterãda.

b 1. Cor. 14. 20.

III Sed cur duo membra repetierit, tertium omiserit, non planè liquet. Verùm duo illa iterasse videtur, vt indicet rem esse magni faciendam, ita enim significat Augustinus, qui vtráque repetitionẽ latinè legisse videtur. De priori enim ait: *Cõmendas hoc, & re, itis, quia cognouistis eum, qui a principio est, mementote vos patres esse, si obliuiscemini eum, qui à principio est, perdidistis paternitatem.* De posteriori verò subdit: *Scribo vobis iuuenes, etiam atque etiam considerate, quia iuuenes estis, pugnate, vt vincatis, vincite vt coronemini, humiles estote, ne cadatis in pugna.* Vbi videtur Augustinus in vtraque repetitione tempore præsenti legisse, *Scribo,* non autem præterito, vt nunc habet Interpres, *Scripsi.* Sed cur omisit infantes? OEcumenius ad eos putat pertinere, quæ subiicit Apostolus: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* Fauet etiam Didymus, qui hac ratione putat, reuocari homines ab amore mundi, quo maximè infantes, hoc est, spiritalis vitæ tyrones impliciti tenentur. Neque magnopere abhorrere videtur Augustinus, ait enim: *Vos amate dimissorem iniquitatum vestrarum. Sed quomodo poterimus amare Deum, si amamus mundum? parat nos ergo inhabitari caritate. Duo sunt amores, mundi, & Dei: si mundi amor habitet, non est, quà intret amor Dei. Recedat amor mundi, & habitet Dei: melior accipiat locum. Amabas mundum, noli amare mundum; cùm exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem diuinum, & incipiet habitare iam caritas, de qua nihil mali potest procedere. Audite ergo verba purgantis, modo quasi agrum inuenit corda hominum, sed quomodo inuenit? Si syluam inuenit, extirpat, si agrum purgatum inuenit, plantat, plantare ibi vult arborem caritatem. Et quam syluam vult extirpare? amorem mundi. Audi extirpationem syluæ, Nolite diligere mundum.* Hæc autem omnia in eos maximè cadunt, qui non ita pridem cælestia, & diuina bona appetere cœperunt, quos Apostolus infantes videtur appellare.

IV. Cùm autem repetit adolescentum adhortationem ad ea, quæ dixerat, *quia vicistis malignum,* addit: *quia fortes estis, & verbum Dei manet in vobis.* Vox enim Græca ἰσχυροὶ significat, vt dixi, validos, ac robustos. Ne autem hoc adolescentes suis viribus tribuant, subdit: *Verbum Dei manet in vobis* Hinc quippe manat omnis vis, ac potestas, sic enim apud hunc ipsum
c Io. 15. 4. Euangelistam dixerat Christus [c]: *Manete in me, & ego in vobis, sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis.* Quo
d Trac. 81. in Io. loco Augustinus [d] egregiè distinguit modum, quo verbum, id est, Christus manet in nobis ab eo, quo nos manemus in illo. *Non eo modo* (inquit) *illi in ipso, sicut ipse in illis. vtrumque autem prodest, non ipsi, sed illis. Ita quippe in vite sunt palmites, vt viti non conferant, sed inde accipiant, vnde viuant; ita verò vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest vtrumque, non Christo. Nam præciso palmite potest de viua radice alius pullulare; qui autem præcisus est sine radice non potest viuere.* Suspicor autem voluisse hoc loco Apostolum tacitè indicare, quod loco notato apertè docuit Christus, non posse videlicet quemquam strenuè pugnare, ac vincere, nisi diuinæ gratiæ beneficio iuuetur. Ita enim dicit Christus: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis.* Etenim ipse quasi vitis in nobis manet, & iugiter gratiam instillat, de qua ibidem ita loquitur Augustinus.

Magna (ait) *gratia commendatio fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum.* Protinus autem contra Pelagianos inuehitur, qui plus æquo liberi arbitrij viribus tribuebant: *Ecce,* (inquit) *nunc si audent, respondeant, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ecce iam respondeant sibi placentes, & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes. Nõnne huic resistunt veritati homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui respondent & loquuntur iniquitatem dicentes: A Deo habemus, quòd homines sumus, a nobis ipsis autem, quòd iusti sumus. Quid dicitis? qui vos ipsos decipitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij ex alto elationis per inania præsumptionis in profunda submersionis? Nempe vox vestra est, quòd homo ex semetipso facit iustitiam, hoc est, altitudo elationis vestræ. sed veritas contradicit, & dicit: Palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite. Ite nunc per abrupta, & non habentes vbi figamini ventosa loquacitate iactamini. Hæc sunt inania præsumptionis vestræ, sed quid vos sequatur, videte, & si est in vobis vllus sensus, horrete. Qui enim à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est, qui in Christo non est, Christianus nõ est. Hæc sunt profunda submersionis vestræ.* Quæ omnia non temerè à me descripta sunt, hoc enim insinuat Ioannes, cùm adolescentum robur, & fortitudinem à verbo in ipsis manente profluere docet. V.

Cùm igitur ait: *Fortes estis, & Verbum Dei manet in vobis,* idem significat, quod ad Colossenses [a] scribit Paulus. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos.* Vt enim Paulus ait, sapientiam proficisci à Christo manente in nobis, ita hic Ioannes ab eodem ait oriri robur, & fortitudinem. Cùm autem Christus manet in nobis, nos etiam in illo manemus, qui autem in illo manet, suam voluntatem diuinæ penitùs accommodat, planeque subiicit, de qua Christus [b] ait: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Quo loco Augustinus [c]: *Manendo quippe in Christo quid velle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manendo in Saluatore, nisi quod non est alienum à salute? Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo, & aliud volumus quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansione namque huius sæculi nobis aliquando subrepit, vt hoc petamus, quod nobis non expedire nescimus. Sed absit, vt fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, cùm verba eius in nobis manent, quodcumque voluerimus petimus, & fiet nobis.* Quamobrem adolescentes ideo fortes sunt, quia verbum Dei in illis manet, & ipsi in illo tamquam in arce tutissima, vt oppugnari quidem interdum possint, numquam autem expugnari. VI. a cap. 3. 16. b Io. 15. 7. c Tract. 81. in Io.

Rectè enim scribit Gregorius [d]: *Qui manet in Verbo, non fraudatur à regno, aliter namque fructũ facere non possumus, nisi in eo maneamus, ideoque ait: Manete in me, & ego in vobis. Vbi enim manẽdũ nisi in ipso? Deficient domus, palatia corruẽt, destruentur ciuitates, ab imis sedibus turres euellentur, postremò cælũ, & terra transibũt, verbũ autẽ Domini manet in æternũ. Non sequamur vanitatem deserentes* VII. d In Psal. 6. pœnit.

A *veritatem, nec contristemur sicut cæteri, qui spem non habent, sed sustineamus eum, etsi moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis, quod per Prophetam dicitur Væ his, qui perdiderunt sustinentiam!* Iuuenum itaque, seu adolescētum fortitudo pendet à Christo; ac propterea rectè dixit Paulus [a]: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* & Ieremias [b]: *Spiritus* (ait) *oris nostri Christus Dominus, cui diximus. In vmbra tua viuemus in gentibus.* Quēadmodum enim spiritus, atque halitus vitam conseruat, ita Christus vitam nostram tuetur, beneque agēdi vires sufficit. Quam ob causam Paulus [c]: *Libenter* (ait) *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Græcè δύναμις, hoc est, vis, atque agendi facultas, quæ videlicet iis adest, eorúmque conatus excitat, & fouet, qui suam ægritudinem, atque imbecillitatem & agnoscunt, & fatentur. B Quod egregiè profitebatur sanctissima fœmina Esther [d], cùm diceret: *Adiuua me solitariam, cuius præter te nullus est auxiliator alius.* Neque aliter loquebatur Iob [e]: *Non est* (inquit) *auxilium meum in me, & necessarij quoque mei recesserunt à me.* Deus verò ipse apertissimè apud Oseam [f] denunciat. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Idque fatetur [g] Dauid, qui ait. *Domini est salus.* Et alibi [h]: *Adiuua me, & saluus ero.*

a Ad Philip. 4.13.
b Thren. 4. 20.
c 2. Cor. 12. 9.
d cap. 14. 14
e cap. 6. 13.
f cap. 13. 9.
g Psal. 3. 9.
h Psal. 118. 117.

VIII. Quod olim aduersus Pelagianos viri sanctissimi apertissimè docuerunt. Etenim [i] Prosper: *Operante* (inquit) *Spiritu Dei sanatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumscripta, difficultatibus impedita non remaneat in languoribus suis, sed per opem misericordis medici* C *curata conualescat.* Quia verò Pelagiani admissa gratia liberum arbitrium tolli stultè mentiebantur, subdit: *Omnis pius motus illuminatarum mentium alienari quidem non potest à propria hominis voluntate. siquidem nihil rectè faciet, nisi quod volens egerit; sed vt ad id, quod æquū, & vtile est, animi tendat intentio, de illius æterna, & incommutabilis volunt ate inspiratione concipitur.* Concilij porrò [k] Arausicani Patres. *Nemo* (inquiunt) *habet de suo nisi mendacium & peccatum. si quis autem homo habet veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.* Et in eamdem sententiam Gregorius [l] explicans verba Ezechielis: *Statuit me super pedes* D *meos. Ecce* (inquit) *diuina vox iacentis Prophetæ iussit, vt resurgeret, sed surgere omnino non posset, nisi eum hunc omnipotentis Dei Spiritus intrasset, quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adiuuat, qui iubet. Sic Paulus cùm discipulos admoneret* [m] *dicens: Cum metu, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur, adiunxit dicens: Deus est enim, qui operatur in vobis. & velle, & perficere pro bona voluntate. Hinc est, quod ipsa veritas discipulis* [n] *dicit. Sine me nihil potestis facere.*

i Epist. ad Demetria. Habetur inter epp. Ambr. lib. 4. ep. 33.
k Can. 22.
l Hom. 9. in Ezech.
m Philipp. 2. 12.
n Ioan. 15. 5.

IX. Atque hactenus quidem gratiæ necessitatem, eiúsque vim declarauit, confestim verò quomodo gratia cum libero arbitrio cohæreat, mirificè explicat. E *Sed in his* (inquit) *considerandum, quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, vt in eis aliquid nostrum non sit, cur nos, quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? si autem ita nostra sunt, vt dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est, quia mala nostra solummodo nostra sunt, bona autem nostra & omnipotentis Dei sunt, & nostra, quia ipse aspirando nos præuenit, vt velimus, qui adiuuando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum.* Quod bene Paulus breui sententia explicat [o] *dicens: Plus illis omnibus laboraui; qui ne sua videretur virtuti tribuisse, quod fecerat, adiunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum, ac si diceret:*

o 1. Cor. 15. 10.

A *In bono opere laboraui, non ego sed & ego. In hoc enim, quod solo Domini dono præuentus sum, non ego; in eo autem, quod donum voluntate subsequutus & ego.*

X. Rectè igitur dixit Paulus [a]: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, quamdiu enim diuinæ gratiæ præsidio iuuamur, nihil non possumus. Quod egregiè expressit Dauid [b] his verbis: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te; Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion.* Quocirca cauendum in primis est, ne quis bonarum actionum gloriā sibi arroget, in Domino enim tantummodo gloriandum esse docet Apostolus; verèque illud Dauidicum [c] vsurpandum est: *Non nobis* B *Domine, nō nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Eam ob causam scripsit Prosper [d]: *Vigilant tentatoris insidiæ vt vbi proficit deuotio subrepat elatio. & vt homo de bono opere in se potius, quàm in Domino glorietur. Sed Apostolus nos contra hoc periculum monet dicens: Cum timore, & tremore salutem vestram operamini, Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate. Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quisque proficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, & tremoris, ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, & laudis auida in superbia rapiatur excessus. & fiat immunda vanitate dum sibi videtur clara virtute.* Hoc igitur auxilio freti vicerunt adolescentes, & vincunt malignum.

a Philip. 4. 13.
b Psal. 83. 6.
c Psal. 113. 9.
d Epist. ad Demetriad.

15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo* C *sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.*

I. OEcumenius, vt dixi, hæc putat ad infantes pertinere, qui à terrenis ad cælestia auocandi sunt. Doctrina tamen omnibus mirificè congruit, & ad superiora confirmanda plurimùm valet. Quoniam autem proposuerat præceptum de proximo diligendo, quo etiam iubemur inimicos diligere, idque absque amore Dei difficillimum est, atque adeo fieri simpliciter non potest, idcirco nunc ad amorem Dei non solùm hortatur, sed, vt ait Augustinus, etiam præparat. Etenim rectè dixit B. Iacobus [e], amicitiam huius mundi Deo esse inimicam & qui voluerit amicus esse sæculi huius, cum Deo inimicum hoc ipso constitui. Ac propterea vt quis diuinum amorem conci- D piat, mundi amorem exuat necesse est, nam hic ipse Ioannes subiicit: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Quod ergo ait, nolite diligere, Græcè est, μὴ ἀγαπᾶτε, vt minimè eorum probanda sit distinctio, quam meritò reiicit Augustinus [f], qui dilectionem honestam, ac laudabilem esse aiebant, amorem verò impurum, ac turpem. Eadem enim vox tam casto, quàm impuro amori communis est. Apud Latinos autem Scriptores hoc ab amore dilectio differt, quòd diligere minus aliquid videatur esse, quàm amare. Sic enim alicubi scripsit M. Tullius [g]: *Sic igitur facies, me aut amabis, aut quo contentus sum diliges.* Et alibi [h]: *Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, vt mihi* E *nunc denique amare videar, antea dilexisse.*

e cap. 4. 4.
f lib. 14. de Ciuit. c. 7.
g ep. ad Brut.
h lib. 9. ep. 14. ad Dolabel.

II. Sacrarum verò litterarum Interpres dilectionem promiscuè tam in bonam, quàm in malam partem accipit. In malam quidem, cum dixit [i]: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Alibi [k]: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et apud Ioannem [l]: *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Amandi porro verbum in bonam accipi partem multis exemplis constat. Nam apud Paulum [m] lego: *Si quis non amat Dominum Iesum Christū, anathema maran atha.* Et apud Ioannem [n]: *Pater amat vos, quia vos me amastis* Et rursus [o]: *Domine tu scis quia amo te.* Hoc denique loco in malam partem diligendi verbum accipitur, diligere enim mundū, vt ait Didymus, *passibilis, & intellectualis affectus, & appetitus est, qui per carnis concupiscentiam*

i Psal. 4. 3.
k Psal. 10. 6.
l cap. 3. 19.
m 1. Cor. vlt. 22.
n cap. 16. 27.
o cap. 21. 17.

in ista

militare aduersus animam designatur. OEcumenius cum hæc dixisset ad pueros non pertinere, subdit: *Semper enim pueri erga id, quod iucundum videtur, turbulente afficiuntur*, indicans amorem mundi turbulentum esse, ac perturbatum. Ait itaque Apostolus: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* Didymus mundi nomine negat hanc rerum vniuersitatem significari, sed eius nominis vim exprimi à Ioanne, cum subiicit, *neque ea, quæ in mundo sunt.* Vt diligere mundum nihil aliud sit, quàm diligere ea, quæ in mundo cernuntur. Quid senserit Augustinus non satis apparet, videtur tamen eodem modo mundi nomen accipere, pro iis videlicet, quæ in mundo sunt, quæ sub aspectum cadunt, & sensui obiiciuntur, eúmque oblectant, cum tamen quasi duo diuersa, atque distincta videatur
B
Apostolus prohibere, vt obseruauit OEcumenius. *Et ne mundum* (inquit,) *globum ex cœlo, & terra constitutum significare ipsum putes; quis sit mundus, de quo loquatur, & quæ ea, quæ in mundo sunt, declarat.*

III. Illico autem explicans, quid mundi nomine significet Apostolus, & quæ sint illa, quæ in mundo sunt, addit: *Ac mundum quidem confusam hominum turbam appellat, quæ nullam Patris caritatem in se habet; quæ verò in mundo sunt, ea vocat quæ ex concupiscentia carnis efficiuntur, quæ per sensus concupiscentiam incitant.* Quod autem attinet ad mundi significationem, non nego eam ad Apostoli mentem esse, sic enim in
a cap. 1. 10. Euangelio dixerat [a]: *Et mundus eum non cognouit.* Eos
b cap. 3. 19. videlicet indicans, de quibus alibi [b] dixit: *Lux venit*
C
in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm
c cap. 7. 7. *lucem.* Quomodo etiam Christus apud eundem [c] dixit: *Testimonium perhibeo de mundo, quia opera eius mala sunt.* Itemque: *Non potest mundus odisse vos, me autem*
d cap. 8. 23. *odit.* Rursus [d]: *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de mundo.* Denique: [e] *De mundo non sunt, sicut & ego non*
e cap. 17. 14.
f In Psal. 54. *sum de mundo.* Qua ratione Augustinus [f] interpretatur verba Pauli, cùm dæmones appellauit [g] rectores mūdi. *Ne fortè,* (inquit) *cùm dixisses mundi, intelligeres dæmones esse rectores cæli, & terræ. Mundi dixit, tenebrarum harum, mundi dixit, amatorum mundi, mundi dixit impiorum, & iniquorum, mundi dixit, de quo in Euangelio dicit: Et mundus eum non cognouit.* Sed homines tamen, si naturam spectes, diligendi sunt, si vitia, non item; natura
D
enim à Deo condita est, ac propterea ab eo diligitur, & nostro etiam amore digna est. Vitia, & peccata propria cuiusque culpa contrahuntur, & perpetrantur, dignáque sunt, vt supra docui, odio abominationis.

IV. Possis etiam mundi nomine hunc locum, in quo vitam traducimus, intelligere, vt diligere mundum sit, hanc vitam amare, cuperéque inter mortales quàm diutissimè versari quod ij maximè appetunt, qui fortunæ, vt loquuntur, bonis circumfluunt, quibus omnia ex animi sententia eueniunt. De quibus
g Eccle. 41. 1. Sapiens. [g] *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valet accipere cibum.* Hic sanè amor censetur cum caritate, diuinóque amore ex
E
aduerso pugnare, qui enim Deum amant, eum præsentem cernere, eiusque diuino conspectu perfrui supra omnia appetūt. Probè enim intelligunt, hæc omnia, quæ sub sensum cadunt, interire nec diu posse
h lib. de mortal. consistere. Vt enim scribit B. Cyprianus: [h] *Regnum Dei esse cœpit in proximo, præmium vitæ, & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia, & possessio Paradisi nuper amissa mundo transeunte iam veniunt, iam terrenis cælestia, & magna paruis, & caducis æterna succedunt.* Mox autem huiusce vitæ calamitates describens subiicit. *Quis hic anxietatis, & solicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus, & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Eius est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: eius est ad Christum*
A
nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere regnare.

Quàm sit autem molestum, ac periculosum diu in hoc mundo viuere, his verbis docet: *Cæterùm quid aliud in mundo, quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quàm aduersus iacula eius, & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido, si libido compressa est, succedit ambitio, si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet, compelleris iurare, quod non licet: tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter Diaboli gladios diu stare.* Hoc igitur sensu si Apostoli verba capias, diligere mundum est, hanc mortalem, caducamque vitam amare, quæ si cum vera vita conferatur, mors est potius dicenda, quàm vita. Itaque addit Cyprianus [a]: *Quæ cæcitas animi, quæve dementia est, amare pressuras, & pœnas, & lachrymas mundi, & non festinare potius ad* a De mortal.
gaudium, quod numquam possit auferri? Certè Christus [b] b Io. 16. 33.
dixit: In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Denique addit: *Eius est in mundo diu velle remanere,*
quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Multa præterea congerit idē Cyprianus [c], quæ probant hunc mundum non esse diligendum, cùm ad interitum quodammodo ruat, quæ paulo post commemorabo. c lib. de mortal. sub fin. & toto lib. ad Demetr.
VI.

Neque ea, quæ in mundo sunt. OEcumenius ea, vt dixi, intelligit, quæ ex praua, & vitiosa cupiditate oriuntur, quæque sensibus obiecta animum demulcent & voluptatis illecebris deprauant, & corrumpunt. Verùm si mundi nomine impios significari existimemus, ea, quæ in mundo sunt, diligi prohibentur, hoc est, incentiua vitiorum, & animi morbi, ex quibus omnia mala oriuntur: improbæ enim, ac peruersæ animi affectiones diligendæ nequaquam sunt, sed potius curandæ, & ad quandam moderationem deducendæ, ne rationi reluctentur, néue eius imperium præuertant, & consilium occupent. Si hanc vitam interpretemur, omnia creata in hoc mundo esse intelliguntur, quæ hactenus amanda non sunt, si à Dei cultu, atque amore auocent. Olim quidem in illo felicissimo innocentiæ statu rerum creatarum veluti vestigiis insistens primus Parens Deum facilè venari, atque inuenire poterat. Iam verò post eius lapsum, & communem totius naturæ stragem, *creaturæ* [d] d Sap. 14. 11.
Dei factæ sunt in laqueum, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Itaque verè dixit Salomon [e]: *Vani autem sunt omnes homines, in* e Sap. 13. 1.
quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in illo. VII.
Quacumque tandem ratione mūdum intelligas, eius amor Dei charitatem excludit: *Ne quis dicat in corde suo* (ait Augustinus,) *falsum esse hoc, fratres, Deus dicit per Apostolum, Spiritus Sanctus loquutus est; nihil verius. Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso. Vis habere dilectionem Patris, vt sis cohæres filij? noli diligere mundum. Exclude malum amorem mundi, vt implearis amore Dei. Vas es, sed adhuc plenus es, funde quod habes, vt accipias quod non habes. Certè iam renati sunt ex aqua, & Spiritu fratres nostri, & nos ante aliquot annos renati sumus ex aqua, & Spiritu. Bonum est nobis non diligere mundum, ne remaneant in nobis Sacramenta ad damnationem,*

non firmamentum ad salutem. Firmamentum salutis est habere A *radicem caritatis, habere virtutem pietatis, non formam solam. Bona forma, sancta forma, sed quid valet forma, si non teneas radicem? Sarmentum præcisum nonne in ignem mittitur? Habe formam, sed in radice. Quomodo autem radicamur, vt non eradicemur? Tenendo caritatem, sicut dicit Apostolus Paulus. In caritate radicati, & fundati. Quomodo ibi radicatur caritas inter tanta syluosa amoris mundi? exstirpate syluas, magnum semen posituri estis, non sit in agro quod suffocet semen. Hæc sunt verba exstirpantia, quæ dixit: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in eo.*

VIII. Sed cur hi duo amores vna nequeant in eodem consistere? An quia mundi amor ex amore sui oritur, qui cum Dei caritate ex aduerso pugnat? Nam Au- B gustinus ait, à duplici amore duas ortas esse ciuitates, ciuitatem Hierusalem ab amore Dei vsque ad contemptum sui; ciuitatem Babylonem ab amore sui vsque ad contemptum Dei. An quia amor mundi animum fœdat, atque inquinat, caritas autem mentem exigit omni prorsus labe puram, atque integram? An denique quia amor mundi mentis aciem hebetat, & deprimit, ac deiicit, vt sese altius attollere non queat, caritas verò erigit, atque euehit ad cælestia? Certè qui mundum amat, opes, honores, voluptatésque magni facit, caritas hæc omnia facilè despicit, atque contemnit; atque ita non potest mundi amor in eadem sede cum diuina caritate morari. Adde animi nostri angustias, qui plura non potest beneuolentia, amoreque complecti. Quod insinuare visus C est Isaias[a], cùm dixit: *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat. pallium breue est, vtrumque operire non potest.*

a Isaiæ 28. 20.

Non patitur rerum natura, vt duæ formæ inter sese pugnantes, & contrariæ eandem materiam complectantur, nec duo amores inter se pugnantes eumdem possunt animum occupare. Itaque rectè dixit[b] Leo Pontifex: *Duo namque amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diuersis qualitatibus, sicut diuiduntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter vtendum est, vt peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quicquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum sit itineris, non illece-* D *bra mansionis.*

b Serm. 5. de ieiun. 7. me.

16. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.*

I. Quocumque tandem modo intelligatur mundus, verissimè ait Apostolus, hæc tria duntaxat in mundo reperiri, quia mundi amatores, hoc est, improbi, & scelesti his ferè cupiditatibus seruiunt. Itaque Augustinus[c]: *Pompa* (inquit) *Diaboli sunt quæcumque illicita desideria, quæ torquent, non exornant animam, vt sunt desideria carnis, desideria oculorum, & ambitionis sæculi. Ad concupiscentiam carnis pertinent illecebra voluptatum, ad* E *concupiscentiam oculorum, nugacitas spectaculorum: ad ambitionem sæculi, insania superbia, vbi fumus inflatus vt homo positus in aliqua potestate hom[...] se esse non agnoscat, cum de homine iudicat. Qui ergo vult mundum vincere, tria ista vincat quæ sunt in mundo, & per hæc illum vincit etiam, qui suadendo per superbiam decepit mundum.* Certè omnia quæ appeti possunt in mundo vel iucunda sunt, & pertinent ad concupiscentiam carnis, vnde existimunt, vt ait OEcumenius, adulteria, comporationes, amores inhonesti, & cætera id genus plurima, &, vt ait Augustinus, *desiderium earum rerum, quæ pertinent ad carnem, sicut cibus, & concubitus, & cætera huiusmodi.* Vel

c lib. 3. de symb. cap. 1.

A sunt vtilia, & referuntur ad concupiscentiam oculorum, quamuis hoc etiam genere, vt monuit Augustinus, spectaculorum oblectatio continetur. Vt enim ille ait, *desiderium oculorum dicit omnem curiositatem. Iam quàm latè pateat curiositas ipsa in spectaculis, in theatris, in Sacramentis Diaboli, in magicis artibus, in maleficiis? Ipsa est curiositas, aliquando tentat etiam seruos Dei, vt velint quasi miraculum facere; tentare vtrum exaudiat illos Deus in miraculis. Curiositas est, hoc est, desiderium oculorum non est à Patre.* Vel denique honor, laus, & gloria appetuntur, quæ spectant ad superbiam vitæ. Addit Augustinus: *Tria sunt ista, & nihil inuenis vnde tentetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi.* Hæc autem tria tribus Christi tentationi-

B bus accommodat. Concupiscentia carnis ad primam pertinet tentationem, concupiscentia oculorum ad secundam; ambitio sæculi ad tertiã. Rectè autem monet OEcumenius hæc omnia vnius concupiscentiæ, seu cupiditatis nomine comprehendi.

II. Nam ni fallor, Paulus alicubi[a] dixit: *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem.* vt enim ait Cassianus:[b] *Vocabulum carnis in scripturis sanctis multifariè legimus nominari, nam nonnumquam significat hominem integrum, idest, qui ex corpore constat, & anima. vt ibi*[c] *Et Verbum caro factum est. Et*[d]*, videbit omnis caro salutare Dei. Nonnumquam homines peccatores, atque carnales, vt*[e] *ibi. Non permanebit spiritus meus in hominibus istis eò, quod sint caro. Interdum pro ipsis peccatis*

a Ad Galat. 5. 17.
b Coll. 4. cap. 10.
c Ioan. 1. 14.
d Isa. 40. & Luc. 3. 6.
e Gen. 6. 3.

C *ponitur, vt ibi.*[f] *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Et iterum.*[g] *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Denique sequitur; Neque corruptio incorruptelam possidebit. Nonnumquam pro cognatione, & propinquitate, vt ibi,*[h] *Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. & Apostolus:*[i] *si quomodo in æmulationem inducam carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.* Cum igitur caro tam multa significet, meritò idem Cassianus sufficit. *Quærendum ergo nobis est, secundum quam significationem ex his quatuor carnẽ hic debeamus accipere* (loquitur ille de loco Pauli, quod idem de hoc loco Ioannis intelligendum est) *Manifestum namque est, non secundum illud quod positum est. Et Verbum caro factum est. Vel illud. Et videbit omnis caro salutare Dei; penitus stare non posse secundum illud, quod dicitur. Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eò quòd sint caro. Quia non sicut ibi abruptè de homine peccatore, ita*

f ad Rom. 8. 9.
g 1. Cor. 15. 50.
h Reg. 5. 1.
i Ad Rom. 11. 14.

D *& hic ponitur caro, cum dicitur: Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem. Neque enim de rebus substantialibus loquitur, sed de actualibus, quæ in vno, eodemque homine vel pariter, vel singillatim cum quadam temporis vicissitudine, & mutatione luctantur.*

III. Cum igitur his omnes carnis significationes exclusisset illicò subdit:[k] *Quamobrem in hoc loco carnem, non hominem, idest, hominis substantiam, sed voluntatẽ carnis, & desideria pessima debemus accipere, sicut nec spiritum quidem aliquam rem substantialem, sed animæ desideria bona, & spiritalia designari.* Idque deinceps multis confirmat, hoc tamen locò placuit Ioanni hanc carnis concupiscentiam in tria veluti membra partiri. Et primum quidem carnis concupiscentiam propriè appellauit ap-

k cap. 11.

E petitionem corporearũ voluptatum, quæ præcipuè gustu tactuque percipiuntur. De quibus ait Cassianus:[l] *Caro luxuriis, ac libidine delectatur; spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa cupit satiari somno, repleri cibis; hic ita vigiliis, & ieiuniis saginatur, vt ne ad ipsum quidem necessarium vitæ vsum somnum, cibumque velit admittere.* Concupiscentia autem oculorum complexus videtur Ioannes, quæ ad aspectum referuntur, vt sunt spectacula, & quæ fortunæ dona nuncupantur, quod his verbis expressit Cassianus[m]. *Illa* (scilicet caro) *vniuersis exuberare copiis concupiscit; hic* (scilicet spiritus) *ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiã habere contentus est. Lauacris illa nitescere, & quotidianis*

l Col. 4. c. 1.
m Ibid.

dianis adulantiumque cuneis appetit constipari, hic squallore sordium, & inaccessibilis Eremi vastitate congaudeat, cunctorumque mortalium præsentiam perhorrescit. Denique Ioannes superbia vitæ, seu ambitione sæculi, vt legunt Cyprianus [a], & Augustinus [b], honorum, ac dignitatum fastigia comprehendit. Quod Cassianus [c] his verbis explicat. *Honoribus illa, & laudibus hominum confouetur, hic irrogatis sibi iniuriis, ac persecutionibus gloriatur.*

a De oratio. Domin. de mort. & lib. 2. ad Quir. cap. 11.
b lib. 3 de Symb. cap. 2.
c ibidem.

IV. Quod si mundi nomine mortalem hanc, & caducam vitam significet, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ posuit pro rebus, quæ concupiscuntur, quæue fastum, & arrogantiam pariunt. Quicquid enim appeti potest in vita, vel fœdas, ac impuras cupiditates excitat, & nefariis voluptatibus corpus, atque animum explet, (B) vel auri, atque diuitiarum appetitionem irritat potius, atque inflammat, quàm satiet; vel denique fastum, arrogantiam, & ambitionem fouet, ac nutrit. Sin autem mundi appellatione improbos, ac scelestos homines notat, illi his tribus cupiditatibus laxant habenas, nec mentem vnquam ad cælestia erigunt. Vnde existit in nobis ea pugna, de qua loquitur Paulus [e], cùm ait: *Caro enim concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus verò aduersus carnem; hæc autem sibi inuicem aduersantur vt non quæcunque vultis, illa faciatis.* Quo loco subdit Cassianus [f]. *Quæ cum vtraque, id est, desideria carnis, & Spiritus in vno, eodemque sint homine; intestinum quotidiè intra nos geritur bellum, dum concupiscentia carnis, quæ præcipitanter fertur ad vitia, his, quæ ad præsentem requiem pertinent, deliciis gaudet.* (C) *Quibus è contra concupiscentia Spiritus aduersata, ita desiderat tota spiritualibus studiis inhærere, vt etiam necessarios carnis vsus optet excludere; sic illis iugiter cupiens occupari, vt nullam optet fragilitatis eius curam penitus impartiri.*

e Ad Galat. 5. 17.
f Col. 4. c. 11.

V. Verùm quoniam difficillimum est præsentia non amare, monuit Ioannes, mundum non esse diligendum, additque rationem, quòd in mundo reperiantur ea, quæ carnis cupiditatibus fomenta præbeant. *Tria autem* (ait Augustinus) *dixit, quæ qui fecerit, non est ex Patre, sed ex mundo est.* Videtur enim quod ait Apostolus, *quæ non est ex Patre, sed ex mundo est*, ad omnia tria capita referre, quod tamen Latina interpretatio vix admittit, cùm enim numero singulari vtatur, relatiuum *quæ* necessariò est numeri vnitatis, atque (D) idcirco vnam videtur referre, quam proximè nominarat, superbiam vitæ, Græci porrò Codices nihilo minorem habent difficultatem, cum enim careant relatiuo, & singulari numero vtantur, non facilè intelligi potest, quò potissimùm ea verba referenda videantur. Cyprianus perpetuò relatiuũ legit cum nostro Interprete; quomodo legerit Augustinus, non satis liquet, tantùm enim habet, quod modo posui. OEcumenius Græcos Codices secutus est, sententiam sic planè explicat. *Si verò* (inquit) *prauus opponitur bono Patri, qui concupiscentiis mundi seruit, non est ex Patre, sed ex mundo. Eum, qui ex Patre non est, sed ex mundo, Diabolo esse perspicuum est. Quemadmodum in Euangeliis quoque ad Iudæos* [g] *ait: Vos ex Patre Diabolo estis; hoc est* (E) *mundanis studiis, quorum Diabolus est & sator, & cultor.* Vt ipse etiam videatur de tribus enumeratis æquè Apostolum explicare. Neque aliter accepit Syriacus Interpres, qui transtulit: *Quidquid enim in ipso mundo est, concupiscentia est corporis, & concupiscentia oculorum & fastus mundi, quæ quidem non sunt ex Patre, sed ex ipso sunt mundo.*

g Ioan. 8. 44.

VI. Iam verò quòd dicit Interpres, superbia vitæ, Græcè scripsit Apostolus, ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου quam vocem Cyprianus, & Augustinus ambitionem sæculi interpretantur. Alij arrogantiam, aut fastum transferre malunt. Certè ea vox hæc omnia significat, designat (A) autem honoris, laudis, atque imperij cupiditatem. Quod verò subdit, *non est ex Patre, sed ex mundo est*, procul dubio tria omnia enumerata complectitur; numero autem singulari vtitur, vt respiciat id, quod initio dixerat, *omne quod est in mundo*, quasi dicat: omne quod est in mundo non est ex Patre, sed ex mundo est, vt videatur articulus additus ab Interprete prorsus abundare, & hic planissimus Apostoli sensus censeri debeat. Quicquid est in mundo quod nihil profectò est aliud, quàm concupiscentia carnis, concupiscẽtia oculorum, & superbia vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est. Caue autem putes duo sub Apostolo rerum principia constitui. Neque enim negat, ea quæ sensibus, & humanis appetitionibus obiciuntur, condita esse à Deo, sed quatenus illa sua siue (B) specie, siue dulcedine, & suauitate demulcent animum, & quodam modo deprauant, & corrumpunt, non sunt à Deo, quia non idcirco condita sunt, sed potius vt sua specie, & pulchritudine mentem ad conditorem erigant. Dicuntur autem hac ratione esse ex mundo, hoc est, ex praua illa affectione, & vitio hominum naturæ indito ob primi Parentis lapsum; vt Apostolus Ioannes indicet, quod aliis verbis docuit Paulus [a], qui veterẽ hominem à nouo distinguit; mundus enim veterem hominem refert, qui suis omnibus cupiditatibus indulget: Pater verò nouum diligit hominem, quem Paulus ait, secundùm Deum esse creatum. Tres igitur prauæ cupiditates enumeratæ non sunt ex Deo, quia non pertinent ad nouum (C) hominem, sed ei potius aduersantur; sunt autem ex mundo, quia veteris hominis indolem, atque ingenium referunt.

a Eph. 4. 22

VII. Queruntur autem plerumque homines, suámque naturam, & quod longè deterius est, naturæ auctorem non leuiter accusant, quòd has cupiditates, & propensiones intimè ipsi naturæ indiderit, quibus si obsequare, grauiter offendas; si reluctere, acerrimam, & vix innocuam pugnam continenter sustinere cogaris. Itaque olim veteres quidem Philosophi miserrimam hominum conditionem esse prædicabant, cum planè intelligere non possent, cur in eodem homine contrariæ appetitiones perpetuò inter sese luctarentur. *Video enim*, dixit quidam, *meliora proboque Deteriora sequor.* Et Augustinus [b] hoc veluti monstrum (D) appellabat. *Vnde* (inquit) *hoc monstrum, & quare istud? Imperat animus corpori, & paretur statim; imperat animus sibi, resistitur; imperat animus, vt moueatur manus, & tanta est facilitas, vt vix à seruitio discernatur imperium. Et animus, animus est, manus autem corpus est; imperat animus, vt velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum, & quare istud? Imperat inquam vt velit, qui non imperaret nisi vellet.* Et Paulus [c]. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* [d] Itéque: *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Orta quippe est hæc domestica lucta non conditoris culpa, sed primi nostri parentis vitio qui male vsus sua libertate se, ac posteros suos omnes in hanc miseram seruitutem coniecit, vt cùm posset ille suis omnibus cupi- (E) ditatibus imperare, animíque facultatibus non aliter ac corporis membris pro imperio vti; violato Dei præcepto, eiúsque diuino imperio neglecto hoc iure dominandi se ipse, posterósque omnes suos spoliauit, ita tamen, vt nulla necessitate rapiantur homines ad malum, cùm apertè dixerit Deus [e]: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quæ igitur disputat Plutarchus [f] de duplici animi nostri parte, acutè quidem, atque ingeniosè dicuntur, sed nodum non expediunt: oporteret enim, vt ipsemet fatetur, alteram alteri parere, cùm tamen secus plerumque fiat, plurimique rationem quam imperare æquum esset, sensui atque eius voluptatibus famulari compellant.

b lib. 8. confess. cap. 9.
c Ro. 7. 23.
d ver. 16.
e Gen. 4. 7.
f lib. de virt. moral.

17. *Et mundus transit, & concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.*

I. Nouam affert rationem, cur mundus diligendus non sit, quia tam mundus, quàm eius omnia bona, & bonorum cupiditates subitò pereunt. Atque hoc, inquit OEcumenius, est: *Mundi concupiscentia, ac libidines stabiles minimè sunt, sed prætereuolant. Quæ verò ex voluntate Dei fiunt, ea firma, atque æterna perdurant; stabilia verò contemnere, ac negligere, & caducis, atque euanescentibus tantùm incumbere sapientis non est, sed eius, qui supra arena cumulum extruere domum aggrediatur.* Quærit autem hoc loco Augustinus, cur cum omnia creata condita sint à Deo, ea tamen amare nefas sit: *Quare* (inquit) *non amem quod fecit Deus? Quid vis? vtrùm amare temporalia, & transire cum tempore, an mundum non amare, & in æternum viuere cum Deo?* Quasi significet, quod supra docui, duos non posse amores in humano corde consistere. Quomodo autem res creatæ amandæ sint, docet his verbis: *Non te* (inquit) *prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem, sed ad hoc probare, & laudare, vt ames Creatorem. Quemadmodum fratres si sponsus faceret sponsæ suæ anulum, & illa acceptum anulum plus diligeret, quàm sponsum, qui illi fecit anulum, nunc in ipso dono sponsi adultera anima deprehenderetur, quamuis hoc amaret, quod dedit sponsus? Certè hoc amaret, quod dedit sponsus, tamen si diceret, sufficit mihi anulus iste, iam illius faciem nolo videre. Qualis esset? Quis non detestaretur hanc amentiam? Quis non adulterinum animum conuinceret? Amas aurum pro viro, amas anulum pro sponso. Si hoc est in te, vt ames anulum pro sponso tuo, vt nolis videre sponsum tuum, ad hoc tibi arrham dedit, vt te non oppigneraret, sed auerteret. Ad hoc vtique arrham dat sponsus, vt in arrha sua ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum, qui fecit ista. Plus est, quod tibi vult dare, id est, se ipsum, qui ista fecit: Si autem amaueris hæc, quamuis illa Deus fecerit: & neglexeris Creatorem, & amaueris mundum, nónne tuus amor adulterinus deputabitur?* Ab amore autem caducarum rerum animum auocat hoc ipso, quòd caducæ sint, quòd facilè intereant, nec diu possint consistere. Ac de mundi quidem occasu elegantissimè disserit Cyprianus [a], cuius verba hîc describere non pigebit.

a lib. ad Demetriad.

II. *Mundus ipse iam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur; non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus æstate torrendis solis tanta flagrantia est, nec sic verna de temperie sua sata læta sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minus de effossis, & fatigatis montibus eruuntur marmorum crusta, minus argenti, & auri opes suggerunt exhausta iam metalla, & pauperes venæ breuiantur in dies singulos, & decrescunt. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putásne tu tantã posse substantiam rei senescentis existere, quantum prius potuit nouella adhuc, & vegeta iuuentute pollere? Minuatur necesse est, quicquid fine iam proximo in occidua, & extrema deuergit. Sic sol in occasu suo radios minùs claro, & igneo splendore iaculatur, sic declinante iam cursu exoletis cornibus Luna tenuatur; & arbor, quæ fuerat ante viridis, & fertilis, arescentibus ramis fit postmodum sterili senectute deformis. Et fons, qui exundantibus prius venis largiter profluebat, senectute deficiens vix modico sudore distillat. Hæc sententia mundo data est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant, & infirmentur fortia, & magna minuantur, & cum infirmata, & diminuta fuerint, finiantur.* Et plura deinceps. Beatus autem Gregorius [b] explicans illa verba Iob: *Handiabuntur sicut omnia, & afferuntur. Omnia* (inquit) *profectò terrena mox quæris; cùm per Salomonem dicitur: Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Cur beatus Iob omnia humiliari asserat, & auferri? Quod tamen* (inquit,) *facilè discutimus, si terra, & cælum vel qualiter transeat, vel qualiter maneat distinguamus; vtraque enim hæc per eam, quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt; hinc namque per Paulum dicitur: Præterit enim figura huius mundi; hinc per semetipsam veritas dicit: Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt; hinc ad Ioannem Euangelica voce perhibetur, Erit cælum nouum, & terra noua, quæ quidem non alia credenda sunt, sed hæc ipsa renouantur; cælum ergo, & terra transit, & erit, quia ab ea, quam nunc habet specie per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura seruatur; Vnde per Psalmistam dicitur: Mutabis ea, & mutabuntur.*

b lib. 17. c. 5.

III. Meritò igitur ait Ioannes: *Mundus transit, & concupiscentia eius*, hoc est, vna cum mundo eius omnia bona ad interitum ruunt. *Rerum temporalium* (ait Augustinus) *fluuius trahit, sed tamquam circa fluuium arbor nata est Dominus noster Iesus Christus, assumpsit carnem, mortuus est, resurrexit ascendum cælum. Voluit se quodammodo circa fluuium temporum plantare, raperis in præceps, tene lignum; voluit te amor mundi, tene Christum. Propter te factus est temporalis, vt tu fias æternus, quia & ille sic factus est temporalis; vt maneret æternus accessit illi aliquid ex tempore, non decessit ex æternitate. Tu autem temporalis natus es, & per peccatum temporalis factus es, tu factus es temporalis per peccatum, ille factus est temporalis per misericordiam dimittendo peccata.* Nimirum hac ratione docet Augustinus, amandum Christum, ne à fluxu rerum caducarum rapiamur. *Mundus* quippè *transit*, Græcè παράγεται. Sic Paulus [a]. *Præterit enim figura huius mundi*, παράγεται. Non poterit igitur amor mundi constans esse, ac stabilis, quando ipse quidem mundus consistit. Acutè autem dixit Anselmus [b]: *Nolite constanter mundum diligere, quando ipse quem diligitis, non potest constare; cassum cor quasi manentem figitis, dùm fugit ipse, quem amatis.* Idem autem significans Salomon [c]: *Vanitas* (inquit) *vanitatum, & omnia vanitas & afflictio Spiritus.* Idque eleganti similitudine confirmat Augustinus ad illa Dauidis [d] verba: *De torrente in via bibet.*

a 1 Cor. 7. 31.

b Rom 12.

c Eccles. 1. 1.

d Psal. 109. 1.

IV. *Torrens* (inquit) *profluxio humana mortalitatis est, sic enim torrens pluuialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit, id est, cursum finit sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, viuunt, moriuntur, & aliis morientibus alij nascuntur; quid hic tenetur? Quid hic non decurrit? Quid non quasi de pluuia collectum it in mare, in abyssum.* In eandem verò sententiam Hieronymus [e] explanans verba Dauidis [f]: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit. Æternitati,* (inquit) *comparata breuis est omnium temporum longitudo.* Paulo autem post ad illa verba: *Manè sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere, decidat, induret, & arescat. Sicut enim* (ait) *manè virens herba, & suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, & in fœnum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernat in paruulis, floret in iuuenibus, viget in perfecta ætatis viris, & repentè dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis priùs extenta contrahitur, & extremo fine, quod hic dicitur, vespere, id est, senectute vix moueri potest, ita vt non cognoscatur, quis prior fuerit, sed planè in alium commutetur, ac denique, vt Symmachus vertit [g]: succidimur repentè, & auolamus.* Mitto alia sexcenta, quæ huc afferri possent ex Seneca [h], & Plutarcho [i], aliisque Philosophis: non sunt tamen omittenda, quæ eleganter scribit Nazianzenus. [k]

e Epist. ad Cyprian.

f Psal. 89. 4.

Quis sum, (inquit) *vnde in vitam veni? quis rursus, postquam aliquantisper terræ gremio retentus à puluere ad vitam rediero futurus sum? Vbinam tandem me Deus collocabit? Multæ quippe ærumnosa vita huius viæ sunt, nec vllum bonum apud homines est, quod non aliquid vitij admixtum habeat. Atque vtinam non maiorem quoque partem mala sibi vendicarent. Insidiæ sunt opes, sublimesque honorum, & digni*

g Psa. 89. 10.
h Epist. 49. & 72. & 73. 78 109. 1[illegible] 102. lib de breui vit lib de co[illegible] cap 2[illegible] alibi.
i In ora[illegible] solat.
k de vit. [illegible]

& dignitatum fastus mera sunt insomnia: imperio alterum subesse, graue, ac molestum est, paupertas pedica. Pulchritudo porrò breuis, atque fulgetri similis, iuuentus nihil aliud, quàm temporis feruor, canities tristis vitæ occasus, sermones verè alati, gloria aër, nobilitas vetus sanguis, robur cum apris commune, facetiæ petulans liberorum copia cura necessaria mater, orbitas morbus, forum vitiorum schola, quies imbecillitas, artes abiectorum hominum: angustiæ alienus panis, agricultura labor, nauigantium manes pars in ecco, patria proprium barathrum, & externa egestas probrum. Omnia denique mortalibus laboriosa sunt, omnia humana metus, risus, lanugo, vmbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus nauis vestigium, aura puluis, orbis quidam perpetua conuersione similia omnia voluens, nunc stabilis, nunc cessans, nunc labilis, nunc fixus. Anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mœroribus, B *voluptatibus, morbis, calamitatibus, secundisque rerum successibus. Nec verò sine magna sapientia hoc à te Christe constitutum est, vt res omnes huius vitæ incertæ, atque instabiles sint; nempe vt certum firmarum, stabiliúmque amore, ac desiderio inardescamus: omnia enim verò tam prisca, quàm recentia animi pennis perlustraui, nec tamen quidquam hominibus imbecillius vsquam inueni; vnum hoc hominibus bonum, ac firmum est, nimirum sublata cruce hinc pedem efferre, lachrymas etiam fundere, atque ingemiscere, mentem diuinarum rerum studio mancipare, cælestium bonorum spem pectore fouere, ita se comparare, vt Trinitatis splendor qui puris animis impertiri solet, sibi illucescat; à stulta insuper carnis contagione mentem abrumpere, imaginemque illam, quam diuinitus accepimus, puram, atque integram conseruare, vitam ab hac vita alienam ducere, ac denique cum altero mundo mundum hunc commutando difficultates omnes huius vitæ molestiásque fortis animo perferre.* C Ita videas ab eloquentissimo Theologo, eorum omnium, quæ in mundo sunt, breuitatem, & fugacem, vt ita dicam, vanitatem elegantissimè describi.

VI. *Et concupiscentia eius.* Siue ea, quæ ab hominibus appetuntur in vita, siue ipsæ hominum cupiditates, vtraque enim sensim deficiunt, ac pereunt; omnia quippe orta senescunt, & occidunt, & appetendi vis temporis diuturnitate languescit. Quamobrem sapienter Seneca[a] ait: *Non sunt cupiditates in longinquum mittenda, sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur, relictis his, quæ aut non possunt fieri, aut difficulter possunt, prope posita, speique nostræ alludentia sequamur.* D *Proximum ab his erit, ne aut in superuacuis, aut ex superuacuo laboremus, id est, ne aut quæ non possumus consequi concupiscamus, aut adepti cupiditatum vanitatem nostrarum serò post multum pudorem intelligamus, ne aut labor irritus sine effectu laboret indignus: fere enim ex his tristitia sequitur, si aut non successit, aut successus pudet.*

a libro de tranq. vitæ cap. 10. & 11.

Rectissimè verò Salomon[b] impiorũ vocibus eorumdem stultitiam describens ait: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Et paulo post: *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius præcurrens, & tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus, aut auis, quæ transuolat in aere.* E Et deinceps multa. Addit postmodum: *Spes impij tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, & tamquam fumus, qui à vento diffusus est, & tamquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Vt enim obseruat Gregorius[c]: *Vilia, & fugitiua esse quæ tenuerant, iam amissa cognoscunt, quæ quandiu aderant, stultis eorum cordibus & magna, & mansura videbantur.*

b Sap. 5. 4.

c lib. 8. mor. cap. 10. alias 12.

VII. Egregiè verò Augustinus a mundi cupiditatibus ad Dei amorem reuocat his verbis: *Non habendo concupiscentiam mundi, non vos subiugabit, nec desiderium carnis, nec desiderium oculorum, nec ambitio sæculi; &*

A *facietis locum caritati venienti, vt diligatis Deum, quia si fuerit ibi dilectio mundi, non ibi erit dilectio Dei; tenete potius dilectionem Dei, vt quo modo Deus est æternus: sic & vos maneatis in æternum, quia talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis, terra eris; Deum diligis, quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas[a] audiamus: Ego dixi, Dij estis, & filij altissimi omnes. Si ergo vultis esse Dij, & filij Altissimi, nolite diligere mundum, neque ea, quæ sunt in mundo.* Atque hac ratione hanc Apostoli sententiam explicat. Fauet Didymus: *Quicunque enim* (inquit) *omnia contemnit, & supra mundum erit diligens Deum & faciens voluntatem eius qui permanet in æternum.* Dixerat enim Christus[b]: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Atque B idcirco Apostolus mundum, eiúsque concupiscentias cito labi, ac præterire affirmat, vt nos ad permanentia, atque æterna traducat, addens quod mox subiicit.

a Psal. 81. 9.

b Matth. 7. 21.

VIII. *Qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.* Hæc quippe ex aduerso superioribus obiiciuntur, nam qui voluptatibus indulgent, suísque cupiditatibus nefariè seruiunt non possunt consistere, quia rebus caducis, ac subitò euanescentibus adhærescunt; vt enim auctor est Seneca[c]: *Quæcumque videmus, ac tangimus Plato in illis non numerat, quæ esse propriè putat, fluunt enim, & assidua diminutione, atque adiectione sunt.* Idemque: *Omnia ista quæ sensibus seruiunt, quæ nos accendunt, & irritant, negat ex his esse, quæ verè sint.* Itaque subdit Seneca: C *Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt, nihil horum stabile, ac solidum est.* Et mox: *Mittamus animum ad illa quæ æterna sunt, miremur in sublime volitantes rerum formas, Deumque inter illas versantem.* Nam qui diuinæ voluntati obsequuntur, eiúsque præceptis obtemperant, vt hoc loco ait Ioannes, in omnem æternitatem perseuerant; ait enim Salomon[d]: *Quasi tempestas transiens non erit impius, iustus quasi fundamentum sempiternum.* Et vt ait Didymus: *Iustitia immortalis est, sic enim scriptum est: Iustitia eius permanet in sæculum sæculi.* Cum autem hoc loco Ioannes Dei nominat voluntatem, legem procul dubio, ac præcepta Dei intelligit, de qua Dauid[e]: *In lege*, inquit, *Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte, & erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia* D *quæcumque faciet prosperabuntur.* Et alibi[f]: *Iustus vt palma florebit.* Vt enim ait Gregorius[g]: *Palma tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit.* Ac proinde dixit Iob[h]: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.*

c epist. 59.

d Prou. 10. 25.

e Psal. 1. 2.

f Psal. 91. 13.

g li. 19. mor. cap. 14. alias 18.

h cap. 29. 18.

IX. Itaque voluntatẽ Dei eam indicat Ioannes, quam Theologi vocant voluntatem signi, quæ maximè lege exprimitur, cui necesse est, humanam voluntatem penitus subesse, réque ipsa obtemperare. Dicuntur autem ij, qui voluntatem Dei faciunt, manere in æternum, quòd vitam assequantur sempiternam. Quomodo apud Matthæum[i] dixit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Huius enim cælestis obedientiæ fructus est vita immortalis & beata: adde E voluntatem Dei esse, vt cuncti superioribus morem gerant, suamque voluntatem eorum imperio penitus subiiciant. Dixit enim Christus[k], *qui vos audit, me audit.* Et Paulus[l]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ita Christus exemplo suo docuit, rebus omnibus diuinam voluntatẽ præferendã esse. *Non veni* (inquit[m]) *vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris.* Et morti proximus ita precatus est[n]: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Est quippe Dei voluntas non modò recta, sed ipsa etiam rectitudo, vt qui

i cap. 19. 17.

k Lucæ 10. 16.

l ad Roma. 13. 1.

m Ioan. 4. 34.

n Lucæ 22. 42.

eam sequatur, lineas nunquam transire queat.

18. *Filioli, nouissima hora est. & sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est.*

I. Quorsum hæc pertineant, ex superioribus non facile intelligi potest. Augustinus hæc putat ad infantes pertinere: *Pueros* (inquit) *alloquitur vt festinent crescere, quia nouissima hora est: ætas corporis non est in voluntate, ita nullus secundùm carnem crescit, quando vult, sicut nullus, quando vult, nascitur. Vbi autem natiuitas in voluntate est, & crementum in voluntate est; nemo ex aqua, & spiritu nascitur, nisi volens, ergo si vult crescit, si non vult decrescit. Quid est crescere? proficere; quid est decrescere? deficere.* Putat igitur hæc pertinere ad audiendam spiritualem infantiam, videtique posset sententia admodum probabilis, dum vitanda monet pericula, proposito exẽplo eorum, qui à fide defecerant. Sunt qui putent hæc referenda esse ad fidelium fidem roborandam. Ego crediderim, quod insinuāt Didymus, OEcumenius, amplissimam esse adhortationem, quæ ad omnes fideles referatur, cùm enim monuisset abiiciẽdum esse mortalium, caducarúmque rerum amorem, & diuinam charitatem maximè complectendam, id magis, ac magis confirmans ad vitæ breuitatem, quam modò indicauerat, addit, extremam mundi horam omniumque mortalium vitæ terminum iam iam imminere. Vt autem hæc ipsius oratio blandius accipiatur, filiolos appellat; *nouissima* (igitur ait) *hora est.* OEcumenius videtur hoc ad cuiusque vitam referre. *Meritò,* (inquit) *ad proprium finem considerandum vnumquemque inducit, vt quasi extrema vita hora vnicuique instet, sobrietas subsequatur, atque ita vita immaculata, & actionum puritas inter Christianos semper versetur.*

II. Idem tamen, quæ est aliorum omnium sententia, indicat, extremam horam ad mundi ætatem pertinere, addit tamen extremam horam accipi bifariā posse. Primum quidem ex Chrysostomi sententia extremam horam interpretatur hanc nostram ætatem, quia est post medium tempus aduentus Christi. *Rei enim* (inquit) *vniuscuiusque tres partes sunt, prima, media, & postrema: nihil absurdi est, si totum id, quod a medio procedit, postremum appellatur. Quare si in medio millesima annorum decadis Dominus aduenisset, ferè enim in quinquies millesimo anno aduenit, totum id tempus, quod a medio hoc excederet, si extremum diceretur, reprehenderet nemo, sed ex centum verbi causa annis tam primi, id est, decem, quàm viginti, & cæteri deinceps extremi nomen meritò obtinerent. Sic igitur etiam hic quoniam ad medium Domini aduentus tempus mille annorum facta accessio est, quicquid ab eo est, rectè dici extremum potest.* atque hanc ait esse Chrysostomi verissimam explanationem. Addit & alteram: *Possumus* (inquit) *extremum hic pro pessimo sumere, quemadmodum cùm dicimus: in extremum malum venimus: nam quia mundus tunc magnis malis, & turbationibus agitabatur, dum diabolus post aduentum boni ea procuraret, vt vel bonos temaret, vel confunderet omnia, ne bonum à malo discernere quispiam posset, propterea tempus illud extremam horam appellauit, quasi pessimam dicat, vt qua vltimo loco quasi fæx, & sentina desederit.*

III. Et sanè quicquid sit de significatione vocis quam Interpres nouissimam Latinè transtulit, negari non potest, tempus illud Apostolicum multis fuisse, grauissimisque malis, atque incommodis obnoxium, cùm vbique Principes, & Tyranni sæuirent, & atrocissimis suppliciis Christi cultores dilaniarent. Vix tamen credo, hoc voluisse Ioannem indicare, vt enim paulo post dicam, non tam Tyrannorum vexationes, quàm hæreticorum pugnas commemorat. Nouissimam igitur, seu extremam horam vocat hunc

A post Christi aduentum postremam senescentis mundi ætatem, quasi dicat, nullam præterea legem, aut nouam mutationem expectandam esse, sed a Christo nato mundum ad [illegible] um spectare. Horam autem posuit pro tempore, [illegible] enim plerumque Scriptura loquitur. Lucas [a] enim ait. *Veniet Dominus serui illius in die qua nō sperat, & hora qua nescit.* Et Ioānes [b]: *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Denique Paulus [c]: *Hora est iam nos de somno surgere.* Horam autem maluit dicere, vt spatij breuitaté indicaret, vt enim multis longissimū videatur, re tamen vera breuissimum est. Ita enim dixit Paulus [d]: *Tempus breue est. reliquum est vt qui vtuntur hoc modo, tanquam non vtantur.* Ita confirmat Ioannes quod paulo antedixerat: *Mundus transit, & concupiscen-* a cap. 12. 46 b cap. 19. 27 c Rom. 13. 11. d 1 Cor. 7. 29.

B *tia eius.* Cùm igitur hæc sit extrema mundi ætas, nec quisquam certò sibi possit vel vnum diem, aut horam polliceri, ratio postulat vt abiectis iis, quæ leuiter auolant, facilèque euanescunt, ea sectemur, quæ permanentia, & æterna sunt.

IV. Quòd si addamus huius ætatis pericula, quę ab hęreticis, atque impostoribus imminent, eo maior solicitudo ac diligentia adhibenda est, ne in errorem, atque impietatem abducamur. Fateor olim veteres Patres incredibili penè consensu existimasse, extremum mundi diem, & rerū omniū occasum non procul abesse, cum tamen mille sexcenti, & eo amplius anni prætererint. Sed quoniam ea de re alibi disserui, ni-

C hil addam in præsentia, paulo post cùm agam de tēpore Antichristi nonnulla attingam. Cæterùm quod ait, *hora nouissima est,* potest ad bonorum solatium spectare, eorum præsertim, qui caducis, mortalibusque bonis nuntium remiserint, vt sempiterna consequantur; quasi eos significet non diu his bonis carituros, cū perexiguum tempus supersit. Ita enim videtur significare quod Paulus alicubi ait [e]: *Quod momentaneum est, & leue tribulationis nostra, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et Petrus [f]: *Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, vt probatio vestra fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur.* Fortè alludit ad horam vndecimam, de qua Matthæus [g], nam qui ea hora laborare cœperant in vinea, parem cum cæteris, qui portauerant onus e 2. Corinth. 4. 16. f 1. Pet. 1. 6. g cap. 20.

D diei, & æstus mercedem assequuti sunt. Et vt vt sit, vnicuique nostrum nouissima, ac postrema hora est, omnibus enim non ita multo post citius, aut serius occumbendum est, mors quippè neminem excipit, nulli certum, ac definitum annorum spatium pollicetur, quosdam in ipso exortu, alios in adolescētię flore, in media ætate nonnullos, in senectute plurimos abripit. Nam vt ait Hieronymus: *Iuuenis potest citò mori, senex diu viuere non potest.*

V. Et sicut audistis, quia Antichristus venit. Rectè OEcumenius: *Confirmat autem* (inquit) *esse extremam horam siue, si vnam siue vltimam intelligas, ex Antichristo. Si enim* (inquit) *Antichristum in extremis tēporibus, atque vltimis expectamus, nunc verò Antichristi multi extiterūt (de Cerintho autem, & similibus intelligit) tempus extremū mun-*

E *di consummationis impendere perspicuum est. cum multi Antichristi viri illi praeant.* Augustinus putat tacitis cogitationibus Ioannem occurrere: *Sed dicturi sunt* (inquit) *aliqui quomodo nouissimum tempus? quomodo nouissima hora? certè prius veniet Antichristus, & tunc veniet dies iudicij. Vidit Ioannes cogitationes istas, ne quasi securi fierent, & ideo non esse horam nouissimam putarent, quod venturus esset Antichristus, ait illis: Et sicut audistis, quia Antichristus venit.* Non multum sanè refert vtro modo accipias, ex eo enim, quòd multi sunt Antichristi, hanc esse nouissimam horam confirmat. Perinde enim est, ac si dicat: vos ex Scripturis, & Apostolica traditione Antichristum extrema mundi clausula venturum non ignoratis, sic autem habetote,

multos

multos iam exortos esse Antichristos, qui illum quodammodo præcurrant, atque adeò hinc facilè intelligere potestis ipsi, me verissimè loquutum esse, qui hanc nouissimam horam appellarim.

VI. Nolim tamen quenquam existimare, voluisse Apostolum aliter de Antichristo loqui, quàm ad hæc vsque tempora credidit, & credit Ecclesia. Tametsi autem de Antichristo plura, & quidem ingentia volumina extant, quoniam tamen hic locus non flagitat solùm, sed etiam postulat, vt de re nonnulla dicamus, colligam paucis, quæ ab aliis copiosiùs, vberiùsque explicata sunt. Ordiar autem à nomine, nam vt ait Augustinus, falluntur illi, *qui intelligunt Antichristum ideo dictum, quod ante Christum venturus sit, idest, post eum venturus sit Christus*; cùm vox hæc Græca sit, & aliud procul dubio significet. Sed si Deo placet, heretici [a] nonnulli Græcæ vocis vim eò trahunt, vt quemadmodù ἀντιστράτηγος Ducis, aut Imperatoris Vicarium significat, ita Antichristus Græcè idem sit, quod Christi Vicarius. Hac enim ratione Pontifici Romano hoc nomen adscribunt, qui se Christi Vicarium nuncupat, & ab omnibus fidelibus eodem nomine vocatur, sed pudet cum Grammaticis de voculis digladiari, nego tamen ἀντιστράτηγον Ducis Vicarium significare, quin potius contendo Ducem contrarium esse, sic enim perpetuò accipitur Græca particula ἀντὶ, cùm in compositione adhibetur, vt oppositionem, seu æqualitatem significet. sic antidota, & antipodes dicimus, interdù etiam æqualitatem sonat, & fortassè ἀντιστράτηγος Ducem æqualem significat, vel eum, qui est loco Ducis non tamquam ei subiectus, sed vt æqualis; qua ratione Latini Proconsulem Proprætorem, & Proregem appellant. Ve fateri necesse sit, quod rectè monet Augustinus, Antichristum contrarium esse Christo, & eius æmulum, id que, quod ad rem pertinet, ex sacris litteris facilè deprehenditur.

VII. Etenim Paulus de Antichristo hunc in modum scribit [b]: *Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Et hic ipse Ioannes [c] hoc ita multo post, quasi Antichristi vim, ac nominis significationem explicet. *Qui negat* (inquit) *quoniam Iesus est Christus, hic est Antichristus, qui negat Patrem & filium.* Idemque significauit Christus apud Matthæum [d], cùm Pseudochristos, & Pseudoprophetas nominat. Deinde ita etiam loquuti sunt veteres Patres. Hieronymus [e] enim hoc nomè explicat, quasi significet aduersariù Christi. Alibi [f] Antichristi synagogam Ecclesiæ Christi opponit. Athanasius [g] Principes sæculares, qui iudicus Ecclesiasticis præesse volunt, similes esse ait Antichristo, quasi Christo repugnantes. Eodemque modo loquitur Damascenus [h]. Quæ cùm ita sint, apparet hæreticos non mentiri solum, sed nefariè etiam calumniari, dum Romanum Pontificem, qui se Vicarium Christi, ministrum, & seruum agnoscit, Antichristum, hoc est, æmulum, & aduersarium Christi appellare audent. Tantum enim abest, vt cultum Christi euertere moliatur, quod esse proprium Antichristi docet Paulus, vt illū potius tueatur ac foueat, & quacùque ratione possit, amplificet.

VIII. Iam verò quis propriè futurus sit Antichristus, prætermissa latissima significatione, qua plures dicuntur Antichristi, sicut & plures Christi, est inter Catholicos, & hæreticos ingens dissensio. Hæretici [i] namque Antichristum thronum quemdam, ac regnum eorum, qui vniuersæ Ecclesiæ præsident, interpretantur, Apostolus [k] enim non obscurè indicat, iam tunc sua ætate fuisse Antichristum, & eum tamen in fine mundi permodum à Christo, deleri, & necesse vt ste- vel vnum eundémque hominem ab Apostolico illo

ævo vsque ad mundi extremum superstitem futurum quod est prorsus absurdum; vel plures Antichristi nomine designari; vt quemadmodum Daniel [a] bestiarum nomine regna indicaris, sic Paulus, dum hominem nominat, Antichristi regnum significet. Nec multum discrepant quidam apud Augustinum [b], qui *non ipsum principem, sed vniuersum quodammodo corpus eius, idest, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo principe hoc loco* (id est, apud Apostolum) *intelligi Antichristum volunt.* Alia omnia Catholici, inter quos tamen non planè conuenit, cum alij aliter opinentur, vt paulo post commodius docebo. Sed certissimum est futurum verum hominem, vnicum, & singularem, Christus enim apud Ioannem hæc de illo pronuntiauit. *Alius veniet in nomine suo.* Quem locū Irenæus [c], Chrysostomus, Cyrillus [d], & Augustinus [e], de vero Antichristo explicant, illum enim Dominus secum confert tanquam hominem cum homine, deinde ait recipiendum à Iudæis tanquam Messiam, cum tamen illi certum aliquem hominem expectarent. Ad hæc Paulus [f] vocat Antichristū hominē peccati filiū perditionis; quo loco vt obseruauit Epiphanius [g]. Græco more adhibetur articulus, vt singularis quispiam homo designetur, quod hoc etiam loco obseruare licet; cum enim Ioannes Antichristum nominauit articulum adiecit, quod non fecit, cum numero multitudinis dixit, Antichristi multi sunt.

IX. Apud Danielem [h] verò. vt affirmant Irenæus [i], Hieronymus [k], & Augustinus [l], non repugnantibus hæreticis [m], de Antichristo agitur, & vnus singularis homo designatur, comparatur enim cornu; & vt Cyprianus [n], & Hieronymus [o] indicat ad literam agitur de Antiocho; qui typus erat Antichristi, vt quemadmodum ille singularis erat homo, hic etiam vnus quispiam censendus sit. Denique Interprete Irenæo idē colligitur ex Apocalypsi [p]. Neque verò aliter senserunt sancti Patres, vt Irenæus [q], Cyrillus Hierosolymitanus [r], Chrysostomus [s], Theodoretus [t], Damascenus [u], Lactantius [x], Ambrosius [y], Hieronymus [z], Augustinus [a], Gregorius [b]. Fateor quidē cœpisse Antichristum Apostolorum tempore, vt hoc loco indicat Ioannes, non tamen in se ipso, sed in eius ministris, & sectatoribus. vt in Simone Mago, & Nerone, vt Ambrosius, Chrysostomus [c], Hieronymus [d], Augustinus [e], Theodoretus, & Sedulius [f] explicant. Tres enim priores de Nerone accipiunt tres posteriores de Simone Mago. Eo verò tempore, quo Paulus viuebat, nemo fuit Pontifex præter Petrum; quod si hæretici contendant, Pontificiam sedem esse Antichristum, fateantur oportet, quod tamen non ausi sunt affirmare, Petrum fuisse Antichristum. Igitur quemadmodum Christus apud Matthæum ait, Eliam venisse in Ioanne, quem constat in propria persona venturum sub finem mundi; ita Ioannes in aliena persona venisse Antichristum asserit, qui aliquando in propria venturus est.

X. Quod si quis Antichristi tempus curiosiùs exquirat, deprehendet profectò, plurimos etiam Catholicorum fuisse deceptos, vt variæ, ac multiplices de mundi fine fuere sententiæ. Thessalonicenses enim Paulo adhuc superstite diem Domini, hoc est, mundi occasum instare existimabant, quos Apostolus reprehendit. Cyprianus [g], Hieronymus [h], Gregorius [i], non procul abesse censuerunt. Sed fuitea Sanctorum leuis potius quædā suspicio ad fideliū animos excitandos accommodata, quam firma assertio. Iudas verò Syrus teste Hieronymo [k] mundū putauit anno à Christo nato 200 interiturū. Lactantius [l], qui vixit circa annū trecentesimum ab ortu Christi censuit suo tēpore ad extremam mundi non vltra ducentos annos superfuisse. Augustinus [m] tres hac de re recenset errores, quidam

Marginal notes: [a] Musculus & Centuriat. [b] 2. Thess. 2. 3. [c] vers. 22. [d] cap. 24. 11. [e] Epist. ad Algas. q. 11. [f] Epist. ad Damas. [g] Epist. ad solit. vit. agen. [h] lib. 4. c. 28. [i] Caluin. & Bez. [k] 2. Thess. [a] cap. 7. [b] lib. 20. de Ciuit. c. 19. [c] lib. 5. con. hæres. [d] In ill. loc. [e] Tra. 29. in Ioan. [f] 2. Thess. 2. [g] Hær. 9. sub fin. [h] cap. 7. 11. & 12. [i] lib. 5. [k] In Dan. [l] lib. 20. de ciuit. c. 23. [m] Cal. Bez. Centur. [n] De exhor. Martyr. cap. 11. [o] Daniel. 11. [p] Epist. ad Algas. q. 11. [q] lib. 5. [r] Catech. 15. [s] 2. Thess. 2. [t] Daniel. 7. [u] lib. 4. c. 28. [x] Epitom. diu. decr. c. 11. [y] Lucæ 21. [z] c. 7. Dan. & epist. ad Algas. cap. 11. [a] lib. 20. de ciu. ferè toto. [b] 51. mor. c. 12. [c] 2. Thess. 2. [d] Quæst. 11. ad Algas. [e] lib. 20. de Ciuit. c. 19. [f] 2. ad Thess. 2. [g] lib. 4. ep. 6. [h] Epist. ad Hieron. de monog. [i] lib. 4. cap. 38. & 4. Dial. & Hom. 1. in Euang. [k] De vir. ill. in Iuda. [l] lib. 7. c. 25. [m] lib. 18. de Ciuit. c. 53.

[k] Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

quidam enim putabant, finem mundi anno quadringentesimo ab ascensu Christi in cælum futurum. Alij anno quingentesimo, nonnulli millesimo. Ante Augustinum Ethnici quidam opinabantur, Christianam religionem non vltra annos sexaginta supra trecentos duraturam. Circa verò annum Domini millesimum centesimum quintum fuisse fertur [a] Episcopus quidam Florentinus, qui diceret, iam natum esse Antichristum. Denique celeberrima opinio fuit sex annorum millibus mundum staturum, cum sex diebus à Deo conditus fuerit, vt cuique diei milleni anni respondeant, cum scriptum sit: *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præterit.* Quæ fuit sententia Iustini [b], Irenæi [c], Lactantij [d], Hilarij [e], Hieronymi [f], quam excogitauerant pridem Iudæi prop er vaticinium cuiusdam Eliæ. Ambrosius [g] certè putat hunc annorum numerum iam præteriisse. Augustinus [h] alicubi eam sententiam probabilem putat. Alibi [i] acriter reprehendit eos, qui hunc numerum annorum præcisè retinent.

a Palmerius Chronic. & Plat. in vita Pasch. 2.
b quæst. 71. ad Gent.
c lib. 5.
d lib. 7. c. 14.
e Matth. 7
f in epist. ad Cypria qua exponit Psal. 89.

XI. Heretici verò, qui iam Antichristum venisse contendunt, in varias abiere sententias. Fuerunt [k] enim, qui dicerent, paulo post Apostolorum tempora Antichristum natum, cùm repentè extitit Idolum Dei trini, Deique incarnati, vt ipsi impiè blasphemant, quo nihil impudentius, aut magis impium fingi potest. Alij [l] Antichristum extitisse aiunt circa annum Domini quadringentesimum duodecimum, quo tempore cœpit imperium declinare [m]. Nonnulli [n] venisse aiunt Antichristum, spiritali gladio armatum anno sexcentesimo sexto, temporali verò gladio instructum post annum millesimum. Non defuerunt, qui [o] Antichristum venisse dicant anno septingentesimo sexagentesimo, tertio, quia numerus bestiæ, quæ describitur in Apocalypsi [p], complectitur annos 666. quibus si addas annos 97. qui præcesserant, cùm Apocalypsis scripta est, vt affirmat Irenæus, is annorum numerus conficitur. A qua sententia non abhorrent Catholici quidam [*], qui Antichristum fuisse Mahumetum autumant. Denique sunt [q], qui putent, ortum fuisse Antichristum anno millesimo ducentesimo, hoc est, post S. Bernardum, quia hoc ille indicat, & videtur, cum de Ecclesiæ tentationibus [r] agit.

g Luc. 2.
h lib. 20. de Ciuit. cap. 7.
i ep. ad Hesychium, & lib. 18. de Ciuit. c. 53.
k Trinitarij.
l Illyric.
m Teste Blódo ioir.
r Decad.
n Luther.
o Henr Bulling.
p cap 13.
* Clitou. li. 4. in Damasc.
q 24 & Pontac. Burdeg. In Chronic.
q Muscul.
s in PSal 90.

XII. Verissima tamen sententia est, venturum Antichristum paulo ante finem mundi, neque certò definiri posse eius ortus, & imperij tempus, quod facilè ex signis Antichristi probari potest. Sex enim omnino Antichristi signa commemorantur, quorum duo eius aduentum præuertent, duo comitabuntur, totidem subsequentur. Ac primum quidem signum, quod antecertet Antichristi aduentum indicatur à Christo [f], & Paulo [t]; necesse enim est, Euangelium in vniuerso terrarum orbe promulgari, quo tempore, vt Christus indicat apud Ioannem [u] eum tamquam liberatorem, & Messiam Iudæi complectentur. De quibus loquitur Bernardus [x]. Sic etiam intellexerunt Hilarius [y], Cyrillus Hierosolymitanus [z], Theodoretus [a], Damascenus [b]. Quo fit, vt non potuerit venisse statim post Apostolorum tempora, Origenes [c] enim docet suo tempore nondum omnes Christo nomina dedisse. Ruffinus [d] autem auctor est circa annum trecentesimum ab ortu Christi imperante Constantino, ad Indos Euangelij lucem peruenisse, qui nihil antea audierant. Augustinus [e] item ne sua quidem ætate fuisse omnibus promulgatum Euangelium asserit, ac ne id quidem anno 600. vel 700. contigisse probat Moræuorum, Polonorum, Vandalorumque conuersio, qui post annos 800. Christi fidem complexi sunt. Quin etiam Bernardus testis est, suo tempore multos adhuc Euangelij nomen ignorasse. Scimus autem ante non multos annos vastissimas regiones fuisse repertas, ad quas nondum Euangelij fama peruenerat.

f Matth. 24. & Luc. vlt.
t Rom. 11.
u cap. 5.
x lib. 3. ad Eugen
y Can. 25
z Catech 15.
a 2. Thess. 2.
b li. 4. c. 18.
c Hom. 18. in Matth.
d li. 10. hist. cap 9.
e ep. 80. ad Hesychium.

XIII. At enim scriptura consueuit totum pro maxima parte ponere, nam apud Lucam [a] legimus vniuersum orbem fuisse descriptum, cum tamen de orbe tantùm Romano loquatur Euangelista. In actis Apostolicis [b] Hierosolymis fuisse dicuntur ipso die Pentecostes homines ex omni natione, quæ sub cælo est, cum tamen ambigendum non sit, plurimas nationes fuisse desideratas. Paulus [c] etiam in omnem terram ait exiuisse sonum eorum, cum tamen plurimi supersint, qui ne Christi quidem nomen audierint. Nihil igitur necesse est, ante aduentum Antichristi apud omnes gentes, ac nationes Euangelium promulgari, modo maxima mortalium pars Christo nomina dederit. Verùm vt non negem, plerumque ita consueuisse sacras litteras loqui, contendo tamen Antichristum non antea venturum, quàm orbis terræ vniuersus Christi fidem, religionemque perceperit. Ita enim acceperunt Origenes [d], Hieronymus, Augustinus [e], cæterique Patres. Augustinus verò id rationibus confirmat, omnes enim gentes Christo promittuntur [f], ac propterea Ecclesia propriè dicitur Catholica, quod omnes nationes complectatur, Christus autem pro omnibus mortem oppetiit. Denique in Apocalypsi [g] Ioannes vidisse se ait electos ex omnibus gentibus. Quod ait Paulus, in omnem terram Apostolorum sonum abiisse, Augustinus ait, præteritum positum pro futuro. Hieronymus [h] autem, & D. Thomas [i] Apostolorum æuo Euangelium fama tantum per orbem peruagatum esse, te autem vera sub finem mundi omnibus promulgandum.

a Luc. 2.
b cap. 2. 5.
c ad Rom. & Coloss.
d Matth. 24.
e epist. 80. ad Hesych.
f PS. 71. &
g cap 7.
h Matt. 24.
i ad Rom. 10.

XIV. Alterum signum, quod Antichristi aduentum præuertet, est Romani Imperij euersio, vt Irenæus [k] probat Danielis [l], & Ioannis [m] testimonio, quibus constat Romanum Imperium in decem veluti regna tribuendum, vt Romani Imperij nomen prorsus intereat. Atque à Daniele [n] quidem omnium regnorum successio describitur in illa mirifica statua, quam à Rege dormiente visam esse scribit. Caput enim aureum Assyriorum, pectus argenteum Persarum, venter æneus Græcorum monarchiam, tibia verò ferreæ longissimæ imperium Romanorum significabant, quod quamdiutissimè fuit bipartitum. Decem verò pedum digiti decem regna significant, in quæ Romanum Imperium desinet. Rursus [o] eadem quatuor Monarchiæ quatuor bestiis significantur, ex quarta porrò bestia, quæ Romanum Imperium indicat, decem cornua prodeunt, quæ decem illa regna innuunt, de quibus loquimur. Ioannes [p] verò bestiam vidit septem capitum, & decem cornuum, mulierem verò fornicariam bestiæ insidentem, quo viso eadem Romani Imperij dissectio, atque euersio non obscurè indicatur. Hoc ipsum tacitè innuere visus est Paulus [q], cum ad Thessalonicenses scripsit: *Et nunc quid detineat scitis*, quasi significet se coram aliquid dixisse, quod litteris committere non auderet, ne si imperij euersionem expressisset, magnam sibi, reliquisque fidelibus inuidiam conflasset. Quo sanè modo Paulum intellexisse videntur Cyrillus Hierosolymitanus [r], Chrysostomus, Theophylactus, OEcumenius [s], Lactantius [t], Ambrosius [u], Hieronymus [x], Augustinus [y], Certè Tertullianus [z]: *Est*, inquit, *& alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperij, rebusque Romanis quod vim maximam vniuerso Orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem Romani Imperij commeatu scimus retardari*; quibus verbis ad locum Pauli videtur allude re.

k lib. 5.
l cap. 2. & 7.
m Apoc. 17.
n cap. 2.
o c. 7. Dan.
p Apoc. 17
q 2. Thess. 2. 6.
r Catech. 15.
s ad Thess. 2.
t lib. 7. c. 15.
u in 2. ad Thess. 2.
x ad Algas. q. 11.
y lib. 20. de Ciuit. c. 19.
z Apolog. cap. 32.

Tertium

XV. Tertium porrò signum, quod ipsum Antichristi aduentum comitabitur, est Eliæ, atque Enoch prædicatio. Eliam enim venturum constat ex Malachia [a]. *Ecce ego* (inquit) *mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Idemque significatur à Matthæo [b]. *Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire.* Idque pluribus significant Origenes [c], Chrysostomus [d], Gregorius [e] Nissenus, Cyrillus, Theodoretus [f], Euthymius [g], Augustinus [h], Gregorius [i], Anselmus [k], Beda [l], D. Thomas [m], & alij [n]. De Enoch affirmat Ecclesiasticus [o]. De vtroque in Apocalypsi [p] legimus. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Vt mirum sit, sciolis quibusdam venisse in mentem, tertium addere Ioannem Euangelistam, de quo nullum proferre possunt testimonium, eum, vt alibi dixi, Policrates Ephesiorum Episcopus apud Eusebium [q], affirmet eum obiisse, eiusque sepulchrum extare. Non me tamen fugit Hieronymum [r] Eliæ nomine omnem prophetarum chorum interpretari, quem hæretici quidam imitantur, qui Enoch, & Eliam Ecclesiæ ministros significare arbitrantur, qui Antichristo resistunt, sed omnes fermè veteres Patres Enochum, & Eliam propriè venturos affirmant, vt Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus [s], Lactantius [t], Theodoretus [u], Primasius [x], Augustinus [y], Gregorius [z], Damascenus [a]; qui propterea adhuc superstites sunt, vt de Enoch indicat [b] Paulus. *Enoch* (inquit) *translatus est ne videret mortem.* Et Tertullianus [c] simile quiddam indicat. De vtroque idem asserunt Irenæus [d], Epiphanius [e], Hieronymus *, Augustinus *.

Quartum signum, quod etiam Antichristi aduentum comitatur, est omnium grauissima persequutio, quæ erit omnibus noctissima. Cessabunt enim sacrificia, & omnes propemodum sacræ functiones, vt indicat Daniel [f]. *A tempore* (inquit) *cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem.* Quo loco id obseruant Hieronymus, & Theodoretus, Irenæo [g], & Primasio [h] suffragantibus. Ac de grauitate quidem illius persequutionis ita loquitur apud Matthæum [i] Christus: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.* Et Ioannes in Apocalypsi [k]: *Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur* (inquit) *Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos,* &c. Sic Augustinus [l], & Cyrillus [m] Hierosolymitanus, quorum nihil hoc tempore cernitur, quod ad retundendam hæreticorum impudentiam satis esse videtur, cum præsertim Antichristi aduentum paulo post mundi interitus subsequuturus sit. Quod est

XVI. secundum signum eius aduentus, nam apud Danielem [n] statim post Antichristum extremum iudicium describitur; idemque cernitur in Apocalypsi [o]. Confirmarique potest ex Matthæo [p], & Paulo [q]; imò verò post obitum Antichristi mundo dies tantummodo quinque supra quadraginta tribuuntur, vt obseruat Hieronymus [r].

Postremũ denique Antichristi signum, quod ipsius aduentum consequitur, desumitur ab eo temporis spatio, quo vim suã exercere permittetur, quod quidem erit breuissimum, vt Christus ipse significate

XVII. videtur. *Et nisi* (inquit) * *breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Dicitur autem in Apocalypsi [t] Antichristi sæuitiam duos, & quadraginta menses debacchaturam, hoc est, dies mille ducentos sexaginta, ex quibus conficiuntur tres anni lunares, cum dimidio. Neque aduersatur Daniel [y], qui dies numerat mille ducentos nonaginta. Ioannes enim recẽset dies Enoch & Eliæ, Daniel verò ipsius Antichristi. Ita Irenæus [u], Cyrillus [x], Hieronymus [y], Augustinus [z], Theodoretus [a],

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

a cap. 4. 5. b cap 17. 20. c Tom. 7. in Io. d Hom. 54. in Mat. e De aduẽ. Dom. con. Iudæos. f Malac. 4. g Mat. 17. h lib. 20 de Ciuit. 29. i lib. 11. mor. c. 10. k Mat. 17. l Ibid. & Mat. 9. m Matt. 17. n Aret. & Ambros. Apoc. 11. o cap. 44. 48. p cap. 11. q lib. 3. hist. c. 31. r Malac. 4. s in c. 11. & 17. Mat. t lib. 7. c. 17. u Malac. 4. x Apoc. 11. y Tract. 45. in Io. li. 20. de Ciuit. c. 29. lib. 9. de Genes. ad litt. c. 6. z lib. 9. mor. c. 4. a lib. 4. de fid. orthod. c. 28. Adde Bed. & Aretam Apoc. 11. b Ad Heb. 11. 5. c lib. con. Iudæ. 2. d lib. 5. e in Ancho. * Ep. ad Pammach. * lib. 2. de pecc. orig. c. 23. f cap. 12. g lib. 5. h Apoc. 11. i cap. 24. 21. k cap. 20. 7. l lib. 20. de Ciuit. 29. m Catech. 15. n cap. 7. o cap. 20. p cap. 24. q 2. Thess. 2. r Dan. 12. * Mat. 24. 22. t cap. 11. & 13. y cap. 12. u lib. 5. x Catech. 15. y Dan. 7. z lib. 20. de Ciuit. c. 23. a Dan. 7.

A aliique [a] non pauci docuerunt. Addo quòd Augustinus [b], & Gregorius [c], tempestatem illam, atque procellam breuissimam futuram esse affirmant. Quæ sanè omnia apertissimè indicant hoc quidem sæculo ne leuissimam quidem regni Antichristi suspicionem admitti posse.

XVIII. Iam vt cætera persequar, si quis Antichristi nomẽ sciscitetur, id quamquam obscurè ex Apocalypsi [d] colligi videtur. Tria enim Ioannes distinguit, bestiæ, id est, Antichristi characterem, nomen, & nominis numerum; ex numero autem pendere videtur nomen. De numero porrò, & charactere incredibilis est sententiarum pugna; fuerunt enim qui existimarent, numerum annorum continere tempus obitus Anti-B christi, quod non hæretici [e] modò, sed nonnulli [f] etiam Catholici, qui censuerunt Mahumetum Antichristum fuisse, opinantur. Quæ sententia cum falsa sit, vt ex superioribus facilè intelligitur, numerus, qui à Ioanne describitur, non ad obitũ, sed vt ipse Ioannes ait, ad Antichristi nomen referendum videtur, vt nihil dicam, Mahumetum non eo tempore obiisse, sed vel anno 637. vel certè 630. Alij [g] igitur referunt numerum ad nomen bestiæ, in eo autem numero putant contineri hoc nomen λατεῖνος. quod Antichristi nomen fore contendunt. Quod videntur secutos fuisse Irenæus [h], & Aretas [i], in eo namque nomine hic numerus continetur, λ. enim significat triginta, α, vnitatem, τ, trecentum, ει, quindecim, ν, quinquaginta, ο, C septuaginta, ς, ducentum. Ex quibus omnibus simul collectis existit numerus 666. Quo nomine mirificè gloriantur hæretici, quòd putent Latini nomen maximè conuenire Pontifici, qui in Latio imperat.

XIX. Verùm quod attinet ad Irenæum, præter nomen λατεῖνος ponit etiam nomen, εὐανθας & τειτάν, quibus idem numerus inest. Fateor tamen illum probare cõiecturam nominis λατεῖνος, quod suo tempore Latinorum regnum vniuersum penè terrarum orbem occuparet. Quod quidem nũc ad rem nullo pacto spectat, cum præsertim hoc nomen λατῖνος, vt significat Romanum, simplici iota scribatur, atque ita pereat ratio numeri. Denique Hypolitus [k], Aretas, Primasius [l], & alij [m] plura recensent nomina, ex quibus idẽ D numerus deprehenditur. Non pauci existimarunt appellandum ἀρνοῦμε, vt significauit Primasius, quod tamen ab aliis refellitur, quod id nomen nõ videatur huiusmodi, vt eo (quod futurum creditur) possit Antichristus magnopere gloriari. Viri [n] docti affirmant eo numero, non Antichristi nomen, sed triplicẽ Diaboli præuaricationem indicari, quæ in Antichristo perficietur, siquidem senarius numerus rem creatam significat, quæ sua culpa, & lapsu beatitudine frustretur; ita autem ex Irenæo [o] ratiocinãtur, sexto die peccasse Adamum, & sexto item die à Christo moriente in gratiam reuocatum. Cæterùm Diabolum primùm in cœlo peccasse, & primum veluti senarium fecisse; iterùm cum hominem decepit, alterum addidisse se-E narium, & numerum sexagesimum expleuisse; postremò cùm opera Antichristi mundũ vniuersum seducere conabitur, tertium adiunget senariũ, efficietque numerum sexcentesimum sexagesimum sextum, tres enim senarios numerum efficere sexcentorum sexaginta sex [p].

XX. Porro Beda senarium numerum ait esse perfectũ, tribui verò Antichristo, quia sibi perfectissimum Dei tributum vendicabit. Legimus enim in sacris [q] litteris pondus auri talentorum sexcentorum sexaginta sex Salomoni pendi consueuisse. Quæ sententia ad popularem auram captandam, vt etiam superior, nõnullam vim habere, ad veritatem autem eruendã, aut etiam elimandam, quod in præsentia agitur, prorsus inepta videtur, cum de numero nominis eo loco agi

a Omnes Interp. Apoc. b lib. 20. de Ciuit. c. 8. c 33. Mor. c. 12. d cap. 13. e Bulling. & Illyric. f Lyran. & alij. g Illyric. h lib. 5. c. 30. i Apoc. 13. k Or. de cõsum. sæc. l Apoc. 13. m Ruper. ibid. o Ruper. Apoc. 13. o lib. 5. p Apoc. 13. q 3. Reg. 10.

A receptissimũ sit. Maneat igitur eo numero Antichristi nomen insinuari, quale autem futurum sit, temerè diuinari vtcumque potest, certò affirmari non item. De charactere verò bestiæ non exigua dissensio est; Sicophanta [a] enim quidam bestiæ characterem vocat chrismatis Sacramentum. Verùm hoc impudens mendacium facilius refellitur, quàm asseritur, bestiæ enim character manu comprehenditur, chrisma verò fronte excipitur; deinde vt hic ipse existimat, venit Antichristus anno Christi 700. At chrisma ipso Apostolorum æuo vsurpari cœpit, vt intelligi potest ex Tertulliano [b], Cypriano [c], Clemente [d], Vrbano [e], Eusebio, Melchiade [f], aliisque antiquissimis Patribus. Alius [g] quidam eius farinæ bestiæ characterem nihil aliud esse putat, nisi professionem fidei, & subiectionem, qua quis Romano Pontifici subditur, quod impium commentum iisdem planè rationibus reiicitur, character enim in aliqua corporis parte imprimi solet, fidei verò professio, & Romani Pontificis obsequium multo sunt antiquiora etiam ex hæreticorum sententia Antichristi aduentu. Inter Catholicos non planè conuenit, sunt [h] enim qui characterẽ cum nomine Bestiæ confundant: nec magnopere discrepant Augustinus, & Primasius, qui characterem existimant esse bestiæ nomen ad certa litterarum elementa
XXI.
contractum. Hypolitus [i] characterẽ nihil aliud esse existimat, quàm abnegare signum Crucis. Alij denique signum aliquod incognitum suspicantur, mihi planè non liquet, malo enim ingenuè fateri, me nescire C quod nesciam, quàm temerè quidquam, aut impudenter effutire.

De Antichristi verò ortu, ac genere quædam fabulosa circumferuntur, quædam probabilia, quædam omninò certa. Principio igitur Auctor libelli de Antichristo inter opera [k] Augustini quorumdam sententiam recenset, qui Antichristum ex Virgine ope Dæmonis nasciturum fabulantur, quam sententiam Auctor ille refellit, quòd perabsurdũ sit absque humano semine hominẽ gigni, idque vnius Dei omnipotentiæ proprium esse, alicubi [l] docuit Augustinus. Alij nasciturum quidẽ ex Virgine affirmant, sed ab incubo tamen Dæmone compressa, & humani seminis iaculatione fœcũdata. D Quod quidem vel Augustini [m] testimonio fieri posse constat; Hypolitus eum dæmonem futurum ait humana specie, plures existimarunt eum fore Dæmonem incarnatum, & significant Hieronymus [n], Beda [o], & Damascenus [p]. Fuitè fuit error Origenis, qui alicubi [q] ait, quosdam Angelos fuisse incarnatos, quem errorem non vno loco refellit Hieronymus [r]. Damascenus [s] ex fœmina prostituta nasciturũ scribit, quod vtcũque probabile videtur. Plurimi asserunt, oriturum ex tribu Dan, vt Irenæus [t], Hypolitus [u], Ambrosius [x], Augustinus [y], Aretas, Anselmus, Beda [z], & alij [a]. Probari videtur ex libro Geneseos [b]: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Et Ieremias [c]: *Ex Dan* (inquit) *audiuimus vocem equorum.* Et in Apocalypsi [d] in odium Antichristi ea tribus omittitur. E Sed hæc sententia vt probabilitate non caret, ita non admodum firmo nititur fundamento. Nam in illo Geneseos loco interprete Hieronymo [e] agitur de Samsone, & apud Ieremiam Dan est loci nomen. In Apocalypsi verò omittitur etiã tribus Ephraim. Itaque id vnum certum videtur fore Iudæum, & à Iudæis quasi Messiam complectendum, vt indicauit Christus apud Ioannem [f], & [g] Paulus; sic enim vtrumque locum explicat Hieronymus [h]. Huc idem confirmant Irenæus [i], Cyrillus [k] Hierosolymitanus, Chrysostomus, Cyrillus [l] Alexandrinus, Damascenus [m], Hilarius [n], Ambrosius [o], Augustinus [p], Gregorius [q].

XXII. De sede porrò Antichristi Catholicis cum hæreticis non de terminis, vt aiunt, sed de tota possessione A contentio est. Illi siquidem Romæ illũ regnaturum, suique imperij thronum locaturum putant in ipsa Apostolica, & Petri sede; idque ex Apocalypsi [a] confirmare se posse putant, ibi enim scriptũ est Antichristum sedem suam locaturum *in ciuitate magna, quæ sedet super septem montes*, & orbi vniuerso dominatur, quæ videtur ipsissima Vrbis Romæ descriptio. Præterea Paulus [b] eum ait in templo Dei sessurum, nec dubitandum videtur, loqui Apostolum de templo veri Dei, cum de tẽplo Salomonis intelligi nequeat, quod euertendum est, vt ex Danielis [c] vaticinio colligitur. Itaque eum in Ecclesia Dei regnaturum arbitrantur, quod insinuare videntur Hieronymus [d], & OEcumenius [e]. Catholici contra, quicquid isti vociferentur, B nihil dubitant Antichristum Hierosolymis, atque in ipso Salomonis tẽplo imperij, seu potius tyrãnidis suæ sedem locaturũ. Quod primùm ex Apocalypsi [f] apertè deprehenditur, ibi enim asserit Ioannes Eliam, & Enoch, dum strenuè pro fide decertãt, Hierosolymis extremo supplicio afficiẽdos, sic enim apertè locũ explicat Aretas. Non me tamen clam est, quid aduersus hanc explanationẽ Hieronymus [*] ad Marcellam scribat. Sed in ea epistola, quam nomine Paulæ, atque Eustochij scripsit, liberius aliquanto excurrit, & Vrbis Hierusalem laudes extollit.

XXIII. Cæterum Vrbem illam interdum Sodomam, & Gomorrham appellari fatetur ipse Hieronymus [g], & apertissimè id scripsit Isaias [h]. Pauli verò locus, quo C abutuntur hæretici, à nobis stat. Quod enim ait Antichristũ in templo Dei sessurum varios, ac multiplices habet explicatus. Anselmus Dei templum, eorum fidelium mentes significare putat, quos Antichristus suis præstigiis decipiet, & in fraude impellet. Hieronymus, Chrysostomus, OEcumenius, Theodoretus, Theophylactus ad Ecclesias Dei referunt. Augustinus [k] paulo aliter apud Apostolum legisse videtur, ita enim habet. *Sedeat in templum Dei*; cui fauent Græci Codices, habent enim, εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ. Explicat autem quasi ipse Antichristus sese quasi Dei templum ostẽtaturus sit, quomodo dixit Dauid [l] *esto mihi in Deum protectorem*. optabat enim Deum sui patrocinium suscipere. Plurimi tamen locum explicãt de templo Salomonis. D Sic Irenæus [m], Hypolitus [n], Cyrillus Hierosolymitanus, Damascenus [p], Chrysostomus [q], Hilarius [r], Ambrosius [s], Sedulius [t]. Quin etiam Chrysostomus, Theodoretus, & Theophylactus Hierosolymitanum templum apertè nominant; solus OEcumenius, qui omnium est recentissimus, id negat, quamquam fortassè locus est apud eum corruptus. Addo Lactantium [u], qui regnum Antichristi futurum ait in Asia, & alibi [x] Syriam propriè nominat. Hieronymus autem, & Theodoretus [y] colligunt Antichristum circa Hierusalem castra positurum, & in monte Oliueti à Christo Domino perimendum. Firmari potest hæc sententia ex ipso templi nomine, nusquam enim in sacris litteris Christianorum Ecclesiæ templa nuncupantur, E nec, vt arbitror, ante Constantinum quisque eo nomine Christianorũ Ecclesias appellauit. Dicebantur enim vel Oratoria, vel orationis domus, vel martyria, vel Ecclesiæ. templa verò nunquam, siue quia non erant magnifica ædificia, siue ad abolendã Iudaici templi memoriam, siue denique ne Gentiles imitari viderentur, qui Deorum templa colebant. Denique cum sit Antichristus futurus Iudæus, & à Iudæis probandus, certè inter Iudæos versabitur, ibique sedem figet, vbi illi Messiam præstolantur.

XXIV. Iam verò quod affertur ab hæreticis ex libro Apocalypsis de vrbe illa magna, quæ septẽ collibus insidet, facilè refellitur. Si enim sequamur Augustinũ [z], Aretam, Bedam [a], & alios [b], ea vrbs impiorum omniũ vniuersitatem significat, insidere enim dicitur septem

colli

Marginal notes (left): a Bulinger. b De resur. car. c lib. 1. ep. 12. d ep. 4. ad Iul. & Iulia. e ep. ad omnes Christi fideles. f Suis Decretal. g Biblian. in chronic. tab. 10. h Beda Ruper. & alij. i De cõsum. sæcul. k Tomo 9. l ep. 3 ad Volus. m lib. 15. de Ciuit. c. 23. n Dan. 7. o Apoc. 13. p lib. 4. c. 27. q Tom. 2 in Io. r Præfat. in Malach. & Agæ. 1. s lib. 4. c. 27. t lib. 5. u in orat. de mun. cons. x lib. de benedict. Patriar. c. 7. y Quæst. 22. in Ios. z Apoc. 7. a Prosper lib. de promis. p. vlt. c. 9. Ruper. & Richar. Apo. 7. b cap. 49. c cap. 8. d cap. 7. e in qq. Hebraic. in Gen. f cap. 5. g 2. Thess. 2. h Ad Algas. q. 5. i lib. 5. k Catech. 15. l Ioan. 5. m lib. 4. c. 4. n Mat. 25. o Luc 21. p Trac. 29. in Io. q 32. mor. c. 10.

Marginal notes (right): a cap. 17. b 2. Thess. 2. c cap. 9. d Ad Algas. q. 11. e 2. Thess. 2. f cap. 11. * ep 17. g Isa. 1. h cap. 2. i 2. Thess. 2. k 20 de Ciuit. c. 19. l Psal. 30. 3. m lib. 5. n in orat. de cons. sæcu. o Catech. 15. p lib. 4. c. 28. q In loc. Paul. r Mat. 25. s Luc. 21. t 2. Thess. 2. u lib. 7. c. 15. x cap. 17. y ad cap. 11. Dan. z in Psal. a Apoc. 17. b Ruper. ibidem

collibus, quia omnia regna cóplectitur, & nihil præter terrenum regnum spectat. Quod si libeat Tertulliano a, & Hieronymo b subscribere, illi quidem vrbé Romam interpretantur, sed veterem illam idolorum cultricem, & Christianorum, ac Martyrum sanguine ebriá. Quod si de Romana Ecclesia, deque vrbe Roma Christiana placeat interpretari, id vnú significat Ioannes, futurum vt Antichristus incredibili cú odio prosequatur, eáque omnibus machinis oppugnaturus sit, vt eá, si fieri possit penitus euertat. Quod deinde asserunt de téplo Salomonis, paulo ante explosum est. Ex hoc autem capite facilè quiuis intelliget, deliberare prorsus, atque aliena loqui hæreticos, qui Romanum Pontificem occupare aiunt sedem Antichristi, cum nemo Romanorum Pontificum à sexcentis, & eo amplius annis Vrbem Hierosolymitani viderit, ne dum in ea imperium sibi vsurpauerit.

a lib. con. Iud. & lib. 3. con. Marc. b ep. 17. ad Marcell. ep. ad Algas. q. 11. & lib. 2. con. Iouin.

XXV. Doctrinæ porrò eius capita quatuor ferè recensentur. Primú Iesu nomen quoad poterit, euertere, ac penitus extinguere conabitur, totus enim in eo erit, vt ostendat, non fuisse illum Christum, & humani generis liberatoré. Alterum se ipsum Christú, & humani generis redemptorem, nostræque libertatis vindicem ostétabit, quod, vt non semel dixi, Christus ipse apud Ioanne c indicauit: *Alius (inquit) in nomine suo veniet, & hunc recipietis.* Tertiú se ipsum quasi Deum colendum proponet, id enim apertè significat Apostolus d. Postremò se vnum Deum prædicabit, quod ibidem insinuat Paulus, & ante illum Daniel e. Quæ omnia cum nobiscú fateantur hæretici, in iis tamen explicádis mirú est quantopere a nobis, & à veritate dissentiant. Eorú enim princeps f hæc eò tam refert ad doctrinam, quám ad vitá, & mores, nam per speciem fictitiam numinis Christi decepturum illum ait plurimos mortaliú, cùm tamen omnium scelerú maculis sit coinquinandus. Sed quicquid ille, aliæve g orbis terræ pestes mentiátur, vt non nego perditissimis moribus præditum illum fore, ea tamen, quæ commemoraui, erunt præcipua eius doctrinæ capita, quæ mortalibus persuadere nitetur. Vt appareat, quám inepte Antichristi nomen, & doctrinà Romano Pótifici adscribát, qui Christi nomé, ac diuiná maiestatem extollit, & pio, ac religioso cultu & venerátur ipse, & cunctis mortalibus complectendum, retinendúmque proponit.

c cap. 5. 43. d 2. Thess. 2. e cap. 11. f Caluin. g Centuriat.

XXVI. Patraturus etiá h dicitur signa, atque prodigia; quin etiam Gregorius i eamdé vim mirificam affectis eius tribuit. Sed vt suo loco docui, signa erút, & miracula mendacia. Primum quidé, quia falsum, atque inanem cultum, & impium, ac nefariá superstitioné promouebunt, vt Chrysostomus, & Ambrosius k docét. Deinde vt ait Cyrillus l Hierosolymitanus, quia auctoré habebút mendaciorú parentem, & architectum. Ad de quód plurima erunt inania spectra, ac fictis rerum imaginibus, sensuum denique ludificatione constantia, vt Cyrillus m Hierosolymitanus, Theodoretus n, & Aretas o affirmant. Postremò à vera miracula ratione plurimum recedent, cùm nihil supra naturá effecturus sit Antichristus, sed ope Dæmonum occultas causas, & principia ad mira quædam efficiéda adhibebit. Et vt aliquando concludá, hic impius, & scelestus ex humili, abiectoque loco, vt indicat Daniel p, ad regnú euehetur. Occupato verò regno tres Reges Ægypti Lybiæ, & Æthiopiæ interficiet, ibique eorú imperia arrogabit, vt ex eodem Daniele q deprehenditur. Idque Hieronymus, Theodoretus r, Irenæus s, & Lactantius t confirmant. Quo etiam addunt Hieronymus u, Lactantius x, Irenæus y, Chrysostomus z, Cyrillus a futurum illum orbis terræ Monarchá. Denique vbique Christi cultores insectabitur, vt ex Apocal. plurimis colligitur, & disertè asserit Augustinus b.

h Matt. 24. 2. Thess. 2. Apoc. 13. i l. 23. mor. c. 1. k 2. Thess. 2. l Catech. 15. m Catech. n 2. Thess. 2. o Apoc. 17. p cap. 11. q cap. 11. & c. 7. r in Dan. s l. 5. t lib. 7. c. 16. u Dan. 1. x lib. 7. c. 16. y lib. 5. z 2. Thess. 2. a Catech. 15. cap. 20. b lib. 20. de Ciuitate cap. 11.

Atque hæc quidé de Antichristo, qui κατ' ἐξοχὴν hoc nomine vocatur, qui sub finem mundi venturus catholica fide creditur. Pergit autem Ioannes:

XXVII. *Nunc autem Antichristi multi facti sunt.* Ad vim nominis alludit, omnes etiam, qui Christi fidem, ac religionem oppugnát, quia Christo aduersantur, meritò vocantur Antichristi. Procul dubio autem hæreticos indigetat, de quibus paulo post ait: *Exierunt à nobis, quia non erant ex nobis.* Sic Irenæus a Marcum hæreticum nescio quem de quo Tertullianus b, Theodoretus c, & Epiphanius d meminerunt, Antichristi prodromum, & præcursorem appellat. Athanasius e verò Constantium Arianum Imperatorem Antichristum appellat, quod etiá Hilarius f, & Lucifer g Calaritanus faciunt. Et quidem meritò hoc nomine hæretici nuncupantur, siquidem iij, qui palam catholicam fidé abiurantur, etiam Christiano nomini nuntium remisisse videntur, vt eam ob causam Christiani appellandi non sint. Ita enim asserunt Cyprianus h, Hieronymus i, Augustinus k, & inter Græcos Athanasius l. Cum enim bifariam quis aduersus Christum pugná, & dimicationem suscipiat, hæretici vtroque nomine aduersus Christum præliantur. Iam quod ad doctrinam spectat, qui aliter docet, quàm Romana credat, sequatúrque Ecclesia, is procul dubio Antichristus dicendus est, etiam si alioqui virtutibus, vel virtutum potius simulachris fulgeat. Qua de re sapienter Ignatius m: *Quisquis (inquit) dixerit præter illa, quæ statuta sunt, etiamsi fide dignus sit, etiamsi ieiunet, etiamsi virginitatem seruet, etiam si signa faciat, etiam si prophetet, tibi lupus censeatur sub ouis pelle ouium corruptionem moliens.* Non aliter qui secus viuunt, ac Christus humani generis Magister docuit, Antichristi vocari possunt. Dixit enim alicubi n Christus: *Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Vtroque modo Apostolico illo sæculo multi erant Antichristi; nam iidem fermè, qui veram Christi doctrinam oppugnabant, etiam vita, & moribus ab ea quàm longissimè recedebant, vt Ebion, Cerinthus Simon Magus, & alij eiusdem generis. quales erant illi, quos deflet o Paulus, & crucis Christi inimicos appellat.

a lib. 1 c. 8. b lib. de præscrip. c lib. 1. de hæret. fab. d hæres. 34. e ep. ad vit. solit. agent. f lib. aduer. Constan. g De non parcendo in Deum delin. h lib. 4. ep. 2. i Con. Lucifer. k lib. de gratia Christi c. 20. l Orat. con. Arian. m epist. ad Heron. n Lucæ c. 11. 23. o Philipp. 3. 18.

XXVIII. Meritò igitur Ioannes multos ait esse Antichristos, vt enim ait Origenes p: *Generaliter vnus est Antichristus, species autem illius multæ; tamquam si dicamus mendacium, generaliter vnum est, secundum differentias autem falsorum dogmatum inueniuntur multa esse mendacia. Si enim mendacium non differt à mendacio, puta aut Basilidis, aut Marcionis, aut Valentini, aut aliquorum similium, vnum videtur esse mendacium. Si autem secundum diuersa dogmata mentiuntur, multi sunt, qui exsurgunt; hi enim sunt antichristi, & quicumque post eos surrexerunt, similiter dicti de prædicationibus singularum hæresum.* Et Cyprianus q: *Beatus Ioannes (ait) nullam hæresim, aut schisma discreuit, sed vniuersos, qui de Ecclesia exissent, antichristos appellauit. Vnde apparet aduersarios Domini Antichristos omnes esse, quos constet à caritate, atque ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse.* Porro Augustinus r confert hunc locum cum verbis Pauli s, ad ipsum enim mysterium pertinere arbitratur, quod ait in Epistola sua Ioannes Euangelista: *Pueri nouissima hora est;* cùmque totum hunc locum recitasset *Sicut ergo ante finem in hac hora,* inquit, *quam Ioannes nouissimam dicit exierunt multi hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos, ita omnes tunc inde exibunt qui non ad Christum, sed ad illum nouissimum Antichristum pertinebunt, & tunc reuelabitur.*

p in Matth. c. 24. q ep. 76. ad Magnum. r lib. 20. de Ciuit. c. 19. s 2. Thess. 2.

XXIX. *Vnde scimus quia nouissima hora est.* Nam hi multi Antichristi sunt veluti extremi illius Antichristi prodromi, atq; ita rectè colligit Didymus, *non de omnibus, qui falsa doctrinà habebát, hæc scribi, sed de solis declinantibus ad*

A *ad falsam sectam post instructionem Evangelicam, qui tamquam ex Christianis facti noscuntur Antichristi. Quoniam quantum ad hoc, quod aliquando susceperunt doctrinam Christi, ex discipulis Christi extra eos facti sunt ibgentes fallacibus iniqui doctrinis. Quapropter licet annuncient scripturas, non sunt recipiendi, cum ab earum sensu recesserint, & ad impios sensus accesserint, recedentes ab unctione, quam habebant à Spiritu sancto, & ostendentes, quòd sint Antichristi.* Itaque ait Apostolus, inde probari, hanc esse nouissimam horam, quia multi sunt Antichristi; ait enim OEcumenius. *Si Antichristum expectamus, nunc autem Antichristi multi versantur in hac vita (dicit autem Cherintum, illique similes) manifestum est, quòd tempus consummationis immineat, dum multi Antichristi vnũ praecedunt, iterque illi parant.* B Certè quemadmodum sub finem mundi Antichristus ille veram fidem, ac religionem oppugnabit, ita multi hæretici eam deprauare, & corrumpere, & quàm plurimis errorum maculis fœdare & conati sunt olim, & nunc etiam nituntur.

19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.*

I. Quod ait Latinus Interpres, prodierunt, Græcè scriptum est ἐξῆλθον, quod alij vertunt, *egressi sunt*. Augustinus Latinè legit *exierunt*. Tria autem hoc loco asserit Apostolus. Primum quidem hæreticos tamquam fugitiuos, & transfugas Ecclesiæ castra deseruisse; deinde illos non fuisse ex nostris; postremò si ex nobis fuissent, vtique apud nos fuisse permansuros. C Primum illud Augustinus [a] de prædestinatis videtur accipere, qua admissa sententia, necesse est reliqua duo eodem pertinere. Sic autem loquitur: *Ex duobus piis cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc secretum, mansissent vtique nobiscum. Sed nonne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & eiusdem naturæ animas acceperant; nonne vtrique vocati, vtrique ex impiis iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? Vera sunt hæc omnia, ex nobis erant,* D *veruntamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consequuti, non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur.* Eodemque modo & loqui, & sentire videtur OEcumenius. *Non enim erant* (inquit) *ex nobis, id est, ex sorte eorum qui salui fiunt, nam si fuissent, cum suis permansissent.*

a lib. de bono perseu. cap. 8. Eodemque modo loquitur lib. de correct. & grat. cap. 9.

II. Sed fateor, hoc videri duriusculum, vt enim admittam: potuisse Apostolum suam, reliquorumque Apostolorum prædestinationem diuinitùs nosse, ac propterea verè potuisse indicare se, reliquosque Apostolos esse ex numero prædestinatorum. Non tamen credibile est, fuisse Ioanni diuinitùs indicatum, omnes E hæreticos, qui ab Apostolica doctrina recessissent, fuisse reprobos, contra verò omnes, qui in Ecclesiæ fide perseuerassent, electos, ac prædestinatos esse. Addo quòd cum Ioannes ait, *ex nobis prodierunt*, non Apostolos solùm indicat, sed vniuersum fidelium cœtum, ex quo hæretici prodierunt. Nam vt ait Didymus, de iis propriè loquitur, qui Apostolicam doctrinam reiecerant, & praua hæreticorum dogmata complexi erant. Itaque rectè hoc loco Augustinus. *Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt, sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis, si antequam exirent, non erant ex nobis, multi intus sunt, non exierunt, & tamen Antichristi sunt. Audemus hoc dicere, vt quid, nisi vt vnusquisque cùm intus est, non sit Antichristus?* A Quomodo igitur ait Ioannes, non erant ex nobis? Certè non omnes, qui in Ecclesia remanét, prædestinati sunt, neque qui exeunt, reprobi, cum non pauci ad Ecclesiæ castra reuertantur, & in fide Catholica perseuerent. Quapropter retenta explanatione superiori, qua diximus, hæreticos ab Ecclesiæ gremio recedere, rectè subdit, eos, qui erumpunt, & abeunt, non fuisse ex nobis, hoc est, non retinuisse fidem, & mores. Nam vt ait Cyprianus [a], antequàm hæretici sese prodeant, iam recesserant à fide, & moribus catholicis.

a lib. 1. ep. 8. & de vnit. Eccles. seu simplicit. Prælat.

III. Ita autem loquitur Cyprianus. *Cohærere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum* B *fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere, triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit: inanes paleæ tempestate iactantur, inualida arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur, & percutit Ioannes Apostolus dicens, exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis; hinc hæreses factæ sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem; dum perfidia discordans non tenet vnitatem.* Et Hieronymus [b] in eamdem sententiam. *Foras* (inquit) *prodeunt, vt publicè colant, quod intus prius venerabantur.* Neque aliter sensisse videtur Augustinus. *Ipso* (inquit) *exponente* (Ioanne Apostolo) *intelligetis non posse exire foras nisi Antichristos, eos autem, qui non sunt Christo contrarij, foras exire nullo modo posse.* C *Qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, & membrum computatur.* Paulo autem post explicans, quomodo quidam sint nobiscum, nec tamen sint ex nobis. *Sic sunt* (inquit) *in corpore Christi, quomodo humores mali, quando euomuntur, tunc releuatur corpus, sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur, & dicit, quando eos euomit, atque proiicit corpus. Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cum inessent. Ex nobis exierunt, sed nolite tristes esse, non erant ex nobis.*

b lib. 1. in Ierem. sub fin.

IV. Fuerunt igitur hæretici, & Antichristi aliquando *ex nobis*, hoc est, ex fidelium numero, sed antequam laruam ponerét; iam desierant esse ex nobis. Nam vt idem Augustinus ait. *Multi, qui non sunt ex nobis, accipiunt* D *nobiscum sacramenta, accipiunt nobiscum baptismum, accipiunt nobiscum quod norunt fideles, si accipere benedictionem Eucharistiæ, & quicquid in sacramentis sanctis est. Ipsius altaris communicationem accipiunt nobiscum, & non sunt ex nobis. Tentatio probat, quia non sunt ex nobis; quando illis tentatio venerit, velut occasione venti volant foras, quia grana non erant.* Sic Christus [c] antequam Iudas proditionem moliretur, eum Diabolum nuncupauit. *Nonne* (inquit) *duodecim elegi vos, & vnus ex vobis Diabolus est?* Siue enim ille fuerit aliquando iustus, siue secus, certè vt ait Augustinus [d]: *Iudas iste non tunc peruersus factus est, quando à Iudæis corruptus Dominum tradidit. Non tunc periit, iam fur erat, & Dominum perditus sequebatur, qui non corde, sed corpore Dominum sequebatur.* E Itaque licèt esset in numero discipulorum, Christi tamen discipulus non erat, paulatim enim à Magistri doctrina desciuit, & cum palam Magistro suo proditionem molitus est, verè poterant Apostoli dicere, *Exiuit ex nobis, sed non erat ex nobis.*

c Io. 6. 70.

d Tract. 50. in Io.

V. *Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Hæc ferè ad perseuerantiam, vt dixi, retulit Augustinus, qui tamen hoc loco, vt modo monui, indicat quosdam inter fideles viuere, & eorumdem esse sacramentorum participes, qui verè tamen aut non credant, aut gratia, & charitate destituantur, atque adeo sint Antichristi; nam qui Christo viua fide, perfectaque charitate adhærent, in Ecclesia perseuerant. Atqui non pauci à percepta gratia excidunt, ac fortasse etiam à fide deficiunt, & in omnem

æternitatem

æternitatem pereunt, qui tamen viua aliquando fuerunt Christi membra. Quomodo igitur verum erit: *Si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum? Vultis nosse* (ait Augustinus) *quàm certissimè dicatur hoc, vt qui forte exierunt, & redeunt, non sunt Antichristi, non sunt contrarij Christo? Qui non sunt Antichristi, non potest fieri, vt remaneant foris. Sed de voluntate sua vnusquisque aut Antichristus est, aut in Christo est, aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est, qui autem in malitia permanet, humor malus est, & quando exierit, reuelabuntur qui premebantur.* Videtur igitur indicare eos non esse ex nobis, qui ita exeunt, vt in malitia perseuerent, nec aliquando resipiscant, & ad Ecclesiam redeant. Eos autem, qui ita exeunt, vt mutata voluntate saniora consilia capiant, & ad Ecclesiæ castra reuertantur, non desinere esse ex nobis, sed quodammodo persistere, ac perseuerare nobiscum, perinde quasi de iis dumtaxat loquatur Apostolus, qui ita exeunt tamquam non reuersuri. Ita [a] alibi hæc accipit de iis, quibus Deus non dedit perseuerantiam vsque in finem, quos ait, fuisse de numero vocatorum non electorum, qui licet spectata præsenti iustitia cum filiis Dei versentur, in diuina præscientia, ac prædestinatione non pertinent ad numerum electorum, ac propterea non manent in nobis, mansissent autem si fuissent ex nobis, hoc est, ex electorum numero. Sed cum hæc sententia verissima sit, huic tamen loco aptari non potest, nisi eo, quem ipse Augustinus paulo ante explicauit modo. Nam alioqui si propriè de perseueraturis loqueretur Ioannes, nugari quodammodo censeri posset, quasi diceret, non erant ex nobis, hoc est, non erant perseueraturi, qui si fuissent perseueraturi, perseuerassent, quod nemo nisi ridiculè diceret.

a li. de corrept. & grat. cap. 9.

VI. *Sed vt manifesti fiant, quòd non sunt ex nobis.* Quasi significet, nil esse mirum, cur patiatur Deus quosdam deficere, & fieri antichristos, siquidem id eo potissimum consilio fit, vt probitas, ac sanctitas iustorum clarior, illustriorque euadat quorumdam improbitatis obiectu. Sic enim dixit etiam Paulus [b]: *Oportet & hæreses esse vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Rectè autem dicit Augustinus, ideo addidisse Apostolum, *vt manifesti fiant, quod non sunt omnes ex nobis, quia & intus cùm sunt, non ex nobis sunt, non tamen manifesti sunt, sed exeundo manifestantur.* Sic Paulus in actis Apostolicis [c] loquitur: *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Idque re ipsa docuerunt plerique, qui cum Spiritum sanctum, eiusque diuina charismata non sine ingenti miraculo diuinitus percepissent, noua tamen dogmata, & cum Christi fide, veraque religione pugnantia excogitarunt, & Christi gregem miris modis vexarunt, quos pridem idem [d] Apostolis indicauit, cùm ait: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi.* Quamobrem [e] alibi monet, vt qui se existimat stare, videat, ne cadat. *Tu* (inquit [f]) *fide stas, noli altum sapere, sed time.* Et [g] alio loco. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Nihil enim propius à lapsu, & ruina abest, quàm superbia, & arrogantia; quod vt obseruauit Hieronymus, indicare visus est Propheta [h], qui dixit: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum.* Superbia enim sectiones, & schismata parit, & vt alibi docui, vix quisquam hæreticus est, qui non hoc morbo laboret.

b 1. Cor. 11. 19.
c cap. 20. 30
d Actorum cap. 20. 29.
e 1. Cor. 10. 12.
f Rom. 11. 20.
g Philip. 2. 12.
h Abdias 3.

20. *Sed vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.*

I. OEcumenius putat hæc ad Apostoli modestiam declarandam referri. *Cùm hæc* (inquit) *dixisset, ne sibi tantummodo horum cognitionem attribuere videretur, atque arroganter se gerere, & iactabundè apud fideles, quasi solus ipse hæc cognoscat, subiungit: Et vos vnctionem habetis; quasi dicat: Sed quid ego hæc apud vos, quasi ignaros percenseo? Non ignoratis sanè hæc vos, quippe cum per sanctum baptisma vnctionem sacram, & per hunc spiritum diuinum acceperitis, qui in omnem veritatem vos adducit. Quocirca scito te me non scribere hæc vobis, quasi ignoretis, sed tamquam scientibus.* Fauet ipse Apostolus, qui mox subdit. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam. Vos* (inquit) *vnctionem habetis à sancto.* Vnctionem certè vocat Spiritum sanctum, eiusque diuina charismata. Ita enim loquitur Dauid [a]: *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Et Apostoli [b]: *Conuenerunt* (inquiunt) *verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum Iesum, quem vnxisti.* Et Isaias [c]: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me.* Petrus autem [d]: *Iesum* (inquit) *à Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Denique Paulus [e]: *Qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Itaque verè Augustinus: *Vnctio spiritalis ipse Spiritus sanctus est, cuius sacramentum est in vnctione visibili.* Ecclesia [f] verò spiritum vocat vnctionem spiritalem, quæ proportione quadam corporeis vnctionibus respondet. Olim enim apud Hebræos tres erant celebres vnctiones, Reges enim, Prophetæ, & summi Sacerdotes vngebantur. Reges quidem externa vnctione inaugurabantur, vt significaretur illos diuina quadam sapientia, iustitia, ac potestate indigere, vt ius populo dicere, regiasque omnes functiones commodè exercere possent. Verè enim scripsit Ieremias [g]: *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Et Salomon [h]: *Rex, qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo.* Prophetæ [i] verò vnctione consecrabantur, quod singulari quadam, atque eximia sapientia, & sanctitate indigerent, vt suis vaticiniis fidem facerent. Denique summi Sacerdotes persimili vnctione initiabantur, vt cælesti repleti numine pro populo sacrificia offerrent, & expiationem flagitiorum impetrarent.

a Ps. 44. 8.
b Act. 4. 27.
c cap. 61. 1.
d Act. 10. 38.
e 2. Cor. 1. 21. 22.
f in hymno, *Veni Creator.*
g cap. 23. 5.
h Prou. 20. 8
i 3 Reg. 19. 16.

II. Quoniam autem hæc omnia munera sunt Spiritus sancti, vnctionis ei nomen aptissimè congruit, cum hæc omnia de suo quodammodo fidelibus largiatur, quos tamquam Reges, Sacerdotes, ac Prophetas initiat. Nam Petrus [k] fideles Regale Sacerdotium vocat, vtramque illis dignitatem ascribens, & quasi propheras gentem sanctam nominat. Abraham enim, quia iustus erat, propheta nuncupatur [l]. Et vniuersis de iustis dixit Dauid [m]. *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Pro vnctione verò Græcè scripsit Apostolus χρῖσμα, quod tamen non perinde accipio, quasi peculiare illud sacramentum significet, quod ab insigni quadam vnctione χρῖσμα dicitur, Latinè confirmatio. Est illa quidem diuina quædam, atque admirabilis vnctio, quæ à Dionysio Areopagita τελείωσις, hoc est, perfectio dicitur, perficit enim, atque confirmat, quod fuerat baptismo inchoatum. Fateor tamen ea potissimum vnctione Spiritum sanctum designari; ita enim de illa loquitur Ambrosius [n]: *Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Quam ob causam Clemens Romanus [o]: *Illum* (ait) *qui confirmatus non sit, non esse perfectum Christianum, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit.* Apud Eusebium [p] verò ...... hoc est, obsignatio, seu sigillum nuncupatur. Et à Clemente Romano [q] vocatur *sigillum promissionum.* A Cypriano [r] dicitur: *Signaculum Dominicum.* Ab Ambrosio [f] *signaculum spirituale.* Ab

k 1. Petri 2. 9.
l Gen. 20. 7.
m Ps. 104. 15.
n lib. 3. de Sacr. cap. 2.
o epist. 4.
p lib. 6. hist. cap. 35.
q li. 7. const. cap. 34.
r ep. 73. ad Iubaian.
f lib de his, qui myster. initiantur c. 7 li. 1. de Spir. sanct. li. 5 de Sacram. c. ...

Augustino

a lib. 3. c. 61. Dona. c. 26. & lib. 6. cap. 14.

A Augustino [a], Gennadio [b], & aliis *manus impositio*. In Synodo denique Laodicea vocatur *chrisma supercaleste*.

b de Eccles. dogm. c. 52. & cap. 48.

III. Quamquam igitur Ioannes nomine vnctionis hoc sacramentum non propriè indicat, verosimillimum tamen videtur ad hoc etiam aliquo modo allusisse, quasi significet eos perfectos esse Christianos, & diuinarum rerum scientia imbutos, vt nihil eorum ignorare possent, quæ hic ab Apostolo commemorantur. Crediderim igitur, vnctionem vsurpasse Apostolum, vt significet eos diuini spiritus muneribus fuisse ornatos, & spiritali vnctione perunctos. Necesse vt sit, diuina quadam illos scientia esse præditos. Vnctionem enim inquit habetis à sancto, Græcè, *χρίσμα ἔχετε ἀπ' ἁγίῳ*, hoc est, à sancto illo. B Spiritum videlicet sanctum intelligit, à quo diuina chrismata perceperant, quibus erant delibuti. Ita significat, se de vnctione spiritali, ac metaphorica loqui, à qua dicuntur Christiani, cum eius fidem profiteantur, qui præcipuè dicitur Christus, hoc est, vnctus, ipsa videlicet diuinitate, ac persona Verbi,

d Psal. 44. 8.

de qua dixit David [d]: *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, & exultationis.* Videtur autem hoc vnctionis nomine, vt indicat OEcumenius, etiam ad baptismum alludere, non solum quia spiritali vnctione, hoc est, Spiritus sancti gratia perunguntur baptizati, sed quia ex traditione Apostolica duplex in baptismo adhibetur vnctio, quarum altera baptismum anteuertit, altera subsequitur. C Prior illa oleo catechumenorum in pectore, & scapulis perficitur, cuius meminit Dionysius [e]. Quam etiam indicare videtur Tertullianus [f], cùm ait, *illum nec aquam reprobasse Creatoris, qui suos abluit, nec oleum qui suos vngit.* Et Origenes [g]. *Oleum* (inquit) *quo vngitur vir sanctus, oleum Christi, oleum sanctæ doctrinæ.* Et aliquanto post: *Scripturam instituentem, quomodo oporteat baptizare, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti & pauca commutans vnxeris quempiam, & quodammodo dixeris, iam non es catechumenus, consecutus es lauacrum secundæ generationis, talis homo accipit oleum Dei.* Basilius [h] verò: *Benedicimus* (ait) *aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, & ipsum baptizatum.* Idque ait non ex scripturis tradi, sed ex Apostolica traditione institutum esse.

e de Eccles. hierar. c. 4.
f li. 1. aduer. Marcion.
g Hom. 7. in Ezech.
h li. de Spir. sanct. c. 27.

IV. Sic Ambrosius [i] ad eamdem vnctionem alludens: D *Occurrit* (inquit) *presbyter vnctus es, quasi athleta Christi, quasi luctamen huius sæculi luctaturus. Professus es luctaminis tui certamina, qui luctatur, habet quod speret, vbi certamen, ibi corona.* Porrò Hieronymus [k]: *Maledicit* (inquit) *Deus sanctificationi suæ, quando Christianum nomen, in quo gloriabamur, & quod in sacro baptismate per sancti chrismatis vnctionem suscepimus, pollutum duxerit.* Et alibi [l]: *Ac ne fortè, qui chrisma baptismi perdiderunt desperent de chrismate reparando.* Denique Augustinus [m]: *Interroga hominem, Christianus es? Respondebit tibi, non sum. Si paganus es, aut Iudæus? Si autem dixerit non sum; adhuc quæris ab eo, catechumenus, an fidelis? Si responderit tibi, catechumenus inunctus est, nondum lotus.* Et paulo post: *Hoc catechumeni audiunt, sed non eis sufficit, ad quod inuncti sunt, festinent ad lauacrum, si lumen inquirunt.* E Et alio loco [n]: *Omnes, qui ad salutare baptisma consequendum Ecclesiæ offeruntur, & chrisma, & oleum benedictionis accipiunt, vt iam non vasa vacua, sed Deo plena, & templa Dei esse mereamur.* Hæc igitur omnia de priori illa vnctione accipienda videntur, quæ baptismum præcurrit, &, vt ait Augustinus, catechumenorum esse propria, quos ille inunctos nondum lotos appellat.

i lib. 1. de Sacr. cap. 2.
k li. 1. Comment. in c. 2. Thren.
l li. 2. Commentar. in Abac. c. 3.
m Tract. 44. in Ioan.
n Ser. 206. de temp.

V. Altera vnctio baptismum consequitur, cum videlicet baptizatus sacro chrismate à presbytero in vertice inungitur, cuius etiam meminit Dionysius [o]. Eam verò apertius explicat Tertullianus [p]. *Exinde* (ait) *egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione.* De

o de Eccles. hierar. c. 4.
p l. de bapt. cap. 7.

A qua plura Iustinus Martyr [a], Basilius [b], Gregorius Nazianzenus [c], Damascenus [d], Ambrosius [e], Augustinus [f], Optatus Mileuitanus [g]. Cum igitur fideles has omnes vnctiones percepissent, rectè ait Ioannes, illos habere vnctionem à sancto, & nosse omnia, quæ sunt ad salutem necessaria, atque ita colligit, eos satis esse rerum diuinarum cognitione, scientiaque instructos. *Et nostis* (inquit) *omnia.* Sic enim pollicitus erat Christus [h]. *Spiritus* (inquit) *veritatis docebit vos omnem veritatem.* Itemque: *Ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et hic ipse Ioannes non ita multo post ait: *Vnctio docebit vos de omnibus.* Quocirca OEcumenius. *Non ignoratis* (ait) *sanè hæc vos, quippe tum per sanctum baptisma vnctionem sacram, ac per hanc spiritum diuinum accepentis, qui* B *in omnem veritatem vos deducit.* Nisi quod videtur de iis potissimùm loqui, quæ Ioannes modò commemorauerat, hoc est, Antichristum venturum esse, multosque iam nunc Antichristos extare, qui Ecclesiæ castra deseruerint, quasi dicat, vos hæc omnia vnctionis beneficio probè nostis. Idque verissimè dictum videtur, cum nonnisi his omnibus Christianæ religionis capitibus planè perceptis, & cognitis nemo baptismo initiaretur. Cum igitur ij, ad quos Ioannes scribit, baptismo essent expiati, diuinique spiritus gratia præditi, ea procul dubio optimè nouerant. Quomodo autem ipsa vnctio doceat omnia, C non ita multo post suo loco videro.

a quæst. 137.
b li. de Spir. sanct c. 27.
c Orat. sanc. bapt.
d lib. 4. de fide orthod. cap. 10.
e lib. 2. de sacr. cap. 5. & lib. de iis, qui initiantur mysteriis cap. 6
f lib. 15. de Trinit. c. 26. & lib. 4. de symb. cap. 1.
g li. 4. cont. Donat.
h Ioan. 16. 13.

VI. Nihil autem attinet in præsentia de spiritali, & mystica vnctione plura dicere; nam si quis ea nosse cupiat, per me licet Bernardum adeat, qui plurima ea de re scribit [i]. Triplex enim ait esse vnguentum spiritale, compunctionis, deuotionis, pietatis. Primum illud positum esse ait in peccatorum recordatione, detestationéque. Alterum in beneficiorum Dei grata commemoratione. Tertium ac postremum in proximorum commiseratione, subleuationeque. Quæ omnia ille more suo insigni quadam pietate, & eloquentia persequitur, quæ tamen, quia ad hunc locum nihil pertinent, libens omitto. Sat enim mihi fuerit monuisse, alludere quidem Ioannem ad corporeas, quas indicaui, vnctiones, de ea verò propriè loqui, quæ intus in animo fit diuini spiritus, cælestisque gratiæ beneficio, cuius ope quasi D collyrio mentis oculi inunguntur, vt cælestia, ac diuina mysteria facilè comprehendant. Multa enim fideles fidei ope facilè credunt, quæ naturæ viribus nulla possent ratione consequi. Quò fortasse spectauit Apostolus Paulus [k], cùm dixit: *Spiritualis homo omnia iudicat, & ipse à nemine iudicatur.* Poterant igitur fideles nullo negotio cognoscere, non temerè hæreticos permitti, cum eorum improbitas Catholicos exerceat, veram fidem illustret, & multorum constantiam, ac firmitatem mirificè commendet. Meritò igitur subiicit Apostolus.

i Ser. 10. & 12. in Cant.
k 1. Cor. 2. 15.

21. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam, & quoniam omne mendacium ex veritate non est.*

E Incredibilis est Ioannis Apostoli modestia, quæ ad beneuolentiam conciliandam mirum quantam vim habeat. Perinde igitur est, ac si dicat: Nolite putare me hæc idcirco scribere, quòd vos ea putem latere, sat enim scio, vos hæc omnia optimè nosse, sed ea scientibus libens commemoro, vel potius leuiter indico, vt magis, ac magis in suscepta religione confirmemini, vnaque intelligatis, à quo fonte Antichristi, & hæreticorum mendacia manent. Sic enim habetote, nullum prorsus mendacium à veritatis parente prodire posse. Quocirca quæcumque hæretici

tici mendacia effutiunt, quamuis scripturas, Deique
verbum frequenter inculcent, nihil habent cum ipsa
veritate, hoc est, cum Christo liberatore, qui est ve-
ritas increata, commune. Quocirca rectè colligit
Augustinus. *Ecce* (inquit) *admoniti sumus, quomodo co-
gnoscamus Antichristum. Quid est Christus? Veritas; ipse*
a Ioan. 14.6. *dixit* [a]*: Ego sum veritas. Omne autem mendacium non est
ex veritate, omnes igitur, qui mentiuntur, non sunt ex Chri-
sto.* Quia igitur ad eos scribit, qui nouerant ea, quæ
commemorat, paucis indicauit, quæ de Antichristo,
eiusque ministris diuinitus tradita sunt. Sed cur
quæso addit: *Et quoniam omne mendacium ex veritate
non est?* Particula enim, &, indicat hæc cum superio-
ribus coniungi, quasi significet, se duas ob causas
scripsisse. Primum quidem vt ea, quæ iam nouerant,
reuocaret in memoriam; deinde *quoniam omne menda-
cium ex veritate non est.* Quasi significet, se hoc voluis-
se docere, Antichristi, & hæreticorum mendacia ni-
hil habere commune cum Christo, ne facilè pate-
rentur se ab illorum versutia decipi, quasi alludat ad
b Matth. 7. Christi verba, quibus ille discipulos præmonuerat [b]
dicens: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos
in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces,
a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spi-
nis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus
bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit; non potest
arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos
fructus facere.*

II. Ait itaque Ioannes: *Omne mendacium ex veritate non
est*, phrasi Hebraica, vt significet, nullum mendacium
c Psal. 48. 18. à veritate prodire. Sic dixit Dauid [c]: *Cum interierit,
non sumet omnia*, hoc est, nihil omnino secum auferet.
Quod autem ait, mendacium à veritate non esse, bi-
fariam potest intelligi, vt significet vel Deum, qui
est summa, & prima veritas, mentiri nequaquam
d Num. 23. 19. posse [d]: *Non enim est Deus, quasi homo vt mentiatur.* Vel
certè à vera aliqua sententia mendacium colligi ne-
quaquam posse, vt enim Dialectici loquuntur, ex
falsa sententia interdum falsum, nonnumquam etiam
verum colligitur, ex vera autem nonnisi verum con-
fici potest. Licet igitur hæretici sacras litteras, pu-
rumque, ac putum Dei verbum iactitent, quia ta-
e 2. ad Tim. 3. 16. men omnis scriptura, vt ait Apostolus [e], diuinitus
tradita Deum habet auctorem, verissima censenda
est, ac propterea hæreticorum mendacia ab ea sub-
ornari non possunt. Plurimùm autem hoc valet ad
fidelium animos stabiliendos, & confirmandos, vbi
enim semel in animum induxerint, quæ fide diuina
credunt, verissima, certissimaque esse, quippe diuina,
atque immutabili veritate nixa, facile intelligent,
quicquid secus ab hæreticis traditur, mero menda-
cio niti, & quæ videntur scripturæ testimonio firma-
ri, veritatis luce euanescere. Opportunè autem, vt ait
OEcumenius, hæc monuit Ioannes, quòd extrema
tempora mendaciorum plenissima futura sint, ac
propterea dixit, multos iam esse Antichristos. Si
enim Christus veritas est, qui mentitur, veritatem
oppugnat, iureque optimo Antichristus nuncu-
patur.

22. *Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Iesus est
Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.*

I. Non vniuersim mendacem definit, alioqui enim
dicendum fuerat, mendacem esse illum, qui aliter
loquatur, quàm mente conceperit, cuius oratio cum
animi sententia pugnat. Sed hæreticos, & Antichri-
stos mendaces esse docet, quòd Christum, hoc est,
ipsam veritatem maximè oppugnent. Itaque ait, il-
lum esse mendacem, qui negat Iesum esse Christum;
quod maximè faciebant Iudæi, qui alium quem-
dam Christum, & Messiam expectabant, atque adeo
expectant. Idemque, vt ait OEcumenius, docebat
Simon Magus, *dum alium Iesum, alium Christũ assereret,
Iesum videlicet, qui ex sancta Maria ortus fuerat, Chri-
stum, qui in Iordanem de cælo descenderat.* Nam vt ait
Augustinus, *aliam significationem habet Iesus, aliam ha-
bet Christus, cum sit vnus Iesus Christus Saluator noster.
Iesus tamen proprium nomen est illi, quomodo Moyses pro-
prio nomine appellatus est, quomodo Elias, quomodo Abra-
ham, sic tamquam proprium nomen habet Dominus noster
Iesus. Christus autem sacramenti nomen est, quomodo si di-
catur Propheta, quomodo si dicatur sacerdos. Sic Christus
commendatur vnus, in quo esset redemptio totius populi
Israel.* Ad hunc locum spectasse videtur Tertullia-
nus [a] cum de Ioannis epistola scribit: *At* (inquit) a li. de Præscript. c. 33
*in epistola eos maximè Antichristos vocat, qui Christum
negarent in carne venisse, & qui non putarent Iesum esse
filium Dei. Illud Marcion, hoc Obion vindicauit.* Plura
verò alibi [b] scribit, vbi tum ex hoc loco, tum ex b aduers. Prax. c. 18.
aliis permultis ostendit, Iesum eumdem esse Chri-
stum, quod in præsentia fusè docet Augustinus, qui
plures ait esse Antichristos, qui Christum non voce,
sed moribus, vitæque rationibus negent, in quibus
non modo omnes hæretici, sed non pauci etiam Ca-
tholici numerantur, de quibus ait Paulus [c]: *Confi-* c ad Titum 1.16.
tentur se nosse Deum, factis autem negant. Hi non voce,
sed vita mendaces sunt, & Antichristi, hoc est, Chri-
sto, eiusque diuinæ legi maximè aduersi. Ex his au-
tem quidam *exierunt ex nobis*, vt hæretici, alij adhuc
in Ecclesia viuunt tamquam palea cum tritico in
eadem area. Verùm quod spectat ad verba Græca
duplex adhibetur negatio, quod sæpè alias, neque
aliter legit Beda.

Iam quod sequitur: *Hic est Antichristus, qui negat* II.
Patrem, & Filium. ambigat quis ad superiorane, an
ad sequentia referatur. Certè OEcumenius vtroque
modo accipi posse autumat, vt tam is, qui Iesum ne-
gat esse Christum, quàm is, qui Patrem, ac Filium in-
ficiatur, Antichristus appellandus sit. *Hoc autem* (ait)
*quod inquit, is est Antichristus, duobus modis sumi potest,
& pro eo, qui Iesum esse Christum negat, & pro eo, qui Pa-
trem, ac Filium negat, sed etiam qui negat Patrem, & Fi-
lium, is quoque mendax est, & Antichristus.* Et sanè ita
est, qui enim doctrinæ & Christo traditæ repugnat,
is Antichristus, id est, Christi aduersarius meritò
nuncupatur. Quid autem significet Ioannes, cùm
eum ait esse Antichristum, qui Patrem, ac filium ne-
gat, non planè liquet. OEcumenius de hæreticis ac-
cipit, *quorum* (inquit) *vnus erat detestabilis Valentinus,
qui alium esse Patrem innominabilem asserebat, præter eum,
qui Pater Christi diceretur. Iidem vero hæretici filium quo-
que negant, dum hominem solum esse ipsum, & non natura
Deum affirmant.* Eumdem errorem Basilidi tribuunt
Irenæus [d], Epiphanius [e], Tertullianus [f], Theodore- d Lib. 1. c. 23.
tus [g], Nycetas: alium enim quemdam Patrem con- e Hær. 24.
fingit, à quo mens Græcè νοῦς, inde λόγος oriatur. Nec f de Præscript.
magnopere dissentit Saturninus, vt indicat Epipha- g de hæret. fab.
nius [h]. Hi igitur omnes mendaces sunt, & menda-
ciorum architecti, quippe veritatis hostes, atque op- h Hær. 23.
pugnatores.

23. *Omnis, qui negat Filium nec Patrem habet, qui confi-
tetur Filium, & Patrem habet.*

I. Hunc esse Iudæorum errorem indicat hoc loco
OEcumenius, qui cum filium abnegarent, Patrem se
tamen admittere profitebantur, cum re vera eum
prorsus ignorarent. *Si enim* (ait OEcumenius) *Patrem
nouissent, eum quoque filij vnigeniti Patrem esse procul dubio
percepissent.* Addit deinde in eodem luto hæsisse Si-
monis

monis sectatores. Abutebatur hoc loco ad suum errorem stabiliendum Cyprianus [a]. *Quid est igitur* (inquit) *aliud, quam participem hæreticis blasphemantibus fieri, defendere velle, & asserere, quod remissionẽ peccatorum accipere in Christi nomine possit blasphemans grauiter & peccans in Patrem, & Dominum, & Deum Christi? Quid deinde, illud quale est, vt qui filium Dei negat, neque Patrem habeat, & qui negat Patrem, Filium habere videatur, cum filius ipse contestetur, & dicat: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit illi datum à Patre, vt manifestum sit nullam remissionem peccatorum in baptismo accipi à filio posse, quam constet Patrem non dedisse. Maximè quando adhuc idem repetat, & dicat. Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Sed de re ipsa nihil attinet in præsentia disserere, tantum volui indicare, quid eo loco senserit Cyprianus, non posse videlicet quemquam Patrem verè, ac religiosè colere, qui non idem filium admittat. Videtur autem Apostolus non solùm eorum spectasse vim, quæ inter se conferuntur, quorum altero sublato necesse est alterum perire, sed etiam vnam, ac simplicem Dei naturam, quæ suæ plenitudinis vi, ac fœcunditate personarum numerum necessariò postulat, vt si vnam personam dempseris, totam diuinitatem euertas. Malè igitur, atque omnino falsò de Deo sentit, & loquitur, qui vnam, vel alteram Dei personam abnegat, vel tres diuinas personas Sabelliano errore miscet, & confundit.

a epist. 73.

II. Præcipuè autem agit Apostolus de filij persona, vt Iudæorum perfidiam perstringat; qui aduersus filium acriter pugnabant. Quam ob rem Christus sæpè cum Iudæis disserens, se eiusdem esse naturæ cum Patre non semel docuit. Nam apud Ioannem [b]: *Mea* (inquit) *doctrina non est mea, sed eius, qui misit me Patris.* Quo loco Augustinus [c]: *Si ergo* (ait) *diligenter intueamur, quod ipse in exordio dicit sanctus Euangelista. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, inde pendet huius solutio quæstionis. Quæ est doctrina Patris, nisi verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris si verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicuius, & suam doctrinam dixit se ipsum. & non suam, quia Patris est verbum. Quid enim tam tuum, quam tu, & quid tam non tuum quàm tu, si alicuius es, quod es.* Vnam itaque eamdemque indicat esse Patris, ac filij naturam, quod aliis sexcentis locis Christus docuit, præsertim cùm Philippum arguens dixit [d]: *Philippe qui videt me, videt & Patrem.* Et mox: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Egregiè verò Fulgentius [e]: *In illo* (ait) *sempiterna natiuitatis arcano sempiternus, atque incommutabilis Pater alterum genuit non diuersum, & quantum generando protulit, tantus ipse permansit: personaliter distinxit à se, quem naturaliter totum habet in se. Hoc ipsius filij nobis manifestatur eloquio dicentis. Ego in Patre, & Pater in me. Inconfusibiliter ergo vnit vtrumque natura, quamuis inseparabiliter discernat vtrumque persona.* Itaque Patrem hoc loco Ioannes propriè ad primam Trinitatis personam refert, cum alioqui id nominis respectu rerum creatarum toti Trinitati tribuatur; atque hac ratione qui negat filium, Patrem quoque neget necesse est.

b cap. 7. 16.
c Tract. 29. in Ioan.
d Ioan. 14. 9.
e lib. 3. ad Trasim. c. 6.

III. Mox verò subiicit: *Qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Quæ verba aliunde irrepsisse existimauit non nemo [f], cum in nonnullis Græcis Codicibus non legantur. Atqui habent Latini omnes, & Syrus, & Græci non pauci. Certè is loquendi modus à recepta Ioannis consuetudine non longius abit, quod enim semel negando protulit, ei fermè contrariam affirmationem subiicit, & contra affirmationi negationem addit, videtúrque potest Hebraismus non infrequens, præsertim apud Dauidem. Verissimè autem dixit, eum, qui filium confitetur, & Patrem admittere; quod illa Christi verba paulo ante allata apertissime indicant. Vt enim ait Basilius [a]: *Qui vidit me, vidit & Patrem, non figuram, non formam, pura enim est ab omni compositione diuina natura, sed videt bonitatem voluntatis, quæ simul cum essentia currit, similis illi, atque æqualis, quin vt melius dicam, eadem in Patre, quæ in filio intelligitur.* Huc enim pertinet, quod alicubi ait Cyrillus Alexandrinus [b]. *Quamuis* (inquit) *simul & Deus, & Pater est, per prius tamen Pater est, quàm Deus, quod Saluator ostendit, quando in cælos volebat ascendere. Ascendo* (inquit [c]) *ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum. Vides hinc Patrem ad Filium dici, Deum ad creaturas. Si ergo creatura secundo loco sunt post generationem Filij, per prius Pater est, quàm Deus.* Et post nonnulla: *Pater igitur ipsius secundum naturam est, noster autem Deus, & quoniam per Filium facti sumus, per prius est Pater, quàm Deus, quamuis simul sit & Pater, & Deus.*

f Caluin.
a li. de Spir. San. ad Amphiloch. c. 8.
b li. 1. Thes. cap. 6.
c Ioã. 20.

24. *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat, si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis.*

I. Rectè post explicationem dogmatum vtilem, ac necessariam adhortationem adhibet, & primum quidem constantiam in suscepta fidei doctrina, deinde rectam, honestamque viuendi rationem persuadet. Itaque ait retinendam esse fidei doctrinam ab initio perceptam, intelligit autem interprete OEcumenio primarium illud dogma de Christi diuinitate, quod cum omnes Apostoli, tum præcipuè Ioannes mirificè docuit. Vt hoc autem persuadeat, plures adhibet rationes, quarum prima est, vt in Filio, & Patre permaneamus. *Si in vobis* (inquit) *permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis.* Rectè autem Augustinus: *Hæc est* (inquit) *illa pollicitatio, quam ille pollicitus est nobis. forte enim mercedem quæreres, & diceres: Ecce in me quod ab initio audiui, custodio, obtempero, pericula, labores, tentationes pro illa permansione sustineo: quo fructu? qua mercede? quid mihi postea dabit, quia in hoc sæculo me video laborare inter tentationes? Non video hic requiem esse aliquam, mortalitas ipsa aggrauat animam, & corpus, quod corrumpitur, premit ad inferiora. Sed tolero omnia, vt illud, quod ab initio audiui, maneat in me, & dicam Deo meo [d]: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Non pauca deinde subiicit, quibus diuinæ pollicitationis constantiam, firmitatemque confirmat, vt minimè de præmio, ac mercede dubitandum sit. Honestum verò, ac laudabile esse mercedem spectare Dauidis [e] verba illa docent: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.*

d Psal. 16. 4.
e Psal. 118. 112.

II. Si quis autem sciscitetur, quænam merces eos maneat qui permanserint in fide, subdit? *Et vos* (inquit) *in Filio, & in Patre permanebitis.* Pater quidem, ac Filius fidei beneficio in nobis manent, & nos rursus in illis persistimus. Sane in Euangelio non vna est manendi ratio, alicubi [f] enim ait Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* In illo quippe manemus tamquam substructio in fundamento, aut palmes in vite, manet ipse in nobis tamquam inquilinus in domo, seu templo. De hac porro manendi ratione dixit aliquando Christus [g]: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quo loco Augustinus [h]: *Ecce* (inquit) *facit in sanctis cum Patre, & Filio sanctus etiam Spiritus mansionem intus vtique tamquam Deus in templo suo. Deus Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos, veniunt subueniendo, venimus obediendo. Veniunt illuminando, venimus*

f Ioan. 6. 55.
g Ioan. 14. 23.
h Tract. 76. in Ioan.

mus intuendo. Veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit nobis eorum non extraria visio, sed interna. & in nobis eorum non transitoria mansio, sed aterna. Hoc autem loco Apostolus priorem mansionem refert ad fidei, vt dixi, constantiam, qui enim fidem conceptam firmiter, & constanter retinet, eique vitæ suæ rationes accommodat, manet in Patre, ac Filio charitatis beneficio, eademque opera Deum habet in se manentem, firque omnino id, quod hac ipsa epistola docet Apostolus, cùm ait[a]: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

a 1 Ioan 4. 16

III. Quorsum autem in Patre, ac Filio manendum sit, Christus ipse apud Ioannem[b] docuit his verbis: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semet ipso, nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere.* In quem locum rectè Augustinus[c]: *Ne quisquam putaret, saltem paruum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset, hic fert fructum multum, non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest quia & si parum attulerit palmes, eum purgat agricola, vt plus afferat, tamen nisi in vite manserit, & vixerit, de radice quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre.* Ad hanc verò pollicitationem, quam hoc loco indicat Apostolus, addit lo- lo indicato Christus alteram etiam promissionem. *Si manseritis* (inquit) *in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. Manēdo quippe,* ait Augustinus[d], *in Christo quid velle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid velle possum, manendo in Saluatore, nisi quod non est alienum à salute?* Post nonuulla verò: *Tunc enim* (ait) *dicenda sunt verba eius in nobis manere, quando facimus, qua pracepit, & diligimus qua promisit.* Hac itaque ratione permanet in nobis verbum, quod audiuimus, & nos vicissim in Filio, ac Patre manemus. Videntur autē hæc referēda ad diuinæ gratiæ patrociniū, eiusque diuinā opē, quam iis affuturam pollicetur Apostolus, qui fidē perceptā, & memoria retinēt, & vitæ actionibus exprimūt. Nam alioqui, vt ait Augustinus[e], *multi memoria retinēt, & contemnunt, vel etiā derident, & oppugnant ea, in his verba Christi non manent, quia tangūt quodammodo, non cohærent. & ideo illis non erūt in beneficium, sed in testimoniū: & quia sic insunt eis, vt non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, vt iudicemur ex eis.*

b Ioan. 15. 4.
c Tract. 81. in Ioan.
d Tract. 81.
e Tract. 81. in Ioan.

IV. Non est autem prætereundū, quod hoc loco obseruauit Beda, non temerè Filium Patri præponi, *quia* (inquit) *sicut ipse Filius dicit: Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium, nullus diuina celsitudinis gloriam videbit, nisi qui per sacramēta humanitatis, quam Filius suscepit, renatus est. Vel certè ideo primò Filium. & sic Patrem nominauit, ne dicant Ariani Filium minorem Patre propterea credendū, quia nunquam ante Patrem nominatus inuenitur.* Adde his Filij gloriam potissimum prædicari propter Iudęos, qui vt supra dixi, cū Patrem vtcúque admitterent, Filium repudiabant, de quibus paulo ante dixerat: *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet.* Videtur autē hæc Apostoli sentētia huius vitæ terminis circūscribi eamque indicare cōiunctionē cū Christo, quā charitas parit, de qua loquitur OEcumenius. *In Filio* (inquit) *& Patre manebitis, id est, coniunctionem, & communicationem cum eo habebitis.* quod est proprium charitatis, & gratiæ, de qua Christus apud Ioannem[f]. *Et pro eis* (inquit) *sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate* Et mox: *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Pertinent enim hæc omnia ad mutuam charitatem, qua fideles cum Christo primum, deinde inter sese coniunguntur.

f cap 7. 19.

25. *Et hac est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aternam.*

I. Hæc est altera ad persuadendum accommodatissima, & efficacissima ratio, non solum enim pollice-

A rit Deus fidelibus gratiam, & charitatem, quam in hac vita largitur, sed in altera vita gloriam immortalitatis, hoc est, vitam æternam. Quod aliquanto obscurius significauit Christus, cùm apud Ioannem[a] dixit: *Volo vt vbi sum ego, & illic sint mecum, & videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* hoc est, vt videant, & contemplentur diuinitatem meam, quam mihi ante omnē æternitatem gignendo tribuisti, vel quam miro quodam modo vi vnionis hypostaticæ humanitati meæ coniunxisti. Vtrumque enim pertinet ad beatam vitam, de qua alibi dixerat[b] idem Christus: *Hac est autem vita aterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vera enim fides charitate prædita est vitæ æternæ initium, vt egregiè B docet Cyrillus[c]. *Radicem* (inquit) *atque originem aterna vita fidem, vt vera pietatis virtutem esse affirmat.* Atque idcirco meritò Apostolus æternæ vitæ pollicitationem superioribus addit, vt ostendat, quónam referatur commemoratio illa, qua nobis manendum ait esse in Filio, & Patre. Illa enim cū Deo coniunctio ad hanc absolutissimam connexionem refertur. *Et hac est* (inquit) *promissio.* OEcumenius putat esse coniūctionem & positam pro causali, quasi rationem reddat superioris sentētiæ, vt sensus sit: Manebitis in Filio, & Patre, hoc est, cū eo coniūctionē habebitis, quia hoc ille pollicitus est, cùm vitā æternam spopōdit. Vt videatur superiorem coniunctionem non tam de gratia, & charitate, quàm de ipsa beata vita interpretari. Quod C quamquam probabiliter dici non nego, longè tamen probabilius videtur superiora illa ad gratiam, hæc verò ad vitā æternā pertinere, vt hæc sit veluti altera ratio, vt dixi. *Videamus* (inquit Augustinus) *quid promisit, aurum est, quod hic multum amant homines, an argētum? An possessiones, ad quas fundum homines aurum, quamuis multum ament aurum? An amœna pradia, ampla domus, multa mancipia, animalia numerosa? Non est hac merces quadam, ad quam nos hortatur, vt in labore duremus. Quid igitur merces illa? Vita aterna.*

a cap. 17. 24.
b Ioan. 17. 3
c lib. 11. in Ioan. c. 16.

II. Si difficultas igitur perseuerantiæ animum deijcit, si labores, & pericula deterrent, cōfirmet spes, atque expectatio certa eximiæ, ac diuinæ mercedis. pollicitus est enim Deus vitam æternam. Perinde igitur est, ac si dicat Apostolus: Nemo vos seducat, quicumque aliam vobis doctrinam tradunt, & à fide perce- D pta vos reuocant, ad interitum vos ducunt sempiternum. Si igitur vitam cupitis, & eam quidem immortalem, ac sempiternam, eam vobis Christus pollicetur. *Memento ergo* (ait Augustinus) *quia vitam aternam nobis promisit Christus. Quid potest mundus promittere? Quidquid libet promittat. forsitan crastino morituro promittit. Et qua fronte ad illum, qui manet in aternum exiturus est:* Rectè igitur concludit Beda: *Memoria promissa mercedis perseuerātem te faciat in opere.* Addit Augustinus, si quam vim habeāt minæ, eūdem Deū, qui vitam sempiternā pollicetur, ignis sempiternū cruciatū minari. *Venite* (ait) *benedicti Patris mei, percipite regnū, quod vobis paratū est ab origine mūdi.* Et hæc quidē iis, qui à dextris erūt, ad sinistrā autem: *Ite in ignē aternū, qui paratus est* E *Diabolo. & Angelis eius. Sed minatur* (ait Augustinus) *mihi potēs homo, vt aliquid mali faciā. quid minatur: Carceres, catenas, ignes, tormēta, bestias, nūquid ignem aternū? Exhorresce quod minatur Omnipotēs, ama quod pollicetur Omnipotēs, & vilescit omnis mūdus, siue promittens, siue terrens.*

26. *Hac scripsi vobis de his, qui seducunt vos.*

I. Nimirum dixerat, prodiisse quosdā ex nobis, qui tamen non erant ex nobis. Quoniam igitur illi nouas excogitarunt sectas rectę fidei repugnantes, solicitus Apostolus de fidelium salute hæc salutaria monita, & præcepta præscripsit, ne à quopiam in fraudem, & errorem inducātur. Monet autem Beda indicari hoc loco ab Apostolo nō solùm hæreticos, & prauorum

A dogmatum auctores, sed etiam eos, *qui per illecebras, vel aduersa seculi a promissione vitæ æternæ mentes infirmorum malè mulcendo, siue terrendo detrahunt.* Vtrumque certè periculum diligenter cauendum est. Videtur tamen Apostolus præcipuè loqui aduersùs hæreticos, vt ea indicant, quæ mox subiicit, illi tamen tum male docendo, tum etiam voluptatum illecebris seducere consueuerunt, quod olim præcipuè Simoniani, cæterique eiusdem farinæ hæretici facere consueuerunt, vt ex Irenæo, & Epiphanio intelligi facilè potest. Hac autem ratione probat Apostolus, se ritè, ac rectè Apostolico munere defungi, seque verè seruum esse fidelem, ac prudentem, quem Dominus constituit super familiam suam. Fidelem quidem quòd ea sedulò doceat, quæ sunt ad vitam sempiternam assequendam tum necessaria, tum opportuna. B Quod de se ipso testatur Apostolus Paulus, cum Asianos his verbis alloquitur. *Vos* (inquit[a]) *scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum. Quomodo nihil subtraxerim vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos.* Prudentem verò, quòd circumspiciat, & cauenda doceat pericula, in quæ fideles incidere possent: ob id enim ait, se hæc scripsisse, vt seductorum callidas fraudes vitare queant. Hoc enim maximè pertinere ad prudentiam eleganter docuit Augustinus[b]:

a Act. 20. 18.

b lib. 19. de Ciuit. c. 4.

II. C *Quid* (inquit) *illa virtus, quæ prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia sua bona discernit à malis, vt in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat? Ac per hoc & ipsa nos in malis, vel mala in nobis esse testatur, ipsa enim docet malum esse ad peccandum consentire, bonum esse ad peccandum non consentire libidini.* Et alibi[c]: *Huius autem* (de prudentia loquitur) *excubia, atque diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur.* In eamdem porrò sententiam Prosper[d]. *Cognitio rerum* (inquit) *quæ de prudentiæ fonte confertur, spiritales omnes à carnalibus vitiis defæcatos illustrat, & de omni noxia curiositatis delectatione auersos desiderio contemplandæ virtutis inflammat, vt humanarum rerum, diuinarumque scientiam consecuti prudentes, ac sapientes veraciter fiant; prospiciant imminentia mala simul, & caueant, nec putent vlla esse mala, nisi ea, quæ malos efficiant, inter fallentia, &* D *solida bona discernant, nec ipsi aliis noceant, nec sibi nocere permittant. Tales Dominus in Euangelio[e] fieri præcepit: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, quia nec simplices circumuenire aliquos possunt, nec prudentes se circumueniri permittunt.* Hanc itaque prudentiam indicat Apostolus, & cùm ea se præditum declarat, tum eam cupit, quantum in ipso est, aliis impertire.

c lib. 1. de mor. Eccles. cap. 24.

d li. 3. de vita contempl. cap. 29.

e Matth. 10. 16.

III. Ob eam causam vociferatur Paulus Apostolus[f]: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* Quibus sanè verbis Philippenses monet, vt à Iudæorum perfidia, & calliditate prudenter caueant, dum illorum, vt ait Chrysostomus, *impudentiam, & improbitatem, magnamque à filiis disiunctionem, & dissidium ob oculos ponit.* Paulum imitatur Ignatius[g]: *Videte* (ait) *indignos operarios, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione ipsorum. Videte canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squammosos, & aspides, basiliscos, scorpiones, hi sunt thoës.* Quid autem vox thoës significet, docuit Plinius[h]: *Est enim* (inquit) *luporum genus procerius longitudine, breuitate crurum dissimile, velox saltu, venatu viuens, innocuum homini, habitum non colorē mutans per hyemes hirti, æstate nudi.* Adduūt alij[i] φιλανθρωπότατον à Græcis dici, quippe esse homini amicissimum, occurrentémque venerari, ac si feræ cæteræ inuadant, opitulari, ac defendere, vt videatur Ignatius eorum fraudem, ac do- E lum perstringere, quos eiusmodi lupis ait esse quàm simillimos. Certè hæc prudens, & cauta admonitio Apostolos, & Apostolorum successores, hoc est, Ecclesiasticos Præsules maximè decet, idque egregiè præstitisse videtur Cyprianus, qui alicubi hūc in modum scribit[a]: *Admoneo* (inquit) *pariter, & consulo ne perniciosis vocibus temerè credatis, ne fallacibus verbis consensum facilè commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis.* Sunt enim quidam, quos egregiè delineat Irenæus[b] his planè verbis: *Sicut quis aqua mixtum gypsum dans pro lacte seducat per similitudinem coloris, sicut quidam dixit superior nobis de omnibus, qui quolibet modo deprauant, quæ Dei sunt, & adulterant veritatem. Dei lacte gypsum malè miscetur.* Quibus illud rectè B aptatur, quod prouerbio circumfertur, lethale mulsum. Horum igitur similes cautè vitandos esse monet Apostolus, exigitque ab auditoribus suis prudentiam, ne à seductoribus decipiantur. Obseruauit autem Hieronymus[c], non immeritò Christum serpentis exigere prudentiam. *Serpentis* (inquit) *astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, vt illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus, id est fidem integram, & incorruptam.* Hæc autem omnia eò videntur spectare, vt Apostolus doceat, non se temerè, aut inconsulto de seductoribus, & Antichristis verba fecisse. C Hac enim aggressione sua ipsorum vtilitati cōsultum voluit, tum ne ab iis decipiantur, tum ne ob illorum defectionem perturbentur, cum illi ex nobis exierint, quia non erant ex nobis.

g ep. 12. ad Antioch.

h lib. 8. c. 34.

i Cœl. Rhodig. lib. 23. cap. 27.

a epist. 40.

b lib. 3. c. 15.

c Matth. 10. Idem planè Epiphanius hær. 37. & Hilar. can. 7. in Matth.

27. *Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.*

Traiectione vtitur Apostolus, pro eo enim, quod ait, *& vos vnctionem, quam accepistis ab eo,* dicendum fuerat, quam vos vnctionem ab eo accepistis: Latinus autem Interpres Græcam vocem recti casus quarto casu reddidit, quod alibi etiam fecerat, nam apud Ioannem[d] cùm Græcè scriptum sit, ὁ λόγος ὃν ἀκούετε. Latinè dixit, *sermonem quē audistis.* Quin etiam Lxx. quos[e] sequutus est Matthæus[f], dixerunt: D *Lapidem, quem reprobauerūt ædificantes, hic factus est in caput anguli,* Græcè λίθον. Nec ea dicēdi ratio à Latinè scribētium cōsuetudine abhorret, sic enim dixit Terentius[g]: *Populo vt placerēt, quas fecisset fabulas* Et Virgilius:

——— *Vrbem, quam statuo, vestra est.*

I.

d cap. 14. 24.

e Ps. 117. 22.

f cap. 21. 42.

g Prolog. Andr.

Pro vnctione Græcè est χρίσμα, hoc est, vnguentum, ne quis vnctionem pro vngēdi actione accipiat, quæ ipso vsu absoluitur, atque esse desinit, nec potest vllo pacto permanere. Vnguētum autem, seu oleum, quo quis inungitur, aliquandiu perseuerare potest. Videri autem potest hæc tertia ratio, qua fidem retinendam persuadet, cū enim inquit, vis, atque efficacitas sancti Spiritus, quo diuinitus delibuti estis, in vobis permaneat, æquum profectò est, vt beneficij magnitudi- E nē agnoscatis, & gratos vos largitori Deo præbeatis. Videtur autē Apostolus cōfirmationis sacramentum tacitè indicare, quo præcipua quædam, ac planè singularis, & eximia diuini spiritus gratia tribuitur, & mystico non oleo tantum, sed vnguento fideles perunguntur.

II. Nam vt ait Eusebius[h], oleum ab vnguento hoc potissimum differt, quod oleū simplex est, vnguentum verò ex pluribus conficitur: quamquam diuinitas, & ipsa Spiritus sancti gratia olei nomine à Dauide censetur: de Christo enim ait[i]. *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Vnde & Christi nomen deductum est, vt alibi docui[k].

h lib. 4. de monstr. euang. c. 1

i Ps. 44. 8.

k ad Heb.

Itaque

A Itaque rectè dicit Augustinus: *Vnctionis sacramentum est visibile, ipsa inuisibilis. vnctio inuisibilis Spiritus sanctus, vnctio inuisibilis charitas illa est, quæ in quocumque fuerit, tamquam radix illi erit, quamuis ardente sole arescere non potest. omne quod radicatum est nutritur calore solis, non arescit.* Si ergo vis Sacramenti, diuinique Spiritus, ait Ioannes, in vobis manet, nihil est cur cuiusquam vel oratione, vel callida disserendi arte à recta vos fide reuocari patiamini. Nam ob id maximè confirmationis sacramentum adhibetur, vt fideles in fide confirmentur, atque adeo eam constanter profiteri, ac tueri possint. Quam ob causam à Dionysio Areopagita [a], τελείωσις, hoc est, perfectio, nuncupatur: neque alio nomine ab Ambrosio [b] appellatur. *Sequitur* (inquit) *spiritale signaculum, quod audistis hodie legi quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.*

a de Eccles. hierar.
b lib. 3. de sacr. cap. 2.

III. Quo spectans Clemens Romanus [c] negat eum, qui confirmatus non sit, perfectum esse Christianum, sedemve habere inter perfectos: *si non necessitate, sed incuria, aut voluntate omiserit.* Cyprianus [d], *signaculum dominicum appellat.* Clemens [e], *sigillum promissionum.* Aliàs confirmatio nuncupatur, vel vt loquitur idem Clemens [f] confirmatio confessionis. Quo fortasse spectauit Paulus, cùm ad Ephesios [g] scribit: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Certè mysticam vnctionem Spiritus externa vnctione indicari voluit Christus, quod significasse visus est Tertullianus [h] his verbis. *Caro* (inquit) *abluitur, vt anima emaculetur, caro vngitur, vt anima consecretur, caro signatur, vt anima muniatur, caro manus impositione obumbratur, vt anima spiritu illuminetur.* Neque aliter sensit Cyprianus [i]: *Vngi quoque* (ait) *necesse est eum, qui baptizatus est, vt accepto chrismate, hoc est, vnctione esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & vnde baptizati vnguntur, oleum in altari sanctificatur.* Mitto quæ de confirmationis sacramento apud Eusebium [k] scribit Clemens Alexandrinus. Illud præterire non possum, quod de Nouatiano scribit Cornelius [l]: *In lecto* (inquit) *in quo decumbebat aqua circumfusus baptismum accepit, si modò talem hominem baptismum accepisse dicendum est; verùm morbo tandem elapsus neque cætera, quibus post baptismum secundùm Ecclesiæ canonem imbui oportuerat, assequutus, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit, quo quidem nunquam potitus, quomodo quæso Spiritum sanctum adeptus est?*

c epist. 4.
d ep. 73. ad Iubaian.
e Ep. const. cap. 34.
f 3. const. cap. 17.
g cap. 4. 30.
h lib. de resur. car.
i epist. 70.
k lib. 3. c. 1.
l apud Euseb. lib. 7. cap 35.

IV. Consueuisse autem etiam Græcos chrismate inungi apertissimè docet Cyrillus Hierosolymitanus [m]. *Et vobis* (inquit) *postquam similiter ex aquis sacri lauacri ascendimus, datum est chrisma, quod imaginem gerit eius, qui vnctus est Christus.* Post multa verò: *Sanctum* (ait) *hoc vnguentum non amplius est vnguentum nudum, neque si quis ita appellare malit, commune, postquam iam consecratum est, sed est chrisma Christi, quod aduentu Spiritus sancti per ipsius diuinitatem energiam habet, quo frons, & alij sensus corporis tui symbolicè inunguntur, & corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima verò sancto, viuificóque spiritu sanctificatur.* Basilius [n] in eamdem sententiam. *Benedicimus* (inquit) *aquam baptismatis, & oleum vnctionis, insuper eque ipsum, qui baptizatur.* Illud verò silentio inuoluendum nullo modo videtur, quod ab Optato Mileuitano [o] obseruatum video, cum enim Donatistarum scelera recenset, inter cætera ait: *Ampullam quoque chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt, & cum casum adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spirituali subuectione deduceret, proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente illæsa inter saxa consedit.* De hac itaque vnctione tum interna, tum etiã externa loqui videtur Apostolus, monetque vt ea constanter retineatur, ne Spiritus sancti gratia ab eis ipsorum culpa recedat. Nam aliàs quî Deus Pater Spiritum sanctum largitur,

m Catech. 3. mystag.
n ad Amphiloch.
o lib. 2 cõt. Parmen.

vt perpetuò in nobis [illegible] maneat. Si enim apud Ioannem [a] dixit Christus. *Alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.*

a cap. 14. 16.

V. Sunt tamen nonnulli, qui Spiritum sanctum abigunt, de quibus ait Apostolus [b]: *Nolite contristare Spiritum sanctum.* quod ij profectò faciunt, qui ita se gerunt, vt si diuinus ille spiritus tristitiæ, ac mœroris capax esset, incredibili quodam animi angore, molestiaque afficeretur, quia videlicet ingẽtem quandam ingrati animi labem animaduertit. Alij Spiritum sanctum planè extinguunt, idcirco enim monet Apostolus Timotheum discipulum, ne spiritum extinguat. Denique sunt, qui illum à se vltrò, ac sponte B reiiciant, de quibus ait Iob [c]: *Qui dicunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Ne quid igitur faciant fideles, quo Spiritum sanctum à se abigant, monet Ioãnes, vt diuini Numinis vnctio, hoc est, vis, & efficacitas Sancti spiritus apud eos maneat. Itaque suæ vitæ rationes instituant, vt idoneum se Spiritus sancti templum exhibeant, vt non vno loco Paulus Apostolus monuit. Videtur autem Ioannes hæc non tam monendo, adhortandóve, quàm asserẽdo, atque affirmando dicere. *Vnctio* (inquit) *quam accepistis ab eo, manet in vobis.* hoc est, illius vim, atque efficacitatem retinetis, ac propterea de vestra fide, atque constãtia minimè dubitandum videtur, ob id enim subdit:

b Ephes. 4. 30.
c cap. 22. 17

VI. C *Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos.* Magna omnino laus, & eximia fidelium prædicatio est, eos enim adeo significat rerum cælestium, ac diuinarum scientia instructos esse, vt nullius institutione, eruditioneve indigeant. Certè Paulus [d] Hebræos quamuis olim ad fidem traductos non temerè tamen reprehendit, quòd cũ eos aliorũ magistros esse oporteret, rursus tamen primis Christianæ religionis rudimẽtis, ac puerili institutione indigerent. At Ioannes videtur his verbis suis discipulis magnos in rerũ diuinarum cognitione progressus tribuere, vsque eò vt omnis funditus Magistri, aut Doctoris, seu Catechistæ opera vt superuacanea. Non facile tamen mihi patiar persuaderi, hoc tam illustre præconium ad singulos pertinere, cum verisimillimum sit, non paucos fuisse rudes, & imperitos, qui aliorum studio, ac diligentia D erudiendi essent, quos Paulus idiotas appellat. Neque verò crediderim, omnium rerum scientiam fidelibus asseri, sed vel ille de primatiis quibusdam loquitur, vel de ipso fidelium cœtu, hoc est, Ecclesia, quam par est credere, omnia, quæ essent ad salutem necessaria ante baptismum cognouisse, & Apostolica præcepta, traditionésque religiosè retinuisse, vt in iis nihil præterea desiderandum videretur. Quod ex iis, quæ subiicit, facile intelligi potest.

d cap. 5. 12.

VII. *Sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* De hoc enim diuini spiritus munere loquitur Christus, cùm de Paracleto ait [e], *cùm venerit ille, docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia.* Tametsi enim non ignoro Augustinum, Bedam, & Rupertum docendi, ac suggerendi verba ad ea referre quæ protinus subdit Christus, *quæcumque dixero vobis* quasi ea tantummodo Spiritus E sanctus traditurus sit, & in memoriam reuocaturus, quæ Christus docuerat. Mihi tamen fit valde verisimile docendi verbum amplè sumendum esse, & omnia simpliciter complecti, verbum autem suggerẽdi ad ea spectare, quæ Christus tradiderat, de quibus ait: *quæcumque dixero vobis.* illa enim in mentem reuocabit, vt vox Græca significat. Certè simile quiddam insinuat Isaias [f], cùm dixit: *Vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Quem locum indicat Christus [g] his verbis: *Erunt* (inquit) *omnes docibiles Dei.* Et Paulus huc [h] alludens. *Ipsi enim vos* (inquit) *à Deo didicistis*, Græcè, *αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε.* Qua verò ratione dicantur fideles à Deo doceri fusè, docet Augustinus:

e Ioan. 14. 16.
f cap. 54. 13.
g Ioan. 6. 45
h 1. Thess. 4. 9.

Quid ergo (ait) *nos facimus, fratres, quia docemus vos? Si vnctio eius docet vos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus, & vt quid tantum clamamus? Dimittamus vos vnctioni illius, & doceat vos vnctio ipsius. Sed modo mihi facio quæstionem, & illi ipsi Apostolo facio, dignetur audire paruulum quærentem à se, ipsi Ioanni dico: Vnctionem habebant, quibus loquebaris; tu dixisti, quia vnctio ipsius docet vos de omnibus, vt quid talem epistolam fecisti? quid illos tu docebas? quid instruebas? quid ædificabas? Iam hic videte magnum sacramentum, fratres, sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quemquam hominum aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster.* A

VIII. Et profectò si de hoc docendi genere loquatur Apostolus, verissimè dictum est: *Vnctio docet vos de omnibus.* Rectè enim subiicit Augustinus. *Quantum ad me pertinet, omnibus loquutus sum, sed quibus vnctio illa intus non loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adiutoria quædam sunt, & admonitiones, cathedram in cælo habet, qui corda docet, de Domino dico. Propterea ait & ipse in Euangelio*[a] *: Nolite vobis dicere magistrum in terra, vnus est magister vester Christus, ipse vobis intus loquatur, quando nemo hominum illic est, quia etsi aliquis est à latere tuo, nullus est in corde tuo: & non sit vllus in corde tuo, Christus sit in corde, vnctio ipsius sit in corde, ne sit in solitudine cor sitiens, & non habens fontes, quibus irrigetur. interior ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Vbi illius inspiratio, & illius vnctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba.* Et sanè mira, planéque incredibilis est huius diuinæ doctrinæ vis, atque efficacitas, quam Deus, vt loquitur Augustinus[b], *cum ineffabili suauitate creditur infundere, non solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus: ita vt non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem, sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans & quid agat scire, & quod sciunt agere.* B C

[a] Matth. 23. 10.
[b] de grat. Christ. c. 13.

IX. Nec dubito, de hoc doctrinæ genere loqui Christum Dominum, cùm apud Ioannem dixit[c] *: Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* Vt enim Augustinus[d] ait: *Quando Deus docet non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ita docet, vt quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto diuino docendi modo etiam ipsa voluntas, & ipsa operatio non sola volendi, & operandi naturalis possibilitas adiuuatur.* Quocirca rectè Augustinus docentis verba agricolæ artificio comparat, quod ab Apostolo Paulo didicerat, qui alicubi[e] ait: *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui autem incrementum dat, vnctio illius est, quæ docet de omnibus.* Rectè igitur subdit Augustinus: *Nos qui forinsecus loquimur ad aures vestras, ita sumus quasi operarij adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare.* Nec dissimilia sunt, quæ de efficacitate Spiritus scribit Bernardus[f], quem ait mortalibus tribuere *pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. Pignus quidem salutis, vt ipse Spiritus reddat testimonium Spiritui tuo, quod Filius Dei sis, qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat, & ostendat; qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cæli, si non continuè, tamen sæpissimè mentem tuam impinguet. Robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam eius non solum possibile, sed etiam facile fiat. Scientiæ lumen, vt cum omnia benefeceris, te seruum inutilem putes, & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omnino potes incipere, ne perficere dicam.* D E

[c] cap. 6. 45.
[d] de grat. Christ. c. 14.
[e] 1. Cor 3. 6.
[f] Serm. 2. in die Pentec.

X. Video tamen hoc loco abuti posse non neminem, A quasi externos magistros penitus contemnendos doceat Apostolus, cum dicat: *Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Vt videatur significare, satis esse diuinum illud doctrinæ genus, quo gratiæ beneficio diuinitus fideles erudiuntur: de quo loquitur Ieremias[a] *: Dabo* (inquit) *legem meam in visceribus eorum, & in cordibus ipsorum scribam eam, & non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me.* Videtur enim Propheta non aliter, atque Apostolus externam doctrinam, & præceptorum operam tamquam superuacaneam repudiare. Sed rectè Apostolus aduersus impostores, & Antichristos loquitur, quos paulo ante indicauerat cùm B dixit: *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Atque ita significat, fideles cælestis gratiæ munere satis esse instructos, diuinorúmque mysteriorum notione imbutos, atque ita non egere seductorum falsa doctrina, atque institutione, retinendam illis esse fidem ab Apostolis perceptam, & callidas, atque argutas impostorum ratiocinationes penitus contemnendas. Nam si Apostolus externam Magistri operam tamquam minus necessariam negligendam putaret, cur ad eos tam diligenter, & accuratè scriberet? Cur toties diuina præcepta, aliaque salutaria monita inculcaret? Cur dixisset Malachias[b] *: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius?*

[a] cap. 31. 33.
[b] cap. 2. 7.

XI. Cur denique Apostolus[c] aliquos ait voluisse C Deum esse in Ecclesia pastores, & doctores, nisi vt dicendi munere fungantur? Quam ob rem rectè Augustinus[d] *: Caueamus* (ait) *tales tentationes superbissimas, & periculosissimas, magisque cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licet diuina, & cælesti voce prostratum ad hominem tamen missum esse, vt sacramentum perciperet, atque copularetur Ecclesiæ. Et Centurionem Cornelium quamuis exauditas orationes eius, eleemosynasque respectas ei Angelus nunciauerit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solùm sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret.* Et sanè diuina hoc prouidentia docet, quæ ita homines instituit, vt alij aliorum opera indigeant. Quemadmodum enim sole oriente montium cacumina illustrantur, indéque ad humiliores colles, & ad imas valles solis radij pertingunt: ita maiores quidam di- D uino quodam lumine illustrantur, à quibus deinde cæteri eadem luce perfunduntur. Itáque Augustinus[e] expendens verba illa Dauidis[f] *: Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Montes* (inquit) *excelsæ animæ sunt, & colles paruæ animæ sunt, sed ideo montes excipiunt pacem, vt colles possint excipere iustitiam. Quæ est iustitia, quam colles excipiunt? fides, quia iustus ex fide viuit. Non autem acciperent minores animæ fidem, nisi maiores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, vt possent paruulis traicere, quod possent paruuli capere.* Et aliquanto post: *Oculos nostros cum leuamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ, leuamus oculos nostros ad montes, vnde veniat auxilium nobis.*

[c] ad Ephes. 4. 11.
[d] in Prolog. de doct. Christ.
[e] Tract. 1. in Ioan.
[f] Psal. 71.

XII. *Et verum est, & non est mendacium.* Quasi dicat: scitis E verissimam esse fidem, quam complexi estis, quod enim Apostoli initio nascentis Ecclesiæ docuerunt, signis, ac prodigiis diuinitus editis mirum in modum confirmarunt; quod Apostolus Paulus[g] ad Hebræos docet: *Contestante* (ait) *Deo, signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.* Vt autem eo loco docui, indicat Apostolus duo firmissima fidei nostræ argumenta: alterum sumitur à signis & miraculis, alterum à Spiritus sancti muneribus, quæ olim apertè non absque aspectabili signo fidelibus tribuebantur. Adeo igitur fides est stabilita, & confirmata, vt de ea ambigere nefas sit, nedum illi mendacium affingere. Itaque rectè

[g] cap. 2. 4.

collígit

colligit Ioannes: *Sicut docuit vos manete in eo.* Nec malè monet Beda, quæ fideles ab Apostolis didicerunt, Spiritui sancto adscribi, tùm quia eo magistro vsi erãt Apostoli, tùm etiam quia idem Spiritus, vt supra ex Augustino monui, intus in animo docet, frustraque omninò oratione sua laborassent Apostoli, nisi intus in animo aditum Deus parasset ad fidem. Et hac ratione Gregorius [a] explicat Christi verba apud Ioannem [b]. *Ipse vos docebit omnia. Quia nisi idem Spiritus (ait) cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris.*

a Hom. 30. in Euang. b cap. 14.

XIII. Mox autem rectè subdit: *Non ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ecce vnum loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet?* Cúmque hæc Ioannis verba protulerit, mox subdit. *Per vocem ergo non instruitur, quando mens per spiritum non vngitur. Sed cur ista de doctrina hominum loquimur, quando & ipse Conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem Spiritus non loquatur? Certè Cain prius quàm fratricidium opere perpetraret, audiuit peccasti, quiesce. Sed quia culpis suis exigentibus voce est admonitus, non vnctione Spiritus audire verba potuit, sed seruare contempsit.* Et ante illum dixerat Augustinus: *Cùm multi audiant, non omnibus persuadetur, quod dicitur, sed illis solis, quibus intus loquitur Deus. Illis autem intus loquitur, qui ei locum præbent, illi autem Deo locum præbent, qui Diabolo locum non præbent.*

XIV. Quæ cum ita sint, ineptissimè non solùm impiè faciunt ij, qui externos magistros, & externam doctrinam penitus contemnunt, & quod longè deterius est, suam cuique mentem, sententiamque sequendã censent, nec diuinum Spiritum, sed priuatam cuiusque cogitationem veritatis magistram esse autumãt, quos perstringere videtur Ezechiel [c], cùm dixit: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Et profectò externi doctoris opera sæpe Deus vsus est, vt paulo ante Augustini testimonio probaui. Adde si places Mosis, Iosue, aliorumq; Prophetarum exempla, qui ad populi eruditionem diuinitus missi sunt, vt nihil dicam de Apostolis, quos Christus iussit docere *omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti,* docentésque ea obseruare, quæ Christus ipse docuerat. Itaque videtur Ioannes idem planè docere quod antea scripserat Paulus [d]: *Licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Hoc enim significat, cùm ait: *Et verum est, non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo:* quasi dicat, à veritate iam cognita nolite recedere, & ab impostoribus quàm diligentissimè cauete.

c cap. 13. 3.

d Ad Gal. 1. 8.

28. *Et nunc, filioli, manete in eo, vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.*

I. Blanda oratione illos alloquitur, vt eos sibi conciliet, quò facilius persuadeat, quod ab iis cupiet impetrare: perinde quasi dicat, per eam paternam beneuolentiam, qua vos tamquam filios carissimos prosequor, obsecro, atque obtestor, ne patiamini vos à percepta fide abduci; sed ea dogmata, quæ vna cum vnctione accepistis, studiosè retineatis, certi non vos vlla ratione decipi, sed veritatem complecti, diuinique Spiritus impulsu tamquam Dei filios agi: *Nunc* (ait) *manete in eo.* vt significet quod alibi docuit Paulus [e] in hac mortali vita per fidem ambulandum esse non per speciem. Et vt idem [f] affirmat: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Nolite itaque iis fidem habere, qui vel noua dogmata cudunt, vel nobiliorem aliquam rerum diuinarum scientiam pollicentur, *manete* (inquit) *in eo:* de quo videlicet modò dixerat, verum esse, non autem mendacium, cúmque de veritate fidei conceptæ dubitare nefas sit, consequẽs illud est, vt eam constantissimè retineatis, neque vllo pacto patiamini, vos ab Ecclesia segregari, extra quã salus esse non potest: & quod mox indicans subdit: *Vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur in aduentu eius.* Stultè asserunt nonnulli quamlibet religionem, aut sectam, salutem suis sectatoribus afferre posse sempiternam, quod vsque adeo alienum est à vero, vt Cyprianus [a] frequenter inculcet, extra Ecclesiam ne martyrium quidẽ prodesse, quod alij permulti constantissimè asseuerãt. vt Chrysostomus [b], Hieronymus [c], Augustinus [d], Optatus [e]. Fatetur videtur Paulus [f], cùm ait: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*

e 2. Cor. 5. 7.

f 1. Cor. 13. 12.

a ep. 52. 54. 57 & ad Iubaia. lib. de vnit. Eccles. & lib. de orat.

b Or. 1 con. Iud.

c Ad Gal. 1. & in ep. ad Philem.

d Ep. 61. ad Dulcit. 167. ad fell. lib 1. con. Parme. c. 7. lib. 3. cõ. Crescon. c. 47. in Psal. 34. & 68. ser. 15. de ver. Apost.

e lib. 3 con. Parme.

f 1. Cor. 13. 3.

II. Rectè igitur ait Ioannes: *Vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam;* vt hæc sit veluti quarta ratio à spe præmij, & supplicij comminatione ducta, quasi dicat, si perseueraueritis in altero Christi aduentu cum ad iudicandum venerit, fidenti animo esse poteritis, nulloque modo supplicium vobis metuendum erit sempiternum. Vt autem eos magis confirmet, se quoque eorũ numero addit, vtiturque oratione, quæ ad primã personam refertur. Quamquam fortasse hæc addit Apostolus ad eorum quidem animos permouendos, sed vt interim de seipso, deque suo munere obiter agat, vt sit sensus: Perseuerate in doctrina, quam didicistis à nobis, vt vos in aduentu Iudicis erecto, atque hilari animo vestra causa eum excipiamus, quippe eum tutò coram illo vos sistere possimus, & vestram in fide constantiam commendare, quod vobis quidem vtile, nobis præterea erit perhonorificum. Quod si secus fiat, necesse erit, nos non pudefieri solùm, sed incredibili quodam mœrore affici, quod in nihilum labores, conatusque nostros recidisse videamus. Si igitur nostræ in vos beneuolentiæ, & caritati vestra etiam caritas altera ex parte respondet, vt cætera deessent omnia, hoc vos in suscepta fide constãntissimè retinere æquum esset, vt nos coram Deo Iudice ob vestram fidem, ac perseuerantiam gloriari possimus, & ab eo dedecore, atque ignominia liberemur, quibus vestra perfidia, atque impietas eo nos tempore suffunderet. Quemadmodum enim discipulorum eruditio, ac probitas ad Præceptoris laudem pertinet, ita etiam eorum siue imperitia, siue improbitas non leui Magistrum macula videtur aspergere.

III. Quocirca Paulus [g] cùm de Corinthiis agit, quos apud Titum laudauerat: *Si quid* (inquit) *apud illũ gloriatus sũ, nõ sum confusus.* hoc est, quæ de vobis veluti gloriando commemoraui, non fuerunt eiusmodi, vt eorum me pudeat, pigeatque. Indicat enim Titũ re ipsa comperisse Pauli prædicationem, ac laudem verissimam fuisse. Sed fateor hoc non ita videri ad mentem Apostoli, qui ait: *vt non confundamur ab eo in aduentu eius.* Propiúsque abest à vero, quod significat Augustinus loqui Ioannem de præmio eorum, qui in fide perseuerant? *Quicunque* (inquit) *illum fide expectant, cum venerit gaudebunt, quia sine fide sunt, cum venerit quod nunc non vident erubescent: & confusio illa non erit vnius diei, & transiet, quomodo solent confundi, qui inueniuntur in aliqua culpa, & eis insultatur ab hominibus. Confusio illa traducet confusos ad sinistram, vt audiant: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Cùm apparuerit,* (inquit Ioannes) posteriori videlicet Christi aduentu, de quo ita solet Apostolus loqui, quem conspicuum, atque illustrem futurum significat, cum prior fuerit penè occultus, hoc est, nullo externo apparatu spectabilis. Indicat etiam tunc omnia quamuis etiam abdita, atque occulta

g 2. ad Cor. 7. 13.

A consilia proferenda esse in lucem, atque omnibus fore pervia, quæ nunc vt plurimùm latent. Sic etiam loquitur capite sequenti [a] : *Carissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Rectè itaque monet Augustinus, cùm ait: *Maneamus ergo in verbis eius, ne confundamur, cùm venerit: ipse enim dicit in Euangelio eis, qui in eum crediderant, Si permanseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis, & quasi diceremus, quo fructu? & cognoscetis inquit veritatem, & veritas liberabit vos. Modo enim salus nostra in spe, nondum in re, nondum enim tenemus iam, quod promissum est, sed venturum speramus.*

a ver. 2.

IV. Quàm sit autem hæc spes firma, & certa, docet Ioannes cùm ait: *Habemus fiduciam*, Græcè παῤῥησίαν ἔχωμεν, de qua voce alias plura dixi, est enim apud Paulum non infrequens. Quo verò fundamento hæc fiducia nitatur docet Augustinus his planè verbis: *Fidelis autem est, qui promisit, non te fallit, tantùm tu noli deficere, sed expecta promissorem, non enim novit fallere veritas, tu noli esse mendax, vt aliud profitearis, aliud agas. Tu serua fidem, & seruat ille pollicitationem. si autem non tu seruaueris fidem, tu te fraudasti, non ille, qui promisit.* Hoc ipsum significat Ioannes, cùm sæpiùs iterat, fidem esse veram, & non mendacem: *Et non confundamur* (ait) *ab eo in aduentu eius.* Hoc est, propter illius præsentiam, quæ omnia in lucem proferet, & vt hæc admonitio mollius accipiatur, se quoque inter eos numerat, quasi seipsum ad constantiam exciter, quod interdum etiam facit Paulus, vt [b] cùm ait: *Dum tempus habemus, operemur bonū ad omnes maximè autē ad domesticos fidei.* Est autem hæc adhortatio vehemens, atque efficax, vt enim ait OEcumenius: *Quid illustrius atque admirabilius esse vmquam poterit, quàm cùm apud quem labores nostros relaturi sumus, apud eum cum fiducia id faciemus, nulloque pudore in aduentu eius perfundemur?* Atque hæc quidem oratio aptissimè apud eos adhibetur, vt monet Beda, qui in magno periculo versabantur: siue quia aduersus fideles Tyranni sæuiebant, siue quia plurimi pseudoapostoli & impostores grassabantur.

b Ad Gal. 6. 10.

29. *Si scitis, quoniam iustus est, scitote, quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.*

I. Rectè, vt ait OEcumenius, hæc superioribus annectuntur, cùm enim dixisset, dandam esse operam, ne in aduentu Iudicis ob desertam fidem pudefiat, aptè indicis iustitiam commendat. quasi dicat, fidelibus speranda merces, desertoribus metuendum supplicium est. Neque enim ignorare potestis, supremum iudicium esse iustitiæ tenacissimum. neque muneribus flecti, neque minis terreri posse, neque vllius commiseratione placari. Si hoc igitur probè cognoscitis, illud etiam facilè vobis persuadebitis, eos, qui iustitiam colant, imitatione quadam eius filios meritò appellari, atque adeo tutò posse ipsius aduentum præstolari, certos se fore hæreditatis sempiternæ participes, verè namque dixit Paulus [c]: *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Cum verò Ioannes Christum appellat iustum, amplè, vt arbitror, iustitiam accipit, nam si de Christo Deo loquatur, ipsissima iustitia est; sin autem agit de Christo homine, ille simpliciter ab Isaia [d] iustus appellatur. Qui igitur hanc Christi iustitiam imitantur, meritò ab illo geniti dicuntur, *quippe cùm* (ait OEcumenius) *iustus etiam iustos procreet, ac gignat.* Loquitur autem Apostolus de filijs, qui in sacris litteris ab imitatione dicuntur. Nam alioqui Dei filij creationis quidem titulo etiam impij iure vocantur, cum ne ea quidem, quæ sensu carent, excludantur, sed ipsa etiam Deum tamquam Parentem agnoscant, qua ratione dicit Iob [a]: *Quis est pluuiæ pater?* hoc est, creator, & conditor.

c Rom. 8. 17.

d cap. 51. 1. & alibi.

a cap. 38. 28.

II. Imitatione porrò etiam Dæmonis filij nonnulli appellantur, quo nomine Christus apud Ioannem Iudæos [b] appellat: *Vos* (inquit) *ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere.* Contrà verò qui Dei caritatem æmulantur, eamque quoad eius fieri potest, suis actionibus exprimunt, filij Dei nuncupantur. Sic Christus apud Matthæum, [c] amplissimam, perfectissimamque caritatem hoc argumento suadet: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* B Persimili argumento vtitur hoc loco Apostolus, quoniam, ait, Christus iustus est, qui iustitiam colit, iure eius filius appellatur: hoc enim est, natum esse ex Deo; siquidem Dei filij ex aqua, & Spiritu sancto nascuntur, vt apud Ioannem [d] ait Christus. Quæ sit autem iustitia nostra, hunc in modum explicat Augustinus: *Iustitia modò nostra ex fide, iustitia perfecta non est nisi in Angelis, & vix in Angelis, si Deo comparentur. Tamen si qua perfecta iustitia animarum, & spirituum est, quos Deus creauit, in Angelis sanctis, iustis bonis nullo lapsu auersis, nulla superbia cadentibus, sed manentibus semper in contemplatione verbi Dei, & nihil aliud dulce habentibus, nisi à quo creati sunt, in ipsis perfecta iustitia est; in nobis autem ex fide cœpit esse secundùm spiritum.* Mox Dauidis testimonio initium iustitiæ ait esse peccatorum confessionem: C *Audistis* (inquit) *cùm Psalmus legeretur: Incipite Domino in confessione.* (ita enim ipse legit, quod vulgatus habet, *præcinite*) *Incipite* (inquit) *initium iustitiæ nostræ confessio peccatorum. Cœpisti non defendere peccatum tuum: iam inchoasti iustitiam, perficietur autem in te, quando nihil aliud facere delectabit, quando absorbebitur mors in victoriam, quando nulla concupiscentia titillabit, quando non erit luctamen cum carne, & sanguine, quando erit corona victoriæ, & triumphus de inimico. Tunc erit perfecta iustitia, modò adhuc pugnamus, si pugnamus in stadio sumus, ferimus, & ferimur. sed qui vincat expectatur. Ille autem vincit, qui & quod ferit, de viribus suis non præsumit, sed de hortatore Deo.*

b cap. 8. 44.

c cap. 5. 45.

d cap. 3. 5.

III. Vt appareat non modò nos Christi iustitiam assequi nullo modo posse, D sed qualis tandem sit iustitia nostra non paucos habere næuos admixtos. Ita enim dixit Isaias [e]: *Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* Rectè autem obseruauit Didymus, eum Dei filium appellari ab Apostolo, qui facit iustitiam, non qui fecit, aut facturus est: *Operantem enim iustitiam* (ait) *commendat virtus, cùm sit scilicet actualis; nullus itaque antequàm faciat, quæ virtutis sunt, iustus est, sed neque dum cessauerit operari ea.* Addit præterea vocari quidem Deū iustum, cùm re vera sit ipsa iustitia. *Quia enim* (inquit) *per substantiam, hoc est, dicitur esse iustitia simul, & iustus, quando is, qui per participationem iustus est, numquam propriè iustitia nuncupatur, nisi fortè ipsum habitum pro eo, qui habet eum, quilibet intelligat. Quo verbo etiam Apostolus* E *vsus est dicens, fideles fieri in Christo iustitiam, eum, inquit* [f], *qui peccatum non nouit, peccatum pro nobis fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* vt enim ait Theophylactus [g], *excellentiam gratiæ* significat, *qua fit, vt nullus in iusto sit næuus, nulla peccati macula.* vel certè vt ait Cyrillus [h], similitudinem iustitiæ Dei increatæ exprimit; vel denique interprete Augustino [i]: *Iustitiam Dei dixit, quia Deus non nobis sed Christo, eiusque meritis debet, vt iustitiam nobis largiatur, & pœnas expiet.* quasi id significet, quod alibi ait Paulus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Denique Dei iustitiam nominat, non quam homines probare solent, qui ea tantummodo cernunt, quæ sub aspectum cadunt, sed iustitiam, quam Deus exigit, quamque solus ipse largitur.

e cap. 64. 6.

f 2. Cor. 5. 21.

g 2. Cor. 5.

h lib. 12. Thes. c. 3.

i Enchir. c. 41.

ARGVMEN

ARGVMENTVM CAPITIS TERTII.

Inchoatam superiori capite adhortationem persequitur, & primùm quidem generatim plurima argumenta congerit, vt ostendat diuinæ in nos caritati gratam, ac memorem voluntatem iure deberi. Præsentem, & futuram Dei in nos caritatem magnificentius extollit, spem, atque expectationem futuri præmij excitat, & confirmat. Morum, vitæque integritatem peccati fœditate proposita commendat. Vt enim iustitia, & sanctitas ad vitam ducit sempiternam, ita peccatum ad perniciem, atque interitum afferre, & dæmonis imitatores dæmonis suppliciis, & cruciatibus addicere. Plura interim de fraterna caritate re ipsa exercenda, de bona conscientia, fidéque Iesu Christi scribit.

CAPVT III.

1 *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Propter hoc mundus non nouit nos, qui non nouit eum.*

2 *Carissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

3 *Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

4 *Omnis, qui facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.*

5 *Et scitis quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.*

6 *Omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.*

7 *Filioli, nemo vos seducat, qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est.*

PARAPHRASIS.

Perspicite, fratres, qua nos Deus beneuolentia, & caritate complectatur, qui quasi Pater amantissimus nos quasi filios diuinæ suæ gratiæ beneficio genitos, & haberi, & esse voluit. Quæ causa est vt mundus, cui cum Deo numquam bene conuenit, nos non planè norit, atque ideirco detestetur, quia ne Deum quidem probè nouit. ¶ Iam verò, fratres mihi carissimi, reuera Dei filij sumus, nondum tamen apparuit, quales aliquando futuri simus. Illud tamen pro comperto habemus, cùm Christus rursus sese immortali gloria circumfusum spectandum præbuerit, nos gloriæ magnitudine ei quodammodo similes futuros, & diuino quodam lumine perfusos diuinam eius essentiam, cuiusmodi ea est in se ipsa, contemplaturos. ¶ Porro quicumque certa, minimeque dubia spe hunc beatum Dei intuitum, & contemplationem ab eo expectat, is profectò, cùm sese ab omni labe prorsus expurgat, tum ad omnem sanctitatem animum, mentémque componit, vt illum aliquo pacto imitetur, qui omnis prorsus labis est expers, & absoluta quadam præditus sanctitate. ¶ Planè sic est, quicumque peccat, diuinam legem violat; si enim rectè sentimus, fateamur oportet, peccatum nihil esse aliud, nisi legis impositæ violationem. ¶ Neque verò vos latet, hanc vnam potissimùm ob causam Christum Dominum nostrum induisse mortalitatem, vt mortalium scelera, atque flagitia penitus aboleret, qui propterea ab omni prorsus vitio purus, atque integer fuit. ¶ Quocirca sic habetote, eos, qui sese sceleribus, atque flagitiis inquinant, quicumque illi tandem sint, nullam habere cum Deo coniunctionem. Quicumque verò peccatis obstringitur, perspicuè indicat, nec se Deum vidisse, aut illo modo cognouisse, quo eum cognoscere oportet. ¶ Nemo verò, filioli mihi carissimi, vos à recto itinere abducat, nemo vobis imponat: sed id vobis persuasum sit, eum, qui iustitiam sectatur, verè iustum, & esse, & appellari, & diuinam iustitiam aliqua ex parte exprimere, qua ille non modò iustus, sed ip-

fissima etiam iustitia verè nuncupatur. ¶ Iam verò qui perpetrat peccatum, diaboli se sectatorem, atque asseclam testatur; ille siquidem iam inde ab initio impio sese scelere, ac flagitio contaminauit omnium viriotum auctor, & architectus. Ad hoc autem vnigena Dei filius inter mortales vitam aliquando duxit, vt quidquid nefarius dæmon malè extruxerat, ipse dirueret, ac penitus euerteret. ¶ Qui diuinæ gratiæ beneficio denuò genitus est, Deique filius adoptatus, is planè quamdiù in illo diuinæ bonitatis, ac beneuolentiæ semine perseuerant, suamque vim exerunt, non modo non labitur, aut peccat, sed tanta est firmitudine, ac robore prædítus, vt ne peccare quidem vlla ratione queat. Tanta est diuini ortus vis, & efficacitas. ¶ Quòd si libeat apertum, ac minimè dubium inter Dei, diabolique filios discrimen constituere, sic profectò verè possumus affirmare, eum, qui iustitiam negligat, & fraternam caritatem contemnat, Dei filium nequaquam esse, aut appellari posse. ¶ Hoc enim iam inde ab Euangelicæ legis exordio vos arbitror à diuinæ legis præconibus sæpius accepisse, hoc Christi diuinum esse præceptum, vt mutua nos, & fraterna caritate complectamur. ¶ Longè verò abesse nos oportet ab impij Cain imitatione, qui se cacodæmonis sectatorem fraterna cæde comprobauit. Quam enim ob causam fratrem necauit? certè non ob aliam omninò, nisi quòd vita, & moribus ab eo dissideret, quippe qui nefariis actionibus, studiisque deditus esset, frater autem iustitiam, & sanctitatem in primis coleret. ¶ Nolite itaque aut mirari, aut animo commoueri, fratres mei, si mundus vos odio prosequitur, & quodammodo abominatur. Id enim, quod deterius est, potiori semper insidiatur. ¶ Cæterum id nobis persuasum esse debet, reuocatos esse nos propemodum ab ipso interitu ad vitam, quandoquidem fratres, ac proximos nostros Christiana caritate complectimur. Nam qui caritate fraterna destituitur, eum ego inter mortuos numero. ¶ Neque verò aliud mihi persuadere possum, quàm homicidam esse eum, qui odio, ac maleuolentia fratrem prosequatur, nec vos opinor fugit, eam esse homicidæ conditionem vt gratiæ vita penitus careat, & ab immortali, ac sempiterna gloria, nisi resipiscat, censcatur exclusus. ¶ Nimirùm hoc illustri argumento Deus immortalis suam in nos mirificam caritatem declarauit, quod vltro ac sponte, pro nostra omnium salute sese morte obiecit, quam si nos, vt decet, imitari cupimus, necesse est, nos quoque pro fratribus, si res postulet, vitam profundere. ¶ Si quis autem rebus ad vitam tuendam, ornandamque necessariis abundet, viderítque fratrem suum inopia, atque egestate premi, ne dicam enecati, & nulla prorsus miseratione motus ei opem ferre recuset, quis dicat, diuina illũ caritate prędítum esse, cùm sit ab ea quàm maximè alienus?

8 *Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt dissolnat opera Diaboli.*

9 *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

10 *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli. Omnis, qui non facit iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.*

11 *Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligamus alterutrum.*

12 *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum; & propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant; fratris autem iusta.*

13 *Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.*

14 *Hoc scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit manet in morte.*

15 *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*

16 *In hoc cognoscimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

17 *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo?*

18 *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.*

19 *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra.*

20 *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.*

21 *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum.*

22 *Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

23 *Et hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.*

24 *Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus, quoniam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis.*

¶ Vos verò filiolos meos charissimos appello, seduló q; moneo, id quod vobis persuasum esse percupio, non eam nobis charitatẽ complectendam, quæ præter speciosa verba, & ampullatas pollicitationes nihil habet, sed eam potius, quæ efficax, & actuosa re ipsa, atque ex animo indigentibus opitulatur. ¶ Hoc mihi credite certissimo documento planum faciemus, ipsique adeò cognoscemus vera nos, & sincera charitate præditos esse, & coram Deo omnia cernente omnes animi nostri recessus ita patebunt, vt illi mirificè placeant, atque omni ex parte probentur. ¶ Nam si nos conscientia nostra reprehẽdat, ac damnet, quid Deum ipsum mentium, & cogitationum inspectorem facturum putabimus, quem nihil omnino latere potest eorum, quæ in intimo animi nostri recessu reconduntur? ¶ Verè possum, fratres mihi charissimi, affirmare, si præclara nos conscientia sustentet, nulliúsque nos criminis arguat, magna nos spe, & confidentia bona omnia à Deo & optare, & expectare posse. ¶ Quicquid enim precibus ab eo contendemus, tum demum facile impetrabimus, si diuinis eius præceptis obtemperauimus, eaque complecti, & agere studuerimus, quæ illi grata, & vt ita dicam iucunda esse censuerimus. ¶ Atque hoc, vt arbitror, breue totius diuinę legis compendium est, vt diuinam in nos beneuolentiam, eximiámque charitatem certa fide comprehendamus, quæ non languida, & otiosa sit, sed viua, & efficax, vnde charitas erga proximos existat, quam Christus Dominus singulari quodam, & proprio, ac suo præcepto commendauit. ¶ Hoc autem verè mihi videor posse affirmare, eum, qui legis præcepta complectatur, & colat, quasi palmitem ipsi Deo tamquam viti inhærere, Deúmque in ipso tamquam in suo templo considere. Et hoc ipso argumento vtcumque cognoscimus Spiritum filiorum clamantem: Abba Pater, quem nobis largitus est, in nobis & perseuerare, nosque tamquam filios agere, & suas denique diuinas functiones exercere.

IN CAPVT TERTIVM
EXPLANATIO.

1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum.*

I. A Salutari, plenéque necessario ad vitam rectè instituendam consilio orditur, quo vniuersim monet diuina in nos collata beneficia sedulò esse meditanda, tum vt iis memori, & grata volũtate respondeamus, tũ etiam, vt eorũ recordatione diuinus in nobis amor, & charitas excitetur. Paulo aliter quàm vulgatus Interpres legisse videtur Augustinus, qui Latinè reddidit: *Ecce; quasi admirando diuinam in nos charitatem extollat.* Vtrũque certè beneficiorum magnitudo à nobis exigit, frequentem videlicet eorum meditationem, & ad-

A mirationem; illa nostrum in Deum amorem præcurrit, & quodammodo parit, hæc subsequitur, & comitatur. Præcipuè verò spectandam docet diuinam in nos beneuolentiam, & caritatem, ex qua tamquã à fonte omnia, quæ in nos diuinitus collata sunt beneficia profluerunt. Videte autem ait, *qualem charitatẽ dedit nobis Deus.* Græcè ποταπὴν, idest, quantam. Interpres verò more sua ad qualitatem retulit quasi non solam charitatis magnitudinem, sed alias etiam eiusdẽ cõditiones, & proprietates spectari velit, quòd nos vltrò dilexerit, vt alicubi obseruat Paulus; quòd inimicos, & peccatores suo dignos amore duxerit: qua in se, vt idem Apostolus monet, suam commeodat charitatem; quòd denique pro nostris sceleribus, atque flagitiis sponte, ac libens mortem obiecit.

cit. Sensum rectè exprimit OEcumenius : *Videte* (inquit) *quanta, & qualis sit charitas, & benignitas, quam erga nos praestitit, dedit enim nobis, vt filij essemus, & simus, & vocemur.* Quamquam Græci Codices, qui nunc circumferuntur, non habent *simus*, legisse tamen videtur OEcumenius, vt ipsius verba indicant; legit etiam, ni fallor, Syriacus, sic enim habet : *Qui vocat nos filios, & efficit.*

II. De Didymo nihil ausim affirmare, videtur enim ille à secundo versu exordiri, in quo apertè ait Apostolus : *Nunc Filij Dei sumus.* Certè legit atque explicat Augustinus his planè verbis : *Nam qui vocantur, & non sunt, quid illis prodest nomen, vbi res non est? Quàm multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quàm multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inueniuntur, quia hoc, quod vocantur, non sunt, id est, in vita, in moribus, in fide, in spe, in caritate. Hic autem quid audistis fratres? Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt Filij Dei vocemur & simus.* Dedisse autem Deum nobis caritatem idem esse videtur, quod caritate complexum esse, quasi dicat : Videte quanta, & quali nos beneuolentia sit prosecutus. Vel dedisse caritatem, idem significat, quod suam in animis nostris caritatem excitasse, cùm nos in filios adoptarit. Vel certè idcirco caritatem dedisse, quia caritas effecta, hoc est, eximia, ac pla-
a 1.Cor.2.12 nè diuina beneficia contulit. De quibus Paulus [a]. *Non accepimus*, (inquit) *Spiritum huius mundi, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.*

III. *Vt filij Dei nominemur, & simus.* An hoc ipsum est paternæ in nos caritatis munus? Sanè ita quis haud malè explicet, vt sit sensus : Videte quo diuina in nos caritas pronecta sit, vt nos videlicet in filios adoptarit. An est ipsius charitatis munus, & effectus? Ita malim accipere, nam quia Deus charitatem, & gratiam largitus est, nos filios adoptauit. Hoc enim est, quod
b ad Gal.4.6. ait Paulus [b] : *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.* Qui enim ex aqua, & Spiritu sancto nascuntur diuino Spiritu accepto filij efficiuntur iure adoptionis, & ad hæreditatem vocantur. Ita autem loquitur Apostolus, non quasi omnes affirmet diuina gratia præditos esse, sed quod quantum ex rebus externis conijcere licet vi Sacramenti percepti, nisi quid obstet, fideles omnes re vera filij censendi sint. Ac fortasse ob id dixit, *Vt filij Dei nominemur*; quia iure optimo Deum Patrem appellamus. Addit, *& simus*, vt non inanem appellationem, ac titulum indicet; sed omnino verum, & ipsi rei respondentem. Quamquam non nego sæpè in sacris literis, quod re vera est, simpliciter, ac præ-
c cap. 1. 23. cisè vocari, vt cùm Matthæus ait [c] : *Vocabitur nomen*
d cap. 1. 35. *eius Emanuel*. Et Angelus apud Lucam [d] : *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*; qui re vera filius erat, & quidem naturalis ante omnem æternitatem ab ipso genitus. Sic enim Angelus Iacobum af-
e Gen. 32. 28. fatur [e] : *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Denique Isaias [f] : *Vocabitur nomen eius admirabi-*
f cap. 9.6. *lis est.* Ad omnem tamen ambiguitatem tollendam non solùm ait, nos vocari filios, sed re ipsa esse, quod planius asserit, non ita multo post, cùm ait : *Nunc filij Dei sumus.*

IV. Ac fortasse iam tum Spiritus sanctus sectariorum impiam blasphemiam confutabat, qua nefariè asserunt, censeri quidem homines iustos, ac Dei filios, re autem vera nihil in iis reperiri, vnde iusti aut filij sint, sed habeantur solùm iusti ac filij appellentur
g Ex August. vel solo libero arbitrio, vt voluit Pelagius [g], vel ab ipsa iustitia, ac sanctitate Dei, quatenus eius diuina
h Andreas Osiander. essentia habitat in nobis, vt somniauit non nemo [h], vel ab obedientia Christi, quæ nobis aliquo pacto

A externa Dei beneuolentia adscribitur, vt alij quidam [a] a Schola Lutheri. existimant; vel denique ab ipsa Christi iustitia, qua ipse iustus est, quæ ipsius Christi beneficio nostra aliquo modo censetur, vt quidam alij [b] malunt. Quæ b Bucerus. omnia cum fide catholica ex aduerso pugnant, quæ apertissimè docet, ab inhærenti aliqua forma & iustos esse, & sanctos, Deique filios. Et quidem post Concilium Tridentinum res videtur ad fidem pertinere, sic enim loquuntur Patres [c] : *Vnica formalis cau-* c sess. 6. c. 7. *sa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur sin-*
B *gulis prout vult.* Paucis autem interiectis : *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem.* Post multa verò [d] *Si* d Can. 11. *quis dixerit homines iustificari vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit.*

V. Tametsi autem, quod alibi etiam monui, eorum minimè probanda videtur industria, qui omnes scholasticas subtilitates vel ex sacris literis, vel ex priscis Patribus probare se posse confidunt. Quod tamen
C attinet ad rem præsentem, facilè mihi persuaserim, ex vtriusque Concilij definitionem non obscurè deprehendi, ac probari posse, indicant enim aliquid re vera in nobis inhærere, vnde iusti nominemur, & simus. Et quidem scriptura multos appellat diuino testimonio iustos, vt *Noe vir* [e] dicitur *iustus, atque perfe-* e Gen.6.9. *ctus in generationibus suis.* Et Iob [f] : *Vir simplex, & rectus,* f cap. 1. 1. *ac timens Deum.* Non potest autem Deus quemquam pronunciare iustum, qui verè iustus non sit, cum Salomon [g] dicat : *Qui iustificat impium, & qui condemnat* g Prou.17.15. *iustum, vtrumque abominabile est apud Deum.* Accedit, quod hic ipse Apostolus [h] ait : *Qui facit iustitiam, iustus* h Hoc eodē cap. infra. *est, sicut ipse* (hoc est, Deus) *iustus est.* Quis autem neget, Deum verè sua iustitia hoc est, sua diuina essentia
D intimè iustum esse? Quid quòd eadem scriptura docet, iustitiam positam esse in charitate? Nam vt ait Paulus [i] : *Qui diligit, legem impleuit.* Et alibi [k] : *Finis præ-* i ad Rom. 13.8. *cepti est charitas.* Quocirca Augustinus [l] : *Inchoata* (in- k 1. ad Tim. 1. 5. quit) *charitas, inchoata iustitia est; prouecta charitas, prouecta iustitia est; perfecta charitas perfecta iustitia est.* Chari- l de nat. & grat. c. vlt. tatem autem in nobis inhærere, quamuis negent sectarij, receptum tamen est apud omnes rectè sentientes, & à Theologis probatur in scholis; idque colligit Augustinus [m] ex verbis Pauli [n] : *Charitas Dei diffusa* m li. de spir. & lit. c. 32. in fine. *est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est no-* n ad Rom. 5. 5. *bis. Neque enim* (ait Augustinus) *esset in nobis quantumcumque sit in nobis, nisi diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit,*
E *sed qua nos facit dilectores suos. Sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur, & Domini salus, qua nos saluos facit.*

VI. Quod si libeat Pauli Apostoli verba aliquanto diligentius, atque accuratius inspicere, haud obscurè idem deprehendemus, ille enim ad Romanos [o] scri- o cap. 5. 15. bens præclara quadam antithesi Christum cum Adamo componit : *Si vnius* (inquit) *delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Vbi primùm diuinam gratiam appellat donum, vt significet Dei beneficio aliquid nobis tribui, quod apertius significauit Petrus, cùm dixit [p] : *Magna nobis, & pretiosa promissa do-* p ep. 2. c. 1. *nauit, vt efficiamur diuinæ consortes naturæ.* Deinde, paucis

inter

interiectis addit Paulus. *Multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* innuens nimirum nonnihil nos Christi beneficentia in nostra iustificatione percipere. Postremò concludit: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituuntur multi.* Vt autem similitudo omni ex parte constet, quemadmodum ex Adami peccato verè singuli proprium, ac suum contrahunt peccatum, non aliter Christi beneficio verè gratiam, & iustitiam singuli percipiunt. Iam verò alibi[a]: *Secundùm diuitias (ait) gratiæ eius quæ superabundauit in nobis in omni sapientia.* indicans affluentiam cælestium bonorum quæ in iustificatione diuinitus nobis conceduntur. Denique[b]: *Saluos (inquit) nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* Vt appareat diuini Spiritus munera affluenter nobis concedi.

a ad Ephes. 1.
b ad Tit. 3. 5.

VII. Longè autem id apertiùs indicant veteres Ecclesiæ Patres. Dionysius[c] enim Areopagita: *Vt enim (ait) clarissimus Preceptor noster dixit. Prima quidem mentis ad diuina motio, & conuentio Dei est charitas, sancta autem caritatis ad diuina perficienda præcepta prima omninò progressio est illa ineffabilis operatio, quia diuinè habemus. Si enim diuinus status diuino ortu, & vt ita dicam, generatione efficitur, profectò qui statum diuinum non accepit, is nihil vnquam eorum, quæ à Deo tradita sunt, sciet, nec operabitur.* Statum verò cùm nominat, aliquid profectò significat in nobis inhærens, quæ iis, quæ mox subiicit, planiùs explicat: *Annon (inquit) etiam nos (hominum more, & ordine loquor) esse primùm, deinde verò operari, ea quæ nos attingunt, debemus?* Quibus apertè insinuat, diuinas in nobis actiones existere nequaquam posse nisi prius diuinum agendi principium acceperimus. Iam verò Irenæus[d] causam aduentus Christi explicans. *Vt quod (ait) perdideramus in Adam, id est, secundùm imaginem, ac similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus.* In Adamo porro non quidem imaginem ipsam amisimus, quidquid olim senserit Origenes[e], sed eam tamen Adæ peccatum amissa iustitia magna ex parte deformauit, qua ratione Augustinus[f] suam priorem sententiam emollit[g], ac mitigat, vt imaginem non à natura inditam, sed intrinsecus spiritu mentis impressam amiserit, quod nos, vt idem ait Augustinus, recipimus per gratiam iustitiæ. Vt igitur Adam verè aliquid amisit, quod intimè ipsi adhæret, ita nos aliquid in iustificatione inhærēs nobis accipimus, eo planè modo, quo idē Irenæus[h] explicat. *Cùm autem (inquit) Spiritus* (de Spiritu sancto loquitur) *hic commixtus animæ vnitur plasmati, propter effusionem Spiritus spiritualis, & perfectus homo factus est.* Certè non ipsa diuini Spiritus persona aut plasmati vnitur, aut effunditur, sed ipsius cælestia munera.

c de Eccles. hierar. c. 2.
d lib. 3. c. 10.
e Hom. 3. in Gen.
f lib. 1. retract. c. 24.
g lib. 6. de Genes. ad lit. c. 24.
h lib. 5. c. 6.
i de Spir. sancto c. [illegible]. Vide eumd. lib. 1. de baptism. c. 2. & Greg. Nyss. Oratione in baptism.
k Orat. in sanct. lauacr.

Porro Basilius[i] gratiam diuini Spiritus in homine sibi quasi domicilium cōstituere his planè verbis docet: *Sicut cernendi vis est in oculo sano, sic & operatio Spiritus in anima purgata, & quemadmodum ars est in eo, qui nactus est illam, ita gratia Spiritus in eo, qui recipit, semper quidem præsens, at non perpetuò operans.* Quæ sanè similitudines & rem probè explicant, apertissimè probant aliquid in nobis inesse, nobisque intimè adhærere. Gregorius Nazianzenus[k] de gratia iustificante, quæ vi baptismi percipitur, hunc in modum loquitur: *Nouos ex veteribus, ac Dei similes efficit absque igne conflans, & sic confractione irradians.* Chrysostomus[l] eadem fermè similitudine vsus sic planè scribit: *Qui crimino Regis beneficio absolutus est, inquinatum animum seruat, quem abluit baptisma non item, sed solis radiis puriorem mentem habet.* Alibi verò[m] etiam infantibus ait vi baptismi sanctitatem, & iustitiam tribui, quam

VIII.
l Hom. 4. in 1. Cor. Vide eumd. hom. 16. in 2. Epist. ad [illegible] ad Cor. hęc qui- [illegible] fuistis. in eumdē locū Theo- [illegible] & OEcum.
m [illegible] Hom. ad Neophit. [illegible] laudat Aug. lib. 1. con. Iulian.

A profectò necesse est ad modum habitus, aut qualitatis inhærere. Cyrillus[a] Alexandrinus: *Formatur (ait) in filium Dei intelligibiliter informatus diuinarum legum scientia ad speciem, effigiémque excellentem, qua virtutum ornatu in animis hominum inhæret, ac insidet. Hæc autem pulchritudo intelligi potest spiritualis, formatur etiam velut in Christo per sancti Spiritus participationem ad ipsius speciem scribit siquidem ad Galatas diuinus Paulus: Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatur autem in nobis Christus sancto Spiritu nobis diuinam quamdam formam per sanctificationem, & iustitiam inducente, sic enim in animis nostris elucet character substantiæ Dei, ac Patris reformante, vt dixi, sancto Spiritu nos per sanctificationem in ipsum.* Quibus verbis nihil excogitari potest aptius ad inhærentem gratiam exprimendam, explanandámque rationem, qua nos filij Dei nominamur, & sumus.

a lib. 4. Cōmen. in Isai. or. 2. ad cap. 44. Vide eūdem lib. 6. de Trinit. lib. 12. thesauri c. 3. & 5. lib. 11. in Ioan. c. 25.

IX. Neque aliter sensisse videtur Eusebius Emissenus[b]. *Te ipsum (inquit) qui iam es renatus, interroga, dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecùs mortuus exulabas. Subitò initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis innouatus in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transisti, & de filio perditionis adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruisti, in mensura visibili permanens maior factus es te ipso inuisibiliter sine quantitatis augmento, in exteriore nihil additum est, & totum in interiore mutatum est.* Addo Cyprianum[c] in hæc verba eleganter disserentem: *Postquam vnda genitalis auxilio superioris æui labe detersa inexpiatum pectus, ac purum desuper se lumen infundit; postquam cælitus Spiritus hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, scis ipse profectò quid detraxerit nobis, quidue contulerit mors ista criminum vita virtutum.* Vbi luminis infusio, & sancti Spiritus haustus, & hominis innouatio internam profectò mutationem, & intrinsecùs hærentem formam indicāt. Quod planius explicare videtur[d] Ambrosius, dum ait: *Vtrùm iustificatio secundùm corpus, an secundùm animam tibi conferri videatur, quæso respondeas. Sed dubitare non potes, cùm iustitia, vnde iustificatio deriuata est, mentis tua, non corporis sit. Pictus es ergo ô homo, & pictus à Domino Deo tuo, bonum habes artificem, atque pictorem: noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia.* Significat enim iustificationem similem esse picturæ, quæ procul dubio aliquid inhærens imprimit.

b Serm. 5. de paschate, qui est de corpore Domini.
c lib. 2. ep. 2. ad Donat.
d lib. 6. in exam. cap. 8. Vide eūdem lib. 6. in Lucam.
e Præfat. in Thren. & lib. 1. aduers. Pelag. eo liciom 3.
f In epist. ad Philemon. non procul à fine.
g lib. 1. de pec. mer. & rem. cap. 5. & 34.

X. Nec dissentire videtur Hieronymus[e], describens enim animam vitiis, ac sceleribus obstrictam: *Nudata est (inquit) domus Dei omnibus ornamentis suis, emblisque, quæ diuinitùs consecuta fuerat, spoliata muneribus remansit deformis, ac turpis.* Et alibi[f]: *Cùm in spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem, vt & caro spiritui seruiat, & anima non vincatur à carne, & redacta simul in substantiam spiritualem adhæreant Domino, quia qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Denique Augustinus totus mihi fermè describendus esset, si cuncta recensenda essent, quæ in hanc sententiam scripsit. Apertissima autem sunt illa, quæ aduersus Pelagianos scribit[g]: *Ille (inquit) in quo omnes viuificabuntur, præterquam quod se ad iustitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam suis spiritus occultissimam gratiam, quam etiam latenter infundit & paruulis.* Alia verò sexcenta apud eumdem leguntur, quæ etiam sectarios compulerunt fateri Augustinum inhærentem & sanctificantem gratiam agnouisse, & pluribus[h] prædicasse. Addo Prosperum[i]: *Iustificatus (inquit) homo, id est, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accepit donum, quo medio acquirat & meritum, vt quod in illo inchoatum est per gratiam Christi etiam per in iustitiam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest.* Hic igitur donum appellat, quod externæ iustitiæ nequaquam congruit. Denique Gregorius

h lib. 12. cōfess. c. 15. Ep. 85. lib. 15. de Trinit c. 8. Toto lib. de spir. & lit. li. 1. ad Simplic. q. 2. lib. 19. de Ciuit c. 27. lib. de hæres. c. 88. li. 2. retract. c. 37. & 42. lib. 1. de pec. mer. & rem. c. 10. lib. de nat. & grat. c. 38. 42. & 70. conc. 26. in Ps. 118. & in Ps. 98. Tract. 26. in Io. serm. 15. de verb. Apostol.
i ad capitula Gall. c. 6.

Ponti

a J. 18. mor. cap. 33. b cap. 28. Pontifex [a] explicans verba illa Iob [b]: *Non commemorabuntur in comparatione eius.* hunc in modum scribit: *Omnes superna Patria electi sancti quidem, & iusti sunt, sed participatione sapientia, non comparatione. Iustitia quidem sapientia, iustitia, & serui sapientia nuncupantur, sed ista iustitia iustificans, isti autem iustitia iustificata. De Deo quippe qui sapientia est, dicitur, vt sit ipse iustus, & iustificans; isti verò dicunt, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Participatione igitur iustos nos fieri dicit. Mitto cætera, quæ à Theologis peti possunt.

XI. Verè igitur ait Ioannes, nos filios Dei nominari, & verè esse; quam ob causam voluit Christus, vt Deum Patrem appellaremus. Subdit deinde: *Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum.* Sunt qui putent, nec prorsus malè hinc probare Apostolum, nos esse Dei filios, quia mundus nos non nouit, quemadmodum nec Deum nouit. Ita enim videtur argumentari
c cap. 15. 18. Christus apud Ioannem [c]: *Si mundus* (inquit) *vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Et hoc ipso capite paulo post Ioannes: *Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.* Ita videtur existimasse OEcumenius: *At si iis* (inquit) *qui in mundo sunt, incertum est, vos videlicet Dei esse filios, ne miremini, propterea enim non cognoscit vos mundus, quia neque eum nouit, qui vos in filios adoptauit.* Cognoscendi porro verbum non tam ad mentem, atque intelligentiam refero, quàm ad voluntatem, vt significet Apostolus, iustos, ac Dei filios mundo esse exosos. Ita prorsus docuit Augustinus: *Totus* (inquit) *mundus Christianus est, & totus mundus impius, per totum enim mundum impij, & per totum mundum pij; illi illos non cognoscunt. quomodo putamus, quia non cognoscunt? Insultant bene viuentibus.* Bene ergo ait Ioannes: *Mundus non nouit nos, quia non nouit eum.* Quod apertiùs dixerat
d Ioan. 15. 20. Christus [d]: *Si me persequuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt, sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui me misit.* Excludit igitur scientiam, quam Theologi approbationis appellant, nam & ille hac scientia loquitur Christus loco indicato. Quocirca rectè ait Augustinus: *Illi* (inquit) (Iudæos intelligit) *amando dilectiones peccatorum non agnoscebant Deum: amando quod febris suadebat, iniuriam medico faciebant.*

XII. Mundi autem nomine impios, atque improbos homines significat. *Iam* (inquit Augustinus) *cùm audis mundum in mala significatione, non intelligitis nisi dilectores mundi, quia per dilectionem inhabitant, & per quod inhabitant, nomen habere meruerunt.* De his loquitur
e cap. 1. 10. Ioannes [e], cùm ait: *E mundus eum non cognouit.* Mox autem subdit: *In propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius.* Acutè verò obseruauit Beda ex Ioannis verbis modo allatis, & hoc ipso eiusdem Ioannis loco, si vn'i iungantur, apertè deprehendi, nos fidei, ac dilectionis beneficio effici filios Dei. Eadémque ratione Pelagij, atque Arij dogma confutari, illius quidem quòd diceret, homines absque gratia salutem consequi posse sempiternam, cum ex vtroque loco planum fiat, nos à Deo percipere caritatem & potestatem, qua in filios adoptemur. Huius autem, qui filium Patre minorem, & dissimilem asserebat, cum tamen, quod hoc loco Ioannes Patri adscribit, qui charitatem largitur, qua Dei filij nominemur, & simus, in Euangelio Christo Domino ascribit, dare illum videlicet credentibus potestatem, qua filij Dei fiant. Liquet enim vnius naturæ, eiusdémque esse potestatis, qui cælestia dona æquè mortalibus largiuntur. Sed æquè Patrem, ac filium mundus ignorat, atque idcircò facile in Deum & Dei filios peccat. Sed serò tandem errorem suum agnoscunt, & frustra fatentur illi, quorum apud Sa-
f Sap. 5. 4. lomonem [f] sunt hæc verba: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.*

2 *Carissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

A præsenti statu ad eum transit, quem in altera vita iusti habituri sunt. Et nunc quidem iusti verè, vt I.
diximus, filij Dei sunt. Et quamquam ea est singularis, atque eximia quædam dignitas, quæ, vt ait Didymus, vtcunque, hoc est, probabilibus argumentis deprehendi potest, non tamen apertè, perspicuèque cognosci. Quocirca ait OEcumenius: *Quòd si id manifestum nondum est, ne turbemini, quod enim nunc obscurum est, cum ille reuelabitur, manifestum fiet, & nos similes ipsi apparentes, adoptionis claritatem præ nobis feremus, quippè cum filij Patri similes sint.* Ita significat, quod alicubi ait Apostolus: [a] *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Nemo nunc certò scire potest, se esse Dei filium, apertè id proferetur in lucem, cum Christus apparuerit, cum videlicet iterum ad nos veniet. Non dixit autem Ioannes, palam tunc futurum, quid nunc sumus, sed quid erimus. *Quid autem* (ait Augustinus) *erimus aliud, quàm filij Dei?* Sed videlicet ex præmij magnitudine præsentis dignitatis præstantia elucescet: nunc autem filij Dei sumus diuina caritate, gratiáque percepta, quæ intus in animo vsque adeo latet, vt certò cognosci non queat. Tunc autem meridiana luce clarius patebit, non quidem quantum ad substantiam mutata, sed longè tamen nobiliori conditione prædita, quippè quæ in omnem æternitatem perseueratura sit, nec refrigerari, aut extingui vlla ratione queat. a 1. Cor. 13. 12.

Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Et II.
quidem nunc caritas rudis quædam diuinæ naturæ participatio, sed ea in altera demùm vita perficietur, & absoluetur, cum videlicet iusti tanquam sol fulgebunt in regno Patris sui. Vnde autem hæc similitudo oriatur, meritò quis ambigat. Et sunt, qui id tribuát luminis gloriæ, quod tamen non omnibus placet. Alij referunt ad perfectionem caritatis, de qua dixit Paulus [b]: *In eandem imaginem transformamur.* Et pro- b 2. Cor. 3. 18
fectò vt hinc potissimum exordiat, inficiari nemo potest, magnam nos Dei similitudinem assequi, cùm caritas diffunditur in cordibus nostris, quæ vt ait Petrus diuinæ efficit nos consortes naturæ. Quod visus est indicare Christus apud Matthæum [c], cum etiam inimicos caritate complectendos monet, & mox ad- c cap. 5. 45.
dit: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* In altera autem vita caritas erit omni ex parte perfecta, atque idcirco nostra cum Deo similitudo omnibus suis numeris erit absoluta. Nam primùm quidem vt Deus est ab omni crimine vsque eò alienus, vt peccare nulla ratione queat, ita beati caritate prædi erunt adeo perfecta, vt omnem prorsus labem excludat, cum tamen in hac mortali vita nonnullos semper næuos admixtos habeat, cum dicat Iacobus [d]: *In multis offendimus omnes.* Et hic noster [e]: d cap. 3. 2.
Si dixerimus, quia peccatum habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. In illa autem beata vita caritas erit aliena ab omni vel minima labe vsque eò, vt errare, labi, & peccare nequaquam possit. e cap. 1. 8.

Accedit quòd perfectissimè beati Deum diligent ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omni fortitudine, ac viribus suis. Deinde quemadmodum Deus ita seipsum diligit, vt nusquam aliò III.

auoce

auucetur; nuu aliter beati perpetuo, minimèque interrupro amore ferentur in Deum, cum nulla aliena vel praua; aut etiam humana cupiditate ab amore diuino abduci, vel tantillum reuocari queant. Quod indicare visus est Augustinus[a], cùm dixit: *Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor, aut labor. Viua erit vita mea tota plena te, nunc autem quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.* Denique Deus in perfectissimo sui amore in omnem æternitatem perseuerabit, sic etiam beati sempiterno Dei amore perfruentur, diuinasque laudes celebrabunt. Qua de re ita alicubi loquitur Augustinus[b]: *Iam similes illi quando deficiemus, quo aueriemur? Securi ergo sumus, fratres, non nos satiabit laus Dei, si deficies ab amore, deficies à laude. Si autem amor sempiternus erit, quia insatiabilis illa pulchritudo erit, noli timere, ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.* Nec dubium est, vt hic ait Apostolus, *cùm ille apparuerit*, nos fore illi hac ratione quàm simillimos.

> a lib. 10 conf.
>
> b serm. 118. de diuers. cap. 5.

IV. Cæterùm quoniam Ioannes subiicit. *Videbimus eum sicuti est.* Eorum minimè contemnenda sententia videtur, qui, vt dixi, hanc similitudinem ad lumen gloriæ referunt, quod quamdam diuinæ naturæ similitudinem impartiri autumant, vt mens humana ad eius perspicuam contemplationem euehatur. Quamquam non desunt, qui vi luminis gloriæ nonnullam contendant imaginem ac notionem diuinæ naturæ humanæ intelligentiæ imprimi, quasi sit, vt loquuntur in scholis, diuinitatis species quædam impressa. Ego verò non facilè admiserim, has Theologicas subtilitates Apostolo venisse in mentem, siue quia similitudo illa, quæ à lumine gloriæ manat, non videtur eiusmodi, quæ suapte natura efficiat filios, cum non pertineat ad voluntatem, cui maximè congruit caritas, quæ vi sua omnem peccati maculam abstergit, perfectamque iustitiam, & sanctitatem largitur, cuius respectu & filij nominamur, & sumus. In præsentia verò Ioannes de ea videtur similitudine loqui, quam Dei filij qua filij, habituri sunt. *Sumus* inquit) *nunc filij*, hoc est, gratia, & caritate præditi, atque idcirco parenti Deo aliquo pacto similes. Verùm hæc similitudo, vt antea dixi, rudis est, & inchoata, illa autem perfecta, omnibúsque suis partibus constans erit, quam habituri sumus, cum Deum immortalem proximè contemplabimur.

V. Huc accedit, quod non nmnibus probatur, quod viri tamen docti affirmant, lumen gloriæ etiam notionis, ac speciei impressæ vim habere, cum ex Philnsophorum, Theologorúmque sententia impressa notio ad rem menti obiectam quodammodo referatur, eiúsque similitudinem præferat, vel similitudinis quamdam proportionem, ac veluti aptitudinem menti imprimat. Lumen verò gloriæ mentem ipsam, atque intelligentiam perficiat, vegetet, roboret, atque illustret. Quamquam autem haud absurdum existimarim, si quis afferat vtrumque eiusdem vi luminis effici, præstaríque posse, tamen id neque necessarium, neque beatæ illi visioni satis consentaneum videtur. His igitur prætermissis, quæ subtiliùs à Theologis agitantur in scholis, similitudinem illam intelligo, quam perfecta beatorum caritas allatura est, cuius initium, & veluti rudimentum similitudo illa videtur, quam iusti in hac mortali vita consequuntur. Itaque rectè ait Ioannes: *Nunc filij Dei sumus.* ob inchoatam similitudinem, nondum apparuit, quales futuri simus, cùm illam perfectam, atque absolutam similitudinem assequemur. In hac porro immortalitate Dei imaginem in ipsa natura inditam, ac diuinitùs insculptam etiam improbi, ac scelesti retinent, similitudinem non nisi iusti. Illa enim in natura, eiusque libertate posita est, similitudo verò ad gratiam iustificantem, cæteraque gratuita dona pertinet. Quocirca Adam quidem, cùm imaginem, ac similitudinem diuinitùs accepisset, & singulari quodam honore præditus rebus omnibus creatis præesset, dum diuinam similitudinem, quam assequi nemo potest, auidiùs expetit, imaginem, hoc est, naturam vtrumque retinuit, sed diuinam similitudinem amisit. Qua de re eleganter Augustinus[a]. *Porro autem* (ait) *si peruersè volueris imitari Deum, vt quomodo Deus non habet à quo formetur, non habet à quo regatur, sic ipse velis sua potestate vti, vt quomodo Deus nullo formante, nullo regente viuat: quid restat, fratres, nisi vt recedens ab eius calore torpescat, recedens à veritate vanescat, recedens ab eo, quod summè, atque incomparabiliter est in deterius mutatus deficiat.*

> a in Ps. 70.

VI. Hoc olim diabolus ausus est primus, mox eum imitatus homo, cùm scientiam Dei malè appeteret, *comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Egregiè verò monet Bernardus[b], ob hanc vnam causam creatos nos esse, & vitam ducere, *vt Deo similes simus, cùm ad Dei imaginem creati simus.* Mox verò triplicem similitudinem distinguit: *Est autem* (inquit) *Dei similitudo quadam, quam nemo viuens nisi cùm vitam exuit, quam omni homini in testimonium amissæ melioris, & dignioris similitudinis creator omnium hominum reliquit, quam habet & volens, & nolens, & qui eam cogitare potest, & qui tam hebes est, vt eam cogitare non possit; scilicet quod sicut vbique Deus est, & vbique totus est in creatura sua, sic & in corpore suo omnis viuens anima. Et sicut semper sibi indissimilis Deus, indissimiliter dissimilia in creatura operatur: sic anima hominis, quamquam totum corpus viuificans indissimilis vita, in sensibus tamen corporis, & in cogitationibus cordis indissimiliter operatur assiduè dissimilia. Hæc similitudo Dei in homine quantum ad meritum eius nullius apud Deum est momenti, cùm naturæ, non voluntatis eius sit, vel laboris.* Aliam deinde similitudinem subnectit: *Sed est alia* (inquit) *magis Deo propinqua similitudo in quantum voluntaria, quæ in virtutibus consistit, in qua animus virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem, & perseuerantia in bono constantia æternitatis eius incommutabilitatem.*

> b De vita solit. ad fratres de mõte Dei, non procul à fine.

VII. Tertiam illico addit: *Super hanc autem* (ait) *alia est adhuc similitudo Dei. Hæc est de qua iam aliquanta dicta sunt in tantum propriè propria, vt non tam similitudo, sed vnitas Spiritus nominetur, cùm fit homo cum Deo vnus Spiritus non tantum vnitate volendi idem, sed expressiore quadam vnitate virtutis, sicut iam dictum est, aliud velle non valendi.* Et multa deinceps, quæ perfectam caritatem, eiusque singulares, atque eximias functiones explicant. Nonnulla vero recensentur ab Augustino, quæ vel hanc similitudinem pariunt, vel eam certè comitantur, & sequuntur. Alicubi enim ait, ad hanc similitudinem præcipuè pertinere gloriæ conceptum. *Tanto enim*[c] (ait) *quisque est Deo similior, quanto ab hac immunditia mundior, quæ in hac vita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ.* Alibi[d] similitudinem hanc comparari ait intima quadam coniunctione

> c lib. 5 de Ciuit. Dei cap. 14.
>
> d in Psal. 75.

cum Deo: *Vt hoc* (inquit) *displiceat quod & illi displicet. displicet illi vita tua mala, si placeat tibi, disiungeris ab illo: si displiceat tibi, per confessionem illi coniungeris. Vide ex quanta parte dissimilis es, quando vtique propter ipsam dissimilitudinem displices. factus enim es ô homo ad imaginem Dei, per vitam verò peruersam, & malam perturbasti in te, & exturbasti in te imaginem Conditoris tui. factus dissimilis attendis in te, & displices tibi, iam ex eo cœpisti similis fieri, quia hoc in te tibi displicet, quod displicet & Deo.*[a] Rursus alio loco paulo aliter de eadem similitudine disserit: *Accedit ergo* (inquit) *vtcumque anima humana interior homo recreatus ad imaginem Dei, qui creatus est ad imaginem Dei, qui tanto erat longè factus, quanto ierat in dissimilitudinem. Non enim locorum internallis acceditur ad Deum, aut receditur à Deo, dissimilis factus longè recessisti, similis factus proximè accessisti. Vide quomodo nos vult accedere Dominus, faciens primò similes, vt accedamus. Estote, ait, sicut Pater vester, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. In quantum autem in te caritas crescit efficiens te, & reuocans te ad similitudinem Dei pertendit vsque ad inimicos, vt sis ei similis; quantum accedis ad similitudinem, tantum proficis in caritate.*

a Psalm. 99.

VIII. Verùm quoniam non potest, quamdiu inter mortales viuimus, caritas esse omni ex parte perfecta, quæ semper ita Deo adhæreat, vt ab eo ne ad punctum quidem temporis mentem aut cogitationem auocet, appetenda est perfecta illa similitudo, quam hic proponit Ioannes quam [b] Augustinus Platonis testimonio sedulò quærendam esse docet. *Fugiendum est igitur* (inquit) *ad clarissimam patriam, & ibi Pater, & ibi omnia.* Et mox. *Qua igitur classis,* (inquit) *aut fuga? similem Deo fieri, si ergò Deo quanto similior, tanto fit quisque propinquior, nulla est ab illo alia longinquitas, quàm eius dissimilitudo. In corporali verò illi æterno & incommutabili tanto est anima hominis dissimilior, quanto rerum temporalium, mutabiliumque cupidior.* Ob eam caussam ait Ioannes, *nunc filij Dei sumus.* Hac videlicet similitudine prædiri, quam humana potest imbecillitas assequi. Sed hæc quantacumque sit, si cum ea conferatur, quam in secundo Christi aduentu expectamus, nulla propemodum censenda est: *Scimus,* (inquit,) *quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus:* perfecta nimirum, & absoluta similitudine. Si quæras, vnde id probet, subdit: *Quoniam videbimus eum sicuti est.* Rectè verò monet Augustinus, non posse hæc Apostoli verba ad humanam Christi naturam referri, nam cùm Christus ad iudicium venturus sit humana specie, videbunt vtique illum etiam impij, videbunt, sed formam serui, formam Dei non videbunt. *Quare? quia impij sunt, & ipse Dominus dicit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ergo visuri sumus quamdam visionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Visionem quamdam visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum, atque camporum; pulchritudinem maris, & aëris, pulchritudinem Solis & Lunæ, pulchritudinem stellarum, pulchritudinem angelorum omnia superantem, quia ex ipsa pulchra sunt omnia.*

b lib 9. de Ciuit. cap. 16. in fine,

IX. *Similes ergo ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Perspicuam, atque omnino perfectam Dei visionem significat, non modo humanitatis respectu, sed ipsius etiam diuinitatis, quæ posito lumine gloriæ ipsa sese proximè beatorum menti, atque intelligentiæ obiiciet. Nullo enim modo audiendi sunt hæretici, [c] qui eum negarent Deum posse ab humana mente perspicuè cerni, eum in quadam claritate, ac fulgore, & vt alij loquuntur, in quibusdam theophaniis eminus spectari posse non negabant. Quod vsque adeò quibusdam catholicis placuit, vt theophanias illas diuinitatis energias appellarent, adeòque defenderent, vt dicerent, eas quidpiam esse intermedium, atque interiectum inter creatorem, & res creatas, quod meritò visum est Theologis monstro simile. *Videbimus* igitur *Deum sicuti est,* beneficio luminis gloriæ ad ipsam diuinam naturam pertingemus. Ob id enim dixit [a] Christus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* De quo loco multa Gregorius Nyssenus [b], & Augustinus [c]. Alibi: [d] *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Vnde colligit Gregorius [e] nos quoque visuros aliquando Deum. *Sic quoque* (inquit) *& nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul, atque satietas, sed longè aberit ab ista sitis necessitas, longè à satietate fastidium, quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum, ipsúmque erit præmium laboris nostri, vt post mortalitatis huius tenebras accessa eius luce gaudeamus.* Et multa deinceps. Eodem pertinent Christi verba apud Ioannem: [f] *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* in quem locum multa scribit Hilarius. [g] Paulo autem post subdit Christus: *Et ego manifestabo ei me ipsum.*

c Meminit huius erroris Hugo in Dionys. de cælest. hier. c. 1. in fine, Bonauent. in 3. di. 14. art. 1. q. 1. Turrecr. in appar. super decret. Lu. 4. in articul. de Purgat.

a Matt 5. 8.

b in hanc beatitudinem.

c Epist. 111. 112.

d Matth. 18. 10.

e 18 mor. c. 39. alias 18.

f cap. 14. 9.

g lib. 3. & 7. de Trinit.

X. Paulus verò: [h] *Siue scientia,* (inquit) *destruetur,* hoc est, interprete Chrysostomo [i], omnis scientiæ nænus planè tolletur, euadétque omni ex parte perfecta, quod Paulus ipse non ita multo post explicans ait: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Et rursus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Quæ verba eleganter explicat Gregorius Nazianzenus [k]: *Pollicitationem* (inquit) *habemus fore, vt aliquando tantum cognoscamus, quantum cogniti sumus.* Et mox: *Quid autem illud est, quod in spe positum habemus. Regnum cælorum procul dubio inquies, atqui illud nihil aliud esse existimo, quàm eius, quod purissimum, & perfectissimum est, adoptionem; perfectissima porrò rerum omnium est Dei cognitio.* Quam ob caussam Ecclesiastica [l] definitione sancitum est, fœlicitatem nostram perspicuam Dei contemplationem complecti. Quod apertissimè veteres Patres affirmant. Sic enim loquitur Irenæus [m]: *Præsignificabant Prophetæ, quoniam videbitur Deus ab hominibus, quemadmodum & Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, sed & secundùm magnitudinem quidem eius, & mirabilem gloriam nemo videbit Deum, & viuet.* Et paulo post: *Homo enim à se non videt Deum, ille autem volens videtur ab hominibus, à quibus vult, & quando vult, & quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus visus quidem tunc per spiritum prophetiæ, visus est autem & per filium adoptiuè, videbitur autem & in regno cælorum paternaliter, spiritu quidem præparante hominem in filium Dei, filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam: quæ vnicuique euenit ex eo, quòd videat Deum. Quemadmodum* [n] *enim videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem eius percipiunt, sic & qui vident Deum, intra Deum sunt percipientes eius claritatem.* Et post nonnulla concludit: *Homines igitur videbunt Deum & viuent per visionem immortales facti pertingentes vsque in Deum.*

h 1. Cor. 13. 8.

i Hom. 1. de incomprch. Dei.

k Orat. 18

l Cõc. Vien. clem ad nostrũ de hæret. Conc. sess. 19. Francfordi. in ep. ad Ep. Hispaniæ. Flor. in vnione Græcor. & Armen. Euarist. ep 2. Bened. 11. seu 12 in Extra. apud Alphon. à Castr lib. 3. aduer. hære. verbo Beat. hæres. 4. & Pegnam in direc. inquisit. comment. 21.

m lib 4. cap. 37.

n Hęc ex Ir. citat. Ant Melissa. ser. 1. qui est de fide.

XI. Clemens autem Alexandrinus [o] *Anima* (inquit) *planè effecta facie ad faciem Deum omnipotentem æternè videre dignata tota effecta spiritualis.* Multa

o lib. 7. [illegible] vltra med.

verò

a In Ench. c. 5.

A Porro in tandem sententiam scribit Augustinus:[a] alicubi enim ait. *Cum autem imbuto fides, quæ per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene viuendo etiam ad speciem peruenire, vbi est sanctis, & perfectis cordibus nota, & ineffabilis pulchritudo, cuius plena visio est summa fœlicitas.* Alibi explicans Ieremiæ [b] verba: *Et non docebit vltra vir proximum suum.* Id maximè in beata vita futurum ait, *cum venerit, quod perfectum est.* Post [c] multa verò cùm ageret de verbis Ioannis: [d] *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum. Illa,* [e] (inquit) *cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium, hoc enim solum sat est, vltra non habet, quod appetat.* Fateor quidem nonnulla Scripturæ testimonia quibusdam videri cum hac sententia apertè pugnare, Deus [f] enim ipse.

b cap. 31. 34.
c cap. 33. Ench.
d Ioan. 17. 3.
e fusius docet lib. 8. de Genes. ad lit. c. 24. & lib. 1. de Trinit. c. 8. & lib. 3. lib. 22. de Ciuit. c. 29. epistol. 111 & 112.
f Exod. 33. 20.
g cap. 1. 7.
h 1. Timot. 1. 17.
i cap. 6. 16.

B *Non videbit me,* (inquit) *homo, & viuet.* Et aliquanto post. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Et hic noster Ioannes [g], *Deum,* ait, *nemo vidit vnquam.* Paulus [h] verò: *Regi sæculorum* (ait) *immortali, & inuisibili.* Et post multa [i]. *Solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Verùm hæc, & si quæ sunt alia eiusmodi, plures habent, & quidem faciles explicatus: indicant enim non posse Deum penitus comprehendi, quod Irenæus, [k] Chrysostomus, [l] & Epiphanius [m] affirmant. *Quemadmodum enim,* (ait Epiphanius) *si quis ex angusto quopiam foramine cælum intueatur, is re vera cælum videt, idemque non videt, quia eius magnitudinem non planè assequitur.*

k lib. 4. c. 33.
l quinq. homiliis con. Anomæos.
m hæresi. 70.

C Indicant præterea non posse Deum in hac vita mortali videri, siue lege communi, vt omnes affirmant, siue etiam ex priuilegio, quod plerique existimant. Addo nihil verius affirmari posse, si allata testimonia de oculo corporeo, eiusque intuitu intelligantur, quod multis probat Augustinus [n]. Denique verissimum etiam est, vnius dumtaxat naturæ viribus absque lumine gloriæ videri Deum nequaquam posse, quod alicubi [o] affirmat Ambrosius.

n ep. 6. 111. & 112.
o lib. 1. in Luc. cap. 1.

XII. Verùm vt de singulis allatis testimoniis pauca dicamus, fateor, quod in Exodo legitur, ab Hebræis nonnullis perinde accipi, quasi significet

p Iudic. 13. 22.

D Deus, non posse diuinam maiestatem ab vllo mortalium cerni, quod si fortè à quopiam cernatur, ipsi continuò mortem imminere. Cuius sententiæ fuisse videtur olim Manue, cùm dixit [p]. *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Eius porro interpretationis meminit alicubi Augustinus [q]. Sed ea mihi videtur planè conficta, nam verba illa Exodi eodem Augustino [r] auctore significant Deum qualis cernitur à beatis, nemini in hac vita mortali sese præbere spectandum, sed prius hac mortali vita excedendum, vt altera illa beata inchoetur. Quæ videtur omnium fermè antiquorum communis explanatio, Basilij [s], Gregorij Nazianzeni [t], Chrysostomi, [u] Cyrilli [x], Gregorij Nysseni [y]. Addo Tertullianum, [z] Auctorem libri de essentia diuinitatis, qui tribuitur Augusti-

q Quæst. 54. in lib. Iudic.
r Quæst. 154. in Exod.
s Orat. 2. in principio.
t Orat. 2. de Theol.
u Hom. 14. in Ioan. & hom. 4. con. Anomæos.
x lib. 2. in Io. cap. 22.
y lib. de vita Moys.
z lib. 4. in Marc. & lib. contra Praxeam.

E no, & Gregorium. [a] De Ioannis verbis suo loco plura diximus [b]. Auctor tamen quæstionum veteris, ac noui Testamenti perinde accipit, ac si Ioannes asserat, ipsam Dei naturam nunquam sese vlli mortalium præbuisse spectandam, sed speciem aliquam creatam, mortalium obtutibus obiecisse, quod etiam affirmant Irenæus, [c] & Epiphanius. [d] & pluribus explicant Augustinus, [e] & Ambrosius [f]. Iam quod ait Paulus, Deum esse inaspectabilem, nec posse ab vllo cerni, si ad corporeos oculos referatur, nihil verius, sin autem ad mentis aciem, significat, naturæ dumtaxat viribus cerni nequa-

a Ap. Aug. tom. 4.
b In prolog. N. 7. Præm.
c lib. 4. c. 37. 38. 39. & 14. & lib. 18 c. 37.
d Quæst. 71. apud Aug. tomo 4.
e loc. indic. & Tract. 3. in Ioann.
f lib. 1. in Luc. c. 1.

A quam posse. Posito verò lumine gloriæ, quod eximium est, planèque diuinum munus, mens humana ad diuinæ naturæ contemplationem longè perfectissimam erigitur, hoc enim est, quod ait Ioannes: *Videbimus eum sicuti est.*

XIII. Quasi dicat, alias Deus corporeas formas, atque imagines quodammodo induit, vt mortalium oculis cerni posset. In beata autem, atque immortali vita ipsa per se diuina natura spectabitur. Quod explicans Paulus ait: *Tunc † autem facie ad faciem,* vt significet, perspicuam, & propriam fore Dei contemplationem. Non ignoro scriptum esse in Exodo [a], loquutum fuisse Mosem cum Deo *facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.*

† 1. Cor. 13. 12.
a cap. 33. 11.

B Et in libro Numerorum [b] Deus ipse ait. *Ore ad os loquor ei palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Significant enim notionem aliquam, quasi interiecto aliquo simulachro sub sensum cadente percipiatur, qua ratione Iacob affirmat [c] se Dominum *facie ad faciem vidisse*, qui tamen Angelum corporea specie viderat. Ita de illa notione loquuntur Procopius, Chrysostomus, Theodoretus, & alij. Apud Paulum verò facie ad faciem videre, scientiam significat claram, distinctam, perspicuam, qualem Deus Mosi pernegat, qui tamen ore ad os loqui dicitur cum Deo. De hac igitur ait Ioannes: *Videbimus eum sicuti est.* Quod indicat [d] Dauid, cùm ait: *Manè astabo tibi, & videbo.*

b cap. 12. 8.
c Gen. 32. 30.

C Rursus [e]: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Itemque [f]: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini.* Eodem spectant illa: [g] *Ostendam illi salutare meũ.* Ipsa quippe diuina attributa, & quicquid pertinet ad diuinitatis essentiam, perspicuè apertéque intuebitur, vt nihil nos lateat eorum, quæ ad naturæ diuinæ vnitatem, & personarum Trinitatem pertinent, hoc enim est, videre Deum, *sicuti est*, hoc est, intueri Deum Trinum, & Vnum, vt nunc fide credimus. Vt verissimè possint beati vsurpare illa Dauidis verba [h]: *Sicut audiuimus, sic & vidimus in ciuitate Dei nostri.*

d Psal. 5. 4.
e Ps. 15. 11.
f Ps. 26. 4.
g Ps. 90. 16.
h Ps. 47.

D 3. *Et omnis, qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

I. Valeant igitur, qui solam fidem prædicant, & extollunt quasi ea tantum salutem afferre possit. Meritò Ioannes etiam spem hoc loco postulat. Et Augustinus [i] ait, tribus Theologicis virtutibus coli, fide, spe, & caritate. Sunt enim omnes virtutes Theologicæ, tum quia proximè Deum spectant, eoque potissimùm nituntur, tum etiam quia ab illo proximè tribuuntur. Atque vt de spe non nihil dicam, rectè Prosper: [k] *Deus* (inquit) *hominem peccatorem ex inuito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, vt cor audientis obediendi in se delectatione generata ibi surgat, vbi premebatur, ibi discat, vbi*

i Ench. c. 3.
k lib. con. Collat. c. 41.

E *ignorabat, inde fidat, vnde diffidebat, inde velit, vnde nolebat.* Hæc enim omnia diuinæ gratiæ beneficia esse docet, inter ea autẽ confidentiam, & spem numerat, de qua alibi [l] planius: *Fiducia sperantium misericordia Dei est.* Elegantissimè verò more suo Bernardus: [m] *Nec alius ex sententia dicere potest, quoniam tu es, Domine, spes mea, nisi cui intus persuasum sit à spiritu, vt quemadmodum monet Propheta, iactet cogitatum suum in Domino sciens, quòd enutriendus sit ab eo iuxta illud quoque Petri Apostoli: Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, ipsi enim cura est de vobis.* Est autem spes fide necessariò posterior, fides enim definitur à Paulo substantia sperandarum rerum, Græcè,

l in Ps. 130.
m Ser. 9. in Psal. 90.

ὑπόστασις, quasi fides subsit, ac substet spei. Siquidem cùm spes, vt mox dicam, futura potissimum bona spectet, necesse est ea, quæ sub sensum non cadunt, neque humana ratione inuestigari possunt, fide percipi, & quodammodo comprehendi. Quod si spes cum caritate conferatur, prior aliquo modo videri potest, quandoquidem caritas à spe ortum ducit, quæ maximè nititur amore, quem vocant concupiscentiæ, quo quis se ipsum, suaque bona diligit, atque appetit, cum contra caritas sit amor amicitiæ, qui ex Philosophorum sententia vel oritur ex amore concupiscentiæ, vel eum certè imitatur.

II. Quocirca Clemens [a] Alexandrinus: *Spes* inquit, *consistit ex fide, spes autem est boni acquirendi expectatio, fidelem autem necesse est expectationem esse.* Et in eamdem sententiam Ambrosius [b]: *spes autem* (ait) *quid est, nisi futurorum expectatio? Non enim, quæ videntur, sed quæ non videntur æterna sunt. Nam quod quis videt, quid sperat? videt enim tenere ea, quæ videmus. Quomodo ergo quæ tenemus, speramus? Nihil igitur eorum, quæ sperantur, videtur. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus eum. Ergo si sperari non potest quod videtur, nec bene habent aliqui. & ideo quamuis abesse videantur à nobis, expectamus illud per patientiam. Expectans enim expectaui Dominum, & respexit me, ideo ergo expectamus patienter, quia bonus est Dominus sustinentibus eum. Pulchrè autem dicunt, spes autem, quæ videtur, non est spes, de potestatibus istius sæculi de dignitatibus, de diuitiis. Video nescio quem fascibus præmunitum, & curribus nihil habet spes in curribus, quæ videntur; nec Chaldæus in stellas spem habet, quas obseruat, nec diues in possessionibus, nec auarus in vsuris; sed ille spem habet, qui in eum spem suam ponit, quem non videt, id est, in Domino Iesu, qui medius nostrum stat, & non videtur.* Si igitur spes est eorum, quæ non videntur, necesse est ea fide percipi. Et planius Chrysostomus [c]. *Spes* (inquit) *est futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ deuota intentio, sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum. Spes est (inquam) cognata fides, credulitatis propinquitas, destinatum præmiorum tempus, futura exspectatio meritorum.*

III. Licèt autem Augustinus [d] asserat, quod modo dixi, caritatem oriri à spe, idem tamen alibi [e] spem indicat ortum ducere à caritate, *non enim speratur* (ait) *quod non amatur.* Atque ita Ambrosius [f]: *Ex fide* (ait) *caritas, ex caritate spes, & rursus in se sancto quodam circuitu reuoluuntur.* Hanc autem spem nominat Ioannes, quam videlicet versu superiore indicauerat, de qua loquitur Apostolus Paulus [g], cùm ait: *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri, spe enim salui facti sumus.* Et alibi [h] cùm ageret de fiducia, & confidentia Abrahæ: *In quo* (inquit) *abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.* Itaque Ioannes hanc spem, suisque omnibus conditionibus circumscriptam commendat, certam illam quidem, ac firmam, quæ tamen non omnem penitus timorem, ac solicitudinem excludat, cum moneat Paulus [i], vt cum timore, ac tremore salutem nostram operemur. Nec enim quicquam oportet esse omni ex parte securum, quod egregiè docuit Bernardus [k].

IV. *Quoniam* (inquit) *tu Domine singulariter in spe constituisti me; donec quis premitur à spiritu seruitutis, partim-*

A *que habet de spe, de timore plurimum. Non est ei pax, neque requies fluctuante nimirum conscientia inter spem, ac timorem, maximeque quod à superexcedente timore abundantius cruciatur nam timor pœnam habet. Et ideo non est illi dicere: In pace in idipsum dormiam, & requiescam, quando necdum se singulariter in spe constitutum dicere potest. Cæterum si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere spes, cùm demum ad hoc ventum fuerit, vt totis viribus exurgens caritas in adiutorium spei foras mittat timorem, nonne eiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam, & requiescere? Si dormiatis* (inquit) *inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem, & securitatem, tamquam inter*
B *læuam, & dexteram, media videlicet spes, in qua mens, & conscientia molli nimirum supposito caritatis stratu suauissimè requiescit.* Necesse est enim cum spei certitudine, ac firmitate Dei timorem coniungi; verè namque scripsit Salomon [a]: *In timore enim Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes gloriæ, & diuitiæ in domo eius.* Et Sapiens [b]: *Qui timetis Dominum, sperate in illum.*

V. Propterea Bernardus [c] suadens mysticè vtrumque Dei pedem osculandum. *Pulchrè* (inquit) *omnino, quoniam quidem incarnata Dei sapientia, misericordia, & veritas obuiauerunt sibi. Denique vniuersa via Domini misericordia, & veritas; felix mens, cui semel Dominus Iesus vtrumque infixerit pedem. A duobus signis cognosce eam, quæ eiusmodi est, quæ secum necesse est referat*
C *diuinis impressa vestigiis, ipsa sunt timor & spes, ille iudicii, ista misericordiæ repræsentans imaginem. Meritò beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius, cùm sapientiæ timor initium sit, spes profectus, nam consummationem sibi caritas vendicat. Quæ cùm ita sint, non paruus fructus est in primo hoc osculo, quod ad pedes accipitur, tantùm curato, vt neutro frauderis illorum, alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia & recordatio solius iudicii in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Quantopere autem Christiana spes Deo immortali placeat, docet Basilius [d]: *Beatus* (inquit) *qui omni spe rerum huius mundi se ipsum orbauit,*
D *atque in solo Deo omnem spem fixit, atque locauit suam. Sicut enim execrandus est ille homo, qui spem suam positam habet in homine, ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet.* Et alibi [e]: *Si ut nulli alii nos præterquam soli Deo cultum tribuere par est: sic etiam neque vlla in alia re spem nostram constituere debemus, quàm in Deo omnium rerum Domino. Qui enim in homine spem suam collocet, aut qui ob aliud quidam ex rebus humanis se iactat veluti ob potestatem, aut pecunias, aut aliquid eorum, quæ vulgo splendida existimantur, is non potest dicere: Domine Deus meus in te spem defiximeam.*

E VI. Cur autem adeò sit diuinæ pollicitationi fidendum, paucissimis docuit Clemens [f] Alexandrinus. *In solo* (inquit) *Deo fiduciam habuimus, quem scimus non transgressurum ea, quæ sunt ab ipso pulchrè nobis promissa.* Plura in eamdem sententiam scribit Hieronymus [g]. Nec mirum est exigi à Ioanne spem tamquam initium iustitiæ, & sanctitatis; hanc verò spem nominat, qua bona illa sempiterna speramus, & perfectam illam Dei similitudinem, de qua paulo ante disseruimus, quæ si rectè expendatur, in ipsum Deum fertur, vt in eo quidem spes nostras collocatas habeamus, sed ipsum præterea primariò speremus. Qua de re sic planè scribit Bernardus [h]: *Qui dicit, tu es Domine spes mea, for-*
tè

a lib. 2. strom.
b lib. 5. ep. 22. ad Horontianum.
c Ser. de fide, spe, charitate.
d in Ioan.
e Enchir. c. 83.
f in Luc. c. 17.
g Rom. 8. 23.
h Hebr. 6. 15.
i Ad Philip. 2. 12.
k Serm. 51. Cant.

a Prouer. 14. 26.
b Eccle. 2. 9.
c Ser. 7. Cãt.
d Orat. 7.
e Orat. 20.
f 2. Stromat.
g lib. 3. aduer. Pelag. & in Ezech. c. 14.
h Serm. 9. in Ps. 90.

tè amplius aliquid sonat, & sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum. Conuenientiùs siquidem spes nostra dicitur, quod speramus, quàm in quo speramus. Sunt autem fortè nonnulli, qui a Domino obtinere tẽporalia, seu spiritualia qualibet cõcupiscunt, sed perfecta caritas solùm sitit, quod summum est, tota desiderij vehementia clamans. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et Augustinus eadem prorsus mente ad illa a Dauidis verba: *Deduxisti me, quia factus es spes mea. Ille* (inquit) *si nostra spes factus non esset, non nos deduceret. Deducit tamquam Dux, & ipse ducit tamquam via, & ad se perducit tamquam patria. Deducit ergo nos, unde? quia factus est spes nostra. Unde factus est spes nostra? Ecce sic. Quomodo nunc audistis, quia tentatus est, quia passus est, quia resurrexit, factus est spes nostra. Quid enim nobis dicimus, quando hæc legimus? Non enim perdet nos Deus, propter quos filium suum misit tentari, crucifigi, mori, resurgere. Non enim verè vos despicit Deus, propter quos filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sic ergo factus est spes nostra. In illo vides & laborem tuum, & mercedem tuam, laborem in passione, mercedem in resurrectione, sic ergo factus est spes nostra.*

A | B (margin letters)

a Psal. 72.

VII. Qui ergo hanc spem habet, *in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Videtur Interpres Græcè legisse, ἁγιάζει, hoc est, sanctificat. Græci verò Codices, qui nunc habentur in manibus, habent ἁγνίζει. Quomodo legunt Clemens b Alexandrinus, Didymus, Œcumenius, ipseque adeò Augustinus, vt sensus sit, purũ se, castúmque reddit, & vt legit Augustinus, *castificat se ipsum.* Et mox quod Vulgatus dixit, sanctus est, quasi Græcè legerit, ἅγιος. Græcè nunc habetur ἁγνός, hoc est, purus, atque integer. quasi dicat Ioannes: qui similitudinem Dei, quam paulo ante descripsi, sperat, is profectò, vt diuinam illam gloriæ similitudinem assequatur, diligenter operam dabit, vt Christi, atque adeo ipsius Dei morum integritatem, & innocentiam quoad eius fieri possit in se ipso exprimat. Itaque Didymus. *Dum ergo* (inquit) *fit expectatio, & speret vnusquisque similem se fore Deo, vt excellenter videat eum, castificet semetipsum, sicuti est castus ille, quem sperat inspicere, mundus corde consistens.* Videtur enim alludere ad id, quod dixit Christus c: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

b lib. 3. Stromat.

c Matth. 5. 8.

VIII. Ad spem porro stabiliendam necesse est ad diuinam pollicitationem, ac bonitatem addere liberi arbitrij nostri conatum, ne inanem hæreticorum confidentiam, verius temeritatem probemus, qui otiosis, atque oscitantibus beatam, immortalémque vitam sperandam esse docent. Perinde igitur est, ac si dicat Ioannes: qui similitudinem illam diuinam, de qua diximus, appetit, & sperat, ne id temerè faciat, & inaniter tam ingens bonũ expectet, sedulò conetur oportet, diuinorum, vt ita dicam, morum similitudinem assequi, quod diuino quidem gratiæ præsidio faciendum est, non tamen absque liberi arbitrij nisu, conatúque. Quocirca rectè hoc loco Augustinus. *Videte* (inquit) *quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceres, castificat se ipsum, quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat, ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas te ipsum, castificas te non de te, sed de illo, qui venit vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributũ est, vt dicas sicut in Psalmo d, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis: adiutor meus esto, aliquid agis, nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat?* Alibi e verò explicans verba Christi apud Matthæum f: *Aut facite arborem bonam. Cùm ergo dicit, aut hoc facite, aut illud, potestatem indicat, non naturam, nemo enim nisi Deus facere arborem potest. sed habet vnusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. Non quia malam ipsa, quæ eliguntur,*

d Psal. 26. 9.

e lib. 2. de actis cum Felice Manichæo c. 4.

f cap. 12. 33.

aliquam habeant in se ipsis substantiam, sed quia Deus omnia, quæ condidit, gradibus suis condidit, generibusque distinxit, cælestia, & terrena, immortalia, atque mortalia, & omnia bona in suo genere condidit. Animam habentem liberum arbitrium sub se ipso, & supra cætera collocauit, vt si seruaret superiora, dominaretur inferiora. Si autem offenderet, pœnam ex inferiore sentiret. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite hoc, aut facite illud, ostendit esse in potestate, quod facerent. ipse securus, & certus in se tamquam Deus. Et quia si bonum eligerent, præmium eius acciperent, si malum eligerent, pœnam eius sentirent. Semper autem ille iustus est, aut remunerator, aut damnator.

IX. Fatendum enim est, diuinæ gratiæ præsidium primas in bonis, ac studiosis actionibus obtinere, sed ei tamen subiiciendam esse arbitrij nostri libertatem, quod elegantissimè explicans Prosper a: *Gratia quidem Dei* (inquit) *in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratia opitulatione, si proficit.* Non igitur solius liberi arbitrij viribus potest quis se purum, atque integrum seruare, sed præcurrentis, & adiuuantis gratiæ beneficio & excitanda, & promouenda est humana voluntas, quo sublato, nihil omnino potest, quod valeat ad vitam æternam; neque enim, vt ait Beda, *Pelagianum dogma innuere credendum est, quod dicitur de homine, sanctificat se, quasi aliquis sine diuino auxilio per liberum arbitrium possit se sanctificare, sed qui habet spem in Domino, sanctificat se quantum potest ipso iuuando, & eius per omnia gratiam flagitando, qui ait: Sine me nihil potestis facere, eique dicendo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me.*

a lib. 2. de voc. gẽ. c. 9.

C

X. Imitandam autem docet diuinam integritatem, cùm ait: *Sicut ille sanctus, aut purus est.* Sic enim aliàs Scriptura solet ad diuinæ sanctitatis imitationem prouocare. *Sancti* (inquit b) *estote, quia ego sanctus sum.* Et mox c: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Et Christus apud Matthæum d: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* non quasi quisquam possit diuinam sanctitatem, aut perfectionem assequi, sed quòd cuique laborandum sit, vt ad illam, quantum per humanam imbecillitatem licet, sese conformet. Quod, vt ait Apostolus, fiet *secundùm mensuram donationis Christi*, qui incipit in nobis opus bonum, & perficit, sed ita tamen agit in nobis, vt nos etiam liberè nonnihil agamus, filij namque Dei diuino Spiritu aguntur, sed aguntur vt agant, non vt ipsi nihil agant. Itaque Augustinus e: *Meminerimus* (inquit) *Deum dicere: Conuertimini, & viuetis, cui dicitur: Conuerte nos Deus. Meminerimus Deum dicere: Proiicite à vobis omnes impietates vestras, cùm ipse iustificet impium. Meminerimus ipsum dicere: Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, qui dicit: Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis. Quomodo ergo quod dicit: facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat, quod iubet, cùm adiuuat, vt faciat, cui iubet?* Et aliquanto post explicans quánam ratione cum diuinæ gratiæ præsidio humanæ libertatis actio coniungatur: *Certum est* (inquit) *nos velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui: Præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. De quo dictum est: Deus est, qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere, cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.*

b Leuit. 11. 44.

c Leuit. 18. 45.

d cap. 5. 48.

e lib. de grat. & liber. arb. c. 15.

D | E

XI. Iam verò diuinam quidem sanctitatem imitandam monet Ioannes, cum tamen diuina sanctitas eiusmodi sit, vt eius natura nulla creata vi, aut potestate attingi, nedum exprimi queat, vt enim scribit Origenes[a]: *Sola Trinitatis substantia est, quæ non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta. Omnis verò creatura vel dignatione sancti Spiritus, vel meritorum ratione sanctificata sancta dicetur. Sic ergo & scriptum legimus, sancti estote, quoniā ego sanctus sum, dicit Dominus Deus. Non cōtinuò similitudo sanctitatis in Deo, atque hominibus ponenda est, de Deo enim dicitur, quia sanctus est, homines autem quasi qui non semper fuerint, iubentur, vt fiant sancti. Denique sermo hic in Græco, vbi nos habemus sancti estote, hoc magis sonat sancti efficimini. Sed nostri Interpretes indifferenter, estote, pro, efficimini, posuerunt. Vnusquisque ergo nostrum, ex quo accedit ad timorem Dei, & diuinam recipit in se doctrinam, ex quo se mancipauit Deo, si tamen ex animo id incipauit, ex eo sanctus efficitur. Sed hic sanctificatus sanctus dici potest, verè autem, & semper sanctus solus est Deus.* Paucis autē interiectis Pauli testimonio probat sanctitatē nobis extrinsecus accedere, sic enim Paulus ad Hebræos scribit: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.* Subdit autem Origenes: *Quis ergo sanctificat? Christus sine dubio. Et qui sanctificantur? credentes in Christo. Manifestum ergo est, quod qui sanctificat, sanctus est, quia semper sanctus est; qui autē sanctificantur, non simpliciter sancti, sed sanctificati sancti dicēdi sunt.*

a Hom. 11. Numer.

XII. Rectè igitur ait Ioannes: *Sanctificat se sicut & ille sanctus est* quasi significet, Deum per se sanctum esse, fideles verò sanctos effici. Quomodo autē comparāda sit hæc sanctitas his verbis docet Ambrosius[b]: *Exuat vnusquisque animam suā inuolucris sordidioribus, & quasi aurum igne approbet detersam luto, sic enim purgatur anima velut aurum optimū, pulchritudo autem animæ sincera virtus, & decor, verior cognitio supernorū, vt videat illud bonū, ex quo pendent omnia, ipsum autē ex nullo.* Gregorius[c] autem Nazianzenus ad hoc ipsum nos excitās ait: *Imaginis decus imagini reddamus, dignitatem nostrā agnoscamus, exemplar nostrū honore prosequamur, mysterij vim intelligamus, & pro quo Christus morte functus est; simus vt Christus, quoniam Christus quoque sicut nos. Efficiamur Dij propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo.* Quo loco Nycætas inter notas diuinitatis recenseri ait integritatem, quæ nobis imitanda proponitur. Idē verò Gregorius[d] alibi de Deo hæc scribit: *Neque enim purus tanto in pretio quidquā habet, quam puritatē aut purgationem.* Elias[e] autē Cretensis, cum dixisset Deū purū esse ab omni labe, ac perturbatione, illico subdit, eos, qui se puros, integrósque seruant, Deū in se ipsis habere. Docet autē Origenes[f], omnes omnino mortales purgatione indigere, nec quēquā esse prorsus purū, atq; integrū. Nā, vt ait Clemens[g] Alexandrinus, re vera nihil est aliud purū esse, quàm abstinere à peccaris, cùm tamē nemo sit, qui non alicubi offendat, aut labatur.

b lib. de Isaac, & anima, cap. 8.
c Orat. 41.
d Orat. 6.
e ad or. 1. Greg. Naz.
f Hom. 25. Num.
g 7. Stromat.

XIII. Non inerim tamen inficias, olim fideles vel Tertulliano[h] teste sanctos appellari consueuisse quod de fideliū filiis affirmat Hieronymus[i], quod sint veluti fidei cādidati. Certè Paulus[k] fideliū filios sanctos appellat, quāquā fortasse, vt monet Augustinus[l], & nos eo loco docuimus, aliud quiddā spectauit Apostolus, vt non de illa sanctitate loqui videatur, qua fiūt homines iusti. Ad extremū autē non est prætermittēdū, quia Apostolus hoc loco futurorū bonorū spē commēdat, acutè, atque ingeniosè obseruasse nonnullos eorū bonorū assecutionē, qua ratione à priuatis percipienda sunt, referri quidē ad spē, nullo autē modo ad fidē, neq; enim quisquā diuina fide credit, cui falsum subesse non queat, vel se esse iustū, vel prædestinatū, atq; adeò consecuturū beatā, atque immortalē vitā, quod alibi fusiùs probaui. Pertinet quidē ad fidē iustis, ac prædestinatis cœlestia illa, ac diuina bona fideliter reddenda, cùm id apertè sexcentis locis sacræ litteræ affirmēt. Sed quis potest affirmare, se electū, ac prædestinatū esse? Dixit quidē Paulus[a]: *Qui se emūdauerit ex his, erit vas in honorē*. sed quis dicere potest, castū se cor habere, atq; omni prorsus labe carere? Itaq; semper laborandum nobis est, quo diuinæ sanctitatis imaginē quoad eius fieri possit in nobis perficiamus, non enim, vt ait Beda, *aliter ad similitudinē Dei in futura vita quisqua perueniet, nisi Dei sanctitatē in præsenti se sanctificando, id est, abnegando impietatē & sæcularia desideria, sobriè autē & iustè, & piè viuendo imitetur. Sic autē diuinæ sanctitatis munditiā pro nostra capacitatis munditia iubemur imitari, sicut diuinæ similitudinis gloriam pro nostra, id est, creatura mensura sperare præcipimur.*

h lib. 1. & 2. ad Vxorē.
i ep. 153. ad Paulin.
k 1. Cor. 7.
l lib. 3. de pecc. mer. & rem.
a 2. ad Tim. 2. 21.

4. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.*

I. At quorsum ista? An vt ostendat, ab omni potissimum sceleris turpitudine, ac fœditate animum esse purgandū? Sanè id inprimis est ad sanctitatē necessariū, quandoquidē eā Dionysius summā definit esse immunitatē à peccato, & innocentiā. Vt igitur Apostolus ad sanctitatē excitet, peccati fœditatē proponit, quòd omne peccatū sit iniquitas. Græcè ἀνομία. Quāobrē Augustinus: *Nemo dicat* (inquit) *aliud est peccatū, aliud iniquitas. Nemo dicat: Ego peccator homo sum sed iniquus non sum. Omnis enim, qui facit peccatū, & iniquitatē facit.* Cæterùm peccatū, vt ait OEcumenius, Græcè ἁμαρτία dicitur, *quasi lapsus à bono, iniquitas verò Græcè, ἀνομία, legis posita violatio est. Vtrūque autē accidit, cùm legē positā violamus qui autē peccat, non modò à bono excidit, sed etiā contra legē facit.* Quā ob causam peccatū ab Augustino[b] definitur, *dictū, factū, concupitū contra legem æternā.* Alibi[c]: *Est* (inquit) *transgressio legis.* Et Origenes[d]. *Peccati* (inquit) *natura hæc est, si fiat, quod lex fieri vetat.* Differt autē à vitio, vt affirmat Augustinus[e], vt claudicatio à tibiæ curuitate, quod planius infra docebo. Quocirca Clemēs[f] Alexandrinus, *peccatū* (ait) *esse voluntariā iniustitia*; quòd hic ipse Apostolus significauit, cùm dixit[g]: *Omnis iniquitas peccatū est*, Græcè ἀδικία, hoc est, iniustitia. Hāc porro peccati notionē, qua legis violatio dicitur spectasse visus est Paulus, cùm ad Romanos[h] scribit: *Vbi enim lex nō est nec prævaricatio.* Quāquā enim ille potissimùm significat legē veterē fuisse quoddā peccati irritamentū, cum præciperet, quid agendū fugiendūmve esset, nec vires necessarias sufficeret; vniuersim tamen verissimè dicit, peccatū non esse, vbi nulla lex sit. Quocirca rectè hoc loco Beda: *Manifestè* (inquit) *insinuat, quia omnes quidquid peccamus, contra legem Dei facimus, iuxta illud Psalmistæ. Prævaricātes reputaui omnes peccatores terræ. Omnes enim, qui peccant, prævaricationis rei sunt, hoc est, nō solum illi, qui data sibi scripta legis festa contēnunt, sed & illi, qui innocentiā legis naturalis, quā in protoplasto omnes accepimus, siue infirmitate, siue negligentia, siue etiā ignorantia corrumpūt.*

b lib. 22. cō. Faust. c. 26.
c lib. 2. de consensu Euang. c. 4.
d Ad Rom. 7.
e lib. de perfect. iust. c. 4.
f lib. 2. Stromat.
g cap. 5. 17.
h cap. 4. 14.

II. Clemens[i] porrò Alexandrinus: *Peccare certè* (inquit) *inter actiones ponitur, non inter substantias. Quamobrē nec Dei est opus.* Alibi[k] verò dandā esse operam monet, vt quemadmodū Deus omni prorsus labe caret, ita nos quàm minimū peccemus: *Nihil enim* (ait) *magis cura ac studio esse debet, quàm vt ab animi perturbationibus, morbisque primùm liberemur: deinde verò vt prohibeamus, ne in peccatorū consuetudinē facilè prolabamur. Atque optimum quidē est, nullo modo penitùs peccare, quod quidē Dei esse dicimus. Secundū autē nullū ex voluntariis attingere maleficiis, quod est propriū Sapientis. Tertiū autem inuoluntaria non adeo multa incidere, quod est propriū eorū qui benè educti, & à pædagogo velut instituti fuere. In peccatis autem non diutissimè immorari vltimo loco ponatur.* Non est igitur peccatū à natura, quod sensisse Manichæū auctur est Athanasius[l]. *Cur* (inquit) *in definiendo peccato ex natura esse peccatū asseritis, id que ex opinione impiissimi Manichæi?* Et Sixtus Philosophus[m] in vsu, & actione peccatū positū esse docet his verbis: *Omne peccatū impietatē puta.*

i 4. Stromat.
k lib. 1. Pædag. c. 2.
l lib. de [illegible] cat. Ch[illegible] in [illegible] sent.
m [illegible] Biblioth. sancta.

Non enim manus, vel oculus peccat, vel aliquod huiusmodi membrũ, sed male vti manu, vel oculo peccatũ est. Idemque alibi[a] optimè docet, peccatũ non esse à natura, quod hoc loco insinuat Ioannes, cùm ait: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit.*

III. *Et peccatũ est iniquitas,* Græcè ἀνομία. Rationẽ reddit Apostolus superioris sententiæ, particula enim *&* posita videtur pro *quia*, vt sensus sit, omnis qui facit peccatũ, iniquitatẽ facit, quia peccatum nihil aliud est, quàm iniquitas. Vt videatur Ioãnes idẽ hoc loco docere, quod Paulus Apostolus in Epist. ad Rom.[b], cùm dixit: *Vbi non est lex, nec præuaricatio.* Quod vt planius explicetur, de vitio, ac peccato aliquãto vberius disserẽdũ videtur. Fuerũt enim, qui cũ nõ satis horũ duorũ Apostolorũ mẽtẽ perciperẽt, de peccati natura vel aliena, vel parũ certè sanctorũ Patrũ sententiæ cõsentanea docuerũt. Satis autẽ cõstat, vitiũ aliquãdo latissimè patere, & nõ modo in moribus, sed in rebus etiã naturalibus reperiri. In Iure[c] enim ciuili vitiosum iumẽtũ, vel mãcipiũ legimus. *Ædiles* (inquit Vlpianus) *aiũt, qui mãcipia vẽdũt, certiores faciãt emptores, quid morbi, vitijq; sit.* Vniuersim verò vitiũ id videtur significare, quod rẽ quãpiã aliquo modo corrũpit, aut lædit. Qua fortassè ratione ad prauos hominũ mores significãdos trãslatũ est, quod vitia corrũpãt nõ modo virtutes, quæ animũ mirificè ornãt, sed rectã etiã rationem magnopere lædãt. Quocirca M. Tullius[d]: *Quas Græci* (inquit) κακίας *appellant, vitia malo, quàm malitias nominare.* Quod si vim, notionẽque nominis spectemus, vitiũ à vitãdo nõnulli ductũ putãt, quod vitãdũ, fugiẽdũmve sit. Quãobrẽ dixit[e] quidã: *Virtus est vitiũ fugere.* Cicero tamẽ à vituperando dictũ putat, quod videlicet vituperatione dignum sit. Sic enim scribit[f]. *Quod enim vituperabile est per se ipsum, adeo ipso vitiũ nominatum esse puto, vt etiam à vitio dictum vituperari.*

IV. In moribus autẽ, & humanis actionibus vitiũ interdũ quidẽ habitũ, nonnumquã verò prauã actionẽ significat, vt nõ obscurè indicat Augustinus[g], qui de vitiu disserens M. Tullij sententiã probat, qui vitiũ à vituperatione deducit, idq; solùm vituperandũ esse affirmat, quod vitiosum sit. D. Thomas[h] autem ex vsu loquẽdi, & auctoritate Augustini[i] vitium pro habitu malo vsurpat; quod insinuare visus est Aristoteles[k], qui vitiũ ab incontinẽtia distinguit. Sed fateor plerũque vitiũ cũ peccato confundi, nã & ipsum peccatũ etiã in rebus naturalibus cernitur. Qua ratione monstra naturæ peccata dicuntur[l]. In moribus tamẽ volũtariũ est rationis vitiũ, quod affirmat Augustinus[m]. *Catholica* (inquit) *fides nõ est omne quod dicitur malũ, aut peccatũ esse, aut pœna peccati, nec esse peccatũ nisi prauũ liberæ voluntatis assensum, cùm inclinamur ad ea, quæ iustitia vetat, & vnde liberũ est abstinere.* Alibi[n] verò: *Peccatũ vsque adeo voluntariũ peccatũ est, vt nullo modo sit peccatũ, nisi sit voluntariũ.* Nec dissentit Ambrosius[o], itemq; Beda[p]. Quocirca Tertullianus[q] negat, vllã necessitatem esse posse tantã, quæ quẽquã cõpellat ad peccandũ[r]. Alibi: *Quid* (inquit) *quòd voluntas facti origo est? Viderint enim si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiæ imputantur, quibus exceptis iã nonnisi voluntate delinquitur.* Cyrillus Hierosolymitanus[s]: *Grauis* (ait) *res est peccatũ, & morbus animæ acerbissimus iniquitas, quæ & neruos illius amores præcidit, & æterno igni obnoxiũ facit, malũ liberi arbitrij, germenque voluntarium.* Idque ex sacris litteris confirmat.

V. Eodẽ planè modo de peccato loquitur Chrysostomus[t], vocat enim peccatũ *malã actionẽ aduenientẽ & recedẽtẽ.* Neq; aliter loquũtur Basilius[u], & Gregorius[x] Nyssenus. Denique ne otio abutar, peccatũ propriè pertinere ad voluntatẽ cõmuni omniũ cõsensu receptũ est. Alia enim dicũtur peccata aliquo certo in genere, vt artis, vel naturæ peccata. Simpliciter verò, atq; absolutè peccatũ prauã actionẽ significat à libera vo-

a lib. de mal. doctrin. & oper. fidei.
b cap. 4. 15.
c l. 1. ff. de ædil. edict.
d lib. 1. de finib.
e Horat.
f loco citato.
g lib. 3. de liber. arb. c. 54.
h 1. 2. q. 71. ar. 3.
i lib. de perfect. iust. c. 4.
k 7. Ethic. c. 1 & 8.
l 2. Physic. c. 8.
m lib. de Gen. imperfecto c. 1.
n lib. de vera religio. c. 14. Simil. lib. de duabus animabus contra Manich. c. 11. & lib. 1. retract. c. 13. & 15.
o lib. de parad. c. 8.
p hoc loco.
q lib. de corona milit.
r lib. de pœnit.
s Catech. 2. illuminat.
t Hom. 12. in c. 7. Roman.
u Hom. 9. quòd Deus nõ est auctor malorum. Et in regul. breuior. reg. 75.
x orat. de san. Christi [illegible] & de orat. Domin. in illa verba: Fiat voluntas tua.

A luntate profectã. De eo verò ambigi solet, quæ sit illius vera, ac propria ratio. & mihi quidẽ quidquid alij cõtra disputẽt, ex duorũ Apostolorũ, aliorumq; multorũ Patrũ sententia inde videtur peccati ratio petenda, quod sit cõtra legẽ: atq; idcirco propriè dici, appellariq; ἀνομίαν, quod nomẽ propriè significat, cõtra legẽ, ideoq; circũscripta lege ne cõcipi quidẽ, aut intelligi posse peccatũ. Quod insinuare visus est Paulus, cùm dixit[a]: *Vbi nõ est lex, nec præuaricatio.* Tametsi enim vt supra monui, eoq; loco copiosius docui; propositũ est Paulo ostẽdere legis veteris imbecillitatẽ, quę nõ potuerit abolere peccatũ, sed ei potius quodã modo vires subministrauerit, vt tamẽ ad id cõfirmandũ aditũ sibi quasi muniat, amplissimã sententiã assumit, nullũ
B posse cõcipi peccatũ, vbi lex defuerit. Idẽ planè cõfirmãt allatæ peccati definitiones, quibus addo Augustini[b] definitionẽ, qua peccatũ ait esse volũtatẽ *retinẽdi, vel cõsequẽdi, quod iustitia vetat, & vnde liberũ est abstinere.* Cui cõsentit Ambrosius[c]. *Peccatũ* (inquit) *est præuaricatio legis diuinæ & cælestiũ inobediẽtia mandatorum.*

VI. Falluntur autẽ qui legis nomine, vel legẽ aliquam, quam vocant positiuã, vel diuinã, æternámq; voluntatem interpretantur. Vnde multa colligũt, quæ cuius facilè fucũ facere possunt. Nos enim legis nomine intelligimus illã, de qua loquitur Paulus, cùm ad Romanos[d] ait: *Cùm enim Gentes, quæ legẽ nõ habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciũt, eiusmodi legẽ non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendũt opus legis scriptũ in cordibus suis.*
C De qua loquitur Tertullianus[e]: *Quæres igitur* (inquit) *Dei legẽ habens communẽ istã in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet prouocare. vt cũ in velamine fœminæ, nec natura vos, inquit, docet: vt cũ ad Romanos naturâ facere docens nationes ea, quæ sunt legis, & legẽ naturalẽ suggerit, & naturã legalẽ.* Et alibi[f]: *Si enim iudicabit Deus occulta hominũ: & eorũ, qui in lege deliquerunt, quàm eorũ, qui sine lege, quia & hi legẽ ignorãt, & natura faciũt, quæ sunt legis, vtiq; is Deus iudicabit, cuius sunt & lex, & ipsa natura, quæ legis est instar ignorãtibus legẽ.* Proculdubio enim loquitur de lege naturæ, de qua sic loquitur M. Tullius[g]. *Est enim hæc nõ scripta, sed nata lex, quã nõ didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quã nõ docti,*
D *sed facti, non instituti sed imbuti sumus.* Huius porro legis admirabilẽ quamdã vim auctore præcipuè M. Tullio describit Augustinus[h]. Sic enim ille alicubi scripsit[i]: *An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa vtilitate infirmorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque, & cæteris vitiosis eiusdem animi partibus?*

VII. Hæc igitur lex, nõ vt ipsi putãt, ex libera Dei volũtate, sed ex ipso, vt ita dicã, necessario rerũ ordine profecta est, diuinæque naturæ ideis quæ singulis rebus creatis certũ quẽdã modũ, nexũmq; necessariũ præscribũt. Quocirca in rebus, quæ sensu, ac ratione carẽt, ea vis, nõ lex, sed necessitas appellatur; eadẽ verò cùm refertur ad naturã rationis, ac libertatis partici-
E pẽ vim habet legis quædã præcipiẽtis, & alia vetãtis. Quo fit, vt quod ait Augustinus[k], *quædã in bestijs pudenda nõ sint, quæ in homine maximè sunt. Sunt enim nõnulla, quæ horrorẽ ingerũt sensibus, quod deformia sint, alia quæ pudorẽ mẽtibus etiã si formosa sint, quia illa offẽdũt delectationẽ, cõmouẽt ista libidinẽ, vel libidine cõmouẽtur.* Ipsa igitur indita in homine synderesis lex est, quæ vel præcipit, vel prohibet, & quidquid illi repugnat, hoc ipso peccatũ, & ἀνομία dicitur. Quoniam verò non potuit Deus hominem condere rationis expertem, rectè docet D. Thomas[l], non posse illum legis naturalis vim aut relaxare, aut mutare; nec enim facere potest, vt odium Dei, aut periurium, aut blasphemia peccatum non sit, quandoquidem hæc omnia cum recta ratione ex aduerso, atque intimè pugnant.

a Roman. 4. 15.
b lib. de duab. animab. c. 11. & 1. retract. c. 15.
c lib. de Parad. c. 8.
d cap. 2. 14.
e lib. de choro Milit. c. 6.
f lib. 5. aduers. Marcio. c. 13.
g or. pro Milone.
h lib. 4. con. Iul. c. 12.
i lib. 3. de Republ.
k lib. 4. con. Iul. c. 12.
l 1. 2. q. 100. ar. 8. ad 2.

VIII. A Quamobrem Clemens a Alexandrinus. *Lex autem* (ait) *eſt lumen vitæ, lex eſt lex omnium mortalium, & immortalium, inquit Pindarus.* Et aliquanto poſt *A Deo* (inquit) *& natura, & diſciplina vna lex eſt*: idque Platonis teſtimonio confirmat. Hac autem lege ſublata nullum profectò peccatum cenſeri poteſt, rectè enim, atque omninò verè ſcripſit Auguſtinus b. *Neque peccatum erit, ſi quod erit, ſi non diuinitùs iubeatur, vt non ſit.* At enim c alibi dixit, non ideo adulterium eſſe malum, quia vetatur lege, ſed contra ideo vetari, quia malum eſt. Verùm hic de humana, & ciuili lege loquitur, quæ idcirco adulterium prohibet, quòd ſit per ſe, atque intrinſecè malum, hoc eſt, contra legem diuinitùs hominum mentibus inditam, qua natura duce vident quid honeſtum, quid turpe ſit, hoc eſt, B quid rectæ rationi congruat, quid verè repugnet. Maneat igitur quod ait hoc loco Ioannes: *Et peccatum eſt iniquitas*, quia, vt ſcribit Beda, *qui cumque peccat, contrarius nimirum æquitati diuinæ legis peccando exiſtit.* Fateor vulgò vſurpari in ſcholis, quædã eſſe mala, quia prohibentur, quædam verò ideo prohiberi, quia mala ſunt. Sed hæc de lege ſiue diuina, ſiue humana intelliguntur, quæ extrinſecus adhibetur, quam in ſcholis poſitiuam vocant, quæ interdum ea vetat, quæ per ſe mala ſunt, quia cum lege naturæ, & ſynderesi pugnant; alias verò nonnulla prohibet, quæ niſi prohiberentur, nullam haberent turpitudinem. Quidquid autem per ſe peccati rationem habet, lege diuina naturali prohibetur, alioqui non poſſet cenſeri peccatum. C Quæ autem ſunt eiuſmodi, nullam ne diuinam quidem relaxationem admittunt.

a lib. 1 Strō. ſub fin.
b lib. 2. de pec. mer. & rem c. 16.
c lib. 3. de liber. arb. c. 3.

5. *Et ſcitis, quia ille apparuit vt peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.*

I. Nouo argumento integritatem & morum innocentiam ſuadet, quia videlicet Chriſtus idcirco humanam ſibi naturam adiunxerit, vt omninò peccatũ aboleret. Vt videatur Ioannes eo fermè modo tacitè argumentari, quo Paulus cum ad Hebræos d ſcripſit: *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Quaſi dicat, cùm Chriſtus ſuo ad nos aduentu peccatum extinxerit, danda opera eſt, vt quoad eius fieri poſſit, nos ab omni labe puros, atque integros D ſeruemus, ne iterum illi crucis ſupplicium parare videamur, quaſi ſua olim morte non potuerit delere peccata. *Scitis* (inquit) *quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret. Non ſanè* (inquit OEcumenius) *peccandi vobis locus vllus relinquitur, cùm enim Chriſtus ad peccatum deſtruendum aduenerit, quippe qui peccati omnis prorſus fuerit immunis, vobis, qui in ipſo eſtis nati, & fide in ipſum confirmati, peccare ampliùs non licet.* Videtur autem, vt monet Beda, reſpexiſſe Ioannes ad illud præcurſoris teſtimoniũ, cùm dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.* Dicit autem Ioannes: *Scitis quia ille apparuit*, Græcè ἐφανερώθη, non quaſi ſpecie dumtaxat, & inani quapiam imagine, vt Manichæi ſomniarunt, aſpectabilẽ ſeſe præbuerit, ſed quòd cùm diuinitatis reſpectu nullo ſenſu percipi poſſet, humanam ſibi naturã E copulauerit, & ſeſe mortalibus ſpectandũ præbuerit. Quocirca Chriſti ad nos aduentũ Græci Patres plerumque Theophaniam appellãt. Ita enim loquitur Gregorius e Nazianzenus: *Nunc autem Theophania, ſeu natiuitas præſens celebritas, vtroque enim modo appellatur, duobus ſcilicet nominibus, vni, eidemque rei impoſitis. Deus enim per natiuitatem hominibus apparuit. Alterum quidem iam exiſtens, ſempiternè ex ſempiterno, ſupra cauſam omnẽ, ac rationem (neque enim cauſa vlla Verbo ſuperior erat.) Alterum noſtra ſalutis cauſa poſtea factus, vt qui vitã dederat, idem beatam quoque vitam largiretur, vel potiùs, vt nos per vitium à beata vita prolapſos ad eamdem rurſus per incarnationẽ ſuã reuocaret. Theophania autẽ ob eã cauſam hoc feſtũ appellatur, quod apparuerit, natiuitas verò, quod natus ſit.*

d cap. 6. 6.
e Or. 38. quæ eſt ad Natal.

A *Vt peccata noſtra tolleret.* Hæc eſt vnica, vera, & propria Chriſti aduentus cauſa, quã in ſcholis appellant adæquatam. Quam non obſcurè iodicant ſacræ litteræ, David a enim ita Chriſtum loquentẽ inducit: *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi; holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti. tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptũ eſt de me, vt facerem voluntatẽ tuam, Deus meus volui.* Hæc enim verba de Chriſto intelligi docet Paulus b & omnes Patres, tam Græci, quàm Latini affirmant, præcipuè Chryſoſtomus, & Auguſtinus. Aſſerit autẽ Chriſtus ſe veniſſe, cum animaduerteret, ad hominum ſalutẽ nihil proficere ſacrificia, & veteres illas legis Moſaicæ oblationes. Chriſtus ipſe apud Lucam c: *Venit* (inquit) *filius hominis quærere, & ſaluũ facere quod perierat.* Apud Ioannẽ d: B *Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundũ, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Paulus e verò: *Chriſtus Ieſus venit in hũc mundum peccatores ſaluos facere.* Alibi f: *Miſit Deum filium ſuum factum ex muliere factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorũ reciperemus.* Quę ſanè omnia teſtimonia incarnationis cauſam explicãt, non qualemcumque, ſed eiuſmodi, quæ ſola rem cõfecerit. Idem colligitur ex parabola g vineæ agricolis locatæ; ex qua apparet, non miſſurum fuiſſe Patremfamilias filium vnigenitũ, niſi agricolæ ſeruos peremiſſent. Eodem pertinet h parabola Paſtoris, qui relictis nonaginta nouem centeſimam errantem quæſiuit. Denique Chriſti aduentus miſeri- C cordiæ tribuitur, cuius proprium eſt miſeros ſubleuare. Ita dixit Zacharias i: *Per viſcera miſericordia Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.*

II.
a Pſal. 39. 7.
b ad Heb. cap. 10.
c Lucæ 19. 10.
d cap. 3. 17.
e 1. Timoth. 1. 15.
f ad Galat. 4. 4.
g Mat. 21. Marc. 12. Lucæ 20.
h Lucæ 15. 4.
i Lucæ 1. 78.

III. Adde Concilia Epheſinum, & Chalcedonenſe, itemque Toletanum VI. denique ſymbolum Nycænum, his enim omnibus locis hæc vna incarnationis recenſetur cauſa: *Propter nos* (inquit) *homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis.* Accedit, quòd auctore B. Gregorio canit Eccleſia k: *O verè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O fælix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem!* Idque apertiſſimè miro conſenſu veteres fermè omnes Patres affirmant, Dionyſius l namque Areopagita cum egiſſet de lapſu primorum Parentum, ſtatim ſubdit, *tenuiem prouidentiam nobis per incarnationis myſterium conſu-* D *luiſſe.* Et poſt multa ſcribit m *Chriſtum veniſſe ad nos ob caritatem ſuam nimis ſalutis noſtræ neceſſariam.* Clemens n autem Romanus pertinere ait ad Epiſcopum curam eorum gerere, qui peccatis implicantur: *De ipſius exemplo, qui cùm miſiſſet filium ſuum paſtorem bonum, & Saluatorem magiſtrum noſtrum deſum, mandauit ei, vt relinqueret nonaginta nouem in montibus, & pergeret ad quærendã errantem, & inuentam ſuper humeros attolleret.* Et aliquãto poſt: *Non eſt* (inquit) *opus, qui valent, medico.* Iuſtinus Martyr o: *Cùm verbum* (inquit) *ea, quæ effinxerat, quaſi refingenda intellexiſſet, ſuppliciique Adamus, quo propter præcepti violationem dignus fuit, debitum reſtituendũ, tum de-* E *nique non diſcedens de cælis ad nos deſcendit, neque enim ille corporis deſcẽſus fuit, ſed diuinæ actionis conſiliũ, & voluntas.*

k in bened. cerei Paſchal.
l c. 3. de Eccleſ. hier.
m cap. 4. in fine.
n lib. 2. cõſt. Apoſt. c. 25. Penè ead. c. 28. & in Ep. Ignatij, & Martialis.
o De recta fidei cõfeſſ. ſimilia habet in Dial. cum Triphone.

IV. Irenæus p cùm oſtendiſſet Chriſtum diuinitate quidem numquam cœpiſſe, certo tamen tempore factũ fuiſſe hominẽ, eius rei hãc affert cauſam, vt quod perdideramus in Adamo, id eſt, ſecundùm imaginẽ & ſimilitudinẽ eſſe Dei, hoc in Chriſto Ieſu reciperemus. Et plura deinceps in eãdẽ ſententiã. Et poſt nonnullas q: *Propter hoc* (ait) *verbũ Dei homo, & qui filius Dei eſt, filius hominis factus eſt commixtus Verbo Dei, vt adoptionem percipiẽs fiat filius Dei, nõ enim poteramus, &c.* Rurſus r alibi cò de incarnatione loqueretur: *Hoc ipſũ* (inquit) *prædicabatur, quoniã nouitas veniet innouatura, & viuificatura hominẽ.* Deniq; s: *Si enim* (ait) *nõ haberet caro ſaluari, ne quaquã verbũ Dei caro factũ eſſet, & ſi nõ haberet ſanguis inſtorũ inquiri, neque quã ſanguinẽ habuiſſet Dominus.* Eodẽ

p lib. 3. c. 20.
q cap. 21. Sic lib. 3 c. 31.
r lib. 4 c. 67. Simil. lib. 5. ſtatim in princ.
s lib. 5 c. 14.

fermè

fermè modo loquitur Antoninus Abbas [a], Origenes [b]: *Si non fuisses* (inquit) *peccatum, non necesse erat Dei filium Agnum fieri, nec opus fuerat, eum in carne positum iugulari, sed mansisset hoc, quod in principio erat Deus Verbum.* Athanasius disputans contra Gentiles hanc vnam [c] affert causam. Alibi [d]: *Necessitas* (inquit) *indigentiáque hominum anterior est, quam illius natiuitas, qua sublata carnem non induisset.* Post pauca: *Vt fieret homo nunquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas eum rei causam præbuisset.* Basilius [e] increpat eos, qui quærunt, cur Deus sit factus homo, cùm constet id propter nostram salutem factum esse. Eodem planè modo loquitur Gregorius Nyssenus [f]. Non aliter Gregorius Nazianzenus [g] qui alicubi [h]: *Quæ causa* (inquit) *naturæ humanæ, quam nostra gratia subiit Deus? annon omnium nostrum salus? Quid enim dicemus aliud?*

V. Iam verò Chrysostomus [i]: *Propter nihil aliud nostram induit carnem, & alia humana omnia sustinuit, & crucem quoque suscepit, nisi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret.* Alio quodam loco [k]: *Non enim* (inquit) *frustra, & vanè ad tantam humilitatem descendit, sed vt nos ex humili sublimaret.* Penè eadem scribit Epiphanius [l]. Sed apertissima sunt, quæ adnotat Cyrillus Hierosolymitanus [m]: *Cognoscis* (inquit) *quid mouerit à dextera throni descendere vnigenitum? Spernebatur Pater, necesse erat, vt filius emendaret errorem. Rursus oportebat, vt is, per quem omnia facta sunt, deduceret omnia ad emendationem.* Eadem fermè habet Sophronius [n]. Neque aliter loquitur Theodoretus [o]. Iam Cyrillus Alexandrinus [p] multa in hanc sententiam scribit. *Sciebat* (inquit) *mortales nos futuros propter peccatum, & ideo ex misericordia sua ante sæcula constituit, vt Verbum suum homo fieret, reuocarétque hominem in se ipso.* Et longè plura in hanc sententiam deinceps scribit. Nec dissimilia iterat ad Reginas [q], & ad Successum. Multo autem apertius [r]: *Dicam* (ait) *non curans, etiam si nunc minus decorum videatur, quandoquidem necessarium hominum lapsibus, & nostris peccatis erat, Vnigenitum pati, maximam gratiam habeat ipse, sciat autem quòd humanitatis crimina illi diuinæ gloriæ occasio fuerunt, nã si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinuisset, & si non mortuus esset, non esset assequutus, vt adoraretur à nobis, & à sanctis.* Et alio quodam loco [s]: *Quoniam primus Adam libertate sua non bonum, vt debuit, sed malum, vt diximus elegit, atque ideo morti addictus Spiritum sanctum amiserat, qui malignos, vt scribitur, fugit, neque habitat in corpore peccatis subiecto, de cælo nobis secundum Adam misericordia misit.* Eodẽ modo loquitur Damascenus [t]. Neque aliter sensit Eusebius [u]. Alia multa addi possent ex iisdem, atque aliis Græcis Patribus, quæ breuitatis causa prætermittẽda censui, vt ad Latinos Patres veniam, qui eãdem sententiã multò apertius docuerũt.

VI. Primum autem locum occupat Tertullianus [x], qui ostendit Deum per humanos sensus vim maiestatis suæ intolerabilem vtique humanæ mediocritati humilitate temperasse. Tum subdit: *Sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ita iam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quam salus hominis.* Agit autem de humano corpore, de quo etiam loquitur Arnobius [y], quod tum hæretici, tum Gentiles Deo indignum existimabant; Tertulliani verò testimonium eo pluris faciendum est, quòd contra hæreticos, & Gentiles disputans, qui Deo indignam humanæ naturæ imbecillitatem existimabant, non alia ratione defendit, nisi propter humani generis necessitatem, cum tamen, si verum esset, quod nonnulli confingunt, facile respondere potuisset, ad Christi gloriam amplificandã, diuinæque munificentiæ magnitudinẽ extollendam id maximè pertinere. Lactantius [z] porro, quamquam naturæ vitium, & peccati labem non ita perspicuè agnouisse videtur, non negat tamen

a ep 3 & 6. b 8. in ep. ad Rom. & 1 periarch. c 2. & hom. 24. Numer. c l. de hum. Verb. d Or. 3. cõt. Arian. simil. de pass. & cruce Dom. & q. 57. ad Antioch. e Orat. de hum. Christi nat. Penè ead. in Ps. 48. in cõst. mon. t. c. 2. in Isaiam c. 2. 6. & 11. f Orat. de natal. lib. de baptismo in princ. & de assũp. Christi versus finem. g in funere Cæsarij. h Orat. 4. de Theolog. in princ. simile quiddam in orat. S. Cyprian. & ot. ad Epist. & de dogm. i hom. 5. in Gen. simil. in Psal. 9. ad illa verba: Renouabo omnia morbilia tua. k hom 2. in Matth. l in Anchor. m catech. 6. Sic catech. 12 per totã. n in ep. quæ habetur in 6. Synod. act. 11. o ep diuin. decret. c de incarn. & li. 6. de pronid. p li. 8. cont. Iulian lib. 5. thesaur. c. 8. & vlt. q lib. r r lib 5. Dial. de Trinit. s lib. 2. in Ioan. c. 3. t l. 4. de fide orthod. u li 4. dem. Euang. c. 10. x l. b. 2. cõt Marc. similia habet li 4. & 5 aduer. Marc. & lib. aduers. Praxeam, & in Apol. cont. Gen. y li 1 aduer. Gent. & l. 2. z lib. 4. c. 11. 25. 26.

Christi incarnationem ad erudiendam humani generis inscitiam, quæ Magistro, ac Præceptore indigebat, fuisse necessariam. Hilarius [a] verò eamdem incarnationis causam agnoscit. Apertissimè verò loquitur Ambrosius [b]. *Quæ erat* (inquit) *causa incarnationis, nisi vt caro, quæ peccauerat, per se redimeretur?* Sic Fulgentius [c] non vno loco. Porro Augustinus [d]. *Venit* (inquit) *filius hominis quærere, & saluare quod perierat. Si homo non perisset, filius hominis non venisset.* Et alibi [e]: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit causa medicinæ.* Rursus [f] cum verba illa Dauidis explicaret, *A Domino gressus hominis dirigentur. Si tamen* (ait) *ô homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Et cùm [g] ageret de verbis illis: *Infixus sum in limo profundi. Si maneret* (inquit) *homo in eo, quod fecit Deus, non in illo infixus esset, quem genuit Deus.*

VII. Non pauca in eamdem sententiam scribit Hieronymus [h], sed Leonis [i] verba apertissima sunt: *Si enim homo* (ait) *ad imaginem & similitudinem Dei factus in suo honore naturæ mansisset, nec Diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creator mundi creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret.* Simpliciter enim atque absolutè circumscripta humanæ naturæ necessitate Christum negat humanam sibi naturam copulaturum fuisse, ne quis de natura mortali eum loqui arbitretur. Adde si placet Gregorium [k]. *Et quidem* (inquit) *si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.* Eiusdem sententiæ sunt Prosper [l] Anselmus [m], Richardus [n], & alij. Quæ cùm ita sint, hoc mihi videor liberè posse affirmare, eorum sententiam, qui contendunt, Christi incarnationem ante omnia diuina fuisse prædestinatione definitam, atque adeo Christum, etiam si Adam non peccasset, omnino ad nos venturum, tum nouam esse, & priscis Theologis penitus inauditam, tum omni carere fundamento. Esse quidem nouam, nisi probanda sint ea, quæ ex Hebræorum lacunis à nonnullis [o] proferuntur; quæ totidem fermè verbis leguntur in Alchorano [p], & aliqua ratione irridentur, & confutantur ab Auctore [q] quæstionum ad Antiochum, quæ Athanasio inscribuntur. Vel inde constat, quòd Primus, & quidem timidè id ausus est asserere Rupertus Tuitiensis [r], quem auidè recentiores sequuntur, nullo autem fundamento niti ex iis, quæ mox subiiciam, meridiana luce clarius patebit.

VIII. Multa enim congerunt tum ex sacris litteris, tum verò etiam ex priscis Patribus. Principio autem nituntur maximè Salomonis [s] verbis: *Dominus* (inquit) *possedit me*, vel vt alij legunt, *creauit me, in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Quibus verbis consentanea sunt illa Ecclesiastici [t]. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Quibus locis incredibile dictu est, quantopere triumphent, atque exultent. Siquidem vt Basilius [u], Epiphanius [x], & Hieronymus [y] obseruant, Hebræa verba propriè significant, *possedit me.* Et pertinere aiunt ad generationem, sic enim Eua, cum se concepisse animaduerteret, dixisse fertur [z]: *Possedi hominem per Deum*, quasi dicat, genui, seu concepi. Quocirca sapientia dicitur genita, vel vt ait Epiphanius, instar pulli exclusa. Hanc autem generationem, seu creationem plurimorum Patrum [a] testimonio

a lib. 1. 2. & 10. de Trin. b li. de Sacr. incar. c. 61. c lib. 2. ad Monim. & l. de incar. & gratia Christi cap. 2. d Serm 8. de verb. Apost. e Serm 9 de verb. Apost. f in Psal. 36. conc. 2. g Ps. 68. Penè ead. habet tract. 11. in Ioan. li. 1. de pec. mer. & rem. 17. & li. 13 de Trinit cap. 10. h Eccl. 7. & li 2. in Iou. i Serm 3. de Pentec. k li. 4. Mor. cap. 1. Vide eumd. li. 17. Mor. cap. 15. aliàs 18. l lib. sent. Aug. n. 314. m li de concep. Virgin. c. 16. & li. 2. cur Deus homo, c. 4. & 5. n de Incar. cap. 8. o Petr. Gal. lib. 7 de arcan. Christian. relig. a c. 2. ad 4. p cap. 47. 48. q quæst. 6. r l. 3 de glorificat. filij hominis. in Matth c. 26. & l. 3. de glorific. Trinit. & process. Spir. sanct. à cap 20 & in Ioan. cap 8. s Prou 8. 22. t cap 24. 14. u li. 2. cont. Eunom. x Hær. 69. y ad illa verba. z Genes. 4. 1. a Clem Roman. lib. 5. cõst. cap. 26. Athan. in expos. fidei li. de decret. Nycen. Syn. Or. 1. 2. & 3. cont. Arian. Basilius li. 4. cõt. Eunom. Nazian. Or. 4 de Theol. Greg. Nyss. l. de fide, Epiph. in Anch. & hæres. 69. Chrys. Ser. de san Trin Cyrill. Alex. li. 5. thes. c 4 & . Damasc. li 4. de recta fide c. 19. Hilar. li. 12. de Trin Ambr. li. 3. de fide c. 7 & l. 3. c. 4 Hier. 1ũ in eũ loc. Prou. 1ũ l. 2 in Mich in princ. Aug. 1. de doct. Christ c 34 li. de fide, & symb. c 4. li. 1. de Trin c 12 Ser. 58. de verb. Dom. Fulgen. ad 3. obiect. Arij Laur. Iustin. Serm de Euchar.

stimonio

stimonio ad Christi humanam naturam pertinere contendunt. Et profectò si de diuina natura Verbi loqueretur Salomon, numquam vsus esset voce Domini, cum diuinæ naturæ respectu non habeat Christus Dominum, sed sit ipse potius rerum omnium Dominus. Illa verò, quæ sequuntur: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, ad humanam naturam absque vlla controuersia referenda sunt. Accedit quòd locus ille Ecclesiastici his verbis clauditur: *Posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.* Quæ verba tametsi in Græcis Codicibus desiderantur, quia tamen in vulgata editione leguntur, firmam habent auctoritatem, & procul dubio de Christo Rege accipiuntur, de quo loquitur Isaias [a]. Illum verò aiunt humanæ naturæ intuitu principium viarum Dei, hoc est, diuinarum actionum appellari, non quidem re ipsa, & executione, sed prædestinationis decreto. Cùm verò commune sit rebus omnibus, quæ aliquando vel fuerunt, vel sunt, vel erunt, vt ante omnem æternitatem fuerint à Deo præfinitæ, id proprium, ac singulare Christi priuilegium fuit, vt inter omnia, quæ diuinitus prædestinata sunt, obtineat principatum, & cæterorum respectu sit veluti omnium finis, cuius gratia cætera condita sint; quæ incredibile dictu est, quantopere extollantur ab iis, qui rerum nouitate supra modum oblectantur.

a cap. 9.

IX. Verùm si de proprio, ac litterali sensu eorum verborum agendum sit, haud quisquam prudens ambigat vel de sapientia genita, diuinæ naturæ respectu, vel de sapientia absolutè loqui Salomonem, quæ quasi quidpiam subsistens in diuinis non sine prosopopœia describatur. Quomodo si diuina potentia, aut iustitia verba facere fingatur. Rectè autem potest diuina sapientia ea verba proferre ea planè ratione, qua plurima humano quodam more de Deo proferuntur, cui humanæ affectiones absque vllo vitio interdum tribuuntur. Itaque de æterna generatione filij verba explicant Iustinus Martyr [b], Origenes [c], Athanasius [d], Gregorius Nazianzenus [e], Epiphanius [f], Eusebius [g], Tertullianus [h], Cyprianus [i], Hieronymus [k], seu potius Beda, Hilarius [l], Laurentius Iustinianus [m]. Si qui tamen sunt, qui profectò nonnulli sunt, qui ea verba ad humanam Christi naturam referant, non affirmant illam creatam, seu genitam in initio temporis, vt isti opinantur, sed initio viarum, vel vt dicunt LXX. initium viarum Domini; quia videlicet humana illa natura diuinitus adhibita est tum ad illustrãdas, tum etiam ad perficiendas, atque absoluendas diuinas actiones. quomodo eum locum interpretantur Clemens Romanus [n], Athanasius [o], Basilius [p], Gregorius Nyssenus [q], Gregorius Nazianzenus [r], Chrysostomus [s], Epiphanius [t], Cyrillus [u], Hilarius [x], Ambrosius [y]. Præcipuè verò Cyrillus humanam Christi naturam initium, seu fundamentum appellat, æternæ prædestinationis respectu, cùm Christus sit omnium primus prædestinatus, cum sit princeps, & caput omnium electorum, nec quidquam aliud ex hoc loco colligi potest. Tantum enim abest, vt incarnationis decretum primum omnium fuisse probetur, vt inde potius penè euidenter contrarium colligatur. Si enim humana Christi natura dicitur ordinata, vel vt Græci Codices habent, ἐθεμελίωσέ με, id est, fundauit me, vt intelligatur pro fundamento posita, profectò prius voluerat Deus ædificium extruere, vt loco indicato copiosè docet Cyrillus sic enim natura comparatum est, vt quæ executione posteriora sunt, ea proposito sint priora. Accedit quòd ex communi sententia Christi prædestinatio nón cum rerum præfinitione, sed cum ipsa executione, & rerum creatione componitur. Quomodo ab Apostolo [a] omnes dicuntur prædestinati ante tempora sæcularia.

b Dial cum Triphon. c lib. 1. Periarch. d de decret. Nycęn Syn. e Or de fide. f Hær 69 g lib. 5. demonstr. c. 1. h lib. cont. Hermog. i lib. 2. cont. Iudæos c. 1. k Prou. 8. l lib. 12. de Trinit. m de obed. cap. 22. n li. 5. const. cap 21. o Or. 3. & 4. cont Arian. p li. 4. cont. Eunom. q de fide. r Orat. 4. de Theol. s de sanct. Trin habetur tom. 3. t Hær 69. u li 5. Thes cap. 8. x lib. 12. de Trinit. y 2. de fide ad Gratian. cap. 7.

a 1 Cor. 2. ad Ephes. 1. ad Tit 1.

X. Neque verò eorum sententiæ suffragatur Paulus [b], cùm dixit: *Omnia vestra sunt, vos Christi, Christus autem Dei.* Colligunt enim illi eodem prorsus modo omnia esse electorum, quo electi sunt Christi, & Christus dicitur esse Dei. Atque idcirco voluisse Deum prius quidem se ipsum, tum Christum propter se, deinde electos, postremò cætera omnia. Sed manis est hæc eorum argumentatio, Chrysostomus [c] enim alia ait, ratione nos esse Christi, alia Christum Dei, alia denique mundum esse nostrum. *Nos enim* (inquit) *Christi sumus, vt opus, Christus autem Dei, vt filius dilectissimus, noster verò mundus, non vt opus, sed vt propter nos factus.* Atque ita concludit: *Licèt vnum sit verbum, differt tamen sententia.* Eodem modo loquitur OEcumenius, neque aliter Anselmus. D. autem Thomas tres ait ordines constitui, vnum rerum omnium respectu electorum, quia omnia propter electos condita sunt; alterum electorum ratione Christi, quia illi quodam modo tribuuntur tamquam ab ipso redempti: postremum Christi ratione humanitatis, qua refertur ad Deum, cui meritò subiicitur, ita tota ratiocinatio falso nixa fundamento per se corruit. Quod si falsam eorum interpretationem admittamus, ne tum quidem quidquam efficiunt, id enim sequitur vnum, quemadmodum Christus prædestinatus est ad gloriam Patris, ita electos prædestinatos esse ad Christi gloriam, cætera ad prædestinatorum vtilitatem referri. Quæ quis non videt, potuisse omnia fieri post peccati futuri prænotionem? Hoc autem admisso non potuit incarnatio Christi, vt res nunc sunt, omnium primo Dei decreto definiri.

b 1. Cor 3. c Hom. 10 in eum loc.

XI. Alterum præterea Pauli locum mirificè extollunt. de Christo enim hunc in modum ille loquitur [d]: *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Hinc igitur auctoritate Hieronymi [e], Anselmi, Origenis [f], Cyrilli [g], & Concilij Sardicensis [h], primogenitum Christum esse intelligunt humanitatis respectu, cúmque id ei tribui nequeat ratione temporis, de prædestinatione omninò intelligendum videtur. Accedit quòd vt explicant Chrysostomus, & Theophylactus, humana Christi natura inter omnia primatum obtinet. Denique hinc apparet, omnia condita esse propter Christum, quod indicat Anselmus ad illa verba Pauli [i]: *Decebat eum, propter quem omnia.* Sed profectò, nisi quis velit apertè mentiri, fateri necesse est, quæ eo loco dicuntur à Paulo, non posse omnia humanæ Christi naturæ congruere, dicitur enim *imago Dei inuisibilis*; quod procul dubio pertinet ad diuinitatem, vt asserunt Origenes [k], Chrysostomus [l], Theodoretus [m], Hilarius [n]. Certè cùm dicitur Christus *caput corporis Ecclesiæ*; sermonem esse de eius humana natura non inficior, ad quam etiam refero priuta illa, cùm dicitur: *Primogenitus omnis creaturæ.* quamuis alij malint ad diuinitatem pertinere. Sed eo tamen admisso nihil habent aduersarij, quo suam causam meliorem faciant, non enim temporis, aut prædestinationis ordine, sed dignitatis, atque excellentiæ respectu primogenitus omnis creaturæ nominatur, nam ob id dicitur in omnibus tenere primatum.

d ad Coloss. 1. 15. e in ill. loc. f Dial. 3. g l. 12. Thes. c 3. & Dial. 5 de Trin. h ep. ad omnes fideles. i ad Hebr. 2. 10. k l. Periarc. cap 2. l Hom. 3. ad Coloss. m Coloss. 1. n lib. 8. de Trinit.

primatum, id est, principatum, diciturque Ecclesiæ caput, & primogenitus ex mortuis, quamquam hoc postremum & ad tempus, & ad dignitatem referri potest.

XII. Quod luculenter explicat Fulgentius [a], cùm de Christo hunc in modum loquitur: *Qui secundùm vnitatem semper vnigenitus fuit sine fratribus, factus est secundùm humanitatem primogenitus in multis fratribus. Quod euidentius illo rursus Apostoli testimonio perdocetur, vbi primogenitus ex mortuis nominatur. Quid enim est primogenitus ex mortuis, nisi ex peccatoribus hominibus homo Christus Iesus in Dei filium exaltatus?* Quibus verbis apertè agit de Christi incarnatione post peccatũ destinata, multaque deinde subiicit in eamdem sententiam, quibus consentanea sunt ea, quæ scribunt Irenæus [b], Athanasius [c], Cyrillus [d], & Augustinus [e]. Neque verò prætereundum est, quod arguruli quidam obseruarunt, cùm enim Paulus [f] Christum ait, se ipsum exinanisse, id non ad diuinitatem, quæ exinaniri nulla ratione potest, sed ad humanam Christi naturam referunt: quæ idcirco dicitur exinanita, quòd cum ante peccatum futura fuisset impatibilis, & immortalis, post peccatum patibilis effecta est, & mortalis. Sed vt modestissimè dicam, acutissimi hominis [g] videtur inane somnium, Paulus enim exinanitionem Christi positam in eo dicit, quòd formam serui acceperit *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*; quod non nisi de diuinitate accipi potest. Quo modo locum illum interpretantur Athanasius [h], Basilius [i], Chrysostomus [k], Cyrillus [l], Ambrosius [m], Augustinus [n], Fulgentius [o].

a respons. 3. cont. Arian.
b lib. 5. c. 1.
c Or. 3. cont. Arian.
d L. de fide ad Regin.
e Tract. 105. in Ioan.
f ad Philip. 2.
g Ambros. Cater.
h de huma. Verb.

XIII. Et sunt, qui eodem trahant Christi verba apud Ioannem [p]: *Clarifica me* (inquit) *tu Pater claritate, quam habui apud te prius, quàm mundus fieret.* Non enim postulat Christus diuinitatis gloriam, qua numquam caruit, quærit igitur, aiunt, eam humanæ naturæ gloriam, quam paterna præfinitione habiturus erat, si primus noster parens in innocentia perstitisset; quasi verò Christus gloriam immortalitatis, quam isti confingunt, vel habuerit aliquando, vel impetraturum se sperarit. Assentior igitur Chrysostomo, & Cyrillo [q], qui postulari aiunt à Christo gloriam diuinitatis, non quidem in se, cum illa numquam caruerit, sed Gentium omnium respectu, quæ ipsum tamquam verum Deum, & humani generis liberatorem, ac vindicem veneraturæ aliquando erant. Vel certè existimandum est, flagitare Christum suæ resurrectionis gloriam, vtcumque enim diuina prædestinatione ante omnem æternitatem fuerat præfinitum. Vt enim alibi ex Gregorio docui, quæ diuina prædestinatione definita sunt, precibus sæpenumerò impetrantur, quod Isaaci exemplo idem Gregorius confirmat, cui cum numerosa soboles, ac posteritas ab immortali Deo, qui mentiri non potest, promissa esset, sterilem vxorem nactus, precibus ei fœcunditatem impetrauit. Sed incredibile dictu est, quanto nisu laborent, vt quod non ita pridem à rerum nouarum studiosis excogitatum est, priscorum Patrum suffragio confirment. Et vt ad certa capita omnia reuocentur, tres veluti classes constituendæ sunt. Et in prima quidem pauci quidam recensentur, qui eximia, & singularia Christi merita Deo Optimo Maximo adeo placuisse affirmant, vt ad vnam eius gloriam hanc rerum omnium vniuersitatem & præfinierit, & re ipsa in lucem protulerit. In ea verò præter Rupertum recenseri etiam solet Anselmus ad illa Pauli [r] verba: *Decebat enim per quem omnia, & propter quem omnia.*

i lib. 4. cont. Eunom.
k ad Philip. 2.
l lib. de incarn. cap. 4. & 11.
m ad Philip. 2.
n li. 83. qq. q. 73.
o de fide ad Petr. cap. 2.
p cap. 17. 5.
q in ill. loc.
r ad Heb. 2.

XIV. In secunda porro classe numerantur ij, qui putarunt affirmare, Angelos idcirco peccasse, quòd hominum generi diuini Verbi hypostaticam vnionem

A inuiderint. In eo ordine collocandi videntur Irenæus [a], Basilius [b], Epiphanius [c], vel potius Methodius apud ipsum, Cyprianus [d], Bernardus [e], & quidam alij. In tertia denique collocantur ij, qui putant Angelos Christi merito primam gratiam fuisse adeptos, ea enim posita sententia fateri necesse est, Christi merita ante peccatum fuisse prædestinata, quæ videtur sententia Cyrilli [f], Hieronymi [g], Macharij [h], Gregorij [i], Bernardi [k], Ruperti [l], & Laurentij Iustiniani [m]. Quo in argumento plura mihi videntur esse peccata penè quàm verba. Nam quod spectat quidem ad primam classem prætermisso Ruperto, qui quamquam non ineptè de Christi diuinitate in-

B telligi potest, tamen etiam ipse timidè loquitur, neque audet simpliciter affirmare, sed piè tantum ait esse credendum, vt eius nos sententia nihil morari debeat. Nego autem Anselmum id affirmare, quod illi falsò affingitur, verba enim Pauli [n] ad Deum Patrem refert: *Propter quem* (inquit) *glorificandum sunt omnia, & propter cuius summum esse habent omnia inferius esse.* Vt nihil dicam, eos commentarios viris doctis non videri Anselmi, sed alterius longè recentioris. Quòd si quis pertinaciùs contendat, loqui Paulum de Christo, ad illius diuinitatem referenda sunt verba illa, propter quem laudandum videlicet sunt omnia, & per quem creantem omnia ex nihilo prodierunt.

a li. 4. c. 78. & li. 5. c. 24.
b Homil. 9. quòd Deus non est auctor malorũ. hom. 11. de inuidia, hom. 41. in aliquot script. loca.
c Hær. 64.
d de zelo, & liuore.
e Serm. 17. Cant.
f lib. 5. in Isai. ad illa verba, *Lætare sterilis, & quæ non paris.*
g ad Ephes. 2. & 4.
h Hom. 4.
i lib. 1. in 1. Regum c. 2.
k Serm. 22. Cant.
l Ioan. 8.
m Ser. de assumpt. Virg.

XV.

C Iam verò quod in secunda classe tam affirmatè dicitur, vt alibi fusius docui, vel merum mendacium est, vel peruersa, & detorta sanctorum Patrum interpretatio. Omnes enim illi Patres vel loquuntur de inuidia, qua dæmon prosequutus est hominem in illo fælici statu primæuæ innocentiæ, vel de ea certè, qua iniquo animo tulit, homines gloria, ac beatitudine æquales Angelis futuros, & vt vt sit, liberè ausim affirmare, neminem esse, qui vel vnum verbum de incarnatione faciat. Tertia verò classis aduersus nostram sententiam haudquaquam pugnat, qui enim in illa nominantur veteres Patres, Angelos aiunt à Christo tamquam Deo primam gratiam adeptos esse. Vt prætermittam quod argutius, subtiliusque defendi posset, potuisse merita Christi post prænotionem peccati præfiniri, vt tamen ab iis beatarum

D mentium gratia, & gloria penderet. Admissa enim rerum sub conditione futurarum certa, & minimè fallaci Dei scientia id potuisse consistere nemo Theologus inficiabitur. Itaque fatendum est, verissimè dictum esse hoc loco à Ioanne, apparuisse Christum, vt nostra peccata tolleret. Non me tamen fugit, subtiliora quædam argumenta proferri consueuisse, quæ tamen quòd scholasticam, & nimis fortassè longam disputationem contineant, & vim perexiguam habeant, libẽs prætereo. Non inierim tamen inficias, Christi incarnationem secluso peccato potuisse habere alias adiacentes causas, quæ ad diuinam gloriam illustrandam maximè pertineant, sed ea, quam hoc loco commemorat Ioannes, vnionem hypostaticam sola peperit.

n ad Hebr. 2. 10.

XVI. Certè olim Faustus [o], & Arnobius [p], quicumque

E ille tandem sit, docuerunt Christum nonnisi pro peccatis prædestinatorum mortem oppetiisse, ac propterea solos prædestinatos aduentus Christi fructum consequi. Quod ipsum sensisse Gotescalcum Monachum nescio quem testis est Hincmarus contra Prædestinatianos, & Remigius [q]. Superiori verò sæculo fuerunt hæretici [r], qui impiè, ac nefariè assererent, obiisse tantum Christum Dominum pro fidelibus, ac piis; cum tamen certissimum sit, Christum Dominum tum Patris voluntate, tum sponte sua mortem pro cunctis mortalibus nullo penitùs excluso obiisse, hoc est, saltem antecedenter, & tamquam in causa cunctos homines ad sui sanguinis, ac

o li. 2. de liber. arb. c. 4. & 16.
p in Ps. 146.
q cõt. 3. epistolas 3. Episcop.
r testatur Lindanus lib. 2. Dubitantij.

neci

necis beneficium admisisse, exclusisse nullum. Idcirco enim vniuersim dicitur [a] Mundi Seruator, & Redemptor. Et Paulus [b] Christi beneficium amplitudine sua præferendum esse dicit Adæ peccato: necesse vt sit Christi meritum ampliorem vim, & efficacitatem habuisse, quàm Adæ peccatum, quo vniuersa hominum natura inquinata est, vt luculenter ostendit Augustinus [c]. Addo quòd idem Apostolus scribit [d]: *Pro omnibus Christus gustauit mortem.* Alibi [e]: *Vult omnes homines saluos fieri.* Rursus [f]: *Qui est saluator omnium hominum, maximè autem fidelium.* Quod apertiùs asserunt veteres Patres, Dionysius [g] enim Christi gratiam confert cum luce, quæ quantum est ex se ipsa omnibus suos radios impertit. Addo Clementem Alexandrinum [h], Irenæum [i], Hypolitum [k], Chrysostomum [l], Cyrillum [m], Theodoretum [n], Theophylactum [o], OEcumenium [p], Origenem [q], Damascenum [r], Tertullianum [s], Hilarium [t], Ambrosium [u], Hieronymum [x], Augustinum [y], Leonem Pontificem [z], Maximum [a], Prosperum [b], Faustum [c], Anselmum [d], Bernardum [e].

XVII. Ita videmus neminem à Christi fide excludi, cùm Christus ipse præceperit, apud omnes Gentes, ac nationes Euangelicam fidem promulgari. *Euntes* (ait apud Matthæum [f]) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes seruare ea, quæcumque mandaui vobis.* Et apud Marcum [g]: *Prædicate* (inquit) *Euangelium omni creaturæ.* Sacramenta à Christo instituta si ritè adhibeantur, percipiantúrque, omnibus prosunt. Non me quidem latet dixisse Christum apud Matthæum [h]: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Sed Hilarius [i] quidem & Augustinus [k] de Christi præsentia, quæ Iudæis tantùm exhibenda erat, verba illa explicant; vel quod alij existimant, loquitur Christus de Euangelij promulgatione, déque miraculorum effectione, quæ ipso superstite ad Iudæos dumtaxat referebantur; vel denique vt Chrysostomus [l], Ambrosius [m], & Hieronymus [n] malunt prius significant, Euangelicam legem Iudæis fuisse promulgandam, quàm cæteris Gentibus; quod in Actis Apostolicis Apostoli [o] non obscurè significant. *Vobis* (inquit) *primùm oportebat prædicari regnum Dei*, &c. Quæ cùm ita sint, facile refelluntur hæreticorum errores, siue eorum, qui pro prædestinatis dumtaxat, vel pro solis piis, ac fidelibus Christum obiisse mentiuntur, vniuersim enim, vt ostensum est, & hoc loco affirmat Apostolus mortuus est Christus, vt peccata nostra tolleret, præcipuè quidem Christi mors ad primæuam illam, & originariam labem penitus delendam referebatur, tum deinceps ad ea etiam abolenda, quæ ex illa communi labe quodammodo orta sunt. Hoc autem proprium fuisse, ac singulare Christi munus, catholica fides docet, & mirificè explicat Leo Pontifex [p]: *Quis est* (inquit) *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis? Aut quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari Crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamuis enim in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio mundi fuit. Acceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit, cum inter filios hominum solus Dominus noster Iesus extitit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati.*

XVIII. Et paulo ante de efficacitate sanguinis Christi sic planè disseruit: *Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent; quoniam sicut Apostolus ait: Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Et cum sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum seruitutis.* Rectè autem, vt ait Beda, sustulisse dicitur Christus omnium mortalium peccata, quia solus fuit omnis peccati penitus expers. *Tot* (inquit) *& tanti homines in mundum venere perfecti, sed eorum nullus peccata tollere potuit mundi, quia nullus sine peccato esse potuit in mundo.* & ob eam causam Christus apparuit, vt peccata nostra tolleret. Vt enim scribit Leo Pontifex [a]: *In isto itaque humani generis strage communi vnum solum fuit remedium sub diuina rationis occulto, quod posset subuenire prostratis, si aliquis filiorum Adam originalis præuaricationis alienus, atque innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset, & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiata radicis sine semine propago esse, de quo Scriptura dicit: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es? Dominus David factus est filius David, & de promissi generis fructu proles est orta sine vitio in vnam personam gemina conueniente natura, vt eodem conceptu, eodemque partu gigneretur Dominus noster Iesus Christus, cui vera inesset Deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad tolerantiam passionum.*

Hoc enim est, quod significat Apostolus, cùm subiicit: *Et peccatum in eo non est. In quo enim* (ait Augustinus) *non est peccatum, ipse venit auferre peccatum, nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret.* Sustulisse autem dicitur peccata, *quia* (vt ait Beda) *tollit dimittendo quæ facta sunt, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi fieri omnino non possint.* Tanta est enim humanæ naturæ imbecillitas, vt nisi diuina Christi gratia subleuetur, nulla ratione possit diuinæ legi omni ex parte parere, & omnia prorsus peccata vitare. Qua de re ita loquitur Augustinus [b]: *Siquidem vt & non discedamus à Deo, non ostendit dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem non discedit à Deo, non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet.* Et paucis interiectis: *Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, quo sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur, ac per hoc sicut operatur, vt accedamus, sic operatur ne discedamus.* Quibus ostendit gratiæ necessitatem ad superandas tentationes, vincendaque peccata, quibus à Deo recedimus. Planius autem alibi [c]: *Per hoc* (inquit) *nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare, si velint, sed in eis etiam operatur, & velle; vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur.* XIX.

XX. Qua verò id ratione fiat mox explicans subiicit: *Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent. Inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma non tamen deficeret, neque aduer-*

sitate

a Ioan 4.12. b ad Rom. 5.16. c lib. 1. de pec. mer. & rem. per tot. d ad Heb. 2. 9. e 1 Tim 2.4. f cap. 4.10. g cap. 4. de diu. nomin. & cap. 9. de cælest. hier. h lib. 7. & 8. Strom. i lib. 4. c. 48. & 74. k de consum. sæculi. l Hom. 25. ad Roman. hom. 1. ad Ephes. hom. 18. ad Hebr. hom. in 1. c. Ioan. m lib. 3. in Ioan. c. 15. li. 11. c. 14 lib. 1. de fide ad Reginas. n quæst. 12. in Gen. o ad Rom. 5. & ad Eph. 1. p ad Rom. 8. q ad Rom. 1. r li. 2. de fide ortho. c. 19. s l. de pudic. t Can. 14. in Matth. u lib. 6. in Luc. cap. fin. epist. 82. ad Vercell. Ser. 66. & 1. ad Timoth 2. x Pron 1. Isa. 63. epist. ad Ctesiph. ep. ad Hedibi. q. 10. ad Rom 9. ad Ephes. 1. y Tract. 84. in Ioa. & de articulis sibi falsò impositis ar. 1. z Serm. 2 de nata. Ser. 12. de pass. epi. 10 83. ad Palestin. 97. ad Leon. Aug. a Serm. 5. b in Ps 140. & l. 2 de vocat. Gen. c. 5. & 9. c l. 2. de gra. & lib. arb. d ad Rom 5. e ad milit. templi c. 11. Ser. de Psalmis Ser. 13. Cant epist. 187. & 190. f cap. 28. in fine. g cap. vlt. h cap. 15. i Can 15 in Matth. k Tract 32. & 47 in Ioan. l Hom. 10. in Matth. m in Psal 43. n Matth. 10. & 15. o cap. 13 46. p Serm. 12. de pass. c. 3.

a Serm. 8. de Nat. Dom. b l. de dono persev. c. 7. c de correp. & grat. c. 12.

ſnate aliqua vinceretur. Quæ ſanè omnia mirificè oſtendunt diuinæ gratiæ vim, & efficacitatem, quam ſua morte attulit Chriſtus, qui meritò dicitur ob id apparuiſſe, *vt peccata noſtra tolleret*, præterita quidem ea expiando, futura verò conſtantiam in bono, & perſeuerantiam largiendo.

XXI. *Et peccatum in eo non eſt.* Veriſſimè omnino dictum, nam & Chriſtus ipſe apud Ioannem ait [a]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Paulus [b]: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et poſt multa [c]: *Talis enim decebat, vt eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus.* Rurſus [d]: *Semetipſum obtulit immaculatum Deo.* Denique ad Corinthios [e] ait, *eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Petrus [f] verò de Chriſto ait: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Patres verò Concilij Epheſini [g] Chriſtum aiunt obtuliſſe ſacrificium pro peccatis noſtris, non pro ſuis, quia ille non habuit. Et certè ſi de originaria labe ſermo ſit, planè conſtat, eam à Chriſto Domino ſiue diuinæ naturæ reſpectu, ſiue ſui diuini conceptus ratione, non potuiſſe illum ea macula inquinari. Quam ob cauſam caro ipſius, quia non fuit humano ſemine concepta, non ſimpliciter caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati ab Apoſtolo nuncupatur. Itaque Auguſtinus [h] colligit Chriſtum, quia non genitus eſt ex humano ſemine, peccatum originis non contraxiſſe; ſin autem de peccato ſermo ſit, quod propria voluntate patratur, adeo Chriſtus fuit ab eo alienus, ac liber, vt ne potuerit quidem vlla ratione peccare, quæ eſt omnium fermè Patrum apertiſſima ſententia. Origenes [i] enim ita planè ſcribit, vt oſtendat ex ipſa vi vnionis hypoſtaticæ humanam Chriſti voluntatem non potuiſſe à recto deficere, aut peccare: *Ferri* (inquit) *metallum capax eſt frigoris, & caloris. Si ergo maſſa aliqua ferri ſemper in igne ſit poſita omnibus ſuis poris, omnibuſque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, ſi neque ignis ab ea ceſſet aliquando, neque ipſa ab igne ſeparetur, numquam dicemus hanc, quæ natura quidem ferri maſſa eſt, in igne poſitam, & indeſinenter ardentem poſſe frigus aliquando recipere, quin imo quod verius eſt, magis eam, ſicut in fornacibus ſæpè fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea, niſi ignis cernitur, ſed & ſi quis contingere, aut tractare tentauerit, non ferri, ſed ignis vim ſentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima* (de Chriſto loquitur) *quæ quaſi ferrum in igne ſic ſemper in Verbo, ſemper in ſapientia, ſemper in Deo poſita eſt, omne quod agit, quod ſentit, quod intelligit Deus eſt, & ideo nec conuertibilis, nec mutabilis dici poteſt, quæ inconuertibilitatem ex Verbi Dei vnitate indeſinenter ignita poſſedit. Ad omnes denique ſanctos calor aliquis Verbi Dei putandus eſt perueniſſe, in hac autem anima ipſe ignis diuinus ſubſtantialiter requieuiſſe credendus eſt, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit.*

XXII. Egregiè verò exemplo ferri candentis vim vnionis hypoſtaticæ declarat, quod aliis etiam Patribus mirificè placuit. Et mihi quidem idem ſignificaſſe viſus eſt Dionyſius Areopagita [k], cùm dixit, oportere nos, diuinam Chriſti in carne vitam aſſiduè intueri, & ſanctam ipſius impeccantiam, ſeu impeccabilitatem imitari. Dionyſius [l] porro Alexandrinus hæc de Chriſto ſcribit: *Niſi fuiſſet idem, qui erat Deus Verbum, non poterat eſſe alienus a poteſtate peccandi, nemo enim eſt, qui peccare non poſſit, niſi vnus Chriſtus, ſicut Pater Chriſti, & Spiritus ſanctus.* Et paulo poſt, cùm oſtendiſſet, neminem eſſe mortalium, qui non aliquando labatur, aut offendat, ſubiicit: *Chriſtus verò non exercitatione oſtenſus eſt per fidem, & pietatem in Deum, vt iam dictum eſt, naturalis enim iuſtitia, & diuina virtus eius eſt* quippe ille diuinitate deliburos, & ſan-

a cap. 8. 46.
b ad Hebr. 4. 15.
c cap. 7. 26.
d cap. 9. 14.
e 2. c. 5. 21.
f ep. 1. cap. 2. 22.
g Can. 10.
h Enchir. cap. 41. li. 10. de Geneſ. ad litter. c. 19. & lib. 5. cont. Iulian. c. 15.
i lib. 2. Periarch. c. 6.
k cap. 3. de celeſt. hier. p. 3. circa finem.
l in ep. cõt. Paul. Samo. circa finem.

A ctificatus ſanctitatem deſerere nequaquam potuit. Quod pauciſſimis verbis explicans Gregorius Nazianzenus [a]: *Illius enim* (inquit) *voluntas cum tota deificata ſit, Deo procul dubio non aduerſatur.* His addo magni Athanaſij [b] teſtimonium, qui diſputans aduerſùs Apollinariſtas, ait: *Si enim Filius hominis venit, vt diſſolueret opera Diaboli, qua ratione in ſe habere poſſet peccatum, ſiquidem ipſe venit, vt deleret in nobis peccata?* Poſt nonnulla verò: *Verbi tamen incarnatio ſecundùm naturam Dei facta noſtrorum vitiorum ſuſceptibilis non fuit, quæ ex vetuſtate etiam hoc tempore in nobis hærere ſolent.* Denique ait: *Inde enim eſt, quòd docemur, exuere veterem hominem, & induere nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt, atque in eo miraculum eſt, quòd Dominus homo factus eſt*
B *ſine omni peccato, eo quod nouitas in totum facta ſit, vt oſtenderet vires ſuas.*

XXIII. Iam Epiphanius [c]: *Si dixerimus* (ait) *Chriſtum perfectum hominem ex Maria natum, numquid ſuſpicabimur ipſum peccato ſubiectum fuiſſe? Abſit, peccatum enim non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore ipſius. Si enim virtutem ſuam ſanctis inſufflauit, & ij, quibus inſpirauit, teſtantur, quòd erant ſancti, iuſti, progreſſi in diebus ſuis citra reprehenſionem, quanto magis ipſe, in quo omnis Deitatis plenitudini habitare complacuit corporaliter, etiamſi carnem veram accepit ex Maria ſemper Virgine, & animam vere humanam, & mentem. Et ſi quid aliud eſt in homine, ipſe in ſe ipſo habens vniuerſa continuum, Deus exiſtens, non diuiſa ad malitiam, non facta a maligno illo, non capta voluptate, non ca-*
C *dentia ſub peccatum Adæ.* Confeſſum verò multò apertiùs: *Si enim supernè genitus eſt a Patre, etiam natus eſt ex Maria, & supernè verax eſt, & infernè; & ſi supernè imperfectus eſt, & infra imperfectus eſt. Si verò supernè perfectus eſt, & infra perfectus eſt, & non in alio perfecto habitauit, ſed in ſe ipſum omnia perfecit.* Hæc autem perfectio, quam supernè, atque infernè Chriſto aſſerit, omnem, vt apparet, culpam excludit, omnem maculam, & næuum. Quam ob cauſam Chryſoſtomus [d], & Damaſcenus [e] Chriſtum vocant ἀναμάρτητον, quaſi dicant, expertem, atque alienum ab omni peccato. Quo etiam nomine vſus eſt Athanaſius [f], cùm ſic loquitur: *Si autem non in natura peccatrice impeccabilis viſus eſt, ἀναμάρτητος, quemodo condemnatum eſt peccatum in carne, neque carne præuaricationem habente?*

XXIV. Theophanes Abbas [g] Venerabilis diſputans ad-
D uersùs Macharium his verbis eum interrogat: *Habuit humanam voluntatem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & impeccabilem?* Vtrumque enim cupiebat Synodus apertè fateri Macharium. Cyrillus [h] porrò Alexandrinus: *Stulti* (inquit) *ac dementes proſus ſunt qui ipſum etiam Chriſtum neſcio quo pacto peccare poſſe affirmant eam ob cauſam, quòd in eadem, atque nos ſpecie fuerit verſatus, quódque forma ſerui accepta cum hominibus in terra egerit. Si enim deſiit eſſe, quod erat, aut ex diuina natura in humanam tantum, ac noſtri ſimilem naturam abiit, humanam imbecillitatem illi obiiciant. Si verò idcirco humanam naturam geſtauit, vt eam, quam ab Adam acceperat imbecillitatem in ſe validam, ac peccato ſuperiorem declararet, cur fruſtra ad arte inquirunt, quod inuenire non poſſunt?* Alibi [i]
E verò diſputans contra Apollinarem: *Annon* (inquit) *apertiſſimum eſt obſecro vnigenitum Dei filium ſimilem nobis, hoc eſt, hominem factum eſſe, quo interim terrenum hoc noſtrum corpus vita propria per œconomicam vnionem illi vnmiſſa ab inducta corruptione liberaret? Animam rurſus humanam, poſtquam illam propriam ſibi reddidiſſet, ſuaque naturæ firmitate, & immutabilitate perinde ac vellus colore imbuiſſet, peccato ſuperiorem declararet.* Et aliquanto poſt: *Quemadmodum ergo caro poſteaquam Verbi omnia viuificantis caro effecta eſt, qui peccatum non nouit, è veſtigio ſtatum firmum, ac omnibus modis ſtabilem peccatóque, quod olim tyrannidem in nos exercebat, vndiquaque partibus potentiorem nacta eſt.*

a Orat. 36. quæ eſt 4. de Theol.
b lib. de incarn. Chriſt. non longe à princ.
c in Anchorato.
d in illud Iſa. c. 7. *Antequam ſciat puer, &c.*
e lib. 2. de fide cap. 12.
f l. de t. Chriſti aduent. cont. Apoll. ante med.
g in 6. Syn. act. 8.
h lib. aduer. Anthropomorphit. cap. 23.
i de recta fide ad Theodoſ. ante med.

XXV. Huc accedit, quòd minus quidem apertè hanc ipsam diuinam Christi vim alij Patres subindicant, nam Irenæus [a] Christum ait mentiri idcirco nō potuisse, quia Veritas est, vt eadem ratione vniuersim dicendum sit, peccare illum non potuisse, quia est ipsa sanctitas, & iustitia. Basilius [b] autem abiecisse ait Christum Dominum prauas omnes affectiones tamquam diuina maiestate indignas. Athanasius [c] verò Christum vocat per se sanctum, & Dominum sanctificationis, & natura sua iustum, & immutabilem ad malum, eique accommodat verba illa Dauidis [d]: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vnctionem enim eam nihil esse aliud putat, quàm hypostaticam vnionem, quam ait idcirco in diuina Christi persona fuisse factam, vt Christus omnino diligeret iustitiam, & odio prosequeretur iniquitatem, nec vlla ratione posset à recto virtutis cursu deflectere. Neque verò aliter senserunt Latini Patres, siquidem Ambrosius [e] eodem fermè argumento, quo Athanasius aduersùs Apollinarem pugnans ait: *Qui enim alios regebat se regere ipse non poterat? qui peccata donabat peccatum ipse faciebat?* Augustinus [f] autem cùm ageret de increpatione Iobi: *Profectò* (ait) *secundùm illam iustitiam, qua se nouerat iniustum, se vituperauit, ac distabuit, æstimauitque se terram, & cinerem mente conspiciens Christi iustitiam, in cuius non tantum diuinitate, sed nec in anima, nec in carne vllum potuit esse peccatum.* Multo autem apertiùs alio loco [g]: *Ista natiuitas* (inquit) *profectò gratuita coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam natiuitatem bona opera sequuta sunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita suscepta nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.*

a lib. 3 c. 5.
b ep. 65.
c Or. 2. cōt. Arian.
d Psal. 44. 8.
e li. de Sacr. Incarn. c. 7. 9
f lib. 2. de pec. mer. & rem. cap 12.
g de correp. & grat. c. 11.

XXVI. Hinc apparet, vnioni hypostaticæ tribuisse Augustinum hanc Christi vim, qua peccare nullo pacto posset: quod alibi [h] multo apertius docet. *Natus* (inquit) *est Christus de Spiritu sancto, non sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius. Insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ, in quo esse cœpit; Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei. Ac si in natura humana susceptione fieret quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Quo fit, vt meritò tamquam hæretici [i] reiiciendi sint ij, qui impio, nefarióque ausu Christo impatientiæ, aut desperationis maculas aspergere non dubitarunt. Neque verò audiendi sunt ij, qui quamquam vltrò fatentur, Christum nullum admisisse peccatum, contendunt tamen circumscripta beatitudine ex vi vnius dumtaxat Vnionis Christum potuisse peccare, cum nihilo magis diuinæ Christi personæ peccatum repugnet, quàm mors. Non animaduertunt autem viri docti [k] quamuis peccatum, & mors æquo penè iure in hominum natura dominentur, cum nemo prorsus mortem effugiat, & citra priuilegium nullus reperiatur, cui non aliqua labecula aliquando adhærescat, fieri tamen posse, vt quis tam valido gratiæ præsidio diuinitus cohortetur, vt nusquam offendat. Quod de beatissima Virgine Deipara affirmat Ecclesia, vt minimè mirandum sit, diuinitùs adeo quempiam posse confirmari, non modo vt numquam labatur, & erret, sed ne leui quidem piaculo inquinari queat.

h in Enchir. cap. 40.
i Caluinus. Vide etiam Linda. dial. 3. Osium li 2. de hæres postr. temp.
k Duran in 3. d. 12. q. 2. Scotus ibid. & d. 2. q. 1.

XXVII. Quidquid autem hac de re sentiendum sit, certè vnio hypostatica suapte natura hoc Christo liberatori tribuisse creditur, quod veterum Patrum testimonia allata luculenter probant. Quemadmodum autem ratio, quæ in homine principatum obtinet, sensibus, reliquisque inferioribus animæ partibus, & facultatibus imperat, earumque actiones ita moderatur, vt si fortè vspiam peccent, id meritò rationi tribuatur. Pari similiter prorsus ratione diuina in Christo hypostasis ita planè humanæ menti, ac rationi necessario quodam iure præerat, eiusque functiones pro imperio flectebat, vt quidquid hæc ageret, diuinæ procul dubio hypostasi adscriberetur, atque idcirco in ipsam diuinam hypostasim peccati labes, & macula redundaret; quod cùm est per se absurdissimum, tum allatis Patrum sententiis apertissimè aduersatur. At verò mors, quæ affectio quædam est humanæ naturæ propria, ob eius cum diuina hypostasi coniunctionem, vi quidem communicationis idiomatum, vt Theologi loquuntur, diuinam personam, cui humana natura adhæret, aliquo pacto afficit, vt verè dicatur, Deus mortuus. Sed hoc ipso perspicuè intelligitur, solummodo externa appellatione Deum dici mortuum, vt dicitur natus ex Virgine in crucem sublatus, & id genus alia, quæ nemo ignorat, nonnisi humanæ naturæ respectu diuinæ personæ tribui, quæ ista omnia non alia ratione patitur, nisi quia naturam patibilem, & mortalem sustentat. Quod longè aliter accideret in peccato, hæc enim permittere, aut pati, honesta præsertim de causa, laudabile, & gloriosum censetur, admittere autem peccatum, & naturæ ipsi peccanti turpe est, & diuinæ hypostasi, quæ illud prohibere potest, & debet, nonnullam labem appingit. Non est igitur, vt ait Ioannes, in illo peccatum, nec potest vlla ratione inesse.

6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis, qui peccat, non vidit eum, & cognouit eum.*

Commendata Christi innocentia, vt eius imitationem sedulò persuadeat, pergit in eodem argumento, ostenditque vim, & efficacitatem diuinæ gratiæ in eos quodammodo redundare, qui ei charitatis nexu astringuntur. Non modo igitur Christus est ab omni peccati labe alienus, sed ij etiam, qui ipsi tamquam palmites viti adhærescunt, nullum prorsus facinus, nullúmque peccatum admittunt. Videri autem potest hæc prior Apostoli sententia admodum anceps, & ambigua. *Omnis* (inquit) *qui in eo manet, non peccat.* Atqui in eo manent fideles, quorum tamen plurimi grauissimis sceleribus obstringuntur. Augustinus autem, dum quæstionem explicat, magis videtur inuoluere, atque impedire: *Non credit* (inquit) *iste, qui peccat, si autem credit, quantum ad fidem eius pertinet, non peccat.* Primum illud, nisi rectè intelligatur, non procul abest ab hæreticorum errore, qui fidem negant in peccatore permanere, aut fidem, quam mortuam vocant, fidem esse veram, quod vtrumque catholica damnat Ecclesia. Sed fortasse Augustinus negat eum, qui peccat, credere, quia absque vllo fructu, aut spirituali vtilitate fidem retinet, quæ ad æternam vitam comparandam prodesse nequaquam potest. Argutius, & omnino verum est, quod mox subiicit, quatenus credit, eum nulla ratione peccare; ait enim Iacobus eum, qui credit in filium Dei, benefacere. Sed vt ingenuè fatear, non possum mihi persuadere hoc esse ad mentem Apostoli, malim potius simpliciter eum negare, eos, qui in Christo manent, peccato inquinari.

Quod

a vers. 9. Quod planius affirmat non ita multo [a] post. Sunt, qui existiment agere Apostolum dumtaxat de peccato infidelitatis, vt sensus sit: Qui in eius fide perseuerat, contra fidem non peccat. Quod vel ab Augustini sententia non discrepat, vel puerilem, ac prorsus Apostolo indignum sensum parit. Perinde enim est, ac si dicat: Qui fidelis est, non est infidelis.

II. OEcumenius eum ait in Christo manere, *qui nulla intermissione facta virtutes exercet, & numquam ab operatione ipsarum desistit.* Quod eadem planè ratione refellitur; perinde enim est, ac si Ioannes dicat, qui in stadio virtutis sese strenuè exercet, & ad Christianæ perfectionis metam omni studio, conatúque contendit, nequaquam peccat. Quod [illegible] est per se perspicuum, vt nihil necesse sit ab Apostolo inculcari. Crediderim igitur collimasse hoc loco Bedam, *qui in quantum* (inquit) *in eo manet, in tantum non peccat.* Quod ego quidem amplè, atque vniuersim accipio, nam qui fidei beneficio in Christo manet, quamdiu in eo manet, contra fidem non peccat: qui ei etiam charitate adhæret, quatenus integram charitatem retinet, numquam contra charitatem labitur. Quod si ita in Deo manet, vt in eo defixas omnes cogitationes habeat, seque penitus ei, atque omni ex parte subiiciat, ne leni quidem macula ardorem charitatis refrigerat, aut splendorem infuscat. Ita fit, vt triplex veluti ratio manendi in Christo distinguenda sit, quidam enim manent sola fide, & vt hac ratione in Christo manent, quamuis fortasse alia ratione peccent, non ita tamen peccant, vt fidei beneficio non maneant in Christo. Alij ad fidem adhibent etiam charitatem, cuius quidem vi quasi quodam spiritali vinculo Christo astringuntur, & quamdiu in eis charitas perseuerat, lethali noxa neutiquam inquinantur. Sed leuiori tamen aliqua culpa aliquo pacto infici, & inquinari possunt, quod ab iis longè abest, qui re ipsa toti feruntur in Deum, quod tamen in hac imbecillitate naturæ nequit esse perpetuum. Nam etiam ij, qui charitatis perfectionem sectantur, & apicem quodam modo tenent, nonnumquam offendunt, & labuntur, sed tunc non illo, quem diximus, modo, in Deo manent.

III. b li. de pec. mer. & rem. cap. 8. Quæ omnia egregiè explicat Augustinus [b]: *Proficientes ergo* (inquit) *in renouationem, iustámque vitam, per quod filij Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur etiam illud, per quod adhuc filij sæculi sumus, per hoc enim & peccare adhuc possumus.* Et aliquanto post: *Proinde in quantum similes, in tantum regenerante Spiritu filij Dei, in quantum autem dissimiles, in tantum filij carnis, & sæculi. Illinc ergo peccare non possumus, hinc verò si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus.* Alibi [c]: *Qui natus* (inquit) *ex Deo est, non peccat; secundum ipsam charitatem dictum est, quæ sola non peccat. Ad natiuitatem quippe, quæ ex Deo est, augenda, & perficienda pertinet charitas, non ea, quæ minuenda est, & consumenda cupiditas. Quæ tamen quamdiu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis, sed natus ex Deo, nec obediens desideriis eius, nec exhibens membra sua arma iniquitatis peccato, potest dicere. Iam non ego operor illud, sed illud, quod habitat in me peccatum.* Eodem modo hæc Ioannis verba explicat Hieronymus [d]. *Qui in generatione* (inquit) *Domini perseuerant, peccare non possunt, quæ enim communicatio luci, & tenebris? Christo & Belial? Quomodo dies, & nox misceri non queunt, sic nec iustitia, & iniquitas peccatum, & bona opera; Christus, & Antichristus.* Possis etiam absolutè dicere, quod monet Bernardus [e], eum, qui in Deo manet, vel ex Deo natus est, hactenus non peccare, quia profectò non ita peccabit, vt absque pœnitentia è viuis excedat.

c epist. 95.

d li. 2. in Iouin. in princip.

e Serm. 2. de Septuages.

IV. *Et omnis, qui peccat, non vidit eum, neque cognouit eum.* Nihilominus ambigua, & anceps sententia est, non enim liquet, de quo intuitu, & de qua cognitione loquatur Apostolus. Ac ne satis quidem constat, quod peccatum intelligat, cùm ait: *Omnis qui peccat.* OEcumenius: *Videre autem hic, [illegible] cognoscere non de simplici visionis appulsu, aut imaginatione intelligitur, sed de coniunctione erga ipsum, quæ quodam cum iudicio, & scientia conciliata ab ipsis fuit, quam ait propriam esse fidelium, qui fide, & charitate Deo adhærent.* Nec magnopere videtur abhorrere Augustinus. *Nondum* (inquit) *cognouimus, sed in fide & videmus, & cognoscimus. Si enim nondum videt fides, quare dicimur illuminati? Est illuminatio per fidem, est illuminatio per speciem. Modo cum peregrinamur, per fidem ambulamus, nondum per speciem. Ergo & iustitia nostra per fidem est, non per speciem, erit perfecta nostra iustitia, cum videbimus per speciem: modo non relinquamus eam iustitiam, quæ est ex fide, quoniam iustus ex fide viuit, sicut ait Apostolus.* Idem Augustinus de perfectione iustitiæ [a] hunc locum tractans, cognitionem quæ peccatori negatur, refert ad beatum intuitum vt videatur Ioannem interpretari de peccato in quo quis ad extremum vsque vitæ spiritum perseuerat, his qui enim hoc modo peccat, ad ideam perfectam Dei cognitionem nequaquam perueniet, cum alioqui non par se peccatores Deum fidei beneficio probè cognoscant. Eodem modo loquitur Beda: *Visionem* (inquit) *dicit, & cognitionem fidei, qua iusti etiam in hac vita Deum videre delectantur, donec ad ipsam speciem apertæ visionis eius in futuro perueniant.* Ego verò existimo, has duas Apostoli sententias sibi ex altera parte respondere. Prior enim significat, quid diuina amicitia in hominum animis pariat; posterior quid ex flagitiosa vita deprehendi queat hoc fermè sensu: Qui Deo charitate inhæret, ita vt animo comparatus, vt scelera omnia ex animo detestetur; charitas enim omnia prorsus flagitia excludit. Qui verò peccato inquinatur, quamuis fidem se retinere profiteatur, planè tamen indicat, se diuinam bonitatem, ac iustitiam ne leniter quidem mente, & cogitatione versare. Nam alioqui eum diuina bonitas ad ipsius amorem alliceret, & iustitia à scelere cohiberet.

a cap. 18.

V. Hoc tacitè videtur indicare Beda, sic enim ait: *Omnis ergo, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum, si enim gustasset, & vidisset, quam suauis est Dominus, nequaquam se peccando a videnda eius gloria segregaret. Et in quantum iusti memoriam abundantiæ suauitatis eius eructant, & iustitiam eius exaltant, in tantum se à peccatis abstinendo iustitiæ eius incommutabili, & incomparabili concordare satagunt.* Optimè verò hoc loco Didymus: *Omnis* (ait) *qui peccat factus extraneus Christi, non habet participium, nec scientiam eius. Nam cùm dicit: non videt eum, significat, quòd participium non habet eius, cui res consequens est, vt neque scientiam internam eius habere videatur.* Addit deinde eum quidem, qui scientiam qualemcumque habet Dei, peccare posse, vt faciebant filij Heli: *Sed peccantes* (ait) *efficaci scientia priuabantur, imaginariam tantummodo scientiam habentes eius.* & multa deinceps. Et re vera, qui sese flagitiis obligat, is nec Dei bonitatem, nec iustitiam considerat, vtriusque enim sedula meditatio à peccato coërcet; & de bonitate quidem ita planè loquitur Bernardus [b]: *Ludebam ego* (inquit) *foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus eius, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens, & eiulans, quòd morte damnatus esset seruulus eius. Intueor illum subitò procedentem, stupeo nouitatem, causam*

b Serm. 2. de Natali.

percontantem audio. Quid facturus sum? Adhuc ne ludam, & deludam lachrymas eius? Planè si insanus sum & mentis inops non sequar eum nec cum lugente lugebo. Ecce vnde pudor. Timor, & dolor vnde? Vtique quia ex consideratione remedij periculi mei æstimo quantitatem; nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, filius Dei Altissimi, & iubetur occidi vt vulneribus meis pretioso sanguinis illum balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Hæc nimirum pia cogitatio charitatis ignem succendit, quo omnia scelera exuruntur.

VI. Quo videtur etiam spectasse Petrus [a], cùm dixit: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne viuat, temporis.* Iustitiæ verò seueritas si assiduè mente, & cogitatione voluatur, veluti frœno impetum libidinis coërcet, & ab omni scelere, ac flagitio animum auocat. Quocirca rectè dixit Augustinus [b]: *Nihil sic reuocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio;* tunc enim ante actæ vitæ coram iustissimo iudice reddenda ratio est. Et alibi [c] in eamdem sententiam idem Augustinus scripsit: *Si diem mortis suæ homines iugiter cogitare vellent, animam suam ab omni cupiditate, vel malitia cohiberent.* Quod ipsum de memoria iudicij, sempiternorúmque suppliciorum verè affirmatur. Sic enim scripsit alicubi Basilius [d]: *Si quando te senseris ad aliquod prouocari peccatum, ad mentem reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium, & hoc quasi frœno animam cohibe.* Et eadem mente Ambrosius [e]: *Si mente cernerent homines peccatores quale iudicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculari, si non infidelitate grauaretur.* Quantam verò vim habeant inferorum supplicia ad animum ab omni scelere reuocandum luculenter docuit Prosper [f].

a ep.1.c.4.1.
b lib. 2. de Gen. cont. Manich.c. 28.
c Serm.3.de Innoc.
d in Psal.33.
e ad Virgin. lapsam c.8.
f li.3.de vita contēp.c.12.

VII. *Cogitare, quale malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate priuari, fieri Patria cælestis exsortem, mori vitæ beatæ, morti viuere sempiternæ, in æternum ignem cum Diabolo, & Angelis eius expelli, vbi sit mors secunda, damnatio, exilium, vitæ supplicium, non sentire in illo igne, quod illuminat, sentire quod vrit, exundantis incendij terribiles crepitus pati, barathri illius cæca caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ flumine mersus immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. Hæc & similia multa cogitare nihil est aliud, quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrenare.* Hæc itaque indicat Apostolus non cogitari, nec mente versari ab iis qui peccant, cùm ait, eos nec vidisse, nec cognouisse Deum; quòd videlicet nullam diuinarum rerum, vel ad punctum temporis cogitationem admittant, qui enim Deum probè nouit, eiúsque diuinam in homines beneficentiam paulò diligentius considerat, ea omnia, quæ à me commemorata sunt, mente, & cogitatione reuoluit, planeque intelligit, nihil esse peccato fœdius, nihil perniciosius, nihil denique quod iustam in se Dei iram, & indignationem prouocet. Egregiè sanè Didymus: *Nam si (inquit) omnis, qui in Deo est, consequens est, vt non peccet omnis, qui peccat, consequens erit, vt in Deo non sit. Hæc quidem prima est, altera vero huius dicti consequentia est, quisquis habet peccandi propositum, habet consequentiam non viuendi, nec cognoscendi Deum; cuius denuò reciprocatio eum ex s... fusione generatur. Ita omnis, qui nouit, & vidit eum, non peccat.* Quæ cum superioribus mirum in modum consentiunt.

A 7. *Filioli, nemo vos seducat, qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est.*

I. Superiorem sententiam confirmat, & interim monet impostorum calliditatem cauendam esse, vt ... patiantur fideles se transuersos agi, & cuiuspiam sophistica, & mentienti argumentatione à recta fide, Apostolica doctrina abduci, & idcirco ait: *Filioli, nemo vos seducat,* quasi dicat: nolite cuiquam fidem habere, si fortè quis hæc nostra præcepta aut calumnietur, aut damnet, sed potius sic habetote, quemadmodum peccata auocant à Deo, ita honestas, ac iustas actiones Deo mirum in modum conciliare, & nonnullam diuinæ iustitiæ, quamuis rudem, & inchoatam similitudinem exprimere. Quod autem ait B Interpres, *Nemo vos seducat,* Græcè est, ..., quasi dicat, à recto itinere abducat. Quod vtique faciebant Pseudoapostoli, & Antichristi, qui & Apostolicam doctrinam corrumpebant, & noua, inaudita, & falsa dogmata imperitis obtrudebant. Scitote igitur ait Apostolus rem ita se habere, vt dixi. Neque verò satis est à peccatis abstinere, sed necesse est, virtutem, ac pietatem colere, laudabiles, ac studiosas actiones exercere, diuinam denique iustitiam, & sanctitatem quoad eius fieri possit imitari. Acutè autem monet Augustinus, notam similitudinis, Græcè καθὼς, Latinè, sicut, vel, quemadmodum, similitudinem C quidem indicare, non tamen æqualitatem: *Numquid (ait) quando audiuimus, quia iusti sumus, sicut & ille, æquales nos debemus putare Deo? Debetis nosse quid est sicut, iam dudum dixi castificat semetipsum, sicut & ipse castus est, iam ergo patet. Æqualis est castitas nostra castitati Dei, & iustitia nostra iustitia Dei? Quis hoc dicat? Sed sicut non semper ad æqualitatem dici solet.* Cúmque id illustri exemplo confirmasset concludit: *Ergo castificat nos, sicut & ipse castus est, sed ille castus æternitate, nos casti fide, iusti sumus, sicut & ipse iustus est, sed ipse in ipsa incommutabili perpetuitate, nos iusti credendo, in quem non videmus, vt aliquando videamus. Et cùm perfecta fuerit iustitia nostra, cùm facti æquales Angelis fuerimus, nec tunc illi æquabimur, quanto ergo modo ab illo longè est, quando nec tunc par erit?*

II. Nec longè abit Beda, qui de eadem re Augustinum secutus sic planè disserit: *Non quod (inquit) nostra iustitia, vel sanctitas diuinæ par esse valeat, cùm ... D ... sit: Non est sanctus, vt est Dominus, sed sicut multum interest inter faciem hominis, & imago de speculo, quia imago est in imaginatione, corpus in veritate. Et tamen sicut hic oculi, sic & ibi, sicut hic aures, ita sunt & ibi, dispar est res, sed sicut ad similitudinem refertur.* Et plura deinceps, quæ ex Augustino desumpsit. Iustitiam porro siue cùm de humana, siue cùm de diuina loquitur, amplissimè sumit Apostolus, vt omne genus virtutis complectatur, idemque prorsus sit cum sanctitate, & à iustitia distinguatur, quæ priuata quædam virtus est, quæ ius suum cuique tribuit. Is itaque facere iustitiam ab Apostolo dicitur, qui cum sit charitate prædictus, honestas, ac laudabiles actiones exercet. De E qua iustitia loquitur Ezechiel [a]: *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem,* &c. Et Christus apud Matthæum [b]: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Itemque. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quocirca rectè Gregorius Nyssenus [c]. *Omnis (inquit) virtus hoc nomine iustitia significatur.* Ita in Apocalypsi [d] scriptum legimus. *Qui iustus est, iustificetur adhuc,* hoc est, iustas, & honestas actiones continenter edat, neque vmquam otio, desidiáve torpescat.

Hęc ad verbum ex August.
a cap 18.24.
b cap.5.6.
c li. de beatitud. Beati qui esuriunt.
d cap.22.11.

III. Neque enim quamdiu vita suppetit, virtutis studio finis est imponendus, quod egregiè explicans

Leo

s er. 2. de ieiunio. Leo Pontifex sic alicubi [a] scribit: *Natura enim nostra A manente adhuc mortalitate, mutabilis existens, & ad summa quaque virtutum studia prouehatur, semper tamen, sicut potest habere, quo recedat, ita potest habere, quo proficiat, & hæc est perfectiorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum.* Vnde colligit: *Quia ergo nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus, & sanctus est, vt perfectior, sanctiórque esse nō possit, omnes simul sine differentia graduum, sine discretione meritorum, ab eo, in quo peruenimus, in ea, quæ nondum apprehendimus, pia auiditate curramus.* Et in eamdem sententiam alibi: *Et quia* (inquit) *vetera transierunt, & facta sunt omnia noua, nemo in carnalis vita vetustate remaneat, sed omnes de die in diem proficiendo per pietatis augmenta renouemur. Quantumlibet enim quisque* B *iustificatus sit, habet tamen dum in hac vita est, quo probatior esse possit, & melior, qui autem non proficit, deficit & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.* Certè Paulus [b] ita de seipso loquitur: *Quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.* Quemadmodum enim stadio dromi dum in stadio currunt, non respectant, quantum spatij transmiserint, sed quantum superest ad metam, eoque magno impetu, conatúque, & recto cursu feruntur, non aliter Paulus, quod Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, & Anselmus affirmant, præterita sua merita, suásque honestas actiones obliuioni tradens summo studio ad maiora, & perfectiora contendebat. Quod sedulò faciendum esse indicare videtur hoc loco Ioannes, & apertè monet Hieronymus [c].

b ad Philip. 3.

c Ep. ad Celant.

IV. *Beati* (inquit) *qui non sibi de præteritis iustitiis blandientes secundum Apostolum per dies singulos in virtute renouantur, iustitia enim non prodesse ei, a quo die iustitiæ esse desierit. Totum spatium vitæ tuæ si vis peragere possis initium, ne de præterita iustitia confidens, remissior efficiaris, sed sicut ait Apostolus, posteriora obliuiscens, ad ea autem, quæ sunt anteriora me extendens ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis. Idcirco age, vt ordines reliquum tempus vitæ tuæ sic, vt possis canere cum Propheta: Perambulabam in innocentia cordis mei, quia incohasse non sufficit, sed perfecisse iustitia est.* Eodemque modo aliam quampiam D Virginem his verbis [d] monet: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex speciem tuam. Deus ad animam loquitur humanam, vt secundum exemplum Abrahæ exeat de terra sua, & de cognatione sua relinquat Chaldæos Dæmones, & habitet in regione viuentium. Verum non sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliuiscaris populi tui, & domus Patris tui, vt carne contempta sponsi iungaris amplexibus. Ne respexeris* (inquit) *retro, ne steteris in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne fortè comprehendaris. Non expedit apprehenso aratro respicere post tergum, nec de aratro reuerti domum, nec post Christi tunicam ad tollendum aliud vestimentum tecto descendere. Hæc ubi dixit, vt intelligeres exeuntis de Sodoma timendū esse Loth vxoris exemplū.*

d ad Eust.

V. His omnibus affinia sunt, quæ scribit Augustinus [e]. *Via* (inquit) *ista nostra ambulantes quærit, tria sunt genera hominum, quæ odit, remanentem, retro redeuntem, & aberrantem. Qui non proficit, remansit in via, qui fortè à meliore proposito declinat, ad id, quod deserere reliquerat, reuersus est retro, qui fidem deserit, à via errauit. Quis est, qui non proficit? Qui se putauerit esse sapientem, qui dixerit: Sufficit mihi quod sum, qui non attenderit eum, qui dicit: Quæ retro sunt, oblitus, in ea, quæ ante sunt, extendam me ipsum, sequor ad palmam supernæ vocationis. Curremem se dixit, sequentem se dixit, non remansit, non retrorsit. Qui sunt retro redeuntes, qui ex continentia reuertuntur in immunditiam, qui ex sanctitate, & singulare bene proposito in malum corrumpuntur. Hos increpat Apostolus dicens: Melius illis erat non*

e Ser. de Cā tico nouo tomo 9.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

cognoscere viam salutis, quàm cognitam retrò respicere. A *O malum retrò respicere, vxor enim Loth, quæ liberata est à Sodomitis contra præceptum retrò aspexit, quod ea sterat perdidit, nec immeritò in statuam salis repente conuersa est, nisi vt fatuos sua triam exemplo condiret. Qui sunt & aberrantes? omnes hæretici* &c. Hæc itaque omnia indicant, præterita merita non esse tanti facienda, vt propterea ab instituto cursu quis desistat. Verba autem Apostoli Pauli in hoc virtutis stadio sedulò currendum esse docent, dum se ait, ad ea, quæ sunt priora, extendere se ipsum, quod vt hoc loco ait Augustinus [a], potissimum fieri debet desiderio. *Tota* (inquit) *vita Christiani boni sanctum est desiderium.* Et mox: *Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quam magnum est,* B *quod daturus extendis sinum vel sacci, vel vtris, vel alicuius rei, nosti quantum missurus es, & si vides, quia angustus est sinus, extendendo facis capaciorem.*

a Tract. 4. in 1. Can. Io.

VI. Neque aliò spectant, quæ alicubi scribit Basilius [b], explicans enim verba illa Geneseos [c]: *Crescite & multiplicamini. A natura* (inquit) *crescit, dum quotidiana propagatione se ad perfectionem promouet: Nobis dictum est, crescite ratione mira interioris hominis, quæ se promouente recta ad Deum contendimus. Huiusmodi erat Paulus, qui dum adnitereretur, prioque virili se extenderet in anteriora, eorum, quæ erant à tergo, obliuiscebatur. Ipsa hæc extensio in hoc sita est, vt ad ampliora iam quæstio quotidiana propagatione nos extendamus, nimirum vt ea quidem, quod assecutus iam es, à memoria sublato id demum persequare pro virili, quod ex perfectæ pietatis cumulo tibi* C *cognoscis deesse. Talis & Isaac erat, de quo celebre illud elogium proditum memoriæ est, quia promouens gradum in sublime attollebatur, donec magnus effectus est.* & plura deinceps. Certè hoc ipsum illa apud Ezechielem [d] animalia indicabant, quæ cum incederent, non reuertebantur, *sed vnum quodque ante faciem suam gradiebatur.* Sic enim interpretatur Gregorius [e]: *Sancti* (ait) *cum incedunt, minimè reuertuntur, quia sic à terrenis actibus ad spiritualia pertransiunt, vt ad ea, quæ reliquerunt, vlterius nullatenus reflectantur. In eis enim per quamdam viam eis incedere est, mente ire semper ad meliora: quod contra de reprobis dicitur, quia reuersi sunt corde in Ægyptum. Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia & illa pergentes inuenimus, & ista recedentes qua-* D *si post dorsum relinquimus.* Multa deinde subiicit, vt ostendat, non paucos ab instituto cursu non cessare solùm, sed retrorsum etiam conuerti.

b Hom. 11. in Exam.

c Gen. 1. 28.

d cap. 1. 12.

e Hom. 3. in Ezech.

VII. Certè Ioannes dum diuinam iustitiam imitandam docet, ni suitur perfectionem suadet, in qua, vt dicere cœperam, progredi necesse est, ne quis in deterius relabatur. Quamobrem verissimè omninò scripsit alicubi Bernardus [f]: *In defectum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni est esse perfectum, profectò nolle proficere deficere est. Vbi ergo sunt, qui dicere solent, sufficit nobis, nolumus esse meliores, quàm Patres nostri. O Monache non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi,* (inquis) *viuere volo, & ma-* E *nere quò perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio.* At subiicit Bernardus: *Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo?* Quod multis deinde confirmat, & sub finem concludit: *Nihilum hoc propositu eius deterius est, quod non solummodo non acquirit nouus, sed etiam parata consumit. Sancta vna ratio processus gaudet, & crescit, cessatione torpescit, & deficit, quotidianis, & recentibus virtutum incrementis menti instaurandæ est, & vmendis nobis hoc iter, non de transitu, sed de reliquo metiendum.* Quamobrem verè dixit Salomon [g]: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Et de Ecclesia scriptum est in Canticis [h]: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol,* vt incipientium,

f ep. 254. ad Guar.

g Prou. 4.

h cap. 6.

proficientium, perfectorumque status describi videatur. Itaque quod ait Apostolus iustos esse eos, qui iustitiam faciunt, perpetuum quoddam iustitiæ studium, & conatum designat, vt nemo consistat, nemo se ad metam peruenisse credat. Vt enim ait Augustinus [a]: *Ipsa est perfectio hominis, inuenisse se non esse perfectum.* Alibi [b] verò ita suos auditores alloquitur: *Ergo proficite fratres, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione, semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod non es. Nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris sufficit, & periisti.*

a ser. 50. de temp.
b ser. 15. de verb. Apost.

8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.*

I. Hæc sententia superiori ex aduerso respondet. vt enim, qui iustitiam, & sanctitatem sectantur, diuinam quodammodo iustitiam imitantur. Deòque similes euadunt, ita qui peccant, diaboli se sectatores, imitatoresque declarant. Ita OEcumenius. Hoc enim est ex diabolo esse, *imitādo* (vt ait Augustinus [c]) *Diabolum, nam neminem fecit diabolus, neminem genuit, neminem creauit, sed quicumque fuerit imitatus Diabolum, quasi de illo natus fit filius Diaboli imitando, non propriè nascendo.* Hac ratione olim Christus [d] Iudæos dixit ex diabolo patre ortos esse. *Vos* (inquit) *ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* De quo loco sic alicubi differit Augustinus [e]: *Hoc autem quod in Euangelio est: Vos ex patre diabolo estis, peccatoribus, & infidelibus dicitur, tribus enim modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur; vno secundùm naturam, quomodo Isaac filius Abrahæ, vel etiam cæteri Iudæi, qui ex eadem origine venerunt. Alio secundùm doctrinam, vt filius eius in ea re quisque appelletur, à quo aliquid didicit, sicut filios suos appellat Apostolus, qui ab illo didicerunt Euangelium. Tertiò, secundùm imitationem sicut filios Abrahæ nos vocat Apostolus, qui eius fidem imitamur.*

c in hunc locum. simi lia tract. de vtilitat. pœnit. c. 1.
d Io. 8. 44.
e lib. con. Adiman. c. 5.

II. Mox verò explicans quanam ratione scelesti, atque impij Diaboli filij nuncupentur, subdit: *Duobus ergo modis peccatores, infideles, Iudæi filij diaboli vocantur à Domino, vel quod ab ipso impietatem didicerunt, sicut de ipso diabolo Apostolus dicit, qui nunc operatur in filios diffidentiæ; vel quò eum imitentur, quod magis pertinet ad id, quod de illo dictum est: Et in veritate non stetit.* Alibi [f] verò alios quosdam modos se prætermisisse dicit: *Dicitur enim filius gehennæ, vel filius adoptiuus qui vtique nec secundùm naturam, nec secundùm doctrinam, nec secundùm imitationem dicuntur.* Quin etiam: *Filius* [g], (inquit) *Diaboli est, qui natus malis rebus imbuitur, vt his studeat, quæ inimica sunt Creatori. Hic si resipiscat, & iuxta naturam suam sentiat, ad Creatorem se conferens filius Dei erit, ac per hoc neque filij Dei sunt, qui nascuntur, neque filij diaboli.* tum concludit. *Vides ergo operibus, & confessione filios creari diaboli:* Denique [h] diaboli filios imitatione potissimùm appellari his verbis docet: *Propter ipsam imitationem dicitur impius. Vos à patre diabolo estis, nam constat in catholica fide, quod diabolus nec generauerit nostram naturam, nec condidit. Sola illa seductio est præcedentis, imitatio consequentis. Denique quomodo dictum est de Adam, in quo omnes peccauerunt, legatur mihi alicubi. Omnes in diabolo peccauerunt. Aliud est illo præcedente, & seducente peccare, aliud in illo peccare, quia secundùm propaginem carnis in illo eramus omnes antequam nati essemus tamquam in parente, tamquam in radice ibi eramus, sic venenata est ista arbor, ibi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc est, Principem peccati, & verè primum peccatorem non pertinet origo, sed imitatio, cum de illo scriptura loqueretur. Inuidia* (inquit) *diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius, imitando eum sunt ex parte ipsius. Numquid dictum est, in illo peccauerunt? Cùm verò de Adam diceretur propter originem, propter posteritatem, propter propaginem viscerum, in quo omnes inquit peccauerunt.*

f lib. 1. retract. c. 22.
g in qq. veter. & noui Testam. c. 80.
h ser. 14. de verb. Apost.

III. Imitatione igitur ex diabolo dicatur esse, qui peccat, quomodo loquitur etiam Origenes [a], qui non solùm ait eos, qui quempiam imitantur, eius dici filios, sed eiusdem nomen, appellationémque sortiri. *Si quis* (inquit) *filius est Abraham, facit gesta Abraham. Si quis filius est Noe facit opus Noe; si quis filius est Danieli, facit ea, quæ fecit Daniel.* Et post nonnulla: *Et nos ergo possumus fieri filij Daniel, & vt non enumerem omnes sanctos, possum esse Paulus, si fuero imitator eius dicentis: Imitatores mei estote.* Neque aliter sensit Chrysostomus [b]: *Filios* (inquit) *dicit eos, qui fuerunt socij, ac participes eorum improbitatis. Scit enim Scriptura appellare filios & eos, qui sunt cognatione filij, & eos, qui fuerunt socij alicuius improbitatis, etiam si non sint natura filij, vt quod dicit: Vos filij Diaboli estis.* Quam ob causam Epiphanius [c]: *Vnusquisque nostrum* (ait) *quidquid eandem fecerit, eos, qui primùm id fecerunt, imitatus, Patres habebit. Qui ergo* (ait Ioannes) *facit peccatum, ex diabolo est.* eum videlicet tamquam parentem imitatur, & eius actiones exprimit, adeò vt cùm diaboli mores induat, vt modo ex Origene docui, etiam diaboli appellationem sortiatur. Sic enim Christus apud Ioannem [d] Iudam nominauit. *Nonne* (inquit) *duodecim elegi vos, & vnus ex vobis diabolus est:* Ne quis autem errandi locus relinqueretur, mentem Christi interpretatur Ioannes, cùm ait: *Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem, hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim.* Quo loco Epiphanius [e]: *Diabolus* (inquit) *est non natura, sed mente.*

a Hom. 4. in Ezech.
b in Psal. 108.
c Hær. 40.
d cap. 6. 70.
e Hær. 38.

IV. Rectè autem monet Euthymius [f] sponte sua, ac vi liberi arbitrij fieri quempiam Diaboli filium, cum alioqui natura iure creationis omnes sint Dei filij, & iure adoptionis iusti filij Dei & nuncupentur, & sint. Qua verò ratione qui peccat, filius diaboli nominetur, explicat Ioannes, cùm subdit. *Quoniam ab initio diabolus peccat:* quippe ille statim à sua creatione peccauit. Qua de re subtiliter in scholis differunt Theologi, qui morulas nescio quas, & æui quædam momenta sapienter excogitarunt, quibus & Angelorum omnium primùm quidem institiam, tum bonorum beatitudinem, malorum verò lapsum, atque interitum explicant. Dicitur autem ab initio peccare primus enim omnium peccare cœpit, & inde peccatorum auctor, atque incentor effectus est. Qua ratione Christus Dominus apud Ioannem [g], illum ait fuisse ab initio homicidam, quia vt ait Augustinus [h], *primum hominem occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatum, & à Paradisi fælicitate deiiciendo.* Quomodo autem peccauerit Diabolus ab initio Scriptura non docet, atque ita verè scripsit Augustinus [i]: *Quando ergo deiecerit superbia Diabolum vt naturam suam bonam praua voluntate peruerteret, Scriptura non dicit. Ante tamen factum fuisse, & ex hac eum homini inuidisse, ratio manifesta declarat. In promptu est enim omnibus hoc intuentibus, non ex inuidentia superbiam nasci, sed ex superbia potius inuidentiam.* Explicans deinde quomodo Diabolus ab initio peccauerit. *Nec frustra* (inquit) *putari potest ab initio temporis Diabolum superbia cecidisse, nec fuisse vllum antea tempus, quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit, & beatus. Sed ab ipso primordio creaturæ à suo Creatore apostatasse, vt illud, quod Dominus ait. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, vtrumque ab initio intelligamus, non solùm quòd homicida fuit, verùm etiam quia in veritate non stetit.*

f in c. 6.
g cap. 8. 59.
h lib. 2. con. liter. Petiliani c. 13.
i lib. 10. de Gen. ad lit. c. 16.

V. Quod totidem fermè verbis alio [k] quodam loco iterat, additque: *Vt sic intelligatur etiam quòd B. Ioannes Apostolus ait: Ab initio diabolus peccat, hoc est, ex quo creatus est,*

k lib. 11. de Ciuitat. Dei c. 13.

tus est, instituam recusauit, quam nisi pia, Deóque subdita voluntas habere non possit. Vnde colligit errare Manichæos, qui mali naturam inducunt: *Huic* (inquit) *sententia quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis sapit, hoc est, Manichæis, & si quæ aliæ pestes ita sentiunt, quòd suam quandam propriam tamquam ex aduerso quodam principio diabolus habeat naturam mali, qui tanta vanitate desipiunt, vt cum verba ista Euangelica in auctoritate nobiscum habeant, non attendant, non dixisse Dominum: A veritate alienus fuit, sed in veritate non stetit, vbi à veritate lapsum intelligi voluit, in qua vtique si stetisset, eius particeps factus beatus cum sanctis Angelis permaneret.* Et quidem apertè intelligimus, non fuisse diabolum natura malum, quod olim affirmabant Priscillianistæ, quos damnare videtur [a] Leo Pontifex: *Sexta* (inquit) *adnotatio indicat eos dicere, quòd diabolus numquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eum ex chao, & tenebris emersisse, quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium, atque substantia; cum fides vera, quæ est catholica, omnium creaturarum, siue spiritualium, siue corporalium bonam confitetur substantiam, & mali nullam esse naturam: quia Deus, qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male vsus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiam, sed à summo bono, cui debuit adhærere, desciuit.*

Egregiè verò Cyrillus [b] Hierosolymitanus catholicam sententiam his verbis explicat: *Princeps peccati diabolus est, & pater malorum.* Et paucis interiectis: *Peccauit autem non ex necessitate natura vitium suscipiens, quo sic peccati occasio rursum in opificem retorqueatur. Sed bonus creatus propria voluntate factus est diabolus ab actione capiens cognomen. Archangelus enim cum esset bonus, diabolus postea, seu calumniator, à calumniando dictus est; bonus cum esset Dei minister, Satana deinceps nomen tulit. Satanas autem aduersarium significat.* Isidorus [c] autem: *Primatum* (inquit) *habuisse Diabolum inter Angelos constat excellentia prælationis.* Et aliquanto post: *Prius de cælo cecidisse Diabolus dicitur, quàm homo conderetur, nam mox vt factus est, in superbiam erupit, & præcipitatus est de cælo. Nam iuxta veritatis testimonium ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit, quia statim vt factus est, cecidit. fuit quidem in veritate conditus, sed non stando confestim à veritate est lapsus.* Longum esset recensere, quæ hac ipsa de re veteres [d] Patres memoriæ prodiderunt. Vitio igitur suo, ac propria voluntate diabolus peccauit, & factus est deinceps malorum veluti parens, quem scelesti, atque impij peccando imitantur. Obseruat autem in præsentia Beda, non dixisse Apostolum Diabolum ab initio peccasse, sed peccare. *Quoniam* (inquit) *ab initio diabolus peccat. Quia, aut, ex quo ab initio cœpit Diabolus peccare, numquam desijt, nec præsentium scilicet pœnarum enormitate, nec futurarum metu coercitus. Vnde ex illo rete esse dicitur, qui à peccando se reuocare negligit.*

Cuiusmodi autem fuerit primum diaboli peccatum his verbis explicat Beda: *Ille qui primus est conditus, mox vt altitudinem suæ claritatis aspexit, contra Conditorem cum suis sequacibus superbus intumuit, perque eamdem superbiam ab initio peccans de Archangelo in diabolum est versus.* Cæterùm quod ait diabolum Archangelum fuisse, non videtur omnino certum, nam Damascenus [e] quidem principem terrestris, atque infimi ordinis primum omnium peccasse affirmat. Fauere videtur Augustinus [f], qui hanc sententiam tamquã probabilem admittit, quod etiam alicubi insinuat B. Thomas [g]. Atqui supremum omnium Angelorum primum peccasse, ac propterea in Diabolum fuisse

a ep. ad Turibiū Asturicen Episc. c.6.
Conc. Later. c. firmiter, de summa Trin. & fide cathol.
Conc. Bracar. c.7.
VI.
b Catech.2.
c lib. 1. de sum. bono c. 3.
d Chrys. hō. de lapsu primi hom. Hom 7. ad popul. Antioch. Hom. 3. de pœnit. Iob. Tertull. lib. 2. 12 Marcio. Iren. li 5. c.2. Iustin. Mar. in parén. ad gen. Epiphā. hæres. 63. & 66. Clem Alex. 3. Strom. Athanas. in compen. de Spir. san. Basil. hom. quòd Deus non est auctor. malorum. Orig. lib. 1 c. Periar. c. 5. Damas li.2. c.4. & lib.4. c.21. Aug. 1. retract. c.15. li. 2. de Genes. cō. Man. c. 14. & 16. li.11. de Gē. ad lit. c. 20. 21.22.23. & 24. li. de nat. boni contra Manichæos c.33. li.11. de Ciuit c.17. Gennad. de Eccles. dogmat c. 57.
VII.
e li. 2. de fide orthod. c.4.
f 5. de Gē. ad lit. c. 10. & li. 11. c 14.
g quodlib. 1. ar.7. ad 1.

A mutatum omnis fermè asserit antiquitas [a]. Ego fateor me nihil habere præter probabilitatem; prior enim sententia ratione potior, posterior auctoritate firmior videtur, neutra meo iudicio certa. Qua verò ratione potuerit in Angelum cadere peccatum, acutè disputat Anselmus [b]. Et alicubi [c] quidem sciscitatur, cognouerit ne Diabolus, se peccare, an non. Si enim nō cognouit, nō potuit graue esse piaculum, quod ignoratione patratum est. Absurdum autem videtur in iis mentibus solutis corporibus inscientiam admittere. Sin autem suum agnouit peccatum, profectò & intellexit, se fore sempiternis supplicijs obnoxium vt mirum sit, potuisse illum graue scelus admittere. Mox verò idem Anselmus [d] respondet, sciuisse procul du-
B bio Diabolum & se peccare, & fore sempiternis supplicijs, si scelus admitteret, cruciandum illud ignorasse, se re ipsa supplicium subiturum.

Primùm quod non facilè statuere posset tam eximiam, atque præstantem naturam æternis cruciatibus addicendam, deinde quòd nullum diuinæ vltionis exemplum præcessisset, tum etiam quòd probè intelligeret, mentes illas corporis expertes, & à materiæ concretione semotas ad beatitudinem capessendam à Deo fuisse conditas, nec facilè suspicari potuit, hoc diuinum consilium mutandum esse. Cum præsertim diuinare non posset, humanam sibi naturã sufficiendam, siue quia, vt multi opinantur, nondum condita erat, siue quia alium quemdam ad finem re-
C ferri videbatur. Postremò quia non potuit scire suũ peccatum huiusmodi futurum, vt aboleri nō posset. Hæc Anselmus, in quibus multa inuoluuntur, quæ non facile omnibus Theologis probantur; certum enim est non potuisse Angelos ita errare, vt falsa pro veris, aut vera pro falsis admitterẽt, quod probat Augustinus [e], quem sequitur B Thomas [f]. Multo etiam certius est, non potuisse Angelum ex perturbatione animi peccare, ac propterea cum Anselmo fatendum est, peccasse illum ex certa malitia, cum tamen intercesserit nonnulla mentis incogitãtia, vt fusius Theologi explicant in scholis. Quamquam autem nemo catholicorum dubitat, plurimos Angelorum vnà cum diabolo peccasse, non tamen vsque adeò li-
D quet, ex quo Scripturæ loco id probari queat. Sunt tamen qui Isaiæ [g] locum proferant. *Quomodo* (inquit) *cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo: verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

Spectare tamen eum locum ad Regem Babylonis antecedentia, & subsequentia non obscurè indicant, ad Diaboli tamen casum communi fermè sanctorũ sententia transfertur. Ita Origenes [h], Athanasius [i], Basilius [k], Eusebius [l], Chrysostomus [m], Theodoretus [n], Tertullianus [o], Cyprianus [p], Ambrosius [q], Augusti-
E nus [r], Prosper [s], Gregorius [t], Cassianus [u]. Et apertè de Diabolo locum explicat Hieronymus [x], vt omittam alios recentiores. Afferunt alij locum Ezechielis [y]: *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti. omnis lapis pretiosus operimentum tuum, &c.* Et mox: *Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Et aliquanto post: *Et eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Quamuis enim videatur Propheta loqui de Rege Tyri, de diabolo tamen locum expli-

a Orig. tract. 9. in Mat ad illa verba *Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Chrys. hom. de Adam, & Eua. Hom de lapsu primi homin. Hom. 2. & 7. ad pop. Antioch. Hierony. Iob 40. Tertull. lib. 2. con. Marcio. Aug li.11. de Gene. ad lit. c. 19. Auct. de mirabil. sacrar. scrip. lib. 1. c.20. Isidor. lib. 1. de sum. bon. c. 12. Greg. hō.34. in Euāg. li. 4. Moral c.12. lib.9. c. 2. li. 23 c.24. Bernard. de grad. humil. & ser. 1. de aduen.
b lib. de casu diaboli.
c cap.22.
d cap.23.
VIII.
e lib. 11. & 14. de Ciuit.
f 1. p. q.63. ar.1. ad 4.
g cap.14.12.
IX.
h lib 1. Periar. c.5. hō. 9. & 10. in Num. & li.8. in Ep. ad Ro. c.10
i In Euang. de passio. & cruc. Dom.
k Isa 1.
l lib. 4. demonstr. c 9.
m Hom. de Adā & Eua. hom. de lapsu primi homin. Hō. con. desper. & super. Hom. 11. ad popul.
n Epitō. diuin. decret.
o lib. 5. in Marcio.
p lib. 1. ep 3.
q ser. 3. in Psal. 118. & ser.16.
r lib. 3. de doctr. Christ c. 37. lib. 11. de Genes. ad lit. c. 24. & 25.
s lib. de promiss. & prædict. Dei dimidij temporis c.1. & 1. t lib. 4. ep. 38. c.14. u coll.8. c.8 x Isa.14. y cap.28.12.

a Aduer. eiꝰ & præterea li. 3. Periar. c. 2. b lib. 2. in Marcio.

tant Origenes [a], Tertullianus [b], & alij non pauci, qui ex regula Tichonij, quæ tribuuntur membris, iure de capite affirmantur, cumque Diabolus sit malorum caput, quæ de regibus illis impiis affirmantur, iure in diabolum cadunt. Atque hanc quidem sententiam

c lib. 3. de doctr. Christ. c. 37.

probat Augustinus [c]. Tametsi autem non nego hanc interpretandi rationem cum per se probabilem esse, tum plerumque ad Scripturæ explanationem necessariam, vt idem Augustinus [d] affirmat, qui quod dicitur de Salomone [e], Christo liberatori accommodat.

d lib. 17. de Ciuit. c. 8. e Psal. 71.

Vereor tamen, vt iste explanandi modus possit his locis ad literam aptari. cum enim sint illa vaticinia rerum futurarum ægrè admodum diabolo aptari possunt, qui multo antea lapsus erat.

X. Itaque alij Prophetas aiunt diuino Spiritu afflatos, cum de re quapiam sermonem instituerint, inde veluti excitatos ad subliniora quædam efferri, atque ita cum locis indicatis de impiis agerent, eorum mentẽ diuinitus fuisse ad Dæmonem tamquam malorum omnium caput elatam. Quam interpretandi rationẽ

f lib. 11. de Ciuit. c. 15. g lib. 1. c. 2.

sequitur Augustinus [f], & Auctor [g] de mirabilibus sacræ Scripturæ. Qua tamen explanatione admissa verba illa Prophetarum non de regibus, sed de Dæmone verè, ac propriè explicãda essent, quod non facile admittendum videtur, vt nihil dicam, nullum extare vestigium, vnde suspicari quis possit, fuisse Prophetarum mentem aliò euocatã, quod alibi sæpe cernitur. Itaque verisimilius existimarim primariò, ac per se loqui Prophetas dè Regibus, diaboli verò casum quasi exempli gratia afferri. Sed quoniam hæc duo loca non adeo perspicua videntur, afferri solent à nonnullis Christi verba apud Lucam [h]: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadẽtem*. Quamquam enim Basilius [i] de eo diaboli casu interpretatur, quo ab ea tyrannide, quam in homines exercebat, deiectus est, alij tamen de primo diaboli peccato explicant. Ita Origenes [k], Cyrillus [l] Hierosolymitanus, Hieronymus [m], Auctor de [n] mirabilibus sacræ Scripturæ, & Gregorius [o]. Dæmonis verò lapsum colligunt alij ex eiusdẽ Christi verbis apud Matthæum [p]: *Ite* (inquit) *maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Nam si supplicium Diabolo debetur, flagitium aliquod in eo præcesserit necesse est. Quomodo etiam accipienda sunt Pauli verba, cum ad Timotheum [q] vetat, ne mittetur Neophytus: *Ne in superbiam* (ait) *elatus in iudicium incidat diaboli*. Insinuat enim lapsum fuisse Diabolum in superbiam. Mitto locum illum Apocalypsis [r], vbi Michaël Angelus dicitur pugnare cum Dracone, qui tertiam stellarum partem detraxit in terram. Quamquam enim Prosper [s], & post illum Magister, & cæteri Theologi totum illum locum de casu Diaboli explicant, vix tamen id videtur credibile, cum vaticinium illud Ioannis de rebus futuris, non de præteritis agat, atque ita Irenæus [t] locum explicat de Antichristo.

h cap. 10. 18. i Hō. quòd Deus nō est auct. mal. k 1. Periar. c. 5. l Catech. 2. m Ezech. 28. n lib. 1. c. 1. o li. 23. mor. c. 7. p cap. 25. q ep. 1. c. 3. r cap. 12. 4. s in dimidio temporis c. 3. & 4. t lib. 2. c. 57.

XI. Quidquid autem sit de his omnibus locis allatis, hic apertè Ioannes Diaboli peccatum commemorat, quale autem fuerit h[oc] Diaboli peccatum, alibi explicatum est. Subdit autem Ioannes: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli*. Rectè verò OEcumenius: *Propterea* (inquit) *sui figmenti curam habens Deus, cum sit iustitia, & sanctificatio manifestatus est, id est, in mundum apparuit, vt opera diaboli, quæ sunt peccata, deleret, ac perderet.* Et in eamdem sententiam Augustinus: *Omnes* ait, *peccatores ex diabolo nati sunt, in quantum peccatores. Venit Christus homo, vt solueret peccata hominum.* Vocat itaque Apostolus peccata opera diaboli; primùm quidem quia omnium primus ille peccauit, deinde quia mortales ad peccatum impellit, denique quia primum Parentem nostrum in fraudem induxit, vnde nos omnes originalia labe implicamur,

A & praua cupiditate perurgente facilè labimur in peccatum. Itaque ait Augustinus: *Adam à Deo factus est, sed quando consensit Diabolo, ex diabolo natus est, & tales omnes genuit, qualis erat; cum ipsa concupiscentia nati sumus, & vtique iam nos debita nostra addimus. de illa damnatione nascimur.* Et paulo post: *Duas natiuitates attendite fratres Adam, & Christi. Duo sunt homines sed vnus ipsorum homo homo, alter ipsorum homo Deus. Per hominem hominem peccatores sumus, per hominem Deum iustificamur, natiuitas illa deiecit ad mortem, ista natiuitas erexit ad vitam. Natiuitas illa trahit secum peccatum, natiuitas ista liberat à peccato.* Adde quod rectè obseruauit Didymus, diabolum quodammodo in singulis peccantibus peccare: *Per summissiones* (ait) *malignarum cogitationum sicut in Iuda factum, dum, cum misisset Diabolus in cor eius, vt traderet Dominum, initium eo peccandi fuit. His congrua etiam, quæ de Anania [...] noscuntur. cum prius enim compleßet Diabolus cor eius, postea peccauit ipse contingens de pretio prædij, quod vendiderit occasione benefaciendi.*

B

Et aliquanto post: *Opera namque diaboli sunt ea, quæ Satanæ voluntate perficiuntur. Soluit autem* (ait) *diaboli opera, hoc est, peccata, quæ substantialiter non sunt, nam alioqui solui non possent. Soluuntur autem opera diaboli, quia voluntaria sunt, non vtique inuoluntaria.* Apparuisse autem filium Dei ait, quia humanam sibi naturam adiunxit, nam incarnationem, vt supra monuimus, Græci θεοφάνειαν appellant. Rectè autem dixit, spectabilem se Dei filium præbuisse, *vt dissoluat opera diaboli*. vt significet nos peccatorum veluti vinculis astringi. Verissimè enim dixit Salomon [a]: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Et Dauid [b]: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Re namque vera scelera, atque flagitia animum implicant, & inuoluunt, vt vix quisquam iis explicari queat, omninoque gratiæ præsidium necessariò flagitetur, vt euadere quis possit. Nam ob hanc ipsam causam Christus apud Ioannem [c] dixit: *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Nam vt ait Gregorius [d]: *Quisquis se prauo desiderio subdit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus, cùm iniquitati, quæ nos ceperat, obluctamur, cùm consuetudini violenter resistimus, & desideria peruersa calcantes contra hanc ius nobis libertatis ingenitæ vindicamus, cum culpam pœnitendo percutimus, maculas sordium fletibus lauamus.* XII.

C

D

a Prou. 5. 22. b Psal. 118. 61. c cap. 8. 34. d lib. 4. in 1. c. 42. alias

9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Peruersæ natiuitati ex Diabolo bonam ex aduerso obiicit, quæ est ex Deo. Ait igitur, quemadmodum qui peccant, filij diaboli nuncupantur, vt Paulus [e] Elimam Magum nominauit. Ita contra qui nati sunt ex Deo, filij Dei dicuntur, & à peccato abstinent. Hoc autem loco decepti olim Cathari, & Pelagiani tantam homini inesse posse sanctitatem mentiti sunt, vt angelicam innocentiam imitarentur, & omni prorsus vel leuissima culpa vacarent. Et Iouinianus auctore Hieronymo [f], eos, qui fuissent baptismo lustrati, negabat posse amplius a diabolo tentari, vel peccato inquinari. Superiori sæculo Libertini, & Anabaptistæ negarunt, se quidquid egissent, vllo modo peccare. Nec multo aliter hæreticorũ princeps existimauit, qui primùm ait diuinam gratiã necessariò retinere iustos in constanti iustitiæ obediẽtia seu cogere, vt non possint male velle. Deinde nũquã in iustis Dei timorẽ, ac pietatẽ extingui, postremo I.

E

e Act. 13. 10. f li. 2. in Iouin. sub g Cal.

li quando

si quando in iustis extincta videatur pietas, vti dum adulterium admisit Dauid, re tamen vera extinctam non fuisse, sed sub cineribus virium carbonem latuisse. Atqui alia omnia Catholica Ecclesia docet. Sed de Apostoli verbis, eorúmque sensu non leuis, aut contemnenda quæstio. Augustinus eos intelligit, qui ex Deo nati sunt, peccare non posse, peccato videlicet, quo caritas violatur, quod etiam sentit Beda. *Qui enim semen Dei retinet, quo ex Deo natus est, caritatem non violat.* Sed vt ingenuè fatear, non penitus mens mea acquiescit, quia quicumque gratiam Dei in se retinet, non modo contra caritatem non peccat, sed nullo prorsus scelere inquinatur, cùm gratia, seu caritas cum flagitio consistere nequaquam possit.

II. Addo, quòd non pauci, qui pridem iusti erant, atque ideo ex Deo nati, hæreses, & schismata pepererunt, atque adeò caritatem violarũt. Accedit quòd gratia, & caritas non ea peccata modò excludit, quæ secum ex aduerso pugnant, sed suo vi sua, siue institutione diuina alia omnia, quæ quoquo modo Dei legem grauiter violant, qualia sunt omnia peccata lethalia. Alij igitur eum, qui natus sit ex Deo, negant in alia vita peccare, quæ videtur sententia Ambrosij apud Augustinum[a]; quod verissimè quidem dicitur; sed parum ad rem. Quis enim dubitat, vita functos peccare neutiquam posse? Aliquanto verius loquuntur illi[b], qui non posse aiunt peccare, hoc est, non debere, vel vt Chrysostomus[c], & OEcumenius aiunt, nolle peccare. Vtrumque enim verè quodammodo affirmatur, repugnante tamen verbi proprietate; præterquam quòd qui perceptam gratiam, & caritatem deserunt, cùm sponte peccant, peccare certè volunt, atque ita non repugnat eum, qui natus est ex Deo, fieri peccando diaboli filium. Alij de infidelitatis peccato accipiunt, quod tamen Bernardus[d] hactenus probat, vt natus ex Deo in peccato vsque ad finem non perseueret. Itaque eximo eum, qui ex Deo natus est, quatenus Dei semen retinet, nullo modo peccare, vel certè quamdiu semen illud conseruat, lethaliter non offendere. Sic enim Hieronymus[e], & Augustinus[f] sentiunt. Rectè igitur ait Apostolus: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Hoc enim ipso, quòd natus est ex Deo, fit à peccato alienus, neque hæc ratio filij potest vllo modo esse principium, aut causa peccati, quomodo dixit Christus apud Matthæum[g]. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere.*

III. *Quoniam semen ipsius in eo manet.* At quodnam semen? An illud de quo loquitur Petrus[h]: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei, & permanentis in æternum?* An semen gratiæ, & caritatis intelligit? Certè illud, vt sit per sese admodum efficax, vitio tamen liberi arbitrij, etiam si mente perceptum sit, nonnumquam tamen excidit, atque effluit, gratia verò, & caritas intimè inhæret in animo, & quamdiu vim suam exercet, nullum facinus admittit. Ita semen interpretantur Didymus, OEcumenius, Augustinus, Beda. Spiritus enim sancti vi caritatis in iustis manet, cuius etiam vi ex Deo nascuntur, cùm, vt ait Paulus[i], caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Illud admittendum est, ne, quod ait Paulus, in vacuum quis gratiam admittat, quod ij faciunt, qui otio, desidiaque languescunt, atque adeo gratiæ, & caritatis vim magna ex parte elidunt. Omnino autem sponte sua quisque ex Deo nascitur, & semen diuinum retinet, atque adeo nemo vnquam arbitrij libertate spoliatur. Itaque rectè ait

A OEcumenius. *Quod adiungit, non potest peccare, non de naturali impotentia, qua bruta non posse suscipere scientiam dicimus, sed de voluntaria impotentia, & voluntaria vocatione à peccato intellige.* Quo fit, vt eorum minimè ferenda sit sententia, quæ prædestinatos in gratia necessariò perseuerare impiè docuerunt[a]. Sapienter enim scripsit Prosper[b], *consilio Dei factum esse, vt prædestinatis permittantur peccare, & cadere à iustitia, & aliquando multo tempore in eo statu permanere, vt mysterium prædestinationis occultum sit, & nemo desperet, aut nimium confidat.* Quibus affinia sunt, quæ non vno loco scribit Augustinus[c]. Non negarim tamen ex prædestinatione salua, atque incolumi libertate oriri quamdam necessitatem, quam vocant Conse-

B quentiæ, quam videtur insinuare Christus apud Matthæum[d]: *Ita* (inquit) *vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* Et Paulus[e]: *Firmum fundamentum Dei stat, nouit Dominus, qui sunt eius.* Fauet Augustinus[f]: *Prouisum* (inquit) *est humanæ infirmitati, vt indeclinabiliter agantur.* Et Fulgentius[g] ait: *Firmissimè tene nullum eorum, qui prædestinati sunt, posse perire.* Quæ si de absoluta necessitate, quam dicunt consequentis, quis accipiat, magno procul dubio, & periculoso errore implicabitur, cum nonnisi de necessitate consequentiæ verè affirmentur, posita enim diuina voluntate efficaci, prædestinatus omnino salutẽ assequetur, nulla tamen modo læsa, aut violata libertate.

C 10 *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.*

I. Discrimen explicat, quo filij Dei à diaboli filijs secernuntur, duo autem potissimùm discrimina indicat. Primum iis verbis continetur: *Qui non facit iustitiam, non est ex Deo.* Alterum illis: *Qui non diligit fratrem suum.* Quod igitur spectat ad prius illud discrimen, ambigat non nemo, omnis ne, qui iustitiam non facit, à numero filiorum Dei excludendus sit. Certè infantes baptismo lustrati iustitiam non fecerũt, ac ne facere quidem possunt. Quis tamen nisi impius eos neget filios esse Dei, qui si ex viuis excedant, sempiternam filiorum hæreditatem assequantur? An vt

D ait OEcumenius; excludit Apostolus infantes qui nun dum sunt compotes sui? sed quid si iusti aliquãdo otientur, adeoque iustitiam non faciant, num propterea ex albo filiorum Dei delendi sunt? Hoc fortasse spectarunt nonnulli, qui paulo aliter legunt, quàm habeat vulgatus Interpres. *Qui non est* (inquit) *iustus, non est ex Deo.* Ita Augustinus, & Beda, & alij quidam. Quod omnino verissimè dicitur, nam qui gratia, & iustitia præditus non est, non potest inter Dei filios numerari. Sed Græci Codices, qui nunc circumferuntur, & interpretatio Syriaca vulgato Interpreti probè consentiunt. Græcè enim scriptum est, μὴ ποιῶν δικαιοσύνην, id est, non faciens iustitiam, vt videatur Apostolus retinere vim metaphoræ, qua paulo ante vsus erat, cùm dixit: *semen*

E *Dei in eo manet.* Ea est autem vis seminis, vt fructum aliquando pariat. Si igitur in Dei filiis hoc semen manet, germinabit vtique, & fructus edet iustitiæ. Atque ideirco rectè infert Apostolus, qui hoc fructu careat, ne semen quidem retinere, atque adeo inter Dei filios recenseri nequaquam posse. De illa enim iustitia loquitur, quam diuina lex necessariò exigit, quæque omittere culpam non potest.

II. Videtur autem idem planè affirmare Ioannes, quod aliis verbis ad Romanos scribit Paulus:[h] *Qui aguntur filij Dei sunt, Spiritu Dei aguntur.* Semen enim Dei, vt supra monui, Spiritus sanctus est, qui caritatem diffundit in cordibus, quæ suapte natura efficax est, & actuosa.

a lib. 4. ad Bonifac. c. 7.
b Apud Augustin. lib. de nat. & grat. c. 19.
c Hom. 39. in Gen.
d Ser. 1. de Septuag. & Ser. 23. in Cant.
e lib. 2. con. Iouin.
f lib. 4. ad Bonifac. c. 7. & lib. de nat. & grat. c. 19.
g cap. 7. 18.
h 1. Petr. 1. 23.
i ad Rom. 5.

a Vvicleph. apud VValden. lib. 2. de Sacrament. c. 110.
b lib. 2. de voc. Gen. c. vlt.
c lib. de corrept. & gra. c. 6. & 13. lib. de prædest. sanc. c. 14. & lib. de dono perseuer. c 6
d cap. 24. 24.
e 2. Timot 2. 19.
f lib. de corrept. & grat. c. 12. Idem lib. 5. con. Iulian. c. 3. & 4.
g Fulgen. lib. 1. ad Monim. c. 12. & 13.
h lib. de fide ad Petr. c. 35.

actuosa. Operatur quippe magna amor, si est, si autem operari renuit, amor non est: Qui igitur otiatur & cessat, nec iustitiam facit, & si fortè ex Deo genitus est, non tamen diu perseuerabit, sed facile filius euadat diaboli, à quo periculo reuocat Sapiens[a], cùm ait: *Non impediaris orare semper, & non verearis vsque ad mortem iustificari.* Christus autẽ Dominus apud Matthæum[b]: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* indicans non iis solùm metuendum esse supplicium, qui peccant, & malos pariunt fructus, sed iis etiam qui otiantur, & nihil agunt. Quod apertiùs, & luculentiùs talentorum parabola[c] docet, qui vnum enim tantummodo talentum acceperat, nihil profectò egerat contra legem, sed otiosus talentum abdiderat, ne periret, & tamen ait Dominus: *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Quo loco Euthymius: *Inutilem autem dixit pigrum, & nullius bonæ frugis, vide ergo rem tremendam, puniuntur siquidem non quòd mala fecerint, sed quòd bona nõ fecerint. Declina enim (inquit) à malo, & fac bonum.* Et Gregorius[d]: *Nemo dicat, admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum: quantum potes exhibe ne male seruatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere exigaris.* Alibi[e] verò: *Sciendum verò est, quòd nullus piger ab hac talenti acceptione securus est.* Et post multa: *Nulla nos à spirituali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominum ad iracundiam prouocemus.*

a Eccles. 18. 22.
b cap. 7. 19.
c Mat. 25.
d Hom. 6. in Euang.
e Hom. 6. Euang.

III.

Eodem refero, quod legitur apud Lucam[f], arbor enim infructuosa iubetur succidi, ne frustra terram occupet, vt intelligamus, prorsus fugiendum esse otium, vt enim ait Salomon[g]: *Qui sectatur otium stultissimus est.* Et rursus[h]: *Qui sectatur otium, replebitur egestate.* Quantopere autem voluerit Deus hominem ab otio abhorrere, iam inde ab initio nascentis mundi indicauit[i], cum primum parentem nostrum in Paradiso posuit, *vt operaretur, & custodiret illum.* Rectè verò Iob: *Homo* (inquit) *nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Quocirca Basilius[k]. *Quomodo enim* (inquit) *non odio prosequendum otium, quod formica, & api peiorem efficit hominem? Qui vtique initio conditionis suæ positus in Paradiso est, vt operaretur, & custodiret eum. Primum igitur, & maximè proprium humanæ conditioni studium est, vt operetur, ita vt iners otium sit propemodum præter hominis naturam, quod asserit se Dominus odisse.* Et alibi[l] in eamdem sententiam: *Neque enim* (ait) *eo consilio Dominus hominem finxit, vt segnis, & languens desideret, sed contra potius vt esset, qui se in laboribus honestis exerceret, quandoquidem & primo Adæ in Paradiso præcepit, vt laboraret, & Paradisum ipsum custodiret. Et tum deinde postquam ex illo eiectus exularet, sententiam tulit, vt pane suo in sudore vultus sui vesceretur. Quod autem quæ Adæ dicta tum fuerint, ea omnibus etiam dicta sint, qui ab eo sunt oriundi, ex hoc liquidò perspici potest, quòd cùm illum tantummodo tum nominatim Deus morte mulctasset, quando dixit: Terra es & in terram reuerteris, nihilominus tamen omnes, quotquot ab eo originem ducere, eiusdem similiter vnà cum eo calamitatis participes existere. Quamobrem conuenit vnumquemque neque naturæ ordinem, neque perscriptos ab natura opifice limites transilire, potiùsque in his continere se, & corpus in actione aliqua occupatum tenere.* Nec dissimilia scribit Ambrosius[m].

f cap. 13. 7.
g Prouer. 12. 11.
h Pr. 28. 19.
i Gen. 2. 15.
k ad Il. c. 11.
l in constit. monast. c. 5.
m Præf. in Lucam.

IV.

Iam verò Chrysostomus[n]: *Otium (ait) malitiæ pars est, imò verò non pars, sed causa, & mala radix; omnem quippe malitiam docuit otium. Itaque cauendum, ne studiò quæstiones istas indagemus, nempe quem sit habiturus locum, qui nihil boni fecit, nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere. Dicas enim velim, si famulum haberes, qui etsi nec furaretur, nec contumeliaretur, nec contradiceret, imò nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam designaret, sederet tamen perpetuò otiosus, nec aliquid eorum, quæ seruus hero suo præstare debet faceret, non flagellares illum, et peruersum?* Neque aliter Ambrosius[a]: *Apud ignaros nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur, studia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaque sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus, vnde & Dominus in Euangelio ait[b]. A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Et alibi[c], Quærite regnum Dei, & ecce omnia præsto sunt vobis. Non dormientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus, & laborantibus, pollicemur præmia, & labori merces parata est, qui licet non suauis ad gratiam, tamen fructuosus ad præmium est.* Et multo post[d]: *Nulla enim sine labore virtus, quia labor processus virtutis est.* Quocirca Paulus[e] Galatas his verbis hortatur: *Bonum facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes, ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

n Hom. 16. in Ep. ad Ephes.
a lib. 1. de Cain & Abel, cap. 4.
b Mat. 11. 12.
c Mat. 6.
d lib. 2 c. 2.
e cap. 6. 9.

V.

In eum autem locum hæc scribit Hieronymus[f]: *Tempus sementis tempus est præsens, & vita, quam currimus: in hac licet nobis quod volumus seminare, cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur. Vnde & saluator ait: Operamini dum dies est, veniet nox, quando iã nullus poterit operari.* Post nõnulla verò: *Breue est vitæ istius curriculum, hoc ipsum quod loquor, quod dicto, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit. Titus filius Vespasiani, qui in vltionem Dominici sanguinis subuersis Hierosolymis Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt cum quadam nocte serò recordaretur in cæna, quod nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis: Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cùm otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij? Quod si hoc ille sine lege, sine Euangelio sine Saluatoris, & Apostolorum doctrina naturaliter & dixit, & fecit, quid nos oportet facere?* Certè ob hãc causam Ephesios monet[g] Apostolus his verbis: *Videte quomodo cautè ambuletis redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ea verò verba explicans Hieronymus ait: *Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autem vitæ huius quærens necessaria, & de diuitiis, & solicitudinibus, quas Euangelium spinas nuncupat, potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus, quod in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus dies non præsentis sæculi sed futuri.* Qui ergo iustitiam non facit, planè indicat, se non esse ex Deo natum, vt in præsentia asserit Ioannes.

f ad Gal. 6.
g cap. 5. 15.

VI.

Alterum porrò indicium, quo filij Dei à diaboli filijs distinguuntur, ad fraternam caritatem pertinet. *Qui non diligit* (inquit) *fratrem suum.* Rectè Augustinus: *Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo Crucis Christi, respondeant omnes: Amen, cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent Ecclesias, faciant parietes basilicarum, non discernuntur filij Dei a filijs diaboli nisi caritate. Qui habent caritatem, nati sunt ex Deo, qui non habent, non sunt nati ex Deo. Magnum indicium, magna discretio, quidquid vis habe, hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si non habeas, hoc habe, & implesti legem, qui enim diligit alterum, legem impleuit, ait Apostolus, & plenitudo legis caritas.* Confestim autem laudes caritatis celebrat, quam margaritam illam esse ait: *Pro qua homo negotiator describitur in Euangelio[h], qui inuenit vnam margaritam, & vendidit omnia, quæ habebat, & emit eam. Hæc est margarita pretiosa caritas, sine qua nihil tibi prodest quodcunque habueris, quã si solam habeas, sufficit tibi.* Subdit autem: *Sed vbi nos debemus exercere? In amore fraterno? Potes mihi dicere, non vidi Deum, nunquid potes mihi dicere, non vidi hominem? Dilige fratrem, si enim fratrem, quem vides dilexeris, simul videbis & Deum, quia vides ipsam caritatem, & intus inhabitat Deus.* Planè hæc omnia verissimè dicuntur, nam

h Mat. 13. 46.

[a] cap. 13. 35. [b] Hom. de Abrahamo. Pad ca. lum in eccea lit. Ioan.

nam & Christus apud Ioannem[a]: *In hoc (ait) cognoscent omnes, quòd discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Quamobrem Chrysostomus[b]. *Curam igitur (ait) geramus fratrum nostrorum hoc summa vita nostra est, hoc signo internoscimur, an Christiani simus, cum non solùm, qua nostra sunt, spectamus, sed & membra nostra peruersa corrigimus, & instruimus. Hoc maximum indicium fides, in hoc cognoscent omnes, inquit, quod discipuli mei estis, si diligatis inuicem. Caritatem autem syncæram declarat non communio mensa, non breue colloquium, non verborum adulatio, sed studium, & sedulitas in considerando quid proximo conducat, vt erigatur, qui cecidit, & porrigatur lapso manus, vt ante bona propria requirantur, qua proximi sunt. Hac est germana caritas, nam caritas non spectat ea, qua sua sunt, sed prius videt qua proximi, quàm qua sua.*

[c] in reg. fusius disput. [d] Tract. 65. in Ioan.

VII. Basilius autem[c]: *Hoc (ait) constitutum esse veri discipuli indicium, & argumentum, non prodigia, & stupenda miracula facere.* Eodemque prorsus modo Christi sententiam accepit Augustinus[d]: *Tanquam diceret (inquit) alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensus, rationem, & eam salutem, qua hominibus, pecoribusque communis est, verumetiam linguas, sacramenta, prophetiam scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, vt ardeant, sed quoniam caritatem non habent, vt cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis quamuis bonis muneribus meis, qua habere possunt etiam non discipuli mei, sed in hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicè.* Denique Leo Pontifex[e]: *Quàmuis enim (ait) magnum sit habere fidem rectam, sanamque doctrinam, & multa laude digna sit circumcisio gula, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nuda sunt tamen omnes sine caritate virtutes; nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum quod non dilectionis partus ediderit. Unde & in Euangelio Dominus dicit: In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Rectè igitur ait Ioannes, non esse illum Dei filium, qui fratrem suum non diligit. Alibi autem docui, fratris nomine omnes omnino mortales intelligi, qui ab eodem rerum omnium conditore eiusdem naturæ participes, eiusdémque fœlicitatis capaces procreati sunt.

[e] Ser. 10. de Quadrag.

11 *Quoniam hac est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligamus alterutrum.*

I. *Præter legale præceptum (ait OEcumenius) de amando proximo, & illud Domini, cùm inquit: Mandatum nouum do vobis, vt vos mutuò diligatis, naturale etiam ius est erga cognatum genus, quod idem facere nos cogit.* Indicare enim videtur hanc erga proximos caritatem triplici iure constare, naturali, & positiuo à Mose explicato, postremò nouo, atque Euangelico à Christo tradito. Sed Moses, ipseque adeò Christus non tàm ius nouum condiderunt, quàm naturalis iuris vim, potestatéque explicuerunt. Cùm igitur ait Apostolus: *Hac est annunciatio, quam audistis ab initio.* indicat hoc caritatis præceptum omnium animis inditum esse à natura, & in ipso Christianæ Religionis exordio ab Apostolis promulgatum, omnibusque fidelibus propositum, vt meritò dixerit Didymus: *Mandatum ab initio habemus, vt inuicè diligamus.* Vt enim ait Augustinus: [f] *Caritas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia.* Tertullianus [g] autem: *Summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurum, quam Apostolus totis viribus Spiritus sancti commendat.* Clemens[h] verò Alexandrinus, *præcipuè* nominat *hominis Christiani munus.* Cyprianus[i] *fundamentum pacis, tenacitatem, ac firmitatem veritatis, qua & opera, & martyria precedit.* Basilius[k], *radicem mandatorum*, Gregorius Nazianzenus,[l] *doctrina nostra*

[f] lib. de nat. & grat. c. 42. [g] lib. de Patient. [h] in Paren. ad Gen. [i] De bono patien. [k] Or. 3. [l] Ep. 20.

A *caput.* Hieronymus[a], *cunctarum virtutum matrem.* Ephrem[b] Syrus, *omnium virtutum columnam.* Augustinus[c], *omnium virtutum arcem.* Prosper[d], *affectionum omnium potentissimam, in omnibus semper inuictam, actionum bonarum summam salutem morum finem cælestium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum.* Cyrillus[e] Alexandrinus, *omni virtute constantem.* Gregorius[f], *matrem & custodem omnium bonorum.* Denique Bernardus[g], *Hominum matrem, & Angelorum, non solùm, qua in terris, sed etiam qua in cælo sunt pacificantem.*

[a] Ep. ad Theophi. [b] Doctr. de humil. [c] Ser. 53. de temp. [d] lib. 3. de vita contempl. c. 13. [e] in Io. c. 15. [f] lib. 6. ep. 60. [g] Ep. 2.

II.

Respicit autem caritas primùm quidē Deum immortalem, cui nos nostráque omnia debemus, deinde proximum, de quo hic loquitur Ioannes, cùm ait, nos ab initio hoc accepisse præceptum, vt diligamus alterutrum. B Omnes quippe proximi sumus, vt apud Lucam[h] integra parabola docuit Christus, & confirmat Augustinus[i], cuius hæc sunt verba: *Proximus est omnis homo, omnes proximi sumus conditione terrena natiuitatis, & mortalitatis, & etiam spe cælestis hereditatis, quia nescimus quidquid futurum sit. Quoniam aut Iudæus, aut hæreticus, aut Paganus fortè etiam per misericordiam Dei conuertetur ad Deum, & inter sanctos primum locum habere merebitur.* Maluit autem Ioannes Græcè ἀγγελίαν dicere, id est annunciationem, quàm præceptum, cùm tamen supra dixisset, hoc esse mādatum tum nouum, tum vetus. Et aliquanto[k] post nos habere *mandatum, vt qui Deum diligit, diligat & fratrem suum.* C Ne videretur igitur idem sæpius nō sine aliqua molestia iterare, hoc maluit leniori nomine vti. Præterquā quod hac ratione reuocat in mētem christianæ fidei primordia, cum primùm fideles christianis præceptis, atque institutis ab Apostolis virisque Apostolicis imbuti sunt, quo tempore hanc proximi caritatem potissimùm erga omnes exhibendam esse didicerunt. Quorsum autem hæc proximi dilectio referenda sit, docuit Augustinus[l]:

[h] cap. 10. 30. [i] Ser. 59. de temp. [k] cap. 4.

III. *Hac (inquit) regula dilectionis diuinitus constituta est. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, qua confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vita no-* D *stra partem reliquit, qua vacare debeat, & quasi locum dare, quasi alia re velit frui. Sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergò rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam se ipsum totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem Dei, qua nullum à se riuulum duci extra patitur, cuius deriuatione minuatur.* Quæ sit autem fraternæ caritatis ratio, vel forma, indicauit Christus[m] cum repetens quod scriptum erat in Leuitico ait[n]: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Nititur enim hoc præceptum illo principio, quod est apud Matthæum[o]: *Omnia quacumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, hac est enim lex, & Propheta.* Itemque illo apud E Tobiam[p]. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Quod eleganter explicat Gregorius[q]: *Proximi (inquit) dilectio ad duo pracepta deriuatur, cùm & per quendam iustum dicitur: Quod ab alio tibi nō vis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsum veritas dicit: Qua vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: Quibus duobus scilicet vtriusque testamenti mandatis per vnum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur, vt malum, quod pati non vult, quisque non faciens cesset à nocendi opere; & rursum bonum, quod sibi fieri appetit, impendens erga vtilitatem se proximi exerceat ex benignitate.*

[l] lib. 1. de doctr. christ. c. 22. [m] Mat. 22. 39. [n] Cap. 19. 18. [o] cap. 7. 12. [p] cap. 4. 16. [q] lib. 10. mor. c. 6.

IV. Deinceps verò horum duorum præceptorum vim, ac potestatem iudicans subiicit: *Sed hac nimium duo*

dum

dum solicita intentione cogitamus, cur ad innumera virtu- A tum ministeria tenditur, ne vel ad inferenda, quæ non debet, desideriis inquieta mens ferueat, vel erga exhibenda, quæ debet, otio resoluta torpescat. Nam cùm cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipse tolerare, solicita se intentione circunspicit, ne superbia eleuet, & vsque ad despectum proximi animum deuciens exaltet; ne ambitio cogitationem dilatet; cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet, ne eam luxuria polluat, & subiectum desideriis per illicita corrumpat; ne ira exasperet, & vsque ad conferendam contumeliam inflammet, ne inuidia mordeat, & alienis fœlicitatibus æmula sua se face consumat. Rursus cùm cogitat; vt ea alteri faciat, quæ ipse sibi ab altero fieri expectat, pensat nimirum, vt malis bona, & bonis meliora respondeant. Vt erga procaces in insuetudinem longanimitatis B exhibeat, vt malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat, vt discordes pace vniat, & concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat, vt indigentibus necessaria tribuat, vt errantibus viam rectitudinis ostendat, vt afflictos verbo, & compassione mulceat, vt accensos in huiusmodi desideriis increpatione restringat, vt minas potentium ratiocinatione mitiget, vt oppressorum angustias quanta præualet, ope vt leuet foris resistentibus opponat patientiam, vt intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam, vt erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus à iustitiæ studio non eneruet; sic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feriendo transcendat; vt ingratos beneficiis ad amorem prouocet, vt gratos quosque ministeriis in amore seruet. vt proximorum mala cùm corrigere non valet, ta- C ceat, vtque cùm corrigi loquendo possunt, consensum silentium esse pertimescat: vt sic ea, quæ tacet, toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet, vt sic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat, vt cuncta proximis, quæ præualet, impendat, sed hæc impendendo non tumeat; vt sic bonis quæ exhibet, tumoris præcipitium paueat, ne tamen à boni exercitio torpescat, vt sic, quæ possidet tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerationis attendat, ne cùm terrena largitur, suam plusquàm necesse est, inopiam pertimescat, & in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret.

V. Hæc placuit tam fusè, & copiosè ex viri sanctissimi doctissimique libris exscribere, quòd ea vim huius præcepti mirificè declarent, & christianæ caritatis officia penè singillatim ob oculos ponant. Sed quoniam non omnis amor proximi ad caritatem spectat, placet ex eodem Gregorio pauca subiicere, quibus quorsum caritas tendat, apertè insinuat. Is igitur [a] ait: ... nemo cùm quempiam diligit, habere se protinus caritatem putet nisi prius ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, caritatem non habet, sed habere se putat. Caritas autem vera est, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui tam & eos diligere, à quibus non diligitur scit. Probari enim caritas per solam odii aduersitatem solet, vnde & per semetipsum Dominus dicit [b]: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Ille ergo securus amat, qui propter Deum illum amat, à quo se intelligit non amari. Et in eandem sententiã Bernardus [c]. Vt perfecta (inquit) iustitia sit diligere proximum, Deum in causa habere necesse est, alioquin proximum purè diligere quomodo potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, vt in Deo diligi possit & proximus.

a Hom. 38. in Euang.

b Matth. 5. 44.

c in tract. de diligẽ. Deo.

VI. Ex quibus facile quiuis intelligit hoc præcepto, quo fratrem diligendum ait Ioannes, etiam amorem inimicorum comprehendi quod apertissimè docuit Christus, [d] cùm dixit: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Si enim

d Matth. 5. 44.

A diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Eodem pertinent illa [a]: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Itemque illa [b]: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Quod rursus confirmat [c] parabola Domini exigentis à seruis suis rationem, quam his verbis concludit Dominus: Sic Pater vester cælestis faciet vobis, si non di- B miseritis hominibus de cordibus vestris. Certè [d] Paulus [e] Salomonis verba vsurpans: Si esurierit, (inquit) inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Quia etiam alibi Salomon [f]. Cùm ceciderit (ait) inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum. Et Sapiens [g]: Noli de inimico tuo mortuo gaudere. Et rursus [h]: Memento nouissimorum, & desine inimicari. Denique Moses [i]. Si occurreris (inquit) boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum: si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.

a Mat. 5.

b Mat. 6. 14.

c Matt. 18. 23.

d ad Rom. 12. 20.

e Prou. 25. 21.

f Prou. 24. 17.

g Eccles. 8. 8.

h cap. 28. 6.

i In Exod. c. 23. 4.

VII. Rectè autem monet Clemens [k] Alexandrinus, inimicos non qua inimici sunt, sed qua eiusdem naturæ humanæ participes diligendos esse. Diligere C (inquit) inimicos, non dicit, malum amare, neque impietatem, & adulterium, non quatenus peccat, & aliqua actione inquinat hominis appellationem, sed quatenus est homo, & opus Dei. Quo fit, vt quæ proximè præstamus, id sibi delatum Christus censeat, qua de re sic planè Basilius [l]. Christus dixit: In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem. Et sic vbique præcepta hæc duo semper copulat, vt quod proximo quisque beneficerit, id habeat perinde, ac si ipsi factum fuisset. Esuriui enim (inquit) [n] & dedistis mihi manducare. Et tum addit. Quatenus autem fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Ex quo sanè intelligi potest, qui primum seruet, eum secundum quoque per illud ipsum posse seruare, vicissimque per secundi obseruationem reduum aperiri ad primum vt videlicet, & qui Dominum diligat, consequens D sit, eum proximum etiã diligere. Qui enim diligit me (inquit Dominus) mandata mea seruabit; idem autem hoc mandatum meum est (inquit) vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos similiterque vicissim: In quo caritas aduersus proximum sit, eum quoque caritati satisfacere, quæ est aduersus Deum, quippe cum ipse beneficium illud perinde accipiat, ac si in se propriè fuisset collatum.

k lib. 4. Strom.

l regul. fus. disp. q. 3. m Io. 13. 35.

n Matt. 25. 40.

VIII. Egregiè verò Chrysostomus [o] caritatis perfectionem quibusdam veluti gradibus comparãdam docet. Vidisti (inquit) quatis Dominus Iesus in sermone gradibus ad perfectionem ascenderit, & quemadmodum nos ad ipsum virtutis cacumen deduxerit. à superioribus igitur ad infe- E riora descende numerando. Primus gradus est, ne prior iniuriam molitare. Secundus, vbi est iniuria cœpta, ne tu illam eodem pacto propellas. Tertius, ne par pari referas, sed quiescas. Quartus, vt etiam præbeas te promptum ad iniuriam sustinendam. Quintus, etiam ad maiora paratum te præbeas, quàm vult ille, qui fecit. Sextus, non odisse, à quo ista perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octauus, beneficiis quoque eum libenter afficere. Nonus, etiam Deum pro aduersario deprecari. Perspexisti celsitudinem Philosophiæ, & idcirco tam claro est digna præmio, quia tam magno est subiecta præcepto, quódque ingentem semper animum, & studium omnino multum requirat. Nam & præmium illis tale proponit: quale priorum omnino nulli, neque enim terra hic meminit, sicut in mitibus, nec consolationis, ac miserationis, sicut in lugentibus, atque miserentibus, neque regnum

o Hom. 18. in Matth.

calorum

celorum memorat, sicut in pauperibus spiritu, persecutionemque patientibus, sed quod hic erat longè sublimius, vt scilicet fierent similes Dei, prout tamen id hominibus esset possibile. Ve stis, inquit, similes Patris vestri, qui in cælis est.

IX. Planè vt Apostolus dixit: [a] *Caritas patiens est, omnia sperat, omnia sustinet* atque idcirco ad hanc caritatem retinendam, & conseruandam patientia est in primis necessaria, de qua hunc planè in modum loquitur Cyprianus. [b] *Tolle caritati patientiam, & desolata non durat, tolle sustinendi, tolerandique substantiam, & nullis radicibus, ac viribus perseuerat. Apostolus denique cùm de caritate loqueretur, tolerantiam illi, & patientiam iunxit, ostendit, inde illam perseuerare tenaciter posse, quod norit omnia sustinere. Et alio loco* [c]*: Sustinentes, inquit, inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis, probauit nec vnitatem seruari posse, nec pacem, nisi se inuicem fratres mutua tolerantia foueant, & concordiæ vinculum patientia intercedente custodiant. Quid deinde, vt non iures, neque maledicas, ut tua ablata non repetas, vt accepta alapa & alteram maxillam verberanti præbeas, vt fratri in te peccanti non tantum septuagies septies, sed & omnia omninò peccata dimittas vt diligas inimicos tuos, vt pro aduersariis, & persecutoribus precem facias, poteris ea ista perficere, nisi patientiæ, & tolerantiæ firmitate?* Planè ergo hæc est, vt ait Ioannes, annunciatio, quam fideles ab initio audierunt, vt alterutrum diligamus, ne exclusis quidem inimicis, idque propter Deum.

a 1. Cor. 13. 4.
b de bono patien.
c ad Ephes. 4. 2.

12 *Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & propter quid occidit eum? quoniam opera eius maligna, fratris autem iusta.*

I. Duo, vt dixi, recensuerat, filiorum Dei indicia, quibus à diaboli filiis seiunguntur, nunc ab effectu exemplo Cain filios diaboli describit. *Non sicut Cain*, (inquit), *qui ex maligno erat*. Græcè ἐκ τ̃ πονηρῦ, quod supra dixerat, *ex diabolo*, hunc enim in præsentia malignum volat. Erat itaque Cain imitatione diaboli filius, eius enim inuidentiam, atque odium imitabatur. Erant porro duo illi fratres ambo diuina fide præditi, ambo verum Deum colebant, ambo sacrificium obtulerunt. Sed alter tamquam verus, ac germanus Dei filius in iustitia, & sanctitate perseuerauit; alter à caritate deficiens factus est Diaboli filius. Atque inuidisse quidem Cain Abelo fratri indicat ita, qua aduersus illum excanduit, non aliam ob causam: nisi quia Deus externo signo se Abelis sacrificium probasse declarauerat, ipsius verò non item, cur id factum sit ardua quæstio. Sed hoc videtur inter illa sacrificia fuisse discrimen, quòd Cain quidem viliores terræ fructus primoribus sibi reseruatis obtulerit, vt Ambrosius, [d] & Suidas affirmant, Abel verò primogenita gregum pinguissima, quæ maximi pretij essent, vt Paulus [e] plurimam illum hostiam obtulisse scripserit. Sed rectè hoc loco Augustinus *Cùm enim ambo obtulissent, ille de fructibus terræ, ille de fœtibus ouium quid putatis fratres, quia Deus fructus terræ neglexit & fœtus ouium dilexit? Non intendit Deus ad manus* (, vel vt alij legunt) *ad manus, sed in corde vidit, & quem vidit cum caritate offerre, ipsius sacrificium respexit; quem vidit cum inuidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos auertit.* Indicat autem non inuidisse Cain tantummodo, cùm vidit fratris sacrificium diuino testimonio probari, sed cum ambo offerrent, ægrè illum tulisse, quòd Abel tam liberaliter cum Deo ageret, cùm ipse malignè offerret, & optima quæque sibi reseruaret.

d lib. 1. de Abel, & Cain c. 7.
e ad Hebr. 11. 4.

II. Philo [f] autem: *Duplex, (ait) in Cain sacrificio fuisse crimen, vnum quod post aliquos dies non communè gratias egit Deo, alterum quòd de fructu obtulit, non de primo fructu, quas vocamus primitias.* Cum autem de priori illo crimine copiosè disseruisset, de secundo ait: *Cur de fructibus, & non de primis fructibus offert primitias? fortasse hanc ob causam, vt primatum creaturæ det, secundarum honorem reddat Numini. Sicut enim sunt quidam, qui animæ præferunt corpus, seruum domino, eodem modo sunt, qui creaturam magis honorant, quàm Creatorem contra mandatum legislatoris iubentis primitias de primis fructibus terræ inferri in domum Dei, & non conuerti in vsum proprium.* Sed præterea, vt dixi, aduersus fratrem inuidia laborabat, quasi illius liberalitas, & munificentia suam auaritiam damnaret. Itaque fuit Cain diaboli filius, idque fraterna cæde firmauit, quo nihil fingi potest caritati magis repugnans, est enim pessimus, maximéque detestabilis odij fœtus, qui ex aduerso cum caritate pugnat. Dixit enim supra Ioannes: [a] *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Et paulo [b] post. *Omnis qui odit fratrem suũ, homicida est.* Rectè autem Basilius. [c] *Vbi delinquitur patitur caritas, eo prorsus eius loco odiũ succedit. Quòd si, vt Ioannes ait, Deus caritas est, sine dubio necesse est, diabolum odium esse. Vt igitur qui caritatem habet, is Deum habet sic qui odium habet. Diabolum in se nutrit.*

f [illegible] Abel. & Cain
a cap. 2. 11.
b Ver. 15.
c De instit. Monach.

III. Et in eamdem fermè sententiam Cyprianus: [d] *Discordans (inquit) & dissidens, & pacem cum fratribus non habens secundùm quod Apostolus testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit euadere. quia sicut scriptum est, Qui fratrem suum odit, homicida est, nec ad regnum cælorum peruenit, aut cum Deo viuit homicida. Non potest esse cum Christo, qui imitator Iudæ maluit esse, quam Christi. Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui?* Erat igitur Cain ex maligno, & diaboli imitator, & filius, quia inuidia, & odio laborabat. *Vbi autem est inuidia* (vt ait Augustinus) *amor fraternus esse non potest, qui inuidet, non amat. peccatum Diaboli est in illo, quia & diabolus inuidendo deiecit. Ceciderat enim, & inuidit stanti. Non ideo voluit deijcere, vt ipse staret; sed ne solus caderet. Tenete in animo ex hoc, quod subiecit, inuidiam non posse esse in caritate. Habes apertè, cum laudaretur ipsa caritas non æmulatur; non fuit caritas in Cain, & nisi esset caritas in Abel, non acciperet Deus sacrificium eius.*

d De orat. Dom.

IV. *Et propter quid occidit eum? quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta. Opera,* (inquit Augustinus) *bona Abel non dicit nisi caritatem, opera verò mala Cain non dicit nisi odium fraternum. Parum est, quia odit fratrem suum & inuidit operibus bonis, quia imitari noluit, necare voluit, & hinc apparuit, quia filius erat Diaboli, & ille hinc apparuit iustus Dei.* Possis etiam opera maligna Cain interpretari, vt supra ex Philone docuimus, mala enim opera Cain erat inuidia, deinde ira, postea odium, postremo homicidium, vnde Philo eius libri argumentum desumpsit, qui inscribitur, *quòd deterius potiori insidiatur.* Et quidem in ipso sacrificio illum peccasse indicant LXX. pro eo enim, quod nos legimus. *Nónne si benè egeris recipies, sin autem malè statim in foribus peccatum tuum aderit,* legunt ipsi: *Nonne si rectè offeras, non rectè autem diuidas peccasti?* quæ cum ante necem fratris dicta sint, iam illum sceleris arguunt. Quocirca alicubi ait [e] Augustinus, cum verba illa ex interpretatione LXX explanaret. *Quia sua* (inquit) (de Cain loquitur) *dedit Deo, se ipsum autem Dæmoni. Nam animalia externa offerimus in signum, quod nos ipsos Deo damus, & offerimus.* Propterea igitur ait Ioannes, Cain fratrem occidit, *quia opera eius maligna erant*: quasi dicat, ex prauo animi affectu fratrem necauit, quòd nihil haberet in fratre odio dignũ, nisi eius laudabiles actiones, quas nisi iam improbus fuisset, fraterna caritate complexus esset. Quod Didymus egregiè explicat. *Quia verò* (inquit) *[illegible] occidendi fratrem significauit, quia opera, inquit, maligna erant, fratris autem iusta. Cum enim respexisset Deus super Abel munera, super Cain autẽ, & oblationẽ eius non respexit, ex hac causa percussus inuidia Cain mortẽ operatus est aduersus propriũ fratrẽ.* Addit in libro, qui Leptogenesis appellatur, scriptũ esse, quia Cain lapide aut ligno percusserit Abel.

e lib. 15 de Ciuit. Dei c. 7.

13 *Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.*

I. Rectè ex superiori sententia colligit Apostolus, non esse mirandum, si impij iustos odio prosequantur. Id pluribus, vt paulo ante monui, prosequitur Philo [a]. Aptè autem ait, non esse mirandum, nam & hoc significauit etiam Christus, cùm apud Ioannem dixit [b]: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit, si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et aliquanto post: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quid autem mundi nomine significetur, tametsi pluribus docui, non piget tamen Augustini sententiam explicare. *Quid est* (inquit) *mundus? Non cælum, non terra, nec ista opera, quæ Deus fecit, sed dilectores mundi.* Paucis autem interiectis: *Mundus est, quando in malo ponitur, dilectores mundi.* de quo videlicet Ioannes ait [c]: *Et mundus eum non cognouit.* Mundus ergo odit nos, hoc est, impij odio prosequuntur iustos, quod luculenter explicat Salomon [d]: *Opprimamus* (inquiunt impij) *pauperē iustum, & nō parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiæ, quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarū, grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Et plura deinceps, quæ non solùm indicant acerbitatem odij, quo impij iustos insectantur, sed eius rei causam potissimam explicant, quòd iustorum innocentia, morumque integritas sceleratorum vitam, actionésque condemnet.

a lib. quòd deterius potiori insidiatur.
b cap. 15. 18.
c cap. 1.
d Sap. 2.

II. Vt enim Philosophi frequenter in scholis vsurpare solent, opposita, & quæ contraria sunt, si inter sese componantur, magis elucescunt, ita iustorum sanctitas impiorum improbitatem veluti prælata face omnibus palam proponit. Ipsa igitur rerum natura, & dissimilitudo, quæ est inter bonorum, malorúmque vitam horum in illos odium parit, quod tamen iustis quidem gloriam immortalem, si aduersa patienter tolerent, impiis supplicium afferet sempiternum. Quòd si ad diuinam prouidentiam referas, hac maximè ratione Deus immortalis iustis, ac filiis suis optimè consulit, quod etiam Seneca [e] probè nouit. *Deus* (inquit) [f] *virum bonum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.* Post nō multa [g] *Omnia aduersa* (vir bonus) *exercitationes putat. quis autem vir modo, & erectus ad honesta non est laboris appetens iusti, & ad officia cum periculo promptus? Cui non industrio otium pœna est? Marcet sine aduersario virtus, tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque cum quid possit, patientia ostendit.* Et multa ille deinde congerit, quæ multo verius in Christianum hominem cadunt; nihil enim viro iusto optabilius est, quàm in rebus aduersis patientia. *Hæc* (inquit Tertullianus [h]) *fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesim assignat, carnem regit, spiritum seruat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, Gentilem inuitat, seruum domino, dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est.*

e lib. de prouid.
f cap. 1.
g cap. 5.
h lib. de patien.

III. Penè eadem habet Cyprianus [i]. Hieronymus [k] autem eleganter confirmat, quod hoc loco ait Ioannes: *Ne in immensum* (inquit) *volumen extendā, quare, & numeres singulos* (Sanctos) *aduersa perpessos, solus in deliciis Salomon fuit, & forsitan ideo corruit, quē enim diligit* [a] *Dominus, corripit, castigat autem omnem filium, quē recipit. Nonne melius est breui tempore dimicare, ferre vallum, arma, cibaria, lassescere sub lorica, & postea gaudere victorem, quam impatientia vnius horæ seruire perpetuò? Nihil amantibus durum est, nullus difficilis cupienti labor est.* Quocirca monet Basilius [b] omni studio patientiā in aduersis comparandā esse: *Fili, inquit, patientiā arripe quàm maximam tuæ animæ, vt velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, vt in futuro possis accipere ab æterno Domino æternā retributionē. Patientia grandis est medela animæ, impatientia autem est pernicies cordis.* Chrysostomus [c] autem nō potuit meo quidam iudicio patientiæ dignitatem magis extollere, quàm cùm dixit: *Pro Christo pati munus est maioris admirationis, quam si re vera mortuos excitare, & signa miracula patrare, nam illic quidem debitor sum, hic verò debitorem habeo Christum.* Alibi verò [d]. *Si corpus* (ait) *rectè dicimus beatum, quod potest absque sui offensione ferre frigus, & calores, & famem, & inopiam, & viæ difficultates, aliasque ærumnas, quanto magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter, & fortiter omnes omnium molestiarum incursus ferre potest, & cor suum per omnia nulli seruituti obnoxium seruare.*

i lib. de bono patien.
k ep. 22. ad Eustoch. de custod. Virgin.
a ad Heb. 12. 6.
b In admon. ad fil. spir.
c Hom. 4. ad Philip.
d Hom. 1. ad Pop. Antioc.

IV. Nec discrepat Gregorius Pōtifex, [e] sic enim scribit: *Verè radix omnium custósque virtutū est patientia, cuius proprium munus aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi, & quod ait Apostolus, non vinci a malo, sed vincere in bono malū. Quanto autem culmine virtus patientiæ polleat, Salomon indicat, dicens: Melior est patiēs viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbiū. Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extra sunt, qui vincuntur. Maius autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibi subiicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.* Cùm igitur mundus odio prosequitur iustos, non esse mirandū ait Ioannes, tum quia id est malorū improbitati cōsentaneum, tum quia maxima inde vtilitas redundat in bonos, qui dū patienter tolerant, quæ perpeti coguntur aduersa, & Christū imitantur, & cū eo, vt ait Apostolus, etiam conregnabunt, & amplissimū in omnē æternitatem sibi præmiū cōparant. Vt enim in Actis Apostolicis scriptum est [f]. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei.* Et Paulus ait [g]: *Omnes, qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patiuntur.* Quæ verba expendens Augustinus [h]: *Nemo* (inquit) *sibi dicat: fuerunt tribulationes apud Patres nostros, apud nos non sunt. Si putas, te nondū habere tribulationes, nondū cœpisti esse Christianus. Et vbi est vox Apostoli: Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur? Si ergo non pateris pro Christo vllam tribulationē, vide ne nondum cœperis in Christo piè viuere.* Et alibi [i]: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit, & tu fortè exceptus? Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Quamobrem non dubitauit B. Ambrosius [k] rerum aduersarum tolerantiam *matrem fidelium* appellare.

e Hom. 35. Euang.
f Act. 14. 21.
g 2. Tim. 3. 12.
h in Ps. 55.
i lib. de Pastorib.
k lib. 5. ep. 4.

V. Neque verò frustra patitur Deus iustos tam multis malis premi, & in hac mortali vita vexari. Sed primū quidem, vt ait Chrysostomus [l], hac maximè à rerum caducarum amore ad cælestia, ac sempiterna bona diligenda animum auocat. *Si enim,* (inquit) *cùm sint tot tristia, tot pericula, & curæ, tam libenter præsenti immoramur vitæ, si nihil horum esset, & omnis ærumnæ expers esset vita nostra, quando vnquam futura desideraremus? Sic Deus permisit Iudæos lateritio opere, & luto in Ægypto grauari, vt ærumnarum magnitudine cruciati ad Deum clamarent.* Quamobrem meritò exclamat Augustinus [m]: *O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur, puta si dulcis esset, qualiter amaretur? Turbatur mundus, & amatur mundus, quid si tranquillus esset mundus? Flores eius quomodo colligeres, qui à spinis*

l Hom. 6. ad Pop. Antioch.
m Ser. 21. & 149. de temp.

non

non retineat manum? Adde quòd hac maximè ratione cuiusque virtus exploratur, vt qualis, & quanta sit appareat. Sic Salomon.[a] *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Et Sapiens[b]. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Iob[c] verò probatum se dicit, *quasi aurum, quod per ignem transit.* De Tobia verò seniore testatur Angelus[d], quia ille acceptus erat Deo, necesse fuisse vt probatio tentaret eum. Dauid[e] autem explorari se, ac tentari cupit, dum ait: *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Alibi[f] se exploratum fuisse affirmat his verbis: *Probasti, Domine, cor meum, & visitasti in nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Hinc Paulus[g] dixit: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.*

a Prouer. 17. b Eccles. 27. c cap. 23. 10. d Tob. 12. 13. e Psal. 25. 2. f Psal. 16. 3. g ad Rom. 5.

VI. Quin etiam sæpè fit, vt mens nostra rebus aduersis noua velut luce perfusa culpas agnoscat, quas alioqui vel ignorabat, vel non animaduertebat. Ob id enim dixit Isaias[h]: *Sola vexatio intellectum dabit.* Et Salomon[i]: *Virga, atque correptio tribuit scientiam.* Et Ecclesiasticus:[k] *Qui non est tentatus quid scit?* Sic olim Iosephi fratres parricidij in fratrem patrati grauitatem non prius agnouerunt, quàm se malorum acerbitate premi, ac vehementer vexari senserunt: tunc enim dixerunt[l], *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* Sic Nabuchodonosor[m] rebus aduersis eruditus verum Deum agnouit, & prædicauit; filius[n] item prodigus apud Lucam egestate, atque extrema inopia edoctus, de paterna domo cogitare cœpit. Quocirca verè omninò dixit Gregorius: *Oculos, quos culpa clauserat, pœna aperit.* Denique his malis iustorū plerumque peccata expiantur, sic enim ait Sapiens:[o] *Pius & misericors est Dominus, & remittet in die tribulationis peccata.* Alibi[p]: *In die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies soluentur peccata tua.* Et apud Tobiam[q] Sara: *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.* Quamobrē Chrysostomus:[r] *Peccatum* (inquit) *sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut igitur saniem habens si non secatur, est in maioribus malis, ita peccans si non punitur omnium est miserrimus.* Et Gregorius:[s] *Psalmista* (inquit) *ait, ego ad flagella paratus sum, quia enim viri sancti mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manum medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat.* Hinc Paulus.[t] *A Domino* (inquit) *corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Et apud Iob[u] quidam. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Quid enim,* (ait Gregorius) *senario numero, quem septimus sequitur nisi præsentis vitæ operatio, decursusque signatur. In sex itaque nos tribulationibus Dominus liberat, ne nos in septima malum tangat; quia per paternæ pietatis eruditionem præsentis vitæ labore nos atterit, sed in aduentu iudicij à verbere abscondit, vt eo tunc ad salutem certiores exhibeat, quanto nunc flagella durius secant.*

h cap. 28. 19. i Prouer. 19. 25. k cap. 34. 9. l Gen. 42. 21. m Dan. 4. 34. n cap. 15. 18. o Eccles. 2. 13. p cap. 3. 17. q cap. 3. 13. r Hom. 1. ad Pop. Antio. s 7. mor. ca. 8. t 1. Cor. 11. 32. u cap. 5. 19.

VII. Eodem refero, quod alicubi scribit Leo Pontifex:[x] *Sicut ergo totius est corporis piè viuere, ita totius est temporis crucem ferre, quæ meritò fertur vnicuique suadetur, quia proprijs modis, atque mensuris ab vnoquoque toleratur. Vnum nomen est persecutionis, sed non vna est causa certaminis, & plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto. Beatus*[y] *Iob alternantibus bonis, ac malis mundi huius eruditus piè, veraciterque dixerat: Nonne tentatio est vita hominis super terram?* Verè igitur Ioannes ait: *Nolite mirari, si odit vos mundus.* Hoc enim argumentum est, nos ab impiorum vita, moribusque dissidere, atque adeo Deo caros esse in primis, & Christi Domini imitatores, quos ille veluti in stadio duris, atque asperis laboribus exercet, vt cælesti, perennique gloria aliquando remuneretur. Quamobrē verè dixit Didymus, *non est mirandum, si praui homines, qui no-*

x Serm. 6. de Quadrag. y cap. 7. 1.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

A *minantur mundus, odio habeant eos, qui secundum Christum piè viuunt, tunc enim magis esset mirandum, si diligerent eos.* Sic olim quidam cum se ab improbis laudari audisset: *Væ* (inquit) *mihi, aliquid profectò mali perpetraui.* Probè enim intellexit, non posse scelestos, atque improbos nisi scelus, atque improbitatem laudare: quin potius, vt ait Beda, *abominatio est peccatoris religio.*

Eleganter verò Leo Pontifex[a]: *In bono ergo* (inquit) *proposito constitutis inimicitia dissimilium Diabolo instigante non desunt, & facilè in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores fiunt comparatione rectorum. Iniquitas cum iustitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia. Non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundiam, auaritia largitatem, & tam pertinaces habet diuersitas ista conflictus,* B *vt etiam si exterius conquiescat, ipsa tamen piorum cordium penetralia inquietare non desinat. Vt verum sit, quòd qui voluerint in Christo piè viuere, persecutionem patientur, vt verum sit, quòd omnis hæc vita tentatio est.* Nō verò aliam huiusce rei causam affert ab inuidia, maleuolentiaque dæmonis desumptam. *Per istum,* inquit, *agonem dilectissimi ad præmia æterna tendentibus in eo maximè Diaboli insidiatur astutia, vt quorum peruertere non potest probitatem, subruat fidem.* Vt enim Paulinus[b] scribit, in pijs, ac fidelibus Christus ipse quodammodo patitur, idque in actis Apostolicis[c] indicatur, cùm de cælo Christus Dominus Paulum alloquens ait: *Saule, Saule, quid me persequeris?* cum tamen ille aduersus Christiano, minarum plenus magno ferretur impetu.

a Ser. 9. de Quadrag. b ep. ad Apr. c cap. 9. 4.

C 14 *Nos scimus. Quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. qui non diligit, manet in morte.*

I. Aliàs docui, non posse quemquam certò scire se, vel iustum, vel prædestinatum esse, non nulla tamen probabilia indicia, atque argumenta nonnumquam haberi insinuat Paulus[d], & plerique veteres Patres affirmant. Præcipuum hoc loco à Ioanne indicatur à fraterna caritate petitum. Quocirca Didymus: *Disciplinabiliter* (ait) *nouimus, quod relinquentes mortem in vita sumus fraternam caritatem habentes in peccatorē.* Vbi rectè ait nos disciplinabiliter id scire, vt formidinem quidem excludat, nihil tamen præter D probabilitatem ea scientia afferat. Potest quidem iustus suæ gratiæ, & caritatis nonnulla probabilia habere signa, de quibus hunc in modum loquitur Basilius.[e] *Quando* (inquit) *certò persuasus esse aliquis potest, Deum sibi peccata remisisse? Nempe si affectionem animi in se, esse animaduerterit similem illius, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Deus enim pro remissione peccatorum nostrorum demisit vnigenito filio suo quantum in ipso est, ea ante omnibus condenauit. Quoniam autem misericordiam, & iudicium sanctus vir canit, & testatur Deum misericordem esse iustum, necesse est, vt quæ & à Prophetis, & ab Apostolis suis locis de pœnitentia dicta sunt,* E *ea à vobis præstentur vt appareant iudicia iustitiæ & misericordiæ eius consummetur ad condenationem peccatorum.* Gregorius autem Pontifex[f]: *Mens* (inquit) *quæ diuino Spiritu impletur, habet euidentissima signa sua, virtutes scilicet, & humilitatem, quæ si vtraque perfectè in vna mente conueniunt, liquet quòd de præsentia sancti Spiritus testimonium ferat.* Sed omnium optimè atque elegantissimè Leo Pontifex[g].

d 1. Cor. c. vltimo. e Reg. breuior. reg. 12. eadem fusius reg. 296. f lib. Dial. cap. 1. g Ser. 8. de Epiph. c. 5.

II. *Qui autem* (inquit) *experiri cupit, an in ipso Deus habitet, de quo dicitur: Mirabilis Deus in sanctis suis, sincero examine cordis sui interiora discutiat, & sagaciter quærat, quo humilitate resistat superbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quàm non capiatur adulantium linguis, quàmque bonis delectetur alienis. An pro male non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuisci*

iniurias, quàm imaginem, & similitudinem sui conditoris amittere qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis pluit super iustos, & iniustos. & solem suum oriri facit super bonos, & malos. Ac ne in multis laboret solicitus discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium caritatem in secretis suæ mentis inquirat, & si in ea dilectionem Dei, & proximi toto corde intentè repererit, ita vt etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi quisquis huiusmodi est, Deum, & rectorem, & habitatorem a tract. 5. *sui esse non dubitet.* Hoc autem loco Augustinus [a] non absimili ratione hac ipsa de re disserens: *Nemo* (inquit) *interroget hominem, redeat vnusquisque ad cor suum, si ibi inuenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam. Iam in dextera est. Non attendat, quia modò gloria eius occulta est, cùm venerit Dominus, tunc apparebit gloria eius; viget enim, sed adhuc in hyeme, viget radix, sed quasi aridi sunt rami, intus est medulla, quæ viget, intus sunt folia arborum, intus fructus, sed æstatem expectant. Ergo nos scimus, quia transiuimus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Denique Beda: *Nemo se* (inquit) *de virtutibus falsò extollas, nemo suarum virium paupertatem vltra modum metuat, apertum dat indicium, quia quicumque fraterna dilectione plenus est, ad sortem electorum pertinet, quia portionem habere, in terra viuentium meruit.*

III. Porrò mortem, ac vitam multo aliter accipit Ioannes, quàm vulgò intelligitur, vtraque enim ad animum refertur, vt explicat Didymus. *Mortem* (inquit) *& vitam in his, non illas, quæ communiter dicuntur, percipere debemus, quibus etiam irrationabilia animalia participamur, sed vitam æternam, quæ ex fide saluatoris, & virtute generatur, & contrariam ei mortem sequentem mox peccatorum.* Et post pauca: *Quoniam qui diligit fratres secundùm Deum ad vitam ex morte transit, qui non habet hanc caritatem permanet in morte, sicut erat mortua vidua, quæ in delitiis degebat, licet communem haberet vitam.* Scimus ergo ait Ioannes nos de morte ad vitam esse translatos, quia diligimus fratres, ex caritate videlicet, & propter Deum, vt naturalem, ciuilemque beneuolentiam excludamus, quæ plurimùm à caritate differt, vt enim ait Clemens [b] Alexandrinus: *Beneuolentia nihil aliud est, quàm velle ut boni proximi sit propter illum.* In eandem verò sententiam [c] Leo Pontifex: *Mundana beneuolentia in iis quos adiuuat, habet finem, Christiana pietas in suum transit auctorem.* Et Gregorius [d] Pontifex caritatis amorem ab hac humana beneuolentia egregiè seiungens ait: *Nam sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex caritate debetur obedientia. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt.* Prosper [e] autem de amore caritatis sic planè disserit: *Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas vtilitates nostras, non propter sperata beneficia, vel accepta, non propter affinitates, vel consanguinitates, sed propter hoc tantùm, quòd sunt naturæ nostræ participes diligamus, quia non eos sicut nos ipsos amamus, quando propter illa superius dicta diligimus, neque enim ideo proximum tamquam se ipsum diligit quisque, quia sibi frater, aut soror, pater aut filius, mater, aut filia, nepos, aut neptis est, carnaliter quippe amat, qui taliter amat.* Amor itaque ex caritate à morte nos ad vitam traducit, contra verò qui hac ratione non diligit, manet in morte, animæ videlicet mortem intelligit, quia plerumque mortui sunt illi, qui hac spirabili aura fruuntur. Hæc autem mors nihil aliud est, quàm peccatum, sic enim ait Basilius [f]:

b lib. Pæda. cap. 11.
c serm. 8 de Quadrag. cap. 3.
d Hom. 27. Euang.
e lib. 3. de vita contemp. c. 15.
f Hom. 5 in Martyr. Iul.

IV. *Peccatum animæ est ægritudo, peccatum mors est animæ alioqui immortalis. Peccatum luctu est, & implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum profusam effusissima lachryma, nec desinat ab imo pectoris recessu iugiter prosilire suspiriosus gemitus.* Ob hanc opinor causam Hieronymus [a] peccatorem vocat diaboli cadauer: *Cadauer* (inquit) *diaboli putridum ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit peccatum esse fœtidissimum, ipso peccatore dicente: Putruerunt, & corrupta sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Vt minimè mirandum sit asseruisse Aristotelem [b], melius esse mori, quàm aliquid contra virtutis honestatem perpetrare. Et apud Maximum [c] nescio quem tolerabiliorem eum esse, *qui mori iubet, quàm qui malè viuere.* Quod non modo innumerabiles Martyres, ac Virgines suo exemplo docuerunt, sed etiam apud Gentiles non nemo. Mirum autem est, quod alicubi memoriæ prodidit Plutarchus [d], cùm enim Demetrius Damoclem quemdam egregia forma puerum deperiret, cúmque cognouisset lauandi causa nudum, ac solum in priuatum balneum descendisse, clanculum locum adiit, vt illo abuteretur; ille facinus, & hominem detestatus, cùm nullum pateret effugium detracto aheni, quod ibi erat, operculo, in feruentem aquam nudus insiliit. Cui affine est, quod olim Susannam [e] fecisse accepimus, quæ à nequissimis senibus nuda in balneo reprehensa & ad stuprum solicitata. *Angustiæ* (dixit) *mihi sunt vndique, si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in cōspectu Domini.*

a lib. 6. in Isa. c. 14.
b lib. 3. Eth.
c ser. 6.
d in vita Demetr.
e Dan. 13. 22.

15 *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*

Quod modo dixerat, eum qui fratrem non diligit, manere in morte, à contrario, hoc est, fraterno odio confirmat. I. *Ne putetis* (ait Augustinus) *leue esse odisse, aut diligere, audite quod sequitur: Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Iam ergo, qui contemnebat quisque odium fraternum, numquid & homicidium in corde suo contempturus est. Non mouit manus ad occidendum hominem homicida iam tenetur à Domino, viuit ille, & iste iam interfector iudicatur.* Ad hunc planè locum respexisse liquet Ephrem Syrum [f]: *Quemadmodum* (ait) *omnium virtutum excellentium est caritas, ita vniuersorum vitiorum grauissimum est, odisse proximum. Nam qui fratrem suum odit, homicida est, sicut ait Apostolus: Qui odit fratrem, Deum ipsum odio habet, qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quò vadat, quoniam tenebræ obscurauerunt oculos eius, ecce quantorum malorū sit causa odium.* Acutè verò Ambrosius [g]. *De inuidia* (inquit) *odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis eius propagatur. O mala progenies, quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem extinguit. Qui itaque inuidet, vel odit, non alium prius, quàm se ipsum occidit, qui exultat in aduersis proximi, & affligitur in prosperis eius, alieno proximum, se suo petit gladio. Hoc secundum superbiæ virgultum tunc primùm fuit exortum, cùm ille, de quo scriptum* [h] *est: Inuidia diaboli mors introiuit in Orbem terrarum. Cain persuasit, vt litoris odio fraternum funderet sanguinem.*

Porrò Hieronymus. [i] *Ioannes* (inquit) *idem Apostolus, & Euangelista in epistola sua ait: Quicumque odit fratrem suum, homicida est, & rectè, cum enim homicidium ex odio sæpè nascatur, quicumque odit, etiam si nec dum gladio percusserit, animo tamen homicida est.* Ita videas, eum, qui fratrem odio prosequitur, quamuis non re ipsa, animo tamen esse homicidam, quin etiam re ipsa semetipsum perimere. Ita enim scribit Gregorius [k] *Vnā* (inquit) *anima culpa polluis, seruatus verò contra proximum dolor accidis, menti namque vt gladius figitur, & mucrone illum ipsa*

f in interr. tomo 1.
g Precat. ad Missam.
h Sapien. 2. 24.
i ep. 36. ad Castorin. Matertet.
k lib. 10. Moral.

ipsa viscerum occulta perforantur, qui scilicet à transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur, quia & vulneratis membris impons salutis medicamenta nequeunt, nisi ferrum à vulnere ante subtrahatur. Vtroque igitur modo, qui fratrem odit, homicida dicitur, quo haud scio, an ad odij grauitatē exaggerandam fingi quidquam possit aptius. *Scitis*, inquit Apostolus, Græcè, *οἴδατε*. ita OEcumenius, Syrus, Augustinus; alij legunt *scimus*, quos sequitur Beda. Vtrovis autem modo legas, nihil de Apostolica sententia perit; de re ipsa magis laborandum videtur, vt enim constet, eum, qui proximum odio insectatur, gemina quadam ratione homicidam appellari, non planè liquet, quid significet Apostolus cùm subdit:

II. *Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Quis enim quæso inter mortales in se manentem habet vitam sempiternam? An vitam æternam in se manentem habere is dicitur, qui gratia, & caritate præditus vitam præstolatur immortalem, ac beatam? an ipsam gratiam, & caritatem in hominum mentes effusam intelligit, quæ semen est vitæ illius perennis, ac sempiternæ? Certè Paulus[a] alicubi dixit: *Gratia Dei vita æterna*, quia licet auctore Augustino ea vita nō sine meritis tribuatur, omnia tamen merita ortum habent à gratia, quæ omnem merendi vim sola largitur, vt meritò quicquid inde sequitur, vni gratiæ acceptum sit referendū. An habere quis dicitur in se vitam æternā ob spem, qua vita illa beata expectatur? Sanè ita de seipso loquitur Paulus[b]: *Certus sum* (inquit) *quia neque vita, neque mors, neque Angeli, neque Principatus*; & quæ deinceps sequuntur: *poterunt nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*: atque adeò à spe, & expectatione futuræ fælicitatis. Quod eleganter explicat Bernardus[c]: *Caterùm (ait) si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere spes, cum demùm ad hoc ventum fuerit, vt totis viribus exurgens caritas in adiutorium spei foras mittat timorem; nonne eiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam, & requiescere? Si dormiatis*, inquit[d], *inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ. Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem, & securitatem tamquam inter læuam, & dexteram, media videlicet spes, in qua mens, & conscientia mollissimum supposito caritatis strato suauissimè requiescit.*

[a ad Rom. 6.23.]
[b ad Rom. 8.38.]
[c ser. 51. in Cant.]
[d Psal. 67.14.]

III. Et quidem ipsa spes nos propemodum beat, ait enim Apostolus[e]: *Spe salui facti sumus.* Et Dauid[f]: *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Salomon[g] autem: *Qui sperat in Domino beatus est.* Et rursus[h]: *Qui sperat in Domino, saluabitur.* Denique Isaias[i]: *Beati omnes, qui expectant Dominum.* Duplici autem ratione, vt monet Augustinus, spei beneficiu beati, ac salui dicimur. Primum quidem, quia vt[k] ille ait, *spes nostra iam certa est, quasi iam res perfecta sit, neque enim timemus promittente Veritate. Veritas enim nec falli potest, nec fallere.* Deinde quia vt idem[l] alibi docet: *Spes nobis in Christo est, in quo iam completum est, quod nobis promissum speramus, ille quippe iam resurrexit, & mors ei vltra non dominabitur.* Quamobrem Paulus[m] ait: *Si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram.* Nos autem non re vera sicut Christus iam resurreximus, sed nos tamen aliquando surrecturos speramus. Hæc autem spes in integra, puráque conscientia maximè dominatur, vt enim non ita multo post ait Ioannes[n]: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Et Paulus[o]: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Quocirca Augustinus[p] hæc scribit: *Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe, & erunt tria hæc, de quibus dicit Apostolus[q], fides, spes, caritas. Et alio[r] loco ipsa tria, sed pro spe bonam conscientiam posuit. finis, inquit, præcepti est caritas de corde puro, conscientia bona; & fide non ficta. Pro spe conscientiam posuit, ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, & vt habeat bonam conscientiam, credat, & operetur, quia quod credit, fides est, quod operatur, caritatis est.*

[e ad Rom. 8.24.]
[f Psal. 39.5.]
[g Prou. 16.20.]
[h Prou. 28.25.]
[i cap. 30. 18.]
[k Psal. 133.]
[l li. 11. con. Faust.]
[m ad Colo. 3.1.]
[n Ver. 21.]
[o 2. Cor. 1.12.]
[p Præfat. in Psal 31.]
[q 1. Cor 13.13.]
[r 1. ad Tim. 1.5.]

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

IV. Sic dixit Christus[a]: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Nec displicet, si quis gratiam, & caritatem vitam appellet æternam, caritas enim si per se, suáque natura spectetur, deficere neutiquam potest, siquidem vt ait Paulus[b]: *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* & vbi semel gratiam largitus est, numquam eam reuocat, nisi quis peccando illam abiiciat. Bene autem ait Ioannes, homicidam non habere vitam æternam in se manentem, qui ne mortalem quidem vitam iure retinet. Dixit enim[c] Christus: *Omnes qui acceperint gladium* (videlicet, vt alium iugulent, aut vulnerent) *gladio peribũt.* Homicidas quippe, vt docet Augustinus[d], Scriptura[e] sacra morti adiudicat. Et ad huius criminis atrocitatem declarandam humanus sanguis iniustè effusus clamare dicitur ante Dominum. Sic enim de sanguine Abel Deus ipse loquitur[f]: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Illustri enim prosopopœia, vt sanctus Hieronymus[g] monet, sceleris magnitudinē, grauitatemque declarat. Sic enim de grauioribus flagitiis loqui solet Scriptura, vt de Sodomorum nequitia: *Delebimus* (inquiunt Angeli[h]) *locum istum, eò quod increuerit clamor eorum coram Domino.* Et Iacobus[i]: *Ecce* (inquit) *merces operariorum, qui messuerũt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.* Denique de Viduarum, pupillorum, ac pauperum oppressione sic loquitur Deus[k] ipse. *Ascendit clamor eorum ad Deum ab operibus*: loquitur de Hebræis, qui miris modis ab Ægyptiis premebantur.

[a Io. 3.36.]
[b ad Rom. 11.29.]
[c Math. 26.52.]
[d lib. 6. de cōsen. Euāg. c. 5. lib. de agon. Christiā. c. 29. li. 20. cō. Faust. c. 70. Auct. qq. veter. ac noui Testā. q. 104.]
[e Num. 35.]
[f Gen. 4.10.]
[g Ezech. 27.]
[h Genes. 19.13.]
[i cap. 5.4.]
[k Exod. 2.23.]

V. Esse autem Deum immortalem humani sanguinis acerrimum vindicem, plurimis exemplis docet Plutarchus[l]; tantum ergo abest, vt homicida vitam habeat æternam in se manentem, vt perpetuò illi metuenda mors sit: quod suo exemplo docuit Cain, qui ob parricidium fratris adeo intemperiis agitatus est, vt[m] dixerit: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me. Quisque* (inquit Hieronymus[n]) *ex tremore corporis, & furiata mentis agitatu eum me esse intelliget, qui mereatur interfici.* Sic olim Orestem cæde matris cruentatum furiis agitatum fuisse fabulata est antiquitas. Hoc ipsum insinuat Ioannes, cùm ait, homicidam non habere *vitam æternam in semetipso manentem*, vt significet, eum, qui humano sanguine sese fœdarit, non modò longissimè abesse à gratia, & caritate, quæ vitam parit sempiternam, sed intus in animo perpetuò angi, & cruciari, & iusto metu veluti carnifice, atque vltore quidquid agat, aut moliatur lancinante conscientia torqueri.

[l lib. de sera numin. vindicta.]
[m Gen. 4.14.]
[n ep. 125. ad Damas. q. 1.]

16. *In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

I. Redit Apostolus ad perfectæ caritatis vim, potestatemque declarandam proposito Christi exemplo, cuius perfectissimæ in nos caritatis imitationem exigit. Argumentatur autē à maiori quasi dicat: si Christi exemplum, qui pro nobis forti, atque hilari animo vitam profudit prouocat nos, vt idem pro fratribus, ac proximis strenuè aggrediamur, quis dubitet externas opes indigentibus liberaliter tribuendas? Nec abhorret OEcumenius, qui hunc fermè in modum

o 3 Pauli

Pauli argumentationem colligit: *Quid animam* (inquit) *pro fratribus ponendam eſſe dico, cum aliquos ne in indigentia quidem neceſſariarum rerum fratribus ſuccurrere videamus? Atque eos non victus, & facultatum inopes, ſed qui totum ferè mundum diuitiarū poſſident. Erubeſcant igitur, nam ſi in paruis his viſcera ſua clauſerunt, & indignos ſe, & vacuos Dei caritate reddiderunt, quid in maiore, ac præſtantiore re, quod eſt, vt pro fratribus moriantur, facturi ſunt?* Sed fortè Chriſti caritas, qui pro nobis mortem oppetiit, lineas, quod aiunt, tranſiluit, minúſque rectæ rationi conſentanea videri poteſt. Recta quippe ratio docet, minora bona præſtantioribus poſthabenda, non contra. Cum igitur diuina Chriſti vita bonis omnibus creatis infinito propemodum præſtet interuallo, cur pro hominum ſalute temerè profundatur?

II. Sanè ſi tam inſigni liberalitate, atque inaudita caritate nihil Deus ſpectaſſet aliud, quàm non multorum prædeſtinatorum ſalutem, videri poſſet hæc minus prudens, & omninò nimia profuſio, minimèque cum recta ratione coniuncta caritas. Sed cum tam eximium, támque diuinum bonum ad ſuam ipſius gloriam illuſtrandam, propagandamque retulerit, diuinæ protſus ſapientiæ admirabile conſilium fuit, & eximiæ, planéque ſingularis caritatis argumentum. Itaque rectè omninò, ac ſapienter ſcripſit Leo Pontifex [a]: *Omnipotentia enim filij Dei, qua per eamdem eſſentiam æqualis eſt Patri, potuiſſet humanum genus à dominatu Diaboli ſolo imperio ſuæ voluntatis eruere, niſi diuinitus operibus maximè congruiſſet, vt nequitia hoſtilis aduerſitas de eo quod vicerat, vinceretur, & per ipſam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas.* Vt interim omittam, quod hoc loco inſinuat Ioannes, hac ratione voluiſſe Chriſtum ſuo exemplo docere, quid nos pro fratribus, ac proximis noſtris, ſi res flagitet, facere oporteat. Nam cum de ſe ipſo dixit [b]: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hanc caritatis veluti formam nobis retinendam præſcripſit, vt pro proximorum ſalute, cùm cauſa poſtulat, ſanguinem fundere, & mortem ſubire non recuſaremus. Ait igitur Ioannes: *In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Et mox colligit: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Qua id ratione fieri debeat, accuratè Theologi docent in ſcholis; id tamen præcipuè ad Epiſcopos, & Eccleſiaſticos Præſules pertinere apud Ioannem docuit Chriſtus, cum enim ſummum Pontificatum Petro Apoſtolorum principi traditurus eſſet, caritatem primùm ab illo exigit, deinde futuram mortem, & mortis genus prædicit, indicans caritatem adeo perfectam eſſe debere, vt mortem non modo non formidet, ſed libenti, hilatíque animo illam pro ſalute fidelium ſubeat.

a ſer. 14. de paſſ. c. 2.

b Io. 15. 13.

III. Quod non idcirco dixerim, quaſi quiſquam mortalium ſalutem aliis poſſit afferre, nec enim ignoro, id vnius Chriſti proprium fuiſſe munus, quod elegantiſſimè docuit [c] Leo: *Quamuis enim* (ait) *in conſpectu Domini multorum ſanctorum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſoluit, cum inter filios hominum ſolus Dominus noſter Ieſus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſint ſuſcitati.* Sed omnis Ioannis argumentatio eò pertinet, vt fortunæ, corporíſque bona pro ſalute proximorum effundenda doceat, quod multis deinceps tota epiſtola confirmat. Id verò cùm ipſa caritatis vis, ac natura poſtulat, tum Chriſti exemplum à nobis propemodum neceſſariò extorquet, vt interim omittam naturæ legem, quæ hoc ipſum, vt inſinuat Seneca [a], ſuo penè iure exigit. *In commune* (inquit ille) *viuitur, non poteſt quiſquam beatè degere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit, alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere.* Et alio loco [b]: *Natura nos cognatos edidit, cùm ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa æquum, iuſtúmque compoſuit, ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quam lædi, ex illius imperio paratæ ſunt iuuantis manus.*

c ſer. 12. de paſſ. c. 3.

a ep. 48.

b ep. 96.

IV. Cæterum Chriſtiana caritas complectitur quidem omnes homines, qui nobis naturæ cognatione iunguntur, ſed certum tamen ordinem requirit, quem indicat Scriptura [c], cùm ita loquitur ſponſa in Canticis: *Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinauit in me caritatem.* De quo ordine fusè admodum diſſerit Origenes [d]. Proſper autem hæc ſcribit [e]: *Iſte igitur nobis dilectionis ordo ſeruandus eſt iuxta illud, quod dicit Spiritus ſanctus, ordinauit in me caritatem, vt ſicut ordinata caritas poſcit, Deum principaliter diligamus, & propter ipſum in ipſo ea, quæ diligenda ſunt tantum, quantum ipſe præcipit, diligamus. Ipſe enim præcipit, vt corpora noſtra propter nos, proximos ſicut nos, & ipſum plus diligere, quàm nos, debeamus. Ita ſanè, vt eos, quos nobis coniunctiores familiaritas facit, ſi eos fama non reprobat, & vita commendat, nos amplius impendamus, omnium profectus noſtros eſſe credamus, & de aliorum peccatis tamquam de noſtris miſericorditer lugeamus.* Sanè hunc ordinem indicaſſe viſus eſt Apoſtolus, cùm ad Galatas [f] ait: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Itemque cùm ad Timotheum [g] ſcripſit: *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.*

c Cant. 2. 4.

d Hõ. 3. Cã.

e li. 3. de vita contemp. c. 15.

f cap. 6. 10.

g Tim. 1. c. 5. 8.

V. Neque verò exiſtimandum eſt, aduersùs hunc caritatis ordinem pugnare Auguſtinum, qui ſæpe viſus eſt affirmare, æquè omnes diligendos eſſe. Alicubi [h] enim ait: *Omnibus enim pari dilectione vita æterna optanda eſt, & ſi non omnibus eadem poſſunt exhiberi dilectionis officia.* Et alibi [i]: *Omnes* (inquit) *homines æquè diligendi ſunt, ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimùm conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quadam ſorte iunguntur.* Denique affirmans æquè omnes amandos eſſe, vt nos ipſos. *Nec illa* (ait [k]) *quæſtio mouear, quantum caritatis fratri debeamus impendere, quantum incomparabiliter plus Deo, quàm nobis, fratri verò quantum nobis.* Non (inquam) hæc caritatis ordinem euertunt, id enim ſignificat vnum, caritatem à nobis exigere, vt idem omnibus bonum, eamdemque fœlicitatem optemus, quamuis in hoc ipſo ordo aliquis ſit, vt ipſemet ſignificat, cum maioris minoríſve coniunctionis habendam eſſe ait rationem. Dicerent in ſcholis æqualitatem ſpectandam eſſe in obiecto, & quidem primario, non autem in affectu, quod expreſſiſſe videtur Paulus [l], cùm dixit: *Volo omnes homines eſſe ſicut me.* Quod ipſum indicare videtur hoc loco Ioannes, dum Chriſti exemplum proponit, qui vt ille loquitur, *pro nobis animam poſuit.* Hoc enim munus partim æquè omnibus largitus eſt, partim magno cū diſcrimine eius muneris effecta impertiit, nam vt ſupra dixi, pro omnibus mortem oppetiit, re tamē ipſa non omnes eam, quam oportebat, inde capiunt vtilitatem, & quicumque eius mortis fructum percipiūt, non omnes æquè gratiæ, & gloriæ participes fiunt, ſed *vnuſquiſque*, vt ait Apoſtolus [m], *in ſuo ordine.*

h ad Gal. 6.

i lib. 1. de doct. Chriſtiana c. 28.

k lib. 8. de Trinit. c. 8.

l 1. Cor. 7. 7.

m 1. Cor. 15. 21.

17. *Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?*

I. *Quia* (inquit OEcumenius) *pauci admodum ſunt, qui pro*

A *pro fratribus animam ponant, quasi ipsos castigans, & in pudorem inducens, ex leuioribus fraterni amoris adhortationem facit.* Nam profectò, qui vitæ subsidia indigentibus negat, non facilè quis sperare possit, vt hic pro fratribus vitæ periculum subeat. Iam quod spectat ad verba, pro eo, quod ait Interpres *substantiam mundi*, Græcè dixit Apostolus βίον τοῦ κόσμου. Nam Aristoteles [a] βίον appellat quidquid ad opes, ad victum, cultúmque spectat. Et Paulus [b], τοῦ βίου πραγματείαις negotia sæcularia. Et alibi [c], βιωτικὰ κριτήρια, sæcularia iudicia vocat. Denique Lucas [d], βιωτικαῖς μερίμναις, curas huius sæculi nominat. Ita videas hoc nomine, quidquid ad victum, cultúmque, diuitias, honores, aliáque huius vitæ commoda spectat, comprehendi, siue ad vitæ necessitatem, siue ad ambitionem referantur.

a lib.8.Ethic. c.4.
b 2.Tim. 2.4.
c 1.Cor.6.3. & 4.
d cap.21.34.

B Cæterùm quod ad rem pertinet, putat Augustinus hinc Apostolum colligere, multo minùs animam positurum pro fratribus eum, qui hæc vitæ subsidia subtrahat: *Ecce* (inquit) *vnde incipit caritas, si nondum es idoneus mori pro fratre, iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Iam percutiat viscera tua caritas, vt non de iactantia facias, sed de intimo adipe misericordia, vt consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes ponere pro fratre?* Atque ita Apostoli argumentum eo, quem diximus, modo explicat. Neque aliter accepit Cyprianus [e]: *Ioannes* (inquit) *ponit caritatem Dei non esse apud eos, qui videant se operari in pauperem nolle.* Tum ad Apostoli sententiam confirmandam subdit: *Si enim Deus eleemosynas pauperum fœneratur, & cùm datur minimis, Christo datur, non est, quod quis terrena cælestibus præferat, nec diuinis humana præponat. Sic vidua cùm in siccitate, & fame consumptis omnibus de modico farre, & oleo, quod superfuerat, fecisset subcinericium panem, quo assumpto cum liberis moritura esset, superuenit Elias, & petiit sibi primùm ad eundum dari, inde illam cum filiis vesci, nec obtemperare illa dubitauit, at Eliæ filiis mater in fame, & egestate præposuit.*

e serm. de oper. & eleë.

C Nec multum ab hac Ioannis sententia discrepat Iacobus [f]: *Si autem* (ait) *frater, aut soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, ite in pace, calefacimini, & saturamini, non dederis autem eis, quæ necessaria sunt, quid proderit?*

f cap. 2. 15.

II. D *Clauserit* (inquit) *viscera sua*, ne videlicet commiseratione tangantur; aliàs solet Scriptura dicere, ad exprimendum misericordiæ affectum viscera commoueri. Sic de Iosepho [g]: *Commota* (inquit) *fuerant viscera eius super fratre suo.* Et de muliere [h] filij sui respectu: *Commota sunt quippe viscera eius super filio suo.* Contra qui nulla miseratione afficiuntur, claudere dicuntur viscera. Non crediderim tamen hæc de ipsa animi affectione dixisse Apostolum, vt manat à natura & inter humanas animi ægritudines recensetur. Claudere enim viscera quasi ex aduerso caritati obiecit. Plerumque tamen ea naturalis animi affectio beneficentiam, & liberalitatem excitat. Quocirca minimè audiendi sunt Stoici, qui, vt ait Lactantius [i], affectionem, quam misericordiam dicimus, inter vitiosos animi morbos enumerant, quod etiam alicubi affirmat Augustinus [k]. Certè Seneca [l] Stoicorum studiosissimus. *Est* (inquit) *vitium pusilli animi misericordia ad speciem alienorum malorum succedentis. Itaque pessimo cuique familiarissima est, anus, & mulierculæ sunt, quæ lachrymis nocentissimorum mouentur, quæ si liceret, carcerem effringerent. Misericordia non causam, sed fortunam spectat, clementia rationi accedit. Misericordia vicina est miseriæ, habet enim aliquid, trahitque ex ea. Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur, tam me Hercule, quam morbum esse, non hilaritatem semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere.* Detestanda verò, vt ait Lactantius [m], est illa Plauti sententia:

g Genes.43.30.
h 3.Reg.3.26.
i lib.6.c.14.
k li.9.de Ciuit c.5.
l lib.2. de clemen. c.5.
m li.6.c.12.

Malè meretur, qui mendico dat, quod edat,
Nam & illud quod dat, perit,
Et illi producit vitam ad miseriam.

Nescio autem verè eamdem sententiam Ciceroni tribuat. *Quid* (inquit) *Marcus Tullius in suis officialibus libris, nónne hoc idem suadet, non esse omnino largiendum?*

III. Certè Augustinus [a] apertè negat, Tullium à Stoicis stetisse: *Longè* (inquit) *melius, & humanius, & piorum sensibus accommodatius Cicero [b] in Cæsaris laudibus loquutus est, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est.* Tum subdit Augustinus: *Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua vtique si possimus subuenire compellimur. Hanc Cicero locuter egregius non dubitauit appellare virtutem, quam Stoicos inter vitia numerare non pudet.* Certè tum demum misericordia in choro virtutum collocanda est, si benefaciendi voluntas adsit, etiamsi desit facultas. Quocirca sapienter Clemens [c] Alexandrinus: *Misericordia* (inquit) *non est, vt quidam existimarunt Philosophi, molestia propter alienas calamitates, sed est potiùs quid diuinum, vt dicunt Prophetæ [d]. Misericordiam* (inquit) *volo, & non sacrificium. Misericordes autem esse vult non solùm qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etiam si non possint, quibus adest, vt sponte, & libera voluntate operentur. Nonnunquam enim volumus vel dando pecuniam, vel corpoream dando operam facere misericordiam, vt pote egenti opem ferre, vel ægrotanti inseruire, vel ei adesse, qui est in aliqua calamitate, nec possumus vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem (nam ea quoque morbus naturalis) exequi institutum. Eundem honorem consequentur ij, qui voluerunt cum ijs qui potuerunt, quorum est voluntas æqualis, & si superent facultatibus.*

a lib.9.de Ciuit.c.5.
b Or. pro Quin. Ligar.
c lib.4.Stromat.
d Osee.6.6.

IV. Quòd si, vt in præsentia ait Apostolus, facultas adsit, frustra sibi quis blanditur, si opem ferre indigentibus renuat. Rectè enim argumentatur Augustinus: *Iacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre, & si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiamsi te illa viuentem non deserat. Quid inde facturus es? Esurit frater tuus, in necessitate positus est, fortassis suspenditur, à creditore angustatur, non habet ipse, habes tu, frater est, simul empti estis, vnum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis. Vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet? fortè dicis. Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo ergo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes.* Eodemque modo argumentatur Beda: *Si enim* (inquit) *fratris molestiam patienti non compateris, non vtique Patris, ex quo ambo regenerati estis, caritas manet in te.* Altius aliquanto euolasse videtur Leo [e] Pontifex, qui inter cætera dixit: *Nemo igitur dilectissimi de vllius sibi bona vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera caritatis. Nec de sui corporis qualitate securus sit, qui nulla eleemosynarum purificatione mundatur. Eleemosynæ enim peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus dicente Salomone [f]: Qui obturat aures, ne audiat imbecillem, & ipse inuocabit Dominum, & non erit, qui exaudiat eum. Vnde & Tobias filium suum præceptis pietatis instituens: Ex substantia [g]* (inquit) *tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita fiet, vt nec à te auertatur facies Dei. Hæc virtus omnes facit vtiles esse virtutes, quia ipsam quoque fidem, ex qua iustus viuit, & quæ sine operibus mortua nominatur, sui admixtione viuificat.*

e serm.5. de collect. & eleemos.
f Prou. 21.
g Tob.4.

V. Et alibi huius virtutis præstãtiam, dignitatemque

a Ser. 10. de Quadrag.

declarans [a]: *Nulla enim* (ait) *deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quam ista, quæ pauperibus eius impenditur, & vbi curam misericordia inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Non timeatur in iis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, vbi Christus pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat. Sit vnus, & hilaris sit eleemosynæ distributor, quia tunc maximum lucrum habebit, quando sibi minimum reseruauerit dicente B. Apostolo Paulo* [b]: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.*

b 2. Cor. 9. 10.

Non faciam, vt quis hoc loco exemplum perillustre misericordiæ, ac beneficentiæ Ethnici hominis requirat, vt pudeat Christianos, si se in hoc beneficentiæ genere à barbaris superari patiantur. *Erat* (inquit Valerius [c] Maximus) *opibus excellens Gillias, sed multo etiam animo, quàm diuitiis locupletior, sempérque in eroganda potius, quàm in contrahenda pecunia occupatus, adeo vt domus eius quasi quædam munificentiæ officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissimè excepti varijs muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit, ac vestiuit. Quid multa? Non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum diceres esse sinum, quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat.* Quid hîc dicent Christiani, qui à Christo Domino amplissimam promissionem audierunt: *Date* [d] *& dabitur vobis?*

c lib. 4. c. 8.

d Lucæ 6. 38.

VI. Nimirum hæc bonorum largitio Deum quasi debitorem constituit, vt copiosè docet Chrysostomus [e]: *Quo plura* (inquit) *dederis Deo, eo plus te diligit, quibus maiora debet, plus tribuit & gratiæ. cùm aliquem vides, cui nihil debes, eum fugis, & auersatur, cùm verò intuetur eum, cui aliquid debet, continuò ad eum accurrit. Omnia ergo tibi facienda sunt, vt Deum habeas debitorem.* Quâ verò id ratione fieri possit, sic planè explicat: *Nunc huiusce rei tempus est, nunc enim esurit, nunc sitit, nunc nudus est in pauperibus, cum verò hæc vita elapsa fuerit, tui non indigebit, & nunc indigere vult propter te. Cibari à te vult, vt te cibet, indui, vt te induat. Pecuniam ergo contemne, ne contemnaris, vt diues sis, tua largiter da, vt colligas, disperge, imitare seminantem. Semina in benedictionibus, vt de benedictionibus & metas.* Resellit deinde, quas multi obtendere solent, parsimoniæ ne dicam, auaritiæ suæ causas, filiis enim plerique aiunt se, ac posteris suis consulere. Occurrit Chrysostomus: *Si filiis* (inquit) *omnia dimittas periculosa custodia tua cuncta commendasti. Si verò Deum eis relinquas hæredem, & tutorem, innumeros reliquisti thesauros. Si vis filios diuites in tuto relinquere, Deum ipsis relinque debitorem, & hoc eis chirographum trade. Deus centuplum, quod promisit, rependet, Deo ergo fœnerare.* Quàm sit autem hoc misericordiæ genus Deo gratum, alibi idem Chrysostomus magnificentissimis verbis ostendit [f]: *Sic* (inquit) *eleemosyna amica Deo consistit, & semper ei propinqua est, pro quibuscumque voluerit, facile munus impetrat, vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum multa fiducia porta cæli aperiuntur, & veluti reginæ intranti nullus ianitorum, nullus custodum, qui assistunt, audet dicere: Quæ tu es, vel vnde? sed omnes eam à regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas circumscripta per omnia venustate, sed succincta vultum habens candidum, atque mansuetum, pennata est, & leuis, & semper arte solium regale consistit.*

e Hom. 53. & 68. ad popul. Antioch.

f Hom. 9. in Matth.

VII. Mira autem sunt eleemosynæ elogia, & fructus penè innumerabiles, nam vt hinc primùm exordiar, testè dixit Tobias [g]: *Ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras*, vt meritò dixerit [a] Leo Pontifex: *Nihil autem est validius dilectissimi contra Diaboli dolos, quàm benignitas misericordiæ, & largitas caritatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur.* Et alibi [b]: *Misereantur* (ait) *pauperum, qui sibi volunt parcere Christum. faciles sint in alimonia miserorum qui cupiunt ad societatem pertingere fœlicium.* Quo fit, vt secundus baptismus ab Ambrosio [c], Hieronymo [d], eodémque Leone [e] nuncupentur. Ita enim loquitur Leo: *Scientes præter illud regenerationis lauacrum, in quo vniuersorum abluta sunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ diuinitus esse donatum, vt si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur.* Eodémque modo loquitur Cyprianus [f], & Chrysostomus [g] eleemosynam ante Christi tribunal adstare dicit, nec patrocinari modo, verùm etiam iudici persuadere, *vt reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat.* Quod perillustri exemplo confirmat Gregorius [h]. Certè Augustinus [i] ex Apostolo Paulo colligit eleemosynam esse instar sacrificij, quo Deus mirum in modum placatur. Sic enim ait Paulus [k]: *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quocirca magnam affert non solùm fiduciam, sed etiam lætitiam, pacem, & gloriam sempiternam. Et quod magis mirandum est, opes, quas elargitur, in tuto locat: *Vbinam* (inquit Chrysostomus [l]) *opes deponemus? erant fugaces, quomodo tenebuntur? Distributæ manent, custoditæ fugiunt.* Quod tritici exemplo confirmat, quod domi retentum à vermibus corroditur, & perit, sparsum verò vberrimam segetem, & messem fœcundam parit; non aliter opes domi asseruatæ, & custoditæ pereunt, effusæ in pauperes vberrimum fructum afferunt, & permanent: *Non enim* (inquit) *diffugere poterunt detentæ tot viduarum, & pauperum manibus.*

g cap. 4. 11.

a serm. 2. de Ascens.

b serm. 4. de collect.

c ser. 32.

d in Psalm. 133.

e serm. 2. de collect.

f de oper. & eleemos.

g Hom. 33. ad pop. Antioch.

h Hom. 32. in Euang.

i li. 50. hom. hom. 29 lib. 10. de Ciuit. c. 5.

k Hebr. 13. 16.

l Hom. 7. de pœnit.

VIII. Et in eamdem sententiam Cyprianus [m]: *Patrimonium* (ait) *Deo creditum nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur.* Atque haud scio, an quidquam de dignitate eleemosynæ dici magnificentius queat, quàm quod Christus ipse apud Lucam [n]: *Estote* (inquit) *misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Egregiè enim dixit Clemens [o] Alexandrinus: *Dei imago est homo benefaciens.* Et Gregorius [p] Nazianzenus: *Nihil* (ait) *adeo diuinum habet homo, quàm benefacere.* Egregiè autem [q] Leo Pontifex: *Nulla enim deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quam ista, quæ pauperibus eius impenditur, & vbi curam misericordia inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit.* Accedit quòd hac ipsa ratione opes ipsæ, quæ videntur effundi augentur, & multiplicantur. Sic olim vidua, quæ liberaliter Eliam excepit, cum extrema penè inopia laboraret, Prophetæ vaticinium verissimum esse re ipsa deprehendit, quia [r] *Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* Itaque Salomon [s]: *Qui dat* (inquit) *pauperi non indigebit.* Contra verò: *Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Alibi [t]: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei Deus.* Quocirca verè Augustinus [u]: *Fœcundus est* (ait) *ager pauperum, citò reddit donantibus fructum.* Leo [x] verò Pontifex: *Constans* (inquit) *esto Christiane largitor, da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare prouentu. Substantia tua cùm bene erogatur, augetur, & concupiscere iustum misericordiæ lucrum æterni quæstus est, sectare commercium. Munerator tuus vult te esse munificum, & qui dat, vt habeas, mandat, vt tribuas dicens: Date, & dabitur vobis; amplectenda est tibi promissionis istius gratulanda conditio.*

m in serm. de oper. & elee.

n cap. 6. 36.

o lib. 1. strom.

p or. 16 de paup. fouen.

q ser. 10. de Quadrag.

r 3. Reg. 17. 16.

s Prou. 28. 27.

t Prou. 19. 17.

u ser. 25 de verb. Dom. c. 3.

x serm. 6. de ieiunio 10. mensis.

IX. Paucis autem interiectis: *Qui ergo* (ait) *pecuniam amas, & multiplicare opes suas immodicis optas augmentis,* hoc

A *hoc potius sanctum fœnus exerceat, & hoc vsurarum arte ditescat, vt non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia laqueos incidat insolubilium debitorum: sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date, & dabitur vobis, & qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Et concludit: *Si benignus esset anima sua, illi bona sua crederet, qui & idoneus fideiussor est pauperum, & largissimus redditor vsurarum.* Quocirca meritò dixit Chrysostomus [a], eleemosynam artem esse omnium quæstuosissimam. Huc accedit, quòd morientibus incredibilem quamdam lætitiam affert eleemosyna, verè enim dixit Tobias [b]: *Eleemosyna liberat à morte, & ipsa est, quæ facit inuenire misericordiam.* Et alibi [c]: *Quomodo potueris, ita esto misericors, præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Dauid [d] autem: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem. in die mala liberabit eum Dominus.* B *Eleemosyna* (inquit Cyprianus [e]) *Tabitam à morte reuocauit.* Acutè verò Ambrosius [f]: *Nō sunt hominis bona, quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum.* Quod eleganti parabola docet alicubi Damascenus [g]. Huc refero quod ait Christus [h]: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Eleemosyna enim, vt illustri exemplo docet Gregorius [i], æterna tabernacula in cælo ædificat.

a Hom. 33. hoc titulo. Quòd eleemosyna est ars omniū quæstuosissima.
b Tob. 12. 9.
c cap. 4. 8.
d Psal. 40. 2.
e de oper. & eleemosyn.
f Act. 9. 40.
g In vita Ioseph. & Bala.
h Lucæ 16. 9.
i lib. 4. Dial. cap. 36.

X. Quò, vt opinor, spectans Chrysostomus [k]: *Mercatura* (ait) *negotiatioque tua cælum est, da panem, & accipe* C *paradisum, parua da, & magna suscipe, da mortalia, & recipe immortalia.* Et eadem planè mente Chrysologus [l]: *Manus* (ait) *pauperis sinus est Abrahæ vbi quidquid pauper accepit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit, ne pereat in terra, reponit in cælum. Da igitur ô homo pauperi terram, vt accipias cælum. da nummum vt accipias regnum, da micam, vt accipias totum.* Adde, quòd eleemosyna apud Deum quodammodo pugnat, & omnipotenti propemodum vim infert: *Conclude* (ait Ecclesiasticus [m]) *eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo, & super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Denique mirum est, quod scribit Hieronymus [n]: *Nunquam* (ait) *memini me legisse, mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit, habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* D Quam ob rem amplectendum est Salomonis [o] consilium, cùm ait: *Eleemosyna & veritas te non deserat, circumda eas gutturi tuo, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus.* Quæ cùm ita sint, minimè mirandum est, diuinis propemodum præconiis eleemosynam à sanctis Patribus celebrari, quibus eius dignitatem mirificè prædicant, & extollunt. Basilius [p] enim: *Salomon* (ait) *sanè quàm sapientissimus, qui è solida Spiritus sancti doctrina suam hausit sapientiam, magnifico planè hominem exornans elogio voce exorta hæc depromebat: Magna res est homo, & res pretiosa vir misericors.* Sed illa multo magnificentius à Gregorio Nysseno [q] proferuntur: *Si misericordis* (inquit) *appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi vt Deus fias, tamquam insignitus propria nota diuinitatis.*

k Hom. 9. de pœnit.
l Serm. 8. de ieiun. & eleem.
m cap. 29. 15.
n ep. ad Nepotian.
o Prou. 3. 3.
p Hom. 11. in Exam.
q li. de beatitud. Beati misericordes.

XI. Nec dissimili mente Gregorius Nazianzenus [r]: *Fac* (inquit) *calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Ibidem autem dixerat: *Si ex Pauli, atque ipsius etiam Christi sententia, & auctoritate charitatem, vt legis, & prophetarum caput, præceptorum omnium primum, maximumque censendum est, huius potissimam partem in eo sitam esse comperio, vt pauperes amore, & beneuolentia complectamur. Neque enim vlla omnino res est, quæ Dei beneuolentiam perinde concilier, ac misericordia.* Quid de Chrysostomo dicam? is profectò mihi totus esset describendus, si omnia recensenda essent, quæ de eleemosynæ laudibus aurea sua eloquentia posteritati consignauit: Certè alicubi [a]: *Melius* (inquit) *est hanc artem dandi eleemosynam scire, quam esse regem, & diademate coronari.* Cúmque plura de ea dixisset, concludit: *Et quid opus est omnia particulatim dicere artis huius merita? Hæc namque te docet, quomodo possis Deo similis fieri, quod est omnium summa bonorum.* Alibi [b]: *Non dixit* (ait) *Christus, si ieiunetis, eritis similes Patri vestro, neque dixit, si virginitatem illæsam seruaueritis, eritis similes Patri vestro, &c. Nihil enim horum est circa Deum, sed quid? Estote misericordes, sicut & Pater vester, qui in cælis est. Hoc Dei est opus, hoc si non habeas, quid habes? Misericordiam volo* (inquit) *non sacrificium. fecit cælum Deus, fecit terram, mare, magna hæc, & ipsius digna sapientia.* B *Sed illorum nullo tantum humanam attraxit naturam, quantum misericordia, & clementia.* Et rursus ibidem: *Hæc maior est gratia, quàm mortuos suscitare, multo namque maius est, quàm in nomine Iesu mortuos suscitare, esurientem pascere Christum, nam hic quidem tu de Christo bene mereris, illic autem ipse de te. Ac merces est in bene gerendo, non in bene patiendo. Hic insignis ipse Deo debes, in eleemosyna verò Deum habes debitorem.* Denique alio loco: *Eleemosyna* (inquit) *regina illa virtutum homines in ipsorum cælorum arces celerrimè adducet, aduocati optimi loco fungens. Magna res est eleemosyna, præcidit aërem, transit lunam, Solis radios cadit, ad ipsum venit cælorum culmen, ipsos pertransiens cælos, & angelorum populos decurrens,* C *Archangelorúmque choros, & omnes superiores Potestates ipsi assistit regali Throno.*

r Orat. de paup. amore.
a Hom 33 ad Popul.
b Hom. 36. ad Popul.

XII. Iam verò Cyprianus [c]: *Quia* (inquit) *sicut in lauacro aquæ salutari gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis, atque operibus iustis delictorum flamma sopitur, & quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua, & iugis operatio baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur.* Porro Lactantius [d]: *In homine* (inquit) *præclarum, & excellens est bonum misericordia, idque diuinis testimoniis, & bonorum, malorumque consensu optimum iudicatur.* Dixerat autem non ita multo [e] antea: *Primum officium iustitiæ est, coniungi cum Deo, secundum cum homine, sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia, vel humanitas nominatur, quæ virtus propria est iustorum, & cultorum Dei, quòd ea sola vita communis in se continet rationem.* Et aliquanto post [f]: D *Captiuorum redemptio magnum, atque præclarum iustitiæ opus est, pupillos, & viduas destitutas, & auxilio indigentes tueri, atque defendere.* Rectè autem hanc beneficentiam, ac liberalitatem iustitiæ partem vocat, nam etiam Christus apud Matthæum [g] dixit: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coràm hominibus, vt videamini ab eis.* cum tamen de beneficentia sermonem haberet, de qua mox subiicit: *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Et Paulus [h] Dauidis verba proferens: *Dispersit,* (inquit) *dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum; qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.*

c de oper. & eleemosyn.
d lib. 6. c. 14.
e cap. 10.
f cap. 12.
g cap. 6. 1.
h 2. ad Cor. 9. 10.

XIII. Rectè autem ait Ioannes, eum, qui cùm huius vitæ bonis abundet, fratrum necessitatibus non consulit, diuinæ charitatis prorsus esse expertem. E Miro enim consensu Theologi docent, graue piaculum esse superflua retinere, quibus indigentium inopia subleuanda esset. Itaque Basilius [i]: *At tu* (inquit) *nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam tu in conclaui conseruas, discalceati calceus, qui apud te marcescit, indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres.* Et quod magis mirere, negat Ambrosius [k], posse quemquam bona sua appellare, quæ quis possidet: *Sed ais* (inquit) *quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligenter seruem? O impudens dictum? Propria dicis? Quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?*

i Or. ad diuites in illud Euang. Destruam horrea mea.
k Serm. 82.

Et

Et mox: *Non minus est criminis habenti tollere, quàm cum possis, & abundes, indigentibus denegare.* Neque aliter sensit Hieronymus, qui ad Hedibiam hunc in modum scribit [a]: *Si plus habes, quam tibi ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitorem esse te noveris.* Addo Chrysostomum, qui ad Populum Antiochenum verba faciens: *Numquid* (ait) *grave quidpiam, & onerosum à nobis requirit? Necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ nequidquam, & inutiliter reposita sunt, hæc vult bene distribui.* Et aliquanto post: *Tuarum rerum es, ô homo, dispensator, non minus quàm qui Ecclesiæ bona dispensat.* Et mox: *Non ad hoc accepisti, vt in delicias absumeres, sed vt in eleemosynam erogares, numquid enim tua possides? Res pauperum tibi sunt creditæ siue ex laboribus iustis, siue ex hereditate paterna possideas.*

a epist. 110. q. 1.

A

XIV. Nec multo aliter loquitur Augustinus [b]: *Superflua* (inquit) *divitis, necessaria sunt pauperis. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur.* Et alio quodam loco [c]: *Defert tibi Deus honorem, & quasi tibi dicit: Prior de communi tolle, quod sufficit necessitatibus domus tuæ, quod reliquum est, da Christo.* Denique alibi [d]: *Tibi superflua sunt, sed Domini pedibus* (hoc est, pauperibus) *necessaria sunt.* Leo sanè Pontifex [e] negat caduca, & mortalia bona idcirco tribui, vt possideantur, sed vt erogentur. *Etenim* (ait) *terrena, & corporea facultates ex Dei largitate proveniunt, vt meritò rationem earum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda, quàm dispensanda commisit.* Quam ob rem rectè monuit Gregorius [f], cùm scripsit: *Admonendi sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, vt sciant solicitè, quòd ea, de qua sumpti sumus, cunctis hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert, & in cassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vendicant.* Et ne cuncta in hunc locum congeram, agmen claudet Bernardus [g], qui ad Henricum Senonensem Archiepiscopum scribens hunc in modum pauperes, atque indigentes loquentes facit: *Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quòd vos inaniter expenditis.*

b in Ps. 147.
c libr. 50. homm. homil. 8.
d Tract. 50. in Ioan.
e Serm. 5. de collect.
f 3. p. Pastor. admon. 22.
g epist. 42.

B

C

XV. Ne quis autem existimet hæc oratorio more amplificari, atque extolli, cùm tamen aliter Theologi in scholis doceant, addam grauissimum beati Thomæ testimonium, qui alicubi [h] ita planè definit: *Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi.* Et alibi [i]: *Dominus* (inquit) *non solùm decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi.* Denique ait [k] hanc esse communem Theologorum omnium sententiam. Et fortasse hoc ipsum in præsentia significat Apostolus, cùm ait: *Quomodo charitas Dei manet in eo?* Quasi dicat, eum, qui cùm possit pauperum egestati consulere, id tamen negligit, à Dei charitate alienum esse, & graui piaculo obstringi. Ad explicandam autem huius flagitij grauitatem, non ineptè dixit: *Clauserit viscera sua ab eo.* vt significet animum pietatis, & miserationis expertem, ne dicam ferum, & barbarum. Ita Sapiens [l]: *Fili* (inquit) *eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere.* Et Isaias [m]: *Frange* (ait) *esurienti panem tuum, egenos, vagosque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Et Zacharias [n]: *Misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo.* Denique diuinum præceptum, quod agnoscit D. Thomas, asserunt fermè omnes Patres. Sic enim loquitur Cyprianus [o]: *In Evangelio Dominus doctor vitæ nostræ, & magister salutis æternæ inter sua mandata diuina, & præcepta cœlestia nihil crebrius mandat, & præcipit, quàm vt insistamus eleemosynis dandis. Vendite* (inquit [p]) *res vestras, & date eleemosynam.*

h 2. 2. q. 66. art. 7.
i 2. 2. q. 87. art. ad 4.
k in 4. dist. 15. [illegible]
l Eccles. 4. 1.
m cap. 58. 7.
n cap. 7. 9.
o Serm. de operat. & eleem.
p Lucæ 12. 33.

D

E

XVI. In eamdem verò sententiam Gregorius Nazianzenus [q]: *Quodnam* (ait) *per hoc mandatum est de beneficentia? Ac videte quæso, quàm constans sit, minimè quæ fucatum, neque enim hominibus Spiritu sancto afflatis satis fuit semel, atque iterum de pauperibus sermonem habuisse, nec quidam dumtaxat, verùm omnes in vniuersum, & sedulo quisque ad eam rem nos adhortantur, nunc admonentes, nunc comminantes, nunc exprobrantes, nonnumquam etiam eos qui hanc virtutem assequuntur, laudibus efferentes, nimirum vt assidua commonitione nos ad præcepti huius expletionem inflamment.* Præclarè autem Chrysostomus [a]: *Quid igitur* (ait) *inquis, in ignem minatur Dominus ingressuros eos, qui eleemosynam non dederunt, neque simpliciter in ignem, sed in eum, qui diabolo præparatus fuit, & Angelis eius? Quam ob rem hoc est quæso? Nihil ita Deum irritat, sed omnibus illud malis præponit. Si enim inimicos diligere oportet, perpende qua pœna dignus sit, qui amicos etiam perire sinit, hoc ipso gentibus quoque peior. Magnitudo itaque peccati huius cum diabolo gehennam ingredi facit: Væ siquidem eleemosynam non facienti, nam si in veteri illud testamento fuit, multo magis in novo. Si enim vbi concessa erat pecuniarum possessio fruitio, ac tanta tamen providentia pauperum habita est ratio, quanto magis hoc fieri debebat, vbi omnia proiicere iubemur?* Denique Augustinus [b]: *Mutat quidem hominem in melius pœnitentia peccatorum, sed nec ipsa videtur aliquid profutura; si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. Testatur hoc veritas per Ioannem, qui venientibus ad se dicebat: Generatio viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Qui sint autem isti fructus, ipse consequenter ostendit, nam post hæc eius verba interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus, id est, qui sunt isti fructus, quos vt faciamus, hortaris, & terres? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Quid manifestius, fratres mei, quid certius, quid expressius? Quid ergo aliud sonat, quod superius ait: Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur nisi quod sinistris audituri sunt. Ite in ignem æternum, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare?* &c.

q Orat. de pauperum amor.
a Hom. 4. in ep. ad Ephe.
b Serm. 50. de temp.

XVII. Nil igitur mirum, si eos ait Ioannes, alienos esse à charitate, qui cum possint indigentibus benefacere, viscera sua claudunt, hoc est, nullo pietatis, aut humanitatis sensu commouentur, cùm tamen, vt ait Chrysostomus [c], hæc commiserationis affectio omnibus sit à natura indita: *Ex natura* (inquit) *ad misericordiam vniuersi mouentur homines, atque nihil ita bonum est in natura nostra, vnde meritò quis quæsierit, cur potissimùm hoc natura nostræ seminario sit inditum, quid lachrymis frangimur, quid ad misericordiam parati sumus. Nemo natura strenuus est, nemo natura vanæ gloriæ studio caret, nemo natura zelo, atque æmulatione superior est, misereri verò natura est omnibus inditum, vt non crudelis quispiam sit, & immitis.* Qui ergo claudit viscera sua, naturæ propemodum repugnat, quæ nos ad pietatem, & miserationem quodam modo instituit. Claudere autem viscera dixit Apostolus, vt speciem quamdam inhumanitatis indicet. Scriptura enim commota esse ait viscera, cùm quis ad misericordiam flectitur. Ita de muliere, quæ filij necem deprecabatur, scriptum est in libris Regum [d]: *Commota sunt quippe viscera eius super filio suo.* Claudere igitur dixit Ioannes viscera sua illos, qui nullo pietatis sensu tanguntur; de quibus ait Salomon [e]: *Viscera autem impiorum crudelia.* Et alibi [f]: *Benefacit animæ suæ vir misericors, qui autem crudelis est, etiam propinquos abiicit.* indicans propinquis, & cognatis potissimum esse, si indigeant, benefaciendum. Si enim ait Apostolus [g]: *Si quis enim suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Quæ verba explicans Chrysostomus [h]: *Idem* (inquit) *fermè Isaias quoque Prophetarum eximius admonet dicens [i]: Domesticos seminis tui ne despexeris. Nam si quis propinquos genere, ac affinitate*

c Hom. 4. in ep. ad Phil.
d lib. 3. c. 3. 26.
e Prou. 12. 10.
f Prou. 11. 17.
g 1. Timot. 5. 8.
h Hom. 14. in 1. Timot.
i Isa. 58. 7. ex Interpr. LXX.

affinitate coniunctos aspernetur, quomodo erit in alienos clemens? Nonne vanitatis iudicio hominum erit obnoxius, si alienos beneficus fouens, propinquos summa immanitate despicias? Quid item si illos de fide instruas, hos in errore iacere permittas, quibus benefacere iure suo facilius, & commodius possis, quanta istud immanitatis erit? Et est (inquit) infideli deterior. Cur id? quia ille etsi alienos despicit, propinquos tamen nequaquam aspernatur. Diuinas planè leges violat, & iura naturæ, qui negligit suos.

18. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.*

I. Superiorem sententiam paucis confirmat, magisque illustrat, veram enim charitatem non ex verbis, aut blanda, & ad delicias composita oratione, sed ex rebus ipsis spectandam esse docet, quod etiam Ethnici perspicuè docuerunt. Rectè enim dixit quidam [a]:

a Martialis.

Vt præstem Piladem, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis, Marce, vt ameris, ama.

b lib. 1. offic. Rectè autem alicubi [b] scripsit Marcus Tullius: *In Græcorum prouerbio est, amicorum omnia esse communia: communia autem videntur ea, quæ sunt generis eiusdem, quod ab Ennio positum in vna re transferre per multas potest:*

Vt homo, qui erranti comiter monstrat viam
Quasi lumen de suo lumine accendat facit
Vt nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Vna enim ex re satis percipitur, vt quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto, ex quo sunt illa communia. Non prohibere aquam profluentem, pati ab igne, ignem capere, si quis velit. Idem verò alibi [c]: *Inter amicos omnium rerum, consiliorum, & voluntatum sine vlla exceptione sit communitas.* Et in eamdem sententiam Seneca [d]: *Consortium rerum omnium facit amicitia.* Alibi [e]: *Non mihi sic cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, vt pars mea sit pars illius, sed quomodo patri, matrique communes liberi sunt.* Optimè verò alibi [f]: *Præcipiemus, (ait) vt naufrago manum porrigat erranti viam monstret, cum esuriente panem suum diuidat.*

c in Lælio, siue de Amic.
d ep. 48.
e lib. 6. de benef. c. 12.
f epist. 96.

II. Hinc credo manauit illud Iob [g]: *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.* Quò etiam refero [h] Salomonis sententiam: *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Quocirca Clemens Alexandrinus [i]: *Adhæret* (inquit) *charitati & hospitalitas, quæ est artificium amicitiæ circa vsum hospitum, hospites autem sunt, qui etiam dicuntur* [illegible], id est, amici. Et Chrysostomus [k] eum verè ait ex charitate diligere, *qui amat beneficium magis impendere, quàm accipere cupit, non ita gaudet, sibi benefieri, vt alius benefacere.* Rectè ergo ait Ioannes: *Non diligamus verbo, neque lingua.* Ne illos amicos imitemur, quos Theognis vocat [illegible], & [illegible]. Paulo aliter, sed eadem planè mente, Ecclesiasticus [l] quosdam vocat *socios mensæ, qui non permanent in die necessitatis.* At contra egregiè apud Xenophontem Socrates [m]: *Amicus (inquit) bonus se ipsum substituit ad quiduis, quod amico deest, siue ad constituendas res priuatas, seu munera publica. Idem siue quis afficiendus est beneficio, vires amico sufficit, seu quis metus perturbet, fert opem partim sumtus impertiendo, partim operas mutuas tradendo, partim vna persuadendo, partim cogendo. Idem vtentibus fortuna prospera lætitiam affert, & aduersis rebus laborantes plurimum erigit, quæcumque verò vel manus cuique subministrant, vel prospiciunt oculi, vel aures ante percipiunt, vel perficiunt pedes in eorum nullo amici benefica est inferior opera. Sæpè quæ quis à se ipso non elaborauit, non vidit, non audiuit, non perfecit, in iis amici ad amicos sufficere potuit opera.* Et plura deinceps.

g cap. 6. 14.
h Prou. 13. 28.
i lib. 2. Stromat.
k Hom. 7. in 1. ad Thess. cap. 2.
l cap. 6. 10.
m lib. 2. memorabil.

III. Illa profectò charitas perfecta censenda est, de A qua Christus [a]: *Maiorem (ait) hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et Ioannes hoc ipso [b] capite: *Et nos debemus* (inquit) *pro fratribus animas ponere.* Quod suo exemplo post Christum docuit etiam Paulus [c]: *Desiderantes vos cupidè volebamus* (inquit) *tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis.* Quo loco Chrysostomus [d]: *Ita enim* (inquit) *oportet amantem amare, vt etsi anima ab eo postuletur, & possibile sit, non prohibeat. Non dico postuletur, sed vt & ipse vltrò tali dono accurrat, nihil enim tali dilectione dulcius esse poterit, nihil illic triste accidet.* Et alibi [e]: *De germanis amicis loquor, qui eiusdem sunt animi, qui & mortem inuicem, vel in pro alio subire cupiunt, qui feruenter amant.* Tales fuisse Basilium, & Gregorium Nazianzenum ipse B Gregorius Nazianzenus [f] testatur: *Nec nobis cum* (inquit) *Gentiles Orestes suos, & Pilades vllo modo conferendos putabant, nec Molionidas illos Homerico versu celebratos, quos calamitatis societas, atque ars egregiè aurigandi nobilitauit, eodem tempore frena, & verbera inter se patientes.* Nec discrepant ab hac charitatis lege Philosophi, sic enim alicubi scripsit Seneca [g]: *In quid amicum paro? Vt habeam pro quo mori possim, vt habeam, quem in exilium sequar. Detrahit amicitia maiestatem suam, qui illam parat ad casus.*

a Ioan. 15. 13.
b supra vers. 16.
c 1. ad Thess. 2. 8.
d Hom. 2.
e lib. 2. de Sacerd.
f Orat. in Basil.
g epist. 9.

IV. Et Lælius apud Marcum Tullium [h]: *Si quando* (ait) *aliquod officium exstitit amici in periculis, aut obeundis,* C *aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cauea nuper in hospitis, & amici mei M. Pacuuij noua fabula fuerunt, cum ignorante Rege vter eorum esset Orestes, Pilades Orestem se esse diceret, vt pro illo necaretur: Orestes autem ita vt erat, Orestem se esse persuaderet? Stantes autem plaudebant in re ficta, quid arbitramur in re vera fuisse facturos? Facilè indicabit ipsa natura vim suam, cum homines, quod facere ipsi non possent, id rectè fieri in altero iudicarent.* Verùm in hac re exemplum etiam apud Ethnicos profert Lactantius [i]: *Quid* (inquit) *illi Pythagorei familiares laudantur à vobis, quorum alter se Tyranno vadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cum iam sponsor eius duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interuentu suo liberauit? Quorum virtus in tanta gloria non haberetur, quòd alter pro amico, alter etiam pro fide mori voluit, si stulti putarentur. Denique ob hanc ipsam virtutem Tyrannus his gratiam retulit,* D *vtrùmque seruando, & hominis crudelissimi natura mutata est; quin etiam deprecatus esse dicitur, vt se tertium in amicitiam reciperent, non vtique tamquam stultos, sed tamquam bonos, & sapientes viros.* Hos videlicet Ambrosius [k] Damonem, & Pythiam fuisse memorat.

h Dial. de amic.
i lib. 5. de iustitia c. 17.
k lib. 2. de Virginibus.

V. Excludit itaque Ioannes eum amorem, qui verbis dumtaxat, & lingua spectatur, eique ex aduerso eum amorem constituit, qui opere, & veritate constat, & opus quidem verbo opponit, veritatem autem linguæ. At multos prioris generis amicos in hominum genere facilè reperias, posterioris admodum paucos, nam si verè dixit ille [l]: *Amicus certus in re incerta cernitur*; quotus quisque est, qui amicorum rebus aduersis aut opem, aut solatium afferat? Fuit E quidem olim inter fideles Hierosolymitanos perfectissima charitas, quibus vt ait Lucas [m]: *Erant omnia communia, nec quisquam erat, qui priuatim suum quidpiam esse affirmaret.* Persimilem certè charitatem suadet Ioannes, quæ ipsa propemodum lege naturæ commendatur, quæ proximis ea curanda præcipit, quæ sibi ab alio præstari cupiat, tacitèque monet, amicum oportere esse, quasi alterum se. Ita Hieronymus [n]: *Pythagorica* (inquit) *& illa præcepta sunt, amicorum omnia sunt communia, & amicum se ipsum esse alterum.* Et alio loco [o]: *Interrogatus quidam (ait) quid esset amicus respondit, alter ego. Vnde Pythagorei duo vades sese inuicem Tyranno dederunt.* Quâ de re ita loquitur

l Terentius.
m Act. 4. 32.
n Apol. cõt. Ruff.
o Mich. 7.

M. Tul

a Dial. de amic.

M. Tullius [a]: *Ipse se quisque diligit, non vt aliquam a se ipso mercedem exigat charitatis suæ, sed quòd per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus numquam reperietur, est enim is amicus quidem, qui est tamquam alter idem. Alterum enim acquirit, cuius animum ita cum suo commisceat, vt efficiat penè vnum ex duobus.*

VI. Exigit igitur Christiana charitas opus, & veritatem, & quidem veritatem magis, quàm opus, vt videlicet quæ amici causa fiunt, non ad ostentationem, & pompam referantur, sed vnius dumtaxat proximi causa, & diuinæ legis intuitu perficiantur. Hoc enim postulat Christus, cùm apud Matthæum

b cap. 6. 2.

ait [b]: *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Quò spectare videntur, quæ eleganter scribit Sene-

B

c lib. 2. de benef. c. 9. & 10.

ca [c]: *Præcipiunt itaque omnes auctores sapientiæ quædam beneficia palam danda, quædam secretò. Palam quæ consequi gloriosum est, vt militaria dona, & honores, & quidquid aliud notitia pulchrius fit. Quæ rursus non producunt, nec honestiorem faciunt, sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt, vt nota sint solis, quibus prosunt. Interdum & ipse, qui iuuatur, fallendus est, vt habeat, nec à quo acceperit sciat. Arcesilaum, vt aiunt, amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti, ægro autem, & ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios vsus, cum clam succurrendum iudicasset, puluino eius ignorantis sacculum subiecit, vt homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inueniret potius, quàm acciperet. Quid ergo? Ille nesciet, à quo acceperit? Primum nesciat si hoc ipsum beneficij pars est; denique ille nesciet accepisse se, ego sciam dedisse me. Parum est inquis. Parum si fœnerari cogitas. Sed si dare, quo genere accipienti maximè profuturum erit dabis. Contentus eris te teste, alioquin non benefacere delectat, sed videri benefecisse. Volo vtique sciat. quid si illi vtilius est nescire, si honestius, si gratius, non in aliam partem abibis? Volo vt sciat, ita in hominem non seruabis in tenebris.*

C

VII. Illi porrò verba, & lingua diligere dicuntur, qui cum minimè opus est, speciosa quædam, & magnifica promissa iactant, si verò necessitatis articulus incidat, multa prætexunt, vt officio non deesse, sed satisfacere se non posse obtendant. Talis fuisse videtur Laban [d], qui Iacobum amicè, ac beneuolè excipiens: *Num quia* (inquit) *frater meus es, gratis seruies mihi? Dic quid mercedis accipias.* Et tamen postea sæpius illum circumuenit, & mercedem interuertit.

d Gen. 29. 15.

D

e lib. 6. de ling. Latina.
f in Trinũ.

Hos *ferentarios amicos* Varro [e] ex Plauto [f], inanes, & sine fructu interpretatur, à quibus præter verba, & ampullatas pollicitationes nihil sperare possis. Eiusmodi autem amicos se fuisse expertum narrat Iob [g]:

g cap. 6. 15.

Necessarij quoque mei (inquit) *recesserunt à me.* Et aliquanto post. *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens, qui rapitur transit in conuallibus.* Et similitudine torrentis subitò deficientis amicorum inconstantiam, & perfidiam notet. Verum amicum describit Sapiens [h]:

h Ecclesiastici 6. 16.

Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum. Et Salomon [i]:

i Ecclesiast. 4. 9.

Melius est duos esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Quo loco Hieronymus: *Hic dicitur* (inquit) *quid boni habeat amicorum contubernium, & commune solatium, quia & alterius ruina alterius auxilio subleuetur, & curas domesticas ipsius quoque noctis requiem melius exigat ille, qui fidum habet amicum, quàm qui solis opibus incubat acquisitis. Et si robustior inimicus quis contra vnum surrexerit, imbecillitatem alterius amici solatio sustentari.*

E

VIII. Et eleganter Chrysostomus [k]: *Re vera* (ait) *vitæ pharmacum est fidus amicus, re vera protectio fortis est fidus amicus. Quid enim non efficeret germanus amicus? Quantam vtilitatem, quantam securitatem generat? Si mille thesauros dixeris, nihil tamen germano correspondebunt amico.* Et post nonnulla: *Cum amico & paupertas tole-*

k Hom. 2. in 1. ad Thess.

A

rabilis est, sine illo, & sanitas, & diuitiæ intolerabiles sunt. Alium pro se ipso habet, qui amicum habet. Præstringor, & velut præcludor faucibus, non valens exemplo aliquo rem istam exprimere. Noui ego quendam, qui cum sanctos viros amici sui causa obsecrares primum pro illo, & tum demum pro se orare obsecrabat. Certè Salomon [a] graphicè describit amicum, qui opere & veritate diligat. *Omni tempore* (inquit) *diligit, qui amicus est.* Et Ecclesiasticus [b]: *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facile credas ei.* Quò spectans Ambrosius [c]: *Si amici* (ait) *secunda res amicos adiuuant, cur non & in aduersis amici rebus amicorum adiumentum suppetat? Iuuemus consilio, conferamus studia, compatiamur affectu. si necesse est, toleramus propter amicum etiam aspera. Quam pulchrè in aduersis positus Iob dicit [d]: Miseremini mei amici mei, miseremini. Non quasi abiecta vox ista est, sed quasi censoria.* Et Nazianzenus [e]: *Quæ tibi molesta sunt, vtique & nobis. amicorum enim communia omnia censemus, tam prospera, quàm aduersa, eaque amicitiæ lex est.*

a Prou. 17. 17.

b cap. 6. 7.

c lib. 3. o cap. 19.

B

d cap. 19. 21.

e ep. 04. ad Philagr.

Huc verò refert Augustinus [f] Apostoli verba [g]: IX.
Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nihil (ait) *sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.* Denique pulchrè M. Tullius [h]: *Res* (ait) *splendidiores facit amicitia, & aduersas patiens, communicánsque leuiores; cumque plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe prælucet in posterum, nec debilitari animos, aut cadere patitur. Verum enim amicum qui intuetur tamquam exemplar aliquod intuetur sui, quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod difficilius dictu est, mortui viuunt.* Itaque veritatem Apostolus non tam videtur in præsentia mendacio opponere, quàm eo nomine amici fidelitatem, & constantiam explicare, vt à charitate Christiana fraudem, dolum, & simulatione excludat. *Dolus enim* (vt ait Augustinus [i]) *fraus est, simulatio est, quando aliquis aliud in corde tegit, & aliud loquitur: Dolus est, & tamquam duo corda habet. vnum quasi sinum cordis habet, vbi videt veritatem, & alium sinum, vbi concipit mendacium. Et vt noueritis hunc esse dolum, dictum est in Psalmis: Labia dolosa sequitur in corde, & corde locuti sunt mala. Quid est in corde, & corde, nisi duplici corde? Et hoc nomine etiam vocatur in Scripturis, felices duplici corde, & duplex animo.*

f Ser. 21 de verb. Apost.
g Galat. 6. 2.
h in Lælio, siue de ami.

C

i Tract. 7. in Ioan.

D

19. *In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra.*

I. Hæc referri ad superiora indicant Græci Codices qui habent coniunctionem, καὶ, vt dicit Apostolus: *Et* in hoc videlicet, quod proximè dixi, diligendos proximos non verbo, & lingua solùm, sed opere, & veritate. Hoc igitur argumento ait, deprehendimus nos esse ex veritate, hoc est, veritatis studiosos, & sectatores; nihil esse in verbis fucatum, aut fictum, sed vera nos, solidaque charitate Deum, & proximos complecti. Dixerat autem opere, & veritate proximos diligendos, vt eorum excluderet iactantiam, qui inanis gloriæ studio, non charitatis intuitu proximis opem ferunt, quos perstringit Apostolus, cùm ad Corinthios [k] scribit: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Qui enim humanæ laudis captandæ cupiditate incensi, indigentium inopiam subleuant, videntur quidem opere diligere, non tamen veritate, cum aliud spectent, quàm quod vera charitas suadet. Qui verò charitatis impulsu indigenti proximo necessaria suppeditat, hic non opere solum, sed etiam veritate diligit, perspicuéque probat, se esse ex veritate. Est autem hæc phrasis ei persimilis, qua

E

k ep. 1. c. 13. 3.

qua sæpè vtitur Paulus, cùm quosdam ait esse ex circumcisione, alios ex præputio, vt illos indicet iudæos esse, hos verò Ethnicos. Ita ex veritate dicuntur esse illi, qui re ipsa, & ex animo diligunt, veræque charitatis ductum sequuntur. Veritatem porrò pro ipso Deo, OEcumenius, & Beda accipiunt, est enim Deus prima, & summa veritas, quæ nec mentiri, nec fallere potest.

II. *Filioli mei,* (inquit OEcumenius) *ne mentiamur erga nos inuicem, dum lingua solum amamus, sed opere etiam caritatem nostram pro nobis feramus, in hoc enim nos ex veritate, id est, ex Deo esse cognoscemus.* Facit huic explanationi relatiuum eius, quod mox sequitur: *Et in conspectu* (inquit) *eius suadebimus corda nostra.* Quamuis enim Græcè masculino genere dixit Apostolus, ἐμπροσθεν αὐτοῦ, retulisse tamen videtur non tam nomen, quàm personam nomine significatam, quasi dicat, quod olim dixerat Christus, ex mutua caritate Dei discipulos, ac sectatores deprehendi. *In hoc* (inquit [a]) *cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Dilectionem porrò intelligit qualem requirit caritas, rectè enim scripsit Gregorius [b]: *Nemo cùm quempiam diligit, habere se protinus caritatem putet, nisi prius ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, caritatem non habet, sed habere se putat. Caritas autem vera est, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus.* Et S. Bernardus [c]: *Vt perfectè iustitia sit diligere proximum, Deum in causa habere necesse est, alioquin proximum purè diligere quomodo potest, qui in Deo non diligit? Porrò in Deo diligere non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, vt in Deo diligi possit & proximus.* Penè eadem habet Augustinus [d].

[a] Ioan. c. 13. 3.
[b] Hom. 38. in Euang.
[c] Tract. de dilig. Deo.
[d] lib. 8. de Trin. cap. 8.

III. Qui igitur ita proximum diligit, *ex veritate*, hoc est, ex Deo est, quia & Deum verè diligit, & proximum in Deo. Vbique enim, vt ait Basilius [e], hæc duo caritatis præcepta copulat Christus, vsque eò, vt quod proximo quisque benefecerit, id habeat perinde, ac si ipsi factum fuisset. *Esuriui* [f] *enim,* (inquit) *& dedistis mihi manducare,* &c. Tum addit: *Quatenus autem fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Ex quo sanè intelligi potest, qui primum seruet, eum secundum quoque per illud ipsum posse seruare, vicissimque per secundi obseruationem reditum aperiri ad primum, vt videlicet, & qui Deum diligat, consequens sit, eum proximum etiam diligere.* Quod si libeat veritatem accipere simpliciter, atque absolutè, vt significet, aut verborum consensionem cum mente; aut etiam externæ actionis cum animi proposito cohærentiam, sensus erit, si quis non voce tantum, & lingua, sed opere, & veritate diligat, eum se veritatis studiosum, atque amatorem, sectatoremque declarare, quasi significet, non in verbis solum, sed in ipsa etiam vitæ actione veritatem spectari. Vt non modò veritas mendacio, sed etiam fictioni, & simulationi ex aduerso respondeat; atque adeo, vt ex Augustino docuimus, omnem dolum, & fraudem excludat.

[e] in regul. fusiùs disp. q. 3.
[f] Matth. 25. 35.

IV. *Et in conspectu eius suadebimus corda nostra.* Siue quia ex animo Deum, & proximum diligimus, siue quia exclusa simulatione, atque hypocrisi, vera, & perfecta caritas Deo maximè probatur. Vt enim hac ipsa epistola scribit Ioannes [g]: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est, qui autem seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est.* In conspectu igitur Dei suadere corda nostra est, verè se Deo probare, & quasi eo spectante, animique recessus intuente, veræ caritatis indicia præbere. Vera enim caritas elucet, cum Dei præcepta seruantur. Quamobrem Augustinus [a]. *Dilectio* (inquit) *facit præcepta seruare. An præcepta seruata faciunt dilectionem? Si quis ambigit, quod dilectio præcedit, vnde enim præcepta seruet, non habet, qui non diligit. Quod ergo ait, si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, ostendit non vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, tamquam diceret: Nolite vos putare manere in dilectione mea, si non seruaueritis præcepta mea. Si enim seruaueritis manebitis, hoc est, hinc apparebit, quòd in dilectione mea manebitis, si præcepta mea seruaueritis.* Idemque alibi [b]: *Ipse Christus dixit: Dedi vobis præceptum, vt diligatis inuicem: quomodo diligis eum, cuius edixit præceptum? Quis est, qui dicat: Diligo Imperatorem, sed odi leges eius? In hoc intelligit Imperator, si diligis eum, si obseruentur leges eius per prouincias. Lex Imperatoris quæ est? Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Dicis ergo te diligere Christum? Serua mandatum eius, & fratrem dilige, si autem fratrem non diligis, quomodo eum diligis, cuius mandatum contemnis?*

[g] cap. 2. num. 4.
[a] Tract. 82. in Ioan.
[b] Tract. 9. in hanc ep.

V. Neque aliter omnino loquitur Gregorius [c]: *Sed ecce (ait) si vnusquisque vestrum requiratur, an diligat Deum, tota fiducia, & secura mente respondet, diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis quid veritas dicit* [d]: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis. Verè enim diligimus, si ad mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.* Post nonnulla verò: *Ad vos metipsos* (ait) *ergo, fratres carissimi, introrsus redite, si Deum verè amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit, de dilectione conditoris lingua, mens, & vita requirantur, numquam est Dei amor otiosus, operatur enim magna, si est, si verò operari renuit, amor non est.* Tametsi enim viri sanctissimi de caritate in Deum præcipuè loquuntur, idem prorsus tamen de proximi amore sentiendum est, is enim cum ab actione dignoscitur, tùm præcipuè ab animi proposito, atque consilio. Quò spectans Ioannes dixit: *Et in conspectu eius suadebimus corda nostra,* hoc est, Deo præsente, atque inspectante, vt ait OEcumenius, quasi dicat, diuinum intuitum, quo renes, & corda scrutatur, non reformidat is, cuius mens, & animi propositum cum externa actione mirè congruit, vel, vt ait Beda, *cogitationes dignas diuino conspectu suscipit*, vel, vt alij malunt, custodit. Egregiè verò Augustinus [e]: *Præstat* (inquit) *vt ille diligat fratrem, qui ante Deum, vbi solus videt, cordi suo persuadet, & interrogat cor suum, an verè propter fraternam dilectionem hoc faciat. Et perhibet illi testimonium oculus, qui penetrat cor, quò homo attendere non potest.* Et aliquanto post: *Reuocemur ergo ad conscientiam, de qua dicit Apostolus* [f]: *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Reuocemur ad conscientiam, de qua idem* [g] *dicit: Opus autem suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero. Opus ergo suum probet vnusquisque nostrum, vtrum de vena caritatis emanet, vtrum de radice dilectionis rami bonorum operum pullulent. Opus autem suum probet vnusquisque ait, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero, non quando illi perhibet testimonium lingua aliena, sed quando perhibet conscientia propria.*

[c] Hom. 3. in Euang.
[d] Ioan. 14. 23.
[e] in hunc locum.
[f] 2. Cor. 1.
[g] ad Gal. 6.

VI. Et mox: *Hoc ergo hic commendat. Quid est coram ipso? vbi ipse videt, vnde ipse Dominus in Euangelio: Cauete* (inquit) *facere iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Et multa deinceps in eamdem sententiam, vt ostendat, id vnum spectandum esse in proximi dilectione, vt Deo placeamus, vt mens nostra tranquilla sit, quippe quæ vnum

Deum spectet. Atque idcirco ait, *in conspectu eius*, A diuinum videlicet intuitum spectans, quo ille omnia peruadit, ac penetrat, etiam intimos, atque abditos animi nostri recessus. Possis etiam Dei conspectum referre ad secundum Christi aduentum, de quo Syrus, *antequam* (inquit) *veniat Dominus*. In illo autem aduentu ij maximè confidentes erunt, qui

a cap.25. proximis benefecerint, constat enim ex Matthæo [a], beneficos in pauperes, atque egentes ad dexteram Iudicis collocandos, & ad cæleste Beatorum regnum vocandos esse. Itaque Angelus apud To-

b cap.12.8. biam [b] ait: *Eleemosyna ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Et mox: *Qui faciunt eleemosynam, & iustitiam, saturabuntur vi-*

c Psal.40.1. *ta.* Dauid [c] autem: *Beatus qui intelligit super egenum,* B *& pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* Et Sa-

d Prou.21.21. lomon [d]: *Qui sequitur iustitiam, & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.*

VII. Quo spectans Cyprianus [e]. *Quæ illa erit* (inquit) *fratres carissimi operantium gloria, quam grandis, & summa lætitia, cùm populum suum Dominus cœperit recensere, & meritis, atque operibus nostris præmia promissa contribuens, pro terrenis cælestia pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione restituit?* Vult itaque Apostolus caritatis actiones esse eiusmodi, tamquam Deo vidente, atque inspiciente agantur. *Nam nemo est,* (vt ait Dominus) *etiamsi impudentior dæmonibus sit, qui apud Deum testem mentiri auderet.* Obiterque sub- C indicat, hominum iudicia non magni esse facienda, verè enim dixit alicubi Paulus [f]: *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Quo etiam refert Augustinus [g] verba illa Christi [h]: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Dextera* (inquit Augustinus) *pura conscientia est, sinistra mundi cupiditas. Multi per cupiditatem mundi multa mira faciunt, sinistra operatur, non dextra. Dextera debet operari, & nesciente sinistra, vt nec misceat se cupiditas sæculi, quando aliquid boni de dilectione operamur.*

e Serm. de op. & eleem. simil. Lact. lib.6.cap.12. Greg. Nyss. Orat. 10. ad aman paup. Chrysost. homil. 5. de pœnit Aug. lib. 1. cont. aduer. legis, & prophet. & lib. 50. homin. hom. 39.
f 1.Cor.4.3.
g in hunc loc.
h Matt.6.3.

20. *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.*

I. Hæc mirè faciunt ad id, quod proximè dixit, vt D excludat simulationem, atque hypocrisim, quasi dicat, si fuerit animus à caritate alienus, quamuis externæ actiones non desint, non modo Dei iudicio, qui omnia lustrat, nobisque præsentissimus est, sed propriæ conscientiæ sententia damnabimur. *Si malè* (inquit Augustinus) *sentiat cor nostrum, id est, accuset nos intus, quia non eo animo facimus, quo faciendum est, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia, quasi dicat: Cor tuum abscondis ab homine, à Deo absconde, si potes.* Et aliquanto post: *Perhibeat tibi testimonium conscientia tua, quia ex Deo est. Si ex Deo est, noli illam velle ante homines iactare, quia nec laudes hominum te leuant in cælum, nec vituperationes inde te deponunt, ille videat, qui coronat, ille sit testis, quo Iudice coronaris.* Nec malè OEcumenius: *Si enim* (inquit) *dum dicimus nos amare,* E *cor nostrum nos mendacij condemnet, peccamus; atque id latere præsentem vbique Deum existimantes, neque intelligentes quo pacto si cor nostrum, quod exiguum est, latere nequimus, Deum, qui nusquam non adest, latere valeamus.* Vt significet hunc esse Apostoli sensum, si dum prauo consilio caritatis functiones exercemus, cor nostrum nos reprehendit, ac damnat, quid de Deo existimandum erit, qui longè plura in nobis ipsis cognoscit, ac perspicit (quippè quem nihil latere queat) quàm nos suspicari possimus. Neque aliter accipio, quod scribit alicubi Diado-

chus [*]: *Longe maius est iudicium Dei conscientia nostra.* Si ergo quempiam conscientia reprehendit, acerrimum, idemque iustissimum Dei iudicium metuat necesse est. * de perfect. spirit. c.100.

Argumentatur igitur Apostolus à minori; nam si mens, & conscientia nostra, quæ ancipiti cogitatione nonnumquam distrahitur, sæpè etiam aut errorum nubibus excæcatur, aut animi morbis, ac perturbationibus inuoluitur, & implicatur, in multis denique labitur, & errat, nos tamen meritò reprehendit, multo id profectò magis faciet Deus, qui mentis, & intelligentiæ nostræ vim, & facultatem longè superat, & nihil omnino eum latere potest. Quæ cùm ita sint, superiorem sententiam mirificè confirmat, sic enim in conspectu Dei corda nostra suadebimus, si vnum spectamus Deum, mentemque nostram ita instituimus, vt eius intuitu faciamus quidquid facimus, illùdque *aspiciamus* (vt ait Augustinus [a]) *quod aspiciendum est.* Quocirca Gregorius ad illa Dauidis [b] verba: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Vide* (ait) *ordinem, primò cor mundum, deinde spiritum rectum Propheta à Deo requirit. Prius enim abrenuntiandum est tibi omni peccato, & omnis à corde vitiorum fœditas eliminanda, vt omne quod agitur, aut dicitur, totum in conspectu Dei, ac lucidum appareat, quod ex bona intentionis origine, quasi de puro quodammodo fonte manat.* Et in te quidem præsenti, & proximi C dilectione plerumque accidere potest, vt minus rectè ea peragantur, quæ alioqui recta, & honesta videntur. Sæpè enim, vt ait Augustinus [c]: *Cognitio necessariarum rerum cor duplicat, vt eo, quæ videmur cum hominibus rectè facere, non ex corde faciamus, quo Dominus præcipit, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus.* Et post nonnulla [d] explicans verba [e] illa: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quis locus* (inquit) *sic intelligendus est, vt nouerimus omnia opera nostra tunc esse munda, & placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentione superna, fine illo caritatis, quia & plenitudo legis caritas.* Et post pauca: *Non ergo quidquisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est.*

II.
a lib. 2. de Ser Dom. in monte c.12.
b in Ps.50.
c lib. 2. de Ser Dom. in monte c.20.
d cap.21.
e Matth 6.22. similia scribit Gregor. lib. 28. Mor. c.13.

D Nimirum hoc idem indicauit Apostolus [f], cùm ad Corinthios scripsit: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ad Colossenses [g]: *Omne quodcumque facitis in verbo, & in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Egregiè verò hunc locum tractat Augustinus [h]: *Magni* (inquit) *interest, cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippè nostrum non initio, sed fine pensandum est, vt scilicet non tantum si bonum est, sed præcipuè si bonum est, propter quod facimus, cogitemus.* Et profectò id diligenter, ac sedulo curandum est, quando, vt ait Gregorius [i], id maximè nititur, ac laborat dæmon, vt boni operis propositum vitiet ac corrumpat. Id strenuè agebat Dauid [k], cùm dixit: *Prouidebam Dominum in conspectu* E *meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* Qui enim vnum Deum spectant, eique se vni probare nituntur, eius procul dubio patrocinio tuti omnes honestæ vitæ partes explent. De quibus mox subiicit Apostolus:

III.
f ep.1.c.10.31.
g cap.3.17.
h in Ps. 118. conc. 12. & l. 2. de mon- bus Manic. cap.13.
i li. 1. Mor. cap 37
k Ps.15.8

21. *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

I. Multò profectò aliter spem, ac fiduciam requirit Apostolus, quàm noui Euangelij buccinatores,

hic

Hic enim puram, castámque mentem exigit, illi contra vnius dumtaxat Christi merita spectant, & otiosam, ac languidam, ideóque inanem confidentiam iactitant. Addo quòd illi eam confidentiam prædicant, quæ omnem penitus metum, ac formidinem excludat, nostra autem confidentia non est omnis metus penitus expers. Idcirco Salomon [a]: *In timore enim* (ait) *Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes, gloria, & diuitiæ in domo eius.* Et Ecclesiasticus [b]: *Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Quocirca Auctor sermonum [c] ad fratres in eremo, qui Augustini nomen præferunt. *O spes* (inquit) *tu omnia portare facis dulciter & suauiter. Eia ergo fratres hanc amate, hanc tenete, non tamen sine timore, quia qui sperat, & non timet, negligens est, qui autem timet, & non sperat, depressus est, & descendit in profundum quasi lapis.* Egregiè verò Bernardus [d] vtrumque Christi pedem mysticè osculandum docet, hoc est, iustitiam, & misericordiam, vt inde pia mens timorem, hinc spem, & confidentiam concipiat. *Pulchrè* (ait) *omnino, quoniam quidem incarnata Dei sapientia misericordia, & veritas obuiarunt sibi. Denique vniuersa via Domini misericordia, & veritas. Fœlix mens, cui semel Dominus Iesus vtrumque infixerit pedem. A duobus signis cognosce eam, quæ huiusmodi est, quæ sicuti necesse est referat diuinis impressa vestigiis; ipsa sicut timor, & spes, ille iudicij, ista misericordiæ repræsentans imaginem. Meritò beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius, cum sapientiæ timor initium sit, spes profectus, nam consummationem sibi caritas vendicat. Quæ cùm ita sint, non paruus fructus est in primo hoc osculo, quod ad pedes accipitur, tantum curato, vt neutro frauderis illorum, alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia & recordatio solius iudicij in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assertio pessimam generat securitatem.*

a Prou. 14. 16.
b cap. 2. 9.
c Serm. 15.
d Serm. 7. in Cant.

II. Non igitur Apostolus inanem confidentiam exigit, sed potissimùm requirit integram, purámque conscientiam, quæ secundùm Christi merita magnam sperandi materiam præbet, quæ tamen non omnem penitus metum excludit, quod exemplo suo docuit Paulus [e], cùm dixit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quod igitur ait Ioannes; *Si cor nostrum non reprehenderit nos*, Græcè est καταγινώσκῃ, quam vocem Latinus Interpres in proximè superiori sententia eodem reprehendendi verbo expresserat. OEcumenij verò Interpres, & alij maluerunt dicere: *Si cor nostrum non condemnet nos.* Hoc enim vox Græca præcipuè significat. Atque ita OEcumenius: *Si ita* (inquit) *nos præparauerimus, vt indemnati apud nos ipsos simus.* Paulo aliter legit Augustinus: *Si cor nostrum* (ait) *non malè senserit.* quomodo etiam superiori sententia legerat: Apostoli verò verba, quod etiam facit Beda, ad fraternam caritatem restringit: *Quid est,* (inquit) *cor non malè senserit? Verum nobis responderit, quia diligimus, & germana dilectio est in nobis, non ficta, sed sincera salutem fraternam quærens, nullum emolumentum sperans à fratre, nisi salutem ipsius.* Videtur autem Apostolus tacitè innuere lustrandos esse animi nostri recessus, & sensa exploranda, & aduersus nos ipsos quandam veluti iudicij formam instituendam, vt veram de nobis ipsis sententiam feramus. Quo sensu Basilius [f], & alij [g] accipiunt illud Deuteronomij sæpius à Deo [h] iteratum: *Attende tibi.* Vnde Clemens [i] Alexandrinus, quia Græcè LXX. habent, πρόσεχε σεαυτῷ, Ethnicos scriptores mutuatos esse censet suum illud toties decantatum, γνῶθι σεαυτόν.

e 1. Cor. 4. 4.
f Hom. 3. in illud: *Attende tibi.*
g Ephrem Syr. tom. 2. & Isaias Abb. or. 72.
h cap. 4. 9. & 11. c. 15.
i 1. Strom.

III. Certè Gregorius [k] Nazianzenus sapientiæ genus esse ait, *se ipsum nosse, ac non immodicè efferri, eodémque modo quo voces affici, quæ si vehementius contendantur, propter immoderationem penitus deficiunt.* Et Chrysostomus [a] inde ait arrogantiam, & fastum oriri, *eò quod non spectamus, quæ nostra sunt.* Ambrosius [b] autem: *Attende* (inquit) *tibi ne fiat verbum absconditum in corde tuo. Tibi* (inquit) *attende, non vtique dicit, pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animo tuo, ac menti tuæ, vnde omnia consilia, facta, cogitationésque manant.* Sed præcipuè id monet Apostolus, vt in actionibus, quæ referuntur ad proximum, vera in animo, & sincera caritas retineatur. Quod vt fiat, id in primis enitendum est, vt præclara nos conscientia sustentet, vt enim ait Chrysostomus [c], *sufficientem magistrum habemus conscientiam.* Et acutè Epictetus [d] Philosophus: *Pædagogo* (inquit) *pueros nos tradidere parentes, qui vbique obseruaret, num quid læderemur, Deus autem iam viros insita conscientia custodiendos tradit. Quæ quidem custodia, & conseruatio nequaquam contemnenda est, quoniam & Deo displiceret, & conscientiæ ipsi nostræ hostes essemus.* Laborandum itaque est, ne nos conscientia accuset aut damnet, est enim, vt ait Nazianzenus [e], *domesticum, & verum Tribunal.* Et in eandem sententiam Ambrosius [f], *Non secundùm forensem abundantiam æstimanda est beatitudo singulorum, sed secundùm interiorem conscientiam, quæ innocentium, & flagitiosorum merita discernit, vera, atque incorrupta pœnarum præmiorúmque arbitra.* Et alibi [g]: *Conscientia enim reatum suum semper tacita sine contradictione conuincit, & indicat.* Denique Gregorius [h]: *Humana* (inquit) *iudicia potest subterfugere malè agens, sed non iudicium conscientiæ.* Et in eamdem sententiam Seneca [i]: *Malè agit, qui famæ non conscientiæ gratus est. Duos istius rei iudices habet, te, quem non potes fallere, & illum, quem potes.*

k Orat. de moderat. in disput. seruand.
a Hom. 32. in Acta Apost.
b Serm. 2. in Psal. 118.
c Hom. 54. in Genes.
d apud Mellis. lib. 2. Serm. 82.
e Orat. in plag. grand.
f lib. 2. de offic. c. 12.
g Serm. 63.
h l. 27. Moral. cap. 17.
i lib. 6. de benef. c. 42.

IV. Itaque meritò ait Apostolus: *Si reprehenderit, aut non reprehenderit cor nostrum.* Vtrumque enim conscientia facit, nam mala quidem vexat, & cruciat, & perpetuo quodam timore torquet, quod apud Iob [k] Eliphaz Themanites indicat, qui de impio sic loquitur: *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem circumspectans vndique gladium.* Et Salomon [l]: *Fugit impius nemine persequente.* Et planius [m]. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Cyrillus verò Alexandrinus [n]: *Magna* (inquit) *quædam res conscientia certè stimulus est, qui quando perperam aliquid agimus, etiam nullo præsente ingenti nos metu exagitat.* Et eleganter Ambrosius [o]: *Peccator quamuis foris abundet, & delicijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Vita facinorosi vt somnium, aperuit oculos, transiuit requies eius, euanuit delectatio, licet ipsa, quæ videtur, etiam dum viuunt, impiorum requies in inferno sit. Viuentes enim in inferna descendunt, vides conuiuium peccatoris? Interroga conscientiam eius, nónne grauius fœtet omnibus sepulchris? Funeris lautiam eius, opum abundantiam, introspice vulnera, & vibices animæ eius, cordísque mœstitudinem.* Et alibi [p]: *Nihil est, quod tam summo dolori sit, quàm si vnusquisque positus sub captiuitate peccati recordetur, vnde lapsus sit. Ita grauis culpa est conscientiæ, vt sine iudice ipsa se puniat, & velare se cupiat, & tamen apud Deum nuda sit.*

k cap. 15. 21.
l Prou. 28. 1.
m Sap. 17. 10.
n lib. 11. in Ioan. c. 32.
o li. 1. offic. cap. 12.
p lib. 2. de pœnit. c. 11.

V. Mitto, quæ in eandem sententiam incredibili quadam eloquentia scribit Chrysostomus [q]. Præclarè autem dicit Augustinus: [r] *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum.* Et post nonnulla: *Si autem ibi* (hoc est, in conscientia) *requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est, quid facturus*

q Conc. 1. & 4. de Lazaro.
r in Ps. 45.

facturus est homo? Quò confugiet enim cœperit pati tribulationes? Et post multa: *Quocumque fugeret, se talem trahit post se, & quocumque talem traxerit se, cruciat se.* Id probat Ambrosius [a] primorum Parentum exemplo. Chrysostomus [b] idem firmat Achabi testimonio. Denique Augustinus [c]: *Quisquis (ait) malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est, ipse enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit, à se quò fugiet?* Idéque exemplo cuiusdã Donatistæ multis deinde confirmat. Adde Senecæ [d] testimonium. *Bona conscientia prodire vult, & conspici, ipsas nequitia tenebras timet, prima, & maxima peccantium est pœna, peccasse, nec vllum scelus impunitum est, quoniam scelus in scelere supplicium est. Proprium est nocentium trepidare.* Hanc ob causam supra dixit Apostolus. *Si cor nostrum reprehenderit nos*, Deum corde nostro maiorem esse, *qui nouit omnia*; quippe cui sistendi aliquando sumus, vt ante actæ vitæ rationem reddamus.

VI. Contra verò nihil potest esse iucundius bona conscientia, quod significare visus est Salomon, [e] cùm dixit: *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Et Ecclesiasticus [f]: *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Et alibi [g]: *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Egregiè verò Paulus [h]: *Gloria,* (inquit) *nostra hæc est testimonium conscientia nostra.* Martialis [i] autem quicumque ille tandem sit. *Nihil illis (ait) metuendum, quibus bona est conscientia.* Et Hieronymus [k]: *Bona conscientia nullius oculos fugit.* Neque aliter sentit Augustinus [l]: *Quomodo enim* (ait) *magna est pœna impiorum conscientia, sic magnum gaudium piorum ipsa conscientia.* Allatis autem Apostoli verbis, quibus gloriam suam esse in conscientia prædicat, subdit: *Hodie in corde meo gaudium inuenio, quia sine causa dicunt quidam: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti iucunditatem in cor meum, non in vineam meam, non in gregem meum, non in cuppam meam, non in mensam meam, sed in cor meum.* Taceo quæ non minus copiosè, quàm eleganter scribit Auctor [m] Sermonum ad fratres in eremo. Non possum tamen præterire, quæ in hanc sententiam scribit Bernardus: *Quid ditius, quid in terra quietius est, & securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur, quàm deprimitur.*

VII. Adde si placet Ethnicorum testimonia. Sic enim alicubi scripsit M. Tullius [o]: *Nullum theatrum virtuti conscientia maius.* Rursus [p]: *Conscientia bene actæ vitæ multorúmque benefactorum iucundissima est.* Itémque illud [q] præclarè; *Si optimorum (ait) consiliorum, atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine vllo metu summa cum honestate viuemus.* Denique [r]. *Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum.* Et Horatius [s]:

——hic murus aeneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Alibi [t]:

Integer vitæ, scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis
Fusce, pharetra.
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Meritò itaque Apostolus integræ puræque conscientiæ spem, & fiduciam pollicetur. Verè námque scripsit Augustinus [u]: *Ipsa caritas bene operantis dat ei spem bonæ conscientiæ, spem enim gerit bona conscientia, quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria hæc, de quibus dicit Apostolus fides, spes, caritas. Et alio loco ipsa tria, sed pro spe bonam conscientiam posuit, finis enim præcepti est, dixit: Quid est finis præcepti? Caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Pro spe conscientiam posuit, ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem, vt ergò speret regnum, habeat bonam conscientiam.*

a in Apol. Dauid c. 9.
b in Psal. 7.
c in Psalm. 36. con. 2. part. 2.
d epist. 27.
e Pro. 15. 15.
f cap. 13. 30.
g cap. 30. 17.
h 2. Cor. 1. 12.
i Epist. ad Tolosates.
k ep. 47 de vitan. suspect. contuber.
l in Psal. 33.
m Ser. 10.
n lib. ad Eugen.
o 2. Tuscul.
p in Cat. maior.
q or. pro Cluentio.
r lib. 6. epist. fam. ad Torq.
s lib. 1. ep. 1.
t Ode 22. lib. 1
u in Psal. 31.

VIII. Quæ cum ita sint, planè constat, toto, quod aiunt, cælo errare, planéque delirare Caluinistas, & Lutheranos, qui impudenter negant, propriis actionibus, ac meritis vlla ratione fidendum esse. Hic autem Ioannes integræ, puræque conscientiæ non solùm spem, sed etiam fiduciam, hoc est, interpretè D. Thoma [a], spei perfectionem pollicetur. Certè Seneca [b] non obscurè significat, fiduciam maius aliquid esse, quàm spem. *De te* (inquit) *spem habeo, nondum fiduciam.* Porrò Tobias eleemosynæ fidendum esse [c] affirmat. *Fiducia,* (inquit *magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Eodem refero, quæ scribit Iob [d]: *Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.* Paulus verò [e]: *Qui bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & magnam fiduciam.* Itemque alibi [f]: *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. nolite itaque amittere confidentiam vestram.* Nec discrepant veteres Patres, Chrysostomus [g] enim. *Optamus (ait) vt etiam ex benefactis habeas fiduciam, & ingúer, quæ Dei sunt, cogues.* Auctor [h] verò imperfecti: *Sicut oleum accendit lumen lucernæ, ita bona opera dant animæ confidentiam.* Basilius Seleuciæ [i] Episcopus: *Oportet per benefacta fiduciam comparare, & ante diem iudicij meditari defensionem.* Inter Latinos verò Cyprianus [k]: *Præclara* (inquit) *res & diuina est salutaris operatio, monumentum spei, grande solatium credentium, nostra seruitutis præsidium, tutela fidei medela peccati.*

IX. Quis verò neget, fiduciam aliquam in honestis, ac laudabilibus actionibus collocandam esse, cum Deus ipse non nisi rectè, honestéque viuentibus vitam polliceatur æternam? *Si vis* (inquit [l]) *ad vitam ingredi, serua mandata.* Cur igitur, qui mandatis obsequutus fuerit, vitam non speret immortalem? Certè Ieremias [m] suas honestas, & laudabilis actiones commemorat. Dauid autem [n]. *Retribuet* (inquit) *mihi secundùm iustitiam meam.* Et Ezechias apud Isaiam [o]: *Memento* (ait) *quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto.* Scribit autem Hieronymus [p] Paulum. Eremitarum parentem in extremo vitæ dixisse: *Reposita est mihi corona iustitiæ,* quod olim dixerat Paulus [q] Apostolus. Hilarion autem Hieronymo auctore, cum ageret animam, se ipsum his verbis affatus est: *Septuaginta propè annis seruiuisti Christo, & mori times?* Beatus etiam Martinus [r] paulo ante mortem sic dæmonem affatur: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funestè reperies, sed me Abrahæ sinus recipiet.* Denique B. Franciscus [s] in hæc verba mortalitatem exuit: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Fateor tamen non ita esse propriis meritis inhærendum, vt gratia excludatur, vel perinde quasi ea per se, ac suapte natura præmij magnitudinem exæquent: siue quia vt sint omnibus numeris absoluta præmij magnitudinem non assequuntur, cùm Paulus [t] dicat: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis,* siue quia studiosis actionibus nostris næuus sæpè aliquis admiscetur.

Itaque

a 2. 2. q. 129. art. 6
b epist. 12.
c cap. 4. 12.
d cap. 11. 14.
e 1. Timot. 3. 13.
f ad Hebr. 10. 34.
g Hom. 2 in 2 ad Cor. vltra med.
h Hom. 15. in Mat. eadem verba habet Ambros. 2. ad Corinth. 5.
i Basilius in orde transfig. Dom.
k De oper.
l Mat. 19.
m lib. 2. Esdræ c. 5.
n Psal. 17. 28
o cap. 38. 3
p. in vita S. Pauli.
q 2. ad Tim. 4. 8.
r apud Seuer. Sulp. in vita ipsius.
s apud Bonauen. in eius vita.
t Rom. 8. 18

a cap. 9. 28. Itaque sapienter a Iob: *Verebar* (inquit) *omnia opera*
mea, sciens quod non parceres delinquenti. Et aliquanto
post: *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut*
mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abo-
b cap. 9. 18. *minabuntur me vestimenta mea.* Daniel autem b: *Non in*
iustificationibus nostris (inquit) *prosternimus nos, sed in*
misericordiis tuis multis. Denique Christus apud Lu-
c cap. 17. 10. cam c: *Cùm feceritis hæc omnia* (inquit) *dicite, serui inuti-*
les sumus.

X. Quæ causa fuit, vt veteres d Ecclesiæ Patres salu-
d Chrysost. briter suadeant, non magnopere propriis meritis in-
hom. 21. in hærendum, neque ea magnifacienda, aut arrogantius
Gen. & hom. prædicanda. Itaque præclarè Chrysostomus e: *Noli*
3. de Ozia, (inquit) *mercedem exposcere, & mercedem accipies. Tu per*
hom. 36. ad *gratiam te saluari confitere, & ille se debitorem confitebi-*
popul. Am- *tur, nec solùm propter opera, sed etiam propter æquanimita-*
bros. apud *tem tuam.* Pertinet autem hæc animi moderatio non
Possid. in vi- solùm ad Christianam humilitatem, sed etiam ad
ta ipsius veræ & catholicæ fidei confessionem, quæ vt non
Aug. lib. cõ. semel docuit Augustinus, apertissimè prædicat, me-
Cresc. cap. rita nostra Dei esse beneficia, atque adeò Deum non
80. Greg. li. tam merita nostra, quàm sua in nos collata munera
9. mor. 27. præmio afficere. Hanc itaque fiduciam puro cordi
Bernardus pollicetur Ioannes, cùm ait: *Si cor nostrum non repre-*
serm. 9. in *henderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* In quo autem
Psal. 90. ser. posita sit fiducia mox explicat, eam enim refert ad
61. in Cant. preces, quibus à Deo ea præcipuè contendimus,
& ep. 310. quæ ad beatam, immortalémque vitam assequen-
e Hom. 3. in dam referuntur; quæ propriè & speranda, & optan-
Mat. da sunt. Id enim significat Paulus f, cùm dixit: *Et*
f ad Rom. 8. *ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectan-*
23. *tes redemptionem corporis nostri, spe enim salui facti su-*
mus, spes autem, quæ videtur, non est spes, nam quod videt
quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per
patientiam expectamus. Qua de re luculenter Ambro-
g li. 5. ep. 22. sius g, Chrysostomus h, & Augustinus i.
ad Horont.
h de fide,
spe, & cari-
tate.
i in Enchir.
c. 8.

22. *Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus.*

I. Hic est fiduciæ nostræ fructus, illa enim, vt ait
OEcumenius, facit, vt quidquid ab eo petierimus, fa-
cilè impetremus: propterea ait Augustinus, fiduciam
nostram ad Deum referri, qui corda nostra intuetur,
& quidem ad impetrandum necessaria est in primis
k cap. 9. 2. fiducia, de qua Christus apud Matthæum k: *Confide*
l Psal. 90. 14. (inquit) *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et Dauid l ita
Deum loquentem inducit: *Quoniam in me sperauit, li-*
berabo eum, inuocabit me, & ego exaudiam eum. Quo-
m coll. 9. c. circa Cassianus m certum ait impetrationis signum
32. esse, cum quis orando magnam in se confidentiam
experitur. Et Augustinus adeo ait certam esse hanc
confidentiam, vt quidquid petierimus, facilè impe-
traturi simus. *Fiduciam ergo* (ait) *habemus ad Deum,*
& quidquid postulauerimus ab eo accipiemus. Sed qui?
quia mandata eius seruamus. Quæ sunt mandata eius?
Numquid semper repetendum est? Mandatum nouum do
vobis, vt vos inuicem diligatis. Ipsam caritatem loquitur,
ipsam commendat. Quisquis ergo habuerit caritatem fra-
ternam, & coram Deo habuerit, vbi Deus videt, córque
eius interrogatum sub iusto examine non ei aliud respon-
derit, quàm germanam ibi esse radicem caritatis, vnde boni
fructus existant, habet fiduciam apud Deum, & quidquid
postulauerit ab eo accipiet, quia mandata eius seruat. Et
profectò hoc idem apertè docuerat Christus, cùm
n cap. 15. 7. apud n Ioannem dixit: *Si manseritis in me, & verba*
mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, &
o in Psal. 4. *fiet vobis.* Quò spectans Chrysostomus o: *Ante alia*
omnia (inquit) *oportet eum, qui precatur, habere fiduciam,*
& postulatum omninò consequetur. Qualis autem de-

A *beat esse fiducia, mox subdit: Et ideo Propheta non di-*
xit: Exaudi me, sed iustitiam meam, suam in Deum fi-
duciam ostendens, & quòd cum ea omninò ad Deum ac-
cedit. Ne dicas enim quispiam, ille fuit exauditus, quo-
niam erat Dauid, ego verò non exaudiar, quoniam sum
pupillus, & abiectus; ostendit, quòd nec illum audit quo-
modocumque, nec te non audit temere, & nulla ductus ra-
tione, sed semper res, & facta exactè contemplatur. Quæ
si habueris, & eorum possis vti defensione, omninò exau-
dieris.

Videtur itaque Apostolus ad impetrandum fi- II.
duciam, seu confidentiam exigere, fiduciam verò
oriri docet ex obseruatione mandatorum. Vnde vt
ait Augustinus, ingens existit quæstio, an preces vim
B habeant impetrandi certam, ac minimè dubiam, &
vtrum ea certitudo impetrandi peculiarem aliquam
conditionem requirat, & quam potissimùm? Con-
stat enim viros plerúmque sanctos frustra preces ad
Deum fudisse, vt cùm Paulus a ter Dominum roga- a 2. Cor. 12.
uit, vt à tentatione, qua premebatur, liber euaderet, 8.
nec potuisse tamen impetrare. Contra verò, vt ait
Augustinus, expetiuit dæmon sibi Iob concedi, vt
cum vexaret, & malè torqueret, & quod petebat,
consecutus est: *Sic etiam petierunt b dæmones à Domino,* b Lucæ 8. 32.
cum eos excluderet ab homine, vt ire permitterentur in por-
cos, & impetrarunt. Ita concludit Augustinus: *Dæmo-*
nes ergo exauditi sunt, Apostolus non est exauditus? An
potius quod verius est, dicamus, imò Apostolus exauditus
C *est. Dæmones non sunt exauditi? Illorum voluntas facta est,*
huius sanitas perfecta est. Secundum hoc intelligere debe-
mus, quia Deus etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat.
Quid si enim hoc petieris, quod tibi obest, & medicus no-
uit, quia obest tibi? Non enim non te exaudit medicus,
quando fortè tu frigidam aquam petis, & si prodest statim
dat, si non prodest, non dat. Non exauditus? An potius ad
sanitatem exaudiuit, quia voluntati contradixit? Sit ergo
in vobis caritas fratres, sit in vobis, & securi estote, & quan-
do non vobis datur, quod petitis, exaudimini, sed nescitis.
Itaque ex Augustini sententia quod ait Apostolus:
Quidquid petierimus, accipiemus ab eo; non simpliciter
& absolutè, sed tum demum verum esse docet, cùm
id, quod petimus, ad nostram pertinet salutem. Qua
D ratione Gregorius c explicat verba Christi apud c Hom. 27. Euang.
Ioannem d: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit* d ca. 16. 23.
vobis. Vt in nomine Christi petere nihil sit aliud,
quàm ea petere, quæ valent ad consequendam salu-
tem. Quod etiam placuit Augustino e, Cyrillo f, & e Tract. 102. in Io.
Chrysostomo g.
Et quidem verè omnino dixit Augustinus san- f lib. 11. in Io c. 7.
ctos ad salutem semper exaudiri, siue Deus neget, si- g Hom. 78.
ue concedat id, quod petitur: *Et tamen* (ait) h *ipse Sal-* in Io.
uator est non solùm quando facit, quod petimus, verùm III.
etiam quando non facit, quoniam quod videt peti contra sa- h Tract. 73. in Io.
lutem, non faciendo potius se exhibet Saluatorem. Quocir-
ca vt idem Augustinus ait, quosdam Deus non exau-
dit ad voluntatem, sed ad salutem, quosdam ad vo-
E luntatem, non ad salutem. Prius illud optandum
nobis est, vt ad salutem exaudiat, idque indicat hoc
loco Ioannes, cùm ait: *Et quidquid petierimus, accipie-*
mus ab eo. Hac enim ratione exaudit iustos, de qui-
bus subiicit, *quoniam mandata eius custodimus, & quæ*
sunt placita coram eo facimus. An igitur impij impe-
trandi spe carebunt? Id profectò visus est dicere
apud Ioannem i cæcus ille, qui ait: *Scimus autem, quia* i cap. 9. 31.
peccatores Deus non exaudit, sed si quis Dei cultor est, &
voluntatem eius facit, hunc exaudit. Simile quiddam
non semel in sacris literis iteratur. Sic enim ait
Isaias k: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos* k cap. 1. 15.
meos a vobis, cum multiplicaueritis orationem, non exau-
diam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Alibi l: *Ag-* l cap. 52. 1. 2.
grauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates

vestra disseruntinter vos, & Deum vestrum. Et Malachias [a]: *Maledicam benedictionibus vestris.* Er in eamdem sententiam Salumon [b]: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis.* Denique Dauid [c]: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

a cap. 2. 2.
b Prou. 28. 9.
c Psal. 49. 16.

IV. Scio Augustinum, & Bedam, aliósque nonnullos existimasse cęcum illum tamquam Catechumenum, aut Neophytum, nec dum satis à Christo institutum, vniuersim pronunciasse, quod ita generatim verum esse non potest. Certè eo testimonio abutebantur Donatistæ, vt probarent irrita esse sacramenta, quæ ab improbis, & peccatoribus administrarentur, vt frequenter indicat Augustinus [d], qui propterea, vt B opinor, negat eam esse Christi, aut Scripturæ sacræ, sed imperiti hominis sententiam, quæ non sit vniuersim vera. Abususest etiam B. Cyprianus [e] miræ sanctitatis, & eruditionis auctor, vt probaret baptismum ab hæreticis collatum iterandum esse. Accedit quòd, vt ait Basilius [f], ex sacris literis [g] deprehenditur, non rarò peccatores à Deo exaudiri, & vt ait Beda, & ante illum Augustinus: *Si Deus peccatores non audiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori.* Videmus autem aliquando audiri à Deo peccatores non solùm cùm suorum scelerum veniam petunt, quam semper Deus paratus est dare, sed etiam cùm alia petunt bona, quæ non ad corpus, sed ad animam pertinent. Quod igitur spectat ad cæci verba, placet Leontij, Theophylacti, & Euthymij sententia, qui ea sic prorsus explicant, vt significet cæcus, peccatores à Deo haudquaquam audiri, vt ad eorum sanctitatem declarandam ipsorum opera miracula faciat: ea enim de re potissimùm agebatur. Itaque cæcus non malè existimabat, omnes qui miracula faciunt, precibus facere, hoc est, non propria auctoritate, sed ea faciendi precibus à Deo impetrata facultate.

d lib. 50. homm. ho. 43. lib. 2. con. Epist. Parme. c. 8.
lib 5 de baptism. con. Donat. c. 20. & lib. 2. retract. c. 5.
e ep. 64. c. 10.
f lib. de cõst. monast. c. 2. & in reg. breuior. reg. 261.
g Lucæ 18. & 18.

V. Quod verò attinet ad alias Scripturæ sacræ sententias, constans est Theologorum omnium sententia, gratiam, & sanctitatem non esse prorsus ad impetrandum necessarias, ita Basilius [h], Chrysostomus [i], D Augustinus [k], & D. Thomas [l]. Siquidem ambigi non potest, etiam impios, si ritè preces adhibeant, sæpe à Deo exaudiri, siue quando quis verè peccatis est etiamnum obstrictus, nec tamen animaduertit, & pio tamen affectu fertur in Deum; siue cùm scelera sua detestatur, quamuis fortassè vim perfectæ contritionis non attingat. Alioqui si peccator in suo scelere persistat, aut etiam in ipsa sua precatione peccet, vix vmquam à Deo exauditur, nisi fortè eo modo, quo Inquitur Augustinus [l], cùm ait: *Sæpe Deum iratum concedere quod placatus negat.* Quamquam non negatim, non rarò Deum orantis sceleré prouocatum auertere oculos suos, vel aures claudere, vt loquitur Scriptura. Quamobrem rectè hoc loco ait Ioannes, impetrandi fiduciam ex præceptorum obseruatione maximè pendere. Et vt hoc loco ait Augustinus, iustorum oratio potissimùm exigit caritatem erga proximos. Quod non obscurè indicauit Christus Dominus [m], cùm dixit: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* Et planius [n]: *Si ergo offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi ante altare munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Et quamquam Augustinus Ioannis verba ad caritatis præceptum restringit, de qua paulo ante loquutus est, simile tamen est, etiam vniuersim accipi de iustitia, & sanctitate, quæ mirum in modum

h in const. monast. c. 1.
i Hom. 8 in Matt. in fin perfect.
k Tract. 44. in Io.
l 2. 2. q. 83. ar. 15. & 16.
l Tract. 53. in Io. & lec. 35. de ve. b. Dom.
m Matth. 6. 14.
n Matt. 5. 23.

A Deum conciliat, idque ea verba non obscurè indicant: *Et ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

VI. Quocirca Gregorius [a] ad illa verba Iob [b]: *Tunc leuare poteris faciem tuam absque macula. Interna quippe (ait) facies hominis mens est, in qua nimirum recognoscimur, vt ab auctore nostro diligamur. Quam scilicet faciem leuare, est in Deo animum per studium orationis attollere. Sed eleuatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat, quia ab spei fiducia protinus frangitur, si intenta precibus necdum deuicta culpa memoria mordetur. Diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profectò reminiscitur, nolle se adhuc facere, quod diuinitus audiuit.* Cùmque hæc Ioannis verba tecitasset, subncit illud Salomonis [c]: *Qui auertit aurem suam, B ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Deinde sequitur: *Cor quippe nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis eius, quem postulat, meminit, & oratio fit exsecrabilis, cum à censura auertitur legis, quia dignum profectò est, vt ab eius beneficiis sit quisque extraneus cuius nimirum iussionibus nonvult esse subiectus.* Contra igitur qui ea, quæ sunt placita coram eo, facit, diuinaque mandata custodit, si ad salutem necessaria postulet, vtrique impetrabit. Quòd si secus accidat, certò sibi persuadeat, se etsi non ad voluntatem, ad salutem certè exaudiri. Quocirca ait Augustinus [d]: *Si aliquid contra quam oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc petius oportuisse quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minimè dubitare debemus. Nam & C huiusmodi exemplum prebuit nobis ille mediator, qui cum dixisset Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, humanam in se voluntatem ex hominis susceptione transformans, continuo subiecit: Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Quisquis autem illam vnam petit à Domino, & hanc requirit, tertius, ac securus petit, nec timet, ne fortè absit, cum accepta, sine qua nihil prodest, quidquid aliud sicut oportet acceperit.*

a li. 10. mor. c. 17.
b cap. 11. 15.
c Prou. 28. 9.
d ep. 121 ad Probam.

VII. Itaque vt scribit Hieronymus [e], sapienter Nebridius sic semper Deum orasse dicitur, vt illi, quod optimum esset, eueniret. Et apud Valerium [f] Maximum: *Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent, quoniam & demùm scirent, quid vnicuique esset vtile. nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrare melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens in quam latè patentem errorem cęcas precationes tuas spargis? diuitias appetis, que multis exitio fuerunt? honores concupiscis, qui plures pessum dederunt? regna tecum ipsa voluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur? splendidis coniugiis inicis manus, at hæc vt aliquando illustrant, ita nonnumquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, teque totam cælestium arbitrio permitte, quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.* Sapienter itaque monet Chrysostomus [g]: *Non minus agen das esse Deo gratias cùm negat, quàm cùm tribuit id, E quod petimus, quia non negat, nisi quod nobis est minus salutare.* Addítque Augustinus [h], vt peramus nobis non dari, quidquid ignorantes non bene petimus.

e epist 9. ad Salu.
f lib. 7. c. 2.
g Hom. 30 in Gen.
h ser. 73. in Ioan.

VIII. Cæterum quod diuinæ legis obseruationem cum precandi studio coniungendam esse monet Apostolus, id proculdubio confirmat, quod sapienter Biantè monuisse [i] ferunt, eos nimirum, qui sibi mentem à Deo bonam largiri precarentur, nec tamen disciplinam capessere, parum cordatos esse, quando nec vi pictor quisquam bonus enadat, dari sibi à Deo bonos colores, & lineam exoptat, quam magis artem perdiscit, sicut nec votis proficit, qui Musicus esse cupit, nisi artem consectetur. Adeo nihil prodest circa preces occupari, nisi rectè viuendi studio teneatis. Quò etiam refero, quod idem [k] aliquando, cùm impius, ac scelestis hominibus naui veheretur, & in summo mari

i Stobæus.
k Laërt. lib. 1. c. 6.

mari omnes periclitarentur, impiis Deorum opem implorantibus: Silete (inquit) ne Dii vos nebulones hic nauigare sentiant. Deus enim impiorum precibus irritatus magis ad vindictam, quàm ad opitulandum flectitur. Quod ni fallor spectat, quod alicubi scribit Plutarchus [a], Lacones commune hoc prouerbium semper in ore habuisse, *admota manu fortunam esse implorandam, vt innuerent frustra Deum inuocari, nisi quis addens industriam manum rotæ admoueat.*

a in Lacon.

IX. Denique ad impetrandum quæ petimus, plurimùm valet perseuerantia, & assiduum precandi studium, de qua Christus apud Lucam [b], proposita parabola eius, qui ob importunitatem assiduè petendi, quod voluit impetrauit. Et alibi [c] bis planè verbis: *Oportet semper orare, & numquam deficere.* Eodemque modo Paulus [d]: *Sine intermissione orate.* Et sanctus Chrysostomus [e] de eadem re disserens sic planè scribit: *Pudeat nos, pudeat dilectissimi, & incredibilem socordiam nostram deploremus. Octo & triginta annos paralyticus ad piscinam expectauerat, expectabàtque vt sanaretur, neque eius impletum est desiderium, neque negligentia sua non sanabatur, sed præuentus ab aliis, neque propterea desperauit. Nos autem si vel decem dies orationibus ouuigilantes non exaudimur, iam tepescimus, hominibus verò quàm diligentissimum exhibemus ministerium in militia, in difficultatibus seruientes, tandem frequenter omnem spem amittimus. Dominum autem nostrum vbi sine dubio merces sequitur longè laboribus amplior (spes enim non confundit, inquit) debito studio, & diligentia prosequi non patimur. Et quonam hoc supplicio dignum? Sed laboriosa est assidua oratio. Et quid non laboriosum, quod a virtute proficiscatur.* Quibus ostendit, non esse à precibus cessandum, etiam si surdis, quod aiunt auribus eas videatur Deus excipere. Planiùs in eamdem sententiam Hieronymus [f], (si modò is est auctor): *Qui ad cupita (inquit) peruenire voluerit, reflectere mentē a studio orationis non debet: sed magis perseuerare in intentione cœpta illum oportet. Hinc est, quòd in libro* [g] *Regum de Anna scriptum est, quòd postquam orauerat, vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Hinc & in Euangelio* [h] *cæcus ille, qui in Iericho transeuntem Iesum audierat, misereri sibi ab eo petebat, sed cum à prætereuntibus sibi iuberetur, vt taceret, ipse multo magis clamabat dicens: Miserere mei fili Dauid, vnde & lumen, quod expetiit, nullo modo eius fructu carebat.*

b cap. 11. 8.
c Lucæ 18. 1.
d 1. Thess. c. vlt. 17.
e Hom. 35. in Ioan.
f Threnor. 3.
g li. 1. Reg. 1. 18.
h Lucæ 18. 40.

X. Quoniam autem de assiduitate, & precum perseuerantia dicere cœpi, non committam, vt elegantissimam Gregorii disputationem quisquam hoc loco requirat. Is enim alicubi [i] ita planè disserit: *De profundis clamaui ad te: Non ait clamo, sed clamaui: habes in hoc perseuerantiæ documentū, vt si primò non exaudiris, ab oratione nō deficias, imò precibus, & clamori insistas, vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit* [k]: *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, vt regnum Cælorum accipias. Esto violentus, vt viui etiam ipsis inferas cæli. Quid hac rapina locupletius? Quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed iuuatur, peccatum minuitur, non multiplicatur.* Quod autem violentiam nominat Gregorius, non perseuerantiam modo, sed animi summam quandam contentionem indicat, quam in eumdem Dauidis locum apertius explicat Chrysostomus [l]: *Quid est* (inquit) *de profundis? Non dixit solummodo ex ore, vel lingua, errante enim mente sæpè verba funduntur, sed ex corde profundissimo cum magno studio, & magna animi alacritate ex ipsis mentis penetralibus. Tales enim preces magnam habent potentiam, quæ neque subuertuntur, neque concutiuntur, etiamsi eas Diabolus magno impetu inundat.*

i in Psal. 6. pœnit.
k Matth. 11. 12.
l in Psalm. 129.

23. *Et hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filii eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.*

I. Quia obseruantibus mandata, & facientibus quæ Deo placent, suarum precum vberrimum fructum pollicitus est, aptè hoc loco explicat, quæ sint Christi mandata, & quò potissimùm referantur: *Et hoc est* (inquit) *mandatum eius.* Non quòd alia non sint plura præcepta, sed quòd hæc sint veluti præcipua, quæ totam vim legis quodam modo complectantur. Putat autem Beda duo his verbis præcepta ab Apostolo indicari, alterum fidei, cùm ait: *Vt credamus in nomine filii eius Iesu Christi*: alterum verò caritatis, cùm subiicit: *Et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.* Augustinus verò vnum videtur dumtaxat caritatis præceptum agnoscere: *Videtis* (inquit) *quia hoc est mandatū. Videtis quia contra hoc mandatum qui facit, peccatum facit, quo caret omnis, qui natus est ex Deo. Videtis quia nihil aliud nobis præcipitur, nisi vt diligamus inuicem.* quod fusius deinceps explicat, ostenditque tum hæc Apostoli verba, tum proximè superiora ad caritatem referri. Cæterum quod ait: *Et hoc est mandatum, vt credamus in nomine filii eius Iesu Christi.* Græcè est dandi casu, πιστεύσωμεν τῷ ὀνόματι, hoc est, nomini filii eius. Quid sit autem credere nomini filii Dei iure quæras. OEcumenius duo ait hac voce nomina in sacris literis significari, gloriam videlicet, & voluntatem Christi: gloriam quidem, cùm ait Dauid [a]: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Et Paulus [b]: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestriū, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.* Hæc enim proculdubio Christi gloriam, & nominis celebritatem prædicant. Voluntatem verò innuere videtur, cùm in Actis Apostolicis [c] ait Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini Iesu* id est, in voluntate, seu potius auctoritate, & si ita loqui fas est, auspiciis Christi.

a Psal. 8.
b Philip 2. 9.
c cap. 2. 38.

II. Ita sensus Apostoli erit, præcipi nobis, vt credamus, hanc esse Dei Patris, & Christi Filii eius voluntatem, vt diligamus alterutrum, vt quod ex Augustini sententia monuimus, vnum caritatis præceptum commendare videatur Apostolus. Nam etiam Paulus [d] omnia legis præcepta, quæ referuntur ad proximum, hoc vno dilectionis præcepto comprehendi autumat, & dilectionem vocat legis plenitudinem. Demùm qui proximum diligat, eum omni ex parte legi satisfacere non dubitat. Et mihi quidem verisimile videtur, more suo Ioannem caritatem erga proximos sedulò commendare. Vt enim affirmat Hieronymus, cùm assiduè in fidelium conuentu hoc Christi præceptum inculcaret, & animaduerteret id auditoribus molestè accidere, quòd eadem semper audire cogerentur, respondisse fertur dignam Ioanne sententiam, hoc esse Domini præceptum, & vel solum posse afferre salutem. Certè Christus suum hoc, ac proprium præceptum appellauit [e]: *Hoc est* (inquit) *præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Quo loco Gregorius, multa quidem ait esse legis præcepta, vnico tamen caritatis præcepto comprehendi, & quodammodo adstringi. Quo fortassè spectauit Apostolus [f], cùm caritatem dixit vinculum esse perfectionis, quo videlicet ea omnia, quæ ad perfectionem assequendam valent, incredibili quodam nexu adstringuntur.

d Rom 13. 10.
e Ioan. 15. 12.
f Colos. 3. 14.

guntur. Sed quoniam plurima de hoc præcepto iam dixit Apostolus, & non pauca deinceps dicturus est, nihil amplius in præsentia addendum censeo, tantum obseruo verba illa: *Sicut dedit mandatum nobis*. Videtur enim alluisse ad Christi verba, cùm apud Ioannem [a] dixit: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*. Et [b] *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*.

a cap. 15. 17.
b Ioan. 13. 34.

24. *Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo, & in hoc scimus, quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.*

I. OEcumenius hæc videtur ad proximè superiora referre, perinde quasi is dicatur in Christo manere, eumdemque in se manentem habere, qui non quocumque modo, sed ita Dei præcepta obseruat, quemadmodum Christus præcepit: *sicut mandatum* (inquit) *dedit*, id est, vero affectu. Putat autem hoc exprimi apud Matthæum [c] his verbis: *Quemadmodum vultis, vt faciant vobis homines, & vos similiter ipsis facite*. Nam si cupimus vt proximi nostri verè erga nos, & sincero animo affecti sint, simili modo etiam nos omninò erga ipsos afficiemur. Malim ego respexisse Ioannem ad Christi verba quæ ipse in Euangelio descripsit, cùm videlicet Apostolos alloquens [d] dixit: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. Vt videlicet amor, quo proximos complectimur, Christi in nos caritatem, quoad eius fieri possit, imitetur, & quodammodo exprimat. Qui ergo hac ratione huic diuino præcepto obtemperat, in Deo manet, & rursus Deus in illo, vt enim ait OEcumenius: *Si hoc mandatum Domini est, si in ipso nos maneamus, firmatique fuerimus, multo magis etiam ipse se ipsum nobis exhibebit*. De hac autem ratione dicendi quia alibi plura dixi, nihil amplius addam; tantùm dico, hæc ad superiorem sententiam confirmandam non exiguam vim habere. Nam si Deus vt caritatis in nobis manet, multo profectò facilius nostris precibus aderit, ita OEcumenius: *Quod cùm ita sit* (inquit) *prorsus si quæ mandat, exequamur, nos quoque ipsum ad ea, quæ petimus, obsequentem habebimus, gratiamque eius in nobis stabilem obtinebimus*.

c cap. 7. 12.
d Ioan. 15. 12.

II. *Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis*. Hoc inquit argumento deprehendimus Spiritum, quem in nos effudit, perseuerare in nobis. At quo? An quia Deus in nobis manet, & nos in illo? Caue censeas. Isto enim modo nugari videretur Apostolus. Quis enim dubitet, eum diuino Spiritu præditum esse, in quo Deus sibi sedem, & quodammodo domicilium collocarit? Quo igitur argumento persuaderi sibi quisque potest, se diuino Spiritu præditum esse? Nempe quia proximum tamquam se ipsum diligit: *Si enim* (inquit Augustinus) *inueneris te habere caritatem, habes Spiritum Dei*. Dixerat autem paulo ante: *Nonne manifestum est, quia hoc [...] Spiritus sanctus in homine, vt sit in illo dilectio, & caritas? Nonne manifestum est, quod ait Apostolus Paulus* [e]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis?* Videtur autem Augustinus Spiritum sanctum ad eam gratiam referre, quæ manuum impositione, hoc est, confirmationis sacramento tribuitur. *Numquid modo* (inquit) *quibus imponuntur manus, vt accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, vt linguis loquantur?* Et cùm dixisset pristina illa Spiritus sancti effecta, & miracula iam non fieri, subdit: *Si ergo per hæc miracula modo testimonium præsentiæ Spiritus sancti non fit, vnde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Videat, probet se ipsum coram oculis Dei. Videat si est in illo dilectio pacis, & vnitatis, dilectio Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ.*

e Rom. 5. 5.

Denique concludit: *Ergo si vis nosse, quia accepisti Spiritum sanctum, interroga cor tuum, ne fortè Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas. Interroga cor tuum, si est ibi dilectio fratris, securus esto: non potest esse dilectio sine Spiritu Dei, quia Paulus clamat: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

III. Verè omnino, ac sapienter, vt omnia, ita scribit Augustinus, vereor tamen ne nimis angustè Ioannis verba explicet, cùm alioqui amplissima sint, & ad omnem iustificantem gratiam commodè referantur, quocumque tandem Sacramento, aut ratione comparetur. Quamuis enim, vt alias docui, nemo certa fide statuere possit, diuina se gratia, & caritate præditum esse, extant tamen indicia non obscura, quibus, vt alias dixi, facile quiuis sibi persuadere potest, se ad filiorum Dei numerum pertinere. *Ipse enim Spiritus* (vt ait Paulus) [a] *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*. Potissimùm verò id ex fraterna dilectione dignoscitur, de qua hoc loco Ioannes. Necessariò enim, vt ait Augustinus, cum Dei caritate, atque adeò cum Spiritu Dei coniuncta est: cum enim Augustinus Ioannis [b] verba protulisset: *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est*. subiicit: *Manifestum est, quòd iustitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit, nam in quo scandalum non est, vtique perfectus est. & tamen videtur dilectionem Dei tacuisse, quod numquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum. Apertissimè enim in eadem epistola* [c] *paulo post ita dicit: Dilectissimi, diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non cognouit Deum, quia Deus dilectio est.* Mox autem: *Ista connexio satis, apertéque declarat eamdem ipsam fraternam dilectionem, (nam fraterna dilectio est, qua diligimus inuicem) non solùm ex Deo, sed etiam Deum esse, quam videmus tanta auctoritate prædicari. Cùm ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem.*

a ad Rom. 8. 16.
b supra c. 2. 10.
c infra c. 4. 7.

IV. Ex hac itaque dilectione *scimus, quoniam manet in nobis de spiritu quem dedit nobis*. Est enim spiritus caritatis actuosus, & efficax, & non solum facit Dei filios, sed eos quodammodo agit, vt ait Apostolus [d]. *Quicumque* (inquit) *Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*. Nam vt ait Augustinus [e]: *Non sunt filij Dei, nisi aguntur Spiritu Dei. Si autem Spiritu Dei aguntur pugnant, quia magnum habent adiutorem*. Huc refero quod ait Ioannes [f]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Vt enim ait Chrysostomus [g], tametsi in hominis iustificatione cælestis, diuinæque gratiæ præsidium primas tenet, nostri tamen liberi arbitrij consensus necessariò requiritur, quandoquidem in Concilio Tridentino [h] definitum est, liberum arbitrium liberè assentiri, & cooperari diuinæ vocationi, & tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, inspirationem illam recipere, & abiicere posse. Quamobrem Ambrosius [i]: *Ego* (inquit) *ostendam & Christum habere filios, quos quotidie generat, sed ea generatione, vel potius regeneratione, quæ potestatis est, non naturæ: adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis*. Ob hanc opinor causam Christus apud Matthæum [k] pacificos Dei filios nominat, pax autem ex caritate oritur, quæ est propria filiorum de quibus ait Gregorius [l]: *Quisquis ergo Patris hæres esse desiderat, & filius existere, hanc* (videlicet pacem) *custodiendo non renuat, nam qui locum præbet discordiæ, ipse profectò tanti se muneris exortem esse conuincit*. Nam, vt idem Gregorius [m] alibi ait, Dei filij verè sunt, & appellantur illi, qui secum ipsi, & cum proximis pacem retinent: contra filij diaboli censentur illi, qui cum secum ipsi luctentur, odio proximos prosequuntur. Verè autem dixit Leo Pontifex [n]: *Hanc pacem esse artissima amicitiarum*

d Rom. 8. 14.
e ser. 43. de verb. Dom. & ser. 13 de verb. Apost.
f cap. 1. 12.
g Hom. 9 in Io.
h sess. 5. c. 5
i lib. 4. de fide, cap. 4.
k cap. 5. 9.
l lib. 7. ep. 6.
m De cura Pastor. p. [...] admon. 23. inter. in lib. [...]
n [...] omn. [...] c. 6.

vincula

vinctula : & indiscreta similitudines animorum non veraciter sibi vendicant, si non cum Dei voluntate concordant. Extra dignitatem huius pacis sunt improbarũ parilitates cupiditatum, fœdera scelerum, & pacta vitiorum. Amor mundi cum Dei amore non congruit, nec ad societatem filiorum Dei perveniet, qui se à carnali generatione non diuidit.

V. Et planius alibi: [a] *Apud enim summum Patrem qui non fuerit in caritate fratrum, non habebitur in numero filiorum.* Dei autem filios merito Christus pacificos nuncupauit, quia vt Hieronymus [b] ait: *Primum in corde suo, deinde inter fratres dissidentes pacem faciunt. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tuo animo sint bella vitiorum?* Et in eamdem sententiam Augustinus: [c] *Si filius,* (inquit,) *Dei incipis vocari qui pacificus esse iam cœpis, non vult filius Dei dici, qui pacem voluerit amplecti, negat Deum sibi Patrem, qui pacificus esse contemnit.* Confestim verò explicans, quinam pacifici appellandi sint: *Pacifices ergo ait esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes fideliter sibi vnanimitatis nexibus inhærentes.* [d] Alibi verò, *In pace* (inquit) *perfectio est, vbi nihil repugnat, & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo. Et vtique filij similitudinem Patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, idest, menti, & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia. Atque id ipsum, quod excellit in homine, idest, mens, & ratio subijciatur potiori, quod est ipsa veritas, Vnigenitus filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat, & hæc est pax, quæ* A *datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati, perfectique sapientis.*

a ser. 11. de Quadrag. c. 6.
b Matt. 5.
c serm. 166. de temp.
d lib. 1. de ser. Dom. in monte c. 2.

VI. Itaque qui caritatem, & pacem cum proximo retinent, & filij Dei sunt, & ab effectu se Dei spiritum retinere vtcumque intelligunt. Vt enim ait Augustinus: [a] *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, non litera, sed spiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante, adiuuante.* Et alibi. [b] *Intelligant si filij Dei sunt, se agi, vt quod agendum est, agant, aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant. Et ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, vt quando id agant, sicut agendum est, idest, cum dilectione, & delectatione iustitiæ suauitatem,* B *quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Meritò autem monet Chrysostomus, [c] non dixisse Apostolum, filios Dei esse, qui Dei spiritum acceperunt, sed qui spiritu Dei aguntur: *Quia ad comparandam* (inquit) *filiorum hæreditatem, non satis est diuino semel imbui spiritu, nisi eius ductu perpetuo regamur, eiusque naucleros sit animæ nostræ auriga, & ductor agens nos in prælium contra spirituales nequitias in cælestibus.* Si igitur hoc caritatis mandatum rectè obseruatur, & vera pax, & amicitia etiam cum inimicis retinetur, argumento est Dei spiritum, quo filij Dei nuncupamur, & manere in nobis, & vim suam, ac potestatem exercere. C *Omnia enim* (vt ait Augustinus [d]) *fiunt facilia caritati, cui vni Christi sarcina leuis est, iuxta illud* [e]: *Hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Quare eis grauia sunt, consideret non potuisse diuinitus dici: grauia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauia non sunt. Petat igitur quo destituitur, vt impleat quod iubetur.*

a ser. 13. de verb. Apost.
b lib. de correp. & grat. c. 2.
c Rom. 8.
d lib. de nat. & grat. c. 69.
e infra c. 5.

ARGVMENTVM CAPITIS QVARTI.

CVm de prima & secunda iustificatione duobus prioribus capitibus luculenter egisset, iustorum verò præmia tertio capite indicasset, iam quarto loco docet, quánam ratione parta iustitia conseruari, & proposita iustis gloria percipi aliquando queat. Itaque de fide, & caritate fraterna disserit, quæ necessariò coniungendæ sunt, cùm absque fide caritas non consistat; fides verò absque caritate prodesse nequaquam possit. Et quod spectat quidem ad fidem, hæreticos tamquam fidei desertores, euersoresque cauendos monet: eademque opera eos dignoscendi modum præscribit; caritatem verò multis nominibus commendat, & extollit, plurimaque coaceruat argumenta, quibus ad eam complectendam, retinendámque fideles excitat, atque inflammat: plurima verò ipsius effecta commemorat, quæ cernuntur in iis, qui Deum, ac proximos verè, atque ex animo diligunt.

CAPVT IV.

1 *CArissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.*

2 *In hoc cognoscitur spiritus Dei, omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.*

PARAPHRASIS.

VOs verò, fratres mihi percari, date diligenter operam, & optima, & probatissima sectemini, nec cuiusquam fraude, ac dolo decipiamini. Sic enim habetote, non esse cuiuis magistro, aut doctori fidem habendam, sed vniuscuiusque placita ad veram catholicæ fidei normam, atque amussim reuocanda, pro certo enim affirmare possum plurimos pseudomagistros prodiisse in lucem. ¶ Quòd si quis vestrum certam quamdam, minimèque fallentem, verum Dei Spiritum cognoscendi regulam quærat, is me auctore intelligat, nulla re magis verum Dei Spiritum, verámque doctrinam deprehendi, quàm si huic Christianæ fidei dogmati consentiat, quo Catholici omnes profitentur, Christum Dominum, hoc est, diuini verbi hypostasim humanam sibi naturam admirabili nexu copulasse.

¶ Nam

¶ Nam quicumque incarnationis mysterium abnegat, quique vnionem hypostaticam aliqua ratione dissuere, aut dissoluere conatur, tantum abest, vt à Deo doctrinam hauserit, eiúsque veram fidem complectatur, vt quasi antichristus ipsi Domino ex aduerso obüciatur, eumque antichristum quodammodo repræsentet, quem vos aliquando venturum audistis, & iam nunc per prodromos, & antesignanos suos sese aliquo pacto prodit. ¶ Ego verò vobis, filioli, ex animo gratulor, quooiam Deum auctorem, ac magistrum sequimini, & sycophantas, atque impostores superastis, longe quippe maior, validiórque estis, qui vos suo diuino numine fouet, atque agit, quàm qui in muodo falsa dogmata iactitat. ¶ Illi porrò ex eorum numero sunt, qui terrenis, caducísque rebus affixi mundi nominè censentur, atque ideirco nihil altum, aut sublime sapiunt, sed humi quodammodo repunt, & ea loquũtur, quæ seosum oblectant, & sui similes discipulos, atque auditores habent. ¶ Nos verò cœlesti doctrina, veráque fide diuinitus imbuti nostrorum dogmatum Deum habemus auctorem, qui itaque Deum probè nouit, eique adhæret, nobis assensum præbet. Alia omnia faciunt ij, qui à Deo alieni sunt, & hine facile quiuis agnoscat quænam verè, & absque errore affirmentur, & contra quæ fœdis erroribus implicentur. ¶ Itaque fratres, mihi admodum cari, mutuam inter nos caritatem ex animo complectamur, est enim illa eximium, planéque diuinum Dei munus, & quicumque ex hac caritate ad amandum impellitur, verè Dei filius est, & appellatur, veráque Dei notione præditus ei ex animo adhærescit. ¶ Quòd si quis à caritate alienus proximum oon diligit, is mihi credite, Deum prorsus ignorat. Nam si dicendum est, quod res postulat, Deus immortalis caritas est, atque adeo à caritate aliepus Deum prorsus ignorare ceosendus est. ¶ Nimirum hoc perspicuo argumento suam Deus eximiam ac singularẽ in nos caritatem declarauit, quod filium suum vnigenitum nostra mortalitate circumdatum ad nos misit, vt eius beneficio gratiam, & vitam immortalem assequamur. ¶ Hine autem diuinæ in nos caritatis magnitudo mirificè extollitur, quia ille nostram qualemcumque beneuolentiam diuina sua caritate præuertit, qui nos dilexerit cùm noodum illum amore prosequeremur, & ad oostram salutem procurandam filium suum misit, vt pro oostris sceleribus, atque flagitiis proprio sanguine litaret. ¶ Quamobrem carissimi fratres, si tam magoa nos Deus beneuolentia, & caritate prosequutus est, æquum profectò est, vt mutua nos dilectiooe complectamur. ¶ Diuinam porro naturam qualis in se ipsa est, nemo vmquam mortalibus oculis cõspicere potuit, sed tamen suprema illa Maiestas si nos proximos diligamus, in nobis, tamquam io sede, & domicilio manet, eiúsque diuina in nobis caritas omnibus suis numeris, partibusque perficitur. ¶ Hinc autem Dei in nobis præsentiam, & nostram in ipso commorationem agnoscimus, quòd nobis diuinum Spiritum suum, hoc est, mutuam in nos caritatem liberaliter impertierit. ¶ Atque ita nos, qui Christum Dominum, dum inter mortales viueret,

3 *Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.*

4 *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos, quoniam maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.*

5 *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.*

6 *Nos ex Deo sumus, qui nouit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos; in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.*

7 *Carissimi, diligamus nos inuicem, quia caritas ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.*

8 *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus caritas est.*

9 *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium suum Vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per ipsum.*

10 *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

11 *Carissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.*

12 *Deum nemo vidit vmquam, si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est.*

13 *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.*

14 *Et nos vidimus, & testificamur, quoniam*

niam Pater misit filium saluatorem mundi.

15 *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.*

16 *Et nos cognouimus, & credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

17 *In hoc perfecta est caritas nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.*

18 *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in caritate.*

19 *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

20 *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

21 *Et hoc mandatum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

præsentem intuiti sumus, tamquam oculati testes palā prædicamus, Deum Patrem ad hominum salutem procurandam filium suum ad nos destinasse. ¶ Quisquis igitur ex animo fatetur Iesum Christum vnicum esse Dei filium, eiusdem cum Patre diuinitatis participem, hic profectò sibi pro certo persuadere potest, Deum in se & rursus se in ipso Deo manere. ¶ Nos verò & te ipsa comperimus, & diuina fide complexi sumus singularem Dei in nos caritatem, qua rebus humanis per Christum liberatorem mirificè consuluit. Est autem Deus caritas quædam superlata, & increata, quam caritas nostra creata quoad eius fieri potest, imitatur, quo fit, vt qui caritatem complectitur, in Deo quodammodo maueat, Deúmque in se manentem habeat. ¶ Perfectam autem caritatem tùm demum nos adeptos esse iure censebimus, si abiecta omni formidine extremi iudicij diem magna spe, & confidentia præstolabimur. Quemadmodū enim Deus diuina sua caritate mortales omnes fouet ac promouet, non aliter nos proximos beneuolentia complectimur. ¶ Sic enim habetote, timorem nihil habere cum caritate commune, quin potius caritas seruilem, ac initialem timorem excludit, cùm supplicium, & cruciatum annexum habeat; atque idcirco qui adhuc timore percellitur, perfectam caritatem haudquaquam assecutus est. ¶ Æquitatis porro gratæque voluntatis ratio postolat, vt Deum ex toto corde, tota mente, atque omnibus virtutibus diligamus, quandoquidem ille sua nos diuina caritate anteuertit. ¶ Quòd si quis temerè sibi blādiatur, quasi Deum diligat, & interim fratrem, ac proximum suum odio prosequatur, næ ille egregiè mentitur: nam si fratrem, quem præsentem intuetur, & cuius consuetudine vtitur, non amat, Deum immortalem ab oculorum obtutu, nostraque consuetudine remotissimum quānam quæso ratione diliget? ¶ Accedit, quòd nemo potest veram in Deum caritatem profiteri, qui non eadem caritate proximum complectatur. Deus enim duo inter sese caritatis præcepta ita coniunxit, vt nemo possit Deum perfectè diligere, qui non etiam proximum suum diligat. Ita fit, vt qui hoc posterius Dei præceptum negligat, aut contemnat, verè, atque ex animo diligere non queat eum, cuius præcepto non obtemperat.

IN CAPVT QVARTVM
EXPLANATIO.

1 *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.*



Geminum hoc loco præceptum tradit, alterum negans, alterum verò affirmans, & vtrumque ad integram, atque incorruptam fidem retinendam pernecessarium. Ante omnia autem monet, non esse omni spiritui habendam fidem. Spiritus porrò nomine orationem,

A doctrinam, aut Scripturæ interpretationem, motum, impulsum, vel hominem hac ratione affectum significat. Qua ratione Cyrillus Alexandrinus accipit illud Isaiæ [a]: *Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus Spiritum salutis.* vbi Procopius hunc ipsum Ioannis locum indicat. *Est enim* (inquit) *in Scripturis vsitatum, vt quorumdam aliquando scripta Spiritus appellatione dignentur, quale est illud: Probate Spiritus, an ex Deo sint.* Eadem prorsus mente Didymus. *Possibile est enim* (ait) *ex vniuscuiusque sacri Doctoris disciplina spiritum eius dici:* a cap.26.18.

fu

ſic enim intelligitur, quod dictum eſt, vt non omni ſpiritui credatur. Sic ad Romanos Paulus [a] monet, illos vitandos eſſe, qui à recta, catholicaque doctrina diſſident. *Rogo vos fratres,* (inquit) *vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam quã vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* Et ad Hebræos [b]: *Doctrinis varijs, ac peregrinis nolite abduci.* Planiùs ad Epheſios [c]: *Vt iam non ſimus* (ait) *paruuli, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Certè olim Deus non ſemel in veteri teſtamento Pſeudoprophetas cauendos monuit.

a c.16.17.
b cap.13.9.
c cap.4.14.

II. Nam in Deuteronomio [d]: *Si reſurrexerit* (inquit) *in medio tui Propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris.* Et apud Ieremiam [e]: *Propheta namque & ſacerdos polluti ſunt, & in domo mea inueni malum eorum ait Dominus.* Et aliquanto poſt: *Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem, & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Iſrael, & in Prophetis Hieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij.* Et poſt nonnulla: *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur non de ore Domini.* Apud Ezechielem [f] verò: *Væ* (inquit) *Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum, & nihil vident.* Neque aliud indicauit apud Matthæum [g] Christus, cùm dixit: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Quæ verba ad hæreticos pertinere docent Hieronymus [h], Cyprianus [i], Ambroſius [k], Iſidorus [l] Peluſiota, & alij.

d cap.13.1.
e cap.23.11. ſimilia c.27.9. & c.29.8.
f cap.13.7.
g cap.7.15.
h Matt.7.ad Gal.5.& Iſa.55.
i Ad Nouat. c.5.
k lib.6.in Exam.c.6.
l li.2.ep.72.

III. Egregiè verò de Pſeudoprophetis loquitur Leo Pontifex [m]. *Dubium,* (inquit) *non eſt quin hoſtis noſter nocendi cupidus, & peritus, acrioribus inuidiæ ſtimulis incitetur, vt quos apertis, & cruentis perſecutionibus impugnare non ſinitur, ſub falſa Chriſtiani nominis profeſſione corrumpat, habens hæreticos huic operi ſeruientes, quos à catholica fide deuios, ſibique ſubiectos militare in caſtris ſuis ſub diuerſis erroribus fecit. Et ſicut decipiendis primis hominibus miniſterium ſibi ſerpentis aſſumpſit, ita horum linguas ad ſeducendos rectorum animos veneno ſuæ falſitatis armauit. Sed iis inſidijs dilectiſſimi paſtorali ſollicitudine in quantum Dominus auxiliatur occurrimus, & ne quid de ſancto grege pereat, præcauentes, paternis vos admonitionibus admonemus, vt labia iniqua, & linguam doloſam, à quibus animam ſuam Propheta liberari poſtulat, declinetis, quoniam ſermo eorum, ſicut ait B. Apoſtolus [n], ſerpit vt cancer. Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Veniunt enim ſicut Saluator prædixit, ſub veſtitu ouium, intus autem ſunt lupi rapaces, qui non poſſent veros, & ſimplices oues fallere, niſi Chriſti nomine tegerent rabiem beſtialem. In iis autem omnibus operatur, qui cum ſit veræ illuminationis inimicus, in lucis ſe angelum transfigurat.*

m ſer.5.de ieiu.10.menſis.
n 2.ad Tim.2.

IV. Eodẽ planè modo loquitur Paulus Apoſtolus [o]: *Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt nõ citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per Spiritũ, neque per ſermonẽ, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam.* Verè namque ac ſapiẽter ſcripſit olim Sirach [p]: *Qui credit citò, leuis corde eſt.* Quominus audiendi ſunt illi qui diuinis litteris neglectis interno dumtaxat cuiuſque ſpiritui, & fallaci cogitationi acquieſcendum putarunt, vt ſuo tantum ductu (quo nihil poteſt eſſe vel dementius, vel periculoſius) temerè quiſque feratur, & ſuo arbitratu, vel probet, vel reijciat quæcumque ſibi proponuntur. Certè idem Apoſtolus Paulus [q], cùm dixiſſet: *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere,* confeſtim ſubdit: *Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete.* Quæ verba Chryſoſtomus, & Theodoretus, ne diſſentiente quidem Ambroſio, ad prophetias, ac vaticinia referunt, quaſi idem prorſus percipiat, quod hoc loco monet Ioannes, non omnibus facilè credendum eſſe. Quod vſqueadeo religioſè retinendum idem Paulus exiſtimauit, vt alicubi ſcripſerit [a]: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Aliquid etiam maius, vt Irenæus [b], & Euſebius [c] teſtantur, dixit Iuſtinus Martyr, ne ipſi quidem Domino ſe habiturum fidem, *ſi alium Deum præter ipſum mundi fabricatorem ei denunciaret*; vt inſignem, atque eximiam conſtantiam quilibet agnoſcat in vera religione retinenda. Adeo quippè fixa in animo hæreat neceſſe eſt ſemel de rebus diuinis cõcepta fides, vt non humanis modo rationibus euelli, ſed ne cæleſtibus quidem viſis concuti, aut labefactari queat.

o 2.ad Theſ.2.1.
p Eccl 19.4.
q 1.ad Theſ.5.22.
a Ad Gal.1.8.
b lib 4.c.14.
c lib 4. hiſt. c.17.

V. *Probate* (ait) *ſpiritus ſi ex Deo ſint.* hoc eſt alterum præceptum affirmans, de quo ita loquitur Auguſtinus [d]: *Quiſquis ergo hæc præcepta contempſerit, & omni ſpiritui credendum putauerit, neceſſe eſt incurrat in pſeudoprophetas, & quod peius eſt, blaſphemet veros prophetas.* Et poſt nonnulla: *Probare vellẽ, ſi errare nõ poſſẽ, certè niſi probauero ſpiritus qui ex Deo ſunt, incurrã neceſſe eſt in ſpiritus, qui Deo non ſunt, & ex hoc ſeducar à pſeudoprophetis.* Sed hoc tam ſalutari, tamque neceſſario præcepto Nouatores more ſuo oſcitantè abutuntur, perinde quaſi omnia priuato cuiuſque iudicio expendenda, atque exploranda ſint. Ita non ſolùm ſanctorum Patrum placita, Theologorum decreta, ſed etiam Conciliorum ſcita, & Romanorum Pontificum reſponſa pro ſuo quiſque libito, ne dicam libidine vel admittunt, vel repudiãt. Atqui Apoſtolus Ioannes, vt ait Didymus, non omni ſpiritui credendum monuit, *quatenus ea, quæ pſeudoprophetarum ſunt, auerſemur, & conſentiamus eis, quæ per probationem ex Deo eſſe cognouimus.* Quò ſpectant quæ eleganter ſcribit Cyprianus [e], cum enim attuliſſet exemplum Nadab [f], & Abiu filiorum Aaron, qui ignem, & incenſum turibulis impoſuerant *offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. In conſpectu* (inquit) *ſtatim Domini vindicantis extincti ſunt, quos imitantur ſcilicet, atque ſectantur, qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt, quos increpat Dominus, & obiurgat in Euangelio ſuo dicens: Reijcitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis.*

d De verb. Ap ſer.30.
e de Vnit. Eccleſ.
f Leu.10.1.

VI. Rectè autẽ, vt ait Oecumenius, hoc monet Apoſtolus, ne per ſpeciẽ caritatis fraternæ falſos fratres, falſos Apoſtolos, falſoſque Prophetas cõplectamur. Verendum enim eſt, ne plerique nequiſſimæ illi fœminæ aures, atque aſſenſum præbeant, quæ ita apud Salomonem [g] loquitur: *Qui eſt paruulus, declinet ad me, & vecordi loquuta eſt. Aquæ furtiuæ dulciores, & panis abſconditus ſuauior.* De hæreticis enim locum explicat Gregorius, [h] cuius hæc ſunt verba: *Verbum abſconditum hæretici audire ſe ſimulant, vt auditorum mentibus quandam prædicationis ſuæ reuerentiam obducant. Vnde & latenter prædicant, quatenus eorum prædicatio tanto ſancta, quanto & occulta videatur. Communem autem ſcientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æſtimentur; occulta, vel noua ſemper exquirunt, quæ dum alij neſciunt apud imperitorum mentes ipſi de ſcientiæ ſingularitate gloriantur, quam occultam, vt diximus, inſinuant, quia ſcilicet vt admirationem oſtendere valeant, hanc ſe latenter percepiſſe confirmant. Vnde apud Salomonem hæreticorum ſpeciem mulier tenens dicit: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.* Verè namque alicubi ſcribit Vincentius Lirinenſis: *Nouantes dicunt, venite inſipientes, & miſeri, qui vulgo Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper verò reuelata, & oſtenſa eſt, ſed diſcite furtim, atque ſecretim, delectabit enim vos.* Ita vides cauendos eſſe nouitatis amatores, & occultæ, atque

g Prou.9.16.
h lib 5.mor. c.18.

atque abditæ nescio cuius scientiæ professores. Rectè itaque probãdos esse spiritus, monet Apostolus, sed qua ratione spiritus probandi sint, non planè liquet. Fortassè autem hoc ipsum prauæ doctrinæ non obscurum indicium est, quod modo ex Gregorio commemoraui, quodque apud Iob [a] insinuare visus est Eliphaz: *Porrò* (inquit) *ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius.*

a cap. 5. 12.

VII. *Furtiuè namque* (vt ait Gregorius) *susurri venas percipiunt, qui a sociali scientia gratiam deferentes, ad hanc nequaquam per ostium ingrediuntur, Domino attestante, qui ait:* [b] *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Venas itaque diuini susurri furtiuè suscipit, qui ad percipiendam virtutem eius notitiam, deserta publicæ prædicationis actio praua intelligentia primas quærit.* Sic olim plurimi hæreticorum abditam nescio quam, atque occultam rerum diuinarum scientiam profitebantur, quam insinuans Paulus [c] sic Timotheum affatur: *O Timothee depositum custodi deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Perstringit enim Apostolus subolentes Gnosticos, qui scientiæ nomine gloriabantur, quasi ipsi soli saperent, sed meritò falsam illis scientiam adscribit: neque enim vera scientia absque vera fide consistit. Omnes autem hæretici, vt Vicentius Lirinensis ait, *falsò sibi conscientiam sacræ scripturæ, & doctrinæ arrogant, quam opponunt veræ fidei, & ignorantiam suam scientiæ, caliginem, & tenebras luminis appellatione fucant, & colorant.*

b Ioan. 10. 1.

c Timot. 2. 10.

VIII. Quamobrem rectè idem Vincentius vitandã nouitatem ait & antiquitatem retinendam, quod eleganter etiam aduersùs Cresconium insinuat Augustinus [d]: *Ecclesiam* (inquit) *periisse dicitis, & vos vnde nati fueritis ostendite.* Sola igitur Euangelica doctrina per excellentiam vera, & antiqua dicitur ad inuidiam falsæ, quæ noua appellatur. Idemque verò alibi [e]. *Semper* (inquit) *viris sanctis suspecta fuit nouitas.* Acutè verò aduersus Marcionem antiquitatis velum telum intorquet Tertullianus [f]. *Ego* (ait) *meum Euangelium dico verum, Marcion suum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod posterius reuincetur? In quantum enim falsum, est corruptio veri, in tantum præcedat est necesse veritas falsum.* Et in eandem sententiam aduersus Hermogenem: *Solemus* (inquit) *compendij gratia hæreticis de posteritate præscribere.* Rursus alio quodam loco nouitatem hæreticorum accusans ait [g]: *Edant origenes Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis habuerit auctorem, & antecessorem.* Egregiè verò Gregorius Nazianzenus [h]. *Si* (inquit) *ante hos triginta annos fides incepit, cum quadringenti ferè sint anni, ex quo manifestatus est Christus, certè & Euangeliũ nostrum in tanto tẽpore fuit inane, inanis & fides nostra.* Quem imitatus videtur Hieronymus [i]: alicubi hæc scribit: *Cur post quadringentos annos docere niteris quod ante nesciuimus? Vsque ad hunc enim diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.*

d lib. 2. con. Cresco. c. 35.

e Ad Opt. de stat. anim.

f lib. 4. con. Marcio. c. 4.

g lib. de præscript. c. 32.

h epistol. ad Cledon.

i epist. ad Pammac.

IX. Probandi igitur spiritus sunt, hoc est, ad antiquam priscorum Patrum doctrinam conformandi, sana enim doctrina cana est, & prisca à Christi, & Apostolorum temporibus ad nos illibatè traducta, vt meritò dixerit Vincentius Lirinensis: *Si vitanda est nouitas, retinenda est antiquitas; si prophana est nouitas, sacrata est vetustas. Si nouitates recipiantur, necesse est, vt fides beatorum Patrum aut tota, aut certò magna ex parte violetur; necesse est, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, casti, virgines, omnes Clerici, Leuitæ, Sacerdotes, tot Confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas, & multitudo, tot insulæ, prouinciæ, regiones, gentes, regna, nationes, totus postremò terrarum orbis per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuncietur.* Delectantur porrò hæretici vocum nouitatibus, & noua, ac portentosa nomina confingunt, præsertim Gnostici & qui inania Valentini figmenta sequuntur, de quibus ita Hieronymus. [a] *Vnusquisque* (inquit) *fingit, quod vult, & adorat figmentum suum, vt Marciõ bonum Deum, & ociosum, vt Valentinus æonas triginta, & extremum Christum, quem appellat ἔκτρωμα, id est, abortiuum, vt Basilides qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat ἀβραξας, eundem secundum Græcas literas, & annui cursus numerum dicit in Solis circulo contineri, quem Ethnici sub titulo aliarum literarum vocãt μείθραν.* Addi potest callidum Arianorum inuentum, qui vt Catholicis Græcæ linguę ignaris facilè imponerent, pro ὁμοούσιον, id est, consubstantiali, ὁμοιούσιον substituerunt, hoc est, similis substantiæ. Sapienter autem monuit Augustinus, [b] non continuò noua adinuenta nomina ad res priscas, & antiquas significandas tamquam profana, & impia damnari. *Non ait Apostolus,* (inquit) *vocum nouitates, sed addit prophanas. Sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates, & xenodochia, atque monasteria postea sunt appellata nouis nominibus; res tamen ipsæ & ante nomina sua erant. Aduersùs quoque impietatem Arianorum nouum nomen Patres ὁμοούσιον condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt, hoc enim vocatur ὁμοούσιον, quod dicitur: Ego, & Pater vnum sumus.* In hoc genere collocantur alia quædam nomina, quæ fidei mysteria breuius, & clarius explicant, cuiusmodi sunt Trinitas, Hypostasis, Christianus, liberum arbitrium, Purgatorium, Indulgentiæ, Transubstantiatio.

a Amos 3. ad illa verba: Congregamini montes Samariæ.

b Trac. 97. Ioan.

X. Sed vnde prophanæ vocum nouitates à sacris, ac necessariis dignoscantur, meritò quispiam quærat, quandoquidem hoc loco Ioannes spiritus probandos, hoc est, explorandos monet. Et quidem Christus certam quandam explorandi rationem præscripsisse videtur, cùm apud Matthæũ [c] dixit: *A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Agebat, vt arbitror, Christus de vera fide, ac doctrina dignoscenda, & falsis à veris prophetis secernendis, & tradere quidem voluit ad eos dignoscendos iudicium aliquod, certum, ac minimè fallax tradere non potuit, magna enim esse solet hominum simulatio, adeo vt solus Deus hominum mentes perscrutetur, & intimos animi recessus peruadat. *Spirituum* quippe, vt ait Salomon [d] *ponderator est Dominus.* Tradidit ergo probabile signum, & ad humani ingenij vim accommodatum, quod non nisi ex actionibus externis arcana cordis coniicere, & de cuiusque proposito, ac voluntate statuere potest, & vt plurimùm collimat. Omnes igitur veteres Auctores fructus interpretantur humanas actiones, quæ suapiè natura fidem, doctrinamque sequuntur, & malam quidem malæ, bonam verò bonæ. Non nego fieri nonnumquam posse, vt qui recta, bonaque fide præditus est, malos edat fructus, hoc est, perditè, ac vitiosè viuat. Verùm Christus non dicit quid aliquando, sed quid plerumque, neq; quid hominũ peruersitate fieri possit, sed quid natura fidei, veræque doctrinæ ingeniũ postulet. Ea est autẽ fidei ratio, vt neq; mala bonos, neq; bona malos fructus proferat, & vix quẽquã hæreticorũ reperias, qui nõ multis nefariis flagitiis, atq; sceleribus inquinetur.

c cap. 7. 16.

d Prou. 16. 2.

q Itaque

X. Itaque Ignatius hæreticos vocat *mulierum corruptores, alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, & quasi vertices.* Donatistarum sanè rapinas, inuasiones, furta, deprædationesque commemorant Optatus[a], & Augustinus[b]. Abdomini, & impuræ libidini deditos fuisse hæreticos indicat Irenæus[c]. Verùm quoniam his etiam vitiis corrumpuntur interdum, qui rectam fidem complexi sunt, & non rarò hæretici ouina sese pelle contegunt, vt egregiè idem Irenæus[d] docet, hoc vnico dumtaxat indicio non facile quisquam poterit, quod hîc præcipit Ioannes, spiritus explorare, & pseudoprophetas à veris prophetis dignoscere. Solent enim Ecclesiæ desertores (quod de Valentinianis scribit Tertullianus[e]) falsa sua dogmata inuoluere, atque implicare, vt non facile deprehendantur. *Error enim* (ait Irenæus[f]) *secundùm semetipsum non ostenditur, ne denudatus fiat comprehensibilis, suasorio autem cooperimento subdolè adornatus, & ipsa veritate (ridiculum est dicere) veriorem semetipsum præstat, vt decipiat exteriori phantasmate rudiores, quemadmodum à meliore nobis dictum est de eiusmodi. Quomodo lapidem pretiosum smaragdum magni pretij apud quosdam vitreum in eius contumeliam per artem assimilatum, quoad vsque non adest, qui potest probare, & artificium arguere, quod subdolè sit factum, cum enim commixtum fuerit æramentum argento quis facile poterit, rudis cum sit, hoc probare?*

a Cō. Parm. b Con. litter. Petilian. c. 64. & lib. 3. con. Cresc. c. 42. c lib. 1. c. 1. d Præf. lib. 1. e lib. cont. Valen. c. 1. f Præfa. in lib. 1.

XI. Sunt tamen, vt monet Beda, fructus non pauci, *à quibus spiritus maligni, qui in pseudoprophetis loquuntur, valent dignosci, spina videlicet schismatum, & horridi hæresum tribuli, quibus eos, qui sibi incautè appropiant, fidem lacerando contaminant.* Putant igitur alij spiritus ad scripturæ normam, atque amussim exigendos, vt quæ dogmata sacris litteris consentanea sint, protinus admittantur, cætera repudientur. Quod si versus, ac germanus Scripturæ sensus pateat, Ecclesiæ interpretationi congruat, Apostolicæque traditioni consentiat, lapidem Lydium dixeris. Atqui hæretici sacris litteris mirè ludunt, atque illudunt, pleraque enim in veteri, ac nouo testamento deprauant, & corrumpunt, peruersa interpretatione pleraque inquinant, & contaminant, quæ sibi aduersari animaduertunt, impudenter reiiciunt, plurima detorquent, miserè inuertunt, & ad sua stabilienda figmenta per vim, fraudem, ac dolum transferunt, iis denique perperam, atque impiè abutuntur. Addo quòd sacræ litteræ quia non omnia comprehendunt, quæ necessariò credenda proponuntur, per se solæ satis esse non possunt ad fidei dogmata vel probanda, vel reiicienda: quocirca spectandæ etiam sunt traditiones Apostolicæ, quas non modo omnis antiquitas tamquam necessarias admittit, sed ipsa etiam Scriptura sacra complectendas, ac retinendas docet. Ecclesiæ denique, quæ à Paulo *columna, & firmamentum* dicitur *veritatis*, interpres est, ac iudex controuersiarum omnium, quæ ad fidem, religionem, moresque pertinent, atque idcirco quæ Ecclesia probat, ea sanctè retinenda, reiicit repudianda, atque exploranda sunt.

g 1. Timot. 3. 14.

XII. Quamobrem rectè scribit Irenæus[h]: *Tanta igitur ostensiones cum sint, hæc non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium diues plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, vti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt, & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Et si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?*

h lib. 3. c. 4.

Hæc igitur optima ratio est probandi spiritus, vtrum ex Deo sint, an à malo Dæmone, aliove impostore. Toto autem errant cælo Nouatores, qui singulis fas esse putant de doctrina Catholica, atque Ecclesiasticis dogmatibus priuata auctoritate sententiam ferre. Nam quis quæso ferat impurissimorum hominum vel sordidorum, vel examen Concilij Tridentini? Quæ verò ab Ecclesia præsertim Romana vel credenda, vel complectenda proponuntur, ea in dubium reuocare non modò nefas est, sed prorsus impium, ac sacrilegum. Sapienter siquidem, ac verè scripsit Sirach:[a] *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te.* Acutè autem Primasius.[b] *Iam,* (inquit,) *probati sunt spiritus ab Ecclesia; quid vis tu probare, quod iam improbatum est?* Quod si quis noua quædam, atque alias inaudita vel legat, vel audiat, si Ecclesiæ definitionem, sententiámve non habeat, Scripturas, & Patrum explanationes, antiquasque traditiones consulat, quæque his consentanea sunt, probet, quæ repugnant, liberè reiiciat, ac damnet: ita enim præcipit Paulus:[c] *Si quis* (inquit) *vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.* XIII.

a Eccl. 6. 35. b Apoc. 2. c Ad Gal. 1. 9.

Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Vtriusque præcepti ratio est. Ita Augustinus:[d] *Præcepit Spiritus sanctus, ne omni spiritui credamus, & causam, cur hoc præceperit, dixit. Quæ illa causa est? Quoniam multi* (inquit) *pseudoprophetæ prodierunt in hunc mundum.* Necesse (inquit) diligenter, ac sedulo explorare aliorum dicta, peregrina præsertim, & noua dogmata, plerique enim pseudoprophetæ multa fingunt, ac mentiuntur vt Imperitis fucum faciant. *Quapropter oportebit* (vt ait Irenæus[e]) *omnes, qui intendunt huic scripturæ, & soliciti sunt pro sua salute non cùm audiunt forinsecus, eorum sermones sponte succumbere. Similium enim loquentes fidelibus, sicut prædiximus, non solùm dissimilia sapiunt, sed & contraria, & per omnia plena blasphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum dissimile affectionis eorum in se attrahunt venenum. Sicut quis aquæ mixtum gypsum dans pro lacte seducat per similitudinem coloris, sicut quidam dixit superior nobis de omnibus, qui quolibet modo deprauant, quæ sunt Dei, & adulterant veritatem, Dei lacte gypsum malè miscetur.* Et Paulus[f] eiusmodi pseudoprophetas perstringens: *Christo Domino* (inquit) *non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Græcè dixit Apostolus, διὰ τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας, id est, per blandiloquentiam, & assentationem. Est autem χρηστολογία sermo speciosus, ac virum bonum similans. Qua ratione Tullius[g] Capitolinus Pertinacē ait appellatum fuisse χρηστόλογον, quòd bene quidem loqueretur, malè autem faceret. Eam ob causam Irenæus,[h] Athanasius,[i] & Augustinus[k] hæreticos prisco illi serpenti similes esse affirmant. Nam re vera serpens ille χρηστολογίᾳ Euam decepit, ea quippe multum pollicetur, nihil autem præstat, seque de alienis magis, quàm de suis commodis solicitam esse simulat, quod hæreticorum est proprium. XIV.

d De verb. Apos. ser. 30. e lib. 3. c. 29. f Rom. 16. 18. g In Pertinace. h Præf. lib. 4. & lib. 5. i or. 2. con. Arian. k lib. 2. de Gen. con. Manich. c. 25. 26. 27.

XV. Hi ergo pseudoprophetæ nō aliter ac serpentes vitandi, ac fugiendi sunt, imitantur enim deformes meretrices, quæ fuco, & vnguentis suam deformitatē tegunt, vt ficta, & inani specie incautos decipiāt. Multos autem falsos prophetas illo ipso verè aureo Apostolorū sæculo prodiisse in lucē non modo Ioānes hoc loco, sed plurimi etiam rerū gestarū scriptores memoriæ prodiderūt. Princeps commemoratur

Simon

A Simon Magus, qui familiam ducit, & Thebutes apud Nicephorum [a], Alexander Æstarius, de quo Paulus [b], Hymenæus, de quo idem Apostolus [c], Diotrephes, de quo hic noster [d], Menander de quo Epiphanius [e], Cherintus, & Ebion, apud eundem Epiphanium [f]. Addo Nicolaitas, de quibus Ioannes [g], & Augustinus [h], vt non immeritò Paulus se in falsis fratribus periclitatum fuisse scribat [i]. Recentiora sunt quæ de Peregrino Philosopho scribit Lucianus, qui per speciem Christiani nominis, ac religionis plurimis fucum fecit, vt non immeritò Proteus [k] sit appellatus, quòd quam vellet formam indueret. Mitto vetustiores Philosophos Apostolis æquales Apolloniũ Tyanæum, Dionem, Euphratem Apollonij pernecessarium, Demetrium, Musonium, Damin Pytagoræũ, Epictetum Stoicum, Lucianum Epicureum, Diogenem iuniorem, qui sapientiam venditantes plurimos à fide, ac religione Catholica auocare nitebantur, vt verisimillimum sit, hos omnes, eorumque similes Pseudoprophetarum nomine à Ioanne comprehendi.

a lib. 4. c. 7. b 1. Timot. 1. 20. & 2. Tim. 4. 14. c 1. Timo. 1. 20. & 2. Ti. 2. 18. d cap. 3. 4. & 10. e hær. 22. f hær. 28. & 31. g Apoc. 2. 7. 14. 14. h de hæres. cap. 5. i 2. ad Cor. 11. 28. k Gal. lib. 12. noct. att. c. 11 & Ammian. Marcel. lib. 29.

XVI. Hoc porro Apostolicum præceptum multis illustrat Salomon [l]: *Fauus enim stillans (ait) labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps, pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant, per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbo oris mei.* Et plura deinceps, quæ Augustinus hæreticis eleganter accommodat. Sic autem scribit: *Si ergo aqua nomine significatur Spiritus sanctus, & dicit nobis epistola ista: Nolite omnis spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Intelligamus inde dictum esse, ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis. Quid est de fonte alieno ne biberis? spiritui alieno ne credideris? Restat ergo examen, vnde probetur quia Spiritus Dei est.* Perinde pergit Ioannes:

l Prou. 5. 3.

2 *In hoc cognoscitur Spiritus Dei, omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.*

I. Peculiarem quandam dignoscendi hæreticos, & D pseudoprophetas indicat rationem, difficilem illam quidem, vt ait Augustinus, sed veram tamen. *Cùm enim (ait Augustinus [m]) nos propterea faceret solicitos, & cautos, ne omni spiritui credamus, sed probemus Spiritus, qui ex Deo sunt, quia multi pseudoprophetæ prodierunt in hunc mundum, continuò vidit, quid desideraremus, occurrit expectationi, inuenit oculum taciti cogitationi.* Et mox: *Ista audite audite, intelligite, discernite, inhærete veritati, resistite falsitati.* Agnouit tamen Augustinus in hoc ipso signo multa esse inuestiganda, atque idcirco sub finem ait: *Nam hæc verba sancti Ioannis habent adhuc magnas latebras suas: interim eos, qui negant Christum in carne venisse, repellite.* Et post pauca: *Sed certè dicturus es mihi: ergo qui dicit Christum in carne venisse, ex Deo est? Audiamus Donatistas, qui confitentur Christum in E carne venisse. Audiamus Arianos, qui confitentur Christum in carne venisse. Audiamus Eunomianos, qui confitentur, Christum in carne venisse. Audiamus Photinianos, qui confitentur Christum in carne venisse. Si enim omnes Spiritus, qui confitentur, Christum in carne venisse, ex Deo sunt, quàm multæ sunt hæreses, mendaces, deceptrices, insana, confitentur tamen Christum in carne venisse?* Penè eadem scribit ad hunc locum.

m ser. 31. de verb. Apost.

II. Sed acutè probat Augustinus [n], neque Arianos, neque Eunomianos, neque Photinianos, aliosve persimiles hæreticos verè confiteri Christum in carne venisse, cum de ipso Christo, eiusque diuina persona multo aliter sentiant, quàm

n ser. 31. de verb. Apost.

A fides Catholica doceat. Id ipsum de Pelagianis affirmat, qui de Christi carne perperam sentiebant, quam alienam quidem à peccato esse dicebant, sed ei tamen omnem humanam carnem æquabant. De Donatistis, *qui hoc* (inquit) *cõfitentur, quod nos. Propterea* (ait) *eos non esse ex Deo, quia verbis confitentur, factis negant. Quid est autem* (ait) *negare factis? Superbire, & schismata facere, non in Deo, sed in homine gloriari.* Qua ratione subdit, multos etiam Catholicos verbis quidem confiteri, Christum in carne venisse, factis autem negare. Quam explanãdi rationem apertissimè probat OEcumenius. *Confessionem autem* (inquit) *hanc aduentus Domini in carne, non lingua, sed operibus fieri intelligit. Quemadmodum etiam B. Paulus inquit. [a] Vbique B mortificationẽ Iesu in corpore circumferentes, vt & vita Iesu in corpore nostro manifestetur. Qui igitur operantẽ habet Iesũ, & mũdo mortuus est, neque amplius mũdo, sed Christo viuit Christumque non in Christi tantùm carne, sed in sua quoque circumfert, is est ex Deo.* Idem visus est sensisse Didymus, nec dissentit hoc loco etiam Augustinus, quem sequitur Beda; sed vereor, vt ad mentem Ioannis. Non enim videtur hoc loco de vita, & moribus agere, sed de doctrina, constat autem veram doctrinam à vitæ probitate posse seiungi, quin etiam veram fidem à caritate interdum diuelli. Nec dubium est, veram fidei confessionem eximium, ac singulare esse C Dei munus, & quæcũque apud hęreticos vera sunt, & bona, nostra sunt, & à Deo profecta. Nemo enim dicit, vt ait Paulus, *Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Et veritas à quocumque profertur, à Deo manat, vt Augustinus, [b] & Gregorius [c] sapienter docuerunt. An Ioannes eos indicat, ex Deo esse, qui ita fatentur Christi ad nos aduentum, vt cætera etiam admittant quæ de fidei mysteriis ab Ecclesia Catholica traduntur? Probabile, quamquam mihi longe verosimilius videtur, à parte totum voluisse Apostolum indicare, vt eos videlicet veros esse prophetas veræque fidei præcones affirmet, qui rectam de Christi aduentu fidem profitentur, perinde ac si dixisset: omnis, qui sectam Christi fidem complectitur, ex Deo est. ita enim ferè solebant olim Apostoli Christi fidem proponere. Ita Eunuchus [d] antequàm à Philippo bap- D tizaretur, credere se dixit filium Dei esse Iesum Christum. Tametsi igitur vnicum videtur Ioannes articulum proponere, eo tamen omnem, vt arbitror, Catholicam doctrinam complexus est.

a 2. ad Cor. 4. 10. b lib. de vnic. baptis. c. 10. c Hom. 10. in Ezech. d Act. 8. 37.

Cum igitur ait Ioannes, *In hoc cognoscitur spiritus Dei.* respexisse videtur ad id, quod paulo ante dixerat. *Nolite omni spiritui credere*: quasi dicat, illi spiritus audiendi, & sequendi sunt, qui Catholicam doctrinam, atque Euangelicam fidem profitentur. Quod si vita, moresque fidei professioni respondeant, tum demùm perfectè ex Deo esse censendi sunt, & spiritum, diuinamque eius gratiam habere; si secus accidat, tunc Christo obtemperãdum est dicenti. [e] *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundum E verò opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.* Et in eamdem sententiam Augustinus carpendum esse ait veræ doctrinæ, sanæque fidei botrum, vitandam verò perditæ, ac flagitiosæ vitæ spinam: illa siquidem non solum oblectat, verumetiam magnopere prodest, hæc verò perniciem, atque interitum affert. Quocirca Paulus spiritum, qui ex Deo sit monet his verbis. [f] *Exemplum esto fidelium in verbo, & conuersatione, in caritate, in fide, in castitate, vt profectus tuus manifestus sit omnibus.* Et alibi. [g] *In omnibus præbete exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Eodemque modo Iacobus. [h] *Quis* (inquit) *sapiens, & disciplinatus inter vos? Ostendat in bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.*

III. e Mat. 23. 2. f 1. ad Tim. 4. 12. g ad Tit. 2. 7. h cap. 3. 13.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan. q 2 Huc

b ca. 51. a. — b de vita, Mos.

Huc nimirum spectasse videtur Isaias[a], cùm dixit, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Quo loco Gregorius Nyssenus[b]. *Attendite (ait) ad Abraham patrem vestrum, vt quemadmodum qui vi ventorum à recta nauigationis via in pelagus exactis sunt, si ad ignem, vel cacumen montis respexerint, facile se ab errore in tutum reducunt. sic quicumque his in vita fluctibus oppressi à virtute aberrant, exemplo Abrahæ quasi gubernaculo ad diuinæ voluntatis portum reuocamur.*

3 *Et omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.*

I. A negatione alterum prodit iudicium ad spiritus dignoscendos in primis vtile. Videntur autem Latini codices à Græcis, qui nunc habentur in manibus, Syrisque dissidere. Latini enim, vt dixi, ita habent. *Omnis Spiritus qui soluit Iesum.* At Græci, Syrique: *Omnis (inquiunt) Spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse.* Latinam lectionem probant Beda, Leo[c], & quod magis mirandum est, etiam veteres Græci, vt colligitur ex Socrate[d], locum enim indicat ab hæreticis deprauatum. *Porrò* (inquit) *ignorauit* (de Nestorio loquitur) *quod scriptum sit in vetustis exemplaribus Epistola Catholica diui Ioannis. Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est. Quippe hanc sententiam omnes, qui diuinitatem ab humanitate Christi seiungere studebant, ex vetustis exemplaribus delere, tollereúe non dubitarunt.* Idem apertius docet Beda, quosdam enim ait hunc versiculum ex hac epistola erasisse. *Ne scilicet per auctoritatem B. Ioannis conuinceretur error eorum. Denique Nestorius nesciuit se prodidit, hanc antenticis exemplaribus inditam fuisse sententiam, atque ideo soluere non timuit Iesum.* Similia leguntur in historia tripartita[e]. Eamdem Latinam lectionem probat Tertullianus[f], Irenæus[g], & Theodoretus[h], cuius in quadam epistola hæc sunt verba: πᾶν πνεῦμα λύον Ἰησοῦν. Itaque Didymus Latinā lectionem sequutus videtur; Græcam probauit Cyprianus[i], vtrumque Augustinus[k]. Sed vt sit hæc sententia non aliter ac superior hæreticos perstringit qui Christi Domini diuinitatem, vel perfectam humanitatem inficiarentur; vel vt ait Augustinus, eos potissimum damnat, qui Christi membra, seu Ecclesiā hæresibus, ac schismatibus soluunt. *Soluere* (inquit) *factis intelligitur, ille venit colligere, tu venis soluere. Quomodo non negas Christum in carne venisse, qui disrumpis Ecclesiam, quam ille congregauit?* Alibi[l] verò Græcam lectionem sequutus. *Interim ergo* (inquit) *carissimi repellite ab auribus vestris omnem disputatorem, scriptorem, susurratorem, qui negat Iesum Christum in carne venisse. Ergo repellite Manichæos à domibus, ab auribus, à cordibus vestris. Manichæi enim Christum in carne venisse apertissimè negant: Spiritus ergo illorum non est ex Deo.* Et aliquanto post. *In quantum non confitetur Christum in carne venisse, in tantum ex Deo non est, quia iste error, qui non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est.*

c Epist. 10.
d lib. 7. hist. c. 32.
e lib. 12. c. 4.
f lib. de ieiunio, & lib. 5. in Marc.
g lib. 3. c. 18.
h lib. 2. con. Iud. cap. 9.
i tùm hîc, tùm ser. 30. & 31. de verb. Apost.
k ser. 30. de verb. Apost.
l ser. 30 de verb. Apost.

II. Siue igitur neget quis Christum in carne venisse, siue soluat Iesum, hoc est, de Christi diuinitate, vel humanitate aliter sentiat, ac doceat, quàm Catholica fides præscribit, planè indicat, se Spiritu Dei destitui, hoc enim est, ex Deo non esse. Acutè verò obseruat Augustinus[m], ex verbis Apostoli colligere Manichæos impium, ac nefarium dogma. *Hinc* (inquit) *in eo, quod dixi, vel potius ab Apostolo dictum commemoraui, quia omnis Spiritus, qui negat Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Insidiantur Manichæus in hoc verbo, & dicit mihi: Ecce Spiritus qui negat Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Unde est ergo? Si ex Deo non est; inquit, vnde est? Numquid enim potest esse nisi aliunde? Si ergo inquit, ex Deo non est, & aliunde est. vides esse duas naturas.* Verum idem mox aduersus Manichæos subtiliter disserit. *Error,* (inquit) *non est ex Deo, homo ex Deo est.* Et concludit, *In quantum errant, in quantum peccant, in quantum blasphemant, non sunt ex Deo. Sanentur, & ex Deo erunt, quia & natura ex Deo erant.* Rursus alibi[a], *omnes* (ait) *hæreses aliquo pacto negare Christum in carne venisse.* Et mox subdit. *Quid miramini, si pagani negant Christum in carne venisse? Quid miramini, si Iudæi negant, Christum in carne venisse? Quid miramini, si Manichæi apertissimè negant, Christum in carne venisse?* Illicò verò addit. *Sed dico caritati vestræ, etiam omnes mali Catholici verbis confitentur, Christum in carne venisse, factis autem negant. Nolite ergò esse tamquam de fide securi, adiungite fidei vestræ vitam rectam, vt Christum confiteamini in carne venisse, & verbis vera dicendo, & factis bene viuendo. nam si confiteamini verbis, & factis negetis, fidei solum malorum prope est fides dæmoniorum.* Denique Augustinus, & Didymus Apostoli verba perinde accipiunt, quasi aduentus Christi confessionem, negationemve ita ad fidem velit pertinere, vt tamen cum caritate coniungatur, quod est, vt monui, verissimum.

m ser. 30. de verb. Apost.
a ser. 31. de verb. Apost.

III. Vt igitur ad Apostolum redeam, Græcorum codicum lectio idem negando adstruit, quod superior affirmando. Vt enim qui asserit, Christum in carne venisse, ex Deo est, ita qui negat, ex Deo non est. Latinorum porrò lectio eos potissimùm hæreticos iugulat, qui Christi diuinam, vel humanam naturam abnegant, vel mutilant. Æuo autem illo Apostolico mysteriū incarnationis Christi plurimorum hæreticorum conatu oppugnabatur, quorum præcipuos supra indicaui, hoc est, Gnosticos, Simonem, Cerdonem, Valentinum, Marcionem. Multo autem post Ariani hactenus Iesum soluebant, quòd illi diuinitatem adimerent, eumque æternitate, ac cæteris diuinis attributis spoliarent. Addo Photinum, qui formam serui in Christo admittit, formam Dei non agnoscit. Eunomius ne similem quidem Patri Christum fuisse autumat. Aliquanto deinde recentiores Nestoriani soluebāt & ipsi Iesum, quod in illo personas geminarent. Hi igitur, atque alij eiusdem farinæ hæretici soluunt Iesum, quia non illum qualis reuera est, agnoscunt, aut profitentur. Necesse est autem, illum natura filium fateantur, non gratia, vnigenitum, non adoptatum. *Illum enim,* vt ait Augustinus, b *filium quærimus, qui cum in forma Dei esset, sicut dicit Apostolus,* c *non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo, non rapina, quia natura, natura erat, rapina, non erat. Non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo, non erat ei rapina, natura erat, sic erat ex æternitate, sic erat coæternus gignenti, sic erat æqualis Patri, sic erat, semetipsum exinaniuit, vt confiteamur Iesum Christum in carne venisse; semetipsum exinaniuit; quomodo? Amittendo quod erat, an assumendo quod non erat? Sequamur Apostolum, audiuimus. semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens; sic se exinaniuit formam serui accipiens, non formam Dei amittens. Forma serui accessit, non forma Dei discessit, hoc est, confiteri Christum in carne venisse.* Omnes igitur hæretici soluunt Iesum, quia malè de ipso siue diuinæ, siue humanæ naturæ respectu opinantur; atque ita ex Deo non sunt.

b ser. 31. de verb. Apost. c. 4.
c ad Philip. 2. 6.

IV. Quod ipsum de superioris, nostrique sæculi hæreticis dixerim, illi enim siue sacras litteras corrumpant, atque inuertant, suoque arbitratu hæc quidem probent, illa verò reiiciant, siue traditiones de medio tollant, siue sacramenta mutilent, aut impiè, nefariéve contaminent, siue liberum arbitrium abnegent, siue Conciliorum auctoritati detrahant, siue Romani Pontificis maiestatem quantum in iis est,

pessundent, siue denique alia permulta errorum monstra effutiant, & iam pridem damnatas, sopitas, atque extinctas hæreses ab inferis reuocent, & proferre uitantur in lucem, Iesum profectò soluunt, & sectiones, & schismata pariunt, atque ita ex Deo non sunt, atque adeo auersandi, ac damnandi ab Apostolo proponuntur. Ita rectè concludit Augustinus. *Ipse est Spiritus Dei, qui dicit, Iesum in carne venisse, qui dicit non lingua, sed factis, qui dicit, non sonando, sed amando. Ille autem non est Spiritus Dei, qui negat, Iesum Christum in carne venisse, negat & ipse non lingua, sed vita, non verbis, sed factis.*

V. *Et hic est Antichristus.* Ita habent vulgati codices, neque aliter legit Tertullianus [a]. Græci habent, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, hoc est, hic est spiritus Antichristi, eodem planè sensu non dicitur autem spiritus Antichristi, quasi auctorem habeat Antichristum, quomodo auctorem habent Deum, qui Christum in carne venisse confitentur. Sed Antichristi spiritus appellatur, quòd sit Christo planè contrarius, qualis futurus est is, qui propriè Antichristus appellatur. Sic dixerat, hac ipsa [b] Epistola: *Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus? hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.* Perinde igitur est, ac si dicat, eum, qui negat Christum in carne venisse, ad eius doctrinam pertinere, qui venturus est aliquando, & Christianum nomen acerrimè oppugnaturus: *De quo* (inquit) *audistis quoniam venit.* OEcumenius refert ad id, quod supra dixerat Ioannes [c]: *Filioli nouissima hora est, & sicut audistis quia Antichristus venit.* At ibi illos ait audiuisse, necesse vt sit antiquiora tempora spectasse Ioannem. Crediderim igitur respexisse Apostolum ad prima fidei rudimenta, quæ ante baptismum tradi solerent; vero simillimum enim est, inter cætera consueuisse explicari catechumenis ea, quæ pertinent ad futurum iudicium, & Antichristi aduentum. Nam & Paulus [d]: *Mysterium* (inquit) *iam operatur iniquitatis tantum, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ.* Ita enim de illo differit, quasi de re omnibus nota, eius tantùm conditiones describit. Fortasse etiam indicare voluit Ioannes prophetarum vaticinia qui de illo, deque extremo mundi die non pauca tradiderunt.

[a li. de carn. Chris. c. 14.] [b cap. 2. 21.] [c cap. 2. 18.] [d 2. ad Cor. 2. 7.]

VI. Non poterat igitur fideles latere venturum Antichristum qui miris modis Ecclesiam vexaturus est, ac propterea ait Apostolus: *De quo audistis quoniam venit.* Græcè ἔρχεται, hoc est, venturus est. Ne quis putet, quod Nouatores affirmant, iam pridem Antichristum ortum esse, & in Ecclesia dominatum, atque imperium exercere. Nam quod subdit Ioannes: *Et nunc iam in mundo est.* Rectè à Didymo, & OEcumenio non ad ipsius Antichristi personam, sed ad falsos Prophetas, falsos Apostolos, & hæreticos refertur, qui eius prodromi sunt, atque anteambulones. Qua ratione supra [e] dixerat. *Antichristi multi facti sunt.* nam qui veritatem incarnationis Christi oppugnant, vel veram ab eo traditam doctrinam abnegant, meritò Antichristi dicuntur, hoc est, Christi aduersarij. Intelligit autem hæreticos, & schismaticos, qui initio nascentis Ecclesiæ exorientem Christi fidem suis erroribus inquinare nitebantur, & Ministris Euangelicis aduersabantur. Cæterùm Antichristum paulo ante iudicij diem venturum, futurumque vnum aliquem singularem hominem inter Catholicos conuenit. Soli hæretici de Antichristo ineptissimè insaniunt, quos alij ante nos egregiè confutarunt. Pauca quædam hoc loco attigit OEcumenius, quæ fermè ex Paulo [f] Apostolo colliguntur.

[e cap. 2. 18.] [f 2. ad Thes. 2.]

4. *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eos, quoniam maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.*

I. Cum pseudoprophetas descripsisset, duo quædam magna bona de suis auditoribus, & in Christo filiis prædicat, esse illos videlicet ex Deo, & pseudoprophetas, atque Antichristum vicisse. Dicuntur autem esse ex Deo, quomodo supra dixerat, eũ esse ex Deo, *qui confitetur Christum in carne venisse*: quasi dicat illos de rebus fidei rectè sentire, & quod caput est, cum fide caritatem coniungere, quod tum ex actionibus externis colligere fas erat, tùm ex ipso baptismo deprehendi poterat: eo quippe quodammodo renati, atque adeo beneficio gratiæ in Dei filios adoptati, & ad æternam hæreditatem vocati erant. Adde quòd eorum fidem, & caritatem diuinitus nosse potuit, vel certè indicauit, quid de fidelibus sentiendum sit, nisi rei euidentia aliud suadeat. Accedit quòd ipsa etiam sola fides recta singulare Dei munus est, vt aduersus Pelagium probat Augustinus [a]: *Attendat* (inquit) *& videat, non ideo tantum istam voluntatem* (de credendi voluntate loquitur) *diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verùm etiam quod visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siue intrinsecus, vbi nemo habet potestatem quid ei veniat in mentem, sed consentire, & dissentire propriæ voluntatis est.*

[a li. de Spir. & lit. c. 34. Idem lib. de prædest. san. c. 5. & deinceps.]

II. Confestim autem addit: *His ergo modis quando Deus agit cũ anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat, profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Quoniam igitur ij ad quos Ioannes scribit, fidem animo conceperant, vel hoc solo nomine verè dicere potuit, illos esse ex Deo, præterquam quod bene illis ominando etiam caritatem gratulatur, quo potissimùm nomine Dei filij nuncupari possunt. Sic enim alibi loquitur Ioannes [b]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Et hac ipsa Epistola [c] dixerat: *Nunc filij Dei sumus,* fidei videlicet & caritatis beneficio. Hanc autem cælestem, ac planè diuinam filiorum Dei rationem à naturali ortu plurimum differre apud Ioannem [d] docuit Christus: *Nisi quis* (inquit) *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Et mox: *Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Appositè autem eo loco scribit Augustinus [e]: *Tu carnalem generationem intelligis, cùm dicis: Numquid potest homo redire in viscera matris suæ? Ex aqua, & Spiritu sancto oportet, vt nascatur propter regnum Dei. Si propter hæreditatem patris hominis temporalem, nascitur ex visceribus matris carnalis; propter hæreditatem Patris Dei sempiternam, nascitur ex visceribus Ecclesiæ. Generat per vxorem filium pater moriturus successurum: generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum mansuros.*

[b cap. 1. 12.] [c cap. 3. 2.] [d cap. 3. 5.] [e Tract. 12. in Ioan.]

III. Itaque Christus quia spiritualem regenerationem naturali, carnalique generationi ex aduerso opponebat, & naturalis generatio ex duobus principiis patre, ac matre manat, duo etiam spiritualis generationis principia explicat, aquam quæ matris,

& Spiritum sanctum, qui patris vicem gerit, quemadmodum graues auctores Ammonius, & Theodoretus [a] Mopsuestiensis, Chrysostomus [b], & Euthymius [c] obseruarunt. Quò etiam pertinet quod alij quidam docuerunt, eodem modo renasci nos cùm Christiani efficimur, quo Christus natus est. Ille autem ex Maria Virgine sine viro Spiritu sancto vicem gerente viri, natus est; nos ex aqua, & Spiritu sancto renascimur. Propterea verè dixit Ioannes, *Vos ex Deo estis filioli.* Vt enim sæpè dixi, vt suam in illos caritatem declaret, filiolos mollissimè appellat. Fortasse tacitè insinuare voluit, eos quasi recens natos, adhuc esse infantulos, atque adeo se tamquam Patrem de eorum salute solicitum, eorum quidem constantiam magnopere laudare; nonnihil tamen humanæ imbecillitatis in ea præsertim infantia metuere. Facile enim qui non ita pridem fidem, & caritatem perceperunt, nec dum magnos habent in virtute processus pseudoprophetarum dolis, ac fraudibus decipi possunt.

a in catena Græca
b Hom. 25. in Io.
c Ioan. 3.

IV. Ne tamen de eorum firmitate, & constantia plus æquo diffidere videatur, eos, vt erant initia, laudat. *Et vicistis* (inquit) *eos.* hoc est, pseudoprophetas, & impostores, vel vt alij Codices habent, quos Augustinus, & Beda sequuntur, *vicistis eum.* vt de Antichristo loquatur, quem paulo ante nominauerat, quique per suos præcursores Christianorum fidem vehementissimè oppugnabat. Vicisse autem illos ait, quòd fidei integritatem atque caritatis vim, & efficacitatem constanter retinuissent, subindicans fuisse illos à pseudoprophetis, atque hæreticis non leniter tentatos, quos tamen strenuè depulerint, nisi fortè quod nonnulli suspicantur, Hebræorum more præteritum posuit pro futuro, quasi significet, minimè se dubitare fore illos in vera fide constantes. Vtrouis autem modo intelligat Apostolus, rectè monet Augustinus meritò addidisse: *Quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo. Ne victoriam* (inquit) *suis viribus tribuerent, & arrogantia superbia vincerentur: quemcumque enim Diabolus superbum fecerit, vincit. Volens eos seruare humilitatem, quid ait? Vicistis eum. Iam omnis homo, qui audit, vicistis, erigit caput, erigit ceruicem, laudari se vult. Noli te extollere. Vide quis in te vicit. Quare vicisti? Quia maior est, qui est in vobis, quàm qui in hoc mundo. Esto humilis, porta Dominum tuum, esto iumentum sessoris tui. Bonum tibi est, vt ipse regat, & ipse ducat: nam si ipsum sessorem non habueris, ceruicem erigere potes, calces potes mittere. Sed væ tibi sine rectore, quia libertas ista in bestias te mittit comedendum.* Quæ idcircò libens commemoraui, vt appareat ab Augustini sententia eos magnopere discrepare, qui gratiam diuinitùs traditam perinde atque viribus liberi arbitrij permitti, vt ea tamquam instrumento vtatur, cùm alia omnia perpetuò doceat Augustinus. Meritò autem iis victoriam tribuit, qui fidei constantiam retinent. Sic enim hac ipsa Epistola infra [d] dicit. *Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Non nuda quidem fides, *sed quæ per dilectionem operatur.* Alioqui enim si fides caritate destituatur, ipsi Dæmoni potest esse communis, atque idcirco neque illum, neque mundum vincit. Vult igitur Apostolus fideles non in se ipsis, sed in Domino gloriari, diuinæque gratiæ beneficium agnoscere, quod faciebat Paulus [e], cùm dixit: *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum;*

d cap. 5. 4.
e 1. ad Cor. 15.

V. *Maior* (inquit) *est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.* Cùm enim Deus vi suæ immensitatis vbique sit, & vt in Actis Apostolicis ait Paulus [f]: *Non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, &*

f cap. 17. 28.

sumus. Singulari tamen quadam ratione inest in iustis, in quibus non solùm habitat per fidem, sed etiam per gratiam, & caritatem, de quibus Christus ipse [a] ait: *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Eam ob causam Paulus fideles vocat [b] templum Dei. *Nescitis* (inquit) *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Confestim autem: Templum enim Dei sanctum quod estis vos.* Et post multa [c]: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri.* Et alibi [d]: *Vos enim estis templum Dei viui sicut dicit Deus* [e]. *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Ipse verò Christus caritati potissimùm tribuit hanc vim, vt Deum in se manentem habeat: *Si quis* (inquit) [f] *diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Augustinus enim, Chrysostomus, Cyrillus, Beda, Theophylactus, Euthymius, & alij non dubitant eum locum de aduentu per gratiam in animos hominum accipere. Sic enim Deus ad nos venire dicitur: *Ego* (inquit) [g] *sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Mansionem porrò idcirco commemorat, vt non ad tempus tantùm, se venturum significet. Nam de Spiritu sancto paulo ante dixerat: *Alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Et post pauca: *Apud vos manebit, & in vobis erit,* quia familiaris, semperque vobiscum erit, ita enim ferè Gregorius [h] explicat. Hic igitur diuinus Spiritus, qui in vobis est, omninò maior est, quàm qui in mundo, hoc est, ipso Antichristo, quem dixerat, iam in mundo esse.

a Ioan. 15. 5.
b 1. Cor. 3. 16.
c cap. 6. 19.
d 2. ad Cor. 6. 16.
e Leuit. 26. 12.
f Ioan. 14. 23.
g Apoc. 3. 20.
h lib. 5. mor. c. 20.

VI. Ad hunc locum respexit Cyprianus [i], ait enim *timendas non esse iniurias, & pœnas persecutionum, quia maior est Dominus ad protegendum, quàm Diabolus ad impugnandum. Ioannes in epistola probat dicens: Maior est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.* Simile quiddam insinuasse visus est olim Elisæus Propheta [k], cum enim puer eius Regis Syriæ exercitum formidaret: *Noli* (inquit) *timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Quod mox miro quodam edito miraculo comprobauit, cum enim tantisper in preces fusus esset, *aperuit* (inquit Scriptura) *Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Quo loco rectè Ambrosius [l]: *O fides* (ait) *sancti Prophetæ, non timet aduersarios, quos videt, quoniam scit Angelos secum esse, quos credit: non metuit terrenas insidias, quia cælestia adesse sibi nouit auxilia. Plures* (inquit) *nobiscum sunt, quàm cum illis. Mira res, plures è cælo defensores meretur sanctitas, quàm in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Quam etiam Chrysostomus [m] hanc Elisæi victoriam ita extollit, & huic victoriæ de qua Ioannes loquitur, mirè omnia congruant. *O virtus* (inquit) *admirabilis Dei, ducuntur captiui, qui Prophetam venerant capturi: detinentur vt rei, qui Dei hominem voluerant detinere. Propheta non pugnat, & vincit, non dimicat, & subigit, fit sine sanguine victor, sine gladio triumphator. Vna prece & hostes qui nocere venerant, excæcauit, & victoriam de hostibus acquisiuit. Sic olim pollicitus est Moyses* [n] *cum dixit: Dominus pugnabit pro vobis.*

i ep. 9.
k 4. Reg. 6. 16.
l ser. 86. homilia in Psal. 118 & lib. de virginib.
m Hom. de Elisæo, & Syrorũ insid.
n Deuter. 3. 22.

5. *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.*

I. Altera est, vt ait OEcumenius, pseudoprophetarum nota, & quidem triplex: primum enim ait, *ipsi de mundo sunt;* deinde *ideo & de mundo loquuntur:* postremò, *& mundus eos audit.* Quæ tria mirum in modum in hæreticos conueniunt: *De mundo* (inquit) *sunt:* mundi autem nomine idem planè significat,

quod in Euangelio cùm dixit: *Et mundus eum non cognouit.* Quo loco vt Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Enthymius adnotarunt, accipitur mundus, non pro omnibus hominibus, sed pro iis tantùm, qui terrena & mundana sapiunt, cuiusmodi sunt infideles, atque homines perditæ, atque profligatæ vitæ. Ex eo numero exemit olim Christus Apostolos, cùm dixit a: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Fuerant quidem aliquando de mundo, ideo dixit b: *Quos dedisti mihi de mundo.* Segregauerat videlicet illos ex mundo, hoc est, ab errore, & infidelitate, & in suum collegium cooptauerat. Sic etiam Paulus fuit aliquando de mundo, de quo ita loquitur Augustinus c: *Quid volebat Saulus, nisi vt inuaderet, & traheret, vinceret, & necaret Christianos? Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca? Qui tamen vna desuper voce prostratus occurrente vtique tali visione, qua mens illa, & voluntas refracta sæuitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repente ex Euangelij mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est.*

a Ioan. 15. 19.
b Ioan. 17. 6.
c lib. 1. ad Simplician. q. 2. in fine.

II. Prorsus igitur hæretici de mundo sunt, nihil enim altum, nihil sublime sapiunt. Quocirca verè dixit Augustinus d. *Hæreticus est qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusque sui gratia, falsas, ac nouas opiniones gignit, vel sequitur.* Hæreses autem Ignatius e ait esse Diaboli inuentionem. Et mox de hæreticis suadit: *Hi autem omnes non sunt plantatio Dei Patris, sed progenies maledicti.* Cyprianus f autem Dæmonem ait *hæreses inuenisse, & schismata quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem.* Et hic ipse Ioannes supra dixit: *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Qui sunt veluti tres fontes, ex quibus omnes hæreses profluxerunt. Concupiscentia carnis corruptus Simon Helenam meretricem circumducebat, Marcion Philumenam, denique Hieronymus verè, vt arbitror, scripsit vix quemquam hæreticorum castam, & continentem vitam ducere. Concupiscentia oculorum superiori sæculo magnam hæreticorum partem peperit; superbia verò fœcunda hæreticorum parens censetur. Itaque Tertullianus g: *Omnes* (inquit) *hæretici tument, omnes scientiam pollicentur.* Hieronymus h: *Quis hæreticorum in superbiam non extollitur?* Denique Augustinus i: *Vna* (ait) *mater superbia omnes hæreses genuit, sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diuisos.* Itaque ab Ignatio k similes dicuntur hæretici canibus rabidis, serpentibus, basiliscis, & squamosis draconibus: à Cypriano l lupis, & canibus: ab Ambrosio m noctuis, & vulpibus: à Hieronymo n scarabæis: à Vincentio o Lyrinensi ranis, & muscis moritura: ab Augustino p cimicibus, qui, vt idem q ait, *dum viuunt mordent, mortui autem fœtent.*

d lib. de vtil. credend. c. 1.
e epist. ad Trallian.
f de vnit. Eccl.
g li. de præscrip.
h In Abdiâ.
i lib. de Pastoribus.
k Epist. ad Smyrneo.
l epist. 52.
m ser. 43.
n Abac. 2.
o In commonit.
p in Psal. 50.
q lib. 4. in Iulian. c. 9.

III. *De mundo loquuntur.* Rectè OEcumenius: *Ipsi* (inquit) *è mundo sunt, & de mundo loquentes, id est, iuxta carnis cupiditates docentes, peruersi peruersos obsequentes sibi habent.* Hæreticorum autem sermo detestandus est, ita enim præcepit Paulus r: *Prophana autem* (ait) *& vaniloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Quo loco Lyrinensis s: *Deuita* (inquit) *quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solum tactu, sed etiam visu, afflatuque percutiant. Quid est prophana? quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extranea.* Præclarè autem Cyprianus t: *Declinent fortiter* (ait) *& euitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum* (de hæreticis agit) *quorum sermo vt cancer serpit.* Et aliquanto post: *Nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur, sintque*

r 2. ad Tim. 2. 16.
s In cômonit.
t epist. ad Cornel.

A *ab eis tam separati quàm sunt illi ab Ecclesia profugi.* Et in eamdem sententiam Augustinus a: *Hæreticum sicut vitandum monemus, ne infirmos, & paruulos fallat, ita non abnuimus quibuscumque modis possumus, corrigendum.* Leo b denique: *Vipera hæreticorum vitate colloquia, nihil vobis commune sit cum eis, qui solo sunt nomine Christiani.* Rationem cur hæreticorum sermo vitandus sit egregiam affert Nazianzenus c: *Vt soles* (inquit) *lethale poculum mellis dulcedine temperatum suauitate fallente perimere, sic & hoc malum per blandimenta aurium audientium sensus quadam labe contaminans contagione adhærentes inficit.*

a ep. 61.
b ser. 17. de pass.
c Orat. de fide.

IV. Sunt enim alij plerique qui de mundo sunt, & de mundo loquuntur, de quibus ita loquitur Augustinus, cum enim Christi sententiam proposuisset, quæ est apud Matthæum d: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* subiicit: *Sententia ista vera est, firma est. Iam audi homines de mundo loquentes. Et non te vindicaturus es? dicturus est ille, quia fecit tibi? Imò sentiat, quia cum viro rem habet; quotidie dicuntur ista, de mundo loquuntur qui ista dicunt, & mundus eos audit. Nec dicunt ista nisi qui diligunt mundum, neque audiuntur ista nisi ab his, qui diligunt mundum, & qui diligit mundum, & negligit caritatem.* Eodem modo loquitur Beda: *Dicunt* (ait) *se nullatenus suas iniurias posse dimittere multas, hi nimirum de mundo esse, & ideo de mundo loqui conuincuntur.* Possis etiam dicere eos de mundo loqui, qui alienæ famæ, ac nomini detrahunt, de quibus ita loquitur in Leuitico e Dominus: *Non eris criminator, nec susurro in populo.* Mitto ea, quæ de hoc vitio partim apud Salomonem, partim apud Syrach leguntur: certè Apostolus *susurrones, & detractores Deo odibiles vocat.* Hieronymus f autem: *Caue* (ait) *ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse alijs detrahas, aut alios audias detrahentes. Parce à detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scito, quia per cuncta, quæ de alijs loqueris, tua sententia iudicaris, & in his ipse deprehenderis, quæ in alijs arguebas.* Et Chrysostomus g: *Fugiamus dilecti, fugiamus detractiones, docti quod est totius satanicum barathrum insidiarum eius hæc insessio. Vt enim nostra negligamus, & grauiores nobis reatus constituamus in hanc nos consuetudinem Diabolus duxit.* Paucis autem interiectis: *Si quis,* (inquit) *te prætereunte stercus commoueat, hoc faciente conuicio afficis, hoc fac & erga detractores: non enim commotum stercus sic fœtore cartilaginem percellit, sicut aliena peccata prodita animos contristare & perturbare solent.*

d cap. 6. 14.
e cap. 19. 16.
f epist. 2. ad Nepot.
g Hom. 3. ad popul. Antioch.

V. Eleganter verò Bernardus h detractores proditoribus similes esse ait: *Produrerit* (inquit) *sibi quicumque in hoc Domum castrum inimicos eius introducere molientur, quales sunt vtique detractores, Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres: sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri Diabolo manifestum est.* Et alibi i: *Detrahentem* (inquit David) *secretò proximo suo hunc persequebar, nec mirum cum id præcipuè vitium caritatem, quæ Deus est, & quidem cæteris acrius impugnare, & persequi cognoscatur. Omnis enim qui detrahit, primùm quidem se ipsum prodit vacuum caritate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in contemptum, vel odium ipsis apud quos detrahit?* Et rursus k alio quodam loco: *Numquid non est vipera lingua detractoris? ferocissima planè nimirum, quæ lethaliter tres inficiat flatu vno. Numquid non lancea est ista lingua? Profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus: gladius equidem anceps, immo triceps est lingua detractoris.* Et plura deinceps in eamdem sententiam, quæ planè ostendunt verè detractores inter eos

h serm. 3. de dedic. Eccl.
i serm. 24. in Cant.
k serm. de tripl. custod. man. ling. & cord.

esse numerandos, qui quod ait Ioannes: *De mundo sunt, & de mundo loquuntur.*

VI. Quàm verò latè fundatur hoc malum, quámque graue sit, & atrox, incredibili quadam eloquentia docuit Chrysostomus [a]: *Detrahens* (inquit) *fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti: vnde & Paulus terruit* [b] *docens. Si autem vos inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionem infixisti. vulnerasti, innumeris affecisti malis, & te ipsum & alios plures.* Neque his contentus insuper addit: *Commune Ecclesiæ statum læsisti, non enim omnes audientes peccatorem solum accusant, sed opprobria Christianorum genti infliguntur, & infideles pro eo, qui peccauit Christianos omnes calumniis insectantur: ad hæc Dei gloriam blasphemare fecisti, sicut enim nomen Dei nobis laudabiliter viuentibus glorificatur, sic peccantibus blasphematur. Quartum malum, audientem confudisti, & sic impudentiorem reddidisti, inimicum eum reddens: quintum te ipsum pœnæ reum fecisti, negotia ad te nihil attinentia texens.* Non committam vt quisquam ea desideret, quæ eodem loco de obtrectatorum arte, & calliditate scribit: *Hoc verò* (ait) *magis ridiculum est, quòd cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adiurant, ne cuiquam alteri amplius dicat, bene declarantes quòd rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum, vt nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. Sed iucundum detrahere, immò iniucundum non detrahere. Detrahens enim continenter anxius est, suspirat, & timet, linguam suam mandit, tremens ne fortè aliis enunciatum verbum magnum sibi periculum afferat. Audisti sermonem, ait Sapiens* [c], *aduersus proximum tuum? commoriatur in te, confidens quoniam non te disrumpet. Quid est commoriatur in te? Extingue ipsum, defodito, ne exire permittas, obliuioni trade.*

a Hom. 3 ad popul. Antioch.
b ad Gal. 5. 15.
c Eccl. 19. 10.

VII. Nec discrepant quæ mira quadam venustate ad describendam obtrectatorum solertiam, atque versutiam alicubi [d] habet Bernardus: *Et sunt* (ait) *species pestis huius, dum alij quidem nudè, atque irreuerenter, vti in buccam venerit, virus euomunt detractionis. Alij autem quodam simulata verecundia fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuabiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quam malitiosè proferri. Doleo* (inquit) *vehementer pro eo, quod eum diligo satis, & numquam potui de hac re corrigere eum. Et alius. Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me numquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum, doleus dico; re vera ita est, & addidit grande damnum; nam alias quidem in pluribus valet; cæterùm in hac parte, vt verum fatear, excusari minimè potest.* Quàm sit autem Deo exosum hoc vitium, & quàm seuero supplicio obnoxium, docent Basilius [e], Ephrem [f] Syrus, Eusebius [g] Cæsariensis, Cassianus [h], & alij.

d serm. 24. Cant.
e reg. breuior. reg. 27.
f tomo 1. de morbo ling.
g lib 6. c. 8.
h coll. 55. c. 55.

Adde etiam eos de mundo loqui, qui collocutionibus, & sermocinationibus otiosis, atque inanibus oblectantur. Otiosum porrò Basilius [i] à contrario describit, non otiosum enim sermonem vocat *qui est de virtute, vel ad audientium ædificationem refertur.*

VIII. Hieronymus [k] verò definit, *quod sine vtilitate & loquentis dicitur, & audientis.* Gregorius [l] autem *otiosum* ait esse, *quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret.* Nec multum discrepat vanum, id enim Chrysostomo [m] vanum est, *quod vtilitatis est expers.* Gregorio [a] verò Nysseno, *cuius nullus est vsus & scopus certus, licet magno studio proferatur.* Quàm autem perniciosum sit, otiosis verbis oblectari, docet Basilius [b]: *Adeo* (inquit) *magnum est otiosi verbi periculum, vt licet genere ipso de numero bonorum sit, tamen nisi ad ædificationem fidei dirigatur, à periculo liber non est, qui illud loquutus est, quippe qui ex eo quod ad ædificationem illud non accommodauerit, contristasse noscatur Spiritum sanctum. Hoc enim apertè docuit Apostolus* [c], *cùm dixit: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Et subiecit illud: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. Quàm autem perniciosa res sit, contristasse Spiritum sanctum, de hoc verò quid opus est vt dicatur?*

i in const. monast c 12.
k Matth. 12.
l li. 7. mor. c. 17.
m in Psa. 118.
a In Eccl. c. 2.
b reg. breuior. c. 23.
c ad Ephes. 4. 29.

IX. Nec abhorret [d] Ambrosius: *Non solum profusos* (ait) *sed etiam omnes iocos declinandos arbitror.* Et rursus: *Licet interdum ioca honesta, & suauia sint, tamen ab Ecclesia abhorrent regula.* Rem quippe lubricam, & periculosam iocandi consuetudinem existimauit Gregorius [e]: *Dum enim* (inquit) *ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultæ increpationis effertur: quibusdam enim sua ruina gradibus desidiosa mens in fouea lapsus impellitur. Nam dum otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus.* Denique S. Bernardus [f]: *Nemo* (ait) *parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis, siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis.* Post nonnulla verò: *Donec transeat inquit tempus, quo diuinam repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Itaque omnes hi, aliique persimiles de mundo sunt, & de mundo loquuntur. Subdit Ioannes:

d li. 1. de offic. c. 23.
e lib. 7. mor. c. 17.
f ser. de tripli. custod.

X. *Et mundus eos audit.* Similes, quod aiunt, labra lactucas habent, qui de mundo loquuntur, auidè audiuntur ab iis, qui & ipsi de mundo sunt: nam hæreticos quidem ij solùm libenter audiunt, qui parum sunt in fide constantes, qui quòd suis voluptatibus plus æquo indulgent, de fidei dogmatibus non ita bene sentiunt; quasi quæ diuina lege præcipiuntur, quæque aut credenda, aut peragenda proponuntur, humana sint imbecillitate maiora, quo fit, vt leui momento in fraudem, atque errorem impellantur. Iidemque pronos, atque obsequentes sese præbent iis, qui persequendas iniurias docent, & perpetes inimicitias laudant potius, atque extollunt, quàm vel leuissimam iniuriam æquo animo ferendam censeant. Detractores porrò cum oblectatione, & eximia quadam voluptate excipiunt, cum tamen Basilius [g] cum quæsisset quanam animaduersione dignus sit, qui fratri detrahit, & detrahenti aures præbet, sapienter respondeat: *Exterminandi à reliquorum societate ambo: Detrahentem enim proximo suo, ait Dauid, hunc persequebar. Et alibi dictum est* [h]. *Detrahentem noli libenter audire, ne sustollaris.* Et Ephrem [i] Syrus cum mala, atque incommoda linguæ recenseret: *In propriis* (ait) *rebus contingit, vt iustus sit innocens, in alienis reus inuenitur. Nam si quis eo præsente virum aliquem iustum maledictis insectetur, ipse autem ad ea conticescat, nonne silentium hoc eius ipsi vertetur in crimen? Audiendo enim talem, & non reprehendendo maledicta eius comprobare videtur tamquam vera. Atque hoc ex magnorum etiam Principum intelligi licet potestate. Si quis enim vel tuto in Regem peccantem inuehatur, qui præsentes sint audire renuunt. Si quis autem adesse pergat, & audire, iam idem in vtrumque supplicium constituitur.* Paulinus sanè Celantiam Virginem his præceptis informat [k]: *Nec obtrectatoribus de consensu auctoritatem tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo. Noli, inquit Scriptura, consentaneus esse cum*

g reg. breuior q. 26.
h Prou. 20. iuxta LXX.
i Tomo 1.
k Inter opp. Hieronym. ep. 14.

derogan

derogantibus aduersus proximum tuum, & non accipies super illum peccatum. Et alibi [a]: [a Eccles. 28. 28.] *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Et pancis interiectis. *Est sanè tale hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, & ab iis, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem, & leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi, beatusque est, qui ita se contra hoc vitium armauit, vt apud eum nemo detrahere audeat.*

XI. Præclarè verò Hieronymus [b] [b Ep. 2. ad Rustic.] eorum excusationes excludit, qui se negant, obtrectatoribus aures claudere posse. *Neque verò* (inquit) *illa iusta excusatio est, referentibus alijs iniuriam facere non possum. Nemo inuito auditori libenter refert, sagitta in lapidem numquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, non misceaaris, quia repente veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit? tam videlicet eius, qui detrahit, quàm illius, qui aurem accommodat detrahenti.* Plura alia recenseri possent, quæ pertinent ad hoc caput, quidquid enim aut aures demulcet, aut sensum titillat, ad mundum pertinet, hoc est, eos præcipuè afficit, qui caduca, & mortalia spectant, neque altius mentem attollunt, vt de animi bonis, deque iis, quæ ad sempiternam spectant salutem, nullam suscipiant cogitationem, [c cap. 3. 10.] quorum studia apud Isaiam [c] his ferè verbis describuntur. *Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere, nobis ea quæ recta sunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.*

XII. Ita fit, vt multi assentatorum lenociniis decipiantur, vt enim ait Dauid [d]: [d Psal. 9. 21.] *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Et Salomon [e]: [e Prou. 29. 5] *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Neque aliter Ieremias [f]: [f eod. 9. 8.] *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum loquuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* Et profectò vix quidquam in humana vita perniciosius contingere potest, vt enim ait Basilius [g]: [g in Psal. 61.] *Multi sunt, qui pro bonis prauas comprobant actiones, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Nam scurrilia loquentem, vrbanum, ac politicum, parcum, vt sobrium dispensatorem commendant.* Subdit: *In verborum namque benedictione tales omnes exectationem vitæ suæ inducunt, ac reos æternæ damnationis ob ea, quæ approbant, sese constituunt.* Id verò proprium esse hæreticorum, vt facilius decipiant quos laudant, scribit Hieronymus [h]. [h lib. 1. con. Pelag.] *Propriè* (inquit) *hæreticorum est adulari, & eorum, qui decipere cupiunt audientes dicente Apostolo* [i]. [i Ad Rom. 16. 18.] *Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio, pulchréque apud Philosophos definitur, Blandus inimicus.* Quocirca verè omnino, ac sapienter Paulinus adulatores his planè verbis cauendos monet [k]: [k ep. ad Celant. inter epp. Hieronymi 14.] *Adulatorum* (inquit) *assentationes velut quasdam pestes animæ fuge: nihil est quod tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci, & molli vulnere animum feriat. Vnde & quidam Sapiens* [l] [l Prou. 18. 8.] *ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. Et Dominus loquitur per Prophetam* [m]: [m Isa. 3. 12.] *Populus meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum dissipant.* Et Augustinus [n]. [n in Psal. 59.] *Duo* (inquit) *sunt genera persequentium scilicet vituperantium, & laudantium. Sed plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus persequentis.*

XIII. Quamobrem ipsi etiam Philosophi assentationis periculum agnouerunt. Plato [o] [o in Phædro.] enim Philosophorum facilè princeps adulatores feras appellat humano generi pestilentes, similesque ait esse veneficis, aut etiam impuris dæmonibus, qui animos incautos, ac parum sanos funestis, ac lethalibus epulis foueant, & sordibus noxiis inquinent. Antisthenes [a] [a apud Stobæum ser. 12.] verò melius esse aiebat in coruos, quàm in adulatores incidere, quòd hi viuentibus, illi mortuis oculos eruant, indicans assentatorum blanda, sed fallaci oratione mentis oculos excæcari. Bion [b] [b Apud Laërt. lib. 2.] verò rogatus inter animalia quodnam esset perniciosius, respondisse fertur inter fera quidem tyrannum, inter mansueta autem adulatorem. Quocirca Plutarchus [c], [c De liber. educ.] *nullum animantium genus assentatoribus perniciosius esse* dixit, *nullum quod citius in præcipitia iuuentutem deducat, qui patres, ac filios radicitus obruerunt, illorum senectutem, & horum adolescentiam, tristitia, & magnis affigentes malis.* Et plura deinceps. Multa verò, & ea quidem grauissima adulationis incommoda recenset Seneca, quæ breuitatis causa libens prætereo, tantùm addo Chrysostomi [d] [d Hom. 43. ad Pop Antioch.] verba monentis adulatorum laudes despiciendas esse, ait enim *id esse angelica cuiusdam animæ verticis cælestis testudinem tangentis.* Alio verò quodam loco [e] [e Hom. 27. in Matth.] ait: *Insipiens gaudet laudari in faciem, vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde.*

6. *Nos ex Deo sumus, qui nouit Deum audit nos, qui non est ex Deo non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.*

I. Quoniam notas pseudoprophetarum indicare cœpit, ex aduerso verorum prophetarum indicium obiter insinuat. *Nos* (inquit) *ex Deo sumus*, quasi dicat, ex spiritu renati, quia videlicet, vt ait Augustinus, caritatem complectimur, ac retinemus: quippe vt addit OEcumenius, *à mundanis concupiscentijs abhorremus, & de futura vita soliciti facilè contemnimus omnia caduca, & mortalia bona.* Quamquam autem Ioannes numero multitudinis modestiæ gratia de se ipso loquitur, hæc tamen verba æquè ad omnes Apostolos referri possunt, qui primùm ex Deo esse dicuntur, quòd à Christo Domino vocati, & in duodecimvirale collegium cooptati priuato quodam iure, & coniunctionis nexu ipsi adhæserant. Itaque ipse apud Ioannem [f] [f cap. 15. 15.] eos amicos appellat: *Iam* (inquit) *non dicam vos seruos, sed amicos.* Et mox: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Deinde quia ipsos singulari quodam consilio, & prouidentia elegerat, de quibus non ita multo post [g]: [g vers. 16.] *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Nam si sequamur Augustini [h], Prosperi, [i] & Bedæ [k] sententiam, [h in ill. loc Ioan & lib de Prædest san. c. 16 & alibi sæpe. i lib con. Collat & in Psal. 131. k Ioan. 15.] qui verba Christi de prædestinatione interpretantur, planè liquet fuisse illos eximia quadam ratione ex Deo, vt sunt omnes, prædestinati, de quibus [l] [l Ioan. 13. 18.] alibi ait: *Ego scio, quos elegerim.* Et rursus [m]: [m Io. 10. 28.] *Non peribunt in æternum.* Et: *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Itemque: *Nemo potest rapere de manu Patris mei.*

II. Sin autem quod alij malunt, de electione ad munus Apostolicum loquitur Christus, suos illos præcipuos ministros, suique diuini verbi præcones constitutos esse declarat, quorum opera cunctos populos & nationes vera fide imbueret, atque ita ascensurus ad Patrem his illos verbis affatur [n]. [n Matth. vlt. in fine] *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Simúmque illis diuinum patrocinium perpetuò affuturum spondens subdit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Mihi autem valde fit verosimile hac potissimùm ratione dixisse hoc loco Ioannem, *nos ex Deo sumus*, vt significet se

veram fidem, sanámque doctrinam tradere, quam videlicet ab ipso Christi docentis ore iam pridem hauserat, quod ipso statim huius epistolæ initio his verbis insinuauerat: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis.* Fortasse autem respexit ad prisca prophetarum oracula quę cælestem quandam, diuinámque doctrinam cunctis fidelibus pollicentur. Sic enim loquitur Isaias [a]: *Ponam iaspidem propugnacula tua & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Quem locum indicasse videtur Christus apud Ioannem [b], cum ait: *Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei.* Quod enim de omnibus fidelibus vaticinatus est Isaias, id præcipuè de Apostolis accipiendum est, ideirco enim cæteri diuinam percepisse doctrinam credendi sunt, quia Apostoli omnium magistri eam primi ab ipso Christo hauserant, quorum opera ille cunctos mortales docuit. Sic enim dixerat [c]: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Paulus [d]: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christus?* Eam ob causam verè apud Ioannem [e] Christus dixit: *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.*

a cap. 54. 13.
b cap. 6. 45.
c Matth. 10. 20.
d 2. Cor. c. 13. 3.
e cap. 6. 45.

III. Erant præterea Apostoli priuato quodam modo ex Deo ob singularem vitæ, morumque sanctitatem vt æquè omnes verè dicere possent, quod frequenter iterat Paulus [f]: *Imitatores mei estote.* Tanta siquidem erant diuina gratia prædit, eóque cælestis prouidentiæ patrocinio confirmati, vt grauiori culpa nulla possent inquinari. His ergo omnibus nominibus verè dicere potuit Ioannes, *nos ex Deo sumus.* siquidem easdem ob causas negauerat olim Christus, Apostolos esse de mundo, qui se, suósque mores imitarentur, qui se de mundo nequaquam esse affirmauerat. Quo spectans OEcumenius: *Nos verò* (inquit) *ex Deo sumus, & à mundanis concupiscentiis alienati.* Ita se Ioannes in eorum numero collocat, qui ex aduerso iis respondens, quos dixerat esse de mundo, vt significet eos quidem nullo modo esse audiendos, suam verò doctrinam ex animo complectendam, ac studiosè retinendam. *Illi* quippe *de mundo sunt, & de mundo loquuntur.* nos contra *ex Deo sumus,* & cælestem, planeque diuinam doctrinam tradimus.

f 1. ad Cor. 4. 16. 1. ad Cor. 11. 1. Ad Philipp. 3. 17.

IV. Subdit: *Qui nouit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos.* Rectè monet hoc loco Didymus, audiendi verbum non ad externas aures, atque audiendi instrumentum, sed ad animi, voluntatísque consensum pertinere. Quomodo frequenter accipitur in Scripturis. nam in Leuitico [g] hoc planè sensu loquitur Dominus: *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea.* Et Dauid [h]: *Et non audiuit populus meus vocem meam.* Et aliquanto post [i]: *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset.* Et Christus ipse apud Ioannem [k]: *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Propterea cùm dixisset Christus [l]: *Omnis qui audit à Patre,* illicò addidit, *& didicit, venit ad me.* Fieri enim potest, vt extrinsecus quis verba loquentis excipiat, sed quia non præbet assensum, nunquam discat, hoc est, non credat. Plurimi namque sunt, qui Euangelicam doctrinam auribus perceperunt, quippè vt ait Dauid [m]: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed nō omnes didicerūt, quia discere est credere. Qui igitur vera Dei cognitione præditus est, audit Apostolicam doctrinam, hoc est, ei præbet assensum, éamque ex animo complectitur, atque idcirco non solùm audit, sed etiam discit. Quamobrem Cyrillus Alexandrinus [n]: *Fides* (inquit) *quid aliud est, quàm vera de Deo cognitio? Per fidem enim cognitio fit: teste etiam Isaia dicente: Si enim non credideritis, non intelligetis.*

g cap. 26.
h Psal. 80. 12.
i verb. 14.
k cap. 10.
l Ioan. 6. 45.
m Psal. 18. 5.
n lib. 11. in Ioan. c. 17.

V. Est autem hæc Dei cognitio in primis necessaria, verè namque scribit Bernardus [a]: *Quod si ignoras Deum, poterit ne spes esse salutis cum Dei ignorantia? ne hoc quidem. Non enim potest aut amare quod nescias, aut habere quod non amaueris. Noueris proinde te, vt Deum timeas, noueris ipsum, vt æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris, quia initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est caritas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, quam sine timore, & amore Dei salus esse non potest.* Quin etiam addit Ambrosius [b], ne posse quidem absque Dei cognitione veram sapientiam, aut prudentiam comparari. *Credidit* (inquit) *Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, nemo enim prudens, qui Deum nescit. Denique insipiens dixit, quia non est Deus. nam sapiens non diceret. Quomodo enim sapiens, qui non requirit auctorem suum? Qui dicit lapidi, Pater meus es tu: qui dicit diabolo, vt Manichæus, Auctor meus es tu? Quomodo sapiens, qui Deum suum non timet? Initium verò sapientiæ timor Domini.* Porro Hieronymus [c] eum, qui Dei cognitione careat, belluam appellare non veretur. *Absque notitia* (inquit) *creatoris sui homo pecus est.* Itaque ait Ioannes: *Qui non est ex Deo, non audit nos.* hoc est, nostris præceptis non obtemperat, non præbet assensum, vno verbo, non discit, nec credit. Verè enim dixit aliquando Paulus [d] alia omnia ab infidelibus expeti. *Iudæi* (inquit) *signa petunt, Græci sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Iesum Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*

a ser. 37. Can.
b lib. 1. offic.
c ep. 3. ad Heliodor.
d 1. Cor. 1. 22.

VI. Adde, quòd ij ex Deo dicuntur non esse, qui voluptatibus dediti, huius vitæ deliciis detinentur implicit, qui non facilè diuinis oraculis assensum præbent. Verissimè enim dictum est à Christo [e]: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. erant enim eorum mala opera.* Sanè cum Christus suam mundo diuinam intulit lucem, omnium fermè mala erant opera, sed alij quidem, qui celari opera sua mala noluerunt, venerunt ad lucem, nihil veriti sua pristina flagitia profiteri, atque inde boni esse cœperunt, & dissipatis tenebris cælestis, diuinæque lucis participes sunt effecti. De quibus alicubi Paulus [f]: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Contra verò qui in eodem malorum operum cœno iacere voluerunt, neque ea in lucem proferri passi sunt, in tenebris permanserunt, de quibus egregiè Augustinus [g]: *Multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi sunt peccata sua, quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua, si & tu accusas, coniungeris Deo. Quasi duæ res sunt homo, & peccator. Quod audis homo, Deus fecit, quod audis peccator ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt Deus saluet quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem experit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua: initium operum bonorum, confessio est operum malorum.*

e Ioan. 3. 19.
f ad Eph. 5. 8
g Tract. 12. in Ioann.

VII. Sed negari non potest accidere plerumque posse, vt cùm idem omnes extrinsecus audiant, alij quidem discant, hoc est, assentiantur, & credant, alij contra reluctentur. Difficilè autem huius discriminis ratio inuestigari potest, siquidem vt ad Romanos [h] scribit Paulus: *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi. Nec tamen* (vt ait Augustinus [i]) *omnium est fides, qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei, sicut nec omnia germinant, quæ plantantur, & rigantur, sed quibus Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, etsi miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem*

h cap. 10. 14.
i epist. 105.

videant,

videns, altitudo est diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem non est iniquitas, dum cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat. neque enim propterea sunt ista iniusta, quia occulta. His affinia sunt, quæ alibi [a] scribit, cum enim posuisset aduersariorum verba: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt, volunt ergo isti credere, nolunt autem illi.* continuò subdit: *Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? sed cum alijs preparetur, alijs non preparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Et alio [b] loco eadem de re differens cum ostendisset voluntatem credendi Dei esse donum, subdit: *Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est. Accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis est. Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita. Duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum, & numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptores.*

a lib. de prędest. san. c. 6.

b de spir. & liter. c. 34. similia de prædest. san. c. 8.

VIII. Videtur itaque Augustinus non admodum cum Ioannis sententia congruere; hic enim videtur causam, cur nonnulli non credant, ipsis tribuere hominibus, qui videlicet ex Deo non sunt, hoc est, vt ex OEcumenij sententia diximus, voluptatibus irretiti sunt. Augustinus autem in Deum videtur primam, ac potissimam causam referre, qui alijs quidem fidem largitur, alijs non item. Sed idem Augustinus hunc locum explicans. *Qui audit nos* (inquit) *spiritum habet veritatis, qui non audit nos, spiritum habet erroris.* Quasi dicat, qui Deum nouit, diuini. Numinis impulsu eam notionem adeptus est: qui verò in errore persistit, vni sibi hanc suam impietatem tribuat necesse est. Potuisset enim & ipse lucem aspicere veritatis, nisi contra diuinam vocationem libero pugnasset arbitrio, quod fusè idem Augustinus [c] alibi probat. *Quoniam* (inquit) *nec velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus siue intrinsecus, vbi nullus hominum videt, siue extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia efficitur, vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.* Confestim autem addit: *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam vt venirent, vocati erant in libera voluntate.*

c lib. 83. qq. q. 68.

IX. Denique concludit: *Propterea & si quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus, non sibi potest tribuere, quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habet meritum præmij, vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cùm vocatus venire neglexerit.* Quod non ita multo post Pharaonis exemplo confirmat: *Quod autem* (inquit) *huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eos, quibus humanitas, & misericordia debebatur, meruit pœnam, vt induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, vt tot, & tantis, tamque manifestis Dei signis non crederet.* Qui itaque non est ex Deo, non audit Apostolos, quia Deum docentem non audit. Vt enim ait Clemens [d] Alexandrinus: *Principium doctrinæ habemus Dominum qui & per Prophetas, & per Euangelium, & per beatos Apostolos multifariam, multisque modis à principio ad finem deducit cognitionis.* Quippe ille, vt non semel iam dixi, intus in animo docet. De isto autem docendi modo ait Augustinus [e]: *Etiam Dominus ait: Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* Illico autem subiicit: *Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem, & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut veritas loquitur, omnis, qui didicit, venit, quisquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat & venire quemquam, & non venire, arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit, non autem potest nisi adiutum esse si venit, & sic adiutum, vt non solùm quid faciendum sit, sciat, sed quod sciuerit etiam faciat.* Et plura deinceps.

d lib. 7. Strom. non longè à fine.

e lib. de Grat. Christi c. 14.

X. *In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.* Nam vt Augustinus [a] affirmat: *Nemo ambulat secundùm spiritum nisi qui agitur Dei spiritu, quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, vt ait Apostolus.* Sed quanam quæso ratione diuinum Spiritum à spiritu erroris dignoscere quis possit, nisi ipse spiritus sese sua luce prodat? Id ni fallor, indicat Augustinus [b], cùm enim posuisset aduersariorum verba: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi.* Cõtinuo addit: *Quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cum alijs preparetur, alijs non preparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio?* Planè in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris, nam qui spiritu Dei aguntur, Deum norunt, & veritatem complectuntur, Apostolos audiunt, & Catholicam doctrinam sequuntur; atque hac veluti nota hæretici, qui spiritu erroris ducuntur, à Catholicis secernuntur. Illi siquidem neque Apostolos, neque Apostolicos præsules sibi audiendus putant, de quibus apud Matthæum [c] dixerat Christus: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et alibi [d]: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus.* Atque *hæc est*, vt ait Augustinus, *discretio spiritus veritatis, & erroris.* Neque aliter sentit Beda, qui hoc refert ad id, quod supra dixerat: *Probate spiritus, vtrùm ex Deo sint.* Ex Deo autem sunt, qui Deum norunt, qui Apostolos audiunt, & Ecclesiæ Apostolicæ obtemperant, priscorum denique Patrum traditiones retinent.

a lib. 3. con. duas epist Pelag. cap 2.

b lib. de prędest. san. c. 6.

c Lucæ 10. 16.

d Matth. 18. 19.

XI. Hæc autem ad fidem referuntur, & hoc veluti antidoto firmentur fideles, ne in fraudem impellantur, & impia hæreticorum dogmata pro fide Catholica admittant. Hinc verò facile deprehenduntur hæretici, quod Apostolica decreta vel penitus conuellunt, vel perperam interpretantur, vel non magni certè faciunt, quippe soli diuinarum sibi rerum singularem quamdam scientiam arrogant, solos se sapere iactitant, omnem antiquitatem superbè contemnunt. Quos videtur Clemens [e] Alexandrinus graphicè describere: *Ex ijs autem* (inquit) *qui declinant à veritate alij quidem se ipsos solos, alij verò propinquos quoque conantur fallere. Atque hi quidem qui appellantur* [illegible]*, hoc est, opinione sapientes, qui se veritatem inuenisse existimant, nullam habentes veram demonstrationem, ij se ipsos decipiunt, se acquieuisse existimantes, quorum non parua est multitudo, & quæstiones declinantium propter confutationes, & doctrinam vitantium propter condemnationem.* Quæ tametsi videri possunt contra Philosophos dicta, pertinent tamen etiam ad hæreticos, quos paulu post nominat. Sunt autem hæretici nouitatis amatores, osores autem antiquitatis. De quibus idem Clemens paulo ante dixerat: *Præterea autem fore, vt in veritate seminentur hæreses, vt in frumento Zizania propheticè dictum est à Domino, & fieri non potest, vt non fiat id, quod prædictum est esse futurum, huius autem causa est, quod quidquid est pulchrum sequitur momus.* Post multa verò cum docuisset, hæreticos ab Ecclesia recessisse: *Manifestum* (ait) *esse existimo vnam esse veram Ecclesiam, eam, quæ verè est antiqua.* Et mox: *Solam esse dicimus, quam etiam antiquam, & Catholicam Ecclesiam in vnitate vnius fidei.* Addit:

e lib 7. Strom. sub finem.

Quod

Quod enim Catholica Ecclesia posteriora sua fecerint conciliabula, non opus est multis verbis. Et rursus: *Quae cum ita habeant clarum est, ex antiquissima, & verissima Ecclesia has recentiores, & quae his sunt adhuc inferiores tempore, fuisse innouatas adulterinas vero haereses.* Quo argumento omnis penè antiquitas hæreses refellit. Sic enim argumentatur Tertullianus [a], cuius inter cætera hæc sunt verba [b]: *Qui estis vos, aut vnde venistis?* Quasi dicat, non ita pridem eos produisse in lucem. Eodemque modo Cyprianus [c]: *Non enim* (inquit) *nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt.* Hilarius [d] tardè ait hæreticos venisse, & tardè loqui. Neque aliter sentiunt Lactantius [e], & Hieronymus [f]. Eodémque argumento vtuntur Iustinus Martyr [g], Irenæus [h], Optatus [i], & Augustinus [k]. addo Athanasium [l], Epiphanium [m], & Chrysostomum [n]: omnis enim hæreticorum nouitatem perstringunt, vt Ecclesiæ Catholicæ antiquam fidem, & vetustate firmatam tueantur, quam Apostoli à Christo Domino didicerant, & non voce solum promulgarant, sed signis, ac prodigiis, atque adeò sanguinis, ac vitæ profusione obsignarant.

a lib. de car. Christ. lib. 1. & 4. cont. Marc. lib. cont. Prax.
b li. de Præscript.
c de vnit. Ecclesiæ.
d lib. 6. de Trinit.
e lib. 4. c. 30.
f ep. 65. ad Pammac. & Occan. de error. Orig.
g Dial. cum Triphone.
h lib 1. c. 20. in fine.

XII. Vtitur autem Apostolus nomine spiritus, siue cùm veritatem siue cùm errorem appellat. Quemadmodum enim diuinus spiritus auctor est veritatis, & omnis erroris penitus expers, ita contra spiritus mendax sator est, ac parens omnis erroris, de quo Isaias [o]. *Dominus* (ait) *miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens.* Et in libris Paralipomenon [p] spiritus mendax decepit prophetas Achab, qui & spiritus mendacij noncupatur, nam verè Dæmon mendax dicitur ab initio, & pater mendacij. Atque ita omnes hæreticorum errores per impios, ac scelestos homines euomuit, vt veritatem si fieri posset obrueret, ac penitus extingueret. Sed vt ille ait, *super omnia vincit veritas.* Vt enim virga Mosis vorasse dicitur omnes virgas Ægyptiorum Magorum, ita veritas Catholica omnes hæreses superat, & extinguit. Hæc est igitur vera nota ad dignoscendum spiritum veritatis, nam vt ait Christus [q]: *Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, vel. vt legit Augustinus, *deducet vos in omni veritate.* Docet enim hic spiritus miro quodam docendi genere, de quo ita loquitur alicubi Augustinus [r]. D *Hæc gratia* (inquit) *si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius, & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita vt non ostendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat caritatem; sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt, agere.*

i li. 2. cont. Parmen.
k cõt. epist. fundam. c. 4.
l Orat. 2. cont. Arian. statim in princ. & ep. ad omnes de vera fide apud Socra. lib. 2. c. 27.
m hær 76. in princ. & in Anchor. in fine ante fidei Nycænæ confess.
n Hom 38. in Acta Apost.
o cap. 19. 14.
p lib. 2. c. 28. 2.
q Ioan. 16. 13.
r li. de grat. Christ. c. 13.

XIII. Atque hac quidem doctrina qui diuinitus imbuuntur, dicuntur trahi ad Patrem: sic enim ait Christus [s]: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ne quis autem vim, aut necessitatem suspicetur, eleganter, vt omnia, trahendi modum explicat Augustinus [t]: E *Noli te cogitare inuitum trahi, trahitur animus & amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus, qui verba perpendunt, & à rebus maximè diuinis longè remoti sunt, & in hoc Scripturarum sanctarum Euangelico verbo forsitan reprehendamur, & dicatur nobis: Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico parum est, voluntate ire, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare* [u] *in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quadam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò si Poëta dicere licuit. Trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur sempiterna vita? Non*

s Ioan. 6. 44.
t Tract. 26. in Ioan.
u Psal. 36. 4.

A *nullis autem interiectis subiicit: Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam, nuces puero demonstrantur, & trahitur, & quod currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas, non trahit reuelatus Christus à Patre? Quid enim fortius desiderat anima quàm veritatem?*

XIV. Et alio quodam loco [a]: *Nemo* (inquit) *venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Non dixit duxerit, sed traxerit, ista violentia cordis fit, non carnis. Quid ergo miraris? crede, & venis, ama, & traheris. Ne arbitreris istam asperam, molestamque violentiam, dulcis est, suauis est, ipsa suauitas te trahit. Nónne ouis trahitur, cum esurienti herba monstratur. Et puto, quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic & tu veni ad Christum. B noli longa itinera meditari, vbi credis, ibi venis, ad illum enim, qui vbique est, amando venitur, non nauigando.* Neque verò existimandum est, hanc Augustini interpretationem à scripturarum, aut rectè loquentium vsu abhorrere. nam de adolescente dixit Salomon [b]: *Ignorans quòd ad vincula stultus trahatur.* cùm tamen ille non vi, sed meretricio amore traheretur. Neque aliter illa se trahi cupiebat, cuius hæc sunt verba [c]: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Et apud Oseam [d] Deus ipse: *In funiculis* (inquit) *Adam trahebam eos*: id est, non vi, sicut trahi ligati boues solent, sed amore, & benignitate, vt statim C explicat dicens, *in vinculis caritatis.* Denique in Apocalypsi [e] draco tertiam partem stellarum secum traxisse dicitur, & vtique non vi traxit, sed exemplo. Vsu verò loquendi constat, nos plerumque verè dici, non solùm, cùm cogimur, aut impellimur, trahi, sed etiam cùm ducimur, cùm inuitamur, cùm blanditiis, & voluptate allicimur. Sic dixit quidam egregius benedicendi artifex [f], *trahit nos studio laudis.* Et Poëta [g], quod etiam obseruauit Augustinus, *Trahit sua quemque voluptas.*

a Serm. 2. de verb. Apost. 240
b Prou. 7. 22
c Cant. 1. 4.
d cap. 11. 4.
e cap. 12. 4.
f Cicero pro Archia Poëta.
g Eclog. 2.

XV. Dixit quidem paterfamilias [h], *compelle illos intrare.* sed illa ipsa compulsio, nihil aliud, quàm diligentem, sollicitam, vehementemque cohortationem significat, populari genere loquendi, quo compelli nos dicimus cùm vehementer rogamur. Non me fugit trahendi verbum à Hieronymo [i] perinde accipi, D quasi vim, & necessitatem afferat. *Simul & hoc* (inquit) *animaduertendum, quod qui trahitur non spontè currit, sed aut retractans, & tardus, aut inuitus adducitur: qui non potest suis viribus, & labore venire ad Iesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare?* Sed nimirum non aliam vim, aut necessitatem intelligit, quàm quæ, vt ait Augustinus, cordi fit, non carni. Violentiam enim vocat, non quòd gratia, aut diuinus impulsus vim inferat libero arbitrio, sed quòd magno opus sit diuinæ gratiæ adiumento, vt ab infidelitate ad fidem, à peccato ad iustitiá trahamur. Itaque Ammonius, Chrysostomus, Theophylactus [k] docent non tolli trahendi verbo liberum arbitrium, aut vim illi, necessitatémve imponi, sed id tantùm indicari, magno nobis Dei auxilio opus esse, vt ad Deum trahamur. E Verissimè omninò scripsit Augustinus [l]: *Quis trahitur, si iam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit: trahitur ergò miris modis vt velit ab illo, qui nouit intus, in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.*

h Lucæ 14. 23.
i lib. 3. cõt. Pelag.
k Ioan. 6.
l li. 2. cont. 2. epist. Pelag. cap. 19.

XVI. Vulgaris, & molesta quæstio est, cur Pater non omnes ad Christum trahat: neque enim audiendi Pelagiani sunt, qui id cuiusque merito tribuunt, quibus nimium quantum fauent Ammonius, Cyrillus, Theophylactus, & Euthymius, qui non omnes trahi existimant, quia non omnes digni sunt. Nec mihi satis eorum probari sententia potest, qui hunc

trahi

trahi, illum non trahi affirmant, quia hic trahentem Deum sequi voluit, ille noluit. Id significare visus est auctor [a] libri de prædestinatione, & gratia, qui falsò Augustino tribuitur, cum sit alioqui suspecti Auctoris, cum enim de Pharaone, & Nabuchodonosore, quos ambos Deus eodem modo, eademque, vt ita dicam, vi conatus est trahere, verba faceret, huic in modum scribit: *Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo reges, quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos? nisi quod vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra misericordissimam Dei veritatem pugnauit arbitrio.* Quod quamquam, vt ait Augustinus [b], verissimè dicitur, certum tamen est, alijs præparari voluntatem, alijs verò non item, vt necessariò recurrendum sit ad id, quod ipse Augustinus [c] respondit: *Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat nolì velle iudicare, si non vis errare, semel accipe, & intellige. Non traheris? Ora vt traharis.*

a c. 11. apud Aug. tom. 7.

b li. de prædest. sanct. cap. 6.

c Tract. 26. in Ioan.

XVII. Itaque quod spiritum veritatis ab erroris spiritu dignosci ait, ad id, quod modo dixerat, refero, non ad id, quod subijcitur. qui enim Apostolicam doctrinam amplectitur, ab effectu indicat, se spiritu veritatis duci, contra verò qui ei doctrinæ refragatur, perspicuè docet, se ab erroris spiritu agi. Sic enim apud Ioannem dixit Christus [d]: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea non auditis, quia ex Deo non estis.* Quemadmodum enim qui ex Patre Diabolo sunt, hoc est, eius imperium, dictumque sequuntur, libenter eius audiunt verba, quamuis falsa, quamuis mendacia non aliter qui ex Deo Patre sunt diuinoque eius spiritu aguntur, libenter verba Dei audiunt, iisque obtemperant. Dicuntur autem quidam esse ex Deo non quidem natura, cum nihil omnino in rebus creatis reperiatur, quod non Deum habeat auctorem, nec iusti ex Deo dicuntur, quod ex ipsa substantia Dei facti sint, sed quòd ad ipsius præscriptum, & voluntatem viuant. Quippe isti audiunt verba Dei, non quòd auribus tantum excipiant, quod etiam plerumque faciunt, qui ex Deo non sunt, sed quia libenti animo ea condunt, iis assensum præbent, & magnopere delectantur: denique illis audiunt auribus, de quibus ait Christus [e]: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quas aures, vt ait Augustinus [f], Dominus ipse tribuit, qui ait [g]: *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes. Aures ergò audiendi, ipsum est donum obediendi, vt qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum à Patre ipsius.*

d cap. 8. 47.

e Matt. 13. 9

f de dono perseu. c. 14.

g Baruch 2.

7. *Carissimi, diligamus nos inuicem: caritas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & Deum nouit.*

I. De caritate incipit disserere. Putat autem Augustinus hæc cum superioribus hac ratione connecti, quasi hæc, & quæ sequuntur sint ea, quæ nos audire cupit. Ait enim: *Videamus quid monuerit est, in quo illum audire debeamus: Dilectissimi diligamus inuicem. Quare quia homo monet? quia dilectio ex Deo est. Multum commendauit dilectionem, quia dixit, ex Deo est.* Augustinum ad verbum sequitur Beda. Alij putant adhortationem quamdam inchoari, qua supra cætera omnia caritatem Apostolus fidelibus commendat, cuius dignitatem pluribus rationibus toto reliquo capite extollit. Fermè enim omnis hæc epistola commendationem caritatis continet. Quamquam autem illa Deum potissimum spectat, eadem tamen ad proximos refertur, atque hac præcipuè ratione de ea disserit Ioannes. *Proximus* autem, vt ait Augustinus [a], *est omnis homo. Omnis proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis, & mortalitatis, & etiam spe cælestis hæreditatis, quia nescimus, quis futurus sit, quoniam aut Iudæus, aut hæreticus, aut paganus, fortè enim per misericordiam Dei conuertetur ad eum, & inter sanctos primum locum habere merebitur.* Quocirca idem Augustinus [b] caritatem vocat, *motum animi ad fruendum Deum propter ipsum, & se, atque proximum propter Deum.*

a Serm. 59. de temp.

b lib. 14. de Ciuit. cap. 7. & lib. 3. de doct. Christ. cap. 10.

II. Est autem amoris, ac beneuolentiæ in proximos genus multiplex, ita enim loquitur Chrysostomus [c]: *Multæ sunt causæ, ex quibus nascitur amicitia, & turpes quidem præteribimus, quia malæ sunt; naturales, & temporales in medium adducemus, vt puto beneficio quis affectus est, ab ipsis maioribus suis acquisiuit amicum, aut ex mensa, aut peregrinationis communione, aut est vicinus. Bona sunt, & ipsa, aut eiusdem factus est artificij; ista quidem non est sincera, æmulationem enim quamdam habet, & inuidentiam. Naturales verò sunt vt patris erga filium, filij erga patrem, fratris erga fratrem, nepotis erga auum, matris erga liberos, vxoris erga virum. Nam omnes coniugales amicitiæ temporales sunt, & terrenæ.* Paucis autem interiectis: *Spiritalis verò dilectio omnes vel quas excellit tamquam regina quædam suorum dominium habens, & splendido conspicua est habitu. Nihil enim terrenum hic est, vnde ista nascatur, sicut temporalis illa, non ex beneficentia, non ex natura, non ex tempore, sed ex supernis descendit ex ipso cælo.* Nec multo aliter loquitur Augustinus [d]: *De amicitia* (inquit) *video quid dicam: sunt amici ex certa amicitia, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia. Sunt enim homines, qui pariter mala committunt, & ideo videntur sibi coniuncti. Excepta illa est quædam amicitia carnalis per consuetudinem cohabitandi, colloquendi simul conuersandi, vt contristetur homo quando deseritur ab amico. Est ista amicitia consuetudinis non rationis, habent illam & pecora. Est & alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem, & mutuam beneuolentiam in ista vita mortali.*

c Hom. 1. ad Coloss.

d lib. 50. homm. ho. 38.

III. Possis etiam eodem referre, quæ scribit Cassianus [e]: *Amicitiarum enim* (ait) *ac sodalitatum multa sunt genera, quæ diuersis modis humanum genus dilectionis societate connectunt; quosdam enim præcedens commendatio primum notitiæ, post etiam amicitiæ fecit inire commercia. In quibusdam enim contractus quidam, seu dati, acceptiue depactio caritatis fœdera copulauit. Quosdam negotiationis, seu militiæ, vel artis, ac studij similitudo, atque communio amicitiæ vinculis nexuerunt.* Et aliquanto post: *Est etiam aliud dilectionis genus, quod instinctu naturæ ipsius, & consanguinitatis lege connectitur, quo vel contribules, vel coniuges, vel parentes, seu fratres, ac filij naturaliter cæteris præferuntur, quod non solum humano generi, verum etiam omnibus alitibus, atque animantibus inesse deprehendimus.* Post nonnulla [f] verò: *In his igitur cunctis vnum genus est insolubile caritatis, quod nec commendationis gratia, nec officij, vel munerum magnitudo, contractusque cuiusdam ratio, vel naturæ necessitas iungit, sed sola similitudo virtutum.* Sed vt apparet, hæc amoris ac beneuolentiæ genera naturæ fines non excedunt, virtutem enim illam moralem, quam cæteris præferendam esse nemo non videt, humanis liberi arbitrij viribus & agnouerunt Philosophi, & complexi sunt

e Coll. 16. cap. 2.

f cap. 3.

IV. Itaque Seneca [g]: *Sapiens* (inquit) *etiam si contentus est, se tamen habere amicum vult, si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat. Non ob hoc, quod Epicurus dicebat, vt habeat, qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula coniecto, vel inopi, sed vt habeat aliquem, cui ipse ægro assideat, quem ipso circumuentum hostili custodia liberet. Qui se spectat, & propter hoc ad*

g epist. 9

amicitiam venit, male cogitat. quemadmodum coepit, sic desinet: Parauit amicum aduersus vincula laturum opem, cum primum crepuerit catena, discedet. Hae sunt amicitiae, quas temporarias populus appellat, quae causa vtilitatis assumpta est, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet, circa euersos ingens solitudo est, & inde amici fugiunt, vbi probantur: ideo tot nefaria exempla sunt aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium: necesse est, vt initia inter se, & exitus congruant. Qui amicus esse coepit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si vllum in illa placeat pretium praeter ipsam. In quid igitur amicum paro? Vt habeam pro quo mori possim, vt habeam, quem in exilium sequar, cuius me morti opponam, & impendam. Alibi [a] A

a lib. 1. de tranq. vitae cap. 7.

verò de honesta laudabilique amicitia hunc in modum disserit. *Nihil aequè oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis. Quantum bonum est, vbi sunt praeparata pectora, in quae tutò secretum omne descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet?* B

V. Plura in eamdem sententiam Cicero [b]. Illa verò praeclarè dicta sunt à Plutarcho [c]: *Numisma ad amicos comparandos idoneum est sola beneuolentia, propensusque in alterum amor virtute coniunctus, quibus profectò rebus natura nihil possidet rarius.* Itemque. *Quidam felices praedicant, quibus agmen immensum contingit amicorum, sed longe falluntur opinione, quippè si popinas principum multis cupediis instructas intrent, videbunt item multa muscarum examina nidore illuc attracta. & quemadmodum illo cessante mox omnes auolant, ita si illis spes desit quaestus, dispeream, si non protinus aula frequentia in vastissimam vertatur solitudinem.* Eodem crediderim pertinere, quae scribit Cassianus [d], cum enim dixisset, veram amicitiam virtutum similitudine conciliari; *Haec, inquam (ait) est, quam nullus vmquam casibus scinditur. quam non diuum dissociare, vel delere locorum, vel temporum intercapedo non praeualent, sed ne mors quidem ipsa diuellit. Haec est vera, & indirupta dilectio, quae gemina amicorum perfectione, ac virtute concrescit, cuius semel ineuntur foedera, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum.* C

b in Lael. siue de amic.
c de amic. in mult. diff.
d Collat. 16. cap. 3.

VI. Sed vt arbitror, altius euolat Apostolus, & Christianae caritatis vim, ac dignitatem proponit, vnde caelestis quaedam, ac diuina existit amicitia, qua nihil venerabilius esse scripsit alicubi Gregorius Nazianzenus [e]: *Quid autem* (ait Ambrosius [f]) *amicitia pretiosius est, quae Angelis communis, & hominibus est?* Eleganter verò Chrysostomus [g]. *Amici* (inquit) *excellunt patres, & filios, amici iuxta Christum. Nec mihi dicas hoc bonum nunc cum aliis plerisque in Ecclesia cessasse, sed cogita quomodo apud Apostolos non corypheos dico, sed ipsos credentes omnium fuerit anima vna, & cor vnum, & nemo quidquam suorum bonorum suum esse diceret, non erat inter eos meum, & tuum. Magnum quid est amicitia, & quàm magnum nemo potest cognoscere, neque sermone consequi praeter ipsum experientiam.* Loquitur igitur Apostolus de amore quodam diuino, qui oritur ex charitate, quae nihil humanum, aut caducum spectat, sed proximos diligit, qua ratione sunt aliquid Dei, quod explicans Gregorius, quid inter humanum, diuinumque amorem intersit, perspicuè docet his verbis [h]: D E

e in Apol post redit. ex fuga.
f li. 3. offic. cap. 2.
g Hom. 2. in 2. ad Thess.
h Hom. 27. in Euang.

VII. *Qualiter autem ista dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in plerisque scriptura sua sententiis, & amicus iubet diligi in se, & inimicos diligi propter se: ille enim veraciter caritatem habet, qui amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum, nam sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est, quod sponte impenditur naturae, aliud quod praeceptis dominicis ex caritate debetur obedientiae. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis praemia non assequuntur, quia amorem suum, non spiritualiter, sed carnaliter impendunt.* Cum ergo ait Ioannes, *diligamus nos inuicem.* caritatis dilectionem suadet, quae cùm potissimum, vt saepè iam diximus, Deum spectet, certo quodam ordine proximos diligat necesse est, vt quo quis propius, ac nobilius cum Deo coniungitur, maiori etiam amore, & charitate dignus censeatur. Quamquam autem de ordine caritatis nonnulla attigimus [a], plura tamen hoc loco ex Origene addenda videntur, cum enim caritatis ordinem indicet sponsa in Canticis [b] his verbis: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me caritatem.* in eum locum haec scribit Origenes [c]: A B

a cap. superiori.
b cap. 2. 4.
c Hom. 3. in Cant.

VIII. *Omnes homines amant sine dubio aliquid, & nullus est, qui ad id aetatis venerit, vt amare iam possit, & non aliquid amet. Sed hic amor, vel haec caritas in nonnullis quidem suo ordine, & conuenienter aptata procedit, in pluribus verò contra ordinem. Dicitur autem contra ordinem esse in aliquo caritas, cùm aut id diligit, quod non debet, aut quod debet, diligit sed plus iusto diligit, aut minus iusto. In istis ergò inordinata esse caritas dicitur, in illis verò, quos valde paucos arbitror esse, qui scilicet per viam vitae incedunt, & non declinant, neque ad dexteram, neque ad sinistram, in ipsis solis ordinata est caritas, & ordinem suum tenet.* Ita indicat certum aliquem caritatis ordinem necessariò retinendum esse, de quo mox subiicit: *Est autem ordo eius, & mensura huiusmodi, verbi gratia, Deum diligere nullus modus, nulla mensura est, nisi ea sola, vt ei totum exhibeas quantum habes. In Christo enim Iesu diligendus est Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus: in hoc ergo nulla mensura est. Diligere verò proximum est mensura aliqua. Proximum (inquit) tuum dilige sicut te ipsum. Si ergo aut in Dei dilectione minus aliquid feceris quàm potes, & quàm in viribus tuis est, aut inter te, & proximum tuum non seruaueris aequitatem, sed aliquid differentiae habueris, non est in te caritas ordinata, nec ordinem suum tenet.* Pertinet quidem ad caritatem amplissima quaedam beneuolentia, quae omnes homines complectatur, sed ordinem tamen quemdam postulat, de quo ibidem Origenes: *Omnes enim homines, sicut iam diximus, secundum hoc quòd similes nobis sunt, similiter diligendi sunt, imò omnis rationabilis creatura à nobis utpote rationabilibus aequaliter diligenda est. Adiiciendum tamen in caritate est vnicuique ad hoc quomodo est, & ad hoc quòd rationabilis est, si verbi gratia, aut in moribus, aut in opere, aut in proposito, aut in scientia, aut in studiis caeteros praecellit, & pro his singulis secundum suum cuique meritum ad generalem dilectionem addendum est etiam specialis aliquid caritatis.* C D

IX. Singillatim verò exemplis rem illustrans ait: *Si quis verbi gratia laboret in verbo Dei, atque animas nostras instruat, atque illuminet, viam salutis doceat, viuendique ordinem tradat, non tibi videtur & hic proximus esse quidem, sed multo amplius alio proximo diligendus qui bonum nihil egerit?* Et multa deinceps in hanc sententiam. Quin etiam inter inimicos, qui tamquam proximi diligendi sunt, ordo quidam necessarius est. *Puto ergo* (ait) *quòd in his sit ordo caritatis, verbi gratia, est aliquis mihi inimicus, in aliis tamen bene agens, pudicus, sobrius, mandata plurima Dei ex parte custodiens, in aliquibus tamen errans vt homo. Est alius qui inimicus quidem sit, & ipse nobis, tamen sit suae vitae, atque animae inimicus, paratus ad scelera, praeceps ad flagitia, nihil sancti, nihil religiosi ducens, non tibi videtur etiam inter ipsos inimicos quaedam diuersitas habenda caritatis?* Cùmque de caritate in foeminas verba fecisset, & certum quemdam caritatis ordinem praescripsisset, de his, qui nobis cognatione sanguinis, aut spirituali quopiam nexu coniuncti sunt, hunc in modum scribit: *Secundum hoc etiam de patre, vel fratre, atque aliis propinquis obseruabimus.* E

Ergo

Erga sanctos verò, qui nos in Christo genuerunt, sed & pastores, atque Episcopos, vel qui verbo Dei praesunt presbyteri, aut qui bene ministrant in Ecclesia, vel qui in fide praecellunt caeteros, quomodo nō pro vniuscuiusque meritis affectio pensabitur caritatis longè eminentior, quàm erga eos haberi potest, qui aut nihil horum, aut non integrè egerunt? Sed & inter parentes fideles, & infideles, & fratres fideles, & infideles; sororesque potest ne fieri, vt non erga hos singulos diuersus ordo habeatur caritatis?

X. Denique hunc ordinem primum quidem ab ipsa rei natura, deinde etiamsi à Deo immortali petendum monet. Ac de rei quidem natura ita disserit: *Si vt dicit Apostolus membra alterutrum sumus, puto quòd hunc affectum erga proximos habere debeamus, vt eos non quasi aliena corpora, sed veluti membra nostra diligamus. Secundum hoc ergo quòd membra nostra inuicem sumus, aequalem erga omnes habere dilectionem, similemque conuenit. Secundùm hoc verò quod sunt in corpore aliqua membra honorabiliora, & honestiora, alia verò inhonestiora, & inferiora, puto quod rursum pro membrorum meritis, & honore dilectionis etiam librari debeat modus.* Post multa verò Dei exemplum proponens ait: *Verùm vt maior de his habeatur auctoritas, ab ipso Deo capiamus exemplum. Ipse enim amat omnia, quae sunt aequaliter, vt nihil oderit eorum quae fecit, neque enim fecit aliquid, quod odio haberet, non tamen ab hoc similiter dilexit Ægyptios, vt Hebraeos, & Pharaonem, vt Moysen, & Aaron, & Mariam: nec iterum Aaron, & Mariam similiter dilexit, vt Moysen. Quamuis verum sit, vt dicitur ad eum, parcis autem omnibus, quia omnia tua sunt Domine amator animarum, spiritus enim incorruptionis est in omnibus, tamen ille, qui mensura, & numero, & pondere disposuit omnia, secundùm mensuram sine dubio vniuscuiusque meritorum, & dilectionis suae temperat libram. Numquid non putabimus, quia non similiter ab eo dilectus est Paulus, cum persequeretur Ecclesiam Dei, sicut diligebatur, dum ipse pro ea persecutiones, cruciatusque tolerabat, & dicebat sibi inesse solicitudinem omnium Ecclesiarum.*

XI. Porrò haec omnia tam copiosè ex Origene describenda censui, quòd mirificè caritatis ordinem explicent, eaque fermè omnia complectantur, quae eadem de re subtiliter à Theologis disputantur in scholis. Amplectendam autem caritatem monet Ioannes suique tam vtilis, ac necessarij consilij plures affert rationes, quarum prima haec est, quia caritas est Deo est. nam, vt ait Paulus [a]: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nec male apud Marcum dixit quidam [b]: *Diligere proximum tamquam te ipsum, maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis.* Plura verò caritatis encomia celebrantur à Paulo. alicubi [c] enim ait: *Æmulamini charismata meliora. & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et post multa [d]: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas.* Denique alibi [e]: *Super omnia autem haec caritatem habete. quod est vinculum perfectionis.* Neque pauciora proferunt Patres. Tertullianus [f] enim eam vocat, *summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurum, quam Apostolus totis viribus Spiritus sancti commendat.* Clemens verò Alexandrinus [g], *praecipuum hominis Christiani munus.* Cyprianus [h], *fundamentum pacis, tenacitatem, & firmitatem vnitatis, quae & opera, & martyria praecedit.* Basilius, *radicem mandatorum.* Gregorius Nazianzenus [i], *doctrinae nostrae caput.* Hieronymus [k], *cunctarum virtutum matrem.* Ephrem Syrus [l], *omnium virtutum columnam.* Augustinus [m], *virtutum omnium arcem.* Chrysostomus [n], *diuinorum munerum praestantissimum.* Prosper [o], *affectionum omnium potentissimam, in omnibus semper vnictam, aceruum bonorum summam, salutem morum fontem caelestium praeceptorum, mortem criminum. vitam virtutum.* Gregorius Pontifex [p], *matrem & custodem omnium bonorum.* Denique Bernardus [q], *hominum matrem & Angelorum, non solùm quae in terris, sed etiam quae in caelo sunt pacificantem.*

a ad Rom. 5. 5.
b cap. 12. 33.
c 1. ad Cor. 12. 13.
d cap. 13. 13.
e Coloss. 3. 14.
f lib. de patient.
g in paten. ad Gen.
h de bono patient.
i epist. 20.
k epist. ad Theoph. de error. Ioan. Hierosol.
l doctr. de humil.
m Serm. 35. de temp.
n lib. 2. de Sacerd.
o lib. 3. de vita contēp. cap 13.
p lib. 6. ep. 60.
q epist. 2.

XII. Et sanè de caritate ita loquitur Paulus, vt planè indicet illam esse virtutum omnium parentem, atque altricem: *Caritas* (inquit [b]) *patiens est, benigna est, caritas non aemulatur, non est ambitiosa,* & quae deinceps sequuntur. Quocirca Cyrillus Alexandrinus [c], *caritatem* (ait) *omni virtute constare.* Et Cyprianus [d], *Apostolus* (inquit) *cùm de caritate loqueretur, tolerantiam illi, & patientiam iunxit.* Clemens verò Alexandrinus [e]: *Omnia* (inquit) *sustinet, omnia suffert caritas, quòd ei sit persuasum diuinam prouidentiam omnia rectè administrare.* Ambrosius [f]: *Caritas* (ait) *credit omnia, si non credit omnia, non videtur caritas esse perfecta, ergò perfecta caritas omnem fidem habet.* Quomodo autem caritas vitiis omnibus careat, quae indicantur ab Apostolo, Cassianus [g] his verbis describit: *Nam quid est aliud non aemulari, non inflari, non irritari, non agere perperam, non quaerere quae sua sunt, non gaudere super iniquitate, non cogitare malum, & reliqua nisi cor perfectum, ac mundissimum Deo semper offerre, & intactum à cunctis perturbationibus custodire?* Sed egregium caritatis encomium scripsit Gregorius [h], ostendit enim quidquid laudabiliter viri olim sancti gesserunt in vita, vni caritati tribuendum esse, cúmque post longam insignium virorum enumerationem Pauli verba recensuisset, subiicit:

b 1. Cor. 13. 4.
c in Ioan. cap. 13.
d de bono patient.
e 4. Strom.
f li. 9. ep. 74.
g Collat. 1. cap. 6.
h l. 10. Mor. cap. 7. & 8. eiuis 4.

XIII. *Patiens quippe est caritas, quia illata mala aequanimiter tolerat; benigna verò est, quia pro malis bona largiter ministrat; non aemulatur, quia per hoc quòd in praesenti mundo nil appetit, inuidere terrenis successibus nescit. Non inflatur, quia cum praemium internae retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. Non agit perperam, quia quo se in solum Dei, ac proximi amorem dilatat, quidquid à rectitudine discrepat, ignorat. Non est ambitiosa, quia quo ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit. Non quaerit quae sua sunt, quia cuncta, quae hic transitoriè possidet, velut aliena negligit, cum nihil sibi esse proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. Non irritatur, quia & iniuriis lacessita ad nullos se vltionis suae motus excitat, cum pro magnis laboribus maiora post praemia expectet. Non cogitat malum, quia in amore munditiae mentem solidans dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinet, nescit. Non gaudet super iniquitate, quia sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione aduersantium exultat. Congaudet autem veritati quia vt se caeteros diligens, per hoc, quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprij profectus hilarescit.*

XIV. Adde, quod egregiè etiam monuit Paulus, caeteras virtutes, ac supranaturalia bona absque caritate ad salutem prodesse nequaquam posse [i]: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.* & quae deinceps sequuntur. Quocirca verè dixit Cyprianus [k]: *Exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit caritatem.* Et aduersùs Donatistas scribit Augustinus [l]: *Si dispertiam ipsi etiam substantiam suam pauperibus, sicut multi non solùm in Catholica, sed etiam diuersis haeresibus faciunt. si aliqua ingruente persecutione tradant ad flammas nobiscum corpus suum pro fide, quam pariter confitentur, tamen quia separati haec agunt non sufferentes inuicem in dilectione, neque studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis caritatem vtique non habendo, etiam cum illis omnibus, quae nihil eis prosunt, ad aeternam salutem peruenire non possunt.* Quibus consentanea sunt, quae in eamdem fermè sententiam scribit Cassianus [m].

i 1. Cor. 13. 15.
k de bono patient.
l l. 1. de baptism. cont. Donat. c. 8. & 9.
m Collat 3. cap. 7.

XV. *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Non planè omnis, qui diligit, sed qui ex caritate diligit. Facit enim caritas verè Dei filios, & imitatione

[a cap. 13. 35.] discipulos, ita enim dixit Christus apud Ioannem [a]: *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem*, tamquam diceret (ait Augustinus [b] [b Tract. 65. in Ioan.]), *alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensum, rationem, & eam salutem, quæ hominibus, pecoribusque communis est, verùm etiam linguas, sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui vt ardeant, sed quoniam caritatem non habent, vt cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis, quamuis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei, sed in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Cur autem hac potissimum nota discipulos suos distinguendos duxerit Christus, hunc in modum explicat Euthymius, quia nimirum proprium discipuli est, magistrum imitari, & eatenus videtur profecisse, quatenus magistrum imitatur. Nihil autem Christo magis proprium fuit, quàm homines diligere, cùm vi amoris compulsus de cælo descenderit, & humana natura suscepta ipsorum causa mortem obierit. Aliam quamdam notam indicauit Christus apud Ioannem [c] [c cap. 8. 31.]: *Si manseritis* (inquit) *in sermone meo, verè discipuli mei eritis*. De qua nota plura Augustinus [d] [d de correp. & grat. c. 9.], sed quia non spectant ad hunc locum, libens omitto.

XIV. Itaque nulla re eius discipuli similiores illi esse poterant, propiusque eius mores imitatione exprimere, quàm si vicissim diligerent, & mutua sese caritate complecterentur. Sunt quidem fideles etiam si caritate destituantur, Christi aliquo pacto discipuli, tum ab eo discant, eique tamquam vero præceptori credant, cæterum imitatione morum eius discipuli non sunt, quia quos Christus diligit, ipsi non diligũt. Quocirca Christus eos, qui fidem habent, dilectionem autem non habent, suos haberi discipulos non vult. Quomodo si quis Pater suos neget esse filios, qui sibi moribus dissimiles sunt, non quòd verè non sint filij, sed non quales esse oportebat. Ita loquitur alicubi Leo [e] [e Serm. 6. de Nat.]: *Frustra appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio magistri forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus.* Reddit præterea caritas nos parenti Deo gratos, & caros, nam apud Salomonem [f] [f Prou. 8. 17.] Dei verba sunt hæc: *Ego diligentes me diligo.* Et hic noster hac ipsa epistola dixit: *Qui fratrem suum, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Christus [g] [g Ioan. 14. 21.] autem ipse: *Si quis* (inquit) *diligit me, diligetur à Patre meo.* Vitam etiam quodammodo animæ tribuit, nam hic ipse Ioannes dixit [h] [h supra c. 3. 14.]: *Qui non diligit manet in morte. Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Denique iustitiam largitur, nam apud Lucam ait Christus [i] [i cap. 7. 48.]: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Augustinus [k] [k li. de nat. & grat. c. 42.] alicubi scripsit: *Caritas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia.*

XV. Qui ergo diligit, *ex Deo natus est* an diuina, atque æterna prædestinatione? Caue id suspiceris. Antiquior enim multo est prædestinatio, quippe æterna, quauis hominis beneuolentia, aut caritate. Neque prædestinatio, quæ nihil est aliud, quàm gratiæ præparatio futuram spectauit caritatem quasi causam sui, sed ipsa potius præparat caritatem suo tempore tribuendam. Sapienter enim scripsit alicubi Augustinus [l] [l li. de præd. sanct. cap. 10.], hoc interesse inter prædestinationẽ, & gratiam, quòd prædestinatio sit gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio. Adde quòd non pauci nunc quidem prædestinati iam sunt, qui vel nondum conditi sunt, vel caritatem certè nondum perceperunt. De quibus ita loquitur Augustinus [m] [m Tract. 45. in Ioan.]: *Secundùm istam ergo præscientiam Dei, & prædestinationem, quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intus, & quàm multæ oues intus, & quàm multi lupi foris! Quid est quod dixi, quàm multæ oues foris? quàm multi modo luxuriantur casti futuri, quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christum, quàm multi se inebriant, futuri sobrij, quàm multi rapiunt res alienas, donaturi suas! Verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant, blasphematuri, casti sunt, fornicaturi, sobrij sunt, se vino postea sepulturi, stant casuri?* Et alio quodam [a] loco [a li. de corr. & grat. c. 9.] quosdam ait filios esse Dei spectata ipsorum præsenti iustitia, qui tamen quia perseuerantes non sunt, ad eorum filiorum numerum non pertinent, qui prædestinati sunt, & secundùm propositum vocati, & verè denique filij sunt promissionis.

XVI. Natus itaque ex Deo dicitur, eo videlicet modo, quem apud Ioannem explicat Christus [b] [b cap. 3. 8.]: *Spiritus* (inquit) *vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Non est hic ortus corporeus, aut corporeo similis, sed spiritalis, & mortalibus magna ex parte ignotus, adeo vt nemo certò possit affirmare se, aut alium quempiam ortum esse ex Deo, nisi diuiniori lumine illustretur, quod alibi fusius probaui. Natus autem ex Deo ad eorum numerum pertinet, de quibus loquitur Ioannes [c] [c cap. 1. 13.]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Est enim hic nouus, ac spiritalis nascendi modus, de quo cum Nicodemo loquebatur Christus [d] [d Ioan. 3. 5.], cùm diceret: *Nisi quis natus fuerit denuo, & nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Nascimur autem potissimùm caritatis opera, cùm vt ait Paulus [e] [e Eph. 4. 23.], *renouamur spiritu mentis nostra.* Nam fides quidem potestatem tribuit, vt filij Dei fieri fideles possint, de quibus idem Ioannes [f] [f cap. 1. 12.] ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quod vt Chrysostomus, Theophylactus, & Beda affirmant, ad omnes omnino gentes, ac nationes pertinet. *Fides enim* (ait Chrysostomus [g] [g Hom. 9. in Ioan.]) *& Spiritus sancti gratia mortalium omnium diuersitatem comprehendens in vnam redegit formam, & vno regio charactere impressit, quod huic humanitati par?*

XVII. Sed potestatem, quam fides tribuit, caritas perficit, *cum ea vi*, vt ait Cyrillus Alexandrinus [h] [h lib. 1. in Ioan. c. 13.], *ascendimus ad supernaturalem dignitatem per Christum, non tamen vt proprie sicut ille, sed vt similitudine ipsius per gratiam filij Dei sumus. Verus enim ille filius Dei Patris est, nos verò misericordia eius adoptati per gratiam audimus: Ego dixi, dij estis.* Et post nonnulla: *Alia enim natura ratio, alia adoptionis, & alia veri filij, alia adoptati, qui similitudine, atque imitatione filij, filius dicitur, sumus autem nos filij Dei adoptione.* Eodemque modo Ambrosius [i] [i lib. 4. de fide cap. 4.]: *Ego ostendam & Christum habere filios, quos quotidie generat, sed ea generatione, vel potius regeneratione, quæ potestatis est, non natura. Adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis.* Acutè autem Euthymius [k] [k Ioan. 1.] duos quodammodo spiritales ortus distinguit. *Aliud est autem* (ait) *per baptismum aliquem à Deo adoptari, & aliud per Euangelicorum præceptorum obseruantiam filium Dei fieri, nam illud principium est, hoc autem finis, & illud sanè Dei donum est, hoc verò studij facinus egregium.* Nec multo aliter loquitur Theophylactus, nisi quod potestatem, de qua loquitur Euangelista, ad futuri sæculi gratiam percipiendam refert. *Quapropter* (inquit) *& hic Euangelista non dixit: Quotquot receperunt eum, fecit eos filios Dei, sed dedit eis potestatem filios Dei fieri, hoc est, dedit, vt in futuro sæculo gratiam illam suscipiant.*

XVIII. Verùm gemina hoc loco existit quæstio, prior quomodo in nostra sit potestate hæc filiorum adoptio; posterior quonam pacto dicantur iusti ex Deo nasci, si iure adoptionis tantum filij nuncupantur. Priorem illam sic expedit Chrysostomus [l] [l Hom. 9. in Ioan.]:

Et

A *Et cur non dixit, fecit eos filios Dei fieri? Vt ostenderet multa nobis opus esse diligentia, vt adoptionis nobis per baptisma impressam imaginem puram seruemus, atque intactam. Praeterea quòd nemo hanc nobis potest auferre potestatem, nisi primùm nobis ipsis abstulerimus.* Et paucis interiectis: *Simul autem declarare voluit gratiam non temerè, neque sine labore nostro in nos infundi, sed cum ipsi volumus, cum eam inquirimus: in nostra enim potestate est filios Dei fieri; quippe nisi primùm ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quidquam in nobis operatur. Vbique igitur non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus, & liberum nobis ostendit arbitrium, quod in hoc loco significauit. In ipsis enim arcanis, & supernis bonis Dei quidem est dare gratiam, hominis autem fidem exhibere.* B *Praeterea in subsequenti tempore non parua opus est diligentia, siquidem ad animæ puritatem seruandam non satis est baptizari dumtaxat, & credere; sed si perpetuò eo frui munditia, & pulchritudine volumus, dignam se vitam exhibere oportet. Hoc autem in nobis effecit ipse Deus, quod enim per mysticam generationem omni priori crimine abluamur, per baptisma nobis largitus est; quod autem in puritate mentis in posterum perstemus, neque vllis amplius sordibus vitam coinquinemus, nostra virtutis est, & diligentia.*

XIX. Hæc ad verbum ex Chrysostomo placuit exscribere, quòd multis videatur nonnihil fauere Pelagio, cùm libero arbitrio plus aliquanto tribuat, quam Catholica Ecclesia doceat. Chrysostomum C autem more suo sequuntur Theophylactus, & Euthymius. Verùm aut ego fallor, aut magnopere decipiuntur illi, qui Chrysostomo sanctissimo, doctissimóque viro Pelagianam labem aspergere nituntur, quod alibi quidem copiosius docui. In præsentia autem quàm breuissimè fieri poterit ostendam Chrysostomi sententiam cum Augustini sententia & Catholica doctrina hoc quidem loco mirificè congruere. Vt igitur in humano conceptu necesse est virile semen in vterum fœminæ recipi, ac eius naturali vi foueri, & coaguli modo in sese menstruum glomerari, suo deinde tempore corporari, animarique, & demum in lucem edi; ita in spiritali regeneratione cælestis Spiritus sancti gratia, quasi diuinum semen D in humanæ voluntatis sinum infunditur, ab eáque sponte excipitur, & libero consensu retinetur, vnde noua quædam vita existit, vt egregiè explicat Prosper[a] his planè verbis: *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, córque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur. quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratia opitulatione si proficit.*

a li. 2. de voca. gen. c. 9.

XX. Cùm igitur Chrysostomus ait multa nobis opus E esse diligentia, vt adoptionis imaginem puram seruemus, liberi arbitrij nisum, conatumque indicat, quo necesse est nos Deo συνεργεῖν, vt iustitiam assequamur, & conseruemus, quod sexcentis locis docuit Augustinus ad fidem Catholicam pertinere, cùm autem subdit gratiam non temerè, neque sine labore nostro in nos infundi, non de excitante, perueniente, seu vocante gratia, quæ vim seminis obtinet, sed de ea loquitur, quæ liberi arbitrij consensum quasi forma quædam consequitur, quaque peccata delentur, & iustitia infunditur: eam enim necesse est, nos sedulò optare, & studiosè quærere. Iam verò cùm subiicit nostræ virtutis esse, ac diligentiæ, quòd in percepta iustitia perseueramus; id prorsus insinuat, quod non semel affirmat Augustinus, non otiosis

A nobis, atque cessantibus, sed contendentibus, ac laborantibus diuinitùs perseuerantiam concedi, quod esse Catholicum dogma Concilij Tridentini Patres apertissimè docuerunt[a]: *Deus enim* (inquiunt) *nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Atque hæc quidem diuina gratia faciet. Mox verò de libero arbitrio subiiciunt: *Veruntamen qui se existimant stare, videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiunijs, in castitate.* Ad extremum affert Apostoli verba dicentis[b]: *Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis,* B *viuetis.*

a sess. 6. c. 13.

b ad Rom. 8. 12.

XXI. Hæc autem omnia apertissimè semper docuit Augustinus, cuius illud perpetuum dogma celebratur, præparari, atque excitari voluntatem à Deo diuinæ suæ gratiæ munere, quod est veluti iustificationis semen, cui voluntas humana liberè consensum præbens iustitiæ vitam assequitur. Nam cum Ezechielis[c] verba expenderet, quibus ablaturum se Deus pollicetur cor lapideum, daturumque cor carneum, vt in præceptis eius ambularent, subdit[d]: *Ne autem putetur, nihil hic facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo*[e] *dicitur: Nolite obdurare corda vestra. Et per ipsum Ezechielem*[f]*. Proijcite à vobis omnes impietates vestras, quas impiè egistis in me, & facite vobis* C *cor nouum, & spiritum nouum, & facite omnia mandata mea. Vt quid moriemini domus Israel? dicit Dominus, quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus. Sed conuertimini, & viuetis.* Confestim autem addit: *Meminerimus Deum dicere: Proijcite à vobis omnes impietates vestras, cum ipse iustificet impium. Meminerimus ipsum dicere. Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum, qui dicit, dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis. Quomodo ergo quod dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat, quod iubet, cùm adiuuat, vt faciat, cui iubet.*

c cap. 36. 26.

d li. de grat. & lib. arb. cap. 15.

e Psal. 94. 8.

f cap. 18. 31.

XXII. Neque his contentus non ita multo post addit, ad diuinæ gratiæ vim, atque efficacitatem declarandam: *Per hanc* (hoc est, gratiam) *etiam fit, vt ipsa bona* D *voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata, quæ voluerit, cùm valde, perfectéque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: Si volueris, conseruabis mandata, vt homo qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret; vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Explicans autem quomodo vnà cum gratia liberi arbitrij coniungatur consensus, hunc in modũ scribit: *Certum*[g] *est enim nos mandata seruare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est, nos velle, cùm volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui*[h]*: Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum est: A Domino* E *gressus hominis dirigentur, & viam eius volet: de quo dictum est: Deus est, qui operatur in vobis & velle. Certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.*

g cap. 16.

h Prou. 8. secúdùm LXX.

XXIII. Eodem modo alibi[i] loquitur: *Deus est enim,* (inquit) *qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc est pium, hoc verũ.* Vult itaque Augustinus[k], quod etiam docuit Chrysostomus, liberum arbitriũ gratiæ consentire, quocirca tractans illud[l]: *Aperi os, & adimplebo illud. Quãuis enim* (inquit) *nisi adiuuante illo,*

i De dono perseu. c. 13.

k lib. 2. con. duas epp. c. 9.

l Psa. 80. 11.

illo, sine quo nihil possumus facere, et non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere nostro. Et rursus [a] alibi: *Non solum enim Deus posse nostrum donauit, atque adiuuat, sed etiam velle, & operari operatur in nobis, non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Denique [b]: *Operamur & nos, sed illo operante cooperamur quia misericordia eius prauenit nos, prauenit autem, vt sanemur, quia & subsequitur, vt etiam sanati vegetemur.* Et plura deinceps. Rectè igitur Chrysostomo cum Augustino conuenit, & vterque rectè explicat, quanam ratione diuinæ gratiæ beneficio à Deo Optimo Maximo adoptemur, quæ erat prior quæstio.

a De grat. Christi c. 25.
b De nat. & grat. c. 31.

XXIV. Posterior sanè quæstio vno verbo expediri potest, tam enim adoptionis, quàm generationis nomen metaphoricè, atque impropriè iustificationi nostræ tribuitur, quæ hactenus quidem adoptio nuncupatur, quòd quemadmodum in rebus humanis alieni adoptantur vocantúrque ad ius hæreditatis, non aliter nos, quia à diuina natura alieni sumus, cælestis gratiæ beneficio filij Dei, atque hæredes constituimur. Generatio verò non immeritò appellatur, quia eiusdem gratiæ munere nouam quamdam vitam inchoamus, qua Deo viuimus, *renati*, vt ait Christus, *ex aqua, & Spiritu sancto.* Quocirca verè dixit Ioannes: *Qui diligit, ex Deo natus est*: caritas enim facit, vt verè Deum tamquam parentē agnoscamus, & imitemur, quia vt sæpè ait hic noster, *caritas ex Deo est*: quippe ipsius præstantissimum, ac diuinissimum munus, ex quo Dei filij ab alienis secernuntur. Dixit antè Ioannes eum, qui diligit, ex Deo natum esse, si ex caritate diligat, siquidem caritas, vt hic noster supra dixit, facit, vt Dei præcepta seruentur, idcirco ait Augustinus [e]: *Vnde enim præcepta seruat non habet, qui non diligit. Qui ergo ait? Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Ostendit non vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, tamquam diceret: Nolite vos putare manere in dilectione mea, si non seruaueritis præcepta mea: si enim seruaueritis, manebitis, hoc est, hic apparebit, quòd in dilectione mea manebitis, si præcepta mea seruaueritis.*

e Tract. 82. in Ioá similia tract. 9. in hāc epist. Ioá. & Gregor. hom. 9. in Euang.

XXV. *Et cognoscit Deum.* Planè eo modo, quo Christus apud Ioannem [d] dixit *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Tametsi enim Augustinus [e], & Cyrillus [f], Christi verba referunt ad cognitionem illam perspicuam, perennem, ac beatam, quæ fidei succedet, idem tamen Cyrillus (quod mihi valde probatur) quamdam etiam singularem, atque eximiam rerum diuinarum scientiam interpretatur quam assequūtur illi, qui Deum perfecta caritate complectuntur: *[illegible] (vt ipse ait) loquitur [illegible] mysteria reuel[illegible] rectè intellexerunt [illegible] prædicant.* Quamquam enim omnes quamdiu inter mortales viuimus, *per fidem* vt ait Paulus, *ambulamus, [illegible]*, qui tamen Deum ardentius amant, & magnos habent in Christiana perfectione progressus, peculiari quadam ratione diuina mysteria norunt, ita tamen vt verissimè dictum esse intelligamus à Paulo [g], *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*; & *nunc cognosco ex parte.* Et alibi [h]: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et Iob [i]: *Forsitan vestigia eius comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognosces?* Et rursum [k]: *Quis poterit scrutari vias eius, aut quis poterit dicere, [illegible] iniquitatem? Ecce Deus magnus vincens scientiam [illegible] numerus annorum eius inæstimabilis.* Neque [illegible] sensit, aut locutus est Dauid [l]: *Mirabilis (inquit) [illegible] ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Et Ieremias [m] sic Deum alloquitur: *Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Quò pertinent, quæ doctè, & copiosè aduersus Anomæos scribit Chrysostomus [a], qui eò dementiæ, insaniæque deuenerant, vt iactarent nihilo se minus Deum cognoscere, quàm Deus ipse sese omni ex parte comprehendat.

d cap. 14. 21.
e Tract. 75. in Ioan.
f lib. [illegible] in Ioan. c. [illegible]
g 1. ad Cor. 13. 9 & 12.
h Ad Rom. 11. 33.
i cap. 11. 7.
k cap. 36. 33.
l Psal. 138. 6.
m cap. 32. 18.
a Hō. 5. aduers. Anom.

XXVI. Quin etiam diuinæ scientiæ tenuitatem, & rudē, atque inchoatam diuinæ naturæ scientiam omnis penè antiquitas apertissimè prædicat. Clemens [b] quippe Alexandrinus sic planè scribit: *Si ablatis omnibus, quæ adsunt corporibus, & ijs, quæ dicuntur incorporea, nos ipsos proiecerimus ad Christi magnitudinem, deinde in æternitatem, immensitatemque sanctitatis processerimus, ad intelligentiam omnipotentis vtcumque processerimus, non quod est, sed quod non est cognoscentes.* Multo autem melius Gregorius [c] Nazianzenus: *Deus (inquit) vniuersum id, quod est, complectitur, nec principium habens, nec finem habiturus, quasi pelagus quoddam essentiæ immensum, & interminatum omnium tum temporum, tum naturæ cogitationem superans, mente sola adumbrabilis & quidem perexiguè, atque perobscurè, non ex his, quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum, priusquam teneatur effugiens.* Aliquanto autem post: *Immensus ita est Deus contemplatuque difficilis, idque solum in eo planè comprehendi potest, quòd immensus sit, quia videlicet nullius creatæ mentis tanta vis est, vt Dei magnitudinem qualis, & quanta est, planè assequatur.* Qua ratione Chrysostomus [d] ad illa Dauidis verba: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam*, hunc in modum scribit:

b lib. 5. stromat.
c Or. 2. de Pasch.
d Psal. 138. 6.

XXVII. *Quamuis sciam te omnia præscire, & me ex ijs, quæ non erant fecisse, perfectam tamen, & manifestam eius non possum habere cognitionem; sed admirabilis facta est, hoc est, superauit caput meum, valdior facta est, quàm vt mea possit ratione comprehendi, adeo est admirabilis, & magna. Propterea enim subiunxit: Non potero ad eam. Neque hoc dicit, ignoro Deum, sed perfectam, & vndique absolutam, & manifestam eius non habeo notitiam. Quod quidem dicit etiam Paulus, nam eum quidem esse scimus, quid sit autem substantia nescimus: quòd sit benignus, & clemens nouimus, quòd sit humanus, quod bonus, quantitatem verò ignoramus.* Nonnullis verò interiectis: *Si scientiam Dei (inquit) non perfectè obtinuisti, quomodo nosti eam esse admirabilem? Propter hoc ipsum noui eam esse admirabilem, quod meam superat rationem. Nam radium quoque solarem non possumus apertè cognoscere, & tamen propter hoc ipsum eum maximè admiramur. Ita etiam de Dei cognitione, neque eam omnino ignoramus, eum enim esse scimus, & quòd est benignus, clemens, bonus, & misericors, & quod est vbique. Quid sit autem substantia, vel quanta sint, quæ dicta sunt, vel quomodo sit vbique hoc ignoramus.*

XXVIII. Eodem fermè modo de scientia Dei loquitur Augustinus [e]: *Intendat caritas vestra, Deus ineffabilis est, facilè dicimus, quid non sit, quàm quid sit. Terram cogitas? non est hoc Deus. Mare cogitas? Non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in terra, homines, & animalia, non est hoc Deus. Quidquid lucet in cælo, stella, Sol, & Luna, non est hoc Deus. Ipsum cælum, non est hoc Deus. Angelos cogita, virtutes, potestates, Archangelos, thronos, sedes, dominationes? non est hoc Deus. Quid est hoc? solum potui dicere, quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Alibi [f] verò: *Dictum est, (inquit) & Deus erat Verbum: de Deo loquimur, quid mirum si non comprehendis? si comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis quàm temeraria professio scientiæ; attingere aliquantum te mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem omninò impossibile.* Deniquè [g]: *In spiritualibus omne mutabile, quod occurrerit, non putetur Deus, non enim parua notitiæ pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si antequam scire possimus, quid sit Deus, possumus iam scire, quid non sit. Non est enim*

e in Psal. 35
f Ser. 38. de verb. Dom. in Ioan.
g lib. 8 de Trinit. c.

enim certè nec terra, nec cælum, nec tale aliquid quale videmus in cælo, nec tale aliquid quidquid non videmus, & est fort. ffs in cæl. Cur autem voluerit Deus cognitionem sui tam esse in nobis rudem, & inchoatam luculenter explicat Gregorius [a] Nazianzenus, triplicem enim eius rei caulam affert: *Prima* (inquit) *ac ob adipiscendi facilitatem, facile quoque res quæsita vilior sit. Fit enim ferè, vt quod non sine labore, atque industria partum est, arctius quoque teneatur: quod autem nullo negotio comparatum est, citissimè valescat, atque contemnatur, vtpote quod recuperari possit, atque ita in beneficium cedit non obuia, & ex prompta beneficentia dumtaxat apud prudentes homines, atque cordatos. Altera ac idem nobis, quod Lucifero illi prolapso accidit, qui toto illo fulgere perfusus aduersus Dominum omnipotentem ceruicem obdurauit, atque ob elationem corruit casu omnium miserrimo. Postrema vt pro industria sua, illustrisque vita præmio vberius aliquid habeant, qui hic sese à vitiorum labe perpurgarint, ac rem adamatam, & expetitam patientibus animis expectarint.*

a Or. 2. de Theol.

XXIX. Quartam alibi [b] addit, quam etiam Cyprianus [c], vel alius quispiam, & Augustinus insinuant: *Ille enim* (inquit) *nostro se offert Deus, & aliquid luminis sui infundit inuitans, & prouocans. Nisi enim aliquomodo sentiretur, nec appetendi, nec inquirendi spes esset alicui, vel facultas. Sed quia ex parte sentitur, admirationi est odor ille, & sapor, nullam cum carnalibus dulcedinibus habeas similitudinem, & per omnis suauitate differens, eoque desideratur copiosius, quo cætera delectamenta excedit. Desiderium autem inquirentes purificat, & purificatio exclusis enormitatibus ad formam Dei prouehit ascendentes, atque ita in opere suo imago & similitudo Dei multis, laboriosisque progressionibus, & incrementis propriam sibi demum indicat dignitatem.* Hic [d] verò: *Dic mihi* (ait) *quàm incomprehensibile sit, quod lectum est: In principio erat Verbum, &c. & tamen lectum est, non vt comprehenderetur ab homine, sed vt doleret homo, quia non comprehendit, & inueniret, vnde impeditur a comprehensione, & remoueret ea, & inhiaret perceptioni incommutabilis Verbi ipse ex deteriore in melius commutatus.*

b Or. 2. de Pasch.
c Pix. [?] li. de oper. card.
d Aug. serm. 58. de verb. Dom.

XXX. Atque huc, ni fallor, pertinet quod ait Paulus [e]: *Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. Spiritualis omnia diiudicat.* Planè multa sunt, quæ non doctrina, studio, ac labore parta, sed cælesti, diuinaque scientia diuinitus hausta in hac mortali vita comprehendimus, de qua rectè dixit Salomon [f]: *Hunc iustum deduxit per viam rectam, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum.* quam videlicet viri sancti & consequuntur, & profitentur. In quem locum verè omnino, ac sapienter scripsit Bernardus [g], Dominum deducere mortales per vias rectas: *Via siquidem Domini via recta, via pulchra, via plena via plana, recta sine errore, quia ducunt ad vitam; pulchra sine sorde, quia docent munditiam; plena multitudine, quia totus iam mundus est intra Christi sagenam; plana sine difficultate, quia donant suauitatem, iugum enim eius suaue est, & onus eius leue.* Mox autem quia Salomon addit: *Et ostendit illi regnum Dei.* subdit Bernardus: *Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur: conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, in glorificatione percipitur. vnde est illud: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Sic enim ait Apostolus: Quos prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit, illos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & magnificauit. In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in iustificatione lætitia, in magnificatione est gloria.*

e 1. Cor. 2. 14.
f Sap. 10. 10.
g Ser. in ver. illo Sapien.

XXXI. Denique subiicit Salomon: *Dedit illi scientiam sanctorum.* Et Bernardus: *Scientia sanctorum*, inquit, *est hic temperaliter crucIari, & delectari in æternum, & in contrarium scientia malorum relabitur. Alia est scientia mundi, quæ docet vanitatem, alia scientia æternæ, quæ docet veritatem.* Hæc porrò Dei scientia vitam affert æternam, sic

A enim apud Ioannem dixit Christus: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Est autem hæc scientia cum actione necessariò coniungenda, vt apertè docuit Christus, cùm apud Ioannem [a] dixit: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Ita apparet, non solam fidem afferre posse salutem, quæ ad mentem, atque intelligentiam pertinet, sed requiri præterea actionem, quæ spectat ad voluntatem. Vt enim non semel monuit Augustinus, hoc docendi genere non solùm docet Deus, vt mens, atque intelligentia, quid faciendum sit, sciat, sed etiam, vt voluntas id, quod faciendum nouit, complectatur, & peragat.

a cap. 13. 17.

B 8. *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus caritas est.*

I. Vt appareat Dei cognitionem, de qua in præsentia loquitur Apostolus, non vnius dumtaxat mentis, atque intelligentiæ finibus includi, sed porrigi ad voluntatem, in qua inest caritas, addit eum, qui caritate destituatur, Deum ignorare. Non planè omnis, qui est expers caritatis, Dei ignoratione laborat, nam de Philosophis non paucis ait Paulus [b]: *Qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Sed qui non diligit, ea Dei cognitione caret, de qua supra dixerat Ioannes, cum, qui diligat, Dei notione præditum esse, quod mox confirmans ait: C *Quia Deus caritas est.* Vnde rectè Augustinus, & Beda colligunt, eum, qui contra fraternam caritatem peccat, contra Deum peccare. Quod etiam insinuauerat Paulus, cùm eos dixit [c], qui suo exemplo mali cuiuspiam auctores essent, peccare quidem in fratres, & proximi caritatem violare, sed eadem opera in Christum peccare. Sic autem ait: *Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Est enim peccatum scandali potissimum contra caritatē, quæ proximis debetur. Quamobrem qui non diligit, hoc est, qui caritate destitutus vitiis implicatur, quæ ex aduerso cum caritate pugnant, perfectam Dei scientiam numquam assequetur.

b Rom. 1.
c 1. ad Cor. 8. 12.

II. Quod egregiè Clemens [d] Alexandrinus his verD bis docuit: *Mens* (inquit) *quæ est munda, & ab omni vitio libera, est quodammodo apta ad potestatem Dei suscipiendam, cum diuina in eo assurgat imago. Vt quam enim accipiant Dei cognitionem, qui adhuc ducuntur à vitiis, minimè potest fieri. Ergo nec & finem assequantur, qui nullam habent Dei cognitionem, omnino fieri non potest, vt qui simul sit, & cognitione præditus, & blanditiis corporis non erubescat.* Et in eamdem planè sententiam ad illa Dauidis [e] verba: *Vacate, & videte, quia ego sum Deus.* scribit Basilius: *Quatenus enim iis rebus vacamus quæ aliena sunt à Deo, Dei notitiam recipere nequaquam valemus. Nonne vides, quò in spinas delapsum verbum à spinis suffocatur? spinæ namque carnis voluptates, & diuitiæ, & curæ sunt huius sæculi. Extra hæc omnia constitutum esse opus sit eum,* E *qui cognitionem Dei desiderat, debetque ab omnibus perturbationibus atque affectibus vitiosis vacare, sic demum Dei scientiam apprehendere. Quomodo animum tot adeo, quæ ipsam præoccuparint, distractionibus cogitationum oppressam Dei cognitio, cogitatioque penetrabit?* Nec discrepat Augustinus, sic enim alicubi [f] scribit: *Cum illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter viuit, & in ea Trinitate Deus auctor, & conditor vniuersitatis rebus, quas condidit, consulat, purgandus est animus, vt perspicere lucem illam valeat, & inhærere perfectè. Quam perfectionem quasi ambulationem quamdam, & quasi nauigationem ad patriam esse arbitremur, non enim ad eum, qui vbique præsens est, locis mouemur, sed bono studio, bonisque moribus.* Hæc autem omnia caritatis nomine complexus videtur Apostolus.

d lib. 5. Stromat.
e in Psal. 45.
f lib. 1. de doctr. Christiana c. 10.

III. A *Quoniam Deus caritas est. Quid amplius* (ait Augustinus) *dici potuit fratres? si nihil de laude dilectionis diceretur, per omnes istas paginas huius Epistolæ, si nihil omninò per cæteras paginas Scripturarum, & hoc solum vnum audiremus de voce Spiritus Dei, quia Deus dilectio est, nihil amplius quærere deberemus.* Quoniam verò hoc ipso capite non ita multo post hanc eamdem sententiam iterat Ioannes, de ea fusiùs aliquanto disserendum videtur. a ad Rom. 5. Et Anselmus [a] quidem, hoc potissimum, vt arbitror, Ioannis testimonio nixus, caritatem, qua Deum diligimus, ipsam Spiritus sancti personam esse existimauit; cui ex Theologis non pauci [b] subscribunt. b Magist. in 1. d. 9. Sot. Ægid. & alij. Videturque eidem sententiæ fauere B. Augustinus, qui alicubi [c] ait: *Caritas vsque adeo Dei donum est, vt Deus dicatur.* B Alibi [d]: *Ipsa caritas, quæ in omnibus Dei donis ita excellit, vt etiam Deus dicta sit.* c Epist. 106. d Epist. 143. Multo autem apertiora sunt illa eiusdem Augustini [e] verba: e lib. 8. de Trin. c. 7. *Qui proximum* (inquit) *diligit, consequens est, vt ipsam præcipuè dilectionem diligat. Deus autem dilectio est; consequens est ergo, vt præcipuè Deum diligat.* f cap. 8. Et paulo post [f]: *Nemo dicat non noui quid diligam. Diligat fratrem, & diliget eamdem dilectionem; magis enim nouit dilectionem, qua diligit, quàm fratrem, quem diligit. Ecce iam potest notiorem Deum habere, quàm fratrem, planè notiorem, quia præsentiorem, notiorem, quia interiorem, notiorem quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum, & dilectione amplectere Deum.*

IV. Et quidem, quod egregiè alicubi [g] docuit D Thomas, g 2. 2. q. 23. a. 2. negari non potest, C siue caritas pro ipsa diligendi actione, siue pro ipsius principio accipiatur, quidpiam esse creatum nobis inhærens, quo spontè, ac liberè vtimur, atque adeo ab ipso Deo infinito distare interuallo. Fatendum tamen est, quod hîc ait Ioannes, Deum esse caritatem, vt propterea, quod ait Augustinus [h], h lib. 15. de Trinit. c. 17. *requirendum sit vtrùm Deus Pater sit caritas, an Deus filius, an Deus Spiritus sanctus, an Deus ipsa Trinitas. Neque enim dicturi sumus, non propterea Deum dictum esse caritatem, quod ipsa caritas vlla substantia, quæ Dei digna sit nomine, sed quòd donum Dei sit, sicut dictum est Deo. Quoniam tu es patientia mea. Neque enim propterea dictum est, quia Dei substantia est nostra patientia, sed quod ab ipso nobis est, sicut alibi legitur. Quoniam ab ipso est patientia mea.* D Mox autem indicare videtur, multo aliter dictum esse, *Deus caritas est,* quàm cùm dicitur: *Tu es patientia mea, spes mea, & misericordia mea. Non est autem* (ait) *dictum, Domine caritas mea, aut tu es caritas mea, aut Deus caritas mea, sed ita dictum est, Deus caritas est, sicut dictum est, Deus spiritus est.* Quocirca post nonnolla colligit: *Nescio cur non sicut sapientia & Pater dicitur, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes non tres, sed vna sapientia, ita & caritas & Pater dicatur, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes vna caritas. Sic enim & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & simul omnes vnus Deus.* Mox verò ostendens quanam ratione, quod est tribus commune, alicui personæ priuatim, ac propriè tribuatur, subiicit: E *Hinc enim factum est, vt propriè Dei verbum etiam Dei sapientia diceretur, cum sit sapientia & Pater, & Spiritus sanctus. Si ergo propriè aliquid horum trium caritas nuncupanda est, quid aptius, quàm vt hoc sit Spiritus sanctus? Vt scilicet in illa Trinitatis simplici, summaque natura non sit aliud substantia, & aliud caritas, sed substantia ipsa sit caritas, & caritas ipsa sit substantia, siue in Patre, siue in Filio, siue in Spiritu sancto, & tamen propriè Spiritus sanctus caritas nuncupetur.* Aliquanto autem post, cum ostendisset commune legis nomen nunc omnes veteris testamenti libros complecti, nunc verò propriè vnum indicare decalogum, concludit: *Sicut ergo vnicum Dei verbum propriè vocamus nomine sapientiæ, cum sit vniuersaliter, & Spiritus sanctus, & Pater ipse sapientia, ita Spiritus sanctus pro-* A *priè nuncupatur vocabulo caritatis, cum sit vniuersaliter caritas & Pater, & filius.*

V. Hoc autem loco cum Ioannes ait: *Deus caritas est,* de Spiritu sancto eum propriè loqui, sic fermè probat: *Cùm dixisset* (inquit) *dilectissimi diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est; sequutus adiunxit. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est; qui non diligit, non cognouit Deum, quia Deus dilectio est. Hic manifestauit eam se dixisse dilectionem Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio.* Verùm quoniam etiam filius ex Deo est, quippe à Patre genitus, non loqui Ioannem de filio, sed de Spiritu sancto, qui à Patre, filioque procedit, sic planè confirmat: *Sed in consequentibus cum Dei dilectionem commemorasset, non qua nos eum,* B *sed qua ipse dilexit nos, & misit filium suum litatorē pro peccatis nostris, & hinc exhortatus esset, vt nos inuicem diligamus, atque ita in nobis Deus maneat, quia vtique dilectionem Deum dixerat, statim volens de hac re apertius aliquid eloqui: in hoc, inquit, cognoscimus, quia in ipso sumus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis. Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis: hoc autem facit dilectio: ipse est igitur Deus dilectio.* Illico autem eamdem sententiam ex iis confirmat, quæ hoc ipso capite post nonnulla subiicit Apostolus: *Denique* (ait) *paulo post cum hoc repetisset, ac dixisset. Deus dilectio est, continuè subiecit. Et qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus manet in eo. Unde supra dixerat. In hoc cognoscimus, quia in ipso* C *manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis. Ipse ergo significatur, vbi legitur: Deus dilectio est. Deus igitur Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, cùm datus fuerit homini, accendit eum in dilectionem Dei, & proximi, & ipse dilectio est. Non enim habet homo, vnde Deum diligat, nisi ex Deo.*

VI. Denique post multa in hæc verba concludit [a]: a cap. 19. *Quapropter si sancta scriptura proclamat. Deus caritas est, illa, quæ ex Deo est, & in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipse in nobis. Et hoc inde cognoscimus, quia de Spiritu suo dedit nobis, ipse spiritus est Deus caritas. Deinde si in donis Dei nihil maius est caritate, & nullum est maius donum Dei, quàm Spiritus sanctus, quid consequentius, quàm vt ipse sit caritas, qui dicitur & Deus, & ex Deo? Et* D *si caritas, qua Pater diligit filium, & Patrem diligit filius ineffabiliter communionem demonstrat amborum, quid conuenientius, quàm vt ille dicatur caritas propriè qui spiritus est communis ambobus?* Hæc placuit ipsius Augustini verbis tam copiosè describere, ne in loco perobscuro explicando quidquam videar viro sanctissimo, doctissimoque affinxisse. Certè Augustinus in sua semper sententia perstitit, & cùm Ioannes ait: *Deus caritas est. Dilectio* [b] (inquit) *Deus est, sed Deus, quia ex Deo:* b Tract. 7. in hanc epist. *vtrumque enim habes in Epistola, & dilectio ex Deo est, & dilectio Deus est. De solo Patre Scriptura non nouit dicere, quia ex Deo est. Cum autem audis ex Deo, aut filius intelligitur, aut Spiritus sanctus. Quia verò dicit Apostolus* [c]: c ad Rō. 5. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: intelligamus in dilectione Spiritum* E *sanctum esse.* Verùm quoniam cùm Ioannes ait: *Qui non diligit non nouit Deum* nomen Dei proculdubio tota Trinitate accipit, cùm significet eum, qui non diligat, à Deo esse alienum, non mihi facilè persuadere possum, cùm continuò subiicit: *Quoniam Deus caritas est,* de Spiritus sancti persona loqui: hæc enim verba superioris sententiæ rationem continent. Propius à vero abesse videtur, quod scribit Didymus, qui de Patre Ioannem loqui existimat, ait enim: *Quoniam qui genuit, & cognoscitur caritas est.* Fauent quæ sequuntur, cùm ait: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit.*

VII. Quod si libeat Apostoli sententiam ad calculos Theologicos

Theologicos reuocare, dicerent Theologi, cùm A ad diuinam naturam caritas refertur, ipsique diuinæ essentiæ tribuitur, totam Trinitatem, hoc est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non aliter caritatem, quàm sapientiam, bonitatem, misericordiam, & sanctitatem appellari. Hoc autem modo caritas non eam caritatem significat, qua nos Deum, aut proximos diligimus, sed illam potius, qua Deus ipse se, & omnia creata diuina quadam beneuolentia, atque amore prosequitur. Si vero caritas rationaliter, vt Theologi loquuntur, accipiatur Pater, ac Filius dumtaxat, hac ratione dicuntur caritas, qui mutuo amore; & reciproca caritate spirant, & producunt Spiritum sanctum. Postremò si conferatur B cum persona, propriè Spiritus sanctus dicitur caritas, cum à Patre Filioque procedat, tamquam amor, & dilectio. Cùm igitur Ioannes ait: *Qui non diligit non nouit Deum, quoniam Deus caritas est.* Dei nomen accipit, vt totam Trinitatem complectitur, veréque affirmat, eum, qui caritate destituatur, vera Dei notione carere, quia ille tamquam caritas increata suis caritatis munus impertit, eamque Spiritus sancti opera in cordibus nostris diffundit, vel quod paulo ante ex OEcumenio docui, de prima Trinitatis persona, id est, Patre loquitur, de quo mox. Atque hac ratione Deus caritas est, non solum tamquam auctor caritatis creatæ, sed etiam vt caritas increata, non qua nos diligimus, sed quæ nos caritate C creata imbuit. Ait igitur Ioannes: *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus caritas est.* Insinuans caritatem increatam, quæ Deus est, quatenus nobis caritatis munus impertit, etiam ad perfectam Dei notionem perducere. At cur? An quia caritas scientiam, ac Dei notionem præuertit? Sed potest voluntas amare, quod non prius fuerit aliquo pacto mente perceptum. An quia vt ait Gregorius Nazianzenus [a] [a Or. 2. de Pasch.], *non aliter terreni corporis, mentisque vinculis adstricta necessitas Deum concipere potest nisi diuinitus adiuuetur?* An quia vt ait ipse Ioannes [b] [b cap. 2. 3.] dixit: *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum: si mandata eius obseruamus?* An denique vt ait Didymus: *Quia sicut causa est, vt sapientes, & iusti, & sancti simus, factus à nobis Christus à Deo sapientia, iustitia, sanctimonium,* D *ita causa est, alterutros diligendi, quòd Deus caritas est.*

[VIII.] Certè Ambrosius sapienter omnino scripsit, vt in Dei cognitione magnos quis progressus faciat, laborandum illi in primis esse, vt ipsius præceptis obtemperet, eiúsque sese voluntati penitus subiiciat, sic autem scribit [c] [c lib. de Ab. cap. 2.]: *Exiit Abraham quemadmodum locutus est ei Dominus: hinc ferunt Gentiles septem sapientum sententiam, sequere Deum, quasi inuentum suum, cum longe anterior, non dicam Abraham, sed Moyses fuerit, per quem lex data est dicens: Post Dominum tuum ambulabis. Exiuit ergo Abraham, in quo non tàm profectio eius, quàm anima eius deuotio, & mentis libertas exiuit de corporis vinculis, de illecebris delectationis. Denique sic habes, exiuit Abraham, quemadmodum locutus est illi Deus. Supra habes, exi, dixisse Deum: in qua apertum imperium subemis expressum: hic habes. Quemadmodum locutus est illi Deus, quasi quidam confabulationis* E *affectus comprehenditur, omnia enim fecit, quæ statuta sunt. Ante factum igitur Deus dicit quasi obnoxio, post factum loquitur quasi amico. Amicus est enim Deo, qui facit, quæ imperata sunt, vnde & in Euangelio suo* [d] [d Io. 15. 14.] *dicit Dominus Iesus, vos amici mei estis; si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Quibus consentanea sunt, quæ alibi [e] [e Io. 7. 17.] dixit Christus: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, cognoscet de doctrina mea.* Vt enim Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & alij explicant, qui Dei præcepti omni ex parte obtemperat, diuinam Christi doctrinam facile percipit, cælestiaque mysteria, A quantum homini fas est, assequetur.

[IX.] Laborandum itaque est, atque omnibus viribus connitendum, vt diuinam cognitionem assequamur, aderit quærentibus, & laborantibus Deus. Sic enim scribit Augustinus [a] [a lib. 15. de Trinit. c. 2.]: *Deus quippe ipse, quem quærimus adiuuabit, vt spero, ne sit infructuosus labor noster, & intelligamus, quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro* [b] [b Ps. 104. 3.]: *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper: videtur enim quod semper quæritur, nunquam inueniri, & quomodo iam lætabitur, & non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint inuenire quod quærunt. Non enim (ait) lætetur cor inuenientium, sed quærentium Dominum, & tamen Dominum Deum inueniri posse, dùm quæritur,* B *testatur Isaias Propheta cùm dicit* [c] [c cap. 55. 6.]: *Quærite Dominum. Et mox: Vt inueneritis, inuocate eum, & cùm appropinquauerit vobis, derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas. Si ergo quæsitus inueniri potest, cur dictum est: Quærite faciem eius semper? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil inuenisse, qui quàm sit incomprehensibile, quod quærebat, potuerit inuenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse, quod quærit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, & melior, meliorque fit quærens tam magnum bonum quod & inueniendum quæritur, & quærendum inuenitur? Nam & quæritur, vt inueniatur dulcius, & inue-* C *nitur, vt quæratur auidius.*

[X.] Confestim autem: *Secundum hoc* (inquit) *accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico* [d] [d ca. 24. 29.], *dicere sapientiam. Qui me manducant, adhuc esuriunt, & qui bibent me, adhuc sitient, manducant enim, & bibunt, quia inueniunt, & quia esuriunt, ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus inuenit, propter quod ait Propheta. Nisi credideritis, non intelligetis.* Fides igitur, quæ per dilectionem operatur, diuinam scientiam parit, quam supra diximus, scientiam sanctorum nuncupari, qua destituuntur illi, de quibus hoc loco ait Ioannes: *Qui non diligit, non nouit Deum.* Cur autem Deum non cognoscant, hanc defert rationem, *quia Deus caritas est.* nimirum *caritas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* ad pro- D ximos propter Deum diligendos impellit. Inde rectè colligit Apostolus eum, qui non diligat, ea Dei notione carere, quam caritas parere solet. Alludit autem Ioannes ad eam cognitionem de qua loquitur Christus [e] [e Io. 14. 13.], cum enim de mundo loqueretur, negat eum Spiritus sancti cognitione præditum esse: *Quem* (inquit) *mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* De Apostolis autem subdit: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Idcirco autem mundus Spiritus sancti notionem accipere non potest, quia, vt ait Apostolus [e] [e 1 ad Cor. 2. 14], *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, & non potest intelligere.* addit Christus, *quia non videt eum, nec scit eum.* Interprete enim Chrysostomo, videre, pro intelligere positum est, vt planè idem sit, quod E scire: Mundus ergo Spiritum sanctum accipere non potest, quia non potest illum intelligere, non potest gustare: illi siquidem diuinus spiritus alienus, nouus, insolens videtur esse, cum exercitatos in rebus diuinis non habeat sensus. Contra verò Apostoli eum cognoscent, quia apud illos manebit, & in illis erit, id est, familiaris, & consuetus erit; vt fere explicat Gregorius [f] [f lib. 5. mor. cap. 10.].

[XI.] Eodem igitur modo hoc loco ait Ioannes, eum, qui non diligit Deú non nosse, quia Deus caritas est, illam videlicet cognitionem significans, quæ propria est iustorum, qui Spiritum sanctum in se manentem habent, eiusque diuina experiuntur effecta. Cæterum Deus qui caritas est, ita docet ex Augu-

stini

a de gra. Christi cap. 3.

b cap. 14.

stini [a] sententia, *vt non ostendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat caritatem: sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Et aliquanto [b] post: *Quando Deus docet, non per legis literam, sed per spiritus gratiam, ita docet, vt quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendóque perficiat.* Qui ergo non diligit, hanc diuinam scientiam profectò non didicit, quam Deus, qui caritas est, diuinitus instillat. Siue igitur dicatur Deus caritas, quia est fons, & origo omnis caritatis, siue quia reuera caritas est, eo planè modo, quo sapientia, potentia, bonitas, & sanctitas nuncupatur, qui caritate destituitur, ignorare Deum dicitur, quia vtili, ac salutari Dei cognitione caret, quippe qui ignoret Deum esse non solùm caritatis auctorem, sed ipsam etiam summam, diuinamque caritatem, qua omnia quidem creata, sed præcipuè humanam naturam complectitur. Idcirco enim subdit;

9 *In hoc apparuit caritas Dei in nobis: quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.*

I. Quoniam dixerat, Deum esse caritatē, id nunc ab illustri effectu probat, vt siquis ignem ex eo esse firmet, quod vrat, & incendat: ita Deum caritatem esse ostendit, quod singulari beneuolentia, atque amore hominum genus complectatur. Sic illum sapientiam esse dicimus, quòd nihil eum lateat, aut eius cognitionem effugiat, potentiam verò, quia nihil non potest. Ait igitur inde constare Deum esse caritatem, *quoniam filium suum vnigenitum misit in mundum.* Eodem planè argumento vsus est Christus: [c] *Sic Deus* (inquit) *dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Eodemque prorsus modo Paulus: [d] *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et alibi: [e] *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Rectè igitur ait Ioannes: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis*, Græcè ἐφανερώθη, clarissima veluti luce conspicua visa est, suóque diuino exemplo inflammat Deus. *Ecce* (inquit Augustinus) *vt diligamus Deū, hortationem habemus quomodo possemus illum diligere, nisi prior ille diligeret? Si pigri eramus ad amādum, nō simus pigri ad redamandū. Prior amauit, sed iniquitatem soluit, iniquos amauit, sed non ad iniquitatem congregauit: ægrotos amauit, sed sanandos visitauit. Deus ergo dilectio est, in hoc manifestata est dilectio Dei in nobis.*

c Ioan. 3. 16.

d ad Rom. 5. 8.

e Ad Rom. 8. 32.

II. Rectè autem ait, *manifestata.* vt enim ait OEcumenius: *Quemadmodum bonitas Deus dicitur, propterea quòd ex bonitate intelligibilem, & sensibilem mundum constituit; vt sui qui verè est, participes alios faceret, sic quoque ex caritate erga nos, cùm filium suum vnigenitum in mundum misisset, per eum caritatem se esse declarauit, vnde etiam infert: In hoc est caritas, id est, in hoc caritatem esse Deum manifestauit.* Et profectò hoc est maximum diuinæ in nos caritatis argumentum, quod apud Ioannem cum Nicodemo disserens perspicuè Christo docuit. *Sic* (inquit) *Deus dilexit mundum.* quippe ille vltro nos caritate complexus est, quod paulo post indicans Ioannes ait: *Non quasi nos dilexerimus, quia ipse prior dilexit nos.* Accedit, quòd homines Deus dicitur dilexisse, inter quos tamen est non naturæ solùm, sed etiam morum ingens dissimilitudo, vt nulla conciliandi amoris causa excogitari posse videatur, cùm præsertim Deus infinitis propemodum hominum sceleribus prouocatus, illos ipsos, à quibus offensus erat, incredibili caritate prosequutus sit. Hoc enim

iudicare videtur adhibito mundi nomine, quem hic noster totum in maligno positum esse affirmat. [a] Denique amoris causa non quidlibet facile, ac leue aggressus est, sed filium suum, eundemque vnigenitum, ac maximè carum dedit, in quo omnem suum amorem effuderat. Postremò quia non quocumque modo dedit, sed propterea dedit, vt tamquam serpens in deserto exaltaretur, hoc est, tolleretur in crucem, vt rectè Chrysostomus, & Theophylactus explicant. Hoc ipsum ait hoc loco Ioannes: *Quoniam* (inquit) *filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per ipsum.*

a Infra c. 5. 19.

III. Nimirum hoc dixerat Christus apud Ioannem his verbis: *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hæc enim vita nobis optanda est, quæ est penitus immortalis, ac sempiterna. Pro eo autem, quod interpres dixit, *misit*, Græcè scripsit Apostolus, ἀπέσταλκεν. Qua ratione Paulus [b] Christū vocat Apostolum & Pontificem confessionis nostræ, videri posset vterque Apostolus allusisse ad Hebræam vocem *Silo* hoc est, missus; quo nomine indicatur Christus, qui à Patre missus est. Quocirca Augustinus [c] ita de Christo loquitur: *Iam quis sit missus agnoscitis, nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus.* Hanc ipsam caritatem, vt in præsentia monet Augustinus, mirum in modum extulit Christus, cum apud Ioannem [d] dixit: *Maiorē hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro inimicis suis.* Atqui vt monet Bernardus, maiorem Christus indicasse videtur, qui pro inimicis mortem oppetiit: aut certè pro amicis obiisse dicitur, vt quos inimicos expertus erat, amicos tàm insigni beneuolentiæ argumento redderet. Denique obiisse dicitur pro amicis nō quidem diligentibus, sed iam tamen dilectis, quod indicauerat Ieremias, [e] apud quem ita loquitur Deus: *Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.*

b ad Hebr. 3. 1.

c Trac. 44. in Ioan.

d cap. 15. 13.

e cap. 31. 3.

IV. Acutè autem quærit hoc loco Augustinus, quid intersit inter Patrem, & Iudam, cum vterque dicatur Christum tradidisse: *Ecce* (inquit) *filium tradidit Pater, tradidit & Iudas. Ergo traditor est & Deus Pater? Absit* (inquit) *non dico. sed Apostolus dicit, quia filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Et Pater illum tradidit, & ipse tradidit. Ait idem Apostolus: Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me. Si Pater tradidit filium & tradidit seipsum filius, Iudas, quid fecit? facta est traditio à Patre, facta est traditio à filio, facta est traditio à Iuda: vna res facta est, sed quæ res discernit Patrem tradentem filium, seipsum filium tradentem, & Iudam discipulum tradentem Magistrum suum? Quia hoc fecit Pater, & filius in caritate, fecit autem hoc Iudas in proditione.*

V. Misit autem filium suum Deus in mundum, *vt viuamus per eum*: hoc enim est, quod dixit Christus. [f] *Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.* Et alibi: [g] *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* hoc est, vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Augustinus, & Beda explicant, vt in hoc mundo vitam per gratiā habeant, & in altero abundantius per gloriam. Cyrillus [h] Alexandrinus duas alias adhibet explanationes, alteram vt non solùm vitam, id est, gratiam habeant, sed abundantiùs habeant, hoc est, multiplicem præterea copiam aliorum donorum Spiritus sancti: alteram vt abundantius habeant per resurrectionem. Tametsi enim tam boni, quàm mali resurrecturi sunt, soli tamen boni absolutè resurgere dicuntur, quia ad immortalem, & sempiternam vitam resurgunt. Possis etiam quod video nonnullis placere Christi verba perinde accipere, vt abundantius se vitam attulisse significet, quasi copiam, & affluentiam gratiæ indicet, quam suo aduentu attulerat, quod Græci codices, qui nunc habentur in manibus, non

f Ioan. 12. 47.

g Ioan. 10. 10.

h in Cat. Græca.

obscurè

obscurè insinuant. Non enim habent ἐμμέτρως, sed ἀμέτρως, hoc est, abūdè, seu copiosè habeāt. Incredibile enim dictu est, quantam attulerit Christus adipiscendæ, ac retinendæ gratiæ facilitatem, vt merito Augustinus gratiam Christi vberiorem, ac potentiorem esse dixerit ea gratia, quam habuit Adam humani generis Parens [a]. *Proinde* (inquit) *& si non interim latiore, nunc verumtamen potentiore gratia indigent isti.* Et post multa cum de gratia primi Parentis dixisset, subdit: *Sed hæc potentior est in secundo Adam: prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiam si velit, secunda verò plus potest, qua etiam fit, vt velit.* Et paucis interiectis: *Hæc autem tanto maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur, vt velit.* Post multa verò [b]: *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factum est, vt voluntas hominis inualida, & imbecilla in bono adhuc paruo perseuerares per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseuerauerit habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non de futuro adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare, si vellet, non tali, quo in illo Deus operaretur, vt vellet fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere inuictissime nollent.*

a de corr. & gra. cap. 21.

b c. 12. sub fin.

VI. Hic est igitur aduentus ad nos Christi finis, hic fructus, *vt viuamus per eum*, hoc est, vt eius meritis fidem assequamur, quæ per dilectionem operatur, eiusque diuino auxilio freti ita mores, actionesque nostras componamus, vt appareat nos cælestem vitam ducere, & diuinam in nos caritatem, quoad eius fieri potest, imitari, quod non ita multo post hic ipse Apostolus docebit. *Carissimi* (inquit) *si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Rectè enim scripsit Didymus: *Si Christus causa est, vt sapientes, iusti, & sancti simus, quia factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, & sanctitas, ita quia caritas est, proximorum amorem in nobis pariat necesse est. Eo namque* (ait) *participari secundùm quod caritas est, habemus caritatem ex eo, & diligimus inuicem.* Iam verò quoniam Ioannes diuinam in nos caritatem commendare cœperat, in eodem argumento persistens eximiam eius vim magis, ac magis extollens subiicit:

10 *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

I. Discipuli ex capite diuinæ caritatis magnitudinē extollit: primùm quidem quod Deus vltrò sua nos beneuolentia anteuerterit, cum nos eum nullo pacto diligeremus: qua ratione dixit Paulus: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in caritate.* Electio autem illa orta est ab eximia beneuolentia, & caritate, qua Deus illos cōplexus est quod elegit. Sapienter enim scripsit alicubi D. Thomas [c], electionem cum dilectione connexam esse, ita tamen vt dilectio præcurrat, electio subsequatur: idcirco enim ad gratiam, & gloriam eligit, quia iis, quos elegit, diuina illa bona largiri cupit, quod proprium est amoris, & caritatis. In hoc igitur præcipuè diuina caritas elucet, quod nullis Deus officiis prouocatus, sed iniuriis potiùs lacessitus nos dilexit: multo autem magis altero ex capite extollitur, hoc est, ex amoris, & caritatis effectu. Et quippe diuinus amor actuosus est, efficax, semperque aliquid efficit, ac

c p. q. 23. a. 4.

A præstat, & idcirco cum genus humanum Deus immortalis incredibile quodam amore prosequeretur, *filium suum misit propitiationem pro peccatis nostris.*

II. Fuit enim Christus non solùm sacerdos, vt ait Dauid, secundùm ordinem Melchisedech, sed etiam quia proprio sanguine litauit: de quo paulùs ita ad Hebræos scribit [a]: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.* Idemque fuit victima salutaris, quam olim subindicauerat Abraham, cùm quærenti filio, vbinam esset victima, quæ mactanda erat, respondisse fertur: *Deus prouidebit sibi victimā fili mi.* Quocirca Paulus [b] de
B Christo ait: *Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* & idcirco meritò subiicit: *Et mundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo.* Suo igitur sacrificio Christus Patrem nobis conciliauit, próque nostris flagitiis, atque sceleribus exorauit. Rectè autem hoc loco ait Augustinus: *Misit filium suum litatorem pro peccatis nostris, litatorem, sacrificatorem, vbi inuenit hostiam? vbi inuenit victimam, quam puram volebat offerre? Aliud non inuenit, se ipsum obtulit.* Hac itaque ratione Ioannes Christum vocat propitiationem, Græcè ἱλασμόν, quia sacrificando veniam nobis, & misericordiam impetrauit, quam ob causam ab Augustino *litator* appellatur, siquidem, vt ait Apostolus [c], *in diebus carnis suæ preces,*
C *supplicationésque ad eum qui possit illū saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, & exauditus est pro sua reuerentia.*

a cap. 9. 11.

b ad Heb. 9. 14.

c ad Heb. 5. 7.

III. Porro in scholis disputatur à Theologis, quànam ratione mors Christi veri, ac proprij sacrificij vim, & rationem habuerit, cùm tamen non idem de obitu Martyrum affirmetur, quamuis illi etiam sese Deo sponte obtulerint. Sed facilè meo iudicio expediri quæstio potest, neque enim ad veram sacrificij naturam satis est, vt sese quis vltrò, ac libens mactandum offerat; sed id præterea exigitur, vt quispiam id faciat publica auctoritate sacro munere fungēs tamquam sacerdos ad id institutus. Cùm igitur Christus verè esset sacerdos, & Pontifex constitutus à Deo, vt pro hominum genere sacrificium
D offerret, litarétque, ipse verò sponte sua tamquam victimam se Deo Patri obtulerit, suáque voluntate mortem sibi inferri passus sit, verè, ac propriè in ara crucis rem diuinam fecisse, atque adeo sacrificasse dicitur. Martyres autem pro fide quidem, ac religione volentes, libentésque mortem subierunt, sed neque publica auctoritate id fecerunt, sed suo quisque priuato studio, ac pietate, neque sui obitus ipsi causa fuerunt, qui tantummodo vim illatam patienter tulerunt; Christus verò ipse verè fuit suæ mortis auctor, qui alicubi dixerat, neminem sibi posse vitam eripere, sed eam se spontè Deo deuouere: *Nemo*
E (inquit) *tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Quocirca rectè dixit Paulus: *Talis enim decebat, vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.*

11 *Carissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.*

I. Ex proximè superiori sententia colligit mutuam nobis caritatem complectendam, ac retinendam esse. Sed quànam id quæso ratione? An vt Deum parentem nostrum imitemur, eiusque diuinam perfectionem, quoad eius fieri possit, vita ac moribus exprimamus. Sanè hoc indicare visus est alicubi [d] Christus ipse, dixit enim: *Diligite inimicos vestros, benefacite*

d Mat. 5. 44.

benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Tùm concludit: *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* diuinam enim bonitatem, beneficentiam, caritatem, perfectionémque imitandam proponit. An vim, atque efficacitatem diuini in nos amoris, ac beneuolentiæ insinuat, quæ caritatem nobis largitur, qua Deum, & proximos diligamus. Vt enim sæpè hac ipsa Epistola scribit Ioannes: *Caritas ex Deo est.* eadémque Deum, ac proximos amore complectitur. An argumentatur à minori? & ex Dei in nos amore nostram in proximos beneuolentiam, & caritatem astruit.

II. Sic sanè visus est insinuare OEcumenius, ita enim scribit: *Si igitur ita nos amauit Deus, qui nullam cum natura eius communicationem habemus, multo magis etiam nos amare eos, qui cognati nobis sunt, debemus, & cum cognoscamus bonū, quod ex caritate proficiscitur, id mutuò nobis præstare.* Mox autem id magis confirmans subiicit: *Sicut enim crimen est, si quis quod eligibile est, non eligat, & quod amabile est, non amet, sic si quis caritate dignos amet, ac caros habeat, propterea quod amabiles sint, is laudem apud omnes meretur.* Addit præterea fructum, & vtilitatem, quæ inde consequitur: *Cum autem* (inquit) *ita affecti fuerimus, vtraque habebimus, hoc est, erimus & amabiles, propterea quod a Deo amati simus, & amatiui, vt ita dicam, ex amore, & caritate, qua proximos prosequimur si tamen caritas sincera, & pura sit, non perturbata, & sordida, cuiusmodi latronibus inesse, & aliis maleficis potest.* Non temere autem visus est Ioannes particula illa *sic*. spectat enim id ad amoris diuini, & caritatis magnitudinem indicandam: eadem enim ratione apud Ioannem loquutus est aliquando Christus. [a] *Sic enim* (inquit) *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

a cap. 3. 16.

III. Si ergo nos Deus tam singulari, atque eximia caritate complexus est, necesse est profectò, quantum fas est, nos paria facere, & Deum ex toto corde, tota mente, totaque fortitudine, omnibusque viribus diligere: qui autem Deum diligit, diligat necesse est etiam proximos, quod vt ait Augustinus, insinuare visus est Christus Dominus, cum enim Petro summum Pontificatum traditurus esset, his illum verbis compellauit: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Illo verò modestè annuente, illico subiicit: *Pasce agnos, & pasce oues.* quasi argumentum diuini amoris sit beneuolentia, & caritas erga proximos, quod hic noster non semel inculcat. Certè amor, quo nos Deus prosequutus est, atque adeo prosequitur, hoc propemodum suo iure à nobis exigit, vt quos ille diuina sua caritate dignos censet, nostra beneuolentia complectamur. Quam ob causam Græcè dixit Apostolus, ὀφείλομεν ἀλλήλους ἀγαπᾶν, vt officij necessitatem significet. vniuersim autem dixit mutuam caritatem complectendam, ne inimicis quidem exclusis, quos Christiana caritas tamquam fratres, ac proximos diligit, tametsi in iis, vitium, si quod adhæserit, ab amore meritò excludit.

12. *Deum nemo vidit vnquam, si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est.*

I. At quorsum id? Sæpe alias scriptura ait, neminem vidisse Deum, nam in Euangelio Ioannes ait, [b] *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et Paulus Deum vocat inuisibilem: *Regi* (inquit) *sæculorum, immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria.* Cur autem id hoc loco repetat Apostolus, non planè liquet. OEcumenius sic ferè disserit: *Cum de caritate erga fratres loqueretur, Deum in exemplum produxit qui ob immensam erga nos caritatem filium suum vnigenitum ad mortem tradidit, vnde verisimile erat, vt aliquis dubitaret ac diceret: Quo pacto hoc dicis de rebus, quæ non videntur, ac percipi nullo modo possunt, nosque ad eas confirmare, quæ nondum quispiam cognouit? Huiusmodi interrogationi occurrit, atque inquit: Assentior quidem etiam ego, neminem esse, qui Deum vnquam viderit, sed ex mutua tamen erga nos caritate Deum in nobis esse cognoscimus.* Perinde igitur est ex sententia OEcumenij ac si Ioannes dixisset: est quidem suapte natura inaspectabilis. neque enim immensa illa natura ab omni materiæ concretione seiuncta vllo corporeo sensu attingi potest, eius tamen præsentiam, qui fraterna caritate proximos prosequuntur, desiderare nequaquam possunt, quippe illa ipsa fraterna caritas argumento est, Deum in iis, qui proximum diligunt, tamquam in sede, ac domicilio inesse.

b cap. 1. 18.

II. Quocirca ad idem confirmandum subdit OEcumenius: *Quippe cum multa sint, quæ licet videri nequeāt, ex operationibus tamē percipiuntur: quemadmodū cum animā quamuis eam non videamus, ex operationibus eius, & motionibus inesse nobis intelligimus sic Dei quoque erga nos caritatem quasi ex quodam motu, & operatione cognoscimus. Quod si hoc non præter veri similitudinem est, meritò diuinus hic vir ex operatione, & effectu in nobis quoque Deum esse ostendit.* Cæterum Augustinus Deum ait, neminem vidisse vnquā, quia quod inaspectabile est, non oculo, sed corde quærendum est. *Quemadmodum* (inquit) *si solem istum videre vellemus, oculum corporis purgaremus, vnde videri lux potest, volentes videre Deum, oculum, quo Deus videri potest, purgemus. Vbi est iste oculus? Audi Euāgelium:* [c] *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Deinde colligit auocandam esse mentem à sensibus, nihil enim esse Deum, nisi dilectionem. *Si vis,* inquit, *videre Deum, Deus dilectio est.* Sed hæc fateor, doctè, ingenioséque dicuntur, sed ad huius loci explicationem non magnopere pertinent.

c Matt. 5. 8

III. Placet igitur OEcumenij explanatio. Esto (inquit) diuina illa natura humanos effugiat sensus, certè caritas, qua proximos diligimus, eius in nobis præsentiam indicat. Si enim diligamus inuicem, *Deus in nobis manet.* Est autem, vt ait Augustinus, caritas, non abiecta, aut desidiosa, sed actuosa potius, & efficax. *Proinde* (ait) *non putes tunc te amare seruum tuum, quando eum non cædis, aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam, aut tunc te amare vicinum tuum, quando eū nō corripis. Non est ista caritas, sed languor. feruéat caritas ad corrigendum, ad emendandum. Sed si sunt boni mores, delectent, si sunt mali, emendentur, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem: hominem enim Deus fecit, errorem ipse homo fecit. Ama illud quod Deus fecit, noli amare, quod ipse homo fecit, cum illud amas, illud tolles, cum diligis, illud emendas.* Et profectò, qui isto modo proximos diligit, verè potest affirmare, sibi Deum esse præsentem, & diuinam caritatem esse omni ex parte perfectam, quod in præsentia ait Ioannes.

IV. Perfectam verò caritatem eleganter hoc loco describit Augustinus. *Qualem* (inquit) *habet faciem dilectio? qualem formam habet? qualem staturam habet? quales pedes habet? quales manus habet? Nemo potest dicere, habet tamen pedes, nā ipsi ducunt ad Ecclesiā: habet manus, nam ipsæ pauperi porrigunt: habet oculos, nam inde intelligitur ille, qui eget: Beatus* (inquit) *qui intelligit super egenum, & pauperem: habet aures, de quibus dicit Dominus: Qui habet aures audiendi audiat.* Post nonnulla verò addit, ad caritatem nonnumquam etiam pertinere correptionis, vt ipse loquitur, dilectionem. *Propterea* (inquit) *de columba demonstrata est caritas quæ venit super Dominum.*

Dominum. Species illa columba est, in qua specie venit Spiritus sanctus quo nobis caritas infunderetur? Quare hoc? fel columba non habet, tamen rostro, & pennis pro nido pugnat, sine amaritudine saeuit: hoc facit & pater quando filium castigat, si ad disciplinam castigas vt dixi. Seductor, vt vendat, cum amaritudine blanditur, pater vt corrigat, sine felle castigat. Mox verò ad hanc caritatem hortatur, quæ procul dubio est omni ex parte perfecta, de qua rursum quærit, cur Ioannes tàm frequenter fraternam caritatem inculcet, eam verò, qua Deus diligendus est tantum, non penitus sileat, eam verò qua inimici diligendi sunt, ne attingat quidem. *Assiduè* (inquit) *nominauit caritatem fraternam, Dei autem caritatem, id est, qua debemus diligere Deum, non tàm assiduè nominauit, sed tamen non omninò tacuit. De inimici verò dilectione prorsus tacuit prope per totam epistolam.*

V. Aliquanto autem post: *Quid est igitur* (ait) *quod pro magno nobis ad perfectionem quandam fraternam dilectionem commendat Ioannes Apostolus: Dominus autem dicit, non nobis sufficere, vt fratres diligamus, sed debere nos extendere ipsam dilectionem, vt perueniamus ad inimicos.* Confestim autem respondet. *Qui vsque ad inimicos peruenit, non transilit fratres.* indicans videlicet fratrum numero etiam inimicos comprehendi: illico autē caritatem igni similem esse affirmat. *Necesse est* (inquit) *sicut ignis prius occupet proxima, & sic se in longinquiora distendat. Propinquior est tibi frater quàm nescio quis homo. Rursus tibi magis adhaeret ille, quem non noueras, qui tibi tamen non aduersatur, quàm inimicus, qui etiam aduersatur. Extende dilectionem in proximos, nec voces illam extensionem: prope enim te diligis qui eos diligis, qui tibi adhaerent. Extende ad ignotos, qui tibi nihil mali fecerunt, transcende, & ipsos peruenis, vt diligas inimicos: hoc certè Dominus iubet.*

VI. Non igitur à Domini præcepto recedit Apostolus qui fraternam dilectionem ad perfectam caritatem pertinere dixit: habet enim hæc fraterna dilectio eximias quasdam, planèque admirabiles functiones, quasi externam speciem respicias, exercet non rarò superbia. Quocirca Augustinus: *Videte* (inquit) *quanta opera faciat superbia, ponite in corde quam similia faciat, & quasi paria caritati. Pascit esurientem caritas, pascit & superbia, caritas vt Deus laudetur; superbia, vt ipsa laudetur. Vestit nudum caritas, vestit & superbia, ieiunat caritas, ieiunat & superbia, sepelit mortuos caritas, sepelit & superbia. Omnia opera bona quæ vult facere caritas, & facit, & agit contra superbia, & quasi ducit equos suos.* Et paucis interiectis: *Opera videmus, pascit misericordia, pascit & superbia hospitem suscipit misericordia, hospitem suscipit & superbia, intercedit pro paupere misericordia, intercedit & superbia.* Nimirum hoc est, quod ait Apostolus: [a] *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Necesse est enim hæc non officiis, sed fine distinguere, hæc enim omnia ad se, suámque gloriam refert superbia, caritas Deum spectat vnum, cui probari maximè cupit, dùm proximorum indigentiam subleuat, aut alia pietatis officia præstat, quæ in hac quidem mortali vita ob inopiam, & indigentiam plerumque sunt necessaria. Quamuis igitur Deum nemo vidit vnquam, vi tamen, atque actione caritatis fit nobis intimè præsens: vt enim hic noster ait; *Deus caritas est, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo.* Qui autem Deum habet in se manentē, hic profectò perfecta, absolutáque caritate præditus est. Quamobrē rectè OEcumenius: *Operatio* (inquit) *hæc est, pura, & syncera nostra erga proximos caritas, hæc siquidem in eo, quod pura est, efficax est, & absoluta, & perfecta.*

a 1. ad Cor. 1. 13.

A Quod spectat ad verba illa: *Deum nemo vidit vnquam.* antiquissimo ipsius Dei oraculo videtur ea sententia niti, cum enim olim Moses Dei gloriam spectare percuperet, hoc à Deo responsum retulit: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Inde vulgaris quædam opinio manauit, si quis fortè Deum cerneret, ei continuò moriendum. Itaque Sampsonis [a] pater cum Angelum Dei personam referentem humana specie conspexisset: *Morte* (inquit) *moriemur, quia vidimus Dominum.* Sed Ioannis verba de ipsa diuinitate inaspectabili accipienda sunt, quam oculus quidem corporeus spectare neutiquam potest. Beatorum autem mens lumine gloriæ perfusa diuino eius conspectu, iucun- B dáque contemplatione in omnem æternitatem perfruentur. Verum autem mortalis quispiam ad hunc diuinum intuitum euectus sit vel ad breuissimum tempus disputari solet, cum præsertim Apostolus Paulus se dicat ad tertium vsque cælum elatum audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Sed alij quidem affirmant, alij negant quid probabilius sentiendum sit, alibi indicaui. VII.

a Iudic. 13. 22.

13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.*

I. Ferè idem dixerat in fine capitis superioris. *In hoc* (inquit) *scimus, quoniam manet in nobis de spiritu,* C *quem dedit nobis.* Quoniam dixerat: si diligamus inuicem, Deum manere in nobis, & nos in eo, indicat nunc, quo id argumento probari queat, neque enim temere quisquam potest affirmare, se in Deo manere, Deumque in se manentem habere: probabilia vtcumque argumenta, in sacris literis leguntur, ducta videlicet ab ipsius diuini Spiritus vi, & efficacitate. *Ipse enim spiritus,* (vt ait Paulus) *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei, & qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Eadem igitur mente ait Ioannes, nos diuini Spiritus ope Dei in nobis præsentiam vtcumque agnoscere. Ita enim explicat OEcumenius. *Hoc indicio* (inquit) *est, & nos in ipso, & ipsum in nobis permanere, quod de spiritu suo nobis dedit: quippe cum purus pura, & munda ab omni sorde gratificetur.* D Refertur autem hæc Ioannis sententia ad imbecillitatem quorumdam firmandam & spem subleuandam, qui quod rebus aduersis premerentur, alienos se esse à Deo suspicari poterant. Tacitè interim monet, quidquid habeant, valeant, agant, diuino spiritui acceptum esse referendum, atque idcirco non in nobis ipsis, sed in vno dumtaxat Deo gloriandum esse. Vt enim ad Galatas scribit Paulus, [b] *Caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas Spiritus sancti munera sunt.* Non igitur in iis gloriandum est, quasi ea nobis propriis viribus comparauerimus.

b cap. 5. 22.

II. Atque hæc quidem ad fideles, & iustos vniuersim pertinent, de quibus dixit apud Ioannem Christus: E *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* id enim dictum est de eo, qui synceram caritatem in animo retinet. Quod si hæc propriè, ac priuatim de Apostolis, virisque Apostolicis accipienda sint, spectare videtur Ioannes externam diuini spiritus effusionem, vnde fideles mirificam quamdam rerum diuinarum sciētiam hauriebant. Id enim pollicitus erat Christus, cùm dixit. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis,* meritò autem ait Augustinus, [c] habuisse iam rūm Apostolos Spiritum sanctum, sed occultè; accepturos autem fuisse manifestè. *Quia & hoc* (inquit) *ad maius donum sancti Spiritus pertinebat, vt eis innotesceret, quod habebant.*

c Trac. 74. in Ioan.

A *De quo munere loquens Apostolus ait. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Qui igitur diuini in se spiritus experitur effecta, potest vtcumque diuinam in se præsentiam agnoscere, & Dei Patris liberalitatem magnificè prædicare.

III. Aptè verò dixit Ioannes, *De Spiritu suo dedit nobis.* Ipse enim Spiritus meritò donum nuncupatur, dicitúrque mitti, dari, & diffundi, de quo Paulus ad Titum scribit [a]: *Quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Qualis autem, aut quanta sit hæc cognitio, qua quis nouit Deum in se manentem alibi docui: neque enim pertinet ad fidem Catholicam, cui nequeat subesse falsum. Sed B eiusmodi scientia est, quæ animam exhilarare, & magnam spem, & confidentiam non sine ingenti animi moderatione, atque humilitate largiri potest; atque idcirco cum Apostolica doctrina nulla ratione pugnat, qua verè prudentérque monemur, vt cum metu, ac tremore nostram salutem operemur, & vt idem Apostolus monet, non in se ipso, sed in Deo gloriandum est. Hæc enim qualiscumque scientia, quia cum caritate coniungitur, non arrogantiam, aut superbiam parit, sed modestiam, & gratam in largitorem Deum voluntatem. Siue igitur de interna Spiritus largitione, vt vult OEcumenius, siue de externa, & sub sensum cadente, C vt indicat Augustinus, loquatur hoc loco Ioannes, verè dixit, inde Dei in nobis præsentiam facile deprehendi.

a cap 3.6.

14. *Et nos vidimus & testificamur, quoniam Pater misit filium Saluatorem mundi.*

I. Non facilè apparet, quánam ratione hæc superioribus attexenda sint, videri possent Augustini explanationem confirmare, qui superiorem sententiam de Apostolis, virisque Apostolicis explicat, qui externa specie Spiritum sanctum acceperant, quasi dicat: nos Apostoli præterquam quod Spiritum sanctum accepimus, tamquam oculati testes affirmare possumus, verè Deum Patrem Christum Dominum liberatorem misisse in mundum. Propius abest à vero, voluisse Apostolum indicare, quod D initio epistolæ dixerat, se fide dignissimum esse, qui ea commemoret de Christi ad nos aduentu, quæ oculis ipse spectasset, & fortasse respexit ad id, quod paulo ante dixerat, *Deum nemo vidit vmquam*: quasi dicat: tametsi Deum nemo corporis oculis cernere, aut in hac mortali vita qualis ipse est, mente intueri potest, vt egregiè multis docet Gregorius [b]: nos tamen, qui vnigenitum Dei nostra mortalitate circumdatum, & oculis spectauimus, & docentem audiuimus, & cum eo familiariter versati sumus, idoneos testes eius ad nos aduentus existimare debetis. Verè namque affirmare possumus, fuisse illum à Deo Patre humanæ salutis vindicem, atque auctorem constitutum.

b lib. 18. moral. c. 37. 38.

II. E Ita videas, non solùm Ioannem caritatis præcepta tradere, sed etiam fidei mysteria, & Christiana dogmata explicare, quæ cunctis fide credenda proponuntur, vt hoc veluti iacto fundamento caritatis culmen extruatur. Iam quod ait: *Et nos vidimus.* si propriè ad oculorum obtutum referatur, significat fuisse Apostolos humanæ Christi naturæ, eiusdemque vitæ, morumque & miraculorum spectatores, quibus suam diuinitatem, ac supernaturalem potestatem declarabat, sic enim ille ipse apud Ioannem dixit: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, illa testimonium perhibent de me.* Itemque: *Si mihi non vultis credere operibus credite.* Denique: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Sin autem videndi verbum latius pateat, vt omnium sensuum functiones complectatur, ea potissimum innuit, quæ Christus de seipso, deque incarnationis mysterio docuit, quod videtur placere OEcumenio.

III. *Quoniam igitur* (ait) *per puram caritatem cum ipso communicationem habemus, ex eo nos quoque inquit, qui in carne ipsum vidimus, cognouimus, & testificamur, Patrem misisse illum Saluatorem mundi.* Atque hæc quidē ad oculos spectant, quæ sequuntur, ad aures referuntur: *Quin etiam* (ait) *ad cognitionem nostram illud accedit, quod ipse etiam nobis explicauit, modo dicens: Egressus sum à Patre, & veni in mundum; id quod Patrem ob caritatem erga nos de cælo misisse vnigenitum suum in mundum declarat mox lo apertius inquiens: Adeò dilexit Deus mundum,* B *vt filium suum vnigenitum daderit, vt omnis, qui in ipsum credit, non pereat. Item, non veni, inquit, vt iudicem mundum, sed vt saluum faciam.* Confestim autem subdit: *Et ex ipsa igitur inspectione, inquit, & ex vnigeniti declaratione, qui est in sinu Patris, vt in Euangelio dicitur, & ex operatione per mutuam erga nos caritatem, Deum esse in nobis & de spiritu suo nobis dedisse communicationem, qua nos cum ipso habere percipimus.*

IV. *Testificamur* (inquit) alludens fortasse ad id, quod apud Ioannem dixit Christus, *quod vidimus, testamur.* Et rursus. [a] *Ego quod vidi apud Patrē, loquor.* propriumque Apostolum munus indicat; sic enim in actis Apostolicis scribit Lucas, dixisse Christum cùm ab Apo- C stolis [b] recessurus esset: *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Et Petrus ibidem [c] cum de sufficiendo Matthia in locum Iudæ verba faceret: *Oportet ergo* (inquit) *ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Indicat itaque Ioannes se ritè munere Apostolico perfungi: *Testificamur* (ait) *quoniam pater misit Filium Saluatorem mundi.* Est enim, vt affirmant Theologi, proprium Dei Patris mittere, qui cū sit diuinitatis fons, & origo, filium gignit, vnàque cū illo Spiritum sanctum spirat. Contra verò filius, ac Spiritus sanctus D certo, ac definito tempore missi dicūtur: ille quidem, vt humanam sibi naturam hypostaticè copularet, & cunctis mortalibus aditum aperiret ad salutem sempiternam: hic verò vt Apostolos, & primos illos fideles diuinis muneribus compleret, & ad propagandam fidem informaret, cœlestique scientia imbueret. Dicitur itaque Christus missus à Patre Saluator mūdi, quia vt verè dicunt Apostoli. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

a Io. 8. 38.

b cap. 1. 8

c num. 21.

V. Mundi autem saluator dicitur, quia omnes quotquot hactenus gratiam, & salutem adepti sunt, & in futurum vsque ad mundi extremum assequentur, nō nisi Christi beneficio, ac merito tanti muneris participes effecti sunt. Quamobrem ipsemet apud Ioannē ait: *Ego sū ostiū, per me si quis introierit, saluabitur, in-* E *gredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Addit præterea: *Qui non intrat per ostiū in ouile ouiū, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Non eo inficias, plurimos ante aduentum Christi salutem fuisse consequutos, sed vt rectè aiunt Gregorius Nazianzenus, & Augustinus, vnius dumtaxat Christi beneficio gratiam, & caritatem nacti sunt: quippe Deus immortalis, qui ante omnem æternitatem Christi merita præfinierat, eorum respectu, atque intuitu iustitiam, & sanctitatem priscis Patribus largiebatur. Quocirca Paulus cùm multa priscorum Patrum merita recensuisset, concludit [d]: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem Deo pro nobis aliquid prouidente, vt non sine nobis consumerentur.*

d ad Hebr. 11. 39.

Testimo

Testimonio fidei probatos ait, eius videlicet fidei, qua Christum venturum expectabant, & suæ salutis auctorem piè, ac religiosè venerabantur, & priuatim quidem de Mose ait [a]: *Moses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Quasi iam tum Moses Christum venturum crederet, eiusque gratiæ & salutis particeps fieri cuperet. Quod alia quadam ratione significauit Apostolus, cùm de fidelibus ait: *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Prophetæ enim non aliter atque Apostoli vni Christo inhærent, eiusque meriti participes facti sunt: ipse quippe angularis lapis dicitur, *qui fecit vtraque vnum*, hoc est, veteris ac noui Testamenti iustos vnius caritatis nexu astrinxit, & in vnum quodammodo corpus colligauit.

a Ibidem ver. 24.

VI. Siquidem vna, atque eadem est omnium temporum fides: ait enim Paulus [b]: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Quo loco Leo Pontifex [c]: *Magnum* (inquit) *præsidium est fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab vllo quidquam, nec minui potest, quia nisi vna est fides, dicente Apostolo: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & Pater omnium, qui super omnes.* Quod ipsum alibi significare visus est idem Apostolus Paulus, cùm ad Corinthios scripsit [d]: *Habentes eumdem Spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus.* Quem locum explanans Chrysostomus [e]: *Cur* (ait) *dixit eumdem? Magnam cognationem noui Testamenti, & veteris vult ostendere, ideo propheta etiam verba subiungit, sicut scriptum est. Credidi propter quod locutus sum. Hoc autem tamdudum, & ante multas ætates David dixerat, quod nunc Paulus adduxit, indicans, quòd eadem Spiritus gratia, & tunc in illo, & nunc in nobis fides vim radicauit. Idem inquit, est fides Spiritus, qui in illo loquutus est, & in nobis operatur.*

b ad Ephes. 4. c ser. 4. Natal. d 2. ad Cor. 13. e Hom. 7.

VII. Neque aliter sentit Augustinus, qui de Christo mediatore, dèque fide in hunc modum scribit [f]: *Vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus venturus sic antiquis sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, vt vna, eademque fides per ipsum omnes in Dei caritatem prædestinatos perducat ad Deum.* Et in eamdem sententiam Gregorius [g]: *Quia* (inquit) *omnes electi siue qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui nunc in Ecclesia existunt, in mediatorem Dei, & hominum crediderunt, & credunt, qui præeunt,* (Christo videlicet intrante Hierosolymam) *& qui sequuntur: Osanna clamant, osanna autem Latina lingua, salua nos dicitur, ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum, qui venit in nomine Domini, confitentur, quoniam vna spes, vna fides est præcedentium, atque sequentium populorum.* Meritò autem Ioannes cum de caritate disserit, fidei præcepta proponit. Vt enim ait Chrysostomus: *Sicut planta absque radice fructum non profert, ita absque fidei fundamento non prouenit sermo doctrinæ: sicut enim membra tremula, & languida se baculo tuto deducente labi non permittuntur, sic etiam animam nostram incertis ratiocinationibus circumactam fides quouis baculo tutius sustentans, suáque vi reficiens summopere firmat, nec sinit subuersis infirmas cogitationes sua virtutis præstantia corrigens.*

f lib. 18. de Ciuit. Dei c. 47. g Hom. 17 Ezech.

VIII. Adde indicare voluisse Ioannem, absque fide caritatem consistere nequaquam posse, siquidem illa definitur ab Apostolo [h]: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, est autem Græcè ὑπόστασις, quasi dicat, solidum, ac firmum fundamentum. Est enim fides planè immutabilis, & sui semper similis. Quamobrem Tertullianus [a]: *Regula quidem* (ait) *fidei vna omnino est sola, immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in vnum Deum omnipotentem mundi conditorem, & filium eius Iesum Christum.* Et aliquanto post: *Hac lege fidei manente cætera iam disciplinæ, & conuersationis admittunt nouitatem correctionis.* Quod planiùs explicans Augustinus [b]: *Si ergo* (inquit) *vna fides vniuersa, quæ vbique dilatatur, Ecclesiæ tanquam intus in membris, etiam ipsa fidei vnitas quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecus, illæ autem obseruationes, quæ variè celebrantur, in eius veste intelleguntur, vnde ibi dicitur. In fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

h ad Hebr. 11. 1. a lib. de velan. virgin. in init. b Ep. 86.

IX. Non sunt autem prætereunda Agathonis [c] Papæ aurea verba: *Execratur* (inquit) *vera confessio pietatis iuxta diuersitates temporum variari fidem, sicut nec ipsa veritatem variari admittit, de quo est vera confessio, qui dicit: Ego sum, & non sum mutatus.* Ob eam caussam, quia certissima, vetustissimaque est, mutationem admittere nequaquam potest, atque idcirco dixit Petrus [d]: *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Basilius [e] autem: *Est igitur* (ait) *fides earum, quæ dicta sunt, assentiens approbatio sine vlla hæsitatione.* Et Ambrosius [f] fidei simplicitatem ait omnibus argumentis antecellere. Et Chrysostomus [g] fidem vocat *anchoram ac puram credulitatem*, tum addit: *Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat.* Denique Bernardus [h]: *Absit,* (inquit) *vt putemus in fide, vel spe nostra aliquid dubia æstimatione pendulum, & non magis totum, quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis, & miraculis diuinitus persuasum. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis.* Et aduersus Petrum Abailardum hæreticum expendens fidei definitionem ab Apostolo traditam: *Audis* (inquit) *substantiam? Non tibi licet in fide putare, vel disputare pro libito, non hac illacque vagari per inania opinionum, per deuia errorum, substantiæ nomine aliquid tibi certum fixúmque præfigitur, certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris.*

c In 6 Synod. act. 4. d Ep. 1. c. 2. 19. e ser. de vera, ac pia fide. f lib. 1. in Exam. c. 6. g ser. de fide, spe, & caritate. h Epist. 190.

15. *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.*

L. Non solam fidem; hoc est, internum animi assensum, sed etiam externam fidei confessionem exigit, sic enim ait Paulus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Simile quiddam superius dixerat: *Omnis* (inquit) *spiritus, qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est.* Hic autem addit, eum, qui Christi diuinitatem profiteatur, habere Deum in se manentem, eumdemque in Deo manere. Loquitur autem procul dubio Ioannes, vt supra monui, de ea fidei confessione, quæ verbis, & voce fit, si tamen verè, atque ex animo fiat, quæ plerumque, vt Theologi tradunt, est omnino ad salutem necessaria, vt si à tyrannis exigatur, tunc enim si quis fidem profiteri recuset, graui sese piaculo obstringit. Sed quanquam hoc agit in præsentia Apostolus, non iuerim tamen inficias, si res ipsa spectetur, multo magis eam fidei confessionem requiri, quæ moribus, & vitæ probitate constat. Itaque rectè ait Augustinus, *qui confessus fuerit, non verbo, sed facto, non lingua, sed vita, nam multi confitentur verbis, sed factis negant.* Certè Christus laudabilium, atque honestarum actionum testificationem flagitare videtur; nam apud Matthæum dixit [i]: *A fructibus eorum cognoscetis eos: numquid colligunt de spinis*

i cap. 7. 16.

A *nis vuas, aut de tribulis ficus? Non poteſt arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere.* Loqui verò Chriſtum de vera, vel falſa fide tùm per ſe haud obſcurè liquet, tùm apertè aſſerit Tertullianus[a].

a lib. 1 in Marcion.

II. Quin etiam B. Iacobus fidei profeſſionem à ſtudioſis actionibus petendam docuit[b]: *Tu* (inquit) *fidem habes, ego opera habeo: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Cui conſentit Baſilius[c], qui vnumquemque ait, *profeſſionem ſuam factis ipſi conſentaneis comprobare debere.* Idque triplici argumento nititur perſuadere: primùm, quia Chriſtus diſcipulis ſuis dixit[d]. *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem mutuam habueritis inter vos.* Deinde, quia idem ipſe Chri-

b cap. 2. 18.
c reg. 26. & 29. in moral.
d Io. 13. 35.

B ſtus de ſe ita loquitur[e]: *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quod Pater miſerit me. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quod Pater in me eſt, & ego in Patre.* Poſtremò, quia Apoſtolus ad Corinthios[f] in hæc verba ſcribit: *Nemini dantes vllam offenſionem, ſed in omnibus exhibentes voſmet ipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus.* Eodem ſpectant quæ alicubi ſcribit Chryſoſtomus[g], qui nihil ait æquè nos à calumniis vindicare, atque honeſtam, ac laudabilem vitam: *Si viuimus* (inquit) *in nequitia, licet ſit qui detrahat nemo, omnium miſerrimi ſumus: ſi verò virtutem exerceamus, licet totus*

e Io. 5. 36.
f ep. 2. 6. 3.
g Hom. 24. ad popul.

C *terrarum orbis maledicat, tunc ſumus omnium beatiſſimi, non enim improborum detractionem, ſed vita virtutem intuebuntur. Etenim in omni tuba clarior eſt per opera demonſtratio.*

III. Quicquid autem ſit de Ioannis mente, ſententiáque planè conſtat, hanc fidei confeſſionem, quæ bonis operibus, & honeſtis actionibus continetur, eſſe penitus ad ſalutem neceſſariam. Nam præterquam quod id Chriſtus apertiſſimè docuit cùm dixit[h]: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquàm Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum.* Itemque[i]. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* innumerabilia propemodùm ſunt noui Teſtamenti teſtimonia, quæ bonarum actionum neceſſitatem

h Mat. 5. 17.
i Mat. 19. 17.

D declarant. Clemens[k] autem Alexandrinus: *Gratia* (inquit) *ſaluamur, ſed non abſque bonis operibus.* Et aliquanto poſt: *Quando audierimus: Fides tua te ſaluum fecit, non accipiamus abſolutè eos ſaluos futuros, quiquemodocumque crediderunt, niſi facta quoque fuerint conſecuta.* Quamobrem Gregorius Nazianzenus[l] fideles his verbis affatur: *Operare bonum ſuper hoc doctrinarum fundamento,* (fidem intelligit) *quoniam fides ſine operibus mortua eſt, quemadmodum eſt opera ſine fide.* Hieronymus autem ad illa Iſaiæ[m] verba. *Murus eſt, antemurale ponetur in ea. Murus* (inquit) *bonorum operum & antemurale fidei. Non enim ſufficit antemurale habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.* Planiùs idem explicat Au-

k lib. 5. ſtro.
l or. in S. Lauacr.
m cap. 26. 1.

E guſtinus[n]: *Homines* (ait) *non intelligentes quod ait Apoſtolus, arbitrantur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus; putauerunt eum dicere, ſufficere homini fidem, etiamſi malè viuat, & bona opera non habeat, quod abſit, vt ſentiret vas electionis.*

n lib. de gra. & lib. arb. c. v.

IV. Egregiè verò hunc locum tractat Proſper[o]: *Verbum* (ait) *fidei prædicandum eſt, vt audiens credat, credens intelligat, intelligens bonum opus perſeueranter exerceat, quoniam eum, qui poteſt vti libera voluntatis arbitrio, nec opera ſine fide, nec fides ſola ſine operibus iuſtificat.* His addo Chryſoſtomum, qui explicans Apoſtoli verba[p]: *Habentes autem eumdem Spiritum fidei. Fides* (inquit) *opus habet au-*

o lib. 2. de vita con. cap. 24.
p 2. ad Cor. 4. 13.

A *xilio Spiritus, ac præſentia, vt inconcuſſa permaneat: auxilium autem hoc vitæ puritate, moribuſque probatis retineri apud nos ſolet: quare ſi cupimus fidem radicatam habere, viuendi ratione pura nobis opus eſt, quæ Spiritum retineat à quo tam fidei vim dependere conſtat. Impoſſibile enim eſt, impoſſibile profectò, ſi vitam impuram habeas, in fide non vacillare.* Cæterùm bonis actionibus fidei fundamentum ſubſternitur, vniuerſim enim dixit Chriſtus[a]: *Qui non crediderit condemnabitur.* Et Paulus[b]: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quocirca Hieronymus[c]: *Opera* (ait) *ſine fide perinde ſe habere, ac membra ſine capite.* Chryſoſtomi[d] verò hæc verba ſunt: *Cum fides dogmatibus vitam quoque veſtram diligen-*

a Mar. vlt. 16.
b ad Hebr. 11. 6.
c In Oſeam cap. 6.
d Hom. 2. in Geneſ.

B *ter curate, fides enim ſine operibus mortua eſt, & opera ſine fide mortua ſunt.*

V. Id verò luculenter explicans Auguſtinus[e]: *Ea ipſa* (inquit) *opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt, ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem, vbi fides non erat, bonum opus non erat, bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Et in eamdem planè ſententiam Gregorius[f]: *Vnum ſine altero* (inquit) *nil prodeſſe valet, quia nec fides ſine operibus, nec opera adiuuant ſine fide, niſi fortaſſe pro fide percipienda fiant, ſicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audire, quàm fidelis*

e Præfat. in Pſalm. 31.
f Hom. in Ezech.

C *exiſteret. Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Et alibi[g]: *Sicut rami ſine virtute radicis areſcunt, ita opera quantumlibet bona videantur, nulla ſunt, ſi à ſoliditate fidei disiungantur.*

g lib. 3. ep. 3. ad Theodelind. Reg.

VI. Videri poteſt aduerſus hanc fidei confeſſionem pugnare Chriſti ſententia apud Matthæum: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Sed nimirum Chriſtus Dominus inanem gloriam fugiendam monet, quæ vt ait Hieronymus[h], velut vmbra corpus virtutem vbique ſequitur, quod apertiſſimè indicant verba illa: *Vt videamini ab eis.* Quaſi dicat, vt humanam laudem aucupamini. Quam ſententiam

h ep. 22. ad Euſtoch.

D his verbis expreſſit Chryſoſtomus[i]. *Sicut veſtem pretioſam* (ait) *cum in publico ponimus, plurimos ad inſidias prouocamus, ſi verò domi recondamus, in tuto cuncta ſeruamus; ſic ſi opes virtutum palam quaſi venales aſſiduè portemus in mente, inimicum irritamus ad furtum: ſi verò aliter id ſciuerit, niſi quem nulla occulta latent, tutiſſimo in loco conſiſtent.* Elegantiſſimè verò ſcribit Gregorius[k]: *Sanctorum virorum eſt bona opera, quæ fecerunt, occultare, ne contingat eos lapſum elationis incurrere, vnde per ſemetipſum veritas dicit: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Et poſt nonnulla ſubiicit, Chriſtum Dominum ſeruis ſuis ſe ſequentibus exemplum dediſſe, *vt ipſi quidem virtutes ſuas occultare deſiderent, & tamen vt alij*

i Hom. 3. in Math.
k lib. 18. moral. c. 18. Simil. hom. 11. in Euãg. & 3. p. paſt. adm. 36.

E *aliorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, bona ad proximos ſuos exempla tranſmittant. Occultentur ergo ſtudio, neceſſitate publicentur, & eorum occultatio ſit cuſtodia propria, eorumque publicatio ſit vtilitas aliena.*

VII. Quamobrem alibi Chriſtus Dominus monet his verbis Apoſtolis: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Hactenus enim bona opera occultanda ſunt, ne inde laudem aut gloriam propriam quæramus; ad aliorum verò vtilitatem diuinamque gloriam propagandam ſunt plerumque in lucem proferenda. Hac igitur ratione, ſi quis

si quis Christi fidem profiteatur, eique tamquam vero Deo cultum, ac venerationem exhibeat: *Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Idem supra de caritate affirmauerat, nec ita multo post iterat. Eodem modo nunc de fidei confessione loquitur, vt ostendat, fidem esse veluti radicem, ac fundamentum Christianæ iustitiæ, atque idcirco à caritate non esse seiungendam, vt appareat, eum loqui de fide viua, & caritate prædita, cui non semel in sacris literis iustificatio tribuitur, non quòd illa sola iustitiam pariat, sed inchoet, cùm sine illa nemo possit esse iustus.

VIII. Dixit autem: *Si quis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei,* non quasi hoc solum pertineat ad fidem, quæ alia plurima dogmata complectitur, sed quoniam æuo illo Apostolico plurimi hæretici Christi diuinitatem oppugnabant. Accedit, quòd hoc veluti principio admisso, cætera facile persuadere poterant, cum Christum auctorem haberent, qui cum Deus esset, nec mentiri, nec fallere quemquam posset. Quis verò Deo quidpiam affirmanti assensum, aut fidem abneget? Itaque Ioannes Christi diuinitatem quasi præcipuum fidei dogma potissimùm commendat. Accedit, quòd olim Gentiles, vt indicat Athanasius [a], non facilè sibi persuaderi patiebantur, Deum immortalem, ac prorsus immutabilem humanā sibi naturam adiunxisse, & mortalitate circumdatum probris, ac contumeliis affectum, actum in crucem, mortem obiisse. Itaque Apostoli toti in eo erant, vt Christi diuinitatem astruerent, nec suprema illa maiestate indignum esse docerent hominum causa humana specie inter mortales viuere, legem condere, & pro totius humani generis salute proprio sanguine, ac vita litare.

a Orat. de Christi ad nos aduen.

IX. *Deus* (inquit) *in eo manet, & ipse in Deo.* Omninò rectè, Paulus enim ait [b], *Christum habitare per fidem in cordibus nostris.* Et alibi [c] frequenter inculcat, Spiritum sanctum habitare in nobis. Id enim pollicitus erat Christus cùm dixit: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Iam verò quod hic ait Ioannes de fide, seu fidei confessione, idem paulo post affirmabit de caritate; verè enim illius beneficio & Deus in nobis, & nos in illo manemus; vt hinc etiam appareat, noluisse Ioannem, fidem à caritate seiungere, fides enim solitaria cum mortua sit, vt ait Iacobus, nec habet Deum in se manentem, neque ipsa in eo manet. Illi namque fidem profectò habebant, qui in Euangelio dicunt: *In nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.* eos tamen negat Christus, se vmquam nouisse, atque adeo sempiternis suppliciis merito addicit. Manendi porrò verbum proprium videtur Ioannis Apostoli, quo mirum in modum est delectatus: significat autem aliquando quidem aliquid amplius, quàm in alio esse, aliquando verò moram, & quasi habitum, vt transeundi verbo opponatur. Hic vtrumque videtur significare, quemadmodum & mox cùm de caritate loquetur:

b ad Ephes. 3.17.
c ad Rom. 8. 5 & 11.

16. *Et nos cognouimus, & credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

I. OEcumenius hæc ad ea refert, quæ proximè dixerat: *Atque id* (inquit) *non ita temerè dicimus, sed certa cognitione, & fide ex mutua inter eos caritate confirmamus.* Planè Apostoli humanæ salutis mysteria à Christo magistro didicerant; dicuntur autem cognouisse, & credidisse *caritati, quam habuit Deus in nobis*, cognouisse quidem Christum salutis auctorem, cum quo familiariter versati sunt: credidisse autem immensa quadam caritate, Deum rebus humanis consuluisse, nam quod vulgatus Interpres tertio casu dixit, caritati, quarto Græcè scripsit Apostolus, ἀγάπην, quasi dicat, cognouimus, & credidimus incarnationis mysterium, in quo eximia quædam Dei in nos caritas elucet, de qua Paulus [a]: *Deus autem* (inquit) *qui diues est in misericordia, propter nimiam caritatem suam* Græcè πολλὴν, id est, multam, *qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Et ad Romanos [b]: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et Petrus [c]: *Christus* (inquit) *pro nobis mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.* Ipse denique Christus apud Ioannem [d] ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ponit autem Christus animam suam pro amicis, hoc est, vt ait Bernardus, vt amicos faceret, quos habebat inimicos, vel pro amicis nondum quidem amantibus, sed amatis tamen. Nam vt hic ipse supra dixit: *Ipse prior dilexit nos.*

a ad Ephes. 2.4.
b cap. 5.8.
c ep. 1. c. 3. 18.
d Ioan. c. 15. 13.

II. Caritatis autem magnitudo ex muneris collati præstantia dignoscitur. Itaque Christus [e]: *Sic Deus* (inquit) *dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Fuit enim diuina caritas efficax, & actuosa, quo maximè ab humano amore distinguitur. Deus enim amando rei creatæ bonum aliquod largitur, nos verò bonum, quod in rebus creatis cernimus, amore prosequimur, quod nullo modo tribuere amando possumus. Amat pater filium prudentiam illi optat, dare non potest: mater filiam diligit, pulchritudinem in ea desiderat, eam tamen pulchram amando numquam efficiet. Hanc itaque eximiam Dei in nos caritatem & agnouerunt, & crediderunt Apostoli, & omnibus credendam proposuerunt. Non potuit autem Ioannes, vt Augustinus, & Beda obseruarunt, magis extollere caritatis dignitatem, quàm cùm dixit, *Deus caritas est:* quod etiam supra dixerat. Sed numquid Deus caritas creata dicitur, qua nos Deum & proximum diligamus? Caue suspiceris. Dixit quidem hoc aliquando non nemo, qui familiam ducit, vt supra indicaui, sed non minus falsò, quàm temerè, atque idcirco omnium suffragiis explosa sententia est: non aliter enim Deus caritas dicitur, ac sapientia, potentia, bonitas, iustitia, & cætera huiusmodi, quæ quamuis nostro concipiendi modo diuinæ naturæ quasi adiacere putentur, sunt tamen re vera idem prorsus cum illa, & variis nominibus infinitam eius perfectionem indicant.

e Ioan. 3.16.

III. Obseruat autem Dionysius [f] Areopagita, visum esse quibusdam ex nostris sacrarum Scripturarum tractationibus nomen Amoris diuinius esse, quàm caritatis, seu dilectionis nomen. Scribit auté diuinus Ignatius [g]: *Meus amor crucifixus est; & in iis quæ aditum ad Scripturas præparant, inuenies quemdam de diuina sapientia aientem. Amator pulchritudinis eius factus sum. Non igitur hoc Amoris nomen timeamus, neque nos vlla ab eo deterrent conturbet oratio. Mihi enim videntur Theologi existimasse quidem commune nomen esse amoris, & caritatis, sed attribuisse diuinis Scripturis verum amorem potius propter huiusmodi hominum absurdam mentis anticipationem, nam cum verus amor pro Dei dignitate non à nobis modo, sed etiam ab ipsis Scripturis diuinis laudetur, plerique qui amorem, qui in Dei nomine vnius modi non potuissent sibi conciliare, ad diuiduum, corporeum, diuisumque delapsi sunt, qui verus non est amor, sed imago, aut potius à vero amore prolapsio. Diuini enim, vniusque amoris coniunctio, & vt ita dicam, vnitas à multitudine capi non potest. Quamobrem tamquam nomen, quod vulgò videtur durius, molestius, acerbiúsque in diuina sapientia ponitur ad excitandos, deducendósque eos ad veri amoris*

f cap. 4. de diuin. nom.
g ep. ad Romanos.

A *notitiam: atque vt à verbi molestia liberentur, vbi etiam sæpe rursus iacebas, hictlis istis, & terra affixis absurdum aliquid de nobis suspicari, ponitur verbum, quod honestius videtur. Cecidit, ait quidam, amor tuus in me, vt amor mulierum: illorum autem, qui rectè diuina accipiunt, pro eodem ponuntur à sanctis Theologis caritatis, & amoris nomina ex diuinis interpretationibus.*

IV. Post nonnulla verò hunc locum Ioannis spectans subiicit: *Quid verò sibi volunt Theologi, qui eum* (videlicet Deum) *interdum amorem, & caritatem dicunt, interdum amore, & caritate dignum?* Respondet caritatem appellari, quia eius auctor, & quasi genitor, & procreator est dici verò amore dignum; quia talis re vera est; & hoc quidem moueri, illud autem mouere, quoniam ipse sui ac sibi & productor, & motor est. B Quem locum explicans Maximus. *Caritatis quidem* (ait) *& amoris, ipsum nempe Deum auctorem, & generatorem dicit, ipse enim hæc, quæ intra ipsum erant, produxit ad extra, id est, creaturas atque hac ratione dicitur: Deus caritas est, & in Cantico similiter caritas vocatur, rursúsque dulcedo, & desiderium, quod est amor. Ipse autem est id, quod verè diligibile, ac amabile, quatenus ergo amatorius amor ex ipso promanat, ipse huius genitor moueri dicitur; quatenus autem est id, quod verè amabile, ac diligibile, mouet quæ hunc respiciunt, & ambiunt vim appetendi conuenit.* Itaque duplici ratione ait Deum esse caritatis auctorem, primùm quòd in nos caritatem creatam infundat, deinde quod tamquam finis nostrum ad se amorem trahat, quod Dionysius hunc planè C in modum explicat: *Eum autem hoc ipso caritate, & amore dignum vocant, quòd pulcher sit, & bonus. Amorem rursus appellant & caritatem, quòd vis sit motum afferens, & ad se deducens, atque euehens.* Videntur igitur tam Dionysius quàm Maximus existimare Deum caritatem appellari, quia sit caritatis auctor. Verùm hac ratione nihilo minus vocari posset fides, & spes, cum horum etiam bonorum sit causa: dicitur ergo caritas, vt supra monui, quemadmodum dicitur, sapientia, iustitia, bonitas.

V. Itaque Deus dicitur caritas superlata, non creata, sed omnium creatrix. Obseruat autem B. Thomas [a] [a cap. 4. de diuin. nom.] ex Dionysio colligi, tria esse amoris, seu caritatis effecta. Nam primum mouet amantem ad agendum, D quò spectans B. Gregorius dixit, *Probatio dilectionis exhibitio est operis*. Neque enim caritas otiosa esse potest, aut languida: deinde mouet ad benefaciendum amato: postremò latere non potest, sed ipsa sese prodit caritas. Addit ex eodem Dionysio quinque esse caritatis conditiones, seu proprietates. Primum enim conatur amantem cum amato arctissimo quodam veluti nexu coniungere; quòque amor præstantior est, hoc nobiliorem coniunctionem parit, facit deinde vt amans ad amatum tota mente, & cogitatione feratur, hoc enim potissimùm à mentis actione secernitur, quod mens id quod cognitione comprehendit, ad se trahit, amoris, & caritatis actio exilit, & ad amantem tendit: postea simplex est animi motus, atque adeo etiam purus. E Adde, quòd est per se mobilis, quo fit, vt timor, qui est veluti motus violentus, vt aliquanto post dicet Ioannes, à caritate excludatur. Denique per se agit, quo maximè differt à spe, quæ aliud spectat.

VI. Sunt autem hæc omnia tam creatæ, quàm increatæ caritati communia, nisi quod increata caritas, qui est Deus, longè perfectius, simplicius, ac purius hæc omnia perficit, sed illam creata caritas, quoad eius fieri potest imitatur: quam propterea Apostolus [b] [b 1. ad Cor. 13. 4.] Paulus omnium pene virtutum complexu ornatam describit: *Caritas* (inquit) *patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat*

A *malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Atque idcirco meritò Theologi eam vocant virtutum omnium extrinsecam formam, de qua Hierotheus apud Dionysium [a] in hunc modum loquitur: [a cap. 4. de diuin. nom.] *Amorem siue diuinum, siue angelicum, siue spiritalem, siue vt ita dicam, animalem, seu naturalem vim quamdam coniungentem, miscentémque intelligamus, quæ superiora quidem impellit, vt inferioribus prospiciant, & consulant. Paria autem vt inter se societate coniungantur, ac denique inferiora vt se conuertant ad superiora.*

VII. Sed quid est, quod subiicit Ioannes: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo?* Prorsus qui increatam caritatem tamquam amore dignissimam B diligit, in caritate, atque adeo in Deo manet, modo Deum ex toto corde diligat, nam si ea caritas Deus ipse est, in ea manere nemo potest, qui non eadem opera in Deo maneat. Deus autem in eo manet per caritatem creatam, quam in animum infundit. verè namque dixit Dionysius [b]: [b cap. 4. de diuin. nom.] *Hoc amoris verbum vim habet faciendi vnum, & colligandi, præstantique modo res inter se miscendi.* Paucis interiectis: *Dimouet etiam* (ait) *de statu diuinus amor.* Et mox: *Itaque Paulus ille magnus iam diuino amore captus, prædeunsque eius vi, quæ hominem statu suo dimouet diuino ore: Viuo autem, inquit, iam non ego, viuit verò in me Christus. Vt verus amator & à mentis, quemadmodum ipse ait, statu dimotus Deo degit, non suam vitam, sed amantis tamquam valde diligendam.* C Mox verò de diuino in nos amore subdit: *Audendum est etiam hoc pro veritate dicere, ipsum quoque rerum omnium auctorem bonitate, benoque omnium amore ductum pro singulari bonitate amatoria extra se fieri rerum omnium procuratione, & quasi bonitate, caritatéque, & amore delenitum, atque ex statu, quo superat omnia, & ab omnibus secretus est, ad Deum quo in omnibus est demittitur, ea vi essentiam superante, quæ illum extra se capit, nec interim à se ipso discedit.* Sic ille acutissimè explicat quomodo nos in Deo, & Deus in nobis maneat.

VIII. Populari exemplo idem declarat Augustinus: *Vicissim se* (inquit) *habitant, qui continet, & qui continetur: habitas in Deo, sed vt continearis: habitat in te Deus, sed vt te contineat, ne cadas, ne fortè si te putes domum Dei fieri,* D *quomodo domus tua portat carnem tuam: si subtrahas se domus, in qua es, cadis, si autem tu te subtrahas, non cadit Deus, integer est, cùm eum deseris, integer est, cùm ad eum redieris.* Et post nonnulla: *Qui manet* (inquit) *in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet: sit tibi domus Deus, esto domus Dei; mane in Deo, & maneat in te Deus, maneat in te Deus, vt te contineat, maneas in Deo, ne cadas, quia sic de ipsa caritate dicit Apostolus, Caritas numquam cadit: quomodo cadit, quem continet Deus?* Eadem iisdem fermè verbis scribit Beda.

IX. Cùm igitur ait Ioannes: *Qui manet in caritate,* procul dubio æternam, atque increatam caritatem intelligit, in qua ille dicitur manere, qui beneficio caritatis creatæ cum Deo coniungitur, eiusdemque cari- E tatis creatæ opera Deus in illo manet tamquam in suo effectu, vtrumque autem ad nostram refertur vtilitatem, nam qui Deo coniungimur, vitam quodammodo diuinam ducimus, & qui Deum in nobis habitantem habemus, diuinas propemodum actiones edimus. Addam ad illustrandum hunc locum elegantissima, suauissimaque melliflui Bernardi verba, qui cum de coniunctione, vnioneque cum Deo loqueretur, in hunc modum disserit [c]: [c ser. 71. in Cant.] *Atqui Deum, & hominem; quia propriis extant, & distant voluntatibus, & substantiis longè aliter in se alterutrum manere sentimus, id est, non substantiis confusos, sed voluntatibus consentientes. Et hæc vnio ipsis communio voluntatum & consensus in caritate. Felix vnio si experiaris, nulla si comparaueris. Vox experti. Mihi autem* [d] [d Psal. 72. 28.] *adhærere Deo*

bonum

bonum eſt : bonum planè ſi omni ex parte adhæſerit. Quis eſt, qui perfectè adhæret Deo, niſi qui in Deo manens tamquam dilectus à Deo, Deum nihilominus in ſe traxit viciſſim diligendo?

X. Mox verò de hac Dei, hominiſque vnione ſubiicit : *Ergo cùm vndique inhærent ſibi homo, & Deus, inhærent autem vndique intima, mutuaque dilectione inuiſcerati: alterutrum ſibi per hoc Deum in homine, & hominem in Deo eſſe haud dubiè dixerim. Sed homo quidem ab æterno in Deo tamquam ab æterno dilectus, ſi tamen ex illis ſit, qui dicunt*[a]*. Quoniam dilexit, & gratificauit nos in dilecto Filio ſuo ante mundi conſtitutionem. Deus verò in homine, ex quo dilectus eſt, ab homine eſt, & ſi ita eſt, homo quidem in Deo eſt, & quando in homine Deus non eſt. Deus autem in homine non eſt, qui non ſit in Deo. Manere enim in dilectione non poteſt. & ſi forſitan ad tempus diligat, non dilectus. poteſt autem nondum diligere etiam dilectus. Alioquin quomodo ſtabit, quoniam ipſe prior dilexit nos? Porrò cùm iam etiam diligit, qui ante diligebatur, & homo in Deo & Deus in homine eſt. Qui autem numquam diligit, conſtat, quòd numquam dilectus eſt, ac per hoc nec ipſe in Deo, nec Deus in eo eſt.* Addit deinde : *Hæc dicta ſint ad dandam differentiam inter illam connexionem, qua Pater, & Filius vnum ſunt, & illam, qua adhærens Deo anima vnus ſpiritus eſt, ne fortè quia legitur de homine manente in caritate, quia in Deo manet, & Deus in eo. Et item de Filio, quod nihilominus in Patre ſit, & Pater in ipſo, par prærogatiua adoptati putaretur, & vnici.*

a ad Epheſ. 1.

XI. Dixerat autem aliquanto antea : *Eſt Pater in Filio, in quo ſibi ſemper benè complacuit; & eſt filius in Patre, à quo vt numquam non natus, ita numquam eſt ſeparatus. Porrò per caritatem homo in Deo, & Deus in homine eſt, dicente Ioanne: Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Conſenſio quædam hæc, vt ſint duo in vno ſpiritu, immò vnus ſpiritus ſint. Videſne diuerſitatem? non eſt idē profectò conſubſtantiale, & conſenſibile.* Pergit deinde: *Qui tamquam ſi aduertiſti ſatis tibi per vnus, & vnum, ipſarum quoque innuitur differentia vnitatum, quoniam quidem nec Patri, & Filio vnus, nec homini & Deo vnum poterit conuenire. Non poſſunt dici vnus Pater, & Filius, quia ille Pater, ille Filius eſt. Vnum tamen dicuntur, & ſunt, quòd vna omninò illis, & non cuique ſua ſubſtantia eſt. Quo contra homo, & Deus, quia vnius non ſunt ſubſtantia, vel naturæ, vnum quidem dici non poſſunt, vnus tamen ſpiritus certa, & abſoluta veritate dicuntur, ſi ſibi glutino amoris inhæreant, quam quidem vnitatem: non tam eſſentiarum cohærentia facit, quàm conniuentia voluntatum.* Hæc ex Bernardo placuit exſcribere, quod, vt arbitror, mirificè explicent, quod hoc loco ait Ioannes: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

XII. Hanc enim mirificam coniunctionem vera caritas facit, & maiori quadam ratione idem efficit Eucharistiæ Sacramentum, de quo dixerat[b] Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Manent quippe iuſti tamquam rami in trunco; & tamquam palmites in vite; manet Chriſtus in illis tamquam in ſua ſede, ac domicilio; & quod maximè ad rem facit, hanc myſticam caritatis connexionem parit: vt enim dictum eſt aliquando diuinitus[c] Auguſtino, qui illo cæleſti cibo veſcitur, non Deum in ſe conuertit, ſed ipſe mirificè quodam modo mutatus in Deum tranſit. Itaque Cyprianus[d], ſi tamen is eſt auctor : *Sacramentorum* (ait) *communicatio, per quam illius corporis ſinceritati vnimur, vos in tantum corroborat, vt de mundo, & de Diabolo, & de nobis ipſis victoria potiatur, & ſacramentali guſtu viuificis myſteriis inhærentes vna caro, & vnus ſpiritus ſimus, dicente Apoſtolo. Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Sic hi, ad quos ſermo fit, dicuntur dii, & filii excelſi nominis, & hæreditatis, & æternitatis participes.* Neque aliter Chryſoſtomus[e] exiſtimauit, ſic enim alicubi

b Ioan. 6. 54.
c lib. 7. confeſſ. c. 10.
d ſer. de nat. Chriſt.
e Hom. 45. in Ioan.

A ſcribit : *Vt non ſolùm per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Cùm enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobiſcum commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur, hoc enim amantium maximè eſt.* Hoc ipſum indicat Leo Pontifex[a] : *Non aliud* (inquit) *agit participatio corporis, & ſanguinis Chriſti, quàm vt in id, quod ſumimus, tranſeamus.* Denique Cyrillus[b] Hieroſolymitanus : *Sic Chriſtophori,* (inquit) *erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cùm eius corpus, & ſanguinem in membra noſtra receperimus, atque ita vt Beatus Petrus dicit: Diuinæ naturæ conſortes efficiemur.*

a ſer. 14. de paſſ. Dom.
b Catech. 4. myſtag.

B XIII. Sed nimirum hæc aliò ſpectant, & prudenter, ac piè explicanda ſunt : neque enim Chriſti carni, aut ſanguini corpus noſtrum commiſceri poteſt. Sed viri ſancti duo potiſſimùm indicant, verè nos (quod hæretici negant) Chriſti corpus, & ſanguinem ſumere, adeoque panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti commutari, & vt Eccleſia aptiſſimè loquitur, tranſubſtantiari. Inde verò in iis, qui ritè, ac rectè ſacroſancta myſteria percipiunt, caritatem & excitari, & vehementius inflammari, cuius opera efficitur, vt Deus in nobis, & nos in Deo maneamus. Ita videtur hoc loco Ioannes explicare voluiſſe, quod apud ipſum dixerat Chriſtus. Eſt enim Euchariſtiæ Sacramentum cœleſte, ac diuinum quoddam philtrum ad diuinum amorem fouendum, & augen-C dum, vnde exiſtit hæc mira coniunctio, atque connexio, quam tota hac Epiſtola commendat Ioannes, mirificèque explicat, dum ait, vi caritatis & nos in Deo, & in nobis Deum manere. Itaque meritò ſubiicit perfectæ caritatis effectum, qui ex hac coniunctione exiſtit. Neceſſe eſt enim eos, qui perfecta caritate præditi ſunt, & præclara conſcientia ſuſtentari, & mira quadam confidentia omni timore depulſo Deum Iudicem expectare. qui verba illa Dauidis iurè poſſunt vſurpare. *Me expectant iuſti donec retribuas mihi.* Itemque illa Pauli: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex.* Atque idcircò ſubdit:

D

17. *In hoc perfecta eſt caritas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicii, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.*

I. Fiduciam, Græcè παῤῥησίαν, parit perfecta caritas. & procul dubio loquitur Apoſtolus de caritate creata : docet autem, vt ait Auguſtinus, quanam ratione cognoſcere quis poſſit, quantum in ea profecerit. Ait enim : *Dicat, quomodo ſe probet vnuſquiſque, quantum in illo profecerit caritas, vel potius quantum ipſe in caritate profecerit. Nam ſi Deus caritas eſt, nec proficit, nec deficit Deus, ſed dicitur profi ere in te caritas, quia tu in ea proficis. Interroga ergo quantum in caritate profeceris, & quid tibi reſpondeat cor tuum, vt noueris menſu-E ram profectus tui. Promiſit enim oſtendere nobis, in quo cognoſcamus eum, & ait : In hoc perfecta eſt in nobis dilectio. quære in quo? Vt fiduciam habeamus in die iudicii: quiſquis fiduciam habet in die iudicii, perfecta eſt in illo caritas.* Id mox à contrario confirmat Ioannes, cùm ait: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* timor enim fiduciæ contrarius eſt. Igitur ab effectu perfectam caritatem deſcribit.

II. Perfecta autem caritas dicitur, quæ omne lethale crimen excludit, de qua dicit Apoſtolus : *Caritas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.* quam Auguſtinus his verbis[c] extollit : *Quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt, ſic bona conſcientia tota in ſpe. Et erunt tria hæc, de quibus dixit Apoſtolus*[d], *fides,*

c Præfat. in Pſal. 31.
d 1. ad Cor. 13. 13.

a 1.ad Tim. 1.5. *spes, caritas. Et alio loco ᵃ, ipsa tria. Finis (inquit) præcepti* A *est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Pro spe conscientiam posuit, ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit, quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, & vt habeat bonam conscientiam, credat, & operetur, quia quod credit, fidei est, quod operatur, caritatis est.* Quo fuerit autem caritas perfectior, magisque Deo hominem coniunxerit, hoc maiorem fiduciam pariet. Sunt enim in caritate gradus quidam alius alio perfectior, de quibus his planè verbis disserit Augustinus: *Cœpit aliquis credere diem iudicij, si cœpit credere, cœpit & timere, sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die iudicij, nondum est in illo perfecta caritas. Verum non propterea hoc initium damnandum est, aut de illo malè ominandum* Propterea subdit: B

III. *Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video, inquis? ipsum timorem. Audi Scripturam: Initium sapientiæ timor Domini.* Cuiusmodi autem initium sit, & quò progrediatur, illicò explicans addit: *Cœpit ergo timere diem iudicij, timendo corrigit se, vigilat aduersus hostes suos, id est, aduersus peccata sua, incipit reuiuiscere interius, & mortificare membra sua, quæ sunt super terram, sicut dicit*
b ad Colos. 3.5. *Apostolus* ᵇ, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: spiritalia nequitia dicit membra super terram: nam sequitur, & exponit auaritiam, immunditiam, & cætera, quæ ille exequitur. Quantum autem mortificat iste,* C *qui timere cœpit diem iudicij, membra sua, super terram tantum surgunt, & corroborantur membra cœlestia: membra autem cœlestia omnia opera bona.* Quæ qui adiecit ad timorem, proficit in caritate, & sensim proficit caritas, & eiecto timore magnam affert confidentiam. Proinde subdit Augustinus: *Surgentibus cœlestibus membris incipit desiderare, quod timebat. Timebat enim ne veniret Christus, & inueniret impium, quem damnaret: desiderat vt veniat, quia inuenturus est pium, quem coronet*

IV. In hoc igitur caritas perfecta est, quia vt idem ait Augustinus, *cùm cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renunciat adultero, fit virgo interius ipsa fide, spe, & caritate:* D *habet iam fiduciam in die iudicij, non contra se pugnat, quando orat, & dicit: Veniat regnum tuum: qui enim timet, ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? qui autem orat cum fiducia carita-*
c Psal. 6.4. *tis, optat iā vt veniat. De ipso desiderio dicebat quidam in Psalmo* ᶜ. *Et tu Domine vsquequò? Conuertere Domine, & erue animam meam, gemebat se differri.* Hoc igitur modo caritas in diem iudicij fiduciam præbet, si perfecta sit, hoc est, bona conscientia, & studiosis actionibus prædita. Vt enim idem Augustinus monet: *Sunt qui cum patientia moriuntur, sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia viuunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Luctatur aduersum se, vt sequatur voluntatem Dei, & hoc potius agit animo, quod eligit Deus,* E *non quod eligit voluntas humana, & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam, & fortitudinem, vt æquo animo moriatur. Ille patienter moritur.*

V. Sunt præterea alij, qui spei, ac fiduciæ pleni cupiunt, sicut dicit Apostolus, *dissolui, & esse cum Christo:* & qui ad hunc caritatis gradum peruenerit, *non patienter moritur,* (ait Augustinus) *sed patienter viuit, delectabiliter moritur, vide Apostolum patienter viuentem, id est, cum patientia hic non amare vitam, sed tolerare. Dissolui (inquit) & esse cum Christo multo magis optimum, manere autem in carne necessarium propter vos.* Tum concludens ait:

Ergo, fratres, date operam, intus agite vobiscum, vt desideretis diem iudicij; aliter non probatur perfecta caritas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo, ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in caritate perfecta, atque sincera. Videri tamen posset hæc Ioannis sententia, atque hoc Augustini interpretamentum cum Paulo Apostolo pugnare, qui licet optima conscientia præditus esset, non sibi tamen iustitiam, & sanctitatem arrogabat, cum diceret: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quin etiam viros sanctissimos legimus, vt Arsenium, & Hilarionem in extremo vitæ magnopere trepidasse, cùm tamen magnos haberent in caritate, & Christiana perfectione progressus. Sed, vt arbitror, Paulus quidem Christianam modestiam, & humilitatem profitetur, quæ propriam imbecillitatem, infirmitatémque probè cognoscit, & diuinæ iustitiæ seueritatem, & rectitudinem non ignorat, & eam ob causam potuerunt viri sancti nonnihil timere, cum se ipsos inspiciebant, nam cùm Deum, eiúsque diuinam misericordiam, beneficentiam, ac liberalitatem intuebantur, incredibili quadam confidentia, ac spe se ipsi mirificè erigebant, & confirmabant. VI.

Sed vnde probat Apostolus eos, qui perfectam habent caritatem, fiduciam habere in die iudicij? VII.
Quia (inquit) *sicut ille est, nos sumus in hoc mundo.* Obscura, & impedita videtur sententia. OEcumenius hac mente accipit: *Cum enim (ait) prius & Deum in nobis, & nos in Deo esse demonstratum sit, perfectionem caritatis in nobis quoque esse attestamur. Sicut igitur ille immaculatus, & purus erat in mundo, vnde etiam dicebat: Venit princeps mundi huius, & in me inueniet nihil, sic nos quoque in mundo hoc erimus, nam est, & sumus, verbum pro futuro intelligendum est, vt, sicut sæpenumero Scriptura mos est, tempus pro tempore positum sit.* Alteram addit explicationem. *Vel profundius quid (inquit) ex hoc significare Beatum Apostolum censendum est: sæpe enim cum dixerit, nos in Deo, & Deum in nobis esse, si ita est, & ille puro quodam modo in nobis est, id est, ita vt puritatis, & sanctitatis nobis sit dux, atque auctor, sic etiam nos purè, & sanctè in nobis ipsum in mundo hoc circumferamus mortuis videlicet mundo, mortificationémque eius vbique in corpore pro nobis ferentes.* Et concludit: *Si enim ita viuamus, apud ipsum fiduciam habebimus, & liberati timore omni erimus, perfecti siquidem per bona opera in caritate procul à timore erimus constituti.*

Paulo aliter explicat Augustinus: *Quare* (inquit) VIII. *habebimus fiduciam? quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Audisti causam fiduciæ tuæ, quia sicut ille est, inquit, & nos sumus in hoc mundo. Nonne videtur aliquid impossibile dixisse? Numquid potest esse homo, sicut Deus? Iam vobis exposui, quia non semper ad æqualitatem dicitur, sicut, sed dicitur ad quamdam similitudinem. Quando enim dicis, sicut aures habeo, ita habet & imago, numquid omnino sic? Sed tamen dicis, sicut. Si ergo facti sumus ad imaginem Dei, quare non sicut Deus sumus? Non ad æqualitatem, sed pro modo nostro. Vnde ergo nobis datur fiducia in die iudicij? quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Putat autem similitudinem hanc positam esse in perfectione caritatis, & ideo subdit: *Debimus ergo hoc referre ad ipsam caritatem, & intelligere quid dictum sit. Dominus in Euangelio dicit: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Quid ergo vult nos? Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Hanc porro perfectam caritatem quamdā esse diuinæ caritatis similitudinē putat, atque ideo subdit: *Si ergo iubet nos diligere inimicos nostros, vnde nobis dat exemplū?*

De ipso

De ipso Deo, ait enim, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est. Quomodo illud facit Deus? Diligit inimicos suos, qui facit solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

IX. Sic igitur colligit: *Si ergo ad hanc perfectionem nos imitat Deus, vt diligamus inimicos nostros, sicut & ipse dilexit suos, ea nobis fiducia est in die iudicij. quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo; quia sicut ille diligit inimicos suos, faciendo solem suum oriri super bonos, & malos, & pluendo super iustos & iniustos, nos, quia inimicis nostris non possumus præstare temporalem solem, & pluuiam, præstamus lachrymas, cùm pro eis oramus.* Eadem prorsus scribit Beda, quæ profectò omnia verè, & aptè atque ad Apostoli mentem dicuntur, inde enim spes, & fiducia oritur, quod nos in Deo manemus, Deúmque habemus in nobis manentem, eiusque diuinam caritatem, ac liberalitatem, qua rebus omnibus consulit, quoad eius fieri potest, imitari conamur. Huc enim tota hæc epistola refertur, in qua tam frequenter monemur, vt proximos diligamus, eorúmque indigentiam subleuemus, hinc autem magnam existere fiduciam docuit olim Tobias cùm dixit [a]: *Fiducia magna erit coram Domino Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Quod non obscurè insinuare visus est Christus ipse, cùm extremi iudicij formam describens, caritatis, ac pietatis potissimum habendam rationem docuit.

a cap. 4. 12.

18. *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in caritate.*

I. Hinc confirmat, quod proximè dixerat, ex perfecta caritate oriri fiduciam in die iudicij: vt enim ait Augustinus, *qui cœpit timere diem iudicij, perfecta caritate destituitur, aliòquin non timeret: perfecta enim caritas faceret perfectam iustitiam, & non haberet quare timeret, immò haberet, quare desideraret, vt transeat iniquitas, vt veniat regnum Dei. Ergo*, subdit Augustinus, *timor non est in caritate, sed in qua caritate? Non in inchoata: in qua ergo? Sed perfecta, inquit, caritas foras mittit timorem.* Certè vt ait Œcumenius, *posset quispiam amare timore inductus, ne puniretur, qui sane timor perfectus non est, hoc est, perfectæ caritatis non est.*

II. Rectè itaque monet Augustinus. *Incipiat* (inquit) *timor, quia initium sapientiæ timor Domini, timor quasi locum præparat caritati. Cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit, & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor. minor caritas, maior timor. Si autem nullus timor, non est, qua intret caritas.* Id verò mox apto exemplo confirmat. *Sicut videmus* (ait) *per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primò occupat mentem. non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret caritatem.* Atqui Dauid omnes etiam sanctos ad timorem excitat. [b] *Timete* (inquit) *Dominum omnes sancti eius, quoniam non est defectio timentibus eum. Numquid igitur sancti perfecta caritate destituuntur? Quomodo igitur ait Ioannes: Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem?* Atqui cùm multiplex timor reperiatur, etiam atque etiam videndum est de quo timore Ioannes in præsentia loquatur. Est enim naturalis quidam timor sentientis facultati affectio à natura hominibus, ac bestiis insita, vnde multa, vt ait Basilius, [c] commoda existunt, qui tamen timor cum in nostra potestate non sit, propriè non pertinet ad mores.

b Psal. 33.

c Or. contra irasc.

III. Est item timor, quem appellant mundanum, cum videlicet quis vitæ huius incommoda adeò reformidat, vt ad ea vitanda graui quopiam se scelere inquinare non vereatur, qui procul dubio cum caritate ex aduerso pugnat, atque adeo nihil eum virtute commune habet. Quamobrem Christus apud Matthæum [a] dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et Petrus: [b] *Timorem eorum ne timueritis.* Quin etiam, interprete Basilio, [c] ab hoc mundano timore, quem ille hostilem vocat, liberari cupiebat Dauid, cum diceret: [d] *A timore inimici eripe animam meam.* Seruilem timorem appellant Theologi, quo quis pœnas peccato à Deo constitutas metuit. Ita Augustinus [e]: *Timor* (ait) *iste, quo non amatur iustitia, sed timetur, pœna seruilis est.* Castus verò, seu filialis timor culpam reformidat, ne Deum quem amat, offendat, cuiusque gratia excidat. Denique timor quidam initialis dicitur, quo quis ita metuit culpam, vt etiam pœnam timeat, & timore pœnæ ad virtutis studium, atque amorem excitetur. Prætermisso autem primo, & secundo timore, quorum ille cùm naturalis sit, ipse per se nihil habet cum virtute commune; hic verò etiam cum recta ratione, & honestate pugnat. Reliqui sua laude non carent.

a cap. 10. 28.
b Ep. 1. c. 3. c. 14.
c Hom. 5.
d Psal. 63. 2.
e In Psal. 128. conc. 25.

IV. Nam vt à seruili timore exordiar; timor seruilis tametsi ab amore sui originem ducit, non propterea tamen semper malus, aut noxius censendus est, nam frequenter dicitur initium sapientiæ, atque idcirco præcursor ad hunc timorem excitat, cùm apud Matthæum [f] ait: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Quin etiam Christus Dominus hunc timorem persuadens ait [g]. *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Alias verò persæpe minatur gehennæ ignem, vermem immortalem, stridorem dentium, tenebras exteriores, & flammas inextinguibiles. Quæ omnia eò referuntur, vt supplicij metu perterriti mortales resipiscant, & flagitia detestentur. Quocirca rectè dixit Clemens [h] Alexandrinus: *Fides est prima ad salutem inclinatio, postquàm timor est, & spes, & pœnitentia.* Et aliquanto post: *Qui timorem damnant, ij legem etiam insectantur, quòd si legem, clarum est, quòd & Deum, qui legem dedit.* His consentiunt ea, quæ apud B. Athanasium loquitur S. Antonius. *Formido* (inquit) *iudicij, & pœnarum timor horridus, & lubrica carnis incentiua dissoluit, & ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat.* Neque aliter sensit Basilius: [i] *Necessariò* (inquit) *velut introductorium ad pietatem timor assumitur, dilectio verò deinceps succedens, à timore scientificè adaptatos perficit.* Planiùs alibi: [k] *Timor* (ait) *salutaris, & timor sanctificationem faciens, qualis sit vis exponam? Cum ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud & intolerandum Christi iudicium*, & cætera, quæ deinceps subdit cùm concludit: *Hac time, & hoc timore eruditus, animam à concupiscentia ad hæc mala velut freno quodam retine.* Porro Chrysostomus [l] gehennæ metum etiam in anima hominis iusti militem ait esse fortem, & armatum, qui fures, & latrones, omnésque hostes longissimè à domo arceat.

f cap. 3. 16.
g Matth. 10. 28.
h lib. 2. Stromat.
i Hom. 8. in Ps. 32.
k Hom. 9. in Psal. 33.
l Hom. 15. ad Pop. Ant.

V. Quocirca alicubi [m] Ambrosius scribit beatos Martyres inter ipsa carnificum supplicia positos timore gehennæ ante oculos mentis propositæ, earum pœnarum vicisse timorem, qui à carnificibus incutiebatur. Beatus verò Hieronymus [n] se ait gehennæ metu solitudinem, ac durissimæ vitæ genus elegisse. Nec dubitat Augustinus [o] hunc timorem gehennæ Dei donum appellare. Et in hunc Apostoli locum de hoc timore ea scribit, quæ paulo antepofui. Certè Cassianus [p]: *Est* (inquit) *gradus cuiusdam profectus, vt dum vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad caritatis gradum transire possimus.* Omnes verò Gregorius [q] hortatur, vt futurum iudicium timeant, antequàm veniat. Rursus alibi [r]. *Praua mens* (ait) *si non prius per timorem euertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.*

m In Psal. 118. ser. 18 s.
n Ep. 22. ad Eustoch. de custod. Virg.
o lib. de grat. & lib. arb. c. 18.
p Coll. 11. c. 28.
q Hom. 26. in Euang.
r Hom. 34. in Euang.

VI. Nec frustra toties timoris dignitas, ac præstantia

in

a Psal. 111. 1.

in sacris literis extollitur. *Beatus vir* (inquit David [a]) *qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur: gloria, & divitiæ in domo eius, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Mitto sexcenta propemodum timoris encomia quæ apud Salomonem, Ecclesiasticum, Iob, & alios leguntur. Certè Tertullianus [b] timorem vocat salutis fundamentum. Et Cyprianus [c] fundamentum, & firmamentum spei, & fidei esse timorem Davidis testimonio firmat: *Initium* (ait) *sapientiæ timor Domini. De hoc ipso in Sapientia Salomonis: Initium sapientiæ metuere Deum.* Iam verò Chrysostomus [d]: *Si Dei timorem habeamus, nihil nobis est opus: si verò hunc non habeamus, & si regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. Nihil æquale Deum timenti. timor enim Domini omnia superat; hunc itaque possideamus, omnia propter hunc faciamus, vt hunc assequamur timorem.*

b li. de cul. fœm. in princ.
c lib. 3. ad Quir. c. 20.
d Hom. 69. ad Popul.

VII. Plura verò alibi [e] in eamdem sententiam scripsit: *Nisi bonum* (ait) *esset timor, non multos impendisset Christus sermones, & longos de pœna, & supplicio loquens. Timor nil aliud est, quàm murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multa sunt vndique insidiæ.* Rursus alio loco [f]: *Si dixeris mihi ex Psalmis illud: Beatus, qui timet Dominum, & potueris scire quidnam sit id, quod dicis, non divitem, non Principem, non formosum, non eum, qui valet viribus, non eum, qui ædes possidet magnificas, non eum, qui gerit magistratum, non eum, qui regnum obtinet, nullum denique alium, nisi eum, qui est pius, & religiosus, qui studio sapientiæ tenetur, qui Deum timet, beatum dices, non solum propter futura, sed etiam propter præsentia, nam etiam in hac vita hic quoque est ille potentior.* Igitur Prosper [g]: *De timore* (ait) *Dei, & sapientia in Ecclesiastico legitur: Corona sapientiæ timor Domini: vtraque autem sunt dona Dei.* Et paucis interiectis: *Beatus* (ait) *cui donatum est, habere timorem Domini.*

e Hom. 15. ad Pop.
f in Ps. 62.
g lib. 2. de voc. Gent. cap. 9.

VIII. Quamobrem Augustinus, & Gregorius cum Spiritus sancti dona cum beatitudinibus conferant, timorem Domini ad primam beatitudinem referunt. Augustinus [h] enim: *Timor Dei* (inquit) *congruit humilibus, de quibus hic dicitur: Beati pauperes spiritu, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit. Noli altum sapere, sed time, id est, noli extolli.* Nec longe abiit Bernardus [i]: *Prima* (inquit) *gratia est timor Domini, qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem iuxta illud Psalmistæ: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Et alio loco. Omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum namque est. Timor Domini odit malum; & iterum. Time Deum, & recede à malo. Et de Iob dicitur: Vir timens Deum, & recedens à malo. Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius Religionis exordium est, nullum bonum pullulare, vel manare potest.* Quantopere autem hic timor sit necessarius, luculenter docuit Cyprianus [k], cùm ait: *Deus quantum Patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum Iudicis maiestate metuendus est.* Et Augustinus [l]: *Quis potest* (ait) *nisi Deum timeat, servare iustitiam? dicit enim Scriptura alio loco. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Denique Bernardus [m]: *Sicut enim securitas, vel desidia causa est, & mater omnium delictorum, sic timor Domini radix & custos omnium bonorum, vnde scriptum est: Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua. Omne namque virtutum ædificium illico vergit in præcipitium, si huius gratia amiserit præsidium.*

h lib. de ser. Domin. in monte c. 9.
i in tract. de don. Spir. sanct. cap. 1.
k Serm. de laps.
l Serm. 27. de sanctis.
m Tract. de don. Spir. san. cap. 1.
Ec. 27. 4. [illegible]

IX. Fateor multa ex his quæ commemoravi, non initialem solùm, sed etiam filialem, seu castum, & magna etiam ex parte servilem attingere, de quo tamen hoc loco ait Ioannes: *Timor non est in caritate, & perfecta caritas foras mittit timorem.* Denique: *Qui autem timet, non est perfectus in caritate.* Nam re vera, qui Deum caritate complectitur, abiicit timorem servilem, & retinet timorem castum, & filialem. Non est ergo timor in caritate, quia timor (vt ait Augustinus) *vulnerat, sed caritas sanat, quod vulneravit timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo, quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum: accedit ferramentum medici, minus dolebat illud vulnus, quàm dolet modò, cum secatur: plus dolet, cum curatur, quàm si non curaretur. Sed ideo plus dolet accedente medicina, vt numquam doleat succedente salute.* Et post nonnulla: *Opus est ergo vt intret timor primò, per quem veniat caritas. timor medicamentum, caritas sanitas.* Vt ergo sanitas medicamenti necessitatem excludit, ita prorsus, *timor non est in caritate.*

X. *Sed perfecta* (ait) *caritas foras mittit timorem*, profectò non nisi timorem servilem, vel initialem; nam alioqui verissimè dixit David [a]: *Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi.* Vt enim ait Augustinus, non temerè David castum timorem appellat, cum Ioannes simpliciter timorem nominet: *Non sine causa* (ait) *hic addidit castus, illic non addidit, nisi quia est timor alius, qui dicitur castus; est autem alius, qui non dicitur castus*, qui quidem aut servilis est, aut initialis, quamquam non desunt, qui hoc loco timorem, quem expellit caritas, metum, ac trepidationem interpretentur, quæ oritur ex conscientia scelerum cui congruit, quod subiicit Ioannes: *quia timor pœnam habet.* nihil est enim, quod magis torqueat & cruciet, quàm perturbata conscientia. Nam Eliphaz Themanites apud Iob [b] ita de impio loquitur: *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium.* Et Salomon [c]: *Fugit impius nemine persequente.* Et alibi [d]: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Plura in eamdem sententiam scribunt veteres Patres.

a Ps. 18. 10.
b cap. 15. 21.
c Prov. 28. 1.
d Sap. 17. 10.

XI. Nam Cyrillus Alexandrinus [e]: *Magna* (inquit) *quædam res conscientia certa flumentis est, quia quando perperam aliquid agimus, etiam nullo præsente vrgentis nos mentis exagitat.* Ambrosius [f] verò: *Peccator* (inquit) *quamuis foris abundet, & deliciis affluat, odoribus fragret, in arumnis tamen vitam exigit. Vita facinorosi, vt somnium, aperuit oculos, transiit requies eius, evanuit delectatio, licet ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno sit; viventes enim in inferna descendunt. Vides convivium peccatoris? Interroga conscientiam eius. Nonne gravius fœtet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam eius, opum abundantiam? Introspice vlcera, & vibices animæ eius, cordisque mæstitudinem.* Alibi: *Nihil est, quod tam summo dolori sit, quam si vnusquisque positus sub captivitate peccati recordetur vnde lapsus sit. Ita gravis culpa est conscientia, vt sine iudice se puniat & velare se cupiat, & tamen apud Deum nuda sit.* Elegantissimè autem Chrysostomus [g] de divitis conscientia hunc in modum loquitur: *Explica mihi illius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, vigentem metum, tempestatem, turbationem. Videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tamquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraque conscientiæ radentem vngulis, pro commissis vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre noverit.*

e lib. 12. in Ioan. c. 32.
f lib. 1. offic. cap. 12.
g Conc. 1. de Lazaro. [illegible]

XII. Rem verò exemplo illustrans pergit in hæc verba: *Etenim qui committit adulterium, etiam si millies fuerit dives, etiam si nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus se ipsum accusare, & voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus. Timor vndique, ac tremor, suspicio, & anxietas, angulos metuit, vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumelia. Obambulat amarum accusatorem circumferens conscientiam, cùm sit suo ipsius iudicio damnatus,*

damnatus, nec vel ad breue tempus possit respirare. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt, hoc & ebriosi, & summa quotquot in peccatis viuunt.

XIII. Sanctus porrò Augustinus [a]: *Inter omnes* (inquit) *tribulationes humanæ animæ nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum.* Alibi verò [b]: *Quisquis* (ait) *malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est, ipse enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quò potuerit, a se quò fugiet.* Denique ne longum faciam Seneca [c] licèt ethnicus Philosophus: *Bona* (inquit) *conscientia prodire vult & conspici: ipsas nequitia tenebras timet: prima, & maxima peccantium est peccasse, nec vllum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. proprium est nocentium trepidare.* Et profectò nihil magis cum caritate pugnat, quàm hic metus ab improba conscientia incussus; atque idcirco meritò dicitur non esse in caritate, quia ex aduerso obiicitur fiduciæ, & confidentiæ, quam, vt diximus, parit caritas. Huic etiam timori congruit, quod subdit Ioannes: *Qui autem timet, non est perfectus in caritate.* Cùm ne initium quidem caritatis mala conscientia quamdiu in scelere perseuerat, admittere queat.

a in Ps. 45.
b in Ps. 36. conc. 2.
c epist. 27.

XIV. Sed magis placet, quod Augustinus, Beda, & OEcumenius affirmant, loqui Ioannem de timore, quem initialem, seu etiam seruilem vocant. *Dicendum igitur* (ait OEcumenius) *duplicem esse timorem, alterum initialem, qui punitionem, ac pœnam ob mala facta metuit, cum aliquis videlicet ad Deum accedit, quia timet ne puniatur. Alterum perficientem turbatione omni, ac terrore liberum, qui propterea etiam castus dicitur, ac permanens in sæculum sæculi.* Fusiùs aliquanto de hoc initiali timore loquitur Augustinus: *Sunt* (ait) *homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit caritatem, sed sic venit, vt exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala caues; sed ex eo quòd mala caues, corrigis te, & incipis bona desiderare.* Hunc igitur timorem foras mittit caritas: multo autem magis excludit timorem seruilem, qui cùm alioqui scelus, ac flagitium diligat, vnius dumtaxat pœnæ metu a vitiis abstinet.

XV. De quo ita loquitur Augustinus: *Non potest melius explanari, quid intersit inter duos istos timores, vnum, quem foras mittit caritas, alterum castum, qui permanet in sæculum sæculi, nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum vnam iam constituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, sed timere ne damnetur à marito. Timet maritum, sed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum. Huic non grata, sed onerosa est mariti præsentia, & si forte viuit nequiter timet maritum, ne veniat. Tales sunt, qui timent, ne veniat dies iudicij. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterij immunditia maculare, optat præsentiam viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? Timet illa, timet & illa. Interroga: quasi vnum tibi respondent. Interrogetur illa. Times virum? Respondet illa, timeo. Interroga & illam si timeat virum, respondet, timeo. Vna vox est, sed diuersus animus. Iam ergo interrogemus, quare? Illa dicit: Timeo virum, ne veniat: illa dicit: Timeo virum ne discedat. Illa dicit: Timeo ne damner; illa dicit: Timeo ne deserar. Pone hoc in animo Christianorum, & inuenies timorem, quem foras mittit caritas, & alium timorem castum permanentem in sæculum sæculi.*

XVI. Ex quibus apparet, seruilem timorem ex Augustini sententia non solùm excludi à caritate, sed cum ea pugnare, cum adhuc flagitium diligat, si tamen metu supplicij iam incipiat detestari, quod amabat, metu pœnæ perterritus iam concipit timorem initialem, vnde incipit caritas introduci, ex qua nascitur timor castus, quo metuit quis, ne cælestium

A bonorum iacturam faciat. Itaque simpliciter dicitur Apostolus damnare timorem, qui respicit tantummodo pœnam, siue ille seruilis sit, siue initialis, qui vt ait OEcumenius, *neque stabilis, ac permanens, neque castus est.* Sed à perfecta caritate longius abest, ac propterea rectè ait Ioannes: *Qui timet non est perfectus in caritate.* Porrò seruilis timor qua ex parte culpam diligit, meritò reiiciendus est tamquam caritati contrarius. Qua verò ratione metu pœnæ cohibet hominem à flagitio, damnandus non est, si enim accedat resipiscentia, ac detestatio culpæ fit initialis, & locum quodammodo præparat caritati. Quocirca Augustinus [a]: *Præmissus* (inquit) *timor in cor nostrum*
B *pellit inde consuetudinem malorum operum, & seruat caritati locum, quæ tamquam domina veniente, vt illa insideat, abscedit.* Et alibi [b]: *Timor seruus est, caritas libera est, & vt sic dicamus, timor seruus est caritatis. Ne possideat Diabolus cor tuum præcedat seruus in corde tuo, & seruet venturæ dominæ locum. Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amare iustitiam: veniet domina, & seruus abscedet, quia caritas consummata foras mittit timorem.* Denique [c]: *Timor iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic vo'entem peccare animo non sinit. Est quidam custos timor, quasi pædagogus legis, littera est minans, nondum gratia iuuans. Custodiat tamen timor iste, dum non facis timendo, & veniet caritas.*

a epist. 120. cap. 18.
b Ser. 3. de verb. Apost.
c Ser. 18. de verb. Apost.

C Ex his facile quiuis intelliget, timorem seruilem à timore initiali non magno distare interuallo. Nam si is, qui metuit pœnam, hoc timore perculsus sese cohibeat à malo, & incipiat amare iustitiam, iam timor initialis est. Contra verò si ita metuit pœnam, vt interim culpam diligat, seruili timore vrgetur, qui tamen ipse si in animo perseueret, fieri potest initialis, & locum parare caritati, de quo Augustinus explicat Dauidis [d] verba aientis. *Auerte faciem tuam à peccatis meis. Sed vnde* (ait Augustinus) *mereris, vt ille faciem suam auertat à peccatis tuis, si tu non auertis faciem tuam à peccatis tuis? Ipsa enim vox dicit in Psalmo: Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum coram me est semper. Tu agnosce, & ille ignoscit.* Itaque rectè, vt ait Augustinus, Ioannis verba cum Dauidis sententia cohærent. nam caritas, si perfecta sit, foras
D mittit timorem seu seruilem, seu initialem: timor autem filialis, & castus permanet, vt ait Dauid, in sæculum sæculi. Metuit enim culpam, atque ita, vt ait Augustinus, *cauet, & obseruabit se ab iniquitate sua, ne iterum peccet, non ne mittatur in ignem, sed ne deseratur.* Perfecti igitur in caritate metuunt culpam, sed aduentum iudicis non metuunt, cum caritas eis fiduciam præbeat in die iudicij, atque ideo expectant aduentum Christi, cupiuntque ei perpetuò adhærere. Quocirca Paulus dissolui cupiebat, & esse cum Christo. Et ad Corinthios scribit: *Sobriè, iustè, ac piè viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.*

XVII.

d Ps. 50. 11.

19. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*
E

L Rectè OEcumenius: *Vbi* (inquit) *de perfecta caritate dixit debere nos amare Deum, etiam necessario demonstrat, propterea quòd prior ipse nos amauerit. Erga eum enim, qui beneficiis nos præuenit, magnum studium in referenda gratia impendendum nobis est.* Dixerat hoc idem paulo antea Ioannes: nunc verò idem iterat, vt magis, ac magis ad caritatem inflammet. Et sanè nemo ex sese diligere Deum poterat, sicut oportet, nisi diuina erga nos caritas præcessisset. Quamobrem Augustinus [e]: *Quæ merita* (inquit) *bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus? Vt enim acciperemus dilectionem, qua diligeremus, dilecti sumus, cum eam nondum haberemus.*

e li. de grat. Christ. c. 26.

haberemus. Hoc Ioannes apertissimè dicit, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Optimè omnino atque verissimè. Non haberemus vnde diligeremus, nisi hoc ab illo, cum prior nos diligeret, sumeremus. Et in hæc ipsa Ioannis verba. *Vnde* (inquit) *diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos? Diligendo amici facti sumus, sed inimicos ille dilexit, vt amici efficeremur. Prior dilexit nos, & donauit nobis, vt diligeremus eum: nondum diligebamus eum, diligendo pulchri efficimur.* Et post nonnulla: *Amauit nos prior, qui semper est pulcher, & quales amauit, nisi fœdos, & deformes? Non ideo tamen vt fœdos dimitteret, sed vt mutaret, & ex deformibus pulchros faceret. Quomodo erimus pulchri? Amando eum, qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa caritas est animæ pulchritudo.* Rectè igitur ait Apostolus: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

II. Hoc ipsum indicare voluit Paulus, cùm ad Romanos scripsit: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Atqui apud Ioannem [a] Christus ipse indicare videtur, diuinam in nos beneuolentiam nostra in Deum caritate posteriorem esse: *Si quis* (inquit) *diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum*: Et paulo ante dixerat: *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Denique apud Salomonem diuina Sapientia ait: *Ego diligentes me diligo.* Sed profectò duplex est diuina in nos caritas distinguenda: altera, quæ omnem nostrum in Deum conatum præuertit: altera, qua Pater dilectionis erga eum nostræ præmium largitur: prior illa gratiam impertit, posterior eam perficit, vt qui cœpit opus bonum, ipse perficiat. Est autem Ioannis argumentum maxima vi præditum, cum nihil sit, quod amorem magis excitare queat, quàm amor. Quocirca non inelegans Poëta dixit:

a cap.14.23.

Vt præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis, Marce, vt ameris, ama.

& alius quispiam: *Si amare piget, non pigeat redamare.*

III. Pertinet autem ad amorem, quo Deum diligimus, diuinorum præceptorum obseruatio. Si enim ait Sapiens [b]: *Qui diligunt illum, conseruabunt viam illius: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Christus verò Dominus apud Ioannem [c]: *Si diligitis me* (inquit) *mandata mea seruate: qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me; qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Et hic noster hac ipsa Epistola [d]: *Hæc est* (ait) *caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est & in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est.* Acutè verò Augustinus [e]: *Dilectio* (ait) *facit præcepta seruare, an præcepta seruata faciunt dilectionem? Sed quis ambigat quòd dilectio præcedit? Vnde enim præcepta seruet non habet, qui non diligit. Quod ergo ait: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, ostendit, non vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, tamquam diceret: nolite vobis placere manere in dilectione mea, si non seruatis præcepta mea. Si enim seruaueritis, manebitis, hoc est, hinc apparebit, quòd in dilectione mea manebitis, si præcepta mea seruaueritis. Nemo se fallat dicendo, quod Deum diligat, si eius præcepta non seruat, nam in tantum eum diligimus, in quantum eius præcepta seruamus: in quantum autem minus seruamus, minus diligimus.*

b Eccl. 2.18.
c cap.14.15.
d cap.2.4.
e Tract.82. in Ioan.

IV. Eodem spectant, quæ elegantissimè scripsit Gregorius [f]: *Sed ecce* (inquit) *si vniusquisque vestrum requiratur, an diligat Deum, tota fiducia, & secura mente respondet. Diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis, quid veritas dicit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Verè enim diligimus, si ad mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.* Et aliquanto post: *An vosne ipsos ergo, fratres carissimi, introrsus reducite, si Deum verè amatis, exquirite, nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris lingua, mens, & vita requirantur. Numquam est Dei amor otiosus. operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est.* Quoniam igitur Deus ita nos dilexit, vt suis diuinis muneribus nos locupletauerit, æquum profectò est, vt eum ita diligamus, vt ei omnia nostra obsequia in ipsa deferantur.

f Hom.3. in Euang.

20. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

I. Profert Apostolus argumentum prope necessarium nostri in Deum amoris, numquam enim vera proximi dilectio à dilectione Dei diuelli potest. Quocirca Augustinus [a] proximi dilectionem ait, connectere in se tamquam causam dilectionem Dei: nemo enim vera caritate proximum complectitur, nisi qui Deum diligit, & proximum in Deo, ac propter Deum amat. Propterea ait Ioannes, eum mentiri, qui cum proximum non amet, se tamen amare Deum profitetur. Id verò apertissimè confirmat, cùm subdit: *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt quomodo potest diligere?* Ductum quippe argumentum est ab ipsa rei natura: quæ enim subiciuntur oculis, acriùs afficiunt animum, vnde ille meritò dixit:

a lib. 8. de Trin. cap. 8.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus: & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Cùm ergo proximum spectemus oculis, Deum autem cernere nemo mortalium possit longe profectò facilius erit proximum, quàm Deum diligere.

II. Alia quadam ratione Apostoli argumentum explicat Augustinus: *Qui diligit* (inquit) *fratrem, diligit & Deum. necesse est, vt diligat Deum, necesse est, vt diligat ipsam dilectionem. Numquid potest diligere fratrem, & non diligere dilectionem? Necesse est vt diligat dilectionem. Quid ergo? Quia diligit dilectionem, ideo diligit Deum? Vtique ideo diligendo dilectionem, Deum diligit. An oblitus es, quod paulo ante dixisti. Deus dilectio est? Si Deus dilectio, quisquis diligit dilectionem, Deum diligit. Dilige ergo fratrem, & securus es. Non potes dicere, diligo fratrem, sed non diligo Deum. Quomodo mentiris, si dicis: Diligo Deum, quando non diligis fratrem, sic falleris, si quando dicis, diligo fratrem, putes, quia non diligis Deum. Necesse est, qui diligit fratrem, diligat ipsam dilectionem: dilectio autem Deus est, necesse est ergò, vt Deum diligat, quisquis diligit fratrem.* Et plura deinceps in eamdem sententiam. Quæ si negem acutè, atque ingeniosè excogitata esse, certè mentiar, cogor tametsi nonnihil dubitare, vtrum sint ipsa per se sans consentanea, & ad Apostoli mentem. Cum enim ait Augustinus, eum, qui fratrem diligat, ipsam diligere dilectionem, illam credo dilectionem intelligit, qua frater diligitur, quæ dilectio creata est; nemo autem dixerit, Deum esse hanc dilectionem, vt minimè consequens sit, vt qui hunc dilectionem diligit, diligat etiam Deum. Quod si dilectionis nomine increatam caritatem significet, de qua dixit Apostolus, Deum esse caritatem, cùm ait, qui fratrem diligit, diligere dilectionem, id pro certo sumit, quod probandum suscepit. Posset fortasse hæc Augustini ratio aliter explicari, vt loquatur de dilectione creata, quæ est quædam diuinæ caritatis

caritatis participatio, ficut fapientia creata diuinæ fapientiæ participatio eft; qui igitur fratrem diligit, dilectionem diligit, quafi aliquid à Deo delibatum, atque ita implicitè Deum diligit.

III. Quamobrem verè omnino ait Ioannes eum, qui fe dicat Deum diligere, nec proximum diligat, planè mentiri, quia caritas ita diligit Deum, vt proximum neceffariò complectatur. Sic enim fcribit Auguftinus [a]: *Hæc regula dilectionis diuinitus conftituta eft. Diliges (inquit) proximum tuum, ficut te ipfum, Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipfa, quæ confers.* Et alibi [b]: *Semper* (inquit) *omnino cogitate diligendum effe Deum, & proximum. Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & proximum tamquam te ipfum. Hæc femper cogitanda, hæc meditanda, hæc retinenda, hæc agenda, hæc implenda funt; Dei dilectio prior eft ordine præcipiendi: proximi autem dilectio prior eft ordine faciendi. Neque enim qui tibi præciperet dilectionem iftam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, & poftea Deum, fed prius Deum, poftea proximum. Tu autem, quia Deum non vides, diligendo proximum promereris quem videas: diligendo proximum, purgas oculum ad videndum Deum, euidenter Ioanne dicente: Si fratrem, quem vides, non diligis, Deum, quem non vides, quomodo diligere poteris?*

a lib. 1. de doct. Christ. cap. 22.

b Tract. 17. in Ioan.

IV. Hæc eft itaque caritatis vis, ac poteftas, vt Deum diligat, eademque opera ea omnia amore complectatur, quæ aliquo pacto referuntur ad Deum. Quamobrem cùm proximus fit quædam imago Dei, ac diuinorum bonorum particeps, non poteft Dei caritate non comprehendi. Nam in rebus humanis, qui amicum amore, ac beneuolentia profequitur, ea profectò diligit omnia, quæ aliquo modo pertinent ad amicum: atque ita rectè fcribit OEcumenius: *Oportet* (inquit) *vt fine vlla excufatione fratrem diligamus, id quod maximum noftræ erga Deum caritatis indicium eft. Nam fi fratrem non amamus, neque erga Deum caritas vlla in nobis feruatur.* Quin etiam diuinæ in nos caritatis exemplum, quæ omnes mortales diligit, ad fui imitationem prouocat, quod apud Matthæum Chriftus Dominus infinuauit, cum etiam inimicorum amorem perfuaderet Dei exemplo propofito, *qui folem fuum oriri facit fuper bonos, & malos, & pluit fuper iuftos, & iniuftos.* Hæc autem proximi dilectio ex duplici præcepto ortum ducit humanæ naturæ mirè confentaneo.

V. Alterum propofuit Chriftus apud Matthæum [c]: *Omnia* (inquit) *quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc eft enim lex, & prophetæ.* Alterum indicat Tobias [d]: *Quod ab alio* (ait) *oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Quod egregiè more fuo explicat Gregorius [e]: *Proximi dilectio* (ait) *ad duo præcepta deriuatur, cum & per quemdam iuftum dicitur: Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per femetipfum veritas dicit: Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quibus duobus fcilicet vtriufque teftamenti mandatis per vnum malitia compefcitur, per aliud benignitas prærogatur. Vt malum, quod pati non vult, quifque non faciens ceffet à nocendi opere. Et rurfum bonum, quod fibi appetit impendens erga vtilitatem fe proximi exerceat ex benignitate.* Quoniam verò vtrumque præceptum latiffimè patet, quânam ratione quibufque finibus circumfcribendum fit, mox fufiùs explicans fubdit: *Sed hæc nimirum duo dum folicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum minifteria tenditur, ne vel ad inferenda, quæ non debet, defideriis inquieta mens ferueat, vel erga exhibenda, quæ debet, otio refoluta torpefcat.*

c cap. 17. 12.

d cap. 4. 16.

e li. 10. Mor. cap. 4.

VI. Confeftim autem: *Nam cùm cauet* (inquit) *alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipfe tolerare, folicita fe intentione circumfpicit, ne fuperbia eleuet, & vfque ad defpectum proximi animum deiciens exaltet, ne ambitio cogitationem dilaniet. Cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, anguftet, ne cor luxuria polluat, & fubiectum defideriis per illicita corrumpat: ne ira exafperet, & vfque ad proferendam contumeliam inflammet, ne inuidia mordeat, & alienis fœlicitatibus æmula fua fe face confumat.* Mox autem de altero præcepto fubdit: *Rurfus cùm cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ipfe fibi ab altero fieri expectat, penfat nimirum, vt malis bona, & bonis meliora refpondeat. Vt erga procaces manfuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitia pefte languentibus gratiam benignitatis impendat, vt difcordes pace vniat; & concordes ad concupifcentiam veræ pacis accingat, vt indigentibus neceffaria tribuat, vt errantibus viam rectitudinis oftendat, vt afflictos verbo, & compaffione mulceat, vt accenfos in huius mundi defideriis increpatione reftringat, vt minas potentum ratiocinatione mitiget, vt opprefforum anguftias quanta præualet ope leuet, vt foris refiftentibus opponat patientiam, vt intus fuperbientibus exhibeat cum patientia difciplinam.*

Pergit deinde: *Vt erga errata fubditorum fic manfuetudo zelum temperet, quatenus à iuftitiæ ftudio non eneruet: fic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feriendo tranfcendat, vt ingratos beneficiis ad amorem prouocet, vt gratos quofque minifteriis in amore feruet, vt proximorum mala cùm corrigere non valet, taceat, vtque cùm corrigi loquendo poffunt, filentium confenfum effe pertimefcat: vt fic ea, quæ tacet toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet, vt fic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat, vt cuncta proximis, quæ præualet impendat, fed hæc impendendo non tumeat. Vt fic in bonis, quæ exhibet, tumoris præcipitium paueat, ne tamen ab omni exercitio torpefcat, vt fic quæ poffidet, tribuat, quatenus quanta fit largitas remunerantis, attendat, ne cùm terrena largitur, fuam plufquam neceffe eft, inopiam pertimefcat, & in oblatione muneris hilaritatis lumen triftitia obfcuret.* VII.

Nimirum hæc, atque id genus alia fexcenta caritatis in proximum officia funt, fi tamen in Deum tamquam finem referantur, cum alioqui fi humanum quempiam finem fpectent, ad diuinam caritatem nequaquam pertineant. Rectè namque idem Gregorius fcribit [a]: *Sed nemo cum quempiam diligit, habere fe protinus caritatem putet, nifi prius ipfam vim fuæ dilectionis examinet. Nam fi quis quemlibet amat, fed non propter Deum amat, caritatem non habet, fed habere fe putat. Caritas autem vera eft, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui tam & eos diligere, à quibus non diligitur, fcit. Probari enim caritas per folam odij aduerfitatem folet, vnde & per femetipfum Dominus dicit: Diligite inimicos veftros, & benefacite his, qui oderunt vos. Ille ergo fecurus amat, qui propter Deum illum amat, à quo fe intelligit non amari.* Et in eamdem fententiam Bernardus [b]: *Vt perfecta iuftitia fit diligere proximum, Deum in caufa habere neceffe eft, alioquin proximum purè diligere quomodo poteft, qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non poteft, qui Deum non diligit, oportet ergo Deum diligere prius, vt in Deo diligi poffit & proximus.* Ex quibus apparet, quàm verè dictum fit ab Apoftolo: *Qui diligit proximum, legem impleuit, & plenitudo legis eft dilectio.* Et: *Alter alterius onera portate, & fic adimplebitis legem Chrifti.* Siquidem amor proximi propter Deum neceffario includit; & quidem tamquam potiorem amorem Dei; fi enim proximum quis diligit propter Deum, Deum magis diligat neceffe eft. Id enim apertiffimè probat Ariftotelicum illud axioma [c]: *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* Verè igitur dicit Ioannes illum apertè mentiri, VIII.

a Hom. 38. in Euang.

b Tract. de dilig. Deo.

c lib. 1 poft. anal. cap. 2.

A qui Deum se diligere affirmet, cum fratrem odio prosequatur.

IX. Fratris porro nomine quemlibet mortalium comprehendi, siue Iudæum, siue Gentilem, siue Catholicum, siue hæreticum, siue pium, siue impium, siue amicum, siue inimicum, non obscure docuit Christus [a]: *Ego autem* (inquit) *dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

a Matth. 5. 44.

B Quin etiam Salomon [b]: *Si esurierit* (inquit) *inimicus tuus, ciba illum, si sitierit potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Rursus alibi [c]: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum.* His consentanea sunt, quæ leguntur in Ecclesiastico [d]: *Noli de inimico tuo mortuo gaudere.* Itemque: *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* Concinit etiam Moses [e]: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc eum: si videris asinum odientis te iacere sub onere non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Fateor nequitiam, aut improbitatem inimici non esse diligendam, quod mirificè explicat Clemens Alexandrinus [f]: *Diligere* (inquit) *inimicos non dicit malum amare neque impietatem, vel adulterium, vel furtum, sed furem, & impium, & adulterum; non quatenus peccat, & aliqua actione inquinat hominis appellationem, sed quatenus est homo, & opus Dei.*

b Prou. 25. 21.
c Prou. 24. 17.
d cap. 8. 8.
e Exod. 23. 4.
f 4. Strom.

C

X. Nec potest hoc præceptum alienum à natura censeri, aut eiusmodi, quod præstari non queat. Sic enim scribit Hieronymus [g]: *Multi præcepta Dei sua imbecillitate, non sanctorum viribus æstimantes putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, cæterum diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ David fecit in Saul, & Absalon, Stephanus quoque martyr pro inimicis se lapidantibus deprecatus est, & Paulus anathema esse cupit pro persecutoribus suis. Hæc autem Iesus & docuit, & fecit dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt, quod faciunt.* Huc refero, quod scribit Basilius [h]: *Sine dubio* (ait) *Deus non præcepisset diligi inimicum, nisi facultatem largitus esset id faciendi, quam quidem etiam in natura insitam videri voluit. Bene enim meritos etiam bestiæ naturaliter diligunt: at maius nobis non potest contingere beneficium, quam quod ab inimico nobis datur, nempè vt beatitudinem assequamur. Beati* (inquit Dominus) *estis, cùm maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduersùm vos mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Eodem planè modo & sentit, & loquitur Chrysostomus [i].

g Matth. 5. tribuuntur etiam Augustino ser. 59. de temp.

D

h Reg. breuior. 176.

i Hom. 73. ad Popul.

XI. Certè Augustinus [k]: *Grandis* (ait) *labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare, nec nos negamus fratres, non paruus quidem labor est in hoc sæculo, sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici efficeris amicus Dei, immò non solùm amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dixit: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est. Si te aliquis homo diues in hoc sæculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo seruires, quas ei dignitates impenderes, & seruorum eiusque seruitia durissima, & aliquoties etiam turpissima sustineres conuitia, vt ad caducam, & fragilem eius hæreditatem perueniret? Quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Cognoscimus enim certissi-*

k Ser. 5 de S. Stephan.

E

A *ma ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus iniurias sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam faciat, si nos etiam in faciem maledicat, nec respondere aliquid asperum, non dicam, pacem reddere ausi sumus. Quare hoc? Ne ab illa persona potente adhuc maiora quàm pertulimus, patiamur. Quod a nobis extorquet hominis timor, deberet à nobis exigere Christi amor.* Extant alia plura in eamdem sententiam tum apud Augustinum [a], tum etiam apud Leonem Pontificem. Apud vtrumque enim eadem prorsus verba leguntur, quibus omnem excusationem præcidunt, ostendùntque ad hoc Christi præceptum seruandum non vires deficere, sed voluntatem.

a Serm. 59. de temp.

Sic autem habent: *In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere, in habenda verò dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere: non possum ieiunare: numquam potest dicere, non possum amare. Potest dicere: propter infirmitatem corporis mei non possum à vino, & carnibus abstinere. Numquid potest dicere: non possum diligere? Potest aliquis dicere: virginitatem non possum seruare; potest dicere: non possum res totas vendere, & pauperibus erogare. Numquid potest dicere: non possum diligere inimicos? Non enim ibi aut pedes laborant currendo, aut aures audiendo, aut manus operando laxantur. Non nobis dicitur, ite ad Orientem, & quærite caritatem. Nauigate ad Occidentem, & inuenietis dilectionem. Intus in corde nostro est, vbi redire iubemur dicente Propheta: Redite præuaricatores ad cor: non enim in longinquis regionibus inuenitur, quod à nobis petit, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Quid aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod ait Apostolus, Vt det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo capti tenentur.* Qui igitur se ait Deum diligere, nec tamen proximos etiam inimicos caritate complectitur, perspicuè mendacij arguitur, quod eleganti ratione confirmat Ioannes, dum ait: XII.

B

C

Qui enim non diligit fratrem, quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere? Sic planè natura comparatum est, vt præsentia magis moueant, cùm sensus afficiant, quorum ductu mens, & ratio ad agendum incitatur. Certè ad amorem conciliandum præcipuam esse in oculis vim, indicant Poëtæ. Quidam enim dixit: XIII.

D

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error!

& alius quidam:

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Rectè itaque argumentatur Ioannes, qui proximos, quos oculis cernit, non diligit, Deum ab oculis, omnibusque sensibus remotissimum qua potest ratione diligere? Quasi dicat: nemo facile credat Deum ab eo diligi, quem videre non potest qui proximum non diligat, quem continenter intuetur. Dixit autem Apostolus Græcè *ἑώρακε*, quod est temporis præteriti, fortasse vt alludat ad id, quod paulo ante dixerat: *Deum nemo vidit vmquam.* Ac propterea cum id iteret: *Deum quem non vidit*, eodem modo ea aduerso ei obiicit, *fratrem, quem vidit.* Estque vt docent in scholis argumentum à maiori: longe enim probabilius est, quempiam ea diligere, quæ sub aspectum cadunt, quàm quæ sunt à sensibus remotissima qui igitur illud negligat, hoc profectò ne attinget quidem. Denique hoc ipsum alia quapiam ratione confirmat, subdit enim:

E

21. *Et hoc mandatum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

Probauerat ex ipsa caritatis natura, non posse quemquam I.

quemquam verè Deum diligere, qui proximum caritate non complectatur, vt enim ait OEcumenius, perinde est, ac si dixisset: *Caritas ex mutua omnino consuetudine conflatur, consuetudo autem ex eo existit, quod videmus fratrem, atque inde præcipuè in amorem eius accensi commungimur, quippe cum visus sit qui in amorem maximè homines illiciat. Quocirca qui quod magis in amorem allicit, negligis, & fratrem, quem videt, non amat, quo pacto si Deum, quem non videt, neque vllo sensu percipit, cuique nulla consuetudine est coniunctus, se amare dicat, verum dicere iudicabitur?* Vt videatur Apostolus indicare proximi dilectionem ita oriri à caritate, vt tamen in ipsa etiam natura initium aliquod, & fundamentum habeat, atque idcirco externorum sensuum ope nonnihil iuuetur, quod in caritate, quæ Deum spectat, B secus accidit. Ad hoc igitur argumentum aliud longe firmius, ac validius addit ab ipsa caritatis natura petitum. Deus (inquit) qui præcipit amorem sui, nihilo minori auctoritate imperat proximorum caritatem. Qui ergo dicit, se Deum amare, planè mentitur, nisi huic etiam diuino præcepto obtemperet, quo proximus diligendus est. Itaque rectè ait Augustinus: *Ipse dedit nobis præceptum, vt diligamus inuicem. Quomodo diligis eum, cuius odisti præceptum?*

II. Rem deinde exemplo illustrat. *Quis est* (inquit) *qui dicat, diligo Imperatorem, sed odi leges eius? In hoc intelligit Imperator, si diligis eum, si obseruentur leges eius per prouincias. Lex Imperatoris quæ est? Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Dicis ergo te diligere* C *Christum serua mandatum eius & fratrem dilige. Si autem fratrem non diligis, quomodo eum diligis, cuius mandatum contemnis?* Planè hoc modo argumentatus est Christus apud Ioannem: *Si quis* (inquit) *diligit me, sermonem meum seruabit.* Itemque: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Denique: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Sæpius autem, & quidem grauissimis verbis proximorum caritatem præcipit: *In hoc* (inquit) *cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Egregiè autem obseruauit Basilius [a], duo præcepta caritatis penè semper coniungi vsque eo, *vt quod proximo quisque benefecerit, id habeat perinde ac si ipsi factum fuisset. Esuriui enim* (inquit) *& dedistis mihi manducare,* &c. Tum addit: *Quatenus autem fecistis vni de his fratribus meis, mihi fecistis. Ex quo sanè intelligi potest, qui primum seruet, eum* D *secundum quoque per illud ipsum posse seruare; ac vicissim per secundi obseruationem reditum aperiri ad primum, vt videlicet & qui Dominum diligat, consequens sit, eum proximum etiam diligere. Qui enim diligit me* (inquit Domi- A *nus) mandata mea seruabit. Idem autem hoc mandatum meum est, inquit, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Similiterque vicissim, in quo caritas aduersus proximum sit, eum quoque caritati satisfacere, quæ est aduersus Deum: quippe cum ipse beneficium illud perinde accipiat, ac si in se propriè fuisset collatum.*

a Reg. fus. disp. q. 3.

III. Quocirca rectè colligit OEcumenius: *Si tamen* (inquit) *aliquis sit, qui ita impudenter se gerat, vt Deum amare eum asserat, fratrem odio prosequatur, nonne præterquam quòd caritatem diuinam adulterat, mandati quoque Dei transgressor est existimandus? Illius videlicet, quod præcipit, cum inquit: In hoc cognoscent omnes, vos esse discipulos, si mutuo vos amore prosequamini. Qui igitur Deum amat, & se eius discipulum esse affirmat, is fratrem* B *quoque suum ex mandato eius diligat necesse est.* Quæ sit autem vis, ac potestas fraternæ caritatis docuit his verbis Augustinus: *Non sic debemus amare homines, quomodo audiuimus gulosos dicere, amo turdos. Quæris, quare? Vt occidat, & consumat, & amare se dicit, & ad hoc illos amat, vt non sint, & ad hoc amat, vt perimat. Et quidquid ad cibandum amamus, ad hoc amamus, vt illud consumatur, & nos reficiamur. Numquid sic amandi sunt homines tamquam consumendi? Sed amicitia quadam beneuolentia, vt aliquid præstemus eis, quos amamus. Quid si non sit, quod præstemus? Sola beneuolentia sufficit amanti, non enim optare debemus esse miseros, vt possimus exercere opera misericordiæ.* Deinceps verò absque externis actionibus consistere posse caritatem pluribus exem- C plis confirmat.

IV. *Das panem esurienti, sed melius nemo esuriret, & nulli dares. Vestis nudum, vtinam omnes vestiti essent, vt non esset ista necessitas. Sepelis mortuum, vtinam veniat aliquando illa vita, vbi nemo moriatur. Concordas litigantes, vtinam aliquando sit pax illa æterna Ierusalem, vbi nemo discordat: hæc enim omnia officia necessitatum sunt. Tolle miseros, cessabunt opera misericordiæ. Opera misericordiæ cessabunt, numquid ardor caritatis extinguetur? Germanius amabis felicem hominem, cui non habes, quod præstes: purior ille amor erit, multóque sincerior: nam si præstiteris misero, fortasse excollere te cupis aduersus eum, & eum tibi vis esse subiectum, quia auctor es beneficij: ille indiguit, tu impertitus es, quasi maior videris, quia tu præstitisti, quàm ille, cui præstitum est. Opta æqualem, vt ambo sub vno sitis, cui nihil præ-* D *stari potest.* Itaque præceptum dilectionis proximi, si res postulet, externas etiam actiones pariat necesse est: alioqui sola interna beneuolentia, & caritate præcepto diuino obtemperari potest. Vt enim idem Augustinus docet: *Omnis dilectio beneuolentiam quamdam habet erga eos, qui diliguntur.*

ARGVMENTVM CAPITIS QVINTI.

IN hoc postremo huius epistola capite de fidei, & caritatis fructibus differit, & institutam superiori capite disputationem prosequitur. Et quod attinet quidem ad fidem, non pauca de Christi diuinitate, eiúsque ad nos aduentu, de incarnationis fine, & vita immortali perstringit, ad quam Christus sua morte aditum nobis reserauit. De eiusdem victoria, & glorioso triumpho nonnulla etiam attingit, qua omnia credenda proponuntur, tamquam necessaria ad Christi gratiam adipiscendam, & spem cælestium bonorum concipiendam, qua precando impetrare possumus. Ad caritatem hæc ipsa aliqua ratione pertinent, multaque præterea subiicit, dum nonnulla officia explicat, qua fratri debentur, qua potissimum ad animum referuntur.

CAPVT V.

1 *OMnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est. Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo.*

2 *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus.*

3 *Hac est enim caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.*

4 *Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mũdum; & hac est victoria, qua vincit mundum, fides nostra.*

5 *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?*

6 *Hic est, qui venit per aquam; & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine: & spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.*

7 *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

PARAPHRASIS.

OMnis, qui creata fide credit, Iesum esse Christum, hoc est, humani generis vindicem, ac liberatorem, hoc ipso se Dei Filium ex spiritu, & aqua genitum probat. Omnis porro qui Deum fidelium omnium genitorem diligit, diligat profectò necesse est etiam filios ex eo spiritaliter genitos. ¶ Caritas sanè, qua Deum complectitur, suapte natura proximorum amorem parit; ita fit, vt hinc certissimè nostra in Deum caritas elucescat, atque adeò appareat, nos proximos nostros tamquam Dei filios verè, atque ex animo diligere, cùm nostram in Deum caritatem præceptorum ipsius obseruatione veluti certissimo argumento probamus. ¶ Hoc enim à nobis nostra erga Deum caritas suo propemodum iure flagitat, vt eius nos præceptis vltrò, ac sponte præbeamus obsequentes, cùm præsertim eius præcepta grauia nequaquam sint, quibus diuinæ gratiæ præsidio nixi non possimus facilè obtemperare. ¶ Nam quisquis nouo quodam ortu natus est ex Deo, facilè omnes difficultates superabit, ipsúmque adeò mundum vniuersum subiget, & diuina fide præditus aduersùs vniuersum mundum gloriosam quamdam victoriam reportabit, déque omnibus hostibus triumphabit. ¶ Quis quæso tamquam victor de mundo gloriosum triumphum agit, nisi qui credit Iesum, qui inter mortales more cæterorum hominum aliquando vixit, verum esse Dei Filium, nihilo Patre inferiorem, sed eadem penitus maiestate præditum? ¶ Hic porro Dei Filius cùm nostra mortalitate indutus ad nos venit, non aquam tantummodo baptismi ad expianda peccata instituit, sed proprium etiam sanguinem tamquam scelerum nostrorum pretium, & piaculum fudit, vt nos aqua, & sanguine penitus perpurgaret, adhibito præterea diuino Spiritus sancti testimonio, quo vera Christi doctrina mirificè confirmaretur. Ipseque adeò Christus æterna, atque immutabilis veritas cunctis mortalibus elucesceret. ¶ Quid autem Spiritus sancti testimonium prædico? Tres omnino sunt cælestes veluti testes diuinitatis Christi diuinæ personæ Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; qui licèt personis tres sint distincti, vnius tamen, atque eiusdem naturæ sunt, vt verè possis affirmare, tres vnum, atque idem esse.

esse. ¶ Adde, si placet, ad diuinos, quos nominaui testes, totidem testes terrenos, siquidem spiritus, aqua, & sanguis in hac citima mundi plaga eamdem Christi diuinitatem testantur. Trium verò testimonium eòdem omnino refertur, eamdémque veritatem confirmat. ¶ Nam si hominum testimonia, qui tamen facilè mentiri possunt, in rebus humanis admittimus, & probamus, multo profectò faciliùs diuino testimonio acquiescendum erit; cùm sit non modò quouis humano testimonio præstantius, ac dignius, sed prorsus eiusmodi, vt omnem mendacij, aut falsitatis suspicionem effugiat, cùm sit Deus summa veritas, quæ mentiri nulla ratione potest: suo autem testimonio Filij sui diuinitatem mirificè confirmauit. ¶ Qui itaque credit, diuinam Filij Dei maiestatem diuino Patris testimonio fidem suam confirmare potest: contra verò, qui Filij diuinitatem abnegat, si dicere fas est, Deum immortalem, hoc est, ipsam summam veritatem mendacij arguere non veretur, cùm Filij diuinitatem paterno testimonio roboratam credere recuset. ¶ Hoc porro testimonium eo potissimùm argumento dignoscitur, & firmatur, quòd tam certo vitam nobis sempiternam largitus est Deus, vt eam penè iam spe adepti videamur; singulari verò Filij eius beneficio hanc nobis vitam peperit. ¶ Sic autem habetote, eum, qui Filio Dei fide, & caritate probè adhæret, eius, quam dixi, vitæ iam nunc quodammodo participem esse: contra verò eius vitæ illum esse penitus expertem, qui fide, & caritate destitutus à Dei Filio est alienus. ¶ Idcirco autem hæc ad vos scripsi, vt vos certiores facerem, quid fides Christi vobis contulerit: vitam enim vobis æternam largitus est Deus, quia per fidem Christo Filio eius nomina dedistis. ¶ Hinc sanè certissima quædam spes, & confidentia existit, quam nobis certò polliceri possumus, quidquid diuinæ voluntati consentaneum precibus à Deo contendemus, facilè nos impetraturos. ¶ Neque enim dubitare possumus, largiturum Deum nobis quidquid ritè, ac rectè petierimus ab eo, quandoquidem ipsi experimento didicimus, plurima assiduis, ac piis precibus fuisse nos ab illo consecutos. ¶ Tametsi autem hæc de certa spe, & confidentia dicta sunt à me, nolim tamen perinde accipi, quasi prorsus omnia impetrare à Deo possimus. Nam si quis fratrem suum viderit facinore quopiam inquinari, non tamen ad mortem; eum iubeo magna confidentia pro illo preces fundere, iis enim non ad mortem peccantibus vitam procul dubio impetrabit. Non idem dixerim de eo, qui flagitium perpetrat ad mortem, hoc est, immani, & atroci crimine inquinatur, neque enim certam veniam audeo polliceri. ¶ Vt enim breuiter dicam, quod sentio, multa peccata sunt, quæ aduersùs iustitiam pugnant, quę pœnitentia & lachrymis deleri possunt. Est præterea scelus aliquod atrox, atque immane, quod ad mortem appellaui, quod non sine magna difficultate, atque ingenti labore expiari potest. ¶ Illud sanè compertum, atque exploratum

8 *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt.*

9 *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de Filio suo.*

10 *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.*

11 *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est.*

12 *Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet.*

13 *Hæc scripsi vobis, vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei,*

14 *Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus, secundùm voluntatem eius audit nos.*

15 *Et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus: scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulauimus ab eo.*

16 *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.*

17 *Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.*

18 *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum.*

19 *Scimus, quoniam ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est.*

20 *Et scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum; & simus in vero Filio eius: Hic est verus Deus, & vita æterna.*

21 *Filioli, custodite vos à simulachris, Amen.*

nobis est, eos, qui spiritaliter à Deo geniti nouam quamdam vitæ rationem nacti sunt, quamdiu in eo statu perseuerant, nulla ratione peccare. vis enim illa, quam ex cœlesti illo ortu perceperunt, in iis perseuerat, eosque ita cõfirmat, ac munit, vt nullis dæmonis insidiis decipi, aut oppugnationibus vinci, ac superari queant. ¶ Est profectò, quod magnopere gaudeamus, cùm singulari Dei beneficio quippe baptismo expiati ab eo geniti sumus, cùm innumerabiles mortales idolorũ cultu impliciti impio dæmoni miseram seruiant seruitutem. ¶ Nos verò pro certo habemus Filium Dei nostra mortalitate circumdatum ad nos venisse, suámque nobis diuinam doctrinã tradidisse, atque adeò nos ab impietate ad veri Dei cultum traduxisse, vt in vera Filij Dei fide, & religione viuamus, qui quidem verus est Deus Patri omnino æqualis, quique aditum nobis ad vitam æternam reserauit. ¶ Quamobrem, filij mihi carissimi, tam singularis beneficij memores nolite committere, vt vos denuo humani generis hostis impio, ac nefario idolorum cultu vllo pacto contaminet. Amen.

IN CAPVT QVINTVM EXPLANATIO.

1. *Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est: & omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum qui natus est ex Deo.* A

I. ON malè OEcumenius hæc cum fine superioris capitis connectit, vt ad confirmandam fraternam caritatem referantur. Ita autem scribit: *Si mandatum accepimus à magistro nostro, vt mutuò nos amemus; si magistrum nostrum Iesum esse Christum credimus, in eo autem est Christus, quod Deus & homo est, mandata prorsus eius vtpote magistri, atque Dei seruabimus.* Egerat sanè in fine præcedentis capitis de præcepto diligendi proximos, quod Christus suum proprium, ac peculiare præceptum appellauerat: hoc autem in præsentia dicit ab iis potissimùm obseruandum esse, qui credunt Iesum esse Christum, hoc est, humanæ salutis auctorem, & humani generis liberatorem. *Omnis ergo* (ait) *qui credit,* non quidem fide informi, ac mortua, sed viua, quæ per dilectionem operatur. B Quamobrem rectè ait Augustinus: *Quis est, qui non credit, quòd Iesus sit Christus? Qui non sic viuit, quomodo præcepit Christus. Multi enim dicunt: credo, sed fides sine operibus non saluat, opus autem fidei ipsa dilectio est dicente Paulo Apostolo. Et fides, quæ per dilectionem operatur.*

II. Fidem autem non vniuersim accipit hoc loco Apostolus, sed angustè, atque restrictè, vt incarnationis mysterium propriè attingat: *Omnis* (ait) *qui credit, quoniam Iesus est Christus* vnctus videlicet Spiritu sancto, a Act. 4. 27. ac diuinitate delibutus. Itaque Apostoli [a]: *Conuenerunt enim* (inquiunt) *verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti.* Et Petrus [b]: *Vos* b Act. 10. 37. *scitis* (ait) *quòd factum est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Credere igitur necesse est, Iesum esse Christum, hoc est, Virginis Filium, qui cælesti auctoritate Iesus dictus est, esse Christum, hoc est, illum humanæ salutis auctorem, quem omnis antiquitas præstolabatur, de quo Angelus apud Matthæũ [a] a cap. 1. 21. ait: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Rectè autem Ioannes cùm de caritatis officiis III. agit, fidei necessitatem indicat, sine illa enim, vt ait Apostolus Paulus [b], *impossibile est placere Deo.* Itaque b ad Hebr. c. 11. ait Augustinus: *Opera quidem tua præterita antequam crederes, vel nulla erant, vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens. Si autem bona videbantur antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo errabas potius, quàm perueniebas. Est ergo nobis & currendum, & in via currendum: qui præter viam currit, inaniter currit, immo ad laborem currit. Quæ est via, per quam currimus? Christus dixit: Ego sum via. Quæ patria, quò currimus? Christus dixit: Ego sum veritas. per illum curris, ad illum curris, in ipso requiescis.* Post nonnulla B verò explicans quam fidem hoc loco exigat Ioannes: *Hoc est* (inquit) *credere, quia Iesus Christus est, quomodo credunt Christiani, qui non solum nomine Christiani sunt, sed factis, & vita, non quomodo credunt dæmones.* Deinde comparans fidem dæmonum cum fide Petri, idem ait illos credere, quod credidit Petrus: *Ergo* (ait) *dicit Petrus: Tu es Christus Filius Dei viui. Dicunt & dæmones: Scimus quia sis Filius Dei, & sanctus Dei. Hoc Petrus, hoc & dæmones: eadem verba, non idem animus.* Et post pauca: *Hoc dicebat Petrus, vt Christum amplecteretur, hoc dicebant dæmones, vt Christus ab eis recederet.*

C *Ergo qui viua fide credit, quòd Iesus est Christus, ex Deo* IV. *natus est.* Hoc enim, vt ait OEcumenius, hic ipse Ioãnes in Euangelio [c] dixerat: *Quotquot autem receperunt* c cap. 1. *eum, hoc est, crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Fides enim viua propria est filiorum Dei, & hoc est, quod ait Ioannes; *Ex Deo natus est.* Quocirca Cyrillus [d] Alexandrinus: d li. de recta fide ad Regin.

A dicimus: *Qui non credit* (inquit) *neque inter filios Dei computabitur. Si enim omnibus potestatem filios Dei fieri dedit, qui Filium acceperunt, sicut dicit Euangelista, qui non susceperunt eum, neque in filijs Dei connumerantur, eum per quem hoc existit, non agnoscentes.* Postulat autem Ioannes, vt filius Dei priuatim credat, Iesum esse Christum, hoc enim maximè credendum esse aduersùs Praxeam docuit Tertullianus a: *Et habes* (inquit) *tota instrumenta eius, quæ in hunc modum pronunciant, & duo proponunt, Deum Patrem, & Dominum nostrum Iesum Christum Filium Patris & Iesum ipsum esse Christum, in altero quoque nomine Dei Filium. Nam ex inde eo iure, quo vtrumque nomen vnius est, id est, Dei Filius, etiam alterum sine altero eiusdem est, siue solummodo Christus, idem est & Iesus, quia vnctus est Iesus, quorum nominum alterum est proprium, quia ab Angelo impositum est; alterum accidens, quod ab vnctione conuenit, dum tamen Christus Filius sit, non Pater.*

a cap. 28.

B

V. *Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo.* Huc nimirum animum intendisse videtur OEcumenius, cùm dixit, confirmari ea, quæ in calce præcedentis capitis dixerat. Inde enim probauerat proximum esse diligendum, quia id Christus præceperat. Nunc alia quapiam ratione idem confirmat, nisi quòd amorem proximi, qui latissimè patet, & ad omnes mortales porrigitur, in angustum quodammodo reuocat, & ad fideles tantùm restringit, non quòd illi tantùm ex caritate diligendi sint, sed quod maximè. Sic autem interprete OEcumenio argumentatur Ioannes: *Si autem geniti ex ipso sumus, id, quod ei, qui genuit, debetur, exhibebimus, id est, eum amabimus, cùm natura comparatum sit, vt filij parentes suos amore prosequantur. Cùm igitur omnes, qui credimus, nati ex ipso simus, propterea etiam mutuò, vtpote fratres, atque ex ipso natos amare debemus, quippe cùm qui amat eum, qui genuit, eum quoque amet, qui genitus ex ipso est.* Non sunt autem ex Deo geniti, nisi qui fide viua præditi sunt. Dixerat hoc idem capite superiori: *Omnis spiritus* (ait) *qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Rectè autem monet Augustinus, coniunxisse Ioannem caritatem cum fide, quoniam fides absque caritate esse quidem potest, sed non prodesse. *Statim* (inquit) *fides coniunxit dilectionem, quia sine dilectione fides inanis est: cum de dilectione fides Christiani, fides sine dilectione, fides dæmonis. Qui autem non credunt, peiores sunt quàm dæmones, & tardiores quàm dæmones. Nescio quis non vult credere in Christum, adhuc nec dæmones imitantur. Iam credit aliquis in Christum, sed odit Christum, habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore iustitiæ.*

C

D

VI. Videtur autem Augustinus indicare loqui Ioannem de caritate, qua diligendus est Christus tamquam vnigenitus Dei Patris. Sic enim scribit: *Omnis qui diligit, qui genuit eum, diligit eum, qui genitus est ab ipso. Quis genuit? Pater: Quis est genitus? Filius.* Et aliquanto post: *Omnis qui diligit, qui genuit eum, id est, Patrem, diligit eum, qui genitus est ex ipso, id est, Filium Dominum nostrum Iesum Christum.* Sed quæ mox subiicit Apostolus, apertissimè indicant, loqui illum de fidelibus, qui, vt ipsemet in Euangelio scripsit, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, quique sunt in Christo noua creatura, qui, vt ait Augustinus, *corpus sunt vnius Filij Dei, & cùm ille caput, nos membra, vnus est Filius Dei.* Tum subdit: *Ergo qui diligit filios Dei, Filium Dei diligit, & qui diligit Filium Dei, Patrem diligit. Nec potest quisquam diligere Patrem, nisi diligat Filium, & qui diligit Filium, diligit & filios Dei. Quos filios Dei? Membra Filij Dei.* Atque ita fatetur, cùm Ioannes ait: *Qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo.* loqui

E

A quidem de Christo, sed vt est caput omnium filiorum Dei, qui vna cum illo constituunt vnum corpus: *Et erit* (inquit) *vnus Christus amans se ipsum, cùm enim se inuicem amant membra, corpus se amat.* Qui ergo Deum diligit, Dei filios diligat necesse est. Quocirca quod probauerat ex vi præcepti à Christo traditi, confirmat ex ipsa caritatis natura, quæ si mouet ad amandum patrem, etiam amore complectitur filios, cùm sint aliquid patris. Atque ob hanc causam tota hac Epistola docet Ioannes, amorem Dei cum amore proximi necessariò coniungi.

VII. Nunc autem, vt paulo ante indicaui, proximi amorem ad fideles potissimùm pertinere insinuat, qui sunt eiusdem fidei, & gratiæ participes, & vt loquitur Apostolus Paulus a, *sunt corpus Christi, & membra de membro.* Sunt quidem mortales omnes ex caritate diligendi, sed præcipuè Christiana caritas complectitur fideles. Nam & Paulus Christianorum beneficentiam, ac liberalitatem ad omnes quidem vniuersim pertinere autumat, præcipuè autem ad domesticos fidei: hoc enim postulat ordinata caritas, de qua supra plura diximus. Vt enim in humano corpore, *si patitur vnum membrum*, vt loquitur Paulus, *compatiuntur omnia membra; & si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra:* non aliter fideles in compage corporis Christi caritatis nexu inter se coniunguntur. vnde meritò colligit Augustinus: *Cum ergo membra Christi diligis, Christum diligis, cùm Christum diligis, Filium Dei diligis, cùm Filium Dei diligis, & Patrem diligis. Non potest ergo separari dilectio. Elige tibi quid diligas sequuntur te cætera: dicas: Deum solum diligo, Deum Patrem. Mentiris. Si diligis, non solum Deum Patrem diligis; sed si diligis Patrem, diligis & Filium.* Itaque subdit Ioannes:

a 1. ad Cor. 12.26.

B

C

2. *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus.*

I. *Reciprocat* (inquit OEcumenius) *orationem, & ait, caritatem erga fratres, id est, erga filios Dei, caritatem erga Deum confirmare. Prius enim dixit: qui amat Deum, fratrem quoque suum amat. nunc è contrario: qui filios Dei (inquit) amat, Deum ipsum etiam amat. caritatisque erga Deum indicium caritatem erga fratrem esse statuit.* Atque ita veluti circulo quodam ab amore Dei tamquam à causa proximi amorem probat, rursus à caritate in proximos tamquam ab effectu caritatem in Deum confirmat. Caritatem autem Dei, quæ necessariò parit dilectionem proximi, perfectam intelligit, quæ cum obseruatione præceptorum coniuncta est, de qua Christus apud Ioannem: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* & vt ait Augustinus: *Qui Deum diligit, præcepta eius diligit, & illud præcipuè, de quo Christus ait: Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis.* Itaque rectè concludit Augustinus: *Omnino sic se tenet ista dilectio, quomodo ipsa compaginata est in vnum, sic omnes, qui ex illa pendent, vnum facit, & quasi conflat illos ignis. Aurum est, conflatur massa, & fit vnum aliquid, sed nisi feruor caritatis accendat, ex multis in vnum conflari non possunt.*

D

E

II. Ad mores pertinet, quod in præsentia scribit Augustinus, vt amorem Dei, & præceptorum eius obseruationem suadeat; *O homo* (inquit) *qui laboras amando auaritiam, cum labore amatur, quod amas; sine labore amatur Deus. Auaritia iussura est labores, pericula, trituras, tribulationes, & obtemperaturus es. Quo fine? vt habeas vnde impleas arcam, perdas securitatem. Securior fortè eras, antequam haberes, quàm cùm habere cœpisti. Ecce quid tibi iussit auaritia, implesti domum, timentur latrones: acquisisti aurum,*

perdidisti somnum. Ecce quid tibi iussit auaritia facere, & A
fecisti. Quid tibi iubet Deus? Dilige me. Et multa dein-
ceps in eamdem sententiam, quibus ostendit, nihil
esse aut facilius, aut vtilius caritate, qua Deus dili-
gitur. Non potest autem amor Dei à diuinorum
præceptorum obseruatione seiungi, quocirca Chri-
a cap. 14. stus apud Ioannem [a]: *Qui habet* (inquit) *mandata mea,*
& seruat ea, ille est, qui diligit me. Et: *Si quis diligit me,*
sermonem meum seruabit, & qui non diligit me, sermones
b cap. 2. *meos non seruat.* Et hic noster supra [b] dixerat: *Qui*
seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta
est. Acutè itaque Augustinus: *Opere* (inquit) *est*
demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appel-
latio.

II. Dixit autem Ioannes, hoc argumento facilè de- B
prehendere nos posse, vera nos caritate proximos
complecti, quia Deum diligimus, & præcepta eius
seruamus. Nam, vt ait Chrysostomus, *non satis est*
habere Dei præcepta, nisi diligenter seruentur. Qua ve-
rò ratione Dei præcepta & habentur, & seruen-
tur, explicat his verbis Augustinus: *Qui habet* (in-
quit) *mandata in memoria, & seruat in vita, qui habet in*
sermonibus, & seruat in moribus, qui habet audiendo, &
seruat faciendo, aut qui habet faciendo, & seruat perseue-
rando. Nec multo aliter Cyrillus: *Habet* (inquit) *man-*
data quicumque fidem suscepit, & tenaci memoria Euan-
gelicorum præceptorum cognitionem retinet. Seruat autem
si secundùm ea viuit. Habebat Dei præcepta Dauid,
c Psal. 118. qui alicubi dixit [c]: *In corde meo abscondi eloquia tua,* C
vt non peccem tibi. Itemque: *Dilexi mandata tua super*
d Psal. 39. *aurum, & topazion.* Et alibi [d]: *Vt facerem voluntatem*
tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis
mei. Hoc quippe fidelibus pollicetur Deus apud
e cap. 31. Ieremiam [e]: *Dabo* (inquit) *legem meam in visceribus*
eorum, & in corde eorum scribam eam. Quippe diuina
lex assidua mente, & cogitatione versanda est,
f Psal. 18. quod de se ipso non semel affirmat Dauid [f]: *Adiuua*
me (ait) *& saluus ero, & meditabor in iustificationibus*
tuis semper. Rursus: *In æternum non obliuiscar iusti-*
ficationes tuas. Itemque: *Meditabor in mandata tua,*
quæ dilexi. Denique: *In toto corde meo scrutabor manda-*
ta tua.

III. Neque aliud significauit Salomon [g]: *Mens* (in- D
g Prouer. 5. quit) *iusti meditatur obedientiam.* quæ leges, ac præce-
ptorum obseruationem maximè spectat. Hæc porro
assidua præceptorum meditatio mentem cælesti
quadam luce perfundit, diuináque prudentia im-
h Psal. 118. buit. sic enim loquitur Dauid [h]: *Quomodo dilexi le-*
gem tuam Domine, tota die meditatio mea est: super inimi-
cos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æter-
num mihi est super omnes docentes me intellexi, quia testi-
monia tua meditatio mea est: super senes intellexi, quia
mandata tua exquisiui. Hanc profectò sedulam diui-
næ legis memoriam, meditationémque grauissimis
i Deut. 6. verbis commendauit olim Deus [i]: *Erunt* (inquit)
verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & nar-
rabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, E
& ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens: & li-
gabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebun-
tur inter oculos tuos, scribésque eas in limine, & ostijs domus
k Num. 15. 38. *tuæ.* Quod ipsum alibi significauit cùm præcepit [k],
vt filij Israël faciant sibi fimbrias per angulos palliorum
ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cùm viderint, re-
cordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur
cogitationes suas, & oculos per res varias forni-
cantes, sed magis memores præceptorum Domini
faciant ea.

IV. Quis sit autem huiusce memoriæ, ac cogitatio-
l Psal. 1. nis fructus, illustri similitudine docuit Dauid [l]: *In*
lege (inquit) *Domini voluntas eius, & in lege eius medita-*
A *bitur die, ac nocte: & erit tamquam lignum, quod plantatum*
est secus decursus aquarum, quod fructum suum da-
bit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia,
quæcumque faciet, prosperabuntur. Verùm hæc medita-
tio ad praxim referenda est, vt quæ memoria reti-
nentur, etiam actione vsurpentur. Quocirca Chri-
stus Dominus apud Ioannem ait [a]: *Si præcepta mea* a cap. 15.
seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris
mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Vsque-
eo autem Dei præcepta seruanda sunt, vt mens
Christiana nihil iis antiquius, nihil pretiosius ha-
beat. Quocirca Dauid [b]: *Adhæsi* (inquit) *testimonijs* b Psal. 118.
tuis Domine, quasi ab iis auelli, separarive non posset.
& bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.
B Nullæ autem difficultates, nulli labores, nulla deni-
que pericula Christianum pectus à Dei lege seiun-
gere possint. Quod exemplo suo docuit Dauid: *Et*
custodiam (inquit) *legem tuam semper in sæculum, & in sæ-*
culum sæculi. Itemque: *Inclinaui cor meum ad faciendas*
iustificationes tuas in æternum. Quamobrem diuinæ le-
gis obseruatio à Dei amore diuelli, separarive non
potest. Dei enim amor obedientiam parit: at-
que ita Salomon [c]: *Dilectio* (inquit) *custodia legum il-* c Sap. 6.
lius est.

3\. *Hæc est enim caritas Dei, vt mandata eius custodia-*
mus, & mandata eius grauia non sunt.

C Pergit Apostolus in eodem argumento, & Dei I.
caritatem ipsam legis, ac præceptorum obseruatio-
nem definit. Est enim caritas ignea lex, atque idcir-
co ignis naturam imitatur, nec potest otiari, & for-
tasse ob hanc ipsam causam dicitur fortis, vt mors.
Quemadmodum enim nulla vi, nullóve conatu
prohiberi potest mors, quia suo tempore cunctos
demetit: non aliter caritas omnia, quamuis aspera,
ac dura, non solùm facilè superat, sed etiam leuia,
ac dulcia, & suauia reddit. Itaque Dauid cùm se
hoc cælesti igne cœlitus tactum sentiret: *Viam* (in-
quit) *mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor*
meum. Est quippe caritas latum illud mandatum, de
quo Dauid: *Latum* (ait) *mandatum tuum nimis.* Quo-
D circa Augustinus: *Latitudo* (ait) *mandati caritas est, quia*
vbi est caritas, non sunt angustiæ. Et aliquanto post: *Cari-*
tas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? in lato
habita: quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat,
quia illud diligis, quod non nocet. Homo Deum diligis, fra-
ternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis.
Hæc enim omnia amplissimo quodam ambitu ca-
ritas complectitur, quippe quæ vniuersam quo-
dammodo legem absoluit, ac perficit. Dixit enim
Christus: *In his duobus mandatis,* quibus videlicet
Deus, ac proximus diligitur, *vniuersa lex pendet, &*
Prophetæ.

In his duobus præceptis, vt monet Augustinus, II.
hæc tota Epistola versatur, in qua identidem Dei,
E & proximi caritas commendatur. In præsentia au-
tem Ioannes caritatem vocat obseruationem præce-
ptorum. Nec enim potest caritas consistere cum di-
uinæ legis violatione nam si, vt veteri prouerbio fer-
tur, amicorum idem est velle, ac nolle, profectò ami-
cus Dei esse non potest, qui eius voluntatem præce-
ptis expressam contemnit, cùm præsertim sacræ lite-
ræ prædicent, nihil esse Deo gratius, quàm vt ipsius
præceptis obtemperetur. Sic enim dixit alicubi Sa-
muel [d]: *Numquid vult Dominus holocausta, & victimas,* d 1. Reg 15. 22.
& non potiùs, vt obediatur voluntati Domini? Et Iere-
mias [e]: *Numquid non accipietis disciplinam, vt obediatis* e cap. 35. 13.
verbis meis? dicit Dominus. Denique Petrus [f]: *Obe-* f Act. 5. 29
dire (inquit) *oportet Deo magis, quam hominibus.*
Quamobrem

a In const. Mon. c. 26.
b or. ad ciu. Nazian.
c Conc. 2. in Psal. 70.

A

Quamobrem Basilius [a]: *Deus* (ait) *qui omnium Pater est, & appellari sua solius vult dignatione, summam à quibus colligitur obedientiam requirit.* Et Gregorius Nazianzenus [b]: *Subiiciamur* (ait) *tum Deo, tum alij aliis, tum iis, qui imperium in terra gerunt Deo quidem omnibus de causis.* Eleganter verò Augustinus de hac, quæ Deo debetur, obedientia hunc in modum disserit [c].

III. *Nemo potius sub præcepto audiuit à Domino Deo: Noli tangere. Quid? hanc arborem. Quid est enim illa arbor? si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso? prorsus ideo in paradiso est, quia bona est, sed nolo tangas. Quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem seruum. Ad hoc serue, sed noli malo. Serue audi priùs Domini iussum, & tunc iubentis disce consilium. Bona est arbor. Nolo tangas. quare? quia Dominus sum, & seruus es, hæc tota causa est; si parua est, dedignaris esse seruus. Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? si autem debuit aliquid iubere, vt te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam inobedientiam.* Caritas itaque annexam habet obedientiam, & legis obseruationem, vt enim supra, auctore Augustino, monui, nemo verè eum diligere dicitur, cuius præcepta contemnit. Caritas ergo, qua Deus diligitur, omnia diuina præcepta complectitur; vt autem ostendat Ioannes vim, atque efficacitatem caritatis, subiicit:

B

IV. *Et mandata eius grauia non sunt.* Monet OEcumenius post Didymum, non dixisse Ioannem: mandata eius leuia sunt, cùm tamen Christus apud Matthæum dixerit [d]: *Iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue.* sed maluisse dicere: grauia non sunt: *Propterea quòd* (ait) *ei qui in virtute prouectus iam est, etiam ea, quæ valde grauia sunt, leuia habentur. Ita si quis fortitudinem, ac tolerantiam, quæ honesta omnia efficit, amiserit, grauia, vel leuissima quæque æstimabit.* Mox autem subdit: *Propterea* (inquit) *mandata Dei grauia non sunt, quid enim grauitatis, & molestiæ in se habet, fratrem amare? quid visere eos, qui in carcere sunt, graue ne est? Non enim è carcere educere, ac liberare, quod molestiam quandam præ se ferre, sed inuisere tantummodo iubet. Neque ægro tantum morbo liberare, sed visere, neque esurientem opipara mensa excipere, aut nudum pallio ornato; ac magnifico induere præcipit, sed ea tantum exhibere, quæ necessaria indigentiæ succurrant, quàm & qui esurit, nudus est, requirit.*

d cap. 11.

C

V. Rectè autem monuit Augustinus [e], verè dictum esse: *Et præcepta eius grauia non sunt, vt cui grauia sunt, consideret non potuisse diuinitus dici, grauia non sunt, & petat quæ destituitur, vt impleat quod iubetur. Quomodo est enim graue, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & graue est, aut diligit, & graue esse non potest.* Atqui non exiguam difficultatem in obseruatione legis agnouisse videtur Propheta, cùm dixit [f]: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Neque aliud indicasse videtur Christus cùm apud Matthæum exclamauit [g]: *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Eamdemque difficultatem agnouisse videntur Apostoli, quorum sunt hæc verba [h]: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* An dixit Ioannes, Dei præcepta non esse grauia, quòd nullo onere premant, aut animum degrauent, & ad hæc ima, atque caduca deprimant? sic omnino sensit Didymus, *Non enim* (inquit) *sicut peccatum comparatum talento plumbi significat onus maximum vergens deorsum, ita virtus, quæ è diuerso constituta est. Hæc namque volentes se eleuat, & excelsos facit sic, itaque etiam mandata Dei dum sunt, leuia sunt, & nullo onere deprimunt. Si quis autem accedens ad ea, non sicut oportet, ea grauia esse dicat, suam infirmitatem magis accuset. His namque qui robur omnino non habent, grauia indicantur, & ea valde leuissima vnde non scripsit: mandata eius leuia sunt, sed ait, grauia non sunt, illud solum asserens, quod deorsum non trahit, & sursum vehit, vt iustè sectemur, quod iustum est, experimento vtique cognoscentes, quia Christi iugum leue est, suauitatem obtinens copiosam.*

e lib. de nat. & gra. c. 69.
f Psal. 16.
g cap. 7. 14.
h Act. 14.

D

E

VI. An amanti, & caritate prędito grauia, hoc est, aspera, aut difficilia non sunt, cùm omnia leuia, ac prope nulla faciat amor? Sic olim Iacobo Rachelis amore capto videbantur dies pauci præ amoris magnitudine, tametsi multorum annorum, & acerbam seruitutem seruiret. Hoc ipsum significauit Salomon: [a] *Viam* (inquit) *sapientiæ monstrabo tibi, & ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Et profectò Dei præcepta leuia, & facilia reddit primùm quidem fides, quæ Spiritus sancti gratiam impetrat: deinde certa cælestium, ac diuinorum bonorum spes, & expectatio: ardens denique in Deum caritas. Dixit autem Christus, portam esse angustam, & arctam viam, si Dei præcepta cum iis conferantur, qui diuinæ gratiæ præsidio destituuntur, quíque rebus humanis, & caducis affixi suis voluptatibus indulgent. Nam qui caritate præditi sunt, etiam si rebus aduersis premantur, cum Apostolo in tribulationibus gloriantur. Adeò enim caritatis nexu cum Deo astringuntur, vt cum eodem Apostolo verè possint affirmare, nihil esse sub cælo, quod eos à caritate, quæ est in Christo Iesu, auellere queat. Quamobrem rectè subdit Ioannes:

a Prouer. 5.

4. *Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

I. OEcumenius hæc cum superioribus hac ratione connectit: *Per transitionem* (inquit) *legenda hæc oratio est hoc modo: hæc est caritas Dei, vt mandata eius seruemus, quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Significat enim caritate præditos, diuinæ gratiæ præsidio nixos facilè difficultates omnes superare: *Omne* (inquit) *quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Dixerat paulo ante illos ex Deo natos esse, qui fide viua credunt, Iesum esse Christum. Addit nunc eos, qui ex Deo nati sunt, mundum vincere, ac superare. Mundi autem nomine, vt ego interpretor, ea intelligit, quæ in mundo sunt, hoc est, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Hæc enim sunt, quæ, vt ait Paulus, militant aduersùs animam, & Dei legem non solùm oppugnant, sed plerumque etiam hominum vitio expugnant. Superantur autem ab iis, qui ex Deo nati sunt, qui re ipsa præstant, quod alicubi monet Paulus: *Si secundùm carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Itemque illud: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Hoc quippe tantummodo illi perficere possunt, qui tamquam noua creatura nati sunt ex Deo, quique mundo, eiúsque prauis cupiditatibus nuntium remiserunt, quales erant Apostoli, de quibus ait Christus: [b] *Si de mundo essetis, mundus, quod suum erat, diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

b Ioan. 15.

II. Filij itaque Dei mundum vincunt, non quidem vi sua, sed potestate ab eo accepta, qui apud Ioannem dixit: [c] *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Christus quippe fortem illum armatum

c cap. 16. 33.

eum superauit, quem alibi principem mundi ap- A
pellat, quem dominatu, seu potius tyrannide de-
iecit. Cùm igitur ille principem mundi superaue-
rit, mundum verè vicisse dicitur. Atque ita cùm
vires dæmonis attriuerit aut etiam fregerit, eo du-
ce, & adiutore sperare possunt Dei filij se quoque
mundum superaturos. Id olim significauit his ver-
a cap. 17. bis Ieremias [a]: *Benedictus vir, qui confidit in Domino,*
& erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum, quod
transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit ra-
dices suas, & non timebit, cum venerit in æstus. Ipse
enim Christus in nobis, & nobiscum pugnat, ac
b 2. ad Cor. 15. 57. vincit, vt meritò dixerit Apostolus [b]: *Ipse dedit no-*
c Psal. 26. *bis victoriam.* Et Dauid [c]: *Dominus illuminatio mea, &*
salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à B
quo trepidabo? si consistant aduersùm me castra, non ti-
mebit cor meum: si exurgat aduersùm me prælium, in hoc
d cap. 12. *ego sperabo.* Et in eamdem sententiam Isaias [d]: *Ecce,*
(inquit) *Deus Saluator meus, fiducialiter agam, &*
e c. 2. 13. & 14. *non timebo.* Hic autem noster supradixerat [e]: *Scribo*
vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. Et rur-
f cap. 4. 4. sus [f]: *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum,* (mundum
videlicet) *quoniam maior est, quæ in vobis est.* Et in
g c. 12. 11. Apocalypsi [g]: *Et ipsi* (inquit) *vicerunt eum propter*
sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui.

III. Vicisse autem dicimur, non quòd nulla reliqua
sit pugna, sed quòd nobis per Christi mortem vin-
cendi potestas facta est. Vicimus, quia si volumus, C
diuinæ gratiæ præsidio fulti vincere facilè possu-
mus, alioqui perpetuam in nobis luctam experi-
mur, *quia caro concupiscit aduersùs Spiritum, & Spiritus*
aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur. Ve-
rèque affirmare possumus, quod Paulus ait: *Sentio*
aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis
meæ, & captiuantem me in legem peccati. Quin etiam
extrinsecus magna nobis restat pugna, vt ait Pau-
h ad Ephes. 6. 12. lus [h]: *Non aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduer-*
sùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores tenebra-
rum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Sed
l ad Gal. 5. vt idem Apostolus ait [l]: *Qui Christi sunt, carnem suam*
crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Hoc enim
est mundum vincere, quod hoc loco ait Ioannes.
Ne quis autem Pelagiano errore corruptus sibi, ac D
suis viribus victoriam tribuat: *Omne* (ait) *quod na-*
tum est ex Deo, vincit mundum. Quasi dicat, diuinitus
vires suffici, vt vincere possimus, alioqui *maledictus*
k cap. 17. *vir,* ait Ieremias [k], *qui confidit in homine, & ponit car-*
nem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit
enim quasi myrice in deserto, & non videbit, cùm venerit
bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsu-
ginis, & inhabitabili. Planè perinde illi accidit, quasi
fragili, & arundineo innitatur baculo, qui si fran-
gitur, innitentis manum vulnerat & cruentat. Ita-
l lib. 4. c. 18. que in libris Regum dixit quidam [l]: *An speras in*
baculo arundineo, ac confracto Ægypti? super quem si
incubuerit homo, & comminutus ingredietur manum eius,
& perforabit eam? sic est Pharao Rex Ægypti omnibus,
m cap. 29. *qui confidunt in se.* Eodemque modo Ezechiel [m]: *Pro* E
eo quòd fuisti baculus arundineus domus Israël, quando
apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti om-
nem humerum eorum, & innitentibus eis super te commi-
nutus es, & dissoluisti omnes renes eorum. Itaque rectè
ait Augustinus, Pelagianos dum liberi arbitrij vires
extollunt, eas potiùs præcipites agere, & elidere.

IV. Eademque opera Ioannes Lutheranos refellit,
qui ne diuina quidem gratia instructos, ac robora-
tos vincere posse autumant, sed iis esse Dei præce-
pta non solùm ardua, & difficilia, sed planè eius-
modi vt perfici obseruarique non queant. Ita re-
cta incedendum via monet Apostolus, neque al-
teram in partem declinandum, ne cum Pelagia- A
nis plus æquo libero tribuamus arbitrio, vel cum
Lutheranis vim, ac potestatem gratiæ denege-
mus: quippe illi, qui ex Deo nati sunt, non huma-
ni arbitrij viribus, sed diuinæ gratiæ præsidio vin-
cunt, & victoriam non sibi, sed Deo adscribunt, in
quo nihil non potest humana libertas, cùm apertè
dicat Paulus: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quã-
obrem meritò subiicit Ioannes: *Et hæc est victoria, quæ*
vincit mundum, fides nostra. Illa videlicet fides, quæ per
dilectionem operatur, totaque à diuinæ gratiæ bene-
ficio pendet.

Nec malè Didymus: *Hæc est* (inquit) *victoria, quæ* V.
vincit sæculum, id est, fides, quam habemus credentes Iesum
esse eum, qui prophetatus est Christus. His igitur infert, quia
necessariò consequens est, vt qui credit Iesum esse Filium B
Dei, victoriam habeat contra mundum fides nostra. Hoc
apertè innumerabilium Martyrum triumphi decla-
rât, vt enim scribit Tertullianus: [a] *Arrius Antonius cùm* a Ad Scapu.
persequeretur instanter in Asia fideles, omnes illius ciuitatis
Christiani ante tribunal eius manu facta obtulerunt. Et Ni-
cephorus: [b] *Diocletiani tempore* (ait) *cum natalis dies Chri-* b lib. 7. hist. c. 6.
sti festiuus adesset, viginti millia Christianorum in templo à
tyranno conclusa igni conflagrare maluerunt, quam tantil-
lum à Christianæ fidei stabilitate deflectere. Hac porrò ani-
mi constantia permoti olim Philosophi, & Oratores
etiam ipsi fidem Christi cõplexi sunt. Quamobrem
in hæc verba scripsit Lactantius: [c] *Cùm ab ortu Solis* c lib. 5. diuin. inst. c. 13.
vsque ad occasum lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, C
omnis ætas, & gens, & regio vnitis, ac paribus animis Deo
seruiant, eadem sit vbique patientia, idem contemptus mor-
tis intelligere debuerant aliquid in ea esse rationis, quod non
sine causa vsque ad mortem defendebatur, aliquid funda-
menti, ac soliditatis, quod eam religionem non tantum iniu-
rijs, ac vexatione non soluat, sed augeat semper, & faciat fir-
miorem. Atque hac potissimùm ratione Iustinus Mar-
tyr affirmat adductum se ad fidem Christianam es-
se, quòd animaduerteret cordatos, ac sapientes viros
pro religione non modò fortunas, ac bona omnia
contemnere, sed etiam acerbissimos cruciatus, atque
adeò mortem non tantum forti, & constanti, sed
etiam hilari animo subire.

Et sanè fides mundum meritò dicitur vincere, VI.
quod omnes prauas animi cupiditates rationi, ac di- D
uinæ legi penitus subiiciat, vt nihil omnino sub cælo
reperiri queat, quod fidelium animos ab instituto
virtutis cursu aut reuocet, aut retardet. Quod aper-
tissimè insinuauit Apostolus, cùm ad Romanos scri-
psit: [d] *Certus sum, quia neq; mors, neque vita, neque angeli,* d cap. 8. 38.
neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque fu-
tura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque
creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in
Christo Iesu Domino nostro. Unde enim (ait Hierony-
mus [e]) *certus erat nisi ex fidei firmitate?* Vincit præterea e Ad Gal.
fides mundum, quia inanem, & superuacaneam cu-
riositatem compescit, ne mens humana vltra fidei
terminos temerè vagetur. Quam ob causam scri-
psit [f] Tertullianus: *Nobis curiositate opus nõ est post Chri-* f lib. de præscrip.
stum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, cum credimus E
nihil desideramus vltra credere: hoc enim prius credimus,
non esse quod vltra credere debeamus. Et post nonnulla:
Cedat curiositas fidei, cedat gloria humana scilicet sapien-
tiæ, ac rationis salutis. Nec multo aliter Basilius: [g] *In vni-* g In Psal. 115.
uersum (ait) *si fides substantia est earum, quæ sperantur rerum,*
& earum, quæ non videmus argumentum, ne mihi in curio-
sius, anxiusque contendas videre, quæ longiore seposita sunt
interuallo, non quæ speras te olim consecuturum, in ambiguam
reuoces, dubiamque partem, quod ad ea nondum poteris
certa notione pertingere.

Quamobrem mira est dignitas, ac præstantia fidei VII.
quam Clemens [h] Alexandrinus doctrinæ perfectio- h lib. 1. Pædag. c. 6.
nem appellat, cui nihil desit. Basilius [i] sacrorum quæ i in Psal. 115.
de

de Deo sunt, eloquiorum ducem nominat. Ambrosius[a] verò ità de fide loquitur: *O thesauris omnibus opulentior fides! ô virtutibus corporis omnibus fides fortior! ô medecis omnibus salutarior!* Alibi[b]: *Fides (ait) virtutum omnium stabile fundamentum est.* Denique[c]: *Mater martyrij fides Catholica est.* Chrysostomus porrò[d]: *Fides est ergo (ait) iustitia, & sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum, nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit.* Addo Eusebium Emyssenum, si tamen is est auctor[e]: *Fides (inquit) religionis Catholicæ lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Hanc nobis velut magnam lampadem Christus aduenien erranti bus viam monstraturus exhibuit, per quam possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inueniri.*

a lib. 3. de Virg.
b in Psal. 40.
c de ser. SS. Naz. & Cel.
d sc. de fide, spe, & carit.
e Ho. 2. de symb.

VIII. Sed mirificè fidem laudat Augustinus his planè verbis[f]: *Non enim fides nihil est, sed magnum aliquid, quàm si habes, profectò accepisti, quid enim habes, quod non accepisti?* Et mox: *Laus fidei à me explicari nullatenus potest, sed à fidelibus cogitari potest. Porro si ex aliqua parte vt dignum est, cogitetur, quàm multis donis Dei ipsius præferatur?* Et alibi[g]: *Nulla sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat.* Denique Bernardus[h]: *Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, reprehendit nouissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. Fidenter dixerim æternam, beatámque Trinitatem, quam non intelligo, credo, & fide teneo, quod sana non capio mente.* Hæc igitur fides illustrem quandam victoriam de vniuerso mundo reportauit. Cùm enim omnes gentes, ac nationes impio Gentilium errore, ac nefario idolorum cultu tenerentur implicitæ contrà nitentibus tyrannis, & nihil non molientibus Philosophis Christiana sacra piè, ac religiosè susceperunt, & posthabitis humanæ sapientiæ decretis fide credere cœperunt, quod humana ratione assequi nequaquam potuissent. Sic olim virga Mosis in serpentem conuersa vorasse dicitur magorum virgas, indicans fidem, quæ humanæ rationi absona, atque absurda videri solet, de tyrannis, atque Philosophis gloriosissimè triumphantem.

f ser. 38. de verb. Apost.
g ser. 1. de verb. Apost.
h ser. 76. in Cant.

IX. Hanc sanè tam insignem victoriam ex adiunctis, & iis, quæ deinceps consequuta sunt, graphicè describit Augustinus[i]: *Parum ne (ait) consultum rebus humanis arbitratis, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensum attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium, fœminarúmque in tam multis diuersisque gentibus, & credit, & prædicat? quod continentia vsque ad tenuissimum victum panis, & aquæ, & non quotidiana, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia, quod castitas vsque ad coniugij prolisque contemptum, quod patientia vsque ad cruces, flammásque neglectas, quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius huius mundi aspernatio vsque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hoc faciunt, pauciores bene, prudentérque faciunt, sed populi probant, populi audiunt, populi fauent, diligunt postremò populi. Populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Hoc factum est diuina prouidentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem, doctrinámque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula.*

i lib. de vti. cred. c. 17.

A X. Pergit deinde, & ea omnia, quæ enumerauit, fidei Catholicæ tribuenda docet: *Cum igitur (inquit) tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit?* Hæc igitur est victoria, quæ vincit mundum fides nostra, quæ diuinitus fidelium mentibus indita ea efficit omnia, quæ numerat Augustinus, & alia sexcenta, quæ à Paulo Apostolo indicantur, cum omnia propemodum, quæ laudabiliter à viris sanctis ab ipso mundo condito gesta sunt, fidei accepta refert. Qualis autem fides hanc mun-B di victoriam assequatur, non quidem vniuersim, sed pro sui sæculi ratione ad hæreticorum qui tunc grassabantur, impietatem refellendam planius explicans subiicit:

5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?*

I. Non ita angustè fidei laus accipienda est, cùm amplissimè de fide loquens Paulus in Epistola ad Hebræos apertè dixerit: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam.* & quæ deinceps sequuntur. Sed Ioannes vt fidelium periculo occurreret, illud potissimùm fidei dogma commendat, quod eo tempore ab hæreticis oppugnabatur: hæretici enim æuo il-C lo Apostolico Christi diuinitatem magna ex parte negabant, quorum princeps fuisse videtur Cerinthus, quem Ioannis fuisse æqualem scribit Irenæus,[a] de quo plura Theodoretus,[b] Dionysius[c] Alexandrinus, & Eusebius.[d] Socium eiusdem erroris habuit Ebionem, aduersùs quem, vt ait Hieronymus,[e] scripsit Ioannes suum Euangelium, vbi Christi diuinitatem apertissimè asserit. Monet itaque Apostolus fidem, quæ mundum superauit, Christi potissimùm diuinitatem asserere, quam deinde in sequentibus sæculis aduersùs plurimos hæreticos, & præcipuè Arianos constantissimè Ecclesia professa est: eam porro primus Petrus Apostolus pronuntiauit cùm dixit:[f] *Tu es Christus Filius Dei viui.* & ob eam caussam meritò audiuit à Christo: *Et ego dico tibi, quia tu es Pe-D trus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* nimirum Petrus hac fidei soliditate roboratus, dignissimus habitus est, cui Ecclesiæ Catholicæ structura tamquam stabili fundamento niteretur. Nec ad Ecclesiam Christi quisquam pertinere potest, qui ab Petri fide sit alienus. Nec dubium est, Iesum filium Dei non adoptione, sed natura appellari, vt autem supra monui, fidem exigit viuam. Itaque Bernardus ad hunc Ioannis locum alludens ita planè scribit:

a lib. 1. c. 25. & lib. 3. c. 3.
b lib. 2. de hæret. fab.
c lib. 2. de promiss.
d lib. 3. hist. c. 21.
e De vir. illust. in Ioan.
f Mat. 16.

II. *Quid ergo*[g] (ait) *quis est Filius Dei, cum & ipse tam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones, & credunt, & contremiscunt? Sed dico, putas ne Filium Dei reputat Iesum E quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nónne is etiam si fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porro fides sine operibus mortua est in semet ipsa, nec sanè mirum videri potest, si nequaquam vincit, quæ nec viuit quidem.* Frustra itaque Christi diuinitatem huius sæculi hæretici prædicant, siue quia vera, ac supranaturali fide destituuntur, siue quia, vt ait Paulus, cùm Deum cognoscant, non sicut Deum glorificant, cuius sponsam Ecclesiam mirè vexant, & in partes scindunt, ac lacerant. Cùm igitur Ioannes ait, eum vincere mundum, qui credit Iesum esse Filium Dei, veram exigit fidem, non humanam opinionem, & quidem viuam fidem, quæ cum caritate coniungitur, à qua longe aberant illi, de quibus Ioannes in

g ser. 1. de trib. testim. in cælo, & in terra

ecap.12.42. nes in Euangelio ait [a]: *Multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur, dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* Vera autem fides vincit mundum, hoc est, omnem difficultatem superat, & quod corde credit, liberè, si res postulet, ore confitetur. Itaque Lactantius [b]: *Fides quoque* b In ep. diui. inst. (ait) *magna iustitiæ pars est, quæ maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus, conseruanda est præcipuè in religionem, quia Deus prior est, & potentior, quàm homo. Itaque cùm inciderit huiusmodi necessitas, vt discedere à Deo, atque ad ritus gentium transire cogamur, nullus nos metus, nullus nos terror inflectat, quominus creditam nobis fidem custodiamus.*

III. Hoc omnium olim strennè præstiterunt innumerabiles Martyres, qui ne Christi fidem desererent, acerbissimos cruciatus constantissimè tolerarunt, dum sanguinem, ac vitam pro Christo profunderent, innumerabiles mortales diuina fide imbutos Christo aggregarunt, vt acutè admodum dixerit Tertullianus, crescere nos, dum metimur, & martyrum sanguinem semen esse Christianorum. Verissimè enim dictum est à Leone Pontifice: *Non minuitur Ecclesia persecutionibus, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum singula grana, quæ cadunt, multiplicata nascuntur.* Fides itaque diuinitatis Christi mundum superauit, quia errorem Gentilium funditus sustulit, & subinde exorientes hæreses extinxit. Quamobrem rectè OEcumenius: *Omnem* (inquit) *fides perfidiam vicit, atque eiecit, ita vt neque Iudæus, neque Græcus, neque hæreticus quampiam vim aduersus ipsam habeat.* Nec mirum superesse interdum in Ecclesia frequentia hæreticorum prælia, id enim accidit non sine occulto diuinæ prouidentiæ consilio, ne nimia pax & securitas materiam præbeat languoris, & desidiæ. vt enim ait
c In Psalm. 118. ser. 9. Ambrosius [c], *remissas excubias callidus insidiator irrumpit, assuetum autem bello virum externa fraus instruit, & gloriosè prouehit palmam victoriæ. Pax ergo fidei corruptelæ materia est.*

6. *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine: & Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veru.*

I. Quoniam proximè dixerat, Iesum esse verum Dei filium non adopriinne, sed natura, id pluribus argumentis confirmat. Ac primùm quidem, quia hic est, inquit, qui venit per aquam, & sanguinem, hoc est, quem diuina Prnphetarum oracula venturum prædixerant per aquã, & sanguinẽ. Græcè est ὁ ἐλθὼν, quod Syriacus bene vertit: *Hic est ille veniens.* quem videlicet Prophetæ venturum sæpiùs dixerãt. Innumerabilia autem propemodum sunt vaticinia Prophetarum, quæ Christi ad nos aduentum pollicentur. Sed quid significet Ioannes, cùm addit, venisse Christum per aquam, & sanguinem, non planè liquet. OEcumenius hæc putat idcirco scripta esse à Ioanne, quoniam dixerat, aliquos ex Deo natos esse, quod vi baptismi perficitur, idcirco subdit, venisse Christum per aquam, & sanguinem, vt nos regeneraret, ac filios Dei faceret per aquam, & sanguinem. Quorsum autem aquam, & sanguinem nominet, sic planè explicat: Non in aqua solùm nos regenerat, sed in aqua, & sanguine: voluit enim prius Christi, qui nos in filios adoptauit, declarationem ostendere, qui cùm homo, qui in ipso erat, adoptatus in filium à Deo fuisset, ipse nobis quoque per suam adoptionem eiusmodi dignitatem gratificatus est. Aquam porro ad Iordanis baptismum refert, quod
d lib. de bap. cap. 16. ante illum dixerat Tertullianus [d], tunc enim paterno testimonio probatum est, Christum esse verum

A Dei filium. *Per aquam igitur* (ait OEcumenius) *id est, in baptismate per aquam Iesus Patris testimonio Filius Dei est declaratus: at per sanguinem quando cùm prope erat, vt transfigeretur, dixit: Glorifica me tu Pater, & vox delata est, quæ dicebat: Et glorificaui, & iterum glorificabo. Per spiritum verò est manifestatus, quando è mortuis tamquam Deus resurrexit.*

Sed, vt verum fatear, non facilè probare possum, quod ait OEcumenius, hæc cum superioribus connectenda esse, vt ostendat Ioannes, quomodo nos ex Deo nascamur. Malim omnino proximè superioris sententiæ, vt paulo ante dixi, probationem afferri. Nam quæ de Christi adoptione in Iordanis baptismo perfecta scribit, ne probanda quidem sunt, siue quia, II.
B vt alibi docui, non propriè Christus dicitur adoptatus, siue quia siqua ratione adoptio Christo tribuenda est, multo ante baptismum, hoc est, ipso primo incarnationis articulo concedenda est, cùm humana natura diuinitate delibuta omnem gratiæ plenitudinem adepta est. Adde, quòd Patris testimoniũ ad Iordanis amnem de Christi diuinitate, non de humanæ naturæ creata, siqua est, filiatione accipiendum est. Non iuerim tamen inficias, paternum illud testimonium in Christi baptismo editum vtcumque indicare, nos vt baptismi renasci, Deique filios adoptari. Probat igitur Ioannes Christum esse Dei filium, quia is est, quem prophetæ per aquam, & sanguinem venturum prædixerant. Etenim Ezechiel baptismum
C à Christo instituendum indicat his verbis: *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.* Non me fugit existimasse nonnullos aquæ nomine diuinam sapientiam significari, de qua Sapiens [a] ait: *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, &* a Eccl. 15. 3.
aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Neque enim dubitandum est, venisse Christum tamquam cælestem magistrum, qui diuinam sapientiam ad nos attulit, de qua apud Ioannem dicebat, *quæ audiuimus, loquimur, & quæ vidimus, testamur.* Et rursus: *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Denique: *Ego non à me ipso loquor, sed qui me misit, verax est.*

Nec defuerunt, qui aquam referrent ad Gentium III.
D multitudinem, quam Christus cælesti fide imbuit, & sibi aggregauit, siquidem in Apocalypsi [b] scriptum b cap. 12.
est: *Aquæ multæ populi multi.* Sed hæc, vt verum fatear, mystica sunt, & ad symbolicam Theologiam pertinent. Cæterùm si mens Apostoli spectetur, loquitur ille de aqua baptismi, cui Christus Dominus in Iordane sanctitate quadam perfusæ vim, atque efficacitatem largitus est, vt ad omnia expianda scelera, si ritè adhibeatur, ipsius Christi nomine, atque auctoritate valeat. Itaque ipso statim suæ prædicationis exordio baptismum à Ioanne percepit, & paterno testimonio cælestis, ac diuinus magister declaratus est, cui ab omnibus obtemperandum sit. Addit Ioannes *sanguinem*, vt Christus Mosaicis ablutionibus, & Ioannis baptistæ baptismo præferatur. Fuit enim san-
E guinis nostræ redemptionis pretium: quod non obscurè significauit Isaias, [c] cùm ait: *Quare ergo rubrum* c cap. 63. 2.
est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. Hæc enim de effusione sanguinis Christi explicant
Tertullianus [d], & Cyprianus. [e] Nec malè spectasse d lib. 4. con. Marcion.
creditur Ioannea aquam, & sanguinem, quæ à Chri- e lib. 2. ep. 3.
sti Domini iam vita functi vulnerato pectore fluxerunt, Quæ duo potissimum sacramenta indicabant, Baptismum, & Eucharistiam, quibus vita spiritualis & inchoatur, & conseruatur: baptismo enim nascimur, Eucharistia nutrimur.

IV. Verùmque autem Christi diuinitatem confirmat, A vis enim baptismi, qua peccata expiantur, diuinam omnino exigit potestatem, transubstantiatio autem panis & vini in corpus & sanguinem Christi non nisi vi, ac potestate diuina perfici potest. Quocirca vt rei dignitatem, maiestatémque confirmet, addit, *non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine:* vt quod paulò ante dixi, ostendat Christi aduentus dignitatem, ac præstantiam, qui non solùm baptismum instituerit priscis Iudæorum ablutionibus persimilem, sed vi sui sanguinis cælestem illi vim tribuerit, de qua admiratione plenus dixit Ambrosius. *Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Sanguis igitur Christi pro nostra salute effusus multis in veteri lege sacrificiis indicabatur, quia in illa veteri lege, vt ad Hebræos scribit Apostolus, *sine sanguinis effusio-* B

a Hebr. 9. 13. *ne nō fit remissio.* Et vt idem ait:[a] *si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationē carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritū sanctum semetipsum obtulit immaculatū Deo, emundabit conscientiā vestrā ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Et paulo antea apertissimè docuerat discrimē inter veteris, ac noui Testamenti expiationes, tunc enim *munera* (inquit) *& hostiæ offerebantur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientē, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis.* At verò in nouo Testamento *Christus autē* (inquit) *assistens Pontifex futurorū bonorū per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factū,* id est, non huius creationis, *neque per sanguinē hircorum, & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.* C

V. Sed esto, venerit Christus per aquam, & sanguinem, instituerit Sacramenta baptismi, & Eucharistiæ, numquid hæc eius diuinitatem apertè probant? Pertinet, fateor, sacramentorum institutio ad potestatem, quam Theologi vocant excellentiæ, sed ea potuit viro cuipiam sancto permitti, qui Deus nō esset. Nihil igitur hoc argumento Ioannes efficit, sed nimirum hæc perinde accipienda sunt, vt illa apud Ioannem Christi verba: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Neq; enim Christi miracula si per se solitariè spectētur, eiusmodi erāt, vt necessariò minimèque fallenti argumento eius diuinitatem astruere possent, cùm ipse alibi dixerit, fideles adhuc multo maiora effecturos. Sed si inspiciātur adiuncta, quæ miracula circumib[illegible], diuinitatē perspicuè indicabant. Persimili igitur ratione aqua, & sanguis, de quibus hoc loco loquitur Ioannes, si per se tantùmodo inspiciantur, minus idoneè Christi diuinitatē confirmant: sed si hæc præcipua cū cæteris coniungātur, quæ Christus gessit in vita, magnā omnino vim habent ad eius diuinitatem stabiliendā. Itaque cū fideles baptismo expiandos præcepit, formam his verbis expressit *baptizates eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* vbi se Trinitatis secūdā personam, atque adeò Deum æqualem Patri indicat. Cùm igitur fideles baptismi formam non ignorarent, inde Christi diuinitatem meritò confirmat. D E

VI. b Ioan. 6. Nec frustra addidit, sanguinem, hoc est, Eucharistiæ sacramentū, Christus enim docuerat[b], nō Moysem dedisse populo panem de cælo verum, sed hoc esse Dei parentis eximiū, ac singulare munus, se verò esse verum, ac viuum panem cælitus à Deo missum. Additque: *sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrē, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* indicans se non aliter, ac Deum Patrem eadem omnino vi, & potestate vitam largiri, atque ita argumēti vis vtcumque constat, nec minimū apud eos valet,

A qui Catholicam fidem retinet, & incarnationis mysterium probè norunt, cuiusmodi erant ij, ad quos Ioannes hanc epistolam scribit. Interim autem diuinam in nos liberalitatem, ac munificentiam summè extollit, quod aqua baptismi omnia nostra scelera, atque flagitia ablui, ac penitus deleri voluerit, & suo sanguine nos à dæmonis seruitute eruerit, vt meritò dixerit Petrus: *Non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso Christi sanguine redempti estis de vana vestra conuersatione.*

Et spiritus (inquit) *est qui testificatur, quoniā Christus est veritas.* Græci codices hoc loco à Latinis nōnihil discrepant, sic enim habent: ϗ τὸ πνεῦμα ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἀλήθεια, hoc est, *spiritus est, qui testificatur, quoniam spiritus est veritas.* At Latini constanter habent, *testificatur, quia Christus est veritas.* Si Græcos sequamur, sensus erit; spiritus diuinitati Christi testimonium præbet, & quidē omni exceptione maius, cùm spiritus sit ipsa veritas, quę nec falli, nec fallere potest, vt spiritus nomine, vt multi apud Oecumenium volunt, Deum, vel ipsum etiam Spiritum sanctū significet. Sin Latina lectio placeat, quæ omnino retinenda videtur, significabit Ioannes spiritum Christi diuinitatem astruere, dum probat eum esse primam, ac summam veritatem, ab ignoratione, atque errore penitus alienam. Sed quid nomine spiritus intelligendum sit, nondum planè liquet. Beda, & alij quidam Spiritum sanctum intelligunt, alij doctorem spiritalem, nonnulli spiritum Christi, quē in cruce moriens emisit, quibus fauet Augustinus[a], vel quem rediuiuus recepit ab inferis resurgēs, quod indicat OEcumenius. Denique sūt qui iustorū spiritum accipiant tāquam Spiritus sancti effectū, quo renouati & vncti edocentur. Vt enim hic ipse Ioannes dixit, *vnctio docet de omnibus.* Quocumque igitur modo spiritus accipiatur, diuinitati Christi testimoniū præbet. Certè vt ab hac postrema explanatione ordiamur, hic ipse[b] supra: *Et vos* (inquit) *vnctionē quā accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo.* Et alibi[c]: *Scimus quoniam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis.* Sic etiam alibi[d]: *In eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* & hoc ipso capite: *Qui credit in Filiū Dei, habet testimonium Dei in se.* VII. B C D

a lib. 3. cont. Maxim. c. 22.
b cap. 2. 27.
c cap. 3. 24.
d cap. 4. 13.

VIII Sed vt verum fatear, hoc qualecumque spiritus testimonium ad Spiritum sanctum refero, qui in cordibus iustorum testimonium reddit spiritui nostro: agit enim in cordibus hominum, vt credant & Christi diuinitatem, cæteráque eius mysteria non modò facilè admittant, sed ardentissimè complectantur. Quamobrem dixit alicubi Chrysostomus[e]: *Nullus prætextus quòd ignorans virtutē negligat, vel quòd nō habeat aliquē viæ ducē, & demonstratorē: sufficientem enim magistrum habemus conscientiam, & fieri non potest vt quis illo adiumento priuetur.* Hinc oritur mentis quædam tranquillitas, & securitas, qua ita fidei adhærent, vt de se potius, ac de propria vita dubitare possint, quā de iis, quæ fide credenda proponuntur. Itaque Hieronymus[f]: *Vis* (inquit) *scire quantus sit ardor bene credentium? Audi Apostolū: Et si nos, aut Angelus de cælo aliter euangelizauerit vobis, anathema sit.* Cui consentit Ioannes noster[g]: *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.* Magna est enim fidei simplicitas, vt obseruauit Chrysostomus[h], cū de Abrahę fide dissereret: ait autem Apostolus[i], habere omnes fideles eumdem spiritum fidei, hic ergo spiritus testificatur, quoniam Christus est veritas, cui tutò fides nostra innititur. Iniquum enim, ac prorsus impium esset, vt ait Basilus[k], ea in dubium E

e Hom. 54. in Genes.
f [illegible]
g ep. 2. 10.
h Hom. 4. Gen.
i 2. ad Cor. 4. 13.
k In Psal. 115.

v reuoca

reuocare, quæ diuina veritate nituntur. Aliæ porro spiritus explicationes non facile meo iudicio huic loco aptantur, nisi fortè eam probemus sententiam, quam sequitur OEcumenius, qui spiritum intelligit quem Christus resurgens recepit, nam resurrectio non leue argumentum est diuinitatis Christi.

7 *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

I. Fateor hæc verba in nonnullis Græcis codicibus non legi, & in quibusdam Latinis, & Syriaca interpretatione desiderari. Certè ab OEcumenio inter Græcos, & Beda inter Latinos ne attinguntur quidem, quod & fecisse videntur veteres Patres non pauci, Cyrillus [a], Ambrosius [b], Augustinus [c], Leo Pontifex [d]. Itaque non solùm hæretici hæc verba ab hoc loco excludunt, sed etiã Grammatici quidã partim Catholici ea in dubium reuocant. Atqui in pluribus Latinis exemplaribus leguntur & in Græcis non paucis, celebranturque ab Ecclesia tamquam Dei verba, & in Lateranensi Concilio, cui Græci interfuerunt, Græcos codices ita habuisse scribitur. Laudant eam sententiam tamquam Dei verbo comprehensam Higynus Pontifex [e], Cyprianus [f], Innocentius III [g]. Idacius [h], Fulgentius [i], Eugenius apud Victorem [k], Athanasius [l], & quidẽ bis auctor disputationis in Niceno Concilio [m], & D. Thomas [n], denique Hieronymus [o], & alij. Quod verò Augustinus, & pauci quidam alij ea verba omiserint aduersùs tã multos testes, qui hæc verba agnoscunt, vim prorsus nullã habet. Augustinus verò, cuius auctoritati aduersarij plurimùm tribuere videntur, explicare tantùm voluit id, quod ipse docuerat, vnum scilicet semper in Scriptura de iis dici, quæ vnius sunt substantiæ, cui sententiæ cùm officere videretur, quod mox subiicit Apostolus, *Tres sunt, qui testimonium dãt in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt,* hanc sententiam explicandam suscepit, alia prætermissa de qua nullus erat ambigendi locus.

a libro 14. Thes. c. pen. b lib. 3. de Spi. san. cap. 22 & in Luc. cap. 22. c lib. 3. con. Maxi. cap. 22. d ep. 10. c. 5. e epist. 11. f lib. de sim. Prælat. & ep. ad Valariũ. g Conc. Later. cap. 2. h contr. Varimun. i ad obiect. Arian. resp. 10. k lib. 2. l lib. 1. ad Theoph. m In eod. Conc. n Opusc. 24. o Præfat. in epist. can.

II. Hæc igitur testimonia profert Ioannes ad Christi diuinitatem firmandam, sunt autem testes omnino sex, tres quidem in cœlo, totidem in terra. In cœlo quidem Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, ac de duobus quidem prioribus ita apud Ioannem [p] loquitur Christus: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Et paulo [q] ante cũ obiecissent Iudæi Christũ de seipso testimonium ferre, ac proinde eius testimoniũ minùs videri verum. *Et si* (inquit) *ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio vnde veni, & quò vado.* Et aliquanto post: *Iudiciũ meũ verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Spiritus autẽ sanctus Christi diuinitati testimonium perhibuit, cùm in die Pentecostes fidelium, & Apostolorum animos diuinis suis muneribus cõpleuit, quibus illi instructi palã vbique professi sunt, Christum esse verum Deum, & humanæ salutis auctorem. *Et hi tres* (inquit) *vnum sunt*, quod maximè Arianos iugulat, significat enim tres diuinas personas vnius, atque eiusdẽ esse naturæ, atque adeò vnũ, atque eundem Deum tribus personis subsistentem.

p cap. 8. 18. q vers. 13.

III. Non temerè autem tres è cœlo, & totidem è terra testes profert, licèt enim alij plures afferri potuissent, hos tamen iure optimo adhibuit, vt legitimũ testium numerũ confirmet. sic enim in Deuteronomio præcepit Deus: *Non stabit testis vnus contra aliquẽ, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Quod apud Matthæum totidem verbis iterat Christus. Adde quòd tres cælestes testes omni sunt exceptione maiores, quippe cùm sint ipsissima summa veritas, quæ, vt sæpe dictum est, mentiri, aut fallere nulla ratione potest. Dicuntur autem vnum esse, quod ad voluntatum coniunctionem, & consensionem heretici, & scioli nescio qui, referunt, quod in vno Græco exẽplari legatur, & hi tres ad vnũ, vel, in vnũ sunt, quasi ad idem omnino cõspirent. Quibus fauere videtur [a] Cyprianus, qui hunc in modũ scribit: *Et iterũ de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: & hi tres vnũ sunt: & quisquã credit hanc vnitatẽ de diuina firmitate venientẽ sacramẽtis cælestibus cohærentẽ scindi in Ecclesia posse, & voluntatũ collidentiũ diuortio separari?* Sed nimirũ vir sanctus voluntatum vnionem, quibus fideles inter se caritatis nexu coniunguntur, diuinarũ personarũ virtutem imitari quodammodo atque repræsentare autumat. At apertissimè Hieronymus naturæ, ac diuinitatis vnitatem atque identitatem significat, cùm enim reprehendisset [b] eos qui hæc Ioãnis verba sustulerant: *Trium* (inquit) *tantummodo vocabula, hoc est, aqua, sanguinis, & spiritus in ipsa sua editione ponentes, & Patris, Verbique ac Spiritus testimonium omittentes, in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna diuinitatis essentia comprobatur.*

r c. 19. 15.

a lib. de simpl. Præl. b In Prol. ad epist. can.

IV. Multo autẽ apertiùs Victor [c] Vticensis: *Et vt* (ait) *adhuc luce clarius vnius diuinitatis esse cum Patre, & Filio Spiritum sanctum doceamus, Ioannis Euangelistæ testimonio cõprobatur, ait enim: Tres sunt, qui testimonium dãt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnũ sunt. Nunquid ait: Tres differenti æqualitate seiuncti? aut quibuslibet diuersitatum gradibus lõgo separationis interuallo diuisi?* Mitto cæteros, qui hoc tamquã firmissimo telo aduersùs Arianos pugnãtes vnã trium personarũ, atq; eandẽ naturã strenuè defendũt; neq; verò Græcus ille codex huic sentẽtiæ aduersatur. Quod enim ait, ad vnũ, siue, in vnũ, indicat quidẽ vnã, atq; eamdẽ eiusdẽ rei testificationẽ, sed substãtiæ, ac naturæ vnitatẽ nõ abnegat. Quæ enim maximè natura vniũtur, ea procul dubio, vt alicubi colligit Basilius, eamdẽ actionẽ exerceãt necesse est. Adde, quòd, vt paulo post dicã, Hebræa phrasi naturæ vnitatẽ nihilominus significat. De Cypriano verò nõ est magnopere laborãdũ, ille enim ex diuinarũ personarũ vnione colligit sacramẽtorũ vnionẽ discindi, aut dissecari nequaquã posse. Qualis autẽ, aut quãta sit diuinarũ personarũ vnio, nõ expressit quidẽ, sed indicauit tamẽ firmissimã esse, hoc est, vnius, eiusdẽq; naturæ.

c lib. 2.

V. Et mihi quidẽ fit valdè verisimile, respexisse Cyprianum ad Christi Domini verba apud Ioannem [d], *Et claritatẽ* (ait) *quã dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnũ, sicut & nos vnũ sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint cõsummati in vnum.* Quibus verbis indicat Christus fidelium vnionẽ imitationẽ quamdã & similitudinẽ esse vnionis diuinarũ personarũ, sed magno cum discrimine, vt in Cõcilio Lateranẽsi explicat Innocẽt. *Cũ ergo* (ait) *veritas pro fidelibus suis ad Patrẽ orat: Volo* (inquiens) *vt ipsi sint vnũ in nobis, sicut & nos vnũ sumus, hoc nomẽ vnũ pro fidelibus quidẽ accipitur, vt intelligatur vnio charitatis in gratia, pro personis vero diuinis, vt attendatur identitatis in natura vnitas, quẽadmodũ veritas alibi ait: Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est, perfectione natura vtroq; videlicet suo modo, quia inter creatorẽ & creaturã nõ potest tãta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notãda.* Sunt igitur tres diuinæ personæ vnũ, eæq; dãt in cælo testimoniũ Christi diuinitati. Nam Pater quidẽ primũ in baptismo, deinde in mõte Thabor Christũ Filiũ suũ dilectũ appellat: *Hic est* (inquit) *Filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui.* Et apud Ioannẽ [e] vox Patris cælitus audita est dicentis: *Et clarificaui, & iterum clarificabo.*

d cap. 17. 22. e cap. 12.

a Ioan. 10. *ficabo*. Christus verò de se ipso[a]: *Opera, quæ ego facio*
in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Et
b Ioan. 14. alibi[b]: *Ego sum via, veritas, & vita*. Et quidem via in
exemplo, veritas in doctrina, vita in præmio. Vel
via, qua nobis incedẽdum est, veritas, quam comple-
ctamur, vita, quam speremus. Spiritus porro sanctus
sua præsentia, quam specie columbæ in baptismo
Christi exhibuit, Christi diuinitatem testatus est; &
deinde opera Apostolorũ Christi diuinitatẽ vbique
c Ioan. 15. gentium promulgauit, de quo Christus[c]: *Ille* (Spi-
ritum sanctum intelligit) *testimonium perhibebit de me,*
& vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

VI. Neque verò abs re addit Ioannes: *Et hi tres vnum*
sunt. vel, vt alij legunt, *in vnum sunt*. quidquid enim
scioli argutentur, diuinarum personarum summam,
planéque inexplicabilem vnionem voluit indicare.
Et siquidem legamus, *in vnum*, præterquam quòd, vt
supra monui, testimonij identitatem insinuat: potest
Hebræa phrasi ad vnitatem naturæ referri. Sic enim
ferè loqui solent Hebręi ad vnitatem significandam,
d cap. 2. vt cùm in libro Geneseos scriptum est[d]: *Et erunt duo*
in carnem vnã, perinde est ac si dixisset erunt duo ca-
e cap. 16. ro vna. Sic enim apud Matthæum[e] interpretatur
Christus: *Itaque* (ait) *iam non sunt duo, sed vna caro*. Ea-
demque ratione dicendi cùm Dauid Dei patroci-
nium imploraret: *Esto* (inquit) *mihi in Deum protecto-*
f cap. 31. *rem, & in domo refugij*. Neque aliter Ieremias[f]: *Vos*
(inquit) *eritis mei in filios, & filias*. Quocirca Augusti-
g lib. 1. con. Maxi. c. 12. nus[g] Maximũ Arianum confutat, quòd hæc Ioannis
verba concordiam, & volũtatum consensionem re-
C ferebat: *Concordia autem* (inquit) *& caritate, quæ dicis*
factum fuisse, vt vnum sint Pater, & Filius, quando mihi
prodideris dictum esse, quòd vnum sunt, quæ sint diuersa sub-
h 1. ad Cor. 3. 8. *stantiæ, tunc cogitabo, quid debeam respondere, legimus*[h]
enim: Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt, sed ambo homi-
nes erant, eiusdem substantiæ fuerant, non diuersæ. Item le-
i Ioa. 17. 21. *gimus ipso Christo dicente*[i], *vt sint vnum sicut & nos vnum*
sumus, non dixit, vt ipsi, & nos vnum, sed vt ipsi sint vnum
in natura sua, & in substantia sua concordi æqualitate quo-
dammodo vnus, atque constant sicut Pater, & Filius, & Spi-
ritus sanctus vnum sunt propter indiuiduam eamdémque
naturam.

VII. Deinde verò vt suam sententiam magis explicet:
Aliud est enim (inquit) *vnum sunt, aliud vnus est: quan-*
D *do dicitur, vnum sunt, & si non dicatur quid vnum, intelli-*
gitur vna substantia: quando dicitur, vnus est, de duabus, di-
uersisque substantiis necesse est, vt quæratur quid vnus? Ver-
bi gratia, diuersa substantia est anima & corpus. tamen
vnus homo. Diuersa substantia est spiritus hominis. & Spi-
ritus Dei, tamen cùm Domino adhæret, vnus Spiritus est;
audisti Spiritus, non dixit vnum sunt. Vbi autem dicitur,
vnum sunt, vna substantia significatur, quod vos non vultis,
& audetis dicere, verum Christum Dei Filium vos confite-
ri. Hæc autem Augustinus ad explicandã diuinarum
personarum vnitatem, & verè & aptè, quomodo au-
tem explicanda sint verba, quæ mox subiicit Aposto-
lus, videro non ita multo post. Magnum igitur diui-
E nitati testimonium Filij Dei diuinæ personæ tribuũt,
vnde omnis veritas manat. Quamobrem quod addit
Ioannes: *Et hi tres vnum sunt*. vt paulo ante indicaui,
substantiæ, atque naturæ vnitatem insinuat, vnde
existit vna, atque eadem testimonij firmitas.

8 *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus,*
aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt.

I. Necesse est in his tribus prosopopœiam admit-
tere, nec enim propriè aqua, & sanguis ferre te-
stimonium possunt. Sed quomodo Abelis, & Chri-
sti sanguis nõ sine prosopopœia clamare dicitur, non
aliter aqua, & sanguis Christi Domini diuinitatem

A testantur. Quid autem nomine spiritus accipiendum
sit, non satis inter omnes conuenit, quidam enim
apud OEcumenium Patrem significari existimant,
qui in Iordane Christum Filium suum dilectum
nuncupauerit. Nec enim dubium est, Deum propriè
spiritum appellari, sic enim apud Ioannem[a] dixit a Ioan. 4. 24.
Christus: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spi-*
ritu, & veritate oportet adorare. Hanc autem explicatio-
nem apertissimè sequitur Augustinus:[b] *Si verò* (in- b lib. 3. con. Maxim. c. 22.
quit) *ea, quæ his significata sunt, velimus inquirere, non ab-*
surdè occurrit ipsa Trinitas quæ vnus solus verus, summus
Deus est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, de quibus ve-
rissimè dici potuit, tres sunt testes, & tres vnum sunt, vt nomi-
ne Spiritus significatum accipiamus Deum Patrem, de ipso
quippe adorando loquebatur Dominus, vbi ait: Spiritus est
B *Deus: nomine autem sanguinis Filium, quia Verbum caro fa-*
ctum est: & nomine aquæ Spiritũ sanctum, cùm enim de aqua
loqueretur Iesus, quam daturus erat sitientibus, ait Euan-
gelista: Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant
credentes in eum.

Sed, vt verum fatear, non possum huic sententiæ II.
penitus acquiescere, cùm enim dixerit Ioannes, tres
esse, qui testimoniũ dãt in cęlo, & mox subiiciat, tres
itẽ esse, qui in terra testimoniũ præbeãt, alios profe-
ctò testes significet necesse est. Cùm itaq; tres diuinæ
personæ testes cęlestes procul dubio sint, malè omni-
no eosdẽ diceret in terra testimoniũ præbere. Et for-
tasse cõtra Ossenos sex profert testes, cũ illi, auctore
Epiphanio,[c] septẽ numerarent, cœlũ videlicet, aquã, c Hær. 19.
C spiritus Sanctos, id est, angelos orationis, oleũ, sal, &
terrã, atq; ita necesse est, hos terrenos testes à cælesti-
bus esse distinctos. Spiritus igitur, nisi ego fallor, Spi-
ritus sancti effectum significat, de quo supra dixi, in
mentibus enim fidelium testimonium reddit & diui-
nitatis Christi fidem mirificè confirmat. Aqua verò
baptismi Sacramẽtũ significat, quo maximè fides Tri-
nitatis, atque adeò diuinitatis Christi palam pro-
fertur. Sanguis denique, quo in Sacramento Eucha-
ristiæ potamur, eamdem, vt supra dixi, Christi diuinã
naturam cõfirmat. Itaque Tertullianus[d] hoc non ob- d lib. de bapt. c. 16.
scurè innuẽs: *Venerat* (inquit) *per aquã, & sanguinẽ, sicut*
Ioannes scripsit, vt aqua lauaretur, sanguine glorificaretur,
proinde, vt nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos
baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quia qui in san-
D *guinem eius crederent, aqua lauarentur, & qui aqua lauis-*
sent, etiam sanguinem potarent.

Sed mirum, quòd addit: *Et hi tres vnum sunt*. Si III.
Græcos codices consulamus, multo aliter hoc loco
loquitur Ioannes, quàm in superiori sententia. Ibi
enim absolutè dixit: *Vnum sunt*. quamuis nonnulli co-
dices habeãt: *In vnũ sunt*. hîc autem apertissimè ait, εἰς
τὸ ἕν εἰσιν, hoc est, in vnum sunt, vt, quod supra indi-
caui, cõsensionẽ, & eamdẽ testificationũ cõspira-
tionem significet, quasi dicat: hi etiã tres testes miro
cõsensu idẽ affirmant. Quòd si quis contendat, quod
vulgata editio retinet, hos tres testes vnũ planè esse,
E nihil penitus sequitur absurdi, siue quia ratione rei si-
gnificatæ idem planè dici possunt, vt explicat Augu- e lib. 3. con. Maxim. c. 22.
stinus[e]: *Hæc* (inquit) *Sacramenta sunt, in quibus non quid*
sunt, sed quid ostẽdãt, semper attẽditur, quoniã signa sunt rerũ
aliud existentia, & aliud significãtia. Siue, quia vnũ esse,
quidquid aliter senserit Augustinus, nõ semper in sa-
cris literis substãtiæ vnitatẽ significat: nõ solùm quia
plerumq; vnũ cũ adiectiuo cõiungitur, vt cùm in Actis
Apostolicis[f] dicitur, fidelium fuisse cor vnum: *Mul-* f Act. 4.
titudinis (ait) *credentium erat cor vnum, & anima vna*.
Qua ratione apud Ioãnẽ orauit Christus, vt credẽtes
vnũ essent, hoc est, eiusdem propositi, atque consilij,
quomodo Saluianus[g] dixit, *Omnes vnũ sunt, qui sibi tur-* g lib. 8. de Prouid.
piũ volũtate sociãtur. Sed etiã quia cùm simpliciter aliqua
dicũtur vnũ, rerũ, ac personarũ natura spectanda est,

vt quo referenda sit vnitas, statui possit. Ad Galatas enim ait Paulus[a]: *Omnes verò vnum estis in Christo Iesu*, non ad naturam, & substantiam, sed ad fidem, gratiam, & caritatem referenda est vnitas: quia fide, & caritate omnes in vnum Christi corpus coalescút. Ad Corinthios autem[b]: *Qui plantat*, (inquit) *& qui rigat, vnum sunt*. Non solùm quia eiusdem humanæ naturæ participes erant, sed quia eamdem fidem profitebantur, & mutuæ caritatis nexu adstringebantur. Cùm igitur Latinus Interpres dixit: *Et hi tres vnum sunt*, vnitatem testimonij insinuat, horum videlicet trium testificatio eódem spectat, eamdémque veritatem astruat. Fateor hæc postrema verba in nonnullis Græcis codicibus desiderari, sed vulgata editio retinenda est, quæ non solùm ea habet, sed constanter legit: *Vnum sunt*. Hoc est, vt Græci codices habét, & Syrus interpretatur, *ad vnū sunt*: atque in vnum, & idem testimonium mira consensione conspirant.

a cap. 6. 28.

b ep. 1. c. 3. 8.

IV. Sed quamquam hactenus horum testium, qui in terra testificantur, testimonia de Christi diuinitate accepimus, non aliter, atque eorum testimonia, qui testantur in cælo; non defuerunt tamen magni omnino viri[c], qui cælestes quidem testes ad Christi diuinitatem, terrenos autem ad eiusdem humaná naturam stabiliendam referant, perinde quasi cùm Christus moriens Spiritú efflauit, cúmque ex eius corpore iam vita functo sanguis, & aqua profluxit, se verum hominem comprobarit. Et profectò negari non potest, Christi mortem veram eius humanitatem indicare; sed de aqua, & sanguine adhuc ambigo. Quòd enim viri docti autumant, aquam, & sanguinem, quæ ex Christi latere manarút, apertè contra Manichæos indicare fuisse Christi corpus verè solidum, non inane, & emphaticum, nescio vtrùm omné prorsus controuersiam dirimat; cùm enim vtrumque non sine miraculo effluxerit, facilè quispiam contenderet, potuisse diuina vi, ac potestate sanguinem, & aquam ex corpore phátastico, aut aliunde effictio proferri. Quamobrem etsi summorum virorum auctoritas apud me est antiquissima, atque adeo mihi eam sententiam vtcumque probabilem reddit, malui tamen cum Augustino, Beda, OEcumenio, & aliis tam cælestes, quàm terrenos testes de Christi diuinitate explicare, quod ea, quæ subsequuntur, non obscurè insinuant.

c Innoc III. c. in quadá de cel. Miss. & D. Tho.

10 *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.*

I. Vim allati testimonij, vt ait OEcumenius, à minori confirmat, nam si humanis testibus fidem habemus cur huic diuino testimonio fidem abnegemus? OEcumenius porro vniuersim de humana cuiuscúque rei testificatione accipit, perinde quasi Ioannes dicat: si lex voluit duorú, aut trium testiú affirmatione, negationéue quaslibet controuersias dirimi, & lites, contentionésque cóponi, annon multo æquiùs est diuino testimonio penitus acquiescere? Beda verò humanú testimoniú ad Prophetarú oracula refert, quæ Christi diuinitatem asserunt, vt sensus sit: si Dauidi, aliisque Prophetis Christi diuinam naturam prædicantibus, certú, ac minimè dubiú præbemus assensú, cur non magis testificanti Deo credendum censebimus? sed vt ingenuè dicam, quod sentio, non mihi facile persuadere patiar vocasse Ioáné Prophetarú vaticinia hominum testimonia, cùm constet illos diuino Spiritus sancti impulsu oracula edidisse. Vt ait Petrus: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sút sancti Dei homines.* Et ob eam causam Prophetarum scripta tamquam diuina responsa ab Ecclesia coluntur.

II. Propiùs igitur ad veritatem accedit, quod ait

A OEcumenius, argumentum petitum esse vel à legis auctoritate, quæ duobus, aut tribus testibus quidpiá asserétibus fidem habédam iubet, vel è cómuni consuetudine, qua hominum testimonia ad ea, quæ aliter probari non possunt, adhiberi solent. Est autem hæc argumentandi ratio admodum firma, nam si humana testimonia, quibus tamé seu testiú iudicio, seu ignoratione falsum plerumque subesse potest, tamquam idonea in humanis iudiciis, ac tribunalibus admittuntur: quanto magis diuinum testimonium certa, miniméque fallaci veritate subnixum religiosè retinendú, & colendum erit? Videtur itaque Ioannes pro certo ponere, (quod vtique verissimú est) tá cælestes, quàm terrenos testes diuinæ auctoritate niti, B atque adeò ad vnú diuinum testimonium pertinere.

Rectè igitur ait: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Dicitur autem testimonium Dei maius non solùm diuinæ personæ respectu, quæ infinito interuallo omnem creatam naturam superat, sed etiam certitudine, ac firmitate, siquidem, vt ait propheta: *Omnis homo mendax*, hoc est, qui facilè mentiri potest. *Est autem Deus*, teste Apostolo, *verax*, hoc est, tam alienus à mendacio, ignoratione, atque errore quàm liber ab interitu. Quòd si olim Pythagoras tantæ fuit apud suos auctoritatis, & fidei, vt vbi constitisset, eum aliquid affirmasse, vel negasse, nihil præterea quærendum eius auditores existimarent; C longè profectò magis id de Deo sentiendum erit, quem nemo dubitat, esse primam, summam, ac penitus immutabilem veritatem. Potuit Pythagoras multa ignorare, potuit errare, ac decipi, quorum nihil in diuinam naturam cadit. Ne quis autem ambigat, de quo Dei testimonio loquatur, iterat quod superiùs dixerat: *Quoniam* (inquit) *hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de Filio suo*, illud videlicet diuinitatem, ac muneris dignitatem cófirmans. Et profectò omnia fidei nostræ argumenta, quæ maximá Catholicis dogmatibus firmitaté afferút, Christi nihilominus diuinitatem ita persuadent, vt ea nó nisi ab ingenio pertinaci reuocari in dubium queat. III.

Porro qua ratione Pater Filio testimonium præbuerit, supra indicaui, hoc autem loco Græci codi- IV.
D ces non habent verba illa, *quod maius est, quoniam*, sed nihil de sententia detrahunt, & cunctis tacentibus dubitari non potest, diuinum testimonium quauis creata testificatione maius esse. De eo verò ita loquitur Petrus: [a] *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum à magnifica gloria: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Habuit sanè Christus plurima testimonia, nam Ioannes Baptista de eo testatus est, vt Ioannes Euangelista scribit[b]: *Et hoc est* (inquit) *testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, tu quis es? Et confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus.* Et post nonnulla:[c] *Altera die vidit Ioannes Iesum venientē ad se, & ait. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et de hoc testi- E monio Ioánis Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius explicant verba Christi apud Ioannem[d], cùm ait: *Alius est, qui testimonium perhibet de me.* Athanasius[e] verò, Cyrillus, & Rupertus ad Patré referúnt. Ego facilè crediderim, diuina omnia oracula indicari, quæ diuini Spiritus impulsu edita sunt, quasi dicat, longè maioris auctoritatis testimoniú habeo, ac propterea mox subdit, se humano testimonio nó indigere: [f] *Ego autē non ab homine testimoniū accipio.* Et aliquáto post: [g] *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne, opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiá ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimoniū perhibēt de me.* Rursus de paterno testimonio subdit: *Et qui misit me Pater, ipse testimoniū perhibuit de me: perhibuit autē, vt dictū est, nō semel testimonium.*

a Ep 2. c. 1.
b cap. 1. 19.
c ver. 29.
d cap. 5 32.
e De vnica Deitate Trinitatis.
f Ioan. 5. 34.
g vers. 36.

Sed

V. Sed addunt Cyrillus, Theophylactus, Beda, Euthymius frequentissima extare in diuinis Scripturis testimonia, quæ Christi diuinitatem insinuent. Addi potest ipsius Christi testimonium, de quo ipse apud Ioannem [a]: *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* a cap. 8. 14. Nam quod [b] alibi dixerat: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* b Ioan. 5. 31. Vel id ex Iudæorum sententia, atque opinione dixit, vel humano more de se, tamquam homine loquutus est: ac si dixisset, suum de se ipso testimonium falsitatis, ac mendacij argui posse, si quasi hominis dumtaxat testimonium spectetur. Itaque omnia testimonia Deum Patrem quodammodo habent auctorem, atque idcirco rectè quis illud Dauidis [c] hoc loco vsurpet: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* c Psal. 92. 5. Rectè enim monet Basilius [d] iis, quæ à Deo asseruntur, absque vlla dubitatione, hæsitationéve assensum esse præbendum, d In mor. reg. 8. quia quidquid à Deo affirmatur, verissimum censendum est, etiamsi interdum natura ex aduerso pugnare videatur. Quod illo exemplo Zachariæ hæsitantis confirmat, qui suæ dubitationis pœnas dedit: itemque Abrahæ, *qui contra spem in spem credidit, & non hæsitauit diffidentia*, licèt naturæ leges longè aliud indicare viderentur, & ob eam causam iure optimo miris laudibus celebratur. Igitur, *Pater*, vt ait Ioannes, *testificatus est de filio suo*, cuius diuinitatem, humanitatémque idoneis argumentis probauit.

10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.*

I. A minori, vt dictum est, vim diuini testimonij confirmauerat. Addit nunc ad eamdem rem stabiliendam duo argumenta; alterum his verbis continetur: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*: alterum sequentibus: *qui non credit Filio, mendacem facit eum.* Quod igitur attinet ad prius argumentum, is, qui fide viua credit, habere dicitur testimonium Dei in se, quia, vt Beda, & OEcumenius explicant, ipse cognoscit se Dei Filium esse adoptione. Vt enim Ioannes in Euangelio [d] ait: d cap. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Sic autem loquitur Beda: *Qui ita credit in Filium Dei, vt exerceat operando quod credit, habet testimonium Dei in se, illud vtique quia ipse quoque in filiorum Dei numero iure computetur.* OEcumenius verò: *Qui igitur* (inquit) *in Filium Dei credit, quòd videlicet Deus sit, vtpote Dei Filius, in se ipse habet testimonium, cùm se adoptatum in Filium credat per Iesum, qui adoptatus à Deo est.* Ita testimonium hoc loco rem testimonio effectam, seu productam significat.

II. Possis etiam aliter accipere, vt fides animo concepta veritatem diuini testimonij confirmet, ipsíque credenti tacitè quodammodo, atque occultè testetur, verissima esse, quæ credit. fideles enim planè agnoscunt, fidem esse eximium, ac singulare Dei donum. Quamuis enim, vt ait Apostolus, fides oriatur ex auditu, auditus autem per verbum Dei, præter externam tamen dogmatum fidei promulgationem, necessarius est diuinus impulsus, quo mens hominis flectatur, & conuertatur ad fidem. Quò spectans Paulus Apostolus: *Paulus* (inquit) *plantauit, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit; sed neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Quocirca cùm idem Paulus Philippis de rebus fidei multis audientibus verba faceret, vna dumtaxat fœmina nomine Lydia purpuraria Christo nomen dedit; causam explicans Lucas [a] ait: *Cui Dominus aperuerat cor, & intendebat ijs, quæ dicebantur à Paulo.* a Act. 16.

III. Fallebantur olim Pelagiani, qui fidem non aliter donum Dei esse putabant, nisi quia vi liberi arbitrij concipiebatur, quod in ipsa creatione à Deo accepimus. Quos acutè, atque ingeniosè, vt solet, Augustinus [b] his verbis confutat: *Attendat, & videat, non ideo tantum istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est.* b lib. de spir. & lit. c. 34.

IV. Vt autem planiùs explicet, quónam modo Deus sit auctor fidei, confestim subdit: *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat, profectò & ipsum velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat quod dictum est: Quid enim habes, quod non accepisti? verumetiam confirmat; accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis est.* Non negat quidem Augustinus, se aliter aliquando [c] sensisse, sed hunc suum errorem ingenuè fatetur [d], & fusè eam sententiam alibi [e] refellit, & quid tandem senserit his verbis explicat [f]: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Qui igitur credit, habet in se diuinum fidei testimonium, quo mirificè confirmatur, & ad retinendam, profitendámque fidem mirum in modum roboratur. Ita diuinum testimonium, quo diuinitas Christi asseritur, hoc altero diuino testimonio firmatur.

c In expos. quarumd. propos. epistol. ad Rô. d lib. de præ-dest. sanct. c. 3. e lib. 1. retract. c. 23. f lib. de prædest. sanct. c. 6.

V. Pergit Ioannes: *Qui non credit Filio, mendacem facit eum.* Hoc est alterum argumentum desumptum ab iniuria, qua ab infidelibus afficitur Deus, qui diuino testimonio fidem abnegant. Rectè autem Beda: *Qui non credunt* (ait) *Filio, qui ait: Ego, & Pater vnum sumus, & interrogante Caipha, ac dicente: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Respondit: ego sum; sed qui eum vel non esse Christum, vel non esse Filium Dei, vel non esse similem Patri contendunt, mendacem profectò faciunt Patrem.* Nec multo aliter OEcumenius: *Qui non credit* (inquit) *obnoxius duobus malis est, cùm & Deum mendacem faciat, & adoptione, atque adeò ob id vita æterna se ipsum priuet, quam quidem vitam adoptatis à se filiis promisit Christus, atque in se habet, sicut in Euangelio scribitur: in ipso vita erat.* Dicitur autem qui non credit, facere Deum mendacem, quia ob id non credit, quòd ea falsa esse putet, quæ credenda proponuntur, atque idcirco

quantum in ipso est, mendacium, ac falsitatem Deo [A] appingit. Et hoc est, quod ait Ioannes: *Quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Illud nimirum testimonium intelligit, de quo plura supradixit.

VI. Huc pertinet, quod Christus ipse apud Ioannem [a] [a cap. 3. 18.] ait: *Qui credit in eum, non iudicatur. qui autem non credit, iam iudicatus est.* Tametsi omnes prorsus homines tam boni, quàm mali iudicio sistendi sint; *vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum;* quoniam tamen iudicare eo quidem Ioannis loco, vt Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus explicant, idem valet quod condemnare, is, qui credit, non iudicari dicitur, hoc est, non condemnari, aut meritò condemnari non posse, [B] nec condemnationi obnoxius esse. Contra verò qui non credit, iam condemnatus esse dicitur, non quòd in iudicio extremo condemnandus non sit, [b cap. vlt.] cùm apud Marcum [b] dicat Christus: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* sed quòd ipse iam in se certam condemnationis causam habeat, quemadmodum olim Adamo dictum est: *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* non quòd statim moriturus esset, sed quòd illico mortis in se causam esset habiturus, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius interpretantur. Adde quòd qui non credit, ipse se quodammodo condemnat, seque supplicio dignum esse declarat, cùm lucem ac iudicẽ fugere videatur. quod insinuare visus est Christus, cùm subdit: [C] *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera.* Et contra: *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.*

VII. [c Ioan. 3.] Meritò autem eum, qui non credit, damnationi obnoxium dicit, quia vt idem Christus ait [c]: *Qui non credit, non videbit vitam.* hoc est, vitam illam æternam, de qua dixerat: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Addit: *Sed ira Dei manet super eum.* Vt quod viri docti obseruarunt, gemina impiorum pœna indicetur, pœna enim quam Theologi appellant damni, his verbis exprimitur: *non videbit vitam.* Ea verò, quæ dicitur sensus, verbis sequentibus indicatur: [D] *Sed ira Dei manet super eum,* vt significet, impios æternis apud inferos suppliciis esse cruciandos. Et profectò vtramque pœnam eleganter expressit Iob [d] [d cap. 20. 17.]: *Non videat* (inquit) *riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.* quod spectat ad pœnam damni. Et mox de pœna sensus: *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.* Hoc autem meritò de infidelibus potissimùm dicitur, non quòd ij tantùm, qui non credunt, damnandi sint, cum etiam illi, qui solam sine bonis operibus fidem habent, quique, vt ait Paulus [e] [e ad Tit. 1. 16.], *confitentur se nosse Deum, factis autem negant,* æternis sint suppliciis mactandi; sed quod illi citra vllam dubitationem supplicia subituri sint. Tametsi enim fides, quæ bonorum [E] operum est expers, vera fides est, non magis tamen ad salutem sola valet, quàm si vera non esset, atque idcirco eodem loco apud Ioannem subiicit Christus: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera.* vt indicet non fidei solùm, sed bonorum etiam operum exigendam esse rationem.

VIII. [f Tract. 12. in Ioan.] Quod mirificè explicat Augustinus [f]: *Multi,* (inquit) *dilexerunt peccata sua, & multi confessi sunt peccata sua, quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua, & si tu accusas, coniungeris Deo; quasi duæ res sunt, homo, & peccator.* [A] *Quod audis homo, Deus fecit; quod audis peccator, ipse homo fecit: Dele quod fecisti, vt Deus saluet, quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum.* Fatendum tamen est eos, qui diuinum testimonium non admittunt, nec diuini verbi præconibus fidem habent, ob diuini testimonij iniuriam grauissimis suppliciis obnoxios esse. Verè namque dixit Christus apud Matthæum [a] [a cap. 10. 14.]: *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, aut de ciuitate excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* [B] Quod non perinde accipiendum est, quasi Sodomæi, & Gomorrhæi minoribus peccatis obstricti essent, sed quòd illis non fuerit Euangelium promulgatum, vt Hilarius, Hieronymus, Beda, & Theophylactus explicant, quod Christus ipse apud eumdem Matthæum [b] [b cap. 11. 23.] significauit, cùm dixit: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem. verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicii, quàm tibi.* Vt vel hinc intelligas, quàm graui supplicio digni sint hæretici, qui Ecclesiam, fidémque Catholicam miris modis oppugnant.

11. [C] *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est.*

I. Diuini testimonij effecta commemorare incipit, principio autem ait, hoc diuinum testimonium vitam tribuere sempiternam: *Et hoc* (inquit) *est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus.* Cùm enim percepta fide vi baptismi filiorum adoptionem assequamur; ius etiam æternæ hæreditatis, ac vitæ beatæ adipiscimur, cùm dicat Apostolus: *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Vt interim omittam Spiritus sancti gratiam, quæ in baptismo percipitur, esse quodam modo vitæ æternæ pignus, de quo Paulus ita loquitur ad Corinthios [c] [c cap. 1. & 2. 22.]: [D] *Qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Itaque rectè OEcumenius: *Quare* (inquit) *qui habet filium per sanctum baptisma, vitam etiam habet: quicumque enim baptizati in Christum sumus, id est, iuxta mandatum eius, Christum induimus.* Dedisse autem meritò dicitur vitam æternam eo planè modo, interprete Beda, quo dicitur dedisse credentibus potestatem, vt filij Dei fiant: *Vt enim* (inquit) *scias datam tibi esse à Deo potestatem habere vitam æternam, audi Prophetam: Quis est homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Dedit ergo nobis vitam æternam, sed adhuc in terra peregrinantibus in spe, quam daturus est in cœlis ad se peruenientibus in re.*

[E] II. Itaque vt ostendat Ioannes spei nostræ certitudinem, iustos ait iam habere vitam, quam certò sperant. sic enim ad Romanos scribit Apostolus [d] [d cap. 8. 24.]: *Spe enim salui facti sumus.* Hæc autem spes, vt idem Apostolus ait: *non confundit,* quin potiùs mira quadam certitudine fidelium mentes perfundit. sic enim ad Hebræos scribit Paulus [e] [e cap. 6. 18.]: *Abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem*

rem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Ex quibus apparet, iustorum spem esse certissimam, cùm diuina pollicitatione, ac iureiurando nitatur, quorum vtrumque infinitam quamdam habet firmitatem, adeò vt nullam mutationem admittere queat. Atque ob eam causam vocat eam Paulus anchoram animæ tutam, ac firmam, indicans nimirum spem nostram nullis posse aduersitatibus concuti, nullis fluctibus, aut tempestatibus euerti, quemadmodum naues quamuis maximæ anchoris alligatæ ventorum vi agitari, aut commoueri non facilè possunt. Huc accedit, quòd spes nostra non huius vitæ finibus circumscribitur, neque caduca, aut mortalia bona, ac ne spiritalia quidem solummodo spectat, sed interiora velaminis penetrare dicitur, cùm immortalem, atque æternam vitam respiciat, hoc est, ipsius Dei perspicuum intuitum, & contemplationem, atque adeò Deum ipsum bonorum omnium auctorem, cuius nonnullam iam possessionem in capite nostro Christo adiisse videmur. Quocirca ait, Christum Dominum tamquam præcursorem beatam illam vitam adeptum esse, vt quod Theophylactus insinuat, nos eodem aliquando peruenturos significet.

III. Hac nimirum spe fretus dixit alicubi Iob [a]: *Etiam si me occiderit, in ipso sperabo.* Et Dauid [b]: *Si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego sperabo.* Paulus [c] autem hac spei certitudine confirmatus aiebat: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Fateor tamen, spei certitudinem non ita fidelium animos firmare, vt omnem penitus formidinem excludat, cùm non temerè moneat Apostolus [d], vt cum metu, ac tremore salutem nostram operemur, quamuis enim caritas, quæ cum spe coniungitur, timorem seruilem, & initialem aut reiiciat, aut minuat, numquam tamen eò pertingit, vt pariat securitatem, de qua re Bernardus sic planè [e] disserit, explicans enim Dauidis verba [f]: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Donec* (inquit) *quis premitur à spiritu seruitutis, parùmque habet de spe, de timore plurimum, non est ei pax, neque requies, fluctuante nimirum conscientia inter spem, & timorem, maximéque quod à superexcellente timore abundantiùs cruciatur, nam timor pœnam habet, & ideo non est illi dicere: In pace in idipsum dormiam, & requiescam, quando necdum se singulariter in spe constitutum dicere potest.*

a cap. 13. 15.
b Psal. 26. 3.
c ad Rom. 8. 38.
d ad Philip. 2. 12.
e In Cantic. ser. 58.
f Psal. 4. 10.

IV. Mox autem de ipsa spe, eiúsque viribus subiicit: *Cæterum si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere spes, cùm demum ad hoc ventum fuerit, vt totis viribus exurgens caritas in adiutorium spei foras mittat timorem, nónne eiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iã, & requiescere?* [g] *Si dormiatis* (inquit) *inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ. Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem, & securitatem, tamquam inter læuam, & dexteram, media videlicet spes, in qua mens, & conscientia mollis nimirum supposito caritatis strata suauissimè requiescit.* Certè Salomon [h] apertè indicat à spe non penitus timorem auelli: *In timore enim Domini* (inquit) *fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes, gloria, & diuitiæ in domo eius.* Et Sapiens [i]: *Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Propterea Bernardus cùm ageret de duorum osculo pedum Domini, sic planè scribit [k]: *Pulchrè omnino, quoniam quidem incarnata Dei sapientia, misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: denique vniuersa via Domini misericordia, & veritas. Fœlix mens, cui semel Dominus Iesus vtrumque infixerit pedem. A duobus signis cognoscite eam, quæ huiusmodi est, quæ secum necesse est referat diuinæ impressa vestigia.*

g Psal. 67. 14.
h Prouerb. 14. 26.
i Eccli. 2. 9.
k ser. 7. in Cant.

V. Hæc verò duo planiùs distinguens addit: *Ipsa sunt timor, & spes, illa iudicii, ista misericordiæ repræsentans imaginem. Meritò beneplacitum [a] est Deo super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius, cùm sapientiæ initium timor sit, spes profectus, nam consummationem sibi caritas vendicat. Quæ cùm ita sint, non paruus fructus est in primo hoc osculo, quod ad pedes accipitur, tantùm curato, vt neutro fraudaris illorum, alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia & recordatio solius iudicii in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Ad hanc itaque spem respexit hoc loco Ioannes, cùm ait Deum dedisse nobis vitam æternam. *Et hæc vita* (inquit) *in Filio eius est.* quippe Christus ipse se [b] vitam vocat. Et alibi [c] se vitam æternam ait ouibus suis dare, tum quia tamquam Deus gratiam, & gloriam largitur, tum quia tamquam mediator Dei, & hominum vtramque nobis suo sanguine, ac morte promeruit. Quocirca verè se ostium appellauit [d]: *Ego* (inquit) *sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Perinde enim est, ac si dicat: qui in me crediderit, saluabitur, introire enim per Christum est, in illum credere, eique fide viua, & caritate adhærere. Ingredi autem, & egredi, vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, aliique affirmant, coniunctim sumpta nihil aliud quàm securitatem quouis eundi, quiduis pro Christi gloria agendi, patiendique significant, qualem in Apostolis, virisque Apostolicis fuisse legimus.

a Psal. 146. 11.
b Ioan. 14. 6.
c Ioan. 10. 28.
d Ioan. 10. 9.

VI. Et sanè Hebræa phrasi ingredi, & egredi idem valet, quod liberè versari, agere, & officio suo fungi. Sic in Deuteronomio dixit Deus [e]: *Benedictus eris ingrediens, & egrediens.* Et Dauid [f]: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* hoc est, quidquid egeris, & quascumque alias actiones tuas. Non me fugit, viros doctos aliam explanationem probare, sed nunc id non ago, tantùm enim doceo, verè dixisse Ioannem: *Et hæc vita in Filio eius est:* quoniam non aliter, quàm merito Christi comparari potest. Denique Christus dixit [g]: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* hoc est, vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Augustinus, Beda, & alij explicant, vt in hoc mundo vitam habeant gratiæ, & in altero abundantiùs vitam gloriæ. Addit Cyrillus Alexandrinus, dare Christum non modò vitam gratiæ, sed multiplicem prætereà copiam aliorum donorum Spiritus sancti, vt hoc posterius sit abundantiùs habere vitam; vel certè abundantiùs vitam tribuet in resurrectione, etsi enim boni, & mali resurrecturi sunt, soli tamen boni absolutè resurgunt, quia resurgunt ad vitam, & corporum gloriam assequuntur, vt nihil dicam, abũdantiorem vitam, quam Christus se allaturum dicit, ad eos potissimum pertinere, qui post Christi ad nos aduentum fidem, & iustitiam adepti sunt. Quod si Græcos codices sequamur, qui non περισσότερον, sed περισσὸν habent, daturum se significat Christus non quidem abundantiorem, sed pinguem abundantem, atque affluentẽ, quasi significet fore suas oues nõ solùm vita præditas, sed sanas, vegetas, & pingues: qua metaphora bonum, felicémque eorum, qui in ipsum credunt, aut præsentem, aut futurum statum declarat; quod enim vitam daturum pollicetur, de vtraque vita, & præsenti per gratiam, & futura per gloriam intelligendum est.

e cap. 28. 6.
f Psal. 120. 8.
g Ioan. 10. 10.

12. *Qui habet Filium, habet vitam qui non habet Filium, vitam non habet.*

I. Cùm dixisset, vitam positam esse in Filio, nunc insinuat Filium esse ipsam vitam, atque idcirco rectè infert eum habere vitam, qui Filium habeat, & contra eum carere vita qui non habeat Filium. Quid autem sit habere Filium, OEcumenius his verbis explicat: *Quare qui habet Filium per sanctum baptisma, vitam etiam habet: quicunque enim baptizati in Christum sumus, id est, iuxta mandatum eius, Christum induimus.*

a lib. 6. de Trinitate.

Hilarius[a] hoc refert ad fidem diuinitatis Christi: vtrúque verissimè dicitur, modò baptisma ritè percipiatur, & fides viua sit, vt sæpè iam dixi. Cæterùm quod

B

ait Beda, Christum non modò habere vitam, sed esse ipsam vitam, apertè asserit Paulus[b]: *Cùm Christus* (inquit) *apparuerit vita vestra.* Et hic noster supra: *Annunciamus*[c] *vobis vitam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Verùm quoniam vita de qua hoc loco Ioannes, ad nos pertinet, & vitam nostram significat, qui habet Filium, habere dicitur vitam, non illam, qua Christus in semetipso vita est, sed quam nobis largitur. quo nomine Lucas[d] Christum vitæ vocat auctorem. Quoniam igitur, qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum illo, spiritalis vitæ fit particeps, quæ non nisi merito, ac beneficio Christi haberi potest. Quod, ni fallor, indicauit Paulus, cùm ad Galatas scripsit[e]: *Christo confixus sum cruci, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Quasi dicat, per baptismum vnà cum Christo crucifixus sum, atque adeò priori vita functus nouam vitam nactus sum, qua ego in Christum, & Christus in me quodammodo mutatus est, vt in me viuat, & nouæ vitæ actiones edat.

b ad Coloss. 3. 4.
c cap. 1. 2.
d Act. 3. 15.

C

e cap. 2. 20.

II. Atque hoc profectò non vni dumtaxat fidei tribuendum est. sed potissimùm caritati, diuinóque amori. cuius, vt ait Dionysius[f], proprium est amantes vinculo quodam inter sese nectere, vt alter quodammodo in alterum transeat, quam idem Dionysius exstasim vocat: *Exstasim* (inquit) *facit diuinus amor, amatores suo statu dimouet, & sui iuris esse non sinit, sed in ea, quæ amant, penitus transfert: ideirco & Paulus ille magnus cùm diuino amore flagraret, excessiua illius virtutis particeps factus; viuo (inquit) iam non ego, viuit verò in me Christus, tamquam verus amator mentis excessum patiens.* Id verò qua ratione fiat docuit Gregorius[g] explicans verba Christi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Tunc enim* (inquit) *nosmetipsos abnegamus, cùm mutamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quò per nouitatem vocamur.* Mox autem allato Pauli exemplo: *Pensemus* (ait) *quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego, extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator; si enim ipse esset, pius profectò non esset, sed qui se viuere denegat, dicat vnde est, quòd sancta verba per doctrinam veritatis clamat, protinus subdit: Viuit verò in me Christus, ac si apertè dicat: Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo.*

f de Diuin. nom. c. 4.

D

g Hom. 32. in Euang.

E

III. Hanc porro vitam tam singularem, planéque diuinam, qua Christum in se viuentem, spirantémque habet, vni fidei Christi hoc est, viuæ, & caritate præditæ acceptum refert. Hæc enim est, quæ humanos affectus, & terrenas cupiditates edomat, & veterem, vt loquitur Apostolus, hominem ponit, vt nouum induat, quod eleganter Gregorius Nyssenus[h] alicubi explicat: *Mihi* (inquit) *vita Christus est. hisce verbis tantùm non clamat Apostolus, nullam in se affectionem hu-*

h Hom. 5. in Cant.

A

manam viuere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non iniuriarum memoriam, non inuidiam, non vindictæ, auaritiæ, honoris, aut gloriæ cupiditatem. Sed his omnibus abrasis: solus (inquit) *ille mihi superest, qui nihil est horum. qui est ipsa sanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus sanctorum.* Hanc itaque vitam habet, qui Filium habet. Ambulat enim, vt loquitur Paulus, in nouitate vitæ, omnióque, vt idem alibi loquitur, abnegata impietate, & sæcularibus desideriis, sobriè, iustè, ac piè viuit in hoc sæculo expectans beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei.

IV. Ex aduerso, *qui non habet* (inquit) *Filium, vitam non habet.* Oblectatur videlicet Ioannes antithesi, atque adeò ea frequenter vtitur. Rectè autem ait OEcumenius: *Qui Filium Dei per baptisma non habet, neque vitam habet, sed mortuus est, nam mortuos nos peccatis suscipiens per sanctum baptisma ad vitam suscitat.* Dicitur autem non habere vitam, illam nimirum spiritalem, & cœlestem, quam Christus largitur, dum vitæ præteritæ nuntium remittimus, & quodammodo morimur, vt nouam viuendi rationem ineamus. Nam vt ait OEcumenius, qui consepultus cum Christo est per demersionem in sancto baptismate, is mundo, id est, mundanis cupiditatibus mortuus est, & non amplius sibi. sed Christo tantummodò viuit, dum iuxta mandata eius in nouitate vitæ ambulat, nullúmque aditum peccato ampliùs præbet. Fatendum igitur est, duas esse vitas, & duas, vt ita dicam, mortes: nam qui Filium habent, hactenus dicuntur habere vitam quia Christo viuunt, & peccato, ac mundo, eiúsque cupiditatibus mortui sunt: de quibus ait Paulus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo.* Qui verò Filium non habent, gratiæ, & caritati, atque adeò Christo, & Deo mortui sunt, vitam autem viuunt, qua suis cupiditatibus obtemperant, & flagitiis, atque sceleribus obstringuntur.

13. *Hæc scripsi vobis, vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.*

I. Hæc putat OEcumenius, quasi epilogum, ac breuem superiorum omnium summam continere, quasi dicat: *Scripsi hæc vobis tamquam hæredibus vitæ æternæ, nam hæc nequaquam scriberentur nisi iis, qui in spe vitæ æternæ vitam traducerent, quippe cùm neque sancta canibus, neque margaritas ante porcos proijcere laude dignum censeatur.* Videtur autem sequi Græcos codices, qui à Latinis nonnihil discrepant, sic enim habent: Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ hoc est: Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomine Filij Dei, vt sciatis, quòd vitam habetis æternam, & vt credatis in nomine Filij Dei. Sed sententia non est admodum diuersa. Latini Codices tantùm significant Apostolum hæc ideirco ad fideles scripsisse, vt qui iam in Filium Dei crederent, planè intelligerent, se certa spe iam quodammodo vitam æternam possidere. Græci prætereà indicant, vt dixit OEcumenius, non nisi in Filiū Dei credentibus scribenda fuisse, seque proptereà scripsisse, vt intelligerent, se vitæ immortalis, ac sempiternæ factos esse participes, & vt in percepta fide Filij Dei in dies magis firmentur. Est autem hæc Ioannis oratio ei valdè persimilis, qua vsus est in Euangelio[a], cùm dixit: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quoniam Iesus*

a Ioan. 20.

Iesus est Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. quæ vt apparet, Græcis codicibus magnopere suffragatur.

II. Videtur itaque Latinus Interpres aliis Græcis codicibus vsus, tametsi enim perspicuè intelligitur, hæc ad fideles scripta esse, & ideo scripta, quia fideles erant, non tamen id interpres prætermisisset, si Græcè legisset: quemadmodum nec tacuisset secundam scriptionis causam, quam Græci indicant, vt fidelium fides augeatur, si eam in Græcis codicibus reperisset. Latini porro codices vim fidei, atque eius effectum magis indicant, perinde enim est, ac si Ioannes dicat: hæc propterea ad vos scripsi, vt vos, qui iam diuina Christi fide imbuti estis, certò sciatis æternæ vitæ hoc ipso vos fore participes, quòd Christi fidem perceperitis, modò eam cum caritate coniunctam ad extremum vsque vitæ spiritum constantissimè retineatis. Quapropter verissimè scriptum est à Paulo[a]: *Omnis scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia.* Vtilis est enim ad docendum veram, & sanam doctrinam, ad arguendum hæreticos, & schismaticos, ad corripiendum eos, qui à recto itinere nonnihil deflecterent; denique ad erudiendum in iustitia, vt fideles ad omnem morum honestatem, & sanctimoniam informentur. Mirificè autem sacram doctrinam extollit Augustinus[b]: *Quidquid* (inquit) *homo extra didicerit, si noxium est, ibi* (hoc est, in sacris litteris) *damnatur; si vtile est, ibi inuenitur, & cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantiùs ibi inueniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.*

a 2. ad Tim. 3. 16.
b lib. 2. de doct. Christ. cap. vlt.

III. Vitam porro æternam illos habere dicit, *qui credunt in nomine Filij Dei.* An quia sola fides vitam pariat sempiternam? Minimè gentium. Sed quòd sine illa vita beata comparari non queat. Fides enim prima omnium ad vitam immortalem aditum aperit, nec sperari, aut amari potest, quod penitus ignoratur. Quocirca rectè Ignatius[c]: *Principium* (inquit) *vitæ est fides, finis verò dilectio: ambæ autem simul iunctæ hominem Dei perficiunt.* Et Clemens Alexandrinus[d]: *Præcedit* (ait) *fides, timor autem ædificat, perficit autem dilectio.* Nec multo aliter Ambrosius[e], cùm enim verba illa Dauidis explanaret, *Principium sermonum tuorum veritas,* hunc in modum scribit: *Fides principium Christiani est. Plenitudo autem Christiani iustitia.* Denique Augustinus[f]: *A fide* (inquit) *incipit homo, sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem, & caritatem.* Rursus[g]: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Huc accedit, quòd, vt ait B. Gregorius, illa perfecta fides censenda est, quæ iis, quæ credit, moribus non contradicit, sed cum honestis, & laudabilibus actionibus, ipsáque adeò caritate coniungitur, de qua dixit Iacobus: *Ego ostendam ex operibus fidem meam.* hoc est, fidem viuam, quæ per dilectionem operatur. Quocirca Augustinus[h]: *Vnde* (ait) *est dilectio, id est, caritas, per quam fides operatur, nisi vnde illam fides ipsa impetrauit?* Alibi autem[i]: *Magnum* (inquit) *opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fundamentum fidei. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem.*

c epist. ad Philip.
d 1. Strom.
e in Ps. 118. Serm. 29.
f Ser. 16. de verb. Apost.
g Ser. 22. de verb. Apost.
h li. de Spir. & litt. c. 32.
i Præf. in Psal. 31.

IV. His consentanea sunt, quæ de fidei merito alibi scribit, etenim ad Paulinum[k] ait: *Si quis dixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imò gratissimè confitemur.* Et cõtra aduersarium legis, & prophetarum[l]: *In nouo Testamento* (ait) *fides impetrat caritatem.* Denique alibi[m]: *Fidei & non petita conceduntur, vt ei petenti alia concedantur.* Cùm igitur Ioannes ait, eos habere vitam æternã, qui fide præditi sunt, id vnum significat, quod alicubi ait Ruffinus[n], fidẽ esse veluti fontem, atque originem bonorũ omnium: *Nisi enim credideritis* (ait Isaias.) *non intelligetis. Vt enim* (inquit Ruffinus) *intelligentiæ tibi aditus patescat, rectè primò omnium te credere profiteris in symbolo, quia nec nauem quis ingreditur, & liquido, ac profundo committit elemento, nisi prius se credat posse saluari: nec agricola sulcis obruit, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque Solis teporem, quibus terra confota segetem multiplicata fruge, ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod inuitè geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Denique ideo & matrimonia contrahuntur, quia creditur successura posteritas; & pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina. Imperij quoque insignia vnus suscipit, dum credit sibi vrbes, & populos, armatum etiam exercitum parituros. Quod si hæc singula nisi prius crediderit futura, nullus aggreditur, quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur?*

k epist. 106.
l lib. 1. c. 17.
m li. de gra. & lib. arb.
n in expos. symb.

V. Rectè autem dixit Christus[a]: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quo loco Cyrillus Alexandrinus[b]: *Cognitio* (inquit) *est vita, spiritalem nobis benedictionem adducens, per quam spiritus in cordibus nostris habitat in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem per Euangelicam vitam, & incorruptibilitatem reformans. Cùm igitur origo, & quasi pronuba dictorum omnium cognitio veri Dei esse inueniatur, rectè à Domino nostro Iesu Christo vita æterna appellata est, quasi mater, & radix vitæ, naturáque sua vitam æternam pariens.* Hæc autem cognitio fidei beneficio potissimum comparatur, atque ideirco Gregorius Nazianzenus[c]: *Regnum cælorum* (ait) *nihil aliud esse existimo, quam eius, quod purissimum, & perfectissimum est, adeptionem perfectissima autem rerum omnium est Dei cognitio.* quam Clemens Alexandrinus[d] *perfectissimum bonum, & per se expetendum appellat.* Alibi[e] rem maximam, quæ sola hominem pium, & religiosum efficiat, atque ita conseruet in eo virtutem, vt amitti nequeat.

a Ioan. 17. 3.
b lib. 11. in Ioan. c. 17.
c in orat. de statu Episc.
d lib. 6. Strom.
e lib. 7. Strom.

VI. Subdit præterea, *eum, qui Deum verè magnificè cognouerit, non posse seruire voluptatibus, alijsque animi perturbationibus, sancta semper facere, & cogitare, precari cum Angelis, & licèt oret solus, habere assistentem Angelorum chorum.* Egregiè verò Hieronymus[f]: *Notitia* (inquit) *vnius Dei omnium virtutum possessio est.* Et alibi: *Memoria Dei excludit omnia flagitia.* Denique Augustinus[g]: *Cognitione Dei* (ait) *nihil melius est, quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est.* Quæ ideirco à me commemorantur, vt appareat, non simplicem fidei cognitionem laudari, sed quæ à caritate minimè seiungatur: hæc enim cognitio vitam parit sempiternam: quamobrem sic planè de illa disserit Bernardus[h]: *Quod si ignoras Deum, poterisne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem: nec enim potes aut amare quod nescias, aut habere quod non amaueris.* Mox autem hanc Dei cognitionem cum propria sui cognitione coniungendam monet. *Noueris perinde* (inquit) *te, vt Deum timeas, noueris ipsum, vt æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris, quia initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est caritas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, quàm sine timore, & amore Dei salus esse non potest.*

f Ierem. 31.
g Serm. 111. de temp.
h Serm. 37. in Cant.

14. *Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus, secundum voluntatem eius audit nos.*

I. Dixerat nos Filij Dei beneficio habere vitam certa iam spe quodammodo perceptam: addit nunc alterum affectum, hoc est, impetrandi fiduciam. sic autem hoc loco Ioannis verba explicat OEcumenius: *Deinde huius indubitabilis fidei nullum aliud indicium esse ait, nisi fiduciam, quam per immaculatam fidem*

apud ipſum conſequimur, ſicut etiam ſuperius à nobis eſt declaratum; ac rurſus fiducia huius ſignum id ſtatuit, quòd nullo ex iis, quæ ab ipſo petimus, fruſtramur. Et profectò negari non poteſt, impetrandi fiduciam ex fide magnopere pendere, ait enim Chriſtus: *Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Alibi etiam miraculorum vim fidei magnitudini, atque efficacitati tribuit, dum fidelium precibus etiam montes loco moueri poſſe confirmat, ſed vt ſæpè iam dixi, ea fides intelligenda eſt, quæ caritatem habet annexam.

II. Loquitur autem Ioannes hoc loco de fiducia, quam preces noſtræ neceſſariò poſtulant, quæ vt

a cap.3.21. hîc ipſe Ioannes ſupra dixit [a], non ſolùm fidem, ſed vitæ innocentiam, morúmque integritatem exigit: *Si cor noſtrum* (inquit) *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo facimus.* Et in eamdem ſententiam Da-

b Pſal.33.16. uid [b]: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces*

c cap.15.17. *eorum.* Denique apud Ioannem Chriſtus [c]: *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Quam ob rem Chryſoſto-

d in Pſal.4. mus [d]: *Ante alia* (inquit) *omnia oportet eum, qui precatur, habere fiduciam, & poſtulatum omnino conſequetur, & ideo Propheta non dixit: Exaudiuit me, ſed iuſtitiam meam, ſuam in Deum fiduciam oſtendens, & quòd cum ea omnino ad Deum accedit. Ne dicat enim quiſpiam, ille fuit exauditus, quoniam erat Dauid; ego verò non exaudiar, quoniam ſum puſillus, & abiectus, oſtendit, quòd ne illum audit quomodocumque, nec te audit temerè, & nulla ductus ratione, ſed ſemper res & facta exactè contemplatur. quæ ſi habueris, & eorum poſſis vti defenſione, omnino exaudieris.*

III. Verùm quoniam hæc fiducia non eſt penitus inanis, ſed magnam habet certitudinem, & firmitatem, quærendum hoc loco videtur, vndenam hæc fiducia oriatur, & cuius tandem ſit certitudinis, ac firmitatis. Et profectò fateri neceſſe eſt, hanc impetrandi fiduciam diuina potiſſimùm pollicitatione niti, quæ in ſacris litteris frequentiſſimè iteratur. Ita enim

e Pſal.49. ſcripſit Dauid [e]: *Inuoca me in die tribulationis, eruam*

f Pſal.65. *te, & honorificabis me.* Et alibi [f]: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.* Quo loco Auguſtinus: *Securi* (inquit) *de pollicitatione ipſius non deficiamus orando. & hoc ex beneficio ipſius eſt, propterea dixit: Benedictus Deus meus, quia non amouit deprecationem meam, & miſericordiam ſuam à me. Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt à te amota miſericordia eius.*

IV. Iam in nouo teſtamento eadem diuina pollicitatio ſæpius, longéque apertiùs iteratur. Nam apud

g cap.7.7. Matthæum [g], & Lucam [h]: *Petite,* (inquit) *& dabitur*

h cap.11.9. *vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.* Et aliquanto poſt: *Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe.* Et

i cap.16.23. apud Ioannem [i]: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: vſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit ple-*

k Ioan.14.13. *num.* Et alibi [k] dixerat: *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Hæc tamen diuina promiſſio non eſt penitus abſoluta, & ab omni conditione libera, ac propterea preces noſtræ non ſemper impetrant, quod flagitant, nam & Iacobus

l cap.4.2. Apoſtolus [l] ait: *Petitis, & non accipitis, & quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Quocirca

m Tract.73. in Ioan. Auguſtinus [m]: *Sed quid eſt* (inquit) *quodcumque petieritis, cùm videamus plerumque fideles eius petere, & non accipere? An forte propterea, quia malè petant?* Cúmque Iacobi verba paulo ante allata protuliſſet, ſubdit: *Malè ergo vtitur eo, quod vult accipere, Deo potius miſerante non accipit: proinde ſi hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, det iratus.* Allato autem Iſraëlitarum exemplo, qui malo ſuo impetrarunt, quod culpabili concupiſcentia petierant, aliquanto poſt ſubdit:

Quomodo ergo intelligendum eſt: quodcumque petieritis, hoc faciam, ſi Deus aliqua petentibus fidelibus etiam conſulendo non facit? an forte ſolis Apoſtolis hoc dictum debemus accipere? abſit. Et non paucis interiectis: *Erigila igitur* (ait) *homo fidelis, & vigilanter audi, quod illic poſitum eſt: in nomine meo, ipſum enim quodcumque, non aut petieritis vtcumque, ſed in nomine meo.* explicans autem quid ſit in nomine Chriſti petere: *Ac per hoc* (inquit) *quodcumque petimus aduerſus vtilitatem ſalutis, non petimus in nomine Saluatoris.* Et poſt pauca: *Quapropter quando volumus, vt faciat quodcumque petimus, non vtcumque, ſed in nomine eius, hoc eſt, in nomine Saluatoris petamus.* V.

Et alibi in eamdem prorſus ſententiam: *Manendo quippe* (ait) *in Chriſto quid velle poſſunt, niſi quod conuenit Chriſto? Quid velle poſſunt manendo in ſaluatore, niſi quod non eſt alienum à ſalute? Aliud quippe volumus, quia ſumus in Chriſto, & aliud volumus, quia ſumus adhuc in hoc ſæculo. De manſione namque huius ſæculi nobis aliquando ſubrepit, vt hoc petamus, quod nobis non expedire neſcimus. Sed abſit, vt fiat nobis, ſi manemus in Chriſto, qui non facit, quando petimus, niſi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, cùm verba eius in nobis manent, quodcumque voluerimus, petimus, & fiet nobis: quia ſi petimus, & non fiet, non hoc petimus, quod habet manſio in eo, nec quod habent verba eius, quæ manent in nobis, ſed quod habet infirmitas, & cupiditas carnis, quæ non eſt in eo, & in qua non manent verba eius.* Ita videas diuinam pollicitationem ad eas potiſſimùm preces referri, quibus aliquid honeſtum, ac laudabile petitur. Quam ob cauſam Baſilius [a] orationem definit petitionem boni cuiuſdam, quæ ad Deum à piis offertur. Et Damaſcenus orationem definit petitionem decentium à Deo. Quò etiam refero, quod ait Gregorius [b] Nyſſenus, qui orationem vocat ſacrum, & diuinum opus. Et aliquanto poſt: *Oratio* (inquit) *conuerſatio, & confabulatio cum Deo eſt, & malorum ſubuerſio, ac peccatorum emendatio.* Et poſt nonnulla: *Oratio eſt petitio bonorum, quæ Deo cum ſupplicatione offertur.* VI.

a Orat. in Mart.Iulit.

b li. de orat. Dom.

VII. Neque aliud ſenſiſſe videtur Chryſoſtomus [c], qui ſpectans Dauid [d] verba: *Iucundum ſit ei eloquium meum,* orationem vocat colloquium cum Deo. Ita, quod alicubi monet Auguſtinus [e], eos Deum non inuocare certum eſt, *qui mala volunt, & poſtulant, qui Deum denique adiutorem ponunt ſuarum cupiditatum, non deſideriorum exauditorem.* Quin etiam ex iiſdem Auguſtini verbis non obſcurè deprehenditur, diuinam pollicitationem ea etiam poſtulata excludere, quæ maius aliquod bonum impediunt, atque adeò ad ſalutem conſequendam non modò neceſſaria non ſunt, ſed ne vtilia quidem, ſiue ipſa per ſe eiuſmodi ſint, ſiue Deus ea eiuſmodi futura cognoſcat. Qua ratione non potuit Paulus impetrare, vt auferretur à ſe tentatio, cùm tamen ter rogaſſet, quòd intelligeret Deus ea tentatione Pauli virtutem perfici, ac roborari, & maiorem in modum ad Dei gloriam illuſtrari. Quod etiam hoc loco ſignificat Ioannes, cùm ait: *Quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos.* Nam ſi verba illa, *ſecundùm voluntatem* eius coniungantur cum verbo *petierimus*, planè indicant, ea tum demum preces irritas nequaquam fore, quæ id poſtulant, quod eſt diuinæ voluntati conſentaneum.

c Hom. 30. in Gen.
d Pſal. 130.
e Pſal. 85. ad illa verba: *Omnibus inuocantibus te.*

Quòd

VIII. Quòd si coniungantur cum sequenti verbo, *audit nos*; nihilo secius innuunt Deum nostris precibus pro sua voluntate annuere, quæ semper nostræ saluti consulit, atque adeò quæ noxia, aut minùs vtilia futura sunt, amouet à nobis, cuius, vt ait Paulus [a] (a 1 ad Thess. 4. 3.), voluntas est sanctificatio nostra. Adde, quòd diuina pollicitatio fidem ab eo exigit, qui vtiliter preces fundat, vt testimonia superiùs allata apertissimè docent, non quasi is, qui orat, se certò impetraturum necessariò credere cogatur, sed quòd fidem suam diuinæ pollicitationi subiicere, eique accommodare debeat. Quod autem ait Iacobus: *Postulet autem in fide nihil hæsitans*. eam solùm formidinem, & hæsitationem excludit, quæ voluntatem afficit, quæque illam veluti suspensam, ac pendulam reddit: postulat enim pia oratio spem, & confidentiam quamdam, quæ excludit hæsitationem à voluntate, qui enim hæsitat, quodam modo hæret, neque audet progredi, & timidè, & quasi malignè petit, cùm contra spes, & confidentia vim quamdam, & efficacitatem precibus tribuat. Quod exemplo Abrahæ confirmat Paulus [b] (b ad Rom. 4.): *Contra spem (inquit) in spem credidit*. Et mox: *Et non infirmatus est fide*. Denique: *In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia*.

IX. Quibus sanè verbis spem, & confidentiam cum fide coniungit, cùm vtrumque diuina pollicitatio postulet. Itaque Christus apud Matthæum [c] (c cap. 9.): *Confide (inquit) fili, fides tua te saluum fecit*. Ac præter fidem quidem etiam spem, & confidentiam necessariam esse indicat Dauid [d] (d Psal. 90.): *Quoniam (inquit) in me sperauit, liberabo eum*. Et apud Danielem ait Azarias [e] (e cap. 3.): *Non est confusio confidentibus in te Domine*. Et apud eumdem [f] (f cap. 13.): *Exclamauit omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui saluat sperantes in se*. Quocirca Paulus [g] (g ad Heb. 4.): *Adeamus (inquit) cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*. Atque ita rectè monuit Cassianus [h] (h Collat. 9. cap. 31.): *signum futuræ impetrationis esse, quando Spiritus sanctus mouet ad precandum cum magna fiducia, & quasi securitate impetrandi*. Itaque cùm ait Ioannes *quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos*, indicare videtur, preces nostras tum demum à Deo exaudiri, cùm eiusmodi fuerint, vt ei meritò probandæ videantur. Postulat autem Deus non tam vocis sonum, quàm precantis affectum. Ita enim loquitur Ambrosius [i] (i lib. de Sac. cap. 4.): *Qui in silentio oras, fidem defers, & confiteris quòd Deus scrutator cordis, & renis sit, & orationem tuam antè ille audiat, quàm tuo ore fundatur*.

X. Planius autem Hieronymus [k] (k Matth. 6.) ad illa Christi verba: *Ora Patrem tuum in abscondito. Mihi videtur* (inquit) *hoc magis esse præceptum, vt inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis oremus Dominum, quod & Annam in Regum volumine fecisse legimus: Labia (inquit) eius tantum mouebantur, & vox illius non audiebatur*. Et in eamdem sententiam Gregorius [l] (l. 22. Mor. c. 18.): *Vera quippe postulatio (ait) non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. vnde rectè per Psalmistam* [m] (m Psal. 9. 17.) *dicitur: Desiderium pauperũ exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorũ audiuit auris tua*. Postulat præterea recta precandi ratio non solùm fidem, sine qua, vt ait Augustinus [n] (n Ser. 36. de verb. Dom.), oratio perit, sed etiam spem, quæ fiduciam parit, de qua dictum est, sed præcipuè caritatem, & castam, puramque conscientiam, de qua hic noster [o] (o supra c. 3. 21.): *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo*. vt paulo ante copiosiùs docui.

XI. Neque verò propterea peccatorum preces penitus sunt aspernandæ, quod enim apud Ioannem cæcus ille dixit: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*. vel referendum est ad mira, & quæ supra naturam sunt perficienda, vt plurimùm enim Deus flagitiosos, & scelestos non exaudit, vt miracula edant: vel de peccatoribus accipiendum est, qui peccandi voluntatem retinent, & in eo luto perpetuò hærent, vel ea denique petunt, quæ absque scelere perfici non queant, quos ea Prophetæ verba perstringunt: *Et oratio eius fiat in peccatum*. Cæterùm si quis nondum planè expiatus supplex ad Deum accedat, eiúsque misericordiam imploret, statuátque apud animum suum vitiis, atque flagitiis nuntium remittere, quis neget eum veniam posse impetrare? Sanè ita loquitur apud Isaiam [a] (a cap. 1.) Dominus: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere peruerse, discite benefacere, & venite, & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Quocirca apud Lucam [b] (b cap. 18. 10.) publicanus ille, qui à longè stans, & oculos non audebat attollere pectus suum cædens, diuinámque misericordiam implorans gratiam, & iustitiam impetrauit.

XII. Certè mirum in modum Christiana modestia, atque humilitas piorum preces promouet, sic enim apud Isaiam [c] (c cap. 66. 2.) loquitur Deus: *Ad quem aspiciam, nisi ad pauperculum, & contritũ spiritu, & trementem sermones meos?* Et Iacobus: *Deus (inquit) superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Sic orauit olim Abraham [d] (d Genes. 18. 27.): *Loquar (ait) ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis*. Neque aliter Daniel [e] (e cap. 9. 18.): *Neque enim (inquit) in iustificationibus nostris prosternimus nos ante faciẽ tuam, sed in miserationibus tuis multis*. Ea verò de re ita loquitur Bernardus [f] (f Serm. 5. de Quadrag.): *Sed & vitam æternam fortassis aliqui non in humilitate quærunt, sed tamquam in fiducia suorũ meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet vt in ea quisquam constituat fiduciam impetrandi*. Et aliquanto post: *Sit oratio in omni humilitate præsumens de sola, vt dignum est, miseratione diuina*. sic orabat Dauid [g] (g Psal. 50. 1.): *Miserere mei* (inquit) *Deus*, (non secundùm merita mea) *sed secundùm magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*. Ab ide intimi cordis affectum, quo mirificè piorum preces Deo probantur. ita orasse dicitur Dauid cùm dixit [h] (h Psal. 129. 1.): *De profundis clamaui ad te, Domine, Domine exaudi vocem meam*.

XIII. In hunc porro locum ita scribit Chrysostomus: *Quid est: De profundis? non dixit solummodo ex ore, vel lingua; errante enim mente sæpe verba funduntur, sed ex corde profundissimo cũ magno studio, & magna animi alacritate ex ipsis mentis penetralibus: tales enim preces magnam habent potentiam, vt quæ neque subuertantur, neque commoueantur, etsi eas diabolus magno impetu inundat. Quemadmodum enim arbor valida, & quæ in multã profunditatem terræ egit radices eiusque sinus detinent, & adstringit, cuiuis ventorum impetui resistit, quæ in terra autẽ summa superficie sita est, si qualibet parua aura incubuerit, labefactatur, & radicitus euulsa iacet super terram, ita etiam preces, quæ ab imo quidem ascendunt, & egerunt radices in profundo, etiamsi innumerabiles venerint cogitationes, etiamsi instructa tota diaboli acies, firmæ manẽt, & stabiles, & minimè euertũtur. Quæ autem ex ore, & labiis procedunt, & non ab imo ascendunt, ne possunt quidem ad Deum ascendere*. Mox item exemplis confirmans addit: *At sancti non sic orabant, sed cum summo studio, & maxima vehementia, vt etiam totum corpus inflecterent. Nam beatus Elias orans primum quidem quæsiuit solitudinem, deinde cùm posuisset caput inter genua, & seipsum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces*.

XIV. Neque his contentus aliquanto post addit: *Audi quomodo Anna orabat de profundis, eiusmodi fontes lacrymarum emittebat, quomodo per orationem euehebatur in sublime ... eius enim ita precatur, etiam antequàm conse-*

quatur

tum superauit, quem alibi principem mundi appellat, quem dominatu, seu potius tyrannide deiecit. Cùm igitur ille principem mundi superauerit, mundum verè vicisse dicitur. Atque ita cùm vires dæmonis attriuerit aut etiam fregerit, eo duce, & adiutore sperare possunt Dei filij se quoque mundum superaturos. Id olim significauit his verbis Ieremias [a]: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cùm venerit in æstus.* Ipse enim Christus in nobis, & nobiscum pugnat, ac vincit, vt meritò dixerit Apostolus [b]: *Ipse dedit nobis victoriam.* Et Dauid [c]: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego sperabo.* Et in eamdem sententiam Isaias [d]: *Ecce,* (inquit) *Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo.* Hic autem noster supra dixerat [e]: *Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum.* Et rursus [f]: *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum,* (mundum videlicet) *quoniam maior est, qui in vobis est.* Et in Apocalypsi [g]: *Et ipsi* (inquit) *vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui.*

a cap. 17.
b 1. ad Cor. 15. 57.
c Psal. 26.
d cap. 12.
e c. 2. 13. & 14.
f cap. 4. 4.
g c. 12. 11.

III. Vicisse autem dicimus, non quòd nulla reliqua sit pugna, sed quòd nobis per Christi mortem vincendi potestas facta est. Vicimus, quia si volumus, diuinæ gratiæ præsidio fulti vincere facilè possumus, alioqui perpetuam in nobis luctam experimur, *quia caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Veréque affirmare possumus, quod Paulus ait: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati.* Quin etiam extrinsecus magna nobis restat pugna, vt ait Paulus [h]: *Non aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mũdi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Sed vt idem Apostolus ait [i]: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Hoc enim est mundum vincere, quod hoc loco ait Ioannes. Ne quis autem Pelagiano errore corruptos sibi, ac suis viribus victoriam tribuat: *Omne* (ait) *quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Quasi dicat, diuinitus vires sufficit, vt vincere possimus, alioqui *maledictus vir,* ait Ieremias [k], *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrice in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.* Planè perinde illi accidit, quasi fragili, & arundineo innitatur baculo, qui si frangitur, innitentis manum vulnerat & cruentat. Itaque in libris Regum dixit quidam [l]: *An speras in baculo arundineo, ac confracto Ægypti? super quem si incubuerit homo, & comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? sic est Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se.* Eodemque modo Ezechiel [m]: *Pro eo quòd fuisti baculus arundineus domus Israel, quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum, & innitentibus eis super te comminutus es, & dissoluisti omnes renes eorum.* Itaque rectè ait Augustinus, Pelagianos dum liberi arbitrij vires extollunt, eas potiùs præcipites agere, & elidere.

h ad Ephes. 6. 12.
i ad Gal. 5.
k cap. 17.
l lib. 4. c. 18.
m cap. 29.

IV. Eademque opera Ioannes Lutheranos refellit, qui ne diuina quidem gratia instructos, ac roboratos vincere posse autumant, sed iis esse Dei præcepta non solùm ardua, & difficilia, sed planè eiusmodi vt perfici obseruaríque non queant. Ita rectà incedendum via monet Apostolus, neque alteram in partem declinandum, ne cum Pelagia-

A nis plus æquo liberõ tribuamus arbitrio, vel cum Lutheranis vim, ac potestatem gratiæ denegemus: quippe illi, qui ex Deo nati sunt, non humani arbitrij viribus, sed diuinæ gratiæ præsidio vincunt, & victoriam non sibi, sed Deo adscribunt, in quo nihil non potest humana libertas, cùm apertè dicat Paulus: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quámobrem meritò subiicit Ioannes: *Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* illa videlicet fides, quæ per dilectionem operatur, totaque à diuinæ gratiæ beneficio pendet.

V. Nec malè Didymus: *Hæc est* (inquit) *victoria, quæ vincit sæculum, id est, fides, quam habemus credentes Iesum esse eum, qui prophetatus est Christus. His igitur infert, quia*
B *necessario consequens est, vt qui credit Iesum esse Filium Dei, victoriam habeat contra mundum fides nostra.* Hoc apertè innumerabilium Martyrum triumphi declarãt, vt enim scribit Tertullianus [a]: *Arrius Antonius cùm persequeretur instanter in Asia fideles, omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt.* Et Nicephorus [b]: *Diocletiani tempore* (ait) *cum natalis dies Christi festius adesset, viginti millia Christianorum in templo à tyranno conclusa igni conflagrare maluerunt, quàm tantillum à Christianæ fidei stabilitate deflectere.* Hac porrò animi constantia permoti olim Philosophi, & Oratores etiam ipsi fidem Christi cõplexi sunt. Quamobrem in hæc verba scripsit Lactantius [c]: *Cùm ab ortu Solis*
C *vsque ad occasum lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, & gens, & regio vnitis, ac paribus animis Deo seruiant, eadem sit vbique patientia, idem contemptus mortis intelligere debuerant aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa vsque ad mortem defendebatur, aliquid fundamenti, ac soliditatis, quod eam religionem non tantum iniurus, ac vexatione non soluat, sed augeat semper, & faciat firmiorem.* Atque hac potissimùm ratione Iustinus Martyr affirmat adductum se ad fidem Christianam esse, quòd animaduerteret cordatos, ac sapientes viros pro religione non modò fortunas, ac bona omnia contemnere, sed etiam acerbissimos cruciatus, atque adeò mortem non tantum forti, & constanti, sed etiam hilari animo subire.

a Ad Scapu.
b lib. 7. hist. c. 6.
c lib. 5. diuin. inst. c. 13.

VI. Et sanè fides mundum meritò dicitur vincere,
D quod omnes prauas animi cupiditates rationi, ac diuinæ legi penitus subiiciat, vt nihil omnino sub cælo reperiri queat, quod fidelium animos ab instituto virtutis cursu aut reuocet, aut retardet. Quod apertissimè insinuauit Apostolus, cùm ad Romanos scripsit [d]: *Certus sum, quia neq; mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Vnde enim* (ait Hieronymus [e]) *certum erat nisi ex fidei firmitate?* Vincit præterea fides mundum, quia inanem, & superuacaneam curiositatem compescit, ne mens humana vltra fidei terminos temere vagetur. Quam ob causam scripsit [f] Tertullianus: *Nobis curiositate opus nõ est post Chri-*
E *stum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, cum credimus nihil desideramus vltra credere: hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus.* Et post nonnulla: *Cedat curiositas fidei, cedat gloria humana scilicet sapientia, ac rationis salutis.* Nec multo aliter Basilius [g]: *In vniuersum* (ait) *si fides substantia est earum, quæ sperantur rerum, & certum, quæ non videntur argumentum, ne mihi in curiosius, anxiusque contendas videre, quæ longiore seposita sunt interuallo, non quæ speras te olim consecuturum, in ambiguam reuoces, dubiamque partem, quod ad ea nondum poteris certa notione pertingere.*

d cap. 8. 38.
e Ad Gal. 1.
f lib. de præscrip.
g In Psal. 115.

VII. Quamobrem mira est dignitas, ac præstantia fidei, quam Clemens [h] Alexandrinus doctrinæ perfectionem appellat, cui nihil deest. Basilius [i] sacrorum quæ de

h lib. 1. Pædag. c. 6.
i in Psal. 115.

A de Deo sunt, eloquiorum ducem nominat. Ambrosius[a] verò ita de fide loquitur: *O thesauris omnibus opulentior fides! ô virtutibus corporis omnibus fides fortior! ô medicis omnibus salutarior!* Alibi[b]: *Fides (ait) virtutum omnium stabile fundamentum est.* Denique[c]: *Mater martyrij fides Catholica est.* Chrysostomus porro[d]: *Fides est ergo (ait) iustitia, & sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum, nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit.* Addo Eusebium Emyssenum, si tamen is est auctor[e]: *Fides (inquit) religionis Catholicæ lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Hanc nobis velut magnam lampadem Christus adueniens errantibus viam monstraturus exhibuit, per quam possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inueniri.*

a lib. 5. de Virg.
b in Psal. 40.
c de ser. SS. Naz. & Cel.
d sc. de fide, spe, & carit.
e Ho. 2. de symb.

VIII. B Sed mirificè fidem laudat Augustinus his planè verbis[f]: *Non enim fides nihil est, sed magnum aliquid, quàm si habes, profectò accepisti, quid enim habes, quod non accepisti?* Et mox: *Laus fidei à me explicari nullatenus potest, sed à fidelibus cogitari potest. Porro si ex aliqua parte vt dignum est, cogitetur, quàm multis donis Dei ipsius præfertur?* Et alibi[g]: *Nulla sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat.* Denique Bernardus[h]: *Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, reprehendit nouissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. Fidenter* C *dixerim æternam, beatámque Trinitatem, quam non intelligo, credo, & fide teneo, quod sana non capio mente.* Hæc igitur fides illustrem quandam victoriam de vniuerso mundo reportauit. Cùm enim omnes gentes, ac nationes impio Gentilium errore, ac nefario idolorum cultu tenerentur implicitæ contrà nitentibus tyrannis, & nihil non molientibus Philosophis Christiana sacra piè, ac religiosè susceperunt, & posthabitis humanæ sapientiæ decretis fide credere cœperunt, quod humana ratione assequi nequaquam potuissent. Sic olim virga Mosis in serpentem conuersa vorasse dicitur magorum virgas, indicans fidem, quæ humanæ rationi absona, atque absurda videri solet, de tyrannis, atque Philosophis gloriosissimè triumphantem.

f ser. 38. de verb. Apost.
g ser. 1. de verb. Apost.
h ser. 76. in Cant.

IX. D Hinc sanè tam insignem victoriam ex adiunctis, & iis, quæ deinceps consequuta sunt, graphicè describit Augustinus[i]: *Parum ne (ait) consultum rebus humanis arbitratis, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensum attingit, pro Deo tollendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium, fœminarúmque in tam multis diuersisque gentibus, & credit, & prædicat? quod continentia vsque ad tenuissimum victum panis, & aquæ, & non quotidiana, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia, quod castitas vsque ad coniugij prolisque contemptum, quod patien-* E *tia vsque ad cruces, flammásque neglectas, quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius huius mundi aspernatio vsque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hoc faciunt, pauciores bene, prudentérque faciunt, sed populi probant, populi audiunt, populi fauent, diligunt postremò populi. Populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Hoc factum est diuina prouidentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem, doctrinámque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula.*

i lib. de vti. credé. c. 17.

X. A Pergit deinde, & ea omnia, quæ enumerauit, fidei Catholicæ tribuenda docet: *Cum igitur (inquit) tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit?* Hæc igitur est victoria, quæ vincit mundum fides nostra, quæ diuinitus fidelium mentibus indita ea efficit omnia, quæ numerat Augustinus, & alia sexcenta, quæ à Paulo Apostolo indicantur, cum omnia propemodum, quæ laudabiliter à viris sanctis ab ipso mundo condito gesta sunt, fidei accepta refert. Qualis autem fides hanc mun- B di victoriam assequatur, non quidem vniuersim, sed pro sui sæculi ratione ad hæreticorum qui tunc grassabantur, impietatem refellendam planiùs explicans subiicit:

5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?*

I. Non ita angustè fidei laus accipienda est, cùm amplissimè de fide loquens Paulus in Epistola ad Hebræos apertè dixerit: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam.* & quæ deinceps sequuntur. Sed Ioannes vt fidelium periculo occurreret, illud potissimùm fidei dogma commendat, quod eo tempore ab hæreticis oppugnabatur: hæretici enim æui il- C lo Apostolico Christi diuinitatem magna ex parte negabant, quorum princeps fuisse videtur Cerinthus, quem Ioannis fuisse æqualem scribit Irenæus,[a] de quo plura Theodoretus,[b] Dionysius[c] Alexandrinus, & Eusebius.[d] Socium eiusdem erroris habuit Ebionem, aduersùs quem, vt ait Hieronymus,[e] scripsit Ioãnnes suum Euangelium, vbi Christi diuinitatem apertissimè asserit. Monet itaque Apostolus fidem, quæ mundum superauit, Christi potissimùm diuinitatem asserere, quam deinde in sequentibus sæculis aduersùs plurimos hæreticos, & præcipuè Arianos constantissimè Ecclesia professa est: eam porro primus Petrus Apostolus pronuntiauit cùm dixit:[f] *Tu es Christus Filius Dei viui.* & ob eam causam meritò audiuit à Christo: *Et ego dico tibi, quia tu es Pe-* D *trus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* nimirum Petrus hac fidei soliditate roboratus, dignissimus habitus est, cui Ecclesiæ Catholicæ structura tamquam stabili fundamento niteretur. Nec ad Ecclesiam Christi quisquam pertinere potest, qui ab Petri fide sit alienus. Nec dubium est, Iesum filium Dei non adoptione, sed natura appellari, vt autem supra monui, fidem exigit viuam. Itaque Bernardus ad hunc Ioannis locum alludens ita planè scribit:

a lib. 1. c. 25. & lib. 3. c. 3.
b lib. 2. de hæret. fab.
c lib. 2. de promiss.
d lib. 3. hist. c. 21.
e De vir. illust. in Ioan.
f Mat. 16.

II. *Quid ergo*[g] (ait) *quis est Filius Dei, cum & ipse iam mũdus id credat? An non ipsi quoque dæmones, & credunt, & contremiscunt? Sed dico, putas ne Filium Dei reputat Iesum* E *quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consilijs acquiescit? Nónne is etiam si fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porro fides sine operibus mortua est in semet ipsa, nec sanè mirum videri potest, si nequaquam vincit, quæ nec viuit quidem.* Frustra itaque Christi diuinitatem huius sæculi hæretici prædicant, siue quia vera, ac supranaturali fide destituuntur, siue quia, vt ait Paulus, cùm Deum cognoscant, non sicut Deum glorificant, cuius sponsam Ecclesiam mirè vexant, & in partes scindunt, ac lacerant. Cùm igitur Ioannes ait, eum vincere mundum, qui credit Iesum esse Filium Dei, veram exigit fidem, non humanam opinionem, & quidem viuam fidem, quæ cum caritate coniungitur, à qua longe aberant illi, de quibus Ioannes in

g ser. 1. de trib. testim. in cælo, & in terra

a cap. 12. 43. nes in Euangelio ait [a]: *Multi ex principibus crediderunt in eum; sed non confitebantur, dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* Vera autem fides vincit mundum, hoc est, omnem difficultatem superat, & quod corde credit, liberè, si res postulet, ore confitetur. Itaque Lactantius [b]: *Fides quoque* (ait) *magna iustitiæ pars est, quæ maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus, conseruanda est præcipuè in religionem, quia Deus prior est, & potentior, quàm homo. Itaque cùm inciderit huiusmodi necessitas, vt discedere à Deo, atque ad ritum gentium transire cogamur, nullus nos metus, nullus nos terror inflectat, quominus creditam nobis fidem custodiamus.*

b 5. lib. ep. diui. inst.

III. Hoc nimirum olim strenuè præstiterunt innumerabiles Martyres, qui ne Christi fidem desererent, acerbissimos cruciatus constantissimè tolerarunt, dum sanguinem, ac vitam pro Christo profunderent, innumerabiles mortales diuina fide imbutos Christo aggregarunt, vt acutè admodum dixerit Tertullianus, crescere nos, dum metimur, & martyrum sanguinem semen esse Christianorum. Verissimè enim dictum est à Leone Pontifice: *Non minuitur Ecclesia persecutionibus, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum singula grana, quæ cadunt, multiplicata nascuntur.* Fides itaque diuinitatis Christi mundum superauit, quia errorem Gentilium funditus sustulit, & subinde exorientes hæreses extinxit. Quamobrem rectè OEcumenius: *Omnem* (inquit) *fides perfidiam vicit, atque eiecit, ita vt neque Iudæus, neque Græcus, neque hæreticus quampiam vim aduersus ipsam habeat.* Nec mirum superesse interdum in Ecclesia frequentia hæreticorum prælia, id enim accidit non sine occulto diuinæ prouidentiæ consilio, ne nimia pax & securitas materiam præbeat languoris, & desidiæ. vt enim ait Ambrosius [c], *remissas excubias callidus insidiator irrumpit, assuetum autem bello virum externa fraus instruit, & gloriosè prouehit palmam victoriæ. Pax ergo fidei corruptela materia est.*

c in Psalm. 118. ser. 9.

6. *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine: & Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas.*

I. Quoniam proximè dixerat, Iesum esse verum Dei filium non adoptione, sed natura, id pluribus argumentis confirmat. Ac primùm quidem, quia hic est, inquit, qui venit per aquam, & sanguinem, hoc est, quem diuina Prophetarum oracula venturum prædixerāt per aquā, & sanguinē. Græcè est ὁ ἐλθών, quod Syriacus bene vertit: *Hic est ille veniens.* quem videlicet Prophetæ venturum sæpiùs dixerāt. Innumerabilia autem propemodum sunt vaticinia Prophetarum, quæ Christi ad nos aduentum pollicentur. Sed quid significet Ioannes, cùm addit, venisse Christum per aquam, & sanguinem, non planè liquet. OEcumenius hæc putat idcirco scripta esse à Ioanne, quoniam dixerat, aliquos ex Deo natos esse, quod vi baptismi perficitur, idcirco subdit, venisse Christum per aquam, & sanguinem, vt nos regeneraret, ac filios Dei faceret per aquam, & sanguinem. Quorsum autem aquam, & sanguinem nominet, sic planè explicat: Non in aqua solùm nos regenerat, sed in aqua, & sanguine: vult enim prius Christi, qui nos in filios adoptauit, declarationem ostendere, qui cùm homo, qui in ipso erat, adoptatus in filium à Deo fuisset, ipse nobis quoque per suam adoptionem eiusmodi dignitatem gratificatus est. Aquam porro ad Iordanis baptismum refert, quod ante illum dixerat Tertullianus [d], tunc enim paterno testimonio probatum est, Christum esse verum Dei filium. *Per aquam igitur* (ait OEcumenius) *id est, in baptismate per aquam Iesus Patris testimonio Filius Dei est declaratus: at per sanguinem quando cùm propè erat, vt crucifigeretur, dixit: Glorifica me tu Pater, & vox delata est, quæ dicebat: Et glorificaui, & iterum glorificabo. Per spiritum verò est manifestatus, quando è mortuis tamquam Deus resurrexit.*

d lib. de bap. cap. 16.

II. Sed, vt verum fatear, non facilè probare possum, quod ait OEcumenius, hæc cum superioribus connectenda esse, vt ostendat Ioannes, quomodo nos ex Deo nascamur. Malim omnino proximè superioris sententiæ, vt paulo ante dixi, probationem afferri. Nam quæ de Christi adoptione in Iordanis baptismo perfecta scribit, ne probanda quidem sunt, siue quia, vt alibi docui, non propriè Christus dicitur adoptatus, siue quia siqua ratione adoptio Christo tribuenda est, multo ante baptismum, hoc est, ipso primo incarnationis articulo concedenda est, cùm humana natura diuinitate delibuta omnem gratiæ plenitudinem adepta est. Adde, quòd Patris testimoniū ad Iordanis amnem de Christi diuinitate, non de humanæ naturæ creata, siqua est, filiatione accipiendum est. Non iuerim tamen inficias, paternum illud testimonium in Christi baptismo editum vtcumque indicare, nos vt baptismi renasci, Deique filios adoptari. Probat igitur Ioannes Christum esse Dei filium, quia is est, quem prophetæ per aquam, & sanguinem venturum prædixerant. Etenim Ezechiel baptismum à Christo instituendum indicat his verbis: *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.* Non me fugit existimasse nonnullos aquæ nomine diuinam sapientiam significari, de qua Sapiens [a] ait: *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Neque enim dubitandum est, venisse Christum tamquam cælestem magistrum, qui diuinam sapientiam ad nos attulit, de qua apud Ioannem dicebat, *quæ audiuimus, loquimur, & quæ vidimus, testamur.* Et rursus: *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Denique: *Ego non à me ipso loquor, sed qui me misit, verax est.*

a Eccl. 15. 3.

III. Nec defuerunt, qui aquam referrent ad Gentium multitudinem, quam Christus cælesti fide imbuit, & sibi aggregauit, siquidem in Apocalypsi [b] scriptum est: *Aquæ multæ populi multi.* Sed hæc, vt verum fatear, mystica sunt, & ad symbolicam Theologiam pertinent. Cæterùm si mens Apostoli spectetur, loquitur ille de aqua baptismi, cui Christus Dominus in Iordane sanctitate quadam perfusæ vim, atque efficacitatem largitus est, vt ad omnia expianda scelera, si ritè adhibeatur, ipsius Christi nomine, atque auctoritate valeat. Itaque ipso statim suæ prædicationis exordio baptismum à Ioanne percepit, & paterno testimonio cælestis, ac diuinus magister declaratus est, cui ab omnibus obtemperandum sit. Addit Ioannes *sanguinem*, vt Christus Mosaicis ablutionibus, & Ioannis baptistæ baptismo præferatur. fuit enim sanguinis nostræ redemptionis pretium: quod non obscurè significauit Isaias, [c] cùm ait: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Hæc enim de effusione sanguinis Christi explicant Tertullianus [d], & Cyprianus. [e] Nec malè spectasse creditur Ioannes aquam, & sanguinem, quæ à Christi Domini iam vita functi vulnerato pectore fluxerunt, Quæ duo potissimum sacramenta indicabant, Baptismum, & Eucharistiam, quibus vita spiritualis & inchoatur, & conseruatur: baptismo enim nascimur, Eucharistia nutrimur.

b cap. 12.

c cap. 63. 2.

d lib. 4. con. Marcion.

e lib. 2. ep. 3.

Vtrum

IV. Vtrumque autem Christi diuinitatem confirmat, vis enim baptismi, qua peccata expiantur, diuinam omnino exigit potestatem, transubstantiatio autem panis & vini in corpus & sanguinem Christi non nisi vi, ac potestate diuina perfici potest. Quocirca vt rei dignitatem, maiestatemque confirmet, addit, *non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine*: vt quod paulò ante dixi, ostendat Christi aduentus dignitatem, ac præstantiam, qui non solùm baptismum instituerit priscis Iudæorum ablutionibus persimilem, sed vi sui sanguinis cælestem illi vim tribuerit, de qua admiratione plenus dixit Ambrosius. *Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Sanguis igitur Christi pro nostra salute effusus multis in veteri lege sacrificiis indicabatur, quia in illa veteri lege, vt ad Hebræos scribit Apostolus, *sine sanguinis effusione nō fit remissio*. Et vt idem ait:[a] *si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationē carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritū sanctum semetipsum obtulit immaculatū Deo, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Et paulo antea apertissimè docuerat discrimē inter veteris, ac noui Testamenti expiationes, tunc enim *munera* (inquit) *& hostiæ offerebantur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientē, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis*. At verò in nouo Testamento *Christus autē* (inquit) *assistens Pontifex futurorū bonorū per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factū*, id est, non huius creationis, *neque per sanguinē hircorum, & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta*.

a Hebr. 9. 13.

V. Sed esto, venerit Christus per aquam, & sanguinem, instituerit Sacramenta baptismi, & Eucharistiæ, numquid hæc eius diuinitatem apertè probant? Pertinet, fateor, sacramentorum institutio ad potestatem, quam Theologi vocant excellentiæ, sed ea potuit viro cuipiam sancto permitti, qui Deus nō esset. Nihil igitur hoc argumento Ioannes efficit, sed nimirum hæc perinde accipienda sunt, vt illa apud Ioannem Christi verba: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Neq; enim Christi miracula si per se solitariè spectêtur, eiusmodi erãt, vt necessariò minimèque fallenti argumento eius diuinitatem astruere possent, cùm ipse alibi dixerit, fideles adhuc multo maiora effecturos. Sed si inspiciãtur adiuncta, quæ miracula circumstabant, diuinitatē perspicuè indicabant. Persimili igitur ratione aqua, & sanguis, de quibus hoc loco loquitur Ioannes, si per se tantùmmodo inspiciantur, minus idoneè Christi diuinitatē confirmant: sed si hæc præcipua cū cæteris coniungãtur, quæ Christus gessit in vita, magnã omnino vim habent ad eius diuinitatem stabiliendã. Itaque cū fideles baptismo expiandos præcepit, formam his verbis expressit *baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. vbi se Trinitatis secūdã personam, atque adeò Deum æqualem Patri indicat. Cùm igitur fideles baptismi formam non ignorarent, inde Christi diuinitatem meritò confirmat.

VI. Nec frustra addidit, sanguinem, hoc est, Eucharistiæ sacramentū, Christus enim docuerat[b], nū Moysem dedisse populo panem de cælo verum, sed hoc esse Dei parentis eximiū, ac singulare munus, se verò esse verum, ac viuum panem cælitus à Deo missum. Additq; ite: *sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrē, & qui manducat me, & ipse viuet propter me*. indicans se non aliter, ac Deum Patrem eadem omnino vi, & potestate vitam largiri, atque ita argumēti vis vtrumque constat, nec minimū apud eos valet,

b Ioan. 6.

qui Catholicam fidem tenent, & incarnationis mysterium probe norunt, cuiusmodi erant ij, ad quos Ioannes hanc epistolam scribit. Interim autem diuinam in nos liberalitatem, ac munificentiam mirificè extollit, quod aqua baptismi omnia nostra scelera, atque flagitia ablui, ac penitus deleri voluerit, & suo sanguine nos à dæmonis seruitute eruerit, vt meritò dixerit Petrus: *Non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso Christi sanguine redempti estis de vana vestra conuersatione*.

VII. *Et spiritus* (inquit) *est qui testificatur, quoniã Christus est veritas*. Græci codices hoc loco à Latinis nõnihil discrepant, sic enim habent: καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, hoc est, *spiritus est, qui testificatur, quoniam spiritus est veritas*. At Latini constanter habent, *testificatur, quia Christus est veritas*. Si Græcos sequamur, sensus erit; spiritus diuinitati Christi testimonium præbet, & quidē omni exceptione maius, cùm spiritus sit ipsa veritas, quę nec falli, nec fallere potest, vt spiritus nomine, vt multi apud Oecumenium volunt, Deum, vel ipsum etiam Spiritum sanctū significet. Sin Latina lectio placeat, quæ omnino retinenda videtur, significabit Ioannes spiritum Christi diuinitatem astruere, dum probat eum esse primam, ac summam veritatem, ab ignoratione, atque errore penitus alienam. Sed quid nomine spiritus intelligendum sit, nondum planè liquet. Beda, & alij quidam Spiritum sanctum intelligunt, alij doctorem spiritalem, nonnulli spiritum Christi, quē in cruce moriens emisit, quibus fauet Augustinus[a], vel quem redimitus recepit ab inferis resurgēs, quod indicat OEcumenius. Denique sūt qui iustorū spiritum accipiant tãquam Spiritus sancti effectū, quo renouati & vncti edocentur. Vt enim hic ipse Ioannes dixit, *vnctio docet de omnibus*. Quocumque igitur modo spiritus accipiatur, diuinitati Christi testimoniū præbet. Certè vt ab hac postrema explanatione ordiamur, hic ipse[b] supra; *Et vos* inquit) *vnctionē quã accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos. sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo*. Et alibi[c]: *Scimus quoniam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis*. Sic etiam alibi[d]: *In eo manemus, & ipse in nobis, quonia de spiritu suo dedit nobis*. & hoc ipso capite: *Qui credit in Filiū Dei, habet testimonium Dei in se*.

a lib. 3. cont. Maxim. c. 22.

b cap. 2. 27.

c cap. 3. 24.

d cap. 4. 13.

VIII. Sed vt verum fatear, hoc qualecumque spiritus testimonium ad Spiritum sanctum refero, qui in cordibus iustorum testimonium reddit spiritui nostro: agit enim in cordibus hominum, vt credant & Christi diuinitatem, cæteraque eius mysteria non modò facilè admittant, sed ardentissimè complectantur. Quamobrem dixit alicubi Chrysostomus[e]: *Nullus prætextus quod ignorans virtutē negligat, vel quod nō habeat aliquē viæ ducē, & demonstratorē: sufficientem enim magistrum habemus conscientiam, & fieri non potest, vt quis illo adiumento priuetur*. Hinc oritur in nobis quædam tranquillitas, & securitas, qua ita fidei adhærent, vt de se potius, ac de propria vita dubitare possint, quã de iis, quæ fide credenda proponuntur. Itaque Hieronymus[f]: *Vis* inquit *scire quantus sit ardor bene credentium? Audi Apostolū: Et si nos, aut Angelus de cælo aliter euangelizauerit vobis, anathema sit*. Cui consentit Ioannes noster[g]: *Si quis hãc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis*. Vna est enim fidei simplicitas, vt obseruauit Chrysostomus[h], cū de Abrahę fide dissereret: ait autem Apostolus[i], habere omnes fideles eumdem spiritum fidei, hic ergo spiritus testificatur, quoniam Christus est veritas, cui tutò fides nostra innititur. Iniquum enim, ac prorsus impium esset, vt ait Basilius[k], ea in dubium

e Hom. 54. in Genes.

f [illegible] Pammach.

g Ep. 2. 10.

h Hom. 4. Gen.

i 2 ad Cor. 4. 13.

k in Psal. 115.

reuocare, quæ diuina veritate nituntur. Aliæ porro
spiritus explicationes non facile meo iudicio huic
loco aptantur, nisi fortè eam probemus sententiam,
quam sequitur OEcumenius, qui spiritum intelli-
git quem Christus resurgens recepit, nam resurre-
ctio non leue argumentum est diuinitatis Christi.

7 *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

I. Fateor hæc verba in nonnullis Græcis codicibus
non legi, & in quibusdam Latinis, & Syriaca inter-
pretatione desiderari. Certè ab OEcumenio inter
Græcos, & Beda inter Latinos ne attinguntur qui-
dem, quod & fecisse videntur veteres Patres non
a libro 14. Thes. c.pen. pauci, Cyrillus [a], Ambrosius [b], Augustinus [c], Leo
Pontifex [d]. Itaque non solùm hæretici hæc verba
b lib. 3. de Spi. san. cap. 22. & in Luc. cap. 22. ab hoc loco excludunt, sed etiã Grammatici quidã
parùm Catholici ea in dubium reuocant. Atqui in
pluribus Latinis exemplaribus leguntur & in Græcis
c lib. 3. con. Maxi cap. 22. non paucis, celebranturque ab Ecclesia tamquam
Dei verba, & in Lateranensi Concilio, cui Græci
d ep. 10. c. 5. interfuerunt, Græcos codices ita habuisse scribitur.
e epist. 11. Laudant eam sententiam tamquam Dei verbo com-
f lib. de sim. Prælat. & ep. ad Valeriũ. prehensam Higynus Pontifex [e], Cyprianus [f], Inno-
centius III [g]. Idacius [h], Fulgentius [i], Eugenius apud
g Conc. Later. cap. 2. Victorem [k], Athanasius [l], & quidẽ bis auctor dispu-
tationis in Niceno Concilio [m], & D. Thomas [n], de-
h contr. Varimun. niqueHieronymus [o], & alij. Quod verò Augustinus,
i ad obiect. Arian. resp. 10. & pauci quidam alij ea verba omiserint aduersùs tã
multos testes, qui hæc verba agnoscunt, vim pror-
sus nullã habet. Augustinus verò, cuius auctoritati
k lib. 2. aduersarij plurimùm tribuere videntur, explicare
l lib. 1. ad Theoph. tantùm voluit id, quod ipse docuerat, vnum scilicet
m In eod. Conc. semper in Scriptura de iis dici, quæ vnius sunt sub-
stantiæ, cui sententiæ cùm officere videretur, quod
n Opusc. 24. mox subiicit Apostolus, *Tres sunt, qui testimonium dant*
o Præfat. in epist. can. *in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt,*
hanc sententiam explicandam suscepit, alia præter-
missa de qua nullus erat ambigendi locus.

II. Hæc igitur testimonia profert Ioannes ad Christi
diuinitatem firmandam, sunt autem testes omnino
sex, tres quidem in cælo, totidem in terra. In cælo D
quidem Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, ac de
p cap. 8. 18. duobus quidem prioribus ita apud Ioannem [p] lo-
quitur Christus: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de*
me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pa-
q vers. 13. *ter.* Et paulo [q] ante cũ obiecissent Iudæi Christũ de
seipso testimonium ferre, ac proinde eius testimoniũ
minùs videri verum. *Et si (inquit) ego testimonium per-*
hibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio
vnde veni, & quò vado. Et aliquanto post: *Iudiciũ meũ*
verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pa-
ter. Spiritus autẽ sanctus Christi diuinitati testimo-
nium perhibuit, cùm in die Pentecostes fidelium,
& Apostolorum animos diuinis suis muneribus cõ-
pleuit, quibus illi instructi palã vbique professi sunt, E
Christum esse verum Deum, & humanæ salutis au-
ctorem. *Et hi tres* (inquit) *vnum sunt.* quod maximè
Arianos iugulat, significat enim tres diuinas perso-
nas vnius, atque eiusdẽ esse naturæ, atque adeò vnũ,
atque eumdem Deum tribus personis subsistentem.

III. Non temerè autem tres è cælo, & totidem è terra
testes profert, licèt enim alij plures afferri potuis-
sent, hos tamen iure optimo adhibuit, vt legitimũ
testium numerũ confirmet. sic enim in Deuterono-
16. 19. 15. mio præcepit Deus: *Nõ stabit testis vnus contra aliquẽ,*
quidquid illud peccati, & facinoris fuerit, sed in ore duo-
rum, aut trium testium stabit omne verbum. Quod
apud Matthæum totidem verbis iterat Christus.

A Adde quòd tres cælestes testes omni sunt exceptio-
ne maiores, quippe cùm sint ipsissima summa veri-
tas, quæ, vt sæpe dictum est, mentiri, aut fallere nulla
ratione potest. Dicuntur autem vnum esse, quod ad
voluntatum coniunctionem, & consensionem hære-
tici, & scioli nescio qui, referunt, quod in vno Græ-
co exẽplari legatur, & hi tres ad vnũ, vel, in vnũ sunt,
quasi ad idem omnino cõspirent. Quibus fauere vi-
detur [a] Cyprianus, qui hunc in modũ scribit: *Et iterũ* a lib. de simpl. Præl.
de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: & hi tres
vnũ sunt: & quisquam credit hanc vnitatẽ de diuina firmi-
tate venientẽ sacramẽtis cælestibus cohærentẽ scindi in Ec-
clesia posse, & voluntatũ collidentiũ diuortio separari? Sed
nimirũ vir sanctus voluntatum vnionem, quibus fi-
B deles inter se caritatis nexu coniunguntur, diuinarũ
personarũ virtutem imitari quodammodo atque re-
præsentare autumat. At apertissimè Hieronymus na-
turæ, ac diuinitatis vnitatem atque identitatem si-
gnificat, cùm enim reprehendisset [b] eos qui hæc Ioã- b In Prol. ad epist. can.
nis verba sustulerant: *Trium* (inquit) *tantummodo vo-*
cabula, hoc est, aqua, sanguinis, & spiritus in ipsa sua edi-
tione ponentes, & Patris, Verbique ac Spiritus testimonium
omittentes, in quo maximè & fides Catholica roboratur, &
Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna diuinitatis essentia
comprobatur.

Multo antè apertiùs Victor [c] Vticensis: *Et vt* (ait) IV.
adhuc luce clarius vnius diuinitatis esse cum Patre, & Fi- c lib. 2.
lio Spiritum sanctum doceamus, Ioannis Euangelistæ testi-
C *monio cõprobatur, ait enim: Tres sunt, qui testimonium dãt*
in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnũ
sunt. Nunquid ait: Tres differenti æqualitate seiuncti? aut
quibuslibet diuersitatum gradibus lõgo separationis inter-
uallo diuisi? Mitto cæteros, qui hoc tamquã firmissi-
mo telo aduersùs Arianos pugnãtes vnã trium per-
sonarũ, atq; eandẽ naturã strenuè defendũt; neq; ve-
rò Græcus ille codex huic sententiæ aduersatur. Quod
enim ait, ad vnũ, siue, in vnũ, indicat quidẽ vnã, atq;
eamdẽ eiusdẽ rei testificationẽ, sed substãtiæ, ac na-
turæ vnitatẽ nõ abnegat. Quæ enim maximè natura
vniũtur, ea procul dubio, vt alicubi colligit Basilius,
eamdẽ actionẽ exerceãt necesse est. Adde, quòd, vt
paulo post dicã, Hebræa phrasi naturæ vnitatẽ nihi-
lominus significat. De Cypriano verò nõ est magno-
D pere laborãdũ, ille enim ex diuinarũ personarũ vnio-
ne colligit sacramẽtorũ vnionẽ discindi, aut dissecа-
ri nequaquã posse. Qualis autẽ, aut quãta sit diuina-
rũ personarũ vnio, nõ expressit quidẽ, sed indicauit
tamẽ firmissimã esse, hoc est, vnius, eiusdẽq; naturæ.

Et mihi quidẽ fit valdè verisimile, respexisse Cy- V.
prianum ad Christi Domini verba apud Ioannem [d], d cap. 17. 21.
Et claritatẽ (ait *quã dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnũ, si-*
cut & nos vnũ sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint cõsum-
mati in vnum. Quibus verbis indicat Christus fide-
liũ vnionẽ imitationẽ quamdã & similitudinẽ e-
unionis diuinarũ personarũ, sed magno cum discri-
mine, vt in Cõcilio Lateranẽsi explicat Innocẽt. *Cũ*
ergo (ait) *veritas pro fidelibus suis ad Patrẽ orat: Volo* (lo-
E quiens) *vt ipsi sint vnũ in nobis, sicut & nos vnũ sumus,*
hoc nomẽ vnũ pro fidelibus quidẽ accipitur, vt intelligatur
vnius charitatis in gratia, pro personis vero diuinis, vt at-
tendatur identitatis in natura vnitas, quẽadmodũ veritas
alibi ait: Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis per-
fectus est, perfectione natura vtroq; videlicet suo modo, quia
inter creatorẽ & creaturã nõ potest tãta similitudo notari,
quin inter eos maior sit dissimilitudo notada. Sunt igitur
tres diuinæ personæ vnũ, eæq; dãt in cælo testimoniũ
Christi diuinitati. Nam Pater quidẽ primũ in bapti-
smo, deinde in mõte Thabor Christũ Filiũ suũ dile-
ctũ appellat: *Hic est* (inquit) *Filius meus dilectus, in quo*
mihi bene cõplacui. Et apud Ioannẽ [e] vox Patris cæli- e cap. 12.
tus audita est dicentis: *Et clarificaui, & iterum clari-*
ficabo.

a Ioan.10. *ficabo.* Christus verò de se ipso[a]: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.* Et

b Ioan.14. alibi[b]: *Ego sum via, veritas, & vita.* Et quidem via in exemplo, veritas in doctrina, vita in præmio. Vel via, qua nobis incedendum est, veritas, quam complectamur, vita, quam speremus. Spiritus porro sanctus sua præsentia, quam specie columbæ in baptismo Christi exhibuit, Christi diuinitatem testatus est; & deinde opera Apostolorũ Christi diuinitatẽ vbique

c Ioan.15. gentium promulgauit, de quo Christus[c]: *Ille* (Spiritum sanctum intelligit) *testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*

VI. Neque verò abs re addit Ioannes: *Et hi tres vnum sunt.* vel, vt alij legunt, *in vnum sunt.* quidquid enim scioli argutentur, diuinarum personarum summam, planéque inexplicabilem vnionem voluit indicare. Et siquidem legamus, *in vnum*, præterquam quòd, vt supra monui, testimonij identitatem insinuat: potest Hebræa phrasi ad vnitatem naturæ referri. Sic enim ferè loqui solent Hebręi ad vnitatem significandam,

d cap.2. vt cùm in libro Geneseos scriptum est[d]: *Et erunt duo in carnem vnã*, perinde est ac si dixisset erunt duo ca-

e cap.16. ro vna. Sic enim apud Matthæum[e] interpretatur Christus: *Itaque* (ait) *iam non sunt duo, sed vna caro.* Eademque ratione dicendi cùm Dauid Dei patrocinium imploraret: *Esto* (inquit) *mihi in Deum protecto-*

f cap.31. *rem, & in domo refugij.* Neque aliter Ieremias[f]: *Vos* (inquit) *eritis mei in filios, & filias.* Quocirca Augusti-

g lib.1.con. Maxi.c.12. nus[g] Maximũ Arianum confutat, quòd hæc Ioannis verba concordiam, & voluntatum consensionem referebat: *Concordia autem* (inquit) *& caritate, qua dicis factum fuisse, vt vnum sint Pater, & Filius, quando mihi protuleris dictum esse, quòd vnum sint, quæ sint diuersæ sub-*

h 1.ad Cor.3.8. *stantiæ, tunc cogitabo, quid debeam respondere, legimus*[h] *enim: Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt, sed ambo homines erant, eiusdem substantiæ fuerant, non diuersæ. Item le-*

i Ioa.17.11. *gimus ipso Christo dicente*[i], *vt sint vnum sicut & nos vnum sumus, non dixit, vt ipsi, & nos vnum, sed vt ipsi sint vnum in natura sua, & in substantia sua concordi æqualitate quodammodo vnus, atque conflati, sicut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnum sunt propter indiuiduam eamdémque naturam.*

VII. Deinde verò vt suam sententiam magis explicet: *Aliud est enim* (inquit) *vnum sunt, aliud vnus est: quando dicitur, vnum sunt, & si non dicatur quid vnum, intelligitur vna substantia: quando dicitur, vnus est, de duabus, diuersisque substantiis necesse est, vt quæratur quid vnus? Verbi gratia, diuersa substantia est anima & corpus, tamen vnus homo. Diuersa substantia est Spiritus hominis, & Spiritus Dei, tamen cùm Domino adhæret, vnus Spiritus est; adiudit Spiritus, non dixit vnum sunt. Vbi autem dicitur, vnum sunt, vna substantia significatur, quod vos non vultis, & audietis dicere, verum Christum Dei Filium vos confiteri.* Hæc autem Augustinus ad explicandã diuinarum personarum vnitatem, & verè & aptè, quomodo autem explicanda sint verba, quæ mox subiecit Apostolus, videro non ita multo post. Magnum igitur diuinitati testimonium Filij Dei diuinæ personæ tribuũt, vnde omnis veritas manat. Quamobrem quod addit Ioannes: *Et hi tres vnum sunt.* vt paulo ante indicaui, substantiæ, atque naturæ vnitatem insinuat, vnde existit vna, atque eadem testimonij firmitas.

8 *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt.*

I. Necesse est in his tribus prosopopœiam admittere, nec enim propriè aqua, & sanguis ferre testimonium possunt. Sed quomodo Abelis, & Christi sanguis nõ sine prosopopœia clamare dicitur, non aliter aqua, & sanguis Christi Domini diuinitatem

A testantur. Quid autem nomine spiritus accipiendum sit, non satis inter omnes conuenit, quidam enim apud OEcumenium Patrem significari existimant, qui in Iordane Christum Filium suum dilectum nuncupauerit. Nec enim dubium est, Deum propriè spiritum appellari, sic enim apud Ioannem[a] dixit Christus: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare* Hanc autem explicationem apertissimè sequitur Augustinus: [b] *Si verò* (inquit) *ea, quæ his significata sunt, volumus inquirere, non absurdè occurrit ipsa Trinitas quæ vnus solus verus, summus Deus est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, de quibus verissimè dici potuit, tres sunt testes, & tres vnum sunt, vt nomine Spiritus significatum accipiamus Deum Patrem, de ipso quippe adorando loquebatur Dominus, vbi ait: Spiritus est*

a Ioan.4.24.

b lib.3.con. Maxim. c.22.

B *Deus: nomine autem sanguinis Filium, quia Verbum caro factum est: & nomine aquæ Spiritũ sanctum, cùm enim de aqua loqueretur Iesus, quam daturus erat sitientibus, ait Euangelista: Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

II. Sed, vt verum fatear, non possum huic sententiæ penitus acquiescere, cùm enim dixerit Ioannes, tres esse, qui testimoniũ dãt in cęlo, & mox subiiciat, tres itẽ esse, qui in terra testimoniũ præbeãt, alios profectò testes significet necesse est. Cùm itaq; tres diuinæ personæ testes cęlestes procul dubio sint, malè omnino eosdẽ diceret in terra testimoniũ præbere. Et fortasse cõtra Ossenos sex profert testes, cũ illi, auctore

c Hier. 19. Epiphanio, [c] septẽ numerarent, cœlũ videlicet, aquã,

C spiritus Sanctos, id est, angelos orationis, oleũ, sal, & terrã, atq; ita necesse est, hos terrenos testes à cælestibus esse distinctos. Spiritus igitur, nisi ego fallor, Spiritus sancti effectum significat, de quo supra dixi, in mentibus enim fidelium testimonium reddit & diuinitatis Christi fidem mirificè confirmat. Aqua verò baptismi Sacramẽtũ significat, quo maximè fides Trinitatis, atque adeò diuinitatis Christi palam profertur. Sanguis denique, quo in Sacramento Eucharistiæ potamur, eamdem, vt supra dixi, Christi diuinã

d lib de baptis.c.16. naturam cõfirmat. Itaque Tertullianus[d] hoc non obscurè innuẽs: *Venerat* (inquit) *per aquã, & sanguinẽ, sicut Ioannes scripsit, vt aqua lauaretur, sanguine glorificaretur, proinde, vt nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quia qui in san-*

D *guinem eius crederent, aqua lauarentur, & qui aqua lauissent, etiam sanguinem potarent.*

III. Sed mirum, quòd addit: *Et hi tres vnum sunt.* Si Græcos codices consulamus, multo aliter hoc loco loquitur Ioannes, quàm in superiori sententia. Ibi enim absolutè dixit: *Vnum sunt.* quamuis nonnulli codices habeãt: *In vnũ sunt.* hîc autem apertissimè ait, εἰς τὸ ἕν εἰσι, hoc est, in vnum sunt, vt, quod supra indicaui, cõsensionẽ, & eamdẽ testificationũ cõspirationem significet, quasi dicat: hi etiã tres testes miro cõsensu idẽ affirmant. Quòd si quis contendat, quod vulgata editio retinet, hos tres testes vnũ planè esse, nihil penitus sequitur absurdi, siue quia ratione rei si-

E gnificatæ idem planè dici possunt, vt explicat Augu-

e lib.. con. Maxim. c. 22. stinus[e]: *Hæc* (inquit) *Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostẽdãt, semper attẽditur, quoniã signa sunt rerũ aliud existentia, & aliud significãtia.* Siue, quia vnũ esse, quidquid aliter senserit Augustinus, nõ semper in sacris literis substãtiæ vnitatẽ significat: nõ solùm quia plerumq; vnũ cũ adiecto cõiungitur, vt cùm in Actis

f Acto.4. Apostolicis[f] dicitur, fidelium fuisse cor vnum: *Multitudinis* (ait) *credentium erat cor vnum, & anima vna.* Qua ratione apud Ioãnẽ orauit Christus, vt credẽtes vnũ essent, hoc est, eiusdem propositi, atque consilij,

g lib. 8. de Prouid. quomodo Saluianus[g] dixit, *Omnes vnũ sunt, qui sibi inuicẽ voluntate sociãtur.* Sed etiã quia cùm simpliciter aliqua dicũtur vnũ, rerũ, ac personarũ natura spectanda est,

V. Sed addunt Cyrillus, Theophylactus, Beda, Euthymius frequentissima extare in diuinis Scripturis testimonia, quæ Christi diuinitatem insinuent. Addi potest ipsius Christi testimonium, de quo ipse apud Ioannem [a]: *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* Nam quod [b] alibi dixerat: *Si ego testimonium perhibeo de me ipse, testimonium meum non est verum.* vel id ex Iudæorum sententia, atque opinione dixit, vel humano more de se, tamquam homine loquutus est: ac si dixisset, suum de se ipso testimonium falsitatis, ac mendacij argui posse, si quasi hominis dumtaxat testimonium spectetur. Itaque omnia testimonia Deum Patrem quodammodq habent auctorem, atque idcirco rectè quis illud Dauidis [c] hoc loco vsurpet: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Rectè enim monet Basilius [d] iis, quæ à Deo asseruntur, absque vlla dubitatione, hæsitanonève assensum esse præbendum, quia quidquid à Deo affirmatur, verissimum censendum est, etiamsi interdum natura ex aduerso pugnare videatur. Quod illo exemplo Zachariæ hæsitantis confirmat, qui suæ dubitationis pœnas dedit: itemque Abrahæ, *qui contra spem in spem credidit, & non hæsitauit diffidentia*, licèt naturæ leges longè aliud indicare viderentur, & ob eam causam iure optimo miris laudibus celebratur. Igitur, *Pater*, vt ait Ioannes, *testificatus est de filio suo*, cuius diuinitatem, humanitatémque idoneis argumentis probauit.

a cap. 8. 14.
b Ioan. 5. 31.
c Psal. 92. 5.
d In moi. reg. 8.

10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.*

I. A minori, vt dictum est, vim diuini testimonij confirmauerat. Addit nunc ad eamdem rem stabiliendam duo argumenta; alterum his verbis continetur: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se:* alterum sequentibus: *qui non credit Filio, mendacem facit eum.* Quod igitur attinet ad prius argumentum, is, qui fide viua credit, habere dicitur testimonium Dei in se, quia, vt Beda, & OEcumenius explicant, ipse cognoscit se Dei Filium esse adoptione. Vt enim Ioannes in Euangelio [d] ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Sic autem loquitur Beda: *Qui ita credit in Filium Dei, vt exerceat operando quod credit, habet testimonium Dei in se, illud vtique quia ipse quoque in filiorum Dei numero iure computetur.* OEcumenius verò: *Qui igitur* (inquit) *in Filium Dei credit, quòd videlicet Deus sit, vtpote Dei Filius, in se ipso habet testimonium, cùm se adoptatum in Filium credat per Iesum, qui adoptatus à Deo est.* Ita testimonium hoc loco rem testimonio effectam, seu productam significat.

d cap. 5.

II. Possis etiam aliter accipere, vt fides animo concepta veritatem diuini testimonij confirmet, ipsique credenti tacitè quodammodo, atque occultè testetur, verissima esse, quæ credit. fideles enim planè agnoscunt, fidem esse eximium, ac singulare Dei donum. Quamuis enim, vt ait Apostolus, fides oriatur ex auditu, auditus autem per verbum Dei, præter externam tamen dogmatum fidei promulgationem, necessarius est diuinus impulsus, quo mens hominis flectatur, & conuertatur ad fidem. Quò spectans Paulus Apostolus: *Paulus* (inquit) *plantauit, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit; sed neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Quocirca cùm idem Paulus Philippis de rebus fidei multis audientibus verba faceret, vna dumtaxat fœmina nomine Lydia porpuraria Christo nomen dedit; causam explicans Lucas [a] ait: *Cui Dominus aperuerat cor, & intendebat ijs, quæ dicebantur à Paulo.*

a Act. 16.

III. Fallebantur olim Pelagiani, qui fidem non aliter donum Dei esse putabant, nisi quia vi liberi arbitrij concipiebatur, quod in ipsa creatione à Deo accepimus. Quos acutè, atque ingeniosè, vt solet, Augustinus [b] his verbis confutat: *Attendat, & videat, non ideo tantum istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est.*

b lib. de spir. & lit. c. 34.

IV. Vt autem planiùs explicet, quónam modo Deus sit auctor fidei, confestim subdit: *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat, profectò & ipsum velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat quod dictum est: Quid enim habes, quod non accepisti? verumetiam confirmat; accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem, & habere vtique accipientis, & habentis est.* Non negat quidem Augustinus, se aliter aliquando [e] sensisse, sed hunc suum errorem ingenuè fatetur [d], & fusè eam sententiam alibi [e] refellit, & quid tandem senserit his verbis explicat [f]: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Qui igitur credit, habet in se diuinum fidei testimonium, quo mirificè confirmatur, & ad retinendam, profitendámque fidem mirum in modum roboratur. Ita diuinum testimonium, quo diuinitas Christi asseritur, hoc altero diuino testimonio firmatur.

e In expos. quarund. propos. epistol. ad Rō.
d li. de prædest. sanct. c. 3.
e lib. 1. retract. c. 23.
f lib. de prædest. sanct. c. 6.

V. Pergit Ioannes: *Qui non credit Filio, mendacem facit eum.* Hoc est alterum argumentum desumptum ab iniuria, qua ab infidelibus afficitur Deus, qui diuino testimonio fidem abnegant. Rectè autem Beda: *Qui non credunt* (ait) *Filio, qui ait: Ego, & Pater vnum sumus, & interrogante Caipha, ac dicente: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Respondit: ego sum; sed qui eum vel non esse Christum, vel non esse Filium Dei, vel non esse similem Patri contendunt, mendacem profectò faciunt Patrem.* Nec multo aliter OEcumenius: *Qui non credit* (inquit) *obnoxius duobus malis est, cùm & Deum mendacem faciat, & adoptione, atque adeò ob id vita æterna se ipsum priuet, quam quidem vitam adoptatis à se filiis promisit Christus, atque in se habet, sicut in Euangelio scribitur: & ipse vita erat.* Dicitur autem qui non credit, facere Deum mendacem, quia ob id non credit, quòd ea falsa esse putet, quæ credenda proponuntur, atque idcirco,

quantum in ipso est, mendacium, ac falsitatem Deo A appingit. Et hoc est, quod ait Ioannes: *Quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Illud nimirum testimonium intelligit, de quo plura supra dixit.

VI. Huc pertinet, quod Christus ipse apud Ioannem [a] ait: *Qui credit in eum, non iudicatur. qui autem non credit, iam iudicatus est.* Tametsi omnes prorsus homines tam boni, quàm mali iudicio sistendi sint, *vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*; quoniam tamen iudicare eo quidem Ioannis loco, vt Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus explicant, idem valet quod condemnare, is, qui credit, non iudicari dicitur, hoc est, non condemnari, aut meritò condemnari non posse, nec condemnationi obnoxius esse. Contra verò qui non credit, iam condemnatus esse dicitur, non quòd in iudicio extremo condemnandus non sit, cùm apud Marcum [b] dicat Christus: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* sed quòd ipse iam in se certam condemnationis causam habeat, quemadmodum olim Adamo dictum est: *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* non quòd statim moriturus esset, sed quòd illico mortis in se causam esset habiturus, vt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius interpretantur. Adde quòd qui non credit, ipse se quodammodo condemnat, seque supplicio dignum esse declarat, cùm lucem ac iudicē fugere videatur. quod C insinuare visus est Christus, cùm subdit: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera.* Et contra: *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.*

a cap. 3.18.

b cap. vlt.

VII. Meritò autem eum, qui non credit, damnationi obnoxium dicit, quia vt idem Christus ait [c]: *Qui non credit, non videbit vitam.* hoc est, vitam illam æternam, de qua dixerat: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Addit: *Sed ira Dei manet super eum.* Vt quod viri docti obseruarunt, gemina impiorum pœna indicetur, pœna enim quam Theologi appellant damni, his verbis exprimitur: *non videbit vitam.* Ea verò, quæ dicitur sensus, verbis sequentibus indicatur: *Sed ira* D *Dei manet super eum,* vt significet, impios æternis apud inferos suppliciis esse cruciandos. Et profectò vtramque pœnam eleganter expressit Iob [d]: *Non videat (inquit) riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.* quod spectat ad pœnam damni. Et mox de pœna sensus: *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.* Hoc autem meritò de infidelibus potissimùm dicitur, non quòd ij tantùm, qui non credunt, damnandi sint, cum etiam illi, qui solam sine bonis operibus fidem habent, quique, vt ait Paulus [e], *confitentur se nosse Deum, factis autem negant,* æternis sint suppliciis mactandi; sed quod illi citra vllam dubitationem supplicia subituri sint. Tametsi enim fides, quæ bono- E rum operum est expers, vera fides est, non magis tamen ad salutem sola valet, quàm si vera non esset, atque idcirco eodem loco apud Ioannem subiicit Christus: *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera.* vt indicet non fidei solùm, sed bonorum etiam operum exigendam esse rationem.

c Ioan. 3.

d cap. 20. 17.

e ad Tit. 1. 16.

VIII. Quod mirificè explicat Augustinus [f]: *Multi, (inquit) dilexerunt peccata sua, & multi confessi sunt peccata sua. quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua, & si tu accusas, coniungeris Deo; quæ duæ res sunt, homo, & peccator. Quod audis homo, Deus fecit; quod audis peccator, ipse homo fecit: Dele quod fecisti, vt Deus saluet, quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem cœperit displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum.* Fatendum tamen est eos, qui diuinum testimonium non admittunt, nec diuini verbi præconibus fidem habent, ob diuini testimonij iniuriam grauissimis suppliciis obnoxios esse. Verè namque dixit Christus apud Matthæum [a]: *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, aut de ciuitate excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum, &* B *Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Quod non perinde accipiendum est, quasi Sodomæi, & Gomorrhæi minoribus peccatis obstricti essent, sed quòd illis non fuerit Euangelium promulgatum. vt Hilarius, Hieronymus, Beda, & Theophylactus explicant, quod Christus ipse apud eumdem Matthæum [b] significauit, cùm dixit: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem. verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.* Vt vel hinc intelligas, quàm graui supplicio digni sint hæretici, qui Ecclesiam, fidémque Catholicam miris modis oppugnant.

f Tract. 12. in Ioan.

a cap. 10.14.

b cap. 11.23.

11. *Et hæc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est.* C

Diuini testimonij effecta commemorare incipit, principio autem ait, hoc diuinum testimonium vitam tribuere sempiternam: *Et hoc* (inquit) *est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus.* Cùm enim percepta fide vi baptismi filiorum adoptionem assequamur; ius etiam æternæ hæreditatis, ac vitæ beatæ adipiscimur, cùm dicat Apostolus: *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Vt interim omittam Spiritus sancti gratiam, quæ in baptismo percipitur, esse quodam modo vitæ æternæ pignus, de quo Paulus ita lo- D quitur ad Corinthios [c]: *Qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Itaque rectè OEcumenius: *Quare* (inquit) *qui habet filium per sanctum baptisma, vitam etiam habet: quicumque enim baptizati in Christum sumus, id est, iuxta mandatum eius, Christum induimus.* Dedisse autem meritò dicitur vitam æternam eo planè modo, interprete Beda, quo dicitur dedisse credentibus potestatem, vt filij Dei fiant: *Vt enim* (inquit) *scias etiam tibi esse à Deo potestatem habere vitam æternam, audi Prophetam: Quis est homo, qui vult vitam, & cupit videre dies bonos? Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Dedit ergo nobis vitam æternam, sed adhuc in terra peregrinantibus in spe, quam daturus est in cœlis ad se peruenientibus in re.*

L

c ep. 2. c. 1. 22.

E Itaque vt ostendat Ioannes spei nostræ certitudinem, iustos ait iam habere vitam, quam certò sperant. sic enim ad Romanos scribit Apostolus [d]: *Spe enim salui facti sumus.* Hæc autem spes, vt idem Apostolus ait: *non confundit*, quin potiùs mira quadam certitudine fidelium mentes perfundit. sic enim ad Hebræos scribit Paulus [e]: *Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancheram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem*

II.

d cap. 8. 24.

e cap. 6. 17.

tum usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Iesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Ex quibus apparet, iustorum spem esse certissimam, cùm diuina pollicitatione, ac iureiurando nitatur, quorum vtrumque infinitam quamdam habet firmitatem, adeò vt nullam mutationem admittere queat. Atque ob eam causam vocat eam Paulus anchoram animæ tutam, ac firmam, indicans nimirum spem nostram nullis posse aduersitatibus concuti, nullis fluctibus, aut tempestatibus euerti, quemadmodum naues quamuis maximæ anchoris alligatæ ventorum vi agitari, aut commoueri non facilè possunt. Huc accedit, quòd spes nostra non huius vitæ finibus circumscribitur, neque caduca, aut mortalia bona, ac ne spiritalia quidem solummodo spectat, sed interiora velaminis penetrare dicitur, cùm immortalem, atque æternam vitam respiciat, hoc est, ipsius Dei perspicuum intuitum, & contemplationem, atque adeò Deum ipsum bonorum omnium auctorem, cuius nonnullam iam possessionem in capite nostro Christo adiisse videmur. Quocirca ait, Christum Dominum tamquam præcursorem beatam illam vitam adeptum esse, vt quod Theophylactus insinuat, nos eodem aliquando peruenturos significet.

III. Hac nimirum spe fretus dixit alicubi Iob [a]: *Etiam si me occiderit, in ipso sperabo.* Et Dauid [b]: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Paulus [c] autem hac spei certitudine confirmatus aiebat: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Fateor tamen, spei certitudinem non ita fidelium animos firmare, vt omnem penitus formidinem excludat, cùm non temerè moneat Apostolus [d], vt cum metu, ac tremore salutem nostram operemur, quamuis enim caritas, quæ cum spe coniungitur, timorem seruilem, & initialem aut reiiciat, aut minuat, numquam tamen eò pertingit, vt pariat securitatem, de qua re Bernardus sic planè [e] disserit, explicans enim Dauidis verba [f]: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Donec* (inquit) *quis premitur à spiritu seruitutis, parúmque habet de spe, de timore plurimum, non est ei pax, neque requies, fluctuante nimirum conscientia inter spem, & timorem, maximéque quod à superexcellente timore abundantiùs cruciatur, nam timor pœnam habet, & ideo non est illi dicere: In pace in idipsum dormiam, & requiescam, quando necdum se singulariter in spe constitutum dicere potest.*

a cap. 13. 15.
b Psal. 26. 3.
c ad Rom. 8. 38.
d ad Philip. 2. 12.
e In Cantic. ser. 51.
f Psal. 4. 10.

IV. Mox autem de ipsa spe, eiúsque viribus subiicit: *Cæterum si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere spes, cùm demum ad hoc ventum fuerit, vt totis viribus exurgens caritas in adiutorium spei foras mittat timorem, nónne eiusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam, & requiescere [g]? Si dormiatis* (inquit) *inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ. Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem, & securitatem, tamquam inter lauam, & dexteram, media videlicet spes, in qua mens, & conscientia molli nimirum supposito caritatis strato suauissime requiescit.* Certè Salomon [h] apertè indicat à spe non penitus timorem auelli: *In timore enim Domini* (inquit) *fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes, gloria, & diuitiæ in domo eius.* Et Sapiens [i]: *Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Propterea Bernardus cùm ageret de duorum osculo pedum Domini, sic planè scribit [k]: *Pulchrè omnino, quoniam quidem incarnata Dei*

g Psal. 67. 14.
h Prouerb. 14. 26.
i Eccli. 2. 9.
k ser. 7. in Cant.

A *sapientia, misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: denique vniuersa via Domini misericordia, & veritas. Fœlix mens, cui semel Dominus Iesus vtrumque infixerit pedem. A duobus signis cognoscite eam, quæ huiusmodi est, quæ secum necesse est referat diuinæ impressa vestigia.*

V. Hæc verò duo planiùs distinguens addit: *Ipsa sunt timor, & spes, illa iudicii, ista misericordiæ repræsentans imaginem. Meritò beneplacitum [a] est Deo super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius, cùm sapientiæ initium timor sit, spes profectus, nam consummationem sibi caritas vendicat. Quæ cùm ita sint, non paruus fructus est in primo hoc osculo, quod ad pedes accipitur, tantùm curato, vt neutro fraudaris*

a Psal. 46. 12.

B *illorum, alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia & recordatio solius iudicii in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Ad hanc itaque spem respexit hoc loco Ioannes, cùm ait Deum dedisse nobis vitam æternam. *Et hæc vita* (inquit) *in Filio eius est.* quippe Christus ipse se [b] vitam vocat. Et alibi [c] se vitam æternam ait ouibus suis dare, tum quia tamquam Deus gratiam, & gloriam largitur, tum quia tamquam mediator Dei, & hominum vitamque nobis suo sanguine, ac morte promeruit. Quocirca verè se ostium appellauit [d]: *Ego* (inquit) *sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Perinde enim est, ac si dicat: qui in me

b Ioan. 14. 6.
c Ioan. 10. 28.
d Ioan. 10. 9.

C crediderit, saluabitur, introire enim per Christum est, in illum credere, eique fide viua, & caritate adhærere. Ingredi autem, & egredi, vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, aliíque affirmant, coniunctim sumpta nihil aliud quàm securitatem quouis eundi, quiduis pro Christi gloria agendi, patiendique significant, qualem in Apostolis, virísque Apostolicis fuisse legimus.

VI. Et sanè Hebræa phrasi ingredi & egredi idem valet, quod liberè versari, agere, & officio suo fungi. Sic in Deuteronomio dixit Deus [e]: *Benedictus eris ingrediens, & egrediens.* Et Dauid [f]: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* hoc est, quidquid egeris, & quascumque alias actiones tuas. Non me fugit, viros doctos aliam explanationem probare, sed nunc id

e cap. 28. 6.
f Psal. 120. 8.

D non ago, tantùm enim doceo, verè dixisse Ioannem: *Et hæc vita in Filio eius est:* quoniam non aliter, quàm merito Christi comparari potest. Denique Christus dixit [g]: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* hoc est, vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius Augustinus, Beda, & alii explicant, vt in hoc mundo vitam habeant gratiæ, & in altero abundantiùs vitam gloriæ. Addit Cyrillus Alexandrinus, dare Christum non modò vitam gratiæ, sed multiplicem præterea copiam aliorum donorum Spiritus sancti, vt hoc posterius sit abundantiùs habere vitam; vel certè abundantiùs vitam tribuet in resurrectione, etsi enim boni, & mali resurrecturi sunt, soli tamen boni absolutè resurgunt, quia resurgunt ad vitam, &

g Ioan. 10. 10.

E corporum gloriam assequuntur, vt nihil dicam, abundantiorem vitam, quam Christus se allaturum dicit, ad eos potissimùm pertinere, qui post Christi ad nos aduentum fidem, & iustitiam adepti sunt. Quod si Græcos codices sequamur, qui non [illegible], sed [illegible] habent, daturum se significat Christus non quidem abundantiorem, sed pinguem, abundantem, atque affluentē, quasi significet fore suas oues nō solùm vita præditas, sed sanas, vegetas, & pingues: qua metaphora bonum, felicémque eorum, qui in ipsum credunt, aut præsentem, aut futurum statum declarat; quod enim vitam daturum pollicetur, de vtraque vita, & præsenti per gratiam, & futura per gloriam intelligendum est.

12. *Qui habet Filium, habet vitam qui non habet Filium, vitam non habet.*

I. Cùm dixisset, vitam positam esse in Filio, nunc insinuat, Filium esse ipsam vitam, atque idcirco rectè infert eum habere vitam, qui Filium habeat, & contra eum carere vita qui non habeat Filium. Quid autem sit habere Filium, OEcumenius his verbis explicat: *Quare qui habet Filium per sanctum baptisma, vitam etiam habet: quicunque enim baptizati in Christum sumus, id est, iuxta mandatum eius, Christum induimus.*
a lib. 6. de Trinitate. Hilarius[a] hoc refert ad fidem diuinitatis Christi: vtrúque verissimè dicitur, modò baptisma ritè percipiatur, & fides viua sit, vt sæpè iam dixi. Cæterùm quod
B ait Beda, Christum non modò habere vitam, sed esse
b ad Coloss. 3.4. ipsam vitam, apertè asserit Paulus[b]: *Cùm Christus* (inquit) *apparuerit vita vestra.* Et hic noster supra:
c cap. 1. 2. *Annunciamus[c] vobis vitam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Verùm quoniam vita de qua hoc loco Ioannes, ad nos pertinet, & vitam nostram significat, qui habet Filium, habere dicitur vitam, non illam, qua Christus in semetipso vita est, sed quam nobis
d Act. 3. 15. largitur. quo nomine Lucas[d] Christum vitæ vocat auctorem. Quoniam igitur, qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum illo, spiritalis vitæ fit particeps, quæ non nisi merito, ac beneficio Christi haberi potest. Quod, ni fallor, indicauit Paulus, cùm ad Ga-
C e cap. 2. 20. latas scripsit[e]: *Christo confixus sum cruci, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Quasi dicat, per baptismum vnà cum Christo crucifixus sum, atque adeò priori vita functus nouam vitam nactus sum, qua ego in Christum, & Christus in me quodammodo mutatus est, vt in me viuat, & nouæ vitæ actiones edat.

II. Atque hoc profectò non vni dumtaxat fidei tribuendum est, sed potissimùm caritati, diuinóque
f de Diuin. nom. c. 4. amori. cuius, vt ait Dionysius[f], proprium est amatores vinculo quodam inter sese nectere, vt alter quodammodo in alterum transeat, quam idem Dionysius exstasim vocat: *Exstasim* (inquit) *facit diuinus amor, amatores suo statu dimouet, & sui iuris esse non sinit,*
D *sed in ea, quæ amant, penitus transfert; ideo & Paulus ille magnus cùm diuino amore flagraret, excessiua illius virtutis particeps factus; viuo (inquit) iam non ego, viuit verò in me Christus, tamquam verus amator mentis excessum patiens.*
g Hom. 32. in Euang. Id verò qua ratione fiat docuit Gregorius[g] explicans verba Christi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Tunc enim* (inquit) *nosmetipsos abnegamus, cùm mutamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quò per nouitatem vocamur.* Mox autem allato Pauli exemplo: *Pensemus* (ait) *quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego, extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator; si enim ipse esset, pius profectò non esset, sed qui se viuere denegat, dicat vnde est,*
E *quòd sancta verba per doctrinam veritatis clamat, protinus subdit: Viuit verò in me Christus, ac si apertè dicat: Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo.*

III. Hanc porro vitam tam singularem, planéque diuinam, qua Christum in se viuentem, spirantémque habet, vni fidei Christi. hoc est, viuæ, & caritate præditæ acceptum refert. Hæc enim est, quæ humanos affectus, & terrenas cupiditates edomat, & veterem, vt loquitur Apostolus, hominem ponit, vt nouum
h Hom. 5. in Cant. induat, quod eleganter Gregorius Nyssenus[h] alicubi explicat: *Mihi* (inquit) *vita Christus est. hisce verbis tantum non clamat Apostolus, nullam in se affectionem hu-*
A *manam viuere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non iniuriarum memoriam, non inuidiam, non vindictæ, auaritiæ, honoris, aut gloriæ cupidinem. Sed his omnibus abrasis: solus (inquit) ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus sanctorum.* Hanc itaque vitam habet, qui Filium habet. Ambulat enim, vt loquitur Paulus, in nouitate vitæ, omninóque, vt idem alibi loquitur, abnegata impietate, & sæcularibus desideriis, sobriè, iustè, ac piè viuit in hoc sæculo expectans beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei.

Ex aduerso, *qui non habet* (inquit) *Filium, vitam non* IV.
B *habet.* Oblectatur videlicet Ioannes antithesi atque adeò ea frequenter vtitur. Rectè autem ait OEcumenius: *Qui Filium Dei per baptisma non habet, neque vitam habet, sed mortuus est, nam mortuos nos peccatis suscipiens per sanctum baptisma ad vitam suscitat.* Dicitur autem non habere vitam, illam nimirum spiritualem, & cœlestem, quam Christus largitur, dum vitæ præteritæ nuntium remittimus, & quodammodo morimur, vt nouam viuendi rationem ineamus. Nam vt ait OEcumenius, qui consepultus cum Christo est per demersionem in sancto baptismate, is mundo, id est, mundanis cupiditatibus mortuus est, & non amplius sibi, sed Christo tantummodò viuit, dum iuxta mandata eius in nouitate vitæ ambulat, nul-
C lúmque aditum peccato ampliùs præbet. Fatendum igitur est, duas esse vitas, & duas, vt ita dicam, mortes: nam qui Filium habent, hactenus dicuntur habere vitam quia Christo viuunt, & peccato, ac mundo, eiúsque cupiditatibus mortui sunt: de quibus ait Paulus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo.* Qui verò Filium non habent, gratiæ, & caritati, atque adeò Christo, & Deo mortui sunt, vitam autem viuunt, qua suis cupiditatibus obtemperant, & flagitiis, atque sceleribus obstringuntur.

13. *Hæc scripsi vobis, vt sciatis, quoniam vitam*
D *habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.*

Hæc putat OEcumenius, quasi epilogum, ac breuem superiorum omnium summam continere, quasi I.
dicat: *Scripsi hæc vobis tamquam hæredibus vitæ æternæ, nam hæc nequaquam scriberentur nisi iis, qui in spe vitæ æternæ vitam traducerent, quippe cùm neque sancta canibus, neque margaritas ante porcos proiicere laude dignum censeatur.* Videtur autem sequi Græcos codices, qui à Latinis nonnihil discrepant, sic enim habent: Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. hoc est: Hæc scripsi vobis, qui cre-
E ditis in nomine Filij Dei, vt sciatis, quòd vitam habetis æternam, & vt credatis in nomine Filij Dei. Sed sententia non est admodum diuersa. Latini Codices tantùm significant Apostolum hæc idcirco ad fideles scripsisse, vt qui iam in Filium Dei crederent, planè intelligerent, se certa spe iam quodammodo vitam æternam possidere. Græci prætereà indicant, vt dixit OEcumenius, non nisi in Filiũ Dei credentibus scribenda fuisse, seque proptereà scripsisse, vt intelligerent, se vitæ immortalis, ac sempiternæ factos esse participes, & vt in percepta fide Filij Dei in dies magis firmentur. Est autem hæc Ioannis oratio ei valdè persimilis, qua vsus est in Euangelio[a], cùm a Ioan. 20.
dixit: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quoniam Iesus*

Iesus est Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in no- A
mine eius. quæ vt apparet, Græcis codicibus magno-
pere suffragatur.
II. Videtur itaque Latinus Interpres aliis Græcis co-
dicibus vsus, tametsi enim perspicuè intelligitur,
hæc ad fideles scripta esse, & ideo scripta, quia fide-
les erant, non tamen id interpres prætermisisset, si
Græcè legisset: qoemadmodom nec tacuisset secun-
dam scriptionis causam, quam Græci indicant, vt fi-
delium fides augeatur, si eam in Græcis codicibus
reperisset. Latini porro codices vim fidei, atque eius
effectum magis indicant, perinde enim est, ac si
Ioannes dicat: hæc propterea ad vos scripsi, vt vos,
qui iam diuina Christi fide imbuti estis, certò sciatis
æternæ vitæ hoc ipso vos fore participes, quòd B
Christi fidem perceperitis, modò eam cum caritate
coniunctam ad extremum vsque vitæ spiritum con-
stantissimè retineatis. Quapropter verissimè scri-
a 2. ad Tim. 3.16. ptum est à Paulo [a]: *Omnis scriptura diuinitùs inspirata*
vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad
erudiendum in iustitia. Vtilis est enim ad docendum
veram, & sanam doctrinam, ad arguendum hæreti-
cos, & schismaticos, ad corripiendum eos, qui à re-
cto itinere nonnihil deflecterent; denique ad eru-
diendum in iustitia, vt fideles ad omnem morum
honestatem, & sanctimoniam informentur. Mirificè
b lib. 2. de doct. Christ. cap. vlt. autem sacram doctrinam extollit Augustinus [b]:
Quidquid (inquit) *homo extra didicerit, si noxium est, ibi*
(hoc est, in sacris litteris) *damnatur; si vtile est, ibi inue-* C
nitur, & cum ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi
didicit, multò abundantiùs ibi inueniet ea, quæ nusquam om-
ninò alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabi-
li altitudine, & mirabili humilitate discuntur.
III. Vitam porro æternam illos habere dicit, *qui cre-*
dunt in nomine Filij Dei. An quia sola fides vitam pa-
riat sempiternam? Minimè gentium. Sed quòd sine
illa vita beata comparari non queat. Fides enim pri-
ma omnium ad vitam immortalem aditum aperit,
nec sperari, aut amari potest, quod penitus ignoratur.
c epist. ad Philip. Quocirca rectè Ignatius [c]: *Principium* (inquit) *vitæ est*
fides, finis verò dilectio: amba autem simul iuncta hominem
d 1. Strom. *Dei perficiunt.* Et Clemens Alexandrinus [d]: *Præcedit*
(ait) *fides, timor autem ædificat, perficit autem dilectio.* Nec
e in Ps. 118. Serm. 29. multò aliter Ambrosius [e], cùm enim verba illa Da- D
uidis explanaret. *Principium sermonum tuorum veritas,*
hunc in modum scribit: *Fides principium Christiani est.*
Plenitudo autem Christiani iustitia. Denique Augusti-
f Ser. 16. de verb. Apost. nus [f]: *A fide* (inquit) *incipit homo, sed quia & dæmones*
credunt, necesse est addere spem, & caritatem. Rursus [g]:
g Ser. 22. de verb. Apost. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo*
perficitur. Hoc accedit, quòd, vt ait B. Gregorius, illa
perfecta fides censenda est, quæ iis, quæ credit, mo-
ribus non contradicit, sed cum honestis, & laudabi-
libus actionibus, ipsáque adeò caritate coniungi-
tur, de qua dixit Iacobus: *Ego ostendam ex operibus fi-*
dem meam hoc est, fidem viuam, quæ per dilectio-
h li. de Spir. & litt. c. 32. nem operatur. Quocirca Augustinus [h]: *Vnde* (ait) *est*
dilectio, id est, caritas, per quam fides operatur, nisi vnde il-
i Præf. in Psal. 31. *lam fides ipsa impetrauit?* Alibi autem [i]: *Magnum* (in- E
quit) *opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed*
video fundamentum fidei. Laudo fructum boni operis, sed in
fide agnosco radicem.
IV. His consentanea sunt, quæ de fidei merito alibi
k epist. 106. scribit, etenim ad Paulinum [k] ait: *Si quis dixerit, quòd*
gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus,
imò gratissimè confitemur. Et cōtra aduersarium legis, &
l lib. 1. c. 17 prophetarum [l]: *In nouo Testamento* (ait) *fides impetrat ca-*
m li. de gra. & lib. arb. *ritatem.* Denique alibi [m]: *Fides & non petita conceditur, vt*
ea petenti alia concedantur. Cùm igitur Ioannes ait, eos
n in expos. symb. habere vitam æternã, qui fide præditi sunt, id vnum
significat, quod alicubi ait Ruffinus [n], fidẽ esse veluti
fontem, atque originem bonorũ omnium: *Nisi enim*
credideritis (ait Isaias.) *non intelligetis. Vt enim* (inquit
Ruffinus) *intelligentia tibi aditus patescat, rectè primò om-*
nium te credere profiteris in symbolo, quia nec nauem quis
ingreditur, & liquido, ac profundo committit elemento, nisi
prius se credat posse saluari: nec agricola semina obruit, nisi
crediderit venturos imbres, affuturum quoque Solis teporem,
quibus terra confota segetem multiplicata fruge, ac ventis
spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod in vitæ geri possit,
si non credulitas ante præcesserit. Denique ideo & matrimo-
nia contrahuntur, quia creduntur successura posteritas, & pueri
discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos
transfundenda creditur disciplina. Imperij quoque insignia
vnus suscipit, dum credit sibi vrbes, & populos, armatum
etiam exercitum parituros. Quod si hæc singula nisi prius cre-
diderit futura, nullus aggreditur, quomodo non multo magis
ad agnitionem Dei credendo veniatur?
Rectè autem dixit Christus [a]: *Hæc est autem vita* V.
æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti a Ioan. 17. 3.
Iesum Christum. Quo loco Cyrillus Alexandrinus [b]: b lib. 11. in
Cognitio (inquit) *est vita, spiritalem nobis benedictionem ad-* Ioan. c. 17.
ducens, per quam spiritus in cordibus nostris habitat in ad-
optionem filiorum Dei, & veram pietatem per Euangelicam
vitam, & incorruptibilitatem reformans. Cum igitur origo, &
quasi pronuba dictorum omnium cognitio veri Dei esse in-
uenatur, rectè à Domino nostro Iesu Christo vita æterna
appellata est, quasi mater, & radix vitæ, naturáque sua
vitam æternam pariens. Hæc autem cognitio fidei be-
neficio potissimum comparatur, atque idcirco Gre-
gorius Nazianzenus [c]: *Regnum cælorum* (ait) *nihil aliud* c in orat. de
esse existimo, quam eius, quod purissimum, & perfectissimum statu Episc.
est, adeptionem perfectissima autem rerum omnium est Dei
cognitio. quam Clemens Alexandrinus [d] *perfectissi-* d lib. 6.
mum bonum, & per se expetendum appellat. Alibi [e] rem Strom.
maximam, quæ sola hominem pium, & religiosum e lib. 7.
efficiat, atque ita conseruet in eo virtutem, vt amitti Strom.
nequeat.
Subdit præterea, *eum, qui Deum verè magnificè co-* VI.
gnouerit, non posse seruire voluptatibus, aliisque animi per-
turbationibus, sancta semper facere, & cogitare, precari cum
Angelis, & licèt oret solus, habere assistentem Angelorum
chorum. Egregiè verò Hieronymus [f]: *Notitia* (inquit) f Ierem 31.
nimirum Dei omnium virtutum possessio est. Et alibi: *Memo-*
ria Dei excludit omnia flagitia. Denique Augustinus [g]: g Serm. 111. de temp.
Cognitione Dei (ait) *nihil melius est, quia nihil beatius est,*
& ipsa vera beatitudo est. Quæ idcirco à me comme-
morantur, vt appareat, non simplicem fidei cogni-
tionem laudari, sed quæ à caritate minimè seiunga-
tur: hæc enim cognitio vitam parit sempiternam:
quamobrem sic planè de illa disserit Bernardus [h]: h Serm. 37.
Quod si ignoras Deum, poteritne spes esse salutis cum Dei in Cant.
ignorantia? Ne hoc quidem: nec enim potes aut amare quod
nescias, aut habere quod non amaueris. Mox autem hanc
Dei cognitionem cum propria sui cognitione con-
iungendam monet. *Noueris perinde* (inquit) *te, vt*
Deum timeas, noueris ipsum, vt æquè ipsum diligas. In alte-
ro initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris, quia
initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est
caritas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, quàm
sine timore, & amore Dei salus esse non potest.

14. *Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus, secundùm voluntatem eius audit nos.*

Dixerat nos Filij Dei beneficio habere vitam I.
certa iam spe quodammodo perceptam: addit nunc
alterum affectum, hoc est, impetrandi fiduciam. sic
autem hoc loco Ioannis verba explicat OEcume-
nius: *Deinde huius indubitabilis fidei nullum aliud indi-*
cium esse ait, nisi fiduciam, quam per immaculatam fidem
apud

apud ipsum consequimur, sicut etiam superius à nobis est declaratum; ac rursus fiducia huius signum id statuit, quod nullo ex iis, quæ ab ipso petimus, frustramur. Et profectò negari non potest, impetrandi fiduciam ex fide magnopere pendere, ait enim Christus: *Quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Alibi etiam miraculorum vim fidei magnitudini, atque efficacitati tribuit, dum fidelium precibus etiam montes loco moueri posse confirmat, sed vt sæpè iam dixi, ea fides intelligenda est, quæ caritatem habet annexam.

II. Loquitur autem Ioannes hoc loco de fiducia, quam preces nostræ necessariò postulant, quæ vt
a cap.3.21. hîc ipse Ioannes supra dixit [a], non solùm fidem, sed vitæ innocentiam, morùmque integritatem exigit: *Si cor nostrum* (inquit) *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus.* Et in eamdem sententiam Da-
b Psal.33.16. uid [b]: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces*
c cap.15.17. *eorum.* Denique apud Ioannem Christus [c]: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Quam ob rem Chrysosto-
d in Psal.4. mus [d]: *Ante alia* (inquit) *omnia oportet eum, qui precatur, habere fiduciam, & postulatum omnino consequetur, & ideo Propheta non dixit: Exaudiuit me, sed iustitiam meam, suam in Deum fiduciam ostendens, & quòd cum ea omnino ad Deum accedit. Ne dicat enim quispiam, ille fuit exauditus, quoniam erat Dauid; ego verò non exaudiar, quoniam sum pusillus, & abiectus, ostendit, quòd ne illum audit quomodocumque, nec te audit temerè, & nulla ductus ratione, sed semper res & facta exactè contemplatur, quæ si habueris, & eorum possis vti defensione, omnino exaudieris.*

III. Verùm quoniam hæc fiducia non est penitus inanis, sed magnam habet certitudinem, & firmitatem, quærendum hoc loco videtur, vndènam hæc fiducia oriatur, & cuius tandem sit certitudinis, ac firmitatis. Et profectò fateri necesse est, hanc impetrandi fiduciam diuina potissimùm pollicitatione niti, quæ in sacris litteris frequentissimè iteratur. Ita enim
e Psal.49. scripsit Dauid [e]: *Inuoca me in die tribulationis, eruam*
f Psal.65. *te, & honorificabis me.* Et alibi [f]: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Quo loco Augustinus: *Securi* (inquit) *de pollicitatione ipsius non deficiamus orando. & hoc ex beneficio ipsius est. propterea dixit: Benedictus Deus meus, quia non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. Cum videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia eius.*

IV. Iam in nouo testamento eadem diuina pollicitatio sæpius, longéque apertiùs iteratur. Nam apud
g cap.7.7. Matthæum [g], & Lucam [h]: *Petite,* (inquit) *& dabitur*
h cap.11.9. *vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Et aliquanto post: *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cælestis, qui in cælis est, dabit bona petentibus se.* Et
i cap.16.23. apud Ioannem [i]: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: vsque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit ple-*
k Ioan.14.13. *num.* Et alibi [k] dixerat: *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Hæc tamen diuina promissio non est penitus absoluta, & ab omni conditione libera, ac propterea preces nostræ non semper impetrant, quod flagitant, nam & Iacobus
l cap.4.2. Apostolus [l] ait: *Petitis, & non accipitis, & quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.* Quocirca
m Tract.73. in Ioan. Augustinus [m]: *Sed quid est* (inquit) *quodcumque petieritis, cùm videamus plerumque fideles eius petere, & non accipere? An fortè propterea, quia malè petunt?* Cùmque Iacobi verba paulo ante allata protulisset, subdit: *Malè ergo vtitur eo, quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit: proinde si hoc ab illo petitur; vnde homo læditur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus.* Allato autem Israëlitarum exemplo, qui malo suo impetrarunt, quod culpabili concupiscentia petierant, aliquanto post subdit:

Quomodo ergo intelligendum est: quodcumque petieritis, hoc faciam, si Deus aliqua petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? an fortè solis Apostolis hoc dictum debemus accipere? absit. Et non paucis interiectis: *Euigila* V.
igitur (ait) *homo fidelis, & vigilanter audi, quod illic positum est: in nomine meo, ipsum enim quodcumque, non ait petieritis vtcumque, sed in nomine meo.* explicans autem
B quid sit in nomine Christi petere: *Ac per hoc* (inquit) *quodcumque petimus aduersùs vtilitatem salutis, non petimus in nomine Saluatoris.* Et post pauca: *Quapropter quando volumus, vt faciat quodcumque petimus, non vtcumque, sed in nomine eius, hoc est, in nomine Saluatoris petamus.*

Et alibi in eamdem prorsus sententiam: *Manendo* VI.
quippe (ait) *in Christo quid velle possunt, nisi quod conuenit Christo? Quid velle possunt manendo in saluatore, nisi quod non est alienum à salute? Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo, & aliud volumus, quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansione namque huius sæculi nobis aliquando*
C *subrepit, vt hoc petamus, quod nobis non expedire nescimus. Sed absit, vt fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit, quando petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, cùm verba eius in nobis manent, quodcumque voluerimus, petimus, & fiet nobis: quia si petimus, & non fit, non hoc petimus, quod habet mansio in eo, nec quod habent verba eius, quæ manent in nobis, sed quod habet infirmitas, & cupiditas carnis, quæ non est in eo, & in qua non manent verba eius.* Ita videas diuinam pollicitationem ad eas potissimùm preces referri, quibus aliquid honestum, ac laudabile petitur. Quam ob causam Basilius [a] a Orat. in Mart. Iulit.
orationem definit petitionem boni cuiusdam, quæ ad Deum à piis offertur. Et Damascenus orationem definit petitionem decentium à Deo. Quò etiam refero, quod ait Gregorius [b] Nyssenus, qui orationem b li. de orat. Dom.
vocat sacrum, & diuinum opus. Et aliquanto post: *Oratio* (inquit) *conuersatio, & consermocinatio cum Deo*
D *est. & malorum subuersio, ac peccatorum emendatio.* Et post nonnulla: *Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur.*

Neque aliud sensisse videtur Chrysostomus [c], VII.
qui spectans Dauid [d] verba: *Iucundum sit ei eloquium* a Hom. 30. in Gen.
meum, orationem vocat colloquium cum Deo. Ita, d Psal. 130.
quod alicubi monet Augustinus [e], eos Deum non e Psal.85. ad
inuocare cernimus, *qui mala volunt, & postulant, qui* illa verba:
Deum denique adiutorem ponunt suarum cupiditatum, Omnibus in-
non desideriorum exauditorem. Quin etiam ex iisdem uocantibus te.
Augustini verbis non obscurè deprehenditur, diuinam pollicitationem ea etiam postulata excludere, quæ maius aliquod bonum impediunt, atque adeò ad salutem consequendam non modò necessaria
E non sunt, sed ne vtilia quidem, siue ipsa per se eiusmodi sint, siue Deus ea eiusmodi futura cognoscat. Qua ratione non potuit Paulus impetrare, vt auferretur à se tentatio, cùm tamen ter rogasset, quòd intelligeret Deus ea tentatione Pauli virtutem perfici, ac roborari, & maiorem in modum ad Dei gloriam illustrari. Quod etiam hoc loco significat Ioannes, cùm ait: *Quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos.* Nam si verba illa, *secundùm voluntatem* eius coniungantur cum verbo *petierimus*, planè indicant, eas tum demum preces irritas nequaquam fore, quæ id postulant, quod est diuinæ voluntati consentaneum.

Quòd

VIII. Quòd si coniungantur cum sequenti verbo, *audit nos*; nihilo secius innuunt Deum nostris precibus pro sua voluntate annuere, quæ semper nostræ saluti consulit, atque adeò quæ noxia, aut minùs vtilia
a 1. ad Thess. 4. futura sunt, amouet à nobis, cuius, vt ait Paulus [a], voluntas est sanctificatio nostra. Adde, quòd diuina pollicitatio fidem ab eo exigit, qui vtiliter preces fundat, vt testimonia supeniùs allata apertissimè docent, non quasi is, qui orat, se certò impetraturum necessariò credere cogatur, sed quòd fidem suam diuinæ pollicitationi subiicere, eique accommodare debeat. Quod autem ait Iacobus: *Postulet autem in fide nihil hæsitans*. eam solùm formidinem, & hæsitationem excludit, quæ voluntatem afficit, quæque illam veluti suspensam, ac pendulam reddit: postulat B enim pia oratio spem, & confidentiam quamdam, quæ excludit hæsitationem à voluntate, qui enim hæsitat, quodam modo hæret, neque audet progredi, & timidè, & quasi malignè petit, cùm contra spes, & confidentia vim quamdam, & efficacitatem precibus tribuat. Quod exemplo Abrahæ confirmat
b ad Rom. 4. Paulus [b]: *Contra spem*, inquit) *in spem credidit*. Et mox: *Et non infirmatus est fide*. Denique: *In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia.*

IX. Quibus sanè verbis spem, & confidentiam cum fide coniungit, cùm vtrumque diuina pollicitatio
c cap. 9. postulet. Itaque Christus apud Matthæum [c]: *Confide* (inquit) *fili, fides tua te saluum fecit*. Ac præter fidem C quidem etiam spem, & confidentiam necessariam
d Psal. 90. esse indicat Dauid [d]: *Quoniam* (inquit) *in me sperauit*,
e cap. 3. *liberabo eum*. Et apud Danielem ait Azarias [e]: *Non est confusio confidentibus in te Domine*. Et apud eum-
f cap. 13. dem [f]: *Exclamauit omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui saluat sperantes in se*. Quocirca Pau-
g ad Heb. 4. lus [g]: *Adeamus* (inquit) *cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in*
h Collat. 9. cap. 32. *auxilio opportuno*. Atque ita rectè monuit Cassianus [h]: *signum futuræ impetrationis esse, quando Spiritus sanctus mouet ad precandum cum magna fiducia, & quasi securitate impetrandi*. Itaque cùm ait Ioannes *quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos*, indicare videtur, preces nostras tum demum à Deo exaudiri, cùm eiusmodi fuerint, vt ei merito probandæ videantur. Postulat autem Deus non tam vocis so- D num, quàm precantis affectum. Ita enim loquitur
i lib. de Sac. cap. 4. Ambrosius [i]: *Qui in silentio orat, fidem defert, & confitetur quòd Deus scrutator cordis, & renis sit, & orationem tuam ante ille audiat, quàm tuo ore fundatur.*

X. Planius autem Hieronymus [k] ad illa Christi ver-
k Matth. 6. ba: *Ora Patrem tuum in abscondito. Mihi videtur* (inquit) *hoc magis esse præceptum, vt inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis oremus Dominum, quod & Annam in Regum volumine fecisse legimus: Labia* (inquit) *eius tantum mouebantur, & vox illius non audiebatur*. Et
l l. 21. Mor. cap. 48. in eamdem sententiam Gregorius [l]: *Vera quippe postulatio* (ait) *non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. vnde rectè per Psal-*
m Ps. 9. 17. *mistam* [m] *dicitur: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorū audiuit auris tua*. Postulat E præterea recta precandi ratio non solùm fidem, sine
n Ser. 36. de verb. Dom. qua, vt ait Augustinus [n], oratio perit, sed etiam spem, quæ fiduciam parit, de qua dictum est, sed præcipuè caritatem, & castam, puramque conscien-
o supra c. 3. 21. tiam, de qua hic noster [o]: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo*. vt paulo ante copiosiùs docui.

XI. Neque verò propterea peccatorum preces penitus sunt aspernandæ, quod enim apud Ioannem cœcus ille dixit: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*. vel referendum est ad mira, & quæ supra naturam A sunt perficienda, vt plurimùm enim Deus flagitiosos, & sceleftos non exaudit, vt miracula edant: vel de peccatoribus accipiendum est, qui peccaudi voluntatem retinent, & in eo luto perpetuò hærent, vel ea denique petunt, quæ absque scelere perfici non queant, quos ea Prophetæ verba perstringunt: *Et oratio eius fiat in peccatum* Cæterùm si quis nódum planè expiatus supplex ad Deum accedat, eiúsque misericordiam imploret, statuátque apud animum suum vitiis, atque flagitiis omnium remittere, quis neget enim veniam posse impetrare? Sanè ita loquitur apud Isaiam [a] Dominus: *Lauamini, mundi estote,* a cap. 1. *auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere peruersè, discite benefacere, & venite, & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Quocirca apud Lucam [b] publicanus b cap. 18. 13. ille, qui à longè stans, & oculos non audebat attollere pectus suum cædens, diuinámque misericordiam implorans gratiam, & iustitiam impetrauit.

Certè miruin in modum Christiana modestia, at- XII.
que humilitas piorum preces promouet, sic enim apud Isaiam [c] loquitur Deus: *Ad quem aspiciam, nisi* c cap. 66. 2. *ad pauperculum, & contritū spiritu, & trementem sermones meos?* Et Iacobus: *Deus* (inquit) *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Sic orauit olim Abraham [d]: *Loquar* (ait) *ad Dominum meum, cùm sim puluis,* d Genes. 18. 27. *& cinis*. Neque aliter Daniel [e]: *Neque enim* (inquit) *in* e cap. 9. 18. *iustificationibus nostris prosternimus nos ante faciē tuam, sed in miserationibus tuis multis*. Ea verò de re ita loquitur Bernardus [f]: *Sed & vitam æternam fortassis aliqui* f Serm. 5. de Quadrag. *non in humilitate quærunt, sed tamquam in fiducia suorū meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet vt in ea quisquam constituat fiduciam impetrandi*. Et aliquanto post: *Sit oratio in omni humilitate præsumens de sola, vt dignum est, miseratione diuina*. sic orabat Dauid [g]: *Miserere mei* (inquit) g Psal. 50. 1. *Deus*, (non secundùm merita mea) *sed secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*. Adde intimi cordis affectum, quo mirificè piorum preces Deo probantur. ita orasse dicitur Dauid cùm dixit [h]: h Ps. 129. 1. *De profundis clamaui ad te, Domine, Domine exaudi vocem meam.*

In hunc porro locum ita scribit Chrysostomus: XIII.
Quid est: De profundis? non dixit solummodo ex ore, nel lingua; errante enim mente sæpe verba funduntur, sed ex corde profundissimo cū magno studio, & magna animi alacritate ex ipsis mentis penetralibus. tales enim preces magnam habent potentiam, vt quæ neque subuertantur, neq; concutiantur, etsi eas diabolus magno impetu inundat. Quemadmodum enim arbor valida, & quæ in multā profunditatem terræ egit radices, eius; sinit deuinci, & adstringi, cuius ventorum impetus resistit, quæ in terra autē sūma superficie sita est, si quælibet parua aura incubuerit, labefactatur, & radicitus euulsa iacet super terram, ita etiam preces, quæ ab imo quidem ascendunt, & egerunt radices in profundo, etiamsi innumerabiles venerint cogitationes, etiamsi instructa tota diaboli acies, firma manēt, & stabiles, & minimè euertūtur. Quæ autem ex ore, & labiis procedunt, & non ab imo ascendunt, ne possunt quidem ad Deum ascendere. Mox tem exemplis confirmans addit: *At sanctis non sic orabant, sed cum summo studio, & maxima vehementia, vt etiam totum corpus inflecterent. Nam beatus Elias orans primum quidem quæsiuit solitudinem, deinde cùm posuisset caput inter genua, & seipsum cum magno ardore succenderet, ita fundebat preces.*

Neque his contentus aliquanto post addit: *Audi* XIV.
quomodo Anna orabat de profundis, cuiusmodi fontes lacrymarum emittebat, quomodo per orationem eucheba tur in sublime eas enim ita precatur, etiam antequam consequatur

quatur quod postulas, ex oratione magna bona percipis, omnes animi perturbationes reprimens, iram sedans, inuidiam expellens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens, & exsiccans, animum in magnam tranquillitatē redigens, in ipsum deinceps cœlum ascendens. Hoc nimirum est toto, quod ait Dauid, corde Deum quærere, omnibus animi viribus in Deum tendere, humana omnia negligere, vnum Deum spectare, cui placere maximè cupias. Hanc ferè deuotionem appellant, quam caritatis adipem interpretantur. nimirum hæc est oratio, de qua rectè Dauid: *Dirigatur* (ait) *oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* ita enim animum comparat, vt quidquid acciderit, patienti & æquo animo excipiatur.

XV. Sic autem loquitur Augustinus [a]: *Si aliquid contra quā oramus, acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo hoc potius oportuisse, quod Dei, nō quod nostra voluntas habuit minimè dubitare debemus, nam & huiusmodi exēplum præbuit nobis ille Mediator, qui cùm dixisset: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, humanam in se voluntatem ex hominis susceptione transformās cōtinuò subiecit: Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater.* Quam ob causam meritò Hieronymus [b] Hebridium laudat, quem sic semper orasse Deum ait, *vt illi quod optimum esset, eueniret.* Sapienter autem monet Chrysostomus [c], non minus Deo agendas esse gratias, cùm negat, quàm cùm tribuit id, quod petimus, nihil enim negat, nisi quod nobis est minus salutare, ne dicam noxium. Denique Augustinus [d] hortatur, vt petamus, *non dari nobis quidquid ignorantes non bene petimus*: hoc est enim suam voluntatem diuinæ voluntati subiicere. hoc denique est, quod hic ait Ioannes, *secundum voluntatem Dei petere.*

a ep. 121. ad Probam.
b epist. 9. ad Saluin.
c Hom. 30. in Genes.
d Tract. 73. in Ioan.

XVI. Sed vt oratio ritè adhibita impetret quod petit, perseuerantiam adnexam habeat necesse est, quod apud Lucam significauit Christus [e] in parabola illius, qui importunè, & assiduè petens sua importunitate impetrauit, quod alias assequi non potuisset. Quò, vt alibi monui, referenda sunt verba Christi cum dixit [f]: *Oportet semper orare, & numquam deficere.* Itemque illa Pauli [g]: *Sine intermissione orate.* Quocirca verè omninò Hieronymus [h]: *Qui ad cupita peruenire voluerit, reflectere mentē à studio orationis non debet, sed magis perseuerare in inuentione cœpti illius oportet. Hinc est, quod in libro Regum de Anna scriptum est, quod postquam orauerat, vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Hinc & in Euangelio cæcus ille, qui in Iericho transeuntem Iesum audierat, misereri sibi ab eo petebat, sed cum à prætereuntibus sibi iuberetur, vt taceret, ipse multo magis clamabat dicens: Miserere mei fili Dauid, vnde & lumen, quod petiit, nullo modo eius fructu carebat.*

e Lucæ 11.8
f Lucæ 18.1.
g 1. ad Thes. vlt. 17.
h Thren. 3. si tamen is est auctor.

XVII. Chrysostomus [i] autem expendens historiam Paralytici iacentis ad piscinam: *Pudeat* (inquit) *nos, pudeat dilectissimi, & incredibilem socordiam nostram deploremus, octo & triginta annos paralyticus ad piscinam expectauerat, expectabátque vt sanaretur, neque eius impletū est desiderium, neque negligētia sua non sanabatur, sed præuentus ab aliis, neque propterea desperauit. Nos autem si vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, sā tepescimus: hominibus verò quam diligentissimum exhibemus ministerium, in militia, in difficultatibus seruientes, tandem frequenter omnem spem amittimus. Dominum autem nostrū, vbi sine dubio merces sequitur longè laboribus amplior (spes enim non confundit, inquit) debito studio, & diligentia prosequi non patimur. Et quonam hoc supplicio dignum? Sed laboriosa est assidua oratio, & quid non laboriosum, quod a virtute proficiscatur?* Nec multo aliter Gregorius [k]: *De profundis (inquit) clamaui ad te: non ait, clamo, sed clamaui, habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primò non exaudiris, ab oratione non deficias, imò precibus, & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi vult quadam importunitate vinci, ideo tibi dicit* [a]*. Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor vt regnum cœlorum accipias; esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cœlis: quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed iuuatur, peccatum minuitur non multiplicatur.*

i Hom. 35. in Ioan.
k in Psal. 6. pœnit.
a Matth. 11. 12.

XVIII. Quòd si libeat cum verbo, *audit nos*, coniungere verba illa, *secundum voluntatem suam*, vt sensus sit, Deum immortalem pro sua voluntate preces nostras audire, & votis annuere, meritò quæras, cur necesse sit, à Deo flagitare, quæ Deus probè nouit nobis vel vtilia, vel necessaria esse, si pro sua in nos beneuolentia & caritate vult largiri? An ideo preces vsurpandæ nobis sunt, vt tam eximio, támque excellenti bono fruamur, vt cum Deo colloqui, & causam nostram agere possimus? Sanè hoc luculenter docuit Chrysostomus [b]: *Quisquis* (inquit) *non orat Deū, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expérsque sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimum est amentiæ argumentum, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit, non prouolui ad Dei genua. Quin insuper quod oporteat quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuatur, pulchrè nos docet Daniel* [c] *ille Propheta magnus, qui maluerit mori, quàm triduò dumtaxat arceri ab orando.*

b lib. 1. de oran. Deum.
c cap. 6. 10.

XIX. Neque his contentus nonnullis interiectis subdit: *Arbitror cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cúmque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur hominibus?* Quantopere autem sit humanæ vitæ precandi studium non dicam vtile, sed necessarium, idem Chrysostomus alibi docet: *Iam verò* (inquit) *si quis dicat, animæ neruos esse deprecationem, mea quidem sententia verum dixerit. Quemadmodū verò corpus neruis cohæret, currit, viuit, stat, & compactum est, adeò vt si neruos incideris, vniuersam corporis armoniam dissolueris, sic idem animæ per sanctas preces sibi constant, & compinguntur. Quod si te ipsum destitueris deprecatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris, vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio, per hanc datur velut ex aquis subuolare, cœlúmque transcendere.* Rursus alibi [d]: *Magna arma sunt preces magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugij locus: oratio cum colloquium est cum Deo, quod vt scias, audi Prophetam* [e] *dicentem: Iucundum sit Deo eloquium meum, hoc est, sermo meus appareat Deo.*

d Hom. 30. in Genesim.
e Psal. 103. 34.

XX. Videri possent hæc nimis fortasse copiosè ex Chrysostomo descripta, sed ad precum dignitatem extollendam tam doctè, támque eleganter scripsit Chrysostomus, vt operæ me pretium facturum existimem, si alia quædam exscripsero. Is igitur ita alicubi [f] scribit: *Quis non obstupescat, & admiretur tantam beneuolentiam erga nos Dei, vt mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostráque vota apud ipsum deponamus. Nam verè profectò cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam simul & Angelis copulamur, & societatem, quam cū brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem. si tamen maius est Angelorum dignitate colloquium miscere cum Deo. Atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes.*

f lib. 1. de oran. Deum.

XXI. Addam fratris ipsius Basilij, hoc est, Gregorij Nysseni [g] egregium orationis encomium: *Oratio* (inquit) *corporū robur est, abundantia domus recta legum,*

g l. de orat.

ac

ac iure in ciuitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, conciliatorum conseruatio; oratio virginitatis sigillum est, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus. eiusdem cum Angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio. Et in
a serm. de Virgin. eamdem sententiam Ephrem [a] Syrus: *Desidera* (inquit) *orationem, familiare cum Deo colloquium: omnis enim oratio sancta, & pura cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfectè Deum desiderantium magna cum lætitia, fiduciáque multa ipsum etiam cælum sugiter penetrat. In ipsa Angeli, atque Archangeli exultant, & coram throno sancti, & excelsi vniuersorum Domini illam statuunt.* quod mul-
b serm. 8. in Cant. tis etiam docet alicubi Bernardus [b].

XXII. Magnum igitur Dei beneficium censendum est, quòd voluerit Deus nos tanto bono frui, & beatorum vitam in hac mortalitate quodammodo imitari. Neque enim suspicari possumus, latere Deum nostras cupiditates, atque idcirco rectè ait Augusti-
c ep. 121. ad Prob. cap. 8. nus [c]: *Qui nouit bona data dare filiis suis, petere nos & quærere, & pulsare compellit, quod quare faciat, quis nouit, quid nobis necessarium sit priusquàm petamus ab eo, mouere animum potest, nisi intelligamus quod Dominus, & Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad accipiendum parui, & angusti sumus.* Accedit, quòd precationis nostræ incredibilis quædam vtilitas est, inter cætera enim cælum
d Eccli. 35. 21. dicitur quodammodo penetrare, Sapiens [d] enim ait: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.*

XXIII. Quò spectans Augustinus de hac precum vi hæc
e in Ps. 29. alicubi [e] scribit: *Clamauit de profundo Ionas de ventre ceti: erat non solùm sub fluctibus, verumetiam in visceribus belluæ, nec tamen illud corpus, & illi fluctus intercluserunt orationem, ne perueniret ad Deum, & venter belluæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetrauit omnia, dirupit omnia, peruenit ad aures Dei, quando aures Dei in corde precantis erant.* Et quidem è cælo omnia bona haurit, adeò vt ipsa etiam scelera, atque flagitia ex corde precanti facilè condonentur. Ita enim Christus Do-
f Matt. 6. 12. minus orandum præcepit [f]: *Dimitte nobis debita nostra:* quod, vt non ita pridem dixi, publicanus ille apud
g cap. 18. 13. Lucam [g] suo exemplo docuit, qui cùm dixisset: *Deus propitius esto mihi peccatori, descendit* (ait Lucas) *in domum suã iustificatus.* Quamobrem Chrysostomus [h]: *Etiam-*
h lib. 1. de oran. Deũ. *si* (inquit) *nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius, aut diuinius obtingere possit quam deprecatio, cùm hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat? Quòd enim animam peccatis obnoxiam deprecatio facilè puram reddat, docet nos publicanus ille, qui petiit à Deo remissionem peccatorum, & impetrauit docet, & leprosus, qui simul vt procidit ad pedes Dei, mundatus est.*

XXIV. Nos autem quamdiu viuimus, hostẽ perpetuum, & quidem sæuissimum dæmonem experimur, qui miris nos modis diu, noctúque oppugnat; eius porro oppugnationes, dolos, atque impetus non alio validiore armorum genere frangere, ac superare possumus, quàm studio deprecandi, quod Christus Dominus non obscurè insinuauit, cùm inter cætera hanc precandi formam præscripsit: *Ne nos inducas in tenta-*
i Matth. 17. 20. *tionem, sed libera nos a malo.* qui alibi [i] etiam monuit, quoddam esse dæmonum genus, quod absque prece, & ieiunio expelli, aut fugari non queat. Itaque veris-
k lib. 1. de oran. Deũ. simè scripsit Chrysostomus [k]: *Si dæmones nos conspexerint deprecatione communitos, illico resiliunt, non aliter quàm prædones, ac facinorosi, vbi conspexerint militis gladium in caput suum vibrari. Quòd si contingat, aliquem esse nudum precationis præsidio, hinc auulsus deportatur a dæmonibus, &*

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

A *in calamitates, variáque mala impelliatur.* Et in eamdem sententiam Augustinus [a]: *Vera* (inquit) *pietate homines* a lib. 10. de Ciuit. c. 22.
Dei aëriam potestatem vincunt, contrariamque pietati exorcizando eiciunt, non placando. Omnes tentationes eius vincunt orando, non ipsam, sed suum Deum aduersus ipsam.

Quin etiam externa omnia imminentia, atque vrgentia mala vna oratio depellit, atque idcirco non XXV.
malè quidam [b]: *O quàm grandis est* (inquit) *ipsius orationis causa! ó quàm grande mysterium! Ecce Moyses orabat in monte, & Iosue Amalec deuincebat. Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animi, & corporis adipiscitur. Per orationem Saulus efficitur Paulus, & Doctor gentium. Ieremias confortatur in carcere, Daniel inter Leones exultat, Iob in sterquilinio nudus triumphat. Susanna inter senes defenditur, paradisum de cruce latro inuenit, Stephanus de tor-* b Auct. ser. ad frat. in eremo ser. 22 apud August. to. 10.
B *rente in cælum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* Adde, quòd magnam affert probis, ac iustis meritorum, diuinorúmque munerum accessionem, & ipsam denique vitam beatam, & immortalem. Quod non obscurè indicauit Christus, cùm apud Matthæum [c] dixit: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* amplam c cap 6. 6.
videlicet mercedem pollicetur, & magnos in Christiana pietate processus. Sic enim quodam loco scribit Chrysostomus [d]: *Deo magna cura est, vt in virtute* d in Psal. 7.
crescamus, nihil autem æquè facit in virtute crescere, atque
C *cum Deo assiduè versari, & colloqui, eique perpetuò gratias agere, & psallere.*

Id verò multo copiosiùs, atque vberiùs alibi ex- XXVI.
plicans [e] ait: *Si qui cum Cæsare* (ait) *miscent sermones, familiariterque cum eo versantur, non possunt esse pauperes, multo minùs fieri potest, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo consequitur, animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac cen thesaurum animis nostris recondit.* Mitto cætera commoda, quæ oratio vbertim affert, vt quamuis Deus sua in nos propensa voluntate bona omnia cupiat elargiri, non tamen sine magno nostro commodo, ac lucro preces nostras expectet, vt quod in præsentia ait Ioannes, secundùm voluntatem suam nos audiat, e lib. 1. de oran. Deũ.
D largiri quippe cupit, qui ad rogandum, ac petendum non suadet modò, sed suauiter impellit, vt enim ait Paulus: *Quid oremus sicut oportet nos nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* hoc est interprete Augustino, *postulare facit, & ipsum postulandi inspirat affectum, & effectum.*

15\. *Et scimus, quia audit nos quidquid petierimus: scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulauimus ab eo.*

Mirum in modum Ioannes earumdem rerum iteratione oblectatur; quod igitur modò dixerat, confidere nos preces nostras, si ritè adhibeantur, à Deo exaudiri, id nunc maiori quadã vehemẽtia cõfirmat. I.
Dixerat enim: *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum,*
E *quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos.* Nunc addit: *Scimus, quia audit nos quidquid petierimus.* quasi dicat, fiduciam nostram esse formidinis expertem, cùm diuina pollicitatio, si preces aliàs ritè fundantur, certum euentum habitura sit, vt multis supra docui. Non est autem, vt monet Beda, inanis hæc earumdem rerum iteratio, ea enim precandi studium vehementiùs excitat, & inflammat. Addit porro Didymus, ipso rerum experimento Apostolum instructum hac vti oratione, qui non semel multa se à Deo precibus impetrasse cognouerat.

Quod verò ait, *scimus*, referri potest, vt nonnulli II.
volunt, ad fidem diuinam, quæ docet iustas preces

à Deo audiri, quod frequenter apud hunc Euangelistam Christus Dominus inculcat: potest etiam de scientia accipi ipso vsu, atque experimento parta, nam, vt ait Didymus, viri sancti multa impetrant à Deo, indéque colligunt, eum precibus ritè adhibitis præstò esse, & facilè postulata concedere. Sic autem de tota hac sententia scribit OEcumenius: *Postea (inquit) mutato ordine, ac reciprocata oratione indicium hoc clarius reddit. Si nouimus (inquit) audire ipsum nos quidquid petierimus, postulata, quæ ab eo petimus, habere etiam nos credimus, perinde ac si ita dicat: Si secundùm voluntatem eius petimus, nos audit. Et si audit nos, nouimus nos secundùm voluntatem eius omnia petere, haberéque in nobis ea, quæ petimus, hoc est, regnum, & iustitiam ipsius, quæ videlicet petere ipse etiam nobis mandauit.* Itaque quod priori loco ait: *Scimus, quia audit nos, quidquid petierimus.* de fide, vt dixi, possumus accipere, ea enim perspicuè significat, iustorum preces à Deo audiri: vt enim alia sexcenta omittam, ita loquitur alicubi Da-
a Psal. 33. 16. uid [a]: *Oculi Domini super iustos. & aures eius ad preces eorum.* Quod verò posterius subdit: *Scimus, quia habemus petitiones, quas postulauimus ab eo.* ad eam scientiam refero, quam Apostoli, aliique viri Apostolici, & sancti experimento comparauerant, qui probè scirent, multa se à Deo quotidie impetrare.

III. Itaque petitiones posuit Ioannes pro iis, quæ postulantur, hoc planè sensu: certò scimus nos ea impetrasse. quæ ritè à Deo flagitauimus: atque idcirco
b Psal. 4. de se ipso aiebat Dauid [b]: *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ.* Et alibi: *Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit me.* Quin etiam Deus ipse se facilè
c Psal. 90. concessurum pollicetur, quæ quis ab eo petierit [c]: *Clamabit* (inquit) *ad me, & ego exaudiam eũ, eripiam eum, & glorificabo eum.* Cur autem interdum non exaudiat iustos, vt non exaudiuit Paulum tentationis acerbitatem deprecantem, suprà insinuaui. Certè, vt ait Augustinus, non quidem semper ad voluntatem, sed semper tamen Deus exaudit ad salutem. Quin etiam interdum iratus concedit, quod placatus negat, atque ita ea solùm simpliciter atque absolutè flagitãda sunt, quę aut vtilia, aut necessaria ad sempiternam salutem consequẽdam meritò censeantur. Ita enim, vt supra dixi, interpretatur Augustinus, quod apud Ioãnem docuit Christus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ea enim in nomine Saluatoris petuntur, quę salutis sẽpiternę adipiscẽdę sunt opportuna.

16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat. & dabitur ei vita peccanti non ad mortem, Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.*

I, Fiduciam, quam hactenus multis confirmauerat, certis veluti cancellis circumscribit, & quid certò sperandum, quid item nnn flagitandum sit, paucis distinguit. Locus autem est valde celebris, & tum per se, tũ multiplici explanatione admodum inuolutus, & obscurus, de quo necesse est paulo fusiùs, accuratiúsque disserere. Apertè enim docet Ioannes, peccatum aliud esse ad mortem, aliud verò non ad mortem: sed quale tandem sit peccatum ad mortem, non
d lib. 1. de ser. Dom. in mon. c. 43. planè liquet. Augustinus [d] certè peccatum ad mortem idem esse putat cum blasphemia in Spiritum sanctum: hãc autem blasphemiam interpretatur, cùm quis agnitam veritatem ex inuidentia fraternæ caritatis oppugnat, alibi tamen, vt non ita multo post dicam, de blasphemia in Spiritum aliter opinatur. Certè vtrumque peccatum veniam videtur excludere: quamobrem hic Apostoli locus postulat, vt
e ser. 11. de verb. Dom. cap. 5. vtriusque peccati natura explicetur. Atque vt exordiar à peccato in Spiritum sanctum, ea quæstio adeò visa est Augustino [e] difficilis, atque obscura, vt

A non dubitauerit asserere, nullam se in sacris literis difficiliorem quæstionem reperisse.

Sic autem scribit: *Fortè in omnibus sanctis Scripturis nulla maior quæstio, nulla difficilior inuenitur.* Mox addit: II. *Vt vobis aliquid de me ipso fatear, semper in sermonibus, quos ad populum habui, huius quæstionis difficultatem, molestiámque vitaui, non quia nihil haberem, quod inde vtcumque cogitarem, neque enim in re tanta petere, quærere, pulsare negligerem, sed quia ipsi intelligentiæ, quæ mihi aliquantulum aperiebatur, verbis ad horam occurrentibus me posse sufficere non putarem.* Certè de peccato, seu blasphemia in Spiritum Græci, & Latini Patres non pauca scripserunt. Et Origenes quidem blaspheoniam in Spiritum sanctum, & eam quidem eiusmodi, quæ remitti non
B queat, eorum peccatum interpretatur, qui post dona Spiritus sancti baptismo percepta rursus flagitiis inquinantur. Sic autem loquitur [a]: *Forsitan & omnes homines quando denegant Iesum, ita vt peccatum negationis eorum recipiat medicinam ante galli cantum, negare eum videntur, nondum eis nato sole iustitiæ, neque appropinquante eis ortu ipsius. Si autem post ortum huiusmodi ad animam volẽtes peccauerimus, postquam accepimus scientiam veritatis, iam non relinquitur nobis sacrificium pro peccato, sed terribile iudicium. & Zelus ignis, qui comesturus est impios.* Et rursus: *Si post galli cantum vel semel in quouis periculo constitutus quis negauerit, impossibile est, eum renouari in pœnitentiam, vt iterum crucifigat sibi Filium Dei.* a in Matth. cap. 26.

Eodem modo loquitur [b] in Ioannem, itáque eius III. b Tomo 30.
C sententiam explicat Athanasius de blasphemia in Spiritum, vbi simile quiddam dixisse Theognostum affirmat, qui perfectorum peccata ad blasphemiam in Spiritum referebat; cùm tamen vtraque sententia, eodem Athanasio interprete, ad errorem, atque hæresim Nouati pertineat, de qua scribit Eusebius [c], & nos infrà plura dicturi sumus. Ipse porro Athanasius [d] duo in Christo actionum genera distinguit, quædam enim agebat vt homo, loquebatur enim, ambulabat, comedebat. bibebat more cæterorũ hominum: quædam verò agebat vt Deus, vt cùm cæcis visum, surdis auditũ mortuis vitam restituebat. Cùm igitur Iudæi illum fabri filiũ, amicum publicanorum, & vini voratorem vocabant, blasphemiam in Filium hominis iactare dicebantur: cùm autẽ mira quędam, & supra naturam faceret, quæ Spiritus sancti opera
D patrabantur, illi non Deo, sed dæmoni tribuerent, in Spiritum sanctum blasphemabant. Vtraque autem blasphemia eumdem Christum petit, sed altera quidem humanitatis, altera verò diuinitatis respectu, quam Athanasij sententiam omni ex parte inter Latinos complexus est Hieronymus [e]. c lib. 6. hist. cap. 43. d de blasph. in Spir. e Matt. 12. & ep. ad Marcell. q. 149.

Cæterùm quod attinet ad blasphemiam in Spiritum, eãdem Athanasij sentẽtiam sequùtur Basilius [f], Chrysostomus [g], Anastasius Nyssenus [h]. Sed Basilius quidem addit, eos etiam peccare in Spiritum, qui honestas aliorum actiones perperam interpretantur, & quod per se honestum, atque laudabile est, turpitudinis, ac vitij labe aspergere nituntur: *Ex ea* (inquit) *blasphemia, quam Pharisæi tunc vsurparunt, de*
E *quibus etiam lata est huiusmodi sententia, perspicuum est eum etiam nunc blasphemare Spiritum sanctum, hoc est, detrahere Spiritui sancto, quicumque effectus, & fructus Spiritus sancti aduersario ipsius attribuit, quod peccatum incurrimus plerique nostrum, qui securi periculorum, strenuum sæpenumero appellamus ambitiosum: & ei qui iusta indignatione per zelum mouetur eam ve indicans iracundiæ calumniam impingimus. Et ad eumdem modum alia iniquis suspicionibus, ementitis nominibus de alieno dicimus.* At verò Epiphanius [i] peccatum, seu blasphemiam in Filium hominis eã vocat, qua quis in Christũ maledicta conijcit, blasphemiam autẽ in Spiritum, quæ veniam excludit, illã esse autumat, qua qui Spiritum sanctum IV. f in Reg. breuior. reg. 273. g Hom. 42. in Matt. h quæst. 66. i hær. 54.

in

in rerum creatarum ordinem redigit. Victor autem Antiochenus [a] blasphemiam in Filium ait esse blasphemiam in Filium hominis: eum verò blasphemare in Spiritum sanctum, qui in Deum contumelias iactat. A qua sententia non abhorret Cyrillus Alexandrinus [b], qui blasphemiam in Spiritum eam esse dicit, quæ in Leuitico [c] capite damnatur, nomine autem Spiritus Deum ipsum intelligit. Cui subscribit Isychius [d], vbi ait, eum, qui scienter Deum blasphemet, legis auctoritate morti obnoxium esse: hanc autem à Christo blasphemiam in Spiritum appellari. Denique auctor [e], qui Eusebij Emysseni nomen præfert, eam in Spiritum blasphemiam vocat, qua quis veritati assensum negat, quæ Spiritus sancti operâ credenda proponitur.

a Mat. 3.
b lib. 6. de ador. in spirit.
c cap. 24.
d lib. 7. in Leuit.
e Homil. Dom. 4. post Pasch.

V. Iam verò Latini Patres nihilo pauciora de hoc peccato in Spiritum posteritati consignarunt. Hilarius [f] enim eum in Spiritum blasphemare ait, & venia indignum esse, qui Christi diuinitatem abneget: *Quid* (inquit) *tam extra veniam est, quàm in Christo negare, quòd Deus sit, & consistentem in eo paterni Spiritus substantiam adimere?* Cætera verò peccata in Filium hominis esse putat, *quibus* (inquit) *venia non negatur, nec remissio intercluditur, peccatorum omnium veniam promittit, & blasphemia Spiritus indulgentiam abnegat. Nam cùm cætera dicta, gestáque liberali venia relaxentur, caret misericordia, si Deus negetur in Christo.* Eodémque modo alibi [g]: *Peccatum* (inquit) *in Spiritum sanctum est Deo virtutis potestatem negare, & Christo substantiam adimere æternitatis, per quem quia Deus in hominem venit, homo rursus fiet in Deum, cùm cæteris Deus veniam largiatur, hoc solum extra veniam est.*

f Can. 12. in Matt.
g Can. 5. in Matth.

VI. Porro Ambrosius [h] peccatum in Filium hominis illud esse docet, quo quis de Christo humiliùs & sentit, & loquitur, quàm par est: blasphemiam autem in Spiritum, cùm Spiritus sancti diuinitas negatur, & quæ Dei sunt, dæmoni tribuuntur: *Si quis* (inquit) *corporis specie deceptus humani, remissius aliquid de Christi carne sentit, quàm dignum est (neque enim nobis vilis videri debet, quia aula virtutis fructus est Virginis) habet culpã, non est tamen exclusus à venia, quam fide possit asciscere. Si quis verò sancti Spiritus diuinitatem, maiestatem, & potestatem abneget sempiternam, & putet non in Spiritu Dei eiici dæmonia, sed in Beelzebub, non potest ibi exoratio esse venia, vbi sacrilegij plenitudo est, quia qui Spiritum negauit, & Deum Patrem negauit, & Filium quoniam idem est Spiritus Dei, qui Spiritus Christi.* Videtur autem Ambrosius ad blasphemiam in Spiritum duo requirere, vt negetur diuinitas & vt quæ Dei sunt, dæmoni tribuantur, licèt ea inter sese suapte natura non sint necessariò connexa. Consentit autem cum Hilario, quòd blasphemiam in Spiritum certum quoddam putat esse peccatũ venia indignum, ab Hilario autem recedit, quòd eũ, qui specie carnis deceptus Christum negat esse Deũ, nõ censet in Spiritum sanctũ blasphemare.

h lib. 1. de Spirit. sanct. cap. 3.

VII. Idem verò Ambrosius multo aliter alibi [i] de peccato in Spiritum loquitur, ait enim Christum duo blasphemiæ genera posuisse; alterum Iudæorum, qui Christum aiebant in Beelzebub eiicere dæmonia, & *illum* (inquit) *potestatem diabolico fultam suffragio indicabant, quod peccatum blasphemiam in Spiritum sanctum appellauit, ac venia carere;* alterum hæreticorum, & schismaticorum, quos significauit illis verbis: *Qui mecum non colligit, dispergit. Hi Ecclesiam Christi dispergunt, atque eis veniam negat, quia hoc genus peccati in vniuersos est, & de ijsdem pronunciat in Spiritum sanctum peccare, & veniam non habere.* His consentanea sunt, quæ scribit Philaster [k], qui hæreticos blasphemos in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & in hæresi perseuerantes à Christo ait fuisse cõdemnatos, cùm dixit, blasphemiam in Spiritum sanctum non remittendam, nec in hoc sæculo, nec in futuro. Addit Ambrosius Simonis crimen [a], qui gratiam Spiritus sancti pecunia voluit comparare, ad blasphemiam in Spiritum pertinere. Alibi [b] denique quorumdam sententiam recenset, qui eumdem Christum, & Filium hominis, & Spiritum sanctum appellari existimant, illud quidem ratione humanæ naturæ, hoc verò diuinitatis intuitu, vt qui Christi diuinitatem abneget, blasphemare in Spiritum sanctum videatur.

i lib. 2. de pœnit. c. 4.
k in hær. Rhet.
a Act. 3.
b Lucæ 12.

VIII. Hieronymus [c] sanè, vt suprà indicaui, blasphemiam in Spiritum interpretatur eam, qua Iudæi de Christo dixerunt, in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia, cui subscribunt Beda [d] & Pacianus Barchiononensis Episcopus [e]. Verùm Cyprianus [f] Christi Domini sententiam de blasphemia in Spiritum confert cum illa, quæ legitur in libris Regum [g]: *Si delinquendo peccet vir aduersus virum, orabunt pro eo Dominum, si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?* Vnde colligit verbum in Filium hominis esse peccatũ, quo peccatur in proximum, peccatum autem in Spiritum sanctum, quo peccatur in Deum. Alio verò loco [h] blasphemiam in Spiritum eã vocat, cùm quis metu supplicij, aut mortis fidem abnegat. Verùm Augustinus [i] blasphemiam in Spiritum eam esse dicit, cùm quis post Euangelicam gratiam susceptam, ex quadam inuidentia veritatem Catholicam oppugnat, quo piaculo ubstrictum fuisse affirmat Alexandrum illum Ærarium, cuius meminit Paulus Apostolus [k]. Dubitat autem, num eius criminis rei fuerint Iudæi, qui Christi miracula Dæmoni tribuebant, cùm illi nondum Christianam fidem suscepissent, & quamquam probabile putat, fuisse illos ob magnitudinẽ inuidiæ ei culpæ affines, mauult tamen eos ea noxa liberare, atque ita Marci verba conatur explicare, vt nulla tamen Iudæis blasphemiæ in Spiritum culpa adhæreat, quod etiam alibi [l] facit.

c Matth. 12. & epist. 149. ad Marcell.
d Lucæ 12.
e epist. 3. ad Symphron.
f lib. 3. ad Quir. c. 28.
g lib. 1. Reg. cap. 2.
h epist. 10.
i lib. 1. de ser. Dom. in mon. c. 44.
k 2. ad Tim. 4.
l ser. 11. de verb. Dom.

IX. Verùm quoniam negauerat eã blasphemiam condonari, id alibi [m] ita explicat, vt tũ demũ peccatum in Spiritum venia carere censendum sit, si quis in eo vsque ad mortẽ perseueret. Itaque alibi blasphemiam in Spiritũ, quæ veniã excludat, solam ait esse auersionem à pœnitentia, quam finalem impœnitẽtiam dicunt, & ad eam sententiam explicãdam multa cõgerit, vt vim pœnitẽtiæ, diuinæque misericordiæ efficacitatem tueatur, neque cogatur admittere vllum esse tam immane facinus, quod quamdiu vita suppetit, expiari, ac penitus deleri nõ queat. Hæc veteres tam Græci, quàm Latini Patres. Recentiores [n] antè blasphemiam in Spiritũ ita angustè definiunt, vt ij dumtaxat peccare in Spiritum censendi sint, qui scientes, prudentésque ex odio, quo Deum prosequũtur, eum conuiciis, & contumeliis afficiunt, qui, vt apparet, Spiritum sanctum pro diuinitate accipiunt, quæ est tribus diuinis personis communis.

m 1 Retract. cap. 19.
n Richard. Victor. de blasphem. in Spir.

X. Multo verò aliter sentiunt alij, qui peccatum in Spiritum ab eo differre autumant, quod fit contra Filium hominis. Cæterùm aiunt, tam Filium hominis, quàm Spiritum sanctum bifariam accipi posse, interdum enim Filius hominis diuinam Christi personam significat, qua ratione diuinam, humanámque naturam complectitur. Aliàs humanam tãtummodo Christi naturam indicat: sic etiam Spiritus sanctus nonnumquam amplè pro diuinitate, interdum pressiùs pro Spiritus sancti persona vsurpatur. Si igitur Spiritum pro diuinitate accipias, quidquid est cõtra diuinitatem cognitam, siue sit contra diuinam naturam absolutè sumptam, siue cõtra diuinam personam, peccatum in Spiritum sanctũ appellatur. Porro peccatum in Filium hominis Christi humanitatem afficit: quòd si Filius hominis diuinam personam notet, & Spiritus sanctus personam item diuinam

indicet, id dicunt peccatum in Spiritum sanctum, licèt sit etiam contra Patris, ac Filij personam. Adduxit verò, contra aliquam diuinam personam gemina quadam ratione peccari posse, vel si persona ipsa per se lædatur, vel si attributum personæ violetur. Contra personam Filij peccat, qui illum in rerum creatarum ordinem redigit. Quoniam autem Patri tribuitur potestas, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas: peccatum ex infirmitate dicitur esse contra Patrem, ex ignorantia contra Filium, ex malitia contra Spiritum sanctum.

XI. Hæc autem sententia mirè consentit cum iis, quæ supra ex Hilario, Ambrosio, & Hieronymo attulimus, non magnopere dissentientibus Athanasio, & Chrysostomo. Addo non ignobiles auctores, qui idem [a] vberiùs explicant, quique peccatorum discrimina ex personarum attributis constituunt. Acutissimè sane Theologi [b] tria omnino ad constituendum peccatũ in Spiritum sanctum necessariò exigi contendunt: primùm quidem, vt sit peccatum ex certa malitia, quod videlicet neque ex perturbatione animi, neque ex inscitia oriatur; deinde vt sit contra præceptum primæ tabulæ, alioqui enim non fore grauissimum peccatum; postremò vt ex aduerso perfectissimæ actioni obiiciatur, qua à scelere resipiscimus, & ad Deum conuertimur, qualis fermè est auersio à pœnitentia vsque ad extremum vitæ perseuerans, quæ vt plurimùm à desperatione ortum habet, & finalis impœnitentia vocari solet. Paulo aliter & sentiunt, & loquuntur nobiles quidam Theologi [c], qui propriam rationem peccati in Spiritum positam esse censent in impugnatione agnitæ veritatis, & inuidentia fraternæ gratiæ, cùm necessariò debeat esse peccatum ex certa malitia cum pertinacia coniunctum: quo in genere collocant nimiam confidentiam, & diuinæ misericordiæ fiduciam, desperationem, oppugnationem veritatis, & fraternæ gratiæ, & propositum non resipiscendi.

XII. Beatus sanè Thomas [d], qui familiam [e] ducit, peccatum in Spiritum sanctum, seu ex certa malitia id esse affirmat, quo per contemptum remouentur, atque abiiciuntur ea, quibus poterat peccatum vitari. Hæc autem multa esse docet pro numero peccatorum in Spiritum sanctum, quæ à Theologis numerantur. Cùm autem ea omnia effecta sint, ac beneficia Spiritus sancti, qui ea à se depellit, meritò dicitur in Spiritum sanctum peccare. Postremò vir sanctissimus [f] ita de hoc peccato disserit, illud quippe ab aliis omnibus flagitiis triplici potissimùm nomine differre ait: primùm quidem ratione principij, cùm oriatur ex certa malitia, deinde ratione gratiæ, cui aduersatur, cùm enim originale peccatum cum gratia innocentiæ pugnet, cætera cum gratia in baptismo percepta, hoc gratiæ potissimùm pœnitentiæ ex altera parte obiicitur: denique quia gratiam quodammodo oppugnat, meritò dicitur in Spiritum sanctum, quia malitia ex aduerso respondet bonitati, quæ tribuitur Spiritui sancto: pœnitentia autem, quam hoc peccatum excludit, eximium est Spiritus sancti beneficium, denique ipsa peccandi ratio tota spiritalis est.

XIII. Quoniam verò, vt ex superioribus colligitur, varia, ac multiplex huius peccati ratio constituitur, numerantur fermè à Theologis huius peccati formæ omnino sex, quarum prima est nimia diuinæ misericordiæ confidentia, de qua multa Hieronymus [g], Augustinus [h], Fulgentius [i], Gregorius [k], Isidorus [l], Bernardus [m]: altera est planè contraria, hoc est, extrema desperatio, de qua Chrysostomus [n], Augustinus [o], Leo [p], Gregorius [q], Isidorus [r], Bernardus [s]: tertia, agnitæ veritatis impugnatio, de qua

a Vgo Vict. apud Bonauent in 2. d 43. in expos. l. t. Richar. item Vict. de blasph. in Spir. sanct. Lyra. Matt. 12
b Scot. in 2. d. 43 q. 1.
c Alex. Alens. Altisiodor. l. 2. tract. 30.
d 2. 2. q. 14. art. 1.
e Durand in 2. d. 43 q. 1. Abulens. in Matth c. 12. q. 68 & 69.
f Bonau. in 2. d. 43. art. 1. quæst 1.
g Ose. 4. & Dan. 4.
h Tract. de vtil. pœnit. c. vlt. ser. 3. de innoc. qui est 10. de sanct. lib. 50. hom. hom 41. & 50. l. de correct. & grat. c. 13 lib de perfect. iust. cõt. Calest. resp. 19. trac. 13. in Ioan. l. de hæres. cap. 54. Enchir. c 67. de fide, & oper. c. 14. & 22.
i lib. de fide ad Petr. c. 3.
k in 1. lib. Reg. cap. 3. lib 14. Mor. cap. 32. l. 15. Mor. c. 15. & lib. 4. Reg. cap. 28.
l lib. 2. de Sum. bon. cap. 23
m ser. 18 & 52. ex par & ser. 6 in Cãt.
n Hom. 2 in Psal. 50
o ser. 58. & 181 de tẽp lib. de corr. & grat c. 15. l. 1 retract. cap. 19. lib. 50 hom. hom 21.
p ep. 91. ad Theod.
q l. 8 Mor. cap 14.
r lib. 2. de Sum. bon. cap. 14.
s serm. 5. de nat & ser. 11. in Cant.

A Augustinus [a]; Leo [b]; Damasus [c]: quarta inuidentia fraternæ gratiæ, de qua idem Augustinus [d]: quinta obstinatio, & quædam in malo obduratio, de qua item Augustinus [e], Gregorius [f], & Bernardus [g]: sexta denique, ac postrema, auersio à pœnitentia vsque ad extremum vitæ spiritum, quam finalem impœnitentiam appellant; de qua Augustinus [h], & Gelasius [i]. De his autem peccati formis illud possum liberè affirmare, esse omnino ex suo genere grauissimas: Verùm autem ad peccatum in Spiritum sanctum pertineant, non facilè dixerim: faciliùs admiserim peccata esse ex certa malitia, & peccata ad mortem.

XIV. Non me præterit magni nominis viros, vt Christi verbis Theologorum placita accommodent, existimasse, plura quidem esse peccata in Spiritum san-
B ctum, vnicam tamen blasphemiam, quæ dicitur carere venia. idque olim placuisse Augustino ex iis colligitur, quæ de verbis Domini scripsit [k]. Atque haud scio, an idem senserit Basilius, qui, vt supra monui, eum in Spiritum sanctum peccare non dubitat, qui fratrum virtutes vitiorum nominibus appellet. Certè Christus apud Matthæum [l], & Marcum [m] non solùm blasphemiam, sed etiam peccatum nominat. Itaque putant isti non illa solùm peccata esse in Spiritum sanctum, quæ modò commemoraui, sed alia præterea multa, siue quia peccata ex certa malitia ex aduersu pugnant cum bonitate, quæ Spiritui sancto tribuitur, siue quia plerique resiste-
C re Spiritui sancto dicuntur, quod in Actis Apostolicis [n] Stephanus Iudæis obiecit. Cæterùm ego, vt verum fatear, neque in sacris literis, neque in priscis Patribus vllum video huius distinctionis solidum fundamentum. Nam Lucas quidem simpliciter blasphemiam in Spiritum nominat [o]. *Et omnis* (inquit) *qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.* Matthæus [p] autem, & Marcus [q] cùm de Spiritus blasphemia loquuntur, peccati quidem meminerunt, non est tamen necesse, peccatum referre ad Spiritum sanctum. Ita autem scribit Matthæus: *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæ-*
D *culo, neque in futuro.* Quibus verbis significat alia omnia peccata, itémque alias omnes blasphemias pœnitentia expiari posse; quin etiam quidquid contra filium peccetur, venia dignum censeri, alia omnia de blasphemia in Spiritum sentienda esse; quæ nulla ratione expiari potest. Quod planiùs explicatur à Marco: *Amen* (inquit) *dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemauerint: qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Videtur enim blasphemiam in Spiritum sanctum ab aliis peccatis, & blasphemiis distinguere, quæ non sunt in Spiritum sanctum.

XV. Apud sanctos verò Patres, si Augustinum exci-
E pias, & aliquo etiam pacto Basilium, quamquam, vt dixi, de blasphemia in Spiritum alia, atque alia leguntur, omnes tamen magno consensu significant, peccatum in Spiritum esse blasphemiam, eamque ex altera parte respondere blasphemiæ in Filium hominis. Huc accedit, quòd si ingenuè philosophandum est, nullum omnino peccatum excogitari potest, quod non sit æquè contra Spiritum sanctum, ac contra reliquas diuinas personas, cùm omnia peccata sint contra diuinitatem, quæ est tribus diuinis personis communis. Nam quæ de attributis diuinarum personarum excogitata sunt, nihil habent præter speciosam quamdam accommodationem, cum alioqui

a lib. 7. de Gene. ad lit. c. 9. tract. 18. in Ioan. lib. de vtil. credend. c. 1. lib. de Ciu. c. 5. lib. 21. de Ciuit. c. 26.
b ep. 10. ad Flauian.
c apud Gratian. 25. q. 1. cap. violatores.
d lib. 1. de ser. Dom. in mon. c. 43 & 44. lib. 1. retract. c. 19.
e ser. 88. de tẽp. q. 18. & 24. in Exod. in enchir. cap. 83. & in Psal. 58.
f Hom. 12. in Ezech. l. 11. Mor. c. 5. lib. 32. Mor. c. 1.
g ser. 42. in Cant. decõ ner. ad Cler. c. 4 lib. 2. de consid. ad Eug.
h lib. 1. retract. c. 19. lib. de corr. & grat. c. 11. ep. 5. ad Bonifac. Com. serm. 11. de verb. Dom.
i de Anath. vinc.
k serm. 11.
l cap. 12.
m cap 3.
n cap. 7.
o cap. 12. 10.
p cap. 12 31.
q cap. 3. 28.

alioqui omnia diuina attributa æquè tribus personis conueniant. Quocirca, qui peccat ex infirmitate, reipsa nihilo plus peccat contra Patrem, quàm contra Filium, & Spiritum sanctum, qui eadem præditi sunt omnipotentia. Et quamquam malitia ex aduerso pugnat cum bonitate, quæ Spiritui sancto accommodatur, nihilo tamen secius, qui ex malitia peccat, vnam, atque eamdem bonitatem petit, quæ est Patri, Filióque communis.

XVI. Nihilo autem magis eorum ratio probanda videtur, qui peccata in Spiritum sanctum ex iis distinguunt, quæ peccata prohibere possunt; tametsi enim ea dicuntur Spiritus sancti munera, cùm tamen certũ sit, quidquid diuinitus hominibus tribuitur, æquè à tribus personis manare, qui contra ea munera peccat, nihilo plus cõtra Spiritum, quàm cõtra reliquas personas peccare censendus est. Tametsi igitur quæ ab Augustino, aliísque Theologis de peccato in Spiritum sanctum traduntur, summo ingenio excogitata videntur, nescio tamen quam vim habeant ad explicanda siue Christi verba de blasphemia in Spiritũ, siue quæ scribit Ioannes de peccato ad mortem. Siue igitur peccata sint aliqua, quæ peculiari quadam ratione, vt visum est Theologis, in Spiritum sanctum dicenda sint, planè constat ex Christi verbis, peccatũ in Spiritum sanctum, quod veniam excludit, non in quouis peccati genere collocari, sed omnino pertinere ad genus blasphemiæ: vbique enim à Christo blasphemia in Spiritũ, seu Spiritus blasphemia nuncupatur. Et apud Matthæum quidem in recto legendum est, Spiritus blasphemia, non Spiritus blasphemiæ: tum quia in Græcis codicibus apertè legitur, ἡ πνεύματος βλασφημία, quomodo Chrysostomus, & Græci legunt; tum etiam quia hoc habent plerique Latini codices emendatiores.

XVII. Ex quo liquet, carentiã pœnitentiæ vsque ad extremum vitæ, siue significet perseuerantiã in quouis peccato vsque ad mortẽ, siue, quod verosimilius videtur, indicet propositum non agendi pœnitẽtiam, non pertinere ad blasphemiam in Spiritũ sanctum. Illud enim prius larissimè patet, pérque omnia peccatorum genera vagari potest, & vt rectè grauissimi Theologi [a] monent, non est distinctũ peccatum, sed conditio maximè aggrauans: hoc verò posterius, licet propriam, ac suã habeat peccati rationẽ, nihil tamen illi commune est cum blasphemia. Qui enim auersus est à pœnitentia, statuítque apud animum suum non resipiscere à peccato, hoc ipso nihil contra diuinam bonitatem cõtumeliosè iactat, in quo posita est blasphemiæ ratio, vt egregiè monet alicubi Athanasius [b]: *Peccatum (inquit) est, cùm quispiam legem transgreditur, blasphemia autem est, cùm legislatori Deo detrahit aut negando quod in eo est, aut imponendo falsò, quod in eo nõ est, impiè contra diuinitatem se gerens.* Adde, quòd potest quis nolle pœnitentiam agere non ex certa malitia, sed quia delicias amat, & voluptatum illecebris implicitus tenetur, vel quia pœnas non metuit, vel alia denique qualibet ex causa.

a Alens. & D. Thom.

b de blasphem. in Spir.

XVIII. Eadem ratione apparet inuidentiã fraternæ gratiæ ad hoc blasphemiæ genus referri nequaquam posse: quis enim dicat, inuidiã genus esse blasphemiæ, aut ad blasphemiam aliquo pacto spectare? Huc accedit, quòd ex Augustini sententia hæc inuidentia fraternę gratiæ nõ pertinet ad peccatum in Spiritũ sanctum, nisi sit coniuncta cum perseuerantia vsque ad mortem, quod tamẽ, vt modò dixi, blasphemiæ in Spiritum rationem ne leniter quidem attingit. Quocirca idem planè de obstinatione, desperatione, oppugnatione agnitæ veritatis, nimia denique audacia & cõfidentia sentiendum est: nihil enim horũ blasphemię nomine cẽseri potest, cùm ab eius natura longissimè absint. Theologi verò, qui sex illas peccati in Spiritum formas recensent, quas supra enumeraui, non tam videntur Christi verba, & blasphemiæ naturam spectasse, quàm peccatorum vim, ac potestatẽ, quæ non prorsus inepta accommodatione cum Spiritus sancti benignitate, ac munificentia pugnare videntur. Denique, vt ex superioribus cõstat, aliam quamdam distinguendi peccata rationem secuti sunt, non illam quidem aspernandam, cùm egregiè sit excogitata, sed quæ tamen longiùs absit à Christi mente, cùm de Spiritus blasphemia loqueretur.

XIX. Quin etiam alia quædam addere possumus peccata in Spiritum, quæ habeant rationem blasphemiæ, nec tamen pertineant ad eam blasphemiam, quæ veniam, & cõdonationem excludit. Athanasius [a] enim hæresim Macedonianorum, qui Spiritus sancti diuinitatem abnegabant, blasphemiam in Spiritum sanctum appellat. Nec dubium est, eodẽ nomine vocari posse Græcorũ blasphemiã, qui Spiritũ sanctũ negãt à Filio procedere, cùm tamẽ nemo Catholicus dixerit, aut Macedonianos, aut Græcos suæ blasphemiæ veniam consequi non posse, cùm vtrosque resipiscẽtes Ecclesia benignè excipiat, & Sacramentis expiet. Igitur in blasphemia in Spiritum sanctum, de qua locis indicatis loquitur Christus, spectari primùm potest ipsius criminis grauitas seu atrocitas, ob quã dicitur non expiari, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Deinde forma & ratio, vt ita dicam, peccati, cuius respectu appellatur blasphemia. Postremò Spiritus ipse sanctus, quem potissimùm petit. Primum illud respexisse videtur Augustinus, qui ne dicere cogeretur, vllum esse crimẽ, quod in hac vita pœnitentia deleri non posset, finalem quam vocant, impœnitentiam, peccatum in Spiritum sanctum nuncupauit. Secundum spectasse videntur Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, & alij. Tertium denique posteriores sequuti sunt, & omnes fermè Theologi, ij præsertim, qui quædam peccata dicunt esse in Patrem, nõnulla in Filium, alia denique in Spiritum sanctum.

a de blasph. in Spir.

XX. Verùm quoniã Spiritus sancti nomẽ nonnunquam est toti Trinitati commune, aliàs verò tertiæ personæ propriè tribuitur, meritò dubitari potest, nũ Christus in Euangelio hoc nomen in priori, an in posteriori significatione vsurparit. Et quidem si sequamur explanationem Augustini, haud ambigam, id nomẽ accipi pro tertia Trinitatis persona, vt recentiores omnes Theologi intellexisse videntur. Non defuerunt [b] qui de ipsa diuinitate, ac tota Trinitate Christi verba explicarent, sed eo nomine ab aliis [c], si Deo placet, castigantur, & erroris arguũtur, cùm re vera hæc sit omnium antiquorũ Patrum constans sententia. Sic enim locum explicat Athanasius [d]; ait enim verba illa, quæ dixerant Iudæi contra Christum: *Nónne hic est fabri filius? unde hic literas scit, cùm non didicerit?* & id genus alia fuisse blasphemias in Filium hominis. Cùm verò id, quod erat diuinitatis, dæmoni tribuerẽt, in Spiritũ sanctum blasphemasse, cùm tamen illa esset blasphemia in diuinitatem Christi, immò etiam Patris, cuius erant opera illa mirifica, quæ Christus patrabat. Quin etiam idem Athanasius affirmat, Christũ eo loci seipsum Spiritũ sanctũ appellasse, qui nõ aliter ac Pater Spiritus est, & sanctus. Idque ex verbis illis cõfirmat, quæ Christus apud Ioannẽ [e] dixit: *Si ergo videritis Filiũ hominis ascendentẽ.* Et mox subiicit: *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam.* Itémque ex illo Ieremiæ [f] oraculo: *Spiritus faciei nostræ Christus Dominus.*

b Caietan. Matth. 12.

c Cater. in adnot. con. Caiet.

d de blasph. in Spir. sãct.

e cap. 6. 62.

f Thren. 4.

XXI. Eodem prorsus modo Christi verba explicat Hilarius [g], qui, vt dixi, blasphemiã in Spiritũ nihil aliud esse existimauit, nisi Christi diuinitatem abnegare. Neque alia mente loquitur Hieronymus [h]: id ipsum aliquãto obscuriùs significauit Ambrosius [i], ait enim:

g Can. 5. & 12. in Matth.

h Matth. 12. Mar. 3. & ep. ad Marcell.

i lib. 1. de Spir. sanct. cap. 3.

Sicut vna diuinitas est Filij, & Spiritus sancti, ita vnã esse iniuriam, sed eos peccare in Filium, qui humanitatẽ ladun', eos vero in Spiritum sanctum, qui diuinitatem attingunt. Quod faciebant illi, qui Christum aiebant in Beelzebub principe dæmoniorum, non in Spiritu Dei eijcere dæmonia. Non me tamen fugit, auctoré quæstionum veteris, ac noui Testamenti, quæ habentur inter opera Augustini[b], Christi verba ad Spiritus sancti personam omnino referre, sed auctor est, vt alibi monui, meritò suspectus, & apud doctos non magnę auctoritatis. Itaque si sanctorum Patrum sententiam sequamur, non video qua ratione Iudæorũ blasphemia dici possit præcipuè contra Spiritus sancti personam, nisi fortè valdè remotè, eo planè modo, quo illi, qui fidei reluctantur, resistere Spiritui sancto dicuntur, quomodo Stephanus* Iudæos, qui fidem oppugnabant, resistere dixit Spiritui sancto, quamquam hoc ipsum re vera ad omnes tres personas diuinas refertur.

a quæst. 102.
b Tomo 4.
* Actor. 7.

XXII. Quæ cùm ita sint, nisi ego vehementer fallor, blasphemia in Spiritum sanctum primùm quidem postulat in voluntate certam malitiã, non qualemcumque, sed eam potissimùm, quæ inscitiã, & animi perturbationem excludat, & proficiscatur ex certo consilio, & spontanea, ac libera electione ipsius malitiæ, vt egregiè explicat B. Thomas[c]. Licèt enim voluntas non possit eligere malum, qua ratione malum est, vt docent Dionysius Areopagita[d], Damascenus[e], Augustinus[f], Boëtius[g], Aristoteles[h], Seneca[i], idque miro consensu in schola Theologica receptum sit; ex malitia tamen, certáque scientia appetere potest, atque eligere malũ nonnulla boni ratione animo concepta citra mentis errorem, atque ignorationé, & tunc dicitur quis ex certa malitia peccare. Postulat præterea blasphemia in Spiritum verã, ac propriã ipsius diuinitatis iniuriam, & contumeliam, vt ex superioribus apertissimè liquet. Neque verò satis esse videtur, vt quacumque tandem ratione sit contra diuinitaté, sed id potissimùm requiritur, vt diuina omnipotentia lædatur, quod tunc maximè fit, cùm admissa eximia aliqua potentia dæmoni potius, quam Deo adscribitur; quod faciebant Iudæi, qui dæmonum expulsionem, quam singularis cuiusdam potestatis esse non ignorabant, maluerunt dæmoni, quàm Deo acceptam referre: hæc enim propriè dicitur blasphemia in Spiritum sanctum, quæ duplici ex capite criminis atrocitatem auget: primùm quòd sit ex certa malitia, quod peccatum multo grauius est, quàm quod oritur ex ignorantia, vel animi ægritudine. Deinde quia per se, ac proximè diuinitatem petit.

c 1. 2. q. 78. art. 1. præcipuè ad 3.
d c. 4. de diuin. nom.
e lib. 2 de fide orthod. c. 22
f lib. de vita beat. lib. 10. confess. c. 23. lib. 3 de Trinit. c. 8.
g lib. 4. de consol. Philosoph.
h 1. Ethic. c. 1. 3. Ethic. c. 4. 8. Ethic. cap. 2. & 2. Physic.
i lib. 4. epist. lib. de benef. c. 17.

XXIII. Quamuis autem hæc ita dicta sint à nobis ad explicandam Christi sententiam de blasphemia in Spiritum sanctum, non imus tamen inficias (quod ex superioribus intelligi potest) alia quædam peccata, pręsertim sex illa, quæ numerantur à Theologis, non prorsus inepta ratione dici posse, non quidem blasphemias, sed peccata in Spiritum sanctum, modò tamen teneamus, nihil illa cum Christi verbis apud Euangelistas habere commune, atque adeò nulla mihi ratione patiar persuaderi, illa omnia esse eiusmodi, vt quod de blasphemia in Spiritum sanctum ait Christus, veniam, & condonationem excludant. Id enim de vna tantummodo vera, & propria blasphemia in Spiritum, & quidem meritò affirmatur, vt non ita multo post planiùs docebo. Ita videas blasphemiam in Spiritum sanctum palmare quoddam flagitium esse, quod quidem ex certa malitia, & ad mortem iure optimo nuncupari potest, non quòd blasphemia in Spiritum, & peccatum ex certa malitia, aut ad mortem sibi ex æquo respondeant, & retro commeent, sed quòd peccatum ex malitia & ad mortem cuiusdam veluti generis rationem habeat, cui tamquã forma blasphemia in Spiritum vna cum aliis multis subiciatur. Quibus ita positis, ac constitutis facilè deprehenditur, quid de sententiis supra indicatis sentiendum videatur.

XXIV Atque vt ab Origenis sententia exordiar, falsum omnino atque hæreticum censeo, si quis asserat, omniũ baptizatorũ peccata esse contra Spiritũ sanctum. Ita enim docent Athanasius[a], Hieronymus[b], & Augustinus[c], & multis à viris doctissimis[d] probatur. Nã primùm nulla reliqua esset spes fidelibus impertiẽdæ veniæ, quod olim impiè docuerunt Nouatiani, cùm tamen semper in Ecclesia Catholica viguerit pœnitentiæ Sacramentum, quo peccata post baptismum ritè expiantur. Deinde Christus apud Marcũ[e] Pharisæos ait in Spiritum sanctũ blasphemasse, cum tamẽ non modò baptismo lustrati nõ essent, sed baptismũ nondum tunc temporis institutũ penitus ignorarent. Adde, quòd prorsus ineptè eorum, qui peccãt respectu, peccata distinguuntur, cùm peccati genere cõstituto, omnis eorum distinctio à materia petẽda sit, in qua versantur. Quis autẽ ferat, quòd huius sententiæ auctores tanta asseueratione affirmant, Patrem esse in rebus omnibus, Filium in ratione præditis, Spiritum sanctum in baptizatis? Nam si Pater rebus omnibus inest, quod tandem flagitium erit, quod non sit cõtra Patrem? Huc accedit, quòd vna, atque eadẽ est trium diuinarũ personarũ natura, eadémque diuinitas, quæ immensitate quadã sua vbique præsens adest, omnia implet, fouet, cõseruat, vegetat. Itaque Christus apud Ioannẽ dixit: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Iisdem fermè rationibus Theognosti sententia refellitur, quam Athanasius, & Augustinus meritò damnãt: perfectorũ enim peccata, vt grauia, & atrocia sint, quãdiu quidẽ vita supperit, pœnitentia deleri, ac penitus aboleri possũt. Quę verò ad Hębręos scribit Paulus, aliò pertinent, vt indicat Athanasius, & nos suo loco docuimus, & aliquanto post insinuabimus. Cæteræ verò Græcorum Latinorúmque Patrum sententiæ cùm Christi verba explicant, tum fermè omnes admittunt, blasphemiam in Spiritum in diuinitatem ferri

a ep. ad Serapion. de blasph. in Spir.
b ep. 149. ad Marcell.
c ser. 11. de verb. Dom.
d Mat. 12. q. 68.
e cap. 3.

XXV. Ea sanè in Spiritum blasphemia, quæ à Christo Domino dicitur veniæ, & condonationis expers, nullo modo censenda est priuatim, ac propriè esse contra Spiritus sancti personã, vt enim paulo ante monui, rectè argumentatur Ambrosius[f]: *Vbi est vna diuinitas, vna est iniuria.* Est autem, vt modò dicebam, vna, atque eadem omnium trium personarum diuinitas: quæ verò idonea ratio excogitari potest, cur blasphemia in Spiritum grauior censenda sit, quàm in Patrem, ac Filium, cùm sint tres diuinæ personæ penitus æquales? Quin potiùs si ita libeat argumentari, blasphemia in Filium dicenda foret venia, & condonatione indignissima: ille siquidem peccatorũ nobis expiationem suo sanguine promeruit, & diuina sancti Spiritus charismata largitus est. Ita enim Christus apud Ioannem pollicetur se Spiritum sanctum à Patre missurum. De illo verò in Actis Apostolicis scriptum est: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius.* Hinc facilè quiuis intelligat, quàm sit eorum sententia à veritate aliena, qui pro varietate attributorum, quæ diuinis personis priuata quadam ratione accommodantur, varia distinguunt peccata, vt quædam sint in Patrem, nonnulla in Filiũ, alia denique in Spiritum sanctum. Licèt enim ea distinctio aliquo modo admitti possit, & non prorsus ineptè explicari, nihil tamen pertinet ad peccati grauitatem insinuandam, & quod maximè ad rem facit, blasphemiæ in Spiritum sanctum naturam nequaquam attingit.

f l. 1. de Spir. c. 3.

XXVI. Siquidẽ hæc in Spiritum sanctũ blasphemia vnum est,

est, ac singulare facinus ab aliis suapte natura diuersum, quod cùm per se, ac solitarium esse, tum aliàs cum cæteris coniungi aliqua ratione potest; quod dixerim ad eos [a] refellendos, qui in peccato in Spiritum sanctum geminam quamdam malitiã inesse contendunt, eorum videlicet contemptum, quæ hominẽ à peccato remouere possunt, qualis est sempiternæ gloriæ, aut immortalis supplicij contemptus: & præterea peccatum ipsum, quod ex huiusmodi contemptu patratur, vt furtum, adulterium, homicidium. Hoc inquam cum falsum est, tum alienissimum à Christi mente videtur. Nam Iudæi, qui tamquam blasphemantes in Spiritum sanctum à Christo reprehenduntur, vnum dumtaxat flagitium perpetrauerant, dixerant enim, eum in Beelzebub dæmoniorum Principe eiicere dæmonia, nec facilè ostendi potest peccatum illud ex contemptu ortum ducere. Quòd si libeat pressiùs aliquanto agere, percunctabor num peccatum secundum ad rationem, ac naturam prioris peccati, quod dicitur in Spiritũ sanctum, aliquo pacto pertineat, an secus. Vtrum autem quis dixerit vleus est, nam si ad eius rationẽ non pertinet, cur nõ possit prius illud absque hoc posteriori consistere? Quod si ita est, falsò profectò asseritur, geminã in eo peccato malitiã inesse oportere. Sin autem malit quis affirmare posterius ad prioris naturam spectare, efficitur profectò prius illud absque hoc posteriori nequaquam esse peccatum in Spiritum sanctũ: ita fit, vt ex vtroque veluti membro vnum dumtaxat, & vnius solummodo malitiæ conflatur peccatũ. Quæ cùm ita sint, fateri necesse est, reliquas posteriores sententias ex numeratis, aliena prorsus de peccato in Spiritum sanctum docere, neque eius peccati vim ac naturam explicare, sed eius solummodo nonnullam proprietatem leuiter attingere.

a Abulens. m. 12 q. 69.

XXVII. Vt igitur aliquãdo concludã, explosis alienis sententiis, reliquũ est, vt asseramus, blasphemiã in Spiritũ sanctũ verè, ac propriè esse peccatũ ex certa malitia, certáque scientia cõtra diuinitatem tribuẽs dæmoni, vel creatæ naturæ, quod proprium solius Dei esse cõstat, quod apertè deducitur ex locis Euãgelicis, & sanctorum Patrũ explanationibus, quas supra indicaui, opponitúrque ex aduerso verbo, seu blasphemiæ in Filiũ hominis. Quale autẽ sit peccatũ in Filiũ hominis, vt hoc etiam breuiter expediam, non eodẽ modo ab omnibus explicatur. Cyprianus [b] certè Filiũ hominis amplissimè explicat, quasi quẽlibet hominẽ significet, vt quidquid cõtra proximũ peccatur, cõtra Filiũ hominis esse intelligatur, cæteri verò omnes Filium hominis Christũ interpretantur, qui frequẽtissime in Euãgelio hoc nomine describitur. Hilarius autẽ vna excepta blasphemia in Spiritũ sanctũ, qua Christi diuinitas negatur, cætera omnia peccata putat esse in Filiũ hominis. Hieronymus porrò, & Ambrosius, itẽque Athanasius, Chrysostomus, & alij verbũ in Filiũ hominis explicãt illud, quo quis minùs rectè de Christi humanitate & sentit, & loquitur. Quæ profectò sentẽtia verissima est, semper enim in Euãgelio Filius hominis Christũ significat, & quidẽ humanæ naturæ respectu; atque ita nimis amplè, ac prorsus extortè, quod ad rẽ præsentẽ attinet, hoc nomẽ omnibus hominibus tribuitur. Neque verò omnia prorsus peccata, excepta blasphemia in Spiritũ, cẽsenda sũt peccata in Filiũ hominis; vt enim acutè obseruarũt nõnulli, Christus Dominus apud Matthæũ verbũ in Filiũ hominis, ab aliis peccatis, & blasphemiis perspicuè distinxisse videtur: *Omne* (inquit) *peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur.* Et mox subiicit: *Et qui cumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei.* Vbi apparet verbum in Filium hominis peculiare aliquod esse peccatum à cæteris, quæ antea nominauerat, distinctum.

b l. ad Quir. c. 28.

XXVIII. Itaque blasphemia in Filiũ hominis est, cùm quis humana deceptus specie, aut offensus infirmitate, de illo infra illius dignitatem & sentit, & loquitur: quæ est sententia Athanasij, Victoris, Hieronymi, & aliorum fermè omnium antiquorum: atque idcirco non quælibet blasphemia contra Christum hominem dicitur blasphemia in Filiũ hominis, nisi sit cũ infidelitate coniuncta. Quam ob causam blasphemia Petri, qui retẽta fide Christũ se agnoscere negauit, blasphemia in Filium hominis dici nequaquam potest. Contra verò Paulus Iudæorum perfidia adhuc implicitus in Filiũ hominis verè, ac propriè blasphemauit, qui propterea de se ipso dicit [a]: *fui blasphemus, & contumeliosus, sed ignorans feci in incredulitate mea.* Propterea autem dicitur hæc blasphemia venia digna, quia nonnullam excusationem habere videtur. Huic ergo blasphemiæ Christus Dominus ex aduerso obiicit blasphemiam in Spiritũ sanctum, cùm ex certa malitia, certáque scientia cõtra diuinitatẽ eo, quem diximus, modo peccatur. Ideoque eadẽ blasphemia dici potest peccatũ ad mortẽ, de quo agit hoc loco Ioannes, vt planiùs infra cõstabit, certè id asserit Augustinus [b].

a 1. ad Tim. 1.

b lib. 1. de ser. Dom. in mon. c. 41.

XXIX. Apertè autem distinguit hoc loco Ioannes aliud peccatum non ad mortem, aliud verò ad mortem. Quid autem sit peccatum ad mortem, non sine sententiarũ varietate inter veteres Theologos disseritur. Origenes enim *quædam* ait *esse peccata, quæ afferunt interitũ, & pertrahant ad gehennam, quædam quæ non afferunt interitũ, sed damnũ efficiũt, de quibus loquitur Apostolus* [d], *cum ait: Si cuius opus arserit, detrimẽtũ patietur, ipse verò saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ.* Quibus verbis indicat Origenes peccata nõ ad mortẽ ea esse, quæ vulgò venialia dicuntur, ad mortẽ verò, quæ lethalia appellãtur, quod auidè arripuerũt nõnulli, qui quodlibet lethale crimẽ non dubitant peccatum esse ad mortem. Et ego quidem ante annos plus triginta quemdam noui suo quidem iudicio valdè doctum, & omnium consensu in sacris literis versatissimum qui hanc sententiam tanto animi ardore tueretur, vt si quis secus sentiret, inscitiæ atque imperitiæ argueret. Nec magnoperè ab hac sententia discrepat Tertullianus [e], qui ad hunc Ioannis locum alludens: *Et hic enim* (ait) *illam Ioannes commendauit, quod sint quæ iam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes simus obiecti. Cui enim non accidet, aut irasci iniquè, & vltra Solis occasum, aut & manum immittere, aut facile maledicere, aut temerè iurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia, aut necessitate mentiri in negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu, quanta tentamur, vt si nulla sit venia istorum, nemini salus competat? Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Christum.* Hæc enim omnia videtur ille venialia, aut certè leuia peccata, & non ad mortẽ existimare.

c Hom. 12. in Exod.

d 1. ad Cor. 3.

e lib. de pudic. c. 19. sub finem.

XXX. Mox verò subdit: *Sunt autem & contraria istis, vt grauiora, & exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia vtique, & mœchia & fornicatio, & si qua alia violatio templi Dei. Horum vltra exorator non erit Christus.* Et aliquanto post hæc ait esse peccata ad mortem: *Ita* (inquit) *nihil iam superest, quàm aut neges mœchiam, & fornicationem mortalia esse delicta, aut irremissibilia fatearis, pro quibus nec exorare permittitur.* Quomodo autem hæc peccata neget Tertullianus remitti posse videro nõ ita multo post. Ambrosius sanè leuiora peccata ait esse non ad mortem, ea verò esse, pro quibus cuilibet de populo orare pro aliis conceditur. Grauiora autem dici ad mortem, pro quibus ait, Ioannẽ non quibuslibet, sed iustis, & Deo caris orandum esse affirmare; cuiusmodi sunt viri perfecti, vt Moyses, Ieremias, aliiq; persimiles. Quæ sint autem leuiora illa peccata, pro quibus cuilibet orare licet, non planiùs explicat, vt non facilè

cilè statuere quis possit venialiáue quæ dicuntur, an lethalia quidē, sed leuiora tamen peccata intelligat.

XXXI. Cæterùm Augustinus [a] peccatum ad mortem interpretatur illud, quod cùm sit lethale ad mortem vsque retinetur: *De peccato* (inquit) *ad mortem, quoniam non est expressum, possunt multa, & diuersa sentiri. Ego autem dico id esse peccatum ad mortem, fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere vsque ad mortem.* Neque aliter existimauit Gregorius [b]: *Peccatum* (inquit) *vsque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem, ac pœnitentiam non emendatur. De quo peccato per Ioannem dicitur, est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis: peccatum namque ad mortem est peccatum vsque ad mortem, quia peccatum, quod hic non corrigitur, eius venia frustra postulatur.* Additque de hoc peccato explicāda verba illa Iob [c]: *Vsque ad inferos peccatū illius.* Hieronymus autē ad illa Ieremiæ [d] verba: *Noli orare pro populo isto.* his Ioānis verbis allatis indicare videtur, peccatū ad mortē esse illud, quod Deus omnino punire decreuit. *Qui enim* (inquit) *semel gladio, fami, pesti fuerit destinatus, nullis precibus erui potest. vnde & Propheta dicitur, ne frustra roget, quod impetrare nō potest.*

a l. de corr. & grat. c. 12. ser. 1. fer. 6. ciner. & lib. 1. retract. c. 19. Idē sentiunt Beda hoc loco, & Gelasius lib. de anathem. vinculo.
b lib. 16. mor. c. 18.
c cap. 24.
d cap. 14.

XXXII. Non desunt, qui peccatum ad mortem certum aliquod lethale facinus intelligant. Et Augustinus quidem blasphemiam in Spiritum sanctum: alij, vt OEcumenius, iniuriarum memoriam præcipuè notant. Sed qui Augustini sententiam sequuntur, peccatum in Spiritum sanctum, vel generatim peccatum ad mortem appellant, vel priuatim apertæ, cognitæque veritatis impugnationem, seu fraternæ gratiæ inuidentiam, quod B. Thomæ vehementer probatur. Ambrosius, & Hieronymus locis indicatis genus tantùm huius peccati ad mortem statuunt, grauissimum videlicet lethale crimen quod tamen ab hominibus cognosci, ac deprehendi queat. Duæ igitur in præsentia quæstiones agitādæ sunt, & prior quidem explicandum erit, quodnam sit peccatum non ad mortem, & quod item ad mortem. Altera verò cur Apostolus dicat, orandū pro eo, qui peccat non ad mortē, cùm pro eo minimè orandū sit, qui perpetrat peccatum ad mortem. Ac prior quidem quæstio bipartita erit: prius enim agam de peccato, quod dicitur non ad mortem, deinde de peccato ad mortem.

XXXIII. Igitur peccatum non ad mortem, quidquid Origenes, Tertullianus, aliíque non pauci aliter opinētur, non potest quodlibet leue peccatum significare, quod vulgò veniale appellari solet; cùm enim dicat Ioannes oranti pro peccante non ad mortem dandam esse vitam *peccantibus non ad mortem*: planè indicat, hoc peccatum non ad mortem spiritalem vitam adimere, alioqui cur ei vita restituenda sit, qui eam integram, & incolumē retinet? Quòd si spiritali vita destituitur, qui peccat non ad mortem, lethali profectò, & mortifero scelere obstringatur necesse est, nam quæ venialia peccata dicuntur, vim quidem spiritalis vitæ labefactant, & languoris instar frangunt, & eneruant, sed vitam non penitus auferunt. Erit itaque peccatum non ad mortem lethale quidē crimen, sed eiusmodi tamen, vt suapte natura facilè veniam impetret, qualia nonnulla sunt, quæ in hoc genere à Tertulliano recensentur: id dixerim si quis graui aliqua animi perturbatione, aut errore, aut ignoratione peccet, qua ratione Christus pro suis crucifixoribus preces fundens: *Pater* (inquit) *ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Et Paulus se gratiam consecutum esse scribit, quia per ignorantiam peccauerat. Quocirca peccatum, quod non est ex suo genere grauissimum, dici potest non ad mortem, non quia non adimat animæ vitam, hoc est, gratiam, & caritatem, sed quia facilè ad vitam reuocari, & cum Deo in gratiam redire potest qui eo peccato inquinatur, eo

A planè modo, quo Christus apud Ioannem [a] de Lazari ægritudine dixit: *Infirmitas hæc non est ad mortem*, cùm tamen illa re vera extinctus sit: meritò tamē dicitur, non fuisse ad mortem, quia nō ita multo post Lazarus ad superos rediturus erat.

a cap. 15.

XXXIV. Quo fit, vt impia hæreticorum sententia ab Apostoli, veróque Ecclesiæ sensu longissimè absit, qui reproborū omnia piacula mortifera, prædestinatorum verò omnia leuia, & venialia esse contendunt. Istis enim magistris, quoniam de Dauidis, & Petri prædestinatione dubitare nefas est, fateri necesse esset, illius quidem adulterium, & homicidium; huius verò periurium, atque blasphemiam, & id genus alia penè sexcenta venialia fuisse. Et quod magis mirandum B est, ipsum Adæ peccatum, vnde omnis naturæ labes profecta est, veniale dicendum esset, cùm tamen illum gratia, & caritate spoliauerit. Nec dubium est, magnum esse inter peccata discrimen, stultéque olim, & imperitè sensisse Stoicos, qui omnia peccata paria esse aiebāt. Itaque rectè Hieronymus [b], cùm hæc ipsa Ioannis verba expenderet: *Cernis* (inquit) *quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam: si pro maioribus, difficilis impetratio sit, & inter peccata, & peccata magna esse differentiam, vnde & de populo Israël, quia peccauerat peccatum ad mortem, dicitur ad Ieremiam: Noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis deprecationem.*

b lib. 2. con. Iouin. non procul à fine.

XXXV. Iam verò peccatum ad mortem non esse quodli- C bet lethale crimen ex iis, quæ paulo ante dixi, facilè deprehenditur, quandoquidem peccatum non ad mortem, & vitam spiritalem aufert, & mortiferum crimen est. Neque verò existimari potest, dicturum fuisse Apostolum, pro quouis lethali crimine preces non esse fundendas, cùm ignorare non posset, viros sanctissimos pro grauissimis peccatoribus non modò orasse, sed suis precibus veniam iis impetrasse. Neque verò ij peccatum ad mortem rectè definiūt, qui illud esse aiunt, in quo quis vsque ad mortē perseuerat. Fateor id non semel asseruisse Augustinum [c], & alios nonnullos, quos non ita multo post nominabo. Ita hoc loco scribit OEcumenius: *Solum* (inquit) *hoc peccatum ad mortem est, quod pœnitentiam non recipit.* D Paulo post addit, memoriam iniuriarum peccatum esse ad mortem, cùm videlicet ita ea memoria retinetur, vt nullam admittat placationem, vt hic etiā pœnitentiam excludat. Neque aliter sensisse videtur Hieronymus [d], allatis enim Ioannis Apostoli verbis addit: *Ieiunia, & preces, & victimæ, & holocausta tunc proficiunt, cum recedimus à vitiis, & flemus antiqua peccata: sin autem in sceleribus permanentes putauerimus votis, & sacrificiis redimere nos, vehementer erramus, iniquum arbitrantes Deum.* Quin etiam hoc ipsum significat Gregorius [e]: *Corrigibilia (alii) peccata portantur, quia postquam à delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt: non autem portantur peccata eorum, in quorum mentibus per impœnitudinem inuiscerata sunt. Vnde & Ioannes ait: Est peccatum ad mortem non pro illo dico* E *vt roget quis: peccatum quippe ad mortem est, quod ab eo cōmittitur, qui resipiscere numquam potest, quod nimirum peccatum à præpositis non portatur, quia Sacerdotum orationibus, aut oblationibus non deletur.* Eandèm sententiam complexi sunt Gelasius [f], & Beda [g].

c lib. de corr. & grat. c. 12. ser. 1. fer. 6. ciner. & lib. 1. retract. c. 19.
d Ier. 14.
e lib. 6. in 1. Reg. c. 2. Idē penè lib. 6. mor. c. vlt.
f de anath. vinc.
g in hunc locum.

XXXVI. Hi, inquam, quamuis magni nominis auctores, non videntur Ioannis mentem penitus assecuti, cùm enim ille pro iis orandum neget, qui peccant peccato ad mortem, planè indicat, hoc peccatum certò cognosci, ac deprehendi posse, quamdiu quispiam superstes est. Atqui antequā quis mortalitatem exuat, etiamsi grauissimo aliquo scelere teneatur obstrictus, dignosci tamen non potest, vtrùm ante obitum pœnitentia crimen suū sit expiaturus. Frustra etiam dixisset,

A set, pro iis orandum, qui peccant non ad mortem: dicere enim debuisset, pro iis orandum esse, qui peccasse dignoscuntur non ad mortem, quod tum demũ perspicuè deprehenditur, cùm quis à peccato resipiscit. Posset fortassè quispiam opinari loqui Ioannẽ de iis, qui vita functi sunt, quasi significet pro iis quidem orandum esse, qui ante mortem pœnitentiam egerunt, nullo autem modo pro iis preces esse fundendas, qui absque legitima pœnitentia, cùm alioqui grauiter peccauerint, diem clauserint extremum. Verùm Ioannis verba hanc explanationem nulla ratione admittunt, cùm enim dicat: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem.* non obscurè indicat, se de iis loqui, qui inter mortales viuunt, cùm B præsertim addat: *Petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Quod de vita iam functis intelligi nequaquam potest, quibus vita gratiæ nullius vnquam precibus, aut supplicationibus restituenda est.

XXXVII. Igitur peccatum ad mortem graue aliquod flagitium censendũ est, quod pertineat ad illud peccati genus, quod à Theologis ex certa malitia seu ex certa scientia nuncupatur: de quo tamen peccati genere magna inter Theologos sententiarum varietate certatur. Nam qui putãt[a], eos ex certa malitia, certáue scientia peccare, qui malum amant, atque appetunt qua ratione malum est, quamuis acuti, ac subtiles haberi velint, ne audiendi quidem sunt, cùm auctore C præsertim Dionysio Areopagita, aliisque non paucis, quos paulo ante nominaui, nihil vnquam voluntas appetat, nisi quod tamquam verum bonum, vel tamquam speciem habens boni mente concipiatur. Licèt enim exempli gratia voluptas turpis sit, atque inhonesta, atque adeò hoc nomine mala, atque noxia, ab incontinente verò seu intemperante tamquam iucunda, & naturæ consentanea concipitur, atque ita speciem quamdam boni præsefert. Meliùs loquuntur illi[b], qui peccatum ex certa malitia definiunt illud, quod licèt tamquam bonum appetatur, idcirco tamen eligitur, quia est iniuria, & contumelia Dei, quamquam, vt verum fatear, nimis angustè hi auctores hoc peccatum describunt, videntur enim damnatorum tantummodo, & dæmonum peccatum D complecti, qui ex odio, & indignatione contra Deũ peccant, vt illi iniuriam, & contumeliam inferant, cùm tamen possit non nemo in hac etiam mortali vita ex certa malitia, certáque scientia peccare, vt nihil dicam posse hoc peccati genus, de quo isti loquuntur, ex praua aliqua animi affectione oriri, vt ex inuidia, vel ex odio, aliáque persimili ægritudine.

a Scot. & Nominal.

b Almainus Tra. 3. mor. c. 27.

XXXVIII. Itaque alij[c] peccatum ex certa malitia esse volũt, cùm nulla animi perturbatione impellente voluntas fertur in malum, quod malũ esse non ignoratur. Quæ sententia ob auctoris dignitatẽ, & sectatorũ accuratã explanationem nec facilè contemnenda est, nec tamen animum meum penitus explet, vt enim multum sese versent in omnes partes, non facilè exitum reperient, nam si voluntas fertur in malum cognitum, quia, vt ipsi volunt, nonnulla in ea E deprauatio præcesserit, omnino ad id genus peccati pertinere videtur, quod ex animi morbis, & ægritudinibus oritur. Accedit quòd non posset primum peccatum ex certa malitia, certáue scientia patrari, cùm tamen eiusmodi censeatur fuisse Angelorum, ac primi parentis nostri peccatum, qui nulla ægritudine nullóue animi aperto errore decepti peccarũt. Aliorum igitur sententia est, peccatum ex certa malitia esse, cùm neque ex praua affectione, neque ex ignoratione, sed certo consilio, ac prorsus libera voluntate peccatur, quod Aristoteles[d] peccatum vocat ex electione, cùm videlicet nullo alio impulsore, sed ex propria malitia, ac prauitate fertur quis in peccatum, hanc vnam ob caussam, quòd Deum odio prosequatur, vel virtutis pulchritudinem detestetur, vel nimium sibi de diuina pietate, & clementia blandiatur, vel aliud denique in peccato spectet, quo malum tamquam aliquo bono circumfusum expetat. Ita putant peccatum ex certa malitia idem esse cum peccato ad mortem, & peccatum in Spiritum sanctum complecti.

c B. Thom. 1. 2. p. 78. a. 1. 2. & 3.

d 7. Ethic. cap. 7. & 8.

XXXIX. Expedita iam priori quæstione sequitur altera, qua explicandum est, quánam ratione vel peccatum in Spiritum sanctum à Christo dicatur carere venia, vel Ioannes hoc loco neget pro peccato ad mortem preces esse fundendas. Hieronymus[a] enim indicat, insinuari hoc loco à Ioanne peccatum in Spiritum B sanctum, & Ieremiæ[b] verba profert, quibus Deus Prophetam monet, ne preces pro populo fundat, quod propter apostasiam, atque idololatriam imperatum esse indicant, quæ apud eumdem Prophetam subiiciuntur. Nec discrepat Cyprianus[c], qui præter Ieremiæ verba Ezechielis[d] testimonium, & ex libris Regum[e] insignem quamdam sententiam profert. Quin etiam Ioannes ita videtur peccatum ad mortem interpretari, ait enim: *Custodite vos à simulachris.* Sed non facilè mihi persuaserim viros sanctissimos existimasse apostasiam, ac idolorum cultum expiari nulla ratione posse, cùm constet, hæc, & id genus alia flagitia propè innumerabilia fuisse baptismo expiata. C Alludit autem præcipuè Cyprianus ad sententiam ex libris Regum, quæ apud interpretem vulgatum sic habet: *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Ambrosius[f] autem & Cyprianus[g] secuti Septuaginta ita legunt: *Si peccauerit homo in hominem, orabunt pro eo Dominum, seu ad Dominum.* Quidam recentiores pro eo, quod alij dicunt, *rogabunt, seu orabunt pro eo ad Dominum*, legunt, *iudicabit Deus:* alij, *iudicabunt iudices.* In altera autem parte, pro eo, quod nos legimus, *Quis orabit pro eo?* legunt alij: *Quis iudicabit, aut disceptabit pro eo?* Ambiguitas autem Hebrææ vocis hanc peperit interpretationum varietatem, quãquam re vera eadem semper sententia constat, significátque peccata, quæ propriè sunt contra Deum, & D diuinitatem proximè lædunt, grauiora esse, ac difficiliùs expiari, quàm quæ in homines perpetrantur: hæc autem non apostasiam solùm, & idololatriã complectuntur, sed alia plura ambiunt, quæ Deum proximè attingunt, qualia fermè sunt, quæ præceptis primæ tabulæ prohibentur.

a lib. 2. con. Iouin.

b cap. 7.

c lib. de exhort. martyr. cap. 4.

d cap. 14

e lib. 1. c. 2.

f lib. 1. de pœnit. c. 9.

g lib. de exhor. ad mar. cap. 4. & lib. 3. ad Quir. cap. 28.

XL. Cùm igitur Spiritus sanctus ait peccatis, quæ in homines patrantur, Deum posse placari, significat ea peccata facilè veniam consequi. Cùm verò addit: *Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* non significat peccata in Deum expiari, aut condonari non posse, sed si cum superioribus conferantur, longè difficiliùs veniam consequi, quod loco indicato his planè verbis docet Hieronymus: *Non eo* (inquit) *modo in virum quo in Deum peccatur, quia in virum* E *peccare, qualecumque peccatũ est, leuiórque remissio. In Deũ verò peccare. i. ab eius cultu recedere, impietatis peccatũ est, difficiliórque remissio.* Paulo aliter loquitur Ambrosius[h], ait enim, cùm dicitur, *Quis orabit?* non significari neminem prorsus esse, qui pro iis oret, qui in Deum peccant, sed non omnes id vulgò facere posse, sed viros tantummodo perfectos, & sanctitate insignes. Sed vt ingenuè fatear, id nullo modo videtur ad Ioãnis mentem, qui absolutè pro eo, qui ad mortem peccat: *Non dico* (ait) *vt roget quis.* vel vt Græci Codices habent, ἐρωτήσῃ. quod ad omnes procul dubio pertinet, præterquàm quod etiam imperfecti pro infidelium, & hæreticorum conuersione, denique pro iis, qui apertissimè in Deum peccant, orare solent. Videri

h lib. 1. de Pœnit. c. 8.

deri autem posset Ioannes ideirco preces pro iis A prohibere, quod peccatum ad mortem, non aliter ac blasphemia in Spiritum, veniá & misericordiam excludat, vnde altera existit quæstio, quam supra indicaui, cur pro eo, qui peccat ad mortem, orandum non sit.

XLI. An censendum est id propterea à Ioanne prohiberi, quòd sit hoc peccatum suapte natura eiusmodi, vt veniam excludat, & expiationem nulla ratione admittat? Certè olim, vt Eusebius [a], Nicephorus [b], Epiphanius [c], Theodoretus [d], & Augustinus [e] affirmant, cùm Romanæ Ecclesiæ Cornelius Pőtifex præesset, Nouatus Romanus Presbyter docere ausus est, lapsos post baptismum perditæ, ac prorsus desperatæ salutis esse, nec veniam consequi vllo pacto posse, B præsertim si fidem abnegẽt. Cyprianus [f] tamen huius hæresis auctorem Nouatianum nominat. Cypriano subscribit Augustinus, & sunt qui putent, vnum, atque eumdem hominem fuisse. Hieronymus [g] tamen existimat esse diuersos, quod ex ipso Cypriano intelligi potest. Inde orti sunt Nouatiani hæretici, qui & Cathari appellabantur ob singularem integritatem, & innocentiam, quam superbissimè iactabant. Huius verò erroris primum auctorem fuisse Montanum, non semel docuit Hieronymus [h]. Certè Tertullianus [i], vt supra indicaui, simile quiddam sensisse videtur, alludens enim ad verba Pauli [k]: *Monens itaque* (ait) *discipulos omissis omnibus initiis ad perfectionem magis tendere, nec rursus fundamenta pœnitentiæ iacere ab operibus mortuorum. Impossibile est enim* (inquit) *eos, qui semel* C *illuminati sunt, & donum cœleste gustauerunt, & participauerunt Spiritum sanctum, & verbum Dei dulce gustauerunt, occidente iam æuo cùm exciderint, rursus reuocari in pœnitentiam, refigentes cruci in semetipsos Filium Dei, & dedecorantes. Terra enim, quæ bibit sæpius deuenientem in se humorem, & peperit herbam aptam his, propter quos & colitur, benedictionem Dei consequitur, proferens autem spinas reproba, & maledictioni proxima, cuius finis in exustionem.* Tum subdit: *Hoc qui ab Apostolis didicit, & cum Apostolis docuit, numquam mœcho, & fornicatori secundam pœnitentiam promissam ab Apostolis norat.* Quod deinde ex Leuitico pluribus confirmat.

a lib. 6. hist. c. 35.
b lib. 6.
c hæres. 59.
d lib. 3. de hæret. fab.
e hær. 34.
f ep. ad Cornel. & lib. con. Nouatum.
g De script. Eccl.
h lib. 2. in Iouin. & in epitaph. Fabiolæ.
i lib. de pudic. c. 19.
k ad Hebr. 6.
l De blasphem. in Spirit.
m hæres. 59.

XLII. In eodem, aut persimili errore fuisse videntur D Armeni, qui nonnulla peccata esse asseuerabant, quæ numquam expiari, aut ab vllo sacerdote quauis auctoritate absolui possent. Contra quem errorem præter illa, quæ scribunt Athanasius [l], Epiphanius [m], Cyprianus [n], Hieronymus [o], ea apertissimè pugnant, quæ de pœnitentiæ vtilitate, ac fructu tum in sacris literis, tum apud sanctos Patres [p] passim leguntur. Et quidẽ certissimum est, nullum posse excogitari tam atrox, atque immane facinus, quod pœnitentiæ sacramento ritè percepto penitus deleri, atque expiari non queat. Hoc tamen errore prætermisso propositæ quæstionis difficultas oritur ex verbis Christi apud Matthæum [q], cùm dixit Spiritus blasphemiá neque in hoc, neque in futuro sæculo expiari. Itemque ex Paulo ad Hebræos [r], qui significat, quædá esse E flagitia, quibus aditus ad salutem penitus præcludatur: denique ex hoc loco Ioannis, vbi negat pro eo orandum, qui ad mortem peccat.

n aduers. Nouat. & ep. ad Corn.
o ep. ad Marcell. de spir. blasphe.
p Ambr. lib. 1. de pœnit. præsertim c. 2. & 7. & lib. 2. c. 2. Cyrill. lib. 12. in Io. c. 56. Chrysost. hom. 85. in Io. & lib. 5. de Sacerd. Hilar. Can. 16. in Matth. Hierony. ep. ad Helidor. August. 20. de Ciuit. c. 9. ser. 8. & 44. de verb. Dom. Trac. 49. in Ioan. Greg. hom. 26. in Euág. Pacian. Barchinon. de Pœnit.

Incredibile autem dictu est, quàm multa ad huius rei explicationem à Theologis excogitata sint. Nam Augustinus quidem qui peccatum in Spiritum sanctum putat esse finalem, quam dicunt, impœnitentiam, facilè quæstionem expedit. Est namque extra omnem controuersiam, eum, qui necessariam pœnitentiam ad extremum vsque vitæ spiritum contemnat, omni spe salutis destitui, scelerúmque expiationem assequi nequaquam posse, cùm post mortem

XLIII.
q cap. 12.
r cap. 6. & 10.

nullus pœnitentiæ reliquus esse possit locus. Qui verò sex illas peccati in Spiritum sanctum formas, quas A supra nominaui, retinendas censent, hactenus illa crimina putant esse veniæ expertia, quod rectà, & ex aduerso, vt aiunt, cum diuina gratia pugnent, vnde omnis peccati condonatio manat. Sic enim ad Romanos scripsit Apostolus [a]: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Addunt verò, vt ab hæreticorum errore recedant, ea dici expiari non posse, quomodo morbi quidam eiusmodi esse dicuntur, vt curati, sanatiue non posse videantur, non quòd penitus nullam curationem admittant, sed quòd difficillimè ad pristinam sanitatem reuocentur; non alia denique ratione dici ea peccata non posse remitti, quod admodum rarò, & magna omnino cum difficultate B condonentur.

a cap. 2.

XLIV. Non defuerunt tamen, qui aliquod esse facinus opinarentur, cui venia expectanda non sit, quod, vt supra monui, apertè asserit Auctor quæstionum veteris, ac noui testamenti. Cùm enim de peccato in Spiritum loqueretur [b]: *Hæc ergo* (ait) *sententia contra maleuolos prolata est, quibus remedium inueniri non potest, vt saluentur, nihil est enim hoc crimine grauius.* Et aliquanto post: *Non ergo dignum est istis peccatum hoc vmquam debere remitti.* Deinde cùm bene longa digressione cőtra Nouatianos ostendisset alia omnia peccata pœnitentia deleri posse, *hanc solam maleuolentiam* (ait) *remedium non habere.* Eodem trahi posse videtur Hieronymus [c], alicubi enim ait, *hoc peccatum non dimitti* C *neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Alibi [d]: *Non meretur* (inquit) *pœnitentiam.* Denique [e]: *Blasphemiam in Spiritum vocat irremissibilem.* Concinit Ambrosius [f]: *Non potest* (inquit) *ibi esse exoratio veniæ, vbi sacrilegij plenitudo est.* Clemens Romanus [g] simile quiddã indicans ait, *peccatum ex contemptu numquam expiari.* Omnium verò apertissimè, quos ego quidem legerim, hoc asserit Hugo Victorinus [h], ait enim neminem posse certò cognoscere, se, aut alium quemquam hoc tam graui crimine obstrictum teneri; illud certum, atque exploratum esse, eum, qui ita peccauerit, numquam consecuturum veniam.

b Apud August. tom. 4. q. 102.
c Mat. 12.
d Mat. 3.
e. ep. ad Marcell.
f lib. de Spir. sanct. c. 3.
g lib. 2. recognit.
h ep. ad Roman. q. 53.

XLV. Et fuerunt, qui dicerent, Christi verba non perinde accipienda esse, quasi vniuersim significent, D peccatum in Spiritum expiari non posse, sed vaticinium, atque oraculum continere, quo insinuat fore, vt Iudæi absque pœnitentia suo illo peccato obstricti diem claudant extremum, quod alibi apertissimè dixit his verbis: *Et in peccato vestro moriemini.* Plurimi certè sanctorum Patrum Christi verba non de culpa, sed de pœna, quæ peccato debetur, accipiunt, vt indicet Christus huius peccati pœnam numquam remittendam, sed necessariò aut in hoc sæculo, aut in futuro persoluendam esse. Huc afferunt Athanasius [i], Chrysostomus [k], Theophylactus [l], & alij [m]. Hoc ipsum aliquanto obscurius subindicat Clemens [n] Alexandrinus, etenim ait, *peccata post baptismum expurgari, ante baptismum verò remitti.* perinde quasi expurgatio respiciat pœnam, remissio verò culpam. Non satis au- E tem liquet, quid senserit Irenæus [o], qui blasphemias hæreticorum vocat peccatum in Spiritum sanctum irremissibile, æquè enim potest de culpa, ac de pœna intelligi.

i De blasphem. in Spir.
k Hom. 43. in Matth.
l Mat. 12.
m Richard. Vict. de blasph. in Spir. Alphons. à Cast. lib. 12. aduers. hæres. verbo Peccatum hær. 6.
n lib. 4. Stromat.
o lib. 3. c. 12. in fine

LXVI. Plurimi verò recentiores Theologi [p], cùm non dubitent Christũ apud Matthæum, & Ioanné hoc loco de remissione, & cődonatione culpæ agere, neq; adduci possint, vt credãt, vllũ esse peccatũ, quod pœnitẽtia ritè adhibita expiari nő queat, ita hoc facinus alienum à venia, & condonatione interpretantur, vt dicant, ipsum quidem si legitima pœnitentia abluatur, omnino posse expiari, fore tamen, vt nulla vmquam pœnitentia expietur: quod nemo eorum, qui tam immani crimine teneatur obstrictus, verè atque

p Abulens. Exod. 4. q. 12. Roffens. ar. 36. Ambros. Cater. tract. de prædest. in fine. Io. Driedo de cap. & red. dép. gen hu. tract. 3. Mich. Medin. de recta in Deũ fide lib. 9. c. 1.

ex

ex animo culpam detestetur, & legitimam pœnitentiam adhibeat; quamquam, vt ingenuè fatear quod sentio, hi Theologi non tam de singulari aliquo peccato, quàm de statu quodam, ac peccatorum numero loqui videntur, in quo aiunt quosdam à Deo deseri, plurimisque diuinæ gratiæ præsidiis destitui, vnde excæcari, atque obdurari dicantur, vt vix vmquam resipiscant, & cum Deo in gratiam redeant. Alij verò[a] peculiaria quædam peccata esse non dubitant, quibus si quis inquinetur, continuò deseratur à Deo, & auxilio ad pœnitentiam, & conuersionem necessario penitus destituantur. A qua sententia non admodum discrepant ij[b], qui nullum aiunt esse peccatorem, qui simpliciter, atque absolutè diuinæ gratiæ præsidio adiutus ritè pœnitentiam agere non queat: multos tamen ob grauissima peccata hoc diuinæ gratiæ præsidio indignos censeri, eòque meritò destitui, atque ita, licèt semper agere possint pœnitentiam, numquam tamen rectè eam acturi sint. Quibus affinia sunt, quæ alij[c] affirmant, nam propter grauia quædam, & immania facinora non dubitant negari à Deo peculiaria quædam auxilia, sine quibus vix quisquam, aut admodum rarò resipiscat, & perpetrata facinora detestetur.

a Armacan. lib. 9. q. Armen. c. 23.
b lect. 5. de pœnit.
c And. Vega in Conc. Tr. lib. 13. c. 13.

XLVII. Vt autem certa ab incertis secernamus, sic primùm statuo, nullum posse tam immane, atque nefarium facinus excogitari, quod, si ritè adhibeatur pœnitentia, omnino deleri, atque obliterari non queat. Quod mihi quidem ita persuasum est, vt existimem, absque errore neminem posse aliter sentire. Hoc enim apertissimè docent innumerabilia propemodum sacrarum literarum testimonia, quæ diuinam in nos benignitatem, facilitatémque mirificè extollunt, & cunctis ritè pœnitentiam agentibus veniam certò pollicentur. Sic enim apud Ezechielem loquitur Deus[d]: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Et alibi[e]: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis, quare moriemini domus Israel?* apud Ioëlem verò dicitur[f]: *Deus benignus, & præstabilis super malitia*: quod profectò nequaquam verè affirmari posset, si qua malitia expiari non posset. Denique ne cuncta recenseam, Salomon sic Deum affatur[g]: *Misereris omnium, Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.*

d Ezech. 18. 21.
e Ezech. 33. 31.
f cap. 2.
g Sap. 2.

XLVIII. Sancti verò Patres pœnitentiam certissimum esse, ac tutissimum perfugium lapsis pluribus docent. Itaque illam nonnulli[h] vocant *secundam tabulam post naufragium*. Tertullianus[i] illam appellat *secundam ianuam ad indulgentiam*. Simile quiddā scribit auctor[k] de vera, & falsa pœnitentia. Neque aliter sentit Chrysostomus[l]. Addo magni Concilij Lateranensis[m] verba: *Si post baptismum (inquit) quis prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari.* Quibus consentiunt Concilium Florentinum[n], & Tridentinum[o]. Huc accedit, quòd qui asserit, peccatum aliquod expiari non posse, apertè videtur Nouatianorum, & Armenorum hæresim complecti, quæ damnata primùm est in Concilio Romano sub Cornelio, vt testatur Eusebius[p], deinde in Concilio Nicæno[q]. Eam verò strenuè oppugnant Cyprianus[r], Ambrosius[s], Hieronymus[t], Augustinus[u], Athanasius[x], Chrysostomus[y], Epiphanius[z]. Quid quòd Christus pro omnibus mortalium flagitiis copiosissimè Deo Patri satisfecit, nullúmque omnino flagitium passus est à venia, & condonatione excludi? quò spectans hic ipse Ioannes[a] supra dixit: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi.* Adde sacramentorum vim: baptismus enim, & pœnitentia, quæ duo sacramenta ad scelerum expiationem suapte natura referuntur, nullum prorsus peccatum excludunt, sed in hoc genere vim quamdam habent infinitam, & nullis terminis circumscriptam.

h Ambros. ad virg. lap. c. 8. Hiero. Isa. 3. Pacia. ep. 1. ad Sēp. Nouat. Cōc. Trid. sess. 6. cap. 14.
i l. de pœni.
k cap. 1 habetur inter opera Aug.
l Homil 5. de pœnit. & ser. de pœn.
m cap. 2.
n In vnione Armen.
o sess. 6. c. 14. & sess. 14. c. 2.
p lib. 6. hist. c. 34.
q cap. 8.
r ser. de lapsis.
s lib. 1. de pœnit.
t ep ad Mar.
u frequēter.
x de blasph. in Spir.
y lib. de repar. lapsi.
z hæres. 59.
a cap. 2.

XLIX. Fatendum tamē est pœnitentiam eximium quoddam esse, ac singulare Dei munus, nec posse quemquam absque peculiari diuinæ gratiæ præsidio à peccato resipiscere, & ritè pœnitentiam peragere. Quòd si Deus hoc suæ diuinæ gratiæ auxilium propter criminis grauitatem subtraheret, nulli omninò iniuriam faceret, cùm iure suo posset quemlibet flagitiosum subitò interimere, & sempiternis suppliciis subiicere. Quo fit, vt longè aliud sit, affirmare peccatum aliquod pœnitentia expiari non posse, quod, vt dixi, ad Nouati hæresim pertinet, aliud asserere, non omnibus Deum pœnitentiæ beneficium impertiri: hoc enim citra vllum errorem verè, & piè affirmari potest. Id enim haud obscurè indicare visus est Christus, cùm apud Matthæum[b] dixit: *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Illis igitur subtraxerat Deus signa, & prodigia, quibus ad pœnitentiam erant excitandi, qua de re plura scribit Augustinus[c]. Hoc enim neque pugnat cum diuina misericordia, quæ diuinam iustitiam non excludit, qua iustè scelera vlciscitur, neque vim, & efficacitatem pœnitentiæ, & sacramentorum vllo pacto lædit.

b cap. 11.
c lib. con. Iulian. cap. 8. & lib. con. 2. ep. Pelag. cap. 7.

L. Itaque nulla ratione censenda est eorum sententia carere probabilitate, qui siue propter multitudinem scelerum, siue propter criminum immanitatem destitui quosdam asserunt auxilio gratiæ, sine quo numquam resipiscant. Nam vt omittam grauissimos Theologos, quos supra nominaui, ita planè existimare, ex sacris literis constat, quosdam in reprobum sensum tradi, de quibus loquitur Paulus in epistola ad Romanos[d], quosdam obdurari, vt de Pharaone scriptum est in Exodo[e], alios excæcari, vt loquitur Esaias[f], plerosque penitus deseri, & permitti ingredi vias suas: nonnullos reprobari, ac despici; denique quemdam esse certum peccatorum numerum, vt alicubi significat Augustinus[g]. Deus autem ipse hoc indicasse videtur, cùm prohibet, ne viri sancti pro iis orent, quos ipse abiecit. Samueli enim dixit aliquando Deus[h]: *Vsquequò tu luges Saül, cùm ego abiecerim eum?* Ieremiæ[i] autem: *Tu ergo* (inquit) *noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem, & orationem, & ne obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Nec dubium est eos, qui scelere quopiam obstringuntur, & dormientes diem claudunt extremum absque pœnitentia, perire: quod de iis verius affirmari potest, qui dum re ipsa peccant, subitò extinguuntur. Verùm id non propterea fieri credendum est, quòd crimina quædam sint, quæ nequeant expiari, sed quòd iusto suo iudicio Deus ita quosdam vlcisci decreuerit. Qua in re admirabile, ac prorsus inscrutabile diuinæ iustitiæ consilium est, cùm interdum quosdam plurimis, grauissimísque flagitiis coopertos ad pœnitentiam adducat, alios contra longè minoribus, leuioribúsque peccatis implicitos subitò deserat, & absque pœnitentia miserè pereant.

d cap. 1. 28.
e cap. 4. 21.
f cap. 6. 10.
g lib. 5. con. Iul. cap. 3.
h 1. Reg. 16.
i cap. 7. 16.

LI. Itaque etiamsi hoc tamquam verum aut tamquam non improbabile admittendum esset, nemo tamen quamuis multis grauissimísque peccatis inquinatus,

quinatus, nec de se ipso, nec de alio quopiam citra diuinam reuelationem certò statuere potest, ita esse à Deo destitutum, vt resipiscere, & pœnitentiam agere non queat, vt enim modò dicebam, abdita, & occulta sunt Dei iudicia, vt meritò dixerit Augustinus [a]: *Cur hunc trahat, illum non trahat, define velle inuestigare, si non vis errare*. Sunt enim, vt ait Propheta, iudicia Dei abyssus multa. Destitutio autem diuina, seu reprobatio non aliter ac diuina prædestinatio occulta est, ac penitus ignota, nulloque humano indicio, aut argumento certò cognosci, aut deprehendi potest. Postremò Scriptura sacra docet, pro omnibus preces esse fundendas, quò spectans B. Augustinus [b], dæmonibus exceptis, & iis, qui iam apud inferos sempiterna supplicia luunt, à precibus neminé excludendū, nec cuiquam correctionis beneficiū subtrahendum esse affirmat. Ita fit, vt nullum omnino designari piaculum aut peccatorum numerus possit, cui auxilium pœnitentiæ suo veluti iure denegandum sit. Nam alioqui qui eius sibi criminis aut numeri conscius esset, certò posset affirmare, se penitus à Deo abiectum esse, adeóque spe salutis prorsus destitui.

[a] Tract. 26. in Ioan.
[b] lib. de cor. & grat. c. 14.

LII. Quæ cùm ita sint, fateri necesse est, neque blasphemiam in Spiritum, neque aliud, quamuis immane facinus, dici posse hac ratione carere venia, cùm id, vt non semel iam dixi, ad Nouatianorum hæresim spectet, qui suadendum quidem omnibus aiebant, vt resipiscant, & post abnegatam fidem pœnitentiam agant; numquam tamen fore, vt illos perpetrati sceleris verè, & ex animo pœniteat, cùm Christus dixerit: *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo*. Falsum igitur est, quod Auctor [c] quæstionum veteris, ac noui Testamenti docet, eos esse penitus deploratos, qui in Spiritum sanctum peccauerint. Quid autem significet Paulus, cùm ad Hebræos [d] ait, non posse quosdam renouari ad pœnitentiam, aut voluntariè [e] peccantibus post agnitam veritatem nullam reliquam esse hostiam pro peccatis, suis locis copiosiùs docui. Nunc tantùm dico, siue de baptismo loquatur, id affirmare, quod verissimum est, non posse id sacramentum iterari, siue de pœnitentia agat, non illam quidem penitus excludere, sed non eam polliceri facilitatem, aut etiam efficacitatem, quæ aliis leuiùs peccantibus sacræ literæ pollicentur.

[c] quæst. 102.
[d] cap. 6. 6.
[e] ad Hebr. 10. 26.

LIII. Quamobrem mihi valde probabile est, blasphemiam in Spiritum, siue peccatum ad mortem dici alienum à venia, & condonatione, non quidem ratione culpæ, sed pœnæ respectu, quæ vel in hac, vel in futura vita persoluenda sit. Constat enim remittendi, seu dimittendi verbum sæpissimè ad pœnam referri, cùm enim Moses ad Deum preces fundens dixit [f]: *Aut dimitte noxam populo huic, aut dele me de libro vitæ*, non petebat condonationem culpæ, quam absque populi pœnitentia impetrare non poterat, sed pœnam, quam Deus comminatus erat, deprecabatur. Et Isaias [g]: *Incuruauit, se* (inquit) *homo, & humiliatus est vir, ne ergo dimittas ei*. petit enim Propheta vt Deus populi scelus vlciscatur. Hoc planè modo necesse est, veniæ nomen accipere apud Tertullianum [h], & Cyprianum [i], cùm de lapsis agunt, qui à martyribus pacem, & veniam impetrabant. Consueuerant enim, qui aliquando peccauerant, ad martyres confugere, vt eorum suffragiis ac precibus ab Episcopis pœnæ remissionem consequerentur. Martyres autem antequam pro fide vitam profunderent, libellos ad Episcopos dabant, quibus se iis pacem dedisse significabant, quod nihil erat aliud, quàm Ecclesiasticæ pœnæ relaxatio, quam ab Episcopis deprecabantur: vnde indulgentiarum vsus manasse videtur ab ipso Paulo Apostolo ductus, qui incestuoso pœnam remisit. Quocirca apud Matthæum, & Lucam ait Christus, *non remittetur*, apud Marcum, *non habet*, aut, *non habebit remissionem*, quasi dicat, pœnam necessariò luendam esse; nulla enim nos ratio cogit, vt Christi verba de remissione culpæ intelligamus.

[f] Exod. 32. 32.
[g] cap. 2. 9.
[h] l. ad Mar. & lib. de pudic.
[i] epist. 11. & aliàs frequenter.

LIV. Nec frustra dictum est à Christo, peccatum hoc non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro: quod si referatur ad culpam, frustra videtur dici, cùm certum sit in altero sæculo lethale crimen non nisi pœnæ respectu, nullo autem modo ratione culpæ expiari, aut condonari posse. Fauent huic explanationi prisci, quos nominaui Patres. Et Athanasius [a] quidem peccatum Pharisæorum cum Arianorum blasphemia confert, & neutris pœnam remitti affirmat, idque ex Christi verbis colligi cōtendit, quibus ait blasphemiam in Spiritum non remitti. Chrysostomus autem cùm non dubitet, Christum de Iudæorum scelere loqui, quod ait, peccatum illud non remitti, refert ad acerbissimas illas pœnas, quas Iudæi in excidio Hierosolymitano dederunt. Theophylactus alia peccata sine pœnitentia remitti ait, id est, leui aliqua pœna expiari posse. Blasphemiam verò in Spiritum sanctum nequaquam. Neque verò hinc consequens est, quod nonnulli autumant, alia peccata semper ratione siue culpæ, siue pœnæ condonari. Significat enim tantummodo Christus alia peccata faciliùs expiari, quia habent vnde excusentur, quod secus accidit in blasphemia in Spiritum. Huic porrò sententiæ multæ persimiles in sacris literis leguntur, vt illa: *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis*. Item illa: *Remissius erit terra Sodomorum in die iudicij*. Quæ omnia intelligi profectò debent spectata peccatorum natura, cùm tamen fieri possit, vt quis pœnitentiæ beneficio omnem pœnam, quæ suis criminibus debebatur, penitus effugiat.

[a] de blasph. in Spir.

LV. Eodémque planè modo accipienda videtur Pauli sententia in epistola ad Hebræos [b]: *Quanto magis* (ait) *putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit?* Fieri namque potest, vt pœnitentia ritè suscepta omnem penitus pœnam extinguat. Nec enim dubium est multa in sacris literis legi, quæ necessariò præsentem hominis statum, eiúsque seu peccatum, seu iustitiam, præsentia denique merita respiciant, nullo habito respectu ad ea, quæ postmodum euenire possunt. Huc illud refero, quod ait Christus, *qui me negauerit coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei*. Itáne verò? Quid si post abiuratam fidem resipiscat, facinus detestetur, deprecetur culpam, gratiam, & caritatem assequatur, negabitur tamen coram Angelis Dei? Quis hoc dicat, nisi Nouatianus? Nam nos quidem certò scimus, non paucos suppliciorum acerbitate permotos, aut hæsitasse, aut thura idolis adhibuisse, aut denique alia ratione contra fidem peccasse, qui saniora consilia complexi pristinam suam imbecillitatem damnarunt, & illustri martyrio clari de tyrannis, & carnificibus triumpharunt, & immortalem apud Deum gloriam adepti sunt. Neque aliter de altera illa sententia existimandum est, qua Christus dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Certè si post confessionem quis à fide deficiat, & in perfidia diem claudat extremum, prorsus indignus erit, quem Christus coram Patre confiteatur, cùm potiùs sempiternis suppliciis mactandus sit.

[b] cap. 10. 29.

LVI. Itaque cùm, auctore Ambrosio [a], multa eiusmodi in sacris literis legantur, nil prohibet, quin eadem ratione explicanda sint, quæ de blasphemia in

Spiritum

[a] ad Rom. 6 tamen id est auctor

Spiritum Christus dixit, vt spectato Iudæorum statu eorum facinus afferat tum in hoc sæculo, tum etiam in altero grauissimis suppliciis plectendum esse, quod aliâs in vineæ parabola planiùs significatur, cùm Dominus dixit: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Quod ipsi etiam Iudæi suo suffragio confirmarunt his planè verbis: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Hoc igitur discrimen inter alia peccata, & blasphemiam in Spiritum à Christo Domino constitutum, quod alia quidem peccata non decreuerit Deus in hoc sæculo punire, sed ea nisi pœnitentia deleantur, alteri sæculo plectenda reseruarit, blasphemiam verò in Spiritum vtrobique iusto supplicio vlcisci decreuerit. Ita fit, vt alia quidem peccata interdum etiam in hoc sæculo pœnis afficiat, blasphemiam verò in Spiritum numquam non vlciscatur. Hæc planè sensisse videtur Isidorus Pelusiota [a], sic enim scribit: *Hominibus autem animi prauitate preditis, quibus incarnata diuinitas apparuit, nec infidelitas animo inest, nec Iudicij vltio denunciatur.* Vbi vides vltionis, ac iudicij nomine pœnam indicari. Et alibi [b] planiùs cùm attulisset Christi verba, quibus ait blasphemiam non remitti, confestim subdit: *Atque illud etiam perspicuum est, blasphemiam Spiritui sancto illatam vindicari.*

a lib. 1. ep. 63.

b ep. 60.

LVII. Quod ipsum non obscurè indicare visus est Isychius [c], qui Christum ait de blasphemia in Spiritum differentem spectasse legis antiquæ verba, quibus blasphemos extremo affici supplicio imperat. Quod si quis expiationem, quam blasphemiæ in Spiritum Christus negat, ad culpam omnino referēdam esse contendat, non alia ratione venia, & condonatione carere dicitur, nisi quod difficilè, & fortasse etiam rarò expietur, quod suapte natura gratiæ reluctetur. Quomodo etiam corporis ægritudines aliquæ eiusmodi esse dicuntur, vt curari non queant, quod suapte natura medicamentorum vim superare videantur, quamuis re vera curationem admittant. Blasphemia igitur in Spiritum cùm nascatur ex certa malitia, qua quis prudens, ac sciens Deum à se quodammodo reiicit, videtur à se omne diuinæ gratiæ præsidium expellere, quo aliàs resipisceret, & denuò gratiam adipisceretur. Quod olim Iudæis accidisse indicat Ieremias [d]: *Peccatum Iuda scriptum est in stylo ferreo, in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.* Quo loco Gregorius [e]: *In vngue (inquit) finis est corporis: ita verò lapis durus est adamas, vt ferro non valeat secari. Per stylum verò ferreum fortis sententia, per vnguem verò adamantinum finis signatur æternus. Peccatum itaque Iudæ stylo ferreo in vngue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Iudæorum per fortem Dei sententiam in fine seruatur infinito.* Eusebius [f] autem eumdem Ieremiæ locum explicans peccatum Iudæorum indelebile interpretatur; sic aliàs idem Propheta Ieremias [g] de Iudæis scripsit: *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, ita & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum*, vt summam quamdam difficultatem resipiscendi, agendique pœnitentiam indicet.

c lib. 7. in Leuitic.

d cap. 17. 1.

e lib. 14. moralium c. 26. alias 25.

f lib. 1. demon. Euág. cap. 5.

g cap. 13. 23.

LVIII. Cùm igitur hoc loco Ioannes ait, facilè veniam impetrari posse pro iis, qui peccant non ad mortem: pro iis verò non esse orandum, qui ad mortem peccant, quocumque tandem modo peccatum ad mortem accipiatur, tum ad pœnam, tum etiam ad culpam referri potest. Ad pœnam quidem, vt significet, facilè Deum aliis flagitiis pœnam remittere, si piorum preces suffragentur, contra verò supplicij, quod peccato ad mortem debetur, remissionem nequaquam esse à Deo flagitandam, quod fixo atque immutabili decreto sancitum sit, eius sceleris pœnas tum in hoc, tum in altero sæculo luendas esse, eo planè modo, quem paulo ante, cùm ageremus de peccato in Spiritum, explicuimus. Sin autem loquatur Apostolus de culpa, veniæ facilitatem aliis peccatis pollicetur: contra verò peccato ad mortem summam difficultatem minatur. Quocirca non prohibet simpliciter Apostolus preces pro peccante ad mortem, sed negat veniam esse sperandam, vt speranda est oranti pro aliis peccatis non ad mortem. Itaque Bernardus ait Apostolum negare simpliciter orandum, sed gemendum: *Non dico (inquit) vt oret quis*, quasi facilè impetraturus, *sed vt gemat*, hoc est, magna animi contentione apud Deum agat, quasi rem arduam, ac difficilem flagitet. Quod verò spectat ad verba, paulo aliter legisse videtur Tertullianus [a]: *Si quis (inquit) scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit, & dabitur vita ei, quia non ad mortem delinquit. Est delictum ad mortem, non pro illo dico vt quis postulet.* Pacianus [b]: *Et dedit illi vitam Dominus, si quis deliquit peccatum non ad mortem.* Vulgatus Interpres planè secutus est Græcos codices: *Qui scit (inquit) fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabit ei vitam*, Deus scilicet eius precibus placatus dabit vitam peccantibus non ad mortem, quasi dicat. Largietur Deus id quod iustus petit pro peccantibus non ad mortem, hoc est, illos ad vitæ gratiam reuocabit. Sic enim habent Græci codices, *ἐάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα μὴ πρὸς θάνατον. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis*: non eadem videlicet spe illi orandum censeo; Græcè autem dixit Ioannes, *οὐ περὶ ἐκείνης* referens *τὴν ἁμαρτίαν*, vt pro peccato, non autem pro peccatore orandum neget, quasi indicet eius peccati pœnam luendam esse, atque idcirco non esse illam deprecandam.

a lib. de Pudic. cap. 2.

b Tract. 3. adu. Nouat.

17 *Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.*

I. Dixerat suprà: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Sed vt eo loco monui, Græcè pro *iniquitate* posuit *ἀνομίαν*, quasi dicat peccatum nihil esse aliud, nisi legis violationem, vt immeritò scioli nescio qui temerè negauerint peccatum hoc ipso & malum, & peccatum esse, quod sit contra legem: dum enim arguti, & subtiles videri volunt, inscitiam suam produnt. Nam rectè omnino dixit Paulus Apostolus, *vbi non est lex, nec præuaricatio.* Fatemur peccatum non idcirco malum, ac vitiosum esse, quod lege aliqua positiua prohibeatur; illud etiam vltrò damus, peccatum hactenus censeri, & re vera malum esse, quia per se, ac proxime rectæ rationi aduersatur. Sed hanc ipsam rationem docentem quid honestum, quid turpe sit, legem vocamus, & quidem diuinam, ac naturalem hominum mentibus ipsa natura duce, & Deo auctore inditam, ac penitus insculptam, de qua alibi plura dixi, allatis Ciceronis, & Ambrosij verbis. Cæterùm quam supra *ἀνομίαν* vocauit, hic *ἀδικίαν* appellat: *Omnis (inquit) iniquitas peccatum est.* videtur autem *ἀδικία* propriè iustitiæ, quæ virtus moralis est, ex altera parte respondere, quasi dicat Ioannes, quidquid est contra iustitiam moraliū virtutum facilè principē peccatum esse. Beda iustitiæ nomē ad eam iustitiā refert, qua homines, & dicūtur, & verè iusti sūt; sed ea perpetuò *δικαιοσύνη* nūcupatur. Sunt igitur qui dicāt, omnia peccata, quæ rationē sunt contra Deum, eiusque diuinā legem, quæ iustitiæ æquitatem cōtinet, esse quodāmodo cōtra iustitiam

c cap. 3. 4.

Ego crediderim, Apoſtolum id explicare, quod proximè dixerat de peccato non ad mortem, & ad mortem, quaſi dicat: nolite mirari ſi quædam peccata dixi eſſe non ad mortem, quædam autem ad mortem. Fateri enim neceſſe eſt, quidquid fit contra iuſtitiam, peccatum eſſe, non tamen ad mortem. ſic enim habent Græci codices, *οὐ πρὸς θάνατον*, quos Syriacus ſequutus eſt.

II. Latinus tamen Interpres non videtur legiſſe negationem, atque ita dixit: *Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem.* Non per eode quaſi ſignificet quælibet peccata, quæ cum iuſtitia pugnant, peccata eſſe ad mortẽ, ſed vt poſitam à ſe peccatorũ diſtinctionem confirmet, quaſi dicat: rectè diſtinxi inter peccatum non ad mortẽ, & ad mortem. Nam præter multa, quæ contra iuſtitiam peccantur, quæ quia non ſunt ad mortem, facilè expiari, & condonari poſſũt: quoddam peccati genus reperitur quod dicitur ad mortem, cuius difficilis, & laborioſa eſt expiatio. Quocirca omnino fatendum eſt, magnum eſſe inter peccata diſcrimen, ſtultéque olim non ſolùm Stoicos, ſed etiam Iouinianum hæreticum ſenſiſſe, qui omnia peccata æqualia eſſe arbitrabantur. Quin etiam hac Apoſtoli ſententia ſuperioris, & noſtri ſæculi hæretici refelluntur, qui diſcrimen inter peccata venialia, & mortalia, vt ſuprà indicaui, vel non admittunt, vel perperam interpretantur. Vt enim ait Beda, quædam interdum etiam iuſtis, & ſanctitate claris leuiter excidunt, quæ tamen gratiam, & caritatem non excludunt.

III. De his procul dubio loquitur Iacobus [a], cùm ait: *In multis offendimus omnes.* Itemque hic noſter [b], cuius hæc ſunt verba: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et ſi dixerimus, quia non peccauimus, mendacem facimus Deum.* Et in eamdem ſententiam Salomon [c]: *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Neque enim, vt alibi monui, audiendi ſunt illi, qui hæc, & id genus alia, quæ in ſacris literis, & apud ſanctos Patres leguntur, de lethalibus criminibus accipiunt. Quis enim ferat eum, qui, quod hæretici maximè contendunt, non poſſe quemquam, abſque graui piaculo, aſſerat vitam traducere? ſed nimirum illæ indicantur leuiores noxæ, pro quibus ait Auguſtinus, omnibus ſanctis verè, atque ex animo illa orationis Dominicæ verba vſurpanda eſſe: *Dimitte [d] nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Senſus igitur Apoſtoli, ſi ſequamur Latinum Interpretem, eſt; multa peccata ſunt contra iuſtitiam, quæ quia non ſunt ad mortem, pro iis preces ad Deum fundendas cenſui magna ſpe veniæ impetrandæ. Eſt præterea peccatum ad mortem, pro cuius expiatione non eſſe orandum monui, quia certam ſpem veniæ polliceri non poſſum.

a cap. 3. 2.
b c. 1. 8. 10.
c Prou. 24. 16.
d Matth. 12.

18 *Scimus, quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat. Sed generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tangit eum.*

I. Hoc etiam inter effecta ſpei, ac fiduciæ recenſendum eſt. Similem autem, vel eamdem potiùs ſententiam dixerat ſuprà [a], & idcirco quæ ibi dicta ſunt à nobis, huc poſſunt commodè transferri. Addam hic quædam ex S. Bernardo, quæ vtrique loco lucem aliquam afferre poſſunt. Is igitur alicubi [f] cùm hæc Ioannis verba protuliſſet, illico ſubdit: *Non peccat* (inquit) *id eſt, non permanet in peccato, quia conſeruat illum vtique, vt perire non poſſit, ea, qua falli non poteſt, generatio cæleſtis: ſiue non peccat, id eſt, tantumdem eſt, ac ſi non peccet, pro eo ſcilicet, quod non imputatur ei peccatum; generatio enim cæleſtis etiam in hac parte conſeruat illum.* Ita videtur cæleſtem generationem interpretari diuinam prædeſtinationem, atque electionem. Quocirca confeſtim ſubiicit: *Sed generationem iſtam quis enarrabit? Quis poteſt dicere, ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc (inquam) dicere poteſt? reclamante nimirum Scriptura: Neſcit homo ſi ſit dignus amore, an odio.* Si igitur hanc ſententiam ſequamur, prædeſtinati nati ſunt ex Deo eximia quadam, planeque ſingulari ratione: & idcirco dicuntur non peccare, quia in peccato ad extremum vſque vitæ ſpiritum non perſeuerant. Hæc quippe cæleſtis generatio, hoc eſt, diuina prædeſtinatio certo, atque immutabili conſilio ad vitam illos deſtinat ſempiternam, atque idcirco ſi fortè labantur, & errent, excitat illos, & reuocat in viam, atque illos confirmat, vt nullo modo pereant. Sic enim dixit Chriſtus de ouibus ſuis: *Non rapiet eas quiſquam de manu mea, & non peribunt in æternum.*

a cap. 3. 9.
f ſer. de ſeptuag.

II. Alibi [a]: *Neque* (inquit) *hic poſſumus penitus eſſe ſine peccato, & miſeria: poſſumus tamen gratia iuuante nec peccato ſuperari, nec miſeria. Quamquam tamen Scriptura loquatur: Omne, quod natum eſt ex Deo, non peccat, ſed hoc dictum eſt de prædeſtinatis ad vitam, non quòd omnino non peccent, ſed quod peccatum ipſis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in caritate abſconditur, caritas quidem operit multitudinem peccatorum: & beati, quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Et beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Ita vides perpetuo Bernardum hæc, & ſimilia Ioannis verba de prædeſtinatis accipere, quos diuina prædeſtinatio aut integros, ac puros, & ab omni peccati labe immunes cuſtodiat, aut gratiæ beneficio expiat, & pœnitentia peccatorum ſordes abluit, ita vt nemo ex illis abſque gratia, & caritate diem claudat extremum. Et non immeritò dicit Apoſtolus, *ſcimus*, quia certiſſimum eſt neminem prædeſtinatorum ita aliquando peccaturum, vt pereat. Sed quoniam, vt ſuperiori loco dixit Bernardus, diuina prædeſtinatio occulta eſt, & mortalibus penitus ignota, nemo poteſt ſibi, ſi fortè peccet, reſipiſcentiam, & legitimam pœnitentiam polliceri. Quod autem addit Ioannes: *Et malignus non tangit eum*, ſi referatur ad prædeſtinatos, ſignificat, non poſſe dæmonem eos omnino vincere, ac ſuperare, & quaſi mancipia in ſuam poteſtatem traducere.

a lib. de gratia & libero arbitrio.

III. Auctor [b] verò libri de natura, & dignitate amoris diuini, qui tribuitur à multis ſancto Bernardo, ſic planè de hoc loco diſſerit: *Itaque (ait) quiſquis ille eſt, ſicut dicit B. Ioannes, ſecundùm hoc quod natus eſt ex Deo, id eſt, ſecundùm interioris hominis rationem in tantum non peccat, in quantum peccatum, quod corpus mortis foris operatur, odit potius, quàm approbat, ſemine ſpiritualis natiuitatis, quo ex Deo natus eſt, eum interius conſeruante. Quod etſi interim aliquando incurſu peccati læditur, & atteritur, radice tamen caritatis in altum defixa non perit, imo ſtatim fæcundius, & viuacius conualeſcit in ſpemborum fructum, & ſurgit. ſic enim dicit B. Ioannes: Omnis enim, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, qui ex Deo natus eſt. Notanda vis verborum. Non (inquit) peccatum facit, quod patitur potius quàm facit, qui natus eſt ex Deo, & non poteſt peccare, perſeuerando ſcilicet in peccato, dum legi Dei, cui mente ſeruit etiam carnem feſtinat ſubigere, quia tentatione, & peccato incurrente legi peccati videbatur ſeruire.* Sed vt verũ fatear, neſcio vtrùm quæ hic Auctor dicit, ſint omni ex parte probanda. quod enim

b cap. 6.

initio

initio ait, natum ex Deo non peccare, *quia peccatum quod corpus mortis operatur, odit potius, quam probet.* de vero peccato, quod absque libero voluntatis consensu numquam admittitur, intelligi nullo modo potest. Ferendum esset, si de illecebris, atque incitamentis peccati loquatur, de quibus agit Apostolus, cùm ait: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

IV. Verùm hæc ad huius loci explicationem nihil pertinent; loquitur enim Ioannes de peccato, quod sponte, ac liberè perpetratur, quod quidem non, vt iste ait, voluntas patitur, sed re vera agit, sine cuius consensu nequit peccatum intelligi. Illud vtcúmque ferri potest, quod ait, natum ex Deo nō posse peccare, perseuerando scilicet in peccato. Sed quomodo id diuinum semen, aut cælestis generatio peccatum, & peccandi vim prohibeat, non explicat. Quin etiam quæ paulo post subdit, vix possunt ab errore excusari: *Petrus* (inquit) *cùm peccauit, caritatem non amisit, quia peccauit potius in veritatem, quàm in caritatem, cùm se non esse mentitus est in re, cuius totus erat in corde, ideóque negationem falsitatis continuò lacrymis lauit veritas caritatis.* Quæ si accipiantur de caritate diuina, & supernaturali, quæ est propria iustorum, omnino falsa sunt. Nec enim potuit caritas cum tam graui periurio consistere; admitti potest, retinuisse Petrum caritatem, & beneuolentiam naturalem, qua mirificè Christum diligebat, sed ea non potuit pœnitentiæ lacrymas excitare.

V. Nihilo magis probanda sunt, quæ asserit de Dauide: *Sic* (inquit) *& Dauid cùm peccauit, caritatem non perdidit, sed obstupuit quodam modo in eo caritas ad vehementem tentationis ictum, & caritatis in eo nequaquam facta est abolitio, sed quasi quædam soporatio, qua mox, vt ad vocem arguentis Prophetæ euigilauit, continuè in illam ardentissimam caritatis confessionem erupit. Peccaui Domine: & continuò audire meruit: Dominus transtulit à te peccatum tuum: non morieris.* Hæc enim omnia si ad Theologicæ Catholicæque doctrinæ amussim exigantur, nulla queunt ratione defendi, cùm extra controuersiam sit tam Petrum, quàm Dauidem lethaliter peccasse, atque adeò tantisper gratia, & caritate fuisse spoliatos. Vt igitur redeam ad Apostolum, rectè hoc loco ait OEcumenius, indicare voluisse Ioannem, *eum qui adoptatus à Deo in filium est, neque ad mortem, neque non ad mortem vmquam esse peccaturum: quippe cùm semel inhabitanti in se per adoptionem Christo sese dediderit, intactus, atque impollutus à peccato permansurus sit.* Quod autem supra dixerit Ioannes, natum ex Deo non posse peccare, non dubium eo modo accipiendum esse, quo multa in sacris literis fieri non posse dicuntur, quia non sine aliquo incommodo, aut magna difficultate, absurditatéue peraguntur. Sic olim Ioseph adulterium fœminæ suadenti dixit[a]: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* significans nimirum se officio prohiberi, quominus posset tantum scelus patrare. a Genes. 39. 9.

VI. Eadémque ratione Ieremias[b]: *Si mutare* (inquit) *potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Non quòd id fieri [illegible] nulla ratione queat, sed quòd sit omnino difficillimum: & in nouo Testamento Christus Dominus apud Matthæum dixit[c]: *Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Quis autem dubitet, posse illos simpliciter [illegible], & absolutè lugere, & ieiunare: sed nimirum id ab eorum vi- b cap. 13. 23. c cap. 9. 15.

deri potest aliquo pacto alienum. Rursus apud eumdem[a]: *Progenies* (inquit) *viperarum quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Et apud Ioannem[b]: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Hæc, & id genus alia sexcenta planè indicant, ita dici, fieri non posse, quæ magnâ cum difficultate fiunt. a cap. 12. 34. b cap. 5. 44.

Cùm itaque Ioannes ait, natum ex Deo non peccare, & non posse peccare, significat vim, atque efficacitatem diuinæ gratiæ tantam esse, vt nisi eam sponte quis abiiciat, ne possit quidem peccare. Quocirca supra dixit[c]: *quia semen Dei manet in eo:* hic autem: *Generatio* (inquit) *cælestis conseruat eum.* quod, vt ait OEcumenius, idcirco dictum est, ne quisquam putet, huiusmodi hominem naturam prorsus ita immutasse, vt peccare in posterum ampliùs non possit. Et aliquanto post: *Non igitur* (inquit) *natura in impeccabilem statum prouehimur. sed ex Dei munificentia, qui in filios nos adoptando hac gratia nos dignauit, vt si nos donum eius nobis diligenter custodiamus, ac conseruemus, possimus etiam non peccare.* c cap. 3. 9.

VII. Diuinæ igitur gratiæ præsidio iusti in bono perseuerant; nam, vt ait Augustinus[d], *nec de perseuerantia boni voluit Deus sanctos suos in propriis viribus, sed in seipso gloriari, qui dat eis adiutorium, non quale primo homini dedit, in quo perseuerare possint, si velint, sed in eis etiam operatur velle, vt quoniam non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis possibilitas, ac voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur.* Mox autem explicans, quânam id ratione fiat, subiicit: *Tantum quippe Spiritu sancto voluntas eorum accenditur, vt ideo sic possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint. Nam si in tanta infirmitate naturæ, in qua tamen infirmitate ob elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent. Nec si Deus in eis operaretur, vt vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ità vellent infirmitate voluntatis, vt possent.* Neque his contentus vim, & efficacitatem gratiæ magis explicans addit: *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur.* d l. de corr. & grat. c. 12.

VIII. Atque ita meritò subdit Apostolus: *Et malignus non tangit eum*, ita videlicet, vt vincat. Nam alioqui incredibile dictu est, quanto nisu, conatúque iustos diabolus oppugnet, sed, vt ait Apostolus[e], *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Paucis igitur Ioannes vim diuinæ gratiæ explicat, qua iusti adeò confirmantur, vt nullis dæmonum oppugnationibus vinci, aut superari queant. Itaque Iob[f] verè dicebat: *Pone me iuxta te* (quod fit beneficio gratiæ, & caritatis) *& cuiusuis manus pugnet contra me.* Et Dauid[g]: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, quoniam tu mecum es. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Alibi[h]: *Fortitudo* (inquit) *& laus mea Dominus, factus es mihi in salutem.* Egregiè verò Ambrosius[i] de gratiæ & caritatis vi hunc in modum disserit: *Generaliter quidem caritas excludit timorem, vt miles, qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore suscepta non metuit, vt seruus amans dominum, quamuis per dubia, & per rupta mittatur, tamen omnia pericula domini amore contemnit, ac si quis Dominum petat, se ipsum offerat* e 1. ad Cor. 10. 13. f cap. 17. 3. g Psal. 26. 3. h Ps. 117. 14. i in Ps. 118. lit. 9.

efferre non trepidas, vt qui trans mare positos filios videre desiderat, non metuat naufragia, liberorum caritate ingreditur maris fluctus, subit incerta nauigij, sed metum discriminis leuant desideria filiorum. Quàm pulchrè etiam de martyribus dicitur, qui verè militant Christo, qui persecutiones, vngulas, gladios, incendia non timentes infestis se Regibus obtulerunt.

IX. Hoc diuinum caritatis robur perceperat Paulus, qui ad Romanos[a] scribit. *Quis ergo nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Eodem pertinere putat Augustinus[b], quod scriptum est in Canticis[c]. *Fortis est vt mors dilectio. Magnificentiùs exprimi non potuit fortitudo caritatis, quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, vndis, ferro, resistitur potestatibus, resistitur regibus. Venit vna mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius, propterea viribus eius caritas comparata est: quia enim ipsa caritas occidit, quod fuimus, vt simus, quod non eramus, facit in nobis quamdam mortem dilectio. Ista morte mortuus erat, qui dicebat[d]: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Ista morte mortui erant quibus dicebat[e]: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

a cap. 8. 35.
b in Ps. 12.
c cap. 8. 6.
d ad Gal. 6. 14.
e ad Coloss. 3. 3.

X. Eamdem mortis comparationem explicans Gregorius[f]: *Rectè* (inquit) *per Salomonem dicitur: Fortis est vt mors dilectio, quia videlicet sicut mors corpus interimit: sic ab amore rerum corporalium æterna vita caritas velut insensibilem reddit.* Et mox allato B. Agnetis exemplo: *Non enim* (inquit) *sancta hæc, cuius hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, si priùs à terrenis desideriis mortua non fuisset in mente. Erectus namque in virtutis culmine animus tormenta despexit, præmia calcauit, ante armatos Reges, & Præsides inuicta stetit feriente robustior, iudicante sublimior.* Hanc itaque ob causam Ioannes ait, eum, qui natus est ex Deo, à maligno non tangi, hoc est, nequaquam vinci, ac superari; siquidem, vt rectè ait Augustinus[g], iusti nunc validiori gratia confirmantur, quàm olim primus noster parens; illa siquidem prima gratia faciebat, vt haberet homo iustitiam si vellet: secunda (qua nunc iusti perfunduntur) plus potest, qua etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat. Quocirca Paulus ait[h]: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et Dauid[i]: *Scuto* (inquit) *circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & Dæmonio meridiano.*

f hom. 11. in Euang.
g lib. de cor. & grat. c. 12.
h Philip. 4. 13.
i Psal 90. 5.

XI. Hæc porro omnia generatio cælestis efficit, quæ mentem illuminat, appetitiones inflammat, cor dilatat, omnes animi facultates roborat, vno verbo hominem ad diuinam propemodũ naturam euehit, atque extollit, adeóque cum Deo coniungit, vt verè affirmare possit, habere se Deum in se ipso, séque totum esse in Deo. Inde enim haurit diuinum quoddam robur, de qua hunc in modum loquitur Prosper[k]: *Hæc animi fortitudo ab illo est nobis cui cum Propheta cantamus. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroboras, vt animam nostram nec*

k lib. 3. de vita contẽ. cap. 23.

A *blanda dissoluant, nec aduersa deiiciant, & tunc laus nostra Dominus sit, si non nos de muneribus Dei, sed diuina in nobis cupiamus munera prædicari.* nimirum *diuina gratia*, vt ait Apostolus, *operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Quamquam enim negari non potest, suam etiam vim, atque energiam libero arbitrio tribuendam esse, sed, vt ait Augustinus[a], *præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet, de quo dictum est: Deus est, qui operatur in vobis & velle.*

a l. de grat. & lib. arbit. cap. 16.

Quamobrem rectè addit, vt cuncta diuinæ gratiæ accepta referenda esse doceat: *Certum est enim nos mandata seruare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum.* Et paucis interiectis: *Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. Qui dixit, faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Id autem planiùs explicans subdit: *Cùm dicit, faciam, vt faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis, & dabo cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis?* Hac igitur gratia prædit facilè omnes dæmonis conatus eludunt, & perceptam gratiam, & caritatem ad extremum vsque vitæ spiritum constantissimè retinent. De quibus Ioannes in Apocalypsi ait, vicisse illos *in sanguine Agni*, hoc est, merito pretiosissimi sanguinis Christi pro hominum genere effusi, inde enim omnis gratia, & diuina omnia charismata profluxerunt. Atque hæc est cælestis generatio, quæ iustos conseruat & à dæmonis imperu protegit, ac tuetur. Verùm quod attinet ad verba, Græci codices habẽt, ὁ γεννηθεὶς, hoc est, tamquam genitus à Deo, nihil immutata sententia. Videtur autem Interpres legisse γέννησις, vel sententiam, non verba sequutus est.

XII.

19 *Scimus, quoniam ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est.*

Quoniam dixerat, eos, qui nati sunt ex Deo, non peccare, & à maligno non tangi, ita vt prosternantur, & superentur, blandè discipulos recreat, & in spem erigit, cùm eos affirmat ad numerum filiorum Dei pertinere, atque adeò ab eorum cœtu alienos, & segregatos esse, qui maligno, hoc est, dæmoni obsequuntur, & parent. *Scimus* (inquit) *quoniam ex Deo sumus*, hoc est, ab illo gratiæ, & caritatis beneficio geniti, *quasi noua creatura*, vt loquitur Paulus. Baptismus enim spiritalis quidam ortus est, de quo dixit Christus apud Ioannem: *Oportet vos nasci denuò: & nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Quia igitur ij ad quos scribit Apostolus, baptismo lustrati erant, meritò eos Dei filios nominat, ex eo videlicet numero, de quibus hic ipse in Euangelio dicit[b]: *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ita magnum planéque singulare Dei beneficium indicat, cùm præsertim addat: *Et mundus totus in maligno positus est.*

I.

b Ioan. 1. 12.

II. Quasi dicat est, quod ingentes Deo gratias agatis, qui vobis gratiam, & caritatem suam impertiunt, cùm

innu

innumerabiles adhuc in errorum tenebris ver[illegible]tur,
vósque adeò diuino propemodum robore confir-
matos aduersùs omnes dæmonis impetus armaue-
rit, vt nihil vobis ab illo metuendum sit, cùm cæteri
omnes mortales eius durissimo iugo premátur, eiq;
miseram seruiant seruitutem. Mundum enim, vt ait
OEcumenius, appellat eos, qui nondum fidem per-
ceperant, neque baptismi gratiam adepti erant. Illi
namque omnes dæmoni suberant, eúmque pro nu-
mine colebant. Eruit igitur Christus fideles à pote-
state tenebrarum, & transtulit in admirabile regnum
suum, cuius eximij beneficij commemoratione fide-
les non solùm confirmat, sed eorum memorem, &
a ad Tit. 3. 5. gratam voluntatem excitat: *nō enim, vt ait Paulus*[a], *ex*
B *operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm magnā mi-
sericordiam suā, regenerauit nos, & saluos nos fecit per laua-
crum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem
effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem no-
strū, vt iustificati gratia ipsius, heredes simus secundùm spem
vitæ æternæ*. Bene autē ominatur Apostolus; sic enim
faciendum esse monuit Augustinus cùm de prima, aut
de secunda persona sermo est. Quocirca cùm se quo-
que Apostolus cum cæteris fidelibus numeret, meri-
tò se, & alios ab infidelium numero segregat. Quod
autem ait, *scimus*, non solùm fidei certitudinem, sed
respectu baptismi, atque externæ professionis fi-
dei rei euidentiam indicat. Constabat enim fide-
les & baptismo esse expiatos, & Christo nomina de-
C disse, atque adeò inter fideles numerari. Dixit au-
autem mundum totum positum esse in maligno,
quia re vera initio nascentis Ecclesiæ idololatria
vbique gentium regnabat, vt meritò dæmon mun-
di princeps posset appellari. Ita Mundi nomen
vsurpauit Ioannes in Euangelio: *In mundo* (inquit)
*erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non
cognouit*.

III. Et Paulus[b]: *Non est* (inquit) *nobis colluctatio aduersùs
b Eph. 6. 12. carnem, & sanguinem, sed aduersùs principes, & pote-
states, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum*. Re-
c Psal. 54. ctè autem monet Augustinus[c]: *Ne fortè, cùm dixis-
set mundi, intelligeres dæmones esse rectores cœli, & ter-
ræ, mundi dixit tenebrarum harum: mundi dixit, ama-
D torum mundi, mundi dixit, impiorum, & iniquorum,
mundi dixit, de quo in Euangelio dixit: Et mundus eum
d 2. ad Tim. 2. 26. non cognouit*. Hunc, ni fallor, spectabat Paulus,[d] cùm
de infidelibus dixit: *A quo captiui tenentur ad ipsius
voluntatem*. dixerat enim: *Corripientes eos, qui resi-
stunt, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscen-
dam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis*. His vi-
delicet laqueis impliciti iure optimo dicuntur po-
siti in maligno. Nec dubium est, maligni nomine
tam in superiori, quàm in hac sententia dæmo-
nem significari, qui cùm à Deo vnà cum natura
gratiam, caritatem, & sanctitatem percepisset, spon-
te sua bona illa omnia abiecit, & vitio suo fa-
ctus est nequam, & malorum omnium princeps:
e 1. ep. c. 5. 8. E quapropter monet Petrus[e] eius insidias sedulò ac
diligenter cauendas esse: *Sobrij* (inquit) *estote, & vi-
gilate; quia aduersarius vester diabolus tanquam leo ru-
giens circuit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in
fide*. Et hic ipse noster eidem fidei victoriam tribuens
supra dixit: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides
nostra*.

20 *Et scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis
sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in ve-
ro Filio eius: hic est verus Deus, & vita æterna.*

I. *Nihil* (inquit OEcumenius) *vetaret, quominus nos
quoque inter pereuntes connumeraremur, quippe cùm cogi-*

A *tatio hominis ad praua à iuuentute sua studiosè incumbat,
quemadmodum diluuij tempore Deus pronunciauit. Sed
quia* (inquit) *Filius Dei venit, & mentem nobis dedit,
id est, scientiam, qua interna animi notione ipsum verum
Deum agnoscimus, & in ipso vero Filio ipsius Iesu Chri-
sto sumus, ex huius magnifico dono, hunc esse verum
Deum, & vitam æternam perspicimus, atque illæsi à pra-
uo, & scandalis eius permanemus*. Ita indicat hæc
superioris sententiæ rationem continere. Ego ma-
lim esse quasi totius Epistolæ compendium, ini-
tiò enim docuerat, Christum ad nos liberandos
mortalitate indutum sese spectandum hominibus
præbuisse: eius deinde plura in nos collata bene-
ficia commemorauit, inter quæ fides, & diuino-
B rum mysteriorum scientia recensetur: denique Chri-
sti diuinitatem subinde indicauerat. Hæc igitur om-
nia breui quadam anacephalæosi complectitur: *Sci-
mus* (inquit) *quoniam Filius Dei venit*. hoc est, hu-
manam sibi naturam copulauit, & inter morta-
les viuere cœpit. De quo egregiè Abacuc[a]: *Hic* a cap. 3. 36.
est (inquit) *Deus noster, & non æstimabitur alius ad-
uersùs eum; hic adinuenit omnem viam disciplinæ, &
tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo:
post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuer-
satus est*. Quem locum diligenter expendit Hila-
rius[b]. Sic etiam Paulus[c]: *Vbi venit* (inquit) *pleni-* b lib. 4. de Trin.
tudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex mu- c ad Gal. 4. 4.
*liere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redime-
C ret, vt adoptionem filiorum reciperemus*. Filium autem
Dei procul dubio intelligit, non adoptione, sed
natura Filium, de quo initio Epistolæ dixerat, *quod
fuit ab initio*. Et in Euangelio[d]: *In principio erat Ver-* d c. 1. 1.
*bum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat
Verbum*. Et post nonnulla[e]: *Et Verbum caro fa-* e vers. 14.
*ctum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius,
gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & ve-
ritatis*.

Et dedit, inquit hoc loco Ioannes, *nobis sensum*, II.
Græcè [illegible], non quidem mentem, & ipsam in-
telligendi facultatem, quam habemus à natura, sed
vim quamdam intelligendi significat, quia Chri-
stus aduentu suo hominum mentes cælestis do-
D ctrinæ luce perfudit, vt ea cognitione assequantur,
quæ naturæ viribus ne leui quidem suspicione at-
tingere potuissent. Quamobrem verè dixit Isaias[f], f cap. 55. 4.
cùm de Christo vaticinaretur: *Ecce testem populis de-
di eum, ducem, ac præceptorem Gentibus*. Et mox de
Gentium conuersione: *Ecce* (inquit) *gentem, quam
nesciebas, vocabis, & gentes, quæ te non cognouerunt,
ad te current propter Dominum Deum tuum, & san-
ctum Israël, qui glorificauit te*. Quem locum egregiè
aduersùs Iudæos obseruauit Iustinus[g] Martyr; at- g Dial. cum Tryphone.
que idcirco hic noster in Euangelio[h] dixit: *Erat lux* h Ioan. 1.
*vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum*. Attulit enim cælestis doctrinæ lucem, hoc
est, fidei perfectionem, quam Clemens[i] Alexandri- i lib. 1. Pædag. c. 6.
E nus doctrinæ perfectionem vocat, cui nihil desit: est-
que eximium diuinæ gratiæ beneficium, de quo præ-
clarè loquitur Augustinus[k]: *Qua gratia* (inquit) *agi-* k de grat. Chri. c. 12.
*tur non solùm, vt facienda nouerimus, verumetiam vt co-
gnita faciamus, nec solùm vt diligendo credamus, verum-
etiam vt credita diligamus*. Mox autem.

Hæc gratia (inquit[l]) *si doctrina dicenda est, certè sic
dicatur, vt altiùs, & interiùs eam Deus cum ineffabi-* III.
li suauitate credatur infundere non solùm per eos, qui plan- l cap. 13.
*tant, & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui
incrementum suum ministrat occultus: ita vt non osten-
dat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat
caritatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundùm propo-
situm vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, &*

quod sciunt agere. Quamobrem Paulus Apostolus A
Christum vocat auctorem fidei, & consummato-
rem: dum enim fidem largitur, facultatem tribuit
intelligendi: sic enim ex interpretatione LXX. dixit
a cap. 7. 9. Isaias [a]: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quò spectans
b lib. 2. stromat. Clemens [b] Alexandrinus: *Qui ex fide (inquit) commu-
nari instituerit, is ad diuinorum verborum susceptionem
firmus est, ac stabilis, vt qui iudicium, quod bona nititur ra-
tione, nempe fidem habeat. Eum autem hinc ex redundanti
copia sequitur persuasio. Hoc itaque erit illud propheticum:
Nisi credideritis, non intelligetis.*
IV. Eadem verò mente loquitur Tertullianus [c], cùm
c lib 4. in Marcion. enim ageret de fide hæmorrhoissæ: *Hæc* (inquit) *erat
fides, qua contulerat etiam intellectum: Nisi credideritis*
d Catech. 5. (inquit) *non intelligetis.* Eam ob causam Cyrillus [d] Hie- B
rosolymitanus: *Oculus* (ait) *omnem illuminans conscien-
tiam est fides, & intelligentiam efficiens; dicit enim Prophe-*
e Apud Prosper. in sent. *ta: Nisi credideritis, non intelligetis.* Sic Augustinus [e]:
Intellectus (inquit) *fides viam aperit, infidelitas claudit.*
f ser 12. c. 28. Egregiè verò Ambrosius [f]: *Vbi* (inquit) *fides integra est,
ibi Saluator docet, vigilat, & exultat, ibi requies, ibi tran-
quillitas, ibi consiliorum & medicina.* Sed omnium opti-
mè diuinæ fidei vim, ac supranaturalis scientiæ
g Hom. 23. in Act. Apo. sub finem. facultatem explicat Chrysostomus [g]. *Abyssus* (ait)
*quæstionum Scriptura est, quas si soluerimus, non omnino
soluimus, sed iuxta humanam rationem: propria earum
solutio fides est, scire quòd omnia iustè, & misericorditer
Deus, ac vtiliter facit, quia possibile non est, vt ratio illis ca-
piat, vnde hæc solutio est, & hæc non est alia melior. Et si* C
*hoc tibi ipsi persuaseris, quòd prouidentia Dei omnia dis-
pensentur, alia quidem permittente ob causam sibi cognitam,
alia verò operante, liberaberis à quæstionibus, & solutionis
lucrum acceperis.* Hæc igitur atque id genus alia per-
multa indicat Ioannes, cùm ait, Filium Dei dedisse
nobis sensum.
V. Huius porro diuinæ scientiæ præcipuam partem
explicat, cùm subdit: *Vt cognoscamus verum Deum,*
illa videlicet cognitione, de qua loquitur Aposto-
h 1. ad Cor. 13. 9. lus Paulus [h]: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte
prophetamus.* Et rursus: *Videmus nunc per speculum in
ænigmate.* Perfecta enim cognitio beatorum est pro-
pria, de qua idem Apostolus: *Tunc autem* (hoc est,
videbimus) *facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc* D
i cap. 3. 2. *autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et hic noster [i]
supra: *Scimus, quoniam cùm apparuerit similes ei erimus,
quoniam videbimus eum, sicuti est.* Est fateor à natura
nonnulla Dei cognitio hominum mentibus indi-
k Psal. 4. 7. ta, vt significat Dauid his [k] verbis: *Signatum est super
nos lumen vultus tui Domine.* In quem locum ait
Chrysostomus: *Non dixit, resplenduit, non dixit, ap-
paruit, sed signatum est, significans, quod quemadmo-
dum, quod in fronte signatum est, omnibus est manife-
stum, nec fieri potest, vt id aliquem lateat, nec visum luce
plenum, & radios potest quis ignorare: ita* (inquit) *nec
tuam, Domine, prouidentiam. vt enim lex signata, hoc est,
impressa, & insculpta, est manifesta omnibus, ita etiam
prouidentia tuæ benignitatis.* Eamdem indicat Aposto- E
l ad Rom. 1. 19. lus [l] assecutos fuisse Philosophos, dum ait, *quod notum
est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifesta-
uit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ fa-
cta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius
virtus, & diuinitas.*
VI. Quin etiam eam Dei cognitionem omnibus
m lib. 5. stromat. fuisse communem docuit Clemens [m] Alexandrinus:
Nullum (ait) *vnquam genus neque agricolarum, neque
pastorum, neque eorum qui versantur in ciuitatibus, potest
viuere, nisi eius, quod est præstantius, ac melius fide præoc-
cupatum, præuentúmque fuerit. Quamobrem vniuersa
quidem gens Orientalium, & quæ pertinet ad Occiden-
tem, Septemtrionem, & Austrum vnam habet, & eamdem*

A *anticipatam notionem de principatu eius, qui constituit,
siquidem quæ sunt vniuersa, & maximè generales eius ope-
rationes, omnes ex æquo peruaserunt. longè autem magis
qui apud Græcos curiosi fuere Philosophi, à Barbara moti
Philosophi sunt, qui non cadit sub aspectum, & est solus, &
potentissimus, & artifex maximus, & eorum quæ sunt pul-
cherrima, auctor præcipuus, dedere prouidentiam.* Idem
verò elegantissimè docuit Gregorius Nazianzenus [a] a Or. 2. de Theolog.
sic planè disserens. VII.
*Quòd Deus sit, ac princeps quædam causa omnium re-
rum procreatrix, & conseruatrix, tum oculi ipsi, tum lex
naturalis docet: illi dum rebus in aspectum cadentibus
aciem affigunt, eásque & egregia stabilitate præditas esse, &
progredi, atque immotè, vt ita dicam, moueri, voluique per-*
B *spiciunt: hæc autem dum per res oculis subiectas, præclaré-
que constitutas auctorem earum coniectura quadam colli-
git, atque assequitur. Quemadmodum enim quispiam
citharam pulcherrimè elaboratam conspiciens, eiúsque
concinnitatem audiens, nihil aliud quàm ipsum citharæ
conditorem, atque citharœdum mente reputat, licèt de fa-
cie ipsi ignotum. Eodem quoque modo nobis is, qui res
vniuersas procreauit, eásque mouet, & conseruat, sese de-
clarat, etiamsi animis nostris, ingeniísque comprehendi
nequeat. Ac nimis profectò absurdus, & præposterus est,
quisquis non huc vsque sponte sua progreditur, nec argu-
mentis naturalibus cedit, verùm hos quoque inficiatur,
Deum esse.* Neque aliter sentit Hieronymus [b], cuius b ad Gal. 1.
hæc sunt verba: *In Euangelio dicitur: Erat lux vera,*
C *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-
dum, ex quo perspicuum fit, natura omnibus Dei inesse no-
titiam, nec quemquam sine Christo nasci, & non habere
semina in se sapientiæ, & iustitiæ, reliquarúmque virtu-
tum. Vnde multi absque fide, & Euangelio Christi vel sa-
pienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentibus obsequan-
tur, vt inopi manum porrigant.* VIII.
Plurima quoque de hac naturali Dei scientia
aduersùs Iulianum Apostatam scribit Cyrillus [c] c lib. 8. con. Iulian.
Alexandrinus, & Hermetis testimonio probat, ni-
hil esse Deo fulgidius, eúmque idcirco omnia fe-
cisse, vt eorum intuitu ipse vtcumque cerneretur;
additque Iulianum ipsum affirmasse cognitionem
Dei rem esse, quæ doceri nequeat, sed per se disca-
D tur ab hominibus. *Quid autem doceri nequeat cons etiu-
ra* (inquit) *nobis sit primum commune studium erga dei-
tatem, quod est omnibus hominibus priuatim, & publicè
vbicumque viri sunt, & gentes: omnes enim absque docto-
re deitatem quandam credimus.* Haud secus Lactan-
tius [d] Firmianus probat Poëtas, Philosophos, & Si- d lib. 1. diuin. institu. c. 5 & 6.
byllas apud Ethnicos vnum Deum cognouisse. De-
nique Damascenus [e]: *Omnibus* (inquit) *cognitio existen- e lib. 1. de fide orthod. c. 2.
di Deum naturaliter est indita.* Verùm cùm hæc na-
turalis cognitio multorum vitio magna ex parte
obliterata esset, & innumerabilibus erroribus infu-
scata, has errorum nubes, ac tenebras Christus Do-
minus sua luce discussit, & quantum fas est ho-
mini, diuinæ naturæ mysteria patefecit. Itaque
E apud Ioannem Apostolos his verbis affatur: *Iam
non dicam vos seruos, sed amicos, quia seruus nescit, quid
faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia
quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*
Hæc autem ipsa Dei cognitio à Christo Domi- IX.
no diuinitus tradita si per se spectetur, & cum ip-
sa Dei natura conferatur, rudis est, & inchoata,
adeò vt inter omnes Theologos conueniat, posse
quidem nos certò cognoscere Deum esse; quid,
autem re vera sit, & quæ diuinæ illi naturæ verè in-
sint neminem perfectè assequi posse, quin potiùs
faciliùs explicari, quid Deus non sit, quàm quid
re vera sit. Ita enim loquitur Clemens [f] Alexandri- f lib. 5. stromat.
nus: *Si ablatis omnibus, quæ adsunt corporibus, & iis, quæ*
di

dicuntur incorporea; nos ipsos proiecerimus ad Christi magnitudinem, & deinde in vastitatem, immensitatémque sanctitatis protulerimus, ad intelligentiam Omnipotentis vtcumque processerimus, non quod est, sed quod non est cognoscentes. Nec multo aliter loquitur Gregorius

a Or. 2. de Pasch.

Nazianzenus [a]; *Deus,* (inquit) *vniuersum id, quod est complectitur, nec principium habens, nec finem habiturus, quasi pelagus quoddam essentia immensum, & interminatum, omnem turè temporis, tum natura cogitationem superans, mente sola adumbrabilis, & quidem perexigui, atque perobscurè, non ex his, qua in ipso sunt, sed qua circa ipsum priusquam teneatur effugiens.* Et aliquanto post: *Immensus ita est Deus, contemplatúque difficilis, idque solùm in eo planè comprehendi potest, quod immensus sit.*

B

X. Eodem pertinent, quæ more suo scribit Chrysostomus, ad illa enim Dauidis verba: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, & non potero ad eam. Quamuis* (inquit) *sciam te omnia prescire, & me ex iis, qua non erant, fecisse, perfectam tamen, & manifestam tui non possum habere cognitionem, sed admirabilis facta est, hoc est, superauit captum meum, valitior facta est, quàm vt mea possit ratione comprehendi, adeò est admirabilis, & magna. Propterea enim subiunxit, non potero ad eam. Neque hoc dicit, ignoro Deum, sed perfectam, & vndique absolutam, & manifestam eius non habeo notitiam. Quod quidem dicit etiam Paulus, nam eum quidem esse scimus, quid sit autem substantia, nescimus. Quòd sit benignus, & clemens nouimus, quòd sit humanus, quod bonus, quantitatem verò ignoramus.* Post nonnulla verò: *Si scientiam* (inquit) *Dei non perfectè obtinuisti, quomodo nosti eam esse admirabilem? Propter hoc ipsum noui eam esse admirabilem, quòd meam superat rationem. nam radium quoque solarem non possumus apertè cognoscere, & tamen propter hoc ipsum eum maximè admiramur. Ita etiam de Dei cognitione, neque eam omnino ignoramus: eum enim esse scimus, & quòd est benignus, clemens, bonus & misericors, & quòd est vbique: quid sit autem substantia, vel quanta sint, que dicta sunt, vel quomodo sit vbique, hoc ignoramus.*

C

XI. In eamdem quoque sententiam multa scri-

b lib. 8. de Trin. c. 2.

bit Augustinus [b], alicubi enim ait: *In spiritalibus omne mutabile quod occurrerit, non putetur Deus. Non enim parua notitia pars est, cùm de profundo isto in illam summitatem respiramus, si antequam scire possimus, quid sit Deus, possumus iam scire, quid non sit. Non est enim certè nec terra, nec cælum, nec tale aliquid, quale videmus in cælo, nec tale aliquid, quidquid non*

c In Psal. 35.

videmus, & est fortasse in cælo. Et alio [c] quodam loco. *Intendat* (ait) *caritas vestra. Deus ineffabilis est, facilius dicimus, quid non sit, quàm quid sit. Terram cogitas? non est hoc Deus. Mare cogitas? non est hoc Deus. Omnia qua sunt in terra, homines, & animalia, non est hoc Deus. Quidquid lucet in cælo, stella, sol, & luna, non est hoc Deus. Ipsum cælum, non est hoc Deus. Angelos cogita, virtutes, potestates, Archangelos, Thronos, sedes, Dominationes, non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum potui dicere, quid non sit, quaeris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis*

d ser. 38. de verb. Dom.
e cap. 1.

ascendit. Rursus [d] explicans verba illa Ioannis [e]: *Et Deus erat Verbum. De Deo* (inquit) *loquimur: quid mirum, si non comprehendis? Si comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantia magis, quàm temeraria professio scientia. Attingere aliquantum to mente Deum magna beatitudo est: comprehendere autem omnino impossibile.*

D

XII. Hanc igitur veri Dei scientiam largitus est nobis Christus, rudem illam quidem, & inchoatam, eiusmodi tamen, quæ salutem afferre possit sempiternam, si quis ea rectè vtatur, hoc enim fide-

E

A

les omnes sciunt esse Deum humano cogitatu maiorem. Nec temerè exiguam sui notitiam largitus est Deus, tres enim potissimùm causas affert

a Orat. de Theol.

Gregorius [a] Nazianzenus: *Prima* (inquit) *ne ob adipiscendi facilitatem facilis quoque res quasita iactura sit, fit enim ferè, vt quod non sine labore, atque industria partum est, arctius quoque teneatur, quod autem nullo negotio comparatum est, citissimè vilescat, atque contemnatur, vtpote quod recuperari possit. atque ita in beneficium cedit non obuia illa, & exprompta beneficentia dumtaxat apud prudentes homines, atque cordatos. Altera, ne idem nobis, quod Lucifero illi prolapso accidat, qui toto illo fulgore perfusus aduersus Dominum omnipotentem ceruicem obdurauit, atque ob elationem corruit casu omnium miserrimo. Postrema, vt pro industria sua, illustrísque vita præmio vberius aliquid habeant, qui hic sese à vitiorum labe perpurgarint, ac rem adamatam, & expetitam patientibus animis expectarint.*

B

XIII. Alibi verò [b] cùm dixisset, *Dei notitiam tantùm*

b Or. 2. de Pasch.

principem nostri partem, eamque purgatam collustrare, quantum oculorum acies perstringit, fulguris celeritas haudquaquam permanentis. Mox subiicit: *Meo quidem iudicio vt quatenus cognosci potest, nos ad se trahat (quod enim nullo modo percipi potest, id nec sperat quisquam, nec admittitur) quatenus autem capi nequit, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehementius desideretur, desideratus purget, purgans autem Deiformes efficiat, cumque id consecuti fuerimus, iam velut cum familiaribus conuersetur.* Atque haud scio, à hanc postremam rationem mutuatus sit Gregorius ab Cypriano, si tamen is est auctor libri de operibus Cardinalibus. Ita enim hic Auctor scri-

C

c In præf. de operib. card.

bit [c]: *Orbi nostro se offert Deus, & aliquid luminis sui infundit inuitans, & prouocans. Nisi enim aliquo modo sentiretur, nec appetendi, nec inquirendi spes esset aliqua, vel facultas: sed quia ex parte sentitur, admirationi est odor ille, & sapor, nullam cum carnalibus dulcedinibus habens similitudinem, & per omnia suauitate differens, côque desideratur copiosius, quo cætera delectamenta excedit. Desiderium autem inquirentes purificat, & purificatio exclusis enormitatibus ad formam Dei prouehit ascendentes; atque ita in opere suo imago, & similitudo Dei multis laboriosísque progressionibus, & incrementis propriam sibi demum vindicat dignitatem.* Nec omnino

D

d ser. 38. de verb. Dom.

absimilem rationem affert Augustinus [d]: *Dicimus* (inquit) *quàm incomprehensibile sit, quod lectum est: In principio erat Verbum, &c. Et tamen lectum est, non vt comprehenderetur ab homine, sed vt doleret homo, quia non comprehendit, & inueniret, vnde impeditur à comprehensione, & remoueret ea, & inhiaret perceptioni incommutabilis Verbi, ipse ex deteriore in melius commutatus.*

XIV. Sed hæc ipsa quantulacumque sit Dei cognitio, eximium est, planéque singulare Christi Domini beneficium, vt ipsius Christi verba apud Ioannem apertissimè indicant: *Hæc est* (inquit)

E

vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quæ verba ex-

e lib. 11. in Io. c. 17.

planans Cyrillus [e] Alexandrinus: *Cognitio* (inquit) *est vita spiritalem nobis beneficientiam adducens, per quam Spiritus in cordibus nostris habitat in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem per Euangelicam vitam, & incorruptibilitatem reformans. Cùm igitur origo, & quasi pronuba dictorum omnium cognitio Dei veri esse inuenitur, rectè à Domino nostro Iesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater, & radix, virtute, naturáque sua vitam æternam pariens. Sed considera diligenter, quomodo scilicet Dei veri cognitio efficiatur, non enim absque cognitione Filij, quare nec absque cognitione Spiritus sancti. Hac enim Dei*

vnitas in Trinitate intelligitur, atque creditur secundum Scripturas. Nihil autem potuit magnificentius dici, quàm quod de Dei cognitione scribit Gregorius[a] Nazianzenus: *Regnum* (inquit) *cælorum nihil aliud esse existimo, quàm eius, quod purissimum, & perfectissimum est, adeptionem: perfectissima autem rerum omnium est Dei cognitio.*

a Or. de mu. tu Episcop.

XV. His consentanea sunt, quæ scribit Clemens[b] Alexandrinus, qui Dei cognitionem vocat perfectissimum bonum, & per se expetendum; Itemque[c] rem maximam, quæ sola hominem pium, & religiosum efficiat, atque ita conseruet in eo virtutem, vt amitti nequeat: eum verò, qui Deum verè, & magnificè cognouerit, non posse voluptatibus, alijsque animi perturbationibus seruire, sancta semper agere, & cogitare, precari cum Angelis, & licèt solus oret, habere assistentem Angelorum chorum. Et Augustinus[d]: *Cognitione Dei* (ait) *nihil melius est, quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est. vnde & Saluator ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et in eamdem sententiam Hieronymus[e]: *Notitia vnius Dei* (inquit) *omnium virtutum possessio est.* Et rursus[f]: *Memoria Dei excludit omnia flagitia.* Præclarè verò Lactantius[g]. *Dei vim* (ait) *maiestatémque tantam esse dicit in Timæo Plato, vt eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quisquam possit ob nimiam, & inæstimabilem potestatem.*

b lib. 6 stromat.
c lib. 7. stromat.
d ser. 112. de temp.
e Ierem. 31.
f Ezech. 22.
g l. 1. diuin. instit. c. 8.

XVI. Hæc porro Dei cognitio vsque adeò est ad salutem assequendam necessaria, vt iure optimo dixerit Bernardus[h], ea sublata spem omnem beatæ vitæ penitus interire: *Quid si* (inquit) *ignoras Deum, poterit spesne esse salutis cum Dei ignorantia? ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare, quod nescias, aut habere, quem non amaueris. Noueris proinde te, vt Deum timeas, noueris ipsum, vt æquè ipsum diligas: in altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris, quia initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est caritas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, quàm sine timore, & amore Dei salus esse non potest.* Ambrosius[i] verò vlteriùs progressus neminem ait sapientem, aut prudentem esse posse, qui Deum nesciat: *Nemo enim* (inquit) *prudens, qui Deum nescit. Denique insipiens dixit, quia non est Deus: nam sapiens non diceret. Quomodo enim sapiens, qui non requirit auctorem suum? Qui dicit lapidi, pater meus es tu; qui dicit diabolo, vt Manichæus, auctor meus es tu? Quomodo sapiens, qui Deum suum non timet? Initium enim sapientiæ timor Domini.* Non dubitauit autem Hieronymus[k] affirmare eum, qui Deum ignoret, nihil à bestiis distare: *Absque notitia* (inquit) *sui creatoris homo pecus est.*

h Bernard. serm. 37. in Cant.
i lib. 1. offic.
k epist. 3. ad Heliodor.

XVII. Hæc itaque omnia bona Christi beneficio nos accepisse significat Ioannes, cùm ait: *Et dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum.* Certè in Euangelio dicitur Dominus aperuisse Apostolis sensum, vt intelligerent Scripturas, vnde vera, & certissima Dei cognitio petenda est. Non est autem dubium Dei nomine significare Ioannem hoc loco Deum Patrem, illico enim subdit: *Et simus in vero Filio eius.* Neque enim Filium adoptione, sed natura intelligit, ob id enim ait: *Et simus in vero Filio eius*: vt referat ad Patrem qui verum, & æqualem sibi Filium ante omnem æternitatem genuit. Dicimur autem percepta Dei cognitione esse in vero Filio eius, hoc est, pertinere ad mysticum Christi corpus, cuius ipse est caput. Quam ob causam Apostolus fideles vocat Christi membra, & Christus ipse apud Ioannem se vitem appellauit, Apostolos autem palmites. *Ego* (inquit) *sum vitis, vos autem palmites*: deinde subdit: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis.* Deinde addit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & in ignem mittetur.* Quo loco rectè Augustinus: *Alterum* (inquit) *palmiti conuenit, aut vitis, aut ignis, vt in igne non sit, in vite sit.* fidelium itaque vita in eo posita est, vt sint in Christo, hoc est, in vero Filio Dei.

XVIII. Addit: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Tametsi autem verba apertissima sunt, & ad Christum referenda videntur, cuius veram diuinitatem apertissimè declarant: non defuit tamen, qui Ariano enthusiasmo agitatus contenderet, hæc non ad Filium, sed ad Patrem referenda esse, hoc videlicet sensu, vt cognoscamus verum Deum Patrem, & hic verus Pater, verus est *Deus, & vita æterna.* Sed rectè hoc loco OEcumenius demonstratiuum, *hic*, pro relatiuo positum esse ait, relatiuum autem *Filium* necessariò refert, quem proximè nominauerat. Quasi dicat, vt simus in vero Filio eius, qui est verus Deus, & vita æterna, vt, quod paulo ante dixi, Filium intelligat non adoptione, sed natura, vt cum Bernardo rectè quis colligat: *Si Filius Dei est, ergo Deus, quia filij Regum Reges sunt.* Ita locum hunc explicat Didymus, hinc enim probat Christum esse eiusdem cum Patre substantiæ. Eodemque modo Athanasius a: *Lux est* (inquit) *Pater, iubar, radiúsque Filius, & lux vera verus Deus Pater, verus Deus Filius: ita enim à Ioanne scriptum est: sumus in vero Iesu Christo: hic est verus Deus, & vita æterna.* Neque aliter Cyrillus[b], qui ex hoc loco probat, Filium esse Patri homousion. Addo ex Latinis Ambrosium[c], Hieronymum[d], & Augustinum[e], qui ex his verbis argumentantur contra Arianos, vt sciolum nescio quem pudeat, tam liberè mentiri, dum negat, quemquam ex sanctis Patribus hoc testimonio Ioannis Christi diuinitatem confirmare.

a In tract. ad illa verba: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.
b l. 3. dial. de Trinit.
c lib. 1. de fide ad Gratian. c. 7. in fine.
d Isa. 66.
e lib. 2. & 3. con. Maximin.

XIX. Certè ad hunc Ioannis locum allusisse videntur Nicæni Patres, qui de Christo in Symbolo dixerunt: *Deum verum de Deo vero.* Hic enim Ioannes Patrem appellat Deum verum, vt à diuinitate excludat eos, qui ab Ethnicis putantur dij, cùm non sint. Et de Filio: *Hic est verus Deus*, vt eos omnes hæreticos refellat, qui Christi diuinitatem oppugnabant. Addit non solùm eum esse verum Deum, sed etiam vitam æternam; quia ipse aditum nobis ad vitam æternam reserauit. Quam ob causam de se ipso apud Ioannem dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Superuacaneum autem est de Christi diuinitate aduersùs Arianos, & cæteros hæreticos disputare, ne actum agere videamur, aut etiam extra chorum ludere.

21 *Filioli, custodite vos à simulachris. Amen.*

XX. Mirantur hoc loco Didymus, & OEcumenius, cur Apostolus, qui ad viros perfectos se scribere profitetur, moneat tamen, vt sese ab idolorum cultu abstineant, quod vix tyronibus aptè præciperetur. Respondent autem, perfectis etiam imperfectos admixtos esse, hos autem hac postrema clausula compellari, & admoneri, vt idololatriam, & superstitiosum Gentilium cultum sedulò vitent, hoc est, ne patiantur se ad pristinam idolorum impietatem denuo reuocari. Dixit autem, φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων, hoc est: cauete vobis ab idolis, & inanibus simulachris. Imperitè autem, ne dicam impiè, Latinè reddiderunt quidam, *custodite vos ab imaginibus.* Nam vt omittam in septima, hoc est, secunda Nicæna Synodo sancitum esse, ne imagines, quas Christiani colunt, idola nuncupentur,

latis

satis constat, religiosum imaginum cultum, quem Ecclesia à primis incunabulis ad hæc vsque tempora constantissimè retinuit, ab idololatria plurimùm distare.

II. Non iuerim certè inficias, *idolum*, seu *simulachrum* non modò apud prophanos, sed etiam sacros scriptores *imaginem* simpliciter appellari. Marcus enim Tullius [a] ita alicubi scripsit: *Imagines, quæ idola nominant.* Et alio quodam loco [b]: *Sed si in insulam Britannicam cœpero cogitare, eius idolum mihi aduolabit ad pectus.* Salomon [c] autem idolum vocat *umbra*, id est, imaginem. Neque aliter loquitur Tertullianus [d]: εἶδος (inquit) *Græcè formam sonat, ab eo per diminutionem* εἴδωλον *deductũ, æquè apud nos formulam fecit. igitur omnis forma vel formula idolum se dici exposcit, inde idololatria omnis circa idolum famulatus, & seruitus.* Sed hoc videtur interesse, quòd omne quidem idolum imago est, non item omnis imago idolum dici potest. Quæ sit autem propria vis, ac potestas idoli, non planè liquet. Licèt enim idolum referatur ad cultum, non propterea tamen ab imagine distinguitur, quæ etiam religiosè coli potest. Itaque Origenes [e], & Theodoretus [f] idolum falsam imaginem definiunt, qui procul dubio idolum accipiunt, vt refertur ad cultum, & ob id falsam imaginem nominant, quod inane nomen repræsentet. Siue enim idola cælum, aut astra, aut elementa, aut mortales etiam referant, qua ratione his rebus creatis diuinitatem vel tribuunt, vel falsò, ac simulatè affingunt, falsum continent, qua ratione dixit Apostolus [g]: *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Et aliquanto [h] post: *Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm creatori, qui est benedictus in sæcula: Amen.*

a lib. 1. de finib.
b lib. 15. ad Cass. ep. 14.
c Sap. 13. & 14.
d l. de idololatr. cap. 3.
e Hom. 8. in Exod.
f quæst. 1. in Exod.
g ad Rom. 1. 23.
h vers. 25.

III. Hanc ob causam Hebraicè idola dicuntur *vanitas*, seu *vanum*. Ita Ieremias [i]: *Ambulauerunt* (inquit) *per vanitatem.* Et Oseas [k] simpliciter vocat *mendacium.* Quamquam enim Eusebius [l] multa ex Porphyrio, aliisque Gentilibus profert, quæ indicant Gentilium idola non fuisse penitus significationis expertia, cùm aliquid creatum menti obiicerent, etenim idem Eusebius [m] ait Gentiles adorare consueuisse idola, vt imagines eorum, qui nonnihil ad vitam contulissent, quæ est etiam sanctorum Patrum [n] constans sententia: in eo tamen falsitas, & mendacium inerat, quod rebus, seu personis, quibus idola dicata erant, falsò diuinitatem tribuebant, quod apud Nicephorum [o], & Sozomenum [p] his verbis indicat Olympius Sophista: *Simulachra* (inquit) *erant ex materia corruptioni obnoxia, ideo comminui potuerunt, quæ verò in eis erant cælestes potestates in cælum euolarunt.* Vt facilè suspicari quis possit, duplici errore Gentiles fuisse deceptos, & quòd rebus creatis diuinitatem tribuerent, & quòd illa falsa Numina idolis adesse, & in iis quodammodo tamquam in sede, ac domicilio continenter versari arbitrarentur, vt, quod dixit non nemo, ex illo Numine, & idolo vnum quidpiam fieret, non aliter atque ex animo, & corpore existit homo. Tametsi enim verè dixit Dauid [q]: *Simulachra Gentium argentum & aurum.* non tamen existimandum est, adeò illos desipuisse, vt simplices illas imagines absque aliquo interno numine diuino cultu, ac veneratione prosequendas censerent.

i cap. 2. 5.
k cap. 7. 3.
l l. 3. præpar. Euang. c. 3.
m l. 8. præpar. cap. 2.
n lib. cont. idola. Lact. lib. 1. diuin. instit. c. 15. & lib. 2. c. 2. Cypr. lib. de idol. van. sub initium Aug. conc. 2. in Psal. 113. & ep. 43.
o l. 12. hist. cap. 25.
p lib. 7. hist. cap. 15.
q Psal. 113. 4.

IV. Quod facilè Iudæorum exemplo firmari potest: cùm enim Hebræi aureum vitulum tamquam Numen venerati sunt, Deo in illo cultum se, ac venerationem exhibere profitebantur. Idcirco enim dixerunt [r]: *Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et Aaron: *Solemnitas* (ait) *Domini est.* Numen ergo aliquod in vitulo inesse arbitrabantur, quod tamen nullum erat. Neque aliter Michas idolum coluisse dicitur [a], cùm tamen se Domino argentum consecrasse gloriaretur. Fallebantur autem quòd illis imaginibus, atque idolis ipsam Dei naturam, qualis in se ipsa est, repræsentari falsò sibi persuadebant, eáque mente idola venerabantur, vt insinuant Germanus [b] Constantinopolitanus, & Augustinus [c]. Quocumque igitur modo colerentur idola (plures enim idololatriæ modos recensent Origenes [d], Lactantius [e], & Augustinus [f]) falsum, atque inane numen idololatræ colebant. Nam de idolis, quæ homines repræsentabant, rectè dixit Augustinus [g]: *Tanta cæcitate mentes offendunt, vt non attendant in omnibus literis Paganorum aut non inueniri, aut vix inueniri Deos, qui non homines fuerint, omnibus verò studeant honores exhibere diuinos, quasi nihil humanitatis habuerint.* De aliis verò idolis, quibus mundi partes, vt astra, aut elementa repræsentarentur, sic planè sentiebant, ea esse veluti receptacula quædam occultorum numinum, vt meritò dixerit Augustinus [h]: *Sine vino aliquo habitatore esse non putant:* quod alibi [i] pluribus Philosophorum testimoniis confirmat: quod etiam facit Eusebius [k]: quæ causa fuit, vt Scriptura sacra spectans ipsum idolum, quod oculis obiiciebatur, idola gentium ligna, & lapides nominet, aut argentum, & aurum: aliàs habita ratione latentis numinis dæmones nuncupet. Sic Dauid [l]: *Omnes dij Gentium dæmonia.* Et Moyses [m]: *Immolauerunt dæmoniis, & non Deo, diis, quos ignorabant.* Et Paulus [n]: *Quæ immolant Gentes dæmoniis immolant.*

r Exod. 32. 4. 5.
a Iud. 17. 3.
b epist. ad Thom. in 7. Synodo, Actione 4.
c epist. 119 cap. 11.
d l. 6. cont. Celsum nõ proc. ab initio.
e l. 2. diuin. instit. cap. 4.
f lib. 8. de Ciuit. c. 14. & lib. 20. cont. Faust. cap. 19.
g lib. 8. de Ciuit. c. 26.
h Conc. 2. in Psal. 113.
i lib. 8. de Ciuit. c. 23. & 24. & lib. 10. c. 10. ep. 49. q. 3.
k lib. 8. de præpar. c. 6.
l Psal. 95. 5.
m Deut. 32. 17.
n 1. ad Cor. 10.

V. Absolutè autem, atque simpliciter Scriptura [o] dicit: *Quia non sunt dij, qui manibus fiunt.* Ab hoc autem idolorum cultu fideles reuocat hoc loco Ioannes; nullo autem modo, quod Nouatores contendunt, sacrarum imaginum cultum reprehendit, aut damnat. Plurimùm enim imago ab idolo differt, vt enim ait Gregorius Nazianzenus [p], *imaginis natura est, vt exemplar suum imitando referat.* Et Augustinus [q] imaginem ita definit: *Imago tunc est, quando de aliquo exprimitur similis ei, cuius imago est.* Denique Damascenus [r] imaginem vocat, *typum prototypi, quem exprimit, & declarat.* Ita fit, vt imago rem, aut personam veram referat, & si pertineat ad cultum, aut verum Numen, aut veram, & solidam sanctitatem repræsentet. Quamobrem canon Apostolicus in hæc verba commemoratur [s]: *Non debent seruari decidi circa idola, sed loco eorum incontaminatas veri Dei simul, & hominis, seruorũmque eius manibus efformatas imagines contra idola, & Iudæos erigere.*

o Act. 19. 26.
p Orat. 4 de Theol. n. 83.
q de Genes. ad liter. inchoata c. 16.
r Orat. de imag.
s Turrian. l. 1. pro can. Apost. c. 23. Ferard. ad Irenæũ l. 1. cap. 24.

VI. Itaque Ecclesia eas solummodo imagines cultu, ac veneratione dignas censet, quæ personas referant, quibus meritò religiosus cultus, & adoratio debeatur: hoc autem maximè imagines nostræ ab idolis differunt, quod aut verum numen, aut veram personæ sanctitatem veneratione dignam repræsentant. Accedit quòd nemo simpliciter solas imagines veneratur, sed honorem, & cultum quodammodo ad prototypa refert, vt meritò dixerit Augustinus [t]: *Ille cultus, qui videtur esse sub rebus, aut signis corporalibus, ac temporalibus, si ad vnius Dei cultum referatur, longè à Gentium more, & superstitione distat.* Quidquid enim honoris, & cultus imaginibus tribuitur, ad vnius veri Dei honorem, & gloriam refertur, qui in sanctis suis gloriosus apparuit. Quocirca rectè olim veteres Patres acerrimè contra hæreticos inuecti sunt, qui Catholicum imaginum vsum cum nefaria idolorum veneratione coniungere, & confundere nitebantur. Ita Irenæus, Epiphanius, & Augustinus Carpocratem, & Gnosticos reprehendunt, quòd monstrosas Sanctorum imagines cum profanis simulachris

t lib. 3. de doct. Christ. cap. 6.

mulachris coniungerent, illisque sacrificia offerrent. A

VII. Neque verò sum nescius, posse interdum errorem, aut abusum aliquem in imaginum cultum irrepere. nam si quis imaginem cuiuspiam sancti ita veneraretur, perinde quasi illa imago vim aliquam diuinam contineret, aut vota, precésque percipere, aut exaudire posset, næ ille aut prorsus amens, aut impius idololatra censendus esset: quin etiam nefario sese scelere inquinarent, qui imaginem cuiuspiam religioso cultu venerarentur, quem nulla sanctitate præditum fuisse constaret, atque ob id veneratione sacra indignum esse. Quæ cùm ita sint, planè constat idola à sacris imaginibus plurimùm differre, & cùm Apostolus idola excludit, sacras imagines nulla ratione prohibere. Latinus itaque Interpres cùm Græcè εἴδωλα legisset, Latinè transtulit, *simulachra. Custodite* (inquit) *vos à simulachris*. B Quamuis enim simulachri nomen apud prophanos scriptores bonam interdum, aut certè non malam in partem accipiatur; apud sacros auctores tamen, cùm absolutè, ac præcisè ponitur, idem valet, quod idolum. Quocirca in Actis Apostolicis [a] præcipitur Christianis, *vt abstineant à contaminationibus simulachrorum*. Et Paulus [b] cùm in Areopago verba faceret, de Atheniensium idolis ita loquitur. *Intuens simulachra vestra*. Et Dauid [c]: *Simulachra Gentium argentum, & aurum*. Quomodo etiam loquuntur Hieronymus [d], Lactantius [e], & Augustinus [f]. Fateor tamen Tertullianum, & Lactantium nomen Imaginis etiam idolis, ac simulachris tribuere, C sequutos nimirum vim nominis, & significationem, quam prophani scriptores, vt suprà dixi, maximè probasse videntur. Sed quoniam post excitatas hæreses Catholici scriptores hæc subtiliùs perscrutati sunt, nefas esse videtur, à Catholicorum vsu loquendi recedere, & sanctorum imagines idola, vel simulachra nuncupare, aut Gentilium idolis sacrarum imaginum nomen tribuere.

a cap. 15. 20.
b Act. 17. 23.
c Psal. 113. 4.
d Oseæ 7.
e lib. 6. c. 13.
f Conc. 2. in Psal. 113.

VIII. Quoniam igitur æuo illo Apostolico idololatria vbique gentium maximè vigebat, nec qui Christianis sacris imbuebantur, facilè poterant omnes Gentilium ritus deserere, meritò in Concilio Apostolico [g] seuerè præcipitur, quod hoc loco monet Ioannes, ne vllo se impuro cultu contaminent. Quò pertinent, quæ eleganter scribit Tertullianus [h] in hæc D verba: *Nisi nulla lex Dei prohibuisset idola fieri à nobis, nulla vox Spiritus sancti fabricatoribus idolorum non minus quàm cultoribus comminaretur, de ipso sacramento nostro interpretaremur nobis aduersas esse fidei eiusmodi artes. Quomodo enim renunciauimus diabolo, & Angelis eius, si eos facimus? Quod repudium diximus his, non dico, cum quibus, sed de quibus viuimus? Quam discordiam suscepimus in eos, quibus exhibitionis nostræ gratia obligati sumus? Potes lingua negasse, quod manu confiteris? verbo destruere, quod facto struis? Vnum Deum prædicare, qui tantos efficis? Verum Deum prædicare, qui falsos facis?* Itaque indicat præter idolorum cultum ipsum etiam artificium fabricandi idola ad idololatriam aliquo pacto spectare: atque idcirco subdit: *Facio, ait quidam, sed non colo:* E *quasi ob aliam causam colere non audeas, nisi ob quam & facere non debeas, scilicet ob Dei offensam vtrobique. Immo tu colis, qui facis, vt coli possint. Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicuius, sed tuo proprio, nec anima pecudis impensa, sed anima tua: illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis, quàm sacerdos, cùm per te habeant sacerdotem. Diligentia tua numen illorum est. Negas te quod facis colere? Sed illi non negant, quibus hanc saginatiorem, & auratiorem, & maiorem hostiam cædis salutem tuam.* Et plura deinceps in eamdem sententiam.

g Act. 15.
h l. de idololatr. c. 6.

IX. Toto autem illo libro, & altero de spectaculis multa colligit, quæ illo præsertim sæculo spectare aliquo pacto videbantur, siue per se, siue respectu alicuius annexi ad impium idolorum cultum. Nam & ludos, & dies festos, & id genus alia idolorum venerationem continere indicat. Concludit autem longissimam disputationem his planè verbis [a]: *Inter hos scopulos, & sinus, inter hæc vada, & freta idololatriæ velificata Spiritu Dei fides nauigat tuta, si cauta, secura, & attonita. Cæterùm inenatabile excussis profundum est, inextricabile impactis naufragium est, irrespirabile deuoratis hypobrichium in idololatria, quæcumque fluctus eius offocant, omnis vertex eius ad inferos desorbet. Nemo dicat, quis tam tutò præcauebit? Exeundum de sæculo erit, quasi non tanti sit exire, quàm idololatrem in sæculo stare. Nihil esse facilius potest, quàm cautio idololatriæ: si timor eius in capite sit, quæcumque necessitas minor est periculo tanto comparata. Propterea Spiritus sanctus consultantibus tunc Apostolis vinculum, & iugum nobis relaxauit, vt idololatriæ deuitandæ vacaremus. Hæc erit lex nostra, quo expedita hoc plenius administranda propria Christianorum, per quam ab Ethnicis agnoscimur, & examinamur. Hæc accedentibus ad fidem proponenda, & ingredientibus in fidem inculcanda est, vt accedentes deliberent, obseruantes perseuerent, non obseruantes renuntient sibi. Viderimus enim si secundùm archetypum & coruus, & miluus, & lupus, & canis, & serpens in Ecclesia erit. Certè idololatres in archetypo non habetur. nullum animal in idololatrem figuratum est. quod in arca non fuit, in Ecclesia non sit.*

a l. de idololatr. c. 24.

C Nec pauciora de eodem argumento scribit Cyprianus [b]. Quod enim hoc loco Ioannes fidelibus proponit, id vir sanctus pluribus inculcat, eos aduersùs tyrannos, & eorum sæuitiam, & crudelitatem muniens, & confirmans. sic enim inter cætera ait [c]: *Ereptos de faucibus diaboli, & de laqueis sæculi liberatos non debere denuò ad sæculum reuerti, ne perdant quod euaserunt.* Et aliquanto post: *Quod nos admonens in Euangelio suo Dominus, & docens, ne ad diabolum rursus, & ad sæculum, quibus renunciauimus, & vnde euasimus reuertamur, dicit, nemo retro attendens, & superponens manum suam super aratrum aptus est regno Dei. Et iterum: Et qui in agro est, non conuertatur retrò: memores estote vxoris Loth, ac ne quis aliqua vel cupiditate rerum, vel suorum dulcedine retardetur, quominùs Christum sequatur, addit, & dicit:* D *Qui non renunciat omnibus, quæ sunt eius, non potest meus esse discipulus.* Denique addit [d], insistendum esse, & perseuerandum in fide, & virtute, & cælestis, ac spiritalis gratiæ consummatione, vt ad palmam, & ad coronam possit perueniri. X.

b l. de idololatr. van. & l. ad Martyr. seu de exhor. Martyr.
c lib. de exhort. Mart. cap. 7.
d cap. 8.

XI. Vniuersim igitur ait Ioannes: *Custodite vos à simulachris.* quasi dicat, vt nulla ratione ab iis sese inquinari patiantur, quod mirificè videtur explicare Tertullianus [e], dum ait: *Neque sacrifices* (inquit) *neque sacrificiis auctoritatem suam accommodes, non hostias loces, non curas templorum deleges, non vectigalia eorum procures, non spectacula edas de suo, aut de publico, aut edendis præsis: nihil solemne pronunciet, vel edicat, ne iuret quidem, Iam verò quæ sunt potestatis, neque iudicet de capite alicuius, vel pudore (feras enim de pecunia) neque damnet,* E *neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat, si hæc credibile est fieri posse.* Addit aliquanto [f] post, ne Deos quidem nominandos: *Cecidit igitur in idololatriam, qui idolum nomine Dei honorauerit, quod si Deos dicendum erit, adiiciendum est aliquid, quo appareat, quia non ego illos Deos dico. nam & Scriptura Deos nominat, sed adiicit, suos, vel nationum, sicut Dauid, cùm Deos nominasset, vbi ait, Dei autem nationum dæmonia. Sed hoc mihi ad sequentia magis præstructum, cæterum consuetudinis vitium est, mehercule dicere, medius fidius, accedente ignorantia quorumdam, qui ignorant, iusiurandum esse per Herculem. Porro quid erat deieratio per eos, quos eierasti, quàm præuaricatio fidei cum idololatria? Quis enim per quos deierat,*

e l. de idololatr. c. 18.
f cap. 19.

deuerat, non honorat? Hæc igitur, atque his similia ab Apostolo Ioanne prohibentur, nec temerè, vt dixi, cùm eo tempore vbique idololatria regnaret.

XII. Verisimile autem est, Apostolum quippe diuino Spiritu repletum non præsentibus tantùm malis, sed etiam futuris, quæ diuinitus nouerat, prospicere voluisse. Tunc enim multi, & deinceps longè plures grauissimis suppliciis cruciati ad prophana, & impia sacrificia compellebantur: nam de Deciana persecutione hæc scribit Gregorius Nyssenus [a]: *Neque aliud tunc publicum, aut priuatum quidquam agebatur, aut vllum ponebatur studium ab his, qui tractabant publica, quàm vt obsiderent, & punirent eos, qui fidem sequebantur. Erant autem non solùm minæ verborum terribiles, sed cum vis varius apparatus suppliciorum nullum non afferebat stuporem, & antequam veniretur ad periculum, metum incutiebant hominibus enses, & ignis, & bestia, & fossæ, & instrumenta ad torquendum membra accommodata. & ferrea in igne cathedra, & ligna erecta, in quibus eorum extensa, qui persistebant, corpora, porrectis, horrendis lamabantur vngulis, & alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inuenta ab eis excogitabantur, vniùsque studium erat eis, qui hanc habebant potestatem, vt nullus eo posset ostendi scelere superior. Alij quidem deferebant, alij verò iudicabant, alij verè scrutabantur eos, qui erant absconsi: alij inuadebant eos, qui fugiebant, alij autem iniectis oculis in facultates fidelium, vt rebus eorum potirentur, prætextu pietatis, & religionis eos, qui fidem complectebantur, exagitabant.*

a in vita S. Greg. Tanmat.

XIII. Quocirca multorum lapsus deplorat Cyprianus [b], qui alibi [c] lapsorum plura genera commemorat: alij enim sacrificati, alij thurificati, atque idololatræ, alij denique libellatici dicebantur. Et sacrificati quidem dicebantur ij, qui vel immolassent, vel immolata gustassent: thurificati autem, qui thus adoleuissent: idololatræ æquè omnes, qui nonnullum idolis cultum exhibuissent. De libellaticis non planè liquet, quo potissimùm crimine tenerentur adstricti. Nam Cataphrygæ, Montanistæ, & Marcionistæ, quos magna ex parte sequitur Tertullianus [d], cùm negarent in persecutione fugiendum esse, nefas putabant pecunia vexationem redimere, qua quis ad idololatriam compelleretur; cùm tamen id Catholicæ Ecclesiæ sententiæ prorsus repugnet, cùm & fugam in persecutione honestam, & laudabilem esse doceat Athanasius, & pecunia vexationem redimere Petrus Alexandrinus [e] non solùm permittat, sed ab omni prorsus crimine excuset. sic autem scribit: *His enim, qui pecuniam dederunt, vt ab omni improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim, & iacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent, quod alij propter turpe lucrum non fecerunt, cùm Dominus dicat* [f]*: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Vel quam commutationem dabit homo pro anima sua? Et rursum* [g]*: Non potestis Deo seruire, & mammonæ. In his enim apparuerunt Deo seruire exosis, conculcatis, contemptisque pecuniis, & in eo compleuerunt quod scriptum est: pretium redemptionis animæ hominis propriæ diuitiæ. Nam in Actis Apostolorum* [h] *legimus eos, qui pro Paulo, & Sila Thessalonica trahebantur, datis multis pecuniis fuisse dimissos: postquam enim ipsos propter nomen multum onerassent, & multitudinem, magistratúsque perturbassent: ab Iasone (inquit) & reliquis satisfactione accepta dimiserunt.*

b serm. de lapsis.
c epist. 52.
d l. de fuga in persecutione c. 12. & 13.
e Can. 52.
f Matth. 16. 26.
g Matth. 6. 24.
h cap. 17.

XIV. Apud Plinium [i] autem extat libellus planè impius: *Propositus est (inquit) libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse, cùm præeunte me deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iusseram cum simulacris Numinum afferri, thu-*

i ... ep. 95. ad Traian.

A *re, & vino supplicarent, præterea maledicerent Christo.* Sed qui huic libello subscripserant, eáque gesserant, quæ Plinius commemorat, non libellatici, sed thurificati, ac planè idolorum cultores appellandi erant; cùm tamen magnum esse inter idololatras, & libellaticos discrimen, apertissimè doceat Cyprianus [a]. *Cùm ergo (inquit) inter ipsos, qui sacrificauerunt, multa sit diuersitas, quæ inclementia est, & quàm acerba duritia libellaticos cum his, qui sacrificauerunt, iungere? Quando is, cui libellus acceptus est, dicat: ego prius legeram, & Episcopo tractante cognoueram, non sacrificandum idolis, nec simulacra à seruo Dei adorari debere, & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, cùm occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio, ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandaui, Christianum me esse,* B *sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me hoc præmium, ne quod non licet, faciam.*

a ep. 52. ad Antonian.

XV. Falluntur autem ij, qui libellaticos ab hoc ipso libello dictos censent, quem magistratibus offerrent: perinde quasi ij libellatici dicendi essent, qui pecuniam soluerent, ne sacrificare cogerentur, cùm tamen id, vt paulo ante dixi nulli prorsus culpæ affine, sed honestum potiùs, ac laudabile censeatur. Atqui Clerus Romanus [b] libellaticos grauissimo scelere obstrictos iusse affirmat: *Sententiam* (inquit) *nostram dilucida expositione protulimus aduersùs eos, qui se ipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi euasuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur,* C *quo non minus quàm si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsum contestati fuerant, tenerentur: sed etiam aduersùs illos, qui acta fecissent, licèt præsentes, cùm fierent, non affuissent, cùm præsentiam suam, vtique vt sic scriberentur, mandando fecissent.* Neque aliter Cyprianus [c] de iisdem libellaticis scribit: *Nec sibi (inquit) quominùs agant pœnitentiam blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non polluerunt, libellis tamen conscientiam presserunt, & illa professio denegantis contestatio est Christiani, quod fuerat abnuentis: fecisse se dixit, quod alias faciendo commisit.* Nondum tamen apparet, vnde libellatici dicti sint, & quod potissimùm esset eorum crimen.

b apud Cyprian. ep. 31.
c serm. de lapsis.

XVI. Ego primùm, si quid coniectura valeo, libellaticos dictos puto, quòd libellos à Magistratibus, seu Præsidibus pecunia impetrarent, quibus suæ saluti, D atque incolumitati prospicerent, ne videlicet ad tribunalia rapi, aut suppliciis torqueri possent, quasi deorum hostes, & legum publicarum contemptores. Eorum verò crimen in eo positum erat, quòd priuatim quidem fidem abiurarent, data tamen pecunia id impetrarent, ne publicè id facere cogerentur, quod ex ipso Cypriano haud obscurè colligo. Is enim cùm de Martiali Episcopo libello contaminato ageret, hæc scribit [d]: *Martialis quoque præter gentilium turpia ac lutulenta conuiuia, & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegio exterarum gentium more apud prophana sepulchra depositos, & alienigenis consepultos, actis etiam publicè habitis apud Procuratorem Ducenarium obtemperasse se idololatriæ, & Christum negasse contestatus sit.* E Ex quibus apertè liquet, libellaticos fidem abnegasse, sed priuatim apud Magistratum, aut Præsidem, idque pecunia vnà cum libello mercatos esse: atque ita differre ab idololatris quidem, quòd nullum idolis cultum adhibuerint; à sacrificatis autem & thurificatis, quòd neque sacrificia obtulerint, neque thus adoleuerint.

d epist. 68.

XVII. Cùm igitur tam multa peccata numerentur, quæ ad idolorum, & simulachrorum cultum referenda sint, meritò Ioannes monet omnem idolorum superstitionem vitandam esse: qua tamen in re illud ad extremum addiderim Tertullianum [e] nimio quodam zelo, & vt alij volunt, vesano furore lineas transiliisse,

e lib. de spectacu. lib. de idolol. & in Scorpiac.

transiliisse, qui multa tamquam impia, & ad idololatriam pertinentia damnat, quæ si per se inspiciantur, sunt prorsus indifferentia, & citra vllum errorem, vel erroris suspicionem, si res postulet, vsurpari queunt. Non iuerim certè inficias, laureatum incedere, ianuas floribus, aut coronis ornare, ludos, & spectacula edere, dies festos agere, si ad idolorum cultum, & venerationem referantur, idololatriæ vitio laborare. Sed si hæc omnia, aut ad honorem Principis, aut ad publici gaudij, & lætitiæ testificationem, aut ad alium denique honestum, seu indifferentem finem peragantur, omni labe carere, quin

A etiam honestari posse contendo. Itaque vt aliquando concludam, retenta integra fide, verique Dei cultu ne idolothytis quidem citra scandalum necessariò abstinendum erit, vt Paulus Apostolus monet, & nos suo loco docuimus. Valeant igitur Nouatores nostri, qui sacrarum imaginum cultũ, quasi idololatriam detestantur, cùm sint ipsi potiùs abominandi, qui quod semper in Ecclesia religiosissimè retentum est, & obseruatum, impietatis arguunt, & quod sæpiùs Conciliorum auctoritate damnatum est, fidelibus obtrudere, & pro lacte venenum propinare non verentur.

IN





IN EPISTOLAM SECVNDAM B. IOANNIS APOSTOLI

PRÆFATIO.

I. OANNEM Apoſtolum, & Euangeliſtam præter Euangelium, de quo nemo ambigit, & librum Apocalypſis, de quo non pauci dubitarunt, ſcripſiſſe etiam tres Epiſtolas conſtans eſt Catholicorum omnium tum veterum, tum recentium ſententia. At de prima eius Epiſtola ſuo loco dictum eſt ſatis; de duabus ſequentibus paucis in præſentia differendum eſt. Vt enim alibi dixi, non defuerunt qui eas alterius Ioannis fuiſſe affirmarent, qui Ioannes Theologus, & ſenior appellaretur, vt eam ob cauſam inter canonicas Scripturas non admitterent. Sic enim ſcribit Euſebius [a]. *Ex illis, quæ in dubitationem quidem vocantur, ſunt tamen à pleriſque recepta, eſt Epiſtola quæ Iacobi dicitur, & Iudæ, & ſecunda Petri, & ſecunda, & tertia, quæ Ioannis nomine inſcribuntur, ſiue illa ab Euangeliſta, ſiue ab quopiam eodem nomine appellato perſcripta fuit.* Eas tamen non ſemel probat Hieronymus; alicubi [b] enim ait. *Iacobus, Petrus, Ioannes, & Iudas Apoſtoli ſeptem Epiſtolas ediderunt, tam myſticas, quàm ſuccinctas & breues, pariter longas, breues in verbis, longas in ſententiis, vt rarus ſit, qui non earum lectione cæcutiat.* Alibi [c] verò. *Clangit (inquit) tuba, filius tonitrui, quem Ieſus amauit plurimum, qui de pectore Saluatoris doctrinarũ fluenta potauit; Presbyter Electæ Dominæ, & filiis eius, quos diligo in veritate. & in alia Epiſtola; Presbyter Caio cariſſimo, quem diligo in veritate.* Idem omnino cenſuit Auguſtinus [d], enumerans enim ſacrarum literarum canonem poſt quatuordecim Pauli Epiſtolas, *duas* collocat *Petri, Ioannis tres, vnam Iudæ, & alteram Iacobi.* Eodémque prorſus modo loquitur Damaſcenus [e], qui ſeptem Catholicas Epiſtolas nominat, *vnam Iacobi, duas Petri, tres Ioannis, & Iudæ vnam.* Quin etiam extat Canon [f] Apoſtolicus, qui inter ſacros libros recipiendas docet ſeptem Epiſtolas canonicas, *Petri quidem duas, Ioannis tres, vnam Iacobi, & Iudæ alteram.* Suffragantur eodem planè modo Concilium Laodicenum [g], & Concilium [h] III. Carthaginenſe, & ſuperioribus annis Concilium Tridentinum [i].

a lib. 3. hiſt. cap. 19.
b Epiſt. ad Paulin. ſic etiã ad Euſtoch. in præfat. de ſeptẽ Epiſt can. & de ſcrip. Eccle. in Ioan. & in Pap.
c in Epi ad Euag. quæ eſt epiſt 85.
d lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 8
e lib. 4. de fid. orthod. cap. 18.
f Can. 84.
g cap 59.
h cap. 47.
i Seſſ. 4. in decr. de can. ſcrip.

II. Hanc porrò ſecundam Epiſtolam probaſſe videtur Irenæus [k], dum ait. *Quotquot abſiſtunt ab Eccleſia, & his anilibus fabulis aſſentiuntur, verè à ſemetipſis ſunt damnati, quos Paulus iubet nobis poſt primam, & ſecundam correptionem deuitare. Ioannes enim Domini Diſcipulus ſuperextendit damnationem in eos, neque Aue à nobis eis dici volens. Qui enim dicit, inquit, eis Aue, communicat operibus ipſorum nequiſſimis. Et meritò, non eſt enim gaudere impiis, dicit Dominus.* Et in eamdem ſententiam Beda [l]; *Nunc (inquit) generalis Eccleſiæ conſenſus habet, quòd has quoque Epiſtolas Ioannes Apoſtolus ſcripſerit, quia re vera multam verborum, & fidei ſimilitudinem cum prima eius Epiſtola oſtendunt, & ſimili zelo deteſtantur hæreticos.* Quo argumento recentiores nonnulli meridiana luce clariùs probari poſſe contendunt eumdem Ioannem trium Epiſtolarum eſſe auctorem: mirum enim in modum duæ poſtremæ Epiſtolæ & verbis, & ſententiis cum prima conſentiunt. In prima namque Epiſtola; *non mandatum* (inquit) *nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus.* Et in ſecunda; *non tamquam mandatum nouum ſcribens vobis, ſed quod habuimus ab initio.* Rurſum in prima. *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet, qui confitetur Filium, & Patrem habet.* paucis mutatis in ſecunda *Qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti Deum non habet, qui permanet in doctrina Chriſti, hic & Patrem, & Filium habet.* Sic etiam in prima [a]. *Omnis, qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit.* Neque aliter in tertia. *Qui bene facit, ex Deo eſt, & qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit.* In prima etiam monet, *vt diligamus opere, & veritate*, quod in ſecunda, & in tertia frequenter inculcat. In prima [b]; *Multi* (ait) *pſeudoprophetæ exierunt in mundum: in hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus, qui confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, & omnis, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Idem penè, iiſdemque verbis legitur in ſecunda. *Multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ieſum veniſſe in carne: hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.* Et id genus alia multa colligunt, quæ ſi negem vtcumque probabilem aſſenſum parere poſſe, nihil planè videam. Sed facilè tamen potuiſſet quiſpiam Apoſtoli ſententias iiſdem planè verbis exprimere. Sed Conciliorum, veterúmque Patrum auctoritas his Epiſtolis fidem conciliat, vt nequeat quiſquam citra temeritatem alteri auctori, quàm Ioanni Euangeliſtæ adſcribere, & citra errorem ex canonicarum Scripturarum albo delere.

k lib. 3. c. 13.
l in hanc Epiſt.
Bened. Iuſtinian. in Epiſt. B. Ioan.
a cap. 3.
b cap 4.

III. Cæterùm, vt monet Athanaſius [c], ſecundam Epiſtolam ſcripſit Ioannes ad primariam quandam fœminam, eiúſque liberos. Cùm enim videret, eam familiam Catholicam fidem in primis colere, faciendùm ſibi Apoſtolus exiſtimauit, vt indicaret pericula, quæ ab impoſtoribus, & ſeductoribus imminerent, qui præſertim incarnationis Dominicæ myſterium penitus abnegarent. Principio igitur eius familiæ mores, & fidei integritatem modeſtè laudat: deinde docet fidei noſtræ myſteria non eſſe recentia, aut nuper nata; poſtea ad Chriſtianam caritatem verámque doctrinam conſtanter retinendam hortatur. Eos verò, qui incarnationis myſterium oppugnarent, quaſi primarios Chriſti aduerſarios, & hoſtes auerſandos, ac fugiendos eſſe monet, vt non modò in conſuetudinem, ac familiaritatem, aut domeſticum conuictum admittendi non ſint, ſed ne ciuili quidem ſalutatione appellandi. Verùm hoc ipſum

c in Synop.

A nonnullos offendit, quòd Epistola canonica ad fœminam scripta esse dicatur, quasi verò fœmineus sexus Catholica, atque Apostolica doctrina censendus sit indignus; aut propterea Christus Dominus reprehendendus sit, quòd pias, ac religiosas fœminas erudiret. Certè exemplo Christi, & Apostolorum Ignatius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, & maximè Hieronymus, ad fœminas de rebus sacris, & vitæ Christianæ præceptis scribere non erubuerunt. Cur autem Hieronymus tam frequenter id faciat ad Principiam [a] his verbis explicat. *Si vir de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer, si Barach ire ad prælium voluisset, Debora de victis hostibus non triumphasset. Ieremias carcere clauditur, & quia periturus Israel virum non receperat prophetantem, Olda eis mulier suscitatur. Sacerdotes, & Pharisæi crucifigunt Filium Dei,* B *& Maria Magdalena plorat ad crucem, vnguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nunciat; illi dubitant, illa confidit. Verè πυργίτης, verè turris candoris, & Libani, quæ prospicit ad faciem Damasci, sanguinem videlicet Saluatoris ad sui pœnitentiam prouocantem. Defecerant Sara muliebria, & ideo Abraham ei subijcitur, & dicitur ad eum; Omnia, quæ tibi dicit Sara, audi vocem eius.*

[a] epist. 140.

IV. Et cùm multa de laude virginitatis subiecisset, concludit. *Hæc & istiusmodi, venerabilis filia Principia breuiter, vt nec se pœniteret sexus sui, nec viros nomen suum erigeret, in quorum condemnationem fœminarum in Scripturis sanctis vita laudatur.* Non sunt quidem fœ- A minæ, vt Paulus Apostolus docet, Ecclesiastico magisterio præficiendæ, sed tamen pro earum captu, non solùm in morum disciplina, sed etiam in fidei dogmatibus cognoscendis erudiendæ, atque instituendæ sunt. Quin etiam interdum fas est illis, nonnullos priuatim fidei præceptis imbuere. Siquidem, vt ait Lucas [a], Priscilla, & Aquila virum alioqui eloquentissimum, & in sacris literis versatum in Christianæ fidei dogmatibus adhuc rudem accuratiùs, ac diligentiùs erudierunt. Fateor tamen non esse passim, quod hæretici faciunt, abdita fidei arcana fœminis tradenda, aut difficilia Scripturæ loca, in quibus etiam fœlicia ingenia periclitantur, mulierculis explicanda, quæ quod non rectè perceperunt, perperam aliis tradunt.

[a] Act. 18.

V. B Non probo autem, quod nonnulli confingunt, scripsisse Ioannem non ad singularem aliquam fœminam Electam nomine, sed ad vniuersam Ecclesiam, & fideles Ecclesiæ filios. Ipsa enim Ioannis verba singularem quamdam fœminam describunt, quam se ait vnà cum filiis in veritate diligere. Quod sibi cum aliis omnibus commune esse affirmat, qui cognouerunt veritatem. Denique si tota Epistola percurratur, planè constabit, singularem quampiam personam, & familiam diuinis præceptis imbui, & ad Christianæ vitæ perfectionem excitari. Cætera in explanatione attingentur; nam de argumento præter ea, quæ ex Athanasio attulimus, plura non sunt dicenda.

PARAPHRASIS.

1 *SEnior Electæ Dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui cognouerunt veritatem.*

2 *Propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.*

3 *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris, in veritate, & caritate.*

4 *Gauisus sum valdè, quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre.*

5 *Et nunc rogo te Domina, non tamquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum.*

6 *Et hæc est caritas, vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum au-*



EGo Ioannes iam grandæuus & senex, ac presbyteratus, seu potius Episcopatus munere clarus, Electæ Dominæ, & liberis eius plurimam salutem dico, qui eos verè, atque ex animo diligo, in eóque amore, de beneuolentia imitatores habeo fideles omnes, qui Christianam fidem, & Euangelicam veritatem complexi sunt. ¶ Idque dum facimus, veræ doctrinæ, quam profitemur, præcepta seruamus; vt quod corde credimus, & ore profitemur, re ipsa præstemus, & in omnem æternitatem veritati Euangelicæ vitam, moresque congruentes præ nobis feramus. ¶ Illud autem in primis opto, vt Deus Pater, eiúsque Filius Iesus Christus Dominus noster, pro ea veritate, quam attulit in mundum, próque ea caritate, qua genus humanum prosequitur, gratiam vobis, misericordiam, & pacem largiatur. ¶ Egò verò magno perfusus sum gaudio, quòd nonnullos ex filiis tuis deprehenderim ita vitam instituisse, vt appareat eos Christianæ doctrinæ veritatem moribus repræsentare, & præcepta, quæ diuinitus à Patre tradita sunt, re ipsa exprimere. ¶ Iam verò etiam, atque etiam obsecro te, Domina, vt non nouum, sed vetustum præceptum, quod mihi libuit in præsentia iterare, retinendum in primis censeas, quo mutua, & fraterna caritas imperatur. ¶ Hoc verò caritas à nobis postulat, vt diuina præcepta quàm accuratissimè seruemus. Hoc enim præcipuè vobis

bis imperatur, vt quemadmodum initio perceptæ fidei; instituti, atque eruditi estis, vitæ vestræ rationes ad eamdem formam componatis, nec patiamini ab instituto vitæ cursu vel tantillum abduci. ¶ Siquidem plurimi impostores, & ad fallendum instructi prodierunt in lucem, qui Christi ad nos aduentum pernegant, & Incarnationis mysterium de medio tollunt. Et profectò qui ita sentit, ac docet, seductor est, & Christo Domino in primis aduersatur. ¶ Obseruate igitur vestras ipsi actiones, & saluti vestræ prospicite, ne bonorum omnium iacturam faciatis; sed vberem potius vestrorum laborum, atque conatuum mercedem consequamini. ¶ Sic enim habetote, eos, qui Christi doctrina abiecta Catholicæ Ecclesiæ castra deserunt, & tamquam perduelles, & transfugæ ad hæreticos deficiunt, Deum quodam modo repudiare, & à se longius amandare; eos verò, qui in fide, rectaque viuendi ratione perseuerant, tamquam Beatissimæ Trinitatis cultores, Patrem, ac Filium habere præsentes, corúmque patrocinio tutos, ac tectos incedere. ¶ Quod si quis ad vos venerit, qui aliter doceat, & huic nostræ doctrinæ non consentiat, sed eam porius oppugnet; vobis ego sum auctor, vt vestris illum rectis excludatis, nec vestra salutatione dignum iudiceris. ¶ Hoc enim vobis persuasum esse percupio, eum, qui scelestum, atque impium hæreticum salutere iubet, hac sua importuna vrbanitate non obscurè indicare impia illius dogmata sibi probari, séque illius socium, & commilitonem quodammodo declarare. Neque enim legitimos Christi cultores decet hæreticis, vel in rebus etiam ciuilibus vlla ratione fauere, cum æquum sit nefarias eorum actiones vehementer detestari. ¶ Cæterùm tametsi plurima in hanc sententiam scribenda forent, nolui tamen ea epistolæ committere, cum præsertim me breui coram affuturum sperem, & familiariter de his omnibus rebus vobiscum colloquuturum, vt omni ex parte mutuo gaudio perfundamur. Esto igitur hæc epistolæ meæ clausula. ¶ Filij Electæ sororis tuæ plurimam tibi salutem dicunt. Ego verò vberem Diuinæ gratiæ affluentiam in te, ac tuos cupio redundare.

dictis ab initio, in eo ambuletis.

7 *Quoniam multi seductores exierunt in mundùm, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus.*

8 *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.*

9 *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet.*

10 *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis.*

11 *Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.*

12 *Plura habens vobis scribere nolui per chartam, & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium vestrum plenum sit.*

13 *Salutant te filij sororis tuæ Electæ.*

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

EPISTOLÆ SECVNDÆ B. IOANNIS EXPLANATIO.

1\. *Senior Electa Dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate & non ego ſolus, ſed & omnes, qui cognouerunt veritatem.* A

I. Æc Epiſtolæ inſcriptio, quòd ab Apoſtolica conſuetudine, & à communi ſcribentium vſu aliena videatur, magnam diſſerendi materiam præbuit: cum enim Epiſtolarum ratio poſtulet, vt ſcribentis nomen initio Epiſtolæ indicetur, hîc tantùm communi quadam voce deſcribitur, quæ cùm multis poteſt eſſe communis, tum non ſatis explicat, ad ætatemne, an verò ad Eccleſiaſticum munus referenda videatur. Senior, inquit, Græcè ὁ πρεσβύτερος. Qui ad ætatem referunt, vel alium quempiam Ioannem ſeniorem confingunt, vt indicanit Euſebius, quos in præfatione refutauimus, vel Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ ſenectutem indicari autumant. Nam vt alios omittam, Ambroſius ad

a Pſ. 36. 25. illa verba [a]. *Iunior fui, etenim ſenui*, de Ioanne Apoſtolo, & Euangeliſta hunc in modum ſcribit: *Et Ioannes ſenex cœpit ſcribere Euangelium, vel Epiſtolas, qui cùm refugeret Apoſtolum ſe ſcribere, ſeniorem ſcripſit; nec minor eſt æſtimatus, cui cygnea quadam ſuppeteret gratia ſenectutis. Nec malè ſenectutem præſefert, qui morum præ-*

b Ecclеſ. 6. 35. *cepta traditurus eſt; ſcripſit enim Sapiens* [b]. *In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audi-*

c cap. 8. 9. *re, & prouerbia laudis non effugiant te. Et alibi* [c]. *Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientium, & in prouerbiis eorum conuerſare; ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſeruire magnatis ſine querela. Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore* C

d cap. 32. 4. *neceſſitatis dare reſponſum. Denique* [d] *loquere, ait, maior natu, decet enim te.*

II. Cum igitur Ioannes priuatam quamdam familiam erudiendam ſuſcepiſſet, ſenectutis ſuæ initio ſtatim meminit. quæ videtur OEcumenij ſententia. Et re vera Ioannes ad vltimam ſenectutem peruenit, qui Romæ ſub Domitiano in feruentis olei dolium iniectus poſtmodum in inſulam Pathmos relegatus, vbi Apocalypſim ſcripſit; inde Epheſum reuerſus, ibidem extremum clauſiſſe diem fertur. Sic enim

e lib. 3. hiſt. cap. 31. ſcribit Polycrates apud Euſebium [e]. *Ioannes, qui ſupra pectus Domini recubuit, Epheſi obdormiuit.* Teſtatur au-

f de ſcript. Eccleſ. in Ioan. tem Hieronymus [f] ad extremam illum perueniſſe ætatem *Confectus (ait) ſenio Ioannes ſexageſimo octauo poſt paſſionem Domini anno mortuus eſt.* Cum igitur id ætatis ſcriberet, meritò ſe ſeniorem appellat. Addo quòd cum ad priuatam familiam ſcriberet, hoc ad beneuolentiam côciliandam viſum eſt aptius, quàm ſi proprium nomen adſcriberet. Hinc tamen non negarim, haud temerè ſuſpicatos eſſe nonnullos, alium quempiam Ioannem ſeniorem huius Epiſtolæ fuiſſe auctorem. Ex Papia enim teſtatur Euſebius Ioannem quemdam ſeniorem vna cum Ariſtione in numero diſcipulorum Domini fuiſſe habitos. Quis autem ille Ioannes fuerit, non ſatis conue-

g lib. 7. c. 20 nit. Dionyſius enim Alexandrinus apud Euſebium [g] plures Ioannes nominat. *Eſt item* (inquit) *alius Ioannes in Actis Apoſtolorum cognomento Marcus, quem Barnabas, & Paulus ſibi in ſocietatem aſciuerant.* Alterum D

A Ioannem vnà cum Euangeliſta Epheſi iacere ſcribit, quem indicat fuiſſe libri Apocalypſis auctorem. Sunt [a] tamen, qui malint ſeniorem Ioannem illum eſſe omnino, quem Lucas filium Mariæ cognomento Marcum, & Barnabæ conſobrinum nominat. Ego nihil habeo affirmare, tantùm dico potuiſſe Ioannem Euangeliſtam ſe meritò presbyterum, hoc eſt, ſeniorem appellare. Plura in præfatione primæ epiſtolæ Ioannis, hac de re ſcripſi. a Baron. to. 1. annal. An. Chriſt. 97.

Quod ſi presbyteri, aut ſenioris nomen ad Eccleſiaſticum munus referas, non perinde accipiendum eſt, quaſi proprio tantùm presbyterorum ordine initiatus eſſet, cùm re vera Epiſcopus, & Apoſtolus appellari queat; ſed, vt alibi dixi, olim Epiſcopi etiam presbyteri vocabantur, non tamen continuo omnes presbyteri Epiſcopi erant. Cur autem prætermiſſis III.

B ſpecioſis Epiſcopi, & Apoſtoli titulis, ſe presbyterum tantummodo vocet, his verbis expedit OEcumenius. *Presbyterum autem (ait) hic ſe, & non Apoſtolum, neque ſeruum Ieſu Chriſti, vt cæteri Apoſtoli, appellat. Non Apoſtolum quidem ob id fortaſſe, quia ipſe non fuit primus, qui in Aſia verbum annunciauit, ſed poſt Paulum, & non in tranſitu, ſicut ille prædicationis curſum abſoluens, ſed illic manens, & præſens ad præſentes verbum exponit.* Videtur autem OEcumenius ad poſteriorum temporum conſuetudinem reſpexiſſe, qua ij, qui primi in vrbem, aut prouinciam Euangelij lucem intuliſſent, eius vrbis, aut prouinciæ Apoſtoli appellari conſueuerant. Quod verùm æuo illo Apoſtolico vſu receptum eſſet, mihi quidem non liquet.

Malim igitur opinari ſanctiſſimum Apoſtolum Chriſtianæ humilitatis, & modeſtiæ gratia, cum præ- IV.

C ſertim ad priuatam familiam ſcriberet, ſpecioſos reieciſſe titulos, & ſeſe tantùm presbyterum nominaſſe, quamquam Græcus articulus eximium, & ſingularem presbyterum indicare videtur. Eſt enim Græcè ὁ πρεσβύτερος, quaſi dicat, presbyter ille tota Aſia celeberrimus. Sed cur, quod alij Apoſtoli faciunt, non ſe Chriſti Domini ſeruum nominat? An quia cum ſingularem quamdam Chriſti in ſe beneuolentiam, & caritatem expertus eſſet, ſeruituris nomen, quæ timore potius ducitur, ab ea alienum putauit? Ita ſanè, nec, vt arbitror, omnino malè exiſtimauit OEcumenius. *Sed neque ſeruum* (inquit) *ſe vocat, propterea quòd cum vehementer à Domino fuerit dilectus, extra ſeruitutis timorem ſe eſſe confidebat.* Quamobrem rectè ſe Ioannes presbyterum vocat, hoc eſt, ſeniorem; vel quia, vt ait OEcumenius, *cùm ſenex iam eſſet, hæc ſcri-*

D *pſit, vel, vt ſe Epiſcopum nomine presbyteri eſſe declaret. Per illud enim tempus, quemadmodum & ex Apoſtolorum geſtis, quæ B. Lucas* [b] *ſcripſit, & ex Petri epiſtola videri licet, de Epiſcopis etiam presbyteri nomen dici conſueuerat.* Certè in Concilio Hieroſolymitano [c] nominantur Apoſtoli, & ſeniores, & vtroumque nomine ſcripta eſt Epiſtola Synodica. Et Paulus [d] vocaſſe dicitur maiores natu Eccleſiæ Epheſinæ, Græcè πρεσβυτέρους, quos deinde alloquens, ait. *Attendite vobis, & vniuerſo Gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Petrus [e] autem Apoſtolus ſeniores, hoc eſt, πρεσβυτέρους alloquens ſeſe cũſeniorem appellat. Eſt autem Græcè συμπρεσβύτερος.

b Act. 20.

c Act. 15. 6 & 23.

d Act. 20. 17. & 28.

e Epiſt. 1 cap. 5. 1.

Electa Dominæ. Græcè ἐκλεκτῇ κυρίᾳ. quo loco inſignis V.

signis hæreticus verborum potius, quàm rerum, & sceorentiarum subtilis, & curiosus inuestigator, negat Electam nomen esse proprium fœminæ: nam si secus esset; recta orationis ratio postulabat, vt κυρίᾳ ἐκλεκτῇ nō autem ἐκλεκτῇ κυρίᾳ scriberet. Quasi verò Apostoli, virique Apostolici has tam accuratas orationis formulas religiosiùs sectarentur, vt id præsertim in sacris literis ita perpetuum sit, vt numquam aliter scriptum legatur. Certè Lucas Græci sermonis, vt ait Hieronymus, non ignarus in Actis

a cap. 8. 27. Apostolicis[a] ita scripsit: *Ecce vir Æthiops, Eunuchus, potens Candacis Reginæ Æthiopum*, & tamen hoc magistro dicendum illi fuerat, *Regina Æthiopum Candacis.* Quis verò reprehendat eos, qui Philippum Regem Macedonum, Annibalem Pœnorum Ducem, Augustum Romanorum Imperatorem appellent? Sed nimirum perditissimi mortalium obtrectandi, & calumniandi studio obcæcati etiam in voculis, & in ipsis apicibus tamquam in scirpo nodum quærunt, & imperitis fucum facere nituntur. Certè me quidem auctore cuiuis dicere licebit Lotherum hæreticorum principem, Caluinum funestam Galliæ facem, Bezam impurissimum nebulonem.

VI. Sed quænam fuerit hæc fœmina Electa nomine non satis constat. Clementem Alexandrinum aiunt existimasse, Babylonicam fuisse primariam fœminam. *Secunda* (inquit) *Ioannis Epistola, quæ ad Virgines simplicissimè scripta est, scripta verò est ad quamdam Babylonicam Electam Dominam.* Non ignoro OEcumenium existimasse, Electam vocari hanc fœminam vel ex nomine proprio, vel ex virtute: sed præstat propriè fœminæ nomen accipere. Ea verò non officij gratia, aulico, & assentatorio more Domina nuncupatur, sed quòd nobilis, & primaria fœmina esset, quæ in illis præsertim regionibus eiusmodi titulo insigniri soleret. Quod minus mirum videri debet, quòd illa tempestate ea adulationis ratio etiam Romanam Rempublicam occupauerat. Nam vt alij ante nos obseruarunt, quamuis Domini vox propriè non nisi ad seruos referatur, Augusti tamen æuo à liberis patres, & à fratribus blandientibus fratres Domini appellari consueuerant. Indicat id

b In Augusto. Suetonius[b], dum de Augusto scribit, *Dominum appellari se nec à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò, vel ioco passus est, atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* Quin etiam patres Dominos appella-

c apud Lamprid. in eius vita. ri solitos, indicat Diadomeni[c] Cæsaris epistola ad matrem. *Dominus* (inquit) *noster, & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat.* Et clariùs Martialis:

E seruo scis te genitum, blandéque fateris,
Cùm Dominum appellas Sosibiane patrem.

VII. Certè Seneca[d] Iulium Gallionem fratrem Domi-

d ep. 105. num his verbis appellat. *Illud mihi in ore erat Domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrim habere cœpisset, confestim nauim conscendit, clamitans non corporis esse, sed loci morbum.* Coniuges autem sese mutuò ea voce nuncupabant. Sic Virgilius[e],

e Æneid. 4. ——— *Dominum Aenean in regna recepi.*

f Æneid. 6. Et alibi[f],

——— *Dominam Ditis thalamo deducere adorti.*

g lib. 12. epig. 52. Martialis[g] autem,

Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas,
Iste tibi Dominam conciliauit amor.

h lib. 11. epig. 9. Et alibi[h],

De Palatinis Domina quod serica prælis.

i In Claud. Hoc est Augustæ. Et Suetonius[i] de Claudio scribit. *Occisa Messalina paulo postquàm in triclinio decubuit, cur Domina non veniret, requisiuit.* Id autem à Græcis deductum ferunt, qui vxorem δέσποιναν appellant.

Bened. Iustinian. in Epist. B. Ioan.

A Et Epictetus fœminas ait post decimumquartum ætatis annum à viris Dominas appellari. Nam de impudicis animis nihil attinet dicere, cum eiusmodi adulatorijs appellationibus plena sint Poëtarum carmina.

Addam & illud Senecæ[a]. *Quomodo* (inquit) *obuios, si nomen non succurrit, Dominos salutamus?* Sic Mar- VIII. a ep. 3.

tialis[b], b lib. 1. epigr. 113.

Cùm te non nossem Dominum, Regémque vocabam.

Et[c], c lib. 5. epigr. 58.

Cùm voco te Dominum, nolo tibi Cinna placere;
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

Sic etiam[d], d lib. 10. epig. 10.

Qui me respiciat, Dominum, Regémque vocabo.

B Et eodem modo Ouidius[e], e l. 1. Amor. eleg. 6.

Et mihi blanditias dixit, Dominúmque vocauit,
Et quæ præterea publica verba iubent.

Potuit igitur Apostolus gentis consuetudini hoc tribuere: nam alioqui illum ab aulicis blanditijs longissimè abfuisse non dubito.

Et natis eius. Græcè καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς, quæ vox propriè liberos significat, vt etiam fœminas complectatur. Quam ob causam suspicor Clementem Alexandrinum dixisse, hanc secundam Ioannis Epistolam scriptam esse ad Virgines: verósimillimum enim est, hanc Electam Dominam plures habuisse filias, quæ virginitatem publicè professæ essent. Sic IX.

Paulus[f] à viduis exigit, vt filios educauerint, Græcè f 1. Tim. 5. 10.

C ἐτεκνοτρόφησεν. Et paulo post[g] iuniores nubere vult, g ver. 14.

& filios procreare, τεκνογονεῖν. quod procul dubio tam ad mares, quàm ad fœminas refertur. Nam propriè mares υἱοί: fœminæ verò θυγατέρες dicuntur. Itaque Ioannes natorum nomine tam fœminas, quàm mares intelligit; addit autem se eos diligere in veritate. *Quos ego* (inquit) *diligo in veritate.* Quod, vt ait OEcumenius, propterea dixit, quia fictè quoque, & ore tantùm, & lingua amare possumus: sicut ipse in priori epistola[h] de quibusdam falsis fidelibus ostendit, h cap. 3. 18.

sic enim scribit. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Valet autem hoc mirificè ad conciliandam beneuolentiam, rectè enim dixit quidam[i]. i Martialis.

D *Hoc non fit verbis Marce, vt ameris, ama.*

Et Seneca[k]. *Ego tibi* (inquit) *monstrabo amatorium sine* k ep. 19.

medicamento, sine herba, sine vllius venefica carmine, si vis amari, ama. In veritate (inquit) *dilige.* Græcè ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ. quasi dicat, re vera; quomodo in Actis Apostolicis loquitur Petrus[l]. *In veritate comperi quia non* l cap. 10. 34.

est personarum acceptor Deus. ἐπ' ἀληθείας, hoc est, re ipsa, & certo experimento didici.

Et non ego (inquit) *solus, sed omnes, qui cognouerunt veritatem.* Quod spectat ad eximiam eius familiæ laudem, cuius ea sit virtus, ac morum integritas, vt omnium fidelium beneuolentia, atque amore digna sit. Quo genere laudis celebris olim fuit Iudith, de X.

qua scriptum est[m]. *Et erat hæc in omnibus famosissima,* m Iudit. c. 8. 8.

E *quoniam timebat Dominum valdè, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Describit autem his verbis Ioannes Catholicos, & veros, ac legitimos Ecclesiæ filios, qui eamdem fidei veritatem complexi sunt, & mutua sese caritate prosequuntur, vt tacitè hæreticorum mores perstringat, qui in cæca errorum nocte versantur, & non modò à Catholicis dissident, sed etiam secum ipsi incredibiliter pugnant, & à vera, Christianáque caritate longissimè absunt. Qua verò ratione hæc mutua fidelium caritas concilietur, mox explicans ait.

2. *Propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.*

I. Cur fideles omnes Electam, eiusque familiam Christiana caritate complectuntur? Nempe *propter veritatem, quæ permanet in nobis.* Veritas non solùm fidei, sed etiam morum, quæ fideles omnes in vnam societatem cogit, persuadet proximos, præcipuè verò eiusdem professionis, ac fidei Christiana caritate diligendos. Hoc enim sæpius apud Ioannem [a] Christus Dominus inculcat, præcipuè verò cùm dixit. *In hoc cognoscent omnes, quòd Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et hic noster in sua prima Epistola nihil magis commendat, quàm fraternam caritatem, & vt ait Hieronymus [b]: *Cùm ad extremam peruenisset ætatem, nec facilè posset orationem producere, per singulas collectas hoc tantùm iterabat: filioli diligite alterutrum. Quod cùm auditores ægriùs ferrent, quòd eadem semper audirent, ab eo quæsierunt, cur nihil præterea diceret; ille verò dignam Ioanne sententiam protulit. Quia (inquit) præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Nec discrepat Paulus, qui ad Romanos [c] scribit. *Nemini quidquã debeatis, nisi vt inuicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem impleuit.*

a cap. 13. 35.
b ep. ad Gal c. 6.
c cap. 13. 8.

II. Mox addit omnia præcepta legis, quæ secunda tabula comprehenduntur, in hoc verbo instaurari: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Denique his verbis concludit. *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Hanc autem fidei, ac morum veritatem permanere ait in nobis, hoc est, fidelibus, veréque Ecclesiæ filiis, qui soli veram fidem retinent, verasque, ac perfectas virtutes complectuntur, cum extra Ecclesiam nihil præter errorem, ac perfidiam reperias; & si fortè externa quæpiam virtutis species affulgeat, plurimùm tamen à perfecta, absolutáque virtute recedit; atque vt apud homines nonnullam laudem assequatur, apud Deum tamen, qui intimos animi recessus peruadit, ac lustrat, omni prorsus merito, & fructu caret, nisi fortè, vt ait Augustinus [d], id efficiat, vt qui eam coluerint, mitiùs à Christo Iudice puniantur. Itaque OEcumenius veritatem interpretatur caritatem, & quidem veram, ac firmam, non autem inconstantem, & sui dissimilem, ne videlicet facilè vel refrigeretur vel extinguatur. Quocirca subdit.

d aduersus Iulianum.

III. *Et vobiscum erit in æternum.* Ostendit enim Catholicæ Ecclesiæ fidem nullo vmquam tempore posse deficere; est quippe Ecclesia, vt ait Paulus [e], *columna, & firmamentum veritatis*; de qua possis illud explicare, quod legitur in Canticis [f] Canticorum. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Ob eam enim causam dixit Dominus [g]: *Super hanc petram* (hoc est, Petrum Apostolorum Principem) *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Est enim Ecclesia, vt ait Dauid [h], *super stabilitatem suam* fundata, *non inclinabitur in sæculum sæculi.* Quod si eadem verba ad veritatem morum, & Christianam caritatem referas, ea meritò dicitur in in æternum permanere; quia caritas ex se non habet interitus sui principium, & nisi quis eam sponte ab se abiiciat, in æternum perseuerat. Et si de vniuersa Ecclesia sermo sit, quamuis non pauci in ea sceleribus inquinati deprehendantur, plurimi tamen integri, ac lethali labe carentes persistunt. Quam ob causam Catholica Ecclesia dicitur sancta, tum quia vera sanctitas in ea dumtaxat reperitur; tum quia numquam omni ex parte sanctitate destituitur.

e 1. Timo. 3. 15.
f cap. 4. 4.
g Mat. 16. 18.
h Psal. 103. 5.

IV. Verè itaque dixit Ioannes, *nobiscum erit in æternum*, quia quamdiu Ecclesia stabit, veram fidem, veramque iustitiam, & caritatem retinebit. Nec longius à vero abierit quispiam, si hæc Apostoli verba ad prædestinatos referat, qui procul dubio ad extremum vsque vitæ spiritum in vera fide, gratia, & caritate perseuerabunt. Nam (quod auctore Augustino aliàs non semel monui) ita in prima persona loquendum est, quasi de propria prædestinatione nullo pacto dubitandum videatur. Accedit quod Apostolus se suique similes spectasse videtur, quibus tamquam in gratia confirmatis peculiaris Dei prouidentia aderat, quæ illos integros, ac puros ab omni lethali piaculo conseruaret.

3\. *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris in veritate, & caritate.*

I. Græcæ vocis ὑμῶν ambiguitas, & Græcorum Codicum varietas geminam pepererunt huius loci interpretationem: Vulgatus siquidem Interpres cum Græcè legisset ὑμῶν, transtulit, *sit vobiscum*. Alij, quos sequutus est OEcumenij Interpres, quia legerant Græcè ἡμῶν, per η, Latinè reddiderunt, *erit nobiscum.* Vtraque interpretatio præsenti loco congruit. Prior quidem Apostolicam salutationem continet ei persimilem, quam penè semper suis in epistolis adhibet Paulus. Precatur enim Ioannes Electæ Dominæ, & vniuersæ eius familiæ gratiam, misericordiam, pacem à Deo Patre, & à Christo Domino. Posterior verò superioris sententiæ rationem reddit; cur enim veritas & fidei, & morum perseuerabit in nobis in omnem æternitatem? Nimirum, quia aderit nobis gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Domino, idque *in veritate, & caritate*, hoc est, ad veritatem, & caritatem roborandam, & confirmandam. Hoc enim Ioannes ob eam, quam modo dixi, rationem citra vllam iactantiam bene ominando affirmare potuit.

II. Atque hanc posteriorem interpretationem probare visus est OEcumenius, qui ait hæc dixisse Ioannem, *vt ostendat, quænam bona ex perfecta caritate efflorescant.* Ego vt hanc non penitus reiicio, ita priorem præferendam censeo, tum quia ea salutationis forma familiari præsertim epistolæ maximè congruit; tum quia auctoritate Concilij Tridentini vulgata interpretatio retinenda est, quam verosimillimum est ab incorruptis Codicibus Græcis profectã esse, meritoque per tot sæcula in Ecclesia retentam. Itaque tria optat Apostolus, primùm quidem gratiam: est enim Græcè χάρις. Possis autem gratiam intelligere, siue eã, quæ quasi forma iustis inhærens veram illis iustitiam, & sanctitatem tribuit; siue eam, quæ diuinum præsidium, & opem ardua, & diuina molientibus suppeditat, quæ adeò necessaria est, vt sine illa nihil penitus, quod ad pietatem valeat, efficere quisquam possit. Et quidem hanc meritò Christianæ familiæ optat, quæ cum inter improbos versaretur, diuinæ gratiæ præsidio munienda, ac firmanda erat. *Sit* igitur, ait, *vobiscum gratia*, quæ vos in percepta fide, & caritate stabiliat, ne vllis aduersariorum imposturis illudi vos, aut decipi patiamini.

III. Addit, *misericordia*; hæc enim humanæ imbecillitati in primis est necessaria, vt si fortè aliquando labamur, aut leuiter offendamus, sua nos Deus immortalis misericordia subleuet. Vt enim alicubi ait Augustinus, circumscripta diuina misericordia nulla propemodum est inter mortales vera, perfectaque iustitia. Omnibus igitur diuina misericordia congruit, atque idcirco Ioannes iis, quos verè, atque ex animo diligit, diuinam misericordiam precatur. Postremo loco pacem optat, quam absque gratia, atque misericordia consequi nemo potest. Gratia luctantibus adest, vires sufficit, misericordia iacentes subleuat, nutantes confirmat, vtraque victoriam

parit,

parte, quam sequitur pax, & tranquillitas.

IV. Hæc autẽ omnia optat *a Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris.* Indicat enim hæc omnia bona esse cælestia ac diuina, quæ à Deo & petenda, & expectanda sunt. Quia verò illo Apostolico sæculo, vt paulò pòst Ioannes ipse indicat, perditi, ac veteratores quidam hæretici Christi ad nos aduentum impiè, nefariéque negabant; hos obliquè perstringens Ioãnes bona illa, quæ enumerauit, non à Deo Patre solùm, sed à Christo Iesu Filio Patris flagitãda monet. Nam vt omittam, quod apud Theologos tritum est in scholis, externas in rebus creatis actiones toti Trinitati esse communes, atque adeò æquè ad Filium, & Spiritum sanctum, atque ad Patrem pertinere, peculiari quadam ratione gratia, cæteraque diuina bona, quæ post primorum parentum lapsum humano generi tribuuntur, Christo liberatori, tamquam bonorum omnium largitori referenda sunt accepta: ob id enim dicitur à Paulo [a] Ecclesiæ caput. *Ipsum* (inquit) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*

[a] Ad Ephes. 1. 22.

V. Ipse verò Christus apud Ioannem [b] aquam viuam pollicetur quæ fiat fons aquæ salientis in vitam æternam. Et alibi [c] in se credentibus flumina aquæ viuæ pollicetur, hoc est, cælestium bonorum affluẽtiam. *Qui credit* (inquit) *in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Christum autem vocat Filium Patris indicans secundam Trinitatis personam humanam sibi naturam hypostatica vnione copulasse. Sed cur Spiritum sanctum tertiam Trinitatis personam omisit? An quia Christi Domini dignitatem, & maiestatem aduersùs hæreticos tueri voluit, eiusque humanam naturam tamquam bonorum omnium fontem indicare? An quia nulla tunc hæresis diuinam Spiritus sancti personam oppugnabat? An quia indicare voluit, quantum humanum genus Christo humanæ libertatis vindici, atque assertori debeat? Certè Patri, à quo reliquæ diuinæ personæ eamdem naturam hauriunt, tamquam diuinitatis fonti ita tribui consueuerunt, vt cæteræ personæ eiusdem essentiæ, eiusdemque potestatis, atque efficientiæ, quà ad res creatas refertur, participes esse censeantur.

[b] cap. 4. 10. & 13. [c] Ioan. 7. 38.

VI. Porrò Christum Patris Filium nominat, vt eius diuinitatem indicet, tacitéque insinuet, eum humanæ naturæ respectu quippe ex Spiritu sancto in vtero Virginis conceptum, parentem non habuisse. Nam qui in cælo ante omnem æternitatem absque matre genitus erat, in vtero Virginis absque patre conceptus est, vt (quod obseruauit non nemo) hunc etiam nomine Melchisedechi sacerdotium referret, cum ille in sacris literis tamquam sine patre, & sine matre, & absque genealogia, quæ nusquam extat, quasi repentè extitisse commemoraretur.

VII. Quod sequitur, *in veritate, & caritate*, ad explicanda superiora pertinet, cum enim veritatem nominasset, quam tum ad fidem, tum ad morum integritatem referri diximus, id planiùs explicans, *in veritate, & caritate*, ait, quasi dicat, gratiam, misericordiam, & pacem opto, vt in veritate, & caritate consummemini. Veritas enim mentem, atque intelligentiam perficit diuino fidei lumine illustrans, vt cælestia mysteria percipiantur; caritas autem, quæ Deum, & proximos complectitur, voluntatem ornat, & ad diuina sectanda vehementiùs inflammat. Quamquam autem, vt indicaui, non vno modo veritatis nomen vsurpat Apostolus, hoc tamen loco procul dubio fidei veritatem indicat: fides enim cum Dei potissimùm testimonio nitatur, qui nec decipi, nec fallere potest, adeò vera est, vt ei falsum subesse nulla ratione queat. Quocirca ea, quæ à Philosophis certa, atque euidenti ratione concluduntur, si veritatem, ac certitudinem spectes, fidei dogmatibus sunt longè inferiora. Hanc ob causam meritò dixit Paulus [a]. *Sit autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et Ioannes [b]: *Qui accepit eius testimonium, signauit quia Deus verax est.*

[a] Rom. 3. 4. [b] cap. 3. 33.

VIII. Quò referri possunt & illa apud Matthæum [c] Christi Domini verba. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Faciliùs enim omnia, quæ natura constant, deficere, aut immutari possunt, cum diuinæ voluntatis imperio subsint vniuersa, & subito in nihilum redigi queant, quàm diuina oracula, & responsa veritate destitui. Et quoniam Christus fidei auctor, & magister erat, coram Pilato [d] affirmauit, se in hoc natum esse, & ad hoc in mundum venisse, vt testimonium perhibeat veritati, tum subdit. *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam*: quasi dicat fideles suis verbis præbere assensum. Verùm quoniam, vt ait Iacobus [e], *fides sine operibus mortua est*, fidei adiungit caritatem, quæ est benè agendi, beneque merendi principium; vtramque igitur virtutem Electæ Dominæ, eiusque familiæ optat. Quæ quoniam sunt cælestia, planèque diuina beneficia, gratiam, misericordiam, & pacem precatur. Atque hactenus quidem Epistolæ inscriptio, & salutatio.

[c] cap. 24. 34. [d] Io. 18. 37. [e] cap. 2. 20. 26.

4 *Gauisus sum valdè, quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre.*

I. Gratulatur Apostolus Electæ Dominæ, quòd tam ipsa, quàm vniuersa eius familia non solùm veram fidem, & Christianam religionem complexa esset, sed eidem fidei, ac religioni consentaneam vitam duceret; quod non assentationis studio, sed eo consilio facit, vt acriores stimulos addat, cum tritum illud sit virtutem laudatam crescere præsertim cùm laus à laudato viro proficiscitur. *Gauisus sum* (inquit) & reuera, vt obseruauit OEcumenius, *ingenti gaudio Dei ministri perfunduntur, cùm vident fideles mores atque actiones suas diuinis præceptis subdere, & ex Christiana lege præscripto vitam traducere.* Sic Paulus ad Philemonem [f] scribit. *Gaudium enim magnum habui, & consolationem in caritate tua, quia viscera Sanctorum requieuerunt per te frater.* Et ad Timotheum [g]. *Vt gaudio impleor recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non fictæ.* Et ad Thessalonicenses [h]. *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum?*

[f] vers. 7. [g] ep. 2. c. 1. 4. [h] ep. 1. c. 3. 9.

II. Sic aliàs semper gaudij, lætitiæque suæ materiam suorum filiorum laudabilem vitam appellat. Neque aliter Ioannes gaudij sui caussam, ac materiam vocat morum integritatem, quam in hac familia deprehenderat. Valdè autem se gauisum scribit, quod est eximiæ caritatis argumentum; vt enim quisque maximè Deum diligit, ita plurimum gaudij percipit, cùm illum videt à mortalibus religiosè coli. Contra verò aduersùs impios, & Dei contemptores vehementissimè indignatur. Ita Dauid, *In matutino* (inquit) *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Et alibi [k]. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.*

[i] Psal. 100. 8. [k] Psal. 138. 21.

III. *Quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate.* An Ioannes aliquot Electæ filios coram alloquutus erat? Id videri potest probabile; hoc enim non obscurè indicat verbum, *inueni*, Græcè εὕρηκα. Neque aliter videtur accipiendum quod mox subiicit, *de filijs tuis*, quasi non de omnibus loquatur, sed de nonnullis, quibuscum familiariùs egerat, eorúmque mores diligentiùs cognouerat, perspexeratque eos vitæ actionibus Christianæ legis præcepta repræsentare. Hoc enim est, quod ait, *ambulantes in veritate.* Ambulare enim, vt aliàs monui, & hîc obseruat OEcumenius, progressum significat. *Quanuum enim quis in virtute operatur, vlterius progreditur, habitúmque honesti perfectiorem sibi subinde comparat, quippe cum infinita, & nunquam desinens virtutis via sit.* Ita dixit Christus [a]. *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Et Dauid [b]. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.*

a Io. 12. 35.
b Psal. 100. 6.

IV. Itaque sensus est, incredibilem cepi animo voluptatem, quod re ipsa comperetim nonnullos ex filiis tuis Christianis moribus præditos. Ait autem, *ambulantes in veritate*, quia fidei veritati bonis actionibus testimonium præbent, fidemque animo conceptam honesta, atque laudabili vita palam profitentur, adeò longè abesant ab eorum improbitate, quos alicubi Paulus [c] perstringens ait. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et Petrus [d]. *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Arqui Electæ filij ambulabant *in veritate*, hoc est, quotidie magis, ac magis in Christiana disciplina proficiebant, eorumque virtus quotidiana capiebat incrementa, quod est proprium eorum, qui ad Christianæ virtutis apicem contendunt; quotidie namque aliquid ad superiora adiiciendum est, vt ad summum aliquando pertingas. Nec malè dixit olim quidam, [e] *quotidie aliquid ex vitijs demendum, erroresque suos obiurgandos.* Et quod de philosophiæ studio idem alibi [f] scripsit, id de Christiana perfectione multo veriùs affirmarim; *omnia alia negligenda esse, vt huic assideamus, cui nullum temporis spatium satis magnum est, etiamsi à pueritia vsque ad longissimos humani æui terminos vita protendatur.*

c ad Titum 1. 16.
d ep. 2. c. 2. 21.
e Senec. lib. de vit. beat. c. 17.
f ep. 73.

V. *Sicut mandatum accepimus à Patre.* At quod mandatum? vniuersim possis Decalogi legem accipere, de quia olim Christus apud Matthæum [g]. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Mox autem Decalogi præcepta enumerat: neque enim exigua laus est, in viro præsertim nullo peculiari vinculo adstricto Decalogi præceptis obtemperare. OEcumenius tamen peculiare præceptum caritatis interpretatur, de quo Christus apud Ioannem [h]. *Si quis* (inquit) *diligit me, sermonem meum seruabit*; & paulo ante dixerat [i]. *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Quocirca rectè Gregorius. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Et Augustinus. *Operatur magna amor, si est, si autem operari renuit, amor non est.* Fauet huic interpretationi, quod mox subiicit Ioannes, cùm præceptum caritatis præsertim in proximos commendat, quod & fecerat in prima epistola. Et profectò, vt egregiè explicant Theologi, Christiana perfectio in caritate posita est. Et eam ob causam monet Paulus [k]. *Omnia vestra in caritate fiant.* Et alibi [l] cætera omnia absque caritate nihil prodesse ostendit; caritatem autem describit quasi omnem virtutem complectentem, & vitia contraria excludentem. *Caritas* (inquit) *patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

g cap. 19. 17.
h cap. 14. 23.
i cap. eod. vers. 15.
k 1. Cor. 16. 14.
l 1. Cor. 13.

VI. Hanc igitur virtutem Electæ filij maximè sectabantur. Sed cur obsecro, hoc mandatum ait Ioannes nos accepisse à Patre? *Sicut mandatum* (inquit) *accepimus à Patre.* An Patrem appellat Christum? Sic omnino existimat OEcumenius, Isaias [a] enim Christum ita loquentem inducit. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* Nam de Christo verba illa interpretatur Paulus [b]. Et apertiùs idem Propheta inter cætera nomina, quæ Christo attribuit, Patrem futuri sæculi appellandum [c] docet. *Vocabitur* (inquit) *nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Placet ea explicatio recentioribus quibusdam, qui Christum verè omnium Christianorum Patrem esse affirmant. Quod si negem esse verum planè desipiam; sed vereor tamen, vt id significare voluerit Ioannes, qui paulo ante Christum Dominum Patris filium appellauerat. Nec mihi facilè persuadere possum, continuò illi Parentis nomen concessurum, quem filium nominauerat. Malim itaque Patrem eo modo interpretari, quo Christus Dominus apud Matthæum [d], Patrem, qui in cælis est, inuocari præcepit: totam enim procul dubio Trinitatem significauit, quæ creationis, & conseruationis iure, meritò Pater inuocatur. Qua ratione apud Malachiam [e] hunc in modum Deus hominum ingrati animi vitium reprehendit. *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?*

a cap. 8. 18.
b Hebr. 2. 13.
c cap. 9. 6.
d cap. 6. 9.
e cap. 1. 6.

VII. Quod si quis Patrem velit pro prima Trinitatis persona accipere, non longiùs à vero abierit; quod enim Christus pronunciauit, à Patre audierat, vt ipsemet apud Ioannem [f] affirmat. *Verba, quæ ego loquor, à me ipso non loquor.* Et [g] alibi. *Omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quam ob causam, vt ego quidem interpretor, subiicit Ioannes, quod etiam in prima Epistola dixerat, non se nouum mandatum tradere, sed quod ab initio accepit, indicans nimirum caritatis præceptum non esse præceptum legis Euangelicæ à Christo Domino impositum, sed ipso iure naturæ niti, diuina præsertim reuelatione, ac supranaturalium rerum fide admissa, vt suo loco copiosiùs explicui; quomodo autem Christus Dominus suum, ac nouum mandatum appellet, ibidem docui.

f cap. 14. 10.
g cap. 15. 15.

5 *Et nunc rogo te Domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum.*

I. Hæc magnopere congruunt cum iis, quæ in prima Epistola dixit, quo loco præceptum caritatis, quo proximi diliguntur, negauit esse nouum. Videtur autem, vt obseruauit non nemo, tacitè perstringere hæreticos, qui neglectis Apostolicis traditionibus, noua quædam dogmata, & prorsus absurda statuebant. Quod etiam grauissimis verbis reprehendit Moses [h]. *Noui, recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Ita hæreticis nouitatem obiicit Tertullianus [i]. *Edant ergo* (ait) *origine Ecclesiarum suarũ, euoluant ordinẽ Episcoporũ suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem, & antecessorem; hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Et paulo [k] ante dixerat, omnes hæreticos vera, atque Ecclesiastica doctrina

h Deut. 32. 17.
i lib. de præscrip. c. 32.
k cap. 30.

doctrina posteriores esse; & addit. *Probent se nouos*
Apostolos esse, dicant Christum iterum descendisse, iterum
ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum
a cap. 31. *resuscitatum.* Et mox[a]: *Sed ab excessu reuertar ad prin-*
cipalitatem veritatis, & posteritatem mendacitati deputandam,
ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen
frumenti à Domino seminatum primò constituit, auenarum
autem sterilis fœni adulterium ab inimico Diabolo superducit.
b lib. 7. stro. Eodem spectant quæ scribit Clemēs[b] Alexandrinus.
Præterea autē fore vt in veritate seminētur hæreses, vt in fru-
mento Zizania prophetice dictum est à Domino, & fieri non
potest, vt non fiat id, quod prædictū est esse futurum; huius au-
tem causa est, quòd quidquid est pulchrum sequitur momus.
Sed hac de re plura alibi dixi[c]. Videant igitur hu-
II. ius nostri æui hæretici, qui noua Euangelia cudunt,
c 1. Cor. 4. 36. num. 2. noua dogmata consarcinant, quo loco habendi sint
ab iis, qui fidem iam inde à Christo Domino pro-
mulgatā, ab Apostolis, viris que Apostolicis propaga-
tam, & ad hęc vsque tēpora à bonis omnibus cōstātis-
simè retentam sequuntur. Semper enim, vt aduersus
Apionē probat Iosephus, nouitati præferēda est anti-
quitas. Itaque Ioannes caritatis præceptū ab antiqui-
tate cōmendat, vt ostendat, quemadmodum obser-
uauit OEcumenius, *si ea præcipere, quæ sæpè aliàs pertra-*
ctata essent, & plurimorum vsu trita, non autem noua, &
difficilia, quæque ob nouitatem parere molestiam possent. Re-
ctè quippe alicubi scribit Seneca[d]. *Magna pars est*
d epist. 76. *apud imperitos mali nouitas.* Et alibi[e]. *Nouitas adijcit*
e epist. 90. *calamitatibus pondus.* Idcircò Ioannes se nihil noui
præcipere ait, *sed quod accepimus ab initio*, siue cum
ipsa natura, cui hæc lex inscripta est, & quodam-
modo insculpta, atque innata, siue ab initio nascen-
tis Ecclesiæ, cum Christus Dominus humanæ vin-
dex, atque assertor libertatis hoc præceptum illu-
strauit, sedulo discipulis commendauit, suo deni-
que exemplo firmauit.

Vt diligamus alterutrum; hoc est præceptum acce-
III. ptum ab initio, quod mortalium mentibus inditum
est, quodque natura ipsa suadet, ita enim Seneca[f].
f epist. 48. *In commune*, inquit, *viuitur, non potest quisquam beatè*
degere qui se tantum intuetur, qui omnia ad vtilitates suas
conuertit. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere. Quæ sint
autem amoris, & humanitatis officia alibi[g] his ver-
g epist. 95. bis explicat. *Præcipiemus, inquit, vt naufrago ma-*
num porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente pa-
nem suum diuidat? Quando omnia, quæ præstanda sunt,
ac vitanda dicam, cum possim breuiter hanc illi formulam
humani officij tradere? Omne hoc, quod vides, quo diuina,
ac humana conclusa sunt, vnum est: membra sumus cor-
poris magni, natura nos cognatos edidit, cùm ex iisdem, &
in eadem gigneret; hæc nobis amorem indidit mutuum, & so-
ciabiles fecit. Illa æquum iustumque composuit, & ex illius
constitutione miserius est nocere, quàm lædi; ex illius im-
perio paratæ sunt iuuantis manus. Iste versus, & in pectore,
& ore sit.

Homo sum, humani nihil à me alienum puto.
Habeamus, in commune nati sumus.

IV. Ea porrò Christus Dominus etiam inimicis præ-
h Mat. 5. 44. standa docuit[h]. *Diligite inimicos vestros, benefa-*
cite his, qui oderunt vos, & orate pro persequenti-
bus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri,
qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, &
i Ioan. 13. 35. *malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Alibi[i] verò hac
veluti tessera suos voluit discipulos internosci. *In*
hoc (inquit) cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si
dilectionem habueritis ad inuicem. Et hic noster in sua
k cap. 3. 18. prima epistola[k] dilectionis modum præscribens.
Non diligamus (inquit) verbo, neque lingua, sed opere,
& veritate. necesse est omninò vt caritas animo in-
clusa sese proferat, ac prodat, vt enim idem Ioan-
l cap. 3. 17. nes ait[l]; *Qui habuerit substantiam huius mundi, & vi-*
A *derit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera*
sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Et vt ait Sa-
lomon[a]. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo,* a Prouer. 6. 27.
vt vestimenta illius non ardeant?

6 *Et hæc est caritas, vt ambulemus secundùm mandata*
eius; hoc est enim mandatum, vt quemadmodum
audistis ab initio, in eo ambuletis.

Videri poterat Apostolus parum ad rem loqui, I.
cùm caritatis præceptum commendaret iis, quos pu-
tabat aduersus hæreticorum perfidiam in vera fide,
ac religione confirmandos. Iam verò ostendit quor-
sum ea oratio spectet; præceptum, inquit, caritatis,
quod à principio vobis impositum est, cæterorum
B omnium præceptorum obseruationem exigit. Est
enim caritas, vt paulo ante dixi, non segnis, aut
languida, sed potius actuosa, & efficax, ac propte-
rea rectè ait Ioannes Christum præceptorum imita-
tus. *Et hæc est caritas, vt ambulemus secundùm mandata*
eius. Caritatem enim, vt ait OEcumenius, in eo
existere ostendit, *vt secundùm ipsam ambulemus, man-*
datumque ab initio non alterius causa nobis datum esse ait,
quàm vt in eo ambulemus, vltrò citróque eadem commiscens,
ac repetens, vt videlicet per caritatem vnionem ipsis indi-
uulsam procuret, ne ad seductores, qui iam in mundum pro-
cesserant, Dominique aduentum in carne reprobabant, se-
cederent. In prima autem epistola[b] apertiùs dixerat. b cap. 5. 3.
Hæc est enim caritas Dei, vt mandata eius custodiamus: in-
ter cætera autem mandata præcipuum locum obti-
C net fidei præceptum, quo eius vnitas, & veritas re-
tinenda præcipitur; vt enim ait Paulus[c] Apostolus, c Ephe. 4. 4.
Vnus est Deus, vna fides, vnum baptisma. Cùm igitur
hæc fidei vnitas sit in primis necessaria, planè se-
quitur vitandos esse impostores, qui falsa dogmata
confingunt, & à vera Ecclesia recedunt ipsi, & alios
abducere, atque auocare nituntur. Ambulare autem
dixit *secundùm mandata eius*, vt vniuersim omnia
præcepta complectatur, quia, vt ait Iacobus[d]; *Qui* d cap. 2. 10.
totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est
omnium reus.

Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab II.
initio, in eo ambuletis. In præcepto caritatis omnia
propemodum alia præcepta tacitè inuolui alibi ostē-
D di, atque idcircò Ioannes cum dixisset, caritatem id
potissimùm exigere à nobis, vt ambulemus secun-
dùm mandata eius, id nunc propriè, ac nominatim
attingit, quod maximè ad rem facit. Mandatum enim
ait esse, vt quam ab initio mente fidem concepe-
rant, quamque vitæ rationem complexi erant,
constantissimè retineant, nec patiantur se ab insti-
tuto Christianæ vitæ cursu, & à recta veræ pietatis
via ad hæreticorum diuortia flecti. Sæpius autem his
non multis verbis ambulandi verbum iterauit, in-
nuens, vt non nemo obseruauit, legis Euangelicæ
facilitatem; quippe quæ non simplex, aut nudum
præceptum imponit, quod olim faciebat lex Mosis,
E sed obtemperandi facultatem tribuit, viresque suf-
ficit ad ea peragenda, quæ imperat. Eam procul du-
bio ob causam Christus apud Matthæum iugum sua-
ue, & onus leue appellat[e]. *Iugum enim meum* (inquit) e cap. 11. 30.
suaue est, & onus meū leue. Et hic Ioānes[f] noster. *Man-* f ep. 1. 5. 3.
data (inquit) *eius grauia non sunt.* Quippe Deus diuinæ
suæ gratiæ auxilium præbet, quo mens roborata ni-
hil non potest; ita enim alicubi dixit Paulus[g]. g Phil. 4. 13.
Omnia possum in eo, qui me confortat.

Idque olim indicauit Deus apud Oseam[h]; *Et ego* III.
(inquit) *quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs* h cap. 11. 3.
meis, & nescierunt, quòd curarem eos: In funiculis Adam
traham eos in vinculis caritatis, & ero eis quasi exaltans iu-
gum super maxillas eorum, & declinaui ad eū, vt vesceretur.

Descri

buntur enim singularia legis Euangelicæ priuilegia, illudque præcipuè, quod diuinæ gratiæ efficaciatem continet, quod est in lege Euangelica primarium, cum alioqui lex illa Mosis in Actis[a] Apostolicis intolerabile iugum non immeritò nuncupetur. Præceptum igitur est, vt hîc ait Ioannes, *vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis*. Hoc olim vaticinatus est Isaias[b]. *Et aures tuæ* (inquit) *audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Illos autem ab initio audisse ait, cùm prima videlicet fidei rudimenta didicerunt, cùm Christianis sacris initiati sunt. Quoniam enim Christus Dominus ascensurus in cælum monuit Apostolos[c], vt docerent *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Verissimè intellexerunt Apostoli, ac posteris tradiderunt, geminam fidelibus tradendam esse doctrinam; alteram, qua ante baptismum fidei præceptis imbuerentur; alteram, quæ ad mores referretur, quam suscepto baptismo diligentissimè colerent: ad vtramque referri potest quod in præsentia ait Ioannes, *vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis*, hoc est, vt fidei dogmata, & morum præcepta retineatis.

a cap. 15. 10.
b cap. 30. 21.
c Matth. 28. in fin.

7 *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem, hic est seductor, & Antichristus.*

I. Huc omnis, vt initio dixi, hæc epistola refertur; vult enim Apostolus imminenti periculo prospicere, & Electam vnà cum tota familia in Christiana fide sic prorsus confirmare, vt hæreticorum versutias, & callidas subtilitates facilè vitaret. Vt enim ait Apostolus, in iis potissimùm regionibus, vbi Electa viuebat, exorti erant impij, ac nefarij hæretici, qui Christi aduentum pernegarent, atque adeò humani generis libertatem, & vniuersam legem Euangelicam de medio tollerent. *Multi* (inquit) *seductores exierunt in mundum.* Id vniuersim verissimè dicitur, nam illo ipso Apostolico sæculo non pauci hæretici prodierunt in lucem, de quibus apud Eusebium[d], & Nicephorum[e] hæc scripsit Egesippus. *Et quoniam* (inquit) *Ecclesia nondum erat falsa peruersa hæreticorum doctrina inanitate corrupta, idcirco virgo appellata fuit. At Thebulus* (vel vt alij codices habent, *Thebutes*) *propterea quod in petitione Episcopatus repulsam tulerat, eam erroris labe ex occulto inficere exorsus est. Qui quidem vnus erat ex horum numero, qui ex septem sectis in populo Iudaico prosemanatis oriebantur. Ex quibus sectis originem erroris duxit Simon, vnde Simoniani, & Cleobius, vnde Cleobiani, & Dositheus, vnde Dositheani, & Gorthæus, vnde Gorthani, & Masbotheus, vnde Masbothæani. Atque ex istorum fontibus profluxerunt Menandrianista & Marcionista, & Carpocratiani, & Valentiniani, & Basilidiani, & Saturnilani: quorum singuli separatim variam illam quidem, suam tamen, & propriam inuexere opinionem. Ab illis item nascebantur Pseudochristi, Pseudoprophetæ, & Pseudoapostoli, qui adulterina, & corrupta peruersæ doctrinæ contagione contra Deum, & contra Christum eius inductâ concordiam, & vnitatem Ecclesiæ tamquam membratim discerpserunt.*

d lib. 4. hist. cap. 22.
e lib. 4. c. 7.

II. Sed quos potissimùm hoc loco indicet Ioannes, nô satis liquet: nã si spectes verba, quæ sequũtur, *qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem*, ea non vno modo accipi possunt. Etenim si negent simpliciter, ac præcisè Christi ad nos aduentum, id omnibus Iudæis commune erat, qui etiamnum Messiæ aduentum non minus stultè, quàm impiè præstolantur. Non est autem verisimile Iudæos ab Apostolo significari, non enim diceret multos seductores exortos esse, cum iampridem & Iudæi Euangelicæ doctrinæ incunabulis, vt olim Pharao Iudæorum infantibus, acriter aduersarentur. Indicare itaque videtur Ioannes è Christianorum numero, & Ecclesiæ sinu prodisse quosdam, quos olim, vt in præsentia monet OEcumenius, Christus Dominus venturos prædixerat[a], *Et multi* (ait) *Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.*

a Mat. 24. 11.

III. Porrò non defuerunt, qui Basilidem potissimùm notari autument, quibus fauere videtur Epiphanius, qui de illo hunc planè in modum scribit[b]. *Quin & idem de Christo veint qui in apparentia apparuerit, opinatur. Esse autem ait ipsum phantasiam in eo, quod apparuit, non esse autem hominem, neque carnem suscepisse. Confingit porrò nobis aliam fabulam, ac dramatis actum secundus ille initiatur in tractatu de Cruce Christi, non Iesum passum esse asserens, sed Simonem Cyrenæum. Nam quoniam dum Dominus è Hierosolymis exturbaretur, velut Euangelij series habet, coegerunt quemdam Simonem Cyrenæum ad portandam crucem; hinc repertis, vt nequitiæ suæ tragœdiam confingeret. Et illum, inquit, in eo, quod portabat crucem, transformauit in suam speciem, & se ipsum in Simonem, & pro se ipso tradidit Simonem vt crucifigeretur. Cùm autem ille crucifigeretur, stabat ex opposito inuisibilis Iesus deridens eos, qui Simonem crucifigebant; ipse verò discessit ad cælestia tradito Simone ad crucifigendum, & illæsus processit ad cælum.* Sed si Electa Babyloniæ ciuis erat, & inquilina, vix poterat cognoscere, quæ Basilides in Ægypto, & finitimis regionibus stolidè effutiebat. Idem enim Epiphanius ait. *Basilides igitur, quemadmodum supra indicatum est, ad Ægyptiorum regionem missus, illic vitam degebat. Deinde venit in partes Prosopitæ, & Athribitæ, nec non etiam circum Saitem, & Alexandriam, & Alexandriæpolitem præfecturam, hoc est, vicinos circumcirca Alexandriæ locos, quos nomos, hoc est, pascua, siue præfecturas Ægyptij vocant.* Ita non videtur Electæ à tam longè dissito impostore imminere potuisse periculum, cui hac epistola Ioannes occurreret; nisi quis dicat nefariam impij hæretici doctrinam adeò fuisse diffusam, vt etiam Babylonem penetraret.

b Hæres. 24.

VI. Non videntur autem illi audiendi qui Basilidem autumant hæresim docere cœpisse sub Adriano Cæsare, & Alexandro Romano Pontifice, vt Ioannes qui Traiano imperante mortalitatem exuit, Basilidis dogmata perstringere nullo modo potuerit; nam eo quidem tempore eius impietatem lõgè latéque fuisse diffusam haud abnuerim, eius tamẽ initia antiquiora fuisse apertè docet Ignatius, qui imperante Traiano Romæ martyrio functus est. Cũ enim ad Trallianos[c] scriberet; *fugite* (ait) *illas sine Deo hæreses, diaboli enim sunt adinuentio serpentis auctoris malorum, qui per mulierem seduxit Adam Patrem generis nostri. Fugite verò, & malas soboles eius, Simonem dico primogenitum generis ipsius, & Menandrum, & Basilidem, & totam collectionem malignitatis ipsius.* Vt appareat ante Adriani tempora Basilidem hæresis suæ virus effudisse, atque adeò à Ioanne potuisse eius errores perstringi. Fuisse autem Basilidem quorumdam portentorum, atque ineffabilium arcanorum inuentorem, & architectum testatur Irenæus[d], multaque illum scripsisse affirmant Clemens[e] Alexandrinus, & Eusebius[f]. Hunc igitur præstigiatorem, eiusque fabulas, atque figmenta cauenda esse monet Apostolus, ipsum porrò auctorem, seductorem, & Antichristum appellat. Est autem Græcè pro seductore ὁ πλάνος qui propriè à recta via abducit, & in errorem impellit; Antichristum autem vocat, quasi Christi aduersarium.

c epist. 11.
d lib. 1. c. 23.
e l. 4. strom.
f lib. 4. hist. cap. 7.

V. Nam, vt alibi dixi, Antichristi nomen ambiguè in sacris literis accipitur, interdum enim, vt hoc loco,

Christi

Christi aduersarium significat, & quasi commune nomen omnibus improbis, & præcipuè hæreticis conuenit. Nonnumquam verò priuatim quemdam hominem significat, qui secundum ad nos Christi aduentum præcurret, pios, ac iustos vexabit, non paucos ad impietatem pertrahet, ea denique mala omnia perpetrabit, quæ à Paulo Apostolo describuntur. Imperitè autem iuxta, atque impiè faciunt hæretici, qui Antichristi nomen Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ propriè tribuendum esse contendunt, quorum vesana temeritas non semel à doctissimis viris confutata est. Mirari autem quispiam posset, cur cùm seductores numero multitudinis nominasset, subitò ad vnitatis numerum conuertatur, cùm ait, *Hic est seductor, & Antichristus.* Sed hoc esse in sacris literis frequentissimum, alibi monui: videtur autem respexisse Ioannes ad sua verba in prima epistola[a]. *Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Quod enim ibi ait, *ex Deo non est*, hic dicit, *est seductor*; vtrobique aorem posuit Antichristi nomen. Quis autem magis est Christo contrarius, quàm qui eius aduentum, & singulare eius in omne genus hominum beneficium negat? Nec dubium est, hac ratione plurimós esse Antichristos, qui aduersus fidem, & religionem aut disserendo, aut perdurè, aut flagitiosè viuendo pugnam suscipiunt.

a cap. 4. 3.

8 *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.*

I. Indicato periculo salubre adiicit consilium, vt suis rationibus prospiciant, caueantque ne omnium bonorum iacturam faciant, sed quàm diligentissimè curent, vt quoniam in Christianæ virtutis studio non parum processerant, ad metam aliquando perueniant, & sui cursus præmium, ac mercedem assequantur. Ait igitur, *Videte vosmetipsos*, Græcè βλέπετε: quasi dicat, vosmetipsos, vestrásque omnes actiones diligenter discutite, & ab horum impostorum impietate quamlongissimè recedite. Et re vera saluberrimum, & Apostolo dignum consilium est, suas omnes tum cogitationes, tum actiones discutere, & explorare. Vt enim dixit alicubi Seneca[b], *Nemo non benignus est sui iudex.* Alibi verò [c] *animum* ait *quotidie ad reddendam rationem vocandum esse*, tum subdit. *Faciebat hoc Sextius, vt consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? desinet ira, & erit moderatior, qua sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? Quàm tranquillus, altus, ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui, censorque secretus cognoscit de moribus suis? Vtor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, & conticuit vxor moris iam mei conscia, totum diem meum scrutor, facta ac dicta mea remetior, nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere, vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco? In illa disputatione pugnacius locutus es, noli postea congredi cum imperitis. nolunt discere qui numquam didicerunt. Illum liberius admonuisti, quàm debebas, itaque non emendasti, sed offendisti. De cætero vide non tantum, an verum sit quod dicis, sed an ille cui dicitur, veri patiens sit.*

b lib. de benef. cap. 10.
c lib. 3. de ira cap. 36.

II. Hæc tam copiosè hoc libentiùs recensui, vt minimè mirum videatur, religiosæ vitæ præceptoribus placuisse non semel tantùm, sed bis quotidie suas actiones explorare. Præclara autem sunt in hanc sententiam, quæ scribit Philo Carpathiorum Episcopus. *Magna*, inquit, *consequitur Dei beneficia, qui se rimatur, & conscientiam propriam discutit, ac purgat seseque loquitur, & tacite recenset, quæquid vmquam egit in vita, vt cum Rege illo dicat. Recogitabo tibi Domine omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Nihil est enim vtilius, nihil laudabilius, nihil sanctius, quàm in se descendere, seque, & vitam propriam, & proximi cum possis ad honestatem collimare.* Certè Phocylidê ferunt[a] primum omnium docuisse mortales ter singulis diebus suarum actionum à se ipso rationem exigere. Binas quotidie sui discussiones præcepisse Pythagoram præter Galenum[b] asserit etiam Hieronymus[c]; eam frequenter repetendam viri sanctissimi[d] docuerunt. Huc igitur refero quod ait Ioannes; *Videte vosmetipsos*, omnes enim vitæ actiones diligenter excutiendas monet; & cur id præcipiat, duplicem rationem affert.

d Ephrem. Syr. tom. 3. in ser. ascetico.
Doroth. ser. 11.
Ber. ad Fatr. de mot. Dei.
Vmbet. lib. 2. de erudit. par. 2. cap. 3.
c in Cant. c. vlt.

a Stobæus
b lib. de cog. & cur. an. mor. c. 6.
c Adver. Ruff.
d Doroth. ser. 16. Bona. tom 2. opus. 15. memor. §. 24.

III. Altera est, *ne perdatis quæ operati estis*. Græcè hæc in prima persona legûtur, ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν ἃ εἰργασάμεθα, ne perdamus quæ operati sumus, quasi dicat, ne frustra vestra causa laborauerimus, quod profectò fieret, si pateremini vos improborum hominum imposturis decipi, & à recta fide, veraque religione abduci, in nihilum enim reciderent nostri suscepti labores. Quæ profectò ratio apud animos ingenuos non exiguam vim habet. Sed vt verum fatear, vulgati Interpretis lectio magis videtur probanda, vt moneat Electam, eiusque familiam, vt sedulò caueat, ne cuncta, quæ honestè, atque laudabiliter gessit, prorsus pereant, quod vtique eueniret, si graue aliquod, ac lethale piaculum admitterent; aut, quod grauius esset, Catholicam fidem abnegarent. Ita enim apud Ezechielem[e] loquitur Deus. *Si autē auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatē secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, nō recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur.* Ita bonis omnibus spoliatur, qui graue scelus admittit, præcipuè verò id accidit iis, qui à recta, & Catholica fide recedunt.

e c. 18. 24. & cap. 33. 13.

IV. Nam vt alicubi scribit Chrysostomus, qui retenta fide aliquo flagitio inquinatur, potest facilè cum Deo in gratiam redire, & præterita merita, quæ, vt loquuntur Theologi, peccato mortificata erant, recuperare. At vbi quis fidei iacturam fecit, longè difficiliùs in viam redibit; siue, quia longiùs à Deo, & iustitia abest, siue, quia hæretici magna cum difficultate veritatis lucem aspiciût, quin potius serpentem illum imitātur, de quo Dauid[f]; *Furor illis secundum similitudinē serpentis sicut aspidis surdæ, & obturātis aures suas, quæ nō exaudiet vocem incātantiū & venefici incātantis sapienter.* Quæ maximè ad hæreticos pertinere docet ibidē Dauid, qui paulo ante hæc nō de quibuslibet peccatoribus, sed de iis potissimùm affirmat, *qui alienati sunt à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa*; quæ omnia in hæreticos cadunt, qui ab vtero matris Ecclesiæ tamquam abacti fœtus proiiciuntur, & falsa dogmata & complectuntur ipsi, & aliis tradunt. Habet autem hoc argumētum magnam vim, plurimumque valet ad confirmandum fidelium animos, ne, quod ait Paulus[g], frustra crediderint; necesse est enim in percepta fide, & caritate perseuerare. *Qui enim*[h] *perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et Paulus verè dixit; *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.*

f Psal. 57. 5.
g 1. Cor. 15. 2.
h Matth. 24. 13.

V. Subdit alterā rationem. *Sed vt mercedem plenā accipiatis.* Græcè hæc etiam, vt superiora, in prima persona efferuntur: ita enim habent, ἀλλὰ μισθὸν πλήρη ἀπολάβωμεν. Quæ mihi quidem absurdam, ac falsam videntur continere sententiam, si Ioannes significet, cùm quis à fide, aut gratia excidit, laboris fructum, aut

A aut mercedem ei petire, qui in ipsius institutione operam posuerit. Manet enim recta docentem, & salutaria consilia dantem integrum præmium, siue alij obtemperent, siue secus, siue in suscepta vitæ ratione perseuerent, siue eam deserant. Nam si secus sit, plurimi Prophetæ, atque Apostoli suorum laborum mercede carerent, qui interdum frustra aliorum saluti procurandæ sedulam operam dederũt. Illud fortasse non sine aliqua probabilitate admitti posset, si quis dicat Ioannem, quod sæpe aliàs sacri scriptores facere consueuerunt, personam mutasse, vt se quodam modo cum Electa, eiúsque filiis coniungat, perinde quasi sibi quoque cauendum insinuet ne omnium iacturam faciat, suáque mercede careat; quod vtique modestiæ gratia, & ad caritatis magnitudinẽ declarandam magna cum laude fa- B cere potuit. Certè Christiana caritas ita suadet pro aliorum salute laborandum, ac si inde præmium pẽdeat, quod egregio huius sanctissimi Apostoli exemplo firmari potest. Clemens enim Alexandrinus apud Eusebium[a] de Ioanne Apostolo & Euangelista insignem quamdam historiam memoriæ prodidit.

[a] lib. 3. hist. cap. 17.

VI. *Audite* (inquit) *fabulam; quid dixi fabulam? imò verum, & certam historiam de Ioanne Apostolo memoratam, quæ & nobis constanter tradita est, & memoria firmè custodita. Vbi verò Tyranno mortuo ex insula Pathmo erat Ephesum reuersus, quorumdam rogatu ad finitimas gentes proficiscitur, hic Episcopos constituturus, illic integras Ecclesias ritè dispensaturus, alibi certos homines sibi Spiritus sancti* C *instinctu demonstratos in Clerum electurus. At cùm ad vrbem quamdam non longè inde distantem (cuius etiam nomen nonnulli memorant) se contulisset, & alia quæque officia, quæ ad animos fratrum inter se dissidentium conciliandos pertinebant, obiisset, ad extremum adolescentulum corporis viribus valentem, vultu, & oris conformatione venustum, animi impetu flagrantem forte conspicatus, statim in eum, qui ibi Episcopus erat constitutus, oculos conuertit, eúmque sic affatus est. Hunc adolescentulum omni studio, cura, & cogitatione coram Ecclesia, & Christo teste, tibi, tuæque fidei commendo. Quem cùm Episcopus in suam tutelam accepisset, & omnia se facturum fuisset pollicitus, Ioannes eadem iterum, atque iterum edisserit, eiúsque fidem contestatur, Ephesum deinde redit. Episcopus ille adolescen-* D *tulum sibi concreditum in domum suam recipiens educauit pro suo in officio continuit, fouit humaniter, ad extremum baptismi Sacramento illuminauit.*

VII. *Postea verò vbi sigillo Domini, id est, Sacramento confirmationis tamquam perfecta, tutáque eius animi custodia obsignasset, nonnihil de cura, & obseruatione in eo instituendo suscepta remisit: quem quidem non solùm liberior viuendi potestas, quam fuerat paulo ante tempus adeptus, verùm etiam quidam adolescentes eius æquales otio languidi, inertia dissoluti, & omni malorum generi assuefacti corruperunt. Ac primùm exquisitis conuiuiorum opiparorum deliciis illum alliciunt, inuitántque, noctu deinde educentes ad furti societatem coeundam attrahunt, tum maiora moliri flagitia* E *hortantur. Ita pedetentim assuescit, & propter generosam animi magnitudinem tamquam equus effrenatus, & nimiùm sibi, suísque viribus præfidens extra rectam viam impetu fertur, frænáque acriter præmordens procliuiùs in profundum vitiorum gurgitem se præcipitat; atque cùm omnino iam in desperationem salutis in Deo sitæ veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitauit, sed magnis quibusdam, ac nefariis facinoribus admissis, vbi semel omni improbitate, & nequitia perditus euaserat, nullam non sceleris labem ex æquo cum aliis contrahere secum statuit. Istis igitur in sodalitatem ascitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto paratóque se ducem manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, seueritate denique acerbissimum præbuit.*

VIII. A *Interea temporis vbi necessaria ad eam rem incidebat occasio, Ioannes accersitur. Ille vbi alias res, quarum gratia venerat, rectâ ratione disposuisset; Age, inquit, Episcope, depositum nobis redde, quod ego, & Christus Ecclesia teste, quam gubernas, tibi commisimus. Hic verò primò attonitus obstupuit, arbitratus pecuniam, quam numquam acceperat, à se per fraudem, & dolum malum repeti, & tamen neque facilè credere poterat ea à se repeti per calumniã, quæ numquam habuisset, neque Ioanni depositum repetenti omnino diffidere. Verùm simul atque Ioannes dixerat; Adolescentulum repeto, & animam fratris. Senex demisso vultu ingemiscens, & item lacrymans; Ille, inquit, mortuus est. Quomodo, & quo genere mortis? Deo, inquit mortuus est, nam nequam, & perditus, & vno verbo latro euasit, & iã pro Ecclesia, in qua versabatur, montem cum nefaria hominum* B *sui similium turba occupat. Apostolus ergo veste dilacerata ingenti cum gemitu, caput feriens; Bonum, inquit, custodem animæ fratris tui te reliqui, equus iam iam mihi adsit, & dux aliquis itineris.*

IX. *Inde ab Ecclesia, ita vt erat, cum festinatione se proripuit. Profectus autem ad locum à primis latronum excubitoribus prehenditur, qui neque fugam parans, neque euitare studens, sed vociferans admodum dixit. Huc huius rei causa accessi, me ad principem vestrum deducite, qui quidem ad tempus, vt erat armatus, expectat. Verùm vt Ioannem aduentantem agnouerat, præ pudore capessit fugam. Hic verò ætatis suæ oblitus illũ pro viribus properè insequitur, atque clamans, Quid, inquit, fili me tuum ipsius Patrem inermem, & ætate confectum fugis? Miserere laboris mei fili, ne formides, ad-* C *huc tibi salutis spes reliqua est. Ego Christo pro te reddam rationem, & si sit opus, pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro omnibus nobis, pro tua anima meam dabo: Consiste, crede, Christus me misit ad te. Ille vt hæc audierat, primùm oculis humi defixis constitit, deinde arma abiecit, tum horrore perfusus grauiter, & acerbè lamentatus est. Senem ad se aduenientem complectitur, fletu, & mœrore quoad poterat, pro culpa satisfecit, & dextra sola occultata lacrymarum vnda secundo baptizatur. Apostolus rata, & constanti asseueratione ei se à Seruatore veniam, & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur; atque ad genua accidens ipsam manum dexteram tamquam aqua pœnitentia ablutam purgatámque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo inuocat, continuis ieiuniis vnà cum eo se macerat, variis diuina sa-* D *pientia sermonibus eius animum quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillátque; neque prius, vt fertur, inde decessit, quam illum Ecclesiæ ministerio præfecisset.*

X. Hinc, vt arbitror, apparet, quantum in Apostolico pectore Christiana caritas æstuaret, qui se oleum, & operam perdidisse censeret, nisi adolescentẽ pridem religiosum, ac pium, mox omnibus sceleribus coopertum ad pœnitentiã reuocaret, & ad Christianæ vitæ fastigium inflammaret. Persimili igitur ratione potuit in præsentia Electam, eiúsque familiam ad perseuerantiam hortari, ne cogeretur ipse suæ industriæ iacturam facere, eóque gaudio carere, quod E discipulorum in virtutis studio progressus, & constantia magistris, & eruditoribus afferre solet, quóque illi tamquam laborum præmio mirum in modum triumphant, & exultant.

XI. Sed quamquam hæc ita disputo, retinenda tamen est vulgata lectio, vt significet Ioannes iis mercedem plenam deberi, qui fidem, & gratiam perceptam constanter retinuerint; quamuis enim qui post lapsum resipiscunt, & rursus cum Deo in gratiam redeunt, si vsque in finem perseuerent, suo præmio non destituantur, plenam tamen mercedem ij solummodo consequuntur, qui innocentiã baptismo partam, intactam, atque illæsam conseruant. Siquidem iusti [illegible] amdiu in gratia, & iustitia perseuerant, merita sua [illegible] per augere possunt; *Cùm enim* (vt Concilium

a sess. 6 c. 26. cilium Tridentinum[a] ait) *ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam verè promeruisse censeantur.*

XII. Plenam igitur mercedem consequuntur, quæ videlicet omnibus ipsorum actionibus ex æquo respondeat; quod secus accidit iis, qui à gratia excidunt, & peccato inquinantur, eorum enim functiones quamdiu in peccato persistunt, quoniam, vt Theologi loquuntur mortuæ sunt, ad vitam æternam promerendam vim nullam habent. Itaque Ioánnes quod optimum, maximéque frugiferum est, Electæ, ac liberis suadet, vt in Christiana fide persistant, ac perseuerent, neque se à percepta gratia se vllo pacto abduci patiantur, ne iam comparata merita pereant, sed plenam potius, atque omni ex parte perfectam mercedem assequantur. Ita apparet, quicquid hæretici gruniant, fas esse iustis, dum honestè, ac laudabiliter agunt, præmium, ac mercedem

b Psal. 118. spectare. Et quidem olim David[b]; *Inclinaui*, inquit, *cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter*

c ad Hebr. 13. 16. *retributionem.* Et Paulus[c]; *Beneficentiæ*, inquit, *& communionis nolite obliuisci, quæ magnam habet remunerationem.* Neque aliter existimasse videtur hoc loco Ioannes, qui spe mercedis proposita ad perseuerantiam hortatur. Sed quoniam hic de re alibi copiosius disseritur, in præsentia nihil addendum videtur.

9 *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet.*

I. Duo veluti amplissima axiomata proponit hoc loco Apostolus, quorum primum est, eum, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habere; alterum, qui in eadem doctrina perstat, ac perseuerat, Patrem, ac Filium habere. Ex priori liquet, toto illos (quod aiunt) errare cælo, qui nefariè, atque impiè mentiuntur, posse quemlibet in sua secta, atque perfidia salutem consequi sempiternam. Quod nulla ratione ferendum est, cùm apertè

d cap. 10. 7. apud Ioannem dixerit Christus[d], *Ego sum ostium ouium, omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones.*

II. Quo loco egregiè August.[e] *Dicant ergo (ait) Pagani, bene viuimus; si per ostium non intrant, quid eis*

e tract. 45. in Ioan. *prodest, vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodesse bene viuere, vt detur illi semper viuere, nam cui non datur semper viuere, quid prodest bene viuere? Quia nec bene viuere dicendi sunt, qui finem bene viuendi vel per cæcitatem nesciunt, vel per inflationem contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera, & certa semper viuendi, nisi agnoscat vitam, quæ est Christus, & per ianuam intret in ouile. Quarum ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus, vt bene viuant, & Christiani non sint; per aliam partem volunt ascendere, rapere, & occidere, non vt bonus Pastor conseruare, atque saluare. Fuerunt ergo quidam Philosophi de virtutibus, & vitiis subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutissimè concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis bene viuere; sed non intrabant per ostium, perdere volebant, mactare & occidere.* Hæc ille verè, ac sapienter; sed quæ de Gentilibus, ac Philosophis scribit, persimili ratione de hæreticis affirmari possunt, vt ipsemet Augustinus

non ita multò pòst insinuat. Tametsi enim illi se Christi discipulos iactant, ab eius tamen doctrina, veráque fide diuerso quidem calle, sed eadem tamen impietate cuncti recedunt, atque idcirco dicuntur Deum non habere; non enim per Christum intrant, ac propterea longissimè à salute absunt. Est enim Christus ostium, & si quis per Christum introierit, *saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.*

III. Ait igitur Ioannes; *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi.* Recedere enim, ac non permanere in doctrina Christi, non solum dicuntur ij, qui illam non admittunt, vt Philosophi, omnésque Gentiles, & qui eam aliquando receptam abiiciunt, vt hæretici, sed ij omnes, qui Christiano nomine gloriantur, vitam tamen instituunt ab eius præceptis abhorrentem. De his autem omnibus ait Ioannes, Deum non habere: *Deum* (inquit) *non habet.* An quia Deus sua immensitate, qua omnia complet, non sit etiam in impiis per essentiam, præsentiam, & potentiam? Caue suspiceris; nam si secus sit, in nihilum planè reciderent. Et vniuersim de cunctis mortalibus affirmat Paulus[a]; *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Ipse continenter vitam mortalium tuetur, ac seruat vsque eò, vt absque illo ne spiritum quidem ducere quisquam possit. Sed Gentiles quidem, & hæretici Deum non habent, qui, vt ait Paulus[b], per fidem in eorum cordibus habitet: qui verò retenta fide sceleribus tenentur obstricti, Deum non habent, à quo tanquam à vite palmites, succum, & vitam hauriant. De iustis enim dixit Christus[c]; *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Et alibi[d]: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Manent quippe iusti in Christo, quasi rami in trunco, & in vite palmites, Christus verò in ipsis, tanquam caput in membris, aut vitis in palmitibus, dans, vt ait Apostolus[e], *secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem.* Et, vt idem paulò pòst subdit, *impleamur in omnem plenitudinem Dei.*

a Act. 17. 28.

b ad Ephes. 3. 17.

c Ioan. 15. 5.

d Ioan. 6. 57.

e ad Ephes. 3. 16.

IV. Quocirca scelesti, atque impij Deum non habere dicuntur, atque adeò cælesti luce destituti, & spirituali vita carere, quæ oritur à gratia, & caritate, quæ cum peccato non consistit. Quocirca rectè ait OEcumenius eum, qui à doctrina Christi recedit, impium esse, cùm sese ipse à Deo excludat. Quod non solùm de iis verè affirmari potest, quos olim veteres ἀθέους appellabant, quod nullum numen agnoscerent, nullamque religionem colerent, sed etiam de iis omnibus, qui Dei præcepta violant; illi enim diuinitatem negant, hi verò eam aspernantur, & à se abiiciunt, & illa si non voce, re certè ipsa vsurpant, quæ commemorat Iob[f]: *Et Deo dicunt, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? Et quid nobis prodest, si orauerimus illum?* Itemque illa, quæ sunt apud Malachiam[g]: *Vanus est, qui seruit Deo; & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.* Sed, vt ibidem subdit Propheta, apparebit aliquando, *quid intersit inter iustum, & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.* Et ob eam causam addit hoc loco Ioannes.

f cap. 21. 14.

g cap. 3. 14.

V. *Qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet.* Videtur enim alludere Ioannes ad Christi[h] verba: *Si quis (inquit) diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &*

h Ioã. 14. 23.

manſionem apud eum faciemus. Idque vt ait OEcumenius, veriſſimè Chriſtus Dominus pollicetur, *quia ex mandatorum obſeruatione templum ſit, & habitaculum Dei vnuſquiſque facit*. Eſt autem hoc loco alterum axioma, vt paulo ante indicaui. Dicuntur autem qui Chriſti doctrinam amplectuntur, Deum habere multo aliter, quàm cætera creata, habent enim illum tamquam in templo, & domicilio ſuo, *quia illum*, vt ait OEcumenius, *rectè, atque honeſtè viuendo colunt*. Quam ob cauſam Deus Abraham, & Deus Iſaac, cæterorúmque iuſtorum nuncupatur. Cæterùm in doctrina Chriſti, interprete OEcumenio, *ille manere dicitur qui iuxta ipſam & ſapit, & agit, hoc eſt, contemplatiuè, & actiuè vitam producit*, vt videlicet quod alicubi de ſe ipſo ſcribit Paulus [a], nihil ſe ſcire arbitre-

a 1. ad Cor. 2. 2. — tur, *niſi Chriſtum & hunc crucifixum*, & omnes ſuas actiones Chriſti præceptis, atque exemplis moderetur, hoc enim eſt, quod ad Romanos [b] ſuadet Apoſtolus; *Induimini* (ait) *Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs*. Et ad Epheſios [c], *Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*. Non dixit autem Ioannes, quod ratio antitheſis poſtulare videbatur, qui permanet in doctrina, hic Deum habet; ſed ait, *hic & Patrem, & Filium habet*. Indicare hac ratione voluit, quod monet OEcumenius, *eum, qui habet Filium, habere etiam Patrem; qui enim, vt inquit ipſe Filius, Filium vidit, vidit & Patrem. Et rurſus; Ego, inquit, in Patre, & Pater in me eſt, vt ex hoc etiam conſubſtantiales Pater, & Filius eſſe cognoſcantur*.

b cap. 13. 14.

c cap. 4. 23.

VI. Adde quod ſpectaſſe videtur Ioannes ad Chriſti Domini verba, quæ paulo antè indicaui, cùm dixit; *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*. Sed cur Spiritum ſanctum omiſit? *Nulli*, ait OEcumenius, *id ſcandalo eſſe nobis debet; res enim in præſentia id exigebat, vt de hoc tantùm, id eſt, de Patre, & Filio diceretur*. Id, vt arbitror, omnino verè dictum eſt. Sed adhuc quæri poteſt, cur tertia Trinitatis perſona omiſſa videatur. An Patrem idcirco nominat, quia ab illo ſperanda eſt hæreditas; Filium verò, quia nos ad hæreditatis ſocietatem admiſit? Ita ſanè cenſuerunt nonnulli. Sed cur omittitur Spiritus ſanctus, cuius beneficio pignus, &, vt ita dicam, ſemen hæreditatis accipimus? An Patrem, & Filium cùm nominat, vtriuſque nexum, id eſt, Spiritum ſanctum tacitè inſinuat? An denique Patrem explicuit, tamquam diuinitatis fontem, cui bona omnia accepta referenda ſunt; Filium verò tamquam ſalutis auctorem, qui ſuo ſanguine aditum nobis ad cæleſtem patriam reſerauit? Et profectò diuinæ Trinitatis perſonæ cùm ſint vnius, eiuſdémque ſingularis naturæ participes, ita ſunt inter ſeſe connexæ, vt Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu ſancto, & Spiritus ſanctus in vtroque inſit. Ita fit, vt vbi ineſt vna perſona, reliquæ non deſiderentur.

d Leuit. 26. 12. — Quod igitur olim de Iudæorū populo dixit Deus [d]; *Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, vóſque eritis populus meus*. Aptè, ac verè Paulus [e] transfert ad fideles. *Vos enim* (inquit) *eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus*.

e 2. ad Cor. 6. 16.

VII. Mirificè autem hæc templi ſimilitudo Apoſtolo placuit; alicubi enim ait [f]. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et mox. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Et poſt multa [g]. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* Hoc igitur alijs verbis ſignificat in præſentia Ioannes; habere enim Patrem, ac Filium in ſe, nihil eſt aliud, quàm eſſe myſticum quoddam templum

f 1. Cor. 3. 16.

g cap. 6. 19.

A Deo trino, & vni dicatum; atque ita duabus perſonis nominatis, ratione immanentiæ, vt loquuntur Theologi, tertia etiam intelligitur. Quò ſpectans integerrima Virgo Lucia, caſtè dixit viuentes templum eſſe Spiritus ſancti.

Quærit hoc loco OEcumenius, an quod ait Ioannes, poſſit etiam hunc in modum accipi, vt qui diſcipulos excipit, Filium quoque & Patrem habere dicatur. Dixit enim Chriſtus [a]; *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit*. Reſpondet autem loqui Ioannem de Chriſti doctrina, atque idcirco, quia Apoſtoli Chriſti doctrinam profitentur, qui ipſos admittit, ac ſuſcipit, Patrem, ac Filium ſuſcipere cenſendus eſt. Et addit nihil prohibere, quin dicere poſſimus eum, qui B manet in doctrina Chriſti, & Patrem, & Filium habere; eúmque Apoſtoli in eadem doctrina maneant, adeò vt eam omnibus penè gentibus promulgarint, fit vt qui eos, qui templa Dei ſunt, ſuſcipit, Filium quoque & Patrem; qui in ipſis eſt, re vera habeat. Atque ita tacitè Ioannes ſuam doctrinam commendat, & Electæ familiam ad ea retinenda inflammat, quæ à ſe olim didicerat. Hinc apparet, quanta ſit eorum dignitas, ac præſtantia, qui eùm gratia, & caritate præditi ſint, Deum habent in ſe ipſis, vt meritò Paulus Apoſtolus [b] alicubi dixerit; *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Ita colligit, grauiſſimum piaculum eſſe, membra Chriſti fœda, atque impura libidine inquinare. C *Tollens ergo*, ait, *membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit*.

VIII.

a Matth. 10. 40.

b Cor. 6. 15.

10 *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis*.

I. Salutare, planèque neceſſarium conſilium præbet hoc loco Apoſtolus; ſpectata enim hæreticorum verſutia & calliditate, itemque humanæ naturæ imbecillitate, hæreticorum conſuetudo periculo non vacat. Itaque monet Ioannes nullam cum iis conſuetudinem habendam, ac ne officij quidem D cauſâ ſalutandos. Ait igitur: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert*: ſed contrariam, & repugnantem ſacris literis, Apoſtolicis traditionibus, Eccleſiaſticis denique ſanctionibus, quamuis diſertè atque acutè diſſerat, *nolite recipere eum in domum*; tantùm enim abeſt, vt hæreticis aures præbendas cenſeat, vt ad periculum vitandum ne domeſticum quidem conuictum permittat. Quod ſuo exemplo olim ipſe docuerat: vt enim ex Irenæo [c] ſcribit Euſebius [d]; *cùm Ioannes Epheſi balneum ingrederetur, intúſque Cerinthum hæreticum conſpexiſſet, illicò è balneo illotus ſeſe proripuit, & eos qui vnà erant, hoc* E *modo affatus eſt, Fugiamus ocyùs, ne balneum in quo eſt Cerinthus veritatis aduerſarius, extemplò corruat*. Nec aliter feciſſe dicitur Polycarpus, qui occurrenti Marcioni, rogantique num ſe agnoſceret, reſpondiſſe fertur. *Noui equidem primogenitum Satanæ*. Denique teſtatur Euſebius, talem tum Apoſtolos, tum illorum diſcipulos adhibuiſſe cautionem, *vt ne ſermonem quidem cum aliquo illorum, qui veritatem fallaciter ſuis commentis adulterare nitebantur, aliquando miſcere vellent*.

c l. 3. cap. 3.

d lib. 3. hiſt. c. 13. Idem Theo. l. 1. de hær. fabu. & Nice. lib. 4. cap. 22.

II. Non me fugit quod Irenæus, & Euſebius, aliíque non pauci de Cerintho memorant, Epiphanium [e] ſemel, atque iterum de Ebione narrare. Hieronymus [f] autem aſſerit, poſt Ioannis receſſum balnei ruina Cerinthū cum aſſeclis fuiſſe oppreſſum, quod alibi

e Hære. 30.

f c6. Luci.

alibi nuſquam memini legere. Fieri potuit, vt Ebion vnà cum Cerintho in eodem balneo eſſet: vel certè propter erroris affinitatem Epiphanius alterum pro altero poſuit. Sed vt redeam ad Ioannem, negat ille hæreticos hoſpitio excipiendos, quod obſeruans Clemens Alexandrinus in hæc verba ſcribit. *Tales ſalutare prohibet, & in hoſpitium ſuſcipere; hoc enim in huiuſmodi non eſt inhumanum: ſed nec conquirere, vel condiſputare cum talibus admonet, qui non valent intelligibiliter diuina tractare, ne per eos traducantur à doctrina veritatis verisimilibus inducti rationibus. Arbitror autem quia & orare cum talibus non oportet, quoniam in oratione, quæ fit in domo, poſtquam ab orando ſurgitur, ſalutatio gaudij eſt, & pacis indicium.*

III. [a ep. ad Phil.] Polycarpus autem[a]: *Abſtinete* (ait) *à ſcandalis, & à falſis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui aberrare faciunt inanes homines. Omnis enim, qui non confitetur Ieſum Christum in carne veniſſe, hic Antichriſtus eſt, & qui non confitetur myſterium Crucis, ex Diabolo eſt, & qui detorſerit eloquia Domini ad propria deſideria, & dixerit neque reſurrectionem, neque iudicium eſſe, hic primogenitus Satanæ eſt. Propter quod relinquentes vanitates multorum, & falſas doctrinas, ad illud, quod traditum eſt nobis à principio, verbum reuertamur.* Videtur enim vir ſanctus ad hanc epiſtolam alluſiſſe, & eadem propemodum Ioannis verba paulo ante explicata vſurpaſſe. Hoc enim Apoſtolicum conſilium eò refertur, vt hæreticorum conſuetudo quàm diligentiſſimè vitetur, quod etiã Apoſtolus Paulus grauiſſimis verbis docuerat. *Profana autem* (inquit[b]) *& vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit.* Quò, vt arbitror, ſpectans Athanaſius[c]; *Omnia* (ait) *hæreticorum verba ſuſpecta ſunt, & vt ſcriptum eſt, impij inſidias tendunt, etiamſi vel ſolùm innuant, non tamen id faciunt ſine peruerſitate animi.*

b 1. ad Tim. 2. 16
c ſer. 4. con. Arian.

IV. [d Cyprian.] Cæterùm quod ait Ioannes, non eſſe in domum recipiendos eos, qui à Chriſti doctrina abhorrent, neque eos officiosè ſalutandos nullis olim nõ errandi præbuit occaſionem. In Concilio enim Carthaginienſi[d] Epiſcopus quidam nomine Aurelius hinc colligebat, hæreticorum baptiſmum nullum eſſe. *Ioannes* (inquit) *Apoſtolus in epiſtola ſua poſuit dicens; Si quis ad vos venit, & doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum veſtram, & Aue illi non dixeritis; qui etiam dixerit illi Aue, communicat factis eius malis. Quomodo admitti tales temerè in domum Dei poſſunt, qui in domum veſtram priuatam admitti prohibentur? Aut quomodo cum eis ſine Eccleſia baptiſmo communicare poſſumus, quibus Aue ſi tantùm dixerimus, factis eorũ malis communicamus?* Sed nimirum hic vlteriùs progreſſus eſt, quàm Ioannis verba patiantur: fugiendos quidem maximéque vitandos eſſe hæreticos, rectè monet Ioannes; de hæreticorum autẽ baptiſmo alia quæſtio eſt. Si enim illi legitimam formã, & materiam retineant, ratum, ac validum Sacramentum conficere, iam pridem Eccleſiaſtica auctoritate definitum eſt. Tota igitur hæc Ioannis oratio Apoſtolicum conſilium continet, quod deinde viri Apoſtolici maximè probarunt. Ignatius[e] enim, *Fugite* (ait) *impias, & Deum abnegantes hæreſes. Diaboli enim ſunt adinuentiones ſerpentis maiorum auctoris, qui per mulierem ſeduxit Adam patrem generis noſtri; fugite verò malas quoque eius ſoboles.*

e ep. ad Tral.

V. [f l. 6. conſt. Apoſt. c. 18.] Et in eamdem ſententiam Clemens[f] Romanus. *Impios* (ait) *hæreticos, qui impœnitentes fuerint, ſegregatos à fidelibus eiicite, atque à Dei Eccleſia exterminate, præcipitéque fidelibus, vt ab eorũ conſuetudine omnibus modis ſe abſtineant, nec ſermonis cũ iis, neque precum communionẽ habeãt vllam. Ij enim aduerſarij, inſidiatoréſque ſunt Eccleſiæ, qui gregem labefactant, & hæreditatem contaminant.* Denique Martialis[g] iubet obſeruari eos, qui in hypocriſi loquuntur mendacium. *Vt vos* (inquit) *de via veritatis, quam cum Deo elegiſtis, auertant in ſemitas incongruas iniquitatum, & negligentiæ. Et quanto magis per ipſos pulſat æſtu mentis veſtræ Satanas volens irrumpere intrò, & germen in vos pietatis obruere, eo magis ſolidi in caritate, & firmi in fide, & alacres in ſpe Dei gloriæ, talibus reſiſtite viriliter, ſcientes quòd pertranſibunt ſub omni celeritate, quæ vobis contraria ſunt, Deo pro vobis pugnante; permanebunt autem in æternum, quæ per gratiam Spiritus Dei conſtituta ſunt vobis.*

g ep. ad Tol.

VI. [a Orat. con. Ariſtog.] Adde, ſi placet, ampliſſimam Demoſthenis[a] ſententiam. *Inſanabile ingenium oportet* (inquit) *exterminare, & tollere è medio, nec eò vſque expectare dum acceperis malum, præſertim quod ſit Reipublicæ pernicioſum, ſed maturè præcauendum eſt. Sic enim conſiderate, neminem fortaſſe veſtrûm vnquam ſerpens momordit, aut araneus, ſed tamen eas animantes vt videritis, ſtatim occidetis. Ad eumdem igitur modum, Athenienſes, etiam cùm natura ſerpentina præditum hominem videritis, ne dum veſtrûm ſingulos mordeat, expectate, ſed primus quiſque, qui in eum inciderit, vlciſcatur.* Eamdem verò ſententiam mirum in modum illuſtrat Hebræorum doctiſſimus Philo[b]. *Sicut viperas* (ait) *ſcorpios, aliáſque venenoſas beſtiolas, priuſquàm mordeant, aut ſaucient, aut omnino ſe commoueant, ſine mora ad primum aſpectum occidimus, præcauendo genuinam illorum malitiam, priuſquàm noceant. Eodem modo etiam homines plectendi ſunt, qui cùm ſint animalia rationalia, nihilo ſecius à natiua manſuetudine in ferinos mores degenerant, & pro delectamento habent lædendi quoſquot poſſunt licentiam.* Eodem pertinent non pauca apud Platonem[c], & M. Tullium[d], addo etiam Cyprianum[e], Hieronymum[f], Bernardum[g], Chryſoſtomum[h], & alios.

b lib. 2. de ſpecial. leg.
c lib. 9. & 10. de legib.
d Philip. 8.
e Serm. de lapſ.
f ep. ad Demetriad.
g Serm. 66. in Cant.
h Homil. de fide, ſpe, & carit.

VII. Sed cùm hæc omnia, & id genus alia permulta veriſſimè atque aptiſſimè dicta cenſeantur; ambigitur tamen à multis, an perinde accipienda ſint, quaſi ſignificent hæreticorum conſuetudinem ſaltem in diuinis naturali, ac diuino iure prohiberi. Et aientibus quidem fauere magnopere videtur Hermingildi Martyris conſilium, qui, vt ſcribit B. Gregorius[i], cùm à patre Ariano Rege ob Catholicam fidem detruſus eſſet in carcerem, ipſo die Paſchatis Arianum Epiſcopum ad ſe à patre miſſum, vt ſibi Euchariſtiæ Sacramentum impertiret, conſtanter aſpernatus, noluit ab eo Sacramentum percipere, quam ob cauſam ab impio patre necari iuſſus eſt, & tamquam Martyr ab Eccleſia colitur. Quin etiam B. Thomas[k] ne in extremo quidem vitæ fas eſſe putat Sacramenta ab hæretico percipere, vno excepto baptiſmo; idque iure Canonico[l] definitum creditur[m]. At plurimum Theologorum ſententiis firmatum eſt, hæreticorum congreſſum, & ſacrorum communionem naturali, ac diuino iure tum demum interdici, cùm inde oritur aliorum offenſio, aut proprium, aliorúmue periculum, aut cùm in impietatis ſuſpicionem venimus, aut denique cùm hæreticorum impietatem aliquo pacto complectimur, aut confitemur.

i lib. 3. dialog. c. 31. & refertur cap. corpit 24 q. 1.
k 3. p. q. 80. art. 7. ad 2.
l c. Arianos q. 1.
m Latomus in aſſert. cõ. Luther. Ioã. Echius in Enchir. loc. com. cõ. eumdem.

VIII. Atque ad hæc mala vitanda Apoſtolorũ, Apoſtolicorúmque virorum monita, & conſilia referuntur; nam alioqui ſi nihil horum metuendum ſit, Eccleſiaſtico tantummodo iure, etiam in rebus ſacris conſuetudo cum hæreticis prohibetur, ita ſit, vt Romani Pontificis auctoritate multa permitti queant, quæ alioqui ſacrorum Canonum auctoritate meritò prohibentur. Quamobrem quod hoc loco monet Ioannes, non vim obtinet præcepti, ſed ſaluberrimum conſilium continet, & fœminis fermè neceſſarium; familiaritas enim, & conuictus animos quodammodo demulcet, & per hypocriſim, ac ſimulationem ſenſim venenum inſtillat. Itaque non modò hæreticos hoſpitio arcet, ſed, vt dixi, ne ſalutatione

a Act. 13. 10. quidem dignos censet. Quamobrem Paulus [a] Apostolus Elimam magum acri, & vehementi oratione increpauit. *O plene* (inquit) *omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas?* quin etiam diuini numinis instinctu iustum supplicium adiecit, *Et nunc* (ait) *ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns Solem vsque ad tempus.* A

IX. *Nec Aue ei dixeritis.* Græcè, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε, quæ erat olim consueta salutandi formula, quæ primo congressu vsurpabatur; vt significet Apostolus hoc genus hominum ne ciuili quidem salutatione excipiendum esse; veteres enim matutino præsertim tempore hac voce *Aue* salutem precari consueuerant. Sic Martialis [b],

b lib. 1. epig. 56.

Et matutinum portat ineptus aue,

c l. 4. epig. 78.

Et alibi [c],

Dissiteris tota vagus vrbe, nec vlla cathedra est
Cui non manè feras irrequietus aue.

d lib. 7. epig. 78.

Rursus [d],

Discursus varios, vagúmque mane,
Et fastus, & aue potentiorum
Cùm perferre, patique iam negares.

Latinæ autem voci, *aue*, rectè respondet Græca vox χαῖρε, quod idem Martialis [e] explicat, ait enim,

e lib. 5. epig. 52.

Exprimere Rufe fidicula licèt cogant
Aue Latinum, χαῖρε non potes Græcum.

f Apol. arrogi comit. in salut.
g cap. 58.
h lib. 5. de Trist. eleg. 3. & lib. 3. eleg. 13.
i lib. 9. epig. 8.
k epist. ad Paul.
l l. 9. ep. 10.
m in Galba cap. 4.
n in Tiberio cap. 72.
p l. 2. Satur. cap. 3.

Idem significat Lucianus [f]. In digressu autem pro, aue, aut, salue, vale dicere mos erat, vt ex Suetonio [g], Ouidio [h], Martiali [i], Ausonio [k], Sidonióque [l] constat. Præterea vt matutina salutatio erat aue, ita vale erat vespertina; ita Suetonius [m] *Galbam* ait *veterem ciuitatis, exoletúmque morem, ac tantùm in domo sua hærentem obstinatissimè retinuisse, vt liberti, seruíque bis in die frequentes adessent, ac manè saluere, vespere valere sibi singuli dicerent.* Post cœnam etiam dictum vale præter Suetonium [n] docet Macrobius [o]. *Augustum enim, aiunt, exceptum à quodam cœna satis parca, & quasi quotidiana post epulum discedentem dicenti sibi vale, hoc tantum insusurrasse, non putabam me tibi tam familiarem.* Igitur Ioannes adeò vult fideles ab hæreticorum congressu alienos esse, vt ne occurrentes quidem auere, aut saluere iubeant. Cur verò id præcipiat, mox explicans ait. C D

11 *Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis.*

I. At cur? An quia, vt ait OEcumenius, *salutatio, aut alloquium huiusmodi solis iis, qui iisdem moribus, eadémque fide præditi sunt exhiberi consueuerit? Quibus enim,* ait, *salutē hanc præfamur, nisi & moribus & fide similibus? Vnde si impiis,* inquit, *huiusmodi salutationem afferemus, prorsus quasi fidelibus, & piis afferemus, in societatémque nostram eos assumemus, atque ita nobis ne in barathrū secum nos detrahant, periculum maximum impendebit.* Ita OEcumenius, cuius tamen oratio egregiā rationem continet, cur nolit Apostolus hæreticos salutari. Sed cur affirmet salutationem errorum, ac scelerum societatem continere, non satis explicat, præterquàm quod etiam Ethnici, & à Christiana religione alieni, humana, & ciuili salutatione & excipi, & dimitti consueuerunt. Cur igitur ait Ioannes, qui ei dicit Aue, eum communicare operibus eius malignis? An id tantùm significat, eum, qui hæreticos salutet, se in discrimen conicere ne fortè cogatur hæreticorum impietatem probare? Ita sanè existimauit non nemo, cùm tamen Apostolus non periculum tantùm minetur, sed apertè affirmet, communicare operibus eius malignis. E

A Et sunt, qui hæc referant ad eos hæreticos, quos Ecclesia anathemate damnatos à fidelium conuictu, & consuetudine arcet, quos citra piaculum nemo potest salutare. Sed, ni fallor, ne isto quidem modo verè dici quis potest hæretici malignis operibus communicare. Itaque existimarim, id vnum significare voluisse Apostolum, eum, qui salutem precatur hæretico, dum eum saluum, & incolumem cupit esse, eius perfidiæ, atque impietati quodammodo suffragari, cùm potiùs optare debeat, vt resipiscat, atque saniora consilia complectatur. II.

Non igitur dicendum est illi Aue, aut, Salue, sed monendus potiùs est, vt errorem suum agnoscat, impia dogmata detestetur, & ad Catholicorum castra reuertatur. Aptè autem hæreticorum opera maligna vocat Græcè πονηρά, quia hæretici vt plurimùm in flagitiorum cœno volutantur, & dolo malo cuncta aggrediuntur, & perficiunt. Porrò nonnulli Latini codices hoc loco verba quædam habent, quæ neque leguntur in Græcis exemplaribus, neque in Romana editione habētur. Sunt autem hæc, *ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini.* Quæ procul dubio & rei propositæ congruunt, neque ab Apostolica grauitate abhorrent: hæc enim omnis epistola eò spectat, vt fideles in suscepta vitæ ratione perseuerent, & hæreticorum fraudes, & imposturas prudenter euitent, idque vt in die Domini, hoc est, extremi iudicij die non confundantur, & cum improbis damnationis sententiam subeant: sed potiùs vnà cum iustis perseuerantiæ præmium & amplissimam mercedem assequantur; hoc enim est Apostolicæ prædicationis argumentum, quod Patres Concilij Tridentini egregiè docent, vt proponat, qui Dei verbum concione explicat, quæ sunt ad salutem necessaria, hoc est, vitia, quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, vt fideles pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi possint. III. B C

12 *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum; spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium vestrum plenum sit.*

D Plura se habere Ioannes ait, siue spectantia ad periculum, quod ab hæreticorum consuetudine imminet, siue ad eorum improbos mores describendos, siue denique ad hoc suum salubre, & necessarium consilium, quæ tamen literis committenda non censeat; neque enim Apostolicæ grauitatis erat, omnia temerè effundere, cùm probè intelligerent Apostoli, temporis, loci, ac personarum habendam esse rationem, quod est diuini verbi præconibus in primis spectandum. Plerumque tamen non sine stomacho audias quosdam apud mulierculas, atque imperitā plebeculam in Principes & Ecclesiasticos Præsules acriter inuehi, illorum fastum, arrogantiam, luxum, segnitiem, & iniustitiam; horum verò socordiam, imperitiam, auaritiam, intemperantiam, ambitum, Sacerdotiorum multitudinem, omnium neglectum, & id genus alia verbis grauissimis accusare, ea verò præterire, quæ auditores erudire, ac meliores reddere possent. Mitto illos, qui vt doctrinæ laudem aucupentur, abdita Christianæ Religionis mysteria ita spinosè, ac sophisticè populo proponunt, vt quæ per se difficilia sunt, & humanæ mentis imbecillitatem longè superāt, suis ipsi verbis, quasi cimmeriis tenebris inuoluant, & quæ non bene didicerunt, perperam explicent, ac multis errandi præbeant occasionem. Certè Sapiens [a] prudenter monet; *Vbi auditus non est, non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua.* I. E a Eccli. 32.

Ioan

II. Ioannes igitur multa se ait silentio premere, neque omnia literis cōmittere, plura corām dicturus. *Nolui* (inquit) *per chartam, & atramentum.* Alibi [a] *per atramentum* dixit, *& calamum*, quasi dicat, per epistolam; siue quia epistolæ interdum in alienas manus incidunt, qui perperam interpretantur, quæ sapienter, atque apposite scripta sunt, siue quia nonnunquā intercidunt, ac pereunt, siue denique quia tamquam intermortuæ voces non habent eam vim, quā res postulant. Accedit quòd, vt ait Ioannes, breui sperabat, se posse corām de re proposita disserere copiosiùs. *Spero enim* (inquit) *me futurum apud vos, & os ad os loqui*; vt omnino fatendum sit, Electam vnā cum familia, etsi fortè Babylonia esset, non procul tamen ab vrbe Epheso habitasse. Quis enim credat, Ioannem tam grandæuum Babyloniam cogitasse, & tam longam profectionem suscepturum fuisse? Vero igitur simillimum est, hanc matronam aliquā Ioniæ vrbem incoluisse, ad quam Ioannes pro sui muneris ratione excurrere soleret, atque ita eam primùm ad fidem adduxisse, & assiduè tum in fide confirmasse, tum Christianæ vitæ præceptis imbuisse.

[a] ep. 3. 13.

III. *Spero igitur* (ait) *me futurum apud vos, & os ad os loqui*, quod erit tum mihi commodius, tum verò vobis vtilius. Nam, vt ait Hieronymus [b], *habet nescio quid latentis energia viua vocis actus, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat*; ac propterea subdit, *vt gaudium vestrum plenum sit*. Græci Codices, qui nunc habentur in manibus, habent ἡμῶν, id est, *nostrū*, vt significet Ioannes, se quoque ex præsentia, & consuetudine cum Electa singulare gaudium percepturum, non modò toti illi familiæ allaturum; quasi dicat, spero fore, vt cum ad vos aduenero, mutuo & reciproco gaudio perfundamur. Videtur autem Latinus Interpres legisse ὑμῶν, hoc est, *vestrum*, quasi Apostoli præsentia Electam vnā cum familia exhilaratura esset. Plenum autem gaudium nominat Apostolus tum quia vberiorem doctrinam percepturi erant, tum etiam quia Apostoli oratione confirmati in spem erigendi erant perueniendi aliquando ad cælestem patriam, & perfectum, atque absolutum gaudium beatorum; hoc enim plenum gaudium meritò nuncupatur, quod omnem penitus cupiditatem expleat.

[b] ep. ad Paulin. de sacr. scrip.

13 *Salutant te filij sororis tuæ Electa.*

Ex hoc loco, vt monet OEcumenius, colligunt nonnulli, hanc epistolam non ad singularem quampiam fœminam, sed ad Ecclesiam fuisse scriptam, vt filij Electæ intelligantur esse fideles illius Ecclesiæ, in qua tunc erat Ioannes, cùm hanc epistolam scriberet, & Electam cum natis aliam quampiam Ecclesiam significare, quæ hac epistola à Ioanne erudiatur. Sed non video, cur id necessariò admittendum sit; neque enim absurdum est, duas sorores eodem nomine vocari, si præsertim Electæ nomen, quod nonnulli suspicantur, gentilitium potiùs sit, quàm propriū. Præterquàm quòd potuit Apostolus hāc Electā sororē appellare alterius Electæ non tam iure sanguinis, quàm religionis, ac familiaritatis respectu, quomodo olim, vt alibi docuimus, omnes Christiani fratres appellabantur. Quoniam igitur ambæ Electæ ab Apostolo Ioanne Christo fuerant aggregatæ, & eumdem Religionis magistrum, ac parentem agnoscebant, certè sorores nuncupantur, cùm præsertim ex hac salutatione facilè quivis intelligat nonnullam inter eas amicitiam intercessisse. Non est autem dubitandum, hanc Electam vnā cum liberis dignam fuisse Apostolicā caritate, & beneuolentia, ex qua Ioannes in epistola canonica alteri Electæ salutem diceret. Sic Paulus Apostolus suis in epistolis multorum salutationes adscribit, quos certum est insigni fuisse præditos sanctitate. Plura Græci codices non habent, ac ne emendatiores quidem Latini: nonnulli tamen addunt duo verba; *Gratia tecum*, quæ est salutatio Apostolo non indigna. Paulus enim epistolam ad Galatas his verbis concludit; *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro fratres, Amen.*





IN EPISTOLAM TERTIAM B. IOANNIS APOSTOLI

PRÆFATIO.



I. ERexigva epistola est, & superiori admodũ similis, quæ iisdem propemodum rationibus & ab hæreticis oppugnatur, & defenditur à Catholicis, vt nihil necesse sit ea iterate, quæ de superiori epistola diximus; tantùm addam Gregorij Nazianzeni, & Chrysostomi testimonium, vt appareat epistolam esse canonicæ, & sacrosanctæ auctoritatis. Siquidem Nazianzenus [a] ait,

a In carm. heroic. de epist. canon.

Deinde bis septem Pauli numerato libellos,
Catholicas septem, quas inter prima Iacobi,
Et gemina Petri subeunt, tres deinde Ioannis,
Septima post istas succedit epistola Iudæ.
Legitima haud fuerit, si qua extra hæc scripta feratur.

Chrysostomus autem, vt auctor est Suidas, tres Ioannis epistolas agnoscit: est autem hæc tertia ad Caium scripta, quem hospitalitatis laude plurimùm commendat, hortatórque vt in instituto perseueret, fratrésque, hoc est, fideles omnes benignè excipiat, & quoad possit, liberaliter foueat. Cur autem priuatim ad ipsum, non autem ad vniuersalem Ecclesiam scripserit, rationem affert, quod Diotrephes nescio quis sibi magnopere aduersetur. Eius verò mores paucis perstringit, præsertim verò eius inhumanitatem accusat, quòd non modò ipse hospites non admittat, sed cæteros etiam ab eo pietatis officio reuocet, & sacris prohibeat. Demetrium verò quemdam multorum testimonio A commendatum magnopere laudat, suóque suffragio aliorum de ipso testimonium confirmat.

Cæterùm quis sit iste Caius, non satis constat; II.
sunt enim, qui putent, eum esse Caium, cuius in epistola ad Romanos [a] meminit Paulus, cùm ait; *Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia.* Quo loco Græci codices habent, Γαΐος ὁ ξένος μοῦ, καὶ τῆς ἐκκλησίας, hoc est, *hospes meus, & vniuersa Ecclesia,* quod mirè congruit cum Ioannis encomio. Certè Caius, de quo loquitur Paulus, vel Corinthius erat, vel Corinthi omnino habitabat, de quo idem Paulus [b]: *Neminem vestrûm baptizaui, nisi Crispum, & Caium.* Hunc autem Ioanni fuisse familiarem indicat Athanasius [c], qui eum affirmat dictante Apostolo ipsius Euangelium scripsisse. Metaphrastes [d] autem ait, Ioannem in Insula Pathmos Euangelium scripsisse, sed cùm inde Ephesum reuenisset, illud Caio legendum, & diligentiùs recognoscendum tradidisse. Eumdem porrò Dorotheus post Timotheum Ephesi Episcopum fuisse scribit. Quo fit, vt longè alius fuerit ab eo Caio Derbensi, qui Paulum C Hierosolymã euntem vnà cum aliis comitatus est, vt in Actis Apostolicis scribit Lucas [e]. Extant nonnullæ Dionysij Areopagitæ epistolæ ad Caium quemdam, quem non dubito ab hoc fuisse diuersum. Itaque fuit hic Caius Ioanni familiaris, & hoc ipso nomine magnopere laudandus, cùm sapientissimus, idémque sanctissimus Apostolus non nisi integerrimum virum in suam familiaritatem admissurus videatur.

a cap. 16. 23.
b 1. ad Cor. 1. 14.
c In synop.
d In vita Ioan. Euang.
e cap. 20. 4.

PARAPHRASIS.

IOannes tum ætate grandæuus, tũ Ecclesiastico munere Episcopus, Caio sibi amicissimo, veráque, & Christiana caritate cõiuncto more Apostolico salutem dicit. ¶ Equidem mihi in Christo percare omnibus in rebus fœlicem tibi, ac prosperum exitum continenter opto, quemadmodum certò scio, tibi omnia, quæ ad animum spectant, secundo, ac fœlici cursu procedere. ¶ Incredibili autem gaudio, atque ingenti lætitia istinc ad me venientes fratres perfuderunt, cùm præclarum integerrimæ tuæ fidæi testimonium præberent, planoque assererent, te institutum Christianæ vitæ cursum fœliciter tenere. ¶ Ego verò nulla penitus ex te maiorem capio animo

1 *SEnior Caio carißime, quem ego diligo in veritate.*

2 *Carißime, de omnibus orationem facio prosperè te ingredi, & valere, sicut prosperè agit anima tua.*

3 *Gauisus sum valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.*

4 *Maiorem horũ non habeo gratiã, quàm vt audiã filios meos in veritate ambulare.*

5 *Carißime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.*

6 *Qui testimonium reddiderunt caritati tuæ in conspectu Ecclesiæ, quos benefaciens deduces dignè Deo.*

7 *Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.*

8 *Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritatis.*

9 *Scripsissem forsitan Ecclesiæ, sed is, qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos.*

10 *Propter hoc si venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos, & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eijcit.*

11 *Carißime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est; qui malefacit, non vidit Deum.*

12 *Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nosti, quoniam testimonium nostrum verum est.*

13 *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentũ, & calamum scribere tibi.*

14 *Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.*

voluptatem, quàm cùm audio meos in Christo filios eam vitæ rationem sequi, quæ veram & Christianam fidem maximè deceat. ¶ Sic autem habeto carissime, quicquid liberaliter erga fratres, præcipuéque peregrinos effundis, sinceram tuam fidem magnopere illustrare, & iis, quæ cùm baptismo initiareris, Deó spopondisti, mirificè congruere. ¶ Siquidem qui ad nos peregrini venerunt, coram vniuersa Ecclesia singularem tuam munificentiam, & caritatem ingenti præconio celebrarunt, quos si præterea viatico iuueris, rem profectò facies, non humana modò laude, sed (quod maximè optandum est) cęlesti, diuinóque præmio dignissimam. ¶ Siquidem illi ad Dei nomen propagandum varias in regiones profecti sunt, nec tamen, vt omnem aliorum offensionem vitarent, eorum opibus subleuari voluerunt, quos ab errore Gentilium ad Christi fidem, ac religionem traducebant. ¶ Æquum igitur est tam sedulos, ac fideles Dei verbi præcones omni beneficẽtiæ genere, omníque pietatis officio à nobis subleuari, vt eius præmij participes aliquo pacto simus, quod illi veritatẽ Catholicã promulgando consequuntur. ¶ Ego verò Ecclesiæ libenter scripsissem, sed quorsum id? Diotrephes enim, qui per summã arrogantiã primatũ sibi Ecclesiæ vendicat, nos, si Deo placet, & nostras epistolas repudiat. ¶ Hanc ob causam si venero ad vos, eius omnes actiones in iudicium adducam, eiúsque maledicta, quibus nos temerè, inanitérque proscindit, iusto supplicio afficiam, cùm præsertim non hac maledicentia contentus, qua in nos debacchatur, hoc etiam adiiciat mali, quod in peregrinos redundat, quos ille non modò suo priuatim hospitio excludit, sed aliis etiam quo iure, quáue iniuria interdicit, ne illos admittant, & qui secus fecerit, aliorum conuictu, & consuetudine mulctat. ¶ Tu verò carissime vide, ne malos cuiusquã mores imiteris, sed potiùs quæ honesta, & laudabilia sunt, sectare. Nam qui rectè, & ex rationis præscripto vitã instituit, is Deo carus est, contrà verò, qui malis moribus contaminatus est, adeò est à Deo alienus, vt nullam eius notionem habere videatur. ¶ Demetrij sanè virtutem, & Christianam pietatem fidelium omnium suffragio confirmatam ipsa propemodum rei veritas mirificè commendat, & ad hæc nostrum etiam testimonium accedit; perspectũ autem est, & notũ omnibus cum ipsa veritate testimonium nostrũ omni ex parte congruere. ¶ Plura, mihi crede, ad hæc, atque his similia spectantia scribenda veniebant in mentem, sed ea tamen sunt eiusmodi, quæ literis committenda esse non cẽsui. ¶ Spero autem me protinus tecum vnà futurum, & coràm de his omnibus tecum familiariter acturum; interim Christianam, & veram pacem tibi opto, & amicorum omnium nomine tibi salutem dico. Tu fac vt amicos, qui istic sunt, saluere iubeas.

EPISTOLÆ TERTIÆ
B. IOANNIS APOSTOLI
EXPLANATIO.

1 *Senior Caio carissimo, quem ego diligo in veritate.*

I. HVIVS Epistolæ exordium nihil penè à superiori discrepat. Seniorem se nominat ob eas, quas suprà diximus rationes. Caium verò carissimum appellat, cùm tamen Græcè scriptum sit, γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ, hoc est, *Caio dilecto*. Sed, vt aliàs monui, Latinus Interpres penè semper ita loqui solet. *Quem* (inquit) *ego diligo in veritate*; quasi explicet, cur illum carissimum vocarit. *In veritate* (inquit) *diligo* non verbis tantùm, & vocibus; quod plerique mortalium facere consueuerunt. *In veritate autem diligit*, vt ait OEcumenius, *qui secundùm Dominum interna charitate diligit*. Valet autem hoc epistolæ initium ad beneuolentiam mirum in modum conciliandam, quo etiam in superiori epistola vsus erat, vt minimè dubitandum sit vtramque vnius, atque eiusdem esse auctoris, & procul dubio Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, qui fraternam caritatem miris laudibus extollit; cumque ipse eximiam quamdam Christi Domini in se caritatem sit expertus, erga discipulos suos parem facere studebat. Itaque non solùm eos carissimos, sed filiolos frequenter appellabat, vt paternum amorem, ac beneuolentiam declararet. In hac autem salutatione nonnihil subaudiendum videtur. *Senior* (inquit) *Caio carissimo* salutem dicit, aut gratiam, & misericordiam precatur, vt sit salutatio planè Apostolica, & ei persimilis, qua in superiori epistola vsus est, cùm dixit; *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris in veritate, & caritate.*

2 *Carissime, de omnibus orationem facio prosperè te ingredi, & valere, sicut prosperè agit anima tua.*

I. Magnum profectò hæc non multa verba Caij encomium continent; fausta enim, ac fælicia omnia Caio optat Apostolus, non aliter atque animæ ipsius optima quæque inesse non dubitat. Ait autem, *de omnibus orationem facio*. Græcè, περὶ πάντων εὔχομαι quod nonnulli perinde dictum putant, ac si diceret, ante omnia; quod mihi tamen non satis probatur: puto enim vim Græcæ loqutionis retinendam esse, vt sit sensus, omnibus in rebus faustum tibi, ac fælicem exitum à Deo precor. quod profectò est singularis beneuolentiæ argumentum. Vel certè Latinè reddere possumus, *pro omnibus*, quomodo dixit alicubi Plato, [illegible] hoc est, *pro vita pugnare*; vt significet Apostolus se pro omnibus Caij negotijs solicitum esse, suisque precibus à Deo contendere, vt omnia fælicem exitum sortiantur; hoc enim est, quod Græcè dixit εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν, vt non solùm ei fausta, & fælicia omnia optet in rebus externis, sed cupiat etiam eum optimè valere.

II. Quod sequitur, *sicut prosperè agit anima tua*, magnam continet Caij laudem; indicat enim egregia illum esse virtute præditum, & optimè animo constitutum quandoquidem eam illi in rebus externis, & in potius valetudine fælicitatem optat, quam illum asserit in animo possidere. Quocirca non satis probanda videtur OEcumenij, explanatio, qui prosperè agere, ac prosperè ingredi pro eo positũ putat, quod est ex Euãgelicis præceptis, atque institutis vitã traducere. Huc enim Ioannes non iã optat, quàm Caio iã adesse affirmat, dũ ait, *sicut prosperè agit anima tua*. Neque enim id verè de eo dici potest, qui vitam, moresque suos ex Euangelico præscripto non composuerit. Cùm igitur Apostolus de hac fælicitate nihil dubitet, cætera, quæ ad corpus, & bona externa pertinent, secunda vti fortuna optat. Dixit autem Græcè εὔχομαι, hoc est, *precor*, aut *vota facio*, vt non se inaniter optare dicat; quod ferè facimus, cùm ea cupimus, quæ nostris viribus assequi nequaquam possumus, neque aliunde ea possumus expectare. Sed ait, se precibus à Deo contendere, à quo bona omnia petenda, & expectanda sunt, & qui se liberaliter ea concessurum pollicitus est, quæ in Iesu, hoc est, Saluatoris nomine petuntur.

3 *Gauisus sum valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.*

I. Explicat Apostolus nunc quidem vniuersim, quomodo Caij anima prosperè agat; paulo autem post propriam, ac suam laudem adiicit. Ait igitur ingenti se lætitia fuisse perfusum, & mirum in modum aduentu fidelium recreatum, quòd ex eorum narratione cognouerit Caij mores, & actiones Euangelicæ doctrinæ, & Catholicæ veritati optimè congruere. Meritò autem gauisum se esse dicit Apostolus, quòd Caij laudes à fidelibus audierit; nihil enim præterea quærebant Apostoli, quàm animarum salutem, ac propterea cùm se animaduerterent, non frustra laborare, sed velut in fertili solo sementem facere, & copiosam frugem demetere, cum exultatione manipulos colligebant. Indicat autem à Caio nonnullos ad se venisse, vel diuini verbi præcones, qui Euangelicam doctrinam promulgarent, vel religionis, ac pietatis causâ peregrinantes, erat enim iam tum peregrinandi inter Christianos consuetudo etiam à veteri Testamento profecta. Etenim in Deuteronomio [a] præcepit Deus, vt cuncti ter in anno ad tabernaculum, vel templum Domini conuenirent, quod Helcana, & vxor eius religiosè obseruabant[b]. Nec Christus Dominus vnà cum Matre, & Iosepho eam peregrinationé recusauit [c]; quin etiam apud Ioannem [d] etiã Gentiles Hierosolymam venerant, vt adorarent in die festo. Et in Actis [e] Apostolicis Eunuchus Æthiops venisse dicitur, vt adoraret in Hierusalem. Et Paulus [f] ipse, vt obseruauit Hieronymus, festinabat vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis.

II. Falluntur autem, aut potiùs more suo mentiuntur hæretici[g], peregrinandi consuetudiné imperãte Constantino primum cœpisse. Nam Eusebius[h], & Hieronymus [i] testantur, Alexandrũ gloriosissimũ martyrũ, qui centum annis ante Constantini tempora floruit, Hierosolymã adorandi, & locorum sanctorũ videndi causa properasse. Simeõ autẽ Metaphrastes auctor est, S. Nicolaum adhuc adolescentem nondum imperante Constantino, voti causâ Hierosolymam pro

a cap. 16. 16.
b lib. 1. Reg. c. 1.
c Lucæ 2.
d cap. 12.
e cap. 8.
f Act. 20.
g Magdeburg. cent. 3 in princ.
h lib. 6. hist. c. 9.
i lib. de vir. illustr. in Alex.

A profectum esse. Helenam verò Eusebius [a], & Ambrosius [b] magnopere laudant, quòd religionis ergo Hierosolymam abierit. Eamdem peregrinationem se suscepisse ait Gaudeotius [c] Brixianus Episcopus. Seuerus autem [d] Sulpitius Helenæ res gestas describens, illud mirandum esse ait, quòd Hierosolymis in loco, vnde Dominus in cælum ascendit, eius pedum vestigia impressa visantur, cúmque eò vndique fideles confluant, & aliquid calcati pulueris rapiant, nullum tamen arena damnum patiatur. Paulinus [e] autem, *non aliter* (ait) *affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi vt loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant, atque contingant.* Et alibi [f] innumerabiles ait turbas ex remotissimis regionibus ad venerandum S. Fœlicis corpus peregrinari consueuisse. Idem de Sanctis Hemiterio, & Chelidonio testatur Prudentius [g]. B

a l.3. de vita Constan.
b Orat. de obitu Theod.
c ser. de dedic. temp.
d lib. 2 sacr. hist.
e epist. 11. ad Seuer.
f Natal. 3. S. Fœlic.
g in hymn. de iisd Sanct.

III. Multa verò in eamdem sententiam posteritati commendauit Hieronymus. nam ad Marcellam [h]; *Longum est* (ait) *nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere. qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, in quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.* Et alibi [i]; *cuius gentis homines ad loca sancta non veniunt?* Ad Rusticum [k] verò, qui peregrinationem ad sacra Palæstinæ loca vouerat. C *Redde* (ait) *quod præsente Domino spopondisti; incerta est vita mortalium, ne ante rapiaris, quàm tuam impleas sponsionem.* Denique Desiderium [l] hortatur vt Hierosolymam veniat, & ait, *certè adorasse, vbi steterunt pedes Domini, pars fidei est.*

h epist. 17.
i epist. 27. de obitu Paul.
k epist. 46.
l epist. 154.

IV. Porrò Augustinus [m] peregrinationem ad locum sanctum se suasisse memorat. Cassianus [n] item; *Quidam* (inquit) *fratrum ad loca sancta de Ægypti partibus orationis causâ conuenerant.* Eleganter verò Chrysostomus [o] Martyrum sepulchra cum Regum mausoleis confert; hæc autem inter cætera scribit. *Itaque quò regias quidem aulas videas, nullus vnquam peregrinatus fuerit. Multi verò Reges plerumque huius spectaculi gratiâ peregrinati sunt; futuri namque iudicij vestigia, & signa sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.* Denique ne cuncta recensem, D plura peregrinationum exempla extant apud Socratem [p], Metaphrastem [q], Bedam [r], Nicolaum I. Pontificem [s], Palladium [t], & alios. Fratres igitur, quos ad se venisse scribit Ioannes, fortè peregrinabantur, & Caij munificentiam, ac liberalitatem prædicabant. Quæ profectò primis illis Ecclesiæ nascentis initiis tanta erat, vt impurissimo cuidam Philosopho occasionem præbuerit mentita Christiana religione huc illuc circumcursandi, vt tamquam peregrinus hospitium, ac stipem emendicaret, & ingentem pecuniæ summam corraderet, vt impius Lucianus [u] testatur,

m epist 137.
n lib 4. de insti renun. cap. 31.
o Hom. 66. ad popul. Antioch.
p lib. 7. cap. penult.
q in vit. S. Alex.
r lib 5. hist. cap 7. & 20.
s epist. ad Mich. Imp.
t in histor. Lausiaca c. 13. & 18.
u in Dialogo, qui inscribitur Peregrinus.

V. *Testimonium* (inquit) *perhibentibus veritati tuæ*, quia nimirum tuam integram fidem, & sinceram caritatem in cælum tollebant, vt veritatem non solùm referat ad mentem, in qua veritas propriè inest, sed E ad mores, & actiones, quæ veram, & perfectam fidem comitantur. Vt enim ait Gregorius, ea vera fides est, *quæ in, quæ credit, moribus non contradicit.* Nam alioqui, vt Paulus [x] ait, nonnulli sunt, qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Erat autem in Caio veritas doctrinæ, & morum, & quod corde credebat, & ore confitebatur, re ipsâ vitæ actionibus exprimebat; ac propterea simpliciter ait Apostolos. *testimonium perhibentibus veritati tuæ.* Indicat autem longissimè abfuisse Caium ab hypocrisi, & simulatione, sed verè, atque ex animo beneficentiam, & in A omnes caritatem coluisse, quod maximè ex eo constabat, quòd in eo officij genere constantissimè perseuerabat. Nemo autem diu potest fictam personam sustinere; hoc verò maximè pertinet ad veritatem.

x ad Titum 1. 16.

VI. *Sicut tu* (inquit) *in veritate ambulas*; ita explicat, quænam sit veritas, quam in Caio fratres extollebant. *Tu* (inquit) *in veritate ambulas*, hoc est, mores tui cum vera, Christianáque doctrina omni ex parte consentiunt. Vt enim ait OEcumenius, *ambulare hoc loco non tibiarum motionem significat, cùm vna sit omnibus pedes habentibus animalibus huiusmodi ingressio, qua de loco in locum commigrant, sed ordinatum indicat animi motum, moderatiorémque progressum, quem pauci retinent, qui cognitione præditi sunt, quæ ad praxim, & actionem referuntur.* Verè itaque ait, laudes tuas celebrabant fideles, B quia ita vitam instituisti, iisque moribus præditus es, vt iusto encomio dignissimus habearis, nec verendum sit, ne suprà quàm veritas exigit, aliorum oratione extollaris. Ita docet Ioannes non se frustra, aut temerè ingenti fuisse gaudio recreatum, cùm, de amico, verius filio, & auditore tam multa, támque vera, & solida laude digna omnium ad se venientium voce prædicari audierit. Sapienter enim dixit Salomon [a]; *Filius sapiens lætificat Patrem, filius autem stultus mœstitia est matris suæ.*

a Prou. 10. 1.

4. *Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* C

I. Græci Codices, vt obseruauit OEcumenius, habent μειζοτέραν, quæ vox ex comparatiuo facta est, quod Græcæ linguæ consuetudo non admittit: perinde enim est, ac si dicas, maiori maius, seu, si dici posset, maiorius, vt gaudij magnitudinem amplificet. Pro eo, quod Latinè legimus *gratiam*, Græcè scriptum est χαρὰν, hoc est, *gaudium, seu lætitiam*. vt significet, nulla ex re maiorem se capere voluptatem, quàm ex suorum filiorum virtutis studio. Videtur autem Interpres legisse Græcè χάριν, hoc est, *gratiam*, quod etiam verè potuit ab Apostolo affirmari, vt gaudium, de quo paulo antè loquutus erat, pro magno Dei beneficio ducat, vt sit sensus. Magnopere gauisus sum, cùm tuas laudes audiui communi fidelium præconio celebrari; neque enim ma- D ius vllum beneficium ab immortali Deo accipere me posse credo, quàm vt audiam filios meos rectum Christianæ vitæ cursum tenere, & in eo fæliciter progredi: hoc enim est, quod subdit; *quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Vt enim ait Salomon [b]; *Lux iustorum lætificat.* Et alibi [c]; *Stude* (inquit) *sapientia, fili mi, & lætifica cor meum.*

b Prouerb. 13. 9.
c Prou. 27. 11.

II. Ob eam causam cùm posset Ioannes discipulos, vel auditores, vel etiam fratres, maluit tamen dicere, *filios meos*, tum quia id blandius est, maiorémque vim habet ad beneuolentiam conciliandam, & ad permouendos animos, & ad Christianæ virtutis studium inflammandos; tum quia seniores ratione ætatis iuniores solent filios appellare, & contrà ætate E minores, grandiores natu patres vocare consueuerunt. Ita olim Romulus cùm Reip. administrationi dignissimos ciues præfecisset, Patres, siue ab honore, siue ab ætatis, vel curæ similitudine, vt ait Sallustius, nominauit. Huc accedit, quòd patris nomen ad religionem magna ex parte pertinet; ita olim Gentiles quos tamquam Deos colebant, Patris nomine nuncupare consueuerant; omnino enim honoris, ac reuerentiæ nomen est. Quam ob causam Romanorum Imperator Romanus Pater appellatur ab elegantissimo Poëta [d],

Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, Imperiúmque Pater Romanus habebit.

d Virgil.

loquitur

loquitur enim de Augusto. Eodémque modo alius quidam de Theodosio scripsit,

Tu modo te iussisse Pater Romane memento.

Sic etiam in sacris literis[a] serui Naaman Syri cum Patrem nominant. *Pater* inquiunt, *& si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.*

a 4. Reg. 5. 13.

III. Atque haud scio, an hoc etiam sensu dixerit apud Matthæum[b] Centurio; *Puer meus iacet in domo paralyticus.* Est enim Græcè παῖς, quæ vox non solùm *famulum*, sed etiam *filium* significat, & quidem teneræ adhuc ætatis; vt significaret se famulum illum pro filio habere, & paterna beneuolentia, atque amore complecti. Inde paterfamilias dicitur is, qui in vniuersam familiam imperium habet, &, vt ait Seneca[c], *maiorum veteres patremfamiliae, quem Dominum appellarent, vt inuidiam Dominis, & contumeliam seruis detraherent.* Denique Ioannis filiorum appellatio admodum est familiaris, vt ex ipsius Epistola prima liquidò constat; frequentissimè enim filiolos vocat, imitatus, credo, magistrum suum, qui apud Marcum discipulos alloquens: *Filioli* (inquit) *quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire.* Et apud huius ipsius Euangelistam[d]; *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.*

b cap. 8. 6.

c epist. 47.

d Ioan. 13. 30.

5\. *Carissime fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.*

I. Vniuersim priùs Caij Christianam virtutem, ac pietatem commendauerat; nunc nominatim eius beneficentiam, ac liberalitatem laudat, vt hac ratione acriores illi stimulos addat, & non solùm eum in instituto confirmet, sed etiam ad maiora promoueat: vt enim veteri prouerbio fertur, laudata virtus crescit, ac propterea dixit Seneca[e], *assurgere ingenium si laudatur, & in spem sui bonam adduci.* Itaque Ioannes Caium carissimum appellat, vt suam in illum beneuolentiam declaret. Mox addit, *fideliter facis quicquid operaris in fratres*, hoc est, interprete OEcumenio, *id facis, quod fideli viro dignum est* quod Christianum maximè decet, quod denique Christianæ fidei præceptis est imprimis consentaneum. Possis etiam *fideliter* accipere, quasi significet Apostolus fratrum beneficentiam opus esse fidelitatis, quasi ij, qui Christo nomina dant, hoc ipso spondeant, sese fore beneficos, ac liberales erga fratres, & eiusdem fidei, ac religionis socios. Vt enim sæpe dixit Christus, fraterna caritas Christianorum est propria, & ex ea tamquam propria nota Christi discipuli cognoscendi sunt, atque ita fideliter is dicitur agere, qui hunc quasi characterem retinet, ne tamquam transfuga sui Ducis castra deseruisse videatur. Sic milites fideles dicuntur, qui Imperatoris sui signa sequuntur; fidelem itaque vocat Caium, quòd fratribus benefaceret.

e lib. 2. de ira cap. 21.

II. Addit, *& hoc in peregrinos*, qui videlicet hospitio, aliisque vitæ subsidiis maximè indigent; hinc autem apparet, verissimum esse, quod paulò antè diximus, iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ peregrinationes à fidelibus frequentari consueuisse; vero tamen simillimum est, primo illo Apostolico æuo eos potissimùm peregrinari solitos, qui Euangelicam doctrinam promulgabant, & veræ fidei lucem variis gentibus inferebant. Sic olim Paulus, & Barnabas diuino Spiritus impulsu ad omnes gentes erudiendas ab Antiochena Ecclesia destinati sunt: & Petrus omnium Apostolorum princeps plures regiones obiuit. Excipiebantur autem hi alieno hospitio. Sic Petrus, vt ait Lucas[f], *hospitabatur apud Simonem quemdam coriarium.* Et Paulus, vt suprà dictum est, hunc ipsum Caium hospitem habuit.

f Act. 10. 6.

III. Erant autem hospitis plura caritatis officia, quæ exemplo cuiusdam Macedonis eleganter describit Seneca[a]. *Naufragum* (inquit) *in proximi cuiusdam Macedonis expulsus est, quod vt Macedoni illi nunciatum est, accurrit, spiritum eius recollegit, in villam suam transtulit, lectulo suo cessit, affectum, semianimemque recreauit, diebus triginta impensa sua curauit, refecit, viatico instruxit.* Hæc omnia, & longè plura hospitibus suis olim fideles præstare consueuerunt. Quamobrem Tertullianus[b], dum argumenta profert veritatis Ecclesiæ Apostolicæ, à qua cæteræ pendeant, inter cætera hospitalitatis contesserationem nominat. Sic autem ait: *Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes: sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem sacramenti vna traditio.* Quid autem sit contesseratio, si quis forsitan quærat, haud equidem dubitarim signi esse coniunctionem, quo fideles peregrini à fratribus cognosci possent tamquam eiusdem fidei, & religionis participes, & qui hospitio accipiendi essent. Nam & apud Gentiles familiaritates, atque hospitij iura tessera stabiliebantur, & qui amicitiam dissueret, vel hospitij iura violaret, tesseram rumpere dicebatur. Sic Plautus[c],

a lib. 4. de benef. c. 37.

b l. de præscript. c. 20.

c in Cistell.

Hic apud nos iam Alcesimarcho confregisti tesseram.

Et alibi[d],

——————— si ita est, tesseram
Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.
Agedum, ostende, est par probe. nam habeo domum.
O mi hospes, salue multum, nam mihi tuus Pater.
Pater tuus ergo hospes Antidamas fuit,
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.

d in Pœnulo.

IV. Sed quodnam esset hoc signum, non satis compertum habeo. Viri docti nonnulli arbitrantur esse communionem, cum satis constet, maiores nostros Eucharistiam consueuisse veræ, & probatæ religionis hospitibus mittere. Sed hunc morem olim apud fideles receptum fuisse non abnuo, Eucharistiam verò fuisse tesseram hospitalem planè inficior. Erat enim tessera, vt modò ex Plauto docui, hospitale signum, quod qui ostenderet, iure suo hospitium reposceret, quod in Eucharistiam cadere nequaquam potest. Neque enim credendum est, peregrinos secum Eucharistiam deferre consueuisse, vt eam tamquam hospitalem tesseram ostenderent. Simile quiddam olim fuisse apud Christianos indicat Tertullianus, quem paulò antè laudaui. Sed cum hoc signum qualecumque id tandem esset, sæpe hæretici corrupissent, & perperam quidam ad corradendam pecuniam vsurpassent, vt non ita multò antè de peregrino Philosopho dixi, in Concilio Nicæno ad literas, quas formatas appellabant, hospitalis tessera reuocata est.

V. Quocirca Augustinus[e] Mensurium Episcopum Carthaginensem laudat, qui prudenter admodum quosdam pseudomartyres recipere recusarit, qui sese tamquam martyres ostentabant, vt pecuniis abundarent, & lautiùs viuerent. Sic enim scribit; *Quidam etiam in eadem Epistola facinorosi arguebantur, & fisci debitores, qui occasione persequutionis vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua, vel certè acquirere pecuniam, & in custodia delicijs perfrui de obsequio Christianorum.* Alludit enim Augustinus ad priscam veterum Christianorum consuetudinem, qua fideles confessores in vinculis detentos & visitare, & humanæ vitæ subsidiis subleuare consueuerant. De qua re ita alicubi Tertullianus[f]: *Inter carnis alimenta benedicti Martyres designati, quæ vobis & Domina mater Ecclesia, & singuli fratres de operibus suis propriis in carcerem submittebant,*

e in breuiculo collat. diei tertij cap. 13.

f ad Martyr. cap. 1 statim in princ.

capue

expiat aliquid, & à nobis quod faciat ad spiritum quoque
a epist.37. *educandum.* Et eodem spectans Cyprianus [a] presby-
teros, & diaconos monet, *vt gloriosa voce Domino con-*
fessis omnis diligentia prabeatur. Et mox Tertullum
quemdam magnopere laudat, quòd hoc pio officij
genere captiuis Christianis præstò sit, interim tamen
monet, vt in eo genere prodens moderatio adhibea-
tur. *Peto quoque* (inquit) *ad procurandam quietem solertia,*
& solicitudo vestra non desinat. Et si fratres pro dilectione
sua sunt cupidi ad conueniendum, & visitandos confessores
bonos, quos illustrauit iam gloriosis initiis diuina dignatio, ta-
men cautè hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem
simul iunctam puto esse faciendum, ne ex hoc ipso inuidia
concitetur, & introëundi aditus denegetur, & dum insatia-
biles multum volumus, totum perdamus. Consulite ergo, &
prouidete, vt cum temperamento hoc agi tutiùs possit, ita vt
presbyteri quoque. qui illic apud confessores offerunt, singuli
cum singulis diaconis per vices alternentur, quia & mutatio
personarum, & vicissitudo conuenientium minuit inuidiam.
Hæc paulo fusiùs hoc loco recensui, vt quæ fuerit
olim Christianorum caritas, & in egentes benefi-
centia cognoscatur. vnáque intelligatur, non temerè
ab Apostolo Caium laudari, qui peregrinos fideles
omni pietatis officio prosequatur.

6. *Qui testimonium reddiderunt caritati tua in conspectu Ecclesia, quos benefaciens deduces dignè Deo.*

I. Explicat quod suprà dixerat, fratres, qui ad se ve-
nerant, præclarum Caij caritati perhibuisse testimo-
nium; ait enim non solùm sibi priuatim testatos
esse, sed publicè coram omni Ecclesia ingenti præ-
conio Caij caritatem celebrasse. Quod igitur ait, in
conspectu Ecclesiæ, priscam Christianorum consue-
tudinem respicit, qua, vt aliàs diximus, statis diebus
conuenire consueuerant, vt rei diuinæ interessent,
diuinum verbum audirent, aliaque pietatis, ac reli-
gionis munera exercerent; quæ ex Iustino, Tertullia-
no, & aliis alibi commemoraui. Quam à prisco Iu-
dæorum more profectam esse constat, qui Sabbatis
in Synagogam conueniebant. Quemadmodum au-
tem, vt in Actis Apostolicis scribit Lucas, cùm Pau-
lus, & Barnabas Antiochiam Pisidiæ peruenissent,
& Sabbato in Synagogam ingressi essent, & ab iis,
qui Synagogæ præerant, prouocati sunt, vt ad popu-
lum sermonem haberent. Ita in Ecclesia receptum
erat, vt peregrini Episcopi ad concionandum inui-
b serm.48. tarentur, quod Mediolani ab Ambrosio [b], & Ale-
c Hom.7. & 8. xandriæ à Cyrillo [c] obseruatum legimus.
II. Idque olim à Clemente Romano [d] præceptum
d lib.2.cõst. cap.62. fuerat. *Si Episcopus* (inquit) *vnà cum Episcopo sedeat,*
eumdem ab illo obtinens honorem, rogabis eum, ò Episcope,
vt sermones habeat apud populum ad docendum accommo-
datos. Peregrinorum enim exhortatio, & admonitio, valdè
accepta, & vehementer vtilis esse consueuit; nullus enim Pro-
pheta, inquit, acceptus est in patria sua; permittes etiam ei
Eucharistiam offerre, coges eum vt vel populo benedicat;
e Conc.4. cap.3. quod deinde in Concilio Carthaginensi [e] sancitum
est. Quamobrem non immeritò Gregorius Nysse-
f ad Amphi. nus [f] conquestus est, quòd ab Helladio Cæsariensi
Episcopo ad id muneris non fuerit inuitatus. Indi-
cat igitur hoc loco Ioannes, peregrinos fratres iussos
esse coram Ecclesia de rebus diuinis verba facere,
eos verò publicè Caij munificentiam, ac liberalita-
tem laudibus extulisse, tum vt veritati debitum te-
stimonium præberent, tum vt eo exemplo cæteros
ad eamdem pietatem, ac beneficentiam vehemen-
tius inflammarent. Atque hac ratione Ioannes Caio
perseuerandi quamdam veluti necessitatem impo-
suit, dum vniuersam Ecclesiam consciam esse affir-
mat eius caritatis, quam hactenus in peregrinos

A tam multis argumentis declarauerat. Et idcirco
subdit.
Quos benefaciens deduces dignè Deo: quasi dicat, plu- III.
rimum laudis apud homines, apud Deum verò in-
gentem mercedem consequêris, si quos hospitio
exceperis, etiam viatico subleues, vt ad alias gentes,
ac nationes commodè proficisci queant. Neque
hoc mirum cuiquam videri debet, nam & apud Ro-
manos, quibus publicum hospitium dabatur, etiam
lautia, id est, hospitalia dona tribuebantur. Sunt au-
tem qui hanc orationem hunc in modum distin-
guendam putent; si eos deduces, benefacies dignè
Deo, vt sit sensus, si eos pecunia iuueris, vt aliò com-
migrent, bene vtique facies dignè Deo, hoc est, rem
B laude dignam effeceris, ad Dei honorem, & glo-
riam. Sed vt ingenuè fatear, non tam hoc est in-
terpretari, quàm verba, & orationem inuertere.
Græca enim sic habent, οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας
ἀξίως τοῦ Θεοῦ: hoc est, quos benefacies si deduxeris
dignè Deo. Ita significat, si Caius eos pecunia suble-
uauerit, vt ad alia loca peregrinari commodè pos-
sint, rem facturum non modò honestam, & apud
homines laude dignam, sed quæ magnam à Deo
mercedem promereatur, vt deducere dignè Deo,
nihil aliud sit, quàm ea liberalitate vti, quæ Deo
maximè probetur, vel quæ diuinæ in nos munificen-
tiæ proportione respondeat.
Ita videas, etiam hoc loco, quicquid hæretici ob- IV.
C ganniant, mercedis, ac meriti apertam fieri mentio-
nem. Actio enim Deo digna ea censetur, quæ apud
Deum præmium meretur. Itaque Ioannes Caij libe-
ralitatem ita commendat, vt nonnullam tamen ad
eam fieri accessionem cupiat. Id autem cum pro
imperio præcipere posset, maluit tamen rationum
momentis suadere. Duplici autem argumento niti-
tur, quorum alterum desumptum est ab vtilitate,
quam liberalitas in pauperes apud Deum consequi-
tur: vt enim alicubi ait Paulus [a], *magnam habet re-* a ad Hebr. 10.35.
munerationem; & hoc loco Ioannes Deo dignam esse
affirmat, hoc est, eiusmodi, quam Deus immortalis
cælesti beatitudine remuneretur. Vt enim quisque
se maximè liberalem erga indigentes, atque adeo
Deum ipsum declarat, ita dignissimus est, in quem
Deus suas cælestes, ac diuinas opes summa quadam
D munificentia effundat. Alterum verò argumentum
ab indigentia, & dignitate personarum petitum est,
quam ob causam subiicit.

7. *Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.*

His porrò verbis duo continentur, quæ peregri- I.
nos, de quibus hîc loquitur Ioannes, dignissimos
esse docent, quos Caius sua liberalitate reficiat, ac
recreet. Primum his verbis continetur. *Pro nomine*
enim eius profecti sunt: non enim dubium est prono-
men *eius* ad Deum referri, de quo modò dixit, *de-*
duces dignè Deo. Indicat enim eos fidei, ac religionis
E propagandæ gratia peregrinari, non quasi exules,
aut vagos huc illuc circumcursare, non priuata
commoda sectari, sed vnius Dei honorem, & glo-
riam quærere; ita se veros Christi Domini imitato-
res probant, qui de se ipso dicebat [b]; *Qui à semet-* b Ioan.7.18.
ipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit glo-
riam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo
non est. Et alibi [c]: *Ego autem non quæro gloriam meam, est* c Ioan.8.50.
qui quærat, & iudicet. Igitur hi pro Dei honore strenuè
laborantes digni sunt, quibus vitæ subsidia benignè
suppeditentur; ob eam enim causam dixit Paulus [d], d 1.ad Tim. 5.17.
Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habean-
tur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina. Neque
aliud,

aliud, opinor, indicant Ioannis verba, cum peregrinos ait pro Dei nomine profectos esse, quasi dicat, eos vnam Dei gloriam spectare, & Christianæ fidei propagationem, vt id consequeretur, quod olim vaticinatus erat Malachias [a]; *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum esse nomen Dei in gentibus.* Ita fit, vt beneficentia, & liberalitas, quæ in hos peregrinos exercetur, præter propriam, ac finem laudem ad religionem pertineat, quæ Dei cultum, ac venerationem spectat. Dicerent in scholis Theologi elici a liberalitate, seu misericordia, imperari verò à religione, vt appareat huius benignitatis fructum mirum in modum crescere.

a cap. 1. 11.

II. Iam verò quod subdit; *Nihil accipientes à gentibus*, alterum continet Apostolicæ commendationis caput, quasi dicat, illis Caij liberalitatem deberi, tum quia pro Catholica fide, ac religione laborant, tum quia egestate premuntur, cùm aliunde vitæ subsidia sibi comparare non queant. *Nihil* (inquit) *a gentibus accipientes*, an à fide, & Christiano nomine alienis? Vix puto verum. Quid enim diuini verbi præcones, & Euangelicæ legis promulgatores sperare poterant ab iis, à quibus tamquam profani, & Deorum hostes, &, si Deo placet, veneficiorum magistri, & scelerum omnium architecti apud Iudices, & Principes in iudicium vocabantur, vt tortoribus, sæuissimis suppliciis excruciandi, necandique traderentur? Nulla igitur laus erat, quòd ab iis stipem non peterent, à quibus necem sibi imminere non ignorabant. Quocirca Gentium nomine ij significantur, quos Euangelici Ministri Christianis sacris initiabant, à quibus ne Christiana religio in inuidiam vocaretur, nihil exigere audebant.

III. Quam ob causam etiam Paulus Apostolus, ne recens Christo aggregatis molestus esset, manuum opificio sibi victum comparabat. Atque ita in Actis Apostolicis [b] ait; *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et ad Corinthios [c]: *Laboramus operantes manibus nostris.* Ad Thessalonicenses [d] verò; *Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte, ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei.* Rursus [e]; *Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte, ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus.* Tantum abest, vt quod idem Paulus ad Corinthios [f] scribit, cauponaretur verbum Dei. Itaque Pauli institutum sequebantur peregrini, de quibus hoc loco loquitur Ioannes. Id autem potissimùm spectabant, ne Christiana religio aliud quærere videretur, quàm Dei honorem, & gloriam, & sempiternam mortalium salutem.

b cap. 20. 33.
c epist. 1. cap. 4. 12.
d epist. 1. cap. 2. 9.
e epist. 2. ad Thess. c. 3. 8.
f epist. 2. cap. 2. 17.

IV. Tametsi enim, vt fusè probat Paulus [g], fas est, Euangelicis ministris suo labore sibi victum quærere, cum Dominus præceperit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant: initio tamen nascentis Ecclesiæ ad euitandam inuidiam, atque auaritiæ suspicionem, Paulus, aliique permulti eius similes aliunde sibi necessaria comparabant, vt Gentilibus nuper ad fidem traductis faciliùs Christianam fidem persuaderent. Ioannes igitur Caio peregrinos commendat, quòd laudabiliter nihil à Gentilibus postulent, ac propterea dignos censet, qui Caij liberalitate sustententur. Verisimile autem est, hos peregrinos iis in regionibus vt plurimùm versari consueuisse, quæ vel diuitiis nequaquam affluerent, vel non admodum liberales essent. Itaque Ioannes, cui Caij munificentia perspecta erat, illum sedulò hortatur, vt peregrinos aliorum ope destitutos viatico subleuet.

g 1. ad Cor. 9. 13.

A 8. *Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritati.*

I. Colligit ex superiori argumento amplissimam conclusionem, eiusmodi Dei ministros, diuinique verbi præcones, liberaliter excipiendos, & iuuandos esse; &, vt Apostolicam modestiam agnoscas, ne pro imperio hoc à Caio exigere videatur, numero multitudinis, primaque persona suis se quoque iis annumerat, qui in peregrinos liberalitatem debeant exercere. *Nos ergo* (ait) *debemus suscipere huiusmodi.* Quod autem Latinus Interpres dixit *suscipere*, Græcè est ἀπολαμβάνειν, quam vocem ait OEcumenius positam esse pro ὑπολαμβάνειν, id est, suscipere. Quomodo dictum est à Dauide; *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam*, quasi moneat Apostolus, ne B expectemus, vt qui indigent, ad nos veniant, sed nos ad ipsos accurramus, & perquiramus, vt olim Abraham, & Loth facere consueuerant; & egregiè B. Gregorius [a] exemplo duorum discipulorum, qui Dominum vt ad se diuerteret, coëgerunt, rectè colligit peregrinos ad hospitium non solùm esse inuitandos, sed etiam trahendos.

a Hom. 23. in Euang.

II. Ambigat autem fortasse quispiam, verène Ioannes sibi peregrinos hospitio accipiendos dicat, an solùm doceat, quid locupletibus facto opus sit, & iis, qui bonis externis affluunt. Sunt qui existiment, C iam tum Ioannem tamquam Ephesinum Episcopum Ecclesiastica bona possedisse, quibus pauperes, & peregrinos aleret, suóque exemplo docuisse, quod postmodum sacris canonibus sancitum est, Ecclesiastica bona vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Quod ipso statim nascentis Ecclesiæ initio Collegium Apostolicum illustri exemplo docuit; cùm enim fideles bona sua venderent, & pretia eorum ante pedes Apostolorum abiicerent, singulis, vt cuique opus erat, prospiciebatur. Ego verò id videri probabile non inficior, malim tamen iudicare voluisse Apostolum, quid Caio, eiusque similibus agendum sit, & modestiæ causa prima persona vsum. Sic enim non rarò viri sancti facere consueuerunt; Daniel [b] enim licèt sanctissimus, atque innocentissimus esset, ait tamen: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & D declinauimus à mandatis tuis, ac iudiciis.* & multa deinceps in eamdem sententiam. Sic etiam Paulus [c] se inter peccatores primum recenset.

b cap. 9. 5.
c 1. ad Tim. 1. 15.

III. Hac autem ratione dicendi significat Ioannes liberalitatem in pauperes, & peregrinos fidelibus omnibus maximè necessariam videri. Huius porrò beneficentiæ mox amplissimum fructum pollicetur, *vt cooperatores*, ait, *simus veritati*, hoc est, vt participes simus tam salutaris actionis, quam Euangelici ministri exercent; nam qui diuini verbi præcones alit, ac sustentat, in eodem propemodum studio operam suam ponit, & persimilem à Deo mercedem promeretur. Non dixit autem cooperatores esse Euangelicorum ministrorum, eósque sua liberalitate iuuare, sed cooperatores veritatis, vel vt habent Græci E Codices, *veritati*; ita enim Græcè scriptum est, ἵνα συνεργοὶ γινώμεθα τῇ ἀληθείᾳ, *vt cooperatores simus veritati.* Vt significet, eos, qui liberaliter peregrinis, & legis Euangelicæ promulgatoribus prospiciunt, veritati quodam modo promulgandæ insudare, non aliter ac si ipsi per se Euangelica præcepta traderent, nisi quis malit veritatem pro ipso Deo accipere, qui suorum ministrorum opera in audientium animis fidem infundit, cui tam qui Euangelium promulgant, quàm ij, qui promulgatoribus vitæ subsidia præstant, non prorsus malè sua actione adesse, & vt ita dicam, opitulari dicuntur. Tametsi enim

cuncta per se Deus efficere potest, quæ pugnantia non inuoluant, in multis tamen humanum studium, conatūque desiderat, & Angelorum, aut hominum opera diuinarum rerum scientia mortalium animos imbuit. Itaque verè dixit Paulus [a]; *Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit*, vt appareat nonnihil hos ministros contulisse de suo, sed Deo tamen immortali primas deberi; atque idcirco subdit. *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et aliquanto post: *Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.*

a 1. ad Cor. 3. 4.

9. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ sed is, qui primatum amat gerere in eis Diotrephes non recipit nos.*

I. De qua Ecclesia loquatur Apostolus, non satis liquet, credibile tamen est, eam indicari Ecclesiam, in qua Caius viuebat; ad eam autem Ecclesiam se scripturum fuisse ait Ioannes, nisi Diotrephes ambitu suo, & arrogantia id prohibuisset. Perinde autem hoc est, ac si dicat; quæ ad te priuatim scribo, ad vniuersos arbitror pertinere, atque idcirco eadem ad vniuersam istam Ecclesiam fortasse scripturus eram, nisi Diotrephis impudentia me cohibuisset. Græca exemplaria habent ἔγραψα, hoc est, *scripsi*, vt significet Ioannes, se aliam quamdam Epistolam scripsisse ad Ecclesiam, quæ nusquam extat, ac fortasse ab improbo Diotrephe intercepta ne lecta quidem fuit, aut certè minus honorificè excepta, vt hoc ipsum indicare videatur, quod mox subdit, *Non recipit nos*, hoc est, nostras Epistolas repudiat, nihili facit, aut etiam contemnit. Sed cum Latinus Interpres dixerit, *scripsissem forsitan*, probabile est, illum aliter Græcè legisse, vt videatur Ioannes propter Diotrephis superbiam noluisse ad Ecclesiam scribere, ne homini impudenti insaniendi materiam præberet, cum eius mores satis perspectos haberet, ac notos. Quod autē Latinè legimus, *amat primatum*, Græcè est φιλοπρωτεύων, vnica voce, Græca fælicitate composita.

II. Cæterùm quisnam fuerit hic Diotrephes, & quem primatum ambiret, non memini legere: suspicor fuisse illum aut diuitiis, ac generis splendore, aut doctrina, & eruditione inter suos non ignobilem, qui propterea vltra modum elatus magnos concepisset spiritus, quasi sibi optima quæque deberentur. Neque satis statuere possum, vtrum Catholicam fidem retineret, an verò ab ea defecisset. certè Beda eum vocat hæresiarcham, & alij eum erroris insimulant; sed neque ea hoc loco, neque aliunde (quod sciam) certò deprehendi potest eum in fide errasse. Propius itaque vero existimarim, eum contra fidem non peccasse, sed insolentiùs tamen, atque arrogantiùs principem in Ecclesia locum appetiuisse; nam alioqui Apostolus, non aliter ac Paulus Hymenæum, & Alexandrum Satanæ tradidisset. Nunc autem se illum tantùm obiurgaturum, & pro sui muneris ratione iusto supplicio ad officium reuocaturum scribit. Video verò in dubium a nonnullis reuocari, num Diotrephes viri proprium nomen sit, an verò ficta voce, & Græco more composita cuiuspiam tumorem, & arrogantiam notet. Diotrephes enim si vim vocis spectes, Iouis alumnum, seu à Ioue enutritum significat, estque apud Homerum [b] Regum, atque imperantium epithetum, διοτρεφέων, inquit, βασιλήων. Ita videtur hoc loco fastuosum, elatum, & iactabundum indicare, quem tamen Caio perspectum, ac notum fuisse non dubitat. Tametsi autem hoc sua probabilitate non caret, verius tamen existimo, proprium esse viri nomen, qui vita, & moribus nominis sui significationem præseferret. Quod ex iis intelligitur, quæ hoc loco Ioānes cōmemorat.

b Iliad. 1.

III. *Amat*, inquit, *primatum gerere in eis*, quod est arrogantis, ac superbi proprium, qui non modo se maioribus æquare, sed etiam præferre cupit, nec quemquam superiorem ferre potest; quod cùm per se turpe est, tum Euangelicæ doctrinæ quam quod maximè aduersatur; ait enim Christus Dominus apud Matthæum [a]; *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ac propterea iure optimo dixit Augustinus, humilitatem virtutem esse Christianæ scholæ propriam, cuius magister, & auctor Christus ipse fuit, eam enim non tam voce, quàm re ipsa docuit, siquidem, vt ait Paulus [b]; *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis.* Ipse verò Dominus cùm vidisset decem Apostolos indignari, quòd filij Zebedæi primatum appetiissent, his illos verbis castigat [c]. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Pene eadem iterauit apud Lucam [d], cum de primatu inter duodecim Apostolos concertatio orta esset. Contrario igitur morbo laborabat Diotrephes, qui primatum in Ecclesia appetebat, & vt ego interpretor, Episcopatum ambiebat.

a cap. 11. 29.

b ad Philip. 2. 6.

c Matth. 20. 25.

d cap. 22. 25.

IV. *Non recipit* (ait) *nos*, ea superbia & arrogantia aliorum contemptus oritur. Itaque Diotrephes eo processerat arrogantiæ, vt Ioannem tantum videlicet Apostolum non modò contemneret sed probris, ac maledictis incesseret. Ob id potissimùm credo, quòd illum prauis suis cupiditatibus aduersari, atque obsistere animaduerteret. Hinc colligunt nonnulli, fuisse Diotrephem hæresiarcham, & noui, ac peruersi dogmatis inuentorem, quod mihi vt paulò antè dixi, non fit verisimile; primùm quia multo acerbius aduersus illum loquutus fuisset Ioannes, deinde cum illi minora crimina obiiciat, hæresim ne obscurè quidem insinuat; quod tamen potissimum faciendum erat, cum præsertim superiori Epistola ad Electam scripserit hæreticos neque hospitio excipiendos, neque salutandos esse. Postremo Caium monet, ne illum, malum videlicet auctorem imitetur, hæreticum verò diceret abominandum ac fugiendum esse. Quis verò credat, si de hæretico loqueretur Ioannes, nihil præterea ei comminaturum fuisse, nisi se ipsius opera indicaturum, & palam omnibus declaraturum? Erat igitur Diotrephes in area non tāquam triticum, sed veluti palea, erat in sagena non vt piscis bonus, sed veluti malus, & nisi resipisceret, reiiciendus.

V. Quocirca prudenter Ioānes ad Ecclesiam vniuersam non scripsit, ne fortè Diotrephes, qui se tamquam principem gerebat vel Epistolam contemneret, vel perperam interpretaretur, vnde contentio, & schisma existeret. Est autem diligenter obseruandum ipsius etiam Apostolos acerrimos aduersarios, atque obtrectatores nactos esse: nam Petro quidem cū Simone Mago certandum fuit, Paulo cum Elima item mago, Ioanni verò hic Diotrephes verbis malignis detrahebat. Hūc autem Diotrephem magna ex parte imitantur illi, qui generis splēdorem, & natalium claritudinem magnificè prædicant, ac propterea infulas, ac purpuram, & summas quasque Ecclesiasticas dignitates sibi iure deberi contendunt, cum tamen Christus Dominus piscatoribus Ecclesiæ suæ gubernacula tradiderit. Quapropter Paulus [e] cùm Episcopi virtutes describit, nullam putauit nobilitatis habendam esse rationem, &

e 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1.

propterea illam ne nominauit quidem; quin Paulus [a] alibi ait: *Videte fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret, vt nō glorietur omnis caro in cōspectu eius.* Neque verò propterea abnuerim, modò cætera non desint, habendam esse interdum nobilitatis rationem, sed id tātùm affirmo non esse illam potissimùm spectandam, aut eo loco habendam, vt vel sola probetur, vel Christianis virtutibus præferatur.

a 1. ad Cor. 1.26.

10. *Propter hoc si venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos, & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiicit.*

I. Quærit hoc loco Oecumenius, cum mandatū nobis sit, ne malum pro malo reddamus, quanam ratione Ioannes Diotrephi minetur. Respondet autem id nobis præcipi, ne priuatas iniurias vlciscamur; ea verò, quæ contra fidem peccantur, quæ religionem petunt, strenuè repellenda, & quoad eius fieri possit vlciscenda esse. Ita Paulum olim Elimæ mago prædicationi Euangelicæ obluctanti iure optimo malè imprecatum esse. Addo ego, diuino præcepto prohiberi, ne quis priuata auctoritate suas, suorumque iniurias persequatur; publica verò auctoritate vitia, & peccata non solùm iure, sed magna etiā cum laude plectuntur. Ioannes autem, cui tāquam Apostolo, & summo Sacerdoti Ecclesiæ administratio diuinitùs credita erat, pro sui muneris ratione nō solùm potuit, sed iure etiā debuit Diotrephis flagitia iusto supplicio punire.

C

II. Ita videas æuo illo Apostolico Ecclesiasticam vim, atque auctoritatem probè stetisse, atque Episcopos suis in Ecclesiis summam exercuisse auctoritatem, & quasi iudices contra sontes, ac noxios liberè sententiam tulisse: nam & Paulus nefario incestu pollutum anathemate damnauit, & Ioānes supplicium Diotrephi minatur. Itaque ait; *Propter hoc si venero, commonebo eius opera*, Græcè ὑπομνήσω, hoc est, in lucē proferam, cunctis nota faciam, ante oculos ponam; nec displicet quod viri docti monēt ὑπομνήσω, interdum idem esse, quod in iudicium vocare: quæ significatio huic loco initè cōgruit, vt significet Ioannes se Diotrephē in iudicium vocaturum, vt eius actiones exploret, & iusto supplicio afficiat; quod si Diotrephes sacro aliquo ordine initiatus erat, iure Ioannis Apostoli censuræ, ac iudicio suberat, sin autem inter Laïcos erat, nihilo minus Ecclesiastico Iudici obnoxius degebat, Apostolus enim Paulus Laïcum fœdo incestu maculatum auctoritate Apostolica sacris prohibuit.

D

III. *Quæ facit*, inquit, *verbis malignis garriens in nos.* Explicat cuiusmodi essent Diotrephis actiones; primùm quòd in verbis malignis, Græcè λόγοις πονηροῖς, hoc est, malitia, & malignitate plenis in Apostolū garriebat. Græca vox φλυαρεῖν, *nugari ineptè, garrire, ineptire, & blaterare* significat; inde φλύαρος, *qui nugas loquitur*, & φλυαρολογία, *nugatorius & ineptus sermo.* Rectè autem dixit Interpres, *garriens in nos*, garrire enim propriè dicuntur auiculæ, quæ cantillando nullum reddunt sensum. Ita Ioannes significat, Diotrephem inaniter verba fundere, & temerè nugari, dum se conuiciis, & maledictis incessit. Quàm sit autem hoc graue crimen alibi diximus. Hic autem Ioannes tem inanem, ac futilem appellat; nam, vt ait Seneca [b], *eleganter Demetrius dicere solebat, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus; quid enim, inquit, mea refert sursum isti, an deorsum sonent? Quanta dementia est vereri, ne infameris ab infamibus?* Idem verò Seneca [c] alibi: *Malè, inquit, de te opinantur homines, sed*

b epist. 91.

c lib. de remed. fort.

A *malè, mouerer si malè de me M. Cato, si Lælius sapiēs, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur, nunc malis displicere, laudari est. Non potest vllam auctoritatem habere sententia vbi, qui damnandus est, damnat. Malè de te loquuntur, mouerer si iudicio hoc facerent, nunc morbo faciunt, non de me loquuntur, sed de se. Malè de te loquuntur, bene nesciunt loqui, faciunt non quod mereor, sed quod solent; quibusdam enim canibus sic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.*

IV. Itaque Demosthenes [a], *Calumniam aliquandiu per quidem audientium opinionem confirmare, progressu verò temporis nihil ipsa imbecillius esse dicebat.* Et Socrates, *admiranti cuidam cur nihil in eum commoueretur, à quo conuiciis petebatur. Mihi, inquit* [b], *non maledicit, quandoquidem ea quæ dicit mihi non adsunt, nec in me hærent.* Ita hoc loco

a apud Stob. ser. 40.

b apud Erasm. lib. 3. apopht.

B Ioannes Diotrephis maledicentiam garritum appellat, hoc est, inanem sonitum, & verba temerè iactata, quæ tamen quòd aliis fidelibus obesse possent, quodque Apostolicam dignitatem contemnere viderentur, non impunè ferenda erant. Sapienter enim dixit olim quidam, *bonis nocet quisquis pepercit malis.* Et Seneca [c]; *Hoc semper (inquit) in omni animaduersione Iudex seruabit, sciat alteram adhiberi, vt emendet malos, alteram vt tollat, in vtroque non præterita, sed futura intuebitur. Nam vt Plato ait, Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur; reuocari enim præterita non possunt, futura prohibentur; & quos volet nequitia malè*

c lib. 1. de ira cap. 16.

C *cedentes exempla fieri palam necidet, non tantum vt pereant ipsi, sed vt alios pereundo deterreant; hæc cuique expendenda, æstimandaque sunt.* Quamobrem rectè omnino Ioannes conuiciatori suo supplicium minatur, cùm præsertim multo etiā grauiora peccaret. Subdit enim.

V. *Et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eiicit.* Hoc videlicet erat palmare flagitium, non modo enim fideles à beneficentia, & liberalitate reuocabat, sed vltrò etiam quo iure, quaue iniuria iis supplicium intentabat, qui peregrinos hospitio exciperent. *Quasi* (inquit) *ista non sufficiant*; non vno, inquit, scelere, aut flagitio contentus est, scelera sceleribus cumulat, maledicentiæ, atque obtrectationi feritatem, atque immanitatem adiicit. *Neque ipse* (inquit) *suscipit fratres*, quod tamen ipsa humanitas suadet; *vetat enim*, vt ait Seneca [d], *superbum esse aduersum socios, vetat auarum, verbis, rebus, affectibus comem se, facilemque omnibus*

d epist. 88.

D *præstat, nullum alienum malum putat, bonum autem suum ideo maximè, quod alicui bono futurum est, amat.* Hic verò alia omnia cogitabat, qui fideles pro amplificanda fide strenuè laborantes, rerum inopia, & egestate pressos crudeliter hospitio excludebat, & quod longè deterius est, eos insectabatur, qui miseros, & eiectos reficerent, & recrearent. Rei autem indignitatem exaggerat Ioannes, cùm fratres nominat; impium quidem esset alienos, atque exteros necessariis rebus indigentes deserere, nullaque ope subleuare.

VI. Quid existimandum erit, si quis egentibus fratribus, & eiusdem religionis, ac fidei iure connexis vitæ subsidia deneget? Quid verò si non deneget mo-

E do, sed opem ferentibus indignetur, eisque extrema quæque minetur? Certè quemadmodum supra docuimus, beneficentiam, quæ eorum indigentiam subleuat, qui Euangelium promulgant, aliquo pacto ad religionem spectare, non aliter hæc Diotrephis improbitas, non cum humanitate solum, sed etiam cum religione ex aduerso pugnat. Quam ob causam meritò Ioannes illi supplicium intentat; iustitiæ enim ratio postulat, vt quo scelera grauiora sunt, & plus aliis nocent, eò seueriùs puniantur; alioqui verissimè dictum est à Seneca [e], *tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. Eos* (inquit) *qui suscipiunt prohibet, & de Ecclesia eiicit.* Prius illud ad

e lib. 1. de Clem. c. 2.

inuidentiam,

inuidentiam, atque odium pertinet, hoc posterius ad sæuitiam, & arrogantiam.

VII. Posset autem quispiam ex hoc loco suspicari, Diotrephem nonnullo Ecclesiastico magistratu præditum fuisse, qui posset à beneficentia reuocare, & ab Ecclesiastico cœtu repellere. Si id tamquam verum, aut probabile admittatur, mirum in modum eius augetur impietas; pertinet enim ad Episcopos, & Ecclesiasticos Præsules peregrinos hospitio excipere. Itaque alicubi scripsit Hieronymus, suo muneri non satisfacere Episcopum, nisi domus ipsius peregrinis omnibus pateat. Quàm graue igitur hoc Diotrephis scelus fuisse putandum est, qui ab hoc pietatis officio non modo abhorrebat ipse, sed quantum in ipso erat, alios reuocabat? Quod profectò multo grauius censendũ est, si Ecclesiastico magistratu fungebatur, quod videri potest non improbabile, cùm eos ex Ecclesia eiiceret, qui peregrinos benignè, ac liberaliter exciperent. Ait enim Ioannes; *& de Ecclesia eiicit.*

VIII. An id per vim, & priuata auctoritate faceret, an verò tamquam Episcopus ei Ecclesiæ præesset, & Ecclesiastica potestate abuteretur, diuinare planè nõ possum; nam si hunc Ioannis locum excipias, mirum de hoc homine apud historicos silentium. Ego si quidquam coniectura valeo, suspicor eum tamquam Episcopum Ecclesiæ præfuisse, ac propterea eo honore elatum, atque auctoritate abusum aduersus sanctissimum Apostolum, & Euangelistam garrire, atque insanire cœpisse, & vt suæ auaritiæ velum obduceret, pietatis officia prohibuisse, & qui ea sectarentur, sacris prohibuisse, vt appareat, iam tum Ecclesiasticos honores quorumdam improbitati arrogantiæ, atque auaritiæ materiam præbuisse. Verum quoniam de hoc Diotrephe nihil certi ex historicis deprehenditur plura non addam. Certè si Episcopus non erat, Episcopi tamen auctoritatem sibi arrogabat, qui fideles ex Ecclesia pellere auderet, quod proprium est Episcoporum munus, & eorum qui cum potestate Ecclesiæ præsunt. Tantum moueo iure potuisse Apostolum etiam in Episcopum animaduertere, licet enim ipse Ephesinæ Ecclesiæ tamquam proprius Episcopus præesset, ipsius tamen Apostolica auctoritas multo latiùs patebat, cùm, vt alibi docui, Apostoli in vniuersam Ecclesiam amplissimam à Christo Domino adepti essent potestatem.

IX. Itaque vbique gentium Episcopos constituebant, iisque præcepta dabant, partim quæ à Domino acceperant, partim quæ ipsi pro rerum, & locorum opportunitate ad Ecclesię vtilitatem statuebant. Quam ob causam Paulus in Actis Apostolicis [a] his verbis Episcopos alloquitur; *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ad Timotheum verò, & Titum scribens rectam quamdam administrandæ Ecclesiæ formam, rationemque præscribit. Nec dubitandum est, potuisse etiam, si opus esset, pœnas, & supplicia irrogare; nã & Paulus supplicium comminatur, cùm ad Corinthios scribit [b]; *Prædixi, & prædico vt præsens, & nunc absens iis, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam.* Persimili igitur ratione potuit Ioannes Diotrephi, quamuis fortasse Episcopo, supplicium intentare.

a cap. 20. 28.

b epist. 2. cap. 13. 2.

11. *Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est, qui malefacit, non vidit Deum.*

I. Rectè cum malos Diotrephis mores descripsisset, Caium monet, ne illos imitetur. Cum enim, vt ait OEcumenius, *nulla luci cum tenebris communicatio sit, nullaque Christo cum Belial consensio, non debet is, qui eu* A *Christi agnitione illuminatus est, ex imitatione impiè se gerentium tenebris, id est, flagitiosis ipsorum operibus commisceri.* Videtur autem admodum opportuna, ac necessaria admonitio, quem enim à liberalitate in peregrinos magnopere laudauerat, ne peruerso aliorum exemplo commoueatur, & ab incepto desistat, sibi monẽdum censuit. Idque in primis necessarium erat, si Diotrephes Episcopatum gerebat, facilè enim subiecti eorum, qui præsunt, & imperant, mores, & actiones imitantur, ac propterea Christus Dominus apud Matthæum [a] dixit. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundum opera verò eorum nolite facere.* Ita hoc loco Ioannes monet, ne Caius malum B imitetur; sic enim naturæ quodam vitio fit, vt faciliùs mala, quàm bona exempla sequamur, eò enim nos cùm corrupta, & deprauata natura, tũ voluptatum illecebræ non modò non repugnantes, sed volentes trahunt, ac propendentes impellunt. Virtuti omnia propemodum, quæ insunt in natura, obsistunt, animi morbi, & ægritudines impotẽtes, atque effrenatæ cupiditates, laboris difficultas, cõtraria consuetudo, & id genus alia. ipse denique virtutis horridus aspectus si eminus spectetur, mirum in modum deterret; labores enim, ac difficultates obiicit, cum in arduo, atque edito monte, & confragoso sita esse dicatur, & tamen rectè ait Ioannes, bonum imitandum esse, quod nihil est aliud, quàm virtutẽ colere.

a cap. 23. 2.

C Simile quiddam præcepit Paulus, cùm ad Philippenses [b] scripsit; *De cætero fratres quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite.* Quicquid ergo Diotrephes loquatur, & agat, tu prauas eius actiones noli imitari, sed ea tantum, quæ honesta, & laudabilia sunt, tibi imitãda propone. Verè namque dixit Seneca [c], *exempla nobilium oculos subdere, & ad virtutis amorem vehementiùs inflammare.* Hæc autem non nisi à viris perfectis sumẽda sunt, nullo autem modo ab errore vulgi. Sapienter enim idem [d] scripsit; *tritissima quæque via, & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed quo* D *itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quam quòd ad rumorem componimur optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus.* II.

b cap. 3. 8.

c lib. 1. de tranq. vitæ non procul ab init.

d lib. de vit. beat. cap. 1.

Qui bene (inquit) *facit, ex Deo est; qui malè facit, non vidit Deum.* Rectè omnino Didymus, quem penè ad verbum sequitur OEcumenius; *qui bonum* (inquit) *facit actualiter, atque contemplatiuè Deum Christum habens, qui est vera lux, procul est à tenebris, & Beliel. quoniam contrarium est benefacienti malum facere; qui malè facit, per hoc ipsum opus cum sit Belial, & tenebrarum, is non videt Deum, nec secundum qualitatem aliquam agnitionem habet eius.* Certè qui ex virtute vitam instituit, & honestè, ac laudabiliter viuit, is verè dicitur ex Deo esse, & ad diuinam quodammodo familiam pertinere, ac E propterea cælesti luce præditus longissimè abest à tenebris. Dixit enim de se ipso Christus [e] *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quia videlicet cælestis luminis ductu vitam consequetur immortalem, quæ in ipso Deo posita, est quemadmodum idem Christus [f] dixit; *Ego sum via, & veritas, & vita.* Et alibi [g]; *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Denique [h]; *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* III.

e Ioan. 8. 12.

f Ioan. 14. 6.

g Ioan. 10. 10.

h Ioan. 17. 3.

IV. Quod autem ait: *qui autem malè facit, non vidit Deum*; si ratio antithesis spectanda esset, dicendum fuerat, *non habet Deum.* Voluit autem Ioannes

aliquid ampliùs indicare, eos nimirum, qui malè agunt non modò non habere Deum in se, sed nè illum quidem vllo modo cognoscere; quippe illi in tenebris versantur, & longissimè absunt à Deo, qui lucem habitat inaccessam, & omnino verissimè dictum est à Christo [a]; *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Qui igitur malè agit, vt ait OEcumenius, *in tenebris ingreditur, & neque ipse Deum videre, vt est, ea quæ sunt Dei, agere, neque ab aliis videri potest, sed odiosus, & detestabilis omnibus est.*

a Ioan. 3. 20.

Significat enim loqui Apostolum de cognitione quæ referatur ad praxim, quasi dicat; Perinde se gerit, vitamque suam ita instituit, ac si Deum nullo pacto cognosceret; aut re vera Deum prorsus non cognoscit quia non putat eum sua scelera nosse, vel quia sibi persuadet, impunè laturum, quod viuumque est à diuina natura alienissimum: *oculi enim eius contemplantur bonos, & malos*, vt ait Salomon [b]. Et Sapiens [c]; *Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum supra peccatum; & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim, & ira ab illo prox imant, & in peccatores respicit ira illius.* Dixit autem paulò ante, *Deus enim vindicans vindicabit.*

b Prou. 15. 3.
c Eccles. 5. 4.

V. Qui igitur malè agit, & in scelere, ac flagitio perseuerat; hæc videtur vel non agnoscere, vel certè non cogitare, vt oportet, ac propterea vera Dei notione carere dicitur, confitetur enim se nosse Deum, sed, vt ait Paulus, factis negat; destituitur autem caritate, quæ scientiam perficit, eique tribuit vim merendi. Nam alioqui, vt fides sine operibus mortua est, ita scientia absque caritate, vt Paulus [d] docet, nullam affert vtilitatem, illa siquidem, vt idem Paulus [e] affirmat, *inflat, caritas vero ædificat*, quippe quæ nos filios Dei facit, & in eius familiam asciscit. Dixit porro Ioannes; *Qui malè facit, non vidit Deum*, Græcè, ἑώρακε, quod est præteriti temporis, vt significet eos, qui malè viuunt, indicare se numquam Deum, vt oportet, nouisse: nam neque Deus eos nouit, ait [f] enim quibusdam suas actiones iactantibus, cum tamen perditè vixissent; *Tunc confitebor illis, quia numquam noui eos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.* Numquam videlicet eos nouerat scientia approbationis, nam ne illi quidem ritè Deum probauerant, cuius legem sibi violandam duxerant.

d 1. Cor. 13. 2.
e 1. Cor. 8. 1.
f Matth. 7. 23.

12. *Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus, & nosti, quoniam testimonium nostrum verum est.*

I. Hunc hominem paucis quidem verbis, sed miris laudibus celebrat, siue vt illum Caio commendet tamquam dignissimum, quem sua liberalitate sublevet, siue vt eum quasi optimum exemplar ad imitandum proponat: ait autem eum omnium testimonio vehementer commendati, siue fideles omnes intelligat, siue etiam infideles, vtrumque enim, vt rectè monet OEcumenius, intelligi potest. Siquidem Paulus Corinthiis [g] præcipit, vt ita vitæ suæ rationes componant, *vt sine offensione sint Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei; sicut & ego* (inquit) *per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed multis, vt salui fiant.* Et cùm de eligendo Episcopo præcepta tradit [h]; *Oportet* (inquit) *illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli.* Quoniam autem errare possunt homines, & externa rerum specie, quam vnam

g epist. 1. cap. 10. 32.
h 1. ad Tim. 3. 7.

A intuentur, facilè decipi, addit Ioannes, testimonium Demetrio exhiberi ab ipsa etiam veritate, nam, vt ait OEcumenius, *nonnulli sunt, qui cum aliorum prædicatione tamquam virtute præditi extollantur, re tamen vera ea laude indigni sint, cum ipsorum mores ab oratione, & verbis discrepent.*

II. Accedit quòd indicare voluit Ioannes, Demetrium à multis laudari, non tamquam ab imperita multitudine, sed tamquam à veris, æquisque rerum æstimatoribus, qui non temerè, atque inconsultò, sed prudenter laudare solent; vt enim veteri prouerbio circumfertur, præclarum est à laudato viro laudari: contra verò à malis laudari, non laus, sed dedecus esse putatur. Quocirca Antisthenes Atheniensium Philosophus, cum inaudisset, se ab improbis

B quibusdam fuisse laudatum; *Vereor* (inquit) *ne quid imprudens fecerim mali*, sentiens ab huiusmodi hominum fæce neminem nisi ob insignia mala laudari. Et Agesilaus Lacedæmoniorum Rex prudenter dicere solebat, *non minus laudatores inspiciendos esse mores, quam eius, qui laudatur*; significans, opinor, vix quemquam ea laudare, quæ suis sint moribus contraria. Itaque hic Demetrius ea virtute, morumque integritate, vitæ denique innocentia præditus erat, vt omnium voce, & prædicatione iure optimo celebraretur. Quem cùm Caio imitandum proponit,

C tacitè illum monet, vt non fictam virtutis larvam, sed veram, ac solidam virtutem complectatur, cùm præsertim mox subiiciat *Et nos testimonium perhibemus.* Siquidem Ioannes diuino numine plenus nihil falsò, aut leuiter laudare poterat. Quod mox planius confirmans ait; *Et nosti.* Græcè, οἴδατε, numero multitudinis, vt significet omnibus notum, illa perspectumque esse, *quoniam testimonium nostrum verum est.* Sic enim alibi [a] de se ipso scripserat; *Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius.* Atque ita non solùm Demetrium eximiè laudat, sed Caio sedulò imitandum proponit.

a Ioan. vlt. 24.

III. Est autem extra omnem penitus controuersiam Apostolorum, Euangelistarum, cæterorúmque omnium Canonicorum scriptorum testimonium, cùm

D diuini Spiritus impulsu sacros libros scriberent, adeo verum esse, vt nullo pacto errare potuerint. Erant quippe diuini numinis organa, quæ ipsius ductum sequerentur; ad eos enim, vt Theodoretus [b], & Gregorius [c] Pontifex affirmant, pertinent illa apud Dauidem [d], *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Et rursus [e] illa; *Dominus narrabit in scripturis populorum*, vt appareat, Scripturarum sacrarum auctorem primarium esse Deum. Quocirca Paulus [f] Scripturam vocat diuinitus inspiratam. Et Petrus [g]; *Non enim* (ait) *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Sed cùm hoc tamquam certissimum fidei dogma necessario ab omnibus Catholicis admittendum sit, ambigi vtcumque potest, an ita semper Apostolis diuinus adesset Spiritus, vt numquam falli, aut decipi, numquam mentiri possent. Nam Spiritum quidem propheticum non semper afflasse

E prophetis sacræ literæ apertissimè docent; in libris enim Regum [h] legimus deceptum fuisse Nathan prophetam, cùm Dauidis consilium de extruendo templo his verbis probauit; *Omne quod est in corde tuo, vade, & fac, quia Dominus tecum est.* Mox enim iussus est à Deo, aliquando canere, & sententiam reuocare. Sic etiam Elisæus [i] fatetur, sibi diuinum numen non adesse, nec posse scire, quid mulier à se quæreret. *Anima* (inquit) *eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.*

b Præfat. in Psal.
c Præfat. in Iob.
d Psal. 44. 1.
e Psal. 86. 6.
f 2. ad Tim. 3. 16.
g epist. 1. cap. 1. 21.
h lib. 2. cap. 7. 3.
i 4. Reg. 4. 26.

Persimili

IV. Persimili igitur ratione verosimillimum videtur, propheticum spiritum, ac vim occulta cognoscendi non semper præsto fuisse Apostolis, atque idcircò multa potuisse ignorare, nõnulla non animaduertere, plurima humano more cognoscere, vt non necesse fuerit eos ab omni penitus errore liberare. Certè Petrũ, vt alibi docui, dũ Antiochiæ vnà cũ Paulo esset, nõnihil fugisse videtur, quod si animaduertisset, Pauli reprehẽsionẽ vitare potuisset. Et inter Paulũ, & Barnabam ob Marci inconstantiam nonnulla sententiarum diuersitas intercessit, ita vt alter ab altero recesserit, quod idcircò procul dubio accidit, quòd non idẽ vterque sentiret, sed contraria sequerentur, quæ cum inter se pugnarent, ab vno eodemque Spiritu, eodẽmque instinctu oriri nõ potuerunt. Quod ergo hoc loco ait Ioannes: *Et nosti quoniam testimoniũ nostrũ verum est*, perinde accipio, quasi significet, se non assentari, nihil amicitiæ aut familiaritati dare, sed verè, atque ex animo loqui, & Demetrij veras laudes commemorare. Adde, si placet, indicare se de eius virtutibus diuino etiam oraculo multa certissimè cognouisse, quod fieri potuisse quis ambigat? Turò itaque illum Caio imitãdum proponit.

13 *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum, & calamum scribere tibi.*

I. Idem planè, atque iisdem propemodum verbis dixerat superiori epistola ad Electam; indicat autem hoc loco, se non omnia epistolæ committenda duxisse, siue quæ aduersus Diotrephem, siue quæ de Demetrij virtutibus scribere poterat, siue denique quæ ad mores, vitæque præcepta, atque instituta pertinerent. Necesse vt sit (quod etiam superiori epistola monui) non pauca esse ab Apostolis voce tantùm tradita, quæ frustra quis in sacris literis quærat. Quamobrem Paulus Apostolus ad Thessalonicenses [a] scribit, *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostrãm*. Et ad Corinthios[b], cùm plura morum præcepta tradidisset, addit; *Cætera autem, cùm venero, disponam*. Reprehendit quidẽ Christus Dominus apud Matthæum[c], & Marcum[d] eos, qui neglecto Dei præcepto humanas traditiones sectantur; sed Apostolicæ, atque Ecclesiasticæ traditiones, cùm diuinæ legi consentaneæ sunt, tum suam retinent in Ecclesia auctoritatem, cùm multa sint religiosè colenda, quæ non aliunde quàm ex traditione ad nos peruenerunt, vt alicubi egregiè probat Basilius[e].

a epist. 2. c. 2. 14.
b epist. 1. cap. 11. 34.
c cap. 15. 3.
d cap. 7. 8.
e lib. de Spir. sanc. c. 27.

II. *Dogmata* (inquit) *quæ in Ecclesia prædicantur quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habẽt ad pietatem, nec his quisquam contradicet, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt tamquam haud multum habentes momenti, cogemur reiicere, imprudentes ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, vt eius, quod primum est, & vulgatissimum primo loco commemorem, vt signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Vt ad orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? Inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Euangelium, verùm alia quoque antè, & pòst dicimus tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum, qui baptismum accipit. Ex qui-*

Bened. Iustinian. in Epist. B. Iud.

A *bus scriptis? Nõnne à tacita, secretaque traditione? ipsam porrò olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, vnde est traditum? Reliqua item, quæ fiunt in baptismo, velut renunciare Satanæ, & angelis eius, ex qua scriptura habemus? Nõnne ex priuata, & arcana hac traditione?*

III.

Et multa deinceps. Quantæ autẽ auctoritatis sint Apostolorum traditiones apud Eusebium[a] indicat B. Ignatius, qui hortabatur omnes, vt Apostolorum traditionibus tenacius inhærerent, quas traditiones, addit Eusebius, cautelæ gratia etiam scriptas se asserit reliquisse, vt vel hinc appareat, quod hic noster Ioannes indicat, non omnia Apostolos scriptis mandasse. Quin etiam Dionysius[b] Areopagita; *Primi illi* B (inquit) *nostri sacerdotalis muneris duces summa illa, & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt*; & quod magis verbi diuini non scripti vim, atque auctoritatem firmat, Iustinus[c] Martyr, cùm Christianorũ præcipuas consuetudines, sacrorumque ritus recẽsuisset, ea à Christo Domino tradita fuisse his verbis testatur. *Postridie Saturni, qui dies solis est, cùm Apostolis, discipulisque suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus.*

IV.

Eodem refero quæ scribunt Irenæus[d], Clemens[e] Alexandrinus, Origenes[f], Eusebius[g], Athanasius[h], Gregorius[i] Naziãzenus, Chrysostomus[k], Theophilus[l], Cyrillus[m] Hierosolymitanus, Epiphanius[n], Da- C mascenus[o]. Et ne Latinos prætermisse videar, adscribam Tertulliani[p] verba. *Etiam* (Inquit) *in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quærimus an & traditio non scripta non debeat recipi. Planè negauimus recipiendam, si nulla præiudicant exempla aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento solius traditionis titulo exinde consuetudinis patrocinio vendicamus*. Mox verò enumeratis ceremoniis baptismi, signi crucis, anniuersarij sacrificij pro vita functis, & aliis quibusdam, subdit. *Harum, & similium disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fidei obseruatrix*. Denique multa in eamdem sententiam frequẽter[q] inculcat. Addo Cyprianum[r], Hilarium[s], D Ambrosium[t], Hieronymum[u], Augustinum[x].

Et sanè stultum est, ex scripturis tantùm fidei argumenta petere, cum satis constet, non omnia fuisse scripta; nam hic ipse Euãgelista Ioannes non semel[y] affirmat, multa fecisse Christum Dominum, quæ tamen scripta non sint. Olim verò apud Iudæos præter Scripturam fuisse plures traditiones docent Origenes[z], Epiphanius, Hilarius[a], & apud Eusebium[b] Anatolius; & ante Mosen populus ille diu absque lege scripta vixit. Prophanæ verò Respublicæ non modò legibus scriptis, sed etiam moribus, & consuetudinibus non scriptis viuebant. Pericles enim apud Thucydidem ius Atheniensium in scriptum, & non scriptum partitur. Aristoteles[c] autẽ ciuitatem admi- E nistrandam esse docuit partim optimis legibus partim optimi viri arbitrio atque ideirco alibi[d] Iudicẽ, seu arbitrum ius animarũ appellat. Lycurgus autẽ, vt auctor est Plutarchus, nullã Lacedęmoniis legem scripsit, sed eos traditionibus tãtùm voluit esse contentos, vt in agendo, quàm in legendo diligentiores essent. Idẽ placuisse M. Tullio ex iis, quæ de legibus[e] scripsit, non obscurè colligitur. Idemque à Galliæ sapientibus receptum fuisse auctor est Cæsar[f].

V.

Obseruat autem Augustinus[g] Pythagorã, & Socratem nihil scriptis mandasse. Meritò itaque censuit Ioannes, non esse omnia scribenda, siue quæ ad

a lib. 3. hist. c. 36.
b cap. 1. Eccles. hier.
c Apolog. 2. pro Christ.
d lib. 3. c. 0. 3. 4. & lib. 4. cap. 45.
e lib. de Pasch. apud Eusebium lib. 6 hist. c. 11.
f Hom. 5. Numer. & in ep. ad Roman. c. 6.
g lib. 1. demonstr. Euã. c. 8.
h lib. de decret. Nicen. Syn.
i Orat. 1. in Iulian. vltra med.
k Hom. 64. ad popul. & in 2. epist. ad Thessal. c. 2.
l lib. 1. & 3. Pasc.
m Catech. mystagogic.
n Hæres. 55. 61. & 75.
o Orat. 1. pro imagin. & lib. 4. de fide c. 17.
p lib. de corona milit.
q lib. 1. con. Marcion. lib. 5. ad vxor. lib. de velan. virg.
r lib. 1. ep. 12 lib. 2. ep. 3.
s lib. con. Constant. circa med.
t lib de iis qui initiantur mysteriis cap. 15. & 16. lib. 1. de Sacram. c. 1. & 2. ser. 55. 34. 36. 38. & epist 81.
u epist. ad Marcel. de error. Montan. & Dial. con. Lucif.
x ep. 118. & lib. de bapt. con. Donat. c. 7. lib. 4. c. 6. & 24. lib. 5. c. 23. lib. de vnit. Eccles. c. 19. lib. 2. cõ. Cresco. c. 30. 32. & 33.
y cap. 20. 31. & cap. 21. 25.
z Hom. 5. Num. & cap. 3. ad Rom.
a In Psal. 2.
e lib 1. de cap. 7.

b lib. 7. hist. c. 28. c lib 3. Polit. c. 11. d lib. 1 Ethic. c 4. legib. f lib. 6. de Bell. Gall. g lib. 1. de consens. Euang.

VI. dogmata, siue quæ ad mores pertinerent cùm multa sint, vt egregie obseruauit Basilius [a], quæ non sunt omnibus proponenda. Atque idcirco veteres plerique scriptores, cùm de Eucharistiæ Sacramento loquuntur, non omnia euulganda docēt, sed fidelibus, & initiatis dumtaxat explicanda; quod præcipuè indicant Dionysius [b], Origenes [c], & Innocentius I [d]. Cujusmodi autem essent illa quæ negat Ioannes se per literas scribere voluisse, nemo facilè diuinare queat. Certè siue ad dogmata, siue ad vitæ præcepta referrentur, eiusmodi fuisse credendum est, quæ nec tutò literis committi possent, & viuam auctoris vocem maximè requirerent. Quocirca rectè ait Ioannes; *Nolui per atramentum, & calamum scribere tibi*; quoniam verò non ea penitus celanda duxit, protinus addit.

a lib. de Spir. sanct. cap. 27.
b cap. 2. Eccles. hier.
c Hom. 5. Num.
d Epist. 1.

14 *Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.*

I. Non longè, credo, aberat Ioannes, ac propterea se breui ad Caium excursurum penè certò pollicetur; hoc enim, vt aliàs dixi, muneris Apostolici proprium erat, Ecclesias vbique gentium fundare, easque tum per literas, tum etiam coram erudire, instituere, & confirmare; quorum studium, ac solicitudinem boni Episcopi imitantur, qui suis Ecclesiis assiduè adsunt, & si fortè iusta aliqua ex causa abesse contingat, eas per epistolas erudiunt, & Christianis præceptis, atque institutis sedulò imbuunt; ait autem Ioannes, sperare se propediem cum Caio futurum, & eius præsentia, & sermone fruiturum, & quæ dicenda superarant, coram explicaturum. Interim salutatione planè Apostolica epistolæ finem imponit. *Pax* (inquit) *tibi*. Hæc enim salutandi ratio, vt ex epistolis Pauli intelligitur, erat Apostolis admodum familiaris, ducta, vt arbitror, ab Hebræorum consuetudine, qui, vt alibi docui, pacem precari consueuerant. Addit, *Salutant te amici*, neminem tamen nominat, ne cunctos recensere cogatur, aut quempiam non sine inuidia prætereat. Iubet præterea, amicos nominatim salutari, idque eamdem ob causam eorum tacitis nominibus; atque hac ratione breuem, ac familiarem epistolam claudit.



IN EPI

IN EPISTOLAM B. IVDÆ APOSTOLI

PROLOQVIA.



I. IN disputatione de epistolis Apostolicis, de hac epistola Iudæ nõnulla diximus, vt eius sacram auctoritatem assereremus. In præsentia autem antequam ipsam explanationem aggrediamur, pauca quædam præfari necesse est, ne illotis, quod aiunt, manibus sacra attingere videamur. Ac primùm quidem de epistolæ auctore, deinde de eiusdem argumento, postremò de illius auctoritate disserendum erit.

II. Quod igitur primo loco expediendum est, huius perbreuis epistolæ auctor, vt ipsemet statim in initio affirmat, Iudas appellatur. Constat autem in Collegio Apostolico duos fuisse Iudas, quemadmodum & duos Iacobos. Alter Iudas erat Simonis Iscariotæ filius, quem Euangelistæ, vt ab altero planius distinguant, proditorem appellare solent. Sic Matthæus a [a cap. 10.] cùm Apostolos enumerat, postremo loco nominat Iudam Iscariotem addito elogio, *qui & tradidit eum.* Quod ipsum facit & Marcus [b] [b cap. 3.]; neque aliter Lucas [c] [c cap. 6.] addens, *qui fuit proditor.* Non potest autem cuiquam in mentem venire Iudam Iscariotem, qui ante Christi mortem malè periit, huius esse epistolæ auctorem. Itaque alter fuit Iudas Apostolorum collegio adscriptus, qui à Luca [d] [d cap. 6. & Act. 1.] Iudas Iacobi nuncupatur, non quod fuerit Iacobi filius, sed frater, vt hoc ipso loco ait huius epistolæ auctor. Hic apud Matthæum [e] [e cap. 10.] Thadæus dicitur, & in nonnullis codicibus additur, cognominatum fuisse Lebbæum; quod apertè testantur Dorotheus [f] [f In Synop.], Chrysustomus [g] [g Mat. 10.], & Nicephorus [h] [h lib. 2. c. 40. & 44.]. Itaque Græci codices habẽt, λεββαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς θαδδαῖος, hoc est, *Lebbæus, qui cognominatur Thadæus.* Quo etiã modo legit Syriacus. significat autem Lebbæus, interprete Hieronymo [i] [i Mat. 10.], corculum, ab Hebræa voce לְבָב *lebáb*, id est, corde; vel leonem, ab altera voce לָבִיא *labí*, hoe est, leone.

III. Ita factum est, vt tribus nominibus appellaretur Iudas Thadæus Lebbæus. Eius rei hanc fermè rationem excogitarunt nonnulli, quam viri [k] [k Iansen. Mat. 10.] docti non improbant, sancitum enim aiunt, vsúque receptum esse apud Hebræos, vt si quis in suo nomine proprio tres, quatuorue literas haberet ex iis, quæ sunt in nomine tetragrammato יְהֹוָה *Iehouáh*, non passim, præsertim in sermone familiari proprio nomine, sed alio persimili vocaretur. Cùm igitur nomen Iuda omnes habeat literas huius nominis יְהֹוָה *Iehouáh*, addito præterea ד *daleth*, hic Apostolus aliud habuit nomẽ, dictusque est Lebbæus, hoc est, leo quia Patriarcha Iudas catulus leonis [l] [l Genes. 49.] appellatur. Dictus est etiam Thadæus, quoniã id nomen affine est nomini Iudæ, significat enim Iudas laudationem. Idemque valet Thadæus ab Hebræa voce תּוֹדָה *Thodá*, id est, laude.

A Verùm quicquid agant hac nostra tempestate Iudæi mortalium superstitiosissimi, id mihi nequaquam in hoc nostro Iuda, aut in aliis videri potest probabile, tum quia Iudas Patriarcha non alio nomine à patre, & fratribus appellabatur, tum quia in Iuda Iscariote non videtur retentum, vt nihil dicam, hanc sententiam vetusto, atque idoneo auctore, & probabili ratione penitùs destitui, vt verisimillimum sit, nihil esse aliud, nisi ineptum recentiorum Hebræorum commentum.

IV. Hic igitur Iudas est huius Epistolæ auctor, diciturque Iacobi frater, cum duos præterea alios fratres habuerit; nam quatuor à Matthæo [a] [a cap. 13. 55.] nominantur, Iacobus, Ioseph, Simõ, & Iudas, qui omnes ab eodem Euangelista fratres Domini nuncupãtur. Id olim B perperam, ac nefariè impurus, atque impius Eluidius interpretabatur, qui eos ex Iosepho, ac Deipara Virgine natos esse cõtendebat, quem Hieronymus, & Ildephonsus Toletanus egregiè confutant. Tolerabilius loquuntur alij (tametsi ne ipsi quidem collimãt) qui Iosephi filios fuisse autumant, ex alia tamen vxore, vt paulò pòst indicabo. Receptum enim est, more Scripturarum, fratres, ac sorores appellari non eos solùm, qui ab iisdem parentibus geniti sunt, sed aliis plurimis modis, hoc est, vt aduersus Eluidium scribit Hieronymus, natura, gente, cognatione, affectu. Natura fratres dicuntur Esau, & Iacob. duodecim quoque filij Israël, Andreas, & Petrus, Iacobus maior, & Ioã- C nes Euangelista, & alij similiter. Gente fratres nominantur qui ex eadem sunt gente, siue natione, vt Iudæi omnes, sic in Deuteronomio b [b cap. 15. 12.]; *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum.* Et in libro Iosue c [c cap. 1. 14.]; *Trãsite armati ante fratres vestros.* Cognatione fratres nũcupantur cognati, & consanguinei, vt in libro Geneseos [d] [d cap. 13. 8.]; *Dixit Abrahã ad Loth filium fratris sui; Ne sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus*, id est, cõsanguinei; erat enim Abraham patruus Lothi; & eodem e libro [e cap. 29. 15.] dixit Laban ad Iacob; *Nũ quia frater meus es, gratis seruies mihi?* Et eodẽ capite indicauit Iacob Racheli, *quod frater esset patris sui* id est, cõsanguineus, erat enim Rebeccæ filius so- D roris Laban. Affectu denique vocantur, ait Hieronymus, fratres, vel spiritali, vt Christiani omnes, vel cõmuni, quomodo omnes homines fratres censentur.

V. Quatuor igitur hi fratres inter se quidem natura fratres erãt, respectu verò Christi nõ nisi cognatione, & iure propinquitatis; quomodo Matthæus [f] [f cap. 13. 55.] non solùm hos quatuor Christi fratres, sed alias etiã sorores ex Nazaræorũ sententia nominat; putantur autem ratione Matris Christo fuisse cõnexi. Et apud Marcũ [g] [g cap. 15. 40.] inter mulieres, quæ Christo morięti adstabãt nõ postrema nominatur, diciturque Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater. Quãquã autẽ Gregorius Nyssenus [h] [h Orat. 2. de resur.],

Theophylactus[a], & Nicephorus[b] existimarunt Mariam Iacobi ipsam esse Virginem Deiparam, quæ quasi nouerca Iacobi, cæterorumque fratrum mater dici potest, quod illi essent Iosephi ex altera coniuge filij; tamen ex ipsis Euangelistis apertè deprehenditur, Mariam Iacobi longè aliam esse à Christi matre, quæ eodem loco nominatur, vt apud Ioannem[c] luce clarius constat; *Stabant autem nuxia crucem* (ait) *Iesu Mater eius, & soror Matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalena*: vt enim paulo pòst ostendam, Maria Cleophæ eadem planè est cum Maria Iacobi.

VI. Fateor quidem existimasse non paucos[d], hos quatuor fratres fuisse Iosephi filios, ex alia tamen vxore. At Hieronymus virginitatem illi tribuit[e]; *Tu dicis* (inquit) *Mariam Virginem non permansisse; ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph Virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio Virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur; Maria autem, quam putatus est habuisse, custos potiùs fuit, quam maritus; relinquitur Virginem eum mansisse cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari.* Hieronymo subscribunt Bedâ[f], D. Thomas[g], & alij[h]. Rupertus[i] autem; *Nos* (inquit) *fratres absque vllius scrupulo quæstionis scire ac confiteri oportet non tantùm Beatam Dei Genitricem, sed & Ioseph ab omni prorsus actione coniugali permansisse immunes.* Auctor item cuiusdã sermonis apud Augustinum[k]; *Habe* (inquit) *Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata. Sit autem & in Patre Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis sæculis Christianis nulla sit zelotypia.*

Rursus; *Gaude Ioseph, nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater diceris Saluatoris.* Denique viri[l] docti, ac pij; *Ecclesiæ* (inquiunt) *fides est, vt virgo fuerit is, qui simulatus est Pater, id est, Ioseph hominum existimatione Christi Pater habitus.* Itemque, *tantopere Christus dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modò de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à nutritio virgine tractaretur.* Itaque nullo modo existimandum est fuisse Iudam, & fratres eius Virginis Deiparæ priuignos, & Iosephi filios, sed alia quapiam ratione

VII. consanguineos, vt Hieronymus[m], Augustinus[n], Beda[o], & D. Thomas[p] affirmant.

Verùm quo cognationis, & consanguinitatis gradu Christum attingerent, nondum liquet. Augustinus[q] nihil audet definire, tantùm enim ait, *Cognati Mariæ fratres Domini de quolibet gradu cognati.* Hieronymus[r] autem consobrinos fuisse existimat; *Quidam* (inquit) *fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur sequentes deliramenta apocryphorum, & quamdam*

VIII. *Escham mulierculam confingentes. Nos autem, sicut in libro quem contra Eluidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur Mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos in alio Euangelij loco fratres Domini legimus appellatos. fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat.* Huic autem Hieronymi sententiæ celeberrima quædam traditio fauet, quam non ignobiles auctores magnopere probant, Annam videlicet Deiparæ Virginis matrem tribus nupsisse viris, & ex singulis singulas suscepisse filias. Ex Ioachimo Virginem Deiparam; eo vita functo, ex Cleopha Mariam, quæ dicitur Cleophæ; hoc item mortuo ex Salome tertiam Mariam Salomæ. Ex his Deipara nupsit Iosepho,

a Mat. 13. & 27. b lib. 1. hist. c. 33. c cap. 19. 25. d Epiphan. hæres. 51. 58. Chrysost. orat. de Annunc. Greg. Nyss. or. 2. de resur. Orig. Mat. 13. Euseb. lib. 2. hist. c. 1. Theophyl. Mat. 13. 27. Euthym. Mat. 13. Io. 2. Niceph. lib. 2. c. 3. Hipol. apud Niceph. Oecumen. Act. 1. ad Gal. 1. Ambros. ad Galat. 2. & lib. de instit. Virgin. c. 6. Hilar. Can. 8. in Mat. Caiet. ad Gal. 1. e Aduer. Eluid. f Ioan. 2. g 3. p. q. 28. art. 3. ad 5. h Magist. in 4. d. 30. cap. Beata Maria 27 q. 2. i Mat. 1. k Tom. 10. ser. 14. de Natiuit. Christi. l Petr. Dam. ep. 11. m Mat. 12. n Tract. 10. in Ioan. o Marc. 3. & 6. & Ioan. 2. p Ibidẽ loc. q Trac. 10. in Ioan. r lo lib. con. Eluid. & Mat. 12.

Maria Cleophæ Alphæo, Maria Salomæ Zebedæo. Ita non solùm hi quatuor fratres Mariæ Cleophæ, atque Alphæi filij, sed etiam Ioannes, & Iacobus maior filij Zebedæi Christi erant consobrini, hoc est, sororum filij.

Cæterùm quod hæc sententia asserit, Annam beatissimam Virginis Deiparæ matrem fuisse trigamam, vt leuissimè dicã, à piis, & Christianis auribus magnopere videtur abhorrere, quòd prorsus indignum censeatur, fœminam alioqui sanctissimam, non sine miraculo fœcunditatem adeptam, eximiæ denique Virginis matrem, toties connubium iterasse præsertim ætate iam prouectam. Vt enim scribit Lucas, *ambo*, idest, Ioachim, & Anna, *processerant in diebus suis.* Itaque meritò hæc sententia reijcitur, tum quia, vt dictum est, parùm videtur digna, tum quia nullum habet maioris notæ auctorem. Cæterùm Hieronymus[a] perpetuò indicare videtur, Mariam Cleophæ fuisse Deiparæ Virginis verè germanam ex Ioachimo, & Anna genitam. Cum Hieronymo sentire videntur Isidorus[b], Anselmus[c], Beda[d], Theodoretus[e], & alij[f]. Fauere videtur Ioannes[g] Euangelista, qui apertè Mariam Cleophæ Virginis Deiparæ sororem nominat. *Stabãt* (inquit) *iuxta crucem Iesu Mater eius, & soror Matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalena.* Quamquam enim, vt Euthymius, & Theophylactus explicant, potuit Ioannes sororem more scripturarum pro cognata, & consanguinea vsurpare, quomodo loquitur Marcus[h], cùm quosdam dixisse ait, *Nónne sorores eius*, idest Christi, *hic nobiscum sunt?* Non potuit enim veras sorores appellare, sed omnino cognatas, & consanguineas significauit. Videtur tamen quoad eius fieri possit, vocis proprietas retinenda, cum præsertim nullum inde sequatur absurdum, eaque sententia non modò Hieronymi, sed aliorum plurimorum auctoritate firmetur. IX.

X. Cæterùm longè videtur probabilius Annam beatissimam vnam tantùm habuisse filiam Virginem Deiparam, Mariam autem Cleophæ Virginis sororem appellari à Ioanne, vt Euthymius, & Theophylactus explicant, more scripturarum, quia eius cognata, vel affinis erat. Atque hac ratione vt Ioseph putabatur Christi Pater, ita filij fratris Ioseph fratres, & consanguinei Christi censebantur. Itaque Beda[i]. *Iacobus* (inquit) *minor Cleophæ, seu Alphæi* (vtroque enim nomine idem appellabatur) *filius frater, hoc est consanguineus Christi censebatur, quia pater ipsius frater erat Iosephi, quem vulgò Christi Parentem existimabant.* Quam opinionẽ sequutus Apostolus Paulus[k], *Iacobum* vocat *fratrem Domini.* Quo loco Chrysostomus. *Non appellauit* (inquit) *Paulus Iacobum Cleophæ, sed fratrem Domini; atqui nec frater erat Domini, sed esse putabatur.* Eamdemque ob causam Iudas, Ioseph, & Simon Iacobi fratres, & Cleophæ filij Christi Domini fratres apud Marcum[l] appellãtur. Fortasse etiam id alia quapiam ratione explicari potest, quòd ipsorum mater, si non soror erat Virginis, aliquo certè consanguinitatis iure eã attingebat. Vt enim ait Augustinus[m], *cognati Mariæ fratres erant Domini de quolibet gradu cognati.* Et alibi[n]; *Non est* (ait) *mirum dici fratres Domini quoscumque cognatos ex materno genere, cum etiam ex cognatione Ioseph dici potuerint fratres eius ab eis, qui illum patrem Domini esse arbitrabantur.*

XI. Sed quoniam horum quatuor fratrum mater Maria Iacobi apud Matthæum[o], & Marcum[p] nominatur, apud Ioannem verò[q] Maria Cleophæ nuncupatur, visus est alicubi Hieronymus[r] existimare non vnam, sed duas fuisse fœminas; *Quatuor* (inquit) *fuisse Marias in Euãgelijs legimus, vnam matrẽ Domini Saluatoris, alterã materterã eius, quæ appellata est Maria Cleophæ, tertiã Mariam matrẽ Iacobi, & Ioseph, quartã Mariã*

Magda

a Mat. 12. lib. con. Eluid. ep. ad Hedib. q. 4. b lib. de ritu. & morte Sanc. & lib. 7. etymol. c. siue Ireneus ad Gal. 1. d Lucæ 1. e Ad Gal. 1. f D. Tom. 3. p. q. 28. ar. 3. Ioan. Essen. Dion. Carthus. Vgo Cardin. Mat. 12. glos. interlin. Act. 1. Martyrol. Rom. 9. die April. g cap. 19. 25. h cap. 6. 3. i Lucæ 6. k ad Gal. 1. l cap. 6. 3. m Tract. 10. in Ioan. n In quæst. Euang. 2. Mat. q. vlt. o cap. 27. p cap. 15. & 16. p cap. 19. 25. q ep. ad Hedib. q. 4.

Magdalenam. Et Mariam quidem Cleophæ fuisse Virginis Deiparæ sororem affirmat Hieronymus. De Maria verò matre Iacobi idem asserunt Beda, Theodoretus, Isidorus, Anselmus, & alij. Sed Hieronymus quidem in sua sententia non perstitit, aduersus enim Eluidium ita scribit; *Restat conclusio, vt Maria ista, quæ Iacobi minoris scribitur mater, fuerit vxor Alphæi, & soror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangelista cognominat, siue à patre, siue à gentilitate familiæ, aut quacumque alia causa ei nomen imponens.* Quis autem fuerit Cleophas, non satis liquet. Certè Eusebius[a] Cleopham ait auunculum fuisse Christi, necesse vt sit, eum fuisse Virginis fratrem; auunculus enim est matris frater; sed, vt arbitror, lapsus est Interpres, Græcam enim vocem, quæ patruum significat, hoc est, fratrem patris, Latinè transtulit auunculũ. Siquidem Hegesippus apud Eusebium[b], Nicephorus[c], Euthymius[d], Epiphanius[e] Cleopham Iosephi fratrem fuisse scribunt. Eodemque modo lapsus est Eusebij Interpres, dũ Simeonem Christi consobrinum appellat, quem fratrem patruelem dicere debuerat.

a lib. 4. hist. cap. 21.
b lib. 3. c. 10.
c l. 2. c. 33. & lib 3. cap. 9.
d Ioan. 19.
e Hæres. 78.

XII. Non me fugit, virũ sanctissimũ Bonauenturam[f] existimasse Mariã Salomæ nõ aliter ac Mariã Iacobi Deiparæ fuisse sororẽ; *Erant enim* (inquit) *iuxta crucem cum Domina duæ sorores Dominæ Maria Iacobi, & Salome.* Sed nemo antiquorũ hanc Mariam Salomæ agnouisse videtur, cùm in Euangelio Salome simpliciter legatur, Maria verò Salomæ nusquam. Neque verò audiendi sunt ij, qui Salome viri nomen esse putant, cuius filia fuit mater Ioannis, & Iacobi maioris, qui frequentius appellari solent filij Zebedæi: vnde fortasse opinio illa manauit, quæ asserit Iacobum, & Ioannem fuisse Christi propinquos, & more Scripturæ fratres. Id enim non obscurè significauit Chrysostomus, qui alicubi[g] ita scribit; *Vnde, inquies, fratres Christi dicuntur Iacobus, & Ioannes?* Sed Iacobum, & Ioannem fratres Domini fuisse nusquam lego; itaque suspicor apud Chrysostomum mendum esse, omninòque ita legendum esse; *Vnde igitur, inquies, frater eius dicitur Iacobus?* Id enim ad Galatas scripsit Paulus. Certè Epiphanius[h] apertè indicat nullo cognationis iure Ioannem fuisse Christo Domino connexum; *Si habuisset* (inquit) *Virgo virum, si habuisset domum, si habuisset filios, in sua secessisset, & non ad alienum, id est, Ioannẽ.* Quæ cum ita sint, vt aliquando concludam, hic noster Iudas Iacobi frater filius erat Mariæ Cleophæ, & Alphæi, & aliquo siue consanguinitatis, siue affinitatis iure Christum Dominum vel re ipsa, vel vulgi certè opinione attingebat. Quod ad viri dignitatem non mediocriter pertinet, cùm præsertim vnà cum Iacobo ad Apostolatum fuerit vocatus, duobus aliis fratribus Simone, & Ioseph prætermissis, ne quis fortè suspicetur cõsanguinitatis aut affinitatis habitam fuisse rationem, cum ne sanctitatem quidem spectasse videatur Christus, qui huius Iudæ fratrem Iosephum tantæ sanctitatis virum omiserit, vt quod ait Lucas[i], non aliter ac Iacobus Iusti cognomen adeptus sit. Atque hæc quidem de epistolæ huius auctore. Sequitur vt de argumento pauca dicamus.

f cap. 78. medit.
g Hom. 5. in Matth.
h Hæres. 78.
i Act. 1. 23.

XIII. Scripsisse videtur Apostolus Iudas post obitum Apostolorum Petri, & Pauli, cùm maximè Simoniana labes grassaretur, eáque turpitudine, ac fœditate plurimos in Asia præsertim minore, vbi florebat schola Simonis, inquinaret. Ita videtur Iudas hac sua epistola eodem spectasse, quò Paulus Apostolus in epistolis ad Ephesios, & ad Colossenses. Videturque, vt monet OEcumenius, scribendi occasionem inde sumpsisse, quòd nonnulli impudenter docerent, fidem liberam esse, & indifferentem. Itaque fideles hortatur, vt in percepta fide constantes perseuerent, & aduersus eius impugnatores strenuè, fortiterque decertent; tum scelestos quorumdam mores, & impuram, ac nefariam viuendi rationem perstringit, maximéque in effusam Gnosticorum libidinem inuehitur, à quorum consuetudine fideles abstinere iubet, præcipuéque, vt obseruat OEcumenius, Simonem, Nicolaum, & Gnosticos, quos ille Borboritas nominat, hoc est, cœnosos, & lutulentos, castigat. Et in eum finem exempla, & comminationes in medium profert. Denique epistolam Dei laude, & prædicatione concludit.

XIV. De huius sanè epistolæ auctoritate, vt alibi docui, dubitatum est aliquando: iam verò res est planè certa, atque extra omnem penitus controuersiam, nisi quòd scioli nescio qui, hoc est, superioris sæculi hæretici, eam è Scripturarum albo reiiciunt. At iam olim sacræ auctoritatis eam esse docuit Hieronymus[a]; *Iudas* (inquit) *frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem Catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reiicitur, tamen auctoritatem vetustate iam, & vsu meruit, & inter sanctas Scripturas computari, & sacrosanctam auctoritatem habere.* Idque in Concilio Tridentino[b] definitum est; eam olim sacram agnouerunt inter Græcos Dionysius[c] Areopagita, Gregorius[d] Nazianzenus, Epiphanius[e], Didymus[f], qui & illam explanauit, & alij deinceps. Inter Latinos Tertullianus[g], & Hieronymus[h].

a lib. de scri. Eccl. in Iud.
b sess. 4. in decret. de can. scrip.
c c. 4. de diuin. nõ. circa medium.
d in carm. heroic. de script. sanct.
e Hæres. cõ. Gnost.
f in commẽ.
g lib. de habitu Virg.
h loco citat.

XV. Sed obiiciunt proferri testimonium ex libro apocrypho Enoch, quod videtur sacri scriptoris auctoritati repugnare; quasi verò non liceat ex aliquo apocrypho libro verum testimonium proferre, vt ex Menãdro, & Epimenide carmina protulit Paulus Apostolus. Et à Ieremia[i] adducitur testimonium ex libro constitutionum Ionadab filij Rechab. Et in Actis[k] Apostolicis habetur testimoniũ Arati Poëtæ. Accedit quòd testimonia apocrypha duo à Iuda proferuntur, quorum alterum ad articulum fidei pertinet, quo Christum secundò ad iudicium venturum credimus, & apertè legitur in vaticinio Malachiæ. Alterum verò de certamine Michaëlis cum Diabolo, idque est sacris literis admodum consentaneum, vt in eius loci explanatione copiosiùs docebo. Fateor quidem librũ Enoch inter apocryphos à Gelasio reiici, sed potuit ille liber ab hæreticis, aut impostoribus vitiari, vt eleganter docet Beda.

i cap. 35. 14.
k cap. 17. 28.

XVI. *Sciendum* (inquit) *quia liber Enoch, de quo illam assumpsit sententiam, quam produxit, inter apocryphas Scripturas ab Ecclesia deputatur, non quia dicta tanti patriarchæ abiici vllatenus possint, aut falsa debeant æstimari: sed quia liber ille, qui sub eius nomine profertur, non verè ab illo scriptus, sed sub titulo nominis eius ab alio quodam editus videtur: si enim verè eius esset, non esset fidei sanæ contrarius; nunc autem quia multa incredibilia continet, in quibus illud est de Gigantibus, quòd non habuerint homines patres, sed Angelos, meritò doctis claret, non esse viri veracis scripta, quæ mendacio sordent. Vnde & hæc eadem Iudæ epistola, quia de apocrypho libro testimonium habet, primis temporibus à plerisque reiiciebatur, tamen auctoritatem iam & vetustate, & vsu meruit, vt inter sanctas Scripturas computetur, maximè quia tale testimonium de apocrypho Iudas assumpsit, quod non apocryphum, ac dubium, sed vera lucis lucida esset veritate conspicuum.* Rectè verò in eamdem sententiam scribit Hieronymus[l], eum, qui partẽ aliquam libri cuiuspiam laudat, non continuò totum librum probare; nam alioqui cogeretur Paulus admittere omnia, quæ Callimachus, Epimenides, & Aratus mendacissimè, & non sine impietate scripserunt. Et concludit; *qui autem putant totum librum debere sequi eum, qui libri parte vsus sit, videntur*

l in epist. ad Tit. in illa verba; Cretenses semper mẽdaces.

mihi

mihi & apochryphũ Enochi, de quo Apostolus Iudas in epistola sua testimoniũ posuit, inter Ecclesiæ Scripturas recipere.

XVII. Addunt præterea, huius epistolæ auctorem non se Apostolum nominare; sed persimile argumentum refutatum est à nobis in epistola ad Hebræos, vt minimè necesse sit ea in præsentia iterare. Maneat igitur, hanc epistolam & sacram, & canonicam esse, & Apostolica maiestate non indignam, de qua honorificè scribit Athanasius a, eiusque argumentum accuratè describit. a in Synop.

PARAPHRASIS.

IVDAS, qui tamquam seruus, & mãcipium Iesu Christo vero Domino seruitutẽ seruit, quique frater est Iacobi, & Apostoli, & Episcopi Hierosolymitani, iis quos Deus Pater Christi Iesu respectu singulari quadam beneuolentia complexus est, tamquam Christi merito ab impietate ereptos, & diuinitus vocatos, integros, ac puros ab impietate seruauit. ¶ Vobis inquam omnibus hac oratione descriptis misericordiæ, & pacis, & caritatis incrementum, fausta denique omnia, ac fælicia ab immortali Deo precatur. ¶ Carissimi, cùm incredibilis quædam animi solicitudo me ad scribendum impelleret, vt salutis monita, salubriáque consilia vobis præberem; quæ istic apud vos acciderunt, ipsa per se fœda, & periculosa huius mihi epistolæ scribendæ necessitatem imposuerunt, vt hortarer vos ad fidem perceptam, & baptismo lustratis traditam strenuè retinendam, & quasi nouo suscepto certamine aduersùs improbos defendendã. ¶ Clanculùm enim, ac fraudulenter irrepserunt nonnulli, quos diuina olim oracula Prophetarum suis penè coloribus descriptos, huius impietatis auctores futuros prænunciarunt. Sunt autem ipsi scelesti atque impij, qui Dei nostri legem Euangelicam, & singulare incarnationis Dominicæ beneficium ad nefarias libidines explendas traducunt, solúmque omnipotentem Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christũ pertinacissimè negant. ¶ Monendi autem mihi estis, eũ semel iam omnia propemodum cognoueritis, Iesum populum quidem ex Ægypto eductum saluum, atque incolumem seruasse, post multas verò clades ad extremum eos, qui Iosue & Caleb fidem abnegauerant, in solitudine peremisse.

¶ Addo etiam Angelos, qui impiè à Deo defecerunt, & nimio fastu elati suam dignitatem polluerunt, & de cælesti domicilio deturbati sunt, inferorum sempiternis cruciatibus addictos, & cæca caligine obrutos, ad extremum iudicij diem, vt palàm cum omnibus impiis damnationis sententiam subeant, fuisse reseruatos. ¶ Neque aliter de Sodoma, & Gomorrha, & finitimis vrbibus sentiendum est, quæ nefario libidinis ardore incensæ, alienis ac præpostetis voluptatibus sese constringendas præbuerant, cælesti igne inflammatæ suo exemplo declatarunt, se apud inferos sempiterno igne torreri, suique similes eadem supplicia subituros. ¶ Illis profectò quamsimillimi sunt Gnostici, & Simonis sectatores, qui fœ-

1 *IVdas Iesu Christi seruus, frater autẽ Iacobi, his, qui sunt in Deo Patre, dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis.*

2 *Misericordia vobis, & pax, & caritas adimpleatur.*

3 *Carissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.*

4 *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.*

5 *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

6 *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suũ domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

7 *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.*

8 *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem*

iestatem autem blasphemant.

9 *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo disputās altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus.*

10 *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

11 *Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.*

12 *Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.*

13 *Fluctus feri maris despumātes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.*

14 *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis.*

15 *Facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ loquuti sunt contra Deum peccatores impij.*

16 *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa.*

17 *Vos autem carissimi, memores estote verborum quæ prædicta sūt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi.*

18 *Qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.*

19 *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

20 *Vos autem carissimi, superædificantes vosmet ipsos sanctissimæ vestræ fidei in Spiritu sancto orantes.*

dis libidinibus sese commaculant, dominatum autem spernunt, & quamvereri maximè debent, vel Dei, vel sanctorum hominum, vel denique sacrarum literarum maiestatem, probris, & contumeliis proscindunt. ¶ Quod quàm graue, & Deo exosum sit, vel inde facilè colligi potest, quòd cùm olim Michaël Archangelus cum Diabolo differens de Mosis corpore, ciúsque funere, & sepulchro altercaretur, non est ausus cū maledictis incessere, sed hac voce contentus tantùm dixit: Increpet te Dominus. ¶ Hi verò ea quidem quæ ignorant, contumeliis, & maledictis insectantur: quæcumque autem natura duce, ac magistra, nō aliter ac bestiæ, non mente solùm, sed sensu percipiunt, hoc est, impuras, atque incestas libidines, iis miserè polluūtur, & nefandum in modum corrumpuntur. ¶ Væ illis, quia Cain impietatem imitātur, & persimili errore, quo olim Balaam præmiorum spe allectus impia, ac nefaria tentauit; nimia voluptatum cupidine excæcati in omnem sese libidinem effundunt, & excitata in Ecclesia seditione, & schismate, vt olim Core cum sociis viui, videntésque ad interitum ruunt. ¶ Nempe hi suis in conuiuiis sunt veluti sordes, aut, si mauis, latentes scopuli, ad quos incauti allisi naufragium faciunt; quippe absque vllo timore, aut pudore conuiuia sectantes, vt ventri, geniόque indulgeant, qui quasi nubeculæ aquæ expertes huc illuc leuissima aura circumferuntur, similes arboribus, quæ frondibus, fructibúsque nudatæ, nullum agricolæ compendium afferunt, sed potiùs bis quodammodo mortuæ, & radicitùs euulsæ videntur. ¶ Quin etiam efferis maris fluctibus similes sunt, sua ipsorum dedecora despumantes, quos etiam possis stellas erraticas appellare, quos densa quædam tenebrarum caligo in sempiternum manet. ¶ Vaticinatus est autem olim de horum hominum improbitate septimus ab Adam Enoch his planè verbis: Ecce venit Dominus sanctorum miriadibus cinctus. ¶ Vt faciat iudicium aduersùs omnes, & cunctos impios arguat, & actionum eorum improbitatem, quibus nefariè egerunt, & omnia dura quæ aduersus Deum loquuti sunt peccatores impij, vlciscatur. ¶ Nimirum hi sunt susurrones, querul, cupiditatibus obsequentes, fastu, & arrogantia tumidi, alta & sublimia effutiunt, quæstus, & vtilitatis gratiâ suspicientes, admirantésque personas. ¶ Vos autem carissimi, reuocate in mentem Christi Iesu Domini nostri Apostolorum verba, quibus denuntiarunt, quæ nunc propè oculis cernitis. ¶ Monebant enim vos in hac extrema mundi ætate plurimos impostores, atque illusores excitandos, qui impuris cupiditatibus corrupti suas omnes actiones ad impietatem referrent. ¶ Hi sunt, qui sese à cœtu, & societate fidelium segregant, corpori indulgentes, spiritu prorsus vacui. ¶ Vos autem carissimi, iacto sanctissimæ fidei vestræ fundamento reliquarum virtutum veluti structuram superimponite, & diuina

na Spiritus sancti ope subnixi assiduas preces effundite. ¶ Caritatem porrò Dei animo conceptam sedulò seruate, Domini nostri Iesu Christi misericordiam fidenter expectantes, quæ vos aliquando ad immortalem, beatámque vitam perducat. ¶ Ita verò rationes vitæ vestræ componite, vt hæreticos quidem iam propè tum suo, tum diuino iudicio damnatos redarguere facilè possitis. ¶ Eos verò qui adhuc integri sunt, & sani, incolumes seruate, & quasi ab incendio eripite; alios denique iam nutantes, & ad interitum propensos, non sine casto timore commiseratione complectimini, capitali interim odio prosequentes inanem illam sanctitatis speciem, qua veluti polluta tunica impuras voluptates obuelant. ¶ Ei porrò, qui admirabili cælestis gratiæ vi vos potest ab omni labe puros, atque integros conseruare, & ingenti cum gaudio, atque exultatione immaculatos statuere, cùm Christus Dominus noster aduenerit, ante conspectum gloriæ suæ. ¶ Soli Deo salutis nostræ auctori per Iesum Christum Dominum nostrum omnium voce & prædicatione gloria, magnificentia, imperium, & potestas, quæ illi ante omnia sæcula debentur, & in hac mortali vita, & in omnia sæculorum sæcula reddantur.

21 *Vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.*

22 *Et hos quidem arguite iudicatos.*

23 *Illos verò saluate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore, odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

24 *Ei autem, qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini nostri Iesu Christi.*

25 *Soli Deo Saluatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum gloria, & magnificentia, imperium, & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.*

EPISTOLÆ B. IVDÆ APOSTOLI

EXPLANATIO.

1 *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, his, qui sunt in Deo Patre, dilectis, & Christo conseruatis, & vocatis.*

I. Æc est epistolæ epigrapha, continétque scriptoris nomen, & elegantem descriptionem eorum, ad quos epistola scripta est. Prætermissis autem speciosis honorum titulis se Iudam Christi seruum appellat; nam, vt ait OEcumenius, satis fuit Apostolo ad gloriæ splendorem, & nominis famam conciliandam se Christi seruum appellare; hoc enim breuissimo elogio, non modo suam fidem, ac religionem palàm profitetur, sed eximiam quamdam modestiam, & Apostolico pectore dignam pietatem præ se fert, quod obseruatum video à Clemente Alexandrino; *Iudas* (inquit) *qui Catholicam scripsit epistolam frater filiorum Ioseph extans valdè religiosus, cum sciret propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem eius esse, sed quid dixit? Iudas seruus Iesu Christi.* Dixit autem Græcè δοῦλος, vt sese quammaximè deiiciat, & inter abiectissimos seruos collocet, cùm probè intelligeret, nihil esse posse vel ad gloriam illustrius, vel ad amplitudinem magnificentius, quá
2. Reg. 6. 34. Christo Domino se uitutem seruire: sic olim Dauid, cum sibi a Michol a vxore probro daretur, quòd ante arcam seminudus exiluisset, prudenter respondit; *Vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus loquuta es, gloriosior apparebo.*

A

II. Noluit autem se Apostolum nominare, siue quia, quod erat singularis modestiæ, Christianæque humilitatis, noluit se Petro, & Paulo Apostolis, qui ante ipsum epistolas scripserant, æquare; siue quia satis id ex eo, quod mox subiicit, cùm se Iacobi fratrem appellat, intelligi facilè potest. Addo quod ipsa Christi seruitus præclara quædam est Apostolici muneris descriptio; nam Christus diuini verbi præcones fideles seruos nuncupat [a]. Et Paulus [b], *Cui seruio* (inquit) *in spiritu meo in Euangelio Filij eius.* In parabola [c] autem vineæ, ait Dominus; *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus.* Nec dubium est seruorum nomine Prophetas, Apostolos, reliquosque diuini verbi ministros indicari. Fateor quidem alienam esse à lege Euangelica seruitutem illam, quam Paulus ad Galatas [d] describit, quæ Agar ancillæ respondet, quam diuino imperio è domo Abrahami eiectam fuisse constat; sed est tamen iusta quædam seruitus, quæ Christo Domino redemptionis iure meritò debetur, de qua ni fallor loquitur Paulus, cùm ad Timotheum [e] scribit; *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* Ad eamdem respexisse arbitror Dauidem [f], cùm dixit; *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius*

B

a Mat. 25. 23.
b ad Rom. 1. 9.
c Mat. 21. 34.
d cap. 4. 19.
e 2. Tim. 2. 24.
f Ps. 115. 6.

& filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea. Quasi dicat, erutus sum à seruitute Dæmonis, & peccati, & tuæ honorificæ seruituti mancipatus. *Et filius ancillæ tuæ,* hoc est, interprete Augustino, Ecclesiæ, quæ est mater nostra, & ancilla non modò naturæ iure, sed etiã redemptionis beneficio, munere autem gratiæ libera.

III. *Frater autẽ Iacobi.* An ita loquitur Apostolus, vt se à Iuda Iscariote distinguat? Probabile. An vt inde celebritatẽ & splendorẽ aliquẽ nãciscatur? Ita OEcumenius; *Iacobi enim celebris ob virtutem apud omnes fama effectura erat, vt huius Apostoli doctrina apud auditores maiorem haberet auctoritatẽ, libentiusque admitteretur, præsertim si is, qui genere, & sanguine cognatus esset, non alienus a cognati moribus, & vita esse, sed sub vno Domino Christo degẽs idem seruitutis iugum cum fratre trahere proposuisse conspiceretur.* Quasi dicat, ego non alium Dominum agnosco præter Iesum Christum Dominũ nostrũ: Simonis Angelos, cæteraque Gnosticorum deliramenta prorsus despicio, quæ dicturus sum, Christi Euangelio sunt consentanea, neque à Iacobi doctrina mea prædicatio discrepat. De Iacobi autẽ sanctitate, planéque admirabili vitæ ratione nihil est in præsentia dicendũ, cum suo loco plura aliàs indicauerim. More igitur Apostolico Iudas à sua persona non beneuolentiam solùm captat, sed auctoritatem suæ doctrinæ conciliat. Tametsi enim veritas à quocumque dicatur, per se ipsa placet, quæ tamen vel noua, vel inaudita sunt, quæque per se non facilè persuaderi possunt, plurimùm à docentis auctoritate pendent.

IV. Itaque olim, vt Socrates[a], Theodoretus[b], Nicephorusque[c] testantur, barbaræ gẽtes, ac nationes fama sanctitatis Christianorum permotæ Christianos concionatores expetierunt; tanta est enim sanctitatis vis, vt, quod egregiè obseruauit Augustinus[d], cã Diabolus ipse æmuletur, vt sæpe per speciem sanctitatis decipiat, quippe qui, vt ait Paulus, transfiguret se in Angelum lucis; sic olim multos è Manichæis fuisse deceptos, auctor est Augustinus[e], eamdem fuisse Arij consuetudinem docet Cassiodorus; & alia non pauca in eamdem sententiam alibi attulimus. Ne igitur ij, ad quos Iudas scribit, fraudem aliquam subesse suspicentur, se Christi seruum, & Iacobi commilitonem, eiusdemque doctrinæ promulgatorem, non solùm natura, & cognatione fratrem profitetur. Possis etiam fratris nomen ad Collegij societatem referre, ad eos enim potissimum dixit Christus[f]; *Omnes autẽ vos fratres estis.* Ita tacitè se ex Apostolorum numero vnum esse indicat, vt quamuis postremus scribat, nihilo tamen minoris auctoritatis censendus sit.

a lib. 4. c. 17.
b lib. 4. c. vlt.
c lib. 1. c. 27.
d Aduer. lit. Petil. c. 18.
e lib. 1. de mor. Eccles. cap. 1.
f Mat. 23. 8.

V. *His, qui sunt in Deo Patre, dilectis, & Christo Iesu cõseruatis, & vocatis.* Eos describit, ad quos hãc epistolã mittit, & primùm quidẽ Deũ Patrẽ nominat, vt Simonis mystagogias excludat, quasi dicat, se ad eos scribere, qui verum Deum agnoscunt, nec Gnosticorũ deliramenta sequuntur. Tria autẽ de illis affirmat, primùm quidem esse in Deo Patre dilectos, deinde in Christo Iesu conseruatos, postremò vocatos. Videtur autẽ, vt obseruauit OEcumenius, respexisse ad id, quod Christus Dominus apud Ioannẽ[g] dixit; *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Pro eo autem quod Interpres dixit, *in Deo Patre dilectis,* Græcè est, ἡγιασμένοις, hoc est, sanctificatis, vt videatur Interpres legisse ἠγαπημένοις, quod propriè amorẽ, ac dilectionem significat. Alterum autẽ ab altero nascitur, prius enim Deus Pater electos suos diligit, mox vera sanctitate imbuit. Itaque cũ, vt ait OEcumenius, nõnulla exẽplaria habeãt ἠγαπημένοις, alia verò ἡγιασμένοις, vtrumque verissimè dici potest; quos n. diligit Pater æterna illa sua caritate, hos ad gratiam, & sanctitatem prædestinat. Rectè enim scripsit D. Thomas[h], diuinam prædestinationẽ subsequi post electionẽ, hanc verò dilectione cõcipi posteriorẽ, diligit enim Deus

g cap. 6. 44.
h 1. p. q. 23. art. 4.

amorẽ, & caritate efficaci, ac propterea illam continuò subsequitur electio, & hanc prædestinatio. Scribit igitur Iudas ad eos, quos putat à Deo fuisse dilectos, & ad fidem veramque sanctitatẽ destinatos.

VI. Quia verò volebat Deum omnẽ gratiã, & sanctitatẽ à Christo tamquam à fonte manare, subdit; *& Christo Iesu conseruatis.* Verè namque Deus Pater electos suos tradidit Christo custodiendos; sic enim Christus ipse ait apud Ioannem[a]; *Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Et post nonnulla[b]; *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sic prædestinati Christi meritis custodiuntur, & conseruantur, ne pereant, quomodo scriptum est in libris Regum[c]; *Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum.* Nec verendum est, ne qui à Christo Domino custodiuntur, aliquando pereant; ait enim Christus[d]: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea.* Contrà verò sapienter dixit Dauid[e]; *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.*

a cap. 17. 12.
b cap. 18. 9.
c lib. 1. cap. 25. 29.
d Io. 10. 28.
e Psal. 126. 1.

VII. Pro *conseruatis* autem Græcè est τετηρημένοις, quasi dicat, seruatis, aut defensis. Denique addit, *vocatis,* Græcè κλητοῖς, quæ vox, vt aliàs dixi, nomen est, non participium, vt intelligat Christianos, hoc est, ad fidem, & religionem Christi beneficio, ac munere vocatos. Non ergo ait, eos esse conseruatos, & vocatos à Christo, cùm proculdubio prior sit vocatio, quàm conseruatio; sed sensus est, hanc epistolam ad eos mitti, qui sunt ad fidem vocati, quos Pater singulari quadam caritate complexus est, Christúsque Dominus peculiari quodam patrocinio tuetur, ac seruat; ita initio statim epistolæ bene ominatur Apostolus, perinde quasi existimet, fideles omnes esse prædestinatos. Ita enim monet Augustinus loquendum esse, cùm de prima, aut secunda persona loquimur.

2. *Misericordia vobis, & pax, & caritas multiplicetur.*

I. Salutatio est planè Apostolica, vt enim Paulus gratiam, & pacem precatur, ita hic misericordiam, & pacem suis optat; misericordia enim est veluti fons, ex quo gratia promanat, siquidem misericordia subleuationem miseriæ spectat, quod tum maximè facit Deus, cùm gratiam suam largitur. Ita Dauid cùm se diuina gratia destitutum propter patratum facinus animaduerteret, diuinam misericordiam implorabat, vt gratiam, & peccati condonationem assequeretur; *Miserere,* inquit[f], *mei Deus secũdùm magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Optat autem Iudas hanc misericordiam, sicut & pacem, & caritatem multiplicari, seu impleri, ac perfici. Principium enim, & pars quædam misericordiæ fuit, quòd essent ad fidem vocati, & Christianis sacris initiati; ea augeri, ac perfici potest, si largiatur Deus perseuerantiam; & hanc misericordiam optabat Dauid, cùm dixit[g], *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Nec temerè Iudas misericordiam potiùs, quàm gratiã nominauit, vt percepti beneficij magnitudinem declaret; nam eos sua diuina misericordia Deus non solùm à misero infidelitatis statu eruerat, sed etiam ab impuris Simonis mystagogijs integros, castósque seruauerat. Optat itaque Iudas hanc misericordiam perfici, atque absolui, vt eos videlicet ad extremum vsque vitæ spiritum comitetur, & ab ingruẽtibus malis, atque periculis liberos, atque incolumes tueatur, ac seruet. Quod alijs verbis ad Philippenses explicat Paulus[h]; *Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Et post multa[i]; *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et eodem spectans Ieremias[k];

f Psal. 50.
g Psal. 22. 6.
h cap. 1. 6.
i cap. 2. 13.
k Thrẽ. 3. 22.

Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non A
defecerunt miserationes eius.

II. *Et pax.* Rectè enim misericordia præcurrit, vt pax, & tranquillitas conscientiæ subsequatur. Nam vt ad
cap. 5. 22. Galatas [a] scribit Apostolus, pax inter fructus Spiritus sancti recensetur; hanc autem pacem penè semper optat Paulus. Rectè porrò, vt obseruauit OEcumenius, enim misericordia pacem, & caritatem coniungit, misericordiam quidem, quia, vt apud Lucam [b]
b cap. 1. 78. ait Zacharias; *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto.* Pacem, quia hanc quoque Christus Dominus ad nos cælitùs attulit, qui nascens Angelicum præconio pacem hominibus bonæ volũtatis promulgari voluit, & ipse suis eam discipulis largitus est, cùm dixit [c]; *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do* B
c Io. 14. 27. *vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Caritatem denique, quia nos Christus Dominus perfecta, planéque admirabili caritate complexus est, de qua dixit [d]; *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam*
d Io. 15. 13.
e cap. 13. 1. *suam ponat quis pro amicis suis.* Et de Ipso Ioãnes [e] affirmat; *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Et persimilem caritatem à nobis exigit, ait [f] enim; *Hæc man-*
f Io. 13. 34.
g Io. 15. 12. *do vobis, vt diligatis inuicem.* Itemque [g]; *Hoc est præceptum*
h Io. 13. 35. *meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Rursus [h]; *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem*
i ibid. 34. *habueritis ad inuicem.* Denique hoc appellat [i] mandatum nouum, quia, vt alibi docui, hominem innouandi vim habet. Itaque ex misericordia pax, & tranquillitas conscientiæ oritur, quæ si vera, & perfecta C
k cap. 48. 22 sit, annexam habet caritatem, sine qua pax nulla esse
l Psal. 118. potest. Idcircò enim dixit Isaias [k]; *Non est pax impijs.*
16. Contra verò Dauid [l]; *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Hæc est illa pax, de qua
m Phili. 4. 7. Paulus [m]. *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat*
n Io. 16. 33. *corda vestra.* Et Christus [n]; *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Meritò autem Apostoli pacem imprecari solent, nam Christus cùm Apostolos ad prædicandum misit, hanc eis salutandi formam præscri-
o Luc. 10. 5. psit [o], vt ante omnia dicerent; *Pax huic domui. & siquidem* (inquit) *ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super eum, sin autem ad vos reuertetur.*

III. *Et caritas adimpleatur.* An caritas, qua nos Deus diligit? Sanè hoc magnopere videtur optandum, vt diuina in nos beneuolentia, & caritas maiora in dies D capiat incrementa, & plura, ac diuiniora nobis in dies munera largiatur. Et meritò post misericordiã, & pacem diuinæ caritatis accessionem flagitat; ex misericordia enim, vt dictum est, pax oritur, quod si hæc sit perfecta, nos Dei filios efficit. Ita enim dixit
p Matt. 5. 9. Christus [p], *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Patris autem proprium est, filios paterna caritate cõplecti. An augeri caritatem postulat, qua nos Deum diligimus? Id quidem vehementer expetendum esse non ambigam, sed priorem explanationem præfero, quòd videam Paulũ Apostolum [q] certo ordine fru-
q ad Gal. 5. 22. ctus Spiritus recensere, & primo quidem loco collocare caritatem, mox gaudium, tertio pacem. Hic autem Iudas pacem caritati præponit, vt videatur eam E
r Sap. 11. 15. insinuare caritatẽ, qua Deus, vt ait Sapiens [r], *diligentes se diligit,* non quòd ille nõ prius diligat nos, quàm diligatur à nobis, sed quòd cùm nos diligit, etiã diligẽtes faciat, vt deinde diligẽtes se maiori beneuolẽtia prosequatur. Ita dixit Christus [s]; *si quis diligit me,*
s Ioan. 14. 21. 23. *diligetur à Patre meo.* Itemque; *si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* hoc enim est, caritatem perfici, & vt hic loquitur Iudas, adim-
t Ly. an. pleri. Nec displicet quod in præsentia quidam [t] aiunt, optari ab Apostolo perfici, & absolui caritatem ea perfectione, quæ est propria beatorum. Ita potest tam ad caritatem Dei erga nos, quàm ad no-
A stram erga Deum referri; quasi dicat Iudas, opto vt diuina vos caritas tam diu suo patrocinio tueatur, quoad immortali sempiternaq; gloria perfundat, vel cupio caritatẽ vestrã in dies augeri, ac perfici, vt vos ad beatorum cœtum aliquando perducat. Quod ait Interpres, *adimpleatur*, Græcè scripsit Apostolus πληθυνθείη, quam vocem in posteriori epistola Petri eodem modo Latinè reddidit, *adimpleatur*, in priori verò eiusdem Apostoli epistola transtulit *multiplicetur*, quo modo hoc loco si quis eam interpretetur, non longè à vero Apostoli sensu aberit, videtur enim optare, vt diuina misericordia maiora in dies beneficia tribuat, pacem augeat, & plura caritatis documenta edat. Ita videas in hac alijsque similibus salu-
B tationibus subaudiendum optandi, aut precandi verbum, vt sensus sit. Opto misericordiam Dei sese vobis in dies magis prodere, pacemque vestram augere, diuinamque in vos caritatem omnibus suis partibus ac numeris absoluere,

3 *Carissimi, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.*

Hactenus salutatio; hoc iam est epistolæ exor- I.
dium. Appellat autem eos, ad quos scribit, carissimos, quod & alij Apostoli faciunt, valet enim ad beneuolentiam conciliandam, vt quæ dicenda sunt, blandius, atque hilarius accipiantur. Mo-
C re autem suo Interpres, quod Græcè scriptum est ἀγαπητοί, Latinè dixit, *carissimi*, quod valet ad amoris magnitudinem augendam. Indicat autem, quam ob causam hanc scribẽdi prouinciam susceperit: cùm enim, inquit, sponte mea ad scribendum valdè essem propẽsus, meque ad id incredibili quodam animi ardore Christiana caritas impelleret, animaduerti me in ea tempora incidisse, quæ propter impias, ac nefarias hæreses, istis præsertim in regionibus grassantes, hoc quidquid est, siue studij, siue solicitudinis meæ propemodum necessariò flagitarent. Ita factum est, vt cupiditati, & desiderio meo obsequendũ fuerit, vt de communi salute ad vos scriberem, quæ gliscentibus malis opportuna videantur. Atque ita si-
D gnificat, se neque temerè hunc scribendi laborẽ suscepisse, neque in alienum patrimonium inuolare; ad se enim tanquam Apostolum fidei defensionem, ac fidelium patrocinium pertinere; imputas verò hæreses sinceritati fidei plurimùm aduersari, & fidelium animis, nisi maturè occurratur, extremam perniciem minari. *Omnem* (igitur inquit) *solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute:* hoc est, cùm magnopere solicitus essem, vehementerque cuperẽ ad vos scribere, quæ communi saluti vestræ commoda, atque opportuna censerem; ita videas proprium Apostolorũ muneris, Nam de se ipso testatur Paulus [a], a 2. Cor. 11. 28.
se omnium Ecclesiarum solicitudinem gerere. *Instantia* (inquit) *mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Necesse est enim Pastorem solicitum esse pro sa-
E lute ouium. Quomodo autem Apostolos imitentur, viderint ij, qui, cum se Apostolorum successores iactent, opibus congerendis insudant, honores Ecclesiasticos, ne dicam etiam prophanos, auidissimè concupiscunt, principum aulas frequentant, suis denique cupiditatibus obsequuntur, ouium salutem, & Ecclesiæ procurationem aut penitùs negligunt, aut mercenariis permittunt. Hic Iudas studiũ, ac solicitudinem profitetur suam, Græcè σπουδὴν, & cum absens esset, nec voce posset indicare lupos, & corã hæreticos confutare, per epistolam id sibi faciendum statuit, quod non modo Apostoli, sed alij plures sanctissimi Episcopi, vt alibi monui, laudabiliter, vtiliterque fecerunt. Communem porrò salutem nomi-

nominat, significans se non aliena, aut superuacanea scripturum, sed quæ ad saluté animorum pertinerent: salutem autem communem intelligit, quam Christus moriens omnibus peperit, & cunctis mortalibus proponi voluit, quæ in fidei integritate, & diuinorum præceptorum cultu posita est, cùm æque hæretici vtrumque oppugnent. Rectè olim hæretici similes dicuntur Palæstinis, qui inuidiæ[a] stimulis agitati aduersus Isaacum omnes puteos, quos foderat serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerũt implentes humo. Origenes[b] enim in ea historia illustrem quamdam allegoriam agnoscit, & suis veluti coloribus hæreticos exprimit. *Qui sunt isti* (inquit) *qui terra puteos replent? Illi sine dubio, qui in lege terrenam, & carnalem intelligentiam ponunt.* Et paulo pòst. *Isti sunt ergo, qui puteos, quos foderant pueri Abraham terra replerunt, qui legem carnaliter docent, & aquam sancti Spiritus maculant, qui puteos ad hoc habent, non vt aquam proferãt, sed vt terram portent.* Nonnullis autem interiectis. *Pueri sunt Isaac Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, pueri eius sunt Petrus, Iacobus, Iudas, puer eius est & Apostolus Paulus, qui omnes noui testamenti puteos fodiunt: sed & pro his altercantur illi, qui terrena sapiunt, nec noua condi patiũtur, nec vetera purgari, Euangelicis puteis contradicũt, Apostolicis aduersantur.* Eamdem allegoriam sequuti sunt viri[c] docti; *Postquàm* (inquiunt) *magnificentia nominis Christi Romanum etiam cepit Imperium, & idola contempta sunt, inuidia suborta est hæreticorum, per quos Diabolus, quia non poterat vi persecutionis extirpare Euangelium, veritatem corrumpere conatus est scripturarum. Bene igitur postquàm magnus factus est Isaac, Philisthiim inuidentes puteos Patris illius obstruxerunt implentes humo. Nam putei, quos foderunt serui Patris Christi, Dei omnes Scripturæ sanctæ sunt, quas condiderunt Moyses, & Prophetæ, & Apostoli serui Dei; hos puteos Scripturarum hæretici tam nonnumquã obturarunt, vt non facilè inueniri possent ab omnibus, vbinam esset doctrina veritatis.* Et multa deinceps in eam sententiam disserunt, vt appareat iure fuisse Iudam sollicitum, vt puteos repurget, & nouos fodiat; proinde subdit.

II. *Necesse habui scribere vobis*; quod vltrò sponte mea facere cogitabam, nunc ad id peragendum vestro periculo commotus agere necessariò compellor. Hanc sanè fidei propagandæ, ac defendendæ necessitatem Euangelica veritate promulganda agnouit & Apostolus Paulus, cùm ad Corinthios[d] scripsit, *Nam si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi si non euangelizauero.* Certè hærebat in Apostolorum pectoribus ignita quodãmodo vis diuini præcepti, quod à Christo Domino in cælum abeunte acceperant, cùm dixit[e]; *Euntes in mundum vniuersum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare quæcumque mandaui vobis.* Quod aliis verba expressit Marcus[f]; *Prædicate* (inquit) *Euangelium omni creaturæ.* Inde orta est in Apostolis, virisque Apostolicis solicitudo, de qua hoc loco loquitur Iudas, quæ comparari potest, vt viri[g] docti obseruarunt, fami, de qua loquitur Dauid.[h] *Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Apostoli enim ac cæteri diuini verbi præcones egregij quidam agri Dominici fuerunt canes, de quibus alibi Dauid[i]; *lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Cúmque apud Iudæos exiguam escarum copiam reperirẽt, missi sunt ad Gentes, & esurienti Apostolorum[k] Principi cæleste linteum ostensum est, quasi vas quoddam omni animátium genere refertum, dictumque illi est, vt occideret, & manducaret. Inde igitur incredibili animi quodam ardore veluti canes fame perurgente ad Gentilium conuersionem ferebantur, deque eorum salute soliciti nullum periculum reformidabãt, nullumque subterfugiebant laborem, nullã denique dimicationẽ recusabant. Vt enim scribit Paulus[a] Apostolus, caritas Christi eos vehementer vrgebat. Hac itaque necessitate compulsus Iudas scribere constituit, quæ ad fidelium salutem in magno præsertim periculo plurimùm valere existimabat.

a Gen. 26.
b Hom. 13. in Gen.
c Rup. l. 7. in Gen. c. 8.
d 1. Cor. 9. 16.
e Matt. vlt.
f cap. vlt.
g Rup. l. 7. in Gen. c. 8.
h Psal. 58. 7.
i Psal. 67. 24.
k Act. 10. 11.

III. *Deprecans*, ait, Græcè παρακαλῶν, hoc est, *obsecrans*, aut etiã *hortans*; hoc enim pertinet ad munus Apostolicũ, vt ad Timotheũ scribit Paulus[b]; *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Idque ipse suo exẽplo docuit; ad Ephesios[c] enim scribens; *Obsecro* (inquit) *vos ego vinctus in Domino*, παρακαλῶ. Neque aliter Petrus[d]. *Obsecro vos, tamquam aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Quo loco Græcè est idem verbum παρακαλῶ. Certè enim fides, atque Euãgelica doctrina non vi, & armis, sed argumentis, & adhortationibus persuadẽda est, & hæretici verbo, & scriptis, si fieri possit, ab errore reuocãdi, & ad Christi castra traducendi sunt, quãquam deinde, vt docuit Augustinus[e], si resistant, & obluctẽtur, suppliciorũ acerbitate coërcẽdi sunt. Alioqui Christus discipulos suos tamquam oues misit inter lupos, vt mãsuetudine, ac lenitate hostium rabiẽ, atque efferatam immanitatem, quod est supra humanam fidẽ, superarent. Itaque Iudas, qui pro munere Apostolico suo iure poterat imperare, deprecari, aut hortari maluit, vt suo exemplo doceret, quàm sit ab Apostolico gradu alienum arrogans imperãdi genus, cũ Apostolorum Princeps[f] alicubi moneat, ne sint Ecclesiastici *dominantes in cleris*. Et Christus[g] Dominus nouam quamdam Reipublicæ formam instituens; *scitis* (inquit) *quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.*

VI. Sed quod tandem est huius Apostolicæ adhortationis argumentum? *Deprecans* (inquit) *supercertari semel traditæ sanctis fidei.* Græcè est ἐπαγωνίζεσθαι, quasi dicat, secundo loco certamen subire. Ita enim dixit Gregorius[h] Nazianzenus. προηγωνίσατο πατήρ, ἐπαγωνιοῦνται παῖδες; *Pater prius certauit, filij postea certabunt.* Vt significet Iudas se cotàm prius certasse aduersus tum infideles, & idolorum cultores, tum etiã hæreticos, & fidei perceptæ desertores; atque ita eos monet, vt secundo loco dimicationem suscipiant; vel certè eos indicat hactenus aduersus impios Christianæ fidei oppugnatores egregiè decertasse; nunc monet, vt secundum aduersus hæreticos certamẽ subire ne grauentur. Sic enim olim fecerunt Apostoli, virique Apostolici, qui priùs idololatriã expugnarunt, mox aduersus hæreticos strenuè præliati sunt. Vult ergo Iudas fideles pugnam capessere *semel traditæ sanctis fidei*, hoc est, vt fidei iã promulgatæ adiumento sint, vt eam tueantur, & propagent. Ait autem fidem esse semel traditam sanctis, hoc est, quam ij perceperunt, qui Christianis sacris initiati sunt, qui, vt alibi dixi, sancti ab Apostolis appellari solent, quòd eam fidẽ, ac religionem complexi sunt, quæ sola veram potest parere sanctitatem.

V. Non temerè autem ait semel traditam esse fidem, vt eius stabilitatem firmitatem, & constantiam indicet. Vt enim ait Apostolus[i]; *non est illa est, & non*, sed sui similis perseuerat, & quod olim prædixerunt prophetæ, id palam docuerunt Apostoli, & qui deinceps consequuti sunt. Quod ergo semel tamquam fidei dogma propositum est, id semper eamdem vim obtinet, cum alia omnia accidant hæreticis, qui, vt alias dixi, semper mutant, & quod heri affirmabant, hodie negant; in eo tantùm sui similes, quòd à veritate, rectaque fide semper longius

a 2. Cor. 5. 14.
b ep. 2. c. 4. 2.
c cap. 4. 1.
d ep. 1. c. 2. 11.
e 50. ad Bonif.
f 1. Pet. 5. 3.
g Math. 20. 25.
h Orat. de Machab.
i 2. Cor. 1. 18.

abeunt. Monet igitur Iudas, vt pro fide, quam ab initio perceperunt, aduersus hæreticos strenuè decernant, nec patiantur se nouis hæreticorum inuentis à veritate abduci. Neque enim vult Iudas fideles

a Eph. 4. 14.

in fide fluctuare, & vt alicubi ait Paulus a, *circumferri omni vento doctrinæ*, sed in suscepta fide firmos optat esse, & constantes, vt nullis machinis, nullisque oppugnationibus, à percepta, & cognita veritate auocari queant. Adeo verò illos indicat fuis-

b 1. ep. c. 3. 15.

se instructos, vt non solùm, quod ait Petrus b, *paratis semper essent ad satisfactionē omni poscenti rationem de ea, quæ in ipsis est spe*; sed quod monet Paulus c, pos-

c ad Tit. 1. 9.

sint etiam *illos qui contradicunt, arguere*. Et profectò primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus, tum Episcoporum studio, ac diligentia in erudienda multitudine, tum fidelium sedulitate, atque industria fiebat, vt passim omnes, etiam fœminæ fidei nostræ dogmata, atque mysteria optimè callerent. Quamobrem B. Hieronymus ad plures fœminas, atque illustres matronas de quæstionibus difficillimis sibi ab iis propositis doctè, subtiliterque scribit, earumque doctrinam, linguarum peritiam, & eruditionem non mediocriter laudat, vt nostri huius æui misera conditio deploranda videatur, cùm non pauci reperiantur, qui ipsa propemodum prima fidei rudimenta penitùs ignorent; quod cùm multorum socordiæ seu tarditati, tum Episcoporum, Curatorúmque negligentiæ, atque inuitiæ tribuendum est, vt omittam plerumque contingere, vt cæcus cæcum ducat, & ambo in foueam cadant.

4 *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.*

I. Ratio est superioris sententiæ. Quid enim causæ fuisse putamus, cur Iudas quasi classicum canat, & fideles ad prælium prouocet? *Subintroierunt enim* (inquit) *quidam homines*. Coactus sum ait scribere, vt imminenti periculo occurram; obiter enim subierunt quidam, Græcè παρεισέδυσαν, quasi dicat, clanculum, & veluti ex insidiis eximiam quamdam scientiam, & doctrinam prætexentes. Vnde mihi meritò timendum fuit, ne pluribus fucum facerent, & per speciem pietatis à recto tramite abducerent. Hoc enim Christus Dominus monuerat, cùm di-

d Mat. 7. 15.

xit d; *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouiū, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Chry-

e in ill. loc. Matth.

sostomus autem; *Homines* (ait) *impostores, & hæreticos interpretatur*; quod etiam insinuant Hieronymus e,

f l. 3 de hær. fab. in prol.

Theodoretus f, Theophylactus g, D. Thomas h, &

g Matth. 7. h ibi lect.

alij i; egregiè verò Tertullianus k; *Instruit* (inquit)

i Lyr. Abul. Iansen.

Dominus multos esse venturos sub pellibus ouium rapaces

k l. de præscr. cap. 4.

lupos. Quenam istæ sunt pelles ouium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus, & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? Qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? Hos igitur ait Iudas subintroiisse, quia hæretici sponte sua irruunt, & docendi munus sibi te-

l cap. 23. 21.

merè vsurpant; quos apud Ieremiam l indicasse videtur Dominus his verbis; *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*. Hos etiam describit Paulus m, cùm ait; *Nam*

m 2. ad Cor. 11. 13.

eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi; & non mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergo magnum si ministri eius transfigurentur, velut ministri iustitiæ.

n ep. 1. c. 4. 1.

Ob eam causam Ioannes Apostolus n; *Nolite* (ait) *omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.*

II. *Qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij.* Græcè προγεγραμμένοι, quasi dicat prius descripti. An à Prophetis? Certè Græca vox, quæ prius sonat, hoc est, olim, aut pridem, hoc videtur non obscurè indicare. Nam Prophetæ olim multa vaticinati suis prædixerunt, quæ graphicè videntur hæreticorum mores describere. Hoc enim indicare visus est Iere-

a Thren. 2. 14.

mias a; *Prophetæ* (ait) *tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas, &*

b Ier. 14. 14.

eiectiones. Eodem spectant & illa b; *Et dixit Dominus ad me: falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo; non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos; visionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis*. Neque aliter

c cap. 13. 4.

accipiendum puto, quod scribit Zacharias c; cùm enim paulo ante de falsis prophetis loquutus esset, subdit; *Et erit in die illa, confundentur Prophetæ, vnusquisque ex visione sua cùm prophetauerit, nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.*

III. Possis etiam de Christo, atque Apostolis accipere,

d Mat. 24. 24.

qui falsos prophetas, hoc est, hæreticos venturos prædicarunt, Christus d enim ait; *Surgent enim pseudo-Christi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam*

e 1. ad Cor. 11. 19.

electi. Paulus e autem dixit; *Oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant vobis*. Et ad Timotheum f; *In*

f 1. cap. 4. 1.

nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium suam conscientiam. Et alibi g; *Hoc autem scito, quod in nouissimis*

g 2. ad Tim. cap. 3. 1.

diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Ex

h ep. 2. c. 3. 3.

denique Petrus h; *Hoc primum scientes quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes*. Cùm igitur Iudas post Petrū, & Paulum scripserit, & vt paulo post constabit, nonnulla ipsorū dicta vsurpet, spectare potuit ea, quæ de hoc hominum genere tum Christus, tum Apostoli prædixerant. *Præscripti* itaque ait, *sunt in hoc iudicium*, Græcè προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα ἀσεβεῖς. Videtur enim more Hebræo κρίμα posuisse pro voce κατάκριμα, id est, condemnatione, vt sensus sit, qui olim præscripti sunt, quasi hanc condemnationem subituri: Prophetæ enim, & Apostoli impios, ac nefarios hæreticorum mores descripserunt, vnàque docuerunt, quàm grauem, atque acerbam condemnationis sententiam subituri sint; atque ita tacitè insinuat, non impunè laturos quicquid aduersus Catholicam Ecclesiam moliantur; subdit autem.

IV. *Impij, Dominum nostri gratiam transferentes in luxuriam*. Hæc, ait Didymus, de his hæresibus accipienda sunt, quæ Apostolico æuo cœperunt. *Earum enim auctores impudentiam, & immanem quamdam libidinem*

i ad Eph. 5.

secuti sunt, vt impura sacrificia Gentilium imitarentur. Quamobrem Paulus i *de huiusmodi hominibus ait; Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem etiam arguite, ea enim, quæ occultè ab eis fiunt, turpe est etiam dicere. Turpia namque, & vehementer turpia faciunt quasi mystico modo, qui sectam Simonis Magi sequuntur. Post hos autem & Marcionistæ, atque Valentiniani, & Sabbathani nefanda commiserunt. Vnde & alia epistola* k *de eis scribit*

k 2. ad Tim. 3.

dicens; Isti sunt qui ingrediuntur in domos, & captiuant mulierculas peccatis onustas, & libidinibus variis ductas, & sub occasione religionis agunt turpia. Quapropter Iudas ait, in luxuriam transtulisse eos gratiam Domini, per quam luxuriam negant solum Dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum. Certè schola-

Smon

Simonis, & maximè Gnostici ex Euangelio commẽdandæ turpitudinis, & nequitiæ suæ occasionem captabant, vt ex Epiphanio facilè intelligi potest.

V. Quod igitur ait Iudas, *Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam*, perinde accipio, ac si dicat; Gratia legis Euangelicæ abutuntur ad defensionem obscœnæ, atque impuræ libidinis, & cœnosæ turpitudinis, vnde Borboritarum nomen adepti sunt. Quomodo autem Christi gratiam, hoc est, Euangelicam doctrinam ad impuram libidinem transferant, fusè docet Epiphanius[a], ex quo pauca quædam hic placuit adscribere; cùm enim monstra quædam libidinum recensuisset, quæ pudor vetat attingere, hæc addit; *Igitur variè omnia apud ipsos conficta sunt à bonis ad mala transmutata, & libri quidem ipsorum multi sunt; interrogationes enim quasdam Mariæ edunt, alij in prædictum Ialdabaoth, & in nomen Seth multos libros proponunt, & alias reuelationes ipsius Adam dicunt. Alia item Euangelia in nomine Discipulorum conscribere ausi sunt. Non erubescunt autem dicere, ipsum Saluatorem nostrum, & Dominum Iesum Christum hanc turpem operationem ipsis reuelasse. In magnis enim interrogationibus Mariæ (sunt enim paruæ quoque ab ipsis confictæ) proponunt ipsum reuelare ipsi, vbi assumpserat ipsam in montem, & precatus esset & ex latere suo mulierẽ fecisse, & cum ipsa commisceri cœpisset, & sic nimirum ipsum vbi defluxum suum assumpsisset, indicasse illi, quòd oporteat sic facere, vt viuamus. Et Mariam turbatam ac in terram collapsam, ipsum rursus illam leuasse, ac ipsi dixisse. Cur dubitasti modicæ fidei? Et dicunt quòd etiam hoc est, quod dictum est in Euangelio, si terrestria dixi vobis, & non credidistis, cælestia quomodo credetis? Et hoc, cũ videritis filium hominis redeuntem, vbi erat prius, hoc est, defluxum in se suscipientem, vnde etiam exiuit; & cùm dixit: nisi comederitis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, & cum Discipuli turbarentur, ac dicerent. Quis potest hoc audire? dicunt quòd de turpitudine ipsi sermo erat; quapropter etiam turbati fuerunt, & abierunt retrorsum, nondum enim erant, inquiunt, in complemento firmati.*

a Hær. 26.

VI. Neque verò his contẽti veteri etiam Testamento ad turpitudinẽ suam astruendã perditissimi mortaliũ abutebantur. Itaque subiicit Epiphanius. *Et cùm dicit Dauid, erit velut lignum, quod plantatum est iuxta decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; de turpitudine viri, inquiunt, dicit, in exitum aquarum, & quod fructum suum dabit, voluptatis, inquiunt, influxum dicit, & folium eius non defluet, quoniam non sinimus ipsum in terram cadere, sed ipsi ipsum edimus.* Paucis autem interiectis; *Nam quod dicitur, inquiunt, posuisse Raab coccinum in fenestra, non erat, inquiunt, coccinum, sed membrum muliebris naturæ, & coccinum menstruum sanguinem dicit. Et quod dicitur, bibe aquas de vasis tuis, de hoc dicitur.* Ita apparet verissimè dictum esse à Iuda, impios istos hæreticos Dei nostri gratiam transferre in luxuriam. Nam, vt ait OEcumenius, *deprauant, & à temperantia ad lasciuiam detorquent.* Monet autem idẽ OEcumenius, indicari hoc loco scelestissimos, atque impurissimos homines, qui à Nicolao, Valentino, & Simone profecti sunt, qui cum ventri, & intemperãtiæ deditι essent, Euangelicæ tamen doctrinæ professionem simulabant, vt eius obtentu in alienas domos insinuare sese facilè possent, & vt ait Paulus[b], *mulierculas peccatis onustas in captiuitatem abducere*; nocturna enim sacra commenti omni sese flagitiorum genere contaminabant. Itaque verè subdit Iudas.

b 2. ad Tim. 3.

VII. *Et solum dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes. Quo pacto enim*, ait OEcumenius, *Christum non negant, qui impura, & immunda vita quasi clamoso quodam præconio totius temperãtiæ magistrum abdicant, atque alienant? Nulla[c] siquidem luci cum tenebris societas est.* Hoc verò omnibus hæreticis commune est; omnes enim, vt ait Augustinus[d], *scientiæ pollicitatione decipiũt, & reprehendũt eos, quos simpliciter credentes inuenerunt, quia omnino carnalia persuadent; quasi ad carnaliũ oculorum apertionem conantur adducere, vt interior oculus excæcetur.* Et in eamdẽ sententiam Optatus a; *Hæretici* (inquit) *veritatis exules, sani, & verissimi Symboli desertores, de sinu Ecclesiæ sanctæ impiis sensibus deprauati, contempto quod bene fuerant geniti, vt ignorantes, & rudes deciperent, de se nasci voluerunt. Et qui iamdudum in talibus pasti fuerant cibis, corruptela malæ digestionis in perniciem miserorum disputationibus impiis venena mortifera vomuerunt.* Quæ causa fuit, vt plurimi sanctorum[b] Patrum hæreticos è Christianorum numero reiicerẽt; tametsi enim baptismi characterem, & Christi consignationem retinent, verè tamen ab Ecclesia Christi recedunt, & quasi transfugæ, atque hosteseam oppugnãt.

c 2. Cor. 6. 14.
d lib. 2. de Gen. contra Manich. c. 25.
a lib. 1. aduer. Parme.
b Tertull. lib. de pudic. Cyprian. lib. 4. Epist. 2. Athan. ser. 2. con. Arian. August. lib. de grat. Christ. c. 21.

VIII. *Solum autem*, ait Iudas, *Iesum Christum negantes.* Nõ quasi Patrem, aut Spiritum sanctum excludat, cùm à diuino imperio, & rerum omnium creatarum dominatu nulla diuina persona seiungi, aut segregari queat. Vt enim sapienter Theologi monent, & nos alibi indicauimus, particulæ excludentes cùm diuinæ alicui personæ tribuuntur, eorum respectu, quæ diuinæ naturæ, atque essentiæ necessario insunt, nulla ratione excludere possunt diuinas personas, quæ sunt diuinæ naturæ, atque essentiæ æquè participes. Dicitur igitur Christus Dominus solus dominator, vt excludat quicquid est infra Deum. Pro *dominatore* autem Græcè est δεσπότην, qua voce vsus est etiam Paulus c; *Erit* (inquit) *vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino*, Græcè, τῷ δεσπότῃ. Porrò Græcus codex addit vocem Θεὸν, & mox, καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι, hoc est, *qui solum dominatorem Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum negãt.* Et videri posset respexisse Iudas potissimùm ad Simonis scholã, quæ, vt ex Epiphanio intelligi potest, alios inducebat orbium cælestium, & mũdi inferioris fabricatores. Sed multo verosimilius est, loqui Iudam de solo filio, quem Deum, & dominatorem, ac Dominum omnium appellat, vt hic locus magnam vim habeat ad Christi diuinitatem probandam. Hac enim epistola videtur Iudas filij tantùm mentionem facere, quem Simonis schola multis modis negabat: siquidẽ ducebat eum non esse verè natũ, non verè passum, nec verè resurrexisse, eum denique aiebat à supremo Christo nomen transisse, alioqui eius naturæ prorsus esse expertem. Multo igitur aliter Simoniani Christũ negabãt, quàm ij, de quibus ait Apostolus d, *qui confitentur se nosse Christum, factis autẽ negãt*:

c Tim. 2. 21.
d ad Titum 1. 16.

5 *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

I. Vt præsentι periculo occurram, opportunum existimaui, vos Apostolica auctoritate commonefacere. Ne autem videatur illos imperitiæ, atque inscitiæ arguere ait; *scientes semel omnia*, vt nõ tam docere, quàm in memoriam renocare videatur ea, quæ ipsi optimè tenerent. Quo ferè erudiendi modo frequenter vtũtur Apostoli; nam Paulus[e]; *Scientes* (ait) *quòd tribulatio patientiam operatur.* Et post multa[f]; *Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere.* Et Iacobus g; *Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Et rursus h; *Scientes, quia maius iudicium sumitis.* Petrus[i] autem; *Scientes, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis.* Rursus[k]; *Scientes eamdem passionẽ ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.* Denique[l]; *Hoc primum scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes.* Quod autem ait Iudas, *scientes semel*, ad primam credo prædicationẽ respexit, quasi dicat, mouere volui vos, qui ante

e Ad Rom. 5. 3.
f cap. 13. 11.
g cap. 1. 3.
h cap. 3. 1.
i ep. 1. cap. 1. 18.
k cap. 5. 9.
l ep. 2. c. 3. 3.

exortas hæreses veram, & solidam Christianam doctrinam percepistis, vt hæc posterior, & nuper ab impiis hominibus excogitata ne audienda quidem sit. Vbi verò Latina interpretatio habet *omnia*, Græcè scriptum est, τοῦτο, id est, *hoc*, vt sit sensus; monere vos volui, qui iam pridem nostis, quod nunc dicturus sum. Affert autem ex veteri Testaméto testimoniũ, vt obseruauit OEcumenius, *tum vt declaret, eumdem esse Deum & veteris, & noui Testamenti institutorem, & non, sicut isti scelesti aiunt, alterum esse Deum veteris Testamenti vltorem, & crudelem, alterum noui mansuetum, & benignum asserentes; tum vt neque hos mansuros esse inultos ostẽdat*. Hoc ipsum indicat Didymus, qui hoc exẽplo confirmari existimat, quod modò dixerat Iudas, Christum Deum, ac Dominum esse rerum omnium creatarum. *Dictum namque est* (inquit) *ante hæc de eo, quòd sit verus Deus iste solus dominator, & Dominus Iesus Christus, qui eduxit populũ ex Ægypto per Moysem, quibus ita dictis consequens est, vt non sit alter Deus Moyseos, neque enim est alius præter Trinitatem.*

II. *Quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans.* Pro Iesu Græcè dixit Apostolus κύριος, id est, *Dominus*, vt vel hinc appareat, eos magnopere falli, qui hoc loco Iesum Naue interpretantur. Videtur enim Iudas de eo loqui, quem modò Dominum, ac Dominatorem appellauerat: ita ostendit, quod Didymus, & OEcumenius monent, vnum, atque eumdem Deum veteris, ac noui Testamenti esse auctorem. Videtur autem hoc exemplo tacitè monere fideles, vt in percepta fide, ac religione perseuerent, & quam pro beneficiis acceptis gratam, ac memorem voluntatem Deo debent, re ipsa testentur, ne idem illis contingat, quod Hebræis ex Ægypto egressis, qui post innumerabilia diuinitùs accepta beneficia refractarij, & cótumaces fuerunt, ac propterea iustas in solitudine pœnas luerunt. Eodẽ planè modo argumétatur Paulus, cũ ad Corinthios [a] scribit; *Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare trãsierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari, & omnes eãdem escam spiritualẽ manducauerunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autẽ de spirituali consequente eos petra, petra autẽ erat Christus; sed nõ in pluribus eorum beneplacitũ est Deo, nam prostrati sunt in deserto.* Hoc idem enim significat hic noster, cùm ait, *eos qui non crediderũt, perdidit*, quasi dicat, eorum perfidiam, & impietatem vltus est.

[a] ep. 1. c. 10. 1.

III. Cæterùm quod Interpres habet, *saluans*, Græcè est, σώσας, quod est præteriti temporis participium; quasi dicat, cùm ex Ægypto saluos eos, atque incolumes eduxisset, non omnes tamen in Palæstinæ possessionem induxit, sed eos, qui non crediderunt, in deserto peremit, ac penitùs deleuit. Sed cur, quæso, ait, *secundò*? An idẽ est τὸ δεύτερον, quod hoc loco legitur, cum Latina voce *rursus*? Sanè ita interpretantur nonnulli. Sed vtcumque sit, indicare videtur priorem aliquam vltionem, nec satis apparet, quam potissimùm spectarit Iudas. Nam si de populo Israëlitico sermo sit, quàm multi ob idololatriam ad radices montis interierint? In seditione verò Core nónne plurimi diuinæ iustitiæ seueritatẽ experti sũt? Ob scelus autẽ cum Madianitis perpetratũ quãplurimos simul trucidatos sacræ literæ testãtur. Cùm igitur toties Deus immortalis Iudæos supplicio affecerit, cur Iudas rursus eos dicit fuisse diuinitus interemptos? Nec verò meliùs alij Apostolum interpretantur, qui *secundò* idem valere autumãt, quod *deinde*, seu *postea*. An respexit Ægyptiorum interitum, qui cùm Israëliticum populum insectarentur, marinis fluctibus hausti, atque absumpti sunt? vt primùm quidem populi sui hostes peremisse dicatur Deus, secundò verò etiam eos interfecisse, qui ex Iudæorum gente fuerant aliquando perfidi ac contumaces. Ita sensus erit; eduxisse quidem Israëlitas ex Ægypto saluos, atque incolumes, sed Ægyptios eorũ hostes vndis obrutos de medio sustulisse; secũdò persimilem seueritatem in cõtumaces, & perfidos Iudæos exercuisse. Tametsi enim alias ingentem Iudæorum multitudinem necauerat, multi tamen superstites fuerant; sed cũ populus post exploratorum reditum seditionem cogitasset, iusta Deus indignatione commotus, Iosue, & Caleb exceptis cæteros omnes, qui armati ex Ægypto egressi erãt, ad vnum in solitudine peremit. Hoc est igitur primũ exemplum, quod proponit Iudas, vt ostẽdat impios, ac sceleratos magistros grauissima manere supplicia, obiterque fidelium animos cõfirmat, vt in suscepta religione saltẽ metu supplicij persistãt, ac perseuerẽt.

Eos (inquit) *qui non crediderũt, perdidit.* Alludit ad id quod legitur in libro Numerorũ [a]. Cùm enim peragrata Palæstina ad castra redijssent exploratores, vociferatus est omnis populus, & solutus in fletũ, reditum in Ægyptũ cogitabat, & aduersus Moysen vehementer concitatus nihil propius fuit, quàm vt alium sibi ducem constitueret, & in Ægyptum reuerterentur; quin etiam Moysi, & Iosue, & Caleb extrema penè minabatur. Eam ob rem dixit Dominus; *Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra; attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decẽ vices, neque obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Et post nonnulla; *Quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam, quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit aduersum me, in solitudine hac deficiet, & morietur.* V.

[a] cap. 14.

VI. Hanc autem iustissimam pœnam in eos Iudas latam fuisse scribit, *qui non crediderunt*. Re namque vera & exploratorum nonnulli, & vniuersa deinceps multitudo grauiter contra fidem peccarunt, quòd diuinis pollicitationibus tam multis prodigijs firmatis fidem abnegarint. Quamobrem à Dauide dicũtur [b] corde aberrasse, *Et dixi* (inquit) *semper hi errant corde; ipsi verò non cognouerunt vias meas.* Atque ita aptè hoc exemplo Iudas hæreticorum perfidiã perstringit, & discipulorum fidem erigit, & mirum in modũ roborat. Est autem hoc argumẽti genus ab exemplo ductum, suapte natura præsertim apud imperitam multitudinem ad persuadendum maximè aptũ. Quã ob causã dixit Aristoteles consueuisse ab Oratoribus vsurpari, qui ad populũ verba faciunt. Apud Iudæos verò incredibile dictu est quantum possent maiorum exempla; quod spectans Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos ab ipso penè mundi exordio, & consequentibus inde temporibus plurima sanctorum cõlligit exempla, quibus magnitudinem, & efficacitatem fidei mirum in modũ illustrat, & amplificat. Hanc eamdem argumentandi rationem sequitur in præsentia Iudas, ac propterea subijcit.

[b] Psal. 94. 10.

6. *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Alterum exemplum est ab Angelis desumptum, qui cum eximia, planéque diuina beneficia à bonorũ omniũ largitore Deo in ipsa sua creatione percepissent, nec tamen in accepta gratia, & caritate perseuerassent, iustissimam ipsi quoque sempiterni cruciatus subiere sententiam; vt multo magis nefarij impostores vltricem iram Dei metuere debeant, nisi resipiscant. Contra verò fideles persimili supplicij metu ab impietate reuocandi sunt. Videtur autem Iudas Petrum [c] Apostolum imitari, qui alicubi scribit; *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* Mentes igitur illæ solutæ corporibus

[c] ep. 2. c. 2. 4.

cùm

cùm à Deo integræ conditæ essent, & gratia, caritate, cæterisque supranaturalibus bonis mirificè essent ornatæ, nullo impulsore, grauissimo tamen sese scelere inquinarunt. Itaque verè dixit Iob [a]; *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Et alibi [b]; *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius.* Malos profectò Angelos intelligit Iudas, qui non natura, sed propria voluntate mali effecti sunt, cùm propria spóte à Deo recesserunt, & vt hoc loco ait Iudas, *non seruauerunt suum principatum*, Græcè ἀρχὴν, quæ vox significare videtur *potestatem*, & *originem*, vt sit sensus; qui non seruauerunt suam originem, vel primam illam, in qua conditi sunt, naturæ conditionem, & statum. Ita OEcumenius; *Eos verò* (inquit) *qui Angelica dignitatis præstantiam fuerant consequuti, vbi ex negligentia in suo principatu non permansere, sed datam sibi Dei benignitate cælestem vitam reprobarunt.*

II. Sunt qui legisse videntur ἀρχὴν, quasi dicat *magistratum*, hoc est, Angelicæ dignitatis honorem. Ego principatum simpliciter intelligo primæuam originē, & conditionem, qua conditi sunt gratia, & caritate prædîti. Neque enim Diabolus natura sua malus est, itaque Basilius [c]; *Vtinā quidem* (ait) *non esset factus Diabolus, sed in eo ordine, quo ab initio constitutus fuit remansisset. Postquam verò ab auctore suo defecit, inimicus Dei, inimicus item hominis ad imaginem Dei constituti factus est.* Et paulo pòst; *Sed quisnam erat Diabolus? Ex quo ordine? Ex qua dignitate?* Et paucis interiectis; *Dignitas verò ipsius principalis est. Quamuis igitur & natura conditione, & diuina munificentia, & liberalitate plurimùm excelleret, qui tamen aduersus Deum peccare ausus est, iustam Dei vindictam effugere nequaquam potuit.* Quocirca ad illū plerique [d] referunt, quod scriptum est apud Isaiam [e]. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: in cælū conscēda, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinē nubium, similis ero Altissimo; veruntamen ad infernū detraheris in profundum laci.* Eodē refert Tertull. [f] quæ scribit Ezechiel [g]; *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti*, & quæ deinceps sequuntur.

III. Sed quātam vim habeant, nunc non dico, tātùm affirmo quicquid veteres Philosophi, aut hæretici senserint, nullam esse, aut fuisse vnquam naturam, quæ sit per se mala, aut à malo principio, atque auctore profecta. Contra docuerunt olim Gnostici, quos, vt ait Eusebius [h], sequutus est Apelles, qui tamen, vt docet Augustinus [i], vnum constituebat rerum omnium principium, Deum videlicet bonum, à quo tamen cōditus sit alter Deus malignus, qui mūdum postea creauit. Gnosticis assentiebantur Manichæi, & alij. Testatur autem Epiphanius [k], hæreticos nonnullos existimasse Diabolu esse filium Sabaoth, id est, septimæ potestatis, quem Deum Iudæorū esse, aiebant, suaque natura malū, & Patri repugnantem; coiisse verò cū Eua, ex eaque genuisse Cain, & Abelum; quæ tāquā inania figmenta ab ipso copiosè cōfutantur. Gnosticorū potiùs errorem Eunomio tribuit Ruffinus [l], à quo ait fuisse Clemētis recognitionibus insertū [m]. Certè Priscillianistæ Diabolu natura malū esse contēdunt, neque posse vlla ratione fieri bonū. De Philosophis nihil est in præsentia dicendū. Plura qui volet, adeat Plutarchum [n], & Augustinum [o].

IV. Certè sacræ literæ apertissimè docent, quicquid extat, à Deo conditum esse, suaque natura bonū esse. Itaque scribit Moises [p]; *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erāt valde bona.* Et Salomon [q]; *Cūcta fecit bona in tēpore suo, & mūdum tradidit disputationi eorum.* Et Sapiens [r]; *Opera Domini vniuersa bona valde.* Denique Paulus [f]; *Omnis creatura Dei bona est.* Quocirca contrarius hæ-

a cap. 4. 18.
b cap. 15. 15.
c Hom. quòd Deus non est auct. mal. sub fin.
d Cyprian. lib. 1. ep. 3. & alij.
e cap. 14. 12.
f lib. 2. in Marcio.
g cap. 28. 12.
h lib. 5. hist. c. 13.
i lib. de hæres. c. 23.
k Hæres. 40.
l In Apolog. pro Orig.
m Vide Eugubin. lib. 8. de peren. philos. c. 39.
n lib. 1 de placit. Philos.
o lib. 5. de ciuit. c. 21. & lib. 11. c. 3.
p Gen. 1. 31.
q Ecclesiastes 3. 11.
r Eccli. 39. 21.
f 1. ad Tim. 4. 4.

A reticorum error Ecclesiasticæ auctoritate non semel [a] reiectus, ac damnatus est. Addo omniū penè sanctorum [b] testimonia; suffragatur etiā ratio ex intima philosophia deprompta, tritū enim est illud apud Philosophos, ens, & bonum reciprocè cómeare. Et quod attinet quidem ad Dæmonem, & Angelos malos, Catholica fides docet, eos propria culpa lapsos, & malitiam, ac peruersitatem cōtraxisse. Ita apud Ioannem [c] dicitur homicida ab initio, & in veritate nō stetisse. Et Christus Dominus apud Lucam [d]; *Videbam* (inquit) *Satanā sicut fulgur de cælo cadentem.* Quod ipsum hoc loco significat Iudas, cùm ait, Angelos nō seruasse *suū principatum*, sed dereliquisse *suū domicilium*. Denique Petrus [e] Angelos ait peccasse. Quamobrem Leo [f] Pontifex contra Priscillianistas in hunc modum scribit.

B *Sexta adnotatio indicat eos dicere, quòd Diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eū è chao, & tenebris emersisse, quia scilicet nullū sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principiū, atque substantia, cū fides vera, quæ est Catholica, omnium creaturarum siue spiritualium, siue corporalium bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam, quia Deus, qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonū fecit. Vnde & Diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male vsus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transijt substantiā, sed à summo bono, cui debuit adhærere, descíuit.* In eandem sentētiam loquitur Cyrillus [g] Hierosolymitanus: *Princeps* (inquit) *peccati Diabolus est, & pater malorū.* Et post pauca; *Peccatum autē nō*

C *ex necessitate naturæ vitium suscepimus, quo sic peccati occasio rursum in opificem retorqueatur. Sed bonus creatus propria voluntate factus est Diabolus ab actione capiens cognomen; Archangelus enim cum esset bonus, Diabolus postea, seu calumniator à calumniado dictus est; bonus cum esset Dei minister, Satana deinceps nomen tulit, Satanas autē aduersarium significat.* Et Isidorus [h]; *Primatū habuisse Diabolum inter Angelos constat excellētis prælationis.* Et paulo post. *Prius de cælo cecidisse Diabolus dicitur, quàm homo conderetur; nam mox, vt factus est, in superbiam erupit, & præcipitatus est de cælo. Nam iuxta veritatis testimonium ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit, quia statim vt factus est, cecidit. Fuit quidem in veritate conditus, sed non*

D *stando confestim à veritate est lapsus.*

Non pigebit autem nōnulla præterea attexere ex Græcis, ac Latinis Patribus, quæ hāc Iudæ sentētiam, & Catholicæ fidei dogma mirum in modum cōfirment, atque illustrent. Clemēs [i] enim Alexandrinus Diabolum ait impudentem dici, *vel quod homo resiliens, vel quod à Deo tanquam apostata defecerit.* Penè eadē habet Athanasius [k], qui præterea addit, solum Deum eius esse naturæ, vt peccare nulla ratione queat. Origenes autē cum multa attulisset è scripturis concludit [l]; *Manifestissimè ergo per hæc ostēditur cecidisse de cælis is, qui prius erat Lucifer, & qui manè oriebatur. Si enim, vt putant aliqui, natura tenebrarū erat, quomodo antè ipse Lucifer dicitur? Vel quomodo poterat oriri manè, qui nihil in se habebat ex luce?* Et post nōnulla; *Hoc ergo modo erat ipse lux aliquando, antequam præuaricaretur, & caderet in hunc locum, & gloria eius conuerteretur in puluerē.* Dixerat autem proximè fuisse ipsum *aliquando in cælo, & habuisse locum inter sanctos, & participasse de hac luce, de qua omnes isti participant.* Eodem modo loquuntur Basilius [m], & Damascenus [n]. Iustinus [o] porrò Martyr Diaboli lapsum de cælo Poëtarum figmentis fuisse descriptum Homeri testimonio cōfirmat.

Et Irenæus [p] Diabolū vocat Angelum Apostatam. Et Epiphanius [q] ex Methodio, & Proclo ostēdit Dæmonē fuisse Luciferum, & Angelum bonū. Alibi verò sæpius repetit Dæmonē non fuisse conditum malum, cum Deus nihil mali procreauit. Porrò Chrysostomus [r] testatur Diabolum fuisse Angelorum principem, qui vocabatur Sathael, *qui ex defectu boni, factus*

a Conc. Tolet. 2. c. vltim. Brachar. 1. c. 7. Leo Pōt. ep. 97. & alias sæpè.
b Dionys. c. 4. de diu. nom. Basil. hom. quòd Deus non est auct. mal. Damasc. lib. 2. c. 4. Philo lib. quod deter. insidiatur potiori. Tertull. lib. 2. con. Marcio. Aug. lib. 83. qq. q. 7. contra lib. de Gen. con. Man. lib. de duab. animab. lib. 2. de [illegible]. Man. in Enchir. c. 11. & deinceps. lib. 11. & 12. de Ciuit. per multa capita. lib. 7. confess. Anselm. lib. de casu Diab. c. 7. lib. de concept. Virg. c. 5.
V.
c cap. 8. 44.
d cap. 10. 18.
e ep. 2. c. 2. 4.
f ep. 91. c. 6. sic Conc. Brachar. 1. c. 7. & Later. c. firmiter de sum. Trinit. & fide Cathol.
g Catech. 2.
VI.
h lib. 1 de sum. bon. c. 12.
i lib. 3. stromat.
k in Compen. de Spirit.
l lib. 1. periarc. 5.
m Hom. quòd Deus non est auctor malorū.
n lib. 2. c. 4. & lib. 4. c. 21.
o lu parenet. ad Gent.
VII.
p lib. 5. cap.
q hæres. 63.
r [illegible]
[illegible] de lapsu. hom. & hom. 3. ad Pop.

initium mali, cum Deus nihil mali fecerit. Alibi[a] de Dæmone agens; *Natura (inquit) bona, præsumptio autem mala.* Iam inter Latinos Tertullianus[b]; *Si euolutas (inquit) Exhibebis prophetiam, facilè animaduertes, tam institutione bonum Angelum illum, quam sponte corruptum.* Quod si Augustini, aliorumque sanctorum testimonia sigillatim percensenda essent, in immẽsum volumè excresceret: vbicumque[c] enim ille Manichæos oppugnat, hanc Catholicam veritatem mirificè explicat. Claudat agmen Christianus[d] Poëta, qui de Dæmonis lapsu hæc eleganter cecinit;

Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Maiestate ferox, nimiȷ dum viribus auctus
Ir latur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatque suos solito inflantius ignes,
Persuasit propriis genitum se viribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, &c.——————

Deinde subdit.

Hic factus de stirpe bonus, bonitatis in vsum
Proditus ex primo generis de fonte serenus,
Deterior mox sponte sua, &c. ——————

Hoc igitur est, quod ait Iudas, Angelos deseruisse suum principatum, & dereliquisse suũ domicilium.

VIII. Quamquam autem quæ hactenus dicta sunt, ad Catholicam fidem omnino pertinent, magna tamẽ inter Theologos contentione quæritur, an possit ex sacris literis Dæmonis, cæterorumque Angelorum peccatum euidenter probari. Et quidem, nisi ego fallor, negari non potest, plurima ex sacris literis extare testimonia, quæ apertissimè indicent, aliquos esse Angelos sceleftos, atque improbos, & vitiorum architectos, & magistros. Nam Dauid[e]; *Misit in eos (inquit) iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Et Salomon[f]; *Semper iurgia quærit malus. Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Paulus[g] item Angelum Satanæ nominat. Et Ioannes in Apocalypsi[h] draconem appellat, quasi Angelorũ principem; & profectò malos, & sceleftos Angelos significat. Apertissimè verò Petrus[i] Angelos peccantes vocat, quem hoc loco imitatus videtur Iudas. Frequenter autẽ dæmonia, aut dæmones nominantur; Dæmonis autem vox, vt monet Augustinus[k], semper in malã partẽ ponitur in sacris literis; ductum est autem id nomen à sapiẽtia, vel scientia, vt monet[l] Lactantius. Tribuitur autem Angelo malo, quòd plurimùm scientia valeat, quæ naturam illius comitatur. Sic in Leuitico[m]; *Nequaquam vltrà immolabunt hostias suas dæmonibus.* Et in Deuteronomio[n]; *Immolauerunt dæmoniis, & non Deo.* Et in libro[o] Tobiæ non semel appellatur Dæmon Asmodæus. Et Dauid[p] Dæmonium meridianum nuncupat. Alibi[q]; *Omnes Dij Gentium Dæmonia.* Rursus[r]; *Immolauerunt filios suos & filias suas Dæmoniis.* Nam, vt monet Basilius[s], Dæmones per mendacium Dij appellantur.

IX. Quamobrem Clemens[t] Alexandrinus Gentiles irridet quòd Dæmonibus diuinum honorem tribuerent. Et alibi[u] Platonis testimonio[x] probat cognouisse Philosophus malos Dæmones, & eorũ oppugnationem, qua nos ad scelera, atque flagitia impellunt, de qua loquitur Paulus ad Ephesios. Iustinus[y] autem Martyr probat Gentium Deos nihil fuisse aliud, quàm dæmonis inuenta. Fateor tamen apud Isaiam[z] Dæmonia pro bestiis syluestribus vsurpari: *Et occurrent (inquit) dæmonia onocentauris, &c.* Appellatur hic Angelus etiam Diabolus; ait enim Dauid[a], *Diabolus stet à dextris eius.* Et Salomon[b]; *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Denique Abacuch[c]; *Egredietur Diabolus ante pedes eius.* Huius porrò nominis tametsi variæ, & multiplices interpretationes afferri solẽt, omnes tamen ridiculæ sunt,

a Hom. 3. de pat. Iob.
b lib. 2. in Marcio.
c lib. 1. retract. c. 15. lib. 2. de Gen. contra Man. c. 14. & 16. lib. 1. de Gen. ad liter. c. 20. 21. 22. 23. 24. lib. de Ecclesiast. dogm. c. 57. lib. de nat. bon. con. Man. cap. 33. lib. 11. de Ciuit. c. 17.
d Prudent. in Hamartig.
e Psal. 77, 42.
f Prou. 17. 11.
g 2. ad Cor. 12. 7.
h cap. 12. 7.
i ep. 2. c. 2. 4.
k lib. 9. de ciuit. c. 19.
l lib. 2. c. 15. & lib. 4. cap. 27.
m cap. 17. 7.
n cap. 32. 17.
o cap. 3. 6. 8. 22.
p Psal. 90. 6.
q Psal. 95. 5.
r Psal. 105. 37.
s ep. 141.
t In ad hort. ad gent.
u lib. 5. strom.
x In Phæd.
y In parænes. ad gen. in Apolog. ad senat. in Dial. cum Tryphon & lib. de recta fide.
z cap. 34. 14.
a Psal. 108. 6.
b Sap. 2. 24.
c cap. 3. 5.

vna excepta, quam tradit Iustinus[a] Martyr; significare enim ait calumniam, seu calumniatorem, seu etiam accusatorem. Nam in Apocalypsi[b] dicitur *accusator fratrum.* Eamdem nominis interpretationem probant Hieronymus[c], Lactãtius, Augustinus, Boëtius, & alij tum Latini, tum Græci.

X. Appellatur etiam Satan, vel Satanas. In libro[d] Iob scriptum legimus; *Adfuit etiam inter eos Satã.* Et apud Zachariã[e]; *Satan stabat à dextris eius.* Et Christus Dominus apud Matthæum[f]; *Vade Satan.* Eam vocem *desertorẽ* interpretatur Iustinus[g], Basilius[h] *aduersarium.* Certè Chrysostomus[i] vocat illum Sathaël, quod ego interpretor *Deo aduersarium.* Appellatur nonnumquam Angelus Belial, & in Scripturis sæpe nominantur filij Belial, hoc est, homines impij. Significat autem Belial *peruersum, & absque iugo,* quòd videlicet diuinæ legis iugum abiecerit. Nonnumquam etiam vocatur Zabulus. Sic enim canit Ecclesia; *Michaëlem in virtute conterentem Zabulum.* Eo nomine vtuntur sæpe Cyprianus[k], Hilarius[l], & Ambrosius[m]. Eãvocem Hieronymus[n] nunc interpretatur *deorsum fluentem,* aliàs[o] *fluctum noctis,* nonnumquam[p] *habitaculum noctis.* Porrò Cyprianus[q] putat eam vocem deductam ex nomine *Belzabuc,* qui apud Lucam princeps Dæmoniorum appellatur. Sublata enim particula, *Bel,* quæ significat *idolum,* remanet, *Zebuc,* vnde nomen *Zabulus,* de quo Origenes[r], & Iustinus[s], si tamen is est auctor quæstionum, quæ inscribuntur ad Gentes. Augustinus autem, Beda, & alij interpretantur *idolum muscarum,* siue per contemptum, siue quòd re vera ad idolorum sacrificia plurimæ muscæ confluerent. His ferè nominibus Angeli desertores nuncupantur, quos hoc loco ait Iudas non seruasse suum principatum, sed deseruisse suum domicilium.

XI. Sed ambigitur inter Theologos, qualenam fuerit Angelorum peccatum. Certè B. Thomas[t] affirmat posse Angelos omnium scelerum reatu obstringi, re tamen ipsa admittere non posse nisi peccatum superbiæ, aut inuidiæ, quæ sunt quodam modo peccata spiritualia. Quod autem ille ait de reatu, non perinde accipiendum est, quasi possint Angeli omnium scelerum, ac flagitiorum suppliciis obnoxij degere, in quo vis reatus[u] posita est. Neque enim id admitti vlla ratione potest, nisi quis dicat, posse Angelos omnium criminum culpa fœdari. Significat ergo tantùm Angelicus Doctor, si cæteris omnibus circumscriptis Angelica natura solitariè spectetur, vt potest ad omnia scelera, atq; flagitia impellere, ita nihil prohibere, quominus eorum suppliciis obnoxia reddatur; quamquam reuera nunc Angelis siue beatis, siue sempiternis suppliciis addictis, cùm vtrique sint extra statum merendi, aut demerendi, id prorsus repugnet. Quod verò addit potuisse Angelos peccare tantùm peccato superbiæ, & inuidiæ, multis solet oppugnari; cum tamen indicare voluerit tantùm sanctus Doctor, duo illa vitia esse veluti capita, vnde cætera fluant, quod ille ipse non obscurè significat[x]. Accedit, quòd videtur tantùm significare eam peccandi rationem Angelicæ naturæ magis consentaneam videri, quod ex iis intelligi potest, quæ de superbiæ vitio scribunt Augustinus[y], Gregorius[z], ipseq; D. Thomas[a]. Videtur enim omnia vitia præcurrere, & in singulis quodammodo inuolui, & implicari: proximè autem, vt ait Augustinus[b], parit inuidiam, quæ, vt docet D. Thomas[c], est tristitia ex alieno bono concepta.

XII. Sed multis videtur mirum, potuisse in Angelicam naturã cadere peccatũ, neque enim, vt ait Anselmus[d], ignorare potuit Angelus, peccato propositũ esse supplicium; quod si verũ est, quæ tandem illum amentia potuit ad facinus perpetrãdũ impellere? Verùm idẽ

a In Parænet. ad Gen.
b cap. 12. 10.
c Ad Ephes. 4. Apolog. con. Ruff. & Isa. 27.
d cap. 1. 6.
e cap. 3. 1.
f cap. 4. 10.
g Dial. cum Tryph.
h Homil. quod Deus non est auct. mal.
i Hom. de Adam, & Eua Hom. de lapf. 2. hom. Hom. 7. ad pop. Antio.
k De zelo, & liuor.
l In Matth. 5.
m lib. de bono mort. c. 5.
n Ad Tit. 2.
o de nom. Hebr.
p lib. de trad. Hebr. in Gen.
q in adhor. ad Mar.
r hom. 16. in Hierem.
s quæst. 82.
t 1. p. q. 63. a. 2.
u D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 1. & 6. 3. p. q. 26. a. 4.
x 1. p. q. 63. a. 2. ad 3.
y lib. 14. de Ciuit. c. 13.
z lib. 23. Mor. c. 7.
a 2. 2. q. 162.
b lib. 11. de Gen. ad lit. c. 4.
c 1. 2. q. 36.
d lib. 1 de casu Diab. 22.

Ansel

a cap.53.

Anselmus [a] vltrò concedit, sciuisse Angelum flagitio imminere supplicium, non tamen sibi persuasisse perpetrati sceleris tam insigni, ac præstanti naturæ pœnas esse luendas, cùm præsertim irrogati supplicij nullum extaret exemplum, planéque intelligeret, tam nobilem naturam ad beatam, immortalémque vitam conditam fuisse, nec diuinum illud decretum, mutari posse suspicaretur. Denique opinari potuit, peccatum illud deleri, & expiari posse. Certè verum, ac proprium errorem Angelica mens concipere nequaquam potuit, vt fusè docet Augustinus [b], cui subscribit D. Thomas [c]; necessario tamen Angelica mens volens, ac prudens id animaduertere, & cogitare prætermisit, quod animaduertere, & cogitare facilè poterat, & debebat. Fateor hæc subtilius in scholis vltrò, citróque agitari; in præsentia tamen satis habeo affirmare, quod omnes Theologi magno consensu docent, peccasse Angelos, quòd in appetitione boni cuiuspiam maximè appetibilis lineas, quod aiont, transilierint, neque eas conditiones adhibuerint, quas rei natura flagitabat.

b lib. 11. & 14. de ciuit. c 1. p. q. 63. ar. 1. ad 4.

XIII.

Nullo autem modo audiendi sunt illi, qui lapsum Angelorum fuisse putant impurum, ac nefarium fœminarum amorem, quod primum sensisse Philosophos Pythagoræos, & Platonicos viri [d] docti affirmant; & probasse videntur Clemens Alexandrinus, Iustinus Martyr, Methodius, Philo, Iosephus, Tertullianus, Lactantius, Cyprianus, & alij. Insinuare videtur Chrysostomus [e], cùm scribit; *Mulier non solùm homines, sed etiam Angelos prostrauit.* Et Ambrosius [f], qui ait, *castitas Angelos seruauit, intemperantia perdidit.* Legitúrque hic error in quadam prophetia, quæ tribuitur Enoch, cuius meminit Augustinus [g]; sed, vt alibi docui, locus ille Geneseos [h], qui nonnullis imposuit, nulla ratione ad Angelos pertinet, cùm ibi Moses de filiis Seth loquatur, nec possint mentes solutæ corporibus tam fœdo amore corrumpi.

d Aug. Eugub. lib. 8. de per. philos. c. 32. & 38.
e Hom. de decol. Ioan.
f lib. de arc. & Noë c. 4.
g lib. 15. de ciuit. c. 23.
h cap. 6.

XIV.

Qui verò in schola Theologica [i] subtilitatis laude celebrantur, spiritalem nescio quam libidinem, &, vt ipsi loquuntur, luxuriam excogitarunt, qua videlicet mentem Angelicam sui contemplatione, atque amore nimiùm fuisse oblectatam, seque ipsam primùm vltra modum amore amicitiæ dilexisse, & mox præter modum, & rationem bonum sibi consentaneum appetiisse autumant; pertinere autem hoc peccatum ad superbiam amplo quodam modo sumptam; propriè tamen appetitionem fuisse boni delectabilis, & spiritalis oblectationis, atque ita referri ad nimiam voluptatis cupiditatem, quam spiritalem luxuriam appellant: inde tamen tamquam à capite plura profluxisse scelera contendunt, vt nimium amorem sui, effrænatam beatitudinis cupiditatem, ambitum, & præcellendi aliis appetitionem, diuinæ æqualitatis desiderium, dolorem quòd id assequi non posset, eo planè modo, quo Deus illud possidet, inuidentiâ diuinæ excellentiæ, iram aduersùs Deum, quem suæ improbæ cupiditati reluctari animaduertebat; contemptum denique, & odium Dei. Alij verò, præsertim recentiores, primum Angelorũ peccatum inuidiam fuisse affirmant aduersus hominum genus, siue quia ei beatitudinis æqualitatem inuiderint, siue quia vnionem hypostaticam appetierint, quam humanæ naturæ destinatam fuisse iniquè tulerint. Nec defuerunt, qui præcepti cuiuspiam Angelicæ naturæ impositi neglectum, & violationem peccantibus Angelis attribuant. Communis tamen Theologorum sententia asserit peccasse Angelos peccato superbiæ, vnde inuidentia orta sit tum contra hominem, cui eam beatitatem concedendam animaduerterunt, quam sibi absque meritis appetebant; tum etiam aduersùs Deum, quem tantæ maiestatis esse non ignorabant, vt ex suo scelere illustrior, gloriosiórque existeret.

i Scot. in 2. d. 6. q. 2. § quãtum ad secũdũ. & §. argumenta, in solutione primi. Bassol. ibid. q. 1. art. 3. §. ad primum diceretur, in solut. quinti. Lichet. ibid. q. 2. a. 2. Holcot in 2. q. 3. Nec multum ab hac sententia recedit Gabr. in 2. d. 6. q. 1. ar. 2. nisi quòd primo amorem amicitiæ propriè putat spectare ad superbiam.

XV.

Et profectò, nisi ego fallor, citra temeritatem negari non potest in primo Angelorum peccato intercessisse superbiam. Nam præterquàm quod miro consensu id Theologi [a] ducent in scholis, id etiam veteres Patres apertissimè tradunt. Athanasius [b] enim; *Satanas* (inquit) *non ob scortationem, aut adulterium, aut furtum deiectus est e cælo, sed superbia illum inde præcipitauit infra ipsam abyssum, cuius hæc verba fuêre: Ascendam, & ponam solium è regione Dei, & ero æqualis Altissimo; & ob hæc verba deiectus est, ignísque æternus illius hæreditas, & portio factus est.* Auctor [c] quæsti num ad Antiochum, quæ Athanasio inscribitur; *Fabulantur* (ait) *quidam eo quòd Adamum adorare noluerit, hominum autem stultitiam commenta sunt hæc. Diabolus enim antequam creatus esset Adam, cecidit, constat autem cecidisse eum propter superbiam suam.* Et in eandem sententiam Basilius [d]; *Eadem* (inquit) *ambitionis cupiditate, quam ipse initio habuit, velle similem esse Deo, hac rursus ad decipiendum nos vsus*, &c. Gregorius Nazianzenus [e] de Dæmone ita loquitur, *Supra suam dignitatem ausus est attollere contra Dominum omnipotentem ceruices erigendo, ac solium supra nubes moliendo.* Origenes [f] Diabolum Christo opponit, & Christum quidem vocat Principem virtutum, contrà Diabolum vitiorum, cui potissimùm Isaiæ [g] testimoniũ superbiam attribuit. Alibi [h] verò; *Quod ergo* (ait) *est peccatum maius omnibus peccatis? Vtique illud, propter quod & Diabolus corruit. Quod est hoc peccatum, in quo tanta sublimitas cecidit, ne etiam in iudicium incidas? Diaboli, ait Apostolus, inflatio, superbia, arrogantia peccatum Diaboli est, & ob hæc delicta ad terras migrauit de cælo.* Eodem modo loquuntur Chrysostomus [i], Epiphanius [k], Theodoretus [l], Cyrillus [m], Damascenus [n], Elias Cretensis [o].

a Magist. in 2. d. 6. cap. 2. Alber. 2. p. tr. 5. q. 21. m. 2. Altisiod. lib. 2. summæ tr. 2. c. 2. Alexand. 2. p. q. 98. m. 2. S. Thom. 1. p. q. 63. ar. 2. & ibi Caietan. Bonau. in 2. d. 6. ar. 1. q. 2. Ægid. ibid. q. 1. ar. 2. ta cor & dub. literæ. Richar. a. 1. q. 2. & 2. Durand. q. 1. a. 2. Argent. q. 5. a. 2.
b l. de Virgin.
c quæst. 6.
d Homil. quòd Deus nõ est auct. mal. ver. fin.
e Orat. 1. de pace, fiẽ & in Or. de Natal. & Orat. de Pasch.
f Hom. 12. in Num.
g cap 14.
h Hom. 9 in Ezec. Simil. habet lib. 2. periarc. c. 5.
i Hom 3 de ver. Isa. Homil. 6. in varia loca Matt Hom. 8. & 15. in Ioan. Hom. 29 in Acta Apost. lib. 1. de compon. cord.
k Hær. 64.
l in Ezech. cap 28.
m lib. 1. in Genes. post med. & in Isa. cap. 14.
n lib. 2. de fide cap. 4.
o ad Orat. 3. Greg. Naz.

Inter Latinos autem Ambrosius [p]; *Ipse* (inquit) *Diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam.* Alibi [q]; *Siue* (inquit) *in lapsu Diaboli, siue in præuaricatione hominis initium peccati superbia est.* Et Hieronymus [r]; *Iudicium Diaboli nullum est aliud, nisi superbia, propter quam de cælestibus cecidit.* Augustinus [s] idem frequentissimè inculcat; Gregorius [t] idem etiam pluribus locis perspicuè docet. His addo Prosperum [u], Cassianum [x], Isidorum [y], Leonem [z], Anselmum [a], Bedam [b], Bernardum [c], Sedulium [d], Primasium, Fulgentium [e]. Huic sententiæ sacræ literæ non obscurè suffragantur, tametsi plurima testimonia non tam literali, quàm mystico, & allegorico sensu explicari solent. Quod enim legitur in libro Iob [f], *Omne sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ*; vt ad literam de Behemot intelligatur, meritò tamen de Diabolo accipitur, vt eo loco obseruat Nicetas, quippe ille superbiæ, atque arrogantiæ principatum gerit. Mysticus autem sensus, vt alibi docui, tametsi per se ad faciendam fidem non magnam vim habet, si tamen aliunde auctoritatem nactus sit, non paruni valet ad dogmata confirmanda. Qua ratione Paulus Apostolus præsertim in Epistola ad Hebræos, non rarò ex hoc mystico sensu argumentatur. Illustrius autem testimonium censetur quod legitur apud Isaiam [g]; *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo; In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis*

XVI.

p in Ps. 118. serm. 7. & ser. 16. & in Psal. 36.
q epist. 84. ad Demetr.
r l. 2. in Isa. c. 3. idem repetit Ezech. 28. & epist. ad Antan.
s l. de salut. doct. c. 18. Tract. 49. in Ioan lib. 12. de Ciuit. c. 6. l. 14. de Ciui. c. 3. l. 11. de Gen. ad lit.

cap. 14. & 15. t l. 3. Mor. c. 18. alias 23. l. 4. c. 17. aliàs 14. l. 25. c. 7. l. 34. c. 24. 25. 16. 17. 2 p. Past c. 6. l. 4. regest ep 38. u l. 1. de vita contemp. c. 3 & l. 3. c. 2. x Coll 8 c. 10 y l. 1. de sum bon c 12. z ep. 91 c. 6. & ser 4 de collect. a lib. de casu Diab. c 4. b Tomo 8. q. 9. c ser. 1. & 2. de aduent. ser. 17. de 24. in Cant. d ad Rom. 1. e l. 1. ad Monim. f cap. 41. 25. g cap. 14. 12.

similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.

A

XVII. Fateor quidem non videri omnino certum, quod Origenes [a], Tertullianus [b], aliique recentiores affirmant, verba illa Prophetæ ita propriè ad Diabolum pertinere, vt in alium cõuenire nulla ratione queant. Nam si spectentur ea, quæ toto illo capite à Propheta commemorantur, apparet totum illud vaticinium ad Nabuchodonosorem Regẽ Babylonis pertinere, idque sensu literali, ac proprio; tametsi sensu mystico, & allegorico de lapsu Diaboli à plurimis sanctis Patribus [c] explicetur. Certè Augustinus [d] sequutus septimam Ticonij regulam, quæ Regi Babylonis tamquam Diaboli membro tribuuntur, ipsi Diabolo tamquam capiti accommodat. Quod ipsum faciunt Hieronymus [e], Cyrillus [f], & alij [g]. Nec dubito propheticam orationem, quamquam metaphoris illustrem, Regi Babylonis non tamen sine hyperbole optimè congruere. Sed cum mysticus sensus communi fermè sanctorum Patrum consensu iam pridem receptus sit, ad probandum Diaboli peccatum non penitus videtur contemnendus.

B

a lib. 4. perarc. cap. 2. b lib. 5. cõt. Marc. c. 17. c Orig. l. 1. periar. c. 5 & l. 8. in epist. ad Rom. c. 10. Euseb. l. 4. Præpar. Euang. c. 9. Athanas. de Pass. & Cruce Christi. Cyril. Isa. 14. Ambros. in Psal. 118. ad ill. verb. *Increpasti superbos*. Item que ad illa; *suscipe seruũ tuum in bonũ*. Prosper in dim. têp. c. 12. Greg. l. 1. Reg. cp. 30. Bernard. ser. de S. Benedic. & ser. 8. in octau. Pasch. d lib. 3. de doct. Christ. c. 37. Eadem habet l. 11. de Gen. ad lit. cap. 24. e Isa. 14. f Ibidem. g Aymo Isa. 14.

Aliud persimile testimonium legitur apud Ezechielem [h]; *Tu signaculum* (inquit) *similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore in delicijs Paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus, aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es præparata sunt. Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuẽta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte Dei, & perdidi te, ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum, & eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Quem sanè locum Tertullianus [i], & Origenes [k], ita de Diabolo accipiunt, vt alia ratione explicari posse negent. Hieronymus [l] autem, Theodoretus, & Ambrosius [m] proprio, & literali sensu totum illum locum ad Regem Tyri referunt, mysticè, & allegoricè ad Diabolum. Nec dubito eodem modo loqui Gregorium [n]. Augustinus [o] verò, & Cyrillus [p] contendunt non posse locum illum propriè de Diabolo explicari, quippe ea omnia, quæ ibi à Propheta commemorantur, non sine metaphora, atque hyperbole ad Regem Tyri pertinent, qui supra modum elatus iusto Dei iudicio de summo quodam felicitatis statu deiectus est.

C

D

XVIII. h cap. 28. 12. i lib. 2. cõt. Marc. c. 10. k lib. 1. periarc cap. 1. l Ezech. 28. m lib. de Parad. c. 2. n l. 13. Mor. cap. 18 alias 24. & 25. o lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 25. p lib. 3. in Ioan.

XIX. Verùm ego non dubito eadem planè ratione, qua superiorem illum locum, posse hoc totum vaticinium casui Diaboli accommodari, accedente præsertim plurium Sanctorum auctoritate, alijsque Scripturæ testimonijs, quæ initium omnis peccati superbiam fuisse docent. *Initium* (inquit Sapiens [q]) *omnis peccati superbia*. Peccatum verò superbiæ proprium esse Dæmonis indicat Paulus, cùm ad Timotheum [r] scribit; *Ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.* Nondum tamen satis liquet, quonam superbiæ genere lapsus sit Dæmon, cum plura eius vitij seu genera, seu formæ recenseantur [s]. Neque verò inficiandum est, in Dæmonis lapsu plura intercessisse peccata, vel plures certè improbitatis formas, quod, vt supra iudicaui, viri docti contendunt, ne repugnante quidem Beato Thoma, qui in Angeli lapsu præter superbiam, inuidiam, & odium Dei admittit. Neque enim verisimile est, statim post primum peccatum fuisse Dæmonem vsque adeo in scelere obstinatum, vt resipiscere nulla ratione potuerit; cum primùm quidem idcirco lapsus esse videatur, quod nonnulla neglexerit, quæ maximè obseruanda erant, deinde

E

q Ecclesi. 10. 15. r Epist. 1. cap. 3. 6. s Greg. l. 23. Mor. cap. 7. D. Thom. 2. 2. q. 162 ar. 4. Aug. l. 11. de Gen. ad lit. cap. 14. & 15.

A

verò prudens, ac sciens conceptum facinus auxerit, & nouo quodam improbitatis genere locupletarit.

XX. Et siquidem dicendum est quod sentio, primum Dæmonis peccatum nimium fuisse crediderim amorem sui. Cùm enim peccatum functio quædam sit voluntati, ad amorem, aut odium necessario referendum videtur. Quemadmodum autem Philosophi affirmant, affirmationem priorem, & antiquiorem esse negatione, non aliter existimandum est, amorem priùs à voluntate concipi, quàm odium. Neque verò eum amorem ad appetitionem, aut concupiscentiam refero, sed ad amicitiam, ad quam tamquam ad finem omnes voluntatis affectiones spectant. Porrò si Dæmon amore amicitiæ Deum complexus esset, non modo nullo fuisset scelere inquinatus, sed omni ex parte officio satisfecisset. Nec facilè quisquam creatam naturam excogitare poterit, quam amore amicitiæ dilexerit Dæmon, cum præsertim, vt Aristoteles docet, amicitiæ amor primùm ad se ipsum, quàm ad alia referatur.

B

XXI. Itaque peruersè se ipse dilexit Dęmon, seque adeo non leui piaculo obstrinxit, quod apertè asserit Augustinus [a]; *Peruersus enim* (inquit) *sui amor priuat sancta societate turgidum spiritum.* Alibi [b] verò duos ait amores parere duas ciuitates; *Nam terrenam facit amor sui vsque ad contemptum Dei; cælestem amor Dei vsque ad contemptum sui; illa in se ipsa, hæc in Domino gloriatur.* Accedit quod, vt ibidem affirmat Augustinus, vltroque fatetur Anselmus [c], Diabolus vltra modum propriam excellentiam amauit, atque appetijt; hic autem amor cum sit amor concupiscentiæ, oritur necessariò ex peruerso amore amicitiæ, quo se ipse Dæmon dilexit; vt minimè necesse sit, hos duos amores inter se distinguere, quasi sua cuique, ac propria fuerit annexa malitia, quod in humanis actionibus apertè deprehenditur. Nec dubito huic sententiæ mirum in modum fauere non ita pridem sanctorum allata testimonia.

C

a lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 15. Idem dicitur c. 13. & 14. b lib. 4. de ciuit. c. 28. c lib. de casu Diab. c. 4.

XXII. Neque verò iis assentior, qui hunc præposterum amorem sui cum effrænata propriæ excellentiæ cupiditate ad spiritualem luxuriam referunt, tum quia id vitij propriè in Venereis voluptatibus inest, quæ in Angelicam naturam cadere neutiquam possunt, tum quia non spectauit Dæmon rationem oblectabilis, sed potiùs suæ naturæ congruentiam, & vt demus captum illum fuisse nimia oblectationis cupiditate, quis non videt id latiùs patere, quàm vt impuræ voluptatis pomerio includatur? Quid enim, quæso, lurcones, ebriosi, auari denique spectant, nisi eam voluptatem, quam ex cibo, potu, & diuitiarum vsu percipere se posse spectant? At quis ita desipiat, vt hos omnes impuræ libidinis insimulet? Quid verò aliud spectant, qui venationem, aucupium, & piscationem miro quodam studio sequuntur, præter vnam voluptatem? At nemo illos impuræ voluptatis amatores dixerit. Quamobrem placet cum Augustino peruersum hunc amorem sui, & effrænatam propriæ excellentiæ cupiditatem, verè, ac propriè superbiam appellare. Is enim [d] nullum ait alium fuisse in Angelo nisi excellentiæ appetitum, illúmque propriè esse superbiam. Alibi [e] superbiam definit propriæ excellentiæ amorem. Rursus [f]; *Quid est autem* (ait) *superbia, nisi peruersa celsitudinis appetitus?* Et alio quodam [g] loco; *Habet* (inquit) *superbia quemdam appetitum vnitatis, & omnipotentiæ.* Et post pauca [h]; *Quid appetit superbia nisi potentiam, quæ refertur ad agendi facultatem?* Denique hoc semper insinuat [i]. Neque aliter sensisse videtur Basilius [k], superbum enim ait ex eo cognosci, si ea appetat, vnde cæteris superior sit; additque ad superbi curationem valere in primis remotionem quamdam appetitionis

D

E

d Hom. 53. de verb. Domin. e lib. 11. de Gen. ad lit. c. 14. Simil. lib. de Gen. cont. Man. cap. 5. f lib. 14. de ciuit. cap. 13. Idem colligitur l. 10. conf. c. 36. & deinceps. g l. de vera relig. c. 45. h cap. 52. i lib. 19. de ciuit. c. 12. k regul. breuior. c. 35.

appetitionis excellendæ. Et post multa [a]; *Superbus is est, qui in his, quæ habet, magnificè se iactat, & supra quàm est studet apparere.* Quæ cùm ita sint, meritò Augustinus superbiam omnium vitiorum matrem, atque originem appellat [b].

Superbiæ porrò peccatum consequutum est peccatum inuidiæ. Ita enim cum omnibus fermè scholasticis asserit D. Thomas, idque omnium fermè Patrum suffragio firmari potest. Ita enim loquuntur Iustinus [c] Martyr, Irenæus [d], Metodius [e]. Basilius [f] autem; *Inuidia* (inquit) *mala ad omnes penetrauerunt, quibus solis armis euersor vitæ nostræ Diabolus à mundi initio vsque ad sæculi consummationem omnes homines perire, & ad interitum deducere contendit. Nec mirum, vt qui per inuidiam, ac superbiam cecidit, nostra item pernicie gaudeat.* Indicat Gregorius Nyssenus [g], sic enim scribit; *Inuidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedien-*
XXIII. *tiæ causa, ignominiæ principium; inuidia enim nos longè exterminauit à Paradiso.* Et in eamdem sententiam Chrysostomus [h], *Diabolus* (ait) *qui adeo, & inuidia mouetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem collata sunt, & inuidia ad deceptionem extimulatus est.* Multis autem interiectis [i], quærens quomodo Angelus inuiderit homini; *Videns* (inquit) *formatum hominem, & in corpore tantum honorem Conditoris beneuolentia sortitum, inuidia exarsit.*

Eamdem sanè sententiam plurimi Latinorum [k] magnopere probant. His tamen ita positis, nondum planè liquet, cuiusmodi fuerit Angelicæ superbiæ, atque inuidiæ materia. In ea enim re explicanda incredibile dictu est, quàm multæ sint, quamque inter se discrepantes sententiæ: sunt enim qui existiment Angelicam superbiam, eiusque sceleris labem in eo positam esse, quòd ille auso planè temerario diuinam æqualitatem propriè appetierit, siue naturæ æqualitatem spectarit, siue nonnullam similitudi-
XXIV. nem. Et priorem quidem opinandi rationem viri [l] docti probarunt, posteriorem sequuti videntur alij [m] non pauci. Fauent huic sententiæ nonnulli ex sanctis Patribus. Augustinus [n] enim Angelum ait recusasse esse subiectum suo Creatori, & superbia sua veluti priuata potestate elatum. Gregorius [o] autem Angelum peccasse ait, quòd sui iuris esse voluerit. Bernardus [p] verò; *Lucifer* (inquit) *ille, qui manè oriebatur, pro eo quòd Altissimi similitudinem vsurpare tentauit, & rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo (quod vtique Filij est) præcipitatus illico corruit.* Et alibi [q] his verbis Dæmonem affatur, *Tu rapinam cogitans æqualis Deo, Filio gloriam inuides, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Quo loco, vt apparet, de Christi diuinitate loquitur. His consentiunt, quæ scribit Rupertus [r], qui Angelum affirmat æqualitatem Dei appetiuisse, seque cæteris proposuisse adorandum, idque Ezechielis [f] testimonio probat. Nec magnopere dissentit Lactantius [t].

Cæterùm quoniam, vt paulò antè indicaui, cen-
XXV. suerunt nonnulli [u] fuisse Angelis propositum præceptum, cui Lucifer cum suis obtemperare contempserit. Si quæras, quale tandem præceptum fuerit Angelis diuinitùs impositum, pauci quidam respondent, imperatum fuisse Angelis, vt humanam Christi naturam religiosè colerent, & adorarent, & tamquam caput agnos[...] quæ videtur quorumdam Hebræorum [x] senten[...] enim, cùm Deus im-

A mortalis hominem ex nihilo creasset, omnes ad se Angelos aduocasse, eis[que] præcepisse, vt illum adorarent, & bonos quidem Angelos paruisse, malos autem renuisse, quòd ipsi præstantioris naturæ, ac dignitatis essent, Deum verò respondisse maiori sapientia præditum esse hominem, quàm Angelos. Hæc porrò sententia, seu potius figmentum legitur in Alcorano [a]; videturque, ni fallor, confutari ab auctore [b] quæstionum ad Antiochum, quæ tribuuntur Athanasio. Ait enim figmentum esse, peccasse Luciferum, quòd voluerit hominem adorare; suspicor autem legendum esse, noluerit, vt ad hanc sententiam alludat; nec facilè credendum est, superbiæ, atque arrogantiæ auctorem idcirco peccasse, quòd sese homini sponte subdiderit. Porrò recentiores [c]
B quidam, quod de hominis cultu, eiusque sapientia dicitur, ad vnius Christi humanam naturam referunt, & Luciferi peccatum perinde accipiunt, quasi ille vnionem hypostaticam humanum generi inuiderit, eamque sibi imprudenter appetierit, atque idcirco Christo homini tamquam capiti, gratiæque auctori cultum, ac venerationem detrectarit. Falsò tamen, ac parum scitè tribuitur hæc sententia Origeni, qui alicubi [d] ait, *Angelos ascendere, nisi extendant manus, vt apprehendant Iesum.* Fabulatur enim more suo, multaque absurda scribit de Angelorum atque Dæmonum peccatis, vt alibi planiùs docui.

C Nescio autem vtrùm re ipsa, an tantùm ratione dicendi discrepent ij [e], qui Angelos peccasse primùm asserunt, quòd aliis præesse propria auctoritate voluerint. Certè à D. Thomæ sententia non longè abeunt, qui peccasse Dæmonem ait, quòd præposterè beatitudinem appetierit, siue quia naturalem beatitudinem tamquam vltimum finem adamarit, & in ea penitùs conquieuerit, nihilque de supranaturali cogitarit, aut illam certè penitus contempserit, atque similitudinem Dei affectasse dicendus sit, quod suapte natura non aliter ac Deus voluerit esse beatus. Quod non semel docuit D. Thomas [f]; quem alij non pauci sequuntur, siue quià supranaturalem beatitudinem propriis viribus absque auxilio gratiæ sperarit, quod idem D. Thomas [g], aliique [h] insinuant. In hac autem tam multiplici sententiarum varietate difficillimum est statuere,
D quid verissimum, aut probabilissimum videatur. Sic tamen primùm statuo, potuisse quidem Angelum peccato superbiæ, atque inuidiæ hypostaticam vnionem appetere, si præsertim eorum sequamur sententiam, qui incarnationem Christi etiam secluso primi parentis peccato simpliciter futuram fuisse non dubitant. Potuit enim Dæmon siue contra Dei præceptum vnionem hypostaticam expetere, siue cum humanæ naturæ contemptu, aut diuinæ prouidentiæ tacita quadam reprehensione, quasi sibi iure debitam flagitare, quod procul dubio ad superbiam, atque inuidiam pertinet.

Admissa autē Diui Thomæ sententia, qui circumscripto peccato, Christi incarnationē futuram fuisse
E negat, cum ea sit Angelorum, ac primorum parentum peccato posterior, nulla ratione credendum est, eam Angelici peccati fuisse materiam. Necesse est enim priùs fuisse Angeli, atque hominis peccatum diuina prænotione conceptum, quàm Christi incar-
XXVII. natio decerneretur; nisi quis dicat, potuisse Deum gratiam Angelis, hominibusque decernere certa quadam quantitate definitam, in qua tamen viderit, vtrosque peccato inquinandos, tum ad hominum salutem destinasse Christum, ac statuisse, vt ipsius merito vtraque natura gratiam consequeretur, sed Angeli boni quidem Christi humanam naturam venerarentur, contra mali inuidiæ stimulis agitati

cultum

a Reg. 35. Simil. habet in admon. ad filiū spiritualem Homil. de humil. Hom. de iudi. Dei. b lib. 11. de Gen. ad lit. c. 14. l. 12. de ciuit. c. 6. de salut. doco. c. 19 tr. 25. in Ioan. Hom. 45. de verb. Dom. ser. 90 de tēp. Anct. ser. ad fratr. in Eremo ser. 25. c Dial. cum Tryph. d lib. 4 c. 78. & lib. 5 ferè medio. e apud Epiph hær. 64. f Hom de inuid. simil hom. 25 quæ est in aliqua Scripturæ loca g lib. de vita Mos. h Hom. 19. in Gen. i Hom. 22. Simil. hom. 3. in Matth. & hom 55. ad pop. Antiochen. k Tertull. lib. de præscrip. Cypr. de zel. & liu. de bono patiē. de tent. Christ. Aug. ep. 48. l. 3. de l. arb. c. 25 l. cont. Iud. c. 2. l. 4. de ciui. c. 14. de salut. docum. c. 19. l. 6. c. 6. Iulia. l. 11 de Gen. ad lit. c. 14. & 15 Greg lib. 5 Mor. c. 32. & 33. Bernar. ser. 1. in octa. Pasch. & serm. 17. Cāticorum. l Scot. in 2. d 6. q. 2. dub 2. Aureol. apud Capre. in 2. d. 4. q. 2. Gabr. ead. d. q 2. a. 3. d. 2. Maior q. 1. Bassol q. 1. §. quia tamen ad primum.

a cap. 17. & 48. b quæst. 6. c Viguer. instit. cap. 3. Guil. Paris. l. 2. de vniu. qui eā tribuit Bona. Carth. in 2. d. 5. q. 1. qui laudat Alb. in d. 5. Cate. de glo. bon. Ang. & lap. mal. & in Gen. cap. 3. Nāclaur in ep. ad Ephe. & alij non pauci. d Hom. 31. in Luc. XXVI. e Bonao. in 2. d. 5. fauet Greg. loc. indicat, & Anselm. de casu Diab. cap. 4. f in 2. d. 5. q. 1. ar. 6. q. 16. de malo ar. 3. lib. 3. cont. Gent. c. 109. Hēr. quodl. 8 q 11. Caie. & Ferrar. fauet Isid. l. 1. de sum. bono c. 12. g locis citatis. h Capreol. in 2. d. 4. q. 2. Eruæus d. 5. Richa. ibid. Carth. ibid. qui citat Præposit. Altisiod. & Albert. & forrè hoc voluit Alex. Alens. fauet Damascen. lib 2. c. 4. & Ansel. lib. de casu Diab. cap. 4.

m Alex. Alens. 2. p. q 98 m. 3. & q 109. a 2. m 2. & 3. Alber. in 2. d 5 a 3. Bonau. 2. 1. q 2. Ægid. q 1. a. 2. Eruæus q. 1 a. 3. Dura. q. 3. n. 13. Marsil. in 2. q 5. a. 2. conc. 7. Capreol. 2. d. 4. q. 1. a. 1. conc. 2. & 3. 5 in sol. 1. & 2. con. 2. concl. Ferr. 3. con. gent. c. 109. §. sed cōtra prædicta. Guilel. Paris. par. 1. 2. par princip. de vniu. c. 109. Lyran & Burgen. Isa 14. n lib. 11. de ciuit. c. 13. o lib. 32. mor. c. 26. & l. 34 c. 14 p Ser. 1. de aduent. q Ser. 2. in oct. Pasch. r lib. 1. de vict. verb. Dei. c. 8. 9. 10. 11. 12. f cap 28. 29. 31. t lib. 2. de diu. inst. c. 2. u Dur. in 2. d. 5. q 1. x Rabi Moses apud Gal. l. 7. c 4.

cultum illi, ac venerationem denegarent. Quod tamen non satis est diuinæ prouidentiæ consentaneum, cùm videatur suspensam quandam, & veluti ancipitem in Deo cogitationem admittere, qua viderit Angelum hoc, vel illo modo peccaturum, & hunc peccandi modum alteri prætulerit. Quocirca quicquid recentiores contrà disputent, constanter affirmo, neminem ex antiquioribus Theologis docuisse, vnionem hypostaticam peccati Angelici fuisse materiam. Fateor quidem, vt suprà etiam indicaui, non ignobiles Theologos existimasse, inuidisse Luciferum humano generi, eoque piaculo antequàm damnaretur, fuisse inquinatum. Sed ea inuidia humanæ naturæ nobilitatem, eximiaque Dei munera spectabat, vnionem hypostaticam ne attingebat quidem.

XXVIII. Itaque Irenæus [a] explicans parabolam zizaniorum; *Ex tunc enim* (inquit) *apostata est Angelus hic, & inimicus, ex quo Zelauit plasma Dei, & inimicum illum Deo facere aggressus est.* Et alibi [b]; *Inuidens homini apostata à diuina factus est lege, inuidia enim aliena est a Deo, & quoniam per hominem traducta est apostasia eius.* Quæ verba miror ab iis non fuisse obseruata, qui etiam Hebræorum fabulas consectantur, facilè enim hinc colligere potuissent, quia cùm Angelus peccando à Deo recessit, nondum erat homo creatus, non potuisse Angeli inuidiam aliud spectare, quàm humanam Christi naturam, quæ etiam consentiente D. Thoma diuinitus Angelis est patefacta. Sed re vera loquitur Irenæus de homine, atque humana natura in se ipsa spectata; subdit enim, *apostasiam quidem Angeli à Deo alienatam, eum verò, qui inobedientiam receperat, id est, hominem, fuisse diuina miseratione liberatum.* Nec dubito eodem modo accipienda esse, quæ scribunt Iustinus [c], Methodius [d], & Chrysologus [e]. Eodem procul dubio spectant Tertulliani [f] verba. *Igitur* (inquit) *natales impatientiæ in ipso Diabolo deprehendo iam tunc, cùm Dominum Deum vniuersa opera, quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini subiecisse, impatienter tulit. Nec enim doluisset si sustinuisset: nec inuidisset homini, si non doluisset: adeo decepit eum, quia inuiderat, inuiderat quia doluerat, doluerat, quia patienter vtique non tulerat. Quid primùm fuerit ille Angelus perditionis malus, an impatiens, contemno quærere, palam cum sit impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam.* Eodemque modo loquitur Cyprianus [g]; *Hinc Diabolus inter initia statim mundi, & periit primus, & perdidit ille Angelica maiestate subnixus, ille Deo acceptus, & carus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum deiiciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante deiectus, captiuus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum stimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipse quoque id, quod prius fuerat, amisit.*

a lib. 4. c. 78.
b lib. 5. c. 24.
c in Dialogo cum Tryphone
d apud Epipha. hær. 64.
e serm. 48.
f lib. de patient.
g serm. de zelo, & liuo. in princ.

XXIX. Nituntur certè non pauci hæc de humana Christi natura explicare, cum tamen meridiana luce clarius cõstet, Tertullianum, & Cyprianum de homine decepto loqui. Christus autem neque deceptus est, neque decipi vlla ratione potuit. Vterque autem pro certo ponit, eodem crimine Diabolum & à diuina gratia cecidisse, & hominem in fraudem pellexisse; vnionem verò hypostaticam, aut Christi incarnationem ne eminus quidem eorum verba indicant. Neque aliter accipio, quod ex sententia Procli scribit Epiphanius [h]; *Hic verò* (ait) *violatus & prauus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit.* Paulo autem post; *Erat lucis fydus matutinum, sed excidit, & in terram contritus est, vbi procreasset homines contraria.* Et plura deinceps etiam carminibus prosequitur, quæ pertinent ad improbitatem Dæmonis erga mortales declarandam. Ex qui-

h Hæres. 64.

A bus perspicuè liquet, nihil hos Patres de Christi incarnatione leuiter indicare, sed vt in re obscura non ita perspicuè de Angelorum peccato loqui, cum nonnulli videantur indicare Dæmonem tum primum peccasse, cùm hominem aggressus est.

XXX. Verùm quoniam tamquam præcipui huius sententiæ auctores laudantur Basilius, & Bernardus, videamus, si placet, quid isti dicant. Et ille quidem, nisi mea me fallit opinio, non de primo Angeli peccato loquitur, sed de inuidia disserit, qua post inflictam suæ damnationis sententiam genus humanum oppugnare cœpit, de incarnatione verò ne verbum quidem facit. Cum igitur docuisset [a] Diabolum sua B culpa cecidisse; *Quonam* (inquit) *vnde illi sit contra nos bellum? Quoniam cum omnis ille malitiæ promptuarium exsisteret, inuidiæ quoque morbum in se recepit, & inuidit nobis illatum honorem, nec facilè tulit vitam in Paradiso beatam ducere. Quamobrem dolis hominem aggressus eadem ambitionis cupiditate, quam ipse ab initio habuit, velle similem esse Deo, hac rursus ad decipiendum nos vsus lignum ostendit,* &c. Tum concludit. *Non inimicus igitur à Deo nobis constitutus est, sed ipse ex inuidia sese nobis opposuit.* Quæ verba apertissimè indicant, primum Angeli peccatum fuisse ambitionem, ac superbiam, deinde cum sese sempiternis cruciatibus addictum animaduerteret, inuidiæ stimulis agitatus; *Animad-* C *uertens* (inquit) *se ex Angelorum ordinibus expulsum, non tulit terrenam creaturam ad Angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari.* Et in eamdem sententiam alibi [b]. *Quid enim* (ait) *principem malorum Dæmonem ad bellum aduersus hominem internecinum impulit? Nonne inuidia? per quam & Deo aduersari palam deprehensus est: dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidiis petiit hominem.*

a Homil. quòd Deus non est auctor mali.
b lib. 11. de inuid.

XXXI. Rursus alibi [c] de inuidia ita planè disserit. *Ipsa namque proprium est Diaboli vitium; non enim Diabolus statim creatus est Diabolus, sed cum Angelicam potestatem accepisset, in Dæmonis naturam conuersus est, & factus iniquus Dæmon: hac enim iniquitate imbutus, & à Dei familiaritate alienatus, ac ad partes defectionis conuersus, postquàm vidit hominem paruum quidem animal supra omnem creaturam honoratum, cum esset antiquior homine, facilè con-* D *spexit, solum hominem manibus Dei plasmatum esse, cætera verbo tantum procreata, huic et honorem inuidit.* Tum multa subdit de hominis imperio in omnia creata, de vita beata, & familiaritate cum Deo, & mox addit. *Vt igitur agnouit hominem, vbi vidit tam exile animal ad Angelorum dignitatem a Deo vocatum, & per virtutem, modestiamque vitæ conuersationem ad vitæ perfectionem tendentem, inuidus motus eum per insidias aggredi cogitauit.* Quibus sanè verbis etiamsi de incarnationis mysterio loqueretur, tamen inde nihil haberent aduersarij, quo se, suaque placita tuerentur. Constat enim loqui Basilium de inuidia Dæmonis, qua post damnationem suam aduersus genus humanum incitatur. Ac de Basilio quidem satis dictum videtur, sequitur vt de Bernardo, qui præcipuus huius sententiæ assertor putatur, pauca deinceps dicamus.

c Hom. 11. in aliqua script. loca.

XXXII. E Igitur alicubi [d] hunc in modum scribit. *Putasne Lucifer ille, qui manè oriebatur, sed præproperè eleuabatur, antequam verteretur in tenebras, generi nostro inuiderit, & ipso olei effusionem, vt per se ipsum iam tunc indignabundus mussitaret, dicens intra se [illegible], vt quid perditio hæc? hoc ego non assero [illegible] Sponsum, sed nec contradicere dico, nescio enim. Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putatur) plenum sapientia, & perfectum decore homines præscire potuisse futuros, & etiam profecturos in parem gloriam. Sed si præsciuit, in Dei verbo absque dubio vidit, sed in liuore suo tabuit, & molitus est habere subiectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura, non decet esse conciues, neque æquales in gloria. An forte*

d serm. 17. Cant.

fore prodit impiam hanc suae machinationem illa praesumpta ascensio sessioque significans magisterium? Et aliquantò pòst. *In caelo concepit dolorem, & in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiae, matrem mortis, & criminarum, omniumque prima parens superbia. Nam etsi inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum, initium tamen omnis peccati superbia.*

XXXIII. Non potest tamen in dubium reuocari loqui Bernardum de primo Diaboli peccato; ait enim inuidisse Daemonem, antequam verteretur in tenebras, hoc est, antequam vllo sese piaculo inquinaret. Illud verò fuit singularis sanctissimi viri modestiae, quod nihil ausus sit pro certo affirmare, sed non sine formidine, ac dubitatione id tantùm indicauerit, quod fieri potuisse existimauit. Caeterùm visio verbi, quam Diabolo tribuit Bernardus, nō diuinae naturae intuitum, quem nūquam Daemon habuit, sed diuinam quampiam reuelationem significat. Quod verò caput est, & causam continet, nihil de vnione hypostatica aut Christi incarnatione loquitur, sed inuidisse ait Daemonem humani generis gratiae & gloriae. Denique apertè asserit, initiū peccati Angelici fuisse superbiā, vt appareat sensisse Bernardum, quod nos supra monuimus, cum superbia coniunctam fuisse inuidiam, quam non negarim peruisse humani generis dignitatem, atque praestantiam spectasse. Quocirca verissimè dictum est à nobis, neminem ex priscis Patribus hanc sententiam vel leuiter indicasse.

XXXIV. Sed vix credi potest, quàm multa recentiores ad hanc suam sententiam statuendam hinc inde colligant, quae quanti facienda sint, paucis indicare non grauabor. Principio igitur illud obiiciunt, quod est in libro Geneseos [a]; *Faciamus* (inquit) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quae verba Auctor [b] quaestionum ad Antiochum, quae Athanasij nomen praeferunt, de incarnatione Christi interpretatur, qua humana natura in diuina Christi hypostasi subsistit, quod etiam non obscurè significant [c] Origenes, Theodoretus, Hilarius [d], Ambrosius [e], Augustinus [f], Gregorius [g], Vgo [h] Victorinus, & Rupertus [i]. Inde colligunt, vnionem hypostaticā fuisse ante praeuisum peccatum praedestinatam. Sed tamen certissimum est, verba illa propriè de hominis creatione accipienda esse, accedēte praesertim Pauli Apostoli auctoritate, qui alicubi [k] Christum vocat Adamum secundum, additque priùs fuisse terrenum hominem, tum spiritalem. Alibi [l] verò non obscurè indicat Christi incarnationē humani generis lapsu posteriorem esse. *Quia pueri* (inquit) *communicauerūt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Quod si alibi [m] vocat Christum imaginem Dei inuisibilem, & primogenitum omnis creaturae, aliud quiddam spectauit, vt suo loco docui. Neque verò siquis admiserit incarnationem Christi ante peccati praenotionem fuisse praefinitam continuò fateri compelletur eius respectu, atque [illegible] Angelum peccasse.

a Gen. 1. 26.
b Quaest. 38.
c Genes. 2.
d lib. 5 de Trinit.
e lib. 6. in Exam.
f in ill. loc. Genes.
g lib. 6. Mor. c. 25.
h Genes. 1.
i lib. 2. in Genes.
k 1. ad Cor. 15. 45.
l ad Hebr. 2. 14.
m ad Coloss. 1. 15.

XXXV. Adducunt alij oraculum Zachariae [n], *Ostendit* (inquit Propheta) *mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat a dextris eius, vt aduersaretur ei.* Hinc enim colligunt, fideli Daemonem praecipuum humanae Christi naturae aduersarium, eamque ob [illegible] dibili quodam odio prosequi mo[illegible]s. Se[illegible] m fateat, non satis intelligo, quo[illegible] hi[illegible] entum pertineat. Agit enim Propheta de po[illegible] Iudaici periculo, aut etiam, vt interpretatur Gregorius, de ipsius perfidia, qua à Christo Domino segregatur; aduersari autem dicitur Daemon Christo liberatori, quia quantum potest, conatur, vt plurimos ab eo abducat. Quā ob causam haud abnuerim, Daemonē propter Christum acriter mortales insectari. Fatendū enim est, eum im-

n cap. 3. 1.

Bened. Iustinian. in Epyst. B. Iud.

A mortali odio Christum prosequi, à quo se videt superatum, & tyrannide deiectum. Haec autem omnia verè de Daemone affirmantur, vt res nunc sunt, nullo autem modo ad primum eius peccatum pertinent.

XXXVI. Sed vrgent ipsius Christi Domini verba apud Ioannē [a]. *Clarifica* inquit *me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset apud te.* Itemque diuinum illud responsum apud eumdem Ioannem [b]. *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Voluit enim Christum à Patre resurrectionis gloriam postulare, & Patrem eam polliceri, qua in omnia creata amplissimam potestatem accepit. Hanc verò claritudinem habuisse se dicit, *antequam mundus fieret*, idque non alibi, quàm in mente Angelica, cum iis mente B eius fidei luce propositus est, eamque ob causam a Patre clarificatus, qui rursus eadem illum claritudine illustrasse dicitur, cùm eum ab inferis ad superos reuocauit. Sed aut ego fallor, aut falluntur ipsi; ait enim Christus se eam habuisse claritudinem antequam mundus fieret, hoc est, antequam Angeli procreati essent. Itaque Augustinus [c] claritudinē intelligit aeternae praedestinationis, quasi Christus petat, & Pater item polliceatur aeterni decreti exequutionem, quo humanae Christi naturae resurrectionis gloria ante omnem aeternitatem fuerat destinata. Cum Augustino sentire videntur Chrysostomus [d], Hilarius [e], & alij [f]. Cyrillus [g] autem significari putat gloriam humanae Christi naturae diuinae personae respectu illi esse connaturalem, quod etiam locis indicatis signifi- C cat Hilarius, & viri [h] docti magnopere probant.

a cap. 17. 5.
b cap. 12. 18.
c tract. 105. in Ioan.
d Hom. 79. in Ioan.
e lib. 9. de Trin. & lib. de Patr. ac Fil. vnit.
f Xyst. Senen. lib. 6. biblioth. adnot. 214. & 215.
g lib. 11. in Ioan. c. 17.
h Rupert. l. 9. de diuin. offic. cap. 6.

XXXVII. At, inquiunt apud Ioannem [i] dicitur Diabolus *homicida ab initio.* Quoniam verò Christus reprehendit Iudaeos, quòd sibi mortem molirentur, ac propterea dicit, *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere*; colligunt ab initio Daemonem idcirco homicidam appellari, quòd Christi mortem appeteret, eiusque dignitati, ac diuinorum bonorum affluentiae inuideret. Sed quàm appositè hic locus proferatur, ex vera, & legitima verborum interpretatione apparebit. Augustinus [k] enim homicidam fuisse Daemonem affirmat, quia hominem in paradiso aggressus est, eumque sua fraude prostrauit, moriendique necessitati subiecit. *Ille* (inquit, *inuidit homini, & occidit hominem. Diabolus enim cum inuideret homini serpē*- D *te indutus locutus est mulieri, & de muliere venenauit & virum.* Eamdem explicationem sequitur Chrysostomus [l], *Interficere* (ait) *Diaboli a malitia opus est. Neq; enim simpliciter opera dixit, sed desideria, vt & illum, & eos maximè caedibus delectari, auctore inuidia significet. Nam cum nullam haberet praeter inuidiam causam, Adam perdidit.* Non me quidem fugit ea verba à nonnullis [m] referri ad odium, quo Diabolus Christum Dominum etiam ante hominem conditum prosequebatur. Sed stultum est spectare quid quisque dicat. Nam Auctor [n] quaestionum veteris, ac noui testamēti, quae tribuuntur Augustino, nomine Diaboli interpretatur Cainum, qui omnium primus homicidium patrauit.

i cap. 8. 44.
k tract. 42. in Ioan.
l Hom. 53. in Ioan.
m Rupert. l. 8. in Ioan.
n quaest. 90. & 98.

XXXVIII Sed Augustini sententia ab ipsomet alibi [o] confir- E matur, caeterisque omnibus probatur, vt Theophylacto, Euthymio, & aliis. Dicitur autē Daemō ab initio non stetisse in veritate, el rectitudine iustitiae, vt ait Chrysostomus; vel, vt interpretatur Augustinus, in Christo vel, vt alij [p] malunt, in veritate fidei; vel denique in veritate non stetisse dicitur, quia primus protulit mendaciū. Quod magis verba quae sequuntur, indicare videntur, *quia non est* (inquit) *veritas in eo, cum loquitur mendaciū, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Atqui aiunt, auctore Augustino, Christus veritas est; dicitur autem Daemon in veritate non stetisse, hoc est, recessisse à Christo, quia illum noluit venerari. Huc enim putant pertinere, quod ad

o lib. 11. de ciuit. c. 16.
p Caiet.

a epist. 2. c.10.7. Corinthios a scribit Paulus. *Arma (inquit) militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.* De tubi enim augumanti Dæmonis conatum aduersus Christum; altitudo namque se extollens Dæmon est, de quo ad
b cap.6.12. Ephesio. loquitur Paulus b; *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum,* &c. Scientia verò Dei, quæ à Dæmone oppugnatur, Christū significat, vt indicat Paulus, cùm ad Corinthios c
c ep.1 c.2.6. scribit. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et ad Colos-
d cap.1.9. senses d; *Docentes omnem hominem in omni sapientia.* Verùm hæc allegoricè, ac mysticè vtcumque ingeniosè dicuntur. Verè autem dicitur Dæmon in veritate non stetisse, & recessisse à Christo tamquam Deo, qui vt Deus est, verbū veritas, & sapiētia nūcupatur. Paulus autē loquitur de prædicatione, & Euāgelica doctrina, quā Dæmones, ac Principes Gētiles oppugnabāt.

XXXIX. Ex Paulo verò plura argumenta colligunt. Alicu-
a ad Hebr. cap.1.6. bi a enim ait. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Quo loco Chrysostomus, Ambrosius, D. Thomas, & alij, asserūt præceptū fuisse Angelis, vt Christi humanam naturam adoraret. Ait autem Paulus, iterū hoc factum fuisse, quasi fuerit antea factū, cùm illum Deus Pater Angelis proposuit beneficio adorādum. Sed de hoc loco plura diximus in eius Epistolæ explanatione.
f Hom. de Adam, & Eua. Certè Chrysostomus f absque positiuo præcepto Diabolū cecidisse affirmat. *Sine præcepto (inquit) cecidit irreparabiliter.* Et alibi g; *Factus ergo Angelus præceptū eis*
g Hom. de lap. primi hom. *nullū dedit.* Deinde particula illa, iterum, à nōnullis refertur ad diem extremum iudicij, cùm iterum veniet Christus tamquam iudex; vel ad diem Resurrectionis, cùm gloria immortalitatis circumfusus ad superos redijt; vel ad ipsam incarnationem, quæ ii cum æterna Verbi productione confertur, est veluti secundus quidam ortus; vel denique ad frequentem Christi prædicationem, qua iterum, atque iterum prophetarum, diuinorumque oraculorum opera Christus proponitur credendus.

XL. Ego, vt aliàs monui, simpliciter crediderim, vocē, *iterum*, ad continuandam argumentorum positam esse, ac si dixisset, præterea, vel ad hæc, vel quidpiam simile, quod præcipuè ex antecedentibus, & sequentibus deprehenditur, vbi frequenter repetitur, *rursum, iterum,* & similia. Semper autem Græcè legitur πάλιν. Atque idcirco rectè quidam hunc in modum interpretatur. *Rursum autem cum introducit primogenitum in orbem terrarum.* Sed non ita multo post de hu-
h ad Hebr. 2.7. mana Christi natura loquitur Apostolus h hunc in modum; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Tum addit. *In eo enim, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* Vnde colligunt, etiam Angelos fuisse Christo subiectos, cum eius fide diuinitus percepta eum venerati sunt, & ipsius meritis iustitiam adepti, ū tamquam principem, & iustorum omnium caput agnouerunt. Nam cum citra vllam dubitationem fuerint Angeli Christi fide imbuti, necesse est, eam fidem vegetam, atque actuosam fuisse, non otiosam, atque eluinbem, atque adeo Christi cultum ac venerationem peperisse. Sed mirum est, quemquam ex his verbis colligere posse, Angelos fuisse Christo subiectos cū apertè humanæ naturæ respectu dicatur Angelis aliquāto minor. *Minuisti* inquit *eū paulo minus ab Angelis.* Cū præsertim Paulus ipse addat; *Nūc autem nec dum videmus omnia subiecta ei.*

XLI. Quod verò dicitur de fide Christi, fateor nū fuisse illam languidam, & otiosam, quomodo ne sunt quidem otiosæ censendæ diuinæ reuelationes, quas

A Angeli quotidie percipiunt: fides autem quod maximè ad eius naturam pertinet, Deo fidei auctori, mentem, atque intelligentiam subdebat. Addo videri quidem omnino certum, fuisse ab initio Angelos fide incarnationis Christi prædi[ta]s. Chrysostomus a enim apertè negat fuisse hoc mysterium
a Hom. 7. ad Ephes. Angelis ab initio patefactum. *Mysterium namque* ait) *istud, quod fuerat ignorabant Angeli: nam si Principatus ignorabant, vtique multo magis Angeli. Nam & Archangeli non cognouerant: Neque etiam illi, vnde mysterium quo reuelante? Quando [d]eclarat illud nos cognouimus, cum per nos & illi.* Rursus [a]libi b. *Apparuit,* inquit *Angelis, ergo*
b Hom. 11. in 1. ad Timoth. 3. *& Angelis nobiscum viderunt Filiū Dei, quem antea non videbāt.* Quamquam fortasse hoc loco, vt etiam alibi c, loquitur de intuitu diuinæ substantiæ verbi. Certè
c Hom. 14. in Ioan.
B multis cōfirmat d, Apostolorū opera mysterium Christi
d Præfat. in Ioan. Angelos didicisse, & cōcludit. *Si igitur Principatus, Potestates, Cherubim quoque, & Seraphim hæc per Ecclesiā didicerunt, plane constat, ipsos Angelos* [illegible] *tione eius sese auditores exhibere.* [illegible] *Angeli dicti sunt* [illegible]

XLII. Eiusdem planè sententiæ astipulatores sunt e Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius. Neque aliter sensisse videtur Hieronymus f, de hoc enim Sacramento explicat verba Pauli, cùm ait. *Absconditū*
e ad Ephes. c. 3. & 1. ad Timoth.
f ad Eph. 3. *à seculis in Deo, &c.* (inquit) *quod in primis tempore tam soli Deo conformatum erat.* Et alibi g; *Hoc mysterium autem demum apparuisse Angelis, cum nascente Domino, cecinerunt; Gloria in excelsis Deo, & illi deinceps in deserto ministrarunt.* Planius autem explicans Isaiæ verba. *Interrogant* [illegible] *ait Angeli res nouitate perterriti; mysterium enim Passionis, & Resurrectionis Christi secundum Apostolum Paulum cunctis retro generationibus fuerat ignoratum.* Hic tamen non de incarnatione, sed de cruce agit, quam constat ante præuisionem peccati non fuisse destinatam. Eodem modo loquitur Cyrillus h.
g 1. ad Tim. 3.
C
h lib. 5. in Isa. tom. 5. & lib. de fide ad Reginas, ad illa verba Pauli 1. ad Tim. 3. apparuit Angelis. Iustinus i autem Martyr explicans verba Dauidis k. *Quis est iste Rex gloriæ? Quoniam enim* (ait) *qui in cælis erant principes, deformem eum sine honore, & gloria videbant, cum eum non agnoscerent, quærebant, quis hic est Rex gloriæ plenus?* Neque aliter loquitur Ambrosius l, ait enim Angelos non potuisse cognoscere hoc mysterium, nisi ex reuelatione; eam verò paulatim fuisse factam, vtitur que eiusdem Dauidis m testimonio, cùm
XLIII.
i in Dial. cum Tryph.
k Psal. 23.
l l. 4. de fide ad grat. c. 1.
D ait. *Tollite portas principes vestras.* Et alio n loco; *Dubitarunt* inquit *etiam Angeli cùm resurgeret Christus, dubitauerunt Potestas ex cælo cum videret quod caro in cælum ascenderet.* Denique cum loqueretur o de Iosepho Virginis Deiparæ sponso, negat illum incarnationis mysterium cognouisse, atque idcirco voluisse à se Virginem dimittere. *Quomodo ergo! ait homo potuit diuinum scire secretum, quod Angeli nesciebant.* Alia multa proferri possent ex Gregorio Nysseno, Beda, & alijs: sed hæc pauca indicasse [sufficia]nt, quæ non propterea allata sunt à me, vt negem Angelos habuisse Christi fidem, cum alia omnia alibi docuerim, sed vt ostendam quantopere veteres Patres ab hac recentiorum inuento abhorruerint.
m Psal. 23. 9.
n lib. de mysteri. initiatur cap. 7.
o de instit. Virg. cap. 5.

XLIV.
E Celeberrimum putatur Ioannis Apostoli p testimonium, describit enim bonorum, malorumque Angelorum prælium occasione mulieris excitatum, quæ infantem pariebat, [cui] Diabolus insidiabatur, vt eū vo[raret, quam]p[le]rique B. Virginem interpretantur, [alij] verò [Ecclesiam], quo maximè argumento recen[tiores] quidam triumphant. Et quidem prælium illud de lapsu Diaboli; qui sua dicitur cauda tertiam stellarum [partem traxisse], id est, Angelorum partem traxisse de cælo. Theologi non ignobiles explicant. Verùm antiquiores Theologi vaticinium illud ad futura referunt, non autem ad præteritorum narrationem, ferè enim de pugna loquuntur,
p Apoc. 12.
q Amodeus in sua Apocal. & Catec. de glor. bon. Ang. & lap. mal.
r Magist. in 2. d. 6 Henr. in sum. D. Thom. 1. p. q. 63. art. 6 & 7.

loquuntur, quæ est inter fideles, & Dæmonem, vt docet Augustinus [a], qui tamen mulierem Beatam Virginem, infantem verò Christum significare non negat, sed ad Ecclesiam, & fideles significandos trãsferri autumat. Gregorius [b] simpliciter Ecclesiæ pugnam cum Dæmone, & præcipuè cum Antichristo explicat. Idemque significat Beda [c], indicat Prosper [d], aliique non pauci.

XLV. Itaque hic Ioannis locus, qui plurimi fit à multis, parum ad rem pertinet, cùm non possit ad res præteritas transferri, sed de rebus futuris vaticinium contineat, quod quale sit, nonnisi diuina Spiritus luce cognosci, & comprehendi potest. Iam verò cum pro certo ponant, describi ab Isaia [e] Diaboli casum, ex eo loco constare aiunt, appetiuisse Diabolum sedere in monte testamenti, & Dei similitudinem concupisse; quæ aliter explicari nequeunt, nisi dicamus, expetisse Dæmonem vnionem hypòstaticam, sedere enim ad dexteram Dei Patris proprium est Christi. Ita enim loquitur Dauid [f]; *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis*. Et Christus apud Matthæum [g]; *Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*. Et Marcus [h]: *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei*. Denique Paulus [i]; *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis* Similitudinem autem Dei potissimum in vnione hypostatica sitã esse affirmát, qua natura assumpta ratione diuinæ hypostasis diuinã appellationé sortitur.

XLVI. Sed, vt supra monui, locus ille propheticus longè alium habet literalem sensum: & vt admittamus ad Diaboli casum pertinere, non dicitur Dæmon sedere voluisse ad dexteram, sed simpliciter sedere in monte testamenti. Alij autem permulti in regno Christi sedere dicuntur; nam in Apocalypsi [k] *in circuitu sedis sedilia viginti quatuor* fuisse dicuntur, *& super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorũ coronæ aureæ*. Et Christus apud Matthæum [l] pollicetur Apostolis sessuros illos *super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Quod si admittamus concupisse Dæmonem dextram assidere Deo, non propterea tamen cogimur affirmare, optasse illum vnionem hypostaticam; filij namque Zebedæi dexteram, & sinistram in regno Christi petierunt [m], qui de vnione hypostatica nõ cogitabant quidem. Ea enim loquendi ratio singularem quamdam, atque eximiam dignitatem, & excellentiam significat, quam potuit Dæmon appetere, etiamsi de vnione hypostatica nihil cogitaret. Similitudo verò Dei citra culpam appeti, atque haberi potest, præsertim imitatione, quomodo dixit Christus apud Matthæum [n]; *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Addo quòd, vt non ita multo post ostendam, pluribus aliis modis potuit Dæmon diuinam similitudinem concupiscere.

XLVII. At ab humana natura desumpto exemplo arbitrantur, vt primo Parenti impositum fuit præceptum, ita decuisse alicui præcepto [o] subdi Angelos; nullum autem fingi posse præceptum, quod Angelicam nobilitatem magis deceat, quam vt Christus Dominus proponatur adorandus. Sed primum, vt paulò antè docui, si diuina, & naturalia præcepta excipias, nullum præterea præceptum positiuum in Angelis admittendum censet Chrysostomus. Deinde [p] qui maximè probant præceptum rerum supranaturalium, fidei præceptum admittunt. Plurima autem pertinent ad fidem, quæ nullam cum incarnatione Christi cognationem habent; præceptum autem de Christo adorando Angelis imponi non potuit, nisi Christus etiam secluso peccato simpliciter venturus fuisset. Quod non modò non est certũ, sed omnium propemodum veterum Patrum sententiæ apertè repugnat. Adde quod hoc etiam præcepto admisso vix

Bened. Iustinian. in Epist. B. Iud.

a lib. 4. de symb. ad Catec. c. 1.
b l. 4. Mor. c. 13. lib. 32. c. 14 lib. 34. cap. 7.
c Apoc. 12.
d Dimid. temp. cap. 4.
e cap. 14. 12.
f Psal. 109. in princip.
g cap. 26. 64.
h cap. vlt. 19.
i ad Hebr. 1. 3.
k cap. 4. 4.
l cap. 19. 28.
m Matt. 20. 21.
n cap. 5. 48.
o Durand. in 2. d. 5. q. 1. Caiet. Gen. 2.
p Caiet. loc. iodic.

potest Angelici peccati natura explicari. Nam si Dæmon renuit Christum adorare, quòd ei adorationis cultum nequaquam deberi existimaret, turpi, planéque indigno errore lapsus est, cùm Deus humanæ naturæ copulatus sit cultu, ac veneratione dignissimus. Sin autem Deo indignum iudicauit, se prætermisso humanam sibi naturam hypostaticè asciscere, apertissimè falsus est. Quod quamquam in rebus supranaturalibus non videtur ab Angelica natura alienum, exigit tamen præcurrentem nonnullam voluntatis deprauationem, atque ita primum Angeli peccatum esse non potest.

XLVIII. An dicent, primam deprauationem voluntatis fuisse superbiam, qua se ipsum humano generi prætulit, digniorémque iudicauit, qui à diuina hypostasi assumeretur, vnde orta sit inuidia, & præcepti detrectatio, quo totum peccatum perfectum est? Verùm si primum illud iudicium, quo se Angelus vnione hypostatica digniorem, quàm hominem iudicauit, intra cognitionis fines claudebatur, non modò verum, ac certum erat, sed omni penitùs culpa vacabat: natura enim Angelica, si per se spectetur, cùm est homine nobilior, tum æquè potuit à verbo assumi. Sin autem practicum iudicium erat, & diuinam præfinitionem damnabat, cæco profectò errore Angelus labebatur, ac propterea præcurrentem deprauationem postulabat, quæ non facilè indicari potest, cum infinita quæstio instituenda videatur. Itaque aiunt iudicium illud fuisse in sola cognitione positum, & seclusa præfinitione diuina, omnino verum, in eo tamen spectata suæ naturæ nobilitate, nimiùm sibi placuisse, & vnionem hypostaticam quasi sibi iure debitam immoderatiùs appetiuisse. Quod si negem accidere potuisse, planè desipiam; sed ita factum esse nego vllo certo, aut probabili argumento firmari. Qua in re subtiliter vltro citróque quæstio inter Theologos agitatur; neque in præsentia ea curiosiùs inuestiganda videtur.

XLIX. Iam verò quod addunt ad extremũ, nullam prorsus afferri legitimam rationem, cur tantopere Dæmon hominum genus insectetur, & vexet, nisi eum dicamus ob tam singulare beneficium humano generi concessum inuidiæ stimulis agitari, omniaque tentare, ac moliri, vt quando incarnationem Christi humano generi eripere non potest, plurimos tamen eius fructu, atque vtilitate spoliet. Sed nihil est, cur inuidiæ, atque odij causam curiosiùs inuestigemus, cum ex iis, quę paulò antè veterũ Patrum testimonio confirmauimus, luce clariùs cõstet, plurima supranaturalia beneficia humano generi Dæmonem inuidisse, cùm priùs tamen graui superbiæ scelere obstrictus esset. Inde verò maximum odij incremẽtum accessit, quod primo Parente in fraudem inducto, diuinitùs dictum [a] est Dæmoni, qui in serpente latebat; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*. Tunc enim incarnatio Christi promissa est, dicitúrque propriè Christus semen fœminę, cuius vi, atque auctoritate omnis Dæmonis conatus facilè reprimi, penitúsque restingui potest. Verba enim illa ad Virginem, & Christum pertinere communis est priscorum Patrum [b] sententia. Et quidem agi de singulari quadam fœmina, quæ serpentis caput contereret, plurimorum [c] sententia confirmatur. Propriè verò eum locum ad Virginem Deiparam referendum esse non pauci [d] asseuerant. Inde igitur magnopere creuit Dæmonis odium in hominum genus, quod vehementer cuperet, plurimos mortaliũ à beata vita abducere, & ad sempiterna supplicia pertrahere.

L. Quæ cũ ita sint, satis, vt arbitror, ostẽsum est, recentiorum sentẽtiam nullo stabili, aut firmo fundamẽto niti. Superest, vt quoniam supra [e] docuimus, primùm

a Gen 3. 15.
b Irenæus lib. 4. c. 78. Hieron. in qq. Hebr in Gen. Chrysost. Euche. Rupert. Raban. in ill. loc. Leo ser. 2. de Nat. Dom.
c Chrysost. hom. 17. in Gen. Ambr. de fuga sæc. c. 7. Aug 12. de Gen. ad lit. c. 36 & l. 2. de Gen. contra Manich. cap. 18. Greg. 1. Moral. c. 38. Eucher. lib. 2. de Gen. c. 29 Bernard. de ver. Apocal. signum magnũ. Beda, & Raban. in eum loc.
d Auct. ep. de viro perfecto inter opera Hier. tom. 4. Serapion apud Lipo. in catena Rupert. in eum loc. & alij non pauci.
e num. 8.

peccasse Dæmonem, quòd se ipsum peruerso amore dilexerit, quandoquidem vnionem hypostaticam appetiisse non placet, paucis explicemus, quid potissimum spectarit. Quamquam autem non nego, potuisse Dæmonem diuinam æqualitatem appetere, eaque appetitione grauiter peccare, vix puto tamen potuisse illud primum esse Angeli peccatum. Fateor quidem ea, quæ sunt impossibilia, etiamsi eiusmodi esse intelligantur, posse tamen siue cum laude, siue cum vitio expeti. Nec enim dubito Dæmones, cæterosque omnes, qui sempiternis suppliciis cruciantur, tametsi non ignorant, Deum esse immortalem, nec posse vllo pacto interire, aut à iustitia deficere, aut denique omnipotentia carere, quia tamen vident, quidquid horum accideret, eum se posse à sempiternis cruciatibus, ea omnia non minùs stultè, quàm improbè appetere. Non alia ratione crediderim potuisse Dæmonem cupere diuinitatem, sed ea appetitio nonnisi à corrupta, & deprauata voluntate oriri potuit, vt primum peccatum esse nequiuerit. Neque verò existimandum est, dum Angelus diuinitatem appeteret, proprium interitum quæsiuisse. Tametsi enim hæc duo inter sese ita connexa sunt, vt alterum ab altero seiungi non queat, potuit tamen Angelus alterum sine altero mente concipere; quod iis ferme accidit, qui ad magnum aliquod malum curtandum mortem sibi consciscunt.

LI. Quamobrem censuerim peccatum Angeli collocandum esse in quarta superbiæ forma, quia videlicet ita inspexit bona sua tum naturalia, tum supranaturalia, vt putauerit se singulariter, ac præ cæteris habere, quæ habebat, idque ab aliis existimari voluisse, in quo fuit, vt diximus, peruersus amor sui, & iniqua propriæ excellentiæ appetitio. Id enim insinuant omnes ferme sancti Patres, qui propterea interdum affirmant, quæsiuisse Dæmonem Dei æqualitatem. Quemadmodum enim Deus suis naturalibus bonis beatur, ita voluit Dæmon suis bonis expleri, & in se ipso vltimum finem collocari, quod insinuat Augustinus [a], cùm ait auctore Apostolo Paulo [b], *radicem omnium malorum esse auaritiam. in quam incidit Diabolus sibi, ac propter se appetendo non pecuniam, sed propriam potestatem.* Neque aliud significare videtur Anselmus [c], qui ait Diabolum appetiuisse sibi aliquod commodum, quod tamen non erat honestum. Propriam itaque excellentiam appetiit, vt commodam sibi, & quodammodo implicitè, hoc est, vnica actione naturalem, ac supranaturalem beatitudinem; potuitque, vt diximus, vnionem hypostaticam appetere, quæ tamen non constitueret distinctum peccatum, sed eiusdem peccati grauitatem non leuiter augeret.

a lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 15.
b 1 ad Tim. 6.
c de casu Diaboli c. 4.

LII. Quamquam autem non nego, si harum appetitionum natura spectetur, potuisse illas ex interuallo distingui, ac propterea plura constituere peccata, vero tamen similius est, vnica actione, vnoque flagitio fuisse ea omnia ab Angelo expetita. Et appetitus quidem beatitudinis naturalis licèt ipso statim exortu sit inditus ab auctore naturæ, atque idcirco & honestus, & Angelicæ naturæ sit maximè consentaneus, potuit tamen Angelus prætermissa supranaturalis fœlicitatis cogitatione, in naturali vehementiùs oblectari. Quod, vt ostendit D. Thomas [d], pertinet ad superbiam, *Delectari enim (ait) in propriis bonis ac si a Deo nō essent ad vitium superbiæ spectare.* Itaque peccauit Angelus, quòd non quidem in actu signato (vt Dialectici loquuntur) sed in actu exercito, se quasi vltimum finem constituerit, neque naturalem beatitudinem in Deum retulerit. Quod verò attinet ad supranaturalis beatitudinis appetitionem, fuit illa quidem initio sui diuinæ gratiæ beneficium, & functio planè supranaturalis; postmodum vero potuit Angelus eius dignitatem, & præstantiam præcisè spectare, eamque tāquam naturæ suæ debitam expetere, quod procul dubio ad superbiæ vitium refertur.

d [illegible] q. 162. ar. [illegible] ac 1.

Quæ cum ita sint, Angeli peccatum in præpostero amore sui positum fuit, & in appetitione excellentiæ, ad quam, tamquam ad vltimum finem omnia retulit. Quoniam verò peccatū superbiæ subsequutam fuisse diximus inuidiam, placet in præsentia Augustini [a] verba adscribere. *De Diabolo* (inquit) *nonnulli dicunt, ipsum ei fuisse casum à supernis sedibus, quòd inuiderit homini facto ad imaginem Dei; porrò hæc inuidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est inuidentia, sed causa inuidendi superbia. Cùm igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium fœlicitatis alienæ, quid inde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam vel paribus inuidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus, quòd eis non coæquetur. Superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus est.* Ita apparet, potuisse Dæmonem Deo, & hominibus inuidere. Et inuidisse quidem humano generi, multorum veterum Patrum testimonio supra ostensum est, idque egregiè viri docti [b] confirmant. Potuit autem ipsi Deo inuidere, quem vidit naturaliter ita esse beatum, vt ea beatitudine carere nequaquam posset. LIII.

a lib. 11 de Gen. ad lit. cap. 14. Pene eadem l. 14. de ciuit. cap. 11.
b Gul. Parisi. p. 1. 2. p. princip. de vniuer. c. 57.

Hoc itaque modo rectè dixit Iudas Angelos non seruasse suum principatum, hoc est, primæuam illam excellentiam, & dignitatem, quam gratiæ beneficio adepti erant; omnibus enim gratuitis bonis spoliati æternis cruciatibus addicti sunt. Quamobrem meritò subdit; *sed dereliquerunt suum domicilium.* Quodnam, quæso, domicilium intelligit? An beatam, atque immortalem vitam? Caue suspiceris: vt enim scribit B. Augustinus [c], ad beatitudinis rationem spectat, vt amitti non queat. Et B. Thomas [d] apertissimè indicat, beatum non posse peccare. Itaque Augustinus [e] ait, *Dæmonem numquam gustasse dulcedinem beatæ vitæ, quam* (inquit) *non vtique acceptam fastidiuit, sed nolendo accipere deseruit. & amisit.* Quocirca cùm alibi [f] ait, Dæmones fuisse beatos, beatitudinis nomine statum quendam vtcūque perfectum intelligit, vt ipsemet alibi explicat [g]. Nam alicubi [h] apertè affirmat, ne Angelos quidem bonos ab initio fuisse beatos, quia peccare potuerint. Quod etiam asserunt Fulgentius [i], Gennadius [k], Anselmus [l], & alij. Fateor tamen magnam dubitādi materiam præbere, quæ de cognitione matutina Angelis concessa non vno loco disserit Augustinus [m], cui consentire videtur Bernardus [n]. Sed ea res vberiorem postulat disputationem, quæ tota est Theologica, & alibi à nobis explicata. LIV.

c lib. 10. de ciuit c. 13.
d 1 p. q. 94. art. 1.
e lib. 11. de Gen. ad lit. c. 13 & l. 11. de ciuit. c. 11.
f lib. de cor. & grat. c. 10.
g lib. 14. de ciuit.
h lib. 11 de Gen. ad lit. cap. 16.
i de fide ad Pet. cap. 3.
k de Eccles. dogm. c. 61. & 62.
l de casu Diaboli.
m lib. 4. de Gen. ad lit. c. 22. lib. 11. c. 16. & 19. l. 11. de ciuit. c. 7. 29. 32.
n ser. 13. & 17. in Cant.

An domicilium intelligit Iudas locum, in quo primum conditi sunt Angeli: illos enim fuisse in cælo conditos asserunt non pauci [o]. Fateor Augustinum alicubi [p] affirmasse, Angelos fuisse conditos in suprema aëris regione; quam sententiam piè quidem, sed nescio quàm verè D. Thomas [q] interpretatur. Certè non defuerunt [r], qui apertè negarent, Angelos in cælo fuisse conditos. At scholastici omnes magno consensu affirmāt, conditos fuisse in cęlo Empyreo, quod insinuat Damascenus [s], affirmant Beda, & Strabus [t]. Sed vtcumque se res habeat, rectè dicuntur Angeli, qui peccauerunt, dereliquisse suum domicilium. Quare rectè OEcumenius; *Eos vero* (inquit) *qui Angelica dignitatis præstantiam fuerant consequuti, vbi ex negligentia in suo principatu non permansere, sed data eis sibi Dei benignitate cælestem vitam reprobarunt, Deus in iudicium, id est, in condemnationem magni diei supplicij intolerabilis reseruauit in ignem, sicut Christus etiam inquit, paratum, & reseruatum Diabolo, & Angelis eius.* Et quidem quocumque tandem loco conditi sint, verè dixit Iudas. LV.

o Philo lib. de opif. sex dierū, Origenes Basil. Chrysosto. Greg. Nyss. Ambros.
p lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 10.
q 1. p. q. 61. ar. 4. ad vlt.
r Theod. & Rup. Gen. 1. Eugub. l. 1. de peren. Philos. c. 31.
s lib. 2. de fid. orthod. cap. [illegible]
t Genes

deseruisse

defecisse malos Angelos proprium domicilium; siue quia à cælo deturbati sunt, siue quia ea sese beatitudine indignos reddiderunt, quam adepturi erant, & in omnem æternitatem perpetuò retenturi, si in gratia, & caritate perpetua perseuerassent.

LVI *In iudicium* (inquit) *magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* An negat Angelos, qui peccauerunt, suæ damnationis extremam percepisse sententiam? Certè hoc indicare visi sunt nonnulli[a], qui Dæmones aliquot in hoc aëre nobis finitimo circumferri affirmant, quos negant æternis adhuc suppliciis cruciari. Insinuare videtur Augustinus[b], cum enim protulisset Petri verba subdit. *Hinc Petrus ostēdit adhuc eis vltimi iudicij pœnam deberi, de qua Dominus*[c] *dicit; Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Qui tamen iam pœnaliter hunc inferiorem, hoc est, inferiorem caliginosum aërem tanquam carcerem acceperunt.* Simile quiddam significare visus est Cyrillus[d] Hierosolymitanus, ait enim, cùm de malis Angelis loquitur: *Sed nec omnis quanta ille Angelo condonauerat, indulgēt enim & illi.* Quin etiam hoc non obscurè innuere videntur Chrysostomus[e], & Hieronymus.[f] Certè apud Matthæum[g] vociferantur Dæmones in hæc verba; *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Et apud Marcum[h]; *Adiuro te* (inquit Dæmon) *per Deum ne me torqueas.* Denique apud Lucam[i] iisdem propemodum verbis; *Obsecro te* (ait) *ne me torqueas.* Ex quibus vtcumque colligi videtur, fuisse illos Dæmones absque supplicio. Et Petrus[k] hoc non obscurè insinuat; *Si enim* (inquit) *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.* Cui mirè concinunt hæc Iudæ Apostoli verba.

a Caiet. ep. 2. Petri cap. 2.
b lib. de nat. boni aduer. sus Manich. cap. 33.
c Matth. 25. 41.
d Catech. 2.
e Hom. 29. in Matth. & Hom. 44. in Ioan.
f Matth. 8.
g cap. 8. 29.
h cap. 5. 7.
i cap. 8. 28.
k ep. 2. cap. 2. 4.

LVII Quocirca rursus Augustinus[l]; *peccasse autem (ait) quosdam Angelos, & in huius mundi ima detrusos, qui eis velut carcer est vsque ad futuram in die iudicij vltimam damnationem.* Et alibi[m] *Scriptura* (inquit) *quæ neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse, & sic ab illo esse interim prædamnatos, vt carceribus caliginis inferni retrusos traderentur seruandi, atque vltimo iudicio puniendi; quando eos æternum cum acciperet, vbi cruciabuntur in sæcula sæculorum.* Quomodo penè semper loquitur Augustinus[n]. Quæ cùm ita sint, non est prorsus eorum reiicienda sententia, qui existimarunt Angelos quosdā, qui leuius peccauerunt, in hoc inferiori aëre, tanquam in carcere in lusos detineri, vt deinde in extremo iudicio vnà cum cæteris sempiternis cruciatibus adiudicentur. Non autem propterea credideritim, id factum esse, vt ij, qui in hoc aëre detinentur, suis nos oppugnationibus exerceant, & explorent. Extra enim controuersiam videtur, Luciferum Dæmonum principem inferno igne torqueri, qui tamen crediturus & primos parentes in fraudem impulisse, & Christum Dominum suis machinis frustra oppugnasse. Sed si dicendum est, quod sentio longè probabilius existimo, Angelos omnes, qui peccarūt, eamdem subisse damnationis sententiam, & suo isto supplicio quemque torqueri.

l lib. 11. de Ciuit. c. 33.
m lib. 21. de Ciuit. cap. 23.
n Quæst. 29. in Num. in Psal. 148. Tract. 95. in Ioan.

LVIII Quamquam fortasse post extremi iudicij diem ipsorum supplicium nonnullam ac ipsi accessionem, quod locis in [illegible] non obscure significat Augustinus, & nisi [illegible] apud Matthæum, Marcum, & Lucam hoc [illegible] incrementum Dæmones deprecantur eius autem sententiæ respectu dicuntur vinculis æternis sub caligine in iudicium magni diei reseruati. Quam ob causam Paulus[o] Apostolus Dæmonem appellat, *principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Et alibi[p]; *Non est* (inquit) *nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principes, & potestates,*

o Ad Ephes. 2. 2.
p Ad Ephes. 6. 12.

Bened. Iustinian. in Ep. S. B. Iud.

aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Ait autem Iudas, *in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruari.* Sed tamen quis ambigat, an tantisper velit æternis vinculis eos quasi in custodia detineri, quoad extremam suæ damnationis sententiam subeant; an verò reseruari quidem eos dicat, quoad extremo iudicij die vinculis æternis sub caligine alligentur. Et mihi quidem hoc posterius magis arridet, nam eodem modo accipienda esse Petri verba, suo loco docebo. Fateor tamen alios existimasse Augustinum non plurimi recentiores subscribunt: quin etiam idem sensisse Clementem Alexandrinum ferunt, qui vicinum terris locum, hoc est, aërem caliginosum his Iudæ verbis significari docet; vincula vero interpretatur amissionem honoris, in quo constiterant & cupiditatem infimarum rerum, cupiditate quippe propria deuinctos eonuerti nequaquam posse.

Sed quoniam Iudas imitari videtur Petrum Apostolum, eiusque sententiam, ac mentem paucis mutatis exprimit, æterna vincula posuisse videtur pro eo, quod Petrus rudentibus inferni detractos fuisse scribit. Caliginem porrò dixisse videtur pro eo, quod Petrus tartarum nominat. Non video autem qua ratione hic aër tam latè fusus rudentium inferni, ant vinculorum numine describi queat: tametsi autem caligine frequētet obducitur, nescio tamen virum possit tartarus appellari. Nam quod nonnulli dicūt ab turbulentiam à verbo ταράττω, quod Latinè valet *turbo*, tartarum vocari, quòd sæpe turbinibus agitetur, aud ego quidem, & vicumque intelligo, sed verum probandum sit, aliorum iudicio permitto. Certè constat tartarum inferas terræ partes apud omnes auctores significare. Indicat igitur Iudas fuisse Dæmones tartareis vinculis astrictos, vt in extremo iudicio vnà cum cæteris reprobis damnationis suæ sententiam audiant ac propterea in iudicium esse magni diei vinculis æternis sub caligine fuisse reseruatos. Huic explicationi fauere videtur Origenes[a]; *Id (a inquit) est lex, qua etiam Diabolum, & Angelos eius in ignem æternum, qui est præparatus est, petrahit. Et sicut certum est, quia neque illi Angelis æternis astricti vinculis ad iudicium seruarentur, neque isti in ignem æternum, qui eis præparatus est, mitterentur, nisi quia potestam sibi a Deo legem non seruauerint, neque ad iudicij termerent, nisi contra legem aliquid commisissent. Ita certū videtur, quia si custo[illegible] iram sibi legem, neque isti in ignem æternum, neque illi ob æterna [illegible] vincula decidissent.* LIX.

a lib. 5. in 5. cap. epist. ad Roman.

LX. Sed mirum videri potest cur Apostolus in his exemplis recensendis nullum videatur ordinem retinuisse, cum tamen Petrus eamdem enumerationem recto ordine instituat. primo enim loco Angelorum exemplū ponit, huic succedit totius humani generis supplicium & Noetica eluuio, mox Sodomiticum incendium collocat; hæc enim omnia certo sibi ordine successerunt. At Iudas primo loco vltionē nominat aduersos cōtumacem, & perfidam Iudæorum gētem, deinde Angelorum lapsum, postremò Sodomæ, & Gomorrhæ conflagrationem, cum certum sit, omnium primos peccasse Angelos, & ignem in Sodomam, & Gomorrham multis non modo annis, sed etiam sæculis Iudæi populi internecionem præcessisse. An hæc, quæ ad rem non magnopere pertinent, canonici scriptores, qui diuini Spiritus ductū sequūtur, sibi penitus negligenda censent? An id non prorsus temere factū esse existimandum est? Nam cum Iudas ad Hebræos potissimùm scribat, domestico illos primūm exemplo perterrefaciendos censuit, postea ad diuinæ iustitiæ seueritatem amplificandam exaggerandamque Angelorum supplicium commemorauit. Ad extremum Sodomæ, & Gomorrhæ conflagrationem

gnationem attingit, vt inde Gnosticorum mores, & impuras libidines quasi e propinquo perstringeret. Potuissent enim Gnostici respondere longè se abesse ab eorum pertinacia, quos meritò Deus in solitudine peremit, ne Palæstinæ possessionem adsequerentur, neque verò quicquam cum Angelorum flagitio commune habere; quippe qui naturalibus corporis voluptatibus indulgerent, quas ad vnius Dei honorem, & gloriam referrent. At autem Apostolus eos esse Sodomitis, & Gomorrhæis admodum similes, aut etiam illis longè deteriores. Quamobrem subdit.

7 *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.*

I. Primo exemplo perstrinxit Iudas perfidiam, & cõtumaciam; altero superbiam, atque inuidiam; iam hoc tertio ad Simonianorum, Gnosticorumque mores propius accedit, & quàm graue illis supplicium immineat, non obscurè indicat. Nominat autem Sodomam, & Gomorrham, & finitimas vrbes. Nam in libro Geneseos [a] scriptum est. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrhã sulphur & ignem a Domino de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Finitimas autem ciuitates exprimit, quæ *simili modo exfornicatæ essent*, Græcè ἐκπορνεύσασαι. Quid autem sit exfornicari paucis explicat OEcumenius. *Hoc est* (inquit) *defornicatæ, & declinarunt* quasi dicat, vt ego interpretor, naturalem, & permissum modum excesserint, vt Iudas ipse mox planius explicat dum subdit: *& abeuntes post carnem alteram.* Quid autem hoc sit, non satis conuenit. Sunt qui carnem alteram, alienam interpretentur, hoc est, fœminam non legitimo connubio iunctam, vt hoc vitium latissime pateat, easque omnes impuras voluptates complectatur, quæ extra legitimum coniugium percipiuntur. Alij aliquanto pressius eam dicendi rationem explicant, vt masculam libidinem notet, de qua Paulus [b] ad Romanos scribit; *Similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.*

II. Vtramque explanationem complexus est OEcumenius, *Carnem autem* (inquit) *alteram vocat masculinum sexum, quippe quæ diuersa sit, & à coitu generationis aliena. Caro siquidem ad coitum accommodata fœmina caro est, iuxta id, quod à progenitore nostro dictum fuit: Os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. At masculina caro altera est, id est, diuersa a coitu. Quin etiam fœmina ea est propria, & accommodata quæ viro legitimè iungitur, nam quæ prostituta est, ac prostibula, altera etiam ipsa est, & aliena, parumque à masculino flagitio distare censenda est.* Et quamquam non nego, hanc posteriorem explanationem Apostoli verbis vtcumque aptari posse, res tamen ipsa subiecta omnino postulare videtur, vt caro altera ad præposteram, ac nefariam libidinem referatur, hoc enim vitio, & fœda libidine infames illæ vrbes contaminatæ erant, & Gnostici, quos potissimùm hæc oratio tangit, multa in hoc fœditatis genere peccabant. Quia igitur illi igne cælitus misso absumpti sunt, rectè ait Iudas; *facti sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Indicat præter illum ignem, quo eorum corpora ambusta sunt, subisse illos apud inferos sempiternam ignis cruciatum. Tantum ergo abest, vt, quod nonnulli falsò existimarunt, corporeo illo igne sempiterna supplicia redemerint, vt flamma illa cælitùs missa indicet eos igne immortali in omnem æternitatem apud inferos exuri.

III. Cæterum quoniam sæpe in sacris literis æternus ignis apud inferos commemoratur, magna fuit olim, atque adeò nunc est inter Theologos controuersia, cuiusmodi tandem sit ignis ille infernus. Fuerunt enim [a] qui opinarentur, ignem illum spiritalem esse incorporeum, atque inaspectabilem; cui sententiæ mirificè fauet Origenes [b], docet enim illum ignem distinctæ esse naturæ à nostro: tribuit autem ei vrendi vim, de luce, ac splendore dubitat. Alibi [c] inferorum ignem a peccatorum multitudine in singulis procreari affirmat, eo planè modo, quo febris in corpore ab humorum multitudine excitatur, eademque ratione omnia damnatorum supplicia interpretatur. Denique alibi [d] ignem metaphoricè, non aliter ac vermem accipiendum censet. Quamquam, vt verum fatear, ea mihi homilia hinc inde ab aliquo consarcinatore excerpta videtur, nam ea quidem verba apertè leguntur apud Hieronymum [e]. Certè Gregorius Nyssenus [f] ne locum quidem inferni putat esse corporeum. In eamdem sententiam loqui videtur Chrysostomus [g] *Ignis* (inquit) *ibi est, & tenebræ, & vincula, & vermis immortalis, sed non hæc sola istis nominibus, nec talia demonstrantur, sed alia multo peiora, & multo seueriora, quæ nominibus vsitatis appellata sunt.* Addit ignem illum carere luce, semper ardere, & esse nostro igne acriorem. Damascenus [h] autem; *Tradentur* (inquit) *peccatores in ignem æternum non materialem, qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus.* Addo Augustinum [i], & Gregorium [k], qui ita loquitur. *Gehennæ ignis cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur.*

IV. At contra omnis penè Theologica schola apud inferos ignem corporeum agnoscit, quod etiam non obscurè insinuat Clemens [l] Alexandrinus auctoritate Ephesij: *qui nouerit ex philosophia eam, quæ per ignem fit, expurgationem eorum, qui male vixerunt, quam ἐκπύρωσιν, id est, exustionem seu inflammationem postea vocarunt Stoici.* Penè idem scribit Iustinus [m] Martyr. Gregorius [n] autem Nazianzenus; *Noui* (inquit) *præterea ignem non purgatorium, sed afflictiuum, siue Sodomiticum, quem super omnes pluit peccatores sulphure, ac tempestate permixtum, siue qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, siue qui ante faciem Domini præcedit.* Et Chrysostomus [o], *In ignis* (ait) *flumina, atque pelagus tradentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar erigantur.* Rursus alibi [p] *Expendito vitæ alterius mala, quæ sunt, omnium rerum cælestium priuationem, a gehennæ ignis cruciatum, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram, ignis angustiam, igneos fluuios, fornaces inextinguibiles, reseruandas.*

V. Et Cyprianus [q]: *Locus, Gehenna cui nomen est, in igno plangentium murmure, ac gemitu, & exultantibus flammis perhorrendus, spissa caliginis nebulo, fauis semper incendijs caminis fumantibus expirans, globos ignium arctatus obstruitur, & in varios pene exitus laxatur, tunc fauiendo in plurimos glomeratum in se ipso conuoluit quicquid ardoris ennisset ad ea flamma cruciaret. Hic quibus recusata vox Domini est, & imperia fuere contempta, disparibus coercet exitijs, proque meritis salubris exacta vires suas suggerit, dum pars sceleris crimen imponens, & alios quidem moles intolerabiles curuat, alios per abruptum cliuosi tramitis collem vis sæua præcipitat, & catenarum stridentium nexum graue pondus inclinat. Hic sunt & quos agens strictim rota*

a cap. 19. 24.
b cap. 1. 27.

a Meminit huius sententiæ D. Thom. q. 16. de verit. ar. & in 4. d. 50. Insinuat D. Bonaud. in 4. d. 50. aperte defendit Catet. opusc. de igne inferni, ac supplicio mul. forum.
b Hom. 13. in Exod.
c Lib. 2. περὶ ἀρχῶν.
d Hom. 4. in [illegible]
e [illegible] in fine.
f De resur. & anima.
g Hom. 1. ad Hebræos. simil. habet hom. 44. in Matt. & Hom. de præm. san. & gehen. quæ habetur Ephrem sanct. tom. 1.
h lib. 4. de fide c. vlt.
i lib. 21. de ciuit. c. 10.
k lib. 15. mor. c. 14.
l lib. 5. stromat.
m In apol. ad Anton.
n Orat. in S. lauacr.
o Hom. 44. in Matt. simil hom 55. in Matt. & Hom. de præm sanct. tom 3.
p Hom 13. in ep. ad Rom. Pene eadem hom. 4. ad Ephes. Hom. 1. ad Hebræos Epist ad Theod lapsum.
q De laud. Martyr. aut quicumque est auctor.

rura, & indefessa vertigo, & quos tenaci inter se densitate A *constricti [illegible] corpus includat, ut & absumat in [illegible] frigum, & se crucia[illegible] multiplicat.* Gregorius[a] autem quaerit, quo modo [illegible] ab igne corporeo patiantur. His addo Basilium[b], Isidorum[c], & Augustinum[d], qui inter caetera ait. *At vero gehennae quod etiam stagnum ignis & sulphuris [illegible], corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum.*

IV. Quae cum [illegible], non ausim affirmare, certa, & Catholica fide credendum esse inferorum ignem esse corporeum, neque enim ex sacris literis id facilè probari potest; tametsi enim ignem frequenter nominant, eadem etiam ratione vermem appellant, quod si vermem omnes metaphoricè interpretantur, cur non eadem ratione licebit explicare ignem cum praesertim ignis in sacris literis frequentissimè poenam, vexationem, & molestiam significet, ut egregiè observatum est ab Augustino[f]. Posse verò ignem metaphoricè accipi, indicant verba Christi apud Lucam[g]; *Ignem veni mittere in terram.* Et Ioannes Baptista apud Lucam[h] de Christo ait; *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igne.* Et eloquium Domini ignitum dicitur[i], ut egregiè observavit Gregorius Nazianzenus. Adde quòd ea de re nihil adhuc Ecclesiasticâ auctoritate definitum est, tantum enim Ecclesia docet, inferorum supplicia fore sempiterna. Quocirca cum in Concilio Florentino Graeci apertè professi essent, se purgatorium ignem non agnoscere, Synodus[k] tantum definit, purgatorium esse de igne verbum nullum. Quod autem de igne purgatorij dicitur, idem planè de igne inferni sentiendum est, cum sint eiusdem planè naturae, nisi quòd purgatorij poena aliquando absoluitur, inferni cruciatus in omnem perseverat aeternitatem.

a lib. 4. dial. cap. 29. Simile quiddam lib. 9. mor.
b Psal. 28.
c lib. 1. de sum. bon. c. 35.
d lib. 21. de Civit. c. 10. & 20. lib. 20. cap. 16. lib. de fide ad Petr. cap. ...
e lib. de temp. c. 17. & 18. ser. 19. de ver. Apost. ser. 50 de temp. lib. de fide & oper. c. 15.
f lib. 21. de civit. c. 10.
g [illegible] 12. 49.
h [illegible] 3. 16.
i Psal. 118.
k sess. ult.

V. Huc accedit quod veteres Patres, ut ex superioribus constat, in varias videntur abiisse sententias; & qui ignem corporeum astruunt, obscurè loquuntur, & magna ex parte populariter, multaque congerunt, quae necessariò metaphoricè explicanda sunt: cuiusmodi sunt etiam catenas, vectes, rotas, & id genus alia quae absque metaphora admitti non possunt. Et qui potissimum hac de re disserunt Augustinus anceps videtur, ac dubius. Gregorius autem nunc huc, nunc illo modo loquitur. & qui ignem nominant, more Scripturae loquuntur, nihilque praeterea quaerunt, sitne verus, an metaphoricus. Et quod maximè ad rem facit, nullam video rationem, quae id fide Catholica credendum probet. Fateor Scripturam ignem appellare addo etiam in sacris literis verborum proprietatem quoad eius fieri possit, retinendam esse, sed cum eodem loco alia ponantur, quae nonnisi metaphoricè accipienda sunt, quis audeat affirmare nonnulla propriè, alia verò metaphoricè explicanda esse?

VI. Quid quod in eius ignis natura constituenda inter Theologos non convenit, & non pauca suadent, etiam in igne metaphoram esse admittendam, faventibus praesertim non paucis ex sanctis Patribus: Nam Chrysostomi & Cypriani verba magna ex parte metaphorica sunt, & Augustinus[l] metaphoram disertè probat [illegible] Divitis, & Lazari historiam metaphoricè exp[illegible] Paulus[m] similiter ignem nominat. *Saluus* (inquit) *erit, sic tamen quasi per ignem*: quasi verò non hoc etiam loco metaphora admitti queat. Verùm apud Matthaeum[n] Christus ignem ait inferni paratum esse *Diabolo, & Angelis eius*: ac si dicat, illum ignem ab initio conditum: quasi verò non potuerit Deus certum suppli- A cium Angelis peccantibus destinare, eo planè modo, quo primis parentibus, si peccarent, comminatus est mortem; praeterquam quod nullum extat vestigium creationis eius ignis corporei. Quae cum ita sint, falluntur qui existimant, hanc sententiam tamquam à recta fide alienam à Hieronymo[a] damnari, qui Origenis tantùm errorem refellit, qui asserebat[b] sola conscientia, & scelerum recordatione impios torqueri, eo fermè modo, quo à febre corpus vexatur, nulla verò adhiberi extrinsecus supplicia, quod nemo Catholicus probat, aut probare potest.

l lib. 21. de civit. c. 10. & lib. 8 de Gen. ad lit. c. 5.
m 1 ad Cor. 3. 15.
n cap. 25. 41.

VII. Nam qui negant inferorum ignem esse corporeum, gravissima tamen admittunt fore damnatorum supplicia, quae nomine ignis explicentur, quò B etiam referuntur grando, nix, & spiritus procellarum. Sic autem scribit Hieronymus[c]; *Ignis quoque gehennae, & tormenta, quae Scriptura sancta peccatoribus comminatur, non posuit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute, & potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur: & velut ex quibusdam seminibus in anima derelictis universa vitiorum seges exoritur, & quicquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac praeteritas voluptates mens intuens conscientiae punitur ardore, & poenitentiae stimulis confoditur.* Et alibi[d]; *Quia igitur* (inquit) *sunt plerique, qui dicunt, non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum & conscientiam delicti* C *esse pro poena, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur in similitudinem febris, quae non torquet extrinsecus aegrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit sine cruciatuum forinsecus adhibitione, quae possidet. Has igitur persuasiones & decipulas fraudulentas verba inania appellauit, & vacua.* Ita apparet rectè à Hieronymo confutari Originem, non autem Catholicos, qui vera supplicia extrinsecus adhiberi affirmant, quae proportione quadam iis respondeant, quae rebus corporeis significantur. Nam alioqui si numquam liceat à vocum proprietate recedere, dicamus sanè animam Divitis in inferno detentis habuisse oculos, quibus Lazarum cerneret, & linguam fuisse praeditam, quae aqua D corporea refrigeranda esset; Lazari item animam manus habuisse, ac digitos, quibus aquam attingeret. Quod si haec omnia vera quidem fuisse dicamus, quae proportione quadam rebus corporeis respondeant, non tamen prorsus talia, qualia describuntur, nemo, si sapiat, iure reprehendat.

a In epist. ad Avit. & ad Ephes. 5.
b lib. 2. periarch. & hom. 9. in divers. ut observavit Xyst. lib. 5. Bibliot. Annot. 129.
c Epist. ad Avit.
d Ad Ephes. 5.

VIII. Fateor tamen longè probabilius esse, & sacris literis magis consentaneum, inferorum ignem verè, ac propriè esse corporeum. Hoc enim magis significant sacrae literae, & prisci Patres, quos supra nominavi, accedente praesertim totius fermè Theologicae scholae consensu; ita maximè ab Origenis errore recedimus. Nisi enim ignis corporeus asseratur, vix potest constitui, quaenam supplicia praeter conscientiam, & peccati recordationem extrinsecus ad- E hibeantur, quae ignis ustioni proportione respondeant, cum praesertim secluso igne corporeo vix ulla excogitari possit ratio, cur inferorum corporeus locus constituendus sit. Cum igitur ait Iudas, *facta sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes*; indicat impios Sodomitas sempiternis suppliciis fuisse mactatos, inferno igne in omnem aeternitatem cruciandos. Quae sit autem eius ignis natura à multis ambigitur, à nemine, quod sciam, satis commodè explicatur. Sunt enim qui[e] existiment, ab igne nostrate non differre, quamquam addunt alteri materiae tamquam externo corpori adhaerere, ut, exempli gratiâ, sulphuri, à quo recipit quamdam obscurita-

e S. Thom. in 4. d. 44. q. 3. & alij Thomistae.

rem, qui si existiment ignem illum corpori adhærere tanquam pabulo, quo nutriatur; primùm id temere asserunt, cum nihil prohibeat, ignem illum absque pabulo in omnem æternitatem perseuerare. Quandoquidem elementum ignis nullo indiget pabulo; deinde infinitam materiam præparent necesse est, cum ignis ille futurus sit sempiternus.

IX. Nulla igitur ei fomenta sunt necessaria, vt egregiè obseruauit Gregorius, qui verba illa Iob asserentis, ignem illum non succendi, perinde explicat, quasi significet, nullo egere pabulo, quo nutriatur. Itaque alij existimant, elementum ignis, cuius domicilium inter supremam aëris regionem, Lunæque globum collocatur, ad inferiores partes descensurum, suoque incendio tria reliqua elementa purgaturum, postmodum in omnem æternitatem perseueraturum in inferno. quod fortasse suspicatus est Origenes, qui nō semel [a] affirmat omnes tam bonos, quàm malos post hanc vitam gehennæ incendium subituros, bonos tamen absque læsione euasuros. Quod ipsum sensisse videntur Basilius[b], Lactantius[c], Hilarius[d], Ambrosius[e], Hieronymus[f], qui omnes loqui videntur de igne extremæ conflagrationis, quem apud inferos perseueraturum nonnulli [g] existimant. Verùm ego prætermisso igne conflagrationis, de quo mox necessariò dicendum censeo, nunc in inferno Dæmones, cæterosque damnatos igne torqueri, quem alium esse ab eo, qui Lunæ orbe ambitur, nemo nō videt. Ignis autem ille, quo mundus conflagraturus est, vel erit ipse ignis elementaris, qui suo descensu cuncta inflammabit, vel ex incendio radiorum solis in media aëris plaga excitabitur coëuntibus eo, veluti in calybeum, & concauum speculum calidissimis, ac densissimis radijs, vel denique alia quapiam ratione mundus calore soluetur, vt alibi fusius explicabitur.

a Hom. 3. in psal. 36. Hom. 11. in Ierem & lib. 8. in ep. ad Roman.
b In Isa. c. 4. & 9
c Lib 7. c. 21.
d In psal. 118. ad illa verba. Concupiui desiderare.
e In psal. 36. & 1. 8. ad il la verba Vide humilitaté meam.
f Amos. 3.
g Ludou. Viues lib. 20. de ciuit. c. 16.

X. Quod verò aiunt auctores, quos paulò antè nominaui, etiam bonos illo mundi incendio conflagraturos, Augustino [h] non placet, qui ait sanctos propter corporis agilitatem, qua sé poterunt in sublimem aëris regionem attollere, ab illo incendio fore liberos, post multa verò contra Origenis errorem fusè disputat [i]. Itaque alij ignem illum, quo impij apud inferos cruciantur eiusdem cum nostrate igne naturæ esse non dubitant, sed præditum quidem esse vrendi vi, splendore tamen, ac luce destitui. Quod apertè asserit Basilius [k]. *Existimo autem (inquit) quod ignis ad supplicium Diabolo, & Angelis eius paratus Domini voce intercidetur, quoniam duæ sunt in igne potissima vstiua vis, & illustratiua. Vis prior ignis acerrima quidē ad pœnas irrogandas reposita est his, qui vstione sunt digni. Altera nēpe splendidissimi sui luminis diffusiua, velut sortito succedet eis, qui claritate perfruuntur: sunt gaudij perennis. Vox itaque Domini intercidentis flammam ignis, ac diuidentis, ita vt obscurum quidem sit ignis supplicium, vt verò comburendi careat lux ... collationis.* Eiusdem sententiæ videtur fuisse Chrysostomus [l]: sic enim scribit; *non habet lumē, aut vllam luminis claritatem.* Et paulo post de damnatis ait. *Neque ipsi alios videntes, neque aliorum visibus apparentes, sed in tanta multitudine solitarios esse putantes. Siquidem tenebræ, & absentia luminis non nos sines proximos nostros agnoscere sed veluti si solitarius vnusquisque nostrum patiatur ... affícietur oppressus caligine tenebrosa.*

h lib. 20. de Ciuit. c. 18.
i lib. 21. c. 26. & 27.
k In psal. 28.
l Hom. 3. ad Hebr.

XI. Et in eamdem prorsus sententiam Gregorius [m] explicans verba illa Iob. *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo. Vmbra autem est (inquit) obscuritas diuisionis, quia damnati quique cum æterno igne succenduntur, ab æterno lumine tenebrantur. Natura vero ... est, vt ex se ipso & lucem exhibeat ... concrematione ... sed transgressorum vltrix illa flamma vltionum concremationem habet, & lumen non* habet. Quod tamen aliquantò post hunc in modum explicat. *Quamuis illic ignis & ad consolationem non luceat, & tamen, vt magis torqueat, ad aliquid lucet.* Tum subdit; *Nam sequaces quoque suos reprobi in tormento flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt.* Idque probat exemplo Diuitis apud Lucam [b], qui & Lazarum vidit, & pro fratribus precatus est. Verum siue ignis ille lucem habeat, siue ... omnino careat, mihi certe persuadere non possum eiusdem esse naturæ cum nostro, tum quia acriori vi præditus est ad comburendum, vt omnes affirmant, tum quia sine vllo pabulo extra suum locum in omnem æternitatem perseuerat, quod igni nostrati absque miraculo conuenire non potest. Accedit quòd hic noster ignis animum attingere, aut naturam à materiæ concretione seiunctam lædere nullo modo potest, cum internus ille ignis vtrumque efficiat. Quocirca hoc mihi videntur sensisse illi, qui negant ignem illum sempiternum esse corporeum, significare enim non esse eiusdem naturæ cum nostro, sed multo acriorem, vinaciorem que [c]. Hunc ... ternum igne subiisse Sodomitas, & G... affirmat Iudas, vt hoc exemplo Simonianos, & Gnosticos perterrefaciat. Quocirca addit.

m lib. 9. Mor. c. 49.
a cap. 48. in fine.
b cap. 16.
c Disputat de hoc igne A nob. ... adue. gent. non longè à princ.

8 *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.*

I. Superiora exempla præcipuè verò postremum hæreticis accommodat ... autem ... illis obijcit, quæ sigillatim explicanda erunt. Pro eo autem quod Interpres dixit *similiter & hi*, Græci Codices habent, ὁμοίως μέντοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι hoc est, *similiter sane & hi veluti somniantes*, aut *delusi in somnijs*. Videtur autem Iudas indicare Gnosticos Sodomitis quodammodo fuisse similes, quasi eorum improbitatem imitarentur. Quot sunt autem somniatores meminerit non satis liquet. Epiphanius [d] enim, & eum sequutus OEcumenius ad impuram ac nefariam obscœnitatem referunt, de qua nonnulla initio diximus. Sic autem scribit OEcumenius. *Cum vero, inquit, insomniantes carnem inquinant ... res obscœnitatem orationis honestius mirabiliter obiecit, vt ... & ipsos & impuros, & lingua, & ore obscœnos, perinde ... nimia ... ipsorum turpitudo somniorum ... perquàm similis sit. Scelestam hominum Borboritarum, id est, cœnosorum hominum obscœnitas, quam cum mulieribus concumbentes execrabiliter patrabant, a Beato Epiphanio Cyprio detegitur in libro quem contra ipsos conscriptum Panarium inscripsit, cuius ... hic somniationem hic vocat, propter ... quod eiusmodi, id est, irrita, & vana ea sunt, quæ in somnis ... dantur.*

d Hæres. 26.

II. Verum ego tametsi non nego ... ea esse, quæ ab Epiphanio commemorantur, ... Gnosticorum nugacitatem ab Apostolo perstringi, quod somniantium, ac delirantium more vana atque inania effutirent, vt paulo post Iudas ipse affirmat. *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant.* Nec sanè ab hac explanatione Epiphanius ipse abhorret; cum enim dixisset Gnosticos hoc Iudæ testimonio ad sui dogmatis ... nem abuti, subdit. *Non ... autem ... ter Dominus de his, qui somniant in corporibus ... enim infert, ... ostendit, quod de somniantibus dicit qui loquuntur velut per somnia verba sua, & non per sobrietatem vigilantis rationem. Nam ... de D... bus in Ierusalem dicit Isaias [e]; Omnes canes muti non potentes latrare, somniantes concubitum, & cætera.*

e cap 56. 10.

Et

Et sane hoc in Epistola Iudæ ostendit dicens, somniantes concubitum, quæ non sciunt docentes, & ostendit, quòd non de insomniis in somno dicit, sed de fabulosa ipsorum tragœdia, ac nugacitate, quæ velut per somnium profertur, & non à sana mente. Verè enim omnibus fermè hæreticis commune est, vt somniantium, ac delirantium more loquantur, quoniam, vt ait Isaias [a]; *Miscuit eis Dominus spiritum soporis.*

a cap.29.10.

III. Igitur Gnostici somniantium more *carnem quidem maculant*, impuris videlicet flagitiis sese, atque alios contaminantes, quod cum fermè omnibus hæreticis commune est, inter quos, vt ait Hieronymus [b], difficile inuenitur, qui virgam castitatis habeat; tum verò potissimùm in Nicolaitas, & Gnosticos conuenit, qui, vt scribit Epiphanius, meritò Borboritæ appellantur, quòd in omnium voluptatum cœno bestiarum more volutarentur. Iraque Irenæus [c] inter cætera de quibusdam Gnosticis scribit. *Adhuc etiam, & amatoria, & adlectantia efficit, vt & corporibus ipsarum contumeliam irroget. Hic idem Marcus quibusdam mulieribus, & si non vniuersis. Hæ sæpissimè conuersæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, & secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, & inflammatas valdè illum se dilexisse.* Quod ipsum de Cerdone idem Irenæus [d] affirmat. Et vniuersim Theodoretus [e]. *Qui secta (inquit) Simonis erant, se audacter omni libidini, & intemperantiæ dedebant, & omni incantationum, & præstigiarum genere vtebantur, amatoria quadam, pellicentia machinantes;* philtra videlicet, & amoris illecebras intelligit, de quibus Latinus Poëta [f],

b cap.9. in Oseam.
c lib.1.c.9.
d lib.1.c.20.
e lib.1. de hæret.fab.
f Ouid.

Nec data profuerunt pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Quæ quidem Irenæus variis nominibus describit. *Amatoria* (inquit) *quoque & agogima & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæ sunt alia parerga apud eos studiosè exercentur.*

IV. Vocat autem agogima quicquid alliciendi vim habet, qualia sunt amatoria pocula, aliaque lenocinia, & oblectamenta. Paredri autem propriè sunt assessores, quique consilio, auxilioque præsto sunt, vt indicet affuisse illis impostoribus nequissimos spiritus, qui eos ad quiduis contra pietatem audendum, perficiendumque ope, consilioque iuuarent. Oniropompi autem (quæ vox composita est) illi ipsi nequissimi mortalium erant, qui sua omnia tamquam diuina oracula venditabant. Denique parerga vel res superuacaneas significant, vel ea certè omnia, quæ ad impuram libidinem valerent. Plura autem memorat Irenæus [g], cui subscribit Tertullianus [h]. *Nam & honorandorum* (inquit) *coniugiorum, supernorum gratia dicitur apud illos meditandum, atque celebrandum semper sacramentum coniti, id est, fœminæ adhærendo. Alioqui degenerem, nec legitimum veritatis, qui diuersatus in mundo non amauerit fœminam, nec se ei iunxit*, quod suis verbis ita expresserat Irenæus [i]; *Quapropter ex omni modo oportere eos semper syzygiæ (hoc est commistionis cum fœminis) meditari mysterium, & hoc suadent insensibilibus iis sermonibus, dicentes sic. Quicumque in sæculo est, & vxorem non amat, vt ei coniungatur, non est de veritate, & non transiet in veritatem.* Rectè autem dixit Iudas, eos maculare carnem, vt enim scribit Paulus [k]. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Et vniuersim de impura libidine alibi [l] dixit. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.*

g lib.1.c.1.
h lib. aduer. Valent.c.30.
i lib.1.cap.1.
k 1.ad Cor. 6.18.
l ad Rom.1. 24.

V. *Dominationem autem spernunt.* An magistratus ciuiles contemnebant? Haud equidem reor. Neque enim hoc quisquam Gnosticis imponit, cum potius Simon Gnosticorum Princeps Neronem Romanorũ Principem pro numine veneraretur. Itaque OEcumenius Græcam vocem κυριότητα, diuinæ naturæ imperium interpretatur. *Contra diuinam naturam* (inquit) *insuper etiam insaniunt, dominationem eius, & vniuersi imperium abrogantes, cum alios quosdam mundi architectos confingant.* Irenæus significat eos Ecclesiasticum imperium detrectasse. *Hi sunt* (inquit) *qui exurgunt contra veritatem, & aduersus Ecclesiam Dei*, quod esse omnium hæresum principium asserit Cyprianus. *Non aliunde* (inquit) *hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur.* Addit OEcumenius alteram explanationem. *Vel dominationem* (inquit) *id est, Christi mysterij ceremonias abrogare, dum loco Angelicorum mysteriorum sua flagitia perpetrant.* Nec dubium est (vt ex superioribus liquet) Gnosticos non contempsisse modò, sed nefariè sacra Christi mysteria polluisse. Sed vtrum hoc significet Iudas, dum eos ait dominationem spernere, adhuc ambigo. Missam enim λειτουργίαν appellatam fuisse non semel lego, κυριότητα verò non lego.

VI. Prior igitur OEcumenij explanatio retinenda videtur. Dum enim alia quædam numina mundique architectos confingerent, Dei optimi maximi dominatum, atque imperium abnegare videbantur. Testatur enim Irenæus [a] Gnosticos consueuisse Dæmonem appellare cosmocratorem, quòd illum inferiori mundo præesse, demiurgoque sapientiorem esse assererent, vt meritò illos scitè vellicet Tertullianus [b]. *Diabolum* (inquit) *opus demiurgi affirmant, & munditenentem appellant, & superiorem magis gnarum defendunt, vt spiritalem natura, quam demiurgum, vt animalem, meretur ab illis prælationem, cui omnes hæreses procurantur.* Neque verò inficias iuerim vocari Diabolum à Christo [c] Domino huius mundi principem, & à Paulo [d] huius sæculi Deum. Et alibi [e] κοσμοκράτορας τοῦ σκότους, hoc est, *mundi rectores tenebrarum harum.* Sed ad iudicandam impotentem eius tyrannidem, quam in impios exercet, & tumorem, atque arrogantiam, quibus aduersus Deum erigitur. Gnostici verò honoris ergo augusto illo titulo exornabant.

a lib.1. cap.1
b lib. con. Valët.c.22.
c Ioan.12.& 14.
d 2. ad Cor. 4.4.
e ad Ephes. 6.12.

VII. *Maiestatem autem blasphemant.* Græcè δόξας, numero multitudinis. Quo fortasse factum est, vt nonnulli magistratus, ac potestate præditos significari existimarent, in quos Gnostici maledicta congererent. Alij ad Angelos referunt, quæ videtur Epiphanij [f] sententia. *Quicumque* (inquit) *post numen illud adhibiti sunt ad regimen mundi, hoc est, Angelos Dei ministros, & prouinciarum rectores blasphemant.* Constat autem Gnosticorum scholam mira quædam, ac prorsus indigna Angelis affinxisse. Sed cur Angelos Iudas appellet δόξας, hoc est, glorias, non satis intelligo. Nam quod quidam dicunt esse hoc loco enallagem qualitatis, quomodo dicere solemus Cæsaream Maiestatem, si probandum sit, quod in Angelis diuini numinis maiestas maximè eluceat, malim Mosem, & Prophetas intelligere, quòd in iis frequentissimè diuina maiestas illustris apparuerit, quos Simon, & Gnostici miris modis insectabantur. Nam in Angelis quidem, tametsi Deus immortalis sese circumfusum gloria declarat, ea tamẽ mortalium oculis nequaquam cernitur. Itaque OEcumenius glorias vetus, ac nouum testamentum interpretatur adhibito Pauli testimonio, qui alicubi ait [g]. *Si enim quod euacuatur, per gloriam est, multo magis quod manet, in gloria est.* Itemque [h]; *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.*

f Hær.26.
g 2. ad Cor. 3.11.
h ibidem 7.

Certè

VIII. Certè Simoniani multa in vetus, ac nouum teſtamentum impiè iactabant; nam vt ait Epiphanius [a]; *Philippi Apoſtoli confictum Euangelium proferebant, & ex eo mera ſomnia, & deliramenta ad ſua impura dogmata ſtabilienda. Quin etiam de ſancto Elia blaſphemias dicere audent, quando aſſumptus eſt, inquiunt, rurſus delectus eſt in mundum, venit enim, inquiunt, vna ex dæmonibus, & tenuit, & dixit ipſi; Quò vadis? habeo enim liberos à te, & non poteris aſcendere, & hic dimittere liberos tuos. Et dixit Elias; vnde habes liberos à me, cùm ego in caſtitate vixerim? Et dixit illa; certè quando inſomnia ſomnians ſæpè in defluxu corporum euacuatus es, ego etiam, quæ aſſumpſi à te ſemina, & genui tibi filios.* Plura in eamdem ſententiam ſcribunt Irenæus [b] ipſe, Epiphanius [c], & Theodoretus [d], cuius hæc ſunt verba. *Alij autem, quos Cainos nominant, dicunt etiam Cain à ſuperna authoritate fuiſſe liberatum, Eſau autem, Core, & Sodomitas, & omnes alios einſmodi ſuos eſſe cognatos confitentur, & eos odio quidem eſſe habitos à Creatore, ſed nihil ab eo noxa accepiſſe; ſapientia enim ab eis eripuit, quod in eis habebat. Quin etiam Iudam proditorem ſolum ex omnibus Apoſtolis dicunt hanc cognitionem habuiſſe, & ideo effeciſſe proditionis myſterium; eius autem Euangelium proferunt, quod illi compoſuerunt.* Hæc ille. Contra verò viros ſanctiſſimos Abel, Enoch, Noë, Abraham, reliquum beatorum cœtum pro ſua modeſtia, & religione inferorũ ſupplicijs mancipant. Hæ ſunt igitur blaſphemiæ contra vetus, ac nouum Teſtamentum, & contra ſanctos viros vtriuſque Teſtamenti miniſtros.

a Hæreſ. 26.
b lib. 1. c. 35.
c Hær. 38.
d de hæret. fabul.

IX. Addit OEcumenius glorias, Eccleſiaſticas dignitates ſignificare, quas illi maledictis inceſſerent; idque ex Ioannis epiſtola tertia confirmat. Nam Diotrephes ſanctiſſimum Apoſtolum conuicijs, ac maledictis proſcindere non verebatur. Certè hanc Gnoſticorum improbitatem noſtri ſæculi hæretici non imitantur ſolùm, ſed longo etiam interuallo ſuperant, qui Eccleſiaſticos Præſules, præcipuéque Romanum Pontificem plus quàm Vatiniano odio proſequuntur, contumelijs afficiunt, falſis calumnijs, & criminationibus accuſant, diris imprecationibus deuouent, regnum Babylonicum, & Diabolicam tyrannidem non minus falsò, quàm impiè appellant. Et vt nihilo Gnoſticis inferiores videantur, Aërium, Vigilantium, Nouatum, Donatum, Eunomium, Iouinianum, Berengarium, cæteraſque orbis Chriſtiani peſtes in cælum tollunt; legitimos Dei miniſtros, ac beatos prædicant. Contra verò ſanctiſſimos, ac vetuſtiſſimos Apoſtolorum diſcipulos probris, & contumelijs vexant. Impuriſſimus enim hæreſiarcha [e] *Dionyſius Areopagita* Pauli diſcipulus, & Galliarum Apoſtolus, *multa garrire videtur de nominibus diuinis, de cæleſti, & Eccleſiaſtica hierarchia, quæ ſunt mera commenta.* Sanctiſſimus, doctiſſimúſque *Hieronymus totus nihil eſt, nihil boni ſcripſit, inter Doctores Eccleſiæ non eſt numerandus, quia fuit hæreticus. Nihil de Chriſto tractat, niſi quòd nomine vtitur, neque de fide, ſpe, & caritate, neque operibus fidei loquitur.* Addit nefarius Apoſtata, *nullum inter ſcriptores ita odi, vt ipſum, tantùm de ieiunijs, cibis, & virginitate ſcripſit.* Eidem *Chryſoſtomi ſcripta ſunt tantùm chaos, & ſacco verborum, ſine rationibus; author eſt ſeditioſus, & garrulus. Gregorius Nazianzenus in ſua poëſi verſatus, nihil ſincere de Deo ſcripſit. Denique multi libri Auguſtini nihil ſunt;* vt eos priſcorum hæreticorum filios, & ſectatores facilè agnoſcas.

e Luther.

X. Porrò hæc tria vitia, quæ in præſentia ab Apoſtolo commemorantur, eo quo deſcribuntur ordine, ſibi ſuccedunt. Nam primùm impuris voluptatibus corrumpitur animus; vbi verò his veluti laqueis fuerit irretitus, diuinum imperium facilè contemnit, & maieſtatem blaſphemat. Ita Salomon [f]; *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

f Prouer. 18. 3.

A Et Dauid [a]; *Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos eius.* Vt enim ſcribit B. Gregorius [b], Iob [c] crimen impudicitiæ igni comparat. *Ignis* (inquit) *eſt vſque ad perditionem deuorans,* quia nimirum ait Gregorius, *reatus huius facinoris non ſolùm vſque ad inquinationem maculat, ſed vſque ad perditionem vorat. Et quia quamlibet alia fuerint bona opera, ſi luxuriæ ſcelus non abluitur, immenſitate huius criminis obruuntur; ſequitur adiunxit, & omnia eradicans genimina. Genimina quippe ſunt animæ operationes bonæ, ſed tamen ſi peruerſo ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos iuſtitia, pietaſque ſunt opera, quæ corruptionis contagio monſtrantur immunda.* Et aliquanto pòſt. *Si corruptionis malo non reſiſtitur, & illa procul dubio pereunt, quæ bona*
B *videbantur.*

a Pſal. 35. in princ.
b libr. 21. mor. cap. 9.
c cap. 31. 12.

XI. Nihil igitur mirum, ſi qui hoc morbo laborant, dominationem contemnunt. More enim belluarum caduca tantùm, & mortalia bona ſpectant, cæleſtia, ac diuina prorſus negligunt. Quod egregiè idem Gregorius [d] alibi obſeruat, qui Saulis peccatum dum diuino præcepto contempto Amalechitarum Regẽ, & prædam reſeruauit, myſtico, & ſpiritali ſenſu de impura libidine explicat. *Amalech* (inquit) *luxuriæ vitium deſignare diximus, quæ velut lambit, dum voluptatem blandiendo ſuggerit. Quia ergo Saül iuſſus erat à Domino Amalech, eiuſque omnia bona penitùs extinguere, hoc diuinum præceptum contempſiſſe dicitur, & Amalech peperciſſe, indicans Dei præcepta ab iis facilè contemni, qui*
C *impuræ voluptatis amore capti detinentur.* Itaque Paulus [e]; *Animalis autem* (inquit) *homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* Quod egregiè explicat Salomon, dum impuros homines ita loquentes inducit [f]; *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequàm marceſcant. Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ, vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Mox verò ſubdit diuinæ legis contemptum, & iuſtorum oppreſſionem, & concludit. *Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei.*

d lib. 6. in 1. Reg. cap. 15.
e 1. ad Cor. 2. 14.
f Sap. 2. 6.

D XII. Quapropter rectè ait Petrus [g]; *Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant, blaſphemantes in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem exiſtimãtes diei delicias. Coinquinationes, & maculæ delicijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxuriantes vobiſcum, oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti.* Verè enim inceſſabile delictum impuræ voluptatis amorem appellat, vt ait Salomon [h], *peruerſi difficilè corriguntur,* & vt ait B. Thomas [i], hoc vitium maximè adhæreſcit, cum inexplebilis ſit voluptatis appetitio. Nec male obſeruauit Seneca [k], *pleroſque inemendabiles facit, quòd omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt, vitæ peccata*
E *delectant.* Et Bernardus [l]; *Nec amator* (inquit) *pecuniæ dicet aliquando, ſufficit, nec libidinoſus ſatiabitur voluptate.*

g ep. 2. c. 12.
h Eccl. 1. 15.
i 2. 2. q. 73. art. 5.
k ep. 98.
l ſer. ad illa verb. Ecce nos reliquimus omnia.

9 *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.*

L Hoc exemplum aptat Iudas ad Gnoſticorum audaciam, & impietatem retundendam, qui maieſtatem maledictis proſcindere non verentur. Eſt autem argumentum à maiori; ſi enim Michaël Archangelus cæleſtis militiæ princeps non eſt auſus in Dæmonem,

monem, quamuis Dei immortalis, ac bonorum omnium hostem maledicta conijcere, profectò multo minus impuris hominibus licebit maiestatem blasphemare. De hoc verò exemplo primùm ambigitur, vndenam sumptum sit, cùm nusquam in sacris literis legatur. Deinde vndecumque petitum sit, cuius ea historia sit auctoritatis. Postremò quidnam significet Iudas cùm ait Michaëlem non fuisse ausum *iudicium inferre blasphemiae.* Atque vt de prima dubita-
a lib. 3. periarc. c. 2. in princ. tione prius dicam; Origenes [a] sumptum putat hoc exemplum ex libro, qui ascensio Moysi inscriberetur. Sic enim ait: *Et primò quidem in Genesi serpens Euam seduxisse describitur, de quo in ascensione Moysi (cuius libelli meminit in epistola sua Apostolus Iudas) Michaël* B *Archangelus cum Diabolo disputans de corpore Moysi, ait, Diabolo inspiratum serpentem causam extitisse praeuaricationis Adae, & Euae.* Simile quiddam alibi [b] indi-
b Hom. 35. in Lucam. cat. *Legimus* (ait) *(si tamen cui placet huiuscemodi Scripturam recipere) iustitiae, & iniquitatis Angelos super Abrahae salute, & interitu disceptantes, dum vtraque turma sua eum velint coetu vendicare.* Atque haud scio, an ad hunc librum alluserit Clemens [c] Alexandrinus,
c l. 6. strom. dum ait. *Meritò ergo Mosem quoque qui assumebatur duplicem vidit Iesus filius Naue, & vnum quidem cum Angelis, alterum autem supra montes, qui dignus erat, cui in conuallibus iusta fierent.*

II. Certè Athanasius, & Gelasius, Romanus Pontifex libellum, qui Moysis ascensio inscribitur, tamquam incertae fidei, vel nullius prorsus auctoritatis reij-
C
d in epist. ad Tit. cap. 3. ciunt. Porrò Hieronymus [d] hunc locum simpliciter profert, nec tamen indicat, vnde ea historia desumpta sit, sed inde colligit, nemini fas esse blasphemare. *Si igitur* (inquit) *Michael non fuit ausus Diabolo, & certè maledictione dignissimo iudicium inferre blasphemiae, quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur Diabolus maledictum, sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit.* Itaque quo ex loco hoc testimonium desumptum sit, non facilè apparet. Simillimum autem vero videtur, hanc historiam apud Hebraeos per manum fuisse traditam, aut etiam literis mandatam; vt enim alibi diximus, non est necesse omnia sacris literis comprehendi. Nam & Paulus quae de Ioanne, & Mambre, qui Mosi restiterunt, ad Thimotheum [e] commemorat, nusquam in sacris
e ep. 2. c. 3. literis legerat. Idemque dixerim de ijs, quae scribit D
f 1. c. 15. 6. ad Corinthios [f], dum ait, Christum rediuiuum plusquam quingentis fratribus, & deinde Iacobo sese praebuisse spectandum. Quo in genere collocanda sunt verba illa, quae à Christo Domino fuisse pronunciata idem Apostolus in Actis [g] Apostolicis affir-
g c. 20. 35. mat. *Oportet* (inquit) *suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit. Beatius est magis dare, quam accipere.*

III. Iam verò vt secundam dubitationem expediam, quocumque tandem ex libro haec historia eruta sit, Iudae Apostoli suffragio certam, & sacrosanctam auctoritatem nacta videtur. non nego, posse multa ab Apostolis afferri, tametsi sacram auctoritatem non E
h ad Tit. cap. 1. assequantur, vt egregiè probat Hieronymus [h], cum Apostolus Arati, Menandri, Callimachi, siue Epimenidis carmina proferat, nec tamen illis poëmatibus sacram tribuat auctoritatem. Sic prudenter inscriptionem arae ignoto Deo dicatae arguitè suo instituto aptauit, nec tamen propterea arae illius substructionem, multóque minus cultum, & venerationem probauit. *Nam,* vt ait Hieronymus, *nemo est tam sicarius, & tam parricida, tam veneficus, qui non aliquid boni aliquando fecerit. Verùm aliud est vnam, vel alteram sententiam ex aliquo auctore proferre, aliud ex narratione, & historia argumentum ducere. Qui enim sententiam vsurpat, & vtcumque veritatis testimonium praebet, etiamsi totum*

A *librum probare non cogatur; qui autem producta historia, ex illa argumentatur, de eius veritate nulla ratione dubitat.*

Quoniam autem haec historia vix aliunde, quam à diuina reuelatione, aut scripto, aut per manus tradi potuit, dum eius veritatem Iudas sine vlla dubitatione probat, sacram vtique, ac diuinam illi asserit auctoritatem. Neque propterea tamen idem de vniuerso libro existimandum est, vt ex Hieronymo docuimus. Nefas igitur est aut negare, aut in dubium reuocare, Michaëlem cum Diabolo de Mosis corpore disceptasse; non tamen satis constat, qualis ea disceptatio esset. Iudas quidem Michaëlem ait cum Diabolo certantem disceptasse; Graecè est *διακρινόμενος*. Sunt qui putant de honore funeris certatum B esse, dum Michaël honorificè sepulturae mandandum censeret, contrà verò Daemon negaret, & Aegyptij caedem obijceret. Alij noluisse putant Angelum Mosis sepulchrum publicè extare, ne Iudaei impios Gentiles imitarentur, qui viros insignes vita functos pro numinibus venerabantur, quod maximè contendebat Daemon. Priorem sententiam sequitur Oecumenius. *Michael Angelus* (inquit) *Mosis sepulturae praefuisse dicitur, cumque Diabolus id non pateretur, sed crimen inferret, quòd Aegyptium interfecisset, quasi ob id ad se pertineret Moyses, ac propterea honorata sepultura eum affici non permitteret, & respondisse.*

Ego neutri sententiae praeiudicatum velim, posterior tamen explanatio mihi ad veritatem propen- V.
C sior videri solet. Cùm enim Daemon probè cognosceret, Iudaeorum ingenia ad idololatriam valdè esse propensa, magnam sibi eius impietatis materiam sese illis praebere posse existimauit, si Mosis sepulchrum palam omnibus spectandum proponeretur. Quod spectans Archangelus Michaël, vt tantum nefas à Dei populo auerteret, omni studio conatuque laborauit, vt Mosis sepulchrum penitùs lateret. Itaque in Deuteronomio [a] scriptum est. *Et non co-* a cap. 34.
gnouit homo sepulchrum eius vsque in praesentem diem. Nam vt ait Iosephus [b], *Deus ipse in praealta quadam valle Moy-* b lib 4. antiquit.
sis corpus humari voluit. Quid autem ex hoc loco colligant haeretici, non ita multo post videro, sed vt verè (nec enim quidquam temerè affirmarim) non dubitauit Iudas Apostolus hanc verissimam fuisse historiam, de qua ij, ad quos scribit, nullo pacto dubi-
D tare possent. Neque enim iis assentior, qui existimant Apostolum apocrypho testimonio vti, quòd sciret Hebraeos etiam libris apocryphis plurimum fidei, & auctoritatis tribuere. Neque enim credibile est, in re tam seria, tam certa, atque extra omnem controuersiam, quae tot maleis, solidissimis argumentis stabiliri posset, maluisse Apostolum incerto, ac dubio argumento vti, quod à multis eludi, contemni, atque irrideri posset. Porrò Graeca vox *διακρινόμενος* forensis est, & ad iudicia spectat, *διελέγετο* verò rationum, argumentorúmque pugnam significat. Neque enim aliter mentes illae solutae corporibus inter sese pugnare, ac certare possunt.

VI.
E *Non est ausus,* inquit, *iudicium inferre blasphemiae.* Hic tertia dubitatio expedienda est, cùm enim paulò antè Gnosticos reprehendisset Apostolus, quòd temerè maledictis incesserent maiestatem, rectè subdit, vt monet Oecumenius, *Illi quidem temerè ac petulanter contra omnes maledicta congerunt, cùm tamen neque eos, qui maledictis sunt digni, insectari conuicijs mos sit, id quod ex Archangelo Michaele manifestum est, qui cùm aduersus Diabolum disceptaret de corpore Moysis, ac posset eum ob impudentiam maledictis iure incessere, id minimè sibi faciendum censuit, sed tantummodò dixit: Increpet te Deus, Diabole. Quòd si ita erga Diabolum se gessit Archangelus, vt neque hominem conuicijs affici passus fuerit, quomodo isti vel Deum omnium auctorem, vel hominem fratrem.*

fratrem, & sibi cognatum prosequi maledictis, ac conuiciis audent? Hactenus OEcumenius, qui significat, neque ausum esse in Dæmonem maledicta conicere, neque parum esse Mosem à Dæmone contumeliis affici, vt his etiam vis argumenti non mediocriter augeatur. Dixit autem, *non est ausus iudicium inferre blasphemiæ*, Græcè κρίσιν, quam nonnulli maledicti notam interpretantur. Videtur autem Apostolus respexisse ad locum posterioris epistolæ Petri[a]: *Non portant (inquit) aduersum se execrabile iudicium*. vbi Græcè legitur, βλάσφημον κρίσιν. Quem locum eodem refert OEcumenius, eamdemque putat sententiam continere, quam hic exprimit Iudas. Sensus autem est; non est ausus iudicare, aut statuere Dæmonem maledictis esse appetendum.

a cap. 2. 11.

VII. An id censendum est omnino nefas? Certè, vt alibi dixi, Christus non semel Scribas, & Pharisæos hypocritas, genimina viperarum, sepulchra dealbata, Diaboli filios appellat. Et Paulus Galatas insensatos, Cretenses malas bestias, & ventres pigros, & alium quempiam parietem dealbatum vocare non dubitauit. Sed aliud est malè cuipiam imprecari, aut proximum maledictis proscindere, aliud vehementiùs obiurgare. Hoc Christus, & Apostoli non sine laude facere potuerunt, illud verò numquam licet: vt enim scribit Clemens[b] Alexandrinus; *Contumelia est ministra ebrietatis*. Profert autem ex Ecclesiastico[c]. *In conuiuio vini non arguas proximum, & verba improperij non dicas illi*. Et subdit; *Si enim vel maximè cum sanctis conuersari præcipis, sanctum irridere peccatum est*. Ex libro autem Prouerbiorum[d] ex antiqua trãslatione profert. *Ex ore insipientium baculus contumeliæ*; vbi nos legimus. *Omnes autem stulti miscentur contumeliis*. Igitur Iudas exemplo Michaëlis Archangeli, à contumelia, & maledicentia reuocat.

b lib. 2. Pædag. cap. 7.
c cap. 31. 41.
d cap. 20. 3.

VIII. Michaël enim, vt ait OEcumenius, Diabolum expulit, non tamen insolenter, ac superbè, sed Domino omnium Deo iudicium permisit, ac dixit: *Increpet te Deus, ô Diabole*. Ita verborum modestiam maximè suadet, quod si nostri sæculi hæretici animaduerterent, paulo, credo, modestius de viris sanctissimis, deque omni Ecclesiæ antiquitate loquerentur. Nec profectò impurissimus Caluinista iam multa in Ecclesiasticos maledicta congereret; multòque minus hanc Michaëlis cum Diabolo concertationem ad oppugnandum Martyrum, sacrarumque reliquiarum cultum traduceret. Noluit quidẽ Deus Mosis sepulchrum extare, ne populus ad idololatriam nimè propensus, impio cultu hominis cadauer veneraretur, eique tamquam numini diuinos honores tribueret. At multo aliter Ecclesia Catholica Martyrum reliquias pio, ac religioso cultu prosequitur; neque enim in illis diuinitatem colit, sed ea tamquam Spiritus sancti templa, & diuinæ potentiæ organa suspicit, ac veneratur: neque ab iis beneficia postulat, sed Martyres, virosque sanctos, quos æuo sempiterno iam frui non dubitat, deprecatores, atque interpretes adhibet apud bonorum omnium largitorem Deum.

IX. *Imperet (inquit) tibi Deus*. Hæc sunt Michaëlis verba; Græcè, ἐπιτιμήσαι σοι κύριος, hoc est, *increpet te Deus*. Quomodo legisse videtur Hieronymus; quæ verba habentur apud Zachariam[e]; *Et dixit (inquit) Dominus ad Satan, increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem*. Imprecatur autem illi iustum à Deo supplicium. Respexit enim Michaël, vt ait Didymus, bonam Diaboli naturam, atque ideirco maledictis abstinuit, suoque exemplo docuit, quid nos facere oporteat, qui plerumque vel ira inflammati, vel odio corrupti non tam vitia, quàm homines ipsos insectamur, ac maledictis incessimus. Iudas verò, vt ea, quæ sequuntur, planius indicant, Gnosticos acrius pungit, qui temerè maiestatem, vt dictum est, maledictis appeterent. Sic Paulus Hymenæum, & Alexandrum Satanæ tradidit[a], *vt discant non blasphemare*. Videtur autem Iudas allusisse ad Zachariæ verba, nisi quis dicat, Zachariam ipsa Michaëlis verba vsurpasse, quæ fortasse apud Hebræos in vsu essent. Est autem increpare, cum potestate, & obiurgatione imperare, & ab incepto deterrere. Itaque quod apud Matthæũ[b] legitur; *Tunc surgens imperauit ventis, & mari*. Lucas ait[c]; *At ille surgens increpauit ventum, & tempestatem aquæ, & cessauit*. Denique Marcus[d] increpandi modum explicans; *Exurgens (ait) comminatus est vento, & dixit mari, tace, obmutesce, & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna*. Atque hæc omnia Græca vox ἐπιτιμᾶν significat, qua vsi sunt Septuaginta apud Zachariam. Sed vt apparet, bene hoc loco Latinè dixit Interpres, *imperet*.

e cap. 3. 2.
a 1. ad Tim. 1. 20.
b cap. 8. 26.
c cap. 8. 24.
d cap. 4. 39.

X. Quamuis enim Hieronymus, vt supra diximus, sæpe legat, *increpet*, alicubi[e] tamen vulgatam interpretationem sequitur. *Quando (inquit) Michaël Archangelus cum Diabolo disputabat de Moysi corpore, non fuit ausus inferre iudicium blasphemiæ, sed dixit; Imperet tibi Deus*. Est autem diuinum imperium efficax, cui omnia creata obsequuntur. Optat igitur Michaël diuino imperio Dæmonem cohiberi, & ab incepto reuocari. Nec dubium est, in ea disceptatione Michaëlẽ fuisse superiorem. Nã vt paulo ante ea Deuteronomio docuimus, Mosis sepulchrum perpetuò latuit, quod, vt diximus, quærebat Michaël. Porrò Iudas Michaëlem Archangelum nominat, non quòd sit ex Archangelorum ordine, sed quòd inter omnes Angelos principem locum habeat; Ecclesia enim eum vocat cælestis exercitus Primatem. Et apud Danielem[f] dicitur *vnus de Principibus primis*, quasi more Hebræo, primum inter Principes significet. Nam in Apocalypsi[g] tamquam Angelorum princeps, & imperator nominatur. *Et factum est (inquit) prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius*. Duo enim veluti exercitus describuntur, quorum alteri Michaël, alteri Draco præesset. Quemadmodum autem olim Michaël Synagogæ patrocinium susceperat, ita nunc suam veluti in fidem Catholicam Ecclesiam admisisse creditur, cuius, vt alibi docui, plurima extant, & beneficia, & miracula.

e ad Tit. 2.
f cap. 10.
g cap. 12. 7.

10 *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

XI. OEcumenius Gnosticorum blasphemias, & maledicta de dogmatibus interpretatur. *Ac Michael quidem (inquit) ita neque contra hominem, id est, Moysem maledictum tolerauit; at isti de dogmatibus, quæ non nouerunt, maledicos sermones conferunt*. Verè enim Christiana dogmata humanum captum longè superant, nec solis naturæ viribus percipi queunt, sed diuino fidei beneficio comprehenduntur. Postulat autem fides obsequium, vt ad Corinthios[h] scribit Paulus. *In captiuitatem (inquit) redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Et ad Philippenses[i], sacrificium & obsequium fidei vocat. Qui autem fide destituuntur, vt sunt hæretici, diuina mysteria cognoscere nequaquam possunt, in illos enim conueniunt, quæ de Gentilibus alicubi scripsit Paulus[k]. *Ambulant (inquit) in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*. Verè namque sensus

h ep. 2. c. 10. 5.
i cap. 2. 17.
k ad Ephes. 4. 18.

sensus vanitate ducuntur, dum sibi plus æquo placent, suáque inuenta supra modum extollunt, de quibus meritò Salomon [a]; *Vani autem, ait, sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Dicuntur præterea obscuratum tenebris habere intellectum, quia voluptates, ac deliciæ menti tenebras offundunt, vt quid rectum, quid honestum sit cernere planè non queat. Itaque sapienter Archytas Tarentinus dicere solebat, *Impedit consilium voluptas, rationi inimica, ac mentis perstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium.* Atque ideircò rectè dici possunt hæretici *alienati à vita Dei*, quam videlicet vel Deus exigit, vel ipse suis sectatoribus diuinitùs impertit. Denique diuinarum rerum ignoratione laborant, & cordis cæcitatem contrahunt.

ap.13.1.

II. Quapropter verè dicit Iudas; *Quæcumque quidem ignorant, blasphemant.* Multa enim contra Ecclesiastica dogmata impiè effutiebant, vt ex Irenæo, & Epiphanio intelligi facilè potest. Nam & matrimonium damnabant, cùm tamen promiscuos concubitus, ac nefarias libidines palàm probarent. *Nubere autem,* inquit Irenæus [b], *& generare à Satana dicunt esse.* Nam vt ait Theodoretus [c], *bellum aduersus Creatorem huius vniuersitatis gerebant, ideò ne per matrimonium opificium eius augeretur, formidabant.* Et Epiphanius [d]; *Matrimonium, ait, contrahere, & generare idem scortari à Satana esse dicit.* Eiusdem farinæ homines perstringit Clemens Romanus [e]; *Quidam, inquit, nuptias respuunt, item nubere, & liberis operam dare prohibent.* Quos etiam confutant Clemens Alexandrinus [f], Tertullianus [g], & Augustinus [h]. Addit Epiphanius [i]; *Sancta sanctorum, quæ cum sanctificatione nobis tradita sunt, blasphemant ipsi, dum in turpitudinem transformantur.* Cùmque multa nefaria, atque obscœna ab iis perpetrari commemorasset, addit; *Blasphemant autem non solùm Abraham, & Mosen, & Eliam, & omnem chorum Prophetarum, sed etiam Deum, qui ipsos elegit. Sed & alia innumera apud ipsos conficta in literas referre ausi sunt. Stirpem enim Mariæ librum quemdam esse dicunt, in quo horrenda quædam, ac perniciosa exprimentes referunt. Ex hac enim causa inquiunt Zachariam occisum esse in templo, & ex timore voleas narrare visionem, oris obturationem pertulit. Vidit enim, inquiunt, in hora suffitus, cùm suffitum faceret, hominem quemdam stantem, asini formam habentem. & cùm egressus esset, ac dicere vellet; Væ vobis, quem adoratis? obturauit ipsius os ille, qui visus est ab ipso in templo, vt loqui non posset: cùm verò aperuit os suum, vt loqueretur, tunc reuelauit ipsis, & occiderunt ipsum, & sic mortuus est Zacharias.*

b lib. 1. cap. 22.
c in epitom. diuin. decret.
d hæres. 25.
e lib. 6 constit. cap. 10.
f lib. 3. stromat.
g lib. 1 & 5. cont. Marcion.
h lib. 1. de nupt. & concup. & lib. de bono coniug.
i hæres. 26.

III. Hæc, & his similia non pauca de Gnosticorum blasphemiis commemorat Epiphanius, vt intelligam omnino miris illos modis Christiana sacra polluisse. Videtur autem Iudas his non multis verbis suis penè coloribus nostri sæculi hæreticos expressisse, qui contra Ecclesiastica Sacramenta, cultum Sanctorum, Reliquiarum venerationem, sacras Indulgentias, & peccatorum condonationes, atque id genus alia Christiana dogmata plurima maledicta congerunt. Quippe qui in impietatis schola nihil penitus sapere didicerint. Ita videas illos, dum Catholicam Ecclesiam oppugnant, frustrà niti, multa falsa, atque inepta consarcinare, & natantium more sese huc illuc agitare, nusquam consistere, nunc hoc, nunc illud affirmare, vt appareat mendacij pomœrium in immensum crescere; veritatem suis finibus contentam, iisdem semper cancellis circumscribi.

IV. *Quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Rectè OEcumenius; *Quæ verò, inquit, naturali incitatione indistinctè*

B. *Iustiniani in Epist. Iud.*

vt bruta animalia sciunt, ea quasi equi in Venerem furentes, aut porci consectantur. Perstringit enim Apostolus impuras, ac nefarias Gnosticorum libidines; *Quæ autem, inquit, naturaliter norunt,* hoc est, ipsa duce natura, nullo adhibito magistro; vt sunt ea, quæ sensu percipiuntur, tactu videlicet, & gustu. Rectè autem hanc cognitionem, non solùm naturalem appellat, sed etiam bestiis ratione carentibus ait esse communem. Hoc enim indicat, dum ait, *tamquam muta animalia*, Græcè, τὰ ἄλογα ζῶα, id est, animantia rationis expertia. Quòd autem Græcè dixit Apostolus ἐπίστανται, hoc est, *norunt*, quidam aliter legunt, ἐφίενται, id est, *appetunt*, vt sit sensus, in his, quæ naturaliter belluarum more appetunt, corrumpuntur, hoc est, præter, & contra naturam abutuntur, adeò vt non solùm animæ, sed ipsi etiam corpori obsint; quod ex superioribus, aliísque permultis, quæ Irenæus, & Epiphanius scribunt, luce clarius deprehenditur. Quocirca sapienter scripsit Seneca [a]; *Voluptatem humile quiddam esse, seruile, imbecillum, caducum, cuius statio, ac domicilium fornices, ac popina sunt.* Et alibi [b]; *Vt feras cum labore, periculóque venamur, & captarum quoque illarum sollicita possessio est, sæpe enim laniant dominos; ita habentes magnas voluptates in magnum malum euasere, captæque cepere.* Et aliquanto pòst; *Quemadmodum qui bestiarum cubicula indagat, & laqueo captare feras magno æstimat, & magnos canibus circumdare saltus, vt illarum vestigia premat, potiora deserit, multisque officiis renunciat. Ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit, & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit, nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.*

a lib. de vita beata c. 6. & deinceps.
b cap. 14.

V. Quòd si hæc de nimia voluptate verè affirmantur, quid de illis monstro similibus voluptatibus sentiendum putabimus, quas impurissimi Gnostici non modò sectabantur, sed mirum in modum prædicabant, & extollebant? Quin etiam, *qui Leuitæ,* inquit Epiphanius, *apud ipsos vocantur, non miscentur fœminis, sed ipsi inter se mutuò miscentur, & hi sunt apud ipsos præcipui, & laudatissimi. Deridentque deinde eos, qui pudicitiam, ac vitam honestam exercent, castitatémque, ac virginitatem, velut qui frustrà laborem insumant.* Et post nonnulla; *Vlti enim voluptate scortatoria excogitant sibi ipsis immunditiæ prætextum, quo videantur suam petulantiam explere.* Ita videas omnino verè dictum esse ab Apostolo Iuda, illos in his, quæ bestiarum more sensu percipiunt, corrumpi, hoc est, non corpore solùm turpiter fœdari, sed mente etiam atque animo deprauari. Hactenus igitur Iudas Gnosticorum mores perstringit, breuitérque ea indicauit, quæ fusiùs ab Irenæo, & Epiphanio explicantur. Deinceps de eorum supplicio, quod illis diuinitùs imminet, vberiùs disserit.

11. *Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.*

I. Multiplex illis supplicium minatur, quale videlicet olim pertulerunt Cain, Balaam, & Core. Multiplici autem Hebraismo vtitur in præsentia Iudas. Primùm quidem in voce *via*, quæ ponitur ad significandum vitæ tenorem. Ita Dauid [c]; *In via, inquit, peccatorum non stetit*, hoc est, mores, ac nefarias scelestorum hominum actiones non est imitatus. Deinde in *abeundi* verbo, quod significat vitæ rationem, atque institutum complecti. Quomodo loquitur etiam Dauid; *Beatus vir,*

c psal. 1.

qui non abiit in consilio impiorum, hoc est, impiorum consilium non est sequutus. Denique præteritum pro præsenti vsurpat, *in via*, inquit, *Cain abierunt*, hoc est, Cain mores, & actiones imitantur. Væ ergo Gnosticis, qui eiusmodi vitæ rationem sequuntur, vt meritò Cain, Balaam, & Core supplicia illis metuenda sint. Dicuntur igitur abiisse in via Cain. At cur? Didymus eos in via Cain ambulare dicit, *qui propter inuidiam, & impietatem necauit fratrem, qui dum contristari debuisset, eo quòd sacrificium eius susceptum non erat, quod impiè indubitanter obtulerat, & imitari fratrem, vt & ipse piè Deo munus offerat, inuidia magis corruptus aduersus eum homicida pronus apparuit. Et non in hoc solo quieuit, sed extendens impietatem suam, peccator circa Deum factus, voluntariè à vultu eius expulsus est. Præsentes igitur hæretices ambulare inquit in viam eius, & extra vultum Dei propter ignorantiam factos, sed etiam præponentes semetipsos Creatori, illum siquidem animalis naturæ, se autem spirituales esse dicentes.* Ita videtur non tam Gnosticorum scelera peccato Cain, quàm ipsorum pœnas illius supplicio æquare.

II. OEcumenius autem peccatum eum peccato confert. *Viam*, inquit, *Cain*, *id est*, *per fraternam cædem; nam etiam ipsi cùm talia doceant, fratres, id est, cognatos sibi homines prauis doctrinis interficiunt; vel cùm semen deuorent, fratrem occidunt, qui potestate in semine continetur, quémque seminis absoluta maturitas in vitam deprompsisset.* Inter Latinos Beda; *Via*, inquit, *Cain abeunt, qui propter inuidiam meliorum nomen sibi Doctorum, quo honorificentur, assumunt.* Ego, vt verum fatear, existimo Iudam Gnosticorum scelera cum flagitio Cain conferre, vt inde intelligant, grauissimo se supplicio obnoxios degere. In eo autem flagitij similitudinem positam esse censeo, quòd quemadmodum ille inuidiæ stimulis inflammatus fratrem innoxium occidit; non aliter illi Catholicis inuidentes eos conarentur à recta fide abducere, & suis sceleribus inquinare, quod nihil erat aliud, quàm eos ad interitum perducere sempiternum. Neque abs re etiam etiam in supplicio nonnullam esse similitudinem, quod vt ille vagus, ac profugus à diuino quodammodo conspectu exulauit, neque vllam Dei prouidentiam agnouit; ita isti à Deo alieni, & ab eius cultu, & veneratione exortes erant.

III. *Et errore Balaam mercede effusi sunt.* Alterum est exemplum insignis impietatis; petitum est autem ex libro Numerorum [a]. Balaam enim impius veneficus, ac præstigiator lucri cupiditate allectus mercedem iniustitiæ, ac veritati prætulit. Persimili ratione Gnostici lucri cupiditate, vt ait OEcumenius, omnia agunt. Addit Didymus, eos iniustitiæ mercede diffusos vaticinari, ac pro Spiritu sancto erroris spiritu agitati, atque ita impuras libidines, & idolorum cultum non aliter ac Balaam suadere. Denique Beda errore Balaam effusos fuisse ait, quòd terrestrium commodorum amore, & cupiditate obcæcati, veritatem, quam ipsi probè nossent, oppugnarent. Certè Iudas effusos eos fuisse scribit, quasi diceret, quibus is prauis cupiditatibus fræna laxisse, ac sese totos libidinibus constringendos præbuisse, & modò quæstus, aut vtilitatis spes aliqua affulsisset, nullum recusasse scelus, neque ab vlla turpitudine abstinuisse. Quod autem ait Interpres, *errore Balaam mercede effusi sunt*, Græcè scripsit Iudas, καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν. Quod nonnulli [b] perperam Latinè reddiderunt, *deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt*, quasi existimarint Græcam vocem μισθοῦ coniungendam esse cum voce πλάνῃ, & ab ea pendere, cùm tamen multo elegantiùs, aptiusque Græcanica scholia vocem μισθοῦ ad subsequentia referant, vt sensus sit, Gnosticos Balaami errorem sequutos esse, & mercedis cupiditate in omnem libidinem effusos esse, vt subaudienda sit vox ὁρμῇ, vel quidpiam simile.

a cap. 22. & 23. & 24.

b ἐκχύθη,

IV. *Et in contradictione Core perierunt.* Tertium est exemplum ex libro Numerorum [a] desumptum, quo Gnosticorum ambitum, & arrogantiam perstringit. Vt enim ait Didymus, *Core superbiam, & contumaciam imitantur*; ille enim Aaronico sacerdotio restitit, hi verò honores Ecclesiasticos quo iure, quáve iniuria sibi arrogant. Itaque rectè OEcumenius; *Cum Core*, inquit, *pereunt, propterea quòd sicut ille docendi auctoritatem, indigni cùm sint, sibi præripuerunt.* Neque aliter sensit Beda; *Cum traditione*, inquit, *Core pereunt, qui viui ad inferna descendunt, & intereunt. quicumque appetitu indebiti primatus sese ab vnitate sanctæ Ecclesiæ secernunt, scientésque, & prauidentes quantum mali gerant, ad scelerum tamen tartara descendunt.* Videtur autem Iudas indicare voluisse Gnosticos olim in veteri Testamento fuisse indicatos; & hac sua oratione magna ex parte imitatus est Petrum, qui in posteriori epistola persimili descriptione vtitur, & Balaami exemplum vberiùs explicat.

a cap. 16.

V. Porrò hæc omnia in quosuis hæreticos cadere possunt, vt enim alibi dixi, mortalium, & caducorum bonorum peruersa cupiditate delusi, noua dogmata confingunt, & sese ab Ecclesia segregant. Ita impios imitantur, siue inuidum Cain, dum alios suo exemplo, & oratione in errorem impellunt, & ad interitum pertrahunt sempiternum; siue Balaamum, dum mendacia, & maledicta vili pretio vendunt; siue denique Core, dum seditiones, & schismata in Christiano populo excitant. His ergo omnibus meritò Iudas Apostolus supplicium minatur, dum ait; *Væ illis*, particula enim væ minantis est, nec quodlibet leue malum, sed vtcumque magnum, & graue intentat. Exempla verò, quæ ab Apostolo allata sunt, apertè indicant, huiuscemodi improbos homines non modò apud inferos sempiternis suppliciis cruciandos, sed in hac etiam mortali vita suorum scelerum pœnas luituros.

12. *Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.*

I. Pluribus metaphoris Gnosticorum improbitatem describit imitatus Petrum Apostolum, qui penè iisdem similitudinibus [b] vtitur; *Hi sunt*, inquit, *fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur.* Hic autem Iudas multo plura congerit; *Sunt*, inquit, *in epulis suis maculæ*, Græcè, ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι ὑμῖν. Sunt qui Latinè reddant, *inter caritates vestras maculæ.* Non est autem dubiũ Græcam vocem ἀγάπην eo prorsus modo poni hoc loco ab Apostolo, quo olim initio nascentis Ecclesiæ à Christianis vsurpari cõsueuerat, de qua ita alicubi scribit Tertullianus [c]; *Cœna nostra*, inquit, *de nomine rationem sui ostẽdit. vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est.* Et alibi [d] *agapem fratrum* nominat. Et Cyprianus [e] *agapem, & dilectionem fraternam religiosè, & firmiter exercendam* probat. Nec dubitandum est de his conuiuiis loqui Iudam; nam & hæretici, vt mox dicam, hac etiam voce sua conuiuia describebant; sic enim de iis scribit Epiphanius [f]; *Hinc igitur mutua cognitione accepta statim ad epulationem conueniunt; larga verè, & opipara edulia, carnis esum, & vini potum apponunt, etiamsi pauperes fuerint. Ex hoc autem vbi compotarunt, & venas, vt ita dicam, satietate impleuerunt, ad œstrum se conuertunt. Et vir quidem*

b 2. Petr. 2. 17.

c in Apol. cap. 39.

d libr. ad Martyr. c. 2.

e lib. 3. ad Quirin. c. 3.

f hæres. 26.

quidem contedens vxorem alteri, ad ipsam dicit; Surge, fac dilectionem (Græcè ἀγάπην) *cum fratre.* Simile quiddam
a lib. 3. Stromat. de Carpocratianis scribit Clemens Alexandrinus [a]; *Ad cœnas conuenientes simul viri, & mulieres, postquàm satietate Venerem excitante exsatiati fuerint, lumine amoto coëunt, quomodo volunt, & cum quibus volunt, canum, suum & hircorum libidines imitati.*

II. Ait igitur Iudas, in huiuscemodi conuiuiis, quæ apud fideles ad exercendam caritatem, vnde nomen habuerunt, instituta sunt, esse veluti maculas, Græcè σπιλάδας. Quam vocem OEcumenius scopulos interpretatur. *Scopuli* (inquit) *coëpulantes intrepidè, hoc est, cum conuiua nihil timeant, ipsi repente quasi scopuli perniciem animabus ipsorum inferunt.* Eamdem
b Ioann. Gagnæus. interpretationem sequuti sunt viri docti [b], qui ita hunc locum Latinè reddunt. *Hi sunt in conuiuiis vestris tanquam confragosa in mari saxa, & cauernosa rupes, ac tuta vobiscum intrepidè conuescentes, seipsos pascentes.* Certè Petrus, qui horum hæreticorum mores iisdem
c 2. Petr. c. 2. 13. propemodum verbis describit [c], σπῖλοι καὶ μῶμοι, dixit, quasi dicat, labes, & maculæ, vt verosimillimum videatur, idem hoc loco Græcè legisse Latinum Interpretem. Et quidem dum de conuiuiis agit, rectè illos maculas appellare potuit, quòd cœnas, & conuiuia ad caritatem exercendam instituta suis ipsi libidinibus, ac nefariis sceleribus fœdarent. Et quidem Græci Codices, qui nunc habentur in manibus, habent, ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, hoc est, *in conuiuiis vestris.* Videtur autem Interpres legisse αὐτῶν, qui Latinè dixit, *in epulis suis.* Vtrumque certè verè dicitur. Nam & ipsi impura conuiuia instituebant, & fidelium cœnas ad modestiam, & pietatem compositas suis sordibus inquinabant, vel inquinare certè nitebantur. Ceterùm σπιλάδες saxa vocata sunt, & cauernosæ rupes, quæ sub aquis marinis delitescunt, & incautè nauigantibus naufragium inferunt, quas
d lib. 3. natural hist. in proœm. Plinius [d] tenias vocat; *frequentes* (inquit) *teniæ candicantis vadi vanas terruere, fluctus enim scopulis allidentes candicant, & sonitus edunt.*

III. Certè OEcumenius, vt diximus, eam vocem agnoscit, nec videtur ea metaphora ab hoc loco abhorrere. Vt enim OEcumenius ait; *Quemadmodum scopuli nauigantibus infesti sunt, ac perniciosi, cum improuisò occurrunt: sic isti coëpulantibus insperatam perniciem inferunt.* Adde, si placet, eleganter hos impostores cauernosis rupibus similes appellari, quia ficta, & simulata amicitia intrepidè Christianorum conuiuia adeunt, & nisi caueantur, dum suos errores euomunt, aut callidè insinuant, non exiguum conuescentibus naufragij periculum afferunt. *Conuiuantes* (ait) *sine timore,* Græcè, ἀφόβως, siue quia intrepidè sese fidelibus conuiuantibus miscent, siue quia liberius, ac libentius gulæ, ac genio indulgent, *semetipsos pascentes.* Omnia videlicet ad proprium commodum, atque vtilitatem referentes, vel seipsos pascentes neglecto grege, vel etiam suopte ingenio, arbitrióque viuentes, quíque neglectis Apostolorum præceptis, & Christianis dogmatibus sua tantùm somnia, & figmenta sequuntur, ad quæ fidem, non ad Scripturas, & Apostolicas traditiones accommodant.

IV. *Nubes sine aqua.* Rectè OEcumenius; *Nubes verò, ait, aqua carentes à vento agitata, quibus locis insederint, ea loca imbre minimè refrigerant; aquam enim non habent, sed caligine obducunt, atque obfuscant; simili modo isti animas conuersantium non salutari sermone irrigant, ac recreant, sed detestabilibus documentis obtenebrant, prauis Dæmonum studiis agitati.* Mirè autem hæc metaphora
e cap. 5. 6. & cap. 60. 8. hæreticis conuenit, cùm enim apud Isaiam [e] Apostoli, diuinique verbi præcones nubes vocentur, iure optimo hæretici nubes dicuntur sine aqua, quòd videri cupiant Apostoli, aut viri Apostolici, initæ ta-

A men veræ, solidæque doctrinæ penitùs destituantur. Eamdémque ob causam Tertullianus illos ait vaginam habere gladio vacuam, quòd tertio quoque verbo sacras literas crepent, quarum tamen verum sensum, verámque explicationem ne attingunt quidem. Sunt igitur hæretici nubes sine aqua, quia fide, veráque sapientia carent, & illa aqua, de qua Christus apud Ioannem [a]; *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* a Ioan. 4. 13.

Sed tamen nubes vtcumque sunt, quòd se per tumorem, & arrogantiam extollant, séque omnium magistros vendítent, cæteros omnes præ se flocci faciant, & à ventis circumferantur ob nimiam ipsorum V.
B leuitatem, & inconstantiam tum in moribus, tum etiam in doctrina; quod enim hodie probant, cras oppugnant. Possis etiam nubes sine aqua, quæ à ventis circumferantur, quosdam Catholicos diuini verbi præcones appellare, qui ita de superiori loco ad populum verba faciant, vt nullam vtilitatis audientium rationem habeant; sed inani verborum pompa, & orationis apparatu Oratores videri volunt, aut plenis buccis de abditis fidei arcanis coram mulieribus disserunt, eáque effundunt, quæ ne ipsi quidem satis intelligunt, & minus feliciter explicant. Ita miseri auditores nullo cælesti imbre irrigantur, nullam inde percipiunt vtilitatem, nihilo denique meliores ab Ecclesia recedunt, quàm venerant, ac ne doctiores
C quidem, qui nihil eorum perceperint, quæ partim oscitantes, partim dormitantes, partim denique aliud agentes externis tantùm auribus exceperunt. Illi autem verè nubes aqua redundantes appellari possunt, qui, quod ait Concilium Tridentinum, vitia castigant, virtutes persuadent, cælestia præmia proponunt, & extollunt, quæ iustis proposita sunt, sempiterna denique supplicia iis intentant, qui in scelere, atque flagitio ad extremum vsque vitæ spiritum perseuerant.

Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Quorsum hæc metaphora pertineat non satis conuenit. Sunt qui ita accipiant, vt eos dicat serò fructum edere, quod proprium est arboris in autumno satæ: tunc enim folia excidunt, & fructus, si qui fortè existunt, adulterini sunt, & ad maturi- VI
D tatem nequaquam perueniunt; quasi significet, horum hæreticorum actiones, externa quidem specie vtcumque bonas videri, re tamen vera iniquo proposito exerceri, vt alios decipiant, & ad impieta em impellant. Sed vereor vt id possim probare, quæ enim de Gnosticis commemoraui, ita per se suáque natura turpia sunt, & obscœna, vt ne vmbram quidem virtutis habeant; illi tamen sese spirituales, & omni labe puros prædicabant, vt enim scribit Irenæus [b]; *Nobis quidem aiebant necessariam esse bonam conuersationem, aliter enim impossibile esse saluari, semetipsos autem non per operationem, sed eo quòd sunt naturaliter spirituales, omnino saluari dicunt. Quemadmodum enim choicum impossibile est salutem percipere, non enim esse illum* b lib. 1. c. 5.
E *capacem salutis dicunt, sic iterum quod spiritale, quod semetipsos esse volunt, impossibile esse corruptelam percipere, licèt in quibuscumque fuerint factis. Quemadmodum enim aurum in cœno depositum non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cùm cœnum nihil nocere auro possit: sic & semetipsos dicunt, licèt in quibuscumque materialibus operibus sint, nihil seipsos noceri, neque amittere spiritalem substantiam. Quod tamen eorum impietatem minimè excusat, cùm iis sceleribus inquinentur, de quibus ait Apostolus [c]; Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* c ad Galat. 5. 21.

Alij inde putant ductam esse metaphoram, quòd nouellæ arbores extremo autumno præter rationem temporis efflorescant, quod mox illas emorituras VII.

indicat. Verùm vt de re ipsa nihil dicam, quam agricolis libens permitto, non satis intelligo, quanam ratione ea similitudo Gnosticis conueniat, qui præter speciosa verba nullum habent virtutis florem, sed toti quanti quanti sunt in vitiorum cœno, & sordibus volutantur. An autumnales arbores eas intelligit, quæ serius frondescunt, quàm vt possint fructus edere, & ad maturitatem perducere? Certè hoc existimauit nonnemo; sed ad Gnosticorum improbitatem exprimendam parùm, vt arbitror, aptè; segnitiem enim, & tarditatem vtcumque indicat. At illi ne serò quidem vllum probitatis fructum proferebant, qui se puros quidem vocitabant, eoque nomine mirum in modum gloriabantur, cùm tam ab ea virtute abessent, quàm scelus ac vitium. Quem autem probitatis fructum ederent illi, qui omnium scelerũ maculis erant cooperti, & suam improbitatem palam prædicabant? Cur igitur arbores autumnales ab Apostolo nuncupantur? Equidem existimarim spectasse Iudam extremam autumni partem, quo tempore arbores collectis iam fructibus, frondibus etiam, ac foliis spoliantur. Ita significat, eos omni spiritali bono destitui, & nudis truncis similes esse; ac proinde subdit, *infructuosæ*; vt, quod nonnulli rectè monuerunt, interpretari voluerit, quod modo dixerat, *arbores autumnales*. Tantum enim abest, vt eo tempore arbores fructum edere queant, vt omni potiùs vitali succo carere videantur, vt merito subdat Iudas, *bis mortua*. Vt enim ait OEcumenius; *Autumnales arbores bis emoriuntur dum & fructus amittunt, & foliis destituuntur: tunc enim & fructuum amœnitate, & foliorum florida venustate priuatæ arida apparent. Illis similes sunt qui etiam ipsi bis emoriuntur, dum fructum suum verendo semen perdunt, & decore, qui ex temperantia vitæ traductione euenit, penitus destituuntur.*

VIII. Sunt qui aliter similitudinem accipiant, vt bis mortuæ dicantur arbores, primùm quidem cùm desinunt fructũ proferre, deinde cùm excisæ igne comburuntur, vt bis mori censeantur hæretici, primùm cùm peccant, & vita gratiæ spoliantur, deinde cùm ad inferos detruduntur in omnem æternitatem cruciandi. Paulo aliter metaphoram hæreticis accommodat Didymus. Nam primùm eos mortuos fuisse dicit, antequàm baptismo lustrarentur; iterum cùm post baptismum rectæ fidei, Catholicæque Ecclesiæ nuntium remiserunt, & sese sceleribus, atque flagitiis constringendos præbuerunt. Sed hæc omnia cũ sint omnibus flagitiosis hominibus communia, non videntur ità propriè ad Gnosticos referri. Itaque illos bis mortuos appellari crediderim, vt significauit OEcumenius, quòd corpore, & animo quasi pro mortuis haberentur; corpore quidem, quòd cum omni libidinum genere inquinarentur, quasi mortuæ plantæ nullum ferrent fructum; animo verò quòd gratia, & caritate destituti re vera Deo mortui essent. Nisi quis dicat, bis eos esse mortuos, quod vi baptismi peccato mortui sint, iterum verò gratiæ vitam in se ipsis peccando extinxerint; hoc tamẽ, vt apparet, cõmune est omnibus, qui post baptismum peccant. Itaque OEcumenij explanatio retinenda videtur. Addit ad extremum, *eradicatæ*, vt Gnosticorum desperatam salutem indicet: si quidem, vt ait OEcumenius, *à paradiso, id est, Domini Ecclesia eradicantur, & foras procellis ad ignem æternum colliguntur. Qualem enim statum habere, aut radicem potest, qui ob voluptatis colluuiem ab omnibus proiicitur?*

13 *Fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.*

Alias metaphoras congerit ex maris fluctibus, & cæli syderibus desumptas. Ait igitur eos esse efferatis maris fluctibus similes: Græcè enim dixit Apostolus, κύματα ἄγρια θαλάσσης, hoc est, *feros fluctus maris*; vt indicet eorum immanitatem, & arrogãtiam. Vt enim fluctus maris intumescunt, & attolluntur, & ipsi quodam modo cælo minantur; non aliter isti in cælum, ipsamque diuinam naturam maledicta congerunt. Et quemadmodum fluctus maris sæuitia, atque immanitate sua integra nauigia hauriunt, aut ad scopulos allidunt, ita Gnostici peruersis suis dogmatibus plurimos mortalium ad interitum pertrahunt sempiternum. Quocirca OEcumenius; *Vndis* (inquit) *feris item comparari similitudinem ipsarum minimè respuunt, quippe cùm furiosè etiam ipsi, & impetuosè maledictis contra Deum exagitentur.* Et Beda; *Fluctus* (inquit) *maris sunt peruersi Doctores, qui & in semetipsis inquieti, semper tumidi, tenebrosi, & amari sunt, & pacem Ecclesiæ quasi stabilitatem, firmitatemque obicum semper impugnare non cessant.*

Meritò autem hæretici fluctibus maris similes esse dicuntur, præcipuè quòd ob leuitatem, & inconstantiam nunquam quieti sint, nusquam consistant, noua semper moliantur, iurgia misceant, seditionem excitent, schismata pariant, omnia denique pertirbent, ac peruertant, & inter sese fluctuum instar arietentur, quod maximè Gnosticis conuenit, quorum dissensiones, & pugnas non semel recenset Irenæus[a]. Non pauca etiam commemorant[b] Theodoretus, Suxomenus, Socrates, Euagrius, & Nicephorus. *Despumantes suas confusiones.* Persistit enim in metaphora ducta à fluctibus, qui dum ad scopulos alliduntur, spumam edunt; sic Gnostici sua, vt ait OEcumenius, *ipsorum dedecora despumant in spumam post saltabundum tumorem maledicentia, ex vita sua instabili, & dissolubili turpitudine desinentes; talis enim eis comparatur, spumæ vndarum natura existit.* Et Beda; *Sed tales* (inquit) *rectè dicuntur despumantes suas confusiones, quia instar tumentium vndarum quanto altius se superbientes attollunt, tanto amplius confusi quasi in spumas leuissimas dissoluuntur, & pereunt.* Itaque nisi mea me fallit opinio, hac similitudine duo Gnosticis obiicit, sæuitiam dum feros maris fluctus nominat, eorum verò vim, & impotentiam spectans, arrogantiam, ac tumorem. Vtrumque autem ait in nihilum recidere, & quasi spumam euanescere. Quæ enim ab Irenæo, Epiphanio, ac Theodoreto commemorantur, adeò turpia, & fœda sunt, vt ipsorum improbitatem, & nequitiam luce clariùs indicent.

Sydera errantia; ad inconstantiam doctrinæ hæc pertinent; vt enim scribit OEcumenius; *non ideo stellæ erraticæ dicuntur, quòd fidei nostræ firmamenta correspondentes, solem iustitiæ Christum habeant per ipsas progredientem, & quatuor virtutum horas, & tempora perficientem, fideles que, qui in his constituti sunt, viuificantem: sed quia cùm in Angelos lucis transformari videantur, fiunt qui eis præsidet, malus Dæmon, aduersus Domini dogmata tantummodo feruntur, & se ipsos obscurant, & sibi caliginem æternam comparant.* Planius Beda; *Sydera errantia, quæ sunt septem, numquam in eodem loco, vbi pridie fuerant oriuntur, vel occasum faciunt; sed modo ad infima Zonæ brumalis descendunt, modo ad alta zonæ solstitialis ascendunt, modo mediam zonæ æquinoctialis lineam repetunt: sic nimirum sic sunt hæretici, qui lucem veritatis promittentes, numquam in eodem statu docendi perdurant; sed modo sic, modo sic doctrinam suam informantes, ipsi vtique quam sit contemnenda lucis ostentatio, quam pollicentur, affirmant.* Dixit autem Apostolus Græcè ἀστέρες πλανῆται, stellæ, quæ erraticæ dicuntur; vt ita ne insinuet, hos esse errones, & quod longè deterius est, seductores, de quibus Paulus Apostolus; *Mali* (ait) *homines*,

a lib. 1. c. 6. & li. 4. c. 49.
b in suis hist.
c 2. ad Tim. 3. 13.

homines, & seductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.

IV. Errant quippe hæretici, quia à rectæ fidei tramite, Catholicæque Ecclesiæ sententia, doctrinaque recedunt, & quasi erraticæ stellæ in suo quisque orbe, hoc est, impio, ac peruerso dogmate circumuoluuntur, cum Catholici Ecclesiæ firmamento adhæreant, vt de iustis alicubi scribit Daniel[a]. Denique illi tamquam erraticæ stellæ lucem pollicentur, sed re vera suis auditoribus tenebras offundunt, vt ipsi ad æternam tenebrarum caliginē destinantur; hoc enim est, quod ait Iudas, *quibus procella tenebrarum seruata est in æternum*. Pro procella autem Græcè dixit Apostolus, ὁ ζόφος, quam alij caliginem Latinè reddunt; est autem, vt arbitror, sempiterni supplicij periphrasis. Dicitur autem procella, quòd multitudo quædam suppliciorum improbos apud inferos maneat, eadēque caligo tenebrarum nominatur, quomodo Christus tenebras exteriores appellat, in quibus erit fletus, & stridor dentium. Ita colligit Iudas quæcūque hactenus dixit, & potissimū ad ea spectat, quæ paulò ante comminando scripserat; *Væ* (inquit) *illis*. Quemadmodum enim improborū facta imitantur, & insigni quadam improbitate superant, eorumdem exitus vel inuiti sortientur. Atque hac ratione fideles mirificè cōfirmat, dum ostendit, scelestorum hominum impietatem, vt efflorescere interim, & secundis rebus affluere, & quodammodo triumphare videatur, non fore tamen impunitam, sed acerbissimis, ac sempiternis cruciatibus apud inferos mactandam. Ita fore sperauit Apostolus, vt fideles ab impiorum consuetudine sese subducerent, quos intelligerent ad certissimum interitum ruere. Vt autem suæ doctrinæ auctoritatem afferat, propheticum oraculum adscribit.

a cap. 12.

14 *Prophetauit autē & de his septimus ab Adam Enoch, dicens. Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis.*

I. Hic locus non hæreticos modò, sed nonnullos etiam Catholicos[b] impulit, vt huic Epistolæ sacram auctoritatē abnegarent, quòd prophetia Enoch apocrypha & incertæ, aut etiam suspectæ fidei videatur. Certè Tertullianus[c] non semel librum Enoch laudat, & multis probat eius vaticinium potuisse post eluuionem Noeticam conseruari; *Scio* (inquit) *scripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi à quibusdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur. Opinor non putauerunt illam ante cataclysmum editam post eum casum orbis omnium rerum abolitorem saluam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Enoch fuisse superstitem cataclysmi Noë, qui vtique domestico nomine, & hereditaria traditione audierat, & meminerat de proaui sui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis eius cum Enoch filio suo Mathusale nihil aliud mandauerat, quàm vt notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse, vel quia & alias non tacuisset tam de Dei conseruatoris sui dispositione, quàm de ipsa domus suæ gloria, hoc si non tam expeditè haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur; proinde potuit abolefactam eam violentia cataclysmi in spiritu rursus reformare, quemadmodum & Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum. Sed cum Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omninò reiiciendum est, quod pertinet ad nos. Et legimus omnem scripturam ædificationi habilem diuinitùs inspirari; à Iudæis postea iam videri propterea reiectam; sicut & cætera ferè, quæ Christum sonant. Nec vtique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo loquutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eo accedit, quòd Enoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet.*

b Caietanus.
c In Apol. c. 21. lib. de idol. cap. 4. lib. de hab. mul. c. 3. lib. de cul. fœm.

II. Sed Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Irenæus, & Athenagoras eamdem Enochi prophetiam probasse videntur, qui inde hauserint errorem illum, quo asserunt, Angelos ex filiabus hominum Gigantes suscepisse, quod etiam sensisse videntur Methodius, Cyprianus Lactantius, Seuerus Sulpitius, Proclus, & Psellus. Augustinus[a] certè de scriptura Enoch hunc in modum loquitur; *Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cùm hoc in epistola canonica Iudas Apostolus dicat; sed non frustra non sunt in eo canone scripturarum, quæ seruabantur in templo Hebræi populi succedentium diligentia Sacerdotum. Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt, nec vtrum essent, quæ ille scripsisset, poterat inueniri non talibus proferentibus, qui eam per seriem successionis reperirentur ritè seruasse? Vnde illa, quæ sub eius nomine proferuntur, & continent istas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda, sicut multa sub nominibus & aliorū prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.*

a lib. 15. de Ciui. c. 23.

III. Et alibi[b]; *Quid Enoch septimus ab Adā? Nonne etiam in canonica epistola Iudæ prophetasse prædicatur? Quorum scripta, vt apud Iudæos, & apud nos in auctoritate non essent nimia, fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicantur ab eis, qui pro suo sensu passim quod volunt, credunt. Sed ea castitas canonis non recipit, non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quòd ista esse non credantur ipsorum.* Ex quibus apparet neque Tertullianum, neque Augustinum dubitasse Enoch aliquid diuinitùs scripsisse, & quidem diuinam habuisse auctoritatem huius præsertim Apostoli suffragio firmatam, sed librum postmodum alienis commentis fuisse respersum, ac propterea meritò Enoch vaticinium sacrarum literarum canone fuisse exclusum.

b lib. 18. de Ciuit. c. 38.

IV. At Hieronymus librum Enoch simpliciter apocryphum, ac nullius putat esse auctoritatis, & ob eam causam ait[c], hanc Iudæ *epistolam à quibusdam Ecclesiasticis Patribus fuisse reiectam, quòd apocryphum librum Enoch laudet.* Et Alibi[d] Iudam excusat, quòd ei licuerit ex apocrypho libro testimonium proferre, vt potuit Paulus Poëtarum carmina suis epistolis inserere. Cum Hieronymo sentire videtur Chrysostomus[e], qui Enochi librum inter fabulas reiicit. Nec magnopere dissentit Epiphanius[f]; Origenes anceps videtur, sic enim scribit[g]; *Qui enim fecit multitudinem stellarum, vt ait Propheta, omnibus eis nomina vocat; de quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur Enoch, secreta continentur, & arcana; sed quia libelli ipsi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi, interim nunc ea, quæ ibi nominantur, in exemplum vocare differamus.* Alio verò loco[h]; *In Enoch scriptum est (si modo quispiam eum, vt sanctum librum probare velit) in diebus descensus filiorum Dei ad hominum filias, quem quidem descensum nonnulli obscurè significare existimauerunt animorum in corpora descensum, quod filias hominum obscurè, & tropicè terrenum tabernaculum dici existimauerint.*

c In cathol. in Iud.
d Ad Tit. 3.
e Gen. 6.
f Hæres. aduer. Marcion.
g Hom. 28. Num.
h Tomo 6. in Ioan.

V. Ego igitur non dubito, diuinum aliquod Enoch edidisse Oraculum, quod, vt rectè probat Ter-

A rullianos, vel traditione potuit etiam post diluuium ad posteros peruenire: si præsertim verum sit, quod de duabus columnis scribit Iosephus [a]; (a lib. 1. antiquit.) cùm enim celebre vaticinium esset geminam cladem mundo imminere, alteram quidem eluuionis aquarum, alteram verò incendij, & conflagrationis, quæ scitu digna ad omnem posteritatem transmittenda essent, lapideæ & lateritiæ columnis fuisse inscripta, vt si lateritia diluuio periret, lapidea superstes esset. Quòd si quis sciscitetur, quid potissimum Enoch liber, & vaticinium contineret, non facilè responderi potest; nam quæ de stellarum nominibus, earúmque vi, atque efficacitate commemorantur ab Origene, atque id genus alia, quæ insinuat Augustinus, haud equidem ambigo spuria esse, atque aliunde assuta. B In vetusto autem codice, qui Testamentorum Patriarcharum inscribitur, quem sæpe Origenes, & Procopius laudant, multa ex libro Enoch leguntur vaticinia de his, quæ euentura erant filiis, ac nepotibus duodecim Patriarcharum; de Hebræorum flagitiis, atque suppliciis; de humanæ salutis vindice, ac liberatore ab Hebræis per summum scelus, atque impietatem necando; de Hebræorum clade, misera seruitute, perpetuaque abiectione. Adde hoc oraculum, quod in præsentia commemorat Iudas, dum ait; *Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch.* Omnino autem verisimillimum videtur existimasse Iudam, hoc vaticinium verè fuisse ab Enocho diuino impulsu pronunciatum, atque adeò magnæ esse auctoritatis. C Accedit, quòd cùm Gnostici extremum Dei iudicium futurum negarent, Enochi tantùm librum admitterent, cæteris Scripturæ testimoniis posthabitis, quæ illi fortasse reiecturi erant, Enochi testimonio quasi suo illos gladio iugulandos censuit.

VI. Prophetasse autem dicitur Enoch de his, tum quia vniuersim omnibus improbis iudicij seueritatem minatur, tum quia nonnulla attingit, quæ propriè ad Gnosticos spectare videantur, vt aliquanto pòst docebo. Dicitur porrò Enoch septimus ab Adam, ne eum altero Enoch confundatur, qui fuit filius Cain. Hic enim ad Seth Adæ filium genus suum refert, qui secundus est ab Adam: tertius est D Enos eius filius, quartus Cainam genitus ab Enos, quintus Malaleel ab hoc procreatus, sextus eius filius Iared, à quo genitus est Enoch, qui meritò dicitur ab Adam septimus. Qua verò ratione dicatur Enoch à Domino translatus, & non apparuisse alibi docui [b]. (b in epist. ad Hebr. c. 11.) Videtur autem hoc addidisse Iacobus, vt antiquitate maiorem vaticinio auctoritatem conciliaret; perinde quasi indicaret, ab ipso penè mundi nascentis exordio Gnosticorum flagitia fuisse prænsa, ac sempiternis suppliciis destinata. Verisimile autem est, Enochum Sethi posteris oracula edidisse, quod, vt arbitror, significauit Irenæus, cùm dixit [c]; (c lib. 4. c. 3.) *Sed & Enoch sine circumcisione placens Deo, cùm esset homo Dei legatione ad Angelos fungebatur.* E Respexisse enim videtur Irenæus ad locum Geneseos [d]; (d cap. 6. 2.) *Cùm vidissent*, inquit, *filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.*

VII. Quo loco pro filiis Dei nonnulli legunt, *Angelos Dei*; vnde multorum error manauit, quem paulò antè indicaui: simpliciter autem siue Dei filios, siue Angelos legas, Sethi posteros Scriptura diuina significat: illis enim reuera filiorum Dei nomen adhæsit, siue quia illis promissio seminis benedicti reseruata erat, siue propter verum Dei cultum, & religionem, quæ quia deerant omnia Cainitis, hominum filij nuncupantur, quòd caduca, & mortalia bona tantummodo spectarent. Ad Angelos igitur, seu Dei filios legatione functus dicitur Enoch, quòd diuino Numine impulsus eorum effusam libidinem castigaret, qui posthabitis sui generis, ac religionis fœminis filias Cain adamassent, eísque ardentissimè adhæsissent. Non negarim tamen indicasse Irenæum eum, quem paulò antè errorem nominaui, quasi Angeli fœminarum forma allecti fœdis voluptatibus operam dederint, quem errorem ex libris Enochi nomine euulgatis produxisse putant Tertullianus [a], Origenes [b], Augustinus [c]. (a lib. de habit. mul. b homil. 28. in Numer. c lib. 15. de Ciuit. c. 23.) Prophetasse igitur dicitur Enoch, hoc est, futura antè denunciasse, quod non nisi diuino impulsu fieri potest; futura enim anticipata quadam prænotione complecti diuinæ sapientiæ proprium est. Itaque Isaias [d] (d cap. 47. 13.) Hebræorum populum irridet, quòd Pseudoprophetis aures præberet; *Defecisti*, inquit, *in multitudine consiliorum tuorum: stent & saluent te augures cæli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi: Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos.* Et alibi [e]; (e Isai. 41. 23.) *Annunciate*, inquit, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Diuini igitur vates cælesti quodam, ac planè diuino Numine perfusi omnia perlustrant abdita, atque occulta patefaciunt, futura prospiciunt, diuina denique, atque abdita mysteria, quasi Dei nuncij, atque interpretes mortalibus proponunt, & explicant. *Tales enim*, ait Chrysostomus [f], (f in psal. 43.) *omnia tempora percurrunt, præsentia, præterita, futura.* Inter omnes igitur diuinos vates principem locum obtinuit Enoch: eius autem vaticinij verba proponit Iudas, cùm ait.

VIII. *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis*; secundum proculdubio Christi aduentum indicat, de quo Christus apud Matthæum [g]; (g cap. 25. 31.) *Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Vtitur autem verbo præteriti temporis: Græcè enim scriptum est, ἦλθε, quod est temporis præteriti; ita enim ferme loqui solent Prophetæ, vt vaticinij, & prædictionis certitudinem indicent, dum quæ multo pòst futura sunt, quasi iam præterita narrant. Ita meritò Isaias, dum Christi mysteria explicat, non tam futura prædicere, quàm præterita narrare videtur, vt Euangelista potiùs, quàm Propheta censeri queat; *Venit*, inquit, *Dominus*, hoc est, certissimè, & absque vlla dubitatione aderit non humilis, ac penè ignotus, vt in primo aduentu, sed *in sanctis millibus*, hoc est, Angelorum myriadibus stipatus. Nam & Daniel [h]; *Millia*, inquit, *millium ministrabant ei, & decies millies centena millium assistebant ei.* Hunc autem posteriorem aduentum describit Ioannes in Apocalypsi [i]; *Ecce*, ait, *venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Et Isaias [k]; *Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & Principibus eius.* (h cap. 3. 10. i cap. 1. 7. k cap. 3. 17.)

IX. Tametsi enim Tertullianus [l], & Ruffinus [m] hæc de primo Christi aduentu accipiunt, cùm Christus Dominus humano sese iudicio subiecit. Multo tamen aptiùs Iustinus [n], Cyrillus [o], & Hieronymus [p] de iudicio explicant, quo Deus Iudæorum Principes iusto supplicio addicet. Et Basilius [q], Augustinus [r], & Gregorius [s] de extremo iudicio explicant. Quò proculdubio pertinent illa eiusdem Prophetæ [t]; *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit.* Ita enim locum explicant Hieronymus, & Cyrillus [u], Cyprianus [x], & Augustinus [y]. Eodem refero Dauidis verba [z]; *Deus manifestè veniet. Deus noster, & non silebit.* Quamobrem Athanasius de hoc Christi aduentu ita alicubi scribit [a]; *Simul se latere nolens alterum eius aduentum illustrem, & diuinum, non humilitate*

(l lib. 1. de resurr. carn. cap. 20. & lib. 4. cont. Marcion. c. 42. m in expos. Symbol. n dial. cum Tryphon. o Isai. 3. p Isai. 3. q Isai. 3. r in psalm. 49. s libr. 1. in Ezech. homil. 9. t cap. 66. u in illum locum. x de bono pat. prope fin. y lib. 20. de Ciuit. c. 21. z psal. 49. a lib. de incarn. Verb.)

contem

contemptibilem, sed gloria magnificum in expectatione esse,
atque immunere, cùm non vt patiatur redaturus sit, sed vt
fructus sua Crucis omnibus retribuat, immortalitatem vide-
licet, & resurrectionem, & incorruptibilitatem; neque vt iu-
dicetur, sed vt iudicet.

X. Cæterùm quod ait Enoch, *in sanctis millibus suis,*
indicat Angelorum obsequium, ac ministerium, de
a Matth. 13. 41. quo Christus in Euangelio [a]; *Mittet*, inquit, *filius*
hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia
b Matt. 24. 31. *scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem.* Et alibi [b];
Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & con-
gregabunt electos eius à quatuor ventis à summis cælorum
c Matth. 13. 49. *vsque ad terminos eorum.* Denique [c]; *In consummatione*
sæculi, ait, *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio*
iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus,
& stridor dentium. Fortasse etiam indicare voluit as-
sessuros Christo Iudici plerosque Sanctorum, vt
d Sapient. 3. significauit Salomon, cùm dixit [d]; *Fulgebunt iusti, &*
tamquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt
nationes, & dominabuntur populis. Et Christus apud
e cap. 19. 28. Matthæum [e]; *Amen*, inquit, *dico vobis, quòd vos, qui*
secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis
in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duode-
f cap. 22. 29. *cim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Et apud Lucam [f];
Et ego, ait, *dispono vobis, sicut disposuit Pater meus*
regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno
meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus
g 1. ad Cor. 6. 2. *Israël.* Et Paulus [g]; *An nescitis, quoniam Sancti de hoc*
mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, in-
digni estis, qui de minimis iudicetis. Nescitis, quoniam An-
gelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Quomodo
h 1. ad Cor. 6. autem iudicaturi sint, alibi [h] dixi. Subdit Iudas.

15. *Facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ loquuti sunt contra Deum peccatores impij.*

I. Hic est finis secundi aduentus Domini; *Facere*,
inquit, *iudicium contra omnes.* Nam, vt ait Christus
i cap. 25. 32. apud Matthæum [i]; *congregabuntur ante eum omnes*
k ad Rom. 14. 10. *gentes.* Et Paulus [k]; *Omnes enim stabimus ante tribunal*
Christi, scriptum est enim; Viuo ego, dicit Dominus, quo-
l 2. ad Cor. 5. 10. *niam mihi flectetur omne genu.* Et alibi [l]; *Omnes enim*
nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat
vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue
malum. Quocirca hoc vaticinium ita spectat ad
Gnosticos, vt tamen omnes etiam improbos com-
plectatur, de quibus mox subdit; *& arguere omnes*
impios. Quamquam autem OEcumenius impium à
peccatore distinguit, *quòd impius contra Deum peccet,*
peccator verò in iis, quæ ad vitam spectant, à iustitia scopo
recedat. Crediderim tamen, hoc loco omnes omnino
scelestos, ac peccatores impiorum nomine signifi-
cari, cùm præsertim omnia hominum flagitia suo
quodam modo Deum spectent, & diuinam eius ma-
iestatem lædere videantur, ac propterea illum me-
ritò ad iram, & indignationem prouocent. Rectè
autem dixit, *arguere omnes impios*, Græcè ἐξελέγξαι,
quod est certo, ac minimè fallenti argumento con-
cludere. Tunc enim etiam abdita, atque occulta
consilia proferentur in lucem. Verè namque scripsit
m 1. ad Cor. 4. 5. Paulus [m]; *Illuminabit abscondita tenebrarum, & mani-*
festabit consilia cordium. Quod non sine metaphora io-
n cap. 7. 10. dicauit Daniel [n], sic enim scripsit, *Iudicium sedit,*
o Apocal. 20. 12. *& libri aperti sunt.* Et planiùs Ioannes [o]; *Et vidi*, in-
quit, *mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni,*
& libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ,
& iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris
secundùm opera eorum.

II. Ita enim actiones omnes, siue bonæ, siue malæ,

A perspicuè cognoscentur ab omnibus, ac si in libro
descriptæ essent, & ab omnibus legi possent. Pate-
bunt enim tunc omnium conscientiæ, &, vt ait
Apostolus [a], testimonium cuique reddent. Et me- a ad Rom. 2.
ritò, vt Hieronymus, & Theodoretus affirmant [b], b Daniel. 7.
aperiendi dicuntur libri, quia singulorum conscien-
tiæ (quidquid aliqui [c] secus sentiant) omnibus [d] c Palud. in 4. dist. 47. q. 1. art. 2. Durãd. ibid. q. 2.
patefient. Qua verò ratione id fieri possit, subtiliùs
disputant Theologi, quàm vt paucis in præsentia
expediri queat. Certè, vt Augustinus [e] scribit;
Quædam vis est intelligenda diuina, qua fiet, vt cuique d Ita D. Th. in 4. dist. 43. q. 1. art. 5 q. 3.
opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam reuo-
centur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt ac-
B *cuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul &* Bonauent. ibid. q. 3.
omnes, & singuli iudicentur. quæ nimirum vis diuina libri
nomen accepit. Omninóque verisimile est externam Richard. ib. art. 7. & dist. 47. ar. 1. q. 5.
vocem non fore necessariam, cùm diuinæ omnipo-
tentiæ non sit de futura ratio, qua id congruè, atque & Sot. q. 2. art. 3.
aptè fieri queat ad illustrandam diuinam iustitiam;
idque, vt arbitror, alia quadam metaphora expli- e lib. 20. de Ciuit. cap. 14.
cuit Sophonias [f], qui Deum ita loquentem inducit;
Et erit in die illa, scrutabor Hierusalem in lucernis. Quæ f cap. 1.
verba eleganter explicans Bernardus [g]; *Et ideircò,* g serm. 55. in Cant.
inquit, *necesse erit subtili ea inuestigari discussione, &*
quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi.

Itaque rectè ait Iudas, *arguere omnes impios de* III.
omnibus operibus impietatis eorum. Omnia enim accu-
ratissimè expendenda erunt, & iusto supplicio
C plectenda. Quòd enim Christus apud Matthæum [h] h cap. 25.
solùm videatur misericordiæ opera recensere, dom
& bonis præmia, & malis supplicia rependit, non
perinde accipiendum est, quasi de solis pietatis
operibus agendum sit; sed, vt ait Augustinus, ea
veluti exempli gratia posita sunt, vt si eorum ope-
rum neglectus sempiterno supplicio dignus cen-
sebitur, facilè quiuis intelligat, quid de periurio,
blasphemia, sacrilegio, aliisve sceleribus sentien-
dum videatur. Pertinet igitur quod hic ait Aposto-
lus Iudas ad omnes impios, quibus iudicij extremi
seueritas imminet. Ita eorum refellitur error, cuius
meminerunt Hilarius [i], & Augustinus [k], qui nul- i in psal. 1.
lum putabant superesse iudicium, cùm Christus k de agone Christ. cap. 27.
apud Ioannem [l] dicat; *Qui credit in eum, non iudi-*
catur; qui autem non credit, iam iudicatus est. Cùm l cap. 3.
D enim omnes vel fide Christi præditi sint, vel ea
careant, & illi quidem non iudicentur, hi verò
iam iudicati sint, nullus futuro iudicio reliquus vi-
detur esse locus.

Fateor visos esse nonnullos existimare, impios, IV.
& infideles extremo iudicio non affuturos, cùm
etiam Dauid [m] dicat; *Ideò non resurgent impij in iu-* m psal. 1.
dicio; ita enim locum explicant Basilius [n], & Hila- n in psal. 7.
rius [o], neque aliter sensisse videtur Ambrosius [p]. o in ill. loc.
Lactantius [q] autem apertissimè scripsit; *Nec tamen* p in psal. 1.
tunc vniuersi à Deo iudicabuntur, sed ij tantùm, qui sunt q lib. 7. cap. 20.
in Dei religione versati. Et in eamdem sententiam Au-
gustinus [r]; *Ad iudicium*, inquit, *non veniunt nec Pa-* r serm. 38. de Sanct.
E *gani, nec Hæretici, nec Iudæi, quia de illis scriptum est:*
Qui non credit, iam iudicatus est. Et Gregorius [s] duos s lib. 26. moral. cap. 20.
reproborum ordines distinguit; *Alij siquidem iudican-*
tur, & pereunt, alij non iudicantur, & pereunt; de quibus Do-
minus dixit [t]; *Qui non credit, iam iudicatus est.* Et Paulus [u]; t Ioan. 3.
Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Eodémque u ad Rom. 2.
modo loquuntur Isidorus [x], Anselmus [y], & alij. Quæ x lib. 1. de summ. bon. cap. 38.
si admittenda sit sententia, planè sequitur nullum fore
iudicium, cùm ex Christi sententia infideles iam iudi-
cati sint, fideles autem non iudicentur. Itaque Theo- y in Elucid.
logi [z], vt dogma fidei tueantur, quo cunctos mortales z in 4. d. 47.
à Christo Iudice iudicandos credimus, duplex distin-
guunt iudicium; vnum, quod vocant discussionis, seu
inquisitionis; alterum, quod damnationis appellant.

Aiunt igitur fideles non iudicari, quia hoc nomine (A) quòd fideles sint, nullo modo damnationi obnoxij dici possint. Infideles contrà dicuntur iam iudicati, quòd eorum causa certa, atque explorata damnatione digna sit, vt perscrutatione, vel inuestigatione non indigeat, quod non obscurè significat Gregorius; *Non enim, ait, eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum stricti Iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt, Increpationem Iudicis in extrema examinatione non audiunt, quia prædicati infidelitatis suæ tenebris eius, quem despexerant, inuectione redargui non merentur.*

V. Sed vt verum fatear, non planè mens mea conquiescit: Paulus enim, vt non multo antea docui, omnes ait esse ante tribunal Christi manifestandos, *vt referat vnusquisque prout gessit, siue bonum, siue malum.* (B) Et in præsentia Iudas Enochi auctoritate probat omnium impiorum actiones arguendas. Adde, quòd quemadmodum aperta est infidelium damnatio, quia fide carent, sine qua, vt ait Apostolus [a], *impossibile est placere Deo*; ita non minus explorata est eorum fidelium damnatio, qui licèt fide præditi sint, bonis tamen actionibus destituuntur, cùm, vt ait Iacobus, *fides absque operibus mortua sit.* Denique summa diuini iudicij æquitas postulat, vt ante sententiam omnium causarum merita quàm diligentissimè excutienda sint, vt tam præmium, quàm supplicium bonis, malisve meritis ex æquo respondeat. Quod videtur non obscurè insinuasse Hieronymus [b]; (C) *Iudicium, inquit, Domini cum gentibus, quia sunt gentium merita diuersa, & ideò qui non credit, iudicatus quidem est in eo, quod non credit, sed ipsi, qui non credunt, inter se diuersis afficientur suppliciis. Iudicantur ipsi cum omni carne, vt nullus iniudicatus abeat.*

a ad Hebr. 11.6.
b Ierem. 25.

VI. Fatendum igitur est, omnes impios, tam infideles, quàm fideles, in extremo iudicio arguendos, eorúmque omnia opera, quibus impiè egerunt, quàm diligentissimè excutienda, & expendenda esse; cum hoc enim Enochi testimonio alia Prophetarum oracula mirè consentiunt. Nam Ieremias [c]; *Iudicium*, ait, *Domini in gentibus*, quasi cum iis disceptaturus sit, quod apertissimè ait Ioël [d]; (D) *Congregabo*, ait, *omnes gentes, & adducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israël.* Vt appareat iustorum, & impiorum causas discutiendas esse, & omnes improbos, siue fideles, siue infideles, sempiternis suppliciis adiudicandos esse. At Dauid [e]; *Non resurgent*, inquit, *impij in iudicio*; omnino verè, non enim erigent caput, non stabunt, non consistent, causam suam tueri non poterunt, iustam damnationis sententiam nequaquam effugient. Christus porrò dixit [f]; *Qui credit, non iudicatur, qui non credit, iam iudicatus est.* Sed interprete Chrysostomo æquè ad fideles, ac infideles pertinet; loquitur enim Christus de fide viua, qua qui credit, nulla ratione damnationem metuere potest; qui verò eadem fide viua destituitur, siue fidelis, siue infidelis sit, iam iudicatus est, quia iustam, atque apertam damnationis causam habet, vt Chrysostomus [g], & Cyrillus [h] affirmant, & non obscurè insinuat Augustinus [i].

c cap. 25.
d cap. 3.
e psal. 1.
f Ioan. 3.
g homil. 27. in Ioan.
h libr. 3. in Ioän. c. 53.
i de agon. Christ. cap. 27

VII. Quin etiam Christi verba secundùm præsentem iustitiam accipienda videntur; qui enim credit in eum, non iudicatur, hoc est, spectata præsenti iustitia, si in ea perseueret, non condemnatur. Quomodo accipienda sunt, quæ paulò pòst subdit; *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui incredulus est Filio, non videbit vitam.* Et alibi [k]; *Qui credit in eum, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit*, hoc est, damnationis sententiam non subibit; atque ideircò subdit, *sed transit à morte ad vitam.* Ita videtur sensisse Irenæus [a]; *Qui credit in me*, inquit, *non iudicatur, id est, non separatur à Deo; qui autem non credit, iam iudicatus est, id est, separauit semetipsum à Deo voluntaria sententia.* Certè *arguendi* verbum ad discussionem maximè refertur, vt hoc quidem nomine nullum inter fideles, atque infideles discrimen constituendum videatur, nisi quòd infideles apertiùs videntur à regno excludendi, quòd fide careant, quæ est omnis boni meriti principium. Atque hac ratione sancti Patres, quos paulò antè nominaui, iudicare videntur, alienos à fide non esse iudicandos, cùm adeò sit aperta eorum condemnatio, vt noua sententia non videatur indigere.

k cap. 5.
a lib. 5. c. 27.

VIII. (B) *Quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ loquuti sunt contra Deum peccatores impij.* Explicat quod modò dixerat, arguendos impios de omnibus operibus impietatis, *quæ impiè*, inquit, *egerunt*, vt vniuersim de omnibus loquatur. Quod verò addit; *& de omnibus duris, quæ loquuti sunt contra Deum peccatores impij*, propriè ad Gnosticos, eorúmque similes videtur pertinere. Dura enim Græcè σκληρῶν appellat ea, de quibus paulò antè dixerat, *maiestatem blasphemant.* Meritò autem ea dura appellat: vt enim ea, quæ eiusmodi sunt, tactui resistunt; ita probra, & maledicta Gnosticorum à recta ratione maximè abhorrent. Ita olim Capharnaitæ, & nonnulli ex discipulis, cùm audissent [b] Christum carnem suam tamquam cibum, (C) & sanguinem tamquam potum commendantem, cùm, vt ait Augustinus, mysterium non perciperent; sed cùm de carne, & sanguine loqui existimarent, vt solet in macello venalis proponi, meritò dixerunt; *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Nihil enim magis abominantur homines, quàm Anthropophagos, id est, humanas carnes vorantes. Quis autem ferat immania illa portenta, quæ paucis suprà ex Irenæo, & Epiphanio commemoraui, quæ tamen Gnostici tamquam sacra quædam acroamata suis sectatoribus proponebant?

b Ioan. 6. 6.

IX. Ea igitur tamquam dura, & à fidelium sensu maximè abhorrentia iustam in extremo iudicio sententiam sibitura indicat Iudas. Addit autem, (D) *peccatores impij*, vt significet, eos non solùm esse omnibus sceleribus coopertos, & flagitiis allutos, sed etiam impios, hoc est, diuini cultus prophanatores, religionis, ac pietatis hostes, Dei denique immortalis contemptores. Atque hactenus quidem Enochi vaticinium, quod vndecumque desumptum sit, verum, & Catholicum dogma continet, quod Christus Dominus fidelibus suis maximè commendatum esse voluit. Nam vt omittam quæ de futuro iudicio tam frequenter in Euangelio inculcat, cùm in cælum sublatus esset, duas ex beatis mentibus ad Apostolos destinauit, quæ secundum ipsius ad nos aduentum commemorarent. *Hic Iesus*, inquiunt [c], *qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* (E) Quin etiam Petrus Apostolorum Princeps profitetur, hoc potissimum Apostolis imperatum esse, vt prædicarent populo, *& testificarentur* [d], *quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Huius enim mysterij memoria vtili quodam timore veluti fræno prauas cupiditates coërcet, & in pietate, ac Christiano officio continet, vt eleganter docuit Gregorius Nyssenus [e]; *Adhuc, inquit, vereor circa spectaculum terribilis aduentus Regis, quem describit nobis Euangelium, etiam nunc animus terrore eorum, quæ dicta sunt, defixus pauore, atque formidine torpet, veluti cernens quodam modo tum ipsum cælorum Regem, vt ait Scriptura, in solio glorioso terribiliter præsidentem, tum magnificũ, & augustũ illud*

c Act. 1. 11.
d Act. 10. 42.
e orat. in illud; Quod vni ex minimis meis fecistis.

solium

solium (quodcumque tandem illud solium est, quod in sese capiat eum, cuius nullus locus capax est) tum infinitas illas Angelorum legiones Regem undique circumstantes, atque ipsum magnum illum, ac terribilem Regem ex inenarrabili gloria ad humanam naturam despicientem, & ad omne genus hominum, qui ex quo homines nati sunt, usque ad terribilem illam apparitionem inuenientur, ad sese cogentem, & pro merito, ac dignitate anteacta vita vnicuique sententiam accommodantem. Et post pauca. *Vehementer enim fratres, vehementer admirans animo perculsus, & consternatus sum, ac non dissimulo animi mei perturbationem. Vellem autem etiam vos non contemnere terrores; beatus enim est is, qui omnia cautè, atque reuerenter, ac piè formidat; qui autem rem contemnit, contemnetur ab ea, inquit alicubi sapientia sermo.* Plura in eamdem sententiam alibi dixi.

16. *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa.*

I. Paulò antè metaphorica oratione Gnosticorum tum dogmata, tum vitæ rationem descripserat. Iam, vt ait Oecumenius, *omissis similitudinibus, & metaphoris apertè eorum mores perstringit.* Ait autem primùm eos esse *murmuratores.* Græcè autem dixit γογγυσταί, hoc est, *susurrones*, quòd videlicet omnem Ecclesiasticum ordinem, & eos præcipuè, qui sibi aut oratione, aut re ipsa aduersarentur, impiè, nefariéque traducerent. Est autem, vt ait OEcumenius, γογγυστὴς, hoc est, *susurro*, qui tacitè, ac mussitando, non apertè, quod sibi displicet, reprehendit, & carpit. Ita autem ferè facere consueuerunt hæretici, præsertim in initio, vt faciliùs sese in auditorum animos insinuent, suorumque errorum virus instillent. Ecclesiasticorum enim mores per speciem pietatis carpunt, seu verè, seu etiam falsò, & vera quidem amplificant, & in maius extollunt; plurima verò falsa affingunt, vt vbi illos exosos reddiderint, vera illorum dogmata accusent, & damnent, atque hæresis venenum propinent. Hac ratione factiones excitant, schismata pariunt, omnia perturbant, & permiscent, quod magno nostro malo, vt antiqua reticeam, à multis annis experta est Ecclesia. Videmus enim maximas, & nobilissimas prouincias Lutheranorum, & Caluinistarum errore delusas, ab Ecclesiæ vnitate, Romanoque Pontifice impiè defecisse, & Ecclesiam Romanam, quam tamquam omnium Ecclesiarum magistram olim venerabantur, Romanum denique Pontificem, quem fidelium omnium Patrẽ, ac Pastorem agnoscebãt, incredibili nunc odio prosequi, probris, ac maledictis incessere.

II. Addit Iudas, *querulosi*, Græcè μεμψίμοιροι, hoc est, *queruli*, vel, vt alij interpretantur, *reprehensores.* Vt enim ait OEcumenius, *μεμψίμοιρος is est, qui portionem, & sortem aliorum reprehendit, quique omnia, ac semper studet vituperare.* Ait itaque Iudas, hos flagitiosos, susurrones, ac murmuratores esse, quippe qui turpem, atque obscœnam doctrinam suam palam proponere non audeant. Non enim periculo vacarent, si impura, ac nefaria dogmata probris, ac maledictis admixta, atque in primis impietate fœdata passim vulgarent. Reprehensores item sunt, quia aliorum omnium dicta, factáve, atque adeo veritatem ipsam calumniis, & criminationibus appetunt, vt sua interim scelera non modo excusent, sed etiam commendent, & aliis persuadeant. Eam ob caussam subdit, *secundùm desideria sua ambulantes*; hoc est, prauis suis cupiditatibus indulgentes, & voluptatum irritamentis obsequentes, cum tamen, vt sapienter alicubi scribit Seneca [a], *vitiorum irritamenta longissimè fugienda sint, & indurandus sit animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus.*

a epist. 52.

III. *Ambulantes* autem dixit, phrasi sacris literis consueta, qua humanæ vitæ actiones significãtur; quam, vt arbitror, metaphoram sequuti Theologi, hanc mortalem, caducamque vitam, viam, homines autem adhuc superstites, viatores appellant, quasi qui ad beatam vitam tamquam ad terminum tendant. Ita dixit Dauid [a]; *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini.* Et Christus ipse [b]; *Ambulate* (ait) *dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* Dicuntur itaque Gnostici secundùm desideria sua ambulare, quia prauis cupiditatibus seruiunt, & sese omnium voluptatum maculis fœdant, vt ex superioribus facilè deprehendi potest. Possis etiam desideria, seu Græcè ἐπιθυμίας appellare impias illas, ac nefarias cupiditates, quibus Ecclesiam, eiusque ministros, & Catholica dogmata oppugnant.

a Psal. 118. 1.
b Io. 12. 35.

IV. *Et os (inquit) eorum loquitur superba.* Mirum enim in modum scientiam iactant, & quidem abditam, & reconditam, vnde & nomen acceperunt. In eos enim rectè conuenit, quod scribit Paulus [c], *scientia inflat:* tumidos enim, atque elatos spiritus addit ea præsertim scientia, quæ mira quædam, & aliis ignota pollicetur. Nam alioqui scientia, quæ mores componit, quæ cuiusque profectum vita æstimat, quæ denique cupiditates frangere docet, ea cum caritate coniungitur, quæ, vt ait idem Apostolus, *ædificat.* Illa contra mira quædam attractis superciliis, & fronte rugosa vomit, quæ partim ridicula, partim inepta, omnino verò impia rectè æstimantibus videri solẽt. Quæ autem sint ea superba, seu tumida, Græcè ὑπέρογκα, quæ isti loquuntur, ex Irenæo, & Epiphanio facilè quiuis intelliget. Neque aliud significare visus est Petrus [d], dum ait. *Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuria eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur.*

c 1. Cor. 8. 1.
d epi. 2. c. 2. 18.

V. Et quidem hæc est omnium fermè hæreticorum tessera, miram quamdam scientiam profitentur, præ se cæteros omnes nihil sapere arbitrantur. Theologos per contemptum sophistas appellant. Et quia nonnulli ex ipsis linguarum peritiam iactitant, & orationis cultum, nitorémque plus æquo sequuntur, eorum scripta partim carpunt, partim irrident, qui non tam verborum apparatum, & orationis pigmenta, & lenocinia sectantur, quàm Christianæ vitæ præcepta, & sanæ doctrinæ dogmata, quibus diuinarum rerum notione mentem, atque animum complent, & ad diuinæ legis formam actiones, morésque suos exigunt. Videtur autem Iudas, vt suprà etiam monui, Petrum imitari, qui iisdem propemodum coloribus Gnosticos exprimit. Quod non ita multo post planius, apertiúsque constabit. Vterque porrò Apostolus prima illa nascentis Ecclesiæ tempora spectasse videtur, cùm ex vita, & moribus de cuiusque fide, ac doctrina iudicandum videbatur. Nam nunc quidem, quæ est nostri æui misera conditio, adeo prauæ cupiditates in omni fermè hominum genere dominantur, & voluptatis illecebræ tantam vim habent, vt si mores tantummodo spectes vix Catholicum ab hæretico dignoscas, quos non vitæ, morúmque ratio, sed praua mentis notio distinguit. Olim autem ab externis moribus veræ fidei, aut perfidiæ non omnino fallax, aut contemnendum argumentum ducebatur.

VI. *Mirantes personas quæstus causa.* Suspicientes videlicet commodi, atque vtilitatis gratia personas, quod OEcumenius refert ad id, quod antea dixerat. *Errore Balaam mercede effusi sunt. Quod autem* (ait) *prius dixerat, mercede illos sicut Balaam effusi fuerant, id nunc apertiùs explicat, cùm ait personas admirantes vtilitatis causa, id est, eos, qui in dignitate constituti sunt adulatione prosequentes,*

vt vti

vt vtilitatem inde, & lucrum consequantur. Sic olim fecerunt Simonem Gnosticorum principem cultu, ac veneratione quæstus gratia Neronem prosequutum, & apud eum criminatum esse Christianos, quos per contemptum Galilæos vocitabat. Quid autem hoc in genere superioris sæculi hæretici moliti sint, pudet in præsentia commemorare; eò enim impudens quorumdam, & proiecta audacia prouecta est, vt etiam fœminis, & Laicis principibus supremã Ecclesiæ administrationem tribuerent, quo nihil absurdius fingi, aut cogitari potest, cum Sacerdotibus tantùm, atque Episcopis Ecclesiasticarum rerum procu-
a Act.20.28. ratio permissa sit. Dicit enim Apostolus [a]; *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Verè autem dixit Iudas, *quæstus causâ*, Græcè ὠφελείας χάριν. hoc est, *vtilitatis gratiâ*, inde enim vel lucrum, vel honores, vel denique emolumentum, vel compendium aliquod sperant.

VII. Hæc autem omnia perditissimi mortalium spectant, atque idcirco omnia propria vtilitate, & commodo metiuntur; & ob eam causam dicuntur à Paulo se ipsos amantes, sed improbo, & peruerso amo-
b Io.12.25. re, de quo Christus [b]; *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quo loco rectè Augustinus; *Magna* (inquit) *& mira sententia est, quomodo sit hominis in animam suam amor, vt pereat odium, ne pereat.* Et rursus; *Si malè amaueris, tunc odisti, si odis amare, ne perdas.* Rectè
c Matth.16.26. enim Christus [c]; *Quid prodest* (inquit) *homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*
d Sap.5.7. Certè illi apud Salomonem [d] sero stuporem suum agnoscunt, & impietatem accusant. *Lassati* (aiunt) *sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Et post multa; *Virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti su-*
a Prou.5.22. *mus.* Et alibi Salomon [e]; *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.*

17. *Vos autem carissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi.*

I. Ex hoc loco suspicantur nonnulli hanc Epistolam nequaquam esse Apostolicam, quasi verò alienum sit ab Apostolica dignitate aliorum Apostolorum dicta, scriptáve laudare, cum tamen Apostolorum Princeps Petrus Pauli Epistolas non sine encomio laudet. Illud certè rectè ab OEcumenio obseruatum est, Iudam post reliquos Apostolos hæc scripsisse. Videtur autem procul dubio posteriorem
f cap.3.2. Petri Epistolam [f] indicare, ait enim. *Vt memores sitis eorum, quæ prædixi verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini, & Saluatoris; hoc primum scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes.* Simile quiddam iudicat non vno loco Paulus; præ-
g ep.1 c.4.1. cipuè verò ad Timotheum [g] scribens; *Spiritus autem* (ait) *manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nu-*
h epist.2.ad Tim.3.2. *bere, abstinere à cibis, quos Deus creauit.* Et alibi [h]; *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Et post multa [a]. *Erit enim tempus,* a cap.4.3.
cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.

II. Ad has itaque Apostolorum voces respexisse creditur Iudas, & eas suo suffragio confirmare. Videntur autem hæc Apostolorum oracula de hæreticis potissimùm accipienda esse, quos hoc loco propriè perstringit Iudas. Quæ autem essent Apostolorum verba, indicat Iudas, cùm ait; *Qui dicebant vobis quoniam in nouissimo tempore venient illusores.* Non assentior autem iis, qui nouissima tempora Antichristi tempora, & mundi extrema interpretantur. Omnes enim Apostoli, cùm de his hominibus agunt, præsentes alloquuntur, quos monent, vt huiusmodi hominum mores & agnoscant, & caueãt. Quod frustra facerent, si eorum vaticinia ad extrema mundi tempora pertinerent. Nouissima igitur tempora appellantur ab Apostolis, quæ Christi Domini aduentum proximè consequuta sunt. Sic enim loquuntur Prophetæ.
Isaias [b] siquidem; *Et erit* (inquit) *in nouissimis diebus* b cap.2.2.
præparatus mons domus Domini in vertice montium, cum de tempore aduentus Christi loqueretur. Et eodem
prorsus modo Micheas [c]; *In nouissimo dierum erit mons* c cap.4.1.
domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles. Significant igitur Apostoli, post Christi aduentum improbos, ac scelestos hæreticos exorituros, qui Ecclesiam vexent, & multos in fraudem, & errorem inducant. Itaque subdit Iudas.

18. *Qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.*

Rectè autem hæreticos illusores appellat, quia I
quibusdam veluti præstigiis imperitæ multitudini fucum faciunt, atque illudunt, dum speciem quamdam pietatis præseferunt, & tacitè impietatis virus effundunt, & prauis, corruptisque moribus omnia
inquinant. Porrò Salomon [d]; *Abominatio* (inquit) d Prou.3.32.
Domini est omnis illusor. Et aliquãto [e] post; *Ipse* (hoc est, e vers.34.
Deus) *deludet illusores.* Oseas [f] autem, cùm eos repre- f cap.7.5.
henderet, qui ad idolorum cultum defecerant; *Extendit* (inquit) *manum suam cum illusoribus*, quasi dicat, idolorum cultores imitatus est. Videtur autem Iu-
das ipsa Petri [g] verba posuisse. *Venient* (inquit) *in no-* g ep.2.c.3.3.
uissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Dicuntur autem, vt suprà explicui, secundùm proprias concupiscentias ambulare, qui quicquid libeat, licere putant; quos turpia delectant, & tunc se planè felices, ac beatos putant, cùm omnem libidinem explent. Possis etiam cupiditates, vt suprà monui, interpretari prauas illas animi affectiones, quibus immanium ferarum more Ecclesiasticam disciplinam, diuinum cultum extinguere, sacramenta inquinare, omnia denique sacra polluere, ac prophanare moliuntur.

II. Ac propterea addit Iudas; *secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.* Perinde quasi prauæ, atque effrænatæ ipsorum cupiditates impietatem maximè spectent, & ad eam referantur, quod Græca verba planiùs indicant; sic enim habent κατὰ τὰς τῶν ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῶν ἀσεβειῶν, quasi dicat, *iuxta eorum cupiditates ambulantes, cupiditates, inquam, impietatum*, quia videlicet cupiunt impietatem pro religione statuere. Nihil enim ardentius cupiunt, quàm plurimos mortalium à vero Dei cultu abducere, & impiis, ac nefariis superstitionibus im-
plicare, quod egregiè describit alicubi [h] Paulus. *Ego* h Act.20.29.
scio (inquit) *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi*

rapaces

rapaces in vos non parcentes gregi,& ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa,vt abducant discipulos post se. Credi enim vix potest, quantopere hæretici docendi munere glorientur, qui lanios, & cerdones,& id genus hominum quisquilias Ecclesiæ (si Deo placet) pastores, ac magistros constituant. Quin etiam mulierculæ sacras literas interpretari non dubitant.

19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

I. Hæc est propria hæreticorum descriptio;illi namque sese ab Ecclesia, ac veterum Patrum sententia seiungunt, ipsi sibi soli sapiunt, cæteros omnes facilè contemnunt, erroris,superstitionis, & impietatis arguunt,sibi veram scientiam,& legitimam sacrarum literarum interpretationem arrogant. Quoniam verò Græcè dixit Apostolus ἀποδιορίζοντες, quasi dicat, *exterminantes*, OEcumenius ad eos referet,qui hæreticorum opera seducuntur, & ab Ecclesiæ finibus exterminantur. *Alterum* (inquit) *scelestorum hominum crimen subiungit. Non enim soli ipsi,inquit, pereunt, sed eos etiam, qui sunt Ecclesiæ alumni deprædantur, id enim significat,cùm inquit. Qui disterminant, id est, qui extra Ecclesiæ terminos, hoc est, extra fidem, & sacrum Ecclesiæ tabernaculum homines abducunt, & separant; cum enim sua diuersoria, & collegia speluncas latronum fecerint, ab Ecclesia rapiunt,atque ad se adigunt.* Sed quid prohibet vtramque explicationem admittere? Ipsi primùm sese ab Ecclesia segregant, tum verò alios in eumdem errorem pertrahunt. Sic enim alicubi scribit Paulus [a]; [a 2.ad Tim. 3.13.] *Mali autem homines, & seductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.* Ipsi itaque primum errant, qui ab Ecclesia sponte recedunt, & ab eadem alios abducere conantur.

II. Certè Græca verba vtramque explanationem facilè admittunt, neque verò quemquam ab Ecclesia auocant,nisi priùs ipsi tamquam transfugæ Catholicorum castra deseruerint, de quibus rectè ait Ioannes [b]; [b epist.1.c.2.] *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis,permansissent vtique nobiscum.* Porrò quid hæc ab Ecclesia segregatio sit, quidque in animo pariat,explicat egregiè Bernardus [c]. [c Ser 1.de S. Michaele.] *Vide* (inquit) *animam hominis,quemadmodum vniuersa corporis membra viuificet cohærentia sibi; separa ergo quoduis à iunctura cæterorum, & vide an de cætero illud viuificet. Sic est omnis,qui dicit Anathema Iesu, quod nemo dicit loquẽs in spiritu Dei, quia anathema separatio est. Sic est,inquam, omnis, qui ab vnitate diuiditur, ne dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ.* Dignè igitur contentiosos,& qui separant semetipsos Apostoli *carnales* vocant, *& animales,spiritum non habentes.* Siue igitur seipsos, siue etiam alios ab Ecclesia seiungant,spiritalem vtique vitam seu deserunt ipsi, seu aliis adimunt. Id autem propterea accidit, quia,sunt *animales*, hoc est, interprete OEcumenio, *qui iuxta mundi consolationem vitam traducunt.* Græcè dicuntur ψυχικοί,quæ vox,vt aliàs monui,ducitur ab anima,vt ij dicantur animales,qui animæ indulgent, & ea, quæ ad vitam tuendam valent, curiosiùs sectantur. Quomodo dixit Paulus [d]; [d 1.ad Cor. 2.14.] *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*, vt appareat animalem hominem spirituali opponi. Quoniam igitur Gnostici animales sunt, diuinique spiritus prorsus expertes caduca, & mortalia bona auidè concupiscunt,vsque eo,vt Ecclesiam potius sibi deserendam putent, quàm corporeis voluptatibus carendum, ac propterea dicuntur *spiritum non habentes*; quippe, vt ait Paulus [e], [e ad Galat. 5.17.] *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Cum igitur animalis homo carnis cupiditatibus obsequatur, spiritui succumbat necesse est, ac penitùs euanescat.

A Nam, vt idem Paulus [a] ait; [a ad Galat. 5.24.] *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Et continuò subdit: *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Quasi dicat, qui Spiritum Dei habẽt,spiritales actiones exercent,

20. *Vos autem carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in spiritu sancto orantes.*

21. *Vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.*

Vbi impios Gnosticorum mores copiosè descri- I.

B psit, quæque illos apud inferos maneant supplicia indicauit; adhortatione sua fideles confirmat, & ad optima quæque incitat, & inflammat; monet enim illos,ne nuda,& simplici fide contenti sint,quasi illa tantùm salutem afferre queat, sed addant amorem, & caritatem in Deum, quam sibi assiduis precibus perpetuam impetrare studeant. *Vos autem* (inquit) *carissimi* (blanda enim illos oratione sibi conciliat) *superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei* quasi dicat,iacto fidei fundamẽto reliquam substructionem erigite, addite videlicet honestas, ac laudabiles actiones, nam alioqui, vt ait Iacobus [b], *fides sine operibus mortua est.* [b cap.2.26.] Aliàs autem monui, consueuisse Scripturam hac ædificandi metaphora virtutis studium,& perfectionis Christianæ consequendæ sedu-

C litatem indicare. Ita dixit Paulus [c]; *Scientia inflat, caritas verò ædificat.* [c 1.Cor.8.1.] Monet igitur Iudas, vt iacto iam fundamento parietes extruant, hoc est, ad Christianæ virtutis perfectionem tendant.

II. Appellat autem fidem sanctissimam, tum quia est veræ pietatis, & sanctitatis initium, tum etiam quia sine fide nulla est vera sanctitas. Adde quod sanctissimam fidem impurissimæ Gnosticorum perfidiæ ex aduerso opponit, quasi dicat;illi in suis sordibus hærent,& maiores quotidie in impietate progressus faciunt,vos contra sanctissimæ, atque integerrimæ vestræ fidei eos mores adiicite, quos tam pura, & casta religio exigit. Eamdem porrò metaphoram sequutus est Paulus [d]; [d ad Ephes. 2.20.] *Superædificati* (inquit) *super fundamentum Apostolorum,& Prophetarum ipso summo angulari la-*

D *pide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.* Et Petrus [e] cum [e ep.1.c.2.5.] Christum lapidem viuum appellasset,ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum,subdit; *Et ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum.* Denique,vt suprà dixi,hæc est metaphora sacris literis familiaris. Verum quoniam hoc ipsum, quod præcipit Apostolus,absque ope diuina perfici nequaquam potest, meritò subiicit.

III. *In Spiritu sancto orantes.* Verè namque scripsit David [f]; [f Psal. 126. in princ.] *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Et Christus Dominus apud

E Ioannem [g], [g cap.15.] *Sine me* (inquit) *nihil potestis facere.* Quod vt alibi explicui, de iis potissimum intelligendum, est,quæ ad pietatem,& sempiternam vitam referuntur. Ad opem igitur diuinam implorandam preces adhibendæ sunt, & quidem *in Spiritu sancto.* Tametsi etiam non desunt, qui hæc verba, *in Spiritu sancto*, superioribus attexant, vt sit sensus: superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei in Spiritu sancto; atque ita videtur accipere OEcumenius. *Vosmetipsos* (inquit) *in Spiritu sancto instaurantes, & iuxta Spiritus sancti doctrinam vestras congregationes in orationibus facientes.* Malim tamen coniungere cum participio *orantes*, vt significet diuini Spiritus instinctu preces

a ad Rom. 8. 26. A preces esse fundendas, quasi alludat ad verba Pauli[a]. *Similiter autem* (ait) *& spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Significat enim vim, atque efficaciatem nostrarum precum a diuini spiritus impulsu maximè pendere. Ipse namque, vt alicubi scribit Augustinus, *ipsum orandi inspirat affectum, & effectum, & nos postulare facit gemitibus inenarrabilibus.*

IV. Orare igitur in Spiritu sancto est, Spiritus sancti impulsum sequi, aut ea petere à Deo, quæ diuino Spiritui congruant, vt penè idem moneat Iudas, quod olim præceperat Christus, cùm apud Ioannem[b] dixit; *Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* B Ea siquidem interprete Augustino petenda monet, quæ sint vel necessaria, vel vtilia ad consequendam salutem. Adde, si placet, orare in Spiritu sancto nihil esse aliud, quàm ea petere, quæ ad cultum, atque honorem diuini numinis referantur. Hæc enim sunt, quæ rectè orantibus se concessurum pollicetur Deus[c]; *Omnia* (inquit) *quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Et alibi[d]; *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis; omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Quomodo autem hæc tam ampla pollicitatio accipienda sit paulò pòst explicat, cum ait; *Quanto magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se?* C Inquit enim hoc esse à Patre cælesti petendum, vt suo nos diuino Spiritu compleat, & ad meliora promoueat. Nec displicet quod insinuat OEcumenius, loqui Iudam de publica oratione, quæ in cœtu fidelium olim haberi consueuerat, de qua Paulus ad Corinthios[e]. *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* Ita opponit fidelium cœtus Gnosticorū synagogis, quæ fœdis voluptatibus inquinabantur, cum in fidelium cœtu nihil nisi sanctum, religiosum, ac pium cerneretur. Non ergo vult Iudas quemquam suis viribus fidere, sed omnes potius hortatur, vt diuinam beneficentiam, ac liberalitatem, cælestisque gratiæ vim, atque efficacitatem agnoscant, cuius ope, atque auxilio & fidem retinere, & eam Christianis virtutibus ornare queant.

b cap. 16. 23.
c Marc. 11. 24.
d Luc. 11. 9.
e ep. 1. c. 14. 14.

V. D *Vosmetipsos in dilectione seruate.* Tantum abest, vt solam fidem probet, eamque satis esse ad salutem opinetur, vt inter cætera, quæ ei adiungenda docet, præcipuè caritatem commendet. *Vosmetipsos* (ait) *in dilectione Dei seruate*; hoc enim est primum, & maximum mandatum, quod amplissimo quodam ambitu alia omnia præcepta complectitur, atque idcirco quàm diligentissimè eam retinendam esse monet Iudas, cum in hac imbecillitate naturæ difficillimum sit eam non aliquando lædi. Quapropter Paulus Apostolus[f] fideles voluit fidem quidem studiosè retinere, sed in caritate radicatos, & fundatos, *Christum* (ait) *habitare per fidem in cordibus vestris in caritate radicati & fundati.* E vt ab ea videlicet nulla vis separare nos queat, quem statum eleganter expressit alibi Paulus[g]; *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persequutio? an gladius?* Et aliquanto[h] post: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quamobrem rectè dixit Augustinus[i]; *Si non vacat omnes paginas Scripturarum reuoluere, tene caritatem, & in ea inuenies omnem scientiam, dicente Apostolo; plenitudo legis est dilectio, finis* A *præcepti est caritas de corde puro, & sicut radix omnium malorum est cupiditas, ita & radix omnium bonorum est caritas.*

f ad Ephes. 3. 17.
g ad Rom. 8. 35.
h vers. 38.
i Ser. 39. de temp.

VI. Ad eam porro tum consequendam, tum retinendam, necessarium est diuinæ gratiæ præsidium, cuius ope, ac beneficio fit (quod egregiè docuit Augustinus[a]) *vt ad Deum accedamus, & non recedamus ab eo.* Quocirca subdit Iudas; *expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam*; vt in vno Deo spes omnes nostras collocandas esse doceat, necesse est enim vt diuina misericordia & omnes actiones nostras anteuertat, vt ait Dauid[b]; *Deus meus misericordia eius præueniet me*; eademque subsequatur, & B comitetur vsque ad extremū vitæ spiritum, vt idem affirmat Dauid[c]; *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Ad conseruandam igitur ac retinendam caritatem expetenda, atque imploranda est diuina misericordia, quæ nobis perpetuò adsit, & ad vitam perducat sempiternam. Tametsi enim, vt alibi docui, beata vita merces est, ac præmium meritorum, diuinæ tamen misericordiæ accepta referenda est, quæ vim merendi, atque adeo merita ipsa largitur. Itaque Paulus[d] repositam sibi ait coronam iustitiæ à iusto Iudice reddendam. Et tamen Dauid eamdem misericordiæ coronam appellat[e]. *Qui redimit* (inquit) *de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* C Neque ab ea sententia abhorret Paulus[f]: cum enim dixisset; *Stipendia enim peccati mors*, subdit; *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Cùmque dicere potuisset, beatam illam vitam meritorum, bonorúmque operum stipendium esse, maluit tamen gratiæ beneficium appellare, quia omnia merita ortum habent a gratia.

a de bono perseu.
b Psal. 58. 11.
c Psal. 22.
d 2. Timot. 4. 8.
e Psal. 102. 4.
f ad Rom. 6. 23.

VII. Expectandam autem ait Dei misericordiam in vitam æternam, hoc est, perseuerantiam vsque ad extremum vitæ, *qui enim vsque in finem perseuerauerit, hic saluus erit.* Perseuerantia autem, vt rectè Concilij Tridentini[g] Patres docent, aliunde haberi non potest, *nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum, qui cadit, restituere. Quo pacto eam nemo sibi certo polliceri queat, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.* D *Deus enim (nisi ipsi illius gratiæ defuerint) sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Mox autem prudenter monent, *vt qui se existimant stare, videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & castitate. Formidare enim debent scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt. De pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti[h]. Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Huc igitur Iudæ adhortatio refertur, cùm expectandam monet misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam; eam E quippe misericordiam intelligit, quæ ad æternam vitam perducat.

g Sess. 6. c. 13.
h ad Rom. 8.

22. *Et hos quidem arguite iudicatos.*

23. *Illos verò saluate, de igne rapientes; aliis autem miseremini in timore, odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

I. Tria veluti hominum genera distinguit, quibus fidelium operā opitulandum censet. Et primum quidem nonnullos arguendos monet, eos videlicet significans, quorum mores, vitamque paulo antè descripserat. *Hos* (inquit) *arguite*, hoc est, eorum impietatem,

A rem, & callidas imposturas proferte in lucem, ne incautos decipiant. Ita explicat OEcumenius; *Redarguite*, inquit, *& impietatem ipsorum omnibus manifestate.* Videntur autem tam ipse, quàm Latinus Interpres aliter Græcè legisse, quàm nūc habeant vulgati Codices, in quibus legitur, ἐλεεῖτε, hoc est, *commiseremini*, vt Gnosticorum vitæ rationem Christiana commiseratione dignissimam iudicet. Verisimile autem est, eos legisse, ἐλέγχετε, quod est, *redarguite*. Quod verò Interpres dixit, *iudicatos*, Græcè scriptum est, διακρινόμενοι, vt non ad eos, qui arguendi sunt, sed ad eos, qui arguunt, referatur; quasi dicat, *dum iudicamini*. Verisimile est Interpretem legisse, κατακρίτους. Nam [a ad Titum 3.11.] Paulus [a]; *Hæreticum*, inquit, *hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.* B Et Christus apud Ioannem [b cap. 3.] [b]; *Qui non credit, iam iudicatus est.*

II. Quod si libeat Græcam lectionem retinere, ea potest actiuè, & passiuè explicari. *Redarguite*, inquit, *eorum impietatem*, διακρινόμενοι, hoc est, *iudicantes*, seu *diiudicantes*; quem sensum expressisse videtur Interpres, qui transtulit, *iudicatos*; quasi dicat, arguite illos vestro iudicio, sententiàque damnatos. Passiuè autem reddi potest, *dum iudicamini*. Quomodo nonnulli Interpretes interpretari maluerunt, quasi dicat, dum illi vos accusant, & veluti lata sententia damnant, vos illos redarguite, Catholicæ fidei veritatem defendite, & eorum impia dogmata refellite. Aliud porrò hominum genus indicat: *Illos verò saluate, de igne rapientes*; quasi dicat, illos, qui nutant, & quodam mo- C do ancipites sunt, & fluctuant, saluos atque incolumes conseruate. Id verò eadem opera perficiendum est, dum enim impia, & falsa dogmata conuelluntur, nutantes in fide confirmantur. Græcè porrò additur vox, φόβῳ, quæ *timorem* significat, vt moneat incutiendum timorem extremi præsertim iudicij, ne quis se patiatur in errorem impelli. Videtur tamen Latinus Interpres aliter hunc locum legisse; nec satis cum Græcis Codicibus, qui nunc habentur in manibus, OEcumenij explanatio congruit. Consulendum itaque est eorum saluti, quibus à Gnosticis exitium imminet. Id autem fit, dum ab illo turpitudinis, ac fœditatis incendio eripiuntur. *De igne*, inquit, *rapientes*; libidinis, & obscœnitatis incendium intelligit, de D quo suprà nonnulla diximus. Nec displicet, si inferorum incendium intelligas; eò enim Gnosticorum improbitas tendit, vt qui ab eorum impietate eripitur, à sempiterno incendio erutus videatur. Dixit autem Iudas, *rapientes*, Græcè, ἁρπάζοντες, quasi significet, etiam vim adhibendam esse, vt Catholicorum saluti prospiciatur, siue quia hæretici, nisi resipiscãt, suppliciis plectendi sunt, vt Catholici pœnæ metu perterriti in officio contineantur; siue quia timore pœnæ cohibendi sunt Catholici, ne hæreticorum deliramentis aures præbeant. Multo tamen aliter locum explicat OEcumenius, vt paulo pòst ostendam.

III. Iam tertium genus hominum indicatur his verbis; *alios autem miseremini in timore*. Quæ verba hoc qui- E dem loco in Græcis Codicibus desiderantur, in quibus hoc tertium genus hominum ne attingitur quidem; sed *miserendi* verbum in primo hominum genere legitur, vt dictum est. Vox autem *timoris* legitur in secundo genere, vt modò explicui; quæ verò sequuntur, ad idem genus secundum referuntur. Sic enim Græci Codices habent, μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα, hoc est, *ex incendio rapientes, odio prosequentes & eam, quæ in carne est, maculatam tunicam*. Quomodo legisse videtur OEcumenius, qui de secundo hominum genere sic planè scribit. *At si* A *ad curationem spectare videantur, ne vos repellite, sed caritatis vestræ in misericordia assumite, & ex igne ipsis promisso saluos facite. Assumite autem ipsos etiam cum timore, prospicientes videlicet, & cauentes, ne fortè ipsorum admissio, si negligenter vos geratis, calamitatis vobis in causa sit, ita vt qui iam estis stabiles, in eamdem impietatis ipsorum refusionem sensim dilabamini; quippe cùm vitium lubricum sit, atque ad imitationem cuilibet facilè obrepat. Admittatis igitur ipsos, inquit, sed cum timore, id est prospicientia, & diligenti cautione, & ad misericordiam, qua ipsos prosequimini, odium quoque accedat, vt flagitiosa ipsorum facta odio habeatis, vt detestemini etiam maculatam, id est, inquinatam ex carne ipsorum tunicam, vtpote quæ ex contactu carnis ipsorum sordem, & detestationem etiam ipsa contraxit; vel assumentes ipsos cum timore futuræ pœnæ efficite, vt pœnitentiam* B *agentes digni misericordia conspiciantur.*

IV. Ita apparet, hoc tertium genus hominum in Græcis Codicibus non extare, vt omnino fatendum sit, vulgatum Interpretem aliis Codicibus vsum. Videntur autem ad hoc genus hominum illi pertinere, qui inibi propè erant, vt à fide Catholica ad Gnosticos deficerent. Eos autem ait Iudas commiseratione dignos esse, & proposito sempiterni supplicij timore à lapsu reuocandos, & in vera fide stabiliendos, confirmandosque. Vniuersim autem præcipit Iudas, vt Gnosticorum secta tamquam detestabilis, & exosa odio habeatur. *Odientes*, inquit, *& eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*. Non satis apparet, propriène, an metaphoricè tunicæ nomine vtatur. Sunt qui proprium sensum probent, quasi significet, Gnostico- C rum turpitudinem, ac fœditatem non eorum dumtaxat mores, actionesque fœdare, sed ipsas etiam vestes, ac tunicas polluere; cui explanationi fauere creditur coniunctio *&*, quasi dicat Apostolus; odio prosequimini non modo Gnosticorum actiones impuras, ac sordidas, verùm etiam eorum tunicas ipsorum obscœnitatibus conspurcatas. Sed vt verum fatear, vt nihil grauius dicam, leuior mihi sensus videtur, quàm vt grauitatem Apostolicam deceat. Malo igitur tunicam pro externa Gnosticorum cõsuetudine accipere, quasi dicat Apostolus: volo vos non modò Gnosticorum obscœnitates exosas habere, sed illam etiam externam sanctitatis speciem, quam præ se ferunt, magnopere detestari, tamquam tunicam quam- D dam impuris sordibus pollutam, & contaminatam.

V. Ita videtur docere Iudas, quantopere oporteat fideles ab hæreticorum moribus, & consuetudine abhorrere. Non me fugit existimasse nonnullos tunicæ nomine corpus significari, quasi moneat Iudas, non esse Gnosticorum corpora ipsa per se odio digna, sed tantummodò fœditates corporis esse detestandas. Sed, ni fallor, vt id verissimum sit, argutius tamen videtur, quàm vt huic loco congruat. Maneat igitur maculatam tunicam, fœdam Gnosticorum vitæ consuetudinem indicare, quam tametsi illi per speciem sanctitatis obuelare nitebãtur, re tamen vera à corporeis voluptatibus mirum in modum fœdabatur, & veluti maculis aspergebatur. Hactenus Apostoli adhortatio fideles & confirmauit, & eru- E diuit. Deinceps voto, atque imprecatione, vt ait OEcumenius, epistolam concludit, atque obsignat. Sic enim ait.

24 *Ei autem, qui potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini nostri Iesu Christi.*

25 *Soli Deo Saluatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum gloria, & magnificentia, imperium, & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.*

I. Egregia apostrophe Epistolæ finem imponit; iisdem autem propemodum verbis vtitur, quibus vsus est Paulus [a]. *Regi autem*, ait, *sæculorum immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Tribuit verò Deo potentiam non quidem amplè, sed restrictè ad id potissimùm, quod maximè cupiebat, hoc est, fideles liberos, atque immunes esse à peccato. *Qui potens*, inquit, *est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione.* Nec dubium est, id posse Deum efficere, qui nihil non potest eorum, quæ pugnantia non inuoluant. Illud in quæstionem vocatur, possitne quis citra peculiare Dei priuilegium omnia prorsus etiam leuia, & quæ dicuntur venialia peccata vitare. Et quidem Pelagius olim adeò liberi arbitrij vires, vt ait Augustinus, præcipitando extollebat, vt affirmaret, quemlibet iis dumtaxat nixum omnia quamuis leuia facinora vitare posse. Paulo modestius, sed nihilo magis sanè sensisse videntur [b] illi, qui negant quidem vitari posse ea omnia piacula, quæ repentè, ac veluti inopinatò in animum irrepunt: posse tamen quempiam sese ab aliis purum, ac liberum conseruare, quæ sunt ex genere suo mala, quæque certo consilio, ac deliberatione peraguntur.

a 1. ad Tim. 1.17.
b Durand. in 3 d. 28 q 3.

II. Mitto illos [c], qui temerè aiebant, posse aliquem tantos in Christiana virtute habere progressus, vt deinceps labi, aut errare, vno verbo peccare nequaquam posset. Alia omnia existimarunt pridem perditissimi quidã [d] hæretici, qui iustorum omnes actiones honestas, ac laudabiles esse contendebant; contra verò quicquid agerent improbi scelus, ac flagitium esse, quorum impietas in Conciliis Constantiensi [e], & Tridentino [f] meritò damnatur. Nihilo sanius opinati sunt alij [g], qui gratiæ diuinæ vires adeo extenuabant, vt nemonem quamuis maxima gratia præditum asseuerarent, vel leuissimum, minimumque piaculum vitare posse, quos viri [h] docti acriter refellunt. Inter scholasticos autem affirmarunt non pauci [i] posse iustum ad longum vtcumque tempus absque peculiari Dei auxilio innocentiam tueri, quæ nullo vel leuissimo peccato inquinetur. Vlterius progressi sunt quidam, qui citra priuilegium, non tamen absque peculiari diuinæ gratiæ præsidio posse aiunt iustos in omni vita adeò sese puros, atque integros conseruare, vt nulla penitùs quamuis leuissima noxa adstringantur,

c Beguardi, & Beguinæ.
d Ioannes Hus
e Sess. 14.
f Sess. 6. can. 21
g Luther.
h Lehius tract. 5. de fide, & operibus. Ioan. Driedo lib. 1. de grat. & liber. arb. c. 5. Sot. lib 3. de nat. & grat. c. 4. & 5.
i in 2. d. 28.

III. Cæterùm Catholica fides docet neminem quamuis iustum, aut perfectum secluso peculiari Dei priuilegio posse in omni vita ab omni prorsus leuiori culpa immunem esse. Id primùm olim in Mileuitano Concilio definitum videtur; sic enim Patres loquuntur; *Item placuit quod ait S. Ioannes Apostolus; si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia verum est, anathema sit.* Et plura deinceps. Planiùs in Concilio Tridentino [k]; *Si quis*, inquit, *hominem semel iustificatũ dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat numquam verè fuisse iustificatum: aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Ex sacris verò literis non obscurè confirmari potest. Sapiens [l] enim ait; *Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est.* Et Salomon [m]; *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quò etiam spectant illa, quæ leguntur in libris Regum [n]. *Non est enim homo, qui nõ peccet.* Et alibi Salomõ [o]; *Septies enim cadit iustus, & resurget.* Dauid [p] autem cum de peccati condonatione, deque salutari pœnitentia locutus esset;

k Sess. 6. can. 23
l Eccli. 7. 5.
m Ecclesiastes 7. 21.
n lib. 3. c. 8 46
2 Paralip. c. 6 36.
o Prou. 24. 16.
p Psal. 31. 6.

A *Pro hac*, inquit, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Alibi [*] verò; *Et non intres*, inquit, *in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Iacobus [a] autem hoc ipsum significans ait; *In multis enim offendimus omnes.* Et apertissimè Ioannes [b]; *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

* Ps. 142. 2.
a cap. 3. 2.
b Ep. 1. cap. 1. 8.

IV. Frequentissimè autẽ ait Augustinus non solùm ex animi demissione, sed omnino verè cunctos sanctos illam sententiam proferre; *Dimitte nobis debita nostra.* Quod etiam definiunt Concilium Mileuitanum [c], & Tridentinum [d]. Nam Mileuitanum quidem ait, Ioannis verba *non tantum humiliter, sed veraciter dicĩ.* Tridentinum autem. *Iustorum*, ait, *illa vox est & humilis, & verax; Dimitte nobis debita nostra.* B Nec dissentiũt veteres Patres. Tertullianus [e] enim; *Soli*, inquit, *Dei filio seruabatur sine delicto permanere.* Et Hieronymus [f]; *Qui statim de Christi fonte procedunt iubentur dicere, debita nostra dimitte nobis, non humilitatis mendacio, sed pauore fragilitatis humanæ suam conscientiam formidantes.* Et alibi [g]; *Absque vitio, quod dicitur Græcè κακία, id est, malitia, hominem esse posse aio, ἀναμάρτητον, id est, sine peccato, esse nego: id enim soli Deo competit, omnisque creatura peccato subiacet, & indiget misericordia Dei.* Eodem modo loquitur Augustinus [h] pluribus locis. Et quidem si ex vero omnia æstimanda sunt, quis enumerare queat Dæmonis machinationes, varios, ac multiplices C nostrarum appetitionũ impetus, qui plerumque mentem perturbant, & consilium, ac deliberationem anteuertunt? Certè si spectentur ea, quæ de humana imbecillitate, deque peccatorum multitudine, ac varietate veteres Patres [i] scripserunt, facilè intelligi potest, quàm sit difficile omnes peccatorum scopulos euadere. Itaque simpliciter asserendum est, ad integram, & omnis labis expertem innocentiam peculiare Dei priuilegium necessariò flagitari.

c cap. 6.
d Sess. 6. c. 11.
e lib de præscrip. hæret.
f Dial. 1. cõtra Pelag.
g Dialog. 2. con. Pelag.
h l. de spir. & lit. c. 2. & lib. de perf. iust. sub fin.
i Ep. quinque Episcoporũ ad Innocentium. Conc Afric. c 82. 83. Basil. hom. de pœnit. Cyprian. lib. 3. ad Quir. cap. 54. Hilar. in Ps. 118. Ambros. in Luc cap. 1. & lib. de fuga secul. c. 1. Gennad. de Eccles. dog. cap. 51. Cass. coll. 23. à c. 17. vsque ad fin. Greg lib 18. mor. c. 4. & lib. 21. mor. c 9. Bernard. lib. de præcep. & dispens.

V. Neque verò dubitandum est, cælestis gratiæ beneficio cuipiam hoc priuilegium concedi posse, vt integer, ac purus, atque omnis labis penitus expers totam vitam traducat. Idque non solùm Concilium Mileuitanum, & Tridentinum indicant, sed Hieronymus, & Augustinus [k] affirmant; præcipuè verò id probat Augustinus, cũ aduersus Pelagianum dogma D suo, atque aliorum Episcoporum nomine ad Innocentium Romanũ Pontificem [l] scribit. Sunt autem [m] illa apertissima, quibus ad hanc ipsam quæstionem respondet. *Vtrùm homo*, inquit, *sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium.* Et post nonnulla. *His, atque huiusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum quò fiat quod iubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato adiutus à Deo.* Rursus [n] alibi. *Hoc*, inquit, *confiteatur, quod impietate sceleratissima negatur, sine gratia Dei hominem sine peccato esse non posse.*

k locis cit.
l Epist. 90. & 95.
m lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 6.
n lib. de nat. & grat. c. 10.

VI. Et quidem quis Catholicus inficietur, maiorem, ac validiorem esse vim gratiæ, quàm humanarum per- E turbationum impetum? Quis autem dubitet, posse Deum omnes animi morbos, atque ægritudines facilè curare, & omnem denique peccandi materiam remouere? Adde quòd hoc priuilegium Beatissimæ Virgini fuisse concessum certa fide creditur [o]. Fateor Chrysostomum, vt D. Thomas [p], & alij [q] obseruatũt, liberiùs aliquanto loquutum. Nam de priuilegio Virginis nefas est dubitare: & non pauci [r] admodum probabiliter asserunt idem fuisse aliis etiam Sanctis con

o Cõc Basil. sess. 21. Xyst. IV. in sua extrau. Conc. Trid. sess. 6. can. 23. Auctor. de oper. Card. apud Cypr. ter. de Christi natiuit. Ambr. lib. 1. de Virgin. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 36. Anselm. frequenter. Bern. serm. 4. de assump. & alij.
p 3. p. q 27. art. 4.
q Andr. Vega lib. 14. in Conc. Trid cap. 18.
r Driedo lib 1. de grat. & liber. arbit. c. 3. par. 3. Catetin. lib de eam. prædest. Christi.

conceſſum. Fauere videntur Africani Epiſcopi ad A Innocentium a; idque aliquo pacto colligitur ex Auguſtino b. Fateor tamen plurium c ſuffragio excepta Beatiſſima Virgine cæteris omnibus hoc priuilegium denegari. Putat enim Auguſtinus rectè colligi, ſi quis omni prorſus peccato careat, eum fuiſſe ab originali labe penitùs immunem. Quod vni Deiparæ Virgini ſingulari priuilegio fuiſſe conceſſum meritò creditur. Denique hoc nõ improbabiliter confirmat Bernardus, & veterum Patrum teſtimonio probat Auguſtinus d, annuentibus Gregorio e, & Beda f.

a Epiſt. 91. inter epp. Aug.
b l. de perf. iuſt. in fine.
c l. 2. de pecc. mer. & rem. c 7. lib. de ſpir. & litte. cap. 2.
e Iuſti. Mar. in Dial. cum Tryph. Baſil. hom. 16. Hieron. ep. ad Ruſt. & Dial. contra Pelag. Auguſt. lib. de natura & grat. cap. 36. & lib. 5. con. Iulian c. 9.
d lib. de nat. & grat. à c. 62. & deinceps.
e Hom. 17. Euang. lib. 18. mor. c. 4. & l. 31. c. 1.
f Ioan 1. ad illa verba; Ecce qui tollit peccata mundi.

Sed incredibile dictu eſt, quàm multa aduerſus hanc ſententiam moliatur hæreticorum g laniſta, qui impudenter contendit, quouis præſidio gratiæ neminem poſſe perfectam iuſtitiam obtinere, aut diui- B næ legi omni ex parte obtemperare. Principio autem Deiparæ Virginis priuilegium irridet. *Cum cœleſte*, inquit, *diploma protulerint, credemus quod iactant*; quaſi verò alia quàm plurima fidei dogmata, quæ ne ab hæreticis quidem in dubium vocantur, cæleſti, ac diuino diplomate ſanciantur. Nos verò in iis, quæ ad fidem, & religionem ſpectant, primùm ſacras literas, deinde traditiones, poſtremò Eccleſiæ auctoritatem ſequimur, neque vllum cæleſte diploma exigimus. Iam verò Concilij Tridentini Patres, diuini numinis aura afflati, apertè fatentur Virginis priuilegium miro Eccleſiæ cõſenſu probari. At vafer, & callidus Sophiſta per contemptum ait, Eccleſiæ nomine Cla- C romontanum tantùm Concilium ſignificari. Quod non modò temerè, ſed omninò falsò effunditur; in eo enim Concilio ſub Vrbano de Hieroſolymitana expeditione actum eſſe legi, de priuilegio Virginis non item. Non itaque Eccleſię nomine vnicum illud Concilium, ſed omniũ fermè rectè ſentientium conſenſus indicatur, præcipuéque Baſilienſium Patrum ſententia, quæ, niſi quòd lineas tranſiliiſſe videtur, apertiſſimè docet, quid de hoc priuilegio Virginis viri doctiſſimi exiſtimarent. Addo ad Eccleſiã pertinere omnes Catholicas Academias, & omniũ ferme nationũ ſcriptores, qui hoc Virginis priuilegium non ſolùm agnoſcunt, ſed acerrimè defendunt. Poſtremò Oecumenica Synodus Tridentina omnium ferme Gentium Epiſcopos, doctiſſimoſque Theologos complectebatur.

VII.
g Calvin. in Antidot. Conc. Trid.

VIII.

At Auguſtinus h alicubi hunc in modum ſcribit; D *Si itaque omnes, quicumque in hac vita diuinarum ſcripturarum teſtimoniis in bona voluntate, atque actibus iuſtitiæ prædicati ſunt, & quicũque tales vel poſt eos fuerunt, quamuis non eiſdem teſtimoniis prædicati, atque laudati, vel nunc vſque etiã ſunt, vel poſtea quoque futuri ſunt; omnes magni, omnes iuſti, omnes veraciter laudabiles ſunt; ſed ſine peccato aliquo non ſunt, quoniam ſcripturarum teſtimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non iuſtificari in conſpectu Dei omnem viuentem, & ideo rogari, ne intret in iudicium cum ſeruis ſuis, & non tantùm vniuerſaliter fidelibus omnibus, verùm etiam ſingulis eſſe orationem Dominicam neceſſariam, quam tradidit Diſcipulis.* Et alibi i cum Beatiſſimam Virginem Chriſti matrem excepiſſet. *Hac ergo*, ait, *Virgine excepta, ſi homines illos ſan-* E *ctos, & ſanctas, cum hic viuerent congregare poſſemus, & interrogare, vtrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? Vtrùm hoc, quod iſte dicit, an quod Ioannes Apoſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, nónne vna voce clamaſſent; Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt? An illud humilius reſponderent fortaſſe, quàm verius? ſed huic iã placet & rectè placet, laudẽ humilitatis in parte nõ ponere falſitatis. Itaque hoc ſi verum dicerent, haberent peccatum, quòd humiliter faterentur, quia veritas in eis eſſet. ſi autẽ hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatũ, quia veritas in eis non eſſet.*

h l. de pecc. mer. & rem. c. 14.
i lib. de nat. & grat. c. 36.

Benedict. Iuſtin. in Epiſt. B. Iudæ.

IX.

A Verùm Auguſtinus a duas quæſtiones diſtinguit, alteram, an poſſit homo ſine peccato viuere, & concludit, ſi diuinæ gratiæ præſidium adſit, poſſe quemlibet omnem penitùs culpam vitare. Alteram, an re ipſa quiſquã fuerit, qui prorſus ab omni labe purus, atque integer vixerit, & vna dumtaxat Deipara Virgine excepta cæteros ait nonnullo fuiſſe piaculo inquinatos. Ita videas illum Virginis priuilegium non negare, cæteros omnes Scripturæ teſtimonio, atque auctoritate in peccatorum ordinem redigere, quibus dicendum ſit; *Dimitte nobis debita noſtra.* Sed nimirum virginitatis, & caſtimoniæ hoſtis aduersùs Virginis integritatem, & ſanctimoniam hoſtiliter pugnat. Obiicit enim Chryſoſtomum, qui alicubi b quærit, cur B in nuptiis in Cana Galilææ celebratis Mater Filio dixerit, vinum in conuiuio deeſſe; & reſpondet optaſſe illam hominum gratiam conciliare, vt ipſa clarior Filij gratia efficeretur, & fortaſsè, ait, aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius. Alibi c verò apertius ambitione, & oſtentatione illam ait vnà cum fratribus Chriſtum concionantem euocaſſe. Sed, vt paulò antè monui, rectè obſeruat D. Thomas plus aliquid ſcripſiſſe Chryſoſtomũ, quàm mente conceperit; qui tantùm indicare voluit, quid alij ſuſpicari poſſent, & Virgini obiicere, cum alioqui de Virginis Deiparæ ſanctitate vir pientiſſimus nec dubitaret, nec dubitare vlla ratione poſſet.

a l. de pecc. mer. & rem. c. 6.
b Hom. 20. in Ioan.
c Hom. 45. in Matt.

X.

At impuriſſimi d mortalium non veriti ſunt infide- C litatem ſanctiſſimæ Virgini Deiparæ obiicere, ſiue quia diuinam omnipotentiam humanis voluit rationibus metiri, cùm Angelo reuelanti incarnationis myſterium reſpondit. *Quomodo fiet iſtud, quoniã virum non cognoſco?* Ex quo loco fanaticus neſcio e quis collegit fuiſſe illam Eua infeliciorem. Tum etiam quia poſt ſalutationem Angelicam Elizabeth viſitauit, vt experimento cognoſceret, quæ ſibi fuerãt ab Angelo nunciata. Sed bene habet quòd eiuſdem farinæ homines f ex iiſmet verbis, quibus Deipara Angelo reſpondit, eius potius eximiã fidem colligunt. Certè non g nemo apertè negat, iis verbis peccaſſe Virginẽ contra fidem, quòd illa non ex diffidentia, ſed ex ſubita quadam admiratione profecta ſint. Ex veterum autem Patrum ſententia ſingularis Virginis fides apparet, cum eius interrogatio plurimùm à Zachariæ D dubitatione differret. Sic planè loquitur Ambroſius h, qui Virginis percontationẽ cum Abrahæ i interrogatione cõfert. Neque aliter ſenſit Auguſtinus k. Bernardus l autẽ Virginem ait, cum de re ipſa nõ dubitaret, modum inueſtigaſſe, quod ante illum dixerat Beda m. Itaque rectè obſeruatũ eſt à nonnullis vocẽ illam, *quomodo*, nonnumquam plenã eſſe infidelitatis, vt cum apud Ioannem n Capharnaitæ muſſitabant; *Quomodo poteſt hic nobis carnẽ ſuam dare ad manducandum?* Qua ratione verè dixit Irenæus o eam eſſe interrogationem hæreticorum propriam. Illi ſiquidem, vt ait Tertullianus p, vſurpare ſolent illa ex Euangelio; *Quærite, & inuenietis.* Quod etiam obſeruatum eſt à Iulião q, Cyrillo r Alexandrino, & Theophylacto. E Interdum habere vim argumẽtandi, vt apud Lucã s; *Si ſatanas in ſe ipſo diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* Nonnumquam denique continere ſimplicem modi cuiuſpiam rei perquiſitionem, vt apud Ioannem t; *Quomodo poteſt homo naſci denuò, cum ſit ſenex?*

d Sarcerius, Culmãnus, Georg. Maior, Greger. Emil. Luther.
e Lutherus.
f Brent. Bucer. Buling. Ioan. Agricol. Spangemberg. Pellican. Zuinglius.
g Caluinus
h l. 1. in Lucam, & l. 1. offic. c. 18. & lib. de Abraham c. 8.
i Genel. 15.
k lib. 15. de Ciuit. c. 24.
l Hom. 1. ſuper Miſſus eſt.
m Lucæ 1.
n cap. 6.
o lib. 1. c. 1.
p lib. de præſcript.
q de Trinit.
r Ioan. 6.
s cap. 11.
t cap. 3.

XI.

Atque hac poſtrema ratione certiſſimũ eſt vocem illam à Beatiſſima Virgine fuiſſe vſurpatam. Addo mirificam Deiparę fidem priſcorũ Patrum præconiis celebrari, qui penè omnes eam fidei magiſtrã appellant. Quo minus ferenda eſt Grammatici cuiuſdam impudentia, qui non veritus eſt in dubium reuocare, num Beatiſſima Virgo Filij diuinitatem perfectè cognouerit, cũ tamen, vt cætera omittam, apertiſſimè

A dixerit Angelus, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et quod magis mirandū est, eò progressa est hominis temeritas, & audacia, vt negarit Virginē, & Iosephum Christo Domino tanquam vero Deo cultum, ac venerationem adhibuisse, cū apertè Ambrosius [a] de vtroque id apertissimè affirmet. Certè Mariæ fides multis nominibus Abrahæ fidei anteferrur, quā tamen Apostolus mirificè extollit. Iam verò quod de visitatione Elisabeth obiicitur, ab ipsis etiā hæreticis [b] tanquam argumentum fidei agnoscitur. Certè Ambrosius, quem penè ad verbū sequutus est Beda, hunc in modum scribit; *Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, nec etiā quasi elata de beneficio.* Theophylactus

a lib. de Patriar. Ioseph c. 2.

b Coruinus, Sarcerius, Brentius, & alij.

B autem ait quidē Virginem visitasse Elizabetham ad maiorem certitudinem; id tamen non perinde accipiendum est, quasi de oraculo dubitauerit, cū diuino potius instinctu ad id fuerit permota, vt ipsius præsentia Ioannes adhuc in vtero matris perciperet sanctitatem, vt nihil dicam in ea te plurimas sanctissimę Virginis virtutes elucere. Primùm quidem, vt obseruauit Beda, Christiana humilitas eminet, cum maior ad minorem accedat; deinde, vt monet Augustinus, & Beda, patientia, ac laborum tolerantia, præterea pietas, quæ proximis opitulatur; denique singularis in Deum religio, cui sanctissima Virgo suo illo celeberrimo cantico omnia refert accepta.

XII. Sed homines impurissimi nihil non moliuntur, vt aliqua labe Deiparam aspergant. Contendunt enim pleriqoe [c] vel nimio illam dolore cruciatam, quòd puerum duodēnem amisisset, vel nimia certè negligentia, socordiáue peccasse, quā nonnulli [d] cum Euæ negligentia conferunt, vt nihil dicā de iis [e], qui inde dubiam fidem ineptissimè colligunt; verùm nō modò à Catholicis, sed à nonnullis [f] etiam hæreticis ea quidē in re omni prorsus labe purgatur. Fatemur quidem integerrimam Virginem ob amissum Filiū summo quodam dolore fuisse affectam, sed citra vllam culpam. Potuit enim is dolor vel à naturali filiorum amore proficisci, vel, quod magis reor, ab eximia caritate in Deū. Neque verò vlla est admittenda negligentia, multoque minus in fide hæsitatio; illa enim Christi Domini responsio paolo, vt videtur, asperior

c Colmannus, Brentius, Georg. Maior. Spangemberg. Coruinus, & alij.
d Centuriatores
e Lutherus. & Melanchton.
f Zuinglius, & Caluin.

D eò spectabat, vt ostenderet, omnia diuinæ voluntati, atque imperio esse postponenda. Non me tamē præterit argutulos nescio quos Virginis, & Iosephi inscitiam, atque stuporē reprehendere, qui, vt ait Lucas [g], nihil eorum intelligerent, quasi verò Virgini, aut Iosepho rerum omnium præsertim supranaturalium scientiam arrogemus, cum tamen id vnum agamus, vt eam citra culpam multa ignorare potuisse defendamus, quod præcipuè faciunt Origenes, & Theophylactus. Nam negligentiam quidem, & contemptum abfuisse apertè docuit Lucas iis verbis; *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Vt interim omittā non esse penitus eorū sententiam contemnendam, qui verba illa; *Et ipsi nihil horum intellexerunt,* nō ad Christi Domini parentes, sed ad eos referunt, qui præsentes aderant. Quod si libeat om-

g cap. 2.

E ninò de Virgine, & Iosepho accipere, indicare voluit Lucas, non penitùs percepisse illos, quid voluerit Christus indicare, cùm dixit; *In iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Neque enim per se ipsi statuere satis poterant, in templóne Hierosolymitano, an in alio quopiam mysterio, an denique alia quauis actione se Deo Parenti obtemperaturum indicaret, vt Origenes, & Theophylactus affirmant.

XIII. De nuptiis in Cana Galilææ, quas fuisse Ioannis Euangelistæ non pauci [h] affirmant, quæstionem excitant. Quidam [i] enim aiunt, voluisse Virginem filij gloriam ostentare, quasi inanis gloriæ cupida Messiæ

h August. in Prolog. in Ioan. Beda, & Albinus in Ioan in initio. Abdias in vita Ioan.
i OEcolampadius.

A Mater videri appetierit, vel, vt alij [a] volunt, se Messiæ sociam indicare. Itaque à Filio castigatā ait oecolampadius [b], & seueriùs reprehensam, cùm dixit; *Quid mihi, & tibi est mulier?* Quasi significare voluerit, nihilo plus illā esse apud se, quàm peccatricem, aut Syrophenissam. Et sunt, qui [c] ambitionem negent, non tamē Virginem penitùs à culpa liberent, quòd suos fines, ac veluti lineas transilierit. Denique inanem illi solicitudinem obiiciunt [d] ob vini inopiam, adeo sunt perditissimi mortaliū in alienis culpis perscrutādis lyncei, in suis autem grauissimis sceleribus planè cœci. At multo aliter & sentiunt, & loquuntur Catholici. Nam Deiparæ fidem, caritatem, & modestiam obseruant Cyrillus [e] Alexandrinus, Chrysostomus [f], Maximus [g], Gaudentius [h], Eusebius [i] Emissenus, Metaphrastes [k]. Certè dicitur Virgo prophetico spiritu

a Brentius.
b Melancthon.
c Caluinus.
d Pellicanus.

B plena, & diuino numine acta, insigni denique prudentia prædita. Christi verò responsum paulo acerbius non pertinere ad Matris obiurgationem docet Iustinus [l] Martyr, & quod magis mirere, ne dissentiūt quidem nonnulli [m] ex hæreticorum schola. Voluit enim Christus indicare non humano se affectu duci, nec Matris precibus anteuertenda esse diuina prodigia, suæque diuinitatis argumenta; quod perspicuè docent verba illa; *Nondum venit hora mea*, quasi dicat, nondum tempus est patrādi miracula, quod cum à Deo Patre præfixum sit, nullo potest humano re-

e lib. 2. in Ioan. c. 23.
f Hom. 20. in Ioan.
g Hom. de Epipha.
h Tract. 2. de lect. Euang.
i in Euang. nuptiar.
k in vita B. Virginis.
l quæst. 136.
m Lossius, & Georgius Maior.

C spectu anteuerti.

XIV. Illud verò identidem inculcant, quod apud Matthæum [n], & Lucam [o] legitur, cùm Virgo Deipara vnà cum fratribus foris Christum prædicantē expectasse dicitur. Sunt [p] enim qui fœminæ importunitatē carpant; alij [q] ambitionem perstringunt; nonnulli [r] denique carnalem affectū reprehendunt. Verùm de ambitione nihil est, quod magnoperè soliciti simus, tum quia paulò antè eam calumniam reiecimus, tum quia etiam hæretici [s] à nobis stant, qui à Virgineo pectore alienam fuisse ambitionē vltrò concedunt. Duo verò reliqua vitia ne admitti quidem vlla ratione queunt. Nam responsio Christi, qua potissimùm aduersarij nituntur, ad Matrem abnegādam nullo pacto refertur, vt Chrysostomus [t], Euthymius [u], Hilarius [x], Ambrosius [y], Hieronymus [z], & Beda [a] luculēter docent. Nam

n cap. 12.
o cap. 8.
p Caluin. in harm. Euag.
q Brentius hom. 78. in Luc.
r Sarcer. Lucæ 8. & Ioānes Agricola.
s Caluinus.

D postea in cruce moriens eam discipulo cōmendauit; de qua re multa Ambrosius [b]. Quò igitur tam seuera, rigidaque responsio pertinebat? Auctor [c] de operibus Cardinalibus apud Cyprianum eam refert ad Synagogam, & Iudæos, qui quodámodo Christi fratres appellari poterāt; eos autē Christus iure optimo repudiauit; quod ante illum dixerat Tertullianus [d], & postea probauit Gregorius [e]. Nec discrepāt Ambrosius, & Hieronymus [f]. Porrò Chrysostomus addit indicare voluisse Christum nullā sanguinis propinquitatem, aut humanam affectionem diuino amorē præferendam esse. Euthymius verò significasse ait Christum pluris in Virgine Matre faciendā esse eximiam virtutem, & sanctitatem, quàm naturæ, & san-

t Hom. 45. in Matt.
u Matt. 25.
x Matt 12.
y Lucæ 8.
z Matt. 12.
a Lucæ 8.
b lib. 10. Ep. 82.
c serm. de Pass.
d l. de carn. Christi.
e Hom. 2. in Euang.
f locis cit.

E guinis cognationē, quæ est sententia Augustini [g]; qui enim docuerat parentes, & cognatos deserēdos esse, id suo exemplo firmare debuit. Quod si quispiam sciscitetur, cur penè semper Christus duriùs Matrem alloquatur, multiplex afferri solet ratio; nam & hoc pacto palam facere voluit, se verum esse Sacerdotem secundùm ordinē Melchisedech sine Patre, & Matre, & absque genealogia, suo etiā exemplo spiritalē circumcisionē docuit, quæ humanas omnes affectiones amputat. Quin etiam reipsa declarauit, se mysticè Patrem, & Matrem reliquisse, vt legis Euangelicæ promulgatione Ecclesiæ veluti sponsæ adhæresceret. Accedit quod hac ratione persuasum esse voluit, sanctissimos, ac perfectissimos quosq; rebus arduis, atque

g l. de sanct. Virg. c. 3. & lib. de fid. cō. Manich. cap 25

aduersis

aduersis exercendos, ac probandos esse. Denique hoc exemplo monentur parentes, ne filios suos à rebus diuinis reuocare audeant.

XV. Illud sanè quod apud Lucam[a] legitur de muliere, quæ Christi Matrem beatam prędicauerat, adeo peruersè detorquent, vt eam dicant castigari, ac reprehendi, cùm Christus dixit; *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quo loco hæreticorũ princeps[b] stuporem, vt ille ait, Papatus admiratur, qui putet huius fœminæ orationem ad Virginis laudem pertinere, neque Christi responsionem animaduertat. Sed dabit nobis Sycophãta hãc veniã, vt sacris literis interpretãdis plus sanctis Patribus, quàm cuiquam ex eorum grege veteratori tribuamus. Certè eius fœminæ orationem tamquam egregium Deiparæ Virginis encomium probant Augustinus[c], Beda[d], & Theophylactus[e]. Et quod magis mirãdum est, eiusdem fœminæ præconium expressisse videtur Sibylla Tiburtina, quæ de Christi parente Virgine hunc in modum cecinit.

O nimium fœlix cælo dignissima Mater,
Quæ tantam sacro lactaris ab vbere prolem.

Sibyllam imitati sunt Sedulius, Beda[f], Gregorius[g] Nyssenus, Epiphanius[h], Augustinus[i]. Cæcus igitur est hæreticorum furor, nullus verò Papatus stupor. Negare autem non possumus, veteres nonnullos parum cautè loquutos esse de Virgine, qui gladiũ, quem prædixit[k] Simeon Virginis animam penetraturum, scandalum, & infidelitatẽ interpretantur[l]. Id auidè arripuerunt[m] nebulones nonnulli, vt Deiparæ integritatem nonnulla labe inquinent, cum tamen ipsa Simeonis verba doloris, non scandali, aut infidelitatis gladiũ nominent. Quomodo ea verba explicant Euthymius[n], Damascenus[o], Ephrẽ[p] Syrus, Sophronius[q], Metaphrastes[r], Beda[s], Cassiodorus[t], Bernardus[u], Anselmus[x], Rupertus[y], & alij[z]. Quicquid igitur pseudoeuangelij buccinatores contra moliantur, stat beatissimæ Virginis priuilegium, eiusque eximia, & singularis sanctitas omnis labis penitùs expers; neque enim falsò dixit in præsentia Iudas posse Deum conseruare sine peccato, *& constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos.*

a cap. 1.
b Caluinus.
c Tract. 10. in Ioan.
d l. 4. in Lucam c. 49.
e Lucæ 11.
f in carm. de nat. Virg.
g de natiuit. Dom.
h de laud. Virgin.
i serm. 9. de temp. & 15 de Sanctis.
k Lucæ 2.
l Orig. hom. 17. in Luc. Chrysost. in Psal. 13. Amphiloc. Hom. de occur. Dom. Theophyl. Lucæ 1. Auct. quæst. vete. ac noui testam. apud August. to. 4.
m Brentius.
n Lucæ 2.
o lib. 4. de fide c. 15.
p in lament. Deip.
q serm. de Assump.

XVI. Fatendum tamen est, in hac mortalitate, imbecillitatéque naturæ ordinaria Dei lege constituta, nullius esse tantam, támque vberem gratiam, quæ communi iustorum auxilio freta moralem tribuat facultatem omnia quamuis leuissima piacula vitandi. Hoc autem ita à me positum est, vt eorum sententiã minus probabilem, & à fidelium mentibus exterminandã censeam, qui fieri posse contendunt, vt si quispiã ad longum tẽpus diuinæ gratiæ impulsui ex æquo respondeat, & sedulò sese in omnibus virtutibus exerceat, nullum lethale crimen admittat, atque idcirco virtutibus tum infusis, tum studio paratis ingentes addat accessiones, & incrementa, omnia penitùs vitia extinguat, animi perturbationes sedet, longa denique consuetudine tantam bene agendi facilitatem sibi comparet, vt alteram penè naturã contraxisse videatur, cũ planè vi suæ inhærentis gratiæ, & auxiliorum, quæ ipsi respondent, posse deinceps in omni vita omnia quamuis leuissima piacula vitare. Id autẽ putant cum sacris literis nequaquam pugnare, licèt enim vbi quis ad eum statũ peruenerit, deinceps nullo modo peccet; antequàm tamen eò pertingat, sæpius peccabit. Ille verò status perfectus perseuerantiam certò tribuit, quæ illum ab omni labe purum, atque integrum conseruabit.

r de ortu, & educ. Deip.
s Lucæ 2. & in carm. de nat. Virg.
t Psal. 104.
u ser. de verb. signum magnum, ad illa verba Io. Stabat autẽ iuxta cruce.
x tractat. de cõpas. Virg.
y Ioan. 15.
z Ildephon. ser. 2. de assump.

XVII. Ego verò, vt ingenuè fatear, hoc totũ commẽtum, si de ordinaria, & communi gratia loquamur, alienissimum à morali facultate censeo, nec secluso singulari Dei priuilegio admittendũ puto. Neque enim ordinaria gratia satis esse videtur ad edomãdas omni ex parte perturbationes animi, vt numquam excitentur, quod viri sanctissimi quotidiano experimento comprobant, & vniuersim sacræ literæ docent, nullum esse vsque adeo perfectum, quin aliquando labatur, aut leuiter offendat. Quicquid autem ex aduerso fingi potest, physicam quamdam facultatem constituit, non autem moralem. Non inierim tamen inficias, ad breuissimũ aliquod tempus posse iustum omnis prorsus labis expertem, ac purum deprehẽdi, quod mirum est, viros doctos non ausos esse admittere, cum tamen id apertissimè doceat Beatus Thomas[a], cùm enim explicaret verba illa Ioannis[b]; *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus:* *Illud*, inquit, *verbum non est intelligendũ, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus.* Et facilè, meo iudicio, probari potest. Certum enim est adultum percepto Baptismo liberũ, atque immunem esse ab omni labe peccati: quis autem neget, cũ posse in illo statu vel ad breuissimum tempus perseuerare? Idem de eo dixerim, qui plenariam, vt vocant, indulgentiam assequutus sit. Nec dubitandum est viros perfectissimos rarissimè peccare, contra verò frequentissimè diuini amoris actiones exercere, vt minimè dubitandum sit, eos interdum vel breuissimo tempore omni culpa vacare.

a 3. p. q. 79. a. 4. ad 2.
b Ep. 1. c. 1.

Neque tamen propterea negandum est, licere illis verè vsurpare verba illa orationis Dominicæ; *Dimitte nobis debita nostra*, cum certò sciant, se aliquando peccasse, neque compertum habeant, perpetrata peccata fuisse penitùs condonata. Quod si quis percontetur, potueritne, dum inter mortales esset Beatissima Virgo eadem verba verè, atque ex animo pronunciare; tametsi video nonnullos id præcisè negare, qui eam solùm Ecclesiæ nomine, ac pro fidelibus ita orare potuisse contendunt. Suspicabitur tamen fortasse non nemo potuisse illam proprio nomine verè, atque ex animo absque vllo mendacio eadem verba pronunciare. Quamuis enim verissimè dictum sit à nobis, nullo eam proprio piaculo fuisse inquinatam, nõ videtur tamen necessariò dicendum illam cognouisse se neque peccasse, neque peccare posse, cũ præsertim ex Gregorij sententia piarũ mentium sit, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Potuisset itaque cum Paulo dicere; *Nihil mihi conscia sum, sed non in hoc iustificata sum.* Atque ita ea sibi debita dimitti postularet, quæ nõ sine ratione suspicari poterat se contraxisse, quamuis re vera nulla essent. Neque enim scire poterat, verùm diuinæ gratiæ ex æquo respõderet, tantúmque conaretur, quantum re vera poterat, denique an ita ardenter Deum amaret, vt recta ratio, diuinorumque munerum magnitudo postulabat. XVIII.

Certè enim hoc maximè nomine Virginis sanctitas à Christi sanctitate distinguitur, quod Christus peccare nulla ratione poterat, ipsa verò peccandi facultate nõ carebat, vt egregiè obseruauit B. Thomas[c]. Quamobrẽ sicut Beatus Frãciscus ex Christiana quidẽ modestia, & humilitate, sed verè tamen affirmare poterat, se esse omnium mortalium deterrimum, ita poterat Virgo cùm suæ gratiæ magnitudinẽ, atque præstantiam probè cognosceret, de sua in Deum beneuolentia, gratáque voluntate nonnihil diffidere, cùm non ignoraret, quàm sint diuina iudicia occulta, & quàm multis nominibus ipsa Deo immortali obstricta teneretur. Verùm quoniam id non parum repugnat dignitati Virginis Matris, ciúsque præstantissimæ scientiæ plurimùm detrahit, alia omnia affirmanda sunt; sic enim existimo Deiparam Virginem vel numquam orationem Dominicam vsurpasse, quę eximio quodam, planéque diuino precandi genere XIX.

c 1. sent. d. 44. q. vnic. a. 3. ad 3.

vteretur, & sublimi contemplatione supra omnia creata attolleretur; vel certè non nisi pro mortalibus iis interdum verbis grassé, nō quòd illa Ecclesiæ nomine publico aliquo munere fungeretur, sed quòd ex caritate cunctos cuperet cum Deo in gratiam redire, & omni quamuis leuissima noxa carere. Nam alioqui optimè illa suum statum, suámque perfectionem, & summam innocentiam, & integritatem nouerat, suarúmque actionum vim, atque efficacitatem cognoscebat, vt de culpa, aut negligentia ne leuiter quidem dubitare posset.

XX. Illud certè citra vllam controuersiam fatendum est, vt quisque perfectissimus fuerit, eò minimè iis leuioribus culpis inquinari, quæ sponte, ac liberè perpetrantur, quod cum certo, atque euidenti experimento quotidiano constet, facilè etiam sanctorum testimonio, atque auctoritate firmari potest. Hoc enim non obscurè indicat Hieronymus[a]; planius Augustinus. Certè Scriptura multos fuisse ait perfectos, & ambulasse coram Deo, ita enim de Noë[b] loquitur; *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Et alibi[c]; *Noë inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* De Abrahamo[d]; *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi, qui conseruauit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo.* De Asa Rege Iuda scriptum est in libris Regum[e]; *Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus vitæ suæ.* Ezechias[f] autē de se ipso testatur se vitæ perfectionem sectatū esse. *Obsecro Domine,* inquit, *memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.* Et Sapiens[g]; *Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris sui.* Aliàs Scriptura docet, quosdā Dei mandata seruasse, & fuisse sine querela. Ita Dauid[h]; *Psallam,* inquit, *& intelligam in via immaculata, quādo venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Et alibi[i]; *In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis, in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* De Iob res est plusquàm certa, dicitur enim fuisse[k] *simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Et alibi[l] ipsemet ait; *A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius.* Denique alio loco suas laudes citra vllam iactantiam, ant arrogantiam fusè commemorat[m].

a Dial. 3. ctr. Pelag.
b Genes. 6. 9.
c Ecclesiast. 44. 17.
d Ibid. vers. 20.
e lib. 3. c. 15. 14.
f Idem 2. Paralip. cap. 15. 17.
f 4. Reg. 20. 3.
g Eccli. 48. 25.
h Ps. 100. 2.
i Ps. 118. 10.
k Iob. 1. 1.
l c. 23. 12.
m c. 29. per totum.

XXI. De Zacharia patre Ioannis, eiúsque coniuge ita loquitur Lucas[n]; *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Et de Apostolis idem affirmat Augustinus[o]. Non negatum tamen accidere nonnunquam posse, vt qui maiores habet in virtute processus, frequentiùs iis leuioribus maculis inquinetur, quæ subito in animo irrepunt, & liberā mentis functionem præuertunt, siue propter naturæ imbecillitatem, siue propter multiplices euentus, qui penè inopinatò ad lapsum impellūt. Illud certè contendimus, singulare priuilegium, quo quis in omni vita integrum se, & ab omni vel minima labe immunem cōseruet, non pertinere ad ordinariam legem, & communem [illegible] ciniū, quo Deus iustos tuetur, ac firmat, cùm certissimum sit, id admodum paucis, atque [illegible] legémque communem fuisse concessum. [illegible] Cyprianus[p]; *Si autem,* inquit, *nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est. quam necessaria, quámque benigna est clementia diuina, quæ cùm sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo, sanandisque vulneribus remedia salutaria.* Et in eandem sententiam Gr[illegible] Nazianzenus[q]; *Magnū est,* ait, *neque ab initio peccare, aut saltem non in maximis delinquere; quoniam à peccatis pe-*

n cap. 1. 6.
o lib. 1. de ser. Dom. in mon. & lib. 1. retract. c. 19.
p ser. de op. & eleemos.
q Orat. in Iul.

A *nitùs liberum esse, Deus supra humanam naturā ordinauit.* Et Ambrosius explicās verba illa Dauidis; *Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam. Non potest,* inquit, *iustus negare, quia nemo sine peccato.* Hieronymus autem hunc in modum [illegible]; *Iustos esse concedo, sine omni autē peccato omnino non assentior.* Et Augustinus[c] apertissimè; *Nullus,* inquit, *in Ecclesia [illegible] potest ordinari minister, si dixisset Apostolus; si quis sine peccato, vbi ait, si quis sine crimine est. Multi quippe fideles baptizati sunt sine crimine. sine peccato autem in hac vita neminem dixerim.* Et alibi[d]; *Quamuis Diabolus sit auctor, & princeps omnium peccatorum, non tamen fuiot Diaboli faciunt quæcumque peccata. Peccant enim & filij Dei, quoniam si dixerint, se non habere peccatum, se ipsos seducunt, & veritas in eis non est.*

B Nec discrepat Ioannes[e] Cassianus, ait enim; *Cæterum iustos, ac sanctos viros non esse immunes à culpa manifeste scriptura pronunciat, dicens: septies in die cadit iustus, & resurgit. Quid enim aliud est cadere, quàm peccare? Et tamen cùm dicatur septies cadere, iustus nihilominus pronunciatur. nec iustitiæ eius præiudicat lapsus fragilitatis humanæ, quia multum interest inter sancti, & peccatoris hominis lapsum. Aliud enim est admittere mortale peccatum, & aliud est cogitatione, quæ peccato non caret, præueniri.* Apertissimè autem Gregorius[f]; *Hoc,* inquit, *inter peccatum distat, & crimen, quòd omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et multi in hac vita sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet.* Denique Bernardus[g]; *Vnde,* inquit, *scimus, quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus planè cauere*

XXII.

C *non possumus, ante mortem ablutio ista pertineat?*

Sed multa sacrarum literarum testimonia simpliciter, ac præcisè diuinæ legis perfectā obseruantiam exigunt, monéntque, *vt simus immaculati.* Sic enim ad Corinthios scribit Paulus[h]; *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper.* Et ad Philippenses monet, vt sint *sine querela, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ.* Et alibi sæpe in eandem sententiam loquitur. Neque aliter loquuntur Petrus[i], & Ioannes[k]. Non est autem existimandum, hæc tam salutaria Spiritus sancti monita esse vel inania, vel eiusmodi, vt perfici non queant. Quid enim hoc aliud esset, quàm cum hæreticis affirmare diuinam legem nequaquam posse seruari? cùm tamen veteres Patres[l] de diuinæ legis faci-

D litate mira prædicēt. Certè isti præcipue à Deo assiduè contendunt, vt ab omni peccato liberentur, id[illegible] ipsi meditantur, vt nihil dicā, hanc nostram sententiam plurimùm de vi, ac potestate gratiæ detrahere, quòd illa nequeat iustos ab omni labe purgare. Hæc igitur, [illegible] id genus argumenta visa fuere quibusdam adeò firma, & valida vt vltrò faterentur Scripturæ sacræ monita suadere tantum, vt lethalia facinora vitentur, nitanturque fideles quantum possunt, vt Christianæ perfectionis apicem attingant, [illegible] omnia pericula vitent, quæ vitari possunt. [illegible] gratiæ, [illegible] tribuendum [illegible] sum [illegible] Deum [illegible] iustos nonnunqua[illegible]

E offend[illegible] modestè, atque humiliter d[illegible] & sentia[illegible], & [illegible]. Quæ sententia [illegible] eū [illegible] Augustini[m], cùm enim C[illegible] argumentat[illegible], si præceptum sit, vt peccata om[illegible] vitari omnino poss[illegible] si autem [illegible] Augustinus[illegible], *consul[illegible] hominis præcipi, vt recte [illegible] cum se non [illegible] perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad [illegible] peccati [illegible] gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Sed [illegible] XX[illegible]
non est omnino [illegible] probari [illegible]

certo ponere, quod aliàs Augustinus... eruo negat, gratiam, quæ ad omnia peccata vitanda sit necessaria, cuiuis præstò esse, & in cuiu... potestatem situm esse eam habere, cum tamen ostenderit, eam gratiam extra communem prouidentiæ ordinē sitam esse, & ad singulare priuilegiū pertinere. Quod tantùm abest, vt omnibus pateat, & publicè propositum sit, vt si Beatissimam Virginem excipias, vix vllimortalium concessum videatur. Itaque non defuerunt [a], qui assererent hanc Christianæ vitæ perfectionem, quæ omnia peccata penitùs excludat, indicari tantummodo, non autem præcipi. Quæ tamen ... ētia multo videtur intolerabilior; vt enim alibi copiosius docui, peccatum absque lege, & præcepto ... nulla ratione potest; neque ... vllo modo audiendi sunt, qui leuia, & venialia peccata consilijs, non præceptis aduersari autumant.

a Lyran. m. 22.

XXV. Quæ cùm ita sint, vt cū doctissimis Theologis [b] loquar, sic plane sentio, inesse iustis leuiorum ... ipsarum respectu, physicam quamdā vim, & facultatem, qua possint omnia vitare, moralem non item. Fatendum enim est, siue venialia, siue lethalia peccata cum lege naturæ, vel cum lege gratiæ pugnare; hominem verò, vt ... liàs dixi, quadruplici comparatione ... conferri posse cum lege. Spectari enim potest ... in solitaria natura, vel originaria iustitia præditus, vel peccato ... corruptus, vel denique ad gratiā, & iustitiam reuocatus. Iam verò si in solitaria natura cōferatur homo cū lege, potuisset vtique vir plurimùm virtutibus naturæ legi ... satisfacere, communique auxilio subnixus omni lethali culpa vacare. Erit mihi ... fā sit valdè verosimile, potuisse il... v... que eò in omni virtutum genere proficere, vt re vera possset ab omnibus etiam leuioribus culpis immunis esse. Nam si secus sit, quis nō videat, futuram illi fuisse naturæ legē non modò difficilem, sed prorsus ... modi, vt ei omni ex parte parere non possit. Nam quod vulgò in scholis disputari solet, vitari posse singula, non tamen omnia, cùm per se difficilem habeat ..., ... tatu, ... m in eo statu, in quo liberum arbitrium integrum, ac minimè læsum erat, admitti nequaquam potest.

b Caietan.

XXVI. Id verò in statu innocentiæ posita gratia, eiusque ... mo præsidio multo certiùs, ac verius assequendum est, cùm & liberum arbitrium validum esset, ac firmum, nullæque impotentes cupiditates aduersus mentem, ac rationem insurgerent, nullæ voluptatum illecebræ suis lenociniis ad vitia pertraherent. At vbi primi parentis vitio ... corrupta, & depravata est, liberique arbitrij vires attenuatæ, & fractæ, impuræ libidines veluti repagulis effractis, insolentius insurgunt, & aduersus rationem acriter repugnant; lex verò naturalis, quæ naturam comitatur, mutari non debuit, sed cùm suam vim, atque auctoritatem retineret, in tanta ... sticæ (vt ita dicam) Reipublicæ ... ione facta est adeo difficilis, vt liberi arbitrij vitio omni ex parte seruari non queat; ita, vt paulò antè ex Augustino diximus, diuina prouidentia reprehendi non potest, sed humanæ naturæ depravatio accusanda est. Postremò, posita diuina gratia, lethalia omnia ... cauere possint, veniali non item, quod cùm ex naturæ imbecillitate oritur, tum verò ad diuinam prouidentiam commendādam refertur: apparet enim vis, & efficacia gratiæ, interim verò mortales modestiam, atque humilitatem maximè colere compelluntur. Lex enim, quæ per se facilis est, nedum possibilis, ... corruptæque naturæ leuiorum culpa... respectu reddita est moraliter impossibilis.

XXVII. Diuinum itaque auxilium ad vitanda peccata assiduè implorandum est, quod in præsentia insinuare videtur Iudas, cùm ait, posse Deum ... ruare sine

A peccato, hoc est, vi... communis gratiæ ab omni lethali noxa liberare, modò liberum arbitrium perceptam gratiam non reiiciat, & diuino instinctui ... obsequatur. Deus namque, vt Tridentini Concilij Patres [a] affirmant, sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Addit Iudas, posse etiā Deū *constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos*. Quod possis per inde accipere, quasi sit superioris sententiæ explicatio, vt immaculati dicantur ij, qui nulla lethali culpa fœdantur. Quomodo dixit Dauid [b]: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Et alibi [c], *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Fortasse etiam indicare voluit Apo-
B stolus, singulari priuilegio posse Deum tantam gratiam largiri, vt omnia prorsus leuiora peccata vitentur, atque adeò innocentia baptismo parta integra atque illæsa conseruetur. Quamquā enim, vt dictum est, communis iustorum gratia id nequaquā præstat, cuiuis tamen id est in primis optandum, nitendumque quoad eius fieri possit, vt omnes cupiditates earumque penitus subiiciantur. Hos enim, vt interpretatur Augustinus [d], pacificos, & beatos appellauit Christus Dominus; *In pace*, inquit, *perfectio est, vbi nihil repugnat, & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, & vtique filij similitudinem Patris habere debent. Pacifici*
C *autem in semet ipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, id est, menti, & spiritui, carnalésque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestijsque communia, atque id ipsum, quod excellit in homine, id est, mens, & ratio subijciatur potiori, quod est ipsa veritas vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat; & hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati, perfectique sapientis*.

a sess. 6. c. 11.

b Psal. 118. 1.
c Psal. 18. 13.

d lib. 1. de ser. Dom. in monte c. 2.

Non me tamen fugit, hæc Augustini verba perperam à nonnullis accipi, quasi ille eam pacē exigat, quæ ipsos etiam subitos perturbationum motus excludat, quos Theologi primo primos appellant, cùm tamen ille non modò citra culpam, nec opinantibus
D nobis exoriantur, sed virtutis, atque adeò meriti, ac præmij materiam plerumque suppeditent. Qui verò in iis culpam hærere putant, tamquam ... ius rectè sentientes alibi confutantur. Ait igitur Iudas, posse Deum *constituere immaculatos ante conspectū gloriæ suæ*, hoc est, ante conspectum suum, qui, vt ait Dauid [e], *nouit viam iustorum*, non simplici tantùm notione, sed scientia, vt aiunt, approbationis; magnopere enim probat, & diligit iustos, immaculatos, & innocentes. Vel gloriæ conspectum retulit ad illum beatorum cœtum, vbi Dei gloria sese maximè prodit. Ad illum enim beatorum Senatum nemo aspirare potest, qui non sit omnis penitus labis expers; sic enim ait Ioannes [f]: *Non intrabit in eam* cœlestē videlicet Ierusalem *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*. Atque huic
E explanationi fauere videtur, quod mox subdit Iudas, *in exultatione*. Ad eos enim maximè exultatio pertinet, qui ad illum beatorum cœtum peruenerunt, tunc enim [g] *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà*. Et Dauid [h]: *Introite*, ait, *in conspectu eius in exultatione*.

XXVIII.

e Psal. 1. 6.

f Apoc. c. 21. 27.

g Apoc. 21. 4

h ...

Tametsi qui sanctitatem, & innocentiam colunt meritò etiam lætantur, & exultāt. Verè enim scripsit Dauid [i]: *Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde*. Et rursus [k], *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio*. Addit Latinus Interpres, quod tamen in Græcis Codicibus non legitur, *in ad-*

XXIX.

i Psal. 31. 11.
k Psal. 32. 1.

uentu Domini nostri Iesu Christi. Quod refert vel ad extremum mundi diem, cùm Christus Dominus, vt paulo antè diximus, Sanctorum agminibus stipatus ad iudicādum veniet viuos, & mortuos. Tunc enim maximè illustris apparebit iustorum sanctitas, quandoquidem, vt ait Christus apud Matthæum[a], *tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Potest etiam Domini nostri aduentus ad cuiusque extremum vitæ diem pertinere, vt sensus sit, posse Deum singulari suæ diuinæ gratiæ præsidio ad vltimum vsque vitæ spiritum omni labe puros conseruare.

a cap. 13. 43.

XXX. *Soli*, ait, *Deo Saluatori nostro.* Græcè additur vox, σοφῷ, hoc est, *sapienti*, vt videatur Filij personam indicare, cùm sit Verbum, & sapientia Patris. Idque magis indicat vox, quæ sequitur, *Saluatori nostro*; ei enim debetur gloria, magnificentia, & imperium, & potestas. Ita enim legimus in Apocalypsi[b]; *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorē, & gloriam, & benedictionem.* Et aliquanto post; *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Aliter tamen videtur accepisse vulgatus Interpres, qui non solùm omisit vocē, *sapienti*, sed addidit, *per Iesum Christum Dominum nostrum*: fatendum vt sit, aliis cum Græcis codicibus vsum. Atque ita hæc omnia ad Patris personam, vel certè Trinitatem retulisse videtur, cui per Christum Dominum apud omnes gentes, ac nationes nominis celebritas accessit, & gloriæ, magnificentiæ, imperij, ac potestatis prædicatio. Ita Iudas idem videtur dicere, quod Paulus Apostolus, cùm[c] scripsit; *Regi autem sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Potest autem siue Pater, siue Trinitas Saluatoris nomen sibi vendicare, cùm omnibus salutem impertiat. Sic enim ait Dauid[d]; *Homines, & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Sic etiam Paulus[e]; *Speramus*, inquit, *in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximè autem fidelium.*

b cap. 5. 12.
c 1. ad Tim. c. 1. 17.
d Ps. 35. 8.
e 1. ad Timot. 4. 10.

XXXI. Quod autem ait Iudas; *Soli Deo Saluatori nostro*, aliàs innui, particulas, quæ vim habent excludendi, cuicumque tandem diuinæ personæ addantur, cùm de iis agitur, quæ diuinæ naturæ cōmunia sunt, non excludere eiusdem diuinæ naturæ personas, sed alia omnia creata, saltem ratione modi. Tametsi enim alicui naturæ creatæ debetur, aut tribui certè potest gloria, magnificentia, imperium, & potestas, longè tamē alia ratione, quàm Deo, cui ob ipsius excellentiam, atque præstātiam partim suapte natura insunt, partim ipso iure debentur. Naturis verò creatis hactenus tantùm conceduntur, quòd ad diuinam naturam aliquo pacto accedunt, diuinæque perfectionis participes sunt. Rectè autem addit, *per Christum Dominum nostrum*, quia ea omnia, quæ hoc loco commemorātur, per se quidem, ac naturaliter Deo optimo maximo insunt, Christi tamen merito ea inter mortales adeptus est. Post Christi enim ad nos aduentum, Dei immortalis maiestas cunctis gentibus, ac nationibus illuxit, vt meritò dixerit Christus[f]; *Pater, clarifica nomen tuum*, quod post Christi mortem futurum erat, ac propterea vox de cœlo missa dixit. *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Et alibi idem Christus[a] ait; *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Et paulò post[b]; *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.*

f Ioā. 12. 28.
a Ioan. 17. 1.
b ver. 1. 6.

XXXII. Per Christum autem tribuenda Deo immortali enumerat in præsentia Iudas certo quodam ordine quatuor. Ac primùm quidem nominatur gloria, Græcè δόξα, quæ vox interdum Latinè redditur *claritas*, atque idcirco nato Christo, vt scribit Lucas[c], *subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Fuit enim Deo maximè gloriosum adhibito Christo liberatore genus hominum à Dæmonis seruitute erutum, in filiorum libertatem vindicare. Quò pertinere possunt illa apud Salomonem[d]; *Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem.* Sequitur deinde magnificentia, Græcè μεγαλωσύνη, hoc est, *maiestas, decus, amplitudo, dignitas*, quæ omnia per sese Deo insunt; hominum tamē respectu illi Christi merito accessisse dicuntur; cœpit enim post Christi necem, & gloriosum in cælū ascensum ab omnibus penè gentibus, & agnosci, & religioso cultu, & veneratione coli. Quod olim vaticinatus est Malachias[e], ait enim; *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomē meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Ponè sequitur imperium, Græcè κράτος, quod suapte natura omnia Deo seruiant; Christi tamen opera diuinum imperium peculiari quadam ratione in omnes gentes, ac nationes propagatum est, quæ illum verum Deum, ac Dominum agnoscunt, eiusque legem, & præcepta complectuntur.

c cap. 2. 13.
d Prou. 25. 2.
e cap. 1. 11.

XXXIII. Denique tribuenda dicitur Deo potestas, Græcè ἐξουσία, quia diuina vis, & potestas Euangelica prædicatione mirum in modum illustratur, cùm homines rudes, & imperiti humanam sapientiam partim inscitiæ, partim humanæ iactantiæ, & arrogantiæ arguunt. Verè enim scripsit Paulus[h]; *Non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hæc autem omnia debentur Deo non modò in hac vita mortali, sed olim quidem ante omnem æternitatem debebantur. Propterea ait Iudas, *ante omne sæculum*; & in hac mortalitate tribuuntur à iustis, & idcirco addit, *& nunc.* Denique à beatis in omnem æternitatem exhibebūtur, atque ob eā causam ait Iudas, *& in omnia sæcula sæculorū, Amen.* Hoc enim significauerat Dauid[g]; *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorū laudabūt te.* Quo loco egregiè August. *Noli*, inquit, *timere ne non possis semper laudare, quem poteris semper amare: si cessabis à laude, cessabis ab amore; ab amore cessare non poteris.*

f 1. ad Cor. 1. 26.
g Ps. 83. 5.

F I N I S.

INDEX



INDEX LOCORVM MORALIVM, AD VSVM CONCIONATORVM.

Ex Epistola B. Iacobi Apostoli.

Vitæ

Ex Epistolis B. Petri Apostoli.

Propho

Ex Epistola I. B. Ioannis Apostoli.

Ex II. Epistola.

Ex III. Epistola.

Ex Epistola B. Iudæ Apostoli.



INDEX
RERVM, ET VERBORVM
NOTABILIVM.

Ex Epistola B. Iacobi Apostoli.

Gades.

C

Opera

Poenitentia.

Adulterium.

Elementa.

Hermogenes.

Lucrum.

Puer01

Ex Epistola I. B. Ioannis Apostoli.

A

B

C

Non

Ex II.

FINIS INDICVM.

